

THEOLOGIA MORALIS

R.P. MAGISTRI

BARTHOLOMÆI MASTRII

De Meldula.

Cat. 31
Stud 43
Vol 10 53

THEOLOGIA MORALIS

R.P. MAGISTRI

BARTHOLOMÆI MASTRII

De Meldula.

THEOLOGIA
MORALIS

Ad mentem DD. Seraphici, & Subtilis concinnata,
ET IN DISPVTATIONES VIGINTIOCTO
DISTRIBVTA

AVCTORE

F. BARTHOLOMÆO
MASTRIO de MELDVLA
Ordinis Minorum Conuentualium SANCTI FRANCISCI
Sacræ Theologiæ Magistro.

EDITIO QVARTA.



VENETIIS, M.DCC.

Apud Ioannem Iacobum Hertz.

SVPERIORVM PERMISSV, & PRIVILEGIO.

BIBLIOTECA PROVINCIAL

THEOLOGIA
MORALIS

Ad mentem D.D. Seraphici, & Subtilis concinnata;

ET IN DISPVTATIONES VIGINTI OCTO
DISTRIBVTA

AVCTORE

F. BARTHOLOMÆO
MASTRIO de MELDVLA

Ordinis Minorum Conuentualium SANCTI FRANCISCI
Sacræ Theologiæ Magistro.

EDITIO QVARTA.

VENETIIS, M.DCC.

Apud Ioannem Iacobum Hertz.

SVPERIORVM PERMISSV, & PRIVILEGIO

MECÆNATI SANCTISSIMO

DIVO ANTONIO PATAVINO.

F. BARTHOLOMEVS MASTRIVS MELDVLENSIS.

MEcænatem potentiſsimum Equitem, nobiliſsimum Reginæ Vrbium ornamentum, philologum liberaliſsimum, Beatiſsime Antoni, eius propenſionis in ſapientes fuiſſe legimus, vt non eorum modò ſapientiam ſummis Cælum vſque laudibus, verum etiam largiſsimis regali liberalitate muneribus proſequeretur. Hinc illud vuolgò emanauit, quod omnes ingeniorum fautores Mæcenates nuncuparentur; ſic noſtris etiam temporibus Mecænates dicimus ſtudiorum Patronos, illos nimirum, qui, ne cultus ſcientiarum deſeratur, doctos viros tuentur, alunt, fouent; ità ego non aliter, cui ſcire aliquid inter innumerabilem penè Doctorum vim pietas diuina conceſsit, vltima iam morali meo operi manu impoſita, Patronum quæritabam, ſub cuius præſidio ſecuriùs lucem iniret, cùm Mundi plurimos cogitantem neſcio quis nouus æſtus perculit animum, Cæloque coegit quærere, quem fruſtrà terris meditabatur: cæleſtis fuit inſpiratio, quæ me tanquam ſuſceptorum immemorem beneficiorum viſa eſt redarguere, mihique in mentem adduxit verum, cui meas vigilias conſecrarem Patronum, optimum, te videlicet, ac beneficentiſsimum Mecænatem; immemor viſus ſum, inquam, redargui; quot enim per te mihi a ſummo rerum Opifice gratiæ, quarum nec dùm vltimam ſatis ſum partem exſoluere, promanarunt? quoties ingraueſcente morbo priſtinam exoratus ſanitatem mihi eontuliſti? ter vitæ diſcrimine, alias vt omittam leuioris momenti vices, pereclitatus ſum, cùm tamen ad te confugiens medelis Medicorum iudicio irritis abdicatis conualui; laborum meorum ſiuè ad Philoſophiam, ſiuè ad Theologiam ſpectantium quis alius à te dux extitit, ex quorum ſingulis primum duntaxat, atque vnicum exemplar ſemper tutto pede properauit ad lucem? an non prodigium dicam, quod Tertium ſuper ſententias librum latore in latrones illapſo, pecunijs, alijſque rebus expoliato, ipſum ſolum illæſum Veneta præla, quibus continuò te adiuuante præfuit vir longè pius Doctor Bernandinus Fontana, & ipſe Venetus, illæſum, inquam, integrumque optata luci mandarint? id tua præſtitit beneficentia, id tuus in me quantumcunque indignum ſingularis amor effecit. Vide igitur ſi hæ tibi meæ quale ſecunque ſint diſceptationes debebantur, qui me hucuſque incolumen ſeruaſti, vt quod diù in aliarum excuſione non feceram eas tuo nunc immortali nomini conſecrarem; ſed hanc meam procraſtinationem, quàm egò fatalem appello, ne quæsò ignauiæ tribuas; finis enim cùm dicente Philoſopho, optimi habeat rationem, finem ego laboribus, niſi aliud euenerit, impoſiturus, an ne alium à te poteram mihi pro corinde potiori iure ſeruare? meorum tu ſolus operum Alpha, & Omega, vnde ſi Logicas inſtitutiones in auguſtiſsima Patauij, vbi quieſcis, adeorſus fueram, congruum pariter erat, vt quià nunc ſenectutis ergo in patrio Medulenſi Conuentu degere mihi eſt opus, te tamen ſaltem pro complemento ſumerem vigiliarum mearum: tuis itaque prodeunt ſub au-

ſpicij, tu eas benigno aſpice vultu, tuere, ac foue, Mecænatem ſuis præſertim carminibus Epicorum, Lyricorumque Principes Virgilius, Horatiuſque æternitati dederunt, ego non eadem motus ratione, qua ipſi, nomen tibi Mecænatis attribuo, quod ille laudis indignus ſuorum rectè geſtorum, vt poſterorum memoriæ demandarentur, tibicinem aliquem poſtulabat, tu autem tibi ipſi tibicenes, cum nullus ſit orbis angulus, cui tua ſe facta non patefecerint, atque in dies mirabiliter eluceſcant; nec etiam te Mecænatem appello quod vllarum me dignitatum ad culmen, à quibus longè meus eſt animus, aduexeris, ſed quia innumeras præter à te grates acceptas viſsimus hiſce diebus mihi maximam contuliſti.

O meis me meritis fælitiorem? noſtris tandem annuiſti votis, Auguſtiſsime Cælorum Incola, annuiſti; non illa tempora toto animo concupita, ſummæ tempora felicitatis? Quis mihi dat, vt verbis exequar quanto fuerim gaudio perfuſus non ſolùm ipſe, verùm & totus Conuentualium Ordo, poſtquam meritiſsimum Patrem, ac virum ſapientiſsimum Magiſtrum de Pellegrinis, re, & nomine Martialem, non ex communibus Electorum votis, ſed ab æternæ Viceſgerente veritatis Generalem effectum audiuimus? ſingularem tum pietate, cùm litteris viſum qui fortiter operaretur, poſcebat ſibi noſtra Religio, tu meis eiuſque precibus non ſurdus auxiliator talem Romani animo Antiſtitis inſudiſti quid enim Italico ſonat idiomate Pellegrinus, niſi virum quendam ſingularem? quid Martialis, niſi qui properè, ac fortiter operetur? Decimus ille per omnia Clemens, ex cuius ſyderibus continuò Chriſtiano Orbi pluit pax, & fauſtitas ſumma illum, te inſpirante, nobis in Miniſtrum delegit, & lætitia propè ſingulari exultabundus, vt ipſe quoque conceptum gaudium palam faceret, non potuit ſuprà votum immorari, impatienſque vt ità dicam ſtatuta electiones tempora anteuertit; memoriam fortaſsè tuo afflatu repetijt priſci Martialis ex eadem proſæpia Pellegrini, qui multus tùm eloquentia, tùm moribus in Tridentino Concilio fuit; hinc recentem hunc contuens hæreditarium pietatis, ac ſapientiæ deeus Pellegrinorum in Martialibus exiſtimauit; nec immeritò, eius enim in mentem virtutes etiam tanti viri duxiſti, non in exedris minus, quàm ſacris in ſubſellijs, pulpitiſque omnium acclamatione acceptas, ac poſtremò in Romana Sapientia, cui Lector præerat, non modicum dignitatis, ac laudis conſecutas; Age igitur viuat Neſtoreos annos, ſicuti enim ex ſolo nuncio vehementi affecta eſt lætitia, atque vt vulgari vtar loquendi modo, Cælum propè conſcendere noſtra viſa eſt Religio, quidni eam ſub tanto moderamine gloriæ verticem attacturam, habituram votorum ſummam, faſtigium denique dignitatis aſſecuturam ſperemus? ſi vnquam licuit ex omnibus auſpirari, ex præclariſsimo Martialis nomine quale, & quantum nunc omen? ſed benè cæpta omina age tu finem optimum ſortiantur; id ſolùm à te incunctanter poſcimus, hæc ſunt vota noſtra, id Religionis conditio petit.

Tu interim apud Cælorum Auguſtum Mecænas potentiſsime, dum tui veneror nominis maieſtatem, meum hoc qualecunque munuſculum ſuſcipere ne de digneris, tibi maiora ferre non habeo, neque tu magna eges Iliade, & parua munera tam offerentis, quàm ſuſcipientis animo ampliantur; tibi mea hæc Summa oblata ingens excreſcet in opus, atque illi multum tribuet tuo fuiſſe nomine inſignitam; eam igitur læto animo ſuſcipe, ex debito enim tibi dicatur, non quòd ingentem beneficiorum vim, quibus me continuò cumulaſti, perſoluere me credam; ſed quia per id temporis meæ, ac publicæ vtilitati talem, ac tantum virum nobis in Miniſtrum tribuiſti, quem vt diù incolumem ſeruet, Deum immortalem exora.

AD

AD LECTOREM.

EN tandem, ſtudioſe Lector, iuxtà promiſſa in præcedentibus libris ſupremus Theologiæ Moralis Tomus pro conſcientijs practicè dirigendis ad mentem DD. Seraphici, Subtilis, ac aliorum eorundem Sectatorum elucubratus; ad cuius complementum diſputationes de Peccatis, & Sacramentis rurſus percurrere neceſſarium duximus. Quamuis enim quoad ea, quæ ad Speculationem, & Scolaſticam ſpectant, de illis lib. 2. ſent. & de iſtis lib. 4. copiosè, ac ſufficienter egerimus; quia tamen non omnia, quæ ad practicam, & moralem ſpectant, ibi attigimus, ideò hìc ſolùm, quæ ad moralem doctrinam pertinent, tractabimus, repetendo interdum cum maiori breuitate, ac facilitate iam ibi dicta duntaxat, quæ ad praxim pertinent, & hoc præſertim in materia de Sacramentis, vt hic tractatus adeò neceſſarius ſit ex omni parte integer, & completus, & ſeries tocius Theologiæ Moralis integrè, & completè contexta. Quoniam verò Theologi antiquiores 4. ſent. lib. ad finem, & ſcopum Theologiæ Moralis firmius conſequendum, qui eſt hominum conſcientias in ſuis operibus dirigere, eoſque à peccatis retrahere, poſt diſputationem de Sacrmentis ſpecialem quoque tractatum de quatuor nouiſſimis ſubnectere conſueuerunt; nos quoque hanc methodum veterum Scholaſticorum imitati tractatum hunc de quatuor nouiſſimis in fine huius operis addidimus, quamuis Recentiores in Theologia Morali de his agere non ſoleant; nullum enim aliud motiuum efficacius homines retrahit à peccatis, quàm nouiſſimorum memoria iuxta illud Eccleſiaſt. *In omnibus operibus tuis memorare nouiſsima tua, & in æternum non peccabis.*

Accipe igitur, benigne Lector, hoc opus tandem in lucem editum, quod Seraphicæ Religioni referas acceptum, quæ in ſuperiorem electione conſilio, & doctrina vti ſolet Card. de Lugo diſp. 34. de Iuſtitia, & Iure ſec. 3. à nobis in hoc Tomo relata diſp. 6. de obligationibus Iuſtitiæ diſtributiuæ q. 1. art. 1. diff. 4. nec vnquam, vel ſaltem rariſſime neceſſariam eiuſdem doctrinæ limitationem obſeruat, quam ibi prudentiſſimè ſubdit hic doctiſſimus Auctor; etenim ſi in præcedenti Capitulo generali id fuiſſet, fortè hoc opus Theologiæ Moralis in lucem non prodijſſet, vel ſaltem longiori mora, vt de Metaphyſico opere euenit, quod ſtatim poſt logicum, & Philoſophicum non fuit editum, ſed longè tardius, ob officium Prouincialatus huius noſtræ Bononienſis Prouinciæ mihi collatum ab Illuſtriſſimo, & Reuerendiſſimo P. Magiſtro Michaele Angelo Catalano tunc noſtræ Religionis Generali Miniſtro, & nunc digniſſimo Iſerniæ Epiſcopo, qui præ alijs ſemper ſtudioſorum amantiſſimus fuit, aceorundem laborum remunerator, cui proindè ſoli debeo quicquid honoris, & gradus in hac Religione ſum conſecutus. Pro coronide tamen totius Theologici curſus vltrà Tomum Theologiæ Moralis Tomus etiam Theologiæ Dogmatice ſupereſt edendus; verum ob ætatem, & annorum numero grauem, contiuo ſtudiorum labore fatigatam, hoc nobis valdè difficile redditur, ne dicam impoſſibile; Tùm quia labor hic operarijs propriè conuenit, qui in vinea Domini ad eius ſuperiorem, & ſelectiorem partem colendam ſunt vocati, quales ſunt Theologi, & Conſultores in curia Romana degentes, vndè illis hunc laborem relinquimus.

Itaque læta fronte, amice Lector, has percurre disputationes, in quibus methodus illa optima visa fuit, vt iu quauis materia, seu dubio DD. Seraphici, & Subtilis sententia proferatur, & præferatnr in rebus ab ipsis pertractatis; in alijs verò nihil asserimus, nisi vel ex communi DD. sententia deductum, vel ex probatissimorum Auctorum libris desumptum, & media via semper euntes extrema plus æquo vel laxa, vel angusta declinare conamur. Et in his, quæ de Immunitate Ecclesiastica, de foro Ecclesiastico, & Sæculari, & de Ecclesiarum, ac Ecclesiasticorum à solutione Gabellarum exemptione, ac similibus tractamus, absque vlla præiudicio id asserimus illorum Principum, quibus vel ex speciali priuilegio, vel ex consuetudine legitimè introducta aliter est moris; Et hæc omnia familiari stylo, ac ab omnibus intelligibili explicauimus memores dicti Augustini teste Senensi Bibliothecæ 4. *Malo me reprehendant Gramatici, quàm non Intelligant populi*; Supereſt, quod à te toto animi affetu exposco, vt diuinam mecum pietatem implores, tantum mihi sanitatis, & vitæ conerat, quantumad instaurandam hanc nostram, quam inchoauimus, annorum pondere iam pænè collapsam Ecclesiam sit satis, quippe quæ quatuor iam sæcula à morte S. Patris Francisci annis 23. Christi vices gerente innocentio Quarto, F. Ioanne Parmensi Generali, ædificata expleuerat, vt ego Salomonis innixus exemplo exacta huius vitæ periodo dulcissima illa verba audire merear à Domino eidem prolata 3. Regum cap. 9. *Exaudiuit orationem tuam, & deprecationem tuam, quam deprecatus es coram me, sanctificaui domum hanc, quam ædificasti, vt ponerem nomen meum ibi in sempiternum, & erant oculi mei, & cor meum ibi cunctis diebus*. Tanti igitur beneficij mecum omnipotenti Deo gratias referas bonorum omnium largitori, cuius ope scolasticorum laborum finem spatio annorum quadraginta sum assecutus. Vale, & pro me etiam ipsum precare, quem ego quoque tibi, & mihi propitium deprecor in præsenti sæculo, & adhuc magis in futuro.



APPRO-

APPROBATIONES

OPERIS.

OPus Doctiſſimum quidem, ac exoptatum, cuius inſcriptio eſt, *Theologia Moralis ad mentem DD. Seraphici, & Subtilis concinnata, & in viginti octo Diſputationes diſtributa*, ab Adm. Reuer. Patre Magiſtro Bartolomæo Maſtrio de Meldula elaboratum, iuſſu Reuerendiſſimi Patris Magiſtri Andreæ Bini ab Hyſpello, totius Ord. Min. Con. Miniſtri Generalis, à me diligenter examinatum Fidei Orthodoxæ haudquaquam diſſonum, quinimò auribus Diui Bonauenturæ, & Scoti prorſus conſonum, nec non veritati ſummè conſentaneum recognoui, Publica idcircò luce in quam tanti Auctoris, tot peregregia opera, plauſitantibus Academijs feliciſſimè prodierunt id digniſſimum cenſeo, hoc habens candidumque teſtimonium.

Datum Bononiæ die 5. Iunij 1669.

F. Bonauentura Salimbenus de Placentia Art. & Sac. Theol. Doctor Almi Conuentus S. Franciſci Bononiæ Guardianus.

OPus, quod *Theologia Moralis nuncupatur ad mentem DD. Seraphici, & Subtilis concinnata, & in Diſputationes viginti octo diſtributa*, Au&ore Patre Magiſtro Bartholomæo Maſtrio de Meldula Ordinis Min. Con. S. Franciſci, accuratiſſimè de mandato Patris Reuerendiſſimi eiuſdem Ordinis Noſtri Generalis Miniſtri P. Andreæ Bini ab Hyſpello perleggi, nihilque, quod fidei, bonorumque morum candorem denigret, in eo meis ſe ſe oculis obietit, immò ſingulare Sapientiſſimi viri ingenium (maximè qui iam philoſophicum, nec non theologicum curſum communi omnium veneratione, ac plauſu ad Subtiliſſimi mentem Subtiliſſimus interpres, & aſſecla inuulgarit.) Sum magnoperè admiratus, & quia non niſi in magnam tam Sapientum vtilitatem, quàm ſalutem animarum compactum eſſe aſpexi ſimul, & ſuſpexi, quodque eius omnium laborum complementum eſt, & corona, ne altera, nec non condigna, lucis nimirum corona huic operi denegetur, digniſſimum cenſeo, vt typisquam primum mandetur:

Ita eſt Frater Hieronymus Marinus à S. Aghata Miniſter Prouincialis, & Commiſſarius Generalis Prouinciæ Bononiæ.

F. Andreas

F. Andreas Bignus ab Hyſpello S. T. D. Vniuerſi Ordinis Minorum Con. Generalis Miniſter.

OPus, cui titulus *Theologia Moralis ad mentem DD. Seraphici, & Subtilis*, à Patre Magiſtro Bartolomæo Maſtrio de Meldula elaboratum, atque à Patribus Thologis, quibus id commiſſum fuit, recognitum, laudatum, approbatum, Typis cudi, ac demum in lucem edi, quantum ad Nos attinet, permittimus. Eiuſque rei teſtimonio præſentes manu noſtra, & Sigillo Ordinis munitas damus. Romæ 15. Iunij 1669.

F. Andreas de Hyſpello Miniſter Generalis.
F. Gaſpar Meazza à Panormo Sec. Ord & Gen. Aſsiſtens

NOI REFORMATORI

Dello Studio di Padoua.

HAuendo veduto per fede del Padre Commiſſario del Sant' Officio nel Libro intitolato *Theologia Moralis Patris Magiſtri Bartholomæi Maſtrij de Meldula*, non eſſerui coſa alcuna contro la Santa Fede Cattolica, e parimente per atteſtato del Segretario noſtro, niente contro Prencipi, e buoni coſtumi, concedemo licenza à Gio: Giacomo Hertz di poterlo ſtampare; oſſeruando gl'ordini, &c.

Data dal Magiſtrato noſtro li 19. Agoſto 1669.

(Aluiſe Contarini Cau. Procurator Reform.
(
(Battiſta Nani Cau. Procurator Reform.

Angelo Nicoloſi Segretario.

INDEX
DISPVTATIONVM, QVÆSTIONVM ET ARTICVLORVM.

Quæ in hoc Tomo continentur.

DISPVTATIO PRIMA.

De Regula interna actuum humanorum, scilicet, Conscientia.

QVÆSTIO PRIMA.

De quidditate Conscientiæ.

Art. 1. QVid sit Conscientia, & in qua potentia resideat.
Art. 2. Quotuplex sit Conscientiæ, & quæ eius obligatio.

Quæstio Secunda.

Quænam sit obligatio conscientiæ erroneæ, seu falsæ, & quid de scrupulosa conscientia sentiendum sit.

Art. 1 Explicatur obligatio Conscientiæ inuincibiliter errantis.
Art. 2. Explicatur obligatio Conscientiæ vincibiliter errantis.
Art. 3. Quid de scrupulosa conscientia sentiendum sit, & quomodo sit deponenda.

Quæstio Tertia.

An voluntas licitè operari possit in Conscientia dubia.

Art. 1. Resoluitur Quæstio.
Art. 2. An dubio iuris, vel facti tutior pars sit semper eligenda.

Quæstio Quarta.

An licitè possimus Conscientia probabili conformari.

Art. 1. Quæstionis resolutio.
Art. 2. An Conscientia probabilis possit esse regula sufficiens nostrarum actionum in omni materia.

DISPVTATIO SECVNDA.

De Regula externa actuum humanorum, scilicet, lege.

QVÆSTIO PRIMA.

De Quidditate Legis.

Art. 1. Quid sit lex, & cuius potentiæ sit actus.
Art. 2. Quænam sint de ratione legis, & quæ conditiones ad legem ordinandam requirantur.

Quæstio Secunda.

De diuisione legum, & quotuplex sit lex.

Art. 1. Quid sit lex eterna, & an aliæ leges ab ea deriuentur.
Art. 2. Quid sit lex naturalis, & quæ, ac quanta eius obligatio.
Art. 3. An lex naturalis sit inuariabilis, & indispensabilis.

Quæstio Tertia.

De Lege Diuina positiua.

Art. 1. De Lege Diuina veteri.
Art. 2. De Lege Diuina noua.

Quæstio Quarta.

De Lege positiua humana.

Art. 1. De necessitate, & vtilitate legis humanæ, & potestate eam codendi.
Art. 2. De materia legis humanæ, & an obligare possit ad actus internos.
Art. 3. De forma, & promulgatione, & acceptatione humanarum legum.
Art. 4. Quinam subdantur humanis legibus.

Quæstio Quinta.

De potestate humanæ legis.

Art. 1. An lex humana, siue ciuilis, siue Ecclesiastica obligare possit in conscientia, & sub peccato.
Art. 2. Vndè dignosci possit, quando lex humana obligat ad mortale, vel solùm ad veniale.
Art. 3. De lege pænali an possit obligare ad pænam ipso facto incurrendam.
Art. 4. De lege irritatoria, & quam vim obligandi habeat.
Art. 5. Quomodo lex obliget ad sui satisfactionem, & impletionem, seù quibus modis legi satisfieri possit.

Quæstio Sexta.

De cessatione, seu mutatione legis humanæ.

Art. 1. An, & quomodo lex cesset per eius abrogationem.
Art. 2. An, & quomodo lex cesset per eius dispensationem.
Art. 3. An, & quomodo lex cesset per priuilegium.
Art. 4. An, & quomodo lex cesset per contrariam consuetudinem.
Art. 5. An, & quibus alijs modis lex cessare possit.

DISPVTATIO TERTIA.

De Iustitia, & Iure.

QVÆSTIO PRIMA.

De essentia, & subiecto dominij.

Art. 1. Quid, & quotuplex sit dominium, & quæ ad illud requisita.
Art. 2. Quinam sint dominij capaces.

Quæ-

INDEX.

Quæstio Secunda.

De obiecto dominij.

Art. 1. Quæ cadant sub perfecto hominis dominio.
Art. 2. Quo iure rerum dominia fuerit distincta.

Quæstio Tertia.

De acquisitione dominij.

Art. 1. Quibus modis dominium propietatis acquiratur.
Art. 2. De modo acquirendi dominium iure præscriptionis, ac iure belli.

DISPVTATIO QVARTA.

De contractibus.

QVÆSTIO PRIMA.

De Contractibus in genere.

Art. 1. Quid sit Contractus, & quotuplex, & quæ eius conditiones, vt sit validus.
Art. 2. De consensu ad validitatem contractus requisito, & an error, & dolus vitient contractum.

Quæstio Secunda.

De promissionibus, Donationibus, & Testamentis.

Art. 1. De Promissione, & eius conditionibus.
Art. 2. De Donatione, & eius conditionibus, & speciebus.
Art. 3. De Testamentis, ac eorũ conditionibus, & speciebus.

Quæstio Tertia.

De Commodato, Precario, & Deposito.

Art. 1. Quid sit commodatum, & quomodo à precario discriminetur.
Art. 2. De natura Depositi, & obligatione Depositarij.

DISPVTATIO QVINTA.

De Contractibus Oneros is.

QVÆSTIO PRIMA.

De Contractibus permutationis, venditionis, & emptionis.

Art. 1. Quid sit permutatio, seu commutatio simplex.
Art. 2. Quid sit emptio, & venditio, & quomodo perficiantur.
Art. 3. Quædam aliæ difficultates de emptione, & venditione resoluuntur.
Art. 4. De Monopolis, & alijs negotiationibus illicitis.

Quæstio Secunda.

De Mutuo, & Vsura.

Art. 1. Quid sit Murum, & Vsura, & an hæc sit licita.
Art. 2. An vsura mentalis ad restitutionem obliget.
Art. 3. In quibus casibus sit licitum aliquid vltrà sortem accipere.
Art. 4. An possit licitè mutuans aliquod commodum exigere extrà prædictos casus.
Art. 5. An in vsura transferatur dominium accepti vltrà sortem.
Art. 6. An liceat pecuniam accipere mutuò sub vsura.

Quæstio Tertia.

De Censibus, & Cambijs, ac societate.

Art. 1. Quid, & quotuplex sit Census, & de pertinentibus ad eius naturam.
Art. 2. Quæ conditiones iure Canonico sint necessariæ ad Censum constituendum.
Art. 3. Quid, & quotuplex sit Cambium, & an sit licitum.
Art. 4. De Contractu Societatis, ac eius conditionibus.

Quæstio Quarta.

De Reliquis Contractibus.

Art. 1. De Locatione, & Conductione.
Art. 2. De Emphiteusi, & Feudo.
Art. 3. De Assecutione, & Fideiussione.
Art. 4. De Pignore, & Hypotheca.

DISPVTATIO SESTA.

De obligationibus Iustitiæ distributiuæ.

QVÆSTIO PRIMA.

De Acceptione personarum in distributione bonorum, vel onerum communium Reipublicæ.

Art. 1. De distributione Officiorum Sæcularum, & Ecclesiasticorum.
Art. 2. De iusta distributione in imponendis tributis, & oneribus.

Quæstio Secunda.

De obligationibus iustitiæ ad publica indicia spectantibus.

Art. 1. De obligationibus Iudicis.
Art. 2. De obligatione accusatoris, & denunciatoris.
Art. 3. De reo, seu accusato, ac eius obligationibus.
Art. 4. De Testibus, ac eorum obligationibus.
Art. 5. De Aduocato, ac eius obligationibus, & aliorum Officialium.

DISPVTATIO SEPTIMA.

De Restitutioni Communi.

QVÆSTIO PRIMA.

De Natura Restitutionis.

Art. 1. Quid sit Restitutio, & cuius virtutis sit actus.
Art. 2. An restitutio sit necessaria ad salutem, an ex præcepto affirmatiuo, vel negatiuo, & vndè oriatur.

Quæstio Secunda.

De Personis ad restituendum obligatio, & quomodo.

Art. 1. Quinam ad restitutionem teneantur.
Art. 2. Quid sit restituendum.
Art. 3. Cui sit restituendum.

Quæstio Tertia.

De alijs circumstantijs Restitutionis.

Art. 1. Quo tempore, quo ordine, & quibus expensi facienda sit restitutio.
Art. 2. De causis à restitutione excusantibus, vel omninò, vel ad tempus.

DISPVTATIO OCTAVA.

De Restitutione in particulari.

QVÆSTIO PRIMA.

De Restitutione facienda ob damna spiritualia.

Art. 1. An damnificans alium in bonis spiritualibus ad restitutionem teneatur.
Art. 2. An alium à Religione extrahens ad aliquid restituendum teneatur.

Quæstio Secunda.

De Restitutione damni in bonis corporis.

Art. 1. Quodnam homicidium sit licitum, vel illicitum.
Art. 2. Quatuor aliæ difficultates ad idem spectantes discutiuntur.
Art. 3. De restitutione ob alterius occisionem, vel mutilationem facienda.

Quæstio Tertia.

De Restitutione damni in bonis famæ, & honoris.

Art. 1. Quibus modis lædatur proximi fama, & honor.
Art. 2. Quibus modis fama, & honor proximo ablata reparari debeant.

Art. 3.

Art.3. Soluuntur difficultates quædam circà peccatum dectrationis.

DISPVTATIO NONA.

De Restitutione damni in bonis fortunæ.

QVÆSTIO PRIMA.

De Restitutione ex furto proueniente.

Art.1. Quid sit furtum, & quæ quantitas ad peccatum mortale sufficiat.
Art.2. An fur continuò peccet mortaliter quamdiù non restituit, & quoties re aliena vtitur.

Quæstio Secunda.

De Restitutione, ex damno dato proueniente.

Art.1. Quandonam damnum dare sit peccatum, & ad restitutionem obliget, & quomodo.
Art.2. An impediens aliquem à consecutione alicuius boni teneatur ad restitutionem.

Quæstio Tertia.

De Restitutione ex adulterio, stupro proueniente.

Art.1. Quid sit restituendum ratione adulterij.
Art.2. Quid sit restituendum ratione stupri.

Quæstio Quarta.

De restitutione ex turpi lucro, & ludo proueniente.

Art.1. An accepta ob turpem causam sint restituenda.
Art.2. Quid sit restituendum ratione ludi.

Quæstio Quinta.

De restitutione ex aliis capitibus proueniente.

Art.1. De Restitutione ex venatione, piscatione, & aucupio.
Art.2. De Restitutione ex bello iniusto.

DISPVTATIO DECIMA.

De Præceptis Virtutum Theologicarum.

QVÆSTIO PRIMA.

De Præceptis Fidei.

Art.1. Quæ mysteria fidei necessariò sint credenda, & quando.
Art.2. An sit præceptum de externa Fidei Confessione, & quando obliget.
Art.3. De Infidelitate, & vitijs Fidei oppositis.

Quæstio Secunda.

De Præceptis Spei.

Art.1. An extet præceptum Spei, & quando obliget.
Art.2. De vitijs Spei oppositis, Desperatione, scilicet, & præsumptione.

Quæstio Tertia.

De Præceptis, Charitatis.

Art.1. Quæ sint præcepta Charitatis, & quando obligent.
Art.2. An Eleemosina sit præceptum Charitatis, & quando obliget.
Art.3. An Correctio fraterna sit præceptum Charitatis, & quando obliget.
Art.4. An ordo correctionis fraternæ à Christo præscriptus cadat sub præcepto.
Art.5. An in Religiosibus sit licitum reuelare Prælato peccatum fratris occultum, non præmissa correctione.

Quæstio Quarta.

De vitijs Charitati oppositis.

Art.1. De Odio, Inuidia, Discordia, & Scandalo.
Art.2. De Bello, & Duello.

DISPVTATIO VNDECIMA.

De Legis Diuinæ, seù Decalogi præceptis.

QVÆSTIO PRIMA.

De Præceptis Decalogi in communi.

Art.1. An præcepta Decalogi sint de lege naturæ, & indispensabilia.
Art.2. An præcepta Decalogi obligent ad opera formata.

Quæstio Secunda.

De primo Decalogi præcepto.

Art.1. De virtute Religionis, & verò Dei cultu.
Art.2. De vitijs, & peccatis Religioni oppositis per excessum.
Art.3. De vitijs, & peccatis Religioni oppositis per defectum.

Quæstio Tertia.

De secundo Decalogi præcepto.

Art.1. De Blasphemia.
Art.2. De Iuramento.
Art.3. De Voto.

Quæstio Quarta.

De tertio Decalogi præcepto.

Art.1. Quæ opera tùm hoc præcepto, tùm ab Ecclesia diebus festis prohibeantur.
Art.2. Qua opera diebus festis præcipiantur.

Quæstio Quinta.

De quarto Decalogi præcepto.

Art.1. Quænam sint obligationes filiorum erga parentes.
Art.2. Quænam sint obligationes parentum erga filios.

Quæstio Sexta.

De quinto Decalogi præcepto.

Art.1. Quomodo hoc quintum Decalogi præceptum intelligi debeat.
Art.2. Quandonam, & quo casu homicidium sit licitum.

Quæstio Septima.

De sexto Decalogi præcepto.

Art.1. Assignantur, & declarantur species luxuriæ hoc præcepto vetitæ.
Art.2. De peccato contrà naturam, & eius speciebus.
Art.3. De impudicitia, hoc est, de tactibus, aspectibus similibusque actibus impudicis inter solutos.

Quæstio Octaua.

De septimo Decalogi præcepto.

Art.1. Quid hoc sep. Decalogi præcepto prohibeatur.
Art.2. Quot modis contrà hoc septimum Decalogi præceptum peccetur.

Quæstio Nona.

De octauo Decalogi præcepto.

Art.1. Quid, & quotuplex sit mendacium, & quale peccatum.
Art.2. Quid, & quotuplex sit periurium, & quale peccatum, & quot modis contrà hoc præceptum peccetur.

Quæstio Decima.

De nono, & Decimo Decalogi præcepto.

Art.1. De motibus concupiscentiæ appetitus sensitiui, quomodo, & quando sint peccata.
Art.2. De delectatione morosa, & quot modis contra hæc duo vltima præcepta peccetur.

DISPV-

INDEX

DISPVTATIO DVODECIMA.

De Præceptis Ecclesiæ.

QVÆSTIO PRIMA.

De primo Ecclesiæ præcepto, scilicet, Ieiunio.

Art.1. Quid sit ieiunium, qui eius finis, & modus ad eius obseruantiam requisitus.
Art.2. Quæ, & qualis sit obligatio ieiunij.
Art.3. Quæ causæ à ieiunio excusent.

Quæstio Secunda.

De cæteris Ecclesiæ præceptis.

Art.1. De secundo Ecclesiæ præcepto, scilicet, de audiendo sacro in diebus festis.
Art.2. De tertio Ecclesiæ præcepto, scilicet, de annua Confessione.
Art.3. De quarto Ecclesiæ præcepto, scilicet, de communione in Paschate.
Art.4. De quinto Ecclesiæ præcepto, scilicet, de soluendis decimis.

DISPVTATIO DECIMATERTIA.

De Censuris alijsque pœnis Ecclesiasticis.

QVÆSTIO PRIMA.

De Censuris in communi.

Art.1. Quid, & quotuplex sit Censura Ecclesiastica.
Art.2. Qui possint ferre Censuram, & quibus modis sit ferenda.
Art.3. Qui possint ligari Censuris, & quibus de causis.
Art.4. Quænam causæ ab incurrendis Censuris excusent, & quis absoluere possit ab eisdem incursis.

Quæstio Secunda.

De excommunicatione.

Art.1. Quid, & quotuplex sit excommunicatio.
Art.2. Quinam sint effectus excommunicationis maioris, vbi de primo, & secundo eius effectu.
Art.3. De alijs excommunicationis maioris effectibus.
Art.4. De causis, ob quas incurritur excommunicatio maior.
Art.5. Qui possint absoluere ab excommunicatione maiori.
Art.6. Quædam difficultates explicantur in hac materia.

Quæstio Tertia.

De Suspensione.

Art.1. Quid sit Suspensio, & quotuplex, & quomodo differat ab alijs Censuris, & pœnis.
Art.2. De effectibus Suspensionis.
Art.3. De causis Suspensionis, & eius absolutione, & ablatione.

Quæstio Quarta.

De interdicto.

Art.1. Quid, & quotuplex sit interdictum.
Art.2. De effectibus Interdicti, & pœnis illud violantium.
Art.3. De causis Interdicti, & eius relaxatione, ac etiam de cessatione à diuinis.

Quæstio Quinta.

De Irregularitate.

Art.1. Quid, & quotuplex sit Irregularitas, & quinam eius effectus, & causæ.
Art.2. Quomodo, & quando Irregularitas.
Art.3. Quæ sint Irregularitates ex delicto.
Art.4. De Irregularitate orta ex homicidio & mutilatione.
Art.5. Quæ sint Irregularitates ex defectu.
Art.6. Quomodo tollatur Irregularitas, & quis in ea dispensare possit.

DISPVTATIO DECIMAQVARTA.

De Præceptis particularibus certo hominum statui proprij.

QVÆSTIO PRIMA.

De Statui Religioso.

Art.1. Quæ sit materia, & status Religiosi.
Art.2. Ad quæ teneatur Religiosus ex vi suæ professionis, & Regulæ sui Ordinis.
Art.3. De Obligationibus Religiosorum ratione voti Obedientiæ.
Art.4. De Obligationibus Religiosorum ratione voti Castitatis.
Art.5. De Obligationibus Religiosorum ratione voti Paupertatis.

Quæstio Secunda.

De Statu Clericali.

Art.1. De Obligatione recitandi Diuinum Officium, seu Horas Canonicas.
Art.2. De Beneficijs Ecclesiasticis, & modis licitè ea obtinendi, & conditionibus ad hoc requisitis.
Art.3. De Beneficiatis, ac eorum obligationibus.
Art.4. De pluralitate Beneficiorum simul, & de Pensionibus.

Quæstio Tertia.

De Simonia.

Art.1. Quid, & quotuplex sit Simonia, & quale peccatum.
Art.2. Quibus modis Simonia in beneficijs obtinendis, & in alijs casibus committi possit, vel non.
Art.3. Quæ sint pœnæ contrà Simoniacos constitutæ.

DISPVTATIO DECIMAQVINTA.

De Peccatis.

QVÆSTIO PRIMA.

De natura, & essentia peccati.

Art.1. Quid sit peccatum actuale, & quotuplex.
Art.2. Quid requiratur ad peccatum actuale.

Quæstio Secunda.

De Peccato Commissionis, & omissionis.

Art.1. De peccato commissionis.
Art.2. De peccato omissionis.

Quæstio Tertia.

De Peccato mortali, & veniali.

Art.1. An aliud sit peccatum mortale, & aliud veniale, & quomodo differant.
Art.2. An peccatum mortale, & veniale differant genere, vel specie, & qualiter sit inter vtrumque discernentibus.
Art.3. An peccatum mortale possit aliquando fieri veniale, & è contrà.

Quæstio Quarta.

De distinctione, & comparatione peccatorum.

Art.1. Vndè specifica peccatorum distinctio sit desumenda & vnde numerica.
Art.2. Vnde sumatur inæqualitas, & grauitas peccatorum.

Quæstio Quinta.

De Subiecto peccati.

Art.1. Quæ potentia possit esse subiectum peccati.
Art.2. Explicatur diuisio peccati in peccatum cordis, oris, & operis.

Quæ-

Quæstio Sexta.

De causis peccati, & excusantibus ab eo.

Art.1. Quænam sint causæ peccatorum.
Art.2. Qua ratione ignorantia sit causa peccati, vel ab illo excuset.
Art.3. De alijs causis interioribus peccati, scilicet, Passione, & malitia.
Art.4. De causis excusantibus à peccatis.

Quæstio Septima.

De effectibus peccati.

Art.1. Quinam sint peccatis actualis effectus.
Art.2. An peccatum diminuat bonum naturæ, seù inclinationem naturalem ad bonum.

Quæstio Octaua.

De Peccatis capitalibus in specie.

Art.1. De prioribus peccati capitalibus.
Art.2. De cæteris peccatis capitalibus.

DISPVTATIO DECIMASEXTA.

De Sacramentis in genere.

QVÆSTIO PRIMA.

De natura, & essentia Sacramenti in genere.

Art.1. Quid sit Sacramentum, & in quo eius essentia consistat.
Art.2. De materia, & forma Sacramentorum.

Quæstio Secunda.

De effectibus Sacramentorum.

Art.1. De primario effectu Sacramentorum, qui est gratia.
Art.2. De effectu secundario quorundam Sacramentorum, qui est Character.

Quæstio Tertia.

De Ministro, & Susceptore Sacramentorum.

Art.1. Quis sit Minister Sacramentorum, & quæ in eo requirantur ad validam illorum administrationem.
Art.2. Quis sit susceptor Sacramentorum, & quæ in illo requirantur ad validam, & licitam eorum susceptionem.

Quæstio Quarta.

De numero ordine, & necessitate Sacramentorum.

Art.1. Quę, & quot sint nostra Sacramenta, quem ordinem inter se habeant.
Art.2. An omnia Sacramenta sint ad salutem necessaria, & quomodo.

DISPVTATIO DECIMASEPTIMA.

De Baptismo, & Confirmatione.

QVÆSTIO PRIMA.

De essentia, & existentia Baptismi, ac eius necessitate.

Art.1. Quid sit Baptismus, & in quo eius essentia consistat, ac necessitas.
Art.2. Quando Baptismus fuerit institutus à Christo, & cæperit esse sub præcepto.

Quæstio Secnnda.

De materia, & forma Baptismi.

Art.1. De materia remota, & proximi Sacramenti Baptismi
Art.2. De forma Sacramenti Baptismi.

Quæstio Tertia.

De Ministro, & Susceptore Baptismi.

Art.1. Quis possit Baptismum conferre, & administrare.
Art.2. Quis Baptismum suscipere possit, & quæ dispositiones ad id requirantur.

Quæstio Quarta.

De effectibus Baptismi.

Art.1. Quinam sint effectus Baptismi.
Art.2. An fictio impediat Baptismi effectum, & hic conferatur illa recedente.

Quæstio Quinta.

De Sacramento Confirmationis.

Art.1. De nomine, & essentia confirmationis, eiusque institutione, ac necessitate.
Art.2. Quænam sit materia, & forma Sacramenti Confirmationis.
Art.3. De Ministro, & susceptore Confirmationis, ac eius effectibus.

DISPVTATIO DECIMAOCTAVA.

De Sacramento Eucharistiæ.

QVÆSTIO PRIMA.

De essentia Eucharistiæ, ac eius existentia.

Art.1. An Eucharistia sit Sacramentum, & in quo eius essentia consistat.
Art.2. De vnitate huius Sacramenti, ac necessitate.

Quæstio Secunda.

De materia Eucharistiæ.

Art.1. Qualis panis, & quale vinum requiratur ad Eucharistiam conficiendam.
Art.2. Quæ conditiones ad materiæ consecrationem requirantur.

Quæstio Tertia.

De forma Eucharistiæ.

Art.1. Quæ sit forma ad consecrandam Eucharistiam requisita, & qui verus, & proprius verborum illius sensus.
Art.2. Quid in hoc Sacramento per verba Consecrationis efficiatur.
Art.3. Explicantur quædam difficultates circà Transubstantiationem panis, & vini in Corpus, & Sanguinem Christi.

Quæstio Quarta.

De effectibus Eucharistiæ.

Art.1. Qui sint effectus Eucharistiæ, & quomodo, & quando ab ea causentur.
Art.2. De dispositionibus ad digna huius Sacramenti perceptionem necessarijs.

Quæstio Quinta.

De Susceptore, & Ministro huius Sacramenti.

Art.1. Quinam sint huius Sacramenti capaces.
Art.2. Quis sit legitimus huius Sacramenti Minister.

DISPVTATIO DECIMANONA.

De Sacramento Ordinis.

QVÆSTIO PRIMA.

De essentia, & existentia Sacramenti Ordinis.

Art.1. Quis sit Ordo, & an sit Sacramentum, & quotuplex.
Art.2. Quæ sit materia, & forma Sacramenti Ordinis.

Quæ-

Quæstio Secunda.

De Miniſtro, & Suſceptore Sacramenti Ordinis, & eius effectibus.

Art.1. Quis Sacramentum Ordinis conferre, & quis illud ſuſcipere poſſit.
Art.2. Quinam ſint huius Sacramenti effectus.

Quæstio Tertia.

De Sanctiſſimo Miſſæ Sacrificio.

Art.1. An in Miſſa verum, & propriè dictum Sacrificium Deo offeratur, & quænam partes eius ad rationem Sacrificij pertineant.
Art.2. Quæ res ſit oblata in hoc Sacrificio, & quinam offerens.

Quæstio Quarta.

De effectibus Sacrificij Miſſæ.

Art.1. Quinam ſint huius Sacrificij effectus.
Art.2. Quantam vim, & efficaciam habeat hoc Sacrificium in ſuis effectibus conferendis.

Quæstio Quinta.

De ſubiecto, pro quo hoc ſacrificium offerri, & applicari poteſt.

Art.1. Pro quibus hoc Sacrificium licitè, & validè offerri poſſit.
Art.2. Qualis eſſe debeat Sacerdotis applicatio, vt Miſſæ fructus in alios deriuetur.
Art.3. De ſtipendio, quod pro celebratione Miſſæ accipere licet.

DISPVTATIO VIGESIMA

De Matrimonij Sacramento.

QVÆSTIO PRIMA.

De eſſentia, & inſtitutione Matrimonij.

Art.1. An matrimonium ſit Sacramentum, & in quo eſſentialiter conſiſtat.
Art.2. De materia, forma, & Miniſtro Matrimonij,
Art.3. Quæſita nonnulla reſoluuntur.

Quæstio Secunda.

De validitate Matrimonij.

Art.1. De mutuo contrahentium conſenſu ad Matrimonium neceſſario.
Art.2. De libertate ad conſenſum coniugalem requiſita.
Art.3. De altera conditione ad validitatem Matrimonij requiſita, vbi de Matrimonio Clandeſtino.

Quæstio Tertia.

De Matrimonij vnitate, & indiſſolubilitate.

Art.1. De Matrimonij Vnitate.
Art.2. De Matrimonij indiſſolibilitate, & perpetuitate. 272

Quæstio Quarta.

De Sponſalibus Matrimonij præuis.

Art.1. Quæ, & quot ad Sponſalium valorem requirantur.
Art.2. Quam obligationem Sponſalia inducant.
Art.3. Quibus modis, & quibus de cauſis Sponſalia diſſoluantur.

Quæstio Quinta.

De Matrimonij impedimentis.

Art.1. De impedimentis non dirimentibus, ſeù mere prohibentibus.
Art.2. De impedimentis matrimonium dirimentibus.
Art.3. Alia impedimenta matrimonium dirimentia explicantur.
Art.4. De cæteris impedimentis, ac eorum diſpenſatione.

Quæstio Sexta.

De effectibus Matrimonij, atque Diuortij.

Art.1. Quinam ſint Matrimonij effectus.
Art.2. Quibus de cauſis inter coniuges diuortium fieri poſſit.

DISPVTATIO VIGESIMAPRIMA.

De Pœnitentiæ Sacramento.

QVÆSTIO PRIMA.

De Pœnitentia, vt eſt virtus.

Art.1. An pœnitentia ſit ſpecialis virtus a cæteris diſtincta, & quæ ſit propria ratio eius, & obiectum.
Art.2. An pœnitentia ſit virtus infuſa, vel acquiſita, & eius actus ſint ſupernaturales, & quomodo.

Quæstio Secunda.

De actu Contritionis, & Attritionis.

Art.1. De actu Contritionis pœnitentiæ perfectè.
Art.2. De actù Attritionis pœnitentiæ imperfectè.

Quæstio Tertia.

De neceſſitate, & efficacia Pœnitentiæ virtutis ad remiſſionem mortalium.

Art.1. Quanta ſit pœnitentiæ neceſſitas, & quę pœnitentiæ ſit ad ſalutem neceſſaria.
Art.2. Quando neceſſitas pœnitentiæ vrgeat, & præceptum contritionis obliget.
Art.3. Quomodo pœnitentiæ, ſeù contritio cauſet remiſſionem peccati mortalis.

Quæstio Quarta.

De remiſſione peccatorum venialium.

Art.1. Quomodo remittatur venialia in hac vita.
Art.2. An venialia poſſint in alia vita dimitti, & quomodo.

Quæstio Quinta.

De pœnitentia vt eſt Sacramentum.

Art.1. De exiſtentia Sacramenti Pœnitentiæ, ac eius eſſentia.
Art.2. Quæ ſit materia Sacramenti pœnitentiæ.
Art.3. Quæ ſit forma Sacramenti pœnitentiæ.

Quæstio Sexta.

De vi, & effectibus Sacramenti Pœnitentiæ.

Art.1. Quinam ſint effectus huius Sacramenti.
Art.2. Quæ diſpoſitio ad hoc Sacramentum ſit neceſſaria, & eius effectus conſequendos.

Quæstio Septima.

De Confeſſione Sacramentali.

Art.1. An Confeſſio Sacramentalis ſit ad ſalutem neceſſaria, & quomodo.
Art.2. An vt Confeſſio ſit Sacramentalis, & valida, debeat eſſe ſecreta, & de quibuſdam alijs eius conditionibus.
Art.3. An vt Confeſſio ſit Sacramentalis, & valida, debeat eſſe integra, & quomodo.
Art.4. An ſemper, & in omni caſu Confeſſio debeat eſſe integra, vel aliquando non integra ſufficiat, imò non explicata.
Art.5. An, & in quibus caſibus confeſſio ſit inualida, ac repetenda, & quomodo.

Quæstio Octaua.

De Miniſtro Sacramenti Pœnitentiæ.

Art.1. Quis ſit legitimus Sacramenti Pœnitentiæ Miniſter.
Art.2. De alijs conditionibus in Miniſtro huius Sacramenti requiſitis, & eius obligationibus.

Quæ-

Quæstio Nona.

De Ministro Confessionis, quoad casus reseruatos.

Art. 1. Quinam, & quæ peccata reseruare possint.
Art. 2. Quinam potestatem habeant absoluendi à casibus reseruatis.
Art. 3. De modo absoluendi à casibus reseruatis, & an possit in eis confessio dimidiari.

Quæstio Decima.

De Sigillo secreti in Confessione seruando.

Art. 1. Quo iure obliget sigillum Confessionis, quos obliget, & ad quas res cælandas.
Art. 2. An absque violatione Sigilli possit Minister vti scientia per Confessionem habita in alijs negotijs, & factis.

Quæstio Vndecima.

De satisfactione Sacramentali.

Art. 1. Qualis pars huius Sacramenti sit satisfactio, & quem conferat effectum.
Art. 2. De conditionibus ad satisfactionem Sacramentalem requisitis, vt rectè adimpleri possit.
Art. 3. Quomodo se gerere debeat Confessarius in imponenda satisfactione, & pœnitens in ea acceptanda, & adimplenda.

DISPVTATIO VIGESIMASECVNDA.

De Sacramento extremæ Vnctionis.

QVÆSTIO PRIMA.

De existentia, institutione, & definitione huius Sacramenti.

Art. 1. An extrema Vnctio sit verum Sacramentum nouæ legis.
Art. 2. An hoc Sacramentum fuerit à Christo immediatè institutum, & quomodo definiatur.

Quæstio Secunda.

De Materia, & forma huius Sacramenti.

Art. 1. Quænã sit materia Sacramenti extremæ Vnctionis.
Art. 2. Quænam sit forma extremæ Vnctionis.

Quæstio Tertia.

De Ritu, & vnitate huius Sacramenti.

Art. 1. Quot Vnctiones sufficiant ad hoc Sacramentum perficiendum.
Art. 2. Quæ, & qualis sit vnitas huius Sacramenti.

Quæstio Quarta.

De effectibus Sacramenti extremæ Vnctionis.

Art. 1. Quinam sint huius Sacramenti effectus, & qui eorum præcipuus.
Art. 2. Quando hoc Sacramentum suum conferat effectum.

Quæstio Quinta.

De subiecto huius Sacramenti capaci.

Art. 1. Quis possit hoc suscipere Sacramentum.
Art. 2. De obligatione, & modo suscipiendi oc Sacramentum.

Quæstio Sexta.

De Ministro huius Sacramenti idoneo.

Art. 1. Quis possit hoc Sacramentum ministrare.
Art. 2. De obligatione Ministri ad hoc Sacramentum ministrandum.

DISPVTATIO VIGESIMA TERIA.

De Indulgentijs, & Sufragijs.

QVÆSTIO PRIMA.

De existentia, & institutione Indulgentiarum.

Art. 1. An in Ecclesia sit thesaurus spiritualis, qui per Indulgentias dispensari valeat.
Art. 2. Cuius potestatis sit Indulgentias concedere, & in quibus resideat.

Quæstio Secunda.

De essentia, varietate, & effectu Indulgentiarum.

Art. 1. Quid sit Indulgentia, & quotuplx.
Art. 2. De effectu Indulgentiarum, & à quo vinculo fideles absoluant.

Quæstio Tertia.

De requisitis ad Indulgentiæ validitatem, & eius cessatione.

Art. 1. An, & qualis causa ad Indudulgentiæ validitatem rerequiratur.
Art. 2. De duratione, & cessatione Indulgentiarum.

Quæstio Quarta.

De subiecto indulgentiarum capaci.

Art. 1. Quinam sint Indulgentiarum capaces.
Art. 2. Quæ dispositiones requirantur ad Indulgentiam lucrandam.

Quæstio Quinta.

De suffragijs.

Art. 1. An, & quomodo possint fideles sese inuicem suffragijs ieiunare.
Art. 2. De donationibus requisitis ex parte illius, pro quo suffragia offeruntur requisitis ex parte offerentis.

DISPVTATIO VIGESIMA QVARTA.

De Purgatorio.

QVÆSTIO PRIMA.

De existentia Purgatorij.

Art. 1. An Purgatorium detur, & in quo loco.
Art. 2. Quibus de causis Purgatorium fuerit à Deo institutum.

Quæstio Secunda.

De pœnis, quæ in purgatorio sustinentur.

Art. 1. An animæ Purgatorij pœnam damni, & sensus patiantur.
Art. 2. De grauitate, & acerbitata pœnarum Purgatorij.
Art. 3. De quibusdam alijs ad statum purgantium spectantibus.

Quæstio Tertia.

De Indulgentijs, & Suffragijs pro Defunctis.

Art. 1. Quomodo Indulgentię defunctis communicari possint, & prodesse.
Art. 2. Quomodo suffragia viuentium Defunctis communicari possint, & prodesse.
Art. 3. De conditionibus requisitis ad effectum suffragiorum pro Defunctis obtinendum.

Quæstio Quarta.

De statu animarum iustuorum expleta purgatione.

Art. 1. An animæ Sanctorum perfectè purgatæ Deum videant ante diem Iudicij.
Art. 2. Soluuntur obiectiones in oppositum.

INDEX

DISPVTATIO VIGESIMAQVINTA.

De Cælo, & statu Beatorum.

QVÆSTIO PRIMA.

De Beatitudinis humanæ essentia, & existentia.

Art. 1. In quo consistat Beatitudo hominis obiectiua, & quomodo attingi possit.
Art. 2. In quo consistat beatitudo formalis.
Art. 3. An gaudium, perpetuitas, & securitas sint de essentia beatitudinis formalis.
Art. 4. An beatitudo formalis sit æqualis in omnibus Beatis.

Quæstio Secunda.

De visione Beatifica.

Art. 1. De necessitate luminis gloriæ ad beatam visionem, ac muneribus eius.
Art. 2. Quid videat in diuina essentia intellectus lumine gloriæ illustratus.
Art. 3. Quas creaturas de facto intueantur beati.

Quæstio Tertia.

De fruitione beatifica.

Art. 1. Quomodo Beati Deo perfruantur.
Art. 2. De necessitate habitus Charitatis ad beatam fruitionem, & muneribus eius.

Quæstio Quarta.

De Inferno, & Statu Damnatorum,

Art. 1. De perfectionibus, seù dotibus corporis glorioſi.
Art. 2. An sensus Beatorum habituri sint oblectationes circà sua obiecta.

DISPVTATIO VIGESIMASEXTA.

De Beatitudine, seù gloria corporum beatorum.

QVÆSTIO PRIMA.

De pœnis Inferni.

Art. 1. Quibus pœnis crucientur damnati in Inferno.
Art. 2. An, & quomodo ignis corporeus agere possit in spiritus.
Art. 3. An, & quomodo ignis post iudicium cruciabit corpora damnatorum.

Quæstio Secunda.

De grauitate pœnarum infernalium.

Art. 1. De earum intensione, & acerbitate.
Art. 2. De earum extensione, & duratione.

Quæstio Tertia.

An in punitione damnatorum Deus vtatur iustitiæ, & misericordia.

Art. 1. Quomodo manifestatur iustitia in punitione damnatorum.
Art. 2. Quomodo manifestatur misericordiam in punitione damnatorum.

DISPVTATIO VIGENSIMASEPTIMA,

De Resurrectione mortuorum Iudicium vniuersali. præcedente.

QVÆSTIO PRIMA.

De Resurrectionis hominum generalis possibilitate, & fruitione.

Art. 1. An resurrectio hominum generalis sit possibilis.
Art. 2. An resurrectio hominum generalis sit futura.
Art. 3. An omnes homines resurgent tempore Iudicij vniuersalis.

Quæstio Secunda.

De causa efficiente, & finali Resurrectionis.

Art. 1. An Christus futurus sit causam efficiens resurrectionis, & quomodo.
Art. 2. An Christus sit effecturus resurrectionem nostram per se, vel per Angelos.
Art. 3. Cur mortuorum resurrectio sit futura.

Quæstio Tertia.

De causa materiali, & formali Resurrectionis.

Art. 1. Examinantur quæsita ad causam materiale spectantia.
Art. 2. Resoluuntur quæsita ad causã formalem attinentia
Art. 3. De Circumstantijs Resurrectionis, scilicet, loco & tempore,

DISPVTATIO VIGESIMA OCTAVA.

De Iudicio vniuersali, seu finali post Resurrectionem.

QVÆSTIO PRIMA.

De secundo Christi aduentu ad vniuersale iudicium.

Art. 1. An Iudicium vniuersale sit futurum, & quomodo.
Art. 2. Quæ signa præcedent iudicium vniuersale indicantia.
Art. 3. Alia signa proximiora iudicio vniuersali recensentur.

Quæstio Secunda,

De Iudice, ac eius Iudicaria potestate.

Art. 1. An Christus venturus sit Iudex in finali Iudicio, & quomodo.
Art. 2. Cum qua potestate Christus Dominus iudicabit, & quibus assistentibus.

Quæstio Tertia.

De forma Iudicij, eiusque fine.

Art. 1. Quinam sint iudicandi, in iudicio finali.
Art. 2. De quibus sint iudicandi, & quomodo.
Art. 3. Quomodo sint proferenda sententia, & consumandum iudicium, & de statu infantium cum originali decentium.

Quæstio Quarta.

De Mundi innouatione post iudicium peractum.

Art. 1. Qualis futura sit hæc Mundi renouatio post Iudicium.
Art. 2. Qualis futura sit Mundi conflagratio ad ipsum expurgandum.
Art. 3. De cessatione motus corporum cælestium finita Mundi purgatione.
Art. 4. De perpetuo Christi regno in Cælis post Mundi instaurationem.
Art. 5. De statu glorioso B. Virginis Deiparæ in perpetuo filij sui regno.

FINIS.

INDEX DVBIORVM,

IN SINGVLIS DISPVTATIONIBVS INCIDENTIVM.

DVBIA EX DISPVTATIONE PRIMA.

De Conſcientia.

PRimum Dubium. *An Conſcientia ſit aliquis habitus intellectus, vel potius actus ipſius.* 5

2 *An Deus diſpenſare poſſit, vt quis agat contrà Conſcientiam.* 15

3 *Quid, & quale peccatum ſit diſcordare à Conſcientia recta.* 16

4 *An obligatio operandi ſecundùm ſcientiam ſit legis naturalis, vel legis poſitiuæ.* 21

5 *An dictamen Conſcientiæ inuincibiliter errantis magis obliget, quàm præceptum Superioris.* 25

6 *An quando Conſcientia inuincibiliter errans vtramque partem contradictionis peccatum eſſe exiſtimat, peccet voluntas alterutram amplectens.* 27

7 *Quodnam ſit maius peccatum, ſe qui Conſcientiam vincibiliter errantem, vel contra illam facere.* 36

8 *An opus ſit actu adeſſe iudicium Conſcientiæ, vt quis dicatur contra Conſcientiam agere.* 37

9 *Quomodo Conſcientia erronea ſit deponenda.* 38

10 *An potior ſit in omni materia conditio poſſidentis, vel tantùm in materia iuſtitiæ.* 58

DVBIA.

EX DISPVTATIONE II.

De Legibus.

PRimum Dubium. *An perpetuitas ſit de ratione legis.* 14

2 *An promulgatio legis ſit de eius eſſentia.* 17

3 *An ad valorem legis requiratur conſenſus, & acceptatio populi.* 20

4 *An lex æterna ſit verè, & proprie lex.* 29

5 *Quæ ſit materia legis naturalis, & ad quæ ſe extendat, & obliget.* 35

6 *An lex naturalis ſit vna apud omnes.* 39

7 *An lex naturalis ſe extendat ad omne opus virtutis.* 41

8 *An, & quomodo lex naturalis differat à iure gentium.* 43

9 *An lex vetus tota deſierit, & quoad omnia præcepta.*

10 *Quonam tempore ceſſauerit, & obligare ad ſui obſeruationem deſierit.* 62

11 *An Pontifex diſpenſare poſſit in præceptis nouæ legis.* 79

12 *An poteſtas condendi leges ciuiles competat Summo Pontifici reſpectu totius Orbis.* 84

13 *An poteſtas condendi Leges Eccleſiaſticas in proprijs Eccleſijs competat Epiſcopis iure diuino, vel humano.* 86

14 *An legislator teneatur ſeruare legem à ſe latam.* 111

15 *An Eccleſiaſtici ſubdantur legibus Ciuilibus.* 113

16 *An immunitas, & exemptio Eccleſiaſticorum à poteſtate laicali ſit de iure diuino, vel humano.* 114

17 *An Religioſi exempti teneantur Synodalia Epiſcoporum decreta ſeruare.* 115

18 *An Ciues, & Diœceſani obligentur legibus proprij territorij, dum ſint abſentes.* 116

19 *An peregrini, & forenſe obligentur legibus loci, per quem tranſeunt.* 121

20 *An etiam vagabundi obligentur legis, loci per quam tranſeunt.* 132

21 *An lex humana debeat ſemper obligatio ſua culpa, & in conſcientia.* 132

22 *An legislator in materia leui poſſit obligare grauiter, & ad mortale, & in materia graui ſolùm ad veniale.* 138

23 *An verba legis præceptiua ſufficienter indicent obligationem eius ſub mortali.* 143

24 *An ſint aliquæ leges purè pœnales.* 145

25 *An lex humana ſub mortali obligans obliget etiam cum periculo vitæ.* 146

26 *Qualiter lex humana vim habeat obligandi ad pœnam ſubeundam reos condemnatos per Iudicis ſententiam.* 165

27 *An lex humana vim habent annullandi, & irritandi quoſdam actus.* 157

28 *An lex omnis prohibitiua ſit etiam irritatoria actus vetiti.* 159

29 *Vnde colligi poſſit legem prohibentem velle etiam irritare.* 152

30 *An leges irritantes obligent in Conſcientia ad non faciendos actus irritatos.* 163

31 *An lex irritans fundata in præſumptione ſuum ſortiatur effectum, quando præſumptio non ſubſiſtit.* 165

32 *An neceſſariam ſit ad præcepti impletionem non habere voluntatem expreſſam non ſatisfaciendi ipſi.* 171

33 *An poſſit inferiori legem à ſe conditam, & à Superiore confirmatam abrogare abſque Superioris beneplacito.* 177

34 *An quando lex abrogatur, requiratur publicatio, & promulgatio talis abrogationis.* 179

35 *Quando lex aliqua cenſeatur abrogata, vel derogata per poſteriorem.* 180

36 *An inferior diſpenſare poſſit lege Superioris.* 182

37 An ad iustam, & honestam dispensationem iusta requiratur causa. 183
38 An superior iustè dispensari possit, si de iustitia causæ dubitet. 175
39 An dispensatio ad sui valorem iustam requirat causam. 186
40 Quale peccatum sit sine iusta dispensare. 189
41 An cessante causa dispensationis cesset dispensatio ipsa. 190
42 An cessante causa priuilegij cesset priuilegium. 196
43 Quantum temporis requiratur ad consuetudinem introducendam, quæ vim legis habeat. 202
44 An cessante adæquata causa legis in causa particulari, cesset obligatio legis respectu talis particularis. 209

DVBIA.

EX DISPVTATIONE III.

De Iustitia, & Iure.

PRimum Dubium. An in rebus, quæ vsu consummuntur distinguatur vsus à dominio. 3
2 An Fratres Minores habeant aliquod rerum dominium, vel solùm vsum nudum. 11
3 An serui, & amentes sint dominij capaces. 16
4 An filij familias, & serui possint rerum aliquarum habere dominium. 18
5 Quo iure Religiosi professi sint ad domininm inhabiles. 20
6 An Beneficiarij verum, & proprium dominium habeant suorum redditum. 23
7 An Homo habeat dominium suæ vitæ. 31
8 An Homo habeat dominium suæ famæ. 33
9 An Thesauri sint primo inuenientis, vel cuius sint. 49
10 An sciens in agro alieno latere thesaurum possit illum emere communi pretio, sine vlla restitutionis obligatione. 50
11 An qui dubitat rem, quam possidet, esse suam, possit præscribere expleto tempore à lege statuto.

DVBIA.

EX DISPVTATIONE IV.

De Contractibus.

PRimum Dubium. An res alteri debita sit sufficiens materia contractus. 8
2 An valeat contractus ob turpem causam, vel finem initus. 9
3 An error, & dolus circà qualitatem rei contractum inualidet si sit antecedens, & det causam contractui. 15
4 Quo iure contractus graui metu iniustè incussi celebrati sint inualidi. 20
5 An contractus inualidus possit iuramento validari. 24
6 Quomodo proximo externa legitime acceptata obliget in conscientia. 32
7 An proximo mere interna promittentem obliget in conscientia. 36
8 An vi iuris naturalis promissio externa obliget ante acceptationem. 40
9 An donatio iuramento firmata propter ingratitudinem reuocari possit. 44
10 An donatio iuramento roborata possit ob natiuitatem filiorum reuocari. 50
11 An donatio reuiuiscat, si filij post donationem nati, adhuc viuente Patre moriantur. 51
12 An testamentum, cui desunt solemnitates à legibus requisitæ si validum in foro conscientiæ. 52
13 An testamentum iuramento firmatum reuocari possit. 55
14 An possit commodans ante præscritum tempus reuocare commodatum noua superueniente causa. 61

DVBIA:

EX DISPVTATIONE V.

De Contractibus Onerosis.

PRimum Dubium. An æqualitas valoris rerum in indiuisibili consistat. 6
2 An tempore magnæ sterilitatis, & inopiæ seruanda sit lex seù pragmatica frumenti. 17
3 Cui post celebratum contractum res vendita pereat, vel deterior, aut melior fiat. 18
4 An licitum sit res carius vendere credito, quàm valeat numerata pecunia. 20
5 An licitum sit ob anticipatam solutionem minoris emere. 23
6 An qui scit rem breui minus valituram possit licite vendere pretio currenti. 25
7 An credita minoris emi possint anticipata pecunia, quàm reipsa contineant. 27
8 An licita sit emptio, vel venditio rei cum pacto de retrouendendo. 29
9 An licita sit contentio mercatorum de non vendendo, nisi pretio supremo in latitudine iusti. 34
10 An licitum sit tempore messis, vel vindemiæ emere vinum, & triticum in magna copia, vt carius postea vendantur. 36
11 An licitum sit Principi priuilegium concedere, vt non nisi certi Mercatores certas merces vendat, aut negotiationem exerceant. 38
12 An liceat in mutuo apponere pœnam soluendam à mutuatario, nisi tempore præfixo soluerit. 56
13 An liceat in mutuo aliquid accipere vltrà sortem ratione damni emergentis. 58
14 An liceat in mutuo aliquid accipere ratione lucri cessantis. 61
15 An licitè possit mutuans ratione solius periculi aliquid vltrà sortem accipere. 66
16 An vsurarius teneatur restituere non solùm rem ex vsura acquisitam, sed etiam id, quod per ipsam acquisiuit. 85
17 An conditiones omnes ex Bulla Pij V. in emptione censuum requisitæ sint etiam necessariæ in foro conscientiæ, vt contractus non sit vsurarius. 115
18 An licitus sit contractus in quo assecurata sorte vnius socij alter teneatur certum lucrum minus pro incerto maiori soluere. 116
19 An locator teneatur conductori remittere pensionem ob sterilitatem casu fortuito superuenientem. 144
20 An conductor, qui ob aliquod impedimentum re conducta vti non potuit, pensionem soluere teneatur. 146
21 An licitum sit locare domum, vel aliam rem ei, qui putatur absurus illa ad peccandum. 147
22 An fideiusor possit pretium aliquod accipere, pro quo fideiussionem facit. 163

DVBIA.

EX DISPVTATIONE VI.

De Obligationibus Iustitiæ distributiuæ.

PRimum Dubium. An in officijs sæcularibus sit obligatio eligendi digniorem. 1
2 An officia sæcularia licitè vendi possint. 6
3 An sit obligatio eligendi semper magis dignum ad beneficia Ecclesiastica. 7
4 An Regulares quoq; teneantur eligere digniorem ad Prælaturas. 10
5 An sit iustum tributum, quod imponitur soluendum ex rebus ad victum necessarijs. 18
6 An fraudantes tributa, aut vectigalia peccent mortaliter, & ad restitutionem teneantur. 19
7 An gabella ab ex exactoribus non petita sit soluenda. 20

8 An exemptio à tributis competat Ecclesijs, & Ecclesiasticis iure tantùm humano, vel etiam diuino. 21
9 An Iudex teneatur condemnare rerum per testes legitimè conuictum, quem priuata scientia scit esse innocentem. 24
10 An è contrà possit condemnare illum, quem certò scit esse reum criminis, licet per testes non probetur. 27
11 An Iudex in ferenda sententia opinionem magis probabilem sequi debeat. 29
12 An Iudex pœnam à lege taxatam remittere, vel relaxare possit. 31
13 An quis obligetur aliquando ad accusandum. 33
14 An antè accusationem, vel denunciationem debeat præcedere fraterna correctio. 36
15 An liceat denunciare delictum occultum, quod à denunciatore probari non potest. 38
16 An qui delinquentem non accusat, peccet, & ad restitutionem teneatur. 41
17 An, & quomodo reus veritatem fateri teneatur, quando à Iudice interrogatur. 42
18 An teneatur, veritatem fateri, quoties iuridicè à Iudice interrogatur. 45
19 An Testis debeat se offerre ad testificandum. 50
20 An testis à Iudice legitimè interrogatus teneatur veritatem sibi notam edicere. 51
21 An, & quomodo peccet testis à Iudice citatus subtrahendo se à testimonio. 54
22 An testes singulares plenam faciant fidem, & probationem. 56
23 An liceat testi pro testimonio ferendo aliquid accipere. 57
24 An aduocatus de culpa leui teneatur. 58
25 An possit aduocatus causam minus probabilem defendere in concursu probabilioris. 60
26 An aduocatus teneatur aliquando gratis patrocinari pauperibus. 62

DVBIA.

EX DISPVTATIONE VII.

De restitutione in communi.

PRimum Dubium. An quis obligetur ad restitutionem ex leui, & leuissima culpa. 18
2 An vt obligatio oriatur ex culpa lata hæc debeat esse mortalis, vel sufficiat, quod sit venialis. 19
3 An licitum sit rem propriam ab alio iniustè detentam furripere, & absque restitutionis obligatione. 30
4 An suum recuperare liceat, vel æquiualens per violentiam, & rapinam. 33
5 Quale pretium possessor malæ fidei teneatur restituere. 37
6 Ad quid restituendum teneantur possessor tam bonæ, quàm malæ fidei. 38
7 An qui bona fide rem furtiuam emit, & posteà vendi, cessante illa contractum rescindere debeat. 39
8 An accepta per simulationem paupertatis sint restitutionis obnoxia. 41
9 An per hypocresim acquisitum restitui debeat. 43
10 An accepta ob turpem causam sint restituenda. 46
11 An qui rem emit à fure, eidem possit illam restituere, ne pretium suum amittat. 50
12 Cui restituenda sit res, quæ accipitur ab altero etiam cum culpa illius. 52
13 An bona incerta sint restituenda, & cui. 53
14 An res inuentæ debeant pauperibus erogari. 55
15 An acquisita per errorem sint restituenda, & cui. 57
16 An inter debita ex delicto, & contractu oneroso sit ordo seruandus in solutione. 63
17 An bona fortunæ restituenda sint aliquando cum detrimento famæ, & vitæ. 72
18 An quis restituere teneatur cum graui iactura sui honorifici status. 77
19 An extremè indigens ad pinguiorem fortunam redactus ad restitutionem teneantur. 79
20 An extremè indigens restituere teneatur, quando creditor inæquali necessitate versatur. 81

DVBIA.

EX DISPVTATIONE VIII.

De restitutione in particulari.

PRimum Dubium. An aliquando liceat occidere, vel mutilare seipsum. 17
2 An, & quomodo liceat occidere malefactorem. 18
3 An, & quando liceat priuata auctoritate iniquum aggressorem occidere. 20
4 An licitum si pro defensione suarum facultatum furem occidere. 23
5 An licitum sit in defensionem proprij honoris aggressorem occidere. 25
6 An etiam licitum sit defendere vitam, & bona proximi cum morte inuasoris. 26
7 An liceat priuata auctoritate Tyranum occidere. 27
8 An liceat in aliquo casu innocentem occidere. 28
9 An liceat prægnanti in suæ vitæ conseruationem abortum procurare. 30
10 An liceat punire furtum pœna mortis. 32
11 An homicida teneatur aliquid restituere pro vita hominis occisi. 40
12 Quibus facienda sit restitutio post mortem occisi. 44
13 An homicida, qui pœnam talionis soluit, teneatur adhuc alia damna resarcire ex nece occisi secuta. 46
14 An homicida teneatur ad præfata damna resarcienda, si occisus antè mortem remisit ei omnia. 47
15 An temerè iudicans ad aliquam restitutionem teneatur. 50
16 An ad restituendam famam ablatam per falsi criminis impositionem sola retractatio sufficiat, vel addendum quoque sit iuramentum. 58
17 An sufficiat famam restituere coram ijs tantùm, apud quos ablata fuit. 60
18 An si quis bona fide alium diffamauit putans crimen esse verum, & publicum, si posteà suum resciat errorem, ad restitutionem teneatur. 62
16 An infamator ad restitutionem teneatur, quando infamia obliuioni est tradita. 63
20 An possit infamatus restitutionem famæ validè condonare. 72
21 An infamare seipsum sit mortale peccatum ex genere suo. 75
22 An aliquo casu possit quis sibi falsum crimen imponere. 76
23 An licitum sit aliquando quibusdam de causis crimen alterius occultum alteri detegere. 79
24 An liceat peccatum publicum in vno loco manifestare in alio, vbi nescitur. 80
25 An qui detractorem audit mortaliter peccet, & ad restitutionem teneatur. 87
26 An quando fama restitui non potest, debeat pecunia compensari. 89

DVBIA.

EX DISPVTATIONE IX.

De Restitutione damni in bonis fortunæ.

PRimum Dubium. An furtum, & rapina sint peccata specie diuersa. 4
2 Quænam quantitas sufficiat ad peccatum mortale in materia furti. 6
3 An peccet mortaliter, qui plura modica furta committit. 8
4 An plures furantes paruam quantitatem ab eodem peccent mortaliter. 12
5 An quoties furre aliena vtitur inuito domino mortaliter peccet. 19
6 An saltem in extrema, vel graui necessitate licitum sit aliena furripere. 20

7 An res per compensatione occultam accepta transeat statum in dominium accipientis. 23
8 Quando peccent, & ad restitutionem teneantur filij parentibus furripiendo, & vxores maritis. 24
9 An damnificans dando operam rei illicitæ ad restitutionem teneantur antè Iudicis condemnationem. 28
10 An debeat restitui solum valor rei, quando destructa fuit, vel etiam futurus. 31
11 An præter damni dati aliqua etiam compensatio pro iniuria illa sit facienda ante Iudicis condemnationem. 33
12 An sit obligatio restituendi, quando quis alium impedit à consecutione alicuius boni sine vi, & fraude, cum animo tamen nocendi. 36
13 An sola intentio nocendi per media alias licita obligationem restituendi inducere possit in aliquo casu. 39
14 An impediens magis dignum à consecutione alicuius officij, vel beneficij, vt detur minus digno teneatur ad restitutionem magis digno. 42
15 An adultera teneatur filium in adulterio susceptum detegere. 47
16 An adulter teneatur reparare damna per adulterium illata filijs legitimis. 52
17 An quo debeat alimenta suscipere filius illegitimus, cuius pater ignoratur. 56
18 An deflorans Virginem specificæ promissionis Matrimonij teneatur eam ducere, vel satisfaciat instituendo ei dotem sufficientem. 62
19 An qui votum simplex Castitatis, vel Religionis emisit, & posteà virginem defloravit cum fide data matrimonij teneatur eam ducere. 63
20 An patrato opere illicito, de quo patrando initùs erat contractus teneatur promittens soluere pretium, & accipiens non teneatur ad restitutionem. 68
21 An pretium acceptum pro aliquo bono opere debito ex præcepto, vel ne fiat aliquod malum prohibitum, vt necessario restituendum. 75
22 An qui fraude, vel metu, aut nimis alium induxit ad ludendum teneatur ad lucri restitutionem. 80
23 An sciens se in peritia ludi notabiliter excedere cellusorem teneatur restituere quod lucratur 81
24 An ludo prohibito vincens per legem humanam teneatur restituere, quod lucratur. 82
25 An qui credito aliquid ludo prohibito amisit, teneatur in conscientia illud soluere. 85
26 An qui administrat domum, mensam, eleas, & alia necessaria omnibus ad ludendum ludo prohibito peccet mortaliter. 87
27 An liceat Columbas ex alieno Columbario allicere meliori esca proposita, vel alijs artificijs. 92
28 An liceat Columbas, dùm extra Columbarium vagantur, capere, & occidere. 93
29 An Princeps venationem, & piscationem iuste prohibere possint. 94
30 An vnusquisque possit prohibere venationem in agro suo. 95
31 An peccet, & ad restitutionem teneatur qui venatur, vel piscatur contrà prohibitionem iustam. 96
32 An fera ab vno vulnerata, & posteà ab alio capta sit vulnerantis, vel capientis. 98
33 Quid sit dicendum si contingat feram, quam ego prosequor incidere in tuum laqueum. 99

DVBIA.

EX DISPVTATIONES. X.

De Præceptis Virtutum Theologicarum.

PRimum Dubium. *An fides actualis Dei remuneratoris, Mysterij Trinitatis, & Christi debeat esse explicita, vel sufficiat implicita.* 3
2 Quando obliget præceptum fidei. 7
3 An licitum sit fideli per Prouincias infidelium transeunti vel vestibus illorum ad graue periculum vitandum. 14
4 Qua necessitate sit necessaria externa fidei Confessio. 15
5 An negans fidem verbo, vel facto, interius verè retinens verum assensum sit verè hæreticus. 20
6 An dubius in fide sit hæreticus. 21
7 In quo consistat pertinacia, quæ ad hæresim requiritur. 23
8 An cum ignorantia vincibili, vel etiam affectata possit esse peccatum hæresis. 25
9 An Blasphæmia sit peccatum contrà virtutem fidei, vel potius Religionis. 28
10 An liceat de rebus fidei cum infidelibus disputare. 29
11 An liceat cum infidelibus communicare. 30
12 Quo tempore præceptum Spei affirmatiuum obliget. 34
13 An actus Spei sit necessarius ad salutem necessitate medij. 37
14 An desperatio consistat in actu intellectus, vel voluntatis. 40
15 Quam graue peccatum sit desperatio. 42
16 An desperatio possit esse sine infidelitate. 43
17 An per quemcunque actum desperationis corrumpatur habitus Spei. 44
18 An per peccatum præsumptionis habitus Spei corrumpatur. 46
19 An præceptum dilectionis Dei super omnia in hac vita adimpleri possit. 48
20 An inimico veniam potenti ità iniuriam remittere teneamur, vt eius satisfactionem apud Iudicem exigere non possimus. 54
21 Quo tempore obliget præceptum eleemosynæ, & de quibus bonis fieri debeat. 58
22 An extremè indigenti debeatur eleemosyna ex sola charitate, an etiam ex iustitia. 60
23 An ex iniusta acquisitis eleemosyna fieri possit. 63
24 Quinam eleemosynam licitè facere possint. 64
25 Quinam eleemosynam recipere possint. 65
26 An fraterna correctio sit sub præcepto. 67
27 Quæ personæ obligentur hoc præcepto. 68
28 An ad hoc præceptum teneantur etiam peccatores. 69
29 An etiam inferiores teneantur corripere Superiores. 70
30 Quæ sit materia præcepti correctionis fraternæ. 71
31 An materia huius præcepti sit tantùm peccatum publicum, vel etiam occultum. 72
32 Quas conditiones requirat hoc præceptum, vt ad sui executionem obliget. 73
33 An Prælato præcipienti per Obedientiam teneatur subditus reuelare peccatum fratris occultum etiam correctum. 93
34 An scandalum tam actiuum, quàm passiuum sint peccata mortalia, & specialia. 104
35 An Bellum ex vtraque parte possit esse iustum, & licitum. 109
36 An in Bello liceat vti insidijs. 110
37 Quibus licitum sit militare, an Clericis, & Religiosis. 111
38 An Duellum sit aliquo modo licitum. 112

DVBIA.

EX DISPVTATIONE XI.

De Legis Diuinæ, siue Decalogi præceptis.

PRimum Dubium. *Qualis, & quanta sit obligatio præceptorum Decalogi.* 4
2 An tertium Decalogi præceptum sit de lege naturæ. 8
3 An blasphemia opponatur confessioni fidei, vel Religioni, 41
4 An qui blasphemat ex habitu non sufficienter aduertens ad blasphemia peccet mortaliter. 43
5 Quænam sit blasphemia in Spiritum Sanctum. 47
6 An in iuramento liceat vti æquiuocatione. 52

7 An iuramentum coactum obliget, vt seruetur promissum. 54
8 Quaudonam irritum reddatur votum defectu libertatis. 61
9 An votum factum per errorem, vel dolum sit validum. 63
10 An votum obliget statim ad sui impletionem. 64
11 An obligatio voti tollatur cessatione causæ, aut notabili mutatione superueniente. 69
12 Quomodo tollatur per irritationem, & dispensationem. 67
13 An opera quædam sint seruilia, & diebus festis prohibita. 74
14 An peccet mortaliter qui pluribus diebus festis parua opera seruilia præstat. 77
15 An discendens à loco, vbi dies festus colitur, teneatur præueniendo audire Missam, si eo mane peruenturus est ad locum, vbi dies festus non celebratur. 80
16 An præter Missam teneamur ad aliquid aliud in die festo. 81
17 An præter cultum externum in die festo teneamur etiam ad internum. 82
18 An si Princeps det liberam facultatem occidendi proscriptos à patria, filius possit Patrem licitè occidere. 87
19 An si Pater nulla bona filio relinquat, teneatur hic ex propriis bonis soluere debita Patris. 89
20 An Pater licitè ptssit retrahere filium à Religione. 91
21 An in extrema necessitate Pater potius sit adiuuandus, quam filius, & vxor. 100
22 An liceat interficere falsum accusatorem, falsos Testes, ac Iudicem, à quo iniqua certo imminet sententia. 110
23 An ad proprij honoris defensionem liceat inuasorem occidere 111
24 An viro nobili liceat acceptare duellum; ne vilis habeatur. 113
25 An licitum sit fugentem insequi ad recuperandum honorem propter acceptam alapam, vel fustem, illumque vulnerare, & repercutere. 114
26 An licitum sit Virginis, se interficere, ne ab alio corrumpatur. 115
27 An consentientem filium Pater castrare possit; vt voce, & cantu Ecclesiæ seruiat. 116
38 An copula cum sponsa alterius de futuro sit fornicatio simplex, vel adulterium. 119
29 An copula fidelis cum infideli sit fornicatio simplex, vel addat nouam malitia specie distinctam. 110
30 An omnes incæstus sint eiusdem speciei. 122
31 An in aliquo casu copula coniugatorum in loco sacro sit licita. 125
32 An habeant specialem malitiam sacrilegij tactus impudici in Ecclesia sine seminis effusione. 126
33 An qui pollutus fuit alterius tactu teneatur in confessione explicare qualitatem personæ complicis. 130
34 An explicandum sit in Confessione, quod in Sodomia quis fuerit agens, vel patiens. 132
35 An licitum sit coitum bestiarum aspicere, aut ipsarum turpia. 134
36 An peccata contra naturam specie distinguantur. 136
37 An liceant tactus, & aspectus inter coniuges, & sponsos de futuro. 141
38 An in rebus venereis detur paruitas materiæ. 144
39 An motus sensualitatis sint peccata. 148
40 An præceptum de non furando locum habeat in Christianis res corripientibus ab infidelibus. 154
42 An mendacium iocosum, & officiosum fieri possint mortalia ex circumstantia personæ. 169
42 An ad euitandum mendacium in quibusdam casibus vti liceat restitutionibus mentalibus. 170
43 An mendacium in facto, quæ simulatio appellatur, sit peccatum. 174
44 Quale peccatum sit periurium in consuetudine. 176
45 An periurium sit maius peccatum, quam homicidium. 181
46 An si scias aliquem peieraturum, possis ab eo petere, vt iuret. 182
47 An ad peccatum euitandum opus sit positiuè resistere cogitationibus, & prauis motibus. 188
48 An in Confessione explicanda sit circumstantia personæ, circà quam sumitur delectatio. 193
49 An peccent mortaliter coniuges, qui in alterius absentia delectantur de actu coniugij præterito, vel futuro. 195

DVBIA.

EX DISPVTATIONES. XII.

De Præceptis Ecclesiæ.

PRimum Dubium. An dispensatus in esu carnium censeatur dispensatus à ieiunio, & ab vnica comestione. 6
2 Quantum cibi sumere liceat in refectiuncula. 7
3 An peccet qui manè sumit refectiunculam dilato prandio ad vesperas, vel ad noctem. 8
4 An qui sæpius comedit in die ieiunij toties peccet, quot sunt comestiones. 9
5 An sit licita abstinentia, quæ notabiliter saluti noceat, aut vitam minuat. 10
6 An Fratres Minores possint soluere ieiunium cum esu carnium feria sexta, quando in ea festum occurrit Natiuitatis Domini. 13
7 An aduenæ, & viatores teneantar ieiunijs locorum, per quę transeunt. 17
8 An propter laborem rei indifferentis, vel illicitæ impensum liberetur quis à precepto ieiunij. 22
9 An labor etiam mentis, & ingenij eximat ab obligatione ieiunij. 24
10 An Parochus præsente Episcopo possit cum aliquibus in ieiunio iusta de casu dispensare. 26
11 An sit obligatio audiendi Missam in Parochia saltem Dominicis, & festis maioribus. 30
12 An possit audiri media Missa vnius, & media alterius pro impletione præcepti. 33
13 An ad satisfaciendum præcepto Ecclesiæ necessaria sit attentio interior ad Missam. 34
14 An qui recitat, dum Missam audit, quæ aliàs recitare tenetur, vtrique præcepto satisfaciat. 37
15 An auditione vnius Missæ possit satisfieri obligationi duorum dierum. 37
16 An præceptum annuæ Confessionis obliget pro aliqua determinata parte anni. 40
17 Quomodo computandus sit annus, in quo semel ex præcepto Ecclesiastico facienda est Confessio, 42
18 An qui non est confessus intrà annum, teneatur statim confiteri initio sequentis. 43
19 An habens solum venialia teneatur ex præcepto Ecclesiæ confiteri. 46
20 An qui tempore Paschæ confessus venialia tantùm incidit postea in mortale teneatur alia vice confiteri in eodem anno. 48
21 An sit necessarium confiteri proprio Sacerdoti. 49
22 An præceptum de communicando sit Ecclesiasticum tantùm, an etiam diuinum. 52
23 An hoc præceptum sit ità Paschati affixum, vt qui tunc non communicauit, non obligetur amplius ad communicandum illo anno. 54
24 An præuidens in Paschate se legittimè impediendum debeat præceptum præuentione adimplere communionem anticipando. 55
25 An qui tempore Paschatis communicauit in peccato mortali præcepto Ecclesiæ satisfecerit. 56
26 An adimpletionem huius præcepti requiratur, vt Eucharistia in propria Parochia sumatur. 58
27 Quæ personæ hoc præcepto adstringantur. 59

DVBIA.

EX DISPVTATIONE XIII.

De Censuris, alijsque pœnis Ecclesiasticis.

PRimum Dubium. An Parochi habeant potestatem ordinariam ferendi Censuras in suos subditos. 11

INDEX

2 *An Censura metu extorta sit valida.* 14
3 *An Communitas, vel Collegium possit censura ligari.* 18
4 *An Episcopus possit ferre censuras in suum subditum extrà suum territorium existentem, vel in alienum in suo territorio existentem.* 19
5 *An censura lata contrà facientes includat etiam mandantes, & consulentes.* 20
6 *An eadem persona pluribus censuris ligari possit.* 22
7 *An ex excommunicatus etiam toleratus priuetur communibus Ecclesiæ Suffragijs.* 42
8 *An suffragia communia possint offerri pro excommunicatis contritis, & pœnitentibus nondum ab excommunicatione absolutis.* 43
9 *An excommunicati adhuc in contumacia manentes priuentur orationibus, & suffragijs puiuatis.* 44
10 *An excommunicatus vsu, & participatione Sacramentorum fiat irregularis, vel aliam censuram incurrat.* 46
11 *An Sacramenta suscepta ab excommunicato excommunicatione maiori sit valida.* 47
12 *An Sacramenta ab excommunicato admintstrata sint valida, & rata.* 49
13 *An excommunicatio maior priuet fructibus beneficij ante ipsam obtinendi.* 53
14 *An validi sint contractus, qui fiunt ab excommunicato denunciato.* 56
15 *An in quibusdam casibus teneatur quis Iudici denunciationem sub pœna excommunicationis imperanti obtemperare.* 65
16 *An facultas absoluendi per priuilegia, & per Indulgentiam habeat locum tantum in foro interiori, an etiam in foro exteriori.* 72
17 *An ab excommunicatione lata generaliter ab homine, quando non reseruatur, possit absoluere, qui potest ab excommunicatione à iure lata non reseruata.* 74
18 *An in aliquo casu possit Laicus absoluere ab excommunicatione,* 76
19 *An excommunicatus possit inuitus absolui ab excommunicatione.* 77
20 *An absolutio ab excommunicatione possit ferri sub conditione de futuro.* 79
21 *An quis absolui possit ab excommunicatione incursa ob iniuriam alteri factam non satisfacta parte.* 80
22 *An is, quis absolutus est ad reincidentiam, vt iterum in excommunicationem incidat, requiratur noua culpa.* 81
23 *An excommunicatio possit auferri, aut desinere esse absque absolutione.* 82
24 *An absolutus ab excommunicatione in foro conscientiæ possit cum aliis communicare, & actus exercere, qui per censuram prohibentur.* 83
25 *An excommunicatus ab vno Episcopo, si mutet domicilium, possit ab alio Episcopo absolui.* 84
26 *An prohibitio ab ingressu Ecclesiæ sit species Suspensionis, vel Interdicti.* 88
27 *An Communitas Ecclesiastica, vt Collegium, vel Capitulum suspendi possit.* 91
28 *An suspensus simpliciter ab officio impediatur à consecutione noui beneficij.* 95
29 *An quando suspensio non est à iure reseruata possit absolui à quouis Confessario potente absoluere à mortalibus.* 102
30 *An si suspensio, sub conditione sit lata, tollatur ipso facto impleta conditione absque aliqua absolutione.* 103
31 *An interdictum locale generale inferat interdictum generale personale, & è contrà.* 109
32 *An cùm interdicitur populus alicuius loci, sub tali interdicto omnes personæ illius loci comprehendantur.* 110
33 *An interdicto Clero censeatur etiam interdicti Religiosi.* 111
34 *An tempore interdicti matrimonium licitè contrahi possit.* 114
35 *An habens priuilegium tempore interdicti assistendi diuinis officijs possit sepeliri in loco sacro.* 116
36 *An cùm interdictum fertur sub conditione, ea adimpleta tollatur absque absolutione.* 121
37 *An cesset interdictum per mortem pœnitentis, & sepeliri possit in loco sacro.* 123
38 *An interdictum relaxari possit ad cautelam.* 123
39 *An Ecclesiastica sepultura liceat tempore cessationis à diuinis.* 125
40 *An irregularitas ferri possit per sententiam à Iudice Papa inferiore.* 131
41 *An homo ante baptismum possit incurrere irregularitatem* 132
42 *An in dubio censendus sit quis irregularis.* 135
43 *An recipiens Ordines contrà prohibitionem per Censuras factam fiat irregularis.* 145
44 *An Simoniacè ordinatus fiat irregularis.* 148
45 *An irregularitas orta ex infamia iuris contrahatur, si crimen sit occultum.* 154
46 *An quis incurrat irregularitatem ex homicidio eo præcisè, quia dat operam rei illicitæ.* 158
47 *An reuocans consilium homicidi, vel mutilationis irregularitatem incurrat.* 160
48 *An si mandatarius occidatur, mandans irregularitatem incurrat.* 161
49 *An in adulterio deprehensus, si maritum adulteræ occidat vt mortem euadat, fiat irregularis.* 166
50 *An hermaphroditus, in quo sexu virilis præualet, sit irregularis.* 170
51 *An dubius de legitimitate censendus sit irregularis, & quid dicendum de expositis.* 172
52 *An Episcopus dispensare possit in irregularitate ex homicidio contracta, quod quis commisit in sui defensionem non seruato moderamine inculpatæ tutelæ.* 184
53 *An Episcopus finito, & completo iudicio dispensare possit in irregularitate proueniente ex delicto ad forum contentiosum deducto, postquam delinquens punitus est.* 185
54 *An Episcopus dispensari possit in casu homicidii iusti occulti quoad Ordines Minores, & beneficium simplex.* 186
55 *An Episcopus dispensare possit in irregularitate orta ex hæresi occulta.* 177

DVBIA,

EX DISPVTATIONE XIV.

De Præceptis particularibus certo hominum statui proprijs.

PRimum Dubium. *An Pontifex dispensare possit in votis solemnibus.* 6
2 *An peccata Religiosi grauiora sint peccatis sæcularium.* 9
3 *An Religiosus semper peccet mortaliter transgrediendo quodcunque eorum, quæ in Regula continentur.* 12
4 *An possit dari mandatum Regulæ obligans olim ad pœnam, & non ad culpam.* 15
5 *An Religiosus ad cardinalatum, vel Episcopatum assumptus votis essentialibus suæ Religionis adhuc maneat obstrictus.* 17
6 *An Religiosus possit à Religione recedere ad sustentandum parentes in extrema necessitate positos.* 10
7 *An Religiosus, teneatur ad ea, quæ sunt suprà Regulam.* 22
8 *An Religiosus teneatur ad ea, quæ sunt præter Regulam.* 23
9 *An subditus obedire teneatur, quando dubitat, an res quæ illi præcipitur sit licita.* 24
10 *An Religiosus teneatur obedire Prælato precipienti, vt exponat se periculo vitæ ad bonum proximi.* 27
11 *An Regulares professi teneantur acceptare nouam Regulã, seù arctiorem viuendi modum, quem nec explicitè, nec implicitè professi fuerunt.* 28
12 *An liceat Religiosis appellare à correctione suorum Superiorum.* 29
13 *An Religiosus Sacerdos peccans contrà Castitatem teneatur in Confessione dicere circumstantiam voti Castitatis Religiosæ, & alterius Sacerdotio annexi.* 32
14 *An egressus à Monasterio licitus sit Monialibus in infirmitate vni soli nociua, & non toti Communitati.* 35
15 *An Casus reseruati à Prælatis Regularium sint etiam reseruatis pro suis Nouitijs.* 37
16 *An in materia proprietatis in Religioso possit dari materia leuis.* 44
17 *An Religiosi vitam communem non obseruantes sint proprietarij, & vt tales plectendi.* 46
18 *An sit peccatum, & quale, cùm quis Horarum Canonicarum*

rum recitationem notabiliter interrumpit. 52
19 An vnica diuini Officij lectione duorum dierum obligationi satisfieri possit. 53
20 An qui ex rationabili causa integrum diei officium recitare non potest, saltem aliquam eius partem recitare teneatur, si potest. 57
21 An Beneficia Ecclesiastica sint semper dignioribus conferenda. 63
22 An Beneficiarius, qui beneficij fructus suæ congruæ sustentationi superfluos in prophanos vsus expendit, non solùm mortaliter peccet, sed etiam ad restitutionem teneatur. 69
23 An milites Commendatarij possint fructus Commendarum ad libitum distrahere, & expendere. 70
24 An possit quis licitè plures pensiones retinere. 77
25 An in Simonia Papa dispensari possit. 83
26 An Simonia sit adeò mala, vt neque per diuinam potentiam licita fieri possit. 85
27 An Sacerdos possit Missam cantare, & exequias celebrare pro pecunia absque Simonia. 88
28 An occasione rei spiritualis accipi possit aliquod temporale titulo gratitudinis citrà Simoniam. 89
29 An sit Simonia promittere, aut donare alicui rem temporalem sub conditione, vt ab eo opus spirituale præstetur. 90
30 An sit Simonia dare pecunias nolenti baptizare, nisi ijs receptis. 92
31 Quæ Simonia committatur in Beneficijs. 94
32 An titulus redimendæ vexationis excuset à crimine Simoniæ tradentem aliquod temporale. 95
33 An habens ius litigiosum in beneficio possit dare aliqui alteri tale ius prætendenti, vt non prosequatur ius suum. 96

DVBIA.

EX DISPVTATIONE XV.

De Peccatis.

PRimum Dubium. An peccatum intrinsecè includat esse offensam Dei. 7
2 An malitia peccati commissionis consistat in aliquo positiuo. 17
3 An malitia peccati commissionis formaliter consistat simul in positiuo, & priuatiuo. 20
4 Cuius rei sit priuatio malitia formalis peccati commissionis. 21
5 An peccatum commissionis essentialiter differat à peccato omissionis. 22
6 Quomodo distinguantur vitia extrema eidem virtuti opposita. 24
7 An possit esse peccatum omissionis absque omni actu. 26
8 An actus coniunctus omissioni culpabili sit peccatum. 30
9 An actus incompossibiles cum obseruantia præcepti, qui eliguntur postquam statuimus non obseruare præceptum contrahant malitiam omissionis. 31
10 Quo tempore peccatum omissionis contrahatur. 32
11 An qui propria culpa incidit in aliquem morbum diuturnum omnes incurrat omissionis ex eo sequentes. 35
12 An peccatum mortale importet grauitatem infinitam. 42
13 An hic actus; Volo committere omnia venialia sit peccatum mortale, vel solùm veniale. 50
14 An peccatum veniale propter sui multiplicationem fieri possit mortale, itaut plura peccata venialia integrent vnum mortale. 53
15 An idem actus numero successiuè de veniale fieri possit peccatum mortale, & è contrà. 56
16 An idem actus numero possit esse simul peccatum veniale, & mortale. 57
17 An idem numero peccatum veniale manens idem in genere moris possit fieri mortale, & è contrà. 58
18 An peccatum aggrauetur ratione personæ offensæ. 72
19 An peccatum leuius ex obiecto possit ex aliqua circumstantia fieri grauius alio peccato grauiori ex obiecto. 73
20 An in membris, & potentijs exterioribus possit esse peccatum. 81
21 An malitia actus exterioris sit distincta à malitia actus interioris. 83
22 An ignorantia concomitans excuset à peccato. 101
23 An ignorantia vincibilis, quæ est causa peccati, sit in se ipsa peccatum. 103
24 An possit excusari ignorantia aliqua inuincibilis iuris naturalis. 105
25 An possit contingere peccatum sine aliquo defectu præcedente in intellectu. 110
26 An peccata ex habitu vitioso commissa dici debeant ex malitia, aut potius ex passione. 111
27 An qui totum præceptum implere non potest, teneatur ad partem, quam potest. 114
28 An veniale mortali coniunctum puniatur in Inferno pœna æterna. 126
29 An vnum peccatum possit esse pœna alterius. 134
30 An ebrietas sit peccatum, & quomodo. 147

DVBIA.

EX DISPVTATIONE XVI.

De Sacramentis in genere.

PRimum Dubium. An materia formæ coniungi debeat, & simul tempore cum ea existere, vt Sacramentum validè conficiatur. 14
2 An ad conficienda Sacramenta determinatæ, res & determinata verba requirantur. 16
3 An quælibet mutatio materiæ, & formæ Sacramentum irritet. 17
4 An Sacramenta causent gratiam ex opere operantis, vel ex opere operato. 20
5 An Sacramenta causent gratiam physicè, vel moraliter tantùm. 21
6 An Sacramenta causent aliam gratiam, quàm sanctificantem. 23
7 An Sacramenta nouæ legis æqualem semper conferant gratiam. 24
8 An omnia Sacramenta vim habeant conferendi primam gratiam. 26
9 Quo tempore Sacramenta gratiam conferant. 27
10 An Character sit forma absoluta, vel respectiua, & signum naturale, vel ad placitum. 31
11 In quo subiecto proximè imprimatur Character. 32
12 An in Ministro præter legitimam potestatem, & sufficientem intentionem ad valorem Sacramenti requiratur etiam fides, & gratia sanctificans. 41
13 An Sacramenta sine debita dispositione suscepta suos conferant effectus saltem homine posteà se disponente. 49
14 An à malis Ministris liceat Sacramenta recipere. 51
15 An præceptum de Eucharistia sumenda sit Ecclesiasticum tantùm, an etiam diuinum. 62

DVBIA.

EX DISPVTATIONE XVII.

De Baptismo, & Confirmatione.

PRimum Dubium. An sicut Baptismus confert primam gratiam ex opere operato, ità etiam Martyrium. 6
2 Quandonam facta fuerit sufficiens, & solemnis Euangelij promulgatio, itaut omnes cæperit obligare. 14
3 An ablutio, quæ est materia proxima huius Sacramenti, sit ablutio actiua, vel passiua. 17
4 An si Baptismus fiat per immersionem, sit de necessitate Sacramenti, vt post eam immediatè sequatur emersio. 18
5 Quænam corporis pars ablui debeat, vt validus sit Baptismus. 21

INDEX

6 *Quanta ablutio sit ad Baptismum necessaria.* 24
7 *An Baptismus datus sub nomine Genitoris, Geniti, & ab vtroque Procedentis esset validus.* 29
8 *An error personæ Baptismum destruat.* 30
9 *An Baptismus sit validus, quando cum aliqua verborum mutatione administratur.* 31
10 *An vnus Minister possit validè simul, & semel plures baptizare sub hac forma* Ego vos baptizo, *&c.* 34
11 *An quando plures eundem homine baptizant simul abluendo, & debitam formam proferendo sit validus Baptismus, & nùm vnus, vel multiplex.* 35
12 *An valeat Baptismus à pluribus collatus, si vnus materiam adhibeat, aliter formam.* 36
13 *An valeat Baptismus, si plures abluant, & hanc formam proferant,* Nos te Baptizamus, *&c.* 37
14 *An liceat baptizare infantes in vtero Matris existentes.* 41
15 *An Monstrum ex viro, & fœmina genitum sit baptismi capax.* 42
16 *An adulti amentes sint baptizandi.* 43
17 *An liceat infidelium infantes inuitis parentibus baptizare.* 44
18 *An iustificati teneantur ad susceptionem baptismi.* 45
19 *An Baptismus conferat omnibus æqualem gratiam.* 52
20 *An Circumcisio vim habuerit iustificandi paruulos ex opere operato.* 60
21 *An manuum impositio sit materia ad Sacramentum Confirmationis requisita.* 68
22 *An materia Confirmationis sit Chrisma, ex oleo, & balsamo mixtum.* 69
23 *An Chrisma debeat esse ab Episcopo benedictum.* 70
24 *An saltem per dispensationem Pontificis possit Chrismatis consecratio simplici Sacerdoti commiti.* 72

DVBIA.

EX DISPVTATIONE XVIII.

De Sacramento Eucharistiæ.

PRimum Dubium. *An consecratio Corporis Christi confici possit in pane permixto ex tritico, & alijs granis.* 16
2 *An vinum congelatum sit materia sufficiens consecrationis Calicis.* 18
3 *An sit necessaria consecratio sub vtraque specie.* 25
4 *An quatuor illa verba* Hoc est corpus meum *sufficiant ad consecrationem corporis.* 29
5 *An verba illa* Hic est Calix Sanguinis mei *sufficiant ad consecrationem Sanguinis.* 30
6 *An verba consecrationis debeant intelligi recitatiuè tantùm, seù materialiter, num verò significatiuè, seu formaliter.* 32
7 *Quid demonstret pronomen,* Hoc, *vel* Hic *in forma consecrationis.* 33
8 *Quomodo forma consecrationis vera esse possit.* 35
9 *Quomodo accidentia separata in Eucharistia conseruentur.* 39
10 *An verba consecrationis sint causæ conuersionis non solum ratione significationis, sed etiam ratione veritatis.* 40
11 *An plures Sacerdotes possint simul eandem materiam consecrare.* 41
12 *Quid sit propriè transubstantiatio, & quomodo intelligi debeat.* 42
13 *An Sacramentalis præsentia Christi ad species includat aliquam vnionem physicam Corporis, & Sanguinis eius sub speciebus.* 43
14 *Quid ponatur in hoc Sacramento ex vi verborum, & per concomitantiam.* 44
15 *An Christus in Eucharistia propriam retineant quantitatem, & figuram, quam habet in Cælo.* 45
16 *An accidentia in Eucharistia possint habere quamcunque actionem, & passionem, quam potuerunt habere in subiecto.* 46
17 *An hoc Sacramentum maiorem gratiam conferat virtute vtriusque speciei, quàm vnius tantùm.* 51
18 *An Eucharistia per se, & ex opere operato gratiam conferat quousque in stomacho existit.* 54
19 *An accedens ad Sacramentum Eucharistiæ debeat esse in gratia per Confessionem, vel sufficiat per contritionem.* 56
20 *Quo iure Sacramentalis Confessio Sacræ Communioni præmittenda sit.* 57
21 *An ad percipiendum primarium huius Sacramenti effectum præter statum iustitiæ, & sanctitatis necessarius sit aliquis deuotionis affectus.* 58
22 *An infantes, & amentes sint huius Sacramenti capaces.* 64
23 *Qua ætate pueri sint huius Sacramenti capaces, & eis ministrari debeat.* 65
24 *An muti, & surdi à natiuitate sint huius Sacramenti capaces.* 66
25 *An rei ad mortem damnati, sint huius Sacramenti capaces.* 67
26 *An laici teneantur communicare sub vtraque specie.* 68
27 *An excommissione, vel ex necessitate possit Laicus Eucharistiam infirmo ministrare.* 71
28 *An ad dispensandum hoc Sacramentum requiratur status gratiæ vt licitè dispensetur.* 73
29 *An possit fidelis in casu necessitatis Eucharistiam accipere ab excommunicato, degradato, & schismatico, & Hæretico.* 74
30 *An peccatori Eucharistiam poscenti præbenda sit Eucharistia, vel deneganda.* 76

DVBIA.

EX DISPVTATIONE XIX.

De Sacramento Ordinis.

PRimum Dubium. *Quomodo septem Ecclesiæ Ordines vnum constituant Sacramentum.* 6
2 *An Episcopatus sit Ordo etiam à Sacerdotio distinctus.* 7
3 *An quilibet Episcopus etiam excommunicatus, hæreticus & degradatus possit validè ordinare.* 18
4 *An ex commissione Summi Pontificis possit aliquis alius Episcopo Ordines conferre.* 19
5 *An omnis Ordinatio, seù quodlibet Ordinis Sacramentum imprimat Characterem.* 25
6 *An ad valorem singularum Ordinationum requiratur ex parte ordinandi tactus physicus rei, cuius traditione ordinatur* 26
7 *An ordinatio Episcopi imprimat characterem à Sacerdotali distinctum.* 27
8 *An Ordines sint ità inuicem connexi, vt vnus alium supponat necessitate Sacramenti.* 28
9 *An character Episcopalis sit dignior Sacerdotali.* 29
10 *Quænam partes Missæ ad rationem Sacrificij pertineant.* 33
11 *An vtriusque speciei consecratio sit de essentia Sacrificij Missæ.* 37
12 *Quomodo species pertineant ad rem, quæ in hoc misterio sacrificatur.* 41
13 *Quomodo dicatur Sacerdos offerre non tantum in nomine Christi, sed etiam Ecclesiæ.* 44
14 *An hoc sacrificium ex opere operato immediate remittat pœnas ex condonatis peccatis relictas.* 47
15 *An habeat vim remittendi ex opere operato, & immediatè peccata mortalia quo ad culpam, & primam gratiam conferendi.* 48
16 *An saltem habeat vim remittendi immediatè, & ex opere operato peccata venialia.* 49
17 *An hoc Sacrificium vim habeat augendi gratiam immediatè, & ex opere operato.* 50
18 *An habeat virtutem impetrandi à Deo bona temporalia.* 51
19 *An Missæ Sacrificium effectus suos infallibiliter producat.* 52
20 *An Missæ Sacrificium licite offerri possit pro infidelibus non baptizatis, & pro excommunicatis baptizatis.* 62
21 *An hoc Sacrificium licite offerri possit nomine Ecclesiæ pro excommunicatis toleratis.* 63
22 *An damnatis prodesse possit ad aliquam pœnæ mitigationem, seù remissionem.* 94

23 *An purgantibus prosit infallibiliter, & ex certa lege, vel tantùm per modum liberalis impetrationis.* 65
24 *An ex opere operato prosit non solùm illis, pro quibus offertur, sed etiam Sacerdoti offerenti, quatenus præcisè est offerens.* 66
25 *An intentio habitualis sufficiat ad sacrificij applicationem.* 69
26 *An applicatio sacrificij, vt valida sit fieri debeat secundum intentionem à Sacerdote habitam, vel debitam haberi.* 71
27 *Quomodo illa specialis obligatio debeat esse determinata, & certa, itaut effectus eius non maneat suspensus.* 73
28 *An qui tenetur in aliqua Ecclesia celebrare sine Sacrificij applicatione possit Missam alteri applicare.* 74
29 *An pro vnica Missa Sacerdos pauper possit accipere tot stipendia, quot sufficiunt ad eius diurnam sustentationem.* 76
30 *An liceat duplicatum stupendium pro eadem Missa accipere applicando etiam petenti specialem fructum ipsimet Sacerdoti correspondentem.* 77
31 *An Sacerdos qui Missas dicendas accepit, possit alijs dare dicendas, retenta sibi parte stipendij accepti.* 78
32 *An Sacerdos possit pro vna Missa duplex stipendium accipere à diuersis personis applicando vni fructum impetrationis, & alteri fructum satisfactionis.* 79
33 *An omissio vnius Missæ, pro qua acceptum est stipendium, sit peccatum mortale.* 80
34 *An Sacerdos possit accipere plura stipendia, quibus non nisi post longum tempus satisfacere potest.* 81

DVBIA.

EX DISPVTATIONE XX.

De Sacramento Matrimonij.

PRimum Dubium. *An possit inter nasentes matrimonium contrahi.* 13
2 *An Matrimonium etiam antè Legem Euangelicam, & in omni populi fuerit Sacramentum.* 16
3 *An matrimonium infidelium, quando ambo baptizatur, euadat Sacramentum.* 17
4 *An matrimonium fidelis cum infideli sit Sacramentum, saltem ex parte fidelis.* 19
5 *An inter baptizatos possit celebrari matrimonium, quod non sit propriè Sacramentum.* 22
6 *An ex diuina dispositione possit constitui matrimonium solo interno contrahentium consensu absque expressione externa.* 27
7 *An in potentibus loqui requirantur verba necessitate Sacramenti, aut saltem ex præcepto.* 28
8 *An simultas temporis requiratur ad consensum mutuum de præsenti, vt sit validus.* 31
9 *An metus reuerenti alis debeat censeri grauis, & sufficiat ad matrimonium irritandum.* 36
10 *An blanditiæ, & præces importunæ possint afferre metum cadentem in constantem virum, & matrimonium annullare.* 37
11 *An matrimonium metu contractum iuramento, aut sequenti consensu, vel copula validari possit.* 39
12 *Qualiter Ecclesia reddere potuerit irritum matrimonium Clandestinum anteà validum, & ratum.* 43
13 *An matrimonium Clandestinum post Tridentinum sit ità inualidum, vt in nullo casu sit validum inter fideles.* 44
14 *An vt validè matrimonium contrahatur, præmittenda sint denunciationes.* 46
15 *Quænam requirantur, vt matrimonium non modò validè, sed etiam licitè contrahatur.* 48
16 *An pluralitas vxorum simul etiam iure naturali sit ilicita, & irrita.* 52
17 *An polygamia fuerit aliquandò valida, & licita.* 53
18 *An, & quo iure matrimonium sit indissolubile.* 57
19 *An matrimonium dissolui possit ob aliquam causam in lege Euangelica.* 60
20 *An matrimonium ratum non consumatum auctoritate Pontificia dissolui possit.* 62
21 *An Clandestina sponsalia sint valida, & licita.* 66
22 *An ad valorem sponsalium requiratur septennium mathematicè completum.* 67
23 *An valeant sponsalia antè septennium completum inita, si malitia ætatem suppleat.* 69
24 *An peccaret mortaliter sponsalia contrahens antè legitimam ætatem à iure præscriptam.* 70
25 *An Sponsalia obligent non tantùm in foro interno, sed etiam externo.* 72
26 *An sponsalia addant fornicationi sponsæ, vel sponsi cum alia persona nouam malitiam.* 73
27 *An qui prius votum simplex Castitatis, vel Religionis emisit, & puellam defloravit cum promissione matrimonij, teneatur ad matrimonium, vel potius ad votum.* 74
28 *An qui Virginem defloravit spe fictæ promissionis matrimonij eam ducere teneatur.* 75
29 *An ficta promissio habeat vim obligandi, & quomodo.* 77
30 *An Sponsalia dissoluantur per Religionis ingressum, & quomodo.* 80
31 *An per votum simplex Castitatis, & suscipiendi Sacros Ordines Sponsalia soluantur etiam ex parte vouentis.* 81
32 *Quomodo sponsalia soluantur per subsequens matrimonium cum alia de præsenti contractum.* 82
33 *An dissoluantur Sponsalia, quando fornicatio post sponsalia commissa est inuoluntaria.* 84
34 *An propria auctoritate liceat à Sponsalibus resilire iusta de causa, vel opus sit auctoritate Iudicis Ecclesiastici.* 86
35 *An impedimentum Cathechismi iure nouo Concilij Tridentini fuerit sublatum.* 90
36 *An habens votum Castitatis possit sine peccato matrimonium contrahere animo determinato non consumandi.* 91
37 *An septem impedimenta merè prohibentia ex crimine orta adhuc vigeant.* 93
38 *An error qualitatis matrimonium dirimat, quando dat causam contractui.* 98
39 *An cognatio legalis oriatur etiam ex adoptione imperfecta.* 104
40 *An raptus, quo fœmina, inuitus parentibus, ipsa tamen consentiente rapitur, matrimonium dirimat.* 108
41 *An validè secundum contrahatur matrimonium sine sufficienti certitudine mortis prioris coniugis, quæ reuera secuta erat anteà.* 110
42 *An affinitas dirimat matrimonium etiam iure naturæ in aliquo gradu.* 113
43 *Quis in impedimentis Matrimonij dispensare possit.* 115
44 *An Pontifex dispensare possit in voto solemni Religionis* 116
45 *An in actu coniugali facto ad vitandam propriam incontinentiam sit aliqua culpa.* 125
46 *An actus conigalis, factus solius voluptatis, & delectationis causa sit licitus.* 126
47 *An possit coniux ab altero diuortium facere propria auctoritate, vel indigeat Iudicis sententia.* 128
48 *Quæ peccata contrà fidem coniugij, sub adulterio comprehendantur, quæ sufficientem accusam ad diuortium præbeant.* 129
49 *An facto diuortio licitum sit vtrique coniugi mutare statum* 135

DVBIA.

EX DISPVTATIONE XXI.

De Pœnitentiæ Sacramento.

PRimum Dubium. *An ad contritionem requiratur formalis amor Dei, vel sufficiat virtualis saltem, & implicitus*

eitus. 20
An sit de ratione contritionis, vt sit sufficiens dispositio ad iustificationem extrà Sacramentum, quod sit ex motiuo charitatis. 22
3 An sit de ratione contritionis, vt sit proxima, & vltima dispositio ad gratiam habitualem, quod sit cum ea coniuncta, seù quod sit formata gratia. 25
4 An ad veram contritionem requiratur intensio in tali, vel tali gradu. 27
Quantum nam perfecta contritio debeat detestari peccata. 28
6 An ad contritionem requiratur certa temporis mora, seù duratio. 29
7 Quale propositum de cætero non peccandi requiratur contritio. 31
8 An votum, seù propositum Sacramenti pœnitentiæ ad contritionem requisitum debeat esse semper explicitum, & formale. 33
9 An contritio necessariò cadat super omnia peccata memoriæ præsentia, vel possit esse de aliquo tantùm. 34
10 An ad contritionem requiratur, vt sit de singulis peccatis distinctè. 35
11 An contritio de pluribus peccatis simul requirat distinctam eorum recogitationem. 36
12 An attritio includat dilectionem Dei formaliter, vel saltem virtualiter. 42
13 An, & quomodo attritio à contritione destinguatur. 43
14 An attritio possit fieri contritio, & quomodo. 44
15 An attritio etiam cognita, vt talis, sufficiat ad iustificationem cum Sacramento. 46
16 An attritio debeat esse formalis dolor de peccatis, vel sufficiat virtualis. 48
17 An ad valorem Sacramenti requiratur, quod talis dolor confessionem præcedat. 49
18 An ad pœnitentiam necessariam ad salutem sufficiat sola attritio cum Sacramento Confessionis. 53
19 An saltem in articulo mortis præter attritionem cum Confessione, sit etiam necessaria contritio. 55
20 An semper sit necessaria pœnitentia formalis, vel interdum sufficiat virtualis. 57
21 An aliquando cum actuali memoria peccatorum Charitas supplere possit necessitatem pœnitentiæ formalis. 59
22 An qui sine formali contritione iustificatur per dilectionem Dei cum obliuione peccatorum inculpabili, teneatur postea conteri, cum eorum recordatur. 60
23 An peccator post commissam culpam statim resurgere teneatur, & pœnitere. 63
24 An saltem alio tempore antè mortis articulum præceptum contritionis per se obliget de peccatis pœnitere. 65
25 An hoc præceptum obliget, quoties peccata commissa menti occurunt. 67
26 An peracta semel ritè pœnitentia restat obligatio rursus pœnitendi, quoties peccata menti occurunt. 70
27 An contritio sit deletiua culpæ physice, vel moraliter. 74
28 An pœnitentia peccatum deleat per modum meriti de congruo, vel etiam de condigno. 76
29 An pœnitentia virtus sit causa gratiæ iustificantis, & quomodo. 77
30 Quam dispositionem in suscipiente Sacramenta requirant pro remissione venialium. 85
31 An Sacramentalia remissionem venialium conferant ex opere operato, vel operantis. 86
32 An veniale in hac vita possit sine mortali dimitti. 89
33 An veniale non tantùm in Purgatorio, sed etiam in Inferno remitti possit non tantùm quoad pœnam, sed etiam quoad culpam. 97
34 An peccata confessa, & remissa possint esse materia nouæ Confessionis. 112
35 An ad iteratam Confessionem eorumdem peccatorum requiratur nouus dolor. 114
36 An absolutio Sacramentalis sit necessariò voce proferenda. 118
37 Quænam sint essentialia verba in consueta forma Sacramenti pœnitentiæ. 120
38 An hoc verbum Absoluo sit simpliciter necessariam ad valorem formæ. 121
39 An forma Sacramenti pœnitentiæ sit valida, si proferatur deprecatoriè. 122
40 An forma absolutionis sub conditione prolata sit valida. 123
41 An absolutio possit conferri absenti. 125
42 An per Sacramentalem absolutionem verè penitens absoluatur à peccatis etiam quo ad culpam. 128
43 Quomodo peccata venialia in Sacramento pœnitentiæ remittantur. 130
44 Quomodo producatur effectus infusionis gratiæ, & remissionis peccatorum per verba absolutionis. 131
45 Quomodo saluetur vis, & effectus huius Sacramenti, quando inuenit peccata iam remissa per contritionem, vel antecedentem confessionem. 132
46 An per pœnitentiæ Sacramentum merita bonorum operum reuiuiscant. 134
47 An semper hoc Sacramentum conferat suum effectum, vel possit esse validum, & informe. 135
48 An in Confessione de solis venialibus requiratur necessariò dolor formalis per modum attritionis. 144
49 An talis dolor debeat esse de omnibus venialibus, quæ pœnitens confitetur. 145
50 An in Confessione venialium requiratur propositum efficax omnia venialia vitandi. 147
51 An infideles ad Confessionem teneantur ex vi iuris diuini 154
52 An mutui iure diuino ad hoc Sacramentum teneatur, & quomodo. 155
53 An pœnitens ex vi diuini præcepti teneatur per Interpretem confiteri, si aliter fieri nequeat. 157
54 An hoc præceptum diuinum Confessionis fideles obliget alio tempore, quàm in articulo, vel periculo mortis. 159
55 An Confessio Sacramentalis debeat necessario esse vocalis. 167
56 An Confessio sit vere Sacramentalis, & valida, si fiat per Scripturam Ministro præsenti. 169
57 An Confessio per Scripturam in absentia Sacerdotis sit valida, & Sacramentalis. 170
58 An ad integritatem Confessionis circumstantiæ notabiliter aggrauantes sint necessario confitendæ. 174
59 An pœnitens, qui bona fide confessus est Sacerdoti indocto, & minus idoneo, confessionem iterare teneatur 193
60 An valide absoluant, qui communi errore, aut titulo colorato idoneus iudicatur. 195
61 An quilibet Sacerdos etiam non approbatus possit à peccatis venialibus absoluere, ac etiam mortalibus alias confessis 202
62 An quilibet Sacerdos etiam ab Ordinario non admissus possit in articulo mortis pœnitentem absoluere. 203
63 An simplex Sacerdos hoc facere possit in prædicto casu præsente Parocho, vel alio Confessario delegato. 204
64 An hæc facultas sit etiam concessa Sacerdotibus excommunicatis, suspensis, interdicti, & hæreticis. 205
65 An Prælati Regulares præter vndecim peccata in Constitut. Clementis VIII. possint aliqua alia prohibere, sub excommunicatione sibi reseruata absque Capituli generalis vel prouincialis consensu. 223
66 An peccata mortalia interna reseruari possint. 224
67 An requiratur aliqua causa, vt Superior possit sibi reseruare absolationem ab aliquibus peccatis. 226
68 An quo data sit Superioribus potestas reseruandi peccata, an à Deo immediate, vel ab homine. 227
69 An peregrini in alieno Episcopatu possint à reseruatis absolui. 229
70 An Superior teneatur concedere subdito petenti, vt à reseruatis absoluatur. 230
71 An Superior possit concedere facultatem absoluendi à reseruatis cum onore, vt penitens postea coram ipso compareat. 231
72 An possint inferiores Confessarij directe reseruatis absoluere ex causa necessitatis. 232
73 An Regulares virtute Bullæ Cruciatæ Confessarium eligere possint, qui eos à reseruatis absoluat. 233
74 An censeatur, reseruatum peccatum, de quo quis est dubius, an illud commiserit. 234
75 An peccata reseruata ex obliuione prætermissa remaneant libera à reseruatione. 238
76 An possit Superior absoluere tantùm à reseruatis, & quoad alia pœnitentem remittere ad inferiorem. 288
77 An quando Superior absoluit tantùm à reseruatis, teneatur

tur pœnitens simul cum non reseruatis confiteri etiam reseruata. 239
78 An inferior possit interdum saltem indirectè à reseruatis absoluere. 240
79 An possit Confessarius de licentia pœnitentis reuelare eius Confessionem. 251
80 An etiam pœnitens ad sigillum teneatur respectu eorum, quæ Confessarius ipsi dixit, vel iniuxit in huius Sacramenti administratione. 255
81 An satisfactio à Confessario imposita sufficiens sit ad remittendam omnem pœnam temporalem peccatis debitam. 267
82 An præter opera supererogationis possint etiam pro pœnitentia imponi opera alias debita. 271
83 An præter actus externos possint etiam pro pœnitentia imponi actus interni. 274
84 An quælibet opera honesta, etiamsi pœnalia non possint pro pœnitentia iniungi. 275
85 An satisfactio adimpleta in peccato mortali aliquid valeat pro temrorali pœna luenda. 275
86 An satisfactio vitiata per aliquam malam circumstantiam sit valida. 277
87 An Confessarius possit pœnitentiam imponere per modum consilij tantùm, & non præcepti. 281
88 An pœnitens teneatur satisfactionem sibi iniunctam acceptare, & exequi. 282
89 An satisfactio iniuncta per alium impleri possit. 286
90 An pœnitens propria auctoritate possit pœnitentiam sibi impositam commutare in opus euidetur melius. 289
91 An satisfactio ab vno Confessario imposita possit ab alio æquali commutari. 291
92 An etiam Confessarius inferior possit hoc idem facere. 283
93 An ad id faciendum debeat secundus Confessarius audire peccati priori reseruata.
94 An idem Confessarius possit pœnitentiam à se impositam commutare absque noua auditione, & absolutione. 297

DVBIA.

EX DISPVTATIONE XXII.

De Sacramento Extremæ Vnctionis.

PRimum Dubium. An Materia necessaria huius Sacramenti debeat esse oleum simplex.
2 An sit de necessitate Sacramenti, quod oleum sit benedictum 22
3 An hæc olei benedictio necessariò fieri debeat ab Episcopo. 24
4 An forma huius Sacramenti debeat necessario esse deprecatiua. 29
5 An hoc Sacramentum sit ex sua institutione iterabile. 47
6 An etiam in eadem infirmitate iterari possit. 48
7 Quando hoc Sacramentum conferat corporis sanitatem. 66
8 An necesse sit hominem habere vsum rationes, quando hoc Sacramentum est susceperus. 70
9 An ad validitatem huius Sacramenti sufficiat, vt infirmus versetur in probabili vitæ periculo. 73
10 An ad huius Sacramenti valorem requiratur, vt subiectum eius aliquando peccauerit actualiter. 76
11 Quæ dispositio ad hoc Sacramentum suscipiendum requiratur. 82
12 An hoc Sacramentum validè possit à pluribus Sacerdotibus confici. 87
13 An tempore pestis teneatur Parochus cum periculo vitæ hoc Sacramentum administrare. 91

DVBIA.

EX DISPVTATIONE XIII.

De Indulgentijs, & Suffragijs.

PRimum Dubium. An aliundè, quàm ex thesauro Ecclesiæ Indulgentiæ concedi possint. 8
2 An thesaurus Ecclesiæ spiritualis solum per Indulgentias dispensetur. 9
3 An thesaurus Ecclesiæ spiritualis applicetur fidelibus per modum solutionis, vel absolutionis. 10
4 An Concilium generale ordinariam habeat potestatem indulgentias concedendi. 13
5 An Episcopi in sua Diœcesi hanc potestatem habeant iure diuino vel humano. 15
6 An Prælati Regularium hanc potestatem habeant in suis Religionibus.
7 An diruto templo cesset indulgentia illi concessa, si rursus ædificetur.
8 An indulgentia personalis se extendat ad ipsum etiam concedentem. 25
9 An qui lucratur indulgentiam maneat in conscientia liber ab implenda pœnitentia sibi imposita. 27
10 An Indulgentiæ, quæ sub hac formula conceduntur, De iniunctis pœnitentijs indulgemus solùm extendatur ad eas pœnas remittendas, ad quas iniunctæ sunt pœnitentiæ Sacramentales, vel ad alias etiam pœnas. 30
11 An saltem quando Indulgentiæ sine vlla restrictiones conceduntur, extendantur ad omnes pœnas, quas homo ex peccatis contraxit. 32
12 An causa propter quam Indulgentia conceditur, debeat esse publica. 38
13 An causa ad valorem Indulgentiæ requisita non solùm debeat esse iusta, sed etiam proportionata. 39
14 An sufficiat causa tantùm probabiliter putata sufficiens. 42
15 An Indulgentiæ solo actu interiori concedentis reuocari possint. 47
16 An possit Indulgentia cessare per solam renunciationem eius, cui conceditur. 48
17 An excommunicatus sit capax indulgentiæ. 54
18 An Catechumeni sint Indulgentiæ capaces. 55
19 An, & quomodo Indulgentiæ Defunctis communicari possint. 57
20 An ad Indulgentiam lucrandam requiratur status gratiæ. 60
21 An opus iniunctum debeat in statu gratiæ adimpleri. 61
22 An susceptor indulgentiarum debeat esse in statu gratiæ per Confessionem. 63
23 An omnes facientes opus ad Indulgentiam requisitum æqualiter eius fructum consequantur. 64
24 An eodem opere possit qui lucrari diuersas indulgentias diuersis vijs concessas. 65
25 An possit obtineri sæpiùs indulgentia repetito opere iniuncto. 66
29 An sufficiat extrà Ecclesiam orare ad consequendam indulgentiam concessam visitantibus illam. 67
27 An pars operis iniuncti prosit ad lucrandam indulgentiam, vel saltem partem illius. 68
28 An prætermittens leuem partem operis iniuncti indulgentiæ effectum consequatur. 69
29 An fideles possint per suffragia se inuicem iuuare, ad satisfaciendum pro pœna temporali. 73
30 An hæc satisfactio pro alijs prosit infallibiliter. 75
31 An suffragia prosint de condigno, & de iustitia. 76
32 An suffragia pro alijs oblata prosint fideli ea operanti. 77
33 An suffragia viuentium prodesse possint Defunctis in Purgatorio ad remissionem pœnarum. 58
34 An opus valeat, & prosit, si præcipiens sit in gratia, exequens verò in peccato mortali. 83
35 An intentio applicandi suffragium pro alio debeat esse actualis, vel saltem virtualis, nùm etiam habitualis sufficiat. 84

DVBIA.

EX DISPVTATIONE XXIV.

De Purgatorio.

PRimum Dubium. *Quo in loco sit Purgatorium.* 9
2 *An venialia possint post hanc vitam remitti in Purgatorio, & quomodo.* 13
3 *An carentia æternæ beatitudinis in animabus Purgatorij habeat rationem pœnæ damni.* 19
4 *An in Purgatorio sit etiam pœna vermis, sicut est in damnatis.* 22
5 *Quomodo ignis, cùm sit corporeus; cruciare possit animas purgantes.* 23
6 *An animæ in Purgatorio torqueantur à Dæmonibus, vt diuinæ iustitiæ ministris.* 24
7 *An pœna Purgatorij sit accerbior qualibet pœna huius vitę, & quomodo.* 26
8 *Quanto tempore duret cuiuslibet purgantis pœna.* 30
9 *An dictæ pœnæ semper durent in eadem intensione, vel paulatim minuantur.* 31
10 *An possint animæ Purgatorij antè finitam purgationem ad tempus inde exire.* 33
11 *An pœna Purgatorij sit voluntaria, & quomodo.* 34
12 *Qua ratione animæ corporibus egressæ iudicentur, & ad loco destinata deferantur.* 36
13 *An animæ Purgatorij sint certæ, & securæ de propria salute.* 38
14 *An animæ Purgatorij sint in statu merendi, & demerendi.* 40
15 *An animæ illæ possint pro nobis orare, & aliquid de congruo mereri vel, impetrare.* 42
16 *An animę in Purgatorio existentes miracula edere possint.* 43
17 *An indulgentiæ pro defunctis concessæ certò, & infallibiliter illis prosint.* 46
18 *An Pontifex possit arbitrio suo totum euacuare Purgatorium.* 49
19 *An ex iustitia, vel sola Dei misericordia Indulgentiæ Defunctis prosint.* 50
20 *An requiratur, vt lucrans indulgentiam pro Defunctis sit in gratia.* 51
21 *An Indulgentiæ prosint Catechumenis defunctis.* 52
22 *An fideliam suffragia prosint Defunctis per modum satisfactionis, an etiam impetrationis.* 53
23 *An suffragia prosint Defunctis ex iustitia, vel tantùm ex Dei misericordia.* 55
24 *An suffragia pro mortuis infallibiliter à Deo acceptentur.* 58
25 *Quid à Deo obtineant suffragia pro Defunctis oblata.* 59
26 *An quolibet suffragium omnibus æquè prosit.* 60
27 *An suffragia, quæ fiunt pro Defunctis, opera pœnalia esse debeant.* 63
28 *An præter opera supererogationis possint etiam, vt satisfactoria applicari Defunctis opera alias debita.* 64
29 *An opus externum præcisè sumptum pro alio oblatum illi prosit ad pœnæ remissionem.* 66
30 *An restitutio, quæ post mortem fieri præcipitur aliquid conferat ad remissionem pœnæ.* 69
31 *An soli viatores possint animabus Purgatorij suffragari, an etiam beati.* 70
32 *An animæ futuræ sint beatiores resumptis corporibus.* 81

DVBIA.

EX DISPVTATIONE XXV.

De Cœlo, & Statu Beatorum.

PRimum Dubium. *An beatitudo formalis in aliquo increato consistat.* 10
2 *An Beatitudo formalis consistat in illapsu Dei in animam Beati.* 11
3 *An beatitudo formalis in aliquo habitu consistat, vel potius in aliqua operatione.* 12
4 *In qua operatione consistat beatitudo formalis.* 14
5 *An principalius consistat in actu intellectus, vel voluntatis.* 16
6 *An gaudium, & delectatio sint de essentia beatitudinis.* 24
7 *An perpetuitas sit de essentia beatitudinis.* 25
8 *An de ratione beatitudinis sit securitas perpetuitatis.* 26
9 *Quomodo impeccabilitas beatitudinem sequatur.* 31
10 *Vndè oriatur inæqualitas beatitudinis in Beatis.* 35
11 *An beatitudo hominum sit minor beatitudine Angelorum.* 39
12 *An quid lumen gloriæ deseruiat.* 40
13 *An oculus corporeus lumine aliquo eleuari possit ad Deum clarè videndum.* 42
14 *An intellectus creatus absque lumine gloriæ eleuari possit ad Deum clarè videndum.* 44
15 *An videntes Deum per essentiam ipsum comprehendant* 46
16 *Quomodo Beati in Deo creaturas cognoscant.* 47
17 *An possit Beatus aliquis videre in Deo omnes creaturas etiam possibiles.* 53
18 *An Beati cognoscant orationes, quas offerimus.* 55
19 *An Beati videant pœnas damnatorum.* 58
20 *An fruitio, & delectatio sint de Deo immediatè, an verò de ipsius visione solùm.* 60
21 *An fruitio sit actus liber, & quomodo.* 62
22 *An necessitas in voluntate Beati amandi Deum sit moralis, vel physica.* 63
23 *An voluntas Beati sit capax alicuius tristitiæ.* 64
24 *An voluntas Beati ad fruendum Deo aliquo habitu supernaturali indigeat.* 65
25 *An habitus Charitatis ad fruitionem beatificam actiuè concurrat.* 68.
26 *An Charitas det voluntati actiuitatem simpliciter, vel qualem.* 71
27 *An voluntas Beati de potentia absoluta possit Deo frui sine habitu Charitatis.* 73
28 *An corpus glorioſum sit impassibile, & quomodo.* 76
29 *An corpus glorioſum per dotem subtilitatis possit cum alio corpore compenetrari.* 78
30 *An corpus glorioſum sit agile.* 81
31 *An corpus glorioſum ratione agilitatis moueatur solùm organicè, vel aliter.* 82
32 *An corpus glorioſum sit clarum.* 83
33 *An corpus glorioſum, ità sit lucidum, vt etiam sic diaphanum, & transparens.* 84
34 *An omnes Beati videbunt semper Corpus Christi glorioſum.* 85
35 *Quomodo Beati formabunt in Cælo voces, & conuentus.* 88
36 *An sensus tactus possit habere in patria delectationes sibi proportionatas.*

DVBIA.

EX DISPVTATIONE XXVI.

De Inferno, & Statu Damnatorum.

PRimum Dubium. *An, & quæ sit pœna Vermis in Inferno* 3
2 *An, & quæ sit pœna damni in Inferno.* 4
3 *An in Inferno sit ignis verus, & eo crucietur damnati.* 5
4 *An sit eiusdem specie cum nostro elementari, & cur Deus eo vti voluerit ad puniendos damnatos.* 6
5 *An verè sit Inferno tormentum niuis.* 7
6 *An in Inferno sint verè tenebræ.* 8
7 *Quænam aliæ pœnæ sensus reperiatur in Inferno.* 9
8 *An spiritus crucientur solùm per apprensionem, qua ignem apprehendunt, vt sibi nociuum.* 11
9 *An Spiritus crucientur ab igne per aliquem habitum receptiuum passionis.* 13
10 *An ignis cruciet spiritus obedientialiter producendo in eis qualitatem spiritualem eorum naturæ repugnantem.* 14
11 *An spiritus crucientur ab igne per alligationem eorum alicui corpori à Deo factam.* 16
12 *An ignis cruciet spiritus ratione tristitiæ, & vt obiectum discon-*

diſconueniens. 18
13 *An poſt diem Iudicij ignis cruciabit corpora damnatorum per realem actionem aduſtiuam.* 23
14 *An probabile ſit, quod ignis tunc cruciabit ſolùm per actionem intentionalem.* 24
15 *An pœnæ Inferni inſtingantur à Dæmonibus, vt diuinæ iuſtitiæ Miniſtris.* 26
16 *An pœnæ damnatorum ſit adeò grauis, vt cupiant non eſſe.* 29
17 *An pœna damnatorum ſit tanta, vt nec aliquam leuem delectationem admittere poſſit.* 30
18 *An pœna damnatorum ſit adeò magna, vt ſit intenſiuè infinita.* 31
19 *An pœna damni in omnibus damnatis ſit æqualis.* 33
20 *An pœna ſenſus in omnibus damnatis ſit æquilis.* 35
21 *Vndè hæc pœnarum diuerſitas in damnatis oriatur.* 36
22 *An pœna damnatorum ſit infinita ſaltem extenſio, ideſt, in æternum.* 37
23 *Quarè culpa mortalis temporalis æterna pœna punitur.* 38
24 *Quomodo pœna æterna culpæ temporali, & inſtantaneæ proportionetur.* 40
25 *An ex pœnæ æternitate infinitas culpæ mortalis benè deducatur.* 42

DVBIA.

EX DISPVTATIONE XXVII.

De Reſurrectione mortuorum Iudicium vniuerſale præcedente.

PRimum Dubium. *An reſurrectio generalis hominum ſit poſſibilis ſupernaturaliter.* 3
2 *An ſit poſſibile ſupernaturaliter alia quoque creata corrupta reproduci.* 4
3 *An virtute agentis naturalis res aliqua poſſit eandem numero redire.* 6
4 *An cauſa naturalis poſſit ſaltem reunire animam corpori.* 8
5 *An reſurrectio hominum ſit naturalis.* 9
6 *An per rationem naturalem probari poſſit reſurrectionem eſſe futuram.* 11
7 *An ex parte materiæ probari poſſit naturaliter reſurrectionem hominum eſſe futuram.* 12
8 *An per animam hominis poſſit naturaliter concludi futuram eſſe reſurrectionem.* 13
9 *An ex animæ immortalitate probari poſſit reſurrectionem hominum eſſe futuram.* 14
10 *An omnes homines iuſtis reſurrecturi ſint.* 17
11 *An etiam homines damnati ſint reſurrecturi.* 20
12 *An etiam paruuli, & infantes reſurrecturi ſint.* 21
13 *An abortiui etiam reſurgere debeant.* 23
14 *An monſtra quoque debeant reſurgere.* 24
15 *An cinerum reproborum collectio fiet ab Angelis bonis, vel a Dæmonibus.* 35
16 *An etiam reprobi congregabuntur, & adducentur ad locum Iudicij ab Angelis bonis.* 36
17 *An idem homo reſurget.* 45
18 *An omnia membra, & partes, quæ ſunt in homine, reſurgent.* 48.
19 *An omnes partes additæ per nutritionem, quæ in homine fuerunt, reſurgent.* 49
20 *An omnes præfatæ corporis partes in reſurrectione ad ſua loca redibunt.* 51
21 *An humores, capilli; vngues, & huiuſmodi ad ſuperfluitatem attinentia reſurgent.* 52
22 *An omnes reſurgent in proprio ſexu.* 54
23 *In qua ætate, & ſtatu mortui reſurgent.* 56
24 *An mortui reſurgent cum deformitatibus, quæ inerant corporibus viuis.* 58
25 *An omnia corpora reſugent incorruptibilia, & quomodo.* 60
26 *An corpora reſurgentium erunt ſpiritualia, & quomodo* 62
27 *In quo loco fiet mortuorum reſurrectio.* 63
28 *An omnes ſimul reſurgent tam, ſcilicet, iuſti, quam damnati in eodem extremo Iudicij die.* 64
29 *An vniuerſalis omnium reſurrectio in nouiſſimo die ſimul tempora ſit futura.* 66
30 *An in eo die ſaltem prius reſurgent, qui anteà erant mortui, deindè qui tunc viui erunt.* 67
31 *An vniuerſalis reſurrectio nocturno, vel diurno tempore ſit futura, & in qua hora.* 69

DVBIA.

EX DISPVTATIONE XXVIII.

De Iudicio vniuerſali, ſeù finali poſt reſurrectionem.

PRrimum Dubium. *Cur faciendum ſit vniuerſale Iudicium.* 4
2 *In quo loco fiet iudicium vniuerſale.* 6
3 *In quo tempore erit iudicium vniuerſale.* 9
4 *An animæ Chriſti nota ſit illa dies, & an ab aliquo Beato cognoſcatur.* 12
5 *An promulgatio Euangelij in toto Orbe ſit ſignum approximationis Iudicij.* 13
6 *An Romani Imperij defectio ſit ſignum venturi iudicij.* 16
7 *An antichriſti aduentus ſit ſignum Iudicij appropinquantis.* 17
8 *An aduentus Enoch & Eliæ ad prædicandum contrà peruerſam Antichriſti doctrinam ſit ſignum iudicij appropinquanti.* 19
9 *An Ioannes quoque Euangeliſta futurus ſit præcurſor ſecundi aduentus Chriſti Domini.* 22
10 *An ſigna iudicij proxima ſint futura ante generalem hominum reſurrectionem, vel poſt.* 25
11 *Qualia ſint hæc ſigna ſecundùm Chriſti aduentum præcedentia, & quomodo intelligenda.* 26
12 *Quomodo intelligenda ſint, & explicanda ſigna ſenſibilia in Cælo futura.* 27
13 *Quomodo intelligenda ſint, & explicanda alia ſigna ſenſibilia in elementis futura.* 28
14 *Qualis ſit futurus ignis, qui Chriſtum præcedet ad iudicandum venientem.* 30
15 *An ſignum Crucis præceſſurum ſit Iudicium, tanquam proprium eius vexillum.* 34
16 *Qua gloria, & maieſtate deſcenſuru ſit Chriſtus ad Iudicium.* 35
17 *In quo loco apparebit Chriſtus deſcendens, vbi ſiſtet, & in qualia ſitu.* 36
18 *In qua forma apparebit Chriſtus, & an omnibus viſibilis.* 37
19 *An Chriſtus tunc apparebit in forma glorioſa.* 38
20 *An iudiciariam poteſtatem Chriſtus exerceat etiam in iudicio hominum particulari.* 42
21 *An in iudicio vniuerſali alij coniudices iudicabunt cum Chriſto.* 43
22 *An Angeli etiam iudicabunt in die iudicij.* 45
23 *An omnes tam boni, quam mali iudicabuntur.* 48
24 *An paruuli, & infantes ſint iudicandi.* 50
25 *An omnes homines ſancti ſint iudicandi.* 51
26 *An omnes Angeli tam boni, quàm mali ſint iudicandi.* 53
27 *Quænam cauſæ iudicabuntur in finali iudicio.* 55
28 *An omnium hominum opera ſint alijs manifeſtanda.* 57
29 *Quomodo hominum opera fient in iudicio omnibus nota.* 58
30 *An, & qui accuſatores erunt in iudicio, & quomodo accuſabunt.* 59
31 *An hoc iudicium, ſeù meritorum, & demeritorum diſcuſſio fiet vocaliter, vel mentaliter.* 60
32 *An hoc iudicium, ſeù diſcuſſio fiet in tempore, vel in inſtanti.* 62
33 *An de ſingulis ſententia diſtinctè ſit proferenda.* 64
34 *An ſententia ſit proferenda voce ſenſibili, vel tantùm mentali.* 65
35 *An ſub hac ſententia condemnatoria comprehendantur paruuli, qui cum ſolo originali ex hac vita deceſſerunt.* 66
36 *Quinam futurus ſit ſtatus paruulorum cum originali peccato decedentium.* 67
37 *An infantes in Limbo patientur pœnam carceris, & localis detentionis poſt iudicium.* 71
38 *An prolata ſententia abſoluendum, & diſſoluendum ſit iudicium.* 73

39 An mundus post iudicium secundùm substantiam destruetur 75
40 An Cæli post iudicium sint renouandi, & quomodo. 77
41 An elemeta innouabuntur, & quomodo. 80
42 An plantæ, & animalia bruta innouabuntur. 82
43 An Mundi conflagratio incipiet ante iudicium. 85
44 Qualis sit futurus ignis conflagrationis. 87
45 Quantus sit futurus ignis conflagrationis. 88
46 Quænam res seù corpora conflagrabunt per ignem. 89
47 An etiam homines tunc viuentes ignes conflagrabunt. 90
48 An etiam homines defuncti tunc resurgentes igne conflagrabunt.
49 An motus corporum cælestium possit aliquando cessare. 96
50 An motus corporum cælestium cessabit aliquando de facto. 98
51 In quo situ cessabit Cælorum motus. 102
52 An cessatio motus corporum cælestium sit sufficiens causa cessandi omnem alium motum, vel mutationem in his inferioribus. 103
53 Quandò cessabit motus corporum cælestium. 105

FINIS.



DISPUTATIO PRIMA

DE REGULA INTERNA ACTUUM HUMANORUM, ſcilicet Conſcientia.

VERITATES ad myſteriorum fidei notitiam præſertim ſpectantes in præcedentibus libris jam explicatæ ſunt, & diſcuſſæ, & quidem modo ſcholaſtico, ac diſputativo; in hoc autem ultimo, & ſupremo libro reliqua Theologicæ doctrinæ capita, quæ magis ad praxim accedunt, nec in aliis tractatibus commodè tradi potuerunt, examinare intendimus, & quidem faciliori ſtylo, & magis familiari, ac etiam majori brevitate, & perſpicuitate, utpotè qui nedùm Religionis noſtræ Scholaſticis, & Magiſtris, ſed Confeſſariis etiam, & Sacerdotibus pro conſcientiis practicè dirigendis inſervire debet. Cùm autem hæc Theologia Moralis, & practica ad Caſus Conſcientiæ ſpectans duobus præſertim fundamentis nitatur, ratione, ſcilicet, & auctoritate; ratione quidem, quantum fieri potuerit vtemur, ſed cùm in tanta rerum adeò implexarum, & arduarum varietate, & caligine ſola ratio ad captivandum intellectum non ſufficiat in Chriſti obſequium; in practicis enim, & moralibus, in quibus agitur de recta divinæ legis notitia, ejuſque obſervatione, aut tranſgreſſione dignoſcenda, intellectus humanus plerumque caligat, & deficit; ideò auctoritatem, tanquam certiorem, & fidei magis amicam rationi adjungemus, & quidem in primis Sacræ Scripturæ, ut præcipuæ noſtræ fidei Magiſtræ, & veritatum fidei lucernè, deindè Conciliorum, Summorumque Pontificum, nec non SS. Patrum, & denique Doctorum maximè probatorum, adeout pauca, vel nihil ex proprio ingenio proferemus; ſed omnia, & ſingula vel ex Sacra Scriptura, vel ex Conciliis, & Patribus, vel ex ipſo jure Canonico, & probatiſſimis Auctoribus, juxtà materiarum varietatem edocebimus. Quoniam verò Conſcientia proxima, & intrinſeca regula humanorum actuum à Theologis appellari ſolet cum D. Thoma p. 2. q. 19. art. 4. & Scoto q. olib. 18. ſub lit. E. ideò exordium noſtrarum Diſputationum ab ea ſumemus, declarando quid ſit Conſcientia, & quotuplex, & quæ, ac qualis ſit ejus obligatio, ſiquidem de actibus humanis ſufficienter egimus l. 2. ſent. diſput. 5.

QUÆSTIO PRIMA.

De quidditate Conſcientiæ.

2 QUoniam Conſcientia, ut diximus, à Theologis communiter regula proxima, & interna actuum humanorum appellatur; licet enim lex æterna, lex naturalis, lex poſitiva divina, & humana ſint regulæ illorum, quatenus nobis præſcribunt bonitatem vel malitiam, convenientiam, vel diſconvenientiam objectorum; non ſunt tamen proxima, & interna regula noſtrarum actionum, cui nempè proximè conformari debeant, ut bonæ, vel ab ea recedere, ut malæ dicantur in genere moris, ſed remota tantùm, & extrinſeca, ut dicemus diſp. ſeq. de legibus; ideò ad dignoſcendum, quis ſit actus humanus propriè dictus, recolendum eſt ex dictis l. 2. de ſent. diſp. 5. cit. q. 1. ab initio actus illos, qui ab homine eliciuntur, dupliciter ſpectari poſſe, ut D. Thomas advertit p. 2. q. 1. art. 1. & conſonat Scotus 2. d. 41. infrà C. & 4. d. 6. q. 5. infrà B. primò in genere naturæ, quoad ſuam naturalem entitatem præcisè, deinde in genere moris quoad libertatem cùm qua exercentur, & quoad ea, quæ in ipſa libertate fundantur, ut eſſe capaces laudis, vel vituperii, meriti, vel demeriti, ut ait Scotus quol. 18. ſub lit. F. hoc poſteriori modo dicuntur verè, & propriè actus humani, priori verò modo dicuntur tantùm actus hominis; undè fit ut actus humanus ille propriè dicatur, qui fit ab homine, inquantum homo, & quatenus dominus ſuorum actuum, quando nimirum per rationem, & voluntatem operatur, in hoc igitur ſenſu de actibus humanis ſermo eſt in hac Diſput. & illorum regulam proximam, & internam in hac quæſtione veſtigamus.

ARTICULUS PRIMUS.

Quid ſit Conſcientia, & in qua potentia reſideat.

PRimò in hac quæſtione conveniunt omnes Conſcientiam eſſe aliquid intra animam noſtram exiſtens, non verò aliquid extrà ipſam, ſiquidem in Sacra Scriptura juxtà SS. Patrum expoſitionem Conſcientia noſtra vocatur Cor, Job 21. *neque enim reprehendit me cor meum*, & ad Roman. 2. *Oſtendunt opus legis Scriptum in cordibus ſuis;* Undè ſententia Origenis l. 2. in Epiſt. ad Roman. ab omnibus reiicitur, ubi aſſerit conſcientiam eſſe quandam ſubſtantiam ſpiritualem ab anima noſtra diſtinctam, & ſeparatam; illique per modum Angeli Cuſtodis aſſiſtentem, ut noſtras actiones dirigat, & moderetur, eaſque tamquam juſtus Cenſor pro merito approbet, vel reprobet: Quæſtio tamen eſt, an ad intellectum pertineat, vel voluntatem, de qua agit Doctor noſter 2. d. 39. q. 1. & 2. Nec defuerunt ex antiquioribus, qui dixerunt ad voluntatem pertinere, quia Conſcientia in Sacra Scriptura interdum dicitur bona, & interdum mala; bonitas autem, & malitia àd voluntatem pertinent, non ad intellectum ergo &c.

4 Communis tamen ſententia docet cum Scoto loc. citat. ad intellectum Conſcientiam pertinere, ſicut, & Syndereſim, & eſſe aliquid illi inhærens; Quod probat Doctor ex modo loquendi Sacræ Scripturæ, nam Eccleſiaſt. 7. habetur: *Scit enim conſcientia tua*. Hoc idem deducitur ex ipſa nominis ethymologia, dicitur enim conſcientia quaſi cum alio ſcientia nempè cum opere, ſeu ſcientia applicata ad opus; aut quaſi concludens ſcientia, importat enim judicium practicæ concluſionis, quo intellectus judicat hìc, & nunc quid ſit agendum, vel non agendum. Denique hoc idem ſuadet ratio, quia Conſcientia aliquando dicitur vera aliquando falſa, interdum erronea, vel dubia, vel probabilis, quæ voluntati convenire non poſſunt, ſed tantùm intellectui, in quo ſolùm veritas, ſcientia, error, & opinio reperiri poſſunt, non in voluntate. Nec obſtat, quod etiam vocetur recta, bona, vel mala, quæ ad voluntatem pertinent, hæc enim omnia attributa Conſcientiæ conveniunt denominativè, & objectivè, cùm enim dictat bonum, & rectum dicitur bona, & recta ex parte objecti materialis,

rialis, & cùm dictat malum dicitur mala; qua etiam ratione è contra intellectus dicitur bonus Psalm. 110. *intellectus bonus omnibus facientibus eum:* similiter consilium, quamvis sit actus intellectus practici vocatur bonum 1. Machab. 4. *Incidit illis consilium bonum*, quia nimirum sunt de objecto bono. Dices; si Conscientia esset notitia, & scientia, qui majorem, & perfectiorem scientiam de agendis haberet, etiam majorem, & meliorem Conscientiam haberet, & plus sciens de agibilibus esset plus conscientiatus, quod quidem falsum esse ipsa experientia docet. Resp. cum Caspensi tractat. 11. disput. 1. sect. 1. quod si argumentum procedat de notitia, & scientia purè speculativa, concedendum est, sed nihil probat, quia Conscientia ad intellectum practicum pertinet, & non ad speculativum; undè viri in rebus moralibus docti qui recta conscientia carent, quamvis speculativè cognoscant quid agendum, vel fugiendum sit, & melius etiam quàm rectam Conscientiam habentes, adhuc tamen errant practicè in particulari eligibili, & sic abundant in scientia speculativa, & carent conscientia; ità hæc duo argumenta pro parte oppositа dissoluit Doctor d. 39. cit. licet non ità claré, & Bassolius ibidem.

5 Secundò, quamvis, Theologi communiter, ut dicebam, concedant conscientiam esse aliquid ad intellectum pertinens, & illi inhærens, non autem ad voluntatem, adhuc tamen disputant, an sit aliquis habitus intellectus, vel potius actus ipsius, & quidem D. Thomas 1. par. quæst. 79. ar. 3. adeò existimavit Conscientiam importare actum intellectus, ut ibi per hoc distinguat conscientiam à Synderesi, quod Synderesis est habitus circa agibilia similis habitui, qui dicitur intellectus circa speculabilia; Conscientia verò est actuale judicium intellectus, quo judicat hìc, & nunc quid sit agendum, vel non agendum, & sic communiter Thomistæ loquuntur, & alii recentiores Caspensis loc. cit. Lezana tract. 2. de actibus humanis disput. 12. quæst. 1. Oviedo tractat. de conscientia controvers. 1. punct. 1. qui pro hoc dicendi modo alios adducunt. Nihilominus, ut notat Aversa p. 2. q. 18. sect. 15. sæpè sæpius non servato hoc nominum rigore, conscientia sumitur pro potentia ipsa intellectiva, vel per se, vel cum habitu, prout de agibilibus judicante, & sic vocatur judicium conscientiæ, & dicitur conscientia judicare. Et planè aliquando potest poni in aliquo habitus conscientialis aggeneratus ex pluribus actibus consimilibus, & inclinans ad tales actus consimiles, etenim ut benè discurrit Bassolius noster d. 39. cit. q. unic. artic. 2. quando aliquis frequenter habet actum conscientialem circa aliquod objectum, derelinquitur in ipso, ut ipsa experientia patet, quidam habitus de difficili mobilis, itaut à multis vix possint deponi conscientiæ, quas sibi formaverunt; Confirmatur, quia aliquis qui exercet, & frequentat similes actus faciliter, & promptè, & delectabiliter operatur secundùm conscientiam, & inclinatur ad tales non cum difficultate, sicut prius; hoc autem est signum aggenerati habitus ex 2. Ethicorum. Denique quia si conscientia non diceret nisi actum super potentiam, tunc omnes cessantes ab actu haberent æqualem conscientiam respectu cujuscumque objecti, & tantùm unus haberet de conscientia, quantum alius quod est falsum, potest ergo, & debet admitti talis habitus conscientialis ultrà actum; ità ad verbum discurrit Bassol. loc. cit. de mente Doctoris. Hoc etiam confirmari potest ex eo, quod plures Theologi docent, & ex nostris Bargius, & Vigerius 1. d. 17. quæst. 2. §. *quantum ad illud*, opus non esse bonitatem, vel malitiam actus humani, quod dictamen conscientiæ sit semper actuale, sed interdum sufficere virtuale, imò & habituale, ut ait Medina p. 2. q. 19. art. 3. alioquin si Maritus proposuit semel, vel ter, aut quater cognoscere uxorem suam, quia honestum est; si eam deindè cognoscit non judicando actu, an sit honestum, nec ne, dicendum esset illum non rectè operari. Quæri tandem solet, an hic conscientiæ habitus ex pluribus actibus generatus, sit unus, vel plures; Cui dubio etiam respondet Bassol. loc. cit. quod plurificatur per plurificationem conclusionum particularium alterius, & alterius rationis ad Conscientiam objectivè pertinentium, sicut & prudentia ipsa, cum qua fortè conscientia recta coincidit, ut innuit Doctor. 1. d. 17. q. 2. §. *quantum* ad istud; sic etiam recentiores passim discurrunt cum D. Tho. de veritat. qu. 17. art. 1. ad 4. dicentes nullum dari habitum specialem conscientiæ, sed pro diversitate materiarum ad diversos spectare, sicut neque prudentia est specialis quidam habitus, sed plures includit, ità Suarez, Vasquez, Salas, Granados, Oviedo, Caspensis, Arriaga, Lezana Pasqualigus, Montesinos, & alii passim.

6 Tertiò, itaque hìc capitur conscientia pro dictamine intellectus non tantùm actuali, sed etiam habituali, quo cognoscitur hìc, & nunc operationem faciendam esse bonam, aut malam moraliter, & vocatur à Bernardo de Considerat. cap. 8. Cordis scientia, & à Lamascено 4. de fide cap. 23. Lex intellectus, cujus actus enumerat Scotus d. 39. citat. quæst. 2. qui sunt testificari, accusare, judicare, reprehendere, redarguere, remordere, &c. prout latè habetur, ex D. Augustino in Psalm. 37. judicat enim tùm de actionibus futuris dictando, scilicet, ea, quæ agenda sunt, tanquam bona, aut quæ omittenda sunt, tanquam mala; tùm de actionibus præteritis eas, vel accusando, tanquam malè factas, vel commendando, tanquam rectè factas, juxtà illud Apostoli Roman. 1. *Testimonium reddente illis conscientia eorum, & inter se invicem cogitationibus accusantibus, aut etiam defendentibus*, quare D. Basilius homil. in Proverb. ait intra cordis arcana tribunal quoddam esse constitutum, in quo quælibet agenda, velut in lance, & trutina librantur, & suspenduntur. Undè Conscientia in duplici præsertim actu intellectus consistit, quorum unus præcedit opus faciendum, vel omittendum alter verò opus jam factum subsequitur, vel omissum; nam sicut intellectus proponit ea, quæ facienda sunt, antequam fiant, ità postquam facta sunt, judicat an rectè, aut malè facta sunt; prior actus est practicus, & consistit in judicio, quo intellectus judicat opus aliquod esse faciendum, quia honestum, vel præceptum est; aut non faciendum, quia turpe, vel prohibitum, & ad hunc actum pertinet obligare, & stimulare, seù instigare, obligare quidem ad opus bonum, quod est in præcepto, stimulare verò, & instigare ad opus bonum, quod tantùm est sub consilio; posterior verò actus est speculativus, & consistit in judicio, quo intellectus judicat benè, aut malè factum esse, cùm factum est, & ad hunc actum pertinet testificari, accusare, redarguere, laudare, & defendere; nam si opus benè patratum est, dicitur laudare, & defendere, sin malè, accusare, & reprehendere; Ex quo patet judicium primi generis esse merè practicum, quia versatur circà praxim, non sistendo in merà contemplatione veritatis operis, sed proponendo opus, & modum, quo fieri debet, judicium verò secundi generis est speculativum, quia sistit in contemplatione veritatis operis, an fuerit benè, vel malè factum.

7 Quartò ex dictis deducitur, quid sit conscientia, & quomodo distinguatur à Synderesi, quia ut inquit Scotus 2. d. 39. citat. Synderesis judicat de principiis moralibus universalibus, verbi gratia bonum est amplectendum, malum est vitandum, conscientia verò de conclusionibus deductis ex illis principiis; sicut enim intellectus practicus legem extrinsecam nobis dupliciter proponere potest, vel in universali, vel in particulari, ita quoque proxima, & intrinseca regula actionum nostrarum duplex est, una primaria, quæ dicitur Synderesis, alia secundaria, & ab ea dependens, quæ dicitur conscientia; Quando intellectus ex sola terminorum apprehensione format quædam prima principia practica, & quasdam regulas universales per se notas circà dirigendas actionem actuum humanorum, ut verbi gratia, malum, & peccatum omne devitandum est, hæc est primaria regula nostrarum actionum; quando verò conscientia hinc eam infert conclusionem in particulari, ergo hoc furtum, quod est malum, & peccatum, deuitandum est; hoc particulare dictamen est secundaria regula proxima, & intrinseca, & dicitur secundaria, quatenus à priori dependet; Jam patet verò per utramque harum regularum nobis proponi, & dictari legem extrinsecam, per primam quidem in universali, per secundam verò in particulari, prima itaque dicitur Synderesis, secunda conscientia, & quidem rationabiliter, quia illa est primaria, & infallibilis regula, à qua secundaria dependet, quæ dicitur judicium practicum circa particularia, hinc, Sanctus Basilius loco supra citato, inquit, in nobis esse judicium quoddam naturale, quo ab iniquis facilè bona discernimus.

8 Quintò tandem per hoc etiam conscientia differt à scientia, vel opinione morali, à scientia enim differt, seù Philosophia Morali, quia hæc etiam est judicativa de conclusionibus universalibus evidentibus, seù evidenter deductis ex principiis universalibus, verbi gratia de hac conclusione, furtum, ut sic, est vitandum; & pariter opinio moralis judicat de conclusionibus universalibus deductis ex principiis universalibus tantùm probabilibus, non autem evidentibus; At Conscientia judicat de hujusmodi Conclusionibus, non in universali, sed in particulari, verbi gratia de hoc furto vitando hìc, & nunc, in hoc occasione, & cùm his circumstantiis, ac proindè Conscientia dicitur applicatio scientiæ ad opus hìc, & nunc faciendum.

Undè conscientia ità formatur, omne peccatum est detestandum, & vitandum, sed omne perjurium est peccatum, quia à Deo prohibitum, ut virtuti veritatis, & Religionis con-

contrarium, ergo periurium hoc, de quo nunc cogito, & deliberato, est fugiendum, & detestandum; majorem, & minorem, tanquam propositiones universales facit Sinderesis; conclusionem verò particulam, indè Conscientia deducit, ac proindè Conscientia dicitur quasi concludens scientia; sic etiam de Conscientia discurrit Faber noster tract. de Pœnitentia, disp. 6. cap. 2. de mente Doctoris loc. cit. & Vulpes tom. 2. p. 2. disp. 71. art. 1.

ARTICULUS SECUNDUS.

Quotuplex sit Conscientia, & quæ ejus obligatio.

9 QUoad primam articuli partem Conscientia non eodem modo ab omnibus dividitur, nam Medina, Vasquez, Tannerus, Sanchez, & alii Conscientiam in quatuor tantùm membra dividunt; alii verò communius, & melius dividunt in quinque in conscientiam, scilicet, rectam, seù certam, erroneam, seù falsam, Dubiam, Probabilem, seù opinativam, & scrupulosam, ità Caspensis, Aversa, Bonacina, Lezana, Bardi, Merolla, Sayrus, Filliucius, Oviedo, Saccus, & Poncius ex nostris, & aliis magis communiter, qui nec etiam eodem modo eas describunt, & declarant.

Primò Conscientia recta non eodem modo ab omnibus explicatur, quidam enim dicunt esse illam, quæ est conformis appetitui recto volentes Conscientiæ rectitudinem esse attendendam penes habitudinem ad appetitum rectum, quod deducunt ex Aristot. 6. Ethic. cap. 6. ubi docet rationem tunc esse rectam, quando conformis est appetitui recto, seù rectæ voluntati, & ità etiam loqui videtur Divus Thomas part. 2. quæst. 18. artic. 3. Sed melius, & magis communiter alii declarant conscientiam veram, & rectam esse, quæ judicat objectum esse honestum, aut turpe præceptum, aut prohibitum, sicut re vera est absque ulla formidine de oppositò, seù quod idem est, quæ conformantur cum regulis moris, scilicet, lege æterna, naturali, &c. prout contingit, verbi gratia, cùm dictat honorandos esse hìc, & nunc parentes, non mentiendum, &c. Melius inquam, declaratur rectitudo, & certitudo conscientiæ per talem conformitatem ad regulas moris, quàm per conformitatem ad appetitum, seù voluntatem rectam, & ratio est, quia appetitus rectus non potest non pendere à recta ratione; ergo rectitudo rationis essentialiter antecedit operationem voluntatis, atque ideò si à priori, & quidditativè conscientiæ rectitudinem volumus explicare; ex alio termino, & non ex appetito recto ejus rectitudo sumenda erit. Dicendum ergo est ex his, quæ judicium rationis præcedunt, nimirum ratione objecti, præceptorum, & circumstantiarum, quæ tale judicium antecedunt, provenire ut objectum sit, aut non sit naturæ rationali conforme, interdum quidem ex sola rei natura, ut v. g. in mendacio, aliquando verò ex aliquo præcepto positivo, ut in actu comedendi carnes in die Veneris, aut alio tempore prohibito; & hoc etiam modo Conscientiæ rectitudinem declarat Scotus loco citato. Quando autem Aristot. loc. cit. rationis rectitudinem declarat per conformitatem ad appetitum rectum, eam declarat à posteriori, & tanquam per effectum, causa enim cognoscitur esse bona ex bono effectu; undè utrumque verificari potest in diverso loquendi genere, quod nimirum voluntas tunc recta est, quando conformis est rationi rectæ, tanquam regulæ, & vicissim ratio practica tunc recta est, quando conformis est rectæ voluntati, tanquam effectui, nam hæc posterior locutio est per effectum, prior verò per causam.

10 Secundò Conscientia erronea communiter definitur esse illa, quæ aliquid aliter dictat, quàm sit, ut si dictet bonum esse, quod malum est, aut malum esse, quod bonum est, propterea dicitur dictamen falsum rationis, quia contingit cùm errore intellectus, ut si dictaret hìc, & nunc esse mentiendum, aut non jejunandum, quando currit præceptum. Verùm ut advertunt Merolla tom. 1. disputat. cap. 1. dub. 2. & Saccus lib. 1. tractat. 4. cap. 2. qui nobiscum dividunt conscientiam in quinque membra jam assignata, non loquuntur consequenter, siquidem ut conscientia dicatur erronea, ut contra alia quatuor distinguitur, non sufficit, ut dictet esse bonum, quod est malum, vel è contra, sed ulterius requiritur, ut id concludat per syllogismum, falsum, vel sophysticum; etenim conscientia etiam probabilis, seù opinativa aliquando dictat aliquid esse honestum, seù licitum, quod à parte rei est malum, & illicitum, & tamen quia id colligit per discursum, seù syllogismum Topicum, ex præmissis nimirum probabilibus, ideò non dicitur erronea, sed probabilis; sicut in speculabilibus non eo ipso quod intellectus aliquid esse verum judicat, quod à parte rei est falsum, dicitur errare, nam si id ex motivis probabilibus deducit, dicitur habere opinionem, & non proprie errorem, aliàs omnis opinio probabilis, quæ objecto à parte rei conformis non est, ut est à parte rei, diceretur erronea, quod nemo asserit, nec asseri debet, quare potiùs conscientia erronea sic erit describenda, quod sit illa, quæ per falsum, aut sophysticum syllogismum falsam sententiam, concludit, ut ait Merolla loc. cit. vel quæ dictat aliquid esse faciendum, vel non faciendum, quod re vera non est tale, absque motivo probabili, ut ait Poncius noster disp. 24. quæst. 1.

11 Tertiò conscientia dubia dicitur, quæ neutri parti determinatum præstat assensum, sed inter utramque fluctuat, nec habet rationem sufficientem pro una; uel altera parte; seù ut alii dicunt, est illa, quæ non importat determinationem intellectus ad aliquam partem, sed suspensionem potiùs, & carentiam judicii circà aliquam rem, vel operationem, an sit licita, vel illicita, eo quod nullum habet fundamentum ad existimandum unum, vel aliud; in hoc enim præsertim conscientia dubia à probabili differt, quod hæc, est judicium, quamvis non cùm certitudine, neque sine aliqua formidine, at conscientia dubia non dicit intellectus determinationem in unam, vel alteram partem.

Dices, conscientia ex articul. præcedent. importat notitiam, & judicium intellectus, & consequenter verum, & positivum actum intellectualem; ergo si conscientia dubia nullum importat judicium, & actum intellectus, sed potiùs carentiam, & suspensionem judicii, verè, & proprie conscientia non erit.

Respondeo, cùm Caspensi tract. 11. disp. 1. sect. 2. in fine, adhuc conscientiam vocari posse, quia esto formaliter, & expresè nullum includat actum, seù judicium; illud tamen virtualiter, ac veluti moraliter includit, quatenus qui de re aliqua dubius est, censetur utramque contradictionis partem judicare incertam, qua ratione Doctores in materia de fide communiter statuunt, qui dubitat de rebus fidei, hæreticum, & infidelem censeri debere, quia eò ipso censetur judicare illas esse incertas.

12 Quartò conscientia probabilis, quæ etiam opinativa dicitur est illa, quæ assentitur, & adhæret uni parti, sed cum timore, & formidine partis oppositæ, undè licet non relinquat intellectum certum de una parte, ut facit conscientia vera, & recta; non tamen relinquit intellectum suspensum, sicut conscientia dubia, sed facit illam determinare ex probabili, licet incerto fundamento, ad aliquam partem, scilicet, de bonitate, vel malitia alicujus objecti, cùm formidine tamen partis oppositæ, ut si existimem me ad jejunium non teneri, quando præceptum adest propter aliquam infirmitatem, vel magnum laborem, Medici attestationem, &c. Ubi advertendum est opinionem probabilem esse, quæ probabilibus innititur rationibus, quæ sufficienter, & probabiliter objecta dissolvit pro parte oppositа, quæ sufficienti fulcitur Doctorum, ac peritorum auctoritate, & in universum dixit Aristot. 1. Topic. caput 1. *Probabilia sunt, quæ videntur omnibus, aut pluribus, vel sapientibus omnibus, aut pluribus*, ut latè declaratum est libro secundo Disputat. quinta de Actibus humanis quæstione secunda, de conscientia probabili articulo primo. Opinionem autem probabilium una potest esse probabilior, alia minus probabilis, opinio probabilior est illa; quæ meliora habet fundamenta, probabilis verò, seù minus probabilis est illa, quæ licet meliora non habeat fundamenta, illius tamen fundamenta non sunt sufficienti probabilitate destituta, & Doctorum auctoritate.

13 Quintò Conscientia scrupulosa est, quando inani, & frivola ratione suspicatur, aut formidat illic malum, & peccatum esse, ubi re vera non est; undè Conscientia scrupulosa importat quamdam levem suspicionem de malitia actionis, quæ in se mala non est, aut certè non potest hìc, & nunc prudenter mala judicari ob rationes, quæ intellectui occurrunt; scrupulus enim est suspicio quædam levis ex levibus orta fundamentis, & rationibus, qua quis putat esse peccatum, quod reipsa non est. Ità conscientiam scrupulosam communiter declarant Doctores superius citati. Addunt aliqui aliud membrum conscientiæ, scilicet. Conscientiam *temerariam*, sed hanc Doctores illi ad scrupulosam reducunt; sicut enim scrupulosa ex nimio quodam timore, & propter leves rationes malum existimat, quod re vera tale non est, ità conscientia temeraria ex nimio affectu, & ob leves rationes honestum judicat, quod re vera tale non est. Ratio autem hujus quinariæ divisionis Conscientiæ sic assignari potest cum Merolla, & Sacco loc. cit. quia Conscientia ut supra dictum est, nihil

nihil aliud est, nisi judicium intellectus practici dictans quid sit à nobis hìc, & nunc faciendum, vel non faciendum ex primis principiis practicis deductum per modum conclusionis, sivè mediatè, sivè immediatè; quia verò intellectus ità judicando aliquando est certus, & tunc dicitur Conscientia recta, seù certa, ut alii loquuntur, aliquando errat, & dicitur Conscientia erronea; quandoque probabiliter opinatur, & dicitur Conscientia probabilis; seù opinans; quandoque dubitat, & neutri parti determinatum præbet assensum, & dicitur dubia, & tandem aliquando scrupulis agitatur, & dicitur scrupulosa.

14 Sextò itaque de singulis agendum est in sequentibus, & videndum qua ratione quivis obligetur quocunque in casu Conscientiæ dictamen sequi; & quidem loquendo de judicio, & dictamine Conscientiæ rectæ conveniunt Doctores ità hominem obligare, ut delinquat, & peccet, nisi illud in operando sequatur, quando nimirum aliquid præscribit, ut faciendum, vel fugiendum sub præcepto, & non tantùm sub consilio, & ratio deducitur ex dictis artic. præc. quia Conscientia maximè recta, & vera est regula proxima nostrarum actionum applicans alias regulas, & leges æternam, naturalem &c. per illud siquidem judicium voluntati innotescit, & quasi intimatur bonitas moralis, vel pravitas objecti, circunstantiarum, & finis; ergo voluntas à regula sua deviat, ac proindè peccat nisi conscientiam rectè præcipientem sequatur, quam si non sequitur, recta non erit, quia suæ regulæ conformis non erit; ità præsertim Bassol. noster p. 2. d. 39. q. un. a. 4. & Nicolaus de Nisse tract. 2. p. 2. q. 11.

Dices, voluntas aliquando est recta, & tamen non est conformis rectæ rationi, sed conscientiæ erroneæ, ut infrà patebit; ergo non semper necessaria est hæc conformitas, ut voluntas sit recta. Respondeo ex doctrina jam tradita disp. cit. de Actibus humanis quæst. 2. de conscientia probabili num. 91. & 95. quod ad regulandam, & rectificandam conscientiam non semper est necessaria veritas judicii speculativa, sed quandoque sufficit practica, undè duplex est recta ratio speculativa, & practica, tunc ratio speculativè recta dicitur, quando conformis est rei, quam enunciat; tunc practicè, quando prudenter voluntatem dirigit, ea nimirum proponendo voluntati, quæ adhibita morali diligentia judicat esse honesta, & legi consentanea, etiamsi fortè erret ex invincibili ignorantia, ut fusè declaratum est loc. citat. Ut ergo voluntas recta censeatur in genere moris, non semper opus est, quod rectè rationi speculativæ sit conformis, sed sufficit esse conformem rectæ rationi practicè, idest, sufficit, ut amplectatur id quod ratio practica judicat prudenter honestum esse, & legi consentaneum, licet fortè non sit; & ità respondet etiam Beccanus tractat. 2. capit. 4. quæst. 5. Dices rursus, quando ratio practica judicat honestum esse quod à parte rei tale non est, non potest dici recta, sed erronea, seù errans. Respondeo cùm eodem ibidem posse simul dici rectam, & erroneam diverso respectu; recta dici potest quia rectè facit officium suum, quantum in se est, proponendo voluntati ea, quæ prudenter judicat esse proponenda; & ex alio capite erronea dici potest, quia quod judicat honestum esse, re vera tale non est, atque ità respectu voluntatis dicitur recta, quia prudenter eam dirigit quantum satis est, ut ipsa non peccet, & hæc est rectitudo practica; at respectu objecti dicitur erronea, quia errat circa objectum putans esse honestum, cùm à parte rei tale non sit; hoc tamen non obstat, quia ad regulandam, & rectificandam conscientiam in genere moris non semper est necessaria veritas judicii speculativa, sed sufficit practica, ut dictum est.

15 Septimò addunt Doctores communiter obligationem sequendi conscientiam rectam esse talem, ac tantam, quod nec Deus ipse dispensare possit, ut agat quis contrà conscientiam. Ratio est, quia Deus non potest velle aliquid contrarium legi naturali, & æternæ, ut ait Scotus 3. distinct. 37. & ferè omnes concedunt; si autem dispensaret in obligatione sequendi conscientiam rectam, dispensaret etiam in lege naturali, & æterna, eò quod ipsa conscientia sit illius participatio, & intimatio. Confirmatur, quia dato etiam, quod Deus dispensare possit in lege naturali de potentia absoluta, id non aliter facere posset, nisi tollendo præceptum pro illa vice, qua dispensaret, non autem ipso extante, at præceptum eatenus vim habet obligandi, quatenus notum est, & per conscientiam voluntati proponitur; ergò Deus dispensare non potest, ut judicans quis extare præceptum, contrà illud faciat. Denique ut arguit Aversa quæst. 18. cit. sect. 15. vel Deus notificaret homini hanc dispensationem, vel non, si non, ergo operantem contra præceptum non excusaret; si sic jam ille ex tali notitia sibi licitum judicaret ex Dei dispensatione sic agere, atque ita contrà conscientiam non operaretur, sed juxtà illam, & ad summum diceretur agere contrà judicium illud, quod alioqui habuisset, nisi dispensationem novisset. Verè igitur dispensari non potest ut agat quis contrà conscientiam etiam in sententia eorum, qui volunt Deum dispensare posse in præceptis naturalibus tam primæ quàm secundæ tabulæ; ità docent Vasquez, Salas, Martinez, Lezana, Cornexo, Montesinos, Pasqualigus, Oviedo, Aversa loc. cit. & alii communiter contrà Almainum, Andream de Castronovo, & quosdam alios veteres, quos sequitur Faber noster disp. 6. cit. cap. 2. in fine. Vulpes tamen disp. 71. cit. art. ult. nobiscum tenet.

16 Postremò hìc quæri solet, quod & quale peccatum sit discordare à conscientia recta, seù vera, & an agens contrà conscientiam peccet speciali peccato contrà speciale præceptum. Quidam cum Angesto cap. 7. moral. part. 1. dub. 3. & Adrian. in 4. tr. de Confess. q. 4. dixerunt eum qui agit contrà conscientiam veram peccare duplici culpa, una, quia facit contrà legem, & altera, quia facit contrà conscientiam, ac proindè debere in confessione explicare, quando peccavit contrà verùm conscientiæ judicium. Ratio est, quia peccans contrà conscientiam rectam, peccat contrà duas regulas, scilicet, contra ipsam conscientiam, & contra legem, vel leges illi per conscientiam intimatas.

Communis tamen Theologorum sententia tenet etiam, in tali casu duplex peccatum non committi, & agere contrà conscientiam non esse speciale peccatum, sed distinctum in specie iuxtà speciem moralitatis, quæ proponitur in objecto, aut veniale, aut mortale pro distinctione, & quantitate materiarum; hoc enim judicium est conditio universalis proponens, & quasi applicans unamquamque moralitatis speciem, undè si agas contra conscientiam dictantem teneri ex charitate succurrere proximo, peccas contra charitatem; si agas contra conscientiam dictantem teneri solvere debitum ex justitia, peccas contrà justitiam, si agas contrà conscientiam dictantem hodie teneri ad Missam audiendam ex Religione, peccas contrà Religionem in Missæ omissione, & sic in quibuscumque aliis materiis; ità Vasquez, Salas, Valentia, Bardi, Corduba, Aversa, Lezana, Granados, Palao, & alii passim. Ratio est, quia qui agit contra conscientiam peccat, quia facit id, quod judicat malum esse; ergo ea malitia illi imputatur, quam agnoscit in objecto, & non alia, quia conscientia non affert novam obligationem præter obligationem præcepti, aut virtutis, quam proponit; ergo sicut per diversos conscientiæ actus diversæ malitiæ cognoscuntur, ità diversæ malitiæ contrahentur juxtà speciem moralitatis, quæ proponitur in objecto, & honestatis virtutis, quæ offenditur, & cui opponitur actio illa contra conscientiam facta; & planè passim homines delinquunt, & sciunt ea, quæ faciunt esse peccata, & agere contra conscientiam oppositum dictantem, nec propterea censentur in singulis actibus duo peccata committere; neque in Confessione id explicare solent.

17 Neque urget ratio in oppositum adducta, quia ut notat Lezana disput. 12. cit. quæst. 3. duæ illæ regulæ ità se habent inter se ut una sit alteri subordinata & intimatio, ac applicatio ipsius, & sunt de una, & eadem honestate virtutis, ex oppositione ad quam attenditur distinctio specifica peccatorum, non autem ex diversitate præceptorum; constat enim quod futurum quamvis sit contra legem naturalem, & contra divinam, ac etiam humanam, non propterea est triplex peccatum, sed unum. Addendum tamen censeo cùm eodem Auctore ibidem, quod si quis discordet à conscientia recta dictante v. g. non furandum, honorandos esse parentes &c. & ità discordet, quod directè, & expressè intendat illi resistere aut legi per eam propositæ; in tali casu præter peccatum illi legi oppositum, ulterius etiam peccat peccato speciali inobedientiæ, seù contra obedientiam, per quam præcipimur obedire legibus, & conscientiæ eas proponenti, ac intimanti, unde in tali casu etiam in confessione hoc speciale peccatum contra obedientiam exprimi debet; Quod si non intendat directè resistere conscientiæ, aut legi per eam intimatæ, sed solùm sequatur aliquod bonum delectabile, aut utile, tunc non peccabit peccato speciali inobedientiæ, sed solùm peccato illi legi opposito, quæ per conscientiam proponitur, & intimatur, qualis in exemplis adductis est lex justitiæ de non furando, & lex pietatis de parentibus honorandis, quia, ut dicebamus, conscientia novam obligationem non affert præter obligationem præcepti, aut virtutis, quam proponit; ideoque absolutè loquendo agere contra conscientiam non est speciale peccatum contra speciale præceptum,

vel

vel virtutem, sed contra generalem quandam rationem præcipit, quæ ad talem rationem peccati determinatur ex tali, vel tali materia præcepta, quæ per conscientiam proponitur.

QUÆSTIO SECUNDA.

Quænam sit obligatio Conscientiæ erroneæ, seu falsæ, & quid de scrupulosa Conscientia sentiendum sit.

28 QUænam sit obligatio conscientiæ rectæ patet ex dictis quæst. præced. ubi probatum est ut voluntas sit recta, debere concordare cum recta ratione, seù conscientia recta, tanquam cum regula actus humanos proximè dirigente, nobisque objecti honestatem ostendente. Quoniam verò sæpè contigit, ut humana ratio in proponendis objectis veritatem non attingat, cùm interdum judicet bonum, quod reipsa malum est, & interdum judicet malum, quod reipsa tale non est, videndum est in hac quæstione, an in tali casu voluntas ductum rationis errantis sequi teneatur; Et non est quæstio pro casu quo Conscientia erronea aliquid proponat, tanquam bonum ex consilio, tunc enim certum est non teneri hominem ipsi conformari, quia consilium nullam obligationem inducit, sed pro casu, quo proponat aliquid ut obligatorium, & ex præcepto. Hic autem supponendum est ex alibi dictis duplicem esse ignorantiam, ex qua error conscientiæ provenire potest; alia enim est ignorantia invincibilis, alia vincibilis; prima est, quæ nulla morali diligentia vinci, aut superari potuit, vel quia numquam venit in mentem dubitare, quod ignoratur, vel licet in mentem venerit, adhibita tamen sufficienti inquisitione, & diligentia illa ignorantia expelli non potuit, nec proindè debuit, cùm nemo ad impossibile teneatur. E contra verò ignorantia vincibilis dicitur illa, quæ adhibita morali aliqua diligentia vinci, ac superari potuit, ac proindè debuit. Quia ergo Conscientia erronea, de qua in hac quæstione est sermo, ex hoc duplici capite provenire potest, nempè ex ignorantia invincibili, & inculpabili, vel ex vincibili, & culpabili, ita in primo casu appelletur conscientia erronea invincibilis, in secundò autem vincibilis, & de utraque hic agendum est.

ARTICULUS PRIMUS.

Explicatur obligatio Conscientiæ invincibiliter errantis.

19 COmmunis sententia Doctorum est, Conscientiam errantem ex ignorantia invincibili obligare voluntatem, ut eam positivè sequantur, itaut peccet, nisi dictamen illius in operando sequantur; ita D. Thomas quæst. 18. art. 5. Scotus noster 2. sent. in Report. d. 39. §. *Ad 3. quæstionem*, ubi fundamentalem sternit præmissam distinctionem de duplici Conscientia, scilicet, vincibili, quam pravæ dispositionis appellat, quia culpabilis est; & invincibili, quam vocat simplicis negationis, eo quia inculpabilis est, & inquit secus dicendum esse de conscientia erronea ex ignorantia dispositionis, & ex ignorantia negationis; hæc enim obligat tam negativè, ne contra illam operemur, quam positivè, ut eam sequamur, non sic ignorantia pravæ dispositionis, seù vincibilis, ut constabit art. seq. & ità loquuntur etiam Scotistæ ibidem Bassolius, Tataretus, Faber disp. 6. cit. cap. 2. Vulpes disp. 71. cit. artic. 5. & omnes Recentiores passim censentes hanc assertionem esse de fide, quod deducunt ex illo ad Romanos 14. in fine *omne quod non est ex fide, peccatum est*, hoc est, ut plures Patres exponunt, & refertur cap. *litteris* de rest. spoliat. & cap. ult. de Præscript. omne quod fit contra Conscientiam peccatum est, in quibus textibus, & decisionibus Innoc. III. generaliter est sermo de conscientia recta, ac erronea. Idem docere voluit Apost. ad Galat. 5. dùm ait: *Testificor omni homini circuncidenti se, quia debitor est universæ legis faciendæ*, scilicet, ex conscientia erronea, qua putaret quis se adhuc debere cærimonias legis veteris observare.

20 Ratione etiam probatur, quia licet prima regula humanarum actionum sit lex naturalis, aut positiva, proxima tamen regula necessariò debet esse ratio, per quam leges illæ cognoscuntur, & proponuntur; ergo non potest esse voluntas conformis, aut difformis legi, nisi per cognitionem ejus, & ideò ejusdem malitiæ est operari contra legem cognitam, ac operari contra legem veram, quia objectum tribuit actui speciem, prout hic, & nunc ab intellectu proponitur. Confirmatur, quia ideò voluntas tenetur conformari Conscientiæ rectæ ut dictum est præced. quæst. quia ea est practicè vera, & actus prudentiæ; sed pariter Conscientia invincibiliter erronea est practicè vera, & actus prudentiæ hac enim de causa error conscientiæ ex ignorantia invincibili est involuntarius, & inculpabilis, undè supposita ignorantia invincibili, quam habuit Jacob de Lya, quod esset sua uxor, dictamen conscientiæ, quod habuit de accedendo ad ipsam, fuit verum practicè, & actus prudentiæ; ergo conscientia erronea invincibilis non minùs obligat, quam conscientia absolutè vera, atque ideò si hæc obligat positivè, ut eam sequamur, sic pariter conscientia erronea invincibilis obligabit, quia talis conscientia se habet in existimatione operantis prudenti, & inculpabili, veluti absolutè vera, & dicitur Conscientia recta secundùm quid, seu in ordine ad nos. Ex quo infertur actum illum, quo quis huc conscientiæ se conformat, ejusdem esse bonitatis & virtutis, cujus esset, si talis conscientia esset vera, quia objectum, ut dicebamus, tribuit actui speciem, prout hic, & nunc ab intellectu proponitur, & actus idem habet objectum formale, scilicet, eandem honestatem, & convenientiam ad regulas morum, & solùm interest discrimen, quod per conscientiam veram objectum proponitur, ut est in re; per conscientiam verò invincibiliter erroneam proponitur, ut existimatur invincibiliter esse, quod speciem actus non variat in esse moris.

21 Ex qua doctrina deducitur solutio illius dubii, an obligatio operandi secundùm Conscientiam sit legis naturalis, an verò legis positivæ; Siquidem cùm conscientia vim ligandi non habeat ratione sui, sed ratione legis dumtaxat, quam applicat, & lex pari ratione obliget, quando æqualiter cognoscitur, sivè sit à parte rei, sivè non; ideò obligatio conscientiæ obligationi legis proportionari debet, quæ per Conscientiam proponitur, & applicatur; atque ità quando judicium conscientiæ aliquid proponit, ut debitum ex lege naturali, obligatio naturalis erit, & quando illud proponit, ut debitum de lege positiva, obligatio erit legis positivæ, & peccatum proportionatum erit cum illis, quæ in simili materia essent contra legem naturalem, vel positivam reipsa latam. Habet autem conscientia etiam erronea vim obligandi ex duplici lege Dei; primò ex illa lege, qua voluntas tenetur sequi intellectus dictamen, tamquam ducem, & proximam suam regulam; unde sivè intellectus erret in judicando, sivè non erret, voluntas illius judicio stare debet; Deindè ex illa lege generali, qua voluntas tenetur amplecti bonum, & fugere malum, & juxtà modum, quo à potentia cognoscente sibi præscribitur, cum ipsa sit potentia cæca; non fugeret autem malum, si à judicio intellectus discederet, quia tunc esset sine duce, ac proindè periculo erroris se exponeret, quod ex suo genere malum est.

22 Sed obiicies nemo potest obligari ad malum; ergo si conscientia judicat aliquid esse bonum, vel præceptum, quod re vera malum est, & prohibitum, ut si proponat esse mentiendum ad salvandam vitam, non potest nos obligare ad id faciendum. Confirmatur, quia discordare à conscientia dictante mendacium non est discordare à lege Dei, sed potiùs est concordare illi, aliàs una esset alteri contraria, & cùm mendacium sit intrinsecè malum, sicut Deus non potest ad id obligare, multò minus poterit conscientia. Tandem nulla potestas inferior contrà legem superioris obligare potest; sed lex Dei, est ut non faciamus malum; ergo conscientia nostra, quæ est inferior Deo, non potest obligare ad oppositum illius, quod lex Dei præcipit.

23 Respondetur, neminem obligari ad malum sub ratione mali, posse tamen obligari ad malum, quod proponitur sub ratione boni, & invincibiliter judicatur esse bonum, undè conscientia erronea invincibilis nullatenus ad peccatum obligat, id enim quod fit ex ejus dictamine, non est peccatum, sed potiùs bonum, ut patet in exemplo superius adducto Jacob accedentis ad Lyam, quam ex conscientia erronea invincibili uxorem suam esse putabat, talis enim actus fuit bonus, & non fuit malus, nisi solum materialiter; Quando igitur conscientia erronea est invincibilis, & dictat aliquid esse faciendum, quod reipsa malum est, dicitur obligare ad malum, & peccatum materialiter dumtaxat, non verò ad peccatum formaliter cùm non cognoscat illud esse malum, & ignorantia invincibilis excuset à peccato; Quando autem conscientia erronea est vincibilis, utique non obligat, ut quis eam positivè sequatur, quando proponit malum ut faciendum, constat enim malum esse fugiendum, & conscientiam vincibiliter erroneam à peccato non excusare, sed obligat ad eam deponendam, cùm sit in nostra potestate eam deponere, ut dicemus art. seq. undè actus malus à conscientia erronea vincibili dictatus ideò

ideò peccatum est, quia talis conscientia deponi potest, & debet; conscientia verò invincibiliter erronea non ità facilè deponi potest, nec eam deponere tenemur, ideoque actus, ab eo dictatus non est malus formaliter, sed est actus, vel veré bonus, ut volunt aliqui, vel saltem in existimatione operantis, ut dicunt alii.

24 Ad Confirmationem, verum est discordare à conscientia dictante mendacium non esse discordare à lege Dei per se, & formaliter loquendo, potest tamen ità esse per accidens, materialiter, quia quod tunc obligat est ipsa lex naturalis, & divina, quæ conscientiam esse sequendam præcipit, contrà quam legem facit, qui conscientiam non sequitur; & sic in eo casu sequens conscientiam mendacium dictantem non discordat à lege Dei, quod non est, unam legem contradicere alteri formaliter, & per se, sed solùm materialiter, & per accidens ratione ignorantiæ, in quo nullum est inconveniens, ut benè discurrit Caspensis disput. 2. sect. 1. undè quamvis mendacium sit intrinsecè malum, potest adhuc voluntas obligari ad mentiendum, non per se, sed per accidens, ratione nimirum conscientiæ erroneæ invincibiliter existimantis id esse præceptum; Deus autem cùm habere nequeat, sicut creatus intellectus, judicium erroneum, ideò obligare non potest ad mentiendum, sicut conscientia obligare potest, quia hujusmodi obligatio per accidens oritur ex errore, & ignorantia. Ad ultimum verum etiam est, nullam potestatem inferiorem contrà legem superioris obligare posse, quando proponit aliquid, quod scitur esse contrà præceptum superioris, obligare tamen, quando id quod proponit, invincibiliter creditur esse præceptum superioris, ut accidit in casu nostro de conscientia erronea; undè recedens ab ea peccaret; sicut peccaret subditus contemnendo legem superioris etiam falsò illi intimatam; sicut ergò inferior potest prædicto modo obligare subditum contra legem superioris ignoratam; sic conscientia erronea voluntatem obligare potest ad mentiendum hìc, & nunc, suppositâ divinæ legis ignorantia, in quo casu inferior non obligat contrà superiorem, quia quod tunc obligat, ut dicebamus, est lex ipsa naturalis, & divina, quæ præcipit Conscientiam esse sequendam.

25 Dices, si quis habeat conscientiam erroneam, qua putet peccatum esse Deum diligere, Deum diligendo non peccaret, implicat namque Deum diligere, & eadem dilectione Deum offendere, ergo falsum est operari contra conscientiam erroneam esse peccatum. Sic etiam, si quis ex conscientia erronea putet se teneri ad odio Deum habendum, sequitur non peccaturum, si odio habeat, quod omninò absurdum videtur. Respondent communiter Doctores, & præsertim Amicus disp. 15. sect. 2. posse quidem contrà quamcumque virtutem peccari faciendo contrà illud, quod conscientia erronea, tanquam bonum, & honestum falsò dictat: impossibile tamen esse ex conscientia erronea peccari posse contrà virtutem charitatis, eo quod ipsius munus est diligere Deum propter ipsum Deum; at hoc ipso quod aliquis putat peccatum esse diligere Deum, vel se teneri ad odio Deum habendum, non potest illum, ex affectu charitatis diligere, & diligere Deum verè amore amicitiæ, & facere contrà ejus voluntatem sunt omninò repugnantia, quam doctrinam amplectitur etiam ex nostris Faber disp. 6. cit. cap. 2. num. 33. Et planè, ut ait Arriaga disp. 21. sect. 4. in hac materia talis ignorantia repugnare videtur, quomodo enim aliquis mentis compos sibi persuadere poterit, facere se alicui gratiam, & servitium meum odio habendo, & optando ei omnia mala, & ipsius carentiam? certè id videtur planè in terminis repugnare, atque ideò omninò implicat aliquem actum charitatis ex conscientia erronea intrinsecè depravari eo modo, quo argumentum contendit.

26 Hic autem duplex occurrit Difficultas. Prima est, an dictamen conscientiæ invincibiliter errantis magis obliget, quàm præceptum superioris, & cui potius standum sit, cùm in contrarium inclinant; Aliqui dixerunt magis obligare præceptum Principis, & Superioris, quàm conscientiam erroneam, & ità indicavit D. Bonavent. 3. d. 39. art. 1. q. 3. ad ult. ubi ait, quod plus standum est præcepto Prælati, quàm conscientiæ, maximè quando Prælatus præcipit id, quod potest & debet. Idem tenet Vulpes noster disp. 71. cit. art. 7. tanquam de mente etiam Scoti v. in report. d. 39. cit. ad 3. quæstionem, ubi inquit docere, conscientiam erroneam ex errore imputabili minus obligare, quàm præceptum Superioris, & semper magis peccare, qui talem Conscientiam sequitur, quàm qui sequitur præceptum Superioris contrà judicium propriæ Conscientiæ, cùm nullus per suam culpam absolvatur à lege Superioris.

Mihi tamen cùm Fabro loc. cit. huic difficultati cùm distinctione respondendum videtur, & cum Caspensi disput. 2. sect. 5. Vasquez part. 2. disput. 61. capit. 1. & aliis; aut enim conscientia est vincibilis, & potest deponi, aut omninò invincibilis, quæ adhuc posito Superioris præcepto deponi non potest: verbi gratia, quando aliquis Superior præcipit id, quod Subditus scit fuisse vetitum ab alio Superiori majori, quem ipse erroneè putat non revocasse præceptum, cùm tamen Superior minor non præcipiat asserens tale præceptum fuisse revocatum, vel nunquam tale quid fuisse prohibitum à Principe Superiori; Quando ergo judicium conscientiæ prudenter deponi non potest, ut est de lege, in qua Superior præcipiens dispensare non potest, nec ignorantiam illam in subdito auferre, in hoc casu judicium conscientiæ habet majorem vim obligandi, quàm præceptum talis Superioris; & ratio est, quia sicut Conscientia tantùm obligat ratione legis quam proponit, & applicat, non autem ratione sui, ut suprà dictum est, ità obligat pro ratione talis legis; ergo quando applicat legem fortiorem, qualis est lex superioris majoris, si ex ignorantia invincibili procedit, ac proindè deponi non potest, fortior est in obligando, quàm præceptum superioris, qui minorem vim habet obligandi, quàm lex per conscientiam erroneam applicata, hæc enim proponit, & judicat præceptum illud, contrà quod præcepit Superior, esse præceptum Superioris majoris cui magis obedire tenetur, quàm Superiori inferiori. Opinio autem D. Bonaventuræ, & Scoti intelligi debet, quando ignorantia, ex qua provenit Conscientia erronea subditi, est vincibilis, & à Superiori præcipiente auferri potest docendo subditum illud, quod habet pro peccato non esse peccatum, & in quibus potest dispensare juxtà regulam illam generalem: *Tutum est sequi sententiam Præpositi sui in judicio illius propriam conscientiam deponere;* & in hoc sensu apertè loquitur Scotus loco citato, dùm inquit conscientiam erroneam subditi minus obligare, quàm præceptum Superioris quando provenit ex errore imputabili, cùm nullus per suam culpam absolvatur à lege Superioris; Undè si ignorantia subditi perseverat, & invincibiliter, non autem culpabiliter, dicendum est in tali casu Conscientiam erroneam magis obligare, & præcepto Superioris præferri debere, quod etiam tenet Bonacina disp. 2. q. 4. punct. 6.

27 Alia Difficultas est, an quando Conscientia invincibiliter errans utramque partem contradictionis existimat esse peccatum, peccet voluntas alterutram partem amplectens: ut v.g. si quis in die festo assistens moribundo existimat esse peccatum mortale, tam omittere audire sacrum, quàm deserere curam moribundi. Et quidem conveniunt omnes, si talis in ea perplexitate constitutus unum ex illis duobus peccatis gravius altero esse credat, tenetur non eligere gravius, quod si eligat, peccatum committet, homo enim tenetur vitare id, quod credit esse malum, & vitare potest; cùm ergo homo ille credat in altero peccato ex illis esse excessum malitiæ, & possit vitare, si illud eligat, meritò ipsi culpæ imputatur, & pœnæ; Difficultas ergo est, quando arbitratur in utroque peccato parem esse malitiam. Quidam dicunt hominem illum in proposito casu peccatum committere, si alteram eligit partem. Ratio est, quia actio illa peccatum est, quæ libera est, & ut talis fertur in objectum judicatum malum; sed actio illius hominis in proposito casu esset libera, & ut talis ferretur in objectum judicatum malum; ergo verè esset peccatum. Minor, in qua est difficultas, probatur, nam homo ille licet nequeat fugere utriusque partis malitiam, potest tamen fugere quamlibet determinatè; ergo quando unam partem cum determinata malitia propositam eligit, libera actione amplectitur objectum judicatum malum, atque ideo ista electio, & actio peccatum est: ità Medina, Granados, Pasqualigus, & alii.

26 Probabilius tamen est, hominem illum non peccaturum quamcumque partem eligat in tali ignorantia constitutus. Ratio est quia ad peccandum non sufficit quæcumque indifferentia, sed indifferentia moralis requiritur, quod scilicet, sit indifferens nedum physicè ad ponendum, vel non ponendum actum, sed etiam moraliter ad peccandum, vel non peccandum, quod non evenit in casu proposito, dùm in utraque parte peccatum committitur. Confirmatur, nam sola cogitatio, qua quis existimat se peccaturum aliquid operando non sufficit ad peccandum, nisi actio illa liberè fiat: v.g. ille qui in carcere detinetur, quamvis se peccare existimet non audiendo sacrum, non propterea peccat, quia liberè illud audire non potest; sed in casu proposito utrumque præceptum adimpleri non potest, scilicet, assistere moribundo ex charitate, & sacrum audire ex Religione, ergo actio illa non est libera, nec consequenter peccaminosa; Undè agere contra conscientiam erroneam non est peccatum, nisi homo ille sit

liber

liber ad agendum, vel non agendum, quod per eam dictatur; non verò quando est necessaria, ut est in casu proposito, in quo utrumque simul executioni mandari non potest quod dictat agendum. Ex quo patet rationem pro opinione oppositа adductam non valere, quia licet homo ille respectu cujuslibet præcepti illorum signati in particulari sit liber, non tamen respectu amborum simul, ac proindè illa libertas potiùs est physica, quàm moralis in ordine ad culpam; ad peccandum autem non sufficit indifferentia physica, ut dicebamus, sed etiam moralis requiritur; Verum tamen est, quod si in una parte majorem malitiam apprehenderet, quam in alia, minorem eligere tenetur, alioquin peccaret, ut dictum est, quia ad illum majorem excessum evitandum ne dum physicam haberet libertatem, sed etiam moralem. Ita Sanchez, Rodericus, Becanus, Bonacina, Saccus, Caspensis, Morandus, Palao, Ovied. & alii quamplures.

ARTICULUS SECUNDUS.

Explicatur obligatio Conscientiæ vincibiliter errantis.

29 COmmunis etiam sententia Doctorum est, si error conscientiæ ex ignorantia vincibili procedat, tunc voluntatem neque ad operandum, neque ad non operandum obligari, sed ad illum errorem deponendum. Ità Sanctus Thomas quæst. 18. artic. 6. D. Bonavent. 2. distin. 36. artic. 1. quæst. 3. Scotus ibidem in Report. ad 3. quæst. Et quidem non obligare, ut eam positivè sequamur, probat Doctor ibidem, quia nullus per peccatum potest se absolvere à lege divina obligante ad contrarium, sed habens talem conscientiam erroneam legem sibi astruit legi divinæ contrariam, à cujus obligatione per eam simpliciter non absolvitur, cùm error talis conscientiæ non excuset, quia vincibilis, & imputabilis est; ergo nullus obligatur ad sequendam conscientiam vincibiliter erroneam, quia actus iuxtà talem conscientiam elicitus in re peccaminosus est cùm talis ignorantia non excuset, quia vincibilis, & voluntaria est. Quod verò neque obliget ad faciendum contrarium probatur, quia si conscientiam non deponat, agit contrà illam, quæ qualiscumque sit semper est proxima voluntati regula, contrà quam agere nullatenus licitum est, undè Apostolus inquit: *Testificor omni homini circumcidenti se; quia debitor est universæ legis faciendæ;* inquantum, scilicet judicat ex conscientia vincibiliter erronea Mosaicæ legis observantiam esse necessarium; ergo quilibet proximè, immediatè, & directè tenetur ad talem conscientiam deponendam, quia operando, vel non operando secundum eam utrobique peccaret, ad quod nullus obligari potest, sed tantùm ad talem conscientiam deponendam cùm, ut supponimus, id possit, vel applicando intellectum ad id attentiùs considerandum, in quo se falli suspicatur, vel pii alicujus, & prudentis viri consilium exquirendo, propriumque judicium illi humiliter submittendo. Confirmatur ex Bassolio d. 39. cit. quæst. unic. artic. 4. ad illud directè obligatur habens conscientiam vincibiliter erroneam, quo omisso ipse incurrit necessitatem peccandi, & est perplexus; sed habens conscientiam vincibiliter erroneam, nisi illam deponat, in aliquo tempore, vel instanti talem incurrit necessitatem peccandi, quia si facit secundum conscientiam, peccat, si non facit, etiam peccat, ut probatum est; si enim juxtà talem conscientiam operatur, transgreditur divinam legem, nec illius mali ignorantia excusat, quia vincibilis, & proindè voluntaria est; si facit contrarium, agit contrà conscientiam sibi visam sequendam contemnens bonum, vel justum existimatum; ergo immediatè, & directè hæc Conscientia ad ejus depositionem obligat voluntatem. In hoc itaque omnes conveniunt, ut dicebam; solum ergo est quæstio inter Theologos, posito quod quis non deponat talem conscientiam, & posito quod perseveret, ad quid teneatur.

30 Aliqui dixerunt Conscientiam vincibiliter erroneam in tali casu non obligare positivè, ut faciamus secundum ipsam, sed solùm negativè, scilicet, ut non faciamus contrà illam; Undè dicunt hoc versari discrimen inter Conscientiam invincibiliter errantem, & vincibiliter, quod illa obligat nos dupliciter nimirum ad non faciendum aliquid contrà ipsam, & rursus ad sequendum dictamen, & judicium ejus; ista verò obligat uno tantum modò, scilicet, ad non faciendum aliquid contrà eam, non tamen obligat ad sequendum eam positivè; ità Vasquez, Palao, Corduba, Caspensis, Faber, & Monsregalis ex nostris, & plures alii. Verùm hic dicendi modus, quamvis satis communis satisfacere non videtur, quia ut inquit Lezana disp. 12. cit. qu. 4. idem re vera est non facere contrà conscientiam, ac facere secundùm illam, in communi enim omnium existimatione idem est non facere contrà aliquod præceptum, v. g. audiendi Missam, ac facere secundùm illud, quia non facere contrà aliquod præceptum est abstinere à transgressione illius, & abstinere à transgressione illius est adimplere illud, quod est facere secundùm illud.

31 Alii proindè dicunt, hominem teneri se conformare conscientiæ erroneæ vincibili, & peccare non se conformando ipsi, dùm actu perseverat; ità Medina, Suarez, Martinez, Salas, Caspensis, Morandus, Lorca, Meratius, Serra, Granados, Cornexo, Montesinos, Malderus, & plures alii; Quod probant eadem ratione, qua id probatum est de Conscientia invincibiliter errante, cùm enim voluntas ex se sit potentia cæca, & teneatur sequi bonum honestum, tenetur etiam sequi illud bonum, quod solùm pro honesto sibi proponitur à suo ductore, scilicet, intellectu; sivè ergo conscientia erronea sit invincibilis, sivè vincibilis tenetur voluntas ipsi conformari, aliàs appetet bonum non honestum, quod est peccare. Sed neque hic dicendi modus mihi satisfacere videtur, quia stante hac doctrina obligaremur ad malum, & peccatum non tantùm materialiter tale, ut evenit quando Conscientia invincibiliter errat, sed etiam formaliter, quia Conscientia vincibilis non excusat, qua de causa dicebamus art. præced. nu. 23. quod quando Conscientia erronea est vincibilis, & proponit malum, ut faciendum sub ratione honesti, non obligat ut eam positivè sequamur, quia tunc obligaremur ad malum, non tantùm ut materialiter tale, sed etiam formaliter, quia conscientia vincibilis à peccato non excusat, sed obligat ad eam deponendam, cùm sit in potestate nostra eam deponere adhibita morali diligentia, undè malum, quod fit ex tali conscientia erronea dictante illud esse faciendum, est indirectè voluntarium, ideoque imputatur ad culpam.

32 Alii tandem ad hanc doctrinam tuendam dicunt, quod qui erroneè judicat aliquid esse bonum, aut non malum, quod re vera à parte rei malum est, ex ignorantia vincibili per culpam antecedentem, non peccat se conformando errori, imò benè facit, licet peccaverit antecedenter, quando omisit instructionem, aut veram notitiam acquirere; ità Poncius ex nostris disp. 24. quæst. 2. licet fateatur esse contra communiorem sententiam, quæ tenet facientem, quod malum est, ex ignorantia vincibili sivè crassa, sivè affectata, non excusari; Hoc autem probat, quia probabilissimum est occisionem commissam in ebrietate non esse novum peccatum distinctum à peccato commisso, quando voluit quis se inebriare; sed de hoc eadem ratio est, ac de præsenti conclusione. Confirmatur, quia si peccaret in tali casu sequendo conscientiam vincibiliter errantem, posset aliquis sæpissimè esse in statu perplexo, in quo, scilicet, necessariò peccaret, sed hoc non est dicendum, cùm non videatur congruere bonitati, & misericordiæ infinitæ Dei, ergo &c.

33 Cæterum omninò falsum est, actum de se malum evadere bonum, si fiat ex ignorantia vincibili, ut latè docuit D. Bernardus lib. de præcepto, & dispensat. & clarius epist. 77. quia opus malum non efficitur bonum, eo quia creditur esse bonum per conscientiam erroneam vincibilem, quia ignorantia invincibilis à peccato non excusat, cùm annexum habeat voluntarium sufficiens ad peccatum, dùm enim quis potest, ac debet scire aliquid esse malum, & nolens, ac negligens scire id facit, verè peccat, & opus malum est ei voluntarium in causa, quod satis est ad reatum culpæ, & hac ratione ignorantia vincibilis dicitur non excusare; Nec ratio à Poncio adducta oppositum convincit quamvis enim occisio in ebritate commissa non sit novum peccatum distinctum à peccato commisso quando quis inebriari voluit, non ob id sequitur esse actum bonum, & benè facere qui in ebrietate occidit; Undè solùm sequitur, qui erroneè judicat aliquid esse bonum, quod tale non est, & facit illud post jam neglectam instructionem, non peccare duobus peccatis, sed uno tantum non volendi conscientiam illam deponere, ut tenetur; quia verò in non depositione erroris non est alia malitia, quam quod sit causa amplectendi objectum malum per eam conscientiam propositum, ideò tunc peccabit ille ea specie peccati, in qua ei representatur malum illud objectum, ut benè discurrit Arriaga disp. 21. sect. 4. num. 22. undè si putet v. g. se teneri ex charitate ad mentiendum pro salvanda proximi vita, peccabit contrà charitatem non mentiendo, & sic discurrendum est de actibus contrà alias virtutes. Ad confirmationem respondeo hominem in eo statu constitutum solùm ex hypotesi, & ex suppositione necessariò peccare, quia si conscientia erronea perseveret, non potest effugere peccatum alterutram partem eligendo; simpliciter tamen, & absolutè loquendo non necessariò peccat, quia potest, ac debet conscientiam erroneam deponere, cum sit error vincibilis, & culpabilis; undè in tali casu inter illa

ter illa duo extrema mentiri, & non mentiri ad tuendam proximi vitam datur medium, nempè vincere, & deponere errorem, quia potest, ac debet id præstare, dum supponitur error esse vincibilis, & cùm sit libera ejus potestate, tenetur talem errorem deponere, & formare contrarium judicium, scilicet, quod nunquam sit licitum mendacium, & ita non manebit perplexus: quod si non faciat, manebit perplexus ob negligentiam deponendi talem errorem, ac proindè quod sit in tali labyrintho, ut quicquid faciat, vel non faciat peccet, sibi soli imputari debet.

34 Itaque concludendum, est quod etiam in casu posito, quod talis conscientia erronea perseveret, homo in tali statu constitutus nec sequi talem conscientiam debet, nec contra eam facere, sed potest, ac debet eam deponere cùm sit error vincibilis, & culpabilis, & tunc operari. Quod si dicas posse esse in tali occasione, ut non possit talem conscientiam deponere, ut v. g. si aliquis non adsit, à quò possit consilium petere, & veritatem addiscere. Respondeo in his, & similibus casibus illam conscientiam ex tali occasione reddi invincibilem, siquidem qui illam habet non potest hic, & nunc eam superare, & deponere, ut notat Faber loc. cit. & tenet Ouviendus tract. 5. controv. 2. punct. 1. cum pluribus aliis, ac proindè sequendo illam non peccabit iuxtà dicta superius de conscientia invincibiliter erronea, & ità non manebit perplexus.

Dices, neque peccare etiamsi conscientia non reddatur invincibilis, quia voluntas tendens in objectum bonum putatum malum est mala; ergo tendens in objectum malum putatum bonum, estò erroneè, & vincibiliter, erit bona, consequentia patet, quia voluntas non fertur in objectum secundum se, sed ut à ratione proponitur, ergo si fertur in objectum per rationem propositum, ut bonum, erit bona, estò reipsa sit malum. Confirmatur, quia contingere potest ut dum tale objectum proponitur, nulla actu pulset animum dubitatio de objecti malitia; ergo in tali casu illud sequi nullum erit peccatum. Respondeo negando consequentiam, quia bonum dicitur esse ex integra causa, malum autem ex quocunque defectu: cùm igitur ad bonitatem actus moralis non sufficiat, ut objectum proponatur sub ratione boni, & honesti, sed requiratur etiam, ut proponatur secundum regulas prudentiæ, quæ dictat objectum esse voluntati proponendum omnibus circumstantiis examinantis, ejusque honestatem cum omnibus regulis collata, estò illud proponatur, tanquam bonum, & honestum, non potest actui suam honestatem tribuere, nisi tali adhibita diligentia juxtà regulas prudentiæ. Ad confirmationem rursus negatur consequentia, sicut enim non excusatur à peccato, qui probabiliter prævidens se in ebrietate multa contra rationem facturum, ità neque omninò excusatur à culpa in casu proposito, si operans ex tali ignorantia culpa sua in hoc incidit, ut quando operatur, nulla actu pulset animum dubitatio de objecti malitia, saltem si illud probabiliter futurum prævidit; ad summum inferri potest, quod ille non peccet, dum actu operatur, conscientia tunc non reclamante, sed solum in causa, quando, scilicet probabiliter prævidit se in tali ignorantia operaturum, & ad eam tollendam debitam non adhibuit diligentiam.

35 Itaque ex dictis duplex colligitur discrimen inter conscientiam errantem ex ignorantia vincibili, & conscientiam errantem ex ignorantia invincibili. Unum est quod quando objectum malum voluntati sub ratione boni perfectè, & prudenter proponitur, quod evenit, quando ex ignorantia invincibili putatur esse bonum, tunc actus voluntatis ab eo sumit bonitatem in genere moris, qua regulæ prudentiæ sunt sufficienter adhibitæ; Quando autem objectum malum imperfectè, & imprudenter proponitur voluntati sub ratione boni, quod evenit, quando ex ignorantia vincibili, seù culpabili putatur esse bonum, tunc actus voluntatis ab illo bonitatem non sumit: Et simile experimur in intellectu, quando enim principia evidentia, & per se nota perfectè applicantur per discursum, tunc evidentem conclusionis assensum efficitur, & scientiam pariunt; quando autem imperfectè applicantur, solùm probabilem, & apparentem assensum efficiunt, & opinionem pariunt. Alterum discrimen est, quod etiam notavit Amicus disp. 15. sect. 2. in fine, quod operans ex conscientia dictante ex ignorantia vincibili aliquod esse veniale, quod reipsa est mortale, peccat mortaliter, è contrà verò operans ex conscientia dictante ex ignorantia invincibili aliquod esse peccatum veniale, quod reipsa est mortale, peccat venialiter tantùm. Ratio discriminis est quia conscientia erronea ex ignorantia invincibili solùm obligat operantem pro qualitate culpæ, quàm voluntati proponit; Conscientia verò erronea ex ignorantia vincibili illum obligat etiam pro qualitate culpæ, quæ reipsa est, eo quod ignorantia vincibilis à culpa non excusat, undè si reipsa culpa est mortalis, etiam si operans putet illam esse venialem, mortaliter peccat: Undè limitanda est regula illa generalis, quæ communiter assignari solet ad dignoscendum, quale peccatum sit agere contrà conscientiam erroneam; nimirum quod si Conscientia erronea dictat aliquid esse peccatum venialem, peccabit venialiter, si mortale, mortaliter, quia tota hujus malitiæ ratio in eo consistit, ut contrà conscientiam errantis dictantem sit opus, atque ideò talis, & tanta sit malitia, qualem, & quantam conscientia dictaverit. Hæc inquam, regula generalis limitanda est in conscientia vincibiliter errante, & de peccato veniale, nisi à parte rei esset mortale, quia tunc operans adhuc mortaliter peccaret, quia ignorantia vincibilis non excusat.

36 Hic autem triplex occurrit Difficultas. Prima est, cum supradictum sit hominem peccare sequendo Conscientiam vincibiliter erroneam, ac etiam pariter peccare non sequendo illam, quod istorum sit majus peccatum, an sequendo illam, vel faciendo contrà illam. Communis opinio dicit non posse in hoc assignari regulam generalem, sed unum, vel aliud peccatum fore graviùs juxta diversitatem rerum, & obligationis ex conscientia orientis, & ex oppositione ad majorem, vel minorem virtutem, ex quà gravitas peccatorum pensatur, ad quod declarandum omnes hoc exemplum adhibere solent v. g. si vincibiliter putet quis se teneri sub mortali ad mentiendum pro salvanda vita innocentis, magis peccat non conformando se huic conscientiæ erroneæ, quam illam sequendo, nam si non mentiatur, sit reus homicidii, & peccat contrà charitatem, & justitiam; quod si mentiatur, sit tantùm reus mendacii venialis officiosi; ex adverso autem aliquando est gravius peccatum sequi conscientiam vincibiliter errantem, quàm contra illam facere, v. g. si quis putet furandum esse, ut possit dare eleemosynam; hic enim si furetur, peccat mortaliter, si non furetur peccat tantùm venialiter præsertim si putaverit se tantùm sub peccato veniali obligari ad dandam eleemosynam. Ita Suarez, Vasquez, Corduba, Lezana, Becanus, Aversa, Caspensis, Amicus, Tannerus, Oviedo, Arriaga, Montesinos, Cornexo, & alii passim hinc unanimiter, deducentes deceptum esse Bassolium nostrum 2. dist. 39. quæst. un. art. 3. eò quod ibi absolutè dixerit, plus peccare illum, qui sequitur Conscientiam erroneam vincibilem, quàm qui operatur contra eandem, cujus ratio est quia obligatio, ex conscientia erronea est obligatio à persona inferiori, obligatio verò opposita est ab ipsomet Deo, at qui potentior est obligatio Divina, quàm humana, ergo minus obligat Conscientia erronea, quàm opposita lex contrarium imperans.

Hanc communem opinionem libenter amplector, at non censuram contra Bassolium factam, cùm enim inquit plus peccare illum, qui sequitur conscientiam erroneam vincibilem, quàm qui contra eam operatur, non absolutè loquitur de quacumque tali conscientia in materia mortali, vel veniali, sed loquitur de Conscientia erronea in determinata materia per legem Divinam præcepta, ut non falsum testimonium dices, non fornicaberis, &c. ità enim ibi discurrit. Videtur mihi dicendum, quod agens secundùm Conscientiam erroneam, vel errantem circa legem Dei, quam ignorare non debet, & cujus ignorantia non est sibi invincibilis, graviùs peccat, quàm agens contra Conscientiam talem, ratio est, inquit, quia lex superioris plus obligat, quàm lex inferioris, & per consequens transgressio legis Divinæ secundùm Conscientiam erroneam gravior est quàm transgressio legis conscientiæ errantis. Hæc ibi Bassolius, ex quibus clarè constat non absolutè loqui, nec absolutè docere majus peccatum esse sequi conscientiam erroneam vincibilem, quàm contra eam operari, ut ei à Recentioribus imponitur, sed loqui in determinata materia per legem divinam præcepta, supponit enim conscientiam erroneam accipi in determinata materia, prout est propositio legis contrariæ legi Divinæ, in quo casu satis fundatè dicit transgressionem legis divinæ secundùm conscientiam erroneam graviorem esse, quam sit transgressio Conscientiæ errantis ex ignorantia vincibili.

37 Altera Difficultas est; Utrùm necessarium sit actu adesse judicium Conscientiæ contra quod quis operatur, ut dicatur agere contra conscientiam, an satis sit illud tempore præcessisse, & virtualiter tantùm perseverare per oppositum judicium non revocatum. Vasquez disp. 60. cap. 3. Amicus disp. 15. sect. 2. Arriaga disp. 22. sect. 5. subsec. 4. & quidam alii asserunt, ut quis dicatur contra conscientiam operari, debere illam tunc, quando actu operatur, aliquo modo, vel per plenum judicium, vel saltem per aliquam dubitationem reclamare: alioqui, ut arguit Vasquez loc. cit. omnia opera infidelium essent mala, & contra judicium propriæ conscientiæ quod semel dictavit omnia opera ad falsos Deos esse referenda. Alii verò censent sufficere, si illa præcesserit, & non sit retractata, eò enim ipsò facere aliquid ipsi contrarium erit peccatum; quod satis consonat

dictis

dictis superius quæst. 1. artic. 1. num. 5. ubi dicebamus ad bonitatem, & malitiam humanarum actionum opus non esse, quod dictamen conscientiæ sit semper actuale, sed interdum sufficere, quod sit virtuale, nam si hodie v. g. habeam bonum dictamen actuale jejunandi cras, si cras non cogitando, nec novum dictamen eliciendo jejuno, adhuc ille actus erit moraliter bonus, quia est conformis dictamini actuali, quod proximè præcessit; imò diximus ibi interdum etiam solùm habituale sufficere, alioquin si maritus semel proposuit uxorem suam cognoscere, quia honestum est, si eam deindè cognoscit non judicando actu, an sit honestum, nec ne, dicendum esset illum non rectè operari; si ergo ad refugiendam bonitatem in humanos actus non est necessarium rectum dictamen conscientiæ actuale, sed sufficit virtuale, & interdum habituale, quod jam præcessit; tanto magis id asseri poterit de dictamine erroneo conscientiæ ad refundendam malitiam, & ut quis contra conscientiam operari dicatur, plus enim ad bonum requiritur, quàm ad malum, cùm bonum sit ex integra causa, malum verò ex quocumque defectu. Nec ratio in oppositum adducta aliquid urget, quia tunc Gentilis post judicium illud erroneum quod præcessit, faciendo eleemosynam, vel aliud opus morale bonum nihil agit propriè contra præcedens judicium; & quod ad summum prætendere possunt Auctores prioris sententiæ est, quod actiones illæ, quæ fierent contra judicium erroneum, quod jam præcessit, non fiunt habituræ tunc novam malitiam, & novam rationem peccati, sed purè denominandas peccaminosas extrinsecè vi prioris conscientiæ, veluti peccata in causa, quemadmodum ebrietas denominatur peccatum, etiamsi tunc homo non peccet de novo; quod totum nos quoque libenter concedimus; & hoc asserendo res hæc ad quæstionem de nomine reducitur, ut ait Arriaga loc. cit. cùm enim dicunt, ut quis contra conscientiam peccare dicatur, debere illam tunc actu existere, & reclamare, hoc requirunt, ut talis actio novam malitiam habere dicatur, & novam rationem peccati, gratis concedendo, quod tale judicium erroneum præcedens sufficeret ut talis actio virtute illius elicita diceretur peccatum in causa, quod nos intendimus.

38 Ultima tandem Difficultas est, quomodo conscientia erronea sit deponenda; certum enim esse debet deponi posse, nam si agitur de conscientia erronea vincibili, facilè potest deponi, si debitam adhibeat diligentiam, applicando intellectum ad id attentius considerandum, in quo se falli suspicatur, & discurrendo ex primis principiis per se notis agibilium ad suum errorem agnoscendum. Si verò agitur de Conscientia invincibili, hæc etiam facilè deponi potest per consilium prudentioris, vel sapientioris, ut habetur Proverb. 13. *qui agunt omnia cùm consilio, reguntur sapientia*, & Ecclesiast. 32. *Fili sine consilio nihil facias*. Quæritur ergo de modo, quo deponi potest, & quando deponi debet. Communis sententia asserit contra Cajetanum q. 19. art. 5. ex solo imperio voluntatis non posse conscientiam erroneam deponi, sed requiri aliquam rationem moventem intellectum ad oppinandum contra id, quod conscientia erronea dictabat, & hoc intelligitur si conscientia non fuit temerè, sed cùm aliquo fundamento concepta, tunc enim requiritur aliqua ratio probabilis movens intellectum ad eam deponendam, alioquin temerè deponeretur, vel etiam auctoritas probabilis, per quam mens retractet priorem assensum, & sibi contrarium persuadeat; Quod si conscientia fuit temerè, & absque fundamento concepta, tunc utique absque ulla ratione deponi potest judicando ipsam sine ratione, & fundamento fuisse conceptam, quia ut docet regula juris, res per quas causas nascitur, per easdem dissolvi potest; ita Vasquez, Medina, Navarrus, Salas, Corduba, Reginaldus, Bonacina, Merola, Saccus, Granados, Diana, & alii morales passim.

39 Quando verò talis conscientia sit deponenda optimè declarat Scotus 2. report. dist. 39. sæpè cit. ubi ut etiam advertit Vulpes disput. 71. cit. artic. 6. duplicem statuit erroneam conscientiam ex ignorantia vincibili, unam de præceptis negativis, quæ obligant ad semper, & pro semper, ut præceptum, non occides, obligat ut pro nullo tempore sit licitum occidere, alteram de affirmativis, quæ obligant ad semper, non pro semper, scilicet, ad nunquam habendum actum contrarium, & pro tempore determinato ad actum præcepti eliciendum, ut præceptum diligendi Deum super omnia obligat pro nullo tempore licitum esse odium Dei, & pro tempore determinato necessarium esse actum amoris. Qua distinctione præmissa inquit Doctor conscientiam erroneam de præcepto negativo esse statim sine mora deponendam, quia nisi tunc deponatur, ponit eò ipso hominem extra statum salutis, nam stante v. g. conscientia proponente homicidium licitum; si committatur, lex Dei violatur, si omittatur, à regula obligante secundùm rationem erroneam recedit; ergo quocumque se vertat habens talem conscientiam sit perplexus, & extra statum salutis, nisi eam statim deponat. Conscientiam verò erroneam de præcepto affirmativo ait saltem deponendam esse pro tempore inducente impletionem talis præcepti; hoc enim habet determinatum tempus impletionis, atque ideò habens conscientiam erroneam, quod illud non obliget, sivè illud impleatur antè determinatum tempus, sivè non, omissio non est culpabilis, at adveniente obligationis tempore, si tunc juxtà conscientiam erroneam omittitur, lex Dei violatur, atque ideò conscientia erronea de affirmativo præcepto non est necessariò sine mora deponenda, quia stare potest eam habens per aliquod tempus sine peccato, quocunque se vertat, & quamcumque partem eligat.

ARTICULUS TERTIUS.

Quid de Conscientia scrupulosa sentiendum sit, & quomodo sit deponenda.

40 ALiqui conscientiam scrupulosam cum dubia confundere videntur, ut Vulpes noster disput. 73. artic. ultim. cum tamen satis inter se differant, ut conitat ex dictis quæst. 1. art. 2. quia scrupulosa supponit determinatè judicium rationis ad unam partem, licet ex levibus motivis, & fundamentis, dubia verò, nec assentit determinatè uni parti contradictionis, nec ab ea dissentit, sed anceps manet, & propter rationes utrinque æqualiter moventes non inclinatur magis in unam, quàm in alteram partem; Itaque per conscientiam scrupulosam nil aliud intelligendum est, nisi judicium quoddam imperfectum ad unam partem determinatum, ex inani aliqua, & frivola ratione ortum quo quis suspicatur, vel timet ibi esse peccatum, ubi re vera non est; Ex quo patet judicium illud falsum esse, & sic conscientiam scrupulosam esse quandam veluti speciem conscientiæ errantis, ac proindè idem dicendum esse de conscientia scrupulosa, quod de erronea vincibili jam dictum est artic. præced. alias instare periculum peccandi, si quis ea non deposita secundùm ejus dictamen operetur, vel non operetur. Addunt tamen communiter Doctores licitum esse operari contra conscientiam scrupulosam suggerentem aliquid esse malum, adhuc ea conscientia interne non deposita, dùm tamen scrupulosus sequatur Confessarii dictamen, vel aliorum Doctorum docentium non obstante tali conscientia, sivè judicio licitè posse operari; licet, inquam, id facere contra conscientiam scrupulosam, & contra proprium judicium scrupulosi, quia hoc nititur solùm levibus rationibus, & minimè probabilibus, & est judicium imperfectum, ac imprudens dictamen, & veluti opinio improbabilis, quibus licitè, & laudabiliter resistitur.

41 Confirmatur, quia ut benè Lezana discurrit disp. 12. c. quæst. 7. quoties adest judicium determinatum, & prudentiale intellectus circa honestatem alicujus actionis, voluntas potest omnibus aliis post positis ipsi conformari; sed cum conscientia scrupulosa v. g. quod potus aquæ jejunium frangat, potest stare judicium determinatum prudentiale de opposito, scilicet, quod non frangat illud; ergo voluntas in tali casu contempta conscientia scrupulosa potest hoc practicum judicium prudentiale sequi. Sed Dices conscientia scrupulosa, ut modò dictum est, importat judicium intellectus, licet imperfectum, quo judicat aliquid v. g. esse malum, ergo stare non potest in intellectu aliud judicium, quo judicet illud esse bonum, si quidem duo judicia contraria in eodem intellectu simul, & semel esse non possunt.

Respondeo cum eodem Auctore, quod licet frequenter hæc conscientia aliquale judicium intellectus importet, & propterea suspicio levis dicatur, nihilominus sæpè etiam, vel non est, nisi quædam formido voluntatis, qua timetur peccatum, ubi non est, vel quædam imaginatio de eadem re, vel quia est levis suspicio intellectus & fluctuans, accito transiens, proindè in intellectum locum relinquit pro judicio determinato contrario. Quando autem est judicium intellectus, cùm non sit firmum, fixum, aut perfectum, sed leve, tenue, & imperfectum, poterit etiam stare cùm judicio determinato contrario, sicut qualitas intensa v. g. calor potest esse in eodem subjecto cùm qualitate contraria remissa, præsertim cum hæc duo judicia sint ex diversis motivis, & fundamentis.

42 Sed objicies non licere contra conscientiam scrupulosam agere, quia ex cap. Inquisit. de sent. excomm. habetur coniugem habentem scrupulum circa valorem matrimonii non posse debitum petere, nisi prius deponat conscientiam levem, id est, scrupulum, ergo operari non licet contra conscientiam scrupulosam, scrupulis nondùm depositis. Confirmatur ex communi axiomate Canonistarum, quod *in dubiis tutior pars est*

est eligenda. Et tandem ex vulgata D. Gregorii auctoritate ad Augustinum Anglorum Episcopum, quæ refertur c. 4. d. 5. *Bonarum mentium est ibi timere culpam, ubi culpa non est*.

Respondetur cum Sanchez in Opere morali lib. 1. cap. 10. Bonacina disp. 2. q. 2. punct. 8. & aliis in c. cit. sermonem esse non de scrupulo propriè dicto, sed potius de dubio, per quod tollitur assensus alteriùs partis; per scrupulum verò propriè dictum non tollitur assensus alterius partis, ut constat ex dictis. Ad Confirmationem pariter dicendum est commune illud axioma intelligendum esse dubio propriè dicto, in quo servanda sunt regulæ q. seq. assignandæ, non verò de scrupulo propriè accepto, qui importat inanem suspicionem ex levibus causis ortam, qua quis putat esse peccatum, quod re vera non est, unde non modo licitum est, verum etiam interdum necessarium contra scrupulos agere ad conscientiam sedandam. Ad ultimum ait Navarrus cum Gerson, timere culpam, ubi re vera non est, esse quidem signum animi ad bonitatem propensi, per se tamen bonum non esse, sed scientiæ, atque judicii defectum; sed potius dicendum est conscientiam scrupulosam aliquando etiam sumi pro conscientia timorata vera, & rationali, quo sensu intelligitur illud Prov. 28. *Beatus homo, qui semper est pavidus*, & illud Eccles. 5. *De propitiato peccato noli esse sine metu*, & sic etiam intelligenda est allata D. Gregorii auctoritas; aliam etiam affert solutionem Layman in præsenti ex ipso contextu elicitam, sed nostra sufficiens est.

43 Quoniam verò conscientia scrupulosa semper est valdè periculosa, ideò absolutè loquendo præstat ipsam deponere, quàm retinere, & contra ipsam agere; pro cujus depositione varia solent à Moralibus assignari remedia, inter quæ potissimum, & optimum ab omnibus censetur conscientiam disponere ad consilium docti, prudentis, & boni confessarii, & ejus sententiæ omninò acquiescere, si quidem scrupulosa conscientia, licet ex aliis capitibus procedere possit, præsertim tamen ex ignorantia ortum ducit, cùm frequenter pateat solos simplices, & idiotas nimis scrupulosos esse, ideò optimum remedium eis est testimonium Doctorum in Ecclesia ex divina institutione ad simplices erudiendos, ut ait Apostolus ad Ephesios cap. 4. *Alios dedit Pastores, & Doctores ad consumationem sanctorum in ædificationem corporis Christi*. Hoc etiam remedium assignat pro scrupulosis D. Bonavent. 2. d. 39. art. 2. quæst. 3. in fine ubi ait, quod nemo perplexus est simpliciter, eò quod debet illam conscientiam deponere, & si nescit legem Dei debet sapientiores consulere, vel per orationem se ad Deum converterè, si humanum consilium deest, alioquin si negligens est, verificatur in eo quod dicit Apostolus 1. ad Colos. 14. *qui ignorat ignorabitur*, & quia confessio non est ut laquei iniiciantur, sed ut bona fide, & sufficienti diligentia præmissa aperiantur confessariò propria crimina, & semel aperta sepeliantur; qui semel hanc adhibuit diligentiam pro scrupulis expellendis, potest probabiliter credere se huic obligationi sufficienter satisfeciisse, dum contrarium sibi non constiterit, nec Confessarius frequenter scrupulosi dubia admittere debet, nec facilè se adeuntem gratia interrogandi de similibus dubiis excipere, si anteà sufficienter fuit ab eò instructus, ut Navarrus, Monsregalis noster, & alii passim advertunt.

44 Aliam quoque regulam pro scrupulosis solent assignare Morales, quàm refert Abellius tract. de Actibus humanis sect. 5. §. 4. in fine, & est quod persona timoratæ conscientiæ, quæ citius mori eligeret, quàm data opera Deo displicere, in his casibus in quibus dignoscere non potest, an peccaverit, nec ne v. g. an consensum plenum, & deliberatum alicui tentationi præbuerit, tutò sibi persuadere potest se non consensisse deliberatè, nec ullum peccatum saltem mortale commisisse; cùm fieri non possit, quin consensum illum plenè advertisset, si deliberatè tentationi illi consensisset. Secus verò dicendum de iis, qui in varia peccata mortalia crebrò incurrunt; illis siquidem tutius est in scrupulis rigidiorum partem amplecti, seque peccati reos agnoscere, & confiteri, quam periculosè adulari, cùm tales ut plurimum ob peccandi assuetudinem peccatorum stimulum vix percipiant. Quarè optimum est documentum, quod præbet Aversa q. 18. sect. 22. in fine pœnitentibus, & Confessariis, quod pœnitentes, qui se scrupulosos credunt, attendere debent, ne prætextu scrupulos evitandi, nimiam sibi licentiam usurpent, & interdum pro scrupulis vera, rectaque Conscientiæ dictamina contemnant, magnas trabes festucas reputent, & quasi publices Camelos deglutiant; Attendere etiam debent Confessarii, ne eodem prætextu inducti, plusquam par est pœnitentibus indulgeant, neve illis, quorum scrupulos expediebat pro rigore fovere, indiscreta studeant pietate favere.

QUÆSTIO TERTIA.

An voluntas licitè operari possit ex Conscientia dubia.

45 COnscientia dubia, ut constat ex dictis quæst. 1. artic. 2. dicitur illa, quæ nec uni parti contradictionis determinatè assentit, nec alteri, sed anceps manet inter utramque, & quæ propter rationes utrinque æqualiter moventes non inclinatur magis in unam, quàm in alteram partem; undè dubium accipitur in præsenti pro eo, quod contingit, quando intellectus, inter duas partes oppositas hæret suspensus, neutri præbens assensum, ne probabiliter quidem, alioquin non esset status dubii de quo modò agimus, sed esset status opinionis, de quo quæst. sequent. & hoc est dubium propriè dictum, quod ait Scotus 3. dist. 39. contingere quando intellectus suspendit judicium neutri parti assentiendo, sivè talis suspensio contingat per meram carentiam omnis actus, quod dici solet dubium negativum, sivè per actum positivum hæsitationis, & perplexitatis inter duas partes, & rursus sivè id procedat ex defectu rationis probabilis hinc indè, sivè ex æquali, vel quasi æquali rationum ponderè hinc indè militantium, inter quas intellectus sufficienter discernere nequit.

ARTICULUS PRIMUS.

Resolvitur Quæstio.

46 PRimò. Pro quæstionis resolutione Doctores advertunt Conscientiam dupliciter dici posse dubiam, vel practicè, vel speculativè; dicitur dubia speculativè, quando quis extrà exercitium dubitat de re secundùm se considerata, an hoc, vel illud sit licitum, nec ne: tunc autem dicitur dubia practicè, quando est de re prout hìc, & nunc cùm omnibus suis circumstantiis, & in ordine ad operationem, seu quando in ipso exercitio operationis est, ita dispositus, ut non judicet se benè agere, sed dubius sit; quod ita declaratur: Potest quis dubitare, an hodiè sit præceptum jejunandi, vel an res, quàm possidet sit sua, & hoc est habere conscientiam speculativè dubiam; Et potest dubitare, an teneatur talem rem restituere, vel hodie jejunare propter aliquas circumstantias, quæ id impedire, & excusare possunt, & hoc est habere conscientiam practicè dubiam. Deindè conscientia dubia, seù dubium duplex esse potest, dubium scilicet juris, & dubium facti; dubium juris contingit, quando dubitatur, an lex aliqua sit lata, ex qua pendet, quod aliqua operatio humana licitè, vel illicitè exerceri possit, ut si dubitetur, an sit præceptum hodie audiendi Missam, vel jejunandi; Dubium facti est cùm quis dubitat, an opus aliquod factum sit, ut si dubites, an jejunium transgressus fueris, an hominem occideris, ex quo facto pendere solet honestas alterius actionis distinctæ, ut ex dubio validitatis matrimonii pendet honestas, vel inhonestas concubitus.

37 Secundò, hoc prænotato Doctores communiter dicunt illicitum esse operari ex Conscientia practicè dubitante, & ita præsertim affirmat Scotus quæst. 2. Prologi in fine, ubi ait peccare operantem sine judicio conscientiæ firmo, seu determinato, quo judicet non esse malum, vel peccatum hoc, quod agere intendit imò dubitat esse peccatum, & probat quia qui operatur cum dubio practico manifestè se exponit periculo errandi, ergò imprudenter operatur, & per consequens peccat, quia recta operatio nascitur ex prudentia, & *qui amat periculum peribit in illo*, Eccles. cap. 3. atque ideò exponens se periculo peccandi cum tali dubio, operando peccat, & perit in illo, Et quidem peccat, inquit Doctor, pro qualitate dubii, & in ea specie peccati, de qua dubitat, v. g., si dubitet, an peccet mortaliter, peccat mortaliter, etiamsi fortè actus non esset talis ex genere suo; item si dubitet, an furetur, malitiam furti contrahit; & ratio est, quia ea specie peccati peccat, cujus periculo se exponit operando cum dubio practico.

Confirmatur ex illo Apostoli Roman. 14. *quod non est ex fide peccatum est*, ubi notanter dixit, *omne quod non est ex fide*, non autem *omne quod est contra fidem peccatum est*, ut includeret non solùm opus factum contrà conscientiam, sed etiam opus non procedens ex certo testimonio, & fide conscientiæ esse peccatum; cùm ergo qui operatur ex conscientia practicè dubia tali dictamine careat, quia dubitat, an sit licitum operari, consequenter peccare dicendus est. Itaque hic maximè regula illa amplectenda est, quod in dubiis tutior pars est eligenda, hoc est, qui dubitat num aliquid sit peccatum, tenetur abstinere ab operatione, dum ex alia parte certum est ei, ac tutum abstinendo ab eo opere non peccare.

48 Tertiò

48 Tertiò communiter etiam Doctores conveniunt, non esse peccatum facere aliquid, vel omittere cum dubio speculativo, dummodo practicè judicet operans hic, & nunc tale opus sibi esse licitum. Ratio est, quia regula nostrarum actionum non est notitia speculativa, quæ in sola objecti veritate cognoscenda sistit, sed practica, quæ omnium circumstantiarum qualitatem, & conditionem perpendit, sed potest ex aliqua occurrente circumstantia objectum, quod secundùm se, & speculativè consideratum apparet dubium, reddi practicè certum, ut circa illud his stantibus circumstantiis operari sit licitum; ergo si hæc cognitio est determinata de honestate actionis, licitè poterit voluntas ipsi conformari, non obstante dubio speculativo conscientiæ. Major constat ex dictis, minor variis declaratur exemplis. Primum est de eo, qui dubitat speculativè, an res, quam possidet, sit sua, qui si aliàs practicè judicet sibi licere eam retinere, eò quod in dubiis melior est conditio possidentis, licitè illam retinere potest; Alterum est de Sacerdote ægroto, qui considerata qualitate morbi, quo laborat, speculativè dubitat, an sibi liceat à Divini officii recitatione cessare, accedente verò Medici, vel Confessarii consilio, practicè fit certus id sibi licere. Tertium est de milite, qui speculativè dubitat de justitia belli, qui tamen si aliàs credat sibi licere in eo militare, eò quod id sibi præcipitur à suo Principe, & quia in dubiis standum est judicio superioris, licitè poterit militare. Ex quibus exemplis constat ex alio principio pendere dubium speculativum, & ex alio practicam certitudinem, ac proindè nihil obstare, quin cùm dubio speculativo simul consistere possit judicium practicum verum, & certum, quia judicii speculativi, & practici veritas, & certitudo ex diversis principiis, & rationibus pendet. Quarè licet judicium practicum supponat semper aliquod judicium speculativum, tamen proximè oritur ex propriis principiis practicis, quæ practica principia non semper ex mera rei veritate sumuntur in se considerata, sed sæpè ex variis circumstantiis occurrentibus, quibus omnibus prudenter pensatis judicat ratio practica, quid hic, & nunc agendum sit in tali casu, ex quo fit, ut possit esse certitudo practica cum dubitatione speculativa. Ita Amicus, Lezana, Caspensis, Oviedo, Becanus, Morandus, Abellius, Bonacina, & alii passim.

49 Quartò conveniunt etiam Doctores, ut plurimum, in hoc, quod Conscientia existente dubia de utraque contradictionis parte, & dubium peccati pro utraque parte molestet, tutior pars sic eligi debet, ut dubitans adhibeat diligentiam quam potest ad dubium prudenter deponendum, vel petendo consilium, vel ex se discurrendo, & Deum rogando, ut eum illuminet, & si adhuc pro neutra parte potest dubium deponere; eligat illam, in qua minus malum ei apparet, quia hæc censebitur tutior in tali casu juxtà regulam, quod *ex duobus malis minus est eligendum*, cap. *duo mala*, & cap. *Nervi*, distinction. 13. si necessariò operari debeat. Fundamenturn est, quoniam semel concesso, quod in dubia conscientia operari non liceat, necessariò sequitur in dubio tutiorem partem esse eligendam, quia recta ratio dictat ex duobus malis minus semper eligendum esse, quod etiam in malis pœnalibus ipsa natura dictat, dùm potius eligit brachium, quàm caput impendenti ictui objicere.

Cùm autem in tali casu ex duobus malis minus eligitur ad vitandum majus, peccatum non committitur, quia cùm dicimus ex duobus malis minus eligendum esse ad vitandum majus, nolumus affirmare, in eo casu sic operantem peccare, minus tamen, quàm si eligeret majus ad vitandum minus, sed nullo pacto peccare, quia tunc non eligit illud, ut malum, sed ut minus malum, atque adeò ut bonum; pensatis enim omnibus in tali casu nihil facere potest, quod melius sit; quarè sic operans debet sibi certum judicium formare, quo existimet licitum sibi esse in tali casu operari id, quod aliàs sibi licitum non esset; Quod si contingat, ut utrumque æquè, vel ferè æquè malum appareat, licebit eligere, quod voluerit, & si bona fide procedit, non peccabit quia numquam alicui simpliciter necessarium est peccare, sed quolibet tempore poterit rectè operari, si pro rerum eventu, & conditione faciat, quod in se est; quæ doctrina vera est etiam in eo, qui propria culpa in tales incidit angustias, modò in tali statu constitutus de præterita negligentia doleat, & quantum in se est faciat; Tum quia in tali casu supponitur facta sufficiens diligentia ad dubium deponendum, quare si adhuc perseveret in eodem statu, dubium redditur invincibile, atque ideò non peccabit quamcumque partem eligat in tali statu constitutus, ut in simili casu dicebamus q. præced. a. 1. n. 27. de Conscientia invincibiliter errante; ità Amicus, Aversa, Becanus, Morandus, & alii passim.

50 Quintò prætereà conveniunt Doctores, quod quando dicimus practicè dubitantem, an sibi liceat hic, & nunc operari, vel non operari, in eo casu tutiorem partem esse ab eo eligendam, dùm dubium illud practicum non deponitur, verus sensus illius axiomatis *in dubiis tutior pars est eligenda*, quod habetur cap. *ad audientiam*, & cap. *significasti*, & pluribus aliis, non est, quod etiam contraria pars esset tuta, & ista tutior, sed quod sit eligenda pars tuta, & secura, & hoc esse tutius: Verbi gratia quando quis practicè dubitat, an teneatur jejunare, tenetur sanè, donec dubium illud non deponat; neque sensus est, quod in omni dubio juris, & facti semper sit eligenda pars tutior, nam in pluribus materiis possumus etiam eligere minus tutam, dummodo absit periculum peccati, ut constabit ex dicendis articul. sequent. sed sensus est, quod si quis dubitet de honestate actionis hic, & nunc practicè, nisi deponatur dubium, teneatur, eligere partem tutiorem, scilicet id in quo nequeat peccare, nec peccandi periculum incurrere. Ita Sanchez, Oviedo, Palaus, Caspensis, Morandus, & plures alii. Quomodo autem deponenda sit conscientia dubia, eodem modo discurrendum est, sicut dictum est de erronea quæst. præcedent. articul. 2. num. 38. non enim potest ad libitum operantis deponi, & ex eo solo voluntatis imperio, si ex aliqua probabili conjectura concepta fuit, quia non minus periculo peccandi exponitur, qui erronea conscientia temerè deposita oppositum operatur; quàm qui operatur cùm conscientia dubia; quarè attendendum est ad qualitatem rationis, & motivi, undè tale dubium conceptum fuit; nam si ex probabili ratione, & conjectura tale dubium conceptum fuit, planè absque nova ratione opposita probabilis expelli non poterit, quia licitè, & honestè operari non possumus, nisi dubio prudenter, & cautè deposito; quod si illud ex levi causa, vel propria voluntate conceptum fuit, utique in tali casu etiam sola voluntate operantis, ac ad ejus libitum poterit deponi.

51 Sed contrà dicta objicies illicitum non esse operari ex conscientia dubia, quia non est peccatum, nisi voluntarium; sed agens aliquid ex conscientia dubia, quod sit peccatum mortale, non intendit mortaliter peccare, quia si determinatè sciret esse mortale, non ageret; ergò mortaliter non peccat.

Confirmatur, quia opus humanum ex dubia conscientia elicitum non caret rectitudine sibi debita, quia nullum præcedit conscientiæ judicium dictans opus illud esse illicitum, nec ulla præcedit recta ratio, cui conformari debeat; ergo non est peccaminosum. Demum, plus peccat operans secundùm conscientiam certam peccandi mortaliter, quàm secundùm conscientiam dubiam; sed ille peccat mortaliter; ergo iste solùm venialiter, alioquin non minus peccaret.

Respondeo, negando minorem, eo enim ipso, quod se exponit periculo peccandi mortaliter, sicut facit quando operatur ex conscientia dubia, eo ipso censetur mortaliter peccare velle saltem implicitè, qui enim amat periculum peribit in illo ex Ecclesiast. 3. Ad Confirmationem negatur assumptum cum ejus probatione; licet enim non præcedat judicium determinatè dictans opus illud esse illicitum, præcedit tamen judicium dictans periculosum esse cùm tali dubio operari, & à tali periculo præcavendum esse ex lege à Deo revelata in Scriptura loc. cit.

Ad ultimum conceditur assumptum, si plus, & minus accipiantur intrà eandem speciem peccati mortalis, non verò extrà; nam exponens se periculo peccandi mortaliter quantum est ex se intendit mortaliter peccare, licet hoc sit minus peccatum, quam si re ipsa esset consummatum.

ARTICULUS SECUNDUS.

An in dubio Juris, vel facti tutior pars semper sit eligenda.

52 THeologi recentiores hoc loco tractant de obligatione hominis in multis casibus dubiis, scilicet legis, præcepti, voti restitutionis, irregularitatis, & similibus, qui tamen casus sine confusione procedendo ad singulares pertinent Theologiæ Moralis Tractatus, utpotè qui continent speciales, & diversas difficultates ad proprios Tractatus spectantes; quarè hoc loco solùm regulas aliquas generales pro similibus casibus afferremus. In hac itaque regula generali communiter Doctores conveniunt, quod stante dubio sivè Juris, sivè facti, & non adhibita diligentia ad veritatem addiscendam, malum est eligere partem minus tutam, sed tutiorem sequi oportet; & ratio est obvia, quia dum quis dubitat, an extet certum Jus, vel adsit certa conditio facti, qua opus reddatur malum, & prohibitum, quamvis si vellet in tali dubio partem omninò tutam sequi, non teneatur ullam aliam diligentiam adhibere, aliàs tamen omninò tenetur ad minus inquirere, qualiter res se habeat; quare si tali diligentia non adhibita operatur partem minus tutam eligendo, planè peccat, etiamsi forte à parte rei illud non sit peccatum ex genere suo, nempè ratio-

ratione periculi, cui se temerè, & imprudenter exponit. Hoc suppositio.

53 Prima sententia docet extrà materiam justitiæ in quovis eventu, quoties est dubium sivè juris, sivè facti, sequendam esse partem tutiorem, si post adhibitam sufficientem diligentiam adhuc dubium perseverat: pars autem tutior dicitur illa, ut patet ex dictis, in qua aut nullum peccatum esse potest, aut si propter vitandum majus malum eligitur minus, quandò in alterutrum illorum est necessariò incidendum, ita Vasquez disp. 55. & 66. plures alios pro hac sententia citans, & consentit Lorca disp. 38. de actibus humanis. Fundamentum præcipuum est, aliter non posse has duas regulas juris rectè componi, *In dubiis tutior pars est eligenda*, & *melior est conditio possidentis*, quæ secundùm hanc sententiam rectè componuntur, ut posterior de dubiis in materia justitiæ, prima verò de omnibus aliis dubiis sivè, juris, sivè facti sit intelligenda.

Secunda sententia apud Aversam q. 18. sect. 21. est aliorum asserentium in dubio juris non teneri nos sequi tutiorem partem, benè tamen in dubio facti, verbi gratia si dubium sit, an in Jure statuta sit irregularitatis pœna pro tali delicto, non teneri illum, qui sibi conscius est talis delicti, se gerere ut irregularem, sed licitè, ac rectè posse Ecclesiastica munera exercere; Si verò dubitet quis num occiderit hominem, debere se gerere, ut irregularem; Quod totum clarè ex Sacris Canonibus deducitur specialiter, ut ad Irregularitatem spectat, nam c. *Is qui* de sentent. excomm. in 6. habetur, quod nisi irregularitas sit expressa in Jure, non censeatur incurri. Ex alia verò parte c. *ad Audientiam*, & c. *Significasti* 2. de Homicidio jubetur ab Altaris Ministerio abstinere quidam, qui dubitabat, an hominem occidisset, ea ratione quia in dubiis tutior pars est eligenda, Hinc postea eandem doctrinam cùm hac differentia inter dubium juris, & facti ad omnem aliam materiam, & casum extendendam sunt opinati.

Tertia tandem sententia communior asserit non semper esse sequendam tutiorem partem, sivè in dubio juris, sivè in dubio facti, etiam in materiis ad justitiam non pertinentibus ità Suarez, Sanchez, Merolla, Baldellus, Aversa, Bardi, Caspensis, & plures alii, quæ sententia sicut est communior, ità etiam probabilior, ac proindè amplectenda, & sequentibus assertis declaranda, & approbanda.

54 Primò itaque dicendum est, simpliciter, & absolutè loquendo non semper nos obligari in dubiis sequi id, quod est tutius, dummodò alia etiam pars sit tuta, & citra peccandi periculum. Ità Doctores pro tertia sententia adducti, & probatur, quia non minus debemus vitare periculum peccandi in materia justitiæ, quàm in materia aliarum virtutum; ergo sicut in materia justitiæ non tenemur semper tutiorem partem sequi, ut etiam prima concedit sententia, quia obstante dubio in tali materia occurrere potest ratio sufficiens, ob quam contrà dubium illud speculativum dictans esse restituendum, formemus conscientiam practicè certam non esse restituendum; ità & in materiis aliarum virtutum obstante dubio similis poterit occurrere ratio, per quam prudenter illud deponamus, & eliciamus judicium practicè certum, quo non obligemur tutiorem sequi partem; ac proindè simpliciter, & absolutè loquendo dicendum est in dubiis sivè juris, sivè facti nos non semper obligari ad sequendam partem tutiorem, sed posse etiam sequi citra peccatum partem minus tutam, quæ nempè permittunt à legibus, & à probata Auctorum sententia; dixi non semper quia in quibusdam casibus, quod tutius est sequi debemus, ut infrà dicemus.

Confirmatur exemplo, quia matrimonio innito, si aliquod dubium de impotentia conjugum oriatur, potest adhuc uterque tali dubio non obstante per tres annos simul manere, & commisceri, licet enim orto dubio tutius, & securius esset utrumque bona licentia alterius conjugis accepta Religionem ingredi; quia tamen illa commistio per triennium illis à lege permittitur ad experiendam impotentiam, quæ alio modo explorari non potest, & innitio matrimonii contractu ex legibus tutum est conferre illos veros conjuges, donec clarè oppositum patefiat, cognita, scilicet, ipsorum impotentia; ideò licitè per totum illud tempus à lege præscriptum possunt simul choabitare, & comisceri, quia uterque toto illo tempore habet jus petendi, & reddendi ad explorandam potentiam, vel impotentiam, etiam si hæc pars sit minus tuta, quàm Religionis ingressus. Illam verò regulam, quod in dubiis tutior pars sit eligenda dicunt Auctores tertiæ sententiæ non esse intelligendam, quasi sit lex universaliter præcipiens, sed tamquam magis conveniens; vel explicandam esse juxtà sensum articul. præcedent. assignatum numer. 50. quod scilicet; si quis dubitat de honestate actionis hic, & nunc practicè, nisi deponatur dubium, teneatur eligere partem tutiorem, nempè id, in quo nequeat peccare, nec peccandi periculum incurrere.

55 Secundò dicendum est, in dubiis facti, quando urget necessitas, in qua de salute animæ agitur, vel de Sacramentorum valore, tutiorem partem semper esse eligendam. Id constat ex cap. *Si quis autem* de Pœnitentia quæst. 7. & ex cap. *Juvenis* de sponsalibus, ac etiam ex cap. *ad audiendam*, & cap. *Significasti* 12. de homicidio, ubi jubetur ab Altaris ministerio abstinere quemdam, qui dubitabat, an hominem occidisset ea ratione, quia in dubiis tutior pars est eligenda; Hoc idem asserit Doctor de valore Sacramentorum 4. distinct. 3. quæst. 2. §. *Tertio de forma necessaria*, ubi licet de Sacramento Baptismi specialiter tractet, tamen universaliter loquendo de Sacramentis, inquit, in Sacramentis veritatis nihil esse falsitatis, atque ideò numquam licere Ministro Sacramentorum certam viam omittere undè subdit, quod licet regula illa, quod in dubiis tutior via est eligenda, in aliis quoque materiis, ut plurimum veritatem habeat; negari tamen nequit, quin in materia Sacramentorum specialiorem inducat obligationem, utpotè quæ nihil admittere possunt falsitatis, nec materialiter, nec formaliter, atque ideò in eorum administratione inquit dubia semper esse relinquenda, & tantùm certa amplectenda, ne Sacramentum periculo nullitatis exponatur. Undè loquens de dubio facti docet, quod in collatione Sacramentorum, quæ ad salutem sunt necessaria, quando dubium aliquod emergit, sententia tutior pro salute illius cui conferentur est amplectenda, ut v. g. si dubitatur an infans fuerit baptizatus, vel non, oportet illum iterum baptizare sub conditione, si non es baptizatus ego te baptizo, & cæt. quod etiam à simili dici debet, quando salus corporalis alicujus periclitatur, tunc enim Medicus succurrere tenetur eo medicamento, quod tutius esse judicat, aliàs graviter peccaret, si eo post habito experiendi gratia, medicamentum minus certum adhiberet. Hoc idem etiam docet ibi Doctor de dubio Juris circa licitam Sacramentorum, & præsertim Baptismi administrationem, si vè enim dubium juris contingat in forma necessaria ex parte Sacramenti à Christo instituta, sivè in forma necessaria ex parte ministri secundum Ecclesiæ institutionem, inquit Ministrum secundum rectum suæ conscientiæ dictamen, tùm ad vitandum peccatum, tùm ad evadendum periculum irritandi Sacramentum, debere semper, si possibilitatis adest, tutiorem eligere viam, ut etiam notavit Vulpes disp. 73. citat. art. 3. & 4.

56 In aliis verò dubiis, in quibus non est adeò urgens necessitas, satis probabile est nec etiam tam arctam intercedere obligationem ad tutiorem partem amplectendam, præsertim si grave aliquod incommodum indè sequatur; v. g. qui de natalibus suis dubitat, an legitimus sit, vel illegitimus non tenetur semper sequi partem rigidiorem, & tutiorem, sed adhuc mitiorem, & magis favorabilem sequi potest, dummodò probabilis sit, & tuta, ità tenent Navarrus, Sylvester, Panormitanus, Aversa, Abellius, & alii Doctores, qui etiam id deducunt ex eodem cap. cit. *Ad audientiam*, & cap. *Significasti*, ubi maximè regula illa approbatur, *in dubiis tutior pars est eligenda*, ibi enim quamvis jusserit Pontifex dubitantem de homicidio ab Altaris ministerio abstinere ob Sacramenti decentiam, & reverentiam, non tamen jussit beneficiis Ecclesiasticis expoliari, erat enim notabile detrimentum, quod noluit Pontifex ob solum dubium iniungere. Hoc etiam ratio suadet, quia lex quæ continet notabilem incommoditatem, non obligat, nisi sit sufficienter promulgata, & proposita, sed ea quæ sub dubio proponitur, non censetur sufficienter promulgata, ergo si detur casus, in quo tale incommodum immineat, quod quidem non sufficienter excusaret, ubi res esset certa, excusabit tamen, si res est dubia, nec est cogendus quis cum tanto rigore ob solum dubium certum subire detrimentum, & magnum incommodum, quia sæpè lex quamvis certa cum notabili periculo obligare non solet; ergò tantò magis non obligabit, ubi est tantùm dubium, vel juris, vel facti; undè benignè possunt interpretari leges, nec censeantur tam severe obligare, ut ob solum dubium cogant homines subire notabile damnum, ut ait Aversa q. 18. sect. 21. Cæterum quodnam, & quale sit, vel esse debeat notabile incommodum, & detrimentum quo quis ab obligatione excusetur in casu dubii juris, vel facti, prudenti judicio pro rerum, ac negotiorum diversitate exspendendum est.

57 Notanter autem dixi, si stante dubio, & facta diligentia, quæ tunc fieri potest, appareat notabile detrimentum in eo, qui tutiorem partem sequeretur, non esse hunc in tali casu obligandum; quia si è contra stante dubio juris, vel facti potest quis absque magno incommodo, & notabili detrimento sequi tutiorem partem, puto cum Aversa loc. citat. & cum communi sententia in tali casu verè ad id teneri, & in hoc sensu pluries dixi 2. sentent. disput. 5. quæst. 2. de Conscientia probabili regulam illam de sequenda tutiori via in dubiis esse generalem in omni-

omnibus materiis moralibus, quando nimirum id fieri potest absque magno incommodo, & notabili detrimento. Quod quidem pluribus, & manifestis exemplis solet declarari, nam qui dubitat, an hodie sit dies festivus, tenetur audire sacrum, & si in die festo potest quis audire hanc Missam, & dubitat, an hanc omittendo sit habiturus copiam alterius, illam audire omninò tenetur; & si dubitet, an hodie sit dies jejunii, jejunare tenetur, non enim hoc est adeò grave incommodum, ut homo firmæ valetudinis excusetur, similiter si dubitat Sacerdos, an hodie Horas canonicas recitaverit, nec dubium deponere potest, eas recitare tenebitur: Et ratio horum est quia cavendum est periculum faciendi id, quod in se materialiter spectatum sit malum, quando absque notabili incommodo, & detrimento vitari potest, sed ibi proprie est periculum, ubi dubium, ergo, &c.

58 Tertiò dicendum est, quod si dubium occurrat in materia justitiæ, & dubitandi suffragatur possessio, peculiaris ratio est, ut is licitè amplecti possit partem sibi favorabiliorem. Hæc est communis sententia, qua certa lege ità statutum est, non esse quempiam cogendum restituere, quod possidet, nisi quod constet esse aliorum, ità habetur L. 1. C. de conditionibus Incertis, & in dubio meliorem esse condictionem possidentis statutum est de regulis juris in 6. & suadet etiam ratio, ideò enim in materia justitiæ potior est condictio possidentis, ut ea possessione adjutus possit sequi partem minus tutam, præmissa debita diligentia, quia ex altera parte jus dubium est æquale inter ipsum, & non possidentem; ex altera verò jus suæ possessionis est certum, ac proindè tanquam potiori jure fretus vincit alterum; nam quamvis modò dubitet, jam tamen bona fide possederat, undè ipsamet possessio dat ei jus certum retinendi, quamdiù non constiterit rem esse alienam; sicut qui certo annorum spatio aliquid bona fide possedit, illud sibi præscribit, & præscriptio dat ei jus certum, & absolutum dominium, itaut deinceps restituere non teneatur. Sed quamvis sit communis opinio, ut dicebam, principium illud, quod habetur in regulis juris in *6. in parti causa potiorem esse conditionem possidentis*, locum habere in materia justitiæ, non omnes tamen conveniunt utrum in omni materia militet idem principium; & plures negant in materiis aliarum virtutum eam regulam verificari, & consequenter dicunt, quando dubium adest dictans nos obligari ad aliquem virtutis actum, vel ad aliquid omittendum, non posse deponi conscientiam dubiam judicando oppositum, sed esse eliciendum judicium simile, ità Sayrus, Azorius, Vasquez, Turrianus, & alii, quos refert Sanchez in summa l. 1. c. 10. hoc tamen non obstante.

59 Quartò dicendum est, prædictam regulam transcendere per omnem materiam cujuscumque virtutis, & possessionem non solùm favere in materia justitiæ, sed etiam in quavis alia materia, ita quod si adhibita morali, & sufficienti diligentia dubium vinci non possit tutius est sequi illam partem, quæ possidenti favet, nisi in aliquo peculiari casu contrarium, expressè decisum sit in jure. Ita Sanchez citat. Filliucius, Caspensis, Aversa, Bonacina, Lanfrancus, Baldellus, Caramuel, Baldius, & plures alii.

Ratio est, quia possessio est titulus communis, & universalis omnibus virtutibus, & non solùm in materia justitiæ, sed etiam in materia aliarum virtutum melior est condictio possidentis, v.g. qui non est obligatus præcepto Religionis in possessione est suæ libertatis quod illam virtutem, & sic de aliis, & ne fiat lis de nomine, etiamsi concedatur possessione in in rigore acceptam in sola justitia reperiri, certum tamen esse debet in materiis aliarum virtutum aliquid æquivalens inveniri.

Confirmatur, quia quo ad hoc eadem prorsus militat ratio in materia justitiæ, & in materia aliarum virtutum, ut notat Bardius disputat. quinta de Conscientia dubia, caput 4. sicut enim materia justitiæ, vigent dubio, resultat quædam æqualitas inter obligationem restituendi, & inter potestatem retinendi, & ideò cùm accedit possessio, & huic parti adhæret, debet pars ista prævalere, & in ejus favorem decidendum est; ità in aliis virtutibus, quando viget dubium, an sit obligatio, v.g. exercendi actum religionis, resultabit etiam quædam æqualitas inter Religionem, & libertatem, ac proindè cum pensatis omnibus voluntas sua fruatur libertate, & eam possideat, possessio prævalere debet, sicut dicitur in materia justitiæ, & per consequens libertatem possidens ab obligatione Religionis debet absolvi, nam ex parte voluntatis est jus fortius, nec certum debet vinci ab incerto; ac proindè in materia cujuscumque virtutis regula illa potest habere locum, quod melior est conditio possidentis.

60 Notanter autem dixi in conclusione, nisi contrarium in jure expressum fuerit, quia in hoc casu juri standum est, si enim lex possidenti resistat, tunc possidentis condictio non erit potior, neque pro ipso possidente judicandum erit, cum neque pro ipso extabit præsumptio, tunc enim haberetur causæ disparitas, quæ est limitatio illius regulæ, *in parti causa potior est conditio possidentis*, paritas enim ista non habetur. si jus possidenti resistat. Hinc etiam concedendum est, quod ait Vasquez disp. 65. illi regulæ, quod *in dubiis melior est conditio possidentis* derogari per aliam juris regulam quod *in dubio favendum est Reo*, undè si dubium oriatur, an quidam sit filius legitimus Francisci, etiamsi alii fratres maneant in possessione hæreditatis paternæ adhuc judicandum erit in favorem illius: & si dubium oriatur, an hic sit Antonii servus, vel sit liber, etiamsi Antonius maneat in possessione, adhuc judicandum est in favorem libertatis, quia in jis & similibus casibus multò plus æstimatur id, quod cedit in favorem Rei, quàm illud, quod cederet in favorem possidentium, quia lege ità decisum est.

Hinc colligitur rectè esse posse aliqua lege definitum, ut ubi dubium emerserit, tutior pars eligatur, vel ut spreto dubio licitum sit favorabiliorem partem amplecti, & tunc tali legi standum esse, quia certè potest lex imponi, ut qui dubitaverit de aliquo jure, vel facto, in tali casu teneatur, vel possit ità se gerere, hoc enim planè lex humana statuere potest in rebus sibi subordinatis, & tunc certum est, ac manifestum quid unusquisque ad præscriptum talis legis facere possit, vel debeat. Et huc spectat, quod in cap. *Is qui* statutum est, quod si non sit jure expressa irregularitas pro tali, vel tali causa, non teneatur quisquam se gerere, ut irregularem; & quod statutum est cap. *Ad audientiam* dubium de homicidio ab altaris ministerio abstinere debere, est alioqui hac lege secluſa, ille obligatus non fuisset se gerere, ut irregularem pro tali dubio. Et sic pariter per alias leges statutum est, in dubiis favendum esse Reo, aliaque hujusmodi, quæ partem magis favorabilem commendant.

61 Quintò tandem ex præmissa doctrina solent inferre Doctores decisionem plurium casuum, licet ad diversas materias pertineat, ut videri potest apud Caspensem, Bardium, Saccum, Oviedo, Layman, & alios passim: sed ad vitandam prolixitatem, & confusionem sat erit cum Lezana disp. 12. q. 5. regulas aliquot generales pro similibus casibus afferre. Prima est, in dubii casibus ad Deum per orationem recurrere, ut mentes nostras illuminare dignetur juxta illud 2. Paralip. 20. *Cùm ignoramus quid agere debeamus, hoc solum habemus refugii, ut oculos nostros ad te dirigamus*. Secunda est, curare per studium, ac doctorum virorum consilium veritatem addiscere, ignorantiæ tenebras depellere, & conscientiam dubiam, sufficienti adhibita diligentia deponere ad vitandum peccandi periculum; quod secum dubia afferre solent; nam si facta pro ipsa deponenda sufficienti diligentia adhuc remanet, jam illa non erit amplius vincibilis, sed invincibilis, & ità à peccato excusare poterit. Tertia est, in similibus dubii casibus agere, quod juxtà materiæ exigentiam omnibus pensatis minora habet incommoda. Quarta tandem est applicare, & observare regulas generales in Jure traditas, quales sunt: *Tene certum, & omitte incertum, in dubiis tutior pars est eligenda, in dubiis melior est conditio possidentis. Ex duobus malis minus est eligendum*, & similes, de quarum intelligentia jam suprà dictum est. Neque ille duæ regulæ, quod in dubiis tutior pars est eligenda, & quod in dubiis melior est condictio possidentis, sunt inter se contrariæ, ita quod invicem se expellant, ut verba sonare videntur, quia si adhibita morali, & sufficienti diligentia dubium vinci non potest, tutius est sequi illam partem, quæ possessioni favet, undè adhuc illa regula verificatur, quod in dubiis tutior pars est eligenda, eo quod tunc facta sufficienti diligentia ad evincendum dubium, tutior pars sit, non espoliari possessionem qui possidet.

QUÆSTIO QUARTA.

An licitè possimus Conscientiæ probabili conformari.

62 DE Conscientia probabili, seù opinativa jam ex professo tractavimus lib. 2. sentent. disput. 5. q. 2. & 3. adeòut nihil ferè superſit addendum, nihilominus pro complemento hujus primæ Disputationis de Conscientia, plura majoris momenti ibi fusè tradita, breviter percurremus, ac veluti in compendium redigemus, & majori perspicuitate ad faciliorem omnium captum. Hic autem advertendum est ibi dictis non esse idem, opinionem esse probabiliorem, & esse tutiorem quia esse probabiliorem respicit veritatem magis, vel minus ostensam, esse verò tutiorem respicit minus periculum, undè opinio probabilior potest esse minus tuta, & tutior minus probabilis.

A R-

ARTICULUS PRIMUS.

Quæstionis Resolutio.

CONveniunt omnes neminem conformari posse Conscientiæ improbabili; Ratio est, quia sicut Conscientia, seù opinio probabilis est judicium gravi fundamento auctoritatis, aut rationis magni momenti suffultum, ità conscientia, seù opinio improbabilis in re morali est judicium de honestate, vel malitia, aut indifferentia operis, vel objecti, levi vel nullo innixum fundamento. Quoniam igitur cùm tali assensu judicium practicum prudentiale stare non potest de conformando se cum illo, nam potius tale judicium imprudens, & temerarium esset, ideò homo tali conscientiæ, & opinioni licitè conformari non potest. Conveniunt etiam neminem teneri conformari conscientiæ probabili; quamvis enim hæc sit assensus intellectus ad alteram partem determinatus, ut constat ex dictis q. 1. art. 2. num. 12. in quo à conscientia dubia differt, quæ talem determinationem non importat, sed potius suspensionem assensus; nihilominus quia est assensus incertus, & fallibilis, & cum timore seù formidine partis oppositę, sicut & opinio, cui innittitur; & ideò neminem cogit ad conformandum se cum illo, sed hominem reliquit in libertate ad id faciendum vel non faciendum, aliàs conscientia probabilis à vera, & certa non differret, cui propterea conformari tenetur. Solum igitur quæstio est, an conscientiæ probabili licitè possimus conformari, & præsertim in concursu probabilioris, itaut licitè possit homo conformari conscientiæ, seù opinioni minus probabili relicta probabiliori.

63 Prima Opinio docet, quod licet simpliciter, & absolutè loquendo licitè possit homo Conscientiæ probabili conformari, non tamen in concursu probabilioris, & tutioris, atque ideò nobis licitum non esse sequi minus probabilem, minusque tutam opinionem probabiliori, & tutiori relicta. Hanc opinionem, ait Amicus disp. 15. sect. 4. esse ferè omnium antiquorum Theologorum, pro qua citari solent Adrianus, Henricus, Gerson, Gabriel Major, & alii, ex Recentioribus tuentur Comitolus in respons. moral. lib. 5. c. 15. Philaletus in libello de Opinionum praxi quæst. 5. & novissimè omnium Merenda in Disp. de Consilio minimè dando extrà casus regulæ de duobus malis, juxtà opinionem specificantem probabiliter actum pro licito in occursu opinionis specificantis ipsum probabiliter pro inclito. Secunda opinio, quæ communis est omnium Recentiorum in currenti sæculo, asserit non solùm posse hominem licitè conscientiæ probabili conformari simpliciter, & absolutè loquendo, sed etiam in concursu probabilioris, & tutioris, atque ideò hominem licitè, & rectè agere sequendo opinionem probabilem, quæ proponit aliquid ut licitum, & honestum etiam relicta parte probabiliori, & tutiori; Aliqui verò id asserunt indefinitè, & absque ulla limitatione, itaut in omni casu, & in omni materia licitum sit sequi minus probabilem, minusque tutam; Alii autem id asserunt adjectis quibusdam limitationibus, de quibus art. seq. ità Medina, Navarrus, Suarez, Vasquez, Sanchez, Valentia, Becanus, Caspensis, Arriaga, Amicus, Aversa, Oviedo, Serra, Morandus, Salas, Tannerus, Lezzana, Baldius, Hacquetus, Pasqualigus, Azorius, Poncius, Isambertus, Abellius, & alii Recentiores passim. Pro resolutione.

64 Primò dicendum est, posse hominem in rebus moralibus, & agibilibus conformare se conscientiæ, seù opinioni probabili; Hæc est communis sententia; ubi nomine probabilis opinionis eam intelligimus, ut constat ex dictis disp. 5. cit. de Actibus humanis quæst. 2. articul. 1. quæ tùm ratione probabili, tùm gravi auctoritate nititur; addimus autem rationi auctoritatem, quia ut advertit Abellius cap. 7. de Actibus humanis sect. 6. licet in rebus speculativis, quæ ad fidem non pertinet, argumenta ex sola ratione deducta sufficiant ad sententiam aliquam non solùm probandam, sed etiam demonstrandam; in practicis tamen & moralibus, ubi agitur de divinæ legis notitia & observantia, aut transgressione dignoscenda, intellectus humanus sibi non sufficit, & sola ratio humana plerunque caligat & deficit. Cùm igitur sententia probabilis talis debeat esse, ut quamvis certa, & infallibilis non sit, tutò tamen teneri possit, planè argumenta ex ratione deducta, quæ ad ejus probabilitatem non parùm conferre possunt, gravi aliqua Doctorum auctoritate fulciri debet, ut si perspicacitate ingenii, & acumine id, quod justum est, & rectum assequi non possumus, humilitate saltem, & demissione assequamur, & à pravo, atque injusto dignoscamus. Quo supposito ità probatur conclusio, quia ut aliquis licitè operetur, sufficit quod regulam rationis sequatur; sed eo ipso quo aliquis Conscientia probabili dicitur, sequitur regulam rationis, & rectam nostrarum operationum mensuram, quia sequitur dictamen intellectus practicum, quo prudenter judicat hic, & nunc esse operandum; ergo licitè operatur; Major patet, probatur minor quia cùm homo operatur, non ex levi, sed ex gravi fundamento auctoritatis, vel rationis, prudenter, & non temerè operatur, sed qui operatur, ex conscientia sivè opinione probabili, tali modo operatur, siquidem talis est natura conscientiæ, aut opinionis probabilis; ergo sic operans prudenter operatur, neque periculo peccandi exponitur, sicut operans ex dubia conscientia.

65 Dices, nullus potest se conformare conscientiæ dubiæ, ut patet ex dictis, ergo neque conscientiæ probabili; consequentia probatur, quia utriusque eadem ratio militare videtur, sicut enim operans juxtà conscientiam dubiam peccaret, quia periculo peccandi se exponeret, sic & qui operaretur ex Conscientia probabili.

Respondeo negando consequentiam, lata namque versatur disparitas inter conscientiam probabilem, & practicè dubiam, qui enim hanc habet, & ex ea operatur, nullum habet judicium determinatum de suæ operationis honestate, sed omninò suspensus manet, & anceps an bona sit, vel mala, & ideò temerè operatur peccati periculo se exponendo, cum quantum est ex se non magis tendat in bonum, quàm in malum: verùm qui ex conscientia probabili operatur esto operetur cum formidine partis oppositæ, quia tali formido est de essentia assensus opinativi, ut à scientifico secernitur, nihilominus judicium habet determinatum practicum, & prudentiale de suæ actionis honestate, & ideò licitè, & prudenter operatur, neque periculo pecandi practicè se exponit, sicut qui operatur ex conscientia dubia.

Urgebis rursus, quia si licitè posset homo in rebus moralibus, & agibilibus conformare se conscientiæ, seù opinioni probabili sequeretur positum esse in arbitrio cujuscumque operari quomodocunque voluerit, eo quod in moralibus omnia ferè sunt posita sub opinione Doctorum. Respondeo negando consequentiam, quia conscientia probabilis est actus prudentiæ, quæ rectam finis intentionem supponit, & omnium circumstantiarum circumspectionem requirit, & opinio probabilis est, quæ ex gravi fundamento rationis procedit, vel auctoritatis quo deficiente jam non erit amplius conscientia, aut opinio probabilis, sed importabilis, aut erronea; ideoque negatur esse in potestate cujusque operari, sicut voluerit, aut conscientiam probabilem sibi fingere, si talis non erit.

66 Secundò dicendum est, licitè posse hominem conformari conscientiæ minus probabili relicta probabiliori, & ex duabus probabilibus sententiis contradictoriè oppositis, quæ versantur circà aliquam actionem humanam, utrum ea licita sit, nec ne, posse quemvis relicta probabiliori sequi minùs probabiliorem. Ità Auctores omnes pro secunda sententia citati, & innuitur à Doctore 4. d. 15. q. 2. in fine, ubi docet furantem in extrema necessitate non teneri ad restitutionem, etiam cum ad pinguiorem pervenerit fortunam, etiamsi opposita opinio sit tutior, & secundum aliquos etiam probabilior, & rursus quæst. 2. prolog. in fine, ubi videtur velle, quod in rebus dubiis locum habet labor Doctorum, & Expositorum, ex quo sequitur, quod quando Doctores docent aliquam opinionem esse probabilem, etsi sit minus tuta, potest quilibet eam sequi absque ullo periculo peccandi, alioquin si semper pars tutior esset amplexanda, non liceret unquam ad consilium peritorum recurrere, unusquisque enim per se nosci; quæ sit tutior, & quæ sit minus tuta, cum in Lege Christi non detur perplexitas.

67 Ratio à priori pro hoc asserto jam assignata fuit disp. 5. cit. q. 2. art. 2. n. 50. quia, scilicet, operans juxtà opinionem probabilem non temerè, aut imprudenter operatur, etiamsi oppositа opinio sit probabilior, & tutior, ergò non peccat, consequentia parte, quoniam qui peccat, prudenter non operatur; probatur assumptum, siquidem talis opinio, & conscientia, eo ipso quo est probabilis, gravi nititur fundamento rationis, vel auctoritatis, atque ideò licitè secundum illam operari potest.

Confirmatur, quia non tenemur ad id, quod melius & perfectius est, sed sufficit, ut sequamur id, quod in praxi est, rectum; & securum, alias consilia omnia Evangelica esset in præcepto, quod nimis durum esset, & contrà illud Christi Matth. 11. *Jugum meum suave est & onus meum leve*; ergo licet opinio, & conscientia probabilior sit perfectior, & securior, non tamen ad eam obligatur, sed sufficit sequi id, quod in praxi est rectum, & securum, qualis est etiam conscientia, & opinio minus probabilis. Prætereà neque obligamur ex duabus sententiis probabilibus contradictoriè oppositis tutiorem amplecti, sed illa relicta minus tutam sequi possumus, ut patet de opinione asserente eum, qui in peccatum mortale lapsus est, ad confitendum statim habita Confessoris copia obligari, quæ D. Bonaventuræ tribuitur in 4. d. 17. p. 2. a. 2. q. 2. licet ibi de Religiosis

ligiosis tantùm id teneat, non de Laicis, quos dicit tempus Quadragesimæ expectare posse, & de communi opinione opposita id negante; planè enim constat primam sententiam in praxi longè tutiorem, & saluberiorem esse, quod tamen non obstat, quin sententiam oppositam licitè, ac tutò quilibet sequi possit; ergo à pari poterit quis licitè, ac tutò minùs probabilem sequi sententiam probabiliori relicta. Denique quia durum nimis videtur, & multis scrupulis expositum hominem obligare, ut conscientiam, & opinionem probabiliorem semper sequatur, nec finis unquam esset scrupulorum, & dubiorum, & præsertim in timoratæ conscientiæ viris, qui plus de suis timent operibus, semper enim dubitarent, quænam duarum opinionum sit probabilior, an illa quam sequuntur, vel quam relinquunt.

68 Respondent Auctores primæ sententiæ opinionem probabilem absolutè spectatam utique esse posse prudentem, ac rectæ rationi conformem, sed comparativè inspectam; & in concursu probabilioris, & tutioris talem non esse existimandam, sed potius imprudentem, & temerariam ideoque judicium probabile, quod sit vera, generare non posse. Verum rationes adductæ, si benè perpendantur probant intentum, non tantum de opinione probabili in se, & absolutè inspecta, sed etiam comparativè, & in concursu probabilioris, & ut arguebamus loc. cit. cùm Bardio disp. 4. c. 10. major illa probabilitas, & securitas, quæ in opposita sententia reperitur, non destruit probabilitatem, & securitatem illam, quæ in alia opinione reperitur minus probabili, ut patet in similibus physicis, & moralibus, nam album ut octo, v. g. non impedit quin album, ut sex, dicatur adhuc verè, & propriè album, nec homo prudens, ut sex, propriè diceretur imprudens in comparatione prudentis, ut octo, & sic de aliis similibus. Hoc idem explicuimus ibid. quæst. 2. num. 95. aptissimo exemplo; nam duplex est via v. g. hinc adeundi Florentiam, via communis, & trita, quæ nullum patitur periculum latronum, altera verò brevior non adeò trita, & tuta, in qua solent interdum latrones insidiari: si facta sufficienti diligentia, & perquisitione certificor in hac breviori via hìc, & nunc non esse latrones, nec ullum adesse periculum, planè nemo negare potest me per hanc iter capere posse prudenter, & sine periculo relicta via communi, & tutiori ea diligentia adhibita, undè in hoc sensu licebit hanc breviorem viam alioquin de se minus tutam appellare hic, & nunc viam bonam, & rectam practicè, adhibita nimirum præfata diligentia: sic igitur in proposito, opinio minus probabilis etiam in concursu probabilioris potest appellari via veritatis practicæ, & via tuta, nam quamvis in aliqua actione periculum peccati esse possit, si tamen quis tanta cautione eam agat, ut probabiliter, & prudenter judicet tale periculum caveri, non peccat, nec imprudenter agit, nec periculo peccandi se exponit, nisi fortè materialiter, hoc est faciendi rem materialiter malam, non verò formaliter, sicut invincibiliter ignorans hodie esse feriam sextam, si comedit carnes, dicitur facere actionem materialiter malam, quia est in se prohibita, non autem formaliter, quia hic & nunc ei non imputatur ratione invincibilis ignorantiæ.

69 Sed adversarii objiciunt, ut cautè quis procedat quantum satis est ad prudenter agendum, non debet se exponere periculo peccandi: ergo quamdiù res non est omninò certa, debet sequi opinionem magis tuta, vel magis probabilem; talis autem est opinio probabiliter specificans actum pro illicito in concursu alteriùs specificantis ipsum pro licito, quia illam sequendo, hoc est, ab actu abstinendo nullum incurritur peccandi periculum, sicut incurritur aliam sequendo, id est, actum eliciendo.

Confirmatur, quia operans ex opinione minus probabili in concursu probabilioris deberet operari cum formidine opinionis contrariæ probabilioris; at ex conscientia dubia operari non licet, ut constat ex dictis q. 3. art. 1. nam operans cum dubio practico manifestè se exponit periculo errandi, & juxtà regulam Juris, *in dubiis tutior pars est eligenda*, ergo &c. Demum hinc sequeretur, posse etiam hoc fieri cum gravissimo detrimento, & damno proximi, ut si medicus relicto medicamento certo applicaret infirmo aliud incertum, & probabile; Vel si Minister Sacramentorum relicta certa sententia sequeretur solam probabilem circa materiam, & formam illorum &c.

70 Respondetur ex dictis disp. cit. quæst. 2. n. 56. ubi hoc argumentum adductum est, ut cautè quis procedat quantum satis est ad prudenter operandum, sufficit, ut tantam adhibeat diligentiam, qualis necessaria est, ut non se exponat periculo peccandi formaliter, etiamsi exponat se periculo peccandi materialiter, quod pluribus exemplis ibi demonstravimus; nemo enim obligatur ad statim confitendum in die Palmarum, sed potest Confessionem licitè differre usque ad Dominicam in albis, & tamen non est omninò certus, quod nullum sit habiturus impedimentum, sed tantùm id moraliter supponit: sic etiam nullus Sacerdos obligatur ad Divinum officium summo manè recitandum, sed potest licitè illud differre usque ad Vesperam, quando nullam probabiliter timet gravem occupationem Vesperi, & tamen tunc se exponit periculo peccandi materialiter, idest, faciendi rem in se prohibitam, non minus, quàm qui opinionem minus tutam sequitur; non enim omninò certus est se vesperi non ægrotaturum, aut oblivionem passurum, aut aliud grave impedimentum non habiturum, sed solum moraliter, & tamen non ob id ab ullo Doctore obligatur ad eam tutiorem anticipatam recitationem; Si ergo pariter in proposito falsum est, quod quamdiù res non est omninò certa, sequi debeamus opinionem magis tutam, vel probabiliorem, & ad vitandum peccatum semper adhibere teneamur omnem diligentiam moraliter possibilem, sed satis erit adhibere moraliter sufficientem.

71 Ad confirmationem negatur consequentia, nam etiam operans ex opinione æquè probabili cum ea, quam relinquit, imò etiam ex probabiliori, habet istam formidinem, ea enim, quatenus est ex parte sui objecti, essentialis est omni opinioni, sivè sit minus, sivè æqualiter, sivè magis probabilis, quia in hoc distinguitur opinio à scientia, seù conscientia certa; neque confundenda est formido cum dubitatione, & hæsitatione propriè dicta, nam dubitare est intellectum de utraque contradictionis parte ancipitem esse, & nulli determinatè adhærere, ut ait Doctor 3. d. 39. q. un. formidare verò est in alteram quidem partem assentire, sed non per rationes determinatas, & evidentes, sed solùm probabiles, quæ proindè intellectum totaliter non convincunt. Et cùm dicitur cum dubio operari non licere, quia si operans periculo errandi exponitur, advertendum est ex disp. cit. q. 2. n. 112. dubium sumi posse tripliciter, scilicet, propriè, minus propriè, & communiter, primo modo intellectus dicitur dubius, quando ex defectu rationis probabilis hinc indè nulli parti determinatè præbet assensum, sed manet suspensus, & anceps, & hoc est dubium propriè dictum, quod conscientiam dubiam constituit propriè dictam; secundo modo contingit quando quæst. pro utraque parte agitata, licet intellectus ex pondere rationum in unam partem inclinet, non adhuc tamen determinatum illi præstat assensum, quia premitur adhuc gravitate alicujus rationis pro altera parte militantis, ratione cujus judicium fluctuat, nec altera pars quæstionis, inquam inclinat, pervenit adhuc ad verum probabilitatis statum, & dubitatio in hoc sensu rationem adhuc habet potius suspicionis, quam probabilis opinionis. Tertiò tandem modo dubium dicitur, quando in controversia examinata hinc indè, ex gravitate rationis, & auctoritatis intellectus ad alteram partem determinatur, tanquam omninò probabilem sufficienter solvendo rationes pro altera parte, & hec verè dicitur opinio probabilis, per quam probabilitatem excluditur omne dubium primo, & secundo modo sumptum, & solum remanet dubium quod opponitur physicæ, & evidenti certitudini; & in hoc sensu omnis controversia, quantumcumque habeat opiniones hinc indè probabiles dicitur in dubium verti, quatenus dubietas opponitur veritati, & certitudini scientiæ. Quando ergo dicitur licitum non esse cum dubio operari, intelligitur de dubio primo, & secundo modo, quia operans exponeretur periculo errandi; at cum dubio tertio modo licet, quia hoc est dubium purè speculativum, quod secum admittit nedùm opinio probabilis, sed etiam probabilior, non tamen admittit primum vel secundum dubium, quæ duo tantùm secum ferunt periculum, ideo cum opinione probabili licet in quibusdam casibus operari; Quam limitationem addo, quia etiam in opinionibus probabilibus est obligatio sequendi tutiorem, quando sequendo minus tutam fieret grave aliquod damnum sivè spirituale, sivè temporale proximo, vel adesset periculum ipsius, ut in casibus relatis in ultimo argumento ex absurdis deducto; tunc enim lege charitatis, misericordiæ, & aliquando justitiæ, sicut tenemur evitare illud damnum, aut periculum ipsius, *quia unicuique mandavit Deus de proximo suo*, sic etiam tenemur in illis casibus tutiores opiniones sequi, quibus talia evitantur damna, & pericula, ut dicemus art. seq. alia plura argumenta ex ratione, & auctoritate deducta vide soluta disp. 5. cit. q. 2. & quæ præsertim objecit Merenda in sua Disputatione de Concilio, ex Scriptura, SS. Patribus, & sacris Canonibus, ac etiam Prosper Fagnanus tractatu de conscientia probabili novissimè editio, qui non nisi post hujus Tomi editionem ad manus pervenit.

A R-

ARTICULUS SECUNDUS.

An conscientia probabilis possit esse regula sufficiens nostrarum actionum in omni materia.

27 AFfirmant nonnulli in omni materia, etiam pro implenda charitatis obligatione licitum esse sequi minus probabilem, & tutam in concursu probabilioris, & tutioris, tam Sacerdoti in administratione Sacramentorum, quam Medico in applicandis medicamentis, judici in decidendis causis, ac ferendi sententiis, Regi in gerendo bello, & similibus, & ità præsertim defendit Marcus Vidalis in sua Arca, vitali tract. de opinione probabili inquis. 2. Communis tamen opinio negat licitum esse uti minus probabili, & tuta opinione, quando id cedit in damnum tertii, ut si Confessarius juxta probabilem opinionem circa valorem Sacramenti pœnitentem absolueret, aut Sacerdos baptizando uteretur forma minus probabili dimittendo certam & consuetam; aut Medicus juxtà probabilem opinionem circa Medicinæ qualitatem eam infirmo applicaret relicto medicamento certo; aut Rex inferat alteri bellum ad capiendum Regnum ob jus tantum probabile, & non certum; in his enim, & similibus casibus tenetur operans sequi partem tutiorem, & probabiliorem ex obligatione charitatis, quam erga proximum habere tenemur, cùm agatur de re valdè gravi, & damnum nimis graue sequatur casu, quo opinio minus probabilis à parte rei esset falsa, nimirum vel mors infirmi, vel perditio baptizati, vel amissio Regni, & similia. Hæc inquam, est communis, & receptissima sententia in hoc currenti sæculo, ita Medina, Suarez, Vasquez, Sanchez, Pasqualigus, Tannerus, Salas, Arragon, Cornezo, Lezana, Valentia, Becanus, Caspensis, Poncius, Arriaga, Ouviedo, Morandus, Aversa, Bardius, Serra, Hacquetis, Amicus, Silvester, Soto, Layman, & alii Recentiores passim, quam sententiam latè tractui disp. 5. cit. q. 3. quarè solum hic breuiter percurram epilogando, quæ ibi diffusè diximus.

73 Primo itaque probatur hæc sententia ex fundamentali doctrina tradita loc. cit. num. 136. & 142. quod quædam sunt quæstiones versantes circà honestatem alicujus actionis, quæ solet vocari materia juris, aliæ verò versantes circa validitatem alicujus actus, quæ solet vocari materia facti; in quæstionibus primi generis licitus est probabilitatum usus, quia honestas actus, & conformitas ad legem præcipientem in illis casibus ex prudenti judicio, & operantis existimatione totaliter pendet, unde periculum quod tunc tenetur ex sequela opinionis minus tutæ, & probabilis, cavetur ab ipso, quod operamur ex opinione probabili, nam eo ipso operamur ex recto, & honesto conscientiæ dictamine; Nec refert, quod interdum res aliter se habeat à parte rei, quia non adeò rigidè ad honestatem actuum Deus nos obligavit, ut semper conformari debeant objecto virtutis secundùm esse subjectivum, quod habet à parte rei; cùm impossibile sit moraliter, ut inceram, & exploratam rerum veritatem semper assequamur pro hoc statu; sed obligavit nos tantùm ad agendum ex dictamine, quod probabiliter habere possumus de rerum veritate, undè operando cùm tali dictamine nunquam exponimur periculo violandi aliquod præceptum formaliter, sed tantùm materialiter modo superius explicato. At circà quæstiones secundi generis, quæ nimirum versantur in materia facti, & circà valorem alicujus actus; cum hic non dependeat ex judicio nostro quantumvis prudenti, sed ex natura rei, vel ex voluntate, & institutione alterius, contrà prudentiam est relicta via certa, & tutiori, operari ex opinione tantùm probabili, nam prudentia dictat in tali materia eam actionem in praxi adhibendam esse, qua tollatur periculum mali, quod reipsa futurum timetur, quando illa commodè adhiberi potest. Et hac ratione probat Scotus 4. d. 3. q. 2. quem plures sequuntur Recentiores, etiam ex obligatione virtutis Religionis in Sacramentorum Ministerio licitum non esse sequi opinionem minus probabilem, & tutam relicta probabiliori, & tutiori; quia sacramenta non validantur ratione nostræ existimationis, & opinionis, sed prout in re, & juxtà Christi institutionem; quarè cum Sacramenta sint misteria omnimodæ veritatis, inquit Doctor, nullam prorsus falsitatem admittere possunt, nec quidem materialiter sumptam, ideoque virtus Religionis maiorem inducit obligationem in Sacramentorum administratione, quam in alia quacunque materia, & Minister tenetur operari secundum opinionem illam, quæ magis ipsi rei conformatur, & institutioni Christi, cùm enim ipse instituerit in tali materia, forma, & Ministro, si id verè, & in re non adhibetur, Sacramentum non fit.

74 Secundò, ut dicebamus loc. cit. hæc eadem ratio, & regula procedit etiam in opinione à Medico in ægrotorum curatione eligenda; cùm enim infirmus est in statu adhuc recuperandæ salutis, & non penitus desperatæ, & dubitatur, vtrùm hoc, vel illud medicamentum sit profuturum infirmo, nec ne Medicus sequi debet opinionem tutiorem, illam, scilicet, quæ secundùm artem medicinæ tutior judicatur, aliter peccat; & ratio est, quia morbi expulsio, & sanitas inducenda non pendet ex eius opinione magis, vel minus probabili, sed præcisè ab efficacia medicamenti ità se habente à parte rei, vt insitam habeat virtutem morbum expellendi; & ideò quantumvis Medicus applicet medicamentum, quod sibi efficax videtur ex opinione prudenti, & probabili, si tamen tale non est à parte rei, nequaquam morbi expulsio, & sanitas obtinebitur. Addit tamen Monsregalis noster tract. 1. c. 7. §. 11. quod si Medicus existimat hoc, vel illud medicamentum potius profuturum, quàm nociturum, etiamsi sit aliquod periculum nocendi, potest illud adhibere, cùm infirmus est in extremo vitæ periculo nec aliud suppetit remedium, tunc enim tutius est hoc remedium, adhibere aliquo modo dubium, quàm nullum, quia, nullum adhibendo certus est medicus, quod infirmus morietur. Hac de causa inquit Scot. 2. disp. 14. quæst. 3. in fine oportet medicum esse accuratissimum, & sapientissimum, ac omni solertia perpendere debere medicamenti qualitatem, statum infirmi, conditionem morbi, tempus propinandi medicinam, & alia hujusmodi, ut recto judicio, & tuta conscientia operetur, quæ non nisi sequendo tutiorem, & probabiliorem assequi potest, non enim alia via ad eum certitudinis gradum peruenire potest, qui moralitet requiritur, ut prudenter in arte sua operari dicatur; sic etiam Bonacina discurit cum aliis disp. 2. q. 4. punct. 9.

75 Tertiò hac eadem ratione dicebamus ibi, quod Judex in judicando, quandò sunt diuersæ opiniones, siuè sit superior, siuè inferior, opinionem tutiorem sequi tenetur; illa autem dicitur tutior in hac materia, quæ est probabilior, & potioribus nititur fundamentis, undè in causa inducta ex parte juris illa est tutior, quæ est magis conformis sensui legis iam recepto, & consuetudini, in causa verò dubia ex facto illa est tutior, quæ secundum allegata, & approbata est magis evidens; non potest ergo Judex in ferenda sententia minus probabilem, sequi opinionem, quia ipse est persona publica, & vt publica se gerere debet, non autem ut persona privata, & ideò juxta notitiam publicam in actibus deductam judicare debet, non autem secundum propriam, & privatam, etiamsi certò sciret, quod publicè deductum est esse falsum; estò aliqui dicant in tali casu posse, ac debere Judicem omnem viam tentare, ut probabilius in judicio appareat jus illius, quod certò nouit esse verum re Dominum. Si verò causæ litigantium sint æquè probabiles, n que adhuc est in Judicis arbitratu positum, ut litis victoriam a judicet cui parti maluerit, ut notat Layman tract. 5. de conscientia cap. 5. sect. 3. nam Judex non est dominus juris, sed interpres, proindequè jus suum cuique tribuere tenetur, quod non faceret si duobus æquale jus ad aliquid habentibus totum uni tribueret, quia sic personarum acceptionem committeret contrà juris regulam 12. in 6. vbi dicitur *in judiciis personarum acceptionem habendam non esse*, quarè in tali casu vel aliqua justa compositio inter partes litigantes introducenda est, ad quam compelli possunt, vel uni dimidium, & alteri dimidium alterum juris, aut rei, de qualis est, adjudicari debet. Ad Aduocatum verò Doctores hanc regulam non extendunt, quia ejus officium non est definire, seù jus dicere inter partes litigantes, sed parti uni litigantium assistere, undè quamvis tueri non possit opinionem manifestè injustam, & si eam tuetur, teneatur ad damna utriusque partis; tamen si clientuli causam non manifestè iniquam, sed probabilem judicet licitè ejus patrocinium suscipere potest, etsi causam adversariam probabiliorem obtinendam arbitretur.

76 Quartò hanc quoque eandem rationem, & regulam dicebamus loc. cit. ad Reges, & Principes extendi posse ad dignoscendum, quomodo se gerere debeant ad bellum inferendum, pro Regno consequendo; nam si alter tyrannicè occupet regnum ad alterum pertinens, nolitque illud restituere affirmat Scotus, & cum eo alii Doctores 4. dist. 15. q. 2. art. 1. posse illi justè bellum indicere ad acquirendum sibi regnum ab illo injustè occupatum; si verò clarè non constet regnum ab uno occupatum de jure pertinere ad alterum, sed pro utraque parte militent rationes probabiles, tunc unus Rex aduersus alium Regnum, vel Principem non sibi subjectum nequit licitè causam examinare, sententiam ferre, & tanto minus armis, vel bello regnum illud invadere, ut sibi acquirat, quia in Judice, ut justè judicet, & secundum rectum conscientiæ dictamen, necessaria est judicaria potestas ex Scoto 4. d. 19. quam nullus

Rex

Rex habet in alium Regem, vel absolutum Principem ex eodem 4. d. 17. art. 2. & ideò ex nulla opinione potest secundum rectum conscientiæ judicium causam definire, vel justè bellum alteri inferre ad acquirendum sibi tale regnum cùm enim judicium unius supremi Principis non se extendat ad dirimendam litem contrà alium, necessariò stare debent judicio alicujus tertii, ad talem causam definiendam auctoritatem habentis, hic autem non est, nisi Imperator, vel Summus Pontifex in toto Orbe terrarum, supremi Judices, ac Legislatores ex eodem Scoto 4. d. 15. q. 3. art. 2. qui tandem in tali causa definienda debeat ex recto conscientiæ judicio uti semper probabiliori opinione, ut generatim de omni Judice jam dictum est. Ex quibus omnibus satis constat in quibus materiis licitum non sit minus tutam, & probabilem sequi opinionem in concursu tutioris, & probabilioris.

77 Quintò tandem addendum est, quod quamvis liceat uti opinione probabili etiam in concursu probabilioris, & tutioris in quæstionibus versantibus circà honestatem alicujus actus, ut suprà dictum est, non tamen expedire semper tali licentia uti etiam in casibus non exceptis. Ità jam statuimus disp. cit. q. 2. art. 1. in fine, & ratio est, quia ut ibi dicebamus, quamvis interdum sequi opinionem probabilem relicta tutiori, & probabiliori non sit nimia licentia, & laxitas; attamen, ut etiam advertit Aversa q. 18. sect. 18. in fine, non statim conveniens, & faciendum putare debemus quicquid licitum est, ut enim dicebat Apostol. 1. Corint. 6. *omnia mihi licent, sed non omnia expediunt*, imò signum timoratæ conscientiæ erit, si ob fugam, odiumque peccati studeat quis vitare qualecunque periculum faciendi id, quod materialiter fortasse malum sit, & libentiùs ab his opinionibus probabilibus abstineat, nisi urgeat occasio operandi, etenim dubio procul præstabit semper meliora, & tutiora sequi, ità non minus doctè, quàm piè discurrit Aversa loc. cit. & quidem satis rationabiliter, quia probabilitatum usus inventus est, & permissus non ad relaxandas hominum conscientias, sed solùm ad scrupulos tollendos, & contrarium facere non tam esset probabilitatibus uti, quàm abuti. Undè nec satis approbavimus ibi, quod dicunt Becanus, Diana, & alii Recentiores posse confessarium consulere minus probabilem, nec teneri aperire consulenti probabiliorem, si id ipse non petat, imò posse sæpè id consulere, quod minus probabile judicat, ac melius facere si id consulat quod faciliùs, & cùm minori periculo præstari potest. Hoc inquam, nimis licenter, & confidenter dicitur, quia cùm minori periculo saltem materialiter sumpto operatur homo sequendo probabiliorem, & tutiorem, quàm sequendo minus probabilem, & tutam, quæ solet esse facilior; quare magis probatur, & placet, quod ibidem ait Aversa, cautos esse debere Doctores in tradendis opinionibus, ut non nisi opiniones verè probabiles assumant, & consulant, ne passione aliqua se subripi sinant, ut probabile sibi faciant apparere, quod prudenter non esset putandum probabile; cauti etiam debent esse in consultationibus, ut petenti consilium non tantùm minùs probabilem consulant, sed etiam tutiorem, & probabiliorem significent; imò, & ad hanc exhortari si non magnum sequitur incommodum; quemadmodum rogatus aliquis à viatore ut viam doceat adeundi Florentiam, si duæ extant viæ, una communis, & trita, quæ nullum patitur periculum latronum, altera verò brevior non adeò trita, & tuta, in qua solent interdum insidiari latrones, non benè consuleret ille si hanc tantum indicaret viatori petenti, etiamsi hic, & non sciret in ea periculum latronum non adesse, sed aliam quoque tritam, & tutiorem indicare debet, imò, & ad hanc exhortari, si magnum ei incommodum non afferret.

78 Sed contrà prædictas limitationes arguit Marcus Vidalis loc. cit. quia eligens opinionem probabilem prudenter operatur, & juxtà rectæ rationis dictamen, alioquin opinio probabilis non esset; ergo tuta conscientia ex ea operatur in omni materia, quia non est major ratio, cur opinio probabilis sit recta operandi regula in una materia magis, quàm in alia.

Confirmatur, quia si tenetur Medicus eligere tutiorem, & probabiliorem ob periculum, cui exponeretur sequendo minus tutam, nempè mortis infirmi; ergo propter idem periculum tenebitur etiam in materia ad honestatem actus pertinente sequi tutiorem, quia cum opinione minus tuta semper est majus periculum trasgrediendi legem. Tandem, quia si non licet Medico in curandis infirmis uti minùs probabili, & tuta, relicta probabiliori, & tutiori, nec minùs Sacerdoti in Sacramentorum administratione, & in quibusdam aliis materiis apponitur hæc limitatio; ergo præstabit id negare in omnibus, vel in omnibus concedere, cùm non possit sufficiens ratio disparitatis assignari

79 Respondeo negando consequentiam, siquidem ex superiùs dictis, ac etiam disp. 5. cit. q. 3. satis patet latum discrimen, quod versatur in quæstionibus circa honestatem, & turpitudinem actus, eiusque obligationem, & circà facti condictionem, naturam, vel valorem; nam in quæstionibus primi generis potest usus probabilitatum habere locum, quia honestas actus ex prudenti judicio, & existimatione operantis totaliter pendet; hoc autem dici nequit in quæstionibus secundi generis, quia valor, & condictio actus non dependet ex judicio nostro quantumvis prudenti, sed ex natura rei, vel ex voluntate, & institutione alterius, ut patet in exemplis adductis de Medico, Judice, & Sacramentorum Ministro, etenim in his, & similibus materiis, vel certam, & tutam viam sequi debemus, vel saltem illi proximam, qualis censetur opinio tutior, & probabilior, per hanc enim solùm potest operans ad eum certitudinis moralis gradum in his materiis pervenire, qui necessarius est ad prudenter agendum, licet in aliis materiis, ubi agitur de honestate actus, & obligatione, ad eum per solam probabilem pervenire possit. Ad confirmationem negatur etiam consequentia, quia in materia honestatis actus, ut modo dicebamus, per solam opinionem probabilem cavetur periculum formale trasgrediendi legem, quoniam ejus honestas ex prudenti nostra existimatione totaliter pendet; at valor Sacramenti, vel medicinæ non pendet ex prudenti Sacerdotis, vel Medici æstimatione, sed ille pendet ex ipsa Christi institutione, & iste ex natura ipsa ingredientium, undè nequit Medicus in arte sua periculum peccandi cavere, nisi sequendo tutiorem, & probabiliorem, quæ ad penetrandam magis naturam medicaminis ipsum inducit. Ad ultimum tandem negatur quoque consequentia cum ejus probatione ob rationem disparitatis jam adductam; aliud est enim loqui de usu probabilitatum in quæstionibus circà honestatem actus, & aliud in quæstionibus de valore ipsius, cùm enim talis valor à judicio nostro non dependeat quantumcumque prudenti, sed aliundè, nimirum vel ex alterius institutione, & voluntate, sicut valor Sacramentorum, vel ab esse physico, & naturali virtute quam res naturales habent à natura congenitam, ut medicamentorum valor ad morbum expellendum; planè in his materiis minus probabilem, & tutam sequi non licet, sed tutiorem, & probabiliorem, quia non, nisi hac via ad illum certitudinis gradum possumus pervenire, qui moraliter requiritur, ut fiat actus validus, & sufficiens pro morbi expulsione, & valida Sacramenti effectione; ad quem tamen certitudinis gradum pervenimus per solam probabilem in materia honestatis actus, quæ ex prudenti judicio, & existimatione operantis totaliter pendet, ut suprà dictum est.

80 Dices, ergo in Medicina, Jure, & Sacramentorum administratione nulla dabitur opinio probabilis, quia nemini unquam licet eis uti, imò non essent opiniones probabiles, sed improbabiles, quod est contrà quæstionis suppositum. Respondetur negando consequentiam, quia ut jam diximus q. 3. cit. art. 2. ab initio, tales opiniones probabiles dari possunt etiam in hujusmodi materiis, quæ tales tamen dicantur solum speculativè, non autem practicè quia non possumus ex ipsis judicium formare practicum, quod dictet hic, & nunc licitum esse absque ulla rationabili causa omittere modum certum operandi, vel saltem tutiorem, & probabiliorem, sicut licet in quæstionibus de honestate, vel obligatione actus. Quod ibi explicuimus exemplo quæstionis de re inventa, cujus Dominus ignoratur, & de restitutione facienda ablati in extrema necessitate, cùm ventum est ad pinguiorem fortunam, ac etiam de confitendo statim post peccatum commissum habita confessoris copia; nam via certa, & ab omni periculo immunis est restituere, & confiteri statim, & tamen hac via certa, hoc est omni periculo carente dimissa, nobis sequi licet oppositam opinionem probabilem minus tutam, quod non licet in materiis de facti natura, condictione, & validitate, in quibus omninò tenemur tutam sequi, quando hæc patet, vel ei proximam, quando non patet. Alia argumenta ad idem vide soluta loc. cit.

DISPUTATIO SECUNDA

DE REGULA EXTERNA HUMANORUM ACTUUM, ſcilicet Legibus.

1 QUamvis Tractatus de Legibus ad Juriſperitos ſpecialiter pertineat, quatenus Leges ipſas præſertim humanas in particulari inquirere, exponere, & exercere ex ſuo munere tenentur; ad aliam tamen, quoque Superiorem facultatem ſpectat de Legum ratione, natura, varietate, & obligatione in communi, & ſcientificè diſſerere; debet enim hoc Philoſophia Moralis in morum directione perficere, quantum lumen rationis naturaliter oſtendit, quod quidem ultrà legem naturalem, & legem humanam civilem non extenditur; Sacra verò Theologia, quantum oſtendit lumen fidei pro dirigendis hominibus ad rectè operandum ob ultimum finem beatitudinis conſequendum, quod proindè non ſolùm legem naturalem, & humanam civilem, ſed etiam divinam, & humanam canonicam per ſe, propriè attingit; & talis Diſputatio rectè hoc loco inſeritur, quia leges ſunt regula externa noſtrarum actionum, quatenus nobis per Conſcientiam imitandæ proponuntur, ut docet Scotus quol. 18. ſub litt. E.

QUÆSTIO PRIMA.

De quidditate Legis.

2 UT à nominis Ethymologia incipiamus advertendum eſt nomen legis à ligando ductum eſſe ex D. Tho. p. 2. q. 90. art. 1. eo quod homines ad aliquid agendum, vel omittendum liget, vel obliget, ſiquidem lex, dum obligat, ligat, propterea lex in Scriptura, vinculum, & jugum appellatur Pſalm. 2. *Dirumpamus vincula eorum, & proiiciamus à nobis jugum ipſorum*; Vel juxtà Marcum Tullium 1. de Legibus lex dicitur à legendo, ſeù diligendo eo, quod doceat, quænam diligenda, ſeù eligenda ſint; quod confirmat D. Auguſt. in lib. q. ex novo Teſtamento; *Lex dicitur à Lectione, ut de multis quid eligas, ſcias*. Vel tandem dicitur à legendo, ut habet D. Iſidorus l. 2. Ethymolog. c. 10. quia regulariter loquendo lex ab Auctore ſuo ſcriptis conſignari ſolet, & à ſubditis legi. Variis etiam nominibus appellari ſolet, aliquando enim *Jus* appellatur, quia nempè lex definit, & præſcribit, quod juſtum eſt, & unicuique tribuit, quod ſuum eſt juxtà definitionem juſtitiæ aſſignatam l. 3. ſent. diſp. 7. q. 8. art. 1. aliquando dicitur *ſtatutum* eo quod ſtabilis eſt, & firma; & tandem aliquando dicitur *Conſtitutio*, quia illam debet præcedere plurium conſilium, & conſenſus, ac etiam *Inſtitutio*, & *præſcriptio*, quia, ſcilicet, quid agendum, vel omittendum inſtituit, & præſcribit. Explicata verò nominis Ethymologia, jam quidditas, & eſſentia legis eſt declaranda, quod art. ſeq. præſtabimus.

ARTICULUS PRIMUS.

Quid ſit lex, & cujus potentiæ ſit actus.

3 PRo deciſione hujus articuli obſervandum eſt, legis nomen latè ſumptum regulam quamcunque ſeù agendorum normam ſignificare, quo ſenſu regulæ Grammaticæ, & aliarum artium leges vocari ſolent; propriè verò, & ſtrictè ſumptum nil aliud eſt, quam recta regula, ſeù menſura humanarum actionum, ſecundùm quam vel ad benè agendum dirigimur, vel à male agendo retrahimur; ita D. Thom. quæſt. 90. cit. art. 1. & quidem etiam Scotus 4. d. 14. quæſt. 3. legem cum regula omninò reciprocat ſupponens ex diſt. 15. quæſt. 2. art. 1. legem à regulando, ligando, & obligando derivari, inquantum actus humanus, non eſt rectus ordinans ipſum hominem ad ultimum finem, niſi ſuæ regulæ conformis fuerit, undè communiter lex in genere, ut legem æternam, naturalem, & poſitivam comprehendit, definitur, quod ſit regula, ſecundùm quam, vel ad benè agendum dirigimur, vel à male agendo retrahimur, talis enim definitio illis omnibus cum omni propriè-

tate convenit; lex autem magis propriè dicta definiri ſolet, quod ſit rationis ordinatio homini quid agendum, quid ſivè non agendum ſit oſtendens in commune bonum promulgata, Vel ut alii loquuntur, lex propriè dicta, quæ dicitur imperans, eſt voluntas ejus, qui præeſt populo, debitè promulgata, cùm intentione obligandi ſubditos. Quæ quidem definitiones concidunt, ſi rectè perpendantur; lex enim dicitur ordinatio quia ordinat & præſcribit quid ſit faciendum, vel vitandum, & nomine ordinationis debet intelligi aliquid habens vim obligandi ad differentiam conſili, quod etſi aliquo modo dicatur ordinatio, non tamen hanc obligationem inducit; dicitur *rationis*, quia hæc ordinatio à recta ratione provenire debet, aliàs lex juſta non eſſet; dicitur *ad bonum commune*, quia lex non debet reſpicere bonum particulare tantùm, ſed bonum totius communitatis; Et tandem dicitur, *ab eo qui præeſt populo*, vel qui curam communitatis habet, quia ſolùm ſupremi Principes leges condere poſſunt, quæ particulæ magis patebunt ex dicendis; & hæc definitio præſertim de lege poſitiva verificatur, an autem legi etiam æternæ, & naturali convenire poſſit, videbimus infrà; & hoc etiam deducitur ex Scoti doctrina 4. d. 14. quæſt. 2. littera E. ubi loquens de lege poſitiva ab homine lata inquit, quod finis legis non eſt ipſe legislator, vel bonum ejus, ſed bonum commune, propter quod eſt lex, & obſervantia ejus, & d. 15. quæſt. 2. litt. D. ubi ait duo in legislatore requiri, ut lex ab eo lata ſit juſta nempè prudentia, ut ſecundùm rectam rationem practicam dictet quid eſt faciendum pro communitate, & auctoritas, nam cùm dicatur lex à ligando, non poteſt lex prudentis ligare, niſi auctoritatem habeat præſidendo.

4 Eſt autem Difficultas, an lex conſiſtat in actu intellectus, vel in actu voluntatis, vel in utroque ſimul; in quo puncto tres ſunt ſententiæ; Prima affirmat eſſentiam legis in actu intellectus conſiſtere; Fundamentum eſt, quia hoc per ejus definitionem ſignificatur, dum dicitur *rationis ordinatio*. Deindè quia de ratione legis eſt, quod ſit menſura, & regula agibilium, ac dirigere, regulare, & illuminare eſt proprium intellectus, non voluntatis, imò hæc à ratione, & intellectu regulatur. Tandem, quia de ratione legis eſt movere ſubditos, non quomodocunque, ſed per quandam intimationem, & locutionem, intimatio autem ſeù locutio actus ſunt intellectus; item de ratione legis eſt ordinare ſubditum ad finem à legislatore intentum, at ordinare res, vel media ad finem eſt actus prudentiæ intellectualis. Et hæc eſt communis opinio in Schola Thomiſtarum, quam etiam probant pluribus Sacræ Scripturæ teſtimoniis, quibus lex ſignificatur nominibus proprietatem intellectus denotantibus. Pſalm. 18. *Præceptum Domini lucidum illuminans oculos*, & Pſal. 118. *Lucerna pedibus meis verbum tuum, & lumen ſemitis meis*; ità Divus Thomas loc. cit. & cum eo Cajetanus, Medina, Sotus, Valentia, Vaſquez, Tannerus, Granadus, Averſa, Meratius, Hacquetus, Lezana, Martinez, Cornexo, & plures alii. Secunda ſententia affirmatè contra legem eſſentialiter conſiſtere in actu voluntatis, quo legiſlator vult ſubditos obligare: Fundamentum eſt, quia leges, & præcepta appellantur in Scriptura voluntas Dei, Pſalm. 102. *Notas fecit Moyſi voluntates ſuas*, & Matth. 7. *Qui facit voluntatem Patris mei*, ideſt, qui ejus legem obſervat, & in Jure Civili, Vulpianus legem appellat, *placitum Principis*. Tum quia proprietates legis magis conveniunt actui voluntatis, quàm intellectus, imò aliquæ ſunt, quæ actui intellectus convenire non poſſunt, ut movere, applicare, & obligare ſubditum ad aliquid agendum, & alia hujuſmodi. Et hæc eſt communis in Schola Scotiſtarum, ità enim docet Scotus 3. diſtin. 36. & 4. diſtin. 44. littera A. ſic etiam Divus Bonaventura, Almainus, Vulpes, Poncius, & alii Scotiſtæ, ac etiam Suarez, Salas, Arriaga, & alii Recentiores. Tertia tandem ſententia media aſſerit naturam legis poſitivæ, de qua præſertim præſens quæſtio procedit, in utroque actu conſiſtere. Quod probat teſtimoniis pro prima, & ſecunda ſententia adductis, ubi jam ad intellectum, jam ad voluntatem dicitur pertinere, & quidem rationabiliter, quia lex non minus debet dirigere, & illuminare ſubditum, quam movere, & obligare, & quantum ad duos primos actus pertinet ad intellectum, quoad poſteriores verò ad voluntatem,

tatem, nec potest assignari ratio, cur potius priores sint de essentia legis, non verò posteriores, aut è contrà.

Confirmatur, quia sine actu intellectus, & voluntatis non erit essentialiter lex, quia sine judicio dictante legem illam convenientem esse Reipublicæ, non erit justa, & rationabilis, & absque actu efficaci voluntatis volente subditos obligare non obligabit; de essentia autem legis est justitia, & obligatio; ergo utrumque actum importat. Ità Becanus, Amicus, Castropalaus, Silvius, Caspensis, & plures alii Recentiores.

5 Hanc difficultatem jam tractavimus lib. 3. de sent. disp. 7. de Virtutibus moralibus quæst. 8. de justitia articul. 1. ubi cùm secunda sententia statuimus ordinationem, in qua lex positiva consistit, esse actum voluntatis, non verò intellectus, nec intellectus simul, & voluntatis; quæcunque enim lex positiva, sivè humana, sivè divina proponitur tantùm modo quodam practico ab intellectu sub ratione regulæ, sed à sola voluntate legislatoris habet determinatam vim obligandi subditos. Ex hoc autem, quod actus intellectus hoc modo requiratur necessariò, ut lex habeatur, non rectè infertur, ut dicebamus ibi num. 168. quod lex in eo actu formaliter consistat, & quod talis actus sit de ratione legis, sicut neque ex hoc, quod ad actum virtutis necessariò requiratur propositio intellectus, rectè inferri potest, eam propositionem esse de ratione formali actus virtutis, siquidem actus ille requiritur solùm ob subordinationem voluntatis ad intellectum, quia cùm voluntas sit potentia cæca, nequit agere, vel tendere in objectum, nisi ab intellectu propositum. Undè ex duplici capite lex dici potest opus, & ordinatio rationis; primò quia ex relicta ratione procedit, & prudens legislatoris judicium supponit; deindè quia objectivè in mente subditi dirigit, illuminat, & instruit, quatenus nisi à subdito lex cognosceretur, scire non posset ad quid obligaretur; hoc autem munus ei convenire potest, etiamsi ad intellectum formaliter non spectet, & in hoc sensu negandum est, quod dirigere, regulare, & illuminare objectivè ad intellectum spectet. Item movere subditos per imperium ad legis observantiam opus est voluntatis legislatoris, non intellectus, quamvis enim imperium morale per modum regulæ sit opus intellectus, tamen imperium physicum cogens subditum ad legis observantiam est actus solius voluntatis ex Scoto 4. d. 49. quæst. 4. littera M. Neque intimatio est actus intellectus, nec ad essentiam legis spectat, sed ad promulgationem, quæ essentiam legis, non intrat, sed tantùm est necessaria conditio, ut vis obligativa legis, quam habuit ex voluntate Superioris, reducatur ad actum secundùm, ut patet ex dictis ibidem num. 171.

6 Quamvis autem ibi ità determinatum fuerit, ut probabilius, & magis de mente Doctoris, nunc tamen addimus etiam tertiam sententiam mediam esse satis probabilem, ac etiam de mente ejusdem sustineri posse ob auctoritatem ipsius superius adductam 4. dist. 15. quæst. 2. art. 1. ubi ait Legem in legislatore requirere prudentiam, & auctoritatem, prudentiam quidem, ut secundùm rectam rationem eam dictet, & auctoritatem, & potestatem in voluntate ad obligandum, per quam doctrinam satis expressè Doctor insinuat legem positivam utrumque actum in legislatore intellectus, scilicet, & voluntatis. Hoc inquam, satis probabile est, quia cum lex sit moralis regula humanarum actionum, duo essentialiter importat, & quod sit directiva, & quod sit obligativa; ostendit enim, quid agendum, aut omittendum sit, & simul obligat, ut quod agendū est agamus, & quod omittendum omittamus; dirigit autem, quatenus est regula quædam humanorum actuum, obligat verò, quatenus talem regulam sequi, & servare tenemur, sivè illa obligatio ex natura rei oriatur, ut fit in lege naturali, sivè ex voluntate tantùm, & potestate Superioris, ut fit in lege positiva, quæ proindè vim directivam ab intellectu habet, cujus est regulare, & dirigere medio dictamine, & objecti propositione, & obligativam à voluntate cujus est medio imperio subditum movere, & obligare, nec unum sine altero ad integram legis essentiam constituendam sufficit, quia nec sola voluntas absque intellectus dictamine vim directivam habere potest, cùm de se sit potentia cæca, nec sola ratio vim obligandi habet, nisi impulsum voluntatis includat.

7 Ut autem res tota melius intelligatur, notandum est legem tribus modis spectari posse, ut communiter Doctores advertunt. Primò in ipsa mente legislatoris, in qua primò gignitur, & formatur, & in tali statu lex accipit primum suum esse essentiale, inchoativè quidem à practico judicio, quo legislator judicat tale medium fore expediens ad publicum, & commune bonum promovendum, & conservandum, completivè verò ab actu voluntatis, quo efficaciter vult ad tale medium subditos obligare. Secundò spectari potest in aliquo signo externo sensibili Scripturæ, aut vocis, per quod lex ipsa interna legislatoris notificatur, & in tali statu lex accipit novum esse signi sensibilis, per quod fit manifestativa interioris legis Principis, & apta humano modo voluntatem subditorum movere ad ejus observantiam, & operandum, quod præcipit. Tertiò tandem modo spectari potest in ipso intellectu subditorum, à quo lex apprehensa proximam vim habet dirigendi, & obligandi, & in tali statu fit, proximè idonea ad dirigendas, & movendas voluntates subditorum, unde hoc modo considerata nil aliud est, quàm judicium practicum, quo subditus judicat hanc, vel illam regulam à Superiore præscriptam, & promulgatam sibi servandam esse. Undè lex in mente subditi spectata non dirigit subditum per modum cognitionis, seù judicii, sed per modum objecti cogniti, sicut exemplar, quod artifex intuetur, dirigit ipsum in operando; obligat verò subditum, non quidem effectivè causando ipsam obligationem in subdito, hæc enim, ut dictum est, oritur, vel ex ipsa rei natura, si sit lex naturalis, vel ex voluntate, & potestate Superioris, si sit lex positiva, sed terminativè, quatenus lex secundum se spectata est terminus obligationis, & cui conformari tenemur.

Quamvis autem lex positiva, sivè Divina, sivè Humana decretum voluntatis superioris principaliter importet, hæc tamen voluntatis determinatio, per se spectans ad legem constituendam non est, qua legislator velit, ut tale opus fiat à subditis, sed est qua vult subditos obligare ad faciendum; siquidem cum Deus præcipit, non per hoc habet decretum efficax, ut homines faciant id, quod præcipitur, alioquin homines præcepta Divina nunquam trasgrederentur, quæcunque enim Deus efficaciter decernit, omninò, & infallibiliter fiunt; voluntas ergo, quæ Divinam legem constituit, est voluntas obligandi, & adstringendi homines, & sic etiam in lege humana voluntas Superioris, quæ legem per se constituit, non est alia, nisi illa, qua Superior subditos intendit, & vult obligare.

8 Postremò quæri solet, quid Jus significet, & quomodo cum lege comparetur. Cui quæsito respondendum est cum Vulpio nostro disp. 1. art. 2. nomen juris varias acceptiones habere, & à duobus præsertim derivationem sumere; primò enim jus à justitia dicitur, in quo sensu idem significat, quod justum, vel æquum alteri debitum, undè justitia jus suum unicuique tribuere dicitur; secundò jus dicitur à jubendo, & derivatur à supino verbi *jubeo*, quod est jussum à quo ultima silaba sublata remanet *jus*. Undè si jus hoc secundo modò sumatur, cùm lege confunditur, & reciprocatur, & hoc modo jus sumit Doctor 9. dist. 17. q. unic. art. 1. ubi jus tripliciter dividit; sicut solet lex dividi, nimirum in naturale, divinum, & humanum; si autem primo modo sumatur, scilicet, ut à justitia derivatur, sic à lege secernitur instar objecti scibilis à scientia, & hoc modo jus sumit Doctor 4. dist. 46. q. 1. art. 1. ubi jus ità à lege distinguit, ut sit objectum justitiæ à lege præscriptum alteri debitum, undè justitiam declarat in ordine ad legem ejus regulam à legislatore determinatam ad tribuendum alteri proprium jus, seù rem, cujus habet dominium, qua propter à Juristis definitur Justitia, quod sit rectitudo voluntatis jus suum unicuique tribuens L. *Justitia* §. De justitia, & jure.

ARTICULUS SECUNDUS.

Quænam sint de ratione legis, & quæ conditiones ad Legem condendam requirantur.

9 PRimò certùm esse debet de ratione legis esse, quod sit justa; nempè quod justa, & honesta præcipiat, & iniqua, ac inhonesta prohibeat, in hoc enim legis justitia consistit. Ità Divus Isidorus lib. 5. Ethymolog. cap. 2. ubi ait, *lex erit omne, quod ratione constiterit, quod religioni congruat, quod disciplinæ conveniat, quod saluti proficiat*, ideò Divus Augustinus 10. de Civit. cap. 21. dixit; *Quod jure fit, justè, non enim jura putanda sunt, vel dicenda iniqua hominum instituta*, & hoc etiam ratio ipsa suadet, quia omnis lex vel est creata, vel increata, si secundùm, jam eò ipso erit essentialiter justa, sicut Deus ipse essentialiter justus est; si primum cum lex creata sit participatio legis æternæ, & increatæ juxtà illud Prover. 8. *per me Reges regnant, & legum conditores justa decernunt*, necessariò etiam detet justam esse; & hoc tandem ex jam allata legis definitione deducitur, propterea enim lex dicitur ordinatio rationis, quia hæc ordinatio à recta ratione provenire debet, ut justa sit, & honesta præcipiat. Quare lex, quæ justitia, & honestate caret, lex dicenda non est, sed potiùs iniquitas, cum enim lex ad hominum mores componendos ordinetur, mores autem hominum honestate virtutis, & justitia potissimum componantur, necessariò oportet legem justam, & honestam esse, ac proindè concludendum est hanc inter essentiales legis condictiones recensendam esse, non autem accidentales.

10 Secundò certùm quoque debet esse de ratione legis esse, quod propter commune bonum feratur; ità Doctores omnes, & præsertim Doctor noster 1. d. 44. q. un. ubi declarat quamcumque legem bonum commune respicere, & 4. distinct. 15. quæst. 2. art. primo ubi ait in legislatore requiri prudentiam, ut rectè judicet quid agendum pro conservanda communitate in pacifico statu, & auctoritatem ab obligandos omnes in communitate sibi subjectos; ergò certum est leges omnes per se primò respicere commune bonum totius Communitatis conservandum. Hoc etiam docet Divus Isidorus loc. cit. libro quinto Ethimolog. cap. 21. ubi recensens conditiones, & proprietas legis concludit, quod *nullo privato commodo, sed pro communi civium utilitate conscripta est lex*, & habetur in Decreto cap. 2. dist. 4. Hoc tandem ratio ipsa suadet, & universalis legum inductio, nam lex æterna ad omnes creaturis legis capaces se extendit, & lex naturalis, quæ æternæ legis participatio quædam est, omnes ligat, & ad commune bonum creaturarum per se primò ordinatur; sic etiam omnis lex positiva Divina, tam vetus, quàm nova pro communi humani generis bono lata, & instituta est; sic tandem in omni politica, & humana Republica Principum potestas, & gubernatio ob communem ipsius Reipublicæ utilitatem instituta est; & non ob privatum eorum commodum; ergo leges ferri non debent, nisi ob commune bonum, undè Philosophus 8. Ethic. 10. hoc inter Tyrannum, & Regem discrimen constituit, quod Tyrannus iniquè, & injustè propria commoda, & lucra quærit etiam cum damno communitatis; Rex autem quærit commoda, & utilitates ipsius communitatis; & ratio etiam hoc suadet, ut dicebam, quia sicut lex est directiva communitatis, ità ipsius bonum per se primò respicere debet, alioqui à suo fine aberraret; undè sicut omnis potestas jurisdictionis eo tendit, ut commune bonum prospiciat, ita & lex, quæ est principalis actus hujus potestatis; appositè autem dixi legem commune bonum per se primò respicere debere, quia hoc non impedit, quominus possit Rex ea statuere, quæ ad sui ipsius decorem, securitatem, & auctoritatem spectant, quia hoc ipsum in Reipublicæ bonum vertit, & confert, nempè ad conservandam pacem, & obedientiam subditorum. Itaque de ratione legis est, quod propter commune bonum feratur, ac etiam pro tota communitate, itaut omnes personas in perfecta communitate existentes comprehendat, undè L. 1. ff. *De Legibus* habetur, quod *lex est commune præceptum*, & L. *Jura* eodem titulo habetur, *Jura non in singulas personas, sed generaliter constituuntur*. Et hoc est discrimen, quod Juristæ inter legem, & præceptum constituunt, quod præceptum uni, lex omnibus imponitur, quatenus illud ad privatam directionem partis, hæc ad publicam gubernationem totius Reipublicæ ordinatur, undè etiam communiter dicunt præceptum spirare morte præcipientis, legem autem non spirare morte legislatoris, & hoc quoque innuit Scotus cit. dum ait in Legislatore requiri auctoritatem ad obligandos omnes in communitate sibi subjectos.

11 Sed obicii solet, plures esse leges, quæ solùm respicere videntur bonum particulare aliquarum personarum; ut lex naturalis de tuenda propria vita, lex eleemosinæ, lex correctionis fraternæ, lex Divina de propria salute procuranda; & lex privata, qua uni, vel alteri bonum intenditur, quale sunt leges minorum, pupillorum, militum, quæ solùm respiciunt bonum ipsorum, similiter leges vectigalium, & tributorum, quæ etiam solùm respiciunt commodum, & utilitatem Principis; non ergo est de ratione legis, quod feratur propter commune bonum.

Respondetur cum communi Doctorum, quod quamvis istę, & aliæ leges consimiles immediatè spectent bonum privatum, & particulare aliquarum personarum nihilominus ultimatè, & finaliter ad bonum quoque commune ordinantur, quatenus bonum particulare illarum personarum cedit in bonum Communitatis, & est utile ipsi; quis enim dubitet maximum esse bonum Reipublicæ specialis providentia circà pupillos, viduas, minores extremè, aut grauiter oppressos, leges etiam vectigalium, si vectigalia justa sunt, cum nihil utilius Reipublicæ esse possit, quàm esse ab hostibus defensam, ad cujus finem vectigalia sunt imposita; quarè obiectum proprium, & per se legis est, quæcumque moralis actio, vel res, in cujus positione, vel privatione bonum commune cernitur, quod per se primò à lege intenditur, ita Navarrus, Suarez, Amicus, Lezana, Caspensis, & alii passim in tractatu de legibus, & ex nostris Nicolaus de Nise tractatu 5. part. 1 pot. 1. quæstion. 1. & Vulpes Disputatione 1. articulo 5.

12 Tertiò conveniunt pariter Doctores de ratione legis esse, ut à publica potestate feratur, ita Sanctus Thomas quæst. 90. articul. 3. & Scotus 4. distinction. 15. quæst. 2. art. 1. concluf. 6. & sequitur ex præcedenti doctrina, scilicet, ex eo quod lex homines efficaciter ordinat in bonum commune, hoc etiam ad publicam potestatem præsertim pertinere potest, cujus proprium est bonum publicum respicere, & subditos cogere ad illud sectandum. Ex quo inferunt Angelicus Doctor, & Subtilis, condere legem spectare ad Communitatem, vel ad illum, qui Communitati præest, vel illius curam habet. Ratio primæ partis est, quia Communitas, seù Respublica habet hanc publicam potestatem, cùm enim sit veluti corpus quoddam liberum, & animatum, habet jus regendi seipsam, ac per consequens condendi legis. Ratio verò secundæ est, quia, ut inquit Scotus loc. cit. articul. 2. sub litt. H. sicut quilibet suum dominium in alium transferre potest, ità tota Communitas includens consensum cujuslibet potest dominium uni, vel determinatis personis dare ad totam Communitatem juste regendam per leges rectas, undè qui præest Communitati, vel ejus curam habet, ipsam repræsentat, atque ideò potest, sicuti, & alia per leges eam gubernare.

Ex quo inferunt communiter Doctores ad condendum leges non sufficere privatam potestatem, seù æconomicam, qualem habent Patres in Filios, viri in uxores, domini in servos, &c. sed requiri potestatem publicam, & jurisdictionis; ratio est, quia lex per se primò respicit bonum commune, ad quod dirigendum ordinatur; dirigere autem aliquid in bonum commune spectat ad eum, cui finis totjus Reipublicæ incumbit; hoc autem spectat, vel ad Republicam, vel ad aliquem habentem potestatem in bonum publicum, supremam, & perfectam, qualis est potestas jurisdictionis, non imperfectam, qualis est denominativa, seù æconomica, quæ solùm est circà Communitatem imperfectam, ac veluti privatam, ità Suarez, Vasquez, Amicus, Lezana, Caspensis, Becanus, Aversa, Bonacina, & alii communiter. Verùm, ut benè advertit Arriaga tract. de legibus disputat. 3. sect. 4. hæc videtur esse quæstio de nomine, nam licet sit reipsa major, & fortior ea potestas in capite Communitatis, quàm in capite domus privatæ, utrùm tamen propterea unjus præcepta lege sint dicenda, alterjus verò non ad solam vocem pertinet, & quidem præcepta paterna vim legis habere respectu filiorum satis expresse significat Scotus loc cit. distinction. 15. quæst 2. articul. 1. ubi concluf. 5. duplicem distinguit principatum, vel auctoritatem pro legibus ferendis paternam, scilicet, & politicam; paternam quidem originatam à naturali dominio Patris in filium, & politicam in una persona capite unius Reipublicæ, vel communitatis exortam immediatè ex libero consensu personarum ejusdem communitatis; & priorem auctoritatem justam esse demonstrat ex ipsa lege naturæ, qua filii omnes tenentur parentibus obedire; ergo leges patriæ respectu filiorum, cum sint conformes naturæ legibus, vim legis propriæ dictæ respectu filiorum possunt obtinere; & hoc idem innuit D. Paulus 1. ad Corint. 7. de auctoritate viri respectu uxoris: quod non solùm sit denominativa, & præceptiva, sed etiam legislativa, dùm inquit, *quod mulier est alligata legi, quanto tempore vir ejus viuit, & est sub lege viri*; tanto ergo magis patria potestas respectu filiorum non solùm erit præceptiva, sed etiam legislativa, præsertim cùm hoc etiam in bonum commune, & publicum vergat, ut filii parentibus obediant, & uxores viris suis, & savet Salomon in Proverbiis cap. 1. dicens: *Audi fili mi disciplinam patris tui, & ne dimittas legem matris tuæ*, & iterum c. 6. *Conserva fili mi præcepta patris tui, & ne dimittas legem Matris tuæ*.

13 Cùm autem hic quæritur, in quibus personis residеat legum ferendarum potestas, satis clarum est hoc spectare propriè ad leges tantùm positivas, quæ, scilicet, superioris voluntate ponuntur, & ità feruntur, lex enim æterna propriè non diceretur à Deo lata, cùm potius sit ei essentialis, sicut nec lex naturalis dicitur à nobis lata, sed potius nobis innata, benè tamen poterit dici Deus auctor hujus legis naturalis, in quantum est auctor naturæ, qua ratione dixit Augustinus lib. 2. de Serm. Domini in Monte cap. 9. *quis legem naturalem in cordibus hominum scribit, nisi Deus?* ob id tamen non diceretur propriè legem naturalem tulisse, quasi eam non ferre potuisset, ut dicitur de lege positiva Divina cujus ipse Deus immediatè lator fuit; nam legem veterem tradidit, & promulgavit ipse manu Moysis qui se habuit tanquam Minister, & veluti præco vocatus, & missus à Deo; legem deindè novam tulit, & condidit immediatè Christus Dominus verus Deus, & verus Dei filius potestate Divina, & ad eam promulgandam in universum orbem Apostolos misit. Potestas verò condendi leges Ecclesiasticas, & Canonicas ad spirituale animarum regimen ordinatas residet in Summo Pontifice, qui est in Terris Christi Vicarius, & cui demandata est animarum cura, & hac potestatem non accepit à communitate fidelium, nec ab Ecclesia, quæ est Christiana Respublica, sed immediatè ab ipso Christo, qui

eam

eam Petro, ejusque successoribus contulit in perpetuum, eo ipso quod absolutè, & sine ulla exceptione curam ei commisit, & gubernationem Ecclesiæ, quando dixit Jo: 21. *Pasce oves meas*. Potestas tandem ferendi leges civiles, quæ ad temporale populorum regimen, & commodum per se ordinantur, residet pœnes Communitatem, & pœnes Principem, qui vicem communitatis gerit, & se habet tanquam persona publica, quamvis enim ab initio tota hæc potestas pœnes ipsam multitudinem resideret, quia tamen hæc tota difficulter congregari poterat, & immediatè per se regi, introductum fuit ut plurimum in regimine politico, ut eadem potestas conferretur, vel pluribus quibusdam, & certis viris, qui quendam Senatum integrarent, vel uni soli, qui esset Rex, & Princeps; omnes itaque, & soli Principes supremi, & absoluti potestatem habent ferendi leges in suis Regnis, & ditionibus, alii autem inferiores, & feudatarii Principes minimè talem habent potestatem legislativam, nisi ab ipsis supremis sit eis communicata, ut de facto sub Romano Imperatore, ac etiam sub Romano Pontifice, tanquam supremo Rege in sua dictione, sunt quidam Principes feudatarii talem facultatem habentes à supremis, & absolutis ferendi leges in suis Provinciis. Quamvis autem talis potestas politica etiam in supremis Principibus, & Regibus, & iisdem populis; & tota Communitate proximè, & immediatè originem traxerit, mediatè tamen, & ultimatè in ipsum quoque Deum referri debet, qui est supremus Princeps, & *legifer noster*, Isaiæ 33. ità enim habetur Proverb. 6. dum ait, *Per me Reges regnant, & legum conditores justa decernunt, per me Principes imperant, & potentes decernunt justitiam;* dixi autem mediatè, & remotè hanc quoque potestatem legislativam esse in Deum referendam, quia putandum non est hanc potestatem civilem Principibus, & Regibus fuisse à Deo ità immediatè collatam, sicut potestas Ecclesiastica, & spiritualis fuit Pontifici à Christo Domino immediatè collata; Sed sensus est, quod dùm Deus humanum condidit genus, & per suam providentiam humanam convictum, & societatem disposuit; ex divina institutione factum est, ut populi ob commune bonum modum regiminis ordinare deberet, & Magistratus, & Principes sibi constituere possent, qui etiam in ferendis legibus, & judiciis rationes Divinæ Sapientiæ respicere, & consulere deberent, & quod Deus ipse vult, & jubet, ut subditi Principibus obediant juxtà illud Pauli: *Obedite præpositis vestris*, in hoc inquam sensu dicitur, quod etiam Principum legislativa, & imperativa potestas in Deum referri debet, ut eruditè discurrit Aversa quæst. 90. sect. 7.

14 Quartò prætereà quæritur, an perpetuitas sit de ratione legis, non est difficultas de perpetuitate, ut dicit æternam durationem sine principio, & sine nam hoc modo certum est plures leges non esse perpetuas ut satis constat de lege humana, sed quæstio est de perpetuitate, ut dicit diuturnam longi temporis durationem; seù durationem indefinitam. Negant recentiores quidam apud Salas tract. 14. de Legibus disp. 1. sect. 9. Primò quia perpetuitas est idem, quod duratio; sed duratio non potest esse de essentia alicujus creaturæ, quia Deus potest quamcunque creaturam destruere ejus essentia manente. Deindè quia unus legislator non habet jurisdictionem in alium sibi succedentem, ergo poterit succedens mutare leges, & statuta præcedentis, atque ideò non est de ratione legis perpetuam esse. Tandem quia id constat in lege veteri, quæ ad tempus duravit usque ad adventum Christi, & in multis legibus humanis, quæ temporis successu mutantur.

15 Communis tamen sententia tam Juristarum, quàm Theologorum affirmat legem de sua ratione habere, ut perpetua sit, ac per hanc conditionem, tanquam per propriam differentiam, legem à simplici præcepto discerni, quia præceptum ad præsentem tantùm extenditur, lex verò non tantùm loquitur ad præsentes, sed etiam ad futuros, præceptum spirat mortem præcipientis, & absque nova revocatione cessat cessante vita, vel officio illius, lex autem, & statutum durat etiam post mortem conditoris, & quamdiù non revocatur, semper vim suam obtinet, cujus diversitatis alia ratio assignari non potest, nisi natura ipsius legis, quæ hoc exigit. Hoc etiam constat non solùm exemplo legis æternæ, naturalis, & divinæ positivæ, nam vetus diuturna fuit usque ad Christi adventum, & nova usque ad finem mundi est duratura; sed etiam ex praxi, & stylo omnium nationum, apud quas leges semper vigent, nisi rationabili de causa ab habente legitimam auctoritatem tollantur, & revocentur, & ratio est, quia leges humanæ naturalem, & æternam, cujus sunt participationes, quoad fieri potest imitari debent. Ratio tandem à priori est, quia lex, ut suprà dictum est, solùm directè fertur in Communitatem, & bonum ejus, ad differentiam præcepti, quod particulari personæ potest dari; sed Communitas est perpetua, cùm ex se non habeat terminum definitum, & solùm in membris ipsius varietur, ergo etiam lex, quæ ad ejus stabilimentum, & utilitatem ordinatur, debet ex natura sua esse perpetua.

16 Ex qua doctrina rationes in oppositum facilè solvuntur, nam prima probat tantùm durationem actualem non esse de essentia legis, non tamen probat, quod duratio aptitudinalis, seù exigentia durationis actualis non sit de essentia ipsius, in quo tantùm sensu dicimus perpetuitatem esse de ratione legis. Ad secundam negatur ultima consequentia in sensu, quo legi perpetuitas tribuitur, hæc enim non est perpetuitas positiva; qua nimirum semel lata numquam mutari possit, sed negativa, ut quamdiù consuetudinem, vel consensu, & voluntate Principis non revocatur, semper obligandi vim habeat; hæc enim perpetuitas distinguit legem à præcepto, quod non modò negativè, verùm etiam positivè temporale est durans tantùm ad vitam præcipientis, ut benè discurrit Amicus disp. 1. sect. 4. undè gratis conceditur posse legem ab uno legislatore latam ab alio successore parem potestatem hnbente revocari, nam ex hoc sequitur solùm legem non esse natura sua perpetuam positivè, ut nunquam mutari possit; sed tantùm negativè modo jam explicato. Ad 3. patet per idem, negandum enim est veterem legem non fuisse perpetuam pro eo statu, pro quo lata fuit, nam quamdiù per Evangelicam, ad quàm ut ad perfectionem disponebat, revocata non fuit, semper obligabat, & sic dicendum est etiam de aliis legibas quæ temporis successu mutantur, nam perpetuitas, quæ legi adscribitur, non est positiva, ut dictum est, qua nimirum lata semel amplius mutari non possit, sed tantùm negativa, non enim est de ratione legis, ut duret, quin revocari possit, sed quod ex natura sua habeat subsistentiam perpetuam, si non revocatur, in qno à simplici præcepto distinguitur, ita Suar. Vasquez, Salas, Amicus, Aversa, Lezana, Arriaga, Caspensis, & alii passim.

17 Quintò ulterius est difficultas, an promulgatio legis sit de ejus essentia, & quidem certum est legis promulgationem esse necessariam ad hoc, ut subditi ab ejus transgressione non excusentur, quia lex non promulgata est ignorata, ac propterea idem, ac non data, quarè solùm est quæstio, an hæc promulgatio sit de legis essentia, an verò solùm conditio, ut obliget, & quæstio etiam præsertim est de lege positiva, tam divina, quàm humana, licet enim etiam in lege naturali, & æterna possit suo modo aliqua promulgatio assignari, ut dicemus q. seq. non tamen ità propriè, & rigorosè, sicut in lege positiva. Prima sententia docet promulgationem pertinere ad rationem formalem, seù essentiam legis; ità significat D. Thomas q. 70. art. 4. & tenent communiter Thomistæ Sotus, Castrus, Medina, Suarez, Vasquez, Montesinos, Meratius, Caspensis, Amicus, Lezana, & alii passim, quod probant. Primò quia lex importat essentialiter imperium alicujus superioris alteri factum potens movere ad obediendum, ergo cùm non possit movere, nisi exterius manifestetur, talis manifestatio erit de essentia imperii, atque ideò legis. Deindè quia de ratione legis est, quod sit directiva operationom, sed sine aliqua promulgatione non potest esse directiva, quia secluśa promulgatione lex latet in mente legislatoris, & nullo modo afficit subditos; ergo, &c. Tandem quia leges instituuntur, quando promulgantur ex c. *In istis*, dist. 4. ergo promulgatio est de essentia legis.

18 Secunda sententia tenet promulgationem non esse de essentia legis, sed solùm conditionem, ut actu obligare dicatur, sicut applicatio ignis ad combustibile est conditio ad combustionem, ità colligitur ex Scoto 4. d. 3. q. 4. art. 1. ubi de lege Evangelica loquens ait institutionem præcessisse ejus promulgationem, quia non promulgatur lex, nisi à legislatore primò determinetur, à cujus determinatione habet firmitatem, & vim obligativam, & hæc determinatio dicitur prima legis institutio, & ità etiam significavimus l. 3. sent. disp. 7. quæst. 8. de justitia art. 1. num. 171. ubi dicebamus, quod aliud est loqui de lege secundùm se considerata, aliud ut actu obligante, sicut aliud est loqui de causa secundùm se considerata, aliud ut actu causante, vel proximè causare potente; promulgatio itaque non est pars legis propriè loquendo, sed conditio necessariò requisita, & veluti approximatio quædam, ut dicatur actu obligans, & hanc sententiam non solùm sequuntur Scotistæ communiter, ut Vulpes disput. 1. art. 7. sed etiam plures Thomistæ, ut Hacquetus tract. de legibus controv. 31. pro qua citat etiam D. Thom. 1. 2. q. 90. art. 4. Granados, Pasqualigus, Arriaga, Becanus, & alii. Ratio fundamentalis est, quia lex non constituitur in sua essentia per actualem obligationem, sed solùm per vim obligativam, quia actus secundus ad essentiam rei non pertinet, obligare autem est actus secundus legis, cùm sit effectus ipsius, ergo promulgatio ad legis essentiam non pertinet, quia non tribuit legi vim obligativam, sed eam supponit, quia est actualis applicatio ad obligandum.

Confirmatur, quia illud solùm est de ratione, & essentia legis, quod necessarium est, ut habeat vim obligativam subditorum; sed ad hoc non requiritur promulgatio, sed sola legis institutio, & determinatio per voluntatem legislatoris facta; ergo non est de essentia legis. Minor probatur, quia hæc vis obligativa ad promulgationem supponitur, siquidem est ipsius actualis applicatio ad subditos, prius enim quàm Princeps legem promulget habet in se eos actus intellectus, & voluntatis, in quibus diximus artic. præced. essentiam legis consistere, & posteà per promulgationem eam subditis applicat.

19 Respondet Lezana tr.6.disp.1.q.9. concessa majori negando minorem, & ad ejus probationem negat antecedens, actus enim intellectus, & voluntatis, qui præsupponuntur in legislatore antè promulgationem, solùm habent rationem legis in actu primo, & quantum est ex parte legislatoris, & loquentis, non autem in actu secundo, & quantum est ex parte subditorum, & audientium. Sed hæc ipsa responsio seipsam destruit, & argumentum confirmat, si enim actus intellectus, & voluntatis, qui præsupponuntur in legislatore antè promulgationem, habent rationem legis in actu primo, jam habemus intentum, quia actus secundus ad essentiam rei non pertinet, & seù in sua essentia non constituitur per actualem obligationem, quæ est effectus ipsius, sed solùm per vim obligandi in actu primo; aliud ergo est loqui de vi dirigendi, & obligandi, aliud de actuali directione, & obligatione; item aliud est spectare essentiam, & substantiam legis in se, aliud spectare officium legis respectu hujus, vel illius hominis in particulari; vis quidem dirigendi, & obligandi ad essentiam legis pertinet, sed actualis directio, & obligatio ad officium legis tantùm spectat, non ad essentiam, ut benè discurrit Becanus tr.3.c.1.q.4. Undè optimè dixit Arriaga tr. de legibus disp.4. sect.4. esse puram de nomine quæstionem, an voluntas obligandi existens in legislatore dicenda sit lex, antequam subdito manifestetur, an verò ipsa manifestatio sit dicenda pars intrinseca legis, & ait posse, ac debere illam voluntatem interiorem dici legem, & in actu primo directivam, & obligativam, in quo essentia legis consistit, non verò in actu secundo obligantem. Hinc facilè solvuntur rationes in oppositum adductæ. Ad primam enim dicendum est utique legem importare imperium non quidem essentialiter actu movens ad obediendum, sed potens movere in actu primo, tale autem imperium est in lege ante promulgationem, & promulgatio solùm applicat ad actu movendum. Ad secundam patet per idem, quia lex est directiva in actu primo etiam antè promulgationem, licet non in actu secundo, & in potentia proxima, hæc autem actualis, & proxima directio non est de essentia legis, sed tantùm ejus effectus, & officium. Ad ultimam, leges instituuntur per promulgationem quoad usum, & applicationem pro regimine populi, non autem quoad essentiam, & in hoc sensu loquitur Gratianus loc. cit. quia lex non inducit obligationem in subditos, nisi quando legislator suam voluntatem per imperium, & promulgationem patefacit. Alia, quæ hoc loco disputari solent de promulgatione legis Divinæ, & humanæ, & de qualitate, & modo talis promulgationis, pertinent ad quæstiones speciales de illis inferius discutiendas.

20 Sextò tandem quæstio est, an ad valorem legis requiratur consensus, & acceptatio populi. Affirmant plerique tam ex Theologis, quàm ex Juristis itaut in libertate populi situm sit acceptare, vel recusare legem, ità Becanus 2.p. tr.3.c.6. Bonacina disp.1.quæst.1.punct.4.& alii plures, quos referunt Recentiores. Quorum præcipuum fundamentum est, vel quod Princeps simpliciter non habeat potestatem obligandi populum contradicentem, & resistentem; vel saltem quod non habeat, nec habere debeat voluntatem illum obligandi, nisi cum consensu, & acceptatione ipsius; quia nimirum vel Princeps accepit à populo potestatem cum illa conditione, & limitatione; vel saltem quia lex ferri non debet, nisi ob commune bonum, non esset autem commune bonum ferre legem contra sensum, & consensum populi, undè semper præsumi debet Princeps leges condere, & promulgare sub tacita conditione, si à populo acceptentur, quia hoc ad suave populorum regimen spectare videtur, & magis conforme legislatorum benignæ voluntati. Quod quidem confirmat dictum Gratiani §. *Leges* cap. 3. d. 4. *Leges instituuntur, cùm promulgantur, firmantur, cùm moribus utentium approbantur.* Et de Jure ipso Civili id approbari videtur. *L. De quibus*, ff. de legibus *leges nulla alia ex causa nos tenent, nisi quia judicio populi receptæ sunt*,

21 Communis tamen, & vera sententia est, nequaquam requiri, & expectari debere acceptationem populi, ejusque consensum ad constituendam legem, & ejus validitatem, ac proindè licitum non esse legem justam à Principe latam violare sub prætextu quod populus non consenserit, sed potiùs ex ipsa jussione Legislatoris teneri populum acceptare legem, & exequi; ità Suarez, Vasquez, Aversa, Lezana, Caspensis, qui alios Theologos, & Juristas adducunt, & quoad Leges Canonicas res de se patet, quia Summus Pontifex potestatem ferendi leges immediatè accepit à Christo Domino, non autem à populo, & indè in Episcopos derivatur, & alios inferiores Prælatos, nec illam accepit cum tali dependentia, vel limitatione, ut in ferendis legibus consensu populi indigeret; ergo leges Canonicæ quoad earum obligationem ab acceptatione populi non pendent, ac proindè peccant eas non acceptando. Quoad leges verò civiles, idem probatur, quia licet Principes instituti sint, & acceperint potestatem à populis, tamen instituti sunt cum potestate absoluta, & suprema; de his enim loquimur, & tali facta suppositione, non autem cum tali à subditis dependentia, alioqui suprema potestas adhuc penes populum resideret, & non penes Principem, quod est contrà suppositum; supponimus enim Principes leges condere jure præfecturæ, & absoluti, ac supremi dominii, quod in subditos habent; non ergo liberum est populo acceptare, vel recusare legem, & Princeps auctoritatem habet obligandi, & cogendi populum ad eam acceptandam, & observandam.

22 Hinc patet ad fundamentum prioris sententiæ, non enim deest simpliciter potestas legislatori obligandi, & cogendi populum ad legis acceptationem, & observantiam, nec deest illi voluntas obligandi, dùm legem instituit, & promulgat, eique commissum est judicium, & cura boni communis. Nec sensus illius dicti ex L. *De quibus* est, quod requiratur populi consensus, ut lex ab initio vim habeat obligandi, sed ut firmetur, & perseveret, eo quod per contrariam consuetudinem lex tollitur, duratio siquidem, & permanentia legum apparet in consuetudine, & observantia populorum, quod adhuc magis expressit Gratianus, cùm dixit, leges institui, cum promulgantur, firmari verò, cùm moribus utentium approbantur, eo quod per contrariam consuetudinem tolluntur; absolutè tamen ex voluntate legislatoris ad earum observantiam tenemur. Undè ex his textibus ad summum solùm inferri potest, legem humanam non acceptatam, seù non receptam per usum, & desuetudinem à tota communitate, vel majori ipsius parte, non obligare subditos, dummodò id fiat ex justa, & rationabili causa, ut tenent Navarrus, Miranda, Toletus, Rodriquez, Lezana, Caspensis, Valentia, Suarez, Naldus, Palaus, & plures alii; quorum ratio est, quia esto Princeps potestatem habeat obligandi subditos, ad legum observantiam, quantumvis renuentes, alioquin major potestas esset in populo, quàm in Principe, nihilominus quia quando lex non acceptatur à tota Communitate, vel majori parte, creditur propter benignitatem Principis non esse in eo voluntatem subditos obligandi, sed potius latam esse sub tacita conditione, si fuerit acceptata; ideò in tali casu non censentur ad legis observantiam obligari, quod præcipuè locum habet, cum lex imposita gravis est, & difficilis observationis, aut adversatur consuetudini receptæ, ut habetur c. 1. de Constit. in 6. & c. *Certificati de sepultur.* Quod si constaret Principem, & legislatorem ad observantiam legis obligare velle populum independenter ab acceptatione ipsius, tunc etiamsi non acceptetur ab ipsis adhuc ad ipsam obligantur, ut etiam relati Auctores concedunt; & ratio est, quia in tali casu cessat credulitas de benignitate Principis, & alioquin absolutè loquendo majoris potestatis essent subditi, quàm Principes contrà illud Pauli ad Rom.13. *omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit.* Quando ergo lex definit obligare ex desuetudine, id nequaquam est ex defectu potestatis in Principe, quasi non habeat vim obligandi, & cogendi populum renitentem, sed solùm est ex præsumpta benignitate, & habituali Principis voluntate, qua non censetur velle subditos obligare cum tanto rigore, & periculo contrà usum, & morem introductum, ut benè discurrit Aversa q. 95. sect. 4.

QUÆSTIO SECUNDA.

De divisione legum, seù quotuplex sit lex.

23 HActenus de lege in communi disputatum est, quatenus est recta regula, seù mensura humanorum actuum, secundum quam vel ad benè agendum dirigimur, vel à male agendo retrahimur, nunc de legibus in particulari disputandum est, & omissis legum divisionibus, quæ ex legislatore, & materia legis, & ex fine à Juristis assignari solent, trimembris divisio frequentior est apud Theologos; nempè in æternam, naturalem, & positivam, & hæc subdividitur in divinam, & humanam, quæ quidem lex positiva humana rursus duplex est, Ecclesiastica, scilicet, & civilis,

vilis, ſicut etiam lex poſitiva divina alia eſt vetus, ſeù Moſaica, alia nova, quæ lex Evangelica, ſeù Chriſti vocatur, quoniam ab illo, tanquam ſupremo legislatore in Evangelio lata eſt, & promulgata, quàm legis diviſionem etiam Scotus aſſignat 4. d. 17. q. un. ab initio.

ARTICULUS PRIMUS.

Quid ſit lex æterna, & an aliæ leges ab ea deriventur.

24 PRimò Thomiſtæ communiter eſſentiam legis æternæ ſic explicare ſolent ex D. Tho. q. 90. a. 1. quod nihil eſt aliud, quam ratio divinæ ſapientiæ, quatenus omnium actionum, & motuum directiva eſt, ſicut enim in quolibet artifice præexiſtit ratio eorum, quæ per artem fiunt, ità etiam in quolibet gubernante præexiſtere debet ratio directiva eorum, quæ ab iis, qui ejus gubernationi ſubſunt agenda, vel omittenda ſunt; Deus autem ſicut per ſuam ſapientiam rerum omnium conditor eſt, ſic etiam eſt gubernator, undè ſapientia illa, in quantum per eam cuncta creata ſunt, rationem habet exemplaris, & ideę; in quantum verò per eandem cuncta diriguntur in finem debitum, legis æternæ rationem obtinet, & ſicut ratio rerum creandarum nihil eſt aliud, quam conceptus divinæ mentis, quo concipit rem, & judicat, quomodo illa ſit facienda; ſic ratio rerum gubernandarum, quæ lex æterna vocatur, nihil aliud eſt, quàm conceptus divinæ mentis, quo concipit, & judicat, quomodo unaquaque creatura debeat ſuas functiones obire.

25 Verùm juxtà hanc explicationem, niſi aliud addatur; lex æterna importaret ſolùm actum intellectus, & ſolùm dictamen rationis in intellectu divino exiſtens, quod quidem ad orationem legis non ſufficit, quia de ratione legis eſt non tantùm quod ſit directiva, ſed etiam obligativa reſpectu ſuabitorum, quam vim obligativam non habet; niſi ex voluntate legislatoris, ſolùm enim dictamen ſuperioris niſi volitio accedat, non obligat, cùm ergo nos non obligemur formaliter, eo quod Deus aliquid cognoſcat agendum, vel omittendum, ſed ex eo quod nobis aliquid per ſuam voluntatem imperet, ideò dicendum eſt legem æternam reſpectu creaturarum non eſſe ſolùm actum divini intellectus, ſed etiam divinæ voluntatis, quo ab æterno voluit, ut hoc faceremus, & illud omitteremus, ut benè Arriaga advertit diſp. 6. ſect. 4. & ita tenendum eſt de mente Scoti, ut docet Nicolaus de Niſe loc. ſupracit. & hoc modo etiam explicat mentem D. Thomæ Reccanus cap. 2. q. 1. ubi ait, quod lex æterna eſt actus divinæ mentis, quo concipit, & judicat quaſdam regulas practicas neceſſariæ, & æternæ veritatis eſſe à creatura ſervandas cum voluntate eam obligandi, & hoc modo ait D. Thomam legem æternam accepiſſe loc. cit. cùm ait nihil aliud eſſe, quàm rationem divinæ ſapientiæ, ſecundùm quam dirigit omnium creaturarum motus, & actiones in ſuos fines, & hæc eſt expreſſa D. Aug. doctrina l. 22. contra Fauſtum c. 27. ubi legem æternam ſic definit. *Lex æterna eſt ratio divina, & voluntas Dei ordinem naturalem conſervari jubens, perturbari vetans*; qua ratione ibidem peccatum definit, quod *ſit dictum, factum, vel concupitum contrà legem æternam*, quia lex æterna nihil aliud ſignificat, quàm rationem Dei judicantis, & volentis tale opus non eſſe faciendum, aut propter malitiam ex ipſa rei natura prodeuntem, aut ſaltem propter prohibitionem liberam, ut in vetitis per ſolam legem poſitivam; quædam enim peccata ſunt immediatè contrà legem æternam, & naturalem, non mediante alia lege poſitiva, quia nempè ſunt per ſe mala, & illicita, quædam verò ſunt mediatè ſolùm contra legem æternam nempè mediante alia lege poſitiva, quæ jubet, aut vetat aliquid, quod alioquin de ſe non erat debitum, aut illicitum, lex autem æterna dictat, & obligat, ut fiat quod jubetur, & non fiat, quod vetatur tali lege poſitiva, ut magis poſteà conſtabit, declarando, quomodo lex æterna ſit origo omnium aliarum legum quoad vim obligandi. Quarè Recentiores paſſim legem æternam definiunt, quod ſit ratio in divina mente exiſtens, ſeù actus divinæ voluntatis judicantis, & volentis, ut nihil fiat inhoneſtum, ſivè hoc tale ſit ex ipſa lege naturali, ſivè ex ſola poſitiva, ut videri poteſt apud Caſpenſem diſp. 2. ſect. 1. & Amicum diſp. 3. & alios paſſim.

26 Secundò addendum eſt volitionem Dei, quæ eſt lex æterna reſpectu creaturarum, eſſe neceſſariam in Deo, non verò liberam ſeù contingentem, quia reſpicit pro objecto regulas practicas neceſſariæ, & æternæ veritatis, ad quam naturaliter obligamur, ut Deum eſſe colendum, parentes eſſe honorandos, ſuperioribus obediendum, non eſſe mentiendum, nemini injuriam faciendum, & ſimiles; hæ enim ſunt regulæ omninò immutabiles, & æternæ, atque ideò Deus judicat, & neceſſariò vult tales regulas eſſe à creatura ſervandas; ratio hujus eſt, quia ut docet Scotus q. 4. Prolog. 9. voluntas divina in ordine ad neceſſaria non eſt prima regula, ſed eſt divinus intellectus, ut docet quol. 18. intrà c. cui ex ſua perfectione ſeſe neceſſariò conformat divina voluntas, quarè ut dicebamus l. 2. diſp. 6. de Peccatis q. 2. art. 2. n. 82. licet potuerit Deus abſolutè non prohibere actum odii, blaſphemiæ, vel mendacii ea prohibitione, quæ fit per imperium liberum, & explicatm per verbum imperativi modi *non occides*, *non mentieris*, quæ eſt externa prohibitio per revelationem, & legem poſitivam à Deo latam, tamen non prohibere non potuit ea prohibitione, quæ conſiſtit in judicio reprobante intellectus per modum indicativi, & in diſplicentia reprobativa voluntatis, quæ prohibitio explicatur per verbum indicativi modi nolo mendacium, odium, &c. & dicitur prohibitio interior, quia licet ad extrà nihil Deus dicat, verè tamen illi ea objecta diſplicent, & in hoc ſenſu Deus dicitur neceſſariò prohibere actus intrinſecè malos, nec talis prohibitio eſt ei libera, quia hujuſmodi reprobatio, & diſplicentia ſunt actus neceſſarii in intellectu, & voluntate divina immediatè regulati per ſcientiam ſimplicis intelligentiæ; ſi ergo ſermo ſit de lege poſitiva, ex prohibitione externa, Deus omnia mala liberè prohibuit, & potuit abſolutè loquendo à tali prohibitione abſtinere, nec fuit neceſſitatus ad illam, loquendo verò de alia prohibitione nimirum interiori jam explicata, utique hæc fuit neceſſaria in Deo, & dicitur in ipſo lex æterna, quam Scoticam doctrinam etiam ſequitur Arriaga diſput. 6. ſect. 5. cum aliis Recentioribus.

27 Tertiò, tanta eſt vis, & poteſtas hujus æternæ legis, ut omnes, & quæcumque creaturæ nulla prorſus excepta, illi omnimodè ſubdantur, quia lex æterna eſt gubernativa rerum univerſi, ſed omnia divinæ gubernationi ſubduntur, ergo & legi æternæ; & huc ſpectat illud Sapientiæ 8. *Attingit à fine uſque ad finem fortiter, & omnia diſponit ſuaviter*, & quidem de creaturis ratione carentibus conſtat ex Pſalm. 148. *Ignis, grando, nix, glacies, &c. quæ faciunt verbum ejus*, & Pſalm. 118. *Ordinatione tua perſeverat dies, quoniam omnia ſerviunt tibi*. De creaturis autem ratione præditis adhuc magis conſtat, quia hæc lex æterna eſt prima regula, & menſura actuum in genere moris, eſt norma directiva noſtrorum actuum, eique ſubduntur omnes humani actus, quatenus morales, ſivè omnes actus creaturarum rationalium, etiam Angelos comprehendendo. Diverſo tamen modo legi æternæ ſubiiciuntur irrationalia, ac rationalia, ſivè intellectualia, quia illi irrationalia ſubiiciuntur neceſſariò, & naturaliter, quatenus, ſcilicet, Deus imprimit illis naturalem inclinationem, quæ inſtinctus naturæ appellatur, ad faciendum naturaliter, & neceſſariò ea, quæ Deus vult ab ipſis fieri; rationalia verò ſubiiciuntur illi liberè, & moraliter, nempè per cognitionem & judicium, nam etiamſi Deus illis quoque naturalem ad ſuas operationes impreſſerit inclinationem, nihilominus quoad actiones morales eas, ſcilicet, quæ ſunt propriæ hominis, ut homo eſt, non moventur neceſſariò, & naturaliter, ſed media cognitione indifferenti, & libera. Undè fit, ut hæ creaturæ legi æternæ liberè ſubiiciantur, illæ verò neceſſariò & naturaliter; item ut hæ propriè obligentur, illæ verò impropriè, ubi enim libertas non eſt, nec obligatio ſub peccato eſſe poteſt; ex quo ulterius ſequitur legem æternam propriè non habere rationem legis reſpectu irrationalium, ſed ſolùm metaphoricè, ſicut nec ipſorum obedientia eſt vera, & propria, ſed ſolùm metaphorica ob defectum cognitionis ipſius; at reſpectu rationalium lex æterna habet veram legis rationem, & obedientia ipſarum eſt vera, & propria, ac procedit ex cognitione ipſius, quia iſtæ ſolum liberum habent arbitrium, ac proindè propriè ſub peccato obligari poſſunt. Hæc verò lex æterna, quamvis plura reſpiciat objecta adhuc tamen ſimpliciter, & abſolutè loquendo dici debet una, ſeù unica, ut docet S. Thomas q. 93. art. 1. & ratio eſt quia eſto plura reſpiciat objecta materialia, ea tamen reſpicit ſub unica ratione formali, ſcilicet, boni communis; generaliter autem ſequendo ea, quæ reſpiciunt plura, ſed ſub unica ratione formali, non dicitur plura, ſed unum, ut patet in intellectu, voluntate, & aliis potentiis; ergò abſolutè, & formaliter hæc dici debet una lex non plures, eſto D. Auguſt. aliquando eam vocet nomine ſingulari, aliquando, verò plurali, quo fundamento ſatisfieri poteſt Ulpio oppoſitum docenti diſp. 4. art. 1.

28 Quartò ulterius affirmat communiter Theologi, & Patres à lege æterna omnes alias derivare, quia indè originaliter habent vim, & efficaciam obligandi. Colligitur ex Proverb. 8. *Per me Reges regnant, & legum conditores juſta decernunt*, & ex illo Roman 13. *Omnis poteſtas à Deo eſt*. Deindè ex D. Auguſt. 1. de lib. arb. cap. 6. *Nihil eſt temporali lege juſtum, quod ex lege æterna non derivetur*, & lib. de vera & falſa Relig. 31. *Conditor legum temporalium, ſi vir bonus eſt, & ſapiens illam ipſam conſulit æternam*. Hoc autem declaratur diſcurrendo per ſingulas, & primò de lege naturali id conſtat, eſt enim impreſſio quædam, & irradiatio divini luminis in nobis, & participa-

ticipatio illius æternæ legis, quæ in divina mente præeminet, nam est ipsummet naturale judicium, seù rationis dictamen, quo per lumen nobis à Deo inditum, tamquam auctore naturæ & ab æterna ejus lege derivatum, cognoscimus ea esse facienda, quæ recta, & juxta sunt, & è contrario vitanda esse ea, quæ à justitia, & rectitudine deflectunt; sermo hic autem est de lege naturali, prout in nobis est, & de lege æterna, prout in Deo est, quia si loquamur de utraq; in se spectata, quatenus est practica regula æternæ veritatis, jam una ab altera non distinguitur, sed una, & eadem est, ut constabit art. seq. Deindè omnes leges positivæ tam divinæ, quàm humanæ, si secundum se spectentur, quatenus regulæ quædam sunt, à lege æterna secundum se spectata, quatenus regula quædam est, derivantur, & originem ducunt, ut patet inductione, quia ex hac regula æterna, Deus est colendus, deducuntur omnes aliæ regulæ à Deo lege positiva præscriptæ de fide, baptismo, & aliis rebus ad cultum divinum pertinentibus. Pariter ex hac alia regula æterna, nemini facienda est injuria, quam plures deducuntur regulæ humanæ, quæ ad justitiam, & rectitudinem spectant humanæ societatis. Demum leges positivæ ex lege æterna derivantur, quia vim, & efficaciam obligandi ab ea originaliter dicunt, etenim lex ipsa æterna est, quæ proponit, & dictat debere nos obedire legibus positivis, & malum, ac illicitum esse tales leges transgredi; quia interdum lex positiva jubet, aut vetat aliquid, quod alioqui de se non erat debitum, aut illicitum, lex autem æterna, & lex naturali dictat, & obligat, ut fiat quod jubetur per talem legem positivam, & vitetur quod per eam prohibetur; & hac ratione dicitur lex positiva obligare in conscientia, quia naturalis ratio in nobis dictat obediendum esse iis legibus, & mandatis, & hæc est in nobis lex naturalis, quæ est participatio, & expressio legis æternæ.

29 Quintò tandem ex dictis solvitur difficultas illa, an lex æterna sit verè, & propriè lex; Aliqui enim negant esse propriè legem, quia lex petit ex natura sua dominium jurisdictionis in legislatores, & de ratione ejus est, quod communitati feratur, sed ab æterno nullum fuit dominium jurisdictionis, quia in æternitate Deus nullam habuit creaturam, cui dominaretur, nec ulla fuit communitas, cui talis lex promulgaretur; ergo lex æterna saltem in æternitate vim legis non habuit propriè dictæ, ità Becanus, Meratius, Tannerus, & alii. Communis tamen sententia oppositum docet, quia quod est primum in aliquo genere debet esse tale verè, & propriè, cum sit mensura aliorum; sed lex eterna in genere legis est prima à qua omnes aliæ dependent, ut dictum est; ergo est verè, & propriè lex. Et quidem in nostris principiis, absque ulla difficultate defendi potest, ac debet dari ab æterno in Deo veram, & propriam legem, ut docet Divus August. loc. cit. quia supra ostendimus legem adequatè, vel saltem magis principaliter in volitione legislatoris consistere, promulgationem verò solùm requiri ad hoc, ut lex actu obliget; ergo cum in Deo ab æterno sit rigorosa volitio, & approbatio regularum practicarum necessariæ, & æternæ veritatis, ad quas naturaliter obligamur, & ab ipso tamquam ab Auctore naturæ, sequitur ab æterno dari talem legem in Deo respectu creaturarum verè, & propriè dictam. Confirmatur, quia mente Dei fuit ab æterno voluntas obligandi creaturas futuras ad tales regulas servandas, fuit judicium ex parte intellectus, fuit voluntas promulgandi talem legem pro suo tempore; ergo in mente divina fuit ab æterno quicquid constituit essentiam legis; Ex quo patet solutio fundamenti oppositæ sententiæ, negandum enim est Deum non habuisse ab æterno sufficiens dominium jurisdictionis ad legem pro creaturis suo tempore extituris ferendam; quamvis enim non habeat jus in re ab æterno, ut ità dicam, ex eo quod hoc resultare intelligamus ex ipsa creatuarum existentia jam per creationem accepta habet tamen quasi jus quoddam ad rem ipsa voluntate creandi resultans; & quamvis lex non obliget ab æterno communitatem creaturarum, quæ ab æterno non fuit; habuit tamen vim etiam ab æterno obligandi talem communitatem, quæ in tempore futura erat, propter quam vim & ab æterno respiciens communitatem pro tempore, quod sufficit ut ab æterno dicatur etiam hebere vim legis propriè dictæ; ità Suarez, Salas, Arriaga, Amicus, Caspensis, Lezana, & alii Theologi communiter; in qua difficultate amplius immorandum non est, quia hæc quoque est sola contentio de voce, ut ait Arriaga loco citato.

30 Alia plura à Theologis de hac lege æterna disputari solent, quæ missa facimus, & apud alios videnda remittimus, quia majori ex parte, ut notat idem Auctor, solam de nomine continet contentionem; de quibus ex nostris fusè agit Vulpes disp. 2. & 4. sed satis confusè, & implexè, nam disp. 4. art. 1. ait legem æternam esse summam rationem in Deo, scilicet, divinum intellectum respectu habentium necessariam connexionem cum ultimo fine & solam divinam voluntatem respectu non habentium illam connexionem; quod magis declarans inferiori artic. 3. propè finem inquit, per legem æternam per se sumptam significari solùm judicium naturale divini intellectus de rebus necessariis æternæ veritatis præcedens omne decretum liberum voluntatis; latè verò significari etiam imperium, vel ipsum decretum liberum voluntatis principium immediatum omnis rectæ determinationis ad extra respectu contingentium ab æterno pro tempore; ex quo posteà deducit legem æternam nec esse verè, & propriè legem, nec ab ea alias leges deriuari, & alia plura, quæ sunt contrà communem doctrinam Theologorum, & SS. Patrum, ac etiam nostri Doctoris, ut patet ex dictis. Cujus sententiæ falsitas, & ambiguitas ex hoc solùm sufficienter deprehendi potest, quod legem æternam cum lege divina positiva confundit, quæ totaliter dependet à libero divinæ voluntatis decreto, quæ est prima regula contingentium, & agibilium ad extrà; cùm tamen valdè differant; nam lex æterna est de regulis necessariæ, & æternæ veritatis, qua ratione æterna dicitur, & non tantùm, quia sit ab æterno, lex verò positiua divina est etiam de contingentibus, item lex æterna est immutabilis, quia est de regulis necessariæ, & æternæ veritatis, lex autem divina positiva est mutabilis, quia est de regulis contingentibus, ut patet de lege Mosaica, quæ à Deo post Christi adventum abrogata fuit; tandem lex æterna ad omnia creata extenditur, ut supra dictum est, lex autem divina positiva solùm ad creaturas intellectuales. Præstat ergo relictis Vulpii ambagibus de essentia legis æternæ discurrere juxtà communiorem, & probabiliorem doctrina breviter in hoc articulo traditam, præsertim, quia principiis nostri Doctoris est satis conformis, quia hac de re ex professò non egit sed obiter.

ARTICULUS SECUNDUS.

Quid sit lex naturalis, & quæ, ac quanta ejus obligatio.

31 NOmine legis naturalis in præsenti intelligitur ea, quæ non est ex libera alicujus legislatoris voluntate imposita, sed cùm ipsa natura congenita, & ab ipsa profluens, quę proindè etiam lex naturę, & jus naturæ appellari solet, in quo à lege positiva distinguitur, quæ ex libera legislatoris voluntate procedit; ità habetur ex D. August. de quæstionibus noui, & veteris testamenti cap. 4. Hanc autem legem naturalem dari non modò constat, tanquam certum de fide, ex Psal. 4. ubi cum Propheta interrogasset *quis ostendit nobis bona?* ut, scilicet, ea sequamur, respondet *signatum est super nos lumen vultus tui Domine*, & ex Paulo 2. ad Romanos; *Gentes naturaliter ea, quæ legis sunt faciunt, & ipsi sibi sunt lex, & ostendunt opus legis inscriptum in cordibus suis*; sed etiam testimonio Ciceronis 1. de legibus, ubi legem naturalem definit, quod sit: *Ratio summa insita in natura, quæ jubet ea, quæ facienda sunt, prohibetque contraria*; plura autem disputari solent à Recentioribus de lege naturali, quæ quia majori ex parte ad quæstionem de nomine reducuntur, & aliqua alibi sunt discussa, breviter in hoc articulo expedimus.

32 Primò queritur de illa quid sit, & in quo ejus essentia consistat, & omissis variis dicendi modis, qui rem obscuriorem, quàm in se est, reddunt, & apud Amicum videri possunt disp. 4. sect. 1. & alios Recentiores, pro resolutione advertendum est juxtà dicta de lege in communi q. præced. art. 1. num. 7. legem naturalem tripliciter spectari posse, primò, ut est regula practica æternæ veritatis, ad quam servandam naturaliter obligamur; secundò, ut est actus divinæ mentis, quo Deus judicat talem regulam à nobis esse servandam, & simul vult eam servari; tertiò ut est actus humanæ mentis, quo nos naturali instinctu judicamus eandem regulam à nobis servari oportere. Inter hos autem modos hoc interest, quod primo modo considerata, quatenus est practica regula æternæ veritatis, ad cujus observantiam naturaliter tenemur lex naturalis à lege æterna non differt, sed sunt una & eadem lex, & de eisdem veritatibus; secundò autem modo considerata quatenus est in mente divina, dicitur lex æterna, non solùm, quia ibi est ab æterno, sed præsertim, quia est de regulis necessariæ, ac æternæ veritatis; tertiò tandem quatenus est in mente nostra dicitur lex naturalis, quia ex naturali instinctu nobis ineſt; & hoc modo in mente nostra spectata non dirigit nos per modum cognitionis, seù judicii, sed per modum objecti cogniti, sicut exemplar, quod artifex intuetur, dirigit ipsum in operando, non quidem formaliter, sed objectivè, quare lex naturalis non est ipsum lumen rationis naturalis, quod est ipsemet intellectus potens practicè judicare de rebus per se notis, nec est ejus formalis conceptus, quo

judicat

judicat de prædictis etiam practicè per modum præconis, hæc enim potius est notitia practica legis naturalis, seù ipsius propositio in nobis, seù præconizatio, sed est tantùm conceptus objectivus, scilicet, ipsum verum practicum ex terminis simpliciter notum, seù jus quoddam ex natura rei exortum, & in ipsis rebus fundatum, dependenter ab intellectu divino ejus institutione, & dicitur jus naturæ, seù lex naturalis, quia non obligat ex sola, & libera legislatoris voluntate sed ex natura rei, vel terminorum; vim enim obligandi habet ex necessaria connexione mediorum cum fine, ad quem homo ordinatur, in qua obligatione necessariò etiam includitur voluntas obligativa Dei, sicut concursus causæ primæ includitur in concursu causæ secundæ; undè sicut nequit operari causa secunda non cooperante prima, ità nequit obligare lex naturalis, non obligante æterna, cùm tota illa moralis obligatio legis naturalis sit à Deo; quia nempè Deus ex natura sua habet displicentiam de actibus malis, & complacentiam de actibus bonis, ac de observantia legis, & hujusmodi affectus in voluntate Dei intrinsecè comitatur legem æternam, quæ est in mente Dei, estque in Deo necessarius, sicut ipsa lex æterna, cui ex sua perfectione sese necessariò conformat divina voluntas, ut ait Scotus quol. 18. infrà C. atque ratione hujus affectus dicitur facere juxtà voluntatem Dei quicunque servat legem naturalem, & facere contrà voluntatem Dei, qui frangit legem, etiam si nulla extaret lex positiva divina tales actus bonos præcipiens, & malos prohibens; nam quantum ad hoc satis est, quod eo ipso actus mali per se, & ex natura sua sunt contrà legem æternam, quia nempè à Deo ipso cognoscuntur esse mali, & non debere fieri, itemque sunt contrà beneplacitum Dei, & displicent Deo, & hominem. Deo avertunt, tanquam primo auctore, & ultimo fine naturali; & hoc modo etiam Vulpes noster explicat essentiam legis naturalis disp. 5. art. 1. tamquam de mente Doctoris 4. d. 33. q. 1. ad 1. princ.

33 Ex qua doctrina breviter refelli possunt alii dicendi modi circa explicationem essentiæ legis naturalis. Non enim in primis lex naturalis in ipsa natura rationali consistere potest, ut Vasquez, Meratius, & alii putarunt, quia lex naturalis est illa ex omnium consensu, quæ ipsam naturam rationalem dirigit, regulat, & mensurat; tùm quia natura ratius est directa, regulata, & mensurata, ipsa autem natura rationalis legi naturali subiicitur, non ergo ratio legis naturalis in ipsa natura rationali consistere potest, & aliàs idem sibi ipsi subiiceretur. Neque lex naturalis consistit in convenientia, aut disconvenientia, quàm habent actiones aliquæ ad naturam rationalem independenter à lege positiva Dei, aut creaturæ, ut ait Pontius noster disp. 25. q. 2. Quia hæc non est lex, sed potius materia ipsius legis naturalis quæ præcepit id quod est naturæ rationali consentaneum, & vetat quod est dissentaneum, tùm quia, ut latè probatum est lib. 2. disp. 6. q. 3. de ratione peccati, & mali moralis est esse contra legem aliquam ex superius enumeratis, & omne bonum morale ideò est formaliter tale, quia juxtà legem; cùm ergo natura rationalis secundum se sumpta, ac veluti in actu primo, non habeat rationem legis, sed legi subjecta sit, non benè explicatur lex naturalis per ordinem ad ipsam sic absolutè sumptam, & in actu primo, sed potius explicari debet per ordinem ad naturam rationalem in actu secundo, id-est, in ordine ad rationem nobis proponentem legem æternam servandam, nam ipsa lex æterna sic nobis proposita, & per lumen naturale inserta dicitur lex naturalis. Neque lex naturalis benè explicatur per ipsum lumen rationis in actu primo, quod est ipsemet intellectus potens practicè judicare de rebus per se notis, & de his, quæ bona, & quæ mala sunt, seu debita, vel illicita antecedenter ad omnem legem positivam, ut ait Aversa q. 94. sec. 1. quia in tantum hoc dici potest, in quantum per ipsum intellectum, & lumen rationis naturale proponitur lex æterna habens vim obligandi; hoc autem non efficit, quod ipsum judicium intellectus talem regulam proponens sit lex naturalis obligans, sed potius regula æternæ veritatis per ipsum proposita, ipsum verò judicium sit veluti præco talis legis, & ejus intimatio; & hoc modo in mente nostra spectata, non dirigit nos per modum cognitionis, seù judicii, ut suprà dictum est, sed per modum objecti cogniti, sicut exemplar in mente artificis. Undè neque conceptus formalis, quo intellectus judicat de prædictis regulis etiam practicè per modum præconis, dici potest lex naturalis propriè loquendo, ut communiter Thomistæ loquuntur, hæc enim potius est ipsius legis naturalis notitia practica, seù ejus propositio, & intimatio.

34 Restat ergo, ut lex naturalis propriè, & in rigore loquendo sit tantùm conceptus objectivus, scilicet ipsum verum practicum, seù jus quoddam ex ipsa rerum natura formaliter exortum, & principiativè ab intellectu divino ejus institutore per lumen naturale rationis nobis intimatum. Hoc autem jus hominibus intimatur, & obligare incipit ab eo tempore, quo rationis usum accipiunt, & per talem legem sibi intimatam inter bonum, & malum discernere incipiunt, hic enim rationis usus est veluti ipsius legis naturalis notificatio, & manifestatio, & hoc significare intendit Paulus ad Romanos 7. illis verbis *ergo autem vivebam sine lege aliquando, sed cùm venisset mandatum peccatum revixit* juxtà expositionem Basilii in psal. 1. & Hieronymi ep. ad Aglasiam q. 8. ubi sic explicat. *Cùm mandatum venerit, hoc est tempus intelligentiæ appetentis bona, & vitantis mala, tunc peccatum reviviscere incipit, & homo reus est peccati*. Et hinc etiam patet quomodo intelligendum sit quod communiter dicitur, legem, scilicet, naturalem cordibus hominum inditam esse, & homini insitam, & innatam, ac stabiliter in ipso permanentem, non inquam ità intelligendum est quasi lex naturalis esset quidam habitus, ut quidam Antiquiores dixerunt, quia non est habitus per se infusus alioquin esset supernaturalis, & non naturalis; neque est acquisitus, quia antecederet ad omnem habitum acquisitum datur in hominibus obligatio legis naturalis, ratione cujus à primo instanti usus rationis tenetur homo ad ultimum finem se convertere; neque est habitus congenitus, quia iste in practicis, & moralibus est Synderesis, qui versatur circa prima principia per se nota, sicut in speculativis habitus qui dicitur intellectus, circa principia speculabilia versatur; lex autem naturalis, ut dicemus, non est solùm de primis principiis moralibus, sed etiam de conclusionibus quæ ex illis per evidentem consequentiam deducuntur. Hoc igitur modo lex naturalis dicitur in homine habere rationem permanentis, quatenus unusquisque habet propensionem naturalem, & facilitatem ad eam cognoscendam, & solùm objectivè dicitur lex naturalis semper permanere, quatenus intellectus data occasione, & terminis propositis est semper in actu primo dispositus, & aptus illam præconizativè judicare veram, ut etiam Vulpes explicat loc. cit.

35 Secundò quæritur, quæ sit materia legis naturalis, & ad quæ se extendat, & obliget, & quidem certum est materiam legis naturalis esse bonum, honestum in communi, & malum illi contrarium, illud quidem, ut præcipiendum, hoc verò ut fugiendum; est tamen difficultas, an bonum honestum secundum se, & malum illi contrarium, quod materia legis naturalis esse dicimus, solùm illa comprehendat, quæ in primis principiis contineatur, an etiam ea, quæ in omnibus conclusionibus ex illis principiis deductis continetur; nam in practicis, & moralibus dantur quædam principia per se nota, ut *bonum est sequendum, malum fugiendum, quod tibi non vis alteri ne feceris*, quorum cognitio pertinet ad habitum intellectualem appellatum *Synderesis*, sicut prima principia in speculabilibus pertinent ad habitum intellectualem appellatum *intellectus*, & dantur aliquæ conclusiones ex illis deductæ, ut Deum esse colendum, parentes honorandos, nemini faciendam injuriam, propriam vitam conservandam, & similes; ex illis enim principiis primis recta ratio dictat, & deducit bonum esse, Deum colere, parentes honorare, &c. Aliqui Juristæ dixerunt materiam legis naturalis solùm esse illam honestatem, & malitiam, quæ in primis principiis relatis continetur, non verò quæ in conclusionibus indè deductis. Fundamentum est, quia quæ cadunt sub lege naturæ, ab hominibus ignorari non possunt; sed talia sunt, quæ in primis principiis dumtaxat continentur, non verò in conclusionibus indè deductis, hæc enim ab hominibus ignorari possunt, ut experientia docet, ergo lex naturæ ad illa solùm extenditur.

Confirmatur, quia si materia legis naturalis esset illa etiam, quæ in conclusionibus præfatis continetur, dici deberet etiam leges humanas sub naturali cadere, siquidem leges humanæ quoque sunt conclusiones ex illis principiis deductæ.

36 Communis tamen, & vera sententia Theologorum est, sub lege naturali contineri, nedùm prima principia, sed etiam conclusiones omnes, quæ ex eis immediatè, & per evidentem consequentiam deducuntur, atquæ ideò materiam legis naturalis non solùm comprehendi in primis principiis, sed etiam in conclusionibus per evidentem, & necessariam consequentiam ex illis deductis. Ità Divus Thomas q. 95. art. 2. q. 100. art. 2. & 3. cum omnibus Thomistis, & Scotus cum omnibus Scotistis 4. distinct. 17. quæst. 1. lit. A. ubi ait, quod illud est de jure naturali, cujus veritas nota est ex terminis, & tale est principium in lege naturæ, sicut & in speculabilibus principium notum est ex terminis, sivè quod sequitur evidenter ex tali vero sic noto, cujusmodi est conclusio practica demonstrata, undè concludit quod strictè loquendo nihil aliud est de jure naturæ, nisi principium, vel conclusio demonstrata; sic tamen extendendo quandoque dicitur illud esse de jure naturæ, quod est verum practicum consonum principiis, & conclusionibus

legis

legis naturæ per se sumptæ. Idem repetit inferius dist. 33. q. 1. ad argumenta, ubi inquit, quòd aliquid est de lege naturæ dupliciter, scilicet, primariò, quod est verum practicum simpliciter notum lumine rationis naturalis, & ibi potissimum gradum tenet principium practicum ex terminis notum; secundum gradum tenet conclusio demonstrata ex talibus principiis; secundariò autem, & latius loquendo dicitur etiam de lege naturæ quod regulariter consonum est legi naturæ primo modo dictæ. Non declarat autem Doctor loc. cit. quæ sint hæc principia honestè agendi ex terminis nota, & conclusiones ex illis per necessariam, & evidentem consequentiam deductæ; solùm in 3. d. 37. §. *Ad quæstionem* ait veritates practicas, quæ sunt de lege naturæ strictè sumptæ, esse illas quæ in veritate necessaria præcedunt omnem actum liberum voluntatis extrà, & veritatem habent necessariam circumscripto per impossibile quocunque decreto libero divinæ voluntatis; idem habet 4. d. 16. q. 1. concl. 3. ubi materiam legis naturalis vocat, vel principium agendi honestè ex terminis notum, vel conclusionem ex illo demonstratam.

37 Ex qua Scoti doctrina deducitur ratio à priori hujus asserit, quia jus naturale est illud, quod obligat homines ex vi solius rationis naturalis independenter à quacunque institutione humana, vel divina; sed hujusmodi jus nedùm in primis principiis practicis invenitur, sed etiam in conclusionibus illis per evidentem consequentiam deductis; ergo etiam istæ sunt juris naturalis presse sumpti; major patet, probatur minor, quia jus, quod in hujusmodi conclusionibus invenitur nec genuit opinio, neque humana aliqua, aut divina institutio, sed ex vi solius rationis naturalis obligat independenter à quacunque libera, & voluntaria institutione, ut patet in cultu Dei, honore parentum, mendacio vitando, & similibus.

Confirmatur ex Arist. 5. Ethic. cap. 7. ubi sub jure, aut lege naturali comprehendit omne illud, quod habet necessariam, & immutabilem veritatem; sed hanc habent non solùm prædicta principia, sed etiam conclusiones illæ, quæ ex ipsis per necessariam, & evidentem consequentiam eliciuntur, ratione enim talis consequentiæ habent cum illis principiis necessariam connexionem, propterea enim evidenter, & necessariò ex illis elici possunt. Tandem, quia lex naturalis debet esse regula, qua dirigamur in agibilibus, ac solis illis principiis universalibus, bonum est sequendum, malum fugiendum, nihil penitus de directione obtinetur, nisi accedat particulare principium, mendacium est malum, cultus Dei est bonus, obedientia est bona, &c. ergo lex naturalis etiam de his particularibus esse debet; versatur enim, veluti circà propriam materiam, circa totum illud, quod est intrinsecè necessarium ad rectum ordinem moralem conservandum, quod non solùm ea comprehendit, quæ sine discursu cognoscuntur, qualia sunt prima principia, sed etiam illa, quæ per evidentem, & necessariam consequentiam cognoscuntur, quales sunt conclusiones prædictæ.

38 Ad fundamentum oppositæ sententiæ dicendum est, quod quamvis ea, quæ cadunt sub lege naturæ per se sumpta ex se ignorari non possint, possunt tamen per accidens aliquando ignorari saltem quo ad aliquas conclusiones propter pravam peccandi consuetudinem, & indè exortam intellectus obscurationem, & sic ab ipsa lege naturali interdum deficere, undè leguntur apud multas gentes olim idolatria, & alia flagitia legi naturali contraria appprobata, & usu recepta fuisse, de quibus loquens Apostolus Roman. 1. dixit, *obscuratum est insipiens cor eorum, & mutaverunt gloriam incorruptibilis Dei in similitudinem imaginis corruptibilis hominis, & volucrum, & serpentium &c.* Ad confirmationem negatur consequentia, nam leges purè humanæ non sunt conclusiones necessariò, & evidenter deductæ ex primis principiis practicis in ordine agibilium, sed solùm probabiliter, & contingenter, ut patebit ex infrà dicendis de lege humana, & ideò dici non possunt cadere sub lege naturæ per se, & propriè sumpta, de qua hic est sermo.

39 Tertiò quæritur, an lex naturalis sit una apud omnes homines; & quidem unam, & eamdem esse quoad communia principia satis de se constat, quia lex naturalis sequitur naturale lumen intellectus, & rationis, ut patet ex dictis, hoc autem est unum, & idem in omnibus hominibus semper, & ubique; ergo lex naturalis quoad prima, & generalia principia, tam secundum notitiam, quam secundum rectitudinem est una, & eadem apud omnes, quia omnes homines eo ipso, quod ratione prædicti sunt generalia illa legis naturalis principia cognoscunt, & tamquam justa, & recta approbant v. g. bonum esse faciendum, malum fugiendum, rationi obtemperandum, &c. quia lumen rationis est unius, & ejusdem speciei in omnibus hominibus. At quoad conclusiones particulares, ex illis principiis deductas potest interdum in aliquo deficere, vel quantum ad rectitudinem, vel quantum ad notitiam; nam casus particulares penes diversas occurrentias, & circumstantias variari possunt, utpotè lex naturalis per se in omnibus dictat, non posse Patrem generare ex filia, sed dificeret in casu particulari, quod non essent aliæ mulieres sufficientes ad propagationem generis humani; item lex naturalis dictat, depositum vero Domino restitui debere, potest tamen deficere in casu particulari, quando v. g. Dominus ad oppugnandam patriam uti vellet, tunc enim lex naturalis ad restitutionem non obligat, & sic in aliis similibus; & rursus possunt quædam conclusiones ignorari apud quosdam, quo casu deficeret lex naturalis quoad notitiam, undè apud diversas nationes approbata fuerunt plura contraria legi naturali, ut supradictum est, non quia lex naturæ non obligaret ad alia fugienda, sed propter ignorantiam ortam, tum ex corruptione naturæ, tùm ex obtenebratione luminis rationis ob peccata, concupiscentias, &c. juxtà illud Pauli loc. cit. *Obscuratum est insipiens cor eorum*, & ad Ephes. 4. *Tenebris obscuratum habentes intellectum alienati à via Dei per ignorantiam*. Ità discurrunt Theologi passim ex D. Thoma q. 94. art. 4. dicitur autem lex naturalis una, non unitate simplicitatis, sed unitate collectionis plurium præceptorum ex uno illo universalissimo principio derivantium, *Declina à malo, & fac bonum*, & uno illo fine legis naturalis, qui est rectus ordo moralis naturæ rationalis, & ità habetur L. 1. ff. de Justitia, & Jure ubi *Hoc jus collectum ex naturalibus præceptis*, sub illa enim plurima præcepta continentur, tùm affirmativa, tùm negativa, quædam circa Deum, quædam circa proximum, & quædam circà hominem ipsum, vel in individuo conservandum, vel quoad speciem, quæ omnia præcepta sunt unum unitate collectionis modo jam explicato.

40 At Vulpes disp. 5. cit. art. 4. & 8. contendit legem naturæ non tantùm quoad prima principia communia esse unam & eamdem apud omnes secundum restitutionem & notitiam, sed etiam quantum ad propria, quæ sunt conclusiones illorum principiorum communium. Quod probat, quia veritas conclusionis in practicis pendet utique ex veritate principiorum; tamen si procedit ex illis demostrativè, oportet illi intellectum assentiri propter principia, licet magis assentiantur principiis ex 1. Post. ergo si omnes nationes lumen rationis habent ejusdem rationis, nec naturaliter impeditum, nec à malitia voluntatis excæcatum, una erit necessariò lex naturæ apud omnes quo ad principia communia operabilium, & quo ad propria ex illis demonstrativè deducta; nam principium hoc *Bonum omne honestum est prosequendum, malum omne vitandum* vincit demonstrativè intellectum cujuscumque ratione sui naturalis luminis ad judicandum, Deum infinitè honestum super omnia amandum, reverendum, colendum, cùm sit conclusio necessaria evidenter sequens ex illo. Similiter hoc aliud principium, *Quod tibi non vis alteri ne feceris*, vincit intellectum cujuscumque ad judicandum, *non furandum, non occidendum, non mentiendum*, cùm sint conclusiones evidenter illatæ ex prædicto principio; ergo gratis Thomistæ negant legem naturæ unam non esse apud omnes quoad conclusiones deductas evidenter ex principiis primis operabilium. Verùm potius Vulpes gratis omnino in hoc puncto Thomistas arguit, nam ipsi quoque gratis concedunt legem naturæ apud omnes unam esse etiam quoad conclusiones particulares ex principiis illis communibus demonstrativè deductas, nec posse in aliquo deficere, si lumen rationis non sit naturaliter impeditum, nec à malitia voluntatis excæcatum, & oppositum asserunt solum in casu, quod lumen rationis obscuratum esset ex corruptione naturæ ob peccata, concupiscentias, &c. ut patet ex dictis, quod omninò negari non potest, cùm sit expressa D. Pauli doctrina loc. cit. undè hoc etiam docent Recentiores communiter, ac etiam ex nostris Poncius, dis. 25. cit. q. 2.

41 Quartò quæritur, an lex naturalis se extendat ad omne opus virtutis, itaut omnes actus virtutum sit materia legis naturæ, & an etiam se extendat ad modum virtutis, itaut obliget ad illa opera facienda ex amore honestatis, & cùm omnibus circumstantiis honestantibus actum. Cui dubio quoad primam partem breviter respondendum est, quod si per materiam legis naturalis intelligamus propriè, & expressè id, quod ipsa præcipit prohibendo oppositum, in hoc sensu illi solum actus virtutum sunt materia legis naturalis, qui necessariam rectitudinem important pro conservando recto ordine morali naturæ rationalis, quem tantùm pro objecto habet lex naturalis, ut præceptiva, & prohibitiva. Quod si per materiam legis naturalis intelligatur latius etiam id, quod ipsa sub consilio præscribit, sic etiam omnes actus virtutum materia legis naturalis dici possunt, saltem in quibusdam occasionibus & circumstantiis, omnes enim illi boni sunt, & honesti, ac naturæ rationali conformes, ac per consequens in dictis circumstantiis illos consulit, quarè absolutè loquendo non semper lex

natu-

naturalis obligat ad singulos virtutum actus, qui fieri possunt; ità Suarez, Aversa, Pasqualigus, Montesinos, Lezana, & alii.

42 Quòd autem ad aliam dubii partem an, scilicet, se extendat etiam ad modum virtutis distinguendum est cum Aversa q. 94. sect. 2. legem naturalem dupliciter servari posse, uno modo ut observatio legis tantùm sufficiat ad evadendam culpam, alio modo, ut ulterius sit etiam verè digna laude & præmio; & quidem hoc modo necessarius est modus virtutis in omnibus præceptis tam affirmativis, quàm negativis, nempè ut homo intendat, & eligat servare legem intuitu, & amore honestatis, & cum omnibus circumstantiis actum honestantibus; hoc autem non est talem modum virtutis sub obligatione legis cadere, sed est requiri ad hoc, ut observatio legis ad laudem, & præmium valeat. Priori autem modo non necessariò servandus est virtutis modus, nam præcepta negativa servari possunt per solam negationem actus contrarii; nec talia præcepta negativa per se plus obligant. Præcepta verò affirmativa per se quidem obligant, ut opera fiant ex genere sua bona, & honesta; tamen non singula quæque præcepta obligant, ut ipsa opera fiant ex amore honestatis, & cum omnibus circumstantiis actum honestantibus, undè si quis succurat proximo in extrema necessitate constituto, & non ex motivo misericordiæ, sed indifferenti, satisfacit sufficienter præcepto legis naturalis, hæc enim solùm requirit proximi subventionem, quæ æquè fit ad utilitatem ejus, & ejus necessitati succurit, sivè ex honesto motivo fiat, sivè indifferenti. Sed benè quidem tota lex naturalis cum suis præceptis obligat, ut non apponantur indebitus finis, vel ulla mala circumstantia, undè qui proximo succurreret in extrema necessitate ex motivo vanæ gloriæ, quamvis contrà præceptum naturale misericordiæ non peccaret, adhuc tamen peccaret contrà præceptum humilitatis; & qui comederet gratia voluptatis, licet non peccaret contrà obligationem sustentandi vitam, adhuc tamen peccaret per gulam. Undè non potest quis observare ullum præceptum legis naturalis per actum malum, quin aliquam legem naturalem transgrediatur, atque ità dici debet universitas legis naturalis ad talem modum operandi obligare, ut opus virtutis ex nulla parte vitietur, & in hoc sensu dicitur Deut. 16. *Justè quod justum est exequiaris*, & sic etiam discurrit Vulpes noster disp. 5. cit. art. 7. n. 6. ubi ait, quod lex directè obligat ad opus præceptum, non ad modum illum virtutis ex parte implentis materialiter prærequisitum, nisi extrinsecè ad imputabilitatem operis præcepti ad præmium, & ad faciendum hominem bonum.

43 Quintò tandem quæritur, quomodo lex naturalis differat à jure gentium. In cujus puncti resolutione discrepant Justitiæ, & Theologi, si non in re, saltem in modo loquendi, & explicandi; illi siquidem jus naturale vocant, quod homini commune est cum brutis, ut viri, & fœminæ coniunctio, filiorum procreatio, & educatio; jus gentium autem, quod homini est proprium, ut Religio in Deum, pietas in patriam, & parentes, hoc jure dicunt introducta esse dominia, contractus, agrorum divisiones, locorum edificationes, arcium munitiones, justa bella, captivitates, servitutes, & similia, de quibus vide Inst. De jure naturali gentium, civili §. 1. & seq. & ff. De justitia, & jure l. 1. & seq. At Theologi explicationem hanc non recipunt, quia jus pro lege sumptum est regula, justæ, & injustæ, honestæ, & turpis operationis, at hoc est proprium hominis libertate utentis, & ratione ad suas operationes exercendas; tum quia hinc sequeretur omnia Decalogi precepta ad jus gentium pertinere, non autem ad legem naturalem, eo quod non sunt homini communia cum brutis. Quarè Theologi jus naturale vocant & definiunt, quod ex instinctu naturæ rationalis omnibus hominibus inter se commune est. Jus gentium autem, quod ex consensu populorum illi omnibus, aut ferè omnibus communem est. Civile tandem, quod unaquæque Civitas, aut Regnum sibi constituit. Ex quo sequitur ad legem naturalem pertinere omnia præcepta quæ recta ratio dictat ex instinctu naturali esse seruanda homini absolutè, & secundum se considerato, ut Deum esse colendum, parentes honorandos, nemini faciendam injuriam; ad jus autem gentium pertinere illa, quæ in societate civili, communi populorum consensu, constituta sunt; hoc enim jure Regnorum, & terrarum divisio introducta est L. omnes populi ff. de Justitia, & Jure; quamvis enim ab initio omnia bona esset communia temporis tamen processu ad discordias vitandas, & vitam in pace traducendam omnes homines ratione naturali ducti, & communi omnium consensu, possessiones dividendas judicarunt; & hac eadem ratione justa bella, paces, contractus, & alia supradicta ad jus gentium pertinere dicuntur, quia non ab aliquo Principe in aliquo speciali Regno sunt stabilita, sed communi Gentium usu determinata. Undè ulterius infertur jus Gentium esse medium inter jus naturale, & civile, cùm neque à natura sit insitum, ut illud; neque ab aliquo determinato Principe, aut Republica stabilitum, ut istud; sed ab omnibus ferè gentibus, & omni populo sit introductum, non quidem Scriptura, sed usu populorum, & consuetudine gentium. Et hinc tandem infertur jus Gentium esse positivum, & humanum, quamvis enim dici possit introductum esse ex aliquo principio legis naturæ, simpliciter tamen, & absolutè loquendo est jus positivum, alioquin vana videretur distinctio legis, seù juris naturale gentium, & civile, nam potius facienda esset divisio juris in naturale, & civile, tum quia jus gentium, ut dictum est, usu, & consuetudine omnium hominum, & populorum est introductum. Ità Suarez, Valentia, Molina, Bonacina, Auersa, Amicus, Becanus, Caspensis, & alii Recentiores, de quo plura disputat Arriaga disp. 7. sect. 8. & concludens tandem hanc esse puram de nomine quæstionem.

ARTICULUS SECUNDUS.

An lex naturalis sit invariabilis, & indispensabilis.

44 NOn defuere qui dixerunt variabilem esse, & in ea aliquando mutationem fieri, quod probat, quia lex naturalis dictat *Non occides*, quod tamen præceptum murari potest, si quis enim innocentem injustè aggrediatur, potest tunc ad vim repellendam, & in casu propriæ defensionis ab innocente occidi; ergo præceptum hoc mutationem accipere potest, & variari ex parte materiæ. Idem est de præcepto naturali *Non accipies rem alienam invito Domino*, si quis enim sit in extrema necessitate constitutus, potest eam licitè accipere etiam invito Domino, ergo jam in tali casu facta est mutatio in jure illo. Imo aliqui Juristæ affirmant de facto legem naturalem in quibusdam mutatam esse, & variatam per legem humanam, quod probant in primis de rerum divisione, jure enim naturæ ab initio omnia erant communia, & tamen hoc mutatum est jure gentium, quo introducta fuit rerum divisio, & proprietas. Deindè de rerum possessione, etenim de jure naturæ est quod unusquisque possideat, quod suum est, & tamen per leges ciuiles introducta est præscriptio, & usurpatio, quarum virtute, si res aliena possidetur ab aliquo per certum tempus, & cum quibusdam circumstantiis, fit ipsius possidentis. Tandem de libertate, quæ etiam jure naturæ omnibus competit hominibus, jus enim naturale est, ut omnes nascantur liberi, & nihilominus jure civili introducta est servitus; ergo multa sunt, quæ aliquando fuerunt juris naturalis, & jam esse desierunt, ac proindè lex naturalis in aliquibus mutari potest, & variari.

45 Communis tamen, & vera sententia docet, legem naturalem propriè loquendo invariabilem esse, & immutabilem, ita ut nec abrogari possit, nec obligare desinat. Ità Doctores omnes cum D. Thoma quæst. 95. art. 5. & Scoto 4. d. 33. q. 1. §. *ad argumenta*, ubi ait legem naturæ per se sumptam modò jam expliato art. præced. num. 36. esse prorsus immutabilem, & indispensabilem, undè inferius dist. 36. quæst. 1. art. 1. infert, quod est positivè contra legem naturæ non posse esse justum, nec justè fieri. Ratio à priori patet ex dictis, quia lex naturalis formaliter oritur ex natura operabilium ad convincendum naturale lumen nostri intellectus, ut necessariò sibi assentiatur, & principiativè pendet ex libro lucis æternæ intellectus divini, ut ait Aug. 14. de Trin. c. 15. ergo est omnino invariabilis, & immutabilis.

Confirmatur, quia præcepta omnia legis naturalis, ut ait Scotus l. c. per se sumptæ, vel sunt prima principia per se nota, vel conclusiones ex illis necessariò, & evidenter deductæ, quæ omnia sunt immutabilia, & necessariæ, ac perpetuæ veritatis. Demum Juristæ quoque hoc ipsum fatentur, quia expressè habetur in Decretis Gratiani d. 5. in principio, ubi inter alias differentias juris naturalis, & positivi illam præsertim adducit, quod jus naturale non varietur tempore, sed immutabile semper permaneat, jus verò positivum mutari, & abrogari, possit, ita Suarez, Salas, Becanus, Caspensis, Arriaga, Vulpes noster l. c. a. 9 & alii passim.

46 Neque exempla in oppositum adducta probant ullam fieri unquam mutationem in materia legis naturalis, quia ut notat Arriaga disp. 8. sect. 1. mutari materiam legis ex bona, seù honesta in non honestam ità intelligi debet, ut illa eadem, quæ verè à lege prohibebatur, & sub eisdem circumstantiis, sub quibus prohibebatur, jam desinat esse honesta, cùm antea fuerit honesta, nam si jam non sit eadem materia, nec sub eisdem circumstantis, tunc obligatio legis, ut à lege non mutatur, undè si in casu propriæ defensionis licitum est homicidium, & in casu extremæ necessitatis licita est pecuniæ acceptio, & iis similia non ob id ullam in materia legis naturalis admittimus mutationē, quia in ea circumstantia, in qua dicitur homicidium licitum, vel acceptio pecuniæ, nō fuit illud materia legis ullo unquā tēpore, & absolutè dicimus eos casus ab initio fuisse à lege

exce-

exceptos, seù ab initio legem non obligasse pro illis, sed præcisè pro aliis. Negandum pariter est legem naturale unquam fuisse mutatam per humanam, ab initio enim omnia dicuntur fuisse communia de jure naturali, non positivè; quasi jus naturale præceperit rerum omnium communitatem, & prohibuerit divisionem, & proprietatem, sed negativè tantùm, quia ab initio nihil de hac re statutum fuit, sed permissum est omnia esse in communem usum in statu innocentiæ; in statu autem naturæ corruptæ propter rationabiles causas jure gentium statutum est; unusquisque sua propria possideret; Vel si communitas rerum fuit ab initio de jure naturæ positivè, hoc intelligendum est de lege naturæ latè sumpta, quatenus consentanea erat statuti innocentiæ, & integræ naturæ humanæ; corrupta verò natura humana per peccatum communitas omnium rerum effecta est contra pacificam conversationem, & ideò tale præceptum à Deo revocatum fuit, & data licentia distinguendi rerum dominia ad pacificè convivendum, ut innuit Doctor 4. distinct. 15. quæst. 2. art. 1. Neque juri naturali derogat lex præscriptionis, quo unusquisque teneat, & possideat id, quod suum est non enim efficit illa lex, ut invito domino alienum retineatur, dum persistit alienum, quod utique juri naturali derogaret, sed solum efficit, ut id quod erat alienum, jam non sit alienum, sed proprium; cùm enim communi Reipublicæ bono expediat, ut quando, quis bona fide rem alienam longo tempore possedit, ea ipsi adjudicetur, tanquam Domino, quia sic plurimæ lites rescinduntur; & justa pœna statuitur in dominos negligentes, qui rerum suarum curam non habent; ideò per civiles leges introducta est rationabiliter præscriptio, & usucapio rerum sine ullo juris naturalis præjudicio, siquidem Principes jure naturali potestatem habent subditos spoliandi domino rerum suarum, illudque in alium transferendi, quando communi bono Reipublicæ id expedit, ut evenit in casu præscriptionis. Neque tandem juri naturali derogat servitus jure civili, vel gentium introducta, de jure enim naturali utique est, ut omnes sint liberi nulla supposita culpa ex parte ipsorum: hac tamen interveniente potest libertas tolli; & servitus introduci, nam sicut propter culpam possunt homines justè vita privari, ità & libertate; & ità contingit de facto, nam servitus introducta est jure belli quo illi qui justè occidi poterant, in servitutem rediguntur; & hoc quidem rationabiliter, quia jus naturale permittit, ut justo bello homo se defendat, & hostem interficiat, si ergo licet hostem interficere jure naturali, tantò magis licebit in servitutem redigere, & mortem commutare in servitutem.

47 Quoad aliam quæsiti partem, an lex naturalis sit indispensabilis, advertendum est, quod dispensatio tam apud Juristas, quàm apud Theologos est juris alicujus relaxatio, seù alicujus exemptio à legis obligatione apud alios vigente, undè dispensare idem est, quod ab obligatione legis aliquem eximere, seù liberare, ut enim ait Scotus 3. d. 37. q. un. lit. A. dispensare non est facere, quod stante præcepto liceat facere contrà præceptum, sed est revocare præceptum respectu illius, cui dispensatio conceditur, atque ità superior tunc dispensare dicitur, quando adhuc vigente lege aliquem subditum ab illius obligatione eximit, & dispensatio obtineri dicitur, quando in aliquo casu, quo re vera viget, & obligat lex tollitur obligatio legis ab aliquo subdito in particulari, reliquis manentibus obligatis. Ex quo sequitur dispensare ad solùm Superiorem spectare, quia ad illum spectat præceptum tollere, seù relaxare, ad quem spectat ponere, & per dispensationem non mutari materiam legis quoad circumstantias, cùm dispensatio non tollat, nisi solam extrinsecam Superioris voluntatem, quæ vim obligandi dabat materiæ, alioquin si aliqua circumstantia à re præcepta mutetur, non tam erit dispensatio, quàm legis cessatio, ità Doctor expressè l. c. ubi ad dispensationem requirit, quod ille actus, qui cùm talibus circumstantiis erat prohibitus, alias non sit prohibitus, sed licitus cum eisdem. Ex quo tandem etiam infertur, quod licet dispensatio soleat etiam interdum sumi pro juris declaratione, ut ait Doctor ibidem, propriè tamen de ipsa loquendo non sunt idem, quia dispensatio non potest fieri, nisi à Superiore; declaratio autem etiam à subdito fieri potest, nam leges interpretari, & declarare verba legis etiam ad Doctores spectat; tum quia dispensatio requirit, ut maneant circumstantiæ, sub quibus lex antè obligabat, ut dicebamus, declaratio autem, ut mutatæ sint; tùm tandem, quia tunc locum habet dispensatio, quando lex viget, & obligat, tunc verò declaratio, quando non putatur obligare, ita Valentia, Vasquez, Azorius, Amicus, Becanus, Aversa, Caspensis, & alii passim.

48 Hoc præsuppo to, duplicia sunt præcepta legis naturæ, quædam expresse habentur in Decalogo, alia sunt extrà Decalogum; & de utrisque est quæstio, an saltem potestate divina dispensari possint; in qua controversia tres sunt sententiæ duæ extremæ, & tertia media; Prima extrema affirmat Deum in omnibus dispensare posse, ità Ocham, Gerson, Gabriel, Almainus, & alii Nominales, qui putant omnia peccata ideò esse peccata, quia sunt per legem prohibita, & Deum voluntariè, ac liberè talem legem tulisse, undè consequenter dixerunt furtum, adulterium; homicidium, mendacium, & similia, quæ sunt contrà legem naturalem, ideò solùm esse mala, quia sunt à Deo prohibita, ac proindè si non essent prohibita, non fore mala; cùm igitur fieri possit, ut Deus alicui talia non prohibeat, quia liberè, & voluntariè talem legem tulit, consequenter fieri potest, ut alicui liceat agere contrà legem naturalem, quod nihil aliud est, quàm in lege naturali dispensare. Imò ulterius indicarunt aliqui non solùm de potentia absoluta posse Deum ipsum immediatè in præcepcis naturalibus dispensare, sed etiam de facto potestatem hanc contulisse Principibus, aut saltem Summo Pontifici, undè plures casus asserunt, in quibus vel immediatè à Deo, vel ab humanis Superioribus in variis præceptis legis naturalis dispensatio facta videtur, de quibus infrà. Secunda sententia extrema negat Deum etiam de potentia absoluta posse dispensare in ulla lege naturali, sivè sit in Decalogo, sivè extrà Decalogum, & consequenter tantò magis negat Deum contulisse, vel conferre potuisse talem potestatem hominibus, ità Thomistæ omnes cum Divo Thoma p. 2. q. 94. a. 5. & q. 100. a. 8. & sequuntur recentiores communiter. Fundamentum est omninò oppositum illi prioris sententiæ, quia dispensare est licentiam dare, ut quis licitè agat contrà id, quod lex præscribit invariatis omnibus circumstantiis ex parte materiæ, sed materia legis naturalis ex se antè omne extrinsecum præceptum continet necessariam honestatem, vel turpitudinem; ergo repugnat, ut in ea dispensari possit: major patet ex dictis, minor probatur, quia necessaria bonitas, aut malitia hujus legis non pendet ab extrinseca Dei voluntate, sed ex intrinseca natura objecti suis omnibus circumstantiis affecti, hoc enim est discrimen legis naturalis, & positivæ, quod illa antè rationis dictamen supponitur necessariò conformis, vel difformis naturæ rationali, hæc autem fit talis per præceptum Superioris; quo sublato tollitur ratio debiti, vel indebiti à materia legis; ergò sicut Deus efficere non potest, ut quod est ex se tale manens invariatum quoad omnia non sit tale, ità nec efficere potest, ut materia legis naturalis, quæ affecta suis omnibus circumstantiis dissona est naturæ rationali, invariata quoad omnia fiat eidem naturæ rationali consona.

49 Tertia sententia media est Scoti 3. d. 37. q. un. §. *Ad quæstionem*, ubi cum distinctione procedit dicens aliqua posse dici de lege naturæ dupliciter, uno modo tamquam prima principia practica nota ex terminis, vel conclusiones necessariò sequentes ex eis, & hæc dicuntur strictissimè esse de lege naturæ; in primo gradu sunt propositiones, quæ ex cognitione tantùm terminorum sunt notæ per se, & immediatè, ut quod unicus Deus sit adorandus, & quod non sunt habendi Dii alieni, &c. in secundo gradu ponuntur conclusiones, quæ ex illis principiis necessariò deducuntur, & evidenter, ut si Deus est adorandus necessariò sequitur, quod tanquam supremus Dominus adoratione latriæ est adorandus. Alio modo aliqua dicuntur esse de lege naturæ minus strictè, quia, scilicet sunt multum consona illi legi, licet non sequantur necessariò ex principiis practicis, quæ nota sunt ex terminis, & omni intellectui apprehendenti sunt necessariò nota, & in isto gradu dicuntur esse propositiones illæ practicæ, quæ consentaneæ sunt principiis, & conclusionibus legis naturæ intantum, quod statim notum est omnibus illas tali legi esse consonas, quæ tamen propositiones non sunt adeò necessariæ, neque ex illis principiis ità necessariò sequentes, quin per specialem Dei dispensationem aliter fieri possit; propositiones primi, & secundi gradus sunt de lege naturæ strictissimè, sed propositiones tertii gradus sunt de lege naturæ fusè, quàm doctrinam iterum Doctor repetit, & confirmat 4. d. 17. qu. 1. litt. A. Hoc supposito, inquit Doctor, quod in his, quæ sunt de lege naturæ presse, utique nulla potest esse dispensatio, quod ait convincenter probari rationibus secundæ sententiæ, & nos quoque sufficienter probavimus l. 2. disp. 6. de Peccatis q. 3. a. 1. concl. 2. ubi asservimus in his actibus, qui dicit solent intrinsecè mali, ut sunt odium Dei, blasphemia, mendacium, & similes, malitiam moralem non ità ex lege lata attendi debere, quasi possint à Deo dispensari, ut benè fiant. Sed in his, quæ sunt de lege naturæ fusè, utque dispensationem cadere posse; quia talia non habent bonitatem necessariam, & ex objecto, seù ex primis principiis practicis necessariò sequentem, sed contingentem, ut patet de divisione bonorum, quæ non est de lege naturæ strictè, quamvis sit ei conformis, hanc enim posset tollere Deus faciendo omnia bona esse omnibus communia, sicut fuit in statu innocentiæ. Ex quo patet Ponciun. disp. 25. q. 3. non bene de mente Doctoris hujus

us quæstionis resolutionem assignare, dùm inquit absolutè posse Deum in jure naturæ dispensare, quia potest dispensare in aliquibus præceptis Decal. quæ ab omnibus admittuntur esse de jure naturæ; sed distingui debet de jure naturæ strictè, & fusè sumpto, & quod in hoc jure naturæ utique dispensare potest, non autem in illo.

50 Atque etiam Doctor absolutè pronunciavit omnia Decalogi præcepta esse de jure naturæ, sed cum præfata distinctione dixit, duo præcepta negativa primæ Tabulæ, scilicet; Non habebis Deos alienos, & Non assumes nomen Dei in vanum; esse de lege naturæ accipiendo legem naturæ propriè, & strictè, quia hæc duo præcepta negativa sunt principia practica ex terminis evidentia, aut conclusiones ex eis necessariò, & evidenter consequentes, nam supposito quod sit naturaliter notum unum tantùm esse Deum, ut ostendit Arist. 12. Met. sequitur necessariò alienum Deum non esse habendum, ut patet sic arguendo, nihil quod non est Deus est colendum, tanquam Deus, sed Deus alienus non est Deus, quia unus tantùm est Deus; ergo Deus alienus non est colendus, nec habendus, ut Deus. Similiter ista propositio, Deo non est facienda irreverentia, licet non sit per se ex terminis nota, potest tamen evidenter deduci ex his, quæ sunt ex terminis nota sic arguendo. Illi, cui summa debetur reverentia, non est facienda irreverentia, sed Deo summa debetur reverentia, quia summè bonus; ergo non est ei facienda irreverentia. Deindè descendendo ad præcepta secundæ tabulæ ait non quæcunque ejusmodi præcepta esse de lege naturæ strictè loquendo, quia rationes eorum, quæ ibi præcipiuntur, vel prohibentur, non sunt principia practica simpliciter necessaria, nec conclusiones simpliciter necessariæ, non enim in his, quæ præcipiuntur ibi, est bonitas necessaria, & necessariò requisita pro ultimo fine consequendo; quia si bonum istud non esset præceptum, posset adhuc finis ultimus amari, & attingi, atque ità posset aliquis finem ultimum consequi tales actus bonos non eliciendo. Pari modo præcepta negativa non prohibent malitiam, quæ necessariò avertat ab ultimo fine, quia non sunt ex se mala, sed quia prohibita, atque ideò si talis actus non esset prohibitus, non esset malus, & adhuc cum eo staret consecutio ultimi finis, de qua quæstione plura videri possunt apud Aret. 3. d. 37. q. un. & Fabr. disp. 48. de Rest. c. 5.

51 Et quidem re bene considerata quæstio hæc, an Deus dispensare possit in præceptis Decalogi, & legis naturalis, quam adeò fusè pertractant Thomistæ, & Scotistæ, est controversia de solo nomine, & modo loquendi, ut ait Faber loc. cit. & Arriaga disp. 8. sec. 3. in re autem omnes conveniunt; siquidem omnes hanc differentiam agnoscunt inter præcepta legis naturæ, quod aliqua simpliciter, & semper obligant positis quibuscunque circumstantiis, ac proindè unquam eorum obligatio cessat; & talia præcepta sunt illa, quibus prohibetur odium Dei, idololatria, perjurium, mendacium, & similes, hæc enim nullo casu sunt licita, positis. n. quibuscunque circumstantiis nunquam licitum est Deum odisse, idola colere, pejerare, & mentiri. Quædam verò alia præcepta non obligant simpliciter, & absolutè, sed sub certis circumstantiis, ideò talibus circumstantiis manentibus semper obligant, quando verò mutantur non obligant; & tale v. g. est præceptum de non occidendo, obligat enim sub his circumstantiis, ut hominem occidere non liceat propria auctoritate, & extrà casum necessariæ defesionis, undè quamdiù hæ circumstantiæ manent; semper obligat, quando autem mutantur, tunc obligatio cessat. In hoc, inquam, conveniunt omnes, & solùm differunt, quod Scotistæ hanc de obligationem cessantibus illis circumstantiis vocant dispensationem. Alii verò negant in tali casu intervenire legis dispensationem, sed potius dici debere legis cessationem, non enim est, nisi pura mutatio materiæ, & circumstantiarum, ratione cujus mutationis jam non continetur actus ille sub præcepto, neque sub jure illo naturali; & quidem propriè loquendo de dispensatione juxtà explicationem ejus præmissam n. 47. hic posterior loquendi modus magis placet, quia dispensatio propriè dicta, ut ibi diximus, non mutat materiam legis quoad circumstantias, sed solam extrinsecam Superioris voluntatem tollit, quæ tali materiæ eisdem circumstantiis affectæ vim obligandi dabat, nam si aliqua circumstantia à re præcepta, vel vetita tollatur; non tam erit dispensatio, quam legis cessatio, & hoc etiam diximus esse de mente Doctoris d. 37. cit. sub. litt. A. ubi ad dispensationem propriè dictam requirit, quod ille actus, qui cum talibus circumstantiis erat prohibitus, aliàs non sit prohibitus, sed licitus cum eisdem.

52 Hoc autem claré ostendi potest à simili in lege positiva de jejunio quadragesimali, nam lex illa hominem Christianum obligat, ut ab esu carnium abstineat cum hac duplici circumstantia, si nimirum sit sanus, & alios cibos habeat quibus alii possit, undè quamdiù hæ circumstantiæ manent, lex obligat, & nemo à tali obligatione eximi potest, nisi per dispensationem; si verò circumstantiæ mutentur, v. g. si homo ex sano fiat æger, ut non nisi esu, & usu carnium juvari possit; aut si præter carnes nihil adsit, quo alatur, & vita sustentari possit, jam locum habet declaratio; non autem dispensatio propriè loquendo, nam in tali casu declaratur legem cessare, nec amplius obligare; dixi *propriè loquendo de dispensatione*, quia loquendo de dispensatione impropriè, prout materiæ mutationem denotat, vel circumstantiarum, qua mutatione facta cessat ipsa legis obligatio, hæc etiam legis cessatio potest vocari dispensatio, & hoc modo loquitur Doctor de dispensatione loc. cit. cùm inquit Deum in præceptis quibusdam secundæ tabulæ dispensare posse, accipit enim ibi dispensationem, ut comprehendit non tantum juris relaxationem, seù revocationem, sed etiam ut extenditur ad juris declarationem, ut patet eum legenti §. *Sed iste* Sic igitur in proposito lex naturalis prohibet, ne ullus propria, & privata actoritate occidat alterum, si autem Deus, qui est absolutus dominus vitæ, & mortis singulorum, det uni auctoritatem, aut jubeat, ut alterum occidat, jam planè mutatur materia, nec fit quicquam contrà legem naturalem, nec Deus in tali casu dispensare dicitur in jure naturali, sed potius illo utitur, quatenus jus illud dicit omnia creaturæ bona esse Deo subjecta, ideoque Deum posse illis uti pro libito. Demum hac ratione non solùm Thomistæ, sed etiam aliqui Scotistæ negant propriè dispensatum fuisse cum Abrahamo, ut filium suum occidere posset, cum Osea, ut posset fornicari, & cum Israelitis ut vasa Ægyptiorum furari possent; ità Bassolius ex nostris 3. d. 37. q. unic. in solutione ad 2. princ. ubi ait cum istis non fuisse dispensatum in præcepto, vel forma præcepti, quia præceptum est de non occidendo innocentem auctoritate propria, & de non auferendo rem alterius invito Domino, & de non conveniendo cum aliena muliere ex libidine sine matrimonio prævio. Modò Abraham per illud præceptum dispensatus non fuit in occisione filii, non enim concessit illi Deus, ut privata sua auctoritate, sed ut Dei auctoritate filium occideret, & illi offerret. Neque etiam dispensavit cum Israelitis, ut res Ægyptiorum subriperent, quia illis non concessit, ut vasa Ægyptiorum acciperent, tamquam aliena, sed tanquam propria per donationem sibi à Deo factam, tanquam supremo rerum omnium Domino; & hoc pro mercede laboris, quem in Ægypto subierant illis serviendo. Nec tandem cum Osea dispensavit, non enim ei concessit, ut ad mulierem fornicariam accederet antè matrimonii contractum, sed potius ei jussit, ut sibi matrimonio fœminam illam copularet, quæ aliàs fornicaria fuerat, & ex illa filios, sicut ex vera coniuge generaret, ut explicat D. Hieron. in cap. 2. Oseæ, & D. Aug. lib. 22. contra Faustum cap. 80. in nullo igitur horum casuum dispensavit Deus in lege naturali, aut aliquo ejus præcepto loquendo de propria dispensatione, sed solum de impropria, quæ consistit in aliqua mutatione materiæ, vel circumstantiarum; & cum res sit adeò clara, & obvia, miror cum Faber noster disp. 48. cit. cap. 5. mordicus adeò contendat hanc fuisse propriè dispensationem præsertim cùm ipse quoque ibidem num. 83. ingenuè fateatur hanc esse disputationem potius de verbis, quàm de re ipsa; & in prædictis casibus propriè dispensatum non fuisse in lege naturali, tenet etiam ex nostris Vulpes disp. 5. art. 9. n. 5. Et tandem etiam Poncius ipse disp. 25. c. q. 3. quamvis contendat Deum posse propriè dispensare in aliquibus præceptis secundæ tabulæ imò sic de facto dispensasse cum Abrahamo, denique fatetur & ipse hoc totum reduci ad quæstionem de nomine, & rem esse parvi momenti.

53 Postremo ex dictis sequitur à fortiori, nulla potestate humana, etiam Pontificis, posse dispensari in præceptis expressis Decalogi, aut juris naturæ loquendo de dispensatione propriè dicta. Hæc est communis opinio Theologorum apud Suarez, Becanum, Aversam, Caspensem, Arriagam, Lezanam, & alios. Probatur, quia lex naturalis per quamcumque humanam potestatem, & legem non potest ullo modo tolli, aut mutari ex supradictis, ergo neque dispensari. Consequentia patet, quia etiam dispensatio est quædam ablatio, aut mutatio legis saltem quoad obligationem, & respectu alicujus particularis. Et hæc etiam quæstio, ut notat Poncius l. c. non est, nisi de nomine, nam qui hoc affirmant, ut Navarrus, Sanchez, Henriquez, & quidam alii moventur aliquibus exemplis, quibus de facto videtur dispensatum fuisse in aliquibus potestate humana & qui id negant, illos casus, & illa exempla admittunt, negant tamen indè concludi dispensationem propriè dictam, sed tantùm impropriè. Primò enim urgent illi Pontificem solere dispensare in juramentis, & votis, quorum obligatio est de jure naturæ. At isti respondent Pontificem numquam dispensasse propriè in juramento, aut voto, sed impropriè tantùm, nempè declarando aliquas occurrere circumstantias, ob quas juramentum,

mentum, aut votum non obligat, aut commutando illa in meliora, & æquivalentia, considerata persona jurantis, aut voventis, & aliis particularibus circumstantiis, cujus judicium est, quod Pontifex nunquam sine causa dispensaverit, si autem absolutè dispensare posset, non necessariò semper causam requireret, & ità jam statuimus lib. 4. sent. disp. 7. numer. 510. declarando, quomodo Pontifex dispensare possit in voto solemni castitatis, & Religionis, & consequenter etiam ibidem n. 508. diximus Pontificem dispensare posse propriè loquendo in impedimentis matrimonii solùm jure Ecclesiastico dirimentibus, non autem jure naturæ, vel divino, nisi declarativè, vel interpretativè. Nec refert Pontificem uti verbo dispensationis, quando dispensat, quia verbum hoc est æquivocum, & aliquando significat dispensationem propriè dictam, aliquando impropriè, quia ut notat Scot. l. sæpè c. 3. d. 37. A. dispensatio quandoque sumi solet pro juris revocatione, seù relaxatione, quæ est dispensatio propriè dicta, quandoque pro juris declaratione, quæ est dispensatio impropria.

54 Rursus objicere solent obligationem matrimonii inter conjuges esse de jure naturæ, & tamen Pontificem dispensare, ut dissolvi possit matrimonium ratum nondum consumatum. At neque id urget, quia dispensat Pontifex in matrimonio rato, non quidem tollendo debitum servandi fidem conjugalem stante vinculo matrimonii, sed dissolvendo illud, quo dissoluto cesat obligatio naturalis, & hanc auctoritatem habet, non solo humano jure, sed ex divina concessione Christi Domini, ut dictum est libr. 4. disp. 7. citat. de Matrimonio nu. 201. & seq. ubi etiam diximus ad talem dispensationem justam requiri causam, ut justè, & validè fiat. Denique objiciunt, quod de jure naturæ omnia bona divitiarum ab initio erant communia, & unusquisque erat in se liber, non alteri subditus; & tamen hæc omnia per humanam potestatem sunt immutata, facta est enim jure gentium rerum divisio, & appropriatio, & inducta est subjectio, & servitus. Sed neque id urgere constat ex dictis suprà n. 46. quædam enim dici solent de jure naturæ, non quia præcipiuntur, sed quia conceduntur, aut permittuntur, ideoque absque ulla difficultate per humanam potestatem postea aliter determinari, aut mutari possunt; sic inquam, jus naturæ concedebat, vel permittebat ab initio, non autem præcipiebat, ut bona temporalia essent communia, & singuli suam possiderent libertatem, ideoque optimè potuit posteà humana potestate fieri, ut bona dividerentur, & induceretur servitus, & subjectio modo jam declarato loc. cit.

55 Addendum tamen est, quod licet lex naturalis nulla humana potestate dispensari possit dispensatione propriè dicta, adhuc tamen benè possunt, & solent præcepta naturalia explicari, & interpretari ab habente auctoritatem ratione superioritatis, vel doctrinæ. Ratio est, quia licet talia præcepta sint necessariæ veritatis, quia tamen non omnia sunt æquè clara, & nota, nec æquè ad intelligendum facilia, nam saltem circà aliqua dubitari potest, an in quibusdam circumstantiis, vel occasionibus obligent; aut à sua obligatione cessent, ut v. g. an homicidium lege naturali prohibitum sit illud solum, quod fit auctoritate propria, & per modum agressionis, an verò illud etiam, quod publica fit auctoritate, & per modum justæ defensionis, an furtum lege naturali prohibitum sit illud solùm, quod fit extrà casum extremæ necessitatis, an idem etiam, quod in tali casu committitur. Ideò frequenter, & meritò, ac rationabiliter declaramus, & explicamus, quidnam ratio dictet pro tali, vel tali, casu & quid naturali lumine doceamur; undè hoc pacto interpretamur legem non occidendi non obligare in casu necessariæ defensionis; legem non accipiendi rem alienam non obligare in casu necessitatis extremæ, vel quando quis, quod sibi de jure debetur, aliter recuperare non potest, nam in tali casu non accipit alienum, sed quod suum est; & sic etiam rectè interpretamur legem servandi depositum, aut servandi possimum non obligare, quando alter velit abuti ad perniciem Patriæ, Reipublicæ, vel tertii innocentis, & sic in similibus. Ex quo tandem patet hoc præsertim interesse discrimen inter legem naturalem, & positivam, quod in lege naturali nunquam per dispensationem tollitur obligatio, quamdiù manent circumstantiæ sub quibus talis lex naturalis obligat; in positiva verò etiam manentibus iisdem circumstantiis potest obligatio tolli, ut v. g. lex positiva est, ut tempore pacis nemo præter Principem arma gestet, hoc tamen non obstante potest Princeps alicui concedere, ut etiam pace durante gestet arma.

QUÆSTIO QUARTA.

De lege divina positiva.

56 PRæter legem naturalem jam declaratam necessaria fuit etiam lex divina positiva, quia cùm lex naturalis limites naturæ non excedat, solùm ad finem naturalem & vires nostræ naturæ non excedentem conducere potest homines, & dirigere, non autem ad supernaturalem, ad quem creati sumus; undè lex divina est divinum decretum hominibus præscribens modum necessarium, ut aptè pervenire possint ad supernaturalem beatitudinem, quæ est ultimus humanæ vitæ finis; itaque nomine legis divinæ positivæ hìc intelligimus eam, quæ Deo auctore condita, & literis consignata, hominibus ad observandum imposita est; hæc autem duplex est, altera vetus, seù Mosayca, quæ scilicet, per Moysem Dei nomine lata, & promulgata est; altera nova, vel Evangelica, quæ, scilicet, à Christo Domino condita in Evangelis, aliisque novi Testamenti libris consignata est, de quibus breviter duobus articulis sequentibus agendum est; ità quoque Astesanus noster discurrit in sua summa lib. 1. tit. 1.

ARTICULUS PRIMUS.

De lege divina veteri.

57 UT certa ab incertis secernamus, in primis supponendum est tanquam certum de fide ex communi sententia Patrum, & Theologorum contrà Manicheos, & Marcionistas Deum ipsum fuisse immediatum auctorem, ac legislatorem totius veteris legis traditæ per Moysem, itaut Moyses fuerit tantùm veluti præco, & promulgator ad manifestandam, & intimandam legem à Deo ipso latam, & ità ab omnibus lex vetus censetur, & vocatur divina, sicut apud nos lex evangelica, non autem humana, sicut apud nos lex canonica, quare Scotus 4. d. 17. q. 1. a. 1. sub jure divino ait contineri revelata in sacra scriptura veteris, & novi testamenti in ordine ad conducendum hominem ad vitam æternam, & ità patet ex ipsa narratione, & modo loquendi Moysis in Scriptura, ut constat Exodi 20. *Locutus est Dominus cunctos sermones hos, ego sum Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Ægypti, non habebis Deos alienos &c.* & Matth. 15. ubi sæpiùs lex vetus vocatur *mandatum Dei*. Tota ergo illa lex, & quoad omnes suas partes non erat humana, nec à Moyse lata, quasi auctore, sed erat divina, & ab ipso Deo tanquam legislatore immediatè lata, non tantum quoad præcepta moralia, sed etiam cæremonialia, & judicialia, siquidem de omnibus ità expressè legitur in sacra scriptura, & ità definitum fuit in Concil. Tolet. 1. in confessione fidei, & posteà in Trident. confirmatum sess. 4. Unde consequenter etiam contra eosdem Hæreticos tanquàm de fide certum tenendum est, legem veterem fuisse bonam, & sanctam, si enim fuit à Deo lata, tanquam auctore manifestum est esse bonam, quia non potest Deus esse auctor legis malæ, & clarissimè constat ex testimonio Apostoli ad Romanos 7. ubi de lege veteri loquens inquit *lex quidem sancta, & mandatum sanctum & justum, & bonum*, imò etiam ex ipso Christi testimonio Matth. 5. ubi dicit, se non venisse solvere legem, sed adimplere, undè contrà præfatos Hæreticos veterem legem tanquam inutilem, & malam reprobantes agunt ex professò Patres, præsertim, Sanctus Epiphanius hæresis 33. 41. & 66. & Sanctus August. lib. 19. & 22. contra Faustum Manicheum. Quamvis autem vetus lex fuerit conveniens, & recta, tamen non erat omninò perfecta, ut constat ex Paulo ad Galatas 4. ubi cæremonias illius legis vocat *infirma, & egena elementa*, & ad Heb. 7. dicit *nihil ad perfectum adduxit lex*. Neque inconveniens est, aliquam legem divinam dici imperfectam, quia ut notat Aversa q. 98. sec. 2. certè hoc non dicitur ex defectu potentiæ, aut scientiæ, sed ex hordinatissima dispositione suæ divinæ providentiæ voluit Deus præmittere talem legem imperfectam, daturus tamen sub tempore legem undequaque perfectam, & hæc fuit magis conveniens, & perfecta dispositio, ut paulatim per statum imperfectum ad statum perfectum genus humanum proveheret; & hoc totum etiam Scotus docuit 4. d. 2. art. 1. ubi supponens legem veterem in seipsa fuisse bonam, imò perfectam, vocat novam Evangelicam optimam, & perfectissimam, ut ultimam semper duraturam, & in aliam perfectiorem numquam mutandam, quemadmodum lex vetus in se bona, & perfecta mutata est in novam longè meliorem, & perfectiorem.

58 Deindè in hoc etiam communiter conveniunt Theologi legem

legem veterem populum Hebræorum duntaxat obligasse;& ratio est, quia generaliter loquendo nulla lex obligat, nisi solùm eos, quibus intimatur, ut patet ex dictis quæst. 1. hujus disp. art. 2. num. 17. at solis Judæis lex vetus intimata, & promulgata fuit, ut patet Exod. 19. & Deuter. 4. ubi in sanctione, & promulgatione ipsius solum est sermo ad Hebræos, undè Psalm. 147. dicitur: *Non fecit taliter omni nationi, & judicia sua non manifestavit eis*. Quod etiam deducitur ex eo, quod multi ex Gentilibus, absque illius observatione salutem sunt consecuti, ut docet D. Dionisius cap. 9. cœlestis Hierarchiæ. Ita docuit S. Thomas q. 98. art. 4. & 5. & Scotus etiam 2. d. 28. q. unic. ad argumenta, ubi non obscurè insinuat legem veterem solos obligasse Hebræos, non Gentiles extrà illam etiam tunc justè viventes ex auxilio Divinæ gratiæ sub observantia legis naturæ. Hujus autem rei congruentiam Patres esse dixerunt, ut gens ex qua Christus propter promissionem Abrahæ nasciturus erat, peculiari lege, & cultu ornaretur, & ut etiam à superstitione retraheretur, atque adeò hujusmodi lege custodiretur, donec veniret fides. Nihilominus præcepta moralia leges necessariò Gentes quoque servare tenebantur, non quatenus per illam Legem scriptam tradita erant, sed qua ratione etiam à dictamine legis naturalis præscribebantur, qua ratione diximus plures ex Gentilibus per talem observantiam salutem esse consecutos, inter quos fertur præsertim S. Job ex cap. 1. & 2. *Homo simplex, rectus, timens Deum, recedens à malo, & adhuc retinens innocentiam*, ideoque communiter à Thologis dicitur, quod extrà Synagogam dabatur salus.

59 Sed Dices, nullus unquam regulariter salvari potuit, & finaliter fieri justus ad vitam æternam promerendam sine remedio Sacramentali à Deo immediatè instituto, & pro quovis statu per legem impositò ob justificationem à peccato originali; at hoc remedium in lege Evangelica est solus baptismus ex Jo. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritus Sancto, non potest introire in regnum Dei*, in lege autem veteri sola Circumcisio ex Gen. cap. 17. *Masculus cujus præputii caro circumcisa non fuerit, delebitur anima illa populo suo*, ergo vel prædicti cum peccato originali salvati sunt decedentes sine remedio Sacramentali, quod non est dicendum; vel legem veterem servaverunt omnes obligantem.

Respondetur negando consequentiam, ut enim dictum est lib. 4. sent. disp. 1. de sacramentis in genere quæst. 2. art. 1. lex naturæ obligans ab Adam usque ad Moysem habuit remedium Sacramentaliter ablativum peccati originalis ex Scoto 2. d. 33. in calce, cùm Deus regulariter nunquam homines reliquerit in puris naturalibus sine supernaturali remedio contra prædictum peccatum; & hæc lex naturæ fuit lex Divina supernaturaliter revelata continens prædictum remedium sine Scriptura memoriter à Patribus ad filios promulgata per traditionem, vel unicuique ab eodem Deo immediatè per interiorem, vel exteriorem etiam inspirationem, ut Vulpes noster advertit disp. 9. art. 5 in calce. Denique est etiam certa veritas de fide veterem legem cessasse, & à Deo abrogatam fuisse, & quidem quod lex vetus desierit constat ex variis Apostoli testimoniis, ut Hebræor. 7. ubi dicit translato Sacerdotio legis translationem factam esse, Ephes. 2. ubi loquens de Christo dicit illum legem veterem mandatorum decretis evacuasse, & ad Roman. 6. ubi ait: *Non estis sub lege, sed sub gratia*, & cap. 7. id declarat exemplo uxoris, quæ per mortem viri liberata est à lege matrimonii, undè concludit; *Nunc autem soluti sumus a lege*. Duplex tamen remanet difficultas, prima est, an lex vetus tota desierit, ideſt, quoad omnia præcepta tam cæremonialia, & judicialia, quam moralia. Altera est, quonam tempore cessaverit, & obligare ad sui observationem desierit.

60 Quoad primam difficultatem Bellarminus lib. 4. de Justific. cap. 6. Vasquez disp. 180. cap. 3. & alii existimant legem veterem desiisse, & abrogatam esse tantùm quoad cæremonialia, & judicialia præcepta, non autem quoad moralia, & videtur etiam consentire Becanus tr. 3. cap. 4. q. 7. undè consequenter asserunt legem veterem, quoad præcepta moralia, quatenus etiam per Moysem data, & in veteri testamento scripta, verè obligare Christianos; quod probant ex c. 5. 6. 7. Matthei, ubi Christus dixit: *Non veni soluere legem, sed adimplere*, constat autem ibi sermonem esse de præceptis Decalogi, ergo &c. Deindè quia Apostoli semper allegant verba veteris testamenti, cùm docent præcepta moralia servanda esse, ut Rom. 13. & ad Ephes. 6 *Honora patrem tuum, & matrem tuam, quod est mandatum primum in promissione*, & Jacob 2. *Si tamen legem perficitis regalem secundùm Scripturas, diliges proximum tuum sicut te ipsum*, non autem id facerent, si illa testimonia ad Christianos non pertinerent. Tandem quia SS. Patres, & Theologi utuntur auctoritate veteris testamenti ad probanda præcepta moralia, nam ut probent usuras esse illicitas citant illud Psal. 14. *Qui pecuniam suam non dedit ad usuram*, & sic de aliis.

61 Communior tamen sententia, & probabilior asserit legem veterem totam desiisse etiam quoad præcepta moralia, itaut obligatio ad illa servanda penitus cessaverit, inquantum illa lege veteri præcipiebantur, licet alioquin ad illa eadem præcepta seruanda, tam lege naturæ, quàm lege Evangelica teneamur; ità D. Th. q. 98. a. 5. & Scot. 4. d. 3. q. 4. ad 1. principale, ubi ut magis explicat Bassolius, dictum illud Christi Matth. 5. *Non veni solvere legem, sed adimplere*, quantum ad moralia præcepta ita exponit, quod Christus non venit solvere legem, sed adimplere, quia manent, & perfecta fuerunt per Christum, licet non obligent modo ex vi illius legis, sed ex vi legis Evangelicæ; sequuntur Suarez, Medina, Valentia, Montesinos, Lorca, Tannerus, Arriaga, Lezana, Salas, Aversa, & alii Recentiores communiter. Probatur evidenter ex locis Scripturæ superiùs adductis, quibus significatur legem veterem cessasse, nam generaliter de tota lege loquuntur; ergo etiam de præceptis moralibus intelligenda sunt, quatenus præcepta illius legis erant. Deindè quia ut nuper dictum est, præcepta moralia illius legis non obligabant tunc existentes extrà Synagogam ex vi illius, sed ex vi legis naturalis, eo quod solùm Synagogæ intimata fuerant, ergo neq; nunc obligant omnes ex vi illius legis, consequentia patet ex paritate rationis. Tandem quia lex antiqua absolutè dicitur mortua, & cessasse, non est autem ulla ratio cur id limitetur ad duo genera præceptorum tantùm, & non ad omnia tria, si enim ulla esset, maximè quia materia præceptorum moralium etiam nunc obliget; at hæc ratio non urget, quia obligatio illa optimè retineri potest, eo quod lex naturalis obliget, vel quia Deus ipse per Christum de novo eam materiam præcepit, neque opus est recurrere ad perseverantiam ullam veteris legis, ut benè discurrit Arriaga disp. 10. sect. 4.

62 Fundamenta in oppositum non urgent, nam dictum illud Christi jam explicatum est, quod non venit solvere legem, sed adimplere, quia ejus præcepta moralia manent, & perfectius etiam explicata per Christum, licet non obligent, modo ex vi illius legis, sed Evangelicæ; tùm quia ut notat Arriaga loc. c. Christus Dominus ly *solvere* ibi non usurpat pro *tollere legem*, sed pro *non observare illam*, quod indè patet, quia statim addit: *Qui ergo solverit unum de mandatis istis minimis minimus vocabitur in regno Cœlorum*. Ad 2. negatur testimoniis illis sufficienter probari perseverantiam veteris legis, quoad obligationem præceptorum moralium, solùm enim datur doctrina generalis, quæ à lege Moysis est omninò independens, nam quamvis lex illa non existat, aut unquam extiterit, verissimum est nos teneri ad omnia illa naturalia præcepta servanda, undecumque ea obligatio veniat, & Paulus ad Ephes. 6. quando hortatur ad honorandos parentes, non docuit illud mandatum adhuc obligare ex vi illius prioris legis, sed tantùm docere voluit nos ad illud præceptum teneri, undecunque talis obligatio oriatur, & ad hoc solùm significandum adducunt Apostoli verba veteris testamenti, ut scilicet indicarent legem veterem manere, adhuc quoad præcepta moralia, licet non obligent modo ex vi illius, sed ex vi legis Evangelicæ. Ad ultimum similiter dicendum est, SS. Patres solùm loqui de præceptis illis quasi materialiter, dicunt enim nos teneri de facto ad omnia præcepta moralia, quæ per legem veterem mandabantur, quod nos etiam ultrò fatemur, non autem dicunt teneri, quia ibi mandata fuerint, sed supponunt nos teneri ex vi legis Evangelicæ; ut enim inquit Doctor l. c. benè licet Principib. nunc statuere aliqua, quæ erant in lege Moysis, & illa ligant auctoritate Principis nunc statuentis, non auctoritate legis veteris, sicut licet uni Regi in regno suo statuere legem, quæ est in alio Regno, sed illa non ligat ibi, quia lex est alterius regni, sed quia instituta hic ab isto Rege; ità igitur factum est in extinctione veteris legis, & institutione novæ, & ita sanè expediebat, ut tota obligatio positiva quæ mansura erat in Ecclesia, esset ex auctoritate Christi, & non ex antiqua illa Mosayca lege.

63 Quoad aliam difficultatem, quando, scilicet, præcisè, & in quo puncto temporis lex vetus cessaverit, & abrogata fuerit, conveniunt Doctores non cessasse, nec abrogatam fuisse antè mortem, & passionem Christi, ità D. Th. q. 103. art. 3. & Scot. l. c. & clarè deducitur ex scripturis, quia Christus quamdiù vixit, eam observavit, & ab aliis observari voluit, nam & ipse circumcisus est die octavo Lucæ 2. & misit Discipulos suos, ut ad diem festum ascenderent Jo. 7. & cum ipsis Pascha celebravit Marci 14. & misit leprosum ad Sacerdotem; ut offerret munus [illum] juxtà legem Moysis Matth. 8. & tandem populo dicebat, Super cathedram Moysis sederunt Scribæ, & Pharisæi, quæcunque dixerint vobis servate, & facite Matth. 23. ex quo patet error quorundam Hæreticorum, qui dixerunt legem veterem cessasse ante mortem Christi tempore S. Jo:

Bapt.

Bapt. Præcursoris, eò quod dicitur Lucæ 16. *Lex, & Prophetæ usque ad Joannem;* Christus enim ipse, & non Joannes fuit abrogator veteris legis, & solus ipse fuit lumen expellens umbram, non verò Joannes, de quo dicitur Joan. 1. *Non erat ille lux, sed ut testimonium perhiberet de lumine.* In hoc igitur sensu lex Mosayca usque ad Joannem durasse dicitur, non quod ab ipso, aut ejus tempore abrogata sit, sed quia tunc ægrotare cæpit, & ad mortem se disponere, cùm ex tunc Evangelium prædicari incæperit, quod erat veluti inchoatio quædam novæ legis, per quam vetus abrogabatur, & similiter Prophetæ dicuntur usque ad Joannem, quia ubi Prophetæ omnes Christum prænunciarunt esse venturum, solus Joannes, & primus non amplius venturum, sed præsentem demonstravit, cùm dixit, Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi; ità communiter Patres, & Theologi textum illum exponunt. Quæstio ergo est, an lex vetus perierit, & obligare desierit in puncto mortis Christi, an potius postea, quando in die Pentecostes promulgari incæpit.

64 Prima sententia docet legem antiquam periisse in ipso puncto mortis Christi etiam antequam nova incęperit promulgari in die Pentecostes; ità D. Thom. l. c. cum omnibus Thomistis, & pluribus Recentioribus Valentia, Vasquez, Lorca, Bellarminus, Medina, Granadus, Tannerus, Salas, Meratius, Caspensis, Becanus, & alii plures. Hoc probant in primis ex his, quæ acciderunt circà punctum mortis Christi, quæ manifestant tunc temporis legem veterem omninò cessasse, nam eo tempore *velum Templi scissum est* Matth. 27. ad denotandum quod lex umbratilis, quasi velum tunc fuit scissa, rupta, & abrogata, ut plures Patres exponunt. Eo etiam tempore Christus dixit Jo: 19. *Consummatum est*, quæ verba secundum expositores significant legem veterem in eo puncto vim suam amisisse, & exhalasse; tunc etiam translatum est Sacerdotium vetus, & mutatum in novum, quod Christus tunc completè exercuit seipsum in ara Crucis cruentè Patri offerendo; translato autem Sacerdotio necesse est, ut & legis translatio fiat, ut ait Paulus ad Hæbreos 7. Confirmatur, quia legalia erant signa, figuræ, & umbræ mortis Christi futuræ; adveniente ergo Christi morte, cessarunt legalia, siquidem jam non poterant esse signa mortis Christi futuræ. Denique quia statim post Christi passionem aperta est janua Regni cœlestis, & Patres qui erant in Limbo, translati sunt in statum gloriæ; sed hoc non potuit efficere lex vetus; ergo tunc legalia fuerunt mortua.

65 Secunda sententia asserit, quod licèt mors Christi dederit causam interitui legis veteris brevi secuturo, tunc tamen non statim exspiravit, sed ejus abrogatio publicè incæpit in die Pentecostes per novæ legis promulgationem; ità Scotus, & D. Bonav. Gabriel, & alii Antiquiores 4. d. 3. item Scotistæ omnes ibid. Bassolius, Faber, Aretinus, Hiqueus, ac etiam Suarez, Arriaga, Aversa, & alii Recentiores. Pro qua sententia stat clarissimè Bernardus Epist. 77. ubi ait, *ex eo tempore tantum cuique cœpit antiqua observatio non valere, ex quo præceptum Baptismi inexcusabiliter ad ejus potuit pervenire notitiam.* Hoc etiam docuisse videtur Concil. Trid. sess. 6. c. 4. ubi agens de translatione ex statu peccati originalis ad statum gratię ait: *quæ quidem translatio post Evangelium promulgatum sine lavacro regenerationis, aut ejus voto fieri non potest*, quibus verbis non obscurè significat antè promulgatum Evangelium potuisse id per circumcisionem fieri; atqui Evangelium non est promulgatum, nisi à die Pentecostes; ergo, &c. Rationabiliter autem additur hæc condictio promulgationis, quia sicut lex non obligat, nisi cùm promulgatur ex superius dictis, ità cùm nova lex abrogat priorem, non censetur eam abrogare, nisi post legitimam promulgationem, sed lex Evangelica non fuit solemniter promulgata, nisi in die Pentecostes; ergo tunc & non antea cessavit vetus, & abrogata fuit: & hæc est ratio Doctoris d. 3. q. 4. cit. art. 2. ubi ità impugnat dictum D. Thomæ, quo asserebat, baptismus post passionem Christi statim fuisse sub præcepto. Nullus aliter se habet nunc, quàm prius ad aliquam legem, nisi quia est sibi aliter promulgata; sed lex Evangelica, & præceptum de Baptismo non fuit statim promulgatum post Christi passionem; ergo statim post Christi passionem, Judæus Populus aliter non se habebat respectu legis Evangelicæ, & præcepti de Baptismo, quàm prius antè passionem; sed antè passionem, secundùm omnes, non erat lex Evangelica, nec Baptismus sub præcepto; ergo neque statim post passionem Christi antè promulgationem, ut dictum est lib. 4. disp. 2. q. 1.

66 Respondent Thomistæ hanc Scoti rationem falso niti fundamento, quod, scilicet, lex nunquam obliget subditos, nisi cùm primùm in notitiam eorum venerit, quod est falsum, quia tunc lex obligare primùm incipit, cùm Rex publico edicto illam profert in sua curia, licet illi, qui eam ignorant, excusentur; excusantur enim, non quia lex non obliget, sed propter ignorantiam, quæ si est invincibilis excusat à peccato transgressionis legis; & ratio est, quia promulgatio legis per præconem non est positio legis, neque tunc obligat, sed declarat legem positam esse, ac ignorantiam excusantem tolli; si enim lex non obligaret, nisi post notitiam legis, improprie diceretur ignorantiam excusare ab observatione legis, nam excusatio non est, nisi de eo, ad quod aliquis tenetur. Ità ergo in proposito licet solemnissima promulgatio Evangelicæ legis fuerit facta in die Pentecostes, tamen ejusdem legitima promulgatio, & sufficiens ad obligandum habentes de illa notitiam facta fuit anteà, tùm per Christi, & Apostolorum prædicationem, tùm etiam à Christo in cœna, & passione novum sacrificium instituente, & novum Sacerdotium, nam si ipse legislator suam legem promulget eo ipso jam obligat, neque necessaria est alia distincta promulgatio, & hoc maximè locum habet in legislatore supremo, qui potest promulgationis modum pro suo libitu disponere; cùm ergò Christus Dominus suam legem promulgaverit, non enim loquebantur in occulto, non est cur expectemus promulgationem, quæ per Apostolos fieri cæpit in die Pentecoste; ex hac ergo duplici promulgatione novæ legis, prima fuit legitima, essentialis, & legi sufficiens, secunda verò facta in die Pentecostes fuit accidentalis, completiva, & ad tollendam ignorantiam subditorum ordinata; ità Soto, Medina, Hacquetus, Vasquez, & alii Thomistæ passim.

67 Verùm legis promulgationem necessariam esse ad hoc, ut subditos obliget, satis constat ex dictis q. 1. hujus disp. art. 2. imò D. Th. p. 2. q. 90. a. 4. adeò necessariam esse censet, ut sit de essentia legis, & eam ponat in definitione ipsius legis, & hæc promulgatio ità solemnis esse debet, ut ait Doctor 4. d. 3. q. 4. cit. a. 2. litt. H. ut sit prædictio, seù præconizatio legis publica, non solùm in curia, & principali Civitate Regni, sed in aliis quoque Civitatibus per publicos præcones; undè licet sit facta pronunciatio unius legis, vel præcepti in una Civitate, donec facta non est in alia Civitate, illi Civitati secundæ non incipit tempus obligationis, ut declarat Faber ibidem c. 4. & Aretinus a. 3. cum cæteris Scotistis; undè inquit Doctor, quod tempus obligationis Evangelicæ legis non fuit idem apud omnes, sed post solemnem ejus prędicationem in Hierusalem in die Pentecostes, indè successivè pervenit ad alias Civitates, & secundùm ordinem cuilibet loco, vel genti tempus obligationis instabat, secundùm quod publicè, & solemniter lex evangelica prædicabatur, ità quod tempus non incæpit simul apud quoscunque, sed quibusdam populis incæpit ad mensem post solemnem prædicationem in Hierusalem, & aliquibus ad annum, aliquibus ad decem annos, & sic deinceps sicut eis prædicabatur; hanc doctrinam etiam Medina ipse approbat 1. 2. q. 90. a. 4. ubi ait, quod nisi lex sit sufficienter promulgata non habet vim legis, & ulterius addit quod ut lex vim habeat obligandi, non est sufficiens promulgatio in Curia, aut Civitate Regis, sed in aliis quoque promulgari debet, undè tandem concludit, quod leges tunc sufficienter promulgatæ censentur, quando sic sunt propositæ, ut moraliter loquendo in omnium notitiam devenire valeat. Ex quo patet, ut notat Faber loc. cit. falsò Thomistas imponere Scoto, quod per promulgationem legi necessariam ad hoc, ut obliget, intellexerit manifestationem talem, ut ad notitiam uniuscunque perveniat; nunquam enim Scotus hoc dixit, sed solùm asserit promulgationem necessariam debere esse solemnem, & publicam, non solùm in una Civitate, sed in pluribus, & talem, ut moraliter loquendo in omnium notitiam devenire valeat. Aliud ergo est dicere promulgationem legis solemnem, & publicam esse necessariam, ut obliget, & aliud necessarium esse, ut cognitio legis ad unumquemque perveniat; fatemur quidem facta promulgatione publica unumquemque lege teneri, excusari tamen, qui invincibiliter legem ignoraret, sed negamus eum teneri lege, & præcepto, cui non est facta promulgatio publica, & solemnis modo jam explicato, quod sufficit ut fiat in locis publicis Civitatis, & per præcones ordinarios, itaut moraliter loquendo ad omnium notitiam pervenire valeat, nec est necesse, ut cuilibet in particulari lex notificetur, & publicetur.

68 Cùm verò dicebatur Christum satis suam legem promulgasse antè diem Pentecostes, & ideò necessariam non fuisse aliam distinctam promulgationem per Apostolos faciendam, ut lex Evangelica vim obligandi haberet, & id maximè locum habere in legislatore supremo, qui potest promulgationis modum pro suo libitu disponere. Quamvis hoc argumentum à quibusdam efficax censeatur, nihilominus, si rectè perpendatur, vel nihil urget, vel etiam contrà adversarios concludit, ut advertit Arriaga disp. 10. sec. 4 etenim Christus Dominus non solùm in puncto mortis, sed etiam antè illam suam legem promulgavit, atque ità antè mortem vim obligandi induxit, quod etiam ipsi negant; ergò si attendamus ad solam promul-

mulgationem à Christo ipso immediatè factam, non debemus instans mortis ejus determinare pro novæ legis obligatione. Nec responderi potest Christum, dùm promulgavit legem suam declarasse se nolle obligare ad eam, nisi ab instanti suæ mortis, quia ut eruditè instant Arriaga, l. c. hoc sine ullo fundamento diceretur, quia nullum tale verbum in Christi tota prædicatione de ea re reperitur, dicere autem id fuisse ab eo declaratum, sed ab Evangelistis omissum, planè esset divinare sine ullo fundamento, & eadem probabilitate liceret, nobis dicere ab ipso Christo determinatum fuisse, tempus Pentecostes pro introducenda legis novæ obligatione, licet Evangelistæ hac de re mentionem non fecerit. Dicendum itaque potuisse quidem Christum Dominum, si voluisset, sua prædicatione immediatè legem promulgare ad ejus obligationem inducendam, id tamen non constare factum, atque ideò probabilius est dicere eam promulgationem discipulis relictam fuisse in die Pentecostes, & deinceps, ut ait Doctor l. c. quia usque ad illum diem Apostoli non prædicaverunt publicè juxtà illud verbum Christi Lucæ 24. Vos autem sedete in Civitate illa, donec induamini virtute ex alto, & Matth. 16. euntes in universum Mundum prædicate Evangelium omni creaturæ; & consequenter dicendum est, quod sicut promulgatio Evangelii successivè facta est in orbe Terrarum aliquorum annorum spatio, ità etiam successivè in variis Provinciis lex vetus abrogata fuit; designatur autem spatium, quo moraliter pervenire potuit hæc notitia ad omnes nationes, tempus circiter triginta annorum, ut ait Aversa q. 98. sect. 9. vel quadraginta, ut innuit Doctor loc. cit. & nos ex professò tractavimus l. 4. disp. 2. q. 1. art. 2. & 3.

69 Ex his facilè est occurrere rationibus prioris sententiæ; dupliciter enim intelligi potest legem novam incæpisse in morte, & passione Christi, & veterem expirasse, uno modo tanquam in causa, à qua habebat efficaciam, & valorem, & hoc modo verum est legem novam in morte, & passione Christi incæpisse, mors enim Christi fuit causa confirmationis Evangelicæ legis, & antiquationis veteris legis; alio modo quod lex Christi in ejus morte incæperit, non tantùm causaliter, sed etiam actualiter quoad necessitatem observationis, & hoc modo falsum est, quia ut inquit D. Bon. loc. cit. ad 3. & 4. mors, & passio Christi fuerunt utique causa cessationis, & evacuationis veteris legis, sed causa ista non ponebat effectum nisi clarescceret; veritas enim excludit umbram tantùm, dum clarificatur, quia nullus tenetur ad incognitum, atque ità non faciebat actu cessare, nisi prius pateret legis novæ utilitas, & necessitas; sed hæc non fuit indicta in aperto, nisi post passionem, quando in die Pentecostes Evangelium fuit promulgatum. Itaque verba illa *consummatum est, & velum templi scissum est* ait Doctor intelligenda esse de his, quæ ad implendum opus redemptionis pertinebant, & de filio hominis scripta erant juxtà illud Lucæ 18. *Ecce ascendimus Hierosolymam, & consummabuntur omnia, quæ scripta sunt de filio hominis*, &c. undè verbum illud *consummatum* denotat fuisse jam tolerata omnia, quæ de passione ipsius prædicta erant, item jam oblatum esse prætium sufficiens pro redemptione nostra. Quod si prædicta verba etiam ad legem antiquam referantur, solùm significant legem veterem in morte Christi consummatam esse, tanquam in causa, quatenus mors Christi erat causa confirmationis novæ legis, & extinctionis veteris; nec scissio veli denotavit eodem momento legem veterem periisse, sufficit enim si paulò post perituram denotaret, sic etiam intelligendum est aliud dictum, quod tunc translatum est Sacerdotium, & consequenter quod etiam tunc facta est Legis translatio, quia nimirum circumcisio, & lex vetus in morte Christi expiravit, tanquam in causa, non tamen pro illa hora mortis Dominicæ, sed pro tempore promulgationis autenticæ legis Evangelicæ, ideoque lex vetus, & circumcisio utilis mansit usque ad solemnem Evangelii promulgationem. & denique hoc etiam modo intelligendum est, quod objici solet ex D. Paulo ad Hæbreos 8. & 9. ubi novum testamentum morte Christi confimatum esse dicit, undè deducunt antiquum eodem momento periisse, quia duo non poterant simul esse. Eodem, inquam, modo hoc explicandum est, quia etiam inter homines non operatur testamentum immediatè post mortem testatoris, sed cùm primùm aperitur, & promulgatur. Quæ expositio ex verbis ipsius textus deducitur, postquam enim dixit Apostolus, quod per *testamentum novum veterauit prius*, non addidit alterum statim periisse, sed *esse propè interitum*; quatenus, scilicet, in morte Christi data fuit causa, ex qua mors veteris legis brevi secutura erat, non tamen tunc immediatè secuta.

70 Ad confirmationem patet per idem; lex enim vetus erat figura, & umbra mortis Christi, quatenus per mortem Christi novum testamentum erat introducendum per promulgationem solemnem, atque adeò illucusque lex vetus utilis mansit, quia non statim in morte Christi evacuata fuit, siquidem veritas non excludit umbram, nisi dùm clarificatur, ut inquit D. Bonav. loc. cit. Ad ultimum negatur consequentia, statim enim post Christi passionem aperta est janua regni cœlestis, & Patres in limbo existentes translati sunt in statum gloriæ, non quia tunc lex vetus statim expiraverit, & nova sub præcepto introducta fuerit, sed quia tunc oblatum fuit prætium sufficiens pro redemptione nostra, quod proindè sufficiens etiam fuit pro aperitione januæ regni cœlestis. Alia plura de cessatione legis antiquæ videnda sunt lib. 4. sent. disp. 2. de Baptismo q. 1. ubi discutitur quæstio de tempore, quo institutus fuerit Baptismus, & quando cœperit esse sub præcepto; ibi enim diximus non statim ac fuit institutus cœpisse esse sub præcepto; neque statim post Christi passionem, & mortem, vel ejus resurrectionem, sed tantùm post sufficientem, & solemnem Evangelii promulgationem, & consequenter etiam diximus per sufficientem Evangelii promulgationem jam factam legem veterem, & legem naturæ toto orbe evacuatam esse, & explicuimus quando nam, & quomodo facta fuerit talis promulgatio. De gravi verò controversia, quæ olim fuit inter duo Ecclesiæ luminaria Hyeronimum, & Augustinum de cessatione legalium, ut constat ex variis illorum Epistolis ultrò citroque datis, quę habentur inter Augustinianas ad 8. ad 19. videndus est ipse Doctor l. c. ubi a. 2. sub lit. L. illam exactissimè, & luculentissimè pertractat.

ARTICULUS SECUNDUS.

De lege divina nova.

71 PRimò dicendum est, legem novam, sivè Evangelicam, quæ à Christo Domino data est, triplicia continere præcepta, nempè moralia, Sacramentalia, & fidei; ità communiter SS. Patres, Concilia, & Theologi, & quidem de moralibus constat ex Matth. 5. ubi Christus explicat, & perficit præcepta Decalogi quæ propriè ad mores pertinent, & verbis illis sæpius ab ipso repetitis *Ego autem dico vobis* renovat, explicat, ac magis declarat præcepta moralia antiqua de non occidendo, non mœchando, non perierando, dilectione inimicorum, indissolubilitate matrimonii, &c. idemque colligitur ex Matth. 6. & 7. ubi similia facit. Undè hæc præcepta moralia non fuerunt à Christo de novo instituta, sed potius magis explicata, & perfectius exposita, quam Judæi intelligerent, ut ait Scotus 4. d. 3. q. 4. ad 1. principale, ut patet Matth. 5. ex illis Christi verbis auditis, quia dictum est antiquis, non occides, ego autem dico vobis, quicunque dixerit fratri suo Racha, &c. Non mechaberis, &c. Ego autem dico vobis, quicunque viderit mulierem ad concupiscendum eam, &c. Hinc suprà diximus legem veterem non cessasse quoad ista præcepta moralia, sed durare etiam in lege nova, non ex vi veteris legis, sed ex vi legis naturalis, cùm enim hæc præcepta moralia sint juris naturalis, non egebant nova institutione, sed explicatione, & perfectiori expositione. De Sacramentalibus autem præceptis patet de Baptismo ex illo Jo. 3. Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non potest introire regnum Dei; de Eucharistia autem Jo. 9. Nisi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis, & de aliis Sacramentis in propriis locis dictum est l. 4. sent. & hæc præcepta propriè, & de novo à Christo instituta correspondent illi generi veterum præceptorum, quæ dicebantur cœremonialia, & specialiter illis, quæ spectabant ad Sacramenta, & sacrificia; adhuc tamen verum est hæc opera Sacramentorum non omnia omnibus, & singulis esse necessaria ad salutem, non enim omnes recipiunt ordines, nec omnes matrimonium contrahunt, sed omnibus, & singulis necessarius est Baptismus, & post Baptismum, in peccatum mortale recidivando necessaria est pœnitentia. Denique de præcepto fidei constat ex illo Marci 16. Qui crediderit, & baptizatus fuerit salvus erit, qui verò non crediderit, condemnabitur, & Joan. 8. Si non credideritis, quia ego sum moriemini in peccato vestro, & quamvis præceptum fidei aliquo modo etiam fuerit in lege veteri, imò, & in lege naturæ, quia illud Pauli ad Hæbr. *sine fide impossibile est placere Deo* omni tempore verum fuit; nihilominus quatenus est explicita, & expressior fides aliquorum objectorum præsertim de Misteriis Trinitatis, & Incarnationis est peculiare præceptum, & positivum divinum legis novæ, ac etiam aliquo modo actum in lege nova, nam Christi nativitas, passio, mors, & reliqua misteria, quæ à Judæis implicitè, & obscurè videbantur, jam à Christianis explicitè, & distinctè creduntur; ex quibus omnibus infertur materiam legis novæ, ad quam s. extenditur, continere tam actus internos fidei, quàm externos Sacramentorum, & præcepta moralium virtutum. Præceptis autem judicialibus veteris legis non inveniuntur in lege nova cor-

correspondentia præcepta, quæ fuerint à Christo lata, sed ipsa reliquit in Ecclesia potestatem instituendi talia præcepta, quæ quidem de facto per leges Canonicas lata sunt. Tandem ut notat Scotus loc. cit. 4. d. 3. q. 4. a. 1. extant in lege nova alia, quæ dicuntur consilia Evangelica, quæ non obligant, sicut præcepta, sed fideles inducuntur ad perfectiorem sanctitatis, utpotè valdè utilia ad vitam æternam consequendam, & soluunt obligant ad illa non contemnenda, cum consilium contemnens etiam consulentem contemnere censeatur; Itaque ex dictis patet, quomodo lex nova in ordine ad beatitudinem supernaturalem hominem sufficienter ordinaverit, tàm circà actus interiores, quàm exteriores superaddendo etiam præceptis determinata consilia.

72 Secundò dicendum est, novam legem divinam à Christo institutam in comparatione ad veterem virtute, & perfectione longè præcellere; Ità communiter SS. Patres, & Theologi, quod licet ex variis capitibus deducere soleant, ex hoc tamen præcipuè deducit Scotus 3. d. 40. q. un. a. 2. quod lex nova talia instituit Sacramenta, quæ per se conferant gratiam, & justificent, atque adeò jus ad gloriam tribuant opere operato, quæ quidem Sacramentorum institutio est insignis quædam pars novæ legis, ut dictum est; item lex nova præclarissimum Eucharistiæ sacrifium instituit, quod etiam ex vi sua, & ex opere operato beneficia spiritualia confert tam offerentibus, quàm illis, pro quibus offertur; hanc verò virtutem Sacramenta, & sacrificia veteris legis nullatenus habeant, non enim justificabant, nec sanctificabant cultores suos sanctitate supernaturali gratiæ, sed solùm legali, & æterna, & nostra salutaria Sacramenta, & sacrificium præfigurabant, undè lex vetus nullum habuit verùm, & proprium Sacramentum nisi circumcisionem, & hoc ut remedium contrà originale peccatum. Addit etiam Doctor loc. cit. quod passio Christi exhibita plus meretur de gratia credentibus eam jam exhibitam, quàm ipsa, ut exibenda meruerit illis, qui crediderunt illam, ut exhibendam, & ideò Sacramenta nostra, quæ habent efficaciam in virtute passionis Christi jam exhibitæ plus conferunt de gratia, quàm Sacramenta veteris legis; illaque etiam gratia, quæ conferebatur per remedium institutum in statu legis naturalis, ac specialiter per Circuncisionem determinatè injunctam propositate Abrahami, non debeatur nisi ex meritis, & redemptione Christi venturi, jam ex æternitate à Deo prævisis, & præordinatis, hinc ergo etiam omnis illa gratia, quæ data fuit antè Christum, dici debet data fuisse in vi legis novæ, sivè ad legem novam spectasse, atque ideò etiam ex hoc capite fuisse veteri perfectiorem. Denique etiam ex alio capite præcellit rursus status, & tempus legis novæ post Christum suprà statum, & tempus legis veteris antè Christum quantum ad gloriæ consecutionem, quia antè Christi adventum nullus admittebatur ad ejus ingressum, sed fideles illius status decedentes in gratia in Limbo detinebantur expectantes adventum Christi, qui solus prætiosi sanguinis sui prætio soluto januam Cœli clausam in pœnam originalis culpæ apervit, undè gratia etiam per sacramenta veteris legis collata non dabatur per modum ultimæ dispositionis ad gloriam, quæ adhuc de rigore justitiæ divinæ exigebat prætium nostræ redemptionis solvi in sanguine Christi. Sed in statu legis novæ post adventum Christi in Regnum Cœlorum datur ingressus, & tunc etiam introducti sunt illi, qui prius admissi non fuerunt, quamvis essent gloria digni; hæc itaque etiam est gratia novæ legis in ordine ad gloriam consequendam non data in veteri ob non solutum prætium sanguinis Christi.

73 Tertiò dicendum est legem novam divinam in hoc quoque veterem antecellere, quod ubi vetus aliquando cessavit, hæc duratura est usque ad finem mundi, absque ulla sua immutatione, & absque succession ullius alterius legis. Ità pariter SS. Patres, & Theologi passim, D. Th. q. 107. a. 4. & Scotus noster 4. d. 2 q. 1. ab initio, quod probat ex illo Matth. 26. ubi hanc legem vocat *novi, & æterni testamenti*, id est, post quod nullum aliud est futurum, & hoc idem significant verba illa Matth. 24. *Non præteribit generatio hæc donec omnia fiant*, quæ Chrisostomus intelligit de congregatione fidelium Christi, usque ad mundi finem semper mansura, ideò etiam dixit Christus Matt. 28. *Ecce ego vobiscum sum, usque ad consumationem sæculi*. Hoc quoque prænunciatum est in veteri testamento in prophetiis de Christo, undè Daniel. 7. habetur *potestas ejus potestas æterna, quæ non auferetur, & regnum ejus, quod non corrumpetur*, & Psal. 109. *Tu es sacerdos in æternum*, &c. Quod etiam ratione confirmat Doctor l. c. quia convenienter quidem lex vetus in Evangelicam commutata fuit, tanquam imperfectior in perfectiorem, in processu enim ab imperfecto ad perfectum posteriora sunt perfectiora; sed Evangelica lex iam est perfectissima, nam in statu hujus legis habet homo perfectissima adiutoria ad gratiam acquirendam cujusmodi sunt perfectissima sacramenta; ergo non debet ulla ejus commutatio in aliam perfectiorem expectari. Aliam etiam rationem subdit Doctor in fine questionis, quia nimirum in statu hujus legis non solum habet homo perfectissima adiutoria, & sufficientissima remedia ad gratiam acquirendam, sed etiam ad ipsam gloriam consequendam, quia nimirum post solutum prætium in passione Christi, & post obsequium exhibitum à divina justitia requisitum, Baptismus januam Cœli aperuit, quæ prius clausa erat in pœnam originalis culpæ, quapropter Christus de se dixit. *Ego sum Ostium*, & D. Hie. ep. 120. ad Dardan. ait, quod sanguis Christi *est clavis Paradisi*; nulla; ergo est necessitas alterius legis perfectioris, cùm hæc sit perfectissima, & efficacissima tam in ordine ad gratiam acquirendam, quàm in ordine ad gloriam consequendam, solum; ergo mutandus erit status novæ legis in statum æternæ gloriæ, status Christi fidelium in statum Deum videntium, & denique status Ecclesiæ militantis in statum Ecclesiæ triumphantis, quam mutationem prædixit Apostolus 1. Corinth. 13. *Cùm venerit quod perfectum est, evacuabitur quod ex Parte est videmus nunc per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem*.

74 Quartò dicendum est, legem novam, seù Evangelicam simplicter obligare ad sui receptionem, & observationem, imò non solùm obligatione præcepti, sed etiam necessitate medii est necessaria ad salutem saltem quoad aliquam sui partem, etenim, ut inquit Scotus 3. d. 40. q. un. a. 1. & nos iam diximus lib. 4. disp. 2. Baptismus hoc modo necessarius est ad salutem. s. necessitate medii, un constat ex verbis Christi Joan. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua; & Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei*, quod tamen intelligendum est non de Baptismo in re, sed vel in re, vel saltem in voto, ut loc. cit. dictum est, similiter pœnitentiæ sacramentum est necessarium, inquit Doctor, homini post Baptismum lapso. Et tandem omnibus simpliciter adultis est necessaria fides Christi juxtà illud Marci 16. *Qui non crediderit condemnabitur*, hæc autem necessitas plenius explicatur de fide, & sacramentis in suis propris locis. Rursus quædam præcepta non omnes obligant singilatim, inquit Doctor, sed tantùm vagè, non enim omnes, & singuli tenentur Ordines recipere, aut matrimonium contrahere, quædam verò obligant omnes, & singulos, & cum tanto rigore, ut cum quocunque dispendio etiam propriæ vitæ servari debeant, ut pote præcepta fidei non solum quoad actus internos, sed etiam quoad externos, qui ad confessionem fidei spectant, & hanc obligationem expressit Christus ipso Matt. 10. *Qui confitebitur me coram hominibus, confitebor, & ego coram Patre meo, qui autem me negaverit coram hominibus, negabo & ego coram Patre meo*, ubi etiam discipulos suos hortatur ad tormentorum tolerantiam, usque ad mortem pro fidei confessione illis verbi: *Nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere*, & ità de facto innumeri Martyres observarunt, qui constantissimè pro fidei confessione sanguinem effuderunt, & mortem passi sunt. Alia tandem sunt præcepta legis novæ, quæ licet omnes, & singulos obligent, non tamem cum tanto rigore, imò nec tenetur homo cum periculo notabili detrimenti ea adimplere, ut patet de præcepto, v. g. confessionis cum integra omnium mortalium peccatorum expressione, hoc enim non obligat, quando quis suæ confessionis revelationem prudenter timeret, aut gravem alterius complicis infamiam, vel aliud simile incommodum, & detrimentum.

75 Quintò dicendu est, hanc novam legem latam esse pro universis hominibus viatoribus, ità enim data fuit à Christo, ut non solùm suscipi posset ab omnibus nationibus, sed etiam ut obligaret omnes ad eam suscipiendam, & observandam absque discrimine Judæorum, atque Gentilium. Ità constat ex toto fere testamento novo, in quo sæpjus fit mentio de universalitate legis novæ prò Judæis. Gentilibus, & omni natione; & ità expressit Christus ipse in Evangelio, ut constat ex capit. ult. S. Matthæi, & S. Marci, ubi Apostolis iniugit, ut omnes gentes doceant, & Evangelium omni creaturæ prædicent *euntes in universum mundum prædicate Evangelium omni creaturæ*, edicitque condemnandos esse, qui credere, & legem illam recipere nolverint. *Qui non crediderit, condemnabitur;* Quod etiam clarius expressit Paulus ad Rom. 3. *An Judæorum Deus tantum? nonnè, & Gentium? imò, & Gentium, quoniam quidem unus est Deus, qui justificat circumcisionem ex fide, & præputium per fidem*. Imò non tantùm in testamento novo id expressum invenitur, sed prænuntiarunt quoque plurima Prophetarum oracula in veteri testamento idipsum de vocatione, & conversione gentium; ut patet Isaiæ *fluent ad eum omnes gentes, & ibunt populi multi, & dicent, ascendamus in montem Domini, & ad domum Dei Jacob, quia de Syon exibit lex, & verbum Domini de Hierusalem*. Et tandem id exigebat dignitas, & officium Christi Domini, qui sicut omnes hoimne vult salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire; ità propter nos homines,

& pro-

& propter nostram salutem descendit de Cœlis, & homo factus est, & legislator advenit, & Redemptor non pro uno tantùm populo, aut natione, sed pro universo mundo. Quarè concludendum est hanc novam legem omnes prorsus obligare populos, & nationes, & omnes, & singulos homines absque ulla exceptione; potest tamen intercedere excusatio ex ignorantia in iis, qui non habuerunt, nec habere poterunt de hac lege notitiam, itaut non peccant ex hac parte contrà ipsam Christi legem.

76 Sextò tandem certum est, legem divinam positivam posse à Deo ejus auctore dispensari, sivè per modum dispensationis propriè dictæ, sivè etiam per modum abrogationis, hoc enim ex illo generali principio deducitur, quod quilibet legislator suam legem mutare potest, & dispensare, quod maximè in supremo legislatore, & Domino qualis est Deus, debet habere locum, tùm etiam ex facto ipso, quo constat Deum omninò legem veterem abrogasse, quæ verè divina erat. Certum etiam est potuisse ipsum Deum, potuisse Christum, dùm suam legem condidit, talem potestatem eam dispensandi Ecclesiæ committere, sivè Petro, & successoribus ejus sicut potest quicunque superior alteri facultatem committere dispensandi in suis legibus, & præceptis. Quæritur ergo, nùm talis potestas de facto Ecclesiæ sit concessa, & specialiter num possit Summus Pontifex aliquando ex causa gravi, & necessaria dispensare in præceptis, & institutis novæ legis in casu, quo alioquin præcepta ipsa verè obligarent, ut dicatur vera & propria dispensatio; & quidem aliqui Juristæ affirmare videntur, dicentes concessionem talis facultatis fuisse necessariam vel saltem satis consentaneam Sum. Pontifici Christi Vicario pro recto, & idoneo Ecclesiæ regimine, ità Panormitanus, Felinus, Decius, & quidam alii in caput. 1. de Const. & cap. *Quæ in Ecclesiarum* eodem tit. quibus ex parte consentiunt quidam etiam Theologi, quàm concessionem deducunt præsertim ex verbis Christi Domini Matth. 16. quæ Petro dixit *Quodcunque ligaveris super terram, erit ligatum, & in Cœlis, & quodcunque solveris super terram erit solutum & in Cœlis*, quibus verbis tam amplam facultatem ajunt, & potestatem suo Vicario contuliisse, ut solvere etiam possit obligationem præceptorum suorum, & in eis dispensare.

77 Communis tamen; & vera Theologorum sententia est non adesse in Ecclesia potestatem dispensandi circà præcepta, & instituta Christi loquendo de dispensatione propriè dicta; qua, scilicet, obligatio legis divinæ removeatur ab actu manentibus omnibus conditionibus, & circumstantiis, secundum quas actus erat materia præcepti, & ad eum quis tenebatur. Et ità de facto agnoverunt, & servaverunt ipsi Summi Pontifices Leo Papa epist. 90. & refertur c. *Sicut quædam* d. 14. Urbanus Papa, ut refertur c. *Sunt quidam* 25. qu. 1. Zosimus Papa, ut refertur c. *Contrà statuta* ibidem, & Marcellinus Papa, ut refertur c. *Omne* ibidem; expresè enim dicunt, & declarant non posse Summum Pontificem quicquam condere, vel mutare circà ea, quæ Dominus per Apostolos, & Evangelistas determinavit. Et hoc etiam ratio ipsa suadet quia universaliter loquendo non potest inferior per se dispensare in lege superioris; ergo tanto minus poterit humana potestas in lege Dei dispensare, & illam obligationem auferre, quam Deus imposuit, vel illam institutionem mutare quam Deus fecit. Et quamvis potuisset Christus talem concedere facultatem Petro, & Successoribus ejus, ut posset aliquem ab obligatione legis divinæ liberare; tamen de facto Christum Dominum talem potestatem Petro, & successoribus ejus contulisse non legitur, nec talem facultatem in Ecclesia reliquisse; quia expediebat in Ecclesia extare principalia instituta, & præcepta firma, & solida, quæ essent prorsus immutabilia; atque ideò essent apud omnes fideles, & in omni tempore semper uniformia, ut ità firmitas, & unitas Christianæ Ecclesiæ appareret semper, & ubique neque oppositum ex illis Christi verbis pro opposita opinione adductis deduci posset, si enim ex illis quis velit aliquam dispensationem in lege Christi esse possibilem in Ecclesia, posset eodem modo dicere omnes esse possibiles, quia verba illa indefinita, & universalia sunt, nec magis unam, quàm aliam dispensationem indicant esse possibilem, omne autem Christi legem in Ecclesia esse dispensabilem nemo sanæ mentis asserere potest; illis ergò verbis nil aliud concessum est Pontifici, quam jurisdictio suprà homines in ordine ad absolutionem, retentionem absolutionis Sacramentalis, excommunicationem, consecrationem, &c. & hoc pacto omnes sacri Doctores, & Ecclesia ipsa, ac Summi Pontifices verba illa acceperunt, & intellexerunt.

78 Appositè autem diximus non posse Summum Pontificem dispensare in lege divina per dispensationem propriè dictam, quia dispensatio impropriè dicta dupliciter in materia legis divinæ potest locum habere. Primò si à Deo, vel etiam à Pontifice mutetur aliqua conditio, sine qua actus non sit amplius materia præcepti in tali enim casu non dispensatur propriè præceptum, sed mutatur materia, quoad absque ulla difficultate fieri potest, quando materia est moralis, & humana, ut dici solet de dispensatione voti, quæ tamen re vera non est dispensatio, licet sic frequenter vocetur, sed remissio debiti, sicut enim qui mihi aliquid donavit, quoad adhuc apud se retinet, tenetur jure naturali illud mihi dare, si autem ego cedo juri, in qua cessione nulla intervenit dispensatio, jam non amplius obligatur, ita in voto; Secundò fit ista dispensatio impropriè per declarationem, & interpretationem, cùm S. Pontifex in casu dubii ex rationabili causa interpretatur aliquem non obligari ad materiam alicujus legis divinæ, tunc enim Deus in tali casu excipere censetur talem ab obligationem legis divinæ; dubium enim non est, quin per Epichejam possit declarari in particulari casu aliquem non teneri aliqua lege divina, cum, s. aliqua circumstantia indicat casum non comprehendi sub lege, v. g. non esse aperiendum in confessione id peccatum, ex cujus confessione immineat mors pœnitenti, vel aliud gravissimum incommodum. Estò igitur daremus Pontificem habere facultem, & vim declarandi in hoc, aut illo casu præceptum divinum non obligare, id tamen non esset per veram, & propriam dispensationem, sed per interpretationem, aut declarationem voluntatis Christi, qui dum eam legem statuit, non voluit in hoc, aut illo casu obligare; & hic est communior, & probabilior modus dicendi Theologorum in hac quæstione, & ità omnes docent, ac ut indubitatum supponunt in materia de sacramentis, ubi docetur, ut suo loco dictum est nullam pœnitus formam, aut materiam sacramentorum posse ab Ecclesia mutari, quia omnes sunt à Christo institutæ, ut videre est apud Suarez, Salas, Arriagam, Aversam, & alios, & præsertim apud Fabrum nostrum 4. disp. 43. cap. 1. num. 19.

QUÆSTIO QUARTA.

De lege positiva humana.

79 UT dictum est in superioribus, lex positiva in duas species adæquatè dividebantur, nempè in legem divinam, & humanam, hactenus de divina tractavimus q. præced. tam veteri, quàm nova, seù Evangelica, nunc in præsenti de humana agendum est; & quidem dari potestatem legislativam humanam, qua homines in perfecta communitate viventes suum finem per consentanea media consequi possint leges condendo, quæ vim habeant præcipiendi, & prohibendi, ac obligandi ad faciendum, vel non faciendum, jam patet ex dictis q. 1. hujus disp. a. 2. ubi etiam n. 12. & 13. attigimus quinam inter homines legislatoris munere fungi possint, & leges condendi potestatem habeant; sed hoc ipsum modò plenius discutiendum est, & declarandum cum Scoto 4. d. 15. q. 2. a. 1. ubi de hac materia tractat. at etiam q. 3.

ARTICULUS PRIMUS.

De necessitate, & utilitate legis humanæ, & potestate eam condendi.

80 PRimò quid sit lex humana facilè deducitur ex dictis de lege in communi q. 1. hujus disp. a. 1. nam consentaneè ad dicta ibidem de definitione legis in communi dicendum est, quod *lex humana est ordinatio rationis à legislatore humano ob bonum commune facta, & promulgata*; cujus definitionis particulæ patent ex ibi dictis, & adhuc magis patebunt ex dicendis. Docent autem communiter Theologi cum D. Th. q. 95. a. 2. & Scoto 4. d. 15. q. 3. sub G. & d. 36. q. 1. a. 1. omnem legem humanam necessariò derivari à lege naturali, vel demonstrativè, ut conclusiones à principiis ex terminis notis, vel syllogisticè, ut conclusiones probabiles saltem legi naturæ concordes, vel adminus non discordes, & ratio est, quia lex humana in tantum habet rationem legis, inquantum est justa, sed legem esse justam est esse conformem rectæ rationi, & hæc recta ratio est ipsa lex naturæ, ut ex supradictis constat; ergo omnis lex humana à naturali dependet, seù derivatur, ut jam diximus q. 2. a. 1. n. 28. undè D. Aug. ait 1. de l. arb. c. 6. *Nihil est in lege temporali justum, quod ex lege æterna non derivetur*, vel demonstrativè, ut conclusiones à principiis ex terminis notis, vel syllogisticè, ut conclusiones probabiles legi naturæ concordes, ut fusè Vulpes ostendit disp. 6. a. 2. ex Scot. loc. cit. Hinc lex humana, sivè Jus humanum præsertim dividi solet in Jus gentium,

tium, & Jus civile. Jus gentium est lex humana, quo omnium populorum consensu ideò est suscepta, & constituta, quia facili negotio, ac veluti demonstrativè ex principiis legis naturæ deducitur, & ideò ad omnes pertinet nationes, ut dictum est suprà q. 2. a. 2. n. 43. Jus autem civile est lex humana, quæ longius à principiis legis naturæ abest, eo quod ex aliquibus propositionibus deducitur, quibus non est ità facilè assentiri, cùm ex consideratione circunstantiarum magis particularium dependeant, quæ variæ sunt, & diversæ in gentib. pro diversitate Regnorum, & Provinciarum, atque ideò Jus civile non est idem apud omnes nationes, sed apud varias variatur, & diversificatur.

81 Secundò inquirendum est, undè necessitas humanarum legum colligenda sit, cùm enim naturale lumen demonstret leges Dei æternas, & naturales sufficienter homines dirigere in actibus suis ad morum honestatem, & ad ducendam civilem vitam pacificam inter concives; leges humanæ videntur omninò superfluæ ad homines dirigendos in utraque politia civili, & spirituali, qua ratione hæretici quamplures negarunt omnem potestatem in hominibus legislativam, & dixerunt nullas dari leges humanas obligantes. Cæterùm si hæc ratio valeret, non tantùm legum humanarum necessitatem, & utilitatem excluderet, sed etiam legis divinæ positivæ suprà præceptum legis naturalis; ex eodem igitur capite seruata proportione legum humanarum necessitas, & utilitas colligi debet, undè legis divinæ positivæ necessitas deduci solet. Scotus autem 4. d. 26. q. un. sub H. ait suprà præceptum naturalis legis expedire præceptum divinum adhuc adiungi, quia minus obediunt homines soli legi naturæ, quam Deo præcipienti, & minus timent, ac reverentur conscientias proprias, quam auctoritatem divinam; ex hoc igitur, quod lex positiva divina necessaria fuerit ad terrendos homines per pœnas ut legi naturæ obedirent, deduci quoque potest necessitas legum humanarum. Etenim ob corruptionem naturæ humanæ per peccatum originale vulneratæ minus quoque obediunt homines Deo præcipienti, quam auctoritati humanæ observantiam legis naturalis, & divinæ sub certis, ac determinatis pœnis sensibilibus in hac vita minitanti. Deus enim in hoc sæculo non statim vindicat suæ legis injurias, ut patet ex Psal. 7. *Deus judex justus, fortis, & patiens numquid irascitur per singulos dies;* suppositа igitur humanæ naturæ corruptione per peccatum originale exorta est humanarum legum necessitas ad cohibendos, & coercendos homines ad observatiam tam legi naturalis, quàm divinæ, quia minus timent, & reverentur conscientias proprias sub obligatione naturæ, & divinæ legis, quàm humanam auctoritatem, & adeò obcæcatum est insipiens cor eorum, ut ait Propheta, ut minus obediant legi divinæ pœnas æternas post hanc vitam minitanti, quàm legi humanæ pœnam temporalem tantùm in hac vita minitanti, ex quo patet legem humanam, sivè spiritualem, sivè civilem potius ordinatam esse ad tuendam naturalem, & divinam legem, quàm ad faciendum aliquid ultrà illam. Ratio itaque in oppositum adducta non urget, quoniam in iis, quorum rectitudo dictamine legis naturalis evidenter non constat, certius indicat lex humana, quid sit virtuti consentaneum quàm lex naturalis, ob excæcationem luminis rationis per peccatum inductam ex Psal. 32. *Lumen oculorum meorum non est mecum*, tùm quia major pars hominum præsertim juvenum metu indiget, ut à noxiis voluptatibus abstrahatur, quibus continuò tentatur ob dependentiam pœnalem appetitus rationalis à sensitivo, ut ait Scotus 3. dist. 33. sub H.

82 Tertiò negarunt etiam prædicti hæretici omnem potestatem legislativam in hominibus, quia homo ex natura sua est liber, nec unus est alteri subiectus, & ideò Genesis 1. declaravit Deus facere hominem, ut præesset animalibus, non autem ut unus homo præesset aliis, sed omnes homines essent inter se æquales. At certum est in hominibus hanc potestatem adesse, & consensu, & usu omnium nationum exploratum est justè, & legitimè extare Superiores, Magistratus, & Rectores, qui potestatem habeant præcipiendi, & leges condendi, idque postulat ipsa hominum natura, quatenus sociabiles sunt, & in communitate viventes, ut enim ait Sapiens Prov. 11. *Ubi non est gubernator, corvet populus*, nam membra non benè conjunguntur in unum corpus, nisi sub uno capite, & ideò in sacra scriptura nominantur Reges, & Judices, tanquam veram, & legitimam super populos potestatem habentes. Neque talis legislativa potestas in hominibus eorum libertati præjudicat; licet enim homo natura sua sit liber, si tamen ipse semetipsum, aut Deus illum alteri subiiciat, jam illi obedire tenebitur, & eo ipso ille alter poterit illi leges imponere, neque loco Geneseos citato negavit Deus, posse inter homines, quamvis natura æquales, talem ordinem moralem institui, ut unus habeat auctoritatem præsidendi, & imperandi aliis, sed solum expressit id, quod per naturam omnibus, & singulis hominibus conveniebat, nempè præstantiam, & præsidentiam super animalia. Diximus autem suprà q. 1. a. 2. n. 12. hanc potestatem ex natura rei esse in ipsa Communitate, vel in illo, in quem ipsa eam transtulerit, ut docent S. Th. q. 90. a. 3. & Scot. 4. d. 15. q. 2. a. 1. concl. 6. & ratio est, quia hæc potestas ex natura rei non est in singulis hominibus aut in aliquo determinatè, siquidem omnes ex natura rei sunt æqualiter liberi, ut suprà dictum est; ergo opus est, esse in ipsa Communitate, vel cui ipsa id concessit ex communi consensu; tum etiam, quia ut dictum est loc. cit. n. 10. de ratione legis est, quod propter commune bonum feratur, ex quo sequitur solam ipsam Communitatem posse leges condere, vel aliquam, qui ipsius curam gerat.

83 Quartò, quoniam homo in duplici Politica considerari potest, ut sæpiùs ait Doctor loc. cit. una civili ad pacificè convivendum, altera spirituali ad sanctè vivendum, ideò lex humana communiter dividitur in temporalem politicam, & spiritualem Ecclesiasticam; cùm enim homo non solùm ad finem naturalem ordinetur, qui est naturalis fœlicitas sed etiam ad finem supernaturalem, qui est fœlicitas supernaturalis; sicut duplici indiget regula directiva duplicis finis formaliter diversi, ità, & duplici principio dirigente essentialiter diverso, uno quidem finis naturalis directivo, altero autem directivo finis supernaturalis. Videndum igitur est, quinam sint isti, qui leges hujusmodi rectè, & legitimè concedere possint; & quidem quoad leges civiles dicendum est supremis Principibus ex communi consensu, & electione libera subditorum electis reperiri potestatem tales condendi leges in commune bonum illos verè obligantes; ad ipsos. n. spectat cura boni communis, & ipsis collata est talis potestas ex ipsa hominum communitate, ut dictum est suprà q. 2. n. 13. cum Scoto 4. d. 15. q. 2. a. 1. Nomine autem Principis intelligimus etiam quemcunque summum Magistratum, etiamsi ad tempus suum munus exerceat, & intelligimus etiam Senatum ex Optimatibus electum, aut etiam Populum ubi talis modus regimini extaret. Diximus autem Principes supremos, & absolutos potestatem habere ferendi leges in suis regnis, & dictionibus, quia alii inferiores Principes, & feudatarii talem potestatem legislativam non habent ut loc. cit. dictum est, nisi ab ipsis supremis fuerit eis communicata. Ratio est, quia ad condendum leges non sufficit quæcunque jurisdictio in subditos, aliàs ordinarii Judices, qui talem habent jurisdictionem, leges ferre possent, sed requiritur primaria, & principalis potestas jurisdictionis, cum inter actus gubernationis actus ipse leges condendi præcipuus sit, & primarius. Principes ergo non supremi, cum tali jurisdictione careant, leges condere non possunt auctoritate ordinaria, benè tamen delegata, ut diximus, cùm generaliter loquendo omnis potestas ordinaria jurisdictionis sit delegabilis. Ex quo sequitur hanc potestatem condendi leges civiles maximè etiam summo Pontifici competere, cùm ipse quoque sit magnus Princeps temporalis plurium statuum, & Provinciarum.

84 Est tamen difficultas, an ista potestas condendi leges civiles competat summo Pontifici respectu totius Orbis, & præsertim Christiani, an verò respectu solùm talium statuum, & Provinciarum. Censent aliqui Canonistæ, ac etiam Theologi summum Pontificem habere jurisdictionem directam à Christo concessam ad ferendas leges civiles pro toto orbe Christiano, imò aliqui civilem ejus potestatem nimio plus extollentes addiderunt id etiam in Regnis Infidelium facere posse, quod putant ab Ecclesia significari, dum de Petro dicit: *Tibi tradidit Deus omnia regna mundi*, ità D. Antoninus Alvarus, Pelagius, Augustinus de Ancona, Sylvest. & quidam alii. Certum tamen est respectu Infidelium Pontificem talem non habere jurisdictionem, ut expressè docuit Paul. ad Cor. 5. dùm ait *Quid mihi de iis, qui foris sunt judicare?* quibus verbis manifestè ostendit, Pontificem nullam vim habere judicandi eos, qui foris sunt, hoc est, extrà gremium Ecclesiæ, & cum Innoc. Tertius cap. *Gaudemus* de Divortiis sanciverit Const. Canonicas extrà Ecclesiam non obligare Paganos, tanto magis de civilibus id asserendum erit, siquidem ad has multò minorem habet Pontifex potestatem, quam ad Canonicas. Neque in toto Evangelio ullum habetur solidum fundamentum ad id asserendum, ubicunque enim Christus Petro potestatem dedit, semper eam esse spiritualem ostendit, & in oves ipsius, ut patet ex verbis Christi Jo. 22. *Pasce oues meas*; & quod Ecclesia dicit *Tibi tradidit Deus omnia regna mundi* nil aliud denotat, quàm quod tradiderit quoad jurisdictionem spiritualem, non verò temporalem. Imò probabilius etiam est neque etiam in regna Christianorum talem habere poteatem, ut tenent Major, Caiet. Victoria, Scotus, Navarrus, Suarez, Lezana, Arriaga,

Arriaga, Bellarm. & alii communiter, quod ex ipsa Ecclesiæ praxi suadetur ab initio hucusque nullus enim Pontifex talem potestatem temporalem hactenus sibi arrogavit in Regna Christianorum imò id etiam suadet ratio satis convincens, ut advertit Arriaga disp. 13. sec. 4. nam si Reges, cùm primùm fierent Christiani, Regna sua amittere debuissent, summum indè impedimentum pro conversione Infidelium emersisset, quis enim Regnum suos converti voluisset, aut permisisset, si eo ipso esset Regno spoliandus. Quarè concludendum est cum communiori, non posse Pontificem leges civiles condere pro locis sibi non subjectis in temporalibus, quia ad eas leges ferendas jurisdictio temporalis requiritur, qua ille caret respectu talium locorum.

85 Quintò præterea certum est, ac de fide tenendum in Ecclesia extare potestatem condendi leges Ecclesiasticas, seù Canonicas, undè in Summo Pontifice Romano per excellentiam, & in aliis Episcopis ab illo ad particulares Ecclesias regendas deputatis verè, ac propriè reperitur potestas spiritualis legislativa in utroque foro suprà fideles sibi subjectos immediatè eis à Christo communicata. Ità Scotus 4.d.15.q.3.art.2. cum omnibus Catholicis contrà quosdam Hæreticos oppositum asserentes, & sequitur ex proximè dictis enim in Politia temporali est potestas condendi leges civiles pro recto regimine temporali, multo magis erit in Politia spirituali, quæ, scilicet, ad finem spiritualem ordinatur, & animarum salutem, qualis est Ecclesia pro recto regimine spirituali, & patet ex eisdem Evangelii locis, in quibus Christo Petro commisit, & ejus successoribus Ecclesiæ curam, & gubernationem, quæ utique sine legibus fieri nequit; & tandem ex perpetuo usu, & traditione Ecclesiæ idipsum constat, etenim discurrendo à primo Concilio Hierosolymis celebrato ab Apostolis Act. 15. usque ad ultimum, & per omnes summos Pontifices aliquæ leges latæ sunt pro temporum opportunitate. Diximus autem potestatem condendi leges in Ecclesia esse immediatè à Deo ad differentiam potestatis temporalis in Principibus sæcularibus immediatè eis collatæ à subditis ex vi electionis legitimæ ad Principatum suprà se ex Scoto d.15.cit.q.2.art.1.concl.5. Extat autem potestas ista spiritualis erga totam Ecclesiam in uno supremo Prælato, scilicet, Romano Pontifice, qui est caput, & pastor omnium fidelium, quia nimirum sic fuit à Christo instituta; & in hoc etiam differt à potestate civili, quæ in uno Principe supremo erga totum genus humanum non reperitur, sed in plures dispertita est Principes erga regna plura, & provincias diversas.

86 Habent etiam, ut dicebamus, præter summum Pontificem potestatem hanc legislativam legum Ecclesiasticarum, dummodo communibus non opponantur, Patriarchæ, Archiepiscopi, & Episcopi in propriis Ecclesiis, ut communiter docent Doctores, & expresè colligitur ex illo Act. 20. *Posuit vos Spiritus Sanctus Episcopos regere Ecclesiam Dei*, ubi etiam fidelibus subditis injungitur obedientia, & observantia ergà suos Prælatos, & hoc ipsum ratio ipsa suadet, quia Episcopi etiam sunt Pastores suarum Ecclesiarum, ac per consequens possunt sibi subditos regere mediis legibus eis convenientibus. Est tamen difficultas inter Doctores, an hæc potestas legislativa competat illis jure divino, & sit à Christo immediatè communicata, an verò solùm jure humano, & à summo Pontifice. Aliqui asserunt solam consecrationem, & potestatem ordinis fuisse institutam à Christo in Episcopis, esseque de jure divino; at potestatem jurisdictionis, ad quam spectat condere leges immediatè Episcopis à summo Pontifice concedi, atque ideò esse de jure humano, ideoque posse variis modis immutari, & limitari; ità significavit D. Th. 4. d. 20. q. 1. art. 4. & tenent Durand. Cajetanus, Soto, Bellam. Suar. Arriaga; & alii Recentiores. Alii autem volunt hujusmodi potestatem condendi leges convenire Episcopis immediatè ex concessione, & institutione Christi, atque adeò de jure divino, ità Alph. de Castro, Vasquez disp. 152. c. 3. Vulpes noster disp. 6. art. 1. ubi ait hanc potestatem legislativam in utroque foro Episcopo convenire ex vi ordinationis super gregem sibi comissum, quæ cùm sit ordinaria, non delegata, jurè censetur potestas ordinis, vel saltem cum ea necessariò connexa, alioquin posset per superiorem auferri, & in casu si Episc. à Papa depositus attentaret alioquid facere, s. ordines conferre, nihil faceret undè infert Episcopos habere immediatè à Deo potestatem spiritualem condendi leges synodales obligantes omnes sibi subjectos. Sed quicquid dicatur in hac quæstione parum refert, præsertim, quia ut notat Arriag. dis. 8. sect. 3. reducitur tandem ad quæstionem de nomine, undè miror cur adeò fusè à quibusdam Recentioribus pertractetur. Probabiliùs tamen, & magis expediens arbitror ob majorem subordinationem Episcoporum cum suo universali capite asse-

rere, talem jurisdictionem ab illo immediatè accipere, & posse pro voluntate ipsius extendi, limitari, & immutari; quia ut ait Arriaga loc. cit. si eam haberent immediatè à Christo, solùm posita, ut conditione, eorum designatione, aut consecratione, esset manifestum periculum se opponendi summo Pontifici, ac dicendi, tam de jure divino est mea, quàm tua jurisdictio, non potes ergo me impedire in meo Episcopatu.

87 Sextò tandem convenit quoque hæc facultas condendi leges etiam pro tota Ecclesia Conciliis generalibus, non solùm, quando Papa ipso præsente celebrantur, sed etiam ipso absente, si de ejus licentia fuerint congregata, & ab eodem confirmata, quia ut sic habent auctoritatem ab illo, qui est superior ipsis, ità communiter Doctores. Deindè competit etiam hæc legislativa facultas legatis Sedis Apostolicæ in jis Provinciis, ad quas mittuntur, ità declaratur in c. ult. *De officio legati*, & ratio est, quia hoc munus ità ab Ecclesia institutum est, & quia Legati Apostolicæ Sedis intrà fines suæ legationis habent jurisdictionem quasi Episcopalem, imò & majorem, ut patet ex titulo relato *De officio legati*. Tandem ait Scotus 4.d. 15.q.3.art. 2. quem alii communiter sequuntur, etiam generale Capitulum in Religione approbata posse novas condere leges præter antiquas in regula sui ordinis cotentas secundùm loca, & tempora, & exigentiam reformationis; & subdit Constitutiones etiam unus Religionis visas honestas aliis, & benè convenientes pro justitiæ regularis observantia, posse per generale Capitulum alterius Religionis assumi, & vim legis in ea sortiri, obligantes in ipsa ad observantiam, non quia Constitutiones alterius, sed quia propriæ à suo generali Capitulo assumptæ, approbatæ, & sancitæ; non enim, inquit Doctor, tunc obligarent fratres Prædicatores, v. g. quia sunt ordinationes Fratrum Minorum, sed quia à Capitulo generali Prædicatorum approbatæ. Hæc autem spiritualis auctoritas Regularium in Capitulo generali à summo Pontifice immediatè dependet talem Religionem approbante, & ex vi approbationis illi communicante auctoritatem legislativam. Praxis tamen supponere videtur, ut notat Vulpes disp. 6. citat. a. 2. in fine statuta Capituli generalis vim legis non habere, nisi ab eodem summo Pontifice immediatè probata, & auctorizata fuerint. Hic autem recolendum est, quod loc. cit. diximus q. 1. art. 2. n. 13. omnem talem legislativam potestatem humanam, sivè civilem, sivè Ecclesiasticam esse à Deo, cum discrimine tamen ibi notato, & nomine Dei imperantis habere vim obligandi, ut docet D. Paulus ad Rom. 7. *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit, non est enim potestas, nisi à Deo; itaque qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit.*

88 Sed contrà prædicta obiiciunt hæretici Vualdenses, Lutherani, Calvinistæ, & alii negantes potestatem Legislativam humanam; Christus leges Mosaycas abrogavit, tùm propter earum moltitudinem, tùm propter difficultatem; ergo Christianis imponi non debent leges civiles, & Ecclesiasticæ, quæ multo plures, ac difficiliores sunt, quam Mosaycæ, alioquin durior esset condictio Christianorum, quam olim Judæorum, quod est contrà illud Christi. *Jugum meum suave est, & onus meum leve.* Consequentia probatur, quia in lege veteri erant sola præcepta Mosayca parvo libello contenta, in lege nova præter sacram scripturam sunt leges Pontificum pœnas censurarum fulminantes adversus animas, & leges Imperatorum in magnis Codicibus supplicia horrenda adversus corpora minantes, qualia non erant in lege Moysi; ergo lex nova est gravior. Quo argumento utitur quoque August. ep. 119. ad Januarium cap. 19. ubi conqueritur tolerabiliorem fuisse condictionem Judæorum, quàm modò sit Christianorum, quia Judæi tametsi multa haberent præcepta, habebant tamen divina, at Christiani, & plura habent, quàm Judæi, & non habent divina, sed humana.

89 Resp. negando consequentiam; ad probationem inquit Doctor. 3. d. ult. q. un. quod lex vetus quantum ad præcepta cæremonialia fuit multo gravior nostra, & quantum ad multitudinem, & quantùm ad difficultatem observandi; quia Rabi Moyses enumeravit plusquam sexcenta præcepta, ad quæ omnia illi tenebantur, quorum quædam erant valdè difficilia, putà quod omne masculinum ter in anno præsentaretur in Hierusalem, quantumcumque distarent, & multa talia. Subdit deindè quod etiam quoad alia præcepta moralia, & judicialia lex Christi, ut à Christo est, est levior quàm Mosayca; ut à Prælatis tamen, & Pricipibus augentur præcepta, & pœnæ, concedit legem Christi esse graviorem, quia tunc non licuit Sacerdotibus, vel Judicibus condere leges, sicut modo licet Principibus Christianis; addit tamen quod attendendo gravitatem legis ex defectu remedii ad portandum onus impositum, adhuc multò gravior est lex vetus, quàm nova, plura enim, & efficaciora adjutoria habemus in lege nova, quàm erant in veteri, quia

plura sacramenta habemus in lege nova, siquidem in veteri nullum extabat sacramentum propriè dictum præter Circumcisionem; & sacramenta novæ legis cùm efficacia habeant à passione Christi jam exhibita, plus gratiæ conferunt, quàm sacramenta veteris legis; cùm tandem, quia doctrinam veritatis magis explicitam habemus in lege nova, & plura Sanctorum exempla, quam in veteri; Neque Aaug. contradicit loc. c. nam ibi expresè approbat, non modò præcepta Dei, sed etiam Ecclesiæ, & Conciliorum, & solùm quosdam abusus rejicit, qui contrà communem Ecclesiæ consuetudinem, in quibusdam locis irrepserant; undè conqueritur ibi Aug. de Synod. & partic. statutis, & præceptis sine ratione multiplicatis in laqueum, & damnationem animarum quamvis n. licitum sit Prælatis, & Principibus leges condere, non tamen licet eas sine urgenti causa multiplicare.

ARTICULUS SECUNDUS.

De materia humanæ, & an obligare possit ad actus internos.

90 ACtus humani, circà quos lex humana versatur, sunt actus virtutum illos præcipiendo, & actus vitiorum illos prohibendo, ità Plato 1. de legib. & Arist. 5. Eth. c. 1. & ità supponunt Theologi passim cùm D. Thom. q. 64. art. 3. & Scoto 4. d. 20. q. un. ad argum. Ratio est, quia ut constat ex dictis ar. præc. ab initio n. 80. omnis lex humana à lege naturali, & divina derivatur, sed istæ nihil injustum, & illicitum præcipere possunt; ergo &c. Nec obstat, quod sæpius per leges humanas actus indifferentes præcipiantur, vel prohibeantur; non enim talis lex de illis fertur, ut indifferrentes sunt, ut notant Suar. Lez. Bonac. & alii, sed ut convenientes, vel disconvenientes bono communi; Ex quo fit legem humanam nullum posse actum prohibere, qui sit lege naturali, vel divina præceptus, nec ullum præcipere, qui hac, vel illa sit prohibitus, lex enim humana legi naturali contradicere non potest, cùm hæc sit indispensabilis, & multò minus legi divinæ, quia ut habetur Act. 5. *Obedire oportet Deo magis, quàm hominibus*. Hoc tamen non ità intelligendum est, quod non possit humanis legibus præcipi, aut vetari, nisi ea ipsa, quæ sint jam præcepta, aut vetita lege naturali, vel divina, ut putavit Gerson. l. 4. de vita spirituali, nam potest lex humana præcipere actum externum quæmcumque lege, divina, vel naturali non prohibitum, & prohibere quemlibet pariter actum externum hac, vel minimè præceptum, undè dixit Christus Matth. 23. *Quæcunque dixerint vobis servare, & facite*, quod tamen sic intelligi debet, dummodò præceptio illa, vel prohibitio sit possibilis, justa, & honesta, & bono communi utilis, siquidem legislativa potestas ad ædificationem, non verò ad destructionem hominibus concessa est 2. Cor. 10. Et talis est communis Theologorum opinio, qui hoc deducunt ex antiquissima praxi Ecclesiæ, & Magistratus civilis omnium gentium, & populorum quamplurima præcipientium, vel prohibentium, quæ jure naturali, aut divino non erant præcepta, vel prohibita, nam ab Ecclesia indicta sunt jejunia, præces, & alia similia nullo alio jure præcepta, & à legibus civilibus pariter multa circa emptionem, & venditionem rerum, contractus, &c. Nec obstat, quod lex humana à lege naturali, & divina derivetur, quia ex hoc solùm inferri potest, non posse præcepi, aut prohiberi, nisi illis conformia, non tamen solùm, quę ab eis præcepta sunt, vel prohibita.

91 Restat itaque sola controversia apud Theologos: an lex humana possit quoque actus internos præcipere, vel prohibere. Prima opinio affirmat humanas leges ferri posse per se, ac directè non solùm in actus externos, sed etiam in actus merè internos, ità præsertim de lege Ecclesiastica censent Adrianus Jo. Medina, Albertus Pighius, Summa Rosella, & alii nonnulli, qui afferunt quosdam casus, in quibus leges quædam Canonicæ disponere videntur de quibusdam actibus internis. Secunda, & satis communis opinio negat posse humanas leges per se, ac directè versari per se, ac directè circà actus purè internos, nisi quatenus exterioribus quibusdam actibus præceptis, vel prohibitis necessariò conjunguntur, ita ut sine illis humana lex moraliter loquendo impleri non possit; tunc enim actus illi interni simul cum externis præcepti, vel prohibiti esse censetur, v.g. lex Ecclesiastica de divino Officio recitando à Clericis in majoribus Ordinibus constitutis non tantùm præcipit externam ipsius recitationem ore tenus factam, sed etiam interiorem mentis intentionem, ut habetur c. *Dolentes* extrà de Celebratione Missarum, in quo Innoc. Tertius præcipit, ut officium divinum *studiosè, & devotè à Clericis persolvatur*, quia si attentio illa desit ex deliberata recitantis voluntate, oratio vocalis, quæ illa lege præcipitur, jam non erit oratio, & sic lex non implebitur. Quod si actus internus non absolutè necessarius ad hoc, ut lex humana servetur, & impleatur, sed tantùm, ut melius, & perfectius servetur, tunc sub legem cadere non censetur, v.g. quod quis jejunet in quadragesima ex motivo temperantiæ, vel pœnitentiæ, quod Missam diebus festis audiat ex motivo Religionis vel obedientiæ, non cadit sub præcepto, quocunque enim ex motivo humana lex impleatur dummodo motivum illud sit honestum, & bonum, lex ipsa sufficienter impleri censetur. Undè sententia hęc duplex distinguit genus actuum internorum. Unum eorum, qui sunt causa, & principium per se actuum externorum solùm quoad esse physicum, & materiales, & tales sunt actus ipsi interni efficaciter imperantes, aut prohibentes externos. Alterum eorum, qui sunt causa, & principium quoad esse formale virtutis, aut vitii, & tales sunt actus illi, qui non tantùm externos imperant, vel prohibent quoad esse physicum, & materiale, sed etiam quoad esse morale virtutis, & vitii. Docet itaque hæc opinio legem humanam non solùm præcipere posse actus internos, qui solùm necessarii sunt; ut principia quoad esse physicum, & materiale externorum, sed etiam quoad esse morale virtutis, & vitii; fundamentum potissimum est, quia lex humana potestatem habet præcipiendi veros actus virtutum, & prohibendi actus vitiosos; ergo potestatem habet præcipiendi eos actus internos, sine quibus externi non essent veri actus virtutis. Præcipiendo igitur Ecclesia externam orationem vocalem, simul præcipit internam attentionem, sine qua externa oratio non est verus actus virtutis Religionis; præcipiendo administrationem alicujus sacramenti, simul præcipit debitam intentionem ad validitatem talis sacramenti requisitam, & sic de aliis dicendum servata proportione; ità Cajetanus, Soto, Navarrus, Valentia, Henriquez, Lessius, Azorius, Silvius, Layman, Suarez, Malderus, Salas, Caspensis, Aversa, Arriaga, Abellius, Bonacina, Becanus, & plures alii Recentiores.

92 Tertia sententia docet, nullam potestatem humanam habere auctoritatem in actus internos, nisi tantùm in eos qui sunt per se principia externorum quoad esse physicum, & materiale, non autem quoad esse formale virtutis, & vitii. Fundamentum hujus sententiæ potissimum est, quia lex humana non potest præcipere, aut vetare, quod non potest punire; nec punire, quod cognoscere, & judicare non potest; sed nulla potestas humana potest cognoscere, & judicare actus internos, qui solùm concomitanter se habent, & per accidens ad actus externos; ergo neque eos præcipere, aut vetare. Major patet, quoniam juridica punitio, cùm sit sententia de pœna proportionata culpæ, prærequirit notitiam culpæ, sine qua nequit statui pœna proportionata. Minor probatur, nam idem actus externus auditionis sacri, v. g. aut recitationis divini officii manere potest invariatus quoad totum suum esse physicum, in quod tantum directè cadit, & per se præceptum humanum, sivè adsit, sivè non adsit interna attentio concomitans; igitur non potest de illo humana potestas judicare. Unde in cap. *Dolentes*, secundum hanc opinionem tantùm præcipitur actus studiosus externus, ut, scilicet, cum talibus circumstantiis exerceatur, quæ ad actum Religionis externum necessariæ sunt, & actus orationis externus debitè factus cum externa attentione, hoc est, sine confabulatione, risu, &c. est verus actus virtutis Religionis, sicut adoratio externa Idolo facta est verus actus externus Idolatriæ, licet quis non intendat interius idolum adorare. Atque ità consequenter negat hæc opinio Ecclesiam præcipiendo orationem vocalem simul præcipere internam attentionem, sed solùm internum actum voluntatis, qui necessarius est ad vocalem orationem quoad esse physicum, & materiale; & pariter inquit præcipiendo administrationem sacramenti simul præcipere actum internum, qui tantum necessarius est ad externam actionem sacramentalem imperandam, non autem internam attentionem ad validitatem sacramenti requisitam, atque tandem concludit legem humanam habere potestatem præcipiendi actum virtutis quoad esse tantùm materiale, non quoad esse formale, cùm hoc humanam potestatem excedat, quæ nequit de internis actibus judicare, à quibus formale esse virtutis pendet. Ità Coninchius de sacramentis q. 83. art. 6. Amicus de legibus disp. 5. sect. 5. pro quia citat Durandum, Paludanum, Capreolum, Gabrielem, Angelum, Sylvestrum, Vasquez, & alios, & sequitur ex nostris Vulpes disp. 7. art. 3. n. 5. ubi ait, legem humanam præcipere tantùm actus virtutum exteriores necessarios, vel utiles ad regendam humanam Rempublicam spiritualem, vel temporalem quoad materiale tantùm virtutis, non quoad formale, & tandem hanc quoque opinionem reputant probabilem Lessius, Layman, Caspensis, & alii pro secunda sententia relati. Pro resolutione.

93 Primò dicendum est, quod potuit Ecclesia, ut Christi mini-

miniſtra, habere poteſtatem in actus merè internos, licet de facto non habuerit, ut poſteà dicemus. Ità Doctores communiter. Ratio eſt, quia Chriſtus Dominus habuit juriſdictionem in actus purè internos, & eos præcipere potuit, ſicut de facto præcepit actus fidei, ſpei, & charitatis, & de peccatis purè internis præceptum impoſuit confeſſionis; ergo potuit eam Eccleſiæ quoque communicare. Conſequentia patet quia qui poteſt Petro v. g. aliquem actum immediatè præcipere, poteſt etiam mediatè, communicando, ſcilicet, poteſtatem Paulo, ut illum Petro mandet, ſi velit, quia per hoc mediatum imperium actus difficilior non redditur, nec mandatum gravius. Confirmatur, quia eſtò Eccleſia poteſtatem habere nequeat immediatè puniendi interna peccata, quia ad juridicam punitionem delicti cognitio ſufficiens prærequiritur, quam de internis habere non poteſt; nihilominus talem poteſtatem à Chriſto Domino accipere potuiſſet, ut ipſa immediatè tantùm ſub culpa ad actus internos obligaret, ſub pœna verò mediatè tantùm, nimirum ut immediatè à Deo infligenda; Quod à ſimili declarari poteſt, nam utique poſſet Princeps inferior ſupremo ſubordinatus, homines ſibi immediatè ſubjectos obligare ad aliquod opus ſub pœna à ſupremo Principe infligenda. Hoc autem de Eccleſiaſtica poteſtate aſſerimus, non de civili, quia cum hæc ſit immediatè ab ipſa hominum communitate, non potuiſſet ſimpliciter verſari circà actus internos, at cum poteſtas Eccleſiaſtica ſit immediatè à Deo, potuit ſanè Deus poteſtatem Eccleſiæ conferre jubendi, & obligandi in conſcientia etiam quoad actus internos.

94 Secundò dicendum eſt de facto legem tàm Canonicam, quàm Civilem circa actus merè internos verſari non poſſe. Hæc etiam aſſertio contrà primam opinionem communiter ſtatuitur, & quidem de lege civile id conſtat ex proximè dictis, quia populus non poteſt dare juriſdictionem ſuprà id, quod ſibi eſt omninò incognitum; ſed poteſtas civilis immediatè ab ipſa hominum communitate ortum ducit, ut in ſuperioribus dictum eſt; ergo nec imperare, nec prohibere poteſt actus merè internos. Hoc idem etiam de lege Canonica probatur, quia cùm poteſtas condendi leges data ſit à Chriſto ad rectam Eccleſiæ gubernationem, Chriſtus eam contulit modo hominibus accomodato, & humano regimini, & ità per ſe, & directè circà actus ſolùm externos verſatur, & exercetur, cùm enim Eccleſia ſit viſibilis, ſolùm actuum viſibilium regimen, & gubernationem requirit.

Confimatur, quia poteſtas legislativa cum poteſtate punitiva coniuncta eſſe debet, ideoque lex humana ferri non poteſt, niſi de actibus, de quibus judex humanus ſententiam ferre poteſt, & tranſgreſſores punire; ſed in Eccleſia non eſt poteſtas puniendi actus merè internos, cùm eos cognſcere non poſſit; ergo neque eos præcipere, aut prohibere poterit de facto, & juxtà præſentem rerum ordinem. Tandem id de Civili ſumitur ex l. *Cogitationis* ff. de Pœnis; de Canonica verò ex cap. *Sicut tuis*, & cap. *Tua nos* de Simonia, & de omni lege ex ſacra Scriptura 1. Regnum cap. 16. *Homo videt ea, quæ patent, Deus autem intuetur cor*.

95 Tertiò dicendum eſt humanam poteſtatem habere auctoritatem in actus internos, qui ſunt per ſe principia externorum quoad eſſe phyſicum, & materiale. Hæc etiam communiter conceditur ab omnibus, & ratio eſt evidens, quia quando lex humana imperat actum externum, imperat indirectè, ut fiat liberè, nam quando imperat v. g. tale prætium taxatum à lege obſervandum eſſe, etiam imperat voluntatem ſervandi illud, tunc autem non præcipit actum internum per ſe, ſed per accidens, & indirectè, quatenus actus ille internus neceſſarius eſt ad externum efficiendum.

Confirmatur, quia habens poteſtatem in actum externum, conſequenter poteſtatem quoque habet ſaltem indirectè, & per accidens in ipſum principium liberum, à quo ut à cauſa per ſe actus ipſe externus dependet alioquin fruſtranea eſſet poteſtas in actum externum, ſi ad internum quoque a quo externus pendet, ſaltem indirectè ſe non extenderet. Imò Suarez lib. 4. de legibus cap. 13. aſſerit legem humanam, non ſolùm indirectè, ſed etiam directè talem actum internum compræcipere poſſe hoc modo, v. g. Præcipio tibi, & ſolutionem externam vectigalis, & volitionem ipſam internam ſolutionis; ſic enim actus ille internus tunc temporis cenſetur eſſe directè compræceptus, quia per ſe præcipitur actus humanus ſenſibilis, in quo includitur, ut pars, ipſa interior volitio, que externum conſtituit per modum formæ in ratione humani, eo modo quo qui præcipit ſtudium, præcipit etiam attentionem, ſine qua ſtudium eſſe non poteſt, & qui præcipit cuſtodire arcem, præcipit etiam cogitationes de modo, quo ea defendi poſſit. Mihi autem magis placet, quod ait Arriaga diſp. 14. ſec. 3. in fine in rigore dici non poſſe impetrari hujuſmodi actus internos nec etiam aſſociatos. Ratio eſt, quia ſi directè in eos non habet lex humana poteſtatem, ideoque præcipere eos ſolos non poteſt; ergo non aliter poteſt eos præcipere, quando præcipit externos, niſi quatenus ad effectionem externorum ſunt neceſſarii, hoc autem eſt eos indirectè tantùm præcipere, ut per ſe patet, undè ſi per poſſibile, vel impoſſibile ſine ulla interiori volitione poſſem vectigal ſolvere, nemo negare poſſet me omninò tali legi ſatisfeciſſe, nec teneri ad ponendam ſimilem actionem cum novo actu interiori libero. Quod ſi aliquæ leges ſunt, quæ impleri nullatenus poſſunt, niſi adſint aliqui actus interni, ut ea lex ſtudendi, vel defendendi arcem, hoc eſt omninò per accidens, & ſolùm probat indirectè actum internum præcipi, quatenus ad opus externum utiliter faciendum neceſſarius eſt.

96 Quartò dicendum eſt, ſatis probabile eſſe legem humanam non tantùm præcipere poſſe actus internos, qui ſolùm neceſſarii ſunt, ut principia quoad eſſe materiale, & phyſicum externorum, ſed etiam quoad eſſe morale virtutis, & vitii. Hæc eſt communis apud Auctores, pro ſecunda ſententia relatos, quæ communior, & probabilior eſt, & rationes habet ſatis evidentes; quando enim aliqui actus externi ſunt, qui utrati ſunt, & validi in humano commercio, certum conſenſum requirunt, ſeù intentionem, & diſpoſitionem internam, benè poterit lex humana tales actus præcipiens obligare, ut ritè, & validè fiant, atque adeò cum debito conſenſu, intentione, & diſpoſitione interna; ſiquidem tales actus externi utique pertinent vel ad politicam gubernationem, vel ad religioſum cultum Deo debitum; nullus enim negare poteſt Reipublicæ obeſſe contractus fictos, & fraudolentos, & ad cultum Religionis pertinere veras fundere orationes, & non fictas, & vera ſacramenta conficere; cùm ergò ad hæc omnia actus interior neceſſarius ſit, quia hoc eſſe morale non habent, niſi dependenter ab interiori actu voluntatis; conſequenter aſſerendum eſt neceſſariam quoque fuiſſe in Eccleſia Dei poteſtatem præcipiendi actus externos Sacramentorum, ſacrificii, orationis, &c. non tantùm ſecundùm materialem entitatem, quia perficiuntur, & conſtant; ſed etiam ſecundum eſſe formale, talis entis moralis, vel quaſi artificialis, atque ità obligare, ut quis ſuſcipiat, & adminiſtret Sacramentum cum tali intentione, & diſpoſitione, quæ ad validitatem Sacramenti requiritur, item quod taliter orationem fundat, ut verè, & moraliter ſit oratio, non eſt autem verè, & moraliter oratio cum totali, & voluntaria diſtractione, quo caſu eſſet tantùm materialis verborum prolatio.

97 Hoc etiam ſatis expreſsè deducitur ex cap.cit. *Dolentes* de celebratione Miſſarum, ubi præcipitur attentio Clericis in recitatione divini officii, & ſimiliter omnibus fidelibus in auditione Miſſæ; per hoc enim ſupponit Pontifex habere ad id auctoritatem, atque ideò indè colligere poſſumus eam poteſtatem illi à Chriſto datam in ordine ad hujuſmodi actum internum in hac materia ſaltem indirectè, & conſequenter. Ex quo inferunt Auctores ſecundæ ſententiæ recitantes horas Canonicas, vel audientes ſacrum cum diſtractione voluntaria non implere præceptum, & conſequenter peccaret mortaliter, & teneri repetere, & hoc etiam verum eſt, etiamſi exterius nulla det ſigna diſtractionis; undè falſum eſt, vel ſaltem minus probabile, quod Auctores tertiæ ſententiæ dicebant, actum orationis externum debitè factum cum externa attentione, hoc eſt, ſine confabulatione, & riſu, eſſe verum actum virtutis Religionis, ſicut adoratio externa Idolo facta eſt verus actus externus Idolatriæ, licet quis non intendat interius idolum adorare. Hoc, inquam, minus probabiliter dicitur, quia Pontifex cap. cit. *Dolentes*, ut conſtat ex ejus verbis, loquitur de attentione interiori, & non exteriori tantùm, & oratio externa cum voluntaria diſtractione facta eſt tantùm materialis verborum prolatio, non autem actus verus virtutis Religioni, nec valet aſſumpta paritas de externa adoratione Idolo facta, quod ſit verus actus idolatriæ, quam vis adorans non intendat interius Idolum adorare, non valet, inquam, aſſumpta paritas, quia ex communi doctrina plus ad bonum requiritur, quàm ad malum; bonum enim eſt ex integra cauſa, malum autem ex quocunque defectu. Denique poteſt Eccleſia, ac etiam Reſpublica in multis caſibus ſubditis præcipere, ut verè contrahant, valdè enim politico regimini obeſſet contractus fictos eſſe, & fraudolentos, vt dicebam; egro ſaltem indirectè, & conſequenter poteſt præcipere illum conſenſum interiorem. Conſequentia patet, quia ad verum contractum per exteriora verba neceſſarius eſt conſenſus interior; poterit ergò ſivè Prælatus Eccleſiaſticus, ſivè etiam ſæcularis Princeps obligare aliquem, qui ſub promiſſione ficta matrimonii Virginem violavit, ut eam ſibi deſponſet per veram, & legitimam promiſſionem, quæ ſine conſenſu interiori fieri nequit,

quit, & sic etiam pariter obligare ad ineundum aliquem alium contractum, ubi ad validitatem verus consensus internus requiritur; & hæc est communis doctrina Auctorum secundæ sententiæ.

98 Quintò tandem dicendum est, actus externos, etiamsi occultos adhuc subjacere pœnis legis humanæ. Hæc etiam communior est, & probabilior inter Doctores, ratio est, quia tales actus habent omnia requisita, ut sint proxima materia legis pœnalis, quamvis enim sint occulti, sunt tamen ejusdem naturæ cum publicis, solùm que extrinsecum testimonium illius deest, quod est per accidens, undè inter actum internum, & externum occultum hoc præsertim versatur discrimen, quod ille ex se, & natura sua occultus est, & ideò judicio humano pœnæ non subjacet; hìc verò quia tantum per accidens, & defectu extrinseci testis occultus est, humanæ legis pœnam subterfugere non debet, lex enim respicit quod est per se: Undè sequitur, quotiescunque lex pœnam non limitat ad actum publicum, & notorium, extendi etiam ad occultum, quia cùm etiam tales actus per se, & ex natura sua sint legi subjecti, & sint verè actus humani, nisi lex ipsa limitet ad publicos, & notorios, nomine actus, intelliguntur etiam occulti. Nec placet limitatio Arriagæ disp. 14. sect. 3. n. 19. & aliorum, hoc tantùm intelligi debere de delictis occultis, quæ nocent publico, non autem de aliis occultis, quæ alteri non nocent. Nam etiam delicta occulta nocent publico, ut homicidium, furtum, & similia, & quamvis quædam delicta occulta publico non noceant, ut hæresis, blasphemia, & similia, quia tamen nocere possunt, ideò legibus ipsa quoque subjacere debent. Confirmatur, quia si tantum delicta publica legi subjacerent, tunc lex non obligaret ratione obedientiæ, sed tantùm ratione scandali, ut benè arguit Vasq. disp. 160. c. 2. sed legibus obedire tenemur ratione subjectionis quam tanquam mistica membra habemus ad caput; ergo etiam præcisò scandalo legibus obedire tenemur.

99 Sed contrà præmissam doctrinam arguunt Doctores primæ sententiæ censentes Ecclesiam de facto habere jurisdictionem in actus purè internos, quod probant. Primò quia Confessarius potest pœnitenti imponere orationem mentalem, vel alium actum purè internum pro satisfactione; ergò lex Canonica saltem actus purè internos præcipere potest. Confirmatur, quia Ecclesia præcipit confessionem internorum peccatorum; ergò, & internos. Tandem quia Ecclesia præcepit attentionem in recitandis horis Canonicis; ergò præcepit actum purè internum. Consequentia patet, quia actus ille attentionis mentalis tenus manifestatur per actionem exteriorem, nam tota recitatio officii, & compositio corporis exterior fieri potest, etiamsi nulla intercedat interior attentio.

Respondetur negando consequentiam, quia in confessione causa ad forum conscientiæ spectat, non autem ad forum externum, & Confessarius judicat, ut Dei Minister, & nomine ipsius, & exercet officium illud, quod à Deo exercendum esset, & ideò potest à Confessario imponi satisfactio per actus internos; lex autem ad forum externum spectat, & ideò ad ea non se extendere potest, quæ sunt fori conscientiæ. Ad confirmationem negatur assumptum; quia præceptum Confessionis est divinum, & Ecclesia solum determinat tempus, in quo est implendum; posset etiam negari consequentia, quia etiamsi Ecclesia confessionem peccatorum internorum præciperet, non sequitur quod per se, & indirectè etiam actus internos præcipiat, sed solùm actum externum Confessionis vocalis illorum. Ad ultimum negatur consequentia, quia ut patet ex dictis in quarta conclusione, Ecclesia non præcipit attentionem internam absolutè, & per se sumptam, sed quatenus associatam cum recitatione externa, & quatenus constitutivam ejus in esse morali orationis, non est in enim verè, & moraliter oratio divini officii recitatio cum tali, & voluntaria distractione, quantumcunque adsit compositio corporis exterior, sed tantùm est materialis verborum prolatio; & quia necessaria, vel saltem valdè expediens fuit Ecclesiæ oratio, & divini officii recitatio, ut includit intentionem internam, sola enim materialis, & verbalis Psalmorum recitatio cum voluntaria mentis distractione exiguam habet de se honestatem, & utilitatem, satis probabile est hac potestatem illi à Christo datam esse in ordine ad hujusmodi actum internum in hac materia, ut colligitur ex c. *Dolentes*. Quod si hæc doctrina non placet, dici potest cum aliis esse de jure divino Clericis in sacris, vel Beneficiatis injunctum, ut orare debeant cum attentione interna, per Ecclesiam autem determinatum fuisse tale genus, & tempus orationis, nempè officium quotidianum, atque ità obligationem attentionis ex jure divino simpliciter oriri.

100 Concludendum igitur est, materiam humanarum legum per se esse actus externos, quoniam cadunt sub judicium, & cognitionem humanam per concomitantiam verò posse esse quoque actus internos habentes pro objecto externos, eo enim ipso, quod lex humana obligat facere aliquid, omninò etiam obligat, ut voluntatem habeamus id faciendi, & dum aliquid vetat, pariter prohibet, ne voluntatem habeamus id faciendi, ac etiam actus internos, qui ad validitatem externorum requiruntur, benè enim potest lex humana tales quoque actus internos præcipere saltem indirectè, & concomitanter, ut externi ritè, & validè fiant, ut suprà dictum est. Nec obest fundamentum tertiæ sententiæ Ecclesiam tales internos actus præcipere, vel prohibere non posse, quia non cadunt sub humanam potestatem, & judicium. Nam quando tales actus aliquam habent connexionem cum actibus externis, ratione talis connexionis sub humanam potestatem, & judicium cadere possunt. Denique etiam actus interni, qui cum externis conjunguntur per modum conditionis requisitæ, possunt esse materia legis humanæ, ut notat Aversa cum aliis quæst. 94. sect. 3. nam lex humana Ecclesiastica potest imponere certam pœnam ipso facto incurrendam, & in conscientia ob aliquod peccatum externum, imponendo ipsam sub conditione, si simul adsit actus internus; cùm enim simpliciter potuisset ad talem pœnam obligare ob solùm peccatum externum, non addit majorem rigorem, sed potius diminuit, si subditos non obliget in conscientia, ut talem pœnam subeant, nisi quando simul reos se cognoscant cujusdam conjunctæ culpæ internæ. Sic extat in Sacris Cannonibus, & in Bulla Cœnæ censura excommunicationis lata ipso facto adversos Hæreticos, quæ incurritur, quando simul conjungitur error internus cum aliquo signo externo; undè non obligat quempiam in conscientia, ut talem pœnam subeat, si solùm exterius hæresim finxerit, & non habuerit interiorem contrà fidem mentis errorem. Eodem modo in Clementina *Multorum* De Hæreticis excommunicantur Inquisitores, qui odio, vel amore, vel spe lucri contrà conscientiam suam non procedunt contrà Hæreticos, excommunicantur, inquam, cum hac conditione, si ex amore, vel odio, vel studio lucri suum debitum omiserint. Sic etiam in Clementina 1. De statu Monachorum excommunicantur Monaci Benedictini accedentes ad Curiam regiam animo nocendi suis Prælatis, vel Monasteriis, nimirum cùm ea conditione illius pravæ intentionis. Potest tandem lex humana aliquid quoque concedere, & conferre, ut ibidem notat Aversa, cum tali conditione, ut quid id acceptare voluerit, teneatur certo modo interius se conformare, ubi intercedit quoddam velluti pactum, & non obligatur quispiam simpliciter ad actum internum, sed tantum ex sua acceptatione, & consensu; sic qui ad Sacros Ordines promoventur, ex præcepto Ecclesiæ tenentur verè emittere votum Castitatis cum animo interno vovendi, & cap. *Commissa*, de electione in 6. statuitur, ut ille qui susceperit beneficium parochiale absque intentione suscipiendi Ordinem Presbyteratus intrà annum debeat beneficium resignare, & fructus illius anni restituere, undè Ecclesia confert beneficium parochiale cum ea conditione, ut habeat animum suscipiendi Sacerdotium intrà anni spatium, & non ulterius illud differendi; præterquam quod non jubet illius resignationem, & fructuum illius anni restitutionem, nisi secuta fuerit realis, & externa omissio ultra annum.

101 Solet etiam obiici ad probandam directam Ecclesiæ jurisdictionem in actus purè internos, quod dispensat, & irritat vota interna; ergo potest etiam præcipere, aut prohibere actus internos, cùm sit par ratio; circa quam difficultatem plura habet Suarez lib. 4. de legibus c. 12. n. 11. Sed breviter dicendum est cum Arriaga disput. 19. sect. 4. num. 37. ex dispensatione in votis nihil inferri posse pro tali Ecclesiæ jurisdictione in actus internos, parentes enim possunt vota filiorum irritare; & tamen potestatem non habent præcipiendi actus internos illorum, & ratio est, quia minus requiritur ad tollendam obligationem, quam ad obligandum, & ad suavem Dei providentiam pertinuit, ut daret potestatem ad tollenda vota, non verò, ad ponendam obligationem in actus internos, quia odia restringi debent, & favores ampliari; qui autem dispensat in votis tollit obligationem propria voluntate inductam, non autem ipse inducit.

ARTICULUS TERTIUS.

De forma, & promulgatione, & acceptatione humanarum legum.

102 Quoad modum, & formam statuendi leges humanas conveniunt Doctores statui debere aliquo signo sensibili accommodato, ut à subditis percipi possint, quia lex humana est quoddam præceptum humanum ab homine in homi-

nem

nem directum, atque ideò modo humano imponi debet, & consequenter signo aliquo sensibili accommodato. Quamvis autem conveniens modus, seu forma statuendi legem humanam sit per Scripturam, quia lex firma esse debet, stabilis, clara, & distincta, quæ conditiones melius haberi non possunt, quam per Scripturam; hoc tamen non est simpliciter necessarium ad legem humanam, quia si Scriptura necessaria foret, maximè id esset ad voluntatem legislatoris manifestandam, hæc autem optimè etiam manifestari potest voce, vel alio signo sensibili, quia manifestatio voluntatis ex natura sua Scripturam non requirit, neque ex lege aliqua positiva; imò potiùs ex legis Evangelicæ exemplo contrarium colligitur, siquidem initio nascentis Ecclesiæ, antequam Evangelistæ illam scriberent, publicata est ore tenus à Christo Domino, & Apostolis; ergo optimè poterit voluntas legislatoris aliter manifestari, quam per Scripturam, aliquo alio signo sensibili accomodato, ut à Subditis percipi possit. Limitanda tamen est hæc doctrina, nisi oppositum consuetudine, aut alia lege anteriori statutum fuerit, ne lex feratur, nisi in scriptis, tunc enim juxtà talis legis præscriptum fieri deberet, ità Molina, Suarez, Valentia, Salas, Bonacina, Paulus, Rinaldus, Lezana, & alii passim.

103 Quoad promulgationem vero legis certum est ex dictis quæst. 1. artic. 2. numer. 18. esse necessariam saltem, ut conditio, ut actu obligare dicatur, imo aliqui putant ità esse necessariam, ut sit de essentia legis, undè falsum prorsus existimo, quod ait Poncius noster disputat. 25. quæst. 6. promulgationem non esse absolutè necessariam, & ex natura rei ad obligationem inducendam, sed tantùm ex consuetudine, aut alia lege introductam esse, & posse tolli ex communi Reipublicæ consensu, hoc, inquam, falsum prorsus existimo, & contrà communem omnium sensum asserentium esse omninò necessariam legis promulgationem, ut subditi ab ejus transgressione non excusentur, quia lex non promulgata est ignorata, ac propterea idem ac non lata. Quamvis autem hoc certum sit apud omnes, adhuc tamen est gravis difficultas, quæ promulgatio, & quanta sit necessaria, ut lex vim obligandi habeat, in qua controversia tres sunt opiniones duæ extremæ, & una media. Prima extrema docet sufficere, quod lex promulgetur in curia Principis, seù ubi legislator residet, neque necessàriam esse ejus promulgationem in singulis Provinciis. Fundamentum est, quia generaliter loquendo de omni lege humana, sivè Civili, sivè Canonica ea publicatio legis requiritur, ut obliget, quæ sufficere potest, ut moraliter venire possit ad omnium subditorum notitiam; sed talis est promulgatio facta in curia principis; ergò ea sufficit. Major patet ex modo dictis, promulgatio enim legis non ex alio capite est necessaria, nisi ut subditos actu obligare dicatur. Minor probatur, quia cùm curia communicet cum aliis partibus ditionis Principis, sicut caput cum membris, & in ea resideant procuratores, vel negotiatores aliarum Provinciarum, & Civitatum, ac ad ipsam plures ipsarum frequenter concurrant, utique notitia ejus, quod in curia publicatur, ad alias Provincias, vel Civitates facilè pervenire potest. Confirmatur, quia ità obtinet usus, & consuetudo inter plures nationes etiam Christianorum, ut apud omnes est notum, in pluribus legibus publicatis solùm in Comitiis Regis in curia celebratis. Tandem de legibus Canonicis specialiter probatur, quia de facto leges Pontificiæ latæ pro toto orbe Christiano solùm in Romana Curia publicantur, & hoc modo plures decretales Clementinæ, & aliæ constitutiones, quæ in Bullario continentur, & in Bulla Cænæ, promulgatæ sunt; ergo adest consuetudo habens vim legis, quod talis promulgatio sola sufficiat; nam Pontifex vult tales leges obligare omnes. Ità Panormitanus, Navarrus, Silvester, Salas, Azorius, Suarez, Bonacina, Lezana, Montesinos, Aversa, & alii apud ipsos.

104 Secunda sententia extrema docet promulgationem sufficientem ad hoc, ut lex vim habeat obligandi non solùm debere fieri in curia, sed in singulis Provinciis, & Civitatibus Metropolitanis, & præterea in singulis diœcesibus, si lex Pontificia sit. Fundamentum est ex adverso, quia promulgatio sufficiens adeò est requisita, ut sine illa lex vim non habeat actu obligandi, sed publicatio facta in una Civitate, vel Curia etiam Romana, non potest dici sufficiens, ut in omnium notitiam possit lex pervenire; ergo hæc sola promulgatio vim obligandi non habet. Major patet, probatur minor, quia in lege Civili certum est, quod requiritur promulgatio magis, quàm in una Civitate, ut constat ex Autentic. *ut factæ novæ*, ubi expressè decidit leges pro diversis provinciis latas debere in singulis promulgari, & ratio est, quia latiùs patet legislatoris imperium, ac proindè non sufficit promulgatio in una Civitate etiam ubi legislator residet; imperium autem Summi Pontificis latius patet, quàm imperium cujuscunque Imperatoris, quandoquidem per universum Orbem Christianum, quoad auctoritatem spiritualem extenditur; ergo majorem requirit promulgationem. Confirmatur, quia quando lex promulgatur solùm in suprema curia Principis, licet possit indè pervenire ad notitiam omnium Regnorum, & Provinciarum per divulgationem sicut pervenit ad notitiam etiam non subditorum; non tamen pervenire potest ex vi promulgationis, quæ auctoritate publica fiat, & legem servandam intimet per præcones, nam hæc fieri debet per idoneos Ministros, quos habet Princeps singulis sui imperii partibus, quia cùm Imperium sit vastum, non sufficit una promulgatio in Curia Principis facta, nisi etiam alibi repetatur. Denique quia Concilium Tridentinum sufficienter est Romæ promulgatum, & tamen non obligat alias Provincias, in quibus non est facta promulgatio, & idem Concil. Trident. sess. 24. cap. 1. expressè vult legem suam de Clandestino Matrimonio in singulis provinciis promulgari, & planè nimis durum, & onerosum videtur, si statim atque Romæ aliqua lex Pontificia promulgatur, obligaret Christianos per Totum Orbem Terrarum dissipatos, ità Cajetanus, Medina, Conradus, Molina, & alii Canonistæ, & passim nostri quoque Scotistæ 4. dist. 3. quæst. 4. cum Scoto ibi expressè hanc sententiam docente, ut probabiliorem, & Navarrus ipse pro prima opinione relatus lib. 1. Consil. consil. 1. quæst. 4. numer. 19. affirmant, quod jure scripto attento hæc sententia est verior opposita, licet attento stylo, & consuetudine Ecclesiæ, & Curiæ Romanæ quoad leges Pontificias opposita magis servetur.

105 Tertia tandem sententia media distinguit de lege Pontificia, & Civili, & de hac dicit non sufficere, si promulgetur in Curia Regis, ut vim habeat obligandi, si Rex legem ferat à multis Regnis suæ ditionis observandam, sed publicari debere in omnibus Provinciis, ut manifestè deducitur ex Authentica relata: *Ut factæ novæ;* De legibus autem Pontificiis, docet solam publicationem factam in Pontificis Curia sufficere, ut Constitutio veram habeat vim legis, & quoslibet subditos ligare possit. Ratio discriminis est, quia omnes Provinciæ Christianitatis in spiritualibus, & respectu spiritualis gubernationis, constituunt unum corpus politicum simpliciter, nempè unam Ecclesiam, & ideò potest ejus caput, scilicet, Pontifex una promulgatione facta in Curia Romana cunctas illas obligare. Secus autem Rex, & Imperator, cujus Provinciæ, quando sunt Regna adeò diversa, non efficiunt unum corpus politicum, nisi secundum quid, & extrinsecè, quatenus sunt sub Principatu unius, non tamen eisdem legibus, neque eodem modo, neque in ordine ad eundem finem proximum gubernantur, quia ergo diversas constituunt Communitates diversorum etiam morum, & qualitatum, ideò debent leges, quas condunt, in omnibus suorum Regnorum, aut Provinciarum Metropolis publicare, ità Sotus, Hac quatenus, Laymàn, Caspensis, Lezana, & alii Recentiores hoc modo extremas sententias conciliare intendentes.

106 Pro resolutione quæstionis breviter dicendum est ex natura rei quoad hoc nullam esse determinationem, quod promulgatio fiat legis in Curia Principis, vel etiam in omnibus Provinciis, & Civitatibus pro quibus lex imponitur, sed hoc totaliter dependere à voluntate, & institutione Principum, & Rerumpublicarum, nec eodem modo in omnibus locis talem fieri promulgationem. Ratio est, quia ex natura rei solùm requiritur, quod ad omnium notitiam lex lata pervenire possit, ut eos obligare dicatur, hoc autem contingere potest, sivè lex in singulis Provinciis, vel Civitatibus Regni promulgetur, sivè in sola Principis Curia, si enim leges quantumvis in sola Curia promulgatæ habeant, prout decens est habere, terminum præfixum alicujus temporis v. g. duorum, aut trium mensium post publicationem ad hoc, quod obligent, prout habent plures Bullæ, & decreta Summorum Pontificum, & leges Imperatoriæ ex vi dictæ Authenticæ *Ut factæ novæ*, ubi non obstante, quod promulgatio legis fieri præcipiatur, non in sola Curia, sed etiam in omnibus Provinciis, & Regni Civitatibus, adhuc ulterius statuitur legem non obligare, nisi post duos menses à publicatione; si, inquam, leges in sola Curia promulgatæ talem terminum temporis præfixum habeant ad obligandum, benè poterunt ad omnium notitiam pervenire. Et casu, quo non habeant terminum præfixum talis obligationis, adhuc existimandum est non obligare, nisi post sufficiens tempus elapsum, intrà quod earum notitia haberi possit, ut benè advertunt Suarez, Caspensis, Bonacina, Lezana, Poncius, & alii. Certum enim est, quod in foro conscientiæ, qui habent ignorantiam invincibilem legis, ab ejus transgressione excusantur, & ideò post legis promulgationem requiritur tempus proportionatum, & moraliter sufficiens, ut notitia legis ad omnes pervenire possit. Quamvis autem hæc

temporis

temporis determinatio pendeat etiam ab hominum institutione, & pro diversis locis diversa esse possit consuetudo, nunquam tamen lex ulla in conscientia obligare potest, etiam transacto tempore, quantum præscribitur à promulgatione, eos qui præsertim legem promulgatam invincibiliter ignorabant, quamvis in foro externo posset contrà illos procedi, tanquam si deliquissent, in quo etiam foro excusari poterit, qui causas sufficientes adduxerit, propter quas legem ignoraverit.

107 Ex quo infertur sufficientem legis promulgationem non fieri instanti, nec parvo tempore, sed in temporis spatio, quo possit ad notitiam omnium subditorum devenire, & accidere posse, quod lex sit sufficienter promulgata respectu quorumdam, non autem respectu aliorum, quod satis expresse ex Scot. deducitur 4. dist. 3. q. 4. §. *Ad istum articulum*, ubi ait tempus obligationis Evangelicæ legis apud omnes non fuisse idem, sed aliquos obligasse in die Pentecostes, alios verò ad unum mensem, alios ad quatuor annos, alios verò ad decem, secundum quod ordine temporis illa lex proponebatur nunc his, posteà aliis, ut dictum est suprà quæst. 3. art. 1. num. 67. Dixi autem ex natura rei necessariam non esse promulgationem legis in omnibus Provinciis, seù Civitatibus, pro quibus est imposita, sed etiam interdum sufficere, quod promulgetur solùm in Curia Principis, seù ubi legislator residet, ut prima opinio tuetur, dummodo assignetur tempus sufficiens ad hoc, quod pervenire possit ad notitiam omnium subditorum. Quia si alioquin ex æquitate loquamur, & congruentia major utique congruentia est, ut magni Principes leges, quas condunt, in omnibus suorum Regnorum, aut Provinciarum Metropolis eas publicare faciant per publicos præcones, ut secunda opinio defendit; quod probatur ex Scoto loc. cit. à simili de lege Divina positiva, siquidem Deus ad Evangelicam legem simul obligare noluit omnia Regna mundi, omnes Provincias, & omnes Civitates, donec ad singula loca Apostoli pervenirent, præcones Dei authentici à Christo designati, ut illam solemniter promulgarent pro majore populorum commoditate juxtà illud Psalm. 18. *In omnem terram exivit sonus eorum, & in fines Orbis terræ verba eorum*, & patet ex Matth. 28. *Euntes in mundum universum docete omnes gentes servare omnia quæcunque mandavi vobis*; ergo etiam lex humana ex tali congruentia, & pro majori populorum commoditate, sivè Imperatoria sit, sive Pontificia ad subditos obligandos solemniter promulgari deberet non in sola Curia Principis per publicos Præcones, sed etiam in omnibus Provinciis, & Regnis, pro quibus est imposita, & in hoc sensu intelligi debet secunda opinio, non autem in eo sensu, at aliqui loquuntur, & præsertim Medina part. 2. quæst. 90. artic. 4. & Vulpes noster disput. 1. artic. ultim. quod ut lex vim obligandi habeat, sivè Imperatoria, sit, sivè Pontificia, non est sufficiens sola ejus promulgatio in Curia, aut Civitate Principis, sed in aliis quoque Regni partibus promulgari debeat necessario. Non, inquam, id in tanto rigore asserendum est, quia de legibus Pontificiis praxis in contrarium est, quæ solùm in Romana Curia publicantur, & si magni Principes vellent, quod suæ leges solùm in eorum Curia publicarentur, absolutè loquendo hæc sola publicatio sufficeret ad subditos obligandos, dummodo tempus congruum assignaretur ad hoc, quod pervenire possent ad subditorum notitiam, & in quo ipsos obligare inciperent, ut suprà dictum est.

108 Denique ut magis pateat, quandonam lex obligare incipiat, distinctione utendum est; vel enim quæstio est de obligatione generali, quam semper lex humana annexam habet, eo ipso quod vim legis habet; vel de obligatione particulari, qua subditus quisque ad observantiam illius legis tenetur, itaut si contrà illam faciat, peccet, si de prima obligatione sit sermo, dicendum est tunc legem obligare incipere, cùm sufficienter, & debitè promulgata fuerit modo jam explicato, si verò de posteriori loquamur, dicendum est ad hoc requiri, ut lex ad illius notitiam venerit, aut moraliter, & facilè venire potuerit, alioquin quamdiù talem legem latam esse invincibiliter ignoraverit, ad illam servandam minimè tenebitur, neque eam transgrediendo peccabit, ut docent Navarrus, Sotus, Vasquez, Layman, Abellius, & alii plures, quod etiam declaratur in sexto cap. 1. de concess. præbend. ubi dicitur, quod *lex, seù constitutio, & mandatum nullos adstringunt, nisi postquam ad notitiam pervenerint eorumdem, aut nisi post tempus, infrà quod ignorare minimè debuissent*. Ex quo infertur, ut lex humana obliget generaliter, ac veluti in actu primo satis esse eam in aliquo loco solemniter promulgari, nec esse necessarium, ut ad singulorum notitiam perveniat, alioquin non propriè diceremus, ignorantiam invincibilem interdum excusare à peccato contra legem; hoc enim est excusari, quod facere contra obligationem legis, quia facis involuntariè invincibiliter ignorans, non peccare. Ut verò lex humana obliget particulariter, ac veluti in actu secundo, itaut si contra illam quis faciat, verè sit illius prævaricator, & reus, certum est non satis esse eam vel in Curia Principis, vel in singulis Provinciis, & Civitatibus promulgari, sed ulterius opus esse ut jam ad notitiam ejus venerit, quem sic obligat, aut certè, ut possit ex intentione, & absque magnam difficultate eam notitiam acquirere. Hoc est quod mihi breviter, & distinctè dicendum videtur in hac materia de promulgatione legis humanæ ad ejus obligationem inducendum necessaria, de qua adeò fusè, & confusè agunt Auctores.

109 Quoad legis humanæ acceptationem à subditis, an sit necessaria ad hoc, ut vim obligandi habeat, duæ sunt Theologorum sententiæ. Quidam affirmant ad hoc, ut lex vim, & robur suum habeat, requiri ut à majori parte communitatis acceptetur, vel saltem ut non improbetur, vel repudietur, ità Major, Navarrus, Becanus, Bonacina, & alii, quos referunt Recentiores. Alii contrà negant legem à populi acceptatione pendere, & vim obligandi sumere, asserentes vim, & robur suum accipere à legitima legislatoris auctoritate, ità Medina, Valentia, Suarez, Vasquez, Aversa, Lezana, Caspensis, Abellius, & alii Theologi passim, & Juristæ, quam sententiam jam suprà statuimus quæst. 1. hujus Disput. artic. 2. in fine, ut communiorem, & probabiliorem, ac in praxi tenendam. Quod si quis priorem sequi vellet, ut probabilem, adhuc tamen fateri deberet, peccare subditos legem Principis justam acceptare nolentes, eamque ausu temerario improbantes, & renuentes, hoc enim est contrà documentum Pauli ad Romanos 13. *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit*, quod præsertim affirmari debet, quando nulla ratione legitima subditi ad hoc inducerentur, cùm lex divina obedientiam subditorum erga Principes, & Superiores apertè præscribat. Admittendum tamen est, ut notat Aversa quæst. 95. sect. 4. & Suarez lib. 4. capit. 16. si interdum prudenter reputetur, legem à Superiore fuisse latam ex aliqua falsa suggestione, & absque plena informatione, & notitia veritatis, posse tunc licitè populum pro revocatione legis supplicare, & petere, ut velit plenius informari, cum animo tamen promptè obediendi, si post plenam informationem adhuc Superior in sua jussione persistere velit, & ità habetur ex ipso Jure c. *Si quando* de Rescriptis, cætera ad hanc quæstionem spectantia videantur loc. cit.

ARTICULUS QUARTUS.

Quidnam subdantur humanis legibus.

110 IN hac quæstione conveniunt in primis Doctores, legem humanam eos omnes obligare, qui potestati subduntur; à qua lex illa dimanat, juxtà illud Pauli ad Romanos 13. *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit*, ex quibus verbis errorem refellunt quorumdam Hæreticorum asserentium eos, qui perfectionem justitiæ sunt consecuti, humanæ obedientiæ non amplius esse subjectos, nec ad observantiam ullius legis Ecclesiasticæ, aut civilis teneri, quod ex dicto Apostoli 1. ad Timot. 1. deducebant, *Justo non est lex posita*, qui error in Concilio Viennensi damnatus fuit, ut refertur in Clementina *Ad nostram*, De Hæreticis, & in Concilio Trident. sess. 6. cap. 11. can. 20. ubi decernitur fideles etiam justos, & sanctos teneri legibus superiorum. Neque Hæreticis illis favet dictum illud Pauli, sensus enim illorum verborum est, ut Patres exponunt, justos non esse legi subjectos quoad vim coactivam, cum sponte illi se subiiciant, quamvis quoad vim directivam illi absolutè subdantur. Deindè conveniunt legem humanam non posse obligare, nisi subditos, & ratio est, quia potestas ferendi legem est potestas jurisdictionis, & ferre illam actus iurisdictionis, jurisdictio autem non est, nisi circà subditos. Inter illos autem qui subduntur Principi legem ferenti, omnes obedire tenentur, si lex pro omnibus absolutè feratur, si autem non absolutè feratur, sed tantùm pro certo quodam subditorum statu, v. g. pro militibus, vel Sacerdotibus, aut aliis similibus, obligantur quidem omnes illi, qui talem statum participant, non autem alii, siquidem non ad alios lex dirigitur, & lex non obligat, nisi juxtà intentionem legislatoris ab ipso expressam, & sic etiam eximuntur quicunque ex Principis privilegio immunes facti fuerint. Conveniunt tandem pueros antè usum rationis legibus non teneri, eademque est ratio de perpetuò amentibus, lex enim est præceptum rationale, cujus proindè capaces non sunt, qui rationes carent, imò quamvis contingeret puerum antè septennium habere usum rationis, non ob id obligatur legibus juris positivi, ut Caspensis advertit disput. 4. sect. 3. quia leges positivæ attendunt ad ea, quæ commu-

communiter contingunt L. *Nam ad ea*, ff. *de Legibus*. Hæc inquam, apud Doctores sunt certa, quænam verò non ità certa, sed sub aliqua controversia, quæ breviter in hoc articulo resolvemus.

111 Prima difficultas est, An legislator teneatur servare legem à se latam. Quæ difficultas solùm videtur habere locum in supremo Principe legislatore, qui ad legem ferendam aliorum consensu non indiget, qualis est Imperator in suo imperio, & Rex in suo Regno, & alii Principes supremam potestatem habentes. & pariter intelligenda est de iis legibus, quæ æquè Principem, ac Cives concernunt, non autem de iis, quæ ad solos cives diriguntur, utpotè de solvendis tributis ipsi Principi, de non incedendo cum comitatu armatorum, de non ingrediendo palatium cum ense, & similibus; manifestum enim est leges hujusmodi, & consimiles Principem non obstringere, nil enim vetat, posse aliquas leges ferri, quas Principem servare non decet. Solet autem in legibus duplex obligatio distingui, una dicitur directiva, qua nimirum lex dirigit prohibendo, vel præcipiendo quid faciendum, sit, & est obligatio ad culpam; alia dicitur coactiva, qua scilicet; sub aliqua pœna cogitur obligatus ad legis observantiam, quæ dicitur obligatio pœnalis, & de utraque procedit difficultas.

Communis sententia docet legislatorem non teneri suis legibus quoad vim coactivam, ideſt, ut ad illas observandas ab aliquo cogi possit, aut ad subeundas illarum pœnas; teneri tamen ad ipsarum observantiam quoad vim directivam, ideſt, ex æquitate, & præscripto legis naturalis. ità Theologi passim, & Canonistæ cum D. Thoma quæst. 96. art. 5. & prima pars assertionis de exemptione superioris à pœna legis sumitur ex L. *Princeps ff. de Legibus*, ubi dicitur *Princeps legibus solutus est*, & ex eo, quod cum lex importet actum jurisdictionis, solùm obligat subditos, nullus autem est sibi subditus, & sicut Princeps sibi non est inferior, & subditus, sic etiam neque aliis legislatoribus, qui præcesserunt, quia par in parem imperium non habet. Altera verò pars assertionis deducitur ex doctrina Christi Matth. 23. dùm Pharisæos reprehendit, qui dicebant, & non faciebant nolentes portare onera, quæ aliis imponebant, & expressa est in jure Canonico cap. *Justum est* distinct. 9. ex Isidoro lib. 3. de Summo Bono cap. 52. *Justum est Principem legibus obtemperare suis*, &c. & ratio etiam ipsa suadet, quia ex natura rei, & dictamine rectæ rationis debet in hoc Superior communicare cum subditis, debet caput cum membris conformari, & vitare illud, propter quod lex reddatur dura, & odiosa, & tandem debet Princeps, & Prælatus participare in onere, quod imponit, & alios suo exemplo movere ad legis observantiam.

112 Alia sententia docet Principes cujusvis Politiæ esse verè legibus subjectos, non tantùm quoad vim directivam, sed etiam coactivam, si fuerint ex natura rei necessariæ ad bonum publicum etiam in foro conscientiæ saltem indirectè ex juramento præstito de benè, ac sanctè Rempublicam regendo. Ità Vulpes ex nostris disp. 7. art. 6. ubi inquit, non obstare absolutos Principes non habere Superiorem in Republica legitimè cogentem ad servandas leges, quia in Politia juris temporalis superior legitimus est tota Respublica, à qua pendet immediatè, & proximè ejus legitima electio, sivè pro se solo, sive etiam pro tota ejus posteritate, ex Scoto 4. d. 15. q. 2. ar. 1. nulla tamen singularis persona. In Politia autem Spirituali Ecclesiæ est Deus, vel Christus ejus sponsus, ut habetur in Apocalip. c. 2. ergo legislatores humani in utraque Politia subiiciuntur legibus, non tantùm directivè, sed etiam coactivè sub reatu pœnæ à Superiori saltem Deo infligendæ, atque ità sub reatu saltem divini iudicii omnes Principes sunt legibus à se latis subjecti, & hæc sententia fuit etiam aliorum, quos refert Sotus lib. 1. de Justitia, & Jure quæst. 6. artic. 7. & sequitur Vasquez p. 2. disp. 167. cap. 1.

113 Verùm hæc ratio sufficienter non probat Principes supremos teneri legibus à se latis etiam quoad vim coactivam; falsum enim est, quod in Politia juris temporalis superior legitimus sit tota Respublica, à qua pendet immediatè ejus legitima electio, nam facta tali electione tota potestas & auctoritas in Principem electum transfertur ex populi consensu, nec amplius apud populum residet, ut Scotus ipse declarat loc. cit. quarè cum nullius imperio subditus sit, sequitur non posse subjacere pœnæ per legem constitutæ. Imò ut notat Aversa quæst. 95. sect. 2. quando Rex est supremus Dominus, etiamsi ex constitutionibus sui Regni non possit certas leges ferre sine Senatu, aut Consilio, ut possit pœna plecti ob legis transgressionem, & similiter, si aliquis Rex juraſſet leges servare, quod juramentum solet exigi à quibusdam Regibus, dum capiunt de novo possessionem Regni, non per hoc posset à communitate pœna plecti ob trasgressionem legis, sed solùm mortaliter peccaret ob non servatum juramentum. Quod verò possit, ac debeat plecti pœna saltem à Deo infligenda, non facit ad rem, quia de hoc nemo dubitat, & solùm hic quæritur, an debeat subjacere pœnæ per ipsam legem subditis constitutæ. Itaque regula generalis est, quod qui non subditur alteri superiori humanæ potestati, non subest pœnæ legis, tenetur tamen ex dictamine naturali rationis servare legem, quàm ipsemet sivè solus, sivè cum Senatu tulerit pro Communitate, quod si eam non servaverit, peccabit mortaliter, vel venialiter iuxtà gravitatem materiæ per talem legem præceptæ, & juxtà gravitatem nocumenti Reipublicæ facti per talem transgressionem. Ex dictis infertur, ut notat Amicus disp. 5. sect. 14. non teneri Principem absolutum, & supremum, de quo hìc est sermo, suas leges servare titulo obedientiæ, ut tenentur subditi, sed titulo naturalis conformitatis capitis cum suis membris. Ratio est, quia obedientia est personæ inferioris ad Superiorem quem Princeps absolutus non agnoscit, & qui titulo obedientiæ leges servare tenetur, cogi potest ad servandas, Princeps autem ad suas leges servandas cogi non potest, ut ostensum est.

113 Secunda Difficultas est, An Ecclesiastici subdantur legibus civilibus, & quæstio intelligitur de legibus justis pro toto corpore Reipublicæ latis, & statui Clericorum non repugnantibus utpotè sunt leges prætia rerum taxantes, prohibentes mercium extractionem extrà Civitatem, armorum delationem, & similes, alioquin certum est leges libertati Ecclesiasticæ repugnantes Clericos non obligare, nec Religiosos, quia ab his secundum eorum statum sunt immunes, ut constat ex pluribus juris capitibus, & ex Concil. Trid. sess. 25. cap. 10. Communis sententia Theologorum, & Juristarum est Ecclesiasticos his legibus teneri quoad vim directivam, quia nulla est ratio, ob quam ab illis eximuntur magis, quàm alii sæculares, & id exposcit ratio ipsa naturalis ob unitatem, concordiam, & pacem Reipublicæ servandam; cùm enim Ecclesiastici quoque sint Reipublicæ membra expedit ut conveniant cum toto in communibus legibus utilitatem Reipublicæ concernentibus, & suum statum non dedecentibus. Non tamen subduntur ipsis quoad vim coercitivam, quia Laici nullam habent jurisdictionem in Ecclesiasticos, nec possunt à Judicibus sæcularibus puniri sine consensu superiorum Ecclesiasticorum cap. *Ecclesiæ Sanctæ Mariæ de Constit.* ac proindè non tenentur directè ex vi coactiva legibus civilibus, ab ipsis tamen Prælatis, & Judicibus Ecclesiasticis possunt Clerici cogi ad tales leges observandas, & possunt eorum arbitrio plecti ob transgressionem. Unde licet Ecclesiastici non teneantur istis legibus ex virtute obedientiæ propter suam exemptionem, & immunitatem à foro sæculari, tenentur tamen ex conformitate, quam cum reliquis Reipublicæ membris habere debent, ut Difficult. præc. diximus de Principibus. Quarè neque placet modus loquendi Vulpes loc. cit. concluſ. ult. ubi inquit Clericos in non pertinentibus ad statum Clericalem subesse legibus civilibus etiam coactivè, & transgressores puniendos esse secundùm pœnas à prædictis legibus taxatas, infligendas tamen à solis Superioribus Ecclesiasticis auctoritativè, & non à sæcularibus, nisi instigativè. Non inquam, hic loquendi modus placet, quia lex Civilis, quæ pœnam constituit, non obligat Clericos ex virtute obedientiæ ob eorum exemptionem, & immunitatem; ergo Judex Ecclesiasticus non tenetur pœnam imponere, ab ea lege taxatam, sed pro suo arbitrio potest, vel illam, vel quamcunque aliam usurpare, modo statui Clericali non sit indecens ut benè discurrit Becanus cap. 6. quæst. 11. & alii Theologi passim hanc communem sententiam docentes, à qua nequè in modo loquendi recedendum est. Confirmatur, quia, ut ait Amicus disput. 5. sect. 15. Judex Ecclesiasticus in judicando non tenetur sequi judicium Judicis sæcularis, alioquin subiiceretur ei in proprio officio Judicis, tùm quia ob status diversitatem pœna, quæ laico proportionatur, & personæ sæculari, non ità semper proportionatur Clerico, & personæ Ecclesiasticæ; ergo tale judicium potius Judici Ecclesiastico committi debuit, qui melius potest, quàm sæcularis proportionem pœnæ cum statu, & persona Ecclesiastica judicare. Itaque Jus Canonicum personas Ecclesiasticas potius subjecit vi directivæ, quàm coactivæ legum civilium, quia per priorem subjectionem nullum fit præjudicium statui, ac dignitati Ecclesiasticæ, sicut fit per posteriorem. At verò legibus Ecclesiasticis subduntur omnes non solùm Clerici, sed etiam Laici tam quoad vim coactivam, quam directivam, omnes siquidem fideles baptizati quoad regimen spirituale sunt verè, & propriè subditi Summo Pontifici, & aliis prælatis in suis locis, undè possunt ab iis cogi ad servandas leges ad hujusmodi regimen spirituale spectantes, & possunt ob transgressionem puniri, & censuras Ecclesiasticas incurrere.

114 Tertia Difficultas est, an immunitas Ecclesiasticorum

à pote-

à potestate laicali, & ab obedientia legum sæcularium Principum competat eis de jure Divino, vel humano; de qua fusè agit Vulpes loc. cit. art. 7. ubi affirmat eis convenire de jure divino, quod ex Scoto deducit 4. dist. 24. qu. unic. in fine docente Ecclesiasticum legislatorem posse clericale privilegium dare temporali Principi, vel cuicunque simpliciter Laico; non secus, ac illo gaudent laici conversi in Religione. Verùm quia hæc quæstio potius est dogmatica, quam moralis, de qua fusè agit Bellarminus lib. 1. de Clericis cap. 28. ad tuendam libertatem Ecclesiasticam contra Hæreticos eam negantes, & hic supponitur talis immunitas Clericorum; sivè eis competat de jure divino, sivè humano; ideò breviter dico cum Poncio nostro disp. 25. qu. 5. quod si non est aliud fundamentum, quo talis immunitas sit de jure divino, nisi quia Pontifex auctoritatem habet spiritualem suprà Reges, seù superioritatem quoad spiritualia, ex qua auctoritate Clericos eximere potest à potestate illorum coercitivas; si, inquam, aliud fundamentum non habet hæc assertio, ut Vulpes loc. cit. insinuare videtur ex Scoto cit. planè hoc non sufficit ad ostendendum, quod illa exemptio sit juris divini, quamvis in jure divino fundetur, sicut nec cæteræ leges Pontificis sunt de jure divino, licet in auctoritate ipsius eo jure sibi competente fundentur; quarè ad probandum esse de jure divino aliud fundamentum stabiliendum est. Et quia parum refert, an uno, vel alio jure talis immunitas Clericis competat dummodo sit certa, ulterius non immoror.

115 Quarta Difficultas est, an Religiosi exempti teneantur Synodalia Episcoporum decreta servare. Conveniunt Theologi Religiosos Pontificia auctoritate exemptos ab ordinariis locorum Episcopis non subdi eorum legibus quoad vim coactivam, nec posse ab eis puniri, nec eorum censuras incurrere; quo autem ad vim directivam, & quoad obligationem in conscientia sine dubio teneri in omnibus casibus de jure communi, & Pontificio expressis, ut expressum est in Concil. Trid. sess. 25. cap. 12. de servandis diebus festis, & publicandis, & servandis interdictis. Dubium est igitur de aliis ordinationibus Synodalibus, & Provincialibus. Affirmant Vasquez, Sanchez, Becanus, & alii Religiosos etiam exemptos jure naturali obligari saltem quoad vim directivam ad illas leges Synodales, quæ statui Religioso non derogant, & spectant ad communem observantiam, & devotionem totius populi, sicut Ecclesiastici dicebantur teneri legibus civilibus Principum temporalium. Negant verò illis legibus obligari Suarez, Salas, Sylvius, Granadus, Amicus, Arriaga, Caspensis, & plures alii, & est opinio communior, & probabilior. Primò quia ex cap. 1. de privilegiis in 6. Regulares exempti non tenentur Episcopo parere, nisi in casibus à jure exceptis, non excipiuntur autem leges Synodales, ergo &c. Deindè quia Trident. loc. cit. tanquam singulare aliquid præcepit, ut in observatione, festorum, & censurarum Religiosi exempti obediant Episcopo, per quod supponit in cæteris non teneri, ideò specialiter voluit Concilium Religiosos exemptos hujusmodi legibus subiicere, quia supponebat eos vi proprii status esse exemptos. Tandem quia ad hoc maximè ordinatur eorum exemptio. Quarè ad rationem in oppositum negatur assumptum, quia Regulares non solùm à potestate Principis sæcularis sunt exempti, ut Clerici, sed etiam Episcoporum, & ideò exceptis casibus de jure communi, & Pontificio expressis, à cæteris ordinationibus Synodalibus sunt exempti, ac proindè leges Episcoporum, & jejunia ab illis imposita secluso scandalo, Religiosos non ligant, hoc enim nimis grave onus esset illis, qui ex vi proprii instituti plura alia jejunia servare debent, dixi autem notanter secluso scandalo non teneri, quia ratione scandali evitandi quandoque tenentur, nam in casu posito impositionis jejunii populus valdè scandalizaretur, si Religiosos non jejunare videret, quos judicat ad id magis obligatos, at hoc est per accidens, & solùm obligabit in publico non in occulto.

Dices, quamvis Religiosi exempti ad tales leges synodales observandas non teneantur titulo obedientiæ, quia à jurisdictione Episcoporum sunt exempti, teneri tamen titulo legis naturalis, qua ut pars ejusdem Communitatis tenentur se conformare reliquæ communitati in iis, quæ proprio statui non præjudicant, qua ratione suprà dicebamus Ecclesiasticos quoque teneri legibus civilibus Principum temporalium.

Respondeo negando hanc conformationem obligare exemptos, alioquin & ille, cum quo validè dispensatur, teneretur adhuc legibus, quia etiam post dispensationem est pars ejusdem communitatis. Negatur etiam assumpta paritas de Regularibus exemptis, & aliis Ecclesiasticis sæcularibus, quia ut inquit Amicus loc. cit. cùm status Religionis à statu sæcularium sit longè diversus propter modum vivendi in ea diversum, non potest lex naturalis Religiosos obligare ad conformandum se legibus sæcularium scandalo secluso, cum ipsi per suas altiori modo ordinentur ad bonum commune totius Christianæ Reipublicæ conservandum, & promovendum.

116 Quinta Difficultas est, an cives, vel Diœcesani obligentur legibus proprii territorii, dum sunt absentes. Affirmarunt Paludanus, Sylvester, Bartolus, Alexander, & quidam alii Juristæ non alia ratione freti, nisi, quia etiam quando sunt absentes sunt adhuc subditi Principi, & legislatori proprii territorii. Communis tamen opinio tam Theologorum, quàm Canonistarum negat, ità Sanchez, Suarez, Henriquez, Palaus, Diana, Arriaga, Bonacina, Caspensis, Lezana, Hacquetus, Meratius, & alii Recentiores passim, & colligitur ex c. *Ut animarum* de const. in 6. ubi deciditur furantem extrà territorium proprium non ligari excommunicatione sui Episcopi lata contrà fures, & ratio ibi redditur, quia *impunè non paretur extrà territorium jus dicenti*: Hoc etiam ratio ipsa suadet, quia legislativa potestas non se extendit extrà locum, cui præest legislator, & leges, ac consuetudines locales respiciunt per se territorium legislatoris, & sunt illi illigatæ, & affixæ, atque ideò subditos non obligant, nisi quando sunt in eo degentes, & præsentes, non autem quando sunt absentes, & extrà territorium; tunc enim non sunt subditi suo Principi, & legislatori in actu secundo, sed tantùm in actu primo, ac veluti habitualiter, nec aliud probat ratio adducta in oppositum. Imò præfati Auctores hanc doctrinam extendunt etiam ad casum, in quo aliquis extrà proprium territorium exiret, & ad alium locum pergeret animo eximendi se ab obligatione, qua in proprio territorio adstrictus est; quia in tali casu non intervenit propria fraus, aut dolus, non enim dici potest fraudem committere, qui utitur jure suo, ut facit ille in casu posito, sed tantùm intervenit fuga quædam obligationis præcepti, quæ fuga contrà præceptum non est; nec etiam per hoc infert injuriam legislatori sui territorii, à quo discedit, quia non est obligatus ad leges ab ipso impositas, nisi pro tempore quo manet in illo territorio, in quo semper manere non tenetur. Et hoc etiam satis probabiliter dicitur, licet oppositum doceant Petrus Ledesma, Salas, Rebelus, Sayrus, & alii.

117 Hanc tamen doctrinam limitant plures ex prædictis Auctoribus cum Suarez lib. 3. de legibus cap. 32. itaut absentes à proprio territorio legibus illius ligari possint, si delinquant circa res in proprio territorio existentes, & ipsos concernentes, quia tunc ratione earum rerum in illo territorio existentium, & ipsos concernentium, licet formaliter absentes sint, censentur virtualiter præsentes; ex quo inferunt, beneficiatum, qui in aliena Diœcesi existens non residet, incurrere censuram latam contrà non residentes ab Episcopo loci, in quo habet beneficium, quia beneficiatus ille absens delinquit circà rem in proprio territorio existentem, nam omissio residentiæ in proprio territorio consumatur; & eadem ratione dicunt, quod qui extrà proprium territorium existens jactu sagittæ occidit aliquem in illo existentem, incidit in excommunicationem latam in suo territorio contrà occisores, & homicidas, sicuti si esset excommunicatio lata adversus occidentes in Ecclesia, & existens extrà sagittam emitteret, quo aliquem in Ecclesia existentem occideret, utique talem excommunicationem incurreret, quia delictum factum est, & consummatum in Ecclesia, quamvis extrà sit inchoatum; ità Bonacina, Lezana, Caspensis, Aversa, Palaus, Pasqualigus, & alii, qui alios similes casus ex hac eadem doctrina resolvunt.

118 Sexta Difficultas est. An Peregrini, & Forenses obligentur legibus loci, per quem transeunt. Conveniunt Doctores Forensem accedentem alicui loco animo ibi manendi in perpetuum statim teneri legibus illius loci, sicut cæteri cives, nam eo ipso, quod ibi domicilium constituit, desinit esse peregrinus, & fit incola loci illius, & pars illius Reipublicæ, ac proindè incipit obligari illius Legibus, & consuetudinibus iustà Leg. *Domicilium*, ff. *Ad municipalem*; & idem juris est, si intendat majori anni parte ibi cohabitare, & commorari, prout faciunt Scholastici in Universitatibus, & Procuratores, ac Sollicitatores in Curiis; hæc enim habitatio pro majori parte anni, etsi domicilium propriè dictum non faciat, facit tamen quasi domicilium, ut Doctores communiter dicunt, hoc est assiduam, & diuturnam habitationem; est ergo difficultas, an quælibet alia brevis mora extrà dictos casus sit sufficiens ad obligandum peregrinum legibus loci transitus. Prima sententia negat peregrinum, secluso scandalo obligari legibus loci per quem transit, & in quo ad breve tempus moratur. Fundamentum præcipuum est, quia lex non censetur obligare, nisi subditos, qui sunt partes & membra ejusdem Communitatis, quia finis legis est recta gubernatio suorum Civium; sed peregrini transeuntes non sunt subditi illius loci, per quem transeunt, nec partes illius Communitatis, nec legislator illius habet jurisdictionem in tales forenses; ergo non obligantur illius legibus.

Major

Major patet, probatur minor, quia nequit peregrinus fieri pars, aut membrum Communitatis, nisi per domicilium, vel quasi domicilium, sed qui solùm transit per locum Communitatis, non dicitur moraliter habere ibi suum domicilium, vel quasi domicilium, cùm hoc pendeat tùm ex intentione inhabitantis, tùm ex mora temporis, qua quis locum incolit.

Confirmatur, quia Infideles non obligantur legibus Christianorum, etiamsi in eorum terris habitent; ergo &c. Denique in cap. 1. *Anobis*, De sententia excommunicationis, dicitur sententiam Episcopi non ligare Forenses, sed solos ejus subditos; ergo, &c. Ità Sanchez, Sayrus, Lessius, Azorius, Toletus, Bonacina, Diana, Henriquez, Tannerus, Granadus, Amicus, & alii apud ipsos.

119 Communior tamen, & probabilior sententia affirmat peregrinos, & advenas teneri legibus ejus loci in quo per transitum inveniuntur, & hoc tam quoad vim directivam quàm coactivam. Ità Navarrus, Henriquez, Salas, Suarez, Vasquez, Palaus, Meratius, Lezana, Aversa, Arriaga, & alii, quamplures, quam sententiam Caspensis etiam inquit esse valde probabilem, licet oppositam dicat non minorem habere probabilitatem. Fundamentum est, quia conformari legibus, & consuetudinibus loci, in quo aliqui resident, adeò confert ad conservationem, & tranquilitatem Reipublicæ, ut jure naturæ, & gentium meritò censeri debeat, quemlibet legislatorem auctoritatem habere obligandi suis legibus non solùm eos, qui perpetuum in ejus territorio domicilium habent, sed etiam qui per breve tempus ibi resident, sicut ob eandem rationem conveniunt omnes puniri posse ab eo, si delinquerunt, quia utrumque ad bonum illius Reipublicæ spectat; ergo utilitas legum eadem ferè est in ordine ad exteros, quæ ad incolas, verbi gratia, in lege, ne quis arma noctu gestet ad vitanda homicidia, rixas, &c. eodem modo urget, ne peregrini gestent. Similiter in ordine ad emptionem, & venditionem rerum, ut servetur idem ordo in omnibus. Item in lege de abstinentia à carnibus certis diebus ad scandala evitanda, & similibus. Confirmatur ex illo communissimo adagio, quod in ore omnium habetur, tanquam lumine naturæ notum, & refertur à Glossa in cap. *Illa* dist. 12. 5. *Cum fueris Romæ Romano vivito more; & si fis alibi vivito, sicut ibi*. Denique peregrini & viatores extrà suum territorium existentes exempti sunt à legibus illius, ut dictum est diffic. præcedent. ergo dicere debemus eos teneri legibus territorii illius in quo per transitum inveniuntur, alioquin exempti essent à legibus cujuscunque territorii quamdiù peregrinarentur.

102 Ad Fundamentum in contrarium negatur minor, etenim peregrini, & advenæ pro tempore, quo sunt in aliquo territorio, sunt subditi illius, partes illius communitatis, & subduntur jurisdictioni Gubernatoris illius. Ad probationem minoris dicendum est, peregrinum intrantem aliquod territorium eo ipso se submittere illius jurisdictioni saltem ad tempus, quo ibi moratur, & licet legislator talem jurisdictionem à sua Communitate non acceperit, quia ille forensis tunc extrà Communitatem erat, accipit tamen eam, quando hic territorium intravit, quia lex fertur pro toto territorio, & obligat omnes ibi existentes, & pro tempore quo ibi existunt.

Ad Confirmationem negatur consequentia, nam leges ad Religionem spectantes non imponuntur, nisi his qui sunt ex eadem Religione, undè etiam Judæi, qui terris Christianorum fixum habent domicilium non ideò coguntur ad jejunia, & festivitates illorum, & tamen ad alias leges civiles coguntur.

Ad ultimum, in eo textu, si benè legatur, non dicitur quidquam de forensibus, aut advenis, sed solùm traditur generalis doctrina à peregrinis, & forensibus independens, nimirum sententiam excommunicationis ab Episcopo latam non comprehendere omnes, qui sunt in illius territorio; sivè advenæ sint, sivè incolæ, nisi sint ejus subditi, v. g. non comprehendere Religiosos exemptos, nec alios Prælatos, aut Parochias exemptas.

121 Septima tandem Difficultas est. An etiam vagi, vel vagabundi, quales sunt qui nullibi habent certam sedem, & domicilium, obligentur legibus loci, per quem transeunt. Negant pariter nonnulli ex Auctoribus præced. diffic. adductis pro prima sententia, ut Lessius, Sairus, Sancius, Hacquetus, & quidam alii, quod probant, quia ex eo quod vagus maneat in aliquo loco non videtur Superior illius loci in eum jurisdictionem aquirere, quia ex generali doctrina ex cap. ult. de foro competenti nemo sortitur forum, nisi ratione domicilii, sivè habitationis, vel ratione delicti, vel ratione contractus; vagi autem nullo horum modorum subjecti sunt, ut supponitur; ergò non sortiuntur forum.

Communis tamen sententia docet hujusmodi vagos adstringi legibus loci, per quem transeunt, quia cum nullibi domicilium habeant, illud sortiri debent ex præsentanea habitatione in aliquo loco, aliàs ab omnibus legibus particularibus essent exempti, & ex sua vagatione commodum reportarent. Tùm quia Vagi puniuntur à Judicibus, qui eos capiunt ob delicta etiam alibi commissa, ut habetur in Leg. 1. Cod. ubi de criminibus; ex quo deducitur eos forum sortiri in quovis loco, ubi præsentes fuerint, cùm enim nullum habeant in aliqua communitate certum domicilium, cujus legibus adstringuntur, debent saltem legibus illius loci, per quem transeunt, adstringi, alioquin ab omnibus legibus liberi essent, quod ipsorum saluti consentaneum non videtur, nec rectè Reipublicæ gubernationi. Ità Suarez, Salas, Amicus, Bonacina, Lezana, Caspensis, Palaus, Lorca, & alii passim.

QUÆSTIO QUINTA.

De Potestate humanæ legis.

122 EXplicatis in Superioribus, quæ ad valorem legis requiritur tàm ex parte potestatis eam ferendi, quàm ex parte materiæ, & personarum illi subditarum jam ad formalem ipsius legis humanæ vim obligativam explicandam descendimus, ut pateat qualis, & quanta sit virtus, & efficacia legis humanæ in obligando.

ARTICULUS PRIMUS.

An lex humana, sivè Civilis, sivè Ecclesiastica obligare possit in Conscientia, & sub peccato.

123 PRima sententia negat posse humanam legem, sivè Civilem sivè Ecclesiasticam obligare ad sui observantiam in conscientia, & sub culpa, at ait valere tantum exterius, itaut possit Judex externam pœnam infligere transgressoribus suarum legum, non autem habere vim obligandi interius in conscientia, itaut culpæ, ac etiam pœnæ alterius vitæ reos constituat transgressores. Fundamentum est quia discretum est forum externum, & forum internum, & humani Superiores habent quidem vim in foro externo, sed forum internum conscientiæ soli Deo patet, & culpa reum constituit hominem apud Deum; non videtur ergo ad hoc se extendere potestas legis humanę. Confirmatur quia nullus legislator ad eam pœnam obligare potest, quam ipse infligere nequit; sed nullus legislator humanus pœnam alterius vitæ infligere potest, quam quævis culpa incurrit æternam, vel temporalem, cùm sit extrà tribunal cujuscunque Judicis creati; ergo &c. Denique quia nequit humana potestas pœnam alterius vitæ remittere; ergo nec ad eam obligare. Undè consequenter hæc sententia dicit, non posse legem humanam præcipere obligando in conscientia ea, quæ aliàs non essent debita jure divino, aut naturali, & quoties peccari videtur contrà legem humanam, non incurri culpam ex transgressione legis humanæ præcisè sumptæ, sed divinæ, vel naturalis, quæ cum ea conjungitur. Et hæc opinio tribuitur Gersoni tract. de Vita spirituali lect. 4. Alpharab. 62. & aliis quibusdam.

124 Secunda sententia hoc quidem negat de potestate civili ob rationes assignatas, non tamen de Ecclesiastica. Ratio est quoniam hæc immediatè participatur à Deo, qui pœnam alterius vitæ infligere potest, in cujus auctoritate Princeps Ecclesiasticus obligat ad pœnam alteriùs vitæ, ad eum modum, quo Princeps inferior auctoritate supremi Principis subditos obligat ad pœnam ab ipso supremo Principe infligendam. Confirmatur, quia legislativa potestas in Principibus temporalibus pendet proximè, & immediatè ab hominibus eos in Principem eligentibus ad finem convivendi pacificè, ad differentiam legislativæ potestatis in Prælatis Ecclesiæ immediatè à Deo electis habente potestatem super animam nostram mittendi in gehennam; non sic temporales Principes eliguntur ab hominibus cum potestate spirituali super animam, sed præcisè regendi eos in ordine ad pacificum convictum, ita ut finis ultimus sui Principatus sit merè temporalis supra bona fortunæ, & corporis; ergo nequeunt leges civiles obligare in conscientia, & sub culpa, sed tantùm Ecclesiasticæ, quæ à Deo immediatè potestatem spiritualem habent in animam. Quare concludunt leges Civiles posse obligare sub culpa, & in conscientia solùm indirectè, & per accidens, nimirum ex adjunctione ipsarum cum lege divina ex parte materiæ. Ità Almainus de Potest. Ecclesiastica cap. 12. & sequitur Vulpes noster disp. 7. citat. art. 4. tanquam de mente Doctoris 4. dist. 15. quæst. 2. art. 1. concl. 5. ubi præfatum discrimen assignat inter potestatem legislativam temporalem, & Ecclesiasticam.

125 Tertia

125 Tertia sententia communior, & probabilior asserit legem humanam, non solùm Canonicam, sed etiam Civilem, verè habere vim obligandi in conscientia, & sub culpa ita communiter Theologi, Juristæ, & Summistæ cum D. Thoma part. 2. quæst. 96. art. 4. quam adeò veram tenet Suarez lib. 3. de legibus capite 21. ut censeat esse de fide, vel saltem fidei proximam. Fundamentum verò hujus obligationis quidam referre videntur in specialem concessionem divinam Principibus, & Prælatis factam, ità Joannes Medina Cod. de Jejunio quæst. 7. quia solius Dei, inquit, est aliquid sub tali pœna instituere, sicut, & ipsius est pœnam æternam transgressoribus infligere. Alii tamen communiter vim hujus obligationis referunt in ipsam humanæ gubernationis institutionem, præcisa quacunque speciali commissione Dei, hæc enim innotescere non potuisset, nisi per specialem Dei revelationem, quæ omnibus nationibus manifestari debuisset, & qui illam non agnoscerent, ab obedientia suorum Principum, essent in conscientia excusati. Quarè concludunt fundamentum hujus obligationis in ipsam humani regiminis institutionem referri debere, nam præcisa quacunque speciali Dei commissione, hoc ipso quod Princeps, vel Respublica gubernandi potestatem accipit, simul cum ea auctoritatem accipit subditos obligandi suis legibus sub conscientia, cujus rationem é priori dicunt esse, quoniam hoc ipso, quod Princeps per legitimam potestatem à Deo acceptam fit Superior, populus fit illi subjectus in ordine ad bonum commune conservandum, & promovendum; ergo in conscientia tenetur ei populus obedire, cùm naturalis lex dictet obediendum esse Superiori, & licet humani Superiores de foro interno non discernant, & de culpa apud Deum, & pœna alterius vitæ; tamen ex hoc ipso quod in foro externo præcipiunt, lumen ipsum rationis obligat obedire, & transgressionem reddit culpabilem, & dignam pœna alterius vitæ apud Deum. Ità D. Antoninus, Salmeron, Castro, Sotus, Bellarminus, Suarez, Vasquez, Salas, Covaruvias, Bonacina, Lezana, Caspensis, Arriaga, Amicus, Aversa, Becanus, & alii Recentiores passim, qui antiquiores citant. Itaque pro resolutione quæstionis.

126 Primò Dicendum est, legem humanam Ecclesiasticam obligare subditos in conscientia. Conclusio censetur communiter de fide, quia Prælati Ecclesiæ habent immediatè à Deo potestatem regendi, & puniendi subditos, & ferendi leges secundùm temporis exigentiam ad mores fidelium magis reformandos, & ad Sacramenta cum majori reverentia suscipienda, vel dispensanda, & subditi tenentur illis obedire, ut patet ex illo Matth. 18. *Quæcunque ligaveritis super terrum, erunt ligata & in Cœlis, & quæcunque solveritis super terram, erunt soluta & in Cœlis*, quæ verba significant ligationem, & solutionem in foro Dei sub pœna suæ indignationis, privationis suæ gratiæ & reatus æterni judicii, & Matth. 23. *quæcunque dixerint vobis servate, & facite*, & ad Hebr. 13. *Obedite præpositis vestris, & subjacete eis*; & hoc etiam expressè docet Scotus 4. distinct. 3. qu. 4. sub E. ubi ait peccare mortaliter non solùm violantem præceptum Superioris licitum, & honestum, sed etiam contemnentem Superiorem fatuè præcipientem, in quo casu ait licere utique judicare ejus præceptum irrationabile, non tamen licere per inobservantiam contemnere, dùm est Prælatus, quia dicitur Matth. 23. *Super Cathedram Moysi sederunt*, &c. Ratio etiam id expressè suadet, quia potestas legislativa Ecclesiastica est spiritualis, & supernaturalis, & ad spiritualia, ac supernaturalia ordinatur, nimirum ad sanctitatem in hac vita, & cælestem beatitudinem in alia ex quo manifestè sequitur posse homines obligare quoad animam, & in conscientia. Et hoc etiam patet ex perpetua, & constanti Ecclesiæ traditione, quæ semper hanc potestatem in suis Prælatis agnovit, & semper docuit transgressionem præceptorum Summorum Pontificum, Conciliorum, & Episcoporum esse contrà conscientiam. Nec sufficit dicere, posse Prælatos Ecclesiæ regere, & punire subditos secundùm leges Divinas, & in iis, quæ sunt juris divini, possunt enim subditis præcipere, ut servent mandata Dei, eosque punire, si non servant. Quod si præcipiant aliquid præter id, quod à Deo præceptum est, non teneri subditos in conscientia obedire; Non sufficit, inquam, id dicere, quia Prælatorum potestas latius se extendit, quàm ad ea, quæ sunt juris divini, ut patet ex testimoniis Scripturæ adductis: *Quæcunque ligaveritis super terram*, &c. *Quæcunque dixerint vobis servate, & facite*, &c. non ergo Ecclesiastica potestas ad solùm jus divinum restringitur, tùm quia Apostoli multa præceperunt subditis, quæ non erant juris divini, ut Becanus ostendit cap. 6. quæst. 1.

127 Secundò Dicendum est etiam leges Civiles posse homines obligare in conscientia. Hæc conclusio licet non sit tam certa sicut præcedens, est tamen inter Catholicos certissima quam docent omnes relati Auctores, & expressè traditur ab Apostolo Roman. 13. ubi loquens de Regibus, Principibus, & aliis superioribus sæcularibus ait. *Qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit, & qui resistunt ipsi sibi damnationem acquirunt*, & aliquibus interjectis concludit, *ideo subditi estote, non solùm propter iram, sed etiam propter conscientiam*, quem locum, Sanctus Ambrosius sic interpretatur; *Apostolus dicit subjectos esse debere non solùm propter iram, idest, ultionem præsentem, parit enim ira vindictam, sed & propter futurum judicium, ubi accusante conscientia ipsa puniantur*. Hoc etiam suadet ratio satis evidens, nam ex supradictis quilibet humanus legislator potestatem regendi accipiat à Deo posita Communitatis electione, ut patet ex illo Sap. 6. *Audite Reges, quoniam data est à Domino potestas vobis* & Pro. 8. *Per me Reges regnant, & legum conditores justa decernunt*, & Christus Pilato dixit Jo. 19. *Non haberes in me potestatem, nisi tibi datum esset desuper*; ergo, eo ipso, quod Principes sæculares legem imponunt, Deus obligat subditos eam servare, cum eam imponant per potestatem à Deo acceptam, atque ideò vim habet obligandi in conscientia.

Confirmatur, quia filii in conscientia tenentur obedire parentibus, uxor marito, servus Domino, ergo etiam omnes subditi suis Superioribus etiam Laicis, imò & infidelibus, dummodò sint Principes legitimi, nec aliquod inorditatum præcipiant, alioquin Christus non dixisset. *Reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari*; patet assumptum, & consequentia probatur, nam majus debitum est obediendi Principi propter bonum commune totius Reipublicæ, quàm seniori propter privatum bonum unius domus, nam quò bonum est universalius, eo majus. Tandem probatur, quia eo ipso, quod lex humana etiam civilis aliquid præcipit, vel prohibet, illud collocat in aliqua specie virtutis, aut vitii, ut patet quando in rebus venalibus pretia taxat, tunc enim facit, quod vendere illas pretio jam statuto sit actus justitiæ, & vendere pro majori injustitiæ; ergo etiam obligat in conscientia.

128 Ex qua doctrina patet falsum esse, quod prima opinio dicebat, legem humanam præcisè, quatenus humana est, non habere vim obligandi in conscientia, sed prout habet aliquid legis divinæ, & prout præcipit, aut prohibet id ipsum, quod lex divina, vel naturalis; quod etiam Vulpes noster approbat loc. c. concl. ult. ubi ait, Principes sæculares habere potestatem condendi leges obligantes sub culpa solùm indirectè, & per accidens ex adjunctione suæ legis cùm lege divina ex parte materiæ. Hoc, inquam, falsum esse satis constat ex præmissa doctrina, & ex eo quod legitur 1. Regum 14. nam præceptum, quod dedit Saul de non comedendo quidquam usque ad vesperam fuit merè humanum, & tamen illud in conscientia obligabat, ut constat ex eo, quod ejus transgressio facta à Jonatha filio Saulis ità Deo displicuit, ut à Saule consultus, & rogatus respondere noluerit ob talem transgressionem; ergo lex humana etiamsi non coincidat cum divina, vel naturali in re, & materia præcepta, adhuc obligat in conscientia ad sui observantiam. Dices, etiamsi lex humana non coincidat cum divina, vel naturali in re, & materia præcepta; adhuc tamen obligare in conscientia solùm ratione legis naturalis, & divinæ, quatenus etiam tunc transgressio præcepti positivi humani est contrà illud generale principium, & naturale præceptum, ac etiam divinum: *Obediendum est legitimo Superiori, & Judici legitimè mandanti*, undè hoc debitum obediendi Superiori ad bonum publicum servandum proximè oritur, & immediatè ex lege naturali, & divina, atque ideò non potest esse peccatum contra legem humanam, nisi quatenus etiam simul est contrà legem naturalem, vel divinam.

Respondeo vim obligationis legis humanæ in conscientia oriri à lege naturali, & divina, tanquam à causa universali remota, ab ipsa verò lege humana tanquam à causa particulari proxima, ut inquit Amicus disput. 5. sect. 6. undè sicut effectus tribuit causæ particulari sua actione causam universalem determinatam, ita obligatio in cō scientia etiam legi humanæ tribui debet, quæ ut causa particularis sua obligatione proximè legem naturalem, & divinam determinat, tanquam causam universalem in obligando; undè transgressor legis humanæ immediatè peccat in jus positivum, mediatè verò in naturale, & divinum, & talis transgressio est immediatè positivi præcepti, & ab hac dicitur peccatum contrà jus positivum, mediatè verò est transgressio juris quoque naturalis, & divini, dependenter à quo obligat in conscientia; præciso enim illo generali mandato, quod obediendum est legitimo Superiori, & legitimè mandanti, utique lex humana non obligaret in conscientia; ratione tamen talis dependentiæ non debet totus obligationis effectus soli legi naturali, vel divinæ tribui, sicut ratione dependentiæ causæ particularis ab universali in causando non tribuitur totus effectus soli causæ universali, atque ità patet, quomodo intelligendum sit, non posse esse peccatum contrà legem humanam, nisi quatenus etiam simul est contrà legem naturalem, vel divinam.

129 Ter-

129 Tertiò dicendum est leges humanas tam Ecclesiasticam, quam civilem ad culpam quoque mortalem obligare posse, & ad pœnam æternam; & sermo est de legibus humanis, quæ verè leges sunt ad excipiendas quasdam constitutiones humanas, quæ vim legis non habent, seù præcepti, sed tantùm directionis, aut consilii, quia, scilicet, qui eas proponit, subditos obligare non intendit, sed tantùm dirigere. Hæc etiam conclusio communis est apud Auctores suprà relatos. Probatur ex verbis Apostoli adductis conclusione præcedenti. *Et qui resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt*, ac etiam ratione, quia ex hoc quod lex humana possit subditos obligare in conscientia, manifestè sequitur illam ad culpam quoque mortalem obligare posse, nam qui potestatem habet obligandi ad culpam, poterit interdum ad culpam quoque mortalem obligare gravem præcipiendo materiam; omne autem peccatum juxtà gravitatem, aut levitatem materiæ grave, aut leve judicari debet; quarè si materia præcepta notabilis sit, culpa erit, & mortale peccatum non obedire, ut cum sub præcepto servandum proponit virtutis actum in materia gravi ad bonum commune maximè conducentem; undè sequitur trangressionem talis legis, quæ gravem continet materiam, esse grave peccatum, & graviter Deo displicere, omnis autem culpa, quæ Deo displicet, æterno digna est supplicio: ergo transgressio legis in materia notabili ad culpam mortalem obligabit, & ad pœnam æternam; & hanc veritatem docuit etiam Divus Augustinus epist. 50. dum inquit, *Quicunque legibus Imperatorum, quæ pro rei gerendæ utilitate feruntur obtemperare non vult, acquirit grande supplicium*, & loquitur de gravi supplicio apud Deum, apud quem non nisi propter culpam mortalem tale supplicium acquiritur. Et tandem hoc etiam deducitur, ex praxi, quia, ut rectè Lezana discurrit disputation. 7. quæstio 5. plures leges Canonicæ obligant ad excommunicationem majorem, ad suspensionem ab officio, beneficio, &c. plures etiam leges Civiles obligant ad pœnas mortis, triremium, &c. certum autem videtur pœnas istas, cùm sint gravissimæ, non nisi propter culpam mortalem incurri posse, alioquin essent injustæ, cùm pœnas delictis improportionatas imponerent, necesse est ergo dicere obligare, sub mortali ob gravitatem pœnæ impositam.

130 Quartò dicendum est, legislatorem tam Ecclesiasticum, quàm civilem habere posse jurisdictionem saltem indirectam in subditorum conscientiam. Hæc etiam est doctrina communis, quam docent Auctores omnes suprà relati, qui vocant jurisdictionem indirectam, quando efficiendo aliquid aliud sequitur in altero obligatio in conscientia, & satis evidenter probatur ab affectu etiam inter personas privatas, nam si Petrus, verbi gratia, concedit Paulo suum equum, ut illo utatur, quocunque repetat, planè quamdiù Petrus illum repetit, Paulus tutè in conscientia equum retinet, & illo utitur; at cùm primum repetit, jam iste in conscientia obligatur ad statim restituendum, quo etiam modo universaliter loquendo per contractus, unus in altero indirectè obligationem in conscientia causat. Quod si Petrus equum Paulo donet, statim ipsum liberat ab obligatione conscientiæ, sic etiam si unus sit in extrema necessitate constitutus, & nihil habet, undè creditoribus solvat, non tenetur in conscientia solvere; si quis autem liberalitèr illi donet æqualem summam, jam tenetur in conscientia solvere, ergo unus indirectam habet potestatem alterum in conscientia obligandi, & ab obligatione liberandi; eodem igitur modo in proposito nostro Superior, quando suæ lege, & præcepto objectum prohibitum reddit malum, statim indirectè obligationem in conscientia causa illud evitandi in subdito, quia principium naturale est in conscientia nos teneri ad declinandum à malo, omne autem quod à vero, & legitimo Superiore justè vetitum est, malum est, atque ideò in conscientia nos illud evitare tenemur; ità fusè, & satis eruditè discurrit Arriaga disp. 16. sect. 2.

131 Ex hac doctrina facilè solvuntur fundamenta primæ sententiæ. Ad primum enim dicendum est, ex hoc quod Conscientia sit forum Dei, non hominum, solùm sequi non posse legem humanam obligare in foro conscientiæ directè, & immediatè; cum quo tamen stat, quod etiam in tali foro possit obligare indirectè, & mediatè, quatenus obligando in foro externo resultat cõcomitanter obligatio in foro interno modo jam explicato.

Ad Confirmationem dicimus humanam legislatorem non prohibere directè sub pœna inferni, sed indirectè tantùm, undè opus non est, ut talis pœna ab eo immediatè possit infligi; nec requiritur, quod talis pœna sit sub potestate proximi legislatoris, sed ex ipsius Dei institutione, supposita lege humana, sequitur obligatio ad talem pœnam; quod in Politica humana ostendi potest, nam si Rex pœnam gravem instituat contra eos infligendam, qui inferiorum Judicium mandata transgrediuntur; licet inferiore illi Judices nec eam pœnam statuerint, nec eam infligere possint, nec ab ea absolvere; possunt tamen indirectè sub ea obligare, nam eo ipso, quod alicui aliquod mandatum imponant, jam eo ipso indirectè sub tali pœna obligant.

Ad ultimum negatur consequentia, quia ad indirectam, & mediatam pœnæ obligationem sufficit tantùm directa, & immediata potestas ad prohibendum, vel præcipiendum actum, ob cujus transgressionem Deus ipse pœnam alterius vitæ infligit; & licet legislator humanus talem pœnam remittere nequeat, postquam illam per legis transgressionem homo contraxit, potest tamen dimittere tollendo obligationem à lege, qua sublata lex non amplius ad talem pœnam obligat. Tandem ad illud, quod addebat secunda sententia in favorem primæ pro lege civili, quod in conscientia obligare nequeat, dicendum est, quod licet potestas Principum sit merè temporalis, & politica ratione objecti, quia secundum se tota est de personis, rebus, & actionibus temporalibus, ratione tamen obligationis quam inducit, dici potest quodammodo spiritualis, & in conscientia obligare, quatenus Deus vult, & præcipit, ut in rebus sæcularibus, & ad politicam temporalem spectantibus, nostris Principibus obtemperemus, præsertim verò cùm eorum potestas sit saltem mediatè à Deo, ut dictum est.

132 Postremò, stante quod lex humana, verè potest inducere obligationem in conscientia, dubitatur an semper debeat inducere, & sub culpa obligare, & alioquin non sit vera lex. Ratio dubitandi est, quia ex superius dictis circà ipsum legis nomen colligitur esse de ratione veræ legis talem obligationem ad differentiam quarundam humanarum Constitutionum, quæ vim legis non habent, seù præcepti, sed tantùm directionis, aut consilii. Tùm quia non videtur posse infligi pœna, ubi non est culpa, ut dicitur capit. 2. de Constitution. *Rem, quæ culpa caret, in damnum vocari non convenit*, & propriè pœna dicitur relativè ad culpam, ergo lex non potest obligare ad pœnam, nisi obliget ad culpam, quia pœna culpam supponit, & hac ratione partem affirmativam docent Sotus libro 1. de Justit. Sylvester in Summa verbo *Inobedientia*, & plures alii veteres asserentes nullam legem posse obligare ad pœnam, quin obliget sub culpa, quæ semper à pœna supponitur. Ex alia parte inter humanas leges occurrunt aliquæ, quæ dicuntur non obligare ad culpam, sed solùm cogere ad pœnam aliquam, ut quidam absolutè docent de omnibus, vel saltem quibusdam legibus pœnalibus. Et in plerisque; Religionibus habentur Regulæ quædam cum expressa declaratione, quod non obligent ad culpam, sed solùm ad pœnam aliquam, qua ratione alii dixerunt non omnem legem humanam semper obligare debere in conscientia, & sub peccato, ità D. Tho. p. 2. q. 186. a. 9. & Thomistæ passim, ac alii Recentiores Theologi, & Summistæ.

133 Ad conciliandas has sententias extremas aliqui distinguunt duplicem obligationem in conscientia. Una est directa, & immediata cadens super actum ipsum præceptum, vel prohibitum. Altera indirecta, & mediata, sivè consequens cadens non in actum ipsum præceptum, vel prohibitum, sed in acceptationem pœnæ posita trangressione legis ad ipsam obligantis; qua præmissa distinctione dicunt posse quidem legem humanam non obligare in conscientia ad actum præceptum, vel ad omissionem actus prohibiti, non posse tamen in conscientia non obligare saltem ad acceptandam pœnam posita legis transgressione, alioquin prorsus invalidæ, & contemnibiles essent illæ humanæ ordinationes, si non haberent hec pacto vim cogendi, & maneret perpetua, ac licita, & justa contentio inter Superiorem, & subditum; dum superior juberet, & urgeret illum ad pœnam subeundam, & ille recusaret, quia ad eam acceptandam in conscientia non tenetur. Tùm quia si lex tantùm obligaret ad pœnam, non autem ad eam acceptandam in conscientia, daretur subditis ansa frequenter illam transgrediendi, quia cum non tenerentur in conscientia pœnam ipsi subire nisi à Superiore impositam, cumque nequeat Superior illam imponere, nisi de transgressione legis juridicè constet, impunè possent subditi legem in occulto transgredi. Quarè concludunt omnem legem aliquo modo obligare in conscientia, nam estò non obliget ad efficiendam materiam præceptam, obligat tamen ad acceptandam pœnam, si quis eam legem transgrediatur, cùm enim tunc Superior possit licitè imponere pœnam, tenetur subditus in conscientia parere, quod si non faciat, jam peccat, alioquin si non teneretur in conscientia parere, dari posset ex utraque parte bellum justum, ex parte quidem Superioris, quia potest eam legem imponere; ex parte verò subditi, quia potest eam non acceptare, hoc autem absurdum est, ergo &c. ità Suarez lib. 3. c. 22. Amicus disp. 5. sect. 7. Salas disput. 10. sect. 1. Aversa q. 96. sect. 1. & plures alii Recentiores.

143 Cæterum Arriaga disp. 16. sect. 3. hunc dicendi modum non approbat, & ait eam obligationem servandi regulam à

Supe-

Superiore imposita explicari debere independenter ab obligatione subeundæ pœnæ, quia obligatio subeundi pœnam est aliquid consequens ad transgressionem regulæ, ut aliquo modo malum, & ratio à priori est manifesta, nam dignitas pœnæ non constituit culpam, quæcunque illa sit, sed potiùs è contra ex culpa promanat, tanquam ejus effectus. Itaque pro resolutione difficultatis inquit, aliud esse quærere, an regulæ illæ obligent in conscientia, aliud verò, an obligent sub mortali, vel veniali, nemo enim negare potest Regulas Religionis etiamsi, nec sub veniali obligent, eo tamen modo quo obligant, in conscientia obligare, non solùm in foro externo, quod intelligendum est antecedenter, & independenter ab obligatione pœnæ acceptandæ. Hoc supposito inquit in genere moris præter peccatum mortale, & veniale debere nos agnoscere quandam imperfectionem, seù indecentiam, quæ licet non mereatur ullum odium Dei, nec quidem leve, quale respondet veniali, tamen meretur quod ammodo, ne illi Deus speciales favores conferat, reddit enim hominem minus dignum ad favores, & beneficia divina, similem etiam imperfectionem agnoscimus in homine inconstanti, qui jam hoc, jam illud vult, nam licet in ea mutatione volitionis non peccet, nec venialiter, est tamen aliquid, quod videtur esse contrà decorem, & contrà id, quod in viro prudenti desideratur. Hinc tandem concludit præceptum, & regulas Superiorum semper obligare in conscientia respectu materiæ, quam directè præcipiunt, quia re vera semper est aliqua indecentia, quæ aliquem etiam pudorem causare solet non obedire vero Superiori; at non est necesse, ut omnis talis lex, aut particulare præceptum inducat obligationem, quæ ad mortale, aut veniale sufficiat.

135. Ex hoc toto discursu satis constat totam hanc litem reduci ad quæstionem de nomine, an talis ordinatio obligans ad solam pœnam, & non ad culpam dicenda sit propriè lex, & an indecentia, & imperfectio moralis, quæ incurritur à trasgressore illius, dicenda sit culpa venialis, nec ne. Et quidem quoad primam quæstionem mihi dicendum videtur talem ordinationem non esse propriè legem, sed potius dici debere regulam, seù ordinationem ostendentem, quod bonum est, & ad ipsum dirigentem, ut benè Bonacina discurrit disp. 1. q. 1. punct. 7. §. 2. 5. pro quo citat Arragonium, Valentiam, Salas, Reginaldum, & alios Doctores, & hinc deducit regulas nonnullarum Religionum, quæ ne ad culpam quidem venialem obligant, leges, & præcepta propriè non esse dicendas. Deindè approbo, quod dicebat Arriaga, per transgressionem talium regularum imperfectionem quandam, & malitiam moralem necessariò contrahi, quia pœna, ad quam obligant, culpam & malitiam moralem aliquam necessariò supponit, siquidem ut docet Scotus quol. 18. & nos jam diximus lib. 2. disp. de Actibus humanis imputabilitas ad laudem, vel vituperium, præmium, vel pœnam est passio moralitatis, ut sic, undè ex imputabilitate ad pœnam necessariò infertur moralitas mala, seù aliqua species malitiæ in actu, vel omissione, quæ pœnam aliquam merentur, sicut ex imputabilitate ad præmium necessariò infertur bonitas in actu, vel omissione. An verò malitia, & imperfectio moralis, quæ per transgressionem talium regularum incurritur, sit dicenda culpa venialis, nec ne, est etiam quæstio de nomine, quia etiam Arriaga concedit esse talem, ut reddat hominem minus dignum ad favores, & beneficia divina, & meretur, ne illi Deus favores speciales conferat. At hoc etiam modo explicari solet malitia peccati venialis, quod non privat gratia Dei, sed specialibus quibusdam favoribus, & beneficiis, & minuit fervorem charitatis, ut constat ex dictis Disputat. de Peccatis; patet ergo hanc esse quæstionem de puro nomine. Et ideò diximus lib. 3. sentent. disput. 3. de Merito Christi art. 1. in fine doctrinam istam, quod dari possit mandatum aliquod Superioris non obligans transgressorem ad ullum peccatum etiam veniale, sed ad solam pœnam non esse omninò certam, quia licet omittere rem sub consilio cadentem nullum prorsus sit peccatum, valdè tamen durum videtur posse omitti rem sub præcepto cadentem absque ullo prorsus peccato etiam veniali, quarè probabilius censemus Regulas Religionum, quæ ne ad venialem quidem culpam obligant, leges, & præcepta propriè non esse dicendas. Imò addit Aversa loc. cit. pœnam illarum transgressioni impositam, nec propriè pœnam esse dicendam, sed dicetur pœna solùm pro molestia, & jactura, seù onere, quod imponitur, non autem pro vindicta relativa ad culpam, alioquin transgressio illa aliquo modo culpa dici debet saltem in foro externo.

136 Ità etiam hanc de nomine quæstionem explicat Caspensis disp. 3. sect. 4. n. 47. & seq. ubi fatetur pœnam secundum rationem pœnæ propriè dictæ esse malum inflictum propter culpam, ut docet D. Thomas 2. 2. qu. 180. ar. 5. quare ubicunque quis patitur malum, quod habet veram rationem pœnæ, indicium est precessisse aliquã culpam. Cæterum sicut ibidem docet Sanctus Doctor, potest aliquando infligi malum non propter peccatum præteritum, qua ratione esset malum pœnæ, sed propter imminens periculum evitandum, qua ratione non esset pœna, sed medicina. Undè eodem modo dicere possumus, malum aliquando infligi, non propter culpam præteritam, sed propter aliquam causam bonæ gubernationis, & quamvis tunc non habeat veram rationem pœnæ, communi tamen ratione dicitur pœna, ut malùm illud à malo culpæ distinguamus, & hac ratione subdit leges infligentes aliquod malum, & non obligantes ad culpam, quales in quibusdam Religionibus reperiuntur, dici pœnales; potest enim aliquod malum, quod propriè non habeat rationem pœnæ, infligi sine culpa, non tamen sine causa. Ità discurrit Caspensis loco citato, quæ doctrina confirmari non potest ex Regula 23. Juris in 6. quæ sic habet *sine culpa, nisi subsit causa, non est aliquis puniendus*, ubi ad justè puniendum non solùm assignatur culpa, sed quæcunque alia legitima causa, ut ratione bonæ gubernationis, & regiminis, quamvis punitio tunc non habeat veram pœnæ rationem, & hoc modo explicari debet obligatio legum, quæ dicuntur purè pœnales, nec obligant ad culpam, sed ad solam pœnam, quam alii appellant pœnam civilem, quia supponit tantùm civilem defectum, non verò moralem, qualis est transgressio legis in conscientia obligantis, seù ut alii loquuntur, defectum in foro tantum externo, non autem interno; hanc autem culpam seù defectum civilem dicunt esse inordinationem quandam boni communis non necessarii, nec valdè utilis, sed ad melius tantùm esse, quæ ex honesto motivo interdum contingere posset, ut in Religione fractio silentii ex aliqua honesta causa facta, quæ tamen, ut est contrà regulam vetantem tali tempore locutionem, meretur pœnam à Superiore taxatam, quam in conscientia acceptare tenetur etiam qui ex honesta causa silentium fregit; & ità declarat Amicus disp. 5. cit. sect. 7. in fine. Ex quo tandem patet hanc esse quæstionem plus de nomine, quam de re, & ordinationes ad hanc tantùm civilem pœnam obligantes ob solum civilem defectum leges propriè appellandas non esse, aut dicendum ipsas quoque aliquo modo in conscientia obligare, ne detur occasio eas impunè transgrediendi in occulto, earum enim transgressiones Superior justè punire non posset, nisi juridicè de legis transgressione constaret, & ità de lege purè pœnali statuemus art. seq. in fine nu. 145. non esse propriè legem appellandam.

ARTICULUS SECUNDUS.

Undè dignosci possit, quando lex humana obligat ad mortale, vel solùm ad veniale.

137 PLura, & varia sunt capita, ex quibus Theologi, & Summistæ colligere satagunt, quando lex humana obliget ad mortale, vel solùm ad veniale, & præsertim sunt quatuor, nempè gravitas, vel levitas materiæ, quam lex præcipit, aut prohibet; gravitas, vel levitas pœnæ in transgressores appositæ; intentio legislatoris, si de ea constet, & verba, quibus mens ipsa legislatoris exprimitur in lege ferenda. Hinc variæ à variis assignantur regulæ ad hoc dignoscendum, quæ breviter in hoc articulo sunt examinandæ.

Quoad primum caput, dicendum est ad obligationem sub culpa mortali necessariam esse gravitatem materiæ præceptæ, vel prohibitæ, sine qua nulla lex humana obligat sub mortali, undè hæc regula statuenda est, quod quando legislator in re gravi obligat subditos, tunc obligatio est sub mortali, quando in re levi, tunc est sub veniali, undè si res, quæ præcipitur, aut prohibetur magni momenti est, & valdè utilis ad commune bonum, vel promovendum, vel impediendum, jam præceptum obligat sub mortali, si verò parvi momenti est, nec multum prodesse, aut obesse potest jam obligat sub veniali tantùm; est communis doctrina inter Doctores, & ratio est, quia nec lex naturalis, nec divina obligat sub mortali, nisi in materia gravi; ergo à fortiori nec humana cùm non plus obligare possit lex humana, quàm naturalis, & divina, in quarum virtute lex obligat humana. Quæ autem materia sit gravis, aut levis non potest certa assignari regula, sed judicio prudentis relinquendum est, undè gravis materia non solùm ill a censeri debet, quæ per se, & absolutè spectata semper, & in omni eventu talis est, sed etiam illa, quæ licet secundum se præcisè considerata sit levis, tamen ratione circumstantiarum quibus permotus est superior ad ferendum præceptum, item temporis, loci, personarum, &c. gravis evadit, quia in his, aut illis circumstantiis ad bonum commune plurimum confert. Undè distinguenda est duplex materiæ gravitas, una absoluta, quæ desumitur ex intrinseca natura objecti sine respectu ad extrinsecas circumstantias; altera respectiva, quæ penes circumstantias attenditur, sæpè enim materia secundùm se levis est, quę tamen in his, vel illis circumstantiis

stantiis spectata sit gravis; & lex humana obligare potest in materia non tantùm absolutè gravi, sed etiam in materia gravi solùm ex circumstantiis. Undè dupliciter potest legislator præceptum imponere, ut sibi etiam in materia levi obediatur, ut Amicus advertit disp. 5. sec. 8. Uno modo nullum alium addendo titulum, propter quem velit etiam in materia levi sibi obediri, & hoc modo tale præceptum suprà materiæ qualitatem non obligabit, cùm fundamentum novæ obligationis non addat, sed solùm signatam ejusdem obligationes explicationem, quam secum affert materia ipsa præcepta, vel prohibita; Alio modo superaddendo nouum titulum, propter quem velit in tali materia levi sibi à subditis obediri v. g. ad obsequium, & homagium sibi à subditis præstandum in recognitionem suæ jurisdictionis in regnum, & subditos; & hoc modo tale præceptum obligabit sub mortali, non propter materiam levem, vel expressum, ac signatum præceptum, vt sibi etiam in materia levi obediatur, sed propter nouum titulum superadditum, ut subditi per tale actum in materia levi sibi obedientiam, & homagium præstent, quæ circumstantia reddit materiam gravem; & tale fuit præceptum Protoparentibus nostris impositum de non comedendo pomo, quæ de se utique materia levis erat, sed quia Deus id mandavit in ea circumstantia, ut obediẽtiam, & homagium sibi præstarent, eumque recognoscerent, ut supremum Dominum, & rerum omnium conditorem, ex tali circumstantia facta est materia gravis, quæ de se levis erat; sæpè enim, quod ex se videtur esse materia levis, ex circumstantiis occurrentibus fit materia gravis, ut in militia, quæ levis in se videtur negligentia, ob periculum imminens reputatur gravis; & in statu, ac personis religiosis est materia gravis, & sufficiens ad præceptum sub mortali aliqua regularis observantia, quæ alioquin extrà talem statum non esset materia gravis:

138 Sed dubium est, an legislator in materia levi possit obligare graviter, & ad mortale, & è contrà in materia gravi possit obligare duntaxat ad veniale. Affirmant quamplures Summistæ, ut Angelus, Armilia, Sylvester, & alii verbo *Lex*, & *Præceptum*, quorum unicum fundamentum est, quia lex obligat secundum intentionem legislatoris, & obligatio sub mortali, vel veniali est effectus moralis, qui pendet à voluntate legislatoris; ergò in materia levi obligabit ad mortale, & in gravi ad veniale tantùm si ità velit Legislator. Negant alii ex opposito fundamento, & est opinio communior, & probabilior, quia obligatio legis licet sit effectus moralis pendens à voluntate legislatoris, non tamen ab ea sola dependet, sed simul pendet etiam à materia legis, quod sit sub mortali, vel veniali, undè licet obligatio præcisè sumpta pendeat à voluntate, & potestate legislatoris, tamen quod obligatio illa sit sub mortali, aut veniali videtur pendere etiam à materia legis, eo quod humanam videtur excedere potestatem obligare supra capacitatem materiæ, in qua lex versatur, nam potestas legislatoris ultrà terminos rationis non se extendit, alioquin non esset in ædificationem, sed in destructionem; ergo non potest obligare in materia levi sub mortali, nam recta ratio dictat obligationem non debere excedere exigentiam, & capacitatem materiæ, alioquin gravaret subditos injustè.

Confirmatur, quia nec Deus, qui supremus est legislator, in materia levi obligat sub mortali, ut patet in verbo otioso, in furto modicæ quantitatis, & quamvis ut supremus Dominus æternam pœnam infligere possit pro transgressione materiæ levis, non tamen potest, ut Judex, quoniam ut Judex illam infligere debet cum proportione ad culpam, quæ tanta est quanta transgressio ipsa materiæ; ergò tantò minus lex humana potest in materia levi obligare ad mortale. Demum quia de ratione legis est, ut sit justa, nam quæ justa non est, lex non est, & consequenter non obligat; non est autem justa, quæ sub gravissima pœna, qualis est culpæ mortalis, materiam levem præcipit, cùm omnis pœna culpæ proportionari debeat, ut justa sit.

139 Altera etiam pars, quod neque lex humana in materia gravi possit obligare sub veniali tantùm, eodem ferè modo probari potest, quia lex divina, & naturalis in materia gravi nunquam obligant sub veniali tantùm; ergo neque lex humana, sic obligare potest rationabiliter, & justè procedendo. Consequentia patet; probatur assumptum, quia cum leges illæ ultimum finem respiciant, posset quis facere graviter contrà talem finem, atque adeò se avertere ab ipso, graviter Deum offendendo, peccando solùm venialiter, quod implicat.

Confirmatur, quia ubi est gravis dissonantia ad rectam rationem, ibi est obligatio gravis, qui à dissonantia gravis sub mortali vitari debet; sed quando materia est gravis in ordine ad publicum bonum communitatis, transgressio gravem continet dissonantiam ad rectam rationem, nam recta ratio exigit, quod Communitas suum finem obtineat; ergo &c. Tandem, quia sicut non est in legislatoris potestatem gravem obligat onem inducere in materia levi, ità etiam non est in ejus potestate levem inducere obligationem in materia gravi, nam planè stulta esset voluntas ejus, qui in materia gravi sub solo peccato veniali obligare vellet, ac proindè irrita, nulliusque roboris ad id efficiendum. Ità Vasquez, Becanus, Martinez, Aragon, Victoria, Bellarminus, Salmeron, Hacquetus, Silvius, Caspensis, Amicus, & plures alii Recentiores contrà Suarez, Sanchez, Salas, Arriagam, Aversa, Bonacinam, & omnes ferè Thomistas asserentes, quando materia gravis est, quæ præcipitur, vel prohibetur, in potestate legislatoris esse ad veniale tantùm obligare.

140 Sed obiiciunt, quod si Superior velit, & explicet se non obligare sub mortali, sed sub veniali tantùm, utique lex, & præceptum non obligabit sub mortali, quia lex obligat secundùm intentionem legislatoris, nec præceptum ligare potest absque intentione præcipientis.

Confirmatur, quia sicut potest superior etiam in materia gravi obligare solùm ad aliquam pœnam, & non ad culpam, ità poterit intrà latitudinem culpæ obligare sub veniali, & non sub mortali. Denique consuetudo potest obligare ad veniale in ea re, quæ anteà obligabat ad mortale, ut in præcepto de jejunio, & de non comedendo lacticinia, si esset consuetudo, quod non obligaret, nisi ad veniale, vel si summus Pontifex id vellet; ergo à fortiori poterit lex id facere.

Respondetur negando antecedens absolutè sumptum, quod enim lex obliget ad mortale, vel veniale, non ità pendet ex mente, & sola legislatoris intentione, ut materia non sit considerata, ut suprà dictum est, nam gravis materia præcepta, vel prohibita secum affert specialiter præceptum grave, & quando dicitur lex obligare secundum intentionem legislatoris, hoc non debet intelligi secundum qualemcunque, sed secundum intentionem rationabilem, & justam.

Ad Confirmationem neque assumptum est omninò certum, ut patet ex dictis art. præced. circà finem, quod, scilicet, possit legislator in materia gravi ferre legem purè pœnalem, & sub nulla culpa obligantem. Quod si hoc facere potest hoc ideò est, ut ait Caspensis disp. 3. sec. 2. cum cum aliis nostræ sententiæ Auctoribus, quia in voluntate ejus est, vel præcipere absolutè id, quod præcipit, vel condictionatè tantùm, scilicet, ut vel hoc fiat, vel ut non faciens talem pœnam subeat; & hoc posteriori modo præcipiens utique fert legem purè pœnalem, sed priori modo præcipiens non potest aliter obligare, nisi juxta naturam, & capacitatem materiæ, quam absolutè præcipit, ac proindè impossibile est præcipere absolutè materiam gravem, quin præceptum quoque sit grave, eo quod præceptio respicit essentialiter rem præceptam; & falsum est hoc omninò pendere ab ejus arbitrio, & intentione, alioquin Princeps, qui fert legem aliquam in re gravissima, posset per eam aliquos obligare sub mortali, & aliquos sub veniali tantùm pro suo arbitrio, quod est manifestum absurdum. Ad ultimum breviter dicendum est, quod eo ipso, quod consuetudo, vel Pontifex aliquid acciperet, ut obligans sub veniali, judicaret illud esse leue, & eo ipso, quod illud acciperet, ut obligans sub mortali, ideò hoc esset, quia putaret illud esse materiam gravem.

141 Quoad secundum caput, dicendum est omnem pœnam gravem signum esse obligationis ad culpam mortalem, undè hæc regula statuenda est, quod ex gravitate pœnæ, quæ transgressoribus imposita est, discerni potest legem humanam obligare sub mortali. Ità Suarez, Azorius, Becanus, Sotus, Abellius, Amicus, Aversa, & alii communiter, & colligitur ex Scoto 4. dist. 1. q. 6. sub lit. l. ubi ait, quod quoties lex Mosayca comminabatur transgressoribus his verbis, peribit anima illa de populo suo, hoc est, quoties pœnam mortis imponebat transgressori alicujus legis, semper materiam illius legis fuisse gravem, ac proindè sufficientem ad obligandum sub mortali; ex qua Scoti doctrina deducitur ratio ad probandum assertum, quia gravitas pœnæ, quam prudens legislator transgressoribus imponit, est magnum signum materiam legis esse gravem, ac proindè legem sub mortali obligare, quia prudens legislator pœnam gravem imponere non solet, nisi in re magni momenti. Itaque in legibus Ecclesiasticis, quando apponuntur pœnæ spirituales graves, cujusmodi est excommunicatio major, & aliæ similes censuræ, tunc tales leges in conscientia, & sub reatu culpæ mortalis obligare censetur ad faciendum actum per eas præceptum, vel ad non faciendum actum per eas prohibitum, tales enim pœnæ spirituales non nisi ob mortalem culpam contrahuntur, vt in propria materia de censuris ex professo tractatur; & omnes concedunt excommunicationem majorem ipso facto incurrendam supponere culpam mortalem, cùm hæc gravissima sit pœna, nec imponi soleat, nisi propter peccatum mortale. Item omnis pœna gravis temporalis est signum obligationis ad culpam mortalem tam in legibus Ecclesiasticis, quam in civilibus, ut docent præfacti Auctores contrà Navarrum,

& alios quosdam asserentes leges civiles, quæ imponunt pœnam transgressoribus non obligare in conscientia, & sub reatu culpæ ad faciendum actum, quem præcipiunt, sed tantùm cogere ad subeundam pœnam. Ratio est, quia cùm pœna debeat proportionari culpæ, ob quam infligitur, numquam pœna gravis, ut est pœna capitis, perpetui carceris, triremium, publicationis bonorum &c. præsumitur imponi, nisi propter culpam gravem. Undè etiamsi non exprimatur, implicitè in ipsa lege intelligitur, quatenus eà includit voluntatem legislatoris infligendi pœnam proportionatam culpæ, ac proindè voluntatem obligandi ob justam causam tali pœnæ proportionatam. Nec pœna imposita est signum exemptionis ab obligatione culpæ, ut ajunt Doctores oppositum sentientes, quia pœnæ appositio est effectus coactivæ potestatis, cùm omnis pœna eò tendat, ut lex efficacius custodiatur; ergo tantùm abest, quod sit ad minuendam legis obligationem, quod potius est ad ipsam augendam, & corroborandam, quia potestas coactiva, est in subsidium legislativæ.

142 Quoad tertium caput, Thomistæ, & alii Auctores supracitati n. 138. & seq. qui dicebant in potestate legislatoris esse obligare tantum ad veniale, quando materia gravis est, & è contrà in materia levi graviter ad mortale, consequenter hic asserunt solam legislatoris intentionem sufficere ad obligandum sub veniali, vel etiam mortali, qualiscunque fuerit materia præcepta, vel prohibita, quorum fundamentum est, quoniam obligatio in lege humana à voluntate legislatoris immediatè pendet, potest autem legislator habere voluntatem, & intentionem obligandi ad mortale etiam in materia levi, & ad veniale tantùm etiam in materia gravi. Verum est longè probabilior, & communior opinio negans legem in materia levi posse obligare ad mortale, & in materia gravi ad veniale tantùm, quantumvis hoc legislator intendat, intentionemque suam verbis desertis exprimat; cujus ratio, ut ibi dicebamus, est oppositum fundamentum, quod obligatio in lege humana non sumitur proximè ex voluntate legislatoris, sed ex qualitate materiæ ad commune bonum conducentis, undè quamvis in potestate ipsius sit præcipere, vel non præcipere, tamen posito semel præcepto non est in ipsius potestate ad mortale, vel veniale obligare, sed jure ipso naturæ oritur obligatio commensurata qualitati materiæ præceptæ, vel prohibitæ, ut Vasq. advertit p. 2. disp. 158. c. 4. & Silvius p. 2. q. 96. a. 4. q. 3. Tùm quia ut benè discurrunt Dominicus Sotus, Alphonsus à Castro, Bellarm. Abellius; & plures alii, lex illa, in qua intenderet legislator obligare ad mortale, etiamsi materia sit levis ac proindè etiam ad pœnam æternam, ex illa parte non esset justa, sicut lex illa non censeretur justa, quæ pœnam mortis temporalis decerneret ob aliquod leve delictum; at lex injusta nullam inducit obligationem ex ea parte, qua injusta est ut ait D. Aug. lib. 1. de lib. arb. c. 5. *lex illa quæ justa non fuerit, lex non est*; ergò talis lex ad peccatum mortale non obligaret, quantumvis legislator obligare intenderet.

143 Quoad quartum caput, Doctores conveniunt gravitatem obligationis, & sub mortali sufficienter colligi ex verbis ipsius legis, quando ipsius diserte exprimitur, obligatio sub gravi peccato, ut cum aliquid præcipitur, vel prohibetur *sub interminatione divini judicii, vel maledictionis æternæ, aut sub indignatione omnipotentis Dei*, aliave simili forma. Est autem quæstio de verbis præceptivis legis sufficienter an judicent obligationem legis sub mortali, & aliqui affirmant ex Clementina *exivi de Paradiso* de verborum significatione; in qua declarans Clemens Quintus, quæ in Regula S. Francisci Fratres obligent sub culpa mortali, quæ verò non tradit hanc regulam. Quæ injunguntur verbis præceptivis, aut æquipollentibus obligant sub mortali; secùs quæ injunguntur verbis monitoriis, aut exhortatoriis; sunt autem verba præceptiva *Præcipio, Impero, Jubeo, Prohibeo, Inhibeo, Veto, Interdico;* æquipollentia verò sunt; *Debent, Obligentur, Teneantur*, & similia. Alii vero probabilius dicunt, non omnia verba præceptiva satis exprimere, an lex obliget sub mortali, cùm interdum reperiantur adhibita in legibus illis, quæ tantùm sub veniali obligant, proindeque id dignoscendum esse, vel ex aliis verbis adjunctis id exprimentibus, vel supposita gravitate materia ad obligandum sub mortali, ut supradictum est, & ità Clementinam adductam interpretantur. Et ratio est, quia verba præcipiendi, & prohibendi possunt esse communia cuicunque legi, sivè obliget sub mortali, sivè sub veniali, sicut enim legislator uti potest verbo prohibendi, quando fert legem prohibentem furtum, aut homicidium, sic etiam quando fert legem prohibentem mendacium jocosum, aut verbum otiosum, & ideò attendenda sunt ad id ignoscendum vel alia verba adjuncta in ipsa lege, vel qualitas materiæ per ipsam præceptæ, vel prohibitæ. Ità Navarrus, Cajet. Suarez, Becanus, Amicus, Abellius, & plures alii. Ratio autem, cur ad obligandum sub mortali præter materiæ gravitatem requirantur verba præceptiva, ea est, quoniam lex positiva in obligando à voluntate præceptiva legislatoris pendet, quæ nobis non nisi per verba obligativa innotescit, modus enim obligandi consuetus, & humanus est per externa verba, & alia sensibilia signa subditos ad legis observantiam obligare.

144 Aliqui autem putant verba præceptiva in lege tantum Canonica esse signum obligationis ad mortale, non autem in lege civili, quia nec Gentiles, nec Christiani Principes, cùm leges condunt, ad pœnam æternam intendunt suos subditos obligare, sed tantùm ad temporalem, & consuetudo est, ut nullus sibi scrupulum faciat de transgressione legum civilium. Verùm, ut ait Amicus disp. 5. sec. 8 & est communis opinio, non tantùm lex Canonica, sed etiam civilis obligat in conscientia, & sub mortali, si materia sit gravis, & præceptivis verbis proposita. Ratio est, quia lex essentialiter est præceptum natura sua obligationem inducens in conscientia, ut supra dictum est, ideoque ubi contrarium non exprimitur, censetur obligare juxtà materiæ capacitatem, quia semper præsumi debet legislatorem præcipere omni efficaciori modo, quo potest, cùm finis illius sit legis custodia, ad quam obligatio in conscientia valdè conducit, sine qua legis observantia multum læderetur. Nec obstat, quod Principes condendo leges non intendant subditos ad pœnam æternam obligare, sed tantùm ad temporalem. Quia ad obligandum in conscientia non requiritur explicita, & signata voluntas legislatoris, sed sufficit implicita, & exercita, eo enim ipso, quod medium virtutis præcipit ad bonum commune notabiliter conducens, intelligitur obligare juxtà medii capacitatem, quia illud præcipere præsumitur omni efficaciori modo, quo potest, & consuetudo etiam est potius in oppositum, cum fideles de transgressione legis civilis se accusent.

145 Dices, hinc sequi nullas dari leges purè pœnales, id est, quæ ad solam pœnam obligent, & ex quarum transgressione nullus incurratur peccati reatus, quod est contrà communem Theologorum, & Juristarum opinionem.

Respondeo concedendo sequelam, & quamvis plures Theologi affirment dari tales leges purè pœnales, alii tamen probabilius negant, ut dictum est circa finem articuli præcedentis, quorum plures citat, & sequitur Bellarm. lib. 3. de membris Ecclesiæ c. 11. dicitque implicare contradictionem, legislatorem obligare ad pœnam, & non ad culpam, cum culpa, & pœna sint correlativa, nec illa lex justa videatur, quæ pœnam adversus insontes decerneret, undè ait regulas illas quarundam Religionum, quæ ad solam pœnam obligant, non per modum legis obligare, sed per modum cujusdam conventionis, & pacti, ut nos quoque l. c. statuimus. Imò Abellius c. 3. de legibus sect. 4. in fine ait hanc quoque fuisse mentem ipsius S. Thomæ 2.2. q. 186. a. 9. ad 2. ubi docet, non omnia, quæ in lege humana continentur, tradi per modum præcepti, sed quædam proponi per modum ordinationis cujusdam obligantis ad solam pœnam; & subdit ex Navarro in Manual c. 23. hoc quoque in quibusdam legibus civilibus locum habere, quando, scilicet, neque ex legislatoris declaratione, neque ex qualitate pœnæ, neque ex detrimenti publici gravitate dignosci clarè potest; an lex aliqua civilis pœnalis obliget sub culpa, tunc enim quivis poterit id in partem favorabiliorem interpretari; ac sibi persuadere hanc non tam legem esse quam ordinationem quandam, quæ proindè ad nullam culpam obliget, sed pœnam tantùm veluti conditionem quandam proponat, ut diligentius, & fidelius observetur, quod totum confirmat, quod diximus ar. præced. in fine, & sic etiam videtur sentire Becan. cap. 7. q. 2. in fine.

146 Postremò difficultas est an lex humana sub peccato mortali obligans obliget etiam cum periculo vitæ. Prima opinio absolutè negat. Fundamentum est, quia conservare vitam & similiter famam est de jure naturæ; ergo non potest quis jure humano cogi ad prodigendam vitam, aut famam, & juxtà communem omnium sensum, & praxim leges Ecclesiasticæ de jejuniis, festis, & similes, aliæque etiam civiles in casu ægritudinis, aut alterius humanæ necessitatis non obligant.

Confirmatur, quia humanæ leges ea præcipere debent, quæ moraliter, & facilè factibilia sunt, non autem opera adeò ardua, quæ communem usum excedant demum leges ipsæ divinæ, & naturales quoque non obligant cum tam gravi dispendio, potest enim quis in casu extremæ necessitatis absque reatu furti aliena subripere, & ad tuendas res suas potest absque crimine homicidii invasorem occidere. Ità Almainus, Sylvester, & alii Casiste, & indicavit D. T. 2.2. q. 104. a. 5. ubi ait, non teneri quempiam humanis obedire præceptis in iis rebus, quæ spectant ad corporis sustentationem. Secunda opinio absolutè affirmat; fundamentum est, quia potius moriendum est, quàm peccatum committendum, ergo potius moriendum, quàm lex humana violanda, quæ constituit malum, & illicitum id, quod prohibet.

Con-

Confirmatur, quia quilibet homo non tantùm quoad bona externa, sed etiam quoad propriam vitam est pars communitatis; ergo non solùm bona externa, sed etiam propriam vitam periculo mortis exponere tenetur, quando opus est, atque ideò lex humana, quæ bonum commune respicit, potest illum ad hoc obligare. Tandem experientia, & praxis ipsa docet, quod potest Respublica disponere etiam de vita suorum Civium ob publicum bonum, & ipsi Cives debent exponere etiam propriam vitam ob commune bonum, propter quod leges humanæ feruntur; & ità Princeps, & Dux justè cogit milites ad tuendam stationem cùm evidenti vitæ periculo, & Episcopus Parochos cogit, ut cum vitæ periculo tempore pestis assistant ægrotis. Ità Adrianus, Cajetanus, & nonnulli Canonistæ.

147 Media sententia, quæ communis est in omni schola, hac utitur distinctione. Vel enim lex humana talis est, ut illius observatio bono communi tuendo sit necessaria, ita ut ex illius transgressione grave aliquod impedimentum in totam communitatem derivetur, & in tali casu potest lex humana tam Ecclesiastica, quam civilis ob publicam necessitatem obligare etiam cum dispendio vitæ; tales enim casus occurrere possunt, in quibus ob publicum bonum vitam aliquorum civium exponere oporteat, & ità quidem contingit in casibus illis belli, & pestis pro opinione affirmante adductis, & si qui sunt alii similes; in illis enim casibus Sacerdotes, ac milites obedire tenentur etiam cum vitæ periculo, cùm bonum privatum secundum rectam rationem bono communi postponi debeat; Vel talis est illa lex, ut ejus observatio solum particulare bonum respiciat, ut jejunium, auditio missæ, & similes, & tunc quamvis lex illa sub mortali obliget, non tamen obligat cum vitæ periculo, aut etiam sanitatis amittendæ, vel alterius gravis incommodi subeundi periculo, ut iacturæ bonorum, vel famæ cum nulla tunc suppetat ratio, cur legislator cum tanto damno, vel periculo ad legum suarum observationem obliget. Ex qua doctrina fundamentis, & rationibus duarum opinionum extremarum satisfieri potest; etenim quæ pro negante sententia afferebantur, posteriorem mediæ sententiæ partem confirmant, nec priorem offendunt, quia adhuc benè consistit talis potestas humana ferendi tales leges, quæ in certis casibus etiam cum vitæ dispendio observari debeant, quamvis non semper, & ordinariè ità obligent; ordinariè enim non obligant cum tam gravi dispendio, cùm non sit mens lagislatoris obligare in casibus ordinariis ad observantiam legum suarum cum dispendio vitæ aut etiam cum iactura bonorum, aut famæ, sivè cum hujusmodi gravi periculo; & ità quidem conservare vitam est de jure naturæ, cum quo tamen stat, ut etiam in certis casibus debeat quis vitam etiam exponere pro salute publica, & hoc ipsum lumini, & inclinationi naturali consentaneum est. Sic pariter, quæ pro opinione affirmante adducebantur, priorem mediæ sententiæ partem confirmant, nec posteriorem lædunt, quia non probant semper, & ordinariè humanas leges obligare cum dispendio vitæ; etenim verè quidem perpetrari nunquam debet quid illicitum, & moriendum potius quàm peccatum commitendum; tamen ipsæ leges humanæ id, quod ordinariè faciunt esse illicitum, non faciunt, ut sit illicitum in casu, quo urgeat vitæ periculum, quia lex in eo casu non obligat quando ex observatione legis non pendet majus bonum, quàm vita corporalis, non enim obligat, nec obligare potest cum tanto rigore. Nec ex eo, quod quilibet homo est pars communitatis sequitur, quod in omni casu suam vitam exponere debeat pro bono communi, sed quod in eo casu id facere debeat, quando lex humana illum obligat, & observatio legis humanæ plus prodest bono communi, quàm vitæ propriæ conservatio, & ità contingit in casibus illis belli, & pestis, tunc enim expedit, ut pro communi bono singulares subditi vitam exponant, & tunc utique legi humanæ obediendum est etiam cum dispendio vitæ. Ità Sotus, Valentia, Suarez, Vasquez, Layman, Becanus, Aversa, Lezana, Caspensis, Abellius, Amicus, Hacquetus, & est communis opinio, quam etiam tenet Vulpes noster disp. 7. artic. 5. & ex Scoto colligit pluribus in locis.

ARTICULUS TERTIUS.

De lege pœnali, an possit obligare ad pœnam ipso facto incurrendam.

148 LEx pœnalis est illa, in qua transgressoribus illius aliqua imponitur pœna, & in hoc differt à lege purè præceptiva, quod per istam aliquid præcipitur, vel prohibetur, nulla apposita transgressoribus pœna. Et quidem de facto constat plures extare leges pœnales à legislatoribus humanis editas, non solùm Ecclesiasticas aliquid præcipiens, vel prohibentes sub pœna excommunicationis, del suspensionis, privationis, inhabilitatis, &c. sed etiam civiles præcipientes etiam, vel prohibentes aliquid sub pœna mortis, exilii, fustigationis, confiscationis bonorum, &c. Posse autem lagislatorem humanum pœnas aliquas suis legibus adiungere patet ex dictis supra q. 4. art. 1. de necessitate, & utilitate legis humanæ, hoc enim pertinet ad bonum regimen Reipublicæ juxta vulgare dictum *oderunt peccare mali formidine pœnæ*, & constat ex doctrina Arist. 10. Ethic. c. 9. & c. *Exigit de Censibus* in 6. lex autem pœnalis alia est, per quam apponitur pœna merè privativa, ut privatio officii, vocis activæ, seù passivæ, &c. alia, per quam apponitur pœna positiva, quæ per actionem, scilicet, aliquam positivam exerceri debet, ut solutio pecuniæ, flagellatio, &c. Deindè alia est, per quam imponitur pœna spiritualis, quales sunt censuræ; alia, per quam imponitur corporalis, ut mutilatio membri, exilium, mors corporalis, &c. Tandem alia est, quæ imponit pœnam latam *ipso jure*, aut *ipso facto*, & alia, quæ imponit pœnam inferendam à Judice per sententiam, quæ proindè comminatoria vocatur. Ex quo sequitur, cùm lex pœnalis sit solùm de pœna inferenda, ad illam non obligare antè Judicis sententiam eo enim ipso quod est de pœna inferenda Judicis sententiam expectat per quam inferatur, undè solùm de pœna *latæ sententiæ* est difficultas in hac quæstione. Nec de omni pœna procedit, quia certum est pœnas quasdam spirituales, ut sunt censuræ, & irregularitates, quando sunt latæ sententiæ, ipso facto incurri etiam in conscientia antè Judicis sententiam, ità enim praxis Ecclesiæ docet, & rationi consentaneum est, ut cùm ipsa spiritualem suorum fidelium profectum curet, has spirituales pœnas infligere possit ipso facto incurrendas, quibus nulla Judicis expectata sententia ligentur, ut in hunc modùm à peccatis quantumvis occultis arceantur: difficultas ergò solùm est de aliis pœnis præter censuras, & irregularitates à legislatore impositis tàm Ecclesiastico, quàm Civili, an nimirum quando sunt *latæ sententiæ* incurrantur in conscientia ipso facto independenter à quacunque Judicis sententia.

149 Prima sententia absolutè affirmat leges hujusmodi pœnales sivè Ecclesiasticas, sivè Civiles sub pœna latæ sententiæ impositas ligare in conscientia ante omnem Judicis sententiam. Fundamentum est, quia Superior potest per suas leges subditos obligare ad actus licitos, & justos, & quidquid conveniens est pro bono communi; sed quod aliquæ pœnæ legum transgressores obligent etiam antè sententiam est honestum, & conueniens bono communi, potest enim expedire sic obligare delinquentes ad pœnam; ut securius delicta coerceantur, ne plerumque maneant impunita, quando in foro externo satis probari, & conuinci non possunt.

Confirmatur, quia de facto in pluribus legibus præsertim Ecclesiasticis imponuntur plures pœnæ incurrendæ à transgressoribus, non solum *ipso facto*, *ipso jure*, *ex tunc* &c. sed etiam *absque ulla declaratione*, *sententia*, &c. ne ergò dicamus clausulas istas frustraneè poni, dicere debemus tales leges ligare transgressores, antè quamcunque Judicis sententiam, & pro hac opinione referuntur Victoria, Corduba, Castrus, & aliqui Canonistæ. Secunda sententia absolutè negat ullam pœnam præter censuras imponi posse à legislatore, quæ antè Judicis sententiam transgressores obliget, aut afficiat. Fundamentum est, quia generaliter loquendo lex humana tolerabilis esse debet, & non valdè rigida, & difficilis; sed exequi in se pœnam antè omnem condemnationem est res valdè difficilis, nam etiam postquam Judici defertur delictum alicujus, non potest Judex inflingere pœnam, nisi audito reo, ut se defendat; ergo multò minus potest lex per seipsam absque ullo Judicis ministerio obligare quemquam ad exercendam in se pœnam, præsertim, quia infligere pœnam est officium, qui propterea ab Aristot. justum animatum vocatur.

Confirmatur specialiter de lege Civili, quia ideò Ecclesiastica potestas censuras imponere potest, quæ antè Judicis sententiam in conscientia ligent, quia ipsa ad bonum spirituale attendit, & internum subditorum, cui ità facere satis conducit; sed potestas civilis solùm attendit ad bonum politicum, & externum; ergo similes pœnas imponere nequit; & pro hac opinione referuntur Dominicus Sotus, Angelus, Marcus Vidalis, & quidam alii Recentiores, & novissimè Lezana disp. 9. quæst. 2. concl. 2. ait regulariter, & ut in plurimum loquendo, de facto nullam legem pœnalem, quamvis imponat pœnam *latæ sententiæ*, *ipso facto*, *absque declaratione*, &c. obligare transgressores ad ipsam sustinendam antè Judicis sententiam, qua declaretur ipsos illud delictum commisisse, & inquit clausulas illas non debere intelligi in toto rigore, prout sonant, exceptis casibus ab ipso ibi notatis, sed solùm quod excludunt declarationem ipsius pœnæ non verò delicti, aut criminis commissi.

150 Tertia sententia media inter relatas extremas cum distinctione procedit, licet non eodem modo ejus sectatores rem

declarent. Aliqui enim dicunt leges pœnales, sivè Ecclesiasticas, sivè Civiles, quando sunt de pœnis purè privativis, seù in mera privatione consistentibus, ut sunt, v.g. privatio officii, vocis, loci &c. obligare utique ante Judicis sententiam. Quando verò sunt de pœnis positivis, scilicet, aliquam actionem positivam ipsius delinquentis requirentibus, ut sunt solutio pecuniæ, exilium, membri mutilatio, & similes non obligare. Ratio est, quia lex pœnalis, quatenus pœnalis est, non obligat transgressorem ad pœnam infligendam, sed tantùm ad tolerandam; ergo transgressor sibi pœnam infligere non tenetur, quæ executionem requirit, sed Judicis sententiam expectare potest; tenetur tamen sustinere pœnam, quæ executionem non requirit, quia tunc non opus est sententia Judicis. Ità Cajetanus, Bannez, Medina, Valentia, Aragon, Conradus, & plures alii tam ex Theologis, quàm ex Juristis. Verùm hic dicendi modus, & hæc regula aliis non placet, quia ut instat Aversa q.96. sec. 3. aliquæ pœnæ in sola cessatione consistentes, & privatione non possunt ipso facto imponi, utpotè abstinentia ab omni cibo; & ex alia parte aliquæ pœnæ in propria operatione consistentes possunt sic imponi, ut aliqua pecuniæ solutio, aliqua levis sui ipsius flagellatio; & plus acerbæ interdum, & austeræ sunt quædam graves pœnæ in sola privatione consistentes, quàm sint aliæ quædam consistentes in propria aliqua actione; & plerumque libentius eligeret quis aliquid sibi incommodum facere, quàm à quibusdam operibus cessare, & abstinere, undè in hac re attendi debet æquitas, & dispositio humanæ condictioni accommodata, atque ideò non est simpliciter regula illa suscipienda, & approbanda. Quare hanc aliam regulam statuunt universalem, quod quando lex pœnalis, sivè sit de pœna privativa, sivè de positiva, statuit pœnam non valdè gravem, & difficilem, sed moderatam, obliget etiam antè Judicis sententiam, secus vero quando statuit pœnam aliquam gravem, & acerbam. Ità Suarez, Vasquez, Bonacina, Caspensis, Becanus, Aversa, Amicus, & plures alii Doctores, quæ opinio est communior, & probabilior, quia quod simpliciter possit lex transgressorem obligare, ut ipso facto debeat per se aliquam pœnam assumere, patet ex usu ipso tot humanarum legum, & est etiam valdè utile, & expediens ad bonum commune, & ad coercenda delicta, modo tamen intrà terminos humanæ æquitatis convenienti, injungendo, scilicet pœnas moderatas, de quibus loquimur, sivè privativè sint, sivè positivæ.

151 Pro majori declaratione hujus dicendi modi advertendum est, tria esse pœnarum temporalium genera, quædam enim solùm privant bonis temporalibus, seù civilibus, ut pecuniis, & aliquibus fortunæ bonis; quædam verò privant bonis naturalibus, ut carceratio, fustigatio, exilium, relegatio in triremibus, & ultimum supplicium; quædam tandem solis spiritualibus bonis privant, ut excommunicatio, quæ excommunicatum privat Ecclesiæ suffragiis, fidelium consortio, sacramentorum susceptione, & administratione, suspensio, irregularitas, & similes; inter quas pœnas hoc interest describi, quod pœnæ tertii generis in sola privatione, & passione consistunt, ut patet in excommunicatione, quæ bonis recensitis excommunicatum privat; pœnæ secundi generis quandam requirunt actionem, seù excusationem activam, qua infligantur; pœnæ verò primi generis sunt veluti mediæ, quamvis enim activam quandam executionem requirant, ut v.g. dare eleemosynam, jejunare, &c. cùm tamen sit pœnæ mediocres, ac proindè personæ condemnatæ possint eas per se absque gravi incommodo executioni mandare, ideo dicuntur esse mediæ, & partim in executione, partim in passione consistere.

152 Itaque si loquamur de pœnis tertii generis, quæ in sola passione, & privatione bonorum spiritualium consistunt, potest lex humana obligare transgressorem ad pœnam subeundam antè Judicis sententiam; undè Ecclesiasticas censuras excommunicationis, interdicti, & suspensionis debet delinquens statim observare cessando, & abstinendo ab operationibus per tales censuras prohibitis, quando lex dicit, ipso facto, vel eo ipso, vel ipso jure, vel absque alia declaratione, vel antè sententiam, aliovè simili modo intentionem legislatoris satis explicante; quod si hæ clausulæ non opponantur delinquens non statim ex vi legis tales censuras incurreret. Prætereà alias quasdam inhabilitates, & privationes delinquens incurrit, si lex similibus loquendi modis id explicet; undè Ecclesia per suas leges canonicas statuit impedimenta quædam matrimonium contractum dirimentia, ut in matrimonio clandestino, & in gradibus consanguinitatis, & affinitatis usque ad quartum gradum inclusivè, in quibus personæ ipso facto redduntur inhabiles ad matrimonium contrahendum; sed quod per legem Canonicam decernitur, & statuitur etiam per legem pœnalem statui potest; ergò hæc pœna inhabilitatis, quæ in privatione consistit, & inhabilitate matrimonii contrahendi, ipso facto antè ullam Judicis sententiam incurritur. Et talium legum pœnalium statutum valdè utile, & expediens fuit ad bonum commune, & coercenda delicta, quia plura sunt delicta, quæ Judex punire non potest, eo quod juridicè ea non cognoscat, licet etiam in exteriori consistant actu; undè ut hujusmodi delicta non remanerent impunita, consentaneum fuit, ut transgressores per legem obligarentur ad aliquam pœnam solvendam antè Judicis sententiam. Non fuit tamen consentaneum, quod omnis lex ad pœnam incurrendam obligaret antè Judicis sententiam, ut nullum delictum maneret impunitum, hoc enim nimis rigidum est, quia ut statim dicemus, sunt aliquæ pœnæ culpis proportionatæ, quas non decet hominem in se ipsum exercere.

153 Si verò de pœnis secundi generis sit sermo, quæ, scilicet, bonis naturalibus privant, & requirunt inflictionem, seù executionem quandam activam, non incurruntur ipso facto, quarè persona contrà hanc legem delinquens non tenetur ad tales pœnas legis subeundas antè Judicis sententiam, imò nec antè ipsius sententiæ executionem; non enim graves, & notabiles pœnas possunt humanæ leges sic injungere, ut delinquens ex se deberet in conscientia eas exercere, ut v.g. se occidere, seipsum publicè, & cum infamia flagellare, sibi manum abscindere, & alia hujusmodi, quinimò nec etiam ex sententia Judicis tenebitur delinquens in seipso tales pœnas exequi, undè qui sunt ad suspendium damnati, non se debent ex scala projicere, sed expectare donec à tortore projiciantur; & ratio est, quia numquam est intentio legislatoris reum obligare, ut in seipsum sit executor in pœnis gravibus, & notabilibus, cùm hoc attrocitatem sapiat, quam natura abhorret, ut quod quis sit executor pœnæ mortis in seipsum, sivè mutilationis membri, carcerationis, & similium. Notanter autem dixi in pœnis gravibus, & notabilibus, quia non videtur deesse potestas, ut legislator injungere possit aliquam facilem, & moderatam pœnam, quam delinquens ex se in conscientia debeat exercere, ut potè secretam, & levem flagellationem sui ipsius, & in plerisque Religionibus extant regulæ particulares tali pacto injungentes, & taxantes quasdam hujusmodi pœnitentias, & disciplinas, quæ optimè à persona ipsa assumi possunt, quia hoc modo in seipsum sævire non censetur, præsertim cùm tales pœnitentiæ sint potius beneficia, quàm supplicia, & medicinæ potiùs, quàm pœnæ. Demum si loquamur de pœnis primi generis, quæ partim in actione, partim in passione consistunt, potest etiam lex pœnalis ad tales pœnas subeundas obligare delinquentem ipso facto, & antè Judicis sententiam, qualis est restitutio fructuum perceptorum, eleemosyna, jejunium, & aliæ similes; sic inter leges Ecclesiasticas inveniuntur illæ, quæ Clericis beneficiatis horas Canonicas non recitantibus, aut non residentibus, quando debent, injungunt, ut solvant, ac restituant fructus perceptos, pro rata parte temporis, quo officium non recitatur, idque ipso facto antè Judicis sententiam ex Bulla Leonis X. sess. 10. Concil. Lateran. De singulis autem his pœnis agere spectat ad particulares tractatus. Ex qua doctrina facilè satisfieri potest rationibus utriusque sententiæ extremæ, easque aliquo modo invicem conciliari. Ità Cajetanus, Medina, Navarrus, Azorius, Suarez, Arriaga, Montesinos, Salas, Becanus, Hacquetus, Aversa, Caspensis, Amicus, & alii passim contra Covarr. Panorm. Vasquez, Lorcam, Sylvestrum, Conrad. Castro, & alios quosdam, & est communior in Scholis.

154 Varias autem prædicti Auctores regulas assignant undè dignosci possit legem humanam statim antè Judicis sententiam ad pœnam subeundam obligare, præsertim verò Amicus disp. 5. sec. 11. Caspensis disp. 5. sec. 2. Arriaga disp. 21. sec. 6. sed ut breviter rem declaremus, satis constat ex dictis ad id dignoscendum, & exprimendum necessaria esse verba legis præceptiva, cùm enim non semper lex hanc obligationem inducat, ut antè Judicis sententiam reus pœnam subire teneatur, aliquod signum per legem habere debemus, undè id dignoscere possimus; hoc autem aliud esse non potest, quàm verba præceptiva, quibus legislator suam voluntatem declarat se velle antè Judicis sententiam reum ad pœnam subeundam obligare, qualia sunt illa verba *ipso facto*, *ipso jure*, *ante Judicis declarationem*, & similia; & hoc patet de censuris excommunicationis, suspensionis, interdicti, & irregularitatis, quæ ipso facto nulla expectata Judicis sententia incurruntur, ut tradunt communiter Doctores ex cap. *Si quis suadente* 17.q.4. & ità est usu receptum. Verùm quia hæc eadem verba posita in lege privante Hæreticos omnibus suis bonis, eaque ad fiscum applicante eodem communi Doctorè sensu, & recepta consuetudine in ipso jure fundata, ad temperandam pœnæ acerbitatem, non intelliguntur omnem suum effectum operari, nisi post Judicis sententiam, ut notant Amicus, & Caspensis l. c. & habetur expresè in jure Canonico, sic enim in 6. lib. 5. tit. 2. de Hæreticis cap. 19. statutum est à Bonifacio VIII. Hac de causa ad dignoscendū, an lex obliget ad pœnam

nam antè Judicis sententiam subeundam, non solùm sunt attendenda verba legis, sed etiam communis sensus, & explicatio Doctorum praxis, & consuetudo, nec non gravitas, & acerbitas pœnæ, ut benè notavit Amicus loc. cit. nam eadem verba in una lege posita juxtà communem sensum Doctorum, & receptam consuetudinem pœnam important ipso facto statim incurrendam; in alia verò ad mittigandam pœnæ acerbitatem juxtà eundem communem Doctorum sensum, & receptam consuetudinem significant pœnam sustinendam post Judicis sententiam: Undè in his casibus clausulæ illæ *ipso facto*, *ipso jure*, *absque alia declaratione*, solùm excludunt declarationem pœnæ, non autem declarationem delicti propter quod pœna talis est imposita. Aliæ autem regulæ apud præfactos Auctores videri possunt.

Dices, hinc sequi frustrà in lege pœnali illa verba apponi, *ipso facto*, & *absque alia declaratione*, si pœna quæ annexa est delicto, non contrahitur commisso delicto, sed expectanda est Judicis sententia, neque ullam esse differentiam inter legem statuentem pœnam ipso facto subeundam, & legem statuentem pœnam ferendam. Respondetur cum Caspensi loc. cit. negando sequelam, quia pœna à lege imposita, ipso facto, sententiam condemnatoriam non requirit, sed sufficit declaratoria criminis; secus verò dicendum est de lege statuente pœnam ferendam, tunc enim sola sententia criminis declaratoria non sufficit, sed etiam condemnatoria requiritur; lex autem quæ ipso facto pœnam imponit, quantum est de se privat delinquentes bonis sub conditione, quod delictum declaretur, ac proindè non indiget, ut Judex de privatione bonorum sententiam ferat, sed de sola delicti declaratione.

155 Postremò est Difficultas, qualiter humana lex vim habeat obligandi ad subeundam pœnam reos condemnatos per judicis sententiam. Et quidem communis sententia est Theologorum, & Juristarum, Reum ad certam pœnam justè condemnatum, & juxtà leges, teneri talem pœnam subire saltem passivè se habendo, nimirum patienter eam ferendo, ac tolerando, non resistendo Judici, aut Ministro pœnam exequenti, & infligenti, quod etiam de pœna mortis intelligendum est.

Ratio est, quia si justè damnatus est, non nisi injustè potest Judicem, & Ministros justitiæ fugiendo offendere, Judex enim jus habet, & auctoritatem eum puniendi, & ideò reo non licet ei resistere, seque vi defendere ad pœnam evadendam. Neque obstat, quod ipse à parte rei sit innocens; si enim Judex justam tulit sententiam pœnes allegata, & probata, & ministri bona fide sententiam sic datam exequantur, adhuc reo se defendere non liceret cum reali offensione Judicis, & Ministrorum, quia re vera ab eis injuriam non patitur. Secus tamen dicendum est, si injustè ab iniquo Judice damnatus esset, & de tali injustitia constaret, tunc enim reus seipsum à sententia licitè posset eripere, & se quacunque via defendere etiam Judicem, & Ministros occidendo quando aliter vitam suam conservare non posset; hoc enim est de jure naturæ adhuc tamen etiam cum communiori sententia tenendum est, licitum esse reo, quando ei imminet pœna capitis, vel mutilationis ex carcere aufugere, aut illum infringere. Ratio est, quia reo justè condemnato solùm est prohibitum fugere cum injuria, & offensione Judicis, & ministrorum ejus, talis autem effractio carceris, & fuga non redundat in injuriam Judicis, & Ministrorum, sed solùm in aliquod damnum temporale Reipublicæ, quod minus æstimandum est, quàm conservatio juris naturalis, quod unusquisque habet propriam vitam protegendi, undè ad summum posteà teneretur refarcire damnum illatum, quod Reipublicæ intulit per carceris effractionem.

156 Dices, solere Judices hujusmodi carcerum effractores punire; punitio autem culpam supponit, ad quam expiandam ordinatur; ergo reus carceres effringendo peccat, & rem facit illicitam, cùm omnis pœna, ut justa sit, culpam supponat.

Respondetur negando consequentiam, puniuntur enim carcerum fractores non propter culpam, quam commiserunt carcerem effrigendo, quia nulla talis extat, sed ad bonum Reipublicæ servandum, & aliis terrorem incutiendum, ne quid simile attentent, undè licet sine culpa puniantur, non tamen sine sufficienti causa; potest enim quis justè puniri alia ex causa, quàm ex culpa, nempè vel ad bonum publicum melius conservandum, vel ad aliorum terrorem, ut constat ex 23. regula Juris in 6. quæ sic habet *Sine culpa, nisi subsit causa, non est aliquis puniendus*, ubi ad justè puniendum non solùm assignatur culpa, sed quæcunque alia legitima causa, qualis in proposito est bonum Reipublicæ servandum, & terror aliis incutiendus, ne quid simile attentent. Diximus autem hoc reo licere, quando damnatus est ad mortem, vel abscissionem membri, quia damnatus ad alias pœnas minores non potest licitè fugere, sed tenetur eas exequi, si ad executionem condemnetur sententia ultima, quam appellatione, vel alio remedio juris infirmare non potest. Ità Suarez, Bonacina, Caspensis, Amicus, Aversa, & alii communiter. Hoc tamen ultimum nonnulli etiam nimis rigidum, & durum censent, undè non putant instare talem obligationem in conscientia ipsi reo, sed solùm incumbere Ministris justitiæ, ut cautè custodiant reos damnatos ad tales pœnas, ut ad triremes, vel ad perpetuum carcerem, ne sinant illos fugere, & sic præsertim sentit Suarez lib. 5. cap. 10. & Aversa quæst. 96. sect. 4. in fine, & mihi quoque mitius, & probabilius videtur.

ARTICULUS QUARTUS.

De lege irritatoria, & quam vim obligandi habeat.

157 LEx irritatoria, seù irritans ea vocatur, quæ non solum prohibet aliquem actum, sed etiam illum annullat, & cassat, ut dicendo *sit invalidus, irritus, vel nullius sit momenti, efficaciæ, valoris, vel careat robore firmitatis*, &c. Hæc enim est communis notio, & descriptio legis irritantis, ut passim docent Doctores in L. *actus legitimi de regulis juris*, & cap. *actus legitimi* Cod. cit. in 6. etenim inter actus humanis legibus dirigibiles aliqui sunt, qui non solùm in esse physico considerantur, sed etiam in quodam esse morali, sub quo dicuntur esse validi, & firmi quibusdam conditionibus servatis, aliàs declarantur nulli, & invalidi, & tales sunt contractus, qui per consensum mutuum contrahentium fiunt, ut emptio, & venditio, matrimonium, professio religiosa, & similes; ac etiam quidam alii actus, qui ex unius tantùm voluntate dependent, ut testamentum, votum, præceptum, & similes. Circà hanc materiam aliquæ occurunt difficultates breviter in præsenti articulo examinandæ.

Prima Difficultas est; An lex humana circà tales actus non solùm habeat vim præcipiendi, aut prohibendi, & puniendi, ut suprà dictum est, sed etiam annullandi, & irritandi, statuendo, scilicet, ut illi actus, qui non fiunt quibusdam servatis conditionibus, ut contrà ipsius legis formam, sunt nulli, & invalidi, ut v. g. tale matrimonium, vel testamentum sit nullum, & irritum talibus conditionibus non servatis, & sic de aliis, & dubitatio currit in casu, quo alioqui se clausa lege humana talis actus esset per se ratus, & validus. Ratio dubitandi est, quia hoc videtur contrà jus naturæ, siquidem secundùm illud aliqui tales contractus validi sunt, nam vir, & fœmina de jure naturæ facultatem habent matrimonium inter se contrahendi, & possidens sua bona facultatem habet ea relinquendi cui magis libuerit; ergo si lex humana statuat, quod in tali casu, in quo alioqui de jure naturæ valeret, tale testamentum, vel matrimonium sit irritum, & nullum, faceret contrà jus naturæ, ad quod lex humana pertingere nequit.

158 Certum tamen est, & apud omnes exploratum humanam legem verè talem vim habere impediendi, & irritandi humanos contractus, & alios similes actus morales, & humanum legislatorem suis subditis non solùm aliquos actus prohibere posse, sed etiam illos invalidare, & annullare, quando communi bono fuerit expediens. Et ratio est, quia talis potestas est necessaria in Republica pro bono ejus regimine, & ità patet ex communi praxi legum, & Principum, tam in gubernatione Civili, quàm in Ecclesiastica, & sic de facto Concil. Trid. sess. 24. c. 1. de Reformatione matrimonia clandestina, hoc est, sine Parocho, & testibus celebrata annullavit; & pariter leges Civiles contractibus minorum, & mulierum, & testamentis quasdam apposuerunt conditiones, sine quibus invalida cessent; nam cùm validitas sit quidam moralis status operis ex humanis ordinationibus, ac dispositionibus dependens, utique potest legislator ad validitatem contractus tales requirere conditiones, quibus deficientibus nullius sit roboris. Neque id est contrà jus naturæ, quia leges humanæ contractus irritantes aliàs jure naturali validum nulli præcepto legis naturalis derogant, sed tantùm præmissionis; sicut in superioribus de jure gentium dicebamus, quo introducta est divisio, & proprietas rerum, ac proindè sublata est communitas, quæ quidem jure naturali præcepta non erat, sed tantùm permissa; sic pariter in proposito cùm jus naturæ tales contractus non præcipiat, sed tantùm permittat, ideò lex humana illos annullare potest quibusdam non servatis conditionibus bono communi necessariis, vel saltem expedientibus; neque id est contra jus naturæ positivè sicut contra jus naturæ non est, quod Princeps vetet id, quod alioqui non erat illicitum, sed indifferens, aut præcipiat id, quod alioqui debitum non erat.

159 Secunda difficultas est, an omnis lex prohibitiva sit irritatoria, itaut lex prohibens semper irritet actum, quem prohibet.

bet. Affirmant nonnulli Juristæ ex L. *Non dubium* C. de legibus, ubi decernitur *Ut ea, quæ lege fieri prohibentur, si fuerint facta, non solùm inutilia, sed pro infectis etiam habeantur, licet legislator fieri prohibuerit tantùm, nec specialiter dixerit inutile debere esse, quod factum est*. Undè generali quadam constitutione juris Civilis factum esse dicunt, ut quicumque actus per alias varias leges prohibentur, licet per eas non irritentur, tamen irriti sint ex vi hujus singularis legis, & constitutionis ad alias leges se extendentis. Deinde Gregorius Papa Primus cap. *Imperiali* 25. quæst. 2. prædictæ legis constitutionem his verbis approbavit *Imperiali constitutione sancitum est, ut ea quæ contrà leges fiunt, non solùm inutilia, sed etiam pro infectis habenda sint*. Et tandem in Regulis juris Canonici in 6. 64. regula est hæc. *Quæ contrà jus fiunt, debent pro infectis haberi*. Quare aliqui Canonistæ affirmant, non tantùm in jure Civili, sed etiam in jure Canonico, & Ecclesiastico leges simpliciter prohibentes habere etiam vim irritantis factum contrà illas.

160 Communis tamen, & vera sententia est leges Canonicas prohibentes non per hoc irritare actus, si non alio sufficienti modo irritationem etiam contineant, & declarent. Ità Molina, Suarez, Vasquez, Salas, Bonacina, Aversa, Arriaga, Lezana, Palaus, & alii passim. Ratio est, quia de fide est aliud esse actum esse irritum, & aliud esse prohibitum; est enim de fide certum Sacerdotem degradatum validè consecrare, cùm tamen id sit ei omninò prohibitum, & Sacerdotem quoque in mortali consecrantem validè consecrare, cùm tamen hoc ei vetitum sit etiam jure divino, & idem est de omni alia injusta Sacramentorum administratione; non ergo omnis lex prohibens eo ipso est simul irritans, nec ex jure ipso humano id ullibi statutum legitur, aut expressum ab ullo Pontifice. Imò potius expressum est oppositum, ut constat ex Concil. Trident. sess. 24. cap. 1. ubi agens de Matrimoniis Clandestinis ante se initis definit fuisse valida, etiamsi semper fuerint prohibita, eaque Sancta Ecclesia semper fuerit detestata, & ideò Concilium ibidem pro tempore sequenti tulit legem irritantem, itaut deinceps talia matrimonia sint nulla, & irrita. Similiter jure positivo, & Canonico prohibita sunt Clericis, & Religiosis negotia civilia, quæ tamen facta tenent, & pariter habenti votum simplex castitatis prohibitum est Matrimonium, quod etiam tenet si illud celebrat, & alia hujusmodi exempla in Ecclesiasticis legibus passim habentur, atque ideò extat commune axioma desumptum ex cap. Ad Apostolicam de Regularibus *Multa fieri prohibentur, quæ si facta fuerint obtinent roboris firmitatem*.

Imò in rigore loquendo nec etiam in lege Civili oportet dicere ex sola prohibitione oriri per se irritationem, nisi lex ipsa humana id etiam exprimat, ut notat Innocentius in cap. *Si verè* de sent. ex com. Felinus in cap. 2. de Constit. & alii Juristæ. Ratio est, quia ex natura rei aliud est prohibere, & aliud irritare, & effectus irritationis non est cum prohibitione necessariò connexus, potest enim actus esse prohibitus, & peccaminosus, & adhuc firmus, & validus, ut patet ex dictis; prohibere enim est obligare, ne fiat actus, irritare autem est reddere factum cassum, non ergo ex uno potest aliud inferri, nec ex sola prohibitione irritatio, nisi lex ipsa illam ulterius explicet, maximè cùm in materia odiosa versemur, prohibitio enim actus per se loquendo odiosa est; & ità quidem de facto sunt plures actus per leges prohibiti, qui pariter irritari potuissent, & tamen irriti non censentur, ut constat de impedimentis matrimonii tantùm obstantibus ne licitè contrahatur, quæ tamen nec irritant, nec dirimunt contractum. Quare concludendum est verbum *prohibeo* in lege positum nullo modo irritare ex se, nisi vel aliam legem constet ibi fuisse mentem legislatoris invalidare actum, vel in ipsamet lege sint talia verba, quæ eam irritationē significent.

161 Ad fundamentum oppositæ sententiæ ex L. *Non dubium* deductum, plura congerunt Suarez, Vasquez, Salas, Arriaga, & alii pro illius legis explicatione, sed breviter dicendum est cum communiori eam legem obligare solùm Provincias Imperii, & illi subjectas, non verò Ecclesiasticos, & Principes, qui non sunt Imperio subjecti; & eam legem etiam ubi viget, non extendit ad leges Canonicas prohibentes, quia Imperatoris non est mentem Pontificis declarare, aut ejus leges extendere, & coarctare. Imò addunt Molina, & Suarez, Lezana, Bonacina, Aversa, & alii nec etiam ipsas Provincias Imperiales, aut illis subjecta obligari ad talem legem, nisi post judicis sententiam, eo quod nimis onerosa sit, & gravis.

Ad secundum respondetur, eo textu, prout in Decretis positum est, non esse talem legem à Pontifice Canonicis adjunctam, nihil enim aliud ibi dicitur, quam quod Imperiali Constitutione sancitum est, undè Gregorius ibi solùm Constitutionem illarum narrare voluit, ut quæ contrà leges fiunt, sint inutilia, & pro infectis habeantur, sed nequaquam id ad leges quoque Canonicas extendere voluit, sicut nec per hoc fit, ut Ecclesiastici legibus Imperatoris subdantur.

Ad ultimum variæ sunt expositiones illius regulæ. *Quæ contrà jus fiunt, debent pro infectis haberi*, sed breviter cum Arriaga disput. 23. sect. 5. dicendum est eam regulam de jure irritante intelligendam esse, nam licet ibi ea limitatio non fiat; ex aliis tamen Canonibus manifestè deducitur, in quibus sæpè dicitur prohibitionem secundùm se præcisè consideratam non irritare, juxtà ergo hanc doctrinam debet illa regula intelligi, & limitari.

Dices, leges Canonicæ prohibendo matrimonia inter certos gradus consanguinitatis, & affinitatis, ea faciunt invalida; ergo prohibitio sola actum irritat.

Respondeo in eis legibus, si irritantes etiam sint, alia verba quoque addi, quæ id sufficienter ostendant, vel certè ex aliis variis legibus sufficienter colligi mentem legislatoris in eis fuisse absolutè irritare, ut magis mox explicabitur; quando autem nec ex verbis, nec ex aliis legibus quidquam infertur, tunc planè prohibitio ad irritationem non extenditur, nec necessariò illam inducit.

162 Tertia Difficultas est, undè colligi possit legem prohibentem velle etiam simul irritare, de qua re plures assignat regulas Vasquex disp. 164. cap. 3. quas singulas accuratè examinat Arriaga disput. 23. sect. 6. Sed breviter Dicendum est cum communiori duobus præsertim modis dignosci posse legem prohibentem velle etiam simul irritare actum prohibitum; primò quando verbis expressis injungit, & exprimit irritationem, ut v. g. dicendo, actus sit nullus, sit irritus, sit invalidus, sit nullius roboris, vel sub aliis æquivalentibus dicendi modis mentem legislatoris satis indicantibus, ut notat Aversa quæst. 96. artic. 5. dicendo v. g. in impedimento aliquo matrimonii, debere eos, qui sic contraxerint, separari, posse ad alia vota transire, prolem eorum fore illegitimam, & similia, quæ planè denotant mentem legislatoris esse, ut illud non sit verum, ac validum matrimonium. Item quando dicit, beneficium, vel officium tali personæ, vel tali modo collatum, adhuc vacare, posse liberè ab aliis impetrari; sic enim planè indicat legislatoris collationem illam esse nullam, & irritam. Et sic de aliis hujusmodi dicendi modis, & formulis mentem legislatoris sufficienter exprimentibus.

Alio etiam modo lex prohibens dignoscitur velle etiam simul irritare actum prohibitum, quando nimirum præscribit formam essentialem, vel substātialem, qua fieri debet certus actus, vel contractus, tunc enim per omissionem talis formæ redditur actus nullus, & irritus; quemadmodum enim in naturalibus res sine forma substantiali non subsistit, sic neque in moralibus subsistet actus, vel contractus deficiente eo, quod præscribitur, ut forma substantialis ipsius, undè pluribus juribus quidam actus, & contractus nulli declarantur, & irriti ob non servatam formam substantialem, ut in forma faciendi testamentum cum tanto numero testium, in forma eligendi cum tanto suffragiorum numero, & per vota secreta, & aliis hujusmodi. Dixi autem, quando lex præscribit formam essentialem, & substantialem, qua fieri debet certus actus, vel contractus, quia interdum injunguntur quædam accidentales circumstantiæ, quę non sunt de substantia actus moralis, sed dici possunt spectare ad quandam formam, & solemnitatem accidentalem, quod manifesto exemplo de Matrimonio Lezana declarat disp. 8. quæst. 1. nam Conc. Trid. sess. 24. statuit Matrimonium celebrari debere coram Parocho, & testibus, præmissis denuntiationibus, & aliis solemnitatibus, & quia præsentia Parochi, & testium ponitur pro forma substantiali, ideò ob ejus defectum matrimonium est nullum; deficientibus autem denuntiationibus, seù aliis solemnitatibus non erit nullum, sed solùm illicitum, quia hæc ponuntur solùm pro forma accidentali. Ad discernendum verò in universum, quandonam forma, & solemnitas præscripta sit substantialis, vel tantùm accidentalis, non potest certa universali regula definiri, sed de verbis legis, & ex qualitate, ac institutione ipsa rei diiudicandum est. Hæc tamen regula præsertim communiter assignari solet, ut quando lex post formam positam addit, *Et aliter fieri non possit*, vel *Non potest aliter*, vel *Nemo possit aliter* eo ipso requirat illam formam, tanquam substantialem, & essentialem, quandoquidem dicit *Sine ea non posse esse actum*, si enim sine ea validus esse posset; ergo sine ea absolutè potest esse, cujus oppositum supponit ibi legislator. Hanc tamen communem regulam quoque ait Arriaga loc. cit. num. 68. gravem pati difficultatem, quia verbum *non potest* sæpissimè usurpatur etiam in rebus moralibus pro impotentia faciendi licitè etiamsi sit potentia faciendi validè, sic passim dicimus, non potest celebrari sine paramentis, sine patena, sine calice, idest, non licitè, undè solet dici, id simpliciter non possumus, quod

quod licitè non possumus. Hinc omninò putat verba illa esse ex satis dubia, nisi aliunde de intentione legislatoris constet, & cùm irritatio sit actus odiosus, satis probabile putat, ex eo solo verbo *Non possit* simpliciter, & absolutè posito non colligi sufficienter invaliditatem actus; & hinc est, quod in singulis legibus, & casibus, ubi dubium aliquod occurritur, solet à Doctoribus examinari, & ex verbis legis, ac ex qualitate, ac institutione ipsa rei interpretari.

163 Quarta Difficultas est, an ejusmodi leges irritantes obligent in conscientia ad non faciendos actus illos sic irritatos. Pro cujus solutione distinguendum est cum Suarez, Arriaga, & aliis; aliquæ enim sunt legis irritantes simul, & prohibentes actus, & hæ utique obligant in conscientia ad non ponendum actum illum, quando enim lex ipsa utitur verbo, *Prohibeo, veto, præcipio, ne talis res fiat sine tali, vel tali conditione, &c. Volo, ut sic facta non teneat*, eo ipso non solùm actionem irritat, sed etiam directam inducit obligationem illam non faciendi, itaut qui eam fecerit, & invalidè faciat, & contrà legem peccet. In quo etiam puncto advertendum est, quod quamvis lex irritatoria habentes ignorantiam ipsius invincibilem non obliget, quia cùm hæc voluntarium tollat, tollit etiam peccatum, & culpa excusat. Quando tamen est sufficienter promulgata habet suum effectum rescindendi, & annullandi contractus, vel actus contrà ipsam celebratos etiam antè ipsius notitiam, ut notant Scotus, Reginaldus, Azorius, Bonacina, Lezana, & alii passim, & ratio est, quia rescissio, seù annullatio actus, vel contractus non est pœna, ac per consequens non potest procedere ex aliqua culpa, siquidem ad invaliditatem non requiritur culpa ex parte contrahentis; sed est effectus quidam potestatis Principis, quam habet super contractus suorum subditorum, & ità etiam ignorantes ligat.

Aliæ verò sunt leges, quæ non prohibent, sed tantùm præscribunt conditiones quasdam necessarias ad valorem actus, vel contractus, & tales leges per se non obligant in conscientia directè illum actum omittendum, sed præcisè, ut non reputetur validus, si fiat; sic v. g. lex præscribens formam, qua testamentum condi debet, non obligat simpliciter, & absolutè, nè homo sine illa forma testetur, sed solùm quod si ità testatur, nullum sit testamentum; sicut enim potest homo pro suo libitu nullum facere testamentum, ità potest facere sine forma præscrita, etiamsi sciat sic factum fore nullum; talis etiam est lex irritans contractus minorum, non enim propterea illis est illicitum facere. Notanter autem diximus leges hujus secundi generis per se non prohibere actum, nec obligare in conscientia hominem ad illum non faciendum; quia ut notavit Arriaga l. c. per accidens aliquando indè sequetur eos actus esse absolutè malos, qui supposita nullitate eorum censentur moraliter mali; id autem in tali casu ex lege positiva non proveniet, quia supponimus illam non prohibere actionem, sed ex alio naturali principio, quod scilicet, irreverentia aliqua sit in tali actione inaniter facta, cujusmodi sunt actiones Sacramentales; est enim irriverentia magna tentare facere Sacramentum sine conditionibus requisitis, ut Baptismum administrare sine intentione, aut non in aqua naturali, sed in alia non sufficienti.

164 Quinta tandem difficultas est, quandonam lex irritatoria suum sortiatur effectum, & quidem in primis certum est, ut docent Suarez, Salas, Lezana, Palaus, Montesinos, & alii passim, legem irritantem posse suum sortiri effectum antè Judicis sententiam, quia legislator potestatem habet id faciendi, & lex sæpius ità sonat, & stylus Curiæ id sequitur, dùm agitur de electionibus, professionibus, beneficiorum provisionibus, & similibus. Attamen, ut notat Lezana disp. 8. cit. q. 2. in fine, ad benè dignoscendum, quandonam lex irritans suum sortiatur effectum maximè attendenda sunt verba ipsius legis; aliquando enim solùm loquitur de irritatione facienda media Judicis sententia, & tunc illa est expetanda; aliquando solùm pro foro externo, & tunc etiam requiretur Judicis sententia; aliquando etiam verbis universalissimis utitur, vel in habilitantibus personas ad tales actus, vel contractus, & tunc antè omnem sententiam suum habebit effectum.

165 Præcipua tamen difficultas est, an lex irritans fundata in præsumptione suum sortiatur effectum, quando præsumptio non subsistit; prohibetur v. g. contractus minorum, quia præsupponuntur facilè decipi posse, quæritur an hic, & nunc quando reipsa non decipiuntur, contractus ille sit validus. Aliqui dixerunt leges in præsumptione fundatas non sortiri effectum, nec in conscientia obligare, quando præsumptio falsa, & de opposita veritate constat, & ratio est, quia hujusmodi leges non obligant, nisi ex præsuppositа præsumptione fraudis, vel violentiæ; ergo cessante fraude, & violentia non obligant; ex quo infertur hæredem ex testamento minus solemni posse tuta conscientia accipere, & retinere hæreditatem, quando illi constat nullam fraudem, aut violentiam interveniisse; ità docet Covar. cum aliis pluribus Juristis in c. *Cùm esses* de Testamentis. Alii verò, ut Antonius Gomez, Burgos de Paz, Suarez, & alii à Salas relati disp. 16. sect. 7. censent nullam legem irritantem in præsumptione fundari, sed in certa scientia, dicunt enim eas non fundari in eo, quod præsumant fore hic, & nunc fraudem, sed in eo quod præsumant esse periculum fraudis, licet autem certum non sit fore fraudem, tamen esse periculum illius videtur omninò certùm; ergo non fundantur tales leges in præsumptione, sed in certa scientia, undè inferunt omnes tales leges semper suum sortiri effectum, quem absolutè intendunt, quia semper habent fundamentum, cui innituntur, scilicet, periculum fraudis. Confimat hoc Vasquez disp. 167. c. 3. quia hæ leges non fundantur in præsumptione particularium casuum, quasi censeat legislator in hoc, & illo esse periculum, sed in periculo, quod ordinariè, & per se solet intervenire, & ut in pluribus, hoc autem semper manet; ergo semper obligabunt, & suum sortientur effectum. Quod etiam ex eo confimari potest, quia legis ratione in uno, aut altero casu cessante, non ob id legis obligatio cessat; ergo dicendum est semper irritationem sequi ex lege, etiamsi in hoc, aut in illo casu non præsumatur illud malum, quia saltem periculum præsumitur ex eo, quod ordinariè, & regulariter evenit.

166 Alii tandem media gradiuntur via hac distinctione utentes ad conciliandas opiniones relatas, quod duplex est præsumptio; Una, quando legislator aliquid mali eventurum præsumit, non quidem in quovis casu particulari, sed regulariter, & frequenter, nisi ipsa lex impediat, & ad illud impediendum generalem statuit legem, qua omnes obligare intendit; & lex quæ in tali præsumptione fundatur, semper obligat, quamdiù præsumptio, ut plurimum, vera est, tametsi deficiat in hoc, vel illo casu particulari; tandiù enim viget lex quamdiù viget ratio legis; at ratio legis est præsumptio eventuri mali, non quidem in singulis casibus, sed ut plurimum; ergo quamdiù præsumi potest aliquod malum frequenter eventurum, tamdiù urget lex. Et in hoc sensu dicunt veram esse secundam opinionem relatam, & intelligi debere illiud vulgare dictum, cessante ratione legis in aliquo casu singulari, non cessat ejus dispositio, si ratio legis in universum non cesset. Altera præsumptio est, quando legislator etiam in quovis casu singulari aliquid suspicatur, & talem præsumptionem dicunt habuisse Pontificem in cap. *Veniens*, cap. *Is qui fidem* de sponsalibus, ubi statuit sponsalia de futuro per copulam carnalem subsecutam transire in matrimonium, non quod illa copula ad matrimonium constituendum sufficiat sine novo consensu, sed quia Pontifex præsumit sponsos in tali casu semper habere consensum de præsenti, ne cogatur præsumere eos mortaliter peccare. Quando igitur lex in tali præsumptione fundatur, dicunt non obligare in conscientia, si præsumptio est falsa, & in hoc sensu aiunt primam opinionem esse admittendam, & illud axioma intelligendum, quod lex fundata in præsumptione non obligat in conscientia, quando præsumptio falsa est. Undè si sponsus ad sponsam accedat sine affectu maritali, potest quidem in externo foro cogi, ut cum illa habitet, quia præsumitur accessisse animo conjugali, & consummandi matrimonium; si tamen posteà aliam ducat, tenetur in conscientiam posteriorem retinere, & priorem relinquere; ità discurrit Becanus cum aliis tr. 3. c. 6. q. 9. qui dicendi modus probabilior videtur; & aptus ad duas relatas opiniones conciliandas.

ARTICULUS QUINTUS.

Quomodo lex obliget ad sui satisfactionem, & impletionem, seù quibus modis legi satisfieri possit.

167 PRimò dicendum est, ut aliquis legi negativæ satisfaciat, qua nimirum aliquis actus prohibetur verb. g. legi non furandi, vel non mœchandi, non requiri aliquem actum, seù intentionem satisfaciendi legi. Hæc est communis apud omnes Theologos, & ratio est, quia ad satisfaciendum legi negativæ, præceptumque negantium implendum sufficit sola actus omissio, hæc enim sola per illam intimatur v. g. non furari, non occidere; non ergo est necessarius aliquis actus; quod si præcepta negativa pro eorum impletione nullam requiritur actionem, neque etiam aliqua intentio necessaria erit, hæc enim quoque est actus voluntatis; omnia ergò præcepta negativa absque ulla intentione, & voluntate impleri possunt, nam eo ipso, quodquis furtum non committit, vel homicidium, proculdubio implet præceptum non furandi, & non occidendi. Hoc autem totum intelligitur de satisfactione, & impletione præcepti quoad substantiam, quia ad satisfaciendum tali legi quoad modum virtutis, vel meriti, aliqua intentio requiritur

ut dictum est lib. 2. disp. de Actibus Humanis, & lib. 3. disp. de Merito.

168 Secundo dicendum est, ad satisfaciendum legi affirmativæ, & præceptum positivum implendum, requiri aliquem actum, scilicet, illum, qui præcipitur, v.g. auditionem Missæ, & aliquam intentionem satisfaciendi per illum actum. Hęc etiam est communis inter Doctores, & ratio est obvia, quia lex affirmativa præcipit actum, ergo sine actu adimpleri non potest, & rursus præcipit actum humano modo efficiendum; ergo aliquam requirit intentionem pro ejus impletione, actus siquidem humanus, aut humano modo efficiendus requirit intentionem saltem faciendi illum, quia debet esse actus liber, & voluntarius: fatentur tamen omnes non requiri voluntatem expressam satisfaciendi præcepto, seù legi, sed sufficere voluntatem virtualem. Ex quo infertur quod si quis Missæ sacrificio adesset coactus, & contrà voluntatem, præceptum audiendi sacrum non impleret, quia præceptum affirmativum impleri nequit, quin opus præceptum efficiatur ut dictum est; at præceptum non est illi impositum de opera aliquo necessario, sed de opere libero, quod in sua potestate situm est; ergo aliquis efficiendo opus, quod omittere nequit, præceptum non implet. Hoc tamen limitant Bonacina, Caspensis, & alii, si coactio libertatem non tollat, sed illam tantùm minuat, ut contingit, quando procedit ex metu in quo casu dicunt adhuc præcepto satisfieri, quia illa actio adhuc censetur simpliciter libera, & voluntaria, & solùm secundùm quid involuntaria, ut patet de proiiciente merces in mari ex metu naufragii. Qua ratione affirmant pueros satisfacere præcepto audiendi sacrum, quamvis audire nollent nisi parentum, verbera vel Magistri timerent, quia metus quamvis gravis sit, adimpletioni præcepti non obstat.

169 Tertiò dicendum est, adimpletionem præcepti, seù legis affirmativæ non necessariò requiri, quod talis actus sit formaliter bonus, sed sufficere quod sit materialiter bonus, quia est circà rem intimatam per legem, etiamsi sit formaliter malus propter malam circumstantiam v.g. finis, undè qui se ad audiendum sacrum conferret ductus libidine videndi fœminam, adhuc cùm hac prava intentione assistendo missæ præceptum impleret; quia hæc prava intentio adjuncta voluntate implendi præceptum non est contraria adimpletioni præcepti. Hæc etiam est communis inter Theologos, & ratio est, quia lex, & præceptum humanum imperat solùm substantiam actus non verò modum, modus enim & finis præcepti non cadit sub precepto, ut est commune Theologorum axioma; cùm ergo modus non sit necessarius ad substantiam actus præcepti, & sit extrinsecus illi, sufficit quod ille actus sit substantialiter bonus, & voluntariè factus ad præceptum implendum; ergo qui se ad audiendum sacrum confert ex intentione, & libidine aspiciendi fœminam, si adhuc attentionem habeat requisitam, quantumvis ex alia parte ob pravam illam intentionem mortaliter peccet, præceptum implet quoad substantiam, licet non quoad modum, qui sub præcepto non cadit. Ità Almainus, Azorius, Suarez, Sanchez, Bonacina, Palaus, Lezana, Caspensis, Hacquetus, & alii passim.

Dices, omne præceptum est de opere bono; ergo non potest ei satisfieri per opus malum, quia opus malum non est præceptum.

Respondetur omne præceptum semper esse de opere bono quoad substantiam, & ex objecto, non tamen opus esse, quod sit bonum etiam ex circumstantiis, & quoad modum virtutis, quia modus, & finis præcepti humani sub præcepto non cadit, undè lautè comedens in die jejunii, dummodò servet formam jejunii ab Ecclesia statutam, implet jejunii præceptum, quamvis non servet finem ejus extrinsecum, qui est carnis maceratio; & sic in proposito auditio sacri ob pravum finem est vitiosum opus extrinsecè solùm, non autem intrinsecè & ex objecto; vitium autem extrinsecum ex fine, vel alia circumstantia adiuncta bonitatem substantialem actus non tollit, atque ideò adimpletioni præcepti non obstat. Adhuc tamen fatendum est, quod quando lex humana solùm determinat tempus, aut modum implendi naturalem legem, aut divinam, nec novam materiam præcipit, tunc requirit actum virtuoso modo factum, & actum bonum non tantùm quoad substantiam, sed etiam quoad circumstantias pro ejus impletione. Ratio est, quia in tali casu lex humana habet pro materia observantiam legis naturalis, aut divinæ; ergo ut impleatur requirit actum undique bonum. Consequentia probatur, quia in tali casu lex humana non impletur, nisi impleatur etiam naturalis, vel divina; cùm ergo hæc impleri nequeat, nisi per actus undique bonos, quia lex naturalis, vel divina etiam ad actus internos obligat, & ad operandum cum ordine ad ultimum finem proportionato, consequenter etiam lex humana in tali casu impleri non poterit nisi per actum bonum tam materialiter, quàm formaliter.

170 Quartò dicendum est, unico actu pluribus præceptis satisfieri posse, quoties Superior concedit, ut eodem actu pluribus præceptis satisfiat; undè ille, cui à Confessario impositum est pro pœnitentia, ut per mensem singulis diebus sacro adsistat, satisfacit præcepto Ecclesiæ, & præcepto Confessarii unicam missam audiendo in diebus festis. Ità Medina, Sanchez, Suarez, Salas, Bonacina, & alii Doctores communiter. Et ratio est, quia obligatio legis pendet à mente legislatoris, ipsiusque voluntatem non excedit; si ergo legislator unico actu intendit, & permittit pluribus simul satisfieri præceptis, opus est dicere unico actu pluribus præceptis satisfieri.

Dices pluribus debitis, justitiæ commutativæ unica solutione satisfieri nequit; ergo nec unico actu pluribus debitis legalibus, seù præceptis satisfieri potest. Negatur consequentia, & ratio disparitatis est, quia justitia commutativa respicit æqualitatem rei ad rem, quæ unica solutione salvari nequit in pluribus, & diversis debitis; in debitis verò legalibus mens, & intentio legislatoris attenditur, quæ in unum, idemque opus ferri potest, ità Doctores cit.

171 Sed difficultas est, an necessarium sit ad impletionem præcepti non habere voluntatem expressam non satisfaciendi ipsi. Certum enim est ad præceptum implendum sufficere voluntatem audiendi, v.g. sacrum, etiamsi formaliter non sit sub intentione implendi, nam qui non excludit, censetur virtualiter includere intentionem implendi præceptum in ea ipsa voluntate, qua vult efficere actum, qui præcipitur; undè qui manè sacrum audivit ex devotione non existimans esse diem festum, licet posteà id sciat, non aliam Missam audire tenetur, sed solùm sacrum jam auditum applicare pro satisfactione præcepti posteà noti. & ratio à priori est, quia scientia præcepti, aut intentio illud adimplendi necessaria non est ad ejus impletionem, sed satis est, si opus fiat scienter, & ex deliberatione tempore, & loco, quo præcipitur. Difficultas ergò est, an ad satisfaciendum præceptò opus sit non habere voluntatem expressam non satisfaciendi ipsi in ipsa actus præcepti executione, ut v.g. si quis ex devotione sacrum audiat die festo, & habeat hunc actum formalem, nolo hac missa implere præceptum, & in ea voluntate persistat, an præceptum impleat. Plures affirmant facientem opus præceptum cùm intentione non implendi præceptum per illud opus adhuc præcepto satisfacere. Ratio est quia Superior non præcipit opus fieri intentione implendi præceptum, vel absque intentione non adimplendi præceptum, sed simpliciter præcipit tale opus; ergo qui tale opus præceptum facit, sufficienter præceptum adimplet, quamvis illud faciat intentione non adimplendi præceptum, ità Henriquez, Suarez, Sanchez, Lessius, Valentia, Bonacina, Hacquetus, & alii.

172 Alii negant in tali casu præcepto satisfieri, & dicunt necesse esse, ut cùm voluntate audiendi sacrum non conjugatur voluntas formalis contraria præcepto, seù non satisfaciendi ipsi, quia tunc re vera per illum actum hoc modo exercitum non impletur præceptum, siquidem nullo modo obediretur illi, & ratio est, quoniam non obstante executione operis præcepti audiens Missam simpliciter haberet voluntatem non implendi præceptum. Ità Navarrus, Azorius, Medina, Ledesma, Caspensis, & plures alii. Hic tamen casus, de quo adeò acriter disserunt Doctores citati, mihi implicare videtur, quia executio operis præcepti necessariò fert secum adimpletionem præcepti; ergo implicat velle tale opus præceptum exequi cum intentione expressa nolendi præcepto satisfacere, undè sicut nequit quis velle cibum sumere cum intentione expressa nolendi se alere, quia cibi sumptio necessariò fert secum vitæ alimentum; ità in proposito nequit quis velle opus præceptum exequi cum intentione expressa nolendi præcepto satisfacere; quia operis præcepti executio secum fert necessariò, & habet annexam præcepti impletionem.

173 Quintò tandem dicendum est; etiam eodem tempore, per diversos actus pluribus præceptis satisfieri posse, quando unus actus alium non impedit, undè tempore Missæ recitando quis horas Canonicas, & præcepto Missæ, & præcepto divini officii simul satisfacere potest, nam eodem tempore diversos actus præceptos præstat, quorum unus alium non impedit. Ità Doctores omnes supracitati, & ratio est, quia qui facit id, quod lege, vel præcepto præscribitur, legi satisfacere dicitur, & legem adimplere, sed possumus eodem tempore facere quod leges diversæ, vel diversa præcepta præscribant, cùm in præceptis, & legibus diversitas temporum non præscribatur; ergo possumus eodem tempore pluribus præceptis per diversos actus satisfacere, quoties unus actus alii non impedit, quæ limitatio apponitur, quia si unus actus exercitium alterius impediret, tunc utique certum est eodem tempore non posse per illos actus diversos pluribus satisfieri præceptis.

QUÆ-

QUÆSTIO SESTA.

De Cessatione, seù mutatione legis humanæ.

174 CErtum, & exploratum est apud omnes leges humanas non esse per se immutabiles, quinimò verè auferri posse, & abrogari, ac interdum utiliter, & convenienter ità fieri, fieri enim potest, ut populorum mores ità mutentur, ut ea quæ prius salutaria erant, atque proficua, evadant cursu temporis inutilia, aut nimis dura, & ardua, & interdum etiam noxia; in quo autem sensu dici soleat perpetuitas esse de ratione legis jam suprà explicatum est q. 1. hujus disp. a. 2. n. 14. ità nimirum, ut ab initio non feratur ad certum tempus dumtaxat, & non debeat ipso facto cessare per mortem legislatoris, quin potius duret quandiù non abrogetur, in quo à simplici præcepto distinguitur, ut ibi declaratum est; & quia cessatio, & mutatio legis humanæ multis variisque modis contingere potest, de his omnibus, & singulis breviter in hac quæstione discurrendum est, & quibus modis cessare possit obligatio servandæ legis humanæ.

ARTICULUS PRIMUS.

An, & quomodo lex cesset per ejus abrogationem.

175 PRimò dicendum est, obligationem servandi leges humanas cessare posse per earum abrogationem, ac proindè legem ipsam humanam aliquando abrogari posse ob causas aliquas justas, & rationabiles. Est communis, & constans tam Theologorum, quàm Juristarum sententia, quam docuit D. Aug. l. 1. de lib. arb. c. 6. ubi solam legem æternam, sub qua etiam naturalem comprehendit, per quam nobis æterna intimatur, ait esse immutabilem; ità etiam docuit Innocentius in Concilio Lateranensi generali, ubi ait, quod *non debet reprehensibile judicari, si secundùm varietatem temporum statuta quandoque varientur humana, præsertim cùm urgens necessitas, vel evidens utilitas id exposcit, quoniam ipse Deus ex his quæ veteri testamento statuerat, nonnulla mutavit in novo*, & hoc idem suadet ratio, quia de ratione legis positivæ est universaliter loquendo, ut ex libera voluntate superioris statuatur ad differentiam legis naturalis, ac æternæ; ergo sicut ab initio poterat non ferri, ità posteà auferri poterit justis de causis, & hoc dependebit à voluntate libera Superioris, & ità notavit Arist. l. 2. Polit. c. 6. & Plato in Dialogo 6. de legibus, & habetur in jure ipso Civili L. unica C. de Caducit. tollenda, & in jure, Canonico c. 2. d. 14. Abrogatio autem alicujus legis dupliciter fieri potest; uno modo tollendo obligationem illius, & nullam aliam imponendo; secundo modo, alia lege contraria obligationem inducente ad contrarium actum, vel ad abstinendum ab eo, qui imperatus erat per priorem legem. Potest etiam obligatio legis tolli vel per abrogationem, vel solùm per derogationem, per abrogationem cessat simpliciter, per derogationem verò solùm secundùm quid, abrogare enim est, postquam vim obligandi lex obtinuit, in universum tollere; derogare verò est illam, non in totum, sed in partem tollere. Et hoc etiam esse de mente Scoti ostendit Vulpes noster disp. 8. a. 1. ex pluribus locis, ubi ait omnes leges positivas humanas habentes rectitudinem à solo probabili judicio legislatoris, & firmitatem à solo decreto suæ voluntatis, simpliciter mutabiles esse, & abrogari posse.

176 Secundò Dicendum est, legem humanam abrogari posse ab eo, qui potestatem habet legislativam. Hæc etiam est communis apud Theologos, & Juristas. Ratio est, quia legis abrogatio est actus potestatis legislativæ, est enim actus jurisdictionis pertinens ad regulandam communitatem; ergo non potest esse, nisi à potestate legislativa proportionata. Atque ità Princeps qui legem tulit, eam potest revocare, & abrogare, eadem enim potestas, quæ ad ferendam legem requiritur, sufficit quoque ad illam abrogandam, est enim regula Juris, quod *res omnis per quascumque causas nascitur per easdem dissolvi potest*. Hoc etiam ab ejus successore fieri potest, cùm tanta sit potestas successoris, quanta illius, qui anteà legem tulit; sicut ergo potest ille legem à se latam revocare, sic poterit & iste, & cùm par in parem imperium non habeat, non potest iste ab illo validè impediri, ne legem ab eo latam revocet. Denique potest Superior inferioris legem abrogare, sicut enim inferior subditur superiori, ità quoque ejus potestas, & per quandam eminentiam potest quicquid inferior; quarè sicut iste legem à se latam revocare potest, sic etiam ejus superior poterit; & hoc quidem postulat rectus gubernationis ordo, ut inferior sit perfectè Superiori subjectus alioqui, Superiori præcipienti posset inferior impunè non obedire, undè posset inter eos justum belli intercedere, cùm unusquisque à natura jus habeat se, suaque jura defendendi.

177 Tertiò dicendum est; nullum inferiorem posse legem Superioris abrogare, nisi ab ipso potestatem habeat. Hæc etiam est communis in Scolis, & habetur in Clementina *Ne Romani Pontificis*, ubi à Clemente Quinto decernitur legem Superioris non posse per inferiorem abrogari, corrigi, aut mutari. Et ratio de se est evidens, quia inferior nullum jus, aut potestatem habet in Superiorem, ejusque constitutiones, & leges, ut constat ex ipsis terminis Superioris, & inferioris, si enim inferior à se potestatem haberet tollendi, & abrogandi leges Superioris, jam non esset inferior, sed potius superior illo; tantùm ergo lex ab eo revocari poterit, qui legem illam tulit, vel ab ejus successore, qui cum legislatore eandem habet potestatem.

Confirmatur, quia ut infrà dicemus, nullus subditus, aut Minister inferior potest propriè loquendo in leges Superioris dispensare, nisi ex commissione, vel consensu Superioris expressa, vel tacita; ergò multò minus illam abrogare poterit, quia dispensare est tollere vim legis ex parte, & respectu hujus personæ, sed abrogare est vim legis totaliter tollere, & respectu omnium.

Est tamen difficultas, an possit inferior legem à se conditam, & à Superiore confirmatam abrogare absque Superioris beneplacito. Affirmant plures Theologi, & Juristæ cum Bartolo in L. *Omnes populi*, ff. de Justitia, & Jure, eo quod confirmatio Principis vim habebat solùm inquantum voluerat, & petierat inferior Magistratus legem condens; ergo per eam revocationem eo ipso cessat Principis confirmatio, quia talis confirmatio supponit legem, cui tribuit robur, nec illam extrahit à suo ordine, sed in suo statu relinquit, intrà quem illam roborat, atque ideò remanet intrà sphæram potestatis legislativæ, à qua emanavit, & consequenter eam abrogare poterit. Negant plures alii Theologi, & Juristæ cùm Baldo in L. *Omnium*, C. de Testamentis, eo quod illa lex per confirmationem Principis facta est, veluti propria ejus, ac si ab eo lata fuisset, undè non poterit absque ejus auctoritate posteà revocari. Alii tandem Doctores apud Aversam q. 97. sect. 1. media gradiuntur via utentes distinctione, & dicentes, quod si inferior Magistratus habebat per se auctoritatem legem statuendi, & solum ad majorem quandam solemnitatem à Principe confirmationem petiit, tunc posse ex se posteà eam abrogare. Si autem non habebat per se auctoritatem, sed principis confirmatione indigebat, tanquam essentiali, & necessaria, tunc non posse per se abrogare legem confirmatam. Ait tamen Aversa l. c. rem hanc multum pendere ex modo subordinationis ipsius Magistratus ad Principem, & ex modo confirmationis expresso per verba Principis; potest enim esse, ut Magistratus ab initio acceperit potestatem à Principe, non solùm condendi, sed etiam tollendi suas leges, quamvis à Principe confirmatas, & tunc sine dubio liberè potest aliquam ex his legibus revocare. Aut potest esse ut magistratus acceperit tantùm potestatem condendi leges, non autem auferendi post obtentam earum confirmationem à Principe, & tunc planè id non poterit; similiter in verbis Confirmationis potest esse aliqua particula denotans, ut ea lex immutari non possit, aut eam relinquens in arbitrio inferioris Magistratus. Ubi autem neutra pars, sivè in modo subordinationis, sivè in modo confirmationis fuerit satis expressa, concludit Aversa multum valere adductam regulam, quod dùm confirmatio legis solùm ob majorem solemnitatem, & non ex indigentia fuerit obtenta, possit lex libere revocari ab eo, qui eam condidit, dùm verò fuerit obtenta ex indigentia, indigeat etiam posteà revocatio, ut approbetur à Principe.

178 Quartò dicendum est, legem abrogari non debere ex mero Principis arbitrio absque justa, & rationabili causa, nec auferri debere, vel mutari, nisi ex necessitate, vel magna Reipublicæ utilitate. Hæc etiam est communis apud Theologos, & Juristas, & habetur in jure Civili L. 2. ff. de Constit. Princip. & in jure Canonico cap. *Alma Mater*, de sent. excom. in 6. & probat efficaciter Arist. l. c. 2. Polit. cap. 6. circà finem, ubi proponit quæstionem, an expediat in Republica leges mutare, & ait non expedire, nisi ex tali mutatione major aliqua utilitas Reipublicæ speretur proventura, quia ex tali mutatione plus detrimenti timendum est, quàm utilitatis sperandum ob periculum contemptus legum ex una parte, & majoris facilitatis servandi antiquas, quibus jam communitas diuturna observatione est assueta, quàm novas, quibus assueta non est; ergo nisi hæc pericula compensentur certa spe majoris utilitatis, quæ ex hujusmodi legum mutatione speretur, eas mutare non licebit. Si tamen Princeps absque ulla causa, & utilitate pro sua voluntate legem abrogaret, ac simpliciter cum detrimento boni communis, adhuc quidem talis abrogatio valida foret, nec tenebuntur subditi illam amplius servare, & ratio est, quia cum lex voluntate

luntate Principis essentialiter constituatur, tota vis obligationis ex ejus voluntate pendet, quarè illa cessante cessat quoque ipsius legis obligatio.

Dices, si lex fiat inutilis Reipublicæ non obligat Cives ad eam servandam; ergò è converso si mutatio legis à Principe facta sit Reipublicæ inutilis, cives non deobligabit à lege servanda. Respondetur negando consequentiam, quia plus ad validitatem legis requiritur, quàm ad validitatem abrogationis, & plura ad legem constituendam requiruntur, quàm ad eam destruendam, cùm ex defectu uniùs tantùm condictionis destrui possit, constitui autem nequeat nisi concursu omnium condictionum, quæ ad legem constituendam requiruntur; undè potest esse, ut jussio Principis per se sit invalida, si injusta sit, & contra bonum publicum, sed abrogatio legis, quantumvis justæ, & utilis, ex voluntate Principis facta semper erit valida, dùm Princeps ipse suam revocat voluntatem obligandi subditos.

179 Quintò est Difficultas, An quando lex abrogatur, requiratur publicatio, & promulgatio talis abrogationis. Negant Capreolus, Corduba, Conradus, Medina, & alii. Affirmant Azorius, Vasquez, Salas, Caspensis, & alii. Tandem Lezana, Amicus, & alii cùm distinctione procedunt dicentes, quod quando abrogatio fit cum impositione legis contrariæ, tunc sicut ad impositionem legis requiritur solemnis promulgatio, sic etiam ad talem abrogationem. Quando vero abrogatio legis fit sine novæ legis impositione, non videtur requiri talis promulgatio, cùm illa non sit vera lex, sed cessatio legis, quæ sola voluntate Principis fieri potest. Ego tamen cum secunda sententia existimo, quocunque modo lex abrogetur, talem publicationem abrogationis esse necessaria, ut aliquo modo subditis manifestetur revocatio legis, & ratio est, quia lex semel publicata semper viget, & subditi illa adstringuntur, donec illis revocatio insinuetur. Tum quia rectus gubernandi modus postulat, quod Princeps hanc suam legis revocationem subditis aliquo modo externè manifestet, ne scandala publica, & incommoda nascantur, dùm unus servat legem aliis impunè eam non servantibus. Tùm tandem quia si ex sola interiori legi revocatione posset subditorum obligatio tolli, similiter dici posset absolutionem à censura, & dispensationem cujuscunque vinculi posse fieri ex sola interiori dispensantis voluntate, quod nemo dicet. Adhuc tamen fatendum est, non eam requiri abrogationis legis promulgationem, qualis ad valorem legis requiritur, nam ad inducendam legis obligationem requiritur solemnis promulgatio, ut in superioribus dictum est; ad tollendam verò legis obligationem sufficit simplex revocatio, quæ quomodocunque in notitiam subditorum deveniat, ab onere legis eos liberabit.

180 Sextò tandem est Difficultas, quando censeatur lex aliqua abrogata, seù derogata per posteriorem, de quo plura Doctores disputant, sed breviter dicendum est legem anteriorem abrogari, seù derogari per posteriorem, quando est ei contraria, tunc enim posterior voluntas Principis, cùm nequeat cum priori consistere, illam revocat, & retractat. Quod si lex posterior contraria non est priori, nihil ipsi præjudicare poterit, quia lex antiqua, & prior adhuc in sua manet possessione. Undè diligenter advertendum est, ut notat Amicus disp. 6. sec. 2. an si non in toto, saltem in parte possit posterior lex cum priori consistere, quia cum mutatio legis sit odiosa, eligenda est minor, quæ salva proprietate verborum esse potest, undè si posterior lex saltem quoad partem potest cum priori consistere, non abrogat, sed derogat seù corrigit illam; & hoc deducitur ex regula generali, quam Juristæ assignant in legum mutatione, & habetur in L. *Præceptum* De Appellationibus, quæ talis est: *Quicquid in posteriori lege specialiter non fuerit expressum, id veterum legum, constitutionumque regulis relictum esse intelligendum est*, hoc est, si expressum non fuerit, vel per expressas clausulas derogatorias, vel per contrarias constitutiones prioribus repugnantes, hoc enim etiam modo lex anteà præcepta abrogatur, etiamsi in posteriori lege nulla prioris legis mentio fiat, ut passim Doctores docent.

ARTICULUS SECUNDUS.

An, & quomodo lex cesset per ejus dispensationem.

181 Quid sit dispensatio propriè dicta satis constat ex dictis suprà q. 2. hujus disp. a. 3. n. 47. quod nimirum est legis relaxatio cum aliqua persona, vel in aliquo casu, permanente adhuc legis obligatione respectu communitatis, ut docet Scotus 3. d. 37. q. un. litt. A. in quo planè differt à totali ablatione, & abrogatione legis; posse ergo legem humanam cessare quoad obligationem per dispensationem à legitimo Superiore factam est res nota, & explorata, & in praxi usitata; & ratio communis est, quod sicut lex humana per voluntatem legitimi Superioris inducitur, ità ab ipso dispensari potest; & sicut ex rationabili causa potest legislator legem totaliter revocare, & abrogare, sicque subditos omnes ab ejus observatione eximere, ut dictum est a. præc. tantò magis poterit ex rationabili causa ab illius servandæ obligatione aliquem particularem subditum eximere, quod est cum illo super ea lege dispensare. Hic autem legitimus Superior, ut etiam a. præc. dicebamus de abrogatione, est ille, qui legem condidit, vel ejus successor, vel qui est ipsis Superior, undè in legibus Synodalibus, v.g. dispensare potest Episcopus, & ejus Successor, & Pontifex, qui est Superior ipsis; quædam autem difficultates in hac materia occurrunt, quæ breviter hìc sunt examinandæ.

182 Prima difficultas est, An esto, quod inferior non possit abrogare, seù derogare legem Superioris, ut suprà dictum est, possit saltem in ea dispensare. Negant aliqui absolutè, ut Sylvester, Azorius, Valentia, Suarez, Salas, & alii plures; Affirmant alii absolutè, ut D. Antoninus, Sot. Covar. & plures alii eo fundamento ducti, quod hoc videtur necessarium pro recta gubernatione, ne pro quocunque casu opus sit ad Superiorem recurrere. Tertia sententia communior, & probabilior ponderatis duarum præcedentium rationibus media graditur via, & ait regulariter loquendo inferiorem non posse dispensare in lege Superioris, nisi tamen ab eodem Superiore concedatur potestas dispensandi, & sumitur ex c. *Cum inferior*, De Majorit. & obedient. & Clementina *Ne Romani*, De Election. ubi cavetur, ne inferior possit superioris jura mutare, nec consequenter in legibus ipsius dispensare; & ratio etiam ipsa suadet, quia inferior voluntatem Superioris sui impedire non potest, alioquin inferior non esset, sed Superior, dispensans autem in lege alterius impedit executionem voluntatis ipsius. Addit tamen hæc sententia media, inferiorem Prælatum vi suæ potestatis ordinariæ dispensare posse in lege Superioris in quibusdam casibus expressè, vel tacitè sibi concessis, ut quando gravis aliqua urget necessitas nec nisi valdè difficilis ad Superiorem pateat recursus, & similibus; & in hoc sensu loquuntur Auctores secundæ sententiæ, nec aliud probat ejus fundamentum, nam propter hanc causam providetur rectæ gubernationi, ne semper opus sit pro dispensatione ad superiorem recurrere. Cæterum in quibus casibus singillatim possit inferior vi suæ ordinariæ potestatis dispensare in lege superioris ex instituto declarant Cajet. p. 2. q. 97. a. 4. Layman tr. 4. de Legibus cap. 22. Amicus disp. 6. sect. 4. Lezana disp. 12. q. 3. & plures alii, qui etiam addunt, quod cùm dubium est, an casus dispensatione indigeat, possit illam concedere inferior in lege lata à superiori juxtà regulam generalem, quod in dubiis favorabilior pars est amplectenda.

183 Secunda Difficultas est; An ad justam, & honestam dispensationem justa requiratur causa. Negant quidam Juristæ cum Glossa in L. *Relegati* ff. de Pœnis, ubi solam Principis voluntatem ait esse justam causam, & cap. *cum Nostris* De concessione præbenda sola Pontificis voluntas justæ causæ comparatur. Fundamentum est, quia lex ex sola legislatoris voluntate dependet; ergo sine causa potest in ea dispensare, nam sicut potuit illam non ponere, ità positam vel omninò tollere, vel ex parte in ea dispensare. Hoc autem intelligunt de dispensatione facta à legislatore in propria lege, non verò de dispensatione facta ab inferiori in lege Superioris; nam hæc, ut justa sit justam requirit causam, eo quod Superior non censetur ipsi facultatem dispensandi concessisse nisi cum causa justa, & rationabili.

Communis tamen, & vera sententia affirmat, non solùm necessariam esse causam justam, ad justam dispensationem inferioris in lege Superioris, sed etiam ad justam dispensationem ipsius Superioris in lege propria, tam subditis communi, quàm sibi ipsi, & deducitur ex Concil. Trid. sess. 15. c. 18. & sess. 24. c. 5. ubi dicit dispensationes, non nisi urgenti, & justa ratione causa cognita, & summa cum maturitate concedendas esse; fundamentum est, quia potestas legislativa est à Deo Superioribus concessa in ædificationem, non in destructionem ex Apostolo 2. Corint. 10. quarè dispensatio sine causa data potius *dissipatio* quàm *dispensatio* est censenda, undè Conc. Trid. l. c. ait sine causa in lege dispensare *nil aliud esse, quàm unicuique ad leges transgrediendas aditum aperire*. Quod adeò universaliter verum est, ut etiam ad dispensandum licitè cum seipso ipse Superior justa causa indigeat; jam enim suprà dictum est ipsum quoque legislatorem suis legibus teneri, & obligari, si autem secum dispensare posset absque ulla rationabili causa, planè frustratoria, ac veluti delusoria esset talis obligatio quandocunque enim suam legem non observaret, secum dispensare censeretur, atque ità potius ab omni obligatione servandæ legis censendus esset exemptus. Possunt ergo Prælati, & Superiores secum dispensare in eisdem casibus, in quibus cum aliis dispensare possunt,

sunt, & ob easdem causas, ob quas justè, & rationabiliter cum subditis dispensare possunt, ut fusius explicat, & probat Sanch. l.8.de Dispens.disp.3. Quæ verò sit justa,& rationabilis causa dispensandi in lege,dicunt Doctores nullam certam regulam assignari posse, sed pro casuum varietate, ac materiæ majori, vel minori gravitate,prudenti arbitrio discernendum esse. Addunt aliqui,ut Aversa q. 97. sect.3. cùm aliis posse interdum sufficere causam, quæ veluti consequenter in ipsamet dispensatione injungatur, ut quando Pontifex dispensat in aliquo matrimonii impedimento, vel præcepto Ecclesiastico imponendo certam aliquam recompensationem pro justa causa,quamvis nulla alia antecedenter adesset, propter commoditatem ejus, cui fit dispensatio, ità enim fert usus, & praxis Curiæ Romanæ.

184 Fundamentum oppositæ sententiæ facilè solvitur, jura namque adducta causam justam à voluntate Principis non excludunt, cùm illam prudentem,ac rationabilem supponant,nec sine justa causa ad dispensandum induci. Et ad rationem negatur consequentia, licet enim ex sola Principis voluntate legis positio pendeat, non tamen ejus exemptio; sicut ex sola Principis voluntate pendet, quod lex ponatur, vel non ponatur, non tamen quod semel posita non obliget, eo modo quo in nostra est potestate votum emittere, quod tamen semel emissum non est in nostra potestate servare, vel non servare. Dices,si justa causa requiritur, ut quis tuta conscientia à legis obligatione eximi possit, jam opus non esset auctoritate Superioris in lege dispensantis, cùm ipsa causa justa sufficienter à legis obligatione subditum eximat.

Respondeo negando consequentiam, non enim quælibet justa causa sufficit ad excusandum à legis obligatione, sed ea tantùm, quæ ex aliqua occurrente circumstantia legis observantiam reddit illicitam, ac fini, & intentioni legislatoris contrariam;ideoque aliqua justa causa quandoque intervenire potest, quæ ex se sola à legis observantia excusare non sufficiat, sed Superioris dispensatio ulterius requiratur,sine qua subditus legem non servando non erit in conscientia tutus, & securus.

185 Tertia Difficultas est,An Superior licitè,& justè dispensare possit, si de justitia causæ dubitat. Negant aliqui, quorum fundamentum est, quod Superior in tali casu exponeret se periculo dispensandi sine justa causa, ac consequenter peccaret. Alii tamen communius, & probabilius affirmant, sic enim postulat bonum, & suave Ecclesiæ regimen, alioquin Prælatorum potestas multis scrupulorum occasionibus exposita esset, si solùm ad certas causas extenderetur. Tum quia in casu dubio reservato secundùm communiorem sententiam præsumitur Superior facultatem concedere inferiori, ut ab illo absolvere possit; ergo tanto magis in causa dispensandi dubia id asserendum est, si Superior in sua lege dispenset. Ità Sanchez, Amicus,Caspensis, & alii communiter, qui tamen advertunt hoc de dubio speculativo intelligendum esse,non practico, nam qui in causa dubia dispensat,practicè judicare debet, in tali casu licitum sibi esse dispensare, alioquin peccaret dispensando juxta dicta disput. præc. de Conscientia dubia. Nec fundamentum oppositæ sententiæ urget, alioquin idem quoque dicendum esset de dispensatione legis à Superiore ex causa tantùm probabiliter justa, cùm tamen omnes concedant in tali casu Superiorem licitè, & justè dispensare posse; & sic etiam dicendum est in proposito, in dubio siquidem dispensationis, an sit ex justa causa, prævalet certa utilitas boni,& suavis Ecclesiæ regiminis, ut dicebamus, ac etiam spiritualis quietis Superioris dispensantis, vix enim auderent Superiores dispensare, si solùm ad certas causas eorum facultas dispensandi extenderetur.

186 Quartas Difficultas est, An dispensatio ad sui valorem justam requirat causam;quamvis enim omnis dispensatio justa per se sit etiam valida,non tamen è contra omnis dispensatio valida est etiam justa, sed aliqua potest esse valida, & non justa, ut mox patebit. Conveniunt omnes invalidam esse dispensationem datam ab inferiore in lege Superioris sine legitima causa, nec posse dispensatum tuta conscientia illa dispensatione uti, & ratio est, quia Superior non censetur ipsi facultatem dispensandi contulisse, nisi cum causa rationabili, & concurrente legitima causa. Rursus conveniunt dispensationem nullam,& invalidam esse,si ipsemet Superior, qui legem condidit, dispenset in sua lege deceptus ab eo,qui dispensationem petiit, exponente fictam,& falsam causam, & ratio est,quia dispensatio in tali casu subreptitia censetur,& præter mentem Superioris extorta,ideoque dispensatum nihil juvat, quo minus communi lege ligatus maneat, sicut anteà. Difficultas itaque est de superiore, qui legem condidit,& qui sciens,& volens absque legitima causa cum aliquo dispensat. Aliqui Juristæ docent talem dispensationem esse nullam,& irritam,& non dissentit Vasquez p. 2.disp.178. c. 4. Fundamentum est, quia omnis actus limites potestatis excedens est invalidus, cùm nulla potestas extrà suam sphæram validè operari possit; sed dispensatio etiam à Supremo Principe in propria lege facta limites ipsius gubernativæ potestatis excedit; ergo est invalida: major patet, minor probatur, nam Princeps legislativam potestatem cum hac conditione accipit,vel immediatè à Deo, ut Summus Pontifex, vel ab ipsa Republica, ut Princeps sæcularis, ut non nisi in utilitatem boni publici, & aliorum ædificationem ea uti possit.

Confirmatur,quia estò causa illegitima legem humanam tollat,quæ ex sola legislatoris voluntas pendet,non tamen tollit legem naturalem, quæ ex lege æterna vim obligandi habet; nam adhuc sublata lege humana manet naturale dictamen, quod in rebus communibus tenetur quilibet se aliis conformare, quia dedecet partem à suo toto discordare sine justa causa; ergo adhuc sublata lege humana per injustam dispensationem, manet lex naturalis obligans dispensatum ad legem servandam.

187 Communis tamen, & recepta sententia est, talem dispensationem verè validam esse, licet dispensator peccet, ut dictum est, & dispensatum posse simpliciter ea uti absque peccato, dummodò sine scandalo, aut alio detrimento culpam afferente,ità Cajetanus, Sotus, Suarez, Sanchez, Azorius, Tannerus,Palaus,Amicus,Caspensis, Aversa, Lezana, & alii passim. Fundamentum est, quia lex humana non obligat, nisi ex voluntate legislatoris, & ab ipsa pendet in fieri,& conservari itaut possit eam validè tollere etiam pro tota Communitate, ut dictum est art. præced. ergò multò magis poterit validè in ea dispensare cum aliquo particulari, dum enim cum aliquo dispensat, jam non vult eum sua lege obligare. Nec refert, quod obligatio sine legitima causa tollatur,nam ad eam tollendam sufficit, ut reipsa tollatur id, quod causa præcisa obligationis erat, sicut ad tollendam obligationem debitoris erga suum creditorem sufficit, ut reipsa illi debitum remittatur, ex quacunque tandem causa etiam culpabili prodigalitatis illud remitatur; Cùm ergò legis obligatio sit effectus formalis moralis voluntatis ipsius legislatoris,ea quomodocunque sublata, tollitur ipsius effectus formalis, quamvis etiam merè gratis, sine ulla causa tollatur; atque ideò verè illum lex non amplius obligat, talisque dispensatio, & exemptio valida erit. Neque peccabit ille tali utens dispensatione, non quidem contrà legem positivam, quia jam non est; neque contrà naturalem, quia in hoc lex naturalis obligat stante vinculo legis positivæ, nec in tali casu tenetur ex jure naturæ se aliis conformare, quia habet legitimam causam exemptionis,scilicet,dispensationem validam, etiamsi sine causa obtentam. Nec tandem in hoc usu dici debebit peccato Superioris cooperari, qui sine causa dispensavit, quia id non est antecedens, vel comitans, sed prorsus consequens ad peccatum Superioris, ac merè materialiter se habens. Ità probabilius censeo cum Suarez, Vasquez,Caspensis, Silvestro, Aversa,& aliis contrà Cajetanum, Sylvium, Amicum, & alios dicentes utentem dispensatione sine causa scienter peccare saltem venialiter, quia licet non peccet contrà legem humanam, quæ per dispensationem etiam injustam tollitur, peccat tamen contrà legem naturalem, quæ dictat non debere partem absque legitima causa à toto discordare.

188 Ad fundamentum oppositæ sententiæ neganda est minor, ad cujus probationem dicendum est legislatorem duobus modis potestate legislativa abuti posse; uno modo positivè, ut cum subditos obligat ultrà sphæram & limites suæ potestatis,& hic abusus utique invalidam reddit nedùm legis dispensationem,sed etiam legem ipsam, cùm limites excedat potestatis, & juridictionis acceptæ;alio modo privativè,ut cùm non obligata ad aliquid,ad quo ex officio obligare teneretur,& hic privativus abusus dispensationem non reddit invalidam, quoniam ut hæc sit valida sufficit tantùm,ut reipsa legis obligatio non ponatur, ex quacunque causa id contingat, sicut ut valida sit dispensatio cum tota Communitate, seù legis abrogatio sufficit, ut reipsa legis obligatio à tota communitate tollatur,ex quacunque causa id contingat. Itaque hic privativus abusus solùm reddit dispensationem injustam, & illicitam, quia non potest Princeps aliquid facere contrà commune bonum propter privatam unius utilitatem, faceret autem si dispensaret cum aliquo sine causa, quia non decet, ut unus aliquis sine legitima causa eximatur à lege, qua omnes reliqui adstringuntur.

Ad Confirmationem patet ex dictis utentem tali dispensatione sine causa contrà legem naturalem non peccare, quia in hoc lex naturalis obligat stante vinculo legis positivæ, hoc ergo sublato non peccabit, qui non se conformabit communitati in ea lege, in qua ab ipsomet legislatore fuit exemptus, quia nimirum causam habeat legitimam exemptionis, scilicet, dispensationem validam etiamsi sine causa obtentam. Notant autem aliqui totam hanc doctrinam de legis humanæ dispensatione intelligendam esse, nam si dispensatio fiat in jure naturali divino, ut in voto, & absque legitima causa, non solùm peccat

morta-

mortaliter concedens, etiamsi sit Summus Pontifex, sed dispensatio etiam est irrita, & nulla, quia potestas dispensandi non est concessa illi pro libito, sed interveniente justa causa. Quare si Pontifex sine justa causa dispenset in voto, & juramento, quorum obligatio est de jure naturæ, dicunt dispensationem esse nullam. Verùm q. 2. hujus disp. art. 2. n. 53. jam dictum est, nulla potestate humana etiam Pontificis posse dispensari in jure naturali divino loquendo de dispensatione propriè dicta, neque Pontificem sic dispensare solere in votis, & juramentis, sed improprié tantùm modo ibidem explicato, cujus etiam judicium dicebamus esse, quod Pontifex numquam sine causa in his dispenset, quod si absolutè dispensare posset, non necessariò semper causam requireret.

189 Quinta Difficultas est, quale peccatum sit absque justa causa dispensare. & quidem conveniunt omnes hoc peccatum esse vel contrà justitiam distributivam qua tenetur Princeps rationabiliter distribuere, & dispensare beneficia, & onera communia; vel contra justitiam legalem, quæ est virtus bonum commune prospiciens in gubernatione Reipublicæ; vel denique esse peccatum contrà eandem legem, in quà fit dispensatio, quia sicut obligat ad sui observationem, ità & obligat, ne sine causa dispensetur. Discrepant tamen Doctores, an tale peccatum sit mortale, vel tantùm veniale. Suarez l. 6. de legibus c. 18. Valentia t. 2. disp. 7. q. 5. punct. 9. & alii cum ipsis asserunt esse peccatum mortale. Sotus autem l. 1. de justitia q. 7. a. 3. Navarrus in Summa prælud. 9. Sanchez. l. 8. de Matrim. disp. 18. dicunt esse tantùm veniale, & Superiorem sine justa causa in propria lege dispensantem peccare tantùm venialiter. Alii tandem probabilius arbitrantur id ex qualitate legis, ac dispensationis dijudicandum esse, & juxtà capacitatem & gravitatem materiæ, fieri enim potest, ut sit aliqualis causa ad dispensandum, non tamen satis adæquata, & proportionata, ac proindè à mortali fortasse excuset, non tamen à veniali; si etiam ex illa dispensatione scandalum aliquod oriatur, aut damnum temporale, vel spirituale, tunc peccatum erit mortale, si verò nullum ejusmodi scandalum subsit, vel damnum, erit tantùm veniale. Addunt etiam aliqui peccare quoque subditum petendo dispensationem sine causa, quia vel tentat Superiorem fingendo causam, vel tentat inducere ad actum malum nullam exponendo, aut afferendo causam; non tamen peccare, si bona fide, & sincerè causam exponat, quæ sibi sufficiens videtur, reliquendo Superioris arbitrio judicium, an sit verè sufficiens causa, & tunc solus Superior dispensans peccabit, si perspicit, vel perspicere debebat, non esse causam sufficientem. Ità Aversa cum aliis q. 97. sect. 3. & Amicus disp. 6. sect. 7. in fine, ubi etiam notat hoc versari discrimen inter dispensatorem, & dispensatum, quod dispensans quamdiù injustam dispensationem non revocat, dum potest, tamdiù peccat novo peccato, seù eodem peccato continuato, nam secus ac qui rem alienam furto sublatam non restituit, dùm potest. Dispensatus autem, cùm id eis ex officio non incumbat, non tenetur injustæ dispensationis revocationem petere, ac proindè non peccat eam non petendo.

190 Sexta Difficultas est, An cessante causa dispensationis, cesset dispensatio ipsa. Affirmat Sanchez de matrimonio l. 8. dis. 30. sicut enim cessat obligatio legis quando illius causa, & ratio cessat; ut habetur c. *Cum cessante* de appellationibus *cessante causa cessat effectus*; ità in proposito de dispensatione dicendum, quod ejus causa cessante, ipsa quoque dispensatio cesset, velut ejus effectus, undè qui à principio obtinuit dispensationem cum causa justa, si decursu temporis cesset illa causa, peccat utendo tali dispensatione. Negant Poncius l. 8. de Matrimonio c. 20. Caspensis disp. 6. sect. 4. in fine, & alii, quia per illam dispensationem verè relaxata est illa lex, ac ejus obligatio extincta, ac proindè non potest revivisscere, eo quod causa cessaverit. Alii tamen probabilius cum distinctione procedunt. Si enim post obtentam à Superiore dispensationem cesset causa, antequam dispensatio suum habeat affectum, tunc adhuc in suo robore permanere videtur, ut suum possit habere affectum, quando dispensatio aliquod legale impedimentum sustulit, ut in casibus irregularitatis, & impedimentis matrimonii, quia nimirum non reddit impedimentum ritè sublatum, nec impedimentum fuit sublatum ad tempus, vel sub condictione, sed absolutè, & simpliciter, ut supponitur. At si dispensatio excusabat ab observatione alicujus præcepti, quod extenditur per tempus, v. g. à jejunio in Quadragesima, ab horis Canonicis diurnis, tunc cessante causa, utpotè ægritudinis, cessat quoque dispensatio, quia nimirum ab initio supponitur data durante causa infirmitatis, & pro singulis illis diebus, quibus durabat infirmitas. Ita Aversa ad verbum q. 97. cit. sect. 3. & alii plures.

191 Postremò, quid requiratur, ut dispensatio sit valida, & quæ causæ exponendæ ad eam requirantur, & qualiter exponi debeant jam diximus l. 4. sent. dis. 7. de Matrimonio q. 20. a. 2. ubi etiam diximus in exponenda causa, & dispensatione petenda opus esse ità verum narrare, ut non solùm quicquam falsum non proferatur, sed etiam ut non taceatur id, quod ad rem pertinet, & difficiliorem redderet dispensationem, alioquin nulla, & subreptitia erit dispensatio, ità notavimus ibi. n. 521. tractando de impedimentis matrimonii. Alia plura ad hanc materiam spectantia de Dispensationibus videri possunt apud Bonacinam disp. 1 de legibus q. 2. ubi de hac materia diffusè tractat.

ARTICULUS TERTIUS.

An, & quomodo lex cesset per privilegium.

192 PRimò conveniunt omnes legem communem mutari quoque, ejusque vim cessare per privilegium alicui specialiter concessum, nempè vel concedendo aliquid contrà legem, vel saltem ultra, & præter legem communem, undè privilegium dicitur quasi *privans legem* hoc est concedens ut aliquid fiat contrà communem legem, vel saltem ultrà illam, undè definitur c. *Abbate*, de verborum significatione quod sit *lex privata aliquid speciale indulgens*, dicitur autem lex, non quia propriè sit lex, sed quia per modum legis stabiliter conceditur, nec expirat cum morte concedentis, ut præceptum, & quamdiù durat ad modum legis observandum est. Communitas enim servare debet privilegium illi, cui conceditur, dum eo uti voluerit, ut notant Azor. Suarez, Bonacina, Arriaga, & alii communiter. Dicitur *privata*, vel quia non ad omnes, sed ad privatas tantùm personas extenditur, vel quia privilegiatum à jure communi eximit. Dicitur tandem *speciale aliquid indulgens*, quia in privilegio speciale aliquid conceditur, & aliquis favor, qui jure communi non conceditur, alioquin privilegium frustratorium esset, & inutile, nisi aliquod speciale concederetur, ut habetur cap. *In his* de Privilegiis, ubi dicitur de ratione Privilegii esse, ut per illud aliquid speciale ultrà jus commune privilegiato concedatur; undè patet qualiter privilegium legem communem mutet, ejusque vim cessare faciat, nempè vel concedendo aliquid contrà legem, vel saltem ultrà, & præter legem; & privilegium sumi debere, non solùm pro eo, quod conceditur contrà legem, in quo convenit cum dispensatione, sed etiam pro eo, quod est tantùm præter legem communem, vel ultrà illam. Non solùm autem per hoc differt privilegium à dispensatione, sed ex eo præsertim, quod dispensatio datur ad unum tantùm actum, ut ad matrimonium contrahendum cum consanguinea, vel affine; privilegium verò non datur ad unum tantùm actum, sed per modum facultatis permanentis, ac stabilis legis ad plures actus. Quod si dispensatio interdum concedatur per modum legis stabilis, & permanentis ad plures actus, ut de non jejunando toto tempore vitæ, vel de jejunando in ovis, & lacticiniis, talis dispensatio potius habet rationem privilegii, ut notat Amicus disp. 9. sect. 1. ubi etiam eadem ratione dicit privilegium à gratia, seù beneficio differre; quia opus non est gratiam, seù beneficium fieri per modum legis stabilis sed in uno actu salvari potest, cujusmodi sunt liberales donationes, quæ nullum jus tribuunt, sed in mero facto consistunt.

193 Secundò quamvis privilegium verè, & propriè non sit lex, quia lex intendit bonum commune, quod est ejus objectum, privilegium verò bonum privatum intendit, ut ex ejus definitione constat; & privilegium, ut sic non imponit necessitatem, sed affert libertatem, cui conceditur, lex verò obligationem inducit; quamvis, inquam, lex & privilegium valdè differant, in hoc tamen conveniunt, quod illi solum privilegia concedere possunt, qui legem condere possunt, ut idem Amicus cum aliis advertit l. c. & ratio est, quia ut dicebamus, vel privilegium datur contra jus commune, vel saltem præter illud, si primum, sic tantùm ad illum spectabit per privatam legem, qualis est privilegium, in jure communi dispensare, cujus est jus commune condere, & conservare, cùm nemo in jure communi dispensare queat, nisi qui in illud potestatem habet. Si verò privilegium datur præter jus commune, non contrà illud, tunc in concedente privilegium requiritur saltem potestas jurisdictionis in eos, per quos debet privilegium executioni mandari. Quo fit beneficia, favores, & gratias à privatis dominis factas potestatem legislativam non habentibus potius liberales donationes esse quàm privilegium, cùm non habeant condictiones ad naturam privilegii requisitas, quarum præcipua est, ut privilegiatus per publicam potestatem conservari possit in gratia, quam per privilegium acquisivit. Itaque qui potest legem condere, potest privilegium concedere, & poterit Superior concedere privilegium contrà legem Prælati, aut Magistratus inferioris sibi subjecti; non potest tamen inferior contrà legem Superioris

ris privilegium concedere, quamvis in aliquibus casibus possit dispensare, ut suprà dictum est; & ratio deducitur ex proximè dictis, quia nimirum privilegium tribuitur per modum statuti durabilis, dispensatio verò tribuitur ad unum, vel ad alterum actum, quod ex ipso jure, vel consuetudine in quibusdam casibus permissum est, at nec in jure, nec in usu invenitur, ut ullus inferior tale privilegium concedat contrà legem Superioris. Notat etiam Aversa q. 97. sect. 4. posse Principem privilegia concedere, non tantùm suis subditis, sed etiam extraneis non sibi subjectis, quoad loca tamen & bona sibi subjecta, ut v. g. Princeps, vel Rex, qui legem posuit in suo Regno obligantem ad certum tributum solvendum omnes mercem deferentes per suum territorium, potest per privilegium ab hoc onere eximere homines alterius Regni, nec sibi subjectos, & ità de facto Principes sæculares privilegia concedunt Clericis, & Prælatis Ecclesiasticis. Addit tandem ibidem non debere Principem privilegia concedere absque legitima causa, & præsertim illa, quæ juri communi derogant quemadmodum de dispensationibus dictum est ar. præc. talis autem causa regulariter esse solent merita personarum, quibus privilegium conceditur, vel etiam merita antecessorum suorum, & hujusmodi causa sufficiens esse potest, ut privilegium non solùm tali personæ concedatur ejus vita durante, sed etiam posteris, & descendentibus ejus; aut successoribus in tali statu, & officio. Quod si interdum detur absque causa, & ex sola Principis benevolentia, adhuc validum erit, & poterit privilegiatus eo uti tuta conscientia.

194 Tertiò, quamvis varia sint privilegiorum genera; prima tamen, & præcipua divisio est in privilegium reale, & personale, ut colligitur ex L. Privilegia ff. de regulis juris, & ex c. Mandata de præscriptionibus. Personale est indultum ipsi personæ immediatè concessum ratione sui. Reale verò dicitur illud, quod directè conceditur alicui rei, non personæ, ut loco, dignitati, vel officio, vel prædio, & rebus à persona distinctis; quamvis enim omne privilegium in gratiam personæ finaliter, & ultimatè dirigatur, nihilominus aliquando directè, & immediatè cadit suprà rem aliquam à persona distinctam; & hæc distinctio valdè observanda est ob varios effectus, qui ex uno, vel altero privilegii genere deducuntur; nam si privilegium est personale, est ad tempus, & extingui solet cum persona, cui concessum est juxtà regulam 7. juris in 6. *Privilegium personale personam sequitur, & extinguitur cum persona*. Si verò privilegium est reale, & res, cui concessum est privilegium, transeat ad alium dominium, ad eundem etiam transit cum privilegio. Solet præterea dividi privilegium in illud quod datur in favorem unius privatæ personæ, qua talis independenter ab aliis, & hoc per se primò datur incommodum, & utilitatem personæ singularis, ut si Petro v. g. detur privilegium comedendi lacticinia in Quadragesima; & in illud, quod datur alicui communitati, & cuilibet membro illius, ut immunitas Clericorum à sæculari foro, & jurisdictione, & Regularium ab Episcopali; quamvis enim privilegium ex natura sua exigere videatur ut personam privatam respiciat, ut patet ex ejus definitione superius adducta, id tamen moraliter intelligendum est, ut ly *privata persona* dicatur respectivè ad alios non privilegiatos, sic autem Clerici respectu omnium hominum censentur esse quid privatum, & Regulares respectu aliorum Ecclesiasticorum etiam sunt aliquid privatum, ut explicat Arriaga disp. 31. sect. 4. Et hæc etiam distinctio est diligenter observanda ob diversos effectus, qui ex ea colliguntur; nam quando privilegium est privatum, seù in favorem unius privatæ personæ, ille in cujus favorem concessum est, potest renunciare privilegio c. *Ad Apostolicam* de Regularibus, & L. *Si quis* C. de Pactis, quilibet enim juri suo cedere potest, cùm privatum ius sit in uniuscujusque dominio. Privilegio verò dato in bonum alicujus Communitatis non potest privatus renunciare, quia per hoc præjudicare censeretur bono aliorum, non enim potest persona privata cedere privilegio in favorem communis boni concesso, quoties cessio ipsius in præjudicium boni communis redundat; qua ratione Doctores passim asserunt percutientem Clericum etiam consentientem adhuc excommunicatione ligari, quia Clericus non potest cedere privilegio Canonis, quod concessum est statui Clericali, in præjudicium aliorum. Ità Suarez, Salas, Bonacina, Arriaga, Amicus, qui etiam citant Panormitanum, Felinum, Jasonem, Bartolum, Baldum, & alios Juristas, plures. Aliæ privilegiorum divisiones apud citatos Auctores videri possunt.

195 Quartò, ut pateat quanto tempore privilegium duret, dicendum est, quod si indefinitè concessum est absque limitatione temporis, nequaquam cessat per mortem concedentis, sed per se durat in perpetuum; ratio est, quia favor, & gratia non cessat morte concedentis, ut expressum est in jure Canonico c. *Si cui* de Præbend. in 6. & c. *si super* de Officio, & potest. Judicis delegati in 6. privilegium verò est favor, vel gratia Principis concedentis, quarè in hoc se habet ad modum legis, quæ non spirat per mortem Principis. Dixi autem, si privilegium sit indefinitè concessum absque limitatione temporis: nam si privilegium datum sit cum aliqua limitatione illud restringente usq; ad mortem, finitur morte concedentis, ut si dicatur, concedimus hanc facultatem usque ad beneplacitum nostrum, vel ad arbitrium nostræ voluntatis, sicut enim beneplacitum, voluntas, & consensus concedentis per ejus mortem definit, ità & privilegiū; si autem concessio referatur absolutè ad voluntatem ejus, qui in solio sedeat pro quocumque tempore, durat etiam post mortem concedentis; undè multum refert, si Pontifex dicat ad beneplacitum nostrum, vel dicat ad beneplacitum Apostolicæ Sedis, ut expressum est c. *Sigratiosè* de Rescriptis in 6. ità Navarrus, Molina, Azorius, Suarez, Sanchez, Bonacina, Aversa, & alii passim. Si verò loquamur ex parte illius, cui conceditur privilegium, tunc distinguendum est de privilegio, si enim est personale, cessat per mortem illius, cui concessum fuerat, quia privilegium personale est concessum personæ, & censetur inhærere personæ, ideoque desinente persona illud quoque cessare censetur, juxtà illud. Accessorium sequitur principale; si verò est reale, non extinguitur morte illius, cui concessum fuerat, sequitur enim rem ipsam, ut suprà dictum est, & successivè transmittitur ad illos, qui rem ipsam acquirunt, sicut etiam privilegium dignitate, vel officio concessum transmittitur ad illos, qui talem dignitatem, vel officium successivè obtinent, nam officium non extinguitur, & successor suum prædecessorem repræsentat non ut particularem personam, sed ut habentem talem dignitatem, & officium. Ità Doctores omnes citati.

196 Quintò, jam suprà dictum est, privilegium concedi non debere, nisi ex aliqua justa, & honesta causa, quamvis enim ad validitatem privilegii non necessariò causa requiratur, ut etiam de dispensationibus dictum est art. præced. cum privilegium sit liberalis donatio Principis, quæ etiam sine causa valida est, dummodò potestatem ejus non excedat, requiritur tamen ad concessionis honestatem. Hac ergo causa supposita disputant Doctores, an ea cessante cesset privilegium, cum hæc supponatur esse causa motiva, sine qua Princeps privilegium non concessisset; & conveniunt Doctores cessare privilegium, quando ipsius usus ob circumstantiarum variationem iniquus redditur, & injustus, velut usus privilegii infirmo concessi de comedendis carnibus tempore prohibito, recuperata valetudine fit illicitus, & ideò privilegium cessat; undè solùm est difficultas, quando privilegii usus cessante causa, ob quam ab initio concessum fuit non redditur iniquus, & injustus, sed manet indifferens, an tunc privilegium adhuc valeat, & licitè illo uti possimus. Affirmant nonnulli, quia privilegium absolutè concessum transit in dominium privilegiati; ergò nisi ipsius usus reddatur iniquus, & injustus, non cessat etiamsi cesset causa, propter quam ab initio motus fuit Princeps ad illud concedendum; undè privilegium alicui concessum de officio anticipando ob nimias occupationes in publico munere exercendo, non cessat cessante munere, vel occupatione, & privilegium concessum Monasterio decimas non solvendi propter indigentiam, non cessat cessante indigentia, & alia similia adducunt exempla. Ità Suarez, Salas, Aversa, & alii nonnulli. Negant alii quorum fundamentum est quia non minus honestam causam requirit privilegii usus, quàm ejus concessio, quoniam usus est finis, propter quem Princeps requirit in concessione privilegii honestatem; ergo ea in usu cessante cessat Principis intentio privilegium concedendi. Nec refert, quod Princeps videatur privilegium absolutè concedere, nam semper illud præsumitur concedere sub tacita condictione, si honesta causa non cessaverit, propter quàm à principio concessum fuit. Ita Sanchez, Sylvius, Bonacina, Amicus, & plures alii.

197 In hac controversia media via incedendum est, & cum distinctione assignata ab Arriaga d. 34. sec. 1. ubi observat duplicem esse posse causam finalem, seù motivum concedendi privilegiū, unam per modum meriti, aliam verò per modum rei repugnanti quodammodo cum legis observatione, ob quam opus fuit in ea lege per privilegium dispensare; ut v. g. si alicui eximio Doctori, vel Duci ob præcedentes labores, etiamsi alioqui sanus perfectè sit, daretur privilegium non jejunandi, utique hoc privilegium censeri debet collatum per modum præmii ob doctrinam, & labores pro Regno, Rege, vel Ecclesia toleratos; at si alicui datur privilegium non jejunandi ob corporis debilitatem, certè talis causa non est per modum meriti; sed quia repugnat quodammodo cum jejunio; similiter si alicui Sacerdoti in negotio magni momenti occupato datur privilegium non orandi, non datur per modum præmii, sed quasi ex contrarietate aliqua orationis, & negotii. Quandò ergo causa concessi privilegii fuerunt merita ipsius personæ, labores, obsequia &c. censeri debet privilegium manere, etiamsi cesset prædicta causa,

ausa, nec amplius præstet nova obsequia, quando enim Rex aliquem efficit Comitem, & Ducem ob facinora in bello patrata, favor ille durat, etiamsi posteà nihil amplius efficiat, quia meritum illud condignitatem habet pro duratione perpetua premii, & in tali casu meritò dici potest causa privilegii semper durare, quia illud meritum æquivalenter durat ratione suæ condignitatis, undè quamvis causa privilegii physicè cessaverit, adhuc tamen moraliter permanere censetur.

198 Quando autem causa concessi privilegij est secundi generis, scilicet, per modum repugnantiæ alicujus cum opere, à quo per privilegium homo eximitur, tunc cessante causa dicendum est etiam cessare privilegium. Et ratio est, quia causæ hujus secundi generis nihil post se physicè, vel moraliter relinquunt, quod petat ejus privilegii continuationem, nam ea contrarietas omninò cessat cessante debilitate corporis, vel negotiorum occupatione; undè tale privilegium meritò comparari potest privilegiis sub conditione concessis, quæ in omnium sententia cessant conditione cessante, ità enim hæc dantur sub hac tacita conditione, ut verbi gratia concedo, ut non jejunes, quandiù debilitate corporis impeditus fueris, concedo, ut non ores, quandiù gravi negotio occupatus fueris, & hoc solum probat ratio adducta pro secunda sententia, si benè perpendatur. Neque oppositum probat exemplum pro prima sententia adductum de privilegio alicui Sacerdoti concesso de officio anticipando ob nimias occupationes in publico munere exercendo, quia eadem est ratio de occupatione respectu anticipationis officii, quæ est de corporis debilitate in ordine ad non jejunandum, ut ait Arriaga l. c. Vel etiam admitti potest sine læsione hujus secundæ partis asserti, quia privilegium de divino officio anticipando quacunque levi causa honestari potest, undè concessum ob nimias occupationes in studiis, vel alio munere exercendo non cessat cessante tali causa, quia censentur Pontifex illud absolutè concedere, & non sub conditione, cum ex quacunque levi causa illud honestè concedere possit; hoc autem dici nequit de privilegio concedendi carnes tempore prohibito ob corporis debilitatem recuperata valetudine. Ad aliud verò exemplum de privilegio non solvendi decimas, dicendum est privilegium illud omninò cessare, si unica illius causa fuit defectus sustentationis Monasterii; quia verò in similibus Pontifex non solùm eam sustentationem intendit; sed etiam Religiosis facere favorem aliquem per modum præmii ob singulares eorum labores in Ecclesia, ideò cessante eorum indigentia non ob id pereunt similes concessiones, & privilegia.

199 Sextò tandem externa forma privilegii duplex esse potest, una tantùm verbis, altera etiam scripto explicata, quæ sanè confert ad firmiorem, & securiorem notitiam, ac faciliorem privilegii probationem in externo foro, nam licet hæc necessaria non sit ad privilegii substantiam, est tamen consueta, & moraliter necessaria, ut ex ea concedentis intentio colligi possit, quæ ex sola voce Principis sufficienter haberi nequit, cùm solis verbis Principis in foro externo relatis fides non adhibeatur, nisi sufficientibus testibus confirmentur. Potest tamen etiam Princeps privilegia concedere, & interdum etiam solo verbo concedit, quod quidem non minus valet, quia nimirum Principis voluntatem, & mentem exprimit, ex qua tota vis privilegii dependet, ac emanat, idque expressè habetur in jure Canonico c. *Institutionis*, 26. qu. 2. Hæc autem externa privilegii forma triplici parte constat supplicatione, concessione, & declaratione, & quamvis substantia priuilegii in sola concessione consistat, qua Princeps suam voluntatem exprimit, & promulgat; hæc tamen ipsa concessio ex antecedente petitione, subsequente declaratione valdè dependet, nam per illam qualitas, & natura privilegii maximè colligitur, cùm præsertim ex causa finali, & motiva dependeat, per hanc verò vis, & efficacia privilegii ad suos effectus operandos explicatur. Alia plura ad hanc materiam spectantia de Privilegiis videri possunt apud Suarez, Amicum, Bonacinam, Arriagam, & alios Auctores de hac materia ex professo tractantes.

ARTICULUS QUARTUS.

An, & quomodo lex cesset per contrariam consuetudinem.

200 PRimò, ut à quid nominis exordium sumamus, per consuetudinem hìc intelligitur frequentia, & repetitio consimilium actuum, ac dicitur etiam usus, mos, & praxis, undè ab Isidoro apud Gratianum d. 1. c. *Consuetudo* ita vocatur, quia in communi est usu. Consuetudo autem sic sumpta licet derogare non possit legi naturali, quæ est prorsus immutabilis, & simpliciter necessaria, nec legi positivæ divinæ, cum hæc totaliter divinæ auctoritati nitatur, habet tamen vim abrogandi leges humanas, quod clarè deducitur ex cap. ult. de Consuetudine, vbi Gregorius Nonus declarat posse consuetudinem aliquam *juri positivo præjudicium generare, si rationabilis fuerit, & legitimè præscripta*, quibus verbis fatetur Pontifex consuetudinem cum his conditionibus habere vim abrogandi legem positiuam humanam; de qua ibi loquebatur. Prima est, ut sit rationabilis, nec poterit certiori regula explicari, quæ sit consuetudo rationabilis ad abrogandam legem, nisi quando sufficiens ratio apparet, & motivum ad eam mutandam, & abrogandam. Altera est ut sit legitimè præscripta, hoc est, ut tanto tempore duraverit, quanto ad legitimam præscriptionem adversus ipsam legem opus est, non enim statim ac incipit dissuetudo legis censeri debet lex abrogata, quinimò censent aliqui verè peccare illos qui legem violant, donec sufficiens tempus excurrat, quo lex iam abrogata censeatur. Aliqui tertiam addunt conditionem, nempè ut consuetudo non sit in ipso jure reprobata, reprobatur autem ipsa consuetudo in jure, quando expressè dicitur per hoc idem verbum, Reprobamus, aut improbamus, vel vocatur iniqua consuetudo, aut corruptela, aut abusus, vel aliis similibus modis. Verùm quia hoc pacto consuetudo declaratur, vel constituitur eo ipso irrationabilis, & nunquam censebitur per tacitum Principis consensum acceptari, ideò hæc tertia condictio ad duas præcedentes reducitur, ut notat Aversa q. 97. sect. 7.

201 Secundò est Difficultas, undè consuetudo hanc vim habeat, scilicet, à consensu solius populi, an verò requirarur etiam scientia, & consensus Principis, sivè ille Princeps sit sæcularis, sivè Ecclesiasticus, de quo plures extant opiniones apud Becanum tr. 3. c. 7. q. 2. Sed breviter dicendum est cum Aversa l. c. & aliis, quod vel consuetudo est apud populum liberum habentem absolutam potestatem condendi leges, & sic ex auctoritate ipsius populi consuetudinem introductam vim habere; vel est apud populum Principi subditum, cui inest potestas condendi leges, & sic consuetudo valet ex consensu, & approbatione ipsius Principis; & hic est communior, ac tutior dicendi modus, ut inquit Aversa, non solum quoad res Ecclesiasticas, sed etiam quoad civiles in quibus licet Principum potestas ex voluntate populi originem duxerit, ità tamen est Principibus collata, ut non liceat populo eam amplius repetere, & sibi usurpare, ut in Superioribus dictum est, atque adeò tota vis consuetudinis ex consensu Principis præsertim dependet, & expressione, quæ habetur in ipso jure à Principe condito. Potest autem Princeps tribus modis in consuetudinem consentire, ut observat Becan. l. c. & Caspensis disp. 6. sect. 3. Primò expressè, quando, scilicet, Princeps expressè consentit, aut dat licentiam ad consuetudinem introducendam legi contrariam, aut illam approbat. Secundò tacitè, quando nimirum Princeps scit consuetudinem, & dissimulat, seù non contradicit, cùm commodè contradicere posset. Tertiò tandem modo legaliter, seù juridicè, & hic consensus datur per legem, seù jus, quatenus Princeps statuens aut sciens consuetudinem habentem præfatas conditiones à jure approbari, eo ipso dicitur consentire juridicè, seù aliqua ratione tacitè in cõsuetudinem illis conditionibus affectam; tunc enim lege communi approbare censetur omnem consuetudinem secuturam, & tamen fieri potest, ut postea in particulari nesciat de hac, aut illa consuetudine introducta, quam tamen tacitè approbare præsumitur, quia semel expressè approbauit omnes consuetudines rationabililes, & legitimè præscriptas, ut patet ex c. final. cit. de Consuetudine; licet ergo ad valorem consuetudinis consensus Principis requiratur, ut vim habeat abrogandi, vel statuendi legem, non tamen est necessarius consensus expressus, sed tacitus, & juridicus quoque sufficit; cum taciti, & expressi eadem sit natura, & cõdictio, & hoc totum est de mente Scoti 3. d. 39. q. un. D. ut Vulpes aduertit disp. 8. ar. 3.

202 Tertio, est Difficultas, quantum temporis requiratur ad consuetudinem introducendam, quæ vim legis habeat, aut legem latam abrogare possit; de quo etiam plures sunt opiniones apud eundem Becanum l. c. qu. 3. Sed breuiter dicendum est cum eodem, quod quando consuetudo introducitur à populo cum expresso Principis consensu, tunc opus non est expectare tempus à jure determinatum, quia consensus Principis, & ejus expressa voluntas non minorem vim habet, quàm lex scripta certum tempus determinans; tum quia expressa Principis volũtas per se potest abrogare legem; ergò tantò magis si fuerit conjuncta cum voluntate populi consuetudinem introducentis legi scriptæ contrariam; quando autem consuetudo introducitur à populo cum tacito tantùm, vel præsumpto Principis consensu, tunc servandum est tempus à jure determinatum, quando enim Princeps expressè non consentit, tunc non præsumitur consentire, nisi evoluto tẽpore à jure determinato, quia præsumitur velle servare ea, quæ jure communi statuta sunt. Quod verò sit tempus

pus à jure determinatum, dissentiunt Auctores, ut diximus; Communior tamen dicendi modus, & apud Theologos magis receptus est, ordinariè requiri decennium ad præscribendum contrà legm civilem, quadraginta verò annos adversus Ecclesiasticam. Et ratio est, quia ad præscribendum contra legem tempus longum requiritur, tale autem in jure civili decennium esse censetur ex L. *Super longi*. Cod. de præscriptione longi temporis, in jure autem Ecclesiastico ordinarium præscriptioni tempus censetur esse quadraginta annorum, ut constat ex c. *De Quarta*, & ex c. *Ad aures* de Præscript. Ità Sylvester, Azorius, Corduba, Suarez, & alii apud Layman tract. 4. de legibus c. 24.

203 Quæres, an toto tempore præcedente, quod est infrà decem, vel quadraginta annos, peccent subditi, qui introducunt consuetudinem contrà legem Principis. Aversa q. 96. c. sect. 2. Caspens. l.c. Bonac. cum plurib. aliis censent verè peccare illos, qui legem violant, donec sufficiens tempus excurrat, quo jam censeatur lex abrogata, ut suprà dictum est, quia toto illo tempore adhuc viget lex, & consuetudo contraria nondùm est firmata, ergò illo tempore peccatur contrà legem. Sed probabilius mihi dicendum videtur cum Bec. loc. cit. aliud esse loqui de foro externo, & aliud de interno. Cùm ergo dicimus tempus determinatum requiri ad consuetudinem legitimè introducendam, hoc præsertim de foro externo intelligendum est, nam consuetudo in tali foro vim non habet, nisi post decem annos contrà legem civilem, aut quadraginta contrà Ecclesiasticam, quia nemo coram Judice potest se defendere per consuetudinem, nisi sit legitimè introducta. Aliter autem res se habet in foro conscientiæ; nam subditi in conscientia securi sunt, quando consuetudo ita invaluit, ut plerique etiam boni viri eam sequantur, etiamsi nondùm sit legitimè præscripta, & hunc dicendi modum, ut probabiliorem, & minus scrupulis obnoxium sequuntur plures alii Theologi, & Juristæ.

204 Quartò, ulterius habet vim consuetudo non tantùm abrogandi legem præcedentem, ut dictum est, sed etiam vim inducendi novam legem, & obligandi singulos ad observandum deinceps id, quod moribus, & usu introductum est; non secus atque id, quod jure scriptum est, vel voce à Principe jussum. Ità habetur in jure civili ff. de legibus, & C. Quæ sit longa consuetudo, & in Jure Canonico in Decreto, & in 6. Decretal. cit. de Consuetudine, quæ definitur ab Isidoro loc. cit. ab initio articuli: *Jus quoddam moribus constitutum, quod pro lege suscipitur, cùm deficit lex*, & patet ex ipsa praxi, & usu communi omnium populorum in gubernatione politica, & fidelium in gubernatione Ecclesiastica, undè D. August. Epist. 86. ad Casulanum inquit: *Mos populi Dei, & instituta majorum pro lege sunt tenenda, & sicut prævaricatores legum divinarum, ità & contemptores consuetudinum Ecclesiasticarum coercendi sunt*. Ad hoc autem ut consuetudo aliqua vim legis obtineat, quatuor præsertim conditiones requiruntur, duæ nimirum relatæ, ut vim habeat abrogandi legem præcedentem, scilicet, ut sit rationabilis, & bono communi utilis, ut habetur c. *Erit autem lex*, ut enim vim legis habeat, præcipuas, & magis necessarias legis qualitates habere debet, quarum principalis est, ut sit rationabilis, & bono communi expediens, ut patet ex dictis. Altera est, ut tempore aliquo diuturno duraverit modo jam explicato, non enim statim ab initio obligat. Tertia, ut consensus saltem tacitus, vel juridicus legislatoris, vel Principis interveniat, ut etiam nuper explicatum est, quia nemo legem statuere potest, nisi is, qui potestatem habet leges ferendi; ergo absque Principis consensu non potest induci consuetudo, quæ vim legis habeat. Quarta denique ut consuetudo illa servetur à populo, vel majori ejus parte quasi ex obligatione, seù animo obligationis introducendæ. Dupliciter enim consuetudo introduci potest; primò per modum tantum devotionis, & consilii, secundò per modum etiam obligationis, & præcepti, & hoc secundo modo debet introduci consuetudo, ut faciat legem, scilicet, ut actus ille, qui est in consuetudine, in executione ponatur cum animo satisfaciendi, non tantùm devotioni, sed etiam obligationi. Undè quamvis in Ecclesia sint plurimæ consuetudines piæ, ac rationabiles, & jam diuturno tempore etiam à Superioribus approbatæ, vim tamen legis non obtinent, ut nempè ad sonum Campanæ statis horis B. Virginem salutare, in ingressu templi frontem aqua lustrali aspergere, in prima die Quadragesimæ cineres suscipere, quia nimirum hæ, & similes consuetudines ex liberali tantùm affectu, & devotione, non verò ex ulla inducendæ obligationis voluntate inchoatæ sunt, & continuantur. Quando verò dubitatur, an consuetudo ex animo tantum devotionis, vel etiam se obligandi fuerit introducta, præsumendum est consuetudinem potius esse devotionis, quàm obligationis, quia hoc est dubium juris, in quo melior est conditio possidentis, nemo enim in dubio præsumitur velle obligari, neque expedit præcepta multiplicari, ubi moraliter certa non sunt. Quæ verò conjecturæ in hoc casu efficaces censeantur ad persuadendum consuetudinem animo obligandi fuisse introductam, ex judicio, & existimatione ejusdem populi, ac præsertim virorum prudentum discernendum est. Ità Auctores omnes suprà relati; & hoc totum etiam est de mente Doctoris nostri loc. cit.

205 Postremò solvendæ sunt aliquæ difficultates, quæ præcedentem doctrinam impugnare videntur, quod consuetudo possit habere vim immutandi leges abrogando priores, & novas inducendo. Ratio dubitandi est, quia lex necessariò debet esse conformis rationi, & bono communi expediens; non potest ergo consuetudo, quæ legem abrogat, esse rationabilis, & justa, non enim justum justo, nec rationabile rationabili contrarium est. Secundò, quia non potest talis consuetudo introduci, nisi cùm Principis consensu, sed Princeps non potest justè in suæ legis transgressionem consentire, quæ justa esse supponitur, undè quamdiù durat necessario est rationabilis, & Princeps vult eam observari, nec in ejus transgressionem consentire censetur. Tertiò quia talis consuetudo semper incipit à peccato, non enim inchoari potest, nisi per justæ legis transgressionem, sicut ergo præscriptio, quæ mala fide incipit, valida non censetur, ità nec consuetudo, quæ cùm peccato incipit. Quartò tandem, quia propter has causas in jure civili videtur prohibitum esse, ne consuetudo legem abroget, ac etiam in jure Canonico, nam L. 2. C. *Quæ sit longa consuetudo*, & c. *Consuetudinis*, d. 11. dicitur consuetudo adversus legem non prævalere.

206 Respondetur cum Suar. Becano, Caspensi, Lezana, & aliis consuetudinem in duplici statu considerari posse; primò in sui principio, & in fieri, quando scilicet, legi adversatur, nec censetur conveniens bono publico, nec Princeps illi adhuc præbet assensum, & loquendo de Consuetudine in hoc statu utique non est rationabilis, sed potius irrationabilis, & peccaminosa, ac propterea non potest legem abrogare, nec novam inducere in tali statu. Secundò considerari potest consuetudo in facto esse, ac veluti in fine, quando scilicet, jam propter aliquas rationes censetur jam bono publico conveniens, præsertim eo quod lex contraria peccandi occasionem præbet, & populo difficile est eam observare, aut consuetudinem inchoatam removere, & propterea Princeps illi assensum præbet tacitum, vel expressum; & in hoc secundo statu consuetudo inspecta rationabilis est, ac honesta, & potest Principi placere, & legem introducere antiquæ contrariam, ex qua doctrina ratio adducta cum suis Confirmationibus facilè solvitur, nam licet lex, quæ diù durat rationabilis sit, adhuc tamen etiam consuetudo illi contraria rationabilis esse potest, non quidem in primo statu, dum legi adversatur, sed in secundo, quando legem tollit, optimè enim stat consuetudinem incipere irrationabiliter, si autem multò tempore duret, tractu temporis reddi posteà rationabilem, quia jam est rationi consonum, & Reipublicæ expediens, ut culpa non progrediatur ulterius, & ut Cives tanto tempore non obligentur ad rei difficilis observantiam.

207 Ad 2. negatur minor, etenim, ut inquit Arriaga disput. 25. sect. 2. in fine, potest benè Princeps aliquando intuitu actus mali, ut conditionis, honestissimè legem à se latam abrogare, etiam per expressam voluntatem, si enim legislator videat eam esse occasionem gravium peccatorum, ne illa mala sequantur, poterit eam tollere, & hoc motivum frequenter intervenit in abrogatione legis per consuetudinem contrariam, neque inconveniens est aliquid facere occasione alicujus mali, dummodo id, quod fit, bonum sit, undè talis abrogatio legis ob finem illud honestum rationabilis esset. Ad 3. negatur consequentia concesso antecedente, potest enim interdum consuetudo per actus peccaminosos inchoari, quæ tamen posteà longo populi usu, & consensu Principis tacito, vel expresso justæ legis vim obtineat; potest enim populus ab initio sine sufficienti causa contrà Principis legem agere, ac proindè peccaminosis actibus consuetudinem inchoare, quæ posteà bona fide à posteris, qui Majorum causam examinare non tenentur, longo tempore continuata vim justæ legis obtineat, ut observat Amicus disp. 8. sect. 4. propè finem. Nec valet paritas assumpta de præscriptione, & consuetudine, quia præscriptio dicitur quid facti, quo aliquis acquirit dominium rei alienæ, consuetudo autem est quid juris, inducit enim jus, & legem; item ad præscriptionem sufficit factum, vel usus privatæ personæ, consuetudo autem requirit usum populi, & Principis consensum expressum, vel tacitum; & tandem præscriptio non est valida sine bona fide; consuetudo verò necessariò bonam fidem non requirit saltem ab initio, nam consuetudinem introducere incipientes peccant, cum faciant contrà legem, quæ adhuc in illo principio viget. Ad ultimum lex illa in argumento relata intelligi debet de consuetudine debitas conditiones non habente, & à multis Juristis intelligitur de populari consuetudine contrà voluntatem, & legem

Princip.s

Principis introducta, hæc enim legem abrogare non potest, non autem intelligi debet de consuetudine ex consensu expresso, vel tacito ejusdem Principis introducta, hæc enim non solùm vim habet interpretandi leges latas, & mentem legislatoris, ut habetur L. *Si de interpretatione*. ff. de legibus *Optima est legum interpres consuetudo*, sed etiam immutandi leges abrogando priores, & novas inducendo, ut Vulpes ostendit disp. 8. cit. a. 3. etiam de mente Doctoris pluribus in locis, & hæc etiam omnia hactenus de Consuetudine dicta docet Astesanus l. 1. tit. 47.

ARTICULUS QUINTUS.

An, & quibus aliis modis lex cessare possit.

208 PRimò certum est apud omnes Doctores legem humanam cessare quoad obligationem ex parte materiæ, quando nimirum ità mutatur materia, ut fiat penitus impossibilis, vel adeò ardua, & intolerabilis, ut moraliter exerceri nequeat, vel si ex mutatione status rerum fiat iniqua, & prava, aut taliter vana, & inutilis, ut ad bonum commune, & rectam gubernationem evadat impertinens. Et ratio de se est evidens, quia cum lex essentialiter petat esse de re, seù materia possibili, justa, & bono publico expedienti, si talis non perseverat, nec lex perseverare censenda est, undè in tali casu necessaria non est legislatoris voluntas, qua talem legem abroget, vel revocet, aut in ipsa dispenset, sed lex ex seipsa cessabit, nam ab initio ipse legislator censeri debet non habuisse intentionem obligandi, nisi materia durante in illo statu, quo erat obligationis capax, quarè si posteà incontrarium statum mutetur, eo ipso in totum cessabit lex, nec amplius obligabit. Quod si materia legis plures habeat partes, & quoad unam tantùm partem fiat impossibilis, vel injusta, non autem quoad aliam, tunc lex cessabit quoad illam tantùm partem, non quoad alteram, quæ possibilis remanet, & justa. Et hoc totum intelligi debet, quando adeò certa est, & perspicua talis mutatio materiæ, ut communi judicio censeatur lex simpliciter cessare ex toto, vel ex parte; si enim res sit dubia, lex adhuc suum jus retinet, & est veluti in possessione, atque ideò pro illa judicandum est, ità communiter Doctores.

209 Secundò est Difficultas, An cessante causa adæquata, sivè fine adæquato legis in casu particulari, cesset obligatio legis respectu talis particularis. Dixi *causa adæquata*, nam si lex lata sit ob plures causas, cessante una etiam in universum, modò non cessent aliæ, propter quas lata est lex, non cessat legis obligatio. Dixi *in casu particulari*, nam cessante adæquata causa in universali, certum est cessare etiã legis obligationem quia cessante adæquata causa universali, cessat materia legis, ac proindè ejus obligatio. Potest autem causa, vel finis legis dupliciter cessare, nempè vel contrariè, quando scilicet, lex contrarium finem sortiretur, itaut quod prius justum erat, injustum fiat; vel tantum negativè, & non contrariè, quando, scilicet res non transit in contrarium statum, quo legis observatio fiat impossibilis, aut iniqua, aut nimis noxia, vel ardua. Difficultas ergo est quando finis cessat tantum negativè, quia quando cessat contrariè, tunc certum est legem quoq; cessare, tunc enim lex fit injusta. Prima opinio universaliter affirmat cessante fine legis quomodocunq; & in quocunque casu, legem quoque cessare. Ratio est, quia ut habetur c. *Cessante* de appellationibus: *Cessante causa cessat effectus*, & sicut lex ab initio non subsisteret, si absque causa, & ratione lata esset, ità desinente causa & ratione, ob quam lata est, ipsa etiam esse, ac proindè obligare definit. Confirmatur, quia ità se habet lex in universali ad causam generalem respectu omnium, sicut lex in particulari ad causam specialem respectu personæ singularis; sed quando causa legis cessat universaliter cessat obligatio legis respectu omnium; ergo quando cessat causa legis in particulari, cessat obligatio legis respectu talis personæ particularis; ità Cajetanus, Angelus Navarrus, Henriquez, Emanuel Sà; Granadus, Diana, Hacquetus, & alii ex D. Thom. p. 2. q. 103. ar. 4.

210 Oppositа sententia, quæ communior est, ac probabilior, negat cessare obligationem legis per hoc solum, quod merè negativè cesset in casu particulari ratio, & finis legis. Ità Suarez, Amicus, Aversa, Caspensis, & reliqui Theologi, ac Summistæ. Fundamentum est, quia certum est posse legislatorem subditos ad legem servandam obligare, etiam quando in particulari cessat ratio legis, modò non cesset ratio legis in universali. Sed præsumendum est legislatorem velle subditos obligare ad legem servandam, etiam quando in particulari ejus causa cessat, modò non cesset causa in communi; ergò &c. Major patet, quoniam ad omne id potest legislator subditos obligare, quod ipse prudenter judicat ad bonum publicum conducere. Minor probatur, quia sine dubio erat in legislatore potestas, & putari debet etiam fuisse voluntas obligandi pro iis casibus in particulari, siquidem talis obligatio non est nimis ardua, & inhumana, cùm tunc legis observatio grave nimis incommodum non afferat, & valdè ad bonum publicum promovendum conferat, nec cuique præbeatur licentia enervandi legem per hoc solùm, quod hic, & nunc ratio legis cessare videatur. Confirmatur, quia valdè expedit ad bonum commune, ut permanente in universum respectu Communitatis ratione, & fine legis, semper à singulis observetur, alioquin gravia sequerentur incommoda, v. g. si supponamus rationem adæquatam, qua Ecclesia permota est ad legem ferendam pro jejunii Quadragesimalis observantia, fuisse carnis mortificationem, & motuum inordinatorum appetitus, hæc lex proculdubio negative cessaret in eo, qui ex speciali Dei auxilio nullum talem inordinatum motum pateretur, atque ideò dicendus esset ad Quadragesimale jejunium non teneri, quod planè absurdum est dicere, nam istè profectò adhuc ad illud teneretur, sicut, & cæteri fideles, quia esset valdè contrarium bono communi, si propter illam solam causam à tali lege immunis esset, cum adhuc maneat ratio universalis, ob quam expedit etiam ab isto talem legem servari.

211 Ad fundamentum in oppositum dicendum est in eo c. sermonem esse de cessatione causæ legis in universali, non autem in casu particulari tantùm. Neque currit absumpta paritas, nam cessante causa legis in universum, non potest amplius legis observantia utilis esse neque respectu communitatis, neque singulorum; at cessante causa in uno particulari, adhuc legis observantia utilis esse poterit respectu aliorum, qui ad legis observantiam magis animantur, quando vident eam ab omnibus servari. Addit tamen Amicus dis. 7. cit. sec. 4. propè finem, cessante causa legis in casu particulari licitum interdum esse posse ex benigna interpretatione voluntatis legislatoris eam non servare, etiamsi honestè servari posset, quando scilicet, ex hujusmodi causæ particularis cessatione lex redditur notabiliter gravis, & servatur difficilis ei, cui legis ratio cessat; nam in tali casu non diceretur lex cessare respectu illius negativè tantùm, sed etiam aliquo modo contrariè, quatenus legis observatio fieret ei notabiliter gravis & ardua.

212 Tertiò conveniunt Doctores legis servandæ obligationem in aliquo causa particulari cessare posse per ipsius legis emendationem, & correctionem, quæ fit per virtutem illam, quam Theologi Epichejam vocant, cujus proprium est legem humanam universim aliquid præcipientem, in aliquo casu particulari, in quo cessat illius obligatio, vel interpretari, vel emendare, ut docet D. Tho. 2. 2. q. 120. art. 1. & significat Scotus 1. d. 44. q. un. ubi ait, quod lex est de universalibus casibus, de particularibus autem non lex, sed judicium; cùm enim in ferenda lege legislator communem spectet utilitatem, ad id præsertim attendit, quod in pluribus accidere solet, undè aliqui casus occurrere possunt, ut notat Astesanus noster l. 2. ti. 31. in quibus lex ipsa deficiat, itaut, non solùm tunc non obliget ad ejus observantiam, sed ne quidem ejus observatio licita sit, ut posteà explicabimus; & in talibus casibus cessat obligatio legis ob materiæ mutationem, & variam rerum contingentiam, permanente adhuc lege universali in suo robore, & tunc dicitur lex emendari, vel corrigi pro illis casibus, itaut ipsis subditis, & privatis hominibus liceat proprio judicio, vel doctiorum consilio legem non servare, & contra verba legis agere, & tunc obligatio legis dicitur cessare per Epichejam, qua in legibus judicamus, qui eventus non cessantur eis legibus comprehensi, eo quod si de illis in particulari legislator interrogatus fuisset, quando legem condidit, respondisset suam mentem non esse, ut comprehenderentur, & ità notavit Arist. ipse 5. Ethic. c. 10. his verbis *Quando igitur lex in universum dixerit, & præter universale potest quidpiam contingere, tunc rectè se habet, si quæ legislator omisit, corrigatur defectus, id quod legislator etiam ipse, si adesset, dixisset, & si sciviſſet, ita præscribentem legem instituisset*. Et hæc dicitur emendatio, seù correctio legis, non quidem quoad mentem legislatoris, sed quoad externa verba, quæ sensum quidem universalem reddebant, sed tales casus particulares excipi debent. Undè Epicheja, seù legis emendatio idem est, quod æquitas, ut ait Arist. l. c. ubi æquitatem sic definit; *Æquitas est emendatio legis in ea parte, qua lex deficit, ob aliquem peculiarem eventum, in quo casu, si legislator adesset, ità dixisset*. Ex quo infertur æquitatem, & Epichejam solùm contrà legem scriptam locum habere, quæ universalibus verbis communiter fertur, ac proindè occurrente aliquo particulari casu deficere solet, non verò contrà legem æternam, & naturalem quæ in verbis non consistit, sed ipso dictamine intellectus divini, & humani, atque ideò nunquam etiam in aliquo particulari casu deficere potest.

213 Itaque tunc Epicheja locum habet contrà legem, quando lex deficit contrariè in casu particulari, tunc autem deficit

lex

lex contrariè, ut suprà explicatum est, quando aliquis casus accidit, in quo non tantùm ratio legis cessat, sed etiamsi fieret id, quod lege præcipitur peccatum esset, v. g. lex præcipiens depositum reddi Domino suo justa est, & tamen aliquando contingere potest, ut furiosus arma deposita deposcat ad sui, vel alterius necem, vel proditor ad patriæ impugnationem, in quibus casibus deficit lex contrariè, quia restitutio depositi quamvis sit lege præscripta, tunc est contra rationem, ac proindè illicita, & ideò tunc opus est legem illam interpretari, vel emendare, legislatoris potius mentem, quam verba sequendo, quia in illis casibus sine peccato lex observari non potest. Hinc Cælestinus Papa c. *Humanæ aures* 22. q. 5. ait, quod *non debet aliquis verba considerare, sed intentionem, ac voluntatem, quia non debet intentio verbis deservire, sed verba intentioni*. Rursus non solùm licitum est Epicheja ut in casu, in quo obedire legi peccatum esset, sed etiam in casu, quo esset grave nimis, & difficile ob aliquod grave damnum indè resultans, ut notant Suarez, Aversa, Caspensis, & alii; nam hac sola ratione interpretamur Ecclesiæ jejunia tempore ægritudinis non obligare, neque præceptum audiendi sacrum, vel observationis festorum, si grave damnum hinc immineret honoris, vitæ, vel rei familiaris, justè enim per virtutem Epichejæ in his, & similibus casibus interpretamur mentem, & voluntatem legislatoris, quod obligare noluerit, quia in similibus casibus lex peccaret, si ad rem ità difficilem obligare vellet, & adeò duram imponere obligationem. Hoc autem, quod diximus, interdum licitum esse emendare legem, & agere contrà verba legis; intelligendum est, quando certo constat observationem legis in tali casu fore ità iniquam, aut arduam, ut legislator non putaverit pro tali occurrentia obligare, vel saltem judicium probabile ferri possit, quod talis casus sub lege non comprehendatur, neque lex tunc obliget juxtà sonum verborum, adhuc enim homo in tali casu ab obligatione legis excusatur, quia rationes probabiles habet suadentes talem casum sub lege non comprehendi; qui autem opinionem sequitur probabilem non peccat, ut constat ex dictis disp. præced. At si res fuerit dubia, & perplexa, consulendus est Superior, si ad ipsum pateat aditus, & tempus id permittat, si verò periculum est in mora, & Superior consuli non potest, tunc lex servari debet, quia nimirum lex tunc suam vim possidet juxtà sensum verborum, nec ex conscientia practicè dubia operari licet, ut dictum est disp. cit.

214 Quartò tandem dicendum est, legem quoque cessare posse per interpretationem ipsius; & ratio est, quia interpretatio idem est, quod declaratio legis, quod ad hunc, vel illum casum extendatur, vel non extendatur; si ergò declaretur ad aliquem casum non extendi, utique pro casu illo lex cessare censenda est; quia lex suam vim solùm habet in casibus ad quos extenditur. Differt autem interpretatio ab emendatione legis, quæ fit per Epichejam, ut observat Aversa q. 97. cit. sect. 6. quod emendatio contingit, dùm constat de universali sensu verborum, sed dicitur lex universalis in tali casu particulari non obligare, ac licitum esse in eo, contra verba legis agere. Interpretatio verò est, quando sensus verborum legis inquiritur, quæ non sunt satis clara, an scilicet, hoc, vel illud significent, quod quidem ad Epichejam non spectat, sed ad rectam verborum intelligentiam, & hoc etiam modo leges variationem admittunt nempè juxtà varias Jurisperitorum interpretationes, in legibus exponendis, qui in hoc planè Epichejam non exercent, sed doctrinam. Solet tamen etiam Epicheja dici leges interpretari, non quidem verborum significationem, sed legislatoris mentem, & potestatem, quatenus judicat illum non voluisse, aut non potuisse jubere id quod verbis significatur, in tali, vel tali casu, atque ita verba legis emendare dicitur. Interpretatio verò eruere conatur, & explanare ipsam verborum significationem; dùm non sunt satis clara, & expressa.

215 Quando autem dicimus legem quoque cessare posse per interpretationem, hoc non solùm intelligendum est de generali interpretatione, quæ ipsi legislatori competit, aut ejus successoribus, sed etiam de privata, particulari, & doctrinali, quæ competit etiam privatis Doctoribus, & vim habet, si eam faciant, non ex proprio cerebro, sed innixi regulis, & rationibus sufficientibus, ut habetur L. Unica de Professoribus, L. 1. ff. de Origine Juris, c. 2. de privilegiis in 6. & aliis juribus. Inter has autem interpretationes hoc vertit discrimen, quod prior interpretatio est auctoritativa, & authentica, & soli legislatori competit, aut illius Superiori, vel successori, talisque interpretatio, tanquam è cathedra, seu solio prolata vim legis habet, & omnes obligat ad illam sequendam, & observandam, & in hoc sensu dicitur solùm legis conditorem posse illam explicare ex L. fin. C. de Legibus, & c. *Sicut* 11. quæst. 1. & cap. *Inter alia* de sent. excom. hæc, inquam, jura de interpretatione auctoritativa, & authentica intelligi debent. Posterior autem interpretatio privata nempè, & doctrinalis, quæ etiam privatis Doctoribus competere potest, licet tantam vim non habeat, adhuc tamen sufficiens est ad obligationem legis tollendam in quibusdam casibus, si regulis, & rationibus sufficientibus innitatur, ut constat ex Juribus citatis, & interdum quidem erit interpretatio certa, itaut ab illa recedere non liceat, quando nimirum verba ipsa, aut alia indicia, vel communis Doctorum sensus ità persuadent. Interdum verò tantùm probabilis erit, undè variæ esse solent Doctorum opiniones, & interpretationes, & vis hujusmodi interpretationis in assequenda, & attingenda legislatoris mente præsertim consistit. & hæc de legibus dicta sufficiant, prout ad moralem Theologum spectat, reliqua enim, quæ de legibus ab aliquibus tractari solent Canonistarum, & Civilistarum institutum est.

DISPUTATIO TERTIA

DE JUSTITIA, ET JURE.

1 TRACTAVIMUS in præcedenti Disputatione de Jure, quatenus legem, & normam rationis importat, undè & ipsum lege constitutum jus appellare solemus; nunc differendum est de jure in alia significatione, quatenus justum, objectumque justitiæ significat. Ut autem pateat quid justitiæ, & juris nomine in præsenti intelligendum sit, recolendum est ex dictis l. 3. de sentent. disput. 7. quæst. 8. ubi ex instituto de Justitiæ virtute egimus, Justitiæ nomen duobus præsertim modis accipi posse, ut docet Scotus 4. disput. 46. quæst. 1. primò pro virtute quadam generali, quam Divus Anselmus Dialog. de Verit. cap. 12. rectitudinem voluntatis appellat, ac definit, quod sit *Rectitudo voluntatis propter se servata*, quo sensu virtutes omnes in se complectitur, ut docet Aristot. 5. Ethicor. cap. 10. ubi ait *Justitia in se virtute continet omnes*, & in hoc sensu etiam scriptura pluries de Justitia loquitur, ut Matth. 5. *Beati qui esuriunt, & sitiunt justitiam* & cap. 6. *Attendite ne justitiam vestram faciatis coram hominibus, ut videamini ab eis*. Secundò accipitur magis propriè pro virtute speciali inclinante voluntatem ad reddendum alteri strictè debitum ad æqualitatem, de qua loquitur Aristot. 5. Ethicor. per totum, quo pacto à Jurisconsultis definitur *Constans, & perpetua voluntas jus suum unicuique tribuendi*, ut ibi explicatum est, & est præcipua ex quatuor illis virtutibus quæ Cardinales vocantur, & in hac acceptione dividitur ab Arist. 5. Ethic. cap. 2. in commutativam, & distributivam, ut q. c. explicatum est a. 2. ubi diximus Justitiam commutativam esse, quæ æqualitatem constituit inter personas particulares secundùm proportionem arithmeticam, idest, considerando solùm valorem, vel quantitatem rerum sine ullo respectu ad personas v. g. mutuatus est aliquis aureos mille, qualiscunque sit sivè dives, sivè pauper, nobilis, vel ignobilis, mille aureos reddere debet, in commutativa enim res inter se comparantur sine ullo personarum respectu, nempè res accepta cum debita vel reddenda, undè nascitur arithmetica proportio. Justitia verò distributiva dicitur illa, quæ dividit, & distribuit munera, officia, onera, bona, & alia similia Communitatis alicujus propria secundùm proportionem geometricam, hoc est, considerando non solùm valorem, & quantitatem bonorum illorum, aut onerum, sed etiam personarum condictionem; idoneitatem, merita, &c. Undè in distributiva justitia comparantur res cum personis, ex qua comparatione nascitur geometrica proportio, ut latè declaratum est loc. cit. ad quem remitto Lectorem pro exacta hujus materiæ notitia.

2 Sic pariter nomen Juris, licet varias, & multiplices ha-

habeat acceptiones, in duplici præsertim significatione sumi solet. Primò pro lege tam naturali, quàm positiva, sive divina, sivè humana, quo sensu dicimus honorem parentibus deferre esse de jure naturali, sacramentum baptismi recipere esse de jure divino positivo, & hoc modo jus prima sui divisione dividitur in naturale, & positivum, & positivum dividitur in divinum, & humanum, & humanum tandem dividitur in jus Canonicum, & Civile, ut visum est disp. præced. Alio modo jus sumitur pro facultate illa, seù potestate legitima, quam quis habet ad aliquam rem obtinendam, vel retinendam, vel ad aliquid faciendum, itaut ab illius rei obtentione, seù retentione, vel ab illa actione facienda licitè impediri non possit, & hoc modo accipitur pro solo justo alteri debito, quo pacto est objectum virtutis justitiæ, cujus est æqualitatem inter duos ponere, de quo in hac disput. erit sermo. Et quamvis etiam jus hoc modo sumptum varias habeat acceptiones, potissima tamen omnium est illa qua dividitur in jus ad rem, & jus in re. Jus ad rem est illud, quod habetur per alicujus contractus stipulationem, puta per donationem emptionem, &c. antequam illius rei, quæ donata, vel empta est, traditio fiat jus in re; illud, quod per ipsam rei traditionem acquiritur. Sic Hæres institutus, sed qui nondum hæreditatem adiit, habet jus ad hæreditatem, non autem in hæreditate, quia nondum possessionem hæreditatis habet, sed sibi tantùm est debita; postquam autem possessionem accepit dicitur etiam in hæreditate jus habere. Hoc autem præcipuè est juris utriusque discrimen, quod jus in re ità faciat illam propriam ejus, qui acquisivit, ut in quocunque loco sit, & ad cujusvis manus pervenerit, facultatem habeat, ubicunque eam reperit, recipiendi, & à quocunque repetendi, & quisquis acceperit, ex justitia obligetur eam illi restituere. Jus verò ad rem facultatem hujusmodi in rem non tribuit, sed titulum duntaxat justum, & sufficiens ad habendum illius rei dominium.

QUÆSTIO PRIMA.

De essentia Dominii, & Subjecto.

3 QUoniam plures sunt juris particularis species variæque rationes, quibus alicui competere potest prædicta facultas accipiendi, vel retinendi rem aliquam, aut de illa disponendi, inter quas præcipua, & omnium potissima est dominium, & ad quam reliquæ aliquo pacto reduci possunt, ideò ab ejus explicatione exordium sumimus. Tùm etiam quia essentia dominii, ejusque proprietatibus bene perspectis facilè cognoscetur, quæ de Contractibus, & Restitutione dicenda sunt, tùm in communi, tùm in particulari in sequentibus Disputationibus, quæ omnia resolvemus juxta doctrinam Scoti 4. d. 15. ubi ex professo de hac materia tractat, & Scotistarum ibidem, præsertim verò Tatareti, Almaini, Fabri, Hiquei, Hiribarnes, Aretini, & Vulpii tom. 3. q. 3.

ARTICULUS PRIMUS.

Quid, & quotuplex sit Dominium, & quæ ad illud requisita.

4 PRimò ut à quid nominis incipiamus, dominii vocem plerique à nomine *Domus* derivant, Dominus enim dicitur qui familiæ præest; alii verò non incongruè à verbo *Domo* deducunt, quia Dominus universim is dicitur, qui aliquid sibi subiectum habet, seù sub eius potestate, undè dominium latè sumptum definiri solet, quod est *facultas disponendi de aliqua re, tanquam sibi subjecta*, qua ratione Deus dominium omnium creaturarum habere dicitur, quia de eis disponere potest, ut ei placet, sunt enim illi subjectæ omnimoda subjectione, & dependentia, quia ab eo sunt creata, & ab eo dependent in esse, & conservari; sic etiam Rex, & Princeps dicitur in suo regno dominium habere, & quilibet etiam privatus dicitur suarum possessionum Dominus, licet Dei dominium omnibus aliis dominiis perfectius sit, & plenius; dominium enim rerum omnium creatarum soli Deo convenit per essentiam, ut patet ex Psal. 23. *Domini est terra, & plenitudo ejus, orbis terrarum, & universi qui habitant in eo.* Rerum vero omnium sensibilium soli homini convenit secundùm participationem, ut patet ex Genes. c. 1. *Crescite & multiplicamini, & replete terram, & subiicite eam, dominamini piscibus maris, & volatilibus Cœli, & universis animantibus, quæ moventur super terram*, undem naturaliter convenit homini hoc dominium suprà res omnes infrà suam speciem, & hæc dominii definitio consonat doctrinæ Scoti 4. d. 15. q. 2. art. 1. ubi supponit dominium importare absolutam rei potestatem, ut idem sit habere rei dominium, ac absolutam illius potestatem licitè disponendi de ea adlibitum; & loquendo de dominio in communi, & latè sumpto melius rem explicat allata definitio, quàm illa Jurisperitis familiaris ex Bartolo in *L. Si quis vi §. differentia* ff. de acquirenda possessione, quod dominium *est jus perfectè disponendi de re corporali, nisi lege prohibeatur*, non enim ad propositum illius pertinebat agere de divino dominio, sed solùm de humano, & politico, ut notat Layman. l. 3. tr. 1. c. 5. alioquin non negasset Bartolus Deo opt. maximo ratione creationis, & conservationis perfectissimum, & maximè independens dominium in omnes creaturas etiam incorporeas competere.

5 Secundò Dominium dividitur in dominium jurisdictionis, & dominium proprietatis; dominium jurisdictionis est potestas gubernandi sibi subditos, illis aliquid præcipiendi, vel prohibendi, illos judicandi, puniendi, vel præmiandi, & tale dominium Jurisdictionis potest esse, vel sæculare, quale est in Imperatore, Regibus, Ducibus, & aliis hujusmodi respectu populorum sibi subditorum in negotiis sæcularibus. Vel potest esse Ecclesiasticum, quale, est dominium Pontificis, Episcoporum, & aliorum subditos habentium in spiritualibus. Dominium verò proprietatis est jus possidendi aliquam rem, & de illa, tanquam sua disponendi, & hoc rursus est duplex, perfectum, scilicet, & imperfectum; dominium perfectum, quod & plenum dicitur, continet proprietatem rei, & commodorum ejus, extenditque se ad omnem ejus usum, ac dispositionem in lege non prohibitam, scilicet, ad donandum, vel vendendum, servandum, destruendum, &c. additur autem, nisi in lege prohibeatur, nam aliquando potestas illa plena disponendi per aliquam legem impeditur, & ità pupillus est verus rei Dominus, & tamen per legem alienare impeditur; hoc autem impedimentum veram rationem dominii non tollit, quia tali impedimento sublato, sine novi juris collatione sequitur plena dispositio ad arbitrium veri domini; sicut sæpè par votum, vel juramentum impeditur quis ne utatur re sua, & tamen hoc dominio non obstat, quia tali sublato impedimento potest de illa disponere sine nova dominii acquisitione. Dominium verò imperfectum habet tantùm proprietatem absque emolumentis, vel emolumenta absque proprietate, nam aliquando aliquis est tantùm dominus rei, sivè substantiæ rei sine aliquo emolumento ipsius, aliquando etiam aliquis est dominus emolumenti tantùm; non verò proprietatis rei. Primum vocant Jurisperiti dominium directum, quale est Principis respectu feudorum, aut illius, qui dedit agrum in emphyteusim; secundum vocant dominium utile, quale habet feudatarius, emphyteuta, usufructuarius, &c.

6 Tertiò, ut pateat, in quo ratio dominii fundetur, docent communiter Jurisperiti Titulum, esse id, in quo fundatur dominium, ut donatio, emptio, hæreditaria successio, legitima electio in officium, beneficium, regnum, & similia sunt titulus, seù fundamentum juris in rem donatam, emptam, testatam, officium, beneficium, regnum, &c. Addunt verò traditionem esse conditionem, sine qua ordinariè etiam posito sufficienti titulo, jus in rem non acquiritur, sed tantùm in personam L. *Traditionis* C. de pactis, ubi habetur quod *Traditionibus dominia rerum, non nudis pactis transferuntur*; ex quo sequitur, quod si antè traditionem venditor rem vendat alteri, primus emptor non habet jus in rem, sed in venditorem. Itaque ad transferendum dominium ab uno ad alium utrumque requiritur, scilicet, titulus, & traditio, & supposito titulo, & secuta applicatione per traditionem resultat dominium. Quamvis autem ordinariè traditio, vel apprehensio requiratur ad acquirendum rerum dominium, in quibusdam tamen casibus ad translationem dominii non requiritur, ut in beneficiis, in quæ acquiritur dominium, vel quasi dominium, sivè jus per collationem ex cap. *Si tibi absenti* de præbend. in 6. & in hæreditates, quæ fit hæredibus ex testamento, vel ab intestato ex L. *cum hæredes*, ff. de acquirenda possessione, sed sufficit acceptari verbo, vel facto. Prætereà quæ venduntur, vel donantur Civitatibus, Ecclesiis, locis piis, traditionem non requirunt L. ult. C. de sacrosanctis Ecclesiis, & sic de quibusdam aliis, quibus exceptis regulariter jure communi ad acquirendum dominium rei, quæ anteà sub dominio alterius erat, requiritur traditio, ut passim Doctores observant de jure Dominii tractantes; appositè autem dixi, si res anteà sub dominio alterius erat, quia ad acquirendum dominium rei, quæ antè sub alicujus dominio non erat, sufficit apprehensio talis rei, ut patebit ex infrà dicendis, nisi obstet aliquod particulare statutum in aliquo loco, de quo videri potest Layman. c. 5. cit. n. 7.

7 Quartò ex his infertur, quomodo usufructus differat à dominio, nam *Usus fructus est jus utendi, fruendique re aliena salva rei substantia* ex L. 1. quoties ff. de Usufructu, in qua definitione, jus tenet locum generis; hoc enim nomen jus, ut dictum

ctum est suprà, latius patet quam dominium, filius enim jus habet in Patrem, ut alatur, servus in Dominum, ut sustentetur, subditus in Principem, ut gubernetur, etenim hi omnes jus habent ad petendum, quæ sibi necessaria sunt, non autem dominium, ac proindè jus est genus ad dominium, usum fructum, & usum, & ususfructus non est tantùm usus actualis rei qualem habet, qui domum, vel equum conducit, hic enim solùm habet usum rei, quo finito non amplius remanet in eo jus ad rem, sed statim ad dominum proprietatis devoluitur. Usufructuarius verò non modo habet usum rei, sed etiam jus ad talem usum, finitoque usu ad huc jus remanet ad utendum. Dicitur *utendi*, per quam particulam distinguitur Ususfructus à jure, quod habet creditor in pignore, vel hypotecha, depositarius in depósito, nullus enim horum potest re pignorata, vel hypotecata, aut depositata uti invito domino; & si utantur, tenentur ad æstimationem usus. Additur *fruendi*, ideſt, percipiendi fructus rei, nam jus utendi præcisè non includit fructus rei, dicitur autem fructus rei quidquid salva rei substantia, è re percep tibile est, ut in grege lana, lac, fœtus, in fundo poma segetes, in domo locatio, & similia in l. 10. 11. & 12. de rerum divisione. Usufructuarius ergò colligens rei fructus fit illorum plenè dominus, sed si antè perceptionem fructuum moriatur, non pertinent ad hæredes Usufructuarii; sed ad dominum rei, ut habetur Instit. de rerum divis. §. is verò. Dicitur fruendi *re aliena*, quia Dominus rei non dicitur absolutè Usufructuarius, etiamsi percipiat fructus rei; dicitur tandem *salva rei substantia*, quia usufructuarius tenetur rem integram, ex qua fructus percipit, proprietario servare; undè per hanc particulam præsertim distinguitur Usufructuarius à Domino, nam Dominus uti potest re sua, ut libet, ità quod potest substantiam illius ipsò usu consumere, Usufructuarius verò, quia rei dominium non habet, sed tantùm fructuum, non potest rei substantiam ipso usu consumere. Ex quo tandem infertur dominium etiam à proprietate differre, eo quia dominium latius se extendit, quàm proprietas: dominii enim duæ sunt partes, scilicet, Proprietas, & Usufructus, quæ interdum separari possunt, ità quod penes unum sit proprietas, penes alterum sit usufructus, quo fit contingere posse, ut aliquis dominium alicujus rei habeat, & tamen non esse proprietarium; proprietas enim est dominium rei justis modis acquisitum, quod Dominus retinere potest in rem usufructui traditam, ut patet de dominio proprietatis, quod dominus retinet directus in rem alteri in feudum, vel Emphytheusim concessam de quo videri potest Azor. 3. p. l. 1. cap. 12. & noster Faber de Restit. disp. 43. c. 2.

8 Quintò usus quandoque sumitur pro facultate utendi aliqua re, & dici solet usus juris, quandoque sumitur pro actu ipso utendi, sivè usu actuali, & dicitur usus facti; est autem quæstio an in rebus quæ unico actu, vel usu consumuntur, ut sunt pecunia, esculenta, & poculenta, distinguatur usus à dominio, non modo essentia, sed subjecto, itaut possit esse in uno usus, & in altero dominium, movetur autem quæstio de usu rerum unico actu consumptibilium, quia in aliis rebus, quæ usu non consumuntur, concedunt omnes non modò usum facti, sed etiam juris à dominio distingui, ut patet in Usuario qui domum, vel equum conducit, hic enim non solùm habet usum talium rerum, sed etiam jus ad talem usum absque rei dominio; quia finito usu, rei substantia statim ad dominum proprietatis devolvitur, scilicet, equus, vel domus. Negant quamplures cum D. Thoma 2. 2. q. 78. a. 1. ubi docet in rebus, quæ usu consummuntur, nec usum, nec jus ad usum à dominio distingui. Ratio est, quia jus ad utendum his rebus est jus ad consumendam, & alienandam ipsam rei substantiam, nam uti pane, cibo, vel pecunia est usu ipso consumere, & alienare substantiam ipsam panis, cibi, ac pecuniæ, sed majus dominium esse non potest, quàm jus ad ipsam rei substantiam consumendam, & alienandam; ergo &c.

Confirmatur, quia usu à dominio distinctus, ut ex dictis constat, est jus, seù actus utendi re aliqua, salva Domino rei substantia; sed rebus, quæ usu consumuntur, uti non possumus salva earum substantia; ergò in iis usus à dominio non distinguitur. Et tandem favet L. si tibi vini, & L. Senatusconsul. ff. de Usufructu earum rerum.

9 Opposita sententia est Scoti, & Scotistarum 4. d 15. q. 3. ar. 2. quam passim Recentiores amplectuntur, affirmantium etiam in rebus usu consumptibilibus usum à dominio distingui. Ratio est, quia si quis usum hujusmodi rerum alicui concederet, ità tamen dependenter à sua voluntate, ut posset ipsum revocare semper, antequam res consumeretur, planè ipsemet semper dominus esset illius rei ante ejus consumptionem, & alius nulla ratione talis censeri posset; ergo usus etiam hujusmodi rerum ipso usu consumptibilium potest à dominio distingui. Confirmatur exemplo communiter adducto à nostræ sententiæ sectatoribus illius, qui alios ad prandium invitat, is enim absoluto dominio eorum, quæ convivis comedenda apponit, apud se retento, usum tantùm, sivè jus ad usum comedendi ad nutum revocabilem concedit invitatis, quippè qui continuò potest, quousque illa comesta non fuerit, revocare; qua de causa nemo censet convivam ad cænam invitatum, quamvis permittatur ei usus cænæ sic, ut possit licitè comnedere quantum libuerit, esse ejusdem cænæ dominum, sed solùm illius usum habere absque jure dominii. Denique probatur quia ad dominii translationem requiritur & voluntas dantis, & acceptantis; sed potest quis has res usu consumptibiles acceptare ità ut nollet dominium earum, sed tantùm usum à Domino revocabilem; ergo etiam in his rebus potest usus à dominio separari, itaut esse possit in uno usus, & in altero dominium.

10 Ad fundamentum prioris sententiæ, concedo jus ad utendum rebus usu consumptibilibus esse jus ad consumendam, & alienandam ipsam rei substantiam, negatur tamen tale jus esse dominium propriè sumptum, si fuerit ad nutum concedentis revocabile, ut nunc supponimus; dominium enim propriè sumptum dicit jus ad usum firmum, ac stabile independens à voluntate alterius continuò revocare potentis, dicit enim auctoritatem, & independentiam in disponendo de re in omnem usum lege non prohibitum. Ad Confirmationem negatur definitionem ibi allatam omni usui convenire, convenit enim tantùm usui rerum, quæ usu non consumuntur, in his enim duntaxat haberi potest usus salva Domino remanente ipsa rei substantia; in rebus verò usu consumptibilibus usus ut à dominio distinguitur, est jus ab altero continuò dependens, & ad ejus nutum revocabile; leges tandem citatæ loquuntur de usu juris irrevocabili, ac independente, de hoc enim jura ibi citata loquuntur, tale enim jus utendi rebus usu consumptibilibus utique à dominio non distinguitur, & omninò coincidit cum ipso; non tamen sit fuerit dependens, & ad nutum concedentis revocabile. Dices, Pupillus dominium habet dependens à voluntate tutoris, & tamen adhuc suorum bonorum verus est Dominus; ergo etiamsi quis habet jus ad usum à voluntate alterius dependens, adhuc tamen verus erit Dominus earum rerum, quarum jus habet ab altero dependens. Negatur consequentia, & ratio disparitatis est quod pupilli dominium à voluntate tutoris non dependet, tanquam illud revocare potentis, sed solùm impedire valentis, ne in actum secundùm exeat, quandiù pupillus sub ejus potestate constitutus manet; qui autem usum, vel jus ad usum alicujus rei alteri concedit dominio sibi retento, non solùm actum secundum usus impedire potest, sed etiam rem ipsam, ut verus Dominus, ad se revocare.

11 Sextò ex solutione præcedentis difficultatis facilè resolvitur gravis controversia olim orta inter Summos Pontifices Joannem XXII. & Nicolaum Quartum occasione peculiaris paupertatis, quam Fratres Minores Regulam Sancti Patris Francisci in puritate sua observantes profitentur, qui non modo in particulari, ut cæteri Religiosi, sed neque in communi dominium ullum quarumcunque rerum sivè immobilium, sivè mobilium sivè usu consumptibilium, sivè non consumptibilium, habere dicuntur, sed earum dominium residere, vel apud eleemosynarum largitores, vel apud Sedem Apostolicam, nudo duntaxat usu facti ad vitæ sustentationem ipsis concesso; Ioannes XXII. in extravagante *ad Conditorem* negat talem esse posse Fratrum Minorum paupertatem eo præsertim fretus fundamento, quod in rebus, quæ usu consumuntur, vel alienantur, usus à dominio non distinguitur, & consequenter asserit Minoritas non modo usum facti, sed etiam usum juris, & dominum harum rerum habere. Tùm quia injustus est ille usus, qui jus utendi non includit à legitima potestate proveniens, quo pacto fur habet solùm usum facti comedendo panem furto sublatum; sed Minoritæ justè utuntur rebus sibi in usum concessis; ergo jure, non igitur habent solùm usum facti, sed etiam juris, cùm non possent jure uti, nisi haberent jus utendi. Tandem quia qui rem Minoribus furatur, tenetur ipsis, non autem Pontifici, vel illarum largitori restituere; sed res furto sublata debet verò Domino restitui; ergò apud eos residet earum dominium, & non tantùm nudus facti usus.

12 Oppositam sententiam docuit Nicolaus Quartus in Constitutione illa *Exiit qui seminat*, qui fuit ex ordine nostro Fratrum Minorum, & valdè versatus in eo; docet inquam, hic Pontifex ibi, ut latè refert Faber de Restitutione disp. 45. c. 2. quod Fratres Minores in paupertate Regulæ viventes cujusquam rei dominium non habent nec in particulari, nec in communi, sed nudum, & simplicem usum facti; dominium enim earum rerum, quæ, ipsis in eleemosynam dantur, & donantur, apud ipsos donatores remanet, usus verò simplex facti apud Fratres. Quod si donans intendat etiam à seipso abdicare dominium, & jus rei, quam dat in eleemosynam, ne illa res, antequam usu consumatur, videatur esse sine Domino, declarat hic Pontifex dominium illius rei in Sedem Apostolicam transferri, ità

ti, ita quod usus nudus, & simplex ad Fratres transeat, sed illius dominium sit Sedis Apostolicæ. Adeò quod Fratres Minores secundùm hunc Pontificem ab Usuario juris distinguuntur, quia isti fit injuria; si res ad ejus usum deputata illi auferatur, quia illi auferetur suum jus, quod ad usum illius rei habebat; sed si Fratribus Minoribus auferatur, vel impediatur usus rerum, quæ illis in eleemosynam datæ sunt, nulla fieret injuria, quia illi non acquiverunt aliquod jus in usum illarum, sed tantùm habent usum nudum, & facti, non usum juris, & hoc totum confirmatum fuit à Clem. V. in Bulla *Exivi de Paradiso*. Et hanc sententiam communiter sequuntur Doctores omnes Navarr. Soto, Molina, Bellarm. Layman, Amicus, Caspensis, Azor. Faber, Poncius, Vulpes, & Aretinus ex nostris, & alii Recentiores passim. Nec refert, quod aliqui ex his dicant Fratres Minores nullius rei, ne in communi quidem dominium habere, sed usum tantùm, seù jus ad usum, vel usum juris; non enim per usum juris intelligunt usum cum dominio, ita quod fieret illis injuria, si à tali usu impedirentur, alioquin sibi manifestè contradicerent; sed per usum juris intelligunt actum utendi juridicum, & qui fit licitè, & cum legitima potestate à Superiore, & vero Domino concessa, quo pacto omnis actus utendi juridicus dicitur usus juris, & non tantùm usus facti, qualis est ille quo fur comedit panem furto sublatum. Neque ex tali jure utendi potest inferri dominium in rem, vel ejus usum; quia ad dominium rei propriè dictum non sufficit, quod alicui liceat, & ex legitima potestate sibi à Superiore concessa rem aliquam consumere; sed requiritur, quod ei liceat eam quocunque modo, & quandocunque ei videtur, liberè, & independenter consumere, hoc enim est propriè dominium. & ideò cùm aliquis non potest rem sibi donatam ad libitum consumere, sed solùm cùm licentia Superioris, & semper dependenter à Superiore, vel ab alio; ille propriè dominium non habet nec rei, nec usus illius, licet potestatem habeat usu consumendi rem illam, quia non potest ad libitum consumere; & licet jus ad usum talis rei habere dicatur, quia tamen ad nutum Superioris, vel concedentis revocabile est, non dicitur usus juris, sed facti, ad distinctionem usus juris, qui irrevocabilis est, cujusmodi est usus juris, de quo jura loquuntur.

13 Nec obstat auctoritas Joannis XXII. oppositum decernentis, quia id non decrevit ut Pontifex obligando fideles ad ità sentiendum, sed ut privatus Doctor, ut notat Amic. disp. 23. sect. 4. ubi inquit, quæ de paupertate Fratrum Minorum disseruit, disseruisse solùm ut privatum Doctorem, imò in fine vitæ illa revocasse, ut testatur Emmanuel Roder. t. 3. q. 30. a. 1. Et satis constat ex dictis difficult. præc. fundamentum ejus non consistere, quod, s. in rebus usu consumptibilibus usus à dominio non distinguatur, oppositum enim apertè demonstrat exemplum ab ipso Nicolao Quarto adductum de Conviva, qui utitur cibis ab eo, qui eum invitavit, appositis, & comedendo consumit absque ullo dominio cibi, quem comedit. Ad aliam rationem dicendum est usum rerum apud Minores non esse injustum, quia jam dictum est, eos habere jus in illarum usum, sed dependenter à libera Domini voluntate, qui potest absque injuria Fratrum eum revocare; undè etiam diximus Minoritas non habere usum tantùm facti, prout usus facti significat usum actualem illicitum, aut etiam licitum, habere tamen solùm usum facti, prout usus facti distinguitur ab usu Juris irrevocabiliter concesso, & hoc sensu diximus intelligendos esse Auctores nostræ opinionis asserentes Minoritas habere rerum usum facti dumtaxat, non autem usum juris, seù jus ad usum, per hoc enim intelligunt usum juris irrevocabiliter concessi, sic enim Jura loquuntur. Ad ultimum dicendum est, quod cum Fratres Minores ex consensu, & concessione Pontificis rerum necessariarum usum habeant, hinc fit ut illæ furto sublatæ ex tacito, & præsumpto ejusdem Pontificis consensu, vel Ecclesiæ, sint ipsis potius, quàm Pontifici restituendæ. Alias rationes minoris momenti pro opinione adversa vide solutas apud Fabrum l. c.

14 Postremò, ut ultrà principalem dominii divisionem jurisdictionis, & proprietatis alias quoque assignemus, dominium proprietatis adhuc duplex est, naturale, & positivum, & hoc rursus triplex divinum, gentium, & civile. Naturale est, quod à natura trahimus omnes, quale est, quod quisq; habet in usum suarum potentiarum, & in propriæ vitæ, ac famæ conservationem, & in res omnes externas, quatenus ad propriæ vitæ sustentationem sunt necessariæ, eodem enim jure ferimur in finem, & in media ad talem finem necessaria. Positivum verò dicitur, quod pendet à lege, & voluntate alterius, undè positivum divinum dicitur, quod ab aliqua positiva Dei lege dependet, ut quod veteres Levitæ habebant in decimas, & novi Ecclesiæ Ministri in bona temporalia pro ministratione spirituali am ad propriam vitam sustentandam, *dignus est enim operarius mercede sua*, Lucæ 10. Dominium verò gentium dicitur illud, quod jure omnium ferè populorum possidemus, & tale est dominium, quod primi occupantes de rebus acquirere dicuntur, sicut enim prima rerum divisio jure gentium introducta est, ut posteà dicemus, ità eodem jure introductum est dominium, quod de rebus primi occupantes acquirere dicuntur. Demum dominium Civile est, quod speciali jure hæreditatis, donationis, emptionis, aliove humano, civilique contractu de rebus comparamus, ut inferius explicabitur, & de his omnibus agendum est in sequentibus.

ARTICULUS SECUNDUS.

Quinam sint dominii capaces.

15 POst explicationem quid, & quotuplex sit dominium, restat ut de illius subjecto agamus, & declaremus quibus personis competere possit, & ut certa ab incertis secernamus in primis certum, & exploratum est Deum in omnes creaturas summum quoddam, & absolutum obtinere dominium, ut Scriptura pluribus testatur locis, ac proindè liberè, & ut ipsi placuerit de omnibus creaturis disponere posse sine cujusquam injuria. Certum est etiam hominem esse dominii capacem juxtà illud Genes. *Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram, ut præsit piscibus maris, volatilibus Cœli, & bestiis terræ*, quibus verbis à Deo collatum est homini dominium in alias creaturas inferiores ratione imaginis divinæ, quam gerit; quæ in intellectu rationis capaci, & libera voluntate consistit; & hoc totum supposuit Scotus 3. d. 37. in fine ex Psalm. 3. 2. *Domini est terra, & plenitudo ejus*, supponit, inquam penes Deum dumtaxat servari absolutum dominium omnium rerum per essentiam, & à creaturis rationalibus tantùm dependenter ab eo participari. Ex quo infertur solam, & omnem naturam intellectualem esse dominii naturaliter capacem, solam quidem, quia hæc sola de suis actibus liberè disponere potest, iisque mediantibus de rebus externis, quod ad dominii essentiam exigitur; omnem verò, quia omnis creatura intellectualis libera est, saltem remotè, & in actu primo, quod ad dominium sufficit, hoc enim est facultas disponendi, quæ in solo actu primo salvari potest, etiamsi in actum secundum exire non valeat, quando extrinsecè est impedita.

16 Ex quo rursus sequitur, non solùm parvulos antè usum rationis, sed amentes etiam saltem ad tempus, verum jus suorum bonorum habere, & in rerum dominium legitimè succedere posse, quod non solùm ex legibus Civilibus constat, sed etiam ex D. Paulo ad Galat. 4. *Quanto tempore hæres parvulus est, nihil differt à servo, cum sit Dominus omnium*, & ratio est, quia licet actuali usu dominii careant, principio tamen dominandi non privantur, dominium enim homini competere potest, eo quod rationalis est, neque ad hoc opus est, ut usum rationis actu habeat. Dices, patrem dominium bonorum suorum in tales transferre non posse, quia ad traslationem dominii requiritur acceptatio libera ejus, in quem trasfertur; talis autem acceptatio libera ex parte pueri, vel haberi non potest; ergo &c.

Respondetur negando majorem, ad probationem dicendum acceptationem illam non requiri nisi ex parte ejus, qui liberè potest acceptare, vel respuere, absolutè autem in omnibus necessaria non est; & hic est communis omnium sensus, omnes etiam existimant bona patris decedentis ad filium ejus spectare, etiamsi parvulus sit, & illi injuriam fieri, si aliter de ipsis disponatur, pariter si amenti auferantur bona ad ipsum spectantia, omnes existimãt ipsi injuriã fieri, & non alia de causa, nisi quia bonorũ illorum legitimum dominiũ censetur habere, licet non administrationẽ, quia administratio liberũ usũ arbitrii requirit.

17 Quin etiam Doctores communiter dicunt perpetuò quoque amentes esse dominii capaces, quamvis etiam administrationis capaces esse nequeant, quia hęc liberum arbitrii usum requirit, benè tamen dominii, quia hoc non consistit in usu rationis, aut libertatis actuali, vel habituali, sed in ipsa natura rationali, cui tribuitur. Tùm quia post divisionem bonorum factam jure gentium, dominia nequeunt esse incerta, atque ideò nequeunt bona perpetuò amentis sub nullius esse dominio, nequeunt autem esse incerta, atq; ideò nequeunt esse sub dominio alterius, sed solum suipsius, quia si essent furto sublata, illi sunt restituenda, & non alteri, ac etiam experientia docet perpetuò etiam amentes jure hæreditario parentibus succedere. Dices, dominium constituitur propter actum secundùm; ergo ubi nullus esse potest actus secundus, nullum, & inutile esset dominiũ. Negatur consequentia, quia potest hic actus suppleri, & de facto suppletur in jure per procuratorem, ut patet in dominio pupilli, & parvulorum; undè dominium est per ordinem ad actum secundum, aut per ipsum Dominum, aut per alium ipsius nomine exercendum, ideoque negatur inutile esse illud dominium

nium, cujus actus ib ipso Domino exerceri non potest, sufficit enim, ut ipsius nomine ab alio exerceri possit. Dices rursus, Cajetan. opus c. de Potestate Papæ cap. ult. inter causas depositionis Pontificis, ultimam refert, si incidit in amentiam, tunc inquit deponendum esse. Verum negatur paritas, dispar enim est ratio de dominio proprietatis, de quo hic loquimur, & dominio jurisdictionis, quale est dominium Pontificis, hoc enim cum sit ad aliorum regimen ordinatum, usum requirit liberi arbitrii, nec potest per alium suppleri, quia non solùm jus ipsum, sed etiam ipsius usus est personæ addictus, undè non potest Pontifex illud alteri delegare ut cum eadem infallibilitate illud exerceat, ut patet in materia de hde.

18 Verùm quia duplex dominii capacitas distingui solet, altera à natura, & altera à legibus, & licet capacitas legalis naturalem supponat, tanquam ejus fundamentum, non tamen è contrà incapacitas legalis necessariò naturalem supponit, quia quidam homines sunt naturaliter dominii capaces, qui tamen ex legibus sunt incapaces, ut constat de servo justo bello capto, de hæretico c. *Cùm secundum leges* de Hæreticis in 6. de committente crimen læsæ Majestatis L. final. ff. *Ad legem Juliam Majestatis*; hi enim omnes per humanas leges fiunt dominii incapaces. Hac inquam, de causa difficultas est de quibusdam hominibus in particulari, an de facto dominium aliquod, & quarumnam rerum habeant. Prima Difficultas est de filiis familias, de quibus breviter Doctores dicunt, quod secundum juris dispositionem, quamdiù sub patria potestate constituti sunt, duo sunt tantummodò bonorum genera, quorum perfectum dominium habere possunt, castrentia, scilicet, & quasi castrensia. Bona castrensia censentur illa quæ in militia, vel occasione militiæ justè acquiruntur, vt stipendia, donaria ducum, &c. quasi castrensia verò sunt illa, quæ ex beneficio Ecclesiastico, aut ex officio publico Judicis v. g. vel Advocati, aut ex professione alicujus artis liberalis proveniunt. Aliorum autem bonorum, quæ aduentitia vocantur, ideſt, quæ vel ex aliorum donatione, vel ex propria industria, negotiatione, &c. proveniunt, dominium quidem directum habere censentur, non tamen de iis disponere possunt absque patris consensu, penes quem illorum administratio, & utilitas remanet. Ità Navarrus, Lessius, Abellius, & Juristæ omnes, de quo Faber disp. 45. de Restitut. cap. 1.

19 Altera Difficultas est de servis, an possint habere dominium aliquarum rerum, & sermo est de servo strictè accepto, qui, scilicet, est verum Domini mancipium, vel justo bello captum, quorum pauci jam in Europa reperiuntur; & de hoc etiam est communis Doctorum sententia, quod servus tale dominum habet suæ vitæ, & membrorum, ac famæ, ut nec Dominus, & multò minus ullus alius possit ipsum illis privare absque injuria, ac injustitia sine sufficienti causa. & ratio est, quia nullo jure conceditur domino potestas in illa; ex quo infertur eum qui occidit, vel mutilat alienum servum, ad restitutionem teneri, non solùm domino pro jactura servi ipsius, sed etiam ipsi servo, nam utrique injuriam facit. Infertur præterea servum non obstante servitute absolutè, & simpliciter posse esse capacem bonorum fortunæ, ut pecuniarum, ac possessionis. & ratio deducitur ex dictis, quoniam non obstante servitute est dominus suæ vitæ, membrorum, & famæ; ergò si Dominus illi membrum mutilet, vel famam auferat, & in compesationem hujus damni pecunias illi det, aut prædium, illius erit, verus Dominus. Tùm quia sicut Dominus dare potest servo integram libertatem, ità à fortiori potest ipsi dare aliquam quasi partem libertatis, donando nimirum ipsi dominium aliquarum rerum suarum v. g. pecunias, & quicquid iis mediantibus lucraretur, & in tali casu servus horum omnium esset dominus, aliàs non donarentur, & ità præsertim discurit ex nostris Poncius disp. 50. q. 2.

20 Præterea jam dictum est art. præced. Religiosos Franciscanos Regulam in sua puritate observantes non posse dominium habere nec in particulari, nec in communi, in quo eorum paupertas ab ea distinguitur, quam aliorum Ordinum Religiosi profitentur, quia alii possunt habere dominium in communi aliquorum bonorum, quamvis non ità absolutum, quin à consensu Summi Pontificis dependeat, ut bona sua immobilia, & mobilia pretiosa alienare possint, nullus tamen Religiosus in particulari post omissionem voti solemnis paupertatis potest alicujus rei dominium habere. Est igitur Difficultas undè oriatur, quod Religiosi professi sint ad dominium inhabiles, seu quo jure fiant incapaces dominii. Prima sententia docet Religiosos fieri incapaces ad rerum dominia, & matrimonia contrahenda ex natura ipsa voti solemnis, cui jure naturali, & divino asserit annexam esse hanc incapacitatem, non autem ex natura voti simplicis cui tantùm humano jure talis incapacitas annecti potest. Ità sensisse videntur D. Thomas, & Bonaventura 4. d. 38. q. 1. art. 2. Riccardus, & Durandus ibidem, & sequuntur Thomistæ passim. Fundamentum præcipuum desumunt ex decret. Innoc. Tertii cap. *Cùm ad Monasterium* de statu Monachorum, ubi Pontifex inquit, quod *abdicatio proprietatis, sicut & custodia castitatis adeo est annexa Regulæ Monachali, ut contrà eam nec Summus Pontifex possit licentiam indulgere.*

21 Secunda sententia affirmat quidem Religiosos de facto fieri inhabiles ad rerum dominia per votum solemne, id enim apertè jura testantur, dùm dicunt Monachum nihil habere proprii, nihil sibi acquirere, sed Monasterio, testari non posse, nec ab intestato succedere, & similia. Addit tamen hanc infallibilitatem non oriri ex natura voti solemnis, cui aut jure naturæ, aut divino sit annexa hæc incapacitas, sed ex jure dumtaxat Ecclesiastico, seù ex constitutione Ecclesiæ annectentis tali voto hanc inhabilitatem, quam sententiam expressè tradit Scotus 4. d. 38. cum omnibus Scotistis, Paludanus ibidem q. 4. a. 4. Cajetanus 2. 2. q. 88. art. 7. & Recentiores communiter amplectuntur, & sicut hanc sententiam secuti sumus lib. 4. disp. 7. q. 6. art 3. loquendo de incapacitate, & inhabilitate, quam affert votum solemne castitatis ad matrimonia contrahenda; ità etiam consequenter loquendo idem asserimus modò loquentes de inhabilitate ad dominium, quam Religiosis affert votum solemne paupertatis, quod nempè non oriatur ex natura voti solemnis, ut iic; sed ex Constitutione Ecclesiæ tali voto paupertatis hanc inhabilitatem annectentis. Fundamentum est auctoritas Bonifacii VIII. c. *Quod votum* de voto, & voti redemptione in 6. ubi interrogatus Pontifex, quod votum dici debeat solemne, & ad matrimonium dirimendum efficax, respondet, *quod voti solemnitas ex sola Ecclesiæ Constitutione est inventa*, & idem docet Gregorius XIII. in Bulla. *Ascendente Domino.* Accedit etiam ratio, quia talis incapacitas in Religioso professo ad dominium ex natura voti præcisè oriri non potest, quia aliàs etiam votum simplex inhabilitaret, quod nullus asserit, neque ex ratione voti solemnis, est sic, quia non potest ostendi, cur votum solemne, quatenus solemne præcisè induceret illam inhabilitatem ex natura rei potius, quam votum simplex; quarè concludendum est hoc oriri ex constitutione Ecclesiæ tali voto paupertatis hanc inhabilitatem annectentis, sicut loc. cit. diximus de inhabilitate ad matrimonia contrahenda ex voto solemni castitatis inducta.

22 Nec auctoritas Innocentii pro opinione opposita adducta urget, intelligenda enim est, ut communiter exponunt Auctores nostræ sententiæ sectatores, & præsertim Amicus disp. 14. sectio. 4. de Monacho sub Regula Monachali manente, sic enim in sensu composito quod Monachus permaneat, nec à summo Pontifice potest dispensari, ut habeat in particulari aliquod proprium independenter à voluntate superioris, quia esset cum eo dispensare, ut manente voto, & obligatione ad non habendum aliquid proprium, haberet proprium; potest tamen cum eo dispensari per exemptionem à regula, & voto paupertatis, ut jam de facto dispensatur cum Episcopis, ex Religionibus assumptis, hi enim verum dominium reddituum Ecclesiasticorum acquirunt, ut mox constabit, & ita diximus etiam servata proportione loc. cit. de dispensatione in voto solemni castitatis ad matrimonium contrahendum. Dices, homo ex vi voti solemnis in Religione manet perfectè mancipatus Deo, & spoliatus omni jure, & dominio etiam acquisibili, quia per votum solemne transfert in Deum principium sui juris, perfecta traditione suæ voluntatis in Religione approbata, in manu superioris vice Dei acceptantis; ergo manet inhabilis ad dominia rerum, sicut homo traditus homini manet inhabilis ad quodcumque dominium. Respondetur negando consequentiam, quia ex vi traditionis, & acceptationis in Religione non transfertur speciale dominium bonorum acquisitorum, vel acquirendorum voventis in Deum, nec Religiosus ex vi talis traditionis mancipatur Deo debito justitiæ, ut servus domino, ratione cujus ille inhabilis fiat ad dominia acquirenda, vel trasferenda; sed solùm ex virtute Religionis obligatur ad promissa servanda, non transferendo jus aliquod novum in Deum, sed seipsum novo titulo obligando, in quo dispar est ratio de eo, qui se in servum tradit alteri, quia homo est capax novi dominii incompossibilis cum dominio alterius ejusdem rei, non autem Deus ratione universalis, & supremi dominii, quod in omnes habet creaturas. Alias rationes ad idem vide solutas loc. cit. disput. 7. de matrimonio q. 6. art. 3.

23 Postremò est quæstio, An beneficiarii habeant verum, & proprium dominium suorum reddituum. Pro cujus explicatione advertendum est tria esse bonorum genera, quæ Beneficiarii sæculares possidere possunt, nimirum patrimonialia, quasi patrimonialia, & mere Ecclesiastica. Patrimonialia sunt, quæ ipsis hæreditate, vel industria, vel donatione, vel alio modo, quo Laici solent, sibi acquirunt; & de his certum est bene-

beneficiarios esse veros dominos, ac liberè disponere posse; cùm ejusmodi bonorum verum, & proprium habeant dominium, sicut Laici, quia ratione Ordinis, & Clericatus bonorum suorum dominium non amittunt. Bona verò quasi patrimonia dicuntur, quæ ministeriis Clericorum comparantur, ipsisque obveniunt ob functiones aliquas Ecclesiasticas v. g. ob Missæ celebrationem, Capellaniam, concionem, cantum Ecclesiasticum, & similes, & de his quoque communis est ferè sententia, ea expendere posse ad omnem usum, ut priora, & ratio est, quia hæc bona sunt laborum suorum justa stipendia, ideoque computanda sunt inter bona, quæ propria comparantur industria. Ità Navarrus, Covarruvias, Lessius, Leyman, Amicus, Abellius, & alii passim. Bona tandem merè Ecclesiastica dicuntur, quæ ratione beneficii alicujus v. g. Episcopatus, Canonicatus, Parochianatus, aut alterius beneficii titulo percipiuntur; & de his loqui possumus vel quoad eam tantùm partem, quæ congruæ cujusque sustentationi necessaria est, vel quoad eam, quæ tali sustentationi minimè necessaria est, ac proindè ipsis beneficiariis est superflua; & quidem loquendo de ea parte reddituum, & proventuum Ecclesiasticorum, quæ congruæ, & honestæ sustentationi necessaria est, certum est apud omnes Beneficiarium acquirere dominium. Quare sola difficultas est de ea parte reddituum Ecclesiasticorum, quæ congruæ sustentationi necessaria non est, sed superflua, de qua re duæ sunt celebres Doctorum sententiæ.

24 Prima sententia docet, beneficiarios non esse veros dominos illius partis redundantis, sed tantùm dispensatores, ac proindè ex justitia obligari, ad partem illam in pios usus expendendam; aliàs si secus fecerint, non modò mortaliter peccare, sed etiam ad restitutionem teneri ex bonis patrimonialibus, & tantundem in pia opera impendere. Ità Alensis, Riccardus, Major, Paludanus, Navarrus, & alii antiquores. Fundamentum est, quia Canones bona Ecclesiæ appellant bona Dei, patrimonium Christi, bona pauperum, Clericos autem dispensatores, ac procuratores, non dominos bonorum Ecclesiasticorum. Deindè quia Canones negant facultatem testandi beneficiariis de redditibus suorum beneficiorum cap. *Relatum* 2. de Testam. & alibi; ergò non sunt eorum veri domini, etenim de iis testari possumus, quorum veri domini sumus. Tandem quia Tridentinum sess. 25. cap. 1. de Reformatione Episcopis interdicit, aliisque beneficiatis, ne ex redditibus Ecclesiæ consanguineos, & familiares suos augere studeant, quod non fecisset, nisi judicasset illis inesse onus tribuendi superfluum pauperibus.

25 Secunda sententia omnibus Recentioribus ferè communis asserit beneficiarios effici absolutè dominos omnium proventuum beneficiorum suorum, itaut quamvis partem superfluam in profanos usus expendendo mortaliter peccant, non tamen ad ullam restitutionem faciendam teneantur. Ità Molina, Sotus, Vasquez, Lessius, Silvius, Amicus, Caspensis, Faber, & Poncius ex nostris, & alii Recentiores passim. Fundamentum est, quia nec jure naturali, nec positivo constat, quod Beneficiarii non sint domini suorum reddituum; quod si jura aliqua invenire videntur, quæ necessariæ sustentationi superfunt, pauperibus distribui debere, commodè possunt & de facto explicantur à Doctoribus posterioris hujus sententiæ, de præcepto Charitatis, non autem justitiæ. Confirmatur, quia aliàs non valerent ulli contractus, nec alienationes, aut donationes, quæ beneficiarii facerent suorum reddituum, quod est contrà communem omnium sensum asserentium omnes donationes à beneficiario factas inter vivos de superfluis sui beneficii validas esse, non autem factas per ultimam voluntatem testandi. Denique quia Trident. sess. 14. de Reformatione cap. 12. statuit, quod Canonicus, vel beneficiarius animarum curam habens, si intrà duos menses à die adeptæ possessionis professionem fidei non fecerit, non faciat fructus suos, & si abfuerit ultrà tres menses in anno, prima vice privetur dimidia parte fructuum, quos fecit suos; secunda vice privetur omnibus fructibus, quos illo anno lucratus fuerit; ergò supponit, quod si professionem fecerit, & non abfuerit, illi fructus sint ipsius, non possunt autem esse ipsius, nisi sit eorum dominus, ut benè deducit Poncius noster disp. 50. q. 4. Et licet prima opinio sit tutior, & in praxi consulenda, hæc tamen secunda communior est, & probabilior. Cæterum sivè beneficiarii censeantur esse domini suorum reddituum, sivè solummodo dispensatores, certum est, & apud omnes in confesso graviter peccaturos illos contrà præceptum charitatis, si portionem illam redundantem profanis usibus, aut propinquis ditandis impendant, ut constat Trident. cit. sess. 25. de Reformat cap. 1.

26 Ad fundamentum prioris sententiæ dicendum cum Amico disp. 14. sect. 6. in fine, bona Ecclesiæ nuncupari bona Dei, & Christi, quia Dei, & Christi cultui sunt dicata; dicuntur etiam bona pauperum vel quia ad sustentationem Ministrorum Dei collata sunt, qui antiquitus pauperes erant, & nihil propriis habentes, vel quia ex superfluis alendi sunt pauperes, si non ex justitia, saltem ex charitate. Dicuntur tandem Clerici dispensatores, vel antè factam divisionem bonorum Ecclesiasticorum, quia ab initio nascentis Ecclesiæ omnia bona fidelium erant communia, sicut modò sunt Religiosorum, ex quibus tunc unicuique dabatur, quod necessarium erat ad vitæ sustentationem, ut constat Actorum 4. vel post factam divisionem quoad bona tantùm Ecclesiæ addicta, non autem quoad redditus, & fructus beneficiorum, quorum Clerici sunt absolutè domini. Ad secundum negatur consequentia, quia quamvis essent domini potestate positiva justis de causis ipsis prohiberi facultas testandi, sicut universaliter loquendo potest in aliquo actu justis de causis verum dominium impediri. Ad ultimum patet ex dictis Concilium potius nobis favere, & stare pro secunda sententia, nam si putasset beneficiatos non esse reddituum suorum beneficiorum dominos, non eis id præcepto interdixisset, sed potius absolutè declarasset eos ad id teneri ex justitia, & ex ipsa rei natura, tanquam non veros reddituum suorum dominos. Ità igitur sentiendum est de proventibus, & redditibus bonorum Ecclesiasticorum. Quod si de Bonis ipsis Ecclesiasticis sit sermo, nullus Episcopus, aut Clericus acquirit dominium proprietatis illorum, sed tantùm usus fructus, undè nec ea alienare possunt, nisi ex causa justa, & in casibus à jure expressis, accedente consensu Pontificis, ut habetur in Paulina *ambitiosæ cupiditati*. De hac quæstione fusè agit Faber disp. 45. de Restit. c. 6. ubi ait secundam esse de mente Scoti 4. dist. 15. q. 2.

QUÆSTIO SECUNDA.

De Objecto Dominii.

27 Declarata dominii natura, & eorum, qui ejus sunt capaces, nunc restat agendum de ejusdem objecto, ac declarandum, quæ res sub perfecto hominis dominio cadant, & sermo est tam de dominio naturali, cui naturalis respondet subjectio ex parte rei dominabilis, quàm positivo, cui tantùm respondet subjectio legalis ex voluntate, scilicet, & lege alicujus; ac rursùs tàm de dominio proprietatis, quàm jurisdictionis, quod dicit tantùm superioritatem in regimine.

ARTICULUS PRIMUS.

Quænam cadant sub perfecto hominis dominio.

28 Primò certum est, omnia infrà hominem cadere sub naturali ejus dominio, ut constat ex illo psal. 8. omnia subjecisti sub pedibus oves, & boves universa, &c. & rursus ex illo Genes. 1. faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram, & præsit piscibus maris, & volatilibus Cœli, & bestiis terræ, &c. sic enim hæc verba explicat D. Chrisost. hominem, s. esse conditum ad imaginem Dei propter præeminentiam dominii, quod in is inferioribus habet; & hoc etiam suadet ipsa ratio, quia ad hoc, ut alicujus rei dominium dicatur quis habere, sufficit, ut illa ad ejus utilitatem ordinetur, & pro suo arbitratu ea uti possit, sed ità se habet homo jure naturali respectu rerum omnium inferiorum, ergo, &c. Rerum verò superiorum, quales sunt Angeli, & cœlestia corpora homo non dicitur propriè habere dominium, ut constat ex illo psal. *Cœlum Cœli domino, terram autem dedit filiis hominum*; ac etiam ratio suadet, quia Angeli sunt hominibus superiores, præsuntq; illis, licet Cœli sint homine interiores, & propter ipsum conditi, non ob id tamen cadunt sub ejus perfecto dominio, non enim illis uti potest pro suo arbitratu; ut autem aliquis rei alicujus dominium habere dicatur, non satis est quod ea ordinetur in eum, tamquam in finem, ac etiam in ejus utilitatem condita sit; sed præterea requiritur, ut ejus potestate subsit, & de ea ad libitum disponere possit; hoc autem modo nedum Angeli, sed nec etiam corpora cœlestia subduntur facultati, & potestati hominis, & ideò homo illorum dominium habere dici non potest.

29 Secundò, potest etiam unus homo in alium hominem dominium habere. Ratio est, quia servitus unius hominis sivè naturalis, sivè legalis potest esse justa, atque ideò homo potest alterius hominis dominium habere. De naturali patet, cùm unus homo propter inopiam, & defectum rationis seipsum gubernare non potest, is enim naturæ lege subjectus est alteri homini, qui cõsilio valeat ad eum gubernandum, sicut pars sensitiva in homine subjecta est rationi lege naturæ; sic etiam Pater

habet

habet naturale dominium jurisdictionis in filium, & vir in vxorem. Hoc idem constat de servitute legali tùm ex veteri consuetudine variarum gentium, & nationum, apud quas servitus acceptata est tanquam justa, tùm etiam quia ab hominibus aliqua possunt committi peccata, ob quæ justè possunt etiam morte puniri; ergò multò magis servitute, quæ minus malum est. Nec obstat L. *libertas* ff. *de statu hominum*, ubi dicitur servitutem esse contra naturam, quæ homines fecit liberos, nihil autem fit justè contrà naturam, seù naturæ legem, quare talis servitus injusta videtur. Non obstat, inquam, quia lex illa solùm intendit, quod servitus unius hominis ad alium sit contrà naturam, quatenus est contra libertatem, quàm habet homo ex sua natura; non autem intendit, quod sit contrà legem naturæ, quod ob justam causam servitus omini imponatur. Tùm quia quando etiam id lex illa intenderet, solùm indè sequeretur talem servitutem non esse naturalem, sed legalem; quare semper salvatur posse unum hominem habere dominium saltem jurisdictionis in alium per impositionem servitutis, vel naturalis, vel legalis.

30 Tertiò, quin etiam potest unus homo habere in alium dominium quoque proprietatis, communiter enim docent Doctores Patrem habere naturale dominium proprietatis etiam in filium, dùm sub ipsius est potestate. Ratio est, quia dum est sub patria potestate, non est sui juris, sed patris; eatenus autem unus homo non habet naturale dominium in alium, quatenus ille proprium jus habet ab alio independens; at filius dùm vivit sub patria potestate, nullum jus habet à patre independens, atque ideò pater habet naturale dominium in illum etiam proprietatis, undè secundum leges licitum est Patri filios vendere, vel pignori dare, vt habetur L. 2. C. de *Patribus*, *qui filios suos distraxerunt*; & ait Molina disp. 33. Patrem hoc jus habere à natura, quod etiam colligitur ex illo Exodi 21. *si quis vendiderit filiam suam in famulam*, & Deut. 15. *Cùm tibi venditus fuerit frater tuus*, &c. quod etiam ex nostris docet Faber disp. 45. cit. de Rest. c. 1. dum agit de patria potestate; igitur pater habere naturale dominim etiam concedit Amicus dis. 15. sect. 1. n. 4. undè miror, quomodo immediatè anteà proprietatis, & non tantùm jurisdictionis in filium, & hoc ab initio quæstionis absolutè dixerat nullum hominem habere naturale dominium proprietatis in alium hominem, tametsi jurisdictionis habere possit. Imò non tantùm Pater potest habere dominium proprietatis in filium, sed etiam Dominus in servum justo bello captum, ut communiter Juristæ docent, nam servitus etiam jure belli induci potest; sicut enim jure belli justè possunt homines occidi; ità etiam in servitutem reddi possunt, & ex hoc ipso, quod commutatione mortis in servitutem servabatur ipsi vita, appellantur servi, sicut & mancipia vocantur, quia manucapiebantur in bello. Dominus autem in hujusmodi servos, & mancipia non tantùm dominium jurisdictionis habet, sed etiam proprietatis, quia licitè secundùm leges illos vendere potest, & pignori dare, ut passim Juriperiti docent. Quamvis igitur jure naturæ unus homo non sit dominus alterius hominis, quia homines ex se sunt jure naturæ pares, ex eodem parente, & ad eundem finem conditi, unde in statu innocentiæ nulla fuisset servitus; jure tamen gentium potest unus homo esse sub alterius dominio, non solùm per dominium jurisdictionis, sed etiam per dominium proprietatis, ut benè discurrit Caspensis disp. 5. sect. 1. de quo etiam videri potest Vulpes noster disp. 104. art. 5. Benè tamen verum est prædictum dominium non esse tale, nec ejus perfectionis, quod possit Dominus per illud totum id præstare, quod potest per dominium quod habet in equum, vel aliud simile, nam per dominium, quod habet in equum potest illum pro libito, & propria auctoritate occidere in suam utilitatem, non sic servum, nulli enim licet alium hominem propria auctoritate occidere, juxtà illud præceptum generale. *Non occides*.

31 Quartò conveniunt Doctores hominem non habere dominium vitæ suæ, nisi ad eam conservandam, cujus absolutum dominium est penes Deum Sapient. 16. *Tu es Dominus, qui vitæ, & mortis habes potestatem*, undè miror Vulpium ex nostris disp. 104. citat. articul. 4. oppositum docere. Ratio est, quia iis, quorum homo absolutè est dominus, potest in aliquo casu licitè se privare; sed homo in ullo casu licitè potest se occidere, vel se privare vita propria; ergo &c. Major probatur, quia licet ratio dominii possit juxtà dicta superius consistere sine actuali dispositione rei, vel sine actu secundo, non potest tamen consistere sine actu primo, quo possit per se disponere circà substantiam rei; tùm quia inducendo per ea, quorum sumus domini, possumus in aliquo casu per se licitè nos illis privare, nec in ejs hujusmodi impossibilitas reperitur. Minor etiam probatur, nam nullam ob causam, quamcunque fingas, & quovis colore censeatur justa, potest se homo privare propria vita juxtà ea, quæ scribit Augustin. 1. de Civitat cap. 2. At licet homo non sit dominus propriæ vitæ, est tamen procurator, & custos, ut dicebamus, jusque habet ea fruendi, eamque defendendi, qua de causa sicut qui aufert rem ab aliquo custoditam, vel violat rem, cujus alter habet fructus, & emolumenta, facit injuriam custodi, vel ei, qui habet dominium utile, ut videri est in eo, qui rapit virginem ex domo tutoris, & custodis, ita qui aufert vitam alteri, vel eam aliqua ratione violat, & diminuit, facit illi injuriam. Et propter dictam custodiam licet homini abscindere membrum, eo enim ipso, quod Deus ei dedit custodiam vitæ propriæ concessit etiam jus, ut possimus omni meliori modo eam defendere, sicut ad custodienda alia bona, undè cùm agitur de periculo totius corporis habemus jus disponendi de partibus.

32 Sed obiicies, quod quilibet habet dominium in propriam libertatem, quam licitè alteri vendere potest ex L. 1. & 4. ff. *quibus ad libertatem proclamare non licet*; ergo & in propriam vitam. Consequentia patet nam, & ratio dicta non esse alienandam propriam libertatem, ad quam conservandam natura quoque ipsa inclinat, quo tamen non obstante naturale dominium habemus in illam. Confirmatur quia homo in multis casibus potest uti vita, & membris suis cum periculo mortis, v. g. assistendo ægroto cum periculo contagionis, vel hostibus occurrendo primo loco in acie belli, & aliis modis; ergo est dominus suæ vitæ. Demum quia Eccles. 15. Reliquit Deus hominem in manu consilii sui, antè ipsum vita, & mors, ergo &c.

Respondetur quemlibet habere perfectum utique dominium in usum, non autem in radicem propriæ libertatis, undè ex natura rei loquendo potest utique homo dominium suarum operationum in alium transferre, ut illæ servire debeant, non tamen dominium suæ propriæ vitæ, & radicis libertatis, undè nec ipse hoc dominium habet, ut transferre possit, nec etiam Domini in servis dominium habent vitæ, ut suprà dictum est. Ad Confirmationem negatur consequentia, quamvis enim homo in quibusdam casibus facultatem habeat utèdi sua vita cum mortis periculo; non tamen talem habet facultatem, ut ea directè, & per se uti possit, sed tantum indirectè, & per accidens; dominium autem hanc etiam facultatem includit utendi re per se, & directè ejus substantiam destruendo. Ad ultimum negatur consequentia, ibi enim sermo est de dominio merè physico, non autem de morali, & juridico, de quo hic est sermo, undè neque ad præsens quæsitum benè respondet Vulpes cit. dùm homini physicum dominium concedit in vitam propriam, quia quæstio movetur de dominio morali, & juridico, non autem merè physico.

33 Quintò tandem disputant Doctores, an homo sit dominus suæ famæ; quæ definiri solet, quod sit Multorum estimatio de aliquo concepta circà ejus vitam, & mores, undè bona fama est bona existimatio multorum de moribus, & vita alterius; mala verò fama est mala existimatio multorum de moribus, & vita alterius, quæ famæ acceptio ex Sacra Scriptura desumitur Prou. 22. *melius est nomen bonum, quàm divitiæ multæ*, & Eccl. 41. *Curam habe de bono nomine*, in qua quæstione duæ sunt sententiæ. Prima est negativa, quam tradidit Cajet. 2. 2. qu. 73. artic. 2. & mordicus sequitur ex nostris Faber de Restit. disp. 53. c. 3. undè consequenter asserunt graviter peccare, qui seipsos infamant etiam metu mortis, & non solùm graviter peccare contra charitatem, sed etiam contrà justitiam, obligareque ad restituendam sibi famam. Fundamentum est, quia fama plus æstimatur, quàm vita; ergo cum homo non possit disponere de vita, nec illius sit dominus, ut dictum est, multò minus poterit de fama disponere. Deindè, quia si habemus dominium nostræ famæ frustrà Scripturæ, & Sancti toties nobis inculcarent sollecitudinem, & curam nostræ famæ, ut patet ex illo Eccles. 41. *Curam habe de bono nomine*, quæ verba cum sint imperativa, vim habent præcepti, & non consilii tantùm, undè Can. 9. qu. 1. vocatur crudelis, qui negligit suam famam, & Glossa Can. *si Sacerdos* 13. qu. 6. condemnat peccati mortalis, qui seipsos infamant. Denique clara est auctoritas D. August. l. 1. de Civit. Dei c. 20. quæ refertur 23. qu. 5. cap. *si non licet*, vbi apertè asserit hominem infamando seipsum eodem modo peccare, quo peccati infamando proximum, sed qui infamat proximum, peccat mortaliter, & non solùm contra charitatem, sed contrà justitiam, & tenetur ad restitutionem. Item l. de bono Viduitatis c. 22. & refertur 11. q. 3. c. *Non sunt audiendi* ait actum negligendi propriam famam esse actum impudentem, & crudelem, quo sic negligentes occidunt etiam animas aliorum; quas auctoritates valdè Faber exagerat loc. cit.

34 Secunda sententia communior, & probabilior affirmat quemlibet hominem esse dominum propriæ famæ, & honoris cum D. Thom. q. 64. art. 5. qu. 73. art. 4. addit tamen non posse hominem sine justa causa tantum bonum prodigere, & licitè negligere, & per accidens etiam, & ex aliqua circumstantia posse

mortaliter peccare, ut si nimirum infamatio sint aliis perniciosa, & grave aliquod nocumentum afferat proximo, quod multis modis contingere potest, & cum hac limitatione sententiam affirmativam docet S. Doctor l. c. ubi ait *Certum est in cujuscumque arbitrio esse pati detrimentum suæ famæ, nisi hoc vergat in detrimentum alterius.* Ità Sotus, Navarrus, Silvius, Caspensis, Amicus, Vulpes, & Aretinus ex nostris, & alii Recentiores communiter. Fundamentum præcipuum est, quia si homo non esset dominus suæ famæ, & honoris, in nullo casu posset licitè seipsum infamare, suamque famam negligere, sicut in nullo casu licitum est ei vitam perdere, & positivè contemnere, quia nimirum ejus dominium non habet; at constat hoc falsum esse exemplo multorum Sanctorum, qui propriam famam, & honorem positivè spreverunt, ut per virtutem humilitatis vitam æternam melius, & facilius consequerentur, ut fecit S. August. in libro suarum Confessionum, ubi ad hunc finem peccata sua detegit, & deplorat.

35 Respondet Faber loc. cit. quod peccata, quæ D. Augustinus recenset in libr. Confessionum erant peccata publica, jam pluribus nota, ideò ea scribendo non se diffamavit, jam enim diffamatus erat, licet non essent notoria; sed de peccatis publicis pœnituit. Verùm hoc omninò gratis dicitur, ut enim legenti librum Confessionum patebit, plura peccata ibi recensèt, quæ erant penitus occulta, quod si quædam erant quibusdam nota, ipsemet scribendo illa fecit adhuc magis patentia, ac magis se diffamavit in humilitatis augmentum, & pœnitentiæ. Nec desunt alia Sanctorum exempla, qui laudabiliter propter eundem finem suorum peccatorum publicam fecerunt confessionem veniam adstantibus petendo, nec desunt viri pii, qui seipsos infamant ad petendum consilium, ad humiliationem propriam, & in remedium superbiæ. Confirmatur, quia si homo non esset sui honoris, ac famæ dominus, numquam licitè posset suæ famæ restitutionem condonare, ac positivè negligere, quia qui non est dominus, sed simplex rei custos non potest ad libitum de illa disponere, eamque negligere, sed diligenter conservare tenetur, ut suprà dictum est de bono vitæ, cujus nos simplices sumus custodes, non domini; sed licitè potest homo interdum propriæ famæ restitutionem condonare, ac positivè negligere etiam laudabiliter, quandò nimirum ex condonatione vel positivo contemptu illius nullum imminet illi periculum salutis, nec aliis; ergò verè est dominus illius, aliàs condonare non posset, cùm nemo possit de re aliena disponere. Denique probatur, quia quando quis injustè alium infamat, tenetur ei famam restituere, si non condonet, etiam cum propria infamia, si opus sit; at licitè id facere non posset, si suæ famæ dominus non esset, ergo &c.

36 Ad fundamentum prioris sententiæ, quicquid sit de antecedente, neganda est consequentia, & ratio disparitatis est, quia homo potest disponere de rebus, quæ comparantur, & augentur propria industria, hæc enim omnia cadunt sub perfecto ejus dominio, cum sit in ejus potestate, ut acquirantur, vel non acquirantur; talia autem sunt honor, & fama, cùm sint præmia virtutis, quæ non nisi propriis meritis acquiruntur; non sic autem est de vita, quam homo propria industria non acquirit, ac proindè sub ejus dominio non est. Ad secundum ideo scripturæ, & Patres sæpius inculcant sollicitudinem, & curam nostræ famæ; ut indicarent, quod quamvis quilibet sit dominus propriæ famæ, & honoris, non potest tamen hæc sine justa causa licitè prodigere, nam si sine justa, & rationabili causa ea perdat, peccat peccato prodigalitatis eo modo, quo accidit in eo, qui sine justa causa opes suas prodigit; hoc etiam sæpiùs inculcant scripturæ, & sancti, ut caveamus, ne malo nostro nomine, & fama simus aliis in scandalum, & occasionem perditionis eorum; & in hoc etiam sensu loquuntur Canones & Glossa citati. Ad ultimum D. August. loquitur in casu, quo quis irrationabiliter, & sine justa causa seipsum infamaret, sic enim peccaret contrà charitatem erga seipsum debitam, sicut infamando proximum peccat contra charitatem etiam illi debitam; non autem intendit, quod infamando seipsum peccet etiam contrà Justitiam, sicut peccat infamando proximum. In alio tandem loco, ut verba ipsa sonant, loquitur in casu prædicto, quando malo nostro nomine aliis nocemus, & ipsis occasionem peccandi præbemus.

ARTICULUS SECUNDUS.

Quo jure rerum dominia fuerint distincta.

37 DE hac materia tractat Doctor noster ex professo 4. d. 15. quæ. 2. art. 1 ubi supponit dominium rerum à mundi initio fuisse hominibus commune, quandò nimirum omnia infrà hominem sub naturali ejus subjecit imperio, ut dictum est ab initio articuli præcedentis; examinat ergò ibi Doctor an jure naturali, vel divino fuerint à principio omnibus communia absque ulla dominii distinctione, & quo jure posteà dominiorum divisio fuerit introducta, & breviter aliquibus conclusionibus quæstionem resolvit, & cùm dominium sit multiplex, ut suprà dictum est, hic solùm est sermo de dominio civili, quod quidem nil aliud est, quàm facultas quædam uni soli competens circa aliquam rem ob prohibitionem aliis factam utendi re illa, undè sensus quæstionis est, cùm res, quarum homines modo habent dominia, ab initio omnibus hominibus communes fuerint sic, quod nulli erant appropriatæ, ipsæ posteà licitè, & rationabiliter appropriatæ fuerint jure naturali, vel divino, aut humano; pro cujus resolutione.

38 Primò dicendum est, quod in statu innocentiæ, & in pura lege naturæ erant omnia communia, ità quod in eo statu non erant rerum dominia distincta, neque divina lege, neque naturali. Ità Doctor l. c. quod probat in primis per illud decretum, d. 8. cap. 1. Jure naturæ sunt omnia omnibus communia. Deindè ex Augustino super Joan. tract. 6. dicente, Undè quisque possidet, quod possidet? nonne humana voluntate? nam jure divino Domini est terra, & plenitudo ejus; jure ergò humano dicitur, hæc domus mea est, hæc villa mea est, hic servus meus est, & per jura regia possidentur possessiones. Tandem probat ratione, quia usus rerum secundum rectam rationem ità debet competere hominibus, sicut convenit, & congruum est ad pacificam eorum conversationem, & necessariam ipsorum sustentationem; at in statu innocentiæ communis usus rerum sine distinctione dominiorum ad utrunque istorum plus valuit, quàm distinctio dominiorum, quia tunc nullus occupasset, quod alii fuisset necessarium, nec oportuisset illud ab ipso per violentiam extorqueri, sed quilibet hoc, quod primò occurrisset necessarium occupasset ad necessarium usum, & illo contentus fuisset; ac proindè concludit Doctor, quod in statu innocentiæ non erat congruum facere distinctionem dominiorum rerum, ubi nulla passio: aut appetitus inordinatus erat, quia natura erat perfectè instituta per justitiæ originalis donum, neque tunc ulla erat rerum indigentia, nisi quantum ad sustentationem requirebatur. Hic tamen observat Almainus noster 4. d. 15. q. 2. quod cùm dicitur in statu innocentiæ omnia fuisse communia, hoc potest dupliciter intelligi, nam homo in quibusdam rebus habet dominium, quarum usus est necessarius ad sustentationem individui, aliæ verò sunt, in quibus habet dominium, quarum usus non est necessarius ad sustentationem individui, sed speciei, ut usus fœminæ; quando ergò dicitur, quod in statu innocentiæ omnia fuissent communia, intelligendum est de illis rebus, quarum usus est necessarius ad conservationem individui, non autem de illis rebus quarum usus est necessarius ad conservationem speciei, nam Adam habuisset dominium proprium in corpus Evæ, & quilibet vir in corpus propriæ uxoris, Adam enim fuisset vir Evæ, & nullus alter habuisset dominium in corpus Evæ, & talis appropriatio fuisset in statu innocentiæ. Et hoc totum notavit etiam Aretinus 4. d. 15. q. 2. a. 7. omnia ad verbum ex relato Auctore transcribens suppresso nomine, ut ejus moris est.

39 Secundò dicendum est, quod in statu naturæ lapsæ, & post peccatum non fuisset conveniens omnia esse omnibus communia, atque ideò rationabiliter fuerunt dominia rerum distincta. Ità Doctor l. c. ubi primò id probat, quia talis rerum communitas esset contrà pacificam hominum conversationem, & societatem, quia cupidi, & avari plus acciperent, quàm ad eorum substentationem opus esset, ideoque lites orirentur inter homines, & controversiæ ex corruptela naturæ per peccatum inducta, & fortes, ac robusti omnia per vim occuparent, & alios privarent necessariis, sicut legitur de Nembrot Gen. 10. quod erat robustus venator coram Domino, id est Tyrannus, & hominum oppressor. Deindè id etiam probat, quia talis rerum communitas esset contrà necessariam hominum sustentationem, quia fortiores bellatores privarent alios necessariis. Et hac ratione subdit Doctor politiam Arist. 2. Polit. cap. 3. & 4. quod non sint omnia communia, longè meliorem fuisse politia Socratis, & Platonis, qui dicebant eam Rempublicam optimè institutam esse, in qua omnia essent communia, tam res ad sustentationem necessarias, quam etiam uxores, ac proindè ait Aristotelem rationabiliter eos redarguere ob rationem adductam; quarè concludit Doctor qu. 2. cit. art. 1. concl. 2. ad evitanda prædicta mala illud præceptum legis naturæ habendo omnia communia revocatum esse post lapsum, & rationabiliter.

40 Verum Soto, Azorius, Lessius, Molina, & alii Recentiores reprehendunt Doctorem, quod dixerit tale præceptum juris naturalis fuisse in statu innocentiæ, ac revocatum esse in statu naturæ lapsæ, quia jus naturale est immobile, ac indispensabile

propriè

propriè loquendo, & lex naturalis immutabilis, ut dictum est disp. præced. de legibus q. 2. art. 3. Respondeo ibidem hanc difficultatem fuisse solutam, ubi diximus omnia ab initio dici fuisse communia de jure naturali, non positivè, quasi tunc temporis rerum communitas jure naturali præcepta fuerit, & prohibita divisio, ac proprietas, sed negativè tantùm, quia ab initio de hac re nihil statutum fuit, sed permissum est, & concessium omnia esse in communem usum in statu innocentiæ, in statu autem naturæ corruptæ ob rationes adductas jure gentium statutum est, ut unusquisque sua propria possideret, & rerum divisio fieret; nec aliter, nec alio modo intelligit Doctor loc. cit. quando dixit præceptum de rerum communitate post lapsum peccati cessasse, vult enim tantùm fuisse præceptum permissivum, vel consultivum, & per *revocatum* esse intelligit cessasse, quia mutatis circumstantiis status naturæ per peccatum, ratio naturalis dictavit communionem rerum non amplius expedire ad pacem, & debitam hominum sustentationem, & ità Doctorem explicat Scholiastes apud Hiquæum 4. dist. 15. q. 2. art. 1. ac etiam Faber de Restit. disp. 43. cap. 3. quia conclusio Scoti est negativa, quod, scilicet, distinctio rerum, & dominiorum non est de lege divina, nec de lege naturæ, undè cùm dicit omnia fuisse communia de lege naturæ in statu innocentiæ, & hoc fuisse præceptum legis naturæ, pro tanto hoc dixit, quia distinctio rerum non est præcepta à natura, nec est de lege naturæ, quod est, ac si dicat, de lege naturæ habemus solùm omnia esse communia, quia per eam non præcipitur rerum distinctio, non tamen habetur ex lege naturæ, vel divinæ, quod distinctio rerum, & dominiorum sit prohibita, & quod illa fieri aliquando non posset, si occasio accideret, & opportunitas. Ità discurrit Faber loc. cit. nu. 73. Vel si communitas rerum fuit ab initio de jure naturæ positivè, hoc intelligendum est de lege naturæ latè sumpta, ut etiam loc. cit. diximus, quatenus consentaneum erat statui innocentiæ, & integræ naturæ humanæ; corrupta verò natura humana per peccatum, communitas rerum contrà pacificam societatem humanam effecta est ex circumstantiarum mutatione, & data licentia distinguendi rerum dominia ad pacificè convivendum, quam explicationem etiam approbat Faber loc. cit. n. 78. de quo plura videri possunt apud Hiquæum loc. cit. nu. 10. & seq.

41 Sed contrà prædicta obiicies, quod propter rerum divisionem factam in statu naturæ corruptæ non sunt prædicta incommoda sublata, itaut adhuc non sequantur, nam adhuc stante rerum divisione, qui robustiores sunt occupant plura, quam justum sit, & debiliores carent necessariis sibi debitis; tùm quia adhuc est magna inæqualitas inter homines in rebus temporalibus, unde inquit Apostolus, quod alius quidem esurit, alius autem ebrius est, quæ etiam inæqualitas litigiorum causa est, & contentionum. Respondetur cum Aretino loc. cit. quod factum propter aliquem finem non ob id dici debet irrationabiliter factum, si non attingatur finis ille per tale medium omninò perfectè; sufficit enim quod saltem finis ille attingatur meliori modo, quàm si tale medium non fuisset adhibitum; quamvis ergo per rerum divisionem in statu naturæ lapsæ introductam non vitentur omninò præfata incommoda; nihilominus talis finis perfectiori modo attingitur, quàm si mansisset rerum communitas, qualis erat ab initio; nam neque tot inæqualitates, nec tot litigia sunt apta oriri, nec tam lata modò est via fraudibus, & malitiis, sicut si res mansissent communes etiam in statu naturæ lapsæ; quia fortiores, & potentiores plus æquo de bonis communibus occupassent, nec eis debiliores resistere potuissent, sicut modo, quia tunc dixissent potentiores se illud justè facere posse, cum res essent non minus eorum, quàm aliorum, nec punire, potuissent, sicut modò, quia dixissent omnia esse communia; quarè huic incommodo in statu naturæ lapsæ melius provisum est per rerum divisionem, licet ob naturæ corruptionem per peccatum inductam per tale medium finis ille non adhuc totaliter, & perfectè attingatur.

42 Tertiò dicendum est cessante illo præcepto naturæ ab initio mundi de communione rerum, sivè fuerit permissivum, sivè positivum, divisionem actualem posteà non esse factam, nec per legem naturæ, nec per divinam, sed per humanam positivam. Ità Doctor loc. cit. concl. 3. & quoad legem divinam probatur per testimonium D. August. superius adductum expressè docentis rerum divisionem, & appropriationem jure divino factam non fuisse. Quod nec etiam jure naturæ constant, alioquin de facto nulla communitas posset habere communionem bonorum, quod est falsum, quia plures communitates de facto bona quædam communia possident; si ergo nec per legem divinam, nec per legem naturæ prima rerum divisio facta est, sequitur factam esse per legem positivam humanam, quod etiam expressè docuit D. August. loc. cit. dùm inquit, quod jure tantùm humano dicitur hæc villa mea est, hæc domus mea, tolle jura Imperatorum, quis audet dicere mea est illa villa, & quo? per jura Regum possidentur possessiones. Quamvis autem rerum dominia inter homines fuerint primò per legem humanam positivè distincta, adhuc tamen fuerunt à Deo magis confirmata per generale præceptum non furandi, nec alienum concupiscendi, ut Vulpes noster advertit disp. 101. artic. 1. frustra namque prohiberet Deus accipere alienum invito domino, si non forent inter homines distincta rerum dominia, nec dignè prohiberet, si dominiorum distinctio injusta foret.

43 Sed instabit quis, dominiorum divisionem non esse factam jure humano, sed naturali, quod enim recta ratio naturalis in suo lumine naturali dictat, hoc est lex naturalis; sed recta ratio dictat hoc complexum, scilicet, hominibus pro statu naturæ corruptæ res esse appropriandas, & non relinquendas omnibus communes ad tollenda jurgia, & servandum pacificum convictum: ergò illud complexum est lex naturalis; sed illud complexum disponit distinctionem dominiorum, igitur dominiorum distinctio est à lege naturali.

Respondetur ex dictis disp. præced. de legibus quæst. 2. art. 2. ad hoc, quod aliquod complexum sit lex naturalis strictè, & propriè sumpta, non sufficere, quod sit dictatum à recta ratione, nam etiam lex purè positiva à recta ratione est dictata; sed requiritur ulterius quod vel sit evidens ex terminis, vel saltem ex propositione per se nota evidenter deducibile, lex enim naturalis propriè, & strictè sumpta, ut docet Doctor pluribus in locis ibi citatis, est propositio evidens ex terminis, vel evidenter deducibilis ex alia propositione ex terminis evidente; tale autem non est complexum illud in minori propositum, non enim ex terminis illius cogitur intellectus ei assentiri, licet legi naturæ sic sumptæ sit valdè consonum. Undè illud complexum ad summum dici potest esse de lege naturæ latè sumptæ, ut ibi explicatum est, ad hoc enim, ut aliqua lex dicatur naturalis largè, non requiritur quod sit nota ex terminis, neque quod sit evidenter deducibilis ex propositione taliter nota, sed sufficit, quod sit valdè consona propositioni ex terminis evidenti, vel ex taliter evidente deducibili. & in hoc sensu dicitur fuisse de lege naturæ communitas rerum in statu innocentiæ, & naturæ integræ, & rerum appropriatio posteà in statu naturæ corruptæ per peccatum, non autem de lege naturæ strictè sumpta; quia nec in statu naturæ integræ, seù in statu innocentiæ repugnasset appropriatio rerum absolutè loquendo, ut ait Almainus loc. cit. concl. 2. nec modò in statu naturæ corruptæ repugnat rerum communitas, quia de facto videmus communitates aliquas habere communionem bonorum, ut suprà dictum est.

44 Quartò tandem Dicendum est, primam dominiorum distinctionem potuisse esse justam à lege positiva justa, sivè lata à Patre, sivè à Principe, sivè à communitate justè regnante, & regente. Ità Scotus loc. cit concl. 6. ubi subdit satis probabile esse primam rerum divisionem hoc modo fuisse de facto introductam, & institutam, scilicet, per legem latam vel auctoritate paterna, vel politica unius, vel plurium, atque ità dicere possumus tribus modis potuisse legitimè institutam fuisse rerum divisionem, & dominiorum. Primò modo per legem latam à Patre, nam potuit esse, quod Adam, cum haberet filios post lapsum, diviserit illis terram dicens, & volens, quod una pars esset istius, & alia illius cum prohibitione, ne alter illam occuparet sine consensu alterius. Idem facere potuit Noe post diluvium, cùm totus Orbis suus esset, & suorum filiorum, & talis lex justa fuisset, quia lata ab habente potestatem super illos; & hoc modo factum esse satis evidenter ex scriptura colligitur, quia legimus Genes. 1. Cain, & Abel habuisse propria peculia distincta, nam Abel obtulit de primogenitis gregis sui, & Cain ædificavit Civitatem, vocavitque eam ex filii sui nomine Enoc, & hoc eodem modo fortè divisit Noe terram filii suis, cùm jam ipse novisset sic factam fuisse rerum divisionem antè diluvium à parentibus suis. Secundò potuit prima rerùm divisio fieri justè per legem latam à Principe, vel Republica; potuit enim esse, quod si non esset filiis facta ulla divisio per Patres, illis crescentibus, & multiplicatis, submisissent se homines alteri à Patre suo, tanquam Rectori, ac defensori suo, & Principi, vel communitati principanti, à quibus lex lata fuisset, quod quicunque occupaverit prius aliquam rem, quæ sub nullius est dominio, habeat eandem in proprietatem, & quod res non occupata esset primi occupantis. Tertiò tandem si nec per paternam, nec per habentem politicam potestatem facta est rerum distinctio, potuit esse facta per communem hominum consensum, itaut simul convenerint, & invicem diviserint, eo modo quo legitur Genes. 13. orto jurgio inter pastores Abraam, & Loth factam fuisse inter illos, quando Abraam dixit Loth fratri suo. Ecce universa terra coram te est, elige quamvis partem, si tu ad sinistram jeris, ego dexteram tenebo, si tu dexteram elegeris, ego ad sinistram pergam, & tunc ex communi

ambo-

amborum consensu factum est, quod una pars esset unius, & alia alterius. Quocunque igitur horum trium modorum facta fuerit prima rerum divisio, justè facta fuit, sic etiam discurrit Astesanus noster lib. 3. tit. 1.

45 Sed instabis dominiorum divisionem non fuisse justè factam, quod enim fit contrà legem naturalem, nec licitè, nec rationabiliter fieri potest; sed appropriatio, & divisio rerum facta est contrà legem naturalem; ergò nec licitè, nec rationabiliter fieri potuit. Major patet, quia lex naturæ in omni statu ligat, & rationabilia tantùm, seù licita, & justa imperat. Minor probatur, quia lex naturæ, ut suprà dictum est, disponit omnia esse omnibus communia. Confirmatur quia Divus Chrysostomus tom. 1. in orat. de S. Philogono *meum, & tuum*, appellat frigidum verbum, & quicquid est malorum in vitam nostram invehens, innumeraque gignens bella; ergò semper est per se mala rerum divisio, injusta, & rectæ rationi contraria, etiam pro statu naturæ corruptæ. Demum B. Clemens in quadam epistola, quæ refertur 12. quæst. 1. cap. Dilectissimis ait, quod Communis usus omnium, quæ sunt in hoc mundo, omnibus hominibus esse debet, sed per iniquitatem alius dixit hoc esse suum, & alius istud, & sic inter mortales facta est divisio; sed quod per iniquitatem factum est, non est iustè, nec rationabiliter factum, ergo distinctio rerum justa non est.

46 Respondetur ex superiùs dictis, quod fit contrà legem naturalem propriè, & strictè sumptam utique nec licitè, nec rationabiliter fieri posse, quia lex naturalis in hoc sensu semper obligat, & in omni statu, nec unquam revocari potest, quia immutabilis, & indispensabilis est; rer... autem divisio jam facta non est contra legem naturalem strictè sumptam, sed tantum largè, quæ revocari potest juxtà varietatem circumstantiarum in rebus, & in hoc tantùm sensu communitas rerum fuit de lege naturæ in statu naturæ integræ, & modò est earundem divisio in statu naturæ corruptæ, & ideò Genes. 1. dominium rerum fuit homini à Deo datum sub indifferentiam ad communitatem, vel divisionem rerum secundum indifferentiam humanæ naturæ ad integritatem, vel corruptionem; tùm quia quando dicitur omnia ab initio fuisse communia de lege, & jure naturæ, jam suprà dictum est num. 40. hoc non esse intelligendum positivè, quasi tunc temporis rerum communitas præcepta fuerit, & vetita proprietas, sed negativè tantùm, quatenus in statu innocentiæ permissum est, & concessum omnia esse in communem usum. Ad Confirmationem Divus Chrysostomus appellat meum, & tuum frigidum verbum ad detestandam hominum avaritiam, & cupiditatem, quæ charitatem in proximum frigescere facit, imò penitus extinguit, non enim utuntur rerum divisione in statu naturæ corruptæ à Deo concessa, & confirmata, sed omninò abutuntur, quia nunquam divitiis satiantur, & ut ait Poeta de avaris, quo plus sunt potæ plus sitiuntur aquæ. Ad ultimum, non dicit B. Clemens Papa dominiorum divisionem fuisse iniquè factam, sed quod lapsus hominis in peccatum occasionem dedit introducendi dominiorum divisionem; ex hoc autem quod peccatum primi parentis occasionem dederit introducendi dominiorum distinctionem, non benè deducitur hanc illicitè, vel iniquè factam fuisse.

QUÆSTIO TERTIA.

De acquisitione Dominii.

47 DOcent communiter Doctores tam Juristæ, quam Canonistæ triplicem esse modum acquirendi rerum dominium, nimirum jure naturali, sivè gentium; deindè jure civili præscriptionis; & tandem privata lege paciscentium; primo modo acquiruntur quæ sub nullius sunt dominio; secundo modo, quæ certo tempore præscripto à lege bona fide possidentur; tertio tandem modo acquiruntur, quæ per legitimam dominii translationem, & voluntatem transferentis ex uno devoluuntur in alium. In hac quæstione de primo, & secundo modo agemus; de tertio autem in Disput. sequenti, ubi de Contractibus.

ARTICULUS PRIMUS.

Quibus modis dominium proprietatis acquiratur.

48 REs externæ, quæ sub dominio proprietatis cadere possunt, duplicis sunt generis, vel enim nullius sunt, & carent Dominio, vel sunt alicujus personæ, quæ rursus subdistinguuntur, vel enim habent certum dominium, vel incertum, qualia sunt ea, quæ dominium quidem habent, sed ignoratur quis ille sit, & de omnibus his quæstio proposita intelligi debet, & resolvi.

Primò itaque conveniunt Doctores, res illas, quæ nullius sunt Domini, spectato jure naturæ, ac gentium fieri primò occupantis, itaut hæc occupatio est legitimus modus, quo prædictarum rerum dominium acquiritur, nisi leges civiles, & locorum consuetudines de aliquibus in particulari aliter constituant, ità habetur ex §. *feræ* instit. de rerum divisione, & ex L. 1. ff. de acq. poss. & L. 1. & 3. ff. de acquirendo rerum dominio. Quæ autem sub nullius censentur esse dominio, sunt animalia silvestria nondùm mansuefacta, gemmæ, & lapilli pretiosi, qui in fluminibus vel littore maris, aut promontoriis reperiuntur. Undè feræ, & animalia silvestria, quæ in nullius sunt potestate, vel quæ jam ab aliquo capta illius potestatem evaserunt, & in libertatem naturalem se vindicarunt, ubicunque reperta fuerint legitimè capi possunt, & primus capiens evadit eorum legitimus dominus, è contrà verò animalia illa, quæ natura mansueta sunt, & domestica, quamvis, è domini domo effugerint, ubicunque oberrantia reperiantur sunt restituenda, quia adhuc censentur inter res ad dominium pertinentes, undè §. *Gallinarum* Instit. de rerum divisione, qui ejusmodi animalia, cùm effugerint, detinet, furtum committere dicitur, & ad restitutionem tenetur, ut fusius explicat Lessius lib. 2. de Justitia, & Jure cap. 5. dub. 6. Petes, an fera ab aliquo vulnerata & posteà ab alio capta, sit vulnerantis, vel capientis Respondendum est cùm distinctione, nam si qui vulneravit esset insecuturus illam, & sine dubio capturus, tunc erit vulnerantis, & non capientis, si enim vulneravit quantum satis fuit ad capiendum, & est moralis certitudo comprehensionis, jam illa fera censetur in ejus potestate, & dominio, quaré alius non potest eum prævenire. Si verò dubium esset, an qui feram vulneravit esset eam capturus, sit capientis, & non vulnerantis, quia tunc fera adhuc censetur habere suam libertatem naturalem, & ideò censetur esse primò occupantis, & ità deducitur ex L. *Naturaliter* ff. de acquirendo rerum dominio, ubi dicitur feram naturalem recæpisse libertatem, quando ejus prosecutio difficilis est.

49 Secundò inter res, quæ sub nullius censentur esse dominio, thesauri etiam recensentur, loquendo de thesauris propriè dictis, & non de illis, qui in aliquo loco ad custodiam deponuntur, quorum Dominus facilè sciri potest, undè thesaurus propriè sumptus ex L. *Nunquam* ff. de acquirendo rerum dominio *est vetus depositio pecuniæ, cujus non extat memoria, ut jam Dominum habeat*, ubi per pecuniam non solùm intelliguntur nummi aurei, vel argentei, sed etiam aliæ opes v. g. catenæ, gemmæ, & similia, & de his thesauris est difficultas, an sint primò invenientis, vel cujus sint. Et quidem dicendum est spectato jure naturali, & gentium esse inventiores occupantis, si inveniantur in loco communi, quæ enim nullius sunt, fiunt primò occupantis, spectato autem jure civili thesaurus in proprio fundo inventus totus est inventoris L. unic. Cod. de Thesauris; si verò in alieno, casuque sit inventus dividendus est cum domino fundi, itaut dimidium sit inventoris, & dimidium domini fundi. Quod si fundus sit sub duplici dominio, utili, scilicet, & directo, nam de usufructuario nudo nulla habetur ratio, dividendus est thesaurus inter dominium directum, & utilem. Si tandem inventus sit thesaurus arte magica, totus est fisci in pœnam delicti. Ità habetur lege un. cit. Cod. de Thesauris, & §. *Thesauros* Inst. de rerum divisione. Atque hæc de thesauris spectato jure communi. Verùm ultrà jus commune spectandæ sunt etiam leges, & consuetudines propriæ regnorum, ac regionum, in quibus variæ esse solent, & ità communiter Doctores advertunt in præsenti, de quo præsertim videndus est Molina disput. 56.

50 Tertiò difficultas tamen est, an sciens in agro alieno latere thesaurum, possit licitè, ac sine ulla obligatione restitutionis emere agrum illum communi pretio, ac si ibi thesaurus non esset; negant aliqui, quia emptio illa fit domino ignorante, & cum damno illius notabili, non enim servatur æqualitas inter pretium, & rem; ergo emens tenetur manifestare thesaurum domino agri, sicut vendens tenetur manifestare vitium occultum rei vendendæ, quod emens ignorat, & dare prætium æquivalens juxtà valorem thesauri. Affirmant alii, quia dominus agri in isto casu non est dominus thesauri, quia thesaurus non est fructus agri, & ante manifestationem nihil thesauri ad eum pertinet; ergo qui emit agrum illo communi pretio justè emit sine alicujus restitutionis obligatione; ex quo fundamento solvere prætendunt fundamentum oppositæ sententiæ, non enim obligatur emptor ad manifestandum domino agri thesaurum ibi latentem cùm non sit fructus agri. Ità Caspensis

cum

cum pluribus aliis disp.7. sect.2. quam opinionem existimat veriorem opposita; & ego etiam libenter amplecterer; sed L. unica cit. Cod. de Thesauris obstare videtur, nam ibi statuitur, ut thesaurus in alieno fundo inventus dividatur, itaut dimidium sit inventoris, & dimidium domi fundi; ergo falsum est antè manifestationem nihil thesauri ad eum pertinere ex dispositione juris, alioquin inveniens thesaurum in alieno fundo, ipso domino ignorante, non teneretur illi dare dimidium ejus ut in lege cit. statutum est, quarè lex citata priori opinioni magis favere videtur; nisi fortè dicatur, ideò legem obligare inventorem thesauri alieno fundo ad eum dividendum cum domino fundi, non quia dominium aliquod habeat in thesaurum antè ejus manifestationem, aut aliquid thesauri ad ipsum pertineat, sed solum quia dominium habet in fundum in quo thesaurus est repertus.

51 Quartò præterea inter hæc hona, quæ domino carere dicuntur, recenlentur illa, quæ in jure appellantur vacantia, & quæ pro derelictis habentur, quia nimirum à domino abiiciuntur, & deseruntur sine animo repetendi, hæc enim tunc vacant Domino; undè si quis habeat jus, & dominium in aliqua re mobili, vel immobili, & difficultatem eam colendi, vel conservandi, derelinquat eam animo non repetendi, dicitur derelicta, & vacans, & ideò fit primi occupantis, undè si quis ferens pondus grave in via ità partem ejus deponeret, ut haberet voluntatem redeundi ad illam accipiendam, illa pars non diceretur derelicta, nec vacans, & qui illam inveniret, teneretur domino restituere. Hujusmodi etiam sunt bona morientium ab intestato, & non habentium hæredes naturales, ad quos legitimè perveniant; cùm enim propinquos non habeant, ad quos jure perveniant, neque ipsi de eis disponant, videntur ea derelinquere, quare ex juris dispositione applicantur fisco, & ad Regis sumptus, & Reipublicæ subsidium devolvuntur defuncto Domino L. 1. ff. de jure fisci; ità communiter Doctores de hujusmodi bonis discurrunt & ex nostris præsertim Faber de restit. disp.50. cap.4. num.155. quorum aliqui addunt non teneri possessorem antè Judicis sententiam hæc bona fisco tradere, quod ex eadem lege colligitur, ubi juncta Glossa dicitur, quod potest possessor, qui sine titulo legitimæ hæreditatis hæc bona possidet infrà certum tempus contra fiscum præscribere, & ità præsertim observat Amicus disp. 16. sect. 1. in fine. Si tamen bona alicujus comburenda essent, vel periculo combustionis expositа ex incendio domus, non ob id haberi debent tanquam derelicta, nec qui erueret aliqua ex illis esset eorum dominus; quia alter dominium non amisit eorum ex periculo combustionis, sed erat tantùm perditurus, seù in periculo illud amittendi, undè potius servata sunt ipsius dominio, quam alienata ab ipso.

52 Quintò secus dicendum est de bonis incertis, qualia sunt ea, quæ quidem dominium habent, sed ignoratur quis ille sit, seù de rebus illis, quæ dominium aliquando habuerunt, & casu aliquo fuerunt amissæ, v. g. quæ naufragio facto ejectæ sunt ad littus maris, quisquis enim res hujusmodi reperit, illas dominis debet restituere; si dignoscere possit, & ad illos dignoscendos moralem diligentiam adhibere tenetur, imò adest excommunicatio contrà eos, qui capiunt res Christianorum ex naufragio perditas, & eas Domino non restituunt, quando in ejus notitiam devenerunt cap. Excom. de Raptoribus, & ratio est, quia qui naufragio bona sua in mare proiicit, non omninò voluntariè bona illa abiicit, sed voluntariè cum involuntario mixto, undè quæ in mari abiiciuntur ad levandam navim, non habentur pro derelictis, quarè consuetudo quæ solet esse in quibusdam regionibus, ut talia bona sint Principis, vel Reipublicæ, vel littoris, in quo inveniuntur, est iniqua, si possit probabiliter cognosci dominus talia bona recuperare volens, ut Caspensis advertit disp.7. sect.3. est enim contrà jus naturale, quia accipit alienum, & contra jus domini rationabiliter inviti Cod. de Furtis. Est tamen difficultas, quid de rebus hujusmodi sit disponendum, si post diligentem inquisitionem factam, domini illarum dignosci nequeant; & communis opinio docet illas pauperibus erogandas esse, vel in alios pios usus insumendas, quam etiam ex nostris sequitur Faber loc. cit. Ratio est, quia qui res illas amisit, earum dominus esse non desinit, atque ideò si ipsi restitui nequeunt, saltem restitui debent illis, quibus velle præsumitur dominus, nemo autem est, qui amissam rem suam non velit potius pauperibus dari, quàm alios usus expendi. Non desunt tamen alii Doctores, ut notat Abellius de 7. Decal. præcepto sect. 1. §. 4. asserentes illas inventas justè ab inventore retineri posse, si post diligentem inquisitionem factam dominus non compareat, cùm nullo jure naturali, vel Ecclesiastico id prohibeatur, & ità etiam tenet ex nostris Poncius disp.51. sect. 5. in fine, Sotus, Medina, & alii quæ quidem opinio sua probabilitate non caret, cùm secundùm illam, ut Navarrus, advertit, possit inventor, si aliqua egestate laberet, sibimet rem inventam, aut partem illius retinere pro tali egestate subvenanda.

53 Postremò, quod spectat ad res illas, quæ certum habent dominium, & quæ sunt alicujus propriæ, dicendum est rerum hujusmodi dominium acquiri, vel per voluntatem propriam domini rei suæ dominium transferentis in alterum, quod duobus præsertim modis genericè loquendo fieri potest, scilicet, per aliquem contractum putà venditionem, permutationem &c. aut absque contractu per donationem, promissionem &c. Vel tale dominium acquiri potest per voluntatem Superioris, aut dispositionem legis ob justas causas rei alicujus dominium ab uno in alterum transferentis, quod præsertim fit per legem præscriptionis. Vel tandem acquiri potest jure belli, supposito ex D. Thoma 2. 2. quæst. 40. articul. 1. licitum esse bellum, ut constat exemplo tot SS. Hominum, qui bella gesserunt, & de his duobus modis acquirendi rerum dominium agemus art. seq. primum verò ad Disputationem sequentem de Contractibus remittimus.

ARTICULUS SECUNDUS.

De modo acquirendi dominium jure præscriptionis, ac jure belli.

54 SCotus dist. 15. cit. quæst. 2. postquam artic.1. tractavit, undè rerum dominia sint distincta, ut hoc dicatur meum, & illud tuum; deindè art.2. tractat. quomodo dominia primò distincta justè transferantur, & inquit, quod translatio rerum ab una persona ad aliam duobus modis fieri potest, uno modo quantum ad dominium ita quod ista res non sit amplius illius cujus erat, sed sit alterius, cujus prius non erat; alio modo quantum ad usum ita quod prior remaneat dominus illius rei, sed dat licètiam alteri utendi re illa, qui prius non habuit auctoritatem utendi, & talis auctoritas utendi non est principalis, sed solùm subdelegata, & ideò non transferetur res quantum ad dominium, sed tantum quoad usum, quæ duæ translationes sunt specie distinctæ, quia regulas habent distinctas, & diversas ad servandam justitiam in eis, & loquendo de translatione dominii inquit Doctor duobus etiam modis fieri posse, uno modo auctoritate publica, alio modo auctoritate privata ipsius domini immediatè possidentis. Docet itaque justè transferri posse dominium ab uno in alium per legem communem justam, & latam à Principe, aut ab eo, qui habet auctoritatem in communitatem, & probat quia auctoritate legis facta est prima dominiorum distinctio, & appropriatio; ergo eadem legis auctoritate, postquam est facta rerum appropriatio, potest etiam fieri dominii translatio. Antecedens declaratum est quæst. præced. art.2. Consequentia patet, quia non minor modò est potestas in Principe, & Republica, quàm fuerit antè, cùm facta fuit prima rerum divisio; ergo translatio dominiorum facta auctoritate legis justæ est justa.

55 Ex hoc infert Doctor, translationem dominii factam auctoritate talis legis putà præscriptionis, vel usucapionis, ut Juriseriti loquuntur, esse justam; per præscriptionem autem intelligitur titulus, seù jus, quod aliquis habet detinendi aliquam rem, ex eo quod tempore, & cum conditionibus à lege præfixis rem illam detinuerit ità, ut amplius nō possit de re illa intentare litem, qui aliàs dominus ejus erat, aut esse prætendebat, nec detinens rem tenetur ulterius eam restituere. Undè præscriptio nil aliud est, *quàm acquisitio dominii rei alienæ per possessionem ejus certo temporis spatio legibus definito continuatam*. Et quamvis aliqui dubitaverint, an hic modus acquirendi dominium sufficiat foro conscientiæ, & nonnulli putaverint non sufficere; communior tamen, & verior sententia est, quod talis acquisitio non solùm in foro externo, sed etiam in foro conscientiæ vim habeat excusandi debitorem, ut nihil jam solvere teneatur, quamvis posteà certò cognoscat rem, quam per usucapionem acquisivit, reipsa fuisse alienam, dummodò tamen præscriptio illa legitima sit, habeatque conditiones à jure requisitas; Et ratio est, quia finis acquirendi dominium rerum tali modo, est ut imposterum litibus imponatur finis, & tuta conscientia res detineatur, hic enim acquirendi dominii modus civili jure introductus est, *ne diù, & ferè semper quarundam rerum dominia incerta essent* ut habetur lege 1. de usurp. & usucap. quapropter Tullius inquit, *usucapionem esse finem solutionis, & litium omnium*; talis ergo modus acquirendi rerum dominia locum habet non solùm in foro exteriori, sed etiam in foro conscientiæ, itaut possit quis licitè rei alicujus dominium titulo præscriptionis acquirere, quia ad bonos fines, ob quos lex ista præscriptionis est lata, nempè ad terminandas lites, & ut dominia non maneant in incerto, Principes, & Respubli-

cæ de

cæ de bonis subditorum potuerunt ità disponere ad æquale eorundem beneficium. Unde Molina non rectè Doctorem intellexit putans fuisse in illa opinione, quæ negat præscriptionem in foro conscientiæ valere, nisi quando intervenit negligentia ejus, contrà quem præscribitur; errat tamen, quia, ut notant Hiqueus, & Faber, ac alii Scotistæ, non solùm propter negligentiam domini prioris, sed etiam pacificam societatem hæc lex secundum Doctorem inducta est, ut finis, scilicet, statuatur litibus, quæ alioquin nunquam sedari possent, & essent immortales, ut benè Doctor advertit in prima ratione, in qua hunc finem exprimit, ob quam inquit hanc legem justè inductam fuisse.

56 Quædam autem conditiones ad præscriptionem, seù usucapionem communiter requiruntur, ut legitima censeatur. Prima conditio est capacitas activa ex parte possidentis, & passiva ex parte rei possessæ; qua de causa Religiosus, qui est dominii incapax, præscribere non potest, etiamsi multo tempore rem aliquam bona fide detineat, sicut nec privilegium acquirere, contrà obedientiam superiori debitam, neque aliquod aliud contrà sua vota solemnia, & approbata ab Ecclesia *extrà* cap. *Cum non liceat* &c. Multæ etiam sunt res, quæ præscribi non possunt quia nimirum in legibus excipiuntur à generali illa potestate, per quam res alienæ per possessionem acquiruntur, hujusmodi sunt res Ecclesiasticæ, quæ à sæcularibus haberi non possunt, ut dicitur instit. de Usucapionibus, homo liber, servus fugitivus, ac etiam res furtivæ, quarum dominium per præscriptionem acquiri non potest, non solum à furibus, sed neque ab his, qui bona fide illas à furibus accipiunt, ut dicitur eodem titulo *furtiva*. Secunda conditio est possessio, nam secundum regulam juris, *sine possessione præscriptio non procedit*, licet autem possessio variè à Juristis definiri soleat, communis tamen & clarius definiri solet, *quod sit detentio quædam rei nomine proprio illam detinentis, & potentis illius habere dominium aut proprietatem*, in qua descriptione, ut notat Caspensis disp. 1. sect. 14. per detentionem non significatur aliqua materialis actio, quæ circa rem possessam exerceatur, licet enim in principio possessionis rei aliqua talis actio materialis præsupponatur, per quam homo illius dominium acquirat; postea tamen possessio per solam habitualem rei detentionem continuari potest etiam in absentia rei possessæ; quæ quidem si nomine, & auctoritate alteriùs detineatur, ut v. g. res locata, vel deposita, non tamen ob id possidetur ab illo, à quo immediatè, aut materialiter detinetur, sed potius per hunc possidetur ab illo, cujus facultate, & auctoritate detinetur. Undè sequitur, quod quamdiù retinetur nomine alterius, possessio civilis non inducitur, ut patet in conductore fructuario, Emphyteuta, comodatario, feudatario, colono &c. Hi enim nomine alterius possident, & quæ precario possidentur in jus proprium præscriptione temporis non revocantur, ut notat Glossa in cap. *Clerici*, ubi determinat quæ res præscribi possint, & quæ possessio requiratur ex pluribus Juribus Civilibus, & Canonicis.

57 Tertia conditio est bona fides illius, qui detinet, & possidet rem alienam, & per bonam fidem intelligitur assensus prudens erudelitatis, qua credat rem esse suam, vel nesciat esse alterius; hæc igitur conditio ad præscriptionem inducendam necessaria est, ut enim dicitur regula 2. de regulis juris, *possessor malæ fidei ullo tempore non præscribit*. Est tamen Difficultas, an qui dubitat rem, quam possidet esse suam possit præscribere, & usucapere expleto tempore à lege statuto; in qua difficultate aliqui absolutè dixerunt in eo instanti, in quo quis incipit dubitare rem, quam possidet esse suam, interrumpi bonam fidem, & impediri præscriptionem. Ità Adrianus, Major, Soto, & quidam alii. Communior tamen, & probabilior opinio cum distinctione procedit, & inquit, quod quamvis in principio, quando dominium rei acquiritur ad bonam fidem sit necessaria credulitas, qua quis existimet se acquirere dominium rei, quam accipit, nec cum dubio in principio bona fides consistere possit. Attamen post acquisitam possessionem etiam cum aliquo dubio incidente de proprietate rei bona fides conservari potest, & utilis esse ad præscriptionem, quia ut communis regula docet *in dubiis melior est conditio possidentis*, unde si post rem bona fide acquisitam quis dubitet, an res illa sit sua, itaut probabiliter judicare nequeat, quod sit sua, adhuc possessio censetur esse, cum bona fide ratione prioris judicii, quo possessionem rei benè acquisivit, qua possessione propter dubium posteà sequens privari non debet, quam opinionem sequitur ex nostris Faber disp. 44. cap. 2. ubi plures alios citat, ac etiam Vulpes disp. 106. art. 4. num. 4. ubi inquit, si inchoata possessione, sivè usucapione rei alterius cum bona fide quod sit propria, sine hæsitatione, vel formidine, quod sit alterius, dubium succedat, cæptam præscriptionem, seu usucapionem non interrumpi, teneri tamen possessorem cum omni maturitate sufficientem adhibere diligentiam ad inquirendum an sit alterius. Dices, bona fides, & dubium non cohærent, quia unum aliud evacuat; ergo &c. Respondeo in actu tan um secundo bonam fidem evacuare moraliter oppositi formidinem, & è contra; dubium tamen in actu secundo non evacuat bonam fidem in actu primo, & quæ ab initio fuit, quæ in casu sufficit ad continuandam justam præscriptionem, seù usucupationem, ut suprà dictum est.

58 Quarta conditio est titulus saltem probabiliter præsumptus, putà donationis, emptionis, successionis, &c. ut constat ex digest. leg. 41. tit. 4. & seq. undè opus non est, ut hic titulus sit verus in se, & à parte rei ad hoc, ut sit validus, sed sufficit, quod probabiliter, & prudenter putetur talis, v. g. si venditor re vera potestatem vendendi non habeat, secundum prudentiam tamen habere putabatur, & hæc conditio dicitur esse necessaria in dominio tantùm proprietatis, quæ dicitur brevioris temporis; non verò in præscriptione temporis longioris, siquidem per tempus, cujus principium in possessione constare non potest, etiam sine titulo per solam possessionem dominium acquiritur; undè in tali casu bona fides etiam sine titulo ad præscriptionem sufficit, quando, scilicet, nulla præsumptio in contrarium habetur, nec jus commune contradicit. Undè requiritur titulus probabiliter præsumptus regulariter, & ordinariè loquendo, nisi diuturnitate temporis oblivio tituli succedat, itaut possessor nesciat, an emptione, aut dono, an testamento, vel alia via justa rei possessionem inivit, nam in tali casu possessio currente præscriptionis tempore præsumit pro præscribente, ut Doctores hìc communiter notant. Ità etiam ex nostris notavit Hiqueus in Comment. 4. d. 15. q. 2. art. 2.

59 Ultima conditio est continuatio possessionis tempore legibus definito, requiritur enim certum tempus lege præscriptum, quod diversum est juxtà rerum præscribendarum diversitatem. In rebus enim mobilibus, ut sunt animalia, vestes, pecunia, naves, &c. cum titulo & possessione bonæ fidei sufficit tempus trium annorum inter personas privatas, undè quando quis bona fide, & ex justo titulo, ut emptionis, permutationis, & hujusmodi aliquam rem alienam mobilem per triennium possedit, hoc tempore transacto fit illius rei dominus, neque illam amplius restituere tenetur, etiamsi deindè sciat rem illam fuisse alienam, ut dicitur Instit. de Usucapionibus in principio. In rebus autem immobilibus, ut sunt prædia, domus, & similia inter præsentes requiritur spatium decem annorum, inter absentes verò, hoc est, qui sunt in diversis provinciis, annorum viginti, modò res aliquo possideatur titulo; quod si titulus desit spatium triginta annorum requiritur, ut Gratianus colligit, & deducit ex variis juribus civilibus §. *præscriptionum*, & refert Molina disp. 69. & has regulas de præscriptione contrà res personarum privatarum esse diximus, quia de præscriptione contra res publicarum, ut contrà Ecclesiam, Principem, vel Fiscum alia est ratio, & aliæ assignantur regulæ, de quibus Juristæ. & hæc de conditionibus ad Usucapionem, & præscriptionem requisitis dicta sufficiant, prout nostro inserviunt instituto, plura enim alia apud Juristas videri possunt, & Canonistas, & præsertim apud Astesanum nostrum lib. 3. art. 2. per plures articulos de hac re tractantem.

60 Quoad aliam quæsiti partem de modo acquirendi dominium jure belli, certum est apud Doctores ex D. Tho. 2. 2. q. 60. art. 8. in bello injusto nullum dominium acquiri in bona hostis; sed tantùm in bello justo, ad quod duo præsertim requiruntur ex eodem D. Tho. 2. 2. q. 40. art. 1. nempè auctoritas in inferente bellum, & justa causa illud inferendi, auctoritas ad bellum offensivum requisita non sufficit, ut sit cujuscunque Principis; sed debet esse supremi ejusdem Regni, vel Reipublicæ, quæ bellum infert, quoniam ad supremum tantùm Principem spectat universali bono totius Regni prospicere, ac providere, causam autem, quæ justum bellum facit, est injuria illata, vel inferenda, quæ gravis esse debet, ut tanta pœna sit digna, cujusmodi esset ad Regnum recuperandum, ad propulsandam notabilem injuriam Principi, vel Reipublicæ illatam, ad reprimendos subditos injustè contrà Principem rebellantes, & similia; debentque hujusmodi causæ esse certæ, ac Principi exploratæ, ac propterea ad eas examinandas peritos advocare tenetur, nec in dubio bellum justum indicere potest, quia cum bellum sit gravissima pœna, quam unum Regnum, vel Respublica alteri infert, non potest in dubio illud inferre juxtà regulam juris in 6. *Cùm sint partium jura obscura, reo favendum est potius, quàm actori*, & hoc intelligendum est de dubio propriè dicto, quando scilicet, in neutram partem judex inclinare potest pro veritate causæ. Hoc supposito communiter Doctores dicunt, ut Caspensis advertit tr. 17. disp. 7. sect. 1. quod quando bellum est justum, bona hostium, si immobilia sint, non sunt capientium, sed debent Principi applicari, nimirum omnia illa, quæ ad reparationem injuriæ acceptæ necessaria sunt, ad vindicationem illius, & securitatem in posterum. Bona verò mobilia in actuali conflictu capta sunt ipsorum

sorum capientium, nec computari debent in partem satisfactionis rei, pro qua bellum geritur, ut hac ratione milites ad pugnam excitentur, & animosiores fiant; excipiuntur autem ab hac regula bona Ecclesiæ, & Ecclesiasticorum innocentium, quæ ob delictum Civitatis occupari non possunt; alia plura ad hanc materiam spectantia videri possunt apud Stephanum à S. Gregorio l. 1. cap. 17. in fine, ubi agit de bonis bello captis, quomodo fiant capientium, de quo nos quoque tractabimus infrà disp. 9. qu. 5. artic. 2. ac etiam Mons regalis ex nostris de septimo Decalogi præcepto cap. 8. plura dicit.

DISPUTATIO QUARTA

DE CONTRACTIBUS.

1  COTUS 4. dist. 15. qu. 2. art. 2. postquam explicavit, quomodo dominium transferatur in alium auctoritate publica, docet deindè quomodo idem dominium transferatur auctoritate privata, & inquit translationem dominii fieri etiam posse per actum personæ privatæ dominium rei immediatè habentis, & hoc dupliciter, uno modo per actum merè liberalem, & est quando transferens nullam expectat redditionem; secundo modo per actum secundum quid liberalem, & est quando pro eo quod transfert expectat sibi aliquid reddi. Nos igitur etiam juxtà hunc ordinem Doctoris postquam præced. quæst. tractavimus de acquirendo rerum dominio jure naturali, sivè gentium, ac etiam jure civili præscriptionis, & usucapionis, nunc de transferendo rerum dominio agemus auctoritate privata paciscentium, seù voluntate transferentis, quod fit contractu, sivè quasi contractu, undè in hac disputatione naturam contractus explicabimus, & conditiones ad eùm requisitas, & postea de contractibus in particulari discurremus.

QUÆSTIO PRIMA.

De Contractibus in genere.

2 QVia specierum quidditas, & natura distinctè cognosci nequit, nisi prius agnito genere, quod est pars quidditatis earum, ideò prius de Contractibus in genere agendum est, antequam ad eorum species descendamus; nomine autem contractus intelligitur conventio aliqua inter duos facta, ex qua in utroque, vel saltem in alterutro illorum obligatio aliqua nascitur, undè Scotus loc. cit. vim nominis ponderans, inquit contractum ideò talem appellari, quia est actio, qua simul trahuntur voluntates partium.

ARTICULUS PRIMUS.

Quid sit Contractus, & quoduplex, & quæ ejus conditiones, ut sit validus.

3 COntractus propriè sumptus, & in rigore, definitur à Vulpiano L. *Labeo*, ff. de verborum significatione, quod est *pactum ex quo ultrò citroque oritur obligatio*; dicitur autem sic definiri contractus propriè dictus, quia fusè, & latè sumptus cum pacto convenit, quod ponitur loco generis, quia sine reciproca obligatione haberi potest, ut cum quis liberaliter aliquid alteri promittit, talis enim promissio est pactum, sed non oritur obligatio aliqua ex parte illius, cui fit promissio, sed tantùm ex parte promittentis. Quæ definitio traditur per effectum, & à posteriori, nimirum per mutuam obligationem, quæ ex pacto partium resultat. A priori autem definiri potest cum Amico disp. 17. sect. 1. & aliis, quod *est reciprocus consensus duorum, aut plurium sensibili signo expressus*; dicitur *reciprocus*, quia ad contractum non sufficit consensus unius, sed requiritur etiam assensus, & acceptatio alterius; & per hoc excluditur simplex promissio nondùm acceptata, quæ promissorem non obligat, donec promissarii assensus, & acceptatio accedat; debet autem hic consensus, esse reciprocus, ut uterque possit sibi alterum ex justitia obligare, nemo enim potest sè alteri ex perfecta justitia obligare, nisi per proprium consensum ab altero acceptatum; & hoc præcipuè in contractibus respectivis, & onerosis locum habet, non autem in gratuitis, quamvis enim in istis quoque utriusque consensus interveniat, & requiratur, promittentis nimirum, & acceptantis; obligatio tamen non nisi ex parte promittentis se tenet, quia promissario semper liberum est, acceptatam renunciare promissionem, cùm nullo justitiæ titulo ad eam exigendam teneatur. Dicitur *duorum, vel plurium*, quia cum contractus sit actus justitiæ commutativæ, ad minimum non nisi inter duos versari potest. Dicitur tandem *sensibili signo expressus*; quia homo non potest se alteri homini ex justitia obligare, nec alterum sibi nisi per actus humanos sensibiles; cùm ergo contractus sit quidam actus humanus, quo unus homo se alteri, & alterum sibi vicissim obligat, nullus contractus hominem homini obligare potest, nisi more humano celebratus, & consequenter per sensibiles actus.

4 Quotuplex autem sit contractus, seù quot sint genera contractuum, talis, ac tanta est diversitas inter Doctores, ut quemadmodum ait Faber disp. 47. cap. 1. n. 8. nullus videatur haberi posse certus modus, ac determinatus, quidam enim enumerant triginta, ac etiam plures contractuum species; ad hanc ergo confusionem evitandam septem præcipuas, ac principaliores species assignabimus cum Soto 6. de Just. quæst. 2. art. 1. Amico disp. 17. sect. 2. & aliis, ad quas cæteri omnes contractus facilè reduci possunt, sunt autem Emptio, Cambium, Mutuatio, Emphyteusis, Commodatio simplex, Commodatio mutuata, & Locatio. Cujus divisionis hæc ratio assignari solet, quæ etiam non obscurè à Doctore loc. cit. insinuatur, quia in rebus externis tria distingui solent, Dominium, Ususfructus, & nudus usus. Quando igitur dominium rei transfertur, si hoc fiat gratis, Donatio dicitur, quæ propriè contractus non est, cum utrinque obligatio non consurgat, sed semicontractus, ad quem reducitur testamentum, & legatum. Si verò dominium transfertur cum onere reddendi pretium in pecunia, dicitur Emptio; si autem in alia re æquivalente dicitur Cambium, seu Permutatio, ut cum do panem, ut reddas oleum, non enim loquimur de cambio, quod communiter de pecuniis dicitur. Si tandem dominium transferatur cum debito eandem rem in specie restituendi, quod propriè in rebus usu consumptibilibus fit, Mutuatio dicitur. Quando autem non dominium rei transfertur, sed solùm Usus fructus retenta rei proprietate apud Dominum, sub obligatione annuæ pensionis directo Domino solvendæ, dicitur Emphyteusis, idest, melioratio, eo quod ad finem meliorandæ rei contractus hic est excogitatus. Quando tandem transfertur nudus usus, si gratis hoc fiat, & nulla exindè expectata utilitate, simplex Commodatio dicitur, quæ quidem etiam propriè contractus dicitur, quia ponit obligationem in commodante ad non repetendum commodatum, nisi post certum tempus, & in commodatario ad illud suo tempore restituendum. Undè in hoc tantùm à Mutatione distinguitur, quod in illa non solùm transfertur usus rei, sed etiam dominium, obliturque mutuatarius ad restituendam eandem rem specie, non autem numero, at in commodatione tantum usus transfertur retento apud commodantem dominio, teneturque commodatarius ad eandem rem numero restituendam. Si verò transfertur usus unius rei pro usu alterius, ut cum quis alteri vestem commodat, ut ille sibi equum commodet, est commodatio mutuata, sivè permutata, si demum transferatur usus rei pro pecunia, dicitur locatio, cui respondet conductio. Ità discurrit Amicus loc. cit. ubi etiam ostendit, quomodo aliæ contractuum species minus principales ad has septem principaliores reducantur, & eodem ferè modo discurrit Caspensis tract. 19. disput. 1. sect. 1. Aliæ verò divisiones contractus, in nominatum, & innominatum, in lucrativum, & onerosum, in nudum, & vestitum, in contractum bonæ fidei, & stricti juris, & similes, quas brevitatis gratia omitto, apud relatos Auctores videri possunt, & alios passim, & præsertim Astesanum lib. 3. tit. 3.

5 Quoad conditiones ad valorem contractuum requisitas, conveniunt communiter Doctores duas ex parte efficientes requiri conditiones, unam ex parte contrahentium, ut ambo dom.nii,

minii, & usus ipsius sint capaces, alteram ex parte Superioris, ut lege sua positivè non resistat. Ratio est, quia non tantùm contrahentes, sed etiam Superior integrant causam efficientem contractus, qui non tantùm bonum privatum respicere debet, sed etiam bonum commune, atque ideò non solùm ex privata lege contrahentium est regulandus, sed etiam ex publica Superioris; ergo altero horum deficiente deficit etiam contractus quoad validitatem suam. Ut igitur contractus sit validus, requiritur, ut ambo contrahentes sint capaces dominii, & usus ipsius, nam si contractus est onerosus, in utroque requiritur capacitas dandi, & accipiendi, uterque enim aliquid dat in tali contractu, ut accipiat, si verò contractus sit lucrativus, saltem in uno requiritur facultas, & capacitas dandi, & in altero accipiendi, ut ait Doctor q. 2. art. 2. lit. I. ex quo sequitur donationem à Religioso factam invalidam esse, quia dominium non habet, nec facultatem dandi, ac etiam invalidam esse donationem sibi factam, & contrà voluntatem Superioris acceptatam, quia Religiosus non solùm caret capacitate, & facultate dandi, sed etiam acceptandi. Diximus autem ad validitatem contractus opus esse, ut ambo contrahentes non solùm dominii sint capaces, sed etiam usus ipsius, quia ad contractum validandum non solùm requiritur in contrahentibus capacitas dominii in actu primo, sed etiam in actu secundo, ut nimirum in actu exercito de rebus suis disponere valeant si enim illud actu impeditum habeant, sivè naturaliter, ut pueri, & amentes, sivè civiliter, ut impuberes, contractus inter eos celebrati non erunt validi, non defectu dominii; quod retinent in actu primo, sed defectu usus dominii, quo privantur in actu secundo, quod etiam totum adnotavit Amicus disp. 17. sect. 3. de quo plura videri possunt apud Astesanum l. 3. cit. art. 3. & seq.

6 Deindè ex parte formæ contractus, qui est mutuus, & reciprocus contrahentium consensus, quatuor etiam condictiones secundum communem Doctorum requiruntur. Prima est ut consensus sit liber, ut ait Doctor loc. cit. & voluntarium ad contractum requisitum debet esse deliberatum, nec sufficit subreptitium, & ratio est, quoniam per contractum homo obligatur homini sub mortali, si materia sit gravis, non potest autem homo nequidem Deo obligari sub mortali, absque perfecta deliberatione; ergo &c. Secunda, ut consensus sit promissorius, id est, cum animo se obligandi ad leges contractus celebrandi, quia aliter verba externa obligationem non inducunt L. 1. ff. de pactis, & simulatio consensus jure quoque naturæ contractum irritat. & ratio est, quia consensus simulatus non est consensus, qui enim consensum simulat verè non consentit, sed signo aliquo externo se consentire fingit; sine consensu autem contractus validus non est undè defectu hujus condictionis non est validum matrimonium, quantumvis verbis expressum, si animus contrahendi defuit, ut suo loco dictum est. Tertia condictio est, ut consensus internus aliquo signo externo sit expressus, ut patet ex definitione contractus assignata ab initio articuli, & ratio est, quia omnis contractus humanus obligat ex perfecta justitia, nemo autem ex perfecta justitia obligare potest, nisi alter contrahens obligationem acceptet, quam acceptare nequit, nisi externis signis manifestatam. Quarta tandem condictio est, ut talis consensus aliquo signo externo expressus comprehendatur similiter ab illo, cùm quo contrahitur, nec opus est talem consensum esse formalem, sed sufficit virtualis, ut dùm quis pactum agit de veste, signum est velle illam vendere, & dùm alius offert, signum est velle illam emere. Ex tali autem consensu oritur obligatio in foro conscientiæ, itaut parte reluctante nequeat alter contractum rescindere, ut communiter omnes docent, & ratio est, quia jure naturæ quisque tenetur ad id, quod altero acceptante promisit, sivè promissio gratuita sit, sivè onerosa; nec refert, si adsit pactum nudum, hoc est in sola conventione consistens, vel vestitum, hoc est, solemnitatibus juris roboratum, vel aliqua circumstantia, ex qua jure civili robur habeat; nam pactum vestitum inservit pro jure civili, sed pactum nudum obligat in conscientia, quia in jure naturæ quisque observare tenetur, quod promisit, altero acceptante; ideoque contractus omninò liberè, ac spontè factus, quamvis juris formalitates in eo non serventur, obligat tamen in foro conscientiæ, itaut alterutro contrahentium invito rescindi non possit. Ità Covaruvias, Gometius, Sylvester, Lessius, & alii Doctores passim; qui addunt hoc intelligendum esse, nisi talis contractus aliquo positivo jure sit irritus, vel irritari possit, quod etiam advertit Doctor loc. cit. sub lit. I.

7 Prætereà ex parte materiæ contractus aliæ duæ condictiones requiruntur; una est, quod non sit aliena, quia eo ipso, quod est aliena, non est valida materia contractus, nec nisi dominus de ea disponere potest, eiusque dominium transferre; limitant tamen aliqui, ut Amicus disp. 17. cit. sect. 8. nisi fuerit usu consumptibilis, quia res usu consumptibiles non sunt obligatæ Domino in individuo, sicut res usu non consumptibiles, quia sufficienter per res ejusdem speciei solvi possunt, & consequenter etiamsi illæ sint alienæ, dicunt esse posse adhuc materiam validam contractus, quia præsumi potest contrahentem, seù vendentem, vel permutantem per alias res ejusdem speciei esse vero Domino satisfacturum. Altera condictio est, ut res quæ in contractu venit, sit pretio æstimabilis ratione alicujus utilitatis, vel voluptatis, quam contrahenti parere possit. Ratio est, quia contractus onerosus, de quo tantùm hæc condictio intelligitur, fundatur in mutua jurium permutatione; quare nisi res, quæ permutantur sint pretio æstimabiles ratione utilitatis, aut delectationis, quam contrahenti parere possunt, non erunt sufficiens materia contractus. Et has duas condictiones expressè etiam Doctor insinuavit d. 15. cit. q. 2. art. 2. primam quidem, dùm ait per contractum fieri translationem dominii per actum personæ privatæ immediatè habentis dominium rei, secundam verò, dùm subdit, quod ubi transferens expectat aliquod æquivalens ei, quod transfert, dicitur propriè contractus, quia ibi simul trahuntur voluntates partium, trahitur enim iste ad transferendum in illum à commodo, quod expectat ab illo, vel expectat transferendum in se.

8 Sed quamvis certum sit, rem alienam non esse materiam sufficientem contractus, difficultas tamen est an res alteri debita sit sufficiens materia, stante tali debito, quod est, quando debitor in fraudem creditorum bona sua alienat, ex quorum alienatione redditur impotens ad solvendum debitum. Negant aliqui absolutè; alii verò melius distinguunt, ut notat Amicus loc. cit. etenim qui ea bona per contractum onerosum accepit, vel bona fide contraxit non advertendo debitorem ex eo fieri impotentem ad solvendum debitum suis creditoribus; & tunc satis probabile est ad nihil teneri in foro conscientiæ, cùm re vera dominium illius rei in accipientem fuerit translatum, nam nec creditores ullum jus in ea bona habebant, nec Dominus ea alienare prohibebatur, nec qui ea bona accipit, lege aliqua restituere tenetur, quia bona fide accepit, & Dominus ea alienare, & ipse recipere potuit. Si verò quando ea accepit, advertit venditorem fieri impotentem ad solvendum debitum creditoribus suis, tunc gratis concedunt accipientem illa bona teneri, vel ad illa restituenda, vel ad satisfaciendum creditoribus. Hoc autem totum asserunt de acceptione illorum bonorum per contractum onerosum, quia si accepit per contractum lucrativum liberalis donationis, tunc etiam gratis concedunt, teneri ea in foro judiciali restituere, sivè bona, sivè mala fide donatarius acceperit.

9 Denique est Difficultas, quas condictiones requirat contractus ex parte finis, & præsertim an sit necesse finem ejus esse bonum ad hoc, ut sit validus, itaut non valeat contractus ob turpem causam, vel finem initus; neque est difficultas de fide extrinseco, ad quem scilicet contractus extrinsecè tantùm ordinatur ex intentione operantis, sed de fine intrinseco, qui coincidit cum materia ipsa contractus; non inquam, de fine extrinseco est difficultus, nam certum est apud omnes contractum à pravo fine extrinseco non irritari, sicut neque irritatur ex quavis alia extrinseca circumstantia prava temporis, loci, personæ &c. undè si quis arma, vel venenum emat, ut inimicum occidat, adhuc venditio valida est, quia contractus per se tantùm spectat æqualitatem jurium inter contrahentes, cùm sit opus justitiæ. Solùm ergo est difficultas de fine intrinseco contractus, qui cum materia ipsa contractus coincidit, ut cum Assassinus contrahit de assassinio patrando vel homicidio, nam in tali casu assassinium, vel homicidium est finis intrinsecus, & materia ipsa contractus. Aliqui absolutè affirmant nullum contractum de opere pravo esse validum in conscientia, sed quicquid pro illo acceperit esse restituendum, nisi constet id gratis esse donatum. & ratio est, quia nequit peccatum esse materia contractus, cùm sit nihil, nullíusque pretii, & valoris. Ità Navarrus, Medina, & alii, qui tamen opus meretricium excipiunt, pro quo conceditur actio contrà fornicarium ad justam mercedem solvendam L. 4. ff. *de condictione ob turpem causam*, ubi sancitur datum meretrici ob turpem causam fornicationis validè accipi, nec justè repeti posse.

10 Alii tamen cum distinctione procedunt dicentes, quod vel loqui possumus spectato solo jure naturæ, vel spectato jure positivo. Si in primo sensu loquamur, omnis contractus de opere pravo antè operis impletionem est ipso juræ naturæ nullus, quia nemo potest ad peccandum obligari, ut de se patet, ad peccandum autem obligaretur, si quis vi contractus, quo cum alio de homicidio patrando convenit, ad illud implendum teneretur, post operis autem impletionem, seù condictione adimpleta, contractus de opere pravo promittentem obligat ex justitia ad solvendum pretium. & ratio est, quia quodlibet opus pravum, etiamsi qua malum est, & offensa Dei, non sit pretio

aliquo

aliquo æstimabile, tamen qua utile, ac delectabile est, est aliquo pretio dignum, & ratione illius vendi potest, & ex tali utilitate, vel delectatione contrahentes moveri possunt ad contrahendum. Ex qua doctrina occurritur rationi prioris sententiæ, quamvis, n. peccatum, qua ratione peccatum est, ac in genere moris nullius sit valoris, tamen in ratione entis, & qua utile, vel delectabile est, potest esse materia contractus. Nec obstat, quod hæc utilitas, aut voluptas non sit ab ipso actu pravo separabilis, quoniam sufficit, ut saltem ratione præscindi possit, ut ex ea moveri possint contrahentes ad contrahendum.

11 Si verò de jure positivo sit sermo, pro solo opere meretricio conceditur actio contra fornicarium ad justam mercedem solvendam ex L. 4. cit. ubi statutum, est quod meretrici datur, repeti non posse, quia licet illa turpiter faciat, quod sit meretrix, non tamen turpiter accipit, cum sit meretrix, pro reliquis verò operibus pravis probabile est, nulli pretium esse reddendum, sed in conscientia retineri posse ab eo, in quo impleto opere pravo reperitur, undè si apud promittentem reperitur, non tenetur reddere operanti, si apud operantem, non tenetur restituere promittenti, ità colligitur ex L. *si ob turpem causam*, ubi statuitur in hujsmodi casibus potiorem esse condictionem possessoris his verbis *Porro etsi dantis, & accipientis*, turpis causa sit, possessorem potiorem esse, & ità etiam statutum est L. 2. C. eodem tit. ubi negatur actio repetendi solutum ob turpem causam. Cui legum determinationi etiam ratio favet, quia leges in hujusmodi casibus in pœnam peccati negant actionem repetendi solutum ob turpem causam; atqui non minus peccat, qui pro peccato pretium spondet, quàm qui pro pretio peccatum committit; ergo non minus unus, quàm alter puniendus est; in pari autem casu turpitudinis potior est condictio possidentis; ergo qui impleto opere pravo, quod fuit materia contractus, reperitur in possessione alteri restituere non tenetur. Ità de hac materia discurrunt Vasquez, Sylvius, Amicus, & plures alii infrà citandi disp. 9. q. 4. art. 1.

ARTICULUS SECUNDUS.

De consensu ad validitatem contractus requisito, & an error, & dolus vitient contractum.

12 IAm dictum est a. præ. inter condictiones ad validitatem contractus requisitas consensum contrahentium esse præcipuam, imò esse causam formalem, & efficientem ipsius contractus; obligatio siquidem contractus ex vero consensu contrahentium nascitur, & voluntate non ficta exterius manifestata. Difficultas modò est, an ad validitatem contractus sufficiat consensus per errorem, vel dolum, aut metum extortus, & consequenter, an contractus errore, vel dolo, aut metu celebratus sit validus. Pro resolutione quæsiti recolendum est ex dictis lib. 4. sent. disp. 7. q. 14. a. 1. n. 386. & seq. errorem, vel dolum contingere posse, vel circà substantiam rei vel circa qualitatem ejus, & quilibet ex his erroribus duplex esse potest, alter antecedens, & dans causam contractui, seù inducens ad illum faciendum; itaut ipso non existente, contractus nequaquam fieret; alter concomitans, & non dans causam, quia ita comitatur illum, ut eo non existente adhuc actus fieret. Tunc error, vel dolus contingit circà substantiam, ut ait Doctor d. 15. q. 2. sub L. quando contrahens credit de una re contractum inire, & postèa aliam esse comperit, ut si quis credens emere aurum, inveniat esse aurichalcum; tunc verò circà qualitatem contingit, & accidentia, quando quis putat contractum inire de re quibusdam accidentibus affecta, quàm posteà reperit talibus accidentibus destitutam, ut si quis emat equum, quem credit esse velocem, & posteà invenit esse tardum, & pigrum. Hoc presuppositio.

13 Primò conveniunt Doctores, ad validitatem contractus requiri voluntarium consensum in ipsam substantiam rei contrahendæ, atque ideò errorem circa ejus substantia irritare contractum. Fundamentum est, quia de substantia contractus est consensus, cùm vis, & obligatio contractus à consensu, & voluntate contrahentium pendeat, at error circa substantialia tollit consensum necessarium, & reddit omninò involuntarium, cùm nihil sit magis contrarium consensui, quàm error L. *Si per errorem*, ff. de Jurisdictionem omnium Judicum & L. 9. C. de Juris, & facti ignorantia, *Errantis nullus est consensus*, sine consensu autem nullus est contractus. Undè si quis gemmam vendat existimans esse cristalli fragmentum, emptor re comperta ad restitutionem gemmæ tenebitur, aut ad justum ejus pretium venditori persolvendum. Et hanc doctrinam dicunt passim Doctores non solùm militare in contractu oneroso, sed multò magis in liberali, & gratuito, ut promissione, & donatione &c. Undè quando aliquid donatur alicui titulo eleemosynæ, qui re vera non est pauper, sed paupertatem fingit, tunc nulla est donatio, quia paupertas est circumstantia substantialis pertinens ad objectum eleemosynæ quæ est sublevatio miseriæ in egente, licet Almainus oppositum teneat. Tandem addunt Bonacina, Caspensis, & alii hoc idem esse affirmandum, etiamsi error, & dolus circà substantiam rei sit concomitans, & non dans causam contractui, quia ad valorem contractus requiritur consensus, & voluntas positiva, quæ non datur, quando contingit error circa substantiam rei, licet enim hujusmodi error non efficiat actum illum involuntarium, efficit tamen illum non voluntarium, nihil enim est volitum, quod non sit præcognitum.

14 Secundò conveniunt Doctores, errorem, circà qualitatem accidentalem in contractibus si sit concomitans, vel incidens, ut aliqui loquuntur, non reddere contractum invalidum quia cum tali error stat consensus contrahentium circà substantiam, & quamvis non stet circà accidentia, tamen cùm dolus, & error circà illa sit merè concomitans, neque dans causam contractui, fit ut adhuc existente tali errore, perseveret consensus in ordine ad substantiam contractus; undè si quis diceret vinum, quod vult vendere, esse ex tali loco, ex quo tamen non est, & alius ob id magis invitatur ad ipsum emendum, cùm tamen aliàs emeret, adhuc contractus est validus, quia talis error, vel dolus per accidens se habet ad contractum, quia etiamsi vinum non esset ex tali loco, adhuc sequeretur emptio. Neque in tali casu ad aliud tenetur venditor, nisi ad resarciendum damnum, quod talis doli occasione potuisset pati deceptus, quia est regula generalis, quod qui dolosè damnum alicui infert, illud resarcire tenetur, & præsertim quando est notabile, v. g. ultrà dimidium, ut habet Glossa *Cùm dilecti* 3. de empt. & vendit.

15 Difficultas tamen est, si talis error circà qualitatem accidentalem contractus sit antecedens, & dans causam contractui, & de dolo circà qualitatem rei dante causam contractui, ut si quis vendat equum, tamquam velocem, cùm tamen esset tardus, ei qui non emeret, nisi existimaret esse velocem; difficultas, inquam, est an talis error contractum invalidet. Aliqui absolutè dicunt invalidum esse, quia ubi dolus antecedens est, & dans causam contractui, totaliter excluditur voluntas absoluta, & consequenter consensus, ac proindè contractus non potest esse validus, quia sine consensu nullus est contractus, ità discurrit Lessius lib. 2. cap. 42. dub. 7. Alii verò è contrà dicunt talem contractum esse validum, & obligare, quia quamvis error, & dolus illi causam dederit, & nullo modo fieret, nisi talis error adesset: cùm tamen sit circà qualitatem rei, & non circà substantiam, non sustulit consensum absolutum, nec fecit actum omninò involuntarium, sed simpliciter voluntarium, circà substantiam rei, tollendo consensum secundum quid circà ejus accidentia. Et quod talis contractus non sit jure naturæ irritus patet ex eo, quod si ille, qui deceptus est, velit contractum subsistere, deceptor resilire non potest. *Ne lucrum ex fuco dolo reportet*, ut habetur cap. 1. De eo, qui duxit in matrimonium. Addunt tamen, quod quamvis contractus sit validus, pro arbitrio ejus, qui deceptus est, irritari posse, si contractus sit solubilis, nam qui dolo inducit alterum ad contrahendum injuriam ei facit, ac proindè tenetur eum restituere in integrum, & reddere omnia infecta, si deceptus velit. Ità Coninchius, & alii apud Layman lib. 3. de Justit. tract. 4. cap. 5.

16 Tertia sententia media cum distinctione procedit, & inquit, quod dolus circà qualitatem rei dans causam contractui, matrimonio excepto, proveniens ex parte unius ex contrahentibus, quantum est ex natura rei facit contractum invalidum quantum ad hoc quod deceptus resilire possit, si velit, non tamen quantum ad hoc, quod deceptor possit invito decepto. Ità Poncius noster disp. 53. q. 2. cum Cardinali de Lugo, & aliis, qui hoc modo præfatas opiniones extrema conciliare prætendunt. Quod probant, quia juri naturæ satis consentaneum videtur, quod qui in contractu deceipit hoc incommodum patiatur ob deceptionem, ut ipse non possit resilire, si alter nolit, alter verò eo nolente possit. Addit tamen hæc sententia hoc intelligi debere, quando dolus provenit ex parte unius ex contrahentibus, quia si proveniret ab uno tertio, nullatenus contractum invalidaret, nàm cùm consensus esset ex parte utriusque simpliciter liber & nulla culpa illius ipsorum intervenerit, sed tota injuria esset à tertio facta, nulla est ratio, ob quam contractus invalidus dici debeat; sed deceptus solùm potest sui damni compensationem repetere, si quod erat, non quidem ab altero contrahente, sed ab illo tertio, qui decepit. & hoc intelligendum esse dicunt, nisi tertius decipiens esset tutor, curator, aut negotiorum contrahentis gestor, nam si talis sit, reputatur una persona moraliter cum contrahente, & sic etiam discurrit Bonacina disp. 3. q. 1. punct. 2. §. 2.

17 Sed Obiicies, quod matrimonium cum hujusmodi dolo contractum ex parte unius contrahentium valet; & similiter,

qui

qui recipit ordines ab Episcopo, cui dolosè significaverat se esse sufficientis doctrinæ, & habere patrimonium per falsas litteras, validè ordinatur, quamvis dolus tam contractui, quàm ordinationi causam dederit; & utrumque ità valet, ut non possit revocari, quod factum est; ergo hujusmodi dolus non sufficit, ut contractus non valeat ità, ut neutra pars resilire possit. Respondet cum Poncio loc. cit. negando consequentiam, & paritatem, quia ad matrimonium ex natura rei non requiritur, nisi consensus absolutè liber circà substantiam contractus, ut suo loco dictum est, & legitimus secundum dispositionem legum Ecclesiasticarum; & ad ordinationem etiam non requiritur, nisi consensus liber ordinantis, & intentio suscipiendi Sacramentum. Undè his intervenientibus matrimonium, quod ex Dei decreto est indissolubile, valebit, & Ordinatio characterem conferet, ac propterea irreiterabilis erit; sed alii contractus, de quibus in hoc Tractatu est sermo, non sunt indissolubiles, nec ex ordinatione divina aliquid annexum habent, ratione cujus valere debeant, suppositâ fraude ex parte unius, si altera pars decepta resilire velit. Ità Poncius ad verbum loc. c. ex quo patet manifesta disparitas quantum ad hoc matrimonii, & aliorum contractuum civilium, de quibus in præsenti est sermo, ut diximus libr. 4. disp. 7. de Matrimonio q. 14. art. 1. num. 294. & sic etiam de contractu per errorem, vel dolum facto discurrit Stephanus à S. Gregorio lib. 2. de Contractibus cap. 3. plures Auctores adducens pro hoc dicendi modo.

18. Dices, Scotus d. 15. cit. q. 2. a. 2. concl. 3. inter conditiones ad valorem, & justitiam contractus permutationis requisitas eam præsertim recenset, quod debeat esse sine dolo, & fraude in substantia, itaut non debeat quis dare, seù commutare unam substantiam pro alia, ut aurichalcum pro auro; neque debet esse fraus in quantitate, ita quod res ponderis decem librarum commutetur pro re ponderis quindecim librarum; neque etiam debet esse fraus in qualitate, ut quod vinum corruptum commutetur pro vino puro; ergo non tantùm dolus, & error circà rei substantiam, sed etiam circa quantitatem, & qualitatem facit contractum invalidum. Respondeo Doctorem utiq; ibi hanc conditionem exigere ad valorem, & justitiam contractus permutationis, nempè ut absit fraus, & dolus, nedùm in substantia, sed etiam in quantitate, & qualitate, ut servetur medium, seù æqualitas secundùm rectam rationem, & prudentem æstimationem; non tamen eodem modo itaut dolus non tantùm in substantia, sed etiam in quantitate, & qualitate contractum irritet; sed proportione servata, itaut si dolus sit in substantia, reddat contractum eo ipso irritum, & invalidum, si verò sit in quantitate, & qualitate non eo ipso sit irritus, sed suppleri debeat, præsertim si deceptio, vel error in re sit notabilis v.g. ultrà dimidium justi prætii, nam in tali casu deceptus potest cogere deceptorem ad rescarciendum sibi damnum, & injuriam illatam, nec tenetur rescindere contractum, ut Reginald. lib. 15. n. 122. & 144. Molina disp. 152. Rebell. lib. 9. q. 4. & alii communiter docent.

19 Tertiò conveniunt Doctorem, metum gravem ab intrinseco provenientem, hoc est, non incussum à causa libera, sed naturali, ut metus mortis provenientis à morbo, naufragio, feris, & similibus non invalidare contractum. Et hoc patet ex obligatione eorum, qui in naufragio vovent aliqua, aut promittunt, ut patet ex cap. *Sicut nobis*, De Regularibus, & ratio etiam suadet, quia qui sic contrahit non decipitur, nec fit ipsi injuria, & prætereà liberè, ac voluntariè contrahit, & spondet; ergo talis contractus valet, cùm ostendi non possit, ex quo capite invalidaretur. Metum verò ab extrinseco provenientem, hoc est, incussum à causa libera in ordine ad contractum faciendum, si injustè incutiatur, ità illum invalidare, ut is, cui incussus est possit ab eo resilire; & hoc probatur ratione jam allata de dolo, qui enim metum injustè incussit, injuriam alteri intulit, undè tenetur illum in priorem statum restituere, & alter jus habet exigendi hanc restitutionem. Et omnes contractus gravi metu ad extorquendum consensum injustè incusso celebratos in utroque foro, ac jure esse invalidos, & rescindendos constat ex variis legibus utriusque juris ex L. Canonica, C. *Abbas* & cap. *Ad audientiam* de iis, quæ vi, metusvè causa fiunt, ubi universales hæ regulæ traduntur *Quæ metu, & vi fiunt de jure debent in irritum revocari. Quæ vi, metusque causa fiunt, coercere debent robore firmitatis*; & ut habetur expresè L. *Si cum exceptione*, parum refert, quod talis metus non incutiatur à parte contrahente, sed ab alio tertio, qui non sit injuriæ particeps, ac etiam si metus injustus non inferretur in ordine ad contractum, sed ad alium finem, quia licet metus inferatur ad alium finem, tamen contractus fit ob illum ad evadendum malum, cujus metus injustè incutitur. Quando verò detur metus gravis cadens in constantem virum, quando verò levis in virum constantem non cadens, & prætereà quando metus sit justè, vel injustè illatus jam satis declaravimus lib. 4. disput. 7. de Matrimonio quæst. 4. artic. 3. num. 120. & sequ. ubi etiam advertimus metum quoque gravem dici illum, qui respectivè solum talis est considerata nempè conditione, & fragilitate personæ; ut si esset mulier, aut puer, aut senex, vel infirmus, quia quod operatur metus in se gravis respectu virorum constantium, hoc talis alius metus operatur respectu talium personarum; quod enim viro constanti formidabile non est, fœminæ tamen, vel puero, aut seni formidandum meritò videtur. Certum tandem est, ut etiam diximus disp. cit. de Matrimonio n. 140. nullum contractum justo metu celebratum esse invalidum, aut rescidendum etiam in foro conscientiæ. Colligitur ex eodem jure l. 3. quia consensus est sufficienter liber, & talis metus, ut ait Glossa, non infert injuriam. Ex quo infertur validam esse donationem ab adultero factam metu justæ accusationis incusso, ab eo qui jus accusandi habeat, & validum esse matrimonium metu excommunicationis initum ab eo, qui sponsalia contraxit.

20 Quartò, his omnibus tanquam certis admissis, præcipua controversia supereset, quo jure contractus gravi metu injustè incusso celebrati sint invalidi. In qua controversia tres sunt sententiæ, duæ extremæ, & una media. Prima affirmat eos invalidos esse solo jure positivo. Fundamentum est, quia jura non dicunt hujusmodi contractus esse irritos, sed irritandos, ut habetur cap. 2. de his, quæ vi, metusque causa fiunt, *quæ vi, & metu fiunt debent in irritum revocari*. Accedit etiam ratio, quia jure naturali ad validitatem contractus solùm requiritur sufficiens consensus, hic autem datur in eo modo contrahentibus, nam qui metu coactus consentit, absolutè consentit voluntariè, quamvis enim huic nolitio sit adjuncta, non tamen est vera nolitio, sed tantùm noleitas, quia cum conditio nolitionis non sit impleta, nolitio non potest esse efficax, & sic volitio semper efficax manet; ergo tales contractus jurè naturali sunt validi, & tantum jure positivo invalidi. Ità Ricardus, Paludanus, Sotus, Lessius, Sanchez, Sylvius, Caspensis, Amicus, & est communis inter Recentiores. Secunda sententia extrema asserit hoc contractus non tantùm jure positivo esse invalidos, sed etiam jure naturali. Fundamentum est, quia consensus coactus non est natura sua translativus dominii, & nullus contractus per metum cadentem in virum constantem exortus, & injustus est sufficiens ad translatione dominii, quod adeo verum est, ut neq; Auctores primæ sententiæ in contractu matrimoniali negare id audeant, ad quem ob insolubilitatem annexam concedunt ultrò requiri voluntarium perfectum absque involuntarii admixtione, ergo omnes tales contractus juræ naturæ sunt irrititi, & non tantùm positivo. Ità D. Bonavent. 4. dist. 29. art. 1. q. 1. Scotus ibidem q. un. cum omnibus Scotistis, Gabriel. 3. dist. 39. q. 1. art. 2. Molina tom. 2. disput. 326. & plures alii.

21 Tertia sententia media distinguit inter contractus lucrativos, & onerosos, & affirmat onerosos esse ipso jure naturæ validos, quia est titulus sufficiens ad illorum valorem, & dominii translationem, scilicet, dati, & accepti. Lucrativi verò, in quibus nihil rependitur, esse nullos, quia in his nullus alius est titulus ad transferendum dominium præter voluntatem, quæ cum non sit liberalis, & gratuita, sed metu coacta, non est sufficiens ad dominium transferendum. Ità Vasquez, quem sequitur Poncius l. 4. c. 6. & 7. & alii Recent.

Scotistæ tamen communiter secundam tuentur sententiam absolutè asserentem tales contractus gravi metu injustè incusso celebratos esse irritos, & invalidos etiam jure naturali; licet in assignanda ratione, vel in explicanda ratione jam assignata non conveniant, cur s. consensus coactus, & per gravem metum, & injustum extortus non sit ex natura rei sufficiens ad translationem dominij. Vulpes disp. 106. art. 8. hanc rationem assignat, quia voluntarium ex vi, & metu est simpliciter, & absolutè involuntarium, procedens ex formali motivo simpliciter, & absolutè nolitio; actio autem humana principaliter specificatur, ab hoc formali motivò, quia est finis actionis ab agente primò intentus, & ideò electio voluntatis ex tali fine procedens absolutè nolito, & solùm codictionatè volito est simpliciter, & absolutè involuntaria; quarè talis metus tollit essentiam actus humani, & consequenter essentiam contractus, ad quem requiritur actus humanus, & liber, qui solus est dominii translativus. Hæc ratio falsò nititur fundamento, nam actus, quos elicit, aut imperat voluntas ex metu quocumque sunt voluntarii simpliciter, solùm involuntarii secundùm quid, ut docet Aristot. 3. Etich. quia non obstante metu quocunque, dummodo usum rationis non tollat, potest homo ponere actionem, vel non ponere, ut patet ex communi exemplo de proiiciente merces in mari ob metum naufragii; id autem sufficit ad hoc, ut talis actus sit simpliciter, & absolutè voluntarius; ergo quæ ex metu fiunt sunt simpliciter voluntaria, nam hic, &

nunc

nunc ea liberè volumus eligentes illa, ut minus malum ad majus evitandum, fiuntque à principio intrinseco cognoscente singula, in quibus est actio; & hoc etiam evidenter convincit ratio pro prima opinione adducta, nam qui metu coactus consentit absolutè consentit voluntariè, quamvis enim tali consensui nolitio sit adjuncta, non tamen est vera nolitio sed tantùm noleitas, cùm enim conditio nolitionis non sit impleta, nolitio non potest esse efficax, & absoluta, sed tantùm inefficax, condictionata.

22 Faber verò disp. 50. cap. 3. in fine ait, quod ubi est metus, & aliqualis coactio licet sit voluntarium simpliciter, tamen est involuntarium secundum quid, & mixtum involuntario; ad donationem autem, & ad hoc, ut donans dominium tranferat, & abdicet à se omne jus in re commutata, vel donata requiritur, ut actio sit omninò, & simpliciter voluntaria, & proindè cum actio facta metu præsertim cadente in constantem virum sit involuntaria saltem secundum quid & non simpliciter voluntaria, sequitur quod sic acquirens aliquid teneatur ad restitutionem. Imò ait hoc idem dicendum esse de metu quocunque, quia metus qualiscumque cùm est causa donationis, vel commutationis, semper facit actum involuntarium secundum quid, & tollit voluntarium simpliciter, quod requiritur ad omnem contractum, & commutationem; adeo quod ut consensus sit dominii translativus, juxtà hunc dicendi modum debet esse omninò voluntarius absque ulla involuntarii permixtione. Verùm nec etiam hæc plena, & omnimoda libertas necessaria videtur, ut contractus ex natura rei sit validus, nam neque actus humanus, ut sic, talem libertatem necessariò postulat, nam actus ex metu eliciti, cùm adhuc sint simpliciter voluntarii, & solùm secundum quid involuntarii, possunt esse peccaminosi, vel boni; cùm talis libertas ad mortalitatem sufficiat, & capacitatem bonitatis, & malitiæ. Nec etiam talem, & tantam libertatem postulat actus, ut sit dominii translativus, ut patet de contractu justo metu facto, quem omnes concedunt ex natura rei validum esse, ut suprà dictum est, quia in tali casu consensus est sufficienter liber, & talis metus injuriam non infert.

23 Potius ergo mihi dicendum videtur contractus injusto metu celebratos esse jure naturali invalidos; non solùm ratione coactionis annexæ, sed præsertim ratione injuriæ, quam infert is, qui injustè cogit ad contrahendum, talis enim injuria, quam patitur ille, qui ad contrahendum cogitur, efficit, ut consensus ab eo coactè præstitus non sit sufficienter dominii translativus. Ex qua doctrina patet quid sit dicendum ad rationem pro prima sententia adductam, nam qui metu consentit coactus, quamvis adhuc absolutè consentiat, ac ejus consensus sit simpliciter, & absolutè voluntarius quantum sufficit ad actum humanum; quia tamen injuriam patitur, quam infertis, qui injustè ad contra hendum cogit talis injuria efficit, ut consensus ab eo coactè præstitus vim sufficientem non habeat transferendi dominium. Nec urget, quod adducitur ex cap. 2. de his, quæ vi metusvè causa fiunt, nam verba illa, quod *quæ vi, & metu fiunt, debent in irritum revocari*, habent hunc sensum, idest, debet declarari non esse rata, nec valida per Judicem, non quod Judex faciat non esse rata, quæ prius erant rata, sed declarat, quod non sunt rata, quæ expositio colligitur ex aliis verbis, quæ in eodem textu habentur, quod *quæ vi, metusvè causa fiunt, carere debent robore firmitatis*, & ità hunc textum explicat etiam Almainus 4. d. 14. q. 2.

24 Quintò tandem hic disputari solet, an contractus invalidus possit juramento validari. Sed hujus difficultatis solutionem jam innuimus lib. 4. disp. 7. de Matrimonio quæst. 4. art. 3. ubi diximus num. 143. matrimonium metu gravi extortum licet juramento firmetur adhuc irritum esse, neque tale juramentum obligationem inducere ratificandi tale matrimonium. Quarè juxtà doctrinam ibi præmissam nunc etiam in proposito dicendum est juramentum validare non posse contractum ex se invalidum, sed tantum validitatem ejus suppositam confirmare. & ratio est, quia juramentum non tribuit validitatem contractui, sed tantùm illum confirmat in ea natura, in qua reperit, & ideò non potest, si invalidus est, juramento validari, sicut donatio invalida non potest per confirmationem validari.

QUÆSTIO SECUNDA.

De promissionibus, Donationibus, & Testamentis.

25 POstquam egimus de Contractibus in communi, nunc discurrendum est de Contractibus in particulari, & primò de promissionibus, donationibus, & testamentis in titulos specificatis, quamvis enim non sint contractus propriè dicti, sed potius quasi contractus, & semicontractus, ut dictum est quæst. præ. appellarique solent contractus lucrativi, quia nimirum cum lucro fiunt, sine onere alterius contrahentis; quoniàm tamen aliquam affinitatem habent cum illis satis utile erit vestigare, quid ad eorum naturam spectet quantum ad obligationem, quam secum afferunt, & alia ad eorum quidditatem spectantia, quod breviter sequentibus articulis expendemus.

ARTICULUS PRIMUS.

De Promissione, & ejus condictionibus.

26 PRomissio tàm Deo, quàm hominibus fieri potest; hic non est sermo de promissione Deo facta, de qua inferius agemus in materia de Voto, sed de ea, quæ fit hominibus; quæ rursus duplex est, altera dicitur simplex promissio, qua ex mera liberalitate, aut gratitudine aliquid alteri promittitur; altera onerosa, quæ scilicet, fit sub aliquo onere, vel condictione, & est mutua ex utraque parte; dicique solet contractus promissorius, & extenditur ad omnes ferè stipulationes, & contractus, in quibus promissio aliqua reciproca intervenit, de qua similiter modò non disputamus, sed solùm de promissione simpliciter, & propriè sumpta, ut dicit contractum gratuitum. Definitur autem promissio sic sumpta, ut notat Faber de Restit. disput. 47. cap. 14. ab initio, quod sit *actus, quo quis sponte, & liberaliter pollicetur alteri aliquid dare, vel facere*, etenim promissio differt à proposito dandi, vel faciendi aliquid, quia promissio est actus, quo quis se obligat ad dandum, vel faciendum aliquid; propositum verò licet sit firmum, & deliberatum, non est actus inducens obligationem aliquam faciendi, vel dandi aliquid. Undè ut notat Lessius lib. 2. cap. 18. non sufficit dicere, ego faciam, significando solum animum, & voluntatem faciendi, sed ulterius requiritur, ut fides detur, & obligetur, hoc est, ut homo alteri se obliget.

27 Plures autem assignari solent condictiones promissionis sic sumptæ. Prima est, ut promissio sit libera, ac deliberata ea saltem libertate, quæ ad peccatum mortale sufficit, quia promissio debet esse actus simpliciter humanus, cum per eam homo gravissimam obligationem sibi imponat, quam posteà transgrediens mortaliter peccat, nisi levitas materiæ excuset, ut posteà dicemus; opus est ergo ut in ea obligatione sibi imponenda tanta libertate utatur, quanta ad mortaliter peccandum requiritur. Secunda condictio est, quod promissio sit spontanea, hoc est, ut non sit coacta, & vi facta, sed libera à metu, & coactione, quæ condictio omnibus contractibus generatim communis est, sufficienter explicata est q. præc. art. 2. Tertia est, ut sit verbis, vel signis externis facta, quæ etiam condictio omnibus contractibus est communis, & deducitur ex natura ipsius contractus, qui versatur inter homines Rempublicam politicam, & externam constituentes, quæ ex natura sua sine externis signis esse non potest. Quarta est, ut promissio sit vera, & non ficta, hoc est, non oretenus, & verbis solùm facta, sed animo promittendi, & se obligandi, qui enim voluntatem non habet se obligandi, licet promittat, tamen ut ait Scotus 3. dist. 39. quæst. 1. §. *de 3. articulo*. obligationem non contrahit, quia in obligationibus privatis nullus obligatur si se obligare non intendat, nam sine consensu voluntatis nulla actio tenet, quia involuntaria est. & ità habetur in L. *Obligationem* 1. ff. act. & obligat. ubi generaliter traditur, sine animo se obligandi nullam oriri in contractibus obligationem. Quinta condictio est, ut promissio sit acceptata, nam antè acceptationem nullam parit obligationem naturalem, aut civilem, quod similiter de donatione intelligendum est, undè sequitur utramque antè acceptationem posse licitè revocari. Ratio est, quia omnis promissio, & donatio suaptè natura respectiva est, cujus proindè obligatio ex alterius partis consensu dependet, quarè promissio, & donatio hanc à natura insitam habent condictionem, si promissarius voluerit, vel acceptet. Ità fert communis Doctorum sententia, undè miror Pon. disput. 54. quæst. 1. oppositum tenere, quia, inquit, promittens dedit absolutè fidem faciendi, quod promisit, non respiciendo ad acceptationem promissarii; ergo tenetur

illam obſervare, & peccabit contra fidelitatem, niſi fecerit. Falſum enim eſt aſſumptum, quia talis promiſſio, ut dicebam, inſitam habet à natura hanc condictionem, ſi promiſſarius voluerit, vel acceptet, & falſum eſt etiam conſequens, quia ei qui promiſſionem non acceptat, neque de illa curat, nulla eſt obligatio ſervandi fidem.

28 Hæc inquam, eſt communior Doctorum ſententia quam etiam ex noſtris ſequitur Faber diſp. 47. cit. cap. 14. nu. 456. dicens, promiſſionem, antequam acceptetur, nullam parère obligationem, nec civilem, nec naturalem, quod ſuadet manifeſta ratio, quia antè conſenſum promiſſarii nequit promittens illi ex juſtitia obligari, nam etiam poſtquam promiſſarius promiſſionem acceptavit, poteſt talis obligatio tolli, ſi poſtea ille nolit amplius acceptare. Et quamvis Doctores aliqui quaſdam promiſſiones excipiant, nimirum factas Eccleſiæ, Hoſpitali, Monaſterio, aliiſque locis piis, exiſtimantes etiam antè acceptationem ejuſmodi promiſſiones, & donationes obligare, quod Faber quoque ſatis probabile putat loc. cit. Alii tamen Theologi hanc exceptionem non admittunt, aſſeruntque univerſim promiſſionem non acceptatam minimè obligare, quia ratio adducta pariter in omnibus militat, quod nimirum acceptatio etiam jure naturali neceſſaria eſtut promiſſio obliget, cuicunque fiat. Ultima denique condictio promiſſionis eſt, ut promiſſio ſit de re licita; namquæ eſt de re illicita etiam jure naturali eſt irrita, & nulla, & ideò in cap. *in malis* 22. q. 4. dicitur: *In malis promiſſis reſcinde fidem*, & infrà *Impia eſt promiſſio, quæ ſcelere adimpletur*. & ratio eſt, quam Scotus adducit 3. diſtinct. 39. §. *de tertio* loquens de juramento doloſo ſuper materiam illicitam tranſeunte, quia ſcilicet non debet addi pecatum peccato, ſicut enim, quando promiſit, peccavit, ſi intentionem habuit faciendi illud malum, ità adimplendo poſtea promiſſum novum peccatum adderet, ſicut qui juravit ſe aliquem occiſurum cum intentione occidendi peccavit, & ſi poſt juramentum factum illud implevit, novum peccatum priori addidit. Quarè concludunt Doctores communiter, quod antè operis patrationem nec promiſſor, nec promiſſarius promiſſum ſervare tenetur, imò promittens revocare tenetur, quia nemo ad peccatum obligari poteſt.

29 Addunt tamen aliqui, quod patrato opere malo tenetur promittens ſolvere promiſſum, non ſolùm ex fidelitate, ſed etiam ex juſtitia, quia non fuit promiſſio gratuita, ſed oneroſa, nimirum locatio, & conductio operarum, vel contractus innominatus, do, ut facias; ergo ſi fecit, tenetur alter ex juſtitia præſtare, quod promiſit; quamvis enim peccatum non ſit pretio æſtimabile ex ſe, eſt tamen ratione laboris, periculi, damni, & delectationis, quare opere præſtito merces accipi, & exigi poſſunt quia habetur jure naturali, nec peccat petendo, & accipiendo, quia non ſe obligat ad peccatum, nec approbat malum, imò poteſt factum deteſtari, ſed tantùm utitur jure ſuo. Ità Caſpenſis tractat. 19. diſputat. 2. ſect. 1. num. 8. cum pluribus aliis, quod etiam Faber noſter loc. cit. approbare videtur. Hæc tamen doctrina non conſonat cùm anteà dictis quæſtione precedent. art. 1. num. 11. ubi diximus ex jure civili, ſolo opere meretricio excepto, poſt pravi operis impletionem nulli pretium promiſſum eſſe reddendum ex juſtitia, ſed in conſcientia retineri poſſe ab eo, in quo impleto opere pravo reperitur. Undè ſi apud promittentem reperitur, non tenetur reddere operanti; ſi apud operantem, non tenetur reſtituere promittenti, ſic enim Jura loquuntur ibidem adducta. Ubi etiam addidimus hoc idem videri dicendum ſpectato jure naturæ, nimirum etiam poſt operis impletionem contractum de opere malo non obligare promittentem ex juſtitia ad pretium ſolvendum; quia contractus de re turpi antè factum eſt nullus, alioquin ad peccandum obligaret, quod eſt falſum, quia impoſſibile eſt aliquem obligari ad peccatum à quo abſtinere tenetur; ergo etiam poſt factum quia poſt factum non habet vim ex pacto, vel conventione nova, ſed ex antiqua; ergo ſi ea fuit nulla, contractus ad huc etiam poſt operis impletionem erit nullus, neque ad pretii promiſſi ſolutionem obligabit, & idem tenet Poncius diſput. 54. quæ. 2. num. 9. Hæ igitur ſunt condictiones promiſſionis, ut valida ſit ad obligandum, ſecundum communem Doctorum ſententiam. Undè à Rebello, Rebello, Bonacina, Caſpenſis, & aliis definiri ſolet, quod ſit *Datio fidei firma, vera, deliberata, & ſpontanea de re licita*.

30 Ex dictis facilè deducitur, quomodo promiſſio differat à donatione, pollicitatione, pacto, & ſtipulatione, nam promiſſio, quando eſt acceptata, eſtò in promiſſorem obligationem inducat ſuo tempore promiſſum ſolvendi, ut ſuprà dictum eſt, nec ſua promiſſionem à promiſſario ſemel acceptatam amplius revocare queat; adhuc tamen rei promiſſe dominium in promiſſarium non transfert, hoc enim non niſi traditione regulariter transfertur, ut habetur L. *Traditionibus*, C. de pactis. Donatio verò traditione completa rei dominium in donatarium perfectè transfert. Undè donatarius vi donationis ſibi per traditionem factæ, realem actionem habere poteſt in rem ipſam donatam ubicunque & apud quemcunque extiterit, ut eam jure ſibi vindicare poſſit, promiſſarius verò nullam actionem realem habere poteſt illam ſibi vindicandi, ſed tantùm perſonalem in ipſum promiſſorem. Secundò differt promiſſio à pollicitatione, quod promiſſio ſit datio fidei cum acceptatione, pollicitatio verò eſt nuda promiſſio nondùm ſecuta acceptatione tacitè, vel expreſsè L. 3. ff. de pollicitatione, quarè omnis promiſſio eſt pollicitatio, non verò è contrà. Tertiò differt à pacto, quod pactio ſeù pactum eſt quid generalis promiſſione, pactum enim eſt duorum, vel plurium conſenſus, & conventio in idem ex qua oritur obligatio ſivè ex utraque, ſivè ex vna parte tantum, ut habetur L. 1. ff. de pactis; promiſſio verò gratuita obligationem tantùm in promittente parit. Quarto tandem promiſſio à ſtipulatione differt, quod in promiſſione non ſemper formula contingit, quæ in ſtipulatione intervenit, nam ſtipulatio eſt contractus verborum, vel formula contrahendi, quæ fit præcedente interrogatione creditoris, & reſponſione debitoris L. 5. §. ſtipulatio de verborum obligationib. & L. 1. §. Verbis ff. de actionibus, & obligationibus, undè ſi quis dicat, promittis mihi dare centum? & alter reſpondeat, promitto, cenſetur ſtipulatio, quæ formula non ſemper in promiſſione contingit, nec eſt neceſſaria. Ità Doctores, paſſim, & præſertim Bonac. diſp. 3. q. 11. punct. 1. in fine, qui plures cit.

31 Quando autem promiſſionis obligatio ceſſet, variæ ſolent aſſignari regulæ, quas ſingillatim refert Caſpenſis ſect. cit. in fine, & inquit quoque Faber loc. cit. ſed breviter dicendum eſt, promiſſionem alteri factam, & ab eo acceptatam deſinere obligare ex conſenſu utriuſque contrahentis, nam cùm hic contractus ſit humanus, ſicut ex voluntate contrahentium fieri potuit, ità etiam diſſolvi poteſt, item quando elapſus eſt terminus promiſſionis adimplendæ, tunc enim manet liber ille qui non fuit cauſa dilationis, quia ad hunc finem aſſignatus eſt terminus, ut alter contrahentium propter alterius cauſam liberè poſſit à contractu diſcedere. Item ſi res promiſſa fiat inutilis, aut illicita, aut impoſſibilis, aut ſi ſtatus rerum, vel perſonarum ità mutetur, ut ſecundum judicium viri prudentis promiſſor non videatur illum eventum comprehendere voluiſſe, & in quo promittens, ſi ſciviſſet, non promiſiſſet, poteſt enim aliquis caſus contingere, quem promittens non advertit, & ſi advertiſſet, ſe pro illo caſu non obligaſſet. Hoc autem in illo principio fundatur, quod in eo præcisè quiſque per promiſſionem ſe obligat, in quo ſe obligare intendit; in hujuſmodi autem caſibus non ſe obligaſſet, ideoque nec ſe obligaſſe præſumendus eſt, quod quidem ex condictione rei promiſſæ, aut ipſius promiſſionis, vel etiam promiſſarii, aliiſque circumſtantiis dijudicandum eſt. Et ratio eſt, quia promiſſio vim habere non cenſetur, niſi ex ea voluntate, & intentione, quam promittens explicitè, vel implicitè habuit, dùm promiſit; ex quo ſequitur, quod ultrà hanc intentionem vel expreſſam, vel ſaltem prudenter interpretatam obligari non poſſit. Non tollitur tamen obligatio prioris promiſſionis per ſequentem, etiam juramento firmatam, quia juramentum impediens obligationem fidelitatis debitæ ob priorem promiſſionem eſt de re mala, & illicita, idem enim eſt, ac jurare non facere, quod facere teneris; tale autem juramentum non obligat, ut de ſe patet, atque ideò manet adhuc, & perſeverat prioris promiſſionis obligatio tali juramento non obſtante. & hic eſt communis dicendi modus Doctorum circà ceſſationem obligationem jam ratæ, & acceptatæ, de quo plura videri poſſunt apud Amicum diſp. 18. ſect. 5. Hic tamen tres occurrunt difficultates breviter diſcutiendæ.

32 Prima difficultas eſt, an hujuſmodi promiſſio ſimplex liberaliter facta ſine juramento, & ſine aliqua cauſa, ſeù ratione debiti obliget in conſcientia, ſeù contineat obligationem adimplendi promiſſum ſub pœna peccati mortalis. Dicunt aliqui obligare ſimplicem promiſſionem ex quadam honeſtate tantùm, ſed non ſub pœna peccati mortalis, neque promiſſionem non adimplere eſſe ex ſuo genere peccatum mortale, ſed ſolùm veniale, aliquando tamen ex accidenti fieri mortale, ſicut mendacium ex ſuo genere eſt veniale, ut mendacium officioſum, & jocoſum, & tamen aliquando eſt peccatum mortale, ut mendacium pernicioſum. Fundamentum eſt, quia non obſervare fidem eſt eſſe mendacem; ſed mendacium ex ſui natura eſt peccatum veniale tantum; ergò, &c. Ità Cajet. 2. 2. q. 88. a. 2. & q. 113. a. 1. dub. 4. & ſequitur Molina cum aliis diſp. 242. & Ponc. ex noſtris l. c. addunt tamen, quod ſi promiſſio ſit de re gravi, & tranſgreſſio ſit contrà charitatem, vel ex ea ſequatur promiſſario grave detrimentum, tunc ratione materiæ ſubjectæ, & damni ſequentis eſſe peccatum mortale; ſi verò ex ſubjecta materia non ſit contrà charitatem, nec damnum notabile

ſequatur,

sequatur, non est peccatum mortale, sed veniale, & obligat tantùm ex honestate, non ex justitia.

33 Alii verò probabilius putant promissionem ex genere suo obligare in conscientia ad servandum promissum sub pœna peccati mortalis, & non observare promissum esse peccatum mortale, si res promissa sit alicujus momenti, ex accidenti verò, scilicet, ratione levitatis materiæ fieri veniale. Ità Navarrus, Soto, Lessius, Caspensis, Bonacina, Abellius, & plures alii, & fuit etiam expressa Scoti sententia 4. d. 28. q. 1. ut Faber notavit disp. 47. cit. cap. 14. ibi enim Doctor in solutione ad 2. principale concedit ad impletionem promissi, sicut, & fidelitatem esse de lege naturæ, ac proindè de lege naturæ esse servandam promissionem; transgressio autem legis naturæ ex suo genere est peccatum mortale; omnis enim actus contrà præceptum Dei, qualis est lex naturæ, ex suo genere est peccatum mortale. Confirmatur, quia promissio dat jus ad rem promissam, quod etiam ad hæredes promissarii transit, sicut, & obligatio promissoris ad ipsius hæredes traiicitur; & promissarius dicit rem sibi deberi, & potest debitum exigere, vel condonare, quod est signum esse debitum justitiæ; undè sequitur illam inducere aliquam strictam obligationem, quæ proindè sub peccato obliget. Tandem, quia promissionem non solvens, fidem frangit, frangere autem fidem maximum est peccatum, fide enim seù fidelitate è medio humanæ societatis ablata, tota corruit humana Respublica, cum fidelitas omnium humanorum contractuum sit fundamentum; quarè si homines ex justitia ferre fidelitatem non tenerentur, nulla posset esse societas.

34 Ad fundamentum oppositæ sententiæ negatur minor, omne enim mendacium ex suo genere peccatum mortale est ut docet Scotus 3. d. 38. q. 1. in argumentis ad oppositum pro parte vera, quia quod est contrà præceptum illud legis naturæ *Non facies alii, quod tibi non vis fieri* est peccatum mortale, mendacium autem est hujusmodi, quia nemo vult decipi à proximo; cùm ergo etiam in proposito non observare promissum sit contrà tale præceptum, consequenter dicendum est ex genere suo esse peccatum mortale, quia omnis actus contrà hujusmodi præceptum peccatum est mortale ex suo genere. Ex accidenti autem nulli dubium est non observare fidem fieri posse peccatum veniale, nimirum ex parvitate materiæ, omnes enim concedunt ex hoc capite peccatum ex suo genere mortale posse fieri veniale etiam in aliis materiis, & in ac materia præsertim attendenda est intentio promittentis, an scilicet, intendat se obligare sub mortali, vel veniali tantùm, siquidem ut supra dictum est num. 31. promissio vim habere non censetur, nisi ex ea voluntate, & intentione, quam promittens explicitè, vel implicitè habuit, dùm promisit, quod præsertim in obligationibus privatis locum habet, ut Scotus advertit 3. d. 39. q. 1. §. *De Tertio*, & dictum est suprà n. 27. explicando quartam promissionis conditionem. In promissionibus autem civilibus, & moralibus, ut Faber advertit cap. c. n. 441. promittentes regulariter, & ut in plurimum non intendunt se obligare cum hoc onere servandi promissum sub pœna peccati mortalis; neque promissarii promissionem acceptare intendunt sub hoc maximo onere, sed solùm ex quadam honestate, undè in transgressione talis promissionis non est mendacium propriè loquendo, vel solùm veniale, quia uterque tàm promittens, quàm promissarius intendunt esse obligationem solùm ex honestate, non ex justitia.

35 Discrepant tamen Doctores in declarando, quanti valoris, aut momenti esse debeat res promissa, ut promissionis violatio esse peccatum mortale censeatur. Navarrus enim cap. 18. n. 6. cum quibusdam aliis existimat sufficere, valorem rei promissæ talem esse, qui in furto ad peccatum mortale sufficeret. Probabilius tamen Sanchez, Lopez, Lessius, Caspensis, Abellius, & alii existimant ad inducendum peccatum mortale in promissionem non sufficere materiam, quæ satis esset in furto; sed esse necessariam quantitatem, & materiam longè majorem, quia obligatio promissionis liberalis minor est, quàm obligatio furti; neque enim fidem non servans in promissione liberali aufert rem alienam, sicut qui eam furatur, ac proindè multò minor est injuria, undè homines valdè gravius de re furto ablata queruntur, quàm de fide in liberali promissione violata; & planè communi hominum æstimatione major injuria fieri censetur, si quis aureum unicum surripiat, quàm si quatuor, vel quinque aureos ex liberali promissione debitos non solvat, quia ille non ob id alienam rem abstulit; hic tamen valor, vel quantitas sufficiens ut promissionis violatio peccatum esse mortale censeatur, difficilè determinari potest; quamvis enim Sanchez disp. 5. n. 24. dicat necessariam esse quantitatem, & materiam quadruplo majorem, melius tamen dicunt alii hoc viri prudentis judicio ex æquo, & bono diudicari deberi.

36 Secunda Difficultas est, An promissio merè interna pro-

mittentem obliget in conscientia ad eam implendam; & præsens quæstio non est, quando quis nundum tantùm habet propositum servandi, quod promittit, sed quando etiam animum habet se obligandi ad id, quod promittit. Deindè quæstio non est, an saltem virtute veritatis teneamur internam promissionem adimplere, sicut vi hujus virtutis tenemur verba conformare menti ad evitandum mendacium, de hoc enim dubium non est, sed quæstio est, an ad id teneamur ex justitia, vel alia virtute illi proxima, scilicet, ad talem promissionem adimplendam, ne promissario injuria inferatur. Et tandem dubium non est de jure humano, & civili, omnes enim concedunt talem promissionem merè internam jure humano obligare non posse, cùm nulla humana potestas in actus merè internos dominum habeat, ut constat ex superius dictis de lege humana, sed sol difficultas est de jure naturali, an, scilicet, vi juris naturali promissio purè interna in foro conscientiæ promittentem obliget, licet in foro civili, & externo non obliget.

37 Affirmant aliqui ex promissione interna, & mentali nuda nullis verbis, vel actibus externis explicata oriri obligationem naturalem in conscientia obligantem ad servandum promissum, licet in foro civili, & externo non obliget. Fundamentum est, quia promissio exterior non alia de causa habet vim obligandi, nisi ex obligatione, & promissione interiori; ergò obligatio interna est vera, & prima radix obligationis, quoniam actus humani obligant ex sola operantis intentione, & tota vis obligandi in humanis contractibus in actu interno voluntatis consistit, & verba sunt signa duntaxat actus interni, atque ideò solus actus internus ad obligandum sufficit. Confirmatur, quia promissio facta Deo solo interno mentis proposito obligat nos virtute Religionis; ergò & promissio facta homini, licet non fit verbis expressa, obligat nos proximo virtute justitiæ. Demum externa manifestatio solum est necessaria, ut promissio acceptetur, sed ad hoc, ut promissio, & donatio sit valida, non est necessaria acceptatio de jure naturæ, & solum de jure positivo introductum est, ut acceptatio fiat verbis, vel nutibus in commune bonum; ergo ex vi juris naturalis externa manifestatio non est necessaria ad validitatem promissionis, & donationis. Ità Soto, Molina, & Ledesma, ac quidam alii pauci.

38 Communis, & probabilior sententia negat ex sola interna promissione obligationem ex justitia consurgere ad mortale obligante. Ità Azorius, Rodriquez, Henriquez, Reginaldus, Lopez, Amicus, Bonacina, & Faber ex nostris disp. 47. c. cap. 14. Probari solet ex L. 1. de verb. obligat. ubi habetur, animum in mentem retentum obligationem non inducere; sed promissio interna est animus in mente retentus; ergò obligationem non inducit. Sed quia quis respondere posset ex vi hujus legis haberi tantum, quod promissio interna obligationem civilem non inducat, seù in foro civili, & externo; non autem id sufficienter deduci ex ea lege de obligatione naturali, & in foro conscientiæ. Melius hac ratione probatur, quoniam obligatio ex justitia aliquod jus acquisitum supponit in eo, cui servanda est justitia, ubi enim nullum est jus nulla injustitia esse potest, & per consequens nec justitiæ obligatio; sed per solam internam promissionem nullum jus acquiritur in eo, cui promissio facta est, quia ad jus acquirendum requiritur actus voluntatis, quo quis velit jus acquirere ut habetur L. 1. §. *Adipiscimur*, & §. *Cæterum* ff. *de acquirend. vel amittend. possess.* nequit autem talis actus voluntatis haberi absque notitia juris acquirendi; nemo enim potest jus acquirere in id, quod est sibi naturaliter ignotum; ergò ex sola interna promissione nulla oritur obligatio ex justitia in promittente ad eam adimplendam, quia per eam nullum potest acquiri jus in promissario in rem promissam; non enim solus actus internus promittentis vim habet transferendi dominium in promissarium, nisi accedente ipsius consensu. Quod si dicas, promittentem facta interna promissione teneri eam promissario manifestare; hoc non bene dicitur, quia tunc per actum internum promissionis promissarius, seù ille cui fit promissio, acquireret jus exigendi manifestationem animi ipsius promittentis, quod pariter est falsum, quia hoc jus eum naturaliter lateret; erit igitur sola obligatio veracitatis, quam non solùm in dictis servare tenemur ex lege naturæ evitandum mendacium, sed etiam in factis; inter justitiam autem, & veritatem hoc interest, quod ad veracitatem sat est, si transgressorem de sua transgressione pœniteat, justitia autem semper obligat, quousque illi satisfactum fuerit.

39 Ad fundamentum oppositæ sententiæ dicendum est, quod sicut lex à Principe lata vim principalem obligandi habet ab interna voluntate, & intentione legislatoris dependenter tamen à promulgatione externa, tanquam à conditione, sine qua lex subditos non obligaret, etiamsi ab illis sciretur, ut suo loco dictum est; ità etiam tota vis obligandi in promissione fita est in actu interno, ut causa principali obligationis ipsius,

dependenter tamen à manifestatione externa, tanquam à conditione, sine qua sola promissio interna non obligat; quare sicut lex Principis in ipsius animo retenta, & nondum promulgata non obligat, ità neque obligat interna promissio; hæc enim etiam requirit manifestationem externam per verba vel nutus, quia actibus externis homines inter se civiliter vivunt, undè sponsalia non contrahuntur actibus internis, nisi externi accedant; neque ex hoc, quod quis actu interno alicui promittit eam ducere in uxorem, tenetur illam ducere, vel ad manifestandam illi hanc suam promissionem internam, & mentalem. Ad Confirmationem negatur consequentia, nec enim par ratio est de Deo, & homine, quia enim Deus intuetur cor, & internas animi cogitationes scrutatur, ideò promissio interna facta Deo de re bona obligat, statim enim censetur à Deo acceptari, utpotè cui omne bonum placet; homo verò, quia non intuetur cor, & animi cogitationes, nisi externo signo manifestatas, ideò sola interna promissio alteri homini occulta promissionem ex justitia non obligat ad eam servandam, cùm talis promissio occulta nequeat à promissario acceptari, sine qua acceptatione promittens ex virtute justitiæ obligari nequit, ut patet ex superius dictis, & magis patebit ex dicendis. Ad ultimum negatur minor, est enim acceptatio necessaria ad jus acquirendum, cum nullum jus absque animo acquirendi comparetur, ut habetur L. 3. §. *possideri* ff. *de acquir. vel amitt. possess.* & non tantùm ex jure positivo, sed etiam de lege naturæ requiritur inter homines acceptationem fieri verbis, & signis externis. Deus enim, & Natura verba, & nutus dedit hominibus ad simul communicandum in humana societate, & sine verbis, & aliis signis externis humanum commercium haberi nequit, nec contractus civiles inter homines perfici. Alias rationes minoris momenti vide solutas apud Amicum disput. 18. sect. 2. & Fabrium loc. cit. & alios passim.

40 Tertia Difficultas est, An vi juris naturalis promissio externa obliget, antè acceptationem. Dixi *vi juris naturalis*, quia omnes conveniunt vi juris civilis nullam promissionem quibuscunque signis externis manifestatam antè acceptationem obligare promittentem ex justitia ad eam servandam; & quamvis aliqui casus à Doctoribus excipi soleant, in quibus leges statuunt promissiones, & donationes etiam sine acceptatione obligare, ut quando factæ sunt communitatibus, vel ad pias causas; tamen ut Amicus advertit loc. cit. sect. 3. num. 40. nulla lex unquam statuit, ut ulla promissio ex justitia obliget antè acceptationem, sed tantùm prohibet, ne aliquæ promissiones antè acceptationem revocentur, ut sunt promissiones universitatibus, ac piis locis factæ, quorum posteà acceptatione accedente ex justitia obligant. Affirmant aliqui simplicem promissionem animo se obligandi factam jure naturæ obligare antè ullam acceptationem, nec à promissore revocari posse absque juris læsione ex ipsa promissione promissario acquisiti, ità Covarruvias, Molina, Fernandus, Sylvester, Rebellus; & quidam alii, & à fortiori eandem sententiam tenent, qui præcedenti difficultate dicebant, promissionem internam jure naturæ promittentem obligare ex justitia ad eam promissario manifestandam; fundamentum verò deducunt ex natura ipsâ promissionis gratuitæ, quæ quia ex animo gratuito, & liberali procedit, statim sufficienti signo manifestata promittentem obligat ad eam servandam, nec ullam ex parte promissarii requirit conditionem, si nimirum eam acceptare velit, uti cæteri contractus onerosi requirunt, qui quoniam ex reciproco utriusque consensu dependent, suapte natura hanc tacitam conditionem includunt, si alter consentire velit. Confirmatur, quia qui sponte se alteri obligat, obligationem adimplere tenetur, sed qui alteri promittit, sponte se alteri obligat; ergò obligationem adimplere tenetur. Denique tota vis transferendi dominium à promittente in promissarium in sola promissione sita est, & acceptatio est tantùm conditio in bonum commune positivo jure introducta; ergo, &c.

41 Communior tamen, & probabilior sententia oppositum docet, ut constat ex dictis suprà n. 27. in explicatione quintæ conditionis promissionis; ubi statuimus promissionem externam naturali jure promissorem non obligare ad eam ex justitia adimplendam, idque ex ejus definitione deduximus, dicitur enim datio fidei, quæ acceptationem connotat, & habet hanc tacitam conditionem, si alter acceptet, sicut contractus onerosus hanc habet tacitam conditionem, obligo me, si te obliges. Confirmatur ex ibi dictis, cùm enim promissio natura sua ad alterum ordinetur, non obligat, nisi accedente promissarii consensu, antè quem inefficax est, & sufficiens ad suum effectum operandum, undè tunc rationem promissionis non habet, sed simplicis pollicitationis, ut constat ex dictis n. 30. Tandem probatur ratione à priori, quoniam ex sola promissione nondum acceptata promissarius non acquirit jus in rem promissam; sola enim promissio vim non habet transferendi dominium rei promissæ in promissarium, nisi ejus consensu accedente, undè quamdiù promissarii consensus non accedit, res manet suspensa, ut suprà dictum est; ergò antecedenter ad acceptationem non tenetur promissarius ex justitia promissionem adimplere, & sine læsione justitiæ potest eam revocare; consequentia patet, sicut enim omnes justitiæ læsio supponit jus, quod lædit, ità omnis obligatio ex justitia de qua hic est sermo; alicujus juris læsionem supponit. Quam rationem non tantum urgere puto in promissione privata, ut quando quis secretò intrà cubiculum suum nemine audiente diceret, promitto Petro mille, sed etiam in promissione publica, & solemniter facta coram testibus absenti, hæc enim quoque ex justitia non obligat in rigore loquendo, nisi accedente promissarii acceptatione; quoniam tamen talis promissio est publica, & solemniter facta, & cadit sub judicio, & potestate hominum, puto non sincerè revocationem fieri posse sine sententia Judicis, in hoc sensu opinor locutum esse Fabrum c. 14. cit. n. 457. quando dixit promissiones publicas etiam antè acceptationem obligare, itaut à promissione non possit quis recedere, antequam promissarius vel consensum præstet, vel præstare recuset.

42 Ad rationem in oppositum adductam ex natura promissionis gratuitæ negatur assumptum, ut enim scitè discurrit Amicus sect. 3. cit. in fine, ex eo quod promissio fiat animo liberali, & gratuito non benè deducitur eam ex justitia promittentem obligare antè acceptationem, cùm hæc non tantùm jure positivo, sed etiam naturali, ac gentium requiratur ad hoc, ut ex justitia obliget, non quidem ut causa principalis, sed ut conditio sine qua non habet completam vim obligandi in actu secundo; etenim sicut hæc non tantùm jure positivo, sed etiam naturali ac gentium necessaria est, ut promissarius in rem promissam jus acquirat, ità eodem jure necessaria erit, ut ex justitia promittentem obliget, cùm omnis obligatio ex justitia jus acquisitum supponat, cujus læsionem justitia resarcit. Ad Confirmationem respondetur cum eodem ibidem, concedendo totum de aliqua obligatione v. g. fidelitatis, negando de obligatione ex justitia, quæ non extinguitur, nisi adimpleatur; atque ità dicendum est promissorem antè promissariis acceptationem obligatum manere virtute veracitatis, & fidelitatis, qua tenetur vera facere sua dicta, non autem virtute justitiæ, cùm antè acceptationem nullum jus lædatur. Ad ultimum negatur assumptum, cujus falsitas patet ex dictis in probatione nostræ assertionis, quoniam ex sola promissione nondum acceptata promissarius, non acquirit jus in rem promissam, quare sicut tam jure positivo, quam naturali acceptatio necessaria est, ut promissarius in rem promissam jus acquirat, ità ejusdem juribus necessaria erit, ut ex justitia promittentem obliget.

ARTICULUS SECUNDUS.

De Donatione, & ejus conditionibus, & speciebus.

43 PRimò, ut à quid nominis incipiamus, Donatio doni donationem importat, ut apparet ex ipsa nominis ethymologia, & notavit Astesanus noster l. 3. tit. 20. ab initio ex L. *Senatus* ff. de donationibus causa mortis; duobus autem modis donatio fieri potest, uno modo per pactum, & promissionem nudam, ac simplicem, ut quando quis promittit alteri se rem traditurum, ut fiat ipsius, & posteà tradit rem, quam promiserat, ob promissionem præcedentem, ut habetur L. *Si quis argentum* C. de Donat. Aliò modo per actualem rei traditionem, ut quando sine ulla promissione præcedente quis rem suam alteri tradit, ut sua fiat. Donatio primo modo facta non est propriè, & perfecta donatio, cùm enim sit facta per simplicem promissionem, non transfertur per eam dominium rei in donatarium, quia traditio actualis rei non intervenit, sed donatarius comparat solum sibi jus ad rem promissam, vel potius in promissorem, ut suo tempore promissum solvat, qui etiam quando solvit, quod promiserat, non adhuc propriè donat, quia hæc solutio fit ob causam, idest, ob promissionem præcedentem, & non solius liberalitatis intuitu. Quare donatio solùm secundo modo facta, scilicet, per actualem rei traditionem sine ulla promissione præcedenti est vera, & propria donatio, in hac enim transfertur dominium in donatarium, eo quod intervenit traditio liberalis à donante, & acceptatio in donatario. & donatio sic sumpta definitur à Vulpiano L. 1. de donationibus, quod est illa, *qua dat aliquis ea mente rem, ut statim velit accipientis fieri, nec ullo casu ad se reveri, & propter nullam aliam causam facit, quàm ut libertatem, & munificentiam exerceat.* Et brevius definitur ab aliis, quod sit *datio liberalis, seù translatio dominii alicujus rei non debitæ ex justitia in alium* hoc est, actio sufficiens ad transferendum rei dominium absque ulla retributione,

tione, quia aliàs non esset donatio, sed unius pro alio commutatio; non enim quævis translatio dominii appellatur donatio, sed hoc nomen impositum est actioni liberali, qua absque obligatione, vel debito justitiæ gratis aliquid datur; appositè autem additur *rei non debitæ ex justitia*, quia donatio propriè dicta excludit tantùm debitum justitiæ, non autem gratitudinis, quæ inclinat ad retribuendum benefactori justà mensuram beneficii accepti, undè donatio, quæ dicitur remuneratoria, adhuc est verè, & propriè donatio, ut docet Card. de Lugo disp. 23. de Just. & jure sec. 9. quia licet fiat ad remuneranda beneficia collata, adhuc tamen est datio gratuita, hoc est, non debita ex justitia, quod etiam tenet ex nostris Hiqueus 4. d. 17. q. 2. in Comment. n. 47. licet Bonacina disp. 3. q. 12. punct. 1. oppositum teneat, tanquam communem opinionem, quod tamen minimè verum est, cum communior sit nostra.

44 Secundò quamvis ad donationem omnes requirantur conditiones, quas ar. præc. diximus ad humanam promissionem requiri, attamen Scotus 4. d. 15. a. 2. litt. I. ex definitionibus donationis jam assignatis deducit tres præcipue conditiones ad donationem propriè dictam exigi. Prima est, quod sit liberalis translatio ex parte donantis. Secunda quod ex parte recipientis sit voluntas recipiendi dominium illius rei. Tertia, quod sit libertas ex parte amborum, hujus donandi, & illius recipiendi, hoc est quod nulla lege superiori prohibeatur iste, vel ille nec per actum alterius, à quo dependeant in ista translatione. Prima conditio exigitur, ut debitum justitiæ excludatur, quia si est solutio talis debiti, vel interveniat permutatio, non est liberalis, ut suprà dictum est; quod autem sit translatio, excludit promissionem, quæ est de donatione futura, & non inducit ipsam translationem ex natura sua, sicut donatio, quæ per hoc præsertim à promissione distinguitur, ut diximus, quod promissio solùm obligationem inducit ad dandum, & licet det jus ad rem promissam, non tamen dat ipsam rem; donatio verò dominium transfert rei donatæ in donatarium, neque enim perficitur donatio in ratione donationis, nisi traditione reali, vel æquivalenti ad transferendum dominium sufficienti. Secunda conditio, quæ erat, quod ex parte recipientis sit voluntas recipiendi dominium donatæ, est etiam evidens, quia dominium non acquiritur, nisi per actum, quo voluntas rem donatam accipit, & vult esse suam; & consensum hunc donatarii necessarium esse de donationis validitate statutum est L. 10. *absenti* ff. de Donationibus; in qua habetur donationem ignoranti factam, aut ei qui consensum præstare non potest, ut infanti, amenti, furioso & similibus esse invalidam, & nullam. Undè si quis donavit internè aliquid alteri absque aliqua externa donationis expressione, non obligatur ad eam, ut in simili de promissione interna dictum est a. præ. n. 28. quia donatio mutuum requirit consensum, ut effectum inducat, consensus autem internus sic nudè sumptus non est natus inducere consensum alterius, aut cum eo concurrere, quia sic nequit esse notus, nisi toli Deo, non autem hominibus. Tertia tandem conditio ad justam, & validam donationem requisita erat libertas ex parte donantis, & illius, cui donatur, ideſt, quod nulla lege superiori prohibeantur iste, vel ille, nec per actum alterius, à quo in ista translatione dependeant. Princeps enim, & Respublica, sicut ab initio potestatem habuit determinandi prima rerum dominia, ut in superioribus dictum est, ità etiam semper potest statuere leges circà modum translationis dominiorum in personis privatis ad vitandas fraudes, & dolos, qui fieri possent. Et hæc conditio est jure statuta, ut patet, in exemplis à Doctore adductis l. c. nemo enim donare potest pecuniam Fratri Minori, quia nequit ille ullius rei dominium habere, ut patet ex Clem. c. *Exivi de Paradiso*, & pluribus aliis expositionibus Sedis Apostolicæ, & Doctorum in Regulam nostram. Nec potest Monachus donare sine licentia Abbatis, & idem est de quocunque alio Religioso sine consensu tacito, vel expresso superioris.

45 Tertiò ex prædictis conditionibus ad donationem requisitis facilè deducitur, quæ donationes sint validæ, & quæ invalidæ, ut Faber noster advertit disp. 45. c. 1. n. 6. ex prima enim patet eum solùm donare posse, qui rei dominium habet, & administrationem, non autem qui dominium non habet; undè ut ait Doctor, & omnes affirmant, filius familias donare non potest, dum est sub Patris potestate, nisi habeat peculium castrense, vel quasi castrense, ut suprà dictum est disp. 3. q. 1. a. 2. n. 18. neq; pupillus, dùm est sub tutore, neque furiosus, & prodigus, dùm est sub curatore, neque uxor de bonis dotalibus, dum est sub potestate viri: etenim estò omnes hi verum habeant de bonis dominium, quia tamen liberum usum, & administrationem non habent, defectu cujus omnis donatio est irrita, nulla horum donatio est valida; cùm enim donatio essentialiter sit libera, translatio dominii rei donatoris in donatarium, non solùm supponit in donatore dominium, sed etiam administrationem, & liberum rei usum, ut donans de illa perfectè disponere valeat. Ex secunda etiam conditione patet, omnes donationes in quibus donatarii consensus non intervenit, esse irritas, & invalidas, nullam enim obligationem naturalem, aut civilem donatio inducere potest antè acceptationem donatarii, ut colligitur ex L. *Absenti* ff. *de Donationibus*, & L. *Nec ambigi* 6. c. eodem, undè donationes factæ ignoranti, infanti, amenti, furioso, & similibus, qui consensum præstare non possunt, irritæ sunt & invalidæ tàm jure civili, quàm naturali. Ex tertia tandem conditione patet, omnes donationes, quæ fiunt contrà ordinem juris, sivè contrà leges, & voluntatem Superiorum, à quibus voluntas donantis, & donatarii dependet, esse nullas, & invalidas. Princeps enim, & Respublica, ut suprà dictum est, potestatem habent statuendi leges circà modum translationis dominiorum ad evitandas fraudes, & dolos, qui in contractibus humani contingere possent, undè plures sunt donationes, quæ spectate jure naturæ, & interno conscientiæ foro, validæ sunt, & obligatoriæ, invalidæ tamen, & irritæ jure positivo, & in foro externo. Et hinc concludit doctor l. c. quod solùm Dominus alicujus rei non prohibitus à lege seù Superiore, à cujus voluntate dependeat in dando, vel transferendo, vel donando, potest donare rem suam alteri volenti recipere.

46 Quartò, quoniam suprà dictum est ad validam donationem requiri omnes conditiones, quas art. præced. ab initio diximus requiri ad promissionem humanam, hinc sequitur donationem aliqua ex illis conditionibus carentem jure naturæ irritam esse. Ex quo infertur primò omnem donationem involuntariam jure naturæ irritam esse, quia tunc libera non esset, omnis autem donatio suum robur, & virtutem à libera voluntate donantis sortitur; cujus est liberale donum; ideoque donatio per errorem facta irrita censeri debet, quando error cadit in substantialia donationis, hæc enim sunt causæ donationis motivæ, quæ quidem si cognitæ fuissent, donatio facta non esset; secus verò si error in accidentalia caderet, hæc enim sunt causæ tantùm impulsivæ ad donandum, quibus cognitis adhuc donatio secuta fuisset. Infertur secundò jure naturæ irritam esse donationem ejus, qui quando promisit verbis, animum tamen donandi non habuit, donatio namque ab ipsa voluntate donatoris suum robur accipit, quarè si donator voluntatem donandi non habuit, sed potius fallendi, & decipiendi, talis donatio irrita erit, quamvis in tali casu posset donator in foro externo cogi ad solvendam donationem, si fuerit legitimè acceptata. Infertur tertiò donationem metu factam, & extortam jure naturæ irritam esse, quia donatio est actio merè liberalis, & gratuita, quarè suaptè natura petit à voluntate spontaneè, ac deliberatè procedere; non sic autem à voluntate procedere censetur, quando est metu extorta, & hoc intelligendum est de metu gravi injustè incusso eo modo, quo explicatum est disp. 3. quæst. 1. artic. 2. num. 19. quando enim donatio ex tali metu procedit, non est merè voluntaria, sed aliquid habet de voluntario admixtum, quod liberali, & gratiosæ donationi repugnat. & hæc est communis Doctorum opinio, & Scoti, præsertim loc. cit. ostendit Vulpes disp. 106. a. 8. Infertur tandem omnem donationem ob turpem causam factam verbi gratia ad falsum testimonium dicendum, vel homicidium patrandum, esse ipso jure naturæ irritam, & ratio est, quia omnis donatio aliquam obligationem inducit, nemo autem ad peccandum obligari potest; ergò nulla donatio talis potest donante obligare, alioquin peccato donatarii cooperaretur. Et quamvis Amicus disp. 18. sect. 7. num. 92. cum quibusdam aliis dicat, hoc totum intelligendum esse antè patratum peccatum, quia post patratum peccatum potest donatio jure naturæ esse valida, non propter commissum peccatum, sed propter impensum laborem, & periculum, cui donatarius in gratiam donantis se exposuit, quòd cùm sit pretio æstimabile, est aliqua mercede dignum. Nihilominus artic. præced. num. 29. jam statuimus hoc totum verificari tàm antè commissum peccatum, quàm post illud patratum, quia semper eadem ratio militat, ut ibi ostendimus. Hoc autem totum dictum est de donationibus irritis, & invalidis jure naturæ spectato, plures enim sunt etiam, quæ solo jure naturæ spectato, & interno conscientiæ foro validæ sunt, & obligatoriæ, invalidæ tamen, & irritæ jure positivo, & in foro externo, de quibus ex professo tractant Juristæ, & breviter Amicus disp. 18. cit. sect. 8. Caspensis tr. 19. disp. 2. & quidam alii Theologi.

47 Quintò variæ sunt species donationis, ut omnes hìc notant, & præsertim Card. de Lugo disp. 33. sect. 9. in primis enim dividi potest in donationem merè gratuitam, & in donationem remuneratoriam, utraque enim est verè donatio gratuita, hoc est, non debita ex justitia, hoc enim tantùm debitum excludit liberalitatem donationis, non autem debitum gratitudinis, ut supra dictum est explicando definitionem donationis;

inter utramqe tamen hoc interest discrimen, quod prima est merè gratuita absque ullo donatarii merito præcedente; altera verò licet debitum justitiæ non supponat, debitum tamen supponit gratitudinis, quæ ad retribuendum benefactori inclinat juxtà accepti beneficij mensuram. Secundò dividi solet donatio in puram, & absolutam, in qua nulla limitatio ponitur, & est cum res donata statim debetur, & fit accipientis; & in non puram, nec absolutam, quia nimirum vel fit sub conditione, vel in diem; & certum tempus; donatio sub conditione est, dùm aliqua conditio requiritur, ut dono tibi hunc agrum, si uxorem duxeris: donatio in diem est, quæ ad certum tempus limitatur, ut facio te dominum hujus post annum, vel post mortem meam, vel in die mortis; potest etiam fieri in diem incertum, ut quando uxorem duces. Tertio dividi præcipuè solet donatio in donationem causa mortis, & donationem inter vivos, sed quia donatio causa mortis ferè in omnibus imitatur ultimas voluntates, opportunius de ipsa dicemus ſa. seq. ubi de testamentis erit sermo, & ultimis voluntibus. Donatio inter vivos quædam fit ob causam interpositam, & dicitur donatio sub modo, ut si quis donet aliquid, ut quid certum faciat v. g. dono tibi mille aureos, ut spectaculum populo exhibeas, causa verò interposita intelligitur subsequens, & non antecedens, quia sic esset donatio remuneratoria; quædam verò fit sine vlla interposita causa. Aliæ divisiones etiam donationis à Juristis assignari solent, quæ apud Astesanum nostrum videri possunt l. 3. tit. 20. & apud Stephanum à S. Gregorio l. 2. de contrac. c. 14. & alios passim.

48 Sextò quæri solet, quibus de causis donatio non solùm acceptata, sed etiam tradita licitè revocari possit, ubi advertendum est, aliud esse donationem acceptatam ad obligandum cessare, aliud licitè revocari posse; quoniam tunc donatio obligare cessat, quando aliqua causa desinit ad obligandum requisita, quo fit ut absque nova actione talis donatio vim obligandi amittere possit; fit autem revocabilis, quando vi obligationis adhuc vigente licitè revocari potest ob aliquam circumstantiam de novo exortam. Quibus in casibus donatio etiam acceptata obligare desinat, facilè deduci potest ex dictis in simili de promissione art. præc. n. 31. modò videndum est, quibus in casibus licitè revocari possit. Certum autem est in primis donationem illam, quæ dicitur inter vivos, cum, scilicet, quis ex mera liberalitate sic donat, ut etiam se vivo, velit rem donatam esse alterius, posse etiam post donatarii acceptationem revocari quibusdam de causis à lege expressis quarum præcipua est ipsius donatarii in gratitudo, ut si donatarius injurias atroces in donantem effuderit, si violenter eum percusserit, si ex certa malitia grave damnum bonis ejus intullerit, aut si ad inopiam redactum non aluerit. Ità habetur L. final. C. *de revocandis donationibus* ubi tamen communiter Doctores advertunt donatarium ante Judicis sententiam ad restitutionem non teneri, quia est pœna, quæ requirit donatoris querelam, & ingratitudinis probationem. Quod si donatio cum aliqua conditione facta fuit, adhuc etiam revocari potest, si donatarius conditionem in ea appositam non adimpleverit, ut habetur L. c. &c. ult. de Donationibus. Deindè potest etiam donatio revocari ratione prolis susceptæ, ut si quis prole carens magnam partem suorum bonorum donavit, & posteà proles ei supervenit. Ità habetur L. *si unquam* C. de revocand. donat. quia in tali casu donatio facta præsumitur sub conditione, nisi nascantur filii. Tandem revocari etiam potest donatio si sit inofficiosa, tunc autem donatio inofficiosa dicitur, quoties Pater tantùm donat, ut non retineat, quantum postulat legitima filiorum portio, & dicitur inofficiosa, quia est contrà officium pietatis, quæ postulat filiis legitimam portionem relinquendam esse. Quod si donatione facta est alicui ex filiis, revocatur solùm usque ad legitimam aliorum. Si vero extraneo facta est animo defraudandi filios, revocatur tota, si verò tali animo non sit facta, revocatur, quoad legitimam filiorum, quo modo etiam revocatur, si sit Ecclesiæ facta, vel piæ causæ. Donatio verò facta causa mortis potest à donatore usque ad mortem revocari, sicut revocari potest legatum, testamentum. & ratio est, quia hjusmodi donatio ex dispositione juris hanc tacitam habet conditionem nisi revocetur; po est itaque revocari si pœniteat donatorem sicut potest testamentum, & legatum L. *Qui mortis causa* ff. de mortis causa donat. Item revocari potest, si donavit intuitu alicujus instantis periculi, ex quo mortem incurrere timuit, nam eo ipso, quod periculum mortis euaserit, tacitè censetur revocata donatio. Tandem si donatarius moriatur antè donatorem, tunc ipso jure censetur revocata donatio, sicut etiam mortuo legatario antè legatum nihil debetur. Ità Doctores communiter.

49 Septimò, circà revocationem donationis ratione ingratitudinis triplex occurrit difficultas. Prima est, an ob ingratitudinem possit donatio revocari, etiamsi donator dixisset in donatione, se renunciare huic facultati revocandi ob ingratitudinem subsecutam. Cui difficultati Doctores communiter affirmativè respondent, quod ex variis Juribus deducunt, irritant enim jura non solùm donationes ob turpem causam factas, sed etiam quæ occasionem peccandi donatariis præbent: talis autem esset prædicta donatio, quia ea renunciatio est contra bonos mores, quatenus occasionem delinquendi præbet. Ità Molina, Amicus, Cardinalis de Lugo, & alii passim contrà Azorium, Bonacinam, & alios. Secunda Difficultas est, an donatio juramento firmata propter ingratitudinem revocari possit. Cui Doctores cùm distinctione respondent, si enim donator simpliciter, & absolutè juret, se non revocaturum conationem, nulla facta expressione, quod nolit eam etiam ratione ingratitudinis revocare, affirmant revocari posse, quia juramentum, quando aliud non exprimit, cadit super actum, ipsiusque naturam sequitur secundùm omnes conditiones, quas ex se habet vel ex juris dispositione; cùm igitur donatio ex juris dispositione habeat, ut ratione ingratitudinis revocari possit, juramentum cadens suprà talem actum sine alia expressione adjuncta hanc conditionem non excludit, quam habet ex juris dispositione. Si verò donans expresse juret se nō revocaturum donationem etiā si donatarius sit ingratus, negant revocari posse; ratio est, quia juramentum semper est servandum, *nisi servatum vergat in interitum salutis æternæ*, ut habetur c. *Si verò* de jure jurand. idque ob reverentiam Deo debitam in testem adducto; sed in proposito casu juramentum absque dispendio salutis æternæ servari potest, cum donans non peccet suam donationem ab ingrato non repetendo. Hæc tamen communis opinio non consonat doctrinæ superius traditæ q. 1. hujus disp. a. 2. n. 24. ubi diximus contractum de se invalidum non posse juramento validari, quia juramentum non tribuit validitatem contractui, sed tantùm eum confirmat in ea natura, in qua reperit, & ideò non potest, si invalidus est, juramento validari: cùm ergo jura invalident donationes, quæ occasionem peccandi donatariis præbent, ne per hujusmodi promissiones detur licentia, & occasio peccandi, sequitur tales donationes etiam juramento firmatas adhuc revocari posse, quia juramentum tales donationes non validat, sed tantùm eas confirmat in ea natura, in qua eas reperit. Quia tamen opposita opinio communis est, prudentum judicio me remitto. Tertia tandem difficultas est, an donatio remuneratoria propter ingratitudinem revocari possit. Cui negativè Doctores communiter respondent, & ratio est, quia quod datur causa remunerationis est debitum debito saltem morali, & gratitudinis; leges autem eam tantùm donationem statuunt revocandam propter ingratitudinem, quæ merè liberali, & gratuito animo facta est, & absque ullo debito tam justitiæ, quàm gratitudinis,

50 Postremò circà revocationem donationis ob prolem posteà susceptam triplex etiam occurrit difficultas. Prima difficultas est an donatio juramento roborata possit ob nativitatem filiorum revocari. Cui difficultati pariter cum distinctione respondendum est consequenter ad supradicta, quod si Pater donando simpliciter, & absolutè juravit, se donationem non revocaturum nihil exprimendo, vel cogitando de filiorum successione, donationem posse etiam ab ipso donatore revocari, quia juramentum non excludit ab actu, in quem cadit, tacitas conditiones, quas sivè ex natura sua, sivè ex juris dispositione habet undè sicut in ipsa donatione, præsumitur Pater non intendisse; casum illum de filiis nascituris comprehendere, ità in juramento idem præsumi debet, cùm per tale juramentum solùm confirmare voluerit donationem secundùm id, ad quod se extendebat. Si Verò donans expresse juravit se donationem non revocaturum; etiamsi sibi filii nascantur, dicendum est non posse à donante revocari, quia cùm tale juramentum à donatore servari possit absque dispendio salutis æternæ, cum donans non peccet suam donationem non repetendo, nec occasionem peccandi donatario præbeat, ut contingit in casu proposito de ingratitudine, ideò tale juramentum servandum erit, nisi illud feciſſet animo inofficiosæ donationis, quia tunc juramentum fuisset de re illicita, utpotè præjudiciali legitimæ filiorum, ac proindè insufficiens ad obligandum. Adhuc tamen in præfato casu possent filii post talem donationem nati eam revocare, mortuo patre, usque ad legitimam, & non amplius quatenus inofficiosa est, & contrà eorum legitimam; quia pater non potuit præjudicare juri, quod filiis convenit ad legitimam sibi debitam ex bonis parentis, quarè non obstante Patris juramento filii post talem donationem geniti jus habent illam revocandi usque ad legitimam portionem sibi debitam jure hæreditatis, & hæc est communis Doctorum sententia. Secunda difficultas est, utrùm donatio revocetur, si facta donatione filius naturalis, aut spurius nascatur, qui privilegio principis legitimatur. Communis opinio negat contra Julium

Cla-

Clarum, & quosdam alios Juristas. Ratio est, quia in L. *si totas* C. de inofficiosis donationibus, non fit mentio filiorum naturalium, sed tantùm legitimorum, seù qui *ex legitimo matrimonio nati sunt*, ut textus ille loquitur, non est autem facienda extensio ultrà concessionem, & verba legis. Hoc autem intelligendum est de filiis naturalibus, qui sola Principis auctoritate legitimantur, non autem de filiis naturalibus, qui per subsequens matrimonium legitimantur, quoniam hi in jure filii ex legitimo matrimonio natis æquiparantur, ut notat Amicus disp. 18. sec. 6. n. 84. licet non desint qui dicant revocari posse donationem nato filio illegitimo, non solùm si per subsequens matrimonium legitimetur, sed etiam quando legitimatur Principis rescripto. Ità Julius Clarus, & alii Juristæ apud Molinam, quibus subscribit Card. de Lugo disp. 23. sec. 11. n. 189. Tertia tandem difficultas est, an donatio reviviscat, si filii post donationem nati adhuc vivente patre moriantur. Communis opinio negat, & ratio est, quia donatio per prolis superventum fuit extincta, donatio autem semel extincta non reviviscit, atque ideò nisi illa per novam voluntatem expressam, vel tacitam donatoris in donatarii potestatem transferatur, manet sub dominio donatoris. Ità Sylvester, Molina, Bonac. Rebellus, Emmanuel Sà, Amicus, & alii. Non desunt tamen oppositum tenentes, quorum ratio est, quia cùm donator eo sit affectu ergà donatarium, ut filios futuros solùm ei præferat, nec velit donatarium re donata privare, nisi intuitu filiorum, consequens est, ut velit eam ratam esse, quoties absque filiorum præjudicio permanere possit; ergo mortuis filiis non potest pater eam revocare, cùm jam tunc hujusmodi revocatio non fieret ad consulendum filiis, sed ad alium finem. Ità Julius, Clarus, Gometius, & alii Juristæ, quibus subscribit Card. de Lugo l. c. n. 182. & hæc de Donatione sufficiant, de qua alia plura videri possunt apud Astesanum nostrum l. c. l. 3. tit. 20.

ARTICULUS TERTIUS.

De testamentis, ac eorum conditionibus. & speciebus.

15 PRimò postquam egimus de translatione dominii titulo donationis inter vivos; nunc agendum est de translatione dominii titulo donationis causa mortis, quæ ultima voluntas dici solet, eo quod suum effectum non nisi post mortem donatoris sortitur, inter ultimas autem voluntates Testamentum præcipuum tenet locum, & dicitur testamentum, ut nomen ipsum denotat, quasi testatio mentis, idest, declaratio voluntatis, ut Astesanus noster advertit l. 3. tit. 28. de Testamentis, & dicitur ultima voluntas, non quia testator alias posteriores voluntates non habeat, sed quia voluntas illa est ultima dispositio, quæ de bonis ipsius testatoris post ejus mortem observari debet, nisi per aliud testamentum, aut codicillum illam revocaverit. Undè Testamentum definitur à Juristis L. 1. ff. de Testamentis, quod sit *nostræ voluntatis justa sententia de eo, quod quis vult fieri post mortem suam cum institutione hæredis*, intellige de bonis suis; & ità etiam ex nostris Testamentum definit Astesanus l. c. & Nicolaus de Orbellis 4. sent. d. 43. q. 2. Dicitur sententia de eo, quod quis vult fieri post mortem suam, loco generis, quia in hoc convenit testamentum cum legato, codicillo, fidei commisso, & donatione causa mortis; dicitur *justa* hoc est legibus, jurisque dispositionibus conformis, alioqui valida non esset. Undè quando quis per testamentum intendit aliquid contrà bonos mores, vel pietatem v. g. privare filium hæreditate, tunc est invalidum, quia talis sententia dicitur de re injusta, atque ideò non obligat; dicitur *post mortem*, quia per hoc differt testamentum à donationibus inter vivos, quæ ut dominium rei donatæ in donatarium transferant, non expectant mortem donantis, sed statim ac à donatario acceptæ fuerint, ad eas solvendas obligant; dicitur tandem *cum institutione hæredis*, quia per hoc differt testamentum à reliquis ultimis voluntatibus; per codicillum enim, legatum, &c. non instituitur hæres, sicut per testamentum, siquidem codicillus aliud non est, quàm appendix ad testamentum, in qua fit de bonis testatoris aliqua alia dispositio distincta ab illa, quæ fuit in testamento facta.

52 Secundò duplex in jure distinguitur Testamentum, unum dicitur in scriptis, seù clausum, eo quod testator latere velit, quod in eo continetur, & dicitur scriptum eo quod scripto fiat vel per testatorem, vel per aliquem alium cum obsignatione testium, ut habetur L. *hac consultissima* C. de Testamentis. Alterum dicitur nuncupativum, eo quod testator sine scriptura coram testibus declaret, quid de bonis suis fieri velit post mortem, & ob id etiam testamentum apertum appellari solet, ut habetur L. *per nuncupationem* C. de Testamentis. Porrò ad utrumque testamentum, & eorum validitatem plures requiruntur solemnitates à legibus, quæ etiam non sunt eædem in omnibus locis, & passim assignantur à Jurist. & Canonistis, quarum tamen exacta cognitio ad Theologum non spectat, ut ait Pontius disp. 54. q. 4. cui scire sufficit, quod leges observari debent, & quod ex natura rei non requiritur ulla solemnitas, nisi significatio voluntatis testatoris sivè voce, sivè scriptis significata, sed tantùm ex dispositione legum. Undè dimissis aliorum sententiis probabiliorem puto eorum opinionem, qui asserunt testamentum validum esse in foro conscientiæ, etiamsi ei desint solemnitates à legibus requisitæ, & licitè retineri posse id quod ex tali testamento habetur, sivè titulo hæreditatis, sivè legati. Ità Adrianus, Angelus, Tabiena, Sylvester, Joannes, Medina, Lopez, Lessius, Abellius, & plures alii. Ratio est, quia ut dicitur §. *per traditionem* Institut. de Rerum divisione *nihil est tam conveniens naturali æquitati, quàm voluntatem domini volentis rem suam in alium transferri, ratam haberi*. Tum quia testamentorum solemnitates eo solùm à Regibus, & Principibus sunt introductæ *ne quid falsitatis in testamentum incurrat*, ut habetur L. Quæstionem C. de fidei commisso; dummodò igitur certò de ultima testantis voluntate constet, potest quis rem sibi ejus testamento relictam tuta conscientia retinere; etiamsi ei desint solemnitates à legibus requisitæ.

53 Tertiò, jure naturæ nemo testari potest qui usu caret rationis pleno, ac deliberato, cujusmodi sunt pueri antè perfectum rationis usum, stolidi, amentes, furiosi nullum habentes lucidum intervallum; ratio est quia cùm actus testandi sit ultima voluntas hominis de propriis disponens bonis, non solùm in bonum sui, sed etiam aliorum, ad quos talia bona testatoris aliquo jure post ejus obitum spectare possunt, plenum ac deliberatum rationis usum suapte natura postulat, ne talis bonorum dispositio in alicujus præjudicium cedat. Undè patet testamentum fieri non posse, nisi à tempore rationis, & vim, dolum, ac errorem posse testamenti validitatem impedire ob eandem rationem, sicut, & aliorum contractuum. Jure autem positivo nec etiam quilibet rationis compos testari potest, leges enim statuunt omnes impubes, hoc est masculos antè 14. & feminas antè 12. annum completum ad testandum esse inhabiles defectu pleni judicii, ac deliberationis perfectæ. Undè hoc impedimentum non ex natura rei provenit, cùm possint antè hujusmodi ætatem perfectum habere rationis usum, & consequenter horum testamentum non fore ipso naturæ jure nullum, sed jure tantùm positivo, quod eam ad testandum præscribit ætatem, in qua ordinariè solent homines perfectum rationis usum habere, ut Amicus advertit q. 19. sect. 3. Jure etiam positivo plures alii prohibentur testari, ut Doctores passim docent, & ex nostris Astesanus, & Nicol. de Orbellis loc. c. prohibetur enim filius familias existens sub patria potestate, etiamsi sit pubes, nisi de peculio castrensi, vel quasi castrensi, item prodigus, cui est bonorum administratio interdicta, mutus, & surdus à nativitate, sivè casu, aut morbo, qui nec audit, nec loquitur. Firmum tamen, ac ratum manet testamentum, si antequam surdi, & muti fierent, illud confecerunt, ac etiam prodigus antè juridicam administrationis interdictionem. Ità enim statuitur L. *Discretis* C. *qui testamentum facere possunt*, & §. *item surdus* & §. *item prodigus* Institut. quibus non est permissum facere testamenta. Prohibentur etiam Religiosis professis, quia per professionem non solùm administratione privantur, sed etiam dominio omnium suorum bonorum, & nihil habent proprium, ideò nequeunt de illis testari, nec ullam donationem inter vivos, aut causa mortis validam facere; antè tamen professionem testamentum facere possunt, cùm tunc possint ad sæculum regredi. An autem Clerici, vel Episcopi sæculares testamentum condere possint, Doctores communiter affirmant de his, quæ habent de patrimonio, aut doctrina, artificio, seù scriptura acquisitis, aut donatione facta ratione personæ, non intuitu Ecclesiæ; de rebus autem Ecclesiæ mobilibus vel immobilibus testari non possunt, cùm non habeant ipsarum proprietatem, sed solam administrationem. & de hoc puncto quinam testari, vel non testari possint alia plura videri possunt apud Amicum loc. cit. Bonacinam, Cardinalem de Lugo & alios passim.

54 Quartò prætereà explicandum est, quinam possint hæredes substitui, qui verò non; & quidem D D. communiter docent omnes non solùm privatos, verùm etiam communitates posse hæredes institui, dummodò sint hæreditatis capaces, & à jure non impediantur. & ratio est, quia ut aliquis instituatur hæres, nil aliud requiri videtur, quam ut adsit plena potestas in disponente, capacitas in hærede, & forma à jure præscripta; pro cujus maiori intelligentia advertendum est duplex hæredum genus distingui solere. Unum est eorum, qui ex testamento, seù vi testamenti succedere dicuntur, & hi possunt esse varii

juxtà voluntatem teſtatoris, & ſuccedentium conſanguinitatem. Alterum eorum, qui ab inteſtato ſuccedere dicuntur, vel quia ſuccedunt inteſtato, vel quia teſtamentum teſtatoris fuit invalidum, vel quia effectum non eſt ſortitum; & hi ſuccedentes ab inteſtato triplicis ſunt generis; alii dicuntur deſcendentes, alii aſcendentes, alii collaterales; inter quos hunc ordinem eſſe ſervandum jura ſtatuunt, quod primum jus ſuccedendi ab inteſtato habent Deſcendentes, ſivè ſint filii emancipati, ſivè non; ſivè mares, ſivè fœminæ, ut expreſsè ſtatuitur in authentic. *de hæredibus ab inteſtato*. & ratio eſt quoniam bona parentis jure naturæ filiis debentur, ut habetur L. *cum ratio* ff. *de portionib.* ut autem filii poſſint ab inteſtato, vel ex teſtamento ſuccedere, legitimi eſſe debent, vel ſaltem legitimati. Deficiente autem linea deſcendentium ſecundùm jus ſuccedendi ab inteſtato habent aſcendentes tam maſculi, quam fœminæ, gradus prerogativa ſervata, ut nempè proximiores ſemper remotioribus præferantur. Tertium tandem ſuccedendi jus habent Collaterales uſque ad decimum conſanguinitatis gradum, ut definitum eſt L. *Quia igitur §. ſi igitur defunctus* ſemper tamen inter eos gradus prærogativa ſervata; deficientibus autem conſanguineis uſque ad decimum gradum ſuccedit in omnibus boni defuncti fiſcus, ut habetur L. 1. ff. *de jure fiſci*. Incapaces etiam, ſeù ad hæreditatem inhabiles ſecundùm jura duplicis ſunt generis; quidam ob delictum, & defectum culpabilem, ut Apoſtatæ, & Hæretici, eorumque defenſores, receptores, & fautores, & alii plures, de quibus ſpecialiter jura loquuntur paſſim à Doctoribus adducta. Quidam verò ob votum, & ſpeciale eorum profeſſionem, uti ſunt Fratres Minores Regulam S. Franciſci in puritate obſervantes, qui ſunt incapaces hæreditatis, & legatorum, ut conſtat in Clementina *exivi* de verborum ſignificationib. Hinc tamen non excluditur, quin pro ordinaria eorum ſuſtentatione aliquid accipere poſſint per modum legati, aut eleemoſynæ, modò non ſit per modum rei ſtabilis, aut perpetui redditus, ut notat Gloſ. in præcitata Clem.

55 Quintò conveniunt omnes Doctores, teſtamentum, & legatum abſolutè factum poſſe ad libitum revocari à teſtatore uſque ad mortem, undè quotidiana experientia cernimus teſtamenta revocari, & ità habetur l. ſi quis in principio teſtamenti ff. de legatis, & ideò apud Juriſtas voluntas teſtatoris perambulatoria dicitur uſque ad mortem; à qua tamen regula dicunt excipiendos eſſe Religioſos profeſſos, iſti namque teſtamentum antè profeſſionem factum revocare non poſſunt, vel alterare, nam qui teſtamentum facere non poteſt, nec etiam illud poteſt revocare, cùm eadem facultas ad utrumque requiratur; cum ergo Religioſus profeſſus teſtamentum facere nequeat ut ex dictis conſtat, nec etiam conſequenter illud revocare poterit. Dubium tamen eſt, an teſtamentum juramento confirmatum revocari poſſit, quando nimirum juravit ſe illud non revocaturum, quod rurſus duplicem ſenſum habere poteſt; primus eſt, an licitè revocari poſſit, ſecundus an ſaltem validè, aliud enim eſt illicitè revocare, aliud invalidè, cùm multa illicitè fiant, quæ tamen facta tenent, ſicut qui juravit ſe aliquam ducturum in uxorem, ſi poſteà aliam ducat, validè ducit, ſed illicitè. Aliqui affirmant teſtamentum etiam juramento firmatum nedùm validè, ſed etiam licitè revocari poſſe. Ratio eſt, quia juramentum ſequitur naturam actus, ſuper quem cadit, eſt enim velut acceſſorium, quod ſequitur naturam principalis; ſed actus ſuper quem cadit juramentum in propoſito eſt teſtamentum, quod ſuaptè natura revocari poteſt, & hanc habet ex ſui inſtitutione tacitam conditionem, niſi revocetur; ergo teſtamentum revocari poteſt, etiam poſito juramento, nedùm validè, ſed etiam licitè.

56 Communis tamen, & vera ſententia docet teſtamentum juramento firmatum validè quidem revocari poſſe, non tamen licitè, niſi in aliquo ſpeciali caſu. Ità Covarr. Julius Clarus, Gomez, Sylveſter, Molina, Bonac. Sanchez, Card. de Lugo, & alii communiter. Quod validè tale teſtamentum revocari poſſit ex eo patet, quia ſicut qui juravit non donare aliquid alicui, ad huc tamen validè donat, licet peccet juramentum non ſervando, ità qui juravit teſtamentum non revocare, adhuc validè revocat, quamvis revocando peccet; & ratio eſt, quia juramentum non tollit à jurante dominium rerum ſuarum, & ſuæ voluntatis; ergo cùm per teſtamentum non tranſtulerit abſolutè dominium, ſed cum ſubordinatione ad hoc, ut non aliter poſteà diſponat, juramentum facere nequit, quin validè adhuc de ipſis, ut voluerit, diſponere poſſit. Quod verò licitè revocari non poſſit ex eo conſtat, quia juramentum ſemper ſervandum eſt, quoties ſine peccato ſervari poteſt; in hoc autem caſu ſine peccato ſervari poteſt, cum poſſit non revocare teſtamentum, nec ad illud revocandum teneatur; ergo qui juravit ſe non revocaturum teſtamentum graviter peccat revocando illud, quia ab obſervantiam juramenti tenetur. Quod tandem in aliquo caſu, non tantùm validè, ſed etiam licitè revocari poſſit probatur, quia ſi probabiliter teſtator prævideret ex primo teſtamento plura mala ſucceſſura, poſſet licitè revocare, ac etiam teneretur, quia juramentum de re mala non obligat, nec obſervari debet. Ad fundamentum oppoſitæ opinionis dicendum eſt cùm præcitatis Auctoribus, juramentum ſequi naturam actus principalis quoad tacitas conditiones, niſi conditiones excludantur; in propoſito autem cauſa jurans ſe non revocaturum teſtamentum, tacitam conditionem teſtamenti expreſsè excludit, cùm per tale juramentum intendat non revocare teſtamentum, quod ex ſua natura revocari poteſt.

57 Hic tamen advertendum eſt cum Molina diſp. 149. & 152. Leſſio dub. 8. n. 98. & ſeq. Steph. à S. Greg. l. 2. de Contrac. c. 23. n. 2. & pluribus alii, quod ſi primùm conditum teſtamentum, & juramento firmatum, fuiſſet ità factum, & confirmatum ex promiſſione teſtatoris alteri, vel pluribus facta; jam dicti promiſſarii jus eſſent adepti juxtà promiſſa, & teſtata in primo teſtamento, dummodò ipſi acceptaverint, quod jus tranſit ad hæredes etiam dictorum promiſſariorum. Ex quo deducunt tam ipſum teſtatorem teneri confirmare in ſecundo teſtamento, quod promiſerat, & acceptatum fuit in primò, quàm ejus hæredes, quia hæreditas ſemper tranſit cum onere ſuo; undè ſicut hæredes omnibus debitis teſtatoris ſatisfacere tenentur, ſic etiam obligantur ſatisfacere dicto oneri, ſeù contractui facto à teſtatore, & promiſſariis primi teſtamenti ex jure jam per ipſos acquiſito in foro conſcientiæ vigore ſimplicis promiſſionis, & in foro fori vigore præſtiti juramenti, & idem ſentit Bonac. diſp. 3. punct. 6. in fine. Alia plura de teſtamentis apud citatos Auctores videri poſſunt, quæ potius ad Juriſtas ſpectant, quàm ad Theologos, qui etiam notant, ad hoc ut teſtamentum, vel legatum pium per teſtatorem faciendum animę ſuæ prodeſſe poſſit, opus eſſet ut illud faciat, dùm eſt in ſtatu gratiæ, & ideò dicunt in infirmitatibus prius Confeſſarium eſſe vocandum, quàm Notarium, & ſi fecerit teſtamentum in malo ſtatu, poterit illud ratificare, dùm eſt in gratia.

QUÆSTIO TERTIA.

De commodato, precario, & depoſito.

58 DOctor noſter 4. d. 15. q. 2. a. 2. explicata tranſlatione rerum quoad dominium auctoritate privata, ſed liberaliter facta abſque alicujus retributionis expectatione, qualis eſt Donatio, Promiſſio, & Teſtamentum, de quibus quęſtione præcedenti actum eſt: antequam ageret de tranſlatione rerum quoad dominium non omninò liberali, ſed quæ aliquam retributionem expectat, quæ tranſlatio omnes alios contractus oneroſos complectitur, in quibus dominium transfertur, agit de tranſlatione liberali rerum quoad uſum tantùm, & non quoad dominium, qualis eſt commodatio. Nos igitur etiam poſtquam egimus q. præc. de tranſlatione rerum liberali quoad dominium, juxtà hunc ordinem Doctoris agemus de tranſlatione rerum liberali quoad uſum tantùm in præſ. q.

ARTICULUS PRIMUS.

Quid ſit commodatum, & quomodo à precario diſcriminetur.

59 SCotus itaque l. c. lit. K. inquit, quod donationi correſpondet alius modus transferendi ſolùm uſum, & talis vocatur liberalis accommodatio, nam habens dominium in aliqua re poteſt eam liberaliter alteri accomodare, nullum fructum, vel proventum ex tali accomodatione expectando, in quo caſu, vel contractu talis non transfert rei dominium, ſed ſolùm uſum, ideoque non eſt datio ſimpliciter, ſed ſola accomodatio liberalis, undè ea, quæ requiruntur ad liberalem donationem, requiruntur etiam ad liberalem accomodationem ad hoc, ut ſit juſta, nimirum tres illæ conditiones. Prima quod accomodans ſit dominus rei, & habeat liberam voluntatem nulli ſubjectam. Secunda quod recipiens velit rem accomodatam ad uſum acceptare. Tertia quod non ſit aliqua voluntas legis, vel Principis illi accommodationi obſiſtens. Hæc Scotus ibi breviter docet de accomodatione, ex quibus facilè ejus definitio deduci poteſt, & caſus, ac difficultates circà illam occurrentes poſſunt reſolvi. Quoniam igitur dictum eſt, quod commodatio eſt liberalis rei tranſlatio quoad uſum, rectè definitur hoc modo, quod ſit *contractus, quo res alteri grati conceditur ad certum aliquem uſum* quæ eſt definitio aſſignata in Inſtit. quibus modis contrahatur obligatio §. *Item* 15. & deducitur ex ipſa nominis ethimologia, com-

commodatum enim ità dicitur; quasi datum sit commodo alterius. Dicitur *contractus* loco generis, quia in hoc convenit cum aliis, contractibus, dicitur *gratis* ad denotandum, quod commodatio est datio rei liberalis alteri, & sine alicujus retributionis expectatione, & per hoc commodatio à locatione differt, & commodatum à locato, quia locatum non fit gratis, sed pretio; dicitur *conceditur*, quia commodatio est rei concessio, non translatio, siquidem commodans rei dominium, & possessionem retinet, & solùm usum concedit, ut habetur ff. *rei commodatæ*. Additur tandem *ad certum aliquem usum*, quia usus, ad quem fit, debet exprimi, ut commodo tibi equum, ut eum ducas ad bellum, vel ad villam, undè revocari non potest, nisi expleto usu ad quem factum est, & in hoc differt à precario, quod sit sine præfinitione usus certi, undè potest quandocunque revocari, ut habetur c. *in commodato* §. sicut hæc omni. Ità hanc definitionem explicat Astesanus noster l. 3. tit. 26. ab initio, Faber de Restit. disp. 46. cap. un. & cæteri DD. passim.

60 Itaque de substantia commodati primò requiritur traditio rei L. obligamus ff. de actu, & obligatione, secundò ut adsit consensus contrahentium l. 1. §. adeò ff. de pactis, hoc est, ut commodatarius consentiat illam rem ad usum acceptare, quia sine tali consensu non esset contractus. Tertiò, ut rei commodatæ dominium penes commodantem maneat L. rei commodatæ ff. commodat. Quartò ut reddatur eadem res in specie ut loquuntur Juristæ, vel ut melius loquuntur Philosophi, eadem res in numero Institut. quibus modis contrahatur obligatio §. item 15. Quintò, ut commodetur gratis, seù ut gratis fiat ista commodatio nulla expectata retributione ibid. versic. commodata. Sextò tandem ut detur ad aliquem usum specialem, & ad aliquod tempus certum expresè, vel tacitè, ut ait Glos. cap. 1. de commodato. Ità Faber l. c. n. 6. Steph. à S. Greg. l. 2. de contract. c. 26. & alii passim. Ex quo sequitur illos tantùm commodare posse, qui possunt contrahere, & qui habent rerum proprietatem, vel saltem usumfructum, aut jus administrandi, & consequenter non posse commodare, qui non possunt contrahere, ut sunt pupilli, impuberes, furiosi, & similes; item nec filium familias, nec servum, nec furem, cùm nihil habeant, quod suum sit, undè probandum non est ut benè Faber advertit l. c. num. 5. quod ait Azor. p. 3. l. 7. c. 3. de commodato furem, scilicet, filium familias, servum, & possessorem malæ fidei posse commodare; cùm enim nec dominium habeant, nec jus administrandi, vel utendi re, non possunt illam commodare; nisi enim quis jus in usum rei aliquo modo sibi comparaverit, vel quia illam conduxit, vel alia ratione, non potest eam commodare; qui antè habet jus utendi re aliqua, potest eam alteri commodare, nisi aliter conventum sit cum Domino, ut notat Bonav. d. 3. q. 4. p. un. n. 2. & ratio est tum quia sic decernitur L. 1. §. inter commodatum ff. commodati. Ubi etiam nu. 4. advertit cum aliis Doctorib. durante tempore contractus commodati expensas ordinarias ad commodatarium pertinere, nam cujus est commodum, ejus etiam est onus, & incommodum L. 1. in rebus §. possunt ff. commodati, undè qui accipit equum commodato, tenetur illum alere, ferreis laminis munire, & similia facere. Extraordinariæ verò ad commodantem pertinent, modo non fuerint tenues, & exiguæ, nam extraordinariæ cedunt in utilitatem commodantis, ex lege citata.

61 Rursus ex dictis conditionibus ad commodatum requisitis sequitur rem ad certum usum commodatum ad alium trahi non posse sine commodantis consensu, sivè voluntate ejus saltem præsumpta; si vitietur verò, aut pereat in eo usu ad quem concessa fuit, vitiatur, aut perit commodanti, modò absit culpa commodatarii; nec etiam ante præscriptum tempus revocari posse, quoniam ut supradictum est per hoc commodatum à precario discriminatur, quod hoc concedi soleat absque certi usus præscriptione, sed ad merum concedentis nutum, & beneplacitum; illud verò ad certum usum commodatarii, ante quem finitum nequit à commodante revocari. Est tamen difficultas, an possit commodans antè tempus præscriptum revocare commodatum, nova superveniente causa à principio non prævisa, propter quam majus, vel æquale patiatur damnum, si non revocet, quam accideret commodatario, si restituat; dixi autem, nova superveniente causa à principio non prævisa, quia si commodans, quando rem commodavit, prævidit, aut timebat illud detrimentum futurum esse vel posse, & tamen commodavit, certum est neque in conscientia, neque in foro externo commodatum revocare posse; quia in tali casu non solùm ex mera liberalitate censetur commodare voluisse, sed etiam detrimentum illud in gratiam commodatarii ferre. Negant Navar. in Man. c. 17. Emmanuel Sà v. *Commodatum*, & quidam alii, quia commodans tenetur servare fidem commodatario qui jam in illa re jus acquisivit, ideò licet prius posset potius sibi providere, quàm alii de re sua, non tamen postquam eam alteri concessit. Tùm quia sicut non potest quis in æquali vel majori damno rem alteri donatam revocare. Ità nec usum rei, qui à commodante ad tempus conceditur.

62 Communior tamen, & probabilior opinio affirmat licitè in tali casu id fieri posse, & non tantùm in foro conscientiæ, ut dixerunt Angel. & Sylv. v. *Commod.* sed etiam in utroque foro, Ità Molina disp. 294. Amicus disp. 30. sect. 1. Fab. ex nostris l. c. & Hiq. Com. 4. d. 15. q. 2. nu. 56. & plures alii. Ratio est, quia non præsumitur, quod commodans habuerit intentionem commodandi rem cum tanto suo detrimento, nisi illud aliquo modo constet; in contractibus autem gratuitis, quale est commodatum, non plus commodans adstringitur, quam se intenderit obligare, & ideò in tali casu non tenetur commodans servare fidem commodatario, & revocare poterit, quia non fuisset facta commodatio, si tale damnum sequens prævisum fuisset, undè conditio ista videtur implicari in ipsa concessione prima, ut scilicet, repetere posset in casu damni proprii, quam prævidere debet commodatarius, ut sibi prospiciat. Nec valet paritas adducta de donatione pro opinione opposita, quia per donationem transfertur rei dominium, & fit sub perfecto donatarii dominio, ac proindè de illa re donator amplius disponere nequit; non sic autem contingit in commodatione, quia per ipsam non transfertur rei dominium in commodatarium, sed tantùm usus, quamvis etiam donatio in quibusdam casibus possit à donante revocari, ut jura testantur, & dictum est q. præc. Cùm igitur res commodata maneat adhuc sub commodantis dominio, potest in æquali, & tantò magis in majori necessitate ab ipso revocari. Et ità etiam discurrit Card. de Lugo disp. 33. sect. 2. alia plura de commodato apud Astesanum loc. cit. videri possunt, quæ ad Juristas spectant, & apud Vulpem disp. 108. & alios DD. passim.

63 Quoad aliam quæstionis partem de precario, ut à quid nominis incipiamus, precarium dicitur eo quod fiat precibus illius in cujus commodum conceditur, & definitur à Juristis l. 1. ff. de præcario, esse illud, *quod precibus petenti utendum conceditur, quandivis qui concessit, patitur, seù non revocaverit*, id est, est contractus, quo quis concedit aliquid alteri precibus petenti, cum potestate illud repetendi quoties voluerit, ex qua definitione constat, in quo conveniat, & differat ab aliis contractibus. Primò enim à donatione differt, quia qui donat dominium rei transfert, & sic dat, ut non recuperet, quod dat; sed qui precario concedit, solùm usum transfert, & sic concedit, ut recuperet quandocunque placebit. Secundò convenit cum commodato, quod in utroque usus tantùm rei conceditur gratis, manente dominio, & proprietate penes concedentem. Differt autem à commodato, quod hoc ad certum usum, certumque tempus præstari solet, antè quod licitum non est concedenti revocare; illud verò neque ad certum usum, neque ad certum tempus, sed ad nutum, & placitum concedentis revocari potest L. 2. ff. de precario. Tertiò differt à locato, quia locatum non est gratuitum, & locatio fit in utriusque contrahentis utilitatem, precarium verò in utilitatem solius accipientis. Quartò differt à depositio, quod precarium ad aliquem usum conceditur, depositum verò ordinariè solùm ad custodiam, & hoc etiam regulariter fit in favorem deponentis, illud verò in favorem accipientis. Quintò tandem differt à mutuo, quod in hoc transfertur dominium, non autem in precario, & per hoc etiam à venditione differt, ac etiam quia venditio est contractus onerosus, non verò precarium. Ità Astesanus l. 6. c. tit. 27. a. 7. in fine, & post ipsum Lessius, Azorius, Reginaldus, Bonacina, Amicus, & alii passim.

64 Rursus ex allata precarii definitione colligitur tres præsertim conditiones ad precarium requiri, ut notat Bonacina disp. 3. quæst. 14. p. un. Primò enim requiritur consensus dantis, & recipientis. Secundò requiritur traditio rei, hic enim contractus traditione rei perficitur. Tertiò, ut ille qui tradit precarium, possit illud repetere, quoties voluerit; undè precarium in primis duabus conditionibus cum commodato convenit, per tertiam verò differt, nam commodatum antè tempus statutum, vel usum completum revocari non potest, precarium verò maximè, nisi aliter postulet charitas, ut accidit, quando revocari non potest sine gravissimo damno illius, qui precarium accepit L. 1. ff. de precario. Ex hac etiam tertia conditione sequitur, quod in precario non potest pactum iniri ab initio, ut ille qui precarium tradit, non possit repetere, nisi post certum tempus, nam hoc pactum esset contrà naturam precarii, ac etiam injustum, quia fieret pactum, ut quis re aliena uti possit invito domino, atque ideò in tali casu precarium esset invalidum, ut habetur L. Cùm precarium ff. de precario. Quando autem tale pactum apponeretur, tunc precarium in alium contractum mutaretur, nempè in commodatum, quia tunc talis contractus conditiones precarii

non

non haberet, sed commodati. Ità Gomez, Covarr. Molina, Reginaldus, Azorius apud Bonacinam loc. cit. & sequitur Faber disp. 46. cit. nu. 17. ac etiam ità discurrit Amic. disp. 30. cit. sect. 1. nu. 12. ubi ait posse quidem precarium ità ad determinatum tempus concedi, ut ultrà illud ejus usus cesset, non posse autem ità ad determinatum tempus concedi, ut antè illud non liceat concedenti pro sua voluntate revocare, quia talis contractus esse ipso jure nullus, & hanc ait esse communiorem Doctorum sententiam.

60 Postremò declarandum remanet, quo tempore precarium finiatur, & desinat, & quamvis communiter tres modi assignari soleant, ut videri potest apud Bonacinam, & Fabrum loc. cit. & alios, Astesanus tamen tit. c. 36. in fine quinque modos assignat, quibus precarium solvi potest. Primò voluntate ejus, qui illud concessit. Secundò alienatione, vel venditione rei precario concessæ, si is, cui est alienata, velit revocare. Tertiò finito tempore usque ad quod erat concessa, quandoque enim tacitè, vel etiam expresse ad certum tempus, & usum datur, ut cùm quis precario dat libros eunti ad studendum, quousque lauream doctoratus suscipiat, tunc enim finito illo tempore precarium solvitur. Quartò debitore solvente pecuniam creditori solvitur precarium L. pignoris ff. si debitor. Quintò tandem per mortem illius, qui precarium accepit, precarium enim est beneficium personale, non reale, quod non transit ad alios, etiamsi ille, qui rem precario accepit moriatur antè lapsum termini L. cùm precario ff. precario. Difficultas tamen est, an solvatur etiam per mortem illius, qui precarium dedit, de qua re magna est inter Juristas controversia. Communior tamen, & probabilior sententia videtur esse, non finiri, nec solvi. Ratio est, quia precarium privilegio personali comparatur, quod spirat cum vita ipsa privilegiati, non autem concedentis, donec à successore revocetur. Tum quia precarium datur, ut eo accipiens utatur, donec concedens voluntatem suam revocaverit; cùm igitur tradens non censeatur per mortem talem revocare voluntatem, nisi exprimat, sed in ea persistere, sequitur precarium morte tradentis non finiri, licet finiatur morte accipientis; ideoque mortuo tradente poterit accipiens precario uti, donec ab hæredibus tradentis revocetur, ut habetur L. cit. Cùm precario.

ARTICULUS SECUNDUS.

De natura depositi, & obligatione depositarii.

66 PRimò depositum sumi solet tam pro re, quæ custodienda traditur, quam pro ipso contractu quo deponens cum depositario paciscitur de custodia rei depositæ suscipienda. & hoc modo definitur L. 1. ff. depositi quod *est contractus, quo sola rei custodia alteri committitur;* & appositè dicitur sola rei custodia, quia in deposito, ut sic, non transfertur dominium; neque usus fructus in depositarium, sed sola rei custodia ei committitur, & hac ratione dicitur depositum, ut notat Astesanus noster l. 3. tit. 17. quia rei depositæ custodia, & à deponente separatur, & depositario ex toto committitur, & hinc est, quod dicitur depositum quasi deorsum à deponente positum, ut ostendatur totum fidei depositarii esse commissum, quantùm, scilicet, ad custodiam pertinet, & in hoc, quod dicit custodiendum patet, quod rei depositæ, sicut, & commodatæ, possessionem, dominium, & proprietatem retinemus. Hinc patet, quod depositum primò distinguitur à mutuo, quia in mutuo transfertur dominium rei mutuatæ in mutuatarium, & mutuum non nisi post certum tempus repeti potest, depositum verò semper repeti potest c. Bona fides de depositio. Deindè differt à commodato, & precario, quod hæc ad certum usum conceduntur, non ità depositum, depositarius enim non potest uti deposito, undè quoties illo utitur contra voluntatem domini tenetur domino restituere valorem usus rei, quoties talis usus est pretio æstimabilis, undè si depositarius utatur veste vel equo apud se depositio, tenetur pretium usus restituere, nisi rationabiliter præsumatur Dominum illud condonare. Ità communiter Doctores ex L. Si Sacculum ff. depositi. Tandem depositum à Pignore differt, quod istud datur ad cautionem creditoris, illud verò ad solam rei custodiam, sed quamvis depositum differat à mutuo, locato, conducto, & cæteris, interdum tamen transit in naturam illorum, quo casu regulandum erit legibus locati, & mutui; transit in mutuum, quando res, quæ deponitur, non eadem numero à deponente exigitur, sed similis specie, & qualitate, ut si pecunia deponatur, vinum, oleum, aut triticum, non ut idem numero, sed ut aliud ejusdem speciei, & bonitatis restituatur, in quo casu res depositia transit cum ipsius dominio in accipientem. Transit verò depositum in locatum, & conductum, quando pro custodia datur pretium, nam qui pro rei custodia accipit pretium, suæ operæ locator evadit, qui verò rem pretio custodiendam alteri tradit fit alterius operæ conductor, ut colligitur ex §. 1. Instit. de locatione.

67 Secundò, perficitur depositum non solo consensu tradentis, & accipientis, sed etiam requiritur traditio rei L. 1. in principio ff. de pactis, quia depositum est contractus, qui rei traditione perficitur, nec ullus suscipit custodiam rei, quæ in sua potestate non existit; imò requiritur ulterius quod depositarius non utcunque accipiat, sed ad custodiam, & in curam suam, quod interdùm fit explicitè, interdùm implicitè. Duplex enim potest esse depositarius, alter, qui ex officio aliquo res depositas custodire tenetur, ut sunt nautæ, caupones aurigæ, stabularii, molitores, qui ex officio custodire tenentur quæ in navi, curru, hospitio, stabulo, & molendino deponuntur, & ad constituendum depositum apud istos, quorum officio per se annexa est rerum custodia, sufficit illis videntibus rem in navi, domo, vel hospitio deponi, ut habetur in L. 1. §. ult. & L. 2. ff. nautæ, caupones &c. Alter verò depositarius est, qui non ex officio aliquo, sed ex pura conventione cum deponente rei apud se depositæ custodiam suscipit, & ad tale depositum constituendum conventio explicita requiritur, undè non sufficit, ut quis deponat aliquid apud alterum, cui ex officio rei custodia non incumbit, nisi alter significet, se illius rei custodiam suscipere, non enim eo ipso, quo quis domi meæ, me videnti vestem suam reposuit, dicitur contractum depositi mecum iniisse, nisi ego significem me illius custodiam suscipere. Tale autem depositum duplex esse potest, judiciale, & privatum; judiciale contingit, quando debitor deponit pecuniam, quam creditor acceptare recusat, vel quando lis de re aliqua pendet, & interim apud aliquem illa deponitur, donec liti finis imponatur L. licet ff. depositi; privatum verò depositum contingit, quando res aliqua, apud confidentem hominem deponitur, ut custodiatur. Ità Molina, Azorius, Reginaldus, Amicus, Bonacina, Stephanus, à S. Gregorio, & alii Doctores.

68 Tertiò, conveniunt communiter Doctores depositarium teneri reddere depositum deponenti statim ac petitur, etiamsi deponens, dixisset, se deponere in mensem, & posteà mutato animo repetat in fine hebdomadæ, exceptis quibusdam casibus posteà recensendis, ratio autem cur depositum sit statim restituendum etiamsi antè tempus constitutum reposcatur, est, *quia* cùm hoc sit in gratiam solius deponentis, jus habet illud pro sua voluntate repetendi, cùm nulli injuriam faciat, illud etiam antè tempus repetendo. & ità expresse sancitum est L. 1. §. est autem, & §. penult. ff. depositi &c. *Bona fides* de depositio, ut notat Astesanus noster tit. 17. cit. art. 4. ubi etiam addit, debere rem depositam reddi non deterioratam, aliàs actione depositi potest agi, cùm enim deterior redditur potest dici dolo malo reddita esse, quod intellige si sit deteriorata vitio depositarii, secus est, si vitio rei, vel fortuito casu, ut constat ex c. cit. *Bona fides*. Aliquando tamen fas est non reddere depositum deponenti, ut notat Astesanus ibidem, & cum eo Amicus d. 19. sect. 3. Card. de Lugo disp. 23. sect. 1. & alii DD. passim. Primus casus est quando deponens in suum vel aliorum damnum id repetit, ut v. g. gladium ad occidendum injustè, vel in furore. Secundus casus est, quando bona deponentis publicata sunt, & fisco addicta, in hoc enim casu fisco tradenda sunt non depositori, ut statuitur L. Bona fides ff. depositi. Tertius casus est cum fur deponit, & repetit, & repetitio veri domini cum furis repetitione concurrit, quia tunc potior est causa domini, undè res depositia reddenda est domino, si constet esse suam. Quartus casus est, si res furto ablata apud proprium dominum deponatur, quia tunc reddere non tenetur ex c. cit. Bona fides. Hos tantùm quatuor casus affert Astesanus loc. cit. sed alios quoque assignat Amicus loc. cit. Quintus casus est quando depositum est apud sequestrum, à quo reddendum non est, donec lis finiatur, aut litigantes ipsi inter se conveniant, ut uni eorum detur. Sextus casus est, quando duo hæredes inter se contendunt, quod sibi, non alteri, tanquam proprio hæredi depositum debeatur, ut habetur L. 1. §. *apud Julianum* §. depositi, in qua sic concluditur *Oportet igitur rem deponi in ædem aliquam donec de hæreditate judicetur*. Et tandem de jure etiam communi potest depositarius depositum retinere donec solvantur ei expensæ circà rem depositam factæ, ut ex Glossa advertunt Card. de Lugo loc. cit. Molina disp. 526. & alii ab ipso citati.

69 Quartò, inquiri solet ex qua culpa teneatur depositarius ad damnum resarciendum, si res depositia pereat, & idem quæri solet de commodato, & sermo est, non de culpa theologica sed juridica, quæ est deviatio ab eo, quod bonum est, quodque per hominis diligentiam provideri potuit, ac evitari, & est triplex, scilicet, lata, levis, & levissima, ut deducitur ex L. latæ culpæ ff. de verborum significat. Culpa lata est non advertere,

quod

quod omnes adverterent, aut major pars, ut si quis fecit, aut omisit, quod ut plurimum homines non facerent, aut omitterent, dicitur culpa lata; ut si librum, quem apud se depositum quis habebat, extrà domum in scamno reliquit, ubi volentibus eum surripere patebat, periisse dicitur culpa lata talis depositarii. Si verò culpa sit, quia fecit, aut omisit, quod diligentes ea in re non facerent, aut non omitterent, culpa levis appellatur, ut si eundem librum depositarius intrà cubiculum reliquit, sed aperto ostio, undè surripi poterat, vel si fœnerator res pignoratas à tineis non excussit tali tempore, quo diligens feciſſet. Si denique culpa sit, quia fecit, aut omisit, quod soli diligentissimi non facerent, aut non omitterent, dicitur culpa levissima, & ità hanc triplicem juridicam culpam declarat Faber de Restit. disp. 47. Vulpes disp. 108. art. 3. & Aretinus ex nostris d. 15. q. 2. art. 6. §. De Commodato, ubi etiam hujus triplicis culpæ exempla affert in artificibus, & in cæteris, qui munus aliquod exercent. Itaque depositarius, qui non ex officio aliquo, sed ex pura conventione cum deponente, rei apud se depositæ custodiam suscipit, non nisi de dolo, & lata culpa tenetur ad damnum resarciendum, si res deposita pereat, ut statuitur L. 1. §. ult. ff. depositi, & L. 20 ff. eodem titulo. Ratio autem cur talis depositarius non teneatur, nisi de dolo, & lata culpa, non autem de levi, aut levissima, est, quia depositum non accipit custodiendum in sui commodum, ut illud accipit commodatarius, neque in commodum utriusque ut conductor, sed in commodum solius deponentis; æquitas autem postulat, ut quando unus contrahentium nullum ex inito contractu commodum reportat, tanta obligatione astringi non debeat, quanta astringuntur ii, qui aliquod commodum ex eo reportant. Depositarius verò, qui ex officio tenetur res depositas custodire, quia nimirum ejus officio rerum custodia per se annexa est, etiam de culpa levi tenetur, ut colligitur ex *L. nauta* ff. nautæ. Et ratiò ibidem assignatur, quia nimirum ipsorum officio annexa est hæc obligatio, ut hoc ipso, quod res depositas accipiunt, cùm hac obligatione accipere debeant, cùm ipsorum officium, ex quo ipsi lucrum reportant, illam exigat. & eadem est ratio de iis, qui pro re deposita mercedem accipiunt, nam hi comparantur conductoribus, qui etiam de levi culpa tenentur, ut DD. communiter docent. Ità cum pluribus aliis rem hanc declarat Amicus disput. 17. cit. sect. 2. & hæc culpa juridica potest esse sine theologica, ut si quis depositum in loco furibus pervio reliquit, & ideò perit, culpa ipsius periisse dicitur, & satisfacere tenetur, & tamen peccatum non committit.

70 Quintò tandem regulariter, & ordinariè deponuntur tantummodò res mobiles, aut se moventes, ut gemmæ, libri, animalia, frumentum, pecunia, & similia. Ità Astesanus loc. c. cum cæteris Doctoribus, & clarè deducitur ex cap. Bona fides, de depositò. Dicitur regulariter, & ordinariè, quia ut notat Card. de Lugo loc. c. non repugnat, quod aliquis peregrè proficiscens domum, & villam suam deponat apud Amicum, ut ejus curam, & custodiam habeat. Depositarii autem esse possunt omnes tam viri, quàm fœminæ, qui sunt rationis capaces, & judicio pollent, etiam Clerici, & Religiosi; & de fœminis constat ex L. Publia Mævia ff. depositi; de Clericis colligitur ex cap. *Gravis* de depositò. & ratio est, quia quilibet usu rationis pollens potest custodiam adhibere, quam depositum requirit. Ità DD. communiter, qui etiam addunt, quod quando depositum fieret apud Abbatem, vel Religiosum de consensu Abbatis, si illud ex eorum culpa periret, non teneri Monasterium aliquod incommodum pati, cùm ex delicto Abbatis, vel Religiosi Monasterium damnum sentire non debeat, nisi in casu, quod res depositæ in utilitatem Monasterii esset conversa; & idem dicendum de Episcopo, vel Canonico, si apud ipsos depositum fieret. Ità deducitur ex cap. *Delictum* de regulis juris in 6. & cap. Episcopum 16. quæst. 6. nam ut ibi dicitur *Delictum personæ non est in damnum Ecclesiæ convertendum*. Ità Molina, Lessius, Bonacina, Stephanus à S. Gregorio, & alii DD. passim, qui etiam advertunt casum fortuitum à culpa jam declarata distingui, quia hic non ex ignorantia, neque ex negligentia accidit, sed ex inopinato eventu, qui prævideri non potuit, & ideò nemo de casu fortuito tenetur ad satisfaciendum, benè tamen de culpa pro ejus quantitate.

DISPUTATIO QUINTA

DE CONTRACTIBUS ONEROSIS.

1 POSTQUAM Scotus 4. dist. 15. cit. quæst. 2. art. 2. egit de translatione rerum auctoritate privata merè liberaliter facta, absque alicujus retributionis expectatione tam quoad dominium rei, ut est donatio, quàm quoad usum rei tantùm, ut est commodatio: tratat deindè de translatione rerum non merè liberali, tam quoad dominium rei, quàm quoad usum, quæ omnes alios contractus onerosos complectitur. Juxtà igitur hunc ordinem Doctoris in hac disputatione de contractibus onerosis agemus, qui propriè contractus nominantur, alii enim, de quibus hactenus egimus, non sunt contractus propriè dicti, sed potius quasi contractus, & semicontractus, solentque contractus, & semicontractus, lucrativi appellari, quia nimirum cum lucro fiunt unius contrahentis, & sine ullo ejus onere, ut constat ex dictis, undè Doctor loc. cit. inquit, quod sola translatio rerum non merè liberalis, & in qua expectatur aliquid æquivalens, est propriè contractus.

QUÆSTIO PRIMA.

De contractu permutationis, venditionis, & emptionis.

2 DOctor d. 15. c. q. 2. art. 2. sub lit. K. inquit, quod contractus propriè dicti in quibus, dominia transferuntur, & transferens exspectat aliquid æquivalens ei quod transfert, sunt triplicis generis, quidam sunt rei utilis pro re utili immediatè, sicut vini pro tritico, & hujusmodi, & dicitur rerum permutatio, do ut des, vel do si des: quidam rei utilis pro numismate, vel è converso, siquidem quia difficile erat res usuales immediatè commutare, ideò inventum est medium, per quod talis commutatio faciliter fieret, quod vocatur numisma, vel pecunia, & commutatio numismatis, vel pecuniæ pro re usuali dicitur emptio, è converso verò venditio; quidam tertiò est numismatis pro numismate, seù pecuniæ pro pecunia, & dicitur mutui datio, & mutui acceptatio. In hac igitur quæstione de contractu permutationis, venditionis, & emptionis agendum est.

ARTICULUS PRIMUS.

Quid sit permutatio, seù commutatio simplex.

3 PErmutationis nomen dupliciter accipi potest, primò generaliter, ut sub se comprehendit omnem civilem commutationem, in quo sensu omnis contractus non gratuitus, in quo scilicet, aliquid datur pro alio, dicitur permutatio, & hoc modo non accipitur in proposito, quia in hoc sensu etiam emptio, venditio, locatio, societas, & alii contractus onerosi permutationes dicuntur, non autem contractus gratuiti, & merè liberales, quia in talibus unus contrahentium id quod dat, non commutat pro alio, sed merè liberaliter dat, & tradit absque alicujus retributionis expectatione, ut patet in donatione, & commodatione. Alio modo sumitur specialiter, prout est contractus, quo datur res utilis pro re utili in diversa specie conservationi humanæ, ut vinum pro tritico, triticum pro oleo, equus pro bove, & similia, undè accipitur res, prout distinguitur contra numisma, & pecuniam, nam quando pro una parte datur numisma, & pro alia parte res utilis propriè dicitur emptio, & venditio, & quando datur numisma pro numismate, propriè cambium appellatur. Itaque in hoc articulo agitur specialiter de permutatione rei utilis conservationi humanæ pro re utili in diversa specie modo jam explicato, ut disp. 15. q. 2. art. 2. notant Faber, Hiribarnes, Aretinus, & Vulpes disp. 107. art. 1. ex Scoto ibidem, ubi etiam significat rerum permutationem

tationem sic acceptam adhuc duplicem esse, quædam est Oeconomica, ut quando vinum meum permuto cum tuo frumento, ut eo utar in domo mea pro cibo, non autem ad lucrandum; quædam verò est lucrativa, & est quando permutatio illa fit, ut res pro qua fit permutatio, ad lucrum distrahatur, & non ut permutans domi ea utatur pro alenda familia, & in utroque sensu hic agitur de permutatione. Hoc prænotato pro solutione quæsiti.

4 Primò dicitur Doctor l. c. tres illas requiri conditiones ad substantiam permutationis, quas suprà diximus ad donationem requiri, & erant illæ tres. Una quod permutans sit dominus rei quam permutat. Altera, quod ille, cum quo permutat, velit permutationem accipere, & rei permutatæ dominium fieri. Tertia tandem, quod nulla sit lex, vel Superior prohibens fieri permutationem. Addit deindè ad justitiam, & æquitatem permutationis ultrà genericas regulas, & conditiones, quibus opus est ad donationem justam, tres alias speciales exigi. Prima est, quod talis permutatio fiat sine fraude, & dolo. Secunda, quod fiat secundum æqualitatem, seu in ea servetur æqualitas. Et tertia, quod exerceatur secundùm rectam rationem. Undè concludit his conditionibus servatis dominum alicujus rei justè in alterum transferre posse dominium illis media permutatione simplici; supposito enim illum non prohiberi lege nec imperio superioris, & servare omnia ad æquitatem requisita, justè cessare potest per actum voluntatis esse dominum illius rei, & fieri dominus alterius rei pro qua commutat; atque ità justè fit translatio dominii privata auctoritate per contractum simplicis commutationis rei utilis pro alia re utili conservationi humanæ, in quo contractu valor ponderari debet, sivè à publica Principis potestate, sive à communi prudentum æstimatione citrà omnem fraudem, & dolum, ut iam dicemus.

5 Secundò dicit Doctor, quod cùm dicitur permutationem, ut justa sit, esse debere sine fraude, excluditur fraus in substantia, quantitate, & qualitate, fraus enim in his tribus contingere potest, in substantia, ut si pro vino permutetur aqua, vel aurichalcum pro auro; in quantitate, quando non servetur justum pondus, & mensura; in qualitate est, cùm commutatur res habens unam qualitatem pro habente aliam qualitatem ut vinum corruptum, aut dilutum pro vino mero, & non corrupto; & hæc est communis doctrina, & ab omnibus recepta, quam probat Doctor ex c. 9. *Si culpa tua*, extrà de injurii, damno dato §. finali, ubi dicitur *qui occasionem damni dat, damnum dedisse videtur*, qui autem fraudem in substantia facit, quantitate, vel qualitate, modo prædicto, occasionem damni dat, siquidem qui patitur fraudem, rem suam, quæ est sine fraude, & vitio, non permutaret cum vitiosa, & mixta fraude, atque ideò satisfacere tenetur. Hic tamen notant communiter Doctores, errorem, & dolum in substantia reddere contractum irritum; in quantitate verò, & qualitate non esse irritum, sed suppleri debere servata fraudis proportione, & præsertim, si error in re si notabilis v. g. ultra dimidium justi prætii, ità Gloss. in c. *Cùm dilecti 3. de empt. & vendit.* Addunt prætereà decipientem aliquem ultrà prætium justum etiamsi bona fide decipiat, quia scilicet, ipse emens, vel vendens emere credit, vel vendere justo prætio; si posteà comperit se justum pretium non servasse emendo, vel vendendo, tunc non peccasse quidem, teneri tamen ad restitutionem, & satisfactionem illius excessus, vel defectus à justo pretio, si illum excessum apud se habeat, quod si illud consumpsisset, teneri solùm ad id in quo ditior, & locupletior factus esset, ad hoc enim solùm possessores bonæ fidei tenetur, & ità etiam notavit ex nostris Faber disp. 47. c. 2. num. 48.

6 Tertiò probat Doctor ad justitiam permutationis, & aliorum contractuum æqualitatem valoris esse servandam ex D. Aug. 13. de Trin. c. 3. vbi ait *vili velle emere, & caro velle vendere re vera vitium est;* & hoc ait intelligendum esse de re vili, & quantùm ad usum humanum, quia frequenter res, quæ est in se nobilior in esse naturali, minus est utilis usui hominum, & propter hoc minus prætiosa, & ideò idem D. Aug. dicebat l. 11. de Civit. c. 16. *melior est in domo panis, quàm mus*, cùm tamen omne vivum nobilius sit non vivo simpliciter in esse naturæ; & ideò additur, quod hæc æqualitas valoris rerum permutandarum pensanda est secundum rectam rationem attendentem, scilicet, naturam rei in comparatione ad usum humanum, propter quem fit commutatio. Addit prætereà Doctor æqualitatem istam valoris rei, seù justum prætium secundum rectam rationem non consistere in indivisibili, sicut quidam Antiquiores dixerunt, eo quod putarunt justitiam habere tantum medium rei, cæteras verò virtutes medium rationis. Hoc enim falsum est ut ait se declarasse l. 3. d. 34. q. 1. ubi nos quoque disp. 7. q. 8. diximus duplicem esse justitiam, distributivam, scilicet, & commutativam, & in distributiva medium, & æqualitatem constitui secundum geometricam proportionem, quod est secundùm rectam rationem; in commutativa verò constitui secundùm arithmetica proportionem, idest, secundùm æqualitatem rei ad rem, quæ tamen etiam secundùm rectam rationem constituenda est, ut ibi declaravimus. Quare concludit Doctor æqualitatem valoris non consistere in indivisibili, aliàs esset quasi impossibile aliquem, quantumvis expertum attingere medium justitiæ, & excusari ab injustitia, nisi per ignorantiam, quod valdè improbabile, est, nam certum est, quod de justitia est certa scientia moralis, sicut de aliis virtutibus moralibus, atque ideò cognosci potest etiam illius virtutis medium, consistit enim in aliqua certa latitudine, ità quod si quis accipiat suprà talem latitudinem, peccat per excessum in nimis, si verò infrà talem latitudinem, peccat per excessum in minus, & in quocunque gradu citrà extrema fiat, justè fit; undè pretium rerum permutabilium communiter statuitur triplex, scilicet, rigorosum, medium, & infimum, & pretium inter rigorosum, & infimum, quæ sunt extrema, est justum.

7 Quartò Doctor ibidem ad id magis declarandum subdti, hanc æqualitatem valoris rei, & pretii tribus modis cognosci posse, primò ex constitutione legis positivæ: secundò ex currenti fori consuetudine, tertio tandem ex ipsorum permutantium voluntate, & conventione. Ex primò capite dignosci potest, nam Princeps pretium rebus sæpè statuere solet, ut vino, oleo, frumento, & similibus, quod pretium ab Arist. 5. Ethic. c. 7. pretium legitimum vocatur, hoc est, à lege statutum, siquidem ad Principem spectat, attenta humana indigentia, rerum paucitate, vel abundantia, indigentium multitudine, vel paucitate, & similibus, justum rerum valorem statuere, ex his enim omnibus prudenter consideratis potest legislator rerum æstimare valorem, & earum pretia statuere, quibus statutis, & taxatis sufficientem de æqualitate valoris, & justitia pretii possunt contrahentes habere certitudinem, cui sine dolo, & fraude se conformare tenetur. Ex secundo etiam capite æqualitas valoris, & pretii dignosci potest, nempè ex consuetudine populorum, ac regionum, quia ubi statutum legis deficit, supplet currens fori consuetudo, quæ legum dici solet optima interpres, hæc enim experientiæ innititur, per quam conditiones suprædictæ certius cognoscuntur; ex variis enim rerum, & temporum circumstantiis consueverunt homines rerum pretia augere, & minuere, indigentia enim major alicujus rei uno tempore, facit illius pretium crescere, quam alio, ut tempore belli equus est carior, quàm tempore pacis; penuria rerum facit earum pretium crescere, & abundantia decrescere; multitudo, & pluralitas emptorum eodem tempore concurrentium pretium justum crescere facit, emptorum verò raritas, & paucitas facit illud decrescere; & eadem ratione quædam vilia apud nos sunt in parvo pretio, quæ apud Orientales, vel Occidentales maximè æstimantur.

8 Itaque in mercibus, quæ publicam non habent à lege, vel Principe taxationem, illud pro justo pretio habendum est, quod ex communi hominum prudentum æstimatione desumitur, & quod secundum communem usum, ac populi consuetudinem pro illis rebus tradi, & recipi solet. Ex tertio tandem capite æqualitas valoris, & pretii dignosci potest, nempè ex ipsorum contrahentium voluntate, & conventionem, quia deficiente lege valorem rei determinante, ac regulari fori consuetudine, quemadmodum sunt res, quæ parum sunt in usu, quales sunt gemmæ, & alia noviter ex Indis venientia, & quædam alia de novo artificiata, in his quilibet potest rei suæ, & labori operis pretium justum constituere, præfatas attendendo circumstantias, nempè ex parte vendentis laborem, curam, industriam, & pericula, quibus merces exposuit, illas conservando, & de loco ad locum transferendo, & ex parte ementium indigentiam, qua rebus illis indigent, paucitatem, vel pluralitatem eorum, & tandem utilitatem, quam ex illis mercibus percipere possunt. Et quando etiam aliquarum rerum valor, & pretium esset à lege determinatum, aut ex communi hominum æstimatione, quando hoc non servaretur, sed aliud ex contrahentium conventione constitutum, adhuc injustitia non fieret, quia ut inquit Doctor, quandoque relinquitur ipsis commutantibus, ut pensata mutua necessitate reputent, & conveniant sibi mutuò dare æquivalens hinc inde, & accipere. Undè si ego rem habeam, quæ plus valet, quàm res Petri, & hoc certò scio, & volo nihilominus permutare cum illo, nulla est in hac permutatione injustitia, quia volenti, & consentienti non fit injuria, & nemo patitur injustum, nisi nolens; & quamvis in casu posito non servetur æqualitas secundum legem determinatam, aut secundùm communem hominum æstimationem, servatur tamen secundum æstimationem meam, quia nolo vltrà pro re mea aliquid habere. Addit tamen Doctor,

ut hic

ut hic etiam Almainus advertit, quod talis permutatio non esset simpliciter pura permutatio, sed aliquid de liberali donatione participaret, quia ego dono Petro super rem suam excessum valens rei meæ, sed neque est etiam simpliciter liberalis donatio, quia aliquid accipio ab alio, & ideò in tali contractu licet non sit æqualitas ex lege, vel communi hominum æstimatione, est tamen æqualitas ex libero contrahentium consensu.

9 Quintò eandem Doctor q. cit. art. 2. §. *sequitur de commutatione negotiativa*, postquam in superioribus egit de permutatione æconomica, quæ inter privatos versatur, qua nimirum quis sibi, & familiæ contrahit, & providet in commodum privatum, breviter agit de commutatione negotiativa, qua etiam intenditur lucrum, & ad bonum commune politicum spectat, & inquit ultrà regulas, & condictiones superius assignatas ad permutationem, emptionem, & venditionem, alias duas requiri condictiones, quas per duas assignat regulas. Prima est, quod talis commutatio, & negotiatio sit utilis Reipublicæ; quia utile est Reipublicæ habere aliquos, qui studeant res venales servare, ut promptè possint ab indigentibus inveniri, afferreque aliundè res necessarias, quibus illa patria non abundat & tamen earum usus ibi utilis est, & necessarius; & hæc regula patet ex iis, quibus justificatur cambium ad publicam utilitatem institutum à Principe, vel Republica, ut in eo semper parata habeatur pecunia ad necessitatem tam publicam, quàm privatam. Secunda regula concernens justitiam ex parte negotiatorum est, quod in ea negotiatione pretium sit correspondens diligentiæ, sollicitudini, & periculis ipsius mercatoris, quia in pretium revocari possunt labores, pericula, mercium translatio, & expensæ, qui est honestus labor, ex quo Mercatores vivere possunt, & valdè utilis Reipublicæ. Tùm quia legislator, & Princeps deberet ex justitia conducere operas transferentium res de longinquo, quibus indiget Respublica; ergo & ipsi mercatores eas transferentes possunt suos labores, industriam, pericula, & reliqua pretio æstimabilia vendere.

10 Sed Recentiores quidam hanc secundam regulam, & condictionem à Scoto assignatam impugnant, quia justum pretium non est in manu Mercatorum ponendum, qui sunt avidissimi, neque ex lucro, vel damno eorum attendi debere, sed ex communi mercium æstimatione. Ità Soto de Justitia, & Jure q 2.a.3.& Molina disp.348. cum aliis quibusdam. Sed miror Molinam præsertim hanc Scoti regulam, & doctrinam impugnare, quia ut etiam Faber notavit disp.43.cit.c.3.ipsemet ibidem nu.7. eandem expressè tradit doctrinam, dùm inquit, quod cùm aliquid de novo in aliquam asportatur provinciam, statuendum est pretium juxtà prudentum arbitrium, ac judicandum attentà qualitate, utilitate, multitudine, aut paucitate rei, quæ asportatur, attentisque expensis, atque periculis & difficultatibus in ea asportanda; si ergo ad statuendum justum talium mercium precium hæc omnia prudentis judicio sunt consideranda; poterit ipse legislator, ac etiam ipse mercator, legislatore deficiente, eodem modo, & iisdem servatis circumstantiis pretium suis mercibus imponere, & statuere. Nec ratio adducta est alicujus momenti, quia Doctor non ponit absolutè pretium in manu mercatorum, sed justitiam, & causas assignat ex natura rei, ex quibus pretium secundum rectam rationem æstimari debet, ait enim medium rectæ rationis, quod lege, aut consuetudine determinatum est, servandum esse, & in hac æstimatione non solùm res ipsas venire, sed labores, etiam, pericula expensas, & alia, ex quibus valor rei crescit, & augetur. Benè ergo inquit Scotus, vel per Principem, vel ubi non est alia rei æstimatio, quàm illa, quæ fit à mercatoribus, non solùm rem ipsam appretiari debere, sed labores, industriam, & reliqua, quæ valorem rei augent; & in lucrum justè computantur. Hinc tandem deducit Doctor in fine §. cit. damnabiles esse negotiatores, qui nec transferunt res de loco ad locum, nec eas conservant ad usum commodum ementium pro suis necessitatibus, nec eorum industria res venalis melioratur, nec vendunt res pretio consueto, sed emunt, ut statim vendant sine omnibus istis condictionibus; undè ait Doctor hujusmodi mercatores, vel Monopolas è Republica expellendos esse, quia prohibent immeditatam commutationem volentium emere, vel commutare æconomicè, & per consequens faciunt quodlibet venale, vel usuale carius ementi, quam deberet esse, & vilius vendenti, & sic damnificant utramque partem, undè etiam damnabilia sunt monopolia illa, in quibus ultrà debitum, usus mercium communitati subtrahitur, & necessitatibus ejus, ut posteà non ex valore vendantur, aut æstimatione rerum, sed ex necessitate ementium quam ipsi causant, & inducunt, copiam mercium subtrahendo, & hi ad restitutionem tenentur, quia magnum Reipublicæ damnum inferunt.

ARTICULUS SECUNDUS.

Quid sit emptio, & venditio, & quomodo perficiantur.

11 QUod anteà præstabat rerum permutatio, de qua ar. præced. posteà commodiùs usus pecuniæ præstare cæpit, ex cujus solutione, quod pretium dicitur, & rei traditione, quæ merx appellatur, contractus emptionis resultat, quæ in pretio solvendo consistit, & venditionis, quæ in merce tradenda perficitur; & inter omnes onerosos contractus emptio, & venditio celebratissimus est, tùm ob ejus frequentiam, tùm ob maximam utilitatem, & emolumentum, quod vitæ humanæ affert, quæ civiliter constituta sine tali contractu subsistere nequaquam posset, cùm enim sæpè contingeret ut quo abundaret unus, alter non egeret, vel non esset semper obvia inter res ipsas commutabiles æqualitas, & commensuratio debita ex justitia; adinventus est usus nummi, vel pecuniæ, qui est medium, quo res omnes redduntur commensurabiles Differt autem emptio, & venditio à simulici rerum permutatione, quia ut habet. L.1.ff. de contrahenda emptione, & venditione in contractu emptionis, & venditionis aliud est vendere, aliud emere, alius emptor, alius venditor, aliud est pretium, aliud merx, quod in permutatione discerni non potest, uter emptor, & uter venditor sit. Ex quo fit contractum emptionis, & venditionis ex parte utriusque contrahentis esse diversæ rationis, nam ex parte ejus, qui mercedem tradit, sortitur denominationem venditionis, & ex parte ejus, qui pretium solvit, emptionis, è contrà verò contractum simplicis permutationis ex parte vtriusque contrahentis non esse diversæ, sed ejusdem rationis, cum uterque sit permutans res suas, quibus abundat, cum rebus alterius, quibus ipse indiget. Undè apertè sequitur antè usum pecuniæ contractum emptionis, & venditionis non fuisse, sed illum simul cum pecunia cæpisse, ut ex lege citata deducitur.

12 Primò itaque docet Scotus l.c.litt.M. §. *consimilis omninò concluso est de justa venditione, & emptione*, quod condictiones requisitæ ad justam rerum permutationem, qui est primus contractus onerosus, in quo dominium transfertur, requiruntur etiam ad justitiam contractus emptionis, & venditionis, adeoquod præter tres condictiones justæ donationis præc. disput. assignatas, scilicet, quod vendens sit dominus rei, & quod emens velit emere, & quod uterque sit liber & nulli subjectus, à quo impediri possit, ne contrahat, requiruntur aliæ duæ condictiones ad justam rerum permutationem assignatæ art. præcedent. Prima est, quod non adsit fraus, sivè dolus in substantia, quantitate, & qualitate numismatis, & rei quæ cum numismate permutatur, tam ex parte emptoris, quàm venditoris. Ex quo sequitur contra justitiam esse, si quis rem vendat vitium habentem, vel defectum aliquem in quantitate, vel qualitate eodem pretio, quo venderetur, si tali defectu careret, proindeque peccare, qui mensuras adhibent injustas, aut pondera dolosa juxtà illud Proverb. 10. *Statera dolosa abominatio apud Deum*, & qui mixtione aliqua res efficiunt deteriores, ut caupones aquam vino miscentes, & frumentarii, qui tritico alia deteriora semina miscent, sicut illi, qui Amos 8. dicebant *quisquilias frumenti vendamus;* ideoque communiter docent Doctores manifestanda esse vitia occulta, quæ rei valorem notabiliter diminuunt, & ab emptore deprehendi non possunt, quæ fuit doctrina D. Ambrosii; expressa l. 3. de Offic. c. 10. ubi ait, *In contractibus vitia eorum, quæ veneunt prodi jubentur, ac nisi intimaverit venditor, quamvis in jus emptoris transierint, doli actione tenetur.* Et hoc etiam ex parte emptoris intelligendum est, omnem scilicet, fraudem ab emptione abesse debere, ideoque contrà justitiam esse, rem pretiosam pro vili emere à rustico, qui ejus valorem ignoret, putà gemmam pro fragmento vitri; secus autem si in aliqua regione res parvi æstimarentur, quæ tamen alibi pretiosissimæ haberentur, ut gemmæ, margaritæ, & alia id generis in Indiis, & aliis dissitis regionibus, ubi ob copiam parvi æstimantur. & hæc doctrina non solùm est Scoti loc. cit. sed etiam D. Tho. 2. 2. q. 77. art. 1. & seq. & ab omnibus passim recepta.

13 Altera condictio ad justitiam emptionis, & venditionis necessaria est, quod servetur justum pretium, seù ut res neque carius vendatur, neque vilius ematur, quàm ejus pretium exigat, pro cujus intelligentia jam suprà dictum est duplex esse justum rei alicujus pretium, primum est, quod à Principe, & potestate publica taxatum est, quod à Doctoribus pretium legitimum vocari solet, quasi à lege definitum. Alterum est, quod communi hominum æstimatione determinatur, quando à potestate publica taxatum non est, & pretium vulgare, seù commune vocari solet, & triplex esse dicitur, infimum, scilicet, medium, &

Summum

Summum, quod etiam rigorosum dici solet; cùm enim ex plurimorum æstimatione tale pretium pendeat, qui non eodem modo de rerum valore indicant, quandam latitudinem habet, nam aliqui decem nummis v. g. rem valere arbitrantur, quod alii undecim, alii verò novem tantùm æstiment. Ubi Doctores communiter advertunt, quod quamvis in exteriori foro non detur actio ei, qui carius emendo, vel vilius vendendo ultrà dimidium justi pretii non est deceptus; in foro tamen conscientiæ omnis venditio, in qua justi pretii latitudo exceditur, & omnis emptio in qua justi pretii quantitas non attingitur, injusta est, & divinæ legi contraria, ut etiam expresè docet D. Aug. lib. 13. de Trin. cap. 3.

14 Secundò duæ causæ à Doctoribus assignari solent, ut videri potest apud Lessium l. 2. c. 21. dub. 4. & hic etiam insinuantur à Scoto, ob quas licet aliquando rem pluris vendere, quàm per se valeat. Prima est ratione officii mercandi, siquidem mercatori licitum est merces suas paulò pluris vendere, quàm ab aliis venderentur, qui non ex officio, sed ex occasione aliquid vendunt, & ratio patet ex dictis a. præc. num. 9. de permutatione negotiativa, quia pretio aliquo æstimabilia censentur pericula, curæ labores, & omne tempus, quod mercatores impendunt assiduè in mercibus transferendis, conservandis, & conquirendis. Secunda est ratione damni emergentis, aut lucri cessantis; quando nimirum aliquis in solam emptoris gratiam rem aliquam vendit, quæ sibi plurimum utilis, & commoda est; ac etiam interdum necessaria. Ità Scotus l. c. sub litt. M. ubi ait, quod si quis multum indiget re sua, & per magnam instantiam inducatur ab alio, ut vendat, vel permutet pro re alia, cum possit se præservare indemnem, & ex venditione, & permutatione ista multùm damnificatur, potest carius vendere, quam si aliàs sine tali damnificatione venderet, vel permutaret. Addit tamen, quod si emens magnum commodum consequatur ex illa re sibi vendita, vel permutata, nec venditor ex illius distractione damnum ullum, aut incommodum pateretur, non ob id potest carius vendi, vel permutari, nam propter majus commodum ejus quod consequitur, nec res mea est in se pretiosior, nec mihi melior, & ideò non debet mihi majus pretium apportare: secus autem est, quando damnificor, quia tunc mihi est pretiosior, licet non in se. Ità ad verbum discurrit Doctor loc. c. Sic etiam pariter aliæ duæ causæ assignari solent, ob quas interdum licet rem minori pretio emere, quam aliàs valeret. Una est, si emptori parum utilis sit, illamque solumodò in gratia venditoris emat, quia tunc pretium, & valor illius vilescere censetur secundùm communem hominum æstimationem. Altera causa ex ratione, & modo vendendi originem ducit, ut in auctionibus publicis, in quibus sicut aliquando commune rerum pretium ex emptorum copia, & concurrentia augetur, sic etiam interdum ex defectu emptorum minuitur, & decrescit.

15 Tertiò ex dictis conditionibus ad justitiam emptionis, & venditionis requisitis deducitur natusa hujus contractus, qui definiri solet: *Contractus constans reciproco consensu mercis pro precio, & precii pro merce*, dicitur *contractus* quoniam emptio, & venditio unum contractum integrant, qui cùm aliis genericè convenit; additur *constans reciproco consensu* ad explicandam contractus istius naturam, & essentiam, qui mutuo consensu utriusque contrahentis perficitur verbis, vel alio signo externo manifestato, undè perfici potest absque scriptura vel alio publico instrumento expresso, imò etiam per litteras, vel nuncium inter absentes, ut habetur L. 2. ff. de contrahenda emptione, & Instit. *de obligationibus ex consensu*. Ex quo infertur hunc contractum antè traditionem mercis essentialiter perfici, suamque vim ad obligandum ex reciproco consensu sortiri, licet enim, ut contractus sit validus, merx quæ venditur, extare debeat, aut saltem spes mercedis, & precium, quo emitur, ut habetur L. *Nec emptio*, ff. de contrahenda emptione; ad substantiam tamen contractus opus non est, merces, vel precium actualiter tradi, sed ex parte venditoris sat erit obligatio dandi mercedem, & ex parte emptoris obligatio solvendi precium, quæ mutua obligatio solo reciproco utriusque contrahentis consensu contrahitur, & qua extante, & perseverante neutri parti fas est absque alterius consensu à contractu resilire, ut habetur L. 3. de rescindenda venditione. Hoc tamen intelligendum est, modò consensus sit absolutus, & non conditionalis à futura conditione dependens, nam talis conditio suspendit consensum, & contractum usque ad conditionis eventum, & impletionem, ut accidit quando contrahens contrahere intendit dependenter à confectione Scripturæ; tunc enim contractus non est perfectus, & absolutus antè Scripturæ confectionem, vel alterius conditionis eventum in contractu adjectæ, undè ipsimet contrahentes antè conditionem adimpletam ex consensu possunt ab illo resilire, & contractum reddere nullum. Tandem per sequentes particulas in definitione positas hic contractus à reliquis discriminatur, qui etiam reciproco contrahentium consensu perficiuntur. Differt à donatione, vel promissione gratuita, quia hic est contractus onerosus, & utrinque obligatorius. Differt à simplici permutatione, quia in ea non datur res pro precio, sed res pro alia re, precii enim appellatione sola pecunia venit. Differt à cambio, in quo datur pecunia pro pecunia, non res pro pecunia. Differt à Commodato, in quo rei commodatæ dominium non transfertur, sed usus tantùm, sicut etiam in locatione; venditio autem ordinatur ad transferendum dominium rei venditæ in emptorem. Differt à mutuo, quia in mutuo requiritur traditio, sine qua non perficitur; venditio autem solo consensu perficitur absque traditione, & quia in mutuo non datur res pro pecunia, sed pecunia pro pecunia. Differt tandem ab Emphyteusi, quia per hanc non datur dominium directum, sed utile pro annua pensione, & hæc est communis doctrina de hujus cõtractus natura apud Molinam, Cardinalem de Lugo, Bonacinam, Amicum, Stephanum à S. Gregorio, & alios passim.

16 Quartò ex tradita doctrina de natura emptionis, & venditionis, & conditionibus ad eas requisitis varia dubia resolvuntur, & plures conscientiæ casus, nam quod spectat ad emptorem, is potest vilius emere rem, quàm valeat, si ei nõ sit commoda, vel emat in gratiam venditoris, ac similes sint circumstantiæ, quæ rem faciant viliorem. Nec obstat, quod venditor necessitate ductus vendat vilius, quia venditio manet voluntaria, in quo tamen cavendum est, ne à pauperibus aliisque quos cogit egestas ad propriam, v. g. supellectilem distrahendam, aliquid vilius, quàm par sit emendo justitia, vel charitas violetur. Emptor etiam potest emere viliori pretio ex eo, quod multas merces simul à venditore emat, quia tunc illum à multis curis liberat, & expeditum facit ad alia comparanda, undè meritò precium decrescit. Quoad venditorem verò is tenetur emptorem præmonere de notabili vitio rei, quod ei obesse potest v. g. si pannus sit adustus, equus furiosus, oves morbidæ, &c. alioquin tenetur de fraude, & damno secuto, si defectus fuerit in substantia, vel quantitate, aut qualitate. Item communiter tenetur vendere juxtà precium à lege taxatum, vel Magistratu, quod si taxatum non est, id censebitur justum, quod morali hominum æstimatione imponitur, quod in indivisibili non consistit, sed in summum, medium, & infimum dividitur, itaut intrà latitudinem hujus precii emere, & vendere liceat; nunc summo, nunc infimo; licet tamen interdum vendere carius, quàm res valeat precio currente, si adsint alii boni tituli, & simul de hoc emptorem moneas, quia tunc illi non fit injuria, tales sunt v. g. lucrum cessans, aut damnum emergens, aut incommodum, & molestia tibi ex rei venditione eventura, item si res sint novæ, ratæ, & singulares, ut v. g. peregrini flores, aves, feræ, monumenta antiqua, picturæ, & similia. Sic etiam qui res minutim, & in parva quantitate vendunt, possunt interdum carius vendere, quàm qui in magna quantitate, quia debent majores labores, diligentias, & expensas ad ea conservanda impendere, quæ omnia sunt precio æstimabilia, & sic quidam Caupones, & stabularios excusant, qui avenam, fœnum, paleas, & similia cariùs vendunt, quàm alii, dummodo precium iis non sit taxatum. Ità Layman, Lessius, Regin. Bonac. Fill. Busemb. & alii passim; de quibus dubiis fusè per plures articulos agit Aretinus noster tit. de emptione, & venditione in 4. dist. 15. q. 2. & Vulpes disp. 107. Amicus, Caspensis, Card. de Lugo, & alii passim.

17 Quintò est difficultas, an tempore magnæ sterilitatis, & inopiæ servanda sit lex, seù pragmatica frumenti, vel licitum sit illud vendere secundum communem æstimationem. Quidam absolutè docent legem, & taxam frumenti omninò servandam esse sub pœna peccati mortalis, quorum fundamentum est, quia bonum commune præferendum est bono particulari; ergo cùm bonum commune Reipublicæ id postulet, licitè talis lex constitui potest, non obstante, quod in aliquorum vergat detrimentum, lex enim peculiares casus non respicit, sed ea, quæ ut plurimum, & frequenter evenire solent, & juxtà hæc lex constituitur, cui omnes parere tenentur, licet aliquis annus sterilitatis obvenerit. Ità Medina, Carduba, Azorius, Salonius, & Faber ex nostris disp. 47. cit. cap. 3. nu. 85. Alii verò oppositum docent dicentes, quod si frumentum anteà lege erat taxatum pretio moderato, superveniente posteà ob pluviæ defectum, vel aliqua alia de causa magna sterilitate, non esse obligationem vendendi triticum pretio tempore abundantiæ taxato. Fundamentum est, quia lex taxans eo modo pretia rebus tempore sterilitatis injusta esset, & irrationabili, tunc enim precium rerum à lege assignatum censetur justum, quando valor rei commensuratur in latitudine precii secundum communem extimationem; aliàs potestas Principis non esset ad ædificandam, & servandam Rempublicam, sed potius destruendam,

ac

ac evertendam, si pro libito precia rebus assignare posset; & ideò ut justè decernat, temporum, & rerum circumstantias considerare debet, fructuum penuriam, vel abundantiam, emptorum multitudinem, & paucitatem, & alia similia, quia ad irrationabilia, ac injusta non se extendit Principis potestas. Confirmatur, quia commune est legibus humanis, ut in illis, aliquando Epicheja locum habeat, spectatis rerum circumstantiis, quæ nil aliud est quam legis emendatio, & interpretatio; cum ergo lex hæc de taxa frumenti civilis sit, & humana, ipsa quoque in aliquo peculiari casu emendationem admittet, vel ullus alius ad id magis idoneus se offerre potest, quam is, in quo sterilitas premit, & alimenta desunt, quoniam in tali casu præsumendum non est voluntatem Principis esse, ut tanta superveniente sterilitate lex, quæ tempore abundantiæ lata erat, adhuc perseveret, ac vim retineat. Tandem quia nulla æquitas pati videtur, ut reliquæ merces tempore raritatis earum, & juxtà emptorum multitudinem crescant juxtà penuriam illarum; & tamen agricolæ frumentum, quod tantæ utilitatis est in Republica, quodque tanto labore, & sumptibus parant, eo precio vendere non sinantur, quod ex ipsa rei natura penuria illius exigit, & abundantia emptorum; hoc enim esset in causa, ut agricultura, quæ Reipublicæ adeò necessaria est, magna ex parte minueretur. Ità Molina, Navarrus, Rebellus, & plures alii, quam sententiam probabiliorem arbitror, utpotè cui favet communis DD. regula, quod leges mutari debent, cum notabiliter rerum circumstantiæ variantur, adeout si Princeps esset notabiliter negligens, jam inciperet lex esse injusta, & in conscientia non obligaret, cum qua etiam limitatione nonnulli primam sententiam amplectuntur, ut notat Caspensis disp. 4. sect. 3.

18 Sextò tandem est Difficultas, cui post celebratum contractum res vendita pereat, vel deterior, aut melior fiat. Conveniunt DD. si res vendita pereat, vel deterior fiat post ipsius traditionem, non perire venditori, sed emptori, quamvis precium non sit solutum, quia per traditionem fuit translatum dominium, res autem domino perit, sicut Domino fructificat; quarè difficultas solùm est, cui pereat antè traditionem, an emptori, num verò venditori; quamvis enim sola contrahentium conventione hic contractus secundum essentiam perficiatur, ut suprà dictum est, & ex ea oriatur obligatio tradendi rem, & solvendi precium; emptor tamen non sit dominus rei emptæ, antequam ipsa tradatur, & dominium rei venditæ non transfertur in emptorem, nisi per traditionem, ut expressè habetur L. *de Tradisionibus*, C. de pactis, & §. *Cùm autem*, Instit. de empt. & vendit. hæc enim est natura hujus contractus, per quem vendens non transfert dominium solo consensu etiam sensibiliter expresso, sed tantum obligatus manet ad illud transferendum per ipsam rei traditionem, undè emens ex conventione acquirit solùm jus ad rem, ideſt, ut sibi tradatur res, non habet autem jus in re, nisi post traditionem. Undè §. cit. habetur, quod *qui rem nondum emptori tradidit, adhuc ipse dominus est*, quare ex hac lege deduci videtur celebratio contractus, si res antè traditionem pereat, vel deterior fiat, aut melior, non perire, vel deteriorem fieri, aut meliorem emptori, sed venditori, penes quem adhuc rei venditæ dominium manet, res enim perit, & deterior fit, vel melior domino suo. Ex alia verò parte quædam sunt leges expressè decernentes, post celebratum contractum mutuo contrahentium consensu, omne periculum, & commodum rei venditæ esse penes emptorem, non venditorem, adhuc traditione non secuta. Ità habetur L. 1. C. de periculo, & commodo rei venditæ, & idem statuitur in sequentibus legibus.

19 Hæc difficultas per plures, & varias distintiones, & limitationes à Doctoribus resolvitur, ut videri potest apud Molinam, Lessium, Silvium, Amicum, Caspensem, & alios passim, qui tamen in hoc conveniunt, quod si res vendita sit determinata in individuo, ut hæc domus, hic fundus, hic equus, statim celebrato contractu, omnia commoda, & incommoda rei venditæ transeunt in emptorem. Quod non solùm constat ex legibus adductis, sed etiam ratio ipsa suadet, quia contractus venditionis rei determinatæ absolutè celebratus sufficiens est jure gentium ad transferendum dominium, ut etiam prædicti DD. fatentur, quia mens sic contrahentium est, ut statim res cum sequentibus ejus eventis ad emptorem pertineat, nisi aliter expressè sit conventum. Quod autem dominium non transferatur actu antè traditionem rei venditæ, id provenit solùm ex dispositione juris civilis, & id fecit ad evitandas lites, & contentiones, quæ oriri possent, si res vendita uni tradatur posteà alteri, ob id tamen noluit hoc jus impedire, quin antè traditionem omnia rei commoda, & incommoda ad emptorem pertinerent, perindè ac si dominium translatum esset; undè quamvis impediat dominium, non tamen impedit effectum, qui ex dominio sequi solet, quin potius expressè decrevit, ut omnia commoda, & incommoda in emptorem transferantur etiam ante traditionem, tum ut emptor cautior fieret in re empta à venditore recuperanda, tùm quia contractu reciproco consensu contrahentium celebato jure gentium res vendita statim fit emptoris, ut dictum est. Si verò res empta sit indeterminata in individuo, ut si quis emat decem oves ex grege, vel decem modios tritici ex granario, vel si emat rem determinatam in corpore, sed ad mensuram, v. g. totum tritici acervum uno aureo in singulas mensuras, tunc antè rei traditionem, vel mensurationem, periculum interitus ad venditorem spectat, Ità enim expressè statutum est L. *Quod sæpe* 35. §. *in his*, de contrahenda emptione. Et ratio est, quia tunc intelligitur tacita condictio, si res tradatur, ut in lege citata habetur, undè donec impleatur condictio, non censetur perfecta venditio, quoniam dum venditorem rem venditam non determinat in individuo, nec in corpore, tacitè se obligat ad illam tradendam ex quocunque corpore, etiãsi totum, quod ipse habet, consumptum fuerit; ut si venderetur ovis, & bos, non assignato grege, vel armento, ex quo assignanda esset ovis, vel bos, tunc etiamsi totus grex, vel armentum pereat, perit venditori, non emptori, cui semper venditor obligatus manet ad contractum servandum.

ARTICULUS TERTIUS.

Quædam aliæ Difficultates de Emptione, & Venditione resolvuntur.

20 PRima Difficultas est. An licitum sit res carius vendere credito, seù dilata solutione ad tempus, quam valent numerata pecunia. Movet hoc dubium Doctor d. 15. cit. q. 2. a. 2. lit. P. ubi pro ejus solutione præter regulas prædictas pertinentes ad justum, vel injustum in singulis contractibus addit alias duas. Prima est, quod commutans non commutet, vel vendat tempus, quod non est suum. Secunda quod non ponat se in tuto de lucrando, & illum, cum quo commutat, de damno, intelligendo de tuto semper, vel ut in pluribus. Et in primis concedunt omnes licitum esse res vendere summo, ac rigoroso pretio ob dilatam solutionem, quæ non nisi medio, vel infimo numerata pecunia venderentur. & ratio est, quia tale pretium estò rigorosum limites justi pretii non excedit; ergo sivè eo pretio res vendantur expectata pecunia, sivè numerata justè venduntur; quia detrahere de pretio rigoroso, est gratia, qua mercator pro sua voluntate uti potest quibuscunque voluerit, & cum aliis non, & illud non detrahendo nullam in justitiam committit, quia non ob id latitudinem justi pretii excedit; sola igitur quæstio est, quando propter dilatam solutionem justi pretii limites exceduntur. Et cùm Scoto, quem communiter Theologi omnes sequuntur: juxtà regulas ab ipso assignatas dicendum est, ob solam solutionis dilationem non licere res carius vendere, quàm tempore venditionis valeant. & ratio est, quia talis contractus esset usurarius nam venderetur tempus, quod non est suum, & esset usura palliata ex mutuo virtuali; res enim carius vendere ob solam solutionis dilationem, quam de præsenti valeant perindè est, ac si emptor pretium de præsenti solveret, illudque solutum eidem emptori à venditore daretur mutuò, ut ex eo aliquid ultrà sortem acciperet pro sola temporis dilatione, quod sine formali usura fieri nequit, ut ex disp. seq. constabit, non enim licet citrà usuram pro mutuo, neque pro usu pecuniæ, aliquid accipere ultrà sortem, ut ibi dicemus, & omnes communiter docent. Ità Navarrus, Molina, Bonacina, Salas, Amicus, Caspensis, & alii.

21 Difficultas tamen est, an saltem ratione periculi, cui venditor se exponere potest vendendo credita pecunia, vel amittendi illam, vel consumendi pecunias in pretii recuperatione, possit rem carius vendere justo pretio rigoroso ob dilatam solutionem, quam numerata pecunia. Aliqui apud Fabrum nostrum disp. 47. cit. cap. 4. n. 98. dixerunt ratione periculi non posse crescere pretium, ultrà justum, sed solùm ratione expensarum, quamvis hoc etiam sit periculosum, & fieri debeat ea condictione, ut nullæ deinde fiant expensæ, nil ultrà pretium justum accipiatur. Alii verò asserunt, neque ratione periculi, neque ratione expensarum, laboris, ac molestiæ posse pretium augeri ultrà justum, & consequenter hujusmodi venditionem nullo modo licitam esse; quorum fundamentum est, quia oppositа opinio usuris per viam aperit, nam etiam mutuans alicui sic se subiicit periculis, & laboribus, & tamen non conceditur, quod propter hæc aliquid ultrà sortem principalem accipere possit. Ità Nauar. Soto, Sylvest. Azor. & quidam Alii tandem magis communiter asserunt in prædicto casu licere ascendere tantùm suprà pretium justum rigorosum, quantum periculum illud judicio prudentis est æstimandum. Ità Molina, Medina, Sylv. Amic. Caspens. & plures alii, ac etiam Faber ipse loc. c. Quorum fundamentum est, quia periculum amittendi debitum,

tum, & faciendi expensas in ejus recuperatione est pretio æstimabile, ergo existentibus prædictis conditionibus, & causis potest venditor aliquid recipere ultrà justum pretium ratione illius. Confirmatur quia creditum tali die solvendum cujus solutio, & exactio valdè difficilis est, & periculosa, licitè potest vendi, & emi multò minus ratione talis periculi, expensarum & laboris ad illud exigendum; ergo sicut periculum in tali casu facit pretium decrescere; ità è contrà in casu nostro debet facere pretium augeri. Consequentia patet, quia nulla potest assignari ratio, cur emere liceat minus justo pretio creditum difficilis, & periculosæ exactionis, & aliquam mercem vendere non liceat dilata solutione plus justo precio ob periculum, & difficilem exactionem, quia in utroque casu est eadem ratio periculi, difficilis exactionis, & expensarum.

22 Cæterum ut notat Amic. cum aliis Auctoribus istius opinionis disp. 21. sect. 8. ut hæc causa contractum ab injustitia excuset, debet periculum non esse fictum, sed verùm, & solidum, & in probabili conjectura fundatum; quo fit, ut hæc causa universalis esse nequeat, & æqualis respectu omnium emptorum, cùm non de omnibus ut emptoribus possit timeri periculum, vel saltem æquale, ne suo tempore, ac termino assignato pretium solvant. Prætereà requiritur emptores sponte in hoc consentiant, alioquin si alia via venditorem assecurare vellent de suo precio soluendo, v. g. pignore, vel fidejussore, ad hunc modum per pretii augmentum cogi non possent. Denique periculum probabile, cui venditor suas merces exponit, potest hujusmodi contractum ab injustitia excusare, eumque licitum reddere, multò magis damnum emergens, vel lucrum cessans, quod venditor pateretur ob dilatam precii solutionem, id facere poterit, ut omnes communiter concedunt, undè ratione lucri cessantis, vel damni emergentis potest à venditore pretium augeri usque ad eam quantitatem, ad quam probabiliter æstimatur perventurum, vel damnum, quod ex præsentis pecuniæ carentia sibi timet, vel lucrum quod sibi ex eadem pecuniæ carentia cessat; dummodò id emptori manifestet, & ille rem emere velit, & consentiat cum tali onere, & gravamine. Ità etiam discurrit Card. de Lugo disp. 26. sect 7. §. 2.

23 Secunda Difficultas est; An licitum sit emere res anticipata solutione minori pretio, quàm sint valituræ tempore traditionis. Communis sententia asserit non licere minoris emere ob solam anticipatam solutionem, si nulla alia subsit causa. Ità Auctores omnes suprà c. & ratio est eadem, quæ de venditione cariori pretio facta ob solam dilatam solutionem siquidem palliata usura committitur in utroque contractu ex mutuo virtuali; quando enim merces emitur anticipata pecunia, justum ejus pretium non est illud, quo res valet tempore solutionis, sed quo valitura est tempore traditionis, ac proindè anticipata solutione minori precio res emi non potest citrà usuram, quam tempore traditionis est valitura: hoc enim nihil aliud esset, quàm virtualiter pecuniam mutuare, & implicitè usque ad tempus traditionis, ut ratione talis mutui mutuans pro lucro recipiat id, quod de justo pretio detrahitur. Additur autem in conclusione limitatio illa, si nulla alia subsit causa; quia plures causæ esse possunt, ob quas interdum licitum est minoris emere anticipata solutione, ut Auctores cit. advertunt, ac etiam Faber ex nostris disp. 47. c. 4. num. 101. & sunt ferè eædem, ob quas dictum est diffic. præc. licitum est interdum carius vendere dilata solutione. Primò nimirum ob damnum emergens, vel lucrum cessans, quo emptor se privat anticipatè. Soluendo secundo ob periculam, vel dubium probabile, quod venditor non sit traditurus mercem propter paupertatem, vel malignitatem, aut aliam simílem causam. Tertio si probabiliter timeat emptor absque expensis, labore, ac molestia merces præfixo tempore habere non posse. Quartò tandem, quia hic modus emendi merces anticipata solutione plerumque ob paucitatem emptorum pretium minuere solet, pauci enim sunt ordinariè qui merces anticipata pecunia emere velint, ne se periculo exponant eam perpendi, & sicut modus vendendi dilata solutione auget pretium rerum ob emptorum multitudinem, ità è contrà modus emendi anticipata pecunia pretium minuit ob paucitatem emptorum.

24 Itaque si nulla subsit ex causis adductis non licet minoris emere solo titulo anticipatæ solutionis, sed debet emi justo pretio, quod quidem non est illud, quod currit tempore solutionis, sed quo res valitura est tempore traditionis, ut modò dictum est; duobus autem modis potest hoc pretium rebus statui anticipata solutione. Primò certo quodam pretio, quo plus vel minus creditur res valitura tempore traditionis. Secundo precio ipso determinato, quo merces valitura est tempore traditionis, & utroque modo contractus est justus, & justa emptio anticipata solutione; etiamsi in priori contractu contingat, vel pretium augeri ultrà dimidium summi, vel minui infrà dimidium infimi, & ratio est, quia taxatum fuit judicio prudentum, & sicut crevit, ità potuit decrescere, atque ità periculum tam ex parte ementis, quam vendentis est æquale, quare quomodocunque, posteà contingat, tali pretio standum est, cùm ex parte utriusque contrahentis fuerit æqua sors, uterque enim se exposuit æquali dubio damni, vel lucri. Quod si aut emptor, aut venditor certò sciat pretium, vel augendum, vel minuendum tempore traditionis, tunc contractus non esset justus, quia tunc non est æqua utriusque sors, nec periculum utrobique est æquale; cùm enim alter contrahens certus sit de lucro, alter verò incertus, non erit justum pretium respectu illius, qui de lucro certus est, quia respectu illius non est lucrum in spe, sed in re, cùm tamen respectu alterius sit tantùm lucrum in spe, & ideò contractus in tali casu esset injustus, quia juxtà secundam regulam ex Scoto relatam ab initio articuli n. 20. ad justitiam contractus emptionis, & venditionis requiritur, quod commutans non se ponat in tuto de lucrando, & illum cum quo commutat de damno.

25 Tertia Difficultas est, An qui scit rem brevi minus valituram, possit vendere licitè precio currenti, & difficultas procedit, quando soli venditori nota est abundantia superventura, nam si utriq; esset nota, affirmativa sententia omninò certa videtur; in casu verò, de quo loquimur negant plures Juris periti apud Cov. 2. variar. c. 6. quorum fundamentum est, quia merces ob proximè futuram abundantiam decrescunt in precio, sicut ob penuriam proximè futuram crescunt; ergo qui eas tunc precio currenti venderet, injuriam faceret emptori cum onere restituendi. Confirmatur ex modò dictis in Difficult. præced. quia si emptor, aut venditor certò sciat precium vel augendum, vel minuendum tempore traditionis, tunc contractus non esset justus, quia tunc non est æqua utriusque sors, nec periculum utrobique est æquale; ergo idem dicendum in casu proposito.

Communior tamen est, & probabilior videtur sententia affirmans, quam tenet Lessius, Valentia, Caspensis, Amicus, Molina, & alii Recentiores communiter, quam colligunt ex D. Th. q. 77. a. 3. ad 4. Ratio est, quia adhuc in hoc casu precium currens est justum, nam justum precium censetur, quod Principis lege, vel communi æstimatione constat; ergo agnoscens abundantiam proximè futuram adhuc justè potest vendere frumentum v. g. communi precio tunc currenti, hoc enim tunc censetur justum precium à Republica taxatum, non verò precium futurum superveniente abundantia. Confirmatur, quia privata scientia venditoris communem æstimationem non variat, sicut nec priuata scientia emptoris, alioquin emptor non posset frumentum emere currenti precio, si sciret precium posteà augendum, quod tamen falsum esse constat exèplo Joseph Gen. 4.

26 Ex quo solvitur ratio oppositæ sententiæ, nam abundantia proximè futura, communiter nota utrique minuit precium, sicut è contrà penuria, communiter nota illud auget, non verò soli venditori, vel paucis nota. Ad Confirmationem negatur paritas, non enim est eadem ratio de eo, qui suas merces currenti pretio vendit, etiamsi aliundè certo noverit mercium precium brevi esse minuendum, quia hic non vendit precio in spe, sed in re, vendit enim precio, quod de facto tempore venditionis æstimatur justum in re, & sic etiam emptor emit, undè æqua est utriusque sors in contractu; non sic autem est de emptore, vel venditore sciente precium vel augendum, vel minuendum tempore traditionis, quia tunc non est æqua utriusque sors, ut explicatum est Difficult. præced. nu. 24. in fine. Dices, si scirent emptores brevi minuendum fore mercium precium, non tanti tunc emerent merces; ergo ignorantes consentiunt in quantitatem pretii alias non consensuri; ergo non liberè consentiunt in tale precium, ideoque venditor in conscientia tenetur ad excessum precii emptori restituendum.

Respondeo cum Amico disp. 21. sect. 7. emptores in tali casu dare majus precium, quàm darent, si scirent brevi futuram mercium copiam, ignorantia non lædente contractum, quia cum talis ignorantia ab ipso venditore non causetur fraude, vel dolo, sed ab ipsa temporis, & circumstantiarum varietate, non tollit voluntarium ad contractus validitatem requisitum, alioquin etiam illi mercatores, qui ignorantes brevi futuram mercium copiam suas currenti precio vendiderunt, ad restitutionem tenerentur, nam etiam respectu horum venditorum emptores ignoranter in precii quantitatem consenserunt, nam si scivissent abundantiam brevi futuram earum mercium, tantùm precium non dedissent. Quarè negatur ultima consequentia, nam hic, & nunc emptores liberè consenserunt libertate causata ex currenti earum mercium æstimatione, quæ tantùm esse debuit practica talis contractus regula, & directio. Alia plura ad hanc difficultatem spectantia apud Amicum loc. cit. videri possunt.

27 Quarta Difficultas est; An credita minoris emi possunt antici-

anticipata pecunia, quam reipsa contineant? Conveniunt DD. posse credita futura minoris emi pecunia præsenti, ut qui emit jus alterius ad centum aureos ipsi debitos, potest minus dare, quàm centum v. g. nonaginta, vel ratione damni emergentis, quod s. ex carentia præsentis pecuniæ ementi emergit, vel ratione lucri cessantis, quod s. eidem cessat ex privatione ejusdem pecuniæ, & hoc modo dicunt non solùm quemlibet alium à debitore, sed etiam debitorem ipsum posse parata pecunia futurum suum debitum minoris redimere, ut si debitor vi contractus non nisi post annum elapsum teneatur debitum persolvere, & ex anticipata solutione damnum incurreret, in quod alias non incurrisset, vel lucro privaretur, quod tali pecunia sibi compararet, posset anticipata solutione futurum suum debitum minoris redimere ratione talis lucri cessantis, vel damni emergentis. Conveniunt etiam id fieri posse, quando credita aut sunt dubia, aut litigiosa; & recuperatu difficilia, aut periculo expositа, posse nimirum licitè tantò minoris emi, quanto probabiliter ratione dubii, legitimi, periculi, & difficilis recuperationis minoris æstimantur. Neque ut hæc licitè minoris emi possint, requiritur, ut ea sint dubia, litigiosa, periculosa, aut recuperatu difficilia ipsi emptori, sed sufficit, ut talia sint ex natura rei, aut etiam soli creditori; fieri enim potest, ut emptor ex quibusdam circunstantiis facilem viam habeat talia debita recuperandi, quàm non habet creditor, hoc enim justitiam contractus non tollit, sed potius gratiæ, & industriæ emptoris tribui debet; quarè sola supereſt difficultas, an citrà tales circumstantias hujusmodi futura credita minoris emi possint anticipata pecunia eo solo titulo, quod minus valeatius ad ea exigenda, quam valeat pecunia ipsa præsens, & exhibita. Affirmat Cajet. Nav. & alii apud Molina disp. 361. & Less. disp. 8. quorum præcipuum fundamentum est, quod jus ad actionem minoris valet, quam res ipsa; ergo pluris valet præsens pecunia, quàm jus ad eam post unum, vel duos annos exigendam, antecedens habetur expresse in L. minus ff. de regulis juris, & ratio ipsa suadet, quia actio natura sua videtur semper periculis expositа ob casus fortuitos, qui in rebus humanis contingit, & hanc opinionem tenet etiam ex nostris Faber disp. 47. cit c. 4. n. 113.

28 Communior tamen, & probabilior opinio apud Molinam, Lessium, & Amicum l. c. quam etiam sequitur ex nostris Astesanus l. 3. tit. 8. a. 11. Poncius disp. 56. q. 3. asserit, quod quando debita sunt liquida, ut vocant, hoc est, talia ut communiter non existimetur esse aliquod emergens, aut lucrum cessans ex emptione, non debet minus solvi, quàm debita valent; & ratio est, quia re vera nullus apparet titulus, ob quem licitè possit minus dari, & omninò videtur accipi, quod minus daretur, propter mutuum rei solutæ tanto tempore, aut ad minus est eadem ratio de ipso, ac de mutuo, quoad hoc, & in tali contractu interveniret saltem mutuum virtuale, quatenus pro minori pecunia præsenti accipitur major futura pro sola temporis dilatione, atque ita venderetur tempus, quod est contrà primam Scoti Regulam ad justitiam contractus requisitam, quod scilicet, commutans non commutet, vel vendat tempus, quod non est suum; lucrum enim, quod provenit ratione temporis non est licitum, ut habetur ex c. de Usu in Civitate, & c. *Naviganti*. Neque ad justitiam contractus sufficit titulus ille, quod minus valeat jus ad debitum exigendum, quam valeat pecunia ipsa præsens, & exhibita, ut Auctores oppositæ sententiæ deducunt ex lege citata; quoniam lex illa loquitur de actione in rem, quæ non est certa, vel recuperatu difficilis, ut Glossa ibi explicat, quæ causæ hic non militant, quoniam debitum supponitur certum, & absque periculo, in quo casu actio tanti valet, quanti res ipsa, ad quam est actio, ut docent Bartolus in L. *pro diversis* C. mandati, & Baldus in L. 2. C. ne lite pendente, quando nimirum nullum timetur periculum, aut difficultas, vel expensæ in debito exigendo. Ità etiam de hac difficultate sentit Card. Lugo disp. 28. cit. sec. 7. §. 1. ubi alia plura ad hunc casum spectantia videri possunt, & concludit pro hac opinione adduci posse omnes rationes, quibus usuræ malitia probatur, quæ omnes fundantur in hoc, quod propter solam temporis dilationem valor pecuniæ debitæ non minuatur.

29 Quinta difficultas est, An licita sit emptio, vel venditio rei cum pacto de retrovendendo, qui contractus fieri solet cum res ea lege venditur, & condictione, ut quandocunque venditor precium, quod accepit, emptori reddiderit, hic teneatur illud recipere, & rem venditam restituere venditori. Ratio dubitandi pro parte negativa est, quoniam hujusmodi contractus videntur usurarii ex c. *Ad nostram* de empt. ubi Innoc. III. usurarium contractum declarat, quo quis emerat domum cum pacto de ea retrovendenda, quandocunque venditor precium restituerit, & de c. *Illos vos* de pignor. ubi præsumitur contractus usurarius, quo res venditur cum pacto de retrovendendo. Accedit, quod Deus Levit. 25. legem sanxit, ut si quis possessionem suam vendidi set, eaque postea redimere voluisset, fructus ab emptore percepti computarentur in sortem principalem; cum igitur in proposito res retrovenditur, non computentur fructus percepti in sortem, talis contractus erit injustus. Denique ratio etiam id suadere videtur, quia contractus ille censetur injustus, in quo non servatur æqua utriusque contrahentis condictio; hic autem est in proposito, nam vel obligatur emptor ad rem, quam emit retrovendendam, & sic gravatur emptor, vel obligatur venditor ad rem, quam vendit, redimendam, & sic gravatur venditor; ergo contractus est injustus. Tum quia hic modus vendendi videtur dare occasionem palliandi usuras, cùm emptor interim accipiat fructus rei emptæ, & posteà recuperet totam sortem, seù precium, quod dedit.

30 Communis tamen Doctorum omnium sententia, & vera est post hunc contractum absque ullo peccato fieri. Ità Molina, Lessius, Card. de Lugo, Amicus, Bonac. Steph. à S. Greg. Caspen. Faber ex nostris l. c. & alii passim, pro cujus intelligentia advertunt pactum de retrovendendo aliquando poni posse in favorem venditoris, & gravamen emptoris, quando nimirum venditor obligat emptorem; ut rem venditam sibi revendat, quotiescunque precium restituerit. Aliquando poni posse in favorem emptoris, & gravamen venditoris, quando scilicet, emptor obligat venditorem, ut rem à se emptam post aliquod tempus redimat. Et aliquando in favorem utriusque emptoris nimirum, & venditoris, itaut liberum sit utrique contractum rescindere, & dissolvere, si voluerit. Deindè advertunt discrimen esse inter pactum hoc; vel illo modo appositum, nam appositum primo modo, scilicet, in favorem venditoris reddit rem minoris valoris, cùm ad emptorem non transeat pleno jure, res enim libera magis valet, quàm valeat oneri subjecta, tùm quia imponitur tali pacto gravamen emptori, & onus precio æstimabile, quod proindè diminutione precii compensari debet; quarè dicunt aliqui rem, quæ venditur cum pacto retrovendendi in favorem solius venditoris, minus valere tertia parte, itaut si absque tali pacto valebat triginta, cùm tali pacto valeat viginti tantùm. Alii dicunt valere minus quarta tantùm parte, itaut si res valeat duodecim, cum tali pacto valeat novem, ac propterea si minoris vendatur, precium erit minus justo, & æquo. Alii tandem hoc remittunt arbitrio prudentum, & statutis locorum, in quibus contractus celebratur. Quando autem pactum apponitur in favorem solius ementis, res plus valet, quàm alioquin valeret, & ratio est, quoniam venditor subit gravamen, quod est precio æstimabile. Quando denique pactum apponitur in favorem utriusque contrahentis, tunc precium variari non debet, cùm tunc servetur æqua utriusque contrahentis condictio. Ità discurrunt præcitati Auctores, & præsertim Bonac. disp. 3. q. 2. punct. 3. ubi plures alios adducit ad assignandum precium justum, quod in tali contractu servari debet.

31 Itaque hoc prænotato dicendum est licitum esse contractum cum pacto de retrovendendo in favorem venditoris, & gravamen emptoris, aut è contrà in favorem emptoris, & gravamen venditoris, fructibus ab emptore perceptis in sortem non computatis, modò tale gravamen emptori, vel venditori impositum justè compensetur. Ità habetur ex L. *Quod si nolit*, ff. de ædilicio edicto, & L. 2. Cod. de pactis inter emptorem, & venditorem, & ratio veluti à priori adducitur à Card. de Lugo disp. 26. sect. 13. §. 1. quia dominus sicut rem suam potest non vendere, ità potest venditionem limitare, & emptori onera, quæ voluerit, imponere, dummodo precium minuat juxtà oneris appositi æstimationem, quare sicut eo pacto domum vendere posset, ut emptor nunquam eam alienare posset, ità etiam ea lege vendere potest, ut teneatur eam spatio tanti temporis alienare, nec sibi in perpetuum retinere; similiter ergo poterit ea lege vendere, ut emptor teneatur iterum venditori eam vendere, si venditor noluerit unusquisque enim rei suæ, quam tradit, & commutat, leges, & condictiones, quas voluerit, apponere potest, dùm tamen iis oneribus inspectis precium pro eorum æstimatione decrescat. Quarè venditio cum pacto retrovendendi in favorem solius venditoris licita est, justo precio interveniente, cùm nulli sit injuriosum hujusmodi pactum, modo venditor tantum minuat de precio, quantùm gravamen æstimatur ex parte emptoris. Similiter venditio cum pacto redimendi in favorem solius emptoris licita est, intervenientе justo precio, hoc est, modo precio tantùm augeatur, quantum res magis valet cum hujusmodi gravamine rejecto in venditorem, sicut enim licita est venditio in favorem venditoris diminuto precio, ita etiam licita erit in favorem solius emptoris aucto precio, sic enim talis contractus nulli est injuriosus, quia gravamen, quod venditori imponitur, compensatur augmento precii juxtà gravaminis æstimationem. Et tandem eisdem rationibus, & servata justi precii proportione jam declarata, licita erit venditio cum pacto retrovendendi

dendi in favorem utriusque contrahentis, ut benè Bonac. loc. cit. discurrit.

32 Ad fundamentum in oppositum ex cit. c. desumptum dicendum est, in eo c. *ad nostram* tolùm declarari contractum de retrovendendo esse usurarium, non ex natura sua, sed ex præsumptione fraudis, & doli, idque ex eo colligi Pontif. quia vix erat dimidia pars precii, quæ pro re vendita offerebatur, ut ibidem dicitur; & pari ratione in c. *Illo vos* similis contractus damnatur ex præsumptione usuræ; ut ex verbis textus colligitur; unde cæus, qui citatis capitibus damnantur, habent alias circumstantias, propter quas de jure damnantur, quarè cum ibi damnetur, ut illita, emptio cum pacto de retrovendendo, quando precium fuerit notabiliter modicum, quia tunc præsumitur usuræ palliatio, sic è contrario, si precium fuit justum, non videtur reprobari, sed approbari. Ad auctoritatem ex 25. Levit. dicendum est cum Stephano à S. Greg. l. 2. c. 39. illam venditionem non fuisse veram fundi venditionem, sed erat tantùm venditio quædam fructuum fundi usque ad annum quinquagesimum, scilicet, Jubilæi, in quo omnia primis dominis reddebantur, undè juxtà quantitatem annorum, in quibus fundus manebat apud emptorem, fundus minus, vel plus æstimabatur juxtà quantitatem fructuum usque ad annum Jubilæi percipiendorum; ideoque vera venditio vocari non poterat, quia in ea non transferebatur dominium, nisi ad fructus percipiendos usque ad dictum tempus, in quo tempore, si aliquid supererat ex computato fructuum precio, venditor restituebat, & suum fundum recipiebat; at in venditione de qua hic agimus, datur translatio dominii, quamvis maneat obligatio iterum revendendi. Ad rationem negatur tales contractus esse injustos, vel usurarios, si vera emptio, & venditio intercedat, & gravamina utriusque contrahentis hinc indè compensetur, cùm ea sint precio æstimabilia; ac proindè precio compensabilia; & usura absque mutuo formali, vel virtuali esse non potest in hoc autem casu nullum tale mutuum intervenit quia ut benè discurrit Card. de Lugo l. c. in mutuo potest mutuans sortem suam repetere mutuatario invito, sed in hoc casu emptor non potest precium recuperare, si venditor nolit; tùm etiam quia in mutuo mutuatarius tenetur sortem reddere, etiamsi pignus absque mutuantis culpa perierit, & in hoc casu res empta periculo emptoris perit, nec tenetur venditor precium reddere, nisi res vendita ei reddatur, & ideò hic contractus est omninò à mutuo diversus, quare concluditur usuram esse non posse, nisi animo palliandi usuram fiat.

Dices talis emptor videtur mutuare rem illam virtualiter usq; ad tempus receptionis precii, & posteà remanere cùm sorte principali, & cum fructibus rei, quos percepit in tempore, quo illam possedit, usque ad tempus in quo iterum illam emit venditor. Resp. cum Casp. d. 4. sec. 8. negando hìc intervenire rationem mutui etiam virtualis, quia venditor non tenetur ad restituendum precium in aliquo tempore, quod si restituit, est quia vult. Neque obstat, quod res hoc modo vendita sit fructifera, ut teneatur emptor in partem sortis fructus computare, quos percepit; cum enim illa sit vera emptio, licet fiat cum pacto de retrovendendo, ex vi ipsius dominium rei venditæ in emptorem transfertur, atque ideò cùm posteà dissolvitur, fructus perceptos in partem sortis computare non tenetur; cùm ex re propria, & non aliena percepti fuerint.

ARTICULUS QUARTUS.

De Monopoliis, & aliis negotiationibus illicitis.

33 CUm unus, vel plures conveniunt, ut certas merces ipsi tantùm in Republica vendere possint, monopolium exercere dicuntur, ex quo oritur ut aliis impeditis à talibus mercibus dividendis, ob paucitatem venditorum rerum precia augeantur, sicut ob eorumdem multitudinem decrescere solent, undè non leve damnum Resp. patitur, ut Scotus advertit 4. d. 15. q. 2. a. 2. §. *Sequitur* sub lit. V. quia sic negotiantes, inquit Doctor, faciunt hujusmodi venialia, vel usualia carius ementi, quam deberent esse, & vilius vendenti, sic utramque partem damnificant, quarè concludit hujusmodi negotiatores esse vituperabiles, & à Republ. exterminandos, & exulandos. Quæritur ergo an hujusmodi monopolia sint illicita semper, & prohibita; & quidem conveniunt DD. monopolia, quæ fiunt in damnum aliorum ne alii possint easdem merces vendere, vel quæ causa sunt, ut res ultrà justum precium emantur illicita esse, ac prohibita, tenerique eorum auctores ad resarcienda damna, quæ vel alii mercatores ex hujusmodi monopoliis patiuntur, vel cives suprà legitimum præcium res emendo, & de his monopoliis præsertim loquitur Doct. l. c. & expressè habetur l. un. C. *De Monopoliis*, ubi etiam pœna statuitur monopolium exercenti à Scoto insinuata, his verbis *Si quis Monopolium ausus fuerit exercere, bonis propriis expoliatus perpetuate damnetur exilii*. Et ratio est, quam etiam Doctor insinuat l. c. quoniam Monopolæ, quando simul conspirant, ut alios impediant à mercium venditione, sunt injusta causa damni, quod tam alii mercatores patiuntur, quàm cives carius emendo ultrà justum precium, atque ideò ad hujusmodi damna relacienda tenentur. Idem proportionaliter dicunt de emptoribus invicem conspirantibus de non emendo merces, nisi precio inferiore infimo; hi enim causa sunt, ut venditores injustum damnum patiantur in suis mercibus vendendis.

34 Tota ergo difficultas est, an sit licita conventio mercatorum de non vendendo, nisi precio supremo in latitudine justi. Prima sententia tenet secluså vi, aut fraude, conventionem hanc non esse contra justitiam spectato solo jure naturali. Ità Lessius, Molina, Regin. Salonius, Arragon. Bonac. Card. de Lugo, Amicus, Poncius ex nostris, & plures alii, quorum fundamentum est, quia mercatores jus habent vendendi precio illo supremo, & justè possunt nolle vendere medio, aut infimo; cùm ergo contrà nullius jus faciant, neque sint causa, ut res injusto precio vendatur; non videntur mortaliter peccare contra justitiam. Conf. quia damnum quod Reip. vel privatis personis sequitur ex tali negotiatione, non sequitur ex aliqua actione injusta à qua hujusmodi negotiantes ex justitia cessare teneantur; si enim ad id tenerentur, hoc præsertim esset; quia ex tali negotiatione sequitur caritas rerum, quæ in emptorum damnum precia auget; at hæc non sequitur ex aliqua injusta mercatorum actione, cùm in ea nulli injuriam faciant; alioqui etiam ad restitutionem teneretur, qui emens multas merces in uno loco, ut eas alibi venderet, esse causa, ut ibi mercium precia augerentur. Addunt tamen, mercatores in tali negotiatione peccare contra charitatem proximi, cùm emptores ipsorum culpa emant merces precio rigoroso, aliàs empturi medio, vel infimo, & ob id sentiant incommodum.

35 Opposita sententia tenet talem conventionem, seù conspirationem esse peccatum, non tantùm contrà charitatem, sed etiam contrà justitiam, & cùm onere restituendi, quæ mihi probabilior videtur, & aperte ex Scoto deducitur loc. c. & sequuntur Scotus, Medina, Rebellus, Turrianus, Caspensis Faber ex nostris disp. 47. cit. cap. 3. n. 66. & plures alii, quorum fundamentum est, & à Scoto insinuatum loc. c. & à Caspensi magis expressum disp. 4. sect. 15. quia per talem conventionem fit contrà jus, quod homines habent liberè agendi cum venditoribus de assignando precio in latitudine justi, atque ideò per eam damnum Reipublicæ infertur & emptoribus, quia tali cospiratione secluså plures emerent precio infimo, aut saltem medio, ex illa verò coguntur emere precio supremo, & consequenter fit contrà jus mentium, quia licet fiat de precio supremo in latitudine justi, aliud tamen precium excluditur, sub quo frequenter venditio fieret, per quod læditur jus aliorum. Confirmatur, quia per talem conventionem, & conspirationem mercatorum mutatur precium, nam ubi erat divisibile, per eam in indivisibili costituitur, cùm jam non maneat, nisi precium rigorosum; ergo injuriam quoque faciunt Reip. ad quam precia rerum constituere spectat. Tandem probatur, quia ut Faber noster advertit l. c. limitatio illa, quod secluså vi, aut fraude talis conventio, & conspiratio non est contrà justitia, est omninò vana, & inutilis, quia satis de se constat monopolia exercentes inducere fraudibus privatos ad siccarius emendum, & monopolium facere est uti fraude, ut rerum precia augeantur, & hac de causa monopolia sunt lege prohibita, quia cum privatorum deceptionem fiunt, & Reipubl. damno. Ex quibus facilè solvitur oppositæ sententiæ fundamentum, satis enim declaratum est, ex quo capite injusta sit talis conventio, quamvis sit de precio rigoroso in latitudine justi, & quomodo damnum, quod ex tali negotiatione in Reipublicæ damnum redundat, & privatorum, ex aliqua actione injusta sequatur, quapropter lucra ex tali negotiatione, tamquam turpia, & injusta damnatur Can. *Quicunque* 14. q. 4. Illud tamen observandum est in utraque sententia communiter concessum, si venditores monopolium faciat, posse quoque emptores licitè monopolium facere ad vexationem redimendam, ne emant nisi medio precio, vel infimo quod intelligendum est, quamdiù monopolium durat venditorum, & non amplius.

36 Deindè est Difficultas; an licitum sit monopolium, quando aliquis tempore messis, vel vindemiæ, v. g. emit omne triticum, vel maximam ejus partem precio vili tunc currente, ut posteà cogantur omnes ab ipso emere precio summo; & idem casus est, quando unus, vel pauci conveniunt emere omnes merces alicujus generis, ut eas ipsi asservent in tempus caritatis, & inopiæ, ut eas carius vendant. Et in hoc conveniunt etiam Doctores esse contrà justitiam, & cum obligatione restituendi, si posteà suprà summum precium justum vendant. Debet autem

autem ſummum precium juſtum intelligi, ut notat Card. de Lugo diſp. 26. ſect. 12. n. 176. non quod ex conventione ipſorum reſultat nolentium vendere, niſi tali precio, ſed quod ea conventione ſecluſa eſſet precium juſtum attenta quantitate, & qualitate tritici, vel vini venalis, & multitudine, vel raritate emptorum, ſi enim juſtitia pretii ex arbitrio venditoris, vel emptoris penderet nolentis vendere, vel emere, niſi tali, vel tali precio, nullum eſſet precium injuſtum; attendi ergò debet pretii juſtitia; ut ſuprà dictum eſt ex aliis circumſtantiis antecedentibus, nimirum ex multitudine item, vel raritate emptorum, & ex neceſſitate etiam, quam habent, emendi, & vendendi. Quæré ſola difficultas eſt, an vendendo precio juſto ſummo peccent contra juſtitiam in illo Monopolio.

37 Affirmant quamplures apud Card. de Lugo l. c. & Faber ex noſtris illos adhuc peccare contrà juſtitiam, & teneri reſtituere, quorum fundamentum eſt, quia dum iſti tantam copiam emunt mercium ad ſuprimendum, & recludendum, cogunt cives ad precium augendum, quia raritate mercium, vel venditorum precium creſcit, & faciunt contrà jus, quod habet Reſpublica, ut quando tanta copia eſt in civitate, precium non augeatur. Negant Molina, Leſſius, Turrianus, & alii, quos ipſe Lugo ſequitur, & Caſpenſis l. c. quorum fundamentum eſt; quia illi jure ſuo utuntur emendo precio juſto, & poſteà nolentes vendere, niſi precio juſto ſummo, quilibet enim dominus rem ſuam retinere poteſt, donec precium ſummum inveniat. Poſſunt tamen hæc omnia juſtè lege prohiberi, & poſſunt cogi, ut poſteà veneant precio moderato propter bonum commune. Scotus l. c. primam opinionem expreſsè tenet de iis, qui vulgò Regatones vocantur, qui privatos impediunt, nec merces emant ab iis, qui eas aſportant, ſed ipſis eas anticipatè emunt, itaut alii poſteà compellantur carius emere de manibus ipſorum; inquit enim hos teneri ad reſtitutionem, quia damnum inferunt Reipublicæ; & merces, quæ ab externis convehuntur in copia, & tolerabili precio diſtribuerentur, faciunt cariores, nulla in ipſis melioratione facta, emunt enim, ut immediatè revendant, ac in eodem loco, undè nec reſervant, neque meliorant, ideoque tales monopolas ait non eſſe excuſabiles. De aliis verò mercatoribus, qui merces emunt vili precio tunc currente, non ut immediatè revendant, & in eodem loco, ſed ut reſervent, & meliorent, aut de loco ad locum transferant, ſecundam opinionem ſequi videtur, quod ſummo precio poſteà vendere poſſint, manendo intrà latitudinem juſti precii, & ratione melioracionis, & ratione periculi, cui ſe exponunt in mercium reſervatione ad longum tempus. Et hoc etiam ratio ipſa ſuadere videtur, nulla enim eſt injuſtitia ſecundùm jus naturæ, ſi quis proprias merces retineat, ut vinum, & triticum, & eas in tempus futurum ſervet, in quo ſperat precium augendum, etiamſi ex eo, quod ipſe vendere nolit precium augeatur præſenti tempore, quia eſt dominus illarum, & conſequenter jus habet utendi illis, prout voluerit, tùm quia merces reſervando exponit ſe periculo futuri lucri. Undè experimus ejuſmodi negociationem in Republica publicè fieri, nec prohiberi legibus niſi in frumento, quod in aliquibus regnis prohibetur emi ad vendendum.

Imò, ut advertit Caſpenſis l. c. aliquando poterit eſſe utile bono publico, ut quis emat merces omnes alicujus, ſi ille v. g. vendere non velit, niſi omnes ſimul, vel nolit diù in aliquo loco detineri, in hoc enim caſu utile erit bono etiam publico omnes illas merces emi ab aliquo, ut poſteà juſto precio vendat illa civibus illius populi, etiamſi carius vendat, quàm emerit. Si autem ex tali modo congerendi merces aliquod damnum communitati ſequeretur, poſſet Princeps, & teneretur cogere, ut vendat, & precium taxare. Denique ad evitandum in tali negociatione omne peccatum, tàm contrà juſtitiam, quàm contrà charitatem duæ illæ regulæ obſervari debent à Scoto aſſignatæ l. c. litt. S. Prima eſt, quod talis negotiatio congerendi merces ſit utilis Reipublicæ, itaut nullum damnum communitati afferat. Altera eſt, quod talis mercator juxtà diligentiam ſuam, & prudentiam, & ſollicitudinem, & pericula accipiat in venditione precium correſpondens, ità enim fiet, ut ſic procedendo, nedùm contrà juſtitiam non peccet, ſed neque etiam contrà charitatem.

38 Denique eſt difficultas, an licitum ſit Principi privilegium concedere, ut non niſi certi mercatores in ſuo regno certas merces vendant, aut negotiationem exerceant. Negant Cajet. Medina, Sotus, Sylveſter, & alii; quorum fundamentum eſt, quia hujuſmodi prohibitio aliis nocet, qui vendere poſſent, nocet etiam emptoribus, qui leviori pretio multiplicatis venditoribus eaſdem emerent merces. Communis tamen, & certa ſententia eſt, ex juſta cauſa, & propter bonum commune tale privilegium concedi poſſe, ut ſæpè conceditur Auctoribus, & impreſſoribus librorum, & obligatis ad providendam de carne, piſcibus, vino, oleo, & aliis ſimilibus civitatem; ubi tamen DD. communiter advertunt, quod quando Princeps, vel Magiſtratus talia concedit privilegia in mercibus Reipublicæ neceſſariis, tenetur ſimul pretium taxare & ſic providere ne ſubditi nimis graventur in mercibus emendis; juſta verò cauſa cenſetur talia privilegia concedendi, ſi v. g. abſque tali prohibitione non inveniretur, qui aliquod mercium genus in ea copia providere vellet, quæ Reipublicæ neceſſaria eſt, ne ſe periculo exponat magnos ammittendi ſumptus ſine lucro, & ideò aliquando in populo, & civitate neceſſaria deeſſent ad uſus humanos; propter has enim, & ſimiles circumſtantias poſſunt juſtè à Principe hujuſmodi privilegia concedi, nam mercatores his ſuffulti privilegiis obligant ſe ad providendum omni tempore populum & Rempublicam. Si verò privilegium ſine juſta cauſa concedatur, iniquum erit, & vendere volentibus injuria fiet, qui injuſtè impediuntur, & emptoribus, qui merces illas leviori emerent precio, quarè utrique in tali caſu reſtituere tenentur, & quidem primo loco ad reſtitutionem tenentur illi, qui privilegium impetrant, quia ſunt principales cauſæ damni; ſecundo verò loco, & in ſubſidium, qui illud concedunt. Neque ratio in oppoſitum adducta urget, ut enim hæc privilegia licita, ac juſta cenſeantur, non debet privatorum damnum, in quorum præjudicium ſunt, prævalere Principis, ac Reipublicæ bono, ad quod conſervandum, & augendum illa privilegia ordinantur.

39 Quoad alteram verò quæſtionis partem de aliis negotationibus illicitis, certum eſt; & apud omnes indubitatum, negotiationem lucrativam, de qua in præſenti eſt ſermo, & quæ verò, & propriè dicitur negotiatio, non eſſe intrinſecè malam ſed indifferentem, ut benè, vel malè exerceatur. Pluribus autem modis vitari poteſt, ut DD. communiter obſervant. Primò ratione modi quo exercetur à multis interpoſitis fraudibus, dolis, mendaciis, juramentis, & aliis ſimilibus, quæ poſſunt dici facere negotiationem illicitam per accidens, quia hæc vitia non inſunt emptioni, & venditioni ex natura ipſarum, ſed ex nequitia vendentium; & quia frequenter negotiationem comitantur, ideò graviter reprehendi ſolet à Patribus tanquam illicita, non ratione talis contractus in ſe, ſed ratione concomitantis, ut plurimum. Secundò ratione finis, ut quando emptio, & venditio fiunt propter ſolum lucrum præciſè, & ex inordinato affectu ad illud. Tertiò ratione materiæ, ut ſi res non vendibilis vendatur, ut ſunt res ſacræ, quarum venditio eſt ſimonia, vel quæ pertinent ad actum infidelitatis ipſis infidelibus, ut vendere idola, vel ſi res ex ſe ſit vendibilis, aliqua tamen juſta lege prohibetur, ut extrà regnum frumentum vendatur. Quartò ratione temporis, ut ſi negotiatio fiat in die feſto juxtà cap. 1. De feriis, quod præſertim intelligendum eſt quando eſt cauſa tranſgrediendi præceptum de feſto ſervando, ut ſi multum temporis in ea conſumatur, ubi tamen viget conſuetudo negotiandi in feſtis, ut in nundinis fieri ſolet, nullum eſt peccatum, quia tunc non tranſgreditur præceptum de obſervatione feſtorum, cùm lege ſit permiſſum in nundinis diebus feſtis negotiari, ut omnes communiter docent. Quintò ratione loci, ut ſi fiat in loco ſacro, id enim prohibetur C. *Decet* de Immunitate Eccleſiaſticorum in 6. quia domum Dei decet ſanctitudo, ideoque Chriſtus Dominus ementes, & vendentes ejecit de templo Matth. 21. Hoc tamen intelligendum eſt, ſi res vendendæ in templum adducantur, nam negotiari in Eccleſia ſolo verbo, vel ſcripto, dummodo ſine ſcandalo, & tumultu id fiat, non eſt peccatum ſaltem mortale; ſimiliter ſi aliquid parvi valoris ibi venderetur, ut ſi ibi candelæ venderentur in honorem Dei. Sextò tandem ratione perſonæ, prohibetur enim negotiatio Clericis præſertim in ordinibus ſacris conſtitutis cap. 2. *Ne Clerici, vel Monachi*, quod quidem intelligendum eſt venditione, & emptione pure negotiativa, non autem æconomica. Ità Faber noſter cum aliis loc. cit.

QUÆSTIO SECUNDA.

De Mutuo, & Uſura.

40 SCotus d. 15. cit. qu. 2. art. ſub lit. N. poſtquam in ſuperioribus tractavit de contractu permutationis, emptionis, & venditionis, tractat deindè concluſione quarta de mutuo, ſeù mutui datione, de quo proindè nos quoque juxtà eundem Doctoris ordinem agemus in præſenti quæſtione, cui etiam tractatus de Uſura neceſſariò connectitur, tùm quia tota mutui juſtitia, vel injuſtitia in eo conſiſtit, quod nihil, vel aliquid de uſura interveniat, tùm quia ejus notitia ad omnes contractus eſt omninò neceſſa-

necessaria, cùm plerunque omnes ferè difficultates in contractibus contingentes ex eo præsertim oriantur, quod periculum sit, ne aliqua usura eis sit admixta.

ARTICULUS PRIMUS.

Quid sit Mutuum, & Usura, & an hæc sit licita.

41 PRimò supponit Doctor loc. cit. ad substantiam contractus mutui tres illas requiri conditiones, quas suprà diximus omni contractui esse communes, necessarias ad hoc, ut sit validus, nimirum dominium rei mutuatæ in mutuante, quia mutuans dominium rei mutuatæ in mutuatarium transfert, ut dicemus; similiter ex parte mutuatarii requiritur voluntas recipiendi rem mutuo; & tandem requiritur ut neuter sit impeditus ille à mutuando, iste à recipiendo mutuo à lege, vel à superiore ob eandem rationem. Prætereà supponit requiri alias speciales conditiones huic contractui proprias à Doctoribus communiter assignatas, inter quas ait præcipuam esse, quod ad justè contrahendum mutuum oportet servare æqualitatem simpliciter in numero, & pondere quibusdam casibus exceptis, de quibus infrà. Prima itaque conditio specialis ad mutuum requisita est, ut materia illius sit res usu consumptibilis, ut colligitur ex l. *mutuum* ff. si certum petatur, ubi dicitur obligationem mutui in his rebus consistere, quæ pondere, numero, & mensura consistunt ver. gra. vino, frumento, oleo, pecunia, & similibus, quamvis enim pecunia usu non destruatur, nec in se pereat, consultò tamen inter res usu consumptibiles annumeratur, quia ejus distractio, seù expensio censetur consumptio. Secunda est, ut res mutuata ità in dominium mutuatarii transferatur, ut ex vi contractus hic non maneat obligatus ad reddendam eandem numero rem, aliàs talis contractus potius esset commodatum, aut depositum, non verò mutuum, quod etiam ex prædicta lege deducitur. Tertia est ut mutuatarius maneat obligatus ad reddendam rem ejusdem rationis vel speciei, non autem eandem numero, ut etiam dicitur lege citata, nam si eadem res numero reddenda esset, non esset mutuum, sed commodatum, vel si reddenda esset res alterius speciei, non esset mutuum, sed permutatio. Quarta est, ut inter traditionem rei mutuatæ, & solutionem illius aliquod tempus intercedat, quod si assignatum fuerit explicitè, vel implicitè, tunc erit obligatio solvendi; si verò assignatum non fuerit, solvendum est mutuum, cùm mutuas perierit, & tunc mutuum, quantum ad hoc transit in similitudinem precarii. Quinta tandem conditio, & omnium præcipua est, quam Scotus assignat l. c. quod ad justè contrahendum mutuum servanda est æqualitas simpliciter in numero, pondere, & mensura; ratio est, inquit Doctor, quia mutuans transfert dominium rei mutuatæ v. g. pecuniæ in mutuatarium, hoc enim ostendit, vocabulum ipsum, quia mutuum dicitur ab eo, quod de meo fit tuum; ergò qui concedit mutuo, non manet dominus pecuniæ mutuatæ, & consequenter si recipiat aliquid suprà sortem, pro non suo recipit, & vendit non suum, & æqualitatem non servat; & sic etiam de mutuo discurrit, & ejus conditionibus Astesanus noster lib. 3. tit 10.

42 Secundò ex dictis facile deducitur hujus contractus definitio, ejusque à ceteris differentia; ejus enim essentia, & justitia in assignantis conditionibus consistit, undè quamvis variæ illius definitiones assignentur, quæ tamen quoad rem in idem coincidunt, clarior tamen, & communior est illa, quod mutuum est *traditio rei quoad dominium, & usum ad certum tempus constantis pondere, numero, vel mensura, ut statim fiat accipientis, cum obligatione restituendi similem in specie, & qualitate* Dicitur *traditio*, quia mutuum est de numero illorum contractuum, qui re, & traditione ipsa perficiuntur, ad differentiam eorum contractuum qui solo consensu celebrantur sine rei traditione, ut in venditione contingit. Dicitur *quoad dominium* ad differentiam pignoris, hypothecæ, depositi, commodati, & locati, in quibus dominium non transfertur, sed usus tantum; undè fit, ut si res mutuata quocunque tandem casu apud mutuatarium pereat, non pereat mutuanti, sed mutuatario; è contrà verò, si res commodata casu, vel fortuitò apud commodatarium pereat, non autem ejus culpa, non pereat commodatario, sed commodanti sub cujus dominio manebat, ut habetur L. 1. C. de commodato. Additur *ad certum tempus* ad differentiam permutationis; dicitur *constantis pondere, numero vel mensura*, quia materia mutui est res usu consumptibilis, quæ juxtà communem usum sit apta proximè ponderari, ut æs aurum, argentum, vel numerari, ut pecunia, vel mensurari, ut vinum, frumentum, oleum, & similia, undè fit ut mutuum fiat tantùm de rebus mobilibus, reliqui verò contractus de rebus etiam immobilibus fieri possint, ut notat etiam Astesanus loc. cit. Dicitur *ut statim fiant accipientis* ad explicanda magis dominii translationem, & mutui discrimen à deposito, locato, commodato. Additur *cum obligatione* ad discriminandum mutuum à donatione, per quam res donatio traditur absque ulla obligatione, illam, vel similem in specie restituendi. Additur tandem *similem in specie; & qualitate* ad differentiam commodati, & permutationis, nam si eadem res reddenda esset, non esset mutuum, sed commodatum, vel reddenda esset res alterius speciei, non esset mutuum, sed permutatio. Et per hanc similitudinem, & æqualitatem rei in qualitate, bonitate, & valore insinuatur etiam, quod ratione mutui præcisè, ut mutuum est, nihil à mutuatario ultrà rem mutuatam, aut illius valorem exigere licitum sit, in contractu verò locationis id licitè, & justè fieri possit. Et hæc omnia sunt valdè notanda, quia ubi non est aliquod mutuum vel expressum, vel tacitum, usura propriè dicta intervenire non potest, quia materia propria, & sedes usuræ est mutuum, quarè si aliquis numerata pecunia rem aliquam vendat carius precio summo, & rigoroso, licet injustitiam committat, & ad restitutionem damni teneatur ob excessum suprà justum precium; hæc tamen est usura, quia hic nullum intervenit mutuum, nec expressum, nec tacitum, vel virtuale. Mutuum, expressum, seù formale contingit, quando quis alteri mutuat tradendo rem ipso facto mutuatario; tacitum verò, & virtuale dicitur illud, quod in aliis contractibus virtualiter includitur, qua etiam ratione mutum palliatum vocari solet, ut accidit, quando quis alteri agrum vendit majori precio ob dilationem concessam ad solvendum, censetur enim implicitè, & virtualiter precium emptori mutuare usque ad terminum solvendi illi præfixum; & concessum. Ità de Mutuo discurrunt Gomez, Zecchius, Sylvester, Rebellus, Molina, Bonacina, Amicus, Faber, Cardinales de Lugo, Caspensis, Stephanus à S. Gregorio, & alii Doctores communiter, licet sit aliqua varietas in modo loquendi.

43 Tertiò Usura communiter definiri solet, quod *est lucrum immediate ex mutuo proveniens*, & nomine lucri intelligitur acquisitio rei suprà sortem, ideſt, summam capitalem pecuniæ æstimabilis aliàs indebitæ; dicitur *immediate*, quia si lucrum ex contractu mutui immediatè non proveniat, seù ex vi pacti mutuationis, sed potius ex amicitia, vel gratitudine, non est usura, & additur *ex mutuo*, quia si lucrum aliundè proveniat, non dicitur propriè usura. Undè vendens aliquid suprà justum precium usuram committere non dicitur, quia lucrum, seù excessus justi precii ex mutuo non provenit, sed ex venditione. Verum, quia usuræ definitio debet præsertim notificare crimen, & peccatum usuræ, quod distinguitur à lucro, quod per iniquam actionem illam acquiritur; & definitio allata spectat tantùm ad lucrum, quod per mutuationem acquiritur, nõ autem ad ipsam actionem pecaminosam, nisi indirectè. Ideò ad rem melius explicandam præstat cum Fabro nostro disp. 47. cit. cap. 6. distinguere quod usura duobus modis accipi potest; primò pro contractu, & actione illa, in qua usura committitur; secundò pro lucro, quod ultrà capitale accipitur, si primo modo accipiatur, sic definiri debet, quod *usura est contractus, in qua ratione mutui aliquid ultrà sortem principalem accipitur*, quæ definitio patet ex dictis, quando enim in mutuo non servatur æqualitas in numero, pondere, vel mensura in restitutione rei mutuatæ, sed aliquid ultrà sortem principalem accipitur, ille contractus est usuarius, seù actio usuraria, quæ est peccatum. Si verò usura accipiatur secundo modo; nempè pro lucro quod accipit mutuans ultrà sortem principalem, benè explicatur per definitionem superius adductam, quod est, *lucrum immediate ex mutuo proveniens*, quæ adhuc clarior erit, si dicatur, quod est lucrum immediatè ex mutuo proveniens, itaut mutuans suprà sortem, seù summam capitalem lucretur aliquid quod sit pecunia æstimabile, ita quod lucrum rale ratione mutui præcisè intendatur.

44 Quartò usura dividitur in realem, & mentalem, seù exteriorem, & interiorem; dicitur usura mentalis, & interior, cùm quis intentionem habet recipiendi aliquid ex mutuo ultrà sortem, etsi exterius pacto id non exprimat, seù nullum pactum exterius opponat; dicitur verò realis, & exterior, quando talis intentio per pactum aliquod exterius exprimitur. Quod aliquando tantùm implicitè fit aliquo contractu, & vocatur usura palliata, cùm, scilicet, contrahentes prætendunt alium contractum emptionis, locationis, &c. in quo tamen re vera usurarium quid intervenit. Undè rursus usura dividi solet, quod alia est expressa, & formalis, alia virtualis, & implicita, ut patet ex divisione mutui numero præcedenti assignata, quarum exempla videri possunt apud Toletum lib. 5. cap. 31. & alios passim. Ex dictis tandem deducitur, quod si mutuans speret lucrum mediante amicitia, vel gratitudine, seù liberalitate, & non tanquam precium mutui, non committit usuram, sivè hujusmodi lucrum, minus principaliter speretur, sivè principaliter sivè sit causa impulsiva, sivè finalis mutui. Ità Molina, Lessius, Navar. Rebel-

Rebellus, Salas, Bonacina, Card. de Lugo, & Aliis Doctores passim. Qui etiam omnes advertunt, quod si mutuans dubitat, an mutuatarius aliquid sibi tra lat ex gratitudine, & liberalitate, & plenè voluntariè; vel an potius tradat in voluntariè mixtè ex verecundia, vel timore sibi alias denegandi mutui, tenetur ad restitutionem, quousq; certior fiat illud sibi liberaliter fuisse traditum, & ratio est, quia quilibet cavere tenetur periculum committendi usuram, in casu autem posito ille dubitando periculum non caveret, quia à mutuatario aliquid acciperet ultrà sortem dubitans sibi ex liberalitate tradi; & ità præsertim discurrit Bonacina disp. 3. quæst. 3. punct. 2. numer. 11.

45 Quintò ad dignoscendum, quandò contractus sit usurarius, quando verò non hæc regula communiter à Doctoribus assignari solet, quæ valdè notanda est, quia nullam patitur exceptionem, & talis est, quod quotiescunque in contractu mutuum intervenit, sivè formale, & expressum sivè, virtuale, & implicitum, & ex eo lucrum accipitur; talis contractus censendus est usurarius, lucrumque ex eo acceptum usura, nisi aliquo justo titulo excusetur, de quo art. seq. si mutuum formalem intervenit, & ex eo lucrum accipitur, ut cum quis centum mutuat, ut indè centum, & decem accipiat, usura aperta, & expressa committitur. Si verò interuenit mutuum tantùm virtuale, & implicitum, & ex eo lucrum accipitur, usura palliata, & implicita committitur, ut cùm carius venditur justo precio propter expectatam solutionem, aut vilius emitur justo precio propter anticipatam pecuniam; tunc enim lucrum ex mutuo virtuali censetur acipi: perindè enim est rem carius vendere justo precio ob expectatam solutionem, ac precium ipsum rei venditæ, quod emptor statim solvere debeat, ei tradere, ut inde lucrum ex mutuo solvat: & perindè est rem vilius justo precio emere ob anticipatam pecuniam, ac præcium ipsum rei emptæ venditori tradere, ut indè lucrum ex mutuo solvat, atque ideò in utroque contractu mutuum virtuale intervenit, atque ità usura palliata. Hac de causa usura est, ut notant Diana, Truluis, Busenab. & alii, si mercatores credito vendentes aliquid ultra precium rigorosum accipiant titulo lucri cessantis, v. g. si rem 100. tantum valentem vendant 105. aureis post annum numerandis, quia vendendo ad creditum, quod est virtualis mutuatio, plures habent emptores, plereſque res vendunt, & hac ratione lucrum cessans compensant, atque ideò illud non cessat ratione hujus venditionis, & expectatæ solutionis.

46 Sextò usura illicita est, & grave peccatum, quia est contrà jus naturale, & positivum tam divinum, quàm humanum; est contra jus naturale, quia in quovis humano contractu æqualitatem non servare inter datum, & acceptum est contrà justitiam commutativam, quæ naturaliter dictat inter datum, & acceptum æqualitatem esse servandam; sed qui ex mutuo accipit aliquid suprà sortem, non servat æqualitatem, cùm mutuans acquirat lucrum ex re non amplius sua, quia res mutuata jam transiit in dominium mutuatarii, ut constat ex mutui definitione; ergo est contrà jus naturale. Quod verò sit illicita, & prohibita etiam jure positivo divino constat ex pluribus Sacræ Scripturæ locis, undè Psal. 14. inter alia requisita, ut quis tabernaculum Dei ingrediatur, quod est æterna beatitudo, unum est quod *pecuniam suam non dederit ad usuram*; & idem habetur Lucæ 6. *mutuum date nihil inde sperantes*. Nec obstat illud Deuter. 23. *non fœnerabis fratri tuo, sed alieno*; ubi filiis Israele respectu alienigenarum usura permittitur, quod Deus non permisisset, si peccatum esset. Hoc enim permisit Deus ad compensationem faciendam cum Centibus, quæ res Hæbreorum retinebant, ut declarat S. Ambrosius lib. de Tobia capit. 15. nam in eo capite concessa fuerunt à Deo bona inimicorum ipsis Judæis ob talem compensationem faciendam, ac proindè hac de causa potuerunt lucrum illud ex mutuo à Gentibus justè exigere, non vero quia licitum sit ex mutuo usuram accipere. Tandem usuram esse quoque prohibitam jure Ecclesiastico satis constat, tùm ex Concil. Vienensi, tùm ex toto titulo Decretorum de Usuris. Et quamvis usuræ per jus Cæsaream fuerint aliquando licitæ, nihilominus hujusmodi leges, ut Bonac. advertit, fuerunt ab Ecclesia in Concilio citato obrogatæ, utpotè non solum jure divino repugnantes, verùm etiam naturali; ut dictum est. Undè regula generalis est, quod omne pactum, vel gravamen, sive onus additum mutuo præter id quod ei proprium, & intrinsecum est reddit contractum usurarium, & illicitum.

47 Sed Obiicies usuram non esse illicitam, quia lucrum non accipitur pro re mutuata, sed pro usu illius, qui est precio æstimabilis; licitè autem potest accipi aliquid pro re precio æstimabili. Confirmatur, quia potest aliquid justè accipere, qui equum alteri accomodat; pro usu illius, & pro usu domus, quam locat ergo & pro usu pecuniæ, quam mutuat, eadem enim videtur esse ratio. Tandem, quia si usura illicita est, & prohibita, maximè, quia videtur fieri injuria mutuatario, à quo aliquid suprà sortem accipitur; sed illi non fit injuria, cùm volens tradat, volenti autem non fit injuria; ergo non videtur usura illicita.

Respondetur, non solùm esse injustitiam accipere lucrum pro re mutuata, sed etiam pro usu ejusdem, quia in mutuo non solùm datur usus rei mutuatæ, sed etiam dominium ejus in mutuatarium transfertur, adeò, ut tam res mutuata, quam usus ipsius, non est mutuantis, sed mutuatarii, à nemine autem accipi potest quicquam pro usu rei alienæ, quæ sua non est.

Ad Confirmationem negatur consequentia quia in commodatione equi, & locatione domus dominium rei non transfertur, ut in mutuo, undè si pereant sine culpa eorum, quibus dantur, restitui non debent, sed in mutuo transfertur dominium, ut dictum est, si pereat mutuum, debet restitui, & ideò pro usu commodati potest accipi lucrum, quia datur sine dominio, non verò pro usu mutui, qui datur cum dominio. Dices, lucrum non exigi pro sorte, neque pro usu illius proprié loquendo, sed pro intervallo temporis, pro quo mutuans se privavit dominio, & usu pecuniæ, ergo licitè accipi potest. Negatur consequentia, quia de ratione mutui est, quod dominium rei mutuatæ, ac ejus usus transferatur in alium pro aliquo tempore, & ideò pro tempore, mutuationis non potest mutuans lucrum accipere vi mutui: tum quia juxta regulam à Scoto assignatam d. 15. quæst. 2. sub litera P. nec commutans, nec mutuans potest vendere tempus, quia tempus non est suum. Ad ultimum negatur minor cum ejus probatione, mutuatarius enim non tradit aliquid ultrà sortem voluntariè, absolutè, & simpliciter, sed secundum quid, & involuntariè mixtè, ut dicitur de mercatore merces in mare proiiciente tempore tempestatis, & ideò mutuans aliquid accipiendo suprà sortem à mutuatario facit illi injuriam.

ARTICULUS SECUNDUS.

An usura mentalis ad restitutionem obliget.

48 JAm suprà dictum est Usuram mentalem esse; quæ sola mentis intentione committitur, nullo externo interveniente pacto explicito, vel implicito, hoc est, nec verbis, nec nutibus, vel aliquo alio signo æquivalenti ostendente debitorem, quòd mutuans non mutuaret sine spe lucri, licet in animo spem lucri habeat. Item dictum est ad contrahendum peccatum mentalis usuræ non sufficere quam libet intentionem accipiendi lucrum ex mutuo, sed requiri voluntatem accipiendi lucrum illud, ut debitum ex justitia, quia potest quis intendere lucrum, non ex justitia solvendum, sed ex gratitudine, & liberalitate exhibendum; ad usuram autem mentalem requiritur, ut lucrum ex muto intendatur, tamquam ex justitia debitum; non autem tanquam donum ex gratitudine præstandum. Quæritur ergo an talis usura solùm mentaliter contracta sit sufficiens ad contrahendam obligationem reipsa restituendi tale lucrum, & an præterea requiratur, ut mutuatarius hujusmodi lucrum solvat, tanquam pretium debitum ex mutuo accepto. Pro cujus explicatione notant communiter DD. quatuor modis posse aliquid recipi, vel dari ultrà sortem nullo pacto præcedente. Primò ut mutuatarius ex gratitudine det, & liberalitate, & mutuans tanquam hoc modo datum accipiat, adeò quod ex neutra parte sit affectus usurarius. Secundò ut mutuans mentaliter intendat lucrum ex mutuo, tanquam precium sibi debitum, eademque intentione illud mutuatarius solvat. Tertiò, ut mutuans intendat lucrum ex mutuo gratis, & liberaliter sibi exhibendum, mutuatarius autem illud solvat tanquam ex obligatione mutui debitum, putans mutuantem talem habuisse intentionem, ut lucrum solveret, tanquam ex justitia debitum ratione mutui. Quartò tandem ut mutuans intendat lucrum ex mutuo debitum, mutuatarius verò illud tribuat ut donum, quia mutuans illam suam intentionè exterius non manifestavit.

49 Hoc prænotato conveniunt DD. in primo casu mutuantem nec peccatum mentalis usuræ committere, nec obligationem restituendi lucrum ex mutuo acceptum contrahere, cùm illud nec à mutuante sit intentum, nec à mutuatario solutum, tanquam debitum, qua ratione datum, & acceptum licitè retinetur, & sine obligatione restitutionis. Rursus conveniunt in secundo casu mutuatorem non solùm contrahere peccatum mentalis usuræ, ad quod sufficit intendere lucrum, tanquam ex mutuo debitum, sed etiam obligationem restituendi lucrum ex mutuo acceptum, quia ad hoc nihil aliud requiritur, quam quod illud datum sit à mutuatario, tanquam debitum ex, mutuo, etenim hoc ipso jus mutuatarii læditur, cùm talis traditio involuntaria sit, & aliàs ex parte mutuantis non sit aliquis titulus sufficiens ad trasferendum dominium, ac proindè

proindè tenetur mutuans tales jus læsum recompensare per restitutionem lucri accepti. Pretereà conveniunt in tertio casu non teneri mutuantem ad restitutionem, donec manet in bona fide, qua credit lucrum sibi liberaliter esse datum; sed cessante bona fide, cùm primùm sciverit mutuatarium involuntariè dedisse, & ratione mutui, teneri ad restitutionem quia talis voluntas, & datio cùm non fuerit liberalis, sed illiberalis, s. ratione mutui, prorsus fuit injusta datio, quia est lege prohibita, & ideò insufficiens ad dominium transferendum in mutuantem. Imò mutuans tenetur, etiam in tali casu ad restitutionem, ut dictum est art. præc. n. 44. si dubitet, num mutuatarius lucrum ex mutuo dederit, ut debitum, vel gratis ut donum, quia quilibet cavere debet periculum usuram committendi, cui se exponeret cum tali dubio. Nec obstat regula, quod in dubio melior est conditio possidentis, quia illa intelligenda est, quando possessio bona fide inchoata fuit, & de continuatione in tali possessione, fides enim dubia estò sit sufficiens ad possessionem continuandam bona fide inchoatam, non tamen est sufficiens ad illam inchoandam, ut de præscriptione dictum est suo loco cum communi Doctorum Denique conveniunt in quarto casu mutuantem committere peccatum mentalis usuræ, ad hoc enim contrahendum sufficit intendere lucrum ex mutuo, tanquam debitum, nam eo ipso intenditur formalem objectum usuræ, quod est lucrum ut ex mutuo debitum, à quo actus interior speciem malitiæ desumit; an verò in tali casu mutuans contrahat etiam obligationem restituendi, quod ex mutuo acceptum est discrepant Doctores.

50 Prima opinio affirmat, & asserit usurarium mentalem, idest mutuantem hoc quarto modo, & aliquid recipientem eodem modo ultrà sortem, semper teneri ad restitutionem, etiamsi posteà sciat mutuatarium liberaliter dedisse, & non ex mutuo. Ità Soto lib. 6. de Justitia q. 1. ar. 4. & Molina disp. 306. qui plures alios citant. Quod probant ex textu in cap. *Consulvit* de Usuris ubi habetur *usurarium mentalem esse inducendum in animę judicio*, idest, in foro conscientiæ *ad restituenda, quæ accepit per usuram mentalem*; ergo usurarius mentalis verum dominium non acquisivit rei per usuram acquisitæ, atque ideò ad restitutionem tenetur in foro conscientiæ. Accedit etiam ratio, quia sola injusta acceptio est causa sufficiens ad inducendam restitutionis obligationem; at qui lucrum usuraria accipit intentione injusta acceptione accipit, nimirum acceptione à lege prohibita, & ipsi danti injuriosa, talis enim est acceptio usuraria, ergo &c. Tandem si in hoc casu rem non restituere liceret, hoc potissimum esset, quia talis datio esset donatio; at hoc dici non potest, quia ad donationem requiritur acceptatio ex parte accipientis titulo gratitudinis, sed in proposito mutuans non accipit lucrum à mutuatario, ut rem donatam, sed ut datam pro mutuo; ergo hic non intervenit donatio, & consequenter mutuans tenetur ad restitutionem accepti ex mutuo ultrà sortem.

51 Oppositа sententia docet, quod licet in proposito casu mutuans peccet dando, & recipiendo, reipsa tamen non teneri ad restitutionem lucri, quia non recipit rem alienam invito domino, sed liberaliter donatam ab eo, qui potuit in illum tranferre dominium. Ità discurrit Doctor. d. 15. cit. q. 2. art. 2. vers. *sine pacto etiam*, quem sequuntur non solùm Scotistæ omnes, sed etiam major pars Juristarum, & Theologorum, quos adducit Faber disp. 47. cit. cap. 8. Notanter autem dicitur *reipsa* mutuantem in tali casu ad restitutionem lucri accepti non teneri, nam per accidens, & ex conscientia erronea, quamdiù non fiat certior de mutuatarii voluntate, tenebitur tale lucrum ex mutuo acceptum restituere, ut notat ibi Hiqueus in Commentario, & Amicus disp. 20. sect. 5. sicut qui rem suam accipit putans esse alienam, reipsa non tenetur illam restituere, sed tantùm ex conscientia erronea, quamdiù certus non est illam esse suam. Assertum autem nostrum probat Doctor, quia solus animus habendi rem alienam non facit aliquem habere rem alienam actualiter, sed requiritur, ut illam actu habeat, ac retineat invito domino, at usurarius mentalis recipiens aliquid suprà fortem animò solùm usurario, rem alienam habet animo solo, non autem reipsa; ergo rem alienam non habet, ac proindè ad restitutionem non tenetur. Major patet, probatur minor, quia mutuatarius omninò liberaliter dat illud suprà sortem, ut in hoc quarto casu supponitur, quia ignorat, quod usurarius intendat habere illud ratione mutui, atque ideò dominium transfert illius lucri in mutuantem.

Confirmatur ex Amico loc. cit. quoniam ubi nulla intervenit juris læsio, nulla esse potest restitutionis obligatio siquidem hæc est ad juris læsionem resarciendam; sed in tali casu nulla intervenit juris læsio, cum de facto mutuatarius non coactè, & involuntariè mixtè, sed sponte, ac liberè ex mutuo lucrum dederit; ergo nulla oritur in mutuante obligatio ad tale lucrum restituendum. Denique non tenetur debitor restituere id, quod debet, etiamsi non sit paratus restituere, quando ei à creditore fit liberalis remissio debiti, ergo in proposito cujus etiamsi mutuans malè, & injustè illud suprà sortem acciperet, non tenetur ad restitutionem, dùm mutuatarius ei debitum liberaliter remittit, ut supponitur, alias rationes non minus efficaces vide apud Hiqueum loc. cit.

52 Dicens in hoc casu non transferri dominium lucri accepti in mutuantem, quia licet ex parte mutuatarii traditio sit voluntaria, & liberalis, tamen ex parte mutuantis lucrum recipientis nullus est titulus acquirendi dominium illius, quia animo usurario accipit. Et hoc est unicum fundamentum, quo Vulpes disput. 109. artic. 10. mordicus tenet in tali casu non transferri dominium, ideoque etiam usuram mentalem ad restitutionem obligare, quia licet mutuatarius voluntariè, & liberaliter tradat, mutuans tamen impeditur præcepto divino Lucæ 6. *Mutuum date nihil inde sperantes*, ne acquirat dominium lucri accepti ultrà sortem, factus reus talis acceptionis à vitiata illa interiori spe ad mutuandum movente, undè quamvis mutuatarius voluntariè exhibeat mutuanti lucrum ultrà sortem, & ex liberalitate, & cum absoluta voluntate abdicandi à se dominium, & transferendi in ipsum mutuatorem. Hæc tamen translatio impeditur à Deo absolutissimo suo dominio ob spem illam interiorem accipiendi ultrà sortem, quarè in foro Dei, & conscientiæ non solùm manet reus peccati usuræ, sed etiam obnoxius restitutioni, undè concludit, quod pertinaciter oppositum contendens videtur hæreticus, expressè sensui Sacræ Scripturæ contradicens. Quando autem Scotus loc. cit. ait usurarium mentalem in tali casu ad restitutionem non teneri, inquit Vulpes Doctorem loqui in foro exteriori politico, vel Ecclesiastico, cùm nec Ecclesia judicet de occultis; non autem in foro Dei, & interiori

53 Hoc tamen sine ullo fundamento dicitur, scilicet; ex parte mutuantis in tali casu nullum esse titulum acquirendi dominium, nam in tali casu præsumendum est, ut ait Covarruvias, usurarium rem à mutuatario, ut donatam acceptare, seù titulo donationis, quia scit ipse usurarius illud sibi non deberi, quia pactum non fecit cum mutuatario, nec ullo modo illi suam significavit intentionem; ideò præsumere debet acceptum ultrà sortem titulo donationis sibi tradi, & consequenter nulla obligatio mutuanti manet illud restituendi, quia prima translatio neque in re ipsa manet suspensa; & si maneret, in potestate mutuantis est eam acceptare semper titulo congruo, ut donatio ex parte ejus complementum recipiat, ex quo sequitur re ipsa illam ad restitutionem non teneri; usurarius enim non tenetur restituere, nisi lucrum usurarium per se, quod scilicet, venit vel ratione mutui, vel ratione involuntarii, non autem lucrum usurarium per accidens, quale esset in proposito casu, quia lucrum, quod tunc usurarius accipit, neque est propter mutum, neque quia sit involuntarium ex parte tradentis, ut supponimus; sed est usurarum tantùm ratione mentis usurarii malo animo illud recipientis, quæ facit lucrum illud usurarium tantùm per accidens, & concomitanter; atque ideò usurarius in tali casu non est restitutioni obnoxius; sicut si rem tuam accipio animo furandi, & tamen posteà novi te, mihi eam donare quando eam accipiebam, non teneor restituere. Verum, tamen est suprà diximus, posse usurarium adhuc in tali casu ad restitutionem teneri per accidens, & ex conscientia erronea, quàmdiù scilicet, non est certus de mutuatarii voluntate, & lucro liberaliter exhibito.

53 Quod addit Vulpes sicut omninò temerè, & temerariè dicitur, ità & sine ullo prorsus fundamento; quod nempè etiam in casu proposito impediatur translatio dominii lucri ultrà sortem à mutuatario liberaliter dati ex præcepto divino Lucæ 6. *Mutuum date nihil inde sperantes*; nam locus iste intelligi debet de eo, quod speraretur, velut ex debito, & titulo justitiæ, alioquin neque aliquid sperare liceret ex gratitudine, & liberalitate mutuatarii, quod est contrà communem omnium sensum, quarè titulo debiti, & justitiæ utique dominium lucri ultrà sortem nequit in mutuantem transferri à mutuatario, quia hoc divina lege prohibitum est, benè tamen titulo donationis, & liberalitatis, sub quo præsumendus est mutuans acceptare, quando sibi de voluntate mutuatarii constat, & lucro liberaliter exhibito; & hoc modo etiam hunc locum exponit Card. de Lugo disp. 25. sect. 4. n. 29. ubi ait vel intelligi debere de spe non quacunque, sed lucri, quod sit pretium mutui, vel fuisse consilium quoad exclusionem etiam spei beneficii ex gratitudine processuri, licet fuerit præceptum quoad exclusioem precii. Nec majus fundamentum habet expositio ab eodem Auctore adducta, quod quando Scotus ait usurarium mentalem in casu præfato ad restitutionē non teneri, loquitur in foro exteriori; quia Ecclesia non judicat de occultis, non autem in foro interiori. Nam talis expositio cō-

trà

trà verba textus directè militat; inquit enim, quod solus animus sine omni pacto verbali, vel alio signo æquivalenti ostendente debitori, quod mutuans non mutuaret sine spelucri, non facit illum recipientem ultrà sortem sine pacto habere alienum, & ideo nec teneri ad restitutionem; quæ verba expressè significant Doctorem de foro solo conscientiæ, & interiori esse locutum, non autem de foro externo, ut ait Vulpes, cum omne pactum verbale excludant, vel aliud signum æquivalens.

55 Ad fundamentum oppositæ sententiæ desumptum ex cap. *Consulvit* dicendum est cum Covarruvias, Sylvestro, & aliis, quos sequitur Faber noster loc. cit. decretalem illam intelligi debere, quando sumus in dubio, an debitor dederit aliquid ultrà sortem creditori liberè, an potius coactus occasione mutui accepti, in tali enim casu præsumendum est, ut dicebamus, eam dationem non esse omninò liberam, sed ex vi mutui procedere; ut causa, & radice, in nostro verò casu supponimus mutuatarium liberaliter dare, & titulo gratitudinis quia nulla est occasio, ut credatur solvere ratione mutui, cum non cognoscat in mutuante esse hujusmodi intentionem, ut solvat ratione mutui. Vel cum Card. de Lugo loc. cit. dicendum est Decretalem illam de eo intelligendam esse qui intentione veri lucri mutuat, seù precii debiti ex mutuo; lucri enim nomine non venit propriè, quod ex liberalitate dantis procedit, sed quod ex negotiatione, vel industria nostra oritur, quod lucrum qui in mutuo intendit, jam intentionem usuriam habet, & dùm de liberali donatione dantis non constat, ad restitutionem tenetur.

Ad Confirmationem neganda est minor loquendo de intentione usuraria, quæ in casu proposito intervenit, injusta enim acceptio illa dicitur, qua quis invito domino, vel vi mutui accipit; non autem qui accipit quavis alia intentione mala; & ideò in casu nostro acceptio alicujus rei ultra sortem à mutuatario liberaliter dante, licet sit mala ratione culpæ mortalis mentis annexæ, quia lege divina vetitum est habere intentionem mutuandi ad usuram, non tamen propriè, & in rigore injusta dici potest, quæ scilicet, sit contrà justitiam, & ad restitutionem obliget. Ad ultimam negatur minor, nam ut supradictum est, in casu proposito præsumendum est usurarium rem à mutuatario, ut donatam accipere, seù titulo donationis, non autem ex vi mutui, quia pactum cum mutuatario non fecit, nec ei intentionem suam manifestavit.

ARTICULUS TERTIUS.

In quibus casibus sit licitum aliquid ultrà sortem accipere.

56 PRimò quæritur, An liceat in mutuo opponere pœnam solvendam à mutuatario nisi tempore præfixo solverit. Hoc quæsitum resolvitur à Scoto affirmativè dist. 15. q. 2. a. 2. sub lit. O. ubi ponit casum in terminis, v. g. ego indigeo pecunia mea ad mercandum, concedo tamen tibi eam ad certum die adiiciens pœnam conditionalem, quod nisi tali die solvas, quia multum damnificor, solvere tenearis tantùm ultrà sortem principalem; & inquit talem pœnam adiectam licitam esse, & si mutuatarius non solvat pecuniam ad determinatum diem licitum esse mihi illam pœnam exigere, & ratio est, quia licet me servare indemnem sic prænonendo mutuatarium, cum quo contraho; & hæc est communis opinio Recentiorum, quos refert Bonacina disp. 3. quæst. 3. punct. 7. & probat, quia mutuatarius existens in mora peccat contrà justitiam, & propter peccatum dignus est aliqua pœna ex conventione partium, modo pœna justa sit, non enim imponit obligatio indebita. Confirmatur, quia non solum ad Superiorem pœnas imponere spectat, sed etiam ad privatos de ipsorum consensu, quilibet enim est rerum suarum moderator, & arbiter; cùm hoc discrimine tamen, quod Superior pœnam imponere potest subdito etiam invito, privati verò non nisi consentienti, & volenti. Tandem sic habetur cap. suam de pœnis, & L. si pacto, quo pœnam C. de Pactis; hoc idem sentit Card. de Lugo disp. 25. sect. 6. §. 2.

57 Tres autem conditiones requiruntur, ut pœna in contractum mutui apposita sit justa, ut omnes communiter advertunt. Primà est, ut pœna sit moderata, ut suprà dictum est, nam pœna debet culpæ proportionari. Secunda est, ut pœna non opponatur in fraudem usuræ, ut Scotus monet loc. cit. idest, ut non apponatur contrà voluntatem mutuatarii ad palliandam usuram, ut accidit, quando mutuator pœnam apponit, ut aliquid ratione mutui exigere possit ad usuram palliandam. Addit autem Bonacina loc. cit. non leve judicium esse pœnam appositam fuisse in fraudem usuræ, seù ad palliandam usuram, quando mutuator pœnam apposuit sciens, aut verò similiter credens mutuatarium non fore potentem ad solvendum tempore constituto. Hoc tamen minus rectè dicitur, ut benè advertit Faber disp. 57. n. 188. nam qui mutuaret cum pacto, ut pœnam talem solvat mutuatarius, quem ab initio dubitabat ad statutum diem solvere non posse, re vera hac credulitate, & dubitatione non facit aliquam injustitiam. Imò est verisimile, quod quicunque mutuat cum pacto hujus pœnæ conventionalis, timeat, & credeat, quod ille statuto die non sit soluturus, nam propter hoc dubium talem pœnam apponere videtur, ut hoc modo mutuatarium stimulet ad tali die restituendum. Quare certior regula ad dignoscendum, quando pactum de pœna conventionali fiat in fraudem usuræ est quam Scotus assignat loc. cit. dum ait, signum manifestum, quod pactum non sit in fraudem usuræ esse, quando mutuans magis vellet pecuniam sibi solvi die præfixo, quàm in crastino cum pœna sibi adjecta; & per oppositum est in fraudem, quando vult diem transire potius, quam pecuniam ipso die solvit tunc, enim signum esset pœnam illam in fraudem usuræ appositam esse, ac proindè usuram palliatam. Tertia tandem conditio est ut mutuatarius verè sit in culpabili mora solvendi, nam si ob impotentiam solvere nequeat, modò sua culpa non sit effectus impotens, non tenetur ad pœnam solvendam v. g. qui non solvit termino præfixo, quia detinebatur infirmitate, aut quia à creditore longè distabat, aut quia in carcere detinebatur; secus autem si culpa sua effectus sit impotens ad solvendum termino præfixo, ut si comessationibus, vel ludis res suas consumpsit coniiciens se futurum impotentem ad solvendum, nam in tali casu adhuc ob impotentiam non excusatur à solutione pœnæ conventionalis, quia adhuc censetur in culpabili mora solvendi.

58 Secundò quæritur, An liceat in mutuo aliquid accipere ultrà sortem ratione damni emergentis; dicitur autem damnum emergens detrimentum illud, quod mutuator patitur ratione mutui præcisè, ut cùm quis mutuat suam pecuniam ab amico rogatus, qua triticum in familiæ sustentationem emere decreverat, quod posteà cariori pretio emere cogitur, damnum emergens ex mutuo dicitur; sic etiam damnum ex mutuo emergens censetur ruina domus qua mutuans habebat, quæ ex eo, quod mutuet alicui pecuniam, quam habebat ad illam reficiendam, ruit aliàs perseveratura, si reficeretur, & hoc est damnum emergens presse, & propriè sumptum latius enim sumptum potest coincidere cum lucro cessante, de quo posteà; Conveniunt DD. licitè posse mutuantem accipere aliquid ultrà sortem ratione damni quod patitur ex eo, quod mutuatarius sit in mora solvendi post terminum solutioni præfixum, sivè hoc deducat mutuans in pactum expressè, sive non, imò ipsum mutuatarium teneri in conscientia hujusmodi damnum resarcire; & ità expressè docuerunt D. Thomas 2. 2. quæst. 78. art. 2. ad 1. & Scotus noster, quem miror citari in oppositum loc. cit. sub l. O ubi inquit, quod debitor, ex cujus non solutione creditor notabiliter damnificatur, & tenetur de justitia satisfacere creditori de interesse, & licet creditor ille non posset habere contrà eum actionem in foro exteriori, utpotè quia non sunt pacta, vel juramenta, tamen in foro conscientiæ debitor tenetur ultrà sortem ad interesse. Et quidem si tale damnum deducatur in pactum, ratio est evidens, quia æquitas non postulat, ut mutuator alteri subveniendo damnum notabile patiatur, damnum autem pateretur, si non posset de tali damno paciscì, vel ejus periculo, & mutuatarius injustè debitum retinendo est causa damni, quod mutuans patitur; ergo in conscientia illud resarcire tenetur, quicunque enim sua culpa, & injustè est causa alicujus damni, in conscientia illud resarcire tenetur, ut deducitur ex textu in cap. *Provenit* de fidejussoribus, ubi decernitur, quod cùm fidejussor pro principali debitore solvit, tenetur debitor ad omnia damna resarcienda, quæ pro hujusmodi solutione patiatur. Idem quoque dicendum est, ut innuit Doctor loc. cit. etiamsi mutuans tale damnum non deduxit in pactum, & reipsa sequatur ex eo quod mutuans fuit in mora solvendi post terminum solutioni præfixum, & ratio est, quia quando in contractibus terminus ad solvendum præfigitur, tacitè censetur pactum initum, ut qui non solverit intrà illum terminum, teneatur ad interesse ex defectu solutionis proveniens L. 2. §. *non utique*; qui enim intrà terminum præfixum non solvit, contra justitiam peccat cum damno mutuatoris, omnis autem peccans contrà justitiam cùm damno alterius ad restitutionem tenetur. Hoc autem totum intelligendum est cum conditione in præcedenti casu apposita, ut notat Lessius dubit. 10. Amicus disput. 20. cit. sect. 7. & alii contrà Molinam disput. 315. nempè ut mutuatarius verè sit in culpabili mora solvendi, nam si absque sua culpa præfixo tempore mutuatarius debitum non solvat, in tali eventu ex æquitate non censentur contractus debitorem obligare, nisi fortè id expressè in pactum deducatur. Hoc etiam intelligendum est cum hac conditione, ut damnum re vera sequatur præcisè causa mutui, & mutuator commodè illud evita-

re non potuerit, in tantum enim licitum est damnum emergens in pactum deducere, in quantum mutuator, patitur damnum ob mutuum, quare si id ob mutuum non patitur, sed sua culpa, vel alia de causa, illud in pactum deducere non potest, ut idem Lessius notat l. c. & Bonacina disp. 3. q. 3. punct. 4.

59 Rursus conveniunt DD. pro damno emergente antè terminum solutioni præfixum licitè posse mutuantem aliquid ultrà sortem recipere, si hoc cum mutuatario in pactum deducat. Ratio est, quia tale damnum emergens est pecunia æstimabile, & ab ipso mutuo, ac usu pecuniæ distinctum, atque ideò tale pretium à mutuatario licitè, & sine usura recipi potest, quando pactum præcessit, æquitas enim justitiæ non patitur ut mutuans dispendium aliud patiatur ultrà mutui beneficium, quo se privat usu pecuniæ suæ ad tempus, præsertim si illud cum mutuatario in pactum deducat, ut supponimus. Et hoc etiam intelligendum est, quando hujusmodi damnum evenit mutuanti præcisè causa mutui, ut nuper dicebamus de damno emergente ex eo quod mutuatarius sit in mora solvendi; undè si mutuans alias pecunias otiosas apud se retineat, quibus tale damnum repare posset, non tenebitur mutuans illud damnum resarcire, quia illi non contingit ex eo præcisè, quod mutuavit. Addunt etiam Doctores non solum in prædictis casibus posse mutuantem exigere compensationem damni, quod de facto ex mutuo patitur, sed etiam aliquam compensationem accipere, licet minorem, ob periculum damni, cui se exposuit pecuniam mutuando, & ratio est quia non solùm damnum actu emergens, sed etiam periculum ipsum damni est pretio aliquo æstimabile.

60 Est tamen difficultas, an pro damno emergente ante terminum solutioni præfixum licitè possit mutuans aliquid ultrà sortem accipere, si hoc cum mutuatario in pactum non sit deductum. Affirmant Faber cap. 7. cit. n. 297. Hiqueus in Comment. n. 85. & alii Scotistæ mutuatarium etiam in tali casu teneri aliquid solvere ultrà sortem in foro conscientiæ, pro qua sententia Scotus etiam communiter citari solet. Communior tamen, & probabilior sententia negat, & ratio est, quia si damnum emergens, vel periculum ejus antè terminum solutioni præfixum in pactum deduceretur, fortasse mutuatarius nollet cum eo onere mutuum accipere, & licet mutuatarius tacitè ex mutui contractu teneatur ad damnum, quod ex mora mutuans patitur, ut suprà dictum est, non tamen tenetur ad damnum, quod patitur mutuator intrà terminum præfixum ad solvendum, mutuator enim eo ipso, quod non iniit pactum de tali damno emergente, censetur illud in se recepisse, & alteri condonasse; ergò ut mutuatarius teneatur resarcire damnum emergens intrà terminum solutioni præfixum, debet hoc in pactum à mutuante deduci explicitè, vel saltem implicitè, ac proindè si tale pactum non præcedat, non tenetur mutuatarius talem damnum resarcire, quia tunc non censetur causa neque occasio talis damni. Et hanc etiam puto fuisse Doctoris nostri mentem l. c. quia inquit debitorem, ex cujus non solutione creditor notabiliter damnificatur, ad compensationem ex justitia teneri; ergo moram solutionis in debitore requirit, & consequenter non intendit, quod de damno ante terminum solutioni præfixum teneatur. Undè videtur velle, quod mutuans vel faciat pactum, & juramentum, quæ in foro exteriori vim habeant, vel saltem mutuatarium advertat, voluntatem ejus esse, ut damnum etiam emergens ante tempus solutionis ipse mutuatarius restituat: & hanc sententiam sequuntur Navarrus, Soto, Molina, Bonacina, Card. de Lugo, Amicus, Caspensis, & alii Doctores, passim.

61 Tertiò quæritur. An liceat in mutuo aliquid accipere ultrà sortem ratione lucri cessantis: dicitur autem lucri cessans illud, quod quis non percipit, eo quod mutuum alteri dederit, ut accidit, quando quis pecuniam paraverat ad emendum agrum, vel negotiandum, sed ea alteri mutuò data, agrum, emere non potuit, & fructus ex eo percipere, aut pecuniam negotiationi exponere, & indè lucrum referre: quæritur ergò an cùm mercator habet pecuniam paratam ad negotiandum, & regulariter lucrandum justa negotiatione, & alter mutuò petat, an illam pecuniam mutuare possit cum pacto, ut lucrum recompensetur, quod ex illius negotiatione acquisivisset. Et quidem apud omnes indubitatum est, quando quis fraude dolo, aut metu invitus cogitur ad mutuandum, non solùm licitè pacisci posse de lucro cessante, sed etiam qui illum cogit teneri quoque seclúso pacto lucrum cessans restituere, quia mutuans in hoc casu injustè impeditur à lucro, & ideò non solùm de tali lucro licitè pacisci potest, verum etiam qui est impedimentum illius per vim ad restitutionem tenetur in foro conscientiæ. Certum quoque est, & ab omnibus concessum, quicquid lucri cessaverit mutuanti ob culpabilem mutuatarii moram in solvendo, teneri mutuatarium resarcire mutuanti, etiamsi expressè ab eo non moneatur, quia eadem est ratio quoad hoc de lucro cessante, ac de damno emergente. Quæstio est igitur solùm in Doctores, an hujusmodi lucrum cessans licitè possit à mutuante accipi, quando ipse non invitus, nec coactus, sed sponte, & amicè rogatus suam pecuniam mutuat.

62 Prima sententia negat, quæ fuit expressè D. Thomæ 2. 2. qu. 78. a. 2. ad. 1. cujus fundamentum est, quia mutuator non potest licitè vendere, quod nondùm habet, & multipliciter impediri potest, sed lucrum illud cessans nondùm est in actu, & potest multipliciter impediri; ergo nequit in pactum deduci, alioquin acciperetur certum lucrum pro lucro incerto, & dubio, quod sine injustitia fieri nequit. Confirmatur, quia ratio ob quam mutuans licite de lucro cessante pacisci potest, est quia invitus, & involuntariè mutuat; at qui simpliciter rogatus ab amico mutuat, non mutuat invitus, & involuntariè, sed sponte, & voluntariè; ergo lucrum cessans non licet in pactum deducere. Tandem ex opposita sententia ostium aperitur usuris, quia unusquisque facilè suam usuram palliare poterit dicendo, quod mutuando lucrum amittit, quod acquirere poterat; qua de causa nec jus Canonicum, nec Civile ullum reperitur quod hoc permittat, cùm tamen multi Canones, & jura sint, quæ ratione moris in solvendo aliquid ultrà capitale permittant exigi posse; undè mirum est, quod licitum sit aliquid ultrà sortem accipere, & tamen aliquis Canoni, vel lex non reperiatur, quæ hoc declaret. Ità nonnulli Thomistæ, & præsertim Soto lib. 6. de Justitia, & Jure q. 1. a. 3. concluf. 4. & aliqui Canonistæ.

63 Secunda sententia communior, & probabilior oppositum docet nempè mutuantem, etiamsi ultrò, & sponte mutuet, posse licitè, & citrà usuram in pactum deducere lucrum cessans, & supposito tali pacto mutuatarium in conscientia teneri reddere lucrum cessans. Ità Covar. Navarrus, Molina, Valentia, Azorius, Lessius, Reginald. Amicus, Caspensis, Bonacina, Card. de Lugo, & passim alii Doctores tam Theologi, quàm Canonistæ; & hæc etiam fuit opinio Scoti loc. cit. ut Faber advertit disput. 47. cit. capit. 7. numer 207. licet enim apertè non distinguat de damno emergente, & Lucro cessante, ut alii, tamen dum absolutè asserit licitum esse deducere in pactum interesse, manifestè sentit etiam lucrum cessans posse in pactum deduci, quia re vera hoc quoque est interesse non minus, quàm damnum emergens. Fundamentum est, quia eadem est ratio quoad hoc de lucro cessante, ac de damno emergente, ità enim est æstimabile pecunia lucrum cessans, sicut damnum emergens, siquidem lucrum cessans est etiam damnum, quod mutuanti ratione mutuationis emergit; sed ratione damni emergentis licet aliquid ultrà sortem recipere, & illud à principio in pactum deducere, loquendo etiam de damno antè tempus solutionis emergente, ut suprà dictum est; ergo etiam convincere potest de compensando lucro, quod sibi ratione mutui antè tempus solutionis cessat.

Confirmatur, quia potest aliquis extrà mutuum aliquid accipere, ut à negotiatione desistat, ut si Titius ab operario petat, qui singulis diebus operas suas locare solet, ut hodiernam operam non locet, sed in gratiam ipsius aliquid aliud faciat, justè potest operarius ille à Titio mercedem diurnam exigere, quam accepisset si suam operam locasset, & poterit à principio mercedem illam in pactum deducere; ergo etiam in mutuo potest aliquid accipere, ut abstineat ab emptione, vel alio contractu, in quo mutuator suam pecuniam implicaturus erat. Tandem quia mutuator non tenetur mutuare cum suo damno, & interesse, ut ait Scotus; tale autem est lucrum cessans ratione mutui. Nec refert, quod hujusmodi damnum non sit rei jam habitæ, sed habendæ; quoniam inter lucra non solùm computatur, quod actu, sed etiam quod virtute possidetur, & in spe certa habetur, vel saltem probabili.

64 Si autem mutuans lucrum cessans non deducit in pactum, non potest pro illo aliquid ultrà sortem recipere; si mutuatarius non est in mora solvendi, neque mutuatarius ipse illud in conscientia restituere tenetur, licet reipsa mutuanti cesset; & ratio est, quia quando nullum præcessit pactum, non est obligatio restituendi damnum etiam emergens, ut dictum est suprà n. 60. ergò multò minus erit in lucro cessante. Ità discurrunt communiter Doctores, qui etiam pro majori cognitione, quando ex lucro cessante possit aliquid ultrà sortem accipi; advertunt necessarium esse, ut tale lucrum verè cesset ratione mutui, & mutuatio sit causa, ut cesset lucrum; tunc autem lucrum ratione mutui præcisè cessare censetur, quando lucrum est in spe certa, vel saltem probabili, & potentia propinqua, ut accidit, quando mutuator decreverat pecuniam, quam mutuo tradit, in negotiis impendere, aut quando pecuniam negotiationi subtraxit, ob idque cessat lucrum, quod obventurum erat; si autem lucrum sit in spe, & potentia remota, ut putà si pecuniam habes, sed nondùm eam negotiationi destinaveras, tunc

lucrum

lucrum non erat in potentia proxima, & consequenter in tali casu lucrum non tibi cessat propter mutationem, & consequenter mutuatarius etiam præcedente pacto non tenebitur in hoc casu lucrum restituere, cum jam aliam habeat pecuniam otiosam, quam commodè substituere poterat absque periculo in locum pecuniæ mutuatæ, & eidem lucro destinare. Dixi *commodè*, nam quamvis aliam habeas pecuniam repositam, & reservatam ad alios fines, ut ad alendam familiam, ad filias dotandas, vel ad evitanda infortunia passim occurentia, quam proindè non vis propter lucrum in aliquod discrimen conjicere; benè potes adhuc in his casibus, & similibus pro lucro cessante pacisci, quia re vera mutuatio illa censetur causa, cur lucrum illud tibi pereat, quod per illam pecuniam sperabas. Ità Navarrus, Valentia, Bannes, Molina, Bonacina, Salas, Caspensis, Reginaldus, Amicus, Faber ex nostris loc. cit. & alii Doctores passim.

65 Hinc patet quid sit dicendum ad fundamentum prioris sententiæ procedit enim de lucro, quod est in potentia remota pecuniæ non expositæ negotiationi, pro quo neque etiam pacto præcedente potest mutuans aliquid ultrà sortem accipere; non autem procedit de lucro cessante, quod continetur in potentia proxima pecuniæ negotiationi destinatæ: sic enim etiam illud, quod non est in re, sed in spe firma, & ut in pluribus, ac in potentia proxima, vendi potest, quia est aliquid precio æstimabile, licet non tantùm, quantùm id, quod est in re: quare ratio illa concludit tantùm, non posse mutuatarium pacisci de compensatione totius lucri, quod reipsa habiturus esset, non autem de compensatione alicujus partis, quæ juxtà prudentis arbitrium æquivaleret lucro, quod mutuans in præsenti virtute, ac spe habet, undè fatemur detrahendum esse aliquid ratione periculi majoris, vel minoris. Quod autem non est in spe, & in potentia proxima, sed remota, ut est, quando pecunia non est negotiationi applicata, nec proximè applicanda, utique non est vendibile, quia nihil est omninò nec in re, nec in spe.

Ad Confirmationem negatur major, tanquam sufficiens; non enim lucrum cessans, de cujus compensatione pacisci potest, est tantùm illud, quod cessat contrà voluntatem mutuantis, sed etiam quod ejus spontanea voluntate cessat: undè in majori assumitur id, quod probandum erat; cùm enim etiam tale lucrum sit aliquid prætio æstimabile, rationabiliter potest aliquid exigere, si ex mutuo lucrum illud cessat, ac proindè mutuare nolle, nisi aliquid detur ratione lucri cessantis. Ad ultimum dicendum est cum Molina disp. 315. non ex eo, quod aliqui sua culpa occasionem hinc sumant suas usuras palliandi, celandam esse veritatem, cùm non minus cavendum sit ne justi contractus, tanquam usurarii damnentur, quàm ut injusti, & usurarii, tanquam liciti, & justi admittantur. Nec opus fuit omnia dubia in juribus explicitè esse determinata, sed sufficit jura declarasse licitum esse rationi interesse aliquando aliquid ultrà sortem accipere; ex hoc enim sufficienter deducitur, quod cùm lucrum cessans ratione mutui sit interesse mutuantis, aliquid ultrà sortem pro ipso recipere possit.

66 Quartò quæritur. An licitè possit mutuans ratione solius periculi aliquid ultrà sortem accipere ut v. g. quando suam pecuniam exponit periculo illam mutuando homini pauperi, aut minùs in solvendo fideli, ac tuto. Negant Navarrus in summa cap. 23. & Soto de justitia, & jure qu. 4. art. p. & quidam alii, quorum fundamentum est, quia nihil potest ultrà sortem accipi, ob solum periculum cui res mutuata exponitur; ut decernitur cap. final. de usuris his verbis, *Naviganti, vel eunti ad nundinas certam mutuans pecuniæ quantitatem, pro eo quòd suscipit in se periculum, recepturus aliquid ultrà sortem, usurarius est censendus*. Quæ verba pro hujus puncti decisione clariora esse nequeunt, per illa enim decernitur, quod mutuans suscipiens in se periculum pecuniæ mutuatæ in transitu, donec perveniat ad talem locum per itinera periculosa non potest absque usura aliquid ultrà sortem eo titulo recipere.

67 Communior tamen, & probabilior sententia affirmat licitum esse in mutuo aliquid ultrà sortem accipere ratione periculi amittendi capitale, vel illud recuperandi cum expensis, vel laboribus. Ità Medina, Molina, Lessius, Rebellus, Silvius, Silvester, Azorius, Salas, Card. de Lugo, Amicus, Caspensis, Bonacina, & alii passim, idq; etiam anteà docuit Doctor noster loc. cit. sub litt. O. ubi assignans tertium modum, quo licet aliquid ultrà sortem recipere ex mutuo; inquit esse, quando capitale, & illud superfluum, quod suprà sortem principalem accipitur, ponitur sub incerto; sivè exponitur periculo. Quod probat argumento à simili ex cap. *Naviganti*, &c. extrà de usuris casu tertio, quis vendit pannos, & alias merces, ut amplius accipiat tempore constituto, quàm valebunt tempore venditionis, & ait id licitum esse ratione dubii, & hac de causa talem ab usura excusari. Sicut ergò in venditione quæ fit credita pecunia, potest aliquid accipi ob periculum amittendi creditum, ut constat ex casu allato, & ex supradictis de venditione; sic in casu nostro, quando quis mutuat pecuniam alicui, & eam periculo exponit, seù incertitudini, & dubio quoad capitale, & illud amplius, quod ex illo mutuo recipit; excusatur ab usura. Confirmat, quia ejusmodi pericula sunt pretio æstimabilia nec mutuator tenetur gratis illa subire; ut si mutuet homini non satis noto, aut dubiæ fidei, aut si probabiliter timeat magnas molestias in recuperanda sorte; ergo potest aliquid accipere ob hujusmodi pericula, justum enim est pro eo, quod pretio est æstimabile, si pretium exigatur. Et hoc verum est, etiamsi revera nullum posteà damnum patiatur, quod enim accipit ultrà sortem, non pro damno actuali sed pro periculo damni accipit. Denique quia potest fidejussor etiam aliquid exigere ab eo, cui fidejubet, ob solum periculum, quod in fidejubendo subit, quamvis fidejussio sit gratuitus contractus, ut omnes fatentur; ergo, & mutuator ab eo, cui pecuniam mutuat ob simile periculum, cùm eadem, & par utriusque ratio videatur. Et idem etiam patet in contractu accommodationis, quia si timeatur res accomodata perire, aut deteriorari ex negligentia commodatarii satis perspecta, commodans etiam in tali casu aliquid exigere potest ratione periculi; & ità etiam discurrunt Scotistæ omnes loc. cit.

68 Notant autem Doctores citati, ut mutuator possit aliquid exigere ratione periculi capitalis, vel expensarum, vel laborum in recuperando capitali, tres præsertim servandas esse conditiones. Prima est ut periculum, cui res mutuata exponitur, ut verum, ex quo probabiliter timeatur incommodum, non imaginarium, & fictum, nec refert, si posteà nullum damnum reipsa sequatur, quia, ut dictum est, non pro ipso damno futuro, sed pro ejus probabili periculo deductum est pactum. Secunda est, ut mutuator non plus exigat ratione istius periculi, quam ipse alteri dare vellet pro talis periculi redemptione, & capitalis assecuratione, vel quę communiter hujusmodi periculum æstimetur, prętium enim in omni contractu justum esse debet. Tertia est ut mutuatarius non cogatur ad hanc obligationem suscipiendam, sed liberum illi relinquendum, ut vel per hanc obligationem, vel per fidejussionem, vel per pignus, vel alio modo mutuantem assecuret de pecunia, quàm ab illo mutuò accepit. Et hoc modo DD. citati communiter explicant textum ex cap. *Naviganti*, pro priori sententia adductum, ut notat Amicus disp. 20. sect. 8. n. 130. nimirum Pontificem in ea decretali loqui de mutante, qui ex eo, quod in se periculum mutuatæ pecuniæ suscepisset, mutuatarium cogebat ad hujusmodi contractum scilicet ad solvendum certum pretium ultrà sortem propter tale periculum in se susceptum; qui contractus illicitus est, & usurarius, cum mutuatarius ad talem contractum faciendum cogi non possit, sed solùm ad assecurandum mutuantem de pecunia sibi mutuata exhibendo pro assecuratione fidejussorem, vel pignus; & hæc expositio omnibus aliis est præferenda, quas adducit Medina cap. de rebus restituendis quæst. 38. §. *ad tertiam causam*, & Faber ex nostris cap. 7. cit. n. 226. & revera verisimile non est Pontificem in tribus casibus cap. illo adductis sibi contradicere; cùm ergo in secundo, & tertio casu ibi propositis respondeat posse in venditione dilata solutione aliquid ultrà justum precium recipi absque usura ratione dubii, & periculi, censendum non est hoc negare voluisse absolutè in primo casu, sed tantùm in sensu jam explicato, præstat enim jura juribus concordare.

69 Quintò tandem Doctor loc. cit. alium usum pecuniæ explicat, ob quem ex pecunia potest aliquid ultrà sortem recipi absque usura, & peccato; & est quod pecunia quoque locari potest sicut res aliæ usibiles locari solent, quamvis hic non sit usus principalis, ob quem inventa est; pecunia namque de sua natura, inquit Doctor, est apta ad ornandum aliquem, ad ostendendum esse divitem, & similia, & ad hunc finem locari potest, ut si mercator roget amicum ut sibi quantitatem aliquam pecuniæ præstet, & locet ad ostendendum se divitem; & hanc pecuniæ traditionem inquit Doctor non esse mutuationem, sed locationem, & restitui debere eandem in numero, & pondere, nisi fortè locanti sufficiat restitui æqualem in pondere, & valore: & hoc idem docet Astesanus noster lib. 3. titul. 11. art. 4. in fine, ubi etiam movet dubium, quare magis licet exigere ultrà sortem in locatione, quàm in mutuo, & rationem assignat, quia periculum rei mutuatæ spectat ad debitorem cum in mutuo transferatur dominium, sed periculum rei locatæ ad locatorem, eo quod locans retinet dominium rei locatæ, & ideò ipse locans pro usu rei propriæ, quam concedit, pecuniam licitè recipit, siquidem nemo cogitur de proprio alicui beneficium facere, sed rei mutuatæ dominium in accipientem transfertur; & ideo usus rei locatæ est sine consumptione, usus verò rei mutuatæ nullus est sine consumptione; item res locata

dete-

deterioratur usu quod non contingit in mutuo, ubi non eadem pecunia numero, quæ mutuo recipitur, sed alia ejusdem speciei redditur, ut constat ex dictis.

Sed Contra prædicta objicies, quod mutuum debet dari gratis juxtà illud *Mutuum date nihil inde sperantes*; ergo nihil accipi potest pro mutuo, nec occasionem damni emergentis, neque lucri cessantis. Et hoc etiam videtur significasse Scotus ipse distinction. 15. citat. artic. 3. sub lit. Y. ubi cùm objecisset, quod licet unicuique in contractibus se indemnem servare ut suprà dixerat quoque mutuanti licebit se servare indemnem, quod non potest nisi accipiendo aliquid ultrà sortem, & hoc ex pacto.

Respondet, quod si non vult damnificari, pecuniam sibi necessariam reservet, quia nullus eum necessitat ad faciendam misericordiam proximo, sed si vult misericordiam facere, necessitatur ex lege divina, ut non faciat eam vitiatam. Quibus verbis expresse docet, quod vel mutuator non debet mutuare, cùm ad id non teneatur, vel certè si mutuat, debet absque hujusmodi obligatione mutuare, cùm id divina lege prohibeatur; & hic est locus, undè communiter citatur Doctor pro opposita sententia, quod nequeat mutuator licitè aliquid ultrà sortem accipere, nec occasione lucri cessantis, nec damni emergentis.

70 Respondetur, nihil accipi posse pro mutuo præcisè, & hoc est, quod lex divina prohibet, posse verò pro damno emergente, & lucro cessante, nullus enim mutuare tenetur cum suo damno, & incommodo, nec tenetur grave damnum pati, ut alteri ex charitate prosit, ideoque licitè potest mutuator in pactum deducere damnum emergens, & lucrum cessans servatis conditionibus jam explicatis. Ità Bonacina disputat. 3. quæstion. 3. punct. 4. numer. 2. cum pluribus aliis ab ipso citatis. Et hæc etiam est expressa Scoti sententia distinction. 15. articul. 2. sub littera N. ubi explicans tres casus, in quibus licitum est aliquid ultrà sortem accipere, secundum casum ait esse ratione damni emergentis, vel lucri cessantis, ut suprà explicatum est, & ait debitorem in tali casu teneri in conscientia ultrà sortem ad interesse, quæ verba clariora esse nequeunt. Neque articul. 3. in solutione, ad 1. oppositum docet, quia notat Hiqueus ibidem in Comment. non improbat ibi Doctor hos titulos damni emergentis, & lucri cessantis, ut licitè possit mutuator aliquid ultrà sortem accipere ad se servandum indemnem, nec alios titulos pretio æstimabiles; sed improbat damnum prætextum ab Usurario, quo exigat aliquid intuitu ipsius mutui, hoc enim damnum sufficienter resarcitur per ipsius mutui solutionem, ac proindè non debet pro eo aliquid accipi ultrà sortem; quo etiam modo locum illum explicat Poncius, disputation. 45. quæstion. 4. num. 14. dicens intelligendum esse de pacto aliquid dandi propter detrimentum valdè casualiter incurrens, tunc enim contractus mutui utique vitiaretur, & usurarius evaderet, quia ut suprà dictum est, ad hoc ut licitè possit aliquid accipi ultrà sortem pro damno emergente, vel lucro cessante, hæc potissimum conditio servanda est, ut damnum verè emergat vel lucrum cesset ratione mutui præcisè; & mutuatio præcisè sit causa talis damni, vel cessationis lucri, nec mutuator commodè tale damnum evitare potuerit; hac enim conditione deficiente contractus statim vitiatur, ac usurarius evadit. Non ergo lex divina prohibet mutuentem, ne mutuet cum obligatione, ut mutuatarius teneatur ad compensationem damni emergentis, vel lucri cessantis, quod ex mutuo probabiliter, & ut in plurimum provenire potest, neque id Doctor asserit loc. cit. sed inquit quod si mutuator vult mutuatario misericordiam facere suam pecuniam ei mutuando, non debet facere eam vitiatam, accipiendo nimirum aliquid ultrà sortem non servatis conditionibus ad hoc faciendum licitè necessariis, sub prætextu se servandi indemnem.

ARTICULUS QUARTUS.

An possit licitè mutuans aliquid commodum exigere extrà prædictos casus.

71 PRima Opinio communis inter Recentiores duplex distinguit commodum; alterum quod vel natura sua, vel prudentum judicio censentur prætio æstimabile, & est quod pecunia comparari solet; alterum verò, quod nec natura sua, nec prudentum judicio censetur pretio æstimabile, & est quod non pecunia comparari solet, sed amore, benevolentia, & amicitia exhiberi, eo quod hæc, & similia non pecunia comparantur, sed hominum voluntate spontaneè operante. Hoc supposito asserit non posse mutuantem citrà usuram commodum exigere prioris generis; posse autem citrà peccatum usuræ commodum posterioris generis exigere, eo quod illud solum est objectum usuræ, quæ tantùm intendere pretium ex mutuo; non autem hoc, quod non est pretio æstimabile. Ex quo deducit omnem pactionem, & conventionem, per quam mutuatario imponitur onus pretio æstimabile, & obligatio quasi ex justitia, ad quam mutuatarius aliàs non tenebatur, usurariam esse, cùm per ipsam aliquid exigatur prætio æstimabile, ac veluti debitum ex justitia; è contra verò posse mutuantem ratione mutui non solùm amicitiam, & gratitudinem exigere à mutuatario, sed etiam signa quædam amicitiæ, & gratitudinis in pactum deducere, ut ea mutuatarius ex obligatione servet; & ratio est, quia per hujusmodi obligationem non plus imponitur, quam mutuatarius ipse lege naturali teneatur, cum lex ipsa naturalis hominem obliget, ut gratum, & benevolum erga eum se ostendat, à quo beneficium accepit. Ità Sotus lib. 6. de Justitia qu. 1. art. 2. §. *Ad quæstionem*, & hoc ad usuram non pertinere indicat. D. Thomas quæst. 78. art. 2. & alii, quos affert Salas dub. 15. & clarius Lopez 2. pact. instructor. cap. 56. §. *Hinc sequitur*.

72 Secunda Opinio asserit nihil posse per se primò intendi, sperari, expeti, & accipi ex mutuo in foro conscientiæ, sivè pecunia æstimabile, sivè non, sivè ex obligatione justitiæ, sivè ex debito gratitudinis. Ità Vulpes noster disputat. 119. artic. 12. cum quibusdam aliis Scotistis, quod ex Scoto deducit distinct. 15. citat. quæst. 2. artic. 3. in solutione ad 1. ubi ait, omne illud posse per se primò ex mutuo licitè intendi, sivè sperari sine peccato, quod misericordiam ergà proximum per mutuum exercendam non vitiat, nec jus motivum omninò excludit; vitiat autem non solùm quicquid pecunia æstimabile est ex debito justitiæ, sed etiam ex nudo titulo benevolentiæ, liberalitatis, sive gratitudinis speratur, intenditur, & exigitur. Probat autem, quia ex præcepto divino sæpiùs relato: *Mutuum date nihil inde sperantes*, per solum formale motivum misericordiæ debet primò animus mutuantis ad mutuandum moveri, & excitari, itaut quovis alio excluso illud dumtaxat ad mutuandum moveat; ergò nihil potest in foro conscientiæ sine peccato per se primò intendi, sperari, & ex mutuo accipi, sivè fuerit pecunia æstimabile, sivè non, à mutuatario exhibendum, sivè ex obligatione justitiæ, sivè ex debito gratitudinis. Consequentia patet, quia qui per se primò inducitur ad mutuandum à spe futuræ gratuitæ recompensationis, sivè amicitiæ, non mutuat primò ex motivo misericordiæ ergà proximum exercendæ, quia tali motivo sublato non mutuaret. Addit tamen secundariò licere sine peccato ex mutuo sperari, & reipsa accipi citrà omnem obligationem exteriora signa amicitiæ, & benevolentiæ, sivè fuerint pecunia æstimabilia, sivè non obligatio namque non inducitur, nec intenditur sine pacto explicito, vel implicito; pactum autem quomodocunque specificat primariam, non secundariam intentionem paciscentium; nec secundaria hæc intentio, sivè spes sperandi, ex grato animo mutuatarii recompensationem ex mutuo vitiosam reddit misericordiam ergà proximum indigentem exercendam.

73 Tertia sententia veluti media, quam sequitur, ut probabiliorem, ut benè declarat Amicus disput. 20. sect. 6. dub. 1. cum distinctione procedit, nam signa amicitiæ, & gratitudinis sunt duplicis generis, alia negativa, qualia sunt non nocere, non vexare, non offendere, &c. alia positiva, & hæc adhuc duplicia, alia generalia, ut amicum, & gratum se ostendere ergà benefactorem, quando, & ubi occasio tulerit: alia specialia, & in individuo determinata; ut hæc, vel illa signa benevolentiæ, & gratitudinis in particulari ostendere. Hac distinctione præmissa, ait tam priora signa negativa, quàm posteriora generalia positiva posse utique in pactum deduci, ut à mutuatario serventur, non autem posteriora. Ratio primæ partis asserti deducitur ex fundamento pro prima opinione adducto, quia tam signa amicitiæ, & gratitudinis negativa, quam generalia positiva tenetur mutuatarius servare ex lege ipsa naturali independenter ab omni pacto; ergò non major obligatio illi imponitur ex pacto superveniente, quam ratione ipsius virtutis amicitiæ, & gratitudinis prius haberet. Ratio secundæ partis est, quia ut eleganter discurrit Amicus loc. cit. talis obligatio est suprà obligationem, quam mutuatarius habet ratione virtutis gratitudinis, qua naturali lege erga mutuantem obligatur; talis enim virtus hominem non obligat ad hæc, vel illa determinata signa hoc vel illo determinato tempore, vel loco, coram his, vel illis determinatis personis, sed ad exhibenda signa generalia, & in communi, quando, ubi, & quoties prudentia ipsa dictat, quæ est virtutum regula. Atqui non licet rationi mutui majorem obligationem imponere, quàm mutuatarius ex ipsa virtute gratitudinis habeat, qua ergà mutuantem naturali lege obligatur, quia omnis obligatio, quæ est suprà obligationem ipsius virtutis, non exigitur per se à virtute; ergò specialia signa gratitudinis, & in individuo determinata non possunt cum mutuatario in pactum deduci, quia stante tali obligatione

gatione non exiberentur, ut actus virtutis gratis, & liberaliter, ut omnis actus virtutis exigit exhiberi, sed potius coacte, vel saltem aliquo modo involuntarie, cùm tamen ratione mutui non nisi ea obligatio exigi queat, quæ gratis, & liberaliter à virtute exibetur. Et hæc opinio media mihi quoque probabilior videtur, quia per ipsam conciliantur aliæ duæ opiniones extremę, ac eorum rationes diluuntur; non fundamentum primę primam partem probat assertionis nostræ, & fundamentū secundæ secundam, quia ratione mutui non nisi ea boligatio exigi potest, quæ gratis & liberaliter à virtute gratitudinis exibetur, & motivum gratitudinis minimè excludit motivum misericordiæ, nec eam reddit vitiosam, quando signa gratitudinis exhibita sunt generalia hæc enim sunt cum ipsa virtute gratitudinis, vel amicitiæ connexa sed solùm quando sunt particularia, & in individuo determinata, hæc enim non sunt cum ipsa virtute connexa. Qnomodo autem intelligendum sit præceptum illud divinum Lucæ 6. *Mutuum date nihil indè sperantes*, jam suprà explicatum est artic. 2. hujus qu. n. 54. intelligi debere de eo, quod speretur, velut ex debito, & titulo justitiæ non autem gratitudinis, & benevolentiæ.

74 Hujus opinionis fuit etiam Bonacina disput. 3. quæst. 3. punct. 3. vbi movens quæstionem, an quælibet obligatio imposita mutuatario sit usura, eam hac unica propositione resolvit, quod omnis pactio, & conventio, per quam imponitur mutuatario onus, & obligatio quasi ex justitia, ad quam mutuatarius aliàs non tenebatur, labem usuræ continet. Ratio est, quia pactio, qua imponitur mutuatario onus pretio æstimabile, tanquam ex justitia debitum, usararia est, cùm per ipsam exigatur aliquid supra sortem; talis autem est pactio, & conventio per quam imponitur mutuatario onus, & obligatio quasi ex justitia, cùm enim hujusmodi obligatio libertatem tollat, vel minuat, consequenter fit pretio æstimabilis Leg. Sicut. Codic. de actionibus, & Institut. de obligationibus. Ex quo deducit usuram ab eo committi, qui tradit alteri mutuum cum pacto, ut præstet munus, vel officium à lingua, ut canere aut Regem alioqui, vel ab obsequio, ut comitari dominium, eique inservire hac, vel illa occasione, vel à manu ut agrum colere, & cæt. nam hæc officia sunt pretio æstimabilia, imponere autem mutuatario obligationem pretio æstimabilem, ad quam aliàs non tenetur, est usura. Hoc idem etiam sentire videtur Card. de Lugo disp. 25. sect. 5. ubi ab initio hanc generalem regulam assignat pro dignoscendo usurario contractu, quod pactum quodcunque, quo gravamen, aut onus aliud præter id, quod mutuo intrinsecum, vel proprium est, adiicitur, reddit contractum usurarium, quia cùm id totum, quod mutuans dat, compensetur ad æqualitatem, quando à mutuatario tantundem redditur, consequens est, ut quicquid aliud exigitur, vel imponitur quasi ex justitia, ad quod mutuatarius aliàs non tenebatur, injustè exigatur, & imponatur.

75 Hoc etiam docet ex nostris Poncius disput. 55. quæst. 2. ubi ait illicitum non esse dare mutuum spe accipiendi aliquid ex gratitudine à mutuatario, & ratio est, quia non potest esse illicitum intendere, & sperare, ac recipere, quòd licitè conferri potest; sed mutuatarius potest licitè exibere gratiam, & benevolentiam mutuanti, & ex gratitudine, ac benevolentia dare ipsi, quod placuerit, ergò mutuator potest illa licitè intendere, & recipere. Imò quæst. 3. descendit ad particulares casus, & inquit, quod mutuator potest mutuare cum hac conditione, volo tibi mutuare rem meam ad annum, quod si tunc ex gratitudine aliquid mihi dederis, continuabo illud, sed tamen sine obligatione. Et quod posset etiam similiter à mutuatario petere, ut obliget se ad dandum mutuum alterum, quando petetur, non quærendo tamen illam obligationem pro precio mutui, sed tanquam experimentum benevolentiæ, & amicitiæ alterius. Hoc tamen additum non placet, quia in propositis contractibus descenditur ad specialia, ac determinata gratitudinis signa, quæ jam diximus non posse in pactum cum mutuatario deduci absque labe usuræ, quia non licet ratione mutui majorem imponere obligationem, quam mutuatarius ex ipsa virtute gratitudinis habeat, quæ non obligat ad hæc, vel illa determinata signa tali tempore, vel loco exhibenda, sed ad signa genaralia, & in communi, & exhibenda quando, & quoties prudentia ipsa dictat, quæ est virtutum regula. Accedit quod hoc admittendo aperitur ostium usuris saltem palliatis, quia si mutues centum verbi gratia ea conditione, ut si mutuatarius post annum quinque non reddat, non pro precio, & ratione mutui, sed ex gratitudine, non velis ulterius continuare; si verò velit, pro alio anno continuabis, sic consequenter per annos sequentes poterit mutuum continuari, & recipi ratione ipsius quinque singulis annis, quod planè sine usura contingere nequit; quan instantiam fruſtrà Poncius loc. cit. evadere conatur.

76 Ex his infertur, posse mutuantem sine usura mutuatarium obligare ad condonandam sibi injuriam, quam ei intulit, quia ad ea omnia potest mutuatarius ratione mutui obligari, ad quæ aliundè tenetur; sed ratione Christianæ charitatis tenetur privato affectu offensam sibi illatam condonare offensus; ergo potest ratione mutui ad eam remittendam obligari, & eodem modo ratione mutui obligari poterit ad eam aliis quoque remittendam. Ità Medina, Navarrus, Valentia, Silvius, Amicus, & alii. Undè non placet, quod ait Bonacina disput. 3. quæst. 3. punct. 3. num. 15. cum Covar. Rebell. Molina, Reginaldo, Azorio, & aliis, nempè quod qui dat mutuum cum pacto, ut mutuatarius faciat aliquid, quod aliàs ex charitate præstare tenetur, committit usuram, quia per hujusmodi pactum imponit obligationem, & gravamen, ratione cujus mutuatarius obligatur ad damna subsecuta. Non placet, inquam, quia aliud est loqui de injuria illata, & aliud de damno ex ea subsecuto, nam si mutuatarius propter talem injuriam aliquod damnum passus est in bonis, tama, persona sua, vel suorum, utique non tenetur illud condonare, & consequenter ratione mutui ad illud remittendum obligari non potest, quia offensus jus habet, ut illud damnum per Judicis sententiam sibi resarciatur, ad cujus juris cessionem, cum sit pretio æstimabile, nequit ratione mutui offensus obligari. Non sic est de injuria, quam offensus ratione Christianæ charitatis privato affectu remittere tenetur, ideoque potest ratione mutui ad eam sic remittendam obligari. Eadem ratione potest mutuatarius ratione mutui citrà usuram obligari ad solvendum aliud mutuum, vel debitum antiquum tranſacto tempore solutioni præfixo; inimicus ad non nocendum, & redimendam vexationem injustam, tam propriam, quàm alienam, filius ad præstanda parentibus obsequia debita, & universaliter mutuatarius quilibet ad ea omnia obligari potest ratione mutui, quæ vel aliàs facere, vel omittere tenetur; modò major obligatio ratione mutui non imponatur, quam mutuatarius aliundè habeat, sicut est in casibus allatis, nam cessatio ab injusta vexatione, obsequia parentibus, solutio debitorum transacto tempore solutioni præfixo, & similia sunt debita ex justitia, & consequenter mutuator non imponit obligationem, ad quam mutuatarius anteà non tenetur.

77 Deindè è contrà est usura ex communi sententia, si quis mutuat medico hoc pacto, ut teneatur curare, & mederi, & qui mutuat Advocato, ut teneatur mutuantem defendere, aut rustico, ut teneatur iter facere, &c. & hoc verum est, ut notat Bonacina loc. cit num. 13. etiamsi pro hujusmodi operibus justum precium constituat, committit enim usuram, quatenus mutuatario obligationem imponit, quam anteà non habebat. Et eadem ratione ex communi sententia est usura, si des mutuum, ut posteà mutuatarius ex debito civili obligetur tibi rursus mutuari, aut vendere, vel apud te in tua officina merces emere, aut operas suas locare, & similia, quia talis obligatio est res recio æsti nabilis, cùm privet mutuatarium potestate alibi emendi, & operas locandi; est enim quædam servitutis species, omnes autem servitutis species sunt pretio æstimabiles, atque ideò qui hujusmodi obligationes in pactum deducit, peccatum usuræ committit, quia accipit in mutuo aliquid ultra sortem pretio æstimabile. Et eadem etiam ratione usuram committit, qui dat mutuum fœminæ cum intentione, vel pacto, ut sui copiam faciat ratione mutui, secus si immediatè intendat amicitiam, & ea mediante copulam. Et tandem usura est mutuare Principi, vel Reipublicæ eo pacto, ut interim dùm non solvitur sis liber a tributis, vel oneribus justis solvendis. Ità Lessius, Salas, Layman, Bonacina, Card. Lugo, Amicus, Caspensis, & alii communiter.

78 Denique Aretinus noster 4. distinction. 15. quæst. 2. De Casibus in quibus licitum est in mutuo aliquid ultrà sortem accipere art. 2. quærens an mutuans possit benevolentiam mutuatarii, amicitiam, & signa amicitiæ in pactum deducere, tenet non licere in pactum deducere exteriora amicitiæ signa, ut reconciliationem, vel injuriæ remissionem, quia ratione pacti referuntur istæ actiones in justitiæ finem; sed ex justitia non licet ratione mutui aliquid ultrà sortem accipere; ergo non licet in pactum hujusmodi signa deducere. Tùm quia hoc est contra conditionem ipsius retributionis, nam obligatio naturalis, quæ est de honestate virtutis, pertinet ad amicitiam, & virtutem, & eo ipso talis retributio est spontanea, atque liberalis; quod autem in pactum deducitur, jam ex necessitate debetur; ergo repugnat morali obligationi, quæ paritur à virtute, deduci in pactum, quod parit civilem obligationem, & ex justitia. Tùm tandem, quia tale pactum est contrà rationem amicitiæ, quod enim ex amicitia speratur, non est cur ex legali, & civili obligatione exigatur; atque adeo eo ipso, quod quis aliquod speciale amicitiæ signum facere obligatur, non ex amicabili voluntate, sed coactus, & ex obligatione civili illud facere censendus est.

79 His

79 His tamen non obstantibus puto Auctorem hunc non esse à nostra sententia alienum, quando enim ait non licere signa amicitiæ in pactum deducere, non loquitur de signis amicitiæ in communi, & in generali, sed in particulari, & in speciali, ut patet ex declaratione suæ conclusionis, in qua dicit non licere signa exteriora amicitiæ in pactum deducere, subdit enim posteà, quod quamvis amicitiam in communi rectè liceat quærere mutuo, idque explicare, tamen in particulari aliquod officium, seù servitium, vel obsequium, in pactum deducere est omninò illicitum, quia illud est pretio æstimabile; & hoc ipsum constat ex ultima ratione modò ex ipso adducta, cùm inquit eo ipso, quod quis aliquod speciale amicitiæ signum facere obligatur, non ex amicabili voluntate, sed ex obligatione civili coactus illud facere censendus est. Quando itaque dicit non licere in pactum deducere signa amicitiæ exteriora generaliter loquendo intendit quod tale pactum non sit civile, & ex justitia, quia si talis obligatio imponeretur, pactum esset usurarium, quia non licet ratione mutui majorem obligationem imponere, quàm mutuatarius ex ipsa virtutte gratitudinis habeat ex lege naturali, ut dictum est suprà nu. 73. undè regulariter loquendo, quando amicitiæ signa, & urbanitatis in generali à mutuante exiguntur non ex obligatione civili petuntur, sed ex gratitudine, & benevolentia, quia non aliter obligari solent, ut notat Card. de Lugo sect. 5. cit. num. 59.

ARTICULUS QUINTUS.

An in usura transferatur dominium accepti ultrà sortem.

80 PRima opinio affirmat, cujus fundamentum est, quia illud quod ultrà sortem Usurarius accipit, traditur ei à domino rei voluntariè, atque ità ejus rei dominium transit in usurarium, cujus res traditur, & licet sit voluntas aliquo modo coacta, seù conditionata, quia vellet non tradere, si alio modo pecuniam habere posset, est tamen volens simpliciter, ut patet de voluntate proiicientis merces in mari ob salvandam vitam, quæ etiamsi vi tempestatis coacta sit, est tamen simpliciter libera ex Arist. 3. Ethic. c. 1. & ideò tradit auctarium ultrà sortem traditionis, quę sufficit ad translationem dominii, alioquin vendens ex aliqua necessitate non trsanferret dominium rei venditæ in ementem, quod est falsum. Tùm etiam, quia metus, & vis magis tollit voluntarium, quam coactio illa, qua quis trahitur ad solvendas usuras, ut de se patet; at vis, & metus non prohibent transferri dominium, ut habetur cap. *Abbas*, ubi textus sic loquitur: *Quæ vi metusvè causa fiunt de jure debent in irritum revocari*, ubi Glossa, & Doctores asserunt, quæ vi, & metu fiunt non esse de jure irrita, & nulla, sed irritanda, & annullanda esse, quæ autem irritantur, jam tenebant, & per Judicis sententiam revocantur. Tùm rursus, quia si Usurarius non habet dominium pecuniæ usurariæ, sequeretur omnes contractus cum alio ex ea pecunia factos, ut si emeret vinum, panem, & alia hujusmodi, esse nullos, quod est falsum. Tùm tandem, quia ex hoc sequeretur, quod si pecunia usuraria periret absque culpa usurarii, ipse non teneretur ad restitutionem, quod est falsum; consequentia probatur, quia res amittitur dominio; ergo si pecuniæ dominium remanet apud mutuatarium, illi perit, & amittitur, non autem usurario, & sic non teneretur ad restitutionem. Pro hac opinione citantur Glossa in Can. *si quis usuram* 14. q. 4. Navarrus in Summa c. 27. Henricus, Paludanus, Adrianus, ac etiam Scotus noster d. 15. cit. qu. 2. ar. 3. in fol. ad 2. quam proinde ibidem tenet Hiqueus in Comment. & Faber pro nostris disp. 49. c. 2. ubi relatas rationes adducit, & enixè defendit; licet Hiqueus ingenuè ibidem fateatur, non indè sufficienter colligi hanc fuisse Doctoris sententiam, quia ibi neque id assertivè affirmat, neque negat, sed respondet ex suppositione antecedentis negando consequentiam; cùm enim ibi in favorem usuræ objecisset, quod volenti non fit injuria, recipiens autem usuras solvit liberè usuram; ergo transfert dominio ejus quod ultrà sortem concedit, in usurarium; ergò ille jure accipit.

Respondet Doctor, etsi mutuatarius dominium transferat, adhuc tamen recipiens tenetur restituere, sicut in mutui datione dominium transfertur, & tamen debitor tenetur tandem restituere creditori; quibus verbis, ut patet, Doctor loquitur conditionaliter, & illam conditionem non approbat, sed solum negat sequi, quod ex translatione dominii sequatur usurarium teneri ad restitutionem, qui autem negat consequentiam, quicquid sit de antecedente, non est dicendus concedere antecedens, sed solùm permittere, ut transeat, non curando, sit nè verum, vel non, & ideò minus rectè ex hoc colligitur Doctorem nostrum in hac fuisse sententia.

81 Secunda sententia communior, & probabilior tam apud veteres, quam Recentiores negat transferri dominium in usura accepti ultrà sortem, quam docent Alex. de Ales, D. Bon. Riccardus. Gabriel, Sotus, Medina, Molina, Lessius, Rebellus, Tannerus, Silvius, Amicus, Caiet. Steph. à S. Gregor. & alii Recentiores, & ex nostris Almainus, Aretinus, Vulpes, & cæteri Scotistæ, tanquam de mente Doctoris, & ex ejus principiis necessariò deductam. Fundamentum namque hujus sententiæ præcipuum ex ejus doctrina sumitur d. 15. q. 2. art. 2. tradita, ubi docet dominium rei ab uno in alium ex duplici principio justè duntaxat transferri, nimirum ex voluntate propria domini, & ex publica Principis auctoritate, & ait secundum exigentiam communis boni hæc duo principia invicem sub ordinari instar causæ superioris, & inferioris, proprii enim Domini voluntas in transferendo subordinatur Principis auctoritati, veluti causæ superiori in humana politia, cujus quisque singularis dominus rei est pars; ideoque dicebamus ar. 1. hujus qu. n. 41. præcipuam conditionem ad validitatem hujus contractus requisitam esse, ut neuter contrahentium sit impeditus hic à mutuando, & ille à recipiendo mutuò, à lege, vel à Superiore; quæ quidem conditio ad validitatem cujuscunque contractus necessaria est, ut diximus ab initio hujus 4. disp. qu. 1. nu. 5. quia non tantùm contrahentes, sed etiam Superior integrant causam efficientem contractus, qui non tantùm bonum privatum respicere debet, sed etiam bonum commune, ideoque non solùm ex privata contrahentium lege regulari debet, sed etiam ex publica Superioris, ut validus censeatur. Cùm igitur ex lege divina prohibeatur per usuram translatio dominii ex Sacra Scriptura utriusque testamenti, ut constat ex superius dictis, & præcipuè Luc. 6. *mutuum date nihil indè sperantes*; licet recipiens mutuum ad usuram voluntariè det aliquid ultrà sortem, tamen dominium non transfertur; quia traditio illa est contrà voluntatem Superioris Domini sic dare prohibentis, & plus juris in re habet dominus Superior, & præsertim Deus, qui est verus, & absolutus rerum omnium dominus quàm dominus inferior, & immediatus, qualis est homo. Et hac ratione utitur etiam Alensis 3 p. q. 36. memb. 4. art. 2. & q. 59. memb. 3. art. 1. ubi ait non sufficere, quod dominus puro, & libero consensu consentiat, sed præter hoc requiritur, quod non sit prohibitus à Superiore auctoritatem habente: Usurarius autem est prohibitus à Deo Superiore, à quo dominium quodlibet dependet, aliquid ultrà sortem accipere, ergo per talem translationem usurarius non efficitur verus dominus. Et ex hoc fundamento colligitur per nullum contractum legi divinæ, Canonicæ, & Civili irritum transferri dominium, ut expressè habetur L. *Numquam* ff. de acquirendo rerum dominio.

82 Respondet Faber disp. 49. cit. nu. 42. ad traditionem dominii rei requiri justum titulum, non autem justam causam, ut patet de traditione pecuniæ facta meretrici, quæ est ex causa injusta, lex enim prohibet actum meretricium, non tamen facit, quod datio pecuniæ pro actu meretricio sit nulla, & meretrix non accipiat dominium illius, quia enim fit ex pacto, & convêtione tenet; ità in proposito leges prohibent factum usuræ, & restitutionem obligant non prohibent tamen translationem dominii pecuniæ, quæ sit per hujusmodi usurarium contractum, adest enim in usurario justus titulus talis translationis, scilicet, pacto inita, licet causa sit injusta, & mala, est usura. Hæc tamen responsio non satisfacit, quia lex præsertim divina talem conventionem, & pactum inter mutuatorem, & mutuatarium expressè prohibet, ne scilicet, pro mutuo aliquid ultrà sortem tradatur, non sic est de mercede meretricis pro actu meretricio, quamvis enim hic per leges prohibeatur, non tamen prohibetur pactum, & conventio, ut possit mulier aliquid accipere pro actu meretricio, & ideò in traditione pecuniæ pro actu meretricio fieri potest dominii translatio, quia fit ex pacto, & conventione, quæ non est prohibita, licet facta sit ex injusta causa, ac proindè dici potest titulus aliquo modo justus; non sic autem est de conventione tradendi aliquid ultrà sortem pro mutuo, quia hęc immediatè, & expressè per leges prohibetur, ideoque nequit esse justus titulus pro dominio transferendo accepti ultrà sortem.

83 Confirmatur, nam ut aliquis de novo acquirat alicujus rei dominium, non sufficit, quod verus dominus rei consentiat, ut ei quomodocunque tradatur, sed requiritur, ut verus Dominus consentiat quod proprietas, quam habet de tali re, in nullum transeat; aliud enim est possessio rei, & aliud proprietas, aliàs qui habet pignus, vel rem aliquam in depositum, verus dominus ejus efficeretur, quia verus dominus illius rei consentit, ut talis res ei tradatur; sed qui solvit usuram, licet consentiat, quod auctarium usurario tradatur, non tamen consentit regulariter, quod proprietas in eum transeat, non enim habet intentionem absolvendi usurarium ab obligatione quam habet restituendi acceptum ultrà sortem, sed hoc tradit in potestatem usurarii, donec forte aliquando pœnitentia ductus restituat, vel Deo providente aliundè ab eo æquivalens accipiat, sicut qui proiicit merces in mari necessitate periculi compulsus

non

non ob id præsumitur illas in eorum dominium transferre, qui illas post naufragium invenerint; ergo usurarius non efficitur verus dominus accepti ultrà sortem.

Respondet rursus Faber loc. cit. negando minorem, ad probationem inquit, aliud esse transferre dominium, & aliud transferre omne jus, dominium enim est species juris, unde non est necessarium, quod tradens alicui dominium rei transferat omne jus suum in illam rem, ut patet in mutuo, in quo transfertur dominium in mutuatarium, & tamen mutuans retinet jus sibi repetendi eandem rem; potest igitur mutuatarius velle liberè dare usuram usurario, & transferre in eum dominium ipsius, non tamen velle præjudicare suo juri, quod sibi remanet circà pecuniam illam de jure; unde ait non esse parem rationem de proiiciente merces in mari, quia qui sic merces proiicit, non præsumitur illas tradere alicui, sed tantùm liberare se à periculo vitæ ex earum projectione. Sed quamvis hæc doctrina sit vera, quod aliud est transferre dominium rei, & aliud transferre omne jus in rem, potest enim aliquis transferre dominium alicujus rei in alium, & tamen illum remanere obligatum ad restitutionem ejusdem rei, ut patet in mutuo; tamen in proposito locum non habet, quoniam ut notat Amicus disp. 20. sec. 9. mutuatarius non solùm retinet jus ad rem, sed etiam in re, quam per usuram tradidit, unde non habet tantùm actionem personalem circà usurarium, sed etiam realem circà ipsam rem, quippe qui illam sibi vendicare potest ubicunque existat; si autem ejus dominium in mutuantem transferatur, non posset habere jus in re, sed tantùm ad rem, cùm ergo utrumque jus habeat, scilicet, & in re, & ad rem, fatendum est ejus dominium in usurarium non transferri. Denique plures nostræ sententiæ Auctores ex eo probant dominium accepti ultrà sortem non transferri, quia tunc ad restitutionem non teneretur usurarius, putant enim quod obligatio restitutionis semper ex hoc oriatur, quod non fiat translatio dominii rei; ut in furto contingit. Hoc tamen fundamentum est falsum, ut benè advertit Faber loc. cit. numer. 33. quia ut ait Doctor artic. 3. cit. in fol. ad 2. potest aliquis transferre dominium alicujus rei in alium, & adhuc ille obligatus remanere ad restitutionem, ut patet in dante, & recipiente mutuum, nam dans pecuniam mutuo transfert ejus dominium in mutuatarium, & iste non ob id eximitur ab obligatione restituendi, sunt ergò hæc ab invicem separabilia translatio dominii rei, & liberatio alterius accipientis à restitutione rei, nam transferens dominium rei potest sibi reservare jus sibi repetendi eandem rem, ut patet in exemplo adducto a Doctore de mutuo, & ideò ex translatione dominii rei acceptæ non benè infertur, liberatio, & exemptio accipientis ab ejusdem restitutione. Nostrum verò assertum de usura reali intelligendum est, quæ, scilicet, fit cum pacto recipiendi aliquid ultrà sortem, nam de usura mentali, in qua nimirum sine aliquo pacto expresso, vel tacito aliquid ultrà sortem accipitur, quid sit dicendum patet ex dictis suprà art. 2. hujus quæstionis.

34 Ad fundamentum oppositæ sententiæ negandum est voluntatem illam conditionatam, & aliquo modo coactam sufficere in casu proposito ad dominium transferendum, quia licet talis voluntas sufficiat ad validitatem contractus onerosi, non tamen lucrativi, & gratiosi, ad quem plena libertas, ac spontanea voluntas requiritur, ut constat, ex superius dictis. Tùm quia tunc traditio etiam aliquo modo involuntaria sufficit ad transferendum dominium, quando ex parte illius, cui fit traditio est aliquis justus titulus, ut patet de vendente bona sua ex necessitate satisfaciendi creditoribus; quamvis enim talis traditio sit aliquo modo coacta, & involuntaria, tamen ex parte emptoris est justus titulus acquirendi dominium rei venditæ nempè solutio justi pretii, at ex parte mutuantis, ut dominium acquireret auctarii ultrà sortem, traditio deberet esse omninò voluntaria, cùm non sit alius titulus, ut constat ex dictis. Tùm tandem quia esto talis traditio esset omninò voluntaria, adhuc non sufficeret ad dominium transferendum, quia divina lege est expressè prohibita, unde deficit præcipua conditio ad translationem dominii requisita, non enim sufficit, quod dominus tradens consentiat, sed præter hoc requiritur, quod non sit prohibitus à superiore auctoritatem habente, ut constat ex præjacto nostræ opinionis fundamento. Ad 2. negatur minor, ad probationem dicendum illa jura non asserere contractus injusto metu celebratos irritandos esse, sed declarandos esse jam irritos, & nullos fuisse ab initio, & præcipiendum esse possidenti, ut statim rem traditam restituat, ut suprà dictum est disput. 4. artic. 2. in fine numer. 26. ubi diximus tales contractus invalidos esse non solùm ratione coactionis annexæ, sed præsertim ratione injuriæ illatæ, quæ efficit, ut consensus ab eo præstitus, qui injustè ad contrahendum cogitur, vim sufficientem non habeat transferendi dominium. Ad 3. dicendum cum Amico loc. cit. non omnes contractus ex usuraria pecunia celebratos esse invalidos, sed solùm qui celebrantur inter scientes rem esse usurariam; si autem ab emptore ignoretur rem illam usurariam esse, valebit contractus saltem ex parte emptoris, qui dominium pretii pro re usuraria sibi vendita transfert in venditorem usurarium, licet hic non transferat in emptorem rei usurariæ dominium. Undè in tali casu, inquit Amicus mutuatarium, qui est proprius dominus rei pro usura datæ, semper retinere jus in re, ac proindè posse illam sibi vendicare, ubicunque illa fuerit, non secus ac potest dominus rei furto sublatæ; emptor verò rei usurariæ, si bona fide illam emit, actionem habet personalem in ipsum venditorem pro pretio soluto repetendo. Ad 4. negatur consequentia, alioquin de re furto sublata idem quoque dici deberet, quod si periret absque culpa furis, ipse non amplius ad restitutionem teneretur, quia res amittitur domino; qua ergo ratione adhuc in tali casu fur tenetur ad restitutionem rei furatæ, vel pretii æquivalentis, idem dicendum de usurario, & lucro ultra sortem accepto, quod hoc pereunte adhuc ad restitutionem tenetur, vel æquivalentis.

85 Quæritur ulterius, an usurarius teneatur restituere rem solum per usuram acquisitam, an etiam id, quod per illam acquisivit; quamvis enim conveniant Doctores teneri restituere rem per usuram acquisitam, vel aliam ejusdem rationis, difficultas tamen est de aliis rebus per rem usurariam acquisitis. Cui quæsito communiter respondent, non teneri usurarium restituere lucrum, quod ex re usuraria propria industria comparavit, & rationem assignat D. Tho. 2. 2. q 78. art. 3. ad 3. quia tale lucrum est fructus industriæ usurarii, tanquam causæ principalis, non pecuniæ, quæ per se sterilis est, quam doctrinam Doctores etiam ad furem extendunt, qui neque tenetur lucrum ex re furtiva industria propria comparatum domino restituere, sed tantùm rem ipsam furto sublatam, quod declarant exemplo artificis utentis instrumento alterius arteficis ipso invito, qui esto peccet utendo tali instrumento invito domino, id tamen quod mediante tali instrumento acquirit, facit suum, undè non tenetur domino restituere, nisi instrumentum, non autem opus artificiosum ipsius industria factum, ut colligitur ex §. *Cum aliena*, & §. *Quod si partim* Inst. de rerum divisione. Si verò lucrum factum ex re usuraria fructifera, non solùm res usuraria dominio restitui debet, sed etiam fructus ipsius, nam sicut dominium usurariæ rei fructiferæ ad mutuatarium pertinet, ità etiam fructus illius, undè si quis domum, vel agrum per usuram acquisivit, ex quibus aliquos fructus percipit, non solùm tenetur domum, & agrum restituere, sed etiam fructus, deductis tamen expensis, & illo, quod correspondet particulari industriæ usurarii. Dices, etiam fructus agri, & domus, esse fructus humanæ industriæ, nisi enim usurarius domum locaret, vel agrum coleret, nullus ex illis perciperetur fructus. Ergo ob eandem rationem illos restituere non tenetur. Negatur paritas, ut enim Caspensis observat disput. 3. sec. 12. nu. 95. isti non sunt fructus humanæ industriæ eo modo, quo est lucrum ab usurario acquisitum mediante pecunia usuraria; in agro enim est vis fructificandi ex se, quamvis ad ejus fructificationem requiratur, tanquam conditio necessaria, quod colatur, qua propter fructus verè, & propriè dicuntur effectus ipsius, ut causæ principalis, non autem colentis, qui solùm se habet, ut conditio sine qua non; at in pecunia non est vis fructificandi ex se, cùm suapte natura sit sterilis, neque lucrum ex ea preceptum est proprius ejus effectus, sed industriæ negotiantis, & ipsa pecunia se habet solùm, ut instrumentum negotiationi inserviens, quo mediante industria negotiatoris, ut causa principalis, lucrum acquirit. Et hoc totum etiam ex Scoto colligitur d. 15. q. 3. art. 2. vers. *De tertio* dum explicat conditionem illam restitutionis *Quid sit restituendum*, ut Faber quoque advertit disp. 79. cit. c. 2. n. 47. & Vulpes disp. 109. ar. 13. docet enim ibi Doctor, non solum teneri quemlibet ad restituendum rem ablatam, vel usum rei, sed etiam ad interesse, idest, damnum emergens, & lucrum cessans, & fructum ex re perceptum, si res erat fructifera; sed non fructum, qui provenit ex industria ejus, qui utitur illa re, ex quo deducit, quod lucrum acquisitum ex pecunia fœnebri fœnerator reddere non tenetur.

86 Verùm Hiqueus d. 15. q. 2. art. 3. n. 158. ex hoc infert dominium pecuniæ usurariæ transire in dominium usurarii, quia si dominium ejus non transiret, sequitur quod neque usus, qui consequitur, quia hic sequitur ad dominium, cùm non per modum mutui sed debiti transferatur pecunia à mutuatario; ergo neque fructus consequens ex pecunia per alium contractum legitimum facit suos. Si dicas pecuniam esse ex se sterilem, ac proindè fructus illos esse propriæ industriæ usurarii, non verò pecuniæ. Contrà replicat, quia usurarius non habet jus ullum lucrandi per pecuniam non suam, sive quoad usum sive quoad dominium. Respondetur negando consequentiam, quia neque fur dominium habet pecuniæ per furtum sublatæ, & tamen

non

non tenetur lucrum ex re furtiva propria industria comparatum domino pecuniæ restituere, ut suprà dictum est communi Doctorum, sed tantum pecuniam ipsam furto sublatam; tantò ergo magis non tenebitur usurarius restituere mutuatario, quod ipse sua industria ex re usuraria comparavit, sed tantum rem ipsam ex usura acquisitam, ac etiam damnum emergens, & lucrum cessans, quæ patitur mutuatarius, eo quod illas usuras solvit, quia usurarius est causa talis damni emergentis, & cessationis lucri, retinendo pecuniam, sive usuram invito domino.

ARTICULUS SEXTUS.

An liceat pecuniam accipere mutuo sub vsura.

87 RAtio dubitandi est, quia inter cooperantes usuræ ipse quoque mutuatarius aliquo modo connumerari posse videtur, quatenus petendo mutuum etiam aliquo modo peccato mutuantis cooperari videtur, & illi materiam, & occasionem peccandi præbere. Conveniunt autem Doctores eum non peccare peccato injustitiæ propriè dicto, cùm justitia, & injustitia ad alium esse debeat, & non ad seipsum, undè sola difficultas est, an peccet contrà charitatem peccato scandali propter occasionem peccandi, quam usurario præbet, & offert. Scotus hanc difficultatem ex professo non tractat, sed solùm supponit d. 15. cit. q. 2. art. 2. indigenti licere pro mutuo obtinendo lucrum offerre, si credat non posse aliter mutuum obtinere, dummodò intendat solùm suæ necessitati providere, non autem ad usuram inducere, nec usuris favere. Ad cujus Scotistæ doctrinę majorem declarationem Vulpes noster disp. 109. art. ult. tres statuit conclusiones. Prima est nullo modo licere pecuniam alterius mutuo cum usura directè accipere sine necessitate manifesta primariò movente; quia in tali casu manifestè usurarius esset, præsumeretur enim usuram primariò intendere potens tum physicè, quam moraliter eam præcavere, saltem ne mutuator eam exerceat. Secunda est, pro sola utilitate prorsus illicitum esse, ac mortiferè peccaminosum pecuniam alterius sub usura expetere, quia qui petit pecuniam sub usura, activè se habet, & mutuatorem ad mutuandum sub usuris inducit, sivè paratus fuerit, sivè non. Tertia est, ab explicitè parato suam pecuniam sub usuris dare, licere pecuniam sub usuris accipere etiam ad consulendum suæ utilitati, siquidem cùm paratum illum inveniat ad usuram committendam, non præsumitur illum inducere ad peccandum. Pro resolutione.

88 Primò dicendum est, mutuatarium licitè accipere posse mutuum, quod petit absolutè mutuans verò dare noluit, nisi sub usuris. Hæc est communis inter Doctores, quam docent Valentia, Sanchez, Reginald. Lugo, Bonac. Caspensis, & alii passim. Ratio est, quia id licitè peti potest, quod licitè præstari potest, sed usurarius licitè potest dare mutuum absolutè loquendo, ergo etiam sic absolutè peti potest absque peccato, quia in hoc casu mutuatarius passivè solùm se habet, & non activè, non enim petit, quod malum est & illicitum, sed quod licet; si autem mutuans non vult dare, nisi sub usuris, illi soli culpa imputari debet, non verò petenti, qui licitè potest illas permittere, & dare mutuanti alio modo mutuare nolenti.

Confirmatur, quia qui mutuum absolutè petit, quod mutuans non nisi sub usuris dare voluit, quando postea eas solvit, non peccat, quia non præbet materiam necessariam peccati, neque peccatum suadet, siquidem usurarium non obligat, ut accipiat, sed stando promissis dat usuras, quas adhuc oblatas ex promissione mutuans recipere potest, & non recipere atque ideò mutuatarius usuras solvens materiam necessariam peccati non præbet, neque peccato consentit.

89 Secundò dicendum est, licitum etiam esse petere mutuum ab illo, quem mutuatarius scit non sine usuris esse daturum, dummodò absolutè illud petat præsertim si tale mutuum, dummodò absolutè illud petat præsertim si tale mutuum sit utile petenti. In hac etiam conclusione Doctores communiter conveniunt, & ratio est, quia quando aliquid ab aliquo petitur, quod ipse benè, vel malè facere potest, & sua culpa malè facit, licitè petitur, & sua culpa illi peccatum imputatur, non verò petenti; sed quando mutuum petitur absolutè etiam à parato, & consueto dare usuras, petitur res, quam ipse benè, vel male facere potest, sua culpa, & malitia malè facit, si illud sub usuris præstat, ergò in tali casu peccatum usurario imputari debet, non verò petenti; quia ipse quoque licitè actum illum facere potest dando mutuum gratis, & sine usuris; undè ex malitia ipsius præcisè provenit, ut illicitè fiat, & ipsi soli tale peccatum est imputandum, nam qui petit absolutè mutuum, non offert illi materiam peccati necessariam, siquidem res quæ petitur potest licitè, & illicitè ab eo fieri, undè petens solùm permittit illius opus, neque ad peccatum illius cooperatur.

90 Tertiò Dicendum est, non licere mutatario petere ab usurario mutuum sub usuris, etiamsi usurarius paratus sit dare sub usuris. Ità Salas, Aragon. Rebellus, Azorius, Bonacina, Caspensis; & alii quam plures contrà Valentiam, Molinam, Bannem, Sanchez, & Vulpium nostrum loc. cit. concl. 3. Ratio est, quia petere non licet, quod alter sine peccato facere non potest, hoc enim esset alium inducere ad peccandum. Sed usurarius non potest mutuum tradere sub usuris absque peccato, ergo mutuum petere non licet sub usuris ab usurario. Neque obstat quod sit paratus illas exercere; cum enim dare mutuum sub usuris sit intrinsecè, & ex suo genere malum, non potest ad illud induci etiam paratus sine culpa, quemadmodum non licet meretricem ad meretricium paratam ad illud inducere, quia inducitur ad faciendum, quod est peccatum, atque ità ex parte inducentis iam vult peccatum. Addunt tamen præcitati Auctores id licitum esse in extrema necessitate, & in tali necessitate constitutum non peccare, si mutuum petat sub usuris ab usurario aliter nolente mutuum tradere, ex Innoc. c. *Super eo* de Usuris; & ratio est, quia in tali casu proponit materiam minoris mali ad vitandum majus juxtà regulam in talibus casibus constitutã, quod de duobus malis minus est eligendum; minus autem malum est dare ad usuram, quam permittere, ut existens in extrema necessitate intereat, quoties sublevari potest; Dubium tamen est, an id etiam licitum sit in casu alterius notabilis necessitatis, quam vis extrema non esset, de quo varii varia dicunt.

91 Quartò dicendum est, satis probabile esse indigentem pecunia ob aliquam necessitatem licitè posse pecuniam ab eo exigere sub usura quem scit aliter non esse daturum mutuo, nisi ipse illi usuram offerat, dicendo, Da mihi mutuo centum, & reddam tibi centum, & decem, vel da mihi mutuo centum, & vide, quantum vis tibi insuper restituam. Ità Molina, Sanchez, Caspensis, & alii, quod satis consonum videtur Scoto loc. cit. cùm innuit indigenti licere pro mutuo obtinendo lucrum usurario offerre, si credat non posse mutuum aliter obtinere, dummodò solum intendat suæ necessitati providere, non autem ad usuram inducere, nec usuris favere. Ratio est, quia in tali casu objectum petitionis non est actio usurarii mutuum dantis sub usura, quæ est intrinsecè mala; sed est mutuum ipsum, quod petitur pro necessitate occurrente, quod autem petatur sub usura, seù cum oblatione usuræ, est permissivè, non autem inductivè, nam sensus verborum illius promissionis in eo casu talis est, Da mihi mutum, sed quia certus sum te illud mihi non daturum, nisi sub usuris, id tibi permitto, ut meæ necessitati consulam; hoc autem objectum sub tali forma, & conditione non est intrinsecè malum, ideoque licitè peti potest, ac desiderari, non enim hoc est desiderare peccatum alterius, quod ex charitate impedire teneatur, sed medium consulendi propriæ necessitati, in tali casu non videtur cooperari malitiæ mutuatoris, sed illius peccatum permittit, ut propriæ necessitati consulat, ac provideat. Ex quo constat aliquam debere esse necessitatem ex parte mutuatarii, ut possit ratione illius mutuum petere, vel accipere sub usuris ab eo, qui non vult alio modo dare.

92 Qualis autem, & quanta hæc necessitas esse debeat, ut hæc petitio mutui sub usura fieri possit licitè, & sine peccato saltem mortali; aliquid dicunt quamcunque necessitatem sufficere, atque ideò peti posse mutuum sub usura prædicto modo ob bonum utile proprium, vel alterius, ut ad convivia vel spectacula honesta juxtà proprii status exigentiam. Ità Cajetanus, Reginaldus, Bannes, Molina, Valentia, Sanchez, Salas, Azorius, Arragon, Navarrus, Bonacina; & alii plures, quorum aliqui ulterius addunt talem petitionem mutui sub usura sine peccato saltem mortali posse fieri absque ulla etiam necessitate ad vana, & inutilia, ut ad superfluas epulas, ad ludos otiosos, & similia. Quod additum minimè placet, quia ut ait Bonacina q. 3. cit. punc. 13. num. 3. petens mutuum ab usurario, quem scit non nisi sub usura daturum, ad vana, & inutilia, nullam justam habet causam, ob quam mutuum cum peccato usurarii petere possit, & consequenter graviter peccat, cùm censeatur peccato illius cooperari, & scandalum non evitet, ac ruinam proximi, quam ex charitate evitare tenetur; quoties eam ex justa causa permittere non potest; non ergo nisi ex justa, & rationabili causa talis petitio fieri potest, ut causa vitandi rixas, vel consulendi propriæ æstimationi, aut proprio commodo. Ex quo patet differentia inter promissionem usurarum, ac ipsarum solutionem, & inter receptionem; etenim si promissio, vel solutio usurarum ex justa causa fiat, non est mala, quia qui promittit usuras cum juramento tenetur eas solvere ut notat Bonacina loc cit. ex c. *Debitores* de jure jurando; ergo qui eas promittit, vel solvit, non peccat, alioquin eas solvere non tenetur, cum juramentum de re illicita non sit servandum, nec obligationem inducat; receptio verò usurarum ex parte usurarii est intrinsecè mala, & contrà justitiam, cùm sit acceptio rei,

quæ

quæ non debetur. Patet denique prorsus falsum esse, quod ait Poncius, licere mutuum petere sub usuris etiam ad res illicitas.

93 Quæres, quæ obligatio, & pœna sit usurariorum, & cooperantium. Resp. cum communi Doctorum usurarium etiam non manifestum, ac ejus hæredes ad restitutionem teneri, imò etiam omnes illos, qui ex parte usurarii positivè, & efficaciter cooperantur ad usuras, ut v. g. Judices, Domini temporales, notarii, advocati, & famuli, qui quovis modo juvant vel cogunt mutuatarios ad usuras solvenda. Usurarius verò publicus, & notorius ad communionem altaris admitti non debeat, nec absolvi, donec usuras restituat, neque in loco sacro sepeliri, & qui scienter sepelit, ipso facto est excommunicatus. Ità sancitum est in Concil. Later. sub Alexandro Tertio, & refertur cap. 3. & 5. de usuris ubi Pontifex ait *Constituimus, ut usurarij manifesti nec ad communionem admittantur altaris &c.* undè nulla pœna contrà usurarios in jure lata ab iis incurritur, nisi manifesti autem, & notorii ex conmuni DD. sententia; manifesti autem, & notorii dicuntur, qui sunt notorii jure, vel facto, ut cum pluribus Canonistis docet Silvester verbo *Usura* qu. 1. Plura quoque alia de usuris tractari solent, quæ ad Juristas potius spectant quàm ad Theologum.

QUÆSTIO TERTIA.

De Censibus, & Cambiis, ac Societate.

94 HActenus de contractibus principalibus actum est de quibus differit Doctor loc. cit. de cæteris verò minus principalibus, qui ad illos reducũtur, ut dictum est d. 4. qu. 1. ar. 1. n. 4. ex professo non agit Doctor, sicut nec alii antiquiores Theologi, fortè quia tunc erant non in usu, vel quia regulæ jam assignatæ in principalibus contractibus servandę sunt etiam in aliis posterioribus ad illos reducibilibus, ut ipsi quoque sint justi: illæ siquidem sunt regulæ generales justitiæ quæ est particularis virtus, & in hoc versatur, ut in datis, & acceptis servetur æqualitas, & ideò alii contractus, Census, Cambii, Societatis, & cæteri, de quibus in seq. juxtà prædictas regulas instituendi sunt, & regulandi, ut justi censeantur. Quamvis autem de his reliquis contractibus Antiquiores Theologi pauca scripserint, quia tamen Recentiores cum Canonistis, & Jurisperitis plura tradiderunt, quæ ad regulandam cujuscunque conscientiam sufficiunt, de his nos quoque breviter agemus principalia solùm puncta tangendo.

ARTICULUS PRIMUS.

Quid, & quotuplex sit census, & de pertinentibus ad ejus naturam.

95 PRimò nomen Census à censendo dicitur, seù æstimãdo, variasque habet significationes, ut apud Recentiores communiter videri potest, in præsenti verò accipitur pro pensione, seù redditu annuo, vel menstruo, vel alio simili ex re aliqua utili, & fructifera; undè talis contractus initur cum quis certa summa pecuniæ, v. g. scutorum centua emit ab alio jus percipiendi quotannis ex bonis ipsius, aut certa aliqua re sua utili sivè fructifera certam aliquam pensionem, v. g. scuta quinque annua, vel sex, prout consuetudine, vel lege taxatum erit. Itaut hic non sit mutuum, & usura, sed vera emptio, & venditio, qua emitur non precisè illa pensio, sed jus eam percipiendi, quod longè minus valet, ideoque minoris emit, licet post multo annos pretium longè superet; v. g. obligat se Petrus Paulo ad conferendam ei certam partem fructuum propriæ vineæ singulis annis, itaut dominium directum vinæ, super quam census fundatur, & constituitur, maneat apud venditorem, dominium verò utile, seù jus usufructus ex parte vendatur; jus itaque quod habet Paulus in partem usufructus talis vineæ, & eam pensionem percipiendi, dicitur census, & is quidem qui se obligat ad pensionem solvendam censuarius nominari solet, is verò, qui jus habet percipiendi, Censualista; Undè census definiri solet, quod est *Jus percipiendi pensionem aliquam ex re alterius vtili, & fructifera*, in qua dicitur census constitui, & fundari. Dicitur *jus* quia census non est res, quæ censui subiicitur, nec pensio quæ solvitur, sed est jus exigendi pensionem, & redditum illum; *per pensionem* autem intelliguntur fructus annui, vel menstrui, aut aliquo alio tempore solvendi, sivè in pecunia, sivè in aliqua alia re visibili. Dicitur *ex re alterius vtili, & fructifera*, quia census super re sterili, & non fructifera creari non potest, & res debet esse alterius, quia nemo è sua re pensionem exigit, cùm exigere respectum dicat ad alterum, qui solvere debet.

96 Secundò ex his colligitur, quomodo contractus censualis differat ab emphyteutico, quoniam in isto non totum dominium manet apud emphyteutam, sed tantum dominium utile, seù usufructuarium; dominium verò directum ac proprietatis manet apud concedentem. In contractu verò censuali totum dominium tam utile, quàm directum rei, ex qua pensio solvenda est, apud censuarium manet; at apud Censualistam manet jus duntaxat exigendi ex ea re certam pensionem, quæ est quasi pars juris, quod in eadem re censuarius habet. Colligitur etiam discrimen contractus censualis à contractu emptionis, & venditionis, quoniam in hoc tota res vendita cum suo jure, & dominio in emptorem transit, apud quem manent pericula, & commoda rei emptæ, undè si perit, soli emptori perit, quod si melioratur, eidem quoque melioratur. In contractu verò censuali tota res censui subjecta cum toto suo dominio apud venditorem manet cum obligatione tantùm solvendi annuum, aut menstruum censum emptori, cui etiam periculum rei censuatæ commune est cum venditore. Undè si perit, non solùm venditori perit, sed etiam emptori quoad jus exigendi annuam pensionem, undè in tali casu liber manet venditor à restitutione pretii pro censu accepti. Commoda verò sunt solius venditoris, undè si res censui subjecta melioratur, soli venditori melioratur, non emptori, cui nihil ultrà assignatum censum ex tali melioratione augetur. Colligitur tandem discrimen contractus censualis à contractu mutui, nam duæ præcipuæ conditiones sunt in mutuo, quæ in censuali contractu non interveniunt. Una est, quod qui da mutuum alteri, facta quacunque in rebus mutuatarii mutatione, semper habet jus super personarum illius, at in censuali contractu; si res illa perit super quam pensio fundatur, licet vendens pensionem alia bona habeat, remanent liber ipse, & illa alia bona à solutione pensionis. Altera est, quod est in potestate, & arbitrio mutuantis pecuniam mutuo datam repetere quandocunque voluerit, nisi cum mutuatario convenerit de determinato tempore solutionis; at in censuali contractu emens censum pecuniam datam repetere non potest, & sortem princpialem, qua pensionem emit, vel jus ad eam; sed solùm est in potestate vendentis reddere, quando voluerit. Ità DD. communiter infrà citandi.

97 Tertiò, quamvis aliqui antiquiores Theologi, & Juriste contractum censualem damnaverint tanquam usurarium, quia ille contractus est usurarius, in quo pro mutuo aliquid ultrà sortem accipitur, ut patet ex definitione usuræ talis autem est contractus censualis, nam qui centum aureis emit jus ex eis singulis annis accipiendi decem, intrà annos undecim totam sortem accipit, & ultrà illam decem aureos, ergò ex mutuo aliquid ultrà sortem accipit, ac proindè usuram committit. Nihilominus ex communi Doctorum sententia census licitè ómninò vendi; ac emi potest, quantum est ex natura census, nisi injustitia aliundè accidat. Et probatur in primis ex praxi communi, quia hujusmodi contractus, tanquam liciti ex natura sua reputantur, undè in extravagantibus, quinque summorum Pontificum Martini V. Nicolai V. Calisti III. Pauli III. & Pii V. hujusmodi contractus approbantur quibusdam circumstantiis appositis, quod utique fieri non potuisset, si ex natura rei essent illiciti. Deindè probatur ratione, quia licitè potest quis vendere jus percipiendi fructus, vel redditus ex re propria, & alius emere, licitè enim potest quis legare alteri usumfructum rei propriæ, ut constat ex L. *Omnium prædiorum* ff. de Usufructu; at contractus censualis consistit in venditione juris percipiendi reddi tus ex parte unius, & emptione ejusdem juris ex parte alterius; ergo contractus censualis licitus est, cùm in tali emptione, & venditione consistat. Tandem jus, quod habet quis ad utilitatem percipiendam ex aliqua parte suorum bonorum, est pretio æstimabile, sicut etiam jus, quod habet ad rem totam, cujus est dominus; ergo potest tale jus per venditionem mediante censuali contractu transferri in alterum pro pretio, non minus, quam possit per rei venditionem in alterum transferri jus, & dominium, quod quis habet ad rem totam, si eam, vendat.

98 Ad rationem in oppositum negatur minor, & ad probationem negatur eum, qui ex jure empto per contractum censualem quotannis accipit decem, illos ex mutuo accipere, quia eos accipit ex jure empto sicut qui ex prædio empto cum pacto de retrovendendo aliquos accipit fructus, utique non ex mutuo illos accipit, sed ex re empta, ideoque tempore redemptionis, ac revenditionis fructus perceptos usque ad tempus illud venditori restituere non tenetur; ità ergò in proposito qui ex jure empto per censualem contractum certam quotannis pensionem accipit, illam restituere non tenetur, quia eam non accipit ex mutuo, sed ex jure empto. Undè suprà dicebamus inter censualem contractum, & mutuum hoc interesse, quod in mutuo maneat in ipso mutuante potestas repetendi, quando placuerit, vel ad

certum

certum tempus determinatum rem mutuatam; & præterea, quod ea pereunte, nil mutuanti pereat, sed mutuatario, in emptione autem census nec in emptore manet potestas repetendi pretium pro re empta solutum, nisi quando est pactum de retrovendendo in favorem emptoris, nec ea pereunte quid venditori perit, sed emptori; ac proindè diximus in hoc contractu mutuum non intervenire.

99 Quartò, si consideremus solum jus naturæ, ex omnibus rebus census vendi potest, & institui; ex quibus venditor verè habet jus percipiendi utilitatem, cujus pensionem vult vendere, nam ex quibuscunque rebus habeatur tale jus aliquam utilitatem percipiendi, est id jus pretio æstimabile, atque ideò ex quibuscunque hujusmodi rebus institui potest, præsertim si usu ipso non consumuntur, sed usus distinguitur à substantia rei, ut sunt animalia, quorum opera utimur, jure enim naturali non prohibetur fundari census super illa, sicut neque super ipsam hominis personam, quando ejus opera sunt pretio æstimabilia, undè videmus operam servi locari, & ipsum hominem liberum posse seipsum vendere Cæterum juxtà jus positivum nimirum extravagantem Pii V. editam anno 1568. 14. Kalendas Februarii circà materiam censuum inter alia præscribitur ut census non creetur, neque instituatur, nisi ex re immobili, natura sua fructifera, certa, determinatis finibus assignata; Undè in virtute Bullæ hujus Pontificiæ census non potest institui in animalibus, vino, oleo, tritico, & similibus, quia res hujusmodi sunt mobiles, & ideò à Pontifice excluduntur à ratione fundandi censum. Hoc itaque servandum est, ubi illa extravagans obligat, & est in viridi observantia; ubi vero illa non est recepta, opus non est contractum censualem juxtà ipsam celebrare, sed sufficit, si juxtà legem, & consuetudinem locorum celebretur, dummodò ea consuetudo juri naturali, aut divino nõ repugnet, ut ait Bonacina disp. 3. q. 4. punct. unic. n. 4. cum pluribus aliis.

100 Quintò, conveniunt Doctores, posse vendi censum, seù jus recipiendi pensionem non modò fructuaria, sed etiam pecuniariam, idque non solùm, quando ea res, quæ venditur, non solum habet alium fructum, quam pecuniam, ut domus v. g. sed etiam quando est fructuosa, ut ager, vel vinea; ratio est, quia dominus rei fructiferæ hoc ipso, quod habet jus ad percipiendos fructus ex illa, habet etiam jus saltem mediatè ad pecuniam ex illa percipiendam; ergo sicut potest per venditionem jus immediatum, quod habet in fructus in alterum transferre, ità & jus quod mediatè habet in pecuniam, quia potest æquivalens pro æquivalenti solvi, ut patet in permutationibus rerum, in quibus una res permutatur pro altera; ergo licita erit pecuniæ solutio pro solutione fructuum, cui pecuniæ solutio æquivalet. Ità Conradus de Contractibus q. 75. & est aliorum communis. Conveniunt etiam posse censum institui non solùm in re naturaliter fructifera, ut in agro, aut vinea, sed etiam in re per industriam, & artificiosè tantùm fructifera, ut in censu pecuniario. Ratio est, quia per talem contractum proximè, & immediatè non emitur pecunia, sed jus certo tempore exigendi pecuniam fundatum in re, non quidem naturaliter, sed per industriam, & artificiosè fructifera, undè etiam in tali casu merx distinguitur à pretio, nec nummi nummis emuntur. Ita Navar. de Usuris num. 87. Conveniunt rursus posse vendi jus percipiendi non modò pensionem certæ quantitatis, sed etiam incertæ, ut tertiæ partis fructuum vineæ v.g. vel pecuniæ, quam aliquota pars fructuum valebit. Ratio est, quia hoc etiam jus ad incertam pensionem est pretio æstimabile; ergo considerata spe fructuum, periculo &c. poterit juditio prudentum pretio justo vendi, & emi. Conveniunt tandem posse vendi censum, sivè in perpetuum, sivè ad tempus certum, ut decem annos v.g. sivè ad incertum, ut vita durante Censuarii vel Censualistę, qui census vitalitius dicitur; nam omnibus his modis jus recipiendi pensionem est secundum justitiam pretio æstimabile: & hæc intelligenda sunt solo spectato jure naturæ, nam quid statu tum sit per jus positivum dicemus posteà.

101 Sextò, ex hac diversitate censuum ex parte modi, quo potest constitui, ex parte rei, in qua constituitur, ex parte rei solvendæ & ex parte durationis, quo census solvendus durat, variæ species censuum assignari solent. Primò enim dividitur census ex parte modi, quo potest constitui, generatim in reservativum, & consignativum. Reservativus est, quando quis transfert rem suam in alterum quoad dominium directum, & utile, servata sibi pensione annua super eadem re, qui donatione plerumque fieri solet, & maximè locum habet in beneficiis Ecclesiasticis, quæ aliquando concedi solent cum onere certæ pensionis annuæ vel ad certum tempus, vel in perpetuum, cujus census mentio fit in lege finali C. de rerum permutatione. Census verò consignativus, de quo in presenti discurrimus, & de quo loquuntur Bullæ summorum Pontificum, est contractus, quo quis alteri vendit jus percipiendi annuam pensionem super rebus suis, aut super persona, manente integro dominio tam directo, quàm utili apud venditorem. Hic autem ex parte rei, in qua fundatur, dividitur in realem, personalem, & mixtum. Realis est, qui fundatur super re aliqua, ut domo, fundo, vinea, &c. itaut pensio ex fructibus illius sit solvenda, donec legitimè redimatur. Personalis fundatur in persona, quæ seipsam obligat ad certam pensionem solvendam, non ratione personæ præcisè, ut sic, sed quatenus talis persona potest aliquid acquirere proprio labore, & industria, undè transfert in alterum jus exigendi aliquid, quod ab ipso fuerit acquisitum. Mixtus tandem est qui fundatur super re, & persona immediatè, itaut etiamsi res pereat, persona tamen obligata maneat ad solvendam pensionem, cujus contrarium evenit in censu merè reali, in quo pereunte re, perit similiter census; & hi duo ultimi census, scilicet, personalis, & mixtus jure naturæ sunt validi concurrentibus debitis conditionibus mox aplicandis, sed per Bullam Pii V. irritantur, ut infra patebit. Deindè ex parte rei solvendæ dividitur in fructuarium, & pecuniarium, illum quidem in fructibus, hunc verò in pecunia solvendum, qui rursus dividitur in certum, & incertum, certus est cùm constituitur in pensionem determinata pecuniæ summa, vel fructuum mensura; incertus verò, cùm constituitur solvenda inde terminata v. g. tertia, vel quinta pars fructuum, qui contractus an modò sit licitus constabit ex infrà dicendis. Denique ex parte temporis, vel durationis dividitur census in temporalem, & perpetuum, hic est, qui constituitur ad solvendos redditus in perpetuum, & appellatur irredimibilis itaut à Censuario redimi non possit; etiam quovis pretio oblato, si emptor ipsum redimi nolit, qui etiam census per Bullam prædictam irritatu, ut mox patebit. Temporalis est ille, qui non constituitur ad perpetuos redditus, & reddito pretio accepto potest à censuario redimi, etiamsi Censualista repugnet, & contradicat; & subdividitur in eum, qui certo annorum numero durat, ut ad decem, viginti, aut triginta annos, & in eum, qui incerto annorum numero durat qualis, est; qui in totam vitam mentis, aut vendentis, vel cujusdam tertii emitur, qui census vitalitius nuncupari solet. Ità Bonacina loc. cit. Amicus, Caspensis, qui alios anteriores citant, & Faber ex nostris disp. 47. cit. cap. 10.

102 Septimò, conveniunt Doctores, conditiones, quæ jure naturæ requiruntur in censu, esse illasmet, quæ requiruntur in emptione, & venditione, scilicet, mutuum consensum contrahentium; ut jus quod venditur sit in re vendibili; & ut sit justum pretium, quibus accedunt omnes aliæ conditiones, quæ sunt à Principe institutæ, vel à Pontificibus, de quibus posteà Justum autem precium cujuscunque census est illud, quod lege statutum fuerit, vel judicio prudentum, & proborum tanti æstimabitur, quanti jus ipsum recipiendi censualem pensionem, attenta conditione rei, ex qua census emitur, emitur, & emptoris, ad quod emititus, & quantitate pensionis solvendæ, aliisque rationibus communibus cognoscendi justum pretium in quacunque emptione, & venditione, est enim de censibus judicandum, sicut de aliis mercibus Undè jure naturæ præter illas conditiones, quæ generatim ad justitiam emptionis, & venditionis requiruntur, considerando simplicem naturam censualis contractus, alia conditio præter illas necessaria non videtur, nisi ut venditor absque consensu emptoris, seù Censualistæ rem censui subjectam non alienet, eam transferendo in aliquem alium, à quo difficile sit, & periculosum pensiones exigere, in tali enim casu emptori fieret injuria. Quod si rem censui subjectam in aliquem transferre velit, à quo eqùè tuto pensiones exigi possunt, non videtur teneri jure naturæ ad petendum ab emptore consensum, siquidem nullum periculum indè illi imminet. Ità discurunt præcitati DD. de conditionibus ad hunc contractum juræ naturæ spectato requisitis; & quidem jure positivo antè illam extravagantem Pii V. nullæ conditiones requirebantur, nec peculiariter prohibebantur, sed jus naturæ integrum erat. At post extravagantem illam plures conditiones requiruntur, quibus non servatis census aliàs juræ naturæ validus declaratur irritus, atque adeò multa pacta, quæ jure naturæ licent, jure Canonico sunt prohibita, quæ conditiones proindè recensendæ sunt, & declarandæ.

ARTICULUS SECUNDUS.

Quæ conditiones jure Canonico necessariæ sunt ad censum constituendum.

103 EGimus art. præc. de conditionibus jure naturali requisitis ad censum instituendum, quod ubique obligat omnes; modò de iis agendum est, quæ secundum jus positivum canonicum requiruntur. Cùm enim contractus censualis propter affinitatem cum usurario multis esset expositus periculis,

riculis, ad Christi Vicarium spectabat, ut animarum saluti consuleret, occasiones omnes avertere prolabendi in usuras. Quapropter tres Summi Pontifices præsertim Martinus V. Calistus III. & Pius V. specialibus Bullis hujusmodi pericula præcavere curarunt; & quia Bulla Pii. V. quæ est omnium ultima, continet quicquid aliorum Pontificum Bullæ circa hanc materiam statuunt, conditiones in ea appositas ponderare, & declarare oportet, quas in contractu censuario sei vari jubet, & sine quibus decernit ipsum contractum irritum, & fœneratitium habendum. Quæ Bulla, ut suprà dictum est cum Bonacina loc. cit. obligat omnes in conscientia, ubi recepta est; ubi verò non est recepta, opus non est contractum censuarium juxtà ipsam celebrare, sed sufficit si juxtà locorum legem, & consuetudine celebretur, modò ea consuetudo jure naturali, & divino non adversetur. Et ubi Bulla recepta est, contractus censuarius juxtà conditiones in ea præscriptas celebrandus est, quatenus Bulla recepta est, undè si Bulla solùm secundum aliquas conditiones recepta sit, & non secundum omnes, juxta illas celebrandus est; omnis enim lex obligat, quatenus recepta est, & eo modo, quo est acceptata.

104 Prima itaque prædicta bulla decernit *censum, seù annuum redditum creari, constitutive nullo modo posse, nisi super re immobili, aut quæ pro immobili habeatur de sui naturâ fructifera, & quæ nominatim certis finibus designata sit.* Quibus verbis voluit Pontifex excludere census omnes personales, vel mixtos ex personali, & reali, & ideò noluit census constitui, nisi super re immobili, cujus ususfructus partialis directè, & primariò ematur modo jam explicato, quarè census virtute hujus clausulæ non debet fundari super persona, sed super re, quæ sit immobilis, vel pro immobili habeatur, persona autem non est res immobilis, neque pro immobili habetur, cum sit res se movens, & valdè mortalis. Ità Navarrus, Molina, Azorius, Salas, Bonacina, Lugo, Amicus, Caspensis, Faber, & alii Doctores omnes, uno excepto Rubeo nostro in sua Summula disp. 22. de Censibus Resol. 1. ubi ait Pontificem ibi esse locutum de modo fundandi census tantùm reales, non personales, quod ex modò dictis, & communi DD. sententia patet sine ullo prorsus fundamento esse prolatum. Nec obstat, quod census vitalitius adhuc in quibusdam locis videatur esse in usu, quia ut notat Filliucius n. 285. & cum eo Caspensis d. 5. sec. 7. non tanquam census personalis, sed tanquam contractus sponsionis, vel innominati censentur continere justitiam, & æquitatem videlicet, *do ut des* fundati in æquali periculo, & lucro ad arbitrium sortis, & fortunæ, vel incertitudinis vitæ. Per eandem particulam, quod res sit immobilis, declaratur, censum institui non posse in animalibus, vino, oleo, tritico, & similibus, sed super domum, fundum, prædium, vineam, & similibus, aut quæ pro immobili habentur, quarè fundari potest super alios redditus, quia habentur pro immobilibus, & super jura, & officia perpetua, quæ perpetuos habent fructus. Addit ulterius rem, in qua census fundatur debere esse fructiferam, ut apta sit producere tot fructus, quot necessarii sunt ad integrum censum solvendum, quia nullus emeret censum realem in re, quæ culta tantum non redderet, quanta est pensio; & nomine fructus intelliguntur redditus, & proventus omnes, qui ex re immobili provenire possunt, ut domo, molendino &c. Addit tandem rem debere esse certam, & determinatam, ad excludendum census, qui super omnia bona tàm præsentia, quàm futura fundari consueverunt, & ut cognoscatur, quando re pereunte census extinguitur, si enim res illa, super quam census fundatur certis limitibus descripta non esset, sciri non posset quando periret census, & extingueretur.

105 Secundò Bulla decernit, hunc contractum ritè celebrari non posse, *nisi verò pecunia numerata præsentibus testibus, ac Notario, & in actu celebrationis instrumenti, non autem prius, recepto integro, justoque pretio.* Ex quo deducitur non satis esse, ut Censualista pretium census, vel partem ejus solverit antè confectionem instrumenti, nec posse computare debita in pretium, vel ut Censuarius fateatur sibi solutum pretium; nec sufficere, si loco pecuniæ res aliqua æquivalens solvatur, ut v. g. gemma, torques, merx, & similia. Nec sufficere, si contrahentes conveniant, ut in actu celebrationis instrumenti integrum pretium censuario numeretur, sed posteà censuarius illud censualistæ restituat in totum, vel in partem. Et tanto magis illum, qui censum emit credita pecunia, non esse tutum in conscientia, nec pensionem exigeri posse pro pretio non soluto, tùm quia contractus est invalidus, cùm in actu celebrationis instrumenti pecunia numerata non fuerit; tùm quia nullo justo titulo pensionem exigere potest, & contrà justitiam est illam solvere de præsenti pro pecunia in futurum habenda, pensio namque currere non debet, nisi tempore, quo pretium solutum fuerit. Ità Navarrus, Molina, Salas, Azorius, Rebellus, Bonacina, Caspensis, Amicus, Lugo, Faber ex nostris, & alii passim.

106 Tertiò per sequentia verba *Solutiones, quas vulgo anticipatas appellant, fieri, aut in pactum deduci prohibemus* decernit, ne pensiones anticipatæ in pactum deducantur, & ne is, qui emit censum, censuarium cogat, ut sibi pensionem anticipatè solvat, sed tantummodò pro rata temporis lapsi exigat, ut non nisi elapso anno, si census sit annuus, etsi semestris, non nisi semestre elapso, & sic de aliis proportionabiliter; hoc enim juri naturali consonum est, quod dictat non esse solvendum, quod nondùm debetur; tùm quia grave nimis pondus est ad solvendum censum cogi, antequam res censui subjecta fructus ferat, ex quibus venditor possit censum, pensionemque solvendam desumere. Non intendit tamen Pontifex ob id prohibere, quin censuarius possit sponte anticipatè solvere, undè si ità anticipatè solveret, quia fortè in fine anni non ità commodè poterit, non ob id Censualista illam recipiens injustus, & usurarius esset censendus talem pensionem anticipatam recipiens, quia per hanc clausulam Pontifex solùm prohibere intendit anticipatas solutiones ex pacto, ac proindè ex obligatione, & debito, non autem liberè, & spontaneè à venditore census factas, & oblatas. Ità etiam præcitati Auctores.

107 Quartò Bulla decernit *Conventiones directè, aut indirectè obligantes, ad casus fortuitos eum, qui aliàs ex natura contractus non tenetur, nullo modo valere*, ut si emptor obliget venditorem, ut etiamsi casu rem censui subjectam perire contingat, nihilominus solvere teneatur fructus, invalidum est tale pactum, quia censuarius ex natura contractus de casu fortuito non tenetur, sed pereunte re censui subjecta in totum, vel in partem, perit etiam census ad ratam, ut ex eadem Bulla constat. Et hac clausula, & conditione secundum aliquos non solùm prohibentur conventiones obligantes ad casus fortuitos circà rem ipsam censui suppositam, sed etiam circà fructus, ut non modò nequeat censuarius obligari ad censum solvendum pereunte re, in qua est fundatus, sed neque ad eundem solvendum anno, quo fructus fortuito pereunt, addentes, quod etiam facta re censui supposita multis annis infrugifera in totum, vel in partem, pensio etiam perit ad ratam, dummodò hoc accidat absque censuarii culpa, quia si ejus culpa res fieret infrugifera, census non periret, & fructus adhuc teneretur solvere, quia talis casus non censetur fortuitus. Probabilius tamen est, cum Navarro, Azorio, Salas, Bonac Casp. & alii, manente re, & non reddita infructifera, quamvis aliquo anno casu fortuito fructus non ferat, nihilominus pensionem etiam eo anno deberi, aliàs semper lites essent, & contentiones inter partes, centuario contendente anni sterilitatem, vel fructus casu fortuito periisse, & censualistis valdè onerosum esset quotannis de hac re disputare, & contendere. Conveniunt tamen omnes, censualistam posse fidejussionem, & assecurationem census empti petere ad securitatem venditionis, & solutionis, itaut si res vendita sit aliena, aut alteri censui subjecta, res posterius supposita succedat in locum prioris, ratio est quia censualista jus habet consulendi suæ indemnitati per fidejussores, & alia licita media, ac etiam quia non constat hoc esse vetitum à jure, sicut est vetitum obligare censuarium ad casus fortuitos, itaut re pereunte, vel facta infructifera teneatur solvere pensionem.

108 Quintò per aliam clausulam prohibet *pactum auferens, aut restringens facultate alienandi rem censui suppositam*, & vult censuarium liberam habere potestatem alienandi talem rem absque ulla etiam obligatione laudemii, seù quinquagesimæ, aut alterius quantitatis pro facultate alienandi ab ipso censualista obtenta. Quod certè rationi, & æquitati valdè consonum est, & juxtà naturam hujus contractus, cujus integrum, ac plenum dominium tam utile, quam directum sicut est penes censuarium, ità penes eundem erit integra, ac plena potestas rem censui subjectam quocunque titulo, sivè donationis, sivè venditionis alienandi, & hoc absque ullo Censuatoris præjudicio, quia obligatio census semper rem illam comitatur, in qua fundatur, & ad alium dominium transfertur. Undè etiam infertur non teneri ex pretio laudemium solvere domino census, cùm hoc sit solius Emphyteusis proprium, ut in dominii directi recognitionem Emphyteuta teneatur ex pretio juris utilis venditi laudemium solvere domino proprietario; in proposito autem emptor census non est dominus rei, in qua fundatur, sed tantùm juris ad pensiones ex ea solvendas. Ut autem Pontifex indemnitati Censualistæ prospiceret, addit in eadem clausula. *Ubi autem res vendenda sit, volumus Dominum census omnibus aliis præferri, eique denuntiari conditiones, quibus vendenda sit, & per mensem expectari*; atque ità non vult censuarium posse rem ipsam censui subjectam vendere, nisi prius admonito censitore, atque eo ad mensem expectato, quod facit, ne ipse censitor conqueri possit, si à secundo domino rei subjectæ censui, qui censum solvere tenetur, commodè exigere nequeat, hoc enim censitor sibi imputare debebit, cùm ipse admonitus rem censitam iis-

dem conditionibus emere noluerit, & in ejus venditionem consenserit. Ità Azorius, Amicus, Caspensis, Bonacina, Lugo, Faber ex nostris, & alii communiter.

109 Si verò censuarius non admonito censualista rem alteri vendidit, poterit censualista priorem censuarium in judicio convenire, & ab eo annuum censum exigere, imò & repetere rem censitam venditam ipso irrequisito, quia censualista ex vi prædictæ clausulæ habet jus prælationis; cui censuarius præjudicare non potuit per contractum celebratum absque consensu ipsius censualistæ, ut advertunt Molina, Bonacina, & alii. Verùm censualista admonito, & emere recusante, poterit censuarius alteri, aut etiam pluribus rem censitam divisam vendere, translato census onere in emptores, quibus non solventibus non ob id tenebitur censuarius prior, qui rem vendidit, pensionem solvere, quia censuarius rem justè alteri vendidit, onusque in alium transtulit, & hoc sibi censualista imputare debet, cùm ipse requisitus rem censitam emere noluerit, & in ejus venditionem alteri consenserit. Sed Dubium est, an si res censui suppositа divisa in plures transeat dominos, possit censualista totum census in solidum à singulis, aut partem tantùm census à singulis exigere.

Affirmat aliqui in tali casu pensionem exigi posse in solidum à singulis emptoribus rei censitæ, quia sicut multiplicatis hæredibus non debet conditio creditoris deterior fieri L. 2. §. ex his ff. de verborum obligat; ità multiplicatis emptoribus rei censitæ conditio censualistæ deterior fieri non debet. Ità Molina, Lessius, Navarrus, Amicus, & alii. Probabilius tamen est in tali casu debere censualistam à singulis emptoribus pensionem ad ratam, non verò à singulis in solidum exigere supposito quod censuarius res vendiderit censui subiectas censualista admonito. Ratio est, quia sicut tota res transit cum toto onere, ità pars rei transit cum onere partis, undè si pars rei censitæ pereat, dicitur etiam census perire quoad partem tantùm, non quoad totum signum evidens in ea parte esse obligationem solvendi pensionem solùm quoad partem, non quoad totum. Ità Covar. Salas, Rebellus, Azorius, Bonacina, & alii passim. Ad rationem in oppositum negatur paritas assumpta, quia censualista hoc incommodum sibi imputare debet, & adscribere, cùm ipse in alienationem rei censitæ consenserit, & ipse requisitus eam emere noluerit, & sub iisdem conditionibus.

110 Sextò deindè prohibet *Pacta continentia morosum census debitorem teneri ad interesse lucri cessantis, vel ad cambium, sive certas expensas, aut certa salaria, aut rem censui subjectam, vel aliquam ejus partem emittere*, quibus verbis prohibetur, ne fiat pactum, quod censuarius existens in mora solvendi censum tempore præfixo, teneatur ad interesse lucri cessantis, aut ad amittendam rem censui subjectam, aut ad expensas, vel quamcunque aliam pœnam. Et hoc prohibuit Pontifex in contractu censuario, ut tolleretur occasio damni, & injuriæ, qua olim censuarii oprimebantur non solventes termino constituto: alioquin de jure naturæ censuarius existens in mora solvendi tenetur ad restitutionem damnorum, quæ censualista patitur ob ipsius moram, & censualista potest horum damnorum compensationem repetere, & de his censuarium convenire. Qua de causa Navarrus, Molina, Bonacin. Caspensis, Amicus, Faber ex nostris, & pluris alii dicunt conditionem hanc non esse intelligendam de expensis, quæ justè exigi possunt, cujusmodi sunt omnes illæ, quas quovis pacto secluso justè censualista exigere posset; cùm enim censuarius his expensis per culpabilem moram injustam causam dederit, ad eas etiam solvendas ex justitia tenetur. Undè censent Pontificem per hujusmodi conditionem prohibere voluisse duntaxat, ne possit censuarius ob moram non culpabilem ad hujusmodi expensas obligari, & solùm vetari exigere quidpiam aliud virtute pacti additi contractui censuali. Item dicunt conditionem hanc non esse intelligendam de lucro cessante intrinseco, quod, scilicet, ex non soluta pensione statuto tempore præcisè provenit, sed extrinseco, quod, scilicet, aliundè provenit; undè si ob culpabilem moram soluti census mihi lucrum cessat, quod ex tali censu habuissem, licitè illud exigere possum; non autem lucrum extrinsecum, quod scilicet, censu præfixo tempore non soluto, aliundè mihi cessaret. Tandem hoc etiam à fortiori asserunt damno emergente, quod, scilicet, per hanc conditionem non excludatur damnum emergens intrinsecum, quod sequitur ex culpabili mora censualis solutionis, quia hujusmodi damnum jure naturæ resarciendum est, sed solùm damnum emergens extrinsecum.

111 In eadem clausula sexta prohibet etiam ulterius pontifex, *& censum augeri, & novum creari super eadem, vel alia re in favorem ejusdem, aut personæ per eam suppositæ pro censibus temporis vel præteriti, vel futuri*, hoc est, ut non possit imponi novus, vel eundem augeri pro pensionibus præteriti temporis, quæ non sint solutæ, vel temporis futuri, quæ sint solvendæ, quæ conditio sequitur ex secunda jam premissa n. 105. de non celebrando hoc contractu, nisi numerata pecunia; emptio enim census prædicto modo non fieret numerata pecunia; & ratio istius conditionis est, ne censuarius censibus censuum opprimatur, & in paupertatem redigatur, sicut accidit ex recambiis, & ex usuris, quamvis alioqui jure naturæ illicitum non esset expensionibus etiam nondùm solutis loco pretii censum augeri. Quo nt, ut hac conditione non prohibeatur, ne possit census augeri pecunia ex annuis pensionibus jam acceptis, si res censui subiecta sit novi census capax, tunc enim fieret numerata pecunia. Neque ex hac conditione ulla injuria creditori resultat, quia adhuc semper debitorem convenire potest coram Judice, & ad solvendos census debitos eum cogere, vel etiam possessionem rei censui subjectæ apprehendere, & retinere, quamdiù sit illi satisfactum. Ità præfati Auctores, & alli passim.

112. Septimò decernit in alia sequenti clausula *Census omnes in futurum creandos re in totum, vel in parte perempta, aut infructuosa, vel in parte effecta ad ratam perire*. Et hæc conditio patet ex dictis præc. a. n. 96. ubi diximus, quod si res censui subiecta perit in totum vel in partem, censum quoque in ea fundatum proportionaliter perire in totum, vel in partem. Tunc autem res perire dicitur, infructuosa reddi, non ex eo, quod duobus, vel tribus annis, ac etiam pluribus fructus non ferat, sed quando facta est impotens ad reddendos fructus in futurum absolutè loquendo, undè prædium v. g. perire dicitur, non si tempestate, aut infausto tempore redditur uno vel altero anno infructuosum, sed si à flumine vicino sit diructum absque ulla spe recuperandum, in hoc enim casu non amplius tenetur censuarius ad pensionem solvendam, & de tali casu Bulla loquitur, quod si res censui subiecta perit in parte, debet minui censui pro ea parte, nec tenetur censuarius censum solvere, nisi pro parte rata, etiamsi pars, quæ remanet plures fructus producat, quam qui sufficiunt ad partem census solvendam, ut communiter Doctores observant; & hoc totum verum est, supposito rem censui subiectam fortuitò perire absque culpa censuarii; nam si ejus culpa periret, adhuc teneretur reddere pretium census, aut illum super alia re immobili constituere. Quod si res destructa v. g. domus, aut molendinum restauretur, an sit censui subiecta, respondet Bonac disp. 3. q. 4. punct. un. n. 28. distinguendo cum Navar. Molina, Azorio, Lessio, Reginaldo, & aliis, vel molendinum reædificatum in totum, vel tantùm per partes; si restauratur tantùm per partes, censetur adhuc censui subiectum, quia remanet idem molendinum, in quo census fuerat constitutus. Si verò reædificatum est in totum, non amplius est censui subiectum, etiamsi ex eadem materia præcedente si restauratum, & ratio est quia cùm diversa sint molendina, etiamsi in eodem situ, & loco, censetur id periisse, in quo census fundabatur, census autem extinguitur pereunte, & destructa re, in qua fundatur, sicut accidens destructo subiecto, in quo subiectabatur.

113 Octavò decernit, *etiam posse pro eodem pretio censum extingui, non obstante longissimi etiam temporis, ac immemorabili, imò centum, & plurium annorum præscriptione, non obstantibus aliquibus pactis directè, aut indirectè talem facultatem auferentibus, quibuscunque verbis aut clausulis concepta sint*. Per quam clausulam prohibentur census irredimibiles, vult enim Pontifex, ut semper liberum sit censuario censum redimere, quoties voluerit, redito eodem pretio, quo vendiderat, non obstante quavis præscriptione, & pacto, atque ideò damnantur census perpetui, qui hoc pacto emuntur, ut nunquam redimantur, nec potest apponi pactum, ut si censuarius intrà tantùm temporis non redimat census, census maneat irredimibilis. Hic autem communiter DD. observant censuum perpetuum non damnari, si majori pretio ematur, quàm æstimentur census, quos censuarius ad libitum redimere potest; quià sicut licitum est emere fundum in perpetuum; ità etiam licitum videtur emere census in perpetuum, justo interveniente pretio, ideoque dicunt censum irridimibilem, qui justo pretio emi consuevit, non comprehendi hac clausula, neque illum intendisse Pontificem auferre. Ità Molina, Navar. Valentia, Lessius, Caspensis, Bonacina l. c. & alii quamplures dicentes, census perpetuos semper fuisse in usu in Ecclesia, ac justos judicatos, quando justo pretio sunt empti. Quod tamen Faber noster disp 47. cit. c. 19. n. 347. non approbat, quia etsi sint justi, cùm pretio justo emuntur, tamen non sequitur, quin aliqua incommoda, & detrimenta Reipublicæ afferant, & occasiones litium ingerant, quæ omnia temporales census non ità facilè consequuntur, ut experientia patet.

114 Nonò deindè decernit Pontifex, *Cum traditione prætii redditus extinguendus erit, per bimestre antè id denunciari ei, cui pretium dandum erit, & post denuntiam intra annum etiam ab invi-*

ab invito pretium repeti posse &c. per quam clausulam vult Pontifex, censuarium qui censum vult redimere, debere duos menses, antequam redimat, denunciare censitori se velle redimere censum, ut de sua pecunia disponere possit, qua facta denuntiatione, & duobus mensibus transactis, si debitor amplius redimere nollet, vult Pontifex, quod dominus census possit ab eo invito pretium census exigere, & hoc intrà annum à die denuntiationis, elapso verò anno non possit amplius pretium exigere, & libertas censuarii quoad talem redemptionem in pristinum redeat. & addit Pontifex extrà casum prædictum, quando scilicet, censuarius admonuit censitorem duos menses, nullo alio pacto, vel conditione ad redimendum censum cogi debere; & hæc eadem conditio habetur in Bulla Martini V. & Calisti III. & est valdè justa, quia si contractui censuali aliquod pactum apponeretur, quo venditor cogeretur ad placitum emptoris censum redimere, talis contractus esset valdè suspectus, de fraude usuraria, & ideò rationabiliter talia pacta à Pontifice hac clausula prohibentur.

115 Postremò in ultima clausula decernit Pontifex *contractus sub alia forma, post hac celebrandos fœneratitios esse*, & quidem rationabiliter, quia sicut forma dat esse rei, eaque mutata res necessariò mutatur, ità contractus censualis celebratus sine forma ab hac Bulla præscripta ruit, & usurarius existimatur saltem in foro externo. An autem omnes conditiones præfatæ necessariæ sint etiam in foro conscientiæ, ut contractus non sit usurarius, aliqui Doctores affirmant eas solùm requiri, quas jure naturæ, seù ex natura contractus necessarias esse diximus art. præ. quamvis in foro externo usurarius præsumatur defectu cujuslibet conditionis in dicta Bulla præscriptæ, pro qua sententia Bonac. l. c. in fine plures Auctores adducit, nec improbabilem judicat. Mihi tamen videtur dicendum cum Caspensi disp. 6. sec. 7. in fine, ubi hæc Bulla recepta non est, omnes contractus censuales, in quibus servantur ea, quæ sunt de jure naturali, & de positivo Regni, aut Provinciæ, in qua fiunt, validos, & licitos esse judicandos; ubi verò recepta est, omninò servandam esse etiam in foro conscientiæ, quia lex justa, & recepta obligat in conscientia, ut dictum est disp. 2. de leg. & hoc deducitur ex dictis ab initio a. n. 103. ubi diximus, quod cum contractus censualis propter affinitatem cum usurario multis expositus sit periculis, ad Christi Vicarium spectabat specialibus Bullis hujusmodi pericula præcavere, & occasiones omnes avertere prolabendi in usuras, ut animarum saluti consuleret; ergò conditiones in præfata Bulla contentæ, & jam declaratæ non tantùm obligant ad validitatem, & justitiam contractus in foro externo, sed etiam in foro conscientiæ interno. Et hoc tandem etiam expresè colligitur ex ultimis verbis Bullæ, ubi Pontifex fideles ad ejus observantiam hortatur, ut *animarum saluti consulant*.

ARTICULUS TERTIUS.

Quid, & quotuplex sit Cambium, & an sit licitum.

116 NOmine cambii, quod à verbo *cambio* derivatur, generaliter sumpto intelligitur permutatio quælibet, cambire namque est unam res cum alia permutare, quod tripliciter in contractibus humanis contingere solet. Primò enim potest una res cum alia permutari, quæ sit diversæ rationis, ut triticum cum vino, vinum cum oleo, à quo permutandi modo humana commercia incæperunt, ut dictum est suprà ab initio disp. hujus q. 1. a. 1. Secundò permutari potest pecunia cum rebus, qui permutandi modus commoditatis causa primò successit. Tertiò tandem permutari potest pecunia, cum pecunia, seù nummus, cum nummo, & talis permutatio intelligitur in præsenti nomine cambii, scilicet, pro permutatione numismatum, undè communiter definiri solet *Permutatio pecuniæ pro pecunia*, & qui dat ad cambium Campsor appellari solet, & qui ad cambium recipit Campsarius. Undè differt cambium ab emptione, & venditione, quod in his pretium est à merce diversum, in cambio autem pretium est idem cum merce, nam eadem pecunia est pretium, & merx simul, & differt etiam à mutuo, quia mutuum, in materia consumptibili esse potest, ut tritico, vino, oleo, &c. cambium autem tantùm in pecunia esse potest; & in mutuo quando fit in pecunia, traditur pecunia præsens cùm dilatione ad solvendum, concessio enim dilationis est mutuo intrinseca; quod non accidit in cambio, ut patet de cambio minuto, in quo de præsenti unum genus pecuniæ traditur pro alio. Quamvis autem cambium non sit emptio, & venditio, reduci tamen potest ad eam, tamquam contractus innominatus ad nominatum magis similem, & est contractus, quo campsor aliquis campsario volenti pecunias cambit cum lucro aliquo præter sortem, & si fiat ob justos titulos tali lucro æstimabiles, non est malus, nec usurarius, ut dicemus.

117 Dividitur autem cambium in verum, & reale, quod, scilicet, legitimum habet titulum ad lucrum ex commutata pecunia gignendum, & in siccum, seù fictitium, quod non est verum cambium, sed mutuum palliatum, & verè, ac propriè usura, & est quando aliquid accipitur ultrà sortem ob dilationem tantùm temporis, & expectatam solutionem, aut quando fingitur solutio alibi facienda, & re vera fit in eodem loco, undè dicitur siccum, quia intrinseco caret humore, idest, titulo ad fructificandum legitimo, & fictitium, eo quod speciem, seù imaginem quandam præseferat cambii, cum tamen re vera sit usura. Cambium reale dividitur in minutum, seù manuale, & in locale, seù per litteras. Cambium minutum est contractus quo minora numismata cum majoribus permutantur, vel è contra, vel permutatur pecunia vetus cum nova, patria cum externa, aurea cum argentea, argentea cum ærea; quod cambium etiam manuale appellari solet, quia de manu eodem loco, & tempore numerata pecunia perfici solet. Cambium verò locale est illud, quo hic accipitur pecunia, ut alibi solvatur, & commutetur pecunia præsens cum absente, quod etiam vocari solet cambium per litteras, quia mitti solent litteræ de loco ad locum, ubi pecunia accipienda est, vel solvenda; & hoc cambium locale duobus præsertim modis fieri solet. Primò modò, quando campsor dat pecuniam hic campsario, ut eam alibi recipiat cum certo lucro, ut si det Cajo centum Romæ, recepturus Venetiis centum, & aliquid supra centum pro lucro. Secundo modo, quando campsor ipse uno loco pecuniam recipit cum certo lucro, ut eam alibi solvat vel solvere faciat campsario per suos correspondentes. Quoniam igitur ars campsoria ex se satis periculosa est, cùm in ea lucrum ex pecunia intendatur, quæ sua natura sterilis est, ac inepta pecuniam parere, & in ea admisceantur sæpè cambia sicca, quæ sunt usuraria, videndum est quibus modis licitè exerceri possit, & quæ cambia licita sint, & quæ illicita, ac damnanda.

118 Primò itaque conveniunt omnes, cambium siccum illicitum esse, ac usurarium, siquidem tanquam tale damnatur à duobus summis Pontificibus Pio Quarto, & Pio Quinto peculiaribus Bull s, quæ incipiunt *Cum sicut accepimus*; *& in eam*, *Pro nostro pastorali officio*, & hoc deducitur ex regula generali superius assignata ad cognoscendum contractum usurarium, quæ talis est, ut omnis ille contractus sit usurarius, & illicitus, in quo ob solam temporis dilationem aliquod lucrum accipitur suprà sortem, ut enim ibi diximus cum Scoto, & aliis Theologis communiter, tempus vendi non potest; & ideò qui ratione temporis in aliquo contractu aliquid ultrà sortem accipit, is revera ex mutuo, & vi mutui præcisè aliquid ultrà sortem accipit, atque usuram committit; ergo omnia illa cambia, in quibus ratione temporis præcisè aliquid ultrà sortem accipitur, sunt usuraria, nisi accedat justus alius titulus, aut lucri cessantis, aut damni emergentis, quia sola temporis dilatio sufficiens non est ad justum lucrum pariendum, ut ex usura constat. Cùm igitur in cambio sicco accipiatur lucrum ob mutuum præcisè, & ob solam solutionis dilationem, & non ob alium verum, & justum titulum, sequitur evidenter cambium siccum esse usurarium. Ità Navarr. Bannes, Salas, Azorius, Valentia, Bonacina, Toletus, Amicus, Caspensis, Faber, Lugo, & alii passim.

119 Secundò conveniunt omnes, cambium reale locale, seù per litteras, quo campsor dat pecuniam hic campsario, ut eam alibi recipiat cum certo lucro, licitum esse, modo non adsit excessus in pretio; pretium autem, seù illud suprà sortem quantum esse debeat, judicari debet secundùm regulas superius assignatas justi pretii in quolibet contractu. Itaq; licitè campsor dat hic pecunias, ut per suos alibi eas cum certo lucro à campsario recipiat, qui alibi pecunias habet, quibus hic, & nunc indiget. Probatur explicando titulos, quibus lucrum hoc justè accipi, & exigi potest. Nam campsarius per tale cambium sublevatur onere, quod subiret transferendo pecuniam absentem ad locum, ubi eam accipit, quia dum campsor numerat hic pecuniam præsentem, quam alter absentem habet, tantum illi præstat, ac si absentem huc transferret, undè hic intervenit virtualis, & æquivalens pecuniæ transportatio; cum ergo hujus oneris sublevatio sit pretio æstimabilis, poterit licitè campsor ob tale obsequium aliquod lucrum accipere, modo non excedat in pretio. Accedit quod pecunia absens minus valet, quam pecunia præsens, multis enim caret commodis, quibus ista non caret, nec potest præsens constitui absq; periculis, & expensis. Nec obstat, quod campsor in tali casu eam sine periculo, & sumptu præsentem efficere potest, cum suos correspondentes alibi habeat, qui absque ullis expensis pecuniam à campsario redditam accipere possunt. Quia id est omninò per accidens, ac ipsius industriæ, & bonæ fortunæ tribuendū est, ut ait Casp. disp. 6. sect. 4. nā sæpè ob id cāpsores magnos sūptus, & pericula perferūt, & suos

factores, & correspondentes magna mercede conducunt. Tandem quia in cambio locali, seù per litteras, quando campsor prior accipit, ut alibi campsario restituat, potest aliquid justè lucrari, ut posteà dicemus; ergo, & quando campsor dat prior, ut alibi recipiat. Consequentia patet à fortiori, quia hoc onus campsori majus est, quàm illud, quia in hoc secundo cambio privat se pecunia, & expectat solutionem alibi faciendam; cujus oppositum venit in priori contractu. Nec obstat ob solutionis dilationem aliquid plus non posse exigi citrà usuram. Quamvis enim hoc verum sit ratione dilationis præcisè non posse aliquid suprà sortem exigi; ob alios tamen titulos hic intervenientes fieri potest, nimirum ob multas commoditates, quibus mercatores privantur, eo quod pecunia careant; & quia quando datur cambium ad longum tempus, sunt plures, qui petunt, multitudo tamen emptorum facit rei precium crescere; & tandem ob alios titulos nuper explicatos.

120 Quamvis autem Sotus l. 6. de Inst. q 13. a. 1. dixerit ratione istius modi cambiendi posse aliquod lucrum accipi solùm quando extrà Provinciam, aut Regnum exercetur, non autem quando fit intrà eamdem Provinciam, & Regnum ea ratione ductus, quia cambia, quæ intrà idem Regnum celebrantur, non fiunt causa transferendæ pecuniæ, cùm nulli ad hanc translationem necessarii sint labores, atque expensæ ad itinerum pericula superanda, qui sunt tituli licitum facientes cambium cum lucro, quando extrà Provincia, vel Regnum exercetur. Nihilominus communis opinio docet non solùm hoc cambium licitè fieri posse ad loca diversorum regnorum, sed etiam ad loca ejusdem Regni, & Provinciæ, ubi tamen speciali lege prohibitum non sit, talem pecuniæ translationem fieri cum lucro intrà eandem Provinciam. Et ratio est, quia sicut licitè sumitur lucrum in cambio ab una Provincia in aliam ob virtualem illam translationem, labores, & pericula, quæ intervenire possunt; ità similiter servata proportione, in translatione intrà eandem provinciam adest etiam virtualis illa translatio, ac etiam pericula, & labores intervenire solent, quæ quidem pretio æstimabilia sunt, atque ideò stipendio, & præmio digna; nemo enim gratis, suoque periculo asportare vellet magnam aliquam pecuniæ summam ex una Civitate in aliam etiam intrà eandem provinciam, & regnum, quia ad talem pecuniam transferendam necessarius esset saltem equus, vel agaso; licet igitur pro cambio intrà idem regnum, & provinciam non possit tantùm accipi lucrum quantum accipitur ex cambio diversorum regnorum, ac provinciarum, quia quo longius est iter, & quo majora sunt pericula, majus lucrum accipi potest ratione translationis, & assecurationis; potest tamen accipi aliquod, quod prudentis judicio æstimatur labori, atque expensis proportionatum, quæ ad hujusmodi translationem etiam intrà eandem provinciam necessariæ forent: nec aliud probat ratio in oppositum adducta. Ità Navarrus, Lessius, Azorius, Reginaldus, Rebellus, Salas, Lugus, Bonacina, Amicus, Caspensis, & alii Doctores passim.

121 Tertiò conveniunt omnes, in cambio locali seù per litteras, quando campsor prior accipit hic pecuniam à campsario, ut alibi restituat, licitè posse aliquid lucrari, quia in hoc cambio duo tituli etiam intercedunt pretio æstimabiles, scilicet, virtualis trajectio pecuniæ, & ejus assecuratio, virtualiter enim campsor pecuniam campsarii transfert ad locum, in quo iste vult eam sibi persolvi, & eundem effectum præstat iis, qui cambium ad ea loca petunt, ac si reipsa pecuniam transferret, eosque sublevata onere, quod subirent pecuniam suam transferendo, quæ quidem sublevatio est pretio æstimabilis. Accedit etiam alius titulus assecurationis, quia campsor non solùm accipit in se onus pecuniam aliò transferendi, sed etiam sumit in se periculum illius, itaut si pereat, ipsi, & non danti pereat pecunia data, quod quidem etiam pretio est æstimabile. Nec refert, quod hoc sine ullo labore, vel incommodo faciat, id enim suæ industriæ tribuendum est, ac bonæ fortunæ, & satis est ad lucrum justè acquirendum, quod talem obligationem in se sumat, quæ ex se est æstimabilis. Tandem naturalis ipsa ratio dictat, non tutò nobiscum pecuniam asportari, quando sumus ex uno loco in alium migraturi; sed dandam esse potius mercatori commoranti in Civitate, undè abeundum est, ut reddatur in loco, quo tendimus, hoc enim modo ex sola mercatoris industria non solùm itineris expensæ vitantur, sed etiam latronum pericula, & aliæ commoditates indè sequuntur pretio æstimabiles; ergo in tali cambio campsor potest aliquid justè lucrari, & suprà sortem accipere. Qua ratione hoc non tantùm licebit campsoribus ex officio, & à Republica constitutis, sed etiam privatis personis, quia etiam ipsi cambiendo locant operas suas; & industriam in illa virtuali pecuniæ translatione atque adeò ipsi quoque lucrum aliquod referre poterunt eorum labori, & industriæ proportionatum, si distantia locorum, itineris pericula, & aliæ circumstantiæ concurrant.

122 Adhuc tamen verum est non posse campsorem tantùm exigere ob hanc virtualem translationem pecuniæ, quantum exigere posset, si pecuniam realiter transferret, quia talis translatio virtualis non est tot periculis, ac difficultatibus expositа, sicut est translatio realis, & formalis. Undè quia causa præcipua, ob quam licitum est campsoribus ex cambio locali lucrum accipere est hujusmodi virtualis translatio monetæ jam explicata de uno loco in alium, ideò juxtà eam potissimum regulandum erit cambii localis pretium, & lucrum ex quo infertur, quod quanto major est distantia locorum, in quibus cambium celebratur, & magis periculosum iter, ac etiam quo majoris summæ est pecunia transferenda, eo magis cambii pretium augeri poterit, ut notat Amicus cum aliis disp. 23. sec. 3. & ratio est, quia cum hoc pretium detur propter labores, & expensas, quæ faciendæ forent pro formali asportatione pecuniæ de uno loco ad alium, ac etiam pro ejusdem assecuratione usque ad locum, in quo campsarius illam habere petit; ideò quantitas justi pretii in tali cambio ex quantitate pecuniæ transferendæ reregulanda erit, ex difficultate, & longitudine itineris, ac etiam qualitate periculi quod campsor in se suscipit pro transferenda moneta, quæ omnia in formali monetæ translatione intervenirent, eandem enim utilitatem consequitur campsarius per hanc virtualem monetæ translationem, ac si per formalem haberet; ergo quod solvere deberet per formalem, tantundem solvere tenetur per virtualem, & æquivalentem; servata tamen proportione jam declarata, quod s. major facilitas, & commoditas, quam campsor habet in translatione virtuali per cambium, aliquid minuit de pretio, quod pro translatione formali necessarium esset; cùm enim hæc virtualis translatio non sit tot periculis, ac difficultatibus involuta, sicut est translatio realis, non potest campsor tantùm exigere quantùm exigeret, si pecuniam realiter transferret. Nec refert quod sæpè campsor non modò cum facilitate, sed etiam cum majori suo lucro hujusmodi pecuniæ translationem virtualem facere possit. Nam id quoque ejus arti, & industriæ tribuendum est; etenim ut ait Amic. loc. cit. sicut hoc non tollit, quin campsarius beneficium translationis pecuniæ accipiat; ità nec tollere debet quin campsor quoque ob hujusmodi præstitum beneficium sit justa mercede proportionata remunerandus. & ità de hoc cambio discurrunt Doctores supracitati.

123 Quartò, hoc cambium reale per litteras duobus ad huc modis à Mercaroribus exerceri solet, de quibus est major difficultas, an sint liciti. Unus dicitur cambium cum recambio, vulgò *con la ricorsa*, & est quando pro Campsario respondet Procurator Campsoris, non de propriis, vel alienis pecuniis, sed cum pecuniis ipsius Campsoris, de quo præsertim tractant Bonacina disp. 3. quæst. 5. punct. unic. Caspensis disput. 6. sec. 5. Lupus disput. 28. sec. 7. Stephanus à S. Gregorio lib. 2. de contract. cap. 67. & alii passim. Alter dicitur cambium ad nundinas, eo quod Mercatores, & nummularii certa loca instituerunt, in quibus ipsi cum mercibus conveniunt, & emptores cum pecuniis ad illas commodè vendendas, & emendas, & nummularii accedunt cum suis creditis, & debitis, ut debita solvant, vel ut ipsis credita reddantur, & quater in anno celebrari nundinæ solent, in quibus faciunt prædictas traditiones, & solutiones, de quo etiam fusè agunt Auctores adducti, ac etiam Faber noster disp. 57. c. 9. De quibus cambiis breviter dicendum licitos esse, si serventur in ipsis quinque conditiones requisitæ ad cambia ex Bulla Pii V. incipiente. *In eam pro nostro Pastorali* nimirum, Primò ut cambium non sit siccum, seù fictitium, quod fit quando contrahentes simulant certas nundinas, & certa loca, ubi verè nundinæ non celebrantur, nec litteræ mittuntur, vel ità mittuntur, ut inanes evadant. Secundò, ut lucrum non recipiatur in casu non solutionis. Tertiò, ut non fiat pactum de certo, ac determinato lucro solvendo. Quartò ne realia cambia fiant aliter, quàm promissis nundinis, ubi illæ celebrantur; & ubi non celebrantur, pro primis terminis juxtà receptum locorum usum, abusu illo rejecto, pro secundis, & tertiis nundinis; quæ conditio ponitur ad vitandum lucrum ratione temporis, quod est usura, ut suprà dictum est. Quintò ut pro varietate locorum nempè longinquitatis, vel vicinitatis ratio lucri taxetur; quarum conditionum major explicatio apud Fabrum nostrum loc. cit. videri potest, & alios Auctores citatos.

124 Quintò conveniunt insuper omnes cambium minutum esse licitum, imò & Reipublicæ necessarium, quia homines minuta pecunia sæpè indigent ad res quotidianas vilioris pretii coemendas; si verò magnam pecuniæ summam recondere velint, vel aliò transportare, egent commutatione minoris pecuniæ cum majori, ideoque dicunt, negotiatores ex tali cambio lucrum aliquod sumere posse; quamvis enim in hoc cambio non interveniant tituli transportationis monetæ de uno loco in alium,

alium, & assecurationis ejus, ut in cambio locali; alii tamen non desunt pro tali lucro justè faciendo. Primò enim id exigere potest campsor ratione officii sibi à Republica injuncti, nam publici campsores sunt à Republica ad hoc officium constituti in publicam civium utilitatem, quod includit obligationem cambiendi, & alia plura onera pretio æstimabilia, ut congregare pecunias diversi generis, & cuicunque cambiare volenti eas habere paratas, eos expectando, pecuniam numerando sivè per se, sivè per famulos suos, & officinam conducendo, ubi continuò tali muneri incumbant; quæ omnia sunt pretio æstimabilia, & justo stipendio digna. Hoc autem intelligendum est, si à Republica pro tali officio condigna mercede non compensetur, quoniam si talem habeant compensationem, lucrum à petentibus cambium accipere nequeunt, nisi in casu in quo stipendium à Republica assignatum ad expensas, laboresque prædictos compensandos sufficiens non esset, quia in tali casu tantùm accipere possent, quantum ad justum stipendium ejus debitum sufficiens esset.

125 Deindè licitum quoque est in tali cambio justum aliquod lucrum accipere pro pecunia nobilioris, purioris, antiquioris, utilioris, commodioriſque materiæ, ut docet communior opinio contrà Medinam q. 7. de Usura, & ratio est, quia pecunia non solùm, valorem habet, quà rerum pretium est, & mensura rerum venalium qui dicitur legalis & extrinseca Principis auctoritate taxatus; sed etiam valorem naturalem, atque usualem ratione conditionum, quas habet ex materia, vel figura, ut ratione puritatis, vel raritatis, vel antiquitatis, vel commoditatis, copiæ, vel inopiæ; ergo quamvis pro ea lucrum accipi nequeat, qua pretium rerum est, & rerum venalium mensura, quia ut sic habet valorem à lege taxatum, quod in individuum consistit; poterit tamen pro ea lucrum accipi secundo modo considerata, sic enim diversum habet à legali valorem, ratione cujus una moneta est pretio æstimabilior altera. Undè hac ratione licitè lucrum aliquod accipi poterit ex pecunia aurea v. g. cum argentea, vel cuprea commutata, quia aurea ratione materiæ est nobilior, durabilior, asportatu commodior, in pluribus locis expendibilior, & quo ad valoris legalis diminutionem minus periculo subjecta; & tandem ad plures usus idonea præter rerum pretium, nimirum ad deaurando, ad medendum, ad preciosa vasa conficienda, & similia.

Sed instat Medina l. c. hic titulis non posse aliquid accipi à Campsoribus, quia Princeps, vel Respublica in taxando monetarum pretio rationem habent materiæ, & commoditatum, quæ cum his conjunctæ sunt, ergò justè non potest plus exigi ratione puritatis materiæ, neque aliarum commoditatum assignatarum; assumptum probatur, quia ob eas commoditates moneta aurea ejusdem ponderis cùm argentea de duplo plus valet, quàm argentea, & argentea, quàm ærea, vel cuprea. Respondetur, assumptum non esse universaliter verum, Principes enim in taxando monetarum valorem, rationem habent solùm primarii usus monetæ ob quem moneta est introducta, qui est ut sit pretium, & mensura rerum venalium; non autem intendunt taxare illam secundum omnem rationem, & ad omnem usum, quem habere potest secundo modo considerata, s. secundum valorem naturalem, & ut res quædam est constans ex pretiosiori metallo; atque ideò hoc posteriori modo non videtur pretium certum habere, sed tantùm ut est pecunia, & ratione usus primarii; ac proindè poterit, non quidem ut pecunia, sed ut res quædam est pretiosiori metallo constans, & ex aliis causis pro vario pretio commutari. Ità Navarr. Lessius, Toletus, Bonacina, Amicus, Caspensis, & alii passim.

126 Sextò conveniunt etiam omnes citati Auctores licitè tale lucrum ex cambio minuto accipi posse, non solùm à campsoribus publicis, sed etiam à privatis personis contrà Cajetanum oppositum docentem opus. de cambiis trac. 7. cap. 1. & 6. Ratio est, quia non solùm publici Campsores à Republica constituti, sed etiam privatæ personæ aliquod obsequium pretio æstimabile præstantiis, qui pecuniam unius generis petunt cambire pro alia in eodem loco, nec refert, quod à Republica ad hoc officium exercendum non sint constituti, hoc siquidem non tollit, quin adhuc tale obsequium sit cum onere, & labore talis personæ privatæ, & consequenter sit pretio æstimabile, ac proindè justa aliqua mercede dignum; ergò non solùm illi, sed etiam isti pro tali pecuniæ permutatione aliquod lucrum accipere possunt juxtà taxam, vel consuetudinem, vel judicium prudentium virorum; undè addunt Auctores citati, & gratis concedunt privatum non posse tantum accipere, quantum campsor publicus accipere potest, quia hic plures habet titulos accipiendi aliquid, quam habeat privatus, ut patet ex supradictis, qui sunt à Republica ad hoc officium exercendum constituti, aliis negotiationibus incumbere nequeunt, ex quibus majus fortè lucrum acquirerent, sicut possunt privati campsores, qui ad hoc officium exercendum non obligantur; tùm tandem quia publici Campsores ad id ex officio à Republica deputati longè pluribus oneribus, ac sumptibus subiiciuntur, quàm privati.

At instat Cajetanus loc. cita. titulus propter quem privati Campsores possent lucrum ex cambio minuto, & manuali accipere, esset potissimum labor in pecunia numeranda, sed hic gratis impendi solet, compensaturque mutua numeratione cambientis; ergo, &c. Respondetur, aliis etiam titulis privatum Campsorem pro commutata pecunia à campsario lucrum accipere posse, ut pro industria, labore, & expensis congregandi omnis generis pecunias, easque custodiendi, hæc enim omnia sunt aliquo prætio æstimabilia, & aliqua mercede digna à Campsario solvenda, in cujus utilitatem, & obsequium fiunt; & licet numeratio ipsa pecuniæ gratis fieri posset à campsore, id tamen gratis præstare non tenetur, cùm ex suo genere sit aliquid pretio æstimabile, ut patet in campsore publico, cui talis labor, & titulus suffragatur ad lucrum justè accipiendum. Cùm igitur diligentia, labor, & molestiæ, seù curæ susceptæ in parandis pecuniis similibus, & dissimilibus, quo possit quis etiam privatus facilè omnibus beneficium cambii impertiri, sint omnia pretio æstimabilia, consequenter poterit campsor etiam privatus petere aliquam illorum compensationem ab iis, qui ab eo cambium accipientes, eo beneficio uti volunt, & illa compensare onera ut pro se susceptа.

127 Postremò ad cognoscendum justum cambiorum pretium eadem considerandа sunt, quæ in aliis contractibus considerari solent ad dignoscenda justa pretia rerum, aut onerum; undè si cambii pretium fuerit lege statutum, illud determinatè est accipiendum, non majus. Si verò non fuerit lege statutum, ut justè constituatur, hæc omnia sunt considerandа, ut notat Amicus disp. 23. cit. sec. 6. Primò ex parte campsoris labores, & expensæ, quas facit in famulis conducentis diversis in locis, ad quæ cambia dirigit, in litteris cambialibus transmittendis, in pecunia numeranda, & similibus. Item facilitas, vel difficultas pecuniam de uno in alium locum transportandi, attenta pecuniæ summa, locorum distantia, aut vicinante, & itinerum periculis. Deindè ex parte campsarii considerandum est, an ipse prius pecuniam à campsore accipiat, ut alibi restituat, vel è contra an ipse prius det campsori pecuniam, ut alibi recipiat; & nùm cambium solvat, ubi pecuniam tradit, an ubi pecuniam per campsorem translatam accipit. Rursus ex parte pecuniæ examinandum est, an sit ejusdem valoris legalis, aut vulgaris utrobique, an verò inæqualis; si enim sit æqualis, tunc nihil accipiendum, vel refundendum erit pro pecuniæ valore utrobique adæquando, sed tantùm ex aliis capitibus; si verò sit inæqualis, tunc considerandum est, an sit majoris valoris in loco, ubi pecunia campsoris datur, an ubi à campsore campsario assignatur, si primum, tunc minus pro cambio erit à campsore accipiendum, cùm id cedat ejus beneficium; si secundum, tunc duplex pretium erit illi solvendum, unum pro cambio, alterum pro majori valore pecuniæ, quam ipse solvit in loco, ubi plus valet. Tandem examinandæ sunt causæ, ob quas mercatoribus licet cambiorum pretia augere, vel minuere, quæ ad tres reducuntur, nam causæ augendi pretia sunt inopia, & necessitas pecuniæ, paucitas campsorum, & multitudo campsariorum; & causæ minuendi sunt tres oppositæ, scilicet copia pecuniæ, multitudo campsorum, & paucitas campsariorum; sicut enim pretia ex paucitate vendentium, & multitudine ementium crescunt, & ex multitudine vendentium, & paucitate ementium decrescunt, ità & cambiorum pretia.

ARTICULUS QUARTUS.

De Contractu Societatis, & ejus conditionibus.

128 PLures solent assignari societatis species, nam alia est animalium, alia vectigalium, & officiorum, alia omnium bonorum, & alia negotiationis, quæ dicitur quæstuosa, & lucratoria; de qua in presenti est sermo, & reducitur ad contractum locationis, & conductionis, in enim socii pecuniam, operam, & industriam quodammodo sibi invicem locant, & conducunt; undè tunc talis mittitur contractus, cùm aliqui inter se conveniunt, & contributis aliquibus rebus ad lucrandum idoneis, sivè fructiferis, ut pecunia, animalibus, industria, labore &c. commune aliquod lucrum faciunt, quod utile, & damnum pro ratione, & rata cujusque inter se dividunt; & quamvis in tali contractu conventio fieri possit, non quoad solum lucrum, sed etiam ut totum à sociis contributum transeat quoad sortem, industriam, & reliqua in commune dominium, & fiat communio in capitali, & lucro; regulariter tamen iniri solet quoad solum lucrum, manente sorte salva ipsi deponenti; & talis contractus secundum communem omnium sententiam justè

celebrari, & exerceri potest debitis adhibitis conditionibus; nam quod justè fieri potest ab unoquoque seorsum, justè quoque fieri potest ab omnibus simul; sed unusquisque potest seorsum lucrari justè ex sua propria re ad lucrandum idonea; ergo etiam plures simul ex suis rebus conjunctis ad lucrandum idoneis. Breviter igitur videndum est, quid sit talis contractus, quæ ejus conditiones, ut justè fiat, quomodo fieri debeat divisio lucri in societate, & quomodo sit habenda ratio damnorum, & expensarum inter socios.

129 Primò itaque societas definiri solet, quod sit *contractus seù conventio duorum, vel plurium contribuendi aliquid ad commune lucrum*, ut deducitur ex L. 1. ff. *pro socio*, & *Instit. de Societate*. Ponitur conventio loco generis, quia societas est contractus sub genere conventionis contentus. *Dicitur duorum, vel plurium* ad differentiam contractus, qui fit ab uno solo, quoniam ad societatem contrahendam plures convenire debent, qui expressè conveniant, & consentiant mutuo inire contractum, modò sit habiles ad sese mutuo obligandum, nam hi tantùm validè contrahere possunt, ut patet ex dictis de contractibus in communi; & tales contrahentes socii dicuntur, eo quod ejusdem lucri, & periculi sunt comparticipes. Dicitur *contribuendi aliquid*, quia in societate debent singuli socii aliquid in communi contribuere, ut lucri participes fiant; non tamen necesse est, quod singuli idem contribuant v. g. pecuniam, sed diversi diversa contribuere possunt v. g. aliqui pecuniam, aliqui laborem, & industriam; fieri enim potest, ut opera, & industria unius socii tanti æstimetur, quanti æstimatur pecunia ab altero socio collata. Dicitur tandem *ad commune lucrum* ad exprimendum proximum finem, ad quem societatis contractus immediatè ordinatur, scilicet ad lucrum ex negotiatione acquirendum; & dicitur commune, quia lucra, quæ ex rerum contributarum negotiatione proveniunt, debent omnibus, & singulis sociis esse communia; nam si lucrum ad eum solum spectet, qui pecuniam, vel rem pecunia æstimabilem tradit, & alteri laborem, & industriam contribuendi sit assignata merces, & stipendium sui laboris, non est propriè contractus societatis, sed locationis, & conditionis. Et ponitur etiam commune lucrum ad differentiam illorum, qui contribuunt aliquid ad communem usum v. g. ad simul conveniendum, ut contingit in societate scolarium, vel militum in eadem domo habitantium aliquam pecuniam in eodem marsupio contribuentium ad ordinarios sumptus faciendos.

130 Secundò, ut hic contractus justè fiat, sequentes requiruntur conditiones, quarum aliquæ sunt aliis contractibus communes, & aliquæ istius propriæ. Prima est, ut ineuntes societatem sint domini rerum, quas in commune contribuunt, & velint talem inire contractum, & nullum adsit impedimentum, quæ conditio omnibus contractibus est communis, quapropter L. *Nec pœnitendum*, ff. *pro socio* decernitur, quod societas fundetur in negotiatione licita, & honesta, nam societas in negotiatione illicita fundata non est obligatoria, nullus enim ad opus illicitum obligatur. Secunda, quæ etiam aliis contractibus est communis, quod fiat sine fraude, nam socii ad invicem tenentur de dolo, & lata, ac levi culpa Instit. de societate §. socius socio ff. pro socio, & ratio est, quia contractus societatis est in bonum, & commodum omnium contrahentium. Tertia conditio etiam aliis contractibus communis est, ut inter socios servetur æqualitas in omnibus, ut impensis, lucro, & damno, & ne quis seipsum in lucro certo constituat, socium verò in certo, ut habetur in L. Cum duobus §. Damni, & L. si non fuerint, ff. pro socio; in societate itaque licita servari debet talis æqualitas, ut eorum impensæ, lucra, & damna sint communia, itaut pro rata proportione, quam in commune contribuunt, singuli expensas faciant, damnum sustineant, & lucrum reportent. Quarta conditio hujus contractus propria est, ut singuli aliquid conferant in commune pro negotiatione exercenda, sivè pecuniam conferant, sivè operam, sivè industriam, ut constat ex definitione societatis jam assignata. Quinta tandem conditio est ut pecunia exposita maneat periculo exponentis, itaut si casu fortuito pereat antè operam socii, vel etiam post operam absque ejus culpa, pereat illi, qui eam in commune contulit; & ratio est, quia dominium pecuniarum in societate expositarum apud ipsos exponentes semper remanet, atque ità domino pereunt; undè non censetur societas justa, sed usuraria quando quis pecuniam mercatori tradit tali pacto, ut periculum pecuniæ sit mercatori, lucrum verò dividatur. Ex quo etiam infertur alterum contrahentium pecuniam in societate expositam extrahere non posse ad proprios usus, quia quamvis dominium habeat, non tamen habet usum durante societate, sed illum habet communem cum sociis, undè pecuniam extrahendo à societate ad proprios usus, non solùm lucrum justè reportare non potest, sed etiam ad restitutionem tenetur, si ex hac extractione aliquod damnum alteri socio adveniat. Ità Navarr. Molina, Sotus, Covarruvias, Reginaldus, Azorius, Valentia, Bonacina, Stephanus à S. Gregorio, Lugus, Faber, & alii passim.

131 Tertiò circà divisionem lucri faciendam, hæc divisio inter socios fieri debet deductis expensis, & damno passo, & secluso sorte principali domino restituenda, & posteà est æqualiter facienda, prout socii fuerunt æquales in contribuenda pecunia vel industria; æqualitas autem hujus contractus, ut notat Lugus disp. 30. sect. 2. n. 10. pendet potissimum ex eo, quod servetur proportio geometrica inter id, quod socius apponit pro suo, & lucrum, quod participat, ità ut qui plus apponit vel in pecuniis, vel in capitali, vel in periculo aut damno majori, cui se exponit, cum eadem proportione plus debeat de lucro participare, quia hæc omnia pluris æstimari possunt, alioquin contractus societatis non esset æqualis, sed injustus cum obligatione restituendi, atque ità æqualitas hic servanda geometrica esse debet, ut dixi, non arithmetica, ut scilicet, juxtà proportionem partium quibus singulis socii concurrunt, partes lucri cum eadem proportione dividere debeant. Undè si uterque socius centum aureos in societatem contulit cum æquali industria, & lucrum finita societate sicut ducenti nummi aurei, detracto capitali, singuli socii poterunt pro lucro accipere centum, & pro centum capitali. Si verò unus posuit magnam pecuniæ summam, altero ponente modicam industriam, poterit ille finita societate plus lucri accipere, quàm alter, nam divisio facienda est ad ratam illius, quod quisque in societatem contulit; & hoc totum habetur ex Instit. de societate in principio versic. *Et quidem* & ex L. si *non fuerit* ff. pro socio.

132 Si verò unus contulit centum aureos, & alter posuit solam operam valentem centum aureos, & lucrum finita societate sint aurei ducenti, dubium est, quomodo hujus lucri divisio fieri debeat. Aliqui dixerunt segregandam esse sortem principalem, & tribuendam sociis, undè qui posuit centum, illos accipere debet, & qui posuit laborem, & industriam pro totidem valutatem, debet accipere alios centum, ut sint pares, & deindè dividendi sunt alii centum, quinquaginta nempè pro singulis; undè quando Cajus posuit centum aureos in Societate, & Titius posuit solam industriam valentem centum, & lucrum sunt aurei ducenti, dicunt Cajum posse retinere centum aureos, quos posuit, & Titium alios centum, cùm tanti valeat ipsius labor, & industria, reliquos verò centum æqualiter esse dividendos. Ità Major, Cajetanus, Sotus, Molina, Pianella, & Goffred. apud Angelum Verbo *Societas*. Probabilius tamen, & magis communiter alii contrarium sentiunt, & divisionem in casu posito ità faciendam esse dicunt, ut ille qui posuit pecuniam, primo loco accipiat centum nummos, quos posuit, deindè ducenti aurei lucro acquisiti æqualiter dividantur, & sic erunt socii æquales, quia sors principalis quæ finita societate est segreganda, intelligitur illa, quàm à principio socii posuerunt; undè qui posuit solas operas, nihil posuit in sorte, vel capitali, ideoque par non est, ut aliquid recipiat loco capitalis, quia labor & industria non est reputanda, tanquam sors principalis à principio posita, sed est fructus personæ, qui respondet fructui, & commoditati centum aureorum quos alter socius contulit pro capitali. Quare in casu posito Cajus centum recipere debet, quos contulit pro capitali, reliqui verò ducenti aurei æqualiter sunt dividendi, dummodo non sit alia conventio, vel alia regionis consuetudo, si tanti æstimatur opera, & industria Titii, quanti estimatur usus pecuniæ à Cajo in societatem collatæ, sic enim servatur æqualitas. Ità Angel. Azor. Sylvest. Navarr. Reg. Bonac. Stephan. à S. Gregorio, & alii passim, & Faber ex nostris disp. 47. cit. c. 12. n. 411.

133 Quartò circà rationem damnorum, & expensarum inter socios habendam, hæc regula universalis circa damna assignatur à Doctoribus, quod damna, quæ patitur socius ob Societatem, tanquam ex causa proxima, debent esse communia, modò non eveniat ex Culpa socii etiam levi. Ità habetur ex L. *Cum duobus* §. *damna*; ff. pro socio, & ratio est, quia sicut lucra, quæ causa societatis proveniunt, sunt communia, ità etiam damna, qui enim commodum sentit, etiam incommodum sentire debet. Dixi *tanquam ex causa proxima*, quia si socius aliquod damnum pateretur ex societate, tanquam ex causa remota, ac pura occasione, v. g. dùm esset in itinere merces vehendo, ob privatam inimicitiam vulneratus fuit, tale damnum non debet esse commune societatis, sed ipsius proprium, quia nullo jure constat alterum socium ad hujsmodi damna resarcienda, & compensanda teneri, cùm causa societatis non eveniat; quarè sicut lucra, quæ ex societate non proveniunt, tanquam ex causa proxima sed tantùm remota, & merè occasionaliter, non sunt communia, ità neque damna; siquidem par est utrorumque ratio, societas enim non censetur causa talis lucri, & damni. Dixi ulterius, modò non eveniant ex culpa socii, quia par non est, ut societas ob culpam

alterius

alterius ſocii damnum patiatur, atque ideò omnia damna, quæ defectu debitæ diligentiæ accidunt, ſunt propria ſocii debitam diligentiam non adhibentis, undè ſocius non tantùm de lata, ſed etiam de levi culpa tenetur, licet non leviſſima, ut habetur l. c. Quo fit, ut ſi merces, quæ ſolitæ eſſent vehi terra ad evitanda pericula, à ſocio vehantur mari, ſi pereant, ipſi tantùm pereant, niſi ad id reliqui ſocii conſenſerint, eo quod non curaverit eas modo conſueto vehi; & ei imputandum eſt damnum, quod à latronibus patitur, cùm ad vehendas merces, viam periculoſam ſuſcepit, tutiorem eligere potens, ſic enim videtur culpam levem commiſiſſe; ſi verò merces abſque alicujus culpa ſublatæ fuerunt, tunc utique damnum cenſetur eſſe commune, cùm enim in tali caſu nullus ſociorum culpam habeat in tali ablatione, par non eſt, ut alicui particulari damnum adſcribatur. Ità Navarrus, Angelus, Rodriquez, Sylveſter, Azor. Amicus, Reg. Bonacina, & alii paſſim.

134 Circà expenſas verò Doctores citati hanc regulam aſſignant, omnes expenſas quas unus ſocius cauſa negotiationis facit, eſſe communes; ſi rationabiles ſint, & conſuetum mercatorum morem non excedant. Ità habetur L. ſecundum Julianum ff. pro ſocio. Undè expenſæ, quas facit ſocius in aſportandis, vel conſervandis mercibus, & quas facit in famulis armatis in præcavendis, & profligandis latronibus, vel in vulnere curando, quod ſuſtinuit pro mercium defenſione, & conſervatione, & ſimiles ex pecunia communi ſocietatis ſunt deducendæ. Dixi autem hoc intelligendum eſſe de expenſis, quas ſocius facit cauſa negotiationis, & ſocietatis, nam quæ non fiunt cauſa ſocietatis, etiamſi fiant occaſione contractæ ſocietatis, non ſunt communes, ſed propriæ ejus, cujus cauſa fiunt, ut ſuprà de damnis dicebamus. Hoc autem totum intelligendum eſt, ut DD. citati advertunt, niſi aliter conventum ſit inter ſocios, aut aliter lege cautum ſit, vel conſuetudine receptum, univerſalis enim regula eſt, ſervanda eſſe omnia, quæ vel ex privata contrahentium conventione contractui apponuntur, vel ex communi loci conſuetudine ſervari ſolita ſunt. Ratio eſt, quia contrahentes eas omnes conditiones contractui apponere poſſunt licitè, quæ communi juri, ac bonis moribus non repugnant. Et quando à contrahentibus aliud expreſſum non fuerit, ex tacita eorum voluntate contractus celebrari cenſetur juxtà leges, & loci conſuetudinem, ubi fit, quando verò nec de loci conſuetudine conſtat, nec de conventione inter ipſos contrahentes inita, ſervandæ ſunt regulæ jam aſſignatæ.

135 Quintò eſt gravis controverſia inter Theologos, & Canoniſtas. An licitus ſit contractus, in quo aſſecurata ſorte unius ſocii, alter teneatur certum lucrum minus, pro incerto majori ſolvere. Prima ſententia negat, & fundamentum eſt, quia eo ipſo, quod capitale unius ſocii aſſecuratur ab alio, & ſpes incerti lucri certo pretio venditur, deſinunt damna, & lucra in contractu ſocietatis eſſe omnibus ſociis communia; ergo deſinit natura talis contractus, qui eſſentialiter exigit, ut damna, & lucra ſint omnibus communia. Confirmatur; quia talis contractus non eſſet ſocietatis, ſed mutui, illicitum autem eſt ex mutuo lucrum accipere; ergò &c. Major probatur, quia ex vi talis contractus dominium pecuniæ non manet in contribuente, quod ad contractum ſocietatis requiritur, ſed in aſſecurantem transfertur, qui eo ipſo, quod pecuniam alteri aſſecurat, fit dominus illius, nam ille eſt dominus cui perit pecunia; ergo quicquid ultrà ſortem vi talis contractus accipitur, erit uſura. Demum quia Sixtus V. in Conſtitut. quæ incipit *deteſtabilis avaritiæ* aſſerit ſortem, finita ſocietate, ſi extet, eſſe reddendam ei, qui eam in commune contulit, & periculum ejus apud eundem remanere, quod non eſſet, ſi ab alio ſocio aſſecurata eſſet. Ità Conradus, Felicius, Cajetanus, Soto, Rebellus, Silvius, & quidam alii.

136 Secunda ſententia communior, & longè probabilior affirmat, poſſe fieri in hoc contractu, ut quis juſtè ſuam ſortem ſervet indemnem, & inſuper certum lucrum accipiat, ſi nimirum ad ſocietatis contractum duo alii adjungantur, aſſecurationis, ſ. & venditionis, cujus tale exemplum adducit Buſenba. l. 3. tr. 5. c. 3. dub. 14. cum Layman. Inis ſocietatem cum Mercatores, & contribuis ei mille florenos v.g. ſpes eſt quod is quotannis lucraturus ſit tercentum, cujus lucri dimidium, v. g. jure ſocietatis unà cum ſorte tibi debetur. Sed quia ad te quoque ejuſdem ſortis periculum pertinere deberet, ut ipſe id periculum in ſe ſuſcipiat, & tibi ſortem aſſecuret, in hujus oneris compenſationem relinquis ei majorem partem lucri ſperati, ut ſcilicet duæ partes lucri ſperati ad ipſum, & tertia ad te pertineat. Et rurſus, quia ſpes hujus lucri incerta eſt, ideò adhuc partem hanc lucri ſperati, nempè centum florenos in ſpe vendis etiam eidem quinquaginta, vel ſexaginta, v. g. annuis certis, & in re, & ſic tandem ad lucrum facis, & ſortem ſervas indemnem. Quamvis igitur non liceat ratione ſimplicis ſocietatis inire pactum, ut capitale ſit ſalvum, nam unus ſocius lucrum tantùm haberet, non damnum, & alter damnum nullo ſoluto pretio pro gravamine impoſito; attamen ſi contractus iſte alio modo conſideretur; quatenus ſcilicet, non eſt ſimplex contractus ſocietatis, ſed habet adjunctos contractus aſſecurationis, & venditionis, quorum ſinguli ſunt liciti, non eſt damnandus, nec illicitus reputandus. Ità docent Gabriel, Angelus, Sylveſter, Cov. Molina, Valentia, Navarr. Toletus, Leſſius, Salonius, Tannerus, Bon. & ex noſtris Faber diſp. 47. cit. c. 12. & præ cæteris evidentius hanc ſententiam probat Amicus diſp. 24. ſect. 3.

137 Fundamentum, eſt quoniam hic contractus virtutes involuit tres, ſcilicet, ſocietatis, aſſecurationis, & venditionis; ſed ſinguli ſeorſum ſumpti ſunt liciti; ergo & omnes ſimul in unum conjuncti, quia talis connexio alterum non reddit illicitum. Major conſtat in exem.plo adducto, nam primus contractus eſt ſocietatis, quo unus pecuniam contribuit, alter verò operam, & induſtriam; ſecundus aſſecurationis, quo qui operam ponit, alterum de capitali aſſecurat, periculum in ſe ſuſcipiendo, & pretium accipiendo pro tali onere impoſito, aut plus de lucro futuro participando; tertius tandem eſt venditionis, quo qui pecuniam contribuit, ſpem alteri vendit, quàm habet de futuro lucro modo jam explicato in exemplo adducto. Minor etiam patet ex ſuperius dictis de contractu venditionis, & ſocietatis, nam contractus venditionis juſtè, ac licitè cum altero celebrari poteſt de ſpe futuri lucri, cum etiam talis ſpes ſit pretio æſtimabilis, qua ratione juſtè, ac licitè venditur piſcium, & avium ſperata captio. Contractus etiam ſocietatis, in quo unus pecuniam, & alter operam confert, licitus eſt, & juſtus, ſi in eo ſervetur geometrica proportio. Et tandem qui pecuniam ad lucrandum alteri contribuit, licitè etiam poteſt contractum aſſecurationis cum eodem inire de pecunia collata, ut conſtabit ex dicendis q. ſeq.

Confirmatur, quia ut dicebamus, talis connexio contractuum non reddit alterum illicitum, quia per iſtam conjunctionem non amittunt objectivam æqualitatem ad eorum juſtitiam requiſitam, eadem enim æqualitas in tribus diſtinctis contractibus ſervata cum diſtinctis perſonis ſervari etiam poteſt in uno eodemque contractu, & cum uno, & eodem contrahente; ſiquidem juſtitia non conſiſtit in habitudine rei ad perſonam, ſed in æqualitate rei ad rem, & conjunctio plurium contractuum in unum non violat juſtitiam, quando in ſingulis æqualitas ſervatur, ut contingit in propoſito; nam in contractu ſocietatis ſupponimus æqualitatem ſervari juxtà geometricam proportionem inter pecuniam ab uno collatam, & æſtimationem operæ, atque induſtriæ ab altero, ſic etiam in contractu aſſecurationis, quia tantùm de lucro futuro ſupponimus remitti aſſecuranti, quantum præſenti aſſecurationi æquivaleat prudentis arbitrio. Et tandem id etiam in contractu venditionis intervenire ſupponimus, quia in omni contractu venditionis licitum eſt pro lucro majori incerto accipere in pretium minus lucrum certum. Denique probatur, quia nec lucrum de aſſecuranda ſorte, nec pactum de emenda ſpe futuri lucri contractum ſocietatis deſtruit, aut vitiat, ut conſtabit ex ſolutione rationum in contrarium.

138 Ad fundamentum prioris ſententiæ negandum eſt, contractum aſſecurationis deſtruere contractum ſocietatis quoad ſubſtantiam, quæ conſiſtit in mutuo ſociorum conſenſu ad aliquid contribuendum in commune lucrum; ſed tantùm deſtruit quoad modum participandi lucrum, & damnum certo, vel incerto, qui modus non pertinet ad ſubſtantiam hujus contractus, ſed tantùm ad executionem, & effectum; neque contractum vitiat, nam certitudo lucri, & indemnitas periculi ex parte unius compenſatur ſpe majoris lucri ex parte alterius. Quarè ut ait Amicus l. c. adhuc in tali contractu mixto ſervari poteſt geometrica æqualitas ad contractum ſocietatis requiſita quoad ſubſtantiam, quia prudentis arbitrio ſpes lucri majoris, ſi non prævalet, ſaltem æquipollet certo lucro minori, ut patet in exemplo adducto, atque ideò negandum eſt ex contractu aſſecurationis adiuncto deſtrui contractum ſocietatis, quoad ſubſtantiam, quia adhuc manere poterit mutuus conſenſus contribuendi aliquid ad lucrandum in ſociis, eſtò uni ſocio lucrum certò cedat, alteri incertò; ut patet in contractu emptionis, & venditionis, in quo ſalva ejus ſubſtantia poteſt vendens certum pretium accipere, & emens incertam mercem, ut fit quando certo pretio venditur ſpes lucri majoris incerti.

Ad Confirmationem negatur major cum ejus probatione, falſum enim eſt pecuniæ dominium in aſſecurantem transferri, nequit enim aſſecurans de illa diſponere, nec refert, quod ſi pereat, ipſi aſſecuranti pereat, hoc enim provenit ex vi aſſecurationis, non autem ex dominii tranſlatione, ut conſtat de depoſito, commodato, & conducto, quorum dominium ad deponentem, commodantem, & locantem ſpectat, non obſtante pacto, quod

quod si pereant, non deponenti, commodanti, & locanti pereant, sed depositario, commodatario, & conducenti; undè non repugnat dominium rei apud unum manere, & periculum in alium reiici, cùm hæc sint distincta, & separabilia. Ad ultimum dicendum est Pontificem illud intellexisse tantùm habita ratione contractus societatis præcisè, non verò habita simul ratione contractus assecurationis undè in illa Bulla non prohibuit contractui societatis addi contractus jure communi licitos, ut explicant Reginaldus, Bonacina, Lessius, & alii DD. & præsertim Amicus loc. c. ubi de illa Bulla plura dicit notatu digna, quia huic receptissimæ sententiæ obstare videtur, nisi rectè intelligatur, & explicetur; quæ damnanda non est, quia ut ait Faber noster cap 12.cit.num 404.hic casus frequenter evenit, sæpè enim contingit viduas, pupillos, & similes personas habere aliquam exiguam pecuniam, quæ ad emendum aliquod stabile fructiferum non sufficiat, ut puta centum, vel ducentos ducatos, & quia sunt pauperes, tradere curant eam pecuniam mercatoribus hoc pacto, ut capitale sit salvum, & tamen aliquod lucrum ex illis percipiant, quo suam inopiam sublevare possint, non distracto capitali, quod servant, vel pro filiis nubendis, vel pro aliqua alia necessitate. Alias quasdam Difficultates tractat ibi Faber de hoc societatis contractu, quæ facilè ex dictis resolvi possunt, & apud ipsum videri, ac etiam apud Astesanum nostrum lib. 3. tit. 12. ubi plura de hac materia discurrit præsertim art. 5.

QUÆSTIO QUARTA.

De reliquis Contractibus.

139 DE cæteris contractibus in hac quæstione breviter declarandis Jurisperiti, & Canonistæ plura scribunt. Quoniam verò ut ab initio diximus, intentio nostra est, ea tantùm de materia contractuum declarare, & tradere, quæ ad regulandam cujuscunque conscientiam sufficiunt, satis nobis erit in præsenti quæstione singulorum definitiones assignare, & explicare, ut naturam eorum cognoscamus, & quid ad eorum justitiam requiratur, ut intelligere possimus, quando in eis vitium & peccatum contingat & obligatio ad restitutionem interveniat.

ARTICULUS PRIMUS.

De locatione, & Conductione.

SCotus 4.d. 15. q. 2.art. 2. litt.N. docet contractus, in quibus transfertur usus, seu jus utendi, esse mutuam acommodationem, quæ simplici permutationi correspondet, locationem, quæ correspondet venditioni, & conductionem, que correspondet emptioni, quaré sicut venditio, & emptio sunt quædam ad invicem correlativa, sic etiam locatio, & conductio; neque hæc sunt nomina diversorum contractuum, sed unius, & ejusdem, qui ex parte concedentis locatio dicitur, ex parte verò accipientis conductio, sicut & qui rem ad usum tradit dicitur locator, & qui eam ad usum accipit conductor, locatio assimilatur venditioni, quia re vera locans vendit usum rei locatæ retento ipsius substantiæ dominio; conductio autem assimilatur emptioni, quia conducens pretio, venalem usum emit. Undè concludit Doctor easdem conditiones servandas esse in locatione, & conductione quoad usum, quæ in venditione, & emptione servantur quoad dominium, illis enim servatis locatio, & conductio erunt contractus justi, si vero aliqua illarum deficiat, erunt injusti. Breviter igitur videndum est, quid sit talis contractus, quæ ejus conditiones ut justè fiat, quæ res locari possint, & à quibus, & quæ sint, de obligatione locatoris, & conductoris.

140 Primò itaque locatio communiter definiri solet, quod sit *contractus, quo res, vel persona ad usum, vel fructum pro pretio conceditur*; Conductio verò contractus, quo res, vel persona ad usum, vel fructum pro pretio accipitur. Dicitur *quo res, vel persona*, quia non solùm res mobilis, vel immobilis locari potest, sed etiam persona, quæ ratione operarum suarum locari potest, ut habetur l. 14. *Qui operas*, ff. locati. Dicitur *ad usum*, ad distinctionem eorum contractuum, in quibus non solùm usus rei conceditur, rerum etiam transfertur dominium, ut in mutuo, donatione, venditione &c. Additur, vel *ad fructum*, quia pro utroque locatio fieri potest, res enim aliquando locatur ad fructum, ut patet de prædiis, agro, & vinea, & aliquando ad usum tantùm, vel quando locatur domus, equus, navis, vestis, & similia, quorum fructus est eorum usus. Dicitur *pro pretio*, quia pretium ad substantiam hujus contractus pertinet non minus, quam ad emptionem, & venditionem, ut definitur l.2.ff.locati; & ratio est, quia cùm hic contractus emptioni, & venditioni sit affinis, juxtà earum leges regulandus erit. Addunt tandem aliqui talem concessionem rei ad usum pro pretio *curà decennium* fieri debere, quia quæ decennio vel ultrà fit, ex dispositione juris in Emphyteusim transit, translato dominio utili rei locatæ in conductorem, ut infra de Emphyteusi dicemus, undè in tali casu regulis Emphyteusis regulari debet talis contractus, non autem locationis, & conductionis. Ex quo infertur discrimen hujus contractus à cæteris, differt enim à mutuo, donatione, emptione, & venditione, quoniam in his non tantùm usus transfertur, sed etiam dominium tàm proprietatis, quàm utilitatis, in locatione verò transfertur tantùm usus. Differt ab Emphyteusi non tantùm ratione translationis dominii utilis in Emphyteutam, sed etiam ratione temporis, & ratione materiæ, cùm Emphyteusis non fit, nisi de re immobili, & ad minus per decennium; locatio verò fit etiam de re mobili, & infra decennium, ut modò dictum est. Differt à depósito, pignore, & hypotheca, quia in his contractibus res conceditur ad custodiam, vel assecurationem, non autem ad usum, vel fructum accipiendum, ut in locatione. Differt tandem à commodato, precario, & aliis contractibus, in quibus usus transfertur gratis, quia hic gratis non transfertur, sed pretio, & mercede accepta à conductore. Ità Lessius, Molina, Rebellus, Reg. Bonac. Amic. & alii communiter.

141 Secundò, quia Doctor inquit loc. cit. easdem conditiones servandas esse in locatione, & conductione quoad usum, quæ in emptione, & venditione servantur quoad dominium, ideò illas recolere oportet, & huic contractui applicare. Prima est, quod locans habeat jus locandi, sicut quod vendens habeat jus vendendi. Secunda, quod conductor habeat potestatem recipiendi jus in usum rei, sicut quod emptor habeat potestatem accipiendi dominium rei, tàm utilitatis, quàm proprietatis. Tertia, quod nullus superior contrahentes impediat, illum à locando, & istum à conducendo, sicut etiam in contractu emptionis, & venditionis tale impedimentum abesse debet. Quarta conditio est, quod in tali contractu non adsit fraus, vel dolus, quod etiam in contractu emptionis, & venditionis requiritur. Quinta tandem, quod sit pretium, & merces justa, sicut enim emptio, & venditio justum requirit pretium, sic etiam locatio justam mercedem. Qualis autem, & quanta merces esse debeat, & quantum pretium, ut locatio justa sit, dicendum est, ac discurrendum, sicut suprà de justo pretio rei in emptione, & venditione, nimirum id, quod secundum consuetudinem gentis, & populi illius civitatis, vel regionis, ubi fit contractus, pro justa mercede habetur, vel secundum quod invicem convenerint locator, & conductor, si de tali consuetudine non constet; vel tandem justum pretium arbitrio boni viri statuendum erit. Sicut ergo omnes hæ conditiones ad venditionem, & emptionem requiruntur, ut translatio dominii justa sit, & valida; ità quoque in hoc contractu requiruntur, ut translatio usus valida fit, & justa, quia in hoc quoque contractu recompensatio secundum justitiam fieri debet, sicut in venditione, & aliis permutationibus, qui non sunt contractus omninò liberales, sed justam requirunt compensationem. Est etiam solvendum dictum pretium juxtà consuetudinem loci, ut notat Stephanus à S.Gregorio l. 2. c. 64. cum Gomez, Azor. Fill. & alii, nam in aliquibus locis pars pretii solvitur in primo semestri, & altera pars in secundo, vel ut alibi solvitur singulis tribus mensibus pars pretii, & alibi aliter in fine anni totum pretium, quæ locorum consuetudines, & jura peculiaria sunt servanda, & si nulla appareat consuetudo regionis solvendum est pretium eo tempore, quo contrahentes inter se convenerunt. Ità Astesanus noster l. 3. tit. 14. art. 5.

142 Tertiò, ut pateat quæ sit materia hujus contractus, hanc regulam universalem DD. assignant, ut omnes res, quæ vendi possunt, possint etiam locari, nisi specialis aliqua extet prohibitio. & ratio est, quia non plus ad locandum requiritur, quam ad vendêdum, & omnia, quæ alienari possunt, possunt etiam locari, licet non è contrà, etenim ut notat Bonac. cum aliis dis. 3. q. 7. pun. 1. sunt aliquæ res, quæ locari possunt, sed vendi prohibentur, quales sunt res pupilli, & minoris, quæ locari possunt, non verò vendi; præterea bona dotalia possunt à viro locari, non autem vendi; & tandem res Ecclesiasticæ locari possunt saltem ad breve aliquod tempus, non autem alienari absque debita juris solemnitate, quare omnes res, quæ vendi possunt, etiam locari possunt, secluśa speciali prohibitione, non tamen è contrà, quia plus ad vendendum requiritur, undè non satis approbo, quod ait Astesanus noster loc.c. art.4. locari posse omnia, quæ vendi. possunt, & quæ non possunt vendi, non posse locari, siquidem, ut constat ex modò dictis, aliqua possunt locari, quæ non possunt vendi. Verùm res usu consumptibiles, ut vinum oleum, pecunia,

nia, & similia licet vendi possint, propriè tamen loquendo locari non possunt, ut notat Stephan. à S. Greg. l. c. quia dominium in his rebus ad usu sperari non potest, ut deducitur ex L. sed mihi videtur §. ult. ff. commodati, ubi dicitur non posse commodari id, quod usu consumitur, & licet aliquando locetur domus unà cum omnibus suppellectilibus, & rebus consumptibilibus, ut vino, oleo, tritico, &c. tamen dictæ res, cùm non possint eædem restitui, non dicuntur locatæ, sed venditæ, ut docet Bortol in L. Sicut certò §. nunc videntur est ff. commodati, & L. cum fundo ff. locati. Si quis autem alteri frumentum daret, ut idem in specie redderetur, non numero, mutuare dicetur, vel in creditum dare, non autem locare vel commodare. Demum hanc etiam regulam tradunt communiter DD. quod locare, & conducere possunt domini, omnes, qui vendere, donare, & quovis alio titulo alienare possunt, vel alienata accipere, nisi specialiter prohibeantur. & ratio est, quia plus est rem alienare, quàm locare, siquidem alienare ultrà translationem usus adlit etiam translationem dominii, quam non dicit locatio. Dixi, nisi specialiter prohibeantur, quia excipiuntur aliquæ personæ, quibus vetitum est quædam conducere, quales sunt milites, quibus ne publicum militiæ bonum impediatur, jure prohibitum est, ne res locentur, ut habetur L. ultima C. de locato, & conducto. quod quidem intelligendum est de militibus, qui sunt in actuali militia juxtà communem DD. interpretationem, & ubi hujusmodi prohibitio non est contraria consuetudine abrogata. Prohibentur etiam Clerici, & Monachi conducere prædia Laicorum c. 1. Ne Clerici, vel Monachi. De vita, & Honest. Cler. quod intelligendum est si conducant lucri causa, secus autem si conducerent ex necessitate, ut docent Azorius, Filiucius, Stephanus à S. Greg. & alii è contrà verò non omnes, qui locare, aut conducere possunt, possunt etiam alienare, vel alienata accipere, ut constat de Clericis, & Ecclesiæ prælatis, qui saltem ad breve tempus possunt res Ecclesiæ locare, non tamen possunt absque canonica juris solemnitate alienare, ut dictum est.

143 Quartò circà obligationem locatoris conveniunt communiter DD. teneri aperire conductori vitium rei locatæ, sicut venditor tenetur aperire emptori vitium rei venditæ, ut patet ex superius dictis de venditione, & hæc obligatio deducitur ex quarta conditione assignata hujus contractus, quod sit sine dolo, & fraude; est autem fraus, & dolus in locatione, quando locator rem vitiatam locat non aptam præstare usum ad quem quis eam conducit, undè si quis scienter locat equum ad merces transferendas assuetum sese in aquam dimittere, vel vasa vitiosa, & infecta, ità quod vinum, & oleum, aut aliquid aliud pereat, vel deterius evadat in eis positum, tenetur ad restitutionem damni, quod indè passus est conductor de vitio rei locatæ non admonitus; quod eadem ratione probatur, qua suprà de venditione agentes quoad hanc conditionem probavimus venditorem ad restitutionem teneri qu. 1 hujus disp. a. 2. nu. 12. imò locator non solùm tenetur de dolo, sed etiam de culpa lata, & levi, licet non de leviſſima, ut colligitur ex L. *item quæritur* ff. *locati*, in qua per varia exempla doctrina hæc explicatur. & ratio est, quia quando contractus celebratur in gratiam utriusque contrahentis, qualis est contractus locationis, & conductionis, de culpa lata, & levi tenentur contrahentes, licet non de leviſſima. Quid autem sit culpa lata, levis, & leviſſima, jam declaratum est suprà disp. 4. q. 3. a. 2. n. 69. Quoad expensas conveniunt etiam DD. locatorem non solùm teneri ad resarciendas expensas necessarias à conductore factas in resarcienda re conducta; verum etiam ad resarciendas expensas utiles, quæ ultrà conductionis tempus sunt duraturæ L. 1. C. locati. & ratio est, ut inquit Bonac. disp. 3. q. 7. pun. 2. cum pluribus aliis ab ipso citatis, qui sentit commodum debet etiam sentire incommodum juxtà regulas juris, sed locator sentit commodum ex melioramento, & expensis talibus à conductore factis, cum hujusmodi expensæ in commodum locatoris cedant; ergo par est, ut illarum quoque sentiat onus; undè locator tenetur ad resarciendas expensas à conductore factas in reparanda domo vel in curando equo, qui malè valuerat absque conductoris culpa, & similes, & hoc totum intelligendum est, modò conductor eas non fecerit ex præmissa conventione rem conductam meliorandi suis expensis, nam conventio legem facit inter contrahentes. Tenetur etiam locator ob eandem rationem ad onera, & tributa imposita pro re locata, nisi aliter conventum sit cum conductore, vel nisi aliud consuetudo loci postularet; onera autem imposita pro fructibus non tenetur locator, sed conductor, quia ipse percipit fructus, & commodum sentit, atque ideò etiam omnes pro fructibus impositum sentire debet. Demum teneatur locator continuare conductori locationem usque ad tempus præfinitum, nec citrà illud post rem locatam repetere, & ratio est, quia non potest à contractu resilire conductore invito, qui per locationis contractum jus acquisivit in usum rei locatæ usque ad certum tempus. Excipium tamen DD. communiter quatuor casus, in quibus potest locator rem locatam repetere antè præfixum tempus ex c. propter sterilitatem §. Verum de locato. Primus est, si conductor per biennium pensionem non solverit, si ultrà biennium res sit conducta. Secundus est, quando conductor abutitur re conducta, ut si domum destruat, vel ibi meretrices alat, aut alio modo malè utitur re conducta. Tertius, si improvisus casus accidat, ob quem domus v. g. ipsi domino sit necessaria, ut si prior domus inopinato casu corruat, vel comburratur, nec locator commodè aliam invenire possit. Quartus tandem, si rem locatam reficere necesse sit, neque id fieri possit altero in habitante. Quos casus amplius declarant Bonac. l. c. & Stephanus à S. Greg. l. 2. c. 45. qui alios citant, & Amicus disp. 26. sect. 7.

144 Quæri solet an locator teneatur conductori remittere pensionem ob sterilitatem casu fortuito supervenientem citrà culpam, vel negligentiam conductoris, & ex suppositione, quod non intervenerit pactum locatoris cum conductore, ut superveniente quovis casu integram pensionem sibi solvat, hoc enim supposito teneretur conductor pensionem solvere, nec teneretur locator eam remittere; quia tunc conductor cessit juri suo. Cui quæsito DD. communiter respondent, quod si sterilitas tanta sit, ut conductor nihil ex re conducta percipiat, pensio tota remittenda est; ità enim habetur L. ex conducto ff. locati, ut si eluvione, vel hostium invasione, vel grandine, avi bruco segetes vastentur, vel si ità molendini locati aditus præcludatur, ut nullus amplius illuc ad molendum accedat; in his enim casibus, & similibus remissio totius pensionis facienda esset. Si autem sterilitas non sit tanta, licet sit magna, & notabilis, tunc facienda est remissio pro rata supervenientis sterilitatis, ità enim habetur expressè L. si quis fundum ff. locati, & cap. propter sterilitatem, de locato, & conducto. Hanc tamen communem doctrinam, quod si sterilitas est tanta, ut si nihil conductor ex re locata accipiat, nihil solvat, limitat Astesanus noster lib. 3. tit. 14. art. 5. & Lugus cum ipso disp. 29. sect. 2. nisi sterilitas per ubertatem anni proximi præcedentis, vel sequentis possit compensari, tunc enim integra pensio illius anni, quam locator remiserat exigi, nisi aliud in locatione sit pactum, quod ait deduci ex juribus citatis. Quæ autem sterilitas judicanda sit magna, & sufficiens ad faciendam pensionis remissionem, non omnes eodem modo declarant. Aliqui dicunt sterilitatem esse magnam, quando ex vulgi judicio ità æstimatur. Alii dicunt esse magnam, quando res conducta, ut fundus, non dat dimidiam partem, quam dare solebat. Alii dicunt tunc esse magnam, quando detractis expensis, & æstimatione laborum, fructus percepti non sufficiunt ad dimidiam partem pensionis solvendam; & hunc dicendi modum Lessius l. 2. c. 24. putat cæteris probabiliorem, nam sicut si quis ultrà dimidium deceptus non fuerit, nulla ei competit actio, ità etiam si conductor damnum, seù sterilitatem ultrà dimidium non sit passus, nulla debetur ei compensatio; de quo videatur Lugus loc. c.

145 Quintò circà obligationes conductoris conveniunt DD. non posse conductorem uti re conducta ad alium usum, nec alio modo, quàm inter locatorem, & ipsum conductorem fuit conventum. & ratio est, quia tenetur stare conventioni, & obligationi, undè si aliter conductor utatur re conducta, & pereat, ad restitutionem tenetur, quia peccavit contrà justitiam cum damno locatoris utendo equo ver. gr. ad alium usum, seù ad alium locum, ad quem non conduxit. Hoc tamen intelligendum est, si fiat invito domino, & locatore; nam si rationabiliter præsumeret conductor locatorem non dissentire, posset uti re conducta etiam ad alium usum absque alicujus restitutionis obligatione. Rursus conveniunt DD. conductorem non posse absque justa causa antè tempus locationis prefixum rem conductam dimittere, quia tenetur stare contractui, & ab eo non resilire absque justa causa, hac verò intervenente dicunt posse rem conductam dimittere etiam nondum expleto locationis tempore, qualis v. g. esset si re conducta uti non posset, eo quod deterior effecta sit absque sua culpa, ut si equus infirmatus sit, aut domus ex parte corruerit, vel si non possit uti re conducta ob legitimum superveniens impedimentum v. g. ob pestem supervenientem, vel bellum periculosum &c. Item tenetur conductor elapso locationis tempore rem conductam eandem numero, & integram locatori restituere, nisi deterior effecta sit, vel perierit absque culpa etiam levi ipsius conductoris. & ratio est, quia cum per contractum locationis non transferatur dominium rei in conducentem, sed tantùm unus, ut suprà dictum est, ad certum tempus concedatur, sequitur rem conductam eodem numero, & integram locatori restituendam esse expleto locationis tempore. Denique tenetur conductor pensionem solvere pro usu rei locatæ tempore constituto, contractus enim conductionis cum

hoc

hoc pacto solvendi pensionem certo tempore celebratur; quale autem sit hoc tempus jam suprà declaratum est, nu. 141. solvenda enim est pensio eo tempore, quo contrahentes inter se convenerunt, quod si non appareat, regionis consuetudo servanda est, quæ etiam si non extet solvenda est ad minus in fine anni, ut ait Astesanus loc. cit. ex ff. de regulis juris.

146 Sed Dubium est, an conductor, qui re conducta uti non potuit, aut fructus ex ea percipere ob aliquod impedimentum, teneatur pensionem solvere. Cui dubio cum distinctione respondendum est, vel enim conductor uti non potuit, vel fruire re conducta ob impedimentum, vel causam ex parte ipsius supervenientem, & sua culpa; & in tali casu pensionem adhuc solvere tenetur; quia æquitas non patitur, ut locator damnum pati debeat ob culpam, vel causam, aut impedimentum ex parte conductoris superveniens; sicut conductor, quando re conducta uti non potuit ob impedimentum ex parte locatoris perveniens, pensionem solvere non tenetur; ità etiam ratio postulat, ut locator pensionem percipiat, quando conductor ob impedimentum ex parte sua proveniens re conducta uti non potuit. Si verò conductor re conducta uti non potuit, vel fructus ex ea percipere ob impedimentum absque sua culpa proveniens, ut propter bellum, pestem, aut alium casum fortuitum, pensionem solvere non tenetur ad ratam temporis, quo re conducta uti non potuit, vel fructus ex ea percipere. & ratio est quia conductor non censetur pro tali tempore, ac rerũ contingentia se obligare voluisse ad pensionem solvendam, contractus autem ultrà voluntatem, & intentionem contrahentium non obligat, & ità decernitur L. Si fundus ff. locati, & L. Habitatores §. ult. ff. locati, quia ratione dicebamus nuper n. 144. conductorem ad integram pensionem solvendam non teneri, superveniente magna prædii sterilitate ob casum fortuitum, & absque sua culpa, ut ob grandines, nives, inundationes, vel hostilem exercitum segetes, & alios fructus devastantem. Ità Molina, Navarrus, Lessius, Rebellus, Reginaldus, Bonacina, Amicus, Stephan. à S. Greg. Faber ex nostris, & alii passim.

147 Sextò tandem controversia est inter Doctores, an licitum sit locare domum, vel aliam rem ei, qui putatur abusurus illa ad peccandum. Negat Navarrus in summa cap. 17. nu. 195. ubi proindè ait illicitum esse domos meretricibus locare; etiam ubi permittuntur. Fundamentum est, quia nunquam licitum est occasionem præbere peccandi; sed qui domum meretricibus locat occasionem peccandi eis præbet; ergo &c. Confirmatur, quia etsi possit publica potestas ad evitanda majora mala meretrices permitere juxta sententiam D. Aug. lib. de ordine, efficere tamen nunquam potest, quin illæ meretricium exercendo peccent, & consequenter, quin locantes illis domum ad earum peccatum non cooperentur. Tandem non licet locare domum exercenti artem, cui per se annexum est peccatum, qua ratione jure canonico vetitum est, ne quis domum locet alienigenis usurariis, ut patet c. 1. de Usuris in 6. sed meretricio per se annexum est peccatum; ergo domos illis locare non licet quia eo ipso locantes ad eorum peccatum cooperari censetur.

148 Oppositа tamen sententia communis est, & ut inquit Amicus disp. 26. sect. 3. contrà Navar. totius orbis Christiani consuetudo pugnat, quæ hujusmodi locationes absque ullo scrupulo mereticibus permittit, & quod caput est, in ipsa Urbe, in qua Pontifex eas nullo modo permitteret, si illicitas esse putaret; & subdit non sufficere, si dicatur hujusmodi locationes Pontificem permittere ad majora incommoda vitanda, qua ratione meretrices etiam ipsas permittit. Quia saltem Pontifex declarare deberet, hujusmodi locationes meretricibus factas esse illicitas. Dicendum igitur est cum Less. l. 2. cit. c 24. dub. 8. Steph. à S. Greg. l. 2. c. 45. Fabro nostro disp 47. c. 5. in fine, & aliis communiter tunc esse peccatum mortale dictam locationem facere, quando fit ad illum finem cooperandi peccato conductoris, vel quando locator potest, & tenetur peccatum alterius impedire, ut si quis locaret domum furi, in qua sciret eum habere opportunitatem furandi, aut arma locaret, vel venderet illi, qui sciret ea velle ad occidendum inimicum, cum quo litigium habuit; in his enim & similibus casibus verè diceretur locator cooperari peccato conductoris, & tenetur peccatum alterius impedire. At si locatio fiat ad finem indifferentem, vel locator non possit, nec teneatur alterius peccatum impedire nullo modo peccat secluso scandalo, quod in casu posito de meretricibus contingere nequit, cùm enim earum peccatum à Republica permittatur ad majora mala vitanda nullus tenetur illud impedire. Hac igitur ratione potest quis licitè domum suam meretrici locare, in qua scit eam fornicaturam, quia ipse jus habet locandi suam domum, & ideò eam locat illi ad habitandum, qui est ejus usus proprius, quod si illa ibi meretricium exerceat, est præter locatoris intentum, neque ob alterius peccatum ipse jure suo privari debet, cùm illius non sit per se causa proximè, & immediatè, sed merè per accidens; sic etiam licitè poterit quis domum suam usurario locare, quem scit in ea usuras exercitaturum, ob eandem rationem.

149 Ad fundamentum prioris sententiæ negatur minor quia locatio domus ex natura sua non est ad peccandum inductiva, sed per se est indifferens, ac proindè ad peccandum nullam per se, & directè occasionem præbet, sed peccatum sequitur solum ex malitia abutentis tali locatione, nullus autem ob malitiam alterius proprio jure se privare tenetur, qua ratione suprà dicebamus indigentem pecunia posse mutuò petere ab eo, quem scit non mutuaturum sine usura, & si ex hoc ullum sequatur scandalum erit scandalum acceptum, non datum, ut docet D. Tho. 2. 2. q. 78. a. 4. ad 2. Ad Confirmationẽ negatur consequentia, quia locare domum meretricibus, ubi à publica potestate permittuntur, non est ad earum peccatum cooperari, cùm domus locatio non sit per se ad peccatum inductiva, sed merè per accidens, atque ideò sæpè illicita non est nisi aliunde prohibatur. Ad ultimum neganda est major cum Amico loc. cit. quando talis ars à publica potestate permittitur, quia locatio domus non per se inducit artificem ad turpem artem exercendam, sed ipse ex sua malitia inducitur; neque ea intentione locatur domus tali artifici, sed ad vitæ humanæ conservationem. Nec valet assumpta paritas de meretricibus, & usurariis alienigenis, quia de his est expressa prohibitio, ne eis domus locentur, quę non est de meretricibus. Imò ex hoc apertè deducitur id non esse per se, & intrinsecè malùm, sed solùm quia prohibitum, alioquin talis locatio etiam usurariis indigenis prohiberi debuisset, quod cùm factum non sit, signum est id illicitum esse ex sola lege prohibitione, non autem ex se, & natura sua, alia plura ad hunc contractum pertinentia videri possunt apud Astesan. nostrum loc. cit.

150 Solet etiam hic agi de conductione famulorum aliorumque Officialium, & justo ipsorum stipendio, de quibus breviter dicendum est, validum, & licitum esse contractum, quo famulus, aut alius mercede locat alteri operas suas ad rem licitam, quia opera famuli digna est stipendio, & mercede, dignus est enim operarius mercede sua, & sicut in aliis rebus servanda est æqualitas pretii, ità etiam in stipendio famulorum servanda est, modò fideliter laboraverint, nec aliter conventum sit; stipendium autem justum famulorum, diversum est juxtà usum patriæ, personarum, &c. & quando dictum prætium est à lege taxatum, juxtà illam solvi debet; & famuli non possunt à Dominis expelli, nisi finito tempore conductionis, nisi justa adsit causa, qua deficiente totum stipendium illi tribuere tenentur, ac si inservissent toto tempore inter ipsos convento; de quo plura videri possunt apud Bonacinam, & Stephanum à S. Gregorio loc. cit.

ARTICULUS SECUNDUS.

De Emphyteusi, & de Feudo.

151 POst contractum locationis, & conductionis de contractibus Emphyteuticis, & feudalibus agendum est, quamvis enim hujusmodi contractus propria pacta, & leges habeant, ac conditiones, quibus à locatione, & conductione propriè sumpta distinguuntur, majorem tamen cum hoc contractu affinitatem habent, quàm cum aliis, ideoque ad illum reducuntur. & licet de istis contractibus plura Juristæ scribant, nobis tamen sufficiet eorum definitionem assignare, & declarare, ut naturam ipsorum cognoscamus, ac etiam eorum conditiones, ut pateat quid ad eorum justitiam requiratur, & consequenter discernere possimus, quando in eis peccatum interveniat, & obligatio ad restitutionem.

152 Primò itaque Emphyteusis definiri solet, quod sit contractus rei immobilis, cujus tantùm utile dominium transfertur in accipientem, retento directo apud concedentem cum pacto certæ pensionis proprietario solvendæ in recognitionem dominii directi. Ità Juristperiti ex L. 1. C. de jure Emphyteutico. Feudum verò, quod dictum est à fide, seù fidelitate, est contractus, quo quis tradit feudatario, sivè Vassallo rem suam immobilem quoad dominium utile tantùm cum onere obsequii, & servitii principalis Domini. Undè contractus Emphyteusis est similis locationi, in quo res immobilis, quæ cultura possit melior effici, conceditur alteri, vel in perpetuum, vel non minus, quàm ad decennium, itaut dominium directum maneat apud dominium, qui tradit in Emphyteusim, dominium autem utile in Emphyteutam transferatur cum onere, ut quotannis certum canonem, ut vocant, seù pensionem domino solvat. Feudum verò est contractus similis Emphyteusi, quo res immobilis alicui conceditur cum translatione dominii utilis proprietate retenta, sub onere non quidem aliquid solvendi, sed exhibendi directo domino fidelitatem, & obsequium personale; interdum tamen

tamen feudum etiam ità instituitur, ut in recognitionem dominii directi aliquid debeat persolvi, sed tunc ex ea parte à puro feudo decidit, & ad Emphyteusim declinat. Hinc patet convenientia, & differentia horum contractuum, conveniunt enim eo quia uterque in re immobili consistit, cujus solum dominium utile transfertur retento directo apud transferentem, differunt verò ratione pensionis, nam pensio solvenda pro feudo est personalis, ideſt, in obsequio personali consistēs; pensio verò solvenda pro emphyteusi est realis, ideſt, consistens in pecunia, vel frumēto, vel alia re simili, & præterea differunt, quod in contractu feudali præstatur à Vassallo domino directo juramentū fidelitatis, quod non præstatur ab Emphyteuta, ratione cujus tenetur illi præstare servitium personale, quando de illo à Domino interpellatur. Ratio autem hujus discriminis inter contractum feudalem, & Emphyteuticum ex diversa origine, & fine deducitur, ex qua, & ad quam hi contractus diriguntur; nam Emphyteuticus ex agrorum sterilitate ortum duxit, ad quorum melioratione, & fecunditatem per culturam, tanquam ad immediatum, & proximum finem directus fuit, feudalis verò ex singulari aliquo servitio præstito domino, in cujus remunerationem feudum est traditum, ad quam gratiosam remunerationem recognoscendam, tanquam ad proximum finem, personale obsequium, & servitium à feudatario præstandum ordinatur. Undè feuda secundum aliquos eo tempore introducta fuere, quo Longobardi in Italia regnabant, & dominabantur, ut notat Faber disp. 47. cit. art. 13. cum enim Gothi civitates bello occupabant, prædia illarum colenda in remunerationem laborum pro ipsis in bello impensorum suis militibus tradebant, ea lege, ut qui feudum accipiebant, ipsi & sui hæredes dominium perpetuò agnoscerent, atque ut provincias, & civitates bello partas eorum opera, & auxilio, si opus esset, tueri possent. Ità etiam Stephanus à S. Greg. lib. 2. c. 53. cum Julio Claro, Azorio, & aliis.

153 Secundò ex hoc, quod feudatarius obsequium personale debet præstare Dominio, Emphyteuta autem solùm realem pensionem, inter feudum, & Emphyteusim aliæ adhuc oriuntur differentiæ, ut Faber advertit loc. cit. Nam ulterius in hoc differunt, quod dominus feudi directus judicare potest de controversiis inter feudatarios versantibus, non inter Emphyteutas quia nimirum feudatarii quoad personam sunt subditi, & Vassalli, Emphyteutæ autem nequaquam, sed solum quoad pensionem realem obligantur. Deindè ob eandem rationem non potest feudatarius dare feudum in pignus, nec illud alienare sine licentia Domini directi, Emphyteuta autem potest jura sua alteri vendere, si Dominus admonitus contradicat, quia non est subditus, quoad personam, sicut feudatarius. Rursus fœmina in Emphyteusi succedere potest, non tamen in feudo, quia fœmina non est apta præstare domino prædicta obsequia sicut masculus, undè ut succedat in collatione feudalis beneficii nominatim exprimi debet, ut feudum ad accipientem, hæredesque suos, sivè masculos sivè fœminas in perpetuum pertineat, ut habetur l. 2. tit. 23. §. fin. vers. *Ususfructus vero*, quæ omnia vera sunt consideratis contractibus feudi, & Emphyteusis ex natura ipsorum, possunt enim in eorum institutione alia pacta apponi, ex quibus obligationes diversæ, & plures, vel pauciores oriantur.

154 Tertiò ex dictis deducitur discrimen horum contractuum Emphyteutici, & feudalis à cæteris. Differunt enim ab emptione, & venditione, quod in hac utrumque dominium tam directum, quàm utile transfertur in emptorem, certo pretio statim soluto, vel habito, ut soluto; in Emphyteusi autem, & feudo dominium utile tantùm transfertur, non autem directū. Differunt à contractu censuali, quia in hoc utrumque dominiū tam directum, quam utile apud censuarium manet, in censitorem verò, seu censualistam solum transfertur jus exigendi certam pensionem, quæ est pars juris, quod censuarius habet. Differunt à locatione, & conductione, primò quoad materiam, quia locatio, & conductio etiam de rebus mobilibus fieri potest, sicut emptio, & venditio; Emphyteusis verò, & feudum in re immobili duntaxat constituuntur; deindè quoad dominii translationem, nam per locationem nullum trasfertur in conducentem dominium, sed purus usus rei locatæ; in Emphyteusi verò, & feudo transfertur dominium utile in Emphyteutam, & feudatarium; tandem quoad temporis durationem, quia locatio non fit ad decennium, sed ad brevius tempus, alioquin locatio non esset, sed potius Emphyteusis; at Emphyteusis fit ad longum tempus, quod non sit minus decennio L. 1. §. quod ait prætor ff. de superficiebus. Differunt tandem à libello, seù contractu libellario, qui contractus libellarius, sivè datio ad libellū dicitur, cùm Emphyteuta, vel feudatarius rem illam, quam in feudum, vel emphyteusim accepit, simili contractu tradit tertio, itaut sit quasi sub feudum, & sub emphyteusim, ad quod tamen, si in decenniumfiet, requiritur Domini directi consensus. Et in tali translatione emphyteusis in alium transfertur totum dominium, quod Emphyteuta in rem Emphyteuticam habebat, per Emphyteusim autem non transfertur totum dominium, quod transferens habet in re, sed solùm utile, directo apud se retento. De quo libellario, vel liuellario contractu alia plura apud Fabrum videri possunt loc. cit. Ità Lessius, Molina, Bonacina, Amicus, Stephanus à Sancto Gregorio, & alii passim.

155 Quartò, ut notat quoque Faber l. c. ad substantiam, & validitatem horum contractuum requiruntur tres illæ conditiones, quas generaliter sæpè diximus ad omnem contractum requiri, ut sit validus, nimirum quod dans in Emphyteusim, vel feudum sit dominus rei traditæ. Item quod recipiens velit recipere; & tandem quod neuter à lege, vel superiore prohibeatur, ille dare, & iste accipere; qui enim à legibus prohibentur alienare, prohibentur quoque dare in Emphyteusim, vel feudum; & plures leges habentur in jure tam civili, quàm canonico prohibentes certas personas dare, & recipere in Emphyteusim, quas Glossa memorat in cap. final. *Potuit* de locato, & conducto. Præterea ad horum contractuum justitiam requiruntur etiam duæ illæ conditiones generales ad omnem contractū necessariæ, ut fiant, scilicet, sine fraude, & dolo, & in proposito ne emphyteuta dolo, vel culpa lata, aut levi rem in Emphyteusim acceptam faciat deteriorem, & similia. Deindè ut servetur æqualitas, ideſt, ut pretium pensionis, quam Emphyteuta solvere debet, sit justum; quæ autem sit justa pensio pro Emphyteusi solvenda, Juristæ non conveniunt. Communior tamen sententia docet justam pensionem esse illam, ut refert Amicus disp. 25. sec. 1. quæ prudentis arbitrio, attentis loci consuetudine, obligationibus, quibus Emphyteuta subjacet, cæterisque circumstantiis censetur æquare valorem dominii utilis, quod ex re Emphyteutica accipit, & ità etiam discurrit Faber loc. cit.

156 Quintò ultrà prædictas conditiones omnibus contractibus communes aliquæ etiam speciales pro istis contractibus à legibus sunt præscriptæ. Prima est pro Emphyteusi certam statutis temporibus pensionem ab Emphyteuta solvi debere domino directo, edeout si hæc pensio saltem non offeratur, vel pro solvenda habeatur, non censeatur validus Emphyteuticus contractus, quæ conditio ex ipsa Emphyteusis definitione assignata deducitur, & talis pensio solvenda est propter fructus è re Emphyteutica percipiendos. Secunda est, ut si Emphyteuta tribus continuis annis in Emphyteusi sæculari, duobus verò in Ecclesiastica, pensionem non solverit, in commissum, ut vocant, seù caducitatem incidat, amittendo cum dominio utili melioramenta omnia in re Emphyteutica facta, totaque res pleno jure ad proprietarium devolvatur. Ità de sæculari statuitur l. 2. C. de jure Emphyteutico, & de Ecclesiastica habetur authentica *Qui rem* C. de sacrosanctis Ecclesiis. Tertia est, ut non solùm in commissum incidat Emphyteuta ob non solutam per triennium proprietario pensionem, sed etiam ob non soluta tributa fisco, vel ob rem in Emphyteusim acceptam ipsius culpa deteriorem effectam. Prior conditio, vel obligatio statuitur l. 2. cit. C. de jure Emphyteutico, posterior quoad Ecclesiasticam emphyteusim expressè habetur in authent. de alienat. & Emphyt. §. *Si verò quis, aut locator:* Cæterum conditio hæc de deterioritate notabili, & in substantia rei intelligenda est, non in fructibus, qui ad Emphyteutam pertinent, sicut de non solutione tributorum fisco pariter intelligenda est per triennium, uti de non solutione pensionis proprietario. Quarta conditio est, ut non possit Emphyteuta suum jus utile, vel meliorationes in re Emphyteuticafactas vendere, & alienare irrequisito proprietario, sub pœna incidendi in commissum, & amittendi jus Emphyteuticum cum omnibus melioramentis domino directo; & hæc obligatio sancitur l. 3. C. de jure Emphyt. &c. *Potuit* de locato, & conducto. Quinta demum conditio est, ut quoties donatione, aut permutatione ab Emphyteuta res alienatur, novus possessor teneatur domino principali laudemium reddere, hoc est, quinquagesimam partem pretii, vel æstimationis. Alias etiam conditiones ad Emphyteusim requisitas adducit Bonac. disp. 3. q. 8. punct. 2. quas prætermitto, quia in ejus definitione expressè continentur, ut quod hic contractus fiat de rebus immobilibus, & solo adherentibus, ut agris, domibus, patris, &c. & quod dominium directum apud priorem dominum perseveret, dominium verò utile in emphyteutam transferatur.

157 Sextò, quatuor etiam saltem conditiones speciales ad contractum feudi requiruntur, ut notat ibidem Bonac. punct. 3. Prima est, ut dominium directum apud priorem dominum perseveret, dominium vero utile in Vassallum transferatur. Secunda ut feudum super re immobili constituatur, ut super agro, pago, urbe, &c. Tertia ut vassallus obsequium, & servitium personale præstet domino principali, si exigatur, alioquin in caducitatem incidit, quæ tres conditiones ex definitione feudi assignata expressè deducuntur. Quarta tandem, ut Vassallus feudum non alienet sine consensu domini directi, & principalis, ad

quem

quem investire pertinet, & mittere in possessionem, alioquin Vasallus à feudo cadit, quamvis alienando protestetur se alienare salvo, & reservato Domini directi consensu, nam talis protestatio est contraria facto. Ità Bonac. l. c. pro quo citat Clarum, Sylvestrum, Reginaldum, Lessium, & alios. Aliis etiam de causis feudum amittitur, & redit ad dominium directum nimirum si feudatarius ingratus existat, & dominum graviter offendat; si successor non petat investituram, vel renovationem, & aliis etiam de causis, quas per extensum refert Faber loc. c. Tandem feudatarius potest à se feudum abdicare ad ejus libitum, quia est in ejus utilitatem, Emphyteuta autem non potest à se Emphyteusim abdicare invito domino proprietatis, sicut nec conductor à conductione recedere, quia data fuit res ad eam meliorandam, & ad pensionem solvendam. Qui plura de his contractibus desiderat, videat Lessium, Azorium, Bonacinam, Stephanum à S. Greg. loc. cit. & ex nostris Astesanum, de Emphyteusi quidem l. 3. tit. 15. de feudis verò tit. 18.

ARTICULUS TERTIUS.

De Assecuratione, & Fidejussione.

158 PRimò contractus assecurationis est, quo quis alienæ rei periculum in se suscipit obligando se vel gratis, vel pro certo pretio ad eam compensandam, si perierit. Quod si gratis fiat, est gratuita promissio, si pretio, est quasi emptio, quo assecurans vendit suam obligationem præstandi alteri rem ejus indemnem, v. g. Titius mercator habet navem Venetiis in portu multis mercibus onustam, quam vult in Ægyptum traiicere, & Cajus promittit Titio navem cum mercibus salvam, & integram in Ægyptum perventuram, quod si non perveniat, valorem mercium promittit de suo solvere, & pro hac assecuratione deducit in pactum certum pretium sibi à Titio solvendum; talis contractus dicitur assecurationis, & reducitur ad contractum emptionis, & venditionis, quia in hoc contractu Titius mercium dominus emit assecurationem, seù obligationem Caii, qua se obstringit solvere de suo valorem mercium, si perierint, tanto pretio. Contractum hujusmodi licitum esse omnes DD. concedunt, quia ut sæpè dictum est, quæcunque res, quæ est pretio æstimabilis, est etiam vendibilis; sed constituere rem in tuto, quæ de se est exposita periculo, est res pretio æstimabilis, & hoc fit per assecurationem; ergo hæc est pretio vendibilis. Imò addunt DD. hujusmodi contractum non solùm esse licitum, imò etiam ratione negotiationis valdè utilem Reipublicæ, siquidem plurimi mercatores ob grave periculum amissionis mercium à mercatura abstinerent, nisi hoc contractu assecurationis tuti redderentur, & sic quamplurimæ merces ex variis locis asportantur, quæ non asportarentur, nec Respublica commodum sentiret abundantiæ rerum. Et hic contractus assecurationis ad alias etiam res extenditur præter merces, ut ad pecunias, cùm nimirum assecurantur pecuniæ de loco ad locum asportandæ, ac etiam ad personas, ut cùm assecuratur transitus alicujus personæ, vel plurium per loca, & regiones Turcarum, hæreticorum, vel latronum.

159 Secundò ad justitiam hujus contractus requiruntur præsertim duæ illæ conditiones, quas suprà diximus ad justam venditionem, & emptionem esse necessarias. Una est, quod justum sit pretium pro assecuratione deductum. Altera est, quod fiat sine fraude, & dolo; & quidem quoad justitiam pretii servandæ sunt regulæ, quæ in emptionibus, & venditionibus servari solent, ad quas contractus iste reducitur, nimirum standum esse legi taxatæ, si aliqua talis extat vel locorum, & regionum consuetudini, vel ad arbitrium probi, & prudentis viri, habita ratione quantitatis, & qualitatis periculi, & rei, quæ assecuratur. Ut autem hic contractus fiat sine fraude, & dolo docent communiter DD. requiri, ut eventus rei sit utrique incertus, saltem quoad notitiam, quam de eo habent, quia alioquin non servaretur æqualitas, undè si assecurans certus sit rem esse in tuto, iniquè pretium petit, & illud restituere tenetur, & è contrà si volens rem suam assecurari certò sciat eam jam periisse, non potest justè, & sine fraude, & dolo de ejus assecuratione paciscì. Ratio deducitur ex definitione assecurationis jam assignata, quod est contractus, quo qui certa mercede se obligat ad alienum periculum subeundum, ex quo infertur, quod ubi nullum est periculum saltem putatum, assecuratio esse non potest, cum hæc essentialiter sit de periculo, cui res putativè saltem censeatur exposita. Quarè ut dicebamus, si assecurans certus sit, rem esse extrà omne periculum, & in tuto positam, vel si assecurationem petens certus sit jam periisse, contractus erit nullus, quia deest materia ad hunc contractum essentialiter requisita, quę est alieni periculi susceptio, quo cessante, etiam hujus contractus materia cessat. Ideò autem diximus tale periculum saltem putatum esse debere, quia opus non est tale periculum reipsa existere, sed sufficit, si probabiliter saltem existimetur, undè si quis assecurationem navis peteret, quæ jam portum teneret, putans illam nondum in portu esse, neque assecurans illam jam esse in tuto sciret, validus esset contractus, quia assecurans in tali casu exponeret se periculo saltem probabiliter putato, pro quo esset mercede dignus.

160 Tertiò ex his sequitur ad specificandas magis hujus contractus conditiones tria præsertim ad illum requiri, duo ad validitatem, & alterum ad justitiam. Ad validitatem requiritur primò, ut res assecuranda, sit periculo exposita, saltem secundùm notitiam contrahentium, estò à parte rei nullum adesset periculum, talis enim notitia ad hunc contractum celebrandum sufficiens est, siquidem susceptio periculi probabiliter putati est pretio æstimabilis non minus, quàm susceptio periculi reipsa futuri. Deindè requiritur, ut assecurans habeat sufficientia bona, undè solvere possit, si res assecurata perierit, alioquin si talia bona non habeat, sed potius animum fugiendi rebus assecuratis pereuntibus, non erit contractus validus, & si pretium acceperit, ad ejus restitutionem tenebitur. Tertium tandem ad justitiam hujus contractus requisitum est æqualitas inter pretium, & periculi susceptionem, undè quo majus, & probabilius erit periculum rei assecurandæ, eo majori pretio erit æstimanda talis periculi susceptio, majoritas autem, vel minoritas probabilis periculi ex omnibus circumstantiis concurrentibus pensanda erit, & prudentis arbitrio. Alias quasdam conditiones ad hunc contractum requisitas assignat Bonac. disp. 3. q. 9. punct. 3. quæ ad jam assignatas reducuntur. Quomodo autem assecuratores teneantur ad restitutionem re pereunte, conveniunt DD. teneri juxtà conventionem, itaut si rem aliquam in totum assecuraverint, tota re pereunte ad integram restitutionem teneantur; secus autem si pereat solùm in partem. Quando verò plures contractum assecurationis cum mercatore inierunt, nolentes totius rei periculum in se suscipere, sed partem tantùm; mercibus pereuntibus tenentur singuli pro rata, sic enim servatur æqualitas, & conventio. Ità Lessius, Molina, Salonius, Lugus, Amicus, Azor. Faber ex nostris, & alii communiter.

161 Quartò, fidejussio, quæ significat fidem suam alteri jubere, ac dare, est contractus, quo quis in se suscipit obligationem alterius, promittens sub fide sua illius adimpletionem, seque in illius defectum obligans. Undè fidejussor dicitur ille, qui pro alieno debito fidem suam obstringit, itaut principali debitore non solvente, ipse teneatur satisfacere creditori. Ità DD. communiter, & sumitur ex Inst. tit. 21. l. 3. & l. 26. tit. 7. & l. 46. tit. 1. Duplex autem est fidejussio, una dicitur judicialis pertinens ad causam criminalem, ut quando quis fidejubet ad constituēdum reum sub pœna pecuniaria, qui si non constituat, reo forsan aufugiente, vel alia de causa, pœnam solvere tenetur, modò pœna sit pecuniaria, non verò personalis, ut dicitur in tractatu de leg. Altera dicitur extrajudicialis ad causam civilem pertinens, ut cùm quis fidem suam obligat creditori, & se soluturum promittit in casu, quo principalis non solveret. Et duobus modis fidejussor se obligare potest, uno modo itaut ex æquo ipse, & principalis sint obligati, & tunc potest creditor ad ejus libitū ab utroq; suum creditum exigere; verum tamen est, ut advertunt Lessius, Molina, Bonac. & alii, non esse propriè fidejussorem, qui constituit debitorem principalem, & ex æquo, nam quando se talem constituit, seque obligat in solidum, creditor potest ab eo primo loco suum creditum petere non requisito debitore principali. Alio modo fidejussor potest se obligare, itaut non ex æquo teneatur, sed solùm non solvente principali debitore, & tunc tenetur tantùm principali debitore non solvente, & quamvis jure antiquo esset ad libitum creditoris convenire priùs quem maluerit, nempè fidejussorem, vel debitorem principalem l. non recta C. de fidejussor. jure tamen novo dictum jus vetus fuit correctum, & statutum, fidejussorem conveniri non debere, antequam solutio à principali debitore petatur, nam fidejussor tenetur defectu principalis, & in subsidium, ut constat in Authentica Præsent. C. de fidejussoribus, ut advertunt Bonacina, Stephanus à S. Gregorio, & alii.

162 Quintò conveniunt DD. ad hunc contractum aliquas requiri conditiones, quas Lessius, Lugo, Steph. à S. Greg. & alii ad quatuor reducunt. Prima est, ut hic contractus sit accessorius alium supponens debitorem, & obligationem præsentem, vel futuram §. 1. & 2. Inst. de fidejussoribus, dixi præsentem, vel futuram, quia non refert, an fidejussor principalem obligationem præcedat, vel sequatur, potest enim quis contractum præsentem, vel futurum sua fide certum reddere, & pro illo se obligare, & fide jubere; & quia contractus hic est accessorius supponens principalem, ideò dicebamus num. præc. non esse propriè fidejussorem, qui pro alio debitorem principalem se constituit, quia non se obligat accessoriè, & in defectum alterius, sed principaliter, &

ter,& potest æquè primò conveniri. Secunda conditio est, ut fidejussor non ad plus obligetur, quàm debitor principalis, cùm enim ejus obligatio sit accessoria, debet omninò in idem objectum tendere,in quod tendit principalis,ex quo fit fidejussorem non teneri ad plura,aut majora,quàm teneatur principalis, pro quo jubet, nam gerit personam principalis, & tenetur in illius defectum. Tertia conditio est, ut obligatio principalis debitoris sit valida, aliter enim nec fidejussio valida erit, ut si quis fidejusserit pro solutione usurarum, aut pro solutione pretii promissi pro re sacra à laico vendita L. *Cum lex* ff.de fidejussoribus. Ex quo fit invalidam esse fidejussionem,quando contractus,quo debitor principalis se obligavit, est invalidus. & ratio est, quia fidejusor tenetur pro principali,si ergò principalis non tenetur, neque fidejussor tenebitur, quia accessorium sequitur naturam principalis. Sufficit tamen, quod debitor habeat obligationem naturalem, ut fidejussor possit etiam civiliter obligari, ut notat Molina disput.539. nu.8. & alii communiter. Quarta conditio est, ut fidejussor non possit conveniri, & cogi ad solvendum, nisi facta prius excussione in bonis debitoris principalis, & hæc non sufficere inveniantur;& quamvis jure antiquo posset immediatè à fidejussore debitum exigi, non præmissa hujusmodi excussione, jure tamen novo id revocatum est, ut diximus in Authentic. citat. Tamen in aliquibus casibus potest statim conveniri; primò quando fidejussor renunciasset beneficio illius legis, quod in ejus gratiam concessum est, & ab eo renunciari potest; secundò, quando constat principalem non esse soluturum, aut procul abesse, & in eodem territorio bona non habere; tertiò si fidejussor conventus negavit se esse fidejussorem,per talem enim negationem beneficium excussionis amittit Leg. si dubitetur §. 1.ff. de fidejuss. Ità Lugus disput.32. sect.1. Stephanus à S. Greg. cap.68.l.2. Lessius cap. 28. dub. 1. Amicus disp. 32. sect. 3. & alii passim.

163 Sextò tandem disputant Doctores an fidejussor possit pretium aliquod accipere à debitore, pro quo fidejussionem facit. Communis opinio affirmat id licere, quoties fidejubendo subit periculum solvendi, aut alias molestias habita ratione periculi, & quantitatis debiti, nam periculum, cui se exponit, est pretio æstimabile, undè consequenter asserunt posse fidejussorem majus,vel minus pretium accipere à debitore juxta majus, vel minus periculum, quod patitur, vel cui se exponit; quando autem nullum imminet periculum, nec debitor principalis solvat, asserit non licere, quia sic aperiretur via usuris, & obligatio fidejussoris sine tali periculo non est prætio æstimabilis, pro qua opinione plures citant Bonac.disp. 3.cit.q.9. punct. 1. & Stephanus à S. Greg.l.c.& adhærere videtur Faber noster disp. cit.c. 15. in fine, ubi ait quod obligatio fidejussoris est pecunia æstimabilis, & vendibilis pro moderato, & proportionato periculo, quod fidejussor subit. Alii verò asserunt id licere etiamsi fidejussor nullum patiatur detrimentum, vel periculum, molestias, aut labores fidejubendo, non enim solùm accipit pretium pro periculis, & molestiis sed pro obligatione ipsa, quam contrahit; obligatio enim quam in se suscipit ad solvendum pro dicto debitore, & ad habendam pecuniam paratam ad talem effectum, est pecunia æstimabilis, secluso etiam quocunque periculo, sicut est obligatio mutuandi, nec fidejussor tenetur gratis tale onus subire, & hæc opinio mihi quoque valdè probabilis videtur, quia non solùm periculum, cui fidejussor se exponit est pretio æstimabile, sed etiam obligatio ipsa præcisè sumpta. Ità Bonacina, & Stephanus à S.Gregorio l. c. pro qua opinione citant Azorium, Sotum, Cajetanum, Medinam, & alios. Quinam verò possint fidejubere, & quænam personæ à fidejussione repellantur latè tractant citati Auctores, ad quos lectorem remittimus.

ARTICULUS QUARTUS.

De Pignore, & Hypotheca.

164 PRimò, pignus dupliciter accipi solet, nimirum pro reipsa, quæ pignori traditur in securitatem vel pro contractu pignoris, quo res creditori traditur, vel obligatur ad securitatem crediti, quomodo hic accipitur, & definitur *quod sit contractus, quo res alicui traditur ad securitatem crediti*. Ex qua definitione patet differentia pignoris à depositio,quia depositum datur ad custodiam simpliciter rei depositatæ, ut in superioribus dictum est, at pignus datur ad cautionem creditori, ut de suo credito sit securus; & licet pignus aliquando latius sumatur, prout etiam hypothecam comprehendit,propriè tamen, & strictè sumptum ab hypotheca differt; distingui autem solet frequenter, quod pignus est de re mobili, hypotheca verò de re immobili, ut dicitur in L. *plebs §. pignus*, ff. de verb. signif. hæc tamen differentia non est universalis, ut notat Lugo disp. 22.sect.2.quia mobilia etiam possunt hypothecari, & immobilia oppignorari, quarè differentia universalis est, quod pignus traditur, hypotheca non traditur, ut habetur in §. *item Serviana* vers. *inter pignus;* Instit. de actionibus, undè in lege jam citata additur dictum esse pignus à pugno, *quia res, quæ pignori dantur manu traduntur*, undè pignus non solùm est res obligata creditori, sed etiam tradita, at hypotheca est res obligata creditori, non autem tradita, & ideò pignus tam in rebus mobilibus, quàm immobilibus fieri potest, at hypotheca propriè sumpta in rebus tantùm immobilibus, quæ manent quidem pænes debitorem, sed obligatæ creditori, ut sunt prædia, domus, & alia hujusmodi; dixi hypotheca propriè sumpta, quia latius sumpta etiam in rebus mobilibus fieri potest, ut modò dictum est; & sic etiam de pignore, & hypotheca discurrit Astesanus noster l.3. tit.13.art.1.

165 Secundò, obligationes quæ oriuntur ex pignore, & hypotheca aliæ pertinent ad debitorem, & aliæ ad creditorem. Prima obligatio debitoris est, ne rem uni creditori hypothecatam det alteri, nisi in casu,quo sufficiens esset pluribus creditoribus satisfacere; pignus enim ad hoc datur, ut ex ejus pretio creditor sit satisfactus in casu non solutionis, cùm igitur non possint omnes creditores solutionem capere ex re, quæ non est sufficiens ad satisfaciendum omnibus, sequitur non posse eandem rem pluribus hypothecari, quando non est sufficiens pro omnium satisfactone. Secunda obligatio est, ut solvat omnes expensas, quas creditor fecerit in conservando,& tuendo pignore, ne periret, vel deterius redderetur L. si servus ff. de Pignor. Dixi necessarias, quia non tenetur impensas voluntariè per creditorem factas, & absque necessitate solvere, ut notant Gloss. & Bartolus in leg.cit. Ità Navarrus, Sylvester, Rodriq. Garzias, Rebellus, Molina, Bonacina, & alii, qui addunt non solùm expensas necessarias, sed etiam utiles, modò non sint immoderatè factas in pignore repeti posse à creditore. Tertia obligatio est, ut pignus petere non possit quousque integrum debitum persolverit, nec sufficit, quod major pars sit soluta, cum creditor etiam pro qualibet minima parte debiti pignus retinere possit L. quamdiù C. de distract. pignor. Quarta tandem obligatio est, quod dator pignoris tenetur solvere debitum, etiamsi pignus perierit, si sit sine culpa creditoris nisi sit pactum, quod omissio pignoris liberet debitorem. Ità advertit Astesanus noster l.c. a. 5. ex C. de pign. ac quæ fortuitis.

166 Tertiò,ex parte creditoris aliæ quatuor enumerantur obligationes. Prima est,ut curet,ne pignus pereat,aut deterius fiat, aliter tenetur damna debitori compensare L. si cùm venderet §. venit autem ff. de pign. action. & Faber noster disp. 47. cit. c. 5. cum pluribus aliis docet creditorem teneri, non solùm de dolo,sed etiam de lata,& levi culpa in pignore.Secunda obligatio est,quod creditor nequeat uti pignore cum damno debitoris, nisi adsit ipsius debitoris consensus expressus, vel saltem tacitus, & ratio est, quia creditor non habet jus utendi re aliena cum damno domini; sine damno tamen, seù de consensu tacito domini non videtur illicitum uti pignore,quia nulli damnum, vel injuria in tali casu inferri videtur, & ob id probabile est creditorem posse uti equo sibi in pignus tradito, ne otio torpeat, ut notat Bonacina cum pluribus aliis disp. 3. cit. q. 10. punct. 1. Tertia obligatio est, ut creditor computet in sortem omnes fructus ex pignore perceptos, nec non etiam illos, quos ex negligentia sua amisit, undè sequitur eum, qui accepit agrum incultum in pignus,si eum colat,teneri computare fructus in sortem, detractis expensis, & laboribus; nisi dominus agri illos condonet creditori, nam res domino fructificat. Ità Bonac. loc.cit. & Stephanus à S.Greg. l.2.c.72. cum omnibus Auctoribus citatis, ac etiam Astesanus noster loc. cit. Quarta obligatio est, ut statim post solutionem debiti pignus restituat debitori non alii obligatum,nec deterioratum,quod Astesanus probat ex c. Creditor; & si perierit,vel deterioratum fuerit, tenetur debitori satisfacere, si culpa ejus,vel dolo id evenerit, non autem in casu fortuito, & sine culpa ejus, ut notat idem Auctor ex c.de pign. ac lib.2.3.4. & 5.

167 Quartò circà res, quæ possunt pignori dari,conveniunt DD.omnia, quæ vendi possunt, posse etiam pignori dari ab eo, qui liberam illorum habet administrationem, sivè res sint mobiles, sivè immobiles, sivè corporales, sivè incorporeæ, ut sunt census,vectigalia,jurisdictio,& omnes res tam præsentes,quàm futuræ; quæ sunt in spe, ut fructus arborum pendentes, & fœtus animalium. Ità habetur ex L. & quæ non sunt, ff. de pignor. item oppignorari possunt ususfructus,nec non rusticorum servitutes,& tandem omnia,quæ in nostris bonis sunt,ut statuitur L.quæ prædium,C.si res aliena pignori data. Ratio autem, cur omnia, quæ vendi possunt, possint etiam pignori dari est, quia minus est tradi pignori,quam vendi,cùm per venditionem dominium rei transferatur, non verò per contractum pignoris;

ergo

ergo quæ vendi possunt, possunt etiam pignori tradi; è contrà verò res illę non possunt pignori tradi, quæ nec alienari possunt, ut v. g. Ecclesia, Cæmeterium, sepulchrum, nec aliæ res sacræ possunt pignori dari; item neque res publicæ, & publicis usibus destinatæ, ut habetur L. sancimus, C. de sacris Ecclesiis, & L. si monumento C. eodem titulo. Ità Navarr. Lessius, Garzias, Rodriquez, Bonacina, Stephanus à S. Greg. & alii passim, qui etiam ex aliis legibus alias res assignant, quæ non possunt pignori dari, de quibus etiam fusè agit Astesanus tit. 13. cit. art. 3. Addunt autem prædicti DD. & præsertim Lugo disp. 32. sect. 2. rem hypothecæ semel subjectam semper secum deferre onus illud, & obligationem realem, ità quod ad quemcumque possessorem transierit, possit creditor debitum ex illa exigere; non potest tamen creditor adversus tertium possessorem agere etiam in hypotheca expressa, nisi præcedente excussione in bonis debitoris, & fidejussorum, & eorum hæredum; quamvis enim jure antiquo id facere posset non facta tali excussione L. ult. C. de act. & oblig. posteà tamen id correctum est jure novo in Authent. de fidejussoribus §. sed neque. Debet ergò probare creditor rem illam fuisse debitoris tempore contracti debiti, & in hypotheca comprehensam fuisse, factamque esse excussionem in bonis debitoris, & fidejussorum; & si tertius possessor rei hypothecatæ solvere cogatur, debet ei creditori jus cedere, quod contra debitorem principalem habebat, & fidejussores.

168 Quintò tandem conveniunt DD. omnes qui possunt alienare, posse etiam oppignorare, & hypothecare, quia plus est alienare, quàm oppignorare, & hypothecare, cùm alienatio sit rei distractio, oppignoratio autem sit tantùm rei obligatio; non tamen è contrà omnes, qui possunt oppignorare, & hypothecare, possunt alienare; & ratio est, quia qui habet tantùm jus utendi, non habet jus alienandi, cùm jus utendi non se extendat, nisi ad usum, non ad substantiam ei, cùm tamen qui habet jus utendi, habeat jus quoque oppignorandi, & hypothecandi, ut constat in usufructuario, qui & si rei substantiam distrahere nequeat, ejus tamen usumfructum oppignorare potest, ut definitur L. *si is qui*, §. ult. ff. de pignor. & L. potior §. 3. ff. qui potior. Ex quibus infertur nec pupillum propria bona oppignorare, vel hypothecare posse absque sui tutoris auctoritate, nec filium familias bona profectitia, vel adventitia absque consensu patris, nec religiosum bona Monasterii, vel propria industria, ac labore acquisita absque facultate sui Prælati. & ratio est, quia nullus ex his liberam habet potestatem de bonis disponendi, quæ ad oppignorandum, & hypothecandum necessaria est. Ità Amicus cum aliis disp. 33. sect. 3. apud quem alia plura de hoc contractu videri possunt, quæ potius ad Juristas spectant, quam ad Theologos.

DISPUTATIO SEXTA
DE OBLIGATIONIBUS JUSTITIÆ DISTRIBUTIVÆ.

HACTENUS de justitia commutativa tractavimus, & de obligationibus ex ea consurgentibus in humanis contractibus; nunc de justitia distributiva agendum est, quæ est altera species justitiæ; & quia ejus naturam sufficienter explicuimus l. 3. sent. disp. 7. quæst. 8. art. 2. solùm restat hic declarare obligationes, quæ ex ea consurgunt, & vitia tali virtuti opposita, quæ peccata communi nomine *acceptio personarum* appellari solent, quia nimirum omissis motivis propriis, quæ in justa distributione attendi debent, quæ sunt merita, alias respicit circumstantias personales omninò impertinentes, ut sanguinis conjunctionem, amicitiam, benevolentiam, divitias, & alia hujusmodi, quæ attendi non deberent, & ideò accipi dicuntur personæ, non merita. Quoniàm verò talis personarum acceptio non tantùm contingere potest in partitione, & distributione bonorum, vel onerum communium Reipublicæ, sed etiam in publicis judiciis à judice ferendis; ideò de personarum acceptione in utroque sensu hic agendum est, & de obligationibus justitiæ distributivæ in utroque casu.

QUÆSTIO PRIMA.

De acceptione personarum in distributione bonorum, vel onerum communium Reipublicæ.

2 QUoniam loc. c. diximus justitiam distributivam intendere æqualitatem in subditis servari, tam in ordine ad participanda bona communia, quam in ordine ad subeunda communia onera, qualia sunt tributa, & gabellæ, ac similia gravamina; in hac quæstione prius agendum est de distributione bonorum communium, tam temporalium, quam spiritualium, & posteà de tributis, & oneribus justè imponendis.

ARTICULUS PRIMUS.

De distributione officiorum sæcularium, & Ecclesiasticorum.

3 CONveniunt omnes non posse absque peccato eligi ad aliquod officium personam indignam, hoc est, ineptam ad satisfaciendum obligationibus talis officii; & Principem, ac alios quoscunque quibus electio commissa erat, teneri ad restitutionem pro damno illo, quod Reipublicæ ex tali electione obvenit, & ratio est, quia ut diximus loc. cit. obligatio justitiæ distributivæ, licet non supponat proprium, & strictum jus, aut debitum fundatum in proprio jure ad talia bona communia participanda; supponit tamen debitum aliquod in distribuente, quia justitia distributiva intendit æqualitatem in subditis servari debere in ordine ad participanda bona communia, justitia verò distributiva residet solùm in superiore, vel in eo, qui superioris vices gerit in ipso distributionis exercitio. Nec sufficit ad excusandum eligentem à peccato, & obligatione, quod eligens non sciebat illum electum esse indignum, nam positivè inquirere, & scire tenetur eligendum esse dignum, & aptum ad tale officium, & sufficientem diligentiam moralem adhibere ad examinandum, an ille sit dignus, vel indignus. Hoc itaque supposito, ut ab omnibus communiter concesso, aliquæ difficultates remanent examinandæ in hac materia.

4 Prima difficultas est, an in officiis temporalibus, & sæcularibus sit obligatio eligendi digniorem, vel sufficiat eligere dignum. Prima, & communis sententia affirmat digniorem esse eligendum, quam tenent Lessius, Salonius, Arragonius, Turrianus, Valentia, Vega, Rebellus, Reginaldus, Diana, & plures alii apud Card. de Lugo disp. 34. sect. 2. quorum fundamentum est, quia officia illa sunt communia; ergo juxta leges justitiæ distributivæ debet dari cum proportione ad merita & consequenter dignioribus. Secunda sententia docet, satisfieri eligendo dignos, etiam digniori omisso, ad hujusmodi officia. Ratio est quia non apparet electores aliam habere obligationem in his officiis distribuendis, quàm ut sufficienter provideant, ne ex electione Respublica damnum patiatur; sed eo ipso, quod eligunt dignum, id curant sufficienter; nam si damnum sequeretur, jam electus non esset dignus; ergò non tenentur eligere digniorem. Ità Cajetanus, Vasquez Molfesius, Homobonus, & alii, quam sententiam etiam aliqui ex Auctoribus oppositæ tenent probabilem; & nos quoque approbamus, cum hac limitatione tamen, ut advertit Poncius ex nostris disp. 59. q. 1. quod non tenetur quis digniorem eligere ad hujusmodi officia sæcularia, nisi in casu concursus, quando, scilicet, vocantur plures, ut ex illis dignior eligatur. & ratio est, quia eo ipso, quod vocantur plures concurrentes, non solùm quæritur, ut Reipublicæ satisfiat per ministrum idoneum, sed etiam ut concurrentibus pro qualitate meritorum præmium conferatur; sed huic obligationi non satisfieret eligendo dignum in concursu dignioris, quia præmium, quod magis digno conferendum esset propter majus ipsius meritum, alteri minus merenti conferretur, quod utique magis digno injuriosum esset. Ex qua doctrina primæ sententiæ funda-

fundamentum solvitur negando consequetiam, quia absolutè loquendo officia illa communia solùm sic debent conferri, ut benè provideatur Reipublicæ, itaut nullum patiatur detrimentum, quem finem Respublica consequitur per electionem digni, neque enim officia illa communia sunt instituta pro præmio subditorum, sed ut benè Respublica gubernetur. Et hoc modo etiam resolvit hanc difficultatem Card. de Lugo l.c. ubi etiam ipse asserit, non obligari electores eligere digniorem ad talia officia, nisi quando propositis edictis plures vocantur concurrentes; in tali enim casu ex duplici capite tenentur electores ad eligendum, hoc est, non solùm, ut communitati provideant de Ministro digno, & per obligationem erga communitatem, sed etiam ex obligatione ergà concurrentes, quibus per edicta convocatis propositum est officium, ut præmium digniori tribuendum, ad quod non solùm communitatis bonum attenditur, sed etiam singulorum merita, quæ licet excedant in aliquo id, quod ad tale officium requiritur, debet tamen excessus ille considerari in ratione præmii, ut majori virtuti majus bonum correspondeat. Ità Lugo loc. c. num. 18.

5 Dices, electorem in hujusmodi officiis, distribuendis non solùm attendere debere ad quærendum ministrum dignum, qui periculis, & inconvenientibus communibus occurrere possit; sed etiam Ministrum, qui exacta, & exquisita diligentia sua possit, & publicas res in melius promovere, & periculis etiam, ac inconvenientibus minus ordinariis occurrere, quod nisi per electionem dignioris, & peritioris consequi potest. Respondetur cum Lugo l. c. negando assumptum, nec talis obligatio ullo sufficienti fundamento probari potest, etenim per se loquendo non apparet electores aliam obligationem habere, sivè unus is sit, sivè plures per suffragia eligentes, quam ut sufficienter de ministro provideant, ne ex electione Respublica damnum aliquod patiatur absolutè loquendo. Addit tamen prædictus Auctor, quod nos quoque approbamus, esse obligationem dandi hæc officia dignioribus regulariter, & magis frequenter non quidem propter jus, quod ipsi habent, sed propter incommoda, & detrimenta gravia, quæ communiter oriuntur, si non ità regulariter dantur, hæc enim regula debet in electionibus præ oculis haberi, ut ex electione talis ministri non sequantur inconvenientia in communitate, cui ex fidelitate, & justitia debet elector de ministris providere aptis ad finem politicum communitatis consequendum; hic autem finis melius, & certius habetur per electionem dignioris regulariter, & ut in pluribus, quam per electionem minus digni.

6 Secunda difficultas est, an hæc sæcularia officia licitè vendi possint. Negant Joannes Medina, Adrianus, Angles, & ità etiam Lessius sentire videtur, cum aliis qui fundamentum deducunt ex eo, quod mox dicebamus esse obligationem dandi hæc officia dignioribus regulariter, & ordinariè, propter incommoda, & detrimenta gravia, quæ communiter oriuntur, si non ità regulariter dentur; hæc autem eadem inconvenientia, & majora oriuntur, si vendantur, clarius enim fovetur studium accumulandi potius divitias ad dignitates, & officia assequenda, quàm merita majora, & frequentius etiam erratur, dum putatur dignus, qui majus pretium offert, non præmisso exacto examine. Affirmant alii magis communiter talia officia licitè vendi posse, quoties ex venditione eorum non sit periculum, quod Respublica detrimentum patiatur, ad quod periculum evitandum dicunt in tali venditione aliquas conditiones observari debere. Prima est, ut non vendatur, nisi dignis. Secunda, ut hoc fiat ob aliquam Reipublicæ necessitatem, cui aliter consuli commodè non possit. Tertia, ut non vendantur pretio adeò excessivo, ut inducatur emptor officio abuti, ad compensandum sibi pretium solutum. Quarta tandem, ut hi officiales suis temporibus examinentur, & visitentur, ut constet, an benè in suis officiis se gerant; his enim servatis conditionibus non sequuntur inconvenientia ab oppositа opinione ex tali venditione illata. Ità Cajetanus, Navarrus, Vasquez, Azorius, Corduba, Valentia, Sylvester, Salonius, Aragonius, Poncius ex nostris l.c. & alii plures, quos refert Card. de Lugo disput. 34. cit. sect. 3. & satis probabile putat, cum talia officia sæcularia sint res temporales, & pretio æstimabiles. Et pro majori hujus opinionis securitate ait hanc regulam universalem constitui posse, ut quoties omnibus pensatis non æqualia, vel certè non graviora mala timentur Reipublicæ ob venditionem officiorum, quàm si non vendantur, venditio illicita non sit, concurrentibus aliis conditionibus jam assignatis ad impedienda mala. Quoties verò ex tali venditione mala timentur, prout frequenter timeri possunt, venditio non sit licita; quando autem hæc mala graviora timeri possint, vel non, ait spectare ad prudentiam Principis discutiendum cum consilio virorum prudentum, ac Deum timentium, quæ quidem opinio his munita limitationibus priori est præferenda, & cum illa conciliari potest, quando enim illius Auctores absolutè dicunt talia officia vendi non posse, moventur ad hoc ex eo, quod putent id fieri non posse absque Reipublicæ præjudicio, undè eo per limitationes appositas secluso hoc non negarent.

7 Tertia Difficultas est, An sit obligatio eligendi semper magis dignum ad beneficia Ecclesiastica; dignitas autem consistit in eo, quod electus, vel eligendus sit habilis, seù capax, atque adeò ætatem habeat à jure requisitam, quod sit ex matrimonio legitimo, & alias habeat conditiones à jure requisitas: item quod habeat morum honestatem, scientiam quoque ad tale munus sufficientem, prudentiam denique, & industriam rerum gerendarum, prout ad tale officium desideratur; undè grave peccatum est Ecclesiastica beneficia conferre indignis, & his conditionibus carentibus, ut testatur Innocentius cum Concilio generali in c. *Grave nimis* de præbendis, ubi illos explicat esse ad beneficia idoneos, qui Deo, & Ecclesiis gratum impendere famulatum velint, & valeant; Quamuis autem certa sit obligatio conferendi beneficia Ecclesiastica in personam dignam, & idoneam, dubium tamen est, an sit obligatio eligendi semper magis dignum, in qua difficultate tres sunt opiniones, duæ extremæ, & una media. Prima sententia quæ satis communis est, affirmat esse obligationem sub peccato mortali eligendi semper digniores, quibusdam casibus exceptis, idque præsertim affirmant de beneficiis curam animarum annexam habentibus, undè dicunt, quod estò collatio beneficii in personam dignam prætermissa digniori, valida sit, peccatum tamen mortale est relinquere digniorem, qui juxtà leges, & statuta sine alio incommodo ad idem beneficium promoveri posset. Primò id probant ex cap. unic. lib. 3. Decretal. tit. 12. ut Ecclesiastica beneficia sine diminutione conferatur in illius verbis. *Non ex affectu carnali, sed discreto judicio debuisse Ecclesiasticum beneficium in personam magis idoneam dispensare*; opposita enim beneficii collatio tanquam gravis culpa reprehenditur in eo capite ab Innocentio in Concil. generali. Deindè probatur in Concilio Trid. sess. 24. c. 1. ubi dicitur expresè. *Omnes, & singulos, qui ad promotionem præficiendorum quomodocunque jus habent, mortaliter peccare, nisi quos digniores, & Ecclesiæ magis utiliter ipsi judicaverint, non quidem precibus, vel humano affectu, aut ambientium suggestionibus, sed eorum exigentibus meritis præfici diligenter curaverint.* Tandem probatur ratione, quia ex natura rei bona communia, & publica quando distribuuntur, dari debent pro dignitate, & servata proportione, objectum enim justitiæ distributivæ est distribuere bona communia servata proportione, aliàs nulla esset virtus justitiæ distributivæ nec illius obligatio. Sed beneficia Ecclesiastica sunt bona quædam publica Ecclesiæ ad sustentandos idoneos Ministros; ergo ex natura rei debent conferri servata proportione dignitatis, & aptitudinis ad serviendum officium. Ità cum S. Thoma q. 63. art. 2. & q. 185. art. 3. tenent Cajetanus, Antoninus, Palatios, Sotus, Lessius, Sanchez, Vasquez, Turrianus, Salonius, Caspensis, Sylvester, & alii Summistæ passim, & quamvis id præsertim asserant, ut dixi, de beneficiis curam animarum annexam habentibus, probabilius tamen censent semper esse obligationem eligendi digniorem, etiam in electione simplicis beneficii, quia re vera hæc sunt bona communia, ac proindè distribuenda pro meritis. Sic etiam sentit ex nostris Vulpes disp. 101. art. 2.

8 Secunda sententia negat obligationem sub mortali ad eligendum digniorem, nisi ex juramento statuto, vel lege ad id electores adstringantur, vel nisi beneficium detur per concursum, aut sit aliqua alia pecularis circumstantia; undè asserit ex natura rei Ecclesiastica beneficia posse absque peccato dari dignis, omissis dignioribus, quoties ex hoc rationabiliter non timetur secuturum damnum Ecclesiæ, aut animarum. Primo id probat ex fundamento superius adducto pro distributione officiorum sæcularium, quia omninò sufficiet, ut hi, quibus committitur distributio horum beneficiorum in bonum Ecclesiæ, & animarum, provideant, ne detrimentum, & periculum incurrant; cui obligationi sufficienter satisfaciunt eligendo dignos. Confirmatur, quia quando beneficium ministro digno, & idoneo confertur, non fit injuria Ecclesiæ, quæ redditus beneficii constituit ad sustentationem Ministrorum, debita enim æqualitas est inter personam, quæ qualitates necessarias habet ad aliquod officium præstandum, & inter fructus, & jus beneficii quod datur ad sustentationem Ministri tale officium præstentis; nec prætercà fit injuria his, qui digniores, & aptiores sunt ad idem officium præstandum, nam licet maiorem habeant aptitudinem, nullum tamen jus acquisitum habent in tale beneficium; ergo nulla injuria illis irrogatur, quamvis illis non conferatur. Deniqueprobatur ex praxi, quia aliàs maxima pars dejectionum quæ fiunt Episcoporum, Cardinalium, & Curatorum esset pecaminosa mortaliter, nam sanè vix potest

ullus

ullus eligens, aut præsentans, sivè sit Papa, sivè Rex, sivè Capitulum, sivè Episcopus in conscientia sua affirmare, quod ipse putet eum, quem eligit, aut præsentat, esse digniorem, aut tam dignum, quàm omnes alii qui eligi possent. Ità tenent Glossa, Hugo, Joannes, Andreas, Petrusinus, Rochus, Reginaldus, Diana, & Poncius ex nostris loc.c. & Filliucius etiam fatetur hanc sententiam esse probabilem, & ità etiam sentit Amicus disp.34.n.24.eo fundamento ductus, quod non est nova obligatio imponenda, ubi de ea non expresè constat, non constat autem expresè, quod beneficiorum Ecclesiasticorum fundatores reliquerint sub onere illa distribuendi, non solùm ut justa stipendia laborantium, sed etiam ut virtutis præmia eligendorum, igitur non est imponenda talis obligatio.

9 Tertia sententia veluti media asserit in Episcopatibus, & aliis æqualis, vel majoris momenti, semper sub mortali eligendum esse digniorem per se loquendo, & idem in aliis curatis inferioribus; in simplicibus autem facilius posse excusari electores à peccato mortali, dum tamen communiter digniores eligant. Ità præsertim Card. de Lugo disp.35.sect.2.quod etiam docent plures ex Auctoribus primæ sententiæ, dum illam limitant, ut procedat solùm in beneficiis habentibus curam animarum, non verò in simplicibus. Ratio est, quia cum hæc obligatio non sit de jure positivo, siquidem SS. Patres hanc obligationem agnovisse videntur, antequam jus Canonicum conderetur, sed sit obligatio naturalis orta ex ipso officio dispensatoris publici, ut ostendit Lugo loc. c. ad quem spectat ex munere suo communitatis bono consulere, cui non benè consuleretur eligendo minus dignos. & cùm hæc obligatio sit tota propter bonum commune, hinc est, quod non æquè obliget in electione ad quælibet beneficia, quià non infertur semper æquale damnum omittendo digniores. Undè in ordine ad Episcopatus, Cardinalatus & similia beneficia, probabile est semper peccari graviter ommittendo digniores, quia talis omissio bono communi ipsius Ecclesiæ semper præjudicat graviter, & notabiliter; eliguntur enim pastores, & præsertim Episcopi, ut deprauatos mores formet, ut pristinum fidelium splendorem, & puritatem restituant, quantum fieri potest, ut gravioribus ovium necessitatibus opitulentur ad quæ officia, quia difficilima sunt, pauci inveniuntur reipsa sufficientes. Et hoc etiam ad alia beneficia inferiora curam animarum habentia extendi debet, licet enim ad talia beneficia electi non sint pastores adeò Superiores, nec tantam habeant auctoritatem pro morum reformatione, multum tamen nocere, vel juvare possunt, præsertim illis in locis, ubi non est Episcopi residentia. In beneficiis verò simplicibus curam animarum non habentibus facilius potest elector à peccato excusari, qui semel, aut iterum digniorem omittit, dùm tamen communiter digniorem eligat, quia periculum tanti mali non iminet, neque ex iis tantùm Ecclesiæ bonum pendet, sicut ex beneficiis curam animarum habentibus; notanter autem additur, dùm tamen communiter digniorem eligat; quia si communiter, & frequenter eos prætermitteret, non facilè à culpa gravi excusari posset, quia redditus Ecclesiastici in hunc modum malè expenduntur, & alii tali exemplo ducti fieri digniores non curarent, ut ad hæc beneficia pervenire possent, atque ità brevi temporis intervallo ministris indignis Ecclesia repleretur. Et hoc dicendi modo facilè opiniones extremæ conciliari possunt, nam Concil. Trid. pro prima opinione adductum de electione dignioris, loquitur expresè de Episcoporum electione, quæ doctrina etiam ad alia beneficia curata extendi debet ob eandem rationem in ipsis quoque militantem servata proportione. Rationes verò secundæ sententiæ in beneficiis simplicibus præsertim locum habent, quia quando talia beneficia ministro saltem digno, & idoneo conferuntur, nulla fit Ecclesiæ injuria, & elector facilè à peccato excusari potest omittendo digniorem, quia ex iis tantùm Ecclesiæ bonum non pendet, quantum ex aliis curam animarum annexam habentibus.

10 Quarta Difficultas est, An Regulares quoque teneantur eligere digniores ad prælaturas. Cujus quæsiti resolutio propter quasdam Religiones præsertim necessaria est, in quibus ignorantia dominatur, vel hypocrisis, permittit enim Deus interdum in Religionibus hominem regnare hypocritam ad Religiosorum peccata punienda juxtà illud Job.34. *Qui regnare facit hominem hypocritam propter peccata populi*, de quo gravi abusu plures diversarum Religionum Auctores vehementer conqueruntur, & præsertim Faber noster l.4. sent. disp. 45. de Restit. c.5. n. 138.ubi ait, quod Superiores Religionum, in quibus hic pollet abusus, *litteratis ut mulis, & equis utuntur, ideft solùm ad labores, ad dignitates autem, & regimina dicunt esse ineptos*. Communis sententia docet apud eundem Card.de Lugo disp.cit.sect.5.eandem esse obligationem eligendi digniores in Prælatum regularem, perindè ac ad curam animarum, & ratio est, quia cùm tota hujus obligationis ratio ex bono communitatis deducatur, cui electores consulere debent, & ex damnis ejusdem communitatis, quæ impedire tenentur; negari nequit eadem mala in Religionibus oriri posse, si digniores non eligantur, cùm facilè possint eligi indigni, qui ex aliqua exteriori ostentatione digni videbantur. Et tantò magis certa est hæc obligatio, quandò præcedit juramentum eligendi digniorem, aut quandò Constitutiones, & Regulæ Religionum id præscribunt. Addit tamen hic Auctor per accidens contingere posse, ut electores interdum excusentur ab eligendo dignissimo, in casu nimirum, quod ille, qui dignior esset, occupatur in bonum ejusdem Religionis aliis Ministeriis v.g. concionando, docendo, typis opera tradendo in studentium utilitatem; quarè cum in hac electione solùm majus bonum totius communitatis attendi debeat, & hoc sit majus; si dignior ille non fiat superior, sed in suo ministerio maneat, poterit licitè in tali casu alius eligi minus dignus, quia hoc toti communitati utilius est.

11 Adhuc tamen prudentissimè subdit hic doctissimus Auctor, quod quia periculum esse potest, ne paulatim langueant studia, si Magistri omnes, vel concionatores ea de causa excludantur à Prælaturis, atque ideò subditi laborem docendi, vel concionandi fugiant, ne inutiles reddantur ad munera superiora, & semper cogantur obedire junioribus, prudentia necessaria est, ut hi etiam, si digniores alioquin sint, aliquando Prælati fiant; & quidem non debent tunc incipere à Prælaturis infimis, sed assumi ad majores. Sic enim legimus S. Bonaventuram, cum actu adhuc doceret, nec unquam gubernasset, factum fuisse totius Ordinis Generalem. Possunt enim hujusmodi homines brevi tempore compensare defectum experientiæ in gubernando, quem habent, cum pro majori capacitate, & doctrina, qua pollent, facilius possint gubernandi artem in gradu eminentiori comparare. Ità eruditissimè discurrit Card. de Lugo loc. cit. ad tollendos quarundam Religionum abusus, ubi Politici quidam Tacitistæ Litteratos, ac studiis additos, ad dignitates, & regimina dicunt esse ineptos, quasi litteræ, & virtutes sint præcipua ad dignitates consequendas impedimenta; & appositè S. Bonaventuræ Seraphici Doctori exemplum adduxit sapientissimus hic vir, ut innueret talem, ac tantum abusum præsertim in Religione Seraphica esse evitandum ob inconvenientia à Fabro loc. cit. relata ex tali abusu sequentia, quæ apud ipsum videri possunt.

12 Postremò, quia supradictum est obligationem esse semper eligendi digniorem ad beneficia Ecclesiastica curam animarum annexam habentia, quibusdam casibus exceptis; aliquæ fieri solent exceptiones, in quibus minus dignum eligere licet, digniori omisso, ut notat idem Cardinal de Lugo disp. cit. sect. 3. plures alios Doctores adducens. Primus casus est, quando est parvitas materiæ, ut quando excessus dignitatis in eo, cui omittitur, parvus est suprà eum, qui eligitur; vel si beneficium sit parvi momenti, aut parum excedat beneficium, quod digniori confertur. Secundus est, posse elegi minus dignum, quando electio restringitur ad personas talis loci, vel communitatis, tunc enim possunt omitti digniores alterius loci, vel communitatis, qualia esse solent beneficia, quæ patrimonialia vocantur. Tertius est, posse minus dignum eligi, quando dignior ex industria ad aliud majus beneficium brevi vacaturum reservatur; cùm enim hæc obligatio ex debito ergà bonum commune oriatur, & magis bono communi expedjat; quod dignior locum illum habeat, jam tunc servatur intentio ergà finem principalem, licet electio dignioris differatur. Quartus casus est, posse eligi minus dignum etiam ad beneficium pinguius, & digniorem ad magis tenue, quandò hoc majorem curam, & industriam exigit, quàm illud pinguius, quod facilius administrari potest; & ratio est, quia majus bonum Ecclesiæ exigit, ut ità fiat, quod bono privato præferendum est. Quintus casus est, posse minus dignum, & doctum eligi, quando doctior, vel dignior timetur prudenter, quod non residebit, atque ideò minus utilis erit, quàm ille alius. Sextus casus est, ut dari possit suffragium minus digno contrà digniorem, quando non est spes, quod suffragium digniori prosit, eo quod alii plures ad alium inclinent. Septimus casus esse solet de patrono, seù fundatore beneficii, hic enim potest quem voluerit dignum eligere, digniori omisso, quia de propriis bonis potest pro libito disponere. Octavus tandem casus ab aliquibus addi solet de renuntiante beneficium, quem dicunt non peccare, si renunciet in aliquem dignum omisso digniori; hoc tamen ponderandum est, ut ait Lugo cit sec.4.ex damno, quod infertur, vel non infertur bono Ecclesiæ, si talis renunciatio fiat, cùm ex hoc tota obligatio oriatur eligendi digniorem; & hæc omnia à Superioribus valdè ponderanda sunt ob memorabile dictum, quod olim audivi ab Eminentissimo Cardinali Centino nostri Ordinis F.M. hodiè ut plurimum

mum in hoc sæculo regnare justitiam distributivam, non distributivam, ut ipsa experientia constat.

ARTICULUS SECUNDUS.

De justa distributione in imponendis tributis, & oneribus.

13 CUm justitiæ distributivę duo potissima sint munera, ut suprà dictum est, unum distribuere cum debita proportione bona communia, alterum distribuere etiam cum debita proportione onera communia, quod potissimum fit in exactione, & impositione tributorum, & gabellarum, quæ pro Reipublicæ sustentatione petuntur, postquam de primo actum est in præcedenti articulo, nunc de secundo agendum est in præsenti, nomine autem tributi, & gabellæ intelligitur omne illud, quod subditi, seù membra Reipublicæ ad onera illius sustentanda ex obligatione contribuunt, qua ratione hæ contributiones tributa dicuntur, quia nimirum tribuuntur, vel contribuuntur ex obligatione, quod appositè dicitur, nam quod sponte, & sine necessitate singuli offerunt, non est propriè tributum; ut autem pateat quæ, & qualis sit justa distributio in imponendis tributis, & oneribus, declarandæ sunt conditiones, quæ à Juristis, & Canonistis assignari solent ad justam tributi impositionem.

14 Prima conditio est, ut tributum imponatur ab eo, qui legitimam habet auctoritatem, tales autem sunt, qui in suo regimine Superiorem non agnoscunt in temporalibus, ut sunt Reges, Imperatores, & Respublicæ perfectæ, cùm enim hujusmodi personæ à populo auctoritatem accipiant, illiusque curam gerat, par est, ut à populo quoque vectigalia exigant, & tributa ad sustentationem suæ dignitatis, & status necessaria; alii vero inferiores, ut pro Reges, Duces, Marchiones vectigalia, & tributa imponere nequeunt absque suorum superiorum consensu. Ità Less. Molina, Suarez, Salas, Navarr. Vasquez, Lugo, Bonac. Casp. & alii DD. passim, & ità habetur in cap. *super quibusdam* de verb. significat. jam verò hujusmodi tributa exigentes sine legitima causa excommunicantur ipso facto in Bulla Cœnæ. Notat autem Poncius noster disp. 59. q. 2. hoc ità intelligendum esse, ut illi soli possint ea sic imponere, ut ab aliis impediri non possint, quo minus solvi debeant; aliàs enim ex natura rei nihil obstare videtur, quo minus aliquis particularis Dominus alicui Regi, vel Principi subditus, vel aliqua Civitas tributum suprà subditos imponere possit in ordine ad bonum commune Civitatis, vel ditionis, quod tamen à Principibus superioribus quibus subduntur, revocari posset, & sic non possunt absolutè talia tributa imponere, sed cum consensu Superiorum, quibus subduntur, & idem sentit Lugo disp. 25 sect. 1. n. 6. ubi ait loquendo ex natura rei non esse suprà, aut contra potestatem habentis alium superiorem posse imponere tributa, seù contributiones necessarias ad rectam executionem muneris sibi commissi; cui enim conceditur finis, conceduntur etiam media ad illum finem necessaria; de facto tamen id ab his gubernatoribus fieri non posse sine speciali supremi Principis commissione, quia de facto Principes supremi hanc potestatem sibi reservarunt, nec eam concedere censetur in ordinaria concessione potestatis gubernativæ, nisi id exprimant.

15 Secunda conditio est, ut causa imponendi tributuum sit justa, hæc autem attendi debet ex necessitate boni communis, ad quod tributa ordinari debent, non ad Principis utilitatem, vel abundantiam; undè causa justa imponendi tributa, vel est necessitas publica, ut ad bellum justum inferendum ad tuendum Regnum, vel Rempublicam; vel ad redimendum eam ab aliquo onere, vel debito, aut ad providendum victui, & annonæ, vel ad compensationem sumptuum, & damnorum acceptorum. Quarè tributum sine sufficienti causa impositum censetur injustum, & debet restitui quoad eam saltem partem, quæ causam excedit; imò quando est justa causa imponendi tributum, sed posteà non expenditur ad illam necessitatem, ob quam impositum est, sed in alios usus inutiles; volunt plures Doctores, & valdè probabiliter, adhuc restitui debere. & ratio est, quia justè tributum impositum fuit, & acceptatum, & princeps obligationem contraxit faciendi id, ob cujus necessitatem tributum justà fuit exactum; ergo restituere tenetur damnum secutum ex eo, quod ex parte sua contractum non observaverit. Quamvis autem tributorum impositio ad boni communis utilitatem ordinari debeat, ut justa sit, non autem ad privatam Principis utilitatem, vel abundantiam; ad hunc tamen pertinet etiam ad bonum publicum congruens ipsius Principis sustentatio juxtà ejus dignitatem, & statum, ut quando Principis patrimonium ad sustentandam ipsius auctoritatem non est sufficiens, vel ad ejus filiam in matrimonio collocandam, aut ejus filium è captivitate redimendum. Imò etiam quando Princeps sua culpa in necessitatem, vel paupertatem pervenit, quia prodigis largitionibus, vel alio abusu ærarium consumpsit, aut ære alieno gravatur, censent plures Doctores etiam in tali casu posse justè tributa imponere, si alia via necessitatem suam sublevare non potest; addunt tamen tunc Principem sumptus proprios, quantum fieri potest, moderari debere, ne subditi sua culpa graventur; ac etiam posteà, quando ad pinguiorem fortunam pervenerit, resarcire teneri subditis damnum illud, quod Principis culpa passi sunt. Ita Sanchez, Lessius, Vasquez, Azorius, Lugo, & plures alii, & qui oppositum tenent, intelligi debent, si Princeps alia via quam per tributi impositionem, necessitati suæ possit subvenire, si enim non potest, debent subditi contribuere suppositis limitationibus prædictis.

16 Tertia conditio est ut tributa in his imponantur, & cum tali proportione, ut pauperes præ divitibus non graventur, & ne ultrà necessitatem, propter quam sunt imposita prorogentur nisi aliqua necessitas æqualis, vel major superveniat. Undè dicunt Doctores in tributorum impositione proportionem geometricam esse servandam, in hoc nimirum sensu, quod si necessitas est communis, omnes communiter, & æqualiter graventur servata tamen proportione geometrica, ut ii, qui majores habent vires, divitias plures, plus solvant, & qui minores, minus; non autem servata æqualitate, vel proportione arithmetica, tunc enim esset summa inæqualitas, & justitia distributiva læderetur in onerum impositione, sicut si parvulo, & viro adulto æquale pondus singulis portandum imponatur. Si verò tributum imponatur ad necessitatem non omnibus communem, sed aliquorum, talis etiam proportio geometrica est servanda, ut ii primo loco graventur, ad quos principaliter necessitas illa spectat, quorum contributione non sufficiente, ab aliis deindè exigatur, quatenus membra ejusdem corporis sibi invicem subvenire debent. Hæc igitur æqualitas, & proportio geometrica in tributi impositione est servanda, quia in ea peccari potest non solùm contrà justitiam distributivam, sed etiam contrà commutativam tributum injustum exigendo, singuli enim jus habent ad sua bona ex justitia commutativa, ut à Principe gravari nequeant, nisi ex justa causa, neque etiam ultrà terminum, intrà quem singula Reipublicæ membra ad bonum commune concurrere debent, servata membrorum proportione inter se, quarè Princeps injustè, ac indebitè tributum exigens habet obligationem illud restituendi. Ità Doctores jam citati, & alii communiter.

17 Quarta tandem conditio ad justam tributi impositionem necessaria est proportio tributi cum necessitate, vel causa, propter quam exigitur, quam proportionem ità declarat Card. de Lugo disp. 36. cit. sect. 3. ut non sit majus malum; cui populus exponitur, & quod ex solutione talis tributi patitur, quàm illud, quod timere posset, si ad eam necessitatem ità non contribueret. Neque enim boni Medici est, inquit Lugo, corpus sanguinis emissione usque ad deliquium extenuare, nisi in extreme vitæ periculo, cui aliter subveniri non potest; & experientia constat potentissimas, & opulentissimas Respublicas nimiis exactionibus, & oneribus sensim ità debilitatas fuisse, ut in ultimam tandem ruinam pervenerint. Quod potissimè intervenire inquit, quando tota causa gravissimorum tributorum est sustinere bella, quæ inter duos Principes geruntur, qui de jure legitimæ successionis in eo Regno contendunt, & ille, qui possidet, à subditis incensanter substantiam extrahit, & sanguinem, ut se in eo Regno conservet. Et quamvis hoc etiam licitè fieri possit, si ille, cui ingressus prohibetur, infidelis esset, vel hæreticus, vel talis sub cujus regimine timere possent subditi gravissima mala, quia in tali casu hoc necessarium esset ad bonum commune tuendum. Quando tamen nullum tale malum timetur ex alterius ingressu, imò speratur illum alium fortasse meliorem esse pro communi bono; non est certum subditos in tali casu cum tanto suorum bonorum dispendio ad defensionem prioris teneri, quia publicum bonum præferendum est bono privato prioris, quando privatum illud bonum in commune bonum non redundat non enim est regnum propter Regem, sed Rex propter regnum.

18 Controversia est inter Doctores, an sit justum tributum, quod imponitur solvendum ex rebus, quę communiter ad usum vitæ humanæ emuntur, ut ex pane, vino, oleo, carnibus &c. Prima sententia negat, quia in his plus gravatur pauper, quàm dives, & ex pauperibus ipsis magis pauper, qui, scilicet, plures habet filios, ad quos alendos plura emere cogitur; divites verò, & nobiles plura ex his habent ex suis possessionibus, absque eo quod emere cogantur, atque ideò nihil solvunt, undè pauperes, qui ea emere cogantur, totum eorum tributorum pondus portant. Ità Hostiensis, Cajetanus, Angelus, Tabiena, Ledesma, & alii. Secunda sententia affirmat, quia in horum tributorum impositione adhuc servatur æqualitas geometrica, quantum fieri potest, quia licet pauperes cogantur emere, plu-

ra tamen emunt divites, & nobiles una die, quàm pauperes emant uno mense, propter majorem familiam, quam habent, & propter lautiorem victum, quo utuntur, & ideò per se, & regulariter loquendo magis gravatur dives qui multò majorem familiam habere solet, & plura emere. Deindè quamvis aliquis in particulari hic, & nunc pauperior magis gravaretur, tamen id compensari potest per hoc, quod cùm artifices, operarii, & alii majori pretio sibi victum comparent propter tributa solvenda ex illis rebus emptis, carius suas operas divitibus locare possunt pro rata sui gravaminis, ut lucrum, & victum solitum sibi comparent; & hæc est sententia communior, quam tenent Silvester, Navarrus, Molina, Vasquez, Lugo, Suarez, Lessius, Turrianus, Reginaldus, Diana, Poncius ex nostris, & alii communiter. Quorum tamen peritiores addunt conandum esse, quantùm fieri potest, ne tributa in rebus ad vitam necessariis, & communibus imponantur, & æquiora esse, quando in rebus non necessariis, sed ad delitias, elegantiam, & luxum spectantibus imponerentur, ut in pannis pretiosis, sericis, vasis argenteis, vinis, ac eduliis pretiosis, & similibus, quæ pauperibus non sunt communia, nec ad victum humanum necessaria.

19 Rursus est Difficultas de obligatione solventis tributa, & de peccato illa defraudantium, An, scilicet, fraudantes tributa, aut vectigalia peccent mortaliter, & ad restitutionem teneantur. Prima sententia negat, cujus fundamentum est, quia probabiliter creditur imponens gabellam non habere animum obligandi in conscientia, sed tantùm ad pœnam, quando quis captus, & condemnatus fuerit. Hæc enim vectigalia regulariter imponuntur per statutum nullum continens verbum præceptivum, sed tantùm per verba ordinationis, ut quis, scilicet, solvat vectigal illud sub tali pœna, ex quo loquendi modo non videtur lex aliud intendere nisi pœnam in casu non solutionis. Jtà Henricus, Angelus, Navarrus, Castrus, Beja, Poncius ex nostris, Emmanuel Sà, & alii Summistæ verbo Gabella. Secunda sententia communior, & probabilior affirmat gabellam justè impositam obligare sub mortali, & ad restitutionem, & colligitur aperte ex illis verbis Christi Matth. 22. *Reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ sunt Dei Deo*, & ad Roman. 13. *Cui tributum tributum*, & ratio est, quia tributum non debetur, ut pœna, ut ait prima sententia, sed ut stipendium jure naturæ Principi debitum ad suum statum, & bonum, publicum sustinendum, quantitas verò debet pacto, vel lege taxari, qua lege posita tributum jure naturæ Principi debetur, quod confirmatur exemplo decimarum, quæ Ministris Ecclesiæ in conscientia debentur, cùm ex lege naturæ fideles illis stipendium debeant ad eorum sustentationem. Ità Covar. Cajet. Molina, Medina, Sotus, Lessius, Azorius, Tabiena, Sanchez, Ledesma, Lugo, Caspensi, Stephanus à S. Gregorio, Faber ex nostris, & alii passim.

20 Sed adhuc dubium est, an hæc obligatio solvendi tributa sit talis, ut gabella etiam non petita ab exactoribus sit solvenda, & bona invecta illis sponte præsentari debeant, ut solvatur. Negant aliqui dicentes neminem obligari ad gabellæ solutionem, nisi ab exactoribus exigatur, & petatur, dummodo qui merces advehit non occultet eas nec fraude utatur ne exactores in cognitionem earum deveniant, sed esse imputandum ipsis gabellarum conductoribus, qui debitam diligentiam non adhibuerunt, ut eas à publicè transeuntibus peterent. Ità Soto, Azorius, Caspensis, Tabiena, Henriquez, Sanchez, Corduba, & plures alii. Imò aliqui dicunt etiam illos, qui consultò occultant merces, ne ab exactoribus tributum exigatur, non peccare, nec teneri illud solvere, donec petatur. Ità Poncius, ex nostris disput. 59. cit. quæst. 2. cum quibusdam aliis, quod nec etiam improbabile putat Caspensis disput. 9. citat. sect. 4. Alii verò è contrà affirmant gabellam etiam non petitam esse omninò solvendam, quia jam ex lege Principis advehens merces debet illam summam certam Principi; ergo sivè conductor gabellæ eam petat, sivè non petat, tenetur ad illam solvendam. Ità Faber noster disp. 40. cit cap. 1. num. 26. cum Covarruvia, & alii. Primus dicendi modus mihi probabilior videtur, illos nimirum, qui bona fide sine fraude, & dolo merces suas in absentia exactorum vendunt, vel ex uno loco in alium transeunt palam, & per rectum iter, non peccare mortaliter, nec ad restitutionem teneri, si tributum non solvunt, etiamsi exactor ex causa onerosa locationis gabellam accipiat; quia nimis durum esset, ut subditi teneantur exactorem inquirere, vel expectare, ut exactores interrogent, & exigant, hoc enim tributum talis esse naturæ videtur, ut non debeatur, nisi petatur; adhuc tamen verum est, quod ajunt Lessius, Bonacina, Salas, Stephanus à S. Gregorio, & alii observandam esse locorum consuetudinem, quæ est optima legum, & voluntatis Principis interpres, & sicut onus gabellæ justè potuit à Principe institui, ità etiam potuit justè imponi onus aperiendi, & manifestandi exactoribus ea, quæ advehuntur. Et ità etiam tenet ex nostris Rubeus disp. 25. de Gabellis resol. 1. Qui Doctores etiam advertunt, quod quando mercator est dubius de justitia vectigalis impositi, & dubitatione proposita, & cum viris doctis, & probis collata adhuc æquè dubius remanet, in tali casu non tenetur solvere in conscientia, quia subditus est possessor suæ libertatis, & immunitatis à vectigalibus, in dubio autem melior est conditio possidentis, de quo plura vide apud Card. de Lugo disp. 26. cit. sect. 6.

21 Denique ut aliquid dicamus de personis privatis à solutione gabellæ exemptis, certum est apud omnes, tam Ecclesias, quàm Ecclesiasticas personas, ac eorum bona esse à solutione gabellarum exempta à Principibus secularibus impositarum ut habetur in capit. *Non minus* capitul. *Adversus* de Immunit. Ecclesiastic. & capit. *Quamquam* de censibus in 6. & L. Præsbiteros C. De Episcopis, & Clericis, & in Bulla Cœnæ excom. 18. ex quibus constat hanc immunitatem non solùm quoad bona Ecclesiastica intelligendam esse, sed etiam quoad patrimonialia, sermo enim est ibi de bonis Ecclesiasticorum absque ulla limitatione. Et sub nomine Ecclesiasticorum veniunt omnes Clerici, & Religiosi, & non solùm Clerici majoribus ordinibus insigniti, verum etiam minoribus initiati, aut prima tonsura, saltem si cum habitu incedant, & tonsura Clericali, & inserviant divinis, aut beneficium Ecclesiasticum habeant juxtà Trid. decretum sess. 23. cap. 6. nisi alicubi ex privilegio Pontificis aliud haberetur respectu Clericorum in sacris Ordinibus non existentium, hoc enim potuit à Pontifice concedi in aliquibus locis ob Clericorum multitudinem, & ne Principes deciperentur in suis tributis. Quo autem jure hac exemptio Ecclesiis, & Ecclesiasticis competat certum est de facto competere ad minus jure humano canonico, civili, ut ex juribus allegatis satis constat; an verò etiam competat jure divino, dissentiunt Doctores, aliqui enim dicunt competere tantùm jure humano, & alii verò etiam jure divino, quæ est communis Canonistarum sententia, quod videtur expressè tradi à Bonifacio VIII. in dicto cap. *quamquam* de censibus, dum ait quod *Ecclesia, & Ecclesiasticæ personæ, ac res ipsarum non solùm jure humano, quinimo & divino à secularium personarum exactionibus sunt immunes*, & satis etiam aperte innuitur in Trid. sess. 25. cap. 20. dùm dicitur *Ecclesiæ & personarum Ecclesiasticarum immunitatem Dei ordinatione, & canonicis sanctionibus constitutum esse*.

QUÆSTIO SECUNDA.

De obligationibus justitiæ ad publica judicia spectantibus.

22 QUoniam personarum acceptio, ut dictum est ab initio hujus disp. non tantùm in partitione, & distributione bonorum, vel onerum communium Reipublicæ contingere potest, sed etiam in publicis judiciis ferendis, si Judex non secundum merita causæ judicium exerceat; ideò post explicata alia munera justitiæ distributivæ, consequenter de obligationibus judicis in publicis judiciis agendum est, & aliarum personarum, quæ in eis interveniunt, ut sunt accusatores, testes, rei, Advocati, Notarii & similes.

ARTICULUS PRIMUS.

De obligationibus Judicis.

PLura personarum genera, ut dicebamus, in judicio publico intervenire solent, ut docet Alensis 3. par. quæst. 40. & alii communiter, quædam dicuntur personæ principales, quia ad substantiam judicii sunt necessariæ, nempè Judex, Actor & Reus, ut habetur in cap. forus de verb. significat. aliæ verò dicuntur accessoriæ, ut Testes, Procurator, vel Advocatus, Tabellio, sivè Notarius. In hoc itaque articulo de obligationibus Judicis agendum est, & conveniunt Doctores quatuor præcipuè esse conditiones ad hoc requisitas ut quis officio Judicis rectè fungatur, de quibus agit D. Thomas quæst. 67. articul. 1. & seq.

23 Prima conditio est, ut habeat legitimam judicandi potestatem, quæ quadruplex esse potest, una ordinaria, quæ competit ipsi ratione officii, ut Pontifex habet in omnes Christianos, Rex in suos subditos, & similes, qui ex dignitate, seù officio suo jurisdictionem habent, ita quod ex tali officio, vel dignitate ei competit jurisdictio. Altera est delegata, quæ est ex commissione ordinarii, ut legatus Papæ, vel alii similes, undè Judex delegatus, seu commissarius dicitur, qui ex commissione alicujus

Supe-

Superioris judicis jurisdictionem habet, & hic potest esse Judex specialis ad aliquas, scilicet, certas causas particulares deputatus; vel generalis ad omnes lites, & causas in aliquo loco, vel provincia judicandas. Tertia est arbitraria, qualis est ejus, qui ex consensu partium in Judicem eligitur, & obligantur sub pœna stare illius sententiæ, qui etiam dicitur Judex compromissarius, non tamen habet auctoritatem publicam, & licet possit sua sententia ligare, non tamen potest cogere ad eam implendam, ut docet D. Thomas quæst. 67. cit. art. 1. ad 2. Quarta denique est accessoria, quam quis habet in eum, qui licet sibi subditus non sit, delictum tamen intrà limites suæ jurisdictionis commisit; in tali enim casu jurisdictionem in eum acquirit ratione delicti commissi in ejus territorio, ut habetur cap. *postulasti*, & cap. final. de foro competenti. Itaque qui absque legitima potestate aliquo ex his modis se in officium Judicis ingerit, mortaliter peccat, & ad restitutionem damni tenetur, si quod ex illius illegitimæ potestatis usurpatione sequatur, ut notat Toletus cum pluribus aliis lib. 5. c. 56. quæ autem differentia, & quotuplex versetur inter Judicem ordinarium, & delegatum videri potest apud Fabrum d. 54. c. 2.

24 Secunda conditio est, ut Judex sufficientem scientiam habeat, & judicet secundum veritatem, quæ illi innotescit, tam in generali per leges divinas, & humanas, quas id circò optimè callere debet, quàm in particulari per instrumenta testes, aliaque similia documenta, ex quibus juvari potest ad probationes inductas accurratius discutiendas, ut possit earum investigare defectum. Et ratio hujus conditionis est manifesta, quia non minus tenetur Judex ad bonam sui muneris administrationem, quàm Medicus, Chirurgus, & alii similes; isti autem debent habere sufficientem peritiam, quæ ad benè, & utiliter sua ministeria exercenda requiritur, quam si non habent, ab iis officiis abstinere tenentur; ergo idem de Judicibus dicendum est, undè si ob eorum ignorantiam aliquod notabile detrimentum litigantibus acciderit, sivè in substantia litis, sivè insuperfluis expensis, hoc totum illis imputandum est etiam cum obligatione restituendi. Controversia tamen est inter Doctores, An judex teneatur condemnare reum, qui per testes legitimè probatur reus criminis, quem Judex privata scientia certò scit esse innocentem. Et in primis conveniunt eum Judicem teneri omnia tentare media, & omnem adhibere diligentiam ad illum reum liberandum falsò, licet legitimè, & servato ordine juris, convictum, verbi gratia impediendo accusationem, protrahendo judicium, interrogando diligenter de circumstantiis, loci, temporis &c. donec testes inveniat dissidentes, dissimulando carceris custodiam, ut innocens aufugere possit. Quod si hæc, & similia ad innocentis justificationem proficere nequeant, vel causam remittere debet ad Judicem superiorem, si ipse sit inferior, & coram illo testificari innocentiam rei, quam ipse certò scit, si hoc modo putet innocentem liberari posse, vel quavis alia ratione ab hoc judicio abstinere; quod si Judex sit supremus, facilius poterit reum revera innocentem absolvere de potestate absoluta, secundum quam Princeps aliquando pœnam debitam condonare potest, & ad quodlibet scandalum evitandum coram populo testificari, & jurare poterit hominem illum revera esse innocentem; ex quibus patet rarissimè contingere posse, quod Judex nequeat reum, quem scit innocentem liberare. Est igitur quæstio dato illo casu, quod agere possit, ac debeat.

25 In qua controversia tres sunt sententiæ duæ extremæ, & una media. Prima sententia absolutè negat unquam licere Judici proferre sententiam contra eum, quem certò scit esse innocentem; fundamentum est, quia repugnat juri naturæ & divino innocentem directè occidere, quia hoc est intrinsecè malum, & Exod. 23. præcipitur *Insontem, & Justum non occides*; ergo quomodocunque sciatur esse innocentem, peccatum erit ejus occisio, quia in allato casu adhuc directè occideretur innocens, & ejus mors intenderetur ad servandum juris positivi ordinem.

Confirmatur, quia jure naturæ dictante Judex judicare debet secundum allegata, & probata, ut veritas servetur, & in judicando non erretur; ergo quando Judex certus est se errare, & veritatem non servare judicando secundum allegata, & probata, contrà vitam innocentis non debet secundum allegata, & probata judicium ferre, illumque morti adjudicare. Ità Angelus, Panorm. Filliuc. Rosella, Toletus, Vulpes ex nostris tom. 3. p. 3. disp. 94. a. 3. & plures alii. Secunda sententia extrema affirmat semper Judicem proferre posse sententiam in quacunque causa juxtà allegata, & approbata, ideoque reum ità convictum ad mortem condemnare teneri, quoties aliter facere non potest. Fundamentum est quia Judex sustinet personam publicam, non privatam, siquidem gerit vices communitatis; ergò debet uti publica; notitia autem publica est illa, quæ habetur per allegata, & approbata; ergò Judex sic judicare debet, atque ideò illum ad mortem condemnare tenetur, qui secundum allegata, & approbata censetur nocens, & dignus morte judicatur, quamvis Judex esse innocentem sciat privata scientia.

Confirmatur, quia si non esset ad hoc obligatus, aperiretur via Judicibus ad non castigandos reos, quantumvis eorum delictum probaretur, quia facilè possent dicere, quod ipsimet privata scientia cognoscerent esse innocentes; hoc autem esset magnum inconveniens in Republica. Ità D. Thom. q. 67. a 2. Cajetanus, Sotus, Sanchez, Valentia, Salonius, Arragonius, Reginaldus, Clavis regia, Navarrus, & est communior apud Summistas, & juristas, quam etiam sequuntur ex nostris Astesanus libr 1. tit. 18. a. 10. & Poncius disp. 59. q. 3. Tertia tandem sententia media distinguit, de causis criminalibus, in quibus agitur de pœna vitæ, vel mutilationis, & in his negat licere Judici innocentem condemnare ob rationes primæ sententiæ; in causis verò civilibus, vel ubi agitur de pœna pecuniaria, vel exilii, aut privationis officiorum licere concedit. Ratio discriminis est, quia in his causis civilibus innocens per appellationem potest restitui in integrum; tùm quia Respublica potestatem habet in bona suorum civium, quando bonum publicum id requirit, ut in hoc casu, ne forma publicorum judiciorum cum populi scandalo evertatur. Ità Petrus Navarra, Coninchius, Lessius, Malderus, Bonacina, Card. de Lugo, & plures alii.

26 Harum opinionum prima mihi magis placet, ejusque fundamentum stabilius videtur, quia scientia testium requiritur in judicio ad informandum Judicem facti ignarum, quarè si Judex fuerit propria scientia facti plenissimè informatus, ex qua sibi pariter conspicua fiat falsa testium depositio, planè non video, quomodo licitè judicare possit sine peccato contrà veritatem sibi agnitam secundum falsò allegata, & probata, ut enim benè discurrit Vulpes l. c. lex obligans Judicem ad judicandum secundum allegata, & probata est purè positivè humana; lex verò obligans in foro conscientiæ ad judicandum de rebus secundum veritatem à parte rei sibi notam naturalis est, & divina; sed lex inferior neminem potest contrà Superiorem obligare; ergo nullus Judex potest licitè judicare sine gravissimo peccato contrà veritatem sibi notam secundum falsò allegata, & probata. Nec urget fundamentum secundæ sententiæ, quod Judex sustinet personam publicam, & ideò uti debet notitia publica, quæ habetur per allegata, & probata. Quamvis enim judex sit persona publica, negatur tamen ipsum uti debere publica notitia, quam in conscientia scit esse falsam, cum tanto innocentis detrimento, quem privata notitia novit esse talem. Regula autem illa generalis, quod Judex tenetur judicare secundum allegata, & approbata servanda est; ut ait Vulpes, quando Judex est omninò ignarus facti, & in eodem casu currit pariter regula Deuteronom. à Christo confirmata in Evangelio: *In ore duorum, vel trium stat omne verbum*. In casu igitur proposito, quod Judex certo sciat reum criminis convictum per testes esse re vera innocentem, si est inferior, tenetur de necessitate salutis causam ad Superiorem transmittere judicandam, certiorem illum faciens de falsa testium depositione. Si fuerit supremus, poterit reum revera innocentem, & ut talem sibi notum de potestate absoluta absolvere modo jam explicato; quod si urget populi tumultus, & scandalum, debet de necessitate salutis judicium à se abdicare, & ad nutum populi illud alteri committere, dicens cum Pilato. *Accipite eum vos, & secundum legem vestram judicate*.

27 Quæres, An possit Judex è contrà condemnare illum, quem certò sit esse reum criminis, licet non comprobetur per testes, vel alias legitimas probationes. Quamvis de hoc quoque sint varii modi dicendi, cum communiori tamen dicendum est Judicem inferiorem non posse, & ratio est, quia Judex inferior auctoritatem non habet derogandi legibus Superioris, sed juris ordinem servare tenetur, ordo autem juris est, ut non condemnetur, qui secundùm allegata, & probata constat esse innocentem. Si verò sit Judex supremus, ut Rex, vel Princeps absolutus posset id facere ad impediendum malum grave quod posset ex vita ipsius Reipublicæ imminere, quia bonum Reipublicæ debet præferri vitæ ipsius, qui nocumentum notabile ei inferret. Extrà tamen talem casum ordinariè, & per se loquendo non potest illum condemnare, quoties crimen omninò secretum est, & probari non potest. & ratio est, quia jus defensionis rei, & probatio testium competit reo ex jure naturæ; undè videmus Deum ipsum contrà Adam non protulisse sententiam nisi prius vocatum, & auditum, & defensum. Cùm ergo Princeps in jure naturæ dispensare non possit dicendum est non posse nocentem occidere probatum per testes innocentem, sed illum occidendo mortaliter peccare, & ad restitutionem obligari. Ità Arragonius, Navarrus, Clavis regia, Lessius, Bonacina, Lugo, Poncius, & alii communiter.

28 Tertia conditio ad obligationem Judicis spectans est, ut judicando formam à jure, & legibus præscriptam seruet, quæ quidem in causis civilibus esse solet, ut non nisi postulatus procedat in eis, quin & tunc operam dare debet, ut partes litigantes ad concordiam revocentur, si fieri possit, siquidem *ad officium Judicis pertinet lites dirimere*, ut habetur L. *quidam* ff. de rebus creditis. In causis verò criminalibus duobus modis procedere potest, ut ait Julius Clarus in practica criminali quæst. 3. & alii juriſperiti communiter, nam vel procedit ex officio, vel ad instantia alterius, nimirum publici officialis, vel accusatoris, vel partis, hoc est, vel per accusationem, vel per denunciationem, seù querelam, quando procedit ex officio, per modum inquisitionis procedere dicitur; & hoc est, quod communiter dicunt juriſperiti judicem tribus modis in causa criminali procedere posse, scilicet per inquisitionem, per accusationem, & per denunciationem, ut desumitur ex cap. *qualiter*, & *quando* de accusationibus, ad quos tres modos alii reducuntur, qui ab aliquibus afferuntur. Quamvis autem ad inquisitionem generalem faciendam opus non sit aliquam præcedere infamiam personæ, vel delicti, cùm in jure Ecclesiasticis Superioribus præcipiatur, ut suo tempore visitationes, & inquisitiones generales faciant, ut habetur ex cap. *Pernicioſa* 1. de officio judicis. Nihilominus ad faciendam inquisitionem particolarem contrà aliquem, opus est, ut illius aliqua præcesserit infamia, ut habetur cap. *Inquisitioni*, & cap. *qualiter* 2. de accusatione. Et præter infamiam alia quoq; possiunt interdum suppetere indicia, ex quibus judices presertim sæculares boni publici causa moveri solent ad inquirendum in furtis, homicidiis, aliisque criminibus Reipublicæ pernicioſis, ne majorem aliis similia patrandi audaciam tribuant, si crimina remaneant impunita. Hæc autem indicia ex vna parte tantò majora requiruntur, ad inquirendum de persona aliqua, quantò dignior est persona, & dignitate insigniori præfulget, ut constat ex cap. cit. *Qualiter*, & *quando* 2. de accusationibus, & ex can. 2. qu. 5. ex alia verò parte tantò leviora plerumque sufficiunt, quanto pernicioſius est criment, de quo judex inquirere debet, quale est proditio, hæresis, publicum assassinium, & similia, ut apud Layman videri potest, Bonacinam, Card. de Lugo, & alios passim, ac etiam Fabrum nostrum disp. 54. cap. 2. & 3.

29 Controversia autem est inter Doctores, An judex in ferenda sententia opinionem magis probabilem sequi debeat. Duplex autem potest esse dubium in causa, ut communiter Doctores advertunt, unum facti, aliud juris; dubium facti est, si verb. gr. dubitetur, an Petrus talę delictum commiserit, vel fuerit sui compos, quando testamentum confecit; dubium verò juris est, quando dubitatur, quid lex in tali, vel tali casu præcipiat, & an extendatur, vel non extendatur ad ipsum, & utrinque sunt opiniones probabiles; de hoc igitur dubio procedit difficultas, an tunc judex possit ferre sententiam pro libito pro hac, vel illa parte unam probabilem opinionem sequenda alia relicta. Et hic etiam tres sunt sententiæ duæ extremæ, & una media. Prima sententia docet, quando est æquè probabile jus utriusque partis, judicem pro neutra posse judicare, sed debere reducere litigantes ad compositionem utrique æqualem, dividendo rem æqualiter inter ipsos, aut si sit indivisibilis, eam uni dare cum obligatione, ut det medium pretium alteri; & hic fortiori, deducitur non posse judicem ferre sententiam pro parte minus probabili, quando altera est probabilior. Fundamentum est, quia cùm opiniones sunt æquè probabiles, æquales jus habent partes litigantes, ac proindè in unam partem magis inclinare, quam in aliam, ob amicitiam, vel aliam causam debitam, sine peccato fieri nequit, & sine personarum acceptatione, ac proindè cum læsione justitiæ distributivæ; quod à fortiori sequitur de judice opinionem minus probabilem amplectente, probabiliori relicta. Ità Bannes, Granado, Poncius ex nostris, & quidam alii. Secunda sententia extrema docet, non solùm quando opiniones sunt æquè probabiles, sed etiamsi una sit probabilior, posse judicem amplecti opinionem contrariam minus probabilem, & secundum eam judicare probabiliori relicta. Ratio est, quia, videtur prudenter agere sequendo opinionem probabilem, etiam quando altera est probabilior, nec ob id videtur personarum acceptor, cùm opinio probabilis ob suam probabilitatem videatur ipsi facultatem tribuere judicandi juxtà quam maluerit opinionem. Ità Medina, Clavis regia, Aragon. Salon. Salas, Sanchez, Reginaldus, Lorca, Bonacina, Martinez, & plures alii.

30 Media sententia docet, cum æquali probabilitate posse judicem eligere quam partem voluerit, cum inæquali verò non posse, sed partem probabiliorem eligere debere, & hæc est communior, & probabilior. Quoad primam partem probatur, quia quando judex utramque opinionem reputat probabilem, in tali casu ex vi justitiæ distributivæ, & officii sui non magis uni, quam alteri debet illud bonum judicii favorabilis conferre, sed positum est in mera ejus libertate, atque ideò gratificari poterit, cui voluerit, favendo illi absque personarum acceptione. Confirmatur, quia usu receptum est ut arbitraria judici concedantur; ergo quando utraque opinio est æquè probabilis, potest juxtà quam maluerit judicare, quia satis prudenter agit, dùm sequitur opinionem, quam scit esse æquè probabilem, ac altera. Tandem, quia sicut in collatione beneficiorum datur optio inter duos æquè dignos, ità etiam dari potest in ferendis sententiis, quando utraque opinio est æquè probabilis. Quoad aliam partem jam eam statuimus lib. 2. sent. disp. 5. quæst. 3. de conscientia probabili art. 1. num. 144. & ratio est satis expressa, quia judex debet unicuique juxtà merita causæ jus suum tribuere, ad hoc enim à Republica judex constituitur; illa autem pars, pro qua stat opinio probabilior, majora causæ merita habere videtur, & jus majus; ergo in ejus favorem judicare debet nec oppositum facere posse videtur sine vitio acceptionis personarum, quarè dùm de jure inter litigantes disceptatur, non potest rem adjudicare illi, qui minus jus in rem probatur habere. Ità Valentia, Vasquez, Azorius, Sanchez, Becanus, Laiman, Malderus, Filliucius, Tannerus, Villalobos, & alii communiter; ex quo fundamento patet responsio ad rationem pro secunda opinione adductam, falsum enim est assumptum cum ejus probatione.

31 Quarta tandem conditio est, ut judex in exequenda sententia à se lata firmus sit, & constans, nec ullo favore, timore, aut respectu humano se flecti sinat juxtà illud Eccles. 7. *Noli quærere fieri Judex, nisi valeas virtute irrumpere iniquitates ne forte extimescas faciem potentis*. Hic autem quæri solet, an judex pœnam à lege taxatam remittere, vel relaxare possit; in qua difficultate omnes conveniunt id nunquam licitum esse, si sit contrà publicum bonum, undè Deut. 23. dicitur de illo, qui alios seducit, & ad idololatriam inducit. *Non parcat illi oculus tuus, ut miſerearis, & occultes eum, ſed ſtatim interficies*. At extrà talem causam dicunt hoc versari discrimen inter judices inferiores, & judicem supremum, seù Principem, cui plenariè publica potestas commissa est, quod inferior semper teneatur ferre sententiam secundum jura, illamque exequi. & ratio est quia judex inferior in lege superioris dispensare non potest, & hoc totum intelligendum est non modò, cùm is, qui damnum passus est, id petit, sed etiam quamuis consentiat, & à tali petitione desistat, sibique satisfactum esse dicat, licet viam appellationis denegare non debeat, nisi in casibus à jure expressis. Ità D. Thomas 2. 2. quæst. 65. artic. 4. Bannes, Aragon. Salon. Clavis regia, Valentia, Bonacina, Toletus, Molina, Reginaldus, Vulpes noster, & alii communiter, qui tamen advertunt hoc intelligendum esse de pœna certa, & à lege taxata; non autem de arbitraria, nam quando lex ob aliquod delictum commissum pœnam delinquenti infligendam non determinat, sed eam arbitrio Judicis remittit, potest Judex juxta suum prudens judicium imponere quamquam ad misericordiam magis, quàm ad severitatem inclinare debeat, ut Bonacina notat disput. 10. quæst. 2. punc. 7. juxtà cap. 16. quæst. 7. ubi dicitur, melius esse propter misericordiam rationem reddere, quàm propter crudelitatem.

32 Si verò de supremo Judici sit sermo, dicunt præfati Doctores posse pœnam in jure taxatam remittere, & reum ab ea eximere, etiam recusante parte, ut refert Bonacina loc. cit. modò hoc faciat, ex justa causa, ut si ità postulet commune bonum. & ratio est, quia supremus Superior plenariam habet potestatem, & in jure communi dispensandi facultatem habet, præsertim dùm adest justa dispensandi causa; ergo dispensare potest in lege determinante pœnam in casu posito, quia commune bonum privato præferendum est. Addunt tamen resarciendum esse damnum parti læsæ illatum, nam pars non debet pati damnum ob remissionem Principis, quia non potest in jure naturæ dispensare, nec alterum bonis privare. Verum omninò mihi repugnare videtur, quod talis dispensatio facta à judice supremo, præsertim recusante parte, possit unquam in bonum commune Reipublicæ resultare, potius enim hoc verteret in magnum ejus detrimentum, qua ut benè discurit Vulpes disput. 94. cit. art. ult. *pœna est ordinativa culpæ* ex Boetio 4. de consol. veræ Philosoph. prosa 4. adeout nequeat in universo aliqua relinqui culpa, cui non respondeat pœna sui ordinativa ex Scoto 4. dist. 15. quæst. 1. art. 1. ergo omne delictum commissum contrà leges ad conservandum bonum publicum ordinatas est necessariò à Principe puniendum, præsertim instante parte, adeò ut nequeat rerum à pœna debita totaliter eximere, alioquin faceret, quod nec Deus ipse permittit, dari, scilicet, culpam impunitam, & tantum abest, ut in al quo casu id resultare possit in bonum Reipublicæ, quod potius verteret in magnum ejus detrimentum, quia ob talem indulgentiam via aperiretur delinquentibus, majora perpetrandi.

33 Po-

33 Potius ergò dicendum cum aliis, ut notat Abellius cap. 4. sect. 8. §. 2. quod supremus judex, seù Princeps, si is, qui passus est injuriam, velit eam remittere, poterit reum à pœna eximere, si hoc publicæ utilitati conducere, aut saltem minimè nocere perspexerit. Quod si læsus injuriam remittere nolit; poterit nihilominus Princeps, satisfactione debita ergà ipsum læsum injuncta, pœnam à jure decretam, & taxatam, non quidem totaliter remittere, sed aliqualiter relaxare, vel in aliam commutare, prout prudentia dictaverit, quod etiam non nisi rarissimè facere debet, & ob causas tales, quæ illum apud summum omnium judicem Deum ab omni culpa immunem reddere possint. Denique subdit Bonacina loc. cit. quod licet judex inferior ordinariè id facere nequeat, ut suprà dictum est, potest tamen etiam ipse aliquando sic pœnam relaxare, vel in aliam commutare, ut quando commune bonum talem relaxationem postulat, & aditus ad Superiorem non patet, ut ab ipso relaxatio pœnæ obtineatur. Superior enim non præsumitur relaxationem pœnæ cum tanto incommodo sibi reservare; ergò judex inferior in tali casu poterit pœnam relaxare, non quidem omninò, sed quatenus ratio, & prudentia dictabit. Alia plura ad statum judicis spectantia, ejusque obligationes videantur apud Astesanum nostrum lib. 1. tit. 38.

ARTICULUS SECUNDUS.

De obligatione accusatoris, & denunciatoris.

34 JAm dictum est art. præcedent ex communi Doctorum consensu duplicem esse viam in jure expressam, qua crimen aliquo ad publicam potestatem deferri potest, accusationis, scilicet, & denuntiationis, ità enim expresè habetur in cap. *super his* extrà de accusationibus. Inter accusationem autem, & denuntiationem hoc assignant discrimen, quod accusator accusationi se subscribere debet, & suscipit in se onus probandi criminis, quod si non probat, patietur ex jure talionis pœnam; non ità denuntiator, nam denuntiatio solis verbis fieri potest, nec tenetur probare crimina, quæ denunciat, sed sufficit si inditia aperiat, quibus judex ey officio ad ulteriorem inquisitionem faciendam moveri possit. Rursus addunt denuntiationem dupliciter fieri posse, vel charitativè, cùm, scilicet, quis admonitione privata præmissa, nec secuta proximi emendatione, peccatum ejus ad superiorem, tanquam ad patrem defert, & hæc denuntiatio paterna dici solet, quia nimirum crimen proximi Superiori aperitur solùm propter bonum, & emendationem fratris, & ut efficacius remedium adhibeat juxtà illud Christi Domini Matth. *16. Si te non advertit, dic Ecclesiæ*. Alio modo fieri potest denuntiatio nempè judicialiter, & nunc fit, cùm quis ad vindictam, & punitionem criminum ob bonum publicum illa Superiori denunciat, tanquam Judici, ut pro suo munere faciat, quod expediens judicabit pro bono publico, & hæc denuntiatio judicialis dici solet, & canonica. Ità Azorius, Clavis regia, Bonacina, Tamburinus, & alii passim. Hac observatione præmissa.

35 Primò quæritur, quis accusare teneatur, seù an quis obligetur aliquando ad accusandum; & conveniunt omnes, ut notat Cardinalis de Lugo disp. 38. sect. 1. regulariter loquendo nunquam esse obligationem accusandi accusatione propriè dicta, siquidem iis omnibus, quæ ex omissione accusationis propriè dictę timeri possunt, per denuntiationem judicialiter factam sufficienter provideri potest, quarè opus non est absolutè loquendo, ut quis onera accusatoris sibi assumat, quæ plura, & gravia sunt ob periculum deficiendi in probatione delicti ex defectu, vel malitia testium, & similibus; & hoc satis expressè habetur L. 1. C. *ut nemo invitus agere, vel accusare cogatur*. quia nimirum satis est ad publicum bonum quod quis deferat crimen judici publico bono nocivum per querelam verbalem, & simplicem denuntiationem. In quibus autem casibus id necessarium sit, regulam generalem desumunt Doctores ex Divo Thoma 2. 2. qu. 68. artic. 1. esse obligationem accusandi, vel denunciandi crimen Reipublicæ pernicioſum, quod legitimè probari poterit, si alia via damnum publicum evitari non potest, qualis heræsis, proditionis, falsæ monetæ, &c. undè qui certò tale crimen novit, ac probare potest, tenetur ad criminosum accusandum, aut saltem judicialiter denunciandum, dùm talia crimina sunt in fieri, vel in procinctu, ut fiant, & ratio est, quia quilibet tenetur damnum publicum impedire eo meliori modo, quo potest; quarè si aliter impedire non potest, quàm per delicti accusationem, vel denunciationem, hoc vel illo modo impedire tenetur. Quod si tale crimen sit emendatum, isque qui illud perpetravit, de eo pœnituit, nec ullum imminet Reipublicæ amplius periculum, tunc nullam quoque amplius remanere accusandi, aut denunciandi obligationem docent peritiores, nisi fortè quis de illo juridicè interrogetur, nam in tali casu verum respondere tenebitur. In aliis autem criminibus, quæ in Respublicæ detrimentum non vertunt, nulla est obligatio instituendæ accusationis, aut judicialis denunciationis, sed tantùm fraternæ correctionis. Ità Navarrus, Valentia, Clavis regia, Salonius, Bannes, Aragonius, Bonacina, Toletus, Abellius, & alii communiter, quorum tamen aliqui crimen illud excipiunt, ex quo grave nocumentum alicui immineret, ut si quis sciret illi insidias parari, in quibus ejus vita periclitaretur; in tali etenim casu, si tantum periculum per viam fraternæ correctionis impediri non possit, denunciare tenetur Judici, vel illum admonere, in quem insidiæ parantur, ut sibi caveat, non tamen illi aperire, quis sit ille, à quo sibi cavere debet, ne aperiendo contrà charitatem peccet. Ità Abellius capit. 4. de præceptis Decalogi sect. 8. §. 3. cum Tolet. libr. 5. cap. 57. & alii; & totam hanc doctrinam docet etiam ex nostris Astesanus lib. 1. tit. 4. Vulpes tom. 3. part. 3. disp. 65. artic. 1. Faber disp. 53. cap. 4. & Poncius disp. 56. q. 5.

36 Secundò quæritur, an antè accusationem, vel denunciationem judicialem debeat præcedere fraterna correctio, & in primis Doctores communiter conveniunt, & docent cum D. Thoma l. c. a. 3. ne peccetur contrà justitiam, neque contra charitatem, accusationem, vel denunciationem ex omni parte debere esse justam, itaut in ea nullus detur calumniæ locus, nec prævaricationi, aut tergiversationi, ex singulis enim his capitibus redditur injusta, & nulla accusatio, ut fusè declarat Scotus 4. distin. 15. quæst. 4. & Vulpes cum ipso l. c. a. 3. docent præterea ad justitiam accusationis requiri ut ex intentione justa, & recta procedat, non autem odio, vel ira, aut alio simili pravo affectu. Restat ergò sola difficultas, an denunciator teneatur præmittere correctionem fraternam, antequam denunciet, in qua quæstione duæ sunt opiniones. Prima est affirmativa, cujus fundamentum est, quia Christus Dominus Matt. 18. præcipit fieri correctionem fraternam, antequam Prælato fiat denunciatio; & ratio etiam suadet, quia accusatio fieri debet cum minori detrimento honoris, & famæ proximi, quo potest; ergò nisi moneatur proximus, antequam accusetur, fit illi injuria, quia si moneretur, posset corrigi, & sic non esset accusandus. Ità Sylvester, Sotus, Durandus, & alii ex antiquioribus. Secunda sententia absolutè negat, quam sequuntur Navarrus, Faber ex nostris loc. cit. & alii quam plures, & fundamentum est, quia in cap. *qualiter, & quando* 2. de accusationibus apertè dicitur *Sicut denunciationem debet præcedere correctio fraterna, ità accusationem legitima inquisitio*. & etiam ratio naturalis id suadet, quia accusatio non habet pro scopo correctionem fratris, sed vindictam publicam, & criminis punitionem; correctio autem fraterna habet pro scopo emendationem, ergò accusatio ex vi, & natura sua correctionem præviam non requirit. Tùm quia accusatio fit etiam sæpè de criminibus, de quibus frater est emendatus, de his autem patet nullam esse necessariam fraternam correctionem.

37 Media sententia mihi placet, quam plures sequuntur Recentiores dicentes non debere præmitti correctionem ex debito justitiæ, sed tamen debere ex obligatione charitatis; præsertim verò, si delictum sit occultum, sitque spes aliqua reum hujusmodi correctione fraterna emendandum esse, & ad debitam satisfactionem inducendum; addunt tamen, quod si nulla sit emendationis spes, nec profectura censeatur admonitio, tunc ad illam præmittendam nullam esse obligationem imò sine ulla mora crimen publicæ potestati denunciandum esse quandò est contrà bonum publicum, vigetque ejus periculum. Ità Lessius, Toletus, Filliuccius, Bonacina, Suarez, & plures alii. Et per hoc conciliari possunt duæ priores extremæ sententiæ, prima enim loquitur de obligatione charitatis, præsertim quando delictum est occultum, & est spes aliqua emendationis proximi, Christus enim Dominus correctionem fraternam fieri præcepit ad emendationem proximi, hic enim est scopus ejus, undè cùm non speratur proximi emendatio, illud præceptum non obligat, ibi enim sermo est de denunciatione, quæ fit solùm ad fratrem lucrandum, in qua ut dictum est, solùm ad bonum illius privatum attenditur. Secunda verò sententia loquitur de obligatione justitiæ, sic enim de intrinseca ratione accusationis, vel judicialis denuntiationis non est, ut præcedat correctio fraterna, sed illi accidentaliter conjungitur, quando nimirum aliqua speratur proximi emendatio; & ideò absolutè loquendo accusatio sine ulla prævia correctione justè fieri potest, quia in accusatione non est habenda ratio boni privati, sed publici, nimirum ut crimina puniantur ad deterrendos homines à maleficiis, & ut pax Reipublicæ servetur, siquidem fines per se accusationis, si naturam ejus spectemus, non est emendatio delinquentis, sed punitio, ut exemplo unius alii deterreantur, ne adsint malefactores, & ne pax Reipublicæ perturbetur.

38 Tertiò quæritur, an liceat denunciare delictum occultum, quod nullo modo à denunciante probari potest. Prima sententia negat, & ait tunc fore contrà justitiam illud per viam accusationis, vel denunciationis aperire, cùm enim probari non possit, non potest quoque puniri; proindeque ex ejus manifestatione nihil aliud, quàm alterius infamia sequi potest, & occulto existente delicto infamaretur proximus, qui jus habet ne famam amittat occulto existente crimine. Ità Lessius cap. 29. dub. 13. quem sequitur Abellius loc. cit. cum pluribus aliis. Duos tamen excipiunt casus, in quibus licitum esse dicunt Superiori patefacere crimen occultum alterius, quamvis probari non possit. Primus est, quando ex occulto illo crimine grave aliquod malum spirituale, vel temporale imminet, quod non nisi Superioris potentia, vel auctoritate averti, & impediri potest. Alter est, quando id conducere existimatur ad emendationem illius, qui crimen hujusmodi commisit, tunc enim Superiori, non quidem ut Judici, sed ut patri manifestare potest, præmissa tamen admonitione fraterna.

39 Secunda opinio asserit, quod licet in rigore theorico, ità sentiendum sit, in praxi tamen nunquam peccari, etiamsi occultissima crimina Judici deferantur ab eo qui injuriam passus est, vel ab iis, ad quos injuria pertinet, ut patet, frater, &c. Ità Tamburinus cum aliis loc. cit. capit. 2. §. 4. quod probat, quia Judex, & Prælatus, quibus multa sunt cognita, quique manus, ut dicitur, valdè longas habent, alias fortasse conjecturas expiscabuntur, per quas ad judicium procedere possint, & reipsa millies evenit, ut occultissimi delinquentes comprehensi ab industriis ministri non rarò fuerint. Confirmatur, quia summum malum Reipublicæ esset sceleratis hac impunitate occulti criminis ansam dare vexandi proximum, nam quando sciunt se, quomodocunque occultè peccaverint, esse apud Judicem puniendos, avertentur facilius à malis. Hoc idem asserit etiam ex nostris Poncius loc. cit. quando delicta sunt contrà bonum commune, & non sunt emendata, nam in tali casu ait denunciandа esse, etiamsi non possint probari, si tribunal, ad quod deferenda sunt, sit tale, ut hoc non obstante possit adhibere remedium, quod probat ex praxi, S. Officii, seù Inquisitionis cui denunciare tenentur mulieres in Confessione à confessario sollicitatæ peccatum ipsius, quamvis ipsum probare non possint. Addit tamen hic Auctor primæ sententiæ favens de facto in aliis casibus non esse denuncianda judicialiter crimina, quæ probari non possunt, quia communiter talis denunciatio requiritur, ut judicialiter rei puniantur, quod fieri nequit quando delicta probari non possunt, quod etiam inuit Sotus 4. d. 15. quæst. 4. F.

40 Utraque opinio, est probabilis, & licet prima supponatur à Card. de Lugo disp. 37. sect. 7. num. 76. communior, & probabilior, undè inquit neminem posse licitè judicialiter denunciare, nisi quod bona fide putat posse in judicio legitimè probari, alioquin sine ullo fructu infamaretur proximus per illam inutilem denunciationem. Nihilominus secunda quoque sua probabilitate non caret, siquidem, ut benè discurrit Tamburinus loc. cit. præstat Superiorem scire delicta subditorum, non solùm in foro paterno, sed etiam in judiciali, nam licet, quando ex defectu testium probari non possunt, procedere nequeat ad pœnam, adhuc tamen illa cognitio inservit saltem, ut fortè incidentem eundem in similia peccata, possit posteà Judex securius castigare, & peccata sequentia per primum ab eodem superiore cognitum magis potuerit confirmari. Rectè tamen excipit hic Auctor ibidem occultum aliquod crimen hominis gravissimi, quod licitè non putat posse ad Judicem deferri, non solùm, quando uni soli est cognitum, sed etiam quando per paucos testes probaretur, & quia si tale crimen propalaretur, magnum esset scandalum in Republica, undè in tali casu utique infamaretur proximus sine sufficienti causâ.

41 Quartò quæritur, an qui non accusat, vel denunciat delinquentem peccet, & ad restitutionem teneatur. Communis opinio docet non accusantem, vel denunciantem crimen commissum contrà bonum publicum, vel privatum peccare mortaliter contrà charitatem, quia quilibet ex charitate tenetur succurere proximo graviter indigenti; non tamen ad restitutionem teneri, si ex sola charitate teneatur accusare, vel denunciare, quia ex obligatione charitatis, & ejus violatione obligatio restituendi non oritur, sed ex violatione justitiæ; undè qui non accusant, vel denunciant, cùm ex justitia accusare, vel denunciare tenentur, certum est eos etiam ad restitutionem obligari, undè fiscalis, custos silvarum, gabellarum, & alii officiales, qui ex officio accusare tenentur portantes arma prohibita, transferentes merces de uno loco ad alium sine gabellarum solutione, & similibus damnificantes, peccant mortaliter etiam contrà justitiam, & ad restitutionem tenentur damni illati ex omissione accusationis, vel denunciationis, nam qui non facit, quod ex officio tenetur, justitiam violat, ex cujus violatione obligatio oritur restituendi. Ità Salonius, Calavis regia, Bonacina, & alii passim. Excipit tamen Navarrus in Manuali c. 17. duos casus, in quibus isti quoque nec mortaliter paccant, nec ad restitutionem tenentur, ut Faber advertit loc. cit. Unus est, quando non denunciant eos, qui faciunt contrà leges humanas, eo quia id faciant in extrema, vel gravi necessitate constituti, lex enim humana charitatem destruere non intendit, & ideò in tali casu denunciare non obligantur. Alter casus est, quando delinquentes, & transgressores sunt consanguinei, vel affines, aut etiam arcta amicitia conjuncti cum eis, qui leges, & statuta condiderunt; in tali enim casu præsumitur legislatores prædictis legibus, & statutis illos non subjicere; in reliquis omnibus casibus prædicti officiales mortaliter peccant, & ad restitutionem tenentur quia faciunt contrà officium, & juramentum, & bono publico præjudicant. Alia plura ad officium accusatoris spectantia, vide apud Astesanum, & Fabrum loc. cit.

ARTICULUS TERTIUS.

De Reo, seù accusato, ac ejus obligationibus.

42 PLura de Rei obligationibus disputari solent à Summistis, & Jurisperitis, sed præsertim, an & quomodo teneatur tateri veritatem, quando à Judice interrogatur; & quidem communiter conveniunt, quod si à Judice legitimo interrogetur secundum formam juris modo jam explicato artic. 1. num. 28. tenetur verum respondere, & veritatem aperire, quia Judex juridicè procedens potestatem habet obligandi reum ad veritatem aperiendam, alioquin Judicum potestas omninò vana esset. Si verò judex legitimam non habeat potestatem, aut formam juris interrogando non servet, non tenetur Reus veritatem aperire, quia Judex juridicè non procedens Reo obligationem imponere nequit ad crimen aperiendum, vel jurandum ex cap. *Inquisitionis*, & ex cap. *Qualiter*, & *Quando* de Accusationibus; juris autem ordo à Judice non servatur, quando Reus interrogatur absque præcedente infamia, vel semiplena probatione, vel accusatione, vel manifestis indiciis; facit autem semiplenam probationem unus testis omni exceptione major, qui sit occulatus, & juratus, non particeps in crimine, vel actor, sed omninò ab accusatore, vel denunciante distinctus. Quando igitur infamia, vel manifesta inditia præcesserunt, aut semiplena probatio, tunc Reus juridicè interrogatur, & consequenter verum respondere tenetur, modò ipsi constet infamiam præcessisse, vel semiplenam probationem, vel manifesta inditia, quæ manifestè hoc crimen, & hanc personam indicent; hæc enim judex Reo aliquo modo manifestare tenetur, ut reus sciat se juridicè interrogari, seque ad veritatem dicendam teneri. Ità Navarrus, Valentia, Cajetanus, Azorius, Lessius, Reginaldus, Bonacina, Cardinalis de Lugo, & alii passim.

43 Quando verò judex jurisdictione caret, vel eam habet impeditam, vel reum interrogat juris ordine non servato, ut si eum interroget non præcedente semiplena saltem probatione delicti, vel indiciis expressis, asserunt communiter Doctores Reum non teneri ad interrogata respondere. Quod si à judice cogatur, quod tamen sine peccato facere non potest, nec ab illo per appellationis viam declinare possit; tunc poterit respondendo crimen occultare prudenter, & veritatem aliquibus verbis multiplici sensu vertibilibus, seù æquivocatione aliqua, vel restrictione aliqua mentali tegere eo modo, quo Scotus noster declarat 4. dist. 15. quæst. 4. artic. 3. Ratio est, quia ut notat Astesanus noster lib. 1 titul. 41. articul. 2. aliud est veritatem tacere, & aliud est falsitatem proponere, primum licet in aliquo casu, non enim tenetur quis semper omnem veritatem confiteri, sed tantùm illam, quam potest, & debet judex ab eo requirere secundum ordinem juris, putà cùm super aliquo crimine præcessit infamia, vel apparuerint aliqua expressa judicia, vel etiam præcessit probatio semiplena. Secundum autem, scilicet, falsitatem proponere, & mentiri in nullo casu licet; sic ergò accusato licet se defendere, veritatem illam, quam confiteri non tenetur, occultando per aliquos congruos, & licitos modos, & non respondendo ad quæ respondere non tenetur; hoc enim non est se calumniosè defendere, se prudenter evadere; non autem licet ei, vel falsum dicere, vel verum illud, quod confiteri tenetur, tacere, neque etiam aliquam fraudem, vel dolum adhibere, quia fraus, & dolus vim mendacii habent, & hoc est se calumniosè defendere. Modum ergò respondendi in tali casu, ac se defendendi docet Scot. loc. cit. lit. G. ubi inquit, quod in hoc casu cauta est responsio Juristarum, nego propositа, ut proponuntur, & hæc quidem sine mendacio dici possunt in proposito, ait Doctor, quia proponuntur in publico, & ut publica, & publicè probanda, sic autem negare ea potest quis, scit ea non posse probari in publico. Ità Scotus ibi, quam doctrinam optimè

optimè declarat Aretinus ibidem quæst. 4. art. 6. ubi ait, quod Reus de vero occulto crimine accusatus, aut denunciatus contrà juris ordinem respondendo simpliciter se crimen objectum non commisisse, non mentitur, nec peccat mortaliter, quia quando quis contrà juris ordinem interrogatur, ista negatio, non feci, aut non commisi crimen hoc, quamvis videatur crimen negare in universali, dicta tamen in tali loco, coram tali persona & ad talem interrogationem facta accipi potest restrictè, & non in universum. Judex enim in judicio, ut persona publica reum interrogat, & quamvis absolutè, & in universum interroget, ejus tamen interrogatio restrictè accipi debet secundum ordinem juris, scilicet, an fecerit crimen illud publicè, & tali modo, quod possit in judicio probari; undè cùm ejus interrogatio de peccato occulto intelligi non debeat, rectè, & sine mendacio respondet reus. Non feci, vel non commisi crimen, scilicet, probabile in judicio, de quo tantùm justè judex interrogare potest. Nec sic respondendo reus mentitur, nec mortaliter peccat, quia cum iniqua interrogatio neminem obliget; non mentitur utendo hujusmodi verbis, quæ verum sensum in mente proferentis habere possunt, mendacium enim per se in hoc consistit, ut quis verbis negare intendat eam veritatem, quam concipit loquens cùm altero, quod in proposito non contingit, ipse enim verum sensum in mentem sua concipit, nim rum non feci, vel non commisi crimen in judicio probabile, aut de quo juridicè interrogari, vel denunciari possim, quod est verum. Undè Reus in tali casu mendax non est, licet neget crimen verum, quia illud negat non absolutè, sed ut publicum, & re vera in publico non est nocens, nec criminosus, sed in privato, & ideò dùm negat se illud in publico perpetrasse dicit verum, & Ità etiam rem declarat Faber disp. 53. c. 2. n. 61. & seq.

44 Sed obiicies, quia negans crimen verùm in tali casu mentitur mendacio pernicioso, tàm accusatori, quàm Reipublicæ, huic quidem, quoniam ob ejus mendacium publicum Respublica impeditur à punitione ejus justa; accusatori verò, quia propter talem negationem, & mendacium de calumnia notatur. Respondet Doctor negando assumptum quoad utranque partem, quia Respublica, non omnia mala punire debet absolutè loquendo, sed solùm illa, quæ justè punire potest juxtà illud Deuteron. 16. *Justè quod justum est exequaris*, talia autem sunt, quæ coram Judice sæculari sufficienter probari possunt, & ideò Respublica non læditur, si divinum judicium excedat judicium ejus, ut aliqua reserventur divino judicio, super quæ non potest esse justum judicium Reipublicæ quia *homo videt ea, quæ patent, Deus autem intuetur cor*. Addit Doctor, quod neque est mendacium pernicioſum contrà accusantem, quia in tali casu potius accusator ipse sibi ipsi pernicioſus censeri debet; quia accusationem non proponit eo modo, quo proponere debebat, tali enim modo proponere debebat, quo eam probare posset; & ideò sibi imputare debet, si ei aliqua infamia sequitur, quia ipse est causa, non autem ille negans, quia defendit innocentiam suam in publico, ubi non est nocens, nec habendus est pro nocente, donec convictus fuerit.

45 Controversia autem celebris est, & ad quotidianam praxim necessaria, an teneatur reus veritatem contrà se fateri, quoties juridicè interrogatur, & præcedit semiplena probatio. Prima, & communis Thomistarum sententia affirmat reum, quando à proprio Judice interrogatur secundum juris ordinem, ideſt, de crimine aliquo, de quo præcessit infamia, aut de quo inditia suppetunt, aut semiplena probatio, teneri ad fatendum crimen, & verum manifestandum, etiamsi ex ejus confessione mors sequatur. Ità D. Thomas 2. 2. q. 69. a. 1. Henricus, Paludanus, Gabriel, Cajet. Sotus, Navarrus, Lessius, Toletus, Becanus, Malderus, Sanchez, Tones, Layman, Filliucius, Abellius, & alii quamplures quam etiam sequitur ex nostris Aretinus l. c. Fundamentum est, quia Judex habet potestatem exigendi juramentum à reo, quoties legitimè eum interrogat, ergo reus in tali casu respondere tenetur, alioquin bellum justum daretur ex utraque parte, si Judice justè, & legitimè interrogante posset reus justè non respondere.

Confirmatur, quia si Judex legitimè interrogans non possit reum obligare ad fatendum capitale crimen, id vergeret in maximum Reipublicæ damnum, arcta siquidem nimis esset via ad detegenda, & punienda delicta, ergo judex habet jus ad ea mala impedienda, & per consequens ad obligandum reum, ut fateatur, dùm eum juridicè interrogat. Denique judex potestatem habet torquendi reum post semiplenam probationem, ut verum fateatur, & delictum commissum aperiat; ergo poterit etiam obligare, ut respondeat, alioquin injustè torqueret eum, qui respondere non tenetur.

46 Secunda sententia negat obligationem illam esse adeò universalem, & in omnibus casibus, & asserit Reum etiam juridicè interrogatum, non teneri veritatem contrà se fateri in casis capitalibus, ut si propterea esset mortè damnandus, aut ad triremes, aut confiscatione omnium bonorum, quando speraret negando veritatem evadere illam pœnam. Hæc est expressa Scoti sententia loc. cit. §. *In tertio membro*, suo lit. G. ubi inquit, quod durum videtur, quod quilibet accusatus in publico ab uno statim teneretur de necessitate salutis in publico confiteri illud, & sic statim exponere se patibulo in judicio sanguinis, sed habendo oculum non tantùm ad pœnam sed ad honestum, & inhonestum non apparet, quod iste honestè, & secundum rectam rationem debeat confiteri coram tali judice, quia ipse plusquam quicumque alius accusans singularis auferret sibi famam, quia confitenti contrà se in judicio creditur. Ità Doctor ibidem, & sequuntur Scotistæ passim, Hiqueus ibi in Commentario cum aliis antiquioribus Faber l. c. disp. 53. cap. 2. nu. 56. Vulpes disp. 96. a. 1. Poncius disp. 59. q. 6. Hurtarnes disp. 12. section. 2. & plures alii etiam extrà scolam nostram, ut Angelus, Sylvester, Armilla, Rosella, Panormitanus, Pesantius, & Bonacina disp. 10. quæst. 3. punct. 3. ait esse probabilem, imò Card. de Lugo disp. 40. sect. 1. censet stando in ratione esse multò probabiliorem opposita, & pro ea plures alios adducit, ac reprehendit Turriannum eo quod dixerit hanc sententiam esse omninò improbabilem, & non habere pro se, nisi tres aut quatuor Summistas, fundamentum est, quia lex humana debet esse de re humano modo possibili, & humanæ infirmitati accommodata; sed natura humana vehementem indidit hominibus inclinationem ad sui conservationem, & defensionem, qua de causa licet invadentem hostem occidere, & in extrema necessitate aliena surripere; ergo nequit cogere reum ad veritatem aperiendam, quamdiù spem habet evadendi in casis in quibus valdè gravis pœna corporalis imponitur.

Confirmatur quia præceptum humanum cùm tanto incommodo obligare non solet, undè leges humanæ non obligant testes deponere contra personas sibi valdè conjunctas L. 4. ff. de Testibus, & nemo etiam jussus testificari tenetur contrà alium, quando ex testificatione tali grave sibi damnum imminet; ergo à fortiori in eodem casu nullus videtur cogendus ad testandum contra seipsum. Denique quia etiamsi contrà reum delictum sit plenè probatum, adhuc comparere non tenetur etiam à Judice citatus, quia cum tanto periculo obedire non tenetur; item licitè potest ex carceribus fugam arripere etiam stante Judicis præcepto, quod non fugiat, quia scilicet, jus naturale fugam licitam ei reddit ad propriam vitam tuendam, ergo idem jus ad propriam vitam tuendam excusabit eum ab obligatione exponendi se periculo vitæ proprio testimonio, si adest spes evadendi tam gravem pœnam corporalem; quod appositè additur quia si spes evadendi non adest negando crimen commissum, ut quando crimen plenè probari potest, hoc est, per duos testes omni exceptione majores, tunc tenetur reus veritatem fateri sub peccato mortali, & tunc Confessarius eum cogere debet ad veritatem aperiendam quia in tali casu ratio celandæ veritatis cessat, cùm spes evadendi non adsit; appositè etiam fit sermo de gravi pœna corporali, vel temporali, quæ facilè tolli non potest, nisi per criminis negationem, quia secus dicendum est in casis, in quibus spiritualis pœna imponitur, ut pœna excommunicationis, ut omnes cit. Auctores advertunt. Et hæ rationes, quibus passim Recentiores utuntur ad hanc sententiam tuendam deducuntur ex relata Scoti doctrina, dum ait, durum videri quod quilibet accusatus in publico ab uno statim teneatur de necessitate salutis in publico confiteri illud, & sic statim exponere se periculo in judicio sanguinis, inhumanum enim videtur, ut qui convinci non potest, teneatur contra se arma præbere, quibus occidatur, aut gravem pœnam, v. g. perpetui carceris subeat, aut triremium.

47 Ad fundamentum prioris sententiæ negatur consequentia cum ejus probatione, quia in tali casu uterque utitur jure suo, Judex enim justè, & juridicè interrogat ob commune bonum, ac etiam reum obligat, non quidem ad culpam, sed ad torturam, ut s. crimen suum fateatur, si gravia tormenta experiri non vult; sicut etiam Judex reum obligat, ut in carcere maneat, qui tamen adhuc justè fugere potest, quia obligat sub pœna subeunda, si fugiat, non sub culpa; in hoc ergo sensu Judex utitur jure suo. Reus etiam utitur jure suo, quia crimen occultat, ut propriam vitam servet, ad cujus conservationem maximum jus à natura accepit, quamdiù spem habet vitæ servandæ.

Ad Confirmationem, negatur sequela antecedentis, non enim majus Reipublicæ damnum sequitur in una opinione, quàm in alia, quamvis enim communis sententia reos obliget in conscientia ad confitendum, quando sunt juridicè interrogati, adhuc vix aliquis invenitur, qui confiteatur, & crimen commissum aperiat, nisi timore torturæ, ac tormenrorum; undè illud Reipublicæ damnum, ut ait Card. de Lugo, melius impeditur dando Judicio ptestatem ad veritatem indagandam per

tormenta, quàm per obligationem conscientiæ. Ad ultimum neganda est etiam consequentia cum eodem Auctore, quia tortura non est in pœnam negationis veritatis, cùm enim nondùm constet, quod neget veritatem, nec ea de causa puniri possit, sed est medium licitum, & jure gentium introductum ad exquirendam à reis veritatem, sicut carcer arctus ad eos custodiendos; sicut ergo Judex ratione sui muneris jus habet custodiendi reum in carcere, & adhuc reus jus naturale retinet ad fugiendum è carcere pro vita tuenda; sic pariter quamuis Judex jus habeat exquirendi veritatem per torturam, & alia tormenta, adhuc reus jus naturale retinet ad tuendum proprium crimen pro vita servanda, si vires suppetant superandi, & tolerandi illa tormenta. Quare concludendum est opinionem communem asserentem juridicè accusatum, & interrogatum de crimine vero teneri ad veritatem confitendam sub mortali, veram esse de accusato plenè convicto per plenam probationem, non per semiplenam; licet enim sit juridicè interrogatus, & accusatus, non tamen in tali gradu, quod teneatur ad confitendum, quia non est plenè convictus, ut Faber advertit l. c. ubi etiam ait ex hoc sequi, reum à Judice coactum jurare de dicenda veritate in principio processus antè probationem criminis, & antequam reus sit convictus, negando cum juramento se non perpetrasse crimen illud, non peccare mortaliter, neque esse perjurum, quia jurat se non fecisse proposita, ut proponuntur, & sic non jurat falsum, quia non dicit mendacium ob rationem allatam.

48 Quæres, quid dicendum quando non obstante delicti negatione, reus convictus est, & damnatus ducitur ad ultimum supplicium, an tunc in mortis articulo obligandus sit à Confessario fateri suum crimen. Negant quamplures, quorum fundamentum est, quia finito judicio, & prolata sententia finit obligatio rei; jam enim Judex functus est officio suo. Tùm quia nihil posset eum ad hoc obligare, nisi quod aliàs posset mala concipi opinio de Judice, & testibus, quasi injustè processissent damnando innocentem; sed non obligatur ex hoc capite, quia non deberet illa opinio concipi de Judice, aut testibus, sed potius existimari deberet, quod condemnatus esset vere reus, & quod tamen non fateretur crimen, quia putaret se non esse ad hoc obligatum. Ità Navarrus, Sanchez, Sairus, Philiarcus, & alii quos sequitur Card. de Lugo, & Poncius ex nostris loc. cit.

Affirmant alii ex contrario fundamento, quia dum sententia non est executioni mandata, adhuc censetur reus esse sub Judicis potestate, & ejus obligatio perseverare ad veritatem dicendam. Tùm quia ejus taciturnitas, & negatio in detrimentum accusatoris, testium, & Judicis redundat, qui apud populum malè audiunt, quando reus etiam ad ultimum supplicium ductus in asserenda sua innocentia perstitit. Nec satisfacit, quod dicebatur, quod potius existimari deberet condamnatum esse verè reum, & suum crimen non fateri, quia putaret se non esse ad hoc obligatum. Hoc inquam, non satisfacit, sed potius oppositum convincit, quia in tali casu teneretur Confessarius eum docere, & à tali opinione erronea retrahere, cùm enim plenè convictus supponatur, & spes evadendi mortem non adsit, cessat omninò ratio celandæ veritatis, ut suprà dictum est; ideoque Confessarius in tali casu eum cogere debet veritatem fateri sub peccato mortali, undè hæc secunda opinio mihi probabilior videtur, & doctrinæ Scoti jam allatæ conformior. Alia plura ad obligationem Rei spectantia videri possunt apud Astesanum, & Fabrum loc. cit.

ARTICULUS QUARTUS.

De Testibus, ac eorum obligationibus.

49 NOtant, communiter Doctores, notitiam, & cognitionem criminis ad condemnationem Rei, necessariò requisitam ex triplici capite, desumi posse; primò ex confessione ipsius Rei crimen sponte confitentis; secundò ex deprehensione ipsius in flagranti crimine furti v. g. vel adulterii, aut homicidii, & similium, quod contingit, quando Judex ipse cum duobus, vel tribus testibus Reum in actu criminis deprehendit; tertiò tandem ex confessione testium, quibus Reus convincitur, unde testis dicitur rei gestæ probator; & de cognitione criminis, quæ hoc modo acquiritur est sermo in proposito. Supponunt etiam communiter ad legitimam, & plenam in judicio probationem duos testes ad minus requiri, cùm facilè sit unum pervertere, duos verò difficile; dicuntque eos debere primò externo sensu id percepisse, de quo testantur, & non ex auditu tantùm, secundò de eodem facto, & crimine cum eisdem circumstantiis deponere, alioquin testes erunt singulares, ut vocant, qui plenam probationem non faciunt, ut infrà constabit; tertiò tandem esse debent idonei, & omni exceptione majores, ità nimirum ut nulla in eis desideretur conditio, quo minus testari possint, quæ quidem conditiones duobus illis versibus insinuari solent.

Conditio, sexus, ætas, discretio, fama,
Et fortuna, fides, in testibus ista requires.

Ideòque inter exceptiones, quæ in judicio circà testes proponuntur, principalis est exceptio personæ, quod, scilicet, testificare non possit, quia persona testis alicui ex prædicti defectibus subjecta est. Hinc à testificando reiiciuntur, Servi, Mulieres, Minores, & Impuberes, Inimici, Consanguinei, Periuri, Socii criminis, Personæ inopes, & viles, Deliri, & Semifatui, ut apud omnes Juristas videri potest. Hoc supposito.

50 Primò quæritur, An Testis debeat se offerre ad testificandum, & quidem certum est apud omnes non teneri ex justitia, atque ideò ex omissione testificationis ad restitutionem damnorum partis læsæ non teneri; quare solùm dubitatur, an teneatur saltem ex charitate, vel alia virtute. Et communis opinio docet teneri, quando ejus testificatio necessaria est ad impediendum grave Reipublicæ damnum, vel alicujus tertii, quod aliter evitari non potest, & ratio deducitur ex communi obligatione charitatis, quæ quidem omnes obligat ad impediendum grave alterius damnum, si sine gravi nocumento proprio id fieri potest, quæ limitatio additur, quia in tali casu testis ab hoc onere eximitur offerendi se, quando sibi, vel suis grave timet incommodum, cui auxilium proximi non præponderet, nam charitas non obligat ad ferendum uni auxilium cum tanto alterius detrimento. Undè non placet, quod absolutè pronunciat Vulpes noster disp. 117. art. 1. nullum dari præceptum obligans sub lethali culpa ad testimonium sponte ferendum, quia ad id obligat saltem præceptum charitatis, cùm ità necessarium est ad impediendum grave malum proximi, aut Reipublicæ. Quandò autem nullum tale damnum imminet, nulla talis extat obligatio, quia pro justa delinquentis punitione nemo tenetur se offerre ad testificandum, siquidem ex defectu castigationis præcisè, qua talis, parum damni incurrit Respublica, aut proximus læsus, cùm ipse quoque ex consilio Evangelico injuriam illatam dimittere deberet. Et ità dicendum est, etiam in casu, quod accusatori grave immineat periculum defectu probationis, tunc enim non testificaretur ad castigandum nocentem, sed ad liberandum accusatorem, qui si sponte, & quando non tenebatur accusavit, sibi imputet, qui nullo cogente tali periculo se exposuit, ut notat ex nostris Astesanus tit. 37. artic. 5. & Poncius disp. 59. qu. 5. Quod si fuerit obligatus concedunt communiter testem ex charitate teneri ad succurrendum illi. Ità Navarrus, Molina, Lessius, Bonacina, Card. de Lugo, & alii communiter.

51 Secundò quæritur, An testis à competente Judice legitimè interrogatus teneatur veritatem sibi cognitam dicere, & de crimine testari. Et quidem certum est apud omnes teneri veritatem aperire saltem cùm delictum plenè probari potest; ratio est, quia si in tali casu testis cogi non posset à Judice ad testandum, & probandum, nemo accusare auderet, nil enim accusator probare posset, si testis ad probandum cogi non posset, undè crimina sæpius impunita manerent. Imò testis sic interrogatus non tantùm virtute obedientiæ tenetur dicere veritatem, quia justo Superiori, & legitimè præcipienti parendum est, sed etiam ex justitia; unde falsum dicendo, vel verum tacendo tenetur ad restitutionem damni sequentis parti læsæ; cum enim hic modus probandi veritatem per testes sit ex natura rei aptissimus; ad veritatem indagandam, & detegenda delicta, & ad hoc ex legibus, ac consuetudine ordinatus, sequitur non solum ex virtute obedientiæ teneri testem legitimè interrogatum veritatem dicere, sed etiam justitiæ, saltem quando delictum plenè probari potest, ut notat Poncius l. c. cum pluribus aliis. Apposite autem dixi, saltem quando delictum plenè probari potest, nam quando non potest plenè probari, ut quando crimen solùm est notum testi, & accusatori, controversia est inter Doctores, an testis, cui soli notum est crimen commissum, testari teneatur. Prima sententia affirmat, & ratio est, quia testis in eo casu legitimè, & juridicè interrogatur à Judice; ergò respondere tenetur, & veritatem fateri. Ità Sotus, Azorius, Salonius, Arragonius, Clavis Regia, Valentia, & alii apud Bonacinam disp. 10. q. 3. punct. 3. quos ipse sequitur.

52 Secunda sententia negat, & ratio est, quia cùm unus dumtaxat testis scit crimen aliquod, crimen illud non dicitur publicum, sed occultum, quia in judicio probari non potest, nec plenè, nec semiplenè, & ideò testis non tenetur illud manifestare, nec malefactorem, quia hic se defendere posset, & ipsum crimen negando testem de calumnia accusare. Confirmatur, quia testis solùm respondere tenetur ad id, quod Judex juridicè interrogare potest, hic autem inquirere non potest nec de delicto occulto, nec de delinquente non infamato, ergò nec testis debet eum manifestare, undè falsum est fundamentum opinionis oppositæ.

oppositæ, quod in tali casu testis legitimè, & juridicè interrogetur a Judice. Ità Sylvester, Armilla, Angelus, Lessius, Card. de Lugo, & plures alii, & sequitur ex nostris Faber disp. 54. c. 3. n. 73. & cap. 7. num. 160. ubi ait, quod Judex tunc justè interrogat testem, quando interrogat de crimine publico, & manifesto, seù facto coram pluribus, vel præcessit infamia; non autem quando interrogat de crimine occulto, quod nemo scit, nisi unicus ille testis, tunc enim testis, cùm sciat crimen illud esse occultum, non tenetur manifestare; cum verò est publicum, idest, plures sciunt illud, cùm à Judice interrogatur, tenetur veritatem fateri, & subdit contrà Sotum, Azorium, & alios ità dicendum esse sivè Judex per Inquisitionem procedat, sivè per accusationem, vel denunciationem, quod crimen est occultum, & secretum, non tenetur testis unquam manifestare illud, quod etiam asseri debet, quando crimen est publicum, sed delinquens est occultus; si verò delictum est publicum, idest, coram pluribus factum, tenetur testis manifestare illud, tam cùm proceditur via inquisitionis, quàm via accusationis, vel denunciationis, quia fama proximo non aufertur, cùm peccatum sit publicum, & ipse testis superiori obedire teneatur, & dicere publicè, quod scit publicè. Hæc secunda opinio verior mihi videtur, & probabilior.

53 Conveniunt tamen omnes, testem etiam legitimè, & juridicè interrogatum non teneri testari in sequentibus casibus. Primò si crimen sub secreto scivit, quod universaliter de secreto confessionis Sacramentalis verum est, ut patet dictis de sigillo Confessionis lib. 4. sentent. quod etiam verum est, si crimen accepit sub secreto naturali, ut contingit de consiliario, advocato, medico &c. modò tamen non sit necessarium illud revelare ad magnum Reipublicæ, vel proximi malum avertendum, nam in tali casu, etiamsi jurasses te nulli dicturum, licet tale secretum detegere, quia tale juramentum non obligat, cùm jure naturæ tenearis ad contrarium. Secundò si ex tali testimonio sibi, vel tuis notabile damnum imminеat, in tali enim casu justam habet celandæ veritatis causam, undè, si interrogetur à Judice, æquivocatione uti potest, & juxtà restrictionem mente conceptam jurare, & testari; tunc enim habet justam æquivocandi causam, lex enim charitatis non obligat ad proximi subventionem cum tanto incommodo, nisi commune bonum aliter postulet. Tertiò si alter probabiliter in facto non peccaverit, vel propter ignorantiam, vel quia rem aliquam accepit in occultam alicujus debiti compensationem, tunc enim justam habemus reticendi causam, quia mens judicis est inquirere de delicto. Quartò quando in causis criminalibus, in quibus mortis, vel mutilationis sententia infligenda censetur, testimonium ferendum est, ad illud enim Clerici non tenentur. Quintò tandem si factum intellexisti per injuriam, v. g. aperiendo literas, vel alium cogendo ad revelationem, ac etiam si à viris non sat fide dignis accepisti, tunc enim te gerere potes, ac si nihil scires. Ità Layman, Molina, Azorius, Filliucius Bonacina, Card. de Lugo & alii passim.

54 Tertiò quæritur, An & quomodo peccet testis subtrahendo se à testimonio citatus à Judice, an scilicet, si ea de causa aliquis injustè ac adversario læditur, peccet tunc testis, non solùm contrà obedientiam, vel charitatem, sed etiam contrà justitiam cum onere restituendi. Prima opinio affirmat peccare contrà justitiam, & cum onere restituendi, undè infert non solùm peccare contra justitiam, qui fugit post citationem, aut aliqua arte, vel fraude utitur, ut testimonium euitet, postquàm juridicè, & legitimè, citatus est; sed etiam qui fugit, vel se abscondit antequam legitimè citetur ad ferendum testimonium. Ratio est, quia hoc, vel illo modo tergiversando est efficax, & moralis causa, ut Judex sententiam ferat in alterius damnum.

Confirmatur exemplo, quia si Judex v. g. alicui præcipiat, ut Scripturam proferat ad causam pertinentem, ille eam occultet, vel laceret, tenetur restituere parti, cujus intererat Scripturæ prolatio; ergo similiter ad restitutionem tenetur, si testimonium occultet, quod Judex proferri præcipit. Ità Sotus, Navarrus, Emmanuel Sà, Malderus, Sanchez, Salonius, Azorius, Reginaldus, & alii.

55 Secunda opinio negat peccare contrà justitiam, & cum onere restituendi, sed contrà charitatem, vel obedientiam nam loquendo de teste, qui se abscondit, ne ipsi præceptum Judicis intimetur, nondum ligatur præcepto, nullus enim ex mandato Superioris obligationem contrahit, antequam mandatum ei debito modo imponatur, sicut lex non obligat quandiù non intimatur; ergo qui fugit antequam legitimè citetur, contrà justitiam non peccat, nec ad restitutionem tenetur, si enim jus aliquod nascatur parti ex ejus testimonio, id ex præcepto oritur, jam intimato; loquendo verò de eo, qui fugit post citationem, aut aliqua fraude, vel arte utitur, ut à testificando se subtrahat, postquam citatus est, nec ille contrà justitiam peccat, & ratio est, quia citatio intimata obligationem justitiæ non inducit, sed tantùm obedientiæ comparendi ad testificandum, proindeque non comparens contumax tantùm est, & inobediens, non autem injustus, sicut si Magistratus alicui præcipiat, ut curam pupilli suscipiat, & ille recuset eam suscipere, non dicitur injustus, quia tale præceptum obligationem justitiæ non inducit, sed inobediens, & contumax contrà Magistratum. Ad fundamentum oppositæ sententiæ dicendum est, testem aliquo ex prædictis modis à testimonio tergiversantem, licet si aliquo modo causa damni illati parti ejus testimonio indigenti, non tamen ad restitutionem teneri, nisi positivè falsum testificando fuerit causa talis damni. Ad confirmationem negatur consequentia, non enim valet paritas assumpta in argumento, quia Scriptura est res externa, de qua Respublica facilè disponere potest, & eam uni parti applicare saltem quoad usum, ut notat Cardin. de Lugo disput. 39. sect. 1. propè finem, quoties autem Judex contrà bona externa aliquid decernit, eo ipso dat litiganti jus super illa bona, & consequenter usum illius rei impediens contra justitiam facere censetur; testimonii autem prolatio est actio personalis, ad quam exhibendum Judex obligare potest ex obedientia, non autem ex justitia. Ità Molina, Lessius, Layman, Valentia, Bonacina, Lugo, & plures alii, quæ opinio verior mihi videtur, & probabilior.

56 Quartò quæritur, An testes singulares plenam faciant fidem, & probationem ad aliquem condemnandum. Pro cujus intelligentia sciendum est, illum dici propriè testem singularem, qui solus est, nec habet in depositione per omnia contestem, & concordem; contestes autem dicuntur illi, qui omninò conveniunt, & concordes sunt de eodem actu numero commisso ab eadem persona eodem loco, & tempore, undè quando duo deponunt de aliquo facto, sed non conveniunt de tempore, vel loco non sunt contestes. Hoc supposito communis opinio Juristarum, & Canonistarum est, quod cùm testes sunt omninò contestes, & omni exceptione majores sufficiunt ad reum condemnandum ad pœnam ordinariam, ut Evangelio colligitur, *quia in ore duorum vel trium testium stat omne verbum*, quod etiam ratio ipsa naturalis suadet, quia dictum multorum magis veritatem continet, quàm dictum unius, cum facile sit unum pervertere, duos verò, vel tres difficile; si autem testes sint singulares cum ipso actore, vel fama præcedente ad pœnam ordinariam condemnandum non sufficiunt, quia quandò unus affirmat, & alter negat, non est major ratio, cur credendum sit dicto unius, quàm alterius, sed tunc solùm credendum est dicto, quando illud à multis affirmatur, quæ multitudo in duobus, vel tribus consistit, ut dictum est, quia in ore duorum, vel trium stat omne verbum; cùm ergo sunt plures testes singulares, & reus negat, quod deponunt, perindè est, ac si unus testis contrà reum affirmet, & ideò non magis credendum est uni, quàm alteri, quia judex debet esse facilior ad absolvendum, quam ad condemnandum, cùm de proximo bonam opinionem habere debeamus, nisi nobis oppositum constet, ideò in tali casu Judex judicare debet reum verum dicere, non autem testem. Addunt tamen Jurisperiti plures testes singulares sufficere ad torturam, & aliquando etiam ad sententiam extraordinariam. Ità Faber noster disp. 54. cap. 7. ex pluribus Juristis ab ipso citatis.

57 Quintò quæritur, An liceat testi pro testimonio ferendo aliquid accipere, & quidem in primis certum est apud omnes, & indubitatum, posse pro labore itineris v. g. pro expensis, pro lucro cessante, vel damno emergente, & similibus, quia nemo tenetur cum suo damno, & expensis testimonium ferre, & ideò testis curare potest, ut sibi lucrum cessans reficiatur, vel damnum emergens pro tempore, quo se causa ferendi testimonii detinuit; & ità expressè habetur cap. *Si Testis*, quæst. 3. Deindè certum etiam est apud omnes, nihil licitè accipi posse pro falso testimonio ferendo, quia ordinatur ad finem intrinsecè malum, undè non solùm tenetur restituere damnum illatum parti, contrà quam falsum tulit testimonium, sed etiam ad restitutionem pecuniæ acceptæ pro falso testimonio ferendo, quod quidem intelligendum est antè factum, sivè antè testimonium præstitum, quia post factum ad restitutionem non tenetur juxtà regulam generalem superius traditam disput. 4. q. 1. art. 1. n. 10. & 11. quod accepta ob turpem causam v. g. ob homicidium patratum, vel quid simile restitui non debent, quia jam præstitum est aliquid prætio æstimabile, pro quo licitum est prorsum illud acceptum retinere. Ità Vasquez, Emmanuel Sà, Bonacina, Card. de Lugo, & ex nostris Astesanus l. 1. tit. 37. a. 6. quod probat ex cap. *Non sanè*, ubi habetur quod pecunia data non restituetur ei, qui turpiter dedit, quia ei obstat propria turpitudo. Itaque solùm est difficultas, an pro vero testimonio ferendo possit aliquid recipi absque obligatione restitutionis. Affirmant Valentia, Sotus, Bannes, Navarrus, Calvis Regia, Bonacina, & alii,

& alii, ratio est, quia testis ex sola charitate testari tenetur, & consequenter nolens absque pecunia testari, peccat solùm contrà charitatem, peccatum autem contrà charitatem non obligat ad restitutionem. Negant, Molina, Lessius, Card. de Lugo, & aliquod ex contrario fundamento probant, quod testis teneatur ex justitia verum dicere. Verùm quia neutrum est universaliter verum, nempè quod testis ex sola charitate teneatur verum dicere, ut ait prima opinio, & quod semper ex justitia teneatur verum dicere, ut inquit secunda; expedit dicere cum Astesano loc. citat. quod qui dedit pecuniam eam repetere potest, si non dedit animo corrumpendi testem, sed ut sibi justitiam conservaret, si verò non repetit, licitè potest eam testis retinere, nec ad restitutionem tenetur; quod probat ex cap. *Non sanè* & cap. *Dilectus* extrà de Simonia. Alia plura de Testibus vide apud Auctorem citatum, & alios.

ARTICULUS QUINTUS.

De Advocato, ac ejus obligationibus, & aliorum Officialium.

58 QUinam Advocati officium de jure exercere possint, & qui non, latè declarat Astesanus noster l. 1. tit. 39. artic. 2. ubi etiam ejus obligationes assignat, & conditiones, ut justè, & rectè munere suo fungi possit, & licet plures, & variæ à Doctoribus enumerari soleant, præsertim tamen ad quatuor reducuntur, quæ etiam servata debita proportione de Procuratore intelligi debent, & alii Officialibus.

Prima conditio est peritia, ac diligentia conveniens, undè peccat Advocatus, si cùm non sit idoneus officium Advocati exerceat, & patrocinetur L. Nemini ff. de Advocatis, & est peccatum mortale ex genere suo; unde si Cliens causam amittit ex ejus imperitia, vel negligentia; ipse peccat contrà justitiam, & tenetur ad restitutionem Clienti, quia qui non facit, quod ex officio facere tenetur, peccat contrà justitiam, & ad restitutionem tenetur, & hoc præsertim de Advocato verificatur, qui ex officio debet esse convenienter instructus & diligens, cùm se talem profiteatur, & mercedem, ut instructus, & diligens accipiat, & ideò saltem de culpa lata tenetur; an verò etiam de culpa levi teneatur, quidam affirmant, ut Villalobos, Valerus, & alii, probabilius tamen mihi videtur non teneri, quia nemo tenetur in officio suo esse prudentior, & diligentior, quàm passim homines ejusdem officii esse solent; ideoque si Advocatus bona fide diligentiam præstit, quam diligentes, & docti Advocati præstare solent in tuenda causa; & eam amittat, eo quod non præstit diligentiam, quam doctissimus, & diligentissimus præstitisset, non tenetur ad restitutionem. Ità Lessius, Azorius, Diana, Bonacina, & plures alii, qui etiam advertunt Advocatum non teneri eandem adhibere diligentiam in omnibus casibus, & causis, sed majorem, vel minorem pro negotii, & causæ qualitate; & ideo quando causa difficilis est, ac magni momenti, majus studium adhibere tenetur, quàm dùm causa facilis est, & exigui momenti.

59 Secunda conditio est justitia in exibendo patrocinio, qui enim scienter causam tuetur injustam, graviter peccat, & tenetur ad compensationem damnorum omnium inde consequentium; undè parti contrariæ ex peccato commissionis restituere debet, quia fuit illi causa positiva damni Clienti verò suo tenetur restituere ex peccato omissionis, quia ex officio tenebatur eum monere de injustitia causæ. Quod appositè additur, quia si Clienti causæ injustitia constabat, licet ab obligatione restituendi parti contrariæ non sit liber, cum ejus patrocinio fuerit illi causa positiva damni; liberatur tamen ab obligatione restitutionis faciendæ Clienti, quia injuriam illi feciſſe non censetur, dùm ei injustitia causæ constabat; cùm scienti, & volenti injuria non fiat. Quando etiam causa nihil ferè probabilitatis habet, itaut vix moraliter sit aliqua spes litem vincendi, & obtinendi, eo quod apud Judices semper reiiciatur; tale patrocinium regulariter suscipere non licet, quia facit, ut Cliens sine fructu, & absque ulla spe obtinendi tempus, & pecuniam perdat. Quod si causa dubia sit, nec satis ex utraque parte justitia causæ dignoscatur, poterit quidem Advocatus talis causæ patrocinium assumere, dummodò paratus sit ab illius patrocinio abstinere, si in progressu litis causæ injustitiam deprehendat; Lessius, Molina, Filliucius, Layman, Bonacina, Lugus, & alii passim, & ex nostris Astesanus libr. 1. tit. 39. citat. artic. 1. ubi hanc regulam tradit pro recto causarum patrocinio, quod Advocatus ab initio litis examinet diligenter causæ qualitatem, & si eam viderit justam, si voluerit, ejus patrocinium assumat, si verò injustam renuat, ne causam assumat injustam, vel desperatam; & si fortè eam ab initio ignoranter acceperit, & in processu posteà talem cognoverit, cesset ab ejus patrocinio, vel Clientulo suo consulat, quod cedat, vel componatur cum Adversaria sine illius damno, & salarium hactenus receptum restituat.

60 Quamvis autem conveniant Doctores, quod quando causa unius ferè nihil probabilitatis habet, ut vix moraliter sit in ea spes obtinendi, regulariter Advocato non liceat ejus patrocinium suscipere, & è contrà quando Advocatus, facto prudenti examine invenit causam æquè dubiam, vel æquè probabilem possit eam prudenter assumere. Difficultas tamen est, quando causa utriusque partis est probabilis, alterius tamen probabilior, an possit Advocatus minus probabilem defendere in concursu probabilioris. Quamvis aliqui negent, communior tamen sententia affirmat. Ratio est, quia licitè possumus opinionem probabilem tueri relicta probabiliori, ut fusè ostendimus lib. 2. sent. disp. 3. q. 3. art. 1. Tùm quia pars, cujus causa est probabilis, in concursu probabilioris non peccat se defendendo; ergo neque peccat Advocatus ejus patrocinium assumendo. Nec obstat, quod Judex teneatur, ferre sententiam pro parte probabiliori; atque ideò Advocatum causam minus probabilem defendere non posse, quia hoc esset petere à Judice id, quod Judex licite facere non potest. Non obstat, inquam, quia ut ait Card. de Lugo disp. 41. sect. 1. num. 9. & nos quoque disp. cit. num. 144. non currit paritas de Judice, & Advocato, quia ut ibi dictum est, Judex ex officio tenetur partem probabiliorem eligere, quia ejus officium est definire, & jus dicere inter partes litigantes. Advocatus verò talem obligationem non habet, quia ejus officium non est definire, & jus inter partes dicere; sed tantùm parti uni litigantium assistere, & patrocinium adferre, nec defendendo partem minus probabilem aliquid illicitum Judici suadet, non enim suadet, quod pro parte minus probabili judicet; sed suadere conatur partem sui Clientis esse veriorem, ut eo modo Judex convincatur, & putando illam esse probabiliorem pro eo ea judicet; non enim tenetur judicare pro parte probabiliori utcunque sed pro ea, quæ ipsi probabilior videtur. Addunt tamen nonnulli in hoc casu teneri Advocatum monere Clientem suum de minori probabilitate causæ, ne frustrà eum in sumptibus multum involvat.

61 Tertia conditio est fidelitas in agitatione causæ, undè non debet Advocatus secreta causæ parti contrariæ manifestare, sic enim adversarium juvaret contrà Clientem, atque ità contrà proprium officium faceret; in quo casu etiam ad restitutionem tenetur, si eam ob causam Cliens causam amittit aliàs victurus; quia contrà suum officium fecit, nec fidelitatem, ac debitam diligentiam adhibuit ad causam obtinendam in favorem sui Clientis. Cum hoc tamen stat, ut notat Card. de Lugo loc. cit. quod si accusator injustè procederet, & propter injustam accusationem reus capite damnandus esset. Advocatus accusatoris id sciens, falsitatem accusatoris prodere teneretur, & id in judicio testificari, se opus esset, ut innocentem defenderet; si verò nosceret se injustè reum à sententia capitali protegere, non posset adhuc ejus injustitiam prodere, sed solùm deberet ejus tutelam deserere. Ratione etiam hujus tertiæ conditionis, si Advocatus causarum expeditionem cum præjudicio Clientum differat, vel postponat, aut plures acceptet, quàm expedire possit; peccat contrà fidelitatem, ac ad restitutionem tenetur, uti & omnium damnorum, quæ per ejus imperitiam, malitiam, vel negligentiam Cliens incurrit. Peccat denique Advocatus contrà fidelitatem, si utrique parti patrocinetur, quia repugnat, ut partem utramque æqualiter defendat, hoc tamen in diversis causis secluso scandalo non repugnat. Ità Azorius, Lessius, Reginaldus, Valentia, Aragonius, Bonacina, & alii passim.

62 Quarta conditio est, ut pro patrocinio causæ justum pretium accipiat, quod si taxatum est, non licet ultrà hoc accipere, ubi verò non est taxatum, sufficit pretium naturale, vel quod habetur tale judicio prudentum attenta negotii qualitate, dignitate, scientia, & peritia Advocati, & labore, quem impendit, ac demum consuetudine approbata. Non licet cum Cliente convenire de pretio post inchoatam litem; sed vel antè cæptam, vel post finitam, ut colligitur ex cap. *Infames* 3. q. 7. & ratio est, quia postquam Cliens sua instrumenta ostendit, cogetur quolibet pretio stare; ne prodatur. Quæres, an Advocatus integrum possit recipere stipendium pro lite sibi absolutè promissum, si Cliens litem inchoatam deserat, & ob id Advocatus eam non prosequatur. Respondet Bonacina loc. cit. cum Molina, Reginaldo, Azorio, & aliis posse recipere, si stipendium fuit absolutè pro labore assignatum, non habita ratione temporis, quia per ipsum non stetit, quin laboraverit; sicuti conductor, qui re conducta non utitur ob ipsius culpam, tenetur integram solvere pensionem L. Qui operas ff. locati. Quæres rursus, an Advocatus possit recipere salarium annum à Cliente, cujus nullam causam in illo anno patrocinatus est. Negant aliqui, quia

quia salarium debetur pro labore, quem in illo anno non iubit. Affirmant alii, quia non stetit per eum, quin advocaret, & in illo anno habuit obligationem in habitu, quæ obligatio est pretio æstimabilis. Alii tandem probabilius media gradiuntur via dicentes, salarium talis anni non integrum solvendum esse, sed diminuendum arbitrio boni viri, nam si Cliens in illo anno habuisset lites, ipse multos labores sustinuisset, quos de facto non sustinuit. Ità Rebellus, Diana, & plures alii. Petes tandem, an Advocatus aliquando teneatur gratis patrocinari pauperibus; & affirmativè respondendum est cum communi, quando aliter ipsis subveniri non potest, eadem ratione qua tenentur omnes sublevare laborantem extrema, vel gravi necessitate, & talem necessitatem patienti misericordiæ opus impendere; ut fusè ostendit Doctor. 2. d. 30. q. un.

63 Denique hæc omnia servata debita proportione, etiam de aliis Officialibus intelligi debent, nempè de Procuratore, Notario, & Secretario, tenentur enim ii omnes justè, & fideliter officium suum exercere, sivè ex debito muneris tantùm, sivè etiam ex juramento; tenentur etiam omnia scire ad officium suum spectantia, debitamque adhibere diligentiam, præstando omnia necessaria, terminos justos petendo, & appellando quando opus fuerit, non tamen tenentur in omnibus causis eandem adhibere diligentiam, ut suprà de Advocato dictum est, sed majorem, vel minorem pro causæ qualitate. Undè peccant, si lites iniquas suadeant, si secretum violent partibus, vel earum sollicitatoribus tradendo processus, vel Scripturas originales, quas non debent; si stipendium accipiant majus justo, vel ultrà pretium taxatum; si denique odio, vel amore, spe, vel timore officiis suis abutantur. Item Procurator, seù Notarius tenetur habere scientiam saltem mediocrem eorum, quæ ad ipsius officium spectant, quilibet enim ea scire tenetur, ut ritè munere suo fungi possit, quæ ad proprium officium pertinent; undè si ob Notarii negligentiam, vel ignorantiam aliqua clausula, vel solemnitas prætermissa est, cujus omissione pars, cui patrocinatur aliquod patiatur damnum, ad ejus restitutionem tenetur; item si sine causa renuit instrumenta conficere, aut instrumenta jam confecta occultat, vel non extendit, cùm enim sit persona publica, & ad tale officium deputata in omnium obsequium, consequenter ad restitutionem damni tenetur, quod pars ex denegato sibi instrumento patitur, & incurrit. Quando autem dicimus Notarium graviter peccare, & cum obligatione restituendi tradendo partibus, aut earum sollicitatoribus, processus, vel scripturas originales hoc intelligendum est, quando est periculum aliquod, quod vel amittatur instrumentum illud originale, vel falsificetur, aut ex aliqua parte mutetur; quando enim nullum tale immineat periculum, non videtur damnandus peccati mortalis, nec ad restitutionem teneri; quamvis enim juret, & promittat servare processus, & Scripturas originales, non peccabit tamen dando illas partibus sine ullo periculo, quia talis datio supponi debet non fuisse in juramento comprehensa, sed solùm datio cum periculo, & damno partis, cui patrocinatur. Tandem certum est apud omnes Notarium, qui in damnum tertii instrumenta falsa confecit, graviter peccare, & ad restitutionem teneri damni parti lesæ illati; dubium tamen est, ad quid teneretur Notarius hujusmodi, qui existens in mortis articulo non habet quid restituat, & mihi videtur dicendum cum Lessio cap. 11. dub. 15. & Card. de Lugo disput. cit. sect. 2. teneri ad faciendum quantum in se est, ut pars servetur illæsa, vel læsa resarciatur, non quidem prodendo, se & infamando cum tanto decore, sed advertendo eum in cujus favorem Scriptura facta est, ut restituat, vel Scripturam sibi tradat, minandoque se alioquin falsitatem manifestaturum. Alia plura ad hanc materiam spectantia Jurisperitis relinquo.

DISPUTATIO SEPTIMA
DE RESTITUTIONE
IN COMMUNI.

1 ERTUM est apud omnes tractatum hunc de Restitutione spectare ad materiam de Justitia, & Jure, cùm ad Justitiam strictè acceptam, de qua hìc est sermo, spectet aliquem injuria non afficere, & si afficiatur, ipsi illud restituere, in quo damnum passus est, vel æquivalens; cùm restituere sit damnificatum in pristinum statum reponere per redditionem totius juris, quo anteà privatus fuerat ex L. *Restituere* ff. *de Verborum significatione* & L. *Præterea* ff. *de rei vendicat.* Rationaliter autem tractatum de Restitutione in hunc locum reservavimus post disputationem de Contractibus, quia Restitutio notitiam contractuum supponit, ex quorum vel observantia, vel transgressione bonorum, ac jurium, restitutio sæpè oritur; ideoque singulorum contractuum jam explicata natura, quando, cui, & à quo sit facienda restitutio, facilè dignoscetur; agemus autem prius de Restitutione in genere, & posteà in particulari circà peculiaria bonorum genera, quæ etiam faciunt diversas restitutionum species, & ex multis, quæ in hac materia à Theologis disputari solent, præcipua, & scitu maximè necessaria selegimus.

QUÆSTIO PRIMA.

De Natura Restitutionis.

2 UT naturam, & essentiam Restitutionis exactè dignoscere valeamus, ab initio disputationis hujus vestigandum est, cujus virtutis sit actus, & quidem esse virtutis actum apud omnes indubitatum est, cùm æqualitatem ponere inter jus unius, & debitum alterius, quod præstat restitutio, sit ex suo objecto honestum, & rationi conforme, ac proindè alicujus virtutis actus. Itaque solùm in controversiam vertitur, an sit actus solius justitiæ commutativæ, ut communiter asseritur. & ratio dubitandi est, quia non solùm ex violatione justitiæ commutativæ, sed etiam distributivæ, ac aliarum quoque virtutum restituendi obligatio consurgere videtur.

ARTICULUS PRIMUS.

Quid sit Restitutio, & cujus virtutis actus.

3 VAriæ solent Restitutionis definitiones à Theologis assignari, D. Tho. 2. 2. q. 61. artic. 1. Restitutionem definit, quod *est alicujus in sua possessione iterata statutio, vel in ejus dominio;* quæ definitio à nominis interpretatione desumpta est, restituere enim debitum videtur quasi aliquid in pristinum statum statuere, undè in L. cit. *Restituere*, ff. *de verborum signific.* restitutio dicitur in pristinum statum repositio, ex qua nominis definitione facilè colligitur definitio quid rei quæ à peritioribus sic assignari solet, quod restitutio est *actus justitiæ, quo reparatur damnum proximo illatum per injuriam ad æqualitatem rei.* Dicitur *actus justitiæ*, qui justitia strictè sumpta est virtus dirigens hominem, ne quid alterius rapiat, & si quid rapuit, ut reddat unicuique quod ei debetur, quæ proindè definitur à Juristis, quod est perpetua, & constans voluntas jus suum unicuique tribuens; dicitur *quo reparatur damnum proximo illatum;* justitia enim facit, ut quod proximo injustè abstulimus reddamus, & iterum in sua potestate, seù dominio reponamus, undè restitutio differt à simplici redditione, ut notat Faber noster disp. 50. cap. 1. n. 2. quia restituere est propriè rem ablatam reddere, undè ea omnia, quæ non injusta acceptione, sed justa acceptata sunt, attamen debita, ut est omne debitum proximo ex contractu, vel quasi contractu, non dicuntur propriè restitutioni obnoxia, donec mutuatarius, depositarius & similes non sint in mora; additur *per injuriam*, quia injuria desinit esse violatio, vel læsio juris alieni, undè radix restitutionis non est quævis læsio proximi, ut v. g. contrà charitatem, liberalitatem, gratitudinem, &c. quibus redditur debitum, sed non lege veræ justitiæ, & ideò non est simpliciter debitum, quia non habet

in eis

in eis proximus, quod violetur; sed ea tantum lesio, quæ est contrà justitiam in qua propriè injuria infertur lædendo aliquod jus proximi, quod habet in re, vel ad rem, in qua damnum patitur, quod variis modis contingere potest v.g. furando, defraudando; destruendo rem alterius occidendo, honorem detrahendo, & similia; additur tandem *ad æqualitatem rei*, ut intelligatur, quod talis æqualitas pertinet ad justitiam commutativam, ut si jus habeas ad centum, totidem tibi restituantur, & nihil minus.

4 Dices, hanc definitionem non comprehendere restitutionem, quam quis tenetur facere, quando bona fide, & sine peccato accipit alienum putans esse suum, & postea cognoscit esse alienum, quandoquidem in tali casu non fit restitutio rei injustè ablatæ. Respondetur negando assumptum, nam injuria damnosa, quæ est radix restitutionis, duplex esse potest, una formalis qua nimirum quis rem alienam distruit, accipit, vel retinet mala fide, idest, cum scit, vel scire possit, ac debeat, id sibi non licere, & rem non esse suam; altera materialis, ut v.g. cum quis rem alienam destruit, accipit, vel retinet bona fide, idest, probabiliter judicans id sibi licere, vel rem esse suam. Itaque allata definitio etiam restitutionem in argumento objectam comprehendit, si capiatur injusta acceptio pro injusta acceptione hoc, vel illo modo, idest, materialiter, vel formaliter, est enim injusta acceptio materialiter, quæ etiam postea dici potest injusta quoque formaliter, quia licet ab initio sic injusta non fuerit, quia bona fide alienum accepit putans esse suum; tamen continuata postea illius rei retentio fit injusta etiam formaliter, cùm cognoscitur esse alterius; nec aliquis tenetur restituere, antequam sciat rem acceptam, vel retentam esse alterius. Ità Lessius, Layman, Bonacina, Poncius ex nostris, & alii passim. Hæc igitur est vera, & propria definitio restitutionis, ut, hic de ea loquimur, & coincidit cum defintione à Scoto insinuata dist. 15.q.2. a. 4. in principio, dum inquit ex quinto Decalogi præcepto ad restitutionem teneri, qui rem alienam retinet invito domino, ex his enim verbis colligitur Restitutionem strictè acceptam, de qua in præsenti est sermo, esse redditionem rei alienæ invito domino, seu redditionem illius rei, quæ injustè ablata est.

5 Hinc infert Doctor loc.cit. quomodo restitutio a satisfactione differat, differt enim a satisfactione tam generaliter, quam specialiter dicta, quia satisfactio communiter, seu generaliter accepta est redditio æquivalentis aliàs indebiti, & reddit æquivalens alias indebitum pro peccato ei, in quem peccatur; non sic autem restitutio, quia hæc fieri potest absque pœnitentia, & à manente in peccato, siquidem absque omni redditione pro peccato posset reddi proximo, quod suum est, sicut in mutuis redditur creditori absque omni satisfactione ad peccatoris reconciliationem pertinente. Consimiliter accipiendo satisfactionem propriè, & specialiter pro ea, quæ est tertia pars pœnitentiæ, restitutio non est satisfactio, quia de congruo requiritur restitutio in re, vel in voto ante omnem partem pœnitentiæ, sicut cessatio à peccato; sed satisfactio, quæ est tertia pars pœnitentiæ, non requiritur antè alias duas partes pœnitentiæ, imò sequitur contritionem, & confessionem; item satisfactio specialiter sumpta, ut est tertia pars pœnitentiæ, injungitur a Sacerdote; restitutio autem non injungitur a sacerdote, sed à lege divina. Tandem differunt restitutio, & satisfactio quod per restitutionem non remittitur peccatum, sed tantùm à peccando cessatur, nimirum à retentione rei alienæ invito domino; per satisfactionem verò remittitur quantùm ad pœnam remissa culpa, eo quod est solutio pro peccati debito. Adhuc tamen verum est, quod vulgariter, & in communi modo loquendi promiscuè, & pro eodem sumi solent satisfactio, & restitutio, & in jure Canonico idem significare videntur hæc duo, re tamen vera etiam in hoc vulgari sensu non idem significant, sed differunt, tanquam superius, & inferius, quia omnis restitutio est satisfactio, non è contrà, qui enim pro se satisfacit, vel pro anima purgatorii, non dicitur restituere, sed satisfacere. Itaque satisfactio tripliciter sumi potest, vel communissimè, ut importat actum, quo alteri facimus satis, hoc est, quantum debemus, seù importat actum, quo sit satis cuilibet debito pœnæ vel præcepti, quo pacto dicimur satisfacere parentibus per pietatem, Superioribus per obedientiam, majoribus per observantiam, & sic de aliis similibus, & in hoc sensu restitutio dici potest species satisfactionis in hac amplitudine sumptæ, quia per restitutionem fit satis alteri. Secundò potest sumi communiter, ut ajebat Doctor loco citato pro redditione æquivalentis aliàs indebiti pro peccato ei, in quem peccatur, seù pro satisfactione ad peccatoris reconciliationem pertinente. Tertiò tandem sumi potest propriè, & magis specialiter pro ea, quæ est tertia pars pœnitentiæ, & dicitur satisfactio Sacramentalis, & in hoc duplici sensu restitutio non est pars, neque species satisfactionis ob ratione à Doctore allatas.

6 Pro resolutione quæstionis quod aliam partem, recolendum est ex dictis lib. 3. sentent. disp. 7. quæst. 8. justitiam sumi posse communiter, & in lata significatione, quo pacto actus cujuscunque virtutis actus justitiæ dici potest, quatenus omnis actus virtuosus conformitatem dicit, & æqualitatem cum recto rationis dictamine, quo sensu Arist. dixit 5. Ethic. cap. 10. *Justitia in se virtutes continet omnes*, quatenus omnis virtus æqualitatem constitui inter voluntatem, & normam rationis. Alio modo sumitur justitia strictè, ut est specialis virtus, cujus minus est constituere æqualitatem inter aliquos secundum debiti rationem strictè sumpti; & sic definitur à Jurisconsultis; *Perpetua, & constans voluntas jus suum vnicuique tribuens*, & ità justitia respicit alterum, cui debitum est reddendum. Hæc autem justitia particularis dividitur in commutativam, & distributivam, quæ divisio latè ibidem explicatur art. 2. commutativa est, quæ servat æqualitatem in commutationibus, & actionibus inter singulas Reipublicæ partes adinvicem, & hæc æqualitas dicitur secundum proportionem arithmeticam; distributiva verò dicitur; quæ proportionem servat in distributionibus, & æqualitatem secundùm proportionem geometricam. Hoc prænotato communis sententia in omni schola asserit restitutionem esse actum justitiæ particularis, & commutativæ. Ratio est, quia versatur circà debitum ratione proprietatis, vel dominii quo quis respicit hanc, vel illam rem, tanquam propriam, & suam simpliciter; idque manifestè deducitur ex discrimine jam assignato inter utramque, quia in actu justitiæ distributivæ per se, & immediatè æqualitas geometrica intenditur secundum comparationem unius ad alterum, sed in actu restituendi per se, & immediatè æqualitas arithmetica tantùm intenditur non verò geometrica, nimirum ut ille, cui fit restitutio, tantundem habeat, quantum ab eo ablatum est; ergo actus restituendi ad solam justitiam commutativam per se spectat. Hoc etiam deducitur ex discrimine, quod quæst. cit. art. 2. assignavimus inter utramque justitiam, quod justitia commutativa habet pro objecto jus perfectum, & stricte sumptum, hoc est, obligans ad restitutionem, & satisfactionem, qua ratione dici solet justitia juris strictè sumpti; justitia verò distributiva, si violetur, non obligat ex se ad restitutionem, licet ratione juris strictè empti annexi possit quis obligari ad restitutionem, quod apto exemplo ibi declaravimus; si quis enim v.g. mille aureos reliquat studiosis Collegii alicujus distribuendos juxtà cujusque inopiam, vel eruditionem; ille cui incumbit talis distributio facienda, formam justitiæ distributivæ servare tenetur hoc modo, ut ea sit proportio pecuniæ, quam unus accipiet, ad pecuniam alteri tradendam, qualis reperitur inter eruditionem unius, & alterius si eruditionis ratio sit habenda. Quod si distribuendo talem non servet proportionem, peccat contrà justitiam distributivam, & simul contrà commutativam, quæ ei obveniebat ex donatione alterius, cùm enim donator hanc proportionem in distributione servari voluerit, perindè est, ac si singulis certam pecuniæ summam assignasset; undè ex hoc capite distributor ad restitutionem tenetur ei, cui injuriam fecit. Hoc idem ibi declaramus exemplo Principis in oneribus distribuendis, vectigalibus &c. si enim proportionem non servet inopiæ, vel facultatis subditorum, & tantum imponat pauperi, quantum diviti, peccat non tantùm contrà justitiam distributivam, sed etiam contrà commutativam, quia pauper habet jus strictum in rem suam sibi ablatam, & ex hoc capite Princeps ad restitutionem tenetur ei, cui injuriam fecit, & damnum intulit; ergò restitutio propriè, & per se loquendo est actus tantùm justitiæ commutativæ.

7 Hæc, inquam, est communis opinio, quam etiam ex nostris tenet Faber disp. 50. ca. 1. in fine, & Astesanus l. 5. tit. 39. art. 1. ubi ait restitutionem esse actum justitiæ commutativæ, quia restituere est aliquem iterato statuere in possessionem, vel dominium rei suæ, & ità attenditur ibi æqualitas justitiæ secundum recompensationem rei ad rem, quæ pertinet ad justitiam commutativam, & ità loquuntur Scotistæ omnes, uno excepto Vulpio, t. 3. part. 3. disp. 100. art. 1. ubi ait restitutionem esse actum justitiæ manifestioris, quàm justitiæ commutativæ, idest, alterius speciei nobis notioris, quam tamen speciem, quæ, & qualis sit, nunquam ibi declarat. Ex eo autem probat restitutionem non esse actum justitiæ commutativæ, quia restitutio non fit semper per redditionem æquivalentis, ut jus rei acceptæ reddatur secundum quandam recompensationem alterius rei per æquivalentiam, alioquin nullus teneretur ex justitia reddere proprio dominio eandem numero rem acceptam; ergò ineptè restitutio asseritur genericè actus justitiæ commutativæ per recompensationem rei ad rem. Confirmatur, quia in redditione illiusmet rei, quæ invitò ablata est, nulla apparet commutatio, non in substantia, quia restituitur eadem

dem numero; non in titulo, quia dominium semper perseverat penes proprium dominium, in possessione sola accidit aliquod commutationis vestigium, ut transeat à manibus injustè accipientis, ac detinentis ad manus proprii domini. Hæc tamen omninò futilia, & puerilia sunt, quia sivè damnum furto illatum resarciatur per redditionem ejusdem rei numero furto sublatæ, sivè per æquivalens, semper restitutio est actus justitiæ commutativæ, quæ intendit jus uniuscujusque illæsum servare, undè qui injuriam intulit, sivè rem adhuc habeat, sivè non, tenetur restituere, & quidem tantum, quantum est damnum secutum, quæ est æqualitas arithmetica à justitia commutativa intenta rei ad rem; & licet, quando eadem res numero restituitur, nulla appareat commutatio in substantia, quia eadem numero restituitur, neque in titulo, quia dominium semper apud proprium dominum perseverat; ad hoc nihilominus, ut actus justitiæ commutativæ dicatur talis restitutio, sufficit commutatio quoad possessionem, alioquin redditio commodati non esset actus justitiæ commutativæ, quia in commodato non transfertur dominium, sed tantùm usus, & possessio, & eadem numero res redditur.

8 Sed contrà allatam doctrinam objici solet. Primo quod restitutio non sit actus solius justitiæ, sed etiam aliarum virtutum, sunt enim aliquæ virtutes præter justitiam, ex quarum transgressione proximus patitur aliquod damnum, seù quarum violatio aufert aliquid ab alio, quod lædens tenetur restituere, ut patet in violatione virtutis observantiæ; qui enim alium afficit contumeliis tenetur illi satisfacere, & jus læsum redintegrare petendo veniam, vel per aliquem actum honoris; at hic actus non videtur esse actus justitiæ, sed virtutis observantiæ, cujus munus est singulis honorem debitum reddere, nam ad eandem virtutem spectat non inferre aliquod damnum, & illud resarcire, si sit illatum; ergò restitutio non semper est actus justitiæ. Deindè probatur, quod etiam possit esse actus justitiæ distributivæ, quia quando quis restituit ad resarciendum damnum illatum contrà justitiam distributivam, actus restituendi per se spectat ad eandem justitiam distributivam, quia ut dicebamus, ad eandem virtutem pertinet non inferre aliquod damnum, & illud resarcire, quando illatum est; sed ad justitiam distributivam spectat non inferre damnum in bonis communibus distribuendis, propterea enim justitia distributiva obligat ad servandam proportionem geometricam inter eos, inter quos fit distributio; ergo &c.

9 Ad primum respondent communiter DD. negando minorem, nam licet actus honorandi, quatenus est debitus ratione virtutis, aut alterius excellentiæ, ad virtutem observantiæ spectet; idem tamen actus, quando debetur pro dehonoratione, & contumelia præcedenti resarcienda, est actus justitiæ commutativæ debitus ad injuriam illatam resarciendam; licet enim homines jus justitiæ rigorosum non habeant ad positivum honorem, qui ab aliis præstari debeat; habent tamen jus proprium, & rigorosum ad actum negativum aliorum, & immunitatem quasi quandam ab omni dehonoratione, & contumelia; quarè si quis alium contumelia afficiat, debet illi ex justitia satisfacere veniam petendo, vel per alium actum honoris, qui ad satisfactionem satis esse judicetur. Ad aliud negatur major, ex violatione enim justitiæ distributivæ præcisè non nascitur obligatio restitutionis; quod si interdum ex tali violatione nascitur, non nascitur, nisi concomitanter, & nisi in casu, in quo ex violatione justitiæ distributivæ simul admiscetur, & involvitur violatio justitiæ commutativæ; ad probationem negatur assumptum; non enim semper ad eandem spectat virtutem non inferre damnum, & illud resarcire, potest enim peccatum contrà unam virtutem per aliam resarciri, ut in peccatis contingit, quorum satisfactio fit per virtutem pœnitentiæ; rectè ergo fieri potest, ut obligatio non inferendi damnum ad justitiam distributivam pertineat, & ex ea oriatur, non verò obligatio illud resarciendi, sed ex commutativa; & ratio est quia mutatur ratio juris in utraque obligatione; quamvis enim ex distributione mala obligatio restituendi in distributore oriatur, hoc tamen non est ex mala, & iniqua distributione, præcisè, sed quia ea suppositа debetur plus alicui, ut servetur geometrica proportio, & iniquus distributor dat minus, ac proindè quod inique abstulit illi est restituendum ex vi justitiæ commutativæ, ut patet ex exemplis suprà adductis in probatione assérti; ex quibus etiam constat partes jus suum ad bona communia ex justitia distribuenda non acquirere formaliter à distributore, quando ille distinguitur à donante, vel legante, sed ab ipso donatore, vel legatore; distributor autem per actum justitiæ distributivæ se habet solum, ut conditio, sine qua bona communia non fierent propria unicuique. Denique hæc veritas colligitur ex Canon. de injuriis, & damno dato, ubi ait Pontifex. *Sitia culpa damnum datum est, jure satisfacere teneris*, quæ verba expressè significant obligationem satisfaciendi pro damno oriri ex jure alterius, ac proindè ex justitia.

ARTICULUS SECUNDUS.

An Restitutio sit necessaria ad salutem, & an ex præcepto affirmativo, vel negativo, & undè oriatur.

10 PRo resolutione quæsiti quoad primam partem, recolendum est ex dictis lib. 3. sent. disput. 6. qu. 15. lib. 4. disp. 1. quæstion. 10. art. 3. dupliciter esse posse aliquid necessarium ad salutem, uno modo necessitate medii, alio modo necessitate præcepti; illud dicitur necessarium primo modo, quod secundum legem ordinariam ità necessarium est, ut sine illo salus obtineri non possit, quo pacto baptismus reipsa susceptus respectu infantium est necessarium medium ad salutem, quia de lege ordinaria infantes sine illo nullo modo salvari possunt. Illud verò dicitur necessiarium necessitate præcepti, quod quidem necessarium est ex obligatione præcepti, qua tamen cessante non est necessarium, undè si quis vel propter ignorantiam invincibilem, vel impotentiam, aut aliam legitimam causam non faceret id, quod hoc modo necessarium est, adhuc tamen salvari posset. Ex qua differentia loc. cit. ex professo declarata aliud etiam nascitur discrimen inter hæc, quod id quod obligat in ratione medii obligat etiam in ratione præcepti, siquidem major necessitas infert minorem, undè omnia ad salutem necessaria sunt præcepta, seù sub præcepto cadunt; illud verò, quod obligat in ratione præcepti tantùm, non obligat in ratione medii, cùm sine positione illius in quibusdam circumstantiis possit salus æterna obtineri. Hoc prænotato,

11 Dicendum est, Restitutionem esse utique ad salutem necessariam juxtà illud Aug. ep. 54. ad Macedonium à Gratiano relatum Can. 1. *Sires* 14. qu. 6. *Non remittitur peccatum, nisi restituatur ablatum*, non quidem necessitate medii, sed necessitate præcepti. Ità Scot. d. 15. cit. qu. 2. art. 4. in principio, & est communis in omni schola, & ratio est, quia quod est necessarium necessitate medii, licet omittatur sine culpa, aut aliter non ob id obtinebitur finis, quomodolibet medium non ponatur, ut constat de baptismo respectu infantium; at sine positione restitutionis in quibusdam casibus, & circumstantiis potest obtineri finis supernaturalis, nam quædam causæ excusare possunt à restitutione, quæ si perpetuò durent, poterit quis absque dubio salutem consequi non facta restitutione, ut patet de constituto in extrema necessitate. Et licet dolor de peccato præterito non restituendi, quo quis dolet se non restituisse cum posset, sit necessarius ad primam gratiam consequendam, quæ est necessarium medium ad salutem; hoc tamen non est peculiare respectu peccati non restituendi, sed in omnibus peccatis mortalibus commissis idem est dicendum. Restat ergò restitutionem esse ad salutem necessariam solum necessitate præcepti, quando restitutio fieri potest; nam sicut accipiendo rem alterius cum ejus damno violatur justitiæ æqualitas, ità etiam eam retinendo; sed ut justitiæ æqualitas non violetur rem alienam accipiendo, necessarium est ad salutem ab ejusmodi acceptione rei alienæ abstinere; ergo eadem ratione necessarium est ad salutem necessitate præcepti rem alienam restituere, ne scilicet, violetur justitiæ æqualitas rem alienam retinendo; est autem præceptum restituendi non modò naturale ex illo notissimo principio deductum; *Quod tibi non vis, alteri ne feceris*, sed etiam divinum in Decalogo traditum *Non furtum facies*, nam perindè est rem alienam non restituere, ac furtum continuare.

12 Quoad aliam quæsiti partem est Difficultas an præceptum restituendi sit affirmativum, vel negativum. Aliqui dicunt esse affirmativum, quia per illud jubetur actio positiva restituendi. Ità Soto, Valentia, Poncius, ex nostris, Bonac. Lessius, & alii. Alii verò asserunt esse præceptum purè negativum; quia licet secundum sonum verborum videatur esse affirmativum, secundum rem tamen est negativum, idem enim est dicere: *restitue*, ac si dicas *ne retineas alienum*. Ità Scot. loc cit. Medina, Adrianus, Canus, Bannes, Vasquez, Molina, Turrianus, & alii plures. Alii tandem docent esse præceptum affirmativum involvens negativum. Quà negativum prohibet detentionem rei alienæ; quà affirmativum præcipit certo tempore, loco modo, & personæ faciendam esse restitutionem. Quà negativum obligat semper, & ad semper, uti cætera præcepta negativa; quà affirmativum obligat semper, sed non ad semper, quia nimirum non semper currunt circumstantiæ, quibus exequenda est positiva actio restituendi, pro qua opinione citantur D. Thoma. 2. 2. q. 62. ar. 8. ad 1. Sylvest. Cajet. Sylvius, Navarrus, & alii, eamque ait esse omnium probabiliſſimam Amicus disp. 34. qu. un. cùm negare non possimus in restitutione duo includi, quæ ambo sub præceptum cadere possunt, & injustam

injustam detentionem rei alienæ, quæ est quædam continuatio furtiuæ actionis, quæ prohibetur præcepto negativo talem actionem non continuandi, & positivam actionem reddendi debito tempore, loco, modo, & personæ, quod suum est, quæ jubetur præcepto affirmativo; cùm non minus teneatur, qui rem alienam usurpavit, illam commodo tempore, loco modo, & personæ restituere, quam ab illius injusta detentione cessare.

13 Dicendum est cum secunda sententia præceptum restitutionis, quamvis quoad formam verborum sit affirmativum, re tamen vera in substantia esse negativum. Hæc est communior, & probabilior, quam non solùm Scotistæ tuentur omnes, sed etiam plures Recentiores, præsertim verò Card. de Lugo, Caspensis, & alii. Ratio deducitur ex Scoto loc. cit. Negatio non retinendi alienum per restitutionem importata est ejusdem præcepti, ac negatio non usurpandi, seù furandi alienum, qui enim furatur, & non restituit, eandem usurpationum, mortaliter continuat; sed prima non usurpatio est materia primò, & per se præcepti negativi; ergo pariter continuta non usurpatio erit ejusdem præcepti materia, ac proindè sicut usurpatio est contrà præceptum negativum, sic etiam & retentio. Confirmatur, quia per præceptum non furandi per se, & primò importatur non accipere rem alienam invito domino rationabiliter, & hac de causa secundum omnes est negativum; ergo idem dicendum est de præcepto non retinendi eandem rem per restitutionem importato, quia non restituere aliud non est, quam primum illud furtum moraliter continuare. Denique dici non potest cum tertia sententia esse præceptum partim affirmativum, partim negativum, sed absolutè negativum dici debet, licet ad hoc actio positiva requiratur reddendi alienum suo domino, alias qui non restitueret, duo peccata committeret, ut notat Caspensis tract. 18. disp. 1. sect. 2. unum omissionis actionis restituendi contrà præceptum affirmativum, alterum commissionis, scilicet, retinendi contrà præceptum negativum. Et quamvis ad hoc ipsum, quod est non retinere alienum, necessaria sit actio positiva, quæ reddatur domino, hoc tamen est per accidens, ut notat Card. de Lugo disp. 8. sect. 2. quia aliter læsio injusta, & prohibita vitari non potest, sicut etiam ex præcepto negativo non occidendi tenetur aliquis æquum suum à via divertere, in qua puer jacet, ne eum conterat, & ex præcepto negativo non mœchandi, proximas occasiones fornicationis tenetur fugere, & tamen nemo dicet has actiones positivas esse materiam primò, & per se sub his præceptis cadentem, sed solùm per accidens.

14 Ex qua doctrina solvitur fundamentum primæ, & tertiæ sententiæ, quia ad rationem præcepti affirmativi, & negativi primo, & per se non est attendendum ad modum quo ponitur, & significatur, an scilicet, sit affirmativus, vel negativus; sed ad materiam primò, & per se præceptam, undè si materia primò, & per se præcepta sit negatio, præceptum quoque erit negativum in substantia, quamvis explicetur modo affirmativo, ut patet de præcepto jejunandi, hoc enim est negativum quamvis modo affirmativo explicetur, quia materia per illud primo, per se præcepta est negativa; præcipitur enim, ne comedas bis in die; & sic etiam è contra, si materia per se, & primo præcepta sit affirmatio, præceptum quoque erit affirmativum in substantia, quamvis modo negativo explicetur, ut si præceptum audiendi sacrum in die festo, quod est affirmativum, tradatur his verbis. Ne omittas sacrum in die festo, non obstante hac forma verborum negativa, præceptum est affirmativum, quia per ipsum præcipitur materia positiva, scilicet, auditio sacri; cum ergo materia præcepti restitutionis primò, & per se præcepta sit negatio retentionis rei alienæ censendum est preceptum negativum, etiamsi tradatur sub forma verborum affirmativa, undè idem est secundum rem dicere *restitue*, ac si dicas, *ne retineas alienum*. Et quamvis ad hoc ipsum quod est non retinere alienum, necessaria sit actio positiva, qua reddatur domino, hoc tamen est per accidens, ut suprà explicatum est, & ideò hoc non variat naturam præcepti negativi.

15 Sed Obiicies ex Bonacina tract. de Rest. disp. 1. q. 1. præceptum negativum obligat semper, & pro semper, & per hoc distinguitur ab affirmativo; sed præceptum restituendi non obligat pro semper, sæpè enim excusatur aliquis à restituendo, ut infrà constabit, quando nimirum non currunt circumstantiæ, quibus exequenda est actio positiva restituendi; ergo non est præceptum negativum.

Respondetur negando minorem cum Card. de Lugo loc. cit. hoc enim præceptum obligat semper, & pro semper eo modo, quo est præceptum, nam præceptum non est de non retinendo unquam alieno simpliciter, & absolutè loquendo; sed de non retinendo alieno invito rationabiliter domino, aliquando autem propter quasdam speciales circumstantias dominus circà retentionem non est rationabiliter invitus, & ideò retentio sub illis circumstantiis non est mala, quia sic non est prohibitioni objectum, non ergò tunc fit contrà præceptum non retinendi alienum invito domino; hoc ergo extrà illas circumstantias obligat semper, & pro semper sicut cætera præcepta negativa, quod etiam patet de ipso non furandi præcepto, quod non obligat sub circumstantia extremæ necessitatis, tunc enim ablatio rei alienæ non est mala, quia tunc non est objectum prohibitionis, ac etiam de præcepto non occidendi, quod in gravissima necessitate non obligant, nempè ad propriam defensionem, extrà verò illam limitationem obligat semper, & pro semper, sicut cætera præcepta negativa. Hic autem advertendum est, restitutionem ad salutem necessariam non solùm eam esse, quæ pertinet ad bona fortunæ, sed etiam quæ alia bona concernit interna, & externa, quia damnificatio illorum, cùm sint majora bona, est contrà justitiam commutativam; undè quando materia restitutionis est pecunia, vel res pecunia æstimabilis, vel similis, tunc præceptum restitutionis spectat ad septimum Decalogi præceptum non furandi, quando materia est fama, vel honor, spectat ad octavum præceptum, quod prohibet non infamare; & tandem si restitutio fieri debet, quia quis falsam docuit doctrinam cùm ex justitia veritatem docere teneretur, ad præceptum non mentiendi spectat.

16 Quoad ultimam quæsiti, partem, undè scilicet oriatur obligatio restituendi. Dicendum est cum communi ex triplici capite nasci, loquendo de restitutione strictè, prout loquimur in præsenti, nimirum vel ratione solius injustæ acceptionis rei alienæ, etiamsi eam rem forte non amplius habeas; vel ratione solius rei alienæ, quando, scilicet, sine culpa tua venit ad te res aliena, quàm à fure, v.g. ignorans emisti, & bona fide tenes; vel ratione utriusque simul scilicet, injustæ acceptionis, & rei, cum eam & à Domino injustè abstulisti, & injustè retines. Addunt aliqui, ut Bonacina loc. cit. obligationem restituendi etiam ex contractu nasci, quando scilicet inter aliquas personas celebratus fuit contractus, ratione cujus emergit obligatio restituendi, & ratione pignoris, commodati &c. sed hoc caput locum habet, si nomen restitutionis latè accipiatur pro redditione, scilicet, rei debitæ ad æqualitatem, ut idem Auctor ibi fatetur Injusta autem acceptio hic latè sumitur, prout significat quamcunque damnificationem alterius etiam sine ulla lædentis utilitate; sic enim tenetur ad restitutionem damni, qui domum vel messem alienam incendit, & injustè læsit famam, honorem, seù existimationem alterius. Hæc autem injusta acceptio necessaria est, quia ad inducendam obligationem restitutionis non sufficit voluntas etiam efficax accipiendi, & nocendi, excluſa injusta acceptione, hoc est, damno injustè illato: nam quantumcumque furari decreveris, vel quempiam ad alterius nocumentum hortatus fueris, ad nullam restitutionem teneris, si re vera actu nihil injustè acceptum est, nec aliquod damnum injustè illatum. Acceptio denique rei alienæ per injustum contractum obligat ad restitutionem, tanquam species injustæ acceptionis.

17 Advertunt etiam communiter Doctores inter restitutionem ratione injustæ acceptionis, & restitutionem ratione rei acceptæ hoc versari discrimen, quod hæc posterior locum non habet, nisi in possessore bonæ fidei, nam si possessor sciat rem esse alienam, si eam non restituit, statim fit possessor malæ fidei, idque non tantùm ratione rei acceptæ, sed etiam ratione injustæ retentionis, dum illam injustè retinet, ac fruitur invito domino, & tenetur illi restituere etiam cum damno proprio, ut si rem emit à non domino, tenetur eam verò domino restituere, non obstante pretio pro ea venditori soluto; habet tamen actionem contrà venditorem de evictione. Rursus inter illas restitutiones hoc etiam versatur discrimen, quod quando quis tenetur restituere ratione injustæ acceptionis, semper manet obligatus restituere ratione injustæ manet obligatio recompensandi damnum, & nocumentum illatum etiamsi res injustè ablata perierit; quando verò quis tenetur restituere ratione tantum rei acceptæ, si casu pereat, vel sine culpa ejus, qui retinet, ad nihil tenetur, quia in hoc casu nullum damnum intulit, & res domino periit; quod intelligendum est, quamdiù possessor bonæ fidei existit, nam statim ac advertit rem illam esse alienam, & fit possessos malæ fidei, quidquid damni post talem notitiam ex injusta rei detentione domino sequitur, tenetur injustus detentor resarcire. Tandem inter illas restitutiones hoc etiam aliud discrimen solet à Doctoribus assignari, quod qui ad restitutionem tenetur ex injusta acceptione, etiam tenetur ad damna secuta, & lucra, quæ cessaverunt in damnificato, ad quod non tenetur, qui ex sola ratione rei acceptæ obligatur, quod intelligendum est, quamdiù possessor bonæ fidei existit, nam ad damna secuta post notitiam injustæ detentionis tenetur, ut dictum est. Ità Silvius, Amicus, Caspensis, & alii communiter.

18 Po-

18 Postremò est Difficultas, An quis obligetur ad restitutionem ex levi, & levissima, culpa, nam de dolo, & lata culpa nulla est dubitatio; pro cujus quæsiti intelligentia recolendum est, quod suprà dictum est disp. 4. quæst. 3. art. 2. n. 69. culpam non eodem modo accipi à Theologis, & Juristis; nam ab illis sumitur pro peccato mortali, & veniali, ab istis verò culpa dicitur quælibet omissio alicujus diligentiæ; undè culpa dividitur in levem, & levissimam, illa est omissio alicujus diligentiæ, quam diligentes illius artis adhibere solent, ista verò est omissio diligentiæ, quam diligentissimi, & prudentissimi adhibere solent, ut pluribus exemplis loc. cit. explicuimus; & è contrà dividunt culpam in latam, latiorem, & latissimam, culpa latissima est dolus apertus, latior est dolus præsumptus, lata est omissio alicujus diligentiæ, quam passim homines in tali re, vel materia adhibere solent; dolus autem est quævis callida fallacia, & machinatio ad circumveniendum, fallendum, & decipiendum, ut habet Glossa ff. de dolo lib. 1. & ità communiter Doctores discurrunt; ex quo sequitur homines in suis actionibus posse esse prudentes, prudentiores, & prudentissimos, & si tantùm fuerint prudentes, hoc est sufficientem adhibuerint diligentiam in aliqua re agenda, nullam injustitiam committere. Ex qua doctrina colligitur propositæ difficultatis resolutio, neminem, scilicet, teneri ad restitutionem, secluso contractu, ob damnum alteri datum ex culpa levi, vel levissima. & ratio est, quia sicut nemo tenetur prudentior esse, vel prudentissimus in rebus propriis, sed satis est, si convenientem adhibeat diligentiam, & moraliter sufficientem, multò minus tenebitur esse talis in bonis alterius, sufficit enim cuique ut in bonis alterius illam præstet diligentiam, quam in suis præstare tenetur, ut liber sit ab omni culpa, & obligatione. Ex quo deducitur, quod si ex facto proprio, vel omissione in tali casu sequutum sit malum alteri, non teneri quempiam ad restitutionem in foro interno, nisi in externo condemnatus esset, & post Judicis sententiam, quia tale factum, vel omissio non diceretur lata culpa, cum sufficiens diligentia sit adhibita, ubi autem nullum est peccatum, nec pœna esse debet, appositè autem diximus secluso contractu; quia si quis ad id se obligaverit ex vi contractus, etiam de levi, ac levissima culpa tenebitur, ac etiam de casu fortuito, ut in disp. de contractibus dictum est. Ità Silvester, Soto, Angelus, Stephanus à S. Gregorio, & plures alii.

19 Quæres cum obligatio restitutionis oriatur ex dolo, & culpa lata, an talis culpa, ut ad restitutionem obliget, debeat esse mortalis, vel sufficiat, si solùm sit venialis. Communior opinio asserit debere esse mortalem, & ratio est, quia culpa venialis non est actus perfectus in ratione injuriæ, sed imperfectus; ergò obligationem restituendi non inducit, qua talis obligatio oritur ex injuria, nec obligatio potest esse major ipsa injuria; quarè si injuria venialis est, obligationem sub mortali inducere non poterit, imò neque sub veniali, quia talis injuria fortuitus casus reputatur. Ità Soto, Navarrus, Lessius, Henriquez, Salas, Rodriquez, Emanuel Sà, & plures alii apud Card. de Lugo disp. 8. sect. 5. ubi adnotat, quæstionem hanc esse, quando materia, & damnum est grave, sed illatum est ob culpam non mortalem, sed venialem theologicè loquendo; non autem quando culpa est venialis ex parvitate materiæ, seù damni illati, tunc enim certum est, quod sicut furtum unius Julii v.g. est peccatum veniale, sic & retentio illius erit peccatum veniale, atque ideò ex damnificatione levi in ea quantitate insurget etiam obligatio restituendi sub veniali, quia culpa venialis non est simpliciter delictum, & injuria, ideoque obligationem gravem restituendi parere non debet, sicut ex contractu, si consensus cum plena deliberatione præstitus non fuit, & plena libertate, non nascitur obligatio, nec votum eo modo emissum obligat, de quo etiam puncto potest videri Poncius noster disput. 55. quæst. 2.

QUÆSTIO SECUNDA.

De personis ad restituendum obligatis, & quomodo.

20 Scotus 4. d. 15. quæst. 2. art. 4. ad declararandam materiam de Restitutione in genere, quam præ manibus habemus, quinque explicanda proponit. Primò propter quam rationem sit restitutio faciendà. Secundo quis restituere teneatur. Tertiò quid. Quartò cui. Quinto quando. Nos igitur quoque juxtà eundem Doctoris ordinem postquam quæst. præced. egimus de natura Restitutionis, ejus necessitate, & causis, opus est, ut in quæstione præsenti ad particulares ejus circumstantias descendamus, & in primis declaremus, quinam ad restitutionem tenea ntur.

ARTICULUS PRIMUS.

Quinam ad restitutionem teneantur.

21 PRimò certum est ex jam dictis disput. 4. & 5. de Contractibus, & ex communi Doctorum sententia, illos omnes ad restitutionem teneri, qui rem alienam justo quidem titulo apud se habent, sed eam justè contrà domini voluntatem diutiùs retinere non possunt; qua ratione quicunque rem apud se commodatam habet, locatam vel depositam, post præfixum tempus elapsum in mora constitutus illam invito domino apud se amplius retinere non potest; & eadem ratione qui mutuum accepit termino constituto illud solvere tenetur, alias invito domino rem illius detinere censetur, & ad restitutionem tenetur; & idem uniuersaliter asserendum est de iis, qui non rationabiliter impediti in debitis solvendis diuturnas trahunt moras, aut in reddendis rebus alienis, quas apud se habent, nam omnes isti dubio procul contrà justitiam peccant & ad restitutionem tenentur, præsertim si creditores ex tali dilatione damnum patiantur.

22 Secundò satis etiam constat ex dictis qu. præc. art. 2. discurrendo de radicibus obligationis restituendi ad restitutionem teneri, qui rem injustè acceptam apud se habet, sivè bona fide, sivè mala illam habeat; tunc res bona fide habetur, quando ignorantia invincibili putat quis esse suam, & prudenti judicio sine peccato tanquam propriam possidetur; tunc vero res mala fide habetur quando ignorantia saltem culpabili possidetur; & utroque modo tenetur semper rem vero domino restituere, cum hac tamen differentia, quod possessor bonæ fidei tenetur tantùm ad restitutionem rei, quando alterius esse deprehendit, si apud se adhuc eam habeat; non verò si stante bona fide res illa periit, quia in tali casu res illa domino suo perire censetur, non possessori bonæ fidei; an verò teneatur ad ea restituenda, in quibus factus est ditior, & locupletior, ideat, adeo, quæ habet ultrà id, quod habiturus fuisset, si rem illam non habuisset, aliqui affirmant, & probant ex L. *Nam hoc natura* ff. de conditione indebiti, ubi habetur *Hoc natura æquum est, neminem cum alterius detrimento locupletiorem fieri*. Alii negant, quia illud plus non est fructus rei, supposito, quod eam à fure bona fide emat, & posteà majori pretio vendat, sed industria ementis justè uno pretio minori, & vendentis etiam justè alio majori pretio; fructus autem industriæ ex communi sententia ad possessorem bonæ fidei spectat, & non ad dominium rei. Ità Molina, Laiman, Caspensis, & plures alii. Possessor verò malæ fidei, quomodocunque pereat res illa, quam mala fide possidet, tenetur non solùm eam vero domino restituere, sed ulterius etiam omne damnum compensare, quod ex mora restitutionis sequitur. Quod etiam dicendum est de possessore bonæ fidei, postquam deprehendit rem, quam bona fide possidebat, esse alienam, & illam domino restituere negligit, tunc enim, si res perit, tenetur ad restitutionem, sicut possessor malæ fidei, ac etiam ad damna secuta post injustæ detentionis notitiam. Et tandem inter utrumque possessorem hoc aliud intercedit discrimen, quod malè fidei possessor nullo tempore præscribere potest, aut usucapere rem alienam mala fide retentam; benè tamen possessor bonæ fidei, si toto tempore ad præscriptionem à jure præfinitum eam bona fide possideat, nec amplius ad restitutionem tenebitur. Ità DD. passim.

23 Tertiò adhuc certius est apud omnes Doctores ad restitutionem faciendam obligari, qui injustè rem alienam accepit, vel qui injustè alteri damnum attulit, idque non modò cùm per se, sed etiam cum per alios id præstit; undè omnes illi ad restitution m tenentur, qui quomodo sunt causa influens, & efficax damni secuti, ac qui ex officio, & obligatione justitiæ obligati cavere damnum non caverunt, undè Scotus loc. cit. & D. Thom. qu. 62. art. 6. & 7. concludunt teneri ad restitutionem his duobus versibus comprehensos.

Jussio, consilium, consensus, palpo, recursus;
Participans, mutus, non obstans, non manifestans.

Qui versus sic à Scotistis, & Thomistis ibidem explicantur. Primo *jussione* filios, servos, aut alias personas sibi subditas compellendo ad furtum faciendum, aut damnum alteri inferendum; vel furtum factum, ac damnum illatum ratum habendo. 2. *consilio* alteri suadendo, vel promissionibus, aut precibus illum promovendo. 3. *consensu* injustæ alicui actioni consensum præbendo. 4. *palpatione* seù adulatione, ut qui laude, vel exprobatione ignaviæ alium ad damnum inferendum excitat, & animat, palpo enim dicitur adulator laudans damnificantem, sic quod ex hoc movetur ad damnificandum.

5. *recursu*

5. *recursus* offerendo, vel præbendo refugium iis, qui damnum injustum alteri intulerunt, ut fures, & latrones receptando, & tuendo, ac rem raptam dolosè celando. 6. *participatione* sivè in actione furti, & rapinæ, sivè in præda, & lucro indè proveniente, ut agens excubias, applicans scalas, parans instrumenta, & similia. 7. *silentio*, hoc est, omissione correctionis, aut inhibitionis necessariæ ad furtum, vel damnum alterius impediendum, si sit Superior; vel recti, & æqui consilii, si consultor; vel debitæ vigilantiæ, & custodiæ si sit custos. 8. *non obstando* damno alteri illato, quod impedire potest, præsertim si ad id ex officio teneatur. 9. *non manifestando* malefactorem, cùm ad id ex officio tenetur, sivè ut damnum impediatur, antequam inferatur, sivè ut refarciatur, postquam factum est, ut custodes montium, vinearum, silvarum, & agrorum, qui damna non impediunt, vel facta non manifestant; sic etiam Principes, & Domini territoriorum si sciant vias publicas prædonibus infestari, & cum possint, non impediant, tenentur mercatoribus, & cæteris viatoribus damna ab istis accepta compensare. Ex quo patet novem esse modos, quibus peccatum alienum participantur, & quilibet illorum modorum obligationem in solidum inducit, quando sit causa auferendi, aut retinendi rem alienam invito domino, undè tamen concludit Doctor loc.cit.sub lit.Bb. quod omnis obligatio ad restitutionem reducitur ad auferre, vel retinere, & hoc vel ut causa principalis, vel proxima, vel coadiuvans, vel inducens, vel non impediens.

24 Quartò addit Doctor hæc omnia verificari, quando reducuntur ad consensum efficacem verum, vel interpretativum, undè supradicti non tenentur ad restitutionem, quando non fuerunt efficax causa damni, ut v.g. si fur, vel homicida non fuerit efficaciter motus mandato, vel consilio alterius, qua nihilhominus erat facturus furtum, vel homicidium; requiritur enim ut consilium, mandatum, & aliæ causæ morales sint propriè causæ, ut ex ipsis effectus sequatur, tanquam causis, sine quibus non fieret; alioquin si accedant effectu jam determinato in aliis causis, & omnia sunt determinata ad ejus executionem, consilium, & consensus non habent rationem causæ, nec ullam determinationem inducunt effectui, ac proindè virtutem ipsorum non causatur, sed consequenter se habent, ac merè concomitanter; quarè sicut non concurrunt ad effectum auferendi, aut retinendi rem alienam, ità neque ex ipsis sequitur ulla obligatio restituendi, cùm præcisè ex illo titulo oriatur. Undè hæc regula in singulis locum habet, & varios resolvit casus, qui à Doctoribus in hac materia solent proponi, sicut enim restitutionis obligatio ratione rei injustè ablatæ præcisè incurritur, aut injustè detentæ invito domino; ità ille solùm, qui tali ablationi, vel detentioni injustæ dat causam, talem obligationem incurrit. Nec sufficit, quod alius quantum est ex parte voluntatis, & affectus concurrat ad talem ablationem quantum est ex se, sed requiritur ulterius, quod influat proximè in effectum determinationem aliquam, ex qua sequatur effectus; aliàs sine illa esset quidem inordinatus, & contrà justitiam peccaret, sed ad restitutionem non teneretur, quia non fuit causa ablationis, & retentionis, ut ibidem Hiqueus advertit Comentario.

25 Quintò subdit Doctor, quem alii passim sequuntur, quod si plures concurrant ad unam, & eandem injustam actionem, ut ad spoliandum viatorem, vel domum incendendam, istorum omnium quilibet tenetur ad restitutionem in solidum, hoc est, ad totius damni compensationem singuli tenentur. & ratio est, quia quilibet tunc est causa totius damni; quamvis non solus, qui enim una cum alio aliquid efficit, verè illud efficere censetur; Addit tamen Doctor, quod uno restituente omnes alii liberantur à debito in comparatione ad illum damnificatum, tamen alii tenentur pro rata portionis, quæ eos contingit illi, qui pro omnibus satisfacit; & sensus est, quod si unus illorum damnum illatum resarciret, alii ad restitutionem erga illum non amplius obligarentur, qui damnum passus est; unuquisque tamen teneretur refundere pro rata suam partem ei, qui totum compensavit damnum. Hoc autem intelligendum est si plures cum consensu, & invicem juvantes id fecerut singuli, tunc enim quilibet totum damnum tenetur in solidum restituere, qua singuli sunt causa totius damni, cùm unus juvet alterum, & procedat ex confidentia, quam habet in auxilio aliorum. Non autem si alii ex impulsu, & auctoritate principalis aguntur ad maleficium, illo enim solvente, reliqui nihil tenentur, quia ipse necessitatem eis imposuit maleficii. Denique si damnum passus principali damnificanti restitutionem condonet, etiam minus principales liberantur, non autem vice versa, quia ruente principali ruit accessorium, non è contra. Ità Vasquez, Molina, Filliucius, Navarrus, Lessius, Layman, Abellius, & alii passim, qui ulterius addunt, quod si mandans aliquem ad damnum proximo inferendum, ex quo oritur restitutionis obligatio, si consensum revocaverit, & jussionem, antequam res effectum habuerit, & revocationem proximo damnificatori sufficienter insinuaverit, non amplius ad restitutionem tenetur, quia non est causa damni, ablationis, vel retentionis rei alienæ in tali casu neque per se, neque per alium.

16 Cæterum contrà præfatam Scoti, & D Thomæ doctrinam, quod uno restituente pro omnibus, cæteri ipsi satisfacere teneantur pro rata sua, argunt aliqui tenentes partem negativam ea ratione, quia ubi est per causa turpitudinis non resultat actio unius contrà alterum, ut habetur expressè in L. 2. & 3. ff. de conditionibus ob turpem causam, atque adeò cum isti turpiter egerint furando, unus non tenetur alteri, etiamsi pro aliis satisfecerit, quia causa est turpis, & ille fuit concausa talis damni, ideoque indignus est, ut illi satisfiat. Ità Angelus in summa verbo *furtum*; & alii citati à Medina q.8. de Restitutione. Sed quamvis hoc sit verum, quando is, qui rem ablatam restituit, totam prædam accepit, sivè fuerint principalis, sivè ab aliis inductus, tunc enim cæteri neque domino, neque ipsi aliquid reficere tenentur, quia jam domino satisfactum est ad æqualitatem, ut supponitur, & qui rem accepit, vel tenet, est principalis, & ex restitutione facta nihil minus habeat in bonis suis, cùm totum quod restituit, esset alterius, & alii, ut supponitur, nihil de re illa acceperint, undè non apparet qua ratione obligari possint ad restitutionem aliquam vero domino, aut ipsi restituenti. Quamvis inquam, in hoc casu id sit verum, nihilominus, quando res ablata est divisa inter socios, omninò dicendum est illos teneri pro rata parte rei acceptæ satisfacere ei, qui damnificato integrum damnum recompensavit; & licet opinio opposita verà sit in foro exteriori, in quo non datur actio cuicunque ex participibus, etiam si solverit, contrà alios ex legibus citatis; in foro tamen conscientiæ falsa est, & ab omnibus communiter rejecta; ex quo patet quid sit dicendum ad rationem in contrarium adductam; illæ namque leges procedunt solùm in foro contentioso, in quo uni furi non datur actio contrà socium; nec etiam ratio ex turpitudine actionis desumpta urget, quia obligatio restitutionis faciendæ à sociis primo restituenti non oritur ex turpitudine furti præteriti, sed ex restitutione; quam unus pro se, & aliis sociis fecit, quæ est actio honestissima, & justissima. Dices, restitutio semper injustam acceptionem præsupponit, vel rem acceptam, quarum neutra contingit in proposito, quia socii nihil acceperunt ab eo, qui integrè restituit; ergo nullo restitutionis jure illi obligantur. Respondeo socios criminis non teneri restituere primo satisfacienti in integrum ratione injustæ acceptionis, sed ratione justè compensationis ab eo factæ vero domino, ut modò dicebamus, & hic dicendi modus communior est, & probabilior, ut constat apud Fabrum nostrum disp. 50. c. 2. & Aretinum d. 15. q. 2. art. 7. & alios passim.

27 Major difficultas est, quando res ablata non manet, sed est consumpta, ut contingit in damno dato, quando v.g. domus ruitur, vel segetes comburuntur, an restituente principali reliqui ei satisfacere teneantur. Negant aliqui, nam si quis jubendo, vel alio modo alios induxit ad damnum illud dandum, ex quo nihil utilitatis eis accessit, si inducens restituit, non videntur alii obligati ad aliquid ei restituendum, quia ipsi non damnificaverunt illum, sed potius ab illo damnificati fuerunt, quia ab eo ad actionem illam malam inducti sunt, & ideò nihil ei restituere debent. Ità Cajetanus, Molina, & alii. Verùm magis placet, quod ait Faber disp. c.n.30. etiam in hoc casu illos teneri ad restitutionem principali pro rata parte damni dati, quia esto inducti sint à principali ad damnum illud dandum, adhuc tamen voluntariè in id consenserunt, agentes autem, & consentientes pari pœna puniuntur. Tum quia si principalis eis damnum intulit illos ad actionem illicitam inducendo, ipsi quoque ei damnum attulerunt consentiendo, & adjuvando ad rem malam; nec eis suffragari debet, quod ab alio sint inducti, nec ex facto aliquid utilitatis eis accesserit, erant enim liberi, & tenebantur non consentire, ac proindè ad restitutionem pro rata parte tenentur. Subdit tamen non teneri illos ad tantum restituendum, quantum ille principalis, quia non fuerunt tanta causa, sicut ille, qui alios induxit, quia tamen fuerunt aliqua causa, pro rata illius concausalitatis, & concursus ad damnum illatum ad arbitrium boni viri judicanda, tenentur ad restituendum principali, qui pro omnibus damnificato satisfecit.

28 Sextò licet illi, quibus ex officio incumbit prædictis malis aditum præcludere, ad restitutionem teneantur, quando illa non impediunt, ut suprà dictum est, quoniam eo ipso, quod talia mala non impediunt, supponitur ipsos ea commisisse privativè, vel interpretativè, ut ait Doctor; quando tamen ex officio non eis incumbit talia mala impedire, cùm tamen id possint verbo, terrore, consilio, aut alio medio, quamvis mortaliter peccent contrà charitatem, tamen ad restitutionem mini-

minimè tenentur, quia id eis ex officio non incumbit, ideoque non censentur interpretativè, vel privativè malefactores. Subdit tamen Doctor hoc intelligendum esse, quando hujusmodi impedimentum non verteret in commune bonum Reipublicæ, sed tantùm alicujus particularis; nam quando tale impedimentum esset ad bonum Reipublicæ, & absque personæ periculo posset tale malum impediri; in tali casu tenetur ad restitutionem, si non impediat; quando enim maleficium non solùm est noxium uni personæ particulari, sed etiam Reipublicæ, tunc quilibet non solùm titulo charitatis, sed etiam justitiæ, tenetur illud malum impedire, quod si non impedit justitiam offendit, & restitutioni obnoxius est, cùm enim quilibet sit membrum Reipublicæ, ex justitia, & ex officio illi consulere tenetur. Ità Suar. Sanch. Caspensis, & alii passim, de quo vide Aretinum loc. cit. art. 9.

29 Postremò conveniunt omnes, & est communis Doctorum sententia, qui sine culpa sua, & præter intentionem fortuito damnum infert alicui, ad restitutionem non teneri. & ratio est, quia ubi prava intentio non intervenit, vel negligentia culpabilis, neque etiam est injusta damnificatio, & consequenter nec restitutionis obligatio insurgit; tunc enim aliquis alium injustè damnificare dicitur, quando est illus damni causa; non censetur autem esse talis, nisi qui ex intentione formali, vel interpretativa, vel ex culpabili negligentia damnum infert. Undè qui præter intentionem dando operam rei licitæ damnum intulit animalia occidendo, vel segetes comburendo, aut alio consimili modo, non tenebitur ad restitutionem, quia id præter ejus intentionem eveniisse censetur, cùm sufficientem supponatur adhibuisse diligentiam ne eveniret; quid autem sit dicendum, quando dat operam rei illicitæ, dicemus infrà disp. 9. q. 2. art. 1.

30 Sed remanet solvenda difficultas satis apud veteres agitata. An licitum sit surripere rem propriam ab alio injustè detentam, & absque obligatione, restitutionis. & ratio dubitandi est, quia nihil justè possidetur, quod furto, vel rapina acquiritur, furtum enim, & rapina contraria sunt juri, & lege prohibita; ergo non licet rem propriam ab alio injustè detentam surripere, & furto recuperare, quia licet non fiat injustitia ex parte rei acceptæ, illicitum tamen est ex parte modi accipendi, quia injuria fit ministris justitiæ eorum officium usurpando, cùm certum sit neminem posse regulariter sine peccato auctoritate propria sibi jus dicere, & rem suam recuperare. Circa quam difficultatem duplex est dicendi modus, ut refert Almainus noster 5.d.15.q.2. a.4. Primus est D. Thomæ 2.2.q.62.a.6. in solutione ad ultimum, ubi ait, quod rem suam propriam ab alio surripiens, aliquando peccat, & ad restitutionem tenetur, aliquando verò peccat quidem, sed ad restitutionem non tenetur. Exemplum primi, ut Sortes habet rem meam, vel ut pignus, vel ut depositum, vel ut locatum, vel liberaliter accommodatum, ità quod usus rei meæ licitè est apud eum; tunc rem meam surripiendo, non solùm pecco, sed etiam restituere teneor, quia gravo eum, cùm licitè eam detineat, & utatur. Exemplum secundi, si Sortes injustè rem meam detinet, ità quod nec ut depositam, nec locatam, nec accommodatam pecco eam surripiendo, quia facio mihi jus auctoritate privata in rem meam; sed hoc est in perniciem, & perturbationem Reipublicæ; prohibitum enim est humana lege, quod unusquisque faciat sibi jus in re sua, & sit Judex in propria causa; sed licet peccem, non tamen ad restitutionem teneor, quia rem meam accipio; nec facio injuriam ei, à quo surripio, cùm illam injustè retineat.

31 Alter dicendi modus est Altisiodorensis, Paludani, Gabrielis, & aliorum dicentium, quod si res mea injustè detineatur ab altero, si possum sine scandalo, aut periculo famæ, aut corporis, & sine gravamine alterius innocentis licet mihi capere, dummodo non habeam conscientiam in oppositum; per quas conditiones, & limitationes solvunt fundamentum prioris sententiæ; cùm enim dicitur nullum esse posse Judicem in propria causa; hoc dicitur propter periculum, & perturbationem Reipublicæ, quia si quilibet sibi jus faceret auctoritate propria, sequeretur in Republica maximum detrimentum, & perturbatio, undè quando nullum tale imminet periculum in Republica, licet sibi jus facere; sed quando possum capere rem meam sine periculo famæ, aut vitæ, & sine scandalo, aut damno innocentis, nulla sequitur perterbatio in Republica; ergo in tali casu licet mihi jus facere in re mea recuperanda, & absque ulla restituendi obligatione. & hanc opinionem, ut probabiliorem sequitur Almainus loc. cit. Aretinus ibidem art. 4. Angles in floribus, & alii Scotistæ, ac Recentiores passim, qui præfatas conditiones, & limitationes ad septem reducunt. Prima est, ut debitum sit liquidum, & non dubium, nam si dubius quis recompenset prædicto modo, & peccat, & ad restitutionem tenetur, cùm in dubiis melior sit conditio possidentis. Secunda, ne compensator speret auctoritate Judicii debitum recipere posse, vel propter defectum testium, aut instrumentorum, vel ob malitiam Judicis propter debitoris potentiam, quem non facilè in judicio convincere poterit, vel illum gravi odio prosequetur, aut in aliis nocebit, aut non sine maximis expensis debitum extorquebit; in his enim casibus propria auctoritate uti poterit, ac debitum præfato modo compensare. Tertia, ne ex tali acceptione periculum famæ accipientis timeatur, potiet enim tunc Judex contrà illum agere, ut furem, quia extrà jurisdictionem accepit. Quarta, ut caveat sic sibi compensans, ne indè aliquid scandali, aut damni alteri sequatur, nam fortasse à domesticis sumptum fuisse existimabitur. Quinta, ne agat contrà conscientiam, sed hoc sibi licere probabiliter credat, quia rationabiliter opinatur, numquam esse solutionem sibi à debitore faciendam, etiamsi debitum petierit. Sexta, ut admoneat debitorem, vel ejus heredes jam debitum esse solutum, ne debitum iterum à suis hæredibus peti possit, vel aliud damnum incurrant. Septima tandem, ut non plus accipiat, quàm sibi debeatur, nam furtum esset respectu excessus cum obligatione restituendi.

32 His itaque conditionibus concurrentibus alienum ratione compensationis accipere non est peccatum, nec ullam restituendi obligationem inducit, quia in tali casu nec debitori injuriam facit, cùm sibi debitum accipiat, neque legi prohibenti, ne quis auctoritate propria jus suum exequatur, nam lex loquitur in casu, quo creditor secundum juris ordinem rem suam recuperare possit; quod si non possit, ut in præsenti, contrà intentionem legis non agitur; undè in tali casu quando res mea est apud alium, possum illam eandem occultè accipere, quando verò non manet illa eadem possum æquivalentem accipere, neque ob hanc licentiam aliquod incommodum, aut perturbatio Reipublicæ sequitur, servatis enim conditionibus illis omnibus incommodis occurritur. Si verò debitum sit liquidum, sivè certum, & creditor non plus accipiat quàm sibi debeatur, cæteris conditionibus deficientibus, peccabit quidem mortaliter recompensans, non tamen ad restitutionem tenebitur, quia in cæteris conditionibus præter primam, & ultimam, non agit contrà justitiam, agit tamen contra juris ordinem, & ideò peccat in Rempublicam, ut constat in cap. *Olim* De Restitutione expoliatorum. Per quod patet quid sit dicendum ad rationem dubitandi ab initio positam, nam ille, qui rem suam recuperat illam subtrahendo injustè detinenti, furtum non committit, sed quod suum est, accipit, nec ille, qui rem æquipollentem rei sibi furto, vel rapina subtractæ aufert, spoliator, fur, vel raptor judicandus est. Nec D. Thomam supracitatum ab hac secunda sententia alienum puto, quia ut constat ex ejus rationibus loquitur in casu, quod non concurrant allatæ conditiones, quia ex natura rei, & regulariter est peccatum occultè, & dolosè rem suam propriam recuperare, & ab alio auferre, quando alia honestiori via res haberi potest, hoc est, servato juris ordine; quia licet non fiat injustitia ex parte rei acceptæ, illicitum tamen est ex parte modi recipiendi, siquidem fit injuria ministris justitiæ eorum officium usurpãdo irrationabiliter, & sine ulla necessitate.

33 Major Difficultas est an suum recuperare liceat, vel æquivalens per violentiam, & rapinam. Negant aliqui, quia hoc esset Rempublicam perturbare, undè si res ablata secretò surripi nequit, debet læsus Superiorem adire, & servato juris ordine rem suam recuperare. Ità Soto, Bannes, Arragonius, Salonius, & alii. Oppositum docet Alensis p.4. qu. 24.memb. 5. art. 3. quem sequuntur Navarrus, Valentia, Aretinus ex nostris, & plures alii, & inquit, quod qui per apertam vim, & injuriam rem alterius invadit, eamque auferre conatur, potest alter incontinenti, hoc est, sine temporis interruptione rem suam, aut æquivalens per vim, & violentiam illi auferre absque peccato, & absque ulla restitutionis obligatione; ut si aliquis equum Titio per vim auferat, si Tititus alio modo suum equum recuperare nequeat, potest illi vim inferre, & equum suum violenter recuperare, aut æquivalens equi illius ab invasore statim, & incontinenti auferre sine peccato, & restitutionis obligatione; quia in hoc casu spoliator, & deprædator vi equum auferendo aggressor fuit, & invasor, & consequenter ex parte invasi actio illa est sola defensio, atque ideò si aliter rem suam recuperare nequeat, potest in aggressorem impressionem facere; appositè autem dicitur hoc fieri debere sine temporis interruptione, quia tempore interposito non videtur quod possit tuta conscientia per vim rem suam recuperare, sed hoc fieri debet per viam juris, & juris ordine servato, quod probat Alensis per simile desumptum ex Deuter. 19. Cùm enim bonorum meorum detentor jam mihi vim non inferat, & iniqua occupatio in rem judicatam quodammodò tranfierit, velle per vim, & violentiam bona mihi ablata recuperare post notabile temporis spatium, vindicta potius censenda est, ac punitio, quàm justa defensio, & injuriæ propulsatio, ut etiam notavit Cajetanus 2.2.

q. 66. art. 8. siquidem malefactores punire, & bella injuriarum receptarum vindicativa exercere non ad privatas personas spectat, sed ad publicam potestatem. Denique an teneatur restituere qui alium impedivit à consecutione alicujus boni, attendendum est, an lædatur jus alicujus, quod à natura, lege, vel aliter habeat, & an per viam, fraudem, vel calumniam quis alium impedierit; non verò aliter, ex hac enim doctrina plures resolvit casus Bonac. q. 2. punct. 12. ad quem me remitto, & ad Doctorem ipsum d. 15. qu. 2. in fine, & Fabrum disp. 30. cap. 8.

ARTICULUS SECUNDUS.

Quid sit restituendum.

34 BOna, quæ restitutioni obnoxia sunt, spectatis rerum naturis, aut sunt bona animæ, aut bona corporis, aut bona famæ, & honoris, aut bona fortunæ, de quibus speciatim, & in particulari cum Scoto disputabimus disp. seq. nunc verò ea solùm explicanda sunt, quæ ad circumstantiam quid in communi pertinent, circà quod punctum breviter inquit Doctor art. 4. cit. §. *De tertio*, quod non solùm tenetur quis ad restituendum rem ablatam, vel usum rei, sed etiam ad interesse, & fructum conceptum de re, si res erat de se fructifera, sed non fructum, quia provenit ex industria ejus, qui utitur illa re; ex quo deducit, quod lucrum acquisitum ex pecunia fœnebri non tenetur fœnerator reddere, alioquin ille qui reciperet, posset esse justè usurarius, quia recipere fructum de sua pecunia provenientem ex industria alterius est facere usuram. Ità discurrit Doctor loc. cit. Ex quo deducitur, quod spectat ad bona fortunæ, in quibus exemplum est clarius, si extent, & usu non sint consumptibilia, debere eadem numero restitui, nisi ex ejusdem rei restitutione fama restituentis periclitaretur occultum furtum manifestando, aut aliquo magnum sequeretur incommodum, tunc enim sufficeret illius rei valorem reddere; si autem res jam non extet, restitutio in pecunia fieri debet, aut in re æquivalenti, prout creditor contentus fuerit. Similiter si res sit usu consumptibilis, restitui debet vel eadem numero si extat, vel alia ejusdem speciei, & æquè bona, vel pecunia. Nec solùm rei, sed etiam rei fructus, deductis expensis, restitui debent si res erat de se fructifera, & damnum emergens, vel lucrum cessans. Undè qui furatus est pecuniam paratam ad domum reficiendam minantem ruinam, qua de causa vel domus corruit, vel dominus pro ejus refectione compulsus est pecuniam ad usuram accipere, hæc omnia damna resarcire tenetur, ac etiam, cùm res accepta deterior facta est, talis defectus est supplendus.

35 Quandò autem lucrum ex re aliena est acquisitum arte, negotiatione, ludo, & industria propria, ait Doctor non esse restituendum, etiamsi possessor sit malæ fidei, nam de possessore bonæ fidei adhuc certius est, ut constat ex dictis art. præced. num. 22. & est communior Theologorum sententia contra Baldum, Decium, & alios Juristas, quam latè declarant ex nostris Faber l. c. c. 34. & Aretinus a. 3. & ratio est, quia usurarius, qui lucratus est pecunia usuraria, licita tamen negotiatione, non tenetur tale lucrum restituere, ut omnes concedunt, ut v.g. Titius ex mutuo centum aureos lucratus est, & ex illis deindè justè negotiando quadraginta acquisivit, non tenetur ad restitutionem istorum quadraginta, sed solum illorum centum, si igitur injustum est ex mutuo lucrum quærere, quia pecuniæ usus vendibilis non est; nec ullo modo de se fructuosus, sed solum ratione industriæ, consequenter fur, aut usurarius ex usu pecuniæ nihil debent, ex industria autem sua, vel labore multò minus, cum sua sit, non alterius; ergo lucrum ex pecunia furtiva, vel fœnebri partum totaliter est ipsius furis, vel fœneratoris. Nec urget, quod obiiciunt præcitati Juristæ, quod si radix est mortifera; ergo & arbor, & rami Rom. 11. Non urget, inquam, quia pecunia fœnebris, vel furtiva non se habet ad tale lucrum, tanquam radix ad ramus, sed potius est, & veluti materia, aut instrumentum; radix, autem est industria, lucrum verò illud secundum, non ex pecunia, sed ex industria, & arte negotiationis procedit, atque ideò tale lucrum ipsius negotiantis efficitur, rami namque ex radice suum esse sortiuntur. Dices, sicut dolus nulli patrocinari debet, ità neque injuria; ergo lucrum ex injusta detentione acquisitum restitui debet. Respondeo concesso antecedenti negando consequentiam indè deductam, quia lucrum illud secundum usurario, & furi obvenit ex sua industria, & negotiatione, non autem ex pecunia usuraria, vel furtiva, nisi merè materialiter, & per accidens, quia pecunia de se fructifera non est; ideoque lucrum illud fur, vel usurarius licitè sibi retinere potest.

36 Itaque loquendo de fructibus, ac eorum restitutione distinguendum est, quod alii sunt merè naturales, qui, scilicet, absque ullo labore, & industria, vel saltem modica ex re naturaliter proveniunt, ut herbæ in pratis, poma in arboribus, & similia. Alii sunt merè industriales, qui, scilicet, non ex natura rei oriuntur, cùm ipsa sit infructifera, ut supponitur, sed ex industria hominis circà rem illam oriuntur, ut lucrum ex pecunia negotiationi exposita, ex vino, oleo, frumento, & hujusmodi. Alii tandem dici solent mixti, ideò, partim naturales, partim industriales, & sunt qui proveniunt ex re quidem de se fructifera, sed tamen cum multa industria, & labore, cujusmodi, sunt segetes, vinum, lac, lana, caseus, & similia, licet enim terra, vites, & animalia sint ex natura sua fructifera, tamen nisi sufficiens adhibeatur diligentia, nullum fructum afferrent, vel paucissimum. Hoc supposito dicendum est fructus naturales esse restitutioni obnoxios, unde quando res aliena injustè retenta est fructifera, tunc restituenda est unà cum fructibus ejus tunc extantibus, aut si res non extat, pretium ejus unà cum fructibus, seù unà cum eo, quo quis ditior effectus est, & de his fructibus loquitur, & intelligenda est lex illa: *Hoc natura æquum est, neminem cum alterius detrimento locupletiorem fieri* ff. *de condictione indebiti*. Fructus autem merè industriales non sunt restituendi, quia fructus isti non sunt rei, sed laboris, & industriæ negotiantis, & ideò ejus sunt, quis eos sua industria acquisivit, nec de his fructibus lex citata loquitur, fructus enim industriæ ex communi sententia, non ad dominum rei spectant, sed ad ejus possessorem, non tantùm bonæ fidei, sed malæ, ut ait Doctor loc. c. fructus tandem partim naturales, & partim artificiales etiam restitui debent ex ea parte qua sunt à natura, ex ea verò parte, qua sunt ab industria, ad arbitrium boni viri hæc compensari debet, deductis tamen laboribus, & expensis necessariis factis in eis acquirendis, colligendis, & conservandis, si extent; si verò non extent, tenetur de illis possessor, inquantum ditior factus est, qui sicut melioramenta, ità & fructus hujusmodi domini sunt.

37 Item qui damnum intulit, secundum viri prudentis æstimationem illud compensare tenetur, undè qui animal in tenera ætate occidit, vel recentes arborum plantationes eradicavit, restituere tenetur, non quidem quantum res illæ in perfecta ætate erant valituræ, sed quantum illarum damnum hic, & nunc à viris prudentibus æstimabitur. Item qui mense Augusti triticum alterius furatur, & injustè possidet, & hoc perseverat idem usque ad mensem Maii cum melioratione, & incremento pretii, triticum restituere tenetur secundum talem meliorem statum; neque satisfaciet, si Domino pretium reddat, quod tempore Augusti valebat, & sic discurrendum est in similibus casibus: & ratio est, quia res illa injustè ablata semper sub dominio prioris domini perseverat, & consequenter major rei perfectio, & melioratio, quam acquirit, ad eundem spectat, nam qui jus habet in rem habet etiam in id, quod illam consequitur. Quod si res aliquod patiatur detrimentum in potestate injustè detinentis, quod in potestate domini passura non erat, hoc etiam resarciendum est, quia sic postulat justitiæ æqualitas; quod si idem detrimentum etiam in potestate domini passura fuisset, satis erit eam cum eodem detrimento restituere, sic enim æqualis fit recompensatio. Ex qua doctrina solvitur illa difficultas, quando restituendum est pretium rei, an sit restituendum secundum valorem, & quantitatem majorem, quam habuit, dùm fuit in potestate injustè detinentis, an verò secundum valorem, quem res habuit à tempore injustæ acceptionis; nam res alterius aliquando eundem habet valorem tempore acceptionis, & retentionis, venditionis, consumptionis, ac restitutionis aliquando diversum; & valor variari potest tùm intrinsecè, cùm, scilicet, melior, vel deterior efficitur, tùm intrinsecè, per mutationem loci, temporis, vel aliarum circumstantiarum, ut passim DD. advertunt.

38 Et ex hac eadem doctrina solvitur etiam alia difficultas, ad quid restituendum teneantur possessores, tam bona, quàm malæ fidei, quæ hic agitari solet, nam qui bona fidei damnum intulit, aut possidet aliquid, de quo postea melius cognoscit, ne incipiat esse possessor malæ fidei, & alienum retinere, id tantùm, & non plus restituere debet, quod ex ea ipsi supereft, una cum fructibus ejus, si extent, vel quatenus indè factus est ditior. Ità communiter Doctores, Molina, Sanchez, Lessius, Bonacina, Layman, Faber, & Aretinus ex nostris, & alii passim, quæ regula expresè deducitur ex L. *Item veniunt* §. eos autem ff. de pet. hæred. ubi Glossa ait, nullam veriorem regulam esse in jure, quàm quod possessor bonæ fidei ad nihil amplius teneatur, quàm quantum ex bona fide possessis factus est ditior, quod quidem intelligendum est de ditione ex fructibus naturalibus derivata, non autem ex industrialibus, ut nuper dicebamus, & hæc regula etiam intelligenda est de possessore bonæ fidei antè præscriptionem, nam ut suprà dictum est, transacto tem-

tempore ad præscriptionem requisito quantum ad rem stabilem, etiam cessante bona fide non tenetur ad restitutionem illius, & transacto tempore requisito ad præscriptionem rei mobilis, ut fructuum, ad eorum restitutionem non tenetur. Item ad restitutionem non tenetur bonæ fidei possessor, etiam si rem alienam, quam bona fide possidet, sua culpa destruat, vel amittat prodigaliter donando, vel proiiciendo. & ratio est, quia nulla culpa ad restitutionem obligat, nisi sit contrà justitiam; qui autem rem alienam sua culpa amittit, contrà justitiam non peccat, si eam bona fide possideat; ergo nec etiam in tali casu ad ejus valorem restituendum tenetur. Ità fert communis opinio contrà Navarrum in summa c.17. ubi docet bonæ fidei possessorem rem alienam restituere debere si ea absq; ipsius culpa periit.

39 Dubium tamen est, an qui bona fide rem furtivam emit, & postea durante bona fide vendit eam alteri æquali pretio, vel majori, quo emit, & deindè scit esse furtivam, debeat contractum rescindere reddito pretio, ei, cui vendidit. Affirmant aliqui, quia vendidit rem non suam, & ideò dominium non transtulit, sicut qui vitrum pro gemma venderet, tenetur ad contractum rescindendum, & ad restituendum suum pretium emptori. Ità Soto, Azorius, Valentia, Arragonius, Salonius, & alii. Negant alii rescindendum esse contractum, sed dicunt pretium rei venditæ vero illius domino restitui debere, quia in tali casu pretium succedit loco rei, & præsertim asserunt, quando possessor bonæ fidei vendit rem plusquam emit teneri ad restitutionem incrementi prætii domino rei. Ità Covarruvias, & alii Juristæ, & hoc ultimum tenet etiam ex nostris Aretinus loc.c. a.1. nimirum si majori pretio, quam emit, rem venderet, illum excessum domino rei esse restituendum. Alii tandem probabilius negant rescindendum esse contractum, & dicunt eum qui rem alienam à fure bona fide emptam, sivè eodem pretio, quo emerat, sivè majori pretio vendat, non teneri restituere domino illud pretium, neque etiam illud plus, in quo locupletior est factus. Ità Lessius, Rebellus, Molina, Layman, Caspensis Faber ex nostris, & plures alii. Quod contractus non sit rescindendus probatur, quia etsi per illum dominium non transferatur, adhuc tamen est verus contractus, quia estò venditor dominium non transferat, tenetur tamen emptori de evictione, atque ideò de valore rei, & omnibus damnis indè sequutis emptori, qua ratione contractus inter venditorem, & emptorem bonæ fidei sit validus, ac proindè non rescindendus. Neque est par ratio de vitro pro gemma vendito, & de re vera, & non apparenti, quia prior contractus est nullus ratione fraudis rei, hic verò de quo est sermo, validus est, quia res vendita est realis, & vera. Quod autem nec pretium illius rei à venditore acceptum sit restituendum vero domino probatur, quia sic vendens nihil tenetur domino ratione injustæ acceptionis, ut patet, nec ratione rei acceptæ, cùm eam jam destruxerit, & vendiderit; neque in hoc casu pretium loco rei succedit, hoc enim non est universaliter verum, nisi in solis universalibus judiciis, ut sunt hæreditas, fideicomissum, dos, &c. Demum, quod si majori pretio rem vendiderit, quam emerit, non teneatur excessum domino rei restituere, probatur ex jam dictis, quia illud plus non est fructus rei, sed industriæ illam ementis justè uno pretio minori, & vendentis etiam justè alio pretio majori; quarè si excessus ille, sivè illud incrementum pretii est fructus industriæ, non rei, quia, scilicet, possessor bonæ fidei rem illam meliorem reddidit, vel aliquo artificio immutavit, vel de loco ad alium locum detulit, illud incrementum restitui non debet, quia est fructus industriæ; si autem est fructus rei, scilicet, quia re eodem modo se habente crescit in pretio, vel quid simile ad restitutionem tenetur juxtà superius dicta n. 36. & 37.

40 De possessore autem malæ fidei adhuc magis verificatur regula Scoti ab initio articuli assignata, quod, scilicet, ad restitutionem rei alienæ tenetur, usus illius, omnis interesse, & damni, & fructuum; undè si res ipsa existat, tenetur eandem restituere integrè, & perfectè, & absque ulla diminutione; si verò periit, & est consumpta, ad restituendum pretium tenetur, & ipsius valorem etiamsi sine sua culpa res perierit; si rei alienæ usum usurpavit, ut domus, vestium, & similium, tenetur ad prædictum usum restituendum, & lucrum ex illo usu perceptum, quia hoc est domini rei non autem possessoris malæ fidei. Præterea tenetur ad omne damnum resarciendum, tam damni emergentis, quàm lucri cessantis, cùm verè sit injusta causa talium damnorum; undè si dominus re sua retenta per culturam, vel negotiationem fuisset ex agro suo, vel pecunia mille aureos percepturus, & alter parum, vel nihil, debet is domino suo pro mille illis aureis satisfacere, quamvis communiter soleant domini in tali casu plurimum remittere, si res componatur. Si res aliena, dùm injustè detinetur, crescat, aut pretium ejus augeatur, domino crescit, ac proindè ei debetur; si verò pereat, aut deterior fiat, idque casu, vel naturaliter, aut justa hostium incursione, & certum sit, vel probabile, apud dominum æquè perjuram fuisse, in tali casu non tenetur alter restituere, quia nihil novi detrimenti domino apud iniquum retentorem incurreret, quod non apud ipsum dominum; si verò apud dominum peritura non fuisset, vel detrimentum illud passura, tunc detentor iniquus adhuc ad restitutionem tenetur, licet sine sua culpa res perierit. & tandem tenetur ad restitutionem omnium fructuum illius rei, si est fructifera si fructus extant, vel si non extant, valoris ipsorum, ut supra dictum est. Ità Less. Silvius, Layman, Amicus, Aretinus, Faber, & alii DD. passim ex pluribus legibus, & Pontificum decretis.

41 Tres autem præcipuæ difficultates hic agitari solent. Prima est, an accepta per simulationem paupertatis sint restitutioni obnoxia, in qua tres sunt opiniones. Prima absolutè affirmat hoc modo eleemosynam accipientes ad restitutionem teneri. Ità Scotus noster 4.d.15.qu.2. a. 3. quod hac ratione probat, quia qui decipitur in conditione propter quam donat, non liberaliter omninò donat, sicut qui donat alicui, quem propinquum putat si talis non est, donatio est nulla; ergo qui alicui eleemosynam elargitur, quia putat illum esse pauperem non verè liberaliter donat si re vera talis non est; & hæc fuit communis veterum opinio, quam proindè communem Theologorum, & Canonistarum appellat, & sequitur Navarrus in Manual. c.17 cum pluribus aliis. Secunda opinio est plurium Recentiorum cum distinctione procedentium, & dicentium quod qui fingendo se pauperem eleemosynam extorsit, non tenetur restituere, si parva fuit, & modica, qualis ostiatim mendicantibus datur; secus si fuit magna, tunc enim restituere tenetur, quia in tali casu sub intelligitur conditio hæc si pauper es, undè in hoc casu eleemosyna esset fraude extorta, non autem in aliis casibus; quia facientes eleemosynam universaliter loquendo, non faciunt illam sub hac conditione præcisè, si re vera sit pauper, sed ratio præcipua est propter Deum, licet causa motiva sit paupertas personæ, cui fit eleemosyna. Ità Soto, Molina, Palaus, Escob. Busenba. & plures alii. Hoc tamen benè reiicit Navarrus l.c. & Faber noster cum ipso disp. c. 4. quia parum refert, quod eleemosyna parva sit, vel magna, nam quod est alienum, & fraude obtentum, sivè magnum sit, sivè parvum semper est restitutioni obnoxium, dummodo non sit adeò parva quantitas, quæ nullius sit æstimationis. Et quamvis charitas, & amor Dei sit causa finalis faciendi eleemosynam in communi tamen causa finalis propter quam huic personæ in particulari fiat, non est charitas Dei, sed paupertas, quæ supponitur in petente eleemosynam, divitibus enim dona dantur, eleemosynæ autem non nisi pauperibus.

42 Proindè Tertia opinio alia utitur distinctione, & inquit, quod vel dicta simulatio paupertatis est causa finalis, ob quam alii bona sua tribuant, & sine qua non tribuerent; vel est tantùm causa impulsiva, quæ tantùm movet alios, ut propr us, & liberius tribuant; primò modo certum ait esse omnia sic acquisita esse restituenda, secus, secundo modo. Ità Medina, Azor. Aret. ex nostris Stephanus à S. Greg. & plures alii. Verùm hæc distinctio reiicitur à Fabro l. c. tanquam inutilis, & vana, quia apud Philosophos, & Theologos solus finis est causa motiva agentis ad opus, undè ait hanc distinctionem esse vanam, nisi in eo sensu accipiatur, quod causa finalis est duplex, principalis, & minus principalis. Sed etiam hac distinctione admissa adhuc à prima opinione recedendum non est, quia in casu proposito paupertas ficta non est causa tantum impulsiva eleemosynæ, sed etiam finalis, quæ, scilicet, est simpliciter causa, ut sequatur effectus, & sine qua non daretur eleemosyna. & ratio est quia ut dicebamus licet charitas, & amor Dei sit causa faciendi eleemosynam in communi, causa tamen finalis, ob quam eleemosyna fiat in particulari, & huic personæ determinatè est paupertas, quæ in petente eleemosynam supponitur, non enim eleemosyna fit divitibus, sed pauperibus; undè, qui sciret eleemosynam petentem, & mendicantem esse divitem utique eam non daret; ergo paupertas ficta, & simulata in casu posito non tantùm est causa impulsiva, sed etiam finalis, & magis principalis, adeò quod ea circumscripta effectus non sequeretur, si ergo quis decipiatur circà hanc conditionem, & rationem propter quam illi facit eleemosynam, non est voluntaria donatio, ut Scotus dicebat, atque ideò ad restitutionem tenetur, vel danti secundùm aliquos, vel danti, aut pauperibus secundùm alios. & hoc asserendum est, non tantùm de eleemosynis magnis, sed etiam parvis, & quotidianis, quales ostiatim medicantibus dantur; quia maxima fraus est paupertatem simulare, & hac simulatione iniqua veris pauperibus eleemosynas auferre, ac mentem facientium eleemosynas fraudare, ut ait Faber loc. c.

43 Altera Difficultas est, an per hypochrisim acquisitum debeat restitui, ut v.g. si quis per hypochrisim acquisierit beneficium Ecclesiasticum, aut aliquod aliud officium in Religione,

gione, ut Generalatus, Provincialatus, & similia, an teneatur in conscientia ad ea renuncianda. Negat Soto cum aliis l. 9. de justit. q. 7. art. 3. quia Prælati in conferendis beneficiis, vel officiis ea conditione uti non debent, quod beneficium tali personæ conferant, si verè non sit hypocrisia, sed absolutè conferre debent, undè si Episcopus beneficium conferat alicui viro malæ vitæ, quem tamen putat esse bonæ vitæ, adhuc valet collatio, ut omnes fatentur, & præsertim de beneficiis Ecclesiasticis tenet Navar. c. 17. quia Episcopi licet antequam illa conferant, bonitatem examinatorum concurrentium diligenter perscrutentur, tamen quandò posteà conferunt, absolutè, & non conditionaliter conferunt; & Azor. l. 4. c. 21. qu. 8. hanc dicit esse opinionem communem.

44 Affirmant Alensis 4. p. q. 24. Altisiodorensis l. 4. c. de Rest. Gabr. 4. d. 15. q. 9. Sylvest. v. *Rest.* qu. 10. Faber ex nostris, & Aret. l. c. & plures alii; & hoc præsertim intelligendum esse dicunt in casu, quod hypocrisis concurrentis, & aspirantis ad beneficium, vel officium esset causa finalis, & motiva apud electorem, vel electores, ut tale officium illi conferatur, etenim in tali casu deciperentur secundum eam rationem, propter quam illum ad tale officium promovent, & eligunt, ubi autem est deceptio, est quoque involuntarium, & ubi est involuntarium, nullus est contractus, nec traditio rei valida est. Nec obest, quod si Episcopus beneficium conferat alicui viro malæ vitæ putans esse probum, adhuc valet collatio; quia ut refert Faber c. 3. cit. num. 129. ex Sylvestro loc. cit. & est doctrina ipsius Alensis, ille non dicitur hypocrita, qui fragilitatem suam celat nihil bonitatis ex hac fictione prætendens ultrà communem statum suæ religionis, & professionis; sed ille dicitur hypocrita verus, qui talem sanctitatem fingit, quia prætendit aliquid bonitatis ultrà statum suæ religionis, & conditionis; & ideò qui hac fictione specialis bonitatis aliquod beneficium, vel officium prætendit, & obtinet, propriè electorem, vel electores decipit, quia hac specialis bonitatis ostentatione moventur ad dandum illi suffragium pro officii consecutione; undè cùm secundùm hanc rationem decipiantur, sequitur actum esse involuntarium, & consequenter nullum; ille verò qui simili fictione non utitur specialem bonitatem prætendens super alios sui status, sed tantùm fragilitatem suam celat, & occultat, electorem, vel electores non decipit, licet non sit ejus bonitatis, quam existimant illi, quia nullo artificio, neque speciali industria utitur sicut hypocrita, ad decipiendum electorem. Undè in collatione beneficii licet Episcopus regulariter existimet illud verè probo conferre, & non sit talis, non ob id dicitur deceptus quia nulla speciali fictione, vel fraude ad illi conferendum tale beneficium inducitur, & ideò est adhuc voluntaria collatio.

45 Hæc autem doctrina in electione superiorum cujuscunque Religionis præsertim locum habet ut enim diximus suprà disp. 6. quæst. 1. art. 1. num. 10. permittit interdum Deus regnare in Religionibus hominem hypocritam ad Religiosorum peccata punienda juxtà illud Job. 24. *Qui regnare facit hominem hypocritam propter peccata populi*, qualè autem sit talium Superiorum regimen latè declarat Faber noster disp. 45. de Rest. c. 5. nu. 138. licet enim extrinsecè sanctitatem prætendant, ac morum reformationem sub pelle ovina, intrinsecè tamen sunt Lupi rapaces non nisi pecuniæ inhiantes, & omni charitate spoliati sub specie sanctitatis litteratos præsertim persequuntur, & opprimunt, & notabilia damna Religioni inferunt, atque ideò ad illa reparanda in conscientia tenentur, & compensanda; & quod prius est, ac detestabilius, cùm terminato eorum regimine in Comitiis Generalibus agitur de successore eligendo, per vim, & fraudem dignum impedire conantur à consecutione officii Generalatus, & omnes adhibent conatus ut detur indigno, ut nimirum hoc modo eorum regimen in comparatione sequentis melius appareat, vel minus malum, undè etiam ex hoc alio capite ad restitutionem tenetur, & reparationem damnorum, quæ ob adeò iniquam politiam Religio patitur etiam sub sequenti regimine. & ratio est, quia ut communiter Doctores docent, qui per vim, aut fraudem dignum à consecutione alicujus officii, & beneficii impedivit, ut daretur indigno, ad restitutionem tenetur, non solùm digno qui injustè impeditus fuit, sed etiam Ecclesiæ, & Reipublicæ quæ damnum patitur, eo quod idoneum ministrum non habeat. Ità Bonacina de Restitutione in genere disp. 1 qu. 2. p. 12. pro qua doctrina citat Valentiam. Azorium, Lessium, Loquez, & alios. Caveant igitur Religiones, in quibus præsertim ignorantia dominatur, vel hypocrisis, ab hujusmodi superiorum electione, qui veniunt ad vos in vestimentis ovium, intrinsecùs autem sunt Lupi rapaces, hoc enim est majus flagellum, quod à manu Omnipotentis illi infligi possit, ut ait Job loc. cit. & quotidiana experientia docet; & circà hoc punctum videri potest Doctor disp. 15. qu. 2. in fine, ubi declarat quid teneatur, qui alium impedit à consecutione alicujus boni, vel beneficii, & Faber disp. 50. cap. 8. de quo nos infrà in suo loco dicemus disp. 9. qu. 2. art. 2.

46 Ultima Difficultas est, an accepta ob turpem causam sint restituenda, ut v.g. accepta pro homicidio patrando, pro comburenda domo, & similibus actibus peccaminosis. Cujus quæsiti resolutio pendet ex jam dictis suprà d. 4. de Contractibus qu. 1. art. 1. nu. 10. ubi diximus nullum contractum de re turpi, & peccaminosa facienda esse validum, nec habere vim obligandi, & ex consequenti pretium pro tali re facienda, & nondum facta, esse restituendum, quæ est communis DD. sententia apud Cajetanum, Lessium, Molinam Bonacinam, & alios passim, docentes pro opere illicito patrando, seù pro turpi causa nihil dari, vel accipi posse ante factum. & ratio est, quia quilibet à peccato abstinere tenetur, & malo opere patrando, & à medio ad illud inducente, medium enim malitiam finis participat; sed pretium ex conventione statutum ad opus pravum patrandum est medium ad illud inducens, tanquam ad finem; ergo quilibet tenetur abstinere à tali pretio solvendo, vel accipiendo pro pravo opere patrando. Tota difficultas est, an tale pretium post factum, idest, patrato opere illicito acceptum sit restituendum, & plures affirmant, ut ibi dictum est, quia nequit peccatum esse materia contractus, cum sit nihil, nulliusque pretii, & valoris, & ideò quicquid ex conventione pro eo patrando acceptum est etiam post factum est restitutioni obnoxium Ità Nauarrus, Medina, & alii, qui tamen opus meretricium excipiunt, pro quo conceditur actio contrà fornicarium ad justam mercedem solvendam L. 4. ff. *de condictione ob turpem causam* ubi statutum est, quod meritrici datur, repeti non posse, & hanc opinionem, tanquam communem sequitur ex nostris Aretinus 4. disp. 15. qu. 2. artic. 5. Alii verò dicunt quod quando in opere peccati est aliqua industria, vel labor, aut periculum, tunc licitè pretium acceptum pro illo patrando retineri posse, quia talis labor, & industria est aliquid pretio æstimabile, & justè vendi potest, ex qua doctrina occurrunt rationi prioris sententiæ, quamvis enim peccatum, qua ratione peccatum est, ac in genere moris nullius sit valoris, tamen in ratione entis, & qua utile, vel delectabile est, potest esse materia contractus, quam opinionem, tanquam communiorem sequuntur Lessius, Molina, Sanchez, Filliucius, Azorius, Reginaldus, & ex nostris Faber disp. 50. cit. cap. 4. & plures alii.

47 Et hanc secundam opinionem nos quoque amplexi sumus loc. cit. ea præsertim ratione, quia leges in hujusmodi casibus in pœnam peccati negat actionem repetendi solutum ob turpem causam. Ità colligitur ex L. cit. *si ob turpem causam*, ubi statuitur in hujusmodi casibus potiorem esse possessoris conditionem his verbis *Porro etsi dantis, & accipientis turpis causa sit, possessorem potiorem esse*, & ità etiam statutum est L. 2. C. eodem tit. ubi negatur actio repetendi solutum ob turpem causam. Excipienda tamen hìc sunt illa delicta, quæ reddunt incapacem acquirentem aliquod lucrum ex eorum commissione ex vi juris positivi, ut est delictum Simoniæ, ex qua quisque redditur incapax ad aliquod habendum, & acquirendum, undè acquisita per Simoniam, retineri non possunt, etiamsi voluntariè tradita fuerint, ut suo loco patebit. Quarè hæc regula, & exceptio addenda est præcedenti doctrinæ, quod quando lex efficit acquirentem dominii incapacem, vel inhabilem ad rem accipiendam, tunc acquisita ob turpem causam restituenda sunt, non solùm antè factum, sed etiam secuto facto, ut de acquisitis per Simoniam dictum est. Ità Vasquez, Molina, Lessius, Turrianus, Reginaldus, Filliucius, Bonacina, Stephanus à S. Greg. & alii passim. Aliam etiam exceptionem addit Faber loc. c. nu. 115. præcedenti doctrinæ, quod scilicet, si sit aliquod peccatum, in quo nullus labor, industria, & similia sint, accipiens pecuniam pro tali peccato, tenetur ad restitutionem, quia est præcisè malum, ut est peccatum omissionis, per quod significat doctrinam allatam de lucro accepto pro peccato patrando, quod non sit restitutioni obnoxium, esse intelligendam de peccato commissionis, non omissionis, quia in hoc nullus labor, industria, vel periculum intervenit. Cæterum allata doctrina traditur à Doctoribus citatis tam de lucro accepto pro perpetrando peccato commissionis, quàm omissionis, quia etiam in peccato omissionis aliqua industria, & periculum intervenire potest pro ipso perpetrando, & alicujus actus omissio potest ità esse alicui utilis, vel delectabilis, sicut alterius actus commissio; qua ratione esse potest alicujus valoris, & aliquo pretio æstimabilis, atque ideò præfata doctrina de utroque peccato intelligenda est.

ARTI-

ARTICULUS TERTIUS.

Cui sit restituendum.

48 SCotus l. c. §. *De quarto* declarat, cui sit restituendum, & inquit, quod cum restitutio, ut suprà dictum est, non sit, nisi quædam reductio justitiæ commutativæ ad æqualitatem, ideò facienda est domino rei quomodocunque ablatæ, seù retentæ. Ubi per dominum intelligitur omnis justus possessor illius rei, etiamsi dominium illius rei non habeat, & proprietatem, sed quasi dominium, vel usumfructum, vel simplicem rei usum, aut possessionem, sivé sit administrator, procurator, dispensator, aut custos rei, ut habens pignus sibi datum in assecuratione, ut depositarius pecuniæ, conductor rei, curator, tutor, & denique omnis, qui justo titulo rei illius est possessor, vocatur etiam dominus in ordine ad restitutionem illius rei faciendam; qua ratione si res pignore obligata per furtum surripiatur, non est restituenda domino, cui pro contractu pignoris rem suam alteri debet, sed restituenda est illi, qui ob securitatem debiti rem alienam habet; & ob eandem rationem res per furtum accepta à depositario, vel à conductore, non domino, sed depositario, aut conductori restituenda est; licet enim aliquis non sit verus, & proprius alicujus rei dominus; si tamen ex voluntate domini, vel aliqua alia ratione justè rem habet alienam, habet etiam jus illam habendi, & retinendi, & actus rem illam accipiendi ipsò invito, ejus injuria est, ac proindè eidem est restituenda; undè universaliter loquendo omnis, qui rem alienam abstulerit à personis suprà nominantis, illi restituere tenetur cum interesse, & damno emergente, & lucro cessante, itaut æqualitatem justitiæ commutativæ omninò præstitisse judicari possit.

49 Deindè subdit Doctor, restitutionem faciendam esse propinquis, quando ipsi principali damnificato fieri nequit, ut quia est mortuus, vel adest aliquod aliud impedimentum, vel quia est absens, & non potest, nisi cum magno dispendio res ei, vel damnum restitui ob talem absentiam; quod à fortiori dicendum est de hæredibus, quos constituit, si non est mortuus ab intestato constituendo enim hæredem, eo ipso declaravit, cujus vellet esse sua bona relicta. & hoc probat Doctor, quia de lege naturæ præsumitur, quod illi, qui est damnificatus, magis velit restitutionem fieri propinquis suis, & hæredibus, quàm aliis. Addit tandem Doctor, quod si rei illius dominus, aut ejus hæredes, & propinqui sint ignoti, nec lapsu temporis debita adhibita diligentia deprehendi possint, tunc Christo Domino, *quem Deus constituit hæredem universorum ex Apost. ad Hæb.* 1. in membis suis, idest, pauperibus fieri debet restitutio; quod Doctor hac ratione probat, quia cui non potest fieri restitutio temporaliter, debet fieri spiritualiter; at restitutio spiritualis maximè fit restituendo pauperibus pro eo, cui temporaliter restitui non poterat; ergo talia bona incerta pauperibus eroganda sunt pro eo, cujus sunt. Quod si is, qui ad talem restitutionem tenetur, sit pauper, potest partem rei restituendæ, vel etiam totam illam sibi applicare, quia ipse non est pejoris conditionis, quam sint alii pauperes. Verùm in hac re, ut docet Navar. c. 17. & Faber noster loc. cit. cap. 4. dolus, & fraus est vitanda, undè cùm egentia non est omninò evidens, hæc applicatio ad seipsum cum consilio Confessarii, vel viri prudentis, & boni fieri debet; & si res est magni momenti, fieri poterit cum consilio ipsius Episcopi; facta autem tali applicatione ob urgentem, & notabilem necessitatem, si ille ad fortunam pinguiorem pervenerit, non amplius restituere tenetur, sicut nec alii pauperes, quia eo casu dominium acquirit, & fit verus illius rei dominus. Aaliquæ tamen difficultates occurrunt in hac materia breviter resolvendæ.

50 Prima Difficultas est, An qui rem emit à fure, eidem possit restituere illam, ne pretium suum amittat, vel potius teneatur vero domino restituere etiam cum dispendio pretii, quo eam emit, & quidem si reddendo rem furi dominus rei nullum periculum incurrat, & adhuc probabiliter credit, quod rem suam recuperabit, conveniunt omnes posse in tali casu eam reddere furi, quando pretio ejus periclitaretur, quarè tota difficultas est in casu, quod si res furi restituatur, res ipsa periculetur domino. Affirmant aliqui in tali casu teneri eam domino immediatè restituere; fundamentum est, quia regula universalis est, rem ablatam esse domino restituendam, & si fur disparuisset, & dominus sciret rem esse apud possessorem bonæ fidei, posset illam repetere, & ille etiam suo pretio amisso teneretur reddere; ergo etiam quando fur adest, tenetur ea immediatè domino restituere, ne illi periclitetur. Ità Major, Medina, Soto, Molina, Azorius, & Covarruvias cum pluribus aliis. Alii verò cum distinctione procedunt, & dicunt illum, qui bona fide rem ejusmodi emit à fure, posse illi reddere, ut pretium suum recuperet; illum verò, qui mala fide emit, id non posse, sed ad restituendum vero domino teneri. Ità Navarrus, Rebellus, Bonacina, cum aliis. Alii tandem communius, & probabilius existimant utrique id licitum esse, si fiat non ex animo verum dominum re sua fraudandi, sed pretium à se datum recuperandi, fundamentum est, quia unusquisque tenetur magis sibi providere, quam alteri, & magis sibi prodesse debet, quam alii, neque cogitur alienum restituere cum majori, vel æquali detrimento suorum bonorum, in casu autem isto si restitueret domino immediatè, prodesset alteri, & sibi noceret æqualiter; ergo &c. Confirmatur, quia reddendo rem furi, ut recuperet pretium, sibi providet faciêdo actum justum, qui de se non est malus nec ex parte recipientis, nec ex parte dantis, non ex parte recipientis, quia licet non sit illius dominus, cùm tamen ipse principaliter teneatur, potest justè recipere animo eam domino restituendi; nec etiam ex parte dantis, quia cùm ille, cui dat, principaliter teneatur eam domino restituere, illam ei reddens eum juvat, ut restituere possit, atque ità actu ex se licito sibi consulit. Quod posteà fur non restituat, est per accidens, at quod per accidens est factum non coinquinat, & consequenter iste propriè, & per se non cooperatur peccato illius. Ità Alensis, Gabriel, Sylvester, Toletus, Abellius, Faber ex nostris d. 50. c. 3. n. 86. Aretinus d. 15. q. 2. tit. Cui facienda est restitutio a. 3. & alii passim, & hæc sententia magis placet, ut communior, & probabilior, præsertim de possessore bonæ fidei.

51 Ex quo discursu patet quid sit dicendum ad fundamentum prioris sententiæ, nam verum quidem est rem semper esse domino reddendam, non tamen semper opus est, quod restituatur domino immediatè, sed sufficit interdum, quod mediatè restituatur, quoniam ille cui res est ablata non debet fieri melioris conditionis, quam ego qui sum illius rei actualis possessor, nam ex justitia ità teneor me servare indemnem, sicut proximum, imò teneor magis talem servare me ipsum quàm illum; in casu autem proposito, quod fur non adesset, quia mortuus est, vel in longinquum abiit, res non posset reddi domino suo mediatè, & ideò opus esset immediatè eam illi restituere, neque in tali casu locus esset possessori etiam bonæ fide consulendi indemnitati suæ, & ideò non excusaretur, si domino immediatè non restitueret; quarè ad argumentum negatur paritas, & consequentia, & planè hæc doctrina in possessore bonæ fidei præsertim nullatenus negari potest, quoniam ille cui res est ablata, non debet fieri melioris conditionis, quàm sit possessor bonæ fidei, cum unusquisque teneatur magis ex vinculo charitatis propriam vitare indemnitatem, quam proximi.

Dices, qui rem alienam ad statum meliorem deductam ex illo extraheret ad pejorem, faceret injuriam domino rei; sed res furata, quando pervenit ad possessorem bonæ fidei, pervenit ad statum meliorem, quam si apud furem remaneret; ergo illam reddere furi est eam extrahere à statu meliori ad pejorem, quod sine injuria domini fieri nequit. Respondetur cum Fabro loc. cit. possessorem bonæ fidei reddendo rem furi ad prætium suum recuperandum non extrahere rem de statu meliori ad deteriorem, sed eam relinquere in statu suo, in quo erat, circumscripto interesse suo, atque solum propriæ indemnitati consulere, a quam servandam unusquisque magis tenetur, quam proximi.

52 Secunda Difficultas est, cui sit restituenda res, quæ accipitur ab altero, etiam cum culpa illius v.g. cui sit restituendum pretium pro simonia acceptum, vel pro re aliqua spirituali, an, scilicet, illi, à quo accepta est, vel alteri. Ratio dubitandi est, quia ille qui turpiter dat hujusmodi pretium per ipsam voluntatem dandi à se dominium aufert, & per ipsam turpitudinem actus se reddit indignum, cui restitutio fieri debeat; ergo tale pretium non debet illi restitui, sed alteri. Quamvis autem hac ratione nonnulli dixerint tale pretium non deberi illi restitui, sed pauperibus, aut cui per sententiam Judicis applicatum fuerit: nihilominus probabilius videtur ex jure naturali, secluſa lege positiva, & Judicis sententia, si hujusmodi pretium ab accipiente retineri non possit, necessariò esse restituendum danti; post sententiam autem Judicis ei restitui deberi, cui per Judicis sententiam applicatum fuerit. Ità Caspensis tr. 18. d. 1. sect. 11. cum Navarro l. 4. de Rest. c. 2. & pluribus aliis. Ratio est, quia quando dans turpiter aliquod pretium re ipsa dominium in accipientem non transfert, illud apud seipsum retinere censetur, cum enim pretium illud aliquem habeat dominum, neque hic possit esse accipiens, quia nimirum per legem impeditus est, ne dominium accipere possit pretii per simoniam accepti, necessariò sequitur dominium illius pretii apud dantem adhuc remanere, ac proindè illi restituendum esse quousque per sententiam Judicis pretium illud applicetur Ecclesiæ, cui acceptio simoniaca est injuriosa,

Ad rationem dubitandi negandum est assumptum quoad utramque partem, quamvis enim dans pretium turpiter pro re spirituali voluntatem habuerit transferendi à se dominium

pretii illius in alterum; reipsa tamen illud à se non transfert, quia accipiens per legem declaratur talis dominii incapax, atque ideò opus est illud apud dantem remanere, atque illi restituendum ènte Judicis sententiam. Deindè turpitudo actionis dandi pretium pro re spirituali, licet sit ratio, ut in judicio negetur actio petendi illud pretium, & ut propter talem turpitudinem puniri possit; attamen antè sententiam Judicis non reddit hominem indignum, ut ei restitutio fiat, quia dominium rei à dante non aufert, ac proindè nec aufert, radicem debiti, & obligationis restituendi.

53 Tertia Difficultas est, An bona incerta sint restituenda, & cui; ubi notandum est cum Bonac. d. 1. qu. 3. punct. 4. ab initio bona incerta non solùm ea dici, quæ nullum unquam habuerunt dominum, ut sunt gemmæ, venæ metallorum, & hujusmodi, vel si dominum habuerunt, nunc amplius non habent, ut sunt thesauri, sed etiam intelligi ea, quæ de præsenti dominum habent, sed dominus ignoratur, ut sunt bona inventa, quorum dominus nescitur, vel bona, quæ ex contractu, vel injusta acceptione debentur, sed dominus ignoratur, vel creditor, cui facienda est restitutio, ut suprà diximus disp. 3. qu. 3. articul. 1. num. 52. & conveniunt omnes, quod si talia bona incerta habentur ex delicto v. g. furto, usura, & similibus, tunc sunt restituenda pauperibus, vel Ecclesiæ, Hospitali, & aliis locis piis, nam nomine pauperem non solùm privati medici intelliguntur, sed etiam loca pia, ut Ecclesiæ indigentes, Monasteria, Hospitalia pauperum &c. ut communiter Doctores explicant, quando ergo bona incerta habentur ex delicto, conveniunt omnes pauperibus esse restituenda, quia tunc debet fieri restitutio meliori modo, quo potest, ut saltem cùm corpori domini prodesse non possit, prosit ejus animæ, dùm in pauperes expenditur, ut dicebat Scotus l. c. Difficultas ergo solùm est, quando talia bona habentur sine delicto, vt si invenisti, vel à mercatore v. g. duas panni ulnas pro una per errorem accepisti, & iam ille discessit, nec scis quò abierit, & morali adhibita diligentia eum inquirendi, non invenisti; difficultas inquam est, cui in tali casu sit facienda restitutio, & an tenearis adhuc dare pauperibus.

54 Aliqui dixerunt in tali casu posse quemlibet sibi talia bona incerta retinere, postquam sufficienti adhibita diligentia non sit spes inveniendi dominum. Ità Scoto, Petrus Navarrus, Arragon. Lessius, Laymann, Diana, & alii, quæ quidem opinio sua probabilitate non caret, ut diximus loc. cit. cum nullo jure Ecclesiastico, nec naturali id prohibeatur, addunt tamen aliqui pro majori conscientiæ assecuratione, quod si egentia habentis talia bona non sit euidens, hæc applicatio ad seipsum non nisi cum consilio Confessarii, vel viri prudentis, & boni fieri debet, ut suprà dictum est num. 49. Communior tamen & certior opinio, quam docet Scotus noster l. c. est dicta res pauperibus erogandas esse, vel in alios pios usus insumendas, quia sic fit restitutio meliori modo, quo potest, & sic debet præsumi esse de voluntate dominorum, quia qui res illas amisit, earum dominus esse non desinit, atque ideò si ipsi restitui nequeunt, saltem illis restitui debent, quibus velle dominus præsumitur, nemo autem est, qui amissam rem suam, non velit potius dari pauperibus quam in alios usus expendi, undè si is, qui ad talem restitutionem tenetur, sit ipse quoque pauper, poterit ex hac eadem præsumptione illam sibi ipsi applicare, quia ipse non est deterioris conditionis, quàm sint alii pauperes, ut suprà dictum est, & in hoc præsertim sensu prima opinio veritatem habet. Ità Less. Molina, Rebellus, Bannes, Filliu. Turrianus, Bonacina, Stephanus, à S. Greg. & alii passim cum Scoto l. c. & D. Tho. 2. 2. q. 62. art. 3. ad 3

55 Quarta Difficultas est, An res inventæ debeant pauperibus errogari, pro cujus explicatione notandum est, res quæ inveniuntur triplicis esse generis. Primi generis sunt, quæ in viis, & aliis locis inveniuntur à propriis dominis amissæ, & ratione loci, temporis, ac aliarum circumstantiarum, quando inveniuntur, judicantur veros habere dominos, & de his jam dictum est juxtà communiorem, & probabiliorem si post diligentem inquisitionem dominus earum non inveniatur, pauperibus vel aliis piis operibus esse erogandas cum Doctore l. c. & in solutione ad 2. principale. Res inventæ secundi generis sunt, quæ nunquam dominum habuerunt, ut sunt lapilli, gemmæ, & alia; quæ aliquando reperiuntur in littore maris, & res hujusmodi inventæ stando in jure communi sunt primi inventoris. Ità habetur inst. de rerum divisione §. item lappilli. & ratio est, quia quæ nunquam fuerunt in bonis alicujus, sivè sub alicujus dominio sunt primò occupantis jure naturæ, ut habetur Inst. de rerum divisione §. feræ, & inter hæc bona, quæ domino carere dicuntur recensentur etiam illa, quæ in jure appellantur vacantia, & quæ pro derelictis habentur, quia nimirum à domino abiiciuntur, & deseruntur sine animo repetendi, hæc enim tunc domino vacant, ut dictum est disp. 3. q. 3. a. 1. n. 51. undè si quis in aliqua re mobili, vel immobili dominium habeat, & ob difficultatem eam colendi, vel conservandi derelinquat animo non repetendi, dicitur derelicta, & vacans, & ideò fit primò occupantis, vel apprehendentis, ut habetur in L. 1. ff. pro derelicto, & inst. de rerum divisione §. Alia sanè. Non tamen pro derelictis habentur merces, quas mercator in mare proicit è navi tempore tempestatis. & ratio est, quia qui in naufragio merces in mare proicit, non omninò voluntariè illas abiicit, sed voluntariè cùm involuntario permixto, quod dicitur voluntarium secundum quid, non simpliciter; undè Mercator semper habet animum eas recuperandi, si potuerit, & idem est, ac si quis onere grauatus aliquam partem in via dimitteret, undè nunc adest excommunicatio contrà eos, qui res Christianorum capiunt ex naufragio, nec eas Domino restituunt, ut habet cap. excommunic. de Raptoribus; & idem judicium ferendum de bonis in combustione domus incendio expositis, non ob id enim haberi debent pro derelictis ob eandem rationem, ut loc. c. dictum est.

56 Res tandem inventæ tertii generis sunt, quæ aliquando dominum habuerunt, quando tamen inveniuntur, probabiliter judicantur jam nullum habere, cujusmodi est thesaurus in visceribus terræ absconditus, vel communi loco occultus, qui deindè invenitur, & sermo est de thesauris propriè dictis, & non de illis, qui in aliquo loco ad custodiam deponuntur, quorum Dominus facilè sciri potest, undè thesaurus propriè sumptus est vetus depositio pecuniæ, cujus memoria non extat, ut viam dominum habeat ex L. *Nunquam* ff. de acquirendo rerum domino. Ubi per pecuniam non solùm nummi aurei vel argentei intelliguntur, sed etiam aliæ opes v. g. catenæ, gemmæ, & similia L. un. C. de Thesauris. De his itaque thesauris est difficultas, an sint primo invenientis, vel cujus sint, pro cujus resolutione etiam diximus loc. cit. num. 49. spectato jure naturali & gentium esse inventoris occupantis, si in hoc loco communi inveniantur, quæ enim nullius sunt fiunt primò occupantis; spectato autem jure civili thesaurus in proprio fundo inventus totus est inventoris, ut patet ex Instit. de rerum divisione, & L. un. C. de thesauris, si verò, in alieno, etiamsi is fundus Principis fuerit, si fortuitò sit repertus dimidium est inventoris, & dimidium domini fundi, ut habetur utroque loc. c. si autem de industria sit quæsitus sine consensu Domini, totus erit domini, sive Dominus fundi sit Princeps, sivè privata persona, ut ex ejusdem juribus citatis constat. Quod si fundus sit sub duplici Domino utili, scilicet, & directo, inventor potest sibi retinere dimidium, reliquum verò dimidium inter condominos dividendum est ejusdem juribus, si tandem thesaurus inventus est arte magica, nihil est inventoris, sed totus fisco est applicandus stando in jure communi civili, ut habetur L. un. cit. C. de thesauris, & L. nemo C. de maleficiis, & hoc de thesauris dicendum est spectato jure communi. Verum ultrà jus commune, ut loc. cit. dicebamus spectandæ sunt etiam leges, & consuetudines propriæ Regnorum, ac regionum, in quibus variè esse solent, ut communiter Doctores advertunt, & ille sunt observandæ, quorum tamen nonnulli addunt, ut Soto, Sylvester, Lessius, Stephanus à S. Greg. & alii, quod consuetudo, ut thesaurus sit Principis, vel Reipublicæ, ubicunque inventus sit, non obligat in conscientia; cùm juri naturali sit valdè dissonans. Ità de thesaurorum restitutione discurrunt Navarr. Molina, Salonius, Filliucius, Turrianus, Vasquez, Bonacina, Aretinus ex nostris l. c. a. 8. & alii.

57 Quinta Difficultas est, An acquisita per errorem sint restituenda, & cui, pro cujus solutione supponendum est, errorem posse esse circà personam, & circà rem, ut cum quis donat Titio putans donare Cajo, vel putat donare rem suam, & donat alienam, aut putans donare aurichalcum, & donat aurum, qui dicitur error in substantia rei. Potest etiam prædictus error esse tantùm circà qualitatem personæ, & rei, ut cum quis putat donare pauperi, consanguineo, & donat diviti, & extraneo, vel putat donare vestem veterem, & laceram, & donat novam. Quando error est in persona, omnes conveniunt dationem, & donationem esse nullam, & consequenter qui rem sic acquisivit ad restitutionem tenetur ex L. Cajus per errorem ff. de regalis juris. & ratio est, quia sic acceptum dicitur involuntariè datum, & idem dicendum est, quando error est in substantia rei ob eandem causam. Quando autem error est tantùm circà qualitatem personæ, vel rei dicunt aliqui sic accepta per errorem non esse restitutioni obnoxia, quod probant exemplo matrimonii, nam si quis putans accipere nobilem, vel divitem accipiat ignobilem, vel pauperem, non ideò contractum solvere potest, quia est tantùm error in qualitate, & non in substantia. Ità Azorius 3. p. lib. 4. cap. 22. in princ. Stephanus à S. Greg. lib. 1. de Rest. capit. 3. n. 22. & quidam alii. Sed melius dicendum est cum Fabro nostro c. 4. cit. n. 131 & ex doctrina jam in simili allata a. præc. n. 42. quod si conditio illa, & qualitas in re vel persona est ratio donationis,

tionis, & donativis, si illa non adest, vel est ficta, donatio est nulla, ut patet de eo, qui Petro suam legavit hæreditatem putans esse propinquum, & de eo qui vestem novam donavit putans esse laceram, & veterem, atque ideò ob eandem rationem qui sic rem per errorem in qualitate accepit, ad restitutionem tenetur vel danti, vel pauperibus, si hic decessit, ut dictum est suprà n. 42. de accipiente eleemosynam per simulationem pauperatis. Ad rationem in oppositum dicendum est cum Fabro l. c. & ex jam dictis à nobis l. 4. sent. d. 7. de Matrimonio quisparem esse rationem de nobilitate, & ignobilitate, divitiis, & paupertate in præsenti casu, ac in matrimonii contractu; quia qualitates illæ nequeunt esse causa sufficiens contractus matrimonialis, qui enim contrahit, jam scit, vel scire supponitur, errorem in tali conditione, & qualitate; contractum matrimonii non impedire, & hoc ex legibus communibus de Matrimonio, sed solùm errore personæ. In proposito autem ut constat ex superius dictis, qualitas personæ, vel rei potest esse ratio, & causa finalis, & præcisa donationis, vel contractus, & ideo cùm error in tali conditione contingit, & qualitate, donatio, & datio nulla reputatur.

QUÆSTIO TERTIA.

De aliis circumstantiis Restitutionis.

58 POstquam Doctor l. c. declaravit, quis restituere teneatur, quid sit restituendum, & cui restitutio facienda, prosequitur deindè §. *De quinto* explicationem aliarum circumstantiarum restitutionis, præsertim verò temporis, quando, scilicet, facienda est restitutio, an, scilicet, facienda sit statim, vel tempore opportuno. & cùm superius dictum sit ex triplici capite, vel radice obligationem restituendi oriri posse, nimirum ex re accepta, ex injusta acceptione, & ex contractu; hic non loquemur de obligatione restituendi præcisè ratione contractus; tùm quia certum est contractum non semper ad restitutionem obligare, sed solùm juxtà tempus in contractu præfixum, tùm quia hæc dicitur restitutio, si nomen restitutionis latè accipiatur pro redditione, scilicet, rei debitæ ad æqualitatem; sed solùm agemus de obligatione restituendi, quæ ex re accepta nascitur, ac injusta acceptione, hæc enim est restitutio strictè sumpta, de qua in hoc tractatu differitur, in quam etiam recidit obligatio ex contractu, quando jam transactus est dies solutioni constitutus.

ARTICULUS PRIMUS.

Quo tempore, quo ordine, & quibus expensis facienda sit restitutio.

59 CIrcà primum, communis sententia omnium Doctorum est cum Scoto l. c. obstrictum onere restituendi ratione rei acceptæ, vel injustæ acceptionis, aut detentionis teneri restituere statim quamprimum commodè potest, nisi dilationem à creditore obtineat, aut nisi creditor sit irrationabiliter invitus, & ad differendum restitutionem sit aliqua causa excusans, quas infrà exponemus. Ratio est quia præceptum restitutionis vel est negativum, ut supra ostensum est, vel saltem involuit, & includit præceptum negativum aliquo modo non retinendi alienum, ratione cujus reducitur ad illud Decalogi præceptum *Non furaberis*; sed præceptum negativum obligat semper, & statim ac commodè adimpleri potest; ergo nec momento temporis rem alienam detinere licebit, sicut enim aliquid invito domino accipere peccatum est contrà justitiam, ità etiam aliquid invito rationabiliter domino retinere, undè habetur regula ex jure Civili *quod debetur sine termini præfixione statim debetur* ff. de re judic. & l. eum, qui §. quoties de verb. obligat. quod verò dicitur statim restituendum esse notat Doctor l. c. aliter intelligendum esse de actu mentis interno, aliter de externo; siquidem quoad actum internum, seù animi præparationem, & restituendi voluntatem, intelligitur mathematicè, idest, quam primum in mente alicujus venerit esse in debito rei alienæ, tenetur statim animum habere restituendi data opportunitate; quò verò ad actum exteriorem, seù restitutionis executionem, illud statim non mathematicè, idest, quasi in instanti, & indivisibiliter intelligendum est, sed moraliter; potest namque opportunitatem restituendi expectare absque dolo, & fraude; undè qui in lecto decumbit, vel ad mensam, aut missam adsit, si recordatur se ad aliquam teneri restitutionem, non tenetur illicò è lecto surgere, aut à missa, vel mensa recedere, ut restitutionem faciat, modò modica illa dilatio in detrimentum creditoris non vergat; sed sufficit, ut restituat, cùm principium restituendi opportunitatem nactus fuerit; cùm enim redditio exterior sit quidam actus positivus ad ejus executionem mora temporis egens, ideò opus est quod hoc præceptum restituendi non obliget mathematicè, & pro tempore indivisibili, sed pro illo quod ad alienum reddendum moraliter sufficit; qui autem data opportunitate statim restituere potest, & non restituit, incipit esse in mora, ac consequenter in culpa. Ità Azorius, Rebellus, Valentia, Clavis regia, Cajet. Navarr. Bonac. Caspensis, Molina, Faber, & Aretinus ex nostris, quæ doctrina deducitur ex Scoto loc. c. ubi cùm sibi objecisset, quod restituere est actus præcepti negativi, ad cujus observationem tenetur quilibet semper, & pro semper.

Respondet, quod tenere alienum injustè, idest, invito domino est semper prohibitum, & ideò semper, & pro semper oportet non tenere isto modo; sed quando aliquis habet voluntatem restituendi pro tempore opportuno, ex tunc tenetur domino volente, & si non actu elicito, tamen actu debito, quia dominus debet velle, quod qui suum habeat, teneat quousque possit reddere opportunè.

60 Ad hoc autem magis declarandum inquit Doctor in quibusdam casibus quandoque licere restitutionem exteriorem differre, suppositâ tamen jam interiori, scilicet, voluntate restituendi, cùm circumstantiæ opportunæ occurrerint; illi autem casus, inquit Doctor, universaliter continentur sub hac maxima, *licet detinere rem alienam, quando ille, cujus est, debet velle rationabiliter detineri*, undè descendendo ad particularia, quando aliquis redditur impotens ob nimiam egestatem, pro illo tunc à restitutione excusatur, donec ad pinguiorem fortunam pervenerit; item si restitutio non nisi cum summa difficultate, aut notabili restituentis detrimento fieri possit, tunc enim, si is cui facienda est, nullum detrimentum patitur, per aliquod tempus differi poterit; similiter quando restitutio esset in diffamationem restituentis, aut esset in præjudicium Reipublicæ, aut communitatis, aut ipsius creditoris, in his enim, & similibus casibus debet creditor rationabiliter velle, ut non fiat sibi restitutio statim, quousque periculis aditus præcludatur; quilibet enim lege charitatis tenetur magnam bonorum proximi jacturam vitare, si sine detrimento ullo, vel cum pauco suorum bonorum id potest. Et denique potest restitutio differri, si is, cui restitutio facenda est, expresè, vel tacitè in ejus dilationem consentiat, vel saltem eam non multum ægrè ferat; secus verò si debitum repetat, ac debitorem urgeat, vel quamvis ob aliquem metum illum urgere non audeat, debitori tamen notum sit illum invito animo talem ferre dilationem; tunc enim absque dubio peccabit, si debitum non restituat, cùm possit, & quo magis differt, gravius peccat, & quoties occasio commoda se offert restituendi, & non illam restituit, aut advertere non curat, mortaliter rursus peccat. Hinc deducit Abellius quæstion. 3. de septimo Decalogi præcepto aliquos interdum graviter contrà justitiam peccare, qui notabilem aliquam summam operariis, artificibus, vel mercatoribus debentes per diuturnum aliquod tempus solvere debita non curant, quamvis commodè possint, multasque alias inutiles, ac superfluas expensas neglectis creditoribus faciunt; quocircà Levitic. 16. præcipitur sollicita solutio mercedis servis, & operariis. *Non morabitur apud te opus mercenarii usque manè*, ac si apertè diceret, mercedem debitam servis, & operariis statim reddes.

61 Sed objicies etiam in prædictis casibus contingere posse, quod res aliena detineatur invito domino, quando scilicet Dominus absolutè nollet, quod per quantumcumque tempus teneatur suum. Respondet Doctor loc. cit. quod domino malè, & inordinatè volente statim rehabere suum, & per consequens inordinatè nolente proximum suum illud tenere, debitor non est tenens injustus, quia etiam depositum, de cujus redditione est lex strictissima potest teneri licitè domino invito voluntate inordinata; undè quando retentio rei alienæ invito domino dicitur esse peccaminosa, & contrà septimum Decalogi præceptum, hoc intelligitur de domino rationabiliter, & ordinatè invito, non autem irrationabiliter, & inordinatè, & sic etiam cum Doctore respondet Astesanus noster lib. 5. tit. 29. artic. 4. Quando igitur quis scit se teneri ad restitutionem, cùm possit in vita, non vult restituere domino rationabiliter invito, nisi in articulo mortis, vel post mortem per hæredes, absolvi non potest, nec debet, quia semper est in actuali peccato, & impœnitens; imò si fuerit in articulo mortis, debet illam per se facere si possit, aliter nec est absolvendus, quamvis relinquat faciendam esse post ejus obitum, nisi id ageret ad evitandum scandalum, & infamiam. Ità Navarrus, Azor. Soto, Salonius, Sairus, Bonacina, Trullus, Stephanus à S. Greg. & alii passim.

62 Circà secundum, scilicet, de ordine in restitutione servando, certum est apud omnes, quod si debitor habeat in bonis,

nis, quantum satis est, ut omnibus, & singulis creditoribus satisfaciat, nullus certus ordo in facienda restitutione necessarius est, dummodo omnibus satisfaciat. Quod si bona ejus ad id minime sufficiant, conveniunt communiter omnes debita certa, prius solvenda esse, hoc est, quorum domini cognoscuntur, quàm incerta, quia illa jure naturæ suis debentur dominis, hæc autem jure solo positivo pauperibus eroganda; & ex debitis certis prius reddenda esse illa, quæ extant, quia eorum dominium manet apud creditorem, & non transivit in possessorem, ut depositum, commodata, locata &c. ex debitis autem certis, quæ non extant, prius dicunt solvenda esse illa, quæ privilegiata dicuntur, ut dos uxoris &c. Deindè alia, quæ sunt antiquiora juxtà regulam juris, *Qui prior est tempore, potior est jure*, quæ regula hanc exceptionem admittit secundum aliquos, ut si creditorum aliquis gravem necessitatem patiatur, aliis præferri possit etiam antiquioribus; tunc enim charitatis ordo postulare videtur, ut illi prius, quam aliis debitum solvatur ratione necessitatis, quam patitur. Rursus inter debita, quæ ex titulo oriuntur oneroso, illa pro quibus res aliquæ pro hypothecam, vel pignoris contractum obligantur præferenda, & solvenda sunt ante alia debita personalia, quæ nimirum securitatem non habent pignoris, aut hypothecæ, sed tantùm actionem in personam. & ratio est, quia creditor, cui res aliqua obligatur per prædictos contractus, præter jus personale, quod in personam debitoris habet, habet præterea jus quoddam in re obligata, ut ex illa particulari sibi satisfacere possit, quod jus alii creditores non habent. Quando autem plures creditores in eadem re hujusmodi securitatem habent, qui habet expressam hypothecam præferendus est illis, qui tantùm tacitam habent; & tandem, quando cætera sunt paria præfertur antiquior virtute regulæ juris jam allatæ, quod prior tempore potior etiam est jure. Tandem in reliquis debitis solvendis servandum est jus particulare locorum, si tale sit, ut juri naturæ non repugnet, si nullum sit, sequendum est jus commune. Ità DD. præcitati, & præsertim Valent. disput. 5. quæst. 6. p. 10.

63 Quæstio tamen est inter Doctores, an inter debita ex delicto, & contractu oneroso sit ordo servandus in solutione. Prima opinio affirmat, & aliqui dicunt debitum ex delicto prius esse solvendum, quorum fundamentum est, quia à majori injuria prius recedendum est, quàm à minori, sed major injuria est, quæ provenit ex delicto, scilicet ex commissione furti, quam quæ provenit ex contractu ab existente in mora solutionis; qui enim aufert rem alienam delicto peccat duplici peccato, scilicet, retentione rei alienæ, & injuria facta proximo; ergo &c. Ità Medina de Restit. quæst. 2. dub. 5. qui citat D. Bonaventuram, & D. Thomam opusc. 73. cap. 18. Alii è contrà dicunt debita ex delicto ex jure naturali, quia non sunt accipienda aliena invito domino, ut restituantur etiam alia aliena malè accepta; ergo non sunt restituenda domino invito, quæ illi ex contractu debentur, ut solvantur debita ex furto, nam non restituere accepta ex contractu, ut restituantur accepta furto perindè est, ac si accipiantur aliena, ut restituatur ablata. Ità Cajetan. Navarrus, & alii.

64 Opposita sententia docet nullum ordinem in foro conscientiæ servandum esse, sivè debita sint ex contractu licito oneroso, sivè ex delicto contracta. & ratio est, quia neutrum ex his debitis ex jure naturæ, aut positivo præferri debet alteri, sed prius satisfaciendum est ei, qui est potior in jure, ille autem est potior in jure, qui est prior, & antiquior creditor. Undè si prius tempore furatus es rem Titio, quam contraxeris debitum cum Cajo ex contractu licito oneroso, ratio postulat, ut prius satisfacias Titio, quam Cajo, & è contrà si prius ex contractu debitum cum Cajo contraxisti, quàm furatus fis rem Titio, prius Cajo restituere debes, quàm Titio. Nec ratio allata pro primo dicendi modo urget, quia si quis furatus est Titio centum, & Cajo quinquaginta, quamvis major fuerit injuria Titio illata, non ideò ejus debitum præferri debet in solutione, si Cajus est potior jure, hoc est, prior, & antiquior creditor. Accidit quod major injuria absolutè loquendo videtur fieri creditori ex contractu, quam ex delicto quoniam debitor ultrà injustitiam retinendi rem alienam, etiam contrà virtutem fidelitatis operaretur, quia promisit in contractu solvere, & non solvit. Nec etiam urget ratio allata pro oppositi dicendi modo, nam qui oppositam teneret opinionem pariter dicere posset, quod non restituere creditori ex delicto, ut restituatur creditori ex contractu perindè est ac furari, & rapere, ut pro re aliena satisfaciat, undè pro parte adversa idem quoque argumentum fieri posset, scilicet, non esse accipienda aliena, ut solvantur debita ex contractu, atque adeò prius solvenda esse debita ex delicto. Ità Gabriel, Sylvester, Azorius, Arragonius, Lessius, Vasquez, Molina, Bannes, Amicus, Caspensis, Stephanus à Gregorio, & ex nostris Faber disp. 50. c. c. 7. & est communior, ac probabilior. Alia quædam dubiola minoris momenti circà hoc punctum videri possunt apud Fabrum loc cit.

65 Quinam autem ordo servandus sit in restitutione faciendæ inter personas ipsas, quæ damnum intulerunt, quarum aliquæ principaliter, & aliquæ minus principaliter ad restitutionem tenentur, facilè deduci potest ex dictis quæst. præced. a. 1. declarando, qui nam ad restitutionem teneantur, etiam ut benè discurrit Bonacina disp. 1. de Rest. in genere quæst. 8. punct. 1. principaliter, & primo loco ad restitutionem tenetur, qui rem alienam habet apud se extantem formaliter, vel in æquivalenti, quia res aliena extans in se, vel in effectu nullo justo titulo retineri potest, semperque pro domino suo clamat. Secundo loco inter cooperantes ad damnum ille principaliter ad restitutionem tenetur, qui damnum præcipit & auctoritatem habet suprà illum, cui delictum præcipit, ut dominus respectu famuli, pater respectu filii &c. & ratio est, quia præcipiens se habet, ut causa principalis, exequens verò ut instrumentalis. Tertiò post causa præcipientem tenetur exequens, qui per seipsum physicè ad delictum patrandum cooperatus est; quia causa physicè exequens habet magis rationem causæ, quàm habeat causa moralis, quæ per consilium, vel per mandatum influxit. Quartò post exequentem principaliter tenetur consulens, & mandans. Quintò post consulentem, & mandantem tenetur principaliter receptator. Sextò tandem post receptatorem principaliter tenetur non impediens, & non manifestans, qui ex officio impedire, vel manifestare tenebatur. Ità Bonacina loc. cit. citans D. Thomam, Clavem regiam, Petrum Navarrum, Vasquez, & alios. Probabilior tamen mihi videtur, ac doctrinæ Scoti conformior loc. cit. traditæ opinio Lessii, Molinæ, Azorii, & aliorum asserentium inter consentientem, consulentem, animantem, recipientem, & alias causas secundarias non esse ullum ordinem, ideoque una ex prædictis causis in totum restituente, reliquæ manent liberæ à debito in comparatione ad illum damnificatum, alii tamen tenentur pro rata portionis, quæ eos contingit, illi qui pro omnibus satisfecit, quamvis enim singulæ teneantur in solidum in defectum aliarum, nihilominus omnes simul tenentur æqualiter contribuere, & æquis portionibus ad restitutionem concurrere, quia non videtur una magis, vel principalius, quam alia, in damnum influere, ut declaratum est qu. 2. citat. art. 1. num. 25.

66 Circà tertium quibus nimirum expensis facienda sit restitutio. Difficultas hæc alio modo etiam proponi solet, scilicet, in quo loco fieri debeat restitutio, etenim ut Doctor advertit loc. cit. § *de quarto* lit. DD. sæpè dominus est absens, nec potest ad illum res mitti sine expensis, & aliquando nec conservari potest usque ad illius adventum, quarè circumstantia loci in restitutione debiti consideranda est propter expensas, quæ sæpè necessariæ sunt ad restituendum alienum in tali loco. Quoniam igitur, ut sæpè diximus, ex tripliçi radice restitutionis obligatio oriri solet, nimirum, ex injusta acceptione, vel ratione rei acceptæ sine ullo peccato injustitiæ, vel tandem ex solo contractu. Dicendum est, quando restitutio debetur solùm ratione rei acceptæ sine ullo peccato injustitiæ, tunc restitutionem expensis creditoris esse faciendam sine ullo debitoris detrimento, & in loco, ubi reperitur apud possessorem bonæ fidei, nec tenetur suis expensis illam domino mittere, ita colligitur ex L. *Si in Asia* §. Depositum ff. depositi, & ratio est, quia possessor bonæ fidei stante bona fide, ad nullum damnum subeundum tenetur, neque cum proprio damno constituere dominum in primum statum, sed tantùm tenetur se abdicare dominio rei, ubi primum cognovit illam non esse suam; undè si dominus est absens, poterit eam dare in custodiam boni viri, & interim litteris dominum admonere, ut disponat, quid de illa re agendum sit, & si talis possessor bonæ fidei in aliam partem discendere cogatur, nec confidentem habeat, cui eam in custodiam relinquere possit, debet expensas in asportatione rei factas, ac in ea conservanda à vero domino repetere, ut habetur in l. 2. de negotiis gestis; quod si dominus admoneri non possit, nec ejus speretur adventus, poterit res illa consanguineis tradi, vel pauperibus, prout melius de voluntate domini præsumi potest. Ità Lessius, Vasquez, Rebellus, Navarrus, Clavis regia, Amic. Steph. à S. Greg. Caspensis, & alii passim.

67 Quando autem res est debita ratione injustæ acceptionis, restituenda est expensis debitoris, & in loco ubi dominus illam possessurus erat, si ei ablata non fuisset. & ratio est, quia dominus rei ex delicto furis, seù malæ fidei possessoris damnum reportare non debet, & incommodum expensarum, atque ideò, non solum rem sublatam restituere tenetur, sed etiam omnes illas expensas facere, quæ necessariæ sunt, ut dominus in antiquam rei suæ possessionem restituatur, quoniam ad omne id tenetur injustus acceptor, cujus fuit injusta causa, non solùm autē ablationis rei causa injusta fuit, sed omniū etiam expensarū qua

neces-

necessariæ sunt, ut dominus in pristinam suæ rei possessionem restituatur, & ideò sibi damnum imputet, qui furtum commisit. Ità Doctores omnes supracitati; qui tamen advertunt cum Scoto l. c. quod si expensæ ad restitutionem necessariæ fuerint duplo, vel triplo majores, quam res ipsa; quæ restitui debet, tunc ex rationabili interpretatione voluntatis domini, si nulla fuerit spes ad restituendum ob longam domini absentiam, poterit illa dari consanguineis in hæreditate successuris, vel pauperibus, quia, ut inquit Doctor loc. cit. cui non potest temporaliter reddi, redditur, spiritualiter, redditio autem spiritualis fit maximè reddendo pauperibus pro illo. Sed quamvis hoc idem sentiat etiam D. Thomas 2. 2. q. 62. art. 5. ad 3. Cajetanus tamen Soto, Azorius, & quidam alii Thomistæ absolutè asserunt restitutionem esse faciendam expensis furis, quæcunque illæ sint necessariæ; etiamsi majores sint, quàm res ipsa valeat. & ratio eorum est, quia possessor malæ fidei sibi imputare debet, quod hujusmodi expensas facere cogatur, neque enim dominus rei damnificatus debet damnum pati ex hoc, quod impensæ in mittendo rem suam sibi majores sint, quàm res ipsa valeat; addunt tamen expensas subtrahi posse, quas dominus rei fecisset in asportando illam ex domicilio in domicilium, vel ex uno loco in alium.

68 Hoc tamen benè rejicitur à Fabro nostro disp. 50. cit. c. 4. n. 142. ut irrationabile prorsus; ex hoc enim sequeretur, quod si v. g. Cajus centum aureos sit Mevio furatus, qui quidem Mercator sit ditissimus, & ex Italia sit jam Indiam profectus cum sua familia ibi commoraturus semper, Cajus teneretur in Indiam mittere suis expensis centum illos aureos, etiamsi in hujusmodi missione mille aurei essent expendendi; quod planè nemo cordatus assereret, quia dominus in tali casu præsumi non potest rationabiliter velle, ut cum tali, & tanto proximi damno hæc pecunia reddatur; licet enim ex justitia Cajus centum illos aureos Mevio restituere teneatur; ad hoc tamen præceptum justitiæ non obligat cum tanto debitoris detrimento, sicut nec obligat cum periculo amissionis famæ, vel vitæ; charitas enim, qua proximum diligere tenemur, non patitur, ut dominus pro tam modico damno velit tam magnum proximi detrimentum. Ex qua doctrina occurrit etiam Faber rationi Cajetani, quia dominus rei, vel damnificatus tantum debitoris damnum pro tam parvo utili suo licitè velle nequit, & ideò debitor tunc invito domino rem ejus detinere non præsumitur, neque justitiæ præceptum in tali casu eum ad restitutionem obligat cum tanto detrimento, esset enim restitutio cum maxima creditoris, & debitoris inæqualitate, atque ideò in tali casu facienda esset restitutio spiritualiter pauperibus rem distribuendo, vel in aliquod pium opus erogando, ut docent D. Thomas, & Scotus loc. cit. & hoc idem docet Bonacina cum pluribus aliis ab ipso citatis disp. 1. de Rest. quæst. 4. punc. un. num. 5. ubi dicit debitorem non teneri ad restitutionem, quando longè majoris expensæ sunt faciendæ, quàm res ipsa valeat, quia restitutio fit, ut servetur æqualitas; magna autem esset inæqualitas, si debitor restituere cogeretur cùm longè majoribus expensis, quàm res ipsa valeat; nec dominus præsumitur rationabiliter velle cum tanto debitoris gravamine, sibi restitutionem fieri; undè in tali casu potest restitutionem differre, donec illam absque suo tanto detrimento facere valeat. Quod si spe destituatur credens se numquam posse absque tanto detrimento restitutionem facere, ait præfatus Auctor debere rem restitutioni obnoxiam in pauperes, vel in alia opera pia erogare pro anima illius, ad quam res pertinent, quia hæc censetur rationabilis domini voluntas, pro quo dicendi modo, tanquam probabiliori citat Clavem regiam, Salonium, Arragonium, Lessium, Molinam, Filliucium, & alios.

69 Denique quando obligatio restituendi oritur ex contractu, diversimodè solvenda est quæstio juxtà diversam contractus naturam. Undè res, quæ ex depositò debetur, si nulla depositarii culpa interveniat, restituenda est expensis deponentis, & in loco, ubi depositarius eam custodiendam accepit, ut habetur L. cit. *Si in Asia* ff. depositis. & ratio est, quia cùm depositum sit in solius deponentis commodum, ipsius tantùm expensis, & non depositarii restituendum erit, siquidem contractus depositi solùm obligat, ut depositum bona fide custodiatur, non verò ut aliquid ad illud restituendum expendatur; è contra verò commodatum restituendum est expensis solius commodatarii, si aliquæ ad talem restitutionem faciendam sunt necessariæ. & ratio est, quia cum commodatum sit in solius commodatarii utilitatem, ipsius expensis, non autem commodantis restituendum est juxtà regulam juris, qui sentit commodum, pariter, & incommodum sentire debet. Restitui etiam debet commodatum in loco, ubi accipitur, undè si dominus aliò migravit, non tenetur commodatarius suis expensis eò transmittere, sed illud solùm in eo loco consignare, ubi ipse accepit. & idem est dicendum de mutuo, quia cùm hoc etiam in solius mutuatarii utilitatem redundet, expensis ipsius restituendum erit, & in loco, ubi ipse accepit. Tandem quæ ex contractu permutationis debentur, in qua una res pro alia substituitur, solvenda sunt non in loco, ubi contractus celebretur, sed ubi res traditur, & secundum æstimationem illius loci, ubi traditur; ex mutua tamen contrahentium conventione possunt res permutandæ in diversis restitui locis, adhuc salva lege justitiæ, quia utrique contrahentium commodum esse posset, ut res uni tradatur in uno loco secundum illius loci æstimationem, & alteri pro ea substituatur alia in alio loco secundum ejus loci æstimationem, ut si quis hic Meldulæ modium tritici tradat, ut pro illo tantum vini Cæsenæ accipiat. Ità Vasquez de restitut. cap. 10. dub. 10. Lessius dub. 8. Amicus disp. 40. sect. 4 qui alios citant. Alia plura ad hanc materiam spectantia videri possunt apud Card. de Lugo tom. 1. de Just. & Jure disp. 20.

ARTICULUS SECUNDUS.

De causis à restitutione excusantibus, vel omninò, vel ad tempus.

70 QUamvis præceptum restituendi statim obliget modo jam explicato, aliquæ tamen esse possunt causæ, ob quas quis à restitutione excusetur, vel omninò, vel saltem ad tempus, itaut actus restituendi sine peccato differri possit, quæ hic breviter sunt examinandæ, & explicandæ cum Scoto a. 4. c. ubi circà finem articuli quatuor vel quinque casus præsertim enumerat, in quibus debitor licitè potest restitutionem differre, ut insinuatum est art. præced. n. 60. & modò ex professo declarandum est, ac etiam Faber advertit disp. 50. c. cap. 5. n. 169.

Primus casus est, quando actualis restitutio esset in præjudicium Reipublicæ, vel ipsius damnificati, quod Doctores passim vulgari exemplo declarare solent illius, qui apud aliquem gladium, & arma sua deposuit, & posteà factus insanus ea repetit, ut aliquem occidat, aut lædat, nam in tali casu depositarius non tenetur, nec debet restituere, sed restitutionem differre. Ratio autem, cur differri possit restitutio, quando creditur allatura grave damnum alteri, vel etiam ipsi creditori, est quia creditor in hujusmodi casu non censetur rationabiliter invitus, cùm ex æquitate, & charitate teneatur dilationem pati ad evitandum grave damnum proximi, ac etiam sui ipsius; qua ratione etiam dicunt Principi pecuniam petenti apud Titium depositam, ut abutatur ad bellum injustum, illum teneri denegare, & solutionem differre, nam restitutio differenda est, quando alteri grave damnum est allatura. Ità Doctores communiter, Molina, Navarrus, Azorius, Lessius, Valentia, Rebellus, & plures alii apud Bonacinam disp. 1. de Rest. q. ult. punct. 1. Difficultas tamen est, an debitor peccet contra justitiam, & ad restitutionem teneatur, quando creditori exigenti restituit rem illi debitam prævidens illum ea aburum in damnum proximi. Molina tom. 3. disp. 755. cum quibusdam aliis, quibus ex nostris videtur adhærere Faber loc. cit. sentiunt in tali casu non peccare contrà justitiam, sed solùm contrà charitatem, & consequenter ad restitutionem non teneri, quorum ratio est, quia debitor in tali casu facit actionem ex justitia debitam, quamvis indè per accidens sequatur alteri damnum, quod debitor non intendit; & ob id dicunt peccare solùm contra charitatem non impediendo damnum, quod ex charitate impedire tenebatur. Oppositum tamen docet Bonacina cum pluribus aliis l. c. & ratio est, quia præbens instrumentum ad furandum, vel aliud damnum proximo inferendum non dicitur actionem præstare indifferentem, sed actionem injustam, & ad restitutionem obligantem; at qui restituit aliquid creditori, quo ipsum credit abusurum in damnum proximi, instrumenta ad damnum proximi inferendum præbere præsumitur; ergo &c. & hic dicendi modus mihi quoque probabilior videtur.

71 Secundus Casus est, quando restitutio esset in diffamationem restituentis, in tali enim casu inquit Doctor, quem communiter alii sequuntur debitorem non teneri ad restitutionem pecuniæ, vel alterius rei temporalis cum notabili jactura honoris, & famæ, sed posse illam differre, & omittere, donec tale periculum cesset. Ratio est, quia nullus ad restitutionem tenetur, quando dominus non est rationabiliter invitus, potest enim debitor solutionem differre, vel omittere, quoties rationabiliter creditor debet velle ipsam differri, vel omitti; ut constat ex regula generali ex Scoto superius tradita, & ab omnibus plausibiliter recepta, & approbata; sed quando debitor bona inferioris ordinis restituere nequit absq; notabili detrimento bonorum superioris ordinis, dominus non censetur rationabiliter invitus; ergo &c. major patet ex regula generali assignata; minor probatur, ex regula namque charitatis, & æquitatis quilibet tenetur magis

velle

velle tamam, & honorem proximi, quàm suum temporale commodum, bona siquidem superioris ordinis bonis inferioris ordinis sunt præferenda; fama autem, & honor sunt bona superioris ordinis, bona verò fortunæ inferioris. Innuit tamen Doctor tale periculum jacturæ bonorum debere esse notabile, ut etiam advertit Bonacina cum aliis loc. cit. undè si debitor sine notabili jactura bonorum superioris ordinis restituere potest, ad restitutionem tenetur, nec ab ea excusatur, quia dominus læsus in tali casu circà solutionis dilationem rationabiliter invitus censetur; undè infamatus v. g. ob aliqua furta præcedentia tenetur ad restitutionem damni alteri illati per aliud furtum subsequens, etiamsi hoc posterius occultum esset, & quamvis periculum infamiæ restituendo subeat; in tali enim casu notabilem infamiam pati non videtur, cùm jam famam amiserit ob alia furta præcedentia nota. E' contrà verò fœmina honesta, quæ filium ex adulterio suscepit, hujusmodi adulterium manifestare non tenetur ad impediendum damnum filiorum legitimorum, si ex tali manifestatione vitæ, vel famæ periculum incurrat, quamvis etiam sciret conjugis hæreditatem inter filium spurium, & legitimos æquis portionibus dividendam esse, nam hæreditas inter bona inferioris ordinis recensetur, fama verò, & vita inter bona superioris ordinis, quæ pro bonis ordinis inferioris non sunt periculo exponenda. Addit tamen Doctor sub lit. FF. magis hunc casum declarando, quod qui non potest per seipsum restituere absque detrimento famæ vel corporis, restitutionem facere debet per Confessarium, vel per alium virum fidelem, si hoc modo restituendo periculum famæ, vel vitæ non adsit, tunc enim rationes differendi solutionem cessant, & restitutionis præceptum urget ad satisfaciendum creditori obligans, & ad sumenda media ad hoc necessaria. & ità cum Scoto discurrit Bonac. l. c. cum aliis supracitatis. Faber ex nostris l. c. & Aret. a. 4.

72 Affirmant tamen nonnulli bona fortunæ aliquando restituenda esse cum detrimento famæ, aut vitæ, & similiter bonum famæ aliquando restituendum esse cum damno vitæ; nimirum quando esset magna summa restituenda, vel alicujus nobilis personæ fama cum detrimento vitæ hominis privati, & ignobilis; quia fieri potest, inquiunt, ut bonum inferioris ordinis adeò in suo genere crescat, ut superet bonum ordinis superioris, sicut in bonis fortunæ multitudo argenti æstimationem minoris quantitatis auri superare potest; licet hoc in suo genere, & ordine majus sit bonum. Undè dicunt, distinctionem illam bonorum in tres ordines, in quorum primo sunt bona vitæ, in secundo fama, & honor, in tertio pecunia, & alia fortunæ bona, estò sit amittenda; quia ex natura rei desumitur, in rebus tamen moralibus non ità extendi debere, ut regula generalis esse debeat, quod nemo rem inferioris ordinis restituere debeat cum detrimento rei superioris ordinis; ità quod cum fama sit ordinis Superioris, nemo teneatur pecuniam ablatam restituere, quæ est ordinis inferioris, cum illius detrimento, quoniam magna res pecuniaria plus valet, & æstimatur, quàm exigua fama, sicut licet aurum ex suo genere sit longè pretiosius plumbo, tamen viginti pondera plumbi adhuc plus æstimantur, quàm unus gradus auri, & ideò qui maximam pecuniæ quantitatem surripuit, si aliter restituere nequeat, quàm cum propriæ famæ detrimento, adhuc restituere tenetur, maximè quando damnum creditoris est grave. Ità Adrian. in 4. de Rest. q. 1. Major 4. d. 15. q. 17. Soto l. 4 de Just. & Jure q. 6. a. 3. & quidam alii.

73 Sententia tamen Scoti communior est, ac probabilior, bona scilicet, inferioris ordinis non esse necessariò restituenda cum detrimento notabili bonorum ordinis superioris, ac proinde bona fortunæ non esse necessariò restituenda cum notabili infamia, nec fama cum detrimento vitæ, nec cum gravi illius periculo. Ratio est, quia nullus tenetur ad restitutionem cum majori detrimento suo, quod ex restitutione sequatur, ut etiam fatentur Adversarii, & magis constabit ex mox dicendis in casu sequenti; sed detrimentum in bonis ordinis superioris semper majus est, quam detrimentum in bonis ordinis inferioris, quia detrimentum in majori aliquo bono semper est majus detrimentum, quam in minori, quod autem honor, & fama majus sint bonum, quàm divitiæ, & thesauri patet ex Proverb. 22. *melius est nomen bonum, quàm divitiæ multæ*, & idem habetur Eccl. 31. & Arist. ipse 4. Ethic. ait honorem esse maximum bonorum externorum; ergo damnum in fama, & honore majus est, quàm damnum divitiarum, & damnum vitæ, quàm damnum in aliis, nullum enim bonum temporale potest vitæ æquivalente, ac proindè damna in bonis fortunæ resarcienda non sunt cum notabili famæ detrimento, neque cum detrimento vitæ; & quidem in casu particulari adulteræ superius allato, quando alia via non potest damnum impedire, non teneri se infamare docet Innocentius in c. pœnit. & remiss. ubi ait non esse denegandam pœnitentiam fœminæ, quæ ut impediat damnum auferendæ hæreditatis, crimen adulterii commissi non manifestat; cujus canonicæ definitionis alia nequit esse ratio, nisi quia obligatio impediendi damnum in bonis fortunæ non urget, quando illud impediri non potest sine alio graviori damno mortis, scilicet, aut infamiæ, de quibus in illo Canone est sermo, de quo casu agit Scotus litt. LL.

74 Ex qua doctrina patet distinctionem, & ordinem illorum bonorum esse omninò servandum, cùm in jure tàm naturali, quàm divino fundamentum habeat, undè sicut minimum superioris ordinis nobilius est supremo individuo ordinis inferioris, ut Angelus infimæ Hierarchiæ nobilior est homine præstantissimo generis humani; ità fama cujuscumque personæ plus valet, quam magna pecuniæ copia, quia hæc est ordinis inferioris, & ideò exigua fama plus valet, ac æstimari debet, quam tota mundi pecunia, undè apud omnes gentes communis est regula, quod magis diligenda sunt bona animæ, quam corporis, deindè magis bona corporis, quam famæ, & tandem magis bona famæ, quam fortunæ, undè si talis perverteretur ordo, magna planè confusio, nedùm in naturalibus, sed etiam in moralibus sequeretur. Cùm autem dicebatur fieri posse, ut bonum ordinis inferioris adeò chrescat in suo genere, ut superet bonum ordinis superioris, sicut in bonis fortunæ magna argenti copia superare potest æstimationem minoris quantitatis auri, & viginti pondera plumbi plus æstimantur, quam unus gradus auri, licet hoc in suo ordine majus sit bonum, ac majoris æstimationis.

Respondetur cum Fabro l. c. paritatem non valere, quia estò aurum, argentum, & plumbum sint diversæ speciei, inquantum sunt res naturales, & meta lla; sunt tamen ejusdem generis, & ordinis inquantum sunt res pretio æstimabiles, & vendibiles, & ideò major quantitas unius potest pretio superare minorem quantitatem alterius secundum se pretiosioris, at bona fortunæ ea ratione non conveniunt cum fama, aut cum vita hominis, & ideò fieri non potest, ut æstimatio bonorum fortunæ attingat vitæ, vel famæ æstimationem, & valorem.

75 Tertius casus est, quando restitutio cederet in magnum incommodum restituentis, & in parvum, vel nullum commodum creditoris, in tali enim casu licitè differri potest restitutio. & est communis opinio Doctorum apud Bonacinam loc. cit. asserentium cautam sufficientem ad differendam restitutionem esse incommodum, & damnum quod debitor longè majus patitur, quam patiatur creditor ex tali dilatione; quod intelligendum est de damno in bonis fortunæ, nam de damno in bonis corporis, & famæ dictum est in casu præcedenti; ac etiam intelligendum est de damno distincto à re ipsa restituenda, seù de damno in rebus non debitis, nam damnum quod sentit præcisè in restitutione rei debitæ, non est damnum pati in propriis bonis, sed est restituere, quod alteri debetur, ut idem Bonacina advertit loc. c. cum Valentia, Lessio, Salonio, Arragonio, & aliis; undè non reputatur damnum sufficiens, quod quis multum debens carebit magna pecuniæ summa, si debitum reddat, aut magno lucro, quod ex ea acquirere posset. Quoniam igitur non quodlibet incommodum est ratio sufficiens differendi solutionem, ad declarandum, quando propter hanc causam committi, vel differri possit solutio, & restitutio, & quando non, hæc regula à Doctoribus assignari solet, & à Scoto loc. cit. insinuatur. Quod quando in omissione restitutionis creditori sequitur tantum damnum, quantum ex restitutione sequitur debitori, non obstante tali damno facienda est restitutio, undè debitor solutionem differre nequit, quando damnum, quod ipse patitur restituendo, est æquale damno, quod patitur creditor ex tali dilatione & ratio est, quia justitia postulat, ut cæteris paribus res potius serviat illi, cui debetur, quàm alteri, quia cum æquali damno potior est conditio creditoris suprà rem jus habentis. Ità Cajetanus, Navarrus, Valentia, Molina, Azorius, Bannes, Clavis regia, Salonius, Arragonius, Filliucius, Vasquez, Cardinal. de Lugo, Caspensis, & alii passim.

76 Quandò verò damnum, quod sequitur ex restitutione, est notabiliter majus, quam damnum, quod creditori sequitur ex tali dilatione, tunc ratione talis incommodi restitutio licitè differri potest. Ità Doctores allegati cum Scoto lo. c. Ratio est, quia restitutio facienda est, ut servetur æqualitas; hæc autem servari non videtur, si debitor cogatur ad restitutionem faciendam cum tanto suo incommodo, & longè majori, quàm sit creditoris incommodum; tùm quia in tali casu creditor censetur irrationabiliter invitus, si ob damnum debitoris longè majus proprio dilationem concedere nolit. Confirmatur, quia si habens rem alienam teneretur cum quantocunque damno suo restituere domino, sequeretur, ut arguit Faber loco citato, quod quis fraude decepisset Venetiis mercatorem ditissimum valore decem aureorum; qui postea cum tota familia sua

in

in Indiam migrasset ibi commoraturus, illos decem aureos in Indiam mittere tenetur, etiamsi missionis sumptus esset aureorum mille, quod planè justitia ipsa abhorret, & æquitas; quia in hac satisfactione maxima inæqualitas esset, & nimium detrimentum ex parte creditoris, ut dictum est artic. præced. num. 68. ac proindè prudenter ait Doctor tunc restitutionem licitè differri posse, quando restitutio in magnum debitoris detrimentum resultaret, & parvum, vel nullum creditoris commodum; undè quando quis tenetur ad restitutionem alicujus summæ, & propter defectum emptorum res suas commodè vendere nequit, tunc licitè restitutionem differre potest, quousque melior occasio occurrat vendendi bona sua sine tanto detrimento. Addunt tamen aliqui pro majori conscientiæ assecuratione, quod quando creditor ex tali dilatione aliquod damnum patitur, minus tamen quàm debitor pateretur, si restitueret; tunc tempore solutionis habendam esse rationem prædicti damni, ut resarciatur, cùm enim creditor in tali casu ob majorem debitoris utilitatem tale damnum patiatur, jus habet ut tempore solutionis etiam damnum illud resarciatur.

77 Ex qua doctrina solvitur quæsitum illud, an quis restituere teneatur cum gravi jactura sui honorifici status, qui sine divitiis conservari non potest; & respondendum est cum distinctione, quod si talis status sit via indirecta acquisitus, v. g. per usuras, & contractus illicitos, bona aliena esse restituenda etiam cum amissione status acquisiti, siquidem ut ajunt Cajetanus, Azorius, Bonacina, Caspensis, & alii, debitor restituendo non cadit à proprio statu, sed revertitur ad pristinum statum, quem anteà habebat, imò tantùm abest, ut restituendo à proprio statu cadat, ut potiùs non restituendo transeat ad alienum statum. Si verò status honorificus alia via acquisitus fuit justa, & licita, & ex casuali amissione aliorum bonorum contingat aliena bona jam non posse restitui sine jactura status honorifici, in quo erat constitutus; tunc licitè differri potest restitutio partis illius, quæ ad conservationem talis status necessaria erit, quia ut suprà dictum est cum Scot. nullus tenetur ad restitutionem cum majori damno suo, quam creditor patiatur ex dilatione restitutionis; & ille cui restitutio fieri debet, servandam rectam rationem magis velle debet, quod vitetur magnum incommodum proximi restituentis, quàm modicum, vel nullum sui incommodum ex modica dilatione. Quæ doctrina, ut ait Caspensis de Restit. disp. 1. sect. 13. notanda est pro multis nobilibus, qui in vanos sumptus bona sua consumunt, & à debitorum solutione excusari volunt dicentes se id habere necessarium ad congruam sui status conservationem, & suæ dignitati debitam, qui absolvendi non sunt, nisi ab his vanitatibus abstineant, & propositum mutent diminuendo victum, & vestitum sui, & familiæ, ac familiarum dotem minuendo, ut paulatim restituere possint, sic enim recta ratio dictare videtur, ne creditores tantùm patiantur detrimentum, ut notant Bannes, Arragonius, Lessius, Valentia, Bonacina, & alii passim ex Scoto lit. Hh. Denique si causa excusans à restitutione est damnum grave, quod in bonis fortunæ debitor incurreret, ut declaratum est; tanto magis à restitutione quis excusabitur, si fieri nequeat absque periculo salutis animæ suæ, vel suorum, ut v. g. si non possit absque peccato, ut sit periculum, ne uxor, aut filiæ se prostituant, vel ne filii se dent latrociniis, aut ne ipse per impatientiam in desperationem incidat, ut notat idem Bonac. l. c. ex Lessio, Molina, Filliucio, & aliis. Ratio est, quia quilibet magis tenetur animæ suæ, ut suorum consulere, quam debita solvere, cùm illa sint bona supremi ordinis, debet tamen hoc periculum esse notabile, ut non suppetat alia commoda ratio illud evitandi, nisi solutionem debitorum differendo. Et hoc totum intelligendum est non solùm quando debitum est ex contractu, sed etiam quando est ex delicto; quia etsi creditor non teneatur ex justitia dilationem concedere, quando debitum est ex delicto v. g. furto, tenetur tamen ex æquitate, & charitate, æquum enim est, ut creditor dilationem restitutionis permittat, quæ grave damnum debitori suo affert, cùm id sine suo notabile incommodo facere possit. Ità etiam Bonacina l. c. cum pluribus aliis ab ipso citatis, & Aretinus ex nostris loco citato artic. 5.

78 Quartus casus est, quando quis impotens redditur ad restituendum ob extremam inopiam, & necessitatem, hæc enim in omnium sententia excusat à restitutione, siquidem in extrema necessitate omnia sunt communia, ex quibus unusquisq; licitè sibi applicare potest, quantum ad suam, suorumque, ac proximi necessitatem sublevandam, ac vitam conservandam necessarium fuerit; cùm enim hæc omnia ad hominum vitam sustentandam sint condita à Deo, & dominiorum divisio solo jure gentium sit introducta, ut patet ex dictis disp. 3. qu. 2. a. 2. non potuit hæc divisio introduci in vitæ humanæ præjudicium, propter quam hæc à Deo sunt condita, cum jus gentium juri naturali præjudicare nequeat. Duplex autem difficultas in hoc puncto occurrit. Una est, an qui rem alienam in extrema necessitate consumpsit, ad restitutionem teneatur necessitate transacta. Altera est, an debitor, non obstante necessitate illa restituere teneatur, quando creditor in æquali etiam necessitate versatur. Pro quarum difficultatum solutione Doctor in solutione ad quintum principale cum distinctione procedit, & inquit, quod si detentor alieni v. g. panis est in extrema necessitate, dominus verò panis est extrà talem necessitatem, ille ad restitutionem non tenetur, quia in tali casu res illa fit detinentis juri poli, seù naturæ, siquidem de lege naturæ cuicunque concessum est, ut in extrema necessitate constitutus sibi provideat de necessariis ad vitam sustentandam. Si verò uterque in extremam incidit necessitatem, adhuc distinguendum est, si prius devenit dominus in eam extremam necessitatem, debet reddi domino duplici jure, quia jure politico, vel humano potius erat suus ille panis, tùm quia ratione extremæ necessitatis illum invadentis jure naturæ iterum factus est suus. Si verò prius devenit detinens in extremam necessitatem, eo ipso factus est dominus panis, & domino posteà devenienti in eandem necessitatem restituere non tenetur, quia cessavit dominium ejus in re illa, & facta est alterius jure poli, & naturæ. Si tandem ambo simul in extremam incidant necessitatem, res ablata debet reddi domino, quia numquam cecidit à dominio, siquidem ille cujus erat panis, usque adinstans extremæ necessitatis jure saltem politico erat dominus illius panis, & in instanti extremæ necessitatis in tali dominio etiam jure naturæ confirmatus est, atque ideò nunquam cessavit ejus dominium; & per consequens nec alter cæpit aliquando habere illius rei dominium, ideoque ad restitutionem tenetur.

79 Deindè inferius descendens ad solutionem prioris difficultatis, an extremè indigens ad pinguiorem fortunam redactus ad restitutionem teneatur, iterum Doctor cum distinctione procedit, & inquit, quod vel debitor rem consumptam in extrema necessitate v. g. panem accepit antè necessitatem, vel in ipsa necessitate; si primo modo, ait teneri ad restitutionem æquivalentis necessitate transacta. & ratio est quia obligatio restituendi antè necessitatem contracta non fuit extincta per necessitatem, sed solùm fuit consopita, & suspensa usque ad statum pinguioris fortunæ, pro quo adducit Doctor regulam illam extrà de solutionibus cap. *Odoardus*, qua dicitur, quod actio creditoris per inopiam debitoris non expirat, sed sopitur, & ideò cùm ad pinguiorem fortunam pervenerit, ad restitutionem tenetur. Si verò debitor rem accepit in ipsa necessitate, non tenetur ea transacta ad restitutionem, modò res consumpta fuerit in ipsa necessitate, & post necessitatem non extet. & ratio est, quia non tenetur ratione rei acceptæ, cùm res ipsa necessitate sit consumpta, ut supponitur, & ea transacta non extet; nec ratione injustæ acceptionis, quia res accepta in extrema necessitate communis censetur, ideoque licitè accipere potest, ut propriæ necessitati subvenerit; consultò autem dictum est ad restitutionem non teneri, modò res in ipsa necessitate consumpta fuerit & post necessitatem non extet, si quidem ea transacta adhuc extet, ad restitutionem tenetur. Undè alienum æquum accipiens ut manus inimicorum evadat, & alio modo vitam propriam manibus illorum tueri non poterat, postquam inimicorum manus evasit, & periculum aufugit, ad restitutionem equi tenetur, quia ad necessitatem sublevandam opus non fuit re ipsa, quæ adhuc extat, sed solùm ejus usu. Ità Navarrus, Lessius, Azorius, Turrianus, Bonacina, Clavis regia, Vasquez, Filliucius, & alii passim cum Scoto loco citato.

80 Verùm quamvis Doctores huic doctrinæ Scotistæ subscribant quoad solutionem prioris difficultatis, tamen quoad solutionem posterioris, quando, scilicet, debitor, & creditor sunt in æquali necessitate, plures à Scoto dissentiunt assentientes debitorem in tali casu ad restitutioenm non teneri, quorum fundamentum est, quia in extrema necessitate lege naturæ omnia sunt communia, ut suprà dictum est, & cessat jus gentium, quo dominia rerum sunt distincta; ergo non habet major jus dominus tunc super rem illam, quæ erat sua, quàm detinens; & proindè in tali casu non est judicandum secundum jus gentium, quod in eo cessat, sed secundum jus naturæ, quo omnia sunt communia, & unumquodque est occupentis, & ideò cum detinens rem illam occupet, ipsius est; undè dicunt Scotum supponere falsum, nempè creditorem adhuc in tali casu extremæ necessitatis utriq; communis retinere dominium rei ablatæ, cùm in extrema necessitate omnia sint communia, & melior sit conditio possidentis, etiamsi ex delicto possidere inceperit.

Confirmatur, quia in æquali necessitate potior est conditio possidentis; at in hoc casu detinens rem est illius possessor; ergo jus favet magis detinenti, quàm domino. Denique ex ordine charitatis, & jure naturæ quilibet tenetur seipsum magis diligere, quàm proximum; ergo magis conservare tenetur vitam

suam

suam corporalem, quàm proximi, atque ità rem illam simpliciter sibi necessariam debet magis sibi retinere, quàm alteri dare, etiamsi anteà illius dominus esset. Ità Cajet. Soto, Lessius, Azorius, Bonac. Amicus, Steph. à S. Greg. & alii plures.

81 Sed Scoti sententiam oppositum docentis non solùm Faber, & Hiqueus, ac cæteri Scotistæ acriter defendunt, sed etiam Vasquez, Card. de Lugo, & plures alii; quia fur numquam potuit illius rei dominium acquirere, aut dominium suo dominio privare, etenim extrema necessitas non dat jus usurpandi rem alienam, & sibi appropriandi, quando ejus dominus est jam in æquali necessitate constitutus, si ergo dominus prior jam illa re extremè indigebat, quando fur etiam cæpit illa egere non potuit titulo necessitatis rem illam ex dominio prioris domini extrahere, ut optimè instat Card. de Lugo disp. 21. sec. 1.

Confirmatur, quia ut arguit Faber disp. 50. cap. 7. num. 231. ex Scoti doctrina jam allata, præter jus naturæ, quo creditor, & debitor sunt æquales pro illo instanti, quo in extremam necessitatem deveniunt, creditor habet prælationem ratione juris gentium & dominii prioris, quod habebat, & per eventum extremæ necessitatis illud non amisit, sed acquirit, & in eo confirmatur ex jure naturæ, sicut acquireret detinens, nisi ipse creditor jam illum prehaberet, & per extremam necessitatem in eo confirmaretur; ergo nulla ratio suadere potest, quod creditor ab illo jure cadere debeat, & detinens jus naturæ in eam rem acquirere, siquidem jam in jure naturæ sunt æquales, & deindè creditor ratione prioris dominii debitorem superat, ac proindè deterioris esse non debet conditionis, quàm detinens, imò jus majus in eam rem habere. Tandem possessio non facit rem esse alterius, nisi qua fundatur in justo titulo; sed non fundatur illa possessio in casu posito, nisi in ablatione injusta per furtum, aut violentiam; ergo &c. probatur minor cum Hiqueo in Comment. loc. cit. num. 192. Non enim dici potest fundari in necessitate extrema, quæ facit rem esse possidentis, quia necessitas possidentis in casu posito non magis justificat possessionem detinentis, quam necessitas domini similis, & æqualis justificet jus, quod habet in rem ipsam; ergò necessitas possidentis concurrente pari necessitate domini non justificat possessionem in præjudicium domini in eadem necessitate existentis.

82 Et ex hoc patet fundamentum prioris sententiæ, ipsa enim potius supponit falsum, nempè rem illam fieri alterius occupantis, quia in casu posito injustè occupat, cum simul concurrant dominus, & detentor in æquali necessitate; necessitas enim illa possidentis necessitati alterius non præjudicat, & juri quod in rem ipsam habet, quamvis alias solius possidentis necessitas præjudicaret. & ratio est, quia jus domini ex propria necessitate confirmatur, ut supra dictum est; & quando dicebatur, jure naturæ omnia esse communia, hoc est verum cæteris paribus; at in casu posito est manifesta disparitas, quia creditor habet æquale jus in re sua ex lege naturæ, sicut debitor, cùm ambo in eadem necessitate versentur, & antè jus habebat in eadem rem jure gentium, atque ità habet idem jus naturæ, quod detinens, & ulterius ex jure gentium illud idem dominium habet, quod per jus naturæ non tollitur, sed potius confirmatur, atque ideo majus jus habet, quam detinens, qui proindè in tali casu injustè rem alienam detinet.

Ad Confirmatur, major est vera in dubio, quando nimirum ignoratur, quinam duorum majus jus habet in re, de qua contenditur, nam in tali casu potior est conditio possidentis; at in casu nostro non est dubium, cùm certum sit ex dictis solùm dominium habere verum rei sublatæ dominum, non autem detentorem, qui injustè eam occupat, & possidet, & ejus possessio in justo titulo non fundatur, ut patet ex dictis. Ad ultimum respondet Doctor ipse, assumptum intelligendum esse de justa delictione vitæ corporalis, & ad vitam æternam ordinata, non autem de injusta, undè hac ratione magis debet latro suspendium sustinere, quàm occidere suspendentem, ut mortem evadat, quia conservatio suæ vitæ est injusta, conservatio autem vitæ suspendentis est justa; in casu autem posito conservatio vitæ detinentis rem alienam est injusta, cùm injustè eam possideat, conservatio autem vitæ domini est justa, quia dominus jus habet, & dominium super illam rem, non autem detentor.

ARTICULUS TERTIUS.

De aliis causis à restitutione excusantibus.

83 ALiæ quædam præterea causæ assignari solent ultrà relatas artic. præced. à restitutione excusantes, vel in totum, vel in partem, vel omninò, vel ad tempus, de quibus hic breviter agemus. Prima causa excusans est ignorantia probabilis, seù invincibilis facti, vel juris quod res sit aliena; est autem in proposito ignorantia probabilis facti, si quis v.g. rem alienam bona fide per hæreditatem acquisivisset, ignorantia verò probabilis juris esset, quando jus esset obscurum & controversum de aliquo contractu, aut quando viri scientia, & concientia prædicti alicui consulunt, quod ad restitutionem non tenetur, contrà verò ignorantia crassa facti esset illa, qua quis emeret à paupere, & mendico vas argenteum, vel quid aliud pretiosum, aut à milite calicem, vel patenam, quia credere debuit, vel saltem dubitare, per furtum, & rapinam ab his vendentibus sublata fuisse; ignorantia verò crassa juris esset ignorantia juris clari, qualis est illa, qua quis ignoraret non esse justum emere rem furto sublatam; ignorantia ergo invincibilis, seù probabilis juris, vel facti, quamdiu manet à restitutione excusat, sic etiam esset causa sufficiens non restituendi dubium æquale pro parte æquali, quod possidens habet, quod res sit sua, vel alterius post adhibitam diligentiam ad indagandum, in dubio enim melior est conditio possidentis. Ità Aretinus ex nostris loco citato artic. 2. plures alios citans.

84 Secunda causa est creditoris remissio, ac debiti condonatio, quia remissio, & condonatio restitutioni æquivalet, siquidem restitutio facienda est, ne creditori injuria fiat; sed creditori condonanti, & remittenti debitum nulla fit injuria, cùm scienti, & volenti injuria non fiat; ergo &c. Ut autem remissio sit valida notant communiter Doctores, tres habere debere conditiones, quarum prima est, ut sit liberè facta absque ulla metus coactione, aut fraudis, vel doli extorsione; idcircò si creditor falsa repræsentatione deceptus paupertatis, vel necessitatis debitoris ei debitum remittat, tunc remissio non est valida, quæ enim ex metu, vel ignorantia fiunt, non sunt plenè voluntaria, qualis esse debet gratuita debiti remissio; qua ratione invalida etiam est partialis remissio debiti à creditore facta ob metum amittendi totum creditum, & ob culpam aliquam, vel fraudem debitoris. Altera conditio est, ut talis remissio non sit à jure prohibita, nam remissio à jure impedita non est valida, idcircò sicut furiosus, & pupillus donare non possunt, ità neque remittere; siquidem gratuita debiti remissio reipsa est quædam donatio, ac proindè illa ad valorem remissionis sunt necessariæ, quæ ad veram donationem requiruntur. Ultima conditio est, ut qui remittit, potestatem remittendi habeat, undè non valet remissio facta à prodigo curatorem habente, vel à pupillo habente tutorem, nec debita patris, aut mariti validè possunt à filio familias, & ab uxore remitti, quia talem potestatem non habent. Et sicut dilatio restitutionis à creditore facta excusat à restitutione statim facienda, ita remissio excusat ne unquam debitor solvat; sicut enim potest creditor jus suum alteri dare, sic pariter potest debitori cedere, & donare. Neque ad id requiritur, ut debitor animum restituendi habeat, & pecuniam paratam ad restituendum, ut aliqui volunt, quia ex hoc non sequeretur debitum non esse per remissionem extinctum, imò quamvis debitor animum haberet nunquam restituendi, licet in hoc peccaret, adhuc tamen remissio valida esset. Ità Cajetanus, Azorius, Navarrus, Sanchez, Soto, Valentia, Bonacina, Amicus, & alii passim.

85 Tertia causa est cessio bonorum, quæ fit quando quis fatetur se non posse debita in integrum solvere, & ideò tradit bona sua, ut ex eis debita pro rata solvantur; hæc, inquam, est causa sufficiens excusandi à restitutione, quia qui cessit bonis, censetur esse impotens ad satisfaciendum debitis existentibus post cessionem; impotentia autem à restitutione excusat. Ex quo sequitur cessionem bonorum non excusare in foro conscientiæ, nisi ratione necessitatis, & impotentiæ, ut notat Navarrus cap. 17. imò non magis excusare, quam ipsa necessitas sine cessione excusaret. Verum tamen est, quod communiter Doctores advertunt, cessionem bonorum non ita ab obligatione restitutionis eximere, quin debitor ad restitutionem teneatur, si ad pinguiorem postea fortunam redeat, ut habetur L. 1. Cod. Qui bonis cedere possunt. & ratio est, quia debita per cessionem bonorum non fuerunt extincta, sed consopita, nam cessio illa non est solutio debitorum, neque per cessionem bonorum intelliguntur creditores debita condonare, nisi exprimant. Addunt tamen communiter Doctores, qui cogitur cedere bonis suis, posse tuta conscientia abscondere, & retinere quantum opus est ad sufficientem sui, & eorum quos alere tenetur, sustentationem juxtà suum statum, quia non tenetur ad restitutionem cum tanto suo incommodo; non tamen posse alia bona præter illa occultare, sed in conscientia teneri ea creditoribus manifestare, præsertim quando Judicis auctoritate mandatur, ut ea manifestet, ut Glossa notat in L. cit. An autem qui cessit bonis suis quibusdam ignominiosis actibus juxtà loci consuetudinem, v.g. concutiendo lapidem in foro mercatorum, teneatur adhuc ad restitutionem postquam ad pinguiorem statum pervenerit.

Affir-

Affirmant Bonacina, Leſſius, Filliucius, & alii, quia per hujuſmodi actus ignominiosos non tollitur obligatio naturalis reſtituendi, cui opinioni etiam lex citata favere videtur, in qua apertè dicitur in pinguiori fortuna reſtitutionem eſſe faciendam. Negat alii quia fama, & honor ſunt bona Superiori ordinis, quæ non ſunt amittenda ob illa inferioris ordinis; ergo debitor, qui ad ſatisfactionem ſuorum debitorum in bonis fortunæ quæ ſunt infimi ordinis, dedit ſuam famam, & honorem, tantam ignominiam, & ruborem tolerando, non debet iterum ad reſtitutionem debitorum obligari, dum ad pinguiorem redit ſtatum. Nec obſtat lex citata, quæ loquitur de ſimplici ceſſione, non autem facta cum tali ignominia, & quando etiam abſolutè loqueretur, etiam tali ignominia ſuppoſita, ſaltem in foro conſcientiæ debitor non teneretur niſi poſt Judicis ſententiam, ut eſt in omnibus aliis legibus pœnalibus. Ità Stephanus à S. Gregorio lib. 1. cap. 6. n. 25. cum aliis, quam opinionem ait eſſe mitiorem, ac juri naturali magis conformem, ac æquitati humanæ, & ego quoque ita ſentio, licet oppoſita ſit communior.

86 Quarta cauſa, per quam reſtitutionis obligatio tollitur eſt præſcriptio, quæ nihil aliud eſt, quam acquiſitio dominii rei alienæ per poſſeſſionem ejus certo temporis ſpatio legibus definito continuatam, ut dictum eſt diſp. 3. quæſt. 3. art. 2. & habetur l. 3. ff. de Uſucapionibus; quæ quidem acquiſitio dominii non ſolùm in foro externo, ſed etiam in foro conſcientiæ vim habet excuſandi debitorem à reſtitutione, ut ibidem dictum eſt undè quamvis poſteà certò cognoſcat rem vi præſcriptionis acquiſitam reipſa fuiſſe alienam, nihil amplius ſolvere tenetur, dummodò tamen præſcriptio illa ſit legitima, & habeat conditiones à jure requiſitas, quas loc. cit. aſſignavimus & declaravimus; & hoc à jure ſancitum fuit, ut lites vitarentur, & nè diù, & ferè ſemper incerta eſſent rerum dominia; ut dicitur in leg. cit. qua ratione Tullius dicebat, *uſucapionem eſſe finem ſolutionis, & litium omnium*, quia nullus tenetur ad reſtitutionem rei, cujus dominium habet; verum tamen eſt, ut communiter Juriſtæ, & Canoniſtæ advertunt, minoribus, locis piis, & Eccleſiis concedi reſtitutionem in integrum auctoritate Judicis. & univerſaliter loquendo à reſtitutione excuſatur qui rem alterius acquiſivit per aliquam viam dominium transferentem, undè non ſolùm per præſcriptionem, ſed etiam per ludum tolli poteſt reſtitutionis obligatio, ut ſuo loco dicemus. Ita Sylveſter, Salonius, Lopez, Leſſius, Clavis regia, Bonacina, Bannes, Molina, Caſpenſis, & alii paſſim.

87 Quinta cauſa eſt compenſatio creditoris ex bonis debitoris, ſi enim debeo centum Cajo, & Cajus ex meis bonis tantundem ſibi ſumat loco debiti, ego liberor à reſtitutione, hoc igitur modo compenſatio à creditore facta eſt cauſa ſufficienter excuſans debitorem à reſtitutione, quia facta tali compenſatione debitor nihil amplius retinet invito domino. Ut autem hæc compenſatio licitè, & ſine injuſtitia fiat à creditore, aliquæ conditiones ſunt ſervandæ, ut communiter Doctores advertunt. Prima eſt, ut aliter commodè non poſſit res à creditore recuperari per Judicem, aut per petitionem debitori factam, v.g. quia ſi petatur à debitore, negabitur, vel ſi petatur per juſtitiam nihil obtinebit creditor, quia non habet ſufficientem probationem, vel ob aliam cauſam, vel non niſi abſque notabili moleſtia, & expenſis, vel inimicitiis, tunc enim occulta compenſatione uti poteſt, quia non alia via rem ſibi debitam recuperare poteſt; ſecus ſi commodè, & per viam juris eam obtinere poſſit, quia tunc par non eſt, ut ſibi jus quodammodo dicat. Secunda conditio eſt, ut debitum ſit certum, & creditor certò ſciat rem eſſe ſuam, quia ſi dubium ſit, melior eſt conditio poſſidentis, nec jus habet ſpoliandi alium re, quam poſſidet. Tertia eſt, ut creditor non accipiat rem alienam apud poſſeſſorem exiſtentem, debet enim compenſatio fieri in re propria poſſeſſoris. Quarta, ut abſit periculum ſcandali, vel infamiæ, nam Judices hujuſmodi compenſationes, tanquam furta, punire ſolent, neque facile in foro externo admitti ſolent, quia occultæ compenſationes ſuſpicionem aliquam furti pariunt. His igitur ſervatis conditionibus licitè fieri poteſt compenſatio, quia nulli fit injuria, & ſervatur juſtitia, cujus munus eſt partes ad æqualitatem reducere, quod ſi aliqua ex conditionibus allatis, violatur à compenſatore juſtitia ſaltem legalis, quia uſurpat ſibi judicium rei propriæ, juris ordine prætermiſſo. Ità Valent. Vazorius, Aragon. Leſſius, Molina, Bonacina, Caſpenſis, & alii paſſim.

88 Sexta cauſa aſſignari ſolet Judicis ſententia, quam ſine ſufficienti fundamento retellit Amicus diſp. 41. dub. 9. quia in aliquibus caſibus, juris vel Judicis auctoritas à reſtitutione in conſcientia excuſat, ut quando Judex ex ſententia in pœnam creditoris abſoluit debitorem à reſtitutione in caſu, quo creditor affeciſſet injuria debitorem; item quando quis ex Judicis ſententia ſecundum allegata, & probata beneficio, vel officio privatur, & alteri datur; tunc enim iſte ab obligatione reſtituendi excuſatur, etiamſi ſciat ſententiam illam in re fuiſſe injuſtam, dummodò ipſe non fuerit cauſa talis ſententiæ. & ratio eſt, quia bona publica diſpoſitionis Reipublicæ ſunt ſubiecta, ergò cùm Judex ſecundum allegata, & probata poſſidentem privat his bonis, & alteri adjudicat, hic manet in conſcientia ſecurus, neque privatus poterit ſe ſecretò recompenſare, cùm legitimè ſit privatus poſſeſſione, & domino illius beneficii, vel publici officii; hoc enim pax, & tranquillitas publica poſtulare videtur ad lites tollendas, & privatas contentiones. Secus verò dicendum eſt de bonis fortunæ particularibus, ſi enim hæc fuerint alteri adjudicata à judice per legitimam ſententiam ſecundùm allegata, & probata, in re tamen injuſtam, tunc condemnatus privatur tantùm poſſeſſione rei, non autem dominio, quia non eſt credendum Rempublicam hoc velle; quare in tali caſu ſciens ille certò ſe eſſe verum dominum, poterit tuta conſcientia ſe recompenſare ſecretò, & poſſidens ſi injuſtitiam ſententiæ certò ſciat, reſtituere tenetur in foro conſcientiæ. Ità Leſſius, Aragonius, Soto, Caſpenſis, Stephanus à S. Gregorio, & plures alii.

89 Septima cauſa, per quam reſtitutionis obligatio tollitur, eſt quando id, quod tibi debebam, ſolvitur creditori, cui tu tantundem debebas, & quidem quando id fit conſentiente creditore, nulli dubium eſt debitorem omnino liberari; ſola difficultas eſt, ſi inſcio aut invito creditore id fiat. & communior, ac probabilior opinio affirmat abſolutè in foro conſcientiæ omninò liberari, etiamſi in foro contentioſo non liberetur. Ratio eſt, quia per hujuſmodi ſolutionem ponitur inter utrumque debitorem, & creditorem æqualitas, qua ſecuta nihil jure naturali manet in conſcientia adæquandum; ergo &c. probatur aſſumptum, quia creditor mei creditoris ex ſuppoſitione habet à me quicquid ſibi à meo creditore debebatur, & meus creditor per ſolutionem à me factam liber manet à debito, quod ſuo creditori debebat. Imo addit Cardinal de Lugo diſput. 21. ſect. 8. hoc non minus habere locum in foro externo, quàm interno, quia ſi meus creditor vere debet ſuo creditori centum, cui ego ſolvo illam pecuniæ ſummam, eo ipſo quod ego illi ſolvo, in me transfertur jus, quod ipſe adverſus meum creditorem habebat, quarè meus creditor tunc fit debitor meus illius ſummæ, & per conſequens eo ipſo debitum meum extinguitur, nec me vexare poteſt in foro externo, ſiquidem petentem à me centum, quos debebam, poſſum repellere ſtatim, eo quod totidem ipſe mihi debet, undecunque hoc debitum provenerit. Ad hoc tamen requiritur, quod utrumque debitum ſit ejuſdem qualitatis, ut ibidem Lugus advertit, nam ſi ego debeo tibi centum, & tu Joanni centum debes, ſed alios creditores habes anteriores, & privilegiatos, quibus prius ſolvere debes, quàm Joanni, in tali caſu ego non liberor licet ſolvam Joanni illa centum, quia per hoc Joannes ſolùm transfert in me jus, quod ipſe habebat, ipſe autem non habebat jus, ut in his circumſtantiis, quando tua bona omnibus non ſufficiunt, ſolveretur ei ſuum debitum; atque ideò nec ego ex jure illo in me translato excuſabor à ſolvendo tibi, quod debebam. Alii quoque caſus in hac materia agitari ſolent à Doctoribus; ut v.g. an rei debitæ interitus à reſtitutione excuſet; an ingreſſus in Religionem liberet debitorem ab obligatione reſtituendi; an ſi debitor tradat rem reſtituendam ſuo creditori per alium, eo non reſtituente à reſtitutione excuſetur; quæ compoſitio cum Pontifice à reſtitutione excuſet; qui caſus brevitatis cauſa omittuntur, & apud præfatos Auctores videri poſſunt.

DIS-

DISPUTATIO OCTAVA
DE RESTITUTIONE
IN PARTICULARI.

1 UM in superioribus satis abundè de Restitutione in communi dictum sit, nunc in præsenti disputatione de restitutione in particulari agendum est, & cùm inter omnia bona, quæ in hac vita reperiri possunt principem locum bona spiritualia sibi vindicent, congruum est, ut de ipsorum restitutione primo loco agamus juxta ordinem D. nostri, qui disput. 15. quæst. 3. ad restitutionem in particulari descendens agit de damnificatione in bonis animæ, & corporis, & eorundem restitutione, & prius agit de bonis animæ, ut nobilioribus, posteà de bonis corporis; deindè cum eodem quæst 4. de bonis famæ, & honoris tractabimus, & tandem de bonis fortunæ.

QUÆSTIO PRIMA.

De restitutione facienda ob damna spiritualia.

2 NOtat Doctor q. 3. cir. §. *Respondeo* pro intelligentia quæstionis, quædam esse bona animæ connaturalia, & substantialia, ac ei intrinseca, ut intellectus, & voluntas, de quibus non est præsens quæstio, quia cùm potentiæ animæ ei realiter identificentur, sunt incorruptibiles, sicut anima ipsa, & ideò nemo potest alium in his damnificare, licet earum operationes impedire, possit lædendo partes, & organa corporis, in quo casu de his est eadem ratio, quæ de damno dato in bonis corporis. Alia sunt bona animæ acquisita. ut sunt actus, & habitus, & omne illud, quo dicimur benè operari, & ista dicuntur bona extrinseca, quales sunt habitus infusi, & acquisiti; & in his bonis morum, inquit Doctor posse aliquem damnificare proximum vel acquisitis, vel acquirendis, quorum, scilicet, acquisitio impeditur, ut patet de vitiis, & peccatis, quibus virtutes acquisitæ corrumpuntur, & vitia generantur, & virtutes, quæ ex actibus bonis generari deberent, impediuntur; hæc, inquam, spiritualia damna proximo indirectè inferri possunt inducendo illum ad peccandum, & ab actibus bonis avertendo, in hoc igitur sensu dicitur aliquis alium damnificare in bonis animæ accidentalibus indirectè, & dispositivè, licet non effectivè, & formaliter, & in hoc sensu hic est sermo de restitutione facienda ob damna spiritualia.

ARTICULUS PRIMUS.

An damnificans alium in bonis spiritualibus ad restitutionem teneatur.

3 NOtant communiter DD. dupliciter posse aliquem ab alio ad peccandum induci, vel à bono opere abduci; uno modo per fraudem, vel violentiam v. g. decipiendo illum, & docendo falsum, itaut credat non esse peccatum quod re vera peccatum est, vel aliquam vim inferendo, aut metum, ut alter peccet, vel à bono opere retrahatur, alio modo precibus, & suasionibus sine ulla fraude, vel violentia. & omnes in hoc conveniunt, quod qui per vim, vel fraudem alium induxit ad peccandum, vel à bono opere retraxit, ex justitia tenetur, non solùm fraudem aperire, & vim auferre, sed etiam tenetur precibus, & alia ratione congrua, & conveniente curare, ut à peccato resipiscat, quia per vim, & fraudem fit alteri injuria, & qui est causa injusta damni tenetur ex justitia ad restitutionem damni illati. Undè qui puellam ad libidinem induxit dicendo non esse peccatum; tenetur ex justitia deceptionem auferre, quia facit contra jus alterius, quod habet, ut non decipiatur. Conveniunt etiam omnes in hoc, quod qui paratum ad peccatum inducit ad actum peccandi, non tenetur ad ejus emendam procurandam ex justitia, sed ex sola charitate; nam propriè, & in rigore loquendo ille non dicitur ad peccandum induci, quia jam paratus erat ad peccandum, undè propriè damnum ei non intulit, nec injuriam formaliter ei fecit, sed tantùm materialiter, quia sciens, & volens peccavit, ut patet de meretrice publica, quæ est parata se exponere cuicunque.

4 Tota itaque difficultas consistit in hoc, an qui sine fraude, & vi non paratum ad peccandum, consulendo, persuadendo, & rogando ad peccatum inducit teneatur lege justitiæ ad aliquam restitutionem sibi faciendam. Communis opinio Recentiorum est negativa, nempè talem ad nullam teneri restitutionem ex vi justitiæ, sed solùm lege charitatis ob fraternam correctionem, itaut obligatio non sit specie distincta ab ea, quam alius habet, vel ipse quoque haberet, si non induxisset, licet sit major in eadem specie. Fundamentum est, quia volenti, & consentienti non fit injuria de regul. juris in 6. sed qui sine fraude, & vi ad peccandum inducitur, voluntariè peccat, ergo ad nullam restitutionem tenetur sic inducens ex lege justitiæ, quia restitutionis obligatio propriè loquendo oritur ex injuria illata.

Confirmatur, quia nemo ex consilio dato sine dolo ad restitutionem tenetur ex cap. *Nullus* de reg. juris in 6. ergo seducens alium per consilium ad peccandum, modò non interveniat fraus, non tenetur ad restitutionem damni per peccatum illati; aliàs sequeretur dantem consilium alteri, ut dissipet sua bona liberè, teneri ad restitutionem illorum, quod est falsum; scienti enim, & volenti nulla fit injuria, dominus autem in casu posito liberè bona sua dissipavit. Tandem ex hoc sequeretur, quod qui induceret mulierem sordidam, & prostitutam pretio ad peccandum, teneretur ad eam emendandam, & extrahendam ab illo peccato, quod communiter falsum censetur, quia nullus talis in Ecclesia extat usus. Ità Soto, uterque Navarrus, Sylvester, Lessius, Molina, Valentia. Azorius, Salonius, Cardinal de Lugo, Bonacina, Caspensis, Vasquez, Rebellus, Turrianus, Filliucius, Stephanus à S. Gregorio, & alii Recentiores.

5 Oppositа sententia communis est apud Antiquiores, quam docet Sotus expressè loc. cit. cum omnibus Scotistis, Riccardus, Paludanus, Gabriel, Adrianus, Major, Divus Antoninus, Gerson, Angelus, & alii veteres passim; docet itaque Scotus loc. cit. qui nocet in spiritualibus teneri ad restitutionem, non quidem eadem bona spiritualia conferendo, cùm hoc sit impossibile, sed procurando salutem ejus inducendo ipsum ad pœnitentiam, & persuasionibus, ac monitis ad bonum statum reducendo, quod si talis reductio non sufficiat, tenetur, & per se orando, & per orationes aliorum ejus salutem, & conversionem procurare, & ad hoc tenetur non tantùm lege justitiæ; quam opinionem pluribus rationibus, & auctoritatibus probant ex Doctore Hiqueus ibidem in Commentario, & Faber disp. 51. cap. 1. quarum firmiores adducam. Fundamentum itaque præcipuum est, quod Doctor adducit; quia bona animæ digniora sunt bonis temporalibus, & ideò ut ait August. 1. retracta. cap. 9. cùm virtutum bona sint maxima, plus damnificat qui in istis damnificat, quàm qui in quibuscunque aliis, & per consequens plus secundùm justitiam tenetur ad restituendum proximo tale bonum, quantum sibi possibile est; undè in cap. Deteriores 6. qu. 1. deteriores dicuntur illi, qui in spiritualibus nocent, quàm ii, qui facultates, & substantiam furantur, at qui temporalia bona furantur ad restitutionem tenentur; ergo multò magis qui damnificant in bonis spiritualibus ad restitutionem tenentur.

6 Respondent Adversarii hanc rationem, & auctoritatem concludere solùm, esse majus peccatum inducere ad peccandum, quàm furari, non tamen ex hoc sequi, quod sit actus contrà justitiam, & sic inducens ad restitutionem teneatur, sed tantùm quod teneatur arctiori vinculo charitatis ad resarciendum damnum. Sed contrà, quia ut rectè arguit Faber loc. cit. cùm ait Pontifex deteriores esse, qui bonos mores corrumpunt,

punt, quàm qui substantias, & prælia diripiunt, loquitur in eodem genere proximo peccati, non autem in genere remoto tantùm, quia comparatio non fit in diversis generibus, vel in genere tantùm remoto, sed in eodem genere proximo; cùm ergo Pontifex dicit, corruptores morum esse raptoribus deteriores, & raptores noceant contrà justitiam, consequenter intelligit inductores, & corruptores morum esse raptoribus deteriores in genere peccati injustitiæ, alioquin comparatio nulla esset.

7 Deindè arguit Doctor in argumentis ad oppositum quæstionis ex illo Exodi 22. ubi dicitur, quod qui seduxerit virginem, & dormierit cum ea, dotabit eam, & habebit eam uxorem; ex quo deducit Doctor, quod damnificatio virgini illata contrà castitatem restitutionem castitatis requirit eo modo, quo possibile est, & quia castitas virginalis reddi non potest, præcipit Deus, ut restituatur ei castitas conjugalis, ergo ex jure divino inducens aliquem ad peccatum tenetur ad restitutionem damni spiritualis illati eo modo, quo possibile est. Et planè hæc ratio maximè convincit, & fundamentum adversariorum totaliter destruit, quod volenti, & consentienti non fit injuria; quia ut notat idem Faber loc. cit. virgo seducta consentit in peccatum luxuriæ, & defloration em sui ipsius, qui enim virginem seducit, non cogit eam, sed vel donis, vel illecebris eam inducit, & textus ibi loquitur de simplici seductione sine vi, & fraude, nam seducens virginem per vim alia pœna damnatur ibidem. Et tamen Deus præcipit, ut non obstante, quod illa voluntariè consentiat in peccatum, inducens eam ad peccatum teneatur ad restitutionem; ergo ex hoc loco evidenter deducitur, non tantùm damnificantem in bonis temporalibus, sed etiam tantò magis in spiritualibus ex justitia teneri, & non tantùm ex charitate damnum illatum compensare; & planè omninò irrationabile videtur dicere, ut ait Faber, quod auferens alicui per usuram decem nummos, etiamsi ille voluntariè solvat, peccet contrà justitiam, & ad restitutionem teneatur, qui verò bona virtutum, & meritorum aufert, non peccet contrà justitiam, nec ad restitutionem teneatur.

8 Denique secundum Adversarios, & communem opinionem, qui per vim, & fraudem alium ad peccandum induxit, vel à bono opere retraxit, non tantùm contrà charitatem peccat, sed etiam contra justitiam, & ex justitia tenetur causam erroris, & peccati removere fraudem aperiendo, & vim auferendo, ne peccatum continuetur; sed non est major ratio, ut quis obligetur ad damnum ex fraude, aut violentia illarum, quàm ex alia quacunque per se causa damni; ergo &c. Minor probatur, quia ille etiam injustè privat alium bono suo, & quo pretiosius est bonum eo potiori jure privatur; ergo sicut ex læsione in bonis fortunæ oritur obligatio restituendi, & compensandi damnum, ità ex læsione in bonis salutis, quia dictamen justitiæ non magis respicit unum, quàm alterum, imò plus respicit illud, in quo magis nocetur. Nec juvat dicere volenti, & consentienti non fieri injustitiam, qui autem ad peccatum inducitur precibus, & suasionibus sine vi, & fraude, voluntariè peccat. Nam qui alium inducit, ut damnum inferat proximo injustè, peccat contrà justitiam, & damnum causat, quomodocunque inducat, quamvis executor liberè, & volens id faciat, tùm quia ut dicebamus, etiam qui usurario usuram solvit, liberè eam solvit, & non invitus, & tamen hoc non obstat, quin usurarius ad restitutionem teneatur; ergo pariter licet inductus ad peccandum sine vi, & fraude scienter, & voluntariè peccet, tamen hoc non obstat, quin inducens adhuc ad restitutionem teneatur.

9 Ad fundamentum prioris sententiæ neganda est minor, nam licet peccans voluntariè peccet, inductio tamen ad peccandum omninò voluntaria non fuit, sed precibus importunis extorta, atque ideò talis importunè ad peccandum illectus injuriam passus est; non enim censetur quispiam cedere juri suo, si aliquo modo involuntariè, & renitente affectu consentiat, ut in proposito contingit, sicut enim donatio debet esse omninò libera, ut sit valida, ita quoque cessio juris, ut injuriam tollat. Ex quo patet falsitas fundamenti Adversariorum; volunt enim actum peccati illius, qui ad peccandum inducitur, esse omninò voluntarium, sicut est voluntarius actus peccati in eo, qui ex seipso ad peccandum se determinat, & paratus est ad peccandum antè inductionem, quod tamen omninò falsum est, licet enim qui inducitur sine vi, & fraude voluntariè peccet, tamen actus ille voluntarius, quo vult peccatum simpliciter, est involuntarius secundum quid, quod sufficit, ut inducens ad restitutionem teneatur, nam ille peccatum non contraxisset, nisi inductus fuisset, ideoque actus ejus non est ità voluntarius, sicut actus illius, qui ex seipso ad peccandum se determinat, & antè inductionem paratus est ad peccandum. Ad confirmationem negatur consequentia, quia regula juris intelligitur de consulente circà aliquam rem, quæ non sit peccatum, ut de contractu, vel quasi contractu, v. g. de mercatura exercenda, uxore ducenda, lite movenda, & similibus; cùm enim aliquis de his rebus consulit bona fide, & sine dolo, si deindè ex talis consilii executione sequatur damnum exequenti, non tenetur consulens ad restitutionem damni secuti, secus autem si dolosè tale consilium daret, ut illud damnum pateretur, tunc enim ad restitutionem teneretur; in proposito autem sermo est de eo, qui dat consilium ad peccandum, quod consilium de se patet esse pernicio sum, & consulens malum directè, vel indirectè, quod aliàs non fieret nisi ex tali consilio, ex intentione fraudem committit, quia alium aliàs repugnantem inducit in malum, & causat damnum ex eo sequens, undè consulens alicui, & per hoc eum inducens ad occidendum, vel furandum, vel ad bona sua dissipandum ad restitutionem tenetur. Ad ultimum negatur, consequentia, & paritas, quia mulier sordida, & prostituta jam actu est exposita, & voluntate ad peccandum parata, ut suprà dictum est, undè potius alios ad peccandum inducit, quam inducatur, & qui eam adit, & cùm ea mœchatur, occasionatè tantùm se habet, non autem tanquam causa impellens, & inducens, sed ut concurrens, & consequens determinationem voluntatis meretricis, non verò causans, alias rationes minoris momenti vide solutas apud Fabrum, & Hiqueum loc. cit.

ARTICULUS SECUNDUS.

An alium à religione extrahens ad aliquid restituendum teneatur.

10 Doctor q. 3. cit. in solutione ad 3. princ. breviter hoc quæsitum resolvit, & pro resolutione notat illum, qui à Religione retrahitur, tribus modis se habere posse, nam vel est jam obligatus Religioni, ut professus, vel nondum est religioni obligatus, sed ad ingressum Religionis est jam dispositus, ut Novitius, qui nondum professionem emisit, vel tandem ad ingressum Religionis est dispositus, sed tamen habitum nondum suscepit, & rursus sermo esse potest vel de restitutione ipsi Religioni facienda, vel ei, qui abductus est à religione; & hæc abductio etiam dupliciter fieri potest, vel cum fraude, & dolo, & animo nocendi religioni, aut religioso, vel sine dolo, & fraude, neque animo nocendi religioni, vel religioso, sed solum intentione consulendi propriæ illius utilitati. Quo supposito conveniunt omnes DD. qui bono animo, & intentione impedit, & dissuadet volentem ingredi Religionem, aut ne post ingressum profiteatur, intentione nimirum consulendi utilitati propriæ, nec peccare, nec ad restitutionem aliquam teneri religioni, aut dissuaso ex justitia, & hoc docet expressè Scotus qu. 3. cit. in fine, cum ait quod si hoc fecit intentione consulendi utilitati propriæ sine fraude, ad nullam tenetur restitutionem. Ratio est, quia fieri potest, ut potius quis mereatur dissuadendo alicui religionem, quando ex justa causa id faceret, ut si ille, qui vult ingredi, non sit utilis Religioni, vel ob imbecillitatem, ob malam indolem, aut aliud impedimentum, vel quia parentes habet, fratres, & sorores in gravi necessitate constitutos; & hoc etiam colligitur ex Conc. Trid. sess. 25. de Regular. c. 18. ubi excommunicantur omnes, qui sanctarum Virginum, vel aliarum mulierum voluntatem, vel accipiendi, vel voti emittendi quoquo modo sine justa causa impedierint.

Confirmatur, quia ubi non est injuria, aut injustitia, ibi nulla est obligatio restitutionis ex justitia; at in hoc casu nulla infertur injuria ipsi dissuaso, quia hoc potius in ejus utilitatem resultat cùm ob ejus imbecillitatem onera Religionis ferre non possit; nec etiam Religioni, cùm etiam hoc in ejus utilitatem vergat, nec ipsa jus aliquod acquisierit in eum, qui Religionem ingredi voluit, sicut neque in novitium, itaut ex justitia oriatur restitutionis obligatio.

11 Itaque tota difficultas est de eo, qui malitiosè, & per fraudem impedit alterum, ne religionem ingrediatur, vel illum à religione extrahit, in qua quæstione plures refert Faber. disp. cit. cap. 2. opiniones, ac dicendi modos, quorum examine dimisso, ut multa inutilia continente, breviter pro quæsiti resolutione dicendum est ex doctrina Scoti loc. cit. extrahentem à Religione jam professum teneri restituere Religioni, si est capax proprietatis & dominii, si quid ex testamento, & donatione erat Religioni obventurum, quia ratione tali Religiosi jus in illa bona Religio habebat, quod per consilium alterius, seù ex tali extractione impeditur injustè. Quod cùm sit verum de bonis temporalibus multò magis de bonis spiritualibus intelligi debet, & altioris gradus, ut Faber advertit loc. cit. qualis est utilitas doctrinæ, si est vir doctus, si sit eximiæ sanctitatis, & Religionem magis sæculo honorabilem reddat, & similia, undè

dè talem virum extrahens à Religione ad hæc damna Ordini reſarcienda tenetur, quia damna ſpiritualia excedunt temporalia, cùm ſint altioris ordinis, & Religio majus damnum patiatur propter jacturam bonorum ſpiritualium, quàm temporalium. Et non ſolùm tenetur hæc damna Religioni reſarcire, ſed etiam ipſi Religioſo profeſſo, quia amovere aliquem à ſtatu perfectiori ad ſtatum minus perfectum eſt damnum ſpirituale, & proindè ſic extrahens tenetur ei reſtituere aliquo modo bona prædicta, ſuadendo nimirum, ut ad Religionem denuo redeat, orando, & agendo, ut alii orent pro ipſo, & alia faciendo, quæ diximus artic. præced. facienda eſſe pro reſtitutione damni ſpiritualis.

12 Et hoc non tantùm intelligendum eſt, ſi ille vi, vel fraude à Religione profeſſum abduxit, ut aliqui dicunt apud Bonacinam diſp. 2. qu. 1. & ex noſtris Aretinus q. 3. art. 5. ſed etiam ſi precibus, & conſilio abſque vi, & fraude id fecit, quod illi negant, quia Religioſus inquiunt non tenetur ex juſtitia ſuis laboribus emolumenta Religioni procurare concionando, legendo &c. ſed ſolùm ex virtute obedientiæ, & Religionis; undè etſi nolit laborare, & commoda monaſterii acquirere, non peccat peccato injuriæ in monaſterium, ſed peccato irreligioſitatis; ergo neque conſulens ejus extractionem ex juſtitia ad id tenetur, cùm ſolum teneatur ſecundariò. Verùm etiam in iſto caſu talis conſulens, & extrahens profeſſum à Religione adhuc ad reſtitutionem talis damni ex juſtitia tenetur, quamvis abſque vi, & fraude hoc fecerit. & ratio eſt, quia ut docet Suarez de Religione lib. 6. cap. 2. & Sanchez 7. de Matrimonio diſp. 15. Caſpenſis diſp. 19. de Reſt. ſect. 2. & plures alii, religioſus poſt profeſſionem non tantùm ex obedientia, ſed etiam ex juſtitia ad Religionem pertinet, quæ quidem juſtitia ex ipſa profeſſione oritur immediatè, quæ eſt contractus quidam oneroſus ultrò citroque obligatorius, quo profeſſus ad permanendum in Religione obligatur, & laborandum, ac ſerviendum in omnibus in quibus juſſus fuerit, juxtà Religionis inſtitutum, & Religio ipſa obligatur ad eum retinendum, & alendum; undè non valet, quod dicebatur, Religioſum non teneri ex juſtitia, ſed ex obedientia procurare ſuæ Religionis, & Monaſterii emolumenta, & ut notat Hiqueus in Commentario, ſivè ex juſtitia, ſivè ex obedientia tenebatur, non refert, modò emolumentum ſit certum, & reipſa futurum, quia illud Monaſterio ex juſtitia debetur, itaut eo privari non poſſit; & ſicut Monaſterium acquirit ex juſtitia per Monachum, ſic etiam habet jus, ne privetur injuſtè poteſtate, & effectu acquirendi per ipſum, ſicut etiam licet religioſus ex obedientia applicetur curæ, & rebus Monaſterii, tenetur tamen, tali applicatione ſuppoſita, ex juſtitia ad fidelitatem, & diligentiam, ne ex ipſius culpa Monaſterio damnum inferatur, & ſi haberet, undè reſarciret, in caſu infidelitatis, & negligentiæ ad reſtitutionem teneretur.

13 Si verò quis malitioſè, & per fraudem impedit alterum, ne religionem ingrediatur, vel novitium à Religione profitenda avertit, etiam tenetur ex juſtitia Monaſterio compenſare, quanti ſpes illa temporalis commodi valebat, quod ex ipſius hæreditate, donatione, vel induſtria expectabatur. Ità etiam communiter DD. quod quidem deducitur ex illa generali doctrina, quæ tradi ſolet de impediente per vim, vel fraudem alium à conſecutione boni, vel donatione reſpectu volentis donare, tenetur enim reſtituere, quanti illa ſpes judicio prudenti æſtimatur, & damnum ex illa vi, vel fraude ſecuturum, licet enim donatarius, vel hæres inſtituendus à volente non adhuc intelligatur habere jus ad illa bona abſolutè, habet tamen jus, ne ab hoc impediatur per vim, vel fraudem; pari igitur modo judicandum eſt de illo, qui per vim, vel fraudem alium ab ingreſſu Religionis impedit, vel ab ea novitium extrahit; ſicut enim unuſquiſque jus habet, ne impediatur à conſecutione boni, quod alter illi conferre vult, per vim vel metum, ac alia fraudulenta media, & in hoc fit illi maxima injuria, & injuſtitia, ex quo fit teneri ad reſtituenda omnia damna ſecundum eam quantitatem, qua fructus in ſpe communiter æſtimari ſolent. Ità pariter Religio jus habet, ne vi, vel fraude eam ingreſſurum avertas, undè qui ità avertit jus religionis violat, ac proindè ad reſtitutionem damni ſequentis tenetur, qua parte pretio illud eſt æſtimabile.

14 Addit tamen Scot. loc. cit. in hoc caſu impedientem teneri ad reſtitutionem religioni, non tamen ſecundum totum damnum, quod paſſa eſſet per retractionem hujuſmodi viri, ſed partis damni, prout magis, vel minus erat proximus ad religionis ingreſſum, vel ad profeſſionem, obligationem ad judicium boni, & prudentis viri; undè ait Doctor, quod intereſt inter habere, & propè eſſe, & ideò ſi aliquem diſpoſitum ad intrandum retraxit, ne intraret, non tenetur ad tantam reſtitutionem religioni, ad quantam ſi fuiſſet in religione; ſed tenetur ad aliquam reſtitutionem proportionatam, putà ad aliqualem inductionem alterius aliqualiter æquivalentis ad ingreſſum illius religionis. & ratio eſt, quia qui eſt novitius, vel ad ingreſſum religionis diſpoſitus, nondùm eſt profeſſus, neque religio adhuc ſuper eum habet jus perfectum, ſed ſolùm aliquod jus imperfectum ratione ingreſſus in Novitio, & ratione diſpoſitionis in volente ingredi; & ſecundum hujuſmodi diſpoſitionem majorem, vel minorem tenetur ad majorem, vel minorem partem damni illati reſtituere. Et per hoc excluditur ratio quorundam oppoſitum aſſerentium, quæ in eo fundatur, quod Religio nullum jus acquirit novitii antè profeſſionem; quamvis enim per receptionem Novitii completum, & perfectum jus non acquiſierit ante profeſſionem, acquiſivit tamen inchoatum, & cum certa ſpe, & expectatione complendum, quo nequit religio injuſtè privari, ſicut neque prætendens beneficium injuſtè poteſt impediri. Non tamen qui impedit pro tali ſatisfactione tenetur ipſe ingredi Religionem, ut quidam dixerunt, quia hìc ingreſſus omninò voluntarius eſſe debet, & ex divina vocatione, non ex neceſſitate, quamvis ſi vocatus à Deo ingrederetur, ut eſſet Religioni æqualiter utilis, ac ille quem impedivit, ſufficienter ſatisfaceret. Denique tenetur non ſolùm hæc damna religioni reſarcire, ſed etiam ipſi impedito ab ingreſſu, vel profeſſione religionis, & hoc facere debet hortando ipſum ad bonum propoſitum reſumendum, vel orando pro ipſo, & faciendo orare ab aliis, ut reparet magnum illud bonum, quod nefariè in animo ejus deſtruxit ſpiritum Dei extinguens, ac ſanctam ejus inſpirationem. Plura alia ad hanc materiam ſpectantia vide apud Card. de Lugo diſp. 9. ſect. 3.

QUÆSTIO SECUNDA.

De reſtitutione damni in bonis corporis.

15 POST explicationem eorum, quæ ad reſtitutionem bonorum animæ ſpectant, agit Doctor q. 3. cit. ar. 2. de bonis corporis, ſeù de damnis, quæ in corpore inferuntur, ſub bonis autem corporis multa comprehenduntur, nimirum vita corporalis, cui homicidium opponitur, membra etiam corporis, integritas, & ſanitas ejuſdem, quibus mutilatio, vulnera, percuſſio, & ſimiles corporis læſiones opponuntur, de quibus pari modo, & brevitate cum Doctore ſequentibus articulis agendum eſt.

ARTICULUS PRIMUS.

Quodnam homicidium ſit licitum, vel illicitum.

16 CErtum eſt apud omnes, ac de fide quinto Decalogi præcepto prohiberi homicidium quodcunque injuſtè illatum tam proximi, quàm ſui ipſius, & hoc intelligendum eſt de homicidio voluntario, non autem caſuali, quod præter intentum evenit, ut ſi quis faciat aliquod opus, quod nullo modo de ſe aptum eſt mortem inferre, & tamen indè meré accidentaliter mors ſequitur; & hic per homicidium non tantùm privatio vitæ hominis intelligitur, ſed etiam quodcunque nocumentum corporale proximo injuſtè illatum etiam citrà mortem tam irremediabile, ut eſt mutilatio membri, ſive ſit enormis, ſivè non enormis, quàm remediabile, ut vulneratio, vel alia læſio curabilis, ut Doctor advertit loc. cit. ſivè tale nocumentum ſit proximo illatum per ſeipſum, ſivè per alium jubendo, conſulendo, conſentiendo, aut alia quacunque ratione cooperando. Verùm quia etiam ipſum homicidium actu perpetratum quandoque juſtum, & licitum eſſe poteſt, explicandum eſt, quando, & in quibus circumſtantiis id eſſe poſſit.

17 Primò itaque dicendum eſt, quod cùm hoc præcepto prohibeatur injuſta occiſio, aut mutilatio, ac quævis alia corporalis læſio alterius, tanto magis etiam ſui ipſius injuſta occiſio, mutilatio, & quælibet corporis læſio prohibita eſſe cenſetur; etenim abſque divina auctoritate non licet ſeipſum directè, & ex intentione occidere. Ratio eſt, quia illo præcepto Exodi 26. *Non occides* prohibetur occiſio cujuſvis hominis ſine legitima auctoritate, ut docet Scotus loc. cit. lit. G. §. *Sed quis eſt juſtus occiſor*, ex D. Aug. 1. de Civit. c. 17. atqui nemo habet auctoritatem in ſeipſum, quia ſolus Deus eſt directus, & abſolutus dominus humanæ vitæ, & licet homo habeat jus cuſtodiendi vitam ſuam, & utendi illa, & ſuis membris; propriè tamen non eſt dominus vitæ ſuæ, & membrorum, ut dictum eſt diſp. 3. n. 31. ergo ex intentione, & directè numquam poteſt homo occidere, vel mutilare ſeipſum. Ex quo patet differentia inter actum occidendi ſeipſum, & occidendi alium; quia actus occidendi alium etiam privata auctoritate aliquando honeſtus eſſe poteſt titulo juſtæ defenſionis; ſed actus directè occidendi ſeipſum privata auctoritate

tate

tate nunquam honestus esse potest. Dixi autem absque divina auctoritate id licitè fieri non posse, propter Samsonem, & quosdam Martyres, qui seipsos occiderunt vel ex divina inspiratione, vel inculpata ignorantia, ut ait D. August. loc. cit. Dixi etiam *directè*, quia indirectè quandoque licet se occidere, hoc est, aliquid facere, vel omittere, ex quo præter intentionem mors certò sequatur, unde miles potest imò tenetur in statione persistere, etsi moraliter certus sit se occidendum, & tempore pestis servire licet infectis, vel ad fugiendum incendium ex alto se præcipitem dare cum evidenti, & certo mortis periculo, ut docent Lessius, Layman, Filliucius, Car. de Lugo, & alii passim. Et quod spectat ad mutilationem sui ipsius certum est quandoque licitum esse seipsum mutilare, aut ab altero mutilari permittere gravioris alicujus mali evitandi causa, ut si ad mortem evitandam, quæ ex putrefactione alicujus membri sequeretur, aliquis sibi hujusmodi membrum abscindat, aut ab alio abscindi permittat, ut docet Toletus lib. 5. cap. 6. cum. pluribus aliis; ac proindè ex communi Theologorum sunt aliqui casus, in quibus occisio, vel mutilatio sui ipsius, aut alterius justa, ac proindè licita esse potest.

18 Secundò, loquendo de homicidio, & mutilatione alterius certum est homicidium injustum alterius illicitum esse, & peccatum mortale, undè Apoc. 22. homicidæ cœlesti gloria excluduntur, & ratio naturalis id suadet, quia quilibet homo per se loquendo jus habet conservandi suam vitam, & utendi suis potentiis, quicquid enim sit de vita ipsa, saltem suarum potentiarum est dominus, quod jus, & dominium per mortem impeditur, & aufertur, ac proindè homicidium est peccatum contrà justitiam commutativam, & ad restitutionem obligat, ut infrà dicemus; licitum tamen est homicidium, quando fit auctoritate publica per justitiam punitivam juxtà illud Exodi 22. *maleficos ne patiaris vivere*, undè hic modus occidendi per justitiam punitivam solum iis est licitus, qui publicam auctoritatem habent secundum formam illis traditam auctoritate legum, ideoque ait D. Aug. 1. de Civit. cap. 2. contrà præceptum Decalogi non facere, qui celestos interficiunt publicæ potestatis personam gerentes; & ratio etiam naturalis hoc dictat, quia in communitate Reipublicæ jus quoddam est publicum puniendi malefactores, qui eidem communitati nocent, ac proindè ea punitione utendi, quæ bono publico utilis censeatur, & cujus timore similia delicta impediantur; pœna autem mortis in gravissimis delictis, quale præsertim est homicidium, prudenter justa censetur, ac proindè non obstante jure, quod alioqui malefactores super vitam suam habent, licitè, ac honestè auctoritate publica inici possunt, ac juris ordine servato.

19 Et planè miror Molinam, Bannes, Bonacinam, Amicum, & alios Thomistas Scoto impingere, quod loc cit id neget, nempè licitum esse publica auctoritate malefactores occidere, eo quia quinto Decalogi præcepto prohibetur simpliciter, & absolutè omnis hominis occisio, cùm simpliciter dicatur *Non occides*, quapropter Scoti sententiam dicunt esse temerariam, periculosam in fide, & praxi totius Orbis Christiani contrariam. Miror inquam, adeò temerè, ac temerariè hoc Scoto impingi, cùm expressè lit. G. *Sed quis est justus occisor* oppositum doceat, inquit enim ibi præcepto illo *non occides* prohiberi occisionem cujusvis hominis sine legitima auctoritate, & justa lege, & hanc ex D. Aug. lib. 1. de libero arbitrio ait esse, quæ vel descendit à lege divina, sicut conclusiones practicæ à principiis practicis, vel quæ concordat legi divinæ, vel ad minus, quæ non discordat; non ergo negat ibi simpliciter, & absolutè loquendo licitum esse publica auctoritate malefactores occidere ut ei Recentiores impingunt; sed tantùm ait nullam legem justam esse posse, qua statuatur furem propter furtum simplex esse morte afficiendum, ideoque negat Principibus licere simplex furtum, quod annexam non habeat aliam circumstantiam prohibitam, pœna mortis punire, de quo agemus art. seq. Itaque extrà casum necessariæ defensionis, de quo mox dicemus, nulli licet malefactorem occidere, nisi auctoritate publica, & juris ordine servato. Undè non licet patri filiam, nec marito uxorem occidere in adulterio deprehensam, quia ad id auctoritatem publicam non habent, & leges civiles id permittentes, tanquam iniquæ à jure Canonico sunt correctæ. Secus est de proscriptis, contrà quos lata est sententia capitis, licitè enim possunt à quolibet privato homine interfici, quia hoc fit publica auctoritate justitiæ, cujus quilibet est minister respectu proscriptorum, cùm ad Reipublicæ defensionem hoc sit necessarium, ut notant Sylvester, Azorius, Filliucius, Bonacina, & alii passim.

20 Tertiò Dicendum est etiam auctoritate privata licitum esse occidere iniquum invasorem, & aggressorem ob defensionem vitæ suæ, & integritatis membrorum, dummodò id fiat cum moderamine inculpatæ tutelæ. Ratio est, quia jus naturæ permittit, ut vim vi repellas, & aggressorem, qui iniquè tibi vitam eripere conatur, prævenias, & occidas, tùm quia vim vi repellere leges, omniaque jura permittunt, ut in C. significasti 2. de homicidio, & in cap. Si verò 1. de sent. excom. idque non tantùm Laicis, sed Clericis etiam, & Monachis concessum est, ac contrà quoscunque cujuslibet sint conditionis, etiamsi sint Superiores, ut servo contra dominum, filio contrà parentem, militi contrà Ducem, Vassallo contrà Principem; excipiunt tamen aliqui, nisi fortè propter mortem hujus secutura essent nimis magna incommoda in Republica, ut bella, seditiones inter cives, & similia. Insuper invaso licet ab invasore se tueri eum occidendo in quocunque loco sivè sacro, sivè non sacro, & quocunque tempore, ut si divina officia celebrentur, & Missa dicatur. & ratio est, quia jus se tuendi est naturale, quod aliis juribus positivis præponderat divino, vel humano. Dicitur autem injustus aggressor, vel invasor omnis ille, qui vult alium injustè occidere, vel mutilare, etiam antequam hoc actu faciat, dùm præsumatur prudentes, & rationabiliter facturus; per invasum autem intelligitur quicunque petitur ad mortem à quovis alio præterquam à Judice, & Principe servato juris ordine & proindè cuicunque personæ licet sic se defendere ab invasore etiam eum occidendo, & hoc licitum est nedum in foro fori, sed etiam in foro conscientiæ, ut docent communiter omnes cum D. Thoma 2.2. q. 64. art. 7. & Scoto d. 15. q. 3. art. 2. & d. 25. qu. 21 versic. *sequuntur etiam duo*, ubi ait occidentem alium pro defensione sui ipsius committere homicidium involuntarium secundum quid; addit etiam contrahere irregularitatem per tale homicidium ex cap. *de his* d. 50. licet facilis dispensationis. Verum, ut Faber advertit disp. 52. cap. 1. num. 13. hoc dixit Doctor quia præcessit Clementem Quintum, qui talem irregularitatem sustulit, ut definitum est in Clem. *Si furiosus* de homicidio.

21 Conveniunt tamen unanimiter Doctores, ut hoc sit licitum, adhibendum esse moderamen inculpatæ tutelæ; ad quod nonnulli quasdam requirunt conditiones, quæ sunt impertinentes, ut rectè Faber ostendit loco cit. ubi proindè ad omnes scrupulos tolendos scitè concludit moderamen inculpatæ tutelæ, quod Alexander Tertius decernit necessarium esse in cap. *Si verò*, in homicidio tunc adhiberi, quando quis occidit solùm, quia re vera in conscientia & sine dolo, & fraude putat non posse evadere, nisi occidat, & hoc etiam expressè docet Scotus loc. cit. dùm absolutè dicit illum excusari ab homicidio, qui non potuit evadere ab aggressore, nisi occidendo, undè qui cum levi percussione potest se ab aggressore defendere, tunc eum occidere licitè non poterit, cùm ille excessus secundum regulas prudentiæ non possit dici factus cum moderamine inculpatæ tutelæ, & eodem modo qui potest fugere, aut clamare, & implorare auxilium ad id tenetur, ut etiam ex nostris advertit Aretinus d. 15. qu. 2. art. 2. sic etiam si potest invasorem prosternere, vel capere, & ligare non erit occidendus, ne invasor plus lædatur, quàm sit opus ad illius vires infringendas, ne offendere possit. Requiritur etiam ad moderamen inculpatæ tutelæ, ut invasus aggressorem non occidat ex odio, vindicta, quia leges, & Deus ipse hoc vetat, dum vindictam sibi reservat *mihi vindicta, & ego retribuam*, sed ex amore suæ vitæ, ad injuriam duntaxat propulsandam; cum quo tamen stat, ut etiam licitè intendere possit mortem invasoris saltem secundariò contrà Cajetanum, Sotum, & alios Thomistas oppositum docentes, quoniam ut ait Scotus loc. cit. 4. d. 25. actus, quo invasus vult occisionem invasoris est voluntarius simpliciter, involuntarius verò secundum quid sicut actus proiicientis merces in mari ob tempestatem est voluntarius simpliciter, sed involuntarius secundum quid, nam si aliter evadere posset, non occideret, undè mortem invasoris intendit ob solam suam defensionem, non autem ex odio, & vindicta. Undè etiam deducitur non licere, accepto vulnere, invasorem fugientem prosequi, & occidere, quia talis occisio non essent amplius in defensionem, ne vulneraretur, sed in vindictam accepti vulneris, nisi periculum sit ne rursus invadat; semper enim ad futurum malum est respiciendum, ad quod tantùm vitandum est justa defensio, non autem ad præteritum, cujus non est defensio, sed vindicta. Ità Toletus, Rodriquez, Amicus, Caspensis, & alii, contrà Navarrum, in Man. cap. 15. n. 4. quem sequitur Faber loc. cit. n. 29. & alios asserentes posse insequi, & occidere licitè si continuato tempore, & non interpolato hoc fiat. Quod minus probabile puto, si enim damnum jam illatum sit, nec actualis aggressio duret, actus occidendi licitus non esset, quia rationem defensionis habere non potest, nec actionis vim repellendi, sine quo actus occidendi honestus esse non potest, de quo plura apud Astesanum nostrum videri possunt lib. 1. tit. 25. art. 2. ubi omnia supradicta tangit.

22 Sed instabis, ex præcepto charitatis tenemur æternam salutem proximi nostræ temporali vitæ præponere; sed si injustus invasor occidatur, salutem æternam amittit; ergo lege chari-

charitatis tenemur ejus æternam salutem vitæ nostræ temporali anteponere, permittendo nos potius ab illo occidi quàm illum occidere.

Respondent communiter omnes, principium illud, quod vita, & salus æterna proximi præferenda est vitæ temporali propriæ, intelligendum esse, quando est casus extremæ necessitatis, scilicet, quia non potest quis salvari à damnatione æterna, nisi per mortem corporalem proximi, ut contingit de Confessariis tempore pestis. Quando verò non est proximus in extrema necessitate, & potest sibi subvenire sine damno alterius, talis obligatio non adest; hoc autem contingit in casu injusti aggressoris, quia ex sua libera culpa alium aggreditur, & suum potest impedire periculum non aggrediendo alium, & prava voluntate depositа, ab injusta invasione desistere potest, ac suæ saluti consulere, & si in invasione occiditur, potest in extremo mortis articulo pœnitere, & suum confiteri peccatum, ut sæpè contingit. Solet etiam in oppositum adduci quædam D. August. auctoritas lib. 1. de libero arbitrio cap. 5. ubi inquirens, an licita sit invasoris occisio pro tutela propriæ vitæ, habet hæc verba *Quapropter legem quidem non reprehendo, quæ tales permittit interfici, sed quo pacto ipsos defendam, qui interficiunt, non invenio*; circà quam auctoritatem explicandam plures Doctores laborant, & præsertim ex nostris Faber, & Astesanus loc. cit. ubi dicitur cum Ricardo intelligi debere in casu, quo, scilicet, fugiendo, vel adjutorium invocando posset invasus salvari, & non vult propter verecundiam, vel quando per aliam viam malefactorem cohibere posset, vel quando jam accepto vulnere insequitur recedentem, & occidit; alii verò absolutè dicunt Augustinum contrariæ fuisse sententiæ.

23 Quartò quæri solet, an sicut ad vitæ defensionem, sic etiam ad bonorum exteriorum conservationem liceat invasorem occidere, quando aliter bona illa salvari non possunt. Ratio dubitandi est, quia tenemur plus diligere vitam proximi, quàm res temporales nostras, ut patet, quando proximus in extrema necessitate versatur, cui tenemur cum dispendio bonorum temporalium nostrorum succurrere; non ergò licet pro defendendis nostris bonis temporalibus illi vitam auferre, quia externa bona sunt minoris valoris, quàm bona corporis; ob quam rationem negarunt aliqui hoc licitum esse, quibus videtur consentire Vulpes disp. 102. a. 7. Communis tamen opinio affirmat cum hac triplici limitatione, ut notat Amicus cum aliis dis. 36. sect. 8. Prima, ut defensio sit pro re notabilis momenti, vel ad suæ suorumque vitæ necessariam sustentationem. Secunda, ut non sit aliud medium furata recuperandi, undè si fur vivus capi potest, non est occidendus, & si post furtum possunt sublata alio modo recuperari, non sunt cum morte furis recuperanda. Tertia, ut id fiat incontinenti, & non intervallo temporis, ut quando cæpta invasio continuatur, vel fur cum furatis bonis aufugiat, tunc enim fugiens sclopo, vel sagitta transfodi potest ad propria bona recuperanda, si periculum sit, ne ea occultet, vel consumat; quod si jam in domum se recepit, vel ad alia negotia divertit, non licet eum amplius occidere, quia non adhiberetur moderamen inculpatæ tutelæ, sed adhibenda sunt alia media per juridicam actionem Assertio sic limitata probatur in primis ex Scriptura Exodi 22. quem locum etiam Doctor adducit lo. c. ubi dicitur. *Si effringens fur domum, sive suffodiens inventus fuerit, & accepto vulnere mortuus fuerit percussor non erit reus sanguinis*; constat præterea ex cap. *Olim* de restitutione spoliatorum, & ex cap. *Directio* de censura excom. in 6. Deindè probatur, quia communiter licita sunt bella pro defensione bonorum externorum non solùm defendendo, sed etiam offendendo, ut patet ex communi praxi, & ipsa sacra Scriptura.

24 Hoc etiam ratio suadet, quia bona externa sunt vel ad vitæ sustentationem, vel ad dignitatem proprii status conservanda necessaria, & commodè vivendum; sed absque facultatibus vita sustineri non potest simpliciter, aut convenienter, ergò licitum est occidere invasorem facultatum, & vim repellere modo sint magni valoris, & hoc in foro interno, quicquid sit de externo. Et quamvis aliqui dicant id solummodò Laicis licitum esse, non verò Ecclesiasticis, quos ut habetur c. *Suscepimus* de homicidio *satius est post tunicam relinquere pallium, quàm pro rebus transitoriis tàm acerbè in alium exardescere*. Communior tamen, & probabilior opinio affirmat, quia omnibus tam Laicis, quam Clericis licitum est jure naturæ vim vi repellere, non solùm à propria vita, sed etiam ab iis, sine quibus simpliciter, vel commodè, & juxtà sui status dignitatem vita sustineri non potest. Jura vero in contrarium afferri solita intelligenda sunt, quando non servatur moderamen inculpatæ defensionis, ut constat ex ipsis verbis juris adducti. Ità Lessius, Bannes, uterque Navarrus, Cajetanus, Valentia, Salonius, Rodriquez, Lopez, Molina, Turrianus, Bonac. Amic. & alii passim. Ratio verò in oppositum adducta non urget, quia ut etiam Faber advertit loc. c. Lex dilectionis proximi, qua tenemur magis diligere corpus ejus, quam bona nostra temporalia, intelligitur in casu necessitatis, quando, scilicet, proximus non potest suam vitam servare sine bonis nostris, non autem quando non eget, sed ex nequitia vult illa nobis eripere, etenim in tali casu non tenemur plus vitam proximi diligere, quàm bona nostra fortunæ, cum hæc sint nobis ad vitam necessaria; & jus naturale in eo casu non dictat vitam proximi esse bonis nostris fortunæ præferendam, sed potius ad ea defendenda contra injustum invasorem, utpotè ad conservationem nostræ vitæ, nostrique status necessaria.

35 Quod autem de bonis fortunæ dictum est, hoc etiam de fama, & honore dici posse asserit communis opinio, quando aliud medium proprii honoris defendendi non suppetit. Undè quamvis nobilis ab alio invasus posset fugiendo vitam salvare, non tenetur fugere, si aliquam infamiam ex tali fuga contraheret, sed invasorem occidere potest, vel mutilare, si aliter vitam cum honore tueri nequeat. Addunt tamen hoc habere locum in nobilibus tantùm, siquidem plebejus non potest invasorem occidere, si per fugam salvari potest, non enim fuga est illi adeò ignominiosa, ut pro illa vitanda possit alterum licitè interficere. Addunt insuper idem censendum esse de castitatis, & pudicitiæ defensione, potest enim mulier ad pudicitiam tuendam invasorem occidere, si aliter eam tueri nequeat; & quod dicimus de occisione, hoc etiam de mutilatione intelligi debet, nimirum licitum esse alium mutilare ad defensionem vitæ, vel bonorum, aut honoris, vel pudicitiæ, imò si illum mutilando vita, vel honor tueri possunt occidere non licet. Difficultas tamen est, an etiam Clericis, & Religiosis licitum sit in sui honoris defensionem invasorem occidere, vel mutilare. Affirmat Amicus disp. 37. cit. sect. 7. quia si licitum est Clericis, ac Religiosis in tutelam suarum facultatum furem occidere, ut dictum est, tanto magis id licitum videtur in tutelam famæ, & honoris ex virtute, & sapientia consurgentis, undè ait licere Clerico, vel religioso ad vitandam grauissimam sui, suæque Religonis infamiam, si alius modus non suppetit, calumniatorem opprimere. Oppositum tamen communiter DD. docent cum Glossa in Clement. *si furiosus* de homicidio, & in c. *suscepimus* nam Religiosi, & Clerici ratione status, quem elegerunt, & in quo se Deo consecrarunt, mundanis honoribus renunciarunt, & Christi humilitatem, ac mansuetudinem imitari profitentur, ideoque eis non licet ad honoris defensionem interficere aggressorem, si per fugam salvari possunt, nullum enim dedecus eis accrescit, eo quod fugiant, sed potius gloria, & bonum nomen, quia honor eorum non consistit in armis, nec parvi habentur, sed magni potius à populo, quod injurias patientes sustineant Christum imitantes. Ità DD. omnes unanimiter, undè nec Amicus ipse assertivè oppositum tenet, sed solùm disputandi gratia, ut protestatur in fine sectionis illius, relinquens suum assertum maturo judicio prudentis lectoris discutiendum, & tandem, scilicet, congregatio oppositam sententiam condamnavit die 24. Septembris 1665.

26 Denique in iis casibus, in quibus licite vitam, & facultates nostras defendere possumus cum morte invasoris, possumus etiam defendere vitam, & bona proximi cum morte invasoris, si non possit alio modo impediri. Ità communiter DD & ratio est, quia ipsemet invasus potest licitè id facere; ergo etiam alter potest cum ipso ad id concurrere, quia cooperatur bono, & partem suscipit innocentis defendendam contrà iniquum aggressorem. Tùm quia hoc cedere potest in bonum Reipublicæ sic enim melius innocentes conservari possunt, & impediri mala à sceleratis inferenda. Sed Difficultas est, an teneatur quis id facere quando potest absque periculo proprio, nam certum est non teneri cum proprio periculo, ac notabili incommodo. Negant aliqui, eo quod vita invasoris sit ex se æqualis vitæ invasi, & ipsa occisio sit ex se horrenda actio. Ità Lessius, Card. de Lugo, & quidam alii. Communis tamen opinio affirmat, quia tenemur ex charitate proximum diligere, & innocentis causam suscipere auxilio nostro indigentis; sed in tali casu proximus supponitur innocens, & nostro auxilio indigere; ergo tenemur sub mortali illum defendere, si possumus absque gravi nostro incommodo. Nec ratio in oppositum urget, quia ut notat Poncius noster d. 52. qu. 5. in fine, quamvis vita invasoris sit de se æqualis vitæ invasi, & ipsa occisio sit horrenda actio, tamen in proposito casu, cùm occisio invasoris culpa ipsius eveniat, vita invasi omninò præferenda est, tanquam innocentis, & eius occisio longè magis horrenda esset, quam invasoris, imò hujus occisio non videtur horrenda, cùm eam sua culpa meruerit, sed debet dici justa. Alia quoque ad hanc materiam spectantia dicemus infrà disp. 11. qu. 6.

ARTI-

ARTICULUS SECUNDUS.

Quatuor aliæ difficultates ad idem spectantes discutiuntur.

27 PRima difficultas est, an liceat privata auctoritate Tyrannum occidere. & ratio dubitandi est, quia in Concilio Constantiensi definitur esse hæreticum asserere, licere privatæ personæ Tyrannum occidere. Pro resolutione quæsiti notant communiter DD. duobus modis aliquem dici posse Tyrannum, uno modo, quia non est verus, ac legitimus populi, ac Reipublicæ dominus, sed ejus principatum, & dominium injustè sibi occupat, & usurpat; alio modo, quia licet sit verus dominus populi, & Reipublicæ, tamen injustè, & iniquè eam regit, quando occiditur Tyrannus, qui Rempublicam sine justo titulo, & non consentientem invasit, & oppressit, occisio justa est, ac licita, quia hic nullum jus habet, nec potest dici Princeps, sed hostis contra Rempublicam bellum gerens, & ideò quilibet de Republica illum licitè potest occidere, nisi ex ejus interfectione majora mala sequantur in Republica. Si verò esset Tyrannus habens verum jus, & dominium in Statum, vel regnum, esset verò tantùm Tyrannus, quia regeret tyrannicè, tunc nulli privato licet eum occidere, sed debet expectari sententia Judicis, scilicet, Reipublicæ totius, sivè capitum ejus, qui simul conveniant, & judicent excessus ejus esse tales, ut mereatur ab administratione, & dominio deponi; quod si hoc modo deponi nequit, nec à Republica debellari, Deus est orandus, & tenetur Cives illi obedire in rebus honestis juxtà illud. 1. Petri 2. *Servi subditi estote in timore dominis non tantùm bonis, sed etiam discolis*, & de Tyranno hoc secundo modo loquitur Concilium citatum, non autem, primo modo. Ità Cajet. Soto, Silvester, Molina, Caspensis, Faber loc. cit. & alii passim.

28 Secunda Difficultas est, an liceat occidere in aliquo casu innocentem, & casus est, an possit Judex innocentem per testes probatum reum contra privatam scientiam condemnare, qua sibi constat de innocentia accusati. Affirmat D. Thomas cum omnibus Thomistis 2.2.q.64.art.6.ad 3. & q. 67. art. 2. quorum fundamentum est, quoniam Judex tenetur sententiam ferre ex scientia publica, quam ex testibus, & aliis publicis probationibus accipit. At contraria opinio omninò vera est, nunquam licitum esse Judici condemnare, quem privata scientia certo novit esse innocentem etiamsi in foro externo secundum allegata, & approbata reus convincatur, ut jam suprà diximus disp.6.q.2.ar.1.n. 26. & efficaciter probat Amicus disp. 26. sec. 4. plures alios citans. Sed Dubium est, an liceat Reipublicæ innocentem occidere, quando Tyrannus aliquam civitatem vult destruere, nisi vel ciuitas ipsa innocentem aliquem occidat, vel tradat ipsi Tyranno occidendum. Negat Sotus lib.5.de Just.qu. 1. art. 7. cum quibusdam aliis; quia hoc est intrinsecè malum, cùm non sit Respublica domina vitæ innocentis, alioquin ad communem ruinam vitandam posset Respublica tradere virginem à Tyranno stuprandam, aut sacra ab eodem temeranda. Pro solutione dubii certum est non licere innocentem occidere per se, & directè, itaut actio habeat pro directo, & immediato objecto necem innocentis. Quando tamen adest periculum subversionis Reipublicæ, & civitatis, communior, & probabilior opinio affirmat in tali casu posse Rempublicam innocentem tradere occidendum Tyranno, quia in tali casu mors ipsius innocentis necessaria esset, ut conservaretur Respublica, & filii, ac parentes ipsius innocentis, & quamvis vita hominis sit sub dominio Dei non tamen ità, quin sicut posset Respublica ordinare, ut quis pro salute ejusdem manifesto mortis periculo se exponeret, ità etiam tradere innocentem Tyranno ipsum interfecturo, cùm aliàs, & ipsum interficeret, & Rempublicam destrueret; & tunc etiam innocens tenetur ex charitate, & pietate in patriam, & etiam ex justitia legali Tyrannum adire, & se morti exponere, si certum sit calamitatem communem per ejus mortem evitari, quod si Tyrannum adire nollet, eo ipso fit nocens, & tantò magis à Republica cogi potest adire.

29 Confirmatur, quia in tali casu talis actio non esset intrinsecè mala, nam ut scitè discurrit Amicus disp.36 cit.sec.3. quando actio per se, & directè ad necem innocentis non tendit, potest honesto fine publicæ necessitatis, & conservationis cohonestari, quia tunc pro directo, & immediato objecto non habet innocentis necem, seù ejus ex urbe expulsionem, quæ non est per se mala, cùm ex ea præcisè mors innocentis non sequatur, sed ex actione, & perversitate Tyranni, quam proindè Respublica propter commune bonum permittere potest. Neque ratio in oppositum urget, adest enim manifesta disparitas, quia virgo non tenetur exponere se periculo peccandi etiam ob Reipublicæ incolumitatem, cùm ob nullum bonum creatum teneamur periculo peccandi nos exponere, ac Deum offendendi, & ideò virgo in tali casu non potest adire Tyrannum; potest tamen ex urbe eiici, quia Respublica non tenetur eam cum tanto damno custodire. Neque etiam de traditione rerum sacrarum currit paritas, quia tunc fieret contemptus earum, qui in Dei contemptum, & injuriam resultaret, quæ ob nullum temporale bonum permittenda est. Denique concedunt omnes innocentem posse, indirectè, & concomitanter interfici, quando nimirum incedit vel reperitur cum aliis malefactoribus, qui justè interficiuntur, ut quando in bello justo tormentis bellicis urbs aliqua expugnatur, quorum ictu non tantum nocentes inimici, sed etiam alii innocentes occiduntur, & talis occisio innocentis adhuc justa est, quia jus Reipublicæ justum bellum gerentis ad malefactores, vel rebelles puniendos majoris momenti esse censetur, quàm jus hominis privati innocentis. Ità Molina, Lessius, Amicus, Caspensis, Stephanus à S.Greg. & alii, ac etiam Poncius ex nostris loc. cit. licet dissentire videatur Vulpes disp. 102. art. 6.

30 Tertia difficultas est, an liceat prægnanti in suæ vitæ conservationem abortum procurare; in qua difficultate conveniunt communiter DD. nunquam licitum esse abortum animati fœtus procurare per se, & directè, cùm id sit directè vitam innocenti auferre; è contrà verò licitum esse abortum fœtus nondùm animati indirectè, & per accidens, directè verò, & per se ad vitam prægnantis conservandam permittere, undè quando prægnans periculosè laborat, & aliud non supereſt remedium præter pharmacum ex sua natura illius morbi curativum, poterit hujusmodi pharmacum adhiberi cum intentione expellendi morbum, licet mors fœtus nondùm animati per accidens indè sequatur. Ità Silvester, Lessius, uterque Navarrus, Henriquez, Filliucius, Turrianus, Amicus, Bonacina, & alii passim. & ratio est, quia unicuique licitum est uti jure suo ad propriam vitam conservandam; ergo prægnans in casu posito non peccat medicamenta necessaria sumendo ad morbum expellendum, quamvis indè sequatur per accidens mors fœtus non animati; sicut neque peccat qui ad morbum curandum medicamenta sumit, ex quibus sequitur ebrietas, vel pollutio, quia hæc non imputantur, nisi ut intenta per se in causa. Difficultas itaque est de fœtu jam animato, an saltem indirectè, & per accidens, ad vitam matris conservandam liceat abortum perimere. Negant aliqui unquam licere prægnanti pharmaca sumere cum periculo prolis animatæ etiamsi directè, & per se solùm tendant ad ejus sanitatem causandam, ac proindè dicunt matrem obligari ad abstinendum à tali remedio ne filius in utero moriatur absque baptismo, cùm debeat salutem spiritualem sui filii propriæ vitæ temporali præferre juxtà regulam, generalem, quod semper præferendum est bonum æternum proximi temporali bono proprio. Alii affirmant etiam cum periculo animatæ prolis id licere, eo quia potius jus habet mater ad propriam vitam conservandam, quàm prolis, nec tenetur cum tanto vitæ suæ periculo, & detrimento curare, & conservare fœtum, sicut nec natum jam filium tenetur cum vitæ discrimine alere, & retinere, nec etiam ad eum lactandum lac in uberibus conservare, quando ad propriam vitam tuendam ubera exsiccare necessarium esset.

31 Melius tamen alii cum distinctione procedunt dicentes, quod si spes sit ex Medicorum consilio, ut matre cum vitæ suæ periculo ab iis medicamentis abstinente fœtus in lucem prodire posset, & baptismum suscipere, è contrà verò iis medicamentis adhibitis fœtus sine baptismo periret, in tali casu mater contrà charitatem peccaret ejusmodi medicamenta sumendo, quia salus æterna prolis vitæ temporali matris præferri debet, & in hoc sensu locum habet prima opinio, & hoc etiam dicendum est in casu dubio, quia in æquali dubio salus æterna prolis præferend esset, siquidem in æquali dubio bonum æternum proximi temporali bono proprio est præferendum. Quia verò casus hic rarissimus est, ac moraliter impossibilis, regulariter enim, in plurimum cum morte matris proles extinguitur, quia matre lethaliter ægrotante corrumpuntur humores, & alimentum inficiunt, quo fœtus nutriendus erat; si certa sit moraliter futura mors matris, nisi medicamenta sumat, poterit absque scrupulo ea sumere etiam cum probabili mortis periculo. Ità Sanchez, Diana, Amicus, Card. de Lugo, & plures alii, qui dicendi modus communior est, & probabilior, & in hoc sensu secunda opinio potest admitti, non autem absolutè loquendo. & ratio pro ea adducta probat tantum potius esse jus, quod habet Mater pro conservanda sua vita temporali, quam temporali prolis; non autem pro conservanda vita temporali propria, quàm spirituali prolis, quæ per sumptionem medicinæ à matre periclitetur; nec valet paritas assumpta de exsiccatione lactis post ortum filii, quia cùm tunc proles si jam in lucem edita, & baptizata supponatur, non ampliùs ejus spiritualis vita periclitatur, sed tantùm temporalis, cui salus, & vita temporalis matris est præponenda.

32 Quarta Difficultas est, an liceat punire furem pœna mortis, quæ valdè controversa est inter Thomistas, & Scotistas, & quæstio est de furto simplici, quod scilicet, non habet aliam graviorem circumstantiam prohibitam, nam in tali casu conveniunt pœna mortis posse puniri. Prima sententia est Scoti loc.cit. d. 15. qu. 3. art. 2. & antè ipsum Alensis 3.part. qu. 47. membr. 4. artic. 3. dicentium, quod considerando furtum precisè, seclusò omni periculo, aut damno adjuncto præter solius rei ablatæ damnum, nulla lex justa esse potest, qua statuatur furem propter furtum simplex esse morte afficiendum. Ratio Alensis est, quia pœna, ut sit justa, debet esse proportionata culpæ, juxta illud Deuter. 25. *pro mensura peccati erit plagarum modus*, at bona externa fortunæ infimum tenent locum inter bona nostra, vita verò corporalis primum locum; ergo est injustitia pro re furto ablata punire furem vita, quia recta ratio dictat non debere infligi pœnam mortis, nisi pro delictis, in quibus infertur proximo irreparabile damnum, quod quidem per furtum non infertur. Confirmatur à Scoto, quia Exod. 22. fur nocturnus occidi præcipitur, diurnus vero nequaquam, & ratio est, quia fur diurnus est simplex fur, nocturnus verò præsumitur invasor, qui non est simplex fur; in lege Evangelica etiam nullibi legitur furtum excipi ab illa lege universali *non occides*; ergò nulla lex humana, quæ præcipiat furem simplicem occidi potest esse conformis legi divinæ, vel ab illa descendere, sicut ad justitiam legis humanæ requiritur. Denique pro hoc facit jus Cæsareum, siquidem Justinianus Imp. in Autent. *Ut nulli judicium §. quia verb. coll. 9. tit. 17.* sancivit furem non esse morte plectendum his verbis *Pro furto autem nolumus omninò quodlibet membrum abscindi, aut mori, sed aliter eum castigari*, quæ verba utique de furto simplici intelligenda sunt, nam de furto circumstantiis aggravantibus vetito idem Imperator ibidem diversam statuit legem. *Eos verò qui violenter aggrediuntur, aut cum armis, aut sine armis in domibus, aut itineribus, aut in nuri pœnis, eos legalibus subdi jubemus.* Ex quo patet Imperatorem non judicasse justam pœnam esse mortem pro furto simplici; secus de latrone, & fure nocturno, qui præsumuntur non puri fures, sed habere animum occidendi, si resistentiam in furando inveniant.

33 Oppositа sententia communis Thomistarum, & Neotericorum asserit furtum simplex licitè, & justè morte puniri posse. Fundamentum est, quia oppositа sententia Scoti, & Alensis repugnat consuetudini jam inveteratæ, & acceptatæ, qua Judices, & Principes per leges municipales sanxerunt fures simplices morte puniendos esse; at est absurdum, & durum omnes hujusmodi Judices, & Principes condemnare, tanquam homicidas; ergo dicendum est licere fures etiam simplices interficere. Confirmatur, quia de jure naturæ, & à Deo conditore naturæ data est potestati temporali facultas occidendi malefactores, qui bonum Reipublicæ perturbant; ergò cùm fures sint hujusmodi, justè potest temporalis potestas legem condere, ut morte puniantur. Probatur assumptum, quia ità de jure naturæ est vt innocentes non occidantur; sicut quod malefactores à Republica rescindantur; ergò sicut illud de jure naturæ licitum est, ità, & illud. Demum Apostolus ad Rom. 13. ait datam esse potestatem, & gladium Principibus temporalibus in vindictam malorum; ergo licet Principibus pro qualitate criminum reos occidere; quarè si furtum sit quantitatis notabilis, vel frequenter commissum, ità quod Princeps alias pœnas sperni videat, poterit licitè statuere, ut morte puniatur. Ità Valentia, Molina, Soto, Salonius, Covaruvias, & alii Recentiores passim Scoti opinionem appellantes falsam, iniquam, plusquam periculosam, & errori Valdensium valdè affinem, qui asserebant non licere Principibus ulla ratione malefactores interficere; undè quamvis aliqui Scotistæ, adhuc intrepidè Scoti sententiam defendant in toto rigore ut Faber disp. 48. cap. 2. & seq. nonulli tamen trepidantes dicunt Scotum probabiliter tantùm hoc docuisse, non assertivè, ut Tataretus ibidem in Commentario; alii verò dicunt Doctorem juxtà antiqua jura fuisse locutum, atque ideò non adversari communi sententiæ, quæ docet juxtà jura recentiora furem simplicem licitè posse morte puniri, ut Hiribarnes 4. dist. 15. disp. 11. sec. 3. alii tandem liberè fatentur rationes Scoti non efficaciter concludere, ut Almainus 4.d. 15. qu. 3. propè finem.

34 Quamvis hæc controversia, tanquam realis à pluribus sustineatur, si tamen, ut Hiqueus advertit d. 15. qu. 3. in Commentario, fundamenta hinc indè solidius expendantur fortè tanta differentia non invenietur, & facilè conciliari possunt; & sic etiam sentire videtur Aretinus dist. 15. cit. q. 3. art. 2. pro quo notant furtum dupliciter considerari posse, nimirum vel in se præcisè sine ulla circumstantia aggravante annexa, & seclusò omni periculo, & damno adjuncto præter solius rei ablatæ damnum; Vel considerari potest cum aliqua circumstantia aggravante annexa, aut pluribus simul; circumstantiæ autem aggravantes sunt, ut præsertim Aretinus observat, magna quantitas rei furatæ, quæ etsi speciem furti non mutet, illud tamen eò magis aggravat, quò majoris valoris, & æstimationis est res furata, idem faciunt furti frequentia, magna rei ablatæ necessitas, dignitas etiam loci in quo commissum est furtum, & si quæ aliæ circumstantiæ furto connecti possunt; undè furtum quod aliqua ex his circumstantiis vestitur, non simplex, nec solùm furtum dicetur, sed furtum cum invasione, & homicidio, aut cum incorrigibilitate, aut cum contemptu, aut cum irreverentia loci, vel personæ, & propter has circumstantias adjunctas pœnæ augeri poterunt usque ad membri abscissionem, imò etiam usque ad mortem juxtà circumstantiæ gravitatem; sicut ergo de mente Doctoris in causa invasionis, & defensionis vitæ, & bonorum, ac in periculo Reipublicæ licet impunè occidere; sic pariter de mente ejusdem, quando furtum talia damna infert, licet illud tali pœna punire ratione damni per se consequentis, vel periculi certi talis damni, & in pluribus evenientis; rationi enim consonat é medio tollere incorrigibiles, & Reipublicæ perturbatores, & pacificam unionem adinvicem impedientes, ideoque quando ex furtis oriuntur lites, & jurgia pacificam vitam civilem perturbantia, ut sæpè contingere solet, tunc fures justo mortis supplicio plecti possunt.

35 Solùm igitur in primo sensu negat Scotus justam esse legem, quæ decernat furem esse occidendum considerando nimirum furtum in se præcisè, seclusò omni periculo, aut damno adjuncto præter solius rei ablatæ damnum; nam si furtum nullam habeat gravem circumstantiam annexam, durum, ac nimis crudele esset, si pro illo quis occidatur, & hoc etiam fatetur Soto ipse lib. 5. de Just. quæst. 3. ar. 3. ut observarunt Faber, Aretinus, Hiqueus loc. cit. ac etiam Scholiastes in Commentario, dùm inquit furem simplicem mortem non mereri, & damnat usum, quo Principes simplex furtum morte damnant, quamvis putet eos habere potestatem ad hoc de lege naturæ; & quod gravitas furti simplicis pœnam non mereatur, probat, quia bona exteriora non sunt tanti habenda, sicut bonum vitæ, præsertim apud Christianos, quos Christus admonuit, ut petenti pallium relinquant, & tunicam, & ideò concludit nullam adesse rationem, ut pro furto simplici vita exigatur. Undè etiam ibi Baldum reprehendit, quem putat fuisse auctorem, ut pro simplici furto pœna mortis imponatur, & dicit, quod tempore Divi Thomæ simplices fures non occidebantur, cui Doctor noster ferè fuit contemporaneus. Quod etiam ex ipso Divo Thoma apertè habetur 2. 2. quæst. 66. artic. 6. ad 2. ubi expressè dicit, ut notat Faber loc.cit. quod non pro quolibet peccato mortali secundum judicium præsentis vitæ pœna mortis infligitur, sed solùm pro illis, quæ inferunt irreparabile damnum, vel etiam pro illis, quæ horribilem habent deformitatem; & quia furtum non infert irreparabile damnum, ideò inquit pro furto secundum judicium præsentis vitæ pœnam mortis non esse infligendam, nisi quando aliqua circumstantia aggravatur, sicut patet de sacrilegio, quod est furtum rei sacræ, de Peculatu, quod est furtum rei communis; & de Plagiario, quod est furtum hominis liberi; ex quo patet D. Thomam cum Scoto convenire in hac assertione; & hanc controversiam potius esse de nomine, quàm de re; rationes enim oppositæ sententiæ, quas fusè Faber examinat loc. cit. si quid probant, non aliud probant, quàm furtum justè posse puniri quando bonum commune id postulat, & quando pax publica nullo modo conservari potest sine furum occisione, quod Scotus nunquam negavit, sed tantùm dixit, furtum solùm secundum se consideratum sine aliis circumstantiis aggravantibus non esse dignum morte.

36 Hinc patet ad rationes pro secunda sententia adductas, prima enim falsum assumit, & supponit consuetudinem, scilicet, occidendi fures adeò universalem esse, ut enim per leges municipales simplices fures vel morte damnentur, vel hujusmodi sententiæ executioni mandentur; non enim pro simplici furto id statutum est, sed ex necessitate defensionis Reipublicæ à latrociniis, & invasionibus; tunc autem furtum non est simplex, ut comparatur ad publicum statum, licet possit esse simplex, ut comparatur ad personam offensam, & privatam, cui res aufertur, ut ait Hiqueus loc.cit. in hoc igitur errant Adversarii, quod leges municipales interpretantur de occisione furis simplicis, quod est falsum, quia præsumi debet ut latè docent Panormit. in cap. *Cùm Ecclesiarum*, & Felinus de Constitut. pro justitia legis ex motivo debito, & necessitate Reipublicæ ordinatum esse, ut fures pereant, quia in latrocinia degenerabant; lex autem statutam ratione hujus periculi, & damni est justa, undè per accidès est, ut furtum simplex hac pœna puniatur ratione adjuncti; neque per tales leges municipales damnatur furtum pœna mortis in se præcisè consideratum, sed ut damnum, & periculum Reipublicæ, ut in pluribus habet conjunctū.

Ad

Ad Confirmationem, verum est Deum dedisse Principibus potestatem puniendi malefactores propter bonum publicum, eam tamen cum tali limitatione concessit, ut illam ad mensuram justitiæ exerceant, ita quod pœna sit culpæ proportionata, ut patet ex illo Deuter 25. *pro mensura peccati erit plagarum modus*, pœna autem proportionata furto simplici, & in se considerato non est mors, ut dictum est, quia commutatio vitæ pro bonis fortunæ non est justa commutatio ob maximum excessum boni vitæ super bona fortunæ. Ad ultimum pariter dicendum est utique datam esse potestatem Principibus à Deo ad puniendos malos, sed limitatam juxtà regulas justitiæ, ita quod pœna sit proportionata culpæ; constat autem ex dictis mortem non esse pœnam furto simplici proportionatam; nec aliæ pœnæ desunt, quibus citrà mortem talem delictum puniri justè possit, ut sunt fustigationes, carcerationes diuturni temporis, damnatio ad triremes, & similes, ut jura imperialia antiqua consueverant, ac etiam modò sunt in usu, quando furtum est simplex, & non valdè Reipublicæ perniciosum; gratis tamen conceditur, quod si sit aliqua circumstantia gravatum, ut si sit quantitatis notabilis, & frequenter commissum, ità quod princeps videat alias spernì pœnas, statuere poterit licitè, ut mortem puniatur, quia in tali casu Reipublicæ bonum hoc postulat, ut suprà explicatum est. Alias rationes minoris momenti vide solutas apud Fabrum, & Hiqueum l. c. Hic tamen prætermittendum non est notabile Scoti documentum, & sua pietate dignum, quod tradit quæst. 3. cit. art. 2. lit. E. illis verbis *Et hoc modo si statueretur ab aliquo blasphemum, adulterum, idolatram debere occidi, multò justiùs ordinaretur, quàm quod fur suspendatur, sed patet ad quid aspiciunt plus Principes, quia magis ad commodum temporale, quàm ad honorem Dei, & per hoc plus puniunt, & reprimere nolunt peccata in proximum, quàm in Deum.* Ex quibus verbis constat, qualis, quantus zelus ergà honorem Dei ferveret in corde piissimi Doctoris, qui utique plura, & majora dixisset, si regimen temporale præsentis sæculi vidisset.

ARTICULUS TERTIUS.

De restitutione ob alterius occisionem, vel mutilationem facienda.

37 QUoniam homicidium est actus valdè proximum damnificans, fatentur omnes homicidam, & mutilantem ad restitutionem damni illati teneri; non tamen conveniunt de quo damno ad restitutionem teneatur; undè pro intelligentia quæsiti notandum est duplex in homicidio, vel mutilatione damnum considerari posse; unum est immediatum, & directum; qualis est privatio ipsa vitæ, vel mutilatio, aut debilitatio membri, alterum est mediatum, & consequens, qualia sunt damna, tàm honoris, quàm bonorum fortunæ ex occisione, vel mutilatione hominis consequentia, ut ex vulnere in facie accepto cicatrices, ac deformitates; expensæ quæ in curatione fiunt ratione medicamentorum, aut Medici; & ad idem damnum pertinent omnia damna emergentia, ac lucra cessantia, quæ occiso, vel mutilato ejusq; hæredibus propter occisionem, aut mutilationem emergunt, aut cessant; ut v. g. quando aliquis artifex occiditur, aut mutilatur, qui per suas operas in familiæ sustentationem aliqua lucraretur, & tandem ad idem damnum quoque reducitur impedimentum fructuum quibus frueretur occisus, nisi per mortem violentam impediretur, cujusmodi sunt fructus beneficiorum Ecclesiasticorum, & similes; duo ergò præsertim in hoc articulo circà hanc restitutionem sunt explicanda. Primò quantum sit ob alterius occisionem, vel mutilationem restituendum. Secundò quibus hæc restitutio fieri debeat.

38 Et quidem quoad primum omnes cònveniunt cum Scoto qu. 3. cit. art. 2. in fine quæstionis damna omnia ex occisione, aut mutilatione alterius secuta ante omnem Judicis sententiam resarcienda esse ab eo, qui injustè occidit, vel mutilavit, atque ideò in primis expensas omnes pro curatione occisi, vel mutilati factas restitui debere; item lucra omnia, & emolumenta, quæ occisus, vel mutilatus ex artificio, negotiatione, vel officio probabiliter lucrari poterat, detractis tamen iis, quæ ipse consumpsisset, quæ omnia prudentis arbitrio in casibus particularibus sunt estimanda; & certum est hanc restitutionis obligationem ad hæredes etiam occisoris, vel mutilatoris transire, sicut & jus ea exigendi transit ad hæredes occisi, vel mutilati, cùm hæres defuncto succedat in omnia debita ex justitia solvenda sicut succedit in omnia defuncti jura ex justitia exigenda. Sic etiam qui injustè hominem servum interficit, vel mutilat, tenetur ad restituendum domino damnum, quod indè passus est, & qui percutiendo in faciem, aut mutilando fœminam ità deformem reddit, ut sine majori dote, quàm alias requireretur, maritum habere non possit, tenetur ad quantitatem augere dotem, & universaliter quæcunque damna occisus, vel mutilatus est passus restitui debent. Quoniam verò ex longitudine temporis, quo quis vivere posset, lucra hujusmodi majora, vel minora esse possunt, ad hoc, ut prudenter summa aliqua constituatur, consideranda est sanitas, complexio, ac ætas illius, qui occiditur, & aliæ circumstantiæ, ex quibus ipes majoris lucri pendet; undè si interfectus potuisset probabiliter citò mori, vel infirmari ob debilem complexionem, vel quid aliud simile pati, non tenetur homicida in tali casu integrum valorem restituere operum futurorum, sed illum qui iperabatur qui quantus sit prudentum judicio est determinandum inspectis viribus, ætate, ac complexione occisi, & aliis similibus circumstantiis, nec alia certior regula, commodior ad hoc dignoscendum præscribi potest, ut omnes Doctores unanimiter docent. & ità ex nostris docent Aretinus cit. artic. 5. & Faber cap. 2.

39 Rursus quoniam in homicidio, vel mutilatione duo sunt distinguenda, scilicet, ipsa vitæ hominis privatio, aut membri mutilatio, & injuria, quæ per injustam vitæ privationem, vel mutilationem irrogatur, & major, vel minor æstimatur ex despectu, seù contemptu, qui fit domino, à quo bonum eripitur; ideò præter dicta damna restituenda debet etiam aliquid restitui pro injuria, quæ occiso, vel mutilato illata fuit, juxtà qualitatem personæ, & ad arbitrium viri prudentis. & ratio est, quia tam damnum illatum, quàm injuria occiso, vel mutilato facta est contra justitiam, atque ideò utrumque restitui debet; considerato majori, vel minori despectu, qui fit domino; quia injuria occiso, vel mutilato non solùm infertur privando eum vita, vel aliquo membro, sed etiam hoc faciendo modo magis, vel minus injurioso, ut si quis aliquem occidat aliquo genere mortis atrociori, & crudeliori, vel turpi, & similibus circumstantiis injuriosis, ut Faber advertit cap. 2. cit. n. 67. Et hæc restitutio fieri debet, non quidem pecunia, sed humiliatione, petitione veniæ, honorificis obsequiis, aliisque submissionis signis, quæ placare offensum apta sunt, ut Amicus advertit disp. 36. sec. 10. & Doctor ipse docet loc. c. in fine quæstionis, ubi dicit restitutionem non solùm debere respondere damno, quod quis incurrit per mutilationem pro toto tempore futuro, quo usurus esset membro abscisso, sed etiam placationi ipsi læsi, & consolationi ipsius afflicti, & quò modus occisionis est sævior, vel mutilationis, eò major injuria infertur, & copiosior facienda est restitutio. Itaque ad norum omnium restitutionem tenetur qui injustè occidit, vel mutilavit, sivè aggressor fuerit, sivè excessum defendendo moderamen inculpatæ tutelæ notabiliter excesserit, quia cùm hic excessus sit contrà justitiam, obligationem restitutionis inducit, est enim injusta causa omnium damnorum, quæ ex aggressoris morte sequuntur, non minus quàm si ex insidiis, & fraude occideretur, ut docent, Navarrus, Vasquez, Lessius, Amicus, Azorius, & aliis DD. passim, contrà Bannes, & quosdam alios oppositum asserentes ea inixi ratione, quod provocans voluntariè se periculo exponit alterum provocando. His itaque præmissis, ut communiter concessis quatuor remanent difficultates breviter discutiendæ.

40 Prima difficultas est, An homicida teneatur aliquid restituere pro vita ipsa hominis occisi, aut membro mutilato, aut cicatrice ex vulnere contracta. Prima, & valdè communis sententia docet pro alterius occisione, vel mutilatione nullam præcisè loquendo condignam restitutionem fieri posse, cùm vita hominis nullo pretio pecuniario æstimari possit, undè asserit, quod injustus occisor, vel mutilator in conscientia tenetur tantùm restituere pro damnis bonorum fortunæ quæ ex tali occisione, mutilatione, vel vulnere directè ob eo causata sunt, juxta prudentis arbitrium; præcisè autem pro vita, membro, vel cicatrice nihil restituere tenetur secundum rigorem, cùm sint bona altioris ordinis, quæ pecunia æstimari non possunt, nam vita hominis liberi secundum varias leges non est prætio æstimabilis, ità habetur in cap. 1. *de injuriis*, & *damno dato*, & l. ex hac ff. si quadrupes pauperiem & l. vult. *de his, qui dejecerunt*, ubi dicitur pro cicatrice, & hujusmodi in corpore libero factis nullam compensationem faciendam esse, & rationem subdit, *quia liberum corpus æstimationem non recepit*, sed propter expensas in curatione factas, & idem de vita dicendum supponit. Ità Vasquez, Lessius, uterque Navarrus, Filliucius, Turrianus, Bonacina, & plures alii Recentiores, ac etiam Poncius ex nostris, qui proindè concludunt nullam ex justitia deberi restitutionem pro vita, & membris hominis, cùm nullam recipiant æstimationem; dicunt *ex justitia*, nam ex consilio, & æquitate naturali addunt aliqui teneri occisorem pro anima occisi orationibus, eleemosynis, aliisque piis operibus Deo satisfacere, ac præsertim missæ sacrificium pro ejus refrigerio offerri curare, ideoque proindè pro re aliqua satisfactionis sacramentalis parte illi convenienter injungi posse.

41 Oppositа sententia est Doctoris loc. cit. & probatur, quia secundum legem naturalem inferens damnum alteri ex justitia tenetur, si potest æquivalenter resarcire, vel in eo, quod potest, quia qui justitiam offendit, non eximitur ab obligatione damni illati, neque per ipsam, neque per charitatem, aut ullam aliam virtutem per se loquendo, ergo pro vita ablata, & membro absciso tenetur etiam offendens, ut potest, resarcire; absurdum enim est, inquit Doctor, quod quis ex justitia ad damnum illatum recompensandum teneatur si occidat bovem, vel canem, & non teneatur pro compensanda hominis vita. Et quidem Amicus ipse fatetur l. c. teneri ex justitia offendentem ad satisfaciendum pro injuria, quæ per mortem hominis, vel mutilationem infertur, non quidem pecunia, sed humiliatione, petitione veniæ, honorificis obtequiis aliisque submissionis signis, quæ apta sunt placare offensum, ut supra dictum est, & inquit in hoc sensu Auctores primæ sententiæ non negare offendentem ex justitia teneri ad restitutionem etiam pro vita, & membro ablato, ac etiam ipso gratis concedere, si fœmina sit percussa itaut ex percussione, vel abscissione membri maneat deformis, & difficilis ad nubendum, tunc pro contracta deformitate aliquid tribuendum, & compensandum esse ex justitia, sed ait hoc tantùm negare loquendo de ipsa vitæ privatione, aut membri mutilatione præcisè, cùm hæc nullam recipiant æstimationem per leges allatas, quæ proindè obligant tantùm ad expensas in curatione factas & in hoc sensu ipse quoque priorem tuetur sententiam.

42 Verùm ratio allata, si benè perpendatur, probat etiam in hoc sensu occisorem, vel mutilatorem teneri ad compensationem damni illati in eo modo, quo potest, siquidem ut arguit Hiqueus loc. c. etiam fama non est pretio æstimabilis, & tamen damnificans in fama ex præcepto naturali eam restituere tenetur revocando calumniam, aut alio modo æquivalenti. Quando ergo negatur hæc esse pretio æstimabilia, non intelligitur ea esse omninò à præcepto restitutionis absoluta, sed tantum non haberi in re inferioris ordinis, qualis est pecunia, pretium proportionatum æstimationi, quæ est secundum æqualitatem; non verò de re æquali ejusdem ordinis, aut superioris ordinis, nam & æquivalentia in his dari potest, & justitia semper ad restitutionem obligat secundum æquivalentiam, quandò res ipsa in specie restitui nequit. Et ideò subdit Doctor in omni Republica, in qua pro homicidio talionis pœna est imposita, teneri homicidam mortem patienter tollerare, ut sic dignè compensare censeatur, quia nulla alia bona æquantur vitæ per necem ablatæ præter vitam occisoris, ideoque ut dicatur dignè, & ad æqualitatem restituere, debet mortem per sententiam Judicis latam patienter luere. Nec obstat, quod aliqui obiiciunt, quod talis restitutio, quæ fieret per occisionem homicidæ, nihil deserviet injustè interfecto. Quamvis enim non deserviret ipsi, posset tamen Deo deservire, cui per occisionem hominis facta est injurja, ac etiam Reipublicæ, cujus membrum erat, undè hæc obligatio non est justitiæ commutativæ, sed vindicativæ in pœnam homicidii commissi. Si autem homicidæ vita non adimatur, sed potius à morte absolvatur, subdit Doctor restitutionem fieri debere per bona spiritualia, quia cùm suffragia Missarum, & precum, aliaque bona spiritualia altioris sint ordinis, quàm temporalia fortunarum bona; hinc compensatio per ipsa facta pluris æstimanda erit, occisoque ipsi magis profutura, si in gratia deceſſit, & hæc propriè est obligatio justitiæ commutativæ. Undè judex spiritualis, nempè Confessarius potest non tantùm ex consilio, & equitate naturali, sed etiam ex justitia imponere homicidæ satisfactionem congruam in foro pœnitentiæ in bonis spiritualibus pro occiso faciendam, ut sic injuriæ satisfiat, & damno in vita accepto, quia in his bonis datur proportio æqualitatis secundum æquivalentiam.

43 Ex qua Scoti doctrina fundamento primæ opinionis facilè occurritur, ideò enim Adversarii, ex tenore illarum legum homicidam à restitutione eximunt pro damno vitæ ablatæ, quia est impotens solvere bona vitæ per bona fortunæ, quæ sunt longè inferioris ordinis ob improportionem pretii ad rem; cum ergo hæc improportio tollatur in bonis spiritualibus, ad hæc tenebitur homicida, quando propriam vitam non exponit ob sententiam à Judice latam; licet ergo vita hominis non sit æstimabilis pretio inferioris ordinis de quo loquuntur leges adductæ fori externi, quæ ut respicientes actionem illius fori restitutionem in bonis fortunæ decernunt, quorum damnum mors alterius induxit; est tamen æstimabilis per aliquid ejusdem ordinis, vel certè superioris ordinis, ut sunt bona spiritualia; atque ideò supposito, quod non detur vita pro vita ablata, saltem præcepto justitiæ naturali tenetur homicida recompesare damnum illatum per bona spiritualia, ut potest, in quibns recompensatio esse potest per æquivalentiam in commodum, & salutem animæ occisi, ut benè discurrit Hiqueus loc. cit. quoniam igitur homicida, vel mutilator est injusta causa mortis, vel mutilationi s & cùm hoc sit distinctum damnum à reliquis, distincta restitutione compensandum erit, & cùm non possit idem in specie restitui, debet saltem restitui in æquivalenti, nimirum, vel patienter subeundo pœnam mortis pro homicidio per sententiam à Judice latam, aut defunctum orationibus, ac suffragiis adjuvando, ac aliis piis operibus; quam sententiam docuit etiam ipse D. Thomas 2. 2. qu. 62. art. 2. ad 1. & sequuntur Adrianus, Gabriel, Angelus, Sylvester, Soto, & plures alii, & ex nostris latè defendit Faber disp. 52. cit. cap. 2. ubi etiam pro eandem opinione citat Cajet. Molinam, Azorium, & alios, advertitque nonnullos Recentiores immeritò Doctori nostro impingere, quod hoc loco asseruerit homicidam se offerre debere curiæ, ut ab ea occidatur pro vita occisi; nam expressis, & sonantibus verbis oppositum docet, dùm inquit neminem se debere interficere, sed quod debet patienter tolerare mortem sibi in pœnam ex auctoritate publica illatam; tolerare autem patienter non est se offerre curiæ voluntariè, sed si capiatur, patienter ferre supplicia, & mortem. Hoc autem totum, quod diximus de restitutione, & pœna pro homicidio debita, de homicidio voluntario intelligendum est, non autem casuali, & per accidens, sicut enim hoc culpam non affert, neque irregularitatem secundum communem Doctorum, ità neque obligationem restitutionis pro damnis illatis; regula autem generalis dignoscendi, quando homicidium est voluntarium, hæc assignari solet, ne quis directè velit mortem, & ne dando operam rei illicitæ, vel debitam diligentiam non adhibendo sit causa homicidii, solùm enim in his casibus homicidium voluntarium committi censetur secundum communem sententiam; de quo videndus est Bonacina disp. 2. de Restit. in partic. q. ult. sec. 2. punc. 2.

44 Secunda Difficultas est. Quibus facienda sit restitutio post mortem occisi. Pro cujus resolutione ait Doctor artic. 2. cit. lit. G. quod si interfectus sustentabat aliquos, patrem vel matrem, vel propinquos, tenetur interfector omnibus illis ad tantam sustentationem, quantam illis abstulit per interfectionem illius, hoc est tantum debet solvere, quantum sustentatio horum ab eo dependebat, & ejus operis. Et quidem de patre, & matre, & filiis non est dubium, cùm mortaliter censeantur una persona cum occiso; de propinquis autem aliqui negant, ut Soto, Molina, Lessius, Amicus, Poncius ex nostris, & alii, nisi tamen occiderit animo etiam nocendi aliis, & dicunt hanc assertionem esse limitandam ad illos tantùm hæredes, qui jus habebant, ut ab interfecto sustentarentur, ut sunt uxor, filii, & parentes, aliis verò hæredibus sivè ab intestato succedentibus, sivè ex testamento nihil compensare debere, quia hoc faciebat interfectus ex liberalitate, non autem quia illi aliquod jus haberent, ob quod ipsis talis sustentatio competeret. Verùm hæc limitatio meritò reiicitur à Fabro nostro c. 2. cit. nu. 77. ac etiam à Navarro, Vasquez, Caspensi, & aliis, licet enim qui ex liberalitate interfecto sustentabatur, jus perfectum non haberet in illi bonis, habebat tamen jus justitiæ, ut non impediatur per vim à consecutione talis emolumenti juxtà dicta superius de Restitutione in communi de impediente alium per vim à consecutione boni, vel alicujus beneficii; sicut igitur alium impediens à consecutione boni illi conferendi, tenetur tale bonum restituere, vel æquivalens, vel secundum æstimationem illi, qui vim patitur; ità in proposito cùm homicida vim faciat occiso, & impediat illos, quibus occisus erat aliquid daturus, à consecutione talis boni, tenetur illis restituere juxtà qualitatem certitudinis futuritionis talis boni. Nec necessariam puto limitationem à pluribus appositam id verum esse, si talia damna sint ab occisore prævisa, ac intenta, secus autem si non sint prævisa, quia qui non intendit directè, aut indirectè malum alicui, non facit illi injuriam, nisi materialiter, atque ideò non tenebitur ad restitutionem magis, quàm qui in casu, cùm vellet interficere feram, interfeciſſet hominem. Non inquam, hanc limitationem necessariam puto in casu nostro, nam locum tantum habet, quando inferens damnum dat operam rei licitæ, vel indifferenti, ut patet in exemplo allato de occidente hominem putante esse feram; at in casu nostro occidens hominem dat operam rei illicitæ, undè saltem indirectè censetur intendere malum, quod ex homicidio sequitur, sivè per se, sivè per accidens sequatur.

45 Sic etiam præfati Auctores de creditoribus occisi discurrunt, quos sequitur Bonacina loc. cit. nihil, scilicet, ab homicida eis restituendum esse, nisi id fecerit animo eis nocendi, quia nullam actionem injustam exercuit contrà creditores, occisio enim non est natura sua, & ut plurimum damnosa creditoribus. Idem tamen mihi affirmandum videtur etiam de creditoribus occisi, ac etiam potiori ratione, nimirum esse obligationem solvendi illis debita, quæ debitor occisus solviſſet, nisi interfectus esset; quod intelligendum est, si occisus debita illa soluisset ex lucris, quæ per homicidium impediuntur, & in restitutione

sol-

ſolvenda ſunt. & ratio eſt, quia homicida cauſam per ſe dedit damno iſtorum, quibus ex juſtitia tenebatur occiſus, & ſua induſtria erat ſatisfacturus; tùm quia creditores antè alios hæredes jus habent, ut ipſis ſatisfiat ex bonis defuncti; ergo quando ex homicidio aliqua debetur reſtitutio, nec ſunt aliqua bona defuncti, ex quibus debita ſolvantur, inter defectu creditores diſtribuenda ſunt illa, quæ ratione homicidii titulo reſtitutionis debentur; undè ad rationem in oppoſitum negandum omninò eſt homicidam nullam actionem injuſtam contrà creditores exercuiſſe debitorem occidendo; adhuc tamen verum eſt homicidam non manere obligatum ad eadem debita in integrum ſolvenda, ſed ſolùm ad ſolvendum, quod occiſus probabiliter fuiſſet lucraturus, quod ſi ad debita ſolvenda non ſufficiat, non tenetur ad amplius; ità etiàm ex noſtris ſentit Hiqueus loc. cit. in Commentario.

46 Tertia Difficultas eſt, An homicida, qui pœnam talionis ſoluit, teneatur adhuc reſarcire alia damna ex nece occiſi ſecuta. Negat Poncius ex noſtris loc. cit. cum quibuſdam aliis dicens non teneri, niſi per Judices ad hoc etiam obligetur, quia re tota propoſita ad Judices exſtimandum eſt, quod ipſi determinent ad reſtitutionem ſufficientem, undè condemnatus ad mortem non debet eſſe ſollicitus de ulteriori ſatisfactione, nec ejus hæredes. & pro hac ſententia ſolet etiam citari Scotus ipſe. Communis tamen, & probabilior ſententia affirmat, & pro hac etiam ſtat Doctor noſter expreſsè loc. cit. ubi dicit præter reſtitutionem, quam homicida debet pro vita occiſi, ulterius teneri ad reſtitutionem alimentorum parentibus, & propinquis, qui per illum ſuſtentabantur, & ad tantum, quantum abſtulit per mortem illius. & ratio eſt, quia hæc reſtitutio non fit pro vita, ſed pro damno illis facto in alimentis, quod eſt pecunia æſtimabile, & pœna quam Judex infligit, non eſt ad compenſanda damna, quæ homicida intulit interfecto, ac ejus hæredibus, ſed ad ſatisfaciendum injuriæ, quam interfecto irrogavit, ut parti, ac membro Reipublicæ; quod indè patet, quoniam non tenetur reus pœnam talionis ſubire antè Judicis ſententiam, cùm tamen antè Judicis ſententiam teneatur ad omnia damna ex nece occiſi ſecuta; & hoc totum ſatis probatur ex regulis reſtitutionis ratione damni dati. Undè patet rationem in oppoſitum adductam falſum aſſumere, quod nempè occiſor ad talia damna reſarcienda non teneatur, niſi per Judices etiam ad hæc obligetur ultrà pœnam talionis; falſum, inquam, aſſumit, quia ad hæc damna reſarcienda tenetur occiſor antè omnem Judicis ſententiam. Ità Navarrus, Leſſius, Vaſquez, Covarruias, Amicus, Bonacina, Hiqueus, ex noſtris, & ali communiter.

47 Quarta Difficultas eſt, An homicida teneatur ad præfata damna reſarcienda, ſi occiſus antè mortem remiſit ei omnia, & condonavit. Affirmant plures in tali caſu occiſiorem ad nihil teneri ex lege juſtitiæ, quoniam occiſus vivens poteſtatem habebat ea omnia remittendi; quaré nihil titulo juſtitiæ poſſent in eo eventu hæredes occiſi ab occiſore exigere; addunt tamen, quod malè faceret occiſus ea omnia occiſori remittendo, ſi hæredes habeat egenos, & niſi ſe explicaverit, cenſendum eſſe tantummodò feciſſe remiſſionem injuriæ, non verò reſtitutionis, quod ſi hanc etiam explicuerit, tunc lege charitatis, & miſericordiæ teneri occiſorem de alimentis providere hæredibus occiſi. Ità Soto, Ban. Leſſius, Salas, Amicus, & alii Recentiores, ac etiam Poncius ex noſtris, & Faber l. c. Ex adverſo Hiqueus in Commentario n. 31. negativè reſpondet, quia licet occiſus ſic remittere poſſit damnum proprium, quàm remiſſionem faciendo apud Deum maximè mereretur; nullatenus tamen aliorum damnum remittere poteſt, ad quod ex juſtitia ipſe tenetur, quia ſicut non poteſt damnum Reipublicæ, & legis violatæ ei remittere, ſic etiam neque jura filiorum, quibus ipſe ſubeſt; hanc reſponſionem ait patere ex regulis juſtitiæ, & damni dati ratione juris aliorum, & commoditatis, quam ex vita ipſius de jure proprio ſuo expectare ex titulo juſtitiæ poſſunt; jura tamen, quæ ſunt ipſius propria primò, & per ipſum ad alios deſcendunt, ut ad filios, remittere poteſt, quando lex poſitiva aliud non decernat, qui modus dicendi mihi probabilior videtur, & regulis juſtitiæ conformior.

QUÆSTIO TERTIA.

De Reſtitutione damni in bonis famæ, & honoris.

48 POſt injurias, & nocumenta, quæ inferuntur in bonis animæ, & corporis, ac eorum compenſationem faciendam, Doctor eadem d. 15. q. 4. agit de injuriis, & damnis, quæ inferuntur in honore, & fama, & quomodo ſint reficienda, & ratio hujuſmodi ordinis eſt, quia hæc bona honoris, & famæ medium locum tenent inter bona corporis, & bona fortunæ, quæ infimi ſunt ordinis, ut ſuprà dictum eſt, juxtà illud *Proverb. 22. melius eſt nomen bonum, quàm divitiæ multæ*. Honoris autem nomine in præſenti intelligitur teſtificatio quædam exterior excellentiæ alterius; per famam vero ſignificatur exiſtimatio multorum de vita, & moribus ejuſdem, quia hìc agitur de bona fama, illa exiſtimatio intelligi debet de vita bona, & moribus ſimilibus; undè per detractionem fama præſertim læditur, honor verò per contumeliam, ut magis ex dicendis conſtabit, & hæc famæ deſcriptio ex ſacra Scriptura deſumitur *Prov. 22. melius eſt nomen bonum, quàm divitiæ multæ, & Eccleſiaſt. 41. Curam habe de bono nomine*, ut dictum eſt ſuprà *diſp. 3. quæſt. 1. num. 33.*

ARTICULUS PRIMUS.

Quibus modis lædatur proximi fama, & honor.

49 INjuria contra bonum famæ dupliciter fieri poteſt, uno modo per ſolum actum internum abſque ullo actu externo, & abſque ordine ad ipſum; alio modo per actum externum dicti, vel facti. Primo modo fit per judicium temerarium, quo aliquod malum de proximo judicamus abſque ſufficienti fundamento, ſecundo modo fit per detractionem, vel contumeliam, qua apud alios famam, & honorem proximi injuſtè lædimus; quoniam verò detractiones, murmurationes, contumeliæ, ac aliæ famæ proximi injuriæ externæ, ut plurimum à judiciis temerariis originem ducunt, ac magnam cum illis habent culpæ affinitatem, idcircò prius de judicio temerario agemus, deindè de detractione, & contumelia. Judicium autem hìc ſumitur pro judicio privato, non publico, ut ſcilicet, ſignificat actum intellectus, quo quilibet particularis de altero aliquid apud ſe cogitat, definit, & ſtatuit, & in hoc ſenſu tres veluti gradus de judicio diſtingui ſolent, quod quis de alio concipit. Primus eſt quo quis de alterius malo dubitat, neutram in partem inclinando, & propriè dicitur dubitatio; dubitare enim eſt neutri parti adhærere, ſed ſuſpendere aſſenſum. Secundus gradus eſt, cùm ſuſpicatur ineſſe malum, & cum aliquo debili aſſenſu ità eſſe exiſtimat cum formidine tamen oppoſiti, & dicitur ſuſcipio, & hoc eſt peccatum majus, quàm prius non tamen excedens limites peccati venialis, quia non eſt aſſenſus firmus, & judicium propriè determinatum. Tertius tandem gradus eſt, quando cum pleno aſſenſu, & firma animi ſententia judicat opus proximi malum; ſi autem indicia, undè movetur ad tale judicium ferendum ſint vehementia, & urgentia ſecundum communem hominum exiſtimationem, judicium eſt rectum, & juſtum, & nullum eſt peccatum; ſi autem levia ſint, & inſufficientia dicitur propriè judicium temerarium, & ex genere ſuo eſt peccatum mortale, ſi malum illud grave ſit, & proximi famam notabiliter lædat. & hoc eſt judicium, quod Chriſtus Dominus prohibuit Luc. 6. & Matt. 7. illis verbis *Nolite judicare, ut non judicemini*, ut Patres communiter exponunt, aliàs ſi malum ſit leve, nec proximi famam multum lædat, non erit niſi veniale ex parvitate materiæ. Ità communiter Doctores Valentia, Soto, Bonacina, Caſp. Azorius, Layman, Card. de Lugo, Amic. Faber ex noſtris diſt. 54. cap. 1. & alii paſſim. Quænam autem cauſæ, & rationes ad rectè dubitandum, vel ſuſpicandum, vel judicandum de malo alterius ſufficientes eſſe cenſeantur, dicunt nullam certam regulam aſſignari poſſe, ſed id judicio viri prudentis eſſe definiendum, conſiderata conditione rei, qualitate perſonæ, & aliis circumſtantiis, & ſecundum communem hominum exiſtimationem.

40 Itaque actib. internis judicii temerarii, ſuſpicionis, & dubitationis de re præjudicante bonæ famæ, & exiſtimationi proximi ejus fama læditur, & violatur. & ratio eſt, quia ſicut unuſquiſque jus habet, ne ipſius vita, & facultates ſine juſta cauſa lædantur, & proximum injuſtè in his lædit, injuriam illi infert, & peccat contrà juſtitiam; ità pariter jus habet, ne ejus fama abſque juſta cauſa lædatur, qui injuſtè lædit, injuriam illi infert, & contrà juſtitiam peccat, ſed prædictis actibus jus violatur, & læditur, quod unuſquiſque habet, ne de ipſius vita, & moribus abſque ſufficienti cauſa, & motivo finiſtram alii opinionem concipiant, ergò his actibus injuria illi infertur, undè lege juſtitiæ unuſquique tenetur tale judicium temerarium, vel ſuſpicionem, aut dubitationem deponere, & tale peccatum eſt contra juſtitiam; actus enim internus eandem participat malitiam, quam habet externus, undè ſicut voluntas occidendi eam participat malitiam, quam exterior habet occiſio, ità judicium temerarium, quod in actu interno conſiſtit, habet malitiam injuſtitiæ, quam externus detractionis actus habet. An autem temerè judicans ad aliquam reſtitutionem teneatur, dicendum eſt cum Molina, Rebello, Azorio, Filliucio, Bonac. & aliis ex judicio temera-

rio præcisè nullam oriri obligationem restituendi: & ratio est, quia ex actu merè interno, ut ex voluntate furandi, vel occidendi non consurgit obligatio restituendi, sed ex actione externa injusta damnificativa, judicium autem temerarium præcisè inspectum est actus internus; addita autem alia circumstantia fieri potest, ut ex ea obligatio restituendi resultet, ut quandò judicium temerarium alteri manifestatur, non manifestatis levibus indiciis, tunc enim peccatum mortale detractionis incurritur, ad restitutionem etiam obligans sub mortali, suppositâ gravitate materiæ; ex solo autem judicio temerario præcisè sumpto oritur solum obligatio deponendi illud, & satisfaciendi deponendo judicium, & non malè judicando in futurum. Ex dictis itaque deducitur ad judicium temerarium, ut sit peccatum mortale, & contrà justitiam tria requiri, ut etiam notat Faber loc. cit. Primò, quod sit judicium certum, & definitum absque ulla hæsitatione. Secundò quod sit ex indiciis levibus, & insufficientibus. Tertiò quod sit de culpa gravi, quæ sit peccatum mortale, & personam reddat infamem.

51 Detractio autem est alienæ famæ per occulta verba injusta læsio, & denigratio. Ità Astesanus noster l. 2. tit. 15. ex D. Thoma, & Alexandro Alensi, qui enim profert verba contrà aliquem in occulto, quantum in se, audientes facit habere malam opinionem de eo, contrà quem loquitur, hoc enim intendere videtur, ad hoc conatur detrahens, ut verbis ejus credatur, undè dicitur detrahere, ideſt, quasi subtrahere de fama alterius quod sit quandoque directè, ut cùm qui falsum alii imponit, vel peccatum auget verbis, vel revelet occultum; quandoque verò indirectè, scilicet, cùm bonum alterius negat, vel malitiosè tacet, undè patet quod detractio differt à contumelia, quia contumeliosus loquitur contrà aliquem manifestè, & in præsentia, detractor autem occultè, & in absentia; & etiam quantum ad finem intentum, sivè nocumentum illatum, quia ille derogat honori, detractor autem famæ. Ità Astesanus allatam definitionem declarat loc. cit. diximus autem esse injustam famæ alterius læsionem, seu denigrationem, quia non erit detractio, si justè fama alterius denigretur, sicut accidit, si quis ex motivo justitiæ, vel charitatis crimen alterius ad superiorem deferat, ut ab eo deliquens corrigatur, cùm ipse illum corrigere non potuerit, tunc enim ex justa causa id facit, scilicet, pro salute spirituali, emendatione delinquentis. Quod si ex intentione nocendi fama proximo auferatur, tunc illius ablatio ad detractionem pertinet, & talis intentio vel potest esse directa, cùm, scilicet, quis per detractionem reipsa nocere intendit, vel indirecta, cùm, scilicet, quamvis expresse id non intendat, ea tamen profert, ex quibus nocumentum alterius famæ injustè sequitur, ut qui ex loco, vel loquacitate alteri notabiliter detrahit. Docent autem communiter Doctores cum D. Thoma, & Alensi detractionem octo modis commiti posse, nimirum quatuor modis directè, & quatuor indirectè. Scotus autem d. 15. q. 4. brevius tres modos assignat in genere detrahendi, & diffamandi proximum, ad quos facilè reducuntur alii ab aliis assignati, ut ostendit Faber disp. 53. cap. 1. & inquit §. Respondeo, quod in genere potest aliquis alium tripliciter diffamare, uno modo falsum crimen imponendo; secundo modo verum crimen tamen occultum, non servato ordine juris, in publico proponendo; tertio modo verum crimen, sed occultum, in publico tamen sibi impositum negando, quia in hoc negans notat imponentem de calumnia.

52 Ut autem discernere quisque possit quando detractio censenda sit peccatum mortale, quando veniale, conveniunt in hoc Doctores, quod quovis modo committatur detractio, sivè directè sivè indirectè, sivé ex intentione expressa, & formali nocendi, sivè alio quovis illicito motivo, semper peccatum mortale censetur, quoties quis in re gravi deliberatè famam alterius lædit, veniale autem si tantùm in re levi; conveniunt, ulterius in hoc hanc gravitatem, & levitatem estimandam esse, tùm ex qualitate læsionis, quæ alteri infertur per famæ detractionem, tùm ex conditione personarum detrahentis, & cui detrahitur, nam si detrahens non sit fide dignus, & quæ ipse dicit, non facilè credantur, famam proximi notabiliter non lædit, undè quamvis ipse graviter peccet infamiam proximi intendens per talem detractionem, ad restitutionem tamen non tenetur, quia non est causa efficax infamiæ; & fieri etiam potest, ut manifestatio alicujus peccati respectu unius personæ infamia levis censeatur, ac interdum nulla, quæ respectu alterius gravem induceret infamiam cum notabili scandalo; ut v. g. qui de aliquo juvene diceret, quod sit inebriatus, vel fornicatus, levem immò propè nullam maculam illius famæ inferre censetur, quia juvenes passim hæc committere solent, eaquæ de seipsis jactare, quæ si de viro religioso magnæ auctoritatis, dicerentur, gravissimè, & cum magno scandalo ejus fama læderetur, & detrahens ad restitutionem teneretur. Attendenda etiam est qualitas peccati; sunt enim peccata quædam, quæ hominis vitam dehonestare non solent in communi modo loquendi, ut esse superbum, iracundum &c. quædam verò sunt magis ex suo genere imaginativa, ut esse furem, proditorem, blasphemum, & talia etiam sunt peccata carnis de fœminis, ac honestis viris dicta. Attendendus etiam est modus dicendi affirmativè, vel dubitativè, quia ut ait Doctor quæst. 4. cit. lit. D. quem sequitur Cajetanus 2. 2. q. 63. artic. 2. falsus assertor per se famam tollit, non autem qui sub dubio, & ex aliorum relatione occulta peccata recenset, quo fit, ut si ex tali detrahendi modo damnum aliquod proximo sequatur, non teneatur sic detrahens ad illud resarciendum; quia non ex modo dicendi detrahentis, sed ex levitate audientium secutum est, si enim firmiter concipiunt illum, de quo est sermo criminosum esse, leves sunt, quia qui citò credit levis est corde, Ecclesiast. 19. Addit tamen Doctor, quod licet sic detrahens, dicendo se talia ab aliis audivisse non faciat actum ex sua natura famæ ablativum, quia illud assertivè non dicit, esse tamen ab hujusmodi actibus abstinendum propter pusillos, qui facilè scandalizantur, & credunt, ideò periculosum est eis talia audire ex relatu aliorum referre, & subdit, quod si hoc fiat animo malo, scilicet, lædendi illum, de quo est sermo, non est facilè excusare, quin hoc sit contrà charitatem, & per consequens mortale peccatum. & ratio est, quia licet non peccet contrà justitiam, cùm actus ille non sit ex sui natura ablativus famæ proximi; quia tamen refertur, & narratur illud animo lædendi famam, est peccatum contrà charitatem, qua tenemur proximum diligere nec ei malum velle. Denique certum est communi Theologorum doctrina famam per detractionem sublatam restitui debere, si tres concurrant conditiones, una est, ut fama reipsa abta fuerit, altera ut injustè ablata fuerit, tertia ut non fuerit recuperata. Ità Soto, Valentia, Abellius, & alii.

53 Contumelia tandem est injuria, qua objicitur alteri crimen, vel alius defectus in ipsius præsentia; undè contumelia suprà detractionem novam addit injuriam, qua non tantùm fama, sed etiam honor violator, non enim occultè in absentia, ut fit per detractionem, sed coram, & in præsentia honor per contumeliam cum quodam contemptu impetitur. Ex quo deducitur contumeliam à detractione specie differre, sicut rapinam à furto, siquidem per detractionem proximus clam, & occultè lædituri, sicut clam etiam lædituri per furtum; per contumeliam verò apertè, & in præsentia offenditur in bonis famæ, sicut per rapinam in bonis fortunæ. Ità Navarrus, Bannes, Azorius, Valentia, Filliucius, Salonius, Molina, Bonacina, Clavis regia, Faber, & alii passim. Ex quo deducitur contumeliam ex suo genere esse peccatum mortale, quia ex sua natura honorem proximi graviter lædit, quamvis veniale tantùm esse possit interdum ratione parvitatis materiæ, parvitas enim materiæ à mortali excusat, ut accidit, quando quis leve convicium in alium jacit intentione leviter honorem subtrahendi. Et sicut rapina gravius peccatum est furto, ità contumelia gravius est detractione, quamvis enim contumelia sit contrà honorem, detractio autem contrà famam, quæ honore præstantior est, adhuc tamen contumelia gravior offensa est ratione majoris involuntarii, eò quia læsus scienter, & invitus injuriam patiatur, quæ sibi coram, & in præsentia infertur; detractio verò è contrà minor est ratione minoris involuntarii, cùm fiat in absentia, & læsus insciens, nec ità involuntariè injuriam patiatur ut in simili dicitur de furto, & rapina. Prætereà qui per contumeliam, convicium, vel improperium, aut derisionem alterius honorem injustè abstulit dictis, vel factis, ad restitutionem tenetur, vel etiam satisfactionem. & ratio est, quia ex peccato contrà justitiam commutativam cum alterius damno oritur obligatio resarciendi damnum illud ad æqualitatem, ut superius dictum est disp. de justitia, & Iure; qui autem alterius honorem injustè abstulit, contrà justitiam commutativam peccavit. Ex quo etiam sequitur, honorem ablatum non solùm coram ipso dehonorato esse restituendum, sed etiam coram aliis, apud quos honor illius fuit ablatus, alioquin honor injustè ablatus ad æqualitatem non restitueretur, fieri tamen potest, ut contumelia aliquando nullum sit peccatum, ut quando pater per correctionem filium conviciis afficit, & Superior subditum ad ipsum mortificandum, Superiores enim sic a suis subditos reprehendentes intentionem non habent lædendi eorum honorem, sed potius illos redigendi ad meliorem frugem. Ità Bonacina disp. 2. de Rest. in particulari quæst. 5. punct. 1. & cum Doctoribus allatis.

54 Verùm quamvis doctrina allata de differentia specifica, vertente inter detractionem, & contumeliam communis sit, & approbata ab omnibus tam in schola Thomistarum, quàm Scotistarum, eam tamen non admittit Vulpes noster disp. 114. art. 1. ubi ait Scotum specificam differentiam inter denigrare famam alterius manifestè, & occultè non admittere, quia potius

sunt

sunt diversi modi damnificandi aliquem in bonis famæ sub eadem specie malitiæ materialiter connotati, quorum unus est gravior, ac periculosior altero ratione difficilioris satisfactionis; undè inquit, quod sicut alienum accipere invito domino occultè, & sine violentia, & manifestè cum violentia non constituunt duas per se species damnificandi alterum in bonis fortunæ per furtum, & rapinam, sed tantùm differunt sub eadem speciei accipiendi alienum sicut magis, & minus grave; ità pariter ait discurrendum esse de contumelia, & detractione, quod tantùm differant secundum majus, & minus damnificandi alterum in bonis famæ sub eadem specie. Cæterum à communi sententia recedendum non est; nam in primis falsum assumit Vulpes, quod furtum, & rapina specie non differant, sed tantùm secundùm magis, & minus sub eadem specie, siquidem non tantùm differunt quoad modum offendendi, & damnificandi alterum in bonis fortunæ, sed etiam differunt in objecto, quia furtum habet pro objecto læsionem proximi tantùm in bonis fortunæ, rapina verò habet pro objecto non tantùm læsionem ejus in bonis fortunæ, sed etiam in bonis corporis, si opus fuerit, undè rapina meretur pro pœna mortem raptoris, & ultimum supplicium, non ità furtum præcisè sumptum, ut constat ex dictis disp. præced. Et ob eandem rationem dicendum pariter est in proposito detractionem, & contumeliam specie differre in damnificandis in bonis famæ, & non tantùm secundum magis, & minus sub eadem specie, quia non tantùm differunt in modo damnificandi alterum in bonis famæ, quod nimirum contumelia instar rapina fit apertè contrà præsentem, & detractio instar furti occultè, & contrà absentem; sed etiam differunt in objecto, quia detractione læditur fama, quæ est opinio, seù existimatio de alterius excellentia; contumelia verò læditur honor, qui est testificatio exterior alienæ excellentiæ animo conceptæ, & consequenter specie differunt in læsione. Advertendum tamen est cum Fabro disp. cit. c. 4. n. 147. contumeliam fieri posse non tantùm injuriando proximum in præsentia, sed etiam in absentia, ut dicendo contumeliam coram aliquibus, ut eam referant proximo infamato, vel faciendo quædam turpia, ut litteras injuriosas scribendo, vel libellos famosos affigendo, sivè se manifestando, sivè non, hæc enim omnia, dicta, vel facta censentur, non secus, ac si in ejus præsentia fierent, libellus enim famosus est Scriptura, quæ infamiam alicujus nondùm publicatam continet, ut edatur, & publica fiat.

55 Denique aliis quoque modis fama, & honor proximi læsi possunt, quæ læsiones ad duas prædictas species, tanquam principales reduci possunt, & sunt convitium, improperium, sussurratio, irrisio, seù derisio, & subsannatio, quæ motibus corporis fieri solet, de quibus singillatim discurrere non est opus, quia disputatio de his est potius verbalis, quam realis, ut ait Faber l.c.n.135. & dicere sufficit, quod convitium, & improperium cum contumelia conveniunt, quod omnia dicunt defectum aliquem in detrimentum honoris alterius. & sussuratio convenit cum detractione, quod ipsa quoque fit occultè, differt autem, quod directè, & immediatè in divortium amicitiæ tendit, ut docet S. Thomas 2.2. q. 74. a. 1. detractio autem in ablationem, vel diminutionem famæ; irrisio, seù derisio è contra convenit cum contumelia ex eodem D. Thoma q. 75. a. 1. quod manifestè fit, & in præsentia derisi in ejus spretum: discrepat autem ab illa in fine, & objecto formali, quod contumelia directè dehonorationem proximi intendit, ut dictum est, derisio autem erubescentiam, & confusionem derisi, qui modus eò est injuriosior, quo jocosior, & ad hæc vitia etiam subsannatio reduci potest, quæ motibus corporis fieri solet. Vide plura apud Fabrum loc. cit. & apud Astesanum lib. 2. tit. 14. 15. & 16.

ARTICULUS SECUNDUS.

Quibus modis fama, & honor proximo ablata resarcire debeant.

56 QUod spectat ad restitutionem faciendam pro fama ablata, duplex potest occurrere restitutio pro dupli damno illato famæ, scilicet, seù honoris, ac bonorum fortunæ; & quidem quoad restitutionem bonorum fortunæ conveniunt Doctores ratione detractionis, vel contumeliæ obligationem restituendi incumbere, quoties per detractionem illam, vel contumeliam damni alicujus causa injustè data est, sicut qui falsò alterum accusavit, aut qui falsum testimonium in judicio detulit, tenetur ad resarcienda damna indè secuta. Quod verò spectat ad restitutionem famæ, & honoris certum est etiam famam ablatam restituì debere, si concurrant tres illæ conditiones superius recensitæ; & quia suprà dictum est art. præ. tribus præsertim modis posse proximum diffamari; primò falsum crimen imponendo; secundò verum crimen, tamen occultum in publico proponendo juris ordine ne servato; tertiò verum crimen alicujus in publicum ab alio productum negando, ex quo sequitur accusantis, infamatio. Doctor per singulos discurrendo docet modum, qui in fama restituenda servari debet.

57 Quoad primum diffamandi modum, scilicet, falsum crimen imponendo ait Doctor, quod qui ità proximum diffamavit, tenetur verbum suum retractare, & quod ei imposuit, & hoc ità publicè, sicut ei imposuit, quod probat, quia aliàs justitiam non servat reddendo proximo, quod suum est, scilicet, famam, & opinionem bonam apud eos, coram quibus eam illi abstulit, hæc est communis opinio tàm veterum, quàm Recentiorum. Quod si objicias, quod quilibet tenetur magis zelare pro fama sua, quam aliena, non posset autem illi reddere famam suam retractando verbum suum, nisi seipsum diffamaret.

Respondet Doctor, quod fama propriam non est diligenda contra justitiam, injustum est autem, quo quis sibi servet famam indebitam, non restituendo alteri famam ei debitam; tum quia cùm restituit alteri famam debitam, non propriè seipsum diffamat, sed potius à seipso falsam laudem amovet, qua indignus est post talem accusationem, sicut etiam qui coram duobus, vel tribus fornicatur, si isti posteà eum accusant, non ob id eum diffamant, sed tantùm publicant læsionem famæ, quam ipse sibi intulit, ipse enim seipsum infamavit sic publicè peccando. Circà tamen hoc punctum quatuor difficultates occurrunt breviter discutiendæ.

58 Prima difficultas est. An ad restituendam famam hoc primo modo ablatam sufficiat sola retractatio sui dicti cum assertione mendacii facti, vel ulterius ad tollendam falsam opinionem de alterius dignitate addendum sit juramentum, vel adhibendi testes. Soto utrumque affirmat ad hoc requiri, quia homines, inquit, proclives sunt ad credendum potius mala, quàm bona, & ideò opus est majorem adhibere probationem ad faciendam fidem, quod mentitus fuerit, quàm ad detrahendum famæ proximi. Navarr. autem, Azorius, & alii illam limitationem admittunt quoad juramentum, non verò quoad testes, quia regulariter multò majoris ponderis est juramentum, quam simplex dictum, & communiter majorem fidem adhibemus iis, quę cum juramento asseverantur, quam quæ simpliciter dicuntur, & sic etiam discurrit Card. de Lugo disp. 15. sect. 2. Faber noster l. c. utrumque negat affirmans in tali casu ad famæ restitutionem solam sufficere retractationem coram iis, apud quos proximus diffamatus fuit absque juramento, & multo magis absque testibus, nam antiqui Doctores, D. Th. Alensis, Scotus, & alii talis obligationis numquam meminerunt, & in praxi Ecclesiæ non videtur diffamatorem obligari ad aliquid amplius, quam ad retractationem seriam, & veram. Amicus tandem disp. 37. sect. 11. litem hanc sic dirimendam putat. Si ad efficacem famæ restitutionem sufficit simplex retractatio impositi criminis apud eos, coram quibus impositum fuit, opus non erit alios modos adhibere; secus si simplex retractatio non sufficit, quia infamator ex justitia tenetur omnem industriam adhibere, ut fama efficaciter restituatur; atque ideò si unus modus non sufficit alios tentare tenetur, donec fama efficaciter restituatur. Sed hic quoque dicendi modus, nisi res melius explicetur, difficultatem sufficienter non resolvit, dicere namque quod si simplex retractatio non sufficit ad famæ restitutionem, alii quoque modi sunt adhibendi, est manifesta petitio principii, hoc enim est, quod quæritur, & disputatur.

59 In hac difficultate mihi placet resolutio Hiquei d. 15. q. 4. in Commentario, ubi ait, quod in hoc puncto spectandæ sunt circumstantiæ facti; si enim diffamator in prima assertione affirmativa juramentum adhibuit, & alia motiva credendi, ex quibus aliàs opinio, aut vehemens suspicio oriri possit, tunc ad retractationem congruam tenetur, & æquivalentem; nec sufficit ex natura rei sola retractatio, dicendo se falsum dixisse, quia alias etiam causas adhibuit de se sufficientes ad famam proximi notabiliter lædendam. Doctores autem veteres loquuntur de casu in substantia seclusis circumstantiis, nam infamia, quæ in opinione sola consistit, & innititur auctoritati, & veracitati infamantis per mendacium, nihil aliud ex natura rei exigit secundum regulam prudentiæ, & justitiæ, quàm dicendo sincerè contrarium eo modo, quo alii intelligunt aut intelligere debent, seriò retractare dictum ex affectu justitiæ, & veritatis. Quod si opinionem aliorum nequeat diffamator in hoc mutare, ad aliud non tenetur, quia firmitas opinionis falsæ adhuc in auditoribus persistentis secundum regulas prudentię non amplius dictis ejus est adscribenda, sed propriæ eorum pertinaciæ, & levitati, undè in tali casu non est ratio, undè magis credant infamationi, quam retractationi. Itaq; hęc est propositi casus vera resolutio, quod tenetur diffamator adhibere media tam efficacia tollendi damnũ illatum, quàm fuerùt illa, quibus illud causavit, & quibus adhibitis alii credere teneantur secundum prudentiam, & æquitatẽ.

60 Secunda

60 Secunda difficultas est, an sufficiat famam restituere coram iis tantùm, apud quos ablata fuit, an etiam coram aliis apud quos per primos auditores divulgata est. Affirmant aliqui apud P. Navarrum lib. 2. cap. 4. illam restituendam esse coram omnibus apud quos divulgata pervenit, quia totum damnum famæ, cujus causa fuit diffamator, reparare tenetur; undè dicunt, quando infamia per multa loca est divulgata, illam nomine detractoris revocandam esse, vel per præconem in publicis plateis, vel per concionatores in templis. Alii è contrà dicunt sufficere satisfacere apud auditores immediatos, quia cum verba in infinitum promulgentur, aliis aliis referentibus, impossibile est detractorem omnibus satisfacere. Ità Faber noster l. c. pro qua sententia etiam refert Alensem. Hæc tamen ratio probat tantùm plerumque per accidens ab hac obligatione detractorem excusari, ut notat Card. de Lugo disp. 15. sect. 2. propter moralem impotentiam, ut in aliis materiis; non tamen probat, quin adhuc per se teneatur, sicut qui debet mille, quæ solvere non potest, non excusatur à solvendis centum, quæ solvere potest; undè adhuc tenebitur ille ad inquirendum ab iis, quibus ipse dixit, an aliis multis dixerint, & quamvis apud omnes satisfacere non possit, non ideò excusabitur, ut apud nullum satisfaciat. Alii communiter distinguunt, quod si detractor dixit alicui, vel aliquibus sub secreto, vel personis talibus, de quorum taciturnitate, & prudentia fidebat, quod non essent divulgaturi, sufficiet apud ipsos retractare; secus autem si nec sub secreto, neque talibus personis rem manifestavit, quia in tali casu totum illud damnum, & infamia subsequens ex injuria detractoris procedit, atque ideò totum illud damnum, cujus ipse causa injusta fuit, resarcire tenetur. Ità Petrus Navarrus citat. Lessius, Turrianus, & alii communiter.

61 Resolutio difficultatis deducitur ex Scoto q. 4. cit. §. *Respondeo*, ubi ait quoad hunc primum diffamandi modum diffamatorem teneri famam restituere retractando verbum suum, vel quod alteri imposuit, & *hoc ità publicè, sicut sibi imposuit*, quibus verbis insinuat distinguendum esse; nam vel ii, coram quibus fama detracta est, faciebant publicitatem propriè dictam, itaut defectus coram illis propalatus dici posset publicus, quod contingit in casu, quo criminis imponeret coram multis in frequentia populi, itaut jam amplius non possit esse secretum. Vel ii, coram quibus primò fama denigrata est, non faciebant publicitatem, & de illis detractor prudenter fidere poterat, quod non essent defectum sibi manifestatum propalaturi. Si hoc Secundo modo contingat diffamatio, in tali casu locum habet modus dicendi Fabri, quod sufficit satisfacere apud auditores immediatos, qui possunt, & debent revocationem ejus aliis indicare, quibus ipsi crimen detexerunt ea ratione, quia ipsi non debebant contrà juris ordinem crimen proximi ab uno privatim auditum aliis propalare; tùm quia in tali casu eo ipso, quod apud immediatos auditores retractavit, implicitè illis commisit, ut hanc retractationem ipsi indicent aliis si quibus fortè revelaverint; idque Confessariorum praxis confirmat, qui tantùm obligant, ut apud eos retractent, quibus ipsi revelarunt, ut notat Card. de Lugo loc. cit. Si verò primo modo contingat diffamatio, tenetur ad restitutionem faciendam coram omnibus, vel in majori parte, & in frequentia populi, apud quos defectus fuit divulgatus, simili enim publicitate facta retractatio sufficiens est, quia de facili ad alios pervenire potest. Tenetur, inquam detractor in tali casu hoc modo crimen impositum revocare, quia ut benè discurrit Amicus disp. cit. sect. 10. quando auditores coram quibus diffamator delictum manifestat, publicitatem faciunt, eo ipso possunt de ejusmodi delicto, tanquam publico citrà injustitiam cum aliis loqui, nam hoc ipso facultatem concessit auditoribus crimen à se manifestatum apud omnes divulgandi, ac proindè non solum prima criminis manifestatio, sed etiam sequens divulgatio apud alios, infamatori imputatur; undè patet quàm difficilis sit famæ restitutio, quæ adeò facilè lædi solet; & tamen nisi efficaciter restituatur peccatum non remittitur.

62 Tertia difficultas est. An si aliquis bona fide alium diffamavit putans crimen esse verùm, & publicum, si postea suum resciat errorem, ad restitutionem teneatur. Negant aliqui ex justitia teneri, asserunt tamen teneri ex charitate. Communior tamen, & verior opinio asserit etiam ex justitia teneri, quia ut rectè discurrit Hiqueus l. c. licet bona fide infamaverit, quando tamen postea errorem novit, restituere tenetur, quod abstulit; licet enim erroris acceptio injusta non fuerit, bona fide excusante, retentio tamen erroris injusta esset ipso detecto, sicut qui rem alienam bona fide occupavit, postea sciens esse alienam ad restitutionem tenetur; & sic pariter dicendum de damno inde secuto, ut si v. g. infamatus fuerit privatus officio, vel beneficio ratione talis infamationis, si enim damnum fuit illatum, quamdiù ipse bonam fidem possedit, ad restitutionem non tenetur; sed si diffamans in mala fide perseveravit antè damnum illatum, ad restitutionem tenetur, quia fuit in mora contrà justitiam.

63 Quarta difficultas est, An infamator ad restitutionem teneatur, quando infamia oblivioni est tradita. Communis, & vera opinio negat, quia in tali casu infamatus nullum damnum patitur, cùm damnum illatum per oblivionem evanuisse censeatur, imò velle se retractare coram illis, apud quos jam diffamatus fuerat, non tam esset famam restituere, quàm rursùs eum infamare, quia sic revocaretur in memoriam crimen illud, quod ab eorum memoria jam exciderat. Præterea neque tenetur infamator, quicquid dicant Cajet. & Nav. in Man. interrogare eos, quibus multò antea tempore crimen narravit, an recordentur eorum, quæ ipsis olim narravit, si probabiliter putet ipsos ex temporis diuturnitate esse oblitos; quia post tam longum tempus hæc refricare esset etiam de novo potius infamare, & crimen jam oblitum ad memoriam reducere. Quantum verò temporis sufficiat, ut crimen alteri narratum prudenter estimetur oblivioni traditum, dicunt aliqui esse spatium annorum viginti, præsumendum enim est ex tanta temporis diuturnitate, & rerum mutatione hæc in oblivionem fuisse; alii tamen probabilius dicunt id colligi debere ex eo, quod multo tempore elapso nulla sit facta illius criminis mentio. Ità DD. communiter.

64 Quoad secundum diffamandi modum, verum, scilicet, crimen, tamen occultum in publico proponendo, juris ordine non servato, conveniunt omnes, cum quis revelat, & manifestat peccatum proximi occultum, & secretum, ex quo ei infamia resultat, juris ordine non servato, peccare mortaliter, & ad restitutionem teneri. & ratio est, quia unusquisque secretum alterius servare tenetur, ex quo ei aliquod malum accidere potest, non solùm ex charitate, sed etiam ex lege justitiæ, & naturæ, ut latè probat Doctor 4. dist. 21. quæ. 2. agendo de sigillo Confessionis, additur autem illa particula, *juris ordine non servato*, quia cum in his casibus revelatur peccatum proximi occultum, & eo modo, quo jura præscribunt revelans non peccat, nec ad famæ restitutionem tenetur. Difficultas est igitur quomodo in tali casu diffamationis restitutio famæ sit facienda, & quidem certum est nec debere, nec posse detractorem dicere absolutè se mentitum, vel falsum dixisse, quia ut inquit Doctor, tunc mentiretur, cum sciat illud, quod dixit esse verum, nemo autem tenetur mentiri propter quodcunque bonum alteri reddendum, quia mentiri est peccatum, & nulla de causa licitum esse potest; undè solùm in casu diffamationis primò modo facta potest detractor famam restituere dicendo absolutè se mentitum, vel falsum dixisse, quia re vera scit falsum esse crimen proximo impositum. Ait itaque Doctor teneri detractorem alio modo licito restituere famam, & persuadere, ne ipsi credant, quod dixerat, v. g. dicendo malè dixi, fatuè dixi, & simili modo; hujusmodi enim verba vera sunt, quia contrà juris ordinem dixit, & proposuit in publico, quod non erat verum publicum, sed secretum & occultum, & hic est communis dicendi modus antiquorum D. Thomæ, Alensis, Gabriel. & aliorum, quos sequuntur Ledesma, Navarrus, Azorius, Arragonius, Medina, Angelus, Sylvester. & alii Summistæ.

65 Verùm Recentiores quamplures hunc modum restituendi famam in proposito casu non approbant, quia licet apud rudes, & simplices fortè sufficeret, non tamen apud viros doctos, quia scientes hunc esse modum restituendi famam, quando quis proximum diffamavit crimen verum, sed occultum detegendo; & crimen falsum deberi retractari cum infamatione sui ipsius, dicendo se mentitum fuisse; ex tali modo dicendi potius in priori opinione mala se confirmabunt, quàm ipsam deponat; undè dicunt famam detractione, vel contumelia per occulti criminis proditionem sublatam, restituendam esse publica, ac prudenti infamati laudatione, quæ prudentis arbitrio sufficiens censeatur ad obscuratam famam illustrandam citrà mendacium, nec amplius de ille re coram illis, apud quos eum diffamavit, loqui debere. Ità Cajet. Sotus, Valentia, Diana, Sylvius, Amicus, & alii. Sed neque hic modus sufficiens est ad restituendam famam in casu posito, quia justitia in restitutione intendit æqualitatem damni accepti, quæ per talem laudationem sufficienter haberi nequit, laudando nimirum in aliis materiis eum, cujus crimen in alia materia defectum fuit, nam si aliquis v. g. diffamatus fuit in materia castitatis, quantumvis illum laudes in aliis materiis doctrinæ, justitiæ, liberalitatis &c. fama tamen circà castitatem æquè læsa manet, & amissa, sicut anteà; ergo restitutio illa per laudes infamati in aliis materiis ad finem æqualitatis à justitia inventum nihil deservit.

Confirmatur, quia ut etiam Faber noster advertit loco citato objectio ab his Auctoribus facta contrà priorem dicendi modum non minus contrà hunc suum militat, quia ii, apud quos facta est diffamatio, audientes detractorem laudare infamatum in aliis materiis, non tamen in ea, in qua diffamatus fuit, nec

nec impositionem criminis retractare, nunquam opinionem illam malam de illo ob ejus revelationem conceptam deponent, sed potius in ea magis firmabuntur. Qua propter Cajetan. 2. 2. q. 72. a. 3. docet in tali casu detractorem debere infamatum laudare præcipuè circà illas virtutes, quæ sunt oppositæ criminis detecto, nulla facta criminis mentione, ut possint audientes sibi persuadere contrarium de eo, quod audierunt. Sed hoc etiam minus rectè dicitur, quia infamatus in aliqua virtute v. g. castitate de crimine vero, sed occulto, nequit in ea laudari sine mendacio; & ad famam resarciendam diffamatus laudari debet non de fictis, sed veris virtutibus, & potius auditores censebunt illum hominem vanum esse, & imprudentem, quia laudat eum in ea virtute, circà quam criminosè diffamavit apud eosdem, nulla facta illius criminis retractatione.

66 Alii proindè Recentiores liberè dicunt, ut fama hoc secundo modo oblata benè restituatur, licere in hoc casu dicere, se falsum dixisse, vel non dixisse verum, sed hoc intelligendo amphibologicè ad evitandum mendacium; & hoc etiam Doctor ipse in allato textu insinuare videtur, ubi ait diffamatorem in fama restituenda his verbis uti posse cum veritate, quia ipse proposuit in publico, quod non est verum publicum, siquidem neque evidentia juris, neque facti fuit publicum. Undè Hiribarnes ex nostris 4. d. 15. disp. 12. sec. 3. ait hunc modum restituendi famam in tali casu esse meliorem, & Scoticæ doctrinæ consonum in hac eadem quæst. & communiter receptæ; omnes enim fatentur accusatum veri, sed occulti criminis coram Judice posse absque mendacio negare crimen sibi impositum, & dicere se tale crimen minimè commisisse, & accusatorem falsum testimonium sibi adscripsisse; ergo similiter ipse accusator potest absque mendacio assertum retractare; sicut enim sensus hujus negationis prolatæ ab accusato, Non commisi crimen, cujus me accusant, est hujusmodi, idest, non commisi, ut mihi imponitur, scilicet, publicè, & sic nego illud, ut mihi arrogatur, ità sensus retractationis accusatoris erit, mea accusatio, vel pervulgatio falsa fuit, prout exhibita, scilicet, publicè, quia ille, quem accusavi, in publico innocens est, & justus, licet in secreto sit nocens, & injustus, & sic falsa sunt, quæ proposui, ut proposita sunt, scilicet, publicè. Ità Petrus Navarrus, Canus, Salonius, Valentia, Lessius, Stephanus à S. Gregorio, Card. de Lugo, & plures alii, quam doctrinam esse de mente Doctoris fatentur etiam ex nostris Aretinus, Hiqueus, & alii Scotistæ. Sed Faber l. c. hunc dicendi modum minimè approbat, quia si semel admittamus licitum esse uti amphibologia ad restituendam famam hoc modo ablatam, & diffamatorem posse licitè dicere, falsum dixi, & mentitus sum; auferimus viam tutam restituendi famam in priori modo, quando quis famam abstulit crimen imponendo falsum, undè cùm quis restituere voluerit famam illi, cui crimen falsum imposuit, dicendo, falsum dixi, mentitus fui, poterunt docti, & peritijudicare, diffamatum verè illud crimen perpetrasse, diffamatorem verò hoc modo famam restituendo amphibologia uti, quod esset maximum malum, quæ quidèm ratio mihi ponderanda videtur.

67 Ex his tribus modis restituendi famam in casu proposito primus mihi præferendus videtur ob auctoritatem præsertim duorum Scholarum procerum Divi Thomæ, & Scoti eum docentium, & efficaciter probatur ratione Doctoris, ut fusè ostendit Hiqueus in Comment. nam sivè apud prudentes, sivè rudes per talem modum sufficienter detractor satisfacit, suumque dictum retractat sine ullo mendacio; quia qui non servato ordine juris proponit in publico, quod non est verum publicum, malè, & fatuè loquitur; & auditores sivè prudentes, sivè rudes bonam opinionem de proximo habere tenetur, donec ex sufficienti fundamento constet de oppositio, & probetur. Eo autem ipso quod detractor suis dictis amplius non inhæret, sed ea damnat, tanquam malè, & indirectè dicta; nullum est fundamentum conservandæ primæ opinionis, & ideò auditores tenentur ex justitia, & charitate illam deponere, & sicut detractori malum de proximo dicenti fides adhibita est ex sola illius auctoritate, & testimonio; ita etiam eidem seriò dicenti non esse credendum de eo malum jam ab ipso dictum, & se inconsideratè locutum, vel fuisse deceptum, similiter adhibenda est, cùm justitia, & charitas ad hoc obligent. Quod si aliquis auditorum ex hoc modo loquendi in fama restituenda velit se magis in mala opinione concepta confirmare; erit ex malitia sua. Quod autem diximus de illo, qui crimen alterius occultum, tamen in publico proposuit juris ordine non servato, hoc idem asserendum est de eo, qui crimen alterius occultum ab alios auditum in publico refert, hic enim quoque tenetur ad famæ reparationem, si advertat hoc suum dictum apud alios siniſtram de proximo opinionem ingenerasse, & id præstare poterit, sivè adhibendo aliquod ex mediis supradictis, sivè ostendendo, quàm incerta sint, ac plerunque falsa, quæ de aliis passim audiuntur, & referuntur. Ità Navarrus, Soto, Valentia, Abellius, & plures alii.

68 Quoad tertium diffamandi modum, scilicet, verum crimen, sed occultum, in publico tamen sibi impositum negando, ex quo sequitur accusantis infamatio, inquit Doctor in tali casu non teneri accusatum negationem suam retractare, quod probat, quia si eam retractaret, eo ipso commissum crimen confiteri censeretur, atqui non tenetur illud confiteri, quousque convictus sit, ut latè probatum est supra disp. 6. q. 2. a. 3. ergo neque negationem revocare tenetur. Addit tamen Doctor, quod quamvis negationem retractare non teneatur, tenetur tamen accusatori famam restituere per quædam verba sobria, dicendo verbi gratia Non habeatis eum pro calumniatore, quia credo, quod habuit bonam intentionem proponendo, vel ortè credidit se probare intentum suum, & deceptus est. Quod autem ait Doctor teneri talem ad aliqualem restitutionem accusanti, est tantùm consilium charitatis, quia posteà docet eum non peccare contrà justitiam, vel veritatem negando in publico quod commisit in occulto. Quod autem ex justitia id præstare non teneatur ex eo patet, quia dùm accusatus crimen illud commissum in occulto negavit in publico, jus suum tueri procuravit, nec justitiæ virtutem aliundè violavit, & quamvis indirectè alterius famam læserit, id quasi coactè fecit, quia alio modo in re gravi sibi consulere non potuit, atque ideò restitutioni non est obnoxius; & si aliqua infamia accusanti indè sequitur, hoc sibi imputare debet, inquit Doctor, quia ipsa est causa, non autem ille negans, quia negando defendit innocentiam suam in publico, ubi non est nocens, nec habendus est pro nocente, donec fuerit convictus.

Sed Dices consequenter, & interpretativè in tali casu accusator asseritur mendax; ergo accusatus ex justitia ad restitutionem famæ tenetur.

Respondetur negando consequentiam, quemadmodum enim nulli licet directè, & ex intentione proximum interficere, licet autem indirectè ad sui defensionem, quando aliter ab ejus invasionem seipsum liberare non potest; ità pariter directè, & ex intentione non licet de mendacio aliquem infamare, indirectè tamen licet, quando ità exigit justa famæ defensio, ut in casu proposito contingit, licet enim cuique uti jure suo.

69 Postremò quod de restitutione famæ dictum est, idem quoque de honoris læsi compensatione intelligi debet, quoties quis in alium contumeliam aliquam protulit, aut quocunque alio modo honorem illius injustè læsit, tunc enim illum ex justitia reparare, & personæ læsæ satisfacere debet, quia cum honor sit bonum magni momenti, sicut auferens alia bona corporalia mortaliter peccat, & ad restitutionem tenetur, ità & multò magis auferens honorem proximo tenetur illum ex justitia ei restituere. Et hoc non solùm intelligendum est de honore publicè sublato, sed etiam quando in occulto læsus fuit, contumelia, verbere, aut alapa, quicquid dicat Molina disp. 46. quem benè reiicit Card. de Lugo disp. 15. sect. 4. & ratio est, quia qui alicui privatim alapam impegit, vel fuste percussit, estò honorem apud alios non læserit, læsit tamen apud se; quarè sicut qui de alio judicium format temerarium, lege justitiæ illud deponere tenetur, quamvis famam apud alios illi non auferat, sed solùm apud se; ità qui privatim alteri honorem abstulit, ex lege justitiæ illum resarcire tenetur, & si illud apud alios non violaverit, sed solùm apud se; & ratio est, quoniam nullus vult honorem suum ne quidem apud unum videre læsum.

70 Duplici autem modo honor læsus resarciri potest; uno modo per externam aliqua obsequii exhibitionem, & declarationem absque ulla veniæ petitione; alio modo condonatione, quæ vel sponte fit ab inhonorato, vel ab inhonorante prævia humili veniæ petitione, quæ honorificam obsequii exhibitionem etiam includit; qui enim offensus, & inhonorato se submittit veniam petendo illum reveretur, & ipso facto inhonorationem, & contumeliam retractat. Difficultas nunc est, quo ex his modis fama restitui debeat, an scilicet, teneatur qui contumeliam intulit petere veniam ab eo, quem inhonoravit, ut Soto opinari videtur lib. 4. *de justitia, & jure* q. 6. art. 3. ad 5. ubi ait convenientissimum modum restituendi honorem esse veniam petere, an verò sufficiat simplex honoris exhibitio absque ulla veniæ petitione, ut ait Cajet. 2. 2. q. 72. a. 3. quia sufficienter emendatur injuria per reductionem ad æqualitatem, quæ reductio fit reverentiam exhibendo, eum laudando, & aliis similibus actionibus injuriæ per contumeliam illatæ æquivalentibus; hoc tamen non est absolutè decidendum, sed ex gravitate injuriæ, & conditione personæ offensæ, ac aliis circumstantiis ad arbitrium viri prudentis, ut notat Faber noster disp. 53. cit. in fine; nam si injuria adeò gravis sit, ut alio modo compensari non possit, nisi veniam petendo, ut si fuste quis nobilem percussit, vel cum ejus uxore adulterium commisit, & dehonoratus aliam satis actionem

nem suscipere nolit, nisi veniæ petitionem, tunc offendens illam petere tenetur; è contrà verò opus non est semper veniam petere, quoniam si Superiores, vel Prælati aliquando inferiores, & plebejos contumelia afficiunt, non decet veniam ab eis petere, sed satis erit, si benignè eos tractent, & signis, verbis, vel factis ostendant se eos non despicere, non enim eadem satisfactio adhibenda est à Superiore erga inferiores, quæ ab inferioribus erga Superiores adhibetur, sicut enim gravior est inhonoratio, & offensa ab inferiori facta superiori, quàm è contrà; ità major requiritur satisfactio ab inferiori ergà Superiorem, quàm è contrà. Ideoque quando aliter, quàm per veniam honor commodè restitui potest, nemo ad veniam petendam cogendus est, sed ad eum modum, qui sit in consuetudine, & à prudentibus sufficiens judicatus.

71 Quoniam verò sunt aliquæ causæ à restitutione famæ excusantes, hic breviter assignabimus illas, de quibus omnes conveniunt, de aliis verò differemus art. seq. Prima est, si id, quod contrà famam alterius aliquis est oblocutus, in oblivionem abiisse prudenter existimetur, ut constat ex dictis suprà n. 63. Secunda est, si ex ejus oblocutione nulla infamia secuta sit, quia nimirum illi, quibus occultum manifestavit proximi crimen, jam illud noverant, aut ejus dictis nullam adhibuerunt fidem; una enim ex conditionibus requisitis ad obligationem restitutionis famæ inducendam est, ut fama reipsa fuerit ablata, ut constat ex dictis ar. præced. n. 52. in fine. Tertia est, si fama, quæ ablata est, per aliam viam sit recuperata, hæc enim quoque est una ex conditionibus ad obligationem restitutionis famæ requisita, ut constat ex dictis ibidem. Quarta est, quando restitutio famæ facta est moraliter impossibilis, nam ad impossibile nemo tenetur. Quinta est, quando fama restitui nequit sine periculo vitæ, & ratio deducitur ex communi Theologorum regula disp. præc. tradita, scilicet, bona inferioris ordinis non esse restituenda cum detrimento bonorum ordinis superioris, vita autem est bonum altioris, & superioris ordinis, quàm sit fama; quarè non poterit infamatus esse rationabiliter invitus, si sibi fama non restituatur, quandò sine periculo vitæ infamantis restitui nequit. Sexta denique si fieri non possit, absque notabili jactura propriæ famæ, quæ sit longè majoris momenti, justitia enim non obligat ad restitutionem cum damno notabiliter majori, quàm sit damnum illatum juxtà regulas de restitutione superius traditas; undè si Prælatus aliquis, vel vir valdè illustris plebejum, & abjectum infamavit, non tenetur famam illi restituere cum notabili jactura honoris propriis; sed sufficit, ut id faciat eo meliori modo, quo sine jactura propriæ famæ id poterit, & secundum judicium viri prudentis, & in casu tali privata illa persona tenetur magis vele pati illam infamiam, quàm famæ restitutionem, ex qua sequeretur diffamatio illius Prælati Reipublicæ utilis, ut notat Almainus noster dist. 15. q. 4. & sequuntur Recentiores communiter.

ARTICULUS TERTIUS.

Solvuntur Difficultates quædam circà peccatum detractionis.

72 PRima difficultas est. An possit infamatus restitutionem famæ validè condonare. Negant omnes asserentes hominem non esse dominum suæ famæ, hoc enim directè sequitur ex illo, quia nemo donare potest, quod suum non est, quarè si homo suæ famæ dominium non habet, consequenter nec licitè, nec validè eam condonare potest. Ità Cajetanus quem sequitur ex nostris Faber disp. 53. cit. capit. 4. n. 126. quod probat, quia non potest se homo licitè infamare, cùm suæ famæ dominium non habeat; at si posset dimittere obligationem restitutionis suæ famæ, posset licitè se infamare, quia sibi imponere crimen falsum, & falsum crimen impositum nolle objicere est idem, & ideò remittere obligationem restitutionis famæ est idem, ac se infamare. E contrà verò docentes hominem esse perfectum dominum suæ famæ, consequenter affirmant non tantùm validè, sed etiam licite, imò & meritoriè posse interdum famam sibi sublatam condonare, & quia illud ut probabilius jam suprà statuimus disp. 3. q. 2. a. 1. hoc etiam consequenter in præsenti asserere debemus.

73 Dicendum est igitur consequenter ad ibi dicta infamatum restitutionem famæ validè condonare posse, dummodò jus aliorum non lædat in illa remissione, neque hæc vergat in aliorum detrimentum. Ratio est, quia quando infamia non tangit, nisi solùm infamatum, ad ipsum solum spectat, tanquam ad proprium dominum de tali famæ restitutione disponere, sicut quis validè disponere potest de damno sibi in re familiari illato, quando tale damnum ipsum solùm tangit, & non alios. Quando verò infamia tangit alios seu, in alios positivè redundat, qualis est infamia uxoris redundans in maritum, vel infamia filii redundas in patrem, vel infamia uni Religioso facta redundans in Monasterium, & alios Religiosos, non potest infamatus illam validè condonare quin semper infamatus maneat obligatus ad illam restituendam, quia talis condonatio esset contrà justitiam, siquidem redundat in damnum innocentis, cujus juri non potest alter cedere, cùm ipse non sit famæ alterius dominus; quarè religiosus infamatus ex justitia curare tenetur famam sibi restitui, siquidem non curando, cùm posset, in infamiam suæ religionis consentire censeretur. Condonatio verò, quæ non est contrà justitiam, sed tantùm contrà charitatem, valida est, quamvis illicita; undè persona publica infamiam sibi impositam condonans validè quidem remittit, & condonat, cùm sit dominus suæ famæ; peccat tamen contrà propriam charitatem condonando, cùm enim ejus fama bono publico sit necessaria, eam negligere non debet, nec illius reparationem leviter condonare, & facta condonatione peccat officium publicum retinendo, quod ritè, & honorificè cum infamia administrari non valet. Ità Lessius, Reginaldus, Navarrus, Turrianus, Filliucius, Clavis regia, & plures alii apud Bonacinam disp. 2. de Rest. in particulari quæst. 4. punct. ult.

74 Verius tamen puto cum aliis dicendum neque personam publicam in publico officio manentem infamiam sibi arrogatam validè condonare posse. Ratio est, quia fama personæ publicæ non tam est ipsius, quam Reipublicæ, siquidem necessaria est, ut præstet officium ei stricto jure debitum; ergo non tantùm contrà propriam charitatem peccat irrogatam injuriam condonando, sed etiam contrà justitiam, quia ex consequenti Reipublicæ nocet, vel infamiam inferendo, vel se ineptum reddendo ad impendendum officium ei debitum, quia fama necessaria est ad publicum officium ritè exercendum; appositè autem hoc dixi de persona publica in officio permanente; quia si publicum officium dimittere velit, validè posset infamiam sibi irrogatam condonare, quia tunc ipsius infamia non esset amplius personæ publicæ, ac proindè in Rempublicam non redundaret, sed intrà terminos solius personæ privatæ maneret, quando autem non ex officio, sed solum ex charitate proximo prodesse tenemur, & per infamiam ad hoc inepti reddimur, tunc solùm contrà charitatem peccat, qui se infamat, sicut solùm contrà charitatem peccat, qui pecuniam prodigit, qua pauperibus prodesse poterat. Ad rationem Fabri in oppositum adductam negatur major cum ejus probatione, quia ut constat ex dictis loco citato homo perfectum habet suæ famæ dominium, & suam famam prodigere non solùm aliquando est licitum, verum etiam laudabile, sicut multi Sancti fecerunt, qui humilitatis causa sua peccata manifestarunt, & universaliter loquendo est virtutis actus, quando fit humiliationis causa, & ad vitium superbiæ elidendum, ut constat ex dictis loco citato, & adhuc magis constabit ex mox dicendis in solutione sequentis difficultatis.

75 Secunda difficultas est, An infamare seipsum sit mortale peccatum ex genere suo. Affirmat Cajetanus cum pluribus aliis, quos etiam sequitur Faber loco citato. & ratio est, quia non minus peccatum est seipsum infamare, quàm seipsum occidere, cùm utrumque sit contrà præceptum charitatis, & justitiæ; justitiæ quidem, quia sicut homo non est dominus suæ vitæ, ità nec famæ, quia fama plus æstimatur, quam vita; charitatis verò, quia ex ejus præcepto unusquisque tenetur magis seipsum diligere, quàm proximum; ergo sicut infamare proximum est ex natura sua mortale, ita & seipsum. Negant verò alii communiter, quos secuti sumus l. c. esse peccatum mortale per se, & ex genere suo, dicentes esse posse tale ex consequenti tantùm, & ratione circumstantiarum, & probant ex contrario fundamento, quoniam homo est perfectus dominus suæ famæ, ut l. c. probatum est sicut est dominus suarum facultatum, cum fama acquiratur propria industria, sicut acquiruntur divitiæ, & facultates; ergo potest de illa liberè disponere absque aliorum injuria, non minus quàm de suis facultatibus. Imò adducunt interdum non solùm licitum esse, sed etiam laudabile, & meritorium peccata sua manifestare; & propriam famam prodigere, quando id fit ex rationabili causa, hoc enim factum est à sanctis viris, ut à S. Aug. in lib. Confessionum, à S. Anselmo, & aliis, ut l. c. ostensum est. Quarè concludunt infamare seipsum non esse per se, & ex genere suo mortale, fieri tamen posse ex consequenti, & ratione circumstantiarum, ut v. g. si sit persona publica, cujus fama necessaria sit ad aliorum directionem, & exemplum, si infamia redundet in damnum animæ propriæ, vel aliorum scandalum, & nocumentum; si ex propria infamia sequatur detrimentum aliquod in facultatibus, honore, vel fama aliorum, in his enim, & similibus circumstantiis tunc infamatio illa esset peccatum mortale. Ex quo etiam patet falsitas fundamenti sententiæ oppositæ, nam infamare seipsum per se,

& ex

& ex genere suo neque est contrà justitiam, quia homo est dominus suæ famæ, nec illam prodigendo ulli facit injuriam; neque etiam contra charitatem, quoniam homo ex præcep charitatis ergà seipsum non tenetur hæc bona exteriora, & temporalia diligere, & conservare, nisi quatenus necessaria sunt ad bona spiritualia vel nostra, vel proximorum comparanda, & conservanda. Undè patet infamare seipsum interdum esse virtutis actum, quando scilicet, fit vel ad sui humiliationem, vel in pœnam patratorum scelerum, aut alia rationabili causa; interdùm veniale solùm, quando nimirum fit ex levitate nulla rationabili causa id suadente; & interdum mortale, quando scilicet, ex infamatione sui sequitur aliquod damnum proprium, vel aliorum. Ità Lessius, uterque Navarrus, Molina, Valentia, Toletus, Cardinalis de Lugo, Amicus, Caspensis, Sylvius, Bonacina, & alii communiter, de quo videri potest Aretinus ex nostris dist. 15. quæst. 4. art. 4.

76 Tertia Difficultas est, An in aliquo eventu possit quis sibi falsum crimen imponere, & in primis conveniunt Doctores posse aliquem non solum absque peccato, sed etiam cum merito occultum crimen morte, vel mutilatione dignum Judici prodere, propter quod sit morte afficiendus, vel mutilandus, & hoc etiam innuit Doctor 4. dist. 15 quæst. 3. art. 2. lit. G. ubi inquit, quod expediret animæ homicidæ, quod solveret per passiones voluntarias, vel patienter susceptas, ut scilicet, occideretur pro homicidio. Ratio est, quia iste occultum suum crimen Judici manifestando contrà nullum jus faceret, sed potius justæ legi se conformaret, secundum quam judicari vellet; nec sponte suum crimen Judici manifestando, diceretur mortem sibi moraliter causare, quia talis actio per se, & directè non tendit ad necem, sed ad proprii delicti revelationem, & publicam confessionem, ut pro delicto ommisso condignam pœnam subeat, & legi divinæ, & humanæ satisfaciat. Ex quo infertur, posse quempiam licitè etiam crimen suum occultum Judici manifestare, non modò ad gravia, sed etiam ad levia tormenta vitanda, propter quod crimen sit mutilandus, vel capite plectendus, nam si id licitè potest nullo tormentorum metu coactus, ut dictum est, tantò magis id facere poterit ad vim tormentorum evitandam. Non tamen ob levia tormenta declinanda falsum crimen, ob quod sit vita privandus, posset sine culpa mortali sibi imponere, quia in tali casu sine rationabili causa suæ mortis causam præberet, quod sine culpa mortali contingere nequit. Quarè solùm est difficultas, an ad evitanda gravissima tormenta possit quis sibi falsum crimen imponere, propter quod est certò perimendus, vel mutilandus. Negant Navarrus, Molina, Covaruvias, & alii, quam sententiam ut probabiliorem sequitur etiam Card. de Lugo disp. 14. sect. 10. & rationem potissimam ait esse, quia per talem confessionem falsi criminis homo cooperatur suæ morti, & mutilationi injustæ, quod quidem nunquam licitum est; cum enim homo non sit dominus vitæ suæ, & membrorum, non potest positivè ad eorum bonorum destructionem cooperari.

77 Opposita sententia affirmat, non peccare mortaliter, qui ad evitanda gravia tormenta falsum sibi crimen imponit, propter quod est perimendus, vel mutilandus. Ità Angelus, Sylvester, Toletus, Soto, Lessius, Valentia, Petrus, Navarrus, Amicus, Caspensis, ac etiam Faber ex nostris loc. cit. & est communior, ac verior, quam ipse hac ratione probat, quia regula communis est, quod quando duæ leges, & duo præcepta concurrunt simul, nec potest utrumque servari debet servari majus; in proposito autem casu duo præcepta concurrunt, quæ simul servari non possunt, nempè lex diligendi, & salvandi famam propriam, & lex diligendi, & conservandi vitam corporalem, quæ magis urget; ergo præceptum servandi vitam à gravibus tormentis, quod est majus, debet in tali casu habere locum, & alteri preferendum de servanda fama, quia vitandum est magis damnum corporale vitæ, quàm famæ. Verùm hæc ratio sufficiens non videtur ad probandum intentum, quia in casu proposito supponimus illum ex confessione falsi criminis esse damnandum ad mortem, undè tunc confitendo simul violat utrumque præceptum, nimirum de fama conservanda, & vita sua servanda, quarè non videtur à peccato mortali excusandus, cum utramque violet legem. Nec satisfacit, quod ait Faber ca. 4. cit. n. 115. quæ futura sunt incerta esse judicio humano, quæ autem sunt præsentia esse maximè certa; in casu autem nostro tormenta sunt præsentia, & ideò certissimus est de illis, mors autem ob confessionem delicti sibi falsò impositi est futura, ac ideò incerta. Hoc inquam, non satisfacit, quia casus est, an ad evitanda gravia tormenta possit quis sibi falsum crimen imponere, propter quod sit certò perimendus morali saltem certitudine, quo modo etiam futura possunt esse certa judicio humano quantum sufficit ad mortalem culpam contrahendam.

78 Quarè recedendum non puto à ratione, qua id alii communiter probant, nimirum quia si id esset mortale peccatum, aut esset quia seipsum graviter infamaret, & mendacium assereret, aut quia sibi esset causa moralis mortis, aut mutilationis, ut patet ex fundamento pro opposita sententia adducto. Non primum, quia infamare seipsum etiam notabiliter non est ex genere suo mortale, ut dictum est, sed tantùm ex consequenti & ratione circumstantiarum. Non secundum, quia mendacium illud, quo in tali casu falsum sibi crimen imponit, non esset pernicioſum, sed officioſum, quia per illud non sibi infert malum, quod tantis tormentis notabiliter præponderet, cùm crimen fatendo brevi morte prolixam, & acerbam redimat. Neque tertium, cùm talis confessio directè, & per se ad sui occisionem non tendat, sed ad declinationem atrocium tormentorum morti æquivalentium, estò ex ea Judex causam sumat damnandi confitentem ad mortem, undè morti suæ per talem confessionem indirectè tantùm cooperatur, & per accidens; quotiescunque autem actio directè, & per se ad mortem sui non tendit, honesto fine rectificari potest; ut patet de illo, qui consilium virgini præbet, ut potius se interfici sinat à milite, quàm abuti, & stuprari, cum non minus tale consilium in eo casu præbeat causam occisionis militi volenti virgine abuti, quàm falsi criminis confessio Judici ad atrocia evitanda tormenta. Denique sicut licitè potest quis ablata sibi optione, brevem mortem sibi potius eligere, quàm cruciari diuturnis tormentis juxtà regulam communem, quod in casu necessitatis de duobus malis minus est eligendum; ità in casu proposito potest ad evitanda gravia tormenta falsum crimen confiteri, propter quod sit morte plectendus; & ratio à priori est, quia non tenetur homo vitam suam cum tanto dolore, & cruciatu conservare, ut constat de infirmo, qui licitè mortem potius sibi eligere potest, quàm gravissimos sustinere dolores in abscissione crurium, vel alterius membri; per quod patet quid sit dicendum ad fundamentum prioris sententiæ: Addendum tamen est secundam sententiam locum habere tantùm in casu, quo ex confessione falsi criminis incurratur solùm ipsius confitentis detrimentum, nam si sequatur etiam detrimentum aliis, v.g. religioni, familiæ, vel sodalibus, planè à gravi peccato excusari non potest qui falsum crimen sibi imponit, quapropter quælibet potius tormenta subire teneretur, quia famæ aliorum non est dominus, atque ideò eam damnificare non potest falsum sibi crimen imponendo.

79 Quartà Difficultas est, An licitum sit aliquando quibusdam de causis crimen alterius occultum alteri detegere. Communis opinio affirmat, quoties id necessarium est ad impediendum aliquod notabile damnum alterius, sive corporale, sivè spirituale, quod alia via impediri non potest. Ità Lessius, Sotus, Bannes, Rebellus, uterque Navarrus, Filliucius, Bonacina, Caspensis, & alii passim. Ratio est, quia non quælibet secreti criminis manifestatio est detractio, sed quæ fit inordinatè, & contrà charitatem, at revelatio criminis secreti in casu proposito est ordinata, quia tenemur publico bono consulere, & privato innocentis, & ideò quando aliter consulere non possumus, quam occultum crimen revelando, possumus licitè, imò tenemur illud detegere ad damnum proximi impediendum. Undè si nostri aliquam furtis aditum monere potes eos, cum quibus conversatur, ut sibi caveant; si nosti innocentem extremo supplicio afficiendum, teneris monere Judicem revelando homicidam, ne innocens pereat; si nosti aliquem segerentem pro Medico, in illa tamen scientia prorsus imperium, monere potes eos, quibus ab ejus imperitia aliquod immineret periculum; & denique quando agitur de officio, beneficio, vel matrimonio, aut Religione, si aliquod impedimentum nosti, ex quo prudenter gravè aliquod malum timeri possit, illud revelare teneris. Hanc tamen doctrinam limitant præfati DD. primò quando alia via damnum imminens impediri non possit, ut suprà dictum est, undè si sola correctione fraterna v.g. tale damnum impediri potest absque criminis manifestatione, debet correctione uti ad illud impediendum, intantum enim alterius crimen occultum revelare licet, inquantum necessarium censetur ad damnum impediendum. Deindè limitatur, si rem in confessione agnovisti, cùm tale secretum in foro Sacramentali pœnitentiæ depositum nunquam revelare licet ob ulla tormenta, mortemque vitandam, aut Rempublicam à quavis ruina liberandum absque expressa pœnitentis licentia, etiamsi esset peccatum veniale duntaxat, ob reverentiam tanto Sacramento debitam, in quo parvitas materiæ non datur, undè revelare etiam minimum veniale peccatum, semper est mortale sacrilegium, ut dictum est l. 4. *sent. disp. de Sacram. Pœnitentiæ* loquendo de sigillo Confessionis. Tandem limitatur etiam hæc doctrina in casib. quibusdam, in quibus peccatum esset grave occultum crimen manifestare etiam ad gravia evitanda tormenta; ut si esset secretum Regis, vel Reipublicæ, ob summa incommoda, quæ indè sequeretur in ipsius Reipublicæ detrimentum.

80 Quinta

80 Quinta Difficultas est; An liceat peccatum publicum in uno loco, manifestare in alio, ubi nescitur; publicum autem crimen illud dicitur, quod vel per sententiam Judicis declaratum est, vel quod multi unius populi agnoscunt. & ratio dubitandi est, quia in loco, in quo crimen est occultum, habet ille bonum nomen, & famam; ergo contrà justitiam videtur illud crimen revelare in eo loco. Pro resolutione quæsiti notandum est delictum duobus modis publicum dici posse, uno modo via injusta, nimirum injusta detrahentium revelatione, & nulla ab ipso delinquente data occasione; alio modo via justa, idque rursus dupliciter, ut modo dictum est, nimirum vel via juris per publicam Judicis sententiam, vel via facti, & est illud, quod in multorum præsentia commissum est, ut in foro publico, aut in via publica, & eo tempore, quo multis innotescere potuit. Hoc præmisso conveniunt Doctores, peccare contrà justitiam, tenerique ad restitutionem, qui scienter occultum proximi crimen injusta revelatione in uno loco publicatum publicat, & manifestat in alio loco, ubi ignoratur. Et hoc satis constat ex dictis *art. præced.* quoniam injustè infamatus sicut jus non amittit, ut sublata fama sibi restituatur, ita nec jus amittit, ne eadem ulterius denigretur, ac lacerétur; & ideò si alius scienter famam illius in uno loco ablatam etiam in alio auferret, contrà justitiam peccat, & ad restitutionem tenetur, si talis infamiæ extensio notabilis esset. Quarè sola remanet difficultas de peccato publico in uno loco via justa, quod scilicet, vel per sententiam Judicis declaratum est, vel quod multi unius populi agnoscunt; in qua difficultate apud Auctores quatuor invenio opiniones, vel dicendi modos.

81 Primus dicendi modus absolutè affirmat non esse peccatum mortale saltem contrà justitiam crimen alterius alicubi publicum aliquo ex præfatis modis recensitis manifestare alibi, ubi nescitur. Ità Bonacina, cùm pluribus aliis ab ipso citatis *disp. 2. q. 4. punct. 6.* Ratio est, quia delinquens per criminis publicitatem amisit jus ad famam, & consequenter manifestans alibi ejus crimen publicum aliquo ex præfatis modis non facit illi injuriam, nec peccat contra justitiam. Nec juvat dicere delinquentem adhuc retinere famam in eo loco, ubi delictum est ignotum. Nam delinquens retinet ibi famam facto solùm, & non jure, cùm jus amiserit ad famam ubicunque per publicitatem delicti. Confirmatur, quia consuetudine receptum est, ut delicta publica præscribantur, historiis commendentur, ubique promulgentur, & ab omnibus legantur; ergò signum est non esse peccatum delictum in uno loco publicum manifestare in alio loco, ubi nescitur, alioquin mortaliter peccarent historici scriptis tradendo, & consignando peccata Principum, & aliorum infamatoria in aliquo loco jam publica, etiamsi fama hujusmodi criminum in aliis locis non constet, quo libri historicorum sunt perventuri.

82 Secundus modus dicendi, id absolutè negat asserens infamatum in uno loco sivè ex sententia Judicis, sivè ex evidentia facti non posse sine injustitia alibi de eodem crimine infamari, ubi nescitur. Ità Faber noster, Adrian. citans *disp. 53. c. 4. n. 130.* Ratio est, quia contingere potest, quod mulier, quæ artem meretriciam exercuit in una civitate pœnitentia ducta recedat in civitatem remotam, in qua honestè vivat, & bonam habeat famam, & si quis illùc adveniens, qui prius eam meretricem noverat, dicat illam esse meretricem, mentitur, & illi detrahit; ergò qui infamat aliquem alibi prius diffamatum in loco aliquo, ubi est bonæ famæ, tenetur ad restitutionem, quam rationem ait Faber esse maximi momenti, nam si oppositum esset verum, numquam esset possibile bonam famam reparare, quod est absurdum, & contrà commune suppositum, nam mulier illa quamvis meretrix fuerit in una civitate, non tamen amplius est talis in alia, nec amplius infamis dici potest; alioquin quantumcunque quis pœniteret de crimine commisso, de quo est diffamatus, & rectè viveret, semper verum, & licitum esset dicere, quod ille est infamis. Confirmatur, quia estò delinquens non habeat jus in famam, quam amisit in uno loco, vel tempore, habet tamen jus in famam, quam sibi acquirit in alio loco, vel tempore, sicut estò proscriptus non habeat jus in bona, quæ justè amisit in uno loco, vel tempore, habet tamen jus in bona, quæ justè sibi in alio loco, vel tempore acquisivit; ergo à pari sicut contrà justitiam esset diripere bona, quæ proscriptus justè sibi in alio loco, vel tempore acquisivit; ità & famam tollere, quam delinquens in alio loco, vel tempore justè sibi comparavit.

83 Tertius dicendi modus distinguit, si defectus ille revelétur in loco aliquo distante, ad quem moraliter loquendo non esset ventura notitia illius, tunc esset peccatum contrà justitiam; at verò si facilè talis notitia esset perventura, sivè publica esset in alio loco per sententiam, sivè tantùm per rumorem, & criminis notorietatem, neque esset contrà justitiam, neque obligatio restituendi incurreretur; undè videmus sine scrupulo publica delicta in aliquo loco, sivè per sententiam, sivè tantùm per rumorem sæpe typis mandari in libris, qui in regionem longinquam mittuntur, in qua talia delicta erant omnino incognita; signum ergo est peccata publica in uno loco, non esse contrà justitiam; neque contrà charitatem illa revelare in loco, in quo erant occulta; sicut contingit in peccatis commissis in aliquo tempore antiquo, quæ in hoc sine scrupulo revelantur, & leguntur. Ità Caspensis *disp. 10. sect. 4.* in fine, pro quo dicendi modo etiam Turrianum citat *disp. 53. dub. 10.*

84 Quartus tandem dicendi modus alio modo distinguit, & inquit quod quando delictum est publicum per Judicis sententiam in uno loco, potest citrà injustitiam in quocunque alio loco publicari, etiam in eis, ad quæ nunquam, vel rarissimè perventura esset talis criminis notitia. Ratio est, quoniam qui per publicam sententiam amisit famam in uno loco, amisit jus ad illam ubique terrarum, nam finis Judicis est, ut reus per eam notam, quam per publicam sententiam illi innuit, fiat notus omnibus, cùm in delicti pœnam, tùm ad terrorem, & cautelam aliorum, & hac de causa sententia publicari solet in loco, & tempore, quo major est populi frequentia, ut illa cum delinquentis infamia omnibus innotescat, datur que jus omnibus illud crimen ubique divulgandi; ergo quivis citrà injustitiam poterit crimen sic publicum ubique manifestare. Si verò delictum sit publicum in uno loco solùm evidentia facti, non modò est contrà charitatem, verùm etiam contrà justitiam illud manifestare in alio loco, ubi nescitur. & ratio est, quia licet quis publicè peccando amiserit jus famæ apud eos, coram quibus peccavit, & apud quos ipsius peccatum facilè pervenire posset; haud tamen jus amittit apud eos, apud quos, aut nullo modo, aut difficilè ipsius peccatum pervenire potest. Ità discurrit Amicus plures alios cit. *disp. 37. sect. 5.*

85 Ex his quatuor dicendi modis primus videtur probabilior, & aliis præferendus, non esse peccatum contrà justitiam crimen alterius alicubi publicum alibi manifestare, ubi nescitur sivè sit publicum, criminis notorietate, sivè publica Judicis sententia, & quidem hoc esse verum, quando est notum per sententiam Judicis satis patet ex ratione jam assignata, quia sententia juridica ad omnem locum suapte natura extenditur, quamvis remotissimum, & intendunt Judices, ut res ab omnibus scietur, & publica fiat in bonum publicum, & in aliorum emendationem. Quod verò idem etiam dicendum sit, quando delictum est publicum in uno loco solùm evidentia facti, & criminis notorietate coram multis commissi patet quoque ex ratione pro hac parte adducta, quia ex consuetudine communiter recepta delicta hoc modo publica sæpè typis mandari solent, quæ in libris impressa in regiones quoque longinquas sæpè mittuntur in quibus talia delicta erant omnino ignota, alioquin non permitteretur historicis hæc typis tradere, & consignare. Tùm quia si publicitas delicti per sententiam Judicis in uno loco sufficit, ut crimen sit publicum possit alibi, ubi erat ignotum, sine injustitia manifestari, sic pariter & à fortiori publicitas criminis ex sola evidentia facti ad hoc sufficiens erit, quia publicitas, & infamia, quæ oritur ex sententia Judicis à duobus, vel tribus testibus ortum habet, qui falsum deponere possunt, vel per confessionem rei, quæ etiam potest esse fallax vi tormentorum extorta; at publicitas, & infamia ex evidentia facti, ut publicæ meretricis, vel usurarii notorii ex universitate aliqua, vel majori ejus parte ortum habet, & pluribus testibus, ac indiciis manifestis.

86 Nec rationes pro secunda opinione adductæ oppositum convincunt; quamvis enim probabile sit, quando quis ob crimina, quæ olim perpetravit, vel in alio loco infamis fuit, & per vitam laudabilem posteà famam recuperavit esse peccatum contra charitatem illa crimina propalare in alio loco apud eos, qui ea ignorabant; quia ille famam jam amissam recuperaverat, non tamen est peccatum contra justitiam, quamvis enim jus habeat ad famam, quam à tempore honestæ vitæ comparavit, non tamen jus habet ad famam pro illo tempore, quo illa justè privatus fuit; & ideò contrà justitiam non erit eum infamare pro illo tempore, sed solùm contrà charitatem. Ad Confirm. concedo delinquentem habere jus ad famam in alio loco, vel tempore honestis actibus sibi acquisitam; negatur tamen in eo loco, vel tempore habere jus ad eam famam, quam in alio loco, vel tempore amisit per publicam Judicis sententiam, vel criminis notorietatem, seù facti evidentiam; & ideò quamvis esset contrà charitatem manifestare ipsius peccatum, quod fuit in alio loco publicè commissum, vel sententia Judicis damnatum, & punitum, non tamen esset contra justitiam, nullum enim habet jus, ut hoc celetur, estò jus habeat ut celetur illud, quod in alio loco occultè commisit, ubi famam sibi comparavit; nec aliud probat paritas assumpta de proscriptione bonorum.

87 Sexta Difficultas est, An qui detractorem audit, mortali-

taliter peccet, & ad restitutionem teneatur. Ratio dubitandi est famigeratum illud D. Bernardi dictum l. 2. de Considerat. ad Eugenium propè finem: *Detrahere, aut detrahentem audire quid horum detestabilius sit, non facilè dixerim.* Pro resolutione notandum est dupliciter posse aliquem detractioni consentire directè scilicet, vel indirectè; directè consentit qui alterum inducit ad detrahendum, vel illius detractione delectatur, indirectè autem detractione; consentit, qui licet nec ad eam inducat, nec ea delectetur, illam tamen non prohibet, nec detrahenti resistit, cùm possit, & debeat. Conveniunt DD. qui audit detractorem, & aliquo modo movet ad detrahendum, peccare mortaliter, si sit in materia gravi, non solùm contra charitatem, sed etiam contra justitiam; peccat quidem contra charitatem, non solùm contra proximum, cui detrahitur, sed etiam contra detrahentem cujus peccatum non solùm non impedit, sed procurat; contra justitiam verò, quia sicut qui consulit, aut procurat furtum, peccat contrà justitiam cooperando furi, ita contra justitiam peccat, qui injustam proximi læsionem in fama consulit, & procurat. Qui verò non incitat alium ad detrahendum, sed solum de detractione delectatur in materia similiter gravi, ut supponitur, dicunt peccare mortaliter contra charitatem, quia delectatur de gravi malo proximi, cùm detractio gravis grave malum censeatur; non tamen contra justitiam, quia ipse non est causa damni, nec illi incumbit ex officio detractionem impedire, ut supponitur, alias peccaret etiam contrà justitiam, ut mox patebit; ex quo patet consentientem directè detractioni semper peccare mortaliter saltem contra charitatem, licet non semper contra justitiam.

88 Conveniunt deindè DD. peccare contra charitatem eum, qui potens absque incommodo detractionem impedire gravem, eam non impedit; nam sicut in bonis fortunæ contra charitatem mortaliter peccat, qui damnum proximi grave non impedit; quod absque incommodo potest impedire, sic à fortiori contrà charitatem erit infamiam proximi gravem non impedire quando commodè id fieri potest; in tali enim casu præceptum correctionis fraternæ graviter obligat, ut damnum spirituale, & peccatum proximi impediatur; dixi autem, si absque incommodo id fieri possit; quia dùm commodè corrigere non potest, detractionem impedire non tenetur, quia charitas cum gravi incommodo non obligat; undè qui sibi grave aliquod timet damnum corrigendo, ut v. g. injurias, aut verbera, aut rationabilem habeat verecundiam, ut si audiens sit filius, vel famulus detrahentis, aut nullius auctoritatis respectu illius, non tenetur ei resistere, vel eum corrigere; sic pariter nullo modo peccat qui detrahentem non arguit, eo quod probabiliter existimat monitionem suam nihil profuturam, imò potius obfuturam, si detractor ex ea magis occasionem sumat detractionem suam asseverandi. Conveniunt tandem longè strictius obligari Superiores respectu inferiorum ad prohibendas detractiones, sicut etiam alia peccata, atque ideò graviter peccare non solùm contrà charitatem, sed etiam contra justitiam, quia ex officio tenetur curare salutem, ac famam custodire suorum subditorum, & consequenter ad restitutionem teneri, siquidem restituendi obligatio oritur ex violatione justitiæ cum damno alterius; id enim ex officio illis incumbit, ac proindè si non impediunt, causa moralis damni censentur. Ità Lessius, Molina, Bonac. Amicus, Caspensis, Navar. Soto, Reginaldus, Toletus, & alii passim, & Faber ex nostris loc. cit.

89 Septima tandem Difficultas est, An quando fama restitui non potest, debeat pecunia compensari. Affirmant Angelus, Soto, Sylvius, Valentia, & alii, quorum fundamentum est, quoniam pecunia est pretium omnium rerum, ac proindè ea æstimantur omnia; tum quia etiam damna corporis, ut mutilatio &c. recompensantur pecunia; ergo etiam fama, & honor pecunia compensari possunt. Negant Sylvest. Lessius, uterque Navarrus, Faber ex nostris loc. c. & alii magis communiter, & probabilius. & ratio est, quia cum fama, & honor sint bona superioris ordinis, quam pecunia, non possunt ejus pretio compensari juxta illud Prov. 12. *melius est nomen bonum, quàm divitiæ multæ*, ac proindè ad illam compensationem faciendam infamator obligari non potest; tùm quia hac eadem ratione abscisio membri, vel humanæ vitæ privatio non sunt pecunia compensabilia, quia non sunt ejusdem ordinis. Ad rationem prioris sententiæ negatur assumptum, pecuniam, scilicet esse pretium omnium rerum; est enim pretium duntaxat rerum venalium, alioquin pecunia etiam compensari possent bona spiritualia, & ipsa hominis vita, quod falsum est, ut constat ex dictis q. præc. art. ult. nu. 41. undè etiam falsum est damna corporis, ut sunt mutilatio, & membri alicujus abscissio, pecunia recompensari posse, ut constat ex dictis ibidem, & quando pro damno corporali datur pecunia, non compensatur damnum corporale, ut sic, quia non potest per aliquid ordinis inferioris compensari, sed solùm recompensantur damna, quæ ex læsione corporis sunt secuta, ut ibidem dictum est; & sic etiam in proposito, quando pro fama fit compensatio per pecuniam, hæc non datur, neque debetur pro compensatione famæ, ut sic, sed pro compensatione damnorum ex infamatione sequutorum; quare si nullum damnum in rebus, seù bonis temporalibus sit sequutum ex diffamatione, ad nihil compensandum pro ea tenetur infamator, si famam restituere non potest. Probabile tamen satis est, quod addit Amicus disput. 37. sect. 14. in fine posse, vel per modum pœnæ à Judice, vel per modum transactionis ab ipsis partibus imponi certa pecunia ex justitia solvenda ad famæ recompensationem. & ratio est, quoniam & Judex auctoritatem habet talem imponendi pœnam ad publica delicta punienda, & partes potestatem talem faciendi contractum, quo facto ex justitia tenetur infamator pro famæ restitutione taxatam pecuniam solvere, & compensatio famæ per pecuniam in tali casu ex natura rei non provenit, sed ex Judicis arbitrio, vel partium conventione.

DISPUTATIO NONA
DE RESTITUTIONE DAMNI
IN BONIS FORTUNÆ.

HOC est ultimum, & infimum bonorum genus de quo in sequentibus agendum est, & quia restitutio frequentius circà bona fortunæ versatur, imò & restitutionis nomen ad hoc bonorum genus præsertim applicari solet, hic fusius de restitutione agendum erit; propter enim magnam ejus extensionem, & frequentiam in hoc bonorum genere, magis etiam extensam, & latam præstat disputandi materiam, qua de causa integram de illa disputationem instituimus; plura tamen ad ipsam spectantia jam in Superioribus sunt explicata, præsertim Disput. de Contractibus, & de Restitut. in communi, pro quorum intelligentia loca breviter indicare sufficiet, ne iterum sint repetenda.

QUÆSTIO PRIMA.

De Restitutione ex furto proveniente.

1 SI furtum in latiori significatione accipiatur, prout accipi solet in septimo Decalogi præcepto *Non furtum facies* omnes actiones, vel omissiones sub se comprehendit, quibus proximus in bonis fortunæ læditur, sivè rem ejus usurpando, sivè destruendo, sivè deteriorando, sivè illum impediendo à consecutione alicujus boni, vel beneficii, sivè non solvendo ei id, ad quod jus, & actionem ex justitia habet, sivè quovis alio modo; per illud enim præceptum omnis actio hujusmodi, vel omissio circà hujusmodi bona contrà justitiam prohibetur. Quia verò de his omnibus sufficienter in Superioribus loc. cit. tractavimus, hic erit sermo de furto pressius sumpto, prout importat injustam ablationem, & detentionem rei alienæ invito domino.

A R-

ARTICULUS PRIMUS.

Quid sit furtum, & quæ quantitas ad peccatum mortale sufficiat.

3 SCotus 4. d. 15. q. 2. art. 3. in fine specialem furti definitionem non assignat, sed supponit nomine furti significari injustam acceptionem, sivè retentionem rei alienæ invito domino; undè furtum à Theologis communiter definiri solet: *Acceptio, seù detentio injusta, & occulta rei alienæ invito domino rationabiliter*. Dicitur *acceptio*, & additur *detentio*, quia furtum non importat primam tantùm rei alienæ usurpationem, sed etiam ejusdem continuatam detentionem; dicitur *rei alienæ*, quia rei propriæ acceptio furtum esse nequit; dicitur *invito domino rationabiliter*, nam qui ab amente, ebrio, vel furioso gladium aufert, ne illo aliquem percutiat, furtum non committit, & qui in extrema necessitate constitutus aufert alteri, quod sibi necessarium est, furari non dicitur, quamvis invitus sit dominus rei, quia tunc non est rationabiliter invitus; & tandem additur illa particula *occulta* ad differentiam rapinæ, quæ ex Scoto loco citato, *est occupatio rei alienæ cum violentia;* undè suprà furtum peculiarem addit injuriam, sicut contumelia peculiarem addit contemptum suprà infamiam, nimirum, ut per violentiam fiat sciente domino, & vim patiente, etiamsi publicè non fiat; ad furtum autem sufficit, quod fiat ignorante domino; qua ratione peccatum rapinæ majus est furto, quia præter injustam rei alienæ ablationem, violentiæ illatæ injuria etiam in eo reperitur, quæ circumstantia ideò in confessione aperienda est, ut communiter ab omnibus conceditur.

4 Est tamen Difficultas, an furtum, & rapina ob assignatam differentiam sint peccata specie diversa; vel tantùm secundum magis, & minus sub eadem specie differant. Negat Vulpes ex nostris t. 3. par. 3. disp. 112. art. 1. & 2. cujus ratio est, quia omne peccatum differre specie ab alio nequit, nisi theologicè sub regula fidei per oppositionem ad præcepta distincta de necessitate salutis obligantia, vel moraliter sub lumine naturalis rationis per oppositionem ad regulas specie distinctas virtutum moralium; sed theologicè furtum, & rapina specie non differunt, quia utrumque est peccatum mortale ex genere suo contrà unum, & idem Decalogi præceptum, & moraliter etiam unam speciem præseferunt, carentiam, scilicet, unius rectitudinis justitiæ moralis ordinantis hominem ad non damnificandum alterum in bonis fortunæ, sicut nec vult ab aliis eisdem damnificari; ergo furtum, & rapina nec theologicè, nec moraliter sunt peccata specie distincta.

5 Communis tamen sententia, & vera oppositum docet, quam etiam tenet ex nostris Astesanus lib. 1. tit. 32. artic. 1. & probat ex Arist. 5. Ethic. ubi distinguit inter ea ponens furtum occultum, rapinam verò violentam, licet enim habeant eundem finem remotum, scilicet, habere alienum, habent tamen diversos fines proximos, quia raptor vult habere alienum per potestatem propriam, fur verò per astutiam, undè utrumque rationem habet peccati ex hoc, quod est acceptio rei alienæ involuntaria ex parte ejus, cui subtrahitur, sed in furto est involuntaria per ignorantiam, in rapina verò per violentiam. Confirmatur exemplo defloration is Virginis, in qua violentia speciem distinctam constituit à simplici fornicatione, vis enim illa novam malitiæ speciem affert propter diversam injuriam, quia ut notat Card. de Lugo cum Molina, per simplex furtum injuria fit solùm circà pecunias, per violentiam verò fit etiam circà ipsam personam, cui vis infertur. Denique probatur, quia circumstantia illa violentiæ est necessariò in confessione aperienda, ut docent communiter Doctores; at solæ circumstantiæ speciem mutantes, sunt necessariò confessione aperiendæ, non autem aggravantes tantùm intrà eandem speciem, ut diximus libr. 4. disput. 5. *de Sacramento pœnitentiæ quæst. 18. num. 463.* ergo violentia furto addita speciem mutat, & novam malitiæ speciem affert; quod autem solæ circumstantiæ speciem mutantes sint in confessione aperiendæ expressè habetur in Concil. Trident. sess. 14. cap. 5. Ad rationem in oppositum dicendum est, peccata specie differre non tantùm quæ diversis virtutibus, sed etiam quæ idem opponuntur extremè, ut patet de prodigalitate, & avaritia; hoc autem est vel quia interdum eadem virtus includit formaliter duas rectitudines, vel duo præcepta diversa, & consequenter conformitates ad illa sunt diversæ, ut de liberalitate, & aliis virtutibus in medio consistentibus dictum est lib. 2. sent. disp. 6. *de Peccatis* q. 2. art. 3. n. 55. vel ratione diversæ difformitatis, ideſt, quando peccata adeò diversa ratione, & malitia ejusdem virtutis materiam attingunt, ut quantum est ex natura ejusdem peccati non sit eadem facilitas moraliter loquendo, neque propensio utrumque peccatum committendi, & ità dicendum est in proposito de furto, & rapina, licet eidem virtuti opponatur.

6 Cùm verò quævis rei alienæ ablatio, & detentio injusta sit ex genere suo peccatum mortale, nisi rei furto ablatæ parvitas excuset, ut communiter Doctores docent. Difficultas est, quænam quantitas, seù quisnam valor rei ablatæ sufficiat ad peccatum mortale in materia furti constituendum: in qua quæstione illud dici potest, quod quot capita, tot sententiæ; aliqui enim talem materiam ad peccatum mortale sufficientem absolutè assignat constituendo unum, vel duos, aut tres ad summum regales, seù Julios; alii verò talem materiam absolutè assignant, quæ pro honesta hominis sustentatione ad unum diem sufficiens est. Alii è contrà contradicunt materiam furti ad peccatum mortale sufficientem non esse absolutè assignandam, sed respectivè considerandam in ordine ad personas, quæ furto damnificantur, etenim non idem damnum infertur Principi, ac opulento diviti, per ablationem unius aurei, quod infertur communi civi, vel pauperi; ergo cum furti gravitas ex gravitate damni illati sit sumenda, non poterit materia furti absolutè assignari, sed relativè ad personas; qua etiam ratione qui rem minimam furatur alicui sciens domino suo fore graviter damnosam, ut qui furatur sutori acum, ob quam ablationem gravem patitur jacturam, ut quia illius diei operam amittit peccat mortaliter, & ad restitutionem damni illati tenetur. Ità Soto, Molina, & alii, quos sequitur Faber ex nostris disp. 48. c. 1. n. 15. Addunt insuper Navarrus, Azorius, & alii, ut refert Faber loc. cit. gravitatem materiæ, quæ ad peccatum mortale sufficiat, esse quoque existimandam ratione locorum, & provinciarum, in quibus major, vel minor copia pecuniæ, & rerum adest; certum est enim unum Julium, vel Regalem plus valere in locis pecunia carentibus, quàm in aliis ea abundantibus, undè referunt aliqui in India scutum aureum minus valere, & minoris esse pretii, quàm sit Julius in Italia, ac proindè furtum duorum Juliorum quod est peccatum mortale in Italia, non esset mortale in India.

7 Poncius noster tandem disp. 52. qu. 9. inquit gravitatem materiæ furti ad peccatum mortale sufficientem præcipuè existimandam esse ex pœna quantitati furti imposita, unde in locis illis, ubi pœna mortis infligitur ob parvam quantitatem v. g. tredecim assium eum dimidio, aut paulò minus furto ablatam, ut in Hibernia, & Anglia, sufficere illam quantitatem pro peccato mortali, nam eo ipso, quod illa materia taxata est tanta pœna, redditur in mortali æstimatione gravissima materia, ut patet; & similiter ait dicendum esse de materia, quæ in aliis locis sufficiens esset ad aliquam magnam pœnam incurrendam incarcerationis v. g. aut publicæ fustigationis, vel ignominiæ, ob eandem rationem respectivè ad illa loca; in aliis verò locis ubi nulla pœna esset taxata, ait in primis considerandum esse animum furis, an scilicet, vellet majorem furari quantitatem, si posset, tunc enim certum est, quod peccaret mortaliter ob pravam illam intentionem; deindè considerandum est, si ex re parva magnum pateretur detrimentum is, à quo auferretur, nam hinc etiam sequeretur malitia mortalis; & alias similes circumstantias ait esse considerandas ad constituendam talis materiæ sufficientiam in furto ad peccatum mortale contrahendum. In re adeò difficili probilius mihi videtur, hanc furti quantitatem arbitrio viri prudentis, & pii esse definiendam, idque non solùm ex quantitate, & valore rei ablatæ, sed etiam spectatis circumstantiis, tùm personæ cui ablata est, tum damni, quod injustè illatum est, tùm pœnæ pro tali furto taxatæ, tùm etiam pravæ dispositionis illius, qui rem alienam abstulit, omnes inquam, hæ circumstantiæ sunt considerandæ in materia furti, hinc enim contingere potest, ut interdum peccatum mortale committatur rem modici valoris auferendo, si nimirum persona, cui aufertur, magna laboret inopia; item si quis modicam furetur, undè damnum aliquod notabile patienti sequatur, ut si à sutore acum, vel à scriptore calamum surripiat, qui ejusmodi instrumenta ad præstanda opera sua aliquot diebus reperire non possent; item si quis modicum quid auferret, animo tamen, & voluntate plura surripiendi, si posset; vel in loco, & provincia, ubi pro tali furto etiam parvo gravis pœna taxata esset; in his enim, & similibus casibus haud dubiè modicus valor, & exigua quantitas ad peccatum mortale constituendum sufficere posset. Quibus de causis magis expedire videtur, ut doctè, & piè Lessius advertit cap. 12. dub. 8. quod prudens Confessarius in hac furti materia rigidiorem potius, quam laxiorem amplectatur sententiam ad homines ab hoc infami peccato magis deterrendos.

8 Rursus in hac materia occurrit alia Difficultas, An pecet mortaliter, qui plura modica furta committit, ut si quis frequenter furetur tam parvam quantitatem singulis vicibus, quæ per se ad mortale non sufficeret, sed tandem tota summa ablata ad

ta ad quantitatem magnam perveniret ad hoc sumcientem. Et quidem conveniunt omnes, quod si per modica illa furta intendat furans conquirere notabilem aliquam quantitatem, ob illam pravam intentionem mortiferè peccat, & etiam per quòdvis exterius furtum, licet modicum, quod ex tali intentione fieret; quare solùm est difficultas, si absque tali intentione furetur, sed solùm ex occasione res aliquas modicas diversis vicibus surripiat. Aliqui cum distinctione respondent, quod si quis à diversis id furaretur, non peccaret mortaliter, quia nulli eorum aufert gravem quantitatem, nec ullum graviter læsit; ergo non peccavit graviter contrà debitum justitiæ. Si verò ab eodem auferret, peccaret mortaliter, nisi inconsideratio excusaret, illo furto parvo ultimo, quod reliquis adjunctum gravem faceret quantitatem, & ad mortale sufficientem, nam tunc auferre censetur quantitatem gravem, quia tunc quantitas illa licet secundum se sit parva, est tamen magna suppositis aliis quantitatibus, quibus additur. Ità Angelus, Joannes Medina, Petrus Navarra, Poncius ex nostris loc.cit. & quidam alii. Hæc tamen opinio quoad primam partem communiter ab omnibus reiicitur, quia notabile furtum à quocunque usurpatum sivè uno, sivè pluribus semper ex genere suo est mortale; ergo postremum furtum, quod simul cum præcedentibus notabilem integrat quantitatem etiam respectu diversorum dominorum erit mortale.

Confirmatur, quia ex opposita opinione sequitur posse quemlibet toto vitæ suæ tempore furto vivere, si à diversis dominis paulatim modica surripiat, quod maximum Reipublicæ damnum inferret. Tandem, quia etsi hic in præfato casu singulis notabile damnum non inferret, inferret tamen notabile damnum atque injuriam communitati, cujus humani, ac civilis convictus jura violaret, sicut qui magnam auferret quantitatem ex horreo communi ad omnes Cives spectante. Ità Molina Lessius, Sanchez, Lugo, Amicus, & alii.

9 Alii proindè communius, & probabilius sine tali distinctione procedunt dicentes, quod si quis ex occasione tantùm furatur modicum, sivè uni, sivè pluribus non intendens notabile aliquid acquirere, nec proximo graviter nocere singulis furtis non peccat graviter, neque illa simul sumpta unum mortale constituunt; postquam tamen ad quantitatem notabilem pervenit, eam detinendo mortaliter peccabit. Ita Lessius, Sanch. Bonac. Card. de Lugo, Amic. Caspensis, Stephanus à S. Greg. & alii passim. Ratio, est quia jam in illa volitione vult materiam gravem furti cum præcedentibus continuatam, licet enim re vera ex multis venialibus peccatis non possit unum mortale coalescere, tamen in ultimo furto materia continuari potest, & damnum cum aliis præcedentibus, & ita materia magna, & damnum grave fieri; undè volitio illa advertendo parva furta præcedentia erit volitio rei alienæ gravis invito proximo rationabiliter, sivè proximus sit idem, sivè diversi; licet valdè probabile sit, majorem quantitatem requiri ad judicandum eam esse sufficientem ad mortale si auferatur à multis, quam si ab uno solo; damnum enim respectu multorum minus, & levius judicatur, quam respectu unius tantùm, ut de se patet.

Confirmatur, quia licet materia ultimi furti ex se, & in se considerata sit levis, cùm aliis tamen præcedentibus conjuncta notabile damnum infert domino, undè si quis unica actione totum illud damnum inferret, utique mortaliter peccaret; ergo etiamsi pluribus actionibus; parum enim refert, quod tale damnum una, vel pluribus actionibus inferatur, cum eorum modo dominus per plures actiones, ac per unam notabliter lædatur.

10 Hunc etiam dicendi modum sequitur ex nostris Faber l. c. cum hac tamen limitatione; si tunc illa quantitas notabilis pecuniæ actu existeret apud furantem, ut apud servum, seù actorem domini, nam ipse tunc haberet rem alienam notabilem invito domino, & ideò licet acceptio nõ fuisset injusta mortaliter, tamen si non restitueret, inciperet esse in mora, & sic peccaret non restituendo; sed si illa quantitas pecuniæ notabilis non existeret apud furantem, sed sicut paulatim modicam furatus est, sic etiam paulatim eam expendisset, ait in tali casu ad restitutionem non teneri, quia tunc nihil alienum notabile haberet, neque actione mala mortaliter accepisset. Verùm hæc limitatio non placet, quia ex tali modo dicendi idem inconveniens sequeretur, quod contrà primum dicendi modum obiiciebamus, posse nimirum quemlibet toto vitæ suæ tempore furto vivere, si paulatim interpolatis vicibus multa pauca surripiat, & successivè ea expendat, nec quantitas furto ablata maneat, & simul unita in cumulum notabilem resultet, sed sicut paulatim furatur, sic paulatim expendat. Deindè falsum est etiam in tali casu furem non teneri ad restitutionem ratione injustæ acceptionis mortaliter, quia ut dicebamus, ultimum furtum, quod complet simul cum precedentibus materiam notabilem, est peccatum mortale, licet enim ex se si materia levis, conjuncta tamen cum aliis præcedentibus furtis infert domino notabile damnum; quando fur advertit ultimum furtum constitueret cum præcedentibus materiam notabilem. Nec valet dicere quod ultimum furtum, etsi sequatur ad priora furta, non tamen continuatur ad illa, quia pauca illis furtis oblata apud furantem non existunt, cùm supponatur ea paulatim expendisse, undè cum ultimo furto cumulum notabilem constituere non possunt. Non valet, inquam, hoc enim solùm probat ultimum furtum, seù rem per illud ablatam non posse physicè præcedentibus furtis continuari, atque conjungi, cùm quo stat, ut possit tamen moraliter conjungi, & continuari, quod sufficit ad peccatum mortale contrahendum, & obligationem restitutionis sub mortali inducendam.

11 Quomodo autem in tali casu hæc restitutio fieri debeat, an, scilicet, debeat tota summa restitui interpolatis vicibus ablata sub peccato gravi. Communior opinio asserit sufficere ad vitandam culpam gravem restituere partem, qua dempta non retinetur quantitas notabilis, ut si quantitas notabilis furti sit unum aureum, non tenetur sub mortali fur integrum aureum restituere, sed sat erit restituere quatuor vel quinque Julios, vel quid simile prout tollatur notabile damnũ per furtum illatum. Ratio est quia si ad summam illam notabilem non perveniisset, retinendo priorem summam non peccaret mortaliter; ergò si restituendo illam partem, reducitur retentio ad eundem statum, in quo gravem malitiam non habuisset, non est undè illam nunc habere possit. Ità Molina, Granado, Rebellus, Navarra, Card. de Lugo, Amicus, & alii communiter. Aliqui tamen dixerunt, debere totam summam sub mortali restitui, ut Joannes Medina, Corduba, & alii, quod etiam non minus probabile puto, quia sicut materia ultimi furti ex se, & in se considerata, quantitatem notabilem non constituit ad peccatum mortale sufficientem; & ad inducendam obligationem restitutionis sub mortale, sed quatenus aliis præcedentibus furtis conjuncta; ità etiam obligationem restituendi sub mortali inducit totam illam summam, quam cum præcedentibus furtis constituit, & non tantùm illam partem ultimò additam; cùm enim ipsa in se præcisè considerata non sit sufficiens materia peccati mortalis, ut supponitur, consequenter nec etiam inducere potest obligationem restitutionis sui ipsius tantùm sub mortali, sed totius summæ, quam cum præcedentibus furtis constituit. Quarè cùm ex Lessio l. c. in hac furti materia magis expediat rigidiorem potius sententiam, quàm laxiorem amplecti ad homines deterrendos ab hoc infami vitio, sic pariter in proposito hæc secunda opinio licet minus communis, magis est amplectẽda, quàm prima.

12 Postremò est Difficultas, An plures furantes parvam quantitatem ab eodem peccent mortaliter; & non est quæstio, quando communi consilio plures damnum inferunt v. g. ingressi vineam, & notabiliter lædentes simul sumpti, licet seorsim parvum damnum inferant, tunc enim singuli graviter peccant, quia singuli sunt causa totius damni; licet enim singuli rem minimam accipiant, ut unum v. g. uvæ recemum, tamen illam ordinant ad quantitatem magna, & mente consentiunt, ac facto coadiuvant ad furtum magnæ quantitatis, & sic graviter peccant, & tenentur singuli in solidum restituere totum, ut de Restitutione in communi dictum est. Quæstio ergo est, quando singuli seorsim, independenter ab aliis damnum modicum intulerunt, quo casu certum est etiam nullum ex illis in ipsa ablationem mortaliter peccare, si ignoravit damnum ab aliis illatum, quod cum re ab ipso ablata magnam faceret quantitatem nam cum furtum nullius ex ipsis sit grave, & ignoretur reddi grave per furtum aliorum adjunctum, non est undè inferatur, quod peccatum ullius, ex ipsis sit grave. Dubium itaque solùm est, si accipiat parvam quantitatem, quam probabiliter cognoscit reddi magnam per conjunctionem cum aliis furtis. Prima sententia affirmat tunc esse obligationem gravem ad non accipiendum, vel etiam ad restituendum; quia in tali casu unusquisque est causa saltem partialis illius damni notabilis, licet enim seorsim non causet totum illud, causat tamen, seù concausat illud simul cum aliis. Pro qua sententia Cardin. de Lugo plures adducit disp. 16. sec. 3. §. 2. & sequitur Faber loc. cit. quia in præfato casu omnes, & singuli consentiunt in furtum rei quantitatis notabilis, & eadem ratione ait singulos teneri ad restitutionem tantùm suæ partis, non totius, quia etsi minima sit, si tamen omnes restituant, dominus sublevabitur ab illo damno, quod per furtum pati cogebatur; & sic etiam discurrit Amicus disp. 38. sec. 4.

13 Oppositam sententiam tenet Cardin. de Lugo loc. cit. cum pluribus aliis ab ipso citatis ut veriorem, & probabiliorem; quam probat, quia si ad culpam gravem sufficit eo modo concausare damnum proximi grave, vel conscium esse de damno etiam ab aliis simul illato, sequitur, quod si per transi-

tum exercitus per vineam Petri passus est notabile damnum, si tu posteà transiens racemum ex ea accipis mortaliter peccares, & ad restitutionem teneris, quia jam conscius es damni illati per transitum exercitus, & concausas cum illis prioribus notabile damnum, quod ex priori vastatione, & tuo furto resultat; hoc autem asserere nimis durum videtur. Ex quo deducit Lugo principium illud, quod omnis, qui quomodocunque cooperatur partialiter partialitate effectus ad damnum notabile, peccet graviter, non esse universaliter verum; sed tunc solùm, quando vel ipse etiam concurrit ad totum damnum cooperando, fovendo, comitando &c. vel certè quando non leviter, sed graviter concurrit ad illud damnum. Qui autem non communi consilio, sed seorsim accipit aliquid parvum, non est causa gravis nocumenti, sed levis, non enim fuit causa, quod alii alia acciperent, undè grave nocumentum per suam acceptionem non causatur, sed per acceptiones aliorum, quarum nullo modo est causa; ergo nullo modo grave nocumentum sibi imputari debet, quod proximus patitur; & hic etiam dicendi modus satis probabilis videtur, licet nonnullas patiatur difficultates, quas prælatus Auctor ibidem solvit, quem etiam censet probabilem Bonac. disp. 2. q. 8 punc. 2. & tenet Busenb. in Medulla Theol. mor. l. 3. tr. 3. c. 1. dub. 3. quod etiam anteà docuit Less. c. 12. dub. 9.

14 Conveniunt tandem DD. posse quoque domesticos, scilicet, uxorem, filios, & famulos peccare peccato furti gravis, si notabile aliquid usurpent invito graviter, & rationabiliter Patre familias; non tamen ad furtum grave domesticorum sufficientem esse eandem quantitatem, quæ ad furtum grave exterorum sufficeret, quia respectu illorum non ità facilè invitus est pater familias, nec ità strictè jus suum adversus eos vult retinere sicut adversus alios; quæ autem quantitas gravis in eorum furtis censenda sit, ex pluribus, & variis circumstantiis deducendum est, nempè ex conditione, & statu patris familias, an sit pauper, an dives, an liberalis in suos, an parcus & tenax, ex conditione, & qualitate personæ accipientis, an sit uxor, cui plus licet, quam aliis, cùm veniat in aliquam partem administrationis rei familiaris, an filius, cui etiam plus licet, quam servis, vel aliis, consideranda est etiam qualitas materiæ acceptæ, an sint pecuniæ, vel esculenta, vel alia ejusmodi; item circumstantia rnis, an, scilicet, res sit accepta ad proprios usus, an ad dandum aliis, & alia similia, de quibus regula certa assignari non potest. Ex his, inquam, omnibus benè consideratis prudens Confessarius judicare poterit, an dominus sit graviter invitus quoad substantiam rei acceptæ, & an velit uti jure suo obligando uxorem, filium, vel famulum sub peccato mortali ad restitutionem. Quæ autem absque licentia viri possit accipere, donare, & expendere uxor, vel filius absque licentia patris, vel servus absque licentia domini, & quæ non possit absque peccato, & obligatione restitutionis, videri possunt apud Molinam, Bonacinam, Card. de Lugo, & alios passim; & de hoc etiam aliquâ dicemus art. seq. nu. 24.

ARTICULUS SECUNDUS.

An fur continuò peccet actualiter, quandiù non restituit, & quoties re aliena utitur invito domino; & quid restituere teneatur.

15 QUoad primam quæstionis partem conveniunt omnes rei alienæ injustum detentorem toties de novo peccare non restituendo, quoties non restituere proponit, & pariter quoties se offert occasio restituendi, & non restituit illam occasionem advertens, nec alia regula assignari potest ad cognoscendum novum peccatum, quod committitur, quando quis non restituit; quarè solùm est difficultas, an continuò peccet actualiter eodem peccato quandiù non restituit. Negant Cajetan. Caspensis, & alii Thomistæ dicentes injustum rei alienæ detentorem esse tantùm in statu peccati habitualis, non autem actualis, quandiù non restituit. Ratio est, quoniam ut quis actu peccare dicatur, non sufficit habuisse semel voluntatem tale peccatum committendi v.g. homicidium, nisi per aliquem actum in eodem odio contra inimicum perseveret; ergo pariter in proposito rei alienæ detentor non potest dici semper actu peccare peccato injustitiæ, nisi quando rem alienam non restituere novo actu proponit.

Confirmatur, quia rei alienæ detentio non est actio, sed actionis effectus ab actione præterita dependens, quando res primo ablata fuit; ergo nequit dici actu peccare peccato injustæ detentionis, sed solùm in statu præcedentis peccati permanere. Denique quia sequeretur, quod etiam dormiens, orans, ac nihil cogitans diceretur actu peccare peccato injustitiæ.

16 Affirmant Gabriel, Lessius, Vasquez, Soto, Sylvius, Amicus, & alii, dicentes furem tandiù actu peccare peccato furti, quandiù rem alienam restituere potest, & non restituit, non quidem novo peccato, sed eodem quod ab initio voluntatis inchoatum per liberam posteà detentionem continuat. Fundamentum est, quia actio positiva externa quandiù à voluntate peccatoris continuatur cum eadem libera dependentia, tandiù illum denominat actu peccantem, ergo pariter quandiù omissio actionis debitæ cum eadem libera dependentia à voluntate peccatoris continuatur, tandiù illum actu peccantem denominabit, seù actu culpabiliter omittere; in proposito autem supponitur furem, ex quo furtum inchoavit, nunquam proposuisse restituendi habuisse, sed semper moraliter in eadem voluntate retinendi alienum perseverasse, cum talis voluntas in ipsa libera omissione restituendi moraliter, & interpretativè continuari censeatur; ergo continuatur in tali casu idem peccatum moraliter, à quo semper denominatur actu peccans peccato injustæ detentionis. Ex quo deducunt, quod etiamsi tale peccatum duret spatio temporis notabili v. g. unius anni, non sint dicenda plura peccata, sed unum gravius virtualiter multis æquivalens, quia cum [illegible] nocumento proximi ob restitutionis dilationem, [illegible] eo temporis spatio iteratis actibus proponeret non re[illegible]e, tunc utique plura peccata essent dicenda.

17 [illegible]ua doctrina facilè solvitur ratio prioris sententiæ negand[illegible]ptum, siquidem ut actio, vel alicujus actionis debitæ o[illegible]o sub ratione peccati actualis continuetur, minimè opus est, ut semper pendat ab actu voluntatis explicito, & expresso, sed aliquando sufficit, ut pendeat ab actu libero interpretativo, ut in casu posito.

Ad Confirmationem pariter negatur assumptum, etenim injusta detentio rei alienæ non est purus effectus preteritæ actionis furtivæ, sed est ipsamet actio furtiva continuata, quatenus illa pendet continuo, & absque ulla interruptione, ut supponitur à libera detentoris voluntate. Ad ultimum, ut fur dicatur continuò peccare peccato injustæ detentionis, minimè opus est, ut semper cogitet se retinere alienum, sed sufficit voluntatem ipsam furti virtualiter, & interpretativè perseverare in ipsa restitutionis omissione, dormiens autem non dicitur actu peccare, quia in somno non continuatur virtualis, & interpretativa voluntas, ut in vigilia, etiamsi fur actu non cogitet de injusta detentione, in vigilia enim libere potest rem alienam restituere, quod non potest in somno; & hoc sufficit, ut in vigilia omissio restitutionis dicatur libera, etiam eo tempore, quo de illa fur non cogitat. Ità discurrunt Auctores cit. & præsertim Amicus disput. 38. sect. 3. & hæc secunda opinio videtur conformior doctrinæ Scoti dist. 15. q. 2. art. 4. ubi docet præceptum restitutionis, quamvis quoad formam verborum videatur affirmativum, re tamen vera in substantia esse negativum, quod semper obligat, & pro semper, undè qui furatur, & non restituit, eandem usurpationem semper moraliter continuat, donec restituat, ut dictum est suprà disp. 7. quæst. 1. art. 2. num. 13. quantùm ad conscientiam spectat, parum refert, quod sint plura peccata, vel unum continuatum pluribus æquivalens, ut ait Faber loco citato.

18 Sed objicies ex hac sententia sequi, quodlibet peccatum mortale commissum, quandiù non retractatur, perseverare sub eadem malitia peccati actualis, & non habitualis tantùm, ut est communis omnium sententia. Consequentia probatur, quia si operans non reddatur impotens ad illam retractandam perseverat sub eadem malitia morali continuò pendente à voluntate peccatoris, quousque retractetur, sicut perseverat actio furtiva, quousque fiat restitutio.

Respondetur cum Amico loc. cit. negando consequentiam, falsum enim est quodcumque peccatum mortale continuari sub ratione ejusdem peccati actualis, & sub eadem malitia morali, ut patet de mendacio, quod cessante externa locutione, non perseverat amplius sub ratione mendacii actualis, sed solùm habitualis à præterito actu mendacii, & ratione tantum liberæ omissionis retractationis actus præteriti mendacii, quæ est diversa malitia ab ipsa malitia mendacii. Quia verò non omnis peccati habitualis retractatio statim obligat ad respiciendum, ut dictum est disp. *de Pœnitentia*, sicut obligat rei alienæ restitutio, hac de causa non dicitur omissio talis retractationis in reliquis peccatis perseverare cum ratione peccati actualis, eo quia non perseverat cum debito statim, & semper retractandi; at furtum actuale consistit in usurpatione rei alienæ quæ continuò perseverat in fure cum debito restituendi, etiam prima actione usurpativa cessante, quæ semper eadem actio usurpativa perseverat in ipsa injusta detentione, & cum eodem proximi damno, & cum continua dependentia à libera furis voluntate; undè patet non esse eandem rationem de actione furtiva, & aliis pravis operationibus quoad continuationem sub ratione ejusdem peccati actualis.

19 Quoad aliam quæstionis partem, an quoties fur re aliena

na utitur invito domino mortaliter peccat. Affirmant Cajetan. Navarrus, Silvius, & alii, quorum Fundamentum est, quia non est melioris conditionis detentor rei alienæ, quàm non detentor, sed non detentor utens re aliena invito domino toties peccat, quoties usum illius rei usurpat; ergo & detentor. Confirmatur, quia in legibus civilibus furtum definitur etiam per usurpationem usus rei alienæ; hoc autem asserunt de usu rei prætio æstimabili, qualis est usus vestis, equi, & similium, non autem de usu pretio non æstimabili, qualis est annuli, torquis, & similium. Negant alii furem in tali usu rei alienæ peccare de novo, dicentes solùm continuare primum peccatum, quod in prima usurpatione inchoavit. & ratio est, quia rem alienam usurpans illam usurpat animo detinendi, utendi, ac destruendi, hæc enim omnia regulariter includuntur in furto, ergo quãdo illa postea utitur, vel destruit, novum peccatum non committit, sed idem continuat in prima usurpatione inchoatum; undè si res est usu consumptibilis, quandò eam postea actu destruit novum peccatum non committit à primo diversum, sed illud idem numero continuat & prosequitur; & sic etiam servata proportione dicendum est de rebus, quæ non sunt usu consumptibiles; quia etiam ab initio ea voluntate usurpantur à fure, ut eis invito domino utatur. Quod declarari potest exemplo fornicationis, sicut enim qui post consummatum actum, libidinosos tactus exercet novo peccato fornicationis peccare non dicitur, eo quod hujusmodi tactus, vel ut prævíæ dispositiones, vel ut effectus naturaliter consequentes ad eundem finem diriguntur; ità pariter cùm detentio rei alienæ, usus, & destructio dirigantur ad idem peccatum consummatum furti ab initio inchoati, distinctum ab eo peccatum addere non censentur, quia in eo hæc cætera consequentia fuerunt præintenta. Hinc ad rationem primæ opinionis negatur assumpta paritas, peccat enim non detentor, quoties re aliena utitur invito domino, quia per distinctos usus, distinctos quoque actus furti moraliter multiplicat, quos non multiplicat detentor; hic siquidem semper idem peccatum furti moraliter continuat, licet per varios actus physicos ad eundem in genere mortis spectantes; si verò hic restituere proponeret, & rursus à proposito restituendi refiliret, utique in tali casu plura peccata committeret, quia tunc per hujusmodi interruptionem non solùm physicè, sed etiam moraliter actus multiplicaret. Neque ex definitione furti à legibus assignata oppositum deducitur, sed tantùm hujusmodi usum rei alienæ spectare ad furtum tanquam aliquid in eo præintentum, & cum eo idem peccatum constituens consummatum in genere mortis; quemadmodum tactus libidinosi ad idem peccatum fornicationis spectare dicuntur. Ità etiam Amicus loc. cit. cum Lessio dub. 5. & pluribus aliis, qui dicendi modus nobis etiam probabilior videtur.

20 Quæres, An saltem in extrema, vel gravi necessitate licitum sit aliena furripere. & quidem de extrema necessitate loquendo jam suprà dictum est disp. 7. *de Rest. in communi* quæst. 3. art. 2. num. 78. in tali casu omnia fieri communia, ex quibus unusquisque licitè sibi applicare potest, quantum ad suam, suorumque, ac proximi necessitatem sublevandam, ac vitam conservandam opus fuerit, quia tunc non censetur invitus dominus, vel non saltem rationabiliter invitus, cùm in extrema necessitate de lege naturæ omnia sint communia; undè in tali necessitate existens, & aliquid sibi necessarium accipiens, non potest à domino illius rei prohiberi, quia utitur jure suo, quod tueri potest, si injustè ab altero invadatur, etiam eum occidendo, si necesse fuerit, servato tamen moderamine inculpatæ tutelæ. Quæ tamen doctrina intelligenda est, ut ibi dictum est ex Scoto disp. 15. quæst. 2. in solutione ad 5. prin. quando is, à quo res accipienda est, non est in simili necessitate, nam si in illa esset, furtum, & rapinam committeret qui eam acciperet; ubi etiam advertendum est obligationem subveniendi in extrema necessitate, ex præcepto charitatis oriri, & non justitiæ, nisi ex officio alicui incumberet pauperum necessitatem sublevare. & hæc est communis omnium sententia. Itaque solùm est difficultas, an idem sit dicendum de necessitate gravi, gravis autem necessitas dicitur illa, quam quis patitur ob carentiam eorum, quæ ad suum statum conservandum necessaria sunt; extrema verò est illa, quam quis patitur non habens omninò necessaria ad sustentationem, & victum, cum periculo vitæ, & gravis morbi. Affirmant aliqui etiam in urgenti necessitate positum, cùm aliter sibi non potest consulere, posse rem alienam accipere. Ità Vasquez, Lessius, P. Navarrus, Filliucius, Caspensis, & alii. Ratio est, quia in urgenti necessitate ille, à quo res est ablata, subvenire tenebatur; ergo ille alter necessitatem patiens benè potuit sibi illo modo providere; probatur assumptum, quia potest proximus urgens, & grave damnum pati etiam extrà summam necessitatem; ergo lege charitatis tenetur qui potest illud avertere, atque ideo si non vult, potest patiens rem accipere. Confirmatur, quia quando Christus Dominus dixit reprobis Matth. 25. *Ite maledicti in ignem æternum, quia esurivi, & non dedistis mihi manducare, sitivi, & non dedistis mihi bibere, &c.* non damnat eos, quod solùm extremè famelico, aut sitibundo, aut nudo non succurrerint, sed quod urgenter, & graviter laboranti non succurrerint, nam rarissima est extrema necessitas, cibi, potus, aut vestis ergo &c.

21 Communis, & verior sententia oppositum docet, scilicet, non licere in gravi necessitate aliquid furripere, & hanc etiam fuisse mentem nostri Doctoris opinio, quia hoc non cedit, nisi in casu extremæ necessitatis. Ratio est, quia extrà talem casum etiamsi necessitas sit gravis, adhuc res est aliena, cùm sola extrema necessitas faciat rerum communitatem, ex Scoto loc. cit. & extrà casum necessitatis extremæ dominus censetur semper rationabiliter invitus, non licet autem unquam rem alienam accipere invito domino. Hoc etiam expressè deducitur ex *cap. Si quis* 3. de furtis, ubi habetur *Si quis ob necessitatem famis, aut nuditatis furatus fuerit cibaria, vestem, aut panes, pœniteat hebdomadas tres, & si reddiderit, non cogatur jejunare;* ergo qui etiam in urgenti necessitate alienum capit, adhuc peccat. Nec urget ratio in oppositum adducta, nam concesso antecedente cum ejus probatione, adhuc negatur consequentia, sicut enim in debitis ex sola charitate non est licita compensatio, ut posteà dicemus, ità neque licita est ablatio rei alienæ etiam in gravi necessitate dummodò extrema non sit, hæc enim solùm res communes facit. Ad Confirmationem similiter negatur consequentia, indè enim solùm deducitur contrà præceptum charitatis peccare, qui graviter indigenti non succurrit, non autem hunc non peccare, si aliquid ei furripiat, quare concludendum est laborantem etiam gravi necessitate moraliter peccare aliquid furripiendo in notabili quantitate, & ad restitutionem teneri, quia rem alienam accipit invito domino, cùm sola necessitas extrema faciat rerum communitatem. Ità Bonacina cum communi DD. disput. 2. quæst. 8 punct. 3. ubi etiam subdit, quod estò opinio opposita non sit improbabilis, non tamen est suadenda, ne aperiatur via infinitis furtis ob malam intelligentiam hujus necessitatis. Nec valet, quod ait Stephanus à S. Gregorio lib. 1. cap. 14. num. 23. ad eam opinionem tuendam, quod Doctores illi non loquuntur de qualibet gravi necessitate modo ordinario dicta, sed de illa, in qua adesset periculum magni morbi, magnæ famis, aut nuditatis, & similium. Non valet, inquam, quia sic explicando gravem necessitatem termini confunduntur, & gravis necessitas confunditur cum extrema, hæc enim est, quæ secum affert periculum magni morbi, magnæ famis, vel nuditatis, & similium.

22 Sed adhuc est Difficultas, an qui rem accipit in extrema, vel urgenti necessitate, teneatur restituere, si ad pinguiorem venerit fortunam. Et quidem de urgenti tantum necessitate loquendo, non autem extrema, patet ex modò dictis ad restitutionem teneri; loquendo autem de re in extrema necessitate accepta jam diximus disp. 7. *de Rest. in communi* qu. 3. artic. 2. numer. 79. cum Doctore dist. 15. quæst. 2. in solutione ad 5. principale, ad restitutionem non teneri, modo res consumpta fuerit in ipsa necessitate, & post necessitatem non extet. & ratio est, quia ille acquisivit verum dominium illius rei, atque ideò restituere non tenetur cùm re sua usus sit, quia tempore, quo accepit nihil omninò habebat formaliter, vel virtualiter, ex quo sibi consulere posset. Hic autem mihi placet limitatio appositа à Casp. tract. 18. disp. 5. sect. 6. & quibusdam aliis, quod si quandò accipit, aliquid habebat, licet usus illius esset impossibilis tunc restituere tenetur; potest enim contingere, ut ibi Caspensis advertit hominem aliàs divitem esse in extrema, vel urgenti necessitate, quod potest accidere, si sit extrà patriam, aut in vinculis, vel captivus; in his enim casibus, quamvis hic, & nunc sit in urgenti, ac etiam extrema necessitate quoad usum suarum rerum; quia tamen reipsa habet bona, si aliquid accipiat, ut sibi provideat, tunc veluti mutuò accipit, & ideò restituere tenetur. & ratio est, quia ille alter, à quo accipit non tenebatur dare absolutè loquendo, sed tantùm mutuare, & ideò si propter instantem necessitatem etiam extremam accepit, restituere tenetur. Alia ad hoc punctum spectantia vide loc. cit.

23 Quæres tandem, an res per compensationem occultam accepta transeat statim in dominium accipientis. Ratio dubitandi est, quia Doctores communiter admittunt compensationem occultam licitam esse concurrentibus certis conditionibus, quas superius adduximus disp. 7. *de Rest. in communi* qu. 2. ar. 1. n. 31. compensatio autem occulta appellatur, quando inscio domino accipitur, vel retinetur ex ejus bonis quantum satis est ad totum debitum recuperandum. Prima sententia negat, quia antiquus dominus, quando rem illam invenerit, poterit illam tan-

tanquam suam vendicare, ergo adhuc erat sua. Ita Medina C. *de Rest.* q. 11. cum quibusdam aliis. Secunda sententia communior, & probabilior affirmat, & ratio est, quia alioquin si res illa periret postea fortuitò apud compensantem, periret antiquo domino, & non compensanti, res enim suo domino perit; atque adeò posset secundo debitum suum sibi compensare, quod nullus admittet. Ità Molina disp. 691. cum pluribus aliis, ob quam rationem huic etiam sententiæ subscribit Card. de Lugo disp. 16. sect. 6. & ad rationem in oppositum respondet Molina debitorem non posse rem illam postea apud creditorem inventam vendicare, si ipsi constet compensationem fuisse factam cum debitis conditionibus. Card. de Lugo admittit etiam posse debitorem rem suam postea vendicare solvendo debitum alio modo, quia creditor hoc pacto solùm, & cùm tali limitatione videtur acquisivisse illius rei dominium, ut quoties debitor debitum solvere vellet, rem suam recuperare posset; & utraque responsio satisfacit.

24 Quoad ultimam quæstionis partem, quid fur restituere teneatur, cui, & quando, sufficienter declaratum est disp. 7. de Rest. in communi q. 2. & 3. cum Scoto 4. d. 15. q. 2. art. 4. Est tamen difficultas, quando peccent, & ad restitutionem teneantur filii parentibus surripiendo, & uxor ex bonis mariti capiendo, & disponendo. & ratio dubitandi est, quam assignavimus artic. præc. n. 14. quia ad furtum grave domesticorum sufficiens non est eadem quantitas, quæ ad furtum grave exterorum sufficeret, siquidem nec pater respectu filii, nec maritus respectu uxoris ità facilè invitus est, nec ità strictè jus suum adversus eos vult retinere, sicut adversus alios. Et quidem quantum ad filios spectat certum est apud omnes, filios posse licitè sibi accipere quicquid ad ipsos pertinet quoad dominium, & liberam administrationem, qualia sunt bona castrensia, vel quasi castrensia; loquendo verò de bonis, quorum dominium vel ususfructus est apud patrem, communis sententia docet filios mortaliter peccare accipiendo notabilem quantitatem, & ad restitutionem teneri, quod constat ex Proverb. 28. *Qui subtrahit aliquid à patre suo, & à matre, & dicit hoc non esse peccatum, particeps homicidæ est.* & ratio etiam id suadet, quia parentum bona à filiis sunt aliena quantum ad dominium, & administrationem; qui autem rem alienam usurpat invito domino in quantitate notabili mortaliter peccat, & ad restitutionem tenetur; advertendum tamen est quod suprà dicebamus, non eandem censeri notabilem quantitatem in furtis filiorum, & uxoris, quæ in furtis exterorum talis censetur, sed majorem requiri quantitatem ob rationem adductam; quæ etiam quantitas non est eadem respectu omnium, major enim requiritur quantitas si pater sit valdè dives, quam si sit mediocriter dives, vel pauper; si enim pater sit valdè dives, non est censendus filius peccare mortaliter, si ab eo tres, vel quatuor aureos auferat, ut cum suis amicis licitè gaudeat etiam invito parente, quia in tali casu non censetur rationabiliter invitus. Quarè ut suprà dictum est, non potest una regula certa pro omnibus assignari, sed ex varietate, & pluralitate circumstantiarum hæc deduci debet, nempè ex statu, & facultatibus parentis ex filiorum pluralitate, & eorum ætate, ex usu ad quem accipitur, ex majori, vel minori affectu patris erga filium, & similibus, quæ omnia prudenter sunt à Confessario ponderanda, & extrema vitanda, ut ait Card. de Lugo disput. 16. sect. 4. §. 1. ne vel facilè scrupulum peccati gravis filio iniiciat, vel habenas nimium laxet ad bona paterna furanda. Similiter peccat mortaliter filius, si notabilem summam expendat in res turpes aut vanas contra voluntatem parentum ex pecunia sibi suppeditata ad usus honestos v. g. causa studii ad libros emendos, vestes, & alios honestos usus, quia pater non intendit absolutè tales dare pecunias, sed sub conditione illas honestè expendendi, undè non adimplendo conditionem patris mortaliter peccat, & ad restitutionem tenetur tempore divisionis bonorum nisi pater condonet, vel rogatus à filio facilè condonaturus putetur, vel nisi alii fratres similes alias fecerint expensas, quia tunc datur compensatio. Ità Navar. Lessius, Vasquez, Card. de Lugo, Diana, Caspensis, Bonacina, Stephanus à S. Greg. & alii passim.

25 Quod verò ad uxorem spectat, conveniunt pariter Doctores peccare mortaliter uxorem, & contrà justitiam accipiendo invito marito partem notabilem illorum bonorum; quorum dominium, & administratio ad maritum spectat, etiamsi ex dote acciperet, vel bonis communibus, quia licet media pars eorum etiam ad uxorem spectet, maritus tamen illius partis usumfructum habet, ideoque ad restitutionem tenetur; & sic è contrà similiter peccat mortaliter maritus contra justitiam cum obligatione restituendi, si aliquod notabile uxori surripiat ipsa invita ex bonis ipsius paraphernalibus, hoc est, quæ præter dotem marito allatam sibi reservavit, vel aliis propriis, quæ, scilicet, sibi sua industria acquirit, siquidem libera eorum administratio ipsimet uxori competit, quia mariti, & uxoris quoad bona propria eadem est ratio. Non peccat tamen uxor subducendo aliqua, vel compensationis causa, si vir sit prodigus, quia tunc uxori fit injuria ejus partem profundendo, vel si aliqua subducit pro victu, vestibus, aliisque sibi, vel familiæ necessariis, quæ interdum mariti providere non curant, & frustrà ab uxore peterentur, potest etiam eleemosynas facere, donationes, ac remunerationes, & alias largitiones honestas secundum consuetudinem aliarum mulierum suæ qualitatis, & status, etiam invito marito, est enim maritus in tali casu irrationabiliter invitus contrarium prohibens; tùm quia consuetudo tribuit jus nen secus, ac privilegium, vel lex, quo jure maritus illam privare non potest; tùm quia maritus non tantùm ea uxori præbere tenetur, quæ ad convenientem spectant sustentationem victus, & vestitus, sed etiam ea, quæ ad honestas spectant recreationes, eleemosynas, & donationes suum statum decentes. Ità Molin. Filliuc. Villalobos, Trullus, & alii plures cum DD. jam cit. de quo etiam videri potest Mons Regalis noster de septimo Decalogi præcepto cap. 4.

QUÆSTIO SECUNDA.

De restitutione ex damno dato proveniente.

26 POST explicationem obligationis restituendi ex injuria in bonis fortunæ, quando intervenit usurpatio etiam rei alienæ per furtum, vel rapinam, in præsenti quæstione agendum est de restitutione debita ex læsione injusta absque usurpatione rei alienæ, ut quando res aliena non usurpatur, sed læditur v. g. alienas segetes comburendo, vestes, vel gemmas alienas in mare proiiciendo, & similia in damnum proximi perpetrando, undè damnum datum à quibusdam definitur, quod sit *jactura data in bonis externis alicujus absque eorum usurpatione.* Ità Molina disp. 697. cum pluribus aliis. Alii verò definiunt, quod sit *usurpatio dominii rei alienæ cum destructione, vel deterioratione illius*, quia damnum dare est injustitia, & omnis injustitia est usurpatio boni alterius, ex qua sequitur inæqualitas, undè quamvis in damno dato non accipiatur res ipsa quantum ad substantiam; ità quod vertatur in usum accipientis, per quod distinguitur à furto, & rapina, adhuc tamen res alterius usurpatur. Ità Faber ex nostris disp. 48. c. 1. n. 27. Sed ut ipse quoque advertit ibidem, hæc est de solo nomine contentio, quando enim alii dicunt damnum datum esse læsionem injustam bonorum alterius absque usurpatione rei alienæ, per usurpationem intelligunt acceptionem rei alienæ cum conversione illius in usum accipientis, quo pacto damnum datum utique dici potest fieri in bonis alterius sine usurpatione. In hoc igitur sensu agimus hic de damno dato, dimisso damno emergente, & lucro cessante, de quibus suo loco egimus, & quia damnum datum in hoc sensu duobus modis alicui inferri potest; uno modo auferendo illi id, quod habet actualiter, vel virtualiter, ut animalia alterius in tenera ætate occidendo, vel recentes arborum plantationes eradicando; secundo modo eum impediendo, ne aliquod bonum consequatur; in utroque sensu de damno dato hic agemus, nimirum primò de obligatione restituendi ex læsione injusta absque usurpatione rei alienæ; deindè de obligatione restituendi orta ex injusto impedimento boni alieni; de obligatione autem quæ provenit ex contractibus jam superius egimus d. *de Contractibus*, & injustitia, quæ in contractibus committitur, ut notat Scotus d. 15. q. 2. a. 3. in fine non est injustitia ex omni parte, sed ex defectu tantùm alicujus conditionis necessariæ; injustitia verò, sub qua furtum, rapina, & damnum datum continentur, est injustitia ex omni parte, quia nedum ex defectu alicujus circumstantiæ, sed ratione objecti, versatur enim circà objectum de se prohibitum, siquidem damnificatio proximi in bonis fortunæ est actio ex suo genere prohibita, sicut homicidium, fornicatio, & alii similes actus.

ARTICULUS PRIMUS.

Quandonam damnum dare sit peccatum, & ad restitutionem obliget, & quomodo.

27 CONveniunt Doctores, ut Faber noster refert loc. cit. quod ubi nullus est dolus nec culpa theologica, nec juridica, damnificans nec mortaliter peccat, nec de damno dato in bonis proximi ad restitutionem tenetur, ut v. g. de damno dato in rebus proximi in bello justo; vel ad se tuendum cum moderamine inculpatæ tutelæ, vel quod solùm casu fortuito contigit,

contigit, & similibus. Si verò dolo, & fraude damnum detur, quod est dare damnum ex culpa theologica, conveninnt pariter Doctores damnificantem mortaliter peccare, & ad restitutionem teneri, si quantitas rei damnificatæ ad summam notabilem ascendat, & ad peccatum mortale sufficientem. Si verò culpa theologica absit, tunc ponderandum est, an actio sit honesta, vel inhonesta seù illicita, & quidem si actio sit honesta, Doctores communiter dicunt damnificantem teneri solùm de culpa juridica lata, licet mortaliter non peccet, de culpa verò levi, & levissima nequaquam, ut dictum est disp.7. art.2. num.18. quod clarè colligitur ex Cap. *Si culpa tua* de injuriis, & damno dato ff. de legem Aquiliam; si verò dat operam rei illicitæ, & alicui delicto, dicunt teneri ad restitutionem etiam de culpa levi, & levissima.

28 Est autem difficultas, an in tali casu teneatur ad restitutionem ipso facto absque Judicis declaratione, & sententia. Prima opinio affirmat, cujus fundamentum est, quia in cap. citat. *Si culpa tua* significatur exactissimam diligentiam esse adhibendam, per quam nihil de contingentibus omittatur, & ait leges illas esse justas, ut hoc modo homines à delictis patrandis deterreantur, & damno aliis inferendo, undè ratione delicti commissi ad restitutionem damni dati eos obligare videntur. Ità Adrianus, Covarruvias, Angelus; Medina, & alii, quibus etiam Faber noster subscribit loc. cit. hac eadem ratione, quia verisimile non est eas leges esse tantum pœnales, & comminatorias, & intendisse tantùm, ut malefactores cautiores essent in damno dando, sed absolutè hac obligatione intendisse malefactores deterrere à delictis ipsis, ac proindè justas, & non solum pœnales esse, & ait hanc opinionem esse textui conformiorem, qui vult quod de contingentibus nihil omittatur; at qui dat operam rei illicitæ de contingentibus aliquid omittit, quia ad rem illicitam solent mala, & damna contingere; & tandem subdit etiam Doctorem nostrum huic sententiæ favere 4.d.23. qu.1.§. in ista quæstione, quia tenet ibi dantem operam rei illicitæ irregularitatem incurrere; ergo à simili damnificans dando operam rei illicitæ ipso facto ad restitutionem tenetur.

29 Secunda sententia asserit non teneri ex levissima culpa antè Judicis sententiã, & ait legem illam esse pœnalem, seù comminatoriam, quæ non obligat, nisi lata sententia; undè qui dans operam rei illicitæ, & injustæ fuit causa damni non prævisi, nec intenti, sed per accidens provenientis ex sua injusta actione, ad restitutionem non tenetur in conscientia; ut si fur noctu domum ingressus ad furandum inadvertenter, & contrà intentionem domum incendit. Ratio est, quia damnum, quod per accidens ex actione injusta sequitur, non imputatur ad culpam, cùm non sit prævisum, nec intentum, ergo neque imputari debet ad pœnam restitutionis, cùm pœna culpæ, & delicto proportionari debeat. Ità Bonacina disp.1. *de Rest. in genere* q.1. p. n&ct.3. *in fine* cum Navarro, Rebello, Molina, Lessio, & aliis. Qui tamen addunt eum, qui passus est damnum in proposito casu, posse in judicio agere, ut sibi damnum ità per accidens secutum resarciatur juxtà legem Aquilam citatam, & consequenter posse, quod sibi fuerit per sententiam ad judicatum retinere, sequendo præsumptionem fori externi, quamvis fur in conscientia, & foro interno restituere non teneatur, cum careat culpa respectu damni per accidens secuti, & sententia fundetur in falsa præsumptione, ut supponitur.

30 In hac difficultate certum est quoties quis dat operam rei illicitæ, teneri ad restitutionem pro damno, quod ex illa actione proximo sequitur, quando prævisum est damnum, & actio illa per se illud influit, undè si quis scit, & prævidet se in ebrietate solere occidere, vulnerare, segetes comburere, & similia patrare, si ebriatus ista committat, tenetur ex justitia ad resarcienda damna ex tali ebrietate secuta; quando autem damnum non est prævisum, nec intentum, nec actio quamvis illicita connexionem habet per se loquendo cum tali damno in particulari ex ea secuto, nec per se in illud influit, considerandum est, an talis actio sit illicita contra justitiam, vel contrà aliam virtutem, nam si quis det operam rei illicitæ contra aliam virtutem, non prævisо ullo modo damno proximi indè secuturo meré per accidens, valdè probabile est, si tale damnum ex ea actione sequatur, non peccare contra justitiam, nec ad illius compensationem in conscientia teneri, ut v.g. si quis in die festo laboraret, & ex tali occasione præter intentionem accensus est ignis; quo alienæ segetes combustæ sunt, satis probabile est, eum contrà justitiam non peccare, neque ad restitutionem teneri. Si verò actio illicita, cui dat operam sit contra justitiam, ut est in casu proposito de fure noctu ingresso domum alicujus ad furandum, qui inadvertenter, & contra intentionem domum incedit, aliter est dicendum, licet enim portare lucernam, vel facem accensam per domum alienam de nocte non sit ex se contrà justitiam, quia periculum illud incendii est valdè remotum, & per accidens; quia tamen in casu proposito est actio furtum coadiuvans, ideo est contra justitiam, quæ non tantùm prohibet furtum, sed etiam omnem actionem illud coadiuvantem, licet de se sit indifferens; tùm quia licet per se loquendo furtum, & usurpatio rei alienæ connexionem non habeat cum incendio domus, in qua committitur, in genere tamen loquendo secum affert periculum aliquod moralem aliquorum casuum fortuitorum, ex quibus alia damna sequuntur, ut incendii domus, vel occisionis ipsius domini, si fur in flagranti crimine sit repertus; undè actio furti non solùm est injusta propter usum rei, quo proprius dominus privatur, sed etiam propter alia pericula in genere, quæ secum afferre solet, undè fur tenetur in conscientia ad restitutionem omnium damnorum, quæ ex illis periculis sequuntur, & ità etiam sentire videtur Card. de Lugo d.18. cit. sect. 4. & in hoc sensu prima opinio est alteri præferenda, & locum habet quod Faber l. c. dicebat quod ad actionem illicitam solent mala, & damna contingere.

31 Quid autem restituere debeat, qui damnum intulit, jam declaratum est superius d 7. q.2. a.2. n.37. & regula generalis est, ut Mol. advertit to.3.d.726. quod qui injustè damnum dedit rem alienam destruendo, vel deteriorando, restituere debet non solùm damni dati valorem, sed etiam lucrum cessans, vel quodlibet aliud damnum ex illa injusta læsione domino emergens; sed ex hac regula generali oritur difficultas, An qui injustè rem alienm destruxit, restituere solum debeat quantum valebat tunc, quando destructa est, an verò quantum valitura esset postea, si non fuisset destructa; ut qui aliena sata combussit, vel animal in tenera ætate occidit, an teneatur restituere solùm quantùm tunc illa in eo statu valebant, an quantùm valuissent, si sata ad segetes maturas, & animal ad statum perfectum perveniissent; ex vi enim regulæ generalis allatæ hoc secundum asserendum videtur, quia per talem damnificationem impeditur lucrum cessans domino, qua ratione Scoto lib.4. *de Justitia* q.6. art. 3. ait si res casu, vel negligentia periit, restitui debere solùm, quantùm tunc valebat; si verò ex industria, & retinente domino destructa restitui debere quantum postea esset valitura. Verùm loc. cit. jam diximus, qui animali in tenera ætate occidit, vel recentes arborum plantationes eradicavit, teneri ad restituendum, non quidem quantùm res illæ in perfecta ætate erant valituræ, sed quantum illarum damnum hic, & nunc à viris prudentibus æstimabitur. Hæc est communis, & probabilior opinio cùm D. Thoma q. 64. art. 1. ad 1. quam sequuntur Molina loc. cit. Lessius, Diana, Card. de Lugo, & alii passim, & Faber ex nostris d.50. c.3.n.102. ubi ait priorem opinionem esse omninò contrà rationem, quia non valet tantùm res in spe, quantum in re, poterat enim perire apud dominum tempestate, vel aliquo alio Cœli infortunio; solvendo autem quantum res esset valitura in re esset ponere eum in tuto, & statum ipsius meliorare; in restitutione autem æqualitas servari debet, & damnificatus debet accipere, quod suum est non ditiorem fieri per restitutionem rei ablatæ; undè concludit Faber, quod sufficit restituere, quantum res illa valebat in spe, computando damnum emergens, & lucrum cessans ipsius damnificati ex ipsa damnificatione probabiliter futura, per quam doctrinam satisfit rationi prioris sententiæ ex illa regula generale deductæ.

32 Confirmatur hanc obligationem non adesse absolutè loquendo ex discursu Card. de Lugo disp.18. cit. sec.4. n. 81. quia si pullum gallinaceum occidas, vel equinum, licet dominio cesset lucrum, quod ex illis adultis habere posset; hoc tamen lucrum non cessat communiter loquendo ex eo, quod pullum occideris, sed ex eo, quod soluto pretio quantum tunc valebat, noluit alium loco illius emere; potuisset enim tunc alium similem emere, ex quo lucrum illud haberet; undè in tali casu, quod non emerit, ex tua injuria non provenit, sed ex eo, quod ipse alium emere noluit, cùm emere potuisset; solum ergò debes pretium, quo illum emere potuisset, nec aliud damnum, vel lucrum cessans compensare teneris, si statim pretium pulli occisi restituisti, vel si statim non restituisti, adhuc tamen dominus pecuniam habebat sufficientem ad alium similem emendum, ex quo lucrum illud haberet, & emere noluit; in casu tamen, quod ipse sufficientem pecuniam non haberet ad alium pullum emendum, nec tu statim pretium pulli occisi restituisses, putat hic Auctor in tali casu lucrum cessans tibi imputari debere, & quod illud compensare debebas, undè infert hanc obligationem compensationis lucri cessantis in combustione satorum facilius contingere posse, quàm in occisione pulli equini, facilius enim contingit, quod dominus denuò serere non possit, vel alia sata emere, quàm alium pullum equinum, absolutè tamen loquendo adhuc satis combustis potest dominus eorum pretio à damnificante restituto vel alia similia emere, vel aliud genus æqualis lucri quærere quo damnum illud si-

bi compensaret; quæ omnia mihi videntur satis probabiliter dicta. Concludit tandem in prætatis casibus circà hanc obligationem non esse posteà restituendum integrum valorem fructus maturi, sed deductis expensis, & computatis etiam periculis, quibus lucrum probabiliter impediri potuisset, sicut in omnia alia lucri cessantis æstimatione fieri solet.

33 Quæres, An præter damni dati aliqua etiam compensatio pro injuria illata sit facienda antè Judicis condemnationem; in quovis enim damno scienter illata hæc duo regulariter intervenire solent, scilicet, damnum ipsum in bonis corporis, vel fortunæ proximo illatum, & injuria aliqua, quæ fit ipsi proximo, cui damnum infertur, & de hac injuria movetur difficultas, quia de injuria, quæ fit Reipublicæ, cujus leges violantur, certum est reum non teneri pœnam ejus subire antè Judicis sententiam. Ratio dubitandi pro parte affirmativa est, quia ubi est injuria, est consequenter aliqua juris violatio, hæc autem lege justitiæ per condignam compensationem ad æqualitatem reducenda est; ergo qui cum damno injuriam alteri intulit, præter damnum tenetur quoque injuriam resarcire etiam antè Judicis condemnationem. Ratio autem dubitandi pro parte negativa est praxis quotidiana, qua constat nullum Confessarium quantumvis doctum, ac timoratæ conscientiæ ad hujusmodi compensationem pœnitentes obligare, sed satis esset putant, si eos obligent ad resarciendum damnum, quod injusta actione illatum est, quoniam per injuriam tali damno connexam nihil demitur, aut minuitur de bonis damnificati.

34 Hanc difficultatem breviter resolvit Amicus disp 35. sec. 7. quod quotiescunque cum damno dato aliquis etiam miscetur contemptus, irreverentia, & vexatio animi; vel corporis, compensanda est quoque præter damnum talis injuria etiam antè Judicis condemnationem, nisi illa gratis ab offenso remittatur; cùm in omni eo facienda sit compensatio etiam antè Judicis sententiam, in quo proximus fuit læsus. Si autem cum damno illato nullus contemptus, irreverentia, aut animi, vel corporis afflictio intervenit, nec irrogata fuit, ad nihil damnificans tenebitur præter illati damni compensationem; sicut si quis alterius pecuniam negotians aliquam partem sibi usurpet insciо domino, satis est si eam domino restituat etiam ipso insciо, quia in tali usurpatione nullum contemptum, nullam irreverentiam, & nullam animi, aut corporis vexationem domino irrogavit. Ex qua doctrina facilè occuritur rationibus dubitandi pro utraque parte adductis; nam ratio dubitandi pro parte affirmativa probat solùm tunc præter damni illati compensationem aliam quoque requiri antè Judicis sententiam, quia præter damnum illatum supponit etiam injuriam aliquam fuisse damnificato illatam, quando autem nulla irrogatur injuria, nulla præter damni restitutionem facienda est compensatio. Ratio autem adducta pro parte negante non urget, quamvis enim per injuriam damno illato connexam nihil dematur, vel minuatur de bonis fortunæ corporis, vel famæ, demitur saltem, aut minuitur de bono honoris, & reverentiæ alteri debitæ; ideò autem Confessarii ad hujusmodi injurias compensandas pœnitentes regulariter obligare non solent, quia injuriæ damno illato connexæ, quando sunt leves, plerumque à damnificatis paruipenduntur, & moraliter ob offensis condonari censentur per solam illati damni compensationem; undè Confessarii in his casibus damni illati pœnitentes interrogare deberent, an damnum fuerit illatum cum injuria, & contemptu damnificati, & an injuria gravis fuerit, vel levis, ut sciant ad qualem obligationem eos in conscientia obligare debeant.

ARTICULUS SECUNDUS

An impediens aliquem à consecutione alicujus boni teneatur ad restitutionem.

35 SEnsus quæstionis est; an ad restitutionem teneatur ille, qui alterum procurantem officium, vel aliud bonum impedit, ne illud consequatur. Dupliciter autem potest aliquis impediri, ne aliquod bonum ab ipso procuratum consequatur; primo ne consequatur id, ad quod habet jus, & quod ei ex justitia debetur, secundò, ne consequatur id, quod ei ex justitia non debetur, sed solùm ex liberalitate, & beneficentia aliorum. Rursus dupliciter potest aliquis alterum impedire ab aliquo bono consequendo, uno modo solis precibus, & suasionibus, ut suadendo eum, ad quem stat conferre beneficium, ne illud huic conferat; alio modo dolo, metu, fraudibus, & per injuriam aliquam efficiendo, ne ille tale bonum consequatur. Hoc prænotato conveniunt DD. si res non erat debita ex justitia, sed conferenda ex libera voluntate collatoris, si quis impediat alterum à consecutione talis boni sine vi, & fraude, ac deceptione collatoris, & fiat ex intentione proprii commodi, vel alterius amici, & non ex animo nocendi illi, qui impeditur, nullam esse obligationem restituendi; ut si quis sciat aliquem velle legatum alteri reliquere, & precibus ab illo obtineat, ut testamentum mutet, & potius sibi illud relinquat, nulla hinc insurgit restituendi obligatio, quia id fit sine ulla fraude, vel dolo, & absque ulla injustitia. Si quis verò è contra per vim, & metum, vel fraudem, hoc est per deceptionem, & mendacia collatorem retrahat, ne donet aliquod bonum, cui donare volebat, tenetur ad restitutionem pro ratione valoris rei, quam ille à collatore sperabat. & ratio est, quia licet ille jus non haberet ad rem, quam alter ex gratuita voluntate, & sine ulla obligatione justitiæ ei donare volebat, jus tamen habet, ne per media injusta, ut per vim, vel fraudem ab aliis impediatur, ne bonum consequatur, quod ex alterius benevolentia sperabat; ità DD. passim, & præsertim Scotus dist. 15. quæst. 2. in solutione ad ultimam, ubi inquit, quod impediens alteri consecutionem alicujus boni, tenetur ad restitutionem prædicto modo, si directè abstulit ei beneficium cùm intentione damnificandi eum, ac etiam si indirectè, scilicet, procurando sibi ipsi, & cum hoc etiam damnificare alium intendebat, sed si tantummodò propriè utilitati intendebat providere, & sic procurat sibi, & de consequenti alius præter intentionem illius damnificatur, iste ad nihil tenetur illi, quia licet unicuique sibi ipsi providere alio neglecto. Ità Doctor ad verbum loc. cit. ubi, ut notat Scoliastes ibidem, per directè intendere damnum alterius, intelligit fraude, & dolo impedire eum à beneficio sine alio fine; indirectè verò, quandò primò intendit suum commodum, sed cum hoc etiam fraude alterum impedire.

36 Est tamen difficultas, An sit obligatio restituendi, quando quis impedit alium à consecutione alicujus boni, in quod aliquod jus non habebat, sine vi quidem, & fraude ex odio tamen, & ex directa intentione nocendi illi, qui prædictum bonum sperabat.

Affirmant aliqui Doctores, inter quos præsertim citatur Scotus noster loc. cit. quod probant ex quibusdam legibus ab ipso Scoto adductis, in quibus statuitur, quod si quis aliquid in suo fundo faciat, ex quo damnum vicino sequatur, non teneatur de damno secuto si id faciat animo non nocendi, undè à contrario sensu, si animo nocendi faciat ad restitutionem tenebitur; ergò formalis, & præcisa ratio, & radix restitutionis in his casibus, est internus affectus nocendi, nam eo tantùm posito, cæteris omnibus immutatis manentibus, consurgit restituendi obligatio nam in prædictis legibus ex solo animo nocendi discernitur obligatio restituendi, atque ideò pari ratione in cæteris negotiis, qui alterum impedit, ne assequatur bonum, quod alioqui haberet, si id animo nocendi faciat ad restitutionem tenetutur. Pro qua sententia citantur Riccardus, Paludanus, Sylvester, ac etiam Divus Thomas, & alii.

37 Alii verò communiter negant dicentes, quando impedimentum est alicujus boni, quod alicui ex justitia non debetur, nec aliqua vis, aut fraus adhibetur, nullam esse obligationem restituendi, etiamsi id fiat siniſtra intentione nocendi, & impediendi bonum alterius. Ità Soto, Navarrus, Vasquez, Amicus, Caspensis, & alii passim. Ratio est, quia solus animus nocendi sine ulla juris alicujus violatione non est sufficiens radix restituendi, ut communiter Doctores, tanquam primùm principium in materia restitutionis supponunt, quia obligatio restitutionis non oritur, nisi ex eo, quod tollatur in re ipsa res, aut jus alterius per media, & contractum illicitum; ergo intentio, quæ non exoritur per media injusta, obligationem restituendi non inducit; qua ratione nos quoque disp. *de Contractibus* superius diximus etiam de mente Scoti quod animus usurarius mutuantis, nisi trahatur in pactum verbis, aut signis manifestatus, obligationem restituendi non inducit, quia solus animus nocendi non privat hominem jure suo, vel domino; atque ideò in proposito solùm odium internum, cùm sit actus immanens, nihil operatur ad extrà, nec ob eo desumi potest restitutionis obligatio. Ad leges autem in contrarium adductas respondent, per animum nocendi, ex quo desumunt obligationem restituendi, non intelligere solùm internam intentionem, sed etiam conjunctam operationem exteriorem in proprio fundo, ex qua sequitur nocumentum in vicino, adeout per animum nocendi leges illæ declarare voluerunt secutum damnum fuisse ex dolo, vel culpa lata causatum ex; qua tantùm tenemur de damno ex nostra actione secuto. & hæc sententia communior est, & probabilior.

38 Neque Scotus rectè pro prima sententia citatur loc. citat. ut communiter advertunt Scotistæ ibidem, & præsertim Faber disp. 50. cap. 8. numer. 271. non enim dicit impedientem

tem alium à consecutione alicujus boni solo odio, & vindicta ad restitutionem teneri; sed dicit impedientem odio, & vindicta, ac insuper actione mala, ut fraude, & dolo ad restitutionem teneri, & expresse hoc docet probationem adducens ex lege illa ff. præscindo venas &c. dicit enim, quod si præscindo venas in fundo meo, per quas deri vabatur aqua ad puteum alterius intentione nocendi sibi, teneor ad restitutionem damni, sed si hoc facio sine fraude intendens consulere utilitati propriæ, ad restitutionem non teneor; tenet ergo Doctor hoc impedimentum boni alterius, ut obligationem restitutionis inducat, esse debere cum fraude factum, & opere exteriori injurioso. Quod etiam colligitur ex auctoritate, quam ibidem in fine quæstionis immediatè post adducit ff. de regulis juris, nemo damnum facit, nisi qui illud facit, quod facere non habet ius, iste autem, subdit Doctor, habet jus procurandi sibi beneficium servatis circumstantiis justis, & honestis; ergò intelligit Doctor impedientem alium à consecutione alicujus beneficii odio, & vindicta tunc tantùm ad restitutionem teneri, quando justas, & honestas circumstantias non servat in opere exteriori. Itaque intelligit Doctor intentionem nocendi proximo esse fundamentum obligationis restituendi; quando conjuncta est fraus, & dolus, quibus iniustè impeditur jus sivè in re, sivè in spe ad beneficium consequendum, qui enim ex fraude, & dolo dedit causam damno, illud resarcire tenetur, intelligendo fraudem in re ipsa factam per minas, vel alia media æquivalentia, quibus alter injustè à beneficio excluditur, imò Faber ait non tantùm Scotum in hoc sensu locutum esse, sed etiam omnes alios Doctores pro prima opinione adductos.

39 An Verò absolutè loquendo sola intentio per media aliàs licita obligationem inducere possit in aliquo casu; pro utraque parte disputat Hiqueus dist. 15. qu. 2. in fine in suo Commentario, & affirmantem esse probabiliorem ostendit, quia in multis casibus sola intentio prava totum opus inficit, quod aliàs licitum esset, si alteri intentioni subesset, quod pluribus ostendit exemplis, v. g. mulier prægnans medicinam sumens in infirmitate periculosa, in quâ, & ipsa, & partus aliàs occumberet, si ex sola causa, & motivo suæ salutis medicinam sumat, non est homicida, sed utique si necem prolis directè intendat, & similiter medicus sic intendens, quando mors prolis est certa. Item in bello justo exhortantes ad defensionem justitiæ, ut Sacerdotes, si occisionem hostium invadentium non intendant, non sunt homicidæ, etiamsi defensio illa sine alicujus occisione fieri nequeat: si tamen occisionem hostium directè intendunt, irregularitatem ex homicidio incurrunt. Similiter qui dat munera Episcopo intuitu recipiendi beneficii est simoniacus, & accepto beneficio tenetur restituere; si autem titulo donationis, non tenetur restituere beneficium, neque fructus ejusdem. Tandem si quis det alteri suum equum intentione tantùm accommodationis, tenetur ille equum restituere; si intentione donationis, non tenetur, & tamen datio in ratione actionis, & accepto non variantur, nisi ut subsunt intentioni, & consensui voluntatum; in his omnibus casibus actiones, & media sunt eadem, & variant speciem juxta naturam intentionis, & obligationem restitutionis inducunt, quod intentione injusta applicantur, & sortiuntur effectum.

40 Ex qua doctrina sic arguit Hiqueus à priori, intentio, ut fiat efficax, alia media non exigit, quàm quæ sunt sufficientia, & reipsa finem inducunt, & effectum intentum; ergo etiam ut exequatur intentio injusta, qua talis, nihil aliud requirit, quàm ut media, & eorum electio ex ea tantùm procedat, & effectum attingant, & sic tota actio est injusta, sed per hanc actionem alius in reipsa suo jure privatur injustè, alias actio non esset iniusta; ergò sufficit talis actio, ut medium privandi alium jure suo à tali intentione procedens, & ut in reipsa, tanquam vera causa privat, ut fundet obligationem restitutionis. Dices in tali casu fraudem non inferri, quia non adhibetur fraus, sed alius utitur jure suo. Contrà replicat Hiqueus, illa actio ut fit per modum executionis injustæ intentionis non est usus proprii juris, sed executio, & exercitium dolosæ intentionis defraudandi alium jure suo, quia usus proprii juris debet esse ex intentione, quæ concordat justitiæ, & titulo fundato juris proprii; ergo si ex intentione injusta per medium efficax infert quis alteri damnum non utitur jure suo, quia nullum jus habet in fraudem alterius, sed exequitur fraudem conceptam in damnum illius. Et hoc etiam concedit Card. de Lugo disp. 8. *de injuriis in genere* sec. 6. & disp. 18. de restitutione ex injusto impedimento sect. 5. ubi proindè ait hanc regulam esse statuendam, ut quando posses absque injustitia velle directè illud nocumentum inferre; tunc intentio ei nocendi, & affectus odii non transferat illud peccatum in speciem injustitiæ, nec obligationem restituendi afferat; Quando verò propter jus, quod proximus ad-

huc habet ad vitam, vel ad bona sua, non potes licitè velle directè proximum in iis bonis lædere, aliquando voluntas directa nocendi faciet esse contra justitiam id, quod ex alio fine licitè velle posses etiam prævisо periculo nocendi proximo; & ratio est, quia ad injuriam, & obligationem restituendi requiritur, quod ejus nocumentum à te procedat ut causa; ad rationem autem causæ influentis multum refert intentio, qua aliquid fit determinatè ad talem effectum, vel non ad hunc finem, sed ad alium diversum; eandem enim tentationem ponit Deus, & dæmon, & tamen hic dicitur causa nostri peccati indè sequentis, quia ad hunc finem Dæmon tentionem immittit. Deus autem non dicitur causa nostræ ruinæ, quia tentationem non immittit adhunc finem, sed ad nostram victoriam, & meritum. Ita discurrit Cardin. de Lugo loc. cit.

41 Ex dictis sequitur impedientem per vim, vel fraudem, ne alter officium, vel beneficium consequeretur, quo dignus erat, teneri ad restitutiontm, quanti judicio prudentis ea spes illi valebat; addunt aliqui etiamsi id feciſſet pretextu, ut conferatur dignori. Ratio est, quia dignus jus habet procurandi, & obtinendi beneficium illud eo ipso, quod est dignus; ergo si vi, ac fraude à consecutione illius impeditur, læditur tale jus, & lædens ad restitutionem tenetur. Neque à restitutione excusatur, eo quod illum impediat, ut digniori conferatur, quia sicut dignior non tollit jus, quod etiam dignus habet ad illud beneficium procurandum, ità nec prætextus ut digniori conferatur, tollit quin digno injuria fiat. Secus autem si eum impedivit, qui non erat dignus, quamvis enim etiam vi, & fraude id feciſſet adhuc ad restitutionem non tenetur, cum enim indignus nullum jus haberet, impediens non censetur illi injuriam feciſſe, quia ubi non est jus injuria esse non potest, cùm omnis injuria sit alicujus juris violatio; è contrà verò qui vi, ac fraude dignum impedit à consecutione officii, vel beneficii, ut illud conferatur indigno, non solùm tenetur ad restitutionem, quanti judicio prudentis ea spes illi valebat, sed etiam ad resarcienda omnia dama Ecclesiæ, vel Reipublicæ ex electione indigni secuta. Tandem qui solo consilio absque vi, & fraude collatorem impedit, ne beneficium digno, aut digniori conferat, satis probabile est ad nihil teneri, & ratio est, quia digni, ac etiam digniores antè factam collationem ad publica officia, vel beneficia nullum jus habent; igitur si consilio tantùm absque vi, & fraude à consecutione publicorum beneficiorum impediantur, nullum jus illorum læditur. Imò neque ad restitutionem tenetur, qui etiam vi, ac fraude impedit dignum, ac digniorem malis artibus publica officia, vel beneficia procurantem, & ratio est quia jam dignus, ac digniſſimus nullum jus habet talia bona per malas artes, & mediis injustis procurandi, & consequendi, quia jus commune prohibet, ne per hujusmodi media publica officia procurentur. Ita Vasqu. Turrianus, Rebellus, Sylvius, Amicus, Bonac. Valent. & plures alii.

42 Est tamen rursus Difficultas, An impediens magis dignum à consecutione alicujus officii, vel beneficii, ut detur minus digno, teneatur ad restitutionem magis digno; difficultas intelligitur, si impediat actione justa, non injusta v. g. precibus, & suasionibus, quia de actione injusta loquendo, ideſt, dolo, & fraude conveniunt omnes teneri ad restitutionem. Prima opinio affirmat, cujus fundamentum est, quia officia, & beneficia publica secundum justitiam distributivam sunt dispensanda, secundum quam dignior minus digno præferendus est; quia ergo digniorem impedit, & est causa, ut dentur minus digno, contra justitiam distributivam peccat, & consequenter etiam contrà commutativam; quod enim secundum justitiam distributivam alicui debetur, si ei auferatur, contrà justitiam etiam commutativam peccatu, quia læditur jus ei competens ex justitia distributivam, eo quia est dignior; pro qua sententia citantur Paludanus, Cajetanus, & alii. Secunda opinio negat ex fundamento oppositо, quia beneficia Ecclesiastica non sunt bona, quæ per solam justitiam distributivam dispensari debeant, sicut bona Reipublicæ communia, quæ civibus distribui debent in præmium pro meritis, & bonitate ipsorum, sed sunt instituto ut stipendia pro laboribus ministrorum Ecclesiæ, ut colligitur, ex illis Christi verbis *dignus est operarius mercede sua*, quod etiam ex eo suadetur, quia hac ratione institutæ sunt decimæ ab Ecclesia. Ex quo deducitur in hac beneficiorum distributione solùm justitiam commutativam intercedere, & consequenter si beneficium detur digno, omisso digniori, non fit contrà justitiam commutativam, quia licet alius sit dignior, tamen ille quoque pro illo suo labore est dignus; & exemplum dari solet in artificialibus, si quis enim eligit v.g. Architectum aptum ad domum sibi ædificandam aptiori prætermisso, qui proindè dignior erat, ut eligeretur, non ob id ille tenetur suum stipendium isti restituere, quia sufficienter junctus est officio suo. Ita Soto Nav. & alii, quibus subscribit Faber disp. 50. cit. cap. 8. n. 176.

43 Resolutio hujus quæsiti pendet ex dictis suprà disput. 6. quæst. 1. art. 1. ubi egimus de distributione officiorum sæcularium, & Ecclesiasticorum, & loquendo de sæcularibus diximus satisfieri eligendo dignos, etiam dignori prætermisso ad hujusmodi officia, quia electores in his officiis distribuendis aliam obligationem non habent, quam ut sufficienter provideant, ne ex electione Respublica detrimentum patiatur, quod eo ipso consequuntur, dùm dignum eligunt, nam si damnum sequeretur, jam electus non esset dignus; quod ibi diximus cum hac limitatione intelligendum esse, quod non tenetur quis ad hujusmodi officia sæcularia dignorem eligere, nisi in casu concursus, quando, scilicet, vocantur plures, ut ex illis dignior eligatur, nam in tali casu non solùm quæritur, ut Reipublicæ satisfiat per ministrum idoneum ad tale officium exercendum, sed etiam ut concurrentibus pro meritorum qualitate præmium conferratur, cui obligationi non satisfieret eligendo dignum in concursu dignoris, quia minus merenti conferretur præmium, quod magis digno conferendum esset ob majus ejus meritum, quod sine eius injuria fieri nequit; undè electores in tali casu ex justitia eum eligere debent, quem omnibus pensatis aptiorem, & dignorem ad illud officium esse credunt; alioquin ad restitutionem tenentur dignori sic omisso, quia per edicta, & convocationem publicam tali modo factam acquisierunt omnes, & singuli jus ex justitia propriè dicta, ut electores juxtà leges positas digniorem eligere debeant. Quamvis autem extrà talem casum, & absolutè loquendo talis obligatio non extet eligendi digniorem ad hujusmodi officia secularia; diximus tamen ibi cum Card. de Lugo; & aliis esse obligationem dandi hæc quoque officia dignoribus regulariter, & magis frequenter non quidem propter jus quod ipsi habeant, sed propter incommoda, & detrimenta gravia, quæ communiter in Republica oriuntur, si non ità regulariter, & magis frequenter conferuntur, ut ibi latius explicatur.

44 Quoad beneficia autem Ecclesiastica diximus etiam ibi, quod loquendo de beneficiis curam animarum annexam habentibus, ut sunt Episcopatus, & Parochiæ, tenentur electores, & collactores eligere digniorem, etiamsi beneficium non detur per concursum, sub peccato mortali, & obligatione restitutionis, undè quamvis collatio talium beneficiorum in personam dignam, prætermissa dignori, valida sit, peccatum tamen mortalem est dignorem relinquere, & negligere; & ratio est, quia talis omissio bono communi ipsius Ecclesiæ semper prejudicat graviter, & notabiliter; eliguntur enim pastores animarum, ut gravioribus ovium necessitatibus opitulentur, & depravatos mores reforment, ad quæ officia pauci inveniuntur reipsa sufficientes, nisi sint valdè instructi, quia difficillima sunt; loquendo verò de beneficiis simplicibus diximus ibidem non tamen esse obligationem pro electione dignioris, quia curam animarum annexam non habent, undè facilius à peccato excusari possunt electores, & collatores, si quandoque digniorem omittunt, dummodò beneficium conferatur digno; dixi *quandoque* id fieri posse sine peccato, quia si in collatione beneficiorum simplicium communiter, & frequenter digniores omittantur, non facilè electores, & collatores illorum à culpa gravi excusari possent, quia sic agendo redditus Ecclesiastici malè impenduntur, & alii tali exemplo ducti pro consequendis hujusmodi beneficiis parum curabunt fieri digniores, undè brevi temporis intervallo ministris indignis Ecclesia repleretur. Ex qua doctrina patet nec primam, nec secundam sententiam esse absolutè tenendam, sed juxtà distinctiones, & limitationes adductas, & impedientem magis dignum, nec habeat officium, vel beneficium, ut detur minus digno, teneri ad restitutionem magis digno, vel non teneri juxtà earum varietatem, & contingentiam; & juxtà allatam Scoti doctrinam. Resolvit quoque hoc quæsitum Astesanus noster lib. 5. tit. 29. a. 1.

QUÆSTIO TERTIA.

De Restitutione, ex adulterio, & stupro proveniente.

45 Scotus l. c. d. 15. q. 2. propè finem quæstionis in solutione ad septimum declarat prætereà obligationem restitutionis ex adulterio provenientem, de qua proindè hic nos quoque agemus, addendo etiam aliam ex stupro provenientem; est autem stuprum defloratio Virginis ipsa invita, quia si consentiat, erit tantum fornicatio simplex, ut Doctores communiter docent. Adulterium verò est, cùm uterque vel alteruter coeuntium est matrimonio coniunctus, etiamsi adulterantis conjux sit contentus esto enim tunc illi injuria non fiat, fit tamen ipsi statui conjugali, sacramento, & sexto Decalogi præcepto.

ARTICULUS PRIMUS.

Quid sit restituendum ratione adulterii.

46 Certum est apud omnes adulterium esse peccatum contrà justitiam, etiamsi altero coniuge consentiente id fieret, ut dicebamus, adhuc enim injuria fieret statui coniugali, quia ex natura contractus matrimonii, & ex fide de usu corporis non potest in hac parte maritus cedere juri suo, & adhuc majori ratione est peccatum contra justitiam, quando fit altero conjuge non consentiente, tunc n. adulterans privat conjugem jure suo, & re aliena utitur invito domino. Quamvis autem adulterium sit in hoc sensu peccatum contra justitiam, non tamen in eo sensu, ut obliget adulterum ad aliquam compensationem pecuniariam, dicitur enim contra justitiam ratione injuriæ datæ absquæ damno in bonis fortunæ, in quo casu, & similibus alia restitutio, & satisfactio non requiritur, quàm petitio veniæ ab offenso, & injuriam patiente; undè marito satisfactionem aliquam pecuniariam petente ab adultero pro injuria sibi illata, non tenetur hic aliquid ei dare, quia tale damnum non est ei illatum, etiamsi inter maritum, & adulterum aliqua conventio, vel pactum præcessisset, quod intelligendum est in foro externo, ut habetur in L. transigere C. de transactionibus, & L. Milesi. 11. ff. ad legem Juliam de adulteriis, quod factum est, ne maritus suæ uxoris lenocinium faciat. In foro autem interno cùm ex adulterio damnificari possint alter conjux, & legitima proles circà sustentationem, hæreditatem &c. patet ut communiter DD. docent, quod nata prole uterque adulterans cùm id damnum causent, eatenus restituere debeant, quatenus possunt sine detrimento altioris boni, & causatione majoris mali, quod ut melius intelligatur, specialiter de obligatione utriusque discurrendum est, scilicet, tam adulteri, quam adulteræ.

47 Prima itaque Difficultas est, an adultera teneatur filium ex adulterio susceptum detegere. Prima opinio affirmat adulteram debere revelare filium esse spurium, ne legitimos debita sibi parte hæreditatis privet, licet sit discrepantia in modo, quod id facere possit, ac debeat; aliqui enim dicunt adulteram hoc filio spurio revelare debere, eumque inducere ad hæreditatem vero, ac legitimo hæredi dimittendam, qui dicendi modus Riccardo tribuitur, Henrico, & aliis quibusdam; alii verò dixerunt adulteram hoc debere revelare marito, ut vero hæredi hæreditatem assignet, qui dicendi modus tribuitur Hostiensi, Majori, Adriano, & aliis. Secunda, & communis opinio negat adulteram, ad hoc teneri, sivè hæreditas sit magna, sivè exigua, sivè mulier sit valdè nobilis, sivè non, ad excludendam limitationem à quibusdam huic secundæ opinioni adiectam, quam ex professo docet Doctor l. c. cum omnibus Scotistis ibidem Tatareto, Almiano, Nicolao de Orbellis, Hiqueo, Aretino, Fabro, Astesano, & sequuntur alii extrà scolam nostram communiter. Impugnatur autem prima opinio primò in generali, quatenus illius sectatores in hoc conveniunt, quod mulier adultera ad revelationem sui delicti teneatur cum discrimine vitæ, & famæ, licet deindè in modo revelandi, & causa discrepent. Ratio autem est, quam suprà assignavimus disp. 7. de Rest. in communi q. 3. a. 2. n. 71. quia bona superioris ordinis plus valent, quàm bona inferioris ordinis; at vita corporalis, & fama sunt bona superioris ordinis; ut patet, ergo vita, & fama non sunt commutanda pro quantumcumque magnis fortunæ bonis, quam rationem ibi latè prosequimus, & declaramus. Et quidem in hoc casu particulari adulteræ, quandò alia via damnum impedire non potest, non teneri se infamare crimen adulterii manifestando docet Innocentius in c. de pœnit. & remiss. ubi ait non esse denegandam pœnitentiam, & absolutionem fœminæ, quæ concepit ex adulterio, nec volenti suum detegere crimen, ut impediat damnum auferendæ hæreditatis, cujus canonicæ definitionis ratio alia esse nequit: nisi quia obligatio impediendi damnum in bonis fortunæ non urget, quando illud impediri non potest sine alio graviori damno vitæ, scilicet, & famæ, de quibus loquitur Pontifex in illo Canone, ut ibidem dicebamus.

48 Prætereà Doctor impugnat in particulari duos illos dicendi modos, quibus sectatores primæ opinionis illam explicabant; in primis enim falsum est adulteram debere filio spurio crimen illud revelare, quia aut filius credet matri, aut non; si credat, non est probabile, quod propter hoc velit hæreditatem dimittere, quia pauci inveniuntur ità perfecti, ut propter justitiam servandam in foro conscientiæ dimittant magnas possessiones, quas in foro exteriori retnere possunt; neque potest mater hoc presumere, nisi multum prius voluntatem filii sui experta fuisset; non debet autem se exponere certo periculo diffamationis apud filium suum propter incertam filii correctionem, & admonitionem de restitutione facienda. Si verò filius non credo-

crederet, tunc duo mala sequerentur, quia & ipsa esset jam diffamata, & nlius hæreditatem retineret, ut prius Quod verò adultera crimen non teneatur revelare marito, ut alii dicebant, adhuc efficacius probat Doctor, quia sic faciendo, & mulier se diffamat, & exponit se periculo mortis, & maritum periculo uxoricidii, quia talis posset esset zelator, ut sunt multi, quod illam occideret, vel perpetuo haberet odio, & à se, & ab actu conjugii expelleret; ad ista autem malà diffamationis, mortis, vel saltem odii, vel discordiæ, quæ sunt valdè probabilia, & videntur ut in pluribus eventura, non debet se mulier exponere propter incertum bonum hæreditatis restituendæ; & præter hoc in terris, ubi primogenitus est hæres, pater si crederet uxori, non posset à spurio auferre hæreditatem, nisi in foro publico probaret eum talem, & tunc oporteret mulierem diffamari, non tantùm apud maritum, sed apud totam patriam; ità ad verbum discurrit Doctor loco citato.

49 Concludit itaque Doctor, quod in tali casu adultera nullo modo, nec in articulo mortis, neque per confessarium, neque post mariti obitum hujusmodi crimen revelare tenetur, sed debet laborare quantum potest ad hoc quod hæreditas reddatur vero hæredi, & ut filium spurium inducat ad renunciandum hæreditati ex causis honestis, ut suadendo illi, quod religionem ingrediatur, vel ut fiat clericus, & Ecclesiastica beneficia recipiat, & his veluti sufficientibus contentus hæreditatem dimittat alii fratri laico remanenti, quod si hoc filio spurio persuadere nequeat, curare debet augere bona filiorum legitimorum in ea parte, quæ ex divisione cum filio spurio de jure eis obvenit, vel ex dote sua, quantum jura permittunt, vel aliis suis bonis propriis ultrà dotem, vel ex laboribus propriis, & addit Doctor hoc facere debere secundum correspondentiam justitiæ, & proportione servata, quia non tenetur ad restituendum æquivalens toti hæreditati, nam multum differt inter habere, & propè esse, iste autem numquam habuit hæreditatem; licet propè fuerit secundùm justitiam, & ideò minus, quàm æquivalens hæreditati sufficit sibi pro restitutione, & illud minus secundùm arbitrium boni viri determinandum est. Quod si hoc mater adultera commodè facere non potest, sufficit ei sui peccati pœnitere, & intentionem habere, quod si aliquando aliqua bona propria acquireret, quibus damnum filiis legitimis illatum recompensare posset, libentissimè statim illud restarciret; & hæc est sententia communior, quam cum Scoto tenent D. Antoninus, Cajetanus, Medina, Sylvester, Angelus, Azorius, Navarrus, Vasquez, Lessius, Caspensis, & Canonistæ passim in c. *Offic. de pœnit. & remiss.*

50 Hoc tamen totum moraliter, & irregulariter intelligendum est, ut plures ex cit. Auctoribus advertunt, nam si ponatur casus, in quo mater probabiliter speraret se tali monitione profuturam, & impedienda gravissima damna futura, teneretur utique mater vel per se, vel per Confessarium monere spurium, & etiamsi ex hoc exponeretur periculo famæ, & vitæ, ut v. g. in casu, quod si spurius esset in aliquo Regno successurus, & ex tali successione manifestum incurratur periculum inficiendi subditos hæresi, tunc enim ad hoc publicum malum evitandum tenetur mater revelare prolem illam esse illegitimam etiam cum detrimento vitæ, & famæ, quia regula universalis est, quod bonum publicum est privato, & particulari præferendum. Et hoc etiam ex nostris advertit Aret. d. 16. q. 2. a. 5. ubi ait quod in casu, quod damnum Regni immineat, nimirum si spurius, licet summa cura educatus fuerit, ut filius Regis, vel Principis, nihilominus cernitur ad malos, & depravatos mores esse propensum; tenetur mater prolem illegitimam declarare etiam cum periculo famæ, & vitæ, ne succedat spurius in Regno, secluso vero, & legitimo hærede, qui animo nobili, & regio subditos gubernaret cum utilitate civium; nam in tali casu non agitur de dignitate, aut divitiis, quæ sunt bona temporalia; sed de bono communi, quod cuivis famæ, & privatæ personæ vitæ præferendum est; & tunc adulteram vitam suam, & famam non exponit pro hæreditate, & bono privato filii legitimi, sed pro bono communi Regni, quod jure naturæ cuicunque bono privato, & particulari est præferendum.

51 Et in hoc sensu admitti potest sententia media inter duas extremas jam adductas, quam tenet Card. de Lugo d. 13. sec. 3. cum Soto, Covar. Ledesma, Molina, Valentia, & aliis ab ipso citatis, qui distinctione utuntur; aliquando enim infamia, quàm mater ex manifestatione adulterii incurrit, talis, & tanta est, ut præponderet multum detrimento, quod alii filii, & cæteri patiantur ex prole suppositâ, aliquando autem non ità præponderat; in primo casu dicunt non teneri matrem ad manifestandum, in secundo teneri; undè dicunt mulierem adulteram debere se prodere etiam cum periculo vitæ, quando regnum, vel Principatus, vel eximia domus transiret aliàs à legitimo hærede ad spurium. Hæc, inquam, sententia media in sensu tantùm jam declarato locum habere potest, quando, scilicet, agitur de bono communi Regni, & Reipublicæ, non autem absolutè loquendo etiam de bono privato filii legitimi, nam quoad vitam falsum est, nisi commune bonum Regni, & Reipublicæ id exigat, sublata namque necessitate boni communis, solo titulo dignitatis, & divitiarum præstat vita Reginæ, Ducissæ, aut mulieris nobilis cuivis hæreditati, ut notat Aretinus l. c. Quod verò ad famam spectat, si mulier sit ità nobilis, & illustris, ac bonæ famæ, ut ejus fama, & nobilitas prudentum judicio hæreditati præstet, non tenetur se prodere, & adulterium manifestare; si verò hæreditas famæ illius præstet, quia v.g. non est ità nobilis, & illustris, vel bonæ famæ, probabile est teneri; cæteris autem paribus nequaquam tenetur, quia ipsa possidet actu famam, legitimus verò filius hæreditatem adhuc non possidet, & sicut legitimus jus habet ad hæreditatem, ità mater ad suam famam in re occulta; ubi autem jura sunt paria, melior est conditio possidentis.

52 Secunda difficultas est, An adulter teneatur prædicta damna restituere sicut tenetur adultera; in qua difficultate tria sunt certa, ut notat Aretinus loc. cit. Primum est, non debere facile adulterum credere mulieri asserenti spurium illum esse eius filium, quia probabiliter, & prudenter suspicari potest illam ex viro suo concepisse, quàm ex seipso, vel illam aliis quoque feciisse sui copiam, undè adulter non tenetur credere adulteræ dicenti suam esse prolem, nisi ad hoc credendum sufficiens motivum habeat secundum prudentiam. Secundo certum quoque esse debet, quod quando etiam adulter sufficiens haberet motivum ad id credendum, & certus esset certitudine humana spurium illum esse filium suum, adhuc non tenetur ad aliquid restituendum cum periculo famæ, vel vitæ, sicut nec tenetur adultera, quia in hoc par est utriusque ratio. Tertiò tandem certum est è contrà, teneri ad restituendum, si ipse consuluit adulteræ, ut illum spurium viro suo supponeret, tanquam legitimum, nam qui consilio est causa alicujus damni, illud etiam resarcire tenetur, ut constat ex dictis de Restit. in communi. Difficultas ergo est, an adulter qui sufficiens motivum habet ad credendum spurium illum esse filium suum, & potest sine periculo famæ, & vitæ restituere damna viro adulteræ illata, & filiis legitimis ratione spurii, nec consuluit adulteræ, ut illum viro suo supponeret, ut legitimum, teneatur illata damna resarcire ex eo solum, quod genuerit.

53 Prima sententia negat adulterum, etiamsi certissimum sit spurium illum esse ejus filium, teneri de justitia, eum alere, & damna aliis illata resarcire, sed solùm teneri ex honestate, & decentia. Ratio est, quia adulter non tenetur credere, nisi sit maxima certitudo, & evidentissima, illum spurium esse filium suum, quia absque injuria credi potest, quod mulier, quæ unum hominem recipit, pariter & alium admittat. Deindè quia esto fuerit causa damni illius propter adulterium non tamen est causa proxima, quia ipse non supponit filium illum marito, sed tantùm remota, undè dato etiam casu, quod esset certus suum esse filium, de justitia non tenetur ad damna resarcienda, sed solùm ex honestate quadam, & decentia, pro qua sententia Card. de Lugo disp. 13. sec. 2. citat Sotum, Henriquez, Dianam, & alios.

54 Secunda, & communis sententia, quæ multò probabilior est, affirmat adulterum cui probabiliter constat spurium natum esse filium suum, teneri ex justitia ad damna illa ex bonis suis reficienda, adultera non restituente, quod si illa viro & aliis filiis legitimis restituit in integrum damna ratione spurii illata ex suis bonis propriis, & liberis, tenetur adulter partem suam satisfactionis reddere, quia ut suprà dictum est de Restitutione in communi, quando plures idem damnum inferunt, uno in integrum restituente, tenentur omnes suas partes pro rata illi exhibere. Ità Cajetanus, Sylvester, D. Antoninus, Navarrus, Molina, Turrianus, Caspensis, Card. de Lugo, Stephanus à S. Greg. Faber, & Aret. ex nostris, & alii passim. Ratio communis, & fundamentalis est quia adulter ipsomet adulterio dat causam toti illi damno quod ex suppositione filii illegitimi pro legitimo aliis consequitur; quarè sivè ipse induxerit adulteram, sivè è contra, sivè ambo æquè consenserint, uterque tenetur in solidum ad damna illata resarcienda, ut expressè deducitur ex c. fin. de injuria: & damno dato, ubi qui in causa est, ut alicui damnum inferatur, obligatur ad illius damni restitutionem. Nec urget, quod Auctores primæ sententiæ dicebant, adulterum non esse propriè causam illius damni, sed solam adulteram, quæ sola marito supponit filium alienum pro suo, quod adulter nec intendit, nec consulit, nec procurat. Non urget, inquam, quia adulter est causa, non tantùm remota, sed etiam proxima, & principalis, ex qua sequitur suppositio falsi partus, licet enim mater sit, quæ immediatè prolem illegitimam mariro supponit, adulter tamen est causa principalis, quatenus facto suo necessi-

cessitatem moralem matrem induxit id faciendi, ne suum delictum proderet; & ideò cùm adulter sit causa adulterii simul cum adultera, non minus quàm ipsa, est causa omnium effectuum ex adulterio sequentium, & consequenter etiam ipsius suppositionis partus marito, tanquam legitimi; imò ad hoc multò magis concurrit adulter, ut ait Card. de Lugo l. c. quia cùm ipse sit pater verus pueri, eum alere, & educare deberet, & illius curam habere; quarè eo ipso, quod filium suum in aliena domo habet apud alium putativum patrem, à quo videt pro filio proprio haberi, & educari, est causa non minus, quàm mater, illius deceptionis.

55 Nec etiam urget alia ratio pro prima opinione adducta, quod adulter credere non teneatur spurium illum esse filium suum, nisi sit maxima certitudo, & evidentissima; hoc enim omninò falsum est, nam tenetur adulter credere adulteræ dicenti suam esse prolem, si ad hoc credendum habeat motivum sufficiens secundum prudentiam; neque opus est hanc certitudinem esse maximam, & evidentissimam, sed sufficit certitudo humana, & moralis, ut si tempore, quo adultera concepit, certus erat non habitare cum marito, quia erat absens; neque cum alio, quia erat clausa in aliquo loco sub custodia mulierum, nec alteri, quam ipsi, aditus permittebatur, vel alio consimili modo; tunc enim credere tenetur, & à restitutione damni illati non excusatur, si autem sit dubius, Faber l. c. putat adhuc ad restitutionem teneri, quia in dubiis tutior pars est eligenda. Sed probabilius est, quod ait Poncius disp. 52. q. 7. n. 43. quando dubium est an proles sit legitima, vel adulterina, potius censendum esse, quod sit legitima, quia potius favendum est filio, qui ex eo, quod sit natus à muliere maritata habet titulum magis certum, ut pro legitimo habeatur, quàm dubia argumenta fundare possint, ut illegitimus existimetur, quod etiam asserunt Navarrus, Lessius, Caspensis, & alii dicentes, quod si dubitet adulter, an proles sit sua ad nihil tenetur, quia in dubio filius legitimus judicatur, & favendum est potius in dubio ipsi innocenti, & in dubio nemo restituere tenetur, melior enim est conditio possidentis, & Card. de Lugo l. c. hanc dicit esse communem sententiam, nec distinguit inter forum externum, & internum, sed universaliter absque ulla exceptione id affirmat, plures adducens Theologos, & Canonistas.

56 Tertia difficultas est, de filio illegitimo, cujus pater ignoratur, à quo debeat alimenta accipere; quando nimirum duo eandem mulierem cognoverunt, & incertum est, quis eorum sit ejus pater, quod idem cum proportione quæri potest in ordine ad obligationem restituendi damna, quando ambo per adulterium fœminam nuptam cognoverunt, & constat prolem non esse ex marito, uter debeat restituere damna hæreditatis, quæ filiis legitimis obveniunt ex suppositione filii spurii legitimo. Communis opinio docet singulos debere ex parte concurrere ad alimenta, quia supponitur certum esse eorum filium, quarè proles jus habet petendi alimenta ab eis saltem partialiter pro ratione dubii; & uterque ex æquo etiam tenetur ad restitutionem faciendam marito, & filiis legitimis pro damno in hæreditate illato, si mulier nupta fuerit, & certò cognoscatur filium non esse legitimum. & ratio est, quia aliquis debet puerum natum sustentare, & illata damna resarcire, quando mulier non est soluta, & non magis unus tenetur, quam alter; ergò uterque tenetur ex æquo, & pro parte sua. Ità Molina, Vasquez, Salas, Azorius, Turrianus, Martinez, Villalob. Castro Palaus, Diana, Poncius, ex nostris l. c. & alii passim. Non desunt tamen qui contrarium sentiant in illa universali regula fundati, quoties non constat, saltem per præsumptiones, vel indicia probabilia hunc esse tuum filium, te non teneri ad ejus alimenta, in quam sententiam propendet etiam Card. de Lugo l. c. quod attinet ad obligationem alendi prolem illam dubiam, licet in tali casu cum prima sententia admittat obligationem restituendi marito, & filiis legitimis saltem quoad partem pro damno illis illato ex prole adulterina, quod quibusdam rationibus probare conatur, quas brevitatis causa omitto, nec ob eas à communi sententia recedendum puto. Vel cum Poncio loco citato dicendum est, quod testatur aliquando factum esse, in tali casu dubii illos duos sortes mittere debere, & ille in quem cadit, debet solus nutrire puerum, & illata damna resarcire, vel aliquo simili modo convenire debent. Et tandem addit satis prudenter, quod si mulier ipsa posset congruenter prolem ex suo sustentare, & damna illata reparare, fortassis neuter illorum teneretur concurrere, sed illa sola, quia cum dubii causam ipsa injusta dederit, in pœnam hujus meritò ipsamet videri posset totam incurrere obligationem.

ARTICULUS SECUNDUS.

Quid, & quando sit restituendum ratione stupri.

57 PRimò conveniunt Doctores communiter ad nihil teneri, qui virginem consentientem defloravit absque vi, & fraude, vel promissione matrimonii, defloratio namque duobus modis à virgine obtineri potest, primò ipsa liberè consentiente; secundò ipsa non liberè, sed per metum, vel dolum consentiente, aut omninò coacta. Quamvis autem aliqui Canonistæ dixerint etiam in tali casu stupratorem teneri ad eam dotandam, vel in uxorem ducendam, eo quod dispositiones juris Civilis, & Canonici ità statuere videntur; contrarium tamen docent communiter Doctores in foro conscientiæ, quicquid sit de juris humani dispositione, quæ antè sententiam non obligat. Ità Soto, Navarr. Sylvester, Molina, Ledesma, Corduba, Angelus, Vasquez, Card. de Lugo, Caspensis, Poncius, Stephanus à S. Greg. & alii passim. Ratio est, quia fornicatio cùm virgine liberè consentiente non differt à simplici fornicatione, nec aliam habet malitiam, nisi quia est contrà temperantiam, & continentiam, sicut etiam in viro virgine primò fornicante; ergo non est peccatum contra justitiam, quia nulla fit injuria virgini consentienti, quarè in tali casu nullam tenetur stuprator restitutionem facere illi, nec etiam parentibus ejus, non enim facit damnum aliquod illis, quia puella domina est sui corporis, & usus illius. Et hoc intelligunt DD. etiamsi precibus, & suasionibus importunis puella ad consensum induceretur, adhuc enim liberè consentire censetur, quia hujusmodi preces etiam importunæ facilè excuti possunt, si seriò fœmina velit, nisi fortè hujusmodi preces adeò sint importunæ, ut cum vi, & coactione æquiparentur, ut si cum minis conjunctæ fuerint, vel metu reverentiali, v. g. si stuprator sit illius dominus, vel vir magnæ auctoritatis, cui puella dissentire non audet. In casu ergo, quod puella liberè stupro consentiat modo jam declato, ad nihil stuprator tenetur, undè etiamsi fœmina posteà ob id diffametur, sine culpa tamen stupratoris, & majori dote indigeat, ut nubat, quam si esset virgo, non tenetur ille aliquid restituere, dixi autem si talis diffamatio sine ejus culpa contingat, quia si ipse stuprator virginem à se violatam injustè infamavit, & ob id patiatur damnum, & majori dote indigeat, ut nubat, quam si defforata non esset, in tali casu hæc major dos esset ab eo restituenda. Ità communiter præcitati DD. & alii passim.

59 Quæres, an saltem in tali casu, quod fœmina consentit, teneatur violans aliquid restituere parentibus, vel iis, sub quorum cura est. Affirmant Azor. Nav. Corduba, & alii, quia videtur etiam illis injuriam irrogasse, & grave damnum, cùm ea de causa dotem augere cogantur, ut possint filiam in æquè bonum matrimonium collocare, ac si non violata fuisset. Negant alii magis communiter, & probabiliter. & ratio à priori est, quia filia potest absq; patris injuria nubere, & etiam malè nubere ad libitum suum, quia filia non est possessio patris, sed ipsa est domina sui corporis, & liberum ejus habet usum, ergo absq; illius injuria ad meliores nuptias ipsa impedimentum apponere potest, undè defloror, qui ex consensu hoc impedimentum apponit, non magis peccat contra justitiam, quam ipsa filia. Ità Sylvest. Sot. Mol. Ledesma, Less. Vasq. Card. de Lugo, & plures alii.

59 Secundò conveniunt Doctores, quando per vim, fraudem, vel metum, vel falsas promissiones, vel preces minis mixtas fœmina violatur, tunc damnum indè secutum esse à violatore restituendum; hoc autem intelligunt de vi, fraude, & metu incussis injustè, nam si per metum justè incussum virgo consensit, non tenetur stuprator ad restitutionem, v. g. si minatus est, quod eam accusare volebat apud patrem, vel judicem de aliquo delicto commisso, quod aliàs licitè, & justè dicere poterat, & ad hoc damnum evitandum ipsa consentit, nam sicut absque justitia potuit ei aliquando pretium promittere, & exibere, ità quoque pro pretio promittere potuit omissionem licitæ accusationis. Ità Turrianus, Card. de Lugo, Poncius ex nostris, & plures alii. Restitutio autem hæc fieri debet ordinariè loquendo vel eam in uxorem ducendo, si ipsa velit, nec indè gravia inconvenientia sequantur; vel dando dotem sufficientem, ultra patrimonium quod ipsa à parentibus habere debuisset, ut æquè benè nubere possit, ac si violata non esset; undè sufficit, ut augeat dotem, quam à se, vel parentibus haberet, quia non tenetur nisi ad restitutionem damni illati, quod restituitur per augmentum dotis, quod si virgo ita pauper sit, ut nullam habeat dotem, non tenetur defloror integram dare, qua mediante possit maritum ducere, sed ponere ipsam, quantùm potest, in tam bono statu, quàm fuit antè in ordine ad ducendum maritum aut ad ingrediendam religionem, si id potius vellet. Pro sola autem virginitate sublata nulla obligat restitutio,

cùm

cùm sit incomparabilis, atque adeò non sit pretio æstimabilis, undè si virgo secretò est violata, nec stuprum impedivit, quin æquè benè nuberet, ad nihil tenetur stuprator antè Judicis sententiam, quia restitutio fit tantùm ratione damni illati, ex hoc autem stupro clam facto nullum damnum in re ipsi fœminæ secutum est, cùm æquè benè nupserit, ut supponimus, nec vir ejus violationem deprehenderit. Ità Navarrus, Lessius, Vasquez, Bonacina, Caspensis, Poncius, & alii.

60 Quæres an quando stuprator ad restitutionem tenetur, quia per vim, & metum consensum obtinuit, ab hac obligatione liberetur condonante solùm puella defforata. Negant Corduba, & alii supra citati dicentes debere restitui parentibus, quia filia, dùm est sub patris potestate, non potest de rebus suis liberè, nec validè disponere absque patris consensu; ergò non potest se sola condonare jus quod habet ad illam compensationem, saltem quando compensatio fieri debet in pecuniis ad augumentum dotis. Affirmat Cardin. de Lugo cit. disput. 12. sect. 1. cùm Lessio, Vasquez, & aliis, & ratio est, quia sicut filia antecedenter ad damnum potuit cedere juri suo absque patris injuria, ut suprà dictum est, sic etiam damno accepto potest cedere juri, quod habet ad ejus compensationem, & licet filia alia debita pecuniaria sine patris consensu condonare non possit; potest tamen istud condonare, quia hoc per se, & immediatè non est debitum pecuniarum, verum tamen est, quod tali condonatione non obstante, patri adhuc & tutori puellæ potest competere actio contrà defloratorem in judicio pro injuria filiæ allata ex L. 1. §. *sivè autem per seipsum*, ita tamen, ut antè condemnationem stuprator nihil teneatur patri restituere in foro conscientiæ.

61 Quæres rursus, an qui Virgini vim intulit, & nulla præcedente condonatione mortua est, antequam nuberet, teneatur hæredibus restituere. Affirmat Caspensis cum aliis disp. 4. sect. 1. quia incredibile est, quod ego debeam aliquid ex justitia commutativa, & non tenear restituere hæredibus mei creditoris, quando ipse mortuus est, quia jura realia non extinguuntur, sed transeunt ad hæredes. Negat Vasquez cum aliis supracitatis consequenter ad dicta, & ratio est quia obligatio illa erat personalis, idest, debitum respiciens tantùm virginem, & non hæredes; quarè ea mortua moritur etiam debitum; quod tantò magis verificatur, si puellam cognovit, quæ virgo putabatur, & re vera non erat, vel si virgo erat, fama ejus non est læsa; in his enim casibus violator nihil ei restituere tenetur, etiamsi viveret, quia in his casibus nullum secutum est damnum, siquidem adhuc post violationem æquè bene nubere potest, ac antè, ut notat Poncius l. c.

62 Tertiò conveniunt Doctores, qui defloravit Virginem spe fictæ promissionis matrimonii, non teneri eam ducere in foro conscientiæ, si ipse signa dedit, quibus fœmina sufficienter agnoscere potuit promissioni subesse dolum, vel ipsa conditionis inæqualitatem agnoscendo probabiliter suspicata est matrimonium sibi fictè promitti. & ratio est, quia in tali casu non decepta in copulam consensit, & spe futuri matrimonii, quia satis agnovit sibi fictè promitti, sed ex mera sua voluntate; ideoque fictus promissor eam ducere non tenetur, nec ratione contractus initi, qui nullus est, nec ratione damni illati, quia volenti, & scienti nulla fit injuria, è contra verò si fœmina decepta, & spe fictæ promissionis matrimonii, quia sufficienter agnoscere non potuit dolum subesse promissioni, consensit in copulam, conveniunt pariter Doctores fictum promissorem, qui eam defloravit, teneri aut ad eam ducendam, aut satisfaciendum defforationis damno. Est autem Difficultas, an teneatur in tali casu determinatè ad eam ducendam in uxorem, vel sufficientes satisfaciat constituendo ei dotem sufficientem ad supplendum damnum defforationis, in qua difficultate tres solent referri opiniones. Aliqui enim dicunt satisfacere dotando eam. Alii dixerunt teneri ex fidelitate ad eam ducendam in uxorem, etiamsi multò nobilior esset, quàm illa, ex justitia verò ad id non teneri, sed satisfacere si damnum defforationis pecunia compensaverit, aut constitutione dotis sufficientis. Alii tandem dicunt teneri etiam ex justitia ad eam in uxorem ducendam, quàm opinionem, ut communiorem, & probabiliorem amplexi sumus lib. 4. sent. disp. 7. de Matrimonio q. 9. art. 3. num. 284. & ratio est, quia in omni contractu, ubi alter ex parte sua acceptavit, & implevit, tenetur & alter implere, etiamsi fictè contraxerit, quia ex justitia tenebatur verè contrahere; alioquin omnia humana commercia fraudibus paterent, cùm ergo hic sit contractus oneroſus, in quo singuli contrahentes ad aliquid se obligant, tenebatur ex justitia promittens matrimonium habere verum animum se obligandi, ne alterum decipiat. Et hoc etiam asserendum esse ibi diximus, quamvis sponsores disparis sint conditionis in nobilitate, & divitiis, & hoc intelligendum esse, non solùm quando mulier talis inequalitatis insciа fuit, sed etiam dùm conscia fuit, sibi tamen persuasit matrimonium ab illo ex animo promitti. Et ratio est, quia ibi intervenit verus contractus obligans ex justitia commutativa ad servandam conditionem sub qua fuit initus. Nec disparitas conditionis, ut ibi dicebamus, eximit promittentem ab obligatione adimplendi id, quod fictè promisit, quia ad substantiam matrimonialis contractus spectant solùm corpora conjugum, nobilitas verò, divitiæ, ac similia sunt prorsus accidentalia. Nec tandem refert, quod hæc inæqualitas Virgini nota inditium sufficiens fuit, & argumentum doli, & fraudis in viro nobili, ac proindè saltem in tali casu non teneri fictum promissorem ad promissionem implendam. Non refert, inquam, quia illa disparitas non est sufficiens inditium, ut mulier fictionem cognosceret, nam sæpè etiam nobiles, & divites, cum mulieribus plebeis, & pauperibus contrahere solent, undè etiam Virgo illa credere potuit, & sperare secum fieri, quod cum aliis suæ conditionis non semel factum est; ergo nisi aliundè constet fictio, manebit obligatio eam ducendi in uxorem, nec satisfaciet dotem constituendo, nisi ipsa complaceat, & remittat. & hæc est communior, & probabilior opinio, ut l. c. ostendimus, quam ex nostris sequitur etiam Poncius l. c.

63 Quartò disputant Doctores, An qui votum simplex castitatis, vel religionis emisit, & postea Virginem defloravit cum fide data matrimonii teneatur illam ducere. Prima opinio negat, & ratio est, quia per votum prius Deus acquisivit jus, quod nequit vovens propria auctoritate tollere, majorem cum altero obligationem cotrahendo, aut suscipiendo statum voto contrarium. Ità Vivaldus, Navarrus, Rodriquez, Layman, Hurtadus, Diana, & alii. Secunda opinio affirmat, & ratio est, quia ex voto oritur sola obligatio spectans ad virtutem Religionis; ex sponsalibus verò obligatio rigorosa justitiæ, quæ arctior, & strictor est, ex quo patet obligationem voti cedere obligationi justitiæ; supponit autem hæc opinio Virginem defloratam fuisse voti ignaram, quia si conscia fuisset, nulla esset obligatio illam ducendi, imò nec resarciendi damnum illatum, quia mala fide damnum illud sibi inferri permisisset. Has opiniones exactè examinat Card. de Lugo disp. 12. sect. 3. & ait primam opinionem esse probabilem, quatenus dicit votum præcedens prævalere, & stante illo non debere, nec posse duci defloratam, subdit tamen ejusmodi defloratorem excusari non posse à petenda dispensatione; vel commutatione voti, si commodè eam possit obtinere, & damnum illatum non possit aliter resarcire. & ratio est, quia ratione injuriæ, & damni illati obligationem restituendi contraxit, & illud damnum compensandi, si possit; id autem facere potest petendo dispensationem voti prioris, quam facillimè impetrabit interveniente causa adeò rationabili, & urgenti; ergò tenetur ad adhibendum tale medium, ut damnum illatum resarciatur, si aliter compensari non potest, cùm facillimè possit voti dispensationem, vel commutationem obtinere.

64 Deindè absolutè existimat veriorem aliam opinionem, quod defforator præcedenti voto non obstante, teneatur ducere corruptam, & rationem à priori ait esse, quod obligatio voti perveniat solùm ex libera voluntate gratuita voventis, quia ipse lege sua privata imponit sibi talem obligationem; non potest autem aliquis velle se obligare tali genere obligationis in præjudicium juris alieni, quia non potest ipse propria auctoritate alieno juri derogare; undè infert hanc esse differentiam inter obligationem, quæ nascitur ex injuria, & illam, quæ nascitur solùm ex propria voluntate, ut illa potentior sit, quam hæc, quia hæc pendet à te solo, qui potes dare auctoritatem, & vim contra te, non tamen contra alios. Cùm ergo in casu nostro obligatio posterior ex defforatione sub spe conjugii non oriatur ex voluntate sola gratuita promittentis, sed ex jure, quod ratione delicti acquisivit virgo deflorata, non potuit votum, cujus obligatio proveniebat tota ex voluntate voventis, huic juri alieno præjudicare. Ità discurrit Card. de Lugo. loco citato & non sine valido fundamento. Nos autem disp. 3. cit. de Matrimonio q. 9. a. 3. num. 281. diximus opiniones istas extremas conciliari posse media via incedendo, & dicendo, quod votum castitatis emissum potest, ac debet impleri, quando alia via, quam ducendo defloratam, potesti ei satisfieri, ut per constitutionem dotis sufficientis ad resarcimentum damni per defforationem illati, quando autem non potest alia via satisfieri, nisi eam ducendo, ut regulariter contingit, quando defforatione non cautè facta à viro, aut ab eo publicata, virgo est infamata, non cessat ipso facto obligatio voti, sed emergit sufficiens, & rationabilis causa petendæ, & obtinendæ dispensationis, qua obtenta tenetur illam ducere ob rationes secundæ opinionis, quia scilicet, votum non obligat cum damno notabili debiti alteri ex justitia; est igitur petenda, & obtinenda dispensatio voti in casu ad tollendam omnem dubietatem, & scrupulum, quia quando non

potest alia via satisfieri, nisi defloratam ducendo, erit obligatio eam ducendi, & tunc votum non obligabit quoad redditionem debiti conjugalis, etiamsi quoad petitionem obliget, & quoad alios actus; obtenta vero voti dispensatione, tunc votum penitus evanescit tam quoad redditionem debiti conjugalis, quam quoad petitionem, & cæteros actus.

65 Quintò tandem conveniunt DD. esse aliquos casus, in quibus promissor non tenetur puellam corruptam ducere; primo, si ipsa conscia fuisset prædicti voti, quia tunc ipsa mala fide contraxisset. Secundò, quando fœmina virum decepit dicendo se esse virginem, cùm non esset, tunc enim omnes concedunt non esse obligationem eam ducendi, etiamsi non fictè, sed verè promissum fuisset matrimonium. Tertiò si ex matrimonio grave damnum, aut scandalum sequeretur. Quartò si ipse jam sacris initiatus est, aut cum alia matrimonio copulatus, tunc enim in his casibus solùm curare tenetur ut æquè commodè nubat, modò jam declarato dando scilicet dotem sufficientem, vel aliter. Quintò si puella corrupta cum alio posteà fuerit fornicata, nam eo casu etiamsi seriò promisisset, cessaret obligatio eam ducendi, & non solùm non tenetur eam ducere, sed neque etiam ad eam dotandam. & ratio est, quia si fictè matrimonium promisit, tunc ratione fictionis solùm ad illam dotandam tenebatur, si ergo ob fornicationem sequentem ab hoc debito liberatur, ad nihil aliud tenebitur; si verò etiam serio promisit, nec etiam aliquid ei dare tenetur, nisi aliud conventum esset inter eos, quia promissio fuit tantùm ducendi illam in uxorem, ut suppono. Sextò tandem, si puella defforata nihil damni passa sit, cùm non obstante violatione jam sit æquè commodo conjugio collocata, nihil ei stuprator restituere tenetur; non ratione violationis, cùm sit prætio inæstimabilis, nec ratione damni illati, cùm nullum damnum fuerit illatum, ut dictum est suprà n. 59. in fine. Ità communiter discurrunt DD. supraç.

QUÆSTIO QUARTA.

De Restitutione ex turpi lucro, & ludo proveniente,

66 QUamvis ex dictis superius disp. 4. de Contractibus q. 1. a. 1. n. 9. assignando conditiones ad valorem contractus requisitas ex parte finis facilè deduci possit quid sit dicendum in præsenti de Restitutione acquisitorum ob turpem causam; quia tamen hoc quoque est unum speciale caput, undè communiter DD. censent oriri obligationem restitutionis, magis ad particularia descendendo, nunc declarandum est, an ex acceptione ob turpem causam oriatur semper obligatio restituendi, & quomodo, & idem posteà de ludo explicabimus.

ARTICULUS PRIMUS.

An accepta ob turpem causam sint restituenda.

67 SEnsus quæsiti est, utrùm lucrum acceptum pro perpetrando peccato commissionis, vel omissionis, aut cujuscunque modi sit, restitui debeat, ubi supponendum est ex dictis loco citato lucrum, quod provenit ex malo ratione circumstantiæ tantùm adjunctæ ex communi DD. sententia non esse restituendum, ut v. g. ex venditione in loco sacro, vel facta excommunicato publico, & notorio, vel alia privata circumstantia extrinseca adjuncta, nam his, & similibus casibus, quamvis peccatum adsit ratione circumstantiæ, tamen lucrum in se consideratum est justum, & ideò non est restituendum; quæstio igitur est de lucro accepto ex objecto in se turpi, & peccaminoso, ut cùm fure; vel assassino de furto contrahis, vel assassinio patrando, aut homicidio, nam in tali casu furtum, assassinium, vel homicidium est finis intrinsecus, & materia ipsa contractus, & lucri. Itaque ex doctrina ibi tradita juxtà communiorem, & probabiliorem sententiam quæsitum præsens ità resolvendum est.

68 Primò dicendum est, pro opere illicito patrando, seù pro turpi causa nihil dari, vel accipi posse antè factum, & operis impletionem, quod si acceptum est, restitui debet. Ratio est, quia actus dandi, & accipiendi pretium pro opere illicito, antequam illud subsequatur, participat malitiam operis, pro quo pretium datur, vel accipitur, qui enim dat pretium, illud dat veluti medium ad malum finem consequendum, scilicet, opus illicitum; ergo quilibet abstinere tenetur à solvendo, vel accipiendo pretio pro opere illicito patrando antè factum, & illius impletionem. Consequentia patet, quia actus dandi, vel accipiendi tale pretium, quod est medium ad opus illicitum patrandum, antequam opus illud impleatur, est necessariò peccatum. Ex quo sequitur, quod si tale pretium antè factum fuerit, acceptum restitui debeat, quia ille tenetur se retrahere à peccato, ad quod patrandum pretium acceptum est tanquam medium ad malum finem inducens. Ità Navarr. Medina, Lessius, Molina, Cajet. Turrianus, Covar. Azorius, Reginaldus, Amicus, Vasquez, Sanchez, Caspensis, & alii communiter, & in hoc Doctores omnes conveniunt. Est solùm difficultas, an patrato opere illicito, de quo patrando initus erat contractus, vel promissio, teneatur promittens solvere pretium, & accipiens non teneatur ad restitutionem. Aliqui enim, ut Navarr. Medina, & alii affirmant ad restitutionem teneri, quorum fundamentum est, quia operatio, quæ nullo pretio est digna, ac proindè nec vendibilis, non potest esse ratio justè aliquid retinendi, tanquam pretium illius, sed operatio, quæ est peccatum, nullo pretio digna est, sed potius digna supplicio; ergo non potest esse ratio justè retinendi pretium pro illa acceptum. Corduba verò, Sotus, & alii idem asserunt de pretio accepto pro opere illicito patrato contra justitiam, ut si Judex pecuniam accepit pro ferenda sententia injusta, testis pro testimonio falso dicendo, non autem si sit contra alias virtutes, quorum ratio est, quoniam ex injuria nullum jus oriri potest; igitur ex peccato injustitiæ nullum jus potest quis acquirere, atque ideò ad restitutionem tenetur pretii pro tali peccato accepti etiam post factum, & operis impletionem. Sed pro hujus difficultatis resolutione.

69 Secundò dicendum est, patrato opere illicito, de quo patrando initus erat contractus, vel promissio, teneri promissorem solvere pretium, & accipientem non teneri ad restitutionem, sivè tale opus sit contrà justitiam, sivè contrà aliàs virtutes, & hoc spectato jure naturæ, & in foro conscientiæ. Ità communior, & probabilior sententia, cujus fundamentum est, ut diximus loc. cit. quia quodlibet opus parvum, etiamsi qua malum, & offensa Dei non sit pretio aliquo æstimabile, tamen quia utile, ac delectabile est, aliquo pretio dignum est ex hac parte, & ratione illius vendi potest, & ex tali utilitate, vel delectatione contrahentes moveri possunt ad contrahendum, quæ ratio in quodlibet genere peccati eandem vim habet, & ideò considerata qualitate operis, in quolibet peccato potest esse pretium, quod sine injustitia retineri possit ex ea parte, qua utile est, ac delectabile, malitia enim moralis, quam habet opus malum in sua materiali entitate, prædictas qualitates non tollit, quibus redditur utile, vel delectabile, ratione quarum sit vendibile, ac æstimabile. Nec obstat, quod hæc utilitas, aut voluptas sit ab ipso actu pravo inseparabilis, quoniam sufficit, ut saltem sola ratione præscindi possit, ut ex ea moveri possint contrahentes ad contrahendum.

Confirmatur, quia hac ratione l. 4. ff. de conditione ob turpem causam, pro opere meretricio conceditur actio contrà fornicarium ad justam mercedem solvendam, & statuitur datum meretrici ob turpem causam fornicationis validè accipi, nec justè repeti posse; ergo sic etiam dici potest de actibus contrà alias virtutes, etenim ut benè discurrit Faber disp. 50. c. 4. n. 116. sicut actus meretricis est vendibilis, vel locabilis, in quantùm est actus delectabilis; ità actus peccatorum contrà alias, virtutes suum habent laborem, & industriam, & alias conditiones, quibus sunt vendibiles, vel locabiles, & sic licet hujusmodi actus sint peccata, tamen inquantum aliquid pro illis accipi potest ratione prædictæ utilitatis, delectabilitatis, laboris, industriæ, & periculi, non sunt illiciti, nec prohibiti.

70 Denique ut arguit Card. de Lugo disp. 18. sect. 3. n. 59. si patrato opere illicito, de quo patrando initus erat contractus, vel promissio, homicidio v. g. vel perjurio non teneretur promissor solvere pretium promissum, sequeretur pariter, qui virginem defloravit promisso conjugio, non teneri posteà servare promissum, quod neque Adversarii concedunt, cùm non aliter promissum fuerit, quam in pretium turpitudinis præteritæ, sicut ob sacrilegium, vel homicidium promittitur pretium; ergo si defloror tenetur ex promissione dare, quod promisit; ità in homicidio, qui homicidam indemnem servare promisit, & ei dare alimenta, si exulare cogeretur, tenebitur servare, quod promisit, ne homicida remaneat sine remedio ad vitam, sicut tenetur ducere defloratam, ne maneat sine honore. Concludendum igitur, est quod si pretium detur, & accipiatur post factum, & operis mali impletionem, pro quo datur, tunc actus dandi, & accipiendi pretium non est malus, sed justus, & honestus, tàm ex parte dantis, quàm accipientis, ex parte hujus quidem, quia acceptio pretii pro homicidio jam peracto non est acceptio rei ad faciendum malum, quod jam peractum est, ut supponitur, undè nullam malitiam ille actus habet, perindè atque acceptio pretii pro qualibet alia re honesta justus etiam, & honestus est ex parte dantis, quia debitus est ex justitia, nã tradita re, quę venditur, statī subsequitur obligatio dandi pretiū, quã nō impedit causa turpis,

ob

ob quam datur, quia quando operatio mala præcedit, actus subsequens dandi pretium non potest ordinari in illam operationem malam, tanquam in finem, finis enim posterior est mediis in executione.

71 Ex qua doctrina occurritur fundamento prioris sententiæ, licet enim operatio mala, & prohibita nullius sit valoris in genere moris ratione malitiæ; tamen in ratione entis, quia utilis, vel delectabilis, ac etiam ratione laboris, industriæ & periculi, quod sæpè habet annexum, materia esse potest alicujus valoris, ac proindè vendibilis sine obligatione restituendi id, quod pro illa accipitur, ut patet de homicida, & meretrice, hæc non accipit pretium pro peccato, sed quia corpus suum locat in obsequium, & voluptatem fornicantis; & homicida non accipit pretium pro peccato, sed pro labore, & periculo, cui exponitur homicidium patrando. Sed instant Adversarii, quia contractus de re turpi antè factum est nullus; ergo etiam post factum, quia post factum non habet vim ex pacto, aut conventione nova, sed ex antiqua; ergò si ea fuit nulla, etiam hæc erit nulla.

Confirmatur, non potest solvi, vel accipi pretium pro peccato præterito, nisi peccatum præteritum approbetur, sicut ergò est obligatio non approbandi peccatum, nec in illo complacendi; ità etiam est obligatio non solvendi, & non accipiendi pretium pro peccato præterito. Demum quando accipitur pretium saltem ob peccatum contra justitiam, injustè accipitur, ut patet de judice pro ferenda injusta sententia pretium accipiente, sed injusta acceptio obligat ad restitutionem accepti; ergo quod ità accipitur, restitui debet.

72 Respondetur negando consequentiam, nam promissio faciendi aliquid prohibitum, vel dandi aliquod pretium propter illud faciendum, non habet valorem, antequam illud in actu ponatur, quia non potest quis obligari ad faciendum malum, nec ad perseverandum in promissione pretii dandi ob maleficium, potest enim hic, & ille à promissione discedere, antequam maleficium in executione ponatur, hoc tamen non impedit, quo minus ex justitia pretium promissum dari debeat, si antequam quis significet se velle à conventione recedere, operatio propter quam promittitur subsecuta sit; undè licet contractus hujusmodi sit nullus antè factum quantum ad obligationem faciendi opus illud, non tamen quantum ad remunerandum opus jam factum, qui enim se obligat ad remunerandum opus pravum, licet alium obligare non possit, ut illud faciat; ex vi tamen hujus voluntatis remanet ipse obligatus ad solvendum promissum, non quidem absolutè, sed sub conditione operis futuri, quam includit omnis onerosa promissio.

Ad Confirmationem negatur assumptum, falsum enim est, qui solvit promissum ratificare, & approbare peccatum, solvere enim est actus fidelitatis, qui est de se bonus, licet sit de re mala, undè potest quis solvere, quod promisit pro actu peccati, & adhuc sibi displicere, quod actus ille sit commissus, solvere enim tenetur solùm, ut fidem servet, non ut peccatum ratificet, vel approbet; & alter etiam illud lucrum recipere potest, non quia peccatum placeat à se commissum; sed lucrum illud, ad quod jam accipiendum nullum peccatum requiritur. Ad ultimum, quando aliquid accipitur pro peccato contra justitiam injustè accipitur respectu illius, cui injuria inferenda promittitur, non autem respectu dantis, undè fatemur illi restituendum esse pro damno illato, non verò ei, qui pretium dedit, cui nulla illata est injuria; undè Judex, qui pecuniam accepit pro ferenda sententia injusta, post factum non tenetur ad restitutionem pecuniæ acceptæ, quamvis teneatur damna reficere parti læsæ, contra quam injustam tulit sententiam; & sic pariter testis, qui pecuniam accepit pro falso testimonio ferendo, quamvis teneatur reparare damna illata parti, contra quam falsum tulit testimonium. Ita Vasquez, Filliucius, Bonacina Azorius, Amicus, Card. de Lugo, Faber, Caspensis, Emmanuel Sà, & alii Doctores supracitatis. & hoc asserendum esse etiam de operibus, quæ sunt contra justitiam probari potest à simili, quia ex communi DD. sententia pretium pro adulterio acceptum retineri potest, adulterium autem est contrà justitiam, ergo malitia iniustitiæ non magis ex se impedit, quominus pretium validè accipiatur, quam malitia aliorum peccatorum contra alias virtutes, & opus sic iniustum materiam in se continet sufficientem, ob quam pretium acceptum antè Judicis sententiam in conscientia retineri possit, ratione periculi vitæ, vel famæ, & similium, quibus exponitur iniustè operans.

73 Tertiò Dicendum est, acquisita ob turpem causam restituenda esse non solùm antè factum, sed etiam secuto facto, quando lex efficit acquirentem dominii incapacem, & ad rem acquirendam inhabilem, res acquisita remanet aliena, ergo est restituenda; undè à regula præcedenti conclusione assignata excipienda sunt delicta, quæ acquirentem reddunt dominii incapacem, & inhabilem ad aliquid accipiendum pro tali delicto, ut est delictum simoniæ, ex qua quisque redditur incapax ad aliquid habendum, vel acquirendum, ut suo loco de simonia dicemus, undè per simoniam acquisita retineri non possunt, etiamsi voluntariè tradita fuerint, quia simoniacus injustè acquirit. Itaque acquisita ob turpem causam restitui debent, quando accepta sunt antè secutum effectum universaliter loquendo, ac etiam secuto effectu, quando lex efficit accipientem dominii incapacem, ac ad acquirendum inhabilem, ut de Simoniaco dictum est. Et in his casibus restitutio facienda est illi, à quo lucrum, vel aliquid aliud acceptum sit; in primo quidem casu, antequam secutus sit effectus, nam qui dedit, non donavit, sed dedit ob causam, nec intentionem habuit privandi se re data, nisi effectu secuto, & subsistente causa, propter quam dedit, atque ideò tali causa non subsistente, restitutio facienda est illi, q i rem dedit, in secundo etiam, quando scilicet lex reddit accipientem dominii incapacem accepta ob turpem causam illi sunt restituenda, à quo data fuere, quia qui tradidit non transtulit dominium rei in accipientem, cùm sit dominii incapax, & ideò ille illi restituere tenetur, cùm res proprio domino sit restituenda nisi aliter à jure decernatur in pœnam ipsius, sicut decernitur in casu beneficii simoniacè obtenti. Ità Molina, Lessius, Reginaldus, Bonacina, Sotus, Turrianus, Vasquez, & alii communiter contrà Medinam, & alios existimantes restitutionem in prædictis casibus esse faciendam pauperibus.

74 Quartò Dicendum est, spectato jure positivo, & foro externo, pro solo opere meretricio concedi actionem contrà fornicarium ad justam mercedem solvendam; pro reliquis verò operibus pravis probabile esse nulli pretium esse reddendum, sed retineri posse ab eo, in quo impleto opere pravo reperitur; undè si apud promissorem reperitur, non tenetur reddere operanti; si apud operantem, non tenetur reddere promissori. Ità jam statuimus disp. 4. cit. qu. 1. art. 1. in fine cum Amico disp. 17. sect. 9. & pluribus aliis; & quoad primam partem deducitur ex libr. 4. cit. de conditione ob turpem causam, ubi statuitur datum meretrici propter fornicationem validè accipi, nec justè repeti posse, quia licet illa turpiter faciat, quod sit meretrix, non tamen turpiter accipit, cum sit meretrix. Quo autem ad aliam partem colligitur ex L. *Si ob turpem causam*, ubi statuitur in hujusmodi casibus potiorem esse conditionem possessoris his verbis: *Porro etsi dantis, & accipientis turpis causa sit, possessorem potiorem esse*, quod etiam expressè habetur L. 2. Cod. eodem titulo illis verbis; *Cùm te propter turpem causam domum adversariæ dedisse profitearis frustrà eam restitui tibi desiderasti, cùm in pari causa possessoris melior conditio habeatur*. Quibus legum statutis etiam ratio favet, ut Amicus advertit loc. cit. quia leges in hujusmodi casibus actionem repetendi solum ob turpem causam negant in pœnam peccati, atqui non minus peccat qui pro peccato pretium spondet, quàm qui pro pretio peccatum committit, cùm alterum ad peccandum inducat; ergo non minus unus quàm alter est puniendus: in pari autem casu turpitudinis potior est conditio possidentis, igitur qui impleto opere pravo, quod fuit materia contractus, in possessione reperitur, alteri restituere non tenetur, spectato jure positivo, & foro externo.

75 Quintò est Difficultas, An pretium acceptum pro aliquo bono opere debito ex præcepto, vel ne fiat aliquod malum prohibitum, sit necessariò restituendum; in qua difficultate omnes ferè DD. conveniunt pretium acceptum pro opere debito ex justitia, vel ne fiat peccatum contrà justitiam, necessari esse restituendum in foro conscientiæ antè Judicis sententiam. Ratio est, quia æqualitas violatur, quoties pro eo, quod ex justitia debetur, aliquid amplius accipitur, quasi non deberetur; tùm etiam quia si pretium accipias pro eo, quod Petro ex justitia debes, vendis quod tuum non est, perindè enim est, ac si Petro rem suam venderes; tùm tandem quia si Petro debes mille, v. g. & accipis ab eo centum, ut solvas debitum jam non solvis totum, quod debes, debebas enim ex justitia facere, quod Petrus haberet mille sine ullo onere, quarè totum illud onus pretii retenti tollitur de eo, quod ex justitia solvere debebas, ut benè discurrit Card. de Lugo loc. cit. disp. 18. section. 3. Tota igitur difficultas est de pretio accepto pro operibus debitis ex aliis virtutibus, v. g. an qui accipit, ut faciat quod deberet ex aliis præceptis facere, vel omittat, quæ ex aliis præceptis extrà materiam justitiæ deberet omittere, restituere ea debeat. Prima opinio valdè communis negat pretium pro talibus operibus acceptum v. g. pro jejunio esse restituendum, nisi fortè operationes sint bona spiritualia, quæ sine simonia vendi non possunt, quale est opus baptizandi. & ratio est, quia quando hujusmodi opera non debentur ex justitia,

stitia, non debentur ad servandam æqualitatem cum juribus aliorum; ergo quamvis superaddatur pretium, pro quo hujusmodi opera fiunt, æqualitas justitiæ non læditur, ac proindè cùm injustitia non intercedat in foro conscientiæ non est obligatio restituendi id, quod accipitur pro opere aliàs debito, quia ex sola violatione justitiæ oritur obligatio restitutionis. Ità Vasquez, Sotus, Bannes, Azorius, Bonacina, Emmanuel Sà, Caspensis, & plures alii. Aliqui verò excipiunt opus proximo debitum ex charitate, nam pretium pro tali opere acceptum volunt esse omninò restituendum, nisi sit opus laboriosum, & sumptuosum. Ità Navarrus, Lessius, Medina, Reginaldus, Stephanus à S. Gregorio, & quidam alii. Tandem Cardin. de Lugo loc. cit. ait nihil acceptum propter opus bonum, vel omissionem ex alia virtute præter justitiam debitum restituendum esse ex debito justitiæ, ex debito tamen alterius virtutis aliquando restituendum esse, & aliquando non; quod ibi fusè declarat.

76 Secunda opinio, quam tenet Faber noster disp. 50. cit. cap. 4. num. 110. & ait esse communem, & veram, affirmat pretium acceptum pro quacunque actione contrà legem Dei, non autem solùm contrà virtutem justitiæ commutativæ, quæ in injuriam proximi redundat, esse restituendum, quod probat, hac convincenti ratione, ob quam hæc opinio etiam mihi probabilior videtur. Omnis creatura humana jure creationis, reparationis, & conservationis, ac supremi dominii est subdita Deo, & secundùm justitiam ei obedire tenetur, & facere quæcunque ipse præcepit, & cavere quæcunque prohibuit; undè homo ratione hujus subjectionis est debitor omnium actionum sub præcepto Dei cadentium cujuscunque sint virtutis; quarè ipse non est dominus horum actuum, ut possit eos pro aliqua alia re commutare vendendo, vel locando, quia quod uni est debitum uno justo titulo, non potest justè alteri tradi; ergo qui pretium accipit pro opere bono, quod ex Divina lege tenetur, commutat id, quod non potest, nec est sub ejus dominio, & ideò contractus est nullus, ac proindè ad restitutionem tenetur. Nec dicas hinc sequi, qui invenit rem perditam, & pro restitutione aliquid accipit, ad restitutionem accepti teneri, quia ex justitia, & secundum legem divinam tenebatur rem inventam restituere. Negatur enim consequentia, quia ut ait Faber loc. cit. regulariter quod inventori datur propter restitutionem rei perditæ, datur propter bonum nuncium, & propter actionem utilem sibi factam, undè est quædam donatio remunerativa actionis sibi utilis; & gratè; aliud autem est donare aliquid alicui, ut faciat bonum, vel vitet malum, & aliud est facere contractum non omninò liberalem cum retributione, ut est in casu propositæ difficultatis.

77 Postremò quamvis suprà dictum sit meretricem non teneri restituere, quod accepit ex copia facta sui corporis, sed illud justè retinere posse tam spectato jure naturæ, quàm positivo; in quibusdam tamen casibus Doctores communiter docent ad restitutionem teneri, nam si meretrix fraude, vel mendaciis ab adolescente plus extorsit, quàm justitia exigeret, & fœminæ prostitutæ sunt conditionis, & qualitatis lucrari solent, restituere tenetur, quia usum corporis sui majori vendidit pretio, quam secundum justitiam poterat. Similiter mulier, quæ se virginem finxit, vel non cognitam nisi à viro illustri, vel non nisi semel, cùm verè non sit virgo, & fuerit à pluribus cognita, ultra peccatum mortale ad restitutionem tenetur illius majoris pretii, quod ex injustis mendaciis extorsit; secus dicendum est de aliis mendaciis, quæ ex communi usu sunt meretricibus consueta, ad ostendendam affectionem, vel pulchritudinem, quia quisque scit hujusmodi mendacia esse illis familiaria, & si decipitur, voluntariè decipitur, & ideò nulla est facienda restitutio, quia volenti, & scienti nulla fit injuria. Item tenentur meretrices omne pretium restituere, quod acceperunt à pupillis, & minoribus, qui sine licentia suorum tutorum, vel curatorum alienare non possunt, undè quæ sine illorum licentia à minoribus acceperunt, eorum curatoribus restitui debent, sic etiam restituere debent quæcunque à Religiosis acceperunt Monasterio, cùm nihil possideant, nec possidere possint, & quicquid acquirunt, Monasterio acquirant, & quamvis eis aliqua à Superioribus concedantur, ut in suos expendant usus, hoc intelligitur in usus licitos, & honestos. Ità Vasquez, Azorius, Caspensis, Stephanus à Sancto Gregorio, & alii communiter. Denique quod de meretricibus dictum est quod scilicet, pro copia sui corporis possint accipere pretium justum, & retinere, hoc etiam de qualibet fœmina intelligendum est, quamvis meretrix non sit, ob rationem suprà allatam, quia usus corporis ad libidinem est pretio æstimabilis, & locabilis, & nullo jure est inhabilis ad illud pretium retinendum, sivè sit meretrix, sivè non, quia illa actio faciendi copiam sui corporis est titulus sufficiens ad transferendum dominium, & ideò justè retinetur, quod pro tali actione accipitur.

ARTICULUS SECUNDUS.

Quid sit restituendum ratione ludi.

78 PRimò ludus est contractus, quo ludentes inter se paciscuntur, ut victori cedatur, quod uterque deposuit, & duplex distingui solet generaliter loquendo, unus qui à fortuna dependet, ut ludus alearum, & taxillorum, ac similium, alius potissimum à dexteritate, & solertia, ut ludus scacchorum, & persimiles, & utrumque esse licitum ex natura rei omnes concedunt, secluſis imperfectionibus, quæ frequenter in eis ex vitio ludentium intervenire solent, quia ostendi non potest ex quo capite sit illicitus iste contractus inter ludentes; sicut enim quivis suæ rei dominus potest eam alteri donare absolutè, sic etiam sub aliqua conditione potest dare, sivè ea fortuita sit, sivè ex industria pendeat; imò si debitæ serventur conditiones infrà assignandæ, & aliundè scandalum non interveniat, aut iusta prohibitio, aut iniquitas, vel fraus se misceat, nec peccati sit occasio, potest esse actus virtutis, si fiat ob animi recreationem cum debitis circumstantiis, ut notat Aitesanus noster lib. 2. tit. 53. homo enim indiget quiete aliquando ad animi fatigati recreationem, quies autem animi est delectatio, qualem ludus ex natura rei afferre solet, quæ multum deservire quoque potest ad sanitatem tuendam non minus quam ambulatio, & aliæ similes actiones. Imò Doctores etiam ferè omnes, paucis quibusdam exceptis, conveniunt ludere etiam principaliter propter lucrum non esse peccatum, secluſis circumstantiis, quæ ipsum illicitum reddere possent, ut ait Faber disp. 47. cap. 16. num. 502. & ratio est, quia intendere lucrum per medium licitum sine injuria ejus, à quo speratur, nullo modo est illicitum etiam venialiter. Ex multis tamen circumstantiis ludus potest esse prohibitus, ut ratione personæ, cui ludus sit prohibitus, ratione temporis, vel loci, aut rei, quæ ludo exponitur, nec non ratione fraudis, mendacii, perjurii, blasphemiæ, & aliorum malorum, quæ in ludis quotidie eveniunt, & ideò à Sanctis acriter reprehenditur & Job 3. dicitur *nunquam cum ludentibus miscui me*, & Jerem. 15. *non sedi cum ludentibus in consilio*, frequenter enim in ludis blasphemiæ, perjuria, rixæ, odia, mendacia, & similia miscentur; & interdum etiam fit ludus cum detrimento notabilis uxoris, & filiorum, & ob ludum fit ludens impotens aliquando ad debita solvenda, in quibus casibus nullus dubitat esse peccatum mortale, de quo plura videri possunt apud Aretinum ex nostris 4. distinct. 15. quæst. 2. artic. 5. fusè de hoc tractantem.

79 Secundò, hac de causa jure civili prohibentur etiam laicis ludi omnes, qui fortuna, & casu reguntur magis, quam arte. Ità sancitur Leg. 1. 2. & 3. ff. *de aleæ lusu*, ubi etiam pœna lusoribus statuitur; in Jure etiam Canonico hæc eadem prohibitio habetur contrà Episcopos, & Clericos in Canon. 41. Concilii Apost. & cap. Clerici 2. de vita, & honestate Clericorum, quæ omnia in Conc. Trid. tandem sunt confirmata sess. 22. cap. 1. de Reformatione, ubi omnes pœnas ab aliis Conciliis, & Pontificibus contrà Clericos statutas mandat in posterum observari debere, & ratio prohibendi ludos hujusmodi laicis fuit ad evitanda inconvenientia prædicta sæpè ex hujusmodi ludis emergentia à fortuna pendentibus, nempè rixas, mendacia, & blasphemias in Deum, & Sanctos, & ne hac via bona sua lusores dilapidarent in præjudicium familiæ, & hæredum, quos alere tenentur. Ratio verò cur Clericis quoque hujusmodi ludi sint prohibiti, affertur à Concil. Trid. loc. cit. quia Clerici, tanquam in sortem Domini vocati, ità vitam, & mores suos componere debent, ut habitu, gestu, incessu, aliisque omnibus rebus cæteris exemplo esse possint. Quod autem ad laicos attinet DD. communiter docent non peccare, si absque scandalo, & recreationis gratia aleis ludant pro aliqua certa pecunia ludentis statui proportionata, quia leges allatæ non censentur cum tanto rigore hujusmodi ludos prohibere, sed tantùm in casu periculi incòvenientium prædictorum, tùm quia illæ non sunt in eo rigore acceptatæ, ut rectè Molina advertit disp. 521. Quoad Clericos verò dici non potest eas leges non esse in viridi observantia, cùm à Concil. Triden. fuerint renovatæ, & confirmatæ, & ab eis præsertim observari debent propter vitæ statum, quem profitentur, ut cæteris exemplo esse possint; advertunt tamen DD. eas pœnas non incurrere, nisi publicos lusores, qui prius moniti non se emendarunt, & quod prius moneri debeant, notavit Glossa in cap. Clerici 2. verbo aleas. Quoad peccatum verò satis probabile non est peccare, vel saltem non graviter peccare, si recreationis causa privatim, & absque scandalo pro exigua aliqua pecunia aliquando hos ludos exerceant, non enim cum tanto rigore contrà eos videntur leges illæ latæ, nec intentio legislatorum talis fuisse præsumitur, sed solùm ad scandala, & inconvenientia evitanda superius allata. Ità etiam Cajetanus, Sylvester,

D. Anto-

D. Antoninus, Sanchez, Diana, Navarrus, Lessius, Amicus, & alii passim.

80 Tertiò, cùm ludus sit contractus quidam humanus, secundum communem Doctorum sententiam tres præcipuè requirit conditiones, ut justus sit, & honestus. Prima est, ut ludentes liberam habeant administrationem rerum, quas ludo exponunt, undè qui per ludum non potest dominium transferre, nec rem ludo amissam alienare, jure naturæ ludere non potest, & lucrans in ludo tenetur lucrum restituere; undè infertur servos, filios familias, & uxores non posse ludere, cùm enim non habeant dominium, & liberam rerum administrationem, nequeunt validè in alterum dominium transferre. Concedunt tamen Doctores communiter, ut notat Bonacina disp. 2. de Restitutione in genere quæst. 3. punct. 2. uxorem posse aliquid in ludis insumere juxtà conditionem sui status, & filium familias posse ludo exponere bona castrensia, vel quasi castrentia, ac etiam aliquid de aliis bonis in ludis insumere, dùm in aula, vel studiis versatur, nam pater concedens filio alimenta supponitur etiam concedere honestam recreationem, quam adolescentes illius ætatis, & conditionis percipere solent, & quando pater expressè contradiceret, non esset rationabiliter invitus, quia hoc pertinet ad levamen naturæ. Secunda conditio est, ut alter alterum non trahat ad ludendum per injuriam, ut fraude, metu, minis, &c. undè si quis alterum sic induxerit ad ludendum, non solùm mortaliter peccat ob injuriam illatam, sed etiam lucrum restituere tenetur secundum communiorem opinionem, quia est peccatum contrà justitiam, cùm sit causa damni alterius per injuriam. Et quamvis id negent Molina, Garzias, & quidam alii, quia sic inductus ad ludendum absolutè, & simpliciter voluntariè lusit, licet secundum quid involuntariè, quod sufficit ad transferendum dominium in contractu oneroso, qualis est ludus. Attamen prima opinio est probabilior, quam etiam tenet Divus Thomas 2. 2. quæst. 32. art. 7. ad 2. & D. Bonaventura 4. distinct. 15. 2. part. art. 2. q. 1. quia talis contractus est verè per injuriam extortus, & ut tali omninò ad restitutionem obligat. Sic verò tractus sivè minis, sivè precibus importunis eis æquivalentibus non tenetur ipse lucrum restituere, quicquid dicat Poncius noster cum quibusdam aliis disput. 58. qu. 3. Nec obstat, quod in ludo, cùm sit quidam contractus, omnimoda æqualitas servari debeat, itaut vel uterque, vel neuter ludentium lucrari possit. Nam in tali casu potest hæc inæqualitas ritè in ludo intervenire ex culpa alterius ludentis, ut si quis falsis chartis ludat, ritè lucrari nequit, quia impedimentum lucro apponit ex parte sua; quod tamen non obstat, quin collusor lucrari queat, cùm impedimentum ex parte ipsius non apponatur; qui enim injuriam facit, spontè subit hoc onus, ac proindè sibi imputare debet, si commodum ex lucro reportare non possit. Ità Lessius, Sanchez, Salas, Cardinalis de Lugo, Caspensis, Diana, & alii. Tertia tandem conditio est, ut collusores, non utantur fraudibus contrà legem ludi, alioquin talibus fraudibus utens tenetur non solùm ad restitutionem ejus, quod lucratus esset fraudulenter, sed etiam ad restitutionem lucri, quod probabiliter impedivit in colludente, ut communiter Doctores tenent; undè qui aliquid in ludo lucratur, eò quod chartas occultavit, vel suffuratus est, vel sibi enumerat plura puncta, & alteri pauciora, non solùm tenetur ad restitutionem ejus, quod sic lucratus est, sed etiam ad reparationem damni, quod socius incurrit, qui alioquin probabiliter lucraturus erat, non tamen si utatur astutiis illis, quas regulæ ludi, & consuetudo recepta permittunt, ut notat Aretinus loc. cit. art. 2.

81 Quartò alii quartam addunt conditionem ad justitiam, & honestatem ludi requisitam, quæ est, ut inter ludentes sit æqualitas tam pro lucro, quam pro jactura, circà quam conditionem quæri solet, an sciens se in peritia ludi notabiliter excedere collusorem, teneatur restituere, quod lucratur, & quidem concedunt omnes, quando de excessu non constat, sed uterque alterius peritiam ignorat, non teneri, quia uterque periculo se exponit, licet alter re vera notabiliter excedat; sic etiam quando excessus non est notabilis, quia talis excessus periculum perdēdi non tollit, cùm in omni ludo magnam partem fortuna habeat; concedunt etiam non teneri, quando excedens compensat majorem excessum dando imperitiori meliores conditiones; difficultas est ergo, quando excessus in peritia est notabilis, & sine ulla compensatione, & unus scit notabiliter se socium excedere quod alter ignorat; nam si alter excessum peritiæ sciat collusoris, & hoc non obstante velit se periculo exponere, non tenebitur ille aliquid restituere, quia in tali casu nulla fit injuria imperitiori, nec ex errore contrahit, undè sibi imputare debet, si perdat. Quamvis autem aliqui negent etiam in casu propositæ difficultatis peritiorem teneri ad restitutionem lucri ex ludo acquisiti. Communis tamen Doctorum sententia ponit in eo casu obligationem restituendi, & ratio est evidens, quia inæqualitas peritiæ reddit periculum omninò inæquale, atque ideò contractum penitus injustum; ergò ad restitutionem tenetur. Probatur assumptum, quia sciens se in arte ludendi notabiliter collusorem excedere, non tanto periculo se exponit, sicut ille.

Confirmatur à pari, quia si quis in ludo monetam exponeret, quæ tantùm decem denariis valeret, pro viginti, & propterea collusor tot etiam denarios exponeret, nempè viginti, utique lucrando ad restitutionem teneretur; ergo pariter in proposito qui se periculo exponit, ut duo, pro periculo ut decem, sicut evenit de excedente socium notabiliter in peritia ludi, contractus erit illicitus & ad restitutionem tenebitur. Ità Molina, Lessius, Azorius, Medina, Poncius, Angles ex nostris, & alii communiter, quorum aliqui addunt non teneri ad restituendum totum lucrum, sed partem, quia adhuc alicui periculo se exposuit, quia in ludis magnam partem habet fortuna, ut dictum est, & ideò aliquid retinere potest juxtà rationem periculi, cui se exposuit.

82 Quintò est controversia inter Veteres, & Recentiores, An vincens ludo prohibito per lege humanam teneatur restituere, quod lucratus est. Affirmant Divus Thomas, & Bonaventura loc. cit. Riccardus, Paludanus, & alii antiquiores, & Faber noster disp. 47. cit. cap. 16. nu. 508. ait hanc etiam fuisse Scoti sententiam 4. dist. 15. qu. 2. art. 3. nam ibi docet in permutationibus in quibus intervenit deceptio, involuntarium, & prohibitio superioris esse injustitiam, ex quo particulariter deducit commutationem, quæ fit in ludis alearum esse injustam juxta illud ff. de aleatoribus L. ultima, & extrà devita, & honestate Clericorum cap. Clerici, & subdit Faber tale lucrum humana lege prohibitum esse restituendum, non luforibus, sed pauperibus Fundamentum est, quia una ex præcipuis conditionibus ad justitiam contractus requisita est, quod non sit lege Superioris prohibitus, ut constat ex dictis disp. 4. de Contractibus in communi quæst. 1. artic. 1. at leges non solùm ludum alearum, prohibent, sed etiam ad restituendum obligant, quod ex tali ludo acquiritur, ut colligitur ex ultima Lege ff. *de aleæ usu*, in qua conceditur victo in ludo prohibitio repetitio ejus, quod in ludo perdidit, quod etiam habetur in authent. *ut alearum*, Cod. de Religiosis.

83 Negant è contrà Recentiores omnes asserentes non teneri victorem ad restitutionem eorum, quæ lucratus est in ludo jure humano prohibito antè Judicis sententiam. Fundamentum est, quia non tenetur restituere jure naturæ, nam ludus ex jure naturæ vim habet transferendi dominium secuta traditione, etiamsi prohibeatur, juxtà illud axioma: *Multa illicitè fiunt, quæ tamen facta tenent*, aliud enim est contractum esse illicitum, & aliud esse irritum. Neque tenetur jure positivo, tum quia dispositio juris positivi est pœnalis, non dispositiva, lex autem pœnalis requirens actionem ad sui dispositionem, non obligat antè Judicis sententiam; tùm quia leges humanæ contractum non annullant, nec illum prohibendo irritant, sed solùm in pœnam transgressæ legis concedunt victo repetitionem ejus, quod in eo perdidit, ut facilè constabit leges citatas accuratè perpendenti. Tùm tandem quia etiamsi leges citatæ non solùm latæ fuissent in pœnam transgressæ legis, sed etiam ut contractu irritantes, adhuc in hac parte videntur consuetudine abrogatæ, cùm nemo id sibi scrupulo ducat. Ex illis ergo legibus qui ludo vetito amisit, habet jus solùm repetendi coram Judice, & victor non tenetur restituere, nisi post Judicis sententiam, undè si qui amisit repetat extrà judicium, & privatim, alter restituere non tenetur, nec potest compensationem occultè facere, quia tantùm tenetur restituere facta Judicis condemnatione. Ità Valentia, Molina, Medina, Sotus, Bannes, Salas, Lessius, Azorius, Sanchez, Rebellus, Bonacina, Card. de Lugo, Aretinus, & Poncius ex nostris, & alii recentiores passim.

81 Ut dicam breviter quid in controversia tam graves Patronos habente pro utraque parte sentiam, certum in primis esse debet Doctores omnes distinguere leges prohibentes à legibus irritantibus contractum, undè non eo ipso, quod lex contractum aliquem prohibet, eo ipso irritat, nisi id exprimat, quapropter multa illicitè fiunt, quæ tamen facta tenent. Pro decisione igitur præsentis difficultatis ponderandæ sunt leges ludos aliquos prohibentes, an simpliciter tùm eos prohibeant, num etiam tales contractus irritent, ac annullent. Et quidem loquendo de legibus juris civilis præfatos ludos prohibentibus non videntur eos irritare, sed solùm prohibere, & ad solutionem lucri per eos acquisiti post Judicis sententiam condemnare, ut expressè constat ex L. *Alearum* C. de Aleatoribus, ubi dicitur: *Nulli liceat in publicis, vel privatis domibus, vel locis ludere, neque in genere, neque in specie, & si contrà factum fuerit, nulla sequatur condemnato, sed solutum reddatur, & competentibus actionibus reparatur ab his, qui dederint*, ex quibus verbis patet victorem non obligari ad restitutionem lucri per tales ludos acquisiti, nisi post Judicis sententiam, undè quantum attinet ad leges civiles secun-

secunda sententia admitti potest; oppositum tamen dicendum est de legibus juris Canonici, ut etiam advertit Caspensis disp. 8. sec. 3. dùm ludos præfatos prohibent Clericis, & Religiosis, cap. *Episcopus* d. 35. & ca. *Clerici* 2. de vita, & honestate Clericorum, etenim ut constat ex earum verbis cum majori longè rigore ludos illos Clericis, & Religiosis prohibent, quam leges civiles prohibent Laicis, adeout illos talibus personis non tantùm prohibere videantur, sed etiam irritare, & penitus annullare, qui Canones renovati sunt per Trident. sess. 21. ut dictum est, qui tamen non intelliguntur de quibusvis Clericis, sed de beneficiariis, & in sacris ordinibus constitutis, & quando sæpè his ludis incumbunt, non verò quando semel, vel iterum citrà scandalum ludunt, & recreationis gratia, quia in prædicto cap. *Episcopus* non prohibetur alearum usus simpliciter, & quomodocunque, sed graviter prohibetur consuetudo ludendi, & frequentia, utpotè quæ virum Ecclesiasticum, ac ejus statum graviter dedecet, non verò est ità indecens ejus statui aliquando ludere, & iteratis, non tamen frequentatis vicibus, ex quo fit ut illud sit mortale, & cum obligatione restituendi, non verò istud; & hoc item ex nostris sentire videtur Nicolaus de Orbellis 4. d. 14. q. 3. §. 38. ubi loquens de Clericis, & de prohibitione alearum ex jure Canonico inquit, quod ludentes aliquando propter recreationem, & non ex consuetudine, nec mortaliter peccant, nec ad restitutionem tenentur, secus tamen si ludant ex consuetudine, & lucri cupiditate, de laicis verò sic ludentibus inquit ex jure positivo civili ad restitutionem non teneri antè Judicis sententiam.

85 Sextò est difficultas, An qui credito aliquid ludo prohibito amisit, teneatur in conscientia illud solvere. Affirmant Azorius, Rebellus, Valentia, Aretinus ex nostris, & alii quorum fundamentum est, quia sic obligat promissio mutua in tali contractu de jure naturæ, neque irritatur jure positivo, quamvis in L. Alearum C. de Religios. & sumpt. fundetur actio ad repetendum. Negant Lessius, Molina, Reginaldus, Filliucius, Diana, Bonacina, & alii plures. & ratio est, quia cui datur actio ad repetendum, à fortiori conceditur exceptio ad non solvendum juxtà regulas juris ex L. *in litis* 149. ff. de regulis juris, & ex regula 61. juris in 6. sed leges, ut patet ex dictis, concedunt in ludo prohibito perdenti actionem repetendi ea, quæ solvit; ergo &c. Pro resolutione quæsiti in primis certum esse debet spectato solo jure naturæ, & secluso omni jure humano positivo, debere victum solvere, quod perdidit credita pecunia, quia cum contractus ludi de jure naturæ sit justus, & validus; sufficiens est ad transferendum dominium in colludentem, sivè contractus fiat pecunia præsenti, & exposita, sivè de futura, & promissa; tùm quia si qui credito ludit non teneretur solvere, quod perdidit, alter verò teneretur solvere, quod amisit, non servaretur æqualitas inter colludentes. Rursus certum esse debet, & ab omnibus conceditur posse legem humanam hujusmodi contractus irritare, quibus irritatis neque qui credito ludendo perdidit solvere tenetur, nec qui accepit potest licitè retinere, sed in utroque foro conscientiæ, & judiciali restituere tenetur. & ratio est, quia Principes potestatem habent irritandi hujusmodi contractus pro bono communi Reipublicæ, uti de facto eos irritavit Carolus V. in Regno Castellæ, ut refert Angles quæst. de ludi restitutione dub. 6. statuens neminem posse ludere, etiam ludo licito, nisi pecunia præsente, & exposita; itaque tali lege suppositâ nullæ, & irritæ efficerentur promissiones, & obligationes, quæ ex ludo oriri possent, aut jam factæ essent, esetque lex illa æqualitatis plena.

86 Tota itaque difficultas est, stando in solo jure civili communi, an ludens credita pecunia, si perdit, teneatur in foro conscientiæ ad servandam promissionem, & solvendum; & mihi videtur dicendum cum Angles ex nostris loc. cit. stando in solo jure civili communi victum non teneri ad solvendam pecuniam perditam, quia cùm ludens pecunia credita possit illam repetere coram judice post solutionem factam ex legibus citatis, poterit quoque illam ratione mutuæ compensationis retinere; addendum tamen est ratione promissi, & fidei datæ teneri ad solutionem, quia leges citatæ talem promissionem irritare non intendunt, sed solùm concedere actionem repetendi datum, ac etiam exceptionem, ne perdens det perditum exigenti quantum est ex vi ipsarum, non tamen quantum est ex vi promissionis mutuæ in tali contractu de jure naturæ intervenientis, talem enim promissionem irritare non intendunt; undè hoc modo allatæ sententiæ conciliari possunt; nam prima sententia affirmat perdentem teneri in conscientia ad solutionem perditi pecunia credita ratione promissi tantùm, non autem ratione juris civilis positivi; è contra verò secunda sententia negat teneri ad solutionem perditi ex vi juris civilis, non tamen negat ad id teneri ratione promissi; & in hoc sensu etiam eam sententiam declarare videtur Bonacina disp. 2. qu. 2. punct. 3. dùm inquit, qui ludo lege humana prohibito perdidit, non teneri in conscientia solvere, quod perdidit credita pecunia, stando in jure communi Cæsareo, quod inquit appositè addidisse, nam stando in jure naturæ perdens aliquid ludo vetito tenetur illud solvere ratione promissi, quia quilibet tenetur jure naturæ promissa adimplere. Quod adhuc magis verificatur, si id juramento confirmavit, quia juramentum semper servandum est, dummodò non sit de re illicita, tùm quia ipso juramento cessit privilegio legis, quod in ipsius favorem latum est, quando autem privilegium fertur in favorem ipsius privilegiati, potest privilegiatus illi cedere, si in tertii præjudicium non cadat; cùm igitur solvere, quod ludo amittitur, non sit de se malum, neque illicitum, tenebitur victus ad solutionem, si juramentum præcessit; quamvis enim ludere ludo illicito, & vetito sit contrà bonos mores, non est tamen contra bonos mores de se in tali ludo perdita solvere, sicut coire cum meretrice est contrà bonos mores, non tamen solvere promissum juramento firmatum secuta copula, de quo plura videri possunt apud Aretinum loc. cit. a. 4.

87 Postremò est Difficultas, An qui administrat domum, mensam, aleas, lumina & alia ad ludum necessaria indifferenter omnibus ad ludendum ludo prohibito, peccet mortaliter. Negant aliqui, quos sequitur Stephanus à Sancto Gregorio lib. 2. de Contractibus cap. 74. in fine. Ratio est, quia licitum est ministrare, & vendere res indifferentes, etiam cum cognitione pravi usus; ergo etiam licitum erit præbere instrumenta ludentibus, cùm ludus ex se indifferens sit, sicut licitum est locare domum, vel vendere ornamenta meretrici.

Confirmatur ex praxi in omnibus ferè Civitatibus, ubi adsunt dictæ domus, & quamvis aliquando aliquod scandalum succedat, non ideò ex se ludus est malus, ut sit peccatum mortale illum concedere; nam si talis esset, jure naturæ prohibitus foret, quod est falsum; cùm igitur ejus usus ex se sit indifferens, neque per se destinatus ad malum, licitè concedi potest, & per consequens qui necessaria administrat ad dictos ludos non peccat saltem mortaliter.

88 Affirmant alii prædictos ministrantes rarò à mortali excusari asserentes nec Principes posse concedere ad id licentiam, immò nec permittere, quia licet ludus ex se sit indefferens, moraliter tamen semper ibi destinatur ad pravum usum, nam ibi ut plurimum, vel blasphematur, vel bona familiæ dilapidantur, vel rixæ excitantur, vel ibi ludunt minores, vel furta committuntur, & rarissimè absque peccato mortali ludus in his domibus exercetur, undè susceptores hujusmodi lusorum non consentire videntur culpæ mortali ludentium, sed ad mortale exercitium juvamen præstant, atque ideò à culpa mortali difficilè excusari possunt. Nec obstat ratio oppositæ sententiæ, quia quamvis licitum sit indifferentia ministrare cum cognitione pravi usus, quando non ministrantur in ipso exercitio, v. g. locare domum, & vendere ornamenta meretrici, quia hæc non ità directè, proximè, & immediatè sunt adjumento illi ad peccandum; contrarium tamen evenit in nostro casu, ubi domus, & instrumenta ad ludendum ministrantur in ipso exercitio, & magis directè, proximè, & immediatè. Tùm quia vendere ornamenta meretricibus, atque eis locare domos, quarum esse potest bonus, & malus usus, nulla lege humana est prohibitum, at verò aleatores domi receptare, eisque mensam, & aleas subministrare, & alia ad ludum necessaria, lege humana prohibitum est adjuncta pœna ff. de aleæ lusu, & aleatoribus, ubi per tres leges graves pœnæ contrà hujusmodi susceptores statuuntur. Nec etiam obstat argumentum ex contraria praxi deductum, & quod omnia jura, quæ alearum, & taxillorum ludos prohibent, sunt ex contraria consuetudine aboleta. Quia non desunt alii praviissimi abusus, qui in hac corrupta mundi ætate usurpantur, & tamen sine peccato mortali permitti non possunt, undè neque ex tali prava consuetudine introducta præfata jura aboleri potuerunt stantibus circumstantiis, sub quibus tales ludi fuerunt juribus illis prohibiti. Ità Navarrus, Sanchez, Caspensis, Diana, Aretinus noster loc. cit. & plures alii; quæ opinio est tutior, & probabilior.

89 Sed hæ quoque opiniones facilè conciliari possunt, nam ut advertit Stephanus à S. Gregorio loc. cit. Auctores oppositæ sententiæ non negant respectu alicujus domus particularis, ubi sub specie ludi exercentur fraudes, blasphemiæ quotidianæ, & alia prava contrà Deum, & proximum esse peccatum mortale, nam dictæ domus rationabiliter peccariæ vocantur, & non domus ludi, & ideò ministrantes necessaria ad dictos ludos peccaminosos, vel exponentes domum ad id, vel permittentes has domus, ait non solùm mortaliter peccare, sed etiam ad restitutionem teneri, quia ex quotidiana experientia tantæ pravitatis ipsi dicuntur causa proxima tantorum malorum, & in hoc sensu dicit intelligendos esse Doctores primam opinionem sustinentes, qui solùm intendunt ministrare omnia prædicta pro ludis

judis ex se non peccaminosis non esse mortale, nec contrà justitiam, & consequenter ex tali subministratione non posse oriri obligationem restitutionis, cùm non sit contrà justitiam alicui debitam, nec peccatum aliquod nisi in casibus jam dictis; quo sensu intellecta prima opinio admitti potest, nec multum discrepat à secunda.

QUÆSTIO QUINTA.

De Restitutione ex aliis capitibus proveniente.

90 QUædam alia capita assignari solent, ex quibus etiam restitutionis obligatio consurgere potest, nimirum ex injustitia contractus, ex vectigalium defraudatione, ex incertis debitis, & inventis, ex venatione, piscatione, & aucupio, & ex bonis in bello captis; sed quia de obligatione restituendi, quæ provenit ex injustitia contractus, jam superius egimus disp. 4. de Contractibus, & de obligatione restituendi ex vectigalium defraudatione disp. 6. de Obligationibus justitiæ distributivæ q. 1. art. 2. & de obligatione ex incertis debitis, & inventis plura diximus disp. 3. de Justitia, & Jure q. 3. art. 1. & disp. 7. de Restitutione in communi q. 2. art. 3. n. 53. & 55. ideò in hac ultima quæstione breviter de cæteris agemus.

ARTICULUS PRIMUS.

De Restitutione ex venatione, piscatione, & aucupio.

91 CONveniunt Doctores, si animalia silvestria ab aliquo capta fuerint, & posteà ejus dominium, & potestatem evaserint antè manuefactionem, cuicunque licere ea capere, & in tali casu fieri primò capientis, tunc enim censetur primus capiens illorum amisisse dominium, & secundus acquisivisse; undè si Cervus silvester ex loco, ubi clausus manebat, effugeret, itaut cum difficultate à possidente capi possit, fit primò capientis; nam si facilè capi possit, adhuc sub priori domino censetur esse. Si verò animalia sint domestica, & mansueta, vel facta mansueta, cùm anteà silvestria essent, etiamsi dominorum possidentium potestatem evaserint, ea capere non licet, & capiens ad restitutionem tenetur, ut constat ex Instit. de rerum divisione. & ratio est, quia per hujusmodi fugam animalia illa pristinam libertatem acquirere non censentur, quam prius habebant, antequam à primo domino caperentur, quod præsertim de illis verificatur, quæ assueta sunt etiam post fugam ad dominum redire. Verum est tamen unam certam regulam pro iis dari posse, quædam enim plus temporis requirunt, quædam minus, ut jam ad suam pristinam libertatem, & feritatem rediisse censeantur, atque ideò fiant iterum primò occupantis; undè aves quæ in cavea custodiuntur, statim ac egrediuntur, & liberè evolare possunt, censentur non esse prioris domini, nisi adhuc facilè eas recuperare possit. Columbæ verò è columbario possidentis egressæ tunc illud relinquere censentur, si ter, vel quater ad columbarium alterius accesserint, nec tempore consueto redeant, jam enim ex hoc dominus prior videtur earum amisisse dominium. Ità Molina, Card. de Lugo, Caspensis, & alii communiter, quod tamen prudentis arbitrio mensurandum est.

92 Primò tamen est Difficultas, an liceat columbas ex alieno columbario ad tuum allicere meliori esca proposita, vel aliis artificiis, quibus consuetudinem redeundi ad proprium amittant, & tuæ fiant. Hic autem cum communi sententia supponendum est columbaria licita esse ex natura rei, nisi alicubi aliqua lege prohibeantur, ut ex nostris docet Astesanus l. 5. tit. 29. art. 2. in fine, & Nicolaus de Orbellis 4. dist. 15. q. 3. §. 42. licet Paludanus, Major, & quidam alii antiquiores putaverint illicita esse propter damnum, quod columbæ satis, & seminibus inferunt viciniorum; hæc enim ratio non convincit, quia columbæ plus proficiunt terris, quas frequentant stercorizando, & prava semina comedendo, quàm aliàs noceant; tùm quia si columbaria non essent, columbæ silvestres, magis multiplicarentur, & longè majus damnum inferrent; tùm tandem, quia columbaria esse licita communis usus confirmat; ea tamen habentes curare debent, ne desit cibus, sic enim columbæ minus nocebunt. Hoc ergo supposito circa dubium propositum communis opinio docet eum, qui in suo columbario cum fraude illecebras apponit, ut aliorum columbas eò traducat, ad restitutionem teneri; quia quilibet in suo columbario jus habet contrà alios durante suo dominio, ne utantur mediis per se ordinatis ad columbas à suo dominio extrahendas; secus autè est, si per accidens, & sine fraude id accidat, ut v. g. si columbarium commodius faciat, ut suas columbas à temporum injuriis melius tueatur, vel si abundantius eis provideat, ut pinguiores, & fœcundiores fiant, hæc enim omnia possunt alienas attrahere sine ulla restitutionis obligatione. Ità Lessius, Molina, Vasq. Card. de Lugo, Caspensis, Angles ex nostris, Layman, & alii communiter; qui tamen advertunt consulendam esse loci consuetudinem, dicunt enim in quibusdam locis usum esse, ut omni arte licitum sit alienas columbas ad suum traducere columbarium, quod etiam magis expediret ad jurgia vitanda, & occasiones peccandi; difficile enim est aliquem optimum pabulum in suo columbario apponere præcisè ad suas columbas retinendas, nec ullo modo alienas allicere intendat; undè aliqui ad scrupulos tollendos dicunt, etiamsi ex intentione illas ad se pertrahendi id faciat, ad restitutionem non teneri, dum utatur suo jure proprias pascendi columbas, nec mediis utatur per se ordinatis ad alienas pertrahendas.

93 Secundò est Difficultas, an liceat columbas, dùm extrà columbarum vagantur, capere, & occidere, sicut alias volucres, quæ aucupio capiuntur. Conveniunt Doctores, ut notat Card. de Lugo disp. 6. sect. 5. ex natura rei id non licere, quod ex modo dictis non obscurè deducitur, siquidem ea animalia, ut dictum est, censentur esse sub dominio, & potestate prioris domini, quamdiù consuetudinem redeundi non amittunt, undè in quibusdam locis graviter puniuntur, qui columbas vendunt columbaria non habentes, quia furtivæ præsumuntur. Nihilominus aliqui, ut Toletus lib. 5. summæ c. 20. in fine, putant secluſa etiam lege positiva, distantiam aliquam magnam à columbario sufficere ad præsumendum in dubio non esse columbas sub alicujus dominio, quod etiam approbat Card. de Lugo loc. cit. sed esse omninò sylvestres, nec ullum dominum habuisse, vel si habuerunt, jam illum deservisse ob victus penuriam, vel alia de causa, undè ait Toletus loc. cit. intrà spatium per leges permissum eas capere non licere, dùm à propriis dominis aluntur, si verò nullus cibus eis à propriis dominis subministratur, ob idque terras, & campos aliorum devastant, ait licitè capi posse à dominis illorum, quibus damnum inferunt, quia Princeps auferre non intendit jus naturalis defensionis contrà aggressorem injustum, qui in alienos agros columbas famelicas immittit. Addit tandem posse etiam licitè columbas capi, cùm extrà spatium determinatum nimis vagantur, ac si essent omninò sylvestres, illa enim longinqua vagatio arguit in utroq; foro non esse amplius domesticas, sed sylvestres. Quanta autem esse debeat hæc distantia, leges non determinant, sed arbitrio prudentum determinanda relinquitur; extat tamen lex in Hispania, ut refert Card. de Lugo cit. ex Covarr. in regula *Peccatum* 2. part. §. quæ permittit, posse columbas capi extrà Leucam à columbariis, hoc est, tria milliaria Italica; ut enim in hac re aliqua certa regula assignaretur, & terminus statueretur, voluit rationabiliter legislator, ut quoties intrà leucam discurrent columbæ à columbario, præsumeretur pro domino; extrà leucam verò contrà illum, quia regulariter à suo nido tam longè avolare non solent, nisi habeant magnam victus penuriam, undè credibile est, ut ait Card. de Lugo, hac lege voluisse legislatorem negligentiam, vel avaritiam dominorum punire, qui columbas debito pabulo privando cogunt ad victum quærendum per aliorum sata, non solùm proxima, sed etiam valdè remota, & ideò justè voluit columbas in longinquo captas in dominium capientis transire: Adhuc tamen verum est nec etiam extrà leucam columbas capi posse, quando anceps fraudolenter, & artificiosè v. g. seminibus sparsi paulatim eas extrà leucam extraheret, ut eas impunè capere posset, hoc enim esset eas vi, & dolo ex potestate sui domini extrahere, ut ait Card. de Lugo ibidem ex Medina, Navarro, Molina, & aliis.

94 Tertio dubitatur, An Principes venationem, & piscationem justè prohibere possint. Quamvis aliqui apud Covarr. loc. cit. negaverint Principes venationem, vel piscationem prohibere posse, quia potestatem non habent suprà jus naturale, aut gentium, quo venatio, & piscatio est omnibus permissa; oppositum tamen omnes DD. communiter docent, quia multa sunt jure naturæ permissa, quæ tamen justis de causis jure humano aliquando sunt vetita, ut patet de esu carnium, qui jure naturæ est licitus, & tamen aliquando ab Ecclesia est prohibitus: sic ergo pariter venatio, & piscatio quibusdam temporibus prohiberi possunt, quando in communem vergit utilitatem, quando feræ procreationi prolis attendunt. Major autem difficultas est de loco, an scilicet, Princeps possit licitè venationem, vel piscationem in aliquo loco communi subditis prohibere, eamque facultatem sibi soli usurpare. Negant Hostiensis, Joan. Andreas, Decius, & quidam alii Juristæ, quia jure naturæ, & gentium hæc animalia sunt velut libera, & quasi naturalem libertatem habentia, qua ratione de jure naturæ sunt omnibus communia, ac proindè sunt primò capientis; ergò horum animalium

lium venatio in locis communibus à Principe impediri non potest, quia nullus Princeps juri naturæ derogare potest. Contraria tamen sententia est vera, & communiter accepta, quod hoc facere potest ex consensu populi sivè gratis dato, sivè per contractum oneroſum præstito, quia potest populus cedere juri suo; potest etiam hoc facere, si necessarium judicetur ad necessitates communes, vel etiam ipsius Principis sustentationem, sicut etiam ad hunc finem alia tributa imponi possunt. Ità Doctores omnes adducti, qui addunt hoc etiam Principem facere posse ad solam sui recreationem, reservando sibi in aliquo loco aliàs communi venationem, vel piscationem; cùm enim Principes pro Republica laborent, possunt etiam ex publico debitę recreationis causa hoc sibi reservare in aliquo loco determinato; quod appositè additur, quia in omnibus locis populi hoc facere posse non videtur sine ejus consensu ad solam sui recreationem, nisi propter hoc remittat aliquid de tributis; nimis enim inhumanum esset, & aliquid tyrannidis saperet, sibi, suæ recreationi tantùm consulere velle, & populum omni hujusmodi recreatione privare, quæ in juræ naturæ, & gentium conceditur; cavere tamen debet Princeps in loco sibi ad venationem reservato damna, quæ hujusmodi feræ agris vicinis inferri solent, aliàs ad restitutionem teneretur, nisi subditi condonent.

95 Quartò dubitatur, An unusquisque possit prohibere venationem in agro suo. Aliqui Juristæ absolutè affirmant quemlibet habere jus prohibendi venationem suo prædio ex §. *Feræ instit. de rerum divisione*. Sed melius resolvitur hæc difficultas procedendo cum distinctione assignata à Scoto, Medina, Angles ex nostris, & à Card. de Lugo loco citato, nimirum fundum proprium alicujus privatę personæ aliquando esse muro circumdatum, vel sæpe, vel talem propter aliquas circumstantias, ut domino liceat aliis ingressum impedire ad evitandum damnum, quod segeti, fructibus, & arboribus ex libero aliorum transitu imminere possit; & tunc sicut dominus rationabiliter alios ab ingressu arcere potest, sic etiam in eodem fundo venationem, vel aucupium prohibere poterit; & in hoc sensu lex citata intelligi debet, in qua dicitur non posse aliquem in alieno fundo, invito domino, aucupari, loquitur enim de fundo, cujus ingressum posset dominus aliàs prohibere. Aliquando verò talis est fundus, ut liberum sit cuique illum ingredi, vel illuc transire, ut quando fundus est ostiolus nulla habens semina, vel post absolutam messem, vel solùm ad communia pascua deservit, quæ transitu nihil pati possint, & hanc servitutem videtur habere consuetudine præscriptam; tunc in tali fundo sicut dominus non potest aliis ingressum, & transitum rationabiliter prohibere; sic nec videtur prohibere posse, ut ibi leporem insequantur, vel aves capiant, quia ad hos usus communis esse videtur ager ille, sicut omnes aliæ campi, vel montis partes. Advertit tamen Astesanus noster loc. cit. venatores, qui conculcant agros, & vinas aliorum, quorum canes occidunt anseres, oves, & agnos pauperem, teneri restituere existimationem damni, aliàs mortaliter peccant, si non restituant, nisi damnum ità modicum esset, quod probabiliter non curarent illi, quibus fieret.

96 Quintò est Difficultas, An peccet, & ad restitutionem teneatur qui venatur, vel piscatur contrà prohibitionem justam. Non est autem quæstio, quando venatio prohibita est ratione status personę, prout prohibita est Clericis, & Religiosis ex Concilio Aurelianensi, vel solùm ob bonum commune, ut solet prohiberi mensibus, quibus animalia sunt gravida, vel tali genere retium, & instrumentorum, ne animalia consumantur penitus, & extinguantur, sed quæstio est, quando prohibitio facta est ratione loci, cui est immunitas data à Principe, vel in gratiam alicujus, qui solus ibi venari potest, & feras, vel pisces capere, cæteri verò prohibentur. Prima sententia docet, venatorem acquirere quidem dominium ferarum quas capit, peccare tamen contra justitiam in illum, qui solus in eo loco jus venandi habebat, atque adeò debere ei restituere, non quidem feram captam, aut ejus valorem, sed quantum detrimenti passus est ob venationem illam. Quod autem dominium ferarum acquirit, ex eo probat, quia licet dominus sylvæ jus haberet eas capiendi, nondum tamen eas cæperat, atque ideò sylvestres manebant adhuc, & in sua libertate, & ideò fiunt primò capientis; undè licet aliquis habeat jus piscandi in toto hoc flumine, & quod nullus alius piscetur, non ideò est jam dominus illorum piscium; hæc enim, quæ suam retinent libertatem non possunt fieri nostra per solam voluntatem nostram, vel Principis, & ideò venator, qui eas feras capit, fit dominus earum, cùm eas in nullius bonis inveniat. Ità Medina, Covarr. Molina, Lessius, & plures alii.

97 Secunda sententia negat venatorem in proposito casu peccare contrà justitiam, & ad restitutionem teneri damni illati, & tantùm ait peccare contrà obedientiam, & legem. Ità Vasquez, Turrianus, Card. de Lugo, Caspensis, & alii, quæ opinio mihi probabilior videtur, nempè non teneri restituere neque animal captum ob rationem à prima sententia adductam, neque damnum illatum, nisi fortè gravius esset, quàm sola captio animalis illius, undè non possunt stare hæc duo, quod, scilicet, venator acquirat dominium illius feræ, & quod teneatur ad restitutionem damni illati per talem venationem, & captionem. Nec obstat, quod captura sit prohibita, quia illa prohibitio solùm facit, quod talis venatio sit contra obedientiam, & legem; non verò quod sit contrà justitiam, cùm feræ illæ adhuc maneant nullius in bonis, & ob suam libertatem aptæ, ut fiant primò occupantis, & capientis eas. Nec etiam obstat, quod lex talem venationem prohibens sępè sit sub gravi pœna; quia communi prudentum judicio graviter obligare non censetur, licet domini tantùm ibi venari soleant; quia feræ nullius sunt, nec Princeps earum restitutionem petit, sed tantùm pœnam exigit, si venator deprehendatur; quæ etiam pœna non debet esse corporalis v. g. mutilatio, vel flagellatio, ut notat Astesanus loc. cit. & alii communiter, sed tantùm pecuniaria, vel incarcerationis per aliquod dies. Denique quando animalia ex talibus locis à Principe prohibitis egrediuntur, à quocunque possunt licitè capi, nec ob id possunt puniri, quia tunc jure gentium sunt primò occupantis.

98 Sextò est difficultas, an fera ab uno vulnerata, & posteà ab alio capta sit vulnerantis, vel capientis. Item cujus sit fera, quæ postquam in ejus laqueum præparatum incidit, ab alio supervenientę invenitur, & capitur. Aliqui dixerunt esse capientis, quia vulnerans, vel dominus laquei nondùm eam ceperat, atque ideò nondùm erat dominus feræ, quod deducunt ex lege *In laqueum* de acquirendo rerum dominio. Quoad secundam difficultatem verius videtur talem feram laqueo meo captam, & ibi existentem, esse meam, & sub meo dominio, jam enim anteà per instrumentum meum apprehensa est, & libertas naturalis ei ablata fuit, & in meam venit potestatem, sicut si manibus eam tenerem. Ita Molin. Layman, Emmanuel Sà, Caspensis, & alii, qui explicant legem in oppositum adductam in casu, quo fera esset laqueum evasura, & se esset ab eo extricatura, tunc enim posset ab alio capi, & licitè possideri, quia qui laqueum posuit nondùm ità perfectè illam habebat; quod si dubium sit, an esset laqueum evasura, judicari debet pro eo, qui laqueum posuit, quia in dubio melior est conditio possidentis, vel quasi possidentis, ut est in proposito. Quo autem ad primam difficultatem de fera ab uno vulnerata, & posteà ab alio capta distinguendum est cum Molina, Lessio, Layman, Card. de Lugo, Caspensi, & aliis, si enim fera vulnerata manus vulnerantis moraliter evadere non potest, quia graviter est vulnerata, & illam velociter insequitur sine dubio capturus, tunc fera sub ejus potestate, & dominio censenda est, & quasi ab eo capta, quare alius justè eum prævenire non potest; si verò dubium esset, an foret eam capturus, tunc fera censenda est capientis, & non vulnerantis, quia tunc videtur suam naturalem libertatem habere, & ideò fit primi occupantis, quod satis dilucidè deducitur ex L. *Naturaliter* ff. de acquirendo rerum dominio, ubi dicitur feram recepisse naturalem libertatem, quando difficilis est ejus prosecutio.

99 Postremò est Difficultas, quid sit dicendum, si contingat feram, quam ego prosequor, incidere in tuum laqueum. Aliqui dicunt in tali casu feram esse primò occupantis, quia uterque habet jus occupandi, tu quia habes eam in tuo laqueo, ego verò quia feci in illum incidere, atque ideò erit alterutrius, qui eam primò occupaverit. Ità Lessius, Caspensis, & alii. Aliqui è contrà dicunt, esse illius, in cujus laqueum incidit, quia quicquid anteà tu feceris persequendo, nondùm tamen eam cæpisti; ego autem primus cæpi laqueo meo, cùm anteà non esset capta, sed proxima, ut caperetur. Ità Card. de Lugo disp. cit. sect. 8. Alii tandem cum distinctione procedunt, si fera non incidendo in laqueum adhuc ab eo persequente evadere non potuisset, tunc totam ad renatorem pertinere, quia laqueus ad capturam per accidens se habuit. Si verò laqueo non extante, adhuc evadere potuisset, feram esse dividendam, quia & laqueus, & insecutio fuerunt simul concausæ, ut caperetur. Ità Molina disp. 43. in fine; qui dicendi modus mihi probabilior videtur, & conformior doctrinæ traditæ in casu de fera ab uno vulnerata, & posteà ab alio capta, diximus enim quod si fera vulnerata manus vulnerantis moraliter evadere non possit, quia graviter est vulnerata, & ideò velociter eam insequitur, ut sit moralis certitudo comprehensionis, tunc fera sub ejus dominio, & potestate censenda est. De qua materia etiam videri potest Mons Regalis ex nostris de septimo Decalogi præcepto cap. 7.

A R-

ARTICULUS SECUNDUS.

De Restitutione ex bello injusto.

100 QUuandonam bellum sit justum, & quando injustum patet ex dictis disp. 3. quæst. 3. art. 2. in fine, ubi diximus ad justitiam belli duo præsertim requiri, primum est legitima auctoritas in inferente bellum, quæ solùm residet in Principe, vel Republica, quæ superiorem non recognoscit; alterum est justa causa, seù legitimus titulum bellandi; quibus conditionibus deficientibus bellum dicitur injustum, & ex ipso oritur obligatio restituendi rapta hostibus, & acquisita in eo; quæ obligatio breviter est modo declaranda in hoc articulo, nam de justitia belli exactius agemus disp. seq. quæst. 4. art. 2.

Primò itaque docet Angles ex nostris lib. 4. sent. quæst. de restitutione ex bello injusto Difficul. 2. quod quando bellum est justum, & Superioris auctoritate illatum, qui plus abstulit, quàm ab hostibus debebatur, sivè aggressor, sivè defensor sit, ad restitutionem non tenetur. & ratio est, quia quando bellum est omninò justum, qui gerit bellum est Minister justitiæ divinæ, & humanæ, atque ità poterit, ut Judex, & Minister in pœnam delicti retinere omnia, quæ ab Adversariis ultrà rem à Tyranno occupatam abstulit, quemadmodum Judex latronem punit in septuplum ultrà rei furtivæ pretium. Inferens verò bellum sine superioris auctoritate, etiamsi justa de causa moveatur, nimirum ad recuperandas res proprias ab adversariis usurpatas, quicquid ultrà debitum abstulerit, restituere tenetur. & ratio est, quia cùm non sit justitiæ Minister, eo quod sine Superioris auctoritate bellum induxit, adversarium punire, vel ab illo quiquam ultrà sibi debitum auferre non potest, quemadmodum dominus rei furto sublatæ auctoritate privata furem in quadruplum punire nequit, ut potest Judex. Ità Angles ad verbum loc. cit. cum pluribus aliis.

101 Secundò, milites peccant cum onere restituendi, si à rusticis, & aliis apud quos hospitantur, vel per quorum loca transeunt, auferant, aut invitis extorqueant, vel etiam donata accipiant, nisi constet omninò liberè fieri, siquidem donationes istæ regulariter solent esse coactæ ex vi, & metu, non autem spontaneæ, præter ea, quæ iis subministrare debent ex constitutione Principis, nisi tamen sint in extrema, vel saltem gravi necessitate. Ità Molina, Becanus, Palaus, Diana, Busemb. & alii passim. Quod verò attinet ad bona hostibus erepta in bello justo communiter Doctores docent, quod si immobilia sint, non esse capientium, sed Principi applicari debere; bona verò mobilia in actuali conflictu capta, & erepta jure gentium sunt ipsorum capientium, etiamsi compensationem damnorum excedant, & ab eis justè possideri possunt. Addunt tamen Bartolus, Sylvester, Tuscus, Stephanus à S. Gregorio, & alii, quod licet hujusmodi bona mobilia jure gentium sint ipsorum capientium, & inter ipsos dividenda; jure tamen positivo debent prius poni in communi, & Capitaneo assignari, ut cuicunque secundum merita distribuat; aliter enim rapina esset, nisi consuetudo adesset, ut unusquisque quod capit retineat. Addunt insuper hoc non intelligi de bonis passageriorum, seù transeuntium neminem infestantium, sicut nec possunt eorum personæ molestari, & idem dicendum ajunt, si caperentur homines, vel eorum bona in territorio non diffidato, quia tenerentur capientes ad restitutionem omnium damnorum, imò tanquam latrones condemnari possent. Tandem ab hac regula excipiunt etiam bona Ecclesiæ, & Ecclesiasticorum innocentium, quæ ob delictum civitatis occupari non possunt; & damna à militibus illata Ecclesiis, & Monasteriis sunt restituenda, ut definitur in cap. *Innovamus* de tregua, & pace, & est Concilii Lateranensis sub Alexandro Tertio, sunt etiam milites excommunicati excommunicatione Papali, ut habetur in cap. *Conquesti* de sententia excommunicationis; quod intelligendum est, quando bellum non est contrà Prælatum, sed adversus dominum temporalem; quod additur, quia si bellum justum sit contrà Prælatum Ecclesiæ injustè pugnantem, Clerici expoliari possunt absque prædictis pœnis, quia sunt subditi Prælati injustè pugnantis, ut Angles advertit loc. cit. Difficul. 5.

102 Tertiò præterea addunt Azorius 3. p. lib. 2. ca. 7. qu. 20. Stephanus à S. Gregorio lib. 1. c. 17. n. 32. & plures alii, finitima regna inter se bellum continuum habentia posse semper, & continuè bona sua adinvicem recuperare ex quibuscunque personis alterius regni inimici, si tale bellum sit ex voluntate Regum; & hoc convenit non solùm toti Regno in bello publico, sed omnibus, & singulis personis in bello particulari ex virtuali eorum Regum voluntate, ut dicitur de Turcis, & Seracenis, quorum bona impunè à Christianis possunt auferri, quia Christianorum terra possident, & iniquis persecutionibus eos affligunt, & tanquam hostes atrocissimi Christianam Religionem, & imperium delere conantur, undè licitè occidi possunt, & terris, ac aliis bonis expoliari. Itaque suppositio bello continuo inter Gallos, & Hispanos, ut hac tempestate valdè periculosum est, si Hispanus etiam bello privato bona abstulerit Gallo, & ambo sint ex confinibus, ubi est bellum continuum, & Gallus sciat bona sua aliter ab Hispano recuperare non posse, nisi spoliando alium Hispanum, vel si talis Gallus ad Regem Hispaniæ recurrat, ut bonorum sibi ablatorum restitutionem præcipiat, & Rex id agere nolit, vel saltem probabiliter hoc prævideat, utique in tali casu Gallo licitum erit pro compensatione suorum bonorum alium spoliare Hispanum, & hoc non nisi ratione belli continui ex voluntate Regum inducti.

103 Quartò tandem conveniunt Doctores omnes bello injusto acquisita esse restituenda, imò Calderinus consil. 95. nu. 6. & Angelus consil. 367. nu. 5. addunt cum aliis non solùm talia bona esse restituenda, sed etiam restitui debere omnia damna, & interesse illorum, nec valere consuetudinem in contrarium, idque intelligunt de quocunque bello injusto, sivè ratione causæ, sivè ratione modi, & ordinis procedendi. Advertendum tamen est cum Molina, Bannes, Azorio, & pluribus aliis, milites bona fide in bello pugnantes, & eos qui jam dubium deposuerunt de injustitia belli, si posteà noverint bellum fuisse injustum non teneri de damnis illatis, sed tantùm restituere tenentur, quod habent de bonis in dicto bello captis, & hostibus ereptis, ac etiam id, in quo facti sunt ditiores; quod si dubium non deposuerint, quod de dicta belli justitia practicè habent, & posteà noverint bellum fuisse injustum, tunc à restitutione omnium damnorum illatorum non excusantur. Quæres, an bona acquisita bello injusto ex parte inimicorum, ut à Saracenis, vel Turcis, & posteà ab aliis Christianis recuperata, fiant, & acquirantur ipsis recuperantibus. Respondetur dominos bonorum amissorum bello injusto ex parte inimicorum, ut in casu posito non perdere dominium dictorum bonorum, cùm dominium non transferatur, nisi in bello justo, & ideò dicta bona recuperantes ab hostibus tenentur illa propriis dominis restituere, compensata tamen æstimatione operæ, & industriæ adhibitæ in dictis bonis recuperandis, & idem dicendum est de mentibus dicta bona aliena. Ità Molina, Bonacina, Stephanus a S. Gregorio, & alii.

DISPUTATIO DECIMA
DE PRÆCEPTIS VIRTUTUM THEOLOGICARUM.

PRæmissis in præcedentibus Disputationibus, quæ spectant ad notitiam legum, & præceptorum in generali, quales sunt regula tùm interna, tùm externa actuum humanorum ad eorum bonitatem, vel malitiam dignoscendam, modò in sequentibus disputationibus descendendum est ad leges, & præcepta in particulari Dei, & Ecclesiæ. Quoniam verò horum præceptorum fundamentum sunt Virtutes Theologicæ Fides, Spes, Charitas, de harum præceptis primò agendum est in præsenti disputatione, utpotè quæ sunt quasi præambula Decalogi, omissis quæstionibus ad speculationem, & scholasticam pertinentibus, de quibus sufficienter egimus lib. sent. disp. 6. repetendo solùm interdum quæ ad moralem doctrinam pertinent, vel lectorem ad ea loca remittendo.

QUÆSTIO PRIMA.

De præceptis fidei.

CUm fides sit sacrorum, quæ de Deo sunt eloquiorum dux, & cæterorum fundamentum, ut ait Sanctus Basilius in Psal. 115. primo loco in præsenti quæstione explicabimus ea, quæ ad virtutem fidei spectant, & vitia ei contraria; deindè quæ ad præceptum Spei, & postremò quæ ad virtutem Charitatis, & ad ipsius obligationem pertinent.

ARTICULUS PRIMUS.

Quæ mysteria fidei necessariò sint credenda, & quando.

2 PRimò recolendum est ex dictis disp. 6. cit. quæst. 16. ab initio, in lege gratiæ post Evangelii promulgationem omnes fideles teneri aliquo modo explicitè credere articulos fidei, licet hæc necessitas respectu omnium fidelium non sit æqualis, ut ait Scotus 3 dist. 25. q. 1. nam majores, ut Prælati, & Superiores omnes præsertim Episcopi, tenentur habere fidem magis explicitam omnium mysteriorum, utpotè quibus alios de rebus fidei instruere incumbit ex officio; minores verò præsertim rudiores, & simpliciores non tenentur de necessitate omnes, & singulos articulos explicitè, & distinctè credere, sed sufficit, quod in generali credant totum id, quod Ecclesia credit; in particulari verò tenentur ad explicitè credendum illa, quæ sunt facilioris capacitatis, ut postea explicabimus. Ex iis verò, quæ fideles explicitè credere tenentur, quædam necessariò credenda sunt necessitate medii, seù finis, quibus etiam inculpabiliter ignorantis finis ultimus obtineri nequit; alia verò necessitate præcepti, sine quibus nimirum inculpabiliter omissis adhuc finis obtineri potest; quæ duplex necessitas medii, & præcepti satis explicata est disp. 6. cit. quæst. 15. ab initio; quinam autem propriè dicendi sint articuli fidei, & quomodo inter se distinguantur fusè declarat ex nostris Astesanus lib. 2. tit. 55. art. 2. & Scotus loc. cit. Demum, ut pateat quid importent hujusmodi voces implicitè, vel explicitè aliquid credere; implicitè credere est alicui propositioni assentire confusè in communi, & indistinctè, vel quatenus virtute continetur in alia propositione, quam distinctè credimus, undè implicitè dicitur credere, qui credit aliquid explicitè, in quo alterum implicitè continetur v. g. si credis, quod credit Ecclesia; explicitè verò credere idem est, quod distinctè, & in particulari, undè fides explicita dicitur, per quam res in se, & sub propria ratione creditur; fides verò implicita appellatur, per quam creditur res in alio universali, vel materiali objecto contenta, ut Doctor significat loc. cit.

3 Secundò conveniunt Doctores post Christi adventum, & sufficientem Evangelii promulgationem tria præsertim mysteria esse necessariò credenda necessitate medii; primò Deum esse, illumque justum remuneratorem decernere præmia justis, & supplicia improbis; secundò Mysterium Trinitatis; tertiò Mysterium Christi, & Incarnationis, & fidem horum trium mysteriorum actualem necessariam esse non solùm ad beatitudinem, sed etiam ad justificationem omnium habentium usum rationis. Discrepant tamen, an fides actualis horum trium necessariò esse debeat explicita, vel sufficiat implicita; & quamvis aliqui asserant sufficere implicitam, disp. tamen cit. qu. 16. artic. 1. cum communiori, & probabiliori sententia statuimus debere esse explicitam, & hanc fuisse sententiam Seraphici Doctoris 3. d. 25. art. 1. qu. 3. & Subtilis ibidem qu. 1. sub lit. F. ubi ait eamdem esse necessitatem fidei de Christo Redemptore, ac de Deo Creatore, quarè cùm fides explicita Dei Creatoris sit necessaria simpliciter ad salutem, ità & Christi Redemptoris. Nec obstat, quod dicat ibidem fidem explicitam Redemptoris non fuisse pro omni statu necessariam; etenim his verbis solùm negat necessitatem fidei hujus explicitæ ante Evangelii promulgationem, non verò post, uti dicebamus. & hanc sententiam esse probabiliorem deducitur expressè ex Scripturis, & Patribus. Et quidem quoad primum mysterium de Deo Creatore, & Remuneratore deducitur manifestè ex verbis S. Pauli in Epist. ad Hebræos cap. 11. *Accedentem ad Deum oportet credere, quia est, & inquirentibus se remunerator est*, qualis autem sit illa remuneratio declarat Christus Matt. cap. 25. ubi loquens de reprobis ait *Ibunt hi in supplicium æternum, justi autem in vitam æternam.*

4 Quod autem ad secundum mysterium Sanctissimæ Trinitatis constat primò ex verbis Christi Matth. 28. dùm mittens Apostolos ad fidem propagandam injungit illis expressè, ut docerent omnes gentes, & baptizarent in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti; hoc idem constat ex ritu Ecclesiæ, quæ neminem ad baptismum recipit, quin prius diligenter inquirat an credat in Deum Patrem, in Jesum Christum ejus Filium, & in Spiritum Sanctum, qua ceremonia satis aperte significat, qui explicitam Sanctissimæ Trinitatis fidem non habet, non esse gratiæ baptismalis, ac proindè justificationis capacem; hoc idem etiam constat ex symbolo S. Athanasii, dùm inquit *fides autem catholica hæc est, ut unum Deum in Trinitate, & Trinitatem in unitate veneremur* subdens, quod qui hoc non crediderit, salvus esse non poterit. Demum quoad tertium mysterium Christi, & Incarnationis ex pluribus novi Testamenti testimoniis deducitur, ut Jo. 17. *Hæc est vita æterna, ut cognoscant te solum Deum, & quem misisti Jesum Christum*; quibus verbis cognitio Christi eodem modo ad vitam æternam consequendam necessaria dicitur, sicut cognitio Dei, quæ necessariò debet esse explicita, & cap. 1. *Dedit eis potestatem filios Dei fieri, qui credunt in nomine ejus*, & c. 3. *Qui non credit jam judicatus est, quia non credit in nomine unigeniti filii Dei*; idem etiam constat ex eodem Athanasii symbolo, dùm inquit, *Sed necessarium est ad æternam salutem, ut incarnationem quoque Domini nostri Jesu Christi fideliter credat*, quæ testimonia fusè explicata sunt, & discussa loc. cit. ubi etiam advertimus, non omnes articulos, qui ad Christum pertinent, necessariò credendos esse necessitate medii, sed eos tantùm, qui sunt fundamentum nostræ salutis, ut Christum esse verum Deum, & hominem, mortuum esse, ac surrexisse pro totius humani generis salute, quod etiam notavit Bonacina disp. 3. circà primum Decalogi præceptum quæst. 2. punc. 2. ubi etiam præter Auctores pro hac sententia loc. cit. à nobis adductos citat Bannem, Malderum, Turrianum, Reginaldum, Arragon. & alios.

5 Tertiò conveniunt Doctores, omnes fideles, postquam ad rationis usum pervenerunt, teneri necessitate præcepti credere explicitè, & scire saltem crasso modo, & quoad substantiam hæc omnia, nempè symbolum Apostolorum, Orationem dominicam, Præcepta Decalogi, & Ecclesiæ Sacramenta maximè necessaria, ut Baptismum, Eucharistiam, & Pœnitentiam, reliqua autem tunc, quando illa suscipere volunt, & intendunt, quæ omnia sunt intelligenda, nisi impotentia, aut invincibilis ignorantia excuset. Tenentur itaque fideles ad ea omnia scienda, & credenda, quæ in symbulo, & oratione dominica continentur, quia hæc sunt præcipua nostræ fidei rudimenta, & expressè deducitur ex Catechismo par. 2. c. 11. ubi dicitur teneri patrinos ad Symbolum, & Orationem dominicam eos docendum, quos de fonte levaverint; ergo si illi ad docendum tenentur, isti pariter ad discendum erunt adstricti. Item tenentur ad cognoscenda, & credenda omnia in Decalogi contenta, quia illorum observatio ad salutem est necessaria dicente Christo. Matt. 19. *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata*, servari autem non possunt, si ignorentur, nullus enim adimplere potest, quod ignorat, vel quod solùm in confusos cognoscit. Rursus tenentur etiam ad ea cognoscenda, & credenda, quæ pertinent ad Sacramenta maximè ad salutem necessaria; cùm in adultis prima dispositio ad Sacramentum aliquod dignè suscipiendum sit fides respectu illius Sacramenti, quod debet suscipi, ut constat ex dictis lib. 4. sent. disp. 1. de Sacramentis in genere, sequitur necessariò obligationem illius Sacramenti suscipiendi secum inferre obligationem habendi fidem explicitam respectu illius, ut dignè sumatur, quod pariter dicendum est de aliis Sacramentis, ad quæ suscipienda non est obligatio, ut dignè sumi possint. Denique tenentur fideles ad ea omnia cognoscenda, & explicitè credenda, quæ secundum peculiarem exigentiam cujusque status, & conditionis juxtà divinæ legis præscriptum ad salutem consequendam sunt necessaria.

6 Horum autem omnium cognitio, & fides explicita dicitur esse omnibus fidelibus necessaria necessitate præcepti, non quia fides mysteriorum paulò suprà assignatorum necessaria necessitate medii non sit etiam necessaria necessitate præcepti, quia est regula universalis, quod quæ sunt necessaria necessitate medii, sunt etiam necessaria necessitate præcepti, quilibet enim tenetur assumere medium sibi ad salutem necessarium; sed cognitio, & fides explicita Symboli, Orationis dominicæ, & aliorum prædictorum dicitur esse necessaria præcipuè necessitate præcepti, quia solùm sub tali necessitate cadit, non autem sub necessitate medii, quia impotentia, aut invincibilis ignorantia istorum excusaret à culpa, & in tali casu desinunt esse necessaria ad finis consecutionem, juxtà explicationem utriusq; necessitatis ab initio articuli superius adductam; & hæc omnia intelliguntur de actu interiori fidei, nam de exteriori posteà dicemus. Hic autem advertendum est, quod quando dicimus fideles omnes teneri præfata mysteria explicitè credere quædam necessitate medii, & quædam sola necessitate præcepti per talem

lem explicitam credentiam non est intelligenda talis exacta, & distincta cognitio, ut illa mysteria attingere teneatur sub propria, & quidditativa ratione, quia ut ait D. l.c. lit. D. non requiritur necessario in quolibet pro statu isto, quod etiam illa mysteria, & articulus fidei ità explicitè, & distinctè credat, quia Deus nullum obligat ad impossibile, & ideò si sit aliquis rudis, qui concipere non potest, quid est natura, & quid est persona, non est necesse, quod habeat actum explicitum de articulo pertinente ad essentiæ unitatem, & personarum trinitatem distinctè, sicut habent Clerici litterati; sed tenetur scire articulos explicitè, hoc est, in particulari quantum ad substantiam, & præsertim illos, qui sunt facilioris capacitatis, sicut quod Christus natus est, & passus, & alia quæ ad redemptionem pertinent; & sic etiam loquitur D. Bonav. loc.cit. dum inquit, simplices eos tantùm articulos teneri credere explicitè, qui communiter prædicantur in Ecclesia, & quos manifestat eis Ecclesiasticus usus, & consuetudo, sicut est de unitate, & trinitate, quam possunt noscere ex ipso actu consignationis, quando se signant in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, sicut etiam de nativitate, passione, resurrectione, & ascensione; hos siquidem articulos possunt explicitè idest in particulari cognoscere ex ipsis solemnitatibus, quas Ecclesia celebrat; alios verò articulos non ità manifestos tenentur credere implicitè, ut, scilicet, in generali credant omne quod credit Sancta Mater Ecclesia; ità quod in particulari à nullo illorum dissentiant.

7 Quartò tandem conveniunt Doctores præceptum fidei duplex esse, unum affirmativum, alterium negativum, affirmativum est, ut ea omnia, quæ à Deo sunt revelata, & ut talia nobis ab Ecclesia proposita credamus; negativum est, ut erroneis dogmatibus fidem non præstemus divinæ veritati contrariis, & ab Ecclesia vetitis, & proscriptis; quæ duo præcepta satis expressè primis Decalogi verbis significantur, in quibus ex una parte præcipitur, & unum Deum adoremus, & per fidem agnoscamus; ex altera verò ne Diis alienis, & falsis fidem habemus, prohibetur; & hoc quidem cùm sit præceptum negativuum obligat semper, & pro semper, quia nunquam licet Idolis fidem adhibere, & à vera fide dissentire; illud verò cùm sit affirmativum, licet semper obliget, non tamen pro semper, sed quibusdam statutis temporibus, & occasionibus, unde inquit Doctor loc. cit. quod quilibet habens usum rationis tenetur pro aliquando ad aliquem actum explicitum fidei. Sed est difficultas, quandonam affirmativum istud fidei præceptum obliget, seù quonam tempore teneatur quis ad actum aliquem fidei exercendum; circà quod plures, & varii casus assignari solent, in quibus unusquisque sub mortali ad actum interiorem fidei eliciendum tenetur qui tamen omnes ad tres reduci possunt, ut notat Abellius cap. 4. *de præceptis Decalogi* sec. 1. Primus est, cùm alicui mysteria fidei primo sufficienter ad credendum proponuntur; sufficienter autem proponi dicuntur, quando rationibus aut miraculis, aut signis, vel conjecturis ità proponuntur, ut ratio dictet fidem nostram esse veram, qua ratione pueri cum primùm ad rationis usum pervenerunt, & ipsis fidei mysteria sufficienter proponuntur, ad illa actu credenda obligantur, præsertim si ad id se esse obligatos presentiant ex conscientiæ dictamine, nec excusari possint ex inadvertentia, aut invincibili ignorantia, quod simili ratione de infidelibus dici debet; & in hoc casu præceptum fidei obligat directè.

8 Alter casus est, quandò fidem exterius confiteri tenetur quam absque actu interno fidei confiteri non potest, ut cùm quis juridicè, & publica auctoritate de fide interrogatur; tunc enim obligatur ad actum internum fidei eliciendum propter actum externum confessionis, quem absque actu fidei interno præstare non potest; quæ obligatio urget etiam si ab aliquo privato de fide interrogaretur, si ex illius confessionis omissione divinus honor notabiliter læderetur, vel grave aliquod scandalum redundaret in proximum; & in hoc casu pariter currit obligatio directa de actu fidei eliciendo. Tertius casus est, quoties quis ad actum aliquem virtutis exercendum obligatur, qui sine fide exerceri nequit, ut cùm quis tenetur de aliquo peccato pœnitere, & conteri, Sacramentum aliquod suscipere &c. non enim potest contritionem habere, nisi credat Deum posse peccata remittere; nec aliquod sacramentum recipere, nisi credat illius virtutem, & efficaciam, nec quis posset debitè Eucharistiam suscipere, quin credat realem præsentiam, & existentiam Christi Domini sub speciebus consecratis; & ad hunc casum reducitur alter, quando quis aliqua tentatione vexatus videt se illam aliter superare non posse, nisi actum aliquem fidei eliciendo, tunc enim illum elicere tenetur; & pariter ad hunc eumdem casum reducitur alter de articulo mortis, quatenus homo tenetur tunc se ad Deum convertere per actum contritionis qui tunc necessarius est; actus autem contritionis annexum habet implicitè actum fidei, & spei cùm nullus Deum super omnia diligere possit, & peccatum detestari, quatenus est offensa Dei, nisi in Deum credat, & speret. Ex quo infertur in hoc tertio casu præceptum fidei per se, & directè non obligare, sed tantùm indirectè, & per accidens, undè fit, quod si quis susceptionem alicujus sacramenti omittat, ad quam obligabatur, sufficit si in confessione declaret; se hujus sacramenti receptionem omisisse, nec opus est, ut fidei omissionem exprimat, cùm hujus omissio non sit peccatum ob omissionem illius distinctum. Ità Laiman, Amicus, Caspensis, Abellius, Azorius, Bonacina, & alii passim.

ARTICULUS SECUNDUS.

An sit præceptum de externa fidei confessione, & quando obliget.

9 PRimò certum est dari præceptum divinum de non neganda fide externè, undè nunquam licitum est negare fidem externè etiam metu tormentorum, quamvis fides internè retineatur in corde; & hoc est dogma de fide statutum in concilio Romano sub Sancto Cornelio Papa, ut colligi potest ex Baronio ad ann. 254. & 255. contrà hæresim Elcesaitarum, qui dicebant negari posse fidem exterius, instante persecutione, etiam addito juramento, ac sufficere, ut nunc in animo retineatur interius, ut refert Eusebius libr. 6. cap. 31. Deducitur apertè ex verbis Christi Matth. 10. *Qui me negaverit coram hominibus, negabo & ego eum coram Patre meo*, idem habetur Lucæ 9. ad Thimoteum. *Si negaverimus eum, & ipse negabit nos*, & exemplo tot SS. Martyrum, qui potius tormenta omnia subire elegerunt, ac etiam mortem ipsam, quam fidem Christi etiam ad momentum negare; quod si quis tormentorum atrocitate victus, & perterritus fidem negasset, vel dissimulasset, tanquam gravissimi peccati reus ab Ecclesia eiiciebatur, nec in eam recipiebatur, nisi publica pœnitentia peracta, ut constat ex Concil. cit. & ex S. Cypriano lib. de lapsis cap. 3. & S. Ambrogio lib. de pœnitentia. Imò nec licitum est uti verbis æquivocis, quibus exteriùs Christum negare videamur, quamvis interiùs non negetur; licet enim in aliis casibus reus non juridicè interrogatus possit æquivocatione uti, nunquam tamen licitum est in hoc casu, quamtumvis interrogemur contrà jus à Tyranno volente compellere ad fidem negandam, quia si ex tali æquivocatione Christo debitus honor auferatur, cujus honori in quovis eventu prospicere tenemur, tunc uti æquivocatione non licet, non quia juridicè interrogemur, sed quia divino honori prospicere tenemur, quamvis enim æquivocatio sit licita, quando quis contrà jus interrogatur in alia causa, non tamen quando id militat contrà divinum honorem, sicut est in casu proposito. Verùm duplex considerari potest externæ confessionis necessitas, una negativa, scilicet, non negandi fidem; altera affirmativa fidem ore profitendi; prior necessitas, cùm in præcepto negativo fundetur, semper obligat, & pro semper; nunquam enim licitum est fidem externo signo negare, etiamsi corde retineatur, ut modò dictum est; posterior verò necessitas, quia in præcepto affirmativo fundatur, non semper obligat, sed certo tempore, quod modò inquirendum, & declarandum est concl. seq.

10 Secundò dicendum est, tunc nos obligari ad extremam fidei confessionem, quandò necessaria est vel ad honorem Dei, vel ad utilitatem proximi. Ità Doctores communiter cum D. Thoma 2.2. quæst. 3. art. 20. & ex nostris Astesanus lib. 2. tit. 55. art. 3. *in fine*, & Nicolaus de Orbelis 3. d. 25. *in fine*, ubi dicunt, quod cùm confiteri fidem pertineat ad præceptum affirmativum, ideò non semper, nec in quocumque loco est de necessitate salutis, sed aliquo loco, & tempore, quando nimirum aliquis interrogatus de fide, si taceret & ex hoc crederetur, quod non haberet fidem, vel quod fides non esset vera, vel alii propter ejus taciturnitatem à fide recederent, & ideò dicitur ad Rom. *ore autem confessio fit ad salutem*, hoc est ad honorem Dei, & salutem sui, & proximi, finis enim nostræ fidei, sicut & aliarum virtutum, ad finem charitatis referri debet, qui est amor Dei, & proximi, & ideò fidem exteriùs profiteri tenemur, quandò Dei honor, & utilitas proximi id requirit. Ex quo inferunt cum D. Thoma l. c. in solutione ad 3. quod estò nunquam liceat fidem Christi ullo modo negare, quando tamen spectatis circumstantis nulla honori divino injuria irrogatur, nec ullum proximi saluti damnum infertur, sed potius manifesta turbatio infidelium imminet sine ulla fidelium utilitate, in tali casu non solùm licitum esse, sed etiam aliquàdo necessarium fidem occultare, ad quod probandum afferunt verba Christi dicentis Matth. 7. *Nolite sanctum dare canibus, nec margaritas proiicere antè porcos, ne conversi dirumpant vos*; cùm autem occultatio illa variis modis fieri possit, nimirum vel fugiendo, vel aliquo exteriori signo fidem dissimulando, declarandum est, quibus modis licitè fieri possit.

11 Tertiò Dicendum est, licitum esse homini Christiano tempore persecutionis fugere, vel se occultare, ne cogatur de rebus fidei respondere, & sic periculum vitæ evadere. Ità Doctores communiter, & colligitur ex illo Matth. 23. *Cum persequentur vos in civitate ista, fugite in aliam*, hoc probant expresè Athanasius in sua Apologia, & Augustinus Epist. 189. ad Honoratum, & idem probant exempla Sanctorum in novo Testamento, nam Paulus Apostolus, cùm custodirentur portæ civitatis, per murum in sporta dimissus est, ut fugam capere posset Corint. 2. Act. 9. & in lege veteri Jacob fugit à facie Esau, Machabæi à facie Antiochi, & Christus fugit in infantia ab Herode, & in adolescentia sæpè à Pharisæis. & ratio est, quia fugiens in tali casu per talem fugam non significat se Christianum non esse, vel Christi fidem negare, sed potius contrarium, scilicet, se nolle Christi fidem negare, & ideò fugere periculum eam abnegandi. Potest tamen contingere, quod hujusmodi fuga ob aliquas circumstantias illicita sit, nimirum si ex hac fuga periculum aliquod in honorem Dei vel proximi salutem redundet, ut si Episcopus, aut Pastor tempore persecutionis fugit, cum tunc maximè illius ope, & auxilio subditi indigeant, tenentur enim ex officio subditis suis consulere in necessariis ad salutem & ad hoc facit illud Joan. 10. *Bonus Pastor animam suam dat pro ovibus suis, mercenarius autem videt lupum venientem, & fugit*, non licet ergò Episcopis, & Pastoribus in his circumstantiis fugere, nam ut rectè dicit Nicolaus Papa cap. Scisciteris 7. quæst. 1. *Si gubernator navis in tranquilitate non debet navim deserere, multò minus in tempestate*; ex quo infert neque Pastores in periculis persecutionum debere subditos suos deserere. Secus autem si fugiant alio idoneo substituto, ut v. g. se commodius tempus reservent, aut si ipsorum fugam majori bono communi necessariam esse recta ratio dictaverit exemplo aliquorum Sanctorum. Ità Bannes, Sanchez, Becanus, Reginaldus, Valentia, Bonacina, Poncius, Caspensis, & alii passim.

12 Quartò Dicendum est, licitum esse occultare finem signis, quæ ex se sunt indifferentia, non verò illis, quæ ad profitendam falsam Religionem sunt instituta. Ità S. Antoninus, Alensis, Navarrus, Doctores supracitati, & alii passim. Probatur assertio quoad primam partem, quia uti hujusmodi signis non est negare fidem, cùm hæc signa sint ex sua natura indifferentia, qualia sunt illa, quibus natio una secernitur ab altera, vel status unus ab altero v. g. militis à mercatore, undè referunt historiæ S. Sebastianum in aula Diocletiani Imperatoris ethnici fidem suam sub chalamis & militari sago occultasse, ut Christianos commodius adiuvare posset eosque in tormentis confortare; cùm ergò hujusmodi signa nihil mali in se contineant, nec divinum honorem lædant, nec proximi salutem impediant, illis uti licebit ad fidem occultandum. Probatur deindè quoad aliam partem, quia cum talia signa ad falsam religionem profitendam sint instituta, qui hujusmodi signis uteretur, non solum veram religionem occultare censeretur, sed falsam quoque profiteri, quod omninò illicitum est, etiamsi hoc faceret absque animo negandi fidem. Undè infertur peccare contra præceptum negativuum fidei, qui Idolis sacrificat, vel illius genuflectit, aut imagines inanium Deorum ad collum appensas gestat, aliasque cæremonias facit, seù actiones falsæ religionis ex sua natura protestativas, etiamsi fictè eas faceret, & ratio est, quia actiones hujusmodi superstitiosum cultum intrinsicè continentes, sunt enim primò, & per se impositæ ad actum religionis significandum, nec alium habent moralem usum; omnis autem cultus superstitiosus est intrinsecè malus, ut potè veræ religioni contrarius; talem ergò cultum fingere, vel simulare nemini licet; quod tamen intelligendum est, ut passim Doctores advertunt, de fictione, & simulatione seriò facta, non autem per modum joci, aut representationis, ut in Comædies fieri solet; hæc enim non est illicita, cum non sit falsæ fidei protestatio, aut illius negatio, sed potius talis negationis repræsentatio per modum irrisionis.

13 Ex qua etiam regula infertur, non esse illicitum templa infidelium, vel hæreticorum ingredi, secluso scandalo, curiositatis causa videndi illa, vel ad sæcularia negotia tractanda; nec peccare contrà præceptum fidei negativum, qui concionibus hæreticorum, vel cæremoniis interesset animo confutandi eorum errores, aut observandi solùm eorum cæremonias, talis enim ingressus templorum, & concionum auditus de se non est cultus religiosus, plures enim solent templa ingredi, & conciones audire ex mera curiositate sine animo diferendi cultum Deo: ac proindè licitè poterunt hæc fieri ex bono fine, vel saltem indifferenti; non licet tamen hæreticorum templa ingredi, ac eorum concionibus, vel cæremoniis interesse, si Princeps ista præciperet in contemptum fidei, vel ad profitendam eorum sectam. Sic pariter eadem ratione contrà confessionem fidei non peccat, qui degens, vel transiens per loca infidelium, & hæreticorum vescitur carnibus feria sexta, vel die Sabbathi metu mortis, vel carceris, aut amissionis bonorũ. Ratio est, quia esus carnium præcisè ex se est indifferens, neque est institutus ad professionem falsæ religionis indicandam, nec obstinentia ab illis statutis quibusdam diebus fuit ab Ecclesia introducta ad discernendos catholicos ab hæreticis, alioquin Catholici nunquam possent, etiam justa interveniente causa v. g. titulo infirmitatis illis diebus vesci carnibus, sed introducta solùm fuit ad macerationem carnis. Addendum tamen est, non licere comedere carnes sibi ab infideli, vel hæretico appositas, ad explorandum, an sit catholicus, si indè sequatur notabilis divini honoris diminutio, vel proximi scandalum. Ità Azorius, Sanchez, Bonacina, Caspensis, Poncius, Morandus, & alii passim.

14 Quintò est difficultas, an sit licitum fideli per provincias infidelium transeunti uti vestibus illorum ad mortem vitandam, vel aliud grave periculum; circà cujus difficultatis solutionem plures refert dicendi modos Becanus c. 9. quæst. 5. Sed breviter dicendum cum communiori, dupliciter contingere posse, quod infideles aliquo utantur signo, vel habitu proprio, primò sine ullo religionis intuitu, sed solùm propter usum diversum provinciæ, & nationis, nam pro diversitate nationum, & provinciarum, diversitas quoque vestium reperitur; secundò itaut vestis, vel signum sint per se instituta ad aliquam sectam profitendam; & conveniunt Doctores licitum esse deferre habitum infidelium primo modo, quia talis habitus religionem non indicat, vel talem sectam, sed solùm nationem, & sic licitum est Catholico in Anglia, vel Saxonia, aut aliis hæreticorum provinciis, eorum vestibus uti; nunquam tamen licitum esse uti vestibus, aut signis à Principe deputatis ad professionem falsæ sectæ, quia moraliter loquendo usus rei metiendus est ex primario fine, ad quem est institutus, at vestes illæ ad protestandam falsam sectam sunt institutæ; ergò qui illis utitur, eo ipso censendus est talem sectam, & religionem profiteri, atque ideò nunquam illas usurpare licet; quia ipsamet professio, seù protestatio cujuscunque religionis ad cultum ejusdem ex natura sua ordinatur; nec ullus major esse potest cultus alicujus religionis, vel sectæ, quam publica ipsius professio, seù protestatio externo signo facta. Non desunt tamen qui dicant interdum etiam licere hujusmodi signis, & vestibus uti, gravi existente causa, putà ad mortem vitandam, & ad victoriam de infidelibus reportandam. Ità Layman l. 2. tr. 1. c. 11. ubi ait, quod hanc professionem falsi cultus generaliter loquendo non cogimur agnoscere, cùm etiam apud Christianos ejuimodi signa, putà Mercurii, Veneris &c. tanquam fabulosa, ornatus gratia, adhibeantur, undè putat non damnandos esse milites nostros, si iis tanquam indifferentibus insidiarum causa in bello uterentur, quod etiam probabile censent Tamb. de præceptis Decalogi l. 2. c. 1. §. 3. Castropalaus tom. 1. tr. 4. d. 1. p. 17. Azorius l. 8. c. 27. Sanchez de præceptis l. 2. c. 4. Coninch. disp. 15. dub. 3. Amicus disp. 14. sec. 4. & quidam alii.

15 Postremò est difficultas, quam necessitate necessaria sit externa fidei confessio, an, scilicet, sit necessaria necessitate medii, vel solùm necessitate præcepti. Communis opinio affirmat esse necessariam tantùm necessitate præcepti. Ratio est, quia quæ sunt necessaria necessitate medii ita sunt necessaria, ut sine ipsis in re habitis non potest salus obtineri, quia non possunt suppleri per votum, sicut nemo potest sine interiori fide in re salvari; sed externa fidei professio est tantùm necessaria in præparatione animi, & in voto, non autem in reipsa; ergò non est necessaria necessitate medii, sed tantùm præcepti; major patet ex declaratione præmissa necessitatis medii, & præcepti, minor probatur, quia externa fidei confessio est tantùm necessaria ad manifestandam aliis nostram fidem internam; sed posset aliquis per interiores tantùm actus coram Deo justificatus statim mori, & sic salvari, antequam ullam fidei professionem externam faceret, supponendo, quod mortuus sit ubi, & quando nullus alter erat præsens, cui interiorem suam fidem manifestaret; ergo externa fidei professio non est necessaria necessitate medii in re, sed tantùm in voto, sicut reliqua præcepta. Quod autem hinc in tali casu salvaretur, ex eo patet, quia cum supponatur per interiores actus coram Deo justificatus, nullum haberet peccatum; at nullus damnari potest, nisi ob aliquod peccatũ; ergo &c.

16 Dices, vel homo ad Religionem Christianam accedit parvulus per baptismum, & professionem parentum, & in tali casu tenetur aliquo actu exteriori fidem internam, quam in baptismo accipit, profiteri, & manifestare saltem cùm primum rationis usum attigerit, vel accidit adultus ad Religionem Christianam, sine qua nemo salvari potest, & sic tenetur externo signo illam amplecti, & confiteri; ergò externa fidei confessio est necessaria necessitate medii, & non tantùm præcepti. Resp. negando consequentiam, argumentum enim probat solùm externam fidei professionem esse necessariam tantùm necessitate præcepti, quo quis obligatur, vel cùm ad perfectum rationis usum perve-

pervenit, vel cùm primum adultus Christianam Religionem amplectitur, ubi etiam advertendum, est ut communiter Doctores docent, ad tale præceptum adimplendum non esse necessarium peculiarem actum externum interioris fidei manifestativum ab aliis actibus distinctum, quibus cætera adimplentur præcepta; nam illis eisdem actibus sufficienter satisfit præcepto de extrema fidei professione. Quæres, cujus virtutis sit actus exterior confessio fidei. Breviter dicendum est, esse actum à voluntate imperatum ex eodem motivo divinæ revelationis per se specificantis habitum infusum fidei theologicæ virtutis, undè inquit Apostolus ad Rom. 11. *Corde creditur ad justitiam*, scilicet, à Deo revelatam *ore confessio fit ad salutem*, scilicet, ex motivo ejusdem Dei revelantis, & in Conc. Lateranensi sub Innocentio Tertio habetur *firmiter credimus, & simpliciter confitemur, unum solum esse verum Deum*, ubi coniunctim accipiuntur actus credendi interior, & exterior confessi ejusdem, veluti duo actus ordinatè ab eodem formali motivo divinæ revelationis pendentes. Ità Vulpes noster tom. 2. q. 3. d. 37. art. 1. ubi plura tractat de actu exteriori fidei per totam disp. quæ nos breviter in hoc articulo declaravimus.

ARTICULUS TERTIUS.

De Infidelitate, & vitiis fidei oppositis.

17 CONveniunt Doctores Infidelitatem, quæ est vitium Christianæ veritati oppositum, duplicem esse; prima est, quæ reperitur in illis, qui nihil unquam de fide audire potuerint, qualis ut plurimum reperitur in gentibus, & dicitur infidelitas negativa, cùm sit mera carentia fidei ex defectu propositionis rerum fidei; altera est, quæ reperitur in his, qui fidei notitiam habent, sed illam vel contemnunt, vel contradicunt, & dicitur infidelitas positiva, quia est voluntarius à fide recessus, sivè error voluntarius in intellectu existens, qualis reperitur in Judæis, Turcis, & Hæreticis. Infidelitas negativa per se non est peccatum, qui enim de doctrina fidei nihil unquam audivit non potest humano modo, ideſt, deliberatè, & ex intentione notitiam illius ulla ratione acquirere, ut enim inquit Apostolus ad Rom. 10. *Quomodo credent ei, quem non audierunt;* ergò non peccat eo quod tali notitia careat, quia non potest ignorantia esse culpabilis, nisi aliqua saltem cogitatio præcedat, vel dubitatio obligationis sciendi, quod ignoratur; undè consequenter Doctores asserunt illos, qui hoc solùm modo infidelis sunt, ob hujusmodi infidelitatem non damnari, sed damnari propter alia peccata, quæ sine fide remitti non possunt. Infidelitas verò positiva est peccatum gravissimum ex genere suo, undè in Sacra Scriptura dicitur peccatum per antonomasiam Jo. 15. *Si non veniſſem &c. peccatum non haberent* est enim per se gravis injuria, non credere Deo dicenti post sufficientem rerum fidei propositionem, quia parvipenditur prima veritas, & per tale peccatum radicitus evellitur fundamentum totius justitiæ, quod est fides. Ità Doctores communiter, & præsertim ex nostris Astesanus lib. 2. tit. 56. art. 1. & Vulpes disp. 43. art. 1. & 3. ex pluribus Scoti locis ab ipso citatis.

18 Conveniunt deindè Infidelitatem positivam, quæ contrariè opponitur fidei, in tres species dividi, seù potius tres modos infidelitatis, ut docet D. Thomas 2. 2. q. 10. art. 5. & supponitur Scotus 3. d. 23. ad. 2. nimirum in Paganismum, Judaismum, & Hæresim, ad quam Apostasia reducitur. Paganismus est quandò nullius mysterii revelati fides habetur. Judaismus quando creditur veteri testamento, non tamen novo. Hæresis, quandò alicui veritati ex novo, vel ex veteri testamento fides negatur; quod si fides susceptа in totum abiiciatur, Apostasia dicitur, quæ est quædam infidelitas, per quam quis à vera fide baptismo susceptа omninò recedit, ut quandò ex Christiano fit Judæus, vel Paganus, quæ quidem divisio non est propriè generis in species, ut plures Thomistæ putant; non enim differunt essentialiter in ratione malitiæ, seù peccati, quia virtus fidei in eo consistit, quod aliquis divinæ auctoritati revelanti credat; hæc autem contractio est ejusdem rationis essentialiter in Gentili, Judæo, & Hæretico, licet non habeat ubique easdem circumstantias; undè solùm distinguuntur accidentaliter secundum magis, & minus in eadem specie, ideſt, secundum majorem, & minorem oppositionem cum auctoritate divina; cæteris enim paribus major est oppositio cum fide in hæresi, quàm Judaismo, & major in isto, quàm in Paganismo. Nec refert, quod Pagani circà plura errent, quàm Judæi, & hi circà plura, quàm Hæretici. Hoc enim verum est extensivè solum quoad plura objecta materialia, non autem intensivè quoad majorem divinæ auctoritatis contemptum, ex quo præsertim capite major, vel minor oppositio cum veritate fidei metiri debet; ibi enim major oppositio cum fide censenda est, ubi est major divinæ auctoritatis contemptum, & ibi est major hujusmodi contemptus, ubi majora sunt fundamenta credibilitatis rerum à Deo revelatarum; cùm ergo hæc sint majora in Hæreticis, quam in Judæis, & in his, quàm in Paganis, siquidem Hæretici Messiæ adventum norunt, quod Judæi non agnoscunt, & hi testamentum vetus, quod non agnoscunt Pagani, ut rectè discurrit Becanus c. 13. q. 2. consequenter major erit cum veritate fidei oppositio in hæresi, quàm in Judaismo, major in isto, quàm in Paganismo.

19 Ex quo rectè deducit Astesanus noster l. c. ar. 2. prædictarum trium specierum infidelitatis gravissimum peccatum esse hæresim, & hæreticorum infidelitatem esse omnium pessimam, tùm quia magis fidei resistit, resistit enim fidei susceptę in manifestatione veritatis, ubi Judæi solum resistunt fidei in figura susceptæ, & Pagani nullo modo susceptæ, tùm quia gravius peccat qui non implet, quod promisit, quàm qui non implet, quod non promisit, hinc dicitur 2. Petri 2. *Melius erat illis non cognoscere viam justitiæ, quàm post cognitam retrorsum converti*. & insuper advertit ibidem præter illas tres species, quas habet infidelitas, ut opponitur fidei, posse quoque dari plures alias in infinitum, quatenus varios errores in materia fidei respicit, undè si species infidelitatis distinguatur secundum errorem in diversis materiis ad fidem pertinentibus, sic non sunt determinatæ, quia errores in infinitum multiplicari possunt, ut patet ex D. Augustin. lib. *de hæresibus*; quia alius potest esse error circà Trinitatem, alius circà Incarnationem, alius circà justificationem, & alii circà alios articulos, hæc autem distinctio est tantùm materialis sumpta, nimirum ex sola articulorum diversitate, non autem formalis, quia non sumitur ex diversitate contemptus auctoritatis Dei revelantis, ut etiam advertit Becanus ex D. Thoma loc. cit. & hoc eodem modo de diversitate specierum infidelitatis discurrit Vulpes disp. cit. art. 5. ubi proindè dicit Paganismum, Judaismum, & Hereticismum potius appelandos esse diversos infidelitatis modos quàm simpliciter species. His itaque suppositis, ut communiter concessis, difficultates quædam circà hanc materiam emergentes sunt breviter resolvendæ.

20 Primo dubitatur, an negans fidem verbo, vel facto interius verò retinens verum assensum sit verè hæreticus. Communis sententia docet hunc non esse hæreticum, quia Hæresis definitur, quod *sit error intellectus liber, & pertinax contrà fidem in eo, qui fidem suscepit*, undè ut aliquis sit verè hæreticus, opus est, ut intellectu erroneum judicium contrà fidem habeat, ex quo sequitur externam tantùm fidei abnegationem, aut Idolorum culturam non esse veram hæresim, nisi ex interno intellectus errore proveniat, neque sic facientem esse hæreticum, neque incurrere pœnas contrà hæreticos latas, quia fides in voluntario assensu circà res fidei consistit; undè excomunicatio lata contrà hæreticos in Bulla Cœnæ non pertinet ad eos saltem in foro conscientiæ, qui exterius tantùm contrà fidem peccant, interjus tamen non habent errorem in intellectu. Dixi saltem in foro conscientiæ, quia in foro externo adhuc possent Inquisitores fidei contrà ipsos procedere, eosque ut hæreticos justè punire, nec eis fides potestaretur, etiamsi allegarent se illa fecisse absque intentione, quia ex signis externis prudenter possunt, ac debent Inquisitores internum hæresis peccatum præsumere, nam nemo præsumit dicere, vel facere, nisi quod interius sentit. Ità Antoninus, Sylvester, Navarrus, Filliucius, Angelus, Azorius, Bannes, Becanus, & alii passim. Hanc tamen doctrina limitante Vasquez, Caspansis, & alii in eo, qui gloriæ, aut pecuniæ cupidus prædicat, & docet hæreses, etiamsi ipse non consentiat, & assensum præstet; quamvis enim ille fidem non amittat, quia non habet actum infidelitatis elicitum in intellectu, adhuc tamen peccat eodem peccato, ac illi, qui hæresi assentiuntur, nam qui ad peccatum invitat, eodem genere malitiæ peccat; undè volunt etiam talem incurrere excumunicationem contrà hæreticos latam, quia cùm sit prædicator, ut supponitur, multos docuit.

21 Secundò dubitatur, an dubius in fide sit hæreticus, itaut non solùm ille sit hæreticus, qui habet errorem contra fidem, sed etiam ille, qui in rebus fidei dubitationem habet. Aliqui absolutè negat, quorum ratio est, quia hæresis essentialiter consistit in judicium contrà fidem, sed ille, qui dubius est, non habeat judicium contra fidem, qui enim dubitat in neutram partem determinatur, sed in utramque partem contradictionis suspensum habet judicium. Confirmatur, quia fides, & hæresis contrariè opponuntur, quæ est positiva oppositio, seù per rationes positivas; sed dubitatio in fide nihil positivum dicit in intellectu, cùm sit mera judicii suspensio; ergo talis dubitatio rationem hæresis habere non potest. Ità Canus lib. 12. de locis c. 9. cum pluribus aliis Thomistis. Aliqui è contrà absolutè affirmant voluntariè dubitantem de aliquo articulo fidei sufficienter ei ad credendum pro-

posito esse verum hæreticum, quod probant auctoritate Stephani Papæ cap. 2. Extrà de Hæreticis, docentis dubium in fide esse hæreticum; sic etiam loquuntur Patres Hugo Victorinus lib. 1. de sacris p. 10. c. 1. *ubi dubitatio est, fides non est*; Bernardus *lib. 5. ad Eugenium cap. 2. fides ambiguum non habet, & si habet, fides non est*, & Augustinus lib. 8. de Trinit. cap. 5. ait salva fide non posse usurpari illam particulam fortè in rebus fidei; ergo solum dubium contrà regulam fidei sufficiens est ad fidem destruendam, & hæresim constituendam. Ità Antonius, Adrianus, Gabriel, Turrecremata, Suarez, Caspensis, Poncius ex nostris, & plures alii, quod etiam ratione probant, quia dubius de re fidei sufficienter proposita judicat illam rem non esse certam, aut saltem non esse certo revelatam, & sic facit injuriam Deo revelanti, ac proponenti tales regulas; quibus sufficienter colligitur talem articulum esse à Deo revelatum.

22 Alii demum melius, & probabilius cum distinctione procedunt dicentes, dubitationem duobus modis posse esse in intellectu, primo modo merè negativè, quando, scilicet intellectus aliquam propositionem apprehendens in neutram partem se determinat, sed circà utramque merè negativè se habet; secundo modo positivè, quando, scilicet, intellectus positivè judicat rem, quæ proponitur esse ambiguam, de qua judicium ferendum non sit. Qua distinctione præmissa dicendum est, dubium negativum circà res fidei non sufficere ad hæresim, quæ est infidelitas positiva, & hoc probant rationes pro prima sententia adductæ; dubium autem positivum sufficere, si cæteræ conditiones ad positivam infidelitatem requisitæ non desinit. & ratio est, quia ille censetur hereticus, qui errat circà fidem; sed qui positivè judicat articulos fidei esse ambiguos, & incertos errat circà fidem, quia non solùm est de fide mysteria nostræ Religionis non esse falsa, sed nec dubia, & ambigua; ergò hæreticus est, si cum pertinacia id judicet, & hoc sensu intelligendæ sunt auctoritates Conciliorum, & Patrum pro secunda opinione adductæ asserentes dubium in fide infidelem esse. Ità Becan. cap. 14. qu. 2. Amicus disp. 16. sec. 1. & plures alii; & hoc solum probat ratio pro secunda sententia adducta, dubitans enim in fide, quando aliquis articulus sufficienter sibi proponitur, semper habet judicium, & errorem positivum fidei repugnantem, quæ docet non solùm eum articulum esse verum, sed etiam esse certissimum, ac proindè non manet suspensus omninò, nec merè negativè se habet; si verò maneant dubia tantùm speculativa circà rem creditam, ex eo quod non appareat evidenter evidentia physica, quod sit revelata, certum est apud omnes talia dubia fidem non impedire; hoc igitur modo opiniones extremæ jam adductæ facilè conciliari possunt, ut prima loquatur de dubio tantùm negativo circà fidem, secunda verò de positivo.

23 Tertiò dubitatur, in quo consistat pertinacia, quæ ad hæresim requiritur; etenim ad peccatum hæresis contrahendum necessariam esse pertinaciam constat ex ejus definitione superius tradit. nu. 20. quod Astesanus noster lib. 2. tit. 58. art. 1. ex Augustino deducit epist. 102. & refertur 24. quæst. 2. cap. *dixit Apostolus* si quidam sententiam suam licet perversam nullâ pertinaci animositate defendunt, quærunt autem cauta sollicitudine veritatem, parati corrigi, cùm invenerint, non sunt inter hæreticos computandi, quia, scilicet, non habent electionem contrariam doctrinæ Ecclesiæ; si quis autem determinationi universalis Ecclesiæ pertinaciter resisteret, hæreticus censeretur. Ità Augustinus l. c. & ratio hujus est, quia fides ex parte intellectus assensum veritatis includit, & ex parte voluntatis firmissimam electionem in rebus fidei; ergò hæresis includit firmissimam electionem in contrarium, quia hæresis omninò, & perfectè fidei opponitur. Est igitur difficultas, in quo hujusmodi pertinacia consistat. Dixerunt aliqui requiri permanentiam in errore contrà fidem, itaut pertinaciter errare sit acriter, & mordicus suum errorem diù tenere, ac tueri. Sed quamvis verum sit, permanentiam prædictam esse magnum pertinaciæ signum, de ratione tamen pertinaciæ non est aliqua duratio ultrà solum instans, nam pertinacia essentialiter solùm dicit firmum propositum permanendi in errore, quod in errore instantaneo reperiri potest; tùm quia firmior est actus fidei divinæ, quam hæresis, & tamen ille in instanti haberi potest; ergò & hæresis.

24 Dicendum est ergò cum communiori, pertinaciter errare non esse suum errorem acriter, & mordicus diù tenere, & tueri, sed est eum retinere, postquam contrarium est sufficienter propositum, sivè quando scit contrarium teneri à reliqua universali Christi Ecclesia, cui judicium suum vult præ ferre; eo enim ipso putat judicium Ecclesiæ non esse sufficiens credendi fundamentum, quæ est vera pertinacia; tenetur enim quilibet in rebus credendis regulis se subiicere ab Ecclesia præfixis, quæ est Magistra veritatis, quod si id non faciat, jam plus nimio suo errori adhæret, & inordinatè, atque ideo pertinax in suo errore censeri debet; atque ità pertinacia partim in intellectu, partim in voluntate consistit; etenim ex parte intellectus assensum determinatum importat, & certitudinem magnam existimatam, ex parte verò voluntatis firmum, & fixum propositum importat permanendi in errore, & quia pertinacia magis pendet ex hoc firmo proposito, ideò communiter Doctores docent pertinaciam formaliter ad voluntatem pertinere. Ex quo sequitur neminem esse hæreticum, quandiù paratus est judicium suum Ecclesiæ submittere, aut nescit veram Christi Ecclesiam contrarium tenere, vel ità dispositus est saltem habitualiter, ut à suo errore discederet, si sciret esse veræ fidei contrarium. Ità Sanchez, Vasquez, Laiman, Becanus, Caspensis, & alli communiter.

25 Quartò dubitatur, An cum ignorantia vincibili, vel etiam affectata possit esse peccatum hæresis, itaut is censendus esset hæreticus, qui erraret contrà fidem, & culpabiliter ignoraret oppositum ab Ecclesia doceri. Ratio dubitandi pro parte affirmativa est, quia ignorantia culpabilis ab aliis peccatis non excusat, homicidium enim, vel adulterium, sivè ex scientia sit, sivè ex ignorantia culpabili, semper est peccatum; ergò sic etiam de hæresi dicendum erit, quod error contrà doctrinam Ecclesiæ sivè scienter, sivè ignoranter contingat, semper erit peccatum hæresis, si ignorantia culpabilis fuerit. Ratio autem dubitandi pro parte negativa est, quia nemo hæreticus est censendus, nisi in suo errore sit pertinax, & nemo est pertinax, nisi qui advertit se contrà Ecclesiam sentire, & adhuc in errore persistit; ergò qui hoc ignorat nec hæreticus, nec pertinax est censendus, etiam si ignorantia sit culpabilis. Pro resolutione difficultatis supponendum est ex alibi dictis lib. 2. sent. disp. de peccatis ignorantiam culpabilem, quæ talis dicitur, quia voluntaria est, duplicem esse, una dicitur affectata, & est quando ex industria vult aliquid ignorare, qua de causa censetur directè, & formaliter voluntaria, altera dicitur crassa, & supina, quando scilicet, quis non ex industria, & proposito, sed ex negligentia quadam ignorat ea, quæ scire potest, & tenetur, qua de causa hæc ignorantia non dicitur directè, & formaliter voluntaria, sed tantum indirectè, & virtualiter. Hoc supposito.

26 Communis sententia docet nullum errorem contrà fidem ex ignorantia crassa, & supina esse hæresim. Ità Suarez, Vasquez, Beccanus, Caspensis, & Laiman, qui plures alios citat, Ratio deducitur ex dictis de essentia hæresis, hæc enim essentialiter includit pertinaciam; at nemo censetur pertinax in suo errore contrà fidem, nisi sciat, & advertat se sentire contra Ecclesiam, sicut qui ignorat se sentire contrà suum Magistrum, non censetur esse pertinax in sua opinione, aut derogare auctoritati Magistri; ergò qui hoc ignorat non est pertinax, ac proindè neque hæreticus, licet ex sua culpa id ignoret; undè offendit Deum duntaxat, tanquam culpabiliter ignorans, non autem tanquam pertinax, & incredulus, & peccatum verò hæresis non est peccatum ignorantiæ, sed infidelitatis. Ex qua Doctrina solvitur ratio dubitandi adducta pro parte affirmativa, quarè, scilicet, ignorantia culpabilis à peccato heresis excuset, & non ab aliis peccatis; ratio enim est, quia in aliis peccatis, quæ pertinaciam non includunt, sicut includit hæresis, opus non est, ut peccans advertat se facere contrà legem Dei, sed sufficit, ut id advertat, vel saltem advertere possit, ac debeat, nam ad talia peccata contrahenda sufficit ratio voluntarii saltem indirectè, & virtualiter, quod cum ignorantia culpabili est compossibile; at in peccato hæresis præter rationem voluntarii etiam ratio pertinaciæ includitur, quæ scientiam, seù advertentiam requirit, qua quis reipsa advertat se contrà Ecclesiam sentire, tunc enim quis incredulus est fidei, & testimonio divino, quando sciens se contrà Ecclesiam opinari, aliquem errorem sequitur, & in eo persistit.

27 Major est difficultas de errore ex ignorantia affectata, an esse possit absque peccato hæresis, ut cùm quis non vult facere diligentiam debitam ad sciendum quid Ecclesia docet. Aliqui absolutè affirmant errorem in rebus fidei etiam ex ignorantia affectata procedentem posse esse absque peccato hæresis, quorum ratio est, quia hac voluntate ignorandi potest stare voluntas obediendi Ecclesiæ, quoties de ejus definitione constiterit, ideò enim ille vult nescire, quid Ecclesia doceat, ne cogatur mutare sententiam; ergò cum voluntate sic affecta stat vera fides tam de aliis articulis, quàm de hoc, quod Ecclesia in rebus fidei errare non potest; signum ergo est ignorantiam etiam affectatam ab hæresi excusare. Melius tamen alii cum distinctione procedunt, ut Beccanus, Vasquez, Layman, & alii dicente, ignorantiam affectatam duobus modis accidere posse; primò ex tædio addiscendi tantùm, ut si quis velit aliquid ignorare; quia tædet illum discere, aut ne cogatur mutare sententiam, & hoc modo error in rebus fidei non est hæresis, quia qui sic errat, Ecclesiæ auctoritatem non offendit, tanquam pertinax, & incredulus, quia cum hoc stat voluntas obediendi Ecclesiæ cum illi clarè fuerit propositum, licet debitam diligentiam non

non faciat ad id sciendum, undè per hoc offendit Deum solùm, tanquam culpabiliter ignorans, non tanquam pertinax, & incredulus. Alio modo affectata ignorantia contingere potest ex falsa opinione contrà Ecclesiam, qua, scilicet, quis putat parvi momenti esse ea, quæ ab Ecclesia creduntur, & proponuntur, & ideò talem propositionem ab Ecclesia quærere non curat, sed spernit, & negligit, & hoc modo utique hæreticus esset, quia malè de Ecclesia sentiret, & ex illa falsa opinione ignorantiam affectaret. Dices habens talem ignorantiam adhuc non adverteret re ipsa se sentire contrà Ecclesiam; ergò adhuc ab hæresi excusaretur, & pertinacia. Resp. cum Becano loc. cit. negando assumptum, quamvis enim non adverteret in specie, adverteret tamen in genere, adverteret enim se parvi facere, quæ ab Ecclesia creduntur, ac credenda proponuntur, ac proindè averteret se sentire contrà Ecclesiam saltem in communi, licet in particulari non adverteret se in hoc, vel illo articulo contrà Ecclesiam sentire.

28 Quintò dubitatur, An blasphemia sit peccatum contrà virtutem fidei, vel potius contrà virtutem Religionis. Pro resolutione notandum est Blasphemiam esse nomen græcum, & significare maledictionem, vel execrationem bonitatis alicujus, undè idem est blasphemare, quod malè loqui de bonitate alterius, & blasphemia generatim loquendo significat quamcunque execrationem, seù maledictum, quo honori, & dignitati alterius detrahitur; ut docet D. Augustinus lib. 2. de Moribus Machæorum cap. 11. Quamvis autem blasphemia contumeliam, seù convitium significet, sivè sit contrà Deum, sivè contrà homines; jam tamen usu Patrum, & Catholicorum præceptum est, ut significet sacrilegam maledictionem in Deum, vel Sanctos, undè D. Augustinus loco citato. *Jam vulgò blasphemia non accipitur, nisi mala verba de Deo dicere*, & ideò blasphemia hoc modo sumpta definiri solet, quod est *locutio falsa contrà Deum per modum convitii*, nec opus est addere, vel contrà Sanctos, quia quæ contrà Sanctos dicuntur, contrà Deum quoque dicta censentur, per blasphemiam enim semper divinæ excellentiæ derogatur, sivè directè, sivè indirectè; directè quidem, quando ipsi Deo immediatè maledicitur, indirectè verò, quando maledicitur alicui rei, in qua laudatur Deus, ut sunt Sanctis, est igitur difficultas, an blasphemia hoc modo sumpta sit peccatum contrà virtutem fidei, vel Religionis. Quamvis autem D. Thomas q. 13. dixerit esse contrà confessionem fidei, communis tamen opinio asserit blasphemiam per se, & essentialiter esse contrà virtutem Religionis per accidens tamen, & secundariò posse etiam esse contrà virtutem fidei, & quidem quod per se, & essentialiter sit peccatum contrà virtutem Religionis ex eo patet, quod sicut ad hanc virtutem spectat laudare Deum, sic blasphemia, cùm sit contrà laudem Dei, & in ejus contumeliam, virtuti Religionis primò, & per se erit opposita; undè potest esse blasphemia sine peccato contrà fidem, ut patet in iis, qui nihil de divina revelatione audierunt, & in rebus, quæ non sunt à Deo revelatæ. Quia tamen nonnullæ sunt contumeliæ etiam contrà fidem, ideò ex ea parte blesphemia etiam confessioni fidei potest opponi, non tamen per se, & formaliter, sed tantùm per accidens, & materialiter, quia de essentia fidei est sentire verum de Deo propter veritatem revelantem, de essentia verò blasphemiæ non est sentire falsum de Deo, sed tantum dicere falsum contrà Deum, undè blasphemia est locutio falsa, non tamen animo dicendi falsum, sed tantùm intentione dehonestandi Deum, undè per se, & formaliter opponitur illi virtuti, ad quam spectat tueri honorem, & laudem Dei, quæ est Religio, cum hac tamen malitia contrà Religionem altera malitia per accidens conjungi potest, quæ sit veluti species secundaria in eodem actu, & propriè contrà virtutem fidei, ut si aliquid negetur de Deo, vel ei tribuatur, non solùm cum ejus convitio, & maledictione, sed etiam contrà revelationem de ipso factam. Ita Navarrus, Sanchez, Valentia, Azorius, Clavis regia, Becanus, Bonac. Caspensis, & alii passim, ac etiam ex nostris Vulpes d. 46. a. 1. ubi ait solam blasphemiam hæreticalem immediatè, ac directè opponi confessioni fidei, quamvis omnis illi contrarietur saltem indirectè; undè quando D. Th. l. c. docet blasphemiam opponi formaliter confessioni fidei, plures ex Auctoribus cit. dicunt intelligendum esse de blasphemia hæreticali. Alia verò ad peccatum blasphemiæ spectantia dicemus infrà disp. seq. declarando secundum decalogi præceptum.

29 Sextò dubitatur, an liceat de rebus fidei cum infidelibus disputare. Communis opinio docet, licitum esse viris doctis justam ob causam de rebus fidei cum infidelibus disputare exceptis laicis. Ità Valentia, Bannes, Azorius, Malderus, Arragonius, Sanchez, Suarez, Arriaga, Bonacina, & alii communiter cum D. Th. 2. 2. q. 14. a. 3. Ratio est, quia licet ob utilem, & honestum finem actionem honestam exercere, talis autem est disputatio de rebus fidei, quæ ob honestam causam à viris doctis assumitur, dicitur autem *à viris doctis*, quia viris indoctis disputare non licet ob periculum, cui se exponerent multos errores proferendi, dicitur etiam *exceptis laicis*, quia laicis prohibitum est sub pœna excommunicationis disputare publicè, vel occultè de rebus fidei cap. *quicunque de Hæreticis* in 6. ubi est sermo de laicis, non verò de Clericis, & Religiosis, quod etiam intelligi volunt Auctores adducti non solùm de laicis indoctis, sed etiam doctis, & adeò benè instructis de rebus fidei, ut de illis disputare valeant, cujus ratio est, quia ubi jus non distinguit, neque nos distinguere debemus. Avertit tamen Arriaga tract. de fide disput. 23. sec. 3 quod etiam notavit Bonacina disput. 3. q. 2. punct. 4. in locis hæreticorum licitas esse etiam laicis hujusmodi disputationes privatas cum hæreticis, quia consuetudo ibi derogavit legi, & est optima ratio, quod frequens sit ibi necessitas talis disputationis, sic enim maritus sæpè uxorem ad fidem reducit, tùm quia propter hæreses vicinas solent multi Catholici etiam laici satis docti esse in controversiis fidei. Scotus autem noster 2. d. 1. q. 3. sub A. vers. *Ad 2. dici potest* docet non solùm esse licitum de rebus fidei contrà infideles publicè disputare ad eos convincendos, sed etiam valdè meritorium si cum debitis circumstantiis disputatio fiat. Addit Vulpes noster disp. 43. art. 7. quod licet solis majoribus Ecclesiæ, seù Doctoribus id conveniat; in casu tamen necessitatis commune esse cuilibet fideli etiam simplici contrà infideles disputare ad eos convertendos, & convincendos, cùm Deus de communi lege in tali casu teneatur sufficientem infundere scientiam juxtà promissionem ab eo factam Matth. 10. *Cùm fueritis antè Reges, & Præsides, &c.* undè etiam Virgines puellæ ex infidelibus sapientissimos superarunt, ut legitur de S. Catharina, & Lucia. Decretum verò citatum cap. *Quicunque de Hæreticis* in 6. ait Vulpes solùm prohibere laicis publicè, vel privatè, coram etiam Doctoribus Ecclesiasticis disputare de rebus fidei cum infidelibus ob curiositatem ad pompam, & vanitatem, non ob necessitatem ad ædificationem, ac pietatem.

30 Postremò dubitatur, an liceat cum infidelibus communicare, procedit autem hæc dubitatio de communicatione cum infidelibus non baptizatis, non verò de communicatione cum infidelibus baptizatis, qui sunt Hæretici, nam cum hæreticis, postquam denunciati sunt excommunicati, prohibita est communicatio ratione excommunicationis, & conveniunt omnes nullo modo licitum esse communicare cum infidelibus in iis rebus, & actionibus, quæ ad cultum infidelitatis directè pertinent, ut colligitur ex illo 2. Corinth. 6. *Nolite jugum ducere cum infidelibus*, & similiter non licere communicare cum infidelibus quoties ex eorum communicatione imminet periculum perversionis quia quilibet ab iis abstinere tenetur, quæ ruinæ occasionem sibi adferre possunt, qua de causa fidelibus interdicta est assidua conversatio, & familiaritas cum Judæis cap. *Ad hæc, de Judæis*. Solùm ergo est difficultas, an licitum sit communicare cum infidelibus in rebus politicis, ac civilibus. Communis opinio docet communicationem civilem, seù purè ordine ad res non pertinentes ad religionem nullo modo esse jure prohibitam, quia ex se nullam includit indecentiam, imò talis prohibitio moraliter impossibilis esse videtur, ut ipsa experientia docet, videmus enim quotidiè Christianos inire contractum venditionis, aut emptionis cùm Judæis, aut eis locare res nostras, ut currus, boves, &c. hæc enim nullo jure prohibentur. Ità Sylvester, Valentia, Azorius, Reginaldus, Arriaga, Becanus, Bonacina, & alii passim, qui tamen excipiunt casum si quis ex tali communicatione periculum timeret defectionis à fide; tunc enim abstinere deberet, quia eodem præcepto, quo prohibetur defectio, etiam periculum defectionis prohibetur, & consequenter etiam communicatio, in qua tale periculum immineret.

31 Verùm Vulpes noster disp. 43. cit a. 9. hanc communem opinionem non approbat, & inquit communicationem civilem, seù humanam fidelium cum infidelibus sine spe conversionis certa, vel probabili esse jure divino prohibitam, quod ex Scoto deducit 4. d. 39. q. un. ar. 2. ubi ait vitandam esse singularem familiaritatem infidelium, & quorumcunque contrariæ sectæ, si non est certa vel probabilis spes majoris boni, scilicet, de illorum conversione, quod probat Vulpes, quia cessante causa cessat effectus, sed causa præcisa, cur liceat cum infidelibus communicare est sola conversio illorum, ex Apostolo 1. Corinth. cap. 7. *Salvabitur vir infidelis per mulierem fidelem*; ergo sublata evidenter hac causa, mala est, vel saltem periculosa talis conversatio, atque ideò jure divino prohibita. Cæterum Scotus, sicut & Apostolus l. c. non loquuntur de communicatione, & conversatione merè civili, & politica ad sæcularia negotia peragenda, de qua hìc est sermo; sed de conversatione domestica, & assidua etiam quoad cohabitationem, qualis est uxoris cum viro, de quibus ibi loquuntur, & hanc utique nos quoque illicitam, & prohibitam esse fatemur, nisi sit certa spes, vel saltem proba-

probabilis conversionis infidelium, ut constat ex cap. citat. *Ad hæc, de Judæis.* Solet etiam hìc disputari, An infideles cogi possint ad fidem suscipiendam, de quo sufficienter nos tractavimus libr. 4. sent. disp. 2. q. 4.

QUÆSTIO SECUNDA.

De præceptis Spei.

32 SPes, quæ est secunda virtus theologica definitur à Scoto 3. d. 26. q. un. §. Ad quæstionem, quod sit illa, qua desideramus nobis bonum infinitum secundum ordinem divinæ sapientiæ, undè præcipuus ejus actus est amor concupiscentiæ ergà Deum, quo Deum, & divina præ omnibus aliis nobis concupiscimus, itaut parati simus potius omnia perdere, quàm Deum, & divina, & quia ejus objectum tam materiale, quàm formale, sicut & alia ad speculationem pertinentia sufficienter explicata sunt lib. 3. sent. disp. 6. cit. q. 17. 18. & 19. hic solùm tractabimus, quæ ad moralem doctrinam pertinent discurrendo de illius præcepto, & vitiis ei oppositis.

ARTICULUS PRIMUS.

An extet præceptum Spei, & quandonam obliget.

33 PRimò, non defuerunt qui dixerint, nullum extare præceptum Spei affirmativum, sed tantum negativum, ac proindè obligare semper, & pro semper, sicut alia præcepta negativa, quamvis non detur, nisi per modum affirmationis, ac proindè præceptum hoc non obligare ad habendum aliquandò actum Spei, sed tantùm ad nunquam de Deo desperandum, quorum fundamentum fuit; quia nullus quantumvis prudens, ac Deum timens, quando sua peccata confitetur, de omissione actuali hujus præcepti se accusat, sed tantùm de commissione, si aliquem actum desperationis habuerit, & similiter Confessarii nunquam de omissione hujus actus pœnitentes interrogant, sed tantùm an in aliquo periculo, vel angustia de divina misericordia desperaverint; ergo de Spe non extat præceptum, nisi negativum, quamvis per modum affirmationis tradatur. Certum tamen est de fide, extare præceptum Spei non tantùm negativum, sed etiam affirmativum, quo aliquando obligamur elicere actum spei, ut luculenter ex Scripturis deducitur ex Psalm. 4. *Sperate in Domino:* Psalm. 33. *Beatus vir, qui sperat in eo* ad Hebr. cap. 11. *Fides est substantia rerum sperandarum*, 1. ad Timot. 6. *Divitibus hujus sæculi præcipe non sublime sapere, neque sperare in incerto divitiarum, sed in Deo vivo*, & ad Titum 2. *Sobriè, & justè, & piè vivamus in hoc sæculo expectantes beatam spem*, undè August. tract. 33. in Joan. inquit, *quam multa nobis mandata sunt de spe, quis potest omnia colligere?* Ità etiam docent Theologi omnes, & præsertim Scotus 3. d. 25. q. 1. §. sed posito, ubi ait dari præcepta de actibus fidei, spei, & charitatis eliciendis tàm affirmativa obligantia semper non pro semper, quàm negativa obligantia ad semper, & pro semper, & ratio est, quia omne medium ad salutem necessarium cadit sub præcepto, sed actus spei est medium ad salutem necessarium, ut mox patebit; ergo &c. ad rationem in oppositum infrà patebit. Solent autem distingui quatuor præcepta in hac materia, duo quidem negativa, quorum uno prohibemur desperare, altero præsumere de divina misericordia, alia verò duo affirmativa, quorum altero beatitudinem sperare jubemur, & media ad illam consequendam necessaria, altero timere supplicium, & pœnam æternam, his itaque suppositis, tanquam certis de fide.

34 Secundò est difficultas, quo tempore præceptum Spei affirmativum obliget, pro cujus resolutione advertendum est duplicem obligationem considerari posse, unam per se, & directè, alteram verò indirectè, & per accidens, & quidem loquendo de posteriori obligatione conveniunt Doctores præceptum Spei affirmativum obligare per accidens, quoties obligat quodcunque aliud præceptum, quod observari non potest absque actu spei saltem virtuali, ut quandò quis tenetur se ad Deum convertere, & pœnitentiam suorum peccatorum agere, cùm enim suorum peccatorum veram pœnitentiam agere nequeat, nisi veniam peccatorum se consecuturum speret, fit ut teneatur veniam sperare saltem virtualiter non quidem ex vi præcepti spei, sed ex vi præcepti pœnitentiæ, quia præceptum obligans ad aliquem finem, obligat simili ad ponenda media necessaria ad illum finem, quod saltem verum est de actu spei implicito, & virtuali, & ideò si tunc actum spei non eliciat, aut pœnitentiam non agat, contrà spei præceptum non peccat, sed contrà præceptum pœnitentiæ, ac proindè ejus omissio non est necessario in confessione explicanda, sed satisfaciet dicendo se pœnitentiam non egisse, dùm tenebatur, nam per se, & directè contrà spem non peccavit, sed contrà præceptum pœnitentiæ, & idem dicendum est de aliis actibus, qui sine actu spei commodè præstari nequeunt, ut rectè Bonacina observat cum pluribus aliis disp. 3. quæst. 3. punc. 2. Difficultas autem est de obligatione per se, & directa, quando nimirum hoc præceptum spei affirmativum per se, & directè obliget, itaut talem actum omittendo directè contrà hanc virtutem peccet. Bonacina cum pluribus aliis ab ipso citatis ait præceptum affirmativum spei per se obligare, quando quis graviter vexatur tentationibus contrà spem, & in periculo desperationis exiistit, nisi actibus spei se muniat. & ratio est, quia quilibet tenetur ex præcepto spei ea media adhibere, quæ necessaria sunt ad non desperandum, sed medium necessarium ad non desperandum, dum ingruunt tentationes contrà spem, est actus spei; ergò quilibet actum spei elicere tenetur, dùm tentationibus vexatur contrà spem cum periculo desperationis.

35 Alii tamen hoc non admittunt, quia quando præceptum spei per se obligat, non potest per alium actum suppleri, sicut quando præceptum fidei, vel Charitatis per se obligat, non potest per alium actum suppleri; sed tentatio desperationis potest per alium actum superari, nimirum vel imaginationem aliò divertendo, vel alio virtutis actu tentationem superando; ergò in tali casu præceptum spei per se non obligat, sed tantùm per accidens ad tentationem superandam. Ità Suarez, Sanchez, Amicus, Turrianus, Caspensis, & plures alii, quorum aliqui proindè dicunt non posse hoc tempus designari positivè, & omninò determinatè, sed quasi negativè, & confusè, nimirum teneri hominem aliquando tempore vitæ suæ actum spei elicere, nec hujusmodi actum diù differre post perfectam beatitudinis propositionem, ac ejus apprehensionem, quod verò præceptum hoc obliget nunc, vel posteà, relinquendum esse prudentis arbitrio. Sed neque hoc aliis placet, quia ut inquit Vulpes noster disp. 55. art. 1. si hominis arbitrio hæc obligatio relinquitur, sine culpa possent actus isti semper differri, & nunquam exerceri, vel saltem semper perplexus esset homo de tali obligatione. Ac proindè cùm aliis probabilius est dicere, duo saltem esse tempora certa, quibus homo per se tenetur ad actum Spei eliciendum, alterum initio vitæ, quando sufficienter instructus de rebus fidei ad Deum se convertere tenetur, tanquam ad ultimum finem per actus Fidei, Spei, & charitatis juxtà illud ad Hebræos 11. *Credere oportet accedentem ad Deum, quia est, & inquirentibus se remunerator est*, quamvis enim homo statim atque usum rationis attingit, non teneatur ad Deum se convertere supernaturali directione, tenetur saltem postquam de rebus fidei fuerit sufficienter instructus. Alterum tempus est finis vitæ, quandò homo in extremo constitutus maximè in Deum sperare tenetur tùm ob tentationes eo tempore ingruentes, tùm etiam quia tunc maximè eò debemus intentionem dirigere, quò migrandum est. Ità Amicus disp. 23. sec. 1. Vulpes loc. cit. & plures alii.

36 Cæterum quomodocunque dicatur de obligatione hujus præcepti, ad omnes scrupulos tollendos pro ejus observatione advertendum est cum Castro Palao, Caspensi, & aliis homines regulariter præcepto hujus virtutis satisfacere, cùm pœnitentiam agunt, & de peccatis dolent, quia nunquam aut vix dolorem hunc concipiunt absque actu formali spei, quo ad peccata detestanda eriguntur, & ad veniam eorum à Deo sperandam; item cùm propositum faciunt nunquam in posterum peccandi mortaliter, licet enim hoc propositum ex perfecto Dei amore per actum contritionis aliquandò oriatur, sæpè tamen gignitur ex amore imperfecto per actum attritionis, considerantes æternam beatitudinem, quam peccatis amittunt, & pœnam æternam, ad quam ob ea damnantur, ex qua consideratione in spem æternæ vitæ eriguntur, & sua peccata detestantur, quarè opus non est hominem esse valdè anxium circà hujus præcepti adimpletionem, an illi satisfecerit, nec ne, quia in præfatis occasionibus, & circumstantiis illi satisfacit, & hæc est ratio, quarè pœnitentes, quando sua peccata confitentur, de omissione præcepti hujus non se accusant, sed tantùm de commissione, quando aliquem actum desperationis habuerunt, & similiter quarè Confessarii tantùm pœnitentes interrogent, an in aliquo periculo, vel angustia constituti de divina misericordia desperaverint, per quod patet ad fundamentum eorum, qui ab initio articuli dicebant nullum extare præceptum spei affirmativum, sed tantùm negativum.

37 Tertiò est difficultas, an actus spei sit necessarius ad salutem necessitate medii. Negant aliqui asserentes actum formalem spei in adultis esse solùm necessarium necessitate præcepti, non autem necessitate medii simpliciter, quorum ratio est, quia

quia actus charitatis, qui est necessarius simpliciter ad salutem, potest esse sine actu spei, potest enim homo absque actu spei formaliter cognoscere Deum per fidem esse summum bonum, & summa dilectione dignum, ac proindè ipsum summè diligere; ergo potest esse actus charitatis absque actu spei, & consequenter meritum beatitudinis, atque ideò actus spei non est necessarius simpliciter ad eam consequendam. Oppositum tamen verius est, & probabilius, illud enim est necessarium necessitate medii simpliciter ad salutem, sine quo salus consequi nequit; talis autem est actus spei; ergo &c. probatur minor, quia nemo salvari potest, nisi convertatur ad Deum, ut finem supernaturalem super omnia diligendum, & credat esse remuneratorem supernaturalem, ut patet ex dictis quæst. præced. sed implicat intellectum judicare Deum esse remuneratorem bonorum, & quod voluntas in eum tendere velit, ut finem supernaturalem, quin eo ipso se erigat ad remunerationem bonorum operum sperandam ex ejus auxilio; nam eo ipso judicat futuram remunerationem, & in Deum tendit, ut remuneratorem, quia ut sic necessariò per fidem proponitur; ergo actus spei est necessarius simpliciter ad salutem necessitate medii, undè in Sacra Scriptura salus sæpè ipsi spei tribuitur, ut ad Rom. 8. *Spe salvi facti sumus*, & ideò in Concil. Trid. cap. 6. & 7. can. 5. Spes inter dispositiones ad justificationem necessarias recensetur. Ratio autem in oppositum adducta probat solùm in homine justificato semel non esse ità necessarium actum formalem spei, sicut necessarius est actus fidei, & charitatis, non enim postquam semel justificatus est homo, videtur necessarium, ut posteà in quolibet actu merendi præcedat actus spei formalis, & explicitus circà beatitudinem, sed antè justificationem vix potest intelligi, quo pacto aliquis adultus per proprium actum justificetur, quin etiam actum formalem spei habeat, quo speret remissionem peccatorum, & veniæ consecutionem; in hoc ergo sensu dicimus actum spei esse necessarium implicitè necessitate medii ab beatitudinem, quia, scilicet, est simpliciter necessarius ad justificationem. Ità Cajetanus disp. 2. sec. 5. cum pluribus aliis.

38 Quartò tandem circà præceptum affirmativum de actu timoris advertunt Doctores communiter ex D. Thoma qu. 22. a. 2. duplicem esse timorem honestum, scilicet, filialem, & servilem, filialis dicitur, quando homo abstinet à peccato ex timore offensæ Dei, & appellatur talis, quia nascitur ex amore Dei, sicut timor, quo filii vereri solent, ne parentes suos offendat, nascitur ex filiali amore, quem illis deferunt, & hic timor pertinet ad veritatem charitatis, servilis autem timor dicitur, quando quis abstinet à peccato ex timore pœnæ, undè hic timor propriè non oritur ex amore Dei, sed ex amore sui, quo quilibet incolumnitatem suam amat, & commoditatem, atque ideò timet mala pœna his contraria, & ea aufugere studet, & ideò servilis dicitur, mos enim servorum est dominis obsequia præstare, non ex amore ipsorum, sed ex amore sui, ne pœnis plectantur, quas timent defectu obsequii, & hic etiam timor honestus esse potest, & salutaris, si ex amore propriæ indemnitatis procedat, non ut ultimi finis, sed ut rei, quæ suaptè natura potest per charitatem referri, & ordinari in Deum, ut ad ultimum finem bonorum omnium; bonitas enim, & malitia timoris judicanda est ex bonitate amoris, ex quo nascitur, sed amor, ex quo oritur timor servilis, scilicet, proprii boni, & indemnitatis, non ut ultimi finis, sed ut cujusdam boni, quod ad Deum ordinari possit, per se est bonus, cùm habeat bonum, & objectum amore dignum; ergò etiam bonus est timor ex tali amore procedens, & hic timor pertinet ad virtutem spei. Quod autem de utroque detur præceptum affirmativum constat ex testimoniis Sacræ Scripturæ, nam de timore filiali dicitur Deuter. 10. *Quid dominus Deus petit à te, nisi ut timeas Dominum Deum tuum*, de timore verò servili habetur Lucæ 11. *Timete eum, qui postquam occidit corpus, habet potestatem & corpus, & animam perdere in gehennam.* Quando autem præceptum affirmativum timoris obliget, dicendum breviter est alterutrum tunc obligare, quando occasio, vel periculum peccandi urget, & imminet, tunc enim à peccato abstinere tenemur, vel ex timore offensæ Dei, vel ex timore pœnæ, si timor ille haberi non possit.

ARTICULUS SECUNDUS.

De vitiis Spei oppositis Desperatione, scilicet, & Præsumptione.

36 CONveniunt Doctores quamcunque suspensionem actus spei, quando quis ad sperandum obligatur, esse peccatum contrà spem, & esse peccatum omissionis, & rursus desperationem, & præsumptionem esse peccata contrà spem non solùm quatenus ejus actum impediunt, sed quatenus habent ulterius aliam malitiam positivam ex natura sua, & ratione cujus essent mala, etiam quando quis actum spei elicere non tenetur; undè dicuntur peccata commissionis, quia habent oppositionem particularem cum spe, nam desperatio judicium involvit de beatitudine nullo modo consequenda, spes verò includit judicium de ea consequenda, modo debito, præsumptio autem licet judicium involvat de beatitudine consequenda, non tamen de ea consequenda modo debito, sed indebito, ut posteà explicabitur.

40 Primò itaque videndum est, quid sit Desperatio, & in quo ejus malitia consistat, desperatio igitur in eo consistit, ut quis voluntariè beatitudinem refugiat, tanquam bonum quoddam arduum sibi impossibile ad consequendum, & ideò ab ejus procuratione desistat, est namque desperatio motus contrarius, & positivè oppositus motui spei; undè in desperatione duo interveniunt, primò judicium intellectus, quo quis judicat se non posse à Deo salutem consequi, deindè fuga voluntatis, qua refugit salutem, tanquam impossibilem obtineri, quæritur modo in quo propriè desperatio consistat, an in actu intellectus, vel potius in actu voluntatis. Quamvis autem Almainus 3. d. 26. cum quibusdam aliis existimaverit desperationem esse actum intellectus, & consistere in judicio, quo quis judicat impossibile esse se consequi beatitudinem, aut veniam peccatorum, ac proindè actum voluntatis ad desperationem non necessariò requiri. Communis tamen sententia docet cum D. Th. q. 20. a. 1. desperationem propriè, & formaliter consistere in actu voluntatis, quo quis voluntariè salutem refugit tanquam apprehensam impossibilem ad eam obtinendam. & ratio est, quia opposita circà idem subjectum versari debent, sed desperatio opponitur spei, quæ est in voluntate, ut dictum est lib. 3. sent. d. 6. cit. quæst. 17. ergò sicut spes consistit in prosecutione boni, quatenus judicatur possibile obtinere, ità desperatio consistit in fuga ejusdem boni, quatenus judicatur impossibile obtineri. Verum quidem est desperationem prædictum judicium præsupponere, non tamen illud desperationem constituit, quia aliud est, quod in intellectu supponitur desperationi, aliud verò id, quod est formaliter ipsa desperatio, illud namque judicium utique ad desperationem præsupponitur, non tamen in eo formaliter desperatio consistit, quamvis ex illo regulariter sequatur, dixi regulariter, quia absolutè loquendo posito tali judicio in intellectu non necessariò sequitur desperatio in voluntate, quia voluntas à tali judicio non necessitatur, sed semper libera manet, ut etiam ipso posito possit non desperare, & dicere, nolo desperare, sed faciam quod possum, & licet judicium illud sit peccatum, si adsint cætera ad peccatum requisita, tamen non est peccatum desperationis.

41 Sed Obiicies desperationem non posse consistere in actu voluntatis, quo quis voluntariè beatitudinem refugit, quia fieri nequit, ut quis positivè beatitudinem nolit, ad hoc enim necessarium esset, ut in ea aliquam rationem mali conciperet, quæ in beatitudine concipi nequit, cùm essentialiter includat absentiam omnis mali; ergò desperatio in positiva nolitione beatitudinis consistere nequit.

Respondetur desperationem esse fugam, & recessum à beatitudine non simpliciter, quatenus talis, sed quatenus habet annexas difficultates consequendi illam, & adhibendi media necessaria pro ejus consecutione, undè desperans non dicitur recedere à bono, ut bonum est, sed à bono, quatenus consecutionem ejus judicat impossibilem, aut non futuram, quia media necessaria applicare non vult, quomodo peccavit Cain Genes. cap. 4. *Major est iniquitas mea, quam ut veniam mereas*, & Judas Matt. cap. 17. *Peccavi tradens sanguinem justum*, &c. Et quod desperatio in hoc voluntatis actu formaliter consistat, clarè etiam deducitur ex Scoto 3. d. 26. q. un. infrà B. ubi ait voluntatem peccaminosè dupliciter se habere posse circà bonum infinitum ex Spe virtute Theologica intendendum, uno modo per excessum, quod peccatum præsumptionem appellat, alio modo per defectum, quod peccatum ait esse desperationem, nam primo modo voluntas nimis de Divina misericordia confidit, secundo autem modo nimis diffidit, & in solutione ad primum inquit desperantem posse utique desiderare beatitudinem desiderio conditionato, quia vellet, si posset, non tamen potest desiderare absolutè, quia ab absolutè desiderare præsupponitur conceptio intellectus ostendens sibi desideratum, sicut possibile desideranti, quicquid enim ostenditur voluntati, tanquam impossibile, vel voluntas omninò non vult illud, vel si vult illud, tenuiter vult. Ità discurrit ibi Doctor.

42 Secundò quæritur, quàm grave peccatum sit desperatio, & Doctores conveniunt, peccatum desperationis ex suo genere gravius esse, quàm omnia alia peccata, quæ sunt contrà virtutes morales, cùm sit contrà unam ex virtutibus Theologicis, quæ sunt omnium præstantissimæ. Difficultas tamen est, an sit

quoque

quoque peccatum gravius odio Dei, & infidelitate, quæ opponuntur Charitati, & Fidei, & quamvis quidam dixerint desperationem esse peccatum minus grave, quàm odium Dei, & majus, quàm infidelitas, quia sicut virtus Spei est imperfectior quàm Charitas, & perfectior, quàm Fides saltem in genere moris, ità desperatio, quæ Spei opponitur, est minus grave peccatum, quàm odium Dei, quod opponitur charitati, & magis grave, quàm infidelitatis, quæ opponitur fidei. Alii tamen communiter docent cum D. Th. q. 20. art. 3. odium, & infidelitatem esse graviora peccata desperatione, eo quod ab ipso Deo secundum se per ea receditur, per desperationem autem non nisi, ut participatur à nobis; cùm ergò infidelitas, & odium Dei sint contrà Deum secundum quod in se est, desperatio verò secundum quod ejus bonum participatur à nobis, consequens est, ut illa duo peccata secundum propriam speciem considerata sint graviora, quàm desperatio. & ità etiam ex nostris discurrunt Nicolaus de Nisse tract. 3. part. 3. pont. 3. quæ. 2. & Astesanus lib. 2. tit. 61. art. 2. qui tamen addunt, quod si prædicta tria ad invicem comparentur ex parte nostra, sic desperatio est periculosior, quia per Spem revocamur à malo, & ad bonum prosequendum incitamur, & ideo spe sublata irrefrænatè homines in vitia labuntur, & à bonis operibus retrahuntur, undè Isidorus lib. de summo bono dicit. *Perpetrare flagitium aliquod mors est animæ, sed desperare est descendere in infernum.* Addit tandem Astesanus ex D. Gregorio l. 21. Moral. desperationem oriri tùm ex luxuria, tum ex acedia, sed præcipue ex acedia, quod etiam docet Vulpes disp. 53. art. ult. & ratio est, quia per carnalia oblectamenta minuitur affectus ad bona supernaturalia, & per acediam inducitur torpor quidam ad salutem procurandam, cùm acedia sit tristitia quædam animum deficiens, & segnem reddens ad benè operandum. Remedium autem principale contrà desperationem inquit esse confidentiam de Christo passo pro genere humano, undè super illud ad Rom. 5. *Pro impiis mortuus est*, dicit Glossa, Ne desperes de ejus potentia, cujus apparet in morte tanta benevolentia, & quo tales arrhas accepimus, quod donavit impiis mortem, & servat justissuam vitam.

43 Tertiò quæritur, an desperatio possit esse sine infidelitate. Communis opinio affirmat cum D. Thoma quæst. 20. citat. art. & ratio est, quia potest aliquis actum desperationis elicere, etiamsi non sentiat aliquid contrà fidem, ut si homo judicet salutem sibi impossibilem propter facilitatem, & proclivitatem suæ naturæ ad peccandum, & difficultatem, ac contrarietatem, quam in se experitur ad benè agendum, quo pacto judicium nullum continet errorem contrà fidem, si verò diceret, Deus non potest mihi parcere, aut ego non possum salvari, vel gratiam consequi, aut Deus mihi non ignoscet, etiamsi me disposuero, tunc judicium est hæreticum, & simul duo peccata committuntur, nempè hæresis, & desperationis. Ita Valentia, Becanus, Sanchez, Reginaldus, Bonacina, Morandus, Caspensis, & alii passim. Negat tamen Vulpes ex nostris disput. 53. cit. art. 2. ubi asserit desperationem necessariò semper habere annexam infidelitatem & hæresim, seù errorem in fide, quod probat, quia quamvis desperatio non semper oriatur ex prava falsitate intellectus hic, & nunc judicantis veniam peccatorum impossibilem, potest enim voluntas ex mera malitia desperare per abusum suæ libertatis, hæc tamen malitia excæcaret mox intellectum ex Scoto 3. d. 36. quæst. un. sub C. ergò desperatio annexam habet infidelitatem, vel hæresim, aut antecedenter, aut concomitanter. Hæc tamen duæ opiniones facilè conciliari possunt, quia prima opinio intendit tantùm asserere desperationem non semper oriri ex prava falsitate, & judicio erroneo intellectus judicantis veniam peccatorum impossibilem, quod etiam secunda concedit, quicquid sit de judicio erroneo concomitanti, quod causari potest ex malitia voluntatis desperantis intellectum excæcante, & probabilitas secundæ opinionis etiam ex ipsa fidei definitione luculenter deducitur, definitur enim fides, quod *sit substantia rerum sperandarum*; ergo qui desperat, non credit, vel antecedenter, vel saltem concomitanter.

44 Quartò quæritur, an per quemcumque actum desperationis corrumpatur habitus spei. Pro resolutione notant communiter Doctores actum desperationis versari posse vel circà salutem ipsam obtinendam, vel circà aliquod medium ad eam obtinendam à Deo, si circà salutem ipsam versetur, certum est habitum Spei per talem actum corrumpi, regula enim universalis est, quod singulæ virtutes infusæ corrumpuntur per actus sibi contrarios, ut fides per quamvis actum infidelitatis, & charitas per quodlibet peccatum mortale; ergo & spes per quemvis desperationis actum. Si verò actus desperationis versetur circà media ad salutem obtinendam ordinata, cum distinctione procedendum est, quia vel tale medium est necessarium ad talem finem obtinendum, vel utile dumtaxat, si medium est necessarium simpliciter, desperatio de tali medio corrumpit etiam habitum Spei, quia qui desperat de mediis ad salutem necessariis, spem circà salutem ipsam retinere non potest ad eam obtinendam, cùm finis sine mediis necessariis obtineri nequeat, si verò desperatio sit de medio utili tantùm, non autem necessario ad salutem consequendam, per talem desperationis actum habitus Spei non corrumpitur, quia talis actus non esset Spei contrarius, Spes enim solùm obligat ad ea media speranda, quæ sunt ad salutem necessaria, non autem ad ea, quæ tantùm sunt utilia, & ideò ille solùm contrà spem peccare censetur, qui de mediis desperat ad salutem simpliciter necessariis, non autem qui desperat de utilibus tantùm, cùm adhuc sine ipsis salus obtineri possit. Denique certum etiam esse debet habitum spei demeritoriè non corrumpi actu peccaminoso veniali, ne quidem desperationis, quia nullum veniale pugnat cum charitate, cùm charitate autem manent omnes virtutes infusæ, ergo nullo actu veniali etiam desperationis corrumpitur spes theologica. Ità Amicus, Becanus, Morandus, & alii passim. Solet etiam hìc disputari, An is cui fieret revelatio damnationis posset licitè in eo casu desperare, quàm difficultatem fusè tractavimus lib. 3. sentent. disp. 6. cit. q. 19. ad quam me remitto.

45 Quintò Præsumptio, quæ est alterum peccatum Spei oppositum per excessum, definiri solet, quod *sit Spes obtinendi à Deo gratiam, & gloriam, & reliqua dona supernaturalia inordinatè*, ideſt, aliter quam Deus obtinenda statuit, dupliciter autem peccatum hoc committi potest. Primò cùm quis præsumit se divinam gratiam, aut gloriam ex seipso, & naturæ suæ viribus adipisci posse, quo pacto Pelagiani præsumebant se posse propriis viribus sine Dei auxilio omnia præcepta servare, & beatitudinem mereri. Secundò quando quis præsumit è contrà se sola Dei misericordia, ac liberalitate sine pœnitentia, & sine meritis beatitudinem consecuturum, quę fuit præsumptio Lutheranorum. Prima præsumptio, qua quis nititur suæ propriæ virtuti ad sperandam salutem, seù beatitudinem, ut notat Vulpes disput. 54. artic. 1. est pejor altera, quæ soli divinæ virtuti innititur, & oritur ex inani gloria, ut notat Astesanus lo. cit. ex D. Greg. 21. Moral, ubi eam appellat filiam inanis gloriæ. Altera verò præsumptio, quæ consurgit ex contemptu divinæ justitiæ, directè ex superbia oriri videtur, ac si talem quis se æstimet, quod etiam eum peccantem Deus non puniat, vel à gloria non excludat, & sic etiam sentire videtur Scotus 2. dist. 6. q. 2. a. 2. ubi præsumptionem in malis Angelis ad beatitudinem attingendam supra vires, & sine propriis meritis ultimatè refundit in amorem sui inordinatum proximam radicem superbiæ, ac inanis gloriæ ex Aug. 14. de Civitate Dei c. 13. Addit tandem Aste. l. c. desperationem esse præsumptione pejorem, & ratio, est, quia voluntas per desperationem totaliter à Deo recedit, non enim innititur misericordiæ, quam contemnit, nec justitiæ, quia quantum potest, eam refugit, per præsumptionem autem in Deum, licèt inordinatè, tendit.

46 Sextò tandem ex præcedenti doctrina solvitur illa difficultas, An per peccatum præsumptionis habitus Spei corrumpatur, non enim quovis actu præsumptionis habitus Spei demeritoriè corrumpitur, sed eo dumtaxat, qui supponit erroneum judicium de beatitudine consequenda, nam præsumptio, quæ in erroneo judicio non fundatur cum actu Spei Theologicæ non repugnat, & ideò non est demeritoria causa corruptiva talis habitus. Ex quo infertur primam præsumptionem, qua quis propriæ virtuti nititur ad sperandam salutem, habitum Spei demeritoriè corrumpere, quia talis præsumptio judicium hæreticum supponit, quo fides amittitur, & consequenter etiam Spes, quia sine Fide, Spes, & Charitas esse non possunt, ut docet D. Aug. in Enchiridio cap. 7. & 8. In casu autem secundæ præsumptionis, quando quis inordinatè innititur divinæ misericordiæ, & potentiæ sperando veniam peccatorum sine pœnitentia, & beatitudinem sine meritis, distinguendum est, ut Becanus advertit c. 17. cit. q. 12. quando enim præsumptio oritur ex hoc judicio, quod pœnitentia non est necessaria ad peccatorum remissionem, tunc judicium est hæreticum, si simul duo peccata committuntur, scilicet, hæresis, & præsumptionis, atque ideò præsumptio tale judicium præsupponens habitum Spei theologicæ corrumpi. Quando autem præsumptio ex tali judicio, quod Deus ex ineffabili sua misericordia condonabit sibi peccata sua etiamsi tunc pœnitentiam non agat, in tali casu habitum Spei non corrumpit, quia licet tale judicium sit stultum, & temerarium, non tamen est hæreticum, & licet talis actus sit contra præceptum Spei, quo præcipimur sperare ordinatè à Deo, non tamen est ita contrà actum Spei, ut auferat illius objectum, nec hominem reddit omninò inhabilem ad sperandum. Imò Caspensis disput. 3. sect. 3. existimat, & satis rationabiliter, peccatum hoc, licet sit grave, & valdè periculosum, non esse propriè

priè contrà Spem; quia tali actu non sperat peccator se misericordiam consecuturum mediis peccatis de præsenti commissis, sed pœnitentia illorum, quam existimat se facturum in fine vitæ divina gratia adjutus. & Ità etiam discurrit Amicus disp. 21. sect. 1. cum pluribus aliis ab ipso cit.

QUÆSTIO TERTIA.

De Præceptis Charitatis.

47 CHaritas, quæ est tertia virtus Theologica, & omnium perfectissima juxtà illud Apostoli 1. ad Corinth. 13. *Fides, Spes, Charitas, major autem horum est Charitas*, communiter describitur à Theologis, quod sit *virtus theologica supernaturalis in substantia, qua diligimus Deum propter ipsum*; cujus primarium, & adæquatum objectum est Deus ipse; quia omnia alia objecta, ut per charitatem amabilia ad Deum referuntur, & propter ipsum diliguntur, ut latè explicatum est l. 3. sent. disp. 6. cit. qu. 20. quoniam verò Charitas non solùm ergà Deum immediatè versatur, sed etiam ergà proximum, quia non solus Deus est ex charitate diligendus, verùm etiam proximus, ut explicatum est ibi q. 22. de illa utroque modo hic nobis agendum est, breviter declarando, quæ ad Moralem Theologiam spectant, nam quæ ad Scholasticam pertinent sufficienter ibi discussa sunt,

ARTICULUS PRIMUS.

Quæ sint præcepta Charitatis, & quando obligent.

48 PRimò certum est dari speciale præceptum de Deo diligendo, non solùm negativum, quo prohibetur quicquid contra dilectionem illi debitam potest committi, sed etiam affirmativum, quo Deum aliquo actu interno diligere tenemur, ut constat ex ipsis Christi verbi Math. 22. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo*, &c. & statim addit *est primum, & maximum mandatum*, ut ostenderet hoc mandatum ab aliis præceptis esse distinctum, quo quidem præcepto tenemur Deum super omnia diligere, non quidem extensivè, sed appretiativè, & prælativè, modo jam explicato disp. 6. cit. q. 2. & ratio est, quia finis ultimus plus est diligendus, quam omnia media ad eum ordinata, non quidem intensivè, ut dicebamus, quamvis enim hoc etiam deceat, non tamen est in præcepto, sed apprietiativè, & prælativè, itaut nullam creaturam pluris faciamus, quam Deum, & simus parati potius omnia perdere, quam Deum offendere. Et cùm hæc dilectio appretiativa super omnia sit essentialiter comparativa, quia Deum in amore præfert omnibus aliis amabilibus; opus non est hanc comparationem semper esse debere explicitam, ut quidam putarunt, & ex nostris Faber disp. 16. de pœnitentia c. 6. sed sufficit esse implicitam, & virtualem, ut l. c. dictum est, ut cùm vi hujus dilectionis homo paratus est omnia potius perdere quam Deum offendere, & per peccatum mortale deserere, sicut eadem dilectio Dei hoc eodem modo dicitur implicitè, & virtualiter omnium peccatorum detestationem includere, quia vi talis dilectionis paratus est homo omina peccata detestari, quæ menti occurrerent; quod expressè deducitur ex illis verbis: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo*, &c. ubi nulla fit expressio de actuali, & explicita comparatione ad omnia bona creata, signum evidens hanc non esse necessariam, sed solam virtualem, & implicitam sufficere, quæ in tali hominis dispositione consistit, ut in actu primo sit paratus omnia potius bona creata perdere, quam per peccatum Deum amittere. Ex qua doctrina solvitur illa quæstio, quæ à Theologis agitari solet, an hoc præceptum in hac vita perfectè adimpleri possit, etenim ut etiam Becanus advertit c. 23. sensus istius præcepti est, ut Deum diligamus super omnes creaturas, vel ut illum omnibus præferamus creaturis, vel ut in nullius creaturæ timore, vel amore velimus Deum offendere, & ab eo recedere, & hunc sensum expressit Apostolus Roman. 8. dum dixit *Nulla creatura poterit nos sæparare à charitate Dei*, & Christus ipse Matth. 10. dum ait: *Qui amat Patrem, aut Matrem plusquam me, non est me dignus*, idest, qui amorem parentum præfert amori Dei non diligit Deum super omnia; undè è contrà qui amori parentum præfert amorem Dei, Deum super omnia diligere rationabiliter censetur, & hoc præceptum adimplere, quantum in hac vita sufficit ad ejus impletionem.

49 Secundò; quo tempore obliget præceptum hoc charitatis ergà Deum Scotus 3. d. 27. q. un. §. *quantum ad secundum*, inquit hoc præceptum, cùm sit affirmativum, quantum ad negationem, quam includit, scilicet, non odire Deum, obligare pro semper ad fugiendum oppositum, ne scilicet, in sit actus odii; quantum autem ad affirmationem non obligare pro quocunque tempore sed obligare pro aliquando ad actum eliciendum, quia ille actus est circà finem, ex cujus bonitate descendit omnis bonitas moralis in actibus, qui sunt ad finem; non tamen est definitum tempus pro quo obliget, etenim neque ex Scriptura, neque ex SS. Patribus hoc definitum tempus colligi potest, undè in hoc puncto varii sunt modi dicendi. Aliqui enim dicunt, quando puer pervenit statim ad usum rationis hoc præceptum obligare, & quando adultus recipit baptismum, & quando tenetur habere actum contritionis, ac etiam tempore martyrii, alii dicunt obligare solùm tempore mortis, & alii semel tantùm in vita. Neque Scotus loc. cit. aliquid assertivè dicit in proposito, sed tantum dubitativè inquit, quod fortè determinavit hoc tempus illud præceptum Divinum Exodi 20. *Sanctifica Sabbatum; & maneat unusquisque apud se*, scilicet, recolligendo se, & ascendendo ad Deum suum, & Ecclesia specificavit quantum ad audiendam Missam in die Dominico de consec. d. 2. c. Missas. Sed pro resolutione dubii in hoc præcepto duplex obligatio distinguenda est, ut in præcepto Fidei, & Spei suprà distinximus, una per se ratione ipsius charitatis, altera per accidens ratione alterius virtutis à charitate distinctæ; & dicendum est hoc præceptum per se obligare initio vitæ, postquam homo de Mysteriis Christianis Religionis sufficienter instructus fuerit. & ratio est, quia cùm teneatur Deo ex filiali amore servire toto tempore vitæ suæ, id non videtur posse fieri, nisi eliciendo actum amoris, qui rationabiliter usque ad finem vitæ differri nequit, cùm sit moraliter necessarius ad stabiliendum hominem in via Dei, & in perfecta divinorum præceptorum observantia. Ità S. Thomas q. 89. art. 6. Navarrus, Valentia, Amicus, & alii communiter. Deindè per se etiam obligat in fine vitæ, quando urget articulus, vel periculum mortis, quod omnes concedunt, quia eo præsertim tempore ratio divina fide illustrata dictat actu charitatis tunc Deum esse diligendum super omnia, ut finem ultimum, quem mox consequendum speramus. Probabilissimum etiam est præter hæc duo tempora aliquando etiam hoc præceptum per se obligare ad sui observantiam, ut ait Amicus disput. 17. sect. 3. quia dignitas tanti præcepti admittere non videtur, ut ad hæc duo tempora tantùm limitetur; cæterum quæ hæc tempora sint, & quando assignanda, difficilè est definire, sed prudentis arbitrio, & propriæ uniuscujusque conscientiæ relinquenda, nisi fortè dicamus obligare in diebus festis, ut de mente Doctoris defendit Poncius disp. 32. qu. 5.

50 Denique dicendum plures esse alios casus, in quibus non per se, & ex vi sua præcisè hoc præceptum obligat ad eliciendum actum supernaturalem, sed per accidens tantùm & ratione alterius virtutis à charitate distinctæ, ut dùm insurgunt tentationes odii Dei, & est periculum eis consentiendi, ut patet à simili ex dictis de præcepto Spei, quia quilibet ex præcepto charitatis tenetur ea media assumere in tali casu, quæ conducunt ad non habendum odio Deum, qualis potissimum est dilectio, & amor Dei. Et eadem ratione obligat quoque hoc præceptum, dùm eliciendus est actus contritionis ex directa obligatione ipsius; contritio enim est actus, charitatis. Quando autem præceptum contritionis obliget, constat ex dictis l. 4. sent. disp. 5. de pœnitentia q. 5. obligat autem præsertim quoties quis tempore annuæ confessionis non habet copiam Confessarii; & cùm in statu peccati mortalis aliquod Sacramentum susceperi sumus, vel administraturi, deestque copia confessarii, actus enim perfectæ contritionis charitate formari debet, ut docet Concil. Trid. & fundamentum hujus obligationis est, quia contritio essentialiter includit dilectionem Dei super omnia, ut loc. cit. dictum est; cùm sit dolor de peccatis propter Deum summè dilectum. Ex quo sequitur huic præcepto charitatis de diligendo Deo super omnia sufficienter satisfieri per actum contritionis, ut notat Amicus loc. c.

51 Tertiò certum quoque est, & de fide dari præceptum charitatis ergà proximum, ut constat Matth. 22. ubi Christus post explicatum præceptum de Deo diligendo subdit statim aliud præceptum charitatis de diligendo proximo dicens: *Secundum etiam simile est huic, diliges proximum tuum sicut te ipsum*, in quorum duorum præceptorum observantia inquit totam legem, & Prophetas pendere, quibus verbis ostendit non minus uno, quàm altero præcepto homines obligari, licet præceptum de diligendo Deo dicat esse *maximum, & primum mandatum*, & hoc præceptum non solùm est juris positivi divini, sed etiam naturalis, fundatur enim in illis duobus principiis lumine naturali omnibus notis: *Quod tibi fieri non vis alteri ne feceris, & quæ vis tibi fieri, alteri facias*, undè adhuc jure positivo præciso obligaretur homo ad hoc præceptum. Nomine autem proximi notat communiter Doctores intelligi debere homines beatitu-

titudinis capaces, sivè sint justi, sivè injusti, sivè sint amici, sivè inimici, sivè fideles, sivè infideles. & ratio est, quia cum hi omnes sint beatitudinis capaces, proximus noster censeri debet, damnati verò non sunt ex charitate diligendi, cùm enim sint à beatitudine irrevocabiliter excluſi, proximus noster censeri non debent, nec recta ratio suadet, ut illis beatitudinem velimus, aut per ordinem ad beatitudinem eos diligamus, & ità quoque significat Doctor 3.d.28.q.un.a.3. homines igitur beatitudinis capaces ità ex charitate sunt diligendi, ut eos nunquam actu ipsi charitati contrario, scilicet, odio prosequamur, & præterea ut secundum animi dispositionem semper parati simus charitatis actus tam internos elicere, quam externos exercere ergà quoscunque quoties id ex divinæ legis præscripto faciendum esse nobis innotescit. Quo verò tempore obliget hoc præceptum de proximi dilectione, loquendo de actu interno, discurrendum est ut suprà dicebamus de dilectione Dei servata proportione, quod nimirum quando imminet periculum odii in illum, tunc per se obligare hoc præceptum diligendi proximum, & teneri nos diligere formaliter, & expressè, sicut etiam quando transacto odio in proximo tenemur illi reconciliari; loquendo verò de actu externo hoc præceptum per se non obligat ad opus externum beneficentiæ, nisi quoties proximus est in aliqua gravi necessitate temporali, vel spirituali, in qua nostra opera iuvari possit, ut docet S. Thomas 2. 2. qu. 25. a. 8. & infrà magis explicabimus. Denique suppono ex jam dictis l.3.sent. disp. 6. q. 22. unum esse motivum formale charitatis Dei, & proximi; scilicet, bonitatem increatam Dei, unumque tantùm habitum charitatis admitti, qui simul tendit in Deum, & proximum, unamque rationem terminantem utrumque actum, quæ est ipsa bonitas divina, ut Scotus docet 3. d. 28. cit. q. un.

52 Quartò certum est etiam ex D. Th. 2.2.q.26. & Scoto 3. d. 29. ordinem aliquem in dilectione proximi esse servandum; cùm igitur diligere nihil aliud sit, quam bonum velle, & tria sint præcipua bonorum genera, quæ nobis ipsis velle possumus, vel proximo, nimirum spiritualia, ut gratiam, virtutes, gloriam, &c. deindè corporalia, ut vitam, & corporis sanitatem, & tandem exteriora, ut famam, divitias, &c. ordo charitatis postulat, ut post Deum quisque primò seipsum diligat quoad bona spiritualia, deindè proximum quoad eadem bona, posteà seipsum quoad bona corporalia, & subindè proximum quoad eadem, ac denique seipsum, & deindè proximum quoad bona exteriora. Quamvis autem quoad bona corporalia, & exteriora cæteris paribus unusquisque magis seipsum diligere debeat, quam proximum; non tamen contra hunc charitatis ordinem faceret, si quis ex motivo alicujus virtutis pro tuenda amici vita propriam exponeret, imò hoc, tanquam perfectæ amicitiæ officium commendatur à SS. Ambrosio l. 3. de Officiis c. 12. & Hieronymo in c. 7. Mich. & à fortiori id fieri potest pro temporali salute Reipublicæ, & Patriæ, cùm rationis ordo postulet, ut pars pro suo toto periclitetur. Tenetur etiam quilibet Christianus proximo in extrema necessitate spirituali constituto succurrere, qua scilicet, certò putetur moriturus in mortali; etiam cum certo vitæ periculo, dummodò tamen probabilis spes adjuvandi proximum adsit, neque gravius indè periculum immineat, v.g. teneris cum vitæ periculo baptizare, vel moriturum absolvere, si alius non adsit, qui faciat. Ità docet S. Augustl. libr. de mend. ex S. Joann. Epist. 1. cap. 3. ubi ait, quod in tali casu: *Nos debemus pro fratribus animas ponere*. Pastores autem, & hi, quibus animarum cura incumbit, non solùm in extrema necessitate, sed etiam in gravi subditis succurrere debent etiam cum proprio vitæ periculo, ut DD. communiter docent. Quod autem spectat ad ordinem charitatis in proximorum dilectione servandum, quotiescunque agitur de auxilio præstando in extrema, vel gravi necessitate corporali alicujus, conveniunt pariter Doctores, ordinem charitatis postulare, ut personas nobis secundum carnem magis conjunctas præferamus aliis minus conjunctis, ex quo sequitur parentes omnibus aliis esse præferendos, deindè uxorem, posteà filios, fratres, & alios consanguineos, & tandem domesticos, & familiares. Alia plura circa hoc punctum videri possunt apud Nicolaum de Nisse tr. 5. q. 3. post 3. de Charitate q.4. & Vulpes disp. 59. de Ordine Charitatis, in plures articulos distributa.

53 Quintò præterea est etiam speciale præceptum Charitatis de inimicis diligendis, hoc enim expressè præcepit Christus Dominus Matth. 5. *Diligite inimicos vestros, benefacite his, qui oderunt vos*, & hoc non esse consilium tantùm, sed verè præceptum, est communis, & concors Theologorum sententia cum D. Thom. 2.2.q.25. art. 8. & 9. & Scoto 3. dist. 30. q. un. & idem præceptum non modo de non odio habendo, sed etiam de benefaciendo inimico expressè quoque habetur in veteri lege Levit. *Non oderis fratrem tuum in corde tuo, non quæras ultionem, nec memor eris injuriæ*, & Prov. 25 *Si esurierit inimicus tuus, cibà illum, si sitierit, da ei bibere*, quo testimonio utitur etiam Paulus ad Rom. 12. Ex speciali itaque præcepto charitatis etiam inimicis dilectionis signa generalia sunt exhibenda, quæ communiter aliis hominibus ejusdem conditionis exhibere solemus, & in casu extremæ, vel gravis necessitatis illis æquè, ac aliis auxilia, & beneficia præstanda; dixi autem ex tali præcepto nos teneri exhibere etiam inimicis dilectionis signa generalia, quia per se loquendo nemo tenetur ad inimicum diligendum positivo, & peculiari actu, neque ad eum salutando, alloquendum, ægrotum invisendum, hospitio recipiendum, vel familiariter cum eo agendum, & similia, quia hæc sunt signa specialia amoris, quæ inimicis nemo exhibere tenetur, ut Layman, Filliucius, Busemb. & alii passim advertunt; dixi etiam ad talia signa specialia inimicis exhibenda neminem teneri per se loquendo, quia si horum signorum omissio scandalosa esset, aut per aliquod horum sine tuo incommodo posses inimicum tibi, & Deo reconciliare, id omittere esset grave, cuilibet enim mandatum est de proximo suo, & quilibet tenetur scandalum, & proximi sui ruinam evitare, quoties potest absque gravi suo detrimento. Ità etiam Sylvester, Cajetanus, Navarr. Toletus, Bannes, Reginaldus, & alii apud Bonacinam disp. 3. q. 4. punct. 3. & ex nostris Aretinus 3. dist. 30. qu. un. art. 8. conc. 2. Denique si inimicus ostendit se verè, & ex animo dolere de offensa facta, & veniam petit, tenetur offensus illi offensam remittere, ut patet ex illo Math. 6. *Si non dimiseritis hominibus, nec Pater vester cœlestis dimittet vobis peccata vestra*, & cap. 18. dicit condonationem illam non solùm exterius, sed interiori cordis affectu esse præstandam *Sic & Pater meus cœlestis faciet vobis, si non remiseritis unusquisque fratri suo de cordibus vestris*.

54 Sextò est Difficultas; an teneamur in tali casu ità injuriam remittere, ut exigere non possimus apud Judicem satisfactionem injuriæ, aut damnorum. Aliqui dixerunt læsum teneri actionem injuriarum coram Judice intermittere, reo veniam petente, aut debitam satisfactionem offerente, nisi necessaria sit Judicis actio ad consulendum honori, vel damno illius, qui læsus fuit. Ità Beja, Azorius, Sylvester, Malderus & alii apud Bonacinam loc. cit. qui etiam arbitratur hanc sententiam in praxi esse suadendam, tùm quia pauci actionem injuriarum prosequuntur deposito omni odio, & vindictæ affectu; tùm quia hoc est conforme consilio Christi; *Si quis percusserit te in maxillam præbe ei & alteram*. Communior tamen, & probabilior opinio asserit, inimico veniam humiliter petenti, ac etiam satisfactionem sufficientem offerenti pro injuria illata, læsum non teneri injuriam coram Judice intermittere, licet enim offensus teneatur dimittere rancorem, qui appetitum vindictæ comitatur; non tamen tenetur dimittere punitionem, quam zelus justitiæ comitatur, & ideò poterit offensus ex amore justitiæ, aut alicujus alterius virtutis motivo, citrà odium petere ab offendente damnum, & satisfactionem honoris, & famæ, & bonorum temporalium, quia habet jus ad hæc, & potest petere coram Judice, atque ideò non tenetur inimico veniam petenti injuriam sic remittere, ut etiam prætermittat actionem injuriarum coram Judice, dummodò id non faciat ex odio, & appetitu vindictæ, ut dictum est; sicut enim non licet vindictam privata auctoritate sumere; ità neque licet aliquid ex odio, & animo vindictæ facere; intentio enim ejus principaliter in bonum ferri debet, scilicet, in emendatione peccantis, vel ad ejus cohibitionem, & aliorum exemplum ad justitiæ conservationem, atque ad Dei honorem. Nec refert, quod offendens in casu posito non solùm veniam petat, sed etiam sufficientem satisfactionem offerat læso; Non enim ob id tenetur læsus juri suo cedere, & adhuc potest contrà inimicum in judicio agere, ut secundùm jura puniatur, sicut enim Magistratus, adhuc tali satisfactione læso oblata, potest juridicè pœnam, & compensationem præscribere; ità læsus potest adhuc à Judice petere, ut sibi compensatio juridicè fiat, ut justitia suum locum habeat, deposito tamen odio, ut dictum est, & præciso gravi lædentis damno, quod læsus ex charitate impedire teneatur. Ità Alensis, Riccardus, Gabriel, Scotus loc.c. Aretinus, Poncius, Ferchius, & alii Scotistæ ibidem, ubi præsertim Ferchius inquit, quod si inimicus in fluvio, vel fame sit moriturus, pium erit velle illi vitam, & eam servare, at non videtur quis obligatus ad servandam vitam inimico, quam juste, ut actor in judicio potest auferendam curare, & in hoc sensu interpretatur Scotum esse locutum dist. 30. cit. lit. F. sic etiam discurrit Astesanus lib. 2. tit. 62. a. 3. propè finem, & sequuntur, Nav. Val. Laym. Regin. Abellius, & alii Recentiores.

55 Postremò advertendum est cum Scoto d. 30. cit. in corpore quæstionis §. *Respondeo* licitum esse adhuc prædictis non obstantibus, & honestum in peccatoribus, & inimicis odisse, ac detestari peccatum, illudque per emendationem tollere, vel optare, ut à Deo, aut à Superioribus puniatur, sic enim Propheta ode-

oderat inimicos. Psal. 108. dicens *deficiant peccatores à terra it aut non sint*, ideſt, ut non ſint amplius inimici, & iniqui; & in eodem ſenſu dicebat Apoſtolus ad Galat. 5. *Utinam abſcindantur, qui vos conturbant* non ut illi, qui eſſent peccatores, extirparentur à terra, ſed ut efficeretur, ne amplius peccatores eſſent, ſeù ut deſinerent eſſe peccatores. Quin etiam de hujuſmodi punitione lætari poſſumus, quatenus per illam tollitur malum peccati, & è contrà triſtari, ſi peccatores proſperari videamus, quod optimè etiam explicat D. Gregorius lib. 22. moral. cap. 11. dicens *Evenire plerunque ſolet, ut non amiſſa charitate, & inimici nos ruina lætificet, & gloria ſine invidiæ culpa contriſtet, cùm & ruente eo quoſdam benè erigi credimus, & eo proficiente quoſdam injuſtè opprimi formidamus*; & ideò inquit Doctor inimicum poſſe conſiderari dupliciter, vel per ſe, & reduplicativè, quatenus talis, & ſic poteſt, & debet eſſe objectum odii, juxtà illud Pſal. 118. *Iniquos odio habui*, vel per accidens, & ſpecificativè inquantum homo capax gratiæ, & gloriæ & ſic poteſt, ac debet eſſe objectum dilectionis, & amoris, quia ſic conſideratus eſt proximus noſter.

ARTICULUS SECUNDUS.

An Eleemoſyna ſit præceptum charitatis, & quando obliget.

56 PRimò conveniunt DD. varios, & multiplices eſſe actus charitatis ergà proximum, ut docet D. Thom. 2. 2. q. 27. 28. & ſeq. ſcilicet, dilectionem, qua alteri per charitatem bonum volumus; beneficientiam, quæ eſt actus externus, quo proximo re ipſa bonum tribuimus, quod ei volumus ex interno charitatis affectu; gaudium, quo de illius bono v. g. converſione à peccatis, & profectu in virtute lætamur; pacem, qua ſimul cum proximo in iis, quæ ad ejus ſalutem, & bonum ſpirituale conferunt, conſpiramus; & miſericordiam, qua nobis alterius miſeria diſplicet, eamque quantùm poſſumus ſublevamus; de quibus fusè tractant ex noſtris Aſtesanus lib. 2. tit. 63. 64. 65. & 66. & Vulpes diſp. 61. 62. 63. & 64. ſunt autem duo præcipui actus ipſius miſericordiæ, quæ eſt virtus charitati ſubordinata, & ab ea originem trahens, eleemoſyna, ſcilicet, & correctio fraternas de quibus fusè Theologi diſputare ſolent, & Vulpes agit diſp. 65. 66. nos autem brevius, magis neceſſaria recolligendo; Eleemoſyna definiri ſolet, quod ſit alienæ miſeriæ ſublevatio, eſtque actus externus virtutis miſericordiæ, ſi procedat ex voluntate præcisè, qua nobis aliena diſplicet miſeria, ac eam ſublevare intendimus, & eſt actus charitatis, ſi ex motivo placendi Deo procedat juxtà illud ex *Epiſt. 1. Joann. 3. Qui viderit fratrem ſuum neceſſitatem habere, & clauſerit viſcera ſua ab eo, quomodo charitas Dei manet in eo?* Cùm igitur objectum eleemoſynæ ſit aliena miſeria, tam latè patens eſt eleemoſyna, quam latè patent miſeriæ, quibus creatura rationalis eſt ſubiecta; undè cum aliæ ſint corporales, & aliæ ſpirituales, ideò duplex etiam ſpecies eleemoſynæ aſſignatur; alia ſpiritualis, qua indigentiæ ſpirituali proximi ſuccurritur, de qua articulo ſequenti agemus; alia corporalis, qua miſeria, & indigentia corporis ſublevatur, de qua in præſenti.

57 Secundò certum eſſe debet hanc eleemoſynam corporalem, non ſolùm ſub conſilio, ſed etiam ſub præcepto cadere, ut expreſsè deducitur ex Scripturis, & SS. Patribus; & primo ex illo Eccleſiaſt. 4. *Eleemoſynam pauperis ne defraudes*; at qui aliquem debito ſuo defraudat, contrà obligationem præcepti facit; deindè ex illo Matth. 25. *diſcedite à me maledicti in ignem æternum, eſurivi enim, & non dediſtis mihi manducare &c.* undè qui eleemoſynam dare negligunt, mortaliter peccant, & condemnantur, nullus autem damnatur, & mortaliter peccat, niſi propter tranſgreſſionem præceptorum Dei. Hoc etiam SS. Patres unanimiter atteſtantur; Nazianzenus enim oratione de pauperum amore dicit: *nos mandato divino, atque exemplo ad eleemoſynam largiendam excitari*, Baſilius concione de Epulone, ait divitem illum *non cogitaſſe de ſuperfluo pauperibus erogando, nullamque præcepti divini habuiſſe rationem*, & Ambroſius lib. de Nabute loquens de eleemoſyna inquit, *debitum reddis, non largiris indebitum, ideoque dicit Scriptura, inclina pauperi aurem tuam, & redde debitum tuum*; ergo ex Scripturis, & Patribus extat aliquod præceptum de danda eleemoſyna. Denique hoc præceptum ex præcepto dilectionis proximi manifeſtè deducitur, illud enim impleri non poteſt, ſi proximo non ſuccurratur in neceſſitate conſtituto, non enim verbo, & lingua tantùm, ſed etiam opere amorem ergà proximum oſtendere debemus juxta illud 1. Joan. 3. *Filioli non diligamus verbo, neque lingua, ſed opere, & veritate*. Imò communiter Doctores aſſerunt præceptum eleemoſynæ non ſolùm eſſe divinum, ſed etiam naturale, nam ipſa ratio dictat, in periculo mortis, vel alicujus gravis morbi, vel notabilis mali proximum eſſe juvandum, quando ſine periculo ejuſdem mali à nobis juvari poteſt, ob affinitatem hominis cum homine, quæ ſibi amorem mutuum expoſtulat, undè benefici, & miſericordes vocantur humani, ſicut è contrà immiſericordes vocantur ab omnibus feri, & inhumani.

58 Tertiò eſt Difficultas, cum hoc præceptum ſit affirmativum, quo tempore obliget. & conveniunt Doctores non obligare ſub mortali in his caſibus, ut Becanus obſervat cap. 21. Primò, quando non habes, undè des eleemoſynam, nemo enim ad impoſſibilem tenetur, deindè quando habes quidem, ſed neceſſitatem proximi ignoras, & utrumque caſum inſinuat Apoſt. loc. cit. illis verbis: *Qui habuerit ſubſtantiam hujus mundi, & viderit fratrem ſuum neceſſitatem habere &c.* ſi ergò nec ſubſtantiam habueris, nec proximi neceſſitatem videris, non teneris. Rurſus non teneris, ſi proximi quidem neceſſitatem noveris, ſed certo, vel probabiliter tibi conſtat, quod ab alio juvabitur; ſecus autem ſi contrarium conſtet, tunc enim illi ſuccurrere teneris. Tandem non teneris, quando non potes illi ſubvenire, niſi veniendo ad parem, vel majorem neceſſitatem, ordo enim charitatis exigit, ut ſuprà dictum eſt, quod in pari neceſſitate quiſque ſeipſum magis diligat, quam proximum. Ex quo diſcurſu conſtat obligationem faciendi eleemoſynam ex duplici capiti oriri, conſideranda eſt enim miſeria indigentis, & facultas habentis, ut ait Nicolaus de Orbellis infrà citandus num. 65. primò ex parte accipientis, ſi aliqua neceſſitate prematur tibi nota, quæ triplex eſſe poteſt, ſeù triplicis generis, una communis, & ordinaria, qualis eſt eorum, qui oſtiatim mendicare ſolent; altera gravis, & notabilis, cui ſi non ſubveniatur, vitam ægrè, ac difficulter ſuſtentabit; tertia tandem extrema, cui niſi ſuccurratur, hominis vita certò, vel probabiliter periclitabitur; deindè ex parte dantis, ſi habeat bona ſuperflua; ſivè ea ſint ſuperflua naturæ, ideſt non neceſſaria ad vitam ſuam, & ſuorum ſuſtentandam, ſivè ſint ſuperflua ſtatui perſonæ, ideſt, non neceſſaria ad conditionem, & dignitatem perſonæ ſuſtentandam, & tuendam. Quamvis igitur conveniant Doctores in majori parte, ut Bonacina refert diſp. 3. n. 4. punct. 6. quando indigens eſt in aliqua ex prædictis neceſſitatibus teneri quemlibet illi ſuccurrere, ſi habeat ſuperflua, quæ neque ad vitam, neque ad decentiam ſtatus ſunt neceſſaria, hoc enim videtur expreſsè deduci ex illo Lucæ 21. *Veruntamen quod ſupereſt, date eleemoſynam, & ecce omnia munda ſunt vobis*, ubi Chriſtus præcipit Phariſæis, quod ex ſuperfluis dent eleemoſynam, ſi à peccatis mundari velint; & hoc etiam ipſa ratio dictat, quia qui eleemoſynam dare recuſat ex ſuperfluis, tam vitæ, quàm ſtatui perſonæ, oſtendit ſe ergà proximos charitatem, & miſericordiam non habere, ut ait Apoſtolus loc. cit. ergo charitas, & miſericordia obligat in tali caſu. Quamvis, inquam, Doctores in hoc majori ex parte conveniant, deſſenſio tamen eſt, de quibus bonis ſit obligatio ſubveniendi extremè indigenti, an ex ſuperfluis, vel neceſſariis ſtatui perſonæ, certum enim eſt eleemoſynam fieri non debere de neceſſariis ad propriam vitam, vel ſuorum, id enim eſſet ſibi, vel ſuis vitam adimere.

59 Aliqui putant obligationem ſubveniendi extremè indigenti eſſe tantùm ex iis, quæ omninò ſuperflua ſunt, & nullo modo vel vitæ, vel ſtatui perſonæ neceſſaria. Ità Antoninus, Roſcella, & alii apud Valentiam q. 9. & Beccanum loc. cit. Alii è contrà dicunt obligationem eſſe ex ſuperfluis naturæ, licet non ſint ſuperflua ſtatui perſonæ, ſed neceſſaria. Ità Vaſquez, Suarez, Bannes, Valentia, Becanus, Caſpenſis, & eſt communior inter Recentiores, quorum ratio eſt, quia in extrema neceſſitate pluris eſt æſtimanda vita proximi, quàm ſplendor ſtatus, & luxus; ergo tenemur tale damnum pati, & ſplendorem ſtatus, ac luxum minuere, ne homo vita privetur, hoc enim damnum non eſt vitæ proximi proportionabile, ac proindè illud ſubire tenemur. Hanc tamen ſententiam limitant præfati Auctores, præſentim verò Coninchius, Emmanuel Sà, Amicus, Caſpenſis, & alii dicentes, quod ſi bona ſint adeò neceſſaria, ut abſque illis non ſolùm minuendus ſit ſtatus, & conditio perſonæ, ſed neceſſariò ab illa ſit cadendum, non tenetur quis ex illis bonis opitulari extremè indigenti. & ratio hujus eſt, quia nemo vitam alterius cum tam gravi ſuo incomodo, & detrimento conſervare tenetur, quale eſt ipſum fieri miſerum, & miſeram vitam ducere, & carere hoc expreſsè docet D. Thomas loc. cit. ubi ait, quod inordinatum eſſet, ſi aliquis tantum ſibi de bonis propriis ſubtraheret, & aliis largiretur, quod de reſiduo non poſſet vitam traducere convenienter ſecundum proprium ſtatum; & ità etiàm diſcurrit ex noſtris Nicolaus de Niſſe tract. 5. part. 3. port. 3. quæſt. 11. de Charitate, & Vulpes diſp. 45. art. 5. & 6. de mente ipſius Scoti. Excipiunt tamen omnes præcitati Doctores caſum, quando proximus in extrema neceſſitate conſtitutus eſſet talis, ut ab ipſius vita ſalus Reipublicæ, vel Eccleſiæ notabiliter penderet, tunc enim ſi potes, illi ſuccurrere teneris, non tantum ex neceſſariis ad ſtatum, ſed etiam ex neceſſariis

ad

ad vitam, quia ordo charitatis pustulat, ut bonum publicum sit semper privato præferendum, & hoc etiam est de mente Doctoris nostris, qu. 4. d. 15. q. 2. ab initio, ex illo enim principio ex terminis noto infert, personam Reipublicæ nimis necessariam in extrema necessitate constitutam posse citrà transgressionem juris divini *non furandi*, alienum retinere sustentationi necessarium, ut etiam Vulpes advertit loc. cit. in tali enim casu jus divinum non furandi suspenditur, expiratque dominium in occupante illud anteà, & exurgit iterum lex naturæ primæva de rerum communitate; ex vi cujus legis primò bona humanæ sustentationi necessaria occupanda sunt à personis valdè Reipublicæ necessariis pro ipsius conservatione; deindè à privatis personis proportionaliter pro earum naturali conservatione; subdit tamen Doctor in solutione principalium sub lit. HH. hanc doctrinam magis declarans, quod si illud injustè detentum à persona multum Reipublicæ necessaria non sit sibi necessarium simpliciter, sed tantùm ad salvandum suum statum solemnem, quod non licet alicui statum solemnem tenere de bonis alienis, nec tantum valet Reipublicæ istius status solemnis, quem tenet per non restitutionem, quantum valet fidelitas ejus, & justitia communis.

60 Quartò est Difficultas, an extremè indigenti debeatur eleemosyna ex sola charitate, seù misericordia, an etiam ex justitia. Prima sententia affirmat deberi ex justitia. Ità Divus Thomas quæst. 118. art. 4. ad 3. Cajetanus ibidem, & alii Thomistæ, Arragonius, Turrecremata, Sarmiento, Layman, & plures alii. Cujus sententiæ præcipuum fundamentum, est quod in extrema necessitate omnia sint communia, & quilibet habet jus in bona superflua alterius, sed impedire hoc jus est actus injustitiæ, impeditur autem hoc jus, quando hæc bona tempore necessitatis non erogantur; ergò contrà justitiam facit, qui tempore necessitatis superflua proximo non erogat.

Confirmatur, quia qui denegat eleemosynam pauperi extremè indigenti peccat contrà justitiam, nam omne homicidium est contrà justitiam, sed detractio eleemosynæ in eo casu est homicidium, ut docet Sanctus Ambrosius à Gratiano allegatus 86. distinct. cap. Pasce: *Quis quis enim pascendo hominem servare poteras, si non pavisti, occidisti*. Rursus divites cogi possunt ad eroganda superflua pauperibus extremè indigentibus, ut omnes concedunt; ergò ea ex justitia illis debentur, quia nemo ex Judicis sententia cogi potest ad eroganda, quæ sua sunt. Tandem, quia Divi Basilius, Ambrosius, Hieronymus, Augustinus, & alii Patres divites superflua non erogantes pauperibus præsertim in extrema necessitate appellant raptores, atque aliena retinentes; ergò ex justitia eis debentur; & hujus opinionis videtur etiam esse Vulpes disp. 45. cit. art. 5. ubi ait furtum esse denegare eleemosynam pauperi extremam necessitatem patienti, quia denegatur & subtrahitur, quod suum est, & quod in tali casu etiam homicidium committitur à denegante eleemosynam, inquantum subtrahit illi necessaria ad conservationem vitæ corporalis, ut intereat, & sic etiam Nicolaus de Orbelis infrà citandus sentire videtur.

51 Secunda sententia negat hoc præceptum etiam tempore necessitatis extremæ obligare ex justitia, sed tantùm ex misericordia, & charitate, & est communior, & probabilior, quam tenent Suarez, Vasquez, Sylvius, Amicus, Arriaga, Becanus, Caspensis, & alii Recentiores passim; & probatur ex destructione fundamenti oppositæ sententiæ, quod erat, divites in extrema necessitate amittere dominium rerum sibi superfluarum, & fieri indigentium, hoc enim falsum est, quia etiamsi tempore necessitatis omnia sint communia; ea tamen sub nullius certum transeunt dominium, nisi apprehendantur, sicut antè rerum divisionem sub nullius erant certo dominio, antequam fierent propria per singulorum apprehensionem; cùm ergò tempore necessitatis extremæ bona superflua divitum non fiant egenorum propria; cùm æquè eo tempore sint communia sibi & illis, non tenentur divites ex justitia erogare illa pauperibus, ut doctè discurrit Amicus disp. 31. sect. 5. sicut nec antè factam divisionem rerum, si quis non posuisset proximum in possessionem alicujus rei communis, quæ illi necessaria fuisset ad vitæ sustentationem, contrà justitiam non peccasset, sed vel contrà charitatem, vel contrà misericordiam. Confirmatur, quia si urgente extrema necessitate divites privarentur dominio bonorum, quæ sibi, & familiæ superfluunt, & fierent egenorum sequeretur eo tempore illa validè donari & mutuari non posse, ac proindè neque posse tuta conscientia retineri ab eo, cui tali tempore donata sunt, vel mutuata, sed restituenda esse maximè indigenti, in cujus dominium illa transierunt urgente necessitate; sed hoc est falsum, ut satis de se patet; ergo &c. Quamvis ergò verùm sit egentem in extrema necessitate posse invito domino rapere sibi necessaria ad sustentationem tam occultè, quàm apertè, quia charitas ea tunc facit communia, atque ideo potest egens eis uti absque ulla domini injuria, cùm ipse dominus in tali casu eleemosynam erogare teneatur ex præcepto charitatis; falsum tamen est id ex justitia teneri, quia restitutionis obligatio, ut in superioribus diximus, oritur solùm vel ex injusta acceptione, vel ex re accepta, quorum neutrum ibi intervenit. Undè tempore necessitatis omnia sunt communia non propter cessationem dominii divitum in sua bona superflua sed propter jus, quod in ea acquirunt egentes ad vitam suam tuendam, undè ly *esse omnia in necessitate communia* Glossæ interpretantur *esse communicabilia* quia in tali eventu hoc præcipit charitas, ut Navarrus advertit in summa c. 17.

62 Hinc patet ad fundamentum prioris sententiæ, & quomodo intelligendum sit, quod in extrema necessitate omnia sint communia, & quilibet habet jus in bona superflua alterius, & quomodo tale jus impediatur à non erogante eleemosynam pauperi; non enim impedit directè impediendo, ne extremè indigens jurè suo utatur capiendi ex ejus bonis, quæ pro suæ vitæ sustentatione necessaria sunt, hoc enim utique esset contrà justitiam; sed impedit tantùm indirectè non donando illi, & communicando, quæ necessaria sunt ad vitæ sustentationem, quod est tantùm contra charitatem id præcipientem, non autem contrà justitiam, quæ directè tantùm versatur circà alterius juris læsionem, quod quilibet habet in extrema necessitate constitutus capiendi, quæ sibi pro vitæ sustentatione necessaria sunt. Ad primam Confirmationem dicendum est denegantem eleemosynam pauperi tempore necessitatis extremæ appellari homicidam à Patribus per exagerationem, quatenus immisericordes in tali casu crudeles vocari solent, & inhumani, non autem propriè, quasi mors pauperis ex tali denegatione secuta sit effectus directè ab ipso causatus, quia nullo modo in eam influit, non quidem physicè, ut constat, nec moraliter, quia non facit injuriam, cùm ex justitia non teneatur, sed tantùm ex misericordia. Ad secundam negatur consequentia, quia Judex non solùm imperare potest actus justitiæ, sed etiam misericordiæ, quando necessitas communis intervenit, ac etiam aliarum virtutum, cùm ipsi incumbat cura observantiæ legum, & præceptorum, quæ ad communem pacem diriguntur, & publicum bonum conservandum. Ad ultimam qui in extrema, vel gravi necessitate proximo non succurrunt de superfluis naturæ, vel status, dicuntur à Patribus raptores, & aliena retinentes propter jus, quod in hujusmodi bona urgente necessitate pauperes acquirunt, cui juri in divite qui tenetur ad succurrendum pauperi, non respondet debitum justitiæ, & ideò raptor in tali casu propriè dici nequit, sed tantùm debitum misericordiæ, & charitatis strictissimè obligans.

63 Quintò quæritur, ex quibus rebus facienda sit eleemosyna, & dicendum est ex injustè acquisitis cum injuria alterius, & quæ sunt restitutioni onnoxia v.g. furto, rapina, usura, licitè eleemosynam fieri non posse. Ità D. Tho. l. c. a. 7. ad 3. & Scotus 4. d. 15. q. 2. a. 3. ubi eo usque extendit justitiam in eleemosynis servandam, ut fieri debeat tantùm ex propriis, justè acquisitis, & possessis quoad dominium, usum, ac jus utendi. & ratio est, quia eleemosyna debet esse gratuita donatio, ut suprà dictum est, & in ea dominium transfertur; at non licet rem alienam donare, nec dominium ejus transferri potest sine consensu domini, vel explicito, vel saltem implicito, & rationabiliter præsumpto; & ita etiam colligitur ex Sacra Scriptura Proverb. 3. *Honora dominum de tua substantia*; & Isaiæ 58. *frange esurienti panem tuum*, non enim facienda est injustitia, ut ex charitate alteri subveniatur. Quia verò aliqua bona ità injustè comparari possunt, ut quis peccet in acquisitione, & adhuc tamen verum dominium acquirat, quo pacto turpiter acquiritur id, quod ex meretricio comparatur, ut dictum est, Disp. de Contractibus tractando de turpi lucro, docent communiter Doctores ex bonis sic injustè acquisitis licitè eleemosynam fieri posse, quia illa acquirens verè illorum dominus efficitur, & ideò de illis licitè disponere potest, quamvis enim mulier pudicitiam prostituendo turpiter faciat, tamen accipiendo prostitutionis suæ mercedem turpiter non agit, ut loc. cit. dictum est; & ideò quod sic acquiritur fit proprium. Sed Objicies illud Lucæ 16. *facite vobis amicos de mammona iniquitatis*, &c. Mammona autem significat divitias iniquè acquisitas ex communi Patrum expositione; ergo de injustè acquisitis quomodocunque licitè eleemosyna fieri potest.

Respondetur varias esse hujus loci expositiones, sed aptissimè exponi posse cum Vulpio nostro disp. 45. c. a. 7. in fine de divitiis cum nimia aviditate acquisitis, & cum pari cupiditate possessis, ac etiam de divitiis acquisitis per ludum, meretricium & alios contractus per se quidem licitos, & solum illicitos ob turpem aliquam circumstantiam, vel affectum inordinatum.

64 Sextò quæritur, quinam eleemosynam licitè facere possint; & breviter dicendum est illos tantùm licitè posse eleemosy-

mosynam facere, qui habent plenum dominium, & admnistrationem suarum rerum, seù bonorum temporalium, ac eorum dispensationem. Ità Divus Thomas cit. art. 8. & Scotus loc. cit. art. 2. lit. I. ubi dicit, quod Dominus alicujus rei non prohibitus à lege, aut Superiore, à cujus voluntate dependat in dando, vel transferendo, vel donando, potest donare rem suam alii volenti accipere, sicut enim per suam voluntatem acquisivit dominium illius, ità per actum ejusdem potest dominium à se abdicare, & in alium transferre, si Superior non prohibeat eum donare, nec non etiam alterum accipere; itaque nullus potest eleemosynam facere, nisi dominium habeat alicujus rei, aut facultatem à domino illam dispensandi. & ratio est, quia per eleemosynam alienatur dominium rei, & in pauperem transfertur, quod nullus efficere potest, nisi dominus, aut administrator, cui rei alienæ commissa sit facultas. Ex qua doctrina infertur nec servum, nec filium familias, neque uxorem, neque religiosum posse eleemosynas erogare absque consensu domini, patris, mariti, aut prælati, ut notat Doctor l. c. quod si filius, aut uxor, aut servus habent propria bona, quæ ab aliis non dependent, possunt ex iis moderatam facere eleemosynam sine aliorum consensu; filius quidem ex bonis castrensibus, vel quasi castrensibus, uxor ex paraphernalibus, & servus ex bonis proprio labore acquisitis. Item Tutores, Curatores, & qui curam habent bonorum alienorum modicas eleemonsynas facere possunt ex bonis quæ administrant, quales nimirum facere deberent ipsi, quorum sunt. Ità Vasquez, Azorius, Coninch. Diana, & alii. Addit prætereà Vulpes noster l. c. art. 8. Religiosos quoque ex acquisitis propria industria justissimè eleemosynas tribuere posse manifestè indigentibus in gravi necessitate constitutis, quia hoc fieret sine detrimento bonorum communitatis, & resultaret in ædificationem proximi; tùm quia rationabiliter etiam præsumitur Superiores has eleemosynas non prohibere, imò expressè ratas habere, cùm exibeantur etiam ad captivandos fideles, ut suos religiosos magis venerentur, ac ut propria etiam bona liberalius eis eleemosynaliter re tribuant; quod nos quoque valdè pium, & probabile censemus.

65 Postr emò quæritur, quinam eleemosynam recipere possint. Resolutio hujus difficultatis constat ex dictis superius disp. 7. de Rest. in communi q. 2. a. 2. n. 41. ubi diximus cum Doctore 4. d. 15. q. 2. a. 3. simulantes paupertatem non posse elemosynam accipere absque restitutionis obligatione. & ratio ibi adducta est, quia elemosyna est liberalis, & voluntaria donatio, at non liberaliter omnino donat qui decipitur circà conditionem propter quam donat; ergo qui donat alicui, quia illum existimat pauperem, & re vera talis non est, non verè liberaliter donat, & ideò inquit Doctor l. c. lit. X. videant illi trutanti, scilicet, qui divites existentes recipiunt eleemosynas tanquam egentes, ne justè omnia hujusmodi recipiant, quia non est in dante voluntarium propter conditionis ignorantiam, quam respicit in donando; licet enim charitas, & amor Dei sit causa finalis faciendi eleemosynas in communi, ratio tamen, ob quam huic personæ particulari determinatè fiat, est paupertas ficta, & simulata, volentes enim facere eleemosynam propter Deum non quærunt divites, sed pauperes, & egenos, eisque eleemosynas faciunt; ergo ratio, & motivum principale, propter quod huic personæ particulari eleemosyna datur, est paupertas; ergo circa talem conditionem deceptus, inquit Doctor voluntariè non donat, & gratuitò, & consequenter simulantes paupertatem, & decipientes ad restitutionem tenentur, & hoc asserendum est, ut diximus l. c. non tantum de eleemosynis magnis, sed etiam parvis, & quotidianis, quales ostiatim mendicantibus dantur, quicquid dicant Diana, Caspensis, & alii, quia maxima fraus est paupertatem simulare, & hac iniqua simulatione veris pauperibus eleemosynas auferre, & mentem facientium eleemosynas fraudare, ut benè discurrit Faber noster disp. 50. de Rest. c. 4. Cui verò facienda sit restitutio in tali casu eleemosynæ receptæ, aliqui dixerunt faciendam esse donanti, quia eleemosyna illa adduc sub ejus dominio manet, alii verò dixerunt faciendam esse verè pauperibus, quia qui eam dedit, ex affectu eleemosynæ à se dominium illius abdicavit, ac proindè juxtà ejus voluntatem alteri pauperi est elargienda, & utrumque satis probabiliter dicitur. Quo tandem ordine facienda sit eleemosyna, discurrendum est juxta ea, quæ diximus art. præc. n. 52. de ordine charitatis, undè ex iis, qui in extrema necessitate versantur, si non potes omnibus simul succurrere, præferendi sunt illi, qui tibi sunt conjunctiores; ex his autem qui non extrema versantur necessitate, sed tamenverè indigent, ut sunt quotidiani pauperes, si plures occurant, quibus omnibus subvenire non possis, teneris cæteris paribus magis indigenti subvenire. Ità DD. passim, & ex nostris Nicolaus de Orbellis 4. d. 15. q. 1. §. 7. & seq. ubi fusè de eleemosyna discurrit, & omnia à nobis supradicta tangit, & confirmat.

ARTICULUS TERTIUS.

An Correctio fraterna sit præceptum Charitatis, & quando obligat.

66 PRimò supponendum est cùm Astesano nostro lib. 2. tit. 67. a. 1. duplicem esse delinquentis correctionem; una dicitur judicalis, quæ adhibet remedium peccato delinquentis secundùm quod est in malum aliorum, & præcipuè nocumentum communis boni, & talis correctio est actus justitiæ vindicativæ, cujus est servare rectitudinem unius ad alium; & hæc provenit à potestate publica in ordine ad bonum commune, quia in illa per se, & primariò spectatur bonum, non ipsius delinquentis, sed aliorum qui peccatum unius læduntur; altera dicitur correctio fraterna quæ adhibet remedium peccato, inquantum est quoddam malum ipsius peccantis, & hæc est propriè correctio fraterna, quia ordinatur ad emendationem delinquentis, & bonum ejus procurat, procurare autem bonum fratris, & proximi pertinet ad charitatem, per quam volumus, & operamur bonum proximo, quia per eam repellimus malum fratris, scilicet, peccatum, cujus remotio pertinet ad charitatem magis; quàm etiam remotio exterioris damni, vel etiam corporalis nocumenti; & hæc correctio fraterna fieri potest auctoritate privata, quia ordinatur ad bonum particulare ejus, qui corripitur, cujus spirituali necessitati per hanc correctionem subvenitur, quam esse actum virtutis nullus dubitat testante Scriptura Prov. 27. *melior est manifesta correctio, quàm amor absconditus*, & ratio ipsa suadet, quia per se ordinatur ad bonum honestum, scilicet, ad sublevandam miseriam proximi spiritualem, qualis est peccatum, quod vita spirituali privat, ac æterna beatitudine. Quamvis autem Recentiores nonnulli dubitent, ad quam virtutem hic actus spectet, communis tamen sententia docet esse actum misericordiæ, & charitatis juxtà motivum, à quo oritur; si enim conamur per correctionem revocare proximum à peccato, quatenus est offensa Dei, & ex amore Dei, & desiderio, quo volumus Deum non offendi, eum corripimus, tunc correctio est actus charitatis; si verò ex voluntate sublevandi eum à miseria, quatenus peccatum, & pœna illa debita est quædam miseria proximi, est actus misericordiæ, & hoc modo solet correctio vocari eleemosyna spiritualis, undè Astesanus loc. cit. ex verbis Domini, & SS. Patrum colligit definitionem fraternæ correctionis, quod *est admonitio fraterna de emendatione peccatorum ex fraterna charitate, & misericordia procedens*.

67 Secundò supponendum est tanquam certum, de fraterna correctione facienda extare præceptum, non solùm naturale, quod membra unius corporis se mutuò juvare tenentur 1. Corinth. 12 *Si quid patitur unum membrum compatiuntur omnia membra*, sed etiam divinum ex genere suo obligans ad mortale, ut expressè colligitur ex Christi verbis Matth. 18. *si peccaverit in te frater tuus, vade, & corripe eum*, &c. ubi verbum imperativum *Corripe*, præceptum importat, ut explicat D. Aug. serm. 16. de verbis Domini. Hinc Innocentius Tertius in c. *Si peccaverit* 2. qu. 1. appellat hoc mandatum divinum; undè obligatio de fraterna correptione facienda non tantùm est ex consilio, sed etiam ex præcepto; quamvis enim sit ex consilio, quando proximum peccat venialiter, est tamen ex præcepto, quando peccat mortaliter, quia correptio fit ad lucrandum fratrem amissum per peccatum, ut constat ex illo Matth. cap. cit. *Si te audierit lucratus eris fratrem tuum*, non ammittitur autem anima fratris, nisi per peccatum mortale; patet ergo quod corripere est præceptum, quando peccat mortaliter, & sic dicitur Eccl. 17. *Unicuique mandavit Deus de proximo suo*, ex quo infertur hoc præceptum ex genere suo obligare sub mortali, quia gravius obligat, quam præceptum eleemosynæ corporalis, siquidem longè gravior miseria est carentia boni spiritualis, quàm corporalis: si ergò illud obligat sub mortali, ut ex art. præcedenti constat, tantò magis istud; & hæc est communis Theologorum sententia cum Divo Thoma qu. 33. a. 2. & Scoto, ac aliis Scholasticis 4. dist. 19. Verum est tamen, ut docet Divus Thomas loc. c. quod si quis propter passionem timoris, & verecundiæ, aut pusillanimitatis minus se idoneum reputat ad correctionem faciendam, vel non existimat se tam strictè ad hoc obligari, plerumque non nisi venialiter peccare, quod tamen intelligendum est cum exceptione, nisi is, qui corrigere omittit, sit Superior, aut ex illa omissione grave aliquod scandalum sequatur.

68 Tertiò, hoc præceptum generatim omnes obligat, & non solùm Prælatos, & superiores, ex virtute charitatis. Ità Theologi omnes, & Astesanus tit. 67. cit. art. 4. ubi ait, quod corripere fratrem peccantem infligendo pœnam est tantùm Prelatorum, sed corripere admonendo ad sui, & peccati correctionem est omnium; quod probat ex cap. 18. cit. Matth. *si pec-*

peccaverit in te frater tuus, corripe eum, ubi Christus indefinitè loquitur, & non dicit, subditus, sed frater tuus, & subdit etiam: *Lucratus eris fratrem tuum*, quia ergo omnes sumus fratres, omnes tenemur invicem corrigere, quando contingit aliquem nostrum peccare; & hoc etiam dictat ratio ipsa, quia omnes sumus commembra; ideoque tenemur invicem externa officia charitatis præstare; quorum precipuum est correctio fraterna, quod etiam constat ex ecclesiast. 17. ubi dicitur differenter, quod Deus *Mandavit unicuique de proximo suo.* Adhuc tamen verum est, quod estò hoc præceptum obliget omnes generatim etiam subditos; strictius tamen obligat Prælatos, & Superiores, quibus aliorum cura incumbit, & ratio est, quia subditi tantùm ex charitate tenentur, Superiores verò etiam ex officio, & justitia imò si correctio fraterna spectetur, ut est actus justitiæ vindicativæ ad illos solos pertinent, ut suprà dictum est, quia licet corripere fratrem peccantem admonendo sit omnium, corripere tamen infligendo pœnam est Prælatorum tantùm. Ità etiam ex nostris Nicolaus de Nisse loc. cit. q. 12.

69 Duplex tamen hic occurrit difficultas. Prima est, an ad hoc præceptum teneantur etiam peccatores. & ratio dubitandi est, quia cùm ipsi quoque reprehensibiles sint, deberent potiùs seipsos corripere, quàm alios, alioqui dicetur ipsis illud Lucæ 4. *Medice cura te ipsum*, & illud Matth. 7. *Hipocrita ejice primum trabem de oculo tuo, & tunc videbis ejicere festucam de oculo fratris tui.* Affirmativè tamen respondendum est cum communi Theologorum ex D. Thom. loc. cit. art. 4. etiam peccatores hoc præcepto obligari, præsertim quando proximus est in extrema, vel gravi necessitate, vel probabilis spes affulget fratris emendæ. Ratio est, quia ut ait Astesan. loc. cit. obligationem hanc corripiendi tria præsertim inducunt; primùm est injunctio præcepti, quod indistinctè omnibus injungitur, tam justis, quam peccatoribus, sicut enim peccatum mortale hominem non liberat ab obligatione aliorum præceptorum, ità neque ab obligatione hujus præcepti. Secundum est cognitio peccati, peccator autem potest peccatum fratris sui cognoscere, etiam melius quam ipse, infirmitas enim nostra operatur, ut aliena peccata melius cognoscamus, quam nostra. Tertium est amor proximi, licet autem in peccatore non sit amor charitatis supernaturalis respectu fratris peccantis, est tamen in eo amor naturalis, vel amicitiæ, quo potest moveri, ut corripiendo subveniat illi. Ratio autem dubitandi adducta solùm probat quod peccator non debet alterum corrigere ex interna superbia quod tunc fit, quando proprium peccatum considerat, etiamsi grave sit, & tamen alterum vult reprehendere, hoc enim signum, est amoris proprii, ac superbiæ; quia pluris seipsum æstimat, quam alium; quo morbo laborabant Pharisæi, de quibus est sermo loc. c.

70 Altera difficultas est, an etiam inferiores teneantur corripere suos Superiores. & ratio dubitandi est, quia non habent auctoritatem, & jurisdictionem, quæ ad legitimam correctionem requiri videtur. Communis etiam Theologorum sententia affirmat cum Divo Thoma art. 4. cit. ubi in solutione ad 2. id confirmat exemplo S. Pauli, qui cùm esset S. Petro subditus, ut Apostolorum Principi, ergà illum tamen correctionem fraternam exercuit. Addit tamen Astesanus loc. cit. ex D. Gregorio in pastoral. c. 27. cum omni mansuetudine, & reverentia faciendam esse juxta documentum Apostoli 1. ad Timot. 5. *Seniorem ne increpaveris, sed obsecra ut patrem.* Nec obstat ratio dubitandi in contrarium adducta, quia correctio, de qua hic est sermo, non est juridica, sed fraterna, quæ auctoritatem, aut jurisdictionem non requirit, sed amorem, & misericordiam; quare ex hac parte non eximuntur subditi, & inferiores, quia omnes sumus membra unius corporis, licet Superior sit caput, & omnes tenemur proximum ex charitate diligere; ergo etiàm externa charitatis officia præstare, quando necesse est, & occurrit occasio; correctione autem juridica, quæ est actus justitiæ vindicativæ non possunt inferiores corrigere Supperiores nisi manifestè errarent in fide, tunc enim si non adessent Superiores vindicantes vel vindicare nolentes, per inferiores possent puniri, quia hæresis reddit hæreticum Catholico inferiorem, non tantùm in foro interiori, sed etiam exteriori, ut notat Astesanus loc. cit. ex Riccardo 4. dist. 19. quæst. 2. art. 3.

71 Quartò quod attinet ad materiam hujus præcepti, seù quę peccata corrigi debeant, conveniunt DD. omne peccatum mortale, tam commissum, & non emendatum, quam sub probabili periculo committendum, vel iterandum, esse materiam hujus præcepti, & apertè colligitur ex verbis Christi Matth. 18. *Si te audierit lucratus eris fratrem tuum*, quibus verbis supponit fratrem, vel periisse, vel certè periturum, nisi correctionis anthidoto præmuniatur, nemo autem perit, nisi per peccatum mortale, & ita exponit hunc locum Aug. serm. 16. de verbis Domini. Peccatum autem veniale non est materia hujus præcepti, nisi sit dispositio moralis, & proxima peccandi. & ratio est, quia præceptum fraternæ correctionis solùm obligat, ut constat ex dictis, quando vel frater perit, vel periculum est probabile, ut pereat; sed nec per peccatum veniale commissum, & non emendatum periit, nec per peccatum veniale probabiliter committendum, vel iterandum periturus est, quia peccatum veniale stat cum gratia; ergo &c. Non tamen improbabile videtur, quod adjunt Soto, Suarez, Valentia, Coninchius, Caspensis, & alii, interdum quempiam posse obligari etiam ad peccata venialia corrigenda, ut contingit in Superiore Religionis, qui ex officio, & justitia curare tenetur non solùm, ut subditi mortalia vitent, sed etiam ut ad perfectionem tendant, & ne disciplina Religiosa dissolvatur: at peccatum veniale licet respectu alicujus particularis non sit grave malum, tamen respectu totius Communitatis vergere potest in magnum detrimentum perfectionis ipsius Religionis, undè si Superior nimis negligenter se gerat in reprehendendo, & corrigendo aliquod veniale peccatum, quod sit Religioni nocivum, & majori parti communitatis generale, verbigratia, impudica verba, consuetudinem jurandi, aut simile quid, quod Religiosum maximè dedecet, non excusatur à mortali, his enim generalibus defectibus regularis disciplina dissolvitur, quam Superior ex officio integram conservare tenetur. Demum ignorantia quoque potest esse hujus præcepti materia, si sit vincibilis, tenemur enim admonere, & corripere illum, qui ex ignorantia vincibili peccat, idest, de re quam quis scire potest, & debet; si autem sit invincibilis, distinguendum est, vel enim ex tali corectione aliquis speratur fructus, vel non; si primum, ignorantem instruere tenemur, præsertim si eis cura sit nobis commissa; si secundum, bonæ fidei reliquendus est, dummodò tamen indè alterius proximi damnum, vel scandalum non sequatur. Ità Bannes, Navarrus, Azorius, Malderus, Bonacina, & alii.

72 Duplex tamen hic etiam occurrit difficultas. Prima est, an materia hujus præcepti sit solùm peccatum contrà ipsum corripientem commissum, an quodlibet aliud peccatum contrà Deum patratum. Aliqui putant esse solùm peccatum contrà corripientem commissum, quod ex ipso textu dedecunt, qui expresse loquitur de peccato contrà corripientem: *Si peccaverit in te frater tuus*, idest, contrà te; quod magis confirmant verba Lucæ 17. dum subdit, *& si pœnitenti jam egerit, dimitte illi.* Communis tamen Theologorum, & Patrum sententia est, omne peccatum mortale esse materiam hujus præcepti, quod expresse deducitur ex fine à Christo per hoc præceptum intento, qui est peccatoris correctio, & fratris lucrum; at quodlibet peccatum mortale est maxima creaturæ rationalis miseria, cùm illum à Deo summo bono avertat, & ex hoc præcepto teneamur proximum à tali, ac tanta miseria eripere; ergo ex hoc præcepto non solùm tenemur illum corripere à peccato contra nos commisso, sed etiam à quocunque alio, quod illum à summo bono avertit, alioquin ex amore proprio moveri videremur ad talem correctionem faciendam, & non ex amore salutis illius, ut intendit præceptum charitatis. Ad fundamentum prioris sententiæ respondet Astesanus loc. cit. quod illud Matt. *si peccaverit in te*, intelligi debet coram te, seù in te scientem, non in te læsum, ità quod amore tui illum corripias, quam expositionem ait esse Divi Augustini sermon. 16. de verbis Domini. Alia Difficultas est, an materia hujus præcepti sit tantùm peccatum publicum, vel etiam occultum, nam de peccato publico nullum est dubium, publici enim peccatores, quales sunt publici usurarii, latrones, meretrices, & similes corripiendos esse nemo dubitat, quando eorum correctio speratur futura, quoniam hi quoque sunt fratres nostri, quos per correctionem lucrari possumus, solùm ergò de peccante occultè est dubitatio, cui respondet Astesanus *loco citato artic.* 5. cum Gualtero peccatum tribus modis posse dici occultum, uno modo, quod solus Deus novit, vel homo per confessionem, & de hoc non est quæstio, quia hoc spectat ad Deum, & Confessarium vices Dei gerentem, non autem ad nos quoad istam correptionis formam, de qua hic agitur; alio modo dicitur occultum, quod homo solus, idest, non cum alio novit; tertio modo dicitur peccatum occultum, quod solus novit, idest, unus cum paucis familiaribus; sicut Rex dicitur aliquid facere in occulto, vel esse solus, quando est cum paucis sibi familiaribus; quo supposito dicendum est, quod præceptum de correctione fraterna intelligitur etiam de peccato occulto secundo, & tertio modo dicto, ut colligitur ex præcitatis verbis si peccaverit in te, idest coram te, & te sciente, vel paucis quibusdam aliis præsentibus.

73 Quintò, cùm hoc præceptum sit affirmativum, certum est apud omnes non quovis tempore obligare, sed solùm concurrentibus debitis circumstantiis, quas Scotus insinuat 3. d. 30. qu. un. sub E. docens præceptum fraternæ correctionis obligare tempore evidentis necessitatis, dum peccatum proximi

ximi evidens est, & certa, vel probabilis spes emendationis ejus, si enim nulla sit emendationis spes, imo hic, & nunc timeatur, ne is, qui peccavit, correctione deterior fiat, tunc prætermittenda est correptio, nec ad illam tenetur. Clarius tamen, & distinctius conditiones ad hoc requisitas recensent Astesanus loc. cit. ar. 4. ex Gualtero, & Nicolaus de Orbelli 4. d. 19. q. un. quibus deficientibus cessat obligatio corrigendi, & ajunt sex esse, tres ex parte corripientis requisitas, & tres alias ex parte fratris peccantis. Prima conditio ex parte corripientis est certa peccati cognitio, nec sufficit probabilis conjectura, ut colligitur ex ipsis Christi verbis *si peccaverit in te frater tuus*, idest, coram te, seù te sciente, ut exponit D. Aug. loc. cit. Secunda est mansuetudo in corripiendo, quia corripiens, & objurgans cum ira potius ad pejus provocat, quam corripiat, ideo dicitur *in psal. Superveniat mansuetudo, & corripiemur*. Tertia, ut sine gravi suo incommodo, vel damno id facere possit, aliàs à correctione excusaretur; nec probabiliter credat per alium aptiorem, & ei magis familiarem fore de proximo emendandum, nam in tali casu correctione sua non indigeret, nec proindè ad illam faciendam obligaretur. Deindè prima conditio ex parte peccantis est probabilis spes de futura emendatione fratris, quia cùm correptio sit instituta propter emendationem peccatoris, si hæc non speratur, cessat hoc præceptum obligare. Secunda est, ut ejus peccatum sit mortale, & non tantùm veniale, quia correptio præcipitur, ut corripiens fratrem suum lucretur, & sit in necessitate fraternæ correctionis, quia hoc præceptum non obligat, nisi quando adest necessitas, undè quando constat fratrem esse emendatum, vel probabiliter creditur nullum esse periculum relabendi, vel ipsum sua sponte acturum pœnitentiam, vel per correctionem alterius, nulla est obligatio, quia tunc frater non eget. Tertia est quod non sit spes majoris opportunitatis temporis, & loci, ac aliarum circumstantiarum ad corripiendum, si enim alterius temporis, vel loci opportunitatem expectes, non teneris statim illum corrigere, sed laudabiliter id differre potes. Hinc concludit Astesan. quod cùm corripere sit præceptum affirmativum, non obligat ad sui executionem nisi tempore necessitatis, tunc autem est necessitatis, quandò hæc sex concurrunt simul, itaquod si non concurrant, licet hoc præceptum obliget, non tamen obligat ad exequendum, idest, ad corripiendum, sed potest correctio differri sine peccato, quousque hęc simul concurrant, quod ait de privat. persona intelligendum esse, & non de Prælato, de quo non est præsens quæstio. Prælati namque in corrigendo ad has conditiones non tenentur, possunt enim juridicè corripere, & punire peccata præterita, & quibus jam proximus non est obstrictus, propter bonum commune, & aliorum exemplum. & sic etiam discurrunt Recentiores omnes de hujus præcepti obligatione, nulla veterum Scholasticorum mentione facta, ut eorum moris est, à quibus doctrinam acceperunt.

74 Demum ordo in correctione fraterna servandus est, quem Christus præscripsit Matth. 18. ut, scilicet, peccans primò privatim admoneatur; quod si hæc admonitio nihil profit, unus, aut duo testes adhibeãtur; quod si hoc nec sufficit, Ecclesiæ suæ, Prælato, aut Superiori denuncietur; sunt tamen aliqui casus, in quibus hic ordo non videtur necessariò servandus, ut communiter DD. advertunt, quandò enim peccatum proximi est publicum, tunc opus non est secretam correctionem præmittere, sed potest publicè corripi juxtà illud Apostoli 1. ad Timoth. 5. *Peccantem coram omnibus argue, ut cæteri timorem habeant* quod intelligitur de peccatis publicis, ut Aug. exponit l. c. l. *de verbis Domini*. & ratio est, quia secreta correptio instituta est, ut famæ proximi consulatur, & peccatum ejus non publicetur, si ergò jam publicum est, secreta correptione opus non erit, sed publicè corripi poterit ad aliorum exemplum; quando enim peccatum est publicum, tunc solùm peccatori adhibendum est remedium pro ejus emendatione; sed etiam ad aliorum exemplum, ne & ipsi liberius peccent, si publica peccata manere impunita videant. Quando verò peccatum proximi est occultum, tunc adhuc distinguendum est cum Nicolao de Nisse loc. c. quod etiam docet D. Tho. a. 6. quædam enim sunt peccata occulta, quæ vertunt in detrimentum proximorum, vel corporale, vel spirituale, ut si quis clàm moliatur proditionem, vel incendium civitatis, aut si occultè inficiat alios hæresi; & tunc immediate ad Superiorem reccurrendum est, ut efficaciter, ac tempestivè hujusmodi malum impediat; cùm enim ille, qui sic occultè peccat, non solùm in te peccet, sed etiam in alios, oportet statim ad denunciationem procedere, ut hujusmodi nocumentum impediatur, quia periculum est in mora; nisi fortè aliquis firmiter æstimaret, quod statim per secretam monitionem posset hujusmodi malum impediri. Quędam verò sunt peccata occulta, quę solùm vergunt in nocumentum peccantis, & ejus, in quem peccatur, & tunc solùm secreta admonitio præmittenda est, ut fratri peccanti subveniatur, & primò emendari debet, si fieri potest, per secretam correctionem, ut fama ejus conservetur. Quia tamen conscientia est præferenda famæ, ideò voluit Dominus, ut saltem cum dispendio famæ conscientia fratris per publicam denunciationem à peccato liberetur, quandò nimirum per secretam monitionem hoc fieri non potest; undè D. Thom. loc. cit. art. 8. tandem addit, quod quando quis prudenter judicat, qualecunque tandem sit peccatum proximi, servando præfatum ordinem correctionis se nihil effecturum, sed melius fore, quod immediatè ad superiorem procedatur, ut is opportunum remedium adhibeat, ita faciendum esse, quia ordo ille institutus est ad proximi emendationem; si ergò prudenter judicatur ejusmodi ordinem non profuturum, potest intermitti, & fieri, quod ad eundem finem utilis videbitur, & sic etiam discurrit Nicolaus de Orbellis loc. cit. 4. dist. 19.

ARTICULUS QUARTUS.

An ordo correctionis fraternæ à Christo præscriptus cadat sub præcepto.

75 NEgarunt aliqui ex antiquis; inter quos citari solent D. Tho. in cap. 17. Lucæ, ubi ait hunc ordinem congruitatis esse, non necessitatis, Maldonatus in idem caput. 17. ubi ait esse Christi consilium, ut peccantem non acerbè accusemus, sed benignè corrigamus, Salmeron tr. 11. Bernadinus de Arevalo tr. *de corret. frater.* per totum, & quidam alii. Fundamentum est, quia si assignatus ordo esset in præcepto, illum nunquam immutare liceret, quia modus, qui in præcepto est, obligat ad sui observantiam, & consequenter immutationem sui illicitam reddit; sed sæpè licitum est illum immutare; ergò non cadit sub præcepto. Major patet, probatur minor, quia non peccaret, si quis antè præmissam admonitionem, ac testes adhibitos, fratri peccatum immediatè Prælato deferret; tùm quia plures Patres id docent, & quotidiana praxis Inquisitorum hæreticæ pravitatis, qui sub anathematis censura peccata in eorum edictis contenta ad se immediatè deferri jubent, prohibentque ne ea alteri manifestentur, quam ipsis; tùm quia id in multis Religionibus servatur & præcipuè in Societate Jesu, in quibus lege statutum est, ut omnes errores subditorum, atque defectus per quemcunque extrà Confessionem notati, & observati immediatè Superioribus manifestentur. Confirmatur quia hic ordo corripiendi fratrem, ut prius ipsius peccatum manifestetur Prælato, quam aliis, est efficacior ad fratrem corrigendum, cùm nemo efficacius valeat subditorum peccata corrigere, quam Prælatus; est etiam mitior, ac ipsi delinquenti gratior, cùm unusquisque malit à proprio Superiore corrigi, quam ab aliis; ergò licet peccatum proximi occultum immediatè deferre Prælato non præmissa secreta admonitione, & testium adhibitione. Tandem vel peccatum fratris est publicum, vel occultum, si publicum, possum illum immediatè deferre Prælato, nec teneor illum secretò monere, ut suprà dictum est; si verò peccatum est occultum, & privatum & mihi injuriosum, vel alteri, etiamsi peccans privata mea correptione emendetur, possum adhuc illum apud Superiorem accusare, ut condigna satisfactione mihi, vel alteri satisfaciat, ut docet quotidiana praxis, & usus.

76 Oppositа sententia communis est Scolasticorum 4. d. 19. & D. Thomæ. 2. 2. quæst. 33. art. 7. & 8. asserentium ordinem fraternæ correctionis à Christo præscriptum obligare jure naturali, quando probabiliter censetur profuturus, quia jure naturali miseriam proximi sublevare tenemur cum minori famæ ipsius jactura, quod fit servando ordinem à Christo præscriptum; præcipit enim ut delinquens prius admoneatur secretò, ut nullus alius sciat, si fieri potest, quandò verò aliquem adhibere oportet, prius adhibeatur testis, quam denuncietur Prælato propter eandem causam, ut, scilicet, famæ proximi consulatur, jus enim naturæ postulat, ut quantum fieri potest, fama proximi illæsa conservetur. Ex quo deducunt, quod dùm Christus hunc ordinem præscripsit, novum præceptum non statuerit, sed naturale duntaxat explicaverit, & sua auctoritate confirmaverit, quod facilè deducitur etiam ex communi Theologorum consensu asserentium in lege nova non fuisse à Christo superaddita præcepta positiva præter præcepta sacramẽtorum, quarè Christus Dominus solùm explicuit hoc præceptum, sicut explicuit alia præcepta juris naturalis, ut v. g. præceptum de dilectione inimicorum. Dicunt etiam hanc fuisse expressam Patrum sententiam, Augustini ser. 16. *de verbis Domini*, Ambrosii serm. 8. in ps. 118. Chrysost. hom. 61. in Matth. Hilarii, & Hieronymi in c. 18. Matth. & aliorum plurium, ac etiam Innocentii Tertii c. licet Heli, & in c. Cùm dilectus de accusationibus, itaque pro major

hujus sententiæ explicatione, quam tenent Nicolaus de Orbellis, Astensis, & Vulpes ex Scoti 4. d. 19.

77 Primò Dicendum est, non solùm correctionem fraternam, sed ordinem ipsum correctionis à Christo præscriptum Matth. 18. cadere sub præcepto. Ratio est, quia in correctione fraterna facienda aliquis ordo servandus est sub præcepto, & taliter servari debet, ut in modo illud observandi contrà proximum non peccetur; hoc autem fieri nequit, nisi servando ordinem correctionis à Christo præscriptum, ut, scilicet delinquens secretò moneatur, ut si fieri possit nullus alius sciat, ne ejus fama lædatur, hoc enim postulat charitatis ratio, ut proximo subveniatur, absque læsione famæ; ergò talis ordo cadit sub præcepto. Confirmatur, quia in correctione fraterna duo præcepta concurrunt, unum misericordiæ de sublevanda spirituali miseria proximi, & alterum justitiæ de ipsius fama non lædenda; sed nullus alius ordo præter istum à Christo assignatum utrumque præceptum servat, miseriam spiritualem proximi sublevando, & famam ejus non lædendo; ergò hic ordo sub præcepto servandus est, nam is ordo sub præcepto cadit, qui ad utrumque præceptum servandum est necessarius. Tandem id confirmat D. Thomas l. c. exemplo medicinæ corporalis, sicut enim peccaret medicus corporalis, qui dùm infirmum sanare potest medicina levi, & absque gravi ipsius læsione, sanare vellet per alicujus membri resecationem, vel medicinam graviter infirmum lædentem; ità graviter peccaret quoque medicus spiritualis, qui fratrem spiritualiter ægrotum sanare vellet cum gravi nota famæ ipsius, dum suaviori modo, & securo adhuc sanare posset absque gravi ipsius famæ læsione, qui modus adhibetur in correctione facienda servando ordinem à Christo præscriptum.

78 Secundò Dicendum est, ordinem correctionis fraternæ à Christo præscriprum non ità esse in præcepto, ut in quolibet eventu obliget, & unquam sit licitum illum omittere, aliumque corripiendi modum adhibere, qui juxtà occurentes circumstantias ad fratris correctionem efficacior judicetur, undè sequitur tunc solùm ex præcepto modum illum correctionis servandum esse, quando ad ipsius correctionis finem assequendum necessarius esse censetur. Ità Scholastici omnes, quod expresè docuit D. Aug. serm. 16. cit. de verbis Domini, ubi loquens de isto ordine, & modo corripiendi à Christo præscripto inquit: *Discernere debemus aliquando istud, aliquando illud esse faciendum, aliquando corripiendo fratrem inter te, & ipsum solùm, aliquando coram omnibus.* Et ratio est, quia ut inquit Astesanus l. c. art. 6. sicut fraterna correctio nobis data est sub præcepto affirmativo, ità etiam & iste ordo, præceptum autem affirmativum obligat semper, sed non ad semper, sed tantùm quandò illud impleri est necessarium, & id præsertim de hoc præcepto verificatur, quod non quomodocunque est affirmativum, sed etiam valdè speciale, utpotè præscribens quendam corripiendi modum valdè determinatum, ut rectè observant Valentia, Caspensis, & alii, undè ut benè, & accommodatè ad correctionem, & ejus finem assequendum adhibeatur, determinatas quasdam exigit circumstantias, quæ facilè deesse possunt, vel mutari in quibusdam casibus, vel personis, quorum aliquos recenset Astesan. l. c. in quibus sine peccato hic ordo poterit omitti, & præsertim illum, quandò ex eo non speratur fructus, vel licet sit spes correctionis per secretam admonitionem, tamen mora periculum habet, tunc enim omissa privata correctione fratris peccatum immediatè deferri debet ad Prælatum, tanquam ad patrem, qui melius, & efficacius illum corrigere possit, ut apertè testatur D. Augustinus de tertia regula, quæ habetur circà finem primi Tomi. Neque hoc est contrà formam legis evangelicè datam de correctionis ordine, lex enim interpretanda est pro utilitate illius, pro quo data fuit, & ex legislatoris intentione; constat autem, quod intentio Christi legislatoris fuit correctio peccantis, quæ etiam est utilitatis ejusdem corruptionis, & ideò licet quando tu possis corripere fratrem, tamen mora traheret periculum, quod periculum vitari possit per denunciationem, non est contrà legem correctionis, sed secundùm illam est dimittere privatam admonitionem, undè Tullius 1. Rethoricæ cap. 9. ait: Ex utilitate Reipublicæ, non ex legis inspectione, que in literis est, leges interpretari debent, ob quam institutæ sunt, hoc enim est Epicheja, ut habetur 5. Eth. ità discurrit, & rectè Astesanus noster loc. cit.

79 Ratio autem à priori hujus assertionis est, ut ait Amicus disp. 31. sect. 7. quia cùm finis hujus præcepti, ordinisque servandi sit fratris correctio, & emendatio, & cùm interdùm possit ordo à Christo præfixus inefficax, & inutilis judicari, vel ob malitiam peccantis, vel ob inhabilitatem corripientis, contra verò alius efficax, & utilis censeri; tunc iste adhibendus est, qui melior, & efficacior judicabitur secundùm circumstantias occurrentes, non autem ille, semper tamen cum minori, qua potest læsione famæ corripiendi. Undè si probabiliter putetur nil profutura, sed potius obfutura privata correctio, omittenda erit, & adhibenda monitio coram uno, vel duobus testibus, ut etiam notat Bon. disp. 3. q. 4 punct. 7. cum Banne, Reg. Valent. Maldero, & aliis. Quod si neque hæc profutura speretur, utramque prætermissa adhiberi poterit denunciatio apud Superiorem tanquam Patrem. Quod si neque hæc profutura sit, adhibenda erit denuntiatio delinquentis apud Superiorem tanquam Judicem, ut de peccato ejus occulto ulterius inquirat, & contrà eum juridicè procedat, ut saltem hoc modo à peccato resipiscat, cùm spiritualis salus ipsius etiam cum propriæ famæ jactura sit procuranda, quandò aliter fieri non potest. Hoc autem intelligendum est, ut etiam præcitati Auctores advertunt, quandò frater in extrema, vel gravi salutis spiritualis necessitate existit, alioquin si uno tempore non sit bene dispositus, nec sine jactura famæ ipsius corrigi possit, commodius, & magis opportunum tempus erit expectandum, quando absque jactura famæ ipsius correctio speratur; nisi fortè peccatum fratris in detrimentum vergat aliorum, vel alicujus innocentis, tunc enim admonendus est innocens, vel Respublica, ut sibi consulat, & prospiciat, quamvis ex tali admonitione ruina delinquentis timeatur, quia ut rectè discurrit Bon. l. c. Respublica, & innocens jus habent, ne sibi damnum inferatur, & ruina delinquentis malitiæ ipsius abscribenda erit, ac imputanda, nec debet delinquens innocenti ob propriam culpa preferri. Undè non satis placet, quod Vulpes asserit l. c. a. 7. occulta delicta cujuscunque, & qualia cunque etiam contra bonum publicum spirituale, vel temporale non esse denuncianda sine prævia admonitione secreta, si fuerit certa, & probabilis spes emendationis delinquentis, nec sit periculum in mora; non inquam, hoc placet, quia in his casibus semper, vel ut plurimum periculum est in mora, ut dictum est à præc. n. 74. & est regula generalis, quod bonum publicum semper privato est preferendum, ut ait Nicolaus de Orbellis loc. cit.

80 Tertiò dicendum est, quando spes est certa æquè profuturam monitionem fraternam, ac delationem, tunc licitum non esse deferre Prelato, etiam ut patri, crimen occultum fratris antè premissam monitionem, & in hoc sensu ordinem correctionis à Christo præscriptum cadere sub præcepto. Ita Caspensis cum pluribus aliis tr. 17. disp. 6. sect. 3. & expresè deducitur ex ipsis Christi verbis, *Si te audierit, lucratus eris fratrem tuum*, quasi dicat, nihil superest aliud in tali casu agendum, sed ibi sistendum est. Ratio est, quia cùm finis adæquatus hujusmodi delationis sit fratris emendatio, ejusque à relapsu cautio, si monitione secreta, & correctione fraterna hæc duo æquè comparentur, non est ulterius progrediendum denunciando Prælato ejus delictum, quia hoc esset sine ulla necessitate, & absque legitima causa proximum infamare, quod esset contra charitatem, & jus naturale, quod habet, ut ejus fama illæsa conservetur, quandò id fieri potest, Christus enim in correctione fraterna eum assignavit ordinem, qui cum minori famæ proximi jactura effectum habere possit, licet alium non prohibuerit in casu, quo non hic, sed alius esset habiturus effectum; cùm ergò æqualis speratur effectus per monitionem secretam, ac delationem, nec est ullum periculum relapsus, verum est non licere uti, nisi monitione secreta, & in hoc sensu, ut diximus intelligendum est ordinem correctionis fraternæ à Christo præscriptum cadere sub præcepto.

81 Ex præmissa doctrina facilè solvitur fundamentum oppositæ sententiæ, negando sequelam majoris, nam sunt quædam præcepta Decalogi, quæ propter occurentes circumstantias mutari possunt interdum, & variari, ut patet de surreptione rei alienæ, quæ tempore extremæ necessitatis licita est, ut patet ex dictis *disp. de Restitutione in communi*, quæ tamen extrà illud tempus licita non est; ita ergò in proposito dici debet de ordine fraternæ correctionis à Christo præscripto, fieri enim potest, ut propter occurrentes circumstantias in aliquibus casibus non obliget, ut quando v. g. non est ipsi fratris profuturus, vel aliis obfuturus, vel alius ordo ex consensu ipsius sit ei magis profuturus, in his enim, & similibus casibus ordo à Christo præscriptus non obligat, ut constat ex dictis, quia nullum præceptum cum jactura majoris boni obligat, ut patet de præcepto non surripiendi rem alienam occurrente casu extremæ necessitatis; foret autem jactura majoris boni, si in casibus prædictis ordo à Christo præscriptus servaretur, ut dictum est; & juxta hanc doctrinam, ut inquit Amicus l. c. intelligendi sunt patres, qui docent interdum licitum esse antè premissam monitionem secretam peccatum proximi immediatè deferre Superiori, ut dictum est de peccatis, quæ nisi statim ad Superiorem deferantur, periculum est in mora, ne vergant in magnum damnum communitatis, vel tertiæ personæ innocentis, quod sit majus quàm damnum ipsius, quod frater delatus in fama patetetur; & eadē ratione expedit, ut prætermisso ordine correctionis à Christo præscripto, peccatum

catum hæresis statim Inquisitoribus denuncietur, ut tempestivè provideant, propter circumstantiam periculi quod per secum tali peccato connexum est, ne ulterius serpat, & alios inficiat; an verò in Religionibus licitum sit immediatè revelare Prælato peccatum fratris non præmissa correctione fraterna, dicemus art. seq.

82 Ad Confirmationem, quamvis correptio Superioris ex natura rei efficacior sit ad retrahendum subditum à peccato, & quamvis suppositа denunciatione magis caveri posset peccatum delinquentis; negatur tamen talem corrigendi modùm esse mitiorem, ac ipsi delinquenti gratiorem, quia fama subditi apud Prælatum magni facienda est, & sine extrema necessitate non est prodigenda, subditus enim plus æstimat apud suum Prælatum nomen bonum habere, quàm apud cæteros, quia Superior plus aliis ei nocere potest; & ideò suprà diximus, quod cæteris paribus, & quando ipes est certa æquè profuturam monitionem fraternam, ac delationem, tunc licitum non esse deferre Prælato, etiam ut patri, crimen occultum fratris antè præmissam monitionem, & in tali casu ordinem fraternæ correctionis à Christo præscriptum cadere sub præcepto, quia non licet famam proximi prodigere, & bonum conceptum, quem de eo habet Superior, diminuere, nisi aliter postulet periculum gravioris mali, à quo aliter proximus liberari nequeat. Ad ultimum, si peccatum sit occultum, & alteri injuriosum, non autem corrigenti, & ex ejus privata correptione peccans emendetur, non debet illum apud Superiorem accusare, ut condigna satisfactione offenso satisfacit, sed suadere, quantum potest, ut ei satisfaciat pro injuria illata; si verò injuria est illata contrà eum, qui corripere debet, est aliqua dissensio inter Doctores, an eum licitè possit apud Superiorem accusare pro compensatione injuriæ sibi illatæ, & breviter dicendum est cum Caspensi lo. cit. sect. 2. quod in illo peccato potest considerari, & ratio injuriæ illatæ, & ratio miseriæ in eo, qui peccavit; priori modo is, qui injuriam passus est, licitè compensationem petere potest, ut de dilectione inimicorum suprà dictum est; posteriori verò modo servandus est ordo correctionis præscriptus, si adsint circumstantiæ requisitæ, ut præceptum correctionis obliget, præcipuè, quando is, qui injuriam intulit, vult satisfacere proximo pro illa, & tamen censetur adhuc in statu peccati manere, & perseverare.

ARTICULUS QUINTUS.

An in Religionibus sit licitum revelare Prælato peccatum occultum fratris non præmissa correctione.

83 COntroversia hæc reddita est celebris à tempore, quo Patres Jesuitæ inceperunt, in quorum Societate perpetua lege statutum est, ut omnes errores, ac defectus subditorum per quemcunque extrà confessionem notati, & observati, immediatè Superioribus manifestentur. Prima itaque sententia absolutè negat posse statui legem, quæ de consensu fratrum ununquemque obliget ad ipsorum defectus extrà confessionem notatos, prætermissa secreta admonitione, Superiori immediatè, tanquam Patri deferendos, eo quod unusquisque jure naturæ juxtà Christi præceptum prius teneatur fratrem peccantem secretò admonere, si talis monitio speratur profutura, quàm illum ad Superiorem deferre, undè absolutè docet etiam in Religionibus, antequam peccatum occultum fratris denuncietur Prælato etiam ut patri, necessariò præcedere debere admonitionem secretam. Ità acriter defendit Lorca in præsenti disp. 47. & mordicus tuetur ex nostris Poncius disput. 33. *de præcepto charitatis* q. ult. pro qua citantur etiam Adrianus, Soto, Navarrus, & alii, qui tamen, ut plurimum, loquuntur de denunciatione publica, quæ fit Prælato, tanquam Judici ad punitionem, non tanquam Patri ad correctionem, in quo sensu quæst. præsens agitur, & in casu, in quo prudenter judicaretur, quod per talem denunciationem firmius, & securius longè caveri posset, nec frater caderet, quamvis per secretam admonitionem, seù correptionem crederetur benè, quod corrigeretur, sed periculum tamen probabile esset, quod iterum caderet; in hoc enim sensu oppositа sententia docet licitum esse crimen occultum fratris immediatè Superiori deferre, tanquam patri, omissa correctione fraterna, & hanc esse meliorem provisionem, ut frater corrigatur, nec fiat relapsus; quoniam Superior agnoscens periculum, si religiosus esset in tali loco, aut officio, aut soleret habere talem, vel talem socium, posset ipsum ab eo loco, aut officio amovere, aut negare ipsi tales socios, quales habere solebat, & alios assignare, quorum societas impediret, nec illud peccatum succederet, quod aliàs cum aliis facilè committi posset.

84 Fundamentum autem præcipuum hujus primæ sententiæ est, quod hic ordo corrigendi fratrem delinquentem præmissa monitione secreta, si profutura speratur, antequam ejus peccatum Prælato manifestetur, cadit sub præcepto, ut dictum est art. præced. ex testimonio Matth. 18. *Si peccaverit in te frater tuus, vade, & corripe eum inter te, & ipsum solum &c.* ergo etiam in Religionibus hic ordo servandus erit, alioquin oppositum asserere esset velle adducere aliud Evangelium pro Religiosis, ac laicis, & oppositum ordinem corrigendi in statu religioso esset simpliciter meliorem quod videtur absurdum, cùm Christus Dominus illum ordinem simpliciter, & absolutè præscripserit.

Confirmatur, quia quamvis correptio Superioris esset ex natura rei magis efficax ad retrahendum subditum à relapsu, & quamvis suppositа denunciatione magis caveri posset peccatum delinquentis, & consequenter malum Religionis indè secuturum per remotionem subditi à loco, & officio, aut assignationem aliorum sociorum; adhuc tamen ex tali denunciatione aliud majus malum Religionis, & subditi etiam sequeretur; nam concessa semel illa licentia, via latissima aperitur traducendi, ac infamandi innocentem quemcunque, & eum ab officiis, & locis quibusvis amovendi etiam cum pericnlo publico famæ, vix enim illæ mutationes fieri possunt, quia ubi vigeret talis licentia, etiam quandò ob alios fines fierent, suspicio vehementissima sit, quod fiant ob aliquod tale peccatum commissum, ac periculum lapsus; deindè per illam licentiam datur occisio concipiendi, ac fovendi perpetuas inimicitias, ac suspiciones inter religiosos; & tandem datur facultas Superioribus disponendi de subditis, prout ipsis placuerit nullam ob causam, quàm suo privato genio satisfaciendi, & suas suspiciones ac desideria vindicandi, quæ sanè mala, & Religioni in communi, & subditis in particulari magis pernicioſa sunt absque comparatione quàm malum, quod sequi posset ex relapsu uno, vel altero subditi. Denium intantum oppositа sententia id asserit licitè fieri posse in Religionibus, inquantum religiosus ob majus suum bonum, ac totius Religionis juri propriæ famæ cedere potest, qua juris cessione facta, cessat ordo à Christo præscriptus obligare ad conservandam famàm proximi in correctione fraterna; sed non potest aliquis in particulari cedere suo juri, & dare licentiam, ut alius particeps sui criminis ipsum Superiori denunciet sine prævia monitione secreta, quandò per monitionem illam commodè caveri potest peccatum, neque potest esse statutum ullum in Religione ad hoc obligans; ergo &c. minor probatur, quia nemo concurrere potest ad jacturam suæ famæ apud quemvis absque æquivalenti saltem aut majori bono, quia certum est de lege naturæ famam esse conservandam, quoties sine detrimento majoris boni, aut æquivalentis conservari possit; sed in casu posito non sequitur majus bonum, vel æquivalens ex denuntiatione, per quam tamen fama diminuitur, & perditur apud Superiorem; ergo neque aliquis potest dare licentiam, neque per statuta ordinari potest, ut id fiat; minor patet ex dictis, quia ex hoc sequeretur aliud notabile detrimentum, & majoris considerationis, quam detrimentum quod sequeretur ex minus certa relapsus cautela, aut ex ipsomet relapsu, quia sic aperiretur via cuicumque malevolo calumniandi ex quacunque levi causa fratrem, & procurandi, ut à loco, vel officio, in quo esset, facilè amoveretur, & similiter ipsimet Superiores possent hoc modo ad libitum quoscunque subditos privare officiis, & locis commodis; ergò nullo modo licet renunciare famæ in ordine ad denunciationem faciendam in casu posito. Ità arguunt Lorca, & Poncius loc. cit.

85 Oppositа sententia, quæ communior est, ac probabilior, tria asserit, primum est, quod quandò peccatum fratris est occultum, licitè, & honestè potest denunciari Prelato sine prævia admonitione secreta concurrentibus his conditionibus; una, ut delatio fiat ei, non tanquam Judici, sed tanquam patri; altera, ut Prælatus sit prudens, discretus, & spiritualis, zelo, & dilectione suarum ovium ornatus, & taciturnus, & insuper sit spes majoris utilitatis fratris, quia nimirum speratur melior, brevior, & securior in futurum emendatio per Prelatum, quam per privatum. Secundum est, quod quando frater non est plenè emendatus, & est probabile periculum relapsus, licitum est, & valdè expediens deferre peccatum occultum Superiori, ut patri, nulla præmissa monitione, dummodò in eo concurrant conditiones prædictæ. Tertium est, quod suppositа in fratre renunciatione juris propriæ famæ, hoc non modò justum, & licitum esse, nulloque pacto Evangelicæ doctrinæ repugnans, verùm & Religioni valdè expediens, tùm ad majorem singulorum in spiritu profectum; tùm ad majorem cautelam, securitatem, & providentiam erga commune bonum totius Religionis. & hanc sententiam sic explicatam tuentur non solùm universa Societatis schola Suarez, Rodriquez, Coninchius, Hurtadus, Valentia, Amicus, Becanus, & alii passim ejusdem Scholæ, sed alii quoque antiquiores etiam ex nostris Richardus, Gabriel, Nicolaus

de Orbellis 4.d.19. Asleſanus l.c. art. 8. ubi ait hoc idem docuiſſe Gualterum, & Guiglielmum de Mara, & hanc ſententiam eſſe omnium Doctorum Ordinis, Seraphici, & dicere contrarium foret regularis diſciplinæ maximum detrimentum, quod etiam teſtatur Angelus in ſumma verbo Denunciatio; idem etiam docent D. Antoninus, Sylveſt. verbo Correctio, Gerſon, Turrecremata, & plures alii; & ex recentioribus defendit Caſpenſis tr.17. cit.diſp.6. ſect. 3. plures alios citans, & præſertim D. Thomam quodl. 11. a. ult. & D. Bonaventuram in. c. 19. Lucæ, & hanc fuiſſe conſtantem Seraphici Doctoris ſententiam probat ex verbis Capituli generalis Barchinonenſis ab ipſo relatis, idem probat ex Conſtitutionibus Ordinis Prædicatorum c. 18. lect.6. ubi ſic habetur. *Si quis autem tale quid extrà monaſterium commiſerit, frater qui cum eo eſt, ſtudeat ejus exceſſum Prælato quamtocyus corrigendum intimare*, ac tandem ex Conſtitutionibus antiquioribus in Regula S. Benedicti, ubi c. 32. habetur *Si quis alterum quacunque parte viderit quodcunque illicitum opere, vel ſermone facientem, & Priori diſtulerit publicare, cognoſcat ſe eſſe nutritorem peccati, & per omnia æqualem peccati.*

86 Hæc igitur ſententia probatur quoad primam partem, quod, ſcilicet, quando peccatum fratris eſt occultum, licitè, & honeſtè poteſt denunciari Prælato, tanquam patri non præmiſſa admonitione, ſi ſperatur brevior, & melior correctio, & major utilitas ſpiritualis illius, ac totius Religionis, probatur, inquam, quia ut dictum eſt art. præced. num. 80. ordo correctionis à Chriſto præſcriptus cadit ſub præcepto, quando ſpes eſt certa æquè profuturam monitionem fraternam, ac delationem Prælato immediatam, tunc enim non eſt licitum, etiam, ut patri, crimen occultum fratris antè præmiſſam monitionem deferre; ergò quandò per delationem Prælato immediatè factam ſperatur brevior, & melior correctio, major utilitas ſpiritualis ipſius fratris, ac totius Religonis, ordo correctionis à Chriſto præſcriptus non obligat, ſed peccatum fratris occultum poterit immediatè Prælato deferri, ut patri; ſed in Religionibus regulariter ita contingit, ergò in eis licitum erit revelare Prælato occultum fratris peccatum non præmiſſa correctione; minor ſub illata probatur, quia hac ratione quilibet Religioſus à peccato exteriori coram alio Religioſo facilius abſtinebit, & ſic toti Religioni tanto majus obvenit emolumentum, quantò minor eſt licètia peccandi, & Religio melius ſuum finem conſequetur, ut peccata etiam occulta, quæ perfectionem vitæ religioſæ valdè diminuunt, quantum fieri poteſt impediantur. Confirmatur quia perfectio charitatis hoc præſertim in Religionibus poſtulat, ut peccatum occultum fratris Prælato, tanquam patri immediatè deferatur, eo quia per hunc correctionis modum brevior, & melior correctio fratris ſperatur, & major utilitas ſpiritualis illius; etenim ut inquit Caſpenſis loc. cit. quomodo frater iuvenis in Religione, profeſſum antiquum corrigere, poterit? quam medicinam adhibebit? quomodo pericula, & occaſiones relapſus impediet? igitur non ſolùm quandò videt, quod ipſe neſcit, nec valet; tunc enim manifeſta eſt delationis obligatio, ſed etiam quandò melior, & utilior correctio à Prælato ſperatur, talis delatio licita erit, & honeſta.

87 Deindè probatur quoad ſecundam partem, quod, ſcilicet, quando frater non eſt plenè emendatus, & eſt probabile periculum relapſus, licitum eſt, & valdè expediens deferre peccatum occultum Superiori, ut patri, nulla præmiſſa monitione. Ratio eſt, quia ſi delictum vergat in damnum tertii, aut in detrimentum communitatis, licitum eſt immediatè deferre Prælato peccatum fratris quantumcunque occultum, ut omnes docent, & præſertim quando non eſt probabilis ſpes emendationis; quia bonum commune præferendum eſt particulari; hoc autem in Religioſis præſertim habet locum, qui ſe totos Religioni dedicarunt omnia ſua jura in eam transferentes, ac proindè fama religioſi potius eſt Religionis, quam ſua, undè ſi injuriam aliquam patitur, & per Judicem illam repellere expediat, & vindicare, hoc faciendum eſt nomine Monaſterii, & Religionis, non autem nomine ipſius, qui mortuus mundo reputatur, ut docent Canoniſtæ in cap. cùm dilectus de reſcripris; ergò commune Religionis bonum poſtulat, ut occulta peccata fratris immediatè Superiori denuncientur, ut patri, quando non eſt plenè emendatus, & eſt probabile periculum relapſus, quia pericula, & occaſiones peccandi vix ſine Superiore tolli poſſunt, nam defectu cognitionis potius eum frequenter conſtituet in occaſione peccandi committendo ei aliquod miniſterium, in quo major ei offertur peccandi occaſio, vel præbendo ei ſocium minus idoneum; ergo in tali caſu reſultat in majorem fratris utilitatem ſpiritualem, ut ejus peccatum occultum ſuperiori deferatur, magis enim ponderat bonum animæ quam famæ, ac etiam in commune bonum Religionis, cedunt enim peccata particularium in totius Religionis infamiam, quia ea delicta non ſolis delinquentibus tribuuntur, ſed toti Religioni, & cæteri Religioſi ſimiles reputantur, ut ait Auguſt. epiſt. 137.

88 Demum probatur etiam quoad tertiam partem hoc, ſcilicet, adhuc magis juſtè, & licitè fieri poſſe, ſuppoſita in fratre renunciatione juris propriæ famæ, nam ut rectè diſcurrit Amicus diſp. 32. ſect. 7. eatenus ordo correctionis à Chriſto præſcriptus obligat, quatenus debito juſtitiæ tenemur proximi famam in ſublevanda ipſius ſpirituali miſeria indemnem ſervare, quantum fieri poteſt; ſi ergo proximus ob majus ſuum bonum, vel alterius huic juri propriæ famæ cedat, ceſſat ordo correctionis à Chriſto præſcriptus obligare. Quod autem proximus huic juri cedere poſſit ab omnibus conceditur, ſivè enim homo ſit dominus, ſivè cuſtos propriæ famæ, ob majus ſuum bonum, vel alterius poteſt huic juri cedere, manifeſtando Prælato, ac etiam toti Eccleſiæ occultum ſuum peccatum ad majorem ſui humiliationem, & in ſpiritu profectum, ut fecit S. Aug. qui tredecim libros Confeſſionum ſcripſit, in quibus ſua peccata narrat; ergo poterit etiam quilibet alter ex ejus licentia, & conſenſu peccata ejus occulta manifeſtare Prælato juſtè, & licitè. Undè miror Poncium l. c. dicere, non poſſe aliquem in hoc cedere ſuo juri, & dare licentiam, ut alius particeps ſui criminis ipſum Superiori denunciet ſine prævia monitione ſecreta. Quia omnes Auctores oppoſitæ ſententiæ concedunt id licitè, & juſtè fieri poſſe, licet non expedire putent, & hoc præſertim concedit Bannes 2. 2.qu.33.a.8. dub.2. & probat, quia cùm unuſquiſque ſit dominus ſuæ famæ, licitum eſt illi pro ſuo bono ſpirituali illam amittere apud quem voluerit ſecluſo ſcandalo, hoc enim non eſt diſpenſare in præcepto evangelico, aut potius naturali ſervandi illum ordinem, ſed eſt mutare materiam præcepti, nam tota ratio illius ordinis eſt, ne fiat injuria corripiendo, infamando ipſum plus quam oportet, ut corrigatur, & emendetur, at verò volenti, & ſcienti non fit injuria, quoniam ipſe dominus eſt propriæ famæ. Quod etiam confirmat exemplo, nam quemadmodum qui commiſit homicidium ſecretiſſimum, poteſt ſeipſum in publico tribunali accuſare, eſſet tamen illicitum alteri hoc facere; ità etiam poterit alteri concedere, ut ſe accuſet; multò ergò magis poterit aliquis renunciare juri ſuo, quod habet, ut cùm illo ſervetur ordo correctionis fraternæ, ſed unicuique ſcienti ejus delictum licet ſtatim denunciare Prælato, præſertim tanquam patri.

89 Quod autem hoc in Religionibus non ſolùm ſit licitum, & honeſtum, ſed etiam expediens tùm bono publico Religionis, tùm etiam particularium, ſatis conſtat ex dictis, quia D. Bonaventura in prædicto Capitulo generali oppoſitum damnavit, tanquam Religioni perniciosùm, & regularis diſciplinæ deſtructivum; & ut refert Nicolaus de Orbellis loc.cit. Innocentius Tertius cap. Qualiter, & quando 2. de Accuſationibus dicit, quod circà perſonas regulares non eſt tanta neceſſitas ordinem correctionis obſervandi, ſicut circa ſæculares, quia facilius, & liberius à ſuis poſſint adminiſtrationibus amoveri ad tollendas peccandi occaſiones, & pericula recidivæ. Tùm quia commune bonum Religionis, ad quod præcipuè promovendum, & conſervandum hæc regula dirigitur, prævalere debet privato incommodo paucorum particularium, qui aliquam inquietudinis, & turbationis occaſionem ex illius obſervatione arripere poſſent, ex regula generali, quod bonum commune ſemper privato eſt præferendum. Tùm tandem, quia ut inquit Amicus lo.cit. per hunc ordinem non tam aufertur ordo ſecretæ correctionis fraternæ à Chriſto præſcriptus, quam commutetur in ordinem ſecretæ correctionis paternæ, cùm etiam in hac correctione occultè delinquens ſecretò corrigi debeat, & ſuaviter à Prælato, & nulli debeat delatum revelare, cùm finis talis paternæ correctionis ſit profectus in ſpiritu ipſorum ſubditorum, & bonum commune Religionis. Undè abſolutè loquendo hic ordo correptionis non eſt contra ordinem à Chriſto præſcriptum cùm enim ibi præcipit monitionem ſecretam præcedere debere delationem Prælato peccati occulti fratris, loquitur de delatione publica facta Prælato, ut judici, hoc enim indicant illa verba *Dic Eccleſiæ*, ut paſſim Patres exponunt, & Theologis omnes; non autem de denunciatione privata facta Prælato, tanquam patri; undè ex tali denunciatione non poteſt Prælatus procedere judicialiter contrà delinquentem, ac eum punire, ut Doctores communiter tenent, eſſet enim contra jus peccatum ſecretò manifeſtatum ad correctionem per pœnitentiam evulgare.

90 Ad fundamentum prioris ſententiæ dicendum eſt, præceptum de correctione fraterna à Chriſto traditum, ac ejus ordine ſervando eſſe affirmativum, atque ideò certas circumſtantias exigere, quibus deficientibus poteſt mutuari, ac interdum omninò præteriri, quarè ſicut poteſt omitti fraterna correctio, quando ejus delatio creditur magis profutura delinquenti. Ità etiam poterit prædicto modo mutari quando talis mutatio magis profutura ſperatur, ut evenit in ſtatu Religioſo;

so; Neque hoc est velle adducere aliud esse Evangelium pro Religiosis, ac pro laicis, quia ut modò dictum est, hic ordo correptionis, quem dicimus in Religionibus valdè utilem esse, absolutè loquendo non est contra ordinem à Christo præceptum, cùm enim præcipit monitionem secretam præcedere debere delationem Prælato peccati occulti fratris, non loquitur de denunciatione privata facta Prælato, tanquam Patri, sed de publica ipsi facta, tanquam Judici; & Innocentius Tertius lo. cit. declaravit non esse tantam necessitatem servandi ordinem correctionis à Christo præscriptum circà regulares, & religiosos, sicut circà sæculares. & ratio est, quia ut hic advertunt Surrianus, Caspensis, & alii, alius est finis boni publici in Republica sæculari, & alius Religionis, nam in illa hic finis intenditur, ut publicæ paci, & tranquilitati civium consulatur, quam sola delicta publica perturbant, atque ideò bonum Reipublicæ non postulat, ut peccata occulta Rectori sæculari immediatè deferantur; at finis religiosæ congregationis non tantùm est pax fratrum adinvicem, sed etiam perfectio, & exemplaris vita cujuscunque, & publicus Religionis honos, ac bonum nomen apud sęculum ad cujus finis consecutionem maximè confert, ut crimen occultum fratris licitè possit statim Superiori manifestari, hoc enim modo facilius quilibet religiosus abstinebit à peccato exteriori coram alio religioso, dùm minor est licentia peccandi, ex quo non solum Religioni maximum eveniet emolumentum, sed etiam cuilibet religioso in particulari, quia peccata etiam occulta perfectionem vitæ religiosæ maximè impediunt; & tandem in hoc sensu hic corrigendi modus potest dici melior, non simpliciter, & absolutè loquendo, sed respectu status religiosi, nam ut rectè discurrit Suar. *de Religione* lib. 10. c. 10. in statu religioso habere tantùm curam privatæ famæ fratris apud solùm Prælatum sine respectu ad majus bonum spirituale ipsius fratris, & sociorum, ac consequenter totius Religionis, non potest esse utilius ad majorem perfectionem, quæ est præcipuus finis religiosi status.

91 Ad confirmationem negandum est ex tali correctionis modo, & ex tali denunciatione secuturum esse majus malum Religionis, ac etiam subditorum, quod ibi asseritur, quia commune bonum totius Religionis, ad quod promovendum, & conservandum hic modus corrigendi dirigitur, privato incommodo paucorum prævalere debet, qui ex observatione illius aliquam inquietudinis, & turbationis occasionem arripere possent, dixi *paucorum*, quia in Religione, ubi regularis observantia viget, ut ait Amicus l. c. valdè rarò, & in pauciſſimis hujusmodi casus accidunt, ut propterea non sit timendum, ne major pars communitatis in executione hujus regulæ perturbetur, & pro eis expedit etiam cum aliqua animi turbatione hoc salubri fræno cohiberi. Neque ob id aperitur via latissima traducendi, & infamandi innocentem, nec datur facultas Superiori disponendi de subditis, prout ipsi placuerit nullam ob causam, si Prælatus sit qualis esse debet prudens, discretus, spirituali zelo, & dilectione suarum ovium præditus, omni passione semota, & servaturus secretum, ut suprà dictum est, si enim his conditionibus præditus fuerit, facilè discernere poterit, quando ei defertur peccatum occultum fratris, an hoc fiat ex passione, vel zelo, & diligentiam facere ad inquirendum, an verum sit relatum; undè per hanc regulam non aperitur via infamandi innocentem, quod si accusatus fuerit nocens, infamia quæ ex tali delatione sequitur Religioso, est valdè exigua, at proindè propter majus spirituale commodum tùm particularis, tùm totius Religionis, illa exigua infamia est postponenda, quæ facillimè etiam apud Prælatum recuperatur, si frater se emendare voluerit, & sufficientia media adhibere ad non reicidendum, debet enim bonus Prælatus compati infirmitatibus subditorum.

92 Ad ultimum negatur minor, quia ut constat ex dictis nu. 88. potest proximus ob majus suum, vel alterius bonum juri propriæ famæ cedere, & ad probationem in contrarium negatur rursus minor quod sic aperiretur via cuicunque malevolo calumniandi fratrem ex quacunque levi causa, hoc enim falsum est, ut constat ex modò dictis, neque nos dicimus ex quacunque levi causa licere peccatum fratris occultum deferre Prælato, sed tantùm peccata gravia, quandò sunt in præjudicium tertii, vel in perniciem communitatis, tunc enim bonum commune præferendum est bono famæ privati, ac etiam deferri debent ob spiritualem ejusdem peccantis utilitatem, nihil enim ita subditos à lapsibus continet, quam timor, ne in notitiam Prælatorum deveniant; licitum est ergò peccatum fratris occultum immediatè deferre Prælato, quandò corripiendus est contentus, ut Superiori statim significetur, ut est apud quosdam Religiosos, qui quoad hoc juri suo renunciarunt, hac enim juris cessione facta cessat ordo à Christo præscriptus obligare ad conservandam famam proximi in correptione fraterna; imò in tali casu hoc non solùm est licitum, sed etiam expediens, ut dictum est nu. 89. tùm ad majorem singulorum in spiritu profectum, tùm ad majorem cautelam, securitatem, & providentiam ergà commune bonum totius Religionis.

93 Sed Difficultas est an sine hujusmodi renunciatione juris propriæ famæ possit hæc constitutio esse justa, ac licita, eaque ad sui observantiam subditos obligare, etiam quandò per ordinem à Christo præscriptum speraretur fratris correctio, antequam Prælato denunciaretur, ut patri. Prima opinio negat id justum, ac licitum esse, & fundamentum est, quia jure naturali tenemur spiritualem proximi salutem procurare cum minori jactura famæ ipsius, quo fieri possit; ergò absque ipsius consensu nunquam licebit occultum ejus peccatum immediatè manifestare Prælato, etiam ut Patri, prætermisso ordine à Christo præscripto. Consequentia probatur, nam major jactura famæ est illum prodere apud Superiorem, qui eum punire potest, quàm apud alios. Ità Bannes, Valentia, & plures alii. Secunda opinio, & probabilior affirmat, imò addit teneri subditum Prælato præcipienti per obedientiam revelare peccatum fratris etiam correctum. Ità Astesanus, & Nicolaus de Orbellis lo. cit. cum Riccardo, Gualtero, Gulielmo de Mara, & aliis antiquioribus dicentibus, quod contrarium asserere foret regularis disciplinæ maximum detrimentum, & idem tenet Angelus verbo *Denunciatio*, & Amicus loc. cit. cum pluribus aliis, dicunt itaque in tali casu teneri subditum peccatum fratris occultum manifestare Prælato, non ut peccatum corrigatur, quia jam correctum supponitur, sed ut Prælatus subditum suum cognoscat juxtà illud Prov. 27. *Diligenter agnosce vultum pecoris tui, ut cognitum, prout indiget custodias in bono*; sicut enim vulnus corporis etiam curatum relinquit in corpore cicatricem, sic sunt nonnulla peccata, & ferè omnia, quæ etiam correcta relinquunt in eo, qui illa commisit, aliquam pronitatem ad illa iterum committenda; quia ergò Prælatus subditi pronitatem ad malum cognoscere, & ei cavere non potest nisi sciens peccatum fratris occultum ei manifestet, ideò Prælato id præcipienti revelare tenetur, utpotè illi, qui debet, potest, & vult ei prodesse. Ita etiam docet D. Benard. lib. *de disciplina*, & *præcepto* cap. 5. ubi ait, quod cura Prælati non est tantùm ad curandum subditum à peccato commisso, sed etiam ad præservandum à relapsu, hoc autem, inquit, non potest fieri, nisi peccatum correctum, ex quo est pronitas derelicta, cognoscat, nec cognoscere potest nisi per te, qui solus nosti; ergò teneris illud dicere, & manifestare, & ob bonum fratris, & propter officium Prælati, quod debet exequi, & etiam propter bonum obedientiæ ex parte tui.

94 Addit etiam Riccardus 4. d. 19. q. 3. a. 1. quod talis denunciatio non est in præjudicium famæ fratris, si Prælatus sit talis, qualis esse debet, alioquin si per signa valdè probabilia timeretur, quod ex illa denunciatione fratrem correctum infamare vellet, tunc crimen occultum fratris jam verè correctum Prælato denunciari non debet. Fundamentum igitur assertionis nostræ est, quod in casu proposito peccatum fratris occultum etiam correctum Prælato per obedientiam præcipienti debet revelari, quia non solùm per correctionem debet provideri fratri, ut à peccato corrigatur; sed etiam ut à recidiva reservetur, hoc autem efficacius fit per paternam monitionem Superioris; ergo &c. Ex his patet, quid dicendum sit ad fundamentum oppositæ sententiæ, eatenus enim jure naturali tenemur juxtà Christi præscriptum spirituali proximi saluti consulere cum minori famæ jactura, quo fieri potest, quatenus hoc non impedit majus bonum, cujusmodi est bonum totius Religionis, & præservatio ipsius fratris à relapsu, quod bonum futurum speratur per immediatam denunciationem ad Superiorem, tanquam ad partè. Neque ut advertit Amic. lo. cit. quando Christus ordinem præscripsit in fraterna correctione regulariter servādum, prohibuit, ne alius ordo servari posset, si ex eo juxtà occurrentes circumstantias majus bonum speraretur, ut evenit in casu nostro. Sicut cùm per Ecclesiam præscripsit, ut peccata semel subiiciantur clavibus, non prohibuit, quin per aliquam legem licitè possint eadem peccata semel confessa iterum clavibus subiici, ut in quibusdam Religionibus observari solet satis laudabiliter.

QUÆSTIO QUARTA.

De vitiis Charitati oppositis.

95 HIC non est sermo de vitiis quomodocunque Charitati oppositis, sic enim omnia sunt ei opposita, & contraria, siquidem per quodlibet peccatum mortale charitas amittitur, ut dictum est l. 2. sent. disp. 6. q. 6. sed de iis, quæ ex speciali sua ratione

tione particularem habent cum charitate oppositionem; quamvis autem plura à Theologis enumerari soleant D. Th. q. 34. & seq. nempe Odium, Invidia, Acedia, Discordia, Contentio, Schisma, Bellum, Rixa, Seditio, & Scandalum; quatuor tamen sunt principalia, quæ præcipuè charitati opponuntur, & ad quæ reliqua revocari possunt, scilicet, Odium, Invidia, Discordia, Scandalum, de quibus hic specialiter agemus addendo aliqua de bello, & duello, quæ ad discordiam reducuntur.

ARTICULUS PRIMUS.

De Odio, Invidia, Discordia, & Scandalo.

96 PRimum vitium primò, & principaliter charitati oppositum est odium, quod opponitur amori, & dilectioni, qui est principalis & præcipuis, charitatis actus, & dividitur in odium Dei & proximi; de odio Dei intelligitur illud Num. 10. Surge Domine, & dissipentur inimici tui, & fugiant qui oderunt te, & Joan. 15. Oderunt me, & Patrem meum. De odio proximi Levit. 19. Non oderis fratrem tuum in corde tuo, & 1. Jo. 2. Qui odit fratrem suum in tenebris est. Quamvis enim Deus, ut apprehenditur in seipso, non possit esse objectum odii, quia ut dicit Dionysius 4. de divinis nominibus. *Omnibus amabile est primum bonum*, odiri tamen potest à perversis secundum quod apprehenditur, ut auctor aliquorum effectuum, qui eorum inordinatæ voluntati repugnant, cujusmodi sunt prohibitio peccatorum, & inflictio pœnarum, ut notat Astesanus noster l. 2. tit. 62. art. 6. quod anteà docuit etiam Scotus 2. d. 6. q. 2. in calce art. 1. lit. N. ubi movens dubium, an quis possit appetere Deum non esse, & illum odio habere, quia nihil potest esse objectum nolitionis nisi sub ratione mali, in Deo autem nulla apparet ratio mali, respondet quod odium non est respectu Dei in se nec respectu justitiæ ejus, sed quantum ad effectum appropriatum perfectioni suæ justitiæ, & juxtà hunc sensum exponit illud psal. 75. *Superbia eorum, qui te oderunt, ascendit semper*, non ad Deum in se, nec ad ejus justitiam in ratione perfectionis simpliciter, sed in ratione vindicatricis, volendo, scilicet, justitiam ejus non esse vindicantem, & sic nolunt justitiam ejus quantum ad effectum vindicandi. Addit etiam Astes. quod odium Dei est maximum peccatorum. & ratio est, quia in odio Dei voluntas creata avertitur à Deo, [illegible] secundum se, in aliis autem peccatis avertitur à Deo, non secundum se, sed secundum aliud, scilicet, inquantum appetit aliquam inordinatam dilectionem, quæ habet aversionem à Deo annexam; quam doctrinam adducit etiam Bon. q. 4. cit. pun. ult. §. 1. tanquam communem omnium Recentiorum, & addit odium Dei esse peccatum adeò grave, ut non possit esse veniale ob pravitatem materiæ. & ratio est, quia quodlibet odium Dei summæ bonitati Dei maximè repugnat, qui summè bonus est, nec in ipsum ulla ratio mali cadere potest; tum quia sicut mortaliter peccat, qui Deo fidem non præstat in quolibet fidei articulo etiam minimo, ita etiam qui vult aliquod malum Deo etiam minimum mortaliter peccare videtur; & idem docet ex nostris Vulpes disp. 67. art. 2.

97 Deindè odium quoque proximi est peccatum mortale, cum opponatur charitati, ut ait Astes. loc. cit. sicut enim virtute charitatis Deum, & proximum diligimus, ità actibus charitati oppositis homo Deum, & proximum detestatur, & ideò loc. cit. Joan. dicitur *Qui odit fratrem suum, in tenebris est*, scilicet spiritualibus, quæ sunt peccata. Duplex autem esse potest odium proximi ex D. Tho. lo. cit. abominationis, scilicet, & inimicitiæ; odium abominationis est alienatio, & aversio voluntatis à proximo propter aliquod malum, quod in eo concipimus; odium verò inimicitiæ est illud, quo malum aliquod proximo volumus. Utrumque odium ex genere suo est mortale, nam directè charitati adversatur, eamque tollere potest, peccatum, autem, quod per se charitatem destruit, ex genere suo est mortale; undè si quis v. g. proximum suum aversetur, & abominetur, quatenus homo, vel quatenus Christianus est, item si aliquod grave malum illi optet, quatenus illi malum est; mortaliter peccat juxtà illud 1. Joan. 3. *omnis, qui odit fratrem suum homicida est*. Quamvis autem peccatum hoc ex genere suo sit mortale, ut dictum est, potest tamen fieri veniale ob imperfectum animi consensum, seù ex defectu deliberationis, vel ob materiæ levitatem, ut si quis leve malum alicui optet, vel si levem erga proximum displicentiam, aut modicam quandam aversionem habeat; imò nullum esset peccatum, si quis peccatorem odio haberet, non quatenus homo est, sed quatenus peccator, id est, si ejus peccatum abominaretur juxtà illud Psal. *Iniquos odio habui*, vel si aliquod malum illi desideraret, non quatenus ejus malum est, sed quatenus ad destructionem peccati, ac ejus conversionem conferre potest, ut patet ex superius dictis de obligatione dilectionis proximo. An verò odium proximi sit gravius peccatum aliis, quæ in proximum committuntur, respondet Astesanus loc. cit. esse gravissimum omnium peccatorum, quæ in proximum committuntur quantum ad voluntatis deordinationem, licet ea, quæ committuntur exterius sint graviora quantum ad proximi læsionem, ut homicidium, & furtum, nam illud peccatum est majus per ordinem ad damnum proximi, & ejus læsionem, quod majus damnum infert, alia autem peccata exteriora majus damnum inferunt, & ita etiam discurrit Bon. loc. cit. cum pluribus aliis Recentioribus ab ipso citatis; quæ tota doctrina est etiam de mente Scoti pluribus in locis, ut Vulpes ostendit disp. 67. cit. art. 3. & 4.

98 Secundum vitium charitati oppositum est invidia, quæ est inordinata tristitia, qua quis dolet de bono proximi, non quatenus bonum illius est, sed quatenus videtur diminuere proprium honorem, & excellentiam, ut si propterea doleas de doctrina alterius, quia obscurare videtur, vel diminuere existimationem tuæ doctrinæ, undè objectum hujus tristitiæ est proprium malum, & bonum alterius, quatenus propriæ gloriæ diminutivum, & hæc tristitia est propriè invidia, & est ex genere suo peccatum mortale, cùm charitati repugnet, quia dolet de bono proximi, de quo charitas gaudet; dicitur autem ex genere suo esse peccatum mortale, quia esse potest peccatum veniale tantùm ob imperfectionem consensus, & non plenam advertentiam, ac etiam ob materiæ parvitatem, ut in parvulis contingere solet, qui de levibus aliorum puerorum bonis tristitiam capere solent. Ità Divus Tho. q. 36. art. 1. & Astesanus noster tit. 63. art. 3. ubi etiam notat pluribus modis contingere posse, ut quis tristetur de bono proximi, quos posteà distinctius recenset Toletus lib. 8. cap. 63. Abellius de quarto Decalogi præcepto §. quinto, & plures alii; potest enim aliquis de bono alterius tristari, inquantum deest ei bonum illud quod alter habet, ut quãdo quis videns hominem doctum tristatur, non quia doctus sit, sed quia ipse pari doctrina non sit præditus, & hæc tristitia propriè dicitur zelus, & æmulatio, ut dicit Arist. 2. Rhetor. & si sit de bonis honestis est licita, & laudabilis juxtà illud 2. Corint. 12. *Æmulamini charismata meliora*, ut si quis videns hominem pœnitentem zelo ferventem tristetur, non de illius bono, sed ex eo, quod se virtutibus hujusmodi videat destitutum; si autem talis æmulatio sit de bonis temporalibus, potest esse cum peccato, & sine peccato; si enim sit de temporalibus bonis, quæ ad nullum honestum finem referantur, tunc erit mala, vel indifferens ratione motivi, undè orietur.

99 Rursus potest aliquis de bono alterius tristari, quia eum tali bono indicat indignum, quæ quidem tristitia, ut ait Arist. l. c. est de temporalibus bonis, quæ quidem bona, vel mala esse potest juxtà motiva, ex quibus concipitur; si enim aliquis tristetur, quod aliquis iniquus, & sceleatus dignitatem aliquam sit consecutus, ut interdum evenire solet, quia indignus est, & rationabiliter creditur abusurus, non peccat, quia ex honesto motivo oritur hæc tristitia; si verò ex aliquod pravo affectu judicet alium tali bono indignum, & ideò tristetur, peccatum committit grave, vel leve pro ratione gravitatis, vel levitatis ipsius materiæ. Item potest quis tristari de electione alicujus ad aliquam dignitatem, eo quod sibi timet aliquod damnum indè venturum, & in tali casu distinguendum est, quia si damnum illud injustè sibi inferendum rationabiliter vereatur, nullum erit peccatum; si autem justè, ut si fur, aut sicarius tristetur de electione viri integerrimi in Judicem, à quo scelerum suorum punitionem, & vindictam sibi metuit, malè faceret, & peccaret, quamvis enim ipsum malum timere liceat, non tamen licitum est ob hunc timorem displicere, & tristari de bono illius, sicut neque liceret ob id illum tali bono privare. Addit tandem Astesanus l. c. ex Divo Gregor. 31. Moral. quod quinque sunt filiæ Invidiæ, scilicet, odium jam descriptum, Susurratio, qua, scilicet, quis diminuit gloriam alterius in occulto. Detractio, qua quis illam diminuit manifestè, & in publico, Gaudium, & exultatio in adversis proximi; & afflictio in prosperis ejus, quas etiam recenset Toletus loc cit. cap. 67. ex quo deducit Vulpes disp. 69. artic. ult. cum Scoto 2. d. 7. quæst. 2. invidiam inter septem capitalia vitia recenseri, quia ex ipsa tanquam ex capite, enumerata peccata originem ducunt. Ità & D. Tho. l. c. Bannes, Lorca, Turrianus, Reginaldus, Valentia, Bonac. & alii Recentiores passim.

100 Tertium vitium charitati oppositum est discordia, quæ est dissensio voluntatis à voluntate proximi circa aliquod bonum, in quo tenetur quis consentire, ut si à proximo dissentias suadente opera charitatis. Ità D. Th. q. 37. art. 1. opponitur autem concordiæ, seù paci, quæ est effectus charitatis, hoc autem dupliciter contingere potest, ut Astesanus advertit tit. 64. art. 2. uno modo per se, ut cùm quis à bono proximi in quo consentire debet, dissentit scienter, & ex intentione, & hoc est peccatum mortale ex suo genere propter contrarietatem, quam habet ad charitatem, ex qua concordia causatur, undè ad Galat. 5. Dissen-

siones

siones ponuntur inter opera carnis, de quibus subditur ibi: *Qui talia agunt regnum Dei non consequentur*, primi tamen motus hujus discordiæ propter actus imperfectionem peccata sunt venialia. Alio modo per accidens, ut quando aliqui intendunt aliquod bonum pertinens ad honorem Dei, vel utilitatem proximi, sed unus existimat hoc esse bonum, & alius non; & tunc discordia est per accidens contra bonum proximi, ut fuit inter Barnabam, & Paulum Acto. 15. quod pertinebat ad defectum humanum, & tunc discordia non est peccatum, nec repugnat charitati, nisi sit cum errore circa necessaria ad salutem, vel nisi sit cum indebita pertinacia.

101 Ad discordiam autem reducuntur alia plura vitia charitati, & paci opposita, ut Astesanus, & Abellius Advertunt loco cit. si enim discordia sit circa veritatem, quam quis cum alteratione verborum impugnat, vocatur Contentio, & si veritas illa, quæ impugnatur, divinum honorem spectet, aut morum rectitudinem, vel notabilem proximi utilitatem est peccatum mortale, & si discordia illa, ac voluntatis dissensio eo usque procedat, ut quis seipsum ab unitate Ecclesiæ sejungat, & ejus capiti visibili subesse nolit, scilicet, Romano Pontifici dicitur Schisma, estque gravissimum mortale peccatum. Si ad discordiam animorum accedat etiam armorum violentia, qua proximo nocumenta aliqua in bonis fortunæ, vel corporis injustè inferantur, & hoc fiat ex aliqua publica auctoritate, vocatur Bellum; si autem hoc non fiat ex publica auctoritate, sed potius ex inordinata voluntate, & inter personas privatas dicitur Rixa, rixæ namque sunt, quando homines ex ira se percutiunt, & ideò rixa videtur esse quoddam bellum privatum, quod agitur inter personas privatas, non ex aliqua publica auctoritate, sed magis ex inordinata voluntate, & ideò semper est peccatum, & in invadente injustè est mortale, in defendente verò se, quandoque potest esse sine peccato, ut si solo animo repellendi injuriam illatam se defendat, & cum moderamine inculpatæ tutelæ, undè nec rixa propriè dici potest ex parte ejus; quandoque tamen fit cum peccato, ut si fiat animo vindictæ, vel odii, vel etiam immoderatè se defendat. Seditio tandem, ut ait Astesanus art. 5. importat quandam contradictionem, & discordiam, & in hoc convenit cum bello, & rixa, sed differt ab eis in duobus. Primò quia illa important mutuam impugnationem in actu, seditio autem potest dici, sivè hujusmodi impugnatio fiat in actu, sivè sit præparatio ad talem pugnam; secundò quia bellum propriè fit contrà extraneos, & hostes quasi multitudinis ad multitudinem; rixa autem est unius ad unum, vel paucorum ad paucos; seditio verò propriè est inter partes multitudinis unius inter se dissentientes, ut cùm una pars civitatis excitatur ad tumultum contra aliam. Differt autem à Schismate, quia Schisma opponitur spirituali unitati multitudinis, scilicet, Ecclesiasticæ, & importat tantùm spiritualem dissensionem. Seditio verò opponitur unitati multitudinis temporali, vel sæculari, & importat etiam præparationem ad pugnam corporalem. Est tandem seditio peccatum mortale ex suo genere, undè 2. Corinth. prohibentur seditiones inter illa, quæ sunt peccata mortalia, & tantò est gravius, quantò bonum commune, quod impugnatur per seditionem, est majus bonum, quam bonum privatum, quod impugnatur per rixam. Ità discurrit Astesanus loco cit.

102 Quartum denique vitium charitati oppositum est scandalum, quod ut se tenet ex parte scandalizantis sic passim definiri solet ex D. Thoma quæst. 43. art. 1. est dictum, vel factum minus rectum præbens alteri occasionem ruinæ, quam definitionem etiam ità communiter declarant, quod dicitur *dictum, vel factum*, quia interiores actus, cùm aliis noti non sint, illis nocere non possunt. Additur deindè *minus rectum*, ut significetur posse aliquando scandalum oriri ex aliquo dicto, vel facto, quod non sit ex se malum, sed quod habeat tantùm speciem mali, ut si justa de causa, & cum dispensatione coram aliis eam ignorantibus carnes comedas die vetito. Additur tandem, *præbens alteri occasionem ruinæ*, non verò causam, eo quod propriè loquendo humana voluntas à nulla causa efficaciter induci potest ad peccandum, sed solummodo veluti oblata occasione in illud sponte consentiat, & propter hoc appositè non dicitur dans causam ruinæ, sed dans occasionem ruinę, quod causam imperfectam significat. Cæterum quamvis hæc scandali definitio sit communiter recepta, non tamen sufficiens videtur, & undequaque perfecta, & ratio est, quia non solùm dictum, vel factum contrà præceptum negativum, sed etiam omissio dicti, vel facti contra affirmativum præbet occasionem ruinæ, ut notat Scot. 4. d. 3. q. 4. lit. M. ubi ait, eo tempore quo præcepta affirmativa sunt adimplenda, tunc omissio illorum est scandalosa præbens occasionem ruinæ, sicut commissio contra præcepta negativa semper, & pro semper implenda; undè omissio publica audiendi sacrum in die festo est ita scandalizativa, sicut in eo exercere opus servile, & nemo negabit omissionem confessionis fidei catholicæ in casu, quando oportet illam exterius protestari esse scandalosam, & aliis fidelibus occasionem ruinæ præbere; quarè scandalum, ut integrè, & adæquatè describatur, definiri debet, quod sit *dictum, vel factum, vel omissum, minus rectum præbens aliis occasionem ruinæ*, quia non minus est aptum præbere occasionem ruinæ dictum, vel factum minus rectum, quam omissio præcepti affirmativi hic, & nunc obligantis, ut etiam notavit Vulpes disp. 76. art. 1.

103 Dividitur autem scandalum in activum, & passivum, ut docent D. Thomas, & Scotus loc. cit. activum jam descriptum se tenet ex parte scandalizantis, passivum verò ex parte scandalizati, & utrumque est duplex; nam dictum, vel factum alterius potest esse occasio peccandi alteri dupliciter, ut docet Astesanus tit. 68. a. 1. uno modo per se, alio modo per accidens; per se quidem, quandò aliquis suo malo verbo, vel facto intendit alium ad peccatum inducere; vel etiamsi hoc non intendat, ipsum tamen dictum, vel factum est tale, quod sui natura est inductivum ad peccandum, & hoc vocatur scandalum activum per se. Per accidens verò verbum, vel factum unius est alteri causa peccandi, quando præter conditionem, & naturam operis, ac etiam præter intentionem operantis aliquis malè dispositus ex hujusmodi opere inducitur ad peccandum, & tunc qui facit hujusmodi actum rectum non dat occasionem, quantum est in se, sed alius occasionem sumit iuxtà illud Rom. 7. *Occasione autem accepta &c.* Scandalum passivum est ipsa spiritualis ruina ejus, qui scandalizatur, & hoc dividitur in scandalum datum, quod oritur ex scandalo, activo per se; & in scandalum acceptum, quod correspondet scandalo activo per accidens; nam qui inordinatè aliquid dicit, vel facit, dat alteri occasionem peccandi; qui autem benè operatur, non dat alteri occasionem peccandi, sed alter accipit, ex quo patet, quod scandalum passivum quandoque esse potest sine activo, ut si quis ex dicto, vel facto alterius, quod ex se ad peccandum nulla ratione est inductivum, occasionem ruinæ, & scandali ob voluntatis ejus pravitatem accipiat, quale fuit scandalum Pharisæorum ex verbis Christi acceptum, potest etiam interdum scandalum activum esse sine passivo, ut siquis aliquem conetur inducere ad peccandum, nec ille consentire velit. Ità docet Astes. loc. cit. ex D. Th. Riccard. & Alensis.

104 Denique tria quæri solent de scandalo. Primò an utrumque scandalum tam activum, quàm passivum, sit peccatum. Secundò an utrumque sit peccatum speciale. Tertiò an utrumque sit mortale, de quibus agit Astesanus l. c. art. 2. Quoad primum dicendum est utrumque scandalum tam activum, quam passivum semper esse peccatum, loquendo tamen de scandalo activo per se, quia activum per accidens non est propriè scandalum, ut patet ex dictis. Quod autem utrumque sit peccatum constat ex eorum definitione, quia scandalum activum est dictum, vel factum, vel omissum minus rectum præbens alteri occasionem peccandi, quæ duæ ultimæ particulæ insinuant aliquam malitiam semper esse in scandalo activo; scandalum autem passivum, ut diximus, nil aliud est, quam peccatum ejus qui scandalizatur. Quoad secundum dicendum est scandalum passivum non esse speciale peccatum, quia ex dicto, vel facto alicujus aliquem ruere contingit secundum quodcunque genus peccati, neque hoc, quod est occasionem sumere peccandi ex dicto, vel facto alterius specialem rationem peccati constituit, quia non importat specialem deformitatem speciali virtuti oppositam, & ideò opus non est, ut qui peccatum aliquod commisit, in confessione declaret se ab alio ad id inductum fuisse. Scandalum autem activum est peccatum speciale præcepto correptionis fraternæ oppositum, ac proindè in confessione declarandum, præsertim quandò quis deliberatè alterum ad peccandum induxit. Quod si præter intentionem ejus id accidat, an in tali casu sit in confessione declarandum dissensio est inter DD. nam Cajet. Vasq. Sanch. Bec. Bon. Caspensis, & alii negant in eo casu scandalum activum esse peccatum speciale, & in confessione aperiendum. Alii tamen probabilius affirmant, ut Major, Sylvester Nav. Valentia, Abellus, & alii, undè qui advertit aliquod dictum, vel factum suum minus rectum posse alium ad peccandum inducere, nec tamen ob id ab illo dicto, vel facto desistit, debet secundum hos DD. circumstantiam illam in confessione declarare, si mortale fuit peccatum illud, cujus occasionè præbuit.

105 Quoad tertium tandem dicendum est, utrumque scandalum tam activum, quam passivum, aliquando esse peccatum mortale, aliquando veniale; scandalum activum mortale est, vel veniale, secundum rationem dicti, vel facti, vel omissi, quo præbetur alteri occasio ruinæ, vel secundum intentionem illius, qui hujusmodi occasionem præbet, passivum verò mortale, vel veniale est pro qualitate criminis, in quod quis propter dictum, vel factum alterius impingit, quod tamen de scandalo activo ordinariè, & regulariter intelligendum est, na m

duplex

duplex fieri potest exceptio, ut Becanus advertit cap.27.qu. 2. in fine. Una si quis peccet mortaliter coram viris perfectis, qui non facilè scandalizantur, vel etiam coram malis, qui alioqui per se parati sunt peccare, tunc enim scandalum non est mortale, licet peccatum, cui circumstantia scandali est annexa, sit mortale. Altera si quis venialiter peccet coram talibus personis, quas probabile est accepturas esse occasionem peccandi mortaliter, tunc enim scandalum est mortale, ut si Religiosus verbum proferat jocosum coram fœminis, quæ occasionem peccati mortalis indè arripere possent; vel adolescens mulierem conjugatam alloquatur, & verbum proferat amatorium coram marito valdè zelotypo, ex quo probabiliter sequerentur inter illos jurgia, & dissensiones.

ARTICULUS SECUNDUS.

De Bello, & Duello.

106 PRimò conveniunt Catholici omnes contrà nonnullos Hæreticos, ut notat Astesanus ex nostris l.2.tit. 64.a.7. bellum non solùm defensivum, quod, scilicet, solius defensionis causa suscipitur, sed etiam offensivum, seù aggressivum, quod ad vindicandum, seù compensandam injuriam infertur, esse licitum, & honestum, si concurrant conditiones requisitæ, & hoc est de fide expressum in Sacra Scriptura, sæpè enim jussit Deus bella fieri, ut Num.25. *Locutusque est Dominus ad Moysen dicens, hostes vos sentiant Medianitæ* & 1. Reg. 15. *Vade, & percute Amalec, & demolire universa ejus;* idque ex professo docet D. Aug. l. 2. contra Manichæos oppositum sentientes, nam explicans illud Mat.25.ab eis objectum *Omnis qui acceperit gladium gladio peribit*, inquit, ille accipit gladium, qui nulla superiori, aut legitima potestate jubente, vel concedente in sanguinem alicujus armatur, qui verò ex auctoritate Principis, vel Judicis, si sit persona privata, vel ex zelo justitiæ imperiali, quasi ex auctoritate Dei, si sit persona publica, gladio utitur, non ipse gladium accipit, sed ab alio sibi commisso utitur, undè ei pœna non debetur. Hoc etiam ipsamet ratio naturalis suadet, nam bellum vel est defensivum, vel offensivum, si defensivum, constat ex natura sua licitum esse, nam unicuique jure naturæ licitum est, vim sibi injustè illatam vi repellere, quod si hoc licet homini privato de jure naturæ, tantò magis Principi id licebit, vel Reipublicæ. Si offensivum, tunc etiam licitum est ob eandem rationem, si enim privatus homo potest litem indicere adversario suo vel injuriarum actionem per viam juris, hoc idem facere poterit Princeps, vel Respublica per viam belli, quando via juris non est sufficiens, alioquin publica injuria Principi, vel Reipublicæ illata nunquam resarciri posset, vel vindicari, & sic nulla Respublica tuta esse posset, nec publica justitia, & indemnitas custodiri, quod est absurdum. Ità etiam discurrit Vulpes disp. 73. art. 1.

107 Secundò conveniunt DD. conditiones ad bellum justum requisitas tres præsertim esse. Prima est legitima auctoritas. Secunda justa causa. Tertia recta intentio, quibus deficientibus, vel altera illarum bellum est illicitum, & eo gravius peccatum, quo graviora per illud damna proximo inferuntur, Ita D. Tho.q.40.a.4 & Astesanus noster lo.c. & quidem si prima desit, vel secunda conditio, non solùm charitati, sed etiam justitiæ contrarium est cum onere restitutionis, si sola tertia desit ut idem notat l. 1. tit.20.a.1.non est contrarium justitiæ, sed charitati, ut etiam Becanus advertit. c. 25.q. 1. ex Bellarm. l. de Laicis c. 15. Primò ergò requiritur legitima auctoritas, quæ solùm residet in Principe, vel Republica, quæ Superiorem non recognoscit, quoniam ad supremum tantùm Principem spectat universali bono totius Regni prospicere, ac providere, quod quidem de bello offensivo intelligendum est; de bello namque defensivo alia est ratio, cum cuilibet à natura concessum sit jus se defendendi, & injurias propulsandi; quarè Respublica supremam auctoritatem non habens, & Principes Superiorem habentes in temporalibus, non habent auctoritatem inferendi bellum propter injuriam illatam, possunt enim jus petere à Superiore suo, siquidem quoad hoc se habent, ut persona privata, quæ ob hanc causam bellum indicere non potest. Secundò requiritur justa causa, seù justus bellandi titulus, hæc autem generatim loquendo est injuria Principi, vel Reipublicæ illata, vel inferenda, quæ gravis esse debet, ut tanta pœna puniatur, cujusmodi esset ad regnum recuperandum, ad propulsandam notabilem injuriam Principi, ac Reipublicæ factam, ad reprimendos subditos injustè contrà Principem rebellantes, & similia, ut indicat D. Aug. l. 83. q. ubi ait, quod justa bella solent definiri, quæ ulciscuntur injurias; sic gens, vel civitas plectenda est, quæ vel vindicare neglexit, quod à suis improbè factum est, vel reddere, quod per injuriam ablatum est; alias etiam causas speciales justitiæ belli recensent Astesanus, & Becanus lo. c. Casp. d. 7. sect. 1. & alii Recentiores passim, quæ apud ipsos videri possunt, & Poncium ex nostris d. 33. q.2. debent autem hujusmodi causæ esse certæ, ac Principi exploratæ, ut diximus in superioribus d.3.de Justitia, & jure q. 3.art.2.in fine, ac propterea ad eas examinandas peritos advocare tenetur, nec in dubio bellum justum indicere potest, quia cum bellum sit gravissima pœna, quam unum Regnum, vel Respublica alteri infert, non potest in dubio illud inferre juxtà regulam juris in 6. *Cùm sunt partium jura obscura, reo favendum est potius, quàm actori*, & hoc intelligendum est de dubio propriè dicto, quando, scilicet, Judex in neutram partem inclinare potest pro veritate causæ. Tertia tandem conditio est recta intentio bellantium, undè D. Aug. lib. de verbis Domini ait. Apud veros Dei cultores etiam bella perpetrata sunt, qui non cupiditate, aut crudelitate, sed pacis studio gerunt, ut mali coerceantur, & boni subleventur. Quod quamvis ità sit, non debent tamen subditi de intentione Principis judicare, sufficit enim, ut illis manifestè non constet de injustitia belli; imò quamvis ipsi dubitent, an bellum sit justum, possunt, ac etiam interdum debent, quandò ipsis à Principe ità præcipitur, pro illo militare, ut docet idem August. lib.22.contrà Faustum cap. 75.

108 Tertiò addit ulterius quartam conditionem Astesanus loc.cit. ex Raymundo, & Rodonensi, quam pro tertia recensèt Casp. loc.cit. scilicet, debitus & moderatus modus, hoc est, ut in eo debitus servetur modus, tam initio belli, quàm in prosecutione illius antè partam victoriam, & etiam post victoriam partam. Hoc autem in tribus consistit. Primò, quod ante bellum inchoatum, examinata justa illius causa, debet parti adversæ eam proponere, ac condignam satisfactionem petere, quam si pars adversa offerat, tenetur Princeps acceptare, & à bello desistere, etiamsi inchoatum esset, quia ab eo tempore cessat jus inferendi bellum. Cùm enim bellum, non voluntate, sed sola necessitate suscipiatur, si debita, ac condigna satisfactio offeratur, eo ipso necessitas bellandi cessat. Deindè si compensationem debitam pars adversa facere recusèt, tunc bellum justè inchoari poterit, & toto eo tempore Principi licitum est, & ex ejus mandato Ducibus, & militibus inferre hostibus omnia mala, & damna, quæ ad debitam satisfactionem, & compensationem necessaria judicantur, & ea prosequi, donec sit sibi satisfactum secundum conscientiam suam; ultrà hoc autem nihil accipere debent, nisi propter immanitatem criminis pars adversa omnibus bonis privari meruerit, ut propter hæresim, vel crimen læsæ majestatis. Denique requiritur, ut in his malis hostibus inferendis, quæ ad compensationem faciendam, & victoriam comparandam necessaria judicantur, non lædantur illi, qui in nullo præstant adversariis suis auxilium, movens enim justum bellum, potest tantum suum lædere adversarium, ac etiam ejus vassallos, & subditos, ac complices, non autem alios, extrà de *offic. deleg.* cap. 1. Ex quo infertur licitè occidi posse omnes nocentes, ac rebelles tum in ipso pugnæ congressu, quàm potest partam victoriam; si eorum mors ad vindicandam injuriam, & pacem, ac securitatem firmandam necessaria judicetur; nisi forte sub promissione vitæ se dederint, tunc enim pactum est servandum; innocentes autem, quales sunt jure naturali pueri ac mulieres; & quales sunt etiam jure positivo Ecclesiastici, Monachi, & Religiosi, directè, & per se occidi non possunt, sicut etiam neque hospites, & peregrini, hi enim inter hostes recenseri non debent, cùm sint exteri, & alieni, nisi constet ipsos quoque arma sumpsisse, & esse belli socios; appositè autem dictum est, directè, & per se occidi non posse, quia per accidens, & præter intentionem aliquando possunt occidi, sæpè.n.in obsidione Civitatum innocentes sùt ità cùm nocentibus immisti, ut hi expugnari, & superari nequeant, nisi cum innocentium occisione, ut in civitatum incendiis contingere solet, & arcium eversione, ut Doctores, communiter docent, de quo plura Poncius d. 33. q. 5.

109 Quartò conveniunt Doctores bellum ex utraque parte posse esse injustum, ut si una pars injustam causam faveat, & altera legitima potestate indicendi bellum non habeat, conveniunt etiam bona injusto bello capta esse restitutioni obnoxia de quoniam diximus disp. præced. quæst. 5. a. 2. Difficultas tamen est, an bellum ex utraque parte possit esse justum, & licitum; negativè respondet Azorius 3.part.lib.2.c.7.q.2.& 4. cum Victoria in relec. de jure belli num. 38. secluså tamen omni ignorantia. Communior tamen sententia cum distinctione procedit, quam breviter declarat Becanus loc.cit.q. 7. quod tribus modis bellum potest esse justum; vel materialiter tantùm, quandò, scilicet, bellum est justum ex parte rei, non tamen in conscientia gerentis, ut si bellum gerens à parte rei justam habeat causam, quam tamen se habere non putat; vel formaliter tantùm, quandò, scilicet, è contrà bellum est justum in conscientia gerenti s, quia prudenter, & practicè justam causam se habere judi-

judicat, non tamen ea parte rei, quia revera eam non habet; vel utroque modo simul, quando, scilicet, & habet justam causam à parte rei, ac etiam in conscientia, quia prudenter & practicè judicat se eam habere, itaut si contrarium judicaret, bellum non assumeret, nec prosequeretur. Hac distinctione præmissa dicendum est bellum non posse esse justum materialiter ex utraque parte, nam fieri non potest, quod uterque Princeps, inter quos est bellum, justam causam foveat à parte rei, quia res vel competit uni vel alteri; formaliter tamen potest esse justum ex utraque parte vel ex ignorantia invincibili, vel ex opinione probabili, quam quisque sequi potest, ut si uterque princeps, inter quos bellum versatur, bona fide procedat, & re diligenter examinata nullam injustitiam ex parte sua reperiat, etiamsi ex alterutra parte si aliquid occultæ injustitiæ, quæ ipsum lateat. Ità Covarr. Molina, Bannes, Valentia, Sanchez, Stephanus à S. Gregorio, & alii passim. Hic tamen advertenda est regula à nobis tradita lib. 2. sent. disp. 5. q. 3. art. 1. n. 145. *de Conscientia probabili*, ex Scoto 4. d. 15. q. 2. ar. 1. quomodo Rex gerere se debeat ad bellum inferendum pro regno consequendo, nam si alter occupat tyrannicè regnum ad se pertinens, nolitque illud restituere, affirmat Doctor posse illi justum bellum indicere, directè quidem ad acquirendum sibi regnum injustè ab alio occupatum, & indirectè ad necandos sibi obsistentes; quandò verò clarè non constat regnum ab uno occupatum de jure ad alterum pertinere, sed pro utraque parte sunt rationes probabiles, in hoc casu, cùm agatur de re valdè gravi, & sequatur nimis grave damnum in præjudicium tertii, tenetur Rex sequi tutiorem, & probabiliorem opinionem ex obligatione charitatis, quam ergà proximum habere tenemur.

110 Quintò est Difficultas, An in bello liceat uti insidiis. Respondet Astesanus loc. cit. art. 7. in fine licere aliquo modo in bello justo insidiis uti, insidiæ enim ordinantur ad fallendos hostes, dupliciter autem potest quis ex dicto, vel facto alterius falli, uno modo ex hoc, quod dicitur ei falsum, vel non servatur ei promissum, & hoc nunquam licet, undè hoc modo, nullus debet fallere hostes, sunt enim quædam jura bellorum, & fœdera etiam inter ipsos hostes servanda, ut dicit Ambrosius lib. *de officiis*. Alio modo ex eo, quod non aperitur ei propositum, hoc autem non tenetur semper homo facere, unde Dominus jussit Josue insidias ponere habitatoribus Hai, ut habetur Josue 8. & hujusmodi insidiæ non dicuntur propriè fraudes, nec repugnant justitiæ, nec voluntati ordinatæ, esset enim inordinata voluntas, si quis vellet sibi nihil ab aliis occultari. Ità discurrit Astesanus loc. cit. & hoc etiam docuit Scotus ipse 3. d. 38. q. un. in solutione principalium sub lit. I. ubi affirmat in bellando contrà quemcumque oportere fidem servare, adeout infidelitas, vel mendacium cujuscunque Christiani in bello etiam contrà infidelem damnatur, subdit tamen licere aliquibus cautelis uti quæ per se veritati non repugnent, nec mendacium includant, undè non veretur opinari ex hoc capite moraliter peccasse Judith dolosè accedentem ad necem Holofernis, factum tamen ejus ait in Scriptura narrari, & in Ecclesia, tanquam laudabile recitari, ut notat Vulpes disp. cit. ar. 3. quantum ad aliqua, quæ erant ibi religiositatis, alia tamen annexa nec laudantur, nec probantur. Et hæc est communis opinio Recentiorum, nulla facta mentione antiquorum, à quibus eam acceperunt, dicunt enim quod non licet in bello uti insidiis, quæ consistunt in mendaciis, vel in non servando fidem, & promissionem, cùm sint intrinsecè malæ; licere tamen uti insidiis mendacium, & perfidiam non includentibus. & ratio est, quia non tenemur hosti nostra consilia patefacere, ut se muniat, & sibi caveat, atque ideò aliquid contrà illum moliri possumus, de quo ipse non cogitaverat, & hujusmodi insidiis contrà illum uti possumus, ut constat ex exemplis ex Scriptura adductis, & hoc etiam docet bellum gerentium usus, quia nemo dictis, vel factis consilia sua hostibus aperire tenetur, undè præsertim iis insidiis uti licebit, quæ in occultandis consiliis consistunt, ne ad hostes perveniant, vel ne ea cognoscant, quæ ad pugnam præparantur. Ità Azorius, Sylvester, Becanus, Stephanus à S. Greg. & alii passim ex D. Thom. quæst. 40. art. 3. Quæri etiam solet, an in diebus festis bellare liceat ad justam offensionem, vel defensionem. Cui dubio breviter etiam affirmativè respondet Astesanus loc. cit. quia observatio festorum non impedit ea, quæ ordinantur ad hominum salutem etiam corporalem, undè Dominus arguit Judæos Joan. 7. dicens *Mihi indignamini, quia totum hominem sanum feci in Sabbato*, multò magis autem conservanda est salus Reipublicæ, quàm salus corporalis unius hominis; ergò pro defensione Reipublicæ fidelium licet justa bella exercere in diebus festivis, si tamen hoc necessitas posceret, aliàs non, ut habetur 23. quæst. 8. *si nulla*.

111 Sextò est Difficultas. Quibus sit licitum militare, & conveniunt Doctores in bello justo omnes pugnare posse, & adjuvare, nisi eis sit specialiter prohibitum, cùm in tali casu actionem honestam exerceant. Jure tamen positivo prohibitum est bellum omnibus Clericis in majoribus ordinibus constitutus, & propria manu pugnare 23. q. 8. hortatu. Per quod tamen non prohibetur, ut Astesanus advertit loc. cit. Clericos disponere posse, & inducere alios ad bellandum justa bella contrà hostes fidei, & religiosè excitare, ac hortari ad fortiter pugnandum, & ad victoriam obtinendam; non enim interdicitur eis bellare, quia sit peccatum, sed quia eos tale exercitium non decet; in persona enim propria debent uti armis spiritualibus, ut sunt salubres admonitiones, devotæ orationes, & similia juxtà illud 2. Corinth. 10. *Arma militiæ nostræ non sunt carnalia, sed spiritualia*. Excipiuntur tamen aliqui casus, in quibus licitum est eis pugnare non obstante Ecclesiastica prohibitione, quando nimirum id necessarium esset ad propriam vitam tuendam, vel defensionem patriæ, & Reipublicæ, in his enim casibus non solùm licitè pugnare possunt, sed etiam ad id tenentur. Dubium tamen est, an in his casibus irregularitatem incurrant, si aliquem occidunt. Affirmant aliqui cum Navarro in summa cap. 27. & fundamentum est stylus curiæ Romanæ, ubi irregularis judicatur Clericus, qui aliquem occidit in defensionem Reipublicæ. Negant alii, & probabilius cum Molina disp. 109. Caspensi loc. cit. pluribus aliis. & ratio est, quia sicut irregularitas non incurritur propter defensionem propriæ vitæ, ut omnes concedunt; ità multò minus pro defensione Reipublicæ simpliciter necessaria. Nec obstat stylus Romanæ curiæ, quia ut præfati Auctores advertunt sæpè dispensatio postulari solet ad majorem securitatem, & propter opinionem magis tutam. Quæri etiam solet, an quandò bellum est justum, liceat Principi Christiano in auxilium suum infideles vocare ad militandum, & conveniunt Doctores per se, & formaliter loquendo hoc illicitum non esse; benè tamen ex accidenti interdum esse posse illicitum, ut quando periculum esset infectionis fidelium, sæpè enim infideles plura faciunt ex quibus maxima detrimenta fidelibus contingere solent, ut Caspensis advertit loc. cit. cum pluribus aliis.

112 Postremò, quod spectat ad duellum, de quo tractat Astesanus lib. 1. tit. 27. hoc est duorum, vel subindè etiam plurium singulare certamen, quod ex condicto, uno indicente, & altero acceptante suscipitur, itaut id non sit vitam defendere, sed periculo exponere; undè duellum propriè loquendo est pugna inter duos ex condictio suscepta, hoc est, designando arma, tempus, & locum; quarè ut Caspensis advertit disp. 7. cit. sect. 2. quando duo sibi accurrentes, aut simul consistentes casu aliquo, aborta occasione inter se pugnant, non est propriè duellum, nec incurrunt pœnas in duellantes statutas; undè ad duellum necessariò requiritur, ut pugna sit ex pacto præterito, sivè ex deliberatione, per quam condicta sint locus, & tempus, quarè si duo inter se pugnent ex aliqua accidentali occasione, & non ex pacto præcedenti, jam non est duellum, sed rixa, ut suprà dictum est; solet autem aliquando duellum fieri cum certa solemnitate, datis nimirum fidejussoribus, & adhibitis sponsoribus, seù patrinis, qua ratione dicitur hoc duellum solemne, seù publicum; aliquandò autem fit sine hujusmodi cæremoniis, & hoc dicitur à Græcis Monomachia, ut Astesanus notat, quasi unica, & singularis pugna, seù singulare certamen, & dicitur singulare, non quia inter duos solos fiat, sed quia initur auctoritate privata. An autem duellum aliquandò sit licitum, pendet ex causa, ob quam duellum suscipitur, si enim nulla sit legitima causa, semper est illicitum, & intrinsecè malum, quia ut dictum est, id non est vitam defendere, sed manifesto periculo eam exponere, ac proindè justa causa semper est attendenda, ut licitum dici possit. Hoc autem generatim loquendo solùm in duplici casu licitum esse posse Doctores communiter asserunt. Primò quando quis videt se injustè occidendum, nisi duellum acceptet, tunc enim illud acceptare licet, si quis v. g. aliàs te occisurus concedat arma, ut sic fortunam experiaris, quia talis acceptatio in isto casu est tantùm defensio, supposito, quod aliter evadere non possis. Secundò quando commune bonum id postulat, ut quando Princeps, qui bellum justum gerit, videt se impartem esse, ac probabiliter succumbere timet, nisi bellum mutet in duellum; in tali enim casu non tantùm illud acceptare licet, sed etiam offerre ad servandam æstimationem exercitus apud hostem, vel ad terminandum bellum cum minore damno, nam in tali casu cessat malitia duelli, & duellum succedit loco belli, quamvis enim duellans in periculum mortis se coniiciat; hoc tamen facit ex sufficientissima causa, quia per periculum privatæ mortis vult totum exercitum liberare à majori periculo publicæ cladis, ac internecionis. Ità Cajetanus, Valentia, Sanchez, Becanus, Caspensis, & alii passim, & Nicolaus de Orbellis ex nostris 4. d. 25. q. 9.

113 Extra autem hos casus Doctores communiter asserunt duellum

duellum esse illicitum, undè dicunt non esse licitum offerre, nec acceptare duellum ad ostendendas vires proprias, & dexteritatem in armis, quod inter equites fieri solet ad singulare certamen in arenam descendentes. Neque ad indagandam veritatem, vel justitiam, vel purgationem objecti criminis, aut litem terminandam, quia duellum est fallax, & superstitiosum medium ad talem finem, cùm etiam innocens homicidium facere, & pati possit. Neque pro sola defensione bonorum temporalium, quia in duello vita utriusque partis periculo exponitur, non ex necessitate, sed ex condicto: at non licet ex condicto pro sola rerum externarum defensione vitam utriusque tali periculo exponere, cùm vita utriusque majoris sit momenti, quàm res alterius externæ; tùm quia sunt alia media ad hunc finem consequendum aptiora, nimirum per simplicem defensionem extrà duellum, vel per viam juris illum accusando de injuria, & per sententiam Judicis ad restitutionem compellendo. Neque ad defensionem proprii honoris, & ignominiam evitandam, quia apud bonos, & prudentes homo honorem non amittit, imò nec apud alios, si provocanti dicat, se eum non æstimare dignum, cum quo congrediatur contrà leges divinas, & humanas; interim iturum se in dies per vias suas, paratumque semper fore, & nunc esse contrà quemvis invasorem se tueri, nolle tamen ex condicto duellum acceptare, quia divinæ legi contrarium est, in his inquam casibus communis sententia docet illicitum esse duellum, quamvis aliqui dixerint in duobus ultimis licitum esse, scilicet, ad defensionem proprii honoris, & ob defensionem bonorum temporalium magni momenti, qui tamen communiter eiiciuntur ob rationes illatas; de quo videri potest Arriaga disp. 49. sec. 2.

114 Denique cum duellum tam jure civili, quàm canonico sit prohibitum, ut videri potest apud Juristas, & Canonistas, variæ pœnæ sunt constitutæ in eos, qui illicitum duellum suscipiunt, sivè illud obtulerint, sivè acceptaverint, & aliæ quidem sunt constitutæ jure antiquo, quæ apud Astesanum videri possunt loc. cit. aliæ verò jure novo, tùm à Concil. Trid. sess. 25. cap. 19. de Reformatione, tùm à pluribus Pontificibus Pio IV. Gregorio XIII. & Clemente VIII. quarum summa hæc est, ut refert Becanus c. 26. q. 8. Primò excommunicantur omnes, qui duellum exercent. 2. excommunicantur Imperatores, Reges, Duces, & Domini, qui in suis locis facultatem faciunt duelli, ac etiam privantur dominio eorum locorum, in quibus fit duellum, vel permittur. 3. excommunicantur omnes, qui præbent consilium, favorem, auxilium ad duellum, & qui præsentes adstant, vel interfunt. 4. ipsi pugnantes non solum excommunicantur, sed etiam omnibus bonis privantur, ac etiam ecclesiastica sepultura, si in duello moriantur. 5. tandem Clerici præter excommunicationem etiam dignitatibus privantur, beneficiis, & officiis Ecclesiasticis, si aliquod modo ad duellum cooperentur; circà quas pœnas hoc advertendum est excommunicationem ipso facto incurri, ut constat ex illis verbis *eo ipso sunt excommunicati*; aliæ verò omnes pœnæ præter pœnam excommunicationis, & interdicti requirunt Judicis sententiam, ut incurrantur, quia natura harum censurarum est talis, ut Judicis sententiam non requirant, quandò sunt latæ sententiæ, & idem de pœna irregularitatis dicendum est, quia ità usu receptum est, aliæ verò pœnæ sententiam Judicis requirunt. Ità Salon. Arragon. Corduba, Caspensis, Sanchez, Stephanus à S. Gregorio, & alii communiter; & hæ pœnæ non intelliguntur tantùm de duellis publicis, ut minus rectè putavit Hurtadus cum quibusdam aliis, quia Gregorio XIII. eas expressè extendit etiam ad privata sine patrinis, & aliis cæremoniis. Hìc etiam occasione duelli agi solet de Torneamentis, de quibus etiam videri potest Astesanus lib. 1. tit. 28. & breviter dicendum est cum Poncio disput. 33. cit. quæst. 7. in fine, ea esse illicita, in quibus incurritur ordinariè manifestum vitæ periculum, ob quod prohibitum est duellum, hoc enim præferri debet cuicunque horum exercitiorum emolumento; secus autem de aliis, in quibus per accidens tantùm, & rarò tale periculum incurritur, & nota prædictas pœnas tam à provocantibus, quàm acceptantibus duellum incurri etiam effectu non secuto, ut ex dictis Bullis colligitur, & ex consueto stylo sacræ Pœnitentiariæ.

DISPUTATIO UNDECIMA
DE LEGIS DIVINÆ,
SEU DECALOGI PRÆCEPTIS.

1 DECLARATIS in præcedenti disputatione Virtutum Theologicarum præceptis, quæ sunt veluti præambula Decalogi, quandoquidem Fides, Spes, & Charitas sunt præcipua illius fundamenta, nisi enim in Deum per fidem credamus, ipsum colere nequaquam possumus, cultum autem ejusmodi educat Spes, firmatque Charitas; in præsenti disputatione de præceptis Decalogi agendum est; nomine autem Decalogi lex divina positiva significatur decem præcepta complectens, quorum tria priora Deum, ideoque in prima tabula tria sunt præcepta ad Deum spectantia, dicunturque præcepta primæ tabulæ, alia verò septem posteriora proximum respiciunt, & dicuntur præcepta secundæ tabulæ; quæ quidem Decalogi præcepta fuerunt à Christo Domino, tanquam summo legislatore, non solùm innovata, & promulgata, ut pluribus Evangelii locis colligitur, sed etiam magis explicita, & ampliata, prout Evangelicæ legis major perfectio postulabat; itaquod primò agemus de his præceptis in communi; deindè de singulis in particulari.

QUÆSTIO PRIMA.

De Præceptis Decalogi in communi.

2 DEcalogi præcepta sunt decem, & in duabus tabulis distributa, ut constat cap. 20. & 31. Exodi, Deuteronom. 4. & 10. tria in prima, & septem in secunda. & ratio est, quia cùm hæc præcepta maximè ex charitate pendeant, ità esse debent distributa, sicut postulat charitatis ordo; charitas autem prius est ad Deum spectantia, posterius verò tendit in proximum, idcircò secunda tabula debet reliqua continere præcepta, quæ sunt ad proximum; quorum præceptorum violatio est peccatum mortale ex genere suo, nisi parvitas materiæ, vel inadvertentia à mortali excusèt; quæritur ergò an hæc præcepta sint de jure naturæ, & à Deo indispensabilia, de quo in hac quæstione breviter agemus, & qualis, ac quanta eorum obligatio.

ARTICULUS PRIMUS.

An Præcepta Decalogi sint de lege naturæ, ac indispensabilia.

5 PRimò hic supponendum est cum D. Aug. q. 140. super Exod. Decalogum, in quo divinæ legis præcepta continentur, esse omnium legum Epitomen absolutissimam, ut ipse loquitur summamque omnium in illo expressam esse, quæ cuilibet Christiano agenda sunt, ut Concilium Colonienſe declarat in Enchiridio Christianæ institutionis, ità ut si ejus præcepta bene intelligantur, ut omnia in eis contenta, sufficientissima sint ad omnes actus humanos tam exteriores, quam interiores rectè ordinandos, ac dirigendos; omnia enim præcepta moralia reducuntur ad præcepta Decalogi, ut Astesanus noster ostendit lib. 1. tit. 3. art. 2. ex D. Aug. de decem chordis, ubi loquens de primo præcepto legis naturæ, scilicet, quod est bonum est ordinatè diligendum, & de præcepto dilectionis Dei, ac proximi dicit, quod illud unum præceptum continet illa duo, & illa duo continent illa decem, & illa decem continent omnia. Rursus ait D. Bonaventura 3 dist. 37. art. 1. quæst. 1. quod decebat verba Decalogi tradi per modum obligationis, & præcepti, tùm quia sic decebat divinam æquitatem, & majestatem dare

dare regulam justitiæ, ut nullo modo liceret homini eam impunè transgredi; tùm quia hoc nobis expediebat, ut scilicet, homo obligatus obediret, & sic in merito proficeret, & ad majorem gloriam perveniret. Undè sequitur omnia quæ fiunt contrà aliquod horum præceptorum esse peccata mortalia, nisi levitas materiæ in aliquibus excusèt, non enim semper, & in omnibus excusat, nam falsum juramentum etiam in levi materia est mortale, aut deliberationis defectus, plena enim deliberatio ad peccatum mortale requiritur, ut, scilicet, in nostra sit potestate facere illud, & non facere, cùm autem est semiplena, nec integra sit veniale, ut Toletus advertit lib. 4. cap. 12.

4 Secundò, Hoc supposito quæritur in præsenti, an hæc obligatio sit talis, & tanta, ut omnia Decalogi præcepta sint de lege naturæ, ac indispensabilia, de qua quæstione fusè agunt Theologi 3. d. 37. & præsertim Scotus noster ibidem q. un. quamvis autem de hoc magna sit contentio inter Thomistas, & Scotistas, ut videri potest apud Aretinum 3. d. 37. q. un. & Fabrum disp. 48. de Restit. cap. 5. breviter tamen resolvitur ex dictis suprà disp. 2. de Legibus q. 2. art. 3. ubi egimus de invariabilitate, & immutabilitate legis naturalis, & descendendo ad præcepta Decalogi disservimus, an omnia sint de lege naturæ, ac indispensabilia, tresque retulimus opiniones, duas extremas & tertiam mediam. Prima extrema est Nominalium, affirmantium Deum in omnibus dispensare posse, etiamsi sint de lege naturæ. Secunda extrema est Thomistarum id absolutè negantium. Tertia tandem media est Scotistarum cum Scoto loc. cit. 3. d. 37. q. un. §. *Ad quæstionem* ubi cum distinctione procedit, & inquit aliqua posse dici esse de jure naturæ dupliciter, uno modo tanquam prima principia practica nota ex terminis, vel conclusiones necessariò sequentes ex eis, & hæc dicuntur strictissimè esse de lege naturæ, & subdit quod talia non sunt quæcunque præcepta secundæ tabulæ, quia rationes eorum, quæ ibi præcipiuntur, vel prohibentur, non sunt principia practica simpliciter necessaria, nec conclusiones simpliciter necessariæ, non enim in his, quæ præcipiuntur ibi, est bonitas necessaria ad bonitatem ultimi finis convertens ad finem ultimum, nec in his, quæ prohibentur, est malitia necessariò avertens à fine, ultimo, quin si bonum istud non esset præceptum, possit finis ultimus amari, & attingi, & si illud malum non esset prohibitum, staret, cum eo acquisitio finis ultimi. De præceptis autem primæ tabulæ subdit aliter esse dicendum, quia illa immediatè Deum respiciunt pro objecto, si intelligantur esse tantùm negativa, primum, scilicet, *Non habebis Deos alienos*, secundum: *Non assumes nomen Dei tui in vanum*, ideſt, non facies Deo tuo irreverentiam, & ista duo strictè sunt de lege naturæ, quia sequitur necessariò, si Deus est, est amandus, ut Deus, nec alius est colendus tanquam Deus, nec Deo est facienda irreverentia, tertium autem præceptum, quod est de Sabbato, ait esse affirmativum, tanquam ad exibendum aliquem cultum Deo determinato tempore, & quantum ad determinationem hujus temporis, vel illius inquit non esse de lege naturæ strictè loquendo, sed tantùm indeterminatè, & vagè. Alio modo dicuntur esse aliqua de lege naturæ, quia sunt multum consona illi legi, licet non sequantur necessariò ex principiis practicis, quæ sunt nota ex terminis, & omni intellectui apprehendenti sunt necessariò nota, & hoc modo inquit Doctor, omnia præcepta Decalogi etiam secundæ tabulæ esse de lege naturæ, quia eorum rectitudo valdè consonat principiis practicis necessariò notis, quod etiam repetit, & confirmat 4. d. 33. qu. 1. lit. G. undè concludit non omnia præcepta secundæ tabulæ esse de lege naturæ strictè loquendo, sed tantùm largè, benè tamen duo prima primæ tabulæ, licet sit aliquod dubium de tertio.

5 Tertiò ex hac doctrina infert Doctor, in præceptis primæ tabulæ, quæ sunt de lege naturæ strictè loquendo, non posse Deum dispensare, ut aliquis licitè facere possit oppositum talis prohibiti. & ratio est, quam assignavimus, & fusè confirmavimus lib. 2. sent. disp. 6. *de Peccatis* q. 3. art. 1. concl. 2. quia in his actibus qui dici solent intrinsecè mali, ut sunt odium Dei, Blasphemia, mendacium, & similes, malitia moralis non ità ex lege lata attendi debet, quasi possint à Deo dispensari, ut benè fiant, in his verò, quæ sunt de lege naturæ fusè, ut sunt plura præcepta secundæ tabulæ, ait Doctor utique dispensationem Dei cadere posse, quia talia bonitatem non habent necessariam, & ex objecto seù ex primis principiis necessariò sequentem, sed contingentem, quod Doctor sub lit. E. declarat exemplo divisionis bonorum, quæ non est de lege naturæ strictè, quamvis sit ei valde conformis, nam supposito isto principio juris positivi, pacificè esse vivendum in communitate, vel politia, ex hoc non sequitur necessariò, igitur quilibet debet habere possessionem distinctam à possessione alterius, posset enim stare pax in conveniendo, etiamsi omnia essent communia, sicut fuit in statu innocentiæ. Ità etiam in proposito discurrit Astesanus ex nostris lib. 1. tit. 3. art. 5. ubi ait in præceptis Decalogi ex primo principio legis naturæ necessariò, & immutabiliter sequentibus Deum dispensare non posse, in aliquibus autem aliis mandatis ex primo principio legis naturæ sequentibus, non tamen ità immutabiliter, quin in paucioribus propter aliqua circumstantias particulares contingere possit, ut eorum observatio esset secundum legem naturæ, sed magis contrà non potest dispensatio locum habere, ut patet in præcepto de reddendo depositum petenti, quod depositum si quis redderet, quando esset in notabile præjudicium ipsius petentis, & Reipublicæ, non faceret secundum legem naturæ, sed magis contrà, quia talis redditio perturbaret ordinem rationis, quem æterna lex, & naturalis jubent inviolabiliter observari. Ità etiam discurrit ex nostris Monsregalis trac. 2. cap. 4.

6 Quartò ex hoc deducitur, ut etiam dicebamus loco citato hanc controversiam, quam adeò fusè pertractant Thomistæ, & Scotistæ, si benè perpendatur esse quæstionem de solo nomine, & modo loquendi, ut etiam Faber fatetur loc. cit. & Arriaga disp. 8. sec. 3. siquidem omnes agnoscunt hanc differentiam inter præcepta legis naturæ, quod aliqua simpliciter, & absolutè loquendo semper obligant positis quibuscunque circumstantiis, undè nunquam eorum obligatio cessat, & talia præcepta dicunt esse illa, quibus odium Dei prohibetur, idolatria, blasphemia, perjurium, mendacium, & alii actus intrinsecè mali, hæc enim in ullo casu, & positis quibuscunque circumstantiis nunquam sunt licita. Quædam verò alia præcepta non simpliciter, & absolutè obligant, sed sub certis, ac determinatis circumstantiis, quibus manentibus semper obligant, si verò mutentur, non obligant, ut patet de præceptis non furandi, & non occidendi, nam extrà casum extremæ necessitatis nunquam aliena rapere licet, in tali verò casu licet, sicut etiam extrà casum necessariæ defensionis, & propria auctoritate hominum interficere non licet, & concurrentibus his circumstantiis semper est prohibitum, his verè cessantibus cessat quoque talis præcepti obligatio. In hoc inquam, omnes conveniunt, & solùm discrepant, ut dictum est loc. cit. quod Scotistæ hanc de obligationem per mutationem circumstantiarum dispensationem vocant, alii verò negant in tali casu mutationis circumstantiarum legis dispensationem intervenire, quia ad dispensationem propriè dicta requiritur, quod ille actus, qui cum talibus circumstantiis erat prohibitus, aliàs non sit prohibitus, sed licitus cum ejusdem, ex sola Superioris voluntate extrinseca talem prohibitionem auferentis, undè quandò intervenit mutatio materiæ, & circumstantiarum, ratione cujus mutationis jam actus ille non amplius sub præcepto continetur, ut est in tali casu nostro, hæc dici non debet legis dispensatio propriè loquendo, sed potius pura legis cessatio, non enim est, nisi mutatio materiæ, & circumstantiarum, & quidem propriè loquendo de dispensatione juxtà explicationem ejus loco citato à nobis datam, quam etiam diximus esse de mente Doct. d. 37. cit. sub lit. A. Hic posterior loquendi modus magis placet, quem etiam peritiores Scotistæ sequuntur, ut Bassol. 3. d. 37. Astes. l. c. & alii, quarè cum Doct. l. c. inquit Deum in quibusdam præceptis secundæ tabulæ dispensare posse, loquitur, de dispensatione impropriè dicta, & accipit dispensationem, ut comprehendit non tantum juris relaxationem seù revocationem, sed etiam ut extenditur ad juris declarationem, & prout materiæ mutationem denotat, vel circumstantiarum, quæ propriè dicitur legis cessatio, ut patet eum legenti §. *Sed istæ*. Ex quibus denique constat hanc contentionem de possibilitate dispensationis quorundam præceptorum Decalogi esse solùm de nomine, & de modo loquendi, in re autem omnes convenire.

7 Quintò tandem hac ratione negavimus loco cit. non solùm cum Thomistis, sed etiam Scotistis allegatis propriè dispensatum fuisse cum Abrahamo, ut filium suum occidere posset, cum Osea, ut posset fornicari, & cum Israelitis, ut vasa Ægyptiorum furari possent, quia per illud præceptum, *Non occides*, prohibetur secundum intentionem prohibentis occisio hominis auctoritate propria, & sine rationabili causa, modò quando Deus præcepit Abrahæ, quod filium suum occideret Gen. 22. per tale præceptum dispensatus non fuit in occisione filii, non enim fuit illi concessum, ut privata sua auctoritate illum occideret, sed ut id faceret auctoritate Dei, qui est dominus vitæ, & mortis, illi offerret. Neque cum Oseæ præcepit, ut faceret filios fornificationis, dispensavit cum eo, ut faceret contrà illud præceptum, *Non mœchaberis*, non enim ei concessit, ut ad mulierem fornicariam accederet affectu fornicario, & antè matrimonium contractum, sed ei jussit, ut sibi matrimonio fœminam illam copularet, & ad eam accederet ex mandato Dei factam suam, quæ aliàs fornicaria fuerat, & ex ea filios, ut ex vera conjunge generaret, ut explicant D. Aug. lib. 22. contra Faustum cap. 80. & D. Hieron. in cap. 2. Oseæ. Nec tandem, quandò

præce-

præcepit Israelitis, quod asportarent res Ægyptiorum, præcepit eis furtum, se quod res illas, quas Dominus omnium transtulerat in jus eorum propter malitiam Ægyptiorum, & propter servitutem, quam à filiis Israel receperant, asportarent secum, in nullo igitur horum casuum dispensavit Deus in lege naturali, aut aliquo ejus præcepto, loquendo de dispensatione propriè dicta, sed solùm impropriè, & fusè sumpta, quæ consistit in aliqua mutatione materiæ, & circumstantiarum, & in prædictis casibus propriè dispensatum non fuisse in lege naturali tenet etiam ex nostris Vulpes disp. 5. art. 9. & expresè docet ipse Scotus d. 37. cit. in fine, ubi ait, ad illud quod tangebatur in primo argumento de filiis Israel spoliantibus Ægyptios potest dici quod ibi non dispensavit contrà præceptum de furto, quia ipsi non acceperunt simpliciter alienum, tùm quia Deus erat Superior dominus, & potuit transferre dominium illarum rerum in eos etiam invitis inferioribus dominis, & hoc modo non peccavit Christus licentians in porcos intrare Dæmones, qui statim præcipitati sunt in mare, non enim injustè privavit illos porcis suis, tùm etiam quia filii Israel serviendo Ægyptii, meruerunt tanta recipere, licet Ægyptii nollent ea reddere, & tunc per superiorem Judicem potuerunt compelli, de cujus licentia filii Israel potuerunt justè, ac licitè recipere. Ità Doctor discurrit l. c. ex quo deduci potest ipsum ità sensisse, non tantùm de hoc ultimo casu de Israelitis Ægyptiorum vasa diripientibus, sed etiam de duobus aliis præcedentibus, scilicet, de Abrahamo, ut filium suum occidere posset, & de Osea, ut posset fornicari, undè sine sufficienti fundamento Faber disp. 48. cit. cap. 5. adeò mordicus contendit in prædictis casibus interveniisse dispensationem propriè dictam. Ex dictis tandem infertur à fortiori tantò minus ulla potestate humana etiam Pontificia posse dispensari in præceptis expressis Decalogi loquendo de dispensatione propriè dicta, ut etiam l. c. ostendimus.

8 Postremò est difficultas, an tertium Decalogi præceptum sit de lege naturæ strictè loquendo, quia de duobus primis nullum est dubium, ut constat ex dictis. Hanc difficultatem movet Doctor l. c. lit. D. §. *Tertium præceptum*, & inquit, quod exhibitio cultus latriæ, quæ in hoc præcepto mandatur, & est quid morale, est de lege naturæ strictè, quia quoad hunc actum necessariam habet connexionem cum duobus primis, quantùm verò ad temporis determinationem exhibendi talem cultum actu exteriori, v. g. id die Sabbati quoad legem veterem, vel in die Dominica, ut in Evangelica, non est de lege naturæ, sed pro tunc erat præceptum positivum legis Mosaicæ, & nunc est præceptum positivum Ecclesiæ, & ratio est, quia si cultus Deo exhibendus, qui hoc mandato præcipitur esset de lege naturæ strictè quoad tempus determinatum, scilicet, pro septima die, non potuisset commutari dies Sabbati in diem Dominicam, quia quæ sunt de lege naturæ strictè sunt immutabilia, & penitus indispensabilia. Rursus præceptum de sanctificatione Sabbati quoad prohibitionem operis servilis non est de lege naturæ strictè, quia Deus in hoc interdum dispensavit, ut patet in Exodo, tùm quia opera servilia in tali die non prohibentur, nisi per accidens, quatenus, scilicet, hominem à cultu divino retrahunt, & impediunt, sed potest esse, quod opus servile cultum divinum non impediat. Denique insinuat Doctor, quod licet hoc præceptum divini cultus non sit de lege naturæ quantum ad determinationem hujus, vel illius temporis, est tamen de lege naturæ pro aliquo tempore indeterminatè, & vagè. & ratio est, quia ut hic advertunt Almainus, & Aretinus, & alii Scotistæ, ex præcepto negativo, non habebis Deos alienos, in quo prohibetur cultus falsis Diis exibendus, concluditur necessariò Deum verum esse diligendum, & colendum, quo autem tempore actus hic sit eliciendus, & exercendus, discurrendum est eodem modo, quo diximus disp. præced. q. 2. art. 1. n. 49. de præcepto charitatis ergà Deum, & conveniunt omnes tunc præsertim exercendum esse, quando aliquis per tentationis impulsum moveretur ad non adorandum Deum.

ARTICULUS SECUNDUS.

An præcepta Decalogi obligent ad opera formata.

9 OPera nostra dicuntur formata per charitatem, quæ est forma omnium virtutum, undè sensus quæsiti est, an hæc præcepta impleri possint extra statum charitatis, licet non sit meritoria talis impletio, nisi cum charitate, quæ dicitur finis, & modus præceptorum quoad eorum impletionem, & licet sit communis Doctorum sententia posse hæc præcepta adimpleri quoad substantiam sine charitate, non tamen quoad modum, ut docet Toletus lo. cit. tamen ad majorem hujus materiæ notitiam exactius hoc quæsitum tractat D. Bonaventura d. 27. a. 1. q. 3. ubi tres refert opiniones, seù dicendi modos, duos quidem extremos, tertium verò veluti medium, quem ipse ut veriorem, & probabiliorem amplectitur, & declarat.

10 Primus igitur dicendi modus est aliquorum dicentium, mandata Decalogi obligare ad opera formata, obligatione tamen præcepti affirmativi, non præcepti negativi, obligatio enim præcepti negativi est semper & ad semper, obligatio verò præcepti affirmativi, quamvis sit semper, non tamen ad semper, sed pro loco, & tempore, propterea dixerunt, quod mandata Decalogi obligant hominem ad opera formata pro eo tempore quo habet charitatem, & gratiam, tunc enim potestatem habet exeundi in opera meritoria, & tenetur benè uti gratia accepta. Probantur primò ex illo Deuter. 16. *justè, quod justum est exequaris*, ex quo colligitur, quod legislator non solùm præcepit justitiam in facto, sed etiam justitiam in modo, opus autem, quod est justum in facto, & modo est opus formatum; ergò per mandata legis obligatur homo ad opera formata.

Confirmatur ex illo Matth. 10. *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata*, observatio igitur mandatorum Decalogi introducit ad vitam, sed nemo introducitur ad vitam per aliqua opera, nisi fiant ex charitate, & talia sunt opera formata; cùm ergò per legem obligemur ad præcepta Decalogi servanda, videtur quod per eandem obligemur ad opera formata. Demum obligamur ad præcepta eo modo, quo possibile est ea servare, sed hoc non est possibile, nisi cum gratia, ut constat ex illo Actorum 15. *Hoc est jugum, quod neque nos, neque patres nostri portare potuimus, sed per gratiam Domini Nostri Jesu Christi credimus salvari*, & ex 1. Corinth. 13. *Si habuero tantùm fidem, &c. charitatem autem non habuero nihil mihi prodest*; ergo quæcumque opera non formata, & extrà statum charitatis facta nihil prosunt.

11 Secundus dicendi modus est aliorum dicentium, quod mandata Decalogi non obligant, nisi ad opera bona in genere; opera enim formata sunt suprà nostram potestatem, & suprà cognitionis certitudinem, & propterea ad talia opera non debemus obligari per mandata Decalogi, sed solùm ad bona opera in genere. Probatur primò ex D. Hieronymo dicente, quod anathema sit, qui dicit Deum præcipere impossibilia; cùm ergo præcepta illa obligent tàm justos, quàm peccatores, & in potestate peccatoris non sit informare opera sua, cùm istud fiat per charitatem, & gratiam, videtur quod ad hoc nemo obligetur per divina mandata.

Confirmatur ex D. Aug. in illud psal. 32. *Declina à malo, & fac bonum* dicente *declinare à malo semper vitat pœnam, quamvis non semper promereatur palmam*; ergò homo satisfacit obligationi de vitando peccato, etiam quando non meretur, at quando non meretur, non habet opus formatum; ergò satisfacit obligationi de mandatorum observantia sine opere formato. Demum, quia si aliquis existens in charitate honorat parentes ex naturali pietate, hujusmodi opere absolvitur à mandati obligatione; ergo præcepta Decalogi non obligant ad eorum observantiam ex charitate.

12 Tertius dicendi modus veluti medius statuitur à D. Bonaventura, ut verior, & probabilior, quia primus dicendi modus in hoc excedere videtur, quod ponit hominem obligari ad id, de quo non potest habere certitudinem, secundus verò dicendi modus videtur deficere in hoc, quod ponit hominem per mandata Decalogi solummodo obligari ad ea, quæ potest quis implere existens in statu peccati, cùm tamen observatio mandatorum Dei sit via deveniendi ad statum gratiæ, & justitiæ, gloriæ, ideò Seraphicus Doctor statuit tertium dicendi modum quasi medium inter utrumque, & ad quæstionem propositam respondet per distinctionem hoc modo. Cùm quæritur, utrùm mandata Decalogi obligent ad opera formata; respondendum est, quod opera formata possunt dici dupliciter, uno modo per negationem, & exclusionem deformitatis peccati, quia, scilicet, exequendo opus præceptum, nec incurritur culpa, nec reatus pœnæ, alio modo per positionem dignitatis meriti, & juris ad præmium beatitudinis. Si primò modo accipiatur opera formata, sic utique præcepta Decalogi obligant ad opera formata, obligant enim ad vitanda omnia peccata mortalia, & obligant ad sui observantiam sub pœna peccati mortalis incurrenda, quæ deformitas pœnæ, & culpæ devitatur, etiamsi observentur præcepta extrà statum charitatis, & gratiæ. Si autem dicantur opera formata secundò modo, sic accipiuntur propriè; & tunc rursus distinguendum est de duplici obligatione, una absoluta, & alia conditionali; absoluta est, qua aliquis obligatur facere, vel non facere, itaut si oppositò modo se habeat, necessariò culpam incurrat, & pœnam, obligatio verò conditionalis est, qua quis obligatur ad aliquid faciendum, si vult pervenire ad præmium, & hæc obligatio in eo, qui omittit, non inducit omissionis peccatum, sed tantùm ponit implicitè conditionis defectum; si ergò loquamur de obligatione conditionali, mandata

mandata Decalogi obligant ad opera formata, si quis enim vult ad vitam ingredi, necesse est ex charitate servare mandata, quæ quidem charitas est meriti principium; sed non obligant obligatione absoluta ad opera formata ex charitate, quia obligant tantùm ad substantiam operis in genere, non autem ad modum, si enim homo obligaretur ad opera formata positivè, scilicet, ex gratia, ergo si in peccato existens observet mandata, non furans, non occidens, non fornicans, adhuc mortaliter peccaret semper, & pro semper, quia obligatur quilibet ad mandata negativa semper, & pro semper, sed observatio præceptorum negativorum formata esse non potest, dùm homo est in peccato, & sine gratia; ergo sivè observet, sivè non observet, semper peccat, quod est absurdum, ex qua doctrina facilè solvuntur fundamenta primi, & secundi modi dicendi.

13 Ad fundamentum primi modi dicendi, quod legislator præcipit non solùm facere opus justum, sed etiam justè, respondetur cum S. Bonavent. loco citato quod modus justitiæ quidam est, qui facit opus Deo placitum, & meritorium, & hic propriè reddit opus formatum, alius autem est modus justitiæ, qui excludit deordinationem intentionis, & deformitatem peccati, & facit animum justum, & præparationem, seù dispositionem operis, & hic modus justitiæ est in præcepto, non primus; ab hoc autem modo non dicitur opus formatum, nisi accipiendo largè opus formatum, per negationem nimirum, & exclusionem deformitatis peccati, ut suprà explicatum est.

Ad Confirmationem respondet idem S. Doctor ex illis verbis. *Si vis ad vitam, &c.* non posse colligi, quod homo obligetur ad opera meritoria facienda, nisi obligatione conditionali scilicet, si vult ad vitam ingredi, si autem ab obligatione conditionali ad absolutam velis procedere, non valet ratio, nec consequentia tenet, sed fit sophisma secundum quid ad simpliciter, quia sermo est ibi de obligatione conditionata, quæ est obligatio secundum quid, & quoad assecutionem præmii, non autem de obligatione absoluta, quæ est obligatio simpliciter, & quoad evitationem pœnæ. Ad ultimum dicendum est, possibile esse servare mandata, & sine gratia, & cum gratia quantum ad substantiam operis, quantum verò ad assecutionem præmii, non sine gratia, verùm ad assecutionem præmii obligamur conditionatè tantùm, non absolutè, & similiter dicendum est opera non formata nihil prodesse quoad assecutionem præmii saltem immediatè stante privatione gratiæ, licet opus præceptum disponat mediante Dei misericordia ad gratiam obtinendam.

14 Ad fundamentum secundi modi dicendi respondetur probare solùm, homines non obligari ad observantiam mandatorum per opera formata obligatione absoluta, benè tamen conditionali, si nimirum velint non tantùm pœnam evitare, sed etiam præmium consequi, cùm observatio mandatorum Dei sit via non tantùm ad evitandam pœnam transgressionis, sed etiam deveniendi ad statum gratiæ, & gloriæ. Ad Confirmationem patet per idem, nam quando homo à malo declinat, satisfacit obligationi absolutæ de evitando peccato non tamen conditionali de assequendo præmio, nisi faciat opus bonum ex charitate, & meritorium præmii, undè gratis concedimus satisfacere obligationi de mandatorum observantia sine opere formato loquendo de obligatione absoluta. Ad ultimum gratis concedimus præcepta Decalogi non obligare ad eorum observantiam ex charitate, siquidem ut notat Toletus loco citat. ex communi sententia, ista præcepta non obligant homines ad finem præceptorum, qui est charitas, sed solùm ad actum inclusum in præcepto, undè sicut jejunium non obligat ad finem, qui est maceratio carnis, & elevatio mentis in Deum, sed tantùm ad ipsum actum jejunii, ità præceptum non occidendi obligat hominem, ut non occidat non tamen ne occidat ex charitate; undè præceptum impletur etiam extrà charitatem, licet talis impletio sine charitate meritoria non sit, quæ dicitur finis, & modus impletionis præceptorum, & hoc est, quod communiter dici solet, præceptum impleri posse quoad substantiam sine charitate, non tamen quoad modum, quod etiam docent Astesanus lib. 1. tit. 3. a. 3. Vulpes tom. 1. par. 3. disp. 11. a. 10. & alii Scotistæ ex Scoto 3. d. 28. quæst. un. art. 1. & Clavius 4. d. 4. quæst. 5. in calce, ubi ait existentem in peccato mortali posse in illo statu implere præceptum, ut solvatur ab ejus obligatione, quia modus charitatis non cadit sub præcepto divinæ legis, & ità etiam discurrit Monsregalis in sua Summa tract. 2. capit. 5. de fine præcepti.

QUÆSTIO SECUNDA.

De Primo Decalogi Præcepto.

15 COnsequenter agendum est de singulis Decalogi præceptis in particulari, & primò de primo præcepto, quod est. *Ego sum Dominus Deus tuus, non habebis Deos alienos coram me.* Exodi 20. & est partim affirmativum, partim negativum, ex una enim parte aliquid præcipit, & ex altera aliquid prohibet, ut observat Catechismus Romanus p. 3. cap. 2. eltque sensus illius, ut ibidem habetur. *Me verum Deum coles, & Diis alienis cultum non adhibebis*, undè hujus præcepti, prout affirmativum est, materia propria sunt actus virtutis Religionis tàm interni, quàm externi, prout verò est negativum, prohibet vitia Religioni opposita, quarè hic primò sermonem instituemus de iis, quæ ad Dei cultum pertinent, & posteà subjiciemus ea, quæ vero ipsius honori adservantur, quem ordinem servabimus etiam in cæteris præceptis explicandis, declarando primo; quid hoc, vel illo præcepto præcipiatur, aut prohibeatur; deindè quot modis in illud peccetur.

ARTICULUS PRIMUS.

De Virtute Religionis, & vero Dei cultu.

16 RElig ionis nomen dupliciter accipi potest, primò, ut significat virtutem illam, per quam homines Deo debitum cultum, & honorem exibens. Secundò, ut significat statum, & vitæ conditionem multorum hominum speciali modo, & regula colentium Deum, in præsenti Religio primo modo accipitur, quæ quidem non est theologica virtus, sed prima, & præcipua inter morales, cùm pro immediato objecto respiciat, non ipsum Deum, ut est de ratione virtutis theologicæ, sed cultum, & honorem illi exhibendum. Religio igitur hoc modo sumpta communiter definitur quod sit virtus moralis hominem inclinans, ut Deo debitum cultum, & honorem exhibeat, tanquam omnium Creatori, & Domino; dicitur virtus, quia actus per quem cultus Deo exhibetur est bonus, & dicitur moralis virtus, quia est in voluntate, tanquam in subjecto, non in intellectu, reliqua verò ponuntur loco differentiæ ab aliis virtutibus à quibus specie distinguitur, etiam ab illis, per quas exhibetur reverentia hominibus, quia singularem cultum respicit supremæ excellentiæ divinæ debitum, & est unica specie virtus, quia ratio formalis objecti est una, nempè cultus unius Dei, quatenus est unum omnium principium, & est dignior omnibus virtutibus moralibus, ut dicebamus, qua propinquius Deum respicit, quàm aliæ, qui est ultimis finis, in quem objecta aliarum referuntur.

17 Quoniam verò hæc virtus est illa, qua interior, & exterior cultus Deo debitus exhibetur, ideò plures sunt actus illius, tàm interiores, quàm exteriores, quorum præcipuus est adoratio, per quam supremam Dei majestatem reveremur, nosque illi quanta possumus animi, & corporis demissione subiicimus, undè ut dicebamus lib. 3. sent. disp. 2. qu. 9. ab initio, objectum formale adorationis semper est excellentia in aliqua persona, quæ adoratur, materiale verò est ipsa persona, in qua illa excellentia reperitur, ex quo deducitur adorationem ab honore distingui, sicut speciem à genere, nam honor est superior, & universalior, qua ratione inquit Aug. contrà Arrian. cap. 23. *Honorat omnis, qui adorat, non autem adorat omnis, qui honorat*, honor enim est testificatio virtutis alterius, & adoratio ultrà hoc addit animi submissionem in recognitionem excellentiæ alterius, tanquam sibi Superioris. Hinc ut etiam dicebamus ibidem juxtà varia excellentiarum genera, etiam varia adorationum genera distinguuntur, undè cùm non sit eadem excellentia in Deo, & in creaturis sequitur non eandem, sed diversam esse adorationem Dei, & creaturarum, actus adorationis propter excellentiam increatam dicitur Latria, quæ solùm Deum respicit, sicut solus Deus summam, & supremam habet excellentiam, actus autem adorationis propter excellentiam creatam dicitur Dulia, quæ creaturis debetur ob earum excellentiam, ac sanctitatem, & quia una creatura potest esse excellentior, & sanctior alia, sequitur unam posse adorari majori adoratione, quàm alia, & hæc adoratio dicitur Hyperdulia. Rursus ex dictis ibidem adoratio alia est externa, alia interna, hæc fit per recognitionem, & submissionem animi, illa verò fit per actum externum, quo alterius excellentiam, & nostram subjectionem exterius testamur, ut per genuflexionem, capitis nudationem, & similes actus exteriores. Tandem alia est adoratio absoluta, & alia respectiva, illa convenit creaturæ intellectuali,

ctuali, quæ per se honorabilis, & adorabilis est, hæc verò convenit rebus etiam ratione carentibus, quæ non propter se, sed propter alium honorantur, & venerantur, ut patet in veneratione Imaginum, quæ non sistit in illis, sed ad prototypum refertur, & exemplar, ideſt, ad eum cujus est imago, de quibus omnibus latè tractant Astesanus noster lib. 1. tit. 5. Azor. libr. 9. cap. 5. & alii Recentiores passim, quibus suppositis.

18 Primò dicendum est, toti Trinitati, & cuilibet divinæ personæ deberi per se cultum, & honorem latriæ, & tres divinæ personæ una adoratione adorari debent ut ait Astesanus lib. 1. tit. 6. art. 3. quia una est essentia, & existentia, & excellentia trium personarum, & ideò unus honor, & una reverentia, & per consequens una adoratio debetur, in cujus signum legitur de Abraham, Genes. 18. quod *tres vidit, & unum adoravit*, idemque habetur in Symbolo Athanasii, quod ità Deum adorare debemus, *ut unitas in Trinitate, & Trinitas in unitate veneranda sit*, nam tribus unica tantùm veneratio tribuitur, quatenus tres personas veneramur, ut unum Deum rerum omnium conditorem, & summum earum Dominum, & moderatorem, cui nos subiicimus, & in eo spem nostram, & fiduciam ponimus. Addit etiam Astesanus unam personam Sanctissimæ Trinitatis posse distinctè ab aliis adorari, undè quando nominantur tres personæ singillatim, ter flectimus genua in signum trium personarum. & ratio est, quia sicut unam personam concipere possumus sine alia, sic etiam unam sine alia possumus venerari, dummodò alias personas explicitè non excludamus, hoc enim impium esset, ac nefarium, quia licet tres sint personæ Sanctissimæ Trinitatis, una tamen est essentia, & non sunt tres Dii, sed unus Deus, ut docet Catholica Fides in Symbolo cit. Præterea Christo Domino latriæ cultus debetur, quoniam etsi homo sit, est etiam Deus, itaut sit una, & eadem divina persona in duabus naturis, divina, scilicet, & humana subsistens, ut in eodem Symbolo habetur, & cum eum hujusmodi cultu veneramur, cultus noster ad personam terminatur, non ad naturam humanam; & si ad naturam, non tamen præcisè sumptam, sed ut à Verbo assumptam, & hypostaticæ unionis vinculo conjunctam, itaut humanitas sit terminus dumtaxat, & objectum talis adorationis, non autem motivum, & causa, sivè ratio adorandi, ut Scotus ex professo docet 3. d. 9. q. un. a. 3. & nos cum ipso lib. 3. disp. 2. q 9. a. 1. ubi diximus hanc opinionem esse communem non solùm in schola Scotistarum, sed etiam Thomistarum, & Nominalium dicentium Christum, in quantum hominem specificativè esse adorandum illa suprema adoratione, qua Verbum adoratur, quæ est latriæ, non tamen reduplicativè, quasi humanitas sit causa, & ratio formalis adorationis, & hoc ibi probavimus ex Conciliis Alexandrino, Ephesino, & aliis Patribus. Ità etiam discurrit Astesanus loc. cit. ubi ait, quod una adoratione adorantur suppositum, & natura, ita quod natura per suppositum, Christus autem est nomen personæ in duabus naturis secundum Damascenum lib. 3. cap. 3. & ideò una, & eadem adoratione adoratur Christus, & humanitas ejus, ità etiam loquuntur Azorius, Clavis Regia, Bonacina, & alii Recentiores passim, & ex nostris Monsregalis in sua Summa tra. 3. de primo Decalogi præcepto c. 2. §. 4.

19 Secundò dicendum est, Christi humanitatem, si præcisè, & per se consideretur, præcisa divini Verbi persona, adorandam esse, non adoratione latriæ, quia per se excellentiam increatam non habet, quæ ad talem adorationis speciem est necessaria, ut constat ex dictis, sed adoratione hyperduliæ propter excellentiam creatam, & propter gratiam, & excellentiam, quæ Sanctos omnes superat, & antecellit. Ità statuimus etiam l. c. cum D. Thoma 3. par. q. 25. a. 1. & 2. D. Bonavent. 3. d. 9. a. 1. & cùm Scoto ibidem q. un. a. 3. & ibi latè probavimus contra nonnullos cum Vasquez disp. 96. asserentes talem humanitatis Christi adorationem cum hac metaphysica abstractione à persona divina, vel non esse physicè possibile, vel saltem non decentem, & licitam, quia humanitas Christi semper est Divino Verbo conjuncta; tùm quia quisque debet Christum perfectissimè adorare propter supremam excellentiam, sicut enim Rex, qui plures habet dignitates, & gradus, ut gradum Regis, Comitis, & Ducis, non honoratur honore, qui debetur Duci, sed illo qui debetur Regi. Ità Christus, qui præditus est excellentia increata, & creata, adorandus est perfectissima adoratione, quæ debetur Christo ratione increatæ excellentiæ. Hunc inquam, dicendi modum l. c. reiciemus, quia tunc tantùm indecens est, ac injuriosum Superiori minorem ei deferre cultum, & honorem, quando major ei debitus denegaretur, vel prætermitteretur, ut si quis Regi titulum Ducis, vel Comitis tribueret omittendo titulum Majestatis, at injuriosum non est, si deferendo illi honorem maximum, ob minores quoque dignitates illum honoret, nam Reges quoque in suis publicis edictis seipsos vocare solent non solùm Reges, sed etiam Duces, & Comites, & alios minores titulos, ac dignitates subdere. Sic igitur in proposito dicendum est, quod si quis subtracto, vel prætermisso latriæ cultu Christo minorem exhiberet cultum ob alias humanitatis dignitates, utique hoc indecorum esset, ac injuriosum, at retento, & delato ei supremo cultu, indecens non est, nec indecorum eum honore ob alias quoque humanitatis ejus prærogativas, sic enim de facto Magi in sua adoratione fecerunt, postquam enim, ut filio Dei thus illi obtulerunt, aurum etiam obtulerunt, ut Regi, & myrrham, ut homini. Hoc idem docet Astesanus loc. cit. dum ait, quod licet considerando humanitatem Christi, ut Verbo hypostaticè unitam, sit adoranda adoratione latriæ, non tamen considerando eam in se, cùm enim sit creatura, non obstante, quod sit Verbo unita, non est ei latria exhibenda, quæ soli creatori debetur, sed illa, quæ Dulia dignior est, scilicet, Hyperdulia.

20 Tertiò dicendum est, Imaginem Christi adorandam esse cultu latriæ. Ità etiam statuimus lib. 3. disp. 2. qu. 10. cum communi Catholicorum sententia, quia Imago dupliciter considerari potest, scilicet, vel secundum, se, & ut est quædam res, & sic nullus honor sibi debetur, sicut nec alicui lapidi, vel ligno, secundum, quod est imago, & sic quia idem motus est in imaginem, inquantum est imago, & in imaginatum, unus & idem honor debetur imagini, & imaginato, ut loco citato fusè declaratum est, tanquam fidei dogma pluribus Conciliis confirmatum contrà Iconomachos. & ideò in proposito cùm Christus latria adoretur, ejus imago similiter latria adorari debet, ut etiam Astesanus docet lo. ci. Undè Damascenus lib. 3. c. 8. dicit, quod honor imaginis pervenit ad prototypum, ideſt, ad imaginatum. Ex quo infertur, ut loc. cit. dictum est, adorationem imaginis dici respectivam, utpotè propter excellentiam alterius, ad quam dicit habitudinem, adoratio autem exemplaris dicitur absoluta, quia propter excellentiam propriam, & sibi intrinsecam, & non aliundè emendicatam; quarè cum dicitur, quod unus, & idem honor debetur imagini, & imaginato, hoc non debet ità intelligi, quasi quod adoratio imaginis, & exemplaris sint omninò ejusdem rationis, & gradus, quia adoratio respectiva à toto genere est inferioris ordinis adoratione absoluta, sed ita intelligi debet, quod adoratio respectiva, sit in quadam specie, quæ sit essentialiter subordinata speciei adorationis absolutæ, non verò quod sit omninò ejusdem rationis, & ordinis cum ea. Hoc igitur modo certum est, ac de fide usum sacrarum Imaginum licitum esse, ac laudabilem, ut ex earum aspectu fidelium animi excitentur, atque inflammentur, ad prototypa ipsa, quæ representant, colenda, ad eorum actiones imitandas, & gratias ab eis impetrandas, ut discurrit Damascenus lib. 4. Fidei cap. 17. & Divus Bonavent. 3. d. 9. art. 1. quæst. 2.

21 Sed Obiicies illud Exodi 26. Non facies tibi imaginem, nec sculptam similitudinem. Respondet Astesanus l. c. quod illud pro eo tempore prohibitum fuit, in quo Deus naturam humanam non assumpserat, tunc enim cùm Deus omninò spiritus esset, infigurabilis erat, secus autem est, postquam naturam assumpsit humanam, & ait imagines hujusmodi fuisse introductas propter simplicium instructionem, & propter affectus excitationem, qui frequenter movetur magis ex visis, quàm ex auditis, & propter frequentiorem, & majorem memorationem. Quod si iterum urgeas, quod hujusmodi imagines, nec per vetus testamentum, nec per novum approbantur.

Respondet, quod Apostoli multa tradiderunt, quæ in Canone non sunt, inter quæ est unum de Imaginibus, undè Damascenus lib. 4. cap. 8. ait, quod Lucas Christi, & Beatæ Virginis imagines depinxit, & Christus ipse imaginem suam Abagaro dixerit, ut historia Ecclesiastica tradit.

22 Quartò dicendum est, Crucem Christi adorandam esse adoratione latriæ. Hæc etiam communis est inter Catholicos, quàm præsertim docet Divus Bonaventura 3. distinctione 9. quæst. 4. observat autem Astesanus loc. cit. quod si loquamur de Cruce in qua Christus pependit, & Crucifixus fuit dupliciter à nobis venerari potest, uno modo inquantum repræsentat figuram Christi in ea extensi, alio modo ex contactu ejus ad Christi membra, & ex hoc quod ejus Sanguine est perfusa, undè utroque modo adoratur, eadem adoratione cum Christo, scilicet, adoratione latriæ, & ideò Crucem alloquimur, & deprecamur quasi ipsum Christum. Si autem loquamur de effigie Crucis in alia materia, scilicet, lapidis, ligni, argenti, & auri, vel alia materia, sic veneramur Crucem tantùm, ut Christi Imaginem, quam veneramur adoratione latriæ, & utraque hæc adoratio est respectiva, cùm hæc adorentur quatenus Christum tetigerunt, vel repræsentant, quo etiam modo adorantur spinæ, lancea, clavi, & aliæ reliquiæ, quæ Christum tetigerunt, Dices, si illa, quæ Christum tetigerunt, adorantur adoratione latriæ; ergò multo magis tali adoratione adoranda est humanitas Christi,

Christi, quæ Verbo Divino conjuncta est, quod tamen suprà negavimus.

Respondetur per hoc tantùm probari humanitatem Christi, si consideretur, ut est conjuncta Verbo, adorandam esse adoratione latriæ, sicut quæ Christum tetigerunt, adorantur adoratione latriæ, non secundum se, sed per ordinem ad Christum, quem repræsentant, non tamen probatur humanitatem præcisè sumptam, ut à Verbo Divino abstrahit, esse adorandam adhuc adoratione latriæ, sed tantùm Hyperduliæ, ut suprà dictum est; ea verò, quæ Christum tetigerunt, præcisè, & secundum se considerata nullam adorationem admittunt, quia nullam in se habent excellentiam adorationem adorationis necessariam, ut etiam advertunt Suarez, Azorius, Bonacina, & alii Recentiores. Addit tamen Divus Bonaventura loc. cit. quod licet Crux, & alia passionis instrumenta in se considerata, ut res quædam sunt, non sint capacia adorationis propriè dictæ, qualis est latria, Hyperdulia, & Dulia, adhuc tamen capacia sunt adorationis cujusdam honoris, & reverentiæ, tanquam instrumenta nostræ salutis, quo pacto etiam reverentiam exhibemus Sacramentis, quia sunt aliquo modo causa instrumentalis nostræ salutis.

23 Quintò dicendum est cum Astesano lo. cit. & aliis communiter, quod Virgo Deipara licet non sit adoranda cultu latriæ, quia pura creatura est, & ideò ad honorem, & cultum latriæ non ascendit, quia tamen est Mater Dei, quod est excellentissimum, itaut quid excellentius puræ creaturæ convenire non possit, ideò sibi non tantùm convenit cultus Duliæ, sed etiam Hyperduliæ, ut docet D. Bonaventura loc. cit. Hæc igitur excellentia, ratione cujus sibi talis cultus debetur est, quod Virgo existens Mater Dei est, quod quidem tantæ dignitatis est, ut non solùm Viatores, sed etiam comprehensores, non solùm homines, sed etiam Angeli eam revereantur quadam prærogativa speciali, ex hoc enim quod est Mater Dei, cæteris omnibus creaturis præfertur, & consequenter præ cæteris honorari, & venerari debet, ut etiam advertit Monsregalis ex nostris l. c. §. 7. veneratione Hyperduliæ, non tamen latriæ, quia licet talis excellentia sit maxima inter omnes, adhuc tamen continetur intrà sphæram excellentiæ creatæ.

Dices, Deiparam latriæ veneratione coli debere, quia Christo Domino magis est conjuncta, quàm Crux, & Imago Christi, quæ latria coluntur. Tùm quia Deipara filium suum sæpè tetigit, & quæ Christum Dominum tetigerunt latriæ honore colimus. Tùm quia eodem honore colitur Mater Regis, quo Rex, & honor Matris in filium redundat.

Respondetur cum Azorio ex Divo Thoma part. 3. quæst. 25. art. 5. Deiparam non esse latriæ honore colendam, quia licet sit Mater Dei, & cum filio magis conjuncta, quam Crux, & Imago Christi, & filium suum sæpè tetigerit, & licet propter filium honoretur, semper est propria quadam excellentia dignitatis, & vitæ sanctitate prædita, ratione cujus eximiæ Duliæ, non latriæ cultum meretur, & talis adoratio est absoluta non respectiva, qualis est adoratio Crucis, & Imaginis Christi, adoratio autem absoluta à toto genere respectivam excedit, quia ut suprà dictum est, illa convenit creaturæ intellectuali, quæ per se honorabilis, & venerabilis est ob excellentiam propriam, hæc verò convenit rebus etiam ratione carentibus, quæ non propter se, seù ex excellentiam propriam, sed propter alienam honorantur, & venerantur.

24 Sextò tandem dicendum est Sanctos Cœli cives, & sacras eorum reliquias cultu Duliæ coli, ac venerari debere. Ità in pluribus Conciliis definitum est, ac denique in Tridentino sessione 25. ubi statutum est, Sanctorum quoque Martyrum, & aliorum cum Christo viventium sancta corpora, quæ viva membra fuerunt Christi, & Templum Spiritus Sancti ab ipso ad æternam vitam suscitanda, & glorificanda, à Fidelibus veneranda esse, per quæ multa beneficia à Deo hominibus præstantur. Hoc idem confirmat Astesanus noster l. c. ex Augustino 1. de Civitate Dei, ubi in proposito ità discurrit. Qui ad aliquem afficitur ea, quæ de illo post mortem relinquuntur, veneretur, non tantùm Corpus, aut partes corporis, sed etiam aliqua exteriora, ut vestes, & similia, manifestum est autem, quod Sanctos Dei venerari debemus, tanquam Christi membra, filios, & amicos, & intercessores nostros, & ideò reliquias Sanctorum qualescunque in eorum memoriam honore congruo venerari debemus, undè & ipse Christus hujusmodi reliquias convenienter honorat in præsentia earum miracula faciendo. Argumenta vero Hæreticorum in contrarium optimè dissolvit Azorius lib. 9. Institut. Moral. cap. 8.

ARTICULUS SECUNDUS.

De Vitiis, & peccatis Religioni oppositis per excessum.

25 DE hac materia fusè, & eruditè tractat Astes. noster l. 1. tit. 7. & sequent. ubi ab initio advertit vitia Religionis virtuti opposita esse duplicis generis, alia, quæ opponuntur per excessum, ut Superstitio cum suis speciebus, alia per defectum, ut Irreligiositas cum suis. Dicitur autem Superstitio opponi Religioni per excessum, non quia plus exhibeat in cultum Divinum, quàm vera Religio, sed quia exhibet cultum Divinum, vel cui non debet, vel eo modo, quo non debet, potest enim divinus cultus exhiberi, vel cui exhibendus est, scilicet, Deo, modo tamen indebito, ut si quis tempore legis Evangelicæ coleret Deum secundùm veteris legis ritum, & hoc est primum Superstitionis genus, vel ei cui non debetur, cùm, s. falso Deo, vel creaturæ defertur, & hoc est aliud Superstitionis genus, quod in diversas species dividitur secundum diversos fines Divini cultus, quæ præsertim sunt quinque, s. Idololatria, Magia, Divinatio, Vana Observatio, & Maleficium, de quibus breviter hic agemus magis necessaria tangendo, alia namque apud præfatum Auctorem videri poterunt, & alios passim.

26 Prima igitur Superstitionis species est Idolatria, & est cum cultus Divinus alicui creaturæ, tanquam Deo, exhibetur, est autem Idolatria gravissimum peccatorum, undè dicit Glos. super Levit. 15. *Omne peccatum est immunditia animæ, sed idolatria maximè*, & hoc est verum quantum est ex parte ipsius peccati, sicut enim in Republica gravissimum esse videtur quod aliquis honorem regium impendat alteri, quàm vero Regi, quia quantum est in se, totum ordinem Reipublicæ perturbat: ita in peccatis, quæ contra Deum committuntur, quæ tamen sunt maxima, gravissimum esse videtur honorem Divinum impendere creaturæ, quia quantum est in se facit alium Deum in mundo minuens principatum Divinum. Imo Toletus lib. 4. c. 24. advertit Idololatriam esse adeò grave peccatum, ut non modò Religioni opponatur, sed etiam fidei, sicut enim vera adoratio non est, nisi præcedat fides in intellectu, qua illius excellentiam agnoscimus, cui nos subiicimus, sic adoratio falsa, qualis est Idololatria, supponit errorem in intellectu, quo creaturam aliquam æstimamus, honore Divino dignam, undè fit, ut Idololatria sit peccatum subjectum excommunicationi in Cœna Domini, ut hæresis. Tandem est adeò grave peccatum ex genere suo, quod quamvis dixerint quidam hæretici non esse periculosum, si quis persecutionis tempore deprehensus, exterius idola colat, dùm tamen mente fidem servet; hoc tamen manifestè sit falsum, quia ut ait Ast. l. c. cùm exterior cultus sit signum interioris, sicut est pernicioſum mendacium verbis asserere contrarium ejus, quod quis interius credit in corde, ita etiam exteriorem cultum exhibeat alicui, contra illud, quod sentit in mente, & quamvis hæc propriè Idololatria non esset, quia illud, quod exerius adorat timore, vel alia passione motus, interius judicat tali honore indignum, adhuc tamen tale peccatum, saltem in foro externo, esset excommunicationi prædictæ subjectum, quia præsumitur etiam Idololatria interior, ac error in intellectu, ut observat Toletus lo. c.

27 Secunda species superstitionis est Magia, non quidem naturalis, qua viribus rerum naturalium occultis mira quædam fiunt, quæ vera sunt, & viribus naturæ producuntur, nec Magia Mathematica, qua quis sola Mathematicarum scientiarum præditus disciplina mira quædam præstat, non adhibitis aliis rebus naturalibus, qua ratione homines occulta quædam divinare possunt via numerorum, adjunctis nimirum, vel detractis, ac sæpius subductis: sed species Superstitionis est Magia diabolica, qua Magus mira quædam præstat ope Dæmonis; undè definiri solet, quod sit potestas inordinata faciendi, quod suprà naturam est. Dupliciter autem fieri potest aliquid suprà naturam, uno modo divino auxilio supernaturali, & hæc non est potestas inordinata, sed ad potestatem miraculorum spectat, alio modo auxilio Dæmonis, & hæc est potestas inordinata, & ad Magiam spectat, quia est collata per Dæmones pacto cum eis inito, qua mediis pravis, & superstitiosis fit aliquid, quod est suprà humanæ naturæ vires, non tamen ipsius Dæmonis naturales vires excedit, illud autem pactum cum Dæmone dupliciter fieri potest, ut Toletus observat l. c. vel expresè cum ipso Dæmone visibiliter apparente, aut cum aliquo alio Mago vices dæmonis supplente, vel tacitè per dæmonis invocationem, quæ non solùm fieri censetur, cùm conceptis verbis auxilium dæmonis invocatur, sed etiam quoties homo aliquid facere intentat per ea, quæ virtute naturali talem effectum producere non possunt, ut cùm certa verba, vel characteres ad morbos depellendos adhibentur. Undè Magia per finem distinguitur ab

aliis Superstitionis speciebus inferius explicandis, nam Magia est, qua homo mirabiles facit effectus, & suprà suam naturalem potestatem hoc solo animo, ut potens videatur, & magna, ac mirabilia faciens. Tandem ad insinuandam hujus peccati gravitatem idem Toletus advertit Magiam sæpè esse hæresi conjunctam, cùm nimirum error contra fidem est in intellectu cum pertinacia, ut si Magus constanter crederet dæmones posse miracula patrare, aut aliquid mirabile citrà permissionem Divinam propria virtute facere, siquidem ut ait D. Augustinus lib. 18. de Civitate Dei cap. 18. certissimè tenendum est, solùm Deum posse omnia facere, quæ voluerit, nec dæmones aliquid operari secundùm naturæ suæ potentiam, nisi Deus permiserit. Cùm igitur Magia est hæresi conjuncta, tunc Magus excommunicationem incurrit, cùm verò non est talis error in intellectu, est absque hæresi, sed adhuc gravissimum est peccatum, cùm dæmonis pactum intercedat explicitum, vel implicitum, non autem excommunicationi latæ expositum est, licet Magus sit excommunicandus, ut habetur cap. *Si quis* 26. q. 5. Qui verò Magum consulit auxilium ab eo petens ad talia facienda, excommunicatus est, ut habetur in eodem cap. Astes. noster l. c. ac etiam Nicolaus de Orbellis 3. d. 38. Magiam non faciunt speciem à Divinatione distinctam, sed eam reducunt ad Superstitionem divinativam, quæ dæmones consulit per aliqua pacta cum eis inita tacita, vel expressa, nos tamen pro majori claritate cum aliis eam enumeravimus, tanquam speciem distinctam ex distinctione sine ab aliis.

28 Tertia superstitionis species est Divinatio, quæ est pars quædam Magiæ, & est inordinata, & superstitiosa inquisitio rerum aliquarum, vel futurarum, vel occultarum, quas homo hic, & nunc naturaliter cognoscere non potest, & in hac inquisitione semper intervenit expressa, vel tacita dæmonis invocatio, ut illius ope notitia earum rerum acquiratur; undè fit, ut divinatio, sicut, & Magia, cujus est pars, propter illud commercium cum Dæmone gravissimum censeatur esse peccatum contrà Religionem, siquidem fidelibus prohibitum est ex Apostolo 1. Corinth. 10. *fieri Socios dæmoniorum* & Sanctus Aug. lib. 2. de doctrina Christiana cap. 23. dicit *omnem societatem dæmonum, tanquam pestiferam esse fugiendam*. Divinatio, in qua est invocatio, vel pactum expressum cum dæmone, generali nomine dicitur Necromantia, ut cùm Dæmon occulta docet per pythones, arreptitios, præstigia, per personas mortuorum, vel viventium apparentium, aliavè signa in aere, aqua, igne, speculis, & similia, quæ quidem omnes divinationis species sunt peccata mortalia gravissima lege Divina vetita, ut patet Deuteronom. cap. 18. & etiam sanctionibus Ecclesiasticis sub anathematis interminatione prohibita, ut habetur cap. *Si quis* 26. quæst. 5. Alia verò divinatio in qua tantùm est invocatio, vel pactum tacitum, seù interpretantium cum dæmone, tunc fit, cùm mediis utitur quis ad cognoscendum res, quæ media nullam habent virtutem tales res indicandi, verbi gratia, lineamentis Corporis, vocibus, garrituque avium, omissione sortium; sic motu, & situ siderum, & similibus, quibus dæmon se immiscere solet. Et quamvis utriusque speciei divinationis variæ adhuc sint species passim ab aliis recensitæ, eas tamen brevitatis causa omitto, eo quia secundum communiorem sententiam in genere moris non differant, nec specialem habeant malitiam in confessione exprimendam, an scilicet, facta sit divinatio ex signis in aqua, vel aere apparentibus, ex garritu animalium, vel avium volatu, &c. necessariò tamen exprimendum est, an in divinatione intervenerit invocatio, vel pactio expressa cum dæmone, vel tacita duntaxat, quia sivè hæc moraliter inter se specie differant, sivè non, notabiliter tamen Confessarii judicium mutant, ut avertunt, Layman, Sanchez, Bonacina, Busemb. & alii passim.

29 Cæterum circà Astrologiam observandum est ex Divo Thoma quæst. 95. art. 5. Astesano, & Nicolao de Orbellis l. c. quod cùm per hujusmodi scientiam quidam naturales effectus prænoscí possint, ut Eclypses, pluviæ, aeris immutationes, & similia, item inclinationes, complexiones, & aliæ similes humani corporis dispositiones, quia in generali Philosophia docet Cœlos, & astra in humana corpora aliquo pacto influere, ideò per prædicta non inhibetur observare, vel attendere circà motus Cœlorum ea, quæ naturalem habent rationem, ut est observatio temporis ad seminandum, vel arbores incidendum, aut plantandum, ad sanguinem emittendum, & medicinas præbendas, & similia. Sed in duobus præsertim casibus sub peccato mortali inhibetur hujusmodi scientia uti, primò ad ea cognoscenda, quæ à sola Divina voluntate pendet, ut ver. gra. ad cognoscendam hominis prædestinationem, vel damnationem, deindè ad ea prænoscenda, tanquam certò eventura, quæ ex libera hominis voluntate pendent, undè Divus Augustinus lib. secundo de Doctrina Christiana cap. 20. Astrologiam hanc judiciariam vocat pernicioſam superstitionem. Circa verò aliud divinationis genus, quod Sortilegium vocatur, docent iidem Doctores, alias esse sortes divinatorias, quæ adhibentur ad aliquod occultum, vel futurum sciendum, alias divisorias, ut cùm per sortes decernitur, cui res aliqua dari debeat, alias consultorias, ut cùm per sortes determinatur, quid in aliquo casu dubio agendum sit, nec alia via sciri potest, quod magis sit expediens. Et in sortibus quidem divinatoriis dicunt semper mortale peccatum intervenire, quia nunquam fiunt sine recursu tacito ad cooperationem Dæmonis, cùm neque ex Divina institutione, neque ex aliqua naturali virtute sortes illæ connexionem ullam necessariam habeant cum eo quod per eas inquiritur. Alia vero duo sortium genera sunt licita quibusdam servatis conditionibus passim ab Auctoribus, & præsertim à Toleto recensitis, quæ ad hoc reducuntur, quod per eas aliud non intendatur, quàm quod detinetur de re, vel consilio illo modo, cùm alias commodè non possit, & speratur, quod Deus sic disponet, ut fiat, quod melius est.

30 Quarta superstitionis species est vana Observatio, quæ est superstitio quædam, qua medio aliquo improportionato, nec à Deo, vel à natura instituto aliquis effectus procuratur, ut sanitas, scientia &c. & convenit cum Divinatione, quod utraque pacto Dæmonis nitatur, eique tribuat perfectionem Dei propriam, differt autem ab ea, quod illa ad occultorum tantùm cognitionem ordinetur, hæc verò ad aliquos externos effectus. Undè sicut Divinatio est peccatum mortale ex genere suo, ita etiam vana Observatio, quia nimirum honorem Divinum tribuit creaturæ expectando ab ea, quod à solo Deo expectari debet, & nititur pacto cum Dæmone explicito, vel implicito, quarè neque à mortali excusari potest ob parvitatem materiæ, quia simpliciter, & in omni materia virtus Dei propria, & cognitio usurpatur, aliundè tamen fieri potest, ut non sit mortale, ut ratione ignorantiæ, si pactum sit implicitum tantùm, ut etiam de Divinatione dici solet, vel si non adhibeatur fides, licet timeatur ità esse, vel futurum. Ità Astesanus noster lib. 1. cit. tit. 15. ubi fusè tractat de multiplicibus observantiis superstitiosis, quas præsertim inquit, quatuor esse, velut species infimas vanæ Observationis, Toletus refert lib. 4. cap. 16. ac alii Recentiores passim, nulla facta veterum mentione, ut eorum moris est à quibus doctrinam acceperunt. Prima dicitur ars notoria, quæ orationes quasdam adhibet, & jejunia, tanquam media certa, & infallibilia ad acquirendas scientias, sine ullo labore, & studio ad modum scientiarum infusarum, ut faciunt Anabaptistæ, & hanc artem illicitam esse, & sine mortali peccato exerceri non posse docet Astesanus l. c. ex Divo Augustino lib. 1. de Doctrina Christiana cap. 20. quia hujusmodi ars inefficax est ad scientias acquirendas, cùm enim per hujusmodi artem non intendatur acquisitio scientiæ secundum modum homini connaturalem laborando, scilicet, & discendo, consequens est, quod effectus iste exspectetur à Deo, vel à Dæmonibus, certum est autem aliquos à Deo sapientiam, & scientiam per infusionem habuisse, sicut legitur de Salomone 3. Regum cap. 3. sed hoc donum non datur quibuscunque cum certa observatione, sed ad arbitrium Spiritus sancti juxtà illud 1 Corint. 12. *Alii datur per Spiritum sermo scientiæ, &c.*

31 Alia species est Observatio ordinata ad corporum immutationem, ut ad sanitatem, vel aliquid aliud hujusmodi, cùm nimirum aliquis ad hujusmodi effectus consequendos media quædam inutilia, & superstitiosa adhibet, ut quasdam orationes certis quibusdam verbis, & non aliis conceptas, certos characteres cum signo Crucis brachio colligatos, &c. Et hæc vana observatio sive mortali contingere nequit, nisi invincibilis ignorantia excuset, cùm in ea semper subsit tacita aliqua Dæmonis invocatio, undè ait Astesanus loc. c. has quoque observantias illicitas esse, quia ut ait Aug. l. c. *ad superstitionem pertinent ligaturæ, & remedia, quæ Medicorum condemnat scientia, sivè in præcationibus, sivè in quibuscunque notis, quas characteres vocant*. Nec obstat orationes esse media optima, & religioni valdè conformia, id enim verum est, si solùm ad sanitatem à Deo postulandam adhibeantur, non verò si existimetur per illas orationes sanitatem infallibiliter esse impetrandam, si talibus constent verbis, & non aliis, & si illis ex superstitiosa persuasione vis ad conferendam sanitatem inesse credatur, constat enim hujusmodi, & similes observationes prorsus vanas, & inutiles esse, ac proindè, & orationi, & Religioni repugnantes. Tertia species est observatio, quæ ordinatur ad præcognoscendum aliqua fortunia, vel infortunia, ut cum quis ex quarundam rerum impertinentium occursu mala aliqua, vel bona sibi, vel aliis eventura ominatur, cujus vanæ observationis varia exempla Astesanus affert ex D. Augusti. loco citato, ut v. g. si quis ex eo, quod casu occurrat vulpes, anguis, canis, vel cadaver certa mala imminere credat, ac proindè iter non prosequitur, sed retrocedit,

dit, & omnia ista, & similia vana sunt, & plerumque venialia, nisi quis pertinaciter istis adhærat post monitionem, si ignorans sit, ut Toletus observat loc. cit. Ultima species est observatio reliquiarum, cùm nimirum aliqui vanas reliquias portant, aut veras cum aliqua vana circumstantia, ac superstitiosa in ordine ad aliquos effectus, qui ab ipsis procedere non possunt, quæ omnes observantiæ sunt peccaminosæ mortaliter, nisi aliquando ignorantia excuset, ut videri potest apud Astesanum loc. cit. Et hæc ultima species ad secundam reduci potest, qua de causa Valentia, Sanchez, Bonacina, Abellius, & alii tres tantùm species vanæ observationis enumerant, scilicet, Artem notoriam, Observationem sanitatum, & Observationem eventuum.

32 Quinta denique superstitionis species est Maleficium, quod est ars nocendi aliis ex pacto, & cooperatione Dæmonis, & differt à Magia, quod hæc intendat facere mira, illud autem dirigitur ad nocendum. Magus enim ope Dæmonis utitur ad propriam præsertim ostentationem, & admirationem sui apud alios excitandam. Maleficus verò ad nocumentum aliis inferendum. Per maleficium aliquando procurari solet, ut noceatur alicui vel in propria persona, ut causando dolores, & infirmitates, vel in bonis exterioribus ventos, grandines, & tempestates ope Dæmonis excitando, quibus animalia pereant, arbores eradicentur, domus subvertantur, &c. Dæmon enim Deo permittente, hæc, & similia efficere potest, ut patet l. Job. c. 1. & 2. & hujusmodi maleficium vocatur beneficium, & est peccatum gravissimum non solùm ratione damni illati, ad cujus reparationem maleficus tenetur, sed etiam ratione recursus ad opem Dæmonum, ex quo capite semper est mortale ex genere suo, nam priori capite mortale non esset, nisi quando nocumentum grave, & notabile esset. Aliquando verò per maleficium procurari solet, ut aliquis afficiatur amore carnali ergà alium, aut ut avertatur ab illo, & hoc maleficium vocatur amatorium, quod etiam arte Dæmonis fieri potest, quamvis enim Dæmon humanæ voluntati nullam necessitatem possit inferre, eam tamen allicere potest, vel phantasiam, & imaginationem immutando, & rem amatam exhibendo, tanquam amabiliorem, quibus non obstantibus voluntas semper libera manet, undè non excusantur isti à peccato, quamvis dicant se invitos ad amorem trahi, vel odium, hoc enim falsum est, ut ait Tolet. loc. c. solum enim tentantur, & non coguntur, possuntque si volunt divinæ gratiæ auxilio adjuti his tentationibus resistere, & omnes hujusmodi illecebras abjicere. Notant autem communiter Doctores, contra maleficia licitum esse uti remediis ex medicina petitis, exorcismis, & Sacramentis Ecclesiæ, Orationibus, & invocationibus Sanctorum, ac etiam destructione signorum, per quæ Dæmon nocet, absque alio tamen maleficio.

ARTICULUS TERTIUS.

De vitiis, & peccatis Religionis oppositis per defectum.

33 EXplicatis vitiis, & peccatis Religioni oppositis per excessum, posteà agendum est de vitiis oppositis per defectum, quæ manifestè sunt Religioni contraria, & sub Irreligiositate continentur, horum autem quædam directè tendunt ad irreverentiam Dei, ut Blasphemia, perjurium, & Tentatio Dei, quædam tantum ad irreverentiam rerum sacrarum, ut est Sacrilegium. De blasphemia, & perjurio agemus q. seq. circa secundum Decalogi præceptum, de aliis verò in præsenti. Tentatio itaque Dei est dictum, vel factum, quo quis explorat, nùm Deus sit potens, sapiens, misericors aut aliquam aliam perfectionem habeat, & hoc sine necessitate, vel ulla utilitate, ut notat Astesan. l. c. tit. 16. undè super illud Deuteron. 6. *Non tentabis Dominum Deum tuum*, dicit Glos. quod Deum tentat, qui habens quid faciat, sine ratione se periculo committit, experiens utrum liberari possit à Deo. Quod si necessitas aliqua, rationabilis causa subsit, tunc non tentaret Deum qui in tali casu auxilium aliquod extraordinarium ab eo postularet, vel expectaret juxtà illud 2. Paralipom. 20. *Cùm ignoramus quid agere debeamus, hoc solum habemus residui, ut oculos nostros ad te dirigamus*. Extrà igitur casum necessitatis dicitur quis tentare Deum, & est peccatum virtuti Religionis oppositum, quia finis Religionis est Deo reverentiam exhibere, undè omnia quæ directè pertinent ad irreventiam Dei, Religioni opponuntur, tentare autem aliquem ad irreverentiam ejus pertinet, quia nullus eum tentare præsumit, de cujus excellentia est certus, & nullatenus dubitat.

34 Addit autem Astesanus ibidem Deum tentari posse dupliciter, primò expresè, & formaliter, & est quando quis expresè dubitans de aliqua Dei perfectione eam experiri cupit, ut si quis petat miraculum, quo patefiat Sacramentum Eucharistiæ veritatem continere, vel se in puteum præcipitet, ut eum à læsione servando experiatur Deum esse misericordem, & est communis Theologorum consensus tentationem Dei formalem, & expressam esse peccatum mortale ex genere suo in quacunque etiam materia. & ratio est manifesta, quia expressam includit dubitationem de perfectionibus Dei, quæ in gravem Dei contemptum redundat, & magnam ejus irreverentiam; tentare enim est experimentum sumere, experimentum autem nullus sumit de eo, de quo est certus, & ideò concludit Astesanus loc. cit. tentare Deum expresè, & formaliter verbis, vel factis esse peccatum grave ex genere suo in quacunque materia. Alio modo potest quis tentare Deum implicitè; ac interpretativè, quando nimirum Deum expresè tentare non intendit, id tamen petit, vel agit, quod suaptè natura eò referri videtur, ut si quis in morbo periculoso medicinam respuat petens, & sperans temerè à Deo sanitatem, vel si quis rudis absque ulla causa, & necessitate velit sine præparatione concionari sperans à Deo suggerendos esse sibi conceptus. Denique si quis se periculo committat, & exponat, à quo vel nullo modo, vel vix sine miraculo eripi possit, & hujusmodi interpretativa tentatio, cum desit illi dubitatio expressa de aliqua Dei perfectione, plerumque est peccatum veniale tantùm ob imperfectionem actus, ignorantiam, inconsiderationem, vel periculi parvitatem. Ita Nav. Less. Sanch. Suar. & alii communiter ex D. Thoma q. 97. art. 2. Addit tandem Astesanus loc. cit. dupliciter posse aliquod signum à Deo peti, uno modo explorando Dei potestatem, aut dicti ejus veritatem, & hoc ad Dei tentationem spectat, alio modo, ut instruamur, quid sit circà aliquod factum placitum Deo, & hoc nullo modo ad tentationem Dei pertinet.

35 De Sacrilegio agit Astesanus noster lib. 1. tit. 34. ubi illud definit cum D. Thoma 2. 2. qu. 99. a. 1. quod est violatio rei sacræ seù cultui divino destinatæ, & dicitur hæc violatio communiter quæcunque irreverentia, vel dehonoratio, quæ contingit, cùm aliquid circa rem sacram fit, quod cum eo cultu repugnat, ad quem destinata est, undè dicitur Sacrilegium quasi Sacrilegium, quia lædit sacrum, & est speciale peccatum, & ex genere suo mortale, habet enim specialem rationem deformitatis, quia scilicet res sacra per aliquam irreverentiam violatur, & quandoque invenitur ab aliis separatum, ut si Judex rapiat aliquem de loco sacro, quem alibi licitè capere posset. Addit deindè Sacrilegium tribus modis committi posse, quandoque ratione personæ, ut eum quis verberat Clericum, vel personam religiosam, & dicitur sacrilegium personale c. *Quisquis* 17. q. 4. quandoque ratione loci, ut cum immunitas Ecclesiæ, vel Cœmeterii violatur, & dicitur Sacrilegium locale, quandoque ratione rei, ut cum res sacra, vel usui sacro deputata violatur, seù usurpatur, & dicitur Sacrilegium reale, accipiendo rem sacram, ut à personis, & locis distinguitur, & hoc rursus tripliciter contingere potest ex cap. c. Quisquis, vel auferendo sacrum de sacro, i. loco, vel non sacrum de sacro, vel sacrum de non sacro, undè tres sacrilegii species à Theologis communiter distingui solent, nempè Sacrilegium personale, locale, & reale, de quibus etiam agit ex nostris Nicolaus de Nisse tr. 3. p. 3. port. 3. q. 7. & distinguuntur species sacrilegii juxtà diversam rationem sanctitatis rerum sacrarum, quibus irreverentia exhibetur, & tanto sacrilegium gravius est, quanto res sacra, in quam peccatur, majorem obtinet sanctitatem, undè gravius est sacrilegium contra personam sacram, quam contrà locum sacrum, & sic proportionaliter de aliis discurrendum est.

36 Personale Sacrilegium est percussio Clerici, vel personæ religiosæ, pertractio ejusdem ad judicium sæculare, item luxuriosa violatio personæ Deo dicatæ per votum castitatis; undè ad hanc primam speciem pertinet quicquid fit contrà personam sacram, quo reverentia ejus conditioni debita, aut immunitas eidem quatenus Deo sacra est, concessa violatur aut læditur, locale sacrilegium est omnis actus specialiter repugnans cultui divino, ad quem sacer locus est destinatus, quales sunt injusta humani sanguinis effusio in Ecclesia, fornicatio, & quævis alia illicita seminis effusio in eodem loco, item si reus ab Ecclesia ejus immunitate gaudens velut ab asylo extrahatur, & denique si furto auferantur res Ecclesiæ, aut ibi depositæ. Reale tandem sacrilegium est indigna tractatio, & administratio Sacramentorum, ut si cum peccato mortali suscipiantur, vel ministrentur, item profanatio vasorum, & instrumentorum sacrorum intelligendo de his, quæ consecrari, vel saltem benedici solent, ut si quis calice utatur in convivio, vel ornamenta Altarium, aut Sacerdotum applicet ad profanos usus Quoniam verò, ut suprà dictum est, species sacrilegii distinguuntur juxtà diversam rationem sanctitatis rerum sacrarum, quibus irreverentia exhibetur, ideò in confessione exprimenda est species, & materia sacrilegii, quia species sæpè

diversam habet malitiam, ut v. g. percussio Sacerdotis, vel fornicatio cum eodem, & materia aliquando auget, & addit malitiam, nam si verbi gratia, sit contra Eucharistiam addit communi violationi rei sacræ aliud peccatum contrà Latriam. Ità Navarrus, Cajetanus, Valentia, Azorius, Layman, Bonacina, Filliucius, & alii Recentiores. Denique de pœnis sacrilegii tàm secundum Leges Civiles, quàm Canonicas agit Astes. tit. 34. cit. a. 3. ubi ait secundum Canones præter pœnitentiam esse quoque excommunicationem cum distinctione tamen, quia pro Sacrilegio in personam Ecclesiasticam commisso est excommunicatio major ipso jure, pro sacrilegio verò in rebus commisso est minor præter quosdam casus, in quibus est excommunicatio major, ut cùm quis Ecclesiam incedit, vel frangit, nam contrà infringentes, & spoliantes Ecclesias, seù loca sacra constituta est pœna excommunicationis ipso facto juxta Azorium, Graffium, Sayrum, Reginaldum, & alios communiter, ut refert Bonacina disp. 3. q. 5. punct. un. ubi etiam addit per loca sacra, quorum violatione sacrilegium committitur, non solùm intelligi templum auctoritate Episcopi consecratum, verum etiam Monasteria, Hospitalia, & alia loca per Episcopum consecrata cap. Ad hæc de Religiosis domibus, ubi hæc loca comparantur Ecclesiis. Alia plura de Sacrilegio vide apud Tancred. de Relig. tract. 2. lib. 3.

37 Quoniam verò sacrilegium committitur, ut dictum est, extrahendo confugientes ad loca sacra, aliqua hìc magis necessaria de Immunitate Ecclesiarum dicemus, & quidem Ecclesiis Christianorum concessam esse de Immunitatem Ecclesiasticam, itaut delinquentes ad ea confugientes per vim extrahi non possint, patet ex cap. Miror, cap. Definivit, cap. Nullus 17. q. 3. quibus autem Ecclesiis, & sacris locis competat jus immunitatis patet ex modò dictis, quod non modò competit Ecclesiæ, auctoritate Episcopi fundatæ, & consecratæ, aut etiam solummodo benedictæ, sed etiam Monasteriis, Hospitalibus, & aliis locis per Episcopum consecratis, ac benedictis, ut patet ex cap. cit. Ad hæc, de Religiosis domibus, ubi hæc loca sacra Ecclesiis comparantur, de quibus alia plura videri possunt ex Antiquioribus apud Astes. nostrum lib. 6. tit. 30. ar. 5. & ex Recentiorib. apud Bonac. disp. 3. cit. q. 7. qui plures alios de hac materia cit. & fusè discurrit. Quinam tandem gaudeant Immunitate Ecclesiæ, certum est omnes Fideles ad Ecclesias, & prædicta loca confugientes hoc privilegio gaudere, exceptis casibus in jure expressis, & præsertim in Constit. Gregorii XIV. incipiente: *Cùm aliàs*, quam per extensum refert Bonac. l. c. cujus tenor est hujusmodi. Ut Laicis ad Ecclesias, locaque sacra, & religiosa prædicta confugientibus, si fuerint publicè latrones, viarumque grassatores, qui itinera frequentata vel publicas stratas obsident, ac viatores ex insidiis aggrediuntur. 2. aut depopulatores agrorum. 3. Qui homicidia, & mutilationes membrorum in ipsis Ecclesiis, ac earum Cæmeteriis committere non verentur. 4. aut qui proditorie proximum suum occiderint. 5. aut Assassini. 6. aut hæresis rei. 7. aut læsæ Majestatis in personam ipsiusmet Principis rei Immunitas Ecclesiastica non suffragetur 8. in aliis casibus confugientes ad Ecclesias gaudent immunitate. Si quis verò contrà hanc Constitutionem læserit immunitatem Ecclesiasticam erit casus Papæ reservatus. Ita Pontifex ad verbum in Constitutione cit. in qua diserte proponit, & explicat quid circà confugientes ad loca sacra servandum sit, alia plura de Immunitate Ecclesiarū vide apud Tancred. cit. tract. 1. lib. 4.

38 Demum ex dictis deducitur cum Abellio de primo Decalogi præcepto sect. 1. §. 5. quot modis in hoc præceptum peccatur: etenim ex dictis a. 2. de vitiis Religioni oppositis per excessum infertur in primis contrà hoc primum Decalogi præceptum peccare qui Idolatriam, ac Judaismum profitentur, aut à fide, vel Religione Catholica per apostasiam recedunt. Qui dogmatibus Hæreticorum, aliisque erroribus ab Ecclesia damnatis pertinaciter adhærent, vel de alicujus articuli fidei veritate dubitant. Qui fidem negant, vel dissimulant cum illam exterius profiteri tenentur. Qui creaturæ cultum soli Deo debitum impendunt, vel si Deo illum impendunt, superstitiosum tamen, & indebitum. Qui ad sanitatem acquirendam modis utuntur indebitis, & superstitiosis nullam ex natura sua vim habentibus ad talem effectum producendum. Qui rerum futurarum, vel occultarum cognitionem inquirunt per modos superstitiosos, & indebitos, ut per divinos, & ariolos, per præstigia, & somnia, per Astrologiam judiciariam ab Ecclesia reprobatam, per auguria, sortes, & alios modos indebitos, ac vetitos. Qui vanis quibusdam, & frivolis observationibus eventura sibi bona, vel mala opinantur, & tandem qui maleficiis amatoriis, vel beneficiis utuntur ad damna proximo inferenda. Deindè ex dictis in hoc tertio articulo de vitiis Religioni oppositis per defectum deducitur contrà hoc primum Decalogi præceptum peccare qui Deum tentant, neglectisque mediis ab ejus providentia ordinatis effectum aliquem sine ulla necessitate, vel ratione ab eo expectant. Qui sacrilegium aliquod perpetrant personas Deo sacras injuriosè percutiendo, vel loca sacra profanando, ac eorum immunitatem violando, & imagines Sanctorum contumeliosè tractando. Et tandem qui Sacramenta indignè suscipiunt, vel ministrant, & vasa, ac ornamenta Ecclesiæ, aliasque res sacras ad usus profanos adhibent, & verbis Sacræ Scripturæ ad res superstitiosas, ridiculas, vel falsas abutuntur, ut discurrit Abellius l. c. & faciliter potest ex dictis deduci.

QUÆSTIO TERTIA.

De secundo Decalogi Præcepto.

39 COnsequenter agendum est de secundo Decalogi præcepto: *Non assumes nomen Domini Dei tui in vanum*, quo divinum ipsius nomen debito honore prosequi jubemur, & illud in vanum quovis modo assumere prohibemur, undè hujus secundi præcepti verbis ex una parte abusus divini nominis prohibetur, & irreverentia illa, quæ à blasphemiis, perjuris, aut temerè jurantibus committitur, & ex altera præcipitur, ut divino nomini reverentia summa exhibeatur, juramenta serventur, & vota Deo facta fideliter adimpleantur, quapropter ad pleniorem ejus explicationem de tribus præsertim hic agemus, scilicet, de blasphemia, juramento, & voto.

ARTICULUS PRIMUS.

De Blasphemia.

40 PRimò declarandum est quid sit Blasphemia, quæ quidem est nomen græcum idem significans, quod maledictio, vel execratio bonitatis alicujus, undè si spectemus vim nominis, blasphemia appellari potest quodcunque maledictum, quo detrahitur de honore, & dignitate alterius, usu tamen Catholicorum, & SS. Patrum hoc nomen duntaxat accipitur pro maledictione in Deum, ut Astes. advertit lib. 2. tit. 90 qua nimirum quis derogat, & convitiatur divinæ excellentiæ, sivè directè, ut quando ipsi Deo immediatè maledicitur, sivè indirectè, ut quando maledicitur alicui rei, in qua laudatur Deus, ut sunt Sancti. Quicunque igitur, vel negat aliquid de Deo, quod ei convenit, aut asserit aliquid de Deo, quod ei non convenit, divinæ derogat bonitati, & excellentiæ, quod quidem contingere potest, ait Astes. vel secundum intellectum tantùm, vel etiam secundùm intellectum, & affectum, & utroq; modo hujusmodi derogatio, si sit tantum in corde, est blasphemia cordis, si verò in ore, est blasphemia oris; blasphemia verò Sanctorum ex consequenti redundat in Deum, & tandem addit, quod blasphemia propriè consistit in verbis, ut notat etiam Bonac. disp. cit. q. 8. pun. 1. cum Suar. Less. & aliis, licet extenso nomine etiam in factis committi possit, sicut etiam confessio, & negatio fidei, licet propriè sint in verbis, nihilominus tamen etiam accipiuntur in factis secundum illum ad Titum 1. *Confitentur se nosse Deum, factis autem negant*, & hoc etiam docuit D. T. 2. 2. q. 53. a. 1. ubi blasphemiam ait esse peccatum, quo quis ex pravo cordis affectu de excellentia divinæ bonitatis detrahit, illique contumeliam infert, vel negando aliquid, quod ipsi proprium est, vel aliquid imponendo, quod ei minimè convenit.

41 Secundò, blasphemia propriè, & formaliter non est infidelitas, nec per se primò opponitur confessioni fidei, ut loquitur D. Th. l. c. & ratio est, quia infidelitas consistit propriè in assensu aliquo interno falso de Deo, & in externa asseveratione falsi ex tali assensu interno procedente, blasphemia autem propriè, & formaliter non consistit in ipso assensu, vel asseveratione falsi, sed in dictione, seù significatione falsa de Deo, quæ ab assensu, vel asseveratione falsa longè differt, potest enim quis etiam deliberatè velle aliquid falsi dicere, & significare, etiamsi nihil falsi ipse sentiat, & asseveret, & id quidem non solùm verbo exteriori, sed etiam interiori mente, si nimirum concipiat tantùm apprehensione quadam simplici ipsam falsitatem. Ex quo infertur blasphemiam formaliter, & per se primò non opponi virtuti Fidei, sed Religionis, qua parte præcipit laudem Dei, sicut enim ad hanc virtutem spectat laudare Deum, sic blasphemia, quia est contra laudem Dei, cùm sit contumelia in ipsum, virtuti, Religionis est opposita. & ità etiam sentiunt Navarrus, Sanchez, Azorius, Clavis regia, Bonacina, Toletus, Caspensis, & alii Recentiores passim, qui etiam advertunt, quod, quia nonnullæ etiam sunt contumeliæ in Deum contrà fidem, ideò ex ea parte blasphemia confessioni fidei opponitur,

non

non tamen formaliter, sed materialiter tantùm, quia de essentia fidei est sentire verum de Deo propter veritatem revelantem, de essentia verò blasphemiæ, non est sentire falsum de Deo, sed dicere falsum contrà Deum, undè dicunt mendacium in blasphemia materialiter tantum intervenire, quia blasphemia est locutio falsa non tamen animo dicendi falsum, sed intentione inhonorandi Deum, ob id tamen negare non intendimus, quin blasphemiæ alia quoq; malitia adjungi possit, ut hæresis, aut odii, &c. per accidens, & concomitanter, ut patet ex regulis generalibus de malitia peccatorum, sed tantùm intendimus malitiam blasphemiæ, ut sic, opponi virtuti Religionis, non Fidei, ob rationem allatam, quicquid dicat Vulpes disp. 46. a. 1.

42 Tertiò plures divisiones blasphemiæ assignari solent, sed præcipua est illa qua dividitur in hæreticalem, & non hæreticalem, seù simplicem; hæreticalis est illa, quæ articulis fidei directè opponitur, seù qua aliquid asseritur fidei contrarium per verbum indicativi modi, & ità continet enunciationem falsam expressè, aut virtualiter, ut v. g. Deus est injustus, non est misericors, abnego Deum, aut fidem, &c. hæc enim verba, & similia abnegationem fidei continent, & infidelitatem, & in his casibus non solùm blasphemia committitur, verum etiam hæresis modò adsit assensus intellectus cum pertinacia, siquidem hæresis consistit in errore intellectus cum pertinacia contrà aliquam fidei veritatem, quod si talis assensus non adsit, talis blasphemia hæreticalis quidem erit, non tamen cum hæresi conjuncta, & hoc observare debent Confessarii, ac pœnitentes qui se de talibus accusant, interrogare, nùm ità esse crediderint. Blasphemia verò simplex, seù non hæreticalis dicitur illa, quæ articulis fidei directè non opponitur, seù quæ directè non continet enunciationem contrà divinæ fidei veritatem, sed aliquid vituperabile non fidei contrarium per modum detestationis, ac veluti cujusdam imprecationis in Deum, ut si quis Deo maledicat, aut verba probrosa in Deum proferat, ut v. g. maledictus sit Deus, velit nolit Deus, &c. talis etiam est blasphemia, qua per modum contumeliæ, & irrisionis Deo tribuitur quod verè in ipso reperitur, ut si quis contumeliosè nominet Corpus, & Sanguinem Christi. & hanc præsertim divisionem blasphemiæ in simplicem, & hæreticalem dicunt Doctores esse præ aliis diligenter observandam ut quisque sciat, quando blasphemum denunciare teneatur Inquisitoribus, vel Episcopis per edicta id præcipientibus, aut absolutionem blasphemiæ sibi reservantibus, quia de blasphemiis hæreticalibus ordinariè edicta loquuntur.

43 Quartò conveniunt Doctores blasphemiam esse peccatum mortale ex genere suo, si cum perfecta advertentia verba blasphemiæ proferantur, quia ex genere suo gravem infert Deo injuriam, undè dicunt ratione parvitatis materiæ non posse fieri peccatum veniale, quia non datur parvitas materiæ in blasphemia, cùm omnis blasphemia gravem injuriam Deo inferre videatur, sed tantùm ex indeliberatione, & inadvertentia. & ità etiam discurrit Astes. l. c. & Vulpes disp. 46. cit. de Blasphemia, a. 2. Imò quidam volunt esse etiam mortale, quamvis ex indeliberatione procedat, quando quis consuetudinem habet blasphemandi, & eam delere non conatur, videtur enim tunc blasphemia volita saltem in causa, oppositum tamen verius esse censet Caspensis tractat. 15. de Fide disp. 6. sect. 1. cum Suarez, & aliis, quia cum imperfecta libertate, qualis est, cùm adest imperfecta deliberatio, grave peccatum committi nequit. Difficultas tamen est, quando quis prævidet ex consuetudine futurum esse, ut in blasphemiam prorumpat cum imperfecta deliberatione, an ex vi hujus prævisionis peccet mortaliter ratione consuetudinis, & idem Caspensis ait l. c. adhuc verius esse, quod non sit peccatum mortale, non solùm secundum se, sed neque etiam in causa, pro quo citat Vasquez p. 2. disp. 127. cap. 3. ubi ait blasphemiam in ebrietate non imputari, quia non censetur injuria nisi scienter fiat, ac proindè etiam, si futura prævideatur, non est peccatum in causa.

44 Oppositum tamen verius existimo cum Bonacin. q. 8. cit, punc. 3. nempè blasphemantem ex habitu peccare mortaliter, quoties advertit ad pravum habitum, seù consuetudinem, illamque evellere non conatur, & extirpare, pro quo citat etiam Nav. Suarez, Sanch. & alios. Ratio est, quia voluntariè persistens in morali periculo, & occasione proxima peccandi mortaliter, censetur peccare mortaliter, & dicitur esse in statu peccati; ergo voluntariè persistens in morali periculo, & occasione proxima blasphemandi, quam advertere supponimus, nec eam delere satagit, censetur peccare mortaliter, & esse in statu peccati. Verum tamen est, quod si non blasphemat cum sufficienti advertentia, tunc blasphemia non est in se voluntaria, sed tantùm in causa, nec novum peccatum committere censetur, sed solùm peccare in causa, quatenus pravam consuetudinem non abstulit, ad quam advertit. & ratio est, quia ut aliquis actus dicatur in se peccaminosus, debet esse in se voluntarius, non est peccatum enim nisi voluntarium, & sicut est voluntarium, ità est peccatum; sed blasphemia absque advertentia prolata non est in se voluntaria; ergo non est in se novum peccatum, sed tantùm in causa, ut patet à simili in peccatis ebriorum antè ebrietatem prævisis, quæ dùm fiunt novam malitiam formalem in se non habent, sed tota malitia est in causa, undè talia peccata non sunt necessariò in confessione exprimenda, cùm enim non sint in se voluntaria, sed tantùm in causa, opus non est illa exprimere, sed sufficit, ut exprimatur causa, in qua sunt volita; undè absolutè falsum est, quod Caspensis dicebat, blasphemiam in ebrietate, etiamsi futura prævideatur, non esse peccatum in causa, sic enim nunquam daretur aliquod peccatum in causa, hoc enim ità explicatur ab omnibus, ut tale censeatur, quando futurum prævidetur in causa

45 Quintò est difficultas, An omnia peccata blasphemiæ sint ejusdem speciei infimæ, cujus difficultatis solutio necessaria est, ut sciamus, an in confessione exprimenda sit qualitas blasphemiæ, v. g. an contra Deum, vel sanctos fuerit. Aliqui dicunt omnia peccata blasphemiæ esse ejusdem speciei infimæ, & ideò in confessione qualitatem ejus non esse necessariò exprimendam, pro quo dicendi modo citatur Diana, Trullus, & alii. Alii verò dicunt Blasphemiam in Deum non differre specie à blasphemia in Sanctos, quia blasphemia opponitur Religioni, sed Religio, qua tribuitur cultus Deo, & Sanctis propter Deum est unius speciei; ergo sunt peccata ejusdem speciei. Addunt tamen blasphemiam hæreticalem habere malitiam specie diversam à simplici, & non hæreticali, quia hæc Religioni tantùm opponitur, illa verò etiam fidei, hæreticales tamen inter se comparatas esse omnes ejusdem speciei, sicut & non hæreticales inter se, & ideò in confessione dicunt sufficere, si dicatur, tot blasphemias hæreticales protuli, & tot non hæreticales, quia hæretiealis malitiam specie diversam superaddit non hæreticali, pro quo dicendi modo citantur Cajet. Bannes, Valent. Azor. Arrag. & alii. Bon. quoque q. 8. cit. punc. 4. tenet blasphemiam in Deum, & Sanctos specie non differre ob rationem allatam, addit tamen qualitatem blasphemiæ adhuc in confessione explicandam esse sicut explicanda est quantitas damni, & furti, quia hæc non solùm est circumstantia peccati, sed aliquid spectans ad objectum, & constitutionem actus in suo esse individuali.

46 Oppositum tamen verius, & probabilius videtur cum Caspensi disp. 6 cit. sec. 2. & pluribus aliis, nimirum non tantùm blasphemiam hæreticalem specie differre à non hæreticali, quia peccatum hæresis specie diversum est à peccato, quod non continet hæresim, neque est contrà fidem, sed contra aliam virtutem, sed etiam blasphemiam in Deum, & Sanctos specie distingui, quia blasphemia est contrà laudem; sed laus tributa Deo, & Sanctis differunt specie, eo quod laus in Deum est à latria, laus verò in Sanctos est à Dulia, quæ virtutes specie differunt, sicut specie differunt adorationes latriæ, & Duliæ; ergo etiam vitia his virtutibus opposita, & consequenter blasphemiæ contrà Deum, & Sanctos specie distinguuntur, undè Religio, qua tribuitur cultus Deo, & Sanctis propter Deum est unius speciei subalternæ non verò infimæ, cum sub se contineat Latriam, & Duliam, quæ sunt virtutes specie distinctæ, cùm habeant objecta excellentiæ colenda specie distincta, s. increatam, & creatam, ut patet ex dictis q. præ. a. 1. qua etiam ratione blasphemiæ contrà Deiparam dici possunt specie diversæ à blasphemiis contrà alios Sanctos, quia sunt contrà Hyperduliam, quæ est virtus specie distincta à Dulia, & blasphemiæ in Christum Dominum sunt contrà Latriam. Quamvis autem blasphemiæ omnes hæreticales sint ejusdem speciei sicut & blasphemiæ simplices inter se comparatæ, sicut & blasphemiæ contrà Sanctos propter eandem rationem, nihilominus etiam blasphemiæ contrà Deum possunt inter se specie differre, non quidem per se, sed per accidens, & concomitanter, quia illis per accidens alia malitia adjungi potest, si nimirum blasphemia simul oriatur ex alio motivo, & pravo voluntatis affectu, tunc enim essent peccata specie distincta, ut si quis v.g. ex odio Deum blasphemaret, tunc non tantùm contrà Religionem peccaret, sed etiam contrà charitatem, item si ex desperationem blasphemaret, ex superbia, aut ira, quia tunc simul peccaret eodem actu contrà spem, humilitatem, & patientiam. Undè blasphemus in confessione explicare tenetur, an blasphemia fuerit hæreticalis, vel simplex, an fuerit contrà Sanctos, an contrà Deiparam, vel Christum Dominum, & an processerit ex odio, ira, vel alio motivo extrinseco speciem mutante, quia blasphemiæ alia quoque malitia extrinseca adjungi potest speciem mutans, quæ ex Tridentino necessariò in Confessione est exprimenda, aliæ verò blasphemiæ, quæ speciem non mutant, non sunt necessariò exprimendæ, licet intrà eandem speciem aliæ sint majores, aliæ minores, ut diximus lib. 4. sent. disput. 5. de Sacramento Pœnitentiæ q. 18.

undè sufficit earum numerum dicere non exprimendo, quibus verbis prolatæ fuerint.

47 Sextò tandem est difficultas de blasphemia in Spiritum Sanctum, de quo variæ sunt sententiæ, & integram instituit disputationem Vulpes noster loc. c. in plures articulos distributam, sed pluribus dimissis, quæ prorsus inutilia sunt, & potius ad speculationem pertinent, quam ad praxim. Valdè probabilis mihi videtur sententia Magistri sent. 2. dist. 43. & aliorum veterum Theologorum ibidem, qui peccatum in Spiritum Sanctum illud esse interpretantur, in quo peculiariter certa quædam malitia reperitur, quæ non est in aliis, non quidem in eo consistens, ut aliqui explicare solent, ut quis sciens, & volens eligat rem, quam videt esse malam, sed in eo ut quodam peculiari consensu illa dona Dei abiiciat, & aspernetur, quibus homines à peccatis retrahi solent, quæ quoniam Spiritui Sancto peculiariter attribuuntur, cui bonitas appropriatur, ideò peccatum istud dicitur esse peculiariter in Spiritum Sanctum, secundum enim veritatem omne peccatum est contrà Trinitatem, appropriatè tamen peccatum ex infirmitate commissum dicitur esse contra Patrem, cui potentia appropriatur, commissum ex ignorantia contrà Filium, cui sapientia, commissum ex certa malitia contrà Spiritum sanctum, cui appropriatur bonitas. Et hac etiam ratione peccatum hujusmodi irremissibile dici solet ex illo Matth. 12. non quia non possit remitti, vel quia non remittatur aliquando, sed quia ex sua ratione habet peculiarem causam cur non remittatur, ut Astesan. advertit lo. c. siquidem peculiariter est contrà Spiritum sanctum cui peculiariter peccatorum remissio tribuitur tanquam amori. Hæc autem blasphemia in Spiritum sanctum in sex species dividi solet, scilicet, Desperationem, Præsumptionem, Impugnationem veritatis agnitæ, Invidentiam fraternæ gratiæ, Impœnitentiam, & Obstinationem, his enim peccatis diversa excluduntur dona, & abjiciuntur quibus hominem à peccatis deterreri solent, in quo diximus hanc blasphemiam consistere, quæ dicitur esse specialiter in Spiritum sanctum. Brevius autem Scotus noster 2. d. 43. q. 1. lit. D. docet peccatum in Spiritum sanctum esse peccatum desperationis, sive obstinationis in malo cum desperatione, & proposito non pœnitendi; undè subdit ad peccatum in Spiritum sanctum tria requiri, scilicet, quod sit ex certa malitia, quod sit contrà præceptum primæ tabulæ, & quod sit actus oppositus perfectissimo actui converso, & hoc modo est peccatum in Spiritum sanctum, & est finalis impœnitentia, non quia homo decedit sine pœnitentia, sed quia habet propositum de nunquam pœnitendo, & oritur ex desperatione, & sic dicit Aug. de Fide ad Petrum, quod pessimi homines incidunt in hoc peccatum, ut patet de Cain, qui dixit Genes. 4. *Major est iniquitas mea, quàm ut veniam merear*, credidit enim misericordiam Dei esse minorem suo delicto, & misericordia Dei est bonitas, quæ appropriatur Spiritui sancto, & ideò dicitur peccatum in Spiritum sanctum. Ità discurrit Doct. l. c. Solet etiam hic quæri, an damnati etiam blasphement, & respondet affirmativè Astes. loc. c. juxtà illud Apocal. 16. *Blasphemaverunt nomen Domini habentis potestatem super has plagas*, & est blasphemia cordis, qua detestantur justitiam Dei eos punientis; non tamen est in eis demeritoria, sed pertinet partim ad pœnam damnationis.

ARTICULUS SECUNDUS.

De Juramento.

48 PRimò observandum est nomine juramenti actum Religionis significari, quo quis Deum in testem adhibet in confirmationem eorum, quæ asserit, vel promittit, eaque ratione profitetur divinam veritatem esse indefectibilem, undè jurare, ut Astes. advertit lib. 1. tit. 18. est Deum in testem eorum, quæ asseruntur, vel promittuntur invocare ex D. Aug. in quodam sermone de perjurio, & assumere Deum in testem dicitur jurare, quia quasi pro jure introductum est, ut quod sub invocatione divini testimonii dicitur, pro vero habeatur. Hinc juramentum definitur à Scoto 3. d. 39. q. un. A. quod est assertio dicti humani, quod ipsum sit verum, & hoc ultimatè juxtà dictum Apost. Hæbr. cap. 12. *omnis controversiæ finis est juramento*, homo enim sciens hominem esse mendacem, & ignorantem, & per consequens posse fallere, & falli, non potest certam fidem adhibere dictis suis, & ideò inventus est modus asserendi dicta adducendo alium in testem, qui est verax, & sciens, qui nec fallere, nec falli potest, quod fit dùm jurando adducitur in testem assertionis jurantis ipse Deus, qui scit veritatem, & mentiri non potest. Forma autem jurandi est multiplex, ut notat Nicolaus de Orbellis ibidem, quandoque enim fit juramentum expressè, ut cùm quis jurat per Deum, vel per Christum dicendo per Deum, vel testis est mihi Deus, quod est jurare secundum rem, ut ait D. Bonav. ibidem, quandoque fit tacitè, & implicitè, ut cùm quis jurat per creaturas aliquas, quatenus illis elucet divina bonitas, vel potentia, ut quando quis jurat per Sanctos, per animam suam, aut per ignem, vel Solem &c. in his enim, & similibus juramentis creatura in testem asserti censetur adduci, non per se, sed quatenus dicit ordinem ad Deum, præsertim si nomen ipsius Dei addatur, ut si dicatur per ignem Dei, per Solem Dei, &c. Est alius quoque jurandi modus, qui fit per imprecationem, vel ut alii loquuntur per execrationem, quando nimirum quis sibi, vel suis malum aliquod imprecatur, sicque Deum non modò in testem invocat, sed etiam in vindicem, nisi dicta sua veritati correspondeant, ut cum dicitur, si hoc non fecero, hoc accidat mihi, vel filiis meis, undè secundùm D. Aug. l. c. sic jurans obligat se Deo, ut hæc illis eveniant, si secus est, quod dicit, & sic Matth. 26. dicitur, quod Petrus cœpit detestari, & jurare, hoc est, execrari, vel maledicere.

49 Secundò observandum, est quocunque modo juretur, ut id licitè fiat, tres in juramento requiri conditiones, ut docet D. Thom. quæ. 89. a. 7. & Astesanus, & Orbellius l. c. ut scilicet, juretur in veritate, justitia, & judicio juxtà id, quod habetur Hieremiæ 4. *Jurabis, vivit Dominus, in veritate, justitia, & judicio*, & ubi deest aliqua istarum conditionum est perjurium. Veritas juramenti in eo consistit, ut id, quod juramento asseritur existimetur esse verum ab eo, qui jurat; justitia ut juramentum fiat de re licita, & honesta; judicium, ut non fiat, nisi ex gravi, & necessaria causa, ratio autem hujus est secundum D. Bonav. 3. d. 39. circà lit. Q. P. quia juramentum ad tria comparatur, scilicet, ad jurantem, à quo procedit, & sic debet esse ibi judiciū, ideſt, deliberatio discreta, scilicet, ut non juret etiam verum nisi propter necessitatem; ad rem, de qua fit, & sic debetur sibi veritas, ut sit adæquatio sermonis, & rei; ad causam, pro qua fit, & sic debetur sibi justitia, scilicet, ut pro causa juxta fiat. Quamvis autem juramentum his tribus conditionibus servatis sit licitum, & bonum, nihilominus ut notat D. Th. q. 89. cit. a. 5. non est de genere bonorum, quæ sunt per se bona, & appetenda, ut sunt oratio, jejunium, eleemosyna, &c. sed illorum, quæ sunt bona tantùm & appetenda ex suppositione necessitatis alicujus, ut est medicina, quæ non prodest nisi urgente infirmitate. undè similiter juramentum non nisi rarò, & urgente necessitate adhibendum est, cum sit veluti remedium, quod in fidei humanæ defectum assumitur, quo sensu intelligenda sunt verba Christi Domini Matth. 5. *Ego autem dico vobis non jurare omnino neque per Cœlum, neque per Terram*, his enim verbis prohibetur juramentum factum ex quavis occasione, & sine necessitate, ut explicat D. Aug. libr. de Sermoni in monte cap. 17. ità enim, inquit, intelligitur præcepisse Dominum, ne juretur, ne quisquam sicut bonum appetat jusiurandum, & assiduitate jurandi ad perjurium per consuetudinem dilabatur, quapropter intelligit, non in bonis, sed in necessariis jurationem habendam, & ideò refrænet se, quantum potest, ne ea utatur, nisi in necessitate, &c. Quam verò prava sit jurandi consuetudo, ac pernicioſa deducitur ex variis Scripturis locis, præsertim verò ex illo Eccl. 23. *Jurationi non assuescat cor tuum, multi enim casus in illa, &c. vir multum jurans implebitur iniquitate, & non discedet à domo illius plaga.*

50 Tertiò pro intelligentia prædictarum trium conditionum, quæ requiruntur, ut juramentum sit licitum, observandum est veritatem ad juramentum requisitam in hoc consistere, ut Bonac. advertit disp. 3. q. 1. punct. 5. ex D. Th. l. c. ar. 7. Suar. Sanch. Less. Valent. & aliis, ut jurans non levi, sed probabili conjectura, & prudenter arbitretur verum esse, quod jurat, & hoc idem docet Sotus l. c lit. B. & C. ubi ait, quod jurans, cujus oppositum magis credit, seù quod est sibi dubium, mortaliter peccat, cum jurans in tali casu Deum adducat in testem falsi, aut saltem exponat se periculo adducendi Deum in testem falsi, hoc tamen intelligendum est, nisi ob indeliberationem excusetur, ut ait Scot. ibidem, vel levem negligentiam in veritate indaganda, istæ enim sunt regulæ generales à mortali generaliter excusantes. Deindè justitia, quæ est secunda juramenti liciti conditio, in eo consistit, ut juramentum non fiat de re illicita, undè qui scienter jurat aliquid, quod est manifestè illicitum, & contrà divinum præceptum, mortaliter peccat jurando, & etiam juramentum servando, & qui jurat se facturum aliquod veniale, venialiter peccat, & ratio est, quia fit irreverentia Deo in testem rei illicitæ ipsum adducendo, ut notat Orbell. l. c. hæc autem irreverentia est peccatum grave, aut leve juxta gravitatem, vel levitatem materiæ, suprà quam juramentum cadit. Tandem judicium, quod est tertia conditio in juramento requisita, in eo consistit, ut non fiat sine necessitate, & rationabili causa, quia si fiat sine necessitate, & in re levi, quam juramento confirmare non sit necesse cōmittitur peccatum defectu judicii, ut si quis dicat, per Deum cras ibo ad Ecclesiam, vel missam audiam,

diam, carnes comedam, & similia; quamvis hoc peccatum non nisi veniale reputetur, quia non fit gravis irreverentia Deo, sed est quædam vanitas, & superfluitas, à quibus tamen abstinendum est, quia frequentia jurandi est periculosa, ex ipsa quippè sæpè labimur in perjurium, ut ait Orbell. l. c. & Ità etiam discurrunt Less. Suar. Sanch. Clav. reg. Bonac. & alii Recentiores.

51 Quartò, plures divisiones juramenti solent assignari, sed præcipua est illa quam Scotus assignat loc. c. art. 3. quod duplex est juramentum, assertorium, scilicet, & promissorium, & ratio est, quia dictum humanum, vel est de præsentibus, quorum non est determinata veritas, vel de futuris, quorum veritas est incerta, de præteritis, & præsentibus dicitur humanum dictum assertorium, & hoc attendendo assertionem ad affirmationem, & negationem, in futuris autem cum sit in potestate jurantis dicitur esse promissorium, & secundum hoc cum juramentum sit utriusque dicti assertio, duplex est juramentum, scilicet, assertorium, & promissorium, utrumque tamen est obligatorium, assertorium quidem, quia obligatur jurans ad dicendum verum, ex quo talem testem inducit ad assertionem dicti sui, & hoc juramentum obligat solum pro tempore, quo jurat, promissorium verò, quia obligatur, ut illud verum esse faciat, & hoc respicit futurum, & ideò appropriatè dicitur obligatorium ad juramentum factum implendum, his etiam addi solent juramentum execratorium jam supra explicatum, & comminatorium, in quo promittitur malum pœnæ, ut per Deum castigabo te, percutiam te, &c. verum ut Toletus advertit. l. 4. cit. c. 20. juramentum hoc comminatorium ad promissorium reducitur, execratorium verò ad promissorium, & assertorium, & idem dicendum est de quibusdam aliis divisionibus à Bonac. l. c. punct. 2. allatis, quod scilicet, aliud est absolutum, aliud conditionatum, aliud simplex, aliud solemne, quod scilicet, fit cum certa juris formula, ut coram Notario, Judice, &c. aliud verbale, reale, & mixtum, & cum, s. vel verbis sit, vel actione aliqua, ut tactu pectoris, vel Crucis, vel Evangeliorum, vel verbis simul, & actione corporali, hæc enim omnia quoque ad assertorium, vel promissorium reducuntur. Est tamen dubium, an hujusmodi divisiones, sint essentiales, vel tantùm accidentales, quæ speciem non mutant, itaut in confessione distinguere non sit opus. Communis opinio affirmat esse tantum accidentales, itaut juramentum sit ejusdem speciei quovis modo fiat. & ratio est, quia juramentum in invocatione divini testimonii formaliter consistit, ut suprà dictum est, hæc autem ejusdem est rationis, quovis modo juramentum fiat, sivè sit assertorium, sivè promissorium, sivè simplex, sivè solemne, sivè per Deum, sivè per Sanctos, hæc enim omnia materialiter tantùm se habent ad juramentum, & per accidens, undè in confessione opus non est ea exprimere per se loquendo, cùm speciem non mutent, nec malitiam addant specie diversam per se loquendo. Bon. l. c. Suar. Less. Azor. Valent. & Aret. ex nostris 3. d. 39. q. un. a. 2. & Mons Regalis c. 2. de secundo Decalogi præcepto a. 2. §. 1.

52 Quintò quæri solet, An in juramento liceat uti æquivocatione, & Doctores communiter conveniunt jurare cum equivocatione, quando justa causa est, & ipsa æquivocatio licet, non esse malum, quia ubi est jus occultandi veritatem, nulla irreverentia fit juramento, si occultatur sine mendacio, undè licet æquivocè jurare, sivè uti æquivocatione in juramento, si juramentum exigatur injustè v. g. si quis juramentum exigat, qui jus non habet illud exigendi, ut Judex incompetens, vel si juri ordinem non servet. Item si exigatur per vim, injuriam, & metum, ut si quis fuit à latronibus in via captus, qui ipsum dimittere noluerunt, nisi prius juraret, se posteà daturum centum aureos, iste potuit ratione coactionis æquivocè jurare dicendo, jure me daturum, & intra se dicere, si nihil libuerit, & tunc non tenetur, quia absolutè non juravit daturum, sic etiam si vir exigat juramentum ab uxore de adulterio occulto, & aliis similibus. Si autem talis æquivocatio fiat in juramento sine justa causa, non erit quidem pejurium, cum saltem per restrictionem mentalem, & secundum aliquem sensum verborum verum jurare possit, erit tamen ex genere suo mortale contra Religionem, cum sit gravis irreverentia usurpare juramentum ad proximum in re gravi decipiendum, undè graviter peccat qui æquivocatione utitur, quando juramentum justè exigitur, ut à Judice, vel Superiore in re gravi. Item graviter peccat, qui utitur æquivocatione, quando non rogatus, sed sponte sua jurat, cùm enim tunc rationem æquivocandi non habeat, tenetur uti vocabulis secundum communem significationem. Ità Sanch. Sayr. Less. Laym. Trullus, Tol. Bon. & alii, quorum aliqui probabiliter addunt, quod si fiat tale juramentum in re levi per jocum, & citra inobedientiam, ac notabile damnum alterius erit tantum veniale ratione parvitatis materiæ, quamvis alii contrarium sentiant.

53 Sextò quæritur, quæ & quanta sit obligatio juramenti promissorii, pro cujus declaratione notandum est, in juramento promissorio duas affirmari veritates, unam primariam de præsenti, quod s. jurans habeat animum implendi, quod promittit, quia quoad istam veritatem de præsenti juramentum promissorium ab assertorio non differt, alteram secundariam de futuro, quod, s. jurans impleturus sit suo tempore, quod promittit. Defectu primæ veritatis jurans verè pejerat mortaliter, si vel non habet animum implendi, sivè materia sit parva, sivè magna, licita, sivè illicita, vel si dubitat an sit facturus nec ne, quod jurat, vel si putet sibi moraliter impossibile, ut impleat quod promittit. Ita Scotus d. 39. cit. lit. K. ubi loquens de juramento doloso inquit, quod quando jurans aliquid esse facturum, in ipso actu jurandi intendit oppositum, & non intendit se obligare ad illud, quod jurat, talis in ipso actu jurandi peccat mortaliter, quia Deum adducit tanquam testem sui propositi de aliquo implendo, cum tamen intendat oppositum. Subdit autem Doctor, quod post illud juramentum non manet obligatus, quia in obligationibus privatis nullus obligatur non intendens se obligare, quod tamen intelligendum est in foro interno, quia in foro externo cogi potest, ut servet, ut Sanchez, & Trullus advertunt, & alii Recentiores ob præsumptionem veri juramenti, ut ait Bonac. l. c punct. 7. Nec sequitur, ait Doctor, quod talis ex peccato suo reportet commodum, quia si dolosè non jurasset esset obligatus, nullum enim commodum est reportare peccatum mortale, quod non reportaret, si non jurasset dolosè, licet tenetur implere juramentum, quæ tamen tentio non est ita damnosa, sicut peccatum mortale, quod incurritur jurando dolosè. Defectu autem secundæ veritatis verè pejerat, qui quod promisit, posteà non implet, si rationabiliter implere potest, imò Tolet. l. 4. cap. 22. cum pluribus aliis addit, quod is, qui sub juramento promisit se aliquid facturum, illud adimplere, tenetur sub peccato mortali, etiamsi illud, quod promissum est, leve sit, & parvi momenti, quia verè adductus est Deus ut testis, quod sit facturus, atque ideò si sine causa non facit, quantum in se est facit Deum testem falsum. Nihilominus alii probabiliter quoque contrarium tenent, in proposito illud certum est, ut advertunt Navarrus, Suarez, Sanchez, Layman, Busemb. & alii, quod si ex eo, quod jurasti, tantummodò parum aliquid non serves non esse grave, quia tunc parvitas materiæ excusat, ut v. g. si jurasti servare statuta alicujus Capituli, Collegii, Universitatis, &c. si posteà parvum aliquod statutum violes, graviter non peccas, quia tunc parvitas materiæ excusat.

54 Septimò est difficultas de obligatione juramenti coacti, quo scilicet, quis jurat aliquid facere ex metu ob velle præcipientis, quam Doctor irresolutam relinquit l. c. Aliqui Scotistæ suppositâ distinctione de metu levi, & gravi cadente in constantem virum respondent, quod jurans ex metu levi, & non observans, quod juravit, est perjurius, nec excusatur à peccato mortali, quia talis metus levis non est sufficiens ad excusandum; cæterum jurans ex metu gravi, & cadente in constantem virum, si non observat, quod juravit, non est perjurius, neque mortaliter peccat, quia talis metus gravis sufficiens est ad excusandum. Alii verò, ut Astesanus l. 1. tit. 18. art. 7. ex D. Bonav. 3. d. 39. q. 3. a. 2. distinguunt duplex forum, scilicet, Ecclesiæ, & conscientiæ, nam in foro Ecclesiæ juramentum coactum non est obligatorium, quando metus est gravis, secus est si levis, tùm quia Ecclesia præsumit, quod ille, qui coactè juravit, non juravit voluntate implendi juramentum, sed potius evadendi periculum, tùm quia ille qui jurare compellit, cùm malitiosè, & dolosè processerit, nullum jus acquisivit, nec de malitia commodum reportare debet, undè nullum jus habet petendi. In foro autem Dei juramentum coactum obligatorium est, quia cum Deus voluntatem interiorem respiciat, & voluntas non possit cogi coactione sufficiente, sed inducente, & ita voluntas coacta voluntas sit, & tale sit adhuc voluntarium simpliciter, & solùm secundùm quid involuntarium, judicat Deus talem hominem obligari, & ideò in foro conscientiæ consulendum est, ei qui sic juravit, nisi relaxationem interveniat juramentum implere, sic etiam tenet ex nostris Mons Regali loco citato cap. 4. §. quintò ex D. Thoma 2. 2. quæst. 89. art. 7. ubi, quod in juramento, quod quis coactus facit, duplex est obligatio, una quidem, quia obligatur homini, cui aliquid promittit, & talis obligatio tollitur per coactionem, quia ille qui vim intulit hoc meretur, ut ei promissum non servetur, alia autem est obligatio, qua quis Deo obligatur, ut impleat, quod per nomen ejus promisit, & talis obligatio non tollitur, in foro conscientiæ, quia magis debet damnum temporale sustinere, quam juramentum violare, sic etiam discurrit Nicolaus de Orbellis l. c. & Bonacina cit. punct. 9. ubi ait esse commune assertum Doctorum juramentum metu gravi extortum, etiamsi injustè sit extortum, obligare in foro conscientiæ, modo sit de re licita, quod probat ex c. Si verò de Juramento, &c. Ad audientiam, quia

quia jure naturæ tenemur curare, ut verum sit, quod juramus, ne Deus adducatur in testem falsi; undè infert eum, qui juramento promisit usuras, teneri ad eas solvendas cap. Debitores de jure jurando, licet enim promissio sit invalida, nec sit obligatio standi promissioni ratione ipsius promissionis, nihilominus standum est ratione juramenti.

55 Verùm hoc ultimum non videtur satis consequenter illatum, cùm immediatè anteà dixerit hic Auctor juramentum metu gravi extortum, etiamsi injustè sit extortum, obligare, modo sit de re licita, usura autem non est contractus licitus. Sed quicquid sit de hoc, certum est hanc doctrinam non habere locum in materia matrimonii, ut jam notavimus lib. 4. sent. disp. 7. de Matrimonio q. 4. art. 3. n. 144. ubi diximus specialem esse rationem, ac juris dispositionem de matrimonio, seù sponsalibus, ut promissio jurata de ratificando, seù contrahendo matrimonio, sit ipso facto invalida, dum est metu extorta, quia juramentum sortitur naturam contractus, vel actus, cui apponitur, & cum contractus matrimonii omninò liber esse debeat, tale etiam supponitur esse debere juramentum ei appositum, quarè cùm matrimonium ex speciali ejus institutione non valeat, nisi plena libertate sit contractum, in hoc ipso specialis quædam repugnantia apparet, ut quis metu jurare cogatur se ex plena libertate matrimonium contracturum, & tali juramento obligatus maneat reipsa contrahere. & hæc est mens expressa Doctoris 4. dist. 29. qu. un. ab initio, ubi ait, quod matrimonium contractum per metum non tenet, nec obligatus est, qui hoc facit, etsi juret, & hoc etiam docent Cajetanus, Sanchez, Suarez, Azorius, Busemb. & plures alii Recentiores dicentes juramentum coactum in materia matrimonii non obligare, quicquid sit in aliis, quia matrimonium coactum metu cadente in constantem virum nullum est, atque ideò juramentum etiam vi, & metu extortum de eo contrahendo videtur relaxatum ipso jure, quod in præsenti materia valdè notandum est. Conveniunt tandem DD. juramentum obligare, etiamsi sit error, aut dolo extortum, dummodò dolus, vel error versetur tantùm circa circumstantias accidentales non magni momenti, quod appositè additur, quia si versentur circà substantiam, vel circumstantias magni momenti, quibus cognitis non jurasses, ut si quis juret se daturum rem aliquam, quam putat esse vitream, & posteà comperit esse gemmam, conferunt etiam ad hujus materiæ intelligentiam, quæ superius diximus disp. 4. de Contract. q. 1. a. 2. de consensu ad validitatem contractus requisito, & de errore, & dolo contractum vitiantibus.

56 Octavò conveniunt Doctores plures esse casus in quibus nulla est, vel cessat juramenti promissorii obligatio, ut fusè declarat Astesanus loc. cit. art. 8. & 11. ut si quis juret de re aliqua mala facienda, tunc enim jurans peccat, nec tenetur, imò nec licitè potest eam exequi, 2. similiter cessat juramenti obligatio si res per illud promissa fiat impossibilis, vel si absque peccato impleri non possit, ut si quod erat bonum tempore juramenti, propter circumstantias posteà illicitum fiat, vel vanum, vel majoris boni impeditivum, ut melius sit omitti, quàm impleri. 3. si notabiliter mutetur status rei, ut si v. g. jurasses aliquem punire justa punitione, is autem supplex veniam peteret, & pœnitentiam ageret, nam in tali casu posses ei sine perjurio condonare, quia juramentum obligabat perseverante statu, in quo non pœniteret. 4. si posteà aliquid accidit, quod est inductivum alicujus notabilis mali temporalis, ut si quis juravit ire Lauretum tali die, si posteà eveniat transitus illo tempore exercitus inimicorum per viam Lauretanam, qui omnes transeuntes rapiunt vel occidunt, non tenetur cum isto periculo implere, quod juravit. 5. ratione relaxationis ab eo, cui promittitur, si enim juravi me tibi daturum pecunias, si posteà dimittis non amplius dare teneor. 36. potest etiam tolli obligatio juramenti dispensatione Episcopi, vel per irritationem factam per Superiores, quibus subjecta est materia juramenti, ac etiam aliis modis à Toleto relatis cap. 22. Bonac. punct. 17. & à Monte Regali cap. 4. cit. art. 2. & c. 5. per totum.

57 Postremò ait Astesanus l. c. juramentum temerarium, & inconsultè calore iracundiæ factum non esse servandum, non enim pecco frangendo tale votum, vel juramentum, sed peccavi, quia temerè, & incautè juravi. 33. q. 5. una sola. Hoc autem juramentum incautum ait Scot. d. 39. cit. lit. L. potest esse duplex vel quia transit super materiam omninò illicitam, ut cum quis jurat se occisurum, vel adulteraturum, & tale juramentum non obligat jurantem ad sui impletionem, tamen quando juravit, si non habuit intentionem implendi illud, peccavit mortaliter, quia Deum adduxit in testimonium falsi, si etiam habuit talem intentionem, peccavit mortaliter, quia velle peccare mortaliter, est peccare mortaliter, undè hic in ipso actu jurandi omni modo peccat mortaliter, post juramentum tamen illum actum implere non tenetur, quia non debet addere peccatum peccato, non enim quia juravit illicitè, fit sibi licitum, quod prius fuit illicitum. Alio etiam modo fit juramentum incautum, & est quando transit super materiam de se licitam, sed non est materia juramenti licita, ut cum aliquis abjurat opera perfectionis, in hoc enim ponit obicem motioni Spiritus sancti, undè tale juramentum servare vergit in pejorem exitum, & ideò post juramentum non est servandum, quod juratur, quamvis enim absolutè liceat non facere opera perfectionis, non tamen licèt habere fixum velle numquam faciendi opera perfectionis, quia hoc est habere velle fixum contra Motionem Spiritus sancti, & hoc idem docent Cajet. Mol. Sanch. Laym. & alii Recentiores, quod non obligaris implere, si quid jurasti contrà consilia Evangelica, ut non ingredi Religionem, non dare Eleemosynam, & quod licet peccaveris quis talia jurando, non tamen peccat non implendo. Alia plura de juramento apud Astesanum videri possunt l. 1. tit. 18. cit. & apud Poncium disp. 60. q. 6. & 7. Aret. l. c.

58 Ex dictis autem infertur, perjurium propriè dictum esse juramentum falsum, quo quis confirmat aliquid esse verum, quod ipse putat falsum, vel confirmat esse falsum, quod putat esse verum, vel brevius est juramentum de falso in opinione jurantis, appositè autem dicitur *in opinione jurantis*, quia quamvis quod quis juraret esset verum, vel falsum, esset tale à parte rei, si tamen jurans putaret non esse tale, adhuc pejerare censeretur; undè sequitur omne perjurium propriè dictum esse confirmationem mendacii per adductionem Dei in testem, quod verum sit quod jurans juramento confirmat, licet ipse putet non esse verum, aut quod falsum sit, cum tamen ipse putet, quod sit verum. Infertur etiam ex dictis omne perjurium cum deliberatione factum esse peccatum mortale, quia re vera est gravis irreverentia Deo ipsum adducere in testem mendacii, additur autem cum deliberatione factum, quia perjurium sine deliberatione factum, non est peccatum mortale, quia ut ait Doctor d. 39. cit. sub lit. B. non minus requiritur deliberatio ad peccatum mortale, seu ad demeritum, quam ad meritum, non enim est pronior Deus ad condemnandum, quàm ad parcendum, sed ad omnem actum humanum requiritur deliberatio, nullum enim actum Deus acceptat, ut præmio dignum, nisi humanum, actus autem noster non propriè censetur humanus, nisi sit cum deliberatione factus; ergò nec aliquid sine sufficienti deliberatione factum censetur mortale peccatum, alia plura de perjurio videri possunt apud Ast. nostrum lib. 1. tit. 19. ubi per plures articulos de hac materia tractat, & apud Tancredum de Religione tract. 4. lib. 3. & de hoc rursus nos quoque aliqua dicemus infrà q. 9. art. 2.

ARTICULUS TERTIUS.

De Voto.

59 PRimò observandum est ad habendam exactam Voti notitiam sex præsertim investiganda esse. Primò quid, & quotuplex sit votum, 2. quæ requiratur voti deliberatio, & intentio, 3. quæ sit idonea voti materia, 4. quæ, & quanta sit ipsius obligatio, 5. quibus modis hæc voti obligatio cessare possit, 6. tandem quænam personæ votum emittere possint, quæ omnia fusè declarat Astesanus ex nostris lib. 1. tit. 20. per plures articulos. Votum itaque communiter à Doctoribus definiri solet ex D. Tho. q. 88. a. 1. & 2. *Promissio deliberata Deo facta de aliquo meliori bono*, quæ definitio coincidit, cum allata ab Astes. l. c. & Nicolao de Orbellis 4. d. 38. q. un. ubi de hac materia tractat. Dicitur *promissio*, quia ad votum non sufficit nudum, & simplex propositum aliquid faciendi, vel non faciendi, sed ulterius requiritur promissio cum vera voluntate se obligandi, ut constat ex cap. *litteraturam* de Voto, potest autem fieri talis promissio per solum actum locutionis interioris, & licet quandoque exprimatur actu exteriori, non sufficit tamen locutio exterior, nisi sic loquens hoc proferat animo se obligandi, ut constat ex eodem cap. cit. Dicitur *deliberata*, quia promissio subita, & inconsiderata ad rationem voti non sufficit, cùm enim votum sit quædam lex privata, qua quis Deo se obligat, & nemo se obligare velle censeatur, nisi plenam habeat deliberationem ejus, quod facit, ideò si semiplenam tantùm habeat, votum non tenet, nec obligat sub mortali, nec sub veniali, undè Theologi communiter dicunt ad voti validitatem talem, & tantam deliberationem requiri, qualis & quanta requiritur ad peccatum mortale committendum. Dicitur *Deo facta*, quia cùm Votum sit Actus Religionis, & latriæ soli Deo fieri debet, quarè dum aliquid vovemus Sanctis, sensus est ea voveri Deo in honorem simul Sanctorum, sicut templa, & altaria ædificamus Deo in eorundem honorem. Dicitur tandem *de aliquo meliori bono*, quia voti materia, ut sit idonea, duas præsertim

præsertim habere debet conditiones, ut magis infrà constabit. Una est, ut sit opus bonum, sivè sub præcepto cadat, sivè tantùm sub consilio. Altera est, ut bonum illud, quod votetur, melius sit, quam ejus oppositum, idest, ut non sit ex se alicujus operis excellentioris, & perfectioris impeditivum, quæ definitionis particulæ adhuc magis constabunt ex postea dicendis. Ità etiam Navarrus, Valentia, Toletus, Sanchez, Azorius, Sylvester, Clavis Regia, Lessius, Suarez, Bonacina, & alli Recentiores; quæ omnia confirmat Angles ex nostris 4. sent. in Floribus part. 2. q. de Voto artic. 1. de his, quæ ad essentiam voti pertinent, ex D. Bonavent. Riccardo, & aliis antiquioribus, ac etiam Astesanus loc. cit.

62 Secundò Votum multiplicirer dividitur, & quidem in primis in personale, & reale; illud est, quo Deo promittitur aliqua actio ipsius personæ, vel aliqua omissio, ut cum quis vovet peregrinationem, jejunium, orationem, vel abstinentiam à ludo, & similia; alterum est, quo res aliqua Deo promittitur, ut eleemosyna, vel alia res externa pretio æstimabilis; his aliqui adjugunt votum mixtum ex utroque, ut si voveas peregrinationem cum oblatione alicujus rei, sic enim includit personale, & reale. Et hæc est utriusque differentia, quod obligatio voti realis etiam ad hæredes transeat, non autem personalis, ut colligitur ex cap. *Parte* de censibus. Deindè dividitur in absolutum, & conditionatum, illud est, quod independenter ab omni conditione emittitur; hoc autem, quod fit cum conditione, itaut nisi hac posita obligatio non insurgat, ut si quis peregrinationem voveat, si à tali morbo liberetur, quæ tamen conditio contraria esse non debet substantiæ ipsius voti, aut ejus honestati, ut si quis voveat ea conditione, ut voto non obligetur, vel Religionem voveant ea conditione, ut aliquid proprii sibi reservet, siquidem hæc conditiones votum irritum, & invalidu reddunt. Item dividitur in expressum, quod verbis nimirum illud exprimentibus celebratur, & in tacitum, quod scilicet, non fit verbis illud exprimentibus, sed quatenus aliquid fit, cui votum est annexum, siquidem ad votum sufficit interdum promissio implicita, ut patet in ordinum sacrorum susceptione, ubi licet, non dicatur castitatem voveo, vel promitto, hoc tamen votum fit implicitè, hoc ipso, quod eos ordines susicipis sciens Ecclesiam eis hoc votum annexuisse. Rursus dividitur in simplex, & solemne, illud consistit in nuda, & simplici promissione Deo facta sine ulla solemnitate, & ob id simplex appellatur. Solemne verò illud est, quod vel susceptione Sacri Ordinis, vel professioni Religionis approbatæ conjunctum est, ut habetur cap. unico de Voto in 6. undè consistit in actuali quadam dedicatione, & traditione proprii corporis, & libertatis ab eo accepta qui vicem Dei tenet, cum quadam solemnitate, ac circumstantiis ab Ecclesia approbatis, undè hæc vota sunt quidam actus solemnes, & habent quandam vim peculiarem irritandi matrimonium, ut suo loco dictum est. Ut autem rectè intelligatur differentia vertens inter hæc duo vota, uidenda sunt, quæ diximus lib. 4. sent. disp. 7. de matrim. q 16. art. 2. ubi cum Scoto 4. d. 38. q. un. ex professo declaravimus quænam differentia sit inter votum solemne, & votum simplex, & in quo propriè solemnitas voti consistat, ac etiam quo jure votum solemne matrimonium irritet, an tantum jure Ecclesiastico, vel etiam jure naturali, est divino, & cum Scoto loc. cit. statuimus hæc vota non differre essentialiter, sed tantum accidentaliter ex sola Ecclesiæ constitutione, atquæ ideò Pontificem dispensare posse in voto solemni castitatis, & Religionis. Aliæ quoque divisiones voti minoris momenti assignari solent, quæ apud Astesanum videri possunt loc. c. a. 5. & Bonac. disp. 4. q. 2. pun. 2. & alios.

61 Tertiò cùm voti obligatio sit gravissima, non sufficit ad ejus validitatem quæcunque deliberatio, & intentio, sed requiritur deliberatio, & libertas perfecta, qua quis liberè, & directè in se promittere voluerit, & animo se obligandi, ut communiter Doctores docent, & ex nostris Astesan. loc. cit. art. 2. & Angles art. 1. diffic. 3. undè votum factum cum semiplena deliberatione, & animadversione non obligat, ut v. g. si fiat ex repentino animi motu, vel consuetudine, lingua mentem preveniente, vel ex calore iracundiæ rationis usum auferente; neque obligat votum factum cum intentione promittendi quidem, non tamen se obligandi, quia talis non censetur velle vovere, cùm conditionem apponat contrà substantiam actus, imò neque etiam talis promissio vera videtur, sed fictitia, undè neque etiam vota facta in ebrietate sunt valida, etiamsi sint antè prævisa, & sic volita in causa, quia votum debet esse in se volitum, & directè. Nec obstat, quod ad peccatum sufficiat voluntarium indirectè; & in causa, quia bonum est ex integra causa, malum autem in quocunque defectu. Quando autem votum reddatur irritum defectu libertatis per vim, & metum illatum, aut per errorem, & dolum facilè deducitur ex dictis in Superioribus disp. 4. q. 1. art. 2. ac etiam ex art. præced. nam votum factum ex metu gravi, & intrinseco, qualis est ille, qui à causa intrinseca, vel naturali infertur, sicut est metus gravis mortis ex periculosa infirmitate proveniens, validum est, & obligat, quia hujusmodi votum sponte emittitur, estque voventi gratum, & bonum, quia hoc facit ad evadendum periculum, nec fiunt hujusmodi vota sine deliberatione, quia voventes sunt in sana mente, atque ideò obligant, quod probat Astesanus l. c. ex illo psalm. *Reddam tibi vota mea, quæ distinxerunt labia mea, & locutum os meum in tribulatione mea*. Votum etiam factum ex metu gravi, & intrinseco, qui, scilicet, infertur à causa extrinseca libera, seu ab homine, validum est, si non sit extortum ad exequendum votum, sed ad alium finem; ut si quis damnatus ad triremes, votum emittit, ut ab hac pœna liberetur, est enim votum in tali casu sufficienter voluntarium, cùm illud sponte eligat, & à nemine compellatur ad tale votum faciendum, undè metus non dicitur causa talis voti, sed pura occasio. Votum autem factum ex metu gravi injustè incusso à causa extrinseca, seù libera ad extorquendum votum invalidum est ex communi Doctorum consensu, vel quia non est sufficienter voluntarium, vel quia jus illud irritat, aut Deus non acceptat, ne det vim injustæ coactioni; dixi autem ex metu injustè incusso, quia metus justè incussus non irritat votum, quia in tali casu nulla fit injuria voventi, ratione cujus votum debet esse invalidum, sibi enim vovens imputare debet, cùm talem necessitatem sibi imposuerit, undè talis metus censetur potius à causa intrinseca provenire, quàm extrinseca, ut in similibus casibus dictum est loc. c. Ita Bonacina l. c. punct. 3. plures alios citans.

62 Quo autem ad vota ex errore emissa dicendum est, quod si error vel dolus fuerit circà substantiam materiæ promissæ, ut v. g. si quis voveret aliquem calicem quem putat argenteum, cùm sit aureus, vel si quis credebat se profiteri in una Religione, & postea invenit se professum in alia, tale votum nullum est, & invalidum. Similiter si error, & dolus contingat circà causam finalem, & motivum, ut si quis v. g. voveret aliquid in gratiarum actionem pro sanitate parenti reddita, & hic reipsa non egrotasset, vel mortuus esset, tale votum pariter nullum esset, ac invalidum. & ratio nullitatis talium votorum est, quia tales promissiones non sunt voluntariæ, cùm deficiat liber consensus, qui non fertur in incognitum, nihil enim est magis contrarium consensui, quam error; de ratione autem voti est, ut sit promissio voluntaria, votum enim, ut ait Astesanus l. c. secundum quid nominis dicitur à volendo, tùm quia hujusmodi vota censentur facta sub hac tacita conditione, si materia rei promissæ sit talis, si causa finalis, & motiva substistat, quarè his non substistentibus sequitur neque votum substistere. Ita Sotus, Lessius, Sanchez, Filliuc. Bonac. & alii Recentiores passim. Qui tamen addunt, quod si error, vel dolus sit tantùm circa causam impulsivam, votum est validum, & ratio est, quia etiam in aliis contractibus talis error actum non vitiat, ut in Superioribus visum est, talis enim causa est tantùm secundaria, qua seposita, & cessante adhuc actus est sufficienter voluntarius secundum substantiam, ut patet exemplo communiter allato de eo, qui vovit adire Romam, ut visitet limina Apostolorum, & simul etiam habuit causam secundariam impulsivam, ut inviseret fratrem, quem Romæ esse putabat, undè libentius vovit, ut conspectu fratris perfrui posset, nam si tali voto emisso postea vovens intelligeret fratrem non esse Romæ, vel mortuum esse, non ideò desinit obligari voto, nam fruitio fratris fuit tantummodò causa impulsiva, & secundaria voti, non autem primaria, & motiva, ex qua doctrina communiter recepta patet, quomodo intelligendum sit, quod dici solet, vota non obligare, ultra intentionem voventis, intelligitur enim de intentione primaria, & versante circa substantiam actus, vel saltem aliquam conditionem substantialem, & magni momenti.

63 Quartò circa materiam voti, de qua agit Astesanus l. c. ar. 3. conveniunt Doctores sequentes conditiones habere debere; in primis quod sit possibilis, cum impossibile nec efficaciter intendi possit, nec ad illud sit obligatio; debet esse bona, quia Deus non acceptat promissionem rei sibi ingratæ, quale est opus malum, undè invalidum quoque est votum de re vana, vel inutili, vel indifferente, nisi ex circumstantiis, aut fine fiat bona, quia Deo displicet stulta promissio, & ut ait Astesanus loc. cit. de obligatione, quæ non est ad Dei honorem, nec est utilis ad offerentis salutem, non curat, & ideò talis obligatio non tenet ipso jure; additur autem, nisi ex circumstantiis, aut fine bono fiat, quia si sit tale indifferens, quod per aliquam circumstantiam per comparationem ad voventem sit conferens ad salutem, sic de illo potest fieri votum, licet ratione generis sit indifferens. Insuper materia voti non solum esse debet bona, sed etiam melior quam oppositum, vel ejus omissio, finis enim intrinsecus voti est, quod per ipsum honoretur Deus; id autem fieri non potest, nisi aliquod gratum ei offeratur, & gratum esse

non

non potest, ut quis obligetur ad relinquendum id, quod est melius, undè si quis voveret ducere uxorem, votum esset invalidum, quia est impeditivum majoris boni, siquidem non compatitur Religionem, quæ est status perfectionis, & consilij. Addunt tamen Cajetanus, Navarr. & alii, ut Toletus refert. l. 4. cit. c. 17. in aliquo casu tale votum esse validum, ut si alicui magis expediret talis status, quam Religio, quia nimis est incontinens, tunc enim votum obligaret, quia illi est materia melior. Rursus vovere propter malum finem, quamvis res sit bona, nullum est votum, imò est peccatū, ut si quis eleemosynam voveret ad vanam gloriam, vel Victoriam injustam obtinendam, aut impetrandum felicem successum furti, vel adulterii, quia datio eleemosynæ ob tales fines est actio blasphæma, quasi Deus peccata promoveat, ideoque non potest esse materia voti, ut communiter docent Auctores omnes adducti. & ratio est, quia, ut ait Nicolaus de Orbell. lo. cit. opus bonum relatum ad finem malum est formaliter malum. Denique ut Toletus adverrit loc. cit. materia voti idonea duplex est, quædam est, quæ sub præcepto non cadit, sed tamen est bona, ut qui eleemosynam vovet, vel peregrinationem, & alia, ad quæ non tenebatur, & tale votum obligat sub mortali, adeout qui agit contra votum etiam in re anteà non debita peccet mortaliter; quædam verò est materia aliàs etiam præcepta, ut qui vovet non fornicari, non occidere, & alia quæ sub præcepto cadunt, qui tale votum trasgreditur, bis peccat mortaliter, scilicet, & contra præceptum, & contrà votum, vel est unum mortale duobus æquivalens; undè pœnitens in confessione aperire tenetur non tantùm peccatum commissum, sed etiam ipsam voti circumstantiam, atque ita Clericus in majoribus ordinatus, qui votum habet continentiæ, si fornicetur, tenetur in confessione dicere non solum se fornicatum esse, sed etiam, simul esse Clericum, si Confessarius ignoret, & idem dicendum est de Religioso professo.

64 Quintò de voti obligatione agit Astesanus loc. cit. art. 7. ubi ait certum esse votum obligare voventem ad implendum illud quod vovit, itatut qui illud implere omittit, peccati reatum incurrat juxta illud Deuteronom. 23. *Cùm votum voves Deo tuo, non tardabis reddere, quia requiret illud Dominus Deus tuus, quod si moratus fuerim, reputabitur tibi in peccatum;* & addit secūdum aliquos magis obligare, quam juramentum, quia obligatio voti causatur ex libero consensu voluntatis hominis, & fidelitate, quam debet Deo, obligatio verò juramenti ex libero consensu hominis, & reverentia, quam debet Deo inquantum est prima veritas; infidelitas autem servi ad Dominum est gravior offensa quacunq; alia irreverentia, quam servus domino facere possit. Quamvis autem voti transgressio sit peccatum mortale ex genere suo, quia est contra reverentiam & fidelitatem Deo debitam, & gravem illi infert injuriam, nihilominus ex levitate materiæ potest esse tantum veniale, ut Doctores communiter docent, votum enim se habet per modum cujusdam privatæ legis, quam vovens sibi imponit, ideoque majorem obligationem inferre, non videtur, quam ipsa lex Divina, vel Ecclesiastica, cujus transgressio in materia levi non nisi peccatum veniale censetur. Quo autem tempore incumbat obligatio voti adimplendi, seù quandiù citrà peccatum illius executio differri possit, respondet Astesanus l. c. hoc deducendum esse ex propria voluntate, & intentione voventis juxta illud Deuteron. 23. *Quod semel egressum est de labiis tuis observabis, & facies sicut promisisti Domino Deo tuo, & propria voluntate locutus es ex ore tuo*; & ideò si de intentione, & voluntate voventis sit obligare se ad statim solvendum, statim solvere tenetur, si autem ad certum tempus, vel sub certa conditione, non tenetur statim solvere, sed nec tardare debet ultra quam intendit obligare se Deo; dicitur enim ibidem, *cum votum voveris Domino Deo tuo, non tardabis reddere quia requiret Dominus Deus tuus illicò, & si moratus fueris, tibi reputabitur in peccatum*. Ita discurrit Astesanus loc. c. & hoc idem communiter Recentiores docent dum inquit, quod vel vovens ipse determinavit tempus, vel non, si primum, executio voti ultrà illud sine peccato differri non potest, & eo major erit culpa, quo diuturnior erit mora; si vero vovens tempus illud non determinavit, votum suum adimplere debet, cum primum commodè poterit, alias si absque rationabili causa differat, peccabit.

65 Itaque obligatio voti tanta est, quantam permittit materiæ quantitas, & intentio voventis designat, qua se, vel multum, vel parum obligare vult, vel absolutè, vel cum certa conditione, & restrictione temporis, undè licet obligatio voti sit juris naturalis, vis tamen ejus, & observandi modus pendet à voluntate, & facto hominis, tanquam prævia conditione, ut taliter; vel tantùm obliget, undè qui vovet aliquid sine certa, ac determinata quantitate, v. g. eleemosynam, pecuniam, furmentum, &c. satisfacit dando, quantum voluerit, modo non sit tam modicum, ut votum suum potius irridere videatur, quam implere, & similiter, qui vovit aliquid sine certa qualitate, verbi gratia Religionem in genere, satisfacit voto per ingressum cujuscunque etiam laxioris, modo in ea essentialia serventur, & sit approbata, & ratio horum omnium ex intentione voventis deducitur, quia nemo se obligare censetur nisi ad id, quod commodè potest, & communiter est decens. Item vota personalia non nisi per voventem impleri debent, undè qui vovit verb. gr. peregrinationem Lauretanam, si alium conducat, nec personaliter vadat, non satisfacit, neque ad id tenetur, si ipse non possit rationabiliter impeditus; vota etiam realia solvenda sunt ex proprio, undè qui nequit ex suo satisfacere, non tenetur ab aliis mendicare, ut satisfaciat; quod si possit ex suo, & tamen alius sivè rogatus sivè sponte pro ipso solvere velit, id valet, quia tunc quod alter dat fit ipsius, undè quoad hoc non currit paritas de satisfactione voti realis, & personalis, res enim quæ est unius potest fieri alterius per translationem dominii, non tamen actio unius personæ potest fieri alterius. Denique alieno voto nemo obligatur ex vi illius, undè quamvis hæres teneatur solvere vota realia defuncti, non tamen tenetur vi voti, sed ex justitia, sicuti tenetur alia illius debita, & legata solvere & eodem modo si Communitas aliquod votum fecit, in quod posteri non consenserunt, ista non tenentur illud servare vi voti, sed ratione pacti statuti, vel longæ consuetudinis; qua ratione neque filius obligatur voto à patre emisso ad statum Religiosum amplectendum, quia obligatio voti, sicut & cujuscunque promissionis, ex propriæ voluntatis consensu oriri debet; si tamen filius votum illud patris approbet, & ratum habeat, tunc ad illud implendum tenebitur, undè si qui Canones indicare videntur, filium à Patre Religioni devotum teneri eam profiteri intelligendi sunt, si filius votum patris semel ratificaverit. Ità Suarez, Lessius, Sanchez, Filliucius, Layman, Bonacina, Busemb. & alii Recentiores passim, de quo alia plura etiam videri possunt apud Astesanum cit. & Angles in Floribus loc. cit. ex D. Bonaventura, & Riccardo desumpta.

66 Sextò quod spectat ad cessationem obligationis voti conveniunt Doctores quatuor præsertim modis cessare posse, de quibus fusè agit Astesanus noster loc. cit. art. 8. 10. & 11. Primus est, quando talis, & tanta rerum mutatio accidit, quæ si ab initio prævisa fuisset, votum illud in tali casu vovens non emisisset; hoc autem contingere potest, vel materiæ mutatione, ut si materia antè honesta fiat turpis, vel indifferens, vel majoris boni impeditiva ratione novæ circumstantiæ, vel prohibitionis; vel si fiat impossibilis absolutè, vel saltem moraliter, vel defectu conditionis, à qua pendebat; undè si quis v. g. voveat jejunare singulis diebus Veneris totius anni, illique superveniat gravis infirmitas, tunc ab observatione jejunii excusaretur, & obligatio cessaret, quia votum censetur factum sub hac tacita conditione, nisi mutatio superveniat. Quod si dubitetur, an mutatio talis sit & tanta, ut ea prævisa votum non fuisset emissum, tunc adimplendum est votum, quia possessio stat pro voto, & hoc magis cedit in honorem Dei. Ità post antiquiores Navarrus, Molina, Henriquez, Valentia, Suarez, Reginald. Sanchez, Bonacina, & alii recentiores passim. Secundus modus, quo cessare potest voti obligatio, est per ipsius voti cummutationem, quæ si fiat in melius fieri potest propria auctoritate voventis, dummodo tamen votum illud non sit Summo Pontifici reservatum, ità deducitur ex cap. Pervenit, de Juramento ubi habetur promissum non infringi ab eo, qui in melius illud commutat. Ratio est, quia commutans votum in melius nullam Deo injuriam facit, cum rem illi gratiorem exhibeat, ejusque voluntati satisfaciat. Si verò commutatio voti sit in aliud opus æquale, non potest fieri proprio voventis arbitrio, quia non potest aliud pro alio solvi, nisi ex promissarii consensu, at Deus consentire non videtur, ut ab obsequio sibi per votum præstito recedatur ad libitum voventis, nisi aliqua causa justa, & rationabilis urgeat, cujus cognitio ad Superiorem pertinet, vel nisi obsequium aliquod evidenter melius ipsi exibeatur, in quo casu nulla requiritur causa à Superiore recognoscenda. Ità Sotus, Suarez, Azorius, Lyman, cum aliis Auctoribus adductis post antiquiores.

67 Alii quoque duo sunt modi, quibus voti obligatio cessare potest omninò; unus est per irritationem, vel rescissionem voti auctoritate Superioris; alter quandò ejusdem auctoritate cum vovente super voto dispensatur, & inter utrumque modum hæc differentia versatur, ut Navarrus advertit c. 12. num. 65. quod dispensatio propriè ad potestatem spiritualem spectat, & causam aliquam legitimam exigit, ut valida sit; irritatio verò ad potestatem dominativam pertinet, sivè spiritualis sit, sivè naturalis, vel pollitica, neque ad ejus validitatem alia requiritur causa præter ipsam Superioris voluntatem; ut enim votum obliget requiritur, ut persona vovens sit sui juris quoad illud, quod vovet undè nullus subditus firmiter voto se obligare potest in iis, in quibus alterius voluntati subjacet, nisi consensu ejus accedat,

dat, & ideò quando Superior votum irritat Religioſi ſibi ſubditi, vir uxoris, tutor pupilli, tunc ceſſat obligatio hujuſmodi voti adimplendi, ut magis infrà explicabitur. Diſpenſatio autem eſt abſoluta obligationis voti condonatio nomine Dei facta, undè diſpenſare in voto, nihil aliud eſt, quam nomine Deo condonare obligationem voti, quam vovens ergà Deum vovendo contraxerat, quod non in eo ſenſu intelligendum eſt, ut per diſpenſationem detur licentia tranſgrediendi votum, ſed ut explicat D. Thomas art. 10. ad 2. quia auctoritate legitima Superioris diſpenſantis fit, ut hoc quod ſub voto continebatur, non amplius ſub illo contineatur, inquantum determinatur non eſſe congruam voti materiam; ut autem talis diſpenſatio ſit valida, juſta, & rationabilis cauſa requiritur, qualis eſt bonum Eccleſiæ, vel commune Reipublicæ, vel notabilis difficultas in voti obſervatione, vel imperfectio actus, aut levitas, & facilitas, ex qua votum proceſſit, ut notat Suarez, Sanchez, Filcius, Layman, Bonacina, & alii. Hæc autem diſpenſandi poteſtas omnibus Prælatis convenit, qui juriſdictionem habent in foro exteriori, vel privilegium, undè diſpenſare poſſunt, Papa reſpectu omnium fidelium, & in omnibus votis, ut Eccleſiæ caput; Epiſcopus reſpectu ſuorum ſubditorum, non autem Parochus, qui habet juriſdictionem tantùm fori interni; item Prælati regulares exempti reſpectu ſuorum Religioſorum, & Novitiorum, idque in votis, quæ vel in novitiatu, vel etiam in ſæculo fecerunt. Et ſupradicti omnes Papa inferiores diſpenſare poſſunt in omnibus votis, exceptis quinque ſoli Papæ reſervatis, ſcilicet, voto Caſtitatis perpetuæ, Religionis approbatæ, peregrinationis ad limina Apoſtolorum, ad Sanctum Jacobum de Compoſtella, & in Terram Sanctam, hæc enim quinque vota eſſe Pontifici reſervata colligitur ex Extravaganti. Et ſi Dominici de Pœniten. & remiſſ. ubi fertur excomunicatio contrà eos, qui ſine Summi Pontificis facultate iſta quinque vota commutant. Jtà Suarez, Sanchez, Clavis regia, Leſſius, Layman, Bonacina, Buſemb. & alii paſſim, de quo alia plura videri poſſunt apud Aſteſan. loc. cit. art. 11.

68 Poſtremò quod ſpectat ad perſonas voti emittendi capaces docet Aſteſanus cit. art. 6. ubi fusè de hoc agit, duo præſertim ex parte illarum requiri. Primum eſt, ut qui vovet uſum rationis ſufficienter habeat, undè pueri antè uſum rationis, & amentes, ac furioſi votum emittere non poſſunt; ætas autem, & uſu rationis ad vovendum ea ſufficit, quæ ſatis eſt ad peccatum mortale perfecto actu humano, & directo in ſe volitum; excepto tamen voto Religionis ſolemni; quod invalidum eſt, antè certam ætatem. Alterum eſt, ut perſona, que vovet ſui juris ſit quoad illud, quod vovet, cùm enim votum ſit promiſſio facta Deo, ut dictum eſt, & nullus per promiſſionem poſſit ſe firmiter obligare ad illud, quod eſt in alterius poteſtate, ſed tantùm ad illud, quod eſt omninò in poteſtate ſua, ideò nullus ſubditus firmiter voto ſe obligare poteſt in his, in quibus poteſtati alterius ſubjacet, niſi conſenſus ejus accedat, ut etiam docuit D. Thomas quæſt. 88. cit. art. 8. undè licet votum à perſona ſubdita emiſſum ſit verum votum, non tamen eſt firmum, pendet enim ex ſuperioris conſenſu, tanquam ex conditione, quæ ſi accedat, tunc validum cenſetur, ſi vero Superior contradicat fit irritum. Sex autem hominum genera Aſteſanus enumerat, quæ non ſunt omnimodè in poteſtate ſua, ſed alterius, & ideò non habent liberam vovendi facultatem, ſcilicet, Religioſus, Epiſcopus, Clericus ſæcularis, ſervus, filius familias, & uxor, qui tamen vovendo non peccant, quia ſubintelligitur in eorum voto tacita conditio; ſi placuerit Superioribus ſuis, & de ſingulis diſcurrit ibi præfatus Auctor, ſed ſatis nobis erit ex ipſo referre, vota omnia ſivè perſonalia, ſivè realia impuberum irritari poſſe à patre, tutore, aut aliis perſonis, quorum poteſtati ſubſunt, quod & de Religioſis profeſſis pariter intelligendum eſt reſpectu ſuorum Superiorum, & ad hanc irritationem ſolam Superioris voluntatem ſufficere, nec ullam aliam cauſam requiri; & eadem ratione uxoris vota, quæ ab ea fiunt de iis, in quibus marito ſubeſt, poſſe ab illo irritari, ut habetur cap. Scriptura, de Voto, ac pariter uxorem eadem ratione poſſe mariti ſui vota reſcindere, quæ derogant juri, quod in ejus corpus habet, ut ſi verbi gratia immoderatam aliquam voveret abſtinentiam, aut longinquam peregrinationem, ac diuturnam. Eſt tamen aliqua difficultas inter Theologos, quæ nam ſint ea, in quibus uxor marito ità ſubeſt, ut ſine illius conſenſu de eis vovere non poſſit, & aliqui putant uxorem ità viro ſubditam eſſe, ac Religioſum Prælato, & Superiori ſuo, atque ideò quælibet ejus vota à marito irritari poſſe, ac reſcindi. Alii tamen, ut Sylveſter, Navarrus, Azorius, Suarez, Abellius, & alii multi probabilius, & verius exiſtimant uxorem marito ſubeſſe tantùm quoad coniugii uſum, & familiæ gubernationem, eaque proindè vota dumtaxat poſſe à marito irritari, quæ vel uſui conjugii, vel familiæ gubernationi aliquod præjudicium afferre poſſunt; qua etiam ratione exiſtimant aliqui poſſe è contrà vota quoque realia mariti ab uxore reſcindi, quæ cedunt in detrimentum notabile dotis, vel aliorum bonorum, quæ ipſi, & marito communia ſunt, & ab eo adminiſtrantur, quia talia vota grave præjudicium gubernationi familiæ afferent.

69 Itaque ex dictis in hac quæſtione infertur cum Abellio de ſecundo Decalogi præcepto ſec. 2. §. 5. quot modis in hoc præceptum, peccetur, etenim ex dictis art. 1. de Blaſphemia colligitur contrà illud peccare, qui blaſphemias in Deum, & Sanctos proferunt, illos injuriosè, & contumeliosè nominant, & illis detrahunt, ac maledicunt. Deindè ex dictis in art. 2. de Juramento deducitur contrà hoc præceptum peccare illos, qui juramento falſum aſſeverant ſcientes eſſe falſum, aut probabiliter dubitantes eſſe verum; item qui juramento ſe aliquid facere promittunt, quod tamen facere non intendunt, vel illud adimplere nolunt, & qui verum quidem jurant, ſed abſque neceſſitate, ſed in re levis momenti, licet hoc peccatum ratione parvitatis materiæ ſit veniale, niſi fortè ob pravam jurandi conſuetudinem fiat mortale, quod præſertim contingit, quando quis advertens ex tali prava jurandi conſuetudine ſe frequenter falſum jurare, & tamen de emendatione non curat. Denique ex dictis in hoc tertio articulo de Voto infertur contrà hoc præceptum peccare, qui votum adimplere omittunt, vel ejus executionem abſque urgenti neceſſitate, & cauſa nimis differunt, qui aliquod malum vovent, vel bonum ex malo, & perverſo fine; item qui alterius vota realia, cujus hæreditatem acceperunt, adimplere negligunt, aut alios ad vovendum vi, metu, vel dolo inducunt, aut votorum diſpenſationem à Superioribus obtinere nituntur falſam eis ſupponendo cauſam, ac tandem aliis modis ſuperius inſinuatis. Alia plura de voto ex Recentioribus noſtris videri poſſunt apud Saccum tom. 1. lib. 2. tract. 5. ubi fusè de hac materia tractat.

QUÆSTIO QUARTA.

De Tertio Decalogi Præcepto.

70 HOc teritum Decalogi præceptum his verbis expreſſum habetur Exod. 20. *Memento diem ut Sabbathi ſantifices*, & quidem ſatis rationabiliter ad duo alia primæ tabulæ præcepta connectitur, & continuatur, quia tria Deo debemus ex lege naturæ, ſcilicet, fidelitatem, reverentiam, & famulatum. Fidelitas in eo conſiſtit, ut principatus ad alium non deferatur, quod in primo præcepto continetur, ut declaratum eſt. Reverentia verò id exigit, ut nihil injurioſum in eum committatur; quod ſecundo præcepto prohibetur, ut vidimus. Famulatus tandem Deo debetur in compenſationem, & gratiarum actionem pro beneficiis nobis ab eo collatis, præſertim creationis, & Redemptionis; & hic nobis hoc tertio præcepto conſequenter injungitur, quod quidem partim morale eſt, partim cæremoniale, ut docent D. Thomas q. 122. art. 4 & Divus Bonaventura 3. d. 27. dub. 3. circa literam, morale quidem quatenus per illud præcipitur, ut homo ſepoſitis aliis temporalibus negotiis aliquod ſuę vitæ temporis ſpatium divino cultui impendat, religioniſque exercitiis deputet; quo pacto omnes ſemper, & eodem modo obligat, cum ab ipſa lege naturali derivetur; cæremoniale verò eſt, quatenus id tempus dies Sabbathi deſignatur, & quoad hoc in novo teſtamento abrogatum eſt; ac pro eo ab Eccleſia deſignatus dies Dominicus in memoriam Dominicæ reſurrectionis, & aliæ etiam feſtivitates in honorem Chriſti Domini, & Sanctorum ejus ſunt inſtitutæ pari obſervatione, ac cultu obſervandæ, ut declaratur in Catechiſmo Romano par. 3. cap. 4. & præſcriptus eſt modus colendi, ut quædam opera illis diebus fiant, & quædam non, & quidem hæc iſto tertio præcepto prohibentur, illa verò præcipiuntur, quæ in præſenti quæſtione ſunt declaranda.

ARTICULUS PRIMUS.

Quæ opera tùm hoc præcepto, tùm ab Eccleſia diebus feſtis prohibeantur.

71 HIc ſupponendum eſt cum communi Doctorum, Summum Pontificem, & Concilium generale jus habere dies feſtos inſtituendi, & receptos abrogandi in tota Eccleſia, cùm ſint ſuprà totam Eccleſiam, nec aliorum conſilium requirant ad hoc ſtatuendum; Epiſcopi verò jure communi in ſua tantùm Diœceſi dies feſtos inſtituere poſſunt Clericorum, & populi conſenſu, ut colligitur ex cap. *Pronunciandum*. De Conſecratione, modò tamen conſuetudine receptum eſt, ut dies feſti ab

sti ab Episcopo instituantur, adhibito solùm Clericorum consilio, quos tamen in honorem alicujus Beati instituere nequit, nisi prius in numerum Sanctorum relatus fuerit, ut habetur cap. 1. de Reliquiis, & veneratione Sanctorum, & cap. finali De feriis. Princeps autem sæcularis, Respublica, vel Civitas dies festos instituere non possunt, tanquam sacros, quia cultus dei festi est actus Religionis, potestas verò sæcularis aliquid religiosum, vel sacrum instituere nequit cap. *Cum laicis*, De rebus Ecclesiæ non alienandis, & cap. *Dicernimus*, de Judiciis; appositè autem dicitur Principem sæcularem non posse instituere dies festos, tanquam sacros, quia potest prætextu civilis honoris, vel alio titulo subditis præcipere, vel tali die à servilibus abstineant operibus, & aliis civilibus negotiis, & forensibus, & transgressoribus pœnam irrogare. Ità Clavis regia, Suarez, Sanchez, Sylvester, Azorius, Angelus, Bonacina, & alii passim, hoc supposito.

72 Primò conveniunt Doctores hoc præcepto in diebus festis opera servilia prohiberi juxtà illud Levit. 23. *Omne opus servile non facies in eo*, pro cujus operis servilis declaratione advertunt, opera nostra alia esse corporis, seù corporalia, & alia animæ, qualia sunt legere, scribere, docere, disputare, concionari, consulere, & similia; corporalia verò quædam sunt ex se omnibus communia tam dominis, quàm servis, nobilibus, & ignobilibus, ut iter facere, venari, ludere, piscari, canere, uti Musicis instrumentis, & similia; quædam verò sunt servis, & ignobilibus propria, ut arare, fuere, fabricare, aut alias ejusmodi mæchanicas artes exercere, & hæc opera propriè servilia dicuntur, quia ex se famulatum quemdam important, quo homo homini servit, & famulatur, siquidem, ut notat Astesanus noster l. 1. tit. 22. a. 4. opera corporalia intantùm servilia dicuntur, inquantùm propriè ad servientes pertinent, inquantùm autem sunt communia servis, & liberis non dicuntur servilia; ex quo deducitur opera servilia, quæ die festo prohibentur, esse illa, quæ circa materiam externam versantur; & vel mæchanica, & illeberalia sunt, ut fuere, & fabricare; vel tantùm laborem corporis requirunt, & ab operariis tantùm, & servis fieri solent, undè ad rationem operis servilis impertinens est, ut aliqui dixerunt; utrum ex lucro fiat, vel ex recreatione, & an ista intentione fiat, vel illa pia nimirum, vel vana, & turpi, quia nihil horum naturam operis immutat. Ità Cajetanus, Suarez, Layman, Azorius, Reginaldus, Navarr. Clavis regia, Filiucius, Bonac. & alii Recentiores passim ex Riccardo, Astesano loc. c. & aliis antiquioribus, & sic etiam discurrit ex nostris Nicolaus de Orbellis 3. d. 37. circà tertium Decalogi præceptum. Hæc autem prohibitio constat ex variis Conciliorum, & Pontificum decretis, quorum unum, velalterum hic adducemus, ità enim refert Antoninus Augustin. lib. 26. tit. 19. cap. 1. decretum fuisse in Concilio Romano sub Eugenio Secundo his verbis; *Constat omnes omninò observare, ut in die Dominico nullus audeat operationes, mercationesque peragere, præterquam in cibariis rebus, itaut liberè possint, ac debitè in eo secundùm possibilitatem omnes ad Ecclesiam concurrere, &c. qui verò rustica opera die Dominico agere præsumpserit, contrà divina præcepta egisse non dubitet*. De hac autem abstinentia ab operibus servilibus in die festo plura alia videri possunt apud Tamburinum de præceptis Decalogi lib. 4. c. 3. & ex nostris apud Montem regalem de tertio Decalogi præcepto cap. 4. a. 2. & apud Tancredum de Religione lib. 3. de obligatione festorum.

73 Secundò operibus servilibus ulterius junguntur duo alia operum genera, quæ licet non sint servilia, quia tamen animum nimium à divino cultu abstrahunt, & temporalibus negotiis applicant diebus etiam Dominicis, & festivis, Ecclesiastico jure prohibentur, mercatus, scilicet, id est mercium emptiones, & venditiones, & forenses, ac judiciales actus ad decisionem causarum, tam civilium, quàm criminalium, tam sæcularium, quàm Ecclesiasticorum spectantes. Ità Doctores communiter ex cap. 1. de Feriis; idque pariter constat ex variis Conciliorum, & Pontificum decretis, undè in Concilio Arelatino sub Carolo Magno c. 16. prohibetur, *Ne in diebus Dominicis publica mercata, neque causationes, disceptationesque exerceantur*, & in Concilio Parisiensi sub Gregorio Quarto circa annum Domini 829. celebrato prohibetur pariter: *Ne in hac sacra, & venerabili die* (Dominica, scilicet, *mercatus, & placita, & ruralia quæcunque opera facere præsumant*. Tres autem sunt mercatus, ut Toletus advertit lib. 4. c. 24. primus, quivis in anno, aut ter singulis fit annis, & nundinæ dici solent, & hæ non sunt prohibitæ, aut si sunt, consuetudo obtinuit, licitas esse diebus festis, nisi in aliquo loco consuetudo contrarium obtinuerit, dùm tamen sacrum audiatur. Secundus est mercatus, qui singulis fit hebdomadibus, & hic non licet diebus festis, nisi in aliquo loco consuetudo contrarium obtinuerit; Tertius tandem mercatus est emptiones, & venditiones particularium, quæ fiunt quotidie, & hæ etiam prohibentur in dicto Canone. Ità Toletus ad verbum l. c. Ex quibus deducitur, quod festivis diebus citare non licet, nec testes adducere, ideſt, juramentum judiciale exigere, vel proferre, aut sententiam exequi, quæ si feratur, est irrita; nec licet vendere, vel emere res non necessarias, nec negotiari publicè, vel privatim; inire contractus emptionis, locationis, permutationis, & similes, quia intelligunt nomine mercatus proibiti, licet tamen die festo excommunicare, dispensare, judicem privatim informare, advocatum consulere, consilia conficere, eligere, &c. ut Busemb. advertit l. 3. trac. 3. c. ù. quia hæc, & similia strepitum judicialem non requirunt. Ità Suarex, Layman, Filliucius, Bonacina, & alii Auctores cit.

74 Tertiò dubitant Doctores de quibusdam operibus, an servilia sint, ac proindè, an diebus festivis sint prohibita, ut sunt iter facere, scribere, venari, pingere, ut musicis instrumentis, & similia, & quidem Navarrus, Suarez, Azorius, & alii communiter dicunt non esse opus servile, nec diebus festis prohibitum iter facere, scribere, venari, recreationis gratia, quod de piscatione, & pictura aliqui etiam asserunt; appositè autem additur illa particula recreationis gratia, quia Sylvester, Angelus, & quidam alii rationabiliter dubitant, an transcribere, & pingere lucri causa, eademque ratione piscari, & venari diebus festis licitum sit, cùm ejusmodi opera mercenariorum, & servorum sint propria quando ob quæstum, & lucrum principaliter fiunt, ac proindè servilia censeri possint, quarè concludunt in diebus festis tutius esse ab illis abstinere. Et quidem, ut singula breviter percurramus, transcriptio non est opus servile, nec proindè prohibitum in die festo, ut clarè ostendunt Tamburinus, & Mons regalis noster loc. cit. sivè enim gratis, sivè ex mercede, sivè ex officio, sivè alio modo fiat, semper est opus liberale, quia non differt ex his motivis ab ipsa actione scribendi, & Romæ passim Copistæ die festo sine scrupulo suum hoc munus publicè exercent; absque ulla Superiorum retinentia; sic etiam iter facere, sivè id pedibus fiat, sivè equo, sivè lectica ab hominibus, equisque portata semper licet, quo casu omnia etiam itineri necessaria deferri possunt, quia hæc omnia censentur necessaria itineri, ut sic, vel quia parva reputantur, vel certè quia consuetudine sunt recepta. Servile item aliqui non putant venari, & aucupari etiamsi hoc fiat ob lucrum, licet alii contrarium sentiant, & excusent, solùm per consuetudinem ad otium, aliaque pejora vitanda, item piscari saltem in fluminibus recreationis gratia, piscatio tamen moderata esse debet, quia laboriosa, & ex officio non licet. Pingere autem, & sculpere opus servile censetur secundum communiorem, pertinent enim hæc ad veras artes mæchanicas saltem sic interpretante hominium usu, licet Pictores contendant suam artem unam esse ex liberalibus; cùm enim hæc opera ab iis communiter fieri soleant, qui aliis inserviunt, judicanda sunt opera servilia, ac proindè diebus festivis illicita, præsertim si fiant ob lucrum, & quæstum, ac notabili temporis spatio. Tandem de aliis actibus corporalibus Musicæ nimirum, pulsationis instrumentorum, agitationis corporum, quæ in saltationibus, choreis, & tripudiis fiunt, & aliis hujusmodi, dicendum est nullum istorum operum propriè, & strictè loquendo esse servile, etiamsi mercenariè fiant, & ob quæstum, quia ut dictum est, hoc naturam operis non mutat; & quidem de Musica hoc manifestè patet, quoniam inter artes liberales computatur; tùm quia hæc omnia non sunt propriè, & per se servorum opera, neque ad serviendum fiunt ex genere suo, sed ad recreationem, & honestam astantium delectationem pariendam, & hic est communior, & probabilior DD. dicendi modus.

75 Hic tamen nonnulli advertunt ex D. Chrys. hom. 8. de Res. præsertim verò Abellius de tertio Decalogi præcepto §. 1. quod licet festis diebus post persoluta Religionis officia honesta aliqua, moderata recreatio concedatur, & permittatur; ità tamen, inquit Chrys. loc. cit. *Sanctorum dierum festivitas agi debet, ut relaxatione corporum puritas non corrumpatur animorum, sed potius abstinentes ab omni luxu, ebrietate, & lascivia id efficere tentemus, ut quicquid tunc corporali abstinentia non adipiscimur mentium puritate quæramus*. Undè plura sunt opera, quæ quamvis servilia non sint, propter tamen temporis excessum, quod in illis impeditur, diebus festis illicita censentur, siquidem hac ratione, & cum tali circumstantia dierum illorum sanctificationi omninò opponi videntur; nec enim à peccato excusari possunt, qui ludis, choreis, comessationibus, venationibus, & aliis similibus totos dies festos transigunt; de quo gravi abusu meritò conqueritur D. Cyrillus Alexandrinus lib. 8. in S. Ioan. cap. 5. his verbis: *Diebus ad exercenda opera servilia concessis unusquisque suo intentus est operi, & abstinet à crapula, ludis, & vanitatibus: diebus autem festis passim concurritur ad cauponam, ad ludos, ad spectacula, ad choreas in irrisionem divini nominis, & dici prævaricationem, id ne est, ò Christiani, celebrare laxa-*

diem festum indulgere ventri, & inconcessis voluptatibus habenas laxare, &c.

76 Quartò docent communiter Doctores, in hujus præcepti transgressione materiæ levitatem à peccato saltem mortali excusare posse, undè si quis in aliquo opere servili brevi temporis spatio occupetur, putà unius horæ, peccati mortalis reatum incurrere non censetur, dummodò tamen scandalum adsit. Item quæcunque opera etiam servilia festis diebus licita reddi posse ratione alicujus urgentis necessitatis, sivè publicæ, ut dicitur cap. *licet* de feriis, sivè privatæ, ut cum tempore messis agricolæ ad cavendum imminentis pluviæ damnum segetes, vel fœnum congregant, & exportant; qua etiam ratione pauperes artifices, si aliter familiam suam alere nequeant, diebus festis laborare possunt, dummodò scandalum absit, maximè quandò plures dies festi simul concurrunt; quamvis in iis, & similibus casibus semper tutius sit superiorem adire, scilicet, Episcopum, aut in ejus absentia Parochum, & ab eo licentiam postulare. Charitas etiam ergà proximum excusare potest, per quam licent, & valent actus judiciales pauperum, orphanorum, viduarum, & aliarum personarum miserabilium, ne expensis graventur; qua etiam ratione in parvis oppidis causæ civiles rusticanorum agitari possunt si aliis diebus adesse nequeant. Consuetudo quoque legitimè præscripta, & à Superioribus minimè improbata quibusdam operibus aliàs prohibitis à peccato excusat, nam sic licent nundinæ illæ in festis passim haberi solitæ; hac etiam ratione licitum est molere præsertim in molendinis ad aquam, vel ventum, ut notat ex nostris Monsregalis l c. cap. 7. & Astesanus tit. 23. a. 3. in fine, quia cum officium horum molendinorum expleri possit sine magna hominum opera, putat servandam esse regionis consuetudinem non prohibitam à prælatis circà feriationem à talibus operibus. Dispensatio tandem Episcopi, vel habentis potestatem quasi Episcopalem, uti Superiores Religionum, imò & Parochi, quando difficilis est accessus ad Episcopum ab observatione festorum excusare potest. Aliæ etiam causæ assignari solent excusantes à peccato facientes opera prohibita die festo, quæ omnes ad septem reduci solent, ut notat Navarrus, Suarez, Layman, Bonacina, Tamburinus, & alii Recentiores passim circà tertium Decalogi præceptum quibus præivit Astesanus noster loc. cit.

77 Quintò tandem dubitari solet, an ille peccet mortaliter, cui pluribus diebus festis aliqua parva opera servilia præstat, quæ simul sumpta magnam materiam videntur constituere, & notabilem temporis partem occupare. Affirmat Tolet. l. c. cum quibusdam aliis, & ratio est, quia illa parva opera continuantur, & unam materiam notabilem integrant ad mortale sufficientem. Negant probabilius, Sanchez, Bonacina, Azorius, Reginaldus, Tamburinus, & alii communiter. & ratio est, quia cùm cultus festi sit affixus diei, transeunte die transit quoque obligatio cum ipso, & consequenter opus servile uno die factum parvo temporis spatio continuatur cum opere servili alterius diei, & consequenter non integrant unam materiam notabilem ad peccatum mortale sufficientem, sicut qui singulis diebus aliquos divini officii versiculos prætermittit; qui simul sumpti, & considerati materiam notabilem constituunt, mortaliter peccare non censetur, quia obligatio divini officii ad talem diem determinata est, & affixa, & transit cum ipso die, atque ideò omissio versiculorum in uno die facta, non continuatur cum omissione illorum in alio die facta. E contrà verò mortaliter peccare censendus est ille, qui in eodem die festo diversis vicibus interpolatis modicè quidem laborat, sed ità ut unitim ad tempus notabile attendatur. & ratio est quia plura illa opera servilia distinctis vicibus facta uno, eodemque die continuantur, & parva illa temporis intervalla violata in eodem die conflant unam notabilem violationem, sicut si quis eodem jejunii die per diversa temporis intervalla singulis vicibus modica comederet, jejunium violaret, quando modica illa unita notabilem facerent comestionem. Et ex hac doctrina solvitur alia difficultas, an mortaliter peccet, qui in causa est, ut multi eodem, aut diversis diebus opera servilia præstent, quæ licet respectu singulorum modicum, & exiguum quid censeantur; magnum tamen, & notabilem constituerent materiam, si simul acciperentur, & unirentur. Dicendum enim est non peccare mortaliter, quia unius opus nequaquam unitur cum opere alterius, idemque erit si singuli successivè per modicam horam in eodem die laborent, etiamsi uno post alterum laborante, totus dies occupetur, quia pari modo unius opus cum opere alterius non connectitur, nec continuatur; sicut ergo singuli sic operantes in die festo non censentur peccare mortaliter; ità neque Dominus jubens sic illos laborare, quia non magis peccat, quàm ipsi serviliter laborantes.

ARTICULUS SECUNDUS.

Quæ opera festis præcipiantur.

78 QUoniam in hoc tertio Decalogi præcepto exterior Dei cultus præcipitur, ut suprà dictum est, conveniunt Doctores duo præsertim ad sanctificationem dierum festorum requiri; primum est, ut ab operibus servilibus abstineatur; alterum est ut dies illi cultui divino, aliisque piis operibus impendantur; postquam igitur declaratum est in præcedenti articulo, à quibus operibus abstinere debeant fideles festis diebus ex vi tertii hujus præcepti; nunc videndum est, quæ fidelibus facienda imponantur per hoc præceptum, & per quos actus, & per quæ opera Deus exteriori hoc cultu coli debeat, & quibus proindè operibus hujusmodi festis diebus insistendum sit ad hujus præcepti observationem.

79 Primo itaque ex communi omnium consensu præ cæteris Religionis, & pietatis exercitiis, quæ ad debitam festorum celebrationem pertinent, hoc præceptum fideles omnes obligat, postquam ad annos discretionis pervenerint, & usum rationis adepti fuerint, ut Sacratissimo Missæ Sacrificio intersint cum ea devotione, & attentione, quæ tantùm decet mysterium singulis Dominicis diebus, & aliis diebus festis, quæ sub præcepto observari præcipiuntur; & hoc præceptum Ecclesiasticum expressè habetur de Consec. d. 1. cap. *Missas*, & eadem dist. cap. *Omnes fideles*, & cap. *Si quis etiam*; ut Astesanus noster advertit lib. 4. tit. 16. de auditione Missæ, & Monsregalis loc. cit. cap. 4. ac alii Recentiores passim, & satis constat ex universali, & continuata Ecclesiæ praxi. Tria autem præsertim requiri ad hujus præcepti satisfactionem docent Doctores communiter primum est præsentia moralis, & humana; undè non satis est, si cœperis vigilans interesse, & deindè obdormias, cùm tunc præsentia moralis per somnum interrumpatur, non autem necesse est audire, vel videre, nam cæcus, & surdus satis præceptum adimplent. Alterum est debita attentio, qui enim corpore quidem præsens esset, sed animo vanis cogitationibus per aliquam notabilem Misæ partem deliberatè distraheretur, præcepto non satisfaceret; undè hæc attentio consistit ad minus in negatione distractionis externæ, ideſt, negatione ejus negotii, vel occupationis externæ, quæ ex se distractiva sit mentis ab auditione Missæ, quale esset, v. g. velle historiam legere, confabulari, ludere, scribere, & similia, ut docent Coninch. Hurtadus, Diana, Lessius, Henriquez, Layman, Lugo, Tamburinus, & aliis Recentiores ex D. Antonino, Durando, Sylvestro, Medina, & alii antiquioribus, quarè audiens debet esse attentus saltem virtualiter, & in confuso, itaut aliquo modo advertat, quid fiat; hinc si quis nunc attendat, nunc fabuletur, ut autem semper advertere possit, quid fiat, licet peccet irreverentia, non tamen damnandus est peccati mortalis. Tertium tamen, quod ad hujus præcepti satisfactionem requiritur est, ut integra audiatur Missa usque ad Sacerdotis benedictionem juxtà Canon. 47. Concilii Agathensis, & cap. *Cùm ad Celebrandas* de Consec. d. 1. qui enim absque justa causa partem aliquam Missæ prætermittit, peccat venialiter quidem, si exigua sit, mortaliter vero, sit notabilis. Quæ autem si hæc notabilis Missæ pars, Doctores non conveniunt, aliqui enim eam esse existimant, quæ à principio Missæ usque ad Epistolam exclusivè protenditur, ut Navarrus, Suarez, Toletus, Bonacina, & alii plures. Aliqui verò eam extendunt, usque ad initium Evangelii, ut Sylvester, Coninchius, Azorius, & alii. Quarè secundum communem à mortali excusantur, qui audiunt Missam à principio Epistolæ, vel secundum alios, Evangelii usque ad finem, vel ab initio usque ad Communionem; sed de Missa alia plura dicemus disp. seq. cùm de præceptis Ecclesiæ tractabimus. Pro nunc addere sufficiat, ab hoc præcepto excusare impotentiam physicam, ut cum quis est in carcere detentus, vel lecto per ægritudinem affixus; ac etiam impotentiam mortalem, cum scilicet, non nisi cum summa difficultate, vel gravi detrimento proprio, vel alieno temporali, vel spirituali Missam audire potest, ut si quis timeat adeundo Ecclesiam ab hostibus in via occidi, vel si domum deferat, à furibus expoliari, vel si infirmum solum relinquat ne grave aliquod patiatur incommodum.

80 Secundò est difficultas, an qui discedit à loco, ubi dies festus colitur teneatur audire Missam perveniendo, si eo mane perventurus est ad locum, ubi dies festus non celebratur. Affirmant Navarrus, Rodriquez, Clavis regia, Emmanuel Sà, Suarez, Graffius, & plures alii, quorum ratio est, quia præceptum audiendæ Missæ afficit ipsum, ubi ipsum deprehendit, & cum hujusmodi præceptum non sit ad aliquam horam certam determinatam, obligat ut quàm primum adimpleatur, si posteà ad im-

adimpleri non possit. Negat Bonacina disp. 5. quæst. 3. punc. 3. cum Sanchez, & aliis quibusdam, quorum ratio est quia præceptum audiendæ Missæ obligat pro tempore matutino usque ad meridiem, non verò simpliciter pro brevi illa hora matutina, aut pro tempore, quo quis futurus est extrà terminos territorii, in quo dies festus celebratur. Undè ad rationem in oppositum respondet negando præceptum obligare summo mane ad Missam audiendam, sed indifferenter obligare pro toto tempore matutino usque ad meridiem, alioquin homines peccarent quoties Missa summo mane non audirent. Sed prima opinio probabilior, ac magis pia videtur, quia prævidens aliquod periculum, & impedimentum futurum adimpletionis præcepti, hujus adimpletionem prævenire tenetur, alioquin malitiosè illud prævaricari ceseretur; ergo qui summo mane opportunitatem habet audiendi Missam die festo prævidens fore, ut reliquo tempore Missam audire nequeat ob aliquod impedimentum, illam summo mane audire tenetur. Nec valet, quod Bonacina respondet subditum teneri prævenire adimpletionem præcepti, quoties tempore impedimenti prævisò adhuc respectu ipsius viget obligatio præcepti, non verò teneri prævenire adimpletionem dum prævidet fore, ut subsequenti tempore exemptus remaneat ab onere præcepti. Non valet, inquam, imò hæc est manifesta principii petitio, hoc enim est, quod modò disputamus; & in dubium vertitur, an teneatur prævenire adimpletionem præcepti, qui ipso adstringitur, dum prævidet fore, ut subsequenti tempore ab onere illius exemptus remanebit; & quamvis præceptum audiendæ Missæ absolutè loquendo non obliget pro brevi illa hora matutina, sed pro tempore matutino usque ad meridiem; tamen in casu posito, quod prævideat impedimentum futurum adimpletionis præcepti, & videtur teneri prævenire adimpletionem præcepti, & consequenter obligari pro illa brevi hora matutina; non quidem simpliciter, & absolutè loquendo, sed data illa suppositione prævisionis impedimenti futuri adimpletionis præcepti, etiamsi prævideat fore, ut subsequenti tempore ab onere præcepti exemptus remanebit, sic enim adhuc dolosè, & malitiosè videretur adimpletionem præcepti prætermisisse.

81 Tertiò est Difficultas, An præter Missam teneamur ad aliquid aliud in die festo. Affirmarunt antiquiores nonnulli quorumdam Canonum auctoritatibus innixi, qui hoc docere videntur; nam in sexta Synodo datur licentia iter agendi in die festo ità duntaxat, ut hujus occasione Missæ, & orationes non prætermittantur; ergò orationes sub eodem præcepto constituuntur, quo Missa. Item ex Concilio Cathaginensi 4. c. 24. videntur fideles obligari ad audiendam concionem in die festo, quando in publico Ecclesiæ conventu fit, & idem habetur in Can. 10. Apostolorum, quod scilicet omnes fideles debent, qui ad Missas conveniunt Sanctas Scripturas audire. Et idem etiam deducitur ex Concil. Trident. sess. 5. c. 2. & sess. 24. c. 4. de Reform. ubi præcipitur Episcopis, & inferioribus pastoribus, seù Parochis, ut saltem diebus Dominicis, & solemnioribus festis populis suis per se, vel per alios prædicent Verbum Dei, Communis tamen, & vera sententia, ut refert. Monsregalis noster l. c. c. 4. art. 1. docet hoc præceptum colendi Deum in die festo, quatenus affirmativum est, non obligare ad exercendum in trà illum diem alium actum externum divini cultus præter Missam. & ratio est, quia Ecclesia nihil aliud præcipit, nec invenitur scriptum aliud præceptum, nec traditione, nec consuetudine habetur. Ità Navarrus, Suarez, Azorius, Layman, & alii Recentiores passim dicentes, quod estò consultum si iis, qui in Missa audienda die festo impediti sunt, ut alias orationes ad Deum fundant, non tamen id ab Ecclesiam præceptum est, nam finis præcepti non cadit sub præcepto, nisi quatenus intrinsecè continuetur in objecto, quod præcipitur, ut docet D. Thomas p. 2. quæst. 110. art. 9. & 10. ac. verò cultus Dei est quidam finis Ecclesiastici hujus præcepti, sed non præcipitur in alia materia, seù obiecto, nisi in hoc determinato, ut Missa audiatur. Nec auctoritates adductæ aliud convincunt, ex verbis enim eorum non præcipiuntur aliæ ratione ex vi hujus præcepti, præter illas, quæ in Missa fiunt, & quibus cum debita attentione debent illi assistere; vel si intelligantur de aliis, continent consilium non præceptum, aut certè indicant tantùm finem præcepti, qui finis non semper cadit sub præcepto, ut dictum est. Nec etiam ullum est præceptum obligans in rigore, & per se audiendam concionem in die festo, ut constat ex communi usu, & sensu fidelium, & fortasse tempore illo hoc statutum fuit ad majorem Fidei Christianæ propagationem, quæ necessitas nunc non adest. Denique neque in Concil. Tridentino id præcipitur; dicit enim Pastores Ecclesiæ ex officio teneri prædicare Verbum Dei, & docere ac instruere populum, & determinat, ut saltem in diebus Dominicis, & solemnioribus festis hoc faciant, *ubi id commodè fieri potest*, undè non tam rigorosè, & præcisè id præcipitur, ut pecare graviter censeantur, si interdum, vel sæpius illud omittant, non enim utitur Conciliorum verbis talem, ac tantam obligationem inducentibus; sed mandat, ut id faciant illis diebus, & aliis per Quadragesimam, & Adventum, si ità oportere duxerint, ut ibi additur, & alias quotiescunque id opportunè fieri posse judicabitur, ut notat Monsregalis loc. cit.

82 Quartò est etiam Difficultas, An præter cultum externum in die festo teneamur etiam ad internum. Scotus noster 3. d. 37. §. *Quantum ad secundum*, affirmare videtur, loquens enim ibi de precepto diligendi Deum super omnia, & de tempore determinato, quo id præceptum obliget, habet hæc formalia verba. Quando autem sit hoc, fortè determinavit illud præceptum divinum, *Sanctifica Sabbatum*, & maneat unusquisque apud se, idest, recolligendo se, & ascendendo ad Deum suum. Et Ecclesia specificavit quantum ad missam audiendam in die Dominico de consec. d. 2. cap. *Missas* & idem sentire videtur Cajetanus tom. 2. opusc. tract. 4. ubi ait, quod qui tenetur audire missam die festo, tenetur non solùm corpore interesse, sed etiam mente, quia præceptum Ecclesiæ omnibus factum de interessendo sacrificio intelligendum est more humano, ut scilicet intersint, ut rationabile, atque ità concludit populum obligari ad Missæ cultui interessendum corpore, & mente, cum animo vacandi Deo, quantum Deus dederit; hoc autem, inquit facere, non poterit, nisi mentem elevando, & actum dilectionis Dei super omnia exhibendo. Angelus etiam verbo *Feriæ* num. 41. dicit, quod tenentur homines, ad eliciendum actum contritionis in diebus festis, si sint in peccato mortali. Verùm communis, & verior opinio docet præter cultum externum in die festo audiendi Missam non teneri ad ullum actum internum mentis, nisi quantum sufficit ad atentionem Missam debitam modo superius explicato, & Navarrus in Manuali cum pluribus aliis, & communis sententia docet non teneri homines ad actum internum dilectionis Dei super omnia, aut contritionis in diebus festis; & hujus opinionis videtur etiam esse Doctor noster loc. cit. licet pro opposita citetur, dum ait quantum ad cultum Deo exibendum in diebus festis Ecclesiam hoc specificasse quantum ad Missam audiendam; ergò de mente ipsius ad nullum actum tenemur internum contritionis, vel dilectionis Dei super omnia; & obligationem actus interni tribuit sanctificationi Sabbati in lege veteri, non autem Dominicæ diei lege Euangelica, ut evidenter constat ex ejus verbis suprà relatis, quarè non puto à communi opinione recendendum.

83 Quintò tandem ex dictis in hac quæstione infertur cum Abellio de tertio Decalogi præcepto sect. 2. §. quot modis in hoc præceptum peccetur, etenim ex dictis art. 1. deducitur contrà hoc præceptum peccare, qui diebus festis contra Ecclesiæ prohibitionem opera exercent servilia absque ulla legitima causa, & qui alios ad id cogunt, vel inducunt, ac etiam Superiores sibi subditos permittentes diebus festis operibus illis servilibus vacare. Item qui diebus illis officinas tenent apertas ad merces vendendas victui quotidiano minimè necessarias, & qui citrà necessitatem aliquid vendunt, vel emunt, præsertim si in emptionibus, & venditionibus, illis tempus aliquod notabile impendatur. Item Judices, ac illorum Officiales diebus festis judiciales actus exercentes absq; ulla urgente necessitate; & tandem qui totos dies festos, aut maximam illorum partem commessationibus, choreis, ludis, ac aliis actionibus vanis impendunt. Deindè ex dictis in articulo deducitur graviter contrà hoc præceptum peccare qui diebus festis Missam audire omittunt, vel integram non audiunt; vel si præsentes fuerunt, non tamen cum debita attentione adstiterunt, & partem aliquam ejus vanis cogitationibus, & superfluis confabulationibus deliberatè distraxerunt; ac denique peccare Patresfamilia; & alios Superiores, qui à filiis & subditis Missam diebus festis audiri parum curant, & negligunt.

QUÆSTIO QUINTA.

De quarto Decalogi præcepto

84 EXplicatis hactenus primæ tabulæ præceptis Dei cultum, honorem, & amorem respicientibus nunc ad præcepta secundæ tabulæ secundendum est, quæ ad proximi dilectionem pertinent, exordio ab illo desumpto, quod Exodi 20. primum obtinet locum, & illis exprimitur verbis: *Honora patrem tuum, & Matrem tuam.* Ratio autem ordinis, & connexionis, seù continuationis hujus quarti præcepti ad tria alia præcedentia primæ tabulæ est, quia cum præcepta Decalogi nos ordinent ad dilectionem Dei, & proxi-

proximi, hoc quarto præcepto præcipitur ordinatio hominis ad proximum suum; inter proximos autem maximè obligamur parentibus, & ideò immediatè post præcepta nos ad Deum ordinantia, tanquam ad ultimum finem, & universale principium nostri esse, ponitur præceptum nos ordinans ad parentes, qui sunt particulare principium nostri esse; & quoniam præter obligationes generales, quæ unumquemque proximorum spectant, sunt aliquæ speciales filiorum erga parentes, & vicissim parentum erga filios, quæ hoc quarto Decalogi præcepto præscribuntur, istæ sunt in præsenti quæstiones explicandæ; quamvis enim in hoc præcepto expressa mentio non fiat amoris, & honoris parentum erga filios; nihilominus subintelligitur, ut Bonac. advertit disp. 5. quæst. un. punct. 1. ex D. Antonino p. 2. tit. 14. c. 4 cùm enim ipsamet natura parentes in amorem, & honorem filiorum sufficienter inclinet, opus non fuit hoc debitum exprimere, quia vero filii in honorem, & amorem parentum ita non sunt propensi, ideò in hoc præceptum facta fuit expressa mentio honoris filiorum in parentes; & hæc omnia docet etiam Astesanus noster l. 1. tit. 24. art. 1. in fine, & antè omnes D. Bonav. 3. d. 37. dub. 4. literali.

ARTICULUS PRIMUS.

Quænam sint obligationes filiorum ergà parentes.

85 DOcet Catechismus Romanus nomine honoris parentibus exhibendi tria præcipuè significari reverentiam scilicet, amorem, & obedientiam, quibus aliqui adunt sustentationem, ut Astesanus, & Bonacina loc. cit. quæ ad amorem reduci potest; hos ergo quatuor actus in quibus honor parentibus exhibendus præsertim consistit, in hoc articulo explicabimus incipiendo ab actu reverentiæ parentibus debitæ, quos quidem ait Astesanus loc. c. esse actus cujusdam virtutis specialis, quæ pietas dicitur, & à Tullio pars justitiæ ponitur, cum enim ad rationem justitiæ pertineat, quod debitum alteri reddat, ubi invenitur specialis ratio debiti alicui personæ, ibi est virtus specialis sub justitia contenta; debetur autem aliquid alicui specialiter, quia est principium producens in esse, & gubernans; hoc autem principium pietas respicit, inquantum parentibus, & patriæ, & his qui ad hoc ordinantur, officium, & cultum impendit, & sic patet, quod pietas est virtus specialis ad justitiam reducibilis, & quod ad eam pertinet honorem parentibus exibere. Ita Astesan. loc. cit.

86 Primò, itaque ratione pietatis tenetur filius parentibus suis reverentiam exibere; quod non solùm ex verbis hujus quarti Decalogi præcepti deducitur, *Honora patrem tuum, & Matrem tuam*, sed etiam ex ipso jure naturæ, cui hoc nititur præceptum; jus enim naturæ dictat reverentiam esse parentibus exhibendam, non tantùm interiorem, quæ fit per recognitionem Superioris, & per quendam timorem filialem, sed etiam exteriorem, quæ verbis exhibetur, & aliis signis, scilicet, de eis honorificè loquendo, assurgendo, caput inclinando, famulando, & similibus, quarè olim edixerat Deus Exod. 21. *Qui maledixerit Patri, vel Matri morte moriatur*; undè contumeliæ, convitia, irrisiones, & alia similia peccata, quæ in aliis personis plerumque ob levitatem materiæ venialem malitiam non transcenderent, si hæc in parentibus fiant, ob circumstantiam personæ secundum communem Doctorum, ut plurimum mortalia censentur; & hac eadem ratione si filius parentem percutiat, etiamsi percussio sit levis, imò secundùm aliquos etiamsi solùm manum attollat ad verberandum, peccatum mortale committit, & solummodò interminari gravis respectu illius injuria censetur. Ità Navarrus, Graffius, Reginaldus, Clavis regia, Bonacina, Tamburinus, & alii passim. Item si parentes despiciat, & agnoscere nolit, eo quod sint pauperes; quod si tamen exterius tantùm dissimulet, & nolit apud se habere ex justa causa, dummodo de necessariis provideat, à peccato gravi eum Bonacina excusat loc. cit. eo quod rationabiliter non sint inviti, ut si v. g. hoc faciat ad vitandum damnum honoris, divitiarum, aut vitæ, quod alioquin illis cognitis incurreret, tunc enim parentes rationabiliter id ægrè ferre non debent, nec injuriæ adscribere, sed pro filii bono consentire tenentur tali dissimulationi. Demum graviter etiam peccat filius contra hoc præceptum, si parentes in foro externo etiam de vero crimine accusat exceptis tamen criminibus hæresis, proditionis patriæ, vel conjurationis in Principem, cùm non est alius corrigendi modus; undè à mortali filius excusatur, qui parentes infames, aut proditores, vel hæreticos dedignatur, justam enim habet dedignationis causam in tali casu, cùm bonum commune sit privato præferendum, tum quia ut ait Astesan. l. c. honorem Patris cœlestis tenetur præferre honori patris carnalis, undè in tali casu ait, tenere Evangelicum illud: *qui honorat patrem, & Matrem plusquam me, non est me dignus*, sic etiam Bonac. discurrit loc. cit. cum Doctoribus allatis.

87 Sed Difficultas est, An si Princeps det liberam facultatem occidendi proscriptos à patria, licitè ne filius patrem occidere possit. Affirmant Jurisconsulti nonnulli, tum quia filius negare debet alimenta patri proscripto; ergò & poterit occidere; tùm quia alicubi ad sunt leges, ut qui proscriptos occiderit, certam mercedem consequatur, à cujus consecutione filii non excluduntur. Negant Layman, Tamburinus, & alii Summistæ, quia id graviter, atque ideò moraliter cum charitate repugnat, & pietate, qua filius Patrem amplecti debet, & ajunt leges illas, quæ filium non excipiebant, jam desiisse, & expirasse, quia impiæ sunt, ut & impium esset alimenta denegare patri proscripto, quod Layman etiam extendit ad parentes respectu filii, & ad uxorem respectu mariti. Quæres, an in aliquo casu liceat filio patri suo manus violentas inferre. Respondet Monsregalis noster de quarto Decalogi præcepto c. 3 tunc solum licere, quando filius vult seipsum tueri à nece, quam sibi pater intentat inferre, si alio modo se tueri non possit, aut quando aram capit, ut Rempublicam, Principem defendat, pro quo citat Azorium, & alios. Cæterum, quamvis id in primo casu concedi possit, ac debet, negat tamen Tamb. l. 5. c. 2. id concedi posse in alio casu quod probabilius videtur, & ait tantùm prohiberi posse filium, ne patri alimenta ministret, id enim quid negativum est, at non positivè interficere posse.

88 Secundò ratione pietatis tenetur filius speciali modo ad amorem erga parentes, adeout odium parentum longè gravius peccatum sit odio cujuscumque alterius personæ, qua de causa Navarrus, Toletus, Tamburinus, & alii dicunt hanc circumstantiam personæ parentum in peccato odii esse in confessione aperiendam, utpotè constituentem peculiarem impietatis speciem. Neque sufficit amor internus, sed tenetur filius signa etiam externa benevolentiæ parentibus ostendere in occasione necessitatis, sivè corporalis, sivè spiritualis; ex quo deducitur amorem, quo filii parentes prosequi tenentur, primò consistere in fuga odii, quod est præceptum negativum de non habendo odio parentes, deindè in exibitione signorum amoris, quod est præceptum affirmativum ad amorem positivum parentum obligans, saltem cum subest necessitas corporalis, vel spiritualis, quia judicio viri prudentis signa amoris exibere tenentur, v. g. alimenta, & alia ad victum necessaria eis subministrare, si in gravem egestatem redacti fuerint; si in egritudinem inciderint, vel in carcerem sint detrusi, illos visitare, & quantum in ipsis est subvenire, & succurrere, ut pristinam sanitatem, vel libertatem recuperare possint; & à fortiori curare, ne absque digna Sacramentorum susceptione migrent ex hac vita, ne opera pia eorum testamentis præscripta, diù differantur, & tandem ne suffragiis Ecclesiæ, & aliis subsidiis post mortem debitis fraudentur. Undè colligitur graviter peccare filios contra amorem parentibus debitum, si signa odii parentibus ostendant, eosque asprè tractent, si eis non subveniant in gravi necessitate corporali, vel spirituali; si non impleant eorum testamenta, & legata, modò sint hæredes; si grave malum, v. g. mortem illis optent, & similia, ut quamprimum in hæreditatem succedant. Ità Navarr. Reginald. Fill. Tolet. Bonac. Tambur. & alii passim.

89 Sed hic oritur dubium, An si pater nulla bona filio relinquat, teneatur hic ex propriis bonis solvere debita patris. Affirmant quidam Jurisperiti innixi L. his solis ff. de condict. indebit. in qua sancitur, si quis rem alienam acceperit, & res illa in utilitatem alterius fuerit concessa, teneri hunc tertium ad solutionem, si is, qui accepit non solverit; & hoc etiam affirmant de mutua pecunia à Patre accepta, quæ expensa fuit pro alimentis ejusdem filii. Negant Molina, Regin. Sanchez, Tamburin. & quidem probabilius, cum aliis Summistis. & ratio est, quia mutui repetendi obligatio est personalis, quarè cum filius nomine suo pecuniam illam non susceperit, nihil omninò debebit; quod etiam quoad pecuniam pro filii alimentis susceptam, de qua major est difficultas, affirmari debet; quia Pater filios alere tenetur, & hi jus habent adversus Patrem alimenta petendi, qua de causa mutuum illud à genitore acceptum semper contra illum urgebit, & cadet, & non adversus filios. Quod etiam probatur à pari, sicut enim deficientibus viri bonis uxor regulariter non tenetur debita viri solvere, etiam ad ipsammet uxorem, & ad familiam alendam contracta, quia utramque alere marito incumbit, & non uxori; ita pariter in casu posito, si bona paterna non supersint. Neque urget lex in oppositum adducta, illa enim solùm habet locum, cum tertius pecuniam accepit ex causa lucrativa, non autem onerosa, at filius alimenta conquisivit ex causa onerosa, quia ipsi omninò à Patre debebantur.

90 Tertiò tenentur filii obedire parentibus, undè Apostolus pluribus in locis illud inculcat *filii obedite parentibus vestris*, ad

Ephes.

Ephes. 6. & quidem in primis eis obedire tenentur in his quæ, spectant ad bonos mores, itaut mortaliter peccent, si cum pertinacia resistant patri precipienti, ne scorteutur, ne ludis prohibitis vacent, ne pravas conversationes foveant, & similia: item obedire tenentur in iis, quæ ad domus gubernationem pertinent, itaut si obedire recusent in re gravi, & alicujus momenti, graviter peccent, maximè si ex contemptu id faciant, vel animi obstinatione. Non tamen obedire tenentur in rebus pravis, quia tantum in iis rebus obedire tenentur, in quibus sunt illis subjecti, in rebus autem pravis filius non est patri subditus, quia præceptum, & voluntas Dei præferenda est præcepto, & voluntati patris; nec etiam in iis obedire tenentur, quæ pertinent ad vitæ statum in materia Religionis, aut matrimonii; ut diximus l. 4. sent. disp. 7. de Matrimonio quæst. 8. art. 1. num. 245. ex quo infertur filium licitè posse inscio, & non admonito patre Religionem ingredi, si sciat patrem de hac re admonitum reclamaturum, & injustè impediturum, in his enim, quæ ad perfectiorem vitæ statum pertinent, filius non est patri subditus. Quamvis autem filius post pubertatis annos directè parentibus non subdatur in his, quæ ad vitæ statum amplectendum, putà Religionis, vel matrimonii pertinent, ut docent D. Thomas 2.2 quæst. 189. art. 6. & Scotus 4. d. 27. quæst. 2. plures tamen, & graves Doctores docent filium peccare mortaliter, qui contra voluntatem patris uxorem ducit conditioni suæ minimè convenientem, ut loc. c. diximus, ac etiam filium teneri ab ingressu Religionis abstinere, ut parentibus subveniat, quos videt, ad extremam necessitatem redactos, aut brevi redigendo prevídet, ut mox dicemus. Et quamvis etiam filius semper mortaliter peccet non obediendo patri in iis, in quibus illis subjectus est, supposita gravitate materiæ; tamen ex levitate materiæ à mortali excusari potest, ut constat ex regulis generalibus de gravitate, & levitate peccatorum; imò etiam à veniali interdum excusari potest; si pater aliquid filio imperet non intendens illum obligare ad obediendum obedientia sibi debita; præceptum enim non obligat ultra præcipientis intentionem. Ita de obedientia filiorum parentibus debita discurrit etiam Bonacina loc. cit. pun. 4. cum communi Doctorum, quos ibi refert; & Astesanoster antè omnes loc. cit. art. 3.

91 Hic disputari solet, An pater licitè possit retrahere filium à Religione, seù ejus ingressum in Religionem impedire; de quo puncto sufficienter tractavimus disp. 8. de Restitutione in particulari q. 1. art. 2. & difficultas resoluta est juxtà doctrinam Scoti 4. d. 16. q. 3. in solutione ad 3. prin. Undè hic solùm addere sufficit, quod cum Pater licitè id facere nequeat, nisi prætextu præsertim paupertatis, & necessitatis, ut hoc motivum sit licitum, & sufficiens ad impediendum ingressum filii in Religionem quinque sunt necessaria, ut notat Mensregalis noster loc. cit. c. 4. ex D. Thoma 2.2. q. 101. art. 4. Primum est, ut necessitas sit præsens, vel proxima. Secundum, ut sit extrema, vel quasi extrema. Tertium, ut filius remanendo in sæculo possit subvenire necessitati parentum de præsenti, ideſt, quandiù durat ipsa necessitas, & ingrediendo Religionem non possit. Quartum, ut non sit alius, qui possit, & velit subvenire. Quintum, ut filius remanens in sæculo non habeat probabile periculum salutis suæ spiritualis, ideſt, quod in sæculo non possit evitare aliquod peccatum mortale, vel ejus proximam occasionem, à quo tamen periculo liber fieret per Religiones ingressum. Et ratio hujus est quia uniusquisque ex ordine charitatis propriam salutem spiritualem magis diligere, & procurare tenetur, quam corporalem aliorum etiam proximorum, & parentum, ut adhuc magis constabit ex modò dicendis.

92 Quartò tandem tenentur filii subvenire parentibus tam in necessitate spirituali, quàm corporali, modò subvenire, & sustentare valeant. & ratio deducitur ex proximè dictis, quia filii speciali modo tenentur ratione pietatis ad amorem ergà parentes, non possunt autem eos verè diligere, nisi tempore necessitatis eis subveniant. Ità D. Thomas l. c. Toletus, Reginaldus, Clavis regia, Bonacina, & alii Theologi passim. Difficultas solum est, an propter subventionem parentum possit filius dimittere ingredi Religionem, vel ab ea egredi; quæ difficultas resolvenda est consequenter ad nuper dicta, quod necessitas quæ premuntur parentes, vel est extrema, vel saltem gravis, quæ talis hoc loco dicitur, dùm pater vivere quidem possit sine alterius ope, sed viveret cùm notabili jactura sui status, & maximo suæ condictionis detrimento, ut mendicando, & famulando aliis. Si necessitas non sit extrema, nec gravis, sed communis, vel nulla, in tali casu inquit Astesanus l. c. prætermitti possunt officia pietatis in parentes propter Religionis divinum cultum, & in hoc sensu ait D. Hjeronymum esse locutum in Epist. ad Heliodorum. Per calcatum perge patrem, per calcatam perge Matrem, ad vexilla Crucis evola, summum genus pietatis est fuisse crudelem. Si verò necessitas parentum est extrema, vel saltem gravis, non debet eis relictis religionem ingredi, quia transgrederetur præceptum de honoratione parentum; tenetur enim filius ex præcepto pietatis subvenire parentibus in extrema, vel gravi necessitate constitutis, & præceptum semper est præferendum consilio, qualis est Religionis ingressus, & hoc intelligitur non solùm de necessitate præsenti, sed etiam si probabiliter futura credatur, & de proximo, ut præcitati Doctores advertunt, & de necessitate parentum præcisè, non autem fratrum, sororum, vel aliorum propinquorum; non enim ità stricto præcepto tenetur istis subvenire, sicut illis, & consequenter neque ob necessitatem istorum tenetur se tanto bono privare sicut tenetur ad subveniendum necessitati illorum, dùm aliter subvenire non potest, nisi in sæculo remaneant. Et tandem in casu proposito non solùm tenetur filius dùm est in sæculo ab ingressu Religionis abstinere, sed etiam tenetur tempore Novitiatus egredi, ut dictæ necessitati parentum subveniat, quia in utroque casu eadem ratio militat, ut Bonacina advertit loc. c. pun. 5. cum pluribus aliis Doctoribus ab ipso adductis.

93 Major difficultas est, si necessitas parentum post professionem filii supervenerit, an licitè possit, & teneatur à Religione egredi ad eam sublevandam. Respondetur cum communi DD. quod si ea necessitas sit extrema, tenetur egredi ad tempus si aliter necessitas parentum sublevari non possit, petita tamen prius sui Superioris licentia, & facultate, licet non obtenta, si autem necessitas si gravis tantum, in qua utcumque possint vivere, non tenetur quidem, potest tamen egredi, si Superior permiserit; & in his casibus post Religionis egressum tenetur deferre habitum, & servare vota, & præcepta Religionis eo modo, quo commodè potest, quia per egressum ad tempus non eximitur ab obligationibus, quas per professionem contraxit. Dixi *ad tempus* quia sublevata parentum necessitate professus Religiosus ratione voti Deo facti debet ad Religionem redire, in qua prius per professionem vota Religionis emiserat; sublata enim causa remanendi in sæculo non potest amplius in eo remanere, quia votum professionis in tali casu non tollitur; sed differtur. Ità Monsregalis loc. c. Bonacina, Lessius, Toletus, Filliucius, Sanchez, Busemb. & alii DD. Communiter.

ARTICULUS SECUNDUS.

Quæ sint obligationes parentum ergà filios.

94 Sicut filii ergà parentes, sic etiam parentes ergà filios ad aliqua charitatis officia obligantur, & nomine parentum intelliguntur non tantum genitores, sed etiam ascendentes, v. g. avus, proavus, &c. quia ergo, ut fert adagium, per naturam sensualitatis amor potius descendit, quam ascendat, ex hoc parentum amore erga filios tria potissimum parentes illi debent. Primum est alimentatio necessaria. Secundum est instructio in Fide, Religione, & bonis moribus. Tertium est cura, studium, & diligentia, ut in certo vitæ statu pro conditione personæ filius collocetur. Ità Toletus, Azorius, Reginaldus, Bonacina, Filliucius, Tamburinus, Monsregalis noster, & alii Doctores communiter, quæ tres obligationes sunt in præsenti articulo breviter explicandæ.

95 Primò itaque tenentur parentes gravi obligatione juris naturalis conservationem, & educationem liberorum curare, hoc est, alimenta, & alia vitæ adjumenta necessaria eis subministrare; quod intelligendum est, quamdiù illis indigent, nec sibi providere possunt, & appellatione alimentorum intelliguntur victus, vestitus, habitatio, medicinæ, quibus adversæ valetudini corporis succurritur, & similia; undè graviter peccant parentes, qui sine justa causa prolem hospitali, vel locis publicis exponunt, quia sic filios deserere, & derelinquere videntur contrà naturalem, & paternam pietatem; dixi sine justa causa, quia si justam habeant exponendi causam, non peccant, ut si pater existat in valdè gravi necessitate, vel periculo vitæ, aut infamiæ, nulli enim adscribitur culpæ, quod quis justa de causa facit, cùm prudenter operari censeatur. Undè mater tenetur, sub veniali tamen prolem lactare proprio lacte, nisi justam habeat excusationem, & in tali casu tenetur sub mortali bonam nutricem quærere, quæ non sit morbo infecta; item secundum jura tenetur usque ad finem anni tertii prolem alere, posteà verò ejusdem prolis educatio spectat ad patrem usque ad emancipationem; limita tamen, nisi hic esset pauper, & mater dives. Pater autem tenetur proli alimenta subministrare, nisi tamen aliundè se alere possit, & non indigeat, & hoc non tantùm de legitima prole intelligendum est, sed etiam de spuria, in quo jus civile à Canonico correctum est juxtà cap. *Cùm haberet;* deindè etiam dotem filiæ constitueret, quia dos succedit in locum alimentorum, quod ampliandum est etiamsi filia Monasterium ingredi velit, quia spirituale conjugium favorabilius est temporali ex Autent. de Sanct.

Sanct. Episcopis collat. 9. ac etiam si filia invito parente nubat, quia nullo jure sufficienter probari potest patrem ob id eximi ab onere tradendi dotem, quam aliàs tradere tenebatur. Undè graviter parentes peccant si diligentiam saltem mediocrem non adhibeant, ut bona acquirant, quibus filii alantur, & hæreditatem habeant, juxtà sui status conditionem; item si bona dilapidando impotentes se reddant ad liberos honestè secundùm suum statum educandos, & dotandos. & tandem si sine justa, & legitima causa filiæ dotem negent, vel filium exhæredent, ut quia vult Religionem ingredi, vel quia ipsis invitis nupsit, vel quia filius ordinem sacrum suscepit; sicut enim pater suos liberos dotare tenetur pro matrimonio, vel Religionis ingressu, ità etiam ad sacros ordines suscipiendos. Ità Azorius, Reginaldus, Filliucius, Bonacina, Busemb. & aliis DD. supracitati.

96 Secundò tenentur parentes gravi obligatione instruere liberos per se, vel per aliòs in necessariis ad salutem, undè procurare tenentur, ut rudimenta fidei addiscant, scilicet, Orationem Dominicalem, Symbolum Apostolorum, præcepta Decalogi, & Ecclesiæ, & alia, quæ salutem æternam, & spirituale animæ bonum spectant. Debent etiam illos verbis, & exemplis ad bonos mores inducere, & christianè vivendum, & a peccatorum occasionibus avertere, eosque delinquentes non ex ira, sed ex charitate corripere, nec ulla ratione permittere malorum consortia illos habere, & quantum in ipsis est, omni diligentia curare, ut legis mandata observent, Ecclesiæ præcepta custodiant, ab omni peccato abstineant, & virtutes amplectantur, & bonis actibus, & disciplinis instruantur. Undè graviter peccant parentes, si negligant, ut filii fidei rudimenta addiscant, bonis moribus imbuantur, mandata Dei, & Ecclesiæ observent, & à peccatis abstineant; item si consilio, vel malo exemplo ipsos depravent, si occasiones peccandi ab eis non avertant, & in locis, ac domibus suspectis habitare permittant, eosque dissolutos non objurgent, ac puniant, quod tamen etiam moderatè fieri debet, nam etiam peccaret pater immoderatè filium verberans, ut si v.g. notabilem læsionem filius ex tali percussione pateretur, ut notat Bonacina loc.cit. ex Soto, Sylvestro, Reginaldo, Molfesio, & aliis juxtà illud Apost. *Patres nolite ad iracundiam provocare filios vestros*, ubi etiam addit teneri Patrem facere sumptus, & expensas, ut filius in litterarum studia incumbat, sicut cæteri patres ejusdem conditionis in eadem patria consueverunt. Ratio horum est, quia puerorum animus in tenera, ac puerili ætate est tanquam tabula rasa, in qua nihil est depictum, & sicut facilè cura, & diligentia parentum ducuntur in bonum, ità eorumque incuria, & negligentia faciliùs mali evadunt juxtà illud Proverb. 22. *Adolescens juxtà viam suam ambulans, etiam cùm senuerit, non recedet ab ea*, & ut Horatius, inquit, *Quo semel imbuta recens servabit odorem testa diù*, & ideo parentes in corrigendis filiis, eisque bonis moribus imbuendis negligentes graviter peccant, & sæpè etiam in hac vita à Deo puniuntur, ut constat de Heli. 1. Reg. 2.

97 Tertiò tenentur etiam parentes liberis relinquere libertatem circà electionem status, itaut eum eligere sinant, ad quem ipsos à Deo vocari cognoverint, itaut neq; ab aliquo bono statu amplectendo eos invitos retrahenti sine justa, ac legitima causa; neque è contrà ad statum aliquem, sivè Religionis, sivè Sacerdotii, sivè Matrimonii amplectendum invitos cogant, quia ut ait Astesanus loc.cit. quilibet ingenuus est liber quantùm ad pertinentia ad dispositionem sui status. Undè graviter peccant parentes, si absque justa causa filios impediant, ne Religionem ingrediantur; si post emissa continentiæ vota in ætate deliberandi vi, aut dolo ab eorum impletione retrahant, vel eos cogant, & consulant ad conjugium eligendum; item si eos invitos dolis, aut minis, nisi in casibus jure permissis, ad ingressum Religionis, aut susceptionem habitus, aut professionem faciendam cogant, undè Concil. Trident. sess. 25. de Regular. cap. 18. excommunicat cogentes ad Monasterium filias his verbis. Anathemati Sancta Synodus subiicit omnes, & singulas personas cujuscunque qualitatis, vel conditionis fuerint, fulgentes, si quomodocunque coegerint aliquam Virginem, vel Viduam, aut quamcunque aliam mulierem invitam, præterquam in casibus in jure expressis ad ingrediendum Monasterium, aut habitum suscipere, vel ad emittendam professionem, quique consilium, auxilium, vel favorem dederint scientes eam non sponte ingredi Monasterium vel habitum suscipere, aut professionem emittere: hæc Conc.loc.cit. ubi simili quoque anathemati subiicit eos, qui sanctam Virginum, vel aliarum mulierum voluntatem velum accipiendi, vel voti emittendi quomodocunque sine justa causa impedierint, & tales sunt omnes illi, qui per vim directè, vel indirectè illatam fœminæ ejus voluntatem impediunt, idest, per dolum, vel graves minas, & similia.

98 Quartò, quoniam, ut docet Concil. Colon. & alii Doctores in explicatione hujus præcepti, nomine parentum, & præterim Patris quatuor genera personarum comprehenduntur; primum est parentum, qui secundùm carnem nos genuerunt. Alterum est superiorum potestatem spiritualem habentium, ut sunt Episcopi, Curati, Pastores, &c. Tertium est potestatem secularem habentium, quales sunt Reges, Principes, Duces, & Domini. Quartum est aliorum, qui aliquam super nos potestatem habent, quales sunt Magistri, tutores, & alii hujusmodi. Ideo, quæ de officiis, & obligationibus filiorum ergà parentes, & parentum ergà filios dicta sunt, servata debita proportione etiam intelligi debent de officiis, & obligationibus pupillorum ergà tutores, & alios parentum vicem gerentes, item de officiis, & obligationibus servorum, subditorum, & quorumcunque inferiorum ergà Dominos, vel quoscunque Superiores, & e contrà, ut docent Navarrus, Bonacina, Toletus, Abellius, & alii Doctores passim. Ex quo inferunt Christianos omnes teneri sub mortali peccato Summo Pontifici obedire in re gravi & justa ad fidem, & christianam disciplinam pertinente; similiter Diœcesanos Episcopis, Parochianos Parochis, servos dominis, subditos superioribus, & populos Principibus, in his, in quibus respectivè illis subditi sunt; illisque non modo obedientiam, & reverentiam, sed etiam amorem specialem, & illius officia, quotiescunque recta ratio, & prudentia id postulat, exhibere; è contrà verò Superiores omnes vicissim teneri ad diligenter gerendam sibi subditorum curam, tam in temporalibus, quam in spiritualibus prout cujusque officium postulat, ut patet ex 1. ad Timot. 1. *Si quis*, &c. & ratio est, quia sunt eorum caput, ideoque tenentur quodammodo servata proportione ad eadem, ad quæ parentes ergà filios. Et quidem quod ad temporalia spectat, domini servis suis alimenta submini-strare tenentur, & mercedem solvere debitam, & alia præstare, quæ justitia, vel charitas exigit. Quo ad spiritualia verò procurare tenentur, quantum in ipsis est, ut in rebus ad salutem necessariis instruantur, ut servent præcepta Dei, & Ecclesiæ; undè peccant graviter Domini, si sine justa causa famulos impediunt, ne dies festos debitè sanctificent, opera servilia eis imponendo, vel alia jubendo, quæ sine peccato fieri nequeunt; aut si graviter deliquentes non corrigant, vel negligentes necessaria ad salutem non moneant; certum tamen est in ista spirituali cura inferiorum strictiorem esse obligationem Pastorum, quibus ex officio id munus incumbit, quàm aliorum Dominorum. Et tandem tutor, idemque de curatore dicendum est tenetur curam gerere pupilli, ejusque bona ritè, & fideliter administrare, quia in hunc finem constituitur, & loco patris assignatur pupillo; undè si delinquat hac in re, vel notabiliter negligens sit, graviter peccat, & ad compensationem damni, quod ex eo pupillus accepit, obligatur saltem de dolo, & culpa lata. Ità DD. citati, & alii passim.

99 Quintò tandem, quoniam non solùm est obligatio parentum in ordine ad filios, sed etiam inter virum, & uxorem, disputant ulterius hìc Doctores, quid teneantur conjuges ergà se mutuò ex vi hujus præcepti charitatem jubentis inter propinquiores; & unanimiter docent maritum teneri exhibere uxori honorem, & amorem non solùm actibus internis, verum etiam externis, quia quilibet tenetur seipsum diligere, & proximum, uxor autem est ità proxima marito, ut sint duo in carne una Matt. 19. imò etiam præstare ei obedientiam in iis, in quibus est uxori subjectus, ut constat ex mutua conjugum obligatione, qua alter alteri debitum petenti reddere tenetur. Undè peccat graviter maritus in ordine ad uxorem circà spiritualia, si absque legitima causa eam impediat ab impletione præceptorum Dei, & Ecclesiæ, ut si absque causa illi prohibeat diebus festis audire Missam, ne jejunet tempore jejunorum, impediat à Communione &c. Item si verbis contumeliosis, & infamatoriis eam afficiat, etiamsi sine animo infamandi ea proferat; & tanto magis si eam atrociter percutiat, vel verberet; moderatè tamen castigare verbis, vel etiam ex gravi causa moderatis verberibus quandoque potest pro ejus correctione L. Rei judicate, ff. soluto matrimonio, habita tamen ratione conditionis, & status illius. Item si cum uxore habitare recuset, aut per longum tempus se absentet absque justa, & legitima causa; si alimenta negat, modo maritus uxorem alere possit, aut uxor propria culpa à mariti consortio non recesserit, & tandem si gubernationem domus negligat, & rem familiarem disperdat. È contrà verò uxor tenetur amorem, honorem, & obedientiam viro exhibere in iis, in quibus viro subjecta est, quia vir est superior, & caput mulieris; undè peccat graviter uxor, dùm notabiliter inobediens est in iis, quæ ad bonos mores, & domus, ac familiæ regimen, & gubernationem pertinent, in his enim viro subjecta est, quarè etiam moraaliter peccat, si spreto viro sibi jus, & imperium gubernandæ domus arroget, quia hoc ad virum spectat; ut ex 33.qu.5. multis capitibus colligitur. Item peccat graviter uxor, si maritum rixis, vel acribus verbis ad gravem iram, vel blasphemiam

phemiam provocet; si maritum sequi recusèt domicilium mutantem, dummodò possit sine periculo vitæ, & salutis, & contrarium non sint pacti; & maritus post nuptias non sit factus vagus, non enim tenetur sequi maritum vagabundum, si tempore contractus vagari non solebat, vel vxor hunc mariti morem ignoravit, qui si noverat à principio, tenetur eum sequi, dummodò ob honestam causam, & sine mortis periculo id facere possit. Tandem graviter quoque peccat si sine sufficienti indicio de mariti continentia malè judicet, si absque justa causa debitum neget, & si quid notabile contrà viri voluntatem expendat, & consuetudinem fœminarum similis status, nisi tamen ex paraphernalibus, si habet, id fecerit. Ità Navarrus, Sylvester, Sanchez, Reginaldus, Toletus, Clavis regia, Sayrus, Filliuc. Bonac. Monsregalis, & alii DD. passim.

100 Hic disputari solet, An si maritus æs alienum contraxit, ut uxorem aleret, cogi possit uxor illud solvere ex propriis bonis defuncto marito, de quo fusè Bonacina discurrit loc. cit. punct. 7. num. 13. quæ difficultas soluta manet ex dictis art. præced. num. 89. de debitis à patre contractis pro filio alendo, an patre defuncto filius ea solvere teneatur ex propriis bonis. Sed major difficultas est, & curiosior; in extrema necessitate quis magis sit adjuvandus Pater, an filius, an uxor, ut v.g. Petrus videt Patrem suum, ac etiam filium, & uxorem, vel fratrem in extrema necessitate constitutos, nec nisi duos habet modicos panes quorum unum, sibi reservat ob individui proprii conservationem; alterum cui comedendum porrigere debet patri, ne an filio, an uxori vel fratri? Dixerunt aliqui absolutè loquendo potius uxori subveniendum esse, quam filiis, & parentibus ipsis juxtà illud Gen. 2. *Propter hoc relinquet homo patrem, & matrem, & adhærebit vxori suæ*, pro quo dicendi modo citantur Suarez, Valentia, Coninch. Henriquez, Castropal. Bonac. & alii. Communior tamen & probabilior opinio apud Lessium, Tamburinum loc. cit. & alios Patrem præfert omnibus aliis, quia plura debet filius patri, quàm pater filios, vel quam frater fra r, & conjugi conjux, cum sit principium carnale sui esse, & ab eo, constitutionem, & educationem habeat, qua ratione dixit Arist. 9. Eth. quod *filius honestius subvenit parentibus quàm sibi ipsi*. Hoc autem signatè asserunt loquendo de extrema, vel saltem gravi necessitate; nam extrà illam, & in communibus necessitatibus dicunt quemlibet potius filio succurrere debere, quàm genitoribus ipsis, ut ipsa praxis quotidiana docet, quia filius sub cura parentis est, non autem parens sub cura filii; genitoribus item plus deberi etiam in communi necessitate, quam fratribus, naturalis ipsa ratio dictat, ac tandem uxorem potiùs, quàm parentes, vel filios, esse pariter in communibus necessitatibus alendam, ac sublevandam, utpotè viro datam in communi commercio, ut sociam inseparabilem. & in hoc sensu interpretatur illud Gen. 2. Relinquet homo patrem, & matrem, &c. ut nimirum in communibus necessitatibus sit potius uxori subveniendum quàm parentibus, & filijs, non autem in extremis. Si tandem quæras, cui potius ex parentibus est in extrema necessitate subveniendum, patri ne vel matri, si utrique subveniri non potest, sed tantùm alterutri, respondendum est eodem modo, patri nimirum potius subveniendum esse, quàm Matri, ac etiam eadem ratione, parentibus enim in necessitate subveniendum est, tanquam principiis nostræ originis, nobiliorem autem, & altiorem principii rationem habet Pater, quàm mater. Addit tamen Tamburin. loc. cit. §. 5. inter hos consanguineos adeò strictè conjunctos non esse mortale dictam prælationem non observare, quia inter hujusmodi obligationes tantùm discrimen non intercedit, ut sub pœna mortali altera alteri præferri debeat.

QUÆSTIO SEXTA.

De quinto Decalogi Præcepto.

101 EXplicatis quatuor Decalogi præceptis honorem, & dilectionem Dei, & proximi respicientibus. sequitur, ut præcepta quibus jus proximi violari prohibetur, aggrediamur, exordio ab illo desumpto, quod Exodi 20. habetur his verbis. *Non occides*, & est quintum Decalogi præceptum, quo prohibetur injuria, qua proximus læditur in persona propria. Ad cujus explicationē tractari solet de homicidio, & mutilatione sui ipsius, de homicidio, & mutilatione alterius, & de restitutione propter alterius injustā occisionem, vel mutilationem facienda; sed quia hæc omnia sufficienter pertractata sunt superius disp. 8. de Restit. in particulari qu. 2. de Restitutione damni in bonis corporis, hic breviter agemus de intelligentia quinti hujus præcepti, & declarabimus quid inteligatur per homicidium hoc præcepto prohibitum.

ARTICULUS PRIMUS.

Quomodo hoc quintum Decalogi præceptum intelligi debeat.

102 PRimò D. Bonav. 3. sent. disp. 37. dub. 5. literali ait hoc quinto Decalogi præcepto non tantum prohiberi homicidium exterius, sicut intelligebat populus carnalis in veteri testamento, qui solùm reputabat illud prohiberi, pro quo inferebatur pœna ab ipsa lege; sed secundum intellectum legislatoris, & secundum explicationem à Christo Domino summo legislatore factam Matth. 5. prohiberi, & homicidium exterius, & voluntatem deliberativam ordinatam ad lædendum proximum ex iracundia; undè inquit prohiberi iram cum consensu deliberativo in animo, & cum expressione exterius in verbo, & signo, & cum perpetratione in facto, & hoc apertè deducitur ex verbis Christi Domini loc. cit. cum inquit *Audistis quia dictum est antiquis non occides; ego autem dico vobis, quia omnis, qui irascitur fratri suo reus erit judicio, qui autem dixerit fratri suo, racha, reus erit concilio; qui dixerit, fatue, reus erit gehennæ ignis*, quibus verbis dat intelligere triplicem gradum peccati iracundiæ præcedentis homicidii consummationem, undè non tantùm datur intelligi in prædicto mandato prohiberi perpetrationem homicidii in opere, sed etiam offensam in corde, offensionem in signo, & expressionem in verbo. Ità discurrit D. Bonav. loc cit. ex quo discursu colligitur, non modò hoc quinto Decalogi præcepto prohiberi homicidium exterius, sed etiam quemlibet injustum vindictæ appetitum, & quodlibet probrosum, & contumeliosum verbum, aut aliud iræ, & malevolentiæ exterius signum, quibus veluti gradibus inter rixantes ad ultimum iræ, & vindictæ effectum pervenitur, quod est homicidium opere perpetratum, ut etiam advertit Abellius de quinto Decalogi præcepto sec. 5. §. 1. quæ omnia peccata, cùm sint mortalia, æterna pœna censentur esse digna, quæ nomine judicii, concilii, & gehennæ significantur, veluti variis gradibus distincta, ut ibi communiter Interpretes exponunt. Ex quibus tandem infertur tria præsertim hoc præcepto prohiberi, ut etiam explicatur in Catec. Rom. p. 3. cap. 6. primum est, quolibet nocumentum corporale proximo injustè illatum, & tantò magis sibi in propria persona, vel per se ipsum, vel per alium jubendo, consulendo, consentiendo, aut alia quacunque ratione cooperando. Alterum est quodcunque convicium, aut probrosum, & injuriosum verbum ex ira, & appetitu vindictæ in eum prolatum. Tertium tandem est quilibet deliratus iræ motus, & injustus vindictæ appetitus, etiamsi neque actu, neque ullo verbo, aut signo exteriori probatur.

103 Secundò, quamvis certum sit, & de fide aliquam hominis occisionem tàm jure naturali, quàm divino illicitam esse, ac prohibitam, non tamen occisio hominis est illicita, si præcisè consideretur quatenus per eam homo privatur vita vegetativa, & sensitiva; nam eadem ratione illicitum esset animalia occidere, ac plantas evellere, & amputare, quod omninò falsum est, certum enim est, ac de fide contrà Manichæos, licitum esse animalia occidere in hominum usu, sicut etiam licitum est herbas, & plantas secare in usum hominum, aut animalium, ut constat Gen. 1. & 9. Nec etiam hominis occisio est illicita ea ratione præcisè, quod per eam vita rationali homo privetur, quia tunc omnis occisio hominis illicita esset, quod etiam falsum est, quia pariter certum est, ac de fide aliquas hominum occisiones licitas esse, siquidem etiam jure naturali notum est peccatores, & improbos Reipublicæ pernicioſos licitè occidi, nam cum pars naturaliter in bonum totius ordinetur, licitum est ergà partem id facere, quod bono communi expediens est, expedit autem aliquando bono communi, ut malefactores aliis partibus communitatis nocentes deleantur auctoritate publica. Itaque hominis occisio ea tantum ratione propriè est illicita, quod per eam homo vita rationali privatur contrà rationem, & voluntatem suam rectam, quia jure naturali vivere vult, ac velle potest, quamdiu Deo placet; cum enim cædes est contrà rectam hominis rationem, & voluntatem; tunc propriè est contrà charitatem, & justitiam, quia quilibet in tali casus jus habet ad propriam vitam conservandam, quo jure rationabiliter prirvari non potest, & talis est hominis occisio, quæ per hoc quintum præceptum prohibetur & quæ communi usu homicidium appellatur, quod intrinsecè, & semper est illicitum. Prætereà hominis occisio ex eo peculiariter redditur illicita, quod occidatur ab homine privatè, etiamsi aliquis morte sit dignus, etenim malefactorum occisio solùm est licita, quatenus bono communi expedire judicatur; quarè ad illum duntaxat pertinet cui cura boni communis specialiter incumbit, ac proindè ad eum qui publica fungitur potestate, & auctoritate, ut docet Scotus 4. d. 15. qu. 3. art. 2. lit. G. §. *Sed quis est justus occisor*, ubi inquit hoc præcepto, *Non occides* pro-

prohiberi occisionem cujusvis hominis sine legitima auctoritate, & justa lege; undè immeritò, & inconsideratè nimis Molina, Bannes, Bonac. Amicus, & alii Recentiores oppositum Scoto impingunt, quod scilicet, negaverit licitum esse publica auctoritate malefactores occidere, eo quia hoc quinto præcepto simpliciter, & absolutè prohibetur omnis hominis occisio, cum simpliciter dicatur: *Non occides*, quapropter Scoti sententiam temerariam esse dicunt, periculosam in fide, & praxi totius Orbis Christiani contrariam; temerè inquam, ac temerariè hic error Doctori nostro impingitur, cum totum oppositum loc. cit. doceat, ut jam ostensum est l.c.d.8.q.2.art.1.n.19. Adhuc tamen actus occidendi alium etiam privata auctoritate aliquando honestus esse potest titulo justæ defensionis, dummodò id fiat cum moderamine inculpatæ tutelæ, ut ibidem diximus, & probavimus num. 20. cum communi DD. & hoc etiam docet Astesanus lib. 1. tit. 25. art. 2. & ex D. Aug. 1. de Civit. Dei cap. 2.

104 Tertiò ibidem dictum est num. 17. quod cum hoc præcepto prohibeatur omnis injusta hominis occisio, aut mutilatio, ac notabilis alterius læsio, tantò magis censeri debet hoc eodem præcepto injustam sui ipsius occisionem, mutilationem, & aliam sui corporis notabilem læsionem prohiberi, quia nemo habet auctoritatem in seipsum, cùm solus Deus humanæ vitæ sit dominus directus, & absolutus; & licet homo jus habeat vitam suam custodiendi, & utendi illa, & suis membris; proprié tamen vitæ suæ, & membrorum dominium non habet, ut dictum est suprà disp. 3. de Justitia, & Jure qu. 2. art. 1. n. 31. quarè ex intentione, & directè nemo potest seipsum licitè occidere, vel mutilare; licet tamen carnem vigiliis, & inedia moderatè affligere, ut spiritui subiiciatur, imò est virtutis opus, ut ex Apostolo colligitur 1. ad Cor. 9. *Castigo corpus meum, & in servitutem redigo*, qui tamen advertens vitam iis notabiliter minui, & nihilominus continuaret, graviter peccaret, quia hoc fieri non debet cum notabili vitæ, aut virium detrimento; hæc enim est indiscreta corporis castigatio, quæ & nocumentum efferre, & majora bona impedire solet. Ità Cajetan. Victoria, Clavis regia, Navarr. Laym. Bonac. Filliucius, Diana, & alii passim, quorum aliqui dicunt etiam in hoc casu multos se jejuniis affligentes excusari ob bonam fidem, & zelum Deo placendi. Quod autem ad mutilationem spectat, docent communiter DD. ut lo. cit. dictum est, in duobus tantùm casibus licitam esse alicujus membri mutilationem. Primò, quando membrum aliquod corporis, ægrum, vel putrefactum obstat bono totius corpori, cum enim pars sit propter bonum totius, quando ei obstet, deleri potest. Secundò quando Judex, & communitatis gubernator judicat talem pœnam expedire in punitionem alicujus malefactoris, v. g. manus abscissionem, ut homines à flagitiis arceantur, & bonum commune totius Reipublicæ conservetur etiam cum detrimento partis. Tandem licitum etiam est patribus disciplinæ causa filios verberare, & dominus servos, & aliis curam aliorum habentibus moderatè tamen, ut dictum est q. præced. art. 2. non tamen iis licitum est occidere, vel mutilare, non enim tam latè patere debet potestas eorum, qui imperfectis Communitatibus præsunt, ut sunt Patres familias respectu filiorum, & Domini respectu servorum, quàm patet potestas ejus, qui præest toti communitati Civitatis, vel Regini.

105 Quartò etiam advertendum est, quod quamvis quodlibet homicidium injustum, & quælibet notabilis corporis mutilatio ex genere suo grave sit peccatum; interdum tamen ex quibusdam circumstantiis occurrentibus potest adhuc gravius fieri, ac etiam quandoque levius. Si enim persona occisa, vel mutilata sit sacra, & Ecclesiastica, sit pater, vel mater, aut Superior, peccatum fit gravius, & pariter si occisio, vel mutilatio, aut gravis alia percussio facta sit in Ecclesia, aut aliquo loco sacro cum sanguinis effusione, undè locus ille pollutus fuerit, quarè hæ duæ homicidii, vel mutilationis circumstantiæ sunt necessariò in confessione explicandæ. E contrà verò, si plena rationis advertentia, & deliberatio deesset, aut si vindicta aliqua levis appeteretur, peccatum si non esset, nisi veniale, imò quandoque nullum esset peccatum, si homicidium, v. g. sit casuale, & absque culpa, aut dolo commissum, quod præter intentum evenit, ut si quis faciat aliquod opus, quod nullo modo de se aptum est mortè inferre, & tamen indè merè accidentaliter mors sequitur; sic etiam nullum esset peccatum, si justa aliqua irascendi causa subesset, & solùm correctionis gratia aliqua proferentur aspera verba, dummodò tamen ultrà limites à prudentia præscriptos, nec ira, nec lingua transiliant, siquidem ut docet D. Gregor. in c. 4. Job. *alia est ira quam impatientia excitat, alia quam zelus justitiæ format; illa ex vitio, hæc ex virtute generatur.* Rursus qui voluntariè, & non sine culpa se inebriavit, si animi propensionem, & rixandi in ebrietate consuetudinem suam perspectam habens, homicidii periculum suspicatus fuerat, duplicis quidem peccati reus est, scilicet intemperantiæ, & injustitiæ, ut ait Arist. 3. Eth. c. 5. quamvis enim tale homicidium, non sit ex proposito, sivè voluntarium directè, est tamen voluntarium indirectè, & in sua causa culpabile; è contrà verò qui culpatè se inebriavit, sed de homicidii periculo nihil suspicatus fuit, quia anteà expertus non erat se in ebrietate ad pugnam inclinatum esse, secuto infelici cædis eventu non est de crimine homicidii arguendus, aut puniendus. & ratio est, quia tale homicidium neq; est directè voluntarium, ut patet, neq; indirectè, & in casu, nam ut aliquid ità voluntarium censeatur, opus est effectum, ut plurimū, aut frequenter cum aliqua voluntaria operatione conjunctum esse, alioquin non censebitur effectus per se, & secundum intentionem virtualem, sed casualis, & per accidens; quarè tale homicidium non voluntarium, sed casuale, & inculpatam censeri debet, & ille peccavit solùm in tali casu peccato intemperantiæ, quatenus ebrius, sed non contrà justitiam peccato homicidii, utpotè de quo neque cogitavit, nec probabiliter cogitare poterat, aut debebat, qua ratione D. Aug. l. 22. contrà Faustum c. 44. factum Loth. Genes. 19. excusat. *Inebriaverunt eum, & se nescienti miscuerunt, quapropter culpandus est quidem, non quantum ille incæstus, sed quantum illa merebatur ebrietas.* Ita Castro, Cajetanus, Covar. Molina, Lessius, & plures alii apud Layman libr. 3. de Just. tract 3. p. 3. cap. 4. Alii verò talem ab homicidio non excusant, quia operam dedit rei illicitæ. Ità Astesanus noster l. c. cum pluribus aliis.

106 Quintò ex dictis deducitur cum Abellio sect. 5. de quinto Decalogi præcepto quot modis in illud peccetur, nam in primis peccant illi, qui injustum vindictæ appetitum deliberatè concipiunt, qui ultrà rationis, & charitatis limites motu aliquo iræ se abripi sinunt, qui convicios, & probrosa verba in alios proferunt, qui sibi ipsis ex desperatione mortem exoptant, aut violenter inferre tentant, aut saltem temerè, & sine ulla rationabili causa periculo mortis se exponunt. Item peccant qui aliquem sibi non subditum verberant, vel percutiunt, aut subditum quidem, sed sine justa causa, aut licet justa causa, immoderatè tamen, & cum notabili excessu, undè læsio gravis, & mutilatio, ac etiam mors sequatur. Item peccant qui sine legitima auctoritate alterum mutilant, vel occidunt, quia extrà casum necessariæ defensionis nulli id licet, nisi auctoritate publica, & juris ordine servato, ut patet Exo. 20. & Rom. 1. qua ratione neque marito licet uxorem, neque patri filiam occidere in adulterio deprehensas, quia ad id auctoritatem publicam non habent, & Leges Civiles id permittentes à Jure Canonico sunt correctæ, tamquam iniquæ, ut Layman, Busemb. & alii passim advertunt, secus est de proscriptis, quos occidendi cujus auctoritas publica conceditur, idque non injustè, cùm ad Reipublicæ defensionem id sit necessarium. Peccant etiam qui cum legitima auctoritate mutilant, vel occidunt, sed sine justa, & sufficienti causa, aut ex privata intentione, qui alium occidunt ob vitæ, vel honoris, aut pudicitiæ, vel fortunarum defensionem, sed non servato moderamine inculpatæ tutelæ, qui alium occidunt casualiter quidem, & præter intentionem, sed non adhibita sufficienti diligentia, aut qui ex ignorantia, vel negligentia omittunt aliquid facere, ad quod tenebantur, ex qua omissione secuta est mors alterius, undè non solùm opere homicidium perpetratur, sed etiam notabili omissione. Rursus contrà hoc præceptum peccant, quia alios ad duellum provocant, vel provocationem illam acceptant, qui duello tanquam patrini, aut spectatores intersunt, qui consilio, favore, aut quavis alia ratione cooperantur, & qui in duellum aliorum consentiunt, aut cùm possint, non impediunt, ut constat ex dictis suprà de duello disp. 10. quæst. 4. ar. 2. Demum peccant præterea contrà hoc præceptum fœminæ pharmacum sumentes, vel aliud remedium ad impediendam fœtus conceptionem directè tendens, vel ad expulsionem, & abortum illius, sivè sit animatus, sivè non. Item matres, quæ in eodem lecto infantes secum retinent cum probabili periculo illos opprimendi contrà Superiorum prohibitionem. Quæ omnia patent ex dictis disp. cit. 8. q. 2. art. 1. & 2. & alia plura videri possunt apud Astes. lib. 1. tit. 26. & seq.

107 Sextò Dùm hæc scriberem tantùm, & non anteà pervenit ad manus Theologia Moralis fundamentalis Caramuelis, opiniones valdè singulares, & peregrinas passim proponentis, quarum aliquas hac de causa in superioribus propriis locis examinare non potui, nec sine exacto examine, ac matura reflexione amplectendas opinor, tùm quia ut aliàs dixi terminos antiquos, quos posuerunt Patres nostri transgredi non licet, nempè Doctores Classici D. Th. Scot. D. Bon. Alexander Alensis, & alii antiquiores, tùm quia vetus adagium est, qui tritam, & veterem, ut novam ineat, deserit viam, seseque deceptum sæpissimè experitur, quod si in materiis scolasticis id diximus habere locum, tantò magis in moralibus id asserendum e-

rit, quæ conscientiis dirigendis deservire debent; tùm tandem quia ut ab initio in præfatione hujus Tomi Theologiæ Moralis diximus, in tanta rerum implexarum, & arduarum varietate, & caligine sola ratio ad captivandum intellectum in Christi obsequium non sufficit, ideoque auctoritati Sacræ Scripturæ, Conciliorum, Summorum Pontificum, nec non SS. Patrum, & DD. maximè probatorum, tanquam certiori, & fidei magis amicæ fidendum est, ac præcipuè nitendum, non autem acumini, & perspicacitati nostri intellectus, qui in hujusmodi rebus, ut sensibus conjunctus plerumque caligat. Loquens igitur hic Auctor fundamento 54. de quarto præcepto honorandi parentes, postquam dubia quædam proposuit contrà communem ejus explicationem, finem quæstionis his verbis claudit. Hinc patet quartum Decalogi præceptum non fuisse examinatum benè, & debere perpendi quid honorare parentes sit, & quomodò soleat, & possit hoc præceptum observari, & violari. Meum fuit ista dubia proponere, aliorum amicorum erit illa solvere, & dilucidare. Hæc ibi Caramuel, qui si dubia, & difficultates contrà communem illius quarti explicationem proposuit, & excitavit, illa quoque solvere, & dilucidare debebat ad tollendam fidelium perplexitatem, non autem illa insoluta relinquere scrupulis eorum conscientias implicando. Verum si communis illius præcepti explicatio qu. præced. adducta benè intelligatur, & perpendatur, omnia illa dubia facilè diluuntur, & patet quid sit dicendum de furto, & mendacio in parentes, de carnali commixtione filii cum matre, vel sororibus, ac aliis similibus; sicut enim qui patrem occidit committit peccatum specie diversum, quàm committeret, si occideret alium quemcunque, quia peccat contrà duo Decalogi præcepta, scilicet, Non occides, & honora parentes; sic etiam dicendum de commixtione filii cum Matre, vel sororibus quod committit peccatum diversum specie, quàm committeret, si cum alia quacunque extranea commisceretur.

108 Denique hic idem Auctor fundamento §. de Homicidio, quod quinto præcepto interdicitur, qu. 1. asserit, & valdè probabiliter contrà hoc quintum præceptum graviter etiam peccare Medicos ignorantes, & stupidos, qui audacter ægros visunt, & dextrorsum, ac sinistrosum occidunt; & ait hos peccare mortaliter exercendo praxim, & ægrotorum mortem ipsis imputandam esse, ac etiam ad restitutionem teneri stipendiorum, quæ à Republica recipiunt pro visendis ægrotis, & honorariorum, quæ habent à singulis, ac denique Confessarios graviter obligat, ut Medicos pœnitentes super hoc diligenter interrogare, & examinare debeant, an scilicet canonicè ægros curaverint, an cum eorum periculo alicujus medicaminis experimentum fecerint, & similia, conveniunt enim Doctores communiter, Medicum qui pharmacum infirmo tradit ad sumendum de tali pharmaco experimentum, graviter peccare contrà justitiam quoties non adest opinio probabilis de illo pharmaco, & ex alia parte Medicus habet remedia probabiliter utilia, qui injustè vitam infirmi periculo exponit, cum remedia probabilia prætermittat, ut adhibeat incerta. Ità Bonacina disp. 2. de peccatis qu. 4. punct. 9. in fine cum Clavi regia Azorio, & aliis. Et tandem Astesan. noster lib. 6. tit. 14. art. 8. §. *Quid de Medicis*, inquit quod potest eis imputari culpa mortis infirmi antè factum, in facto, & post factum, antè factum quidem, quando artem quis medicinæ assumit, cùm sit idiota, & ignorans; in facto autem, ut quando licet sit peritus in arte, non tamen sequitur traditiones artis, sed fantasiam proprii capitis; post factum tandem, ut quando licet sit in arte peritus, & secundum artem agat non tamen diligentiam adhibet, ut infirmus custodiatur, si tamen neque antè factum, neque in facto, neque post factum in culpa deprehendatur, sibi non imputatur, si aliquis infirmus ex fatuitate sua, vel aliena, vel casu fortuito moriatur, undè concludit quemlibet Medicum ad suam conscientiam recurrere debere. Quod si propter defectum, vel corruptionem specierum in medicinis positarum æger periculum incurrit, respondet secundum Innoc. extrà c. Tua nos, quod si medicus debitam diligentiam adhibuit in eligendis speciebus, quicquid ibidem accidit inculpabilis erit.

ARTICULUS SECUNDUS.

Quandonam, & quo casu homicidium sit licitum.

109 CErtum est ex superius dictis disp. 8. q. 2. licitum esse homicidium, quando fit auctoritate publica per justitiam punitivam juxtà illud Exod. 22. *maleficos ne patiaris vivere*, licet enim malefactores occidere, inquantum ordinatur ad salutem totius Communitatis, & ideò ad illos tantùm pertinet, quibus curam committitur communitatis servandæ, qua ratione D. August. 1. de Civit. c. 2. inquit contrà hoc præceptum Decalogi non facere, qui scælestos interficiunt publicæ potestatis personam gerentes, & hoc etiam docet Scotus loc. cit. 4. dist. 15. q. 3. art. 2. §. *Sed quis est justus occisor*, ubi ait hoc, præcepto. *Non occides*, prohiberi occisionem cujusvis hominis sine legitima auctoritate, & justa lege; & ratio naturalis hoc etiam dictat, quia in communitate Reipublicæ jus quodam est publicum puniendi malefactores ei nocentes pœna delictis proportionata, pœna autem mortis in gravissimis delictis, quale præsertim est homicidium, prudenter justa censetur, quarè ibidem diximus extrà casum necessariæ defensionis nulli licere malefactorem occidere, nisi auctoritate publica, & juris ordine servato, atque ideò non licere Patri filiam, nec marito vxorem occidere in adulterio deprehensam, quia ad id auctoritatem publicam non habent, quarè speciali decreto Sacræ Congregationis Romanæ, & universalis Inquisitionis edito 1665. die 24. Septembris damnata fuit hæc propositio: *Non peccat Maritus occidens propria auctoritate vxorem in adulterio deprehensam*. Quoniam igitur aliqui nimia licentia hos casus dilatarunt non sinè summo Christianæ pietatis præjudicio; hìc diligenter discutiendum est, in quibus casibus actus occidendi alium etiam auctoritate privata reverà, & probabiliter licitus esse possit, & honestus, & in quibus non.

110 Primò itaque loc. cit. diximus cum communi Doctorum, etiam auctoritate privata licitum esse occidere iniquum invasorem, & aggressorem ob suæ vitæ defensionem, & integritatis membrorum, dummodò id fiat cum moderamine inculpatæ tutelæ, hoc est, quando alia via tueri vita, vel integritas membrorum non potest; idque non tantùm Laicis, sed Clericis etiam, & Monacis concessum esse, ac contrà quoscunque cujuscunque sint conditionis, etiamsi Superiores essent. Quoniam verò injustus aggressor, vel invasor dicitur omnis ille, qui alium injustè occidere vult, vel mutilare, etiam antequam hoc actu faciat, dùm præsumatur prudenter & rationabiliter facturus, ut ibi dictum est; ideò oritur dubitatio, an licitum sit prævenire eum qui paratus est injustè aggredi, & peculiaris difficultas est, an liceat prævenire occidendo illum, qui falsis testibus vitam alterius oppugnat in judicio, aut falsum testimonium apud Judicem deponit. Prima opinio affirmat, licere occidere eum, qui apud Judicem falsa accusatione vel testimonio id agit, undè certò tibi constat, quod sis occidendus, vel mutilandus, vel etiam, quod alii difficilius concedunt, amissurus bona temporalia, honorem &c. quia hæc non est invasio, sed justa defensio, posito, quod de alterius injuria tibi constet, nec sit alius evadendi modus. Pro qua sententia citantur Bannes, P. Navarra, Sanch. Card. de Lugo, Dicastillus, Diana, Casp. & alii, quī hanc sententiam saltem speculativè censent veram, aut valdè probabilem, ac etiam in praxi aliqui concedunt exercendam. Alii verò id defendere non audent ob periculum magnorum abusuum, quia homines sibi facilè persuaderent se per calumniam accusari, & nullum aliud esse refugium præter mortem accusatoris, & testis, sicque via aperiretur infinitis homicidiis. Tùm quia falsus testis non censetur aggressor vitæ aut vim inferre, sed injustitiam dicitur committere, quæ ex sua natura à judice puniri, & castigari potest. Tum tandem, quia quando aggressio est modo explicato remota, nunquam moraliter deerit alius defensionis modus. Ità Lessius, Filliucius, Turrianus, Vasquez, Layman, Bonacina, Tamburinus, Busemb. & plures alii, quæ sententia nunc est omninò tenenda, & oppositæ reiicienda, quia in prædicto S. Congregationis decreto hæc quoque propositio, tanquam scandalosa damnatur: *Licet interficere falsum accusatorem, falsos testes, ac judicem, à quo iniqua certo imminet sententia, si alia via non potest damnum evitare*; & hoc ultimum additur de Judice, quia aliqui Auctores primæ opinionis absolutè docent, & sine dubio licere occidere Judicem iniquum, quem scio corrumpere testes, ut me occidat publicè, quando hoc modo tantum possum evadere mortem ab ipso mihi injustè inferendam, quia in eo casu non procedit, ut judex, sed ut privata persona colore Judicis, cum enim contrà justitiam faciat, propria facit auctoritate, & ut privata persona. Ità præsertim discurrit Caspensis tr. 18. disp. 3. sect. 4. cum quibusdam aliis,

111 Secundo diximus etiam loc. cit. cum communi DD. quod sicut ad vitæ defensionem, sic etiam ad exteriorum bonorum conservationem licet invasorem occidere quando bona illa aliter salvari non possunt; & idem de honore, & fama dici posse, quando aliud medium proprii honoris defendendi non suppetit; undè quamvis nobilis ab alio invasus vitam fugiendo salvare posset, non tenetur fugere, si aliquam infamiam ex tali fuga contraheret, sed invasorem occidere potest, vel mutilare si aliter vitam cum honore salvare nequeat. Ità Sylvester, Soto, Navarr. Lessius, Toletus, Abellius, & alii communiter,

ter, qui tamen advertunt id non licere, nisi nobilibus, & personis illis, quæ suum honorem tueri maximè obligantur, idque solum ad vitandam infamiam, non verò ad injuriam acceptam ulciscendam. Ità etiam Valentia, Filliuc. Turranus, & Molina apud Bonac. disp. 2. sect. 1. pun. 10. Oppositum tamen docere conatur Caram. loc. cit. q. 2. de Defensione honoris ubi ait, quod licet possit Petrus suum honorem defendere cum moderamine inculpatæ tutelæ etiam cum occisione invasoris stando nudo juri naturæ, stando tamen Juri civili, & Ecclesiastico, etiam sub omnibus his circumstantiis, Petrus pro defensione sui honoris invasorem occidere non potest; quia multa jus naturæ tolerat, quæ humanum inhibet, & quamvis de hoc nullum extet jus explicitum, extat tamen, inquit, implicitum, & hoc est certissimum, nam sæculares Judices hanc excusationem non admittunt, & puniunt de facto illos, qui ob defensionem honoris aliquem occiderunt; ergò hoc ipsum insinuare videtur hujusmodi homicidia esse ab Ecclesia, & Canonico jure, si non expressis verbis, saltem implicito præcepto condemnata; & hoc præsertim asserit esse illicitum Clericis, & Religiosis contrà Franciscum Amicum tom. 5. disp. 36. num. 118. dicentem etiam Clerico, & Religioso licere calumniatorem de se, vel de sua Religione gravia crimina spargere minitantem occidere, quando alius defendendi Religionis honorem modus non suppetat.

112 Sed quamvis hoc ultimum sit omninò verùm, non licere scilicet Clericis, & Religiosis talem defendendi modum honorem proprium, vel Religionis, ut nos quoque diximus disp. 8. cit. quæst. 2. art. 1. num. 25. contrà eundem Amicum, eo præsertim, quia talis opinio quoque damnata est præcitato S. Congreg. decreto, ubi hæc propositio damnatur, ut scandalosa, & erronea; *Est licitum Religioso, vel Clerico calumniatorem gravia crimina de se, vel de sua Religione spargere minitantem occidere, quando alius modus defendendi non suppetit, vel suppetere non videtur, si calumniator sit paratus, vel ipsi Religioso, vel ejus Religioni publicè, & coram gravissimis viris prædicta impingere, nisi occidatur*. Quamvis, inquam, verum, sit, & probabilissimum id Clericis, & Religiosis non licere, non ità tamen de Laicis, & sæcularibus, præsertim nobilibus discurrendum est, quia non eadem currit paritas Clericis, & Laicis, ut ibi probavimus, qua ratione Sacra Congregatio hoc assertum de Clericis, & Religiosis damnavit, non verò de Laicis, & nobilibus, sed communem DD. opinionem in sua probabilitate reliquit. Neque ratio à Caramuele in oppositum adducta urget, quod nempè Judices hanc excusationem non admittunt, & de facto illos puniunt, qui ob defensionem honoris aliquem occiderunt, nam Judices id faciunt cum plebeis, & ignobilibus, quibus hoc non est licitum; & si interdum ità etiam procedunt cum nobilibus, hoc indè evenit, quia eis non constat, an id fecerint cùm circumstantiis debitis, nimirum cum moderamine inculpatæ tutelæ, quæ conditio omninò necessaria est, ut talis modus proprium honorem defendendi sit licitus nobilibus. Plura alia habet ibi hic Auctor circà hanc materiam, quæ vix percipi possunt, & sine tædio legi ob styli obscuritatem, & diversitatem à cæteris Scolasticis in his materiis pertractandis; cùm enim ex se sint difficiles non rethorico modo exagitari postulant, sed faciliori, & magis obvio.

113 Tertiò est Difficultas, An viro nobili duellum acceptare liceat, ne vilis habeatur, & consequenter ne honorem suum amittere cogatur. Solutio difficultatis constat ex dictis disp. 10 q. 4. art. 2. de Bello, & Duello, scilicet, non licere, nisi in quibusdam casibus ibi insinuatis, & ratio est; quia ex una parte fieret contrà jus naturale, per quod omnis pugna privata periculo cædis proximi exposita est illicita, & contrà gravissimas Pontificum Constitutiones, undè in allato Sacræ Congregationis decreto hæc quoque propositio damnatur. *Vir equestris ad duellum provocatus potest illud acceptare, ne timiditatis notam apud alios incurrat*; & ex alia parte non desunt alia remedia conservandi honorem in similibus provocationibus modo jam insinuato loc. cit. num. 113. Casus autem in quibus licitum est acceptare duellum, ut ibi diximus, sunt duo præsertim; primus est, quando quis videt se injustè occidendum à provocante, nisi duellum acceptet, ut si quis inimicum inermem aggressus gladio stricto sic eum minatur. Tecum pugnare volo in eo condicto loco, nisi acceptes, hic te confodiam; is enim in tali casu licitè sine periculo excommunicationis duellum acceptare potest. Alter casus est, quando commune bonum id postulat, ut si bellum duorum Principum mutetur in duellum ad illud terminandum, & evitandum majus periculum publicæ cædis, ut ibi declaratum est. Tambur. tandem cum aliis lib. 6. cap. 3. §. 3. addit licitam etiam esse acceptationem duelli ob defensionem bonorum temporalium magni momenti, ut si quis de nocte domum cujusdam divitis ingressus, sic eum alloquatur. Auferam à te hæc pretiosa bona, nisi duellum acceptes; in tali casu inquit licitè posse illum acceptare duellum. & ratio est, quia ex una parte, humana jura in tanto periculo non urgent, & ex alia hæc est defensio bonorum magni momenti, quæ opinio est probabilis licet loc. cit. oppositam tanquam probabiliorem amplexemur. Denique si vir nobilis in aula regia, vel militaris in castris provocatus sisteret se meræ defensionis gratia cum spe prævalendi, privandus alioquin ob suspicionem ignaviæ dignitate, officio, vel favore Principis, non audent eum damnare Layman, Hurtad. Lessius, Filliucius, Navarrus, & alii ut refert Busemb. lib 3. tr. 4. c. 5. quod etiam ut probabile admitti posset, nisi obstaret decretum S. Congregationis allatum; idque probabilius censet quoque Diana q. 5. tr. 14. res. 99.

114 Quartò est etiam gravis Difficultas, An licitum sit fugientem insequi ad recuperandum honorem propter acceptam alapam, vel fustem, illumque vulnerare, & repercutere. Prima sententia absolutè negat, quia non licet occidere, vel vulnerare, si injuria jam est contracta, vel aggressor jam fugit, qua id non esset se defendere, sed vindicare, & hæc honoris reparatio habet potius speciem vindictæ, quàm defensionis. Ità Toletus, Joan. de la Gruz, Turrianus, Malderus, & alii. & ratio est, quia qui injuriam intulit, eo ipso, quod ab injuria cessat, sivè per fugam, sivè quovis modo cesset vim non infert, ac ideò repercutiens vim vi non repellit, sed potius punit, & vindictam sumit. Secunda opinio distinguit, quod si statim, & incontinenti etiam si qui percussit aufugiat, potest percussus illum insequi ad repercutiendum, non ut vindictam sumat, sed ut honorem recuperet, quem veluti secum actu aufert aufugiens; ex intervallo autem, ac interposita mora illum licitè insequi nequit: & ratio est, quia hoc esset vindictam sumere, illud autem aggressionem moraliter adhuc permanentem vi repellere; tunc enim quamvis statim ab alapa ei inflicta honor ejus physicè deriperierit, non tamen moraliter; quarè si in tali casu læsus magnam faceret honoris jacturam nisi fugientem insequeretur, potest eum persequi, & repercutere quantum satis est ad defensionem honoris. Ità Henriquez, Fernandez, Layman, Bonacina, Tamburinus, Lessius, Filliucius, Card de Lugo, & alii, qui tamen addunt hanc opinionem speculativè tantùm esse probabilem, quia practicè vix id fieri potest sine vindicta. Denique Diana p. 2. tr. 15. resol. 15. asserint hanc secundam sententiam non tantùm speculativè probabilem esse, sed etiam esse tutam in praxi, si non adsit periculum odii, appetitus vindictæ, & excessus, quia dùm adversarius fugit, & percussus statim insequitur, moraliter adhuc durat congressus; & ait pajos, & doctissimos viros id etiam docuisse, quos citat ibidem, & præsertim utrumque Navarrum; sed Diana sic discurrens principium petit, & à secunda sententia non differt, nam Auctores illius ideò dicunt eam esse tantum speculativè probabilem, quia practicè vix id fieri potest sine appetitu vindictæ; cum igitur Diana inquit, si non adsit periculum odii, & appetitus vindictæ eam sententiam non tantùm esse speculativè probabilem, sed etiam in praxi tutam, jam ab Auctoribus illius sententiæ non differt.

115 Quintò diximus etiam loc. cit. nunquam licitum esse seipsum occidere directè, & positivè neque ob vitandum peccatum, neque ob defendendam pudicitiam, neque ob fidem, vel Religionem, aut virtutem tuendam, & hæc communis DD. sententia ex D. Aug. l. 1. de Civit. c. 16. & ex Conc. Bracar. p. c. 34. & refertur 23. qu. 5. cap. Placuit, ubi sic decernitur. Placuit, ut qui sibi ipsis voluntariè aut per ferrum, aut per venenum, aut per præcipitium, aut per suspendium, vel quolibet modo violentam mortem sibi inferunt, nulla prorsus pro illis in oblatione commemoratio fiat, neque cum psalmis ad sepulturam eorum cadavera deducantur; hæc sunt verba Concilii. Undè neque mulieri licet se occidere, ne ab alio corrumpatur, quia ut ait Astesan. loc. cit. non debet in se committere crimen maximum quod est sui ipsius occisio, ut vitet minus crimen alienum, non est enim crimen mulieris per violentiam violari si consensus non adsit, quia non coinquinatur corpus nisi, de consensu mentis, ut S. Lucia dixit; violatio enim non imputatur ei ad peccatum nisi consensus adsit, neque per hoc amittitur virtus castitatis, & laureola, cum potius pati dicatur, quàm agere, & peccare. Nec obstat, quod licitum sit desiderare mortem ob bonum finem, ut v. g. ad terminandas hujus vitæ miserias, & ærumnas; quia sicuti alium, v. g. infantem non potes occidere ob bonum finem, licet citiùs eum mittendi ad gloriam, sic neque te ipsum, undè licet si mors desideretur, ut debito modo sequatur, nihil mali contineat; si tamen quis illam sibi inferat, multum mali continet, cum debitum modum excedat, siquidem tunc potestatem usurpat in vitam, quam nullus præter Deum habet. Nec etiam obstat, quod liceat jejuniis, & carnis afflictationibus se macerare, etiam si vita certius sic sit finienda; falsum enim est licere sic se macerare ex inten-

intentione, scilicet, citiùs moriendi, quia id esset directè se sensim occidere, qua ratione dicebamus art. præced. num. 104. quod si quis adverteret vitam suam jejuniis, & macerationibus carnis notabiliter minui, & nihilominus continuaret, graviter peccaret, moderatè autem iis afflictationibus se afficeret ex intentione placendi Deo, & subiiciendi carnem spiritui diximus esse licitum, imò & virtutis opus, quamvis deindè per accidens sit mors velociùs secutura, id enim non est nisi indirectè mortis sibi causam esse, quod in multis casibus licere jam diximus disp. 8. cit. qu. 2. art. 1. nu. 17. quare concludendum est cum communi DD. quod si quis contra regulas prudentiæ indiscretè suprà vires suas sese cruciaret, & affligeret, undè notabiliter vitam sibi breviorem redderet, peccati homicidii reus esset, & talis occisio sui directa esset.

116 Sextò tàdem solet agitari quod de pueris, qui ut sonoram vocem retineant, solertis Medici manu, absq; morali periculo mortis, Eunuchi fiunt, eo enim periculo existente certum est non licere, sicut etiam nec licet Patri id in filio sine ipsius pleno consensu attentare, quia Pater non est dominus membrorum filii; his ergo suppositis conditionibus quæstio est, An consentientem filium Pater castrare possit, ut voce, & cantu Ecclesiæ serviat, quam fusè pertractat Caramuel loc. cit. q. de Castratione pro parte negativa, & Tamburin. libr. 6. c. 2. §. 3. pro parte affirmativa. Negativa pars ita probatur, quia tametsi liceat aliquando membrum aliquod abscindere, id licet ratione solius necessitatis, ut dictum est art. præced. n. 104. sed in casu proposito non abscinditur membrum ex necessitate, ut scilicet corpus, vel aliquod ejus membrum principale in suo esse conservetur, ne pereat, sed ut vox tantùm dulcis, & sonora conservetur; ergo nulla ratio naturalis dictat in isto casu, ut uni membro damnum inferatur, imò prorsus abscindatur pro melioranda tantùm voce, nam vox dulcis, & sonora non est medium necessarium pro salute tuenda totius corporis, vel alterius membri principalis; ergò non tenetur aliquod membrum illi succurrere cum tanto sui detrimento, quia non adest status necessitatis, in quo ex ratione naturali teneretur abscissionem pati; & hanc opinionem ait Caramuel esse plurium, scilicet, Dianæ, Taneri, Layman, Megalii, & aliorum, quam etiam tenet Busemb. loc. cit. ubi ait peccare parentes, qui filios etiam consentientes castrant, ut sint utiles cantui. Affirmativa verò pars probatur à Tamburino loc. cit. quia justa videtur esse causa non deficere in Republica, imò in Ecclesia hos sonoros Cantatores ad divinas laudes modulandas, tum quia ea abscissio non ita notabiliter nocet ipsi individuo, ut resarciri, seù compensari non possit cum emolumentis vocis in servitium Ecclesiæ, & cum lucro, quod speratur ex illa. Nec obstat, inquit, hominem non esse dominum suorum membrorum, & ratione solius necessitatis abscindi posse; causis enim justis existentibus præciso mortis periculo, potest aliquod membrum amputari, quia debuit Deus homini absoluto suæ vitæ administratori in justis causis, & non solum in malis ab extrinseco provenientibus avertendis eam libertatem non denegare, tales autem sunt causæ in probatione conclusionis adductæ, quam tenent Salonius 2. 2. quæst. 65. art. 1. contr. 2. Pasq. decis. 498. & alii, ac etiam probabiliorem reddit quotidiana praxis præsertim in Romana Curia, ubi hujusmodi Eunuchi permittuntur in servitium Musices, & Ecclesiarum. Alia ad hoc quintum Decalogi præceptum spectantia videantur disp. 8. cit. qu. 2.

QUÆSTIO SEPTIMA.

De Sexto Decalogi Præcepto.

117 DIvus August. quæst. 17. super Exodum, ut refert Astesanus noster lib. 1. tit. 31. docet hoc sexto Decalogi præcepto, *Non mœchaberis*, non modo prohiberi adulterium, quod nomine Mœchiæ designatur, Mœchari enim est adulterari, & omnis mœchus adulter est; sed in genere omnem illicitum concubitum, & illorum membrorum omnem illicitum usum, & sic etiam discurrit D. Bonaventura 3. d. 37. dub. 6. literali, ubi ait in mandatis Decalogi prohiberi peccata, & maximè in mandatis secundæ tabulæ, secundùm quod sunt ad nocendum proximo ordinata, & quoniam quantum ad peccatum carnis magis offenditur proximus per adulterium, hinc est quod illud præcipuè prohibetur; in illo tamen intelligitur prohiberi omnis illicitus coitus, & membrorum illorum abusus, sive per peccatum fornicationis, sivè per peccatum contrà naturam. Septem autem luxuriæ species numerari solet, ut notat Astesanus loc. cit. & libr. 2 tit. 46. Fornicatio simplex, Adulterium, Stuprum, Raptus, Incestus, Sacrilegium, Peccatum contrà Naturam, quibus claritatis gratia addi solet Impudicitia, quæ consistit in actibus, aspectibusque impudicis, & verbis obscænis, ac similibus extrà matrimonium, de quibus omnibus agendum est in præsenti quæst. ut pateat quid hoc sexto præcepto prohibeatur, & dicuntur species morales, non physicæ, ut notat Filliucius p. 3. tract. 30. cap. 2.

ARTICULUS PRIMUS.

Assignantur, & declarantur species luxuriæ hoc præcepto vetitæ.

118 PRima species luxuriæ est fornicatio simplex, quæ ex Astesano loc. cit. & aliis, communiter est ordinatus concubitus, quo solutus solutam naturali usu cognoscit, & intelligitur solutus, & soluta quolibet vinculo, scilicet, conjugii, consanguinitatis, ordinis, religionis, seù voti continentiæ, naturalis verò usus dicitur ad differentiam illius, qui est contra naturam. Hanc autem simplicem fornicationem esse peccatum mortale est de fide, & oppositum asserere est hæreticum, ut definitum est in Clement. *Ad nostrum* de Hæreticis. & expressis verbis ita docuit Apostolus ad Ephes. 5. quando dixit, *quod omnis fornicator, aut immundus non habet hæreditatem in regno Christi*, & ad Galatas 5. præmissa fornicatione, & quibusdam aliis vitiis subdit, quod qui talia agunt, regnum Dei non possidebunt, ab hoc autem nihil excludit, nisi peccatum mortale, ut ait Astesanus loc. cit. ad hanc autem speciem reducitur Concubinatus, qui est fornicatio continuata cum certa aliqua persona soluta, & cohabitatio cum illa, quod est peccatum grave, & periculosum, eo quod hominem in continuo statu peccati detineat. Undè Doctores communiter docent concubinarium, sicut, & meretricem ordinariè absolvi non debere, nisi dimissa concubina, ac etiam aliqui addunt, aut muliere suspecta, cujus retentio scandalum daret, licèt cum ea non peccaret. Ita Navarrus, Sanchez, Filliuc. Busemb. & alii.

119 Sed Difficultas est, An copula cum sponsa alterius de futuro sit fornicatio simplex, vel adulterium. Affirmant plures Doctores sponsalia addere fornicationi sponsi, vel saltem sponsæ novam malitiam injustitiæ specie distinctam, & in confessione necessariò explicandam. Ita Sanchez, Coninch. Hurt. Tancred. Diana, Filliuc. & plures alii. Negant alii, & probabilius sponsalia novam addere malitiam fornicationi, qui proindè dicunt hanc circumstantiam non mutare speciem, nec esse necessariò in confessione aperiendam, quia per sponsalia nondùm sponsus jus in sponsæ corpus consecutus est, hoc enim jus consequitur solùm ad matrimonium, sivè consummatum, sivè tantummodò ratum, & ideò tunc tantùm erit adulterium, ut jam diximus lib. 4. sentent. disp. 7. qu. 9. art. 3. n. 277. cùm Ponce, Meratio, Caspensi, Brancato nostro, Tamburino, & aliis. Prætereà est Difficultas, an copula fidelis cum infideli sit fornicatio simplex, vel addat novam malitiam specie distinctam, & in confessione necessariò aperiendam. Hoc secundùm affirmat Sanchez, *lib. 7. de matrim.* disp. 5. & sequitur Card. de Lugo disp. 16. *de pœnit.* sect. 6. cum Navarro, & pluribus aliis, quorum ratio est, quia Ecclesia, dum prohibet conjugium fidelis cum infideli, prohibet etiam quamcumque conjunctionem, cùm sit idem motivum, ideò, ut pro reverentia nostræ Religionis vitetur illa conjunctio, quæ est damnosa tùm ipsi fideli, tùm proli educandæ. Tùm quia leges Civiles, & Canonicæ gravius puniunt accessum fœminæ Christianæ ad Judæum, quam ad quemcunque alium Christianum simplicem fornicarium. Negant Azorius part. 3. lib. 3. cap. 29. Tamburinus lib. 7. cap. 1. §. 1. & alii asserentes talem copulam non esse specie distinctam à simplici fornicatione; nec esse paritatem de matrimonio, & tali copula, nam in matrimonio est longè major conjunctio, quàm in copula furtiva; & quod pœnæ gravissimæ legibus contrà hoc peccatum constitutæ ostendunt solum majorem gravitatem peccati intrà eandem speciem, non autem diversitatem specificam, sicut pœnæ constitutæ contrà homicidium qualificatum, v. g. proditorium non ostendunt differre specie à non qualificato, & utraque opinio est probabilis, & hanc secundam sequitur etiam Diana p. 9. tract. 8. ref. 3. ac etiam Filliucius loc. cit.

120 Secunda species luxuriæ est Stuprum, quod est Virginis fœminæ defloratio ipsa invita, dicitur *defloratio*, quia per talem inordinatum concubitum virginalis integritas corrumpitur; dicitur *virginis fœminæ*, quia ut notat Toletus lib. 5. c. 11. cùm vi primò defloratur, non dicitur stuprum, sed tantùm cùm defloratur fœmina; dicitur *ipsa invita*, quia aliqui probabiliter existimant, stuprum tunc tantummodò esse peccatum specie distinctum à simplici fornicatione, quando virgini vis infertur, & illa per violentiam defloratur; undè si consentiat,

sentiat, erit tantùm fornicatio simplex, nec circumstantia in confessione aperienda, ut probant Lessius lib. 2. cap. 10. & Sanchez lib. 7. dist. 12. contra Navar. Azorium, & alios, estque hoc peccatum gravius simplici fornicatione, eo quod præter illius malitiam habet specialem deformitatem ob violationem signaculi virginalis, & fœminam constituit in gravi periculo deinceps peccandi. Obligat autem stuprum aliquando ad restitutionem, ut notat Toletus ibidem, & Astesanus noster lib. 2. tit. 46. art. 3. & nos quoque disp. 9. qu. 3. art. 2. ubi diximus illum, qui violentia, aut importunis precibus, vel falsis, ac dolosis persuasionibus Virginem ad stuprum induxit, teneri, vel eam ducere, vel convenienter dotare, ut habetur ex c. *Si seduxerit*, de adulteriis. Item qui virginem conjugii promissione decepit, & sub ejusmodi spes ejus defloration em obtinuit, teneri eam ducere in foro conscientiæ etiamsi fictè tantùm, & dolosè promiserit, si paris sit conditionis. Ità Adrianus, Navarrus, Sotus, Toletus, Lessius, & alii passim. Si tamen inæqualis esset conditionis, & valdè inferioris, aut si promissionem implere non posset, quia v. g. est conjugatus, vel in sacris, aut si ex illius promissionis impletione grave scandalum timeretur, tunc eam ducere non tenetur, & promissioni satisfacere censebitur, si sufficientem illi dotem assignet pro ratione conditionis, & status illius. Quandò verò virgo non decepta, neque coacta est, sed sponte consensit, & acceptavit, nulla restitutionis faciendæ obligatio ex justitia incumbit, juxtà regulam 28. juris in 6. *scienti, & consentienti non fit injuria*, & leges Canonicæ ad restitutionem non obligant, nisi eum, qui violentiam, vel dolum, aut deceptionem ad stuprum perpetrandum adhibuit; dixi in tali casu non adesse obligationem ullam ex justitia, quia adesse potest ex charitate, quando scilicet, persona valdè dives est, & potens, & fœmina pauper, ut immineat periculum perditionis illius. Alia plura ad hoc spectantia vide loc. cit. quæst. 3. a. 2. & apud Tambur. lib. 7. cit. cap. 5.

121 Tertia luxuriæ species est adulterium, quod est inordinatus concubitus cum persona conjugata, sivè vir tantùm, aut mulier, sivè uterque conjugio sint copulati, quo conjugalis thorus violatur, undè adulterium, ut ait Astesanus loc. cit. ex ipso nomines dicitur quasi accessus ad alienum thorum, qui illicitus concubitus tripliciter fieri potest, vel enim est conjugati cum soluta, vel conjugatæ cum soluto, vel conjugatæ cum conjugato, & è converso: est autem peccatum mortale, & gravius fornicatione, ac etiam stupro tùm propter violationem fidei conjugalis, ac etiam propter damnum filiorum legitimorum, & alia mala ex eo peccato consequentia, ac proindè Job. c. 31. appellavit illud magnum nefas, & iniquitatem maximam, *Hoc nefas est*; inquit, *& iniquitas maxima, & ignis usque ad perditionem devorans, & eradicans genimina*; & aliquando etiam cum stupro conjungi potest, ut cùm conjugatus rem habet cum virgine; est autem semper grave peccatum, etiamsi adulterantis conjux sit contentus, estò enim tunc illi injuria non fiat, quia scienti, & volenti non fit injuria, fit tamen ipsi statui conjugali, Sacramento Matrimonii, & huic sexto Decalogi præcepto; quod si fœmina adulterans sit conjugata, gravius habetur peccatum, quàm si vir, propter incommoda graviora, ut v. g. damnum veri hæredis, prolis incertitudinem, &c. & adhuc gravius censetur, si uterque adulterantium conjugatus sit, quia duæ injuriæ resultant in utriusque conjugem in confessione exprimendæ, quæ autem peccata contrà fidem conjugii sub adulterio comprehendatur; quæ sufficientem causam ad divortium præbeant jam declaravimus lib. 4. sent. disp. 22. art. 1. num. 563. Tres autem hic solent occurrere difficultates. Prima est, an adultera teneatur filium ex adulterio susceptum detegere, ne legitimos debita sibi parte hæreditatis privet. Secunda an adulter teneatur prædicta damna restituere, sicut tenetur adultera. Tertia est de filio illegitimo; cujus pater ignoratur, à quo debeat alimenta accipere, quando nimirum duo eandem mulierem cognoverunt, & incertum est, quis eorum sit jus pater; quas difficultates ex professo tractavimus disp. 9. cit. q. 3. art. 1. de restitutione facienda ratione adulterii.

122 Quarta species est Incestus, qui est coitus cum consanguinea, vel affine intrà quartum gradum, quo vinculum consanguinitatis, vel affinitatis læditur, & est peccatum mortale gravius præcedentibus, & eo gravius est, quo gradus, & cognatio est propinquior, undè incestus cum consanguinea majus est peccatum, quam cum affine, & inter consanguineas cum conjunctiori, & propinquiori, sicut etiam inter affines, & rursus gravius est cum affine, quam cum cognato spirituali, vel legali. Quæstio tamen est inter Doctores, An omnes incestus sint ejusdem speciei, hoc est, an incestus cum Consanguineis differat specie ab incestu cum Affinibus, & rursus, an incestus cum alterutris ex prædictis in uno gradu usque ad quartum, nam in aliis à quarto est simplex fornicatio, differat specie ab incestu in alio, itaut in Confessione talis gradus sit ex necessitate declarandus, quos Consanguinitatis, & Affinitatis gradus ex professo explicuimus lib. 4. sent. disp. 7. de Matrimonio qu. 17. & 18. tractando de impedimentis ejusdem; in qua quæstione tres sunt opiniones, duæ extremæ, & tertia veluti media. Prima extrema absolutè asserit omnes gradus Consanguinitatis specie differre non solùm à gradibus Affinitatis, & cognationis legalis, sed etiam inter se, & consequenter omnes incestus differre specie, prout differunt gradu. Ità Navar. Valent. Vasq. & quidam alii, undè volunt gradum saltem Consanguinitatis, & Affinitatis esse in Confessione declarandum. Ratio est, quia longè diversus, & immanior reputant incestus cum propria Matre, quàm cum Noverca, vel alia cognata cognatione legali, vel spirituali; ergo signum est gradus consanguinitatis specie differre à gradibus affinitatis, & ab aliis gradibus jure positivo impositis, & consequenter incestus specie differre. Secunda sententia extrema asserit omnes gradus, & omnes incestus ejusdem esse speciei; nec Consanguinitatem ab Affinitate, nec unum gradum ex his differre specie ab aliis, undè licet gravius sit contrà unum gradum delinquere, v. g. contrà primum cum Matre, quàm contrà alium v. g. cum Consobrina, tamen quia non mutatur species, inquit, non esset ea peccata ex necessitate in confessione aperienda cum tali circumstantia. & ratio est, quia in omnibus his una specie deformitas est, licèt modò gravior, modò levior, nempè contrà reverentiam conjunctis debitam; quod deindè gradus non mutent speciem indè probat, quia hi nihil aliud inferunt, nisi majorem, vel minorem conjunctionem, magis autem, & minus non variant speciem etiam in moralibus, nisi aliundè probetur esse contra particularem virtutem, vel contrà diversum rectæ rationis dictamen. Ità Tamburinus lib. 7. cap. 4. §. 1. citans Cajet. Sotum, & omnes ferè Thomistas, cui opinioni adhæret etiam Bonacina de Matrimonii Sacramento q. 4. punct. 16. quantum ad hoc, quod omnes gradus, & incestus sint ejusdem speciei, licet adhuc subdat hoc non obstante, gradum incestus esse necessariò in confessione exprimendum; quod non videtur satis consequenter dictum.

123 Tertia sententia media, quæ nobis probabilior videtur, affirmat gradus consanguinitatis differre specie à gradibus affinitatis cognationis legalis, & spiritualis: gradus verò consanguinitatis non differre specie inter se, sicut nec inter se specie differunt gradus affinitatis, & cæteri gradus, & consequenter ista sententia tenet incestum commissum cum consanguinea differre specie ab incestu cum affine, vel cum cognata cognatione legali, vel spirituali, atque ideò hos gradus esse in confessione exprimendos; non autem alios intrà eandem lineam, quamvis enim in eadem linea gravior sit incestus, quo gradus est vicinior stipiti, tamen quia gradus illi sunt ejusdem speciei, satis erit dicere, habui rem cum consanguinea in linea recta, licet adhuc sit valdè probabile si incestus fuerit in primo gradu explicare, an fuerit incestus cum Matre, an cum filia vel sorore. Et hoc expresè probat ratio adducta pro prima sententia. Nec urget ratio secundæ sententiæ, quia ut notat Bonacina loc. cit. licet circumstantia aggravans non sit necessariò exprimenda in confessione, attamen qualitas personæ, cum qua commissa est copula, non est circumstantia actus, seu peccati, sed potius illius objectum, & quid ad actus substantiam pertinens, circumstantia enim propriè dicitur illa, quæ actui advenit jam in suo esse constituto, gradus verò, & qualitas personæ, cum qua coitur, non est propriè quid adveniens actui in suo esse constituto, sed quid constituens actum in suo esse, sicut patet de quantitate furti, quando pervenit ad metam, vel summam peccatum mortale constituendum, tunc enim non est amplius circumstantia actus furti, sed potius illius objectum. Ità Lessius, Azorius, Filliucius, Hurtadus, Cardinal de Lugo, & plures alii, quare concludendum est gradum incestus exprimendum esse in confessione, saltem si fuerit consanguinitatis, vel affinitatis; & satis probabile esse incestum cum Matre specie differre ab incestu cum sorore, filia, &c. propter incomparabilem violationem pietatis, ratione cujus talis incestus cum matre, licet sit contrà eandem particularem virtutem cum aliis incestibus, scilicet contrà reverentiam conjunctis debitam, est tamen particulariter contrà diversum rectæ rationis dictamen specialiter prohibens talem irreverentiam in parentes, & incomparabilem violationem pietatis ergà illos debitæ.

124 Quod verò spectat ad cognitionem spiritualem, satis etiam probabile est, ejus violationem per actum luxuriæ inter Patrinum, v. g. vel Matrinam cum ipso baptizato, quamvis propriè ad hanc incestus speciem non pertineat, habere tamen specialem deformitatem ratione cujus circumstantia cognationis spiritualis sit in confessione aperienda. & ratio est, quia incestus spiritualis addit circumstantiam Sacramenti, ratione

cujus reducitur ad quoddam sacrilegii genus, ut notat Tamburinus loc. cit. cum Sanchez lib. 7. de Matrimonio disp. 68. Quod similiter dicendum est, si hoc peccatum committatur cum filia spirituali confessionis, ideſt, cum ea, cujus quis Sacramentalem confessionem excepit; ad hanc enim speciem revocatur tanquam analoga fornicatio cum filia confessionis, cùm propriè non sit cognatio spiritualis; quàm autem grave peccatum sit hoc constat ex cap. *Omnes* & cap. *Non debet*, 30. quæst. 1. ubi depositio ab ordine Sacerdotali, & perpetua pœnitentia usque ad finem vitæ decernitur in eum, qui tale scelus perpetraverit, & ideò probabile censet Sanchez, Coninchius, Facundez, & plures alii talem circumstantiam spiritualis incestus esse in confessione aperiendam, quamvis oppositum teneant Azorius, Ledesma, Filliucius, Emmanuel Sà, Bonacina, & alii. Hoc autem intelligitur de peccato Confessarii commisso cum pœnitente extrà confessionem, quia si Confessarius utitur Sacramento, tanquam medio, ad pœnitentem sollicitandam, vel eam in confessione sollicitet, non commisit incestum, sed sacrilegium, quod esse in confessione necessariò exprimendum omnes unanimiter docent, ob incomparabilem reverentiam quam tanto irrogat Sacramento, & de hoc crimine Inquisitores cognoscunt.

125 Quinta luxuriæ species dicitur sacrilegium, quod est peccatum luxuriæ, quo res sacra violatur, sivè res illa sit persona Deo dicata per votum, sivè sit locus consecratus, undè Sacrilegium secundum nomen suum, seù ex vi nominis, ut Astesanus noster advertit loc. cit. non appropriatur alicui speciei luxuriæ, sacrilegium enim ex vi nominis est læsio rei sacræ, & ideò prout ad speciem luxuriæ contrahitur, subdit, quod proprius, & melius diceretur sacrilegus concubitus, seù inordinatus concubitus, quo continentia Deo sacra læditur, seù violatur, nimirum in Monialibus, & Religiosis, & his, qui sacros ordines receperunt, vel emiserunt continentiæ votum, omnium enim talium concubitus sacrilegium est, ac etiam cùm copula fit in loco sacro. Undè Sacerdos, aut Religiosus professus, aut Clericus sacris initiatus sacrilegium committit peccando carnaliter cum fœmina; similiter Laicus rem habens cum Moniali, vel Virgine Deo sacra, ac tandem sacrilegium committit, qui in loco sacro copulam habet etiamsi copula conjugalis esset, seù conjugatorum; undè circa hoc peccatum circumstantia personæ, vel loci declaranda est in confessione. Difficultas est, an si conjugati in aliquo loco sacro inclusi teneantur, undè exire nequeant, licitè copulam inter se habere possint. & ratio difficultatis est, quia per copulam Ecclesia polluitur, & sit specialis injuria Ecclesiæ, vel loco sacro. Quidam absolutè negant ut Paludanus, & Tabiena; quidam absolutè affirmant, si multò tempore illic detineantur, nec alibi adest opportunitas coeundi. Ità Riccardus, Angelus, & Rosella. Alii tandem probabilius distinguunt copulam conjugalem dupliciter fieri posse, vel ad vitandam incontinentiam, & peccatum carnis, quo vexatur conjux; vel ad delectationem aut filiorum procreationem sine ulla necessitate, aut periculo incontinentiæ, & in priori casu dicunt licitam esse copulam conjugatorum in loco sacro, nec per eam pollui Ecclesiam, in posteriori verò casu non esse licitum, sed mortale peccatum. Ità Sylvester, Toletus, Lessius, Azorius, Filliucius, Reginaldus, & alii communiter.

126 Rursus est Difficultas de osculis, tactibus, & locutionibus turpibus sine effusione seminis in Ecclesia publicè factis, an habeant specialem malitiam sacrilegii mortalis in Confessione necessariò explicandam. Affirmant de tactibus impudicis Suarez, Card. de Lugo, & quipam alii. Negant communiter alii, modò periculum non habeant pollutionis adjunctum, quia per tales actus non violatur specialiter locus sacer, sicut violatur per pollutionem, quæ sanctitati loci directè repugnat. Ità Sanchez, Coninchius, Filliucius, Bonacina, & plures alii; imò Tamburinus loc. cit. cap. 2. §. 1. id negat de tactibus impudicis, etiamsi periculum pollutionis adjunctum habeant, modò non sequatur pollutio, & rationem adducit, quia hoc sacrilegium committitur ex eo quod violatur Ecclesia, quæ quidem violatio per Sacros Canones inducta fuit; at per solos tactus quomodocunque impudicos, quamvis cum periculo corruptionis, modò pollutio non sequatur, Ecclesia non violatur; ergo &c. Addit tamen si quis hæc vel similia exerceat in loco sacro cum magna Ecclesiæ irreverentia, ut si Meretricem publicè antè altare quis impudicè tangeret, si in sacro templo lascivas Comædias repræsentent, &c. non esse negandum sacrilegii scelus in sua propria specie committi. & ratio est, quia esset gravis irreverentia divini cultus, atque adeò ipsius Dei injuria notabilis. Et tandem addit nomine loci sacri in præsenti ad effectum constituendi sacrilegium intelligi solam Ecclesiam, & solùm Cœmeterium, hoc est, Ecclesiam cum suis Capellis consecratam, aut saltem ab Episcopo benedictam, & sacris officiis aut fidelium sepulturæ deputatam.

127 Sexta luxuriæ species dicitur Raptus, & est quando persona aliqua invita, vel resistentibus ejus parentibus, aut illis, sub quorum cura est; abducitur per vim ad libidinem explendam, vel ad matrimonium contrahendum, ut patet ex 36. qu. 1. cap. *Lex illa*. Ex quo colligitur ad Raptum propriè dictum tria requiri. Primò requiritur abductio personæ raptæ à domo sua vel paterna, & in aliena detentio, undè raptus non committitur ab eo, qui Virginem in domo patris repertam, vel in alia domo, non educit de ea domo, sed illam ibi opprimit. Secundò requiritur abductio causa inhonestæ libidinis explendæ, in qua includitur etiam finis matrimonii contrahendi, nam eo modo, id est violenter matrimonium velle, inhonesta libido est. Tertiò requiritur vis illata, undè quando nulla vis infertur in abducenda fœmina, sed ipsa sponte consentit, aut etiam precibus cum Amasio discedit, insciis parentibus non est propriè raptus, sed fuga voluntaria, quia in tali casu nulla vis infertur. Ex quibus deducitur, quod si fœmina per vim abducatur non causa libidinis, vel matrimonii, sed redigendi illam in servitutem, non erit raptus, sed plagium, quod est species furti, non raptus; & raptum non committi solùm quando fœmina per vim abducitur, sivè ipsa sit virgo, sivè corrupta, sivè conjugata, sed etiam quando vir, & masculus per vim abducitur causa libidinis, vel matrimonii, ut supponitur; nam in tali casu in raptu viri concurrunt tria illa ad raptum requisita. Ità Lessius, Sanchez, Reginaldus, Tamburinus, Card. de Lugo, Bonacina, & alii passim, qui tamen advertunt pœnas contrà Raptores constitutas à Conc. Trid. sect. 24. cap. 6. de Reformatione non incurri per raptum viri, nam ibi expresè loquitur tantùm de raptore fœminæ, pœnæ autem sunt restringendæ, non ampliendæ, quæ omnia docuit anteà Astesanus noster, licet à nemine relatus, quem viderim l. 2. tit. 46. cit. art. 4. ubi agit etiam de pœna Raptorum secundum leges Civiles, & Canonicas, etiam masculorum causa abusus.

ARTICULUS SECUNDUS.

De Peccato contra naturam, & ejus speciebus.

128 ULtima species luxuriæ est peccatum contra naturam omnium gravissimum, & est illud, ut explicat D. Thomas quæst. 154. artic. 11. quod repugnat naturali ordini venerei actus, qui humanæ speciei convenit, quod quidem peccatum pluribus modis contingere potest, ut S. Doctor docet ibidem, & Astesanus noster loc. cit. art. 7. Uno modo si absque omni concubitu causa venereæ delectationis pollutio in se procuretur, & hoc peccatum dicitur mollities. Alio modo quando fit per concubitum, sed non adhibetur persona ejusdem speciei, sed fit per coitum ad rem alterius speciei, & vocatur bestialitas. Tertiò quando adhibetur in coitu persona quidem ejusdem speciei, sed indebiti sexus, puta coitus masculi cum masculo, vel fœminæ cum fœmina, ut Apostolus dicit Rom. 1. & dicitur vitium Sodomiticum. Quarto modo, quando conjunctio est quidem naturalis, & in vase naturali cum persona ejusdem speciei; sed conjunctio fit modo indebito, ut quandò masculus cum fœmina congreditur; & in vase naturali, sed præposterè retrò accedendo, vel monstruoso alio modo. Cùm igitur species luxuriæ consumatæ contrà naturam dicantur illæ in quibus fit seminatio modis institutioni naturæ repugnantibus, juxtà tales modos numerus, & varietas earum erunt assignandæ, cùm unusquisque illorum specialem contineat turpitudinem castitati repugnantem.

129 Prima itaque species peccati contrà naturam est mollities, sivè pollutio, quæ semper est peccatum mortale, quando est directè voluntaria, talis enim pollutio est contrà ordinem naturæ, & contrà naturam generationis, & à Regno Dei excludit juxtà illud 1. ad Corinth. 6. *Molles Regnum Dei non possidebunt*; undè nunquam quovis prætextu etiam tuendæ sanitatis est licita, ut communiter Doctores docent; imò peccatum quoque mortale est illa, quæ tantùm indirectè est voluntaria, ideſt, quæ secutura prævidetur ex aliqua causa, quæ tamen non evitatur, etiamsi evitari possit, ac debeat. Undè si pollutio secutura prævideatur ex re illicita, otiosa, vel non necessaria, quæ sit causa propinqua, & natura sua ad venerem ordinata, ut sunt actus luxuriosi, verba turpia, eorum lectio, & auditio, mortale est ab ea non abstinere, quia in talem causam consentiens, moraliter in effectum quoque consentire videtur, cùm sit causa illius propinqua. Si verò res illa sit tantùm causa remota, & tantùm per accidens ad pollutionem concurrens ut esus, vel potus calidorum, agitatio ex itinere, vel cursu equi, crapula, vel ebrietas, & similia indifferentia, pollutio hinc secuta

cuta non est mortale, modò pollutionem non intendas, quia præter intentionem sequi censetur; & tantò minus etiam mortalis censetur pollutio, si causa ex qua sequitur, sit res aliqua necessaria, vel licita, & honesta, etiamsi indè secutura prævideatur, modo non adsit periculum consensus in delectationem, neque quis à talibus actionibus abstinere tenetur quarè non obstante pollutionis periculo licet mulierum confessiones audire, libros de hujusmodi rebus loquentes legere ad discendum, & alios docendum, tangere se ex necessitate, & alias res similes ex se licitas, & honestas facere, etiamsi ex illis prævideatur secutura pollutio, vel periculum ejus; additur autem, modò absit periculum consensus, quia si tale adesset, quod colligitur indè, si sæpius ex simili occasione sit mortaliter lapsus, à causa illa, quantumvis licita, & honesta abstinendum esset. Quod si pollutio nullo modo sit voluntaria, nec directè nec indirectè, ut quando inter dormiendum accidit, nec anteà occasionem dedisti proximam nec post expergefactus in delectationem ex illa provenientem deliberatè consentis, tunc non est peccatum. Quando verò est peccatum; quia scilicet est saltem indirectè volita, ad dignoscendum quandò sit mortale, & quandò veniale, aliqui hanc regulam tradere solent, pollutionem in causa volitam tantum est peccatum, quantum est ipsa causa, ut si causa sit peccatum mortale, etiam ipsam fore mortale, si sit veniale venialem, qualis est illa, quæ provenit ex lectione curiosa, vel aspectu per se non mortali. Ità Navarrus, Sanchez, Layman, Filliucius, Lessius, Bonacina, Diana, & alii passim, quia etiam omnes advertunt, hoc peccatum præter malitiam propriam sæpè alias habere adjunctas, ut v. g. fornicationis, adulterii, incestus, &c. quando nimirum se polluens simul imaginatur, ac desiderat concubitum personæ alicujus liberæ, vel conjugatæ, vel Deo sacræ &c. quæ circumstantia si contingat, in confessione est aperienda, ut nova afferens malitiam specie distinctam.

130 Hæc autem pollutio aliquando committitur à persona una se provocante ad illam, sivè fœmina sit, sivè masculus, aliquandò fit à duabus una alteram adjuvante, ac tangente, ut cum mas altero ipsum tangente se polluit; & quando fit à duabus explicanda est circumstantia personæ, cum qua, vel cujus ope pollutio commissa fuit, cooperatio enim, vel inductio ad peccandum est nouum peccatum in confessione aperiendum. Est autem gravis difficultas, An qui pollutus fuit alterius tactu teneatur explicare in Confessione qualitatem personæ complicis, qui illum tetigit, v.g. an laicus pollutus à Sacerdotis, vel Monialis manibus debet explicare qualitatem personæ sacræ complicis, quæ illum tetigit. Pro parte negativa Diana cap. 9. tr. 8. resol. 65. refert Tamburinum, Gesualdum, Graffium, Moscicensem, Caramuelem, & Lamas, tanquam primum hujus sententiæ Auctorem asserentem, sæcularem patientem pullutionem ab aliquo in sacris constituto non teneri amplius dicere, nisi passus sum voluntariè pollutionem tactibus alienis, & non teneri explicare circumstantiam personæ sacræ, quam sententiam dicit expunctam fuisse jussu Sanctæ Inquisitionis Hispanicæ; quarè consulit Auctores, ut in posterum caveant enim in suis operibus amplius imprimere; & Tamburinus etiam lib. 7. cit. cap. 7. §. 1. graviter de Diana conqueritur, quod sibi hanc sententiam imposuerit, cui nunquam adhæsisse dicit, imò contrarium omninò semper fuisse professum, & ibi ex verbis suis ab ipso relatis ostendit ejus mentem in Diana, & aliis sufficienter perceptam non fuisse, quam etiam sequuntur Trullench. Ovido, & plures alii, ac ego quoque probabiliorem, & tutiorem existimo, licet apud neminem eorum rationem invenerim magis convincentem, quàm illam à Tamburino adductam loc. cit. quod si te polluat vir, vel fœmina communis; quia nihil aliud novæ speciei additur; non affertur, nec commitatur quidem, nouum specie peccatum, sed intrà eandem speciem duplex erit numero malitia, una quidem in tua pollutione, altera verò in tua cooperatione cum alterius peccato in eadem specie contrà Castitatem, & in Confessione utraque est explicanda, ut dictum est. At si te polluat Sacerdos, vel Monialis, quia tunc additur persona sacra, atque ideò additur cooperatio tua cum ejus sacrilegio, non solùm nova numero malitia superadditur contrà Castitatem, sed enim contrà Religionem, atque ideò in Confessione explicanda, tanquam malitia specie distincta.

131 Secunda species peccati contrà naturam est Sodomia, quæ propriè accepta est coitus, seù concubitus inter personas ejusdem sexus, ut docet D. Thom. loc. cit. & alii Doctores communiter; quamvis enim masculus cognoscendo fœminam extrà vas naturale Sodomiam committere dicatur, nihilominus hæc non est propriè Sodomia, & perfecta, sed dici solet Sodomia imperfecta, nam in Sodomia propriè accepta peccatur contrà sexum, & debitum instrumentum, sed quando masculus cum fœmina præposterè congreditur, licet debitum vas non servet, servat tamen debitum sexum, & ideò Sodomiam perfectam, & propriè dictam non committit, sed imperfectam, ac impropriè dictam; quæ tamen adhuc est in Confessione exprimenda, quia talis concubitus, licet non procedat ex affectu ad sexum indebitum, procedit tamen ex affectu ad partem innaturalem, & vas indebitum. Quarè non placet, quod ait Tamburinus loc. cit. §. 3. quod si duo Mares commisceant corpora, & moveantur ad procurandam pollutionem, vel quomodocunque se tangant impudicè ex affectu indebiti sexus, itaut effusio seminis, vel sit intrà vas præposterum, vel etiam extrà, dicenda sit Sodomia, quia quamvis non sit copula, tamen per illum concubitum est affectus venereus ad indebitum sexum, qui propriè Sodomiam constituit, locus enim præposterus videtur se habere materialiter in Sodomia, formaliter verò ejus essentia sumitur ex motivo, scilicet, ex concubitu cum affectu ad indebitum sexum. Non placet, inquam, quia ut constat ex definitione Sodomiæ allata, & communiter ab omnibus recepta, ad Sodomiam requiritur copula, & coitus inter personas ejusdem sexus, itaut peccetur contrà sexum, ac simul contrà debitum instrumentum; non ergò qualiscunque commistio, vel amplexus duorum masculorum inter se cum effusione seminis in qualibet corporis parte sufficit ad constituendum Sodomiæ peccatum; sed requiritur copula, & coitus unius cum alio intrà vas indebitum, aliàs sæpe confunderentur Mollities cum alio habita, & Sodomia, & difficulter una posset ab alia distingui, & dignosci. Et planè quando Episcopi hoc peccatum sibi reservant, à quo inferiores Confessarii absolvere non possint, in hoc sensu de Sodomia loquuntur, ut praxis ubique docet. Nec urget, quod obiicit Tamburinus loc. cit. fœminam cum fœmina non alio modo commisceri, nisi per prædictum concubitum cum effusione seminis, & non intrà vas præposterum, inter illas enim non potest esse copula propriè, & tamen esse potest Sodomia. Non urget, inquam, quamvis enim inter fœminas invicem coeuntes non possit interesse copula ità rigorosè sumpta, sicut inter masculos, potest tamen talis intervenire copula, quæ ad Sodomiam sufficiat constituendam, quæ sit distincta à cæteris tactibus, & amplexibus libidinosis cum effusione seminis, alioquin inter fœminas non posset dari mollities unius cum alia distincta à Sodomia, quod omninò falsum est, constat ex dictis, vel in eis Sodomia propriè dicta dari non potest, ut ait Summa Diana verbo *Sodomia*, quam propriè sumptam inquit esse actum libidinosum inter masculos consummatum in vase non naturali.

132 Potest autem Sodomia, sivè perfecta, sivè imperfecta simul habere alias malitias adjunctas v. g. adulterii si fiat cum conjugato, vel conjugata, vel incestus, si fiat cum consanguineo, vel consanguinea; in quo casu satis probabile est, quod plures docent Doctores, opus non esse cognationis gradum in confessione exprimere, sed satis esse dicere, coivi cum consanguineo, vel affine. & ratio est quia per talem concubitum nec miscetur caro, nec contrahitur affinitas, nec linea speciem variat; sicut nec etiam opus est explicare in Confessione Sodomiam fuisse cum Virgine commissam, sed sufficit dicere conmissam fuisse cum fœmina, nam per hoc peccatum claustrum virginale non violatur, & consequenter speciale peccatum stupri non videtur committi, quod sit in confessione explicandum. An verò explicandum sit in confessione, quod quis fuerit agens, vel patiens. Affirmant Card. de Lugo, Tamburinus, Caramuel, & alii, quia putant esse diversæ speciei procurare pollutionem propriam, & alienam. Negant probabilius Alphonsus de Leone, Diana, Poncius ex nostris, & plures alii, quia uterque peccat contra naturam, & uterque alterius peccato cooperatur; undè quamvis agens pollui soleat, non verò patiens, tamen patiens ipsius pollutioni cooperatur, & ex hoc quod aliquis significet se cum alio Sodomiam commisisse, Confessarius sufficienter intelligit, vel ipsum se polluisse, & sic fuisse agentem, vel ipsum cooperatum fuisse pollutioni alterius; undè non apparet differentia specifica inter procurare pollutionem propriam, & alienam, quando utraque fit per cooperationem alienam; si tamen patiens præter cooperationem ad pollutionem alterius, pateretur ipse quoque pollutionem, aliqui dicunt, quod ratione hujus deberet explicare, quod esset patiens, ut sic explicaret secundum peccatum de pollutione propria, quæ ex Sodomia passiva ordinariè sequi non solet. Ità Poncius noster disp. 46. q. 7. n. 67. cum pluribus aliis.

132 Quoniam verò Episcopi casum Sodomiæ sæpiùs reservare solent, ut sic subditi melius dirigantur, & absterreantur à peccato graviſſimo, Summa Diana loc. cit. notat varios casus, in quibus inciditur, vel non inciditur in Sodomiam reservatam. Primò si fœmina ita cùm fœmina congrediatur, ut altera earum masculi vicem gerat, & effusio seminis intrà vas naturale

rale sequatur, dicendum est non incidere casum reservatum Sodomiæ, quia licet non servetur sexus, servatur tamen vas debitum. Ita Mazuchellus de Cas. refer. disp. 2. c. 22. contrà Lupum de Cas. refer. p. 2. cas. 10. Secundò, licet communiter affirment patientes includi in casu reservato Sodomiæ, hoc tamen negant Alphonsus de Leone, Borbonus, & alii, qui præsertim advertunt sententiam affirmativam procedere, modò agens seminet intrà vas, cum actio ipsi potissimum tribuatur, quia si ea perfecta non est, peccatum non subiicitur reservationi, neque ex parte patientis, licet etiam seminet, quia complementum peccati semper ex parte agentis attenditur, ut nobilioris. Tertiò qui Sodomiam inchoat in vase præposteró, sed posteà extra vas semen emittit, in casum reservatum non incidit, quia hic actus non est Sodomia completa, & consummata, sed inchoata, reservatio autem includit tantùm delictum perfectum, & consummatum, non autem attentatum. Ita Bordonus in consil. regul. ref. 48. contra Fagundez in Decal. tom. 2. lib. 6. cap. 9. Quartò exercens copulam Sodomiticam cum fœminis non incidit, quia in Sodomia propriè sumpta peccatur non solùm contrà vas, sed etiam contra sexum, masculus autem in tali casu licet vas debitum non servet, servat tamen sexum. Ità Lupus de Cas. refer. loc. cit. contrà Fagundez loc. cit. Quintò tandem aliqui etiam excipiunt impuberes, eo quod regulariter loquendo non compleant. Ita Lupus, & Borbonus cit.

134 Tertia species peccati contra naturam est Bestialitas, quod est gravissimum inter omnes, quia non servatur in eo identitas speciei, & potest fieri tam à masculo, quam à fœmina, si hæc se prostituat bestiæ masculæ; & quando fit talis nefandus congressus, opus non est explicare qualis bestia fuerit, sivè cujus speciei, quia differentia hæc in ordine ad peccatum materialis tantùm est, & in genere entis, non autem formalis, & in genere moris, & omnes hi congressus turpitudinem habent ejusdem rationis, siquidem sunt concubitus cum animali alterius generis, vel speciei. Ita Cajetan. Azorius, Filliucius, Bonacina, Tamburinus, & alii passim, qui omnes advertunt hunc revocari peccatum luxuriæ cum Dæmone succubo, vel incubo, quia adhuc ille non est ejusdem speciei cum homine, etiamsi formam hominis assumat; cui peccato superadditur malitia contra Religionem, & superstitionis, quatenus includit societatem cum dæmone, quæ circumstantia in confessione est explicanda, superaddi etiam potest malitia Sodomiæ, adulterii, vel incestus, si congressus fiat cùm Dæmone in forma juvenis comparente, vel fœminæ conjugatæ, aut consanguineæ, &c. committitur enim culpa pro qualitate personæ, quæ apprehenditur, & ad quam affectus dirigitur. Quæres, an licitum sit coitum bestiarum aspicere, aut ipsarum turpia. Respondetur cum Granado in p. 2. contr. 6. tract. 4. disput. 7. non esse de mortali damnandum inspicientem verenda bestiarum etiam turpiter commota, ac etiam eorum coitum, quia neutrum istorum ad luxuriam multum provocat; at coitum hominum, aut verenda humana contrarii sexus præsertim studiosè inspicere est valdè periculosum, quia cum honestate naturali valdè pugnat, & est notabilis causa sensualis commotionis, quarè sic inspiciens difficilè excusatur à mortali.

135 Quarta species peccati contrà naturam est congressus inordinatus, seù innaturalis, sivè indebitus concubendi modus, cùm nempè fœmina in copula est desuper, aut cùm masculus retrò accedit vase non mutato; hoc autem peccatum ex suo genere mortale non est, nisi conjugatur cum mortali copula, scilicet, fornicatione, adulterio, & aliis; undè inter conjuges mortale non est, nisi interveniat tanta inordinatio ut generatio impediri possit, vel semen extrà vas effundi, tunc enim esset mortale; ordinariè tamen est peccatum veniale, & quidem grave in suo genere, nisi aliqua necessitas excuset, v. g. quia mulier est prægnans, vel quia corporis dispositio, vel utriusque conjugis, vel alterutrius aliter fieri non patitur, ut quando vir propter pinguedinem non potest cum uxore congredi, nisi retrò accedat, & similibus; secluså verò necessitate, vel justa causa, graviter reprehendendi sunt conjuges sic congredientes ob pericula generationis impediendæ, quæ incurri possunt. Ità Sylvester, Angelus, Toletus, Cajetanus, Henriquez, Sanchez, Filliuc. Bonacina, & alii. Addit Astesanus noster loc. cit. quod excluso casu necessitatis peccat homo hæc faciendo magis cum uxore, quam cùm meretrice, quia magis tenetur cavere malum uxoris, quam alterius mulieris.

136 Controversia autem est inter Recentiores satis exagitata, An prædicta peccata contra naturam verè, & propriè distinguantur specie. Negant aliqui asserentes esse ejusdem speciei infimæ, & differre materialiter solùm, & merè modaliter, quam sententiam mordicus novissimè defendit Caramuel fundamento 57. plures pro eo citans Auctores, tanquam genuinam D. Thomæ qu. 154. cit. art. 11. ubi ait *peccatum contrà naturam pluribus modis contingere posse*, jam suprà declaratis, ex quibus verbis deducit Doctorem Angelicum peccatum contrà naturam in plures modos subdividere, & non in species, atque ideò peccata contrà naturam esse ejusdem speciei infimæ, & solùm materialiter differre, & merè modaliter. Ratio est, quia in omnibus eadem essentialis malitia reperitur, nempè exercendi actum venereum modo, ex quo non possit sequi generatio, ergo omnia peccata contra naturam sunt ejusdem speciei infimæ, & solùm differunt quoad modum illa exercendi.

Confirmatur, quia si omnes prædictæ species essentialiter differrent, aliæ plures assignari possent, ut si expleatur voluptas venerea inter Mamillas, inter toros brachiorum, aliisque partibus. Addit tamen, quod etiam hanc opinionem tenendo debent peccata contra naturam in confessione explicari, & peccandi contra naturam modi debent in confessionem exponi & distingui, sivè peccata contrà naturam specie distinguantur, sivè non, undè ait hanc consequentiam non valere, hæc duo peccata non distinguuntur specie; ergo non debent in confessione distingui, nam adulterium simplex, & duplex non distinguuntur specie, & tamen in confessione distinguuntur

137 Oppositа sententia, quam dicit Oviedus tr. 6. de vitiis, & peccatis contr. 5. punct. 3. §. 7. esse communem Doctorum sensum, asserit prædicta peccata contra naturam verè, & propriè specie distingui in genere moris, & non tantùm materialiter, ac merè modaliter. Ratio deducitur ex communi doctrina jam à nobis tradita lib. 2. sent. disp. 6. quæst. 2. art. 3. & 4. de ratione cognoscendi, & discernendi peccata contra eandem virtutem, nam dicebamus ibi peccata specie differre, non tantùm quæ diversis virtutibus, sed etiam quæ eidem opponuntur extremè, ut prodigalitas, & avaritia; vel ratione diversæ difformitatis, & dissonantiæ, ideſt, quæ adeò diversa ratione, & malitia ejusdem virtutis materiam attingunt, ut quantum est ex natura ejusdem peccati, non sit eadem facilitas moraliter loquendo, neque propensio utrumque peccatum committendi, qualia sunt in proposito mollities, Sodomia, & bestialitas; quis enim majorem difformitatem, & dissonantiam non concipit in concubitu bestiali, seù hominis cum bestia, quam in simplici pollutione, etiamsi uterque actus æquè generationi opponatur? cùm ergo unusquisque longè magis horreat bestialitatem, & Sodomiam, quam simplicem pollutionem propriis, vel alienis tactibus excitatam, dicendum est hæc peccata specie distingui in genere moris, & non tantùm materialiter, ac modaliter. Nec valet responsio Caramuelis loc. cit. dicentis magis, & minus non largiere specificam aliquam distinctionem, omnes enim magis horrent semper graviora peccata etiam in eadem specie. Non valet, inquam, quia estò in genere physico verum sit magis, & minus speciem non variare, tamen in genere moris pluries hæc regula fallit, ut patet de quantitate furti, quando pervenit ad metam, vel summam peccatum mortale constituentem, tunc enim magis non est amplius circumstantia ejusdem furti, sed potius illius objectum, ut dictum est art. præced. nu. 123. atque ita dicendum in proposito, quod major difformitas speciem variat, ut fusius ex professo contra hunc Auctorem ostendit D. Ludovicus Episcopus Oriolensis in quæst. selectis moralibus qu. 5.

138 Confirmatur, quia ut diximus l. 4. sent. disp. 5. q. 18. art. 1. circumstantiæ actus humani, quandò speciali prohibitione prohibentur, actum transferunt in aliam speciem moralem ab ea, quam ex se habet, & sunt aperiendæ in Confessione ex Conc. Trid. sess. 14. c. 5 ut v. g. alienum accipere est illicitum, sed speciali prohibitione prohibetur accipi de loco sacro, & ideò speciale peccatum sacrilegii per hāc circumstantiam constituitur. Sed in proposito Mollities, Sodomia, & bestialitas speciali prohibitione prohibentur, ut patet ex illis Apostoli verbis hæc peccata specialiter prohibentis, *Nec molles, nec masculorum concubitores regnum Dei possidebunt*; ergo hæc peccata specie distinguuntur, Denique si horum peccatorum circumstantiæ malitiam eorum in eadem tantùm specie augerent, nec in aliam transferrent, non necessariò essent in Confessione aperiendæ, tales enim circumstantiæ non sunt necessariò explicandæ, ut l. c. diximus, sed circumstantiæ prædictorum peccatorum contra naturam sunt necessariò in confessione aperiendæ, ut etiam Adversarii concedunt; ergò &c. Ex qua doctrinæ fundamento prioris sententiæ facilè occurritur falsum enim est eandem malitiam essentialem in prædictis peccatis contra naturam reperiri, licet enim singula in hoc conveniant, quod generationem naturalem impediunt non tamen eodem modò, longè enim major difformitas reperitur in modo impediendi generationem humanam per bestialitatem, quā per Sodomiam, & in hoc magis, quàm in simplici mollitie, quæ quidē deformitates speciali prohibitione prohibentur.

Ad Confirmationem negatur consequentia, quia non quælibet diversitas explendi voluptatem veneream fundat diversam

ſam diſſonantiam,& difformitatem,etſi modi valdè diverſi eam fundent, ſed tantùm diverſitates ſpeciali prohibitione prohibitæ, quales non ſunt in argumento adductæ. Denique non ſufficit hæc peccata in confeſſione aperire, tanquam numero diſtincta, ut ait Caramuel l. c. alioquin qui ſemel habuit mollitiem, ſemel commiſit beſtialitatem, & ſemel Sodomiam, ſatisfaciet in confeſſione dicens; *Ter peccavi contrà naturam*, quod licet ipſe gratis concedat l.cit.nu. 1701. nemo tamen ſanæ mentis concedere debet, quia ut ipſemet jam ſuperiùs dixerat n. 1648. qui ſic peccavit debet iſtos modos numero diſtinctos, varios tamen, exponere, & explicare, ac ſcilicet, commiſerit Sodomiam, an beſtialitatem, &c. & tandem ad litem hanc terminandam ſufficit, quod hæc propoſitio damnata fuerit à S. Congregatione fer.5.die 24.Septembris 1665.*Mollities, Sodomia, & Beſtialitas ſunt peccata ejuſdem ſpeciei infimæ.*

ARTICULUS TERTIUS.

De Impudicitia, hoc eſt, de tactibus, aſpectibus, ſimilibuſque actibus impudicis inter ſolutos.

139 PRimò, quoniam præter aſſignatas luxuriæ ſpecies ſunt alii plures ejuſdem peccati actus tam exteriores, quam interiores ad unamquamque illarum pertinentes, ſub nomine Impudicitiæ comprehenſi, præter illas hoc ſexto præcepto prohibentur etiam oſcula, tactus, & amplexus inter ſolutos, quæ fiunt ob carnalem,& veneream delectationem,quæ ex illis percipi poteſt, quia hæc quoque ſunt peccata mortalia hoc præcepto prohibita; quamvis enim hæ,& conſimiles aliæ actiones ſint ex genere ſuo indifferentes, & poſſint ſecluſo libidinoſo affectu licitè exerceri, v.g. ſi quis conſanguineam oſculetur, vel etiam extraneam ſalutando, quia talis eſt patriæ conſuetudo, vel alia rationabili de cauſa; ſi tamen nulla alia hujuſmodi cauſa ſubſit, nec aliud in oſculis, tactibus, & amplexibus intendatur, quam delectatio illa, quæ carnem afficit, & ad libidinem excitat, tunc peccati mortalis reatus incurritur. Ad id autem dignoſcendum diſtinguenda eſt in his actibus delectatio triplex; prima dicitur naturalis, quæ conſiſtit in proportione quadam, & conformitate rei tactæ cum organo tactus; quomodo manus in calore excedens delectatur tangendo manum frigidam, & è contrà; ſi quis ergò tangendo manum mulieris hoc ſolùm modò delectetur ſine alia ulteriori intentione, quamvis ſit difficile, nullius erit peccati reus. Secunda dici poteſt delectatio moralis, & eſt quam quis ſumit ex oſculo more patriæ, vel tactu manus cauſa amicitiæ exhibito, & hæc etiam licita eſt, & honeſta, quia delectatio, quæ ex his actibus ſumitur, potius eſt voluptas, & gaudium mentis, quam affectio ſenſitivi appetitus. Tertia denique delectatio eſt libidinoſa, quæ ſentitur in carne, & oritur ex commotione partium corporis, ſeù ſpirituum vitalium ad pollutionem incitantium, & hæc inter ſolutos eſt peccatum mortale,quia hæc delectatio à natura fuit inſtituta, ut medium ad copulam, & generationem ordinatum; quarè cùm copula inter non conjugatos non ſit licita, ſequitur nec licitam eſſe delectationem hujuſmodi ſenſualem, quæ etiam venerea appellari ſolet, quia eſt ordinata ad generationem, cui Venerem Gentilitas præficiebat. Ità Navarrus, Cajetanus, Leſſius, Reginaldus, Sanchez,Filliucius, Tamburinus,& alii paſſim apud Bonacinam q.4. cit. punct.9.ubi ait,quod ſi hujuſmodi tactus,& amplexus, qui fiunt cauſa amicitiæ, & conſuetudinis patriæ, fiant etiam ex aliqua veniali vanitate, joco, curioſitate, & levitate, non videntur peccata pluſquam venialia, modo non adſit periculum conſenſus in delectationem ſenſualem, ſeù veneream, nam poſito tali periculo, ait eſſe mortale; contrarium tamen tutius eſt, ut dicunt alii, quia ob carnis fragilitatem valdè difficilè eſt hoc periculum abeſſe; quamvis Monſregalis noſter de ſexto Decalogi præcepto cap. 3. in fine dicat tactus hujuſmodi non eſſe mortales, etiamſi exindè inſurgat delectatio venerea contrà, vel præter voluntatem tangentis, nullo aſſenſu Superioris portionis animæ accedente, quem caſum valdè difficilem ego cenſeo, quia voluntas noſtra prona eſt condelectari appetitui ſenſitivo, & S. Congreg. die 18. Martii 1666. opinionem damnavit,quę dicit eſſe tantùm veniale oſculum habitum ob delectationem carnalem,& ſenſibilem, quæ ex oſculo oritur, ſecluſo periculo conſenſus ulterioris, & pollutionis.

140 Secundò aliter loquuntur præcitati Doctores de aſpectu fœminæ, vel alterius perſonæ ob curioſitatem pulchritudinis; dicunt enim non eſſe peccatum mortale etiam ſi fiat propter delectationem, quæ ſenſu viſus capitur; modò non adſit periculum turpis, & venereæ delectationis, vel alterius luxuriæ. Ratio eſt, quia tantùm periculum non reperitur, nec tanta turpitudo in aſpectu,quanta in tactu,nec aſpectus ità provocat ad libidinem, ſicut tactus;tangere enim proprius ad libidinem ordinatur, magiſque venerem excitat, hoc eſt, ſpiritus vitales generationi ſubſervientes, quàm ſolùm aſpicere; quarè aſpicere mulieris faciem,manus,brachia,mamillas,ac alias partes ejus honeſtas, non eſt ex ſe pecatum ſaltem mortale,etiamſi fiat ob delectationem ſenſualem in pura viſione reſidentem; nam ſi fiat ob libidinoſam, non excuſabitur à mortali, quarè non immeritò minus peccato obnoxii ſunt aſpectus, quam tactus; qua ratione concedo etiam, quod ait Monſregalis c. 5. in fine, licet de actu negaverim; ſi mulierem quis intueatur cauſa vanitatis, levitatis, & curioſitatis, non dirigendo aſpectu ad delectationem carnalem, ſed motus tantùm ex quadam vanitate, & curioſitate, etiamſi exindè exurgat ſenſualis delectatio ex ſola venuſtate, & pulchritudine rei viſæ, quatenus grata eſt viſui, delectatio illa eſt ſolùm peccatum veniale, dummodò in illa ex plena advertentia diù non detineatur, quia tunc eſſet periculum venerei conſenſus, & commotionis ſpirituum ad pollutionem incitantium. Addunt tamen præcitati Doctores aliquos eſſe aſpectus de ſe impudicos,qui ſunt peccaminoſi mortaliter, etiamſi ob malum finem non fiant, ſed ex ſola curioſitate, & levitate; ut quando vir fœminæ pudenda reſpicit,vel è contrà,nam hujuſmodi aſpectus, utpotè inſtrumentorum ad generationem ordinatorum, valdè ad libidinem excitant, & ſpiritus commovent, & conſequenter à gravi peccato non excuſantur; niſi eſſet pudendorum in ſexu infantili,vel puerili, aut ob curioſitatem tam brevi tempore, ut non ſit periculum magnæ commotionis ſpirituum; tunc enim facilius à mortali poterit excuſari; qua ratione etiam aſpicere nudum eum, vel eam, quæ ſit ejuſdem ſexus cum aſpiciente, non eſt mortale, ſed veniale, quia talis aſpectus pudendorum ejuſdem ſexus cum aſpiciente non multum ad venerem excitare ſolet, & ideò à mortali excuſatur.

141 Tertiò ex modò dictis quatuor valdè notanda deducuntur, ut obſervat Monſregalis l.c. ex Navarro c *Si cui*, de Pœnit. d. 1. Primùm eſt non eſſe eandem rationem de tactibus, & aſpectibus,quia aſpectus non ordinantur ſecundùm ſe ad venerea, ſicut tactus, qui ad eam luxuriæ ſpeciem reducuntur, in qua eſſent, ſi coitus ſequeretur, & propterea in confeſſione exprimenda eſt circumſtantia perſonæ tactæ. Secundum eſt nec viſum, nec tactum eſſe de ſe peccatum, nec quidem veniale, ſi fiant honeſta de cauſa,& abſque delectatione venerea, neque etiam ſi fiant cum ea primò motu inſurgente. Tertium eſt tam tactum, quam viſum eſſe peccatum mortale, ſi fiant deliberatè ad habendam delectationem veneream, uti præambulam ad actum carnalem, imò etiam ſi fiant deliberatè ad habendam ſolam delectationem veneream ſine relatione ad copulam carnalem. Quartum eſt, nec tactum, nec viſum ex cauſa honeſta factos eſſe peccatum mortale; propterea quod ex ejs delectatio venerea inſurgat in parte ſenſitiva contrà, vel præter voluntatem tangentis, vel videntis, ſi nullus conſenſus voluntatis portionis Superioris accedat.

142 Quæres, An & quatenus liceant tactus, & aſpectus inter conjuges, & ſponſos de futuro. Reſp. cum communi DD. conjugibus licere, ſi ad copulam referantur, ad quam licitè ſe excitant; & excuſantur à mortali, etiamſi capitanter ob delectationem abſque intentione copulæ conjugalis,quia matrimonium eos cohoneſtat, ac defectus debiti finis non eſt mortalis modò non adſit periculum pollutionis extrà vas, in tali enim caſu à mortali non excuſarentur, ſicut etiam adeſſet deſiderium, aut delectatio alterius ſponſæ. Quoad ſponſos autem de futuro dicendum eſt tactus impudicos ejs non licere, ac proindè à mortali non excuſari, quia tactus hujuſmodi ad copulam proximè diſponunt, quæ non eſt ejs licita antè matrimonium contractum. Tactus verò pudici, hoc eſt, in partibus honeſtis, qui poſt ſponſalia abſoluta fierent cauſa delectationis ſenſitivæ à pluribus DD. à mortali excuſantur, modò non ſit periculum pollutionis, vel conſenſus in copulam, quorum ratio eſt, quia ſicut matrimonium copulam facit licitam; ità ſponſalia, quæ ſunt prævia ad matrimonium diſpoſitio, hos tactus faciunt licitos, ſi periculum pollutionis non adſit. Ita Nau. Sanchez, Tol. Azor.Fill.& alii. Oppoſitum tamen docent Henriq. Reb. Leſſ.& alii, quorum ratio eſt, quia hæc delectatio à natura inſtituta eſt, ut prævia diſpoſitio ad copulam, quarè cum hæc ſit inter ſponſos illicita antè matrimonium, conſequenter etiam delectatio hujuſmodi erit eis illicita; utraque ſententia probabilis eſt ex Bon.l.c. ſed prima mitior,ſecunda tutior,& probabilior ob propoſitionem relatam à S. Congreg. damnatam.

143 Quartò conveniunt Doctores,turpia loqui,& turpia canere tres illas ſpecies delectationum participare ab initio artículis aſſignatas;undè ſi hæc fiant ob bonum finem v.g.cauſa ſtudii,nullum cõmittitur peccatum;ſi tantum ex curioſitate fiant, vel vano ſolatio animo, ſcilicet, fallendi temporis, ſeque relevandi à laboribus eſt peccatum tantummodò veniale, ut patet

ex

ex dictis de aspectu; secluso tamen periculo delectationis libidinosę, ut supponitur, vel circumstantia scandali astantium, ut accidit, quando verba, vel cantiones sunt valdè lasciuæ, & inhonestæ, tunc enim probabiliter potest credi scandalum indè suboriri, at si fiant cùm delectatione ad objecta ipsa, hoc est ad res ipsas narratas graviter peccaminosas, vel cum periculo consensus in illam, erit absque dubio mortale, quia talis voluntas expresè libidinosa censetur. & idem pariter dicendum est de lectione obscænorum, ac eorundem auditione, qui enim libros legunt de turpibus ex professò agentes, præscindendo an hi libri sint prohibiti, vel non, pari modò non peccant, si ob bonum finem legant; peccant verò venialiter, si ob curiositatem, vel jocum, & tandem mortaliter, si ob libidinosam delectationem, aut cum periculo aliquos, aut seipsos incitandi ad libidinem, & sic pariter discurrendum est de aspicientibus tabulas rebus turpibus depictas, suppositione facta, quod absit periculum consentiendi. Aliter autem dicendum est de componentibus, & repræsentantibus comædias, quæ continent res valdè turpes, & ad libidinem excitantes, peccant enim mortaliter, quia dant causam ruinæ proximi, quamvis illam non intendant, cùm moraliter certum sit plures indè ad peccatum incitandos, & idem dicendum est de describentibus turpia, & pingentibus fœminas cum nudatis pudendis, vel in actu coeundi, quia hæc, & similia valdè ad veneream libidinem aspicientes incitare solent. Ex quo etiam deducitur Magistratus, qui Comædias turpes exhiberi permittunt, graviter peccare, cùm enim ipsi facilè tot lapsus, & ruinas cavere possint, ex charitate, imò ex officio tenentur repellere turpia repræsentantes. Ità Sanchez, Filliucius, Cajet. Navarr. Tolet. Azor. Bonac. Tamburinus, & alii passim.

144 Quintò, est gravis controversia inter Recentiores, An in rebus venereis detur parvitas materiæ, hoc est, utrùm in genere luxuriæ sit dabilis aliqua sensualis delectatio, quæ ità sit levis, ut ex se non inferat peccatum grave. Aliqui absolute affirmant, quorum ratio est, quia tangere res molles, suaves, & temperatas, propter delectationem indè naturaliter re sultandam, non est mortale; ergò nec tangere carnes alienas, secluso alio fine, & periculo. Deindè quia delectatio venerea ex solo visu capta plerumque non est mortale, ut suprà dictum est; ergò si in cæteris præceptis datur materia parva, etiam dabitur in Castitatis præcepto. Tandem quia si non daretur, ideò esset, quia humana fragilitas est maxima, & periculum videtur evidens; sed hæc ratio non est sufficiens, quia non apparet cur non possit Petrus fœminæ pedem leviter pede comprimere, quin se exponat evidenti periculo consensus in ulteriorem actum, & quis credet non esse possibile, quod Paulus ex levi, vel sensuali curiositate aspiciat transeuntem fœminam, quin velit ulterius progredi? non ergo neganda videtur parvitas materiæ etiam in materia luxuriæ. Ita Sanchez, Salas, Villalobos, Marcantius, & alii. Negant plures alii, quorum fundamentum præcipuum est humana fragilitas in rebus venereis, ac proindè imminens periculum consensus etiam in rebus minimis, tùm quia omnis delectatio venerea secundùm Galenum est inchoatio quædam pollutionis; atqui omnis inchoatus actus pollutionis est mortalis; ergo etiam quæcumque delectatio talis. Ità Diana, Castropalaus, Trimarcus, Teneda, Baldellus, Bon. & alii, qui testantur Clem. VIII. in officio S. Inquisitionis definivisse in rebus venereis non dari parvitatem materiæ, & afferunt decretum P. Claudii Aquavivæ Generalis Societ. quo vetuit, ne quis ex Patribus suis publicè, vel privatim doceret, aut se judicare significaret oppositam opinionem esse tolerabilem, vel probabilem.

145 Media via gradiuntur alii. Ità Caramuel fundam. 58. de materia parva, ubi fusissimè de hac controversia disputat, & ab initio quæstionis dicit, quod in obscurissima hac materia speculationem à praxi omninò distinguere debemus, & tametsi speculativè nihil possit universim statui, potest tamen, & debet practicè; undè in resolutione quæstionis duas posteà statuit conclusiones. Prima est quod speculativè, & præscindendo à periculo in delectatione venerea datur materiæ parvitas. Secunda est, quod si hæc delectatio ita parva posset poni à parte rei sine ulteriori periculo, esset de facto culpa levis; at quia semper adest periculum, semper est mortalis; & quia semper est periculum, ubi non est certa securitas, & qui periculo peccandi se exponit, peccat mortaliter, ideò concludit in luxuria ob annexum periculum non dari practicè parvitatem materiæ, sed omnem delectationem libidinosam, si voluntariè est admissa, esse culpam mortalem. Sed cum alia distinctione procedit Tamburinus libr. 7. cap. 8. cit. §. 1. & inquit aliud esse dari parvitatem materiæ in materia luxuriæ, & aliud in re venerea, hæc enim duo valdè differunt, nec inter se confundi debent, nam luxuria latè patet ad omnem culpam pertinentem maximè ad sensum tactus. Res vero venerea, quam propriè vocavimus libidinosam, restringitur ad culpas pertinentes ad generationem. Hac distinctione præmissa, inquit in materia luxuriæ posse admitti parvitatem materiæ, quia tactus levis ex joco, & curiositate, ac etiam ex delectatione sensuali in puro tactu residente, & non libidinoso, parva culpa est, ut suprà diximus, licet possit esse gravis, si ulterius progrediatur, & ob finem libidinosum assumatur. At in re venerea inquit nullam materiæ parvitatem admitti posse semper enim eo ipso, quod venerea est, inchoatio copulæ, seu pollutionis est, atque adeò ipsius procuratio quæ inter solutos mortale peccatum semper attingit, & hic dicendi modus mihi quoque probabilior videtur, & tutior, ac magis consonans præcedenti doctrinæ de tactibus, & aspectibus impudicis, & quidem si rationes primæ opinionis benè perpendantur, non aliud probant, quàm primam hujus assertionis partem, & rationes posterioris secundam, non enim loquitur de parvitate materiæ, nisi in rebus venereis. Verum tamen est Caramuelem loc. cit. hanc distinctionem non admittere, qua non admissa negandum omninò est dari parvitatem materiæ in peccato luxuriæ ob nimiam humanæ carnis fragilitatem; ut dictum est.

146 Sextò tandem ex dictis colligi potest cum Abellio de sexto Decalogi præcepto §. 2. quot modis in hoc præceptum peccetur, peccant enim qui alias personas impudicè aspiciunt, quī osculis, vel tactibus libidinosis delectantur; qui in peccatum molitiei deliberatè incidūt, aut eam sibi tactibus impudicis, vel aliis modis procurare conantur; qui committunt peccatū fornicationis, stupri, adulterii, sacrilegii, incestus, aut raptus, qui infandum Sodomiæ, aut bestialitatis crimen perpetrant, aut aliis illicitis, ac monstruosis concumbendi modis se pollūnt. Item qui notabiliter in potu, vel cibo excedunt, undè in ipsis motus sensuales, & impudici, & aliquando pollutiones oriri solent, quibus regulariter, & frequenter se consentire experiuntur, qui vestitu, aut gestu aliquo immodesto, vel aspectu hujus peccati occasionem aliis præbent; qui Comædiis, aut aliis spectaculis, vel saltationibus, aut choreis delectantur, in quibus advertunt se graves hujus peccati luxuriæ tentationes experiri, eisque ut plurimum succumbere. Item qui aspiciunt imagines, vel picturas obscænas, & ad libidinem aspectu sui excitantes, aut eas publico loco exponunt, undè alii occasionem peccandi sumere possunt; qui turpes cantilenas, aut verba obscæna proferunt, aut ab aliis prolata libenter audiunt; qui novis vestibus se induunt, ut ab aliis concupiscantur, & literas amatorias scribunt, & similia opera externa faciunt ad rem veneream ordinata.

147 Denique communiter DD. docent illos etiam contrà hoc præceptum peccare, qui turpium rerum cogitationibus aut imaginationibus deliberatè intendunt, ut illis delectentur; quī delectationes illas suboriri advertunt, nec illas protinus abiiciunt; sed potiùs fovent, quia delectatio morosa est peccatum mortale, & dicitur morosa, quando homo illi delectationi liberè consentit, aut cum potest prohibere, & tenetur, non prohibet. Verùm, quæ hoc præcepto per se, & directè prohibentur, ad opus pertinent, in nono autem præcepto: *Non concupiscas uxorem proximi tui*, &c. ea ipsa prohibentur in concupiscentia; quemadmodum ea, quæ in opere prohibentur sequenti præcepto de non furando, prohibentur in concupiscentia ultimo præcepto de non concupiscendo res alienas, quarè impudicæ cogitationes, morosæ delectationes, desideria, & similia, per se, & directè nono præcepto prohibentur, quoniam quæ hic præcipiuntur, vel prohibentur in facto, ibi prohibentur, & præcipiuntur in concupiscentia, & desiderio atque ideò hujusmodi peccata in actibus internis consistentia per se, & directè contrà novum præceptum tendunt, de quibus proindè ibi agemus, non autem contrà sextum, nisi remotè, & indirectè.

148 Hic etiam quæri solet, An motus sensualitatis sint peccata. Pro cujus quæsiti resolutione breviter advertendum est, motus sensualitatis ex communi omniū doctrina alios esse primò primos; alios secundò primos; primi generis dicuntur illi, qui repentè consurguntur, & omnem rationis considerationem præveniunt, itaut nulla sit apprehensio, vel suspicio malitiæ, & hi non sunt peccata, quia non sunt in nostra potestate, nec sunt voliti in seipsis, neque in causa, non est autem peccatum, nisi voluntarium directè, vel saltem indirectè, ideſt, vel in se, vel in causa; & hoc intelligendum est non solùm de primis motibus sensualitatis, sed etiam intellectus, & voluntatis, ut accidit, quando aliquis subitò malum de proximo suspicatur. Motus secundi generis, seù secundò primi dicuntur illi, qui succedunt motibus primò primis, cùm autem in his motibus secundò primis adsit aliqua malitię advertentia, sequitur ipsos esse peccaminosos accedente voluntatis consensu; ad perfectum autem, & directum consensum duo requiruntur, unum est perfecta intellectus advertentia; alterum est motus, & approbatio voluntatis, undè sequitur ex duplici capite consensum posse esse imperfectum, ut Becanus advertit p. 2. tr. 2. c. 5. q. 5. ex defectu nimirum advertentiæ intellectus, & ex defectu voluntatis; si advertentia intellectus

ctus nulla sit, nullus potest esse voluntatis consensus, quia voluntas non fertur in incognitum, ac proindè nullum peccatum, si advertentia intellectus est aliqua, sed tamen imperfecta, poterit quidem esse aliqualis consensus, non tamen sufficiens ad peccatum mortale; tandem si advertentia intellectus est perfecta, & ad hanc accedat motus, & approbatio voluntatis, tunc adest plenus, & perfectus consensus ad peccatum mortale sufficiens, quandò autem voluntas perfectè consentire censeatur, explicabimus infrà agendo de nono præcepto. *Non concupiscees*, ibi enim est proprius hujus quæsiti locus; interim videatur Bonac. q. 4. cit. de Matrimonio punct. 7.

QUÆSTIO OCTAVA.

De Septimo Decalogi Præcepto.

149 PRo exacta septimi præcepti declaratione, *Non furtum facies*, quod habetur Exodi 20. tria præsertim DD. tractare solent, ut apud Azorium videri potest p. 3. l. 4. & alios passim. Primo de Justitia, & Jure, ac rerum Dominio, quo pacto nimirum acquiritur, conservetur, & amittatur, ut ex his posteà rationes omnes cognoscamus, quibus ergà proximi bona obstringimur. Deindè de Contractibus, vel quasi Contractibus, in quibus Justitia commutativa versatur. Tertiò de Rest. tùm in genere, tùm in specie ad dignoscenda delicta, vel quasi delicta, ex quibus obligatio restitutionis oritur. Quoniam verò de his omnibus sufficienter egimus suprà disp. 3. 4. 5. & de Restit. tàm in communi, quàm in particulari disp. 7. 8. & 9 Lectorem ad ibi dicta remittimus, ne hic eadem frustra, & absque necessitate repetamus; & solum hic breviter declarabimus, quid hoc septimo Decalogi præcepto prohibeatur, & quot modis contrà hoc præceptum peccetur.

ARTICULUS PRIMUS.

Quid hoc septimo Decalogi præcepto prohibeatur.

105 PRimò, certum est, hoc præcepto, quod traditur per modum negationis. *Non furtum facies*, non tantùm prohiberi furtum, sed etiam præcipi Restitutionem rei alienæ. & ratio est, quia sicut præceptum affirmativum includit virtualiter negativum, ità è contrà negativum includit affirmativum, quare sicut virtute primi præcepti, quod traditur sub affirmatione, *Unum cole Deum*, non tantùm præcipitur cultus Deo debitus, sed etiam prohibetur quicquid veri Dei cultui adversatur, ut in Superioribus dictum est; ità in hoc præcepto, quod per modum negationis traditum est, includitur affirmatio, seu præceptum affirmativum, nempè, *Redde quod tuum non est*, & ità cùm prohibetur furtum Restitutio virtualiter præcipitur juxtà illud de Regul. jur. in 6. *Non dimittitur peccatum, nisi restituatur ablatum*. Tria itaque generatim hoc septimò Decalogi præcepto prohibentur. Primum est omnis illicita usurpatio rei alienę, sivè occultè fiat, qualis fit per furtum, sivè palam, & cum violentia, qualis est rapina, hoc enim est discrimen furti à rapina, ut dictum est disp. 9. q. 1. a. 1. Ità D. August. l. qu. Exod. qu. 71. ubi explicans hujus præcepti intelligentiam inquit, furti nomine omnem illicitam rei alienæ usurpationem intelligi, non enim rapinam permisit, qui furtum prohibuit, sed nomine furti in lege veteris Testamenti, & rapinam intelligi voluit, & quicquid illicitè rerum proximi aufertur. Ità discurrit D. August. l. c. & refertur 14. q. 5. c. Pœnale, ubi dicitur, quod pœnale est occultè auferre, & multò majoris pœnæ est palam eripere, quia ut l. c. diximus, peccatum rapinæ gravius est furto, siquidem ultrà injustam rei alienæ ablationem, injuria etiam violentiæ illatæ in ea reperitur, quam proindè circumstantiam in confessione aperiendam esse ibi diximus, quia est circumstantia mutans speciem, & sunt peccata furtum, & rapina specie diversa, ut ibidem statutum est cum vera, & communiori sententia. Secundum quod prohibetur est omnis illicita detentio rei alienæ ex Can. sæpè 14. de Restit. Spoliatorum, eò quod non multum intersit; ut ibi dicitur, quoad periculum animæ, injustè detinere, ac invadere alienum. Tertium tandem est omne damnum rebus proximi injustè illatum, quid autem sit damnum datum, & quomodo à furto distinguatur jam diximus disp. cit. quæst. 2. quare ab initio illius Disputationis diximus in septimo Decalogi præcepto, *Non furtum facies*, sub nomine furti comprehendi omnes actiones, vel omissiones, quibus proximus in bonis fortunæ læditur sivè rem ejus usurpando, sivè destruendo, & deteriorando, sivè illum impediendo à consecutione alicujus boni, vel beneficii, sivè non restituendo, vel non solvendo ei id ad quod jus, & actionem ex justitia habet; per hoc enim præceptum omnis hujusmodi actio, vel omissio circà hujusmodi bona contrà justitiam prohibetur.

151 Secundò hinc deducit Abellius de septimo Decalogi præcepto §. 10. quod cùm ex doctrina D. August. loc. cit. hoc præcepto prohibeatur, non solùm quævis injusta rei alienæ acceptio, & detentio, quæ furti nomine designatur, sed etiam quævis alia injusta rei alienę contrectatio, aut damni illatio; consequenter dicendum est etiam prohiberi deliberatam quamlibet voluntatem alterius res injustè usurpandi, vel detinendi, aut damnum illi inferendi, ut enim docet D. Th. p. 2. q. 72. a. 7. peccata voluntatis, & operis ejusdem sunt speciei; cum hac tamen differentia, quod peccata operis contrà hoc septimum præceptum ad restitutionem obligant, non verò peccata solius voluntatis. Verùm de hoc præcepto discurrendum est, sicut de præcedenti, quod nimirum quæ hoc præcepto per se, & directè prohibentur, ad opus pertinent; in decimo autem præcepto, *Non concupiscere rem proximi tui*, ea ipsa prohibentur in concupiscentia; atque ideò quælibet deliberata voluntas res alienas usurpandi, vel detinendi, vel damnum illis inferendi per se, & directè contrà decimum tendit præceptum, illoque immediatè, & proximè prohibetur, quoniam quæ hìc præcipiuntur, vel prohibentur, in facto, ibi præcipiuntur, & prohibentur in concupiscentia, & desiderio proxime, & immediatè; hìc autem solum mediatè, & remotè, quatenus actus externus malitiam, & pravitatem suam accipit ab interno. Deindè quamvis utique verum sit inordinariè loquendo sola peccata operis contra hoc septimum præceptum ad restitutionem obligare, non verò peccata solius voluntatis, ut nos quoque diximus disp. 9. cit. q. 2. art. 2. n. 37. nihilominus in aliquo casu etiam solam nocendi intentionem per media alias licita obligationem restituendi inducere posse ibidem ostendimus nu. 39. pluribus exemplis cum Hiqueo nostro in suo Commentario 4. d. 15. q. 2. in fine.

152 Tertiò observandum est cum eodem Abellio, ac etiam ex dictis à nobis loc. cit. hoc præcepto prohiberi illam rei alienæ invito domino usurpationem, ac detentionem, quæ injusta est, quia ex communi Theologorum sententia variis in casibus ablatio rei alienæ invito domino absque ullo justitiæ detrimento fieri potest, siquidem dominus in talibus casibus non censetur rationabiliter invitus, nam saltem in extrema necessitate licitum est aliena surripere, ut dictum est disp. cit. q. 1. a. 2. n. 20. cùm in extrema necessitate de lege naturæ omnia sint communia, undè in tali casu non censetur invitus dominus, vel saltem non rationabiliter invitus, sic pariter cùm fit ablatio ex joco, quamvis enim invito domino fiat, non tamen censetur furtum, ut observat Tol. l. 5. c. 15. & cum fit ex legitima superioris auctoritate, qui ex justa, & rationabili causa bona unius in alterum transfert, qua ratione Israelitę Ægyptiorum bona auferentes furtum non commiserunt, nā Deus eos in pœnam spoliari voluit. Item cùm fit in bonum finem, & convertitur ablatum in domini utilitatem, ut cum à furioso ensis subripitur, ne ullum percutiat, qua ratione nec furatur uxor, quæ pecunias clàm aufert marito, ne in ludis, vel commessationibus eas profundat, dummodò tamen illas in usum familiæ convertat, nec peccat qui vinum alterius effundit, ne inebrietur, nec qui chartas disrumpit, & laceret, ne alii ludendo blasphæmias proferant, vel alia ratione peccent. Demum diximus etiam disp. 7. q. 2. art. 1. nu. 21. & 32. quomodo, & quibus servatis conditionibus licitum sit rem propriam ab alio injustè detentam subripere, & num. 33. quo pacto licitum sit etiam interdum rem suam recuperare, vel æquivalentem per violentiam, & rapinam.

153 Quartò, certum quoque est, ac de fide furtum, & rapinam, quæ hoc præcepto prohibentur esse peccata mortalia ex genere suo, ut constat ex 1. ad Cor. c. 5. *fures Regnum Dei non possidebunt*. & ratio est, quia nedùm charitati contrariantur, qua proximum diligere tenemur, ac proindè velle illi bona, & non inferre mala, & nocumenta; sed etiam justitiæ opponuntur, quæ reddit unicuique quod suum est, peccata autem contra justitiam, nedùm sunt mortalia ex genere suo, sed etiam ad restitutionē obligant, tùm tandem quia furtum, & rapina sunt etiam contrà bonum commune, nimirum contrà pacem societatis humanæ, quæ per furta, & rapinas valdè turbatur, atque dissolvitur. Dictum est autem esse peccata mortalia ex genere suo, quoniam in quibusdam casibus, & circumstantiis potest quis non solùm à peccato mortali, sed etiam à veniali excusari, ut quando indeliberatio intervenit, defectus judicii, probabilis rei alienæ ignorantia, intentio boni finis, impotentia recuperandi, quod sibi debetur, ac aliæ circumstantiæ num. præcedenti recensitæ, ac tandem parvitas materiæ, quæ subripitur, quoniam modicum pro nihilo reputatur. Ità Navarr. ca. 17. & alii Doctores passim, quænam autem in furto existimanda sit quantitas ad peccatum mortale contrahendum sufficiens jam dictum est disp. 9. cit. q. 1.

art. 1.

art. 1. n. 6. & seq. ubi etiam advertimus hanc parvam quantitatem talem esse debere, ut nec per se, nec per accidens causet proximo in bonis fortunæ corporis, vel animæ notabile damnum, quoniam si quis Sartori, v.g. acum, Sutori subulam, Scriptori calamum subripiat, aut alteri Artifici aliquod suæ artis instrumentum necessarium, defectu cujus Artifex per multum temporis spatium operari non possit, & victum sibi comparare, quamvis res accepta per se notabiliter non lædat, quia est modici valoris, lædit tamen per accidens ob rationem allatam, & lucrum sibi cessans ex acceptione prædicti instrumenti, ac propterea in tali casu ejusmodi rei parvæ furtum erit peccatum mortale, ut Doctores communiter docent, & ex nostris Monsregalis de septimo Decalogi præcepto c. 3. art. 1.

154 Quintò, Diana plures alios citans part. 5. tract. 13. resol. 98. docet ex Albertino in Rubrica de hæretic. in 6. quæst. 8. hoc præceptum de non furando, non habere locum in Christianis surripientibus res ab infidelibus ex consensu Principum, eo quia quicquid possident Turcæ sunt bona Christianorum tyrannicè usurpata, & ideò omnis Christianus, tanquam membrum Ecclesiæ, potest ea in Ecclesiam deferre, & captivi injustè ab infidelibus detenti possunt à dominis particularibus absque injustitia furari, quantum sufficit ad congruam compensationem pro injuria captivitatis, mercede servitutis, ac etiam ratione damni emergentis, & lucri cessantis in suis negotiationibus, & bonis ob absentiam à patria; item pro sufficientia redemptionis à dominis suis, & aliis quibuscunque ejusdem Reipublicæ, ac tandem quod caput est, ratione justi belli, nam Principes Christiani sunt domini rerum Turcarum, & cum ipsi sint hostes publici, & thyrannicè bona Christianorum possideant, ut dictum est sequitur posse christianos ex tacito Principum consensu bona illorum surripere, absque restitutionis obligatione. Et hoc Diana docet non tantum de mancipiis, quia Christianis in terris Turcarum manentes, ut plurimum sunt mancipia, sed cum Molina tom. 1. de Justitia tract. 2. disp. 37. extendit ad quemlibet Christianum dicens posse etiam defraudare vectigalia à Turcis imposita ob rationem allatam, quia scilicet, Turcæ sunt hostes publici, & bona Christianorum tyrannicè possident, undè Principes Christiani jus habent bellum ipsis gerendi, eosque jure belli rebus suis spoliandi. Hanc tamen licentiam quibusdam limitationibus restringit, nisi sequatur scandalum, vel damnum aliorum Christianorum, vel actio illa sumendi bona Turcarum non sit annexa cum mendacio, conscientia erronea, vel fractione fidelitatis, ad quam tenentur qui sub fide regia ibi adsunt, aut negotiantur, in his enim casibus Christiani furantes bona Turcarum peccarent, & si cum Turcis fœdus inirent, vel aliquod salvum conductum, ad restitutionem etiam tenerentur, quia in his casibus non potest præsumi consensus Christianorum Principum, sic etiam discurrit in hac materia Astesanus noster lib. 1. tit. 7. de Furto art. 3. cum Raymundo, & aliis antiquioribus.

155 Sextò D. Bonaventura 3. d. 37. dub. 7. ait, quod in hoc præcepto intelligitur prohiberi omnis illicita rei alienæ usurpatio, & illa potest fieri, vel per violentiam, vel per fraudulentiam, & hoc vel simpliciter, vel ubi adjacet consecratio aliqua, undè prohibetur hic furtum simplex, & sacrilegium, quod est furtum perpetratum circà rem sacram, vel locum sacrum; sacrum verò dicitur quicquid mancipatum est cultui divino, ut Ecclesia, vel res Ecclesiæ. Quæ circumstantia adeò notabilis est, quod ut advertunt Fagundez, Caspensis, & alii, si furto rei parvæ sacrilegium grave adjungatur, ratione adjuncti fit peccatum mortale, ut si quis agnum ex sacra cera furetur, ut indè candelam efformet ad domum suam illuminandam, vel modicum olei sancti chrismatis, ut in suam lucernam effundat ad eundem effectum; fit enim tali casu rei sacræ injuria notabilis, dum ad illicitos, & profanos usus convertitur. Addunt tamen, quod furari modicam ceram benedictam ex Altari ad se illuminãdum, vel modicum frustulum vestium Sacerdotalium, ut attritæ vesti assuatur, tantùm esse veniale, quia in his rebus non fit injuria gravius res sacræ, cùm non sint sanctificatæ, & consecratæ. Idem dicendum, si quis rapiat, vel furetur res non sacras, in loco tamen sacro existentes. & ratio est, quia sanctitatem violat, & immunitatem ejusdem loci sacri, in quo existunt, & hæc circumstantia, vel rei, vel loci sacri in Confessione Sacramentali necessariò explicanda est, quia peccati speciem mutat ex c. *Quisquis* 21. in ord. 17. q. 4. & evadit Sacrilegium, seù furtum sacrilegium.

156 Septimò, conveniunt etiam Doctores graviter peccare contrà hoc præceptum, etsi non in specie furti, si fur sciat ex jactura rei parvæ domino secuturam magnam valdè molestiam, quia v. g valdè ad eam afficiebatur, nec similis recuperari potest, ut si ex viridario auferat domino aliquem fructum, quem scit illi esse valdè charum, qua de causa ex ejus ablatione gravem patitur tristitiam; in tali enim casu mortaliter peccat, non quidem in specie furti, sed contrà charitatem ratione contristationis; & Bonacina disp. 2. de Restit. in particulari qu. 8. punct. 1. ait hoc diligenter advertendum esse, quando scilicet furtum, quod est veniale secundum se ratione parvitatis materiæ, fit postea mortale ratione notabilis damni, ut dictum est de ablatione acus Sutori, vel ratione alterius causæ concurrentis, ut exemplis modò adductis, quia excommunicatio, inquit, quæ fertur contrà fures, nisi restituant, illos non comprehendit qui rem levem furati sunt, etiamsi ex ejus ablatione mortaliter peccaverint ratione circumstantiæ adjunctæ; nam excommunicatio fertur propter furtum mortale, & quod mortalem habet malitiam in specie furti, non autem in alia specie malitiæ ratione circumstantiæ adjunctæ; furtum verò rei levis, & exiguæ non est mortale in specie furti, sed in specie injustæ damnificationis, vel alterius malitiæ, pro quo adducit Navarrum, Lopez, Rebell. Vasquez, Filliucium, Clavem regiam, & alios, Nec videò cur Faber noster disp. 48. de Rest. c. 1. n. 16. communem adeò doctrinam non recipiat, non enim Auctores citati negant ablationem rei minimæ esse peccatum furti, ut eis Faber adscribit, sed dicunt non esse furtum mortale, seù non habere malitiam mortalem in genere furti ratione levitatis materiæ, sed tantùm veniale; & cùm excommunicationes ferantur contrà fures, ut restituant, hoc ipso supponere videntur, quod furtum mortale commiserint ratione notabilis quantitatis rei ablatæ, ad cujus restitutionem tenentur, & non ratione gravis malitiæ adjunctæ in altera specie ratione circumstantiæ annexæ, quapropter à communi opinione recedendum non puto, præsertim ob regulam communem, quod pœnæ sunt restringendæ, non ampliandæ.

157 Postremò, quandò dicitur furtum esse acceptionem rei alienæ invito domino, observandum est, dominum dici posse invitum, vel quoad substantiam ipsam rei, vel quoad modum tantùm accipiendi; ad furtum propriè dictum requiritur, quod dominus sit invitus quoad substantiam rei ablatæ, & non tantùm quoad modum; dicitur autem sit invitus, quando non tàm rei acceptio, quam modus ipse occultus accipiendi, facultate non petita, displicet domino, & hujusmodi ablatio propriè furtum non dicitur, qua ratione Navarr. c. 17. n. 139. inquit plura excusari à furto, quæ filii à parentibus Religiosi à Monasterio, & famuli à Domino auferunt absque petita parentis licentia, Prælati, vel domini, & ad proprium usum accipiunt, quod appositè additur; quia si ad usum aliorum accipiant, ut scilicet ea aliis vendant, vel donent, à furto non excusantur.

ARTICULUS SECUNDUS.

Quot modis contrà hoc septimum Decalogi præceptum peccetur.

158 EX dictis in superioribus in tractatu de Justitia, & Jure de obligationibus justitiæ commutativæ, & distributivæ, ac rursus de Restitutione tam in communi, quam in particulari satis constare potest, quàm varii sint, & multiplices modi, quibus in hoc præceptum divinum peccatur, quo Deus in tutelam veluti suam bona nostra exteriora susscepit, ut ait Catechismus Romanus, part. 3. cap. 8. itaut nullus ea injustè surripere possit, aut nobis invitis illa retinere, quin injuria talis etiam in Deum ipsum refundatur; ac obedientia illi debita violetur. Omnes igitur illos modos majori, qua fieri potest, brevitate, & claritate ad quatuor, vel quinque capita reducemus.

159 Primò itaque contrà hoc septimum Decalogi præceptum peccatur injusta rerum acquisitione, quæ multipliciter contingere potest, & quidem in primis occultè aliena accipiendo, vel manifestè per rapinam, & vim, & hoc modo ut notat Monsregalis noster loc. cit. cap. 2. non solùm peccant latrones in viis, sed etiam Principes injustè usurpantes Civitates, & Castra sine justo titulo, vel etiam facientes extorsiones indebitas à Subditis in gabellis, pedagiis, & collectis, de quibus dicitur Ezech. 22. *Principes ejus in medio ipsius, quasi Lupi rapientes prædam*, de quo gravissimo abusu hac nostra ætate præsertim toto orbe urgente optimè discurrit Vulpes noster tom. 3. p. 3. disp. 112. ex Scoto 4. d. 15. quæst. 2. artic. 1. ubi satis expressè significat rapinam committere Principes indebita suis subditis onera imponentes, & ab eis exigentes, adeò ut sit in eis peccatum gravissimum speciem pessimam Tyrannidis habens, à quo sine prævia gravi pœnitentia, ac restitutione absolvi nequeunt. & ratio est, inquit Doctor, quia eorum Principatus politicus esse debet, non dispoticus, & ad commune bonum subditorum ordinatus, non ad proprium eorum commodum, utendo subditis more pecudum, eos comprimentes, deglutientes, vim inferentes, ac spolia eorum detrahentes Luporum instar, ut ait Ezech. loc. cit. sed quia ut fert adagium de Principibus,

cipibus, aut benè, aut nihil, quamvis id dixerim zelo salutis eorum, calamum cohibeo, & ad dicta disp. 6. quæst. 1. artic. 2. circà hoc punctum me remitto. Item contrà hoc præceptum peccant Principes, quando iniquas leges condunt ad lucrandum de quibus Isaias dixit cap. 10. *Væ qui condunt leges iniquas, & scribentes injustitiam scripserunt, ut opprimerent in judicio pauperes, & vim facerent causæ humilium populi mei, ut essent viduæ præda eorum, & pupillos diriperent;* & idem dicendum est de injustitia Judicum, vel Officialium iniquas sententias proferentium vel ex timore, vel ex amore, vel ex odio, vel ex cupiditate, vel ex notabili ignorantia, quos etiam reprehendit idem Isaias cap. 5. dicens; *Justificatis impium pro muneribus, & justitiam justi auferetis ab eo.* Demum ex hoc capite peccant contrà hoc præceptum, qui debita non solvunt, aut solvere nimis diù differunt, cùm possint, præsertim si creditor molestè ferat dilationem illam, aut ex illa incommodum, aut detrimentum aliquod patiatur; item qui cùm sint alterius hæredes, aut testamenti executores, illius debita, aut legata solvere non curant, vel promissionem alteri factam, & ab eo acceptatam in re notabili exequi nolunt.

160 Secundò contrà hoc præceptum faciunt, qui per fraudulentiam, vel dolum alios in contractibus decipiunt, quæ fraus tripliciter contingere potest, in substantia vendendo, scilicet, unum pro alio, ut exempli gratia auricalcum pro auro, & aromata unius speciei pro aromatibus alterius speciei, potest etiam contingere in quantitate dando diminuta pondera, & rerum mensuras, ac tandem in qualitate, prava pro bonis vendendo injusto prætio, de quibus dicitur Amos 8. *Audite qui conteritis pauperem, & deficere facitis egenos terræ dicentes, quando transibit mensis, & venundabimus merces, & aperiemus frumentum, ut imminuamus mensuram, & siclum augeamus, & supponamus stateras dolosas, ut possideamus in argento egenos, & pauperi pro calceamentis, & quisquilias frumenti vendamus.* Undè peccant contrà hoc præceptum, qui emendo, aut vendendo dolo, vel fraude utuntur; qui in pondere, numero, vel mensura fraudem aliquam committunt, qui rem aliquam notabiliter pluris vendunt, aut minus emunt, quam valeat, qui rem defectuosam pro integra vendunt, nec illius occultum defectum emptori patefaciunt; qui metu injustè incusso, aut dolo aliquo alterum inducunt, ut contractui oneroso, vel damnoso, ac sibi præjudiciali subscribat; qui monopolium aliquod injustè faciunt, quando scilicet plures mercatores simul conspirant, ut merces omnes alicujus generi coemant, easque postea pro arbitratu suo vendant ultrà justum prætium. Denique ex hoc capite etiam contrà hoc præceptum peccant, qui ad lucrum in ludis, vel sponsionibus faciendum fraude, vel dolo utuntur, qui alium minis, convitiis, vel fraude aliqua ad ludum inducunt, & qui aleis, & similibus ludis jure civili prohibitis magnam pecuniæ quantitatem exponunt; & qui rem aliquam emunt, quam sciunt, vel dubitant esse furtivam, ut sibi retineant, ut etiam Abellius observat loc. cit. §. 11.

161 Tertiò etiam fit contrà hoc præceptum prava cooperatione ad talia acquisita illicita, aliquo ex novem modis jam declaratis superius disp. 7. q. 2. art. 1. explicando, quinam ad restitutionem teneantur. Ex dictis enim ibidem satis constat novem esse modos, quibus peccatum alienum participatur, & quemlibet illorum obligationem in solidum inducere, quando quis est causa auferendi, vel retinendi rem alienam invito domino, quod etiam docuit Scot. 4. d. 15 quæst. 2. art. 4. lit. Bb. ubi ait, quod omnis obligatio ad restitutionem reducitur ad auferre, vel retinere rem alienam, & hoc vel ut causa principalis, vel proxima, vel inducens, vel coadjuvans, vel non impediens. Facit ergò contrà hoc præceptum cooperans ad talia illicitè acquisita, etiamsi nihil ipse inde percipiat, ut imperando, consulendo, persuadendo, & hujusmodi juxtà illud ad Rom. 1. *Digni sunt morte non solùm qui faciunt, sed etiam qui consentiunt facientibus*, tale enim non solùm contrà charitatem graviter peccant, sed etiam contrà justitiam, quandò talis cooperatio fuit efficax ideò quandò sine ea factum non fuisset furtum, vel damnum secutum, & sic intelligitur illud, quod habetur 2. qu. 1. c. *Notum* facientem, & consentientem pari pœna constringit ubi ait Glossa, quod intelligitur de consensu cooperationis, sine qua cooperatione non fieret malum; quod etiam docuit Scot. l. c. ubi ait hæc omnia verificari, quando ad consensum efficacem reducuntur verum, vel interpretativum; undè cooperantes ad furtum, vel homicidium ad restitutionem non tenentur, quando non fuerunt efficax causa damni; ut si fur v. g. vel homicida mandato, vel consilio alterius non fuerit efficaciter motus, quia nihilominus furtum, vel homicidium patraturus erat; undè ad inducendam in cooperantibus, & consulentibus restitutionis obligationem requiritur, ut consilium, mandatum, & aliæ causæ morales sint propriè causæ, ideò, ut ex ipsis sequatur effectus, tanquam causis, sine quibus non fieret, ut loc. cit. diximus.

162 Quartò, ex obligationibus justitiæ distributivæ jam suprà declaratis disp. 6. q. 1. fit contrà hoc præceptum indebita distributionem juxtà illud ad Cor. 1. ca. 3. *Hic jam quæritur inter dispensatores, ut fidelis quis inveniatur*, ut enim diximus ibi a. 1. conveniunt omnes in distributione officiorum, nedùm Ecclesiasticorum, sed etiam sæcularium absque peccato indignum eligi non posse ad aliquod officium, hoc est, personam ineptam ad satisfaciendum obligationibus talis officii; & Principes, ac alios quoscunque, quibus electio commissa est teneri ad restitutionem pro damno illo, quod Republicæ evenit ex tali electione. & ratio est, ut diximus ibi, & observat Card. de Lugo de Justitia, & Jure disp. 34. sect. 1. quia licet justitiæ distributivæ obligatio proprium, & strictum jus non supponat, aut debitum in proprio jure fundatum ad talia communia bona participanda; aliquod tamè debitum in distribuente supponit, quia justitia distributiva intendit æqualitatem, & proportionem geometricam in subditis servari debere, tam in ordine ad participanda bona communia, quam in ordine ad communia onera subeunda, qualia sunt tributa, & similia gravamina: Justitia verò distributiva solum in Superiore residet, vel in ejus vices gerente in ipso distributionis exercitio; undè curare, & satagere tenetur eligere saltem dignum, & idoneum ad tale officium; nec eligendo indignum excusatur à peccato, & obligationem, quod eligens nesciebat electum esse indignum; nam positivè inquirere, & scire tenetur eligendum esse dignum, & aptum ad tale officium, & diligentiam moraliter sufficientem adhibere ad indagandam ejus dignitate, & aptitudinem ad illud officium exercendum. Quod adhuc magis verificatur in distributione officiorum Ecclesiasticorum, & in expendendis beneficiorum illorum redditibus, ut docet. Conc. Trident. sess. 24. c. 1. de distributionem beneficiorum Ecclesiasticorum, & sess. 25. c. 1. de distributione redituum eorumdem. & ratio est, quia Ecclesiarum Prælati sunt dispensatores rerum Ecclesiæ, non domini, ut ait D. August. ad Bonifacium Comitem ep. 50. & refertur 12. q. 1. c. *Si primatum*, ubi Glossa dicit, quod Ecclesia tenet locum pupilli, & Prælatum locum tutoris, sicut ergò tutor, si malè administrat dilapidando bona pupilli, ut fur habetur, & ad restitutionem tenetur. Ita & Prælatus si bona Ecclesiæ expendit in malos usus dando sine necessitate consanguineis, & conviviis, ludis, ac meretriciis, exponit, quod debet dare pauperibus.

163 Quintò tandem contrà hoc præceptum peccatur per variam damnificationem, ut incendiis, devastationibus agrorum, & castrorum in bellis injustis, ut dictum est disp. 9. de Restitut. damni in bonis fortunæ; in mutilationibus, occisionibus, falsis accusationibus, testificationibus, & instrumentis, ut dictum est disp. 8. qu. 2. de Restit. damni in bonis corporis. Rursus peccant contrà hoc præceptum qui res inventas, cùm possint, vero domino non restituunt, vel diligentiam requisitam ad illud dignoscendum non curant adhibere. Item qui servis, aut mecenariis mercedem ac debitum stipèdium detinent, aut notabiliter ejus solutionem differunt sine ulla rationabili causa, & tunc quidem adhuc gravius peccat, si ex tali dilatione damnum, aut aliquod notabile incommodum illis obveniat. Denique contrà hoc præceptum peccant qui ex mutuò usuras exigunt, scilicet, pro mutuò pecuniæ, vel rerum, quæ usu consumuntur accipiendo aliquid ultrà capitale juxtà illud Concil. Agaten. & refertur 14 q. 3. c. Usura 4. in ordine. Usura est, ubi amplius requiritur, quam datur v. g. si dederis solidos decem, & amplius quæsieris, vel dederis frumenti modium unum, & super aliquid exegeris, ubi evidenter ostenditur, quod quicquid ultra sortem exigitur, usura est. Sed de mutuò, & usura jam ex professo egimus disp. 5. q. 2. a. 1. ubi ostendimus usuram esse omninò illicitam, & grave peccatum, quia est contrà jus naturale, & positivum tam divinum, quam humana, nam de ratione mutui est, quod dominium rei mutuet, ac ejus usus in alium transferatur pro aliquo tempore, & ideò pro tempore mutuationis non potest mutuans lucrum accipere vi mutui, quia juxtà regulam à Scoto assignatam 4. d. 15. q. 2. lit. P. nec commutas, nec mutuans potest vendere tempus, quia tempus non est suum, qua ratione S. C. Romanæ, & universalis Inquisitionis in quibusdam propositionibus damnatis die 18. Martii 1666. eam præsertim damnavit, & prohibuit, quod *licitum est mutuanti aliquid ultrà sortem exigere si se obliget ad non repetendam sortem usque ad certum tempus*, nam ratione mutui, ut sic nunquam aliquid lucri licitum est accipere, nisi mutuans aliquo alio justo titulo excusetur; quibus autem titulis, & in quibus casibus licitum sit mutuanti aliquid ultrà sortem accipere ibidem sufficienter ostensum est art 3. & 4. quæ ibi videnda sunt, & consulenda, ne hìc eadem frustrà, & absque necessitate repetamus.

164 Postremò hac de causa appobandum non censeo, quod inquit Caramuel funda. 60. de Mutuo, & Usura, ubi postquam

cùm

cùm communi Doctorum dixit, mutuantem licitè posse aliquid recipere ultra sortem primò ratione periculi, nempè tot, ac tantas pecunias, quantas postulare videtur majus periculum, vel minus. Secundò ratione lucri cessantis, tantùm nimirum, quantum est illud lucrum, quod cessat, quod si incertum sit, taxari majoris, vel minoris debebit juxtà periculi quantitatem. Tertiò ratione damni emergentis, tantùm nimirum, quantum sit damnum, quod certò emergat, nam si damnum non certò, sed probabiliter tantùm sit emersurum, taxari majoris, vel minoris debebit juxtà probabilitatis quantitatem. Quartò tandem addit non posse aliquid recipere ratione temporis præcisè, etsi longum id sit, nisi se obliget ad non repetendum. Hæc, inquam, limitatio approbanda non est, quia talis assertio coincidit omninò cum relata propositione à S. Congregatione condemnata, quod licitum sit mutuanti aliquid ultrà sortem exigere, si se obliget ad non repetendam sortem usque ad certum tempus; ergo, & intentio Sacræ Congregationis est, non solùm licitè non posse mutuantem aliquid ultrà sortem recipere ratione temporis præcisè, etsi longum id sit; sed nec etiam ratione obligationis, si nimirum mutuans se obliget ad non repetendum usque ad certum tempus. Et fortè neque Caramuel id intendere voluit, licet sic ejus verba sonent; nam immediatè post statutam illam assertionem, eam declarare volens, & quo titulo in tali casu possit mutuans aliquid ultra sortem accipere hæc subdit verba. Et in tali casu si quid postulet, non id ratione solius temporis, sed ratione periculi, aut perdendi capitalis, aut incurrendi damnum inopinatum, aut carendi lucro aliquo, quod posset haberi licitè, si adesset numerata pecunia, quod quidem periculum, quia plerumque leve est, aliquid leve solet recipi, possetque aliquid grave, si esset grave. Ita Caramuel l.c. & ità sentire declarat ratione solius temporis non posse aliquid recipi secundùm Canones, undè quoad rem cum communi sentire videtur; licet ejus loquendi modus in sua assertione expressus non sit admittendus ob allatam propositionem nuper à S. Congreg. damnatam, ut scandalosam, & usuris viam aperientem. Reliqua ad hanc materiam de Mutuo, & Usuris spectantia videantur loc. cit. ubi ex professo declarantur.

QUÆSTIO NONA.

De octavo Decalogi præcepto.

163 HOc Decalogi præcepto: *Non falsum testimonium dices*, juxtà communem Doctorum sententiam prohibetur omnis injusta læsio famæ, & honoris proximi, & præcipuè omnis falsitas, & mendacium, ac læsio verbalis, quæ fit contrà proximum, tùm in actibus judicialibus falsò accusando, vel verum celando: tùm etiam extrà illos perniciosè mentiendo, pejerando, secreta revelando, & similibus. Verùm quia de læsione in bonis famæ, & honoris, quæ extrà judiciales actus per detractionem, contumeliam, & judicium temerarium proximo irrogatur, ac debita ejus restitutione sufficienter egimus suprà disp. 8. q. 3. & de injustitia, quæ in actibus judicialibus, tam ex parte Judicis, quam accusatoris, testis, & rei committi potest, ex professo quoque tractavimus suprà disp. 6. qu. 2. hic solùm agemus de mendacio, & perjurio, quæ præsertim hoc præcepto prohiberi docet Scotus noster cum Magistro 3. sent. d. 38. & 39.

ARTICULUS PRIMUS.

Quid, & quotuplex sit mendacium, & quale peccatum.

166 PRimò mentiri ex D. Aug. l. 1. contrà mendacium cap. 42. est contrà mentem ire, ut indicat ipsa nominis ethimologia, undè mendacium ibi describit, quod sit *enunciatio falsa cum voluntate ad fallendum prolata*, & eodem modò loquitur c. 22. Enchirid. ubi ait, quod *ille mentitur, qui contrà id, quod animo sentit loquitur voluntate fallendi*; ex qua definitione deducitur duo ad rationem mendacii requiri; unum est voluntas fallendi, seù falsum enunciandi; alterum est locutio, seù enunciatio, vel significatio aliqua exterior mentis judicio contraria; sic etiam ex nostris definit mendacium Astesanus lib. 1. tit. 36. art. 1. quod *sit falsa voce significatio cum intentionis fallendi*, ad cujus intelligentiam notat, quod dictum exterius duplicem habet comparationem, vel respectum, unum ad rem significatam, & sic dicitur sermo verus cum res adæquatur sermoni, & falsus cùm non adæquatur; alterum habet ad intentionem dicentis, & sic dicitur sermo verax, cum intentio loquentis adæquatur sermoni, fallax cùm ei non adæquatur, undè ait ad complementum mendacii rationem duplicem concurrere falsitatem, unam per comparationem ad rem, alteram per comparationem ad loquentis intentionem, quarum prima in mendacio tenet rationem materialis, & altera rationem formalis, & ab ista propriè dicitur quis mendax; undè advertit Orbellius 3. d. 28. ab initio, si quis dicat falsum putans dicere verum, non mentitur, cùm nec intendat falsum exprimere, nec proximum decipere; per oppositum autem si quis intendens falsum dicere dicat verum, mentitur, cùm proximum intendat fallere, & aliter ore exprimere, quàm habeat in mente; & hoc etiam docuit D. August. c. 18. Enchirid. ubi ait, quod quando aliquis falsum dicit putans esse verum, mentiri judicandus non est, quoniam quantum in ipso est, non fallit ille, sed fallitur, & ideò hæc falsitas materialiter solum se habet in tali locutione, quandò verò aliquis ex intentione fallendi aliquid tanquam verùm asseverat, quod existimat esse falsum, sivè re vera id falsum sit, sivè contrà ejus opinionem verùm existat, actus ejus inquantum est voluntarius, & moralis, habet per se, & formaliter falsitatem, & per accidens solùm, ac materialiter veritatem, & sic etiam discurrit D. Th. 2. 2. q. 110. art. 5.

167 Secundò, Scot. d. 38. cit. q. un. lit. A. cum D. Bonav. ibid ar. 1. q. 2. deducit ex modò dictis omne mendacium esse peccatum, quia actus includens intentionem malam nunquam potest esse bonus, cùm formaliter includat malum velle, prolatio autem verborum cùm intentione fallendi, quale est mēdacium, est hujusmodi; ergo &c. Hoc autem ità declarat Doctor l.c. quia licet actus positivus, & malitia non sint unum per se, nec in re, nec in conceptu, potest tamen aliquod nomen imponi ad significandum, nec actum solùm, nec deformitatem solam, sed totum simul; sicut hoc nomen adulterium impositum est ad significandum non tantùm actum naturalem coeundi, sed etiam cum deformitate, scilicet, cum aliena; & similiter hoc nomen furtum impositum est non solùm ad significandum acceptionem alicujus rei alienæ, sed etiam contra voluntatem ejus, cujus est, & cujuscunque alterius superioris domini; talia autem tota importata per hujusmodi nomina non videntur posse esse bona; sed illud, quod est sibi substratum, putà actus coeundi vel accipiendi talem rem possibile est esse sine tali deformitate. Ità igitur in proposito, inquit Doctor, licet prolatio talium, vel talium verborum quorumcumque significatorum possit esse sine peccato, tamen prolatio eorum cum conscientia oppositi, & per consequens cùm intentione fallendi, non potest esse sine peccato, quia includit actum substratum cum circumstantiis ipsum necessariò deformantibus. Ità discurrit ad verbum Doctor loc. cit. & hac de causa inquit D. August. l.c. c. 5. & seq. nullo pacto, nullo fine, nulla dispensatione humana, vel divina mendacium licitum esse posse, ut etiam refert Astesan. cit. art. 4. undè sententia quorumdam antiquorum, qui dixerunt mendacium aliquando non solùm esse licitum, sed etiam necessarium, tamquam erronea, & Sacræ Scripturæ contraria damnatur, non tantùm à D. August. l. c. sed etiam ab Innocentio Tertio c. *Superior*, de Usura, ubi dicit *Scripturam sacram prohibere, ne quis etiam pro alterius vita servanda mentiatur*. Objectiones autem quasdam ex variis exemplis S. Scripturę deductas optimè dissolvit Doctor loc. cit.

168 Tertiò Doctor l. c. lit. B. examinat, quale peccatum sit mendacium, & inquit mendacium aliquandò esse peccatum mortale, aliquandò veniale; mendacium enim esse peccatum mortale, ut etiam Astes. advertit l. c. dupliciter potest intelligi, nimirum vel per se, scilicet, ratione suæ speciei, vel per accidens, scilicet, ratione alicujus circumstantiæ adjunctæ, primo modo illud mendacium est peccatum mortale, quod est secundùm suam speciem contrà charitatem, ut est mendacium in doctrina religionis; quando ex falsa significatione grave aliquod præjudicium in divinum honorem derivatur; & mendacium, quod est in nocumentum proximi, seù per quod aliquod grave nocumentum proximo infertur; secundò modo dicitur peccatum mortale, quod secundùm suam speciem, seù ex objecto non est tale, sed tantùm per accidens ratione, scilicet, circumstantiæ adjunctæ, vel finis intenti, quando scilicet, in aliquem pravum finem dirigitur, v.g. si quis mentiatur, ut proximi famam graviter lædat, vel notabile damnum in bonis fortunæ ei inferat, & utroque isto modo dicitur mendacium pernicioſum, & de his intelligitur illud Psal. *Perdes omnes, qui loquuntur mendacium*, universaliter omne tale mendacium ex deliberatione dictum est peccatum mortale, & prohibetur hoc octavo præcepto: *Non falsum testimonium dices*, non enim testimonium, inquit Doctor, est præcisè in judicio, sed quando aliquis ex certa deliberatione asserit, quod ignorat, vel cujus oppositum scit; undè concludit, quod quicunque cùm intentione decipiendi proximum profert oppositum ejus, quod scit, vel credit esse verum, & sic dicendo intendit nocere illi, cui loquitur, vel de quo loquitur, dicit falsum

falsum testimonium contrà proximum. Aliquando etiam mendacium est tantùm veniale peccatum, quando scilicet, ex ratione sui, vel finis intenti, neque Dei, neque proximi charitati contrariatur, quod ait Doctor contingere posse dupliciter scilicet, vel in mendacio prolato ad aliquam levem delectationem capiendam, quod dicitur mendacium jocosum, vel in mendacio, in quo utilitas aliqua proximi intenditur, quod dicitur officiosum, & hæc est doctrina D. August. loc. c. ut Astefanus notat; ubi ait, quod *duo sunt genera mendaciorum in quibus non est magna culpa, sed tamen non sunt sine culpa, scilicet, cum aut jocamur, aut proximo consulendo mentimur*. Et de his duobus mendaciis, inquit Doctor, conceditur communiter, quod neutrum est mortale ex se, quia neutrum ex se charitati repugnat; essent aut mortalia, si quis ex hujusmodi videret probabiliter scandalum ruinæ mortalis oriri, nec tamen desineret talia mendacia proferre, & hoc sivè talis esset in statu perfectionis acquirendæ, ut religiosi, vel exercendæ, ut prælati, sivè in quovis alio statu, quia teste Salvatore: *Væ homini illi per quem scandalum venit*.

169 Quartò subdit Doctor. loc. c. quod licet de istis duobus mendaciis officioso, & jocoso concedatur, communiter neutrum esse peccatum mortale in viris imperfectis, quia neutrum ex se est contrà charitatem, nec contrà aliquid de se requisitum ad statum talium personarum; tamen in viris perfectis dicitur à quibusdam utrumque esse peccatum mortale ratione circumstantiæ personæ, quia auferunt eis auctoritatem, ne credatur eis, & in hoc faciunt statum suum vilescere, & etiam obsunt audientibus propter scandalum. Sed hoc reiicit Doctor, quia nulla circumstantia facit, quod est veniale in uno esse mortale in alio, nisi alius necessariò obligetur ad id, ad quod non obligatur alter; sed vir perfectus non obligavit se ad veritatem servandam in verbis aliquo voto, vel juramento plusquam quicunque Christianus; ergo circumstantia personæ, quæ non est specialiter obligata, non transfert veniale in mortale. Quarè subdit Doctor distinguendum esse, & dupliciter intelligi posse aliquam personam esse in statu perfectionis, uno modo in statu perfectionis exercendæ, ut Prælatus, alio modo in statu perfectionis acquirendæ, ut religiosus, & de primo ait concedi posse quod exercendo actus sibi competentes ratione talis status, putà docere, judicare, prædicare, utrumque mendacium esset in eo peccatum mortalem, quia aufert auctoritatem doctrinæ, quam predicat juxta illud Aug. in epist. ad Hieron. *Si ad Scripturas sacras admissa fuerint quantumcunque jocosa mendacia, nihil remanet in eis soliditatis*, puta si Prælatus prædicans misceat mendacium jocosum, nihil solidatis remanet in doctrina illa, potest enim quilibet dubitare de quocunque dicto ab eo, sicut de mendacio, & ita peribit auctoritas Doctorum in docendo, & utilitas populi audientis, & consimiliter peribit auctoritas in judicio solemni. Sed in illo, qui habet statum perfectionis acquirendæ, non exercendæ, videtur aliter dicendum, quia talis non videtur obligatus ad aliqua, quæ sunt perfectionis plus cæteris, nisi ad illa, quæ vovit; non enim assumpsit statum curæ pastoralis, & ideò nec actum pertinentem ad personam talem, igitur talis, si non exercet actus perfectionis, cujusmodi sunt docere, prædicare, & hujusmodi, non videtur plus peccare mortaliter in mendacio officioso, vel jocoso, quàm alius Christianus, nisi fortè propter scandalum, quia imperfecti possunt magis scandalizari de mendacio talis personæ, quàm personæ communis. Ità discurrunt DD. l. c. & Scotist. ibid. ac præsertim Aret. a. 6. & Astes. loc. c.

170 Quintò quæritur. An ad evitandum mendacium in quibusdam casibus uti liceat restrictionibus mentalibus. Negantem partem mordicus defendit noviſſimè Caramuel fundam. 61. & 62. & quam nulla ratione probat, nec auctoritate, sed solis jurgiis, & vellicationibus sic discurrens. Est mihi innata aversio contrà Restrictiones mentales, si enim continentur intrà terminos pietatis, & sinceritatis, necessariæ non sunt, nam omnia, quæ ipsæ præstare possunt, præstabunt consignificantes circumstantiæ; quod si tales dicantur, ut etiam ibi admittendæ sint, ubi desunt circumstantiæ significantes, tollunt humanam societatem, & securitatem, & tanquam pestiferæ damnandæ sunt; quoniam semel admissæ aperiunt omni mendacio, omni perjurio viam, & tota differentia in eo erit, & ut quod heri vocabatur Mendacium, naturam, & malitiam non mutet, sed nomen, itaut hodie jubeatur Restrictio mentalis nominari, quod est virus condere saccharo, & scelus specie virtutis colorare. Ita Caramuel ibi. nu. 1085.

171 Communis tamen, & vera opinio omnium Doctorum tam veterum, quam recentiorum restrictiones mentales admittit, ut omninò necessarias in quibusdam casibus ad evitandum mendacium, & hæc est communis sententia non solùm Theologorum, sed etiam Juristarum, qua ratione diximus suprà disp. 6. q. 2. a. 3. rerum à Judice non legitimè interrogatum, seù juris ordine non servato non teneri veritatem aperire, sed posse crimen occultare prudenter, & posse uti mentali restrictione, & amphibologia, & juxtà illam respondere eo modo, quo Scotus declarat 4. d. 15. q. 4. ar. 3. & ratio est, quia ut ibi dicebamus cum Astesano l. 1. tit. 41. ar. 2. aliud est falsitatem proponere; & aliud veritatem tacere, primum in nullo casu licet, quia mendacium nunquam est licitum; at secundum in aliquo casu licet, non enim tenetur quis semper veritatem confiteri coram Judice, sed tantùm quando est legitimè interrogatus, & juris ordine servato, putà cùm super aliquo crimine infamia præcessit, vel aliqua signa expressa, & indicia extant, vel etiam præcessit saltem semiplena probatio; modum autem respondendi, ac se defendendi in tali casu docet Doctor loc. cit. lit. G. ubi inquit, quod in hoc casu cauta est responsio Juristarum. Nego proposita, ut proponuntur, & hæc quidem sine mendacio dici possunt in proposito, ait Doctor, quia proponuntur in publico, & ut publica, publicè probanda; sic autem negare ea potest quis, si scit ea non posse in publico probari, cùm enim ejus interrogatio de peccato occulto intelligi non debeat, rectè & sine mendacio reus respondere potest. Non feci, vel non commisi crimen, scilicet, probabile in judicio, de quo tantùm juridicè Judex interrogare potest. Nec sic respondendo reus mentitur utendo hujusmodi verbis, quæ verum sensum in mente proferentis habere possunt, mendacium enim per se in hoc consistit, ut quis verbis eam veritatem negare intendat, quam concipit loquens cum altero, quod in proposito non contingit, ut ibi declaravimus; ipse enim verum sensum in mente suà concipit, scilicet, non feci, vel crimen non commisi in judicio probabile, aut de quo juridicè interrogari, vel denunciari possim, quod est verum; undè falsum omninò est in hoc, & similibus casibus mendacium, & restrictionem mentalem coincidere, ut ibi ostendimus.

172 Sic pariter, & ob eandem rationem cum communi Doctorum superius in hac disp. q. 3. art. 2. diximus, jurare cum æquivocatione, quando justa causa est, & ipsa æquivocatio licet, non esse malum; quia ubi est jus occultandi veritatem, & sine mendacio occultari potest, nulla injuria fit Sacramento. Undè æquivocare licet, si juramentum exigatur injustè, vt si quis iuramentum exigat, qui jus non habet illud exigendi, v.g. Judex incompetens, vel si sit competens, juris ordinem non servat. Item licet uti æquivocatione in juramento, si per injuriam, vim, & metum exigatur, ut si captus à latronibus ipsum dimittere nolentibus, nisi juret se posteà daturum Lytrum v.g. aureos centum, iste jurare potest æquivocè dicendo, juro me daturum cum hac mentali restrictione, si mihi libuerit, & tunc non tenetur, quia absolutè non juravit daturum, sed cum conditione, nec mentitus est pejerando, quia per restrictionem mentalem, & secundum aliquem sensum verborum verum juravit, & justam rationem æquivocandi habuit, nec in tali casu tenetur vocabulis uti secundùm communem significationem. Quarè falsum est, quod dicebat Caramuel hujusmodi mentales restrictiones tollere humanam societatem, & securitatem, & tanquam pesti feras esse damnandas; nam quamvis verum sit in communi, & civili hominum societate hujusmodi mentales restrictiones non licere, & quemlibet teneri uti vocabulis secundum communem significationem, ut tollatur omnis causa decipiendi, & civilis hominum societas sit secura; in prædictis tamen casibus, quando scilicet, juramentum exigitur sine legitima auctoritate, ut à Judice incompetente, vel per vim, & metum à latronibus in nemore, non tenentur homines uti vocabulis secundum communem significationem, sed possunt æquivocatione uti, & cum restrictionibus mentalibus loqui ad evitandum mendacium, tunc enim non sunt in civili societate humana, sed cum latronibus inhumanè tractantibus, atque ideò sine peccato in his casibus vim vi repellere licet per mentales restrictiones, & æquivoca verba, ut fecit D. Athanasius cum satellitibus Arrianis eum quærentibus, & fusè ostendit contrà hunc Auctorem D. Ludovicus Episcopus Oriolensis in quæstionibus selectis moralibus qu. 11.

173 Sextò movet Caramuel l. c. aliam difficultatem, An innocens ad vitandos cruciatus possit sibi imponere falsū crimen, etsi ob illud sit posteà ultima sententia condemnandus. Et negativè respondet, quia inquit esse peccatum mortale mentiri Reipublicæ legitimè, & justè interroganti. Cæterum dis. 8. q. 3. a. 3. n. 76. & seq. diximus cum communiori, ac veriori sententia ad evitanda gravia tormenta posse quemlibet, sibi falsum grave crimen imponere, etiamsi indè mors sit sibi secutura, & ratio est, quia nemo tenetur cum tanto incommodo vitam sibi conservare, ut ibi fusè ostendimus, neque mendacium illud, quo in tali casu falsum sibi crimen imponit, esset pernicioſum, sed officiosum, quia per illud non sibi infert malum, quod tantis tormentis notabiliter præponderet, cùm crimen falsum fatendo, & sibi impo-

imponendo, brevi morte prolixam, & acerbam redimat; & quibusdam casibus peccatum mortale non est mentiri Reipublicæ legitimè etiam, ac justè interroganti, ut diximus disp. 6. q. 2. a. 3. n. 43. & seq. & Judex justè, & juridicè reum interrogando illum obligat, non quidem ad culpam, sed ad torturam, ut scilicet, suum crimen fateatur, si gravia tormenta experiri non vult, melius enim Reipublicæ damnum impeditur dando Judici potestatem ad veritatem indagandam per tormenta, quàm per obligationem conscientiæ, ut ibi diximus cum Card. de Lugo, & pluribus aliis. Et tandem quamvis communis opinio teneat reos obligari in conscientia sub mortalia ad confitendum, quando sunt juridicè interrogati, hoc intelligendum est de iis, qui re vera sunt rei, non autem de innocentibus, ut est in casu nostro, nunquam enim Respub. innocentes punire intendit, & condemnare, ac proindè quando dicitur peccatum mortale esse mentiri Reipub. legitimè, & justè interroganti, hoc de reis intelligendum est, non autem de innocentibus. Notanter autem diximus l. c. id fieri posse ad evitanda gravia tormenta, quia ad levia tormenta evitanda sine mortali id nequit fieri, siquidem quilibet vitam suam custodire, & conservare tenetur, quando non magna difficultate potest, at tunc levia tormenta sustinere potest, ideò enim levia sunt, quia sustineri possunt, secus essent gravia, & præter Auctores loc. cit. adductos id etiam tenet Tamb. l. 9. c. 3. §. 6.

174 Postremò est Difficultas, An mendacium in facto, quæ simulatio appellatur, sit peccatum. Pro cujus quæsiti intelligentia notandum est, quod ut ait D. Ambrosius in quodam sermone, mendacium non solùm est in verbis, sed etiam in operibus simulatis, nam Christianum se esse dicere, & opera Christiani non facere mendacium est in factis. Quæritur modò, num mendacium in factis sit licitum, nam si mendacium in operibus simulatis potest licitè fieri, sequeretur quod etiam in verbis licitè fieri posset, quia non est majus peccatum simulatio in verbis, quàm in factis, imò detestabilior videtur falsitas in factis, quia facta magis ostendunt ea, quæ sunt in anima, quam verba. Ratio autem dubitandi, quod simulatio in factis non semper sit peccatum, & aliquando possit esse bona, deducitur ex facto Davidis, qui coram Achis simulabat se furere 1. Regum 21. & in facto Jehu, qui simulabat se Baal colere, quando cultores ejus voluit destruere 4. Regum 10. Hanc difficultatem resolvit Doctor l. c. in solutione ad ultimum principale, ubi ait, quod simulare quidpiam contingit multipliciter. Primo modo signis externis ostendendo se habere aliqua bona, quæ non habet; ut per genuflexiones, orationes, & devotiones ostendendo devotionem & sanctitatem sibi in esse, quæ non inest, & talis simulatio est hypocrisis, quæ ex genere suo est peccatum mortale. Secundo modo potest quis indicare signis externis se non esse aliquo peccato irretitum, cui tamen addictus est, ut si quis luxuriosus audiens loqui de mulieribus spuat in signum suæ castitatis, cum talis non sit, & talis simulatio est hypocrisis, & de genere suo peccatum mortale. Tertio modo potest quis aliqua signa externa ostendere, quæ spectantibus quidpiam significent, quod suapte natura non habent repræsentare, ut permittere salivam per barbam defluere, ex se non est insanæ mentis indicium, fieri tamen potest, ut quibusdam, & in aliqua natione id repræsentet, & qui simulando his signis indifferentibus uteretur, ait Doctor, quod non peccaret, quia etsi non liceat cuipiam mentiri, potest tamen quilibet pro suo, vel alterius commodo veritatem tacere, & occultare, & tale ait fuisse Davidis factum. Jehu autem à peccato non excusat, quia nec à cultu Hieroboam recessit, nec fuit verus Dei cultor.

ARTICULUS SECUNDUS.

Quid, & quotuplex sit perjurium, & quale peccatum, & quot modis contrà hoc præceptum peccetur.

175 PRimò advertendum est ex Scoto 3. dist. 49. q. un lit. H. quod in perjurio plerumque est duplex peccatum, scilicet mendacium, tanquam materiale, ut quando qui scienter falsum jurat, & assumptio nominis Dei in vanum, tamquam formale, undè jurans scienter falsum non solum mentitur per falsam vocis significationem, sed etiam irreverentiam committit, & tale perjurium quoad primum pertinet ad hoc præceptum secundæ tabulæ, in quo mendacium prohibetur, & quoad secundum formaliter pertinet ad primam, quia per præceptum primæ tabulæ irreverentia prohibetur. Duo itaque in perjurio concurrunt, unum formale, quod est assumere nomen Dei in vanum, & est contrà præceptum primæ tabulæ; alterum est materiale, & est mendacium, quod est contrà præceptum secundæ tabulæ, & quia unumquodque denominatur à forma, ideò perjurium simpliciter, & principaliter dicitur esse contrà præceptum primæ tabulæ, minus verò principaliter, & materialiter contrà hoc præceptum secundæ tabulæ. Postquam igitur aliqua de perjurio diximus q. 3. hujus Disp. art. 2. inquantum quoad formale spectat ad præcepta primæ tabulæ, hic aliqua sunt declaranda de perjurio pro materiali, quo modo spectat ad hoc octavum Decalogi præceptum, ut dictum est. Quid autem sit perjurium patet ex ibi dictis nu. 58. quod propriè sumptum est juramentum falsum, quo quis confirmat aliquid esse verum, quod ipse putat falsum, vel confirmat esse falsum, quod putat esse verum, aut brevius est juramentum de falso in opinione jurantis, & ratio est, quia estò quod quis juraret esse verum, vel falum, esse tale à parte rei, si tamen jurans putaret non esse tale, adhuc perjurus censeretur. Ex quo ibidem deducimus cum Scot. d. 39. c. lit. B. omne perjurium cum deliberatione factum esse peccatum mortale, quia re vera gravis fit Deo irreverentia, quotiescunque in testem mendacii adducitur; quod si id fiat sine sufficienti deliberatione, erit tantùm veniale, inquit Doctor, ut patet ex regula communi de peccatorum gravitate.

176 Secundò hæc doctrina ab aliquibus limitatur; quia, quamvis unum perjurium leve, & ex indeliberatione non sit peccatum mortale, tamen ex consuetudine pejerare est peccatum mortale, quia procedit ex habitu pravo vitiosè acquisito, undè in proposito dicunt, quod licet primum pejurium ex indeliberatione factum non sit peccatum mortale defectu sufficientis deliberationis, perjurium tamen sequens ex consuetudine, etsi factum sit sine deliberatione est peccatum mortale, undè si aliquis primò jurat indeliberatè excusatur à mortali, sed si pejerat assiduè etiamsi indeliberatè est peccatum mortale, quia procedit ex habitu pravo vitiosè acquisito. Ità Cajet. Navar. Victoria, Tannerus, Ledesma, & alii. Hunc dicendi modum reiicit Doctor. loc. cit. quia habitus inclinans non potest facere graviorem culpam, nam si quis acquisivit magnum habitum incontinentiæ, & postea pœnitet, si post pœnitentiam habeat aliquem motum incontinentiæ; licet ad illum inclinet intensus habitus, non tamen in eo est peccatum mortale, imò nec gravius notabiliter quàm esset in alio nullum habitum habente. Videtur ergò dicendum, inquit Doctor, quod habitus, vel consuetudo nihil facit ad propositum, undè si perjurium fiat indeliberatè, quantumcumque frequenter fiat, non est peccatum mortale, cùm enim actus meritorius etiam ex habitu licitus, ut sit talis, requirat, quod sit plenè humanus, quod est esse ex plena deliberatione, sequitur quod etiam actus demeritorius hoc requirat, non enim pronior est Deus ad condemnandumquàm ad parcendum. Advertit tamen Doctor, quod aliter deliberat habituatus, & aliter non perfectè habituatus; habituatus enim experimento doctus ex frequentatis actibus citius deliberat, & quasi in tempore imperceptibili, ut patet de forti, & strenuo milite, qui in repentinis etiam est impavidus; sic igitur à pari dicendum est de habituato in malo, quod posset ex habitu vitioso aquirere facilitatem deliberandi promptè de actu vitioso, & quasi in tempore imperceptibili, & talis deliberatio esset sufficiens ad rationem peccati mortalis, sicut est sufficiens ad rationem meriti. Quarè concludit Doctor loc. cit. distinguendum non esse quantum ad rationem peccati mortalis inter raritatem, & frequentiam perjurii, sed inter deliberationem, & indeliberationem, ita quod deliberatio concurrentes reddit peccatum mortale, & hoc sivè semel, sivè frequenter, & indeliberatio excusat etiam, sivè semel, sivè frequenter qui habitus, seù consuetudo peccandi non se tenet ex parte circumstantiæ, & hunc dicendi modum sequuntur Suar. Sanch. Castrop. Reg. Diana, Card. de Lugo, & plures alii; ut refert Tancred. l. 3. disp. 2. q. 2.

177 Dices, quod peccator tenetur confiteri se consuetum esse facere hoc, vel illud peccatum; ergo vel consuetudo est præcipuum peccatum, vel saltem se tenet ex parte circumstantiæ. Respondetur, quod confiteri tenetur se assuetum esse pejerare, non quia consuetudo, vel habitus peccatum aggravet, vel de veniali mortale faciat, sed quia numerum peccatorum confiteri tenetur, & quoties illud reiteravit, quia numeri peccatorum pluries est immemor, illum saltem implicitè confiteri tenetur, quod præstat dicendo se esse assuetum ad pejerandum, & in tali peccato habituatum. Ità Aret. d. 39. cit. q. un. a. 7. qui tamen cum Med. & aliis advertit, quod pejerantes ex consuetudine, qui ferè ad singula verba jurant pro Christi nomine nullam adhibendo diligentiam ad hanc pravam consuetudinem removendam, estò sic indeliberatè jurent, satis probabile est à mortali non excusari, quamvis enim formalem non habeant deliberationem, & actualem, censentur tamen habere virtualem, & interpretativam, quia delibera se possent, sed contemnunt, & negligunt hanc adhibere diligentiam, ad quam tenentur. Unde Confessarius cum peccatore consuetudinario ità se gerere debet, ut primò eum interroget, an anteà sæpè admonitus fuerit,

ut

ut eam consuetudinem tolleret, & pro viribus evelleret; deindè an de hoc admonitus debitam adhibuerit diligentiam ad eam consuetudinem tollendam, & extirpandam. Quod si numquam sit admonitus, poterit à peccatis absolvi ogitando ipsum ad eam consuetudinem depellendam; etsi sæpiùs etiam admonitus debitam ad hoc diligentiam non adhibuerit, estò absolutio simpliciter deneganda non sit, pro ejus tamen correctione, & emendatione ad tempus differri poterit, nisi aliqua justa causa talem dilationem impediat, possunt enim justæ causæ subesse, ut statim à peccatis absolvi debeat.

178 Tertiò docet D. Bonav. p. 39. cit. art. 1. qu. 3. quod sicut triplex est juramentum, quoddam scilicet deliberatum, & solemne, scilicet quando testes, jurant suprà sancta Dei Evangelia in Judicis præsentia, quoddam deliberatum, sed non solemne, quando quis in privato jurat intendens illud per divinæ veritatis testimonium confirmare, quoddam autem nec deliberatum, nec solemne, sicut quando quis jurat in communi sermone non attendentes quem invocat, & ad quid, sed ex quadam consuetudine; ita pariter, inquit, triplex esse potest perjurium, seu tripliciter committi, primò cum prævia deliberatione, & solemnitate, ut quando juratur super sancta Evangelia, & hoc perjurium nedum est peccatum mortale, sed hominē etiam infamem reddit, & constituit; secundò committi potest prævia quidem deliberatione, sed absque solemnitate, atq; ità est quidem mortale peccatum, sed hominem infamem non constituit; tertiò tandem potest perjurium committi ex inadvertentia, & sine deliberatione prævia, & sic est peccatum veniale tantùm, siuè juramentum sit assertorium, sicut est juramentum de præterito, aut de præsenti, sivè promissorium, sicut est juramentum de futuro; & hoc si ex consuetudine contingat, inquit Seraphicus Doctor, quod estò sit veniale ob defectum deliberationis, valdè tamen cavendum est, quia veniale illud periculosum est, & multum appropinquat ad mortale.

179 Dices, maximum omnium juramentum est jurare per Deum, quia per nihil aliud licitè juratur, nisi inquantum in eo specialiter Deus inhabitat, vel est, putà per Evangelium, quia in eo specialiter relucet Deus, per Cœlum, quia speciali modo inhabitat ibi Deus, per Ecclesiam, quia ibi speciali modo colitur Deus, quarè igitur perjurans per Evangelia est infamis, jurans verò per Deum non est infamis?

Respondet Scotus d. 39. cit. in fine, & rationem assignat, quia infamatio non semper sequitur qualitatem culpæ, sed crimen publicum, statutum est autem, quod juramentum publicum, & cum deliberatione est, quando juratur super Evangelia, & ideò transgressor talis juramenti præsumitur tanquam violatur fidei, & ideò rationabiliter habetur infamis; non sic autem potest præsumi de aliquo leviter perjurante per Deum; unde quamvis cæteris paribus, inquit Doctor, gravissimum sit jurare per Deum, posita tamen indeliberatione ex illa parte, & plena deliberatione ex alia parte, qualis habetur, quando juratur super Evangelium, ponitur hoc esse peccatum mortale, non solum propter irreverentiam illius, per quem juratur, sed propter deliberationem, quæ ponitur hic, & non ibi, nam de juramentis cum solemnitate factis præsumitur, quod nunquam fiant sine deliberatione.

180 Rursus ex Scoto loc. cit. & Bassolio nostro d. 39. cit. q. 2. perjurium est triplex; unum quando aliquis jurat falsum, quod credit verum. Alterum, quando quis jurat è contra esse verum, quod credit esse falsum. Tertium, quando jurat falsum, & credit, vel scit illud esse falsum. Primum perjurium, quo juratur esse falsum, quod tamen creditur esse verum mendacium est, non quantum ad formale mendacii, quod est repugnantia ad mentem, quia credit illud esse verum, sed quantum ad materiale, quod est falsum, jurat enim falsum. Secundum perjurium, quando aliquis jurat verum, quod credit falsum, mendacium est quantum ad formale mendacii, quod est repugnantia ad mentem, credit enim esse falsum, quod jurat esse verum. Tertium tandem perjurium est mendacium completum, quoad utrumque, quia & falsum jurat, tanquam verum, & ipsum scit, vel putat esse falsum. Ità Bassol. loc. cit. art. 1.

181 Quartò, est difficultas, an perjurium sit majus peccatum, quam homicidium. Affirmant aliqui cum D. Thoma quodl. 1. a. 18. quorum ratio est, quia perjurium est contrà præceptum primæ tabulæ, & per hoc immediatè contra Deum; homicidium verò contrà præceptum secundæ tabulæ, & contrà Deum mediatè; quod autem est contrà rationis ordinem directè, & immediatè Deum respicientem gravius peccatum est eo, quod est contrà rationis ordinem directè, & immediatè respicientem proximum; ergo &c. Negant probabilius alii, quorum ratio est, quia peccatum eo gravius est, quo contrariatur directè majori virtuti, & actui digniori; sed perjurium est immediatè, & directè contrà actum virtutis latriæ, homicidium autem est directè, & immediatè contrà charitatem Dei, & proximi ratione actus secundarii charitatis, qui est diligere proximum, certum est autem quod nobilior virtus est charitas, quàm latria, & perfectior etiam est actus proximum ex charitate diligere, quàm verum ex legitima causa jurare; ergo gravius peccatum est homicidium, quàm perjurium. Confirmatur, quia licet offensa, quæ fit Deo, & quæ divinæ charitati opponitur, ut odium Dei, cæteris paribus, sit simpliciter major quàm offensa proximi, vel odium proximi; non tamen quæcunque offensa, vel irreverentia Dei gravior est quacunque offensa proximi, sicut non quæcunque Regis, vel Principis offensa gravior est quacunque offensa subditi absolutè loquendo, sed tantùm cæteris paribus, ut docet Arist. 5. Ethic. unde gravius peccatum est occidere subditum, quàm male loqui de Principe; ergo sic pariter discurrendum est in proposito de perjurio, & homicidio. Denique quia si ratio primæ opinionis urgeretur, sequeretur quod gravius peccatum esset facere opus servile aliquod in die dominico, quam homicidium, quia illud est contrà præceptum primæ tabulæ, non autem homicidium. Dicendum est ergo homicidium omnibus spectatis esse gravius, ac detestibilius perjurio, tùm ob gravissimum, & irreparabile damnum, quod proximo directè infertur, tùm quia difficilius multò committitur, perjurium autem facilè, in quo etiam solùm indirectè honor Dei læditur, quia talis læsio directè non intenditur. Et ad rationem in oppositum dicendum est utique cæteris paribus graviora esse peccata contrà præcepta primæ tabulæ, sed non quodlibet est gravius quolibet, ut dictum est, alioquin exercere opus servile in die festo gravius peccatum esset homicidio, quod nemo concedet. Ità Riccardus, Durandus, Gabriel, Bassolius, Astesanus, & alii antiquiores, quos sequuntur Soto, Angelus, Sylvester, & alii recentiores præsertim verò Tancredus de Religione lib. 3. disp. 2. q. 1. citans Suarez, & alios.

182 Quintò est etiam difficultas, An si scias aliquem esse pejeraturum, possis ab eo petere, ut juret, quam fusè pertractat Tancred. l. 3. cit. disp. 5. q. 2. & per tres regulas solvit; sed brevius, & clarius eam resolvit Astes. noster tit. cit. art. 3. ex Riccardo 3. d. 39. & q. 3. art. 3. D. Bonav. ibidem q. 2. a. 3. & D. Thoma 2. 2. q. 98. art. 4. & cum hac distinctione procedit, quod inducens alium ad jurandum aut hoc facit persona publica, & ut persona publica, & secundum ordinem juris, & sic non peccat, licet eum falsò juraturum sciat, aut probabiliter credat, & ratio est, quia facit illud, ad quod ex officio tenetur, undè non tam dici debet illum ad jurandum cogere, quàm pars adversa, quæ petit hoc à Judice. Aut facit hoc persona privata, vel etiam persona publica, non tamen hoc facit, ut persona publica, vel si hoc facit, ut persona publica, non tamen juris ordine servato, & sic graviter peccat 2. 2. q. 5. ille qui. Movet etiam ibidem Astesanus aliud dubium difficile, An si quis audiat alium jurare falsum, & ipse scit, & tacet, numquid peccet; quod ibi ex D. August. resolvit, & ejus resolutio deduci potest ex superius dictis disp. 6. q. 2. art. 4. nu. 38. an liceat denunciare delictum occultum. Et tandem art. 4. agit de pœnis perjurii, de quibus etiam ex professo, ac eruditè discurrit Tancred. lib. 3. cit. disp. 7. cum Suarez lib. 3. de Jure jur. c. 20. & aliis Doctoribus ab ipso citatis.

183 Sexto tandem ex proximè dictis, ac etiam in superioribus disp. 6. q. 2. & disp. 8. q. 3. deducitur quot modis peccetur in octavum hoc Decalogi præceptum; peccant enim in primis, ut Abellius quoque hic notat §. 10. qui deliberatè mendacium aliquod proferunt, quod quidem erit mortale, si honori divino, aut proximi bono sit pernicioſum; peccant etiam qui per hypocrisim vitæ sanctitatem fingunt ad alios decipiendos, quod peccatum adhuc gravius erit, si ex illo aliquod proximi damnum sequatur, ut si fiat ad disseminandos errores. Rursus peccant contrà hoc præceptum qui extra judiciales actus per judicium temerarium, detractionem, & contumeliam proximum lædunt, qui nimirum deliberatè, ac temerè aliquid mali de proximo judicant, vel suspicantur, vel actiones ejus honestas, aut indifferentes in sinistram partem accipiunt, ac interpretantur; qui alterius famæ secretò detrahunt, vel crimen aliquod falsum ei imponunt, aut peccatum occultum manifestant; qui alterum ad detrahendum alliciunt, aut illius detractione delectantur, vel detractionem non impediunt; cum possint, ac debeant, qui susurrationibus discordias causant, vel libellos infamatorios scribunt, & aliis legendos exponunt. Item qui alterius honori contumeliam irrogant proferrendo in eum verba probrosa, & injuriosa, ejusdem peccatum occultum palam exprobando, aut alia quævis cum irrisione, & contemptu obiicendo. Demum contrà hoc præceptum peccant qui in actibus judicialibus injustam contrà proximum committunt, qui nimirum sine legitima auctoritate Judicis officiū sibi arrogant, vel de causa aliqua ad suum tribunal non spectante judicialiter cogno-

cognoscere, & sententiam ferrè præsumunt, vel in judicando juris ordinem non servant, de occulto crimine rerum indebitè interrogando sine ulla præcedente infamia, aut aliis sufficientibus indiciis, aut contrà allegata, & probata judicando; qui favore, aut respectu aliquo humano à recto justitiæ tramite deflectunt, vel pro sententia ferenda aliquid ultrà justum stipendium exigunt, vel causarum expeditionem notabiliter differunt, ut majores fiant expensæ, vel aliquid justitiæ contrarium faciunt, aut fieri permittunt. Peccant etiam quin ad testimonium ferendum citati, ac legitimè interrogati aliquid falsum, vel ambiguum etiam pejerando affirmant, & contrà ipsius Judicis mentem respondent; item qui crimen aliquod bono communi pernicioſum non denunciant, quando commodè id possunt, & sine gravi detrimento; ac tandem peccant etiam rei quando legitimè interrogati contrà Judicis mentem respondent, illique legitimè aliquid statuenti; aut justitiæ ministris illius jussa exequentibus resistunt, vel vim aliquam inferunt, ut superioribus disputationibus suis propriis locis dictum est.

QUÆSTIO DECIMA.

De nono, & decimo Decalogi præcepto.

184 TRaditis præceptis, quibus expressè prohibentur peccata oris, & operis, tandem traduntur ultima duo Decalogi præcepta, quibus prohibentur peccata cordis, concupiscentia, scilicet, & desiderium & præsertim luxuria, & avaritia, quod affectum, quę in sexto, & septimo præcepto, quoad effectum, seù operationem fuerunt vetita, nono namq; præcepto prohibetur consensus voluntatis in carnale opus illis verbis Exod. 20. *Non concupisces uxorem proximi tui*, quod intelligitur de concupiscentia inordinata, scilicet ad fornicandum, vel meretricandum, quia desiderare filiam alicujus in uxorem non est prohibitum; decimo autem præcepto prohibetur voluntas deliberatè injustè accipiendi, vel detinendi alienum: *Non concupisces rem proximi tui*, & quamvis his duobus ultimis præceptis prohibeatur omnis concupiscentia, seù libido, aut improba voluntas faciendi, & adimplendi quodcunque mortale peccatum; magis tamen explicitè prohibetur concupiscentia voluptatum, & divitiarum, quia ut Astesan. observat. tit. 43. libr. 1. delectatio mæchiæ, & utilitas divitiarum sunt propter se appetibilia, inquantùm habent rationem delectabilis, vel utilis, & ideò debuit in eis prohiberi non tantùm opus, sed etiam concupiscentia; homicidium verò, & falsitas secundùm se sunt horribilia, & ideò non currit paritas de his, & illis. Et quamuis ea, quæ his duobus ultimis Decalogi præceptis prohibentur, jam sexto, & septimo sint quoque prohibita saltem mediatè, & indirectè, ut in eorum explicatione dictum est; non sine tamen magna ratione, ut ait Catechismus Romanus, hæc duo ultima præcepta aliis præcedentibus Deus subiunxit, tùm ut legum suarum perfectionem, & ab humanis legibus discrimen insinuaret, quia lex humana judicat solùm de peccatis externis oris, & operis, & non autem de peccatis cordis, quia Ecclesia de occultis non judicat, at lex divina judicat etiam de occultis, & de peccatis cordis juxtà illud 1. Reg. 16. *Homo videt ea, quæ parent, Deus autem intuetur cor*; tùm etiam ut expressius moneret, quam cautis, & solliciti esse debeamus in evitandis peccatis, quæ sola cogitatione, & animi proposito committuntur, concupiscentia enim mali est radix omnis mali, & principium, ut ait D. Aug. & refertur de Const. c. Nam concupiscentiam; nisi in quis concupisceret, malum non faceret, undè Matth. 15. *De corde exeunt cogitationes malæ, adulteria, furta, blasphemiæ, falsa testimonia, & hæc coinquinant hominem*. Prohibentur itaq; his duobus ultimis Decalogi præceptis omnes internæ concupiscentiæ, & delectationes voluntariæ illorum operum, quæ præceptis secunda tabulæ, præsertim sexto, & septimo vetantur.

ARTICULUS PRIMUS.

De motibus concupiscentiæ appetitus sensitivi, & quomodo, & quando sint peccata.

185 PRo resolutione quæstionis supponendum est ex dictis in libris de Anima in homine dari operationes intellectus, & voluntatis, quæ appellatur appetitus rationalis; item potentiæ imaginativæ, quæ phantasia vocatur, & tandem appetitus sensitivi. Illæ priores potentiæ nempè intellectus, & voluntas propriæ sunt hominis, ut animal rationale est; has verò duas posteriores habemus communes cum bestiis: in præsenti igitur investigandum est, an in appetitu sensitivo secundùm se possit esse peccatum, seu an omnes motus concupiscentiæ circa rem illicitam libertatem, & consensum voluntatis prævenientes sint peccata v.g. motus iræ, odii, libidinis, &c. & quomodo in appetitu sensitivo possit esse peccatum propter consensum voluntatis, quæ sensui conjuncta nata est condelectari appetitui sensitivo, ut dicunt Philosophi. Rursus supponendum est ex dictis suprà q. 7. hujus disputationis art. 3. in fine nu. 148. motus sensualitatis, & concupiscentiæ, alios esse primò primos, qui nimirum repentè consurgunt, & excitantur; & omnem rationis considerationem præveniunt, alios autem secundò primos, qui nempè motibus primò primis immediatè succedunt; & cum aliqua rationis consideratione circà objectum propositum de ejus bonitate, vel malitia; his præsuppositis.

186 Primo conveniunt DD. motus concupiscentiæ primò primos, & omnem voluntatis consensum prævenientes non esse peccata; ita n. contrà Lutheranos, & Calvinistas definitum est in Conc. Trid. sess. 5. & apertè deducitur ex illo Jacobi p. 14. *Unusquisque tentatur à sua concupiscentia abstractus, & illectus, deinde concupiscentia, cùm conceperit, parit peccatum, peccatum verò cùm consummatum fuerit generat mortem*, ubi ut Becan. advertit p. 2. tract. 2. c. 5. q. 3. Apostolus progressum describit, quò à tentatione concupiscentiæ ad peccatum mortale per voluntatis consensum pervenitur. Et primò ponit ipsum concupiscentiæ motum, in quo consistit tentatio, quam constat non esse peccatum, cum sit potius peccati occasio justà illud ibidem: *Beatus vir qui suffert tentationem*, ideſt qui eam invitus patitur. Deindè ponit partum concupiscentiæ nempè peccatum veniale, qualis est delectatio plenam deliberationem præveniens. Tandem ponit mortem, seù peccatum mortalem, quod oritur ex pleno consensu. Ex quo Apostoli discursu rectè Becan. infert tres motus concupiscentiæ distinguendos esse, primum involuntarium, qui nullo modo est peccatum; secundùm imperfectè voluntarium, qui est peccatum veniale. Tertium perfectè voluntarium, qui est peccatum mortale, & hos tres motus ait vocari à Theologis Suggestionem, Delectationem, & Consensum. Deniq; ratio etiam id apertè suadet; quia peccatum debet esse voluntarium, & in nostra potestate; sed motus concupiscentiæ rationem prævenientes non sunt tales, quia primi motus, ut communiter dicitur, non sunt in nostra potestate nec sunt voluntarii directè, vel indirectè, quia non sunt voliti in seipsis, neque in causa. Tùm tandem quia alioquin sequeretur, hominem justum nunquam posse mereri apud Deū resistendo concupiscentiis, nisi simul peccaret saltem venialiter, quod omninò absurdum est; consequentia patet, quia nunquam homo suis resistit concupiscentiis, nisi quando insurgunt concupiscentiæ motus. Ex quo deducitur motus concupiscentiæ omnem voluntatis consensum prævenientes, qui proindè dicuntur motus primò primi, non solùm peccata mortalia non esse, ut dixerunt Calvinus, & Lutherus, sed neque etiam esse peccata venialia, ut opinatus est Cajet. q. 74. art. 4. eo quia putavit appetitum sensitivum habere propriam libertatem, quæ sufficiens sit ad peccatum veniale commitendum, quod est omninò falsum; quarè rationabiliter Bec. l. c. talem sententiam erroneam appellavit, quia sensus rationem honesti cognoscere nequit, quæ consistit in conformitate ad rectam rationem, ac proindè secundùm se non est capax alicujus peccati, quia peccatum in privatione honestatis consistit, ac proindè capacitatem supponit in subjecto, & hoc idem docet D. Bonav. 2. dist. 24. p. 2. ar. 3. q. 1. & 2.

187 Secundò conveniunt DD. in appetitu sensitivo posse esse peccatum propter consensum voluntatis, ac proindè licet motus concupiscentiæ per se sumpti non sint peccata, posse tamen esse peccata, si voluntatis consensus accedat, & sunt peccata venialia; quando imperfectè consentit in re gravi, ac etiam quando perfectè consentit in re levi; & in hoc casu est peccatum veniale ex suo genere, vel ex parvitate materiæ, in primo autem casu est veniale ex indeliberatione actus, undè quando voluntas perfectè consentit in re graui, motus concupiscentiæ est peccatum mortale; ex quo sequitur duo requiri, ut aliquis motus concupiscentiæ sit peccatum mortale, primum est, ut sit motus turpis in re gravi; alterum est, ut voluntas perfectè consentiat; ad perfectū autem, & directum voluntatis consensum duo requiruntur, ut dictū est loco suprà c. unum est perfecta intellectu, aduertētia, alterum est motus, & approbatio voluntatis, undè consequenter sequitur ex duplici quoq; capite cōsensum posse esse imperfectum, primò ex defectu advertentiæ intellectus, secundò ex defectus approbationis voluntatis; quarè si advertentia intellectus nulla sit, nullus adesse potest voluntatis cōsensus circà objectum propositum, quia voluntas nō fertur in incognitum, ac proindè nullum est peccatum, undè si aliqua tur-

turpis delectatio per aliquod temporis ſpatium in appetitu ſenſitivo duraret, nullum eſſet peccatum, quandiù ratio non adverteret, ſi verò aliqua adſit intellectus advertentia, ſed tamen imperfecta, poterit quidem eſſe aliquis etiam voluntatis conſenſus, non tamen ad peccatum mortale ſufficiens; ſi tandem advertentia intellectus ſit perfecta, & ad hanc accedat quoque motus, & approbatio voluntatis, tunc adeſt plenus, & perfectus conſenſus ad peccatum mortale ſufficiens, ut l. c. dicebamus. Conſenſus autem voluntatis duplex eſſe poteſt, ut communiter DD. advertunt, unus directus, & expreſſus, alter indirectus, ſeù interpretativus vel virtualis, primus eſt quando, voluntas directè tendit in ſenſualitatis objectum, volendo nimirum, & approbando illud idem, quod appetit ſenſitivus ipſe appetitus, vel quando fertur in ipſos ſenſualitatis motus volendo, ut motus illi in ſenſualitate exiſtant, & permaneant; quando igitur hujuſmodi voluntatis conſenſus intervenit, certum eſt motus ſenſualitatis eſſe peccata mortalia, quia ſunt ſufficienter voluntarii interveniente conſenſu expreſſo, niſi parvitas materiæ aliquando excuſet. Conſenſus verò indirectus, ſeù interpretativus dupliciter contingere poteſt; primò quandò aliquid voluntariè fit, quod eſt cauſa motus ſenſualis, ut curiosè legere, jocosè loqui, immoderatè aſpicere, &c. & quando fit aliquid venialiter malum, quod eſt cauſa alicujus motus ſenſualis, ut quãdo adeſt immoderatus aſpectus, tunc motus indè conſurgens venialis quoq; cenſetur; ſi verò ſit aliquid mortaliter malum, quod ſit cauſa alicujus motus ſenſualis, hic quoque mortalis erit; alio modo contingere poteſt conſenſus indirectus, & eſt quando voluntas negativè ſe habet, nõ impediendo, vel reprimendo motus, quos reprimere poteſt, & de hoc eſt difficultas n. ſeq. diſcutienda.

188 Tertiò eſt Difficultas, An poſita perfecta advertentia rationis, ſi voluntas directè, & poſitivè non conſentiat, ſed quaſi negativè ſe habeat, & turpem delectationem excutere non conetur, an tunc cenſeatur ſaltem indirectè, & virtualiter conſentire, itaut peccet mortaliter, & ad peccatum vitandum opus ſit poſitivè reſiſtere cogitationibus, & motibus primis. Prima ſententia negat, cujus fundamentum eſt, quia nemo peccat mortaliter, niſi aliquod præceptum tranſgrediatur obligans ad mortale; ſed hoc in propoſito non contingit, quia talis obligatio oriretur ex hoc præcepto negativo *Non concupiſces*; ſed hoc præceptum non obligat ad depellendam concupiſcentiam, ſed ſolùm ad non conſentiendum; ergò ſufficit non conſentire, & ſolùm negativè ſe habere. Confirmatur, quia hujuſmodi motus à natura proveniunt; non eſt igitur credendum de divina bonitate ſalutem æternam hominum his periculis expoſuiſſe, eſſet enim ſalus hominis non levi periculo expoſita, ſi cùm à natura ſit in malum proclivis arctatus ſit non ſolùm hos motus non admittere, ſed etiam illos reprimere, & coercere. Tandem ſi ad hoc teneretur, peccabit mortaliter, ſi cauſas non evitet, ex quibus cognoſcit hujuſmodi pravos motus inſurgere, nam ſi poſtquam excitati ſunt, illos reprimere tenetur, à fortiori tenebitur reprimere, ne excitentur, tenebitur ergò ſub mortali fœminam non alloqui, nec videre, aliaque ſimilia omittere, quæ in omnium ſententiam, vel bona ſunt, vel ſolùm venialia. Ità Caſtropalaus tit. 1. tra. 2. d. 2. p. 10. Tamb. l. 10. c. 2. pro qua opinione cit. Cajetan. Nav. Tolet. Philiarcum, & plures alios.

189 Secunda ſententia affirmat teneri poſitivè reſiſtere cogitationibus, & motibus primis, & non ſufficere, quod voluntas ſolùm negativè ſe habeat non conſentiendo. Fundamentum eſt, quia præceptum negativum, quod prohibet actum malum non ſolùm prohibet conſenſum in illum actum, ſed etiam voluntariam illius permiſſionem, nam eodem præcepto, quo teneor non occidere proximum, teneor etiam ejus mortem non permittere, ſi poſſum impedire; & ſimile eſt de muliere, cui vis infertur, nam ſi non reſiſtit conſentire cenſetur; ergo eodem modo qui vim patitur à concupiſcentia, tenetur ei reſiſtere. Undè dicunt hujus opinionis Auctores hoc præceptum: *Non concupiſces*, formaliter eſſe negativum, quatenus prohibet, ne conſentiamus concupiſcentiis, & virtualiter affirmativum, quatenus præcipit, ut iis reſiſtamus, ex quo deducunt non eodem modo nos ad utrumq; teneri, nam ad non conſentiendum tenemur ex naturali præcepto negativo, quod pro ſemper obligat, nunquam enim in rem turpem conſentire licet, aut probabili periculo conſentiendi ſe exponere. Ad reſiſtẽdum autẽ tenemur ex præcepto affirmativo, quod non obligat per ſemper; ſed ſolùm pro eo tempore, quo adeſt delectatio, & ejus turpitudo cognoſcitur. Ità diſcurrit Bec. l. c. q. 5. citans D. Th. p. 74. a. 6. ac etiam Bonac. q. 4. de Matrim. punct. 7. citans Leſſium, Reg. Sanc. Fill. & alios. Ut breviter dicam quid in hac re ſentiam, ſpeculativè loquendo, & in rigore methaphyſico, prima ſententia probabilior videtur, ac praticè ſecunda, quia ut ſuprà diximus, in materia luxuriæ ob nimiam carnis fragilitatem ad pericula evitanda tutior pars eſt amplectenda; & in hoc puncto præſertim unuſquiſque propriam naturam, & complexionem con n lere debet, & examinare, nam ſi aliàs expertus eſt ſe his motibus excitatum non conſenſiſſe, merè negativè ſe habendo, illis poſitivè reſiſtere non tenetur, & in tali caſu locum habet prima ſententia; at ſi è contrà expertus eſt talem reſiſtentiam negativam non ſufficere ad concupiſcentiam expellendã, poſitivam quoq; adhibere tenetur ad pericula evitanda, & in hoc locũ habet ſecunda ſententia.

190 Quartò tandem ad majorem prædictorum intelligentiam inquirendum eſt, quinam motus concupiſcentiæ ſufficiat, ut accedente perfectio voluntatis conſenſu ſit peccatum mortale; varii enim eſſe ſolent concupiſcentiæ motus, qui in appetitu ſenſitivo excitantur, ut amor, odium, delectatio, triſtitia, timor, ira, & paſſiones conſimiles; & quidem certum eſſe debet apud omnes, quoſdam ex illis eſſe poſſe ob parvitatem materiæ adeò leves, ut accedente etiam voluntatis conſenſu ad peccatum mortale per ſe non ſufficiant, ut ſi quis ex cantu avis, vel citharæ ſono otioſam aliquam delectationem percipiat, vel ex cibi delicatioris comeſtione, etiamſi in eam delectationem conſentiat, talis enim delectatio etiamſi aliqualiter inordinata ob parvitatem materiæ malitiam peccati mortalis non attingit. Tota itaque difficultas eſt de carnali delectatione, ſeù venerea, quæ in appetitu ſenſitivo excitatur, an illa accedente voluntatis conſenſu ad peccatum mortale ſufficiat & difficultas non eſt de venerea delectatione cum excuſatione fædi operis conjuncta, conſtat enim eandem eſſe utriuſque malitiam, ſcilicet, tam fædi operis, quam delectationis cum eo conjunctæ; ſed quæſtio eſt de ſenſuali delectatione, quæ ex cogitatione fædi operis oritur in appetitu. Quam difficultatem breviter, & clarè reſolvit, & explicat Becan. loc. cit. quæſt. 6. ubi ait duobus modis poſſe aliquem in talem delectationem conſentire, nimirum, vel appetendo talem delectationem cum ipſius operis executione; vel non appetendo operis executionem, ſed ſtando in ſola delectatione operis cogitati; & quidem certum eſt primo modo delectationem ſenſitivam ſemper eſſe peccatum mortale, ſi adſit perfectus voluntatis conſenſus, ut conſtat ex illo Matt. 5. *Qui viderit mulierem ad concupiſcendum eam, jam mœchatus eſt in corde ſuo*, & hoc intelligendum eſt, quandò executio operis cogitati eſt peccatum mortale. & ratio eſt, quia talis conſenſus in delectationem veneream directè cum hoc præcepto pugnat, *Non concupiſces*. Delectatio verò ſenſitiva ſecundo modo, quæ nimirum oritur ex opere cogitato ſine deſiderio executionis, quamvis à quibuſdam excuſetur à mortali, verius tamen, & valdè probabilius adhuc mortale peccatum cenſeri debet, ut docet D. Th. quæſt. 74. art. 8. ad. 4. & ratio eſt, quia qui cogitando in opere pravo delectatur, neceſſariò affectum ad opus pravum habet, eſtò executionem ejus nolit ob infamiam, aut aliud incommodum evitandum. & hoc etiam expreſsè ex Scriptura colligitur Jerem. 4. *Uſquequò morabuntur in te cogitationes noxiæ*, & Sap. 1. *perverſæ cogitationes ſeparant à Deo*, & Job. 31. *Pepigi fœdus cum oculis meis, ut non cogitarem quidem de virgine*, quæ omnia magis patebunt ex dicendis de delectatione moroſa art. ſeq.

ARTICULUS SECUNDUS.

De delectatione moroſa, & quot modis contrà hæc duo ultima præcepta peccetur.

191 PRimò ad ritè percipiendam naturam, & eſſentiam delectationis moroſæ obſervandum eſt, in hoc differre deſiderium, & conſenſum in copulam v. g. illicitam à delectatione ipſa, quam quis habet de eadem copula; quod deſiderium eſt actus ex ſe efficax, & conſummatur, ſeù conſummari intenditur ipſo opere externo fornicationis. Delectatio verò eſt actus ex ſe inefficax, & conſumatur interius, non enim tranſit ad volendum exequi id, de quo quis delectatur, nam propterea dicitur etiam delectatio moroſa, quia peccans dùm in ipſa delectatione moratur, nec ad opus conſumatum procedere intendit, in eadem veluti conquieſcit. Ità Tambur. l. 10. c. 3. cum pluribus aliis, & ſicut Bonacina obſervat qu. 4. cit. de Matrimonio punct. 8. ab initio. Dicitur moroſa delectatio, non à mora temporis, eo quod aliquis in ea immoretur, ſed à mora rationis, eo quod homo poſita advertẽtia militiæ actus adhuc delectationem admittat, illique conſentiat; undè ſi quis notabili temporis ſpatio delectationem capiat de re illicita non advertens ad illius malitiam, delectationem moroſam habere non dicitur, & conſequenter non peccat graviter, peccat verò quando poſita advertentia adhuc in delectatione permanet, & perſeverat, tunc enim propriè dicitur moroſam habere delectationem de re illicita; quæ fuit doctrina D. Bonav. 2. diſt. 24. part. 2. a. 2. qu. 1. & 2. ut Monſregalis advertit de ſexto, & nono Decalogi præcepto cap. 5. ubi docet, quod mora temporis, quantum eſt de ſe, non facit, ut

quod prius erat veniale, fiat mortale, sed solùm occasionaliter, quia scilicet, talis mora inducit consensum expressum, vel interpretativum; tunc autem inducit consensum expressum, & formalem, quandò ex diuturnitate delectationis adeò crescit libido, ut homo velit omninò in objecti illiciti delectatione persistere, & morari; tunc verò consensum interpretativum inducit, quandò homo advertens periculum delectationis retentæ eam repellere negligit, & reprimere, hoc enim non est sine propriæ salutis contemptu, eo quod discrimini se exponit, illa enim delectatio subintrat, sicut serpens, & venena diffundit, per quæ rationalis spiritus interit morte culpæ. Itaque per desiderium intelligitur voluntas, intentio, vel propositum efficax rei malæ, & illicitæ, per delectationem verò simplex amor, vel complacentia objecti cogitati absque desiderio executionis, & dicitur morosa non à mora temporis, cùm momento perfici possit, sed eo quod voluntas post plenam rationis advertentiam ei immoretur.

192 Secundò certum est, desiderium præsertim absolutum sivè cogitationem cum voluntate consentiente absolutè in peccatum aliquod perpetrandum, aut in perpetrato complacente habere eandem speciem, ac malitiam peccati mortalis, vel venialis, quam habet actus exterior, in quem fertur juxta illud Matth. 5. *Qui viderit*, &c. & ratio est, quia actus interior habet suam bonitatem, & malitiam ab actu externo, tanquam objecto, ut dictum est l. 2. sen. disp. de Actibus humanis. De malitia verò delectationis ita discurrit D. Bonav. l. c. qu. 2. dicens, quod potest discerni hoc modo, quia cùm percipitur delectatio; aut statim repellitur, aut retinetur; si statim repellitur, tunc leve est peccatum, vel nullum; si verò retinetur, hoc potest esse tripliciter, aut quia placet ipsa delectatio, & operis consummatio, ita quod est voluntas delectandi in cogitatione, & etiam in opere, si facultas adesset, & tunc est ibi plenus consensus, & peccatum mortale. Aut placet delectatio, sed tamen displicet peccati consummatio, & licet ex hac parte dici possit consensus semiplenus, nihilominus tamen adhuc peccat mortaliter, quia in illam consentit delectationem. Aut utrumque displicet, scilicet, ipsa interior delectatio, & operis consummatio; & tunc aut advertit periculum, aut non advertit; si non advertit periculum delectationis, nec repellit eam, peccat, sed non mortaliter; aut advertit periculum, & delectationem illam non repellit, sed mentem in talibus cogitationibus revolvi finit, & tunc peccat mortaliter, quia quamvis non sit ibi consensus expressus, & formalis, est tamen ibi consensus interpretativus; & quamvis sit aliqualis displicentia, adest tamen reprimendi negligentia, dum periculum advertit, undè sanum est consilium, quando de ipso velut de mortali pœniteat, quia in dubiis securior via est eligenda. Ità D. Bonaventura loc. cit. Ex qua doctrina infertur peccaminosas esse omnes morosas delectationes, quæ ex rebus obscœnis, cogitatione, vel imaginatione apprehensis cum pleno, & deliberato voluntatis consensu percipiuntur; ac etiam ipsas cogitationes, & imaginationes turpes, quamvis nulla ex illis sequatur turpis delectatio, si tamen illius percipiendæ causa animo versentur, & foveantur, æqualem cum ipsis obscœnis delectationibus censentur habere malitiam, scilicet, mortalem quamvis nulla subsit voluntas rem illam turpem opere implendi, ut benè advertit Abellius de sexto Decalogi præcepto §. 1. quod probat ex D. Aug. l. 12. de Trinit. c. 2. ubi inquit, *Totus homo damnabitur, nisi hæc, quæ sine voluntate operandi, sed tamen cum voluntate animum talibus oblectandi. solius cogitationis sentiuntur esse peccata, per mediatoris gratiam remittantur.*

193 Tertiò conveniunt DD. in desiderio, & consensu, imò & in gaudio de re illicita jam habita deberi in Confessione aperiri personæ desideratæ conditionem hoc modo, desideravi Virginem, monialem, nuptam &c. & in homicidio desideravi occidere Patrem, vel fratrem, vel Sacerdotem, &c. & ratio est, quia tales voluntatis actus contra diversas virtutes esse supponuntur ex diversa personarum conditione, undè consequenter suam sumunt specificationem à talibus objectis specie morali diversis, atque ideò in Confessione exprimendam. Sed quæstio est inter Doctores de morosa delectatione, an scilicet, si quis solùm delectetur, sed non desideret, de copula, quam cogitat cum Virgine, v. g. vel cum Moniali, vel nupta, debeat id explicare, an potius sufficiat dicere, toties de copula illicita delectatus sum illam cogitando, sed non desiderando. Affirmant aliqui, quorum ratio est, quia delectatio venerea non solùm est mala ex malo motivo, sicut sunt cæteræ delectationes, sed etiam est mala ex causalitate quam ex sua natura habet in opus externum, undè deducunt venereas delectationes ejusdem esse speciei cum opere externo, atque ideò in confessione explicandam esse circumstantiam personæ, circà quam fuit delectatio, nam delectatio de uxore alterius habet malitiam adulterii contrà castitatem, & contrà justitiam; delectatio de consanguinea non solùm habet malitiam simplicis fornicationis, sed etiam incæstus; & delectatio demonialis non solùm habet malitiam stupri, aut fornicationis, sed etiam sacrilegii in Confessione aperiendam. Ità Bonac. q. 4. c. pun. 8. citans Navarr. S. Antoninum, Lessium Tab. & alios.

194 Alii negant adesse obligationem declarandi personas circà quas ejusmodi delectatio versata est; & probant ex opposito fundamento, quia delectationes hujusmodi non variantur specie ex varietate conditionum illarum personarum, quia omnes adequatè sumunt suam turpitudinem ex oppositione cum virtute castitatis, quæ tunc sola violatur, neque enim ille animus in ea sola voluntate sistens procedit ulterius ad violandum, seù ad desiderium violandi jus speciale conjugatæ, virginis, sacræ &c. ergò satis explicatur per solam oppositionem ad virtutem castitatis, non sic si quis delectaretur de concubitu conjugatæ formaliter, ut conjugata est, seù ut virgo, vel sacra, tunc enim esset necesse id explicare, ut de se patet. Undè consequenter negant delectationem de re venera esse ejusdem speciei cum opere externo, & dicunt esse tantùm illius speciei, cujus est motivum, quia delectatio sumit tantùm speciem à motivo; cùm ergò motivum delectationis sit solus affectus venerus, qui cum sola castitate oppositionem habet, sequitur illam delectationem habere solam malitiam fornicationis contrà castitatem. Et quod dicunt de delectatione morosa, videtur etiam secundum hanc sententiam dicendum de aspectibus, quando scilicet, qui respicit mulieres affectu venereo sine progressu ad eas concupiscendas, quia tunc videtur similiter delectatio tota consummari interius. Ità Tamburin. loc. cit. pro qua sententia adducit Vasquez, Castropalaum, & alios, & utraque sententia probabilis est, ut etiam Bonacina fatetur loc. cit. sed hic casus, quod quis solùm delectetur, sed non desideret, de copula, quam cogitat, potius est metaphysicus, quàm practicus, quia delectatio morosa cum desiderio regulariter connectitur, & unum ex alio suboritur.

195 Quartò est Difficultas, An peccent mortaliter conjuges, qui in alterius absentia delectantur de actu conjugii præterito, vel futuro, & idem quæri solet de vidua, quæ delectatur de copula præterita, & desponsa, quæ delectatur de futura. Quoad conjugatos communis sententia docet non peccare mortaliter, quia delectatio bonitatem, & malitiam sumit à motivo, sed motivum in hoc casu est actus externus conjugii, seù venerea delectatio externa, quæ in conjugatis licita est ratione matrimonii; ergò status matrimonii hæc excusat inter conjugatos, uti etiam actus impudicos solius voluptatis causa institutos, modò periculum pollutionis absit, ut suprà dictum est. Tùm quia hæc per se tendunt ad opus conjugale, licet per accidens opus non exerceatur. Quod ad viduam verò, quæ de actu conjugii præterito, & sponsam, quæ de actu matrimonii futuro carnaliter delectatur affirmat etiam communior opinio peccare mortaliter ob eandem rationem, quia delectatio bonitatem, & malitiam sumit ab objecto formali, & à motivo, sed motivum istius carnalis delectationis est actus venereus coniugalis sub ratione delectabili apprehensus: ergò sicut actus venereus externus non est licitus respectu viduæ, vel sponsæ, ità neque licita est delectatio non constante matrimonio, quæ de illo actu capitur. Ità Bonac. l. cit. Tambur. c. 4. Sanchez, Vasq. Reginal. Filliuc. Less. Diana, & alii passim. Quæri etiam solet, an dari possit parvitas materiæ excusans veneream delectationem à peccato mortali. Sed de hoc jam diximus suprà qu. 7. art. 3. n. 144. ubi cum probabiliori sententia negavimus parvitatem materiæ in rebus veneriis ob nimiam humanæ carnis fragilitatem; nec enim opus est in omnibus præceptis dari materiæ parvitatem, ut constat de infidelitate, juramento falso, blasphemia, & aliis casibus, in quibus tuta ratio malitiæ in qualibet quantitate materiæ reperitur, ut etiam in casu nostro accidit propter periculum, ad quod quilibet tactus impudicus, seù venerea delectatio inducit, undè concludit Bonac. loc. cit. in re tam lubrica, & periculosa non esse admittendam distinctionem materiæ levis à gravi, & venialis delectationis à mortali, dùm adest advertentia, & consensus, excepta venerea delectatione inter conjugatos, quam excusat matrimonii status. Alia plura de delectatione morosa vide apud Turrianum opusc. 12. disput. 2.

196 Quintò ex dictis deducitur, quot modis contrà hæc duo ultima præcepta peccetur siquidem, ut Catechismus Romanus advertit p. 3. cap. 10. in nonum Decalogi præceptum peccant non tantum illi, qui alterius uxorem adultero affectu concupiscunt, sed etiam qui eam præmaturo, aut inordinato affectu, idest, vivente marito sibi matrimonio jungi exoptant, cùm mulierem, etiamsi à viro repudiata sit, alteri in matrimonium ducere non liceat, nisi marito mortuo, undè qui alte-

alterius uxorem concupiscit facilè ex una in aliam incedet cupiditatem, aut.n. illius virum mori, aut adulterium admittere cupiet; quod quidem non solùm de mulieribus conjugatis intelligendum esse dicit Catechismus, sed etiam de iis, quæ alteri desponsatæ sunt, neque enim has item concupiscere licet, cum ii, qui hæc pacta rescindere studeant, violent sanctissimum fidei fœdus; & quemadmodum, quæ alteri nupta est, eam concupiscere omninò nefas est, sic quæ ad Dei cultum, religionemque consecrata est, nullo pacto licet illam uxorem appetere. Quod verò spectat ad decimum, & ultimum præceptum Catechismus docet ibidem in illud peccare, qui nimis avidè divitias expetunt, & modis pravis, ac illicitis artibus opes augere concupiscunt, ut qui ludis immoderatè abutuntur, & mercatores, qui rerum penuriam, annonæque caritatem expetunt, atque id ægrè ferunt, ut alii præter ipsos sint qui vendant, aut emant, quo carius vendere, aut vilius emere ipsi possint; qua in re item peccant, qui alios egere cupiunt, ut aut vendendo, aut emendo ipsi lucrentur. Subdit etiam in hoc præceptum peccare milites, qui bellum expetunt, ut furari liceat illis. Medicos item, qui morbos desiderant; Jurisconsultos etiam, qui causarum, litiumque vim, aut copiam concupiscunt; tùm Artifices, qui quæstus auidi, omnium, quæ ad victum, cultumque pertinent penuriam exoptant, ut indè plurimum lucri faciant. & planè quàm noxia sint, & pernicioſa hæc prava, ac inordinata desideria, si deliberato animo fiant, ac foveantur, deducitur ex illis verbis Apostol. 1. ad Timoth. 5. *Habentes alimenta, & quibus tegamur, his contenti simus; nam qui volunt divites fieri in tentationem incidunt, & in laqueum Diaboli, & desideria multa inutilia, & nociva, quæ mergunt homines in interitum, & perditionem, radix enim omnium malorum est cupiditas.*

197 Postremò, ut huic Disputationi finem imponamus, de decem Decalogi præceptis hæc dicta sufficiant, cujus denarii numeri sufficientiam si quæres, sic assignari potest cum Nicolao de Orbellis 3.d. 40. Ad hoc enim, ut quis in aliqua Communitate, & Republica benè commoretur, requiritur ut benè se habeat, & ad eum, qui Communitati præest, & ad alios communitatis consocios, & participes. Principi autem communitatis subditus tria debet. Primò fidelitatem, scilicet ut honorem principatus quantum est in se in alios non transferat. Secundò reverentiam, ut scilicet in eum nihil injuriosum committat. Tertiò famulatum, scilicet, in recompensationem beneficiorum ab eo receptorum; quorum primum præcipitur primo præcepto, secundum secundo, & tertium tertio. Ad proximos autem, & consocios Communitatis benè se debet quis habere, & specialiter, & generaliter; specialiter quidem quantum ad eos, quorum est debitor, ut eis debitum reddat, ad quod pertinet præceptum de honore parentum; generaliter verò quantùm ad omnes, ut nulli nocumentum inferat opere, vel ore, vel corde; opere quidem nec quantum ad personam propriam, contrà quod dicitur; *Non accides*. Nec quantum ad personam conjunctam ad generationem prolis, contrà quod dicitur: *Non mœchaberis*. Neque in rem possessam, contrà quod dicitur: *Non furtum facies*. Nocumentum autem oris prohibetur, cùm dicitur: *Non loqueris contrà proximum falsum testimonium*. Nocumentum tandem cordis prohibetur per duo ultima præcepta, cùm dicitur: *Non concupisces uxorem proximi tui. Non concupisces rem proximi tui*. Ità Discurrit Orbellius loc. cit.

DISPUTATIO DUODECIMA
DE PRÆCEPTIS ECCLESIÆ.

1 POSTQUAM Decalogi precepta absolvimus, nunc de præceptis Ecclesiæ breviter agendum est, quæ estò sint plurima universaliter loquendo, præcipuè tamen toti Christiano populo communia quinque numerantur, ut videre est apud Petrum Canisium in summa doctrinæ Christianæ cap. 3. & quia non eodem ordine ponuntur ab omnibus, nos de illis discurremus juxtà ordinem à Toleto, Bonac. & pluribus aliis communiter observatum inchoando à jejunio.

QUÆSTIO PRIMA.

De primo Ecclesiæ præcepto, ideſt, jejunio.

2 JEjunii nomen quandoque generaliter sumi solet pro abstinentia à vitiis, & peccatis, ut loquitur D. Aug. tr. 13. in Joan. *Jejunium magnum, & generale, est abstinere ab iniquitatibus, & illicitis voluptatibus sæculi, quod est perpetuum jejunium*, & D. Basilius hom. 1. de Jejunio. *Utrùm jejunium est ab omnibus vitiis esse alienum*. Quandoque verò sumi solet specialiter, & magis propriè pro abstinentia à cibo, & hoc est duplex, ut ait Scot. 4.d.8.q.3. lit. B. & C. aliud naturale, quale requiritur ex præcepto Ecclesiastico ad sumptionem Eucharistiæ, & est carentia cibi susceptì in stomacho, vel in via ad stomachum, & ab hoc dicitur quis jejunus, antequam cibum sumat. Aliud Ecclesiasticum, & est abstinentia quædam, vel cibi subtractio secundùm formam ab Ecclesia præscriptam, undè tale jejunium non solvitur, inquit Doctor, nisi per aliquam refectionem extraordinariam præter morem Ecclesiæ, & de hoc jejunio, quod dicitur Ecclesiasticum, in præsenti quæstione agendum est.

ARTICULUS PRIMUS.

Quid sit Jejunium, quis ejus finis, & modus ad ejus observantiam requisitus.

3 QUoad primum, Jejunium Ecclesiasticum, de quo hìc est sermo, *est voluntaria abstinentia à cibo justà Ecclesiæ ritum, vel præscriptum*. Ità DD. communiter, & colligitur ex Scoto l. c. dicitur *abstinentia voluntaria*, quia jejunium est actus particularis virtutis s. abstinentiæ, ut Astes. ostendit l. 5. tit. 28. art. 1. & consequenter est actus liber, & voluntarius, undè ad satisfaciendum præcepto jejunii requiritur voluntas, & intentio jejunandi, seù faciendi opus præceptum; undè qui invitus omninò abstineret à cibo, quia nimirum illo careret, non diceretur jejunare, nec observare præceptum. Dicitur à cibo, nam potus, quamvis sit vinum non solvit jejunium, sivè sumatur antè prandium, sivè post, quia jejunium Ecclesiasticum, non consistit in abstinentia à potu, sed in abstinentia à cibo, qui principaliter contra famem est institutus, quæ est appetitus calidi, & sicci, sivè cibus sit densus, ut panis, caro &c. sivè sit liquidus, ut panis jusculum &c. undè lac, sivè antè prandium, sivè post sumptum solvit jejunium, quia communiter per modum cibi sumi solet, è contrà verò sæpè in die jejunii bibens non violat jejunium etiam si id faceret non solùm ad sedandam sitim, verùm etiam cùm intentione seipsum nutriendi, cùm vinum ex sui natura aptum sit ad nutriendum. & ratio est, quia ex consuetudine recepta per jejunium sumptio potus non prohibetur, sed cibi solius, undè quamvis fieret nutritionis intentione, adhuc jejunium non solveret, quia non prohibetur intentio, sed solùm externa cibi refectio, & ideò Scot. l. c. dixit jejunium Ecclesiasticum non solvi, nisi per aliquam refectionem extraordinariam præter morem Ecclesiæ, & ita etiam tenet Bonac. cum pluribus aliis disp. ult. q. 1. punct. 1. contrà Med. Reg. Abulensem, Azorium, & alios. Et hac etiam ratione inquit Doctor l. c. & sequuntur alii passim, non violare præceptum jejunii, qui tempore jejunii medicamenta, & pharmaca sumit, seù electuaria. & ratio est, quia non sumit titulo cibi, sed medicamenti. Dicitur tandè in definitione, *juxtà Ecclesiæ ritum, vel præscriptum*, cùm enim ab Ecclesia institutum sit jejunium, de quo hìc

sermo, servandus est modus ad ejus observantiam ab eadem præscriptus, & quasdam requirens conditiones, de quibus mox dicemus.

4 Quoad secundum. Jejunii finis triplex est, ut colligitur ex D. Bonav. 4. dist. 15. par. 2. art. 2. qu. 2. Alesan. loc. cit. art. 2. & Toletus quoque advertit lib. 6. cap. 2. Primus est concupiscentiæ carnis repressio; secundus mentis elevatio ad divinorum contemplationem; tertius est satisfactio pro pœnis peccatorum, quos jejunii fines explicat Ecclesia in præfatione Missæ Quadragesimæ illis verbis. *Corporali jejunio vitia comprimis, mentem elevas, virtutem largiris, & præmia.* Jejunium itaque ad tria est ordinatum, primò ad concupiscentiam carnis reprimendam, maximè enim furor carnis temperatur per cibi subtractionem, ideoque dicebat Apostolus ad Corint. 6. *In jejuniis multis, in castitate, &c.* & Ecclesia præcipuum jejunium, quod est in Quadragesima, instituit in principio verhyemalis equinoctii, quia tunc ex Solis accessu incipit caro vigere magis, & sanguis fervere, quàm cæteris anni temporibus. Secundò ordinatum est ad hoc, ut liberius mens nostra ad sublimia contemplanda elevetur; corpore namque pleno mens sensu opprimitur, nec liberè potest divinorum contemplationi vacare, & ideò Daniel. 10. legitur, quod post trium hebdomadarum jejunium revelationes à Deo accepit, & ob id etiam Ecclesia vigilias aliquot Sanctorum, ac festorum instituit, in quibus jejunium præcipitur, ut solemnitatibus illis mens expeditius vacare possit. Tertiò tandem ordinatum est jejunium ad satisfaciendum pro peccatis juxtà illud Joel. 2. *Convertimini ad me in toto corde vestro in jejunio*, &c. quamvis enim culpa peccati per contritionem, & pœnitentiæ Sacramentorum remittatur, sæpè tamen tota pœna non remittitur, sed manet obligatio pœnæ temporalis in Purgatorio solvenda, nisi in hac vita illi satisfiat, & ideò jejunium est institutum, quod est pœnale, in pœnarum peccatorum satisfactionem, quod quidem intelligendum est non solùm de jejunio à Confessario pro pœnitentia impositio, verùm etiam de jejunium voluntariè assumpto, ut colligitur ex Concil. Trid. sess. 14. can. 13. & de satisfaciente, seù jejunante in peccato mortali etiam existente. Et talis satisfactio excedit satisfactionem Purgatorii, non solùm quia multo levior, & brevior, sed etiam quia cùm in gratia fit est meritoria augmenti gratiæ, & gloriæ, quod satisfactio Purgatorii non habet, ubi tempus merendi cessat.

5 Quoad tertium, scilicet, quoad modum, quo jejunium Ecclesiasticum fieri debet conveniunt DD. tres præsertim conditiones requiri ad debitam jejunii Ecclesiastici observantiam. Prima est ciborum delectus, seù obstinentia à carnibus, ut constat ex D. Basil. hom. 1. de jejunio, & D. Aug. lib. 20. contrà Faustum c. 5. & ex perpetuo Ecclesiæ usu, & traditione; quamvis enim olim non à carnibus solùm, sed etiam ab ovis, & lacticiniis, quæ à carne procedunt, in diebus jejunii abstinendum esset, Ecclesia tamen de pristino illo rigore non nihil remisit ob rationabiles causas permittendo in diebus jejunii per annum ova, & lacticinia extrà Quadragesimam, imò etiam intrà eam in quibusdam locis, ut notat Bonac. loc. cit. punct. 2. ex Nav. Lessio, Sylvio, Azorio, Layman, Filliuc. Fagund. & aliis ubi etiam monet de tali usu ovorum, & lacticiniorum consuli debere, & servari locorum consuetudinem, quæ est optima legum Ecclesiasticorum interpres. Secunda conditio est unica in die refectio, & comestio, ut communiter docent Theologi omnes, quod melius probari non potest, ut idem Bonacinam cit. punct. 3. observat, quam ex perpetua, & universali Ecclesiæ praxi; cùm nullum super hoc reperiatur decretum. Verum est tamen, quod Ecclesia his posterioribus sæculis ob corporum infirmitatem, quæ mundo senescente semper magis augetur, & aliis rationabilibus de causis, tacito consensu indulsit, ut præter illam refectionem modicum aliquid cibi serò per modum cænulæ, seù ut vocant collatiunculæ sumeretur; & dicitur modicum aliquid cibi, quia qui notabiliter excederet absque; dubio jejunium franger, ut ait Bon. l. c. ex Navarro, Armilla, Lessio, Azor. Reg. Tol. & aliis. Tertia tandem conditio est certa refectionis hora, itaut unica illa refectio non prandii, sed cænæ rationem obtineat; & quamvis olim sæculis elapsis hæc unica refectio in Quadragesima usque ad vesperam prorogari soleret, aliis verò jejuniorum diebus usque ad horam nonam, quæ est tertia post meridiem, ut testatur D. Bernardus serm. 3. de Quadrag. his tamen posterioribus sæculis ob eandem pariter rationem tacito consensu, indulsit, ut hora illa vespertina licitè anticipetur, & in Quadragesima, diebusque aliis jejunii per annum circà meridiem jejunium solvi possit; undè regulariter loquendo hora hujusmodi unicæ refectionis est circà meridiem, nisi aliud loci consuetudo ferat, idque non mathematicè computandum est, sed moraliter, & dictam horam notabiliter sine justa causa prævenire, licet Nav. mortale putet cum quibusdam aliis, probabilius tamen Tol. Fil. Lessius, Layman, & alii dicunt esse veniale, eo quod non violetur substantia jejunii, sed tantùm circumstantia: dicitur autem *notabiliter & sine justa causa*, quia prævenire ex justa causa, v. g. si iter faciendum sit, si horpites dimittendi, &c. & absq; ea per mediam horam tantùm, nullum videtur esse peccatum, ut docent prædicti Doctores, & alii passim.

6 Circà primam conditionem ad debitam jejunii observantiam requisitam est gravis Difficultas, quæ in praxi sæpè contingere potest. An scilicet dispensatus in usu carnium censeatur dispensatus ad non jejunandum, & ab unica comestione; in qua quæstione tres sunt opiniones. Prima opinio absolutè affirmat, & ratio est, quia abstinentia ab esu carnium est de substantia jejunii; ergo qui dispensatus est quoad comestionem carnis, eo ipso est dispensatus à jejunio. Antecedens ab omnibus conceditur, consequentia probatur, quia ad actionem aliquam quis teneri non potest, si id, quod est de ejus essentia, non obligatur, undè consequenter hæc opinio affirmat eum, cui concedunt carnes ob dispensationem, licitè posse serò cænare, imò pluries in die se reficere, quia ab obligatione jejunii jam est solutus. Ità Azorius, Medina, Henriquez, Filliucius, Toletus, Diana Tamburinus, & plures alii. Secunda opinio absolutè negat, & ratio est, quia necessitas, & justa causa, quæ ab integro jejunio excusat, non excusat ab omni parte illius; præceptum enim Ecclesiæ licet in totum servari non possit, in parte tamen, quæ servari potest, servandum est ex cap. *Cum dilecti* de dolo, & contum. sic igitur in proposito dispensatus in esu carnium poterit, ac tenetur servare jejunium quoad unicam comestionem. Ità Graffius, Petraza, & alii apud Dianam p. 1. tract. 9. resol. 25 & sicut etiam ex nostris sentire videtur Rubeus disput. 23. ref. 5. ubi ait, quod quilibet tenetur observare præceptum Ecclesiæ quantum ad omnes illas conditiones, quas potest, in eo quod potest, & quantum potest; si enim jejunium servare non potest in totum debet illud servare in eo, quod potest, nam quandò alicui fidelium permittitur à regula Ecclesiæ excedere in aliquo, intantùm hoc illi permittitur, inquantum se extendit ipsius indigentia. Tertia opinio cum distinctione procedit, vel enim dispensatus ad esùm carnium edit carnes, quia pisces illi nocere solent, vel ut vires amissas recuperet ob naturæ debilitatem ex morbo præterito relictam, vel ex alio capite provenientem; priori modo dispensatus tenetur ad jejunandum nec licitè serò cænare potest, alter verò minimè, & ideò pluries edere potest, nec jejunare tenetur. Ita Lessius, Reginaldus, Fernandez, Bonacina loc. cit. Angles, & Rodriquez ex nostris in Summa cap. 24. & plures alii. Quæ tres opiniones non sunt probabiles, sed prima probabilior videtur, ut testatur Diana loc. cit. & Villalobos tom. 1. tract. 24. dub. 8. ob robur rationis ejus; nam ut Tamburinus ait l. 4. c. 5. aliæ duæ opiniones id negantes, essentiam, & substantiam jejunii assignare nequeunt, si negant eam in abstinentia ab esu carnium sitam esse, & sic hoc concedant, consequentiam rationis illius omninò negare non possunt, tùm quia ut ait Ludovicus à S. Raymondo p. 2. tract. 5. resol. 2. majus, & dignius semper trahit ad se minus dignum; ergo sublata abstinentia à carnibus quæ est fundamentum jejunii, auferetur quoque unica comestio.

7 Circà secundam jejunii conditionem, quæ est unica in die refectio, alia difficultas occurrit, quia si unica refectio in die jejunii præcipitur, sequitur eos peccare mortaliter, qui vespere jentaculum sumunt, seù secundam refectiunculam. Respondetur cum Bonacina l. c. punc. 3. Navarro, Armilla, Azorio, Reginaldo, Tolleto, & aliis communiter negando consequentiam, quia, ut dictum est, illa non dicitur refectio, sed refectiuncula, & per eam jejunium non solvitur, etiamsi non ad somnum capiendum, sed ad nutritionem ordinetur, quia, & consuetudo, & tacitus Ecclesiæ consensus hoc permittit, ut diximus. Difficile tamen est determinare, quantum cibi sumere liceat in ejusmodi refectiuncula, & difficultas præsertim est de quantitate cibi, quia in hujusmodi refectiuncula non ita rigorosè prohibetur cibi qualitas, sicut interdicitur quantitas, quia quoad qualitatem in ea prohibentur cibi ad fortem nutritionem communiter ordinati, quique inter fercula solent apponi, permittuntur autem leviores, ut fructus, & allia ex saccharo, & melle confecta, imò secundùm aliquos licitè etiam indulgeri potest jusculi cocti usus, & cibus aliquis majoris nutritionis, modò cibi quantitas non excedatur, & collatiuncula non fiat cæna; ex quo patet in refectiuncula magis servandam esse quantitatem, quam cibi qualitatem, nam etiam pro more regionis parum butyri, & casei permittitur, ut in regionibus Septemtrionalibus ob fructuum inopiam, ut ait Layman l. 4. tract. 8. c. 1. Quatuor dicendi modos in hac difficultate reperio. Primus est dicentium quantitatem trium, vel quatuor unciarum panis, & fructuum licitè sumi posse. Ità Azorius Emmanuel Sà, & alii apud Bonac. l. c. Secundus est dicentium non esse notabiliter excedendam quartam, vel quin-

quintam partem eorum, quæ jejunanti sufficerent ad ordinariam cœnam. Ità Reginaldus, & alii apud eundem, & Filliuc. tom. 2. tract. 26. p. 2. c. 2. q. 7. inquit ita decisum esse in quadam celebri Theologorum academia, qui omnes in quartam partem consenserunt. Tertius est Bonacinæ, & Toleti loco citato dicentium in hac materia standum esse consuetudini in singulis regionibus receptæ, quia refectiuncula fuit per consuetudinem introducta, atque ideò sumi potest juxta limites receptæ consuetudinis, dummodò tamen tanta cibi quantitas non sumatur, ut refectiuncula in cœnam transeat. Quartus tandem dicendi modus est aliorum dicentium, quod sicut in prima comestione non potest determinari, vel taxari omnibus jejunantibus eadem cibi quantitas propter diversas hominum complexiones, ex quibus fit, quod unus homo majori, alter minori indiget cibo, idem prorsus de cœnula dicendum est, seù refectiuncula, in qua si eadem cibi quantitas pro omnibus indifferenter taxeretur, certè illa quantitas uni inserviret pro cœna, qui nimirum delicatæ complexionis esset, & alteri non sufficeret ad cœnaculam, qui nimirum robustioris esset complexionis, qua de causa non potest pro omnibus certa cibi quantitas rationabiliter taxari, præterquam quod existente aliqua rationabili causa verbi gratia laboris, studii, vel alterius cujuscunque rationabilis causæ aliquod in tali casu ultrà consuetum sumi potest, ità significat D. Thomas 2. 2. q. 147. art. 6. ad 1. & sequitur ex nostris Rubeus disput. 23. cit. resol. 6. & hic dicendi modus cæteris mihi præferendus videtur, & probabilior, quia ad scrupulos tollendos hæc cibi quantitas in refectiuncula sumenda physicè determinari non potest, sed moraliter juxtà diversitatem complexionum, quod enim sufficit viro delicatæ complexionis, non sufficit viro robustioris, & fortioris, & ità etiam sentit ex nostris Angles de Jejunio quæst. 9. art. 2. diffic. 4. ubi ait non esse doctrinæ communis præfigere iis mensuram, sed prudentiæ timoratæ particularium.

8 Circà tertiam jejunii conditionem, quæ est certa quædam hora sumendi refectionem in die jejunii, occurrit difficultas, An peccet qui manè sumit refectiunculam, quæ vesperi sumi solet dilato prandio ad vesperas, vel ad noctem. Communis opinio apud Bonacinam l. c. asserit non peccare mortaliter, etiamsi hoc faciat absque causa, quia circumstantia temporis non est de intrinseca jejunii ratione, & hora sumendæ refectionis non est de substantia jejunii, sed tantùm illius circumstantia, quia conditio temporis non tanti æstimatur ab Ecclesia, quin aliquandò commutari possit, cùm refectio antiquitus vesperi sumeretur, si ergò refectiuncula manè sumatur dilato ad vesperas prandio præceptum jejunii non violatur quoad substantiam, sed solùm circà temporis circumstantiam, atque ideò moraliter non peccatur. Addit tamen peccare venialiter, si hoc faciat absque causa, quia consuetudine receptum est, ut refectiuncula in vesperas differatur, & non transferatur in tempus matutinum, qui autem facit contrà consuetudinem legitimè introductam peccat saltem venialiter. Addit tandem, nec etiam venialiter peccari, si id ex aliqua rationabili causa fiat, nam talis circumstantia temporis ob rationabilem aliquam necessitatem supervenientem licitè, & sine peccato variari potest, sic enim usu receptum est etiam apud viros doctos, & probos, ut ex rationabili causa v. g. ob iter peragendum, ob concionem faciendam, ob studium, &c. manè sumatur refectiuncula dilato in vesperas prandio. Imò Angles noster lo. cit. diffic. 5. asserit integrum esse jejunium si hora prandii consueta collatio sumatur, & prandium in vesperam differatur, quoniam isto modo servantur adhuc omnes illæ conditiones, quæ sunt de essentia, & substantia jejunii, nimirum abstinentiam à cibis vetitis, & unica comestio, quæ sit per modum prandii, vel cœnæ parum refert. Imò addit hunc jejunandi modum secundum se esse conventiorem ad corporis afflictionem, quamvis alicui particulari fortè sit minus molestus. Et hunc dicendi modum putò etiam probabiliorem, nempè qui manè hora prandii refectiuncula sumit dilato prandio ad vesperas, vel ad noctem, nec etiam venialiter peccare, etiamsi id faciat sine causa, quia hic jejunandi modus conducit magis ad corporis afflictionem, & macerationem, qua de causa refectio antiquitus vesperi sumebatur, ut supra dictum est ex Bon. l. c. pun. 4. & per hoc solvitur ratio prioris modi dicendi asserentis talem peccare venialiter, si id faciat sine causa, quia facit contrà consuetudinem legitimè introductam solvitur, inquam, quia refectio antiquitùs vesperi sumebatur ad majorem corporis afflictionem, & opposita consuetudo introducta est ab Ecclesia, & permissa in majorem jejunantium commoditatem, undè licitè, & laudabiliter quisque cedere potest juri suo, & sumpta manè refectiuncula prandium ad vesperas differre pro majori corporis afflictione, & maceratione, & hoc etiam tenet Tamburinus l. 4. c. 5. §. 3. n. 10. ubi ait, quod sub vesperas jentaculum sumi consuevit, cùm sit introductum ad somnum nocte conciliandum, quia tamen posita jam ob hanc causam consuetudine, absolutè illud licitum est, ideò licitè illud meridiè assumere etiam sine necessitate poterit, rejecta in vesperas integra refectione.

9 Postremò est difficultas, An qui sæpius comedit in die jejunii, toties peccet, quot sunt comestiones. In qua difficultate duæ sunt opiniones. Prima est affirmativa, & ratio est, quia toties agit contrà præceptum jejunii, quoties interpolatis vicibus comedit, siquidem præceptum est de una sola comestione. Ità, Medina, Covarruvias, Montesinos, & quidam alii. Secunda opinio communior, & probabilior negat dicens, quod non peccatur contrà præceptum de jejunando, nisi per secundam commestionem, & non per alias subsequentes, & appositè dicit contrà præceptum de jejunando, quia & per primam, & per alias refectiones subsequentes potest homo per intemperantiam peccare, ut patet. Ità Navarr. Sylvester, Angelus, Valentia, Lessius, Azorius, Reginaldus, Toletus, Bonacina, & ex nostris Rodriquez loc. c. & Angles diffic. 6. quod ibi probat, quia in casu posito sola secunda refectio est, quæ jejunium frangit, non tertia, nec aliæ subsequentes, nam quandò istæ sumuntur, jam jejunium erat per secundam refectionem fractum, nec amplius est in potestate illius servare præceptum, quoad unicam comestionem, nemo autem peccat non servando præceptum, quod servare non potest. Confirmatur à simili, quia si alicui detur præceptum de non transgrediendo aliquem terminum signatum, & transgrediatur non solùm uno, sed multis passibus ultrà limitem progrediendo, talis non peccat, quoties passum passui addit ultrà limitem præscriptum, sed tantùm peccat in primo passu, quo limitem transit; ergò pariter in proposito peccabit quamprimum ultrà limitem unius refectionis comedet, qui præfixus fuit, & non toties, quoties ultrà comederit, & piè credendum est intentionem Ecclesiæ non tendere, nisi in refectionem solam, qua jejunium frangitur, non enim sunt jura amare interpretanda, nec pœnalia sunt amplianda, sed restringenda. Ità discurrit Angles loc. cit. qui tamen addit, sicut & alii Doctores citati, hoc intelligendum esse dummodò in aliis subsequentibus comestionibus non sumantur carnes, & alii cibi vetiti, nam in tali casu toties peccaretur mortaliter contrà jejunii præceptum. & ratio est, quia ut ait Angles ibidem, & Bonacina l. c. in præcepto jejunii duo includuntur, primum est simpliciter negativum, scilicet, de non sumendis cibis vetitis in die jejunii, & secundum est affirmativum, scilicet, de unica refectione sumenda, inter quæ hoc versatur discrimen, quod comedendo cibos vetitos in die jejunii interpolatis vicibus, toties quis peccat mortaliter, quoties illos sumit, non autem comedendo cibos non vetitos, & ratio discriminis est, quia comedendo cibos non vetitos sumpta secunda refectione post unicam præceptam non potest amplius servari præceptum affirmativum de unica refectione sumenda, ut ostensum est; at sumptis semel cibis vetitis post unicam refectionem præceptam adhuc viget obligatio non comedendi cibos vetitos, quæ servari potest, cùm præceptum negativum obliget semper, & ad semper, undè quoties hoc præceptum negativum non comedendi cibos vetitos violatur distinctis actibus, toties novum peccatum mortale committitur.

10 Quæres, An sit licita abstinentia, quæ notabiliter noceat saluti, aut vitam minuat. Respondent Doctores communiter negativè, ut constat ex dictis disp. præced. quæst. 6. de quinto Decalogi præcepto art. 2. nu. 115. ubi diximus, quod quando quis abstinentiis, & jejuniis corpus castigat in hunc finem, ut citius moriatur ad terminandas hujus vitæ miserias, & ærumnas peccat mortaliter, tanquam sui ipsius interfector, moderatè autem se iis afflictationibus afficere ob bonum spirituale animæ, & ex intentione subjiciendi carnem spiritui diximus esse licitum, immò, & virtutis opus, quando corpori subministratur debitum alimentum ad ejus conservationem sufficiens, etiamsi indè sequatur aliqua vitæ abbreviatio, vel infirmitas, hoc enim non est diminuere vitam, cum sufficiens alimentum subministretur, sed tantum est non prolongare vitam, quantum posset, & non nisi indirectè citioris mortis causam sibi esse, quod in multis casibus licere jam diximus suprà disp. 8. q. 2. a. 1. n. 17. Ex quo deducitur, quod si quis indiscretas abstinentias, & jejunia suscipiat, quæ vitam abbreviatura sint, sed hoc non advertat, & animæ spiritualem profectum intendat, excusatur à peccato. Quod si excessum abstinentiæ advertat, & damnum indè secuturum, sed tamen putet se benè facere, peccat venialiter secundum aliquos, ac etiam mortaliter secundum alios, quia sui ipsius occisio est objectum peccati mortalis, & solum ratione ignorantiæ à peccato excusari potest. Ità Sacces ex nostris in sua Theologia moral lib. 1. tract. 3. c. 10. de vitiis, & peccatis, ubi de Jejunio tractat, plures alios Auctores adducens.

A R-

ARTICULUS SECUNDUS.

Quæ sit Obligatio Jejunii.

11 PRimò conveniunt Doctores jure Ecclesiastico jejunandum esse, quia jejunia indicta sunt ab Ecclesia, un notat Bonacina loc. cit. punct. 5. & præceptum Ecclesiasticum jejunii obligare ad sui observationem sub peccato mortali, ut constat ex eo, quod can. 68. Apostolorum, & can. 56. sexti Concilii generalis, item can. 19. Concilii Gangrensis, & pluribus aliis, jejunii violatores excommunicationis pœna puniuntur, quæ tamen ab Ecclesia infligi non solet, nisi peccato mortali interveniente, ex quo sequitur peccare mortaliter, qui absque legitima causa jejunium ab Ecclesia indictum frangunt. Observant tamen Astesanus ex nostris lib. 5. tit. 28. cit. art. 3. & Nicolaus de Orbellis 4. dist. 15. q. 1. §. 13. cum D. Thoma 2. 2. q. 147. art. 3. quod jejunium in communi cadit sub præcepto legis naturæ, inquantum est necessarium ad vitationem mali, & prosecutionem boni, ut enim patet ex supradictis, jejunium valet ad vitandum mala, & prosequendum bona, unusquisque autem ex naturali ratione tenetur tantum jejuniis uti, quantum est necessarium ad prædicta, & ideò jejunium in communi cadit sub præcepto legis naturæ, sed determinatio temporis, & modi jejunandi secundum convenientiam, & utilitatem populi Christiani cadit sub præceptis juris positivi, quod est institutum à Prælatis Ecclesiæ, ad quos pertinet statuta præcipere, quæ pertinent ad communem fidelium utilitatem, in spiritualibus bonis, & hoc est jejunium Ecclesiæ, ut habetur de consec. d. 5. Quadragesima, & cap. seq. Imò quamvis Bonacina loc. c. absolutè dicat jejunium non esse de jure divino. Toletus tamen l. c. cap. 3. ait interdùm esse etiam de jure divino, quando aliter saluti spirituali nequit provideri, & sic etiam Cottinus in Summa Diana verbo Jejunium, num. 13. advertit præter jejunia ab Ecclesia indicta ad quæ obligamur per se, adesse etiam obligationem de jure divino, qua per accidens jejunare, vel à carnib. abstinere tenemur, quando, & quomodo necessarium id est saluti, spirituali præsertim, quando urget gravis tentatio carnis, & aliud remedium non supponit juxtà illud Christi Domini. *Hoc genus Demoniorum, non ejicitur, nisi in oratione, & jejunio*, quod mihi valde probabiliter dictum videtur, & ità etiam ex nostris discurrit Rubeus disp. 23. cit. res. 2.

12 Secundò conveniunt Doctores ex præcepto jejunandum esse diebus ab Ecclesia præscriptis. & ratio est, quia præcepta servanda sunt juxtà præcipientis determinationem. Dicitur autem ex præcepto, quia ex devotione, aut ex voto certum est jejunium aliis quoque diebus suscipi posse, & posse aliquem ad jejunia etiam obligari per legitimam consuetudinem, aut per votum, sed hic est sermo de obligatione per legem universalem imposita, quæ autem sint tempora jejuniorum, quæ ab Ecclesia præscripta sunt, antiquissimum, & à SS. Patribus maximè testatum semper, & comendatum fuit Quadragesimæ jejunium, ac etiam religiosè observatum fuit in universa Ecclesia jejunium quatuor temporum, quod quidem vel ab ipsis Apostolis, vel non multò post Apostolorum tempora institutum fuit, ut constat ex variis SS. Patrum testimoniis. Alia etiam jejunia indicta sunt in vigiliis quarundam, solemnitatum majorum Christi Domini, Beatissimæ Virginis Deiparæ, Apostolorum, & aliorum Sanctorum de quibus consulendæ sunt locorum leges, & consuetudines, quia non minorem locum, aut vim habet consuetudo, quàm jus L. c. *Consuetudo* d. 1. & C. *Ecclesias*, & C. *in iis rebus* d. 11. Quare cum in diversis diœcesibus, vel Regnis diversæ consuetudines extent, certa regula assignari non potest observationis vigiliarum, sed recurrendum est ad patriæ, vel loci consuetudinem, & id observandum, quod in qualibet regione lex, seù consuetudo legitima præscribit, si tamen alicujus vigiliæ jejunium in diem Dominicam incideret, præcedenti Sabbato anticipari debet, ut ex communi Ecclesiæ usu satis constat & ex cap *ex parte* de observatione jejuniorum. Denique singulis etiam hebdomadibus, diebus Veneris, & Sabbati à carnibus abstinendum est, ut etiam ex communi Ecclesiæ usu constat, & habetur, *Quia dies*, dist. 5. de consecrat. & ex cap. ult. de observat. jejun. ubi tamen excipitur, si festum Natalis Domini in feriam 6. incidat, vel Sabbatum, quia in eo casu propter festi excellentiam possumus vesci carnibus, nisi aliàs quis teneretur ex voto, vel observantia regulari, ut loquitur ibi Innocentius Tertius: quod tamen Cottinus loco citato cum Molina, Fagundez, & alii exponit de voto, quo quis se expresè obstrinxisset ad jejunandum illa die, nam si quis generaliter vovisset singulis verbi gratia Sabbatis, vel feriis 6. jejunare nihil de eo Sabbati, die vel Veneris determinans in quem Domini Nativitas inciderit, non teneretur in illo die jejunare, quod probat Molin. tom. 2. disp. 272. quia non est verisimile hunc se ad illum solemnitatis, & communis lætitiæ diem obligare voluisse, tùm quia ut inquit Fagundez par. 4. lib. 1. cap. 6 dùm certò non constet de intentione voventis votum sumendum est juxtà receptum morem Ecclesiæ, qui est ut non jejunetur, si in ea die festum Nativitatis occurrat, & sic etiam discurrunt Rodriquez, Fagundez, Azorius, Diana, Pasqualigus, & alii plures.

13 Tertiò. Hinc deduci potest fratres Minores non teneri ad jejunium in feria 6. quandò in ea occurrit festum nativitatis Domini, ut etiam tenet ex nostris Rubeus loc. cit. sed ad omnes scrupulos tollendos hic recolendum est, quod habetur in Minorica Fratrum Min. Conv. in cap. 3. Regulæ in declaratione illorum verborum. *Aliis autem temporibus non teneantur, nisi sexta feria jejunare*, ibi enim habetur, quod Palestrellus in respon. casuum conscientiæ examinans diligenter, & accuratè hanc quæstionem, An feria sexta, quando in ea occurrit festum Nativitatis Domini, possit à Fratribus solvi jejunium cum esu carnium, concludit tandem, quod si in solutione hujus jejunii interveniat Superioris dispensatio, quæ fit ob lætitiam, & exultationem illius sanctissimi diei, tunc sivè illud jejunium sit regulare, sivè sæculare solvi potest sine ullo conscientiæ scrupulo, & subdit quod hujus opinionis est etiam Sylvester verbo *Jejunium*, Tabiena & Navar. in Man. si autem nulla interveniat dispensatio, tunc nullo modo solvi potest jejunium, sit auctoritate privata solvitur, semper mortaliter peccatur, & hoc modo ait intelligendam esse auctoritatem Honorii Tertii de observantia jejunii, ubi expresè determinat his, qui voto, vel regulari observantia ad jejunium sextæ feriæ sunt adstricti, non licere jejunium solvere, etiamsi in eo die festum Nativitatis Domini occurrat, hoc, inquam, intelligendum est, si Superioris dispensatio non interveniat, & in hunc modum intelligendi sunt etiam omnes Doctores asserentes tale jejunium sine peccato mortali solvi non posse, & sic tandem etiam intelligi debent Constitutiones nostræ Urbanæ in cap. 3. Regulæ tit. 18. de Jejunio, ubi occurrente Nativitatis Domini festo in feria sexta præcipiunt in tali casu observandum esse prædictum Honorii Tertii decretum, & ità etiam ex nostris sentit Saccus loc. cit. cap. 12. dub. 8. quamvis Lezana oppositum teneat in qq. Regular. cap. 7.

14 Quartò certum est etiam omnes Christianos completo anno vigesimo primo, cujuscunque sint dignitatis, aut perfectionis teneri servare jejunia ab Ecclesia præscripta, & præcepta, nisi justa aliqua causa excusentur, undè etiam in Concilio Viennensi, ut habetur, cap. *Ad nostrum de hæreticis* damnatum est, tanquam hæreticum illud, quod asserebant Beguardi, & Beguinæ, solo imperfectos ad jejunia obligari, perfectos verò ab illis esse exemptos. & ratio hujus est, quia quilibet fidelis Ecclesiæ subditus est, atque ideò omnia jejunia tenetur servare ab ea præscripta, quilibet enim subditus legibus sui Superioris parere tenetur, ut patet ex regulis generalibus juris, nisi justa aliqua causa sit impeditus. Dicitur notanter completo anno vigesimo primo, quia ut advertit Astesanus loc. cit. tit. 28. ar. 3. & alii Doctores communiter, quamvis fideles postquam ad rationis usum pervenerunt, aliis legibus per se loquendo obedire teneantur, non tamen statim adepto rationis usu lege jejunii ab Ecclesia præcepti obligantur, quia in pueris non est ita necessaria, sicut in provectis, vitiorum repressio, ad quam jejunium est institutum, tùm quia crebriori indigent cibo propter necessitatem augumenti, & non multo simul sumpto, quia virtus naturalis ob naturæ debilitatem illum in nutrimentum convertere non posset, & ideò dum sunt in augumento, quod secundum Philosophum est, ut in pluribus, usque in finem tertii septennii, non tenentur ad jejunia ab Ecclesia præscripta, quod etiam notanter dicitur, quia ad alia jejunia aliquando tenentur, ut omnes fatentur, de jejuniis ex voto debitis, vel ex pœnitentia, vel ex obligatione, qua etiam adolescentes vitia carnis comprimere tenentur, quoties alio modo reprimi, & superari non possunt, quàm jejunio; quilibet enim adhibere tenetur media ad superandas tentationes necessaria, ne illis opprimatur, undè subdit Astesanus loc. cit. quod licet adolescentes ad jejunia Ecclesiæ non teneatur citra vigesimum primum annum, adhuc tamen conveniens est, ut etiam in hoc tempore se ad jejunandum exerceant plus, vel minus secundum modum ætatis suæ. Et quandoque etiam magna necessitate, vel tribulatione imminente in significationem pœnitentiæ arctioris etiam pueris jejunia inducuntur, undè Joel 2. dicitur. *Sanctificate jejunium, congregate parvulos, & sugentes ubera*.

15 Quintò conveniunt præterea Doctores, obligationem jejunii ab Ecclesia indicti esse personalem, quia ab ea imponitur ad affligendum corpus, & carnem edomandam, & ideò non

posse

posse aliquem jejunare per alium, & jejunii præcepto satisfacere, quia obligatio personalis non potest per alium adimpleri. Item esse obligationem certo die adixam, & onus præfiniti temporis, & ideò illum, qui eo die jejunare non potest, non teneri loco illius alio die jejunare, quia obligatio jejunii ab Ecclesia præcepti est affixa diei, & cum ipso die transit, ut patet à simili de obligatione Sacerdotum recitandi divinum officium, & de præcepto audiendæ Missæ in die festo. Hoc autem peculiariter asseritur de jejunio ab Ecclesia indicto, quia loquendo de jejunio debito ex voto standum est intentioni voventis, qui legem, & obligationem voti sibi imponit, undè qui v. g. vovit bis in hebdomada jejunare, & non determinatis diebus, potest quibus voluerit diebus jejunare, non enim magis obligatur, quàm voto expresserit, & sic pariter discurrendum est de jejunio alicui pro pœnitentia imposito à Confessario, quod non sit onus præfiniti temporis, nam si jejunium, v. g. septem dierum pœnitenti à Confessario imponitur, quamvis ille incœperit hodie jejunare, si hodie ab ipso jejunium frangatur, non peccat, dummodò altero die jejunando satisfaciat. Ità Navarrus, Azorius, Reginaldus, Lessius, Bonacina, & alii passim. Item observandum est obligationem jejunii in eodem die aliquando duplicari posse ex duplici præcepto, quod duplex præceptum, si duas respicit virtutes, ut est obligatio Fratris Minoris in die Veneris coincidente Vigilia, qui ex præcepto Regulæ jejunare tenetur Religionem respiciente, & ex præcepto Ecclesiastico respiciente Temperantiam, jejunare omittens duo peccata committit in Confessione exprimenda, secus verò si duplex præceptum eandem respiciat virtutem, ut si vigilia contingat in Quadragesima, nam peccata non multiplicantur ex multiplicitate præceptorum, quando eandem respiciunt virtutem. Undè qui jejunium solvit ex duplici Ecclesiæ præcepto obligatus, ut v. g. Vigiliæ, & quatuor Temporum, vel vigiliæ, & Quadragesimæ unum numero peccatum committit, quia utrumque obligat ex eadem Temperantiæ virtute, at qui jejunium solvit vigiliæ, ut v. g. & quod is fortè voverat, vel illi ex professione suæ Religionis impositum erat, duplici specie peccati peccat, quia tunc adversus Temperantiam agit, ac etiam Religionem. Ità Vasquez, Suarez, Sanchez, Diana, Tamburinus, & alii Doctores passim, paucis quibusdam exceptis.

16 Sexto quod supradiximus juvenes annum 21. non excedentes ab Ecclesiæ jejunia non teneri, intelligendum est de Laici, & sæcularibus, si enim Religiosi fuerint, & annos 14. attingerint, tenentur ad jejunia Religionis, & si regula ab ipsius in professione promissa obligat ad jejunia Ecclesiastica, etiam ipsi ex vi obligationis regulæ ad jejunia Ecclesiastica tenentur, eo quia in voto ab ipsis emisso suo juri communi cesserunt, & ità est de Professis nostræ Religionis, eo quia regula S. Patri Franciſci non solùm ad jejunia particularia, sed etiam ad Ecclesiastica non adstringit, ut ait Angles quæst. 6. cit. diffic. 5. Hoc autem intelligendum est de jejuniis Ecclesiæ universalis, nam Religiosi non tenentur ad jejunia ab Episcopo indicta in Diœcesi, vel oppido, intrà cujus terminos positum est Monasterium, ut Bonacina docet loc. cit. punc. 6. cum Azorio, Reginaldo, & aliis. & ratio est, quia Religiosi à jurisdictione Episcoporum sunt exempti, ut supponitur, atque ideò eorum legibus non ligantur. Qua ratione, nec etiam tenentur ad jejunia, quæ servantur in oppido, in quo suum habent Monasterium, si ea jejunia sint tantummodò per consuetudinem particularem introducta. & ratio est, ut ait idem Bonac. loc. cit. quia Laici, & Clerici sæculares non tenentur jejuniis in Religione per consuetudinem introductis; ergo è contrà, neque Religiosi tenentur ad jejunia consuetudine particulari Laicorum, aut Clericorum recepta, quia hæc à Religiosis recepta non censentur, qui seorsum ab aliis vivunt, atque ideò eos non obligat, præciso tamen scandalo. Hoc autem notanter asseritur de jejuniis consuetudine particulari introductis, quia jejunia generali consuetudine aliàs introducta, & recepta etiam à religiosis servari debent, quia consuetudo generalis omnes generaliter obligare censetur, atque ideò etiam ipsos Religiosos, tum quia hac ratione ipsi quoque tenentur festa servare, quæ communi usu in Civitate, vel oppido coluntur, in quo monasterium habent; ergo etiam tenentur servare jejunia ibi generali consuetudine introducta. Ità etiam Diana part. 1. trac. 9. resol. 36. cum aliis DD. ab ipso citatis.

17 Septimò est difficultas, an advenæ, aut viatores teneantur jejuniis locorum, per quæ transeunt. Prima opinio affirmat, & probat ex cap. 2. vers. *Item de illis* de observ. jejuniorum ubi dicitur, in festivitatibus, & abstinentiis servandam esse regionis consuetudinem; ergò peregrini, & viatores tenentur ad jejunia locorum, per quæ transeunt. Ità Major, Covarruvias, Lublinus, Malderus, & alii. Secunda opinio negat, cujus ratio est, quia leges non obligant, nisi eos, ad quos pertinent, lex autem jejunii localis non pertinent, nisi ad eos qui sunt de loco, non materiali modo, sed formaliter, hoc est, qui sunt de communitate loci, advenæ autem quamvis per breve tempus in aliquo loco morentur, non sunt de communitate loci, nec sunt proprié oves illius gregis. Undè sicut leges Ecclesiæ universales non obligant infideles, quia de foris sunt, etiamsi inter fideles habitent, non alia ratione, nisi quia non sunt de ovili universalis Ecclesiæ, ità nec leges speciales Ecclesiæ obligabunt advenas, & peregrinos, quia non sunt de gremio, & ovili illius Ecclesiæ, cùm sint ibi tantùm in transitu, & non ut subiiciantur simul cum cæteris Pastori. Ità Tolletus, Granadus, Filliucius, Fagundez, Diana, Bonacina, Azorius, Reginaldus, & aliis communiter. Hujus difficultatis solutio pendet ex illa quæstione in materia de legibus. An leges proprié alicujus Territorii obligent advenas, & peregrinos, dùm ibi reperiuntur, quàm tractavimus suprà disp. 2. *de legibus* quæst. 4. art. 4. num. 118. undè quamvis utraque opinio ex prædictis sit probabilis, quia tamen loc. cit. diximus probabiliorem esse sententiam affirmantem peregrinos, & advenas teneri legibus ejus loci, per quem transeunt, hic consequenter dicendum est probabiliorem esse sententiam affirmantem peregrinos, & viatores teneri ad jejunia locorum, per quæ transeunt. & ratio ibi adducta est quia hoc ad bonum Reipublicæ spectat, & legum utilitas eadem ferè est in ordine ad incolas, & exteros, & eodem ferè modo confert ad quietem, & tranquilitatem Reipublicæ; undè sicut lex v. g. ne quis arma noctu gestet ad vitandas rixas, & homicidia eodem modo urget, ne peregrini gestent, & similiter in ordine ad emptionem, & venditionem rerum, ut servetur idem ordo in omnibus, ità pariter ibi inferebamus idem dicendum in lege jejunio, & abstinentia à carnibus certis diebus ad scandala evitanda. Undè hæc quæstio reducitur ad contentionem de nomine, quando enim Auctores secundæ sententiæ negant peregrinos, & advenas obligari legibus, & consuetudinibus particularium locorum, & consequenter dicunt non teneri ad jejunia locorum per quæ transeunt, semper hanc limitationem addunt *præciso scandalo*, & nos quando hic asserimus viatores teneri ad jejunia locorum, per quæ transeunt, dicimus talem obligationem adesse ad scandala vitanda, quæ facilè oriri possent ex esu carnium in talibus locis saltem apud simplices, & idiotas, & sic docente Ambrosio, & Aug. *Ad quamcumque Ecclesiam veneris, illi te conforma si cuique non vis esse scandalum*, ex Astesano, & Orbellio loco citat.

18 Postremò ex dictis deducitur, quot modis peccetur in hoc Ecclesiæ præceptum, peccant enim in primis qui in diebus ab Ecclesia præscriptis absque justa causa, aut legitima dispensatione non jejunant, aut jejunium inchoatum solvunt, vel carnes edendo, at alios cibos vetitos, vel per secundam refectionem cibis etiam permissis jejunium violando, & unicam refectionem non servando, peccant etiam qui in collatiuncula, vel refectiuncula vespertina ultrà quàm jejunii ratio exigit notabiliter excedunt, peccant etiam mortaliter, qui in die jejunii aliquid licet in exigua quantitate, crebrius comedunt, quamvis enim paucas bucellas semel, vel bis comedere extrà refectionis tempus non sit mortale peccatum, sed solùm veniale, si tamen id crebrius fiat, scilicet, septies, vel octies erit mortale, quia ut fert adagium multa pauca faciunt unum satis, & crebræ illæ comestiunctulæ notabili refectioni æquivalent. Præterea peccant contrà hoc præceptum qui alios ad jejunium violandum aliquo modo inducunt, tunc enim censentur cum aliis cooperari in fractione jejunii, est enim regula generalis in hac materia jejunii quod quoties aliquis est causa, ut alii jejunium solvant, qui aliàs jejunare tenebantur, peccat mortaliter ac si ipse non jejunaret; undè peccant caupones, qui cœnam aut alteram refectionem ii apponunt, quos sciunt ad jejunium obligari, item patres familias, villici, & alii curam domus habentes, si filiis, servis, & famulis cœnam ministrant, vel cibos quibus jejunium solvant, vel illos laborare cogunt in die jejunii, itaut non possint implere præceptum hoc enim modo aliorum peccato cooperari censetur, si tamen timeatur, ne ii, quibus cæna negatur, gravius Deum offendat blasphemias, & convitia proferendo, aut aliquid aliud faciendo, poterit illis cæna apponi, hoc enim modo Lessius, Abellius, & alii excusant caupones hospitibus, & patres familias famulis, & domesticis cænam in die jejunii permittentes, ne si denegetur, gravius Deum offendant, aliàs si nihil simile timeatur, & absque gravi incommodo illis cæna negari possit, illam permittere non debent, ne peccatis eorum cooperentur. Ità Lessius, Toletus, Tamburinus, Fagundez, Sanchez, Azor. & alii passim, de quo etiam alia plura videri possunt apud Ludovicum à S. Raymundo part. 2. tract. 6. resol. 28.

A R-

ARTICULUS TERTIUS.

Quæ causæ à jejunio excusent.

19 JAm dictum est art. præced. certum, ac indubitatum esse apud omnes Catholicos, præceptum Ecclesiasticum jejunii obligare ad sui observationem sub peccato mortali fideles omnes completo anno vigesimo primo, nisi justa aliqua causa excusentur, sunt enim causæ aliquæ, ob quas quivis excusari potest ab observatione jejunii, quæ in hoc articulo examinandæ sunt, & explicandæ, ubi advertendum est, quod cum diximus hos, vel illos quibusdam de causis ab observatione jejunii excusari posse, id intelligi debet, ut advertit Abellius lo. cit. & alii Doctores passim, quatenus per illud præceptum unica dumtaxat refectio præcipitur, non verò quatenus carnium prohibetur usus & ciborum similium, hic enim rarius concedi solet, nec nisi ratione gravioris alicujus necessitatis, quæ si evidens sit, & urgens, nec commodè Superior adiri possit, poterit quis vesci carnibus licitè, & aliis cibis vetitis etiam absque ulla dispensatione, quod si necessitas non urgeat, nec de illa tam evidenter constet, dispensatione Superioris opus erit ad tollendos omnes scrupulos, ac ut licitè carnibus vesci possit, causæ autem obligatione jejunii excusantes ad tria præsertim capita revocari solent, ut Bonac. advertit l. c. punct. ult. ex Navarr. Lessio, & aliis; primum est impotentia, secundum labor, tertium pietas, de quibus singulis hic modò agendum est.

20 Primò itaque ratione impotentiæ à jejunio excusantur illi qui sine aliquo gravi incommodo, vel notabili damno jejunare non possunt. & ratio est, quia nemo ad impossibile tenetur, sivè impotentia sit physica, sivè moralis, non enim cum tanto rigore fideles Ecclesia obligare intendit, undè infirmi, convalescentes, & debiles jejunare non tenentur, & præsertim quando judicium Medicorum intervenit, item mulieres prægnantes, & lactantes. & ratio est, quia hi omnes egent alimento multiplicato, qua ratione excusantur etiam pueri, & adolescentes usque ad annum vigesimum primum completum, uti & senes communiter sexagenarii, nisi evidenter constet eos sine damno jejunare posse, in dubio enim fortunam tentare non tenentur. Ità DD. communiter quorum plures absolutè, & sine ulla limitatione sexagenarios omnes à jejunio liberant, quæ sententia probabilior videtur, & conformior tempori, & imbecillitati naturæ humanæ, nam robur senum est illusivum, & repetito indiget alimento, undè Pius V. aliique Pontifices negantes Clericis lacticinia in Quadragesima per Cruciatam, sexagenarios excipiunt. Ità Granad. Escob. Laym. Sanch. Filliuc. Trull. Diana, & cæteri communiter, quandò autem prædictis de causis non jejunare liceat, aut etiam carnibus vesci, standum est Medicorum consilio, ac etiam Superioris auctoritati, & prudentiæ, ut ait Bonac. l. c. nam certum est majorem infirmitatem requiri ad esum carnium, quàm ad multiplicem refectionem concedendam, quia carnes strictius vetantur præcepto negativo, quàm multiplex refectio ex cibis non vetitis; undè cùm hæc sint inter se diversa, consequenter cui unum conceditur, v. g. multiplex refectio, non statim censetur concessum aliud, ut patet ex dictis. Undè ille, cui propter debilitatem pluries comedere conceditur, non intelligitur excusari à carnium abstinentia, ad quam etiam pueri tenentur statim post usum rationis, & senes usque ad ultimam ætatem, ut probat Ecclesiæ usus. Et sic pariter dicendum de lactantibus sivè nutricibus, quod licet excusentur ab unica comestione, cùm sibi, & proli comedere debeant, & sibi unica comestio non sufficiat non subindè excusantur à delectu ciborum, licet, enim propter alendam prolem sit necessaria major quantitas, non tamen est ità necessaria qualitas, nisi fortè detrimentum infantulo timeretur, in quo casu facillimè debet cum hujusmodi dispensari. Ità Angles ex nostris cum pluribus aliis quæst. 6. cit. de his qui jejunare tenentur diffic. 6. & 7. Denique ex hoc primo capite excusantur etiam à jejunio pauperes, qui alium cibum non habent præter prohibitum, vel non sufficientem pro unica refectione, & hìc advertendum est excusationem à jejunio ratione impotentiæ, non solùm intelligendam esse de jejuniis Ecclesiæ, sed etiam de illis, quæ quis certis diebus vovisset in perpetuum, nam de his, & illis eadem paritas currere videtur ratione impotentiæ, quia nemo ad impossibile tenetur. Undè Sanch. de Matr. t. 2. l. 7. disp. 32. n. 17. sexagenarios excusat non solum à jejuniis Ecclesiæ, sed etiam ab his, quæ certis diebus vovissent in perpetuum, & Diana p. 9. tract. 7. resol. 73. probabile affirmat non solùm sexagenarios non teneri ad jejunia suis Ordini, vel suæ regulæ, sed nec etiam juvenes professos antè annum 21. quia lex Religionis proportionari præsumitur cum lege Ecclesiæ, sed quamvis primum satis probabile censeam ob debilitatem ætatis sexagenariæ, non tamen secundum, quia experientia docet robustiorem esse adolescentem antè annum 21. quam sit senex post annum sexagesimum completum, & ideò magis abstinere potest, & cum minori vitæ periculo, quàm senex, cujus robur cùm sit dubium, & illusivum, ut dictum est, non est expectandum donec deficiat, tunc enim irrecuperabilis est defectus, non sic in juvene ante annum 21. & leges Religionis rigidiores esse solent, quàm leges Ecclesiæ universalis.

21 Secundò alia causa excusans à jejunio est labor, si quidem labor corporeus macerans, & notabiliter corpus defatigans à jejunio excusat. Astesan. & Nicolaus de Orbellis lo. cit. ex D. Thoma, Richardo, & aliis antiquioribus de manualiter operantibus hanc regulam tradunt, quod si jejunando possunt victum competenter habere pro se, & familia sua, sivè quia aliàs sunt divites, sivè quia de minore labore jejunium secum compatiente possunt lucrari sufficientia, non excusantur à jejunio, si verò aliàs non possunt tantum laborare, quod victum sufficientem acquirant, nisi jejunium frangendo, excusantur, ex quo deducunt, quod intentio majoris lucri non necessarii non excusat eos à peccato, si jejunium solvant. Recentiores verò mitius incedunt dicentes ratione laboris illos eximi à jejunio, qui tali labore victum sibi comparant, & familiæ, cum quo jejunium viri prudentis judicio consistere non potest, quales dicunt esse agricolas, fabros ferrarios, lignarios, & similes operarios, sivè divites sint, sivè pauperes ut ex declaratione Eugenii Quarti deducunt Lessius, Bonacina, Angles, Toletus, Sylvester verbo *Jejunium* & alii plures qui Bulla speciali, cujus meminit Sylvester loco cit. declaravit laborantes, seù facientes exercitia per se laboriosa, quales sunt fabri ferrarii, lignarii murarii, agricolæ, lapicidæ, bajuli, & similes, ad jejunium non teneri etiamsi sint divites, in qua tamen non eximuntur, qui artes sedentarias, vel parum laboriosas exercent, sicut scriptores, sutores, sartores, & hujusmodi, ac simili ratione dicunt excusari viatores præsertim pedibus iter facientes ob aliqua negotia, quæ commodè differri nequeunt, quando itineris laborem simul cum jejunii molestia ferre non possunt sine gravi incommodo, quod notanter adjicitur, nam qui solius delectationis gratia puta venationis, deambulationis, iter alioquin longum susciperent, non excusarentur, cùm in aliud tempus differre possent. Advertendum tamen est cum Toleto lib. 6. cit. cap. 4. hunc laborem licitè à jejunio excusare præsertim cùm ex una trium causarum provenit. Prima est, cùm labor competit alicui ex officio, qui enim ex officio exercitia hujusmodi laboriosa habent, excusantur à jejunio, licet sint divites, quod sit ex officio non habent, excusantur adhuc, si ea faciunt in utilitatem Reipublicæ, vel communitatis, ut qui tempore belli juvant ad fabricandum, & muros construendos, vel tormenta bellica fundenda, quamvis ex officio hæc exercitia non habeant. Et tandem excusantur etiam, si hos labores assumant ad vitandum damnum temporale proprium, vel proximi, & multò magis spirituale. & sic excusantur, qui tempore jejunii laborant ad extinguendum incendium in re propria, vel proximi, vel ad aliud opus corporale faciendum, quod grave damnum induceret, nisi fieret. Itaque limitatio illa antiquorum Doctorum, quod exercentes artes per se laboriosas à jejunio excusantur, dummodò non sint divites, non admittitur à recentioribus, quia Eugenius Quartus anno 1440. absolutè declaravit, quod lex jejunii non comprehendat exercentes artes laboriosas cum expressione, etiamsi exercentes divites sint. & ratio etiam id suadet, quia non tenentur fideles suum honestum exercitium diebus destinatis derelinquere, ut jejunare possint, nec Ecclesia hoc intendit, de quo puncto videndus est Saccus ex nostris lib. 1. tract. 3. cap. 16. dub. 3. ubi fusè de hoc agit, & alias etiam ampliationes apponit, & ad singulas artes descendens diligenter examinat, quæ artes sunt valdè laboriosæ, & requirant magnam corporis, & continuam agitationem, omnes enim istæ sic laborantes excusant à jejunio, aliæ autem artes, quæ tantam corporis agitationem non requirunt, ut Sartores, Tonsores, Pistores, & similes, à jejunio non excusantur, quia in his exercitiis est parvus corporis motus, nec vires exhauriunt, siquidem fiunt cum labore moderato, & ideò potest corpus illis laboribus optimè cum jejunio resistere, nam tunc est necessaria multiplex comestio, quando per laborem, & corporis agitationem vires exhauriuntur.

22 Sed est difficultas, An propter laborem rei indifferenti vel illicitæ impensum liberetur quis à præcepto jejunii. Prima opinio affirmat liberos esse à lege jejunii qui culpa sua, ità defatigati redduntur, ut jejunare non valeant, ut qui defatigatus esset ludo pilæ, vel ex venatione, vel ex fœminarum commistione, nam tales die, quo præceptum obligat, impotentes sunt servare illud, die verò quo ludunt, vel venantur, nondùm advenit; ergò ad jejunium non tenentur, quod locum habere dicunt

dicunt hujus opinionis Auctores etiamsi in fraudem jejunii id agant, quia dùm defatigatio aquiritur, non urget jejunii præceptum, dùm verò jam aquisita est, impossibilitas adest ad jejunandum; ergo &c. Ita Sanchez in summa lib. 1. cap. 12. nu. 35. ubi addit, quod si quis se nimium defatigaret in fraudem jejunii, adhuc non peccaret contrà tale præceptum, quia non affectaret non jejunare, cùm deberet, sed fieri impotens ad jejunandum, ac proindè deobligari. Secunda opinio cum distinctione procedit, & inquit quod defessus ex labore sumpto ob recreationem honestam, ut ex ludo pilę, non tenetur ad jejunium, nec peccat non jejunando, licet præviderit se sic non posse eo die jejunare, quo præceptum urget. & ratio est, quia præceptum jejunii non obligat ad abstinendum ab his honestis actionibus, secus verò dicendum esse asserit de actionibus inhonestis, seù de laboribus ob finem inhonestum, ut de commistione cum fœminis, nam præceptum jejunii ad hunc vitandum præcipit abstinentiam, & illud præceptum adest prohibens illos labores, & finem inhonestum, & ideò peccatur contrà tale præceptum, quo dictus finis prohibetur, & contrà præceptum jejunii. Ità Saccus loco citato cum Ledesma, Medina, Bonacina, Diana, & aliis ab ipso citatis, ubi addit, quod non jejunans, quia factus est impotens ad jejunium ex aliquo actu turpi, tenetur in confessione hanc circumstantiam jejunii explicare, & non sufficit, ut solùm actum turpem explicet. Sed quamvis hæc secunda opinio sit tolerabilior prima, quam acriter reprehendit Angles loco citat. difficul. 16. ut nimis laxam, adhuc tamen cum Tamburino loco citat. §. 7. numero 31. & pluribus aliis, nec excusandum esse existimo eum, qui semel, aut iterum assumit pilæ ludum, vel venationem prævidens se sic non posse eodem diei jejunare. & ratio est, quia dùm urget præceptum, vel est in proximo, obligamur non apponere impedimenta ad illius excusationem, & solum admitti potest, quod si etiam cum peccato, & turpi actu quis ità se fatigat, ut jejunare non possit eodem die, vel die sequenti, in quo præceptum urget, peccavit quidem dùm impedimentum jejunio exhibendo apposuit, at poterit deinde sine novo peccato comedere, quia tunc verè supponitur impotens effectus ad jejunandum, & sic etiam tenet ex nostris Rubeus disp. 23. citat. resol. 3. ubi ait quod hujusmodi labor licet sit rei indifferentis, tamen in præfato casu voluntariè assumptus non excusat laborantes, quin adhuc peccent mortaliter peccato ejusdem speciei cum peccato omissionis jejunii, non quia peccans frangat jejunium omissione externa, ac reali, cùm ex tali defatigatione præterita supponatur re vera impotens ad jejunandum, sed peccat peccato omissionis per appositionem impedimenti adimpletionis præcepti, siquidem actus, qui est causa alicujus omissionis culpabilis, licet sit de se indifferens, eo ipso est malus malitia ejusdem rationis cum omissione ex ipso sequente, vel ab ipso causata, & sic etiam sentit Azorius p. 1. l. 7. c. 17. *in fine*.

23 Tertiò ratione pietatis excusantur à jejunio omnes, qui operibus præstantioribus, vel majoris momenti incumbunt, quæ una cum jejunio absque gravi incommodo perficere nequeunt, qualia sunt opera misericordiæ corporalis, vel spiritualis, item opera Religionis, ut contionari, docere, Sacramenta ministrare, & similia; undè à jejunio excusantur omnes, qui cum jejunio his operibus melioribus vacare non possunt v. g. Concionatores, Præceptores, Ordinarii, Confessarii, Lectores, & quotquot opera charitatis, & misericordiæ tàm corporalia, quàm spiritualia exercent, quod Bonacina loc. ci. cum aliis putat verum esse etiamsi hæc opera ob mercedem exerceantur, & intelligit de concionatoribus integræ Quadragesimæ, quia valdè laborant, non autem de illis, qui concionantur tantùm in Dominicis, nisi sint valdè debiles ad arbitrium viri prudentis, & de Lectoribus etiam quorum labor improbus, vel complexio debilior est, quam quæ suo muneri cum satisfactione obeundo sufficiat, & de Confessariis debilibus, & suo muneri assiduis. Idem quoque affirmat communiter Doctores de Advocatis, & Procuratoribus, ac etiam de Cantoribus, qui ex officio canendi vivunt, & jejunando redderentur inhabiles, imò Sanchez disp. 44. num. 18. excusari nedùm putat à jejunio, sed etiam ait ovis vescis posse in Quadragesima ad vocem servandam, quia nemo tenetur ob jejunium diminutivè munus suum obedire, addit tamen melius esse ad omnes scrupulos tollendos, ut Superiores cum talibus dispensat, quia in omnibus istis regula certa, & universalis statui non potest alia, quàm quod lex Ecclesiæ non obliget cum magna difficultate, quia jugum Christi suave est, & onus ejus leve, scribas etiam tota die scribentes, & ex officio scribendi viventes aliqui à jejunio excusant, & alii non, Sanchez verò loc. cit. inquit, quod vires suas consulant, an vigeant, sed pro majori horum intelligentia sequens quæsitum examinandum est.

24 Est igitur difficultas, an labor mentis, & ingenii eximat ab obligatione jejunii. Prima opinio negat, cujus ratio est, quia labor ille à jejunio eximit, qui corpus affligit, & vires exhaurit, sed hic labor de quo loquimur corpus non affligit, nec ejus vires diminuit, cùm sit labor mentis, & ingenii, non corporis; ergò non eximit ab obligatione jejunii: pro qua sententia Saccus loc. cit. dub. 6. citat Molfesium, Sanchez, Lublinum, & alios. Secunda opinio communior, & probabilior affirmat, cujus ratio fundamentum destruit oppositæ sententiæ, quæ est talis, quia labor ingenii, & mentis etiam in corpus redundat ipsum affligendo, & extenuando, ex labore siquidem mentis, ut experientia docet, consumuntur paulatim spiritus, quibus corpus fovetur; undè servata proportione ex labore ingenii plus patitur corpus, & extenuatur quam ex labore corporali, ut experientia demonstrat in his, qui continuò studiis incumbunt, nam eorum complexio continuò studio valdè debilitatur. Ità Angles, Layman, Basseus, Bonacina, Trullench. Pasqualigus, & alii communiter de jejunio tractantes, ex quo Pasqualig. de Jejunio decis. 333. deducit, illos qui solent continuo, & assiduè tota die studiis vacare, vel componendo aliquid typis mandandum, vel se præparando pro concionibus, vel pro lectura, vel quacunque alia de causa, à jejunio excusari, etiamsi solùm studeant causa delectationis, dummodò exercitium sit continuum, & consuetum, quia possunt uti jure suo, quod habent ad continuum, & assiduum studium, & præceptum jejunii reperit ipsos impotentes. Et quidem valdè miror Saccum loco ci. cap. 16. dub. 8. in fine de probabilitate hujus secundæ opinionis dubitare, & quod audeat dicere consuetudinem omnium Religiosorum esse contrariam, & in praxi non esse tutam, si enim hoc privilegium excusandi à jejunio labori corporis conceditur, quando notabilis est, & considerabilis, cur negandum est assiduo labori mentis, & ingenii? præcipuè quando impenditur in materias Reipublicæ Christianæ necessarias, & animarum saluti conferentes, qualia esse solent Religiosorum studia; hanc igitur secundam opinionem probabilissimam esse puto, ac etiam in praxi omninò tuta. Idem de Advocatis, Procuratoribus, & Judicibus dicendum censeo cum præcitatis Auctoribus quando per notabile temporis spatium student, scripturas legunt, & ponderant pro Judice informando, & cliente tuendo, vel proferenda sententia, hæc enim munera requirunt notabilem mentis conatum, & applicationem, naturalem vigorem consumunt, & extenuant, & ideò quando continua sunt, & assidua, sunt cum jejunio incompossibilia. Denique idem quoque de Medicis dicendum est, quandò premuntur multitudinem infirmorum, itaut huc, & illuc discurrendum sit ad medendum, tunc enim labor est magnus, & considerabilis, quia in tali casu cum magna mentis occupatione conjungitur in consideranda morborum qualitate, & opportunis remediis jejunandis.

25 Quartò alias etiam addi solet causa à jejunio excusans, scilicet Superioris dispensatio, qua tamen non est opus, si necessitas sit evidens, sed in dubio tantum, idque sive ad esum carnium, sive ad secundam refectionem tantùm, undè cùm quis habet aliquam causam dubiam, an excuset, vel non, petere debet declarationem, vel à Confessario, vel à Medico, vel à viro docto, vel à Superiore ipso, qui omnes, & Medici præsertim advertere debent, ut ait Toletus loc. cit. ne sint prodigi in hac parte, cautè enim debent causas dispensationis perpendere, & examinare, & non quavis levi causa concedere facultatem, seù declarare causam sufficientem ad solvendum jejunium, aut cibis prohibitis utendum, causa autem valida, ad dispensandum erit, vel vera, vel quæ talis putatur facto sufficienti examine, sufficit enim credulitas inculpata, & in hoc advertendum est, quod ait Layman lib. 4. tractat. 8. cap. 3. in fine, minorem, eamque privatam causam sufficere, ut cum uno, vel paucis in jejunii lege per auctoritatem Prælati dispensetur, majorem verò, eamque publicam, ut cum integra communitate dispensari possit. Talis autem Superior habens legitimam facultatem dispensandi in lege jejunii ex justa, & legitima causa cum suis subditis est Episcopus, & sic pariter Prælatus regularis respectu suorum Religiosorum. & ratio est quia leges debent sufficienter communitati providere, ad regimen autem suave cujuscunque communitatis opus est, ut superior Summo Pontifici inferior, habeat in casu necessitatis in quo ad Pontificem recurrere non possit, facultatem dispensandi in legibus Pontificiis, justa, & legitima causa concurrente; cùm ergo jejunii præceptum sit ex lege Pontificia, Episcopi in suis Diœcesibus potestatem habent dispensandi cum suis subditis, in tali præcepto ex voluntate præsumpta, & interpretativa Summi Pontificis, aliàs sufficienter non esset fidelibus provisum. Et eadem ratione probatur eandem facultatem habere Prælatos regulares respectu suorum Religiosorum, qui omnes Prælati regulares tàm Superiores, quàm inferiores, seù locales habent

bent jurisdictionem ordinariam in suos subditos; ergo habent facultatem dispensandi cum illis in lege jejunii, tàm Ecclesiastici, quàm Regulæ, aut Constitutionis. Consequentia probatur, quia si Prælati Regulares talem facultatem non haberent, non possent suis subditis providere in necessariis. Additur autem hoc fieri debere ex justa, & legitima causa ex parte illius, cui concedenda est dispensatio in lege jejunii, quia prædicta dispensatio, nec ab Episcopo, nec à Prælato regulari fieri potest sine tali causa, aliàs dispensatio esset invalida, & nulla, quia Prælati inferiores non possunt dispensare, nec licitè, nec validè in legibus Superiorum nulla legitima existente causa. Ità cùm D. Thoma, Cajetanus, Navarrus, Sylvester, Medina, Sanchez, Molfesius, Astesanus l. c. tit. 5. & alii passim.

26 Sed est difficultas, An Parochus præsente Episcopo possit cum aliquibus in jejunio justa de causa dispensare. Prima opinio negat, cujus ratio est, quia si Parochi præsente Episcopo talem facultatem haberent, vel hanc haberent à jure, vel à consuetudine introducta, non primum, quia nullum est jus concedens Parochis facultatem dispensandi in lege jejunii etiam ex justa causa Epicopo præsente, neque secundum, quia solùm est consuetudine introductum, ut cum aliquibus Parochi justa de causa dispensare possint in jejunio, quando non est facilis ad Episcopum aditus, at quando Episcopus est præsens, facilis est aditus ad ipsum; ergo &c. Secunda opinio communior, & probabilior affirmat, cujus ratio fundamentum destruit sententiæ oppositæ, quæ est talis; quia consuetudo, & præscriptio dat jurisdictionem iis, qui sunt capaces ipsius, ut colligitur ex c. *Cum contingat* de foro competenti, atqui consuetudine introductum est, ut Parochi possint in lege jejunii etiam præsente Episcopo cum aliquibus dispensare justa, & legitima existente causa; ergo licet Parochus jure communi talem jurisdictionem non habeat, benè tamen illam habet, ratione consuetudinis jam introductæ. Quod autem res ità se habeat, quotidiana experientia docet, & usus communiter receptus, quia egentes dispensatione jejunii ex justa, & legitima causa circà hoc non Episcopum, sed solùm Parochum adire solent, etiamsi Episcopus sit præsens, quia ad Episcopum non recurritur in minimis, ut usus habet, & Episcopi, qui quotidie hoc sciunt, non contradicunt, sed libenter permittunt, quia si in hoc semper ad Episcopum esset recurrendum, nimis sanè onerosum esset, & pro Episcopo, qui difficulter his rebus minimis occupari potest, & pro ipsis indigentibus, nam accessus ad Episcopum etiam in Civitate præsentem non est ità facilis præsertim hominibus infimæ conditionis, & extrà Civitatem degentibus, ut quandò opus est, haberi possit; ergò valdè rationabiliter est introductum, ut etiam præsente Episcopo, vel ejus Vicario Parochi dispensent. Ità DD. supracitati, & plures alii, quos refert, & sequitur Ludovicus à S. Raymundo tr. 6. cit. resol. 22.

27 Postremò aliæ quoque causæ assignari solent à jejunio excusantes, nam DD. passim excusant conjugem, si debitum reddere non possit, quando jejunat, uti & uxorem quæ ob maciem non possit, cum jejunio se viro gratam præstare. & ratio est, quia Ecclesia sicut non præsumitur velle impedire opera necessaria, ità neque opera debita, undè universim loquendo nemo tenetur ob præceptum jejunii omittere opus, ad quod obligatur, nisi obligatio ista sit valdè levis, & rationabiliter obligationi jejunii postponenda. Ità Cajetanus, Navarrus, Medina, Lessius, Azorius, Reginaldus, Toletus, Bonacina, Emmanuel Sà, & alii passim, quia etiam excusant peregrinum, vel servum Catholicum inter infideles degentem eam nam si vitæ periculum immineat, vel alterius mali gravis, si jejunium servet in aliquod die præceptum, tali imminente periculo dicunt posse jejunium frangere, & carnes comedere die fidelibus vetito, hinc si remiges Christiani in triremibus infidelium, vel servi in eorundem domibus alium cibum præter carnes non haberent, vel si jejunando in odium notabile domini infidelis inciderent, à jejunii præcepto eximerentur. & ratio est, quia præcepta Ecclesiæ positiva cum tanto dispendio non obligant, ut sæpè dictum est. Prætereà ait Sanchez in select. disp. 54. excusari à jejunio exequentem aliquod opus pium etiam absque necessitate, quod secum jejunium non compatiatur, undè subdit flagellantes se, in hebdomada sancta à jejunio excusari, si ob debilitatem jejunium servare nequeant, non enim Ecclesia præcipit à flagellis abstineri ob jejunium, sed tantùm jejunium servari à potentibus. Denique Medina, Fagundez, Filliucius, & alii dicunt, quod quandoque charitas, vel etiam urbanitas excusare potest quoque à veniali eum qui die jejunii ab amico rogatus modicum cibi sunt pro potu sumendo, ut duas, vel quatuor amigdalas, quod admitti potest, quia parvitas materiæ excusat.

QUÆSTIO SECUNDA.

De cæteris Ecclesiæ præceptis.

28 Cætera Ecclesiæ præcepta sunt quatuor, scilicet, de obligatione Missæ in die festo audiendæ, de Confessione semel in anno facienda, de obligatione Eucharistiæ in Paschate sumendæ, & de solvendis decimis, & quoniam de sacro audiendo in diebus festis aliqua diximus disp. præc. q. 4. de tertio Decalogi præcepto ar. 2. & de aliis duobus ad materiam Sacramentorum spectantibus, scilicet, de annua Confessione, & Communione in Paschate plura quoque diximus lib. 4. sent. disp. 3. de Sacramento Eucharistiæ, & dispu. 5. de Sacramento Pœnitentiæ, ideò breviter de his agemus in hac quæstione magis necessaria tangendo, & summatim complectendo articulo sequent.

ARTICULUS PRIMUS.

De secundo Ecclesiæ præcepto, idest, de audiendo sacro in diebus festis.

29 Supponendum est ex dictis loc. cit. disp. præced. qu. 4. art. 2. hoc præceptum expressè haberi dist. 1. capit. Missas de consecr. & omnes fideles obligare postquam ad usum rationis, & annos discretionis pervenerunt, ut constat ex universali, & continua Ecclesiæ praxi, & tria præsertim requiri ad ejus impletionem, & satisfactionem. Primum est præsentia aliqua moralis, & humana, ad quam necesse non est Sacerdotem audire, vel videre, nam surdus, & mutus missæ assistentes adhuc præcepto satisfaciunt, undè nomine auditionis Missæ ea actio intelligi debet, per quam quis sacro interest, & assistit humano modo, corpore, scilicet, & mente, & in tali distantia, ut saltem possit Sacerdotem videre, & illius ministerium attendere, quarè si aliquis Missam audire inciperet, & posteà per notabilem ejus partem etiam involuntariè dormiret, præcepto non satisfaceret, quia humano modo, scilicet, corpore, & mente Missæ non assisteret. Alterum est debita intentio, & attentio, ut enim quis huic præcepto satisfaciat, debet intentionem habere audiendi Missam saltem virtualem, & interpretativam, undè si quis in Ecclesia maneat, dùm fit sacrum, ad expectandum amicum, si intentionem non habet audiendi illam missam, non satisfacit præcepto, attentio autem talis esse debet, ut audiens saltem virtualiter, & in confuso advertere possit quid fiat; undè non tanta requiritur, ut nullatenus divagetur inadvertenter, sed ne distrahatur advertenter, & voluntariè, quam voluntariam distractionem habere ille, qui cum sacrum audit, scribere vellet, pingere, vel studere, aut quid simile ab auditione, & attentione missæ omninò distrahens. Ità docet communior, & probabilior opinio, ut ibi dictum est, quamvis de hoc sint varii dicendi modi ut videre est apud Card. de Lugo disp. 22. de Sacram. Eucharistiæ sect. 2. Tertium tandem ad hujus præcepti satisfactionem requisitum est, quod integra audiatur missa, itaut pars notabilis ejus non omittatur, quæ autem sit pars notabilis ad peccatum mortale sufficiens, quamvis de hoc quoque varii sint modi dicendi, communior tamen, & probabilior est, ut etiam ibi diximus, quod à mortali excusantur, qui missam audiunt à principio Epistolæ, vel secundum alios Evangelii usque ad finem, vel ab initio usque ad communionem inclusivè. Ità Navarrus, Soto, Tabiena, Azorius, Suarez, Fagundez, Lugo, & alii passim, denique hoc præceptum audiendæ missæ impletur, quocumque in loco audiatur, sivè in Parochiali, vel Cathedrali, sivè Regularium Ecclesia, sivè in oratoriis privatis, sivè etiam extrà Ecclesiam audiatur. & ratio est quia Ecclesia auditionem missæ tantùm præcipit, non autem locum, atque ideò quovis loco impletur ac etiam quæcunque missa audiatur, sivè hoc, sivè illo ritu Catholico dicatur, hac, vel illa lingua, quia præceptum est solùm de audienda missa, undè sequitur satisfieri huic præcepto audiendo missam etiam votivam, & non de festo, aut Dominica occurrente. Ità Navarr. Rodriquez, Azorius, Filliuc. Nugnus, Toletus, Suarez, Coninch. Bonacina, & alii passim, quo autem situ audiendum sit sacrum, genibus, v. g. flexis, vel stando, vel alio modo, non est de necessitate præcepti, cavenda tamen est irreverentia, vel scandalum quantum fieri potest ob venerationem tanto mysterio debitam. His itaque suppositis, ut ab omnibus communiter concessis expediendæ sunt aliquæ difficultates in hac materia occurrentes.

30 Prima difficultas est, an sit obligatio audiendi missam in Parochia saltem Dominicis, & festis majoribus. Affirmat Marcantius in Candelabro mystico tr. 4. cap. 7. & in Resolutionibus

bus Moralibus cap. 8. quod probat ex eo, quod jura antiqua ità decernunt, undè Sixtus IV. de tregua, & pace præcipit, ne mendicantes prædicent, non teneri audire missam in Parochia Dominicis, & festis, pro qua citat etiam decreta Synodi Leodiensis, & Namurcensis, in quibus multi, & doctissimi fuerunt Theologi. Deindè hoc etiam ait confirmari jure novo, quia Conc. Trid. sess. 22. decreto de observandis in celebratione missæ, ait Episcopos populum monere debere, ut frequenter ad suas Parochias saltem diebus Dominicis, ac majoribus festis accedant, & sess. 14. c. 4. unumquemque illis diebus teneri Parochiæ suæ interesse ad audiendum verbum Dei, & rudimenta fidei, hæc autem in plerisque locis præsertim ruralibus docentur in missa; ergò etiam ad missam compelli possunt. Tandem ait plures Canonistas hanc opinionem fuisse secutos, & à quibusdam Episcopis, etiam modò in praxim fuisse deductam. Opposita tamen opinio communissima est, ac in praxim deducta, quia re vera ea de re nullum extat præceptum, & licet olim fortasse fuerit obligatio audiendi missam in Parochia, posteà tamen privilegiis illi obligationi derogatum fuit, ut ait Card. de Lugo loc. cit. sec. 1. & S. Congreg. Conc. Trid. declaravit non posse ordinarium mulctis & pœnis cogere populum ad audiendam missam, aut concionem in propria Parochia, etiam in casu negligentiæ, aut contumaciæ. Confirm. quia c. *Ut Dominicis* jubetur Parochus antè missam eiicere eos, qui proprio parocho contempto illic missam audire vellent; ergo sine contemptu formali licet. Denique quia universalis fidelium, & ipsorum etiam Parochorum, & confessariorum consuetudo id manifestè docet, quia nec Parochi in hoc reclamant, nec Confessarii de hoc pœnitentes interrogant, ut notat Busembaus lib. 3. capit. 1. dub. 4.

31 Nec obstant, quæ Mercantius in contrarium adducit, quamvis enim fortasse antiqua aliqua jura id haberent, eis posterioribus temporibus per varia privilegia, receptamque consuetudinem universalem derogatum est, & eorum finis erat, ne id fieret cum formali contemptu proprii Parochi, ut patet ex c. cit. *Ut Dominicis*, neque decretum illud Sixti urget in contrarium, cum ibi non dicat teneri, sed tantum *ne publicè predicetur non teneri* prohibeat, ut idem Auctor advertit loc. c. cùm enim honestissimum sit, populum in propria parochia missam audire, idque suadere deceat, minimè deceret id dessuadere præsertim publicè, indè enim scandala, & proprii Parochi contemptus sequi possent, & hoc est, quod Sixtus, & antiqua jura cavere volebant, ut dictum est, & sic etiam intelligenda sunt decreta Synodi Leodiensis, & Namurcensis, & alia similia, ne scilicet cum contemptu proprii Parochi sacrum audiatur extrà Parochiam, aut si quæ sensum alium habent, non esse recepta, vel usu abrogata fuisse. Ad auctoritatem Conc. Trid. sess. 22. patet ex ejus verbis, tantum enim dicit ibi populum debere moneri, non autem teneri, ut frequenter parochias adeant saltem Dominicis, & festis majoribus, & licet sess. 14. dicat teneri fideles suas adire parochias ad audiendum verbum Dei, nullam tamen facit mentionem Missæ, & pœnalibus illatio non valet, imo nec illam obligationem quoad conciones audiendas absolutè imponit, sed expressè limitationem addit, *si id commodè fieri potest*, & universalis etiam Ecclesiæ consuetudo ostendit non esse receptam illam obligationem etiam quoad conciones, eo quod fortasse id regulariter fieri commodè non poterat, ut notat Card. de Lugo loc. cit. Ad ult. estò aliqui antiquitus sic senserint, hoc tamen tempore post claram, & diuturnam Ecclesiæ consuetudinem, & S. Congreg. Conc. Trid. declarationem, ac etiam ipsorum Pontificum decreta contraria à Busemb. loc. cit. allata, non reperitur Auctor id asserens, quod si praxis illa alicubi est modò, quod non facilè credo, non nisi paucorum esse potest, & omninò contraria praxi communi Episcoporum in omnibus regnis, & provinciis, & insuper summi Pontificis, & hæc est communis sententia, quam docent Azor. Barbosa, Fangud. Tamburin. Trullench. Lugo, & alii passim. Addit Rodriq. tom. 1. c. 123. n. 6. cum Navarro, Medina, & aliis hanc assertionem adeò veram esse, ut præcipiente Episcopo sub excommunicatione, quod nemo audiat missam, nisi in sua parochia, erit illud mandatum nullius valoris, & Episcopus mortaliter peccaret, quia audire missam, & satisfacere præcepto extrà parochiam est consuetudo generalis, quam non potest Episcopus tollere.

32 Secunda difficultas est, cujus Sacerdotis audienda sit missa, ut huic præcepto satisfiat. Conveniunt DD. missam à quovis Sacerdote non solum validè, sed etiam licitè audiri posse, modò non adsit aliqua Ecclesiæ prohibitio, undè à quocunque Sacerdote Catholico missa audiri potest, nisi sit nominatim excommunicatus, interdictus, & suspensus, undè si nullus adest in die festo Sacerdos, nisi is excommunicatus, omittenda potius erit missa in illo die, quàm cum illo sacrum audiendo communicare, quia fortius obligat in Ecclesia præceptum vitandi excommunicatum non toleratum, quàm audiendi missam. Ità Toletus, Rodriquez, Tamburinus, Bonacina, Astesanus noster lib. 4. tit. 16. & alii passim, qui notanter loquuntur de excommunicato non tolerato, quia excommunicati tolerati, & non vitandi missa audiri potest, quamvis enim anteà id non licuerit, tamen Concilium Constantiense talem prohibitionem restrinxit ad conscientias sedandas, ut scilicet, solùm obligemur non communicare, sivè in humanis, sivè in divinis cùm non toleratis, qua ratione posset etiam ex hoc capite audiri sacrum ab hæretico nondùm nominatim denunciato, cùm toleratus censeatur, donec denuntiatio accedat, si tamen iste cognitus esset talis, scilicet, hæreticus, obstaret scandalum, ne videretur ejus Missam audiens, vel ipsi favere, vel hæresis ipsius participem esse. Prætereà neque Missa audiri potest à Sacerdote degradato, & deposito, quia hujusmodi Sacerdos ab Ecclesia celebrare prohibetur, nec Ecclesia per ipsum orare intendit, sicut neque per eos qui ratione censuræ sunt vitandi. An verò Missam audire possumus Presbyteri concubinarii, non omnes DD. conveniunt, Bonacina de Sacrament. disp. 4. quæst. ult. punc. 12. cùm aliis ab ipso citatis affirmant audiri posse cùm Presbyter concubinarius non videtur amplius vitandus. Alii verò negant, quia audiens Missam illius facit contrà prohibitionem Nicolai, & Alexandri dist. 32. *Nullus*, ubi dicitur, nullus audiat Missam Presbyteri, quem scit concubinam in domo habere. Ità Sylvester, Navarrus, Covarruvias, Rodriquez, & alii. Hanc difficultatem tractat ex professo Astesanus loco citato ubi hanc secundam opinionem reputat tutiorem, quod, scilicet, non potest licitè, & sine peccato audiri Missa ab eo, qui est publicè concubinarius, & quod etiam notorius facti, idest cujus testis est populus, ità quod nulla potest tergiversatione celari, statim est ipso jure suspensus, & quoad se, & quoad alios, & vitari debet à subditis in divinis officiis, & Sacramentis, pro qua opinione citat etiam Hostiensem, Goffredum, Riccardum, & alios antiquiores Canonistas, & consonat doctrinæ Scoti 4. d. 13. q. 2. art. 1.

33 Tertia difficultas est, an possit audiri media Missa unius, & media alterius, ut v. g. qui audiret mediam missam unius post consecrationem usque ad finem, satisfaciat præcepto audiendo posteà ab alio usque ad consecrationem inclusivè. Prima opinio affirmat, quia illæ duæ partes unam integram Missam constituere possunt, ordo autem partium inter se ad substantiam præcepti pertinere non videtur, sicut qui prius laudes recitaret, quàm matutinum, adhuc præcepto satisfaceret. Ità Navarr. Sà, Sotus, Henriquez, Fernandez, Bonacina, Hurtad. & plures alii. Secunda opinio negat, quia ex illis duabus partibus nequaquam conflatur unum sacrificium, cui interesse jubet Ecclesia, cùm enim illæ duæ partes sint inter se omninò independentes, unum integrum sacrificium constituere nequeunt, & consequenter qui eas audit, non audit integram missam, ad quem obligatur. Confirmatur ex evidenti absurdo, quod ex opposita opinione sequeretur, quod, scilicet, posset quis simul ab uno Sacerdote dimidiam Missam audire, & ab alio celebrante eadem hora, & in vicino altari aliam dimidiam, & hoc pacto satisfacere, cùm ad utrumque Sacerdotem præsentia moralis haberi possit; hoc autem est manifestum absurdum, nam hoc semel admisso, posset quis à tribus, vel quatuor Sacerdotibus simul in vicinis altaribus Missas celebrantibus varias partes Missæ audire, & satisfacere. Ità Azorius, Toletus, Suarez, Fagundez, Coninch. Card. de Lugo, Tamburinus, Caspensis, & plures alii. Sed quamvis hæc secunda opinio sit ratione firmiori fundata, quia tamen plures DD. & graves primam sequuntur, probabile est audientem duas medias in casu necessitatis satisfacere, & notanter dico in casu necessitatis, quia ut Coninch. advertit qu. 83. art. 6. dub. un. hanc praxi introducere sine urgente necessitate, vel rationabili causa non deceret, & qui eam frequentaret, à peccato veniali saltem non excusaretur. Ratio autem probabilitatis primæ opinionis est, quia ut ait Coninch. loc. cit. cùm Ecclesia sciat suas leges ità à gravibus DD. explicari, hoc ipso quod eorum explicationes publicè imprimi permittit, & doceri, censetur suum præceptum secundum eas benè moderari, ex quo etiam patet non benè deduci absurdum à secunda opinione illatum, veluti ex prima consequens, quia cùm DD. non eodem modo asserant hunc satisfacere, sicut priorem, Ecclesia non potest censeri in suo præcepto secundam hanc moderationem admittere, sicut priorem admittit, quia ejus præceptum re vera, in rigore unius integri sacrificii auditionem continet, & mandat, ac propterea diximus primam opinionem non nisi urgente necessitate, & rationabili causa practicari debere, ut si quis duas duarum missarum dimidietates audiret, ut posteà urgenti negotio vacet, vel alia rationabili causa.

34 Quarta

34 Quarta difficultas, & valdè controversa est de attentione ad auditionem Missæ requisita, & est eadem quæstio de attentione debita ad recitandum officium, an scilicet, ad satisfaciendum huic præcepto necessaria sit attentio interior ad Missam; est enim duplex attentio, ut omnes hìc advertunt, & præsertim Card. de Lugo loc. cit. interna nimirum, & externa, prima consistit in applicatione interna mentis ad missam, vel officium, quæ triplex assignari solet, vel ad verba integrè, & debito ordine proferenda; vel ulterius ad sensum verborum, quæ est melior, vel etiam ad effectum, ideſt ad Deum, & res Divinas contemplandas, quæ est optima; externa verò consistit in negatione distractionis externæ, ideſt, alicujus negotii, vel occupationis externæ, quæ ex se mentem ab auditione Missæ distrahere sufficit, ut v.g. si quis in Missa vellet depingere, vel historias legere, aut studere, vel quid simile ab auditione, & attentione missæ omninò distrahens, tunc attentionem externam non haberet; sensus ergo quæstionis est, an ad sacrum audiendum necessaria sit interior attentio ad missam, vel sufficiat sola exterior, & solutio hujus difficultatis pendet ab alia, an Ecclesia possit præcipere actus internos & supponit aliquo modo eos præcipere posse, nam si nullo modo eos præcipere posset, tunc etiam certum esset ad satisfaciendum præcepto audiendi missam sufficere attentionem solam externam; supponendum est igitur cum communiori, & probabiliori sententia, quod licet Ecclesia non possit actum merè internum directè, & per se præcipere, siquidem extrà tribunal confessionis non potest cognoscere, & judicare actus internos; posse tamen id facere indirectè, quatenus hic necessarius est, ut actus externus in esse physico liberè, ac humano modo ponatur, & habeat rationem boni in esse moris, ut docet D. Thom. 1.2. qu. 100. art. 9. & in hoc sensu quæritur in proposito, an ad satisfaciendum præcepto audiendi missam necessaria sit attentio interior ad illam.

35 Affirmant quam plures ad satisfaciendum huic præcepto audiendi missam solam externam attentionem sufficere sine ulla prosus attentione interiori, atque ideò eum, qui interius voluntariè, & liberè distractus assistit Missæ, si tamen non assistat exterius distractus, hoc est occupatus aliqua occupatione externa moraliter incompossibili cum attentione interna, v.g. scribendo, legendo, aut confabulando, satisfacere præcepto audiendi Missam, atque ità asserunt eum satisfacere, qui voluntarie toto sacro est distractus, modò sit ibi præsens, & cum reverentia externa assistat. Ità Coninch. Card. de Lugo, Hurtad. Caspensis, Tamburin. Diana, & plures alii recentiores citantes pro hac opinione alios antiquiores quorum præcipuum fundamentum est, attentionem internam non esse de substantia orationis vocalis, ut patet in forma extremæ unctionis, quæ est substantialiter oratio deprecativa, & tamen si Sacerdos sivè involuntariè, sivè voluntariè distrahatur, adhuc conficit Sacramentum; signum igitur est substantiam orationis non dependere in suo esse ab actuali attentione, ut constat in recitatione Divini Officii. Supposito autem, quod distractio interna non tollat substantiam orationis vocalis, & externæ, consequens jam videtur satisfieri substantialiter præcepto Ecclesiæ, si quis Missæ assistat cum hujusmodi interna distractione etiã voluntaria, nam adhuc ponitur substantialiter totus actus præceptus.

36 Sed quamvis hæc opinio probabilis sit ob tot DD. auctoritatem, opposita tamen probabilior, & magis pia videtur, quam tenent Suarez, Vasquez, Turrianus, Sotus, Medina, Cajetanus, uterque Navarrus, & alii antiquiores, ac Recentiores, & ratio est, quia ut arguit Bonacina loco citato punct. 11. Ecclesia præcipit auditionem Missæ, ut est actus humanus, & religiosus; non potest autem esse actus humanus, & religiosus sine ulla prorsus interiori attentione, & cum omnimoda voluntaria distractione; ergò verior sententia est, & magis consulenda non satisfieri præcepto ab audiente Missam, qui voluntariè mente divagatur, si plenè advertat se distractum esse, & alienis rapi cogitationibus mentis.

Confirmatur, quia alterius opinionis Auctores externam attentionem, quam dicunt esse necessariam in auditu Missæ, explicant per negationem distractionis externæ, hoc est, occupationis externæ, quę ex se sit stractiva mentis ab auditione Missę, & moraliter incompossibilis cum attentione interna; ergo per hoc implicitè fasentur necessariam esse aliquam attentionem etiã internam, si non actualem, & explicitam, saltem virtualem, & implicitam, quæ est incompossibilis cum actuali, & voluntaria distractione interna, quam ipsi admittunt; undè sic suam sententiam declarando non videntur satis consequenter loqui. Deindè licet in oratione necessaria non sit attentio actualis, tamen est necessaria virtualis, ut omnes fatentur in recitatione Divini Officii, idemque de auditione Missæ debemus asserere; & hæc censetur adesse, quamdiù virtute propositi recitandi officium, vel audiendi Missam nulla, seù directè, seu indirectè, contraria intentione revocati in verborum recitatione, vel Missæ auditione persistimus; quamvis enim mens ob innatam fragilitatem ad aliena cogitanda deflectat, adhuc tamen censetur prior actualis intentio virtualiter, seù in suo effectu permanere, & ita communiter à DD. intentio virtualis explicari solet. Intentio autem directè contraria, vim, & essentiam orationis destruens est, si quis cæptam intentionem consultò, & expresè abiiciat, indirectè verò contraria vim etiam orationis abrumpens est, si quis inter orandum advertens animo se distrahi, vel actionem exercere attentioni repugnantem, negligat cogitationem distrahentem repellere, actionemvè, v.g. scriptionem, vel confabulationem intermittere; ergò eo ipso quod quis voluntariè, & advertenter se distrahit per cogitationem internam, licet nullam actionem externam distrahentem exerceat, adhuc præcepto recitandi officium, vel audiendi Missam non satisfacit, quia non habet attentionem saltem virtualem, quæ ad essentiam orationis necessaria est, hæc enim tollitur tam per intentionem directè contrariam, quam indirectè, qualis est voluntaria distractio interna ab oratione ad aliena, & impertinentia. Denique si ad satisfaciendum præcepto audiendi Missam sufficit sola exterior attentio sine ulla prorsus attentione interiori, imò cum omnimoda, & voluntaria distractione interna ad aliena, & impertinentia, sequeretur aliquem præceptis Ecclesiæ satisfacere posse per meram simulationem, v.g. simulando se piè audire Missam, & recitare horas exterius, interius verò toto illo tempore ad aliena, & impertinentia esse voluntariè, & advertenter distractum, hæc enim est vera, & propria simulatio. Hac de causa Adversarii quoque fatentur, quoties oratio vocalis continuatur, dari aliqualem attentionem internam, ut notat Card. de Lugo sect. 2. cit. in fine, & quando eam dicunt non esse necessariam, intelligunt de attentione magis formali, & explicita, quam etiam fatentur non posse voluntariè omitti absque culpa veniali propter irreverentiam; & ideò optimè etiam dixit Coninch. loc. cit. nu. 301. adductus sententias reipsa convenire, & solùm de nomine videri dissensum.

37 Quinta Difficultas est, An qui recitat, dùm missam audit, quæ aliàs recitare tenetur, impleat sufficienter præceptum audiendi sacrum, & simul præceptum de recitandis horis; &c. Communis opinio affirmat, & ratio deducitur ex dictis, quia cùm illæ orationes præsentiam non tollant, nec attentionem necessariam, seù sufficientem auditui Missæ, parum refert ad hoc, quod sint, vel non sint ex alia obligatione. Tùm quia recitans liberè Rosarium dùm Missam audit, vel officium B. Virginis, ex communi sententia præceptum adimplet audiendi sacrum; ergo etiam adimplet, si ea ex obligatione recitat, ut ratione voti, vel pœnitentiæ injunctæ, quod enim oratio sit præcepta, vel non præcepta parum ad hoc refert, ut attentionem impediat, vel non impediat. Alia etiam difficultas examinari solet, An qui discedit à loco, ubi dies festus colitur, teneatur audire Missam præveniendo, si eo mane perventurus est ad locum, ubi dies festus non celebratur, sed de hoc sufficienter jam diximus disp. præced. quæst. 4. art. 2. nu. 80. Aliam quoque novam difficultatem excitavit Caramuel in hac materia fundam. 31. §. 13. An auditione unius Missæ possit satisfieri obligationi duorum dierum, & partem affirmantem censet posse probabiliter defendi, sicut etiam quod unica officii divini lectione duorum dierum obligationi possit satisfieri, quod probare conatur ex multiplici divisione diei, ac noctis contrà quem ex professo disputat D. Ludovicus Episcopus Oriolensis in quæstionibus selectis moralibus qu. 10. §. 5. & 4. Sed jam pluries dixi opiniones hujus Auctoris aliàs eruditissimi examinans, in moribus dirigendis, & casibus conscientiæ decidendis non esse subtilitatibus procedendum nec dialecticis, aut sophisticis cavillationibus, sed communi via, & trita gradiendum; quarè cùm sententia affirmans nullum habeat Doctorem, saltem ab extrinseco probabilis non erit, siquidem etiam Caramuel ipse non vult sententiam aliquam probabilitate gaudere; nisi quatuor saltem, vel sex Doctores habeat sectatores; sed nec etiam ab intrinseco est probabilis, cùm nullam pro ea afferat apparentem rationem; & planè certum est in Ecclesia, quod quando præcipit auditum Missæ in diebus festis, intendit in singulis diebus singulas, & distinctas audiri Missas, & in singulis diebus præcipit obligatis singulas, & distinctas orarum recitationes. Quarè sicut hæc opinio quantum ad recitationem Divini Officii fuit damnata à S. Congregatione feria 3. die 18. Martii 1666. dùm eam propositionem, tanquam scandalosam damnat, & prohibet: *Unico officio potest quis satisfacere duplici præcepto pro die præsenti, & crastino*, sic pariter dicendum quantum ad auditionem Missæ, cùm eidem fundamento nitatur quoad utramque partem.

38 Postremò quæritur, quibus de causis fideles excusentur ab audi-

auditione sacri, conveniunt enim Doctores interveniente rationabili causa posse legitimè, & sine peccato fideles Missam omittere, quando est in præcepto, quia cum hoc præceptum sit tantùm de jure positivo, & Ecclesiastico, & de re ad salutem non simpliciter necessaria, non obligat fideles cùm tanto rigore, quin possit aliquando excusari; intercedente rationabili causa. De hoc jam breviter diximus *disp. præced. q.4* art.2. primam & præcipuam causam ab hoc præcepto excusantem esse impotentiam, quæ duplex esse potest, vel physica, ut cum quis est in carcere detentus, vel lecto ob ægritudinem affixus, quia nemo ad impossibilem simpliciter obligatur; vel moralis, qualis est difficultas ex notabili incommodo proprio, vel proximi, corporis, vel bonorum, ac etiam honoris, ut si quis timeat Ecclesiam adeundo in via ab hostibus occidi, vel si domum deserat à furibus expoliari, vel si sit gravis difficultas adeundi Ecclesiam ob notabilem distantiam, ac tempus pluvium; si quæ ex occulta fornicatione prægnans metuat, ne id advertatur si è domo prodeat; si quæ sciret alteri, à quo perditè amatur, secuturam occasionem peccati si prodiret, & similia sequantur incommoda. & ratio hujus deobligationis est, quæ hæc est mens Ecclesiæ præcipientis instar discretæ, & benevolæ matris. Secunda causa esse potest ignorantia, undè si quis ignoret invinciliter hunc, vel illum diem esse festivum, quod faciliter in idiotis, & rusticis contingere potest omninò excusatur ab auditione sacri, & ad hanc reducitur etiam naturalis oblivio, vel inconsideratio. Tertia causa est censura, undè qui sunt in excommunicatione maiori, vel interdicto non tenentur, nec possunt audire sacrum etiam temporis præcepti. Quarta causa est officium, qua ratione excusantur ab auditione sacri milites castrum custodientes, aut portas Civitatis, quando sine periculo muneri suo deesse nequeunt; custodes infirmorum si ob eorum absentiam infirmi periclitarentur; Pastores ovium, & armentorum si ob eorum absentiam grave damnum, & periculum gregis timerent, & similes. Quinta causa etiam addi solet, scilicet, consuetudo, ut si ex consuetudine patriæ fœminæ egredi non soleant tempore luctus, vel post partum, etiamsi plenè convaluerint. Ac tandem sexta causa ab aliis, additur nempè quodcunque motivum rationabile, quo quis prudenter, & bona fide se excusari putat ab auditione sacri. Ità Navarrus, Suar. Filliuc. Bonac. Layman, Caspensis, & alii passim.

ARTICULUS SECUNDUS.

De Tertio Ecclesiæ præcepto, scilicet, de annua Confessione.

39 SUpponendum est ex jam dictis lib.4. sent. disp.5. qu.16. de Confessione Sacramentali art. 2. & communi, ac certa Doctorum sententia, & præsertim Scoti 4. dist. 17. quæst. un. art. 1. præceptum Divinum Confessionis omnes illas personas obligare, quæ post baptismum mortaliter peccaverunt; hoc enim manifestè constat ex capit. *Omnis utriusque sexus*, in Concil. Lateran. tùm etiam ex Trident. sess.14. c.2. ubi ait peccata omnia mortalia post baptismum commissa esse in confessione declaranda, & ratio est, ut ibi diximus, quia cum peccata mortalia sint materia necessaria hujus Sacramenti, & cum hoc Sacramentum à Christo Domino fuerit institutum, ut medium necessarium ad remittenda omnia peccata mortalia post baptismum commissa, sequitur omnes baptizatos conscientiam peccati mortalis habentes etiam Hæreticos, Apostatas, & degradatos hoc præcepto teneri, undè infert Doctor loc. cit. omnes baptizatos etiam pueros hoc præcepto teneri cum primum, ad eam pervenerint ætatem, in qua sint doli capaces, & conscientiam peccatis mortalis habere possint; appositè autem hoc dicitur de peccati mortalibus, quia venialia quamvis rectè, & utiliter in confessione aperiantur, taceri tamen possunt citrà culpam, quia ut dictum est, sola mortalia sunt hujus Sacramenti materia necessaria. Quo autem tempore hoc præceptum obliget etiam de jure divino diximus ibidem art. 3. cum Scoto loc. cit. sub O. obligare illum, qui sibi conscius est alicujus peccati mortalis, in articulo mortis, ac etiam in probabili ejusdem periculo, ut sunt navigatio diuturna, bellum periculosum, partus difficilis, gravis, & periculosa infirmitas, & alia hujusmodi pericula, ut deducitur ex cap. *Cùm infirmitas* de pœnit. & remiss. & hæc est communis Doctorum sententia, ut videre est apud Navarrum, Sotum, Angelum, Reginaldum, Vasquez, Bonacinam, & alios passim. Solùm controversia est, an hoc præceptum divinum confessionis obliget alio tempore, quàm in articulo, vel periculo mortis, loquendo de obligatione per se, scilicet, ex vi hujus præcepti, & ipsius confessionis præcisè, independenter à quocunque alio præcepto, & extrinseca necessitate, quo pacto quilibet habens conscientiam peccati mortalis jure ipso Divino confiteri tenetur antè sumptionem Eucharistiæ, quæ quidem obligatio non est per se ex vi præcepti ipsius confessionis, sed solùm ex vi ipsius Communionis. Pro cujus quæstionis decisione diximus etiam ibidem hoc præceptum per se aliquando obligare etiam extrà articulum, & periculum mortis, vagè tamen, & indeterminatè itaut nullum tempus assignari possit, quo obligasset, nisi Ecclesia determinasset, quod confessio fiat saltem semel in anno; undè quo tempore extra mortis articulum, & periculum, præceptum illud divinum obliget, Christus expressè determinare noluit, sed Ecclesiæ determinandum reliqui, quæ postea hoc determinavit in Concilio Lateranensi sub Innocentio Tertio cap.21. his verbis: *Omnis utriusque sexus fidelis, postquam ad annos discretionis pervenerit, omnia sua peccata confiteatur fideliter, saltem semel in anno, proprio Sacerdoti, & injunctam sibi pœnitentiam studeat pro viribus adimplere*, quod decretum declarans posteà Concil. Triden. sess.14. cap.5. inquit, Ecclesiam tali decreto non statuisse, ut Christi fideles confiterentur, quia jure divino hoc necessarium, & institutum esse jam intellexerat, sed veluti modificasse, & determinasse ipsum præceptum divinum de Confessione facienda, ut nimirum saltem semel in anno ab omnibus, & singulis, cùm ad annos discretionis perveniissent, impleretur, atque ità tempus, quo implendum esset, præscripsisse etiam extrà articulum mortis, vel ejus periculum. His itaque suppositis ex dictis loc. cit. nonnullæ difficultates in hac materia occurentes, sunt hìc breviter discutiendæ; de quibus agunt ex nostris Aretinus 4. dist.17.q. un. art. 3. & Branc. disp. 24. de Sacr. Pœn.art. 2.

40 Prima difficultas est, An hoc præceptum obliget pro aliqua determinata parte anni. Prima opinio affirmat præceptum hoc obligare in parte anni determinata, scilicet, in Quadragesima Paschatis tempore; fundamentum est, quia consuetudo confitendi tempore Quadragesimali incæpit eo tempore, quo latum fuit præceptum de confitendo semel in anno, & communicando saltem in Paschate, cui consuetudini omnes Pontifices tacitè consenserunt, hoc ipso, quod illam videntes approbarunt; ergò vim legis obtinet talis consuetudo, & ad sui executionem obligat, confirmatur ex diligentia ipsa, quam eo tempore Pastores Ecclesiæ adhibent, ut sciant qui sint confessi, & qui non confessi. Denique hanc consuetudinem retinendam esse ad implendum hoc præceptum docet etiam Concil. Triden sess. 14. cap.5. in fine his verbis: *Observatur mos ille salutaris confitendi sacro illo, & maximè acceptabili tempore Quadragesimæ, quem morem hæc sancta Synodus maximè probat, & amplectitur, tanquam pium, & meritò retinendum.* Ità Soto, Medina, Azorius, Pagundez, Megala, & plures alii, quod etiam indicasse videtur Doctor noster dist. 17. cit. q. un. lit. V. ubi dicit: *Quoad quando, Ecclesia determinavit semel in anno, & illud semel videtur, ad minus esse circa Pascha.* Opposita sententia communior, & probabilior negat præceptum hoc obligare pro aliqua determinata parte anni sed illi satisfieri posse pro quocunque tempore anni eaque apertè colligitur ex tacito cap: *Omnis*, in quo pro communione determinatè tempus Paschale assignatur; pro confessione verò quodlibet anni tempus. *Ut saltem semel*, inquit, *in anno fideliter confiteatur*; ergo in quovis anni tempore quis confiteatur, verè dicitur secundum Pontificis decretum semel in anno confiteri, ac consequenter huic præcepto satisfacere, siquidem ut fert axioma commune, præcepta non obligant, nisi ut sonant. Ità Suarez, Vasquez, Henriquez, Valentia, Coninchius, Toletus, Lyman, Brancatius, Bonacina, Diana, Caspensis, Amicus, & alii passim.

41 Ad fundamentum oppositæ sententiæ dicendum est cum Amico disput.18. de Sacramento pœnitentiæ sect. 5. & aliis passim consuetudinem illam introductam esse ratione communionis, quæ in Paschate fieri debet, cùm enim fideles sciant semel in anno confiteri debere, & in Paschate communicare, & ad dignam Eucharistiæ sumptionem confessionem esse præmittendam; illam differunt ad Quadragesimam, nec si alio tempore confiterentur, deberent posteà ratione sacræ synaxis iterum confiteri; quamvis certo constet hanc consuetudinem esse tacito Pontificum consensu approbatam non tamen constat esse approbatam quoad præceptum confessionis independenter à præcepto communionis, sed dependenter ab ea; & si id constaret, maximè id esset ex decreto Sixti Quarti, qui communiter adducitur, *extrà de tregua, & pace*, sed neque ex tali decreto id deduci potest, licet enim ibi fratribus præcipiat, ut prædicent fidelibus: *Eos teneri ad confitendum proprio sacerdoti saltem in Paschate*, non tamen alia tempora excludit, quasi si fideles confiteantur alio anni tempore, non satisfaciant. Ad confirmationem dicendum eam diligentiam tunc à Pastoribus Ecclesiæ adhiberi, non quia tunc temporis sub præcepto facienda sit Sacramentalis confessio, sed quia ratione opportunioris commoditatis jam explicatæ, & ratione Eucharistiæ sumendæ, magis consuetum est fidelibus tunc confiteri; undè si constaret alio anni tempore ali-

re aliquem fuisse confessum, contrà eum pœnis Ecclesiasticis non procederent. Ad ultimum dicendum est quod estò Concilium Tridentinum loc. citato commendet morem Ecclesiæ, & fidelium de confitendo in Paschate ratione opportunioris commoditatis prædictæ; tamen hoc non præcipit, neque irritat, si in alio tempore fiat, neque obligat aliàs confessum ad iterum confitendum; quod tamen facere debuisset, si fideles obligari voluisset ad confessionem annuam determinatè in Paschate, & ità etiam explicandus est Scotus loc. cit. ubi contrariæ opinioni favere videtur, ut ex ejus modo dicendi deducitur, dum ait, *illud semel videri ad minus esse circà Pascha*, ut etiam Aretinus advertit loc. cit. art. 5.

42 Secunda difficultas est; quomodo computandus sit annus, in quo semel ex præcepto Ecclesiastico facienda est confessio. Prima opinio affirmat computandum esse a prima die Januarii, cùm annus eo die communiter incipere videatur; & ità præcipi, ut semel in anno communi quilibet fidelis confiteatur. & ratio est, quia Canones, & jura, nisi aliud exprimant, annum accipiunt juxtà communem modum, sicut si præciperetur, ut semel in anno festum aliquod celebraretur, vel relinqueretur legatum singulis annis persolvendum semel; satisfeciisse obligationi diceretur, qui quovis anni communis die festum celebraret, vel legatum solveret. Ità Vasquez, Card. de Lugo, Hurtadus, Brancatus, Caspens. & alli. Secunda sententia communior, & probabilior asserit annum computari debere à quadragesima in quadragesima, seù à tempore Paschali in tempus Paschale, itaut anni nomine in eo decreto intelligatur annus Ecclesiasticus; quamvis enim annus profanus à prima die Januarii incipiat, annus tamen præfixus ad istius præcepti observationem ex consuetudine populi Christiani jam recepta, quæ est optima legum interpres, inchoandus est ab uno Paschate ad aliud Pascha sequens circiter, vel ab una Quadragesima ad aliam Quadragesimam, & ideò qui intrà annum sic computatum semel confessus est, huic præcepto satisfecit, & hoc etiam Doctor innuere voluit loc. cit. quando dixit, quod dum Ecclesia determinavit semel in anno esse confitendum, illud semel adminus videtur esse circà Pascha. Ex quo sequitur eum, qui in Nativitate Domini, aut alio anni tempore confitetur, præcepto annuæ confessionis sufficienter satisfacere, nec posteà teneri ex vi hujus præcepti in Quadragesima, vel Paschate rursus confiteri, cùm tam præceptum adimpleverit, notanter autem dixi ex vi hujus præcepti non amplius teneri, qui fieri potest, ut alio titulo, vel ex vi alterius præcepti confiteri teneatur, ut si Eucharistiam sit suscepturus, & conscientiam peccati mortalis se habere advertat, aut si mortis periculum superveniat, ut patet ex superius dictis. Ità Sylvester, Victoria, Suarez, Ledesma, Azorius, Choninchius, Henriquez, Fernandez, Reginaldus, Nugnus, Bonacina, & alii passim.

43 Tertia difficultas est, an qui non est confessus intrà annum, teneatur statim confiteri initio sequentis; sivè hoc contigerit sine culpa ob aliquod legitimum impedimentum, sivè cum culpa. Prima opinio negat, & ratio ejus est, quia hoc præceptum est affirmativum, & determinatè obligat pro certo tempore, ergò eo transacto jam non obligat, ut patet de præcepto audiendi sacrum jejunandi, & similibus, hæc enim est natura præcepti affirmativi, quod elapso tempore pro quo obligat, non amplius obligat. Ità D. Antonin. Sylvester, Tabiena, Ledesma, Brancatus, & Rubeus ex nostris, quam etiam probabilem existimant Filliu. Diana, & alii. Secunda opinio communior, & probabilior affirmat, cujus ratio est, quia aliquid dupliciter præcipi potest faciendum tali tempore, primò ob circumstantiam, & conditionem, seù honorem talis temporis, vel diei, secundò absolutè, & simpliciter non spectata circumstantia, & conditione temporis, sed nè diutius differatur, hoc autem præceptum confitendi semel in anno non determinat tempus, in quo præcisè hæc confitendi obligatio impleri debeat, sed ultrà quod talis obligatio differi non debeat, & ideò quo magis differtur, eo magis obligat, ut cùm quis tempus assignat, intrà quod certa pecunia debita reddatur, quæ obligatio eo magis accrescit, quo magis differtur; ex qua doctrina solvitur fundamentum prioris sententiæ, quamvis enim præceptum de confitendo semel in anno sit formaliter affirmativum, est tamen virtualiter negativum includens nimirum negationem de non differenda confessione ultrà annum; præcepta verò de sacro audiendo, de jejunio, recitandi horas Canonicas, & similia sunt purè affirmativa, quæ suam obligationem ad certum tempus limitant, quo elapso, cum eo simul cessat finis, & ratio, ob quam præcepta ista obligabat. Ità Navarrus, Medina, Henriquez, Suarez, Vasquez, Valentia, Coninchius, Layman, Caspensis, Bonacina, Amicus, Aretinus, & alii communiter. Hic autem advertendum est cum Suarez, Coninch. Amico, & aliis, in casu proposito eum, qui confessionem præcedentis anni omisit, non posse per confessionem anni subsequentis utrique præcepto satisfacere, & anni præcedentis elapsi, & subsequentis inchoati, & ratio est, quia Ecclesia hujusmodi confessionem exigit, tanquam spectantem ad annum præcedentem; quod tamen intelligendum, est nisi confessio differatur propè finem anni sequentis, tunc enim moraliter non censeretur amplius ad annum præcedentem pertinere, sed ad subsequentem.

44 Eadem difficultas controvertitur à Doctoribus de confessione in articulo, vel periculo mortis, & de Communione in tempore Paschali, an hæc suo tempore non servata semper obligent, donec impleantur; & quidem de Confessione facienda in articulo, vel periculo mortis aliqui eodem modo discurrunt, ac de annua confessione, ac proindè dicunt eum, qui confessus non est in periculo mortis, cùm haberet conscientiam peccati mortalis, teneri posteà quam primum confiteri. Oppositum tamen probabilius docent Bonacina disp. 5. cit. quæst. 5. sec. 2. punct. 4. Amicus disp. 18. cit. sect. 6. & plures alii, & ratio est, quia præceptum Confessionis in articulo obligat præsertim ratione charitatis, quam unusquisque tenetur ergà seipsum habere, ut periculo imminentis damnationis occurratur, sublato autem mortis periculo, non amplius periculum damnationis adest, atque ideò non amplius tenetur ad illud implendum; ex quo patet discrimen esse inter præceptum annuæ confessionis, & confitendi in articulo mortis, hoc enim latum est ob circumstantiam, & conditionem talis temporis, scilicet, ob periculum imminens damnationis, atque ideò confessionem omittens in articulo mortis non tenetur posteà, cùm periculum evasit, illam quamprimum facere; præceptum verò annuæ confessionis omissæ obligat ad eam quamprimum faciendam elapso anno præcedente, quia talis terminus ab Ecclesia non fuit appositus ad finiendam, sed ad sollicitandam excusationis obligationem.

45 De Communione verò Paschali, negant aliqui eum, qui sine causa in Paschate omisit Eucharistiam sumere, teneri posteà statim, sed posse absque novo peccato communionem ad sequentem annum differre; quorum fundamentum est, quia præceptum Eucharistiæ est addictum tempori Paschali ob illius temporis venerationem, & solemnitatem, quo elapso causa, & finis cessat, propter quem impositum est præceptum. Ità Scotus, Medina, Valentia, Sylvester, Henriquez, Toletus, & alii. Sed quamvis hæc opinio sit probabilis, probabilius tamen alii oppositum defendunt, nempè præceptum communionis in Paschate non minus, quam annuæ confessionis fideles obligare ad statim illud implendum, si non sit suo tempore impletum. Ratio est, quia quando aliquid absolutè præcipitur, illique aliquod tempus assignatur, tanquam magis congruum adimpletioni præcepti, elapso eo tempore non ob id obligatio cessat, sed sumptio Eucharistiæ absolutè præcipitur saltem semel in anno, & tempus Paschale non est assignatum ad obligationem finiendam, sed ad sollicitandam, & non differendam communionem ultrà tempus Paschatis, quod tempus adimpletioni præcepti magis opportunum est, & conveniens; ergo tempore Paschatis elapso non ob id cessat communicandi obligatio. Undè ad fundamentum prioris sententiæ negandum est susceptionem Eucharistiæ præcipi in Paschate solùm ob venerationem, & solemnitatem temporis Paschalis, non enim ob id præcisè factum est, sed etiam, & præcipuè ob præceptum Christi, quod independenter à tempore Paschali fideles obligat, quia non minus præceptum communionis, quam confessionis est divinum, ut constat ex verbi Christi Joan. 6. *Nisi manducaveritis carnem filii hominis non habebitis vitam in vobis*, cæterum Ecclesia præcepto suo utrumque conjunxit, nempè & præcepti Divini obligationem, & temporis venerationem, quo fuit hoc Sacramentum institutum. Ità Navarrus, Angelus, Azorius, Suarez, Vasquez, Nugnus, Amicus, Reginaldus, Coninchius, Aretinus ex nostris, & plures alii, quæ sententia adhuc magis declarabitur articulo seq. numero 54.

46 Quarta difficultas est, An habens solùm venialia teneatur ex præcepto Ecclesiæ confiteri. Prima opinio affirmat, pro qua citantur Alensis, D. Bonaventura, Riccardus, Sylvester, & alii antiquiores, ac etiam sequi videtur Astesanus lib. 5. tit. 11. cujus fundamentum est, quia Ecclesia præcipit omnes fideles singulis annis proprio Sacerdoti semel confiteri, sed qui solùm venialia habet, materiam habet sufficientem confessionis; ergò tenetur ad confitendum. Confirmatur ex fine præcepti, qui est vel ob majorem securitatem, & Eucharistiæ reverentiam, vel certè ut Pastores cognoscant oves suas. Tandem quia absolutè excommunicantur omnes, qui non confitentur semel in anno sine ulla exceptione. Secunda sententia negat, quam sequitur Recentiorum torrens, & docet expresè Scotus loc. cit. 4. d. 17. quæst. un. art. 3. lit. R. ubi ait, quod qunatum est ex statutis Ecclesiæ nullus tenetur ad confessionem venialium in quocunque casu. Ratio est, quia illud idem præcipit Ecclesia,

quod

quod præceperat Christus siquidem Ecclesia multiplicat tantùm obligationes quoad numerum, non quoad res præceptas; sed Christus præcipit solùm confessionem mortalium, ut enim dictum est ab initio articuli, quamvis rectè, & utiliter venialia in confessione aperiantur, taceri tamen possunt citra culpam ex Concil. Trid. sess. 14. cit. capit. 5. quod non docèret, si saltem aliquando essent confitenda. Confirmat hoc Doctor ex cap. cit. *Omnes utriusque sexus*, ubi præcipitur omnes fideles teneri ad confitenda semel in anno omnia peccata sua, quod nequit intelligi nisi de mortalibus, nam si etiam venialia comprehenderentur, tenerentur fideles ad omnia illa confitenda, quod est impossibile. Tandem id etiam confirmat ex fine præcepti, & hujus Sacramenti institutione, quia Ecclesia utitur Sacramento pœnitentiæ, tanquam tabula secunda contrà naufragium, quod non est in venialibus, nec ob sola venialia contingere potest, nam moriens in peccato veniali salvatur, licet prius in Purgatorio à culpa veniali purgetur. Hic tamen advertendum est cum Abellio capit. 5. de Sacramento Pœnitentiæ sect. 12. quod dictum est non obstare, quin adhuc consultissimum sit iis, qui nullius peccati mortalis sibi conscii sunt, ad pœnitentiæ tribunal tempore Paschali accedere, & venialia confiteri, imò contingere posse, ut is, qui venialia tantùm habet peccata adhuc ad confessionem Paschali tempore obligetur, non quidem per se, in quo sensu loquitur Scotus, sed per accidens, & quidem primò ratione scandali, quod oriri posset, si tempore paschali ad Confessionem non accederet; secundò ad evitandum peccatum præsumptionis, tertiò tandem ne seipsum decipiat sibi nimium blandiendo, putans se habere tantumnodò venialia, cùm fortè mortalia quoque habeat, quorum non recordatur, quæ tamen ei remitterentur indirectè simul cum venialibus confessis, quod potiori etiam ratione in articulo mortis observandum est.

47 Ad fundamentum prioris sententiæ neganda est consequentia, quamvis enim Ecclesia possit determinare tempus Confessionis non determinatum à Christo, non tamen aliam materiam hujus Sacramenti instituere potest præter illam, quam Christus instituit, instituit autem mortalia solùm, ut materiam necessariam, venialia autem, ut liberam, & voluntariam, quamvis sufficientem, ut diximus lib 4. sent. disp. 5. de Sacramento Pœnit. qu. 12. art. 1. Ad confirmationem Caspensis disp. 24. de pœnit. disput. 4. sect. 4. negat assumptum, qui enim venialia tantùm habet, non tenetur ex vi præcepti annuæ confessionis coram suo Sacerdote comparere, quicquid Scotus dicat, ut ille cognoscat vultum pecoris sui, & ut dicat se non meminisse alicujus peccati mortalis, quia ex præcepto confessionis non tenetur comparere coram suo Sacerdote, ut aliter agnoscatur, quàm in judicio confessionis, ad quam tenetur ex præcepto, quod si ejus præcepti obligatio cessat ex defectu peccati, non aliter cognosci debet ex vi præcepti. Verum Doctor loc. cit. quem sequuntur Recentiores omnes, inquit fideles debere coram proprio Sacerdote comparere tempore Paschatis, etiam si sola habeant venialia, & dicere se non habere nisi tantum venialia, quorum non putant necessariam confessionem, & hoc facere debent non ex vi præcepti annuæ confessionis, sed ad tollendum scandalum, si quod accidere posset, nam qui confessionis attestationem non deferunt, solent ab Ecclesia interdici; hoc ergo modo potest Pastor cognoscere vultum pecoris sui absque confessione venialium, si coram eo compareat, & dicat se velle Eucharistiam ab ipso, nolle autem confiteri, quia non habet mortalia, sed tantùm venialia, quæ non sunt materia necessaria confessionis, & hoc etiam fatetur Caspensis ipse loc. cit. dùm inquit, propter notam, & scandalum teneri sola venialia habentem coram proprio Sacerdote comparere, ut ei satisfaciat & Episcopo, cui defertur copia eorum, qui confessi sunt ex testimonio confessoris, & cæteri excommunicantur; ex quo patet hunc Auctorem Scotum non intellexisse, quando enim Scotus ait sola venialia habentem teneri comparere coram proprio Sacerdote, non asserit ad hoc teneri ex præcepto annuæ confessionis, sed tantùm ad evitandum scandalum, & ne excommunicationem, vel interdictum incurrat; per quod patet quid sit dicendum ad ultimum; atque adeò & ratione Eucharistiæ sumendæ, & ut pastor possit benè fungi munere suo, qui infrà annum non confitetur cogi potest, ut id faciat, vel similem rationem reddat, cur non fecerit, ut Aretinus ex nostris advertit loc. cit. An verò Ecclesia possit præcipere confessionem venialium, videri potest Brancatus noster loco citato §. 4. ac etiam Caspensis loc. cit. num. 40.

48 Quinta difficultas est. An qui tempore Paschæ confessus venialia tantùm incidit postea in mortale, neneatur alia vice confiteri in eodem anno. & ratio dubitandi est, quia iste confitendo venialia suæ obligationi satisfecit de semel confitendo in anno; & ideò non videtur ad aliam confessionem obligatus. Communis tamen opinio affirmat, & ratio deducitur ex Scoto loc. cit. disp. 17. quæst. un. lit. Q. quia præceptum confessionis annuæ in cap. *Omnis utriusque sexus*, obligat ad peccata mortalia confitenda semel in anno, si pœnitens intrà annum sit alicujus peccati mortalis conscius, quod etiam confirmat Concil. Trident. sess. 14. c. 5. sed qui semel, vel etiam centies venialia tantùm est confessus, non attulit ea peccata, quæ ad Sacerdotes semel in anno afferenda jussit Ecclesia; ergo in casu allato tenetur iterum in eodem anno confiteri; undè ad rationem dubitandi negandum est assumptum, quia si venialia confessus non fuisset, præceptum non violasset, ut patet ex dictis, quia ad ea confitenda non tenetur; atque ideò neque per eam confessionem præcepto satisfecit, undè remanet semper talis obligatio, si materia obligationis occurrat, scilicet, mortale. Ità Suarez, Vasquez, Reginaldus, Zerola, Bonacina, Brancatus noster loc. cit. & alii passim. Dices, qui post confessionem, & communionem aliquod peccatum mortale commisit nondùm elapso anno, in quo prius confessus est, illud peccatum confiteri tenetur, ut annuæ Confessionis præcepto satisfaciat, quo præcipitur omnia peccata mortalia confiteri; ergo idem dicendum est, si sola venialia confessus esset. Respondeo negando assumptum, si prius confessus sit cum venialibus aliqua peccata mortalia, ut Bonacina advertit loc. cit. cum pluribus aliis, & ratio, est, quia cùm semel integrè confessus sit peccata mortalia, quorum tunc conscius erat, juxtà caput *omnis utriusque sexus*, videtur Ecclesiæ præcepto satisfeciisse, quo præcipitur confessio semel in anno; non autem si sola venialia confessus fuisset, cùm non haberet conscientiam peccati mortalis, quia eorum non præcipitur.

49 Sexta difficultas est, an sit necessarium confiteri proprio Sacerdoti. Respondet Scotus loc. cit. sub lit. R. & S. quod Ecclesia in cap. cit. *Omnis utriusque sexus* videtur specificare præceptum divinum quantum ad illud, cui facienda sit confessio, & hoc per illa verba *proprio Sacerdoti confiteatur*, nam ex prima institutione Ecclesiæ non videntur fuisse distincti proprii Sacerdotes; quando enim Apostoli hinc, & indè ibant prædicando verbum Dei, nec fuit iste Sacerdos istius gentis, nec ille illius, sed posteà Diœceses fuere distinctæ, ac etiam Parochiæ, & similiter Sacerdotes in parochiis, & subdit, quod proprius Sacerdos dicitur ille, qui habet jurisdictionem absolvendi, sivè ex jure ordinario, sivè ex privilegio; undè qui Religioso approbato ab Episcopo confessionem facit suorum peccatorum, satisfaciat præcepto confessionis, cùm hujusmodi Religiosus sufficientem habeat jurisdictionem; quam Scoti doctrinam docent Recentiores communiter Suarez, Coninch. Reginaldus, Valentia, Henriquez, Nugnus, Pesantius, & alii passim, ut refert Bonac. disp. 5. cit. quæst. 5. sect. 2. punct. 4. in fine, ex quo deducunt Parochos non posse suos subditos prohibere ne confiteantur hujusmodi Sacerdotibus, seù Religiosis ab Episcopo approbatis, & ratio est, quia facultas Sacerdoti, seù Religioso approbato concessa quasi relativa censetur, ut eo ipso, quo Religiosus fuit ab Episcopo approbatus, & ad confessiones audiendas admissus, censeatur etiam Parochianis data facultas, ut possint huic Sacerdoti sua peccata confiteri, nec amplius eadem peccata proprio Parocho in confessione aperire teneantur. Nec obstat quod in cap. cit. dicatur peccata confitenda esse proprio Sacerdoti, idest, Parocho, aut alteri de licentia proprii Sacerdotis, non obstat inquam, quia ut advertit Bonacina loc. cit. cum aliis Doctoribus adductis, non solùm Parochus, sed etiam Episcopus est proprius Sacerdos suorum subditorum, & ideò qui Sacerdoti confitetur ab Episcopo approbato satisfacit præcepto Confessionis, quia confiteri censetur de licentia proprii Sacerdotis, ut dicitur in cap. cit. Hic autem Doctores communiter advertunt, vagabundos, hoc est, illos qui nullibi domicilium habent, & peregrinos, qui ratione devotionis peregrinantur, ac etiam viatores, qui absunt ad tempus à proprio domicilio, ubicunque hi fuerint, confiteri posse Curato illius Parochiæ, ubi hospitantur, aut Religiosis privilegiatis, ac denique Confessariis pro tota illa Diœcesi constitutis, ut patet ex concessione Eugen. IV. in quadam extravaganti. Universi autem Religiosi confiteri nequeunt, nisi suo Prælato, vel alteri sacerdoti de ejus licentia, neque ad audiendam alicujus Religiosi confessionem requiritur approbatio Episcopi, siquidem Religiosi non subduntur Episcopis, sed immediatè summo Pontifici, quod totum deducitur ex cap. cit. *Omnis*, &c. Qui autem de hac materia alia plura desiderat, videat Poncium ex nostris disp. 46. de Sacramento Pœnitentiæ, ubi ex professo hanc quæstionem pertractat quæst. 9. An qui confitetur Religiosis privilegiatis satisfaciat præcepto annuæ Confessionis, ob nonnullos, in Gallia tunc temporis oppositum statuentes, ubi ostendit in illo præcepto Concilii Lateranensis per proprium sacerdotem non intelligi Parochum tantùm, nam unusquisque Episcopus in pro-

propria Diœcesi est proprius sacerdos, sicut & Pontifex à pari in tota Ecclesia; & ad tollendam omnem evasionem, & tergiversationem adducit tandem decretum Congregationis Cardinalium super Concil. Tridentin. confirmatum auctoritate Apostolica Innocent. X. hac de re, cui occasionem dedit Archiepiscopus Burdigal. qui in sua Diœcesi impedire voluit, ne Religiosi audirent Confessiones sæcularium à Dominica Palmarum usque ad Dominicam in Albis inclusivè. Tandem ut ait Toletus lib. 6. c. 11. vocatur in præsenti proprius sacerdos unus ex his tribus, aut qui ex officio habet facultatem absolvendi, ut Prælatus, & Parochus, aut ex commissione Episcopi, vel Pontificis, qualem habent multi Religiosi, aut ex facultate pœnitenti concessa; multi enim pœnitentes per privilegia, aut diplomata, seù Bullas proprios Confessarios sibi eligere possunt, ut patet de habentibus Bullam Cruciatam, & quocunque modo sit proprius, satis est ad audiendas Confessiones.

50 Postremò quæritur, quibus de causis excusentur fideles ab hoc præcepto annuæ confessionis, & conveniunt Doctores, excusari ab hoc præcepto, qui physicè non possunt, v. g. quibus deest Confessarius; deindè qui moraliter non possunt, v. g. qui prudenter sigilli revelationem timent, vel qui non possunt sine notabili incommodo vitæ, fortunarum, &c qua ratione dicebamus l. 4. disp. 5. qu. 16. & 17. illum excusari à præcepto nedùm Ecclesiastico, sed etiam divino, qui sub sigillo confessionis peccata sua confiteri non potest, ut si Confessarius surdus esset vel pœnitens in navi cum aliis existens peccata sua explicare nequeat, nisi ab aliis audiatur; ac etiam eum, qui revelationem peccati probabiliter timet, aut aliud grave detrimentum; præceptum enim Confessionis cum tanto incommodo, ac præjudicio pœnitentis non obligat, & pariter, hac eadem ratione dicebamus ibidem cum Scoto 4. disp. 17. quæst. un. in solutione principalium eum, qui non nisi per interpretem confiteri potest, ut peregrinum idiomatis ignarum, à præcepto Confessionis excusari non solùm Ecclesiastico, verum etiam divino, quod pluribus rationibus ibi probavimus quæst. 16. num. 450. contrà nonnullos oppositum sentientes, & præsertim quia in capit. cit. *Omnis utriusque sexus* præcipitur confessio soli Sacerdoti facienda, soli autem Sacerdoti non fieret, si pœnitens teneretur per interpretem sua peccata confiteri, ut ibi fusè ostendimus. & hæc est communis Doctorum sententia, ut videre est apud Bonacinam disp. 5. cit. quæst. 5. sec. 2. punct. ult. Solum est aliquam difficultas, an qui non potest aliter confiteri, quàm per Scripturam, teneatur per Scripturam confiteri, ut si pœnitens lingua careat, vel Confessarius vitio surditatis laboret, aut pœnitens nequeat nutibus, aut alia ratione, quàm, per Scripturam, peccata sua explicare, in quo dubio Bonacina loc. cit. duas refert opiniones extremè oppositas, & ipse media via graditur distinguendo, quod vel pœnitens commodè potest per Scripturam confiteri, vel non potest sine gravi incommodo; si commodè, & sine periculo confiteri potest per Scripturam, tenetur ità confiteri, quoties præceptum confitendi instat; si autem commodè, & sine periculo confiteri non potest per Scripturam, non tenetur hoc modo confiteri. Quomodo autem, & quando confessio facta per Scripturam sit commoda confitenti jam declaravimus qu. 17. cit. artic. 3. cum Scoto d. 17. cit. in fine quæstionis, confessio enim facta per scripturam sacerdoti præsenti commoda est pœnitenti, & sine ullo periculo publicitatis peccatorum, potest enim scribere peccata sua coram sacerdote, & statim cartam perfringere, in qua peccata erant scripta; confessio autem per scripturam factam sacerdoti absenti est omninò incommoda, quia periculo publicitatis exposita, ut ait Doctor loc. cit. & ideò pœnitens ad confitendum per Scripturam hoc modo non tenetur, quia talis confessio est illicita, ut ostendimus l. c. ex decreto Clem. VIII. Constit. 87. per quam expressè prohibet confessionem factam per litteras sacerdoti absenti, & declarat illicitam.

ARTICULUS TERTIUS.

De quarto Ecclesiæ præcepto, scilicet, de Communione in Paschate.

51 SUpponendum est hìc ex jam dictis 4. sent. disp. 1. qu. 10. art. 3. in fine Sacramentum Eucharistiæ esse necessarium duntaxat necessitate præcepti, non autem medii, quod de adultis quidem constat, tùm ex communi Ecclesiæ consensu, tùm ex illis Christi verbis Marciult. *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit*, ubi æterna adultorum salus, de quibus ibi est sermo, nulla Eucharistiæ mentione facta, Fidei, & Baptismo solùm adscribitur, de parvulis autem usu rationis carentibus id expressè declaravit Concil. Trid. sess. 21. cap. 4. Quod verò sit necessarium necessitate præcepti constat ex c. sæpè cit. *Omnis utriusque sexus* Concil. Lateranens. sub Innocentio Tertio, in quo constitutum est, ut singuli fideles, cùm ad annos discretionis pervenerint, Sacramentum hoc saltem semel in anno tempore Paschatis percipiant, nisi ex licentia proprii sacerdotis in plures aliquot dies ex aliqua rationabili causa differendum esse censeatur, ubi tempore Paschatis intelligitur totum illud tempus, quod effluit à Dominica Palmarum usque ad Dominicam in albis inclusivè, ut ab Eugenio Quarto declaratum fuisse refert Navarrus in Manuali c. 25. undè qui intrà illius temporis spatium communicat, satisfacere censetur præcepto Ecclesiastico de communicando in Paschate. Dicitur autem præceptum hoc omnes fideles obligare, quia Ecclesia potestatem non habet obligandi alios, quam qui sunt sub ejus jurisdictione, quales sunt soli baptizati, quia per Baptismum tanquam per januam ingressi sunt in Ecclesiam. Additur, cùm ad annos discretionis pervenerint, quia non statim, ac aliquis pervenit ad usum rationis simpliciter, & absolutè sumptum, obligatur ad communionem, sicut obligatur ad confessionem, sed postquam pervenit ad annos discretionis, ut loquitur Conc. Trident. sess. 13. can. 9. seù ad usum rationis perfectum, quem anni discretionis secum deferre solent; cùm autem hæc discretio à decimo anno advenire soleat, nec ultrà decimum quartum differri, sequitur obligationem communicandi in adultis à decimo anno incipere usque ad quartum decimum, ut notat Bonacina cum pluribus aliis disp. 4. de Sacramento Eucharistiæ dist. 72. punct. 2. itaut respectu illius, cui advenit discretio sufficiens in anno undecimo, incipiat obligatio communicandi in eo anno, & sic de aliis proportionaliter loquendum est juxtà judicium prudentum. His itaque suppositis, ut communiter concessis, aliquæ difficultates occurrunt breviter dissoluendæ.

52 Prima difficultas est, An præceptum de communicando sit Ecclesiasticum tantùm, an etiam divinum; & quamvis aliqui id negare videantur, communis tamen sententia asserit non modò Ecclesiasticum, sed etiam divinum de sumenda Eucharistia extare præceptum, ut loc. cit. diximus; & tenet expressè Doctor 4. d. 13. qu. 2. & constat ex verbis Christi Domini Joan. 6. *Nisi manducaveritis carnem filii hominis, non habebitis vitam in vobis*, ubi loquitur de manducatione vera reali, & Sacramentali, & cùm non loquatur de necessitate medii, quia hoc est Sacramentum vivorum, consequens est, ut de necessitate præcepti intelligatur; idem colligitur ex illis verbis Lucæ 22. *Hæc quotiescunque feceritis in mei memoriam facietis*, ex quibus Concil. Tridentin. sess. 13. cap. 2. hoc præceptum deducit inquiens, *Salvator noster discessurus ex hoc mundo ad Patrem, Sacramentum hoc instituit, & in illius sumptione colere nos sui memoriam præcepit*. Hoc autem præceptum non solùm Apostolis, & sacerdotibus fuisse impositum, ut nonnulli dixerunt, sed etiam laicis Eucharistiam sumentibus, satis expressè Paulus indicavit 1. Corint. 11. verbis illis: *Quotiescunque enim manducabitis panem hunc, & Calicem bibetis, mortem Domini annunciabitis*. Hoc ergo præceptum sumendi Eucharistiam non tantùm Ecclesiasticum est, sed etiam divinum, & Ecclesia tantùm præscripsit tempus, in quo fideles communicari debent semel in anno, scilicet in festo Paschatis.

53 Sed major difficultas est, quo tempore divinum hoc præceptum obliget etiam de jure divino. Et de hoc discurrendum est, sicut art. præc. diximus de præcepto Divino confessionis Sacramentalis, scilicet, obligare saltem in articulo, vel periculo mortis, idque deducitur ex perpetua Ecclesiæ praxi, quæ peculiari cura semper cavit, ne infirmi sine Eucharistiæ sumptione ex hac vita discederent; & ratio ipsa suadet, nunquam enim major esse potest necessitas hujus Sacramenti quàm in illo articulo, ex quo pendet æternitas, & imminet ultima lucta cum hoste de perpetua animæ salute, undè in Concilio Nicæno 1. can. 13. Eucharistia in fine vitæ sumenda, vocatur *Viaticum necessarium*, & idem habetur in Concil. Cartag. 4. can. 77. Addendum etiam est hoc Divinum præceptum obligare etiam aliquando extrà articulum, & periculum mortis, vagè tamen, & indeterminatè, itaut nullum tempus assignari posset, quo obligasset, nisi Ecclesia illud determinasset; undè quo tempore extrà mortis articulum, & periculum obliget hoc præceptum, Christus expressè determinare noluit, sed Ecclesiæ determinandum reliquit, quod etiam factum fuit in Concil. Lateranens. cap. cit. *Omnis utriusque sexus fidelis postquam ad annos discretionis pervenerit, semel saltem in anno confiteatur fuscipiens reverenter ad minus in Pascha Eucharistiæ Sacramentum*. Itaque quisque fidelis in periculo vitæ, quod providet, vel probabiliter timet, v. g. in gravi morbo antè conflictum, antè navigationem, & similia pericula tenetur sub mortali communicare, & Eucharistiam sumere per modum viatici necessarii, nisi tamen paucis quatuor, v. g. vel etiam octo diebus antè communicasset, talis enim communio proximè præcedens censeretur

retur habere rationem viatici, ut docent Suarez, Reginaldus, Filliucius, Coninchius, Caſpenſis, Aretinus ex noſtris, & plures alii. & quod ad hoc quiſque fidelis teneatur ex divino præcepto eſt communiſſima omnium Doctorum opinio, quæ expreſsè deducitur ex relatis Conciliis, undè minimè placet, quod ait Gavatius noſter diſput. 10. de Sacramento Euchariſtiæ qu. 2. c. 4. numer. 184. præceptum divinum de Euchariſtia ſumenda non obligare per ſe, & neceſſario in articulo mortis illum, qui aliàs in vita etiam multò tempore antè communionem accepit; & ſubdit num. 187. ex hoc, quod Euchariſtia datur infirmis per modum viatici, non benè deduci eſſe neceſſariam in articulo mortis neceſſitate præcepti divini, quando quidem dicitur præcisè viaticum, quia cùm ſit maximè utilis, opportuna, imò efficaciſſima ad ſuperandas tentationes, quibus potiſſimum homo in fine vitæ premitur, ex antiqua Eccleſiæ conſuetudine infirmis periculoſa infirmitate laborantibus conſuevit dari ſacra Communio. Hoc, inquam, minimè placet, quia Concilia allata, hoc viaticum appellant neceſſarium, non autem utile tantùm, & opportunum; & ſi hæc eſt antiqua Eccleſiæ conſuetudo, jam vim legis habet, & ſufficienter oſtendit obligare etiam de jure divino, quæ fruſtrà evadere conatur Gavatius loc. cit. & ita etiam videtur ſentire Doctor 4. diſt. 8. quæſt. 3. ſub D. ubi ait, diſceſſuro ex hac vita dandam eſſe Euchariſtiam, quia eſt viaticum proficiſcentium ex hoc mundo, ut per ipſum ducantur ad terminum.

54 Secunda difficultas eſt, an hoc præceptum ſit ità Paſchati affixum, ut qui tunc non communicavit, non obligetur amplius ad communicandum illo anno. Prima ſententia affirmat non obligari amplius pro illo anno, ſicut qui hodie non recitavit officium, vel Miſſam non audivit in feſto, non tenetur ad recitandum, quod omiſit, vel audiendam Miſſam die ſequenti, quia ſunt obligationes tali diei annexæ. Ità D. Antoninus, Sylveſter, Medina, Tabiena, Soto, Victoria, Ledeſma, Toletus, Valentia, Bonacina, Diana, & plures alii. Secunda ſententia communior, & probabilior docet hoc præceptum non eſſe ità Paſchati affixum, ut qui tunc non communicavit, non amplius in illo anno communicare teneatur, ſed ità obligare, ut qui in Paſchate Euchariſtiam non ſumpſerit, poſteà cùm primùm commodè poteſt, communicare teneatur, ut quantò diutius differat, tantò magis peccatum augeat, undè eadem eſt ratio de hoc Sacramento, ac de Sacramento Confeſſionis, ut diximus artic. præced. nu. 45. ubi pro hac ſententia plures adduximus Auctores, quam ex noſtris tuetur, & fusè probat Gavat. diſp. 10. cit. quæſt. 4. c. 1. & diximus non valere paritatem in argumento pro oppoſita opinione aſſumptam, quia ſuſceptio Euchariſtiæ non præcipitur tempore Paſchatis ſolùm ob venerationem, & ſolemnitatem temporis Paſchalis, quarè elapſo Paſchatis termino non extinguitur obligatio præcepti, ſed adhuc durat, quia præceptum hoc non eſt, ſicut præceptum jejunandi, vel miſſam audiendi tali die, ſed duo præcepta virtualiter continet, unum communionis ſaltem in anno, alterum communicandi in Paſchate; undè quamvis in hoc ſecundum tali termino alligetur, quia reſpicit illius feſtivitatis venerationem, alterum tamen adhuc perſeverat. Illud tamen in hac ſecunda ſententia mihi quoque moderandum videtur cum Card. de Lugo diſp. 16. de Sacramento Euchariſtiæ ſect. 4. quod nimirum ità perſeveret obligatio communicandi poſt Paſcha, ut ipſa ulterior dilatio novam ſemper afferat culpam, & tantò magis peccatum augeat. Hoc enim, ut ait Lugo, non videtur ſatis conſequenter dici, quia ſi illa duo præcepta diſtinguamus, quorum alterum communicandi in Paſchate amplius non obligat, nec obſervari poteſt, ſolùm manet obligatio alterius præcepti communicandi ſaltem ſemel in anno, hoc autem non obligat ad communicandum potius hoc menſe, quàm illo, ſed ad communicandum ſemel hoc anno, atque ideò non manet obligatio communicandi ſtatim poſt Paſcha, ſed ſolùm communicandi ante finem anni, quod præſertim locum habet in ſententia annum computante à principio Januarii uſq; ad finem Decembris.

55 Tertia Difficultas eſt, An prævidens ſe in Paſchate legitimè impediendum debeat præceptum præventione ſolvere communionem anticipando. Prima opinio affirmat, cujus fundamentum eſt, quia tenemur hoc præceptum ſervare; ergò ubi periculum eſt, ne illud ſervare poſſimus tempore ab Eccleſia præſcripto, tenemur ſaltem illud ſervare tempore anticipato; ſicut anticipare tenemur obſervantiam præcepti de communicando in articulo mortis, ſi periculum ſit, ne tali tempore copiam talis Sacramenti habituri non ſimus. Ità Vaſq. Syl. Nugnus, Fagund. Gavatius ex noſtris loc. cit. & ex parte approbat quoque Car. de Lugo loc. cit. Secunda opinio communior, & probabilior negat, cujus fundamentum eſt, quia nemo obligatur ad anticipandum actum præceptum, niſi per talem actum ſatisfacere poſſit obligationi præcepti, quia lex non obligat, niſi ut impleatur; ſed per communionem illam anticipatam ſatisfit obligationi præcepti, ergo non obligatur ex vi illius legis ad præveniendam, & anticipandam communionem, ſicut nec tenetur hodie ad recitandum officium craſtinum, eo, quod cras ſit habiturus impedimentum. Major de ſe patet, minor probatur, quia antè prædictum tempus præceptum communionis non obligat, quarè ſicut hac ratione qui prævidet ſe in die feſto impediendum ab auditione ſacri, non tenetur anticipare die antecedenti ità neque tenetur communionem anticipare, qui ſe prævidet impediendum in Paſchate. Tùm quia ſi quis in tali caſu communionem anticipaſſet, & poſteà Paſchali tempore impedimentum non occurreret, quod timebat, teneretur adhuc eo tempore, communicare; ergò ſequitur non ſatisfeciſſe anticipando, & conſequenter non teneri anticipatè communionem ſumere. Confirmatur hæc aſſertio ex proximè dictis, quia in hoc præcepto communicandi in Paſchate duo præcepta virtualiter continentur, unum communicandi ſaltem ſemel in anno, alterum communicandi in Paſchate; & quidem ut huic ſecundo ſatisfiat, non eſt obligatio anticipandi, ſicut qui cras officium recitare non poteſt vel Miſſam audire, non tenetur hodie anticipare, nec talis anticipatio ſatisfaceret præcepto, ſed adhuc obligaretur, ſi impedimentum ceſſaret; ſed neque aliud præceptum communionis ſemel in anno obligat ad previdendum, cùm enim hæc obligatio oriatur ſolum ex præcepto communicandi infrà annum, & huic obligationi ſatisfieri poſſit communicando duobus vel tribus menſibus poſt Paſcha, dum ſit antè finem illius anni, non poteſt eſſe obligatio anticipandi ex hoc capite, niſi fortè prævideatur impedimentum per totum annum duraturum, tunc enim deberet in principio ipſius anni obſervari, ſicut qui prævidet ſe in die feſto non auditurum Miſſam horis ſequentibus, debet eam prima hora audire ad obſervandum præceptum. Ità diſcurrit ad verbum Card. de Lugo loc. cit. undè non video ex qua parte primam poſſit approbare ſententiam. Ità Suarez, Reginaldus, Coninch. Azor. Aretinus, & Centinus ex noſtris, & alii paſſim. Amicus tandem diſput. 29. ſec. 5. has opiniones conciliare ſatagit diſtinguendo, quia vel timetur futurum impedimentum pro tempore Paſchali tantum, & ſic non tenetur quis prævenire, cum adhoc non obligetur; vel toto anno, & ſic ait teneri ad communionem anticipandam; & ratio eſt, quia præceptum de communione, ſicut & de Confeſſione, eſt ne ultrà annum differatur; igitur qui prævidet ſe impeditum iri per totum annum, tenetur Communionem, ſicut & Confeſſionem anticipare; & hoc eſt, quod nos quoque nuper dicebamus, & quod probat ratio pro prima opinione adducta, & hoc modò prædictæ opiniones conciliari poſſunt.

56 Quarta Difficultas eſt, An qui tempore Paſchatis communicavit in peccato mortali præcepto Eccleſiæ ſatisfacit; ut ſi ſumat Euchariſtiam non præmiſſa culpabiliter integra confeſſione, vel cum conſcientia peccati mortalis poſt confeſſionem perpetrati. Prima opinio negat, cujus fundamentum eſt, quia Eccleſia hanc communionem præcipit, ut Deus per eam colatur, & animus ſumentis reficiatur, at neutrum per ſacrilegam Communionem fieri poteſt. ergo &c. Ità Durand. Capreolus, Nugnus, Sylujus, Centinus ex noſtris, & quidam alii cenſentes hoc præceptum Eccleſiæ fideles obligare ad dignè communicandum, adeò quod qui indignè communicant, duplicem reatum incurrant, ſcilicet commiſſionis, qui Sacramenro injuriam intulerunt, & omiſſionis, quia non communicarunt, ut oportet. Secunda opinio communior, & probabilior affirmat, eum qui ſcienter, vel ignoranter in Paſchate communicavit in ſtatu peccati, ſatisfacere Eccleſiæ præcepto, itaut poſtea non obligetur iterum ad communicandum eodem anno. Fundamêtum eſt, quia Eccleſia ſolum actum externum communionis præcipit, quem hic integrè ponit, qua ratione ſuprà dicebamus etiam per actum prava intentione infectum præcepto audiendi Miſſam ſatifieri poſſe, dummodò adſit ſufficiens attentio exterior ſuperius explicata, & hoc conſonat etiam doctrinę Soti 4. d. 4. q. 5. in fin. lit. G. ubi habet hæc formalia verba, quod actualiter peccans mortaliter in alio, ſivè in illo actu, poteſt implere præceptum affirmativum etiam in illo actu; ergò ſic pariter in propoſito, qui ſuſcipit Euchariſtiæ Sacramentum, etiamſi indignè ſumat, præceptum communicandi adimplet, etiamſi aliàs per ſacrilegium ſumptionis Euchariſtiæ mortaliter peccet. Confirm. quia præcepta non obligant ad finem, ſed ad ſubſtantiam præcepti, undè dici ſolet, quod finis præcepti non cadit ſub præcepto; ergò licet Eccleſia in hoc præcepto intendat, quod fideles effectum percipiant hujus Sacramenti, id tamen, quod præcipit, ſolùm eſt, quod Sacramentum percipiant; ergò qui re vera hoc ſuſcipi Sacramentum re vera præcepto Eccleſiæ ſatisfacit; undè ſicut præceptum ſuſcipiendi confirmationem, vel ordinem, vel contrahendi matrimonium obſervaretur ab eo, qui indi-

Condenada la prop. 55 de inn. XI.

indignè ea Sacramenta susciperet, ut it Doctor loc. cit. & sicut satisfacit præcepto audiendi Missam, qui eam ex malo fine, & peccaminosè audit, ut modò dicebamus; ità pariter in proposito discurrendum est de præcepto annuæ Communionis, quia hoc præceptum est de Communione Sacramentali, & valida, non autem de fructuosa, & licet Ecclesia in hoc præcepto etiam fructum spiritualem intendat, non tamen præcipit, ut dictum est. Ità Suarez, Vasquez, Coninchius, Henriquez, Corduba, Soto, Lopez, Fagundez, Card. de Lugo, Gavatius, & Aretinus ex nostris, Bonac. & alii passim.

57 Ad fundamentum primæ sententiæ negatur consequentia, quia Ecclesia actum tantùm externum communionis præcipit, non enim potest, vel non solet præcipere, nisi actus externos, quos tantùm cognoscere, & judicare potest; nec refert, quod eum præcipiat ut Deus colatur, & anima reficiatur, quia finis præcepti non cadit sub præcepto, ut dictum est quando actus præceptus potest integrè poni sine illo, ut contingit in casu proposito; tùm quia cultus Dei externus in tali communione secundùm speciem suam integrè servatur. Dices Ecclesia præcipit semel in anno Eucharistiam *reverenter* suscipere, ut dicitur in cap. cit. *Omnis utriusque sexus*, qui autem indignè suscipit non accedit reverenter, quia hæc particula internam animi dispositionem importat; ergò non satisfacit præcepto. Resp. illo verbo *reverenter* præcipi solum ab Ecclesia reverentiam externam, quatenus verò significat quoque reverentiam internam non tam præcipi, quàm instrui, quid jure naturæ fieri debeat; & quidem si Ecclesia etiam internam reverentiam præcipere intenderet, minimè congrueret pœna arcendi ab Ecclesia transgressores, quam ibi imponit, non enim possent Prælati eam exequi contrà sic indignè communicantes, cum talem indignitatem dignoscere nequeant. Dices tandem, debet probare seipsum accedens ad Eucharistiam juxta dictum Apostol. *probet autem seipsum homo*; ergò quia eam sumit indignè, & in peccato mortali, huic præcepto satisfacere non videtur. Respondeo per hoc probari tantùm illum qui cum peccato mortali in Paschate Eucharistiam sumit, peccare contra præceptum divinum quo præscribitur, ut Eucharistia non sumatur indignè, non verò contrà Ecclesiasticum, quo Eucharistiæ sumptio ad tale tempus determinatur. Undè Amic. loc. cit. has quoque opiniones conciliare conatur per præfatam distinctionem de duplici præcepto Eucharistiæ Ecclesiastico, & divino; nam per Ecclesiasticum præcipitur tempore Paschatis actualis Eucharistiæ sumptio quoad substantiam tantùm, & hæc Sacramentalis manducatio salvatur quoad substantiam per voluntariam dumtaxat susceptionem huius Sacramenti; per præceptum verò divinum præscribitur etiam quoad modum, ut scilicet, non sumatur indignè; præcipitur enim à Christo Eucharistiæ sumptio ut medium ad conservandam vitam animæ spiritualem Jo. 6. *Caro mea verè est cibus, qui manducat me, & ipse vivet propter me*, undè non solùm externam, sed etiam internam, & condignam præcipit hujus Sacramenti manducationem; atque ità concludit præfatus Auctor secundam opinionem veram esse loquendo de præcepto Ecclesiastico tantum, primam verò loquendo etiam de divino.

58 Quinta Difficultas est, An ad impletionem hujus præcepti requiratur, ut Eucharistia in propria Parochia sumatur. Affirmativè respondent DD. communiter, hoc etiam expressè deducitur ex ca. cit. *Omnis utriusque sexus*, ubi ab Ecclesia præcipitur, ut fideles omnes saltem semel in anno tempore Paschatis communionem sumant à proprio Sacerdote. & hoc etiam ratio ipsa suadet, ad Pastorem enim spectat pascere oves suas, nec eo invito potest alius licitè mittere falcem in messem alienam; quarè qui in Paschate extrà propriam parochiam communicavit absque sui pastoris consensu præcepto Ecclesiastico satisfeciisse non censetur, etiamsi communicaverit in Ecclesiis Religiosorum facultatem habentium administrandi Eucharistiam, ut Bonacina advertit disp. 4 cit. q. 7. pun. 2. cùm enim privilegium sit in odium juris strictè explicandum est, salvo scilicet jure Parochi, cui Summus Pontifex derogare non præsumitur, nisi de contraria ejusdem intentione expressè constet. Ità etiam Navarrus, Azorius, Henriquez, Reginaldus, & alii passim. Peregrinis autem, & vagis possunt Regulares dare communionem Paschalem, quia nullam Parochiam habent, in qua satisfacere teneantur, in quo conveniunt communiter DD. quos congerit, & sequitur Diana t. 2. tr. 2. de dubiis Regularium resol. 12. Sacerdotes etiam præcepto communionis satisfaciunt quovis in loco celebrent tempore Paschatis, præceptum enim communicandi in propria Parochia ex recepta consuetudine ad eos solùm extendi videtur, qui Eucharistiam ab aliis sumunt, non verò ad Sacerdotes, Laici etiam Religiosis inservientes, ac in eorum Monasteriis degentes, aliisque locis à Parochorum cura exemptis videntur licitè posse communionem etiam tempore Paschatis sumere iis locis, in quibus degunt sicut enim inconsultis Parochis ibi sepeliri possunt, ita etiam ibi Sacramenta sumere posse videntur, ut notat Bonac. loc. cit. censentur enim à Parochiis exempti; omnes verò alii tenentur in propria Parochia Eucharistiam sumere, ut annuæ Communionis præcepto satisfaciant, quia concessa etiam facultate eligendi Confessarium in eo tempore, non intelligitur data facultas eligendi Ministrum Eucharistiæ, ut notat Suar. disp. 72. de Sacramento Eucharistiæ sect. 2.

59 Postremò quæri solet, quæ personæ hoc præcepto adstringantur. Cujus quæsiti resolutio patet ex dictis in principio hujus articuli, constat enim stultos hac lege non teneri, neque pueros antè usum rationis; quando autem pueri, vel puellæ, postquam ad usum rationis pervenerunt, hac lege teneantur, cùm non possit in hoc certa regula præscribi, siquidem aliquibus citiùs, aliis autem tardiùs advenire soleat rationis usus omnes in eo convenire videntur hoc non tam ex eorum ætate spectandum esse, quam ingenii maturitate, & perfecta circa res fidei institutione, quarè ut observat Coninch. qu. 80. ar. 11. dub 4. etsi statim, ac sunt doli capaces, ac peccarunt mortaliter, obligentur etiam lege confessionis; consuetudo tamen Ecclesiæ in Concilio Lateranensi fundata habet, ut non statim ad communionem admittantur, se expectent donec circà hoc mysterium sint sufficienter instructi, quod in illo primo usu rationis sufficienter capere non possunt, ut debitam ei reverentiam exhibeant, & ideò hoc relinquitur prudentium arbitrio, præcipuè tamen parentum, & confessariorum cùm ipsorum curæ, ac regimini sint subjecti. Est tamen aliqua dissentio inter DD. ut Caspensis advertit disp. 9. cit. sec. 7. an ejusmodi pueris, qui peccare possunt, nec adhuc Eucharistiam sumpserunt, danda sit pro viatico in mortis articulo. Negant Vasquez, Hurtadus, & alii ob rationem allatam; quia scilicet pueris prius advenit tempus obligationis præcepti confessionis, quàm Eucharistiæ etiam pro articulo mortis sumendæ, quia nimirum major discretio requiritur, ut quis ad communionem teneatur, quàm ad confessionem, ad hoc enim sufficit, ut inter bonum, & malum discernere sciat; ad illud verò requiritur, quod etiam inter cibum spiritualem, & corporalem, ac inter panem Cœlestem, & communem perfectè discernat, & sic contingere potest, ut puer confiteri quidem teneatur in articulo mortis, non tamen communicare. Alii tamen probabilius affirmant, ut Suarez, disp. 70. sect. 1. Caspens. loc. cit. & plures alii, quorum ratio est, quia articulus mortis est tempus divino præcepto præscriptum habentibus discretionis annos ad Eucharistiam sumendam. Ecclesia verò suo præcepto solum determinavit tempus suscipiendi Eucharistiam extrà mortis articulum, quod ex divino præcepto indeterminatum erat; quamvis ergo Ecclesia quoad annuam communionem pueros omnes non incluserit, sed cum latitudine parentum arbitrio, & confessarii quorum regimini, & curæ sunt subjecti; tamen quoad articulum mortis illa latitudo non est admittenda, quia cùm articulus mortis ex divino præcepto non sit indeterminatus, omninò relictus fuit in suo robore etiam respectu puerorum annos discretionis habentium.

ARTICULUS TERTIUS.

De quinto Ecclesiæ præcepto, scilicet, solvendi Decimas.

60 ULtimum Ecclesiæ præceptum est de solutione decimarum, de quo fusè agit Astesanus noster lib. 6. tit. 35. per plures articulos, quod præceptum habetur c. *Tua nobis*, de Decimis, & aliis Canonibus, quæ ex veteri testamento originem duxerunt, ut Astesanus notat loc. cit. & Toletus l. 6. c. 20. etenim Levit. 13. ex duodecim tribubus, quibus totus populus Judaicus constabat, unam elegit Dominus scilicet, Leviticam, ex qua sibi ministros faceret, & quia hi Divino ministerio occupati agriculturæ vacare non poterant, aliis præcipit tribubus, ut ex terræ fructibus quos colligebant, decimam partem singuli darent in sustentationem hujus tribus, quæ in templo divino ministerio occupata erat, & hæc quota decima dicebatur; quod præceptum cùm esset judiciale cum veteri lege cessavit; quia tamen in nova quoque sunt Ministri Divino cultui intenti, & applicati, Ecclesia instituit, ut eædem decimæ in sustentationem horum Ministrorum solverentur, de quibus nunc breviter agemus, quia magis ad Canonistas hæc matetia spectat, quàm ad Theologos, & pauca pro Confessariis sufficiunt.

61 Primò itaque nomine Decimæ intelligi debet quota bonorum, & proventum Ecclesiæ ministris debita in ipsorum subsidium, & sustentationem, sicut enim Ecclesiæ Ministri nobis spiritualia subministrant, ità quoq; pars est, ut nos ipsis etiam corporalia præstemus, quibus sustentari queant; undè decimarum solutio partim est de jure Divino, & partim de jure positivo

Eccle-

Ecclesiastico; si enim decima cosideretur ut dicit partem aliquam non definitam ad sustentationem ministrorum Ecclesiæ necessariam, debetur ipsis jure naturæ, & divino; jus enim naturæ dictat sustentationem deberi Ministris Ecclesiæ, quia dignus est operarius mercede sua, & hoc etiam dictat jus Divinum juxtà illud 1. Corint. *Qui spiritualia seminat, temporalia metunt*; si verò consideretur decima quantum ad quotam partem determinatam, & definitam, scilicet, quod sit decima, hoc modo nova lege debetur jure positivo Ecclesiastico, quia Ecclesia hanc partem taxavit, ubi in antiqua lege hoc modo considerata erat etiam de jure Divino, quia nimirum Deus tantam partem assignavit esse contribuendam, quod quidem præceptum, cùm morale non fuerit, sed judiciale, post Christi passionem cessavit, ut patet ex dictis 4. sent. disp. 1. de Sacramentis in genere. Quarè præceptum de solutione decimarum, quoad hanc partem est merè Ecclesiasticum, quia detrimento decimæ partis est tempore gratiæ per Ecclesiam instituta, ut, scilicet, non minus populus novæ legis Ministris ejusdem exhibeat, quàm populus veteris legis ministris illius temporis exhibeat. Ità Astesanus noster loc. cit. quem communiter Recentiores sequuntur Azorius, Toletus, Bonacina, Tancredus, & alii passim. Addit ibid. a. 2. ex Hostiensi tres esse decimarum species, scilicet, personales, ut illæ, quæ debentur ex his, quæ proveniunt ex opere personali, & solvuntur ex fructibus quos homo sua acquirit industria, ut ex negotiatione, mercatura, & aliis actibus. Quædam verà sunt prædiales, ut illæ, quæ ex terræ fructibus proveniunt, & debentur, ut oleo, frumento, & aliis hujusmodi, quas solum Judæi solvebant. Aliæ tandem sunt mixtæ, quæ sciiicet, partim ex prædiis proveniunt, & partim ex hominis industria, ut sunt animalium fœtus, qui partim ex pascuis, partim ex animalibus proveniunt interveniente hominis industria in illis alendis, & custodiendis, & hæ sunt decimæ, quæ in lege nova solvuntur, licet non omnes in omnibus locis. & ita etiam discurrunt Auctores supracitati de decimarum speciebus.

62 Secundò conveniunt Doctores teneri fideles, sub peccato mortali decimas solvere Clericis in populi utilitatem laborantibus, ubi tamen est consuetudo solvendi, ubi enim non est consuetudo solvendi, solvere non tenentur, dummodò Parochus suam habeat sustẽtationem, aliàs parochiani ipsum alere tenentur, ubi autem est consuetudo solvendi, illas solvere tenentur, etiamsi Clerici divites sint, vel improbi, quia decimæ Clericis non debentur ob ipsorum inopiam, vel paupertatem, sed ob ministerium, & laborem, quem in populi utilitatem impendunt, quod si non facerent, non possent licitè decimas percipere, sivè pauperes essent, sivè divites; quarè non solventes decimas peccant contra justitiam, quia faciunt contrà jus, quod Clerici habent ad illas exigendas, & consequenter tenentur ad restitutionem, nisi decimas solvant, dùm petuntur juxtà locorum consuetudinem. Notant insuper Doctores ex c. cit. *Tua nobis*, de Decimis, in solvendis decimis prædialibus non esse detrahendas expensas factas in colendis agris, vel fructibus colligendis, aut in meliorandis prædiis vel domibus, neque detrahendum esse seminis æstimatione, aut tributum, vel censum, qui alteri solvitur; sed antè omnia solvendas esse decimas ex omnibus fructibus, antequam expensæ deducantur, vel tributa, aut alia debita; & ratio assignatur cap. cit. quia decimæ solvuntur in recognitionem dominii universalis Dei, quod cum omnia dominia, & jura excedat, & ad omnes fructus se extendat, æquum est, ut in recognitionem dicti dominii antè omnia debita decimæ solvantur. Est tamen inter Doctores aliqua dissensio, an fideles teneantur propriis expensis decimam prædialem in horrea Clericorum e deferre; & quamvis aliqui id affirmant; communior tamen, & probabilior opinio asserit per se loquendo fideles ad id non teneri, quia jus hoc non præcipit, notanter autem dicitur per se loquendo, quia si legitima consuetudine alicubi usus hic sit introductus, ut Laici in horrea Clericorum decimam deferant, servanda erit consuetudo. Ità Bonac. disp. ult. cit. q. 5. pun. 4. in fine plures alios citans, quæ omnia docuit anteà Astesanus noster loc. cit. ar. 3. ubi tractat quibus dari debeant, & à quibus recipi possint decimæ, & docet cum quibusdam antiquis Doctoribus, & Canonistis, quod Clerici, qui sufficienter habent, undè possint vivere secundum statum personæ, possunt decimas recipere, ut procuratores in necessitatem pauperum, & utilitatem Ecclesiæ, non autem in usus proprios, vel malos convertendas, imò si in usus proprios, convertant, subdit sacrilegium committere, si verò in malos, judicium incurrere, quod probat ex D. Augustin. ad Bonifacium.

63 Tertiò conveniunt DD. neminem non baptizatum teneri per se ad solvendas decimas personales, aut prædiales, sivè sit Judæus, sivè Infidelis, sivè Catecumenus, quia isti de manu Sacerdotum Sacramenta non recipiunt, quæ est ratio obligationis decimarum, ut constat ex c. *Transmissa* de Decimis, tùm etiam quia præcepta Ecclesiastica solus baptizatos obligant, qui ei subditi sunt. Nec obstat, quod c. *de Terris* de Decimis dicatur Judæos etiam teneri ad decimarum solutionem; id enim intelligendum non est ex vi juris decimarum, sed ex eo, quia illa prædia, quæ possident, onus reale habebant, & obligationi decimarum obnoxia erant ex Glos. in d. c. *De terris*, ut notat Tancred. de Relig. l. 2. de Decimis d. 9. quia prædia transeunt cum onere, & decima solvenda est illi Ecclesiæ, cui prædia sunt subjecta, ut decernitur c. 4. de Usuris; qua ratione etiam ipsi Clerici, Parochi, & Episcopi decimas solvere tenentur ex bonis, ex quibus decimæ anteà solvebantur, nam una Ecclesia non amittit jus decimæ sibi debitæ, licet prædia ad personam Ecclesiasticam devolvantur, quia semper cum onere transeunt, ut notat Bonac. disp. cit. q. 5. pun. 3. cum Lessio, Reginaldo, Tusco, Moneta, Suar. & aliis; non ergò infideles per se loquendo tenentur ad decimas solvendas, & quamvis Ecclesia ab infidelibus aliquod tributum exigere posset ob expensas in delegandis fidei prædicatoribus in partibus infidelium; tamen hoc imponere non solet etiam infidelibus sibi temporaliter subditis. Regula itaque generalis est solos fideles ad solutionem decimarum teneri, & omnes baptizatos ad illas obligari ex hoc ipso, quod de manu Sacerdotis, cui subjecti sunt, Sacramenta recipere tenentur ex D. Tho. 2. 2. qu. 87. art. 1. & 4. inter quos computandi sunt etiam hæretici, qui hæresim deponere tenentur, & spiritualia à Sacerdotibus recipere; quod si hi sint pauperes valdè, itaut congruam non habeant sustentationem personæ, & familiæ, etiam si tantùm essent in gravi necessitate, non autem extrema, satis probabile est ad decimas solvendas non teneri, quia ipsa inopia pro tunc excusat, nec Ecclesia cum tanto rigore obligare intendit; tenentur tamen decimas solvere, quando ad pinguiorem pervenerint fortunam; si verò ratione extremæ necessitatis decimas non solvunt posteà restituere non tenentur, etiamsi divites fiant, cum omnia in tali casu sint communia, ut patet ex doctrina in superioribus tradita de Restit. in communi. Ità DD. omnes supracitati, & antè ipsos Astesanus noster loc. cit. art. 6.

64 Quartò conveniunt etiam DD. obligationem solvendi decimas posse privilegio Summi Pontificis condonari, & auferri, quatenus decimę dicunt quotam fructuum, ideſt determinatam partem, non autem quatenus dicunt eam partem, quæ ad ministrorum Ecclesiæ sustentationem necessaria est, nisi aliundè provisum sit de necessariis ad illorum sustentationem. Ratio deducitur ex dictis, quia obligatio solvendi decimas, ut dicunt quotam fructuum ideſt determinatam partem, est inducta jure Ecclesiastico, & ideò auctoritate Pontificia auferri potest, res enim per quas causas nascitur, per easdem dissolvitur, ut ajunt Juristæ; quatenus verò dicunt eam partem, quæ ad Ministrorum Ecclesiæ sustentationem necessaria est, auctoritate Papæ auferri non potest, nisi eis aliundè de necessariis provisum sit, quia decima hoc modo considerata debetur jure Divino, & naturæ, in quo Pontifex dispensare non potest. Ità Sylvester, Suarez, Reginaldus, Rebuffus, Azorius, Vasquez, Molfesius, & Moneta, apud Bonacinam disp. cit. q. 5. p. 5. & antè ipsos Astesanus noster loc. cit. art. 2. cum Riccardo 4. dist. 19. q. 2. art. 7. Et eadem ratione asserunt præfati Doctores per consuetudinem etiam, & præscriptionem posse pariter auferri obligationem solvendi decimas, quatenus decima dicit quotam fructuum, ideſt, certam partem illorum, quia si consideretur, quatenus dicit partem fructuum ad sustentationem Ministrorum Ecclesię necessariam, obligatio solvendæ hujusmodi decimæ per consuetudinem abrogari non potest, quia hujusmodi decima debetur jure naturæ, ut suprà dictum est, ac divino, consuetudo autem legem naturalem, vel divinam abrogare non potest. Hoc autem interest inter consuetudinem, & præscriptionem, ut Bonacina advertit loc. cit. quod ad consuetudinem introducendam consensus communitatis requiritur, ad præscriptionem verò sufficit factum personæ particularis, undè consuetudo dicitur, quid juris, præscriptio quid facti, & sicut per consuetudinem acquiritur jus communitati, ità præscriptione acquiritur jus privatis personis; deindè quia ad præscriptionem requiritur bona fides, vel titulus, ad consuetudinem verò minimè. & hæc de Decimis dicta sufficiant, de quibus alia plura videri possunt apud Astesanum nostrum loc. cit.

DISPUTATIO XIII.

DE CENSURIS

ALIISQUE POENIS ECCLESIASTICIS.

3 CCLESIA pro recto animarum regimine non solùm quædam præcepta tulit ad earum salutem valdè utilia, & necessaria, sed ad deterrendos homines à peccatis pœnas etiam quasdam delinquentibus imposuit, quæ Censuræ appellantur, quod quidem nomen ex veteri Romanorum jure desumptum est, ab Ecclesia usurpatum ad pœnam spiritualem significandam, per quam homo baptizatus delinquens, ac contumax bonorum quorumdam spiritualium usu privatur auctoritate ipsius Ecclesiæ, & magis ex dicendis constabit; postquam igitur disputatione præcedenti de præceptis Ecclesiæ tractavimus, in præsenti de pœnis spiritualibus ab ea delinquentibus impositis agendum est.

QUÆSTIO PRIMA.

De Censuris in communi.

1 IN hac Disputatione de Censuris Ecclesiasticis prius de illis agemus in communi ad earum naturam, & essentiam explicandam, quia secundùm Arist. præce, tum 1. Physicorum communia sunt particularibus præmittenda; & cùm plurima sint, & varia, quæ de Censuris in genere à Theologis explicantur, nos ad prolixitatem evitandam ea seligemus, quæ pro ratione nostri instituti magis necessaria sunt, & utilia, & juxtà subtilissimi Doctoris nostri mentem dilucidè explicabimus, ut omnia ad hanc materiam spectantia compendio quidem, sed absque dispendio comprehendamus.

ARTICULUS PRIMUS.

Quid, & quotuplex sit Censura Ecclesiastica.

3 PRimò quoad primam quæsiti partem, ut à nomine ipso exordiamur, censura primò sumi solet generaliter loquendo pro omni judicio de aliqua re, quo notantur illa, quæ in ea re laudari possunt, vel vituperari, quo pacto librorum revisores, & correctores solent censores appellari. Secundò quia apud Romanos constituti erant Censores, quorum munus erat de populi moribus indagare, & indignos honoribus sua sententia repellere, sumitur censura specialiter pro judicio, seù sententia correctiva, aut pro pœna ipsa per eam sententiam imposita, ex quo censuræ vocabulum ab Ecclesia usurpatum est, ut docet Navarrus cap. 27. Tertiò itaque sumitur censura pro pœna correctiva, seù medicinali imposita jurisdictione Ecclesiastica ad correctionem populi Christiani, quo sensu de ea hìc loquimur, & communiter à Doctoribus definiri solet, quod est *pœna spiritualis, & medicinalis pro culpa inflicta, privans usu aliquorum spiritualium bonorum per Ecclesiæ potestatem imposita, ut fidelis baptizatus à contumacia discedat*, dicitur *pœna* quia infligitur ob culpam, & in ejus punitionem; dicitur *spiritualis*, ad excludendas pœnas corporales, & civiles, quibus malefactores à Judicibus sæcularibus puniri solent; dicitur *medicinalis*, quia ut habetur cap. 1. de sentent. excomm. in 6. inflictione censuræ contumax medicinaliter punitur ejus emendationem, & correctionem intendendo, itaut hac posita censura ex sui institutione exigat auferri. Dicitur *privans usu aliquorum spiritualium bonorum*, ideſt, spiritualium actionum, quia non privat bonis spiritualibus habitualibus, sivè permanentibus, v.g. charactere, potestate ordinis, fide, spe, charitate, &c. sed tantùm quibusdam externis, & publicis actionibus, quæ habent spiritualem aliquem effectum, ut sunt sacrificium, administratio, & susceptio Sacramentorum, indulgentia, publica Ecclesiæ suffragia, &c. cùm enim Ecclesia sit horum bonorum dispensatrix, non autem illorum, benè potest istis privare, non autem illis. Quod si etiam aliquando bonis temporalibus, & corporalibus privat per excommunicationem, ut convictu, & consortio humano, id facit secundariò, & indirectè, & inquantum conducunt ad bona spiritualia, & supernaturalia. Dicitur *per Ecclesiæ potestatem imposita*, quia hæc potestas ferendi censuras in sola Ecclesia residet, vel in eis, quibus ab Ecclesia committitur, ut ex dicendis constabit. Dicitur denique *ut fidelis baptizatus à contumacia discedat*, quia hic est finis Ecclesiæ in ferenda censura, & nondùm baptizati non sunt Ecclesiasticæ jurisdictionis, sicque contrà eos censura ferri nequit. Dicitur etiam esse pœna pro culpa inflicta, quia non imponitur censura, nec incurritur, nisi ratione criminis, & non nisi propter culpam, ac etiam gravem iustè imponi potest, ut deducitur ex c. *Nullus* 15. q. 3. & cap. *Sacro* de sentent. excommunic.

5 Secundò, hæc autem censura, de qua hìc est sermo, dicitur Ecclesiastica, quia in sola Ecclesia Dei residet potestas ferendi censuras; quamvis enim hæretici nonnulli hanc potestatem Ecclesiæ negaverint, & præsertim ferendi excommunicationem, quia excommunicatio, & quecunque alia censura in privatione bonorum spiritualium consistat, quibus à nulla creatura potest homo privari, nisi à seipso; fide tamen sancitum est in Concilio Constantiensi sect. 8. & 15. in Ecclesia Dei esse potestatem ferendi censuras, ut constat ex usu, & praxi Ecclesiæ, quæ à temporibus Apostolorum censuras tulit, & præsertim excommunicationem, ut patet ex Canonibus Apostolorum, & ex Conciliis generalibus, & ex innumeris Pontificum decretis; quam veritatem D. Thom. 3. p. q. 1. ar. 2. D. Bonav. 4. dist. 18. qu. 3. Scotus dist. 19. §. *de Quinto*, ex verbis Christi deducunt Matth. 18. dicentis Petro: *Si peccaverit in te frater tuus*, &c. & sequitur: *Si non audierit dic Ecclesiæ, si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus, & publicanus*, & concludit: *Amen dico vobis, quæcunque alligaveritis super terram*, quæ verba, ut explicant præfati DD. intelligenda sunt, non de auctoritate ligandi, atque solvendi in foro interiori, sivè pœnitentiali, sed de auctoritate ligandi, atque solvendi in foro publico, & judiciali, ut etiam declaravit Innoc. III. in c. *Solite*, de major. & obedientia. & ratio est, quia Ecclesia habuit à Christo Domino auctoritatem gubernandi fideles, quando dixit Petro Joan. 21. *Pasce oves meas*, & corrigendi delicta publica illorum verbis admonendo, & per censuras coercendo in foro exteriori, si opus erit; ac proindè in eodem foro privandi baptizatos ipsi rebelles, & inobedientes bonis spiritualibus, quæ ipsius dispositioni, & administrationi subsunt, ut sunt suffragia Ecclesiæ communia, usus ordinum, & beneficiorum, & commercium cum aliis baptizatis, quæ sunt membra Ecclesiæ; quamvis solus Deus bonis spiritualibus merè internis privare possit, ut sunt gratia, virtutes, & dona, & homo possit sua tantùm culpa illis à Deo privari. Hæc autem est potestas ligandi, atque solvendi in foro exteriori, & judiciali; undè ut notat Scot. l. c. potestas ligandi, & solvendi in foro interiori clavis dicitur, quia Cœlum aperit, vel claudit, & potestatem Ordinis necessariò comitatur; potestas verò ligandi, & solvendi in foro exteriori, & judiciali dicitur propriè gladius, quia Ecclesia per censuræ sententiam subditos coercet, & non comitatur necessariò potestatem ordinis; notanter autem dicitur *propriè*, quia etiam hæc potestas latius loquendo Clavis dici potest, quatenus per censuram indignis clauditur Ecclesia, ideſt, communio fidelium per excommunicationem, & aperitur per absolutionem ab ea, seù per reconciliationem.

5 Tertiò prætereà advertit Scotus ibidem loco citato, hanc potestatem tribus vicibus Paulum exercuisse, prima vice 1. Corint. 5. deindè 1. ad Timoth. 1. & tandem ad Galatas 1. nam præfatis in locis aliquos homines pessimos Satanæ tradidit, tradere autem Satanæ in Scriptura Evangelica idem est, quod excommunicare; & plures Patres referunt, quod cùm ab Apostolo aliquis Satanæ tradebatur, statim Dæmon potestatem eos vexandi habebat, & hoc conveniens fuisse in primitiva Ecclesia, & propter terrorem Christianorum, & propter excellentiam Apostolorum; nunc autem tradere Satanæ est aliquem privare Ecclesiæ Sacramentis, ac ejus suffragiis, quibus contrà Diaboli insidias munimur; & planè hanc quoque potestatem ligandi, atque solvendi etiam in foro exteriori, & judi-

& judiciali esse in Ecclesia Dei ipsamet ratio dictat, quia in omni Republica bene ordinata præter potestatem directivam per leges, & præcepta, potestas etiam jurisdictionis exterior esse debet rebelles, & inobedientes coercens, ut scilice puniantur, & corrigantur; ergò etiam in Ecclesia Dei, & Republica Christiana talis potestas esse debet coercendi suos subditos, & rebelles per pœnas Ecclesiasticas correctivas, privando eos usu ministerii Ecclesiastici, vel Sacramentorum, vel communionis in fructu sacrificiorum, orationum, & aliorum bonorum operum, quæ dispositioni ipsius Ecclesiæ subjacent, & hoc tum propter commune bonum ejusdem Ecclesiæ, tùm propter proprium ipsorum fidelium, ut propter censurarum metum à patrandis peccatis retrahantur. Tandem hæc potestas ferendi censuras Ecclesiasticas, sivè in particulari excommunicationem, est de jure divino, quia immediatè hæc potestas à Christo est Ecclesiæ collata, ut ex allatis testimoniis constat, & ideò in extravag. *Unam sanctam*, de major. & obedient. hujusmodi potestas *divina* appellatur, quia ore divino Petro concessa fuit, ejusque successoribus, & ideò D. Chrysost. hom. 4. ad Hebræos, & refertur 11. quæst. 3. cap. 31. dicebat: *Nemo contemnat vincula Ecclesiæ, non enim est homo, qui ligat, sed Christus, qui hanc potestatem dedit*, quamvis autem potestas ferendi censuras Ecclesiæ immediatè à Christo collata fuerit, ut constat ex dictis, censurarum tamen institutio non fuit immediatè facta à Christo, sed ab Ecclesia tantùm, quæ pro arbitrio suo eas instituit, & ordinavit; undè licet potestas ferendi excommunicationem, vel quamcunque aliam Ecclesiasticam censuram sit de jure divino, institutio tamen censurarum est de jure humano Ecclesiastico, ut docent Doctores communiter, quia Christus id suæ Ecclesiæ reliquit, quæ censuras, ut nunc sunt, instituit, & eas fert pro suo arbitrio, quando expedit pro bono fidelium regimine. Ità etiam de potestate ferendi censuras discurrunt Suarez, Henriquez, Avila, Soto, Ugolinus, Vasquez, Valentia, Coninchius, Filliucius Hurtadus, Bonac. & Blundus ex nostris disp. 3. de censuris a. 1. & alii recentiores passim.

6 Quartò quoad aliam quæsiti partem conveniunt Doctores triplicem esse censuram, seù essentialiter in tres præcipuas species dividi, scilicet, in excommunicationem, suspensionem, & interdictum, loquendo de censura Ecclesiastica propriè dicta: & probatur ex Innocentio Tertio in cap. *Quærenti* de verbor. significat. ubi habentur hæc verba: *Quærenti quid per censuram Ecclesiasticam intelligi debeat, cum hujusmodi clausulam in literis nostris apponimus; respondemus, quod per eam non solùm interdicti, sed suspensionis, & excommunicationis sententia valeat intelligi*. Docet ergo Pontifex tres istas esse species censuræ Ecclesiasticæ propriè dictæ, & quidem rationabiliter, quia cuilibet convenit definitio censuræ in communi jam traditæ, cuilibet enim convenit, quod sit pœna medicinalis modo jam explicato, bono spirituali privans; & quælibet est censura distincta ab alia, quia quælibet privat diversis, & distinctis bonis, & diversimodè, ut infrà suis locis patebit de singulis discurrendo. Est tamen difficultas, an præter has tres censuræ species sint aliæ; & quidem Sotus, Medina, Bannes, & alii Thomistæ affirmant, quorum fundamentum est, quia censura est pœna spiritualis privans hominem baptizatum usu aliquorum spiritualium; sed hoc non solùm convenit excommunicationi, suspensionis, & interdicto, sed etiam cessationi à divinis, irregularitati, degradationi, & depositioni; ergò signum est has etiam esse censuras propriè dictas, & consequenter species censuræ plures esse tribus jam enumeratis. Verùm oppositum expressè deducitur ex c. cit. dùm enim Pontifex interrogatus; quid per censuram Ecclesiasticam in literis Pontificiis intelligi debeat, respondet intelligi excommunicationem, suspensionem, & interdictum, eo ipso quod alias non enumerat, sentit tantùm esse tres illas, & non esse plures, aliàs responsio Pontificis, diminuta esset, & quæstionem indecisam reliquisset, si adhuc aliæ species extarent; cùm ergò prædicta Pontificis responsio sit doctrinalis pro tota Ecclesia, dicendum est tres tantùm esse species censuræ propriè dictæ ab eo enumeratas, & non esse plures; quicquid sit sumendo nomen censuræ communiter, & in ampla significatione, nimirum pro quacunque pœna canonica ratione alicujus criminis inflicta; & sic etiam sentit ex nostris Astesanus l. 7. tit. 1. ab initio, ubi ait nomine censuræ Ecclesiasticæ intelligendam esse sententiam excommunicationis, interdicti, & suspensionis, ex c. cit. *Quærenti* de verborum significatione. Tandem in ipsomet jure in cap. 1. &c. *Statutum* de sent. excommunicat. in 6. harum trium censurarum fit tantùm mentio, & nomine censuræ nunquam aliam pœnam jus intelligit.

7 Ad rationem in oppositum neganda est minor, quia censura directè fertur in pœnam delinquentis, cessatio verò à divinis non magis respicit delinquentem, quàm innocentem, cùm tempore cessationis æqualiter omnibus officia cessent, undè non tam est pœna privans hominem usu aliquorum spiritualium, quàm simplex quædam prohibitio. Rursus quia censuræ dicuntur pœnæ medicinales, quia primariò feruntur propter correctionem, & emendationem ejus, qui censura ligatur, & per modum vinculi, quod posita emendatione facilè solvitur; hoc autem non convenit depositioni, degradationi, & irregularitati propter delictum, quæ ex se sunt pœnæ perpetuæ, undè depositio, & degradatio vinculum indissolubile appellatur; censura verò vinculum dissolubile. Item quia censuræ non tollunt propriè ullam potestatem spiritualem, sed eam quodammodo ligant, at irregularitas depositio, & degradatio, quantùm in se est, tollunt ipsam potestatem spiritualem, idque in perpetuum sine spe recuperationis, undè etiam pœnæ priores per absolutionem rei tolluntur, posteriores verò per solam legis dispensationem, seù relaxationem, quæ ex vi sua exigit, ut tale pœnæ sint perpetuæ. Tùm tandem quia in privilegiis Pontificum datur primò generatim facultas absolvendi ab omnibus censuris, & deindè datur speciatim facultas dispensandi in irregularitate ex delicto contracta, signum evidens eam sub nomine censurarum non comprehendi, quæ omnia patent, tùm ex c. 1. de sentent. excommunic. in 6. tùm ex Bullis Pontificum, quibus ejusmodi facultates conceduntur; ex qua doctrina patet, quod non omnis pœna Ecclesiastica est censura; licet omnis censura sit pœna Ecclesiastica, & quod censura se habet ad pœnas Ecclesiasticas, sicut minus commune ad communius. Ità Sayrus, Navarrus, Avila, Henriquez, Suarez, Coninchius, Caspensis, Hurtad. Faber, & Blundus ex nostris, & alii passim.

8 Quintò tandem præter divisionem essentialem censuræ jam assigna am, dividitur ulterius accidentaliter in eam, quæ est à jure, & eam quæ est ab homine. Censura à jure dicitur illa, quæ fertur per Canones, constitutiones, vel statuta Ecclesiastica stabili, ac permanente lege, & tam diù viget, quamdiù ipsa lex, aut Canon vim suam obtinet; censura verò ab homine dicitur, quæ à Judice, vel Superiore fertur, non per modum legis, sed per modum sententiæ judicialis, seù præcepti temporalis, & transitorii, estque vel particularis nimirum circà aliquod factum particulare, aut certas personas; vel generalis, quæ nulla singularis facti, aut personæ determinatione fertur, & hæc censura mortuo Judice cessat. Rursus dividitur censura in eam, quæ est latæ sententiæ, quam, scilicet, jus, aut Judex statuit ipso facto sine alia sententia incurrenda, atque ideò ipso facto incurritur absque alia Judicis sententia; & in eam quæ non est latæ sententiæ, sed comminatoriæ, seù ferendæ sententiæ, quæ proindè antè Judicis sententiam non incurritur; pro quibus dignoscendis considerandæ sunt verba, quibus sententia fertur, tunc enim dicunt Doctores esse latæ sententiæ, quando in lege ponuntur istæ particulæ *ipso facto*, *ipso jure*, *aut latæ sententiæ*, aut si verba sint præteriti, vel præsentis temporis, ut quando dicitur, qui hoc, vel illud fecerit, excommunicatur, suspenditur, vel est excommunicatus, vel suspensus, aut volumus, vel jubemus esse excommunicatum, suspensum, &c. item si verba sint imperativi modi, ut v. g. incidat in excommunicationem, maneat interdictus, &c. & ratio est, quia hæc omnia nullam aliam actionem interponunt. Est autem censura sententiæ ferendæ saltem, ut plurimum, si verba sint futuri temporis, v. g. excommunicabitur, vel suspendetur qui hoc fecerit, vel si verba sint comminatoria, v. g. sub pœna excommunicationis sub interminatione anathematis, &c. nisi tamen ex adjunctis aliud colligatur; si verò verba sint ambigua, tunc judicandum est censuram non esse latæ sententiæ, sed ferendæ, juxtà ragulam 49. juris in 6. quod in dubio circà pœnas benignior interpretatio sit facienda, quia odia non sunt amplianda, sed restringenda, & in mitiorem partem accipienda, & interpetranda, ut est commune, & vulgatum omnium Jurisperitorum, ac Theologorum axioma. Tandem dividitur quoque Censura in justam, & injustam; justa dicitur quæ fertur ab eo, qui legitimam habet auctoritatem, justam ob causam, præviis tribus monitionibus, & servato juris ordine. Injusta verò dicitur, cui aliqua deficit ex prædictis conditionibus, & hæc rursus subdividitur in validam, & invalidam censuram injustam, nihilominus validam eam Doctores esse dicunt, quæ fertur ab eo qui legitimam auctoritatem habet, ob causam sufficientem, & aliqua admonitione præcedente, quamvis aliæ conditiones supradictæ desint. Censuram verò injustam, ac etiam invalidam eam esse dicunt, in qua una ex his tribus deest conditionibus, nimirum, vel quia fertur à non habente legitimam auctoritatem, vel absque sufficienti causa, vel saltem nulla monitione præmissa. Ità Sylvester, Suarez, Sayrus, Ugolinus, Filliucius, Coninchius, Bonacina, & antè omnes Astesanus noster loc. cit.

ARTI-

ARTICULUS SECUNDUS.

Qui possint ferre censuram, & quibus modis sit ferenda.

9 JAm diximus artic. præced. censuras, ut nunc sunt in Ecclesia, à summis Pontificibus institutas fuisse, quia sunt ritus quidam generales toti Ecclesiæ communes, qui proindè ab illis tantùm institui possunt, qui toti Ecclesiæ præsunt, nunc ergò quæritur, in quibus sit, & resideat hujusmodi potestas ferendi censuras à summis Pontificibus institutas; & conveniunt Doctores in illis omnibus, & solis hanc potestate ferendi censuras residere, in quibus est potestas Ecclesiastica, sivè ordinaria, quæ nimirum convenit ex jure ordinario scilicet, ex proprio officio, & munere; vel delegata, seù commissa, quæ scilicet, non conveniunt ex munere dicto modo instituto, sed tantùm ex speciali concessione, & commissione, & judicis ordinarii arbitrio, ex quo deducitur duplicem esse potestatem ferendi censuras; unam ordinariam, quæ ex jure ordinario convenit, sivè divino, sivè humano; aliam verò delegatam, quæ scilicet, alicui convenit ex Judicis ordinarii commissione, & arbitrio; hoc supposito.

10 Primò dicendum est potestatem ordinariam ferendi censuras in Prælatis Ecclesiæ residere habentibus jurisdictionem in foro exteriori non impeditam, ac proindè in Summo Pontifice respectu omnium Christianorum, & præterea in Episcopis, Archiepiscopis, & patriarchis respectu sibi subditorum, ut satis constat ex perpetua consuetudine totius Ecclesiæ; hæc enim potestas ad eorum officium ordinarium spectat, & requiritur, ut habetur in Trident. sess. 6. cap. 3. de Reform. & sess. 14. cap. 4. & in 6. tit. de Officio ordinarii cap. *Ad reprimendam*, & cap. *cum Episcopus*; eandem potestatem ferendi censuras obtinet Legatus à latere Summi Pontificis, ut habetur ex cap. *Legatus* de Officio Legati in 6. eandem quoque habet Vicarius Episcopi, vel Archiepiscopi, ut habetur ex cap. *Licet* de Officio Vicarii, quia Vicarius Episcopi unum tribunal efficit cum ipso; reperitur etiam in Capitulo Cathedrali Sede vacante, quia Episcopo succedit in jurisdictione Episcopali, ut colligitur ex c. *Unico* de majoritate in 6. & idem dicendum de Vicario ejusdem Capituli, ut deducitur ex Tridentino sess. 24. cap. 16. de Reformat. Eandem quoque potestatem habent Cardinales in Ecclesia sui tituli ex cap. cit. de majoritate, quia in Cardinalibus reperitur jurisdictio Episcopalis perpetua in suos Parochianos. Concilia item generalia, & Provincialia ex cap. *Grave nimis* de præbendis. Superiores etiam Religionum ex cap. *Cum in Ecclesiis*, eodem titulo; sub his autem comprehendi dicuntur, Generales, Provinciales, Superiores locales, & à fortiori Congregationes, & Capitula Religionum, quia Superiores Religionum etiam immediati ex privilegio Pontificio ordinario constituti sunt Judices, & Pastores suorum Religiosorum etiam in foro exteriori. Ità Doctores communiter apud Bonacinam disp. 1. de Censuris qu. 1. punct. 2. qui etiam addunt hanc auctoritatem reperiri in multis Archidiaconis, & etiam in Archipresbyteris, & Decanis, sivè ex speciali institutione, & concessione, sivè consuetudine vim juris ordinarii habente, & sic etiam de potestate ordinaria Prælatorum Ecclesiæ ferendi censuras discurrunt Scotus 4. dist. 19. cit. §. De quinto, & dist. 25. q. 1. ubi loquens de Summo Pontifice inquit, quod ille per se, & primariò est Minister in ferendo excomunicationem, cui subiunt, seù cui fideles omnes obedire tenentur, & D. Bonavent. 4. d. 18. par. 8. q. 3. de cæteris Prælatis, quod probat, quia sicut potestas in foro interiori, sivè pœnitentiali collata à Christo immediatè Petro Summo Sacerdoti, per ipsum descendit in omnes Sacerdotes, ità potestas collata à Christo, immediatè Petro, ut supremo Prælato in foro judiciali per ipsum in omnes alios Prælatos descendit, ideſt, in omnes, qui potestatem ordinariam habent alios judicandi in foro judiciali Ecclesiastico, sicut enim habent potestatem ordinariam judicandi fideles subditos, ità etiam eos coercendi per censuras Ecclesiasticas.

11 Secundò est aliqua Difficultas de Parochis, an habeant potestatem ordinariam ferendi censuras in suos subditos saltem pro aliquibus delictis, & quamvis Sylvester verb. Excommunicatio, existimet Parochum habere potestatem ferendæ excommunicationis in furto, & rapina, & similibus casibus; communis tamen opinio oppositum docet, ut videre est apud Bonacinam loc. cit. & ratio est quia Parochis ex vi sui muneris non convenit jurisdictio exterior, & nullibi constat hanc potestatem illis competere ex jure divino, aut humano, nec etiam eorum muneri, vel officio per se necessaria est, quia in eo sunt ordinarii judices in foro exteriori, vel contentioso, sed tantùm in foro interiori, seù pœnitentiali, quia in eo sunt ordinarii Pastores, & hoc etiam docuerunt D. Bonavent. loc. cit. quæst. 4. & Scotus dist. 19. §. De quinto, ubi ait, quod Sacerdotes Parochiales, & alii consimiles in nullo casu excommunicare possunt, nisi in quo invenitur eis expressè concessum, & idem dicit Glossa in cap. *Nemo* 2. q. 1. ità pariter circà hoc punctum discurrunt Doctores communiter, & ex nostris Blundus disp. 3. art. 3. adverti ex Abbat. in cap. 3. de offic. ordin. num. 10. quod si alicubi est consuetudo, ut in aliquibus casibus possint Parochi excommunicare, tunc non est ex proprio munere parochiali, sed ex illa consuetudine, hæc enim interdum jurisdictionem secum affert supposito tacito Pontificis consensu; hac verò consuetudine secluſa Parochus in foro contentioso jurisdictionem non habet ex proprio officio, neque in aliqua causa judicium fere potest; est etiam communior, & probabilior opinio, quod neque Parochus hanc potestatem habeat ex proprio officio pro aliquibus delictis, & in aliquibus casibus determinatis, scilicet, in furto, & rapina, nisi ex aliqua consuetudine, vel privilegio aliquo hoc aliqui habeant, undè potestas excommunicandi jure ordinario solùm ad Episcopos extenditur, & ad eos, qui ex speciali institutione, vel privilegio Episcopalem jurisdictionem participant, vel etiam ex consuetudine, quo fit ut simplices, & communes Sacerdotes nullam talem potestatem habeant, ut docent D. Bonav. & Scotus loc. cit. & Faber cum ipsis disp. 4. de Censuris cap. 2.

12 Tertiò, loquendo de potestate delegata ferendi censuras in illis omnibus, & solis reperitur, quibus delegata fuerit, vel commissa ab habentibus potestatem ordinariam, dummodò sint capaces, quod notanter additur, quia potestas ferendi censuras, nec licitè, nec validè jure ordinario delegari potest nisi homini viatori, & baptizato, siquidem Angelo, vel Beato talis potestas committi nequit, cùm Ecclesia militans, & visibilis per Ministros visibiles gubernari debeat; & sicut non potest excommunicari, nisi baptizatus, quia non baptizatus non est Ecclesiæ subditus, ità non baptizato committi non potest potestas ligandi baptizatos, ut habetur capit. 1. & 3. *de Præsbytero*, *non baptizato ministrante*, quia baptismus est janua Ecclesiæ & Sacramentorum. Item nec licitè, nec validè jure ordinario delegari potest nisi viro, & non fœminæ, ut deducitur ex cap. *Delicta* 12. de majoritate, & obedientia, & ex cap. *de Monialibus*, de sentent. excommunic. & ratio est, quia non videtur deces fœminas assumere ad exercendum spiritualia, & ad judicandum in Ecclesia, ut ait Scotus 4. dist. 25. quæst. 2. Rursus non nisi viro Clerico committi debet, ut patet ex can. *in nona* 16. quæst. 7. undè necessariò requiritur in eo prima Tonsura, per quam in statu Clericali Constituitur; jure enim Ecclesiastico statutum est, ut ille, cui committi debet hæc potestas, non sit Laicus, quamvis non requiratur ordo Sacerdotalis, aut alius ordo sacer, quia potestas ferendi censuras separabilis est à potestate clavium, quia spectat ad forum interiorem, seù pœnitentialem, & necessariò ordinem Sacerdotalem comitatur; & hæc conditio Clericatus est adeò necessaria, ut plurimi Doctores asserant hominem religiosum, si non sit Clericus talis potestatis commissariæ incapacem esse, imò si habens primam Tonsuram, vel quatuor minores sit conjugatus, est etiam hujus commissionis incapax, vel deducitur ex cap. *Sane*, de Clericis conjugati; reputatur enim, ac si esset merè laicus, quoad hanc potestatem. Ità de potestate delegata communiter discurrunt Doctores supracitati, & præsertim Blundus noster disp. 3. cit. a. 4. qui tamen addunt ex commissione Summi Pontificis merè Laicos, qui nec primam Tonsuram habent, posse ferre censuras, quia prima Tonsura solo jure positivo est ad id requisita in quo Papa dispensare potest; imò hac ratione dicunt Doctores aliqui, ut refert Hurtad. Tractat. de Censuris in communi diffic. 4. ex Papæ dispensatione posse hanc potestatem delegari non solùm non Clerico, & multo melius Clerico conjugato, in quo Doctores omnes conveniunt, sed etiam viro non baptizato, imò & fœminæ, quia nimirum merè laicus, & fœmina, & Clericus conjugatus, & non baptizatus ex solo jure Ecclesiastico, in quo Papa dispensare potest, sunt prædictæ potestatis incapaces.

13 Quartò præterea observant communiter Doctores, potestatem delegatam in hoc præsertim ab ordinaria differre, quod habens potestatem ordinariam potest eam alteri communicare, habens verò potestatem tantùm delegatam, alteri eam committere non potest, ut patet ex cap. ultim. De officio legati; & potestatem delegatam ferendi censuras, sicut generaliter judicandi in foro exteriori, ità à potestate delegantis dependere, ut quando potestas delegantis deficit, vel morte, vel alia legitima de causa, etiam deficiat, vel impediatur potestas delegata, undè si nondùm causa inchoata committens moriatur, aut jurisdictionem amittat, vel translatione, vel excommunicatione, vel aliter, in eo cui facta est commissio, etiam potestas delegata cessat, ut constat ex cap. *Licet*, & ex cap. *Relatum*, & ex cap. ult. de

de officio delegati, dicitur autem, *si nondum causa inchoata*, quia causa inchoata firmatur jurisdictio, nec cessat ob mortem delegantis, vel aliam ob causam, ut constat in cap. cit. In hoc tamen conveniunt utraque potestas ferendi censuras, quod sivè sit ordinaria, sivè delegata neutra, nec licitè, nec validè exerceri potest, neque ab excommunicato, neque à suspenso non toleratis, cùm privati sint ab Ecclesia usu jurisdictionis, ac proindè sub præcepto obligare non possunt, & consequenter, nec suis censuris, quia censurarum incursio inobedientiam supponit; quæ non reperitur quamvis non impleatur præceptum excommunicati, aut suspensi præsertim non tolerati, cùm licitum sit subditis non communicare cum illo saltem in actibus jurisdictionis, quibus est privatus; ex quo etiam sequitur, quod Episcopus excommunicatus, vel suspensus non potest alteri committere, vel delegare excommunicandi potestatem, & si committit, factum non tenet, quia per excommunicationem, vel suspensionem potestas illius ordinaria ligata est, ac impedita; hoc autem intelligendum est, si sit publicè, seú manifestè excommunicatus, ut patet ex cap. *Ad probandum*, quia si excommunicatio vel suspensio sit occulta Ecclesiæ, etiamsi nota ei, qui excommunicationem fert, vel aliam censuram, excommunicatio valida est, quia Ecclesia occultè excommunicatum jurisdictione non privat, licet ipse tali potestate utendo graviter peccet; & idem dicendum est de hæretico, & schismatico, si hæresis est manifesta, vel occulta, ut Blundus advertit loc. cit. art. 5. ab initio.

14 Quintò ulterius aliquæ conditiones requiruntur in ferente censuras, ut validè eas ferat, de quibus fusè agit Blundus noster disp. 3. cit. art. 5. præcipuæ autem sunt istæ. Prima, ut habeat legitimam potestatem, quod talis potestas non sit impedita, quia hæc ità se habet, ac si non esset, ut constat, ex modo dictis. Secunda, ut talem habens potestatem liberè ea utatur, quia hæc potestas est moralis, atque ideò usus ejus moralis, & humanus esse debet, talis autem non esset, nisi à voluntate libera procederet, & cùm intentione sic operandi, nam intentio, & voluntas operandi est, quæ dat valorem, & efficaciam actibus humanis cap. *Cum voluntate*, de sentent. excommunic. Est tamen Difficultas, an necessaria sit libertas à coactione, sivè utrum censura metu extorta sit invalida, & quidam affirmant, & probant ex cap. *Unico*, de his, quæ vi, metusvè causa fiunt, ubi dicitur absolutionem à censura metu extortam esse validam; quarè à fortiori dicunt esse invalidam lationem censuræ metu extortam, cùm hæc sit odiosa, absolutio autem favorabilis, & favores sint ampliandi, odia verò restringenda. Communis tamen opinio oppositum docet, quam etiam tenet Blundus loc. cit. ut probabiliorem, quia licet non omnia, quæ ex metu fiunt, sint valida, ut de contractu matrimonii tenet Scotus 4. dist. 29. aliqua tamen valida sunt, ut in proposito censura metu extorta, quia nullo jure irritatur, non quidem jure naturali, quia quamvis eo metu fiat, adhuc tamen est simpliciter voluntaria; deindè non jure aliquo positivo, quia nullum tale reperitur; sicut reperitur de absolutione à censura, undè cùm Pontifex id specialiter de absolutione declaraverit, non autem de latione censuræ, signum est in reliquis nullam factam esse mutationem, & quidem satis rationabiliter, ut Abbas advertit cap. 2. De iis, quæ vi, metusque causa fiunt, quia ad irritandam absolutionem fuit major ratio, quàm ad irritandam lationem censuræ, siquidem quod absolutio per metum extorta sit irrita, est in favorem Ecclesiasticæ potestatis, ut Ecclesiæ Pastores à talibus vexationibus redderentur immunes; sed quod censura metu illata sit irrita, non est favor Ecclesiasticæ potestatis, sed illius in quem censura fertur; ergò non ità irritari debuit absolutio per metum extorta, magis enim prospiciendum fuit favori potestatis Ecclesiasticæ, quàm delinquentis tali favore indigni. Ità Hurtadus loc. cit. difficult. 6. Coninch. disp. 13. de Censuris in Genere dub. 5. & alii Doctores communiter. Tertiò ad validè ferendas censuras requiritur, ut eas ferens adhuc in suos subditos sit intrà locum suæ jurisdictionis, quia jurisdictio contentiosa, qualis est ad ferendas censuras exercetur pro tribunali, in quo quis extrà suum territorium sedere nequit, undè Episcopus extrà suam Diœcesim, existens non potest validè etiam in suos subditos censuras ferre, nisi obtineat consensum ejus, in cujus jurisdictione reperitur, ut patet ex Clementina *Unica*, de foro competenti, excepto eo casu, quo Episcopus à sua Diœcesi esset vi expulsus, tunc enim suos excommunicare potest petita, quamvis non obtenta licentia ab Episcopo loci. Ità etiam Auctores adducti, & alii passim ex eadem Clementina.

15 Denique requiritur, ut in censuris ferendis observetur forma secundum communem Ecclesiæ praxim, ad quam duo præsertim exiguntur, ut notat Abellius cap. 6. de censuris in communi §. 4. Primum est, ut admonitio aliqua præcedat, ut habetur ex cap. *Sacro* de sentent. excommunic. & ex cap. *Statutum*, eodem titulo in 6. & ratio est, quia ut supradictum est, & amplius patebit ex dicendis censura fertur tantum contra contumaces in Ecclesiam, vel Superiorem; non potest autem quis censeri talis, nisi admonitio aliqua præcedat, & regulariter loquendo triplex admonitio præmitti solet secundùm communem Ecclesiæ praxim tribus distinctis dierum aliquorum intervallis, ut habetur in cap. *Constitutionem*, de sentent. excommunicationis in 6. & in cap. *Omnes Decimæ*, 16. quæst. 7. & hoc intelligendum est, ut communiter explicant Canonistæ, nisi necessitas aliqua, vel alia rationabilis causa trinam illam admonitionem, aut plurium dierum intervallum impediat, ut etiam ex eodem cap. colligitur; & hoc rursus intelligendum est de censuris, quæ sunt ab homine, non de his, quæ sunt à jure, istæ namque admonitionem non requirunt distinctam ab ipsa lege, vel constitutione, quæ eo ipso, quo promulgatur, vel notificatur, sufficientem admonitionem continere censetur, illæ verò expressam, & distinctam admonitionem requirunt, ut Doctores communiter docent. Alterum quod requiritur ad formam censuræ est, ut feratur in scripto, quo exprimatur species censuræ, quæ infligitur, nomen illius, cui infligitur, & causa, ob quam infligitur; aliàs ferens censuram solo verbo sine Scriptura mortaliter peccat, ut communiter omnes docent, idque intelligendum est, ut notat Bonacina p. 9. quando censura fertur contrà personam aliquam particularem, & determinatam, quando enim censura fertur generaliter, non potest hoc modo fieri admonitio exprimendo nomen illius, cui infligitur, eo quod delinquentes ignorentur, undè in tali casu sufficit admonitionem fieri in loco publico, ut in Ecclesia coram populo, hac enim admonitione præmissa delinquentes venient in cognitionem censuræ, sufficienterque contumaces dicentur facientes contrà prohibitiones, postquam illius notitiam habuerunt, & planè in censuris ferendis prævia admonitio est adeò necessaria, ut Vasquez, Avila, & plures alii Doctores existiment admonitionem esse de essentia excommunicationis, & Ecclesiam non posse de plenitudine suæ potestatis excommunicare sine prævia admonitione; quod colligunt ex illis verbis: *Si Ecclesiam non audierit, sit sicut Ethnicus, & Publicanus*. Suarez tamen, Cajetanus, Filliuc. Alterius, & alii passim, ut refert Bonacina loc. cit. censent Ecclesiam de potestate absoluta posse censuras ferre sine prævia admonitione, quamvis ordinariè non possit; quia sic colligitur ex cap. in causis de sentent. & de re judic. tùm quia ferre censuras sine admonitione non ità juri naturali, vel divino repugnat, quin Ecclesia de plenitudine suæ potestatis id facere possit, & ad argumentum in oppositum, respondet Bonacina loc. cit. in illis verbis sermonem esse de correctione fraterna, aut de potestate ordinaria ferendi censuras in Ecclesia, non autem de potestate absoluta. Alia plura de hac materia videri possunt apud Bonacinam loc. cit.

ARTICULUS TERTIUS.

Qui possint ligari censuris, & quibus de causis.

16 QUoad primam quæsiti partem conveniunt Doctores posse censuris ligari solos homines, vivos, baptizatos, rationis, & doli capaces, Superiorem habentes, illiusque subditos, à quo censuræ feruntur. Prima ergò conditio de parte subjecti requisita ad censuram incurrendam est, ut sit homo, undè nec creaturæ irrationales, nec Angeli mali censuris ligari possunt, quia non sunt subditi alicui Superiori Ecclesiastico; & quamquis ab Ecclesia quædam imprecationes sint institutæ quibus postulatur à Deo destructio locustarum, & aliorum quorumdam brutorum, quæ fructus terræ devastant, exorcismata tamen illa excommunicationes dici nequeunt, & superstitiosum esset illa verba proferre intentione ferendi censuram, ut ait Navarrus in Summa cap. 27. nam censura fertur propter delictum, & contumaciam, ut dicitur Matth. 18. & propter emendationem illius, cui fertur, quorum animalia bruta non sunt capacia. Secunda, ut sit vivens hac vita mortali, undè infertur, nec mortuos posse censuris ligari, quia Ecclesia non habet jurisdictionem in mortuos, sed in vivos, non enim Dominus dixit, ut Gratianus observat causa 24. quæst. 2. quæcunque ligaveritis sub terra, sed super terram, ostendens, scilicet, quod viventes pro varietate meritorum suorum solvere possumus, vel ligare, de mortuis autem sententiam ferre non possumus, sed horum causa Dei judicio est reservanda; undè quando Ecclesia concedit indulgentias defunctis, hoc facit per modum suffragii, idest, applicando eis partem thesauri Ecclesiæ, non verò per modum absolutionis liberando eos à pœnis purgatorii, ideoque concessio indulgentiarum pro defunctis non est actus jurisdictionis respectu personarum, sed tantùm respectu thesauri

fauri applicati. Nec obstat in Ecclesia mortuos etiam interdum excommunicari, & absolvi, quia ut Doctores communiter docent apud Bonacinam loc. cit. punct. 4. Blundus ex nostris disp. 1. cit. art. 3. ac Faber disp. 4. de excommunic. cap. 3. quando Ecclesia mortuos excommunicat, non est per sententiam condemnatoriam, sed tantùm declaratoriam, quæ respicit præteritum, scilicet, delictum, ob quod incurrit in via, & pœnas ipso jure latas; & idem pariter dicendum de absolutione, & in hoc sensu præcipit, qui in excommunicatione mortui sunt, & absolvi debere, si ante mortem signa contritionis dederint cap. *à nobis* 2. & cap. *Sacris*, de sentent. excommun. ubi Covarruvias, sic loquitur: *Constat Ecclesiam militantem, nec ligare, nec solvere mortuos, sed potiùs declarare eos decessisse ligatos, vel absolutos*, & hoc modo potest illos privare Ecclesiastica sepultura, vel concedere.

17 Deindè tertia conditio est, quod sit baptizatus, quia Ecclesia in personas non baptizatas nullam obtinet jurisdictionem juxtà illud Apostoli; *Quid mihi de iis, qui foris sunt judicare?* quod etiam constat ex c. *Gaudemus*, de divortiis ex cap. *Judæis*, dist. 43. quarè Cathecumenus à fide discedens Ecclesiastica censura ligari non potest, quia sine baptismo nullus est Ecclesiæ subjectus; censura autem est effectus spiritualis Ecclesiasticæ jurisdictionis, sivè potestatis, atque ideò non potest directè, & propriè exerceri, nisi in baptizatos, ut docet D. Bonavent. 4. dist. 18. art. 1. q. 4. & Scotus dist. 19. §. *De quinto*. Quarta conditio est, quod sit rationis, & doli capax, censura enim est peccati pœna, peccatum autem supponit peccatorem esse rationis, & doli capacem; ex quo infertur, nec pueros antè usum rationis, nec perpetuò amentes, qui antè usum rationis in amentiam inciderunt, censuris ligari posse, quia non sunt delicti capaces, propter quod censuras fertur, neque obligationis, seù effectus ejusdem censuræ. Quinta conditio est, quod in terris superiorem habeat. & ratio est, quia sicut in ferente censuram requiritur jurisdictio, tanquam necessaria conditio, ità è contrà in eo, in quem fertur, est necessaria subjectio; ex quo infertur neminem in seipsum censuram ferre posse, quia non potest sibi ipsi esse subjectus; nec Pontificem esse censura ligabilem, quia Superiorem non habet in terris, cui spiritualiter sit subjectus; ipso verò excepto omnis Christianus quacunque dignitate fulgeat, vel excellentia, potest aliqua censura ligari, quia omnis talis habet Superiorem in spiritualibus, ut constat ex illa quæstione, An Reges Christiani, & Principes Superiorem habeant in spiritualibus, & ex usu Ecclesiæ, & Pontificiis decretis. Sexta tandem conditio est, quod sit subditus illius, à quo censuræ feruntur, sicut enim nullus potest legibus suis, aut decretis eos obligare, qui non sunt sibi subditi; sic nec illos ad id pœnis cogere, vel renuentes censuris punire, & ideò de Regulis juris in 6. habetur, quod *sententia, à non suo Judice lata nulla est*. Hic tamen occurrunt aliquæ difficultates breviter resolvendæ.

18 Prima Difficultas est, An Communitas, vel Collegium possit censura ligari. Ratio dubitandi est, quia ad incurrendam excommunicationis censuram requiritur, ut sit homo determinatus, non enim tota universitas, vel Collegium excommunicari potest, ut constat ex c. *Romana*, de sentent. excommun. in 6. & ratio est, quia excommunicatio supponit peccatum, & contumaciam, sed non est præsumendum, quod in Communitate non sint aliqui boni, & obedientes, nullus autem bonus, & innocens excommunicari potest. Communis opinio distinguit de censuris, & inquit censuram suspensionis, & interdicti ferri posse in Communitatem, Capitulum, & Collegium c. *de Sede vacante*, de sent. excomm. in 6. licet excommunicatio ferri non possit. & ratio discriminis est, quia suspensio, & interdictum non sunt pœnæ ità graves, sicut excommunicatio, non enim privant hominem suffragiis, & auxiliis Ecclesiæ, sicut privat excommunicatio, undè absurdum non est innocentes, & bonos aliquando ligari suspensione, & interdicto, quæ solo peccato Principis, vel Superioris à tota communitate incurri potest ex D. Thoma 3. p. qu. 47. artic. 4. ad 2. Ex quo sequitur, quod si sciretur omnes de Collegio, vel communitate deliquisse, posset in tali casu tota communitas non solùm suspendi, & interdici, sed etiam excommunicari; verùm quia id regulariter non contingit, neque scitur; ideò Episcopus non potest excommunicare totam communitatem, vel collegium sic confusè, & collectivè sumptum, sed tantùm distinctè, & distributivè acceptum, undè excommunicatio regulariter loquendo non fertur contrà universitatem absolutè, sed in singulos delinquentes illius communitatis, & contrà particulares personas, quæ sufficienter determinantur per delictum ab ipsis commissum, peccatum enim cùm sit actus physicus est actus singularium solùm, non verò totius universitatis, & ideò solùm singulares personæ communitatis excommunicari debent, qui peccatum commiserunt, cui annexa est excommunicatio. Ità Bonac. l. c. q. 1. punct. 4. n. 11. ubi citat Suar. Rodriquez, Filliuc. Coninchium, Sayr. Ugol. & alios, & ex nostris Blundus l. c. & Rubeus resol. moral. disp. 15. resol. 5. ac Faber disp. 4. cit. de excommun. cap. 3. num. 118.

19 Secunda Difficultas est, An Episcopus possit ferre censuras in suum subditum extrà suum territorium existentem, aut in alienum in suo territorio existentem. Circà hoc punctum plura disputant Suarez, Hurtad. Coninchius, Caspensis, & alii Doctores passim; sed breviter dicendum est extrà territorium Prælati sui delinquentem censura ab eo lata non ligari, ut præsertim ex nostris docent Faber loc. cit. num. 108. & Blund. loc. cit. a. 5. ità enim definitur in cap. 2. §. *Statuto Episcoporum*, de Constit. in 6. ubi ratio redditur, quia *extrà territorium jus dicenti non daretur impunè*, quibus verbis innuitur Episcopum non habere jurisdictionem extrà suum territorium. & idem est, quando quis existit in loco exempto à jurisdictione sui Episcopi, quamvis intrà suum Episcopatum; quia locus ille materialiter tantùm est in territorio talis Episcopi, formaliter autem est extrà territorium illius, cùm sit extrà ejus jurisdictionem; nomine autem loci exempti, quoad hunc effectum intelligitur locus exemptus ratione sui, ut sunt Abbatiæ quædam, & Prioratus aliqui; non autem intelliguntur Religiosorum Monasteria, quia locus Monasterii non est exemptus ratione sui, sed tantùm Religiosi ipsi, qui non ratione loci, sed ratione sui suis Prælatis sunt subditi, sicut filii parentibus, & ideò ubique terrarum possunt à suis superioribus generalibus ligari censuris. Et quamvis in præcitato textu solùm sermo fiat de censura lata per viam statuti generalis, ejus tamen ratio æqualiter militat in censura lata per modum sententiæ, seù præcepti, quia sicut Episcopus limites habet circà personas, ità habet circà locum, ac proindè limites transgredi non debet à jure præfixos, non enim magis statutum, quàm sententia, & præceptum à potestate jurisdictioni praficiscitur; si verò subditus illius Episcopi in proprio ejus territorio delinquat, & posteà in alienum exeat poterit adhuc censura excommunicationis in eum ferri, licet sit extrà territorium ejus, quia jam in proprio territorio deliquit, & ideò propter absentiam non liberatur à pœna crimini imposita; quia ratione delicti fortitur quis forum, ut dicitur in cap. ult. de foro competenti. & ratio id ipsum suadet, quia aliàs Ecclesiastica potestas facilè contemneretur, & defraudaretur quantum ad forum exterius, nam si is non posset excommunicari in territorio, in quo deliquit, quia ab eo exivit, nec posset excommunicari in alieno, ad quod se contulit, facilè Ecclesiasticam jurisdictionem subterfugere posset, ac deludere. Denique potest etiam Episcopus censuram ferre in alienum, & externum in sua Diœcesi delinquentem, undè potest peregrinum, qui in sua Diœcesi delinquit, compellere ad satisfaciendum parti læsæ, & nolentem excommunicare, quamdiù in sua permanet Diœcesi, ut patet expresè ex cap. cit. ult. de foro competenti. & ratio est, quia talis ratione delicti tali Episcopo fit subditus ad illius peccati correctionem, & hic dicendi modus communior est, & probabilior, & conformior iis, quæ diximus disp. 2. de legib. q. 4. a. 4. n. 118. & disp. præced. q. 1. a. 2. n. 17. ubi statuimus probabiliorem esse sententiam affirmantem peregrinos, & advenas teneri legibus ejus loci, per quem transeunt.

20 Tertia Difficultas est, An censura lata contra facientes includat etiam mandantes, & consulentes. Ratio dubitandi est, quia agentes, & consentientes pari pœna puniuntur, ut est commune Juristarum axioma, sed censura est pœna, qua ligantur agentes, mandans verò, & consulens dicuntur consentientes; ergò consulens, vel mandans eadem pœna puniri debet, quia faciens punitur, & consequenter censura contrà facientes lata consulentes etiam, & mandantes afficere debet. Communis tamen DD. sententia apud Bonacinam loco citato punct. 6. asserit censuram latam contrà aliquid facientes non ligare mandantes, vel consulentes, nisi in sententia censuræ exprimantur. & ratio est, inquit, quia ad censuram incurrendam actus perfectus requiritur, quantum lex requirit, sed consilium, vel mandatum non est actus perfectus, quantum lex requirit, nisi exprimatur, quia in odiosis facienda est stricta interpretatio; ergò &c. quarè si contrà furantes excommunicatio lata esset, mandantes, & consulentes furtum eam non incurrent, quia mandans, vel consulens propriè furari non dicitur, cùm mandatum, & consilium furtum præcedant; secus autem dicendum est, quando censura fertur quibusdam verbis, quæ mandantibus, etiam, & consulentibus adaptari possunt, ut si dicatur, quicunque fuerit causa talis delicti, vel qui mediatè, vel immediatè, aut per se, vel per alium illud fecerit, sit excommunicatus, Ad rationem verò dubitandi dicendum est, consentientes non semper eadem pœna puniri, qua puniuntur agen-

agentes, nisi consentientium aliquo ex prædictis modis, & similibus mentio fiat, quia pœnæ sunt restringendæ, & in odiosis facienda est stricta interpretatio, ut dictum est. Ita Bonacina lo. c. cit. Cajetanum, Navarrum, Avilam, Ugolinum, Suar. Reginaldum, Sylvestrum, Alterium, & alios.

21 Sed adhuc alia Difficultas est, An eadem persona mandans, vel consulens si revocat mandatum, vel consilium, antequam delictum committatur, incurrat censuram latam sub prædicta forma, quæ mandantes etiam, & consulentes comprehendat, si post talem revocationem mandatus, vel consultus delictum committat, & quidem Doctores conveniunt revocationem mandati, vel consilii pervenientem ad notitiam mandatarii, vel consulti censuræ incursionem impedire, quia eo ipso mandatum, vel consilium desinit movere seù efficax esse, nec mandans, vel consulens est amplius causa operis, ob quod solùm principaliter censura lata est; quarè difficultas procedit solùm, quando mandati, vel consilii revocatio quantum est ex se efficax est, non tamen adhuc impedit effectum, quamvis mandans, aut consulens omnem ad id diligentiam adhibuerit. Affirmant Navarrus, Molina, Coninch. Bonacina, & alii apud Dianam par. 5. tract. 9. resol. 58. quorum ratio est, quia in tali casu non obstante revocatione mandans, aut consulens adhuc verè est contumax, seù inobediens Ecclesiæ, quæ sub censura mandatum, aut consilium prohibuit. Negant probabilius Avila, Sayrus, Hurtadus, Caspensis, & alii cum Diana loc. cit. ex opposito fundamento, quia per dictam revocationem quantum est ex se efficacem, cessat omninò, & destruitur in obedientia, & contumacia mandantis, vel consulentis. Ecclesia autem non intendit eum censura ligare, qui antè incursionem jam non est inobediens, & contumax, sed efficaciter pœnitens, sicut etiam a censura incursa eum absolvere solet, & debet, quem novit efficaciter pœnitentem inobedientiæ factæ.

22 Quarta Difficultas est, an eadem persona pluribus censuris simul ligari possit, & quidem certum est, & in hoc omnes Doctores conveniunt, propter idem peccatum posse ligari censuris specie diversis, qui enim excommunicatus est potest suspendi etiam, & interdici, si delictum sit dignum tanta pœna; sicut etiam propter diversa peccata, & alterius rationis pluribus censuris puniri potest solo numero differentibus v. g. multis excommunicationibus. Difficultas solùm est, an quando delinquens facit peccata numer. distincta, & propter quodlibet imposita est censura, v. g. excommunicationis, an in tali casu tot excommunicationes incurrat, quot fuerint peccata; & affirmativè respondent Faber, & Blundus l. c. ex D. Bonavent. 4. d. 17. p. 2. art. 1. q. 4. Riccardo ibid. art. 5. q. 2. Alensi 4. p. q. 22. memb. 1. art. 5. & aliis, undè qui facit plures clerici percussiones numero moraliter distinctas, ut diversis vicibus, vel plura clericorum homicidia etiamsi unico actu, vel ictu plures occidat, in tot incidet numero distincta excommunicationes, quot fecerit homicidia numero distincta, & hac ratione pluribus egebit absolutionibus, vel unica omnes illas excommunicationes complectentes; quando verò non multiplicantur causæ, seù peccata, sed eadem sola permanet, & contumacia perseverat, licet ad majorem delinquentis confusionem possit pluries denunciari excommucatus, non tamen erunt plures, & diversæ excommunicationes, sed una plures repetita, undè unica sola sufficiet absolutio; quæ doctrina in eo fundatur principio, quod excommunicatio non fertur, nisi propter peccatum mortale, & mortalem contumaciam, & ideò quandò hæc multiplicatur, est sufficiens causa, ut etiam excommunicatio multiplicetur, ut ex mox dicendis constabit.

23 Quoad aliam quæsiti partem ob quam, scilicet, causam censuræ infligantur, breviter dicendum est censuras infligi ob peccatum mortale exterius opere completum cum contumacia, & hic est communis DD. consensus. Dicitur primò *ob peccatum*, quia pœna, ut justè infligatur, supponit culpam, cùm innocens justè puniri nequeat, & ideò ubi nullum est peccatum, ibi nullus est censuræ locus. Dicitur secundò *mortale*, quia conveniunt Doctores actum illum, ob quem incurritur censura gravis, qualis est excommunicatio major, suspensio ab ordine, interdictum generale, &c. debere esse mortale, ut habetur in Canone. *Nemo Episcoporum*, & c. *Nullus Sacerdotum*, 11. q. 3. & in Concil. Trident. sess. 23. c. 3. de reform. quia cùm hæ censuræ sint pœnæ gravissimæ, essent valdè inæquales peccato veniali, utpotè levi, ac proindè injustæ, ac omninò nullæ, quarè excommunicatio propter percussionem clerici non incurritur ob levem percussionem, etiamsi ex animo mortali lædendi oriatur, quia debet esse materia gravis externa; quod autem spectat ad censuras minus graves, ut excommunicationem minorem, suspensionem levem &c. pro levioribus interdum, & venialibus peccatis infligi possunt. Ità Navarrus, Rodriquez, Suarez, Vasquez, Toletus, & plures alii apud Bonacinam loc. c. punct. 3. Dicitur *exterius*, quia ob peccatum merè internum censura infligi nequit, cùm Ecclesia de rebus occultis, & merè internis non judicet, ut habetur ex cap. *Erubescat*, & cap. *Sic tuis* de Simonia, & cap. *Christiana* 31. qu. 5. & ratio hoc ipsum suadet, quia cùm Ecclesia sit visibilis, actus quem punit, sensibilis esse debet, & externus; hinc non excommunicatur leviter percutiens clericum, esto intentionem mortalem habuisset, sicut nec qui interiùs tantùm lapsus est in hæresim, quam exteriùs non significavit, quia Ecclesia tantùm judicat de externis. Ità Doctores communiter apud Bonacinam loc. cit. licet nonnulli Canonistæ senserint hæreticum purè interiorem incurrere excommunicationem latam contrà Hæreticos.

24 Deindè additur quartò *opere completum*, quia ad incurrendam censuram requiritur effectus perfectus, & completus, quem legislator censura punire intendit, undè si quis ex voluntate occidendi clericum sagittam in eum proiiciat, sed eum non attingat, non incidit in excommunicationem contrà persecutores clericorum latam, etiamsi aliàs graviter peccaverit, & ratio est; quia cùm impositio pœnæ sit odiosa, semper est restringenda, & strictè interpretanda. Ità pariter Doctores omnes apud Bonacinam l. c. propositione quarta, ex qua nonnulla corrolaria deducit scitu digna, quæ apud ipsum videri possunt. Denique additur *cum contumacia*, quia cùm censura sit pœna medicinalis ut dicitur cap. 1. de sent. excomm. non exhibetur per modum ultionis, & vindictæ, sed per modum salutaris medicinæ ad retrahendum hominem à peccato, & consequenter semper admonitionem aliquam præcedentem præsupponit, quæ sine contumacia respui non potest, undè conveniunt Doctores apud Bonacinam loc. cit. non posse pro peccato præterito commisso ferri censuram, sed eam incurrendam requiri contumaciam, undè qui Missam die præterita non audivit non potest excommunicari propter omissionem Missæ, si non erat impositum præceptum Missæ audiendæ sub excommunicatione, quia ferre censuram non præsupposita dicta amonitione jure Canonico vetitum est in c. *Romana* 5. & in c. *Constitutionem* 9. de sent. excomm. in 6. & in c. *reprehensibilis* 26. de appellationibus, & in aliis capitibus juris, ut Hurtadus advertit l. c. diffic. 12. nam Ecclesia non habet facultatem excommunicandi, nisi rebelles, & contumaces ipsam audire renuentes juxtà illud Matth. 18. *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi tanquam Ethnicus, & Publicanus*, qui autem jam peccatum commisit, non fuit contumax rebellis, inobediens Ecclesiæ, eo quod Ecclesia pro tali delicto nullam tulerit prohibitionem sub excommunicatione, vel alia censura; adhuc tamen pro peccato præterito aliqua pœna imponi potest, v. g. privatio officii, gradus, vel dignitatis, vel accedendi ad Eucharistiam pro tanto tempore, sed hæc pœna non est censura propriè dicta. An verò Ecclesia de plenitudine potestatis possit excommunicare, & censuras ferre sine prævia monitione jam dictum est art. præc. n. 15. Et ex præmissa doctrina patet solutio plurium difficultatem, quæ hìc disputari solent, nimirum; An censura possit validè ferri ob peccatum purè internum, An validè ferri possit ob peccatum tantùm veniale; An quando censura fertur ob aliquod peccatum, tantùm fertur ob illud completum in suo genere; & An censura possit ferri ob peccatum exterius absque inobedientia respectu Ecclesiæ, de quibus sigillatim agit Hurtadus loc. cit. Caspensis, Bonacina, & alii passim.

25 Quæres, An ad incurrendum censuram requiratur peccatum proprium, vel sufficiat alienum. Resp. cum Bonac. loc. c. propositione prima, & aliis DD. ab ipso citatis censuram excommunicationis non incurri, nisi ob peccatum proprium ut patet ex c. *Si habes* 24. q. 3. ideoque sancitum est, ut excommunicatio in communitatem ferri non possit, ut constat ex dictis supra num. 18. & ratio est, quia excommunicatio est gravissima pœna, & maximis bonis privans, imposita ob contumaciam ejus, qui eam incurrit, censura verò suspensionis, & interdicti ferri potest ob peccatum alterius, undè ut ibi dictum est, ferri potest in communitatem ob solum delictum Principis, vel Superioris c. *Si sententia*, de excommu. in 6. non enim privant hominem suffragiis, & auxiliis Ecclesiæ, sicut privat excommunicatio, in quo casu non propriè fertur in pœnam illius, qui non peccavit, sed in pœnam delinquentis, qui ad majorem sui confusionem etiam punitur in alio, undè absurdum non est, ut ibi dicebamus, innocentes, & bonos aliquando ligari suspensione, & interdicto.

ARTICULUS QUARTUS.

Quænam causæ ab incurrendis censuris excusent, & quis absolvere possit ab eisdem incursis.

26 QUatuor præcipuè causæ ab incurrendis censuris excusantes à Theologis enumerari solent, ut refert Bonac. disp. 1. cit. quæst. 2. punct. 1. Prima est ignorantia invincibilis, seù inculpabilis tùm juris, tùm facti; pro cujus distinctionis intelligentia recolendum est ex alibi dictis, ignorantiam, vel inadvertentiam, aut oblivionem invincibilem esse, ut optimè declarat Caspens. disp. 1. de Censur. sect. 8. quando nulla ratio occurrit de præcepto, neque dubium, neque scrupulus, qua de causa talis ignorantia vinci non potuit, ideoque dicitur inculpabilis, vincibilem verò è contrà esse, quando se obtulit ratio aliqua præcepti, vel dubium, vel scrupulus, ideoque dicitur culpabilis, quia vinci potuit, tenebatur enim tali ignorantia laborans sufficientem diligentiam adhibere secundùm prudentiam, & circumstantias ad scrutandam illam rationem legis, vel censuræ, quam non adhibuit, & rursus hæc ignorantia vincibilis duplex est, altera dicitur supina, seù crassa, quando scilicet non vincitur, quia ignorans ex tædio didiscendi non curat scire; & altera dicitur affectata, quando nimirum non vincitur, quia ignorans data opera ex fine aliquo vult ignorare, videlicet, vel liberius vivendi, vel ex alio, & ideò perquirere omittit, quæ scire tenetur. Rursus ignorantia alia dicitur esse facti, quia scilicet quis factum suum ignorat, v. g. se occidere hominem, dùm putat se occidere feram; alia dicitur esse juris, sivè naturalis, sivè positivi, qua scilicet quis ignorat suum factum v. g. homicidium esse prohibitum cum pœna censuræ annexæ. Hoc supposito conveniunt communiter DD. ignorantiam invincibilem, & inculpabilem excusare ab incurrenda quavis censura, sivè ea sit facti, ut v. g. si nescias, quem percutis, esse clericum; sivè juris, ut si scias esse Clericum, teque mortaliter peccare percutiendo, nescias tamen percussionem illam sub excommunicatione prohibitam esse; & quidem de ignorantia facti constat ex c. *Si verò* 2. de sent. excom. de ignorantia autem juris constat ex c. *Secundò* const. 6. & ratio est, quia ad incurrendam censuram requiritur contumacia, ut supra dictum est; sed ubi intervenit hujusmodi ignorantia inculpabilis sivè juris, sivè facti, nulla committitur contumacia; ergò nec ulla incurritur censura. Addit Bonac. l. c. cum pluribus aliis etiam ignorantiam pœnæ, idest censuræ ab ejus incursione excusare, v. g. illum, qui sciret quidem percussionem clerici esse divina, & Ecclesiastica lege prohibitam, sed ignoraret sub excommunicationis pœna prohibitam esse, si clericum percutiat, quamvis peccet, nullam tamen incurrere excommunicationem; verùm talem ignorantiam pœnæ tali delicto impositæ à jure delinquentem non excusare ab excommunicationis incursu docet Scot. 4. d. 6. q. 8.

27 Secunda causa excusans ab incurrenda censura est impotentia faciendi id, quod sub pœna censuræ faciendum præcipitur, & hoc intelligendum est, sivè impotentia illa sit physica, sivè moralis tantùm, quando, scilicet, aliquis, vel nullo modo, vel sine gravi incommodo id facere nequit; & ratio est, quia ad impossibile nemo tenetur *L. impossibilium*, ff. de regul. jur. tùm quia Ecclesiæ præcepta benignè sunt accipienda, nec credibile est illam cum tanto rigore obligare velle; tùm tandem quia impotentia faciendi, quod præcipitur, sivè physica, sivè moralis tantùm excusat à peccato, & contumacia; ergò excusat etiam ab incurrenda censura, cùm censura non nisi ob peccatum, & contumaciam incurratur; undè qui propter impotentiam non restituit, non afficitur excommunicatione lata contra non restituentes, vel rei alienæ detentores. Ità Bonacina, loc. cit. punct. 3. cum Navarro, Suarez, Filliucio, Coninchio, Avila, & aliis, qui eodem modo discurrunt, quando quis ob metum aliquem gravem, & cadentem in constantem virum ejusmodi præcepto non obtemperat, quia metus etiam gravis à transgressione præceptorum excusat, & contumacia contrà legem Ecclesiasticam, cùm præcepta Ecclesiæ benignè sint accipienda, ex quo deducitur Christianos captos à Turcis sine incursione censuræ posse remis naves impellere contrà Christianos, siquidem metu mortis hoc faciunt, & ratio hujus est, quia sicut jugum Christi suave est teste Joanne Apostolo, & mandata ejus gravia non sunt, sic etiam par est, ut præcepta quoque Ecclesiæ non sint nimis onerosa, sed piè, ac benignè interpretentur, itaut cum tanto incommodo non obligent. Quamvis autem censuram non incurrat, qui legem ex gravi metu transgreditur, quandoque tamen à gravi culpa non excusatur, ut Bonacina, Layman, Coninchius, & alii advertunt, nam qui metu mortis adulterium committunt, quamvis ab incursione excusentur, si quæ lata esset contrà adulteros, non tamen excusantur à peccato contrà castitatem, & justitiam. Hoc autem diximus de metu gravi intelligendum esse, quia metus levis, quo scilicet, malum leve timemus incursionem censuræ non impedit, ut habetur in c. *Sacris* 5. de iis, quæ vi, metusvè causa fiunt, ubi Pontifex ait; eum qui communicat excommunicatis, quamvis ob metum communicet, excommunicatione teneri, quia metus non excludit omninò culpam, quamvis eam attenuet, cùm pro nullo metu debeat quis peccatum mortale incurrere, quæ verba Pontificis de metu levi DD. communiter interpretantur, ut notat Hurtad. loc. cit. diffic. 23.

28 Tertia causa ab incurrenda censura excusans est appellatio justè, & debitè facta, quæ tamen causa locum habet solùm in censuris sub conditione latis, modò appellatio fiat antè conditionis adimpletionem, undè si Judex, vel Prælatus inferior præcipit alicui sub interminatione censuræ, ut aliquid faciat, vel omittat, si in ejusmodi causa ad Superiorem appellatio fiat antè conditionis illius impletionem, excusabit ab incursione censuræ, non verò post ejus impletionem, v. g. si excommunicatio hoc modo feratur quod præcipitur alicui sub pœna excommunicationis ipso facto incurrendæ, ut compareat coram Judice intrà tres dies, si ex aliqua rationabili causa ab ea sententia appellet antè tres illos dies expletos, per talem appellationem censura suspenditur; non tamen suspenditur, si post tres illos dies appellationem differat; & ratio hujus est, quia per appellationem juridicè factam causa eo ipso ad Superiorem Judicem devolvitur, & jurisdictio inferioris Judicis, qui tulerat censuram sub conditione, suspenditur; undè si prior ille Judex post appellationem interpositam censuram ferre velit, invalidè ferret, cùm ejus jurisdictio sit suspensa. Ità Sylvester, Navarrus, Henriquez, & plures alii apud Bonacinam l. c. pun. 2. Difficultas tamen est, an appellatio excuset à censuris, si posteà deferatur, ut si Titius citetur à Judice ad comperandum, vel restituendum intrà mensem sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, & ipse appellationem interponat, an excusetur ab incurrenda censura, etiamsi appellationem non prosequatur, & ratio dubitandi est, quod in c. *licet* 14. de sent. excomm. in 6. habetur eum, qui est excommunicatus expressè, & nominatim, & asserit se post legitimam appellationem fuisse excommunicatum, esse denunciandum, si tempore præscripto ad prosequendam appellationem non fuit eam prosecutus. Communis opinio docet apud Bon. l. c. appellationem à sententia sub conditione lata excusare ab incurrenda pœna, etiamsi posteà appellatio ipsa fuerit derelicta. & ratio est, quia ut habetur in c. *Si à Judice* 10. de appel. in 6. jurisdictio appellatione impeditur, suspenditur, seù dormiat, ac proindè quamvis posteà appellatio deferatur sententia perfici nequit, si lata fuit, sub conditione, & nequit validè ferri, si omninò feratur post appellationem; & quod in oppositum adducitur ex c. *Licet* 14. est verum quoad præsumptionem in foro exteriori, non autem interiori, quia si non inveniatur prosecutus appellationem, præsumitur, vel non appellasse, vel non appellasse legitimè, ut notat Hurtadus loc. cit. diffic. 25.

29 Quarta denique causa excusans ab incursione censuræ est voluntas, seù consensus illius, in cujus favorem censura lata fuit; undè si quis creditor ab Ecclesiastico Judice sententiam excommunicationis obtineat contrà suos debitores nisi intrà sex menses restituant, proroget verò posteà, inscio illo Judice, terminum illum usque ad annum, debitores elapsis illis sex mensibus excommunicatione non afficiuntur, sed tantùm post annum elapsum. Ità etiam Bonac. loc. cit. pun. 4. Angel. Suar. Filliuc. Coninch. Hurtad. & alii communiter. & ratio est, quia si creditor ille debitum absolutè condonaret, utique censura quoque cessaret ratione materiæ ablatæ, suprà quam censura cadebat, ut omnes concedunt; ergò si suspendatur obligatio debiti concessa prorogatione termini, etiam ipsa censura suspenditur; consequentia patet à paritate rationis, sicut enim se habet debiti condonatio ad tollandam censuram, ità se habet suspensio obligationis debiti ad eam suspendendam, ut rectè discurrit Bonac. loc. cit. nam pro tempore, quo obligatio debiti suspenditur per dilationem termini à creditore concessi, debitores non sunt propriè debitores, sed sunt debitores lapso dilationis tempore, & prorogationis termini. Tùm quia Judex non magis obligare debitorem intendit, quam ipse creditor velit, & intendat, cùm Judex in ejus gratiam, & favorem censuram concedat. Difficultas tamen est, an censura incurratur elapso termino prorogato ab eo, in cujus favorem censura lata fuit; & quamvis aliqui negent, communior tamen, & probabilior opinio affirmat apud Bona. l. c. & ratio est, quia quando terminus aliquis apponitur non ad finiendam, sed ad sollicitandam obligationem, termino illo elapso obligatio non cessat, quia prorogatio fit sub eadem conditione *L. Sed etsi, ff. de precario, & L. Si cum die, ff. de arbitris*, at terminus præfixus in sententia censuræ in favorem

rem creditoris concessæ non fuit appositus ad finiendam solutionis obligationem, sed ad illam solicitandam, ut scilicet, debitor intrà illum terminum solveret, & ne ulterius differret; ergo debitor elapso termino sibi à creditore prorogato solvere tenetur, & non solvendo censuram incurrit, quæ adhuc viget, & ob lapsum termini non extinguitur, tùm quia Judex, ut dicebamus, non minus debitorem obligare intendit, quam ipse creditor velit, & intendat; hic autem debitorem obligare intendit etiam illo termino elapso. Aliæ etiam causæ excusantes ab incurrendis censuris assignari possunt, nimirum innocentia subditi, injustitia materialis censuræ, & nullitas ejus, sivè hæc ex defectu jurisdictionis proveniat, sivè causæ inferendæ censuræ, & denique causæ omnes à peccatis excusantes, excusant etiam saltem in foro interno à censuris, quæ semper peccatum supponunt; sed quatuor jam assignatæ sunt principaliores.

30 Quoad aliam quæsiti partem, quis absolvere possit à censuris incursis, quia de hoc fusiùs agemus q. seq. de excomm. in particulari, breviter nunc dicendum est censuris irretitum posse solùm absolvi ab habente jurisdictionem suprà ipsum, cùm enim absolutio à censuris sit actus jurisdictionis in foro externo, ideò sicut ad eas ferendas non requiritur potestas ordinis, sed jurisdictionis, ut dictum est suprà art. 2. nu. 12. ex Scoto 4. d. 19. §. *de Quinto*, ità pariter ad eas tollendas; quapropter quamvis excommunicatus non possit à peccatis absolvi, nisi prius absolutus sit ab excommunicatione, quia excommunicatus est incapax susceptionis Sacramenti, potest tamen prius absolvi ab excommunicatione, quam absolvatur à peccatis, ut docet D. Th. 3. p. qu. 24. ad 2. Itaque à censuris, quæ nemini reservantur, absolvere potest quilibet habens potestatem absolvendi à peccatis mortalibus, nam eo ipso, quo Superior censuram non reservavit, censetur aliis quoque facultatem absolvendi concessisse, ut patet ex c. *Nuper de sent. excomm.* à censuris verò reservatis absolvere potest, qui eas tulit, vel ejus Superior, aut successor, aut delegatus, ut ex communi DD. consensu docet Bonac. cit. q. 3. punct. 1. & habetur ex c. *Perpetua*, & ex c. *Sacro*, *de sent. excommun.* Pro articulo tamen mortis conceditur omnibus Sacerdotibus quamvis excommunicatis, & non toleratis absolvere à quibuslibet censuris, quando deficit, qui alias extrà eum articulum id facere potest, ut patet ex Trident. sess. 14. cap. 7. sub conditione tamen, aut sub onere, ut qui sic absolutus est, si periculum evadat, coram eo compareat, à quo extrà eum articulum absolvendus erat, executurus id, quod ab eo sibi præscribetur, ut habetur ex c. *Eos de sent. excommun.* in 6. Rursus Episcopi non solum absolvere possunt à censuris latis à se, vel prædecessoribus suis, sed etiam ab omnibus censuris, & casibus reservatis Summo Pontifici, dummodò delicta hujusmodi censuras annexas habentia sint occulta idest, non sint publica, vel notoria, aut famosa, nec ad forum contentiosum deducta, & hoc patet ex Concil. Trid. sess. 24. cap. 6. ubi prædicta facultas Episcopi concessa fuit, ut notat Bonac. loc. cit. possunt etiam sæpè absolvere à censura Papæ reservata propter impedimentum ejus, qui incurrit, vel quando propter senium, morbum, sexum, pauperiem Pontifex adiri non potest, ut notat Hurtad. disp. 15. diff. 3. & idem Bonac. loc. cit. ex Navarr. Sanch. Avila, & aliis. Tandem variis Religionibus præsertim mendicantibus concessa est facultas absolvendi in foro tamen interno tantùm, à variis censuris etiam Papæ reservatis; & per Bullam Cruciatæ conceditur, ut eam habentes semel in vita, & iterum in articulo mortis absolvi possint à Sacerdotibus approbatis ab excommunicationibus Papæ reservatis, etiam in Bulla Cœnæ contentis, excepta excommunicatione hæresi annexa, ut notat Hurtad. loc. cit.

31 Denique quod spectat ad formam absolutionis conveniunt DD. apud Bonac. loc. cit. pun. 5. ad absolutionem à censuris ex parte absolventis nullam certam verborum formam esse necessariam, sed sufficere quæcumque verba ore prolata, vel scriptis expressa, & exarata, quibus sufficienter absolutio exprimatur, & hoc intelligendum est de absolutione in foro interno, quia in foro externo communiter servanda est forma cujusque Episcopatus in absolutione verò solemni à censuris ea servari debent, quæ in Rituali Romano præscribuntur, aut aliis cujusque Diœcesis propriis. Item una censura potest auferri alia remanente, unde qui pluribus censuris est adstrictus, potest absolvi ab una relictis aliis, quia inter eas non est necessaria connexio, cùm non habeant ordinem inter se, veluti peccata, quorum unum remitti, seù absolvi non potest, non absolutis omnibus, cùm ipsorum absolutio non fiat, nisi per infusionem gratiæ, quæ cùm aversione à Deo consistere nequit, quæ quidem aversio in quolibet peccato mortali reperitur; sunt enim censuræ pœnæ, non culpæ, ob culpam commissam inflictæ, & ideò una relaxari potest altera retenta, undè si dicatur, absolvo te ab omni vinculo excommunicationis, suspensionis, & interdicti, si quod incurristi, quantum possum, & tu indiges; valet pro omnibus, ideoque si sic absolutus in Jubileo fortè omisisset invinciliter peccatum censuram habens annexam, scilicet, excommunicationem; posset quis posteà ab eo peccato per quemvis approbatum absolvi, cum non sit amplius reservatum, eo quod censura, ratione cujus tantum erat reservatum, sit sublata. Ità DD. communiter apud Bonac. loc. cit. punct. 6. Deindè ex parte illius, qui absolvitur, duo præsertim requiruntur, scilicet, ipsius absolutionis petitio, non quidem ex necessitate, & essentia absolutionis, sed ex congruitate; & debita satisfactio, si censura lata sit ob damnum alicui illatum, aut saltem sufficiens cautio de illa præstanda; & præterea si censura inflicta sit ob aliquod grave delictum, cujusmodi est Clerici percussio, aut crimen in Bulla Cœnæ contentum, debet absolvendus sub juramento polliceri se non amplius tale crimen patraturum, seque inposterum præceptis Ecclesiæ obtemperaturum, ut deducitur ex c. ex tenore 10. de senten. excomm. ubi tamen observat Bonac. cit. p. ult. hujusmodi juramento opus non esse, dum absolutio impenditur solum in foro pœnitentiæ virtute Jubilæi, aut alterius privilegii, sed tantùm in foro externo, ut reus caveat ab hujusmodi criminibus in futurum patrandis, pro quo citat Alterium lib. 4. disp. 7. cap. 2.

QUÆSTIO SECUNDA.

De Excommunicatione.

32 IN præced. q. de Censura in communi, seu in genere visum est, nunc de ejus speciebus agendum est, & quæ de ipsis censuris in communi hactenus dicta sunt, de unaquaque illarum intelligi debent, cum in iis simili modo conveniant, & par sit illarum ratio, ut habetur c. 1. *de sent. excomm. in 6.* quæ enim essentialiter generi conveniunt, sunt etiam communia, & essentialia speciebus, & primò de excommunicatione agemus, ac ejus affectibus utpotè quæ gravior censura, & pœna aliis existit, ut docet Scot. 4. d. 25. q. 1. posteà de suspensione, & interdicto.

ARTICULUS PRIMUS.

Quid, & quotuplex sit excommunicatio.

33 PRimò ut à nomine exordium sumamus, excommunicatio idem significat, quod à communione separatio; excommunicatus enim dicitur, qui est extrà communionem ejectus, undè communiter definiri solet, quod *est censura, qua quis ab Ecclesiastica communione fidelium separatur*, & sic etiam definitur à Scoto 4. d. 19. §. *de Quintò*, & colligitur 11. qu. 3. c. *Omnis Christianus*, ubi dicitur Christianum per excommunicationem ab Ecclesia communione removeri, & excludi, non quidem exclusione, vel separatione corporali, quæ fit incarceratione, sed exclusione, vel separatione, quæ fit per prohibitionem, ne ipse cum aliis Christianis communicet, nec alii cum eo, ut Scotus declarat loc. cit. quia Christianus per hanc censuram fit extrà communionem Ecclesiæ, quæ fundamentum habet in verbis Matt. 18. *Si Ecclesiam non audierit; sit tibi tanquam Ethnicus, & Publicanus* ideſt excluſus, & segregatus à communione fidelium. Dicitur *Censura*, quia est pœna medicinalis bono spirituali privans, & continetur sub censura, tanquam sub genere, in quo convenit cum suspensione, & interdicto, & differt ab irregularitate, degradatione, depositione, & cessatione à divinis, & aliis inhabilitatibus, vel pœnis, quæ non sunt censuræ propriè dictæ. Dicitur separans à communione fidelium, quia per hanc particulam differt à suspensione, & interdicto, hæc enim formaliter, & præcisè non privant societate cum aliquo neque communione in aliquo bono cum aliis, etenim suspensio privat ministerio Ecclesiastico tantùm, ut sic, quatenus, scilicet est Ministerium, seù usus, & exercitium Clericalis potestatis, & interdictum privat tantum divinis officiis, & bonis, quæ per ipsa participari possunt, ut patebit ex infrà dicendis. Additur *Ecclesiastica*, quia non privat communione, & participatione omnium bonorum spiritualium, sed tantùm aliquorum quæ Ecclesiæ potestati subduntur; non enim privat gratia, & charitate, & aliis virtutibus, ac donis, quæ potestati Ecclesiæ per se, & directè non subduntur, sed privationem gratiæ, & charitatis per peccatum, & contumaciam præsupponit; imò fieri potest, ut quis antequam ab excommunicatione absolveretur, perfectæ contritionis actu gratiam recuperasset; similiter non privat bonis spiritualibus particularibus v. g. effectu orationum, quas aliquis privatim pro

excom-

excommunicato offerre potest; sed tantùm communibus quæ Ecclesiæ dispositioni subiunt, & tria præsertim enumerari solent, ut Toletus advertit l.1. c.4. Primum est exterior conversatio, quæ in mutuo colloquio, & convictu fidelium consistit. Secundum est Sacramentorum participatio. Tertium orationes, & suffragia Ecclesiæ, quibus suos fideles adjuvare curat, & nomine ipsius factis impetrantur bona interna spiritualia. Excommunicatio ergò privat communicatione prædicta, sivè omninò, sivè ex parte, ut sic comprehendamus tam excommunicationem majorem, quàm minorem, & hoc modo explicata excommunicationis definitio utrique convenit, tam majori quàm minori, ut etiam ex nostris docet Blundus disp.2.a.1. licet oppositum doceat Faber disp.4.c.1.nu.12. siquidem quia aliquis separari potest à communione fidelium, seù Ecclesiastica; vel in sacramentis tantùm, ut fit per excommunicationem minorem; vel à Sacramentis, & simul à consortio, & politica societate fidelium, ut sit per excommunicationem majorem: ideò in communi dictum est, quod excommunicatio est exclusio, vel separatio Christiani à communione fidelium, sivè Ecclesiastica; sic enim abstractè sumpta comprehendit separationem à communione fidelium in communi, quæ potest esse ab aliqua communione, vel ab omni communione; & sic majorem', & minorem comprehendit.

34 Secundò excommunicatio ex parte boni, quo privat, propriè, & principaliter dividitur in majorem, & minorem, ut habetur in cap. penult. *de sent. excomm.* in quo utraque excommunicatio definitur dùm dicitur, quod excommunicatio minor separat à perceptione Sacramentorum, & major à communione fidelium, idest ab omni, quia hæc locutio quamvis indefinita, cum doctrinalis sit, æquivalet universali: & ideò excommunicatio major, quæ simpliciter est excommunicatio, ut ait Scotus loc.cit. definitur, quod est ea, quæ à fidelium, & Ecclesiastica communione totaliter separat, & dicitur *totaliter*, quia non solùm excludit à communione Sacramentorum, tam activè, quàm passivè, sed etiam à communione civili, & politica, quæ in confabulatione, mutua salutatione, communi mensa, & hujusmodi consistit; atque hæc censura idem est, quod anathema, quo vocabulo significatur aliquem, tanquam separatum ab omni aliorum communicatione expositum esse abominationi, & detestationi hominum: ac in jure ferè semper excommunicationis nomine intelligitur, & meritò, quia excommunicatio major est simpliciter, & absolutè excommunicatio, quia est totum includens, non solùm privationem susceptionis Sacramentorum, in qua excommunicatio minor consistit, sed etiam privationem aliorum: & per hanc majorem excommunicatus est duplex, scilicet, toleratus, quem fideles vitare non tenetur, & non toleratus, quem tenentur vitare; & quidem post Concilium Constantiense non tolerati sunt hi duo tantùm, primò notorius Clerici percussor, deindè quivis nominatim excommunicatus, undè non teneris vitare eum, quem scis contrà legem peccasse, per quam illi etiam in particulari sub pœna excommunicationis aliquid est vetitum, vel præceptum; requiritur enim, ut per sententiam specialem, & expressam contrà personam in particulari post peccatum commissum censura sit publicata; & sicut excommunicatio non fuit à Christo Domino instituta, & ordinata, sed tantùm ab Ecclesia, ut universaliter de omni censura dictum est q.præc. a.1.n.5. ita dicendum est dictam communicationem etiam in divinis esse prohibitam jure tantùm humano Ecclesiastico, quia excommunicatio major instituta tantum est ab Ecclesia, & non à Christo, quamvis fundata in illis Christi verbis Matth.18. *Sit tibi Ethnicus, & Publicanus.* Excommunicatio verò minor, quæ est excommunicatio secundùm quid, ea est, quæ à fidelium, & Ecclesiastica communione secundum quid, sivè partialiter privat, quia licet à communione fidelium excludat, quæ consistit in perceptione, & participatione Sacramentorum, & hoc passivè tantùm; non tamen excludit à politica, & civili communione, ut habetur in c.cit.penult. *de sent. excomm.* & communiter omnes DD. docent, tam Theologi, quam Canonistæ, qui proindè etiam unanimiter docent causam excommunicationis majoris esse oportere peccatum mortale, & cum contumacia annexum: causam verò excommunicationis minoris posse esse etiam veniale, cum enim incurratur ob unicam tantùm causam, si quis nimirum cum excommunicato majori excommunicatione communicet iis casibus quibus non licet, hoc esse potest peccatum veniale tantùm, ut cum incurritur propter communicationem cum eo in rebus levioribus, ut in mensa, salutatione, &c. & potest etiam esse mortale, ut cum incurritur propter communicationem in rebus gravioribus, & tandem ubi excommunicationis majoris plures sunt effectus, & graves, ut infrà videbimus; excommunicationis minoris unicus tantùm est effectus, scilicet, privatio perceptionis Sacramentorum, & passivæ electionis ad beneficium.

35 Tertiò ex assignato discrimine inter utramque excommunicationem colligitur definitionem minoris esse, quod est Censura Ecclesiastica privans hominem participatione Sacramentorum, hic enim definitur in cit. cap. pen. *de sentent. excom.* & à S.Bonav. dist.18.art.4. quæst. 5. & à Scoto loc.cit. & ab aliis Theologis, & Summistis; & ex hac definitione colligitur proprius, & adæquatus hujus excommunicationis effectus, qui est privare hominem usu, & participatione Sacramentorum, ut expressè habetur ex c. cit. & ex c. *Anobis*, de except. & licet hic effectus excommunicationi quoque majori conveniat, cui excommunicatio minor comparatur per modum partis, dicitur tamen proprius, & adæquatus excommunicationis minoris effectus, quia præcisè hoc solùm operatur in homine tali censura ligato; ex quo sequitur omnes alios actus Ecclesiasticæ communicationis, tàm sacros, quàm civiles, seù humanos licitos esse homini minori excommunicatione ligato, ut expressè habetur in cit. cap. *Anobis* de exceptionibus ubi ponitur particula exclusiva, dùm dicitur. *Tantùm à Sacramentorum participatione est remotus*; ergò reliqua sunt sibi licita; quarè hujusmodi excommunicatus, & Missam audire, & alia divina, quæ Sacramenta non sunt, participare potest, neque privatur communicatione civili, sivè publica, sivè privata, neque jurisdictione, neque Ecclesiasticis suffragiis, ut communiter Theologi docent 4. dist. 18. & 19. nec etiam administratione activa Sacramentorum, undè cætera Sacramenta ministrando, vel non peccat, ut aliqui putant, vel si peccat, tantùm venialiter peccat, nisi faciat in contemptum Ecclesiæ. Quam sententiam probabiliorem existimant Faber, & Blundus ex nostris loc. cit. propter verba Pontificis in c. ult. de Cleric. excomm. ministr. ubi dicit, quod si ligatus excommunicatione minori celebret, peccat *graviter*, sed dùm loquitur de collatione activa Sacramentorum, inquit tantùm *peccat*, & non apponit particulam *graviter*; ergò saltem venialiter peccat, quam sententiam tenet Ledesma, Covar. & alii, & ex professo tuetur Faber loc. cit. contra Suarez, & alios.

36 Quartò præterea quamvis excommunicatus minori excommunicatione peccet mortaliter recipiendo Sacramenta, ut habetur in cap. cit. ubi dicitur graviter peccare, qui celebrat in minori excommunicatione, adhuc tamen valide ea suscipit, quia Ecclesia non irritat Sacramentum, si aliàs debita materia, & forma cum debita intentione à legitimo Ministro applicetur, ut notat Blundus loc. cit. hoc tamen intelligi debet, ut Caspensis advertit cum aliis disp. 3. cit. sect. 15. excepto Pœnitentiæ Sacramento, quod non est validum, quando in eo mortaliter peccatur ex parte recipientis, quia ejus materia est etiam dispositio ad gratiam; & rursus licet hic excommnicatus in receptione Sacramentorum mortaliter peccet, nisi ignorantia, vel aliæ causa excuset, non tamen irregularitatem incurrit, quia non habetur hæc pœna in jure, undè licet celebrans scienter in minori excommunicatione graviter peccet, nullius tamen irregularitatis notam incurrit, ut notant Faber, & Blundus loc.cit. & expressè docet Scotus 4. dist. 13. q. 2. & d. 25. qu. 1. & ratio est, quia talis irregularitas non est contrà sic celebrantem in jure expressa. Item quamvis sic excommunicatus c. cit. de sent. excomm. prohibeatur eligi ad gradus, dignitates, & beneficia Ecclesiastica, adhuc tamen talis electio facta est valida, non irrita, sivè fiat scienter, sivè ignoranter ab electoribus, vel recipiatur scienter ab ejusmodi excommunicato; sed licet sit valida, potest tamen, & debet per sententiam irritari, nam Pontifex in illo c. non dicit electionem illam ipso jure esse irritam, sed esse irritandam, quam opinionem tenent etiam Faber, Blundus loc.cit. cum Ricardo 4.dist.18. art.7. quæst. 4. Quod si aliquando in jure significatur talem electionem esse irritam, intelligendum est post sententiam, & esse irritam declarandam, ut contrà Covarruviam, & alios docent Vasquez, Suarez, Avila, Coninch. Hurtadus, & alii; & hoc intelligendum est de electione ad gradus, dignitates, & beneficia Ecclesiastica, ut dictum est, quia loquendo de electione ad dignitatem laicam, non solùm talis electio est valida, sed neque irritanda. Denique ab hac excommunicatione lata à jure absolvere potest Parochus, & quilibet Sacerdos habens potestatem absolvendi à mortalibus cum non sit reservata. Ità S.Bonav. 4. dist. 18. art.4. quæst.6. Ricardus, Gabriel, Mayr. ibidem, & alii. Est tamen difficultas, an simplex Sacerdos non approbatus ab Ordinario possit ab ea absolvere. Negant plures, affirmant alii, quando sic excommunicatus non habet peccatum mortale, quia quicunque Sacerdos etiam non approbatus, vel jure divino, vel saltem ex permissione Ecclesiæ habet potestatem absolvendi à venialibus, & consequenter ab hac excommunicatione; quando conjuncta non est cum mortali. Ità Tabiena, Armilla, Navarrus, Toletus, Hurtadus, & alii apud Caspensem loc. cit.

37 Quintò ulteriùs præter divisionem essentialem excommuni-

municationis jam assignatam dantur etiam aliæ divisiones accidentales, nam ex consideratione causæ efficientis, sivè ejus, à quo fertur, dividitur in excommunicationem à jure, & ab homine juxtà dicta quæst. præced. de Censur. in communi art. 1. n. 8. quæ duo membra non differunt, eo quia excommunicatio, quæ est à jure non sit quoque ab homine, siquidem omnis excommunicatio est ab homine potestatem jurisdictionis habente; sed quia excommunicatio à jure ea dicitur, quę fertur per Canonem, seu Constitutionem, vel statutum perpetuum obligans sub hac pœna transgressores illius, & tales sunt leges omnes in corpore juris insertæ, vel in extravagantibus Pontificum in quibus ob bonum cõmune, & publicum statuitur, ut aliquid fiat vel non fiat sub hujusmodi pœna, ut est illa, si quis suadente diabolo Clericum percusserit sit excommunicatus. Excommunicatio verò ab homine dicitur illa, quæ fertur à legitimo Judice, servatis juris solemnitatibus in aliqua actione, vel negotio singulari absq; hoc quod stabiliatur jus, vel statum permanens, sed solùm, ut talis actio particularis fiat, vel non fiat ab aliquo, vel aliquibus sub pœna excommunicationis, quod præceptum particulare solùm pro ea actione durat, & ea transacta cessat, ut cùm Judex alicui præcipit sub pœna excommunicationis, ut coram ipso intrà tantùm temporis spatium comparere debeat ad respondendum in jure, & sic de aliis. Undè ut sequitur ex dictis loc. cit. de Censur. in communi, in hoc præcipuè differt excommunicatio à jure ab ea quæ est ab homine, quod illa perpetuò durat etiam mortuo, vel remoto ab officio, qui illam tulit, ut habetur in capit. *finali*, ut docent ibidem Glossa, Panormitanus, & alii Canonistæ communiter; nec tolli potest, nisi à solo Pontifice, qui solus est juris conditor, & suprà jus. Excommunicatio verò ab homine cessat, seù spirat statim, ac moritur, vel ab officio removetur, qui eam tulit. Ità Navarrus, Paludanus, Sayrus, Toletus, & ex nostris Assesanus lib. 7. tit. 1. Faber disp. 4. cit. capit. 1. Blundus disp. 2. art. 2. & alii communiter; deindè excommunicatio ex parte ejus, vel eorum, cui vel quibus infligitur, dividitur in generalem, & specialem, ut habetur cap. *Nobis* de sent. excom. generalis ea est, qua generali edicto excommunicantur omnes, qui hoc, vel illud fecerint, unde non fertur in aliquam, vel aliquas personas determinatè, sed generatim in eos omnes, qui hoc aut illud fecerint, vel non fecerint; specialis verò, seù particularis est illa, quę determinatè fertur in aliquem, vel in aliquos tantum, quod dupliciter fieri potest, vel nominatim ipsas personas exprimendo, aut quando excommunicatio aliquod particulare factum respicit, quod non ad omnes, sed ad certum, vel ad certos aliquos pertinet; ex quo patet, excommunicationem specialem seù particularem, non nisi ab homine ferri solere, jus enim ipsum circà determinatos tantùm, & particulares casus non constituit, sed circa universales. Ità Glossa c. *Relatum* de jurepatronat. & c. *Dolentes* de celebrat. Miss. & de Sim. cap. 33.

38 Sextò ex parte modi, quo excommunicatio fertur benè, vel malè dividitur in justam, & injustam, justa dicitur, quæ fertur ab eo qui legitimam habet auctoritatem, justam ob causam, præviis tribus monitionibus, & servato juris ordine, ut constat ex dictis loc. cit. de Cens. in comm. & docet S. Bonav. 4. dist. 18. p. 2. quæst. 6. illi autem omnes, & soli sententiam excommunicationis ferre possunt, qui legitimam jurisdictionem habent in foro externo Ecclesiastico ordinariam, vel delegatam, etiamsi sint inferiores Episcopo, & necesse est ut talis jurisdictio non sit impedita per aliquam censura Ecclesiasticam, sicut esset in excommunicato notoriè, & ab Ecclesia non tolerato, ut dictum est qu. præced. art. 2. num. 10. & seq. Causa verò legitima, & justa ferendi excommunicationem præsertim majorem est peccatum mortalem, & contumaciæ adjunctum, ut dictum est qu. præced. art. 3. nu. 23. & seq. & non sufficit quodcunque peccatum mortale, sed ut inquit Scot. 4. d. 19. §. *de Quinto* debet esse peccatum enorme, & publicum, undè merito Doctor ibid. quosdam Prælatos reprehendit, quos fatuos vocat, qui faciles sunt ad excommunicandum, & frequentem usum excommunicationis valdè detestatur, quia excommunicatio, inquit, est gladius Ecclesiæ, qui tamen ab Apostolis rarò invenitur extractus, in omnibus enim Epistolis Pauli non invenitur, quod excommunicaverit, nisi tribus vicibus. Tandem ad justam excommunicationem requiritur debita forma in ea ferenda, quæ satis explicata manet ex superiùs dictis quæst. præced. art. 2. num. 14. & seq. quarè injusta excommunicatio dicitur illa, cui deficit aliqua ex conditionibus prædictis. Et ex his patet alia divisio excommunicationis, scilicet in validam, & invalidam, seù nullam, quæ quidem est subdivisio excommunicationis injustæ, nam justa excommunicatio semper est valida, injusta ergò excommunicatio, & nihilominus valida, ea est, quæ fertur à Judice legitimam auctoritatem habente, ob causam sufficientem, & aliqua monitione præcedente, licet aliæ quædam conditiones accidentales desint pertinentes potiùs ad solemnitatem juris, quàm ad substantiam, excommunicatio verò injusta, & invalida dicitur illa in qua deest una ex his tribus conditionibus essentialibus, & ad sustantiam juris pertinentibus, nimirum, quæ fertur à Judice legitimam auctoritatem non habente, vel absque sufficienti causa, aut nulla prorsus monitione præmissa, ut dictum est de validitate, vel invaliditate Censuræ in communi quæst. præced. art. 1. in fin. An verò aliquando excommunicatio obliget in conscientia, licet sit nulla, videatur Faber disp. 4. cit. cap. 3.

39 Denique quando excommunicatio infligitur, sivè à jure, sivè ab homine nulla facta mentione majoris, vel minoris, sed simpliciter, & absolutè DD. communiter docent intelligi debere de excommunicatione majori, & non minori, ità enim in jure declaratum est in c. penult. de sent. excomm. Et ratio est, quam Doctor noster assignat l. c. quia excommunicatio major tantùm est simpliciter, & absolutè excommunicatio, minor verò tantùm secundùm quid, ideò vox illa excommunicationis simpliciter, & absolutè prolata præsertim in sententia ferenda, vel à jure, vel ab homine, majorem excommunicationem indicat, verba enim absolutè prolata sumuntur in significatione sua simpliciter L. *non aliter*, *ff. de leg.* 3. Nec obstat regula juris in 6. quod in pœnis benignior pars, & interpretatio est sumenda; cùm enim ex jure constet, quod vox hac *excom.* absolutè prolata stat pro majori, regula illa non habet locum, licet excommunicatio sit pœna, quia in omni dispositione etiam pœnali verba secundùm jus sunt intelligenda.

ARTICULUS SECUNDUS.

Quinam sint effectus excommunicationis majoris, ubi de primo, & secundo ejus effectu specialiter discurritur.

40 VArii sunt effectus excommunicationis majoris, quidam enim sunt proximi, & immediati, de quibus hic est sermo, alii verò remoti, & mediati, qui præsertim sunt duo; primus est irregularitas, quam incurrit Clericus excommunicatus exercendo actum alicujus ordinis, ut suo loco infrà dicemus; alter est, quod si quis per annum in excommunicatione insordescat, fit suspectus de hæresi, & contrà eum, ut talem, procedi potest ex Trid. sess. 25. cap. 3. & est sententia communis Canonistarum cum Glossa in cap. *Contingit*, de dolo, & contumacia; & ulterius si excommunicatus toto anno in excommunicatione contumaciter persistens sit persona Ecclesiastica, & habeat beneficium, debet illo privari, ut etiam Canonistæ docent cap. *Cùm bonæ*, de ætate, & qualitate, & cap. *Rursus* 11. qu. 3. effectus verò proximi, & immediati, quos hìc inquirimus sunt plures, qui non eodem modo assignantur à Doctoribus, cùm enim excommunicatio major sit censura à communione fidelium, & Ecclesiastica totaliter separans, ut dictum est artic. præced. omnes conveniunt effectum excommunicationis præcipuum, & immediatum esse privare excommunicatum communione fidelium. Verùm, quia communio fidelium pluribus contingit modis, hinc multi particulares effectus insurgunt, qui in illa separatione à communione fidelium continentur, & modo sunt explicandi, & ideò vario modo à DD. assignantur, licet omnes in substantia conveniant, nos autem communiorem, & faciliorem modum eos explicandi assignabimus.

41 Primus itaque effectus excommunicationis majoris est privare excommunicatum saltem non toleratum communibus Ecclesiæ suffragiis, quorum nomine intelliguntur Sacrificium Missæ, orationes, & alia pia fidelium opera, quibus se invicem juvant juxta articulum Symboli *Sanctorum Communionem*, undè ex hoc dicuntur suffragia Ecclesiæ, quia à membris Ecclesiæ fiunt, & hæc sunt duplici differentia, quædam communia, quæ auctoritate publica fiunt, ut sacrificium Missæ, quod nomine totius Ecclesiæ offertur, & orationes ordinatę, vel actiones communes ab Ecclesia institutæ, quæ ab ejus Ministris, ut sic fiunt, & indulgentiæ à Summo Pontifice concessæ; & ab aliis Prælatis inferioribus facultatem habentibus eas concedendi; quædam verò sunt suffragia privata, vel particularia, quæ, scilicet, fiunt non auctoritate publica, sed privata, ut jejunia, & orationes privatæ; conveniunt ergò DD. excommunicationem majorem privare saltem non toleratos communibus Ecclesiæ suffragiis; & ratio à priori hujus est ordinatio, & institutio Ecclesię quæ ità instituit, ut constat ex ipsius usu, & ex variis juribus deducitur præsertim verò ex c. *Nobis* 28. & ex c. *Sacris* 38. de sent. excomm. & hujusmodi præceptum; ne fiant hæc suffragia pro tali excommunicato obligat sub mortali, ut docet D. Thomas quol. 11. a. 9. & DD. communiter, quia materia ex se est gravis; quod non congruè facit Ecclesia, quamvis pia mater, & in bonum ipsius excommunicati, ut vexatio dei intellectum, &

resipiscat, & in bonum commune aliorum, ut terrore contineantur, qua ratione dicitur pœna medicinalis, quia non fertur per modum vindictæ, sed correctionis, & resipiscentiæ. Dices, licet orare pro infidelibus, ut convertantur, & Ecclesia ordinat Missas offerri pro reductione hæreticorum, & schismaticorum, qui sunt excommunicati. Respond. orationes publicas pro infidelibus, & hæreticis fieri posse tantùm indirectè, non autem directè, etenim directè, & per se pro Ecclesia fiunt s. pro ejus dilatatione, vel augmento, & unione. & indirectè tantùm pro illis quatenus tales orationes publicè redundant in bonum infidelium, & hæreticorum, quorum conversione Ecclesia augetur; non ergò licitum est Missas directè offerre pro reductionem hæreticorum, & schismaticorum, neque pro conversione infidelium, sed tantùm pro dilatatione, & ampliatione Ecclesiæ, quamvis dilatanda sit eorum reductione, & conversione, quia tunc directè tantùm pro Ecclesia offeruntur, etiamsi directè redundet quoque in bonum illorum, ut Hurtadus advertit disp. 3. diffic. 2. & Faber ex nostris disp. 4. citat. cap. 4. Dices Ecclesia feria sexta Parasceves etiamsi directè, & per se orat pro hæreticis, & schismaticis · Respondeo cum eiisdem Auctoribus Ecclesiam voluisse ab illa prohibitione generali illum diem excipere, quia eo die speciali modo repræsentatur passio & mors Christi Domini, quæ pro omnibus sufficientissima fuit, & ideò Ecclesia orare voluit, ut pro omnibus hominibus etiam infidelibus, & hæreticis efficax fiat, & hoc ex pietate sua, ut etiam ostendat desiderium salutis animarum illorum, qui etiam extrà ipsam sunt, quod licitè facere potest, quia hoc præceptum, ut excommunicatus talis suffragii communibus privetur, est politivum Ecclesiæ præceptum, & ideò potest in illo dispensare, ut pro eis oretur etiam per se, & directè feria sexta Parasceves ob memoriam Dominicæ Passionis, non tamen aliis temporibus id permitit, undè si extrà eum diem Parasceves qui eas orationes diceret, peccaret mortaliter. Ita Faber loc. cit.

42 Verùm quia, ut supradictum est, excommunicati alii sunt tolerati, cùm quibus licitè possunt, & in humanis, & in diuinis communicare fideles, & alii non tolerati, cùm quibus, scilicet fideles licitè communicare non possunt, nec in divinis nec in humanis, quales sunt post Concilium Constantiense notorius Clerici percussor, & quivis nominatim excommunicatus, & specialiter, ac publicè denunciatus; quamvis DD. conveniant prædictam suffragiorum communium privationem intelligi de non toleratis, & publicè excommunicatis; difficultas tamen est, an intelligatur etiam respectu excommunicatorum toleratorum, seù de occultis excommunicatis, vel licet publicis, non tamen in particulari nominati, ut sunt hæretici omnes, qui sunt excommunicati, non tamen sub propriis, vel æquivalentibus eorum nominibus sunt denunciati, vel nominati, & ob id dicitur excommunicati occulti in comparatione non toleratorum, licet sciatur eos esse excommunicatos. . Prima opinio negat prædictam suffragiorum privationem intelligi respectu excommunicatorum toleratorum, & asserit licere alicui excommunicato nomine Ecclesiæ orare, vel sacrificium offerre, si non fuerit denunciatus nominatim, vel notorius Clerici percussor. Ratio est quia sicut talem excommunicatum vitare non tenemur, ità neque pro illo orare prohibemur, & sacrificium offerre etiam nomine Ecclesiæ. Ità Navarrus, Henriquex, Coninchius, Sayrus, Hurtadus, Ugolinus, & alii. Secunda opinio communior, & probabilior affirmat prædictam suffragiorum communium privationem etiam ad excommunicatos toleratos extendi, & asserit non licere sine mortali suffragia facere pro talibus excommunicatis nomine Ecclesiæ. Ratio est, quia ante extravagantem Concilii Constant. *Ad evitanda* non poterat hoc licitè fieri; ergò neque modò, cùm illa Constitutio solùm sit debita in bonum aliorum fidelium, & nolverit tales excommunicatos relevare in aliquo directè, ut constat ex illis verbis: *Per hoc autem non intendimus ipsos excommunicatos, suspensos, vel interdictos in aliquo relaxare, aut eis quomodolibet suffragari*; si autem liceret pro eis sacrificium offerre, vel alias publicas orationes facere, valdè illa Constitutio excommunicatis faveret; ergò hæc est Ecclesiæ intentio, ut hujusmodi excommunicati non resipiscentes, & in excommunicationem manentes his communibus suffragiis non gaudeant. Confirmatur quia per excommunicationem Ecclesia excommunicatum privat omnibus Ecclesiæ, suffragiis, & hic est potissimus excommunicationis effectus cùm ergò Concil. Constantiense nolit in aliquo excommunicato relevare, illos non facit per talem Constitutionem participes suffragiorum Ecclesiæ, atque ideò nec Sacerdos pro eis orare poterit nomine Ecclesiæ, etiamsi sint tolerati. Nec obstat, quod ex vi illius Constitutionis non cogimus ad vitandum talem excommunicatum, quia hoc est in bonum aliorum fidelium; sed quod non possimus pro eo orare est in medicinam, & bonum excommunicati, ut scilicet, ipse resipiscat, & contumacia eius frangatur. Ità Suarez, Vasquez, Avila, Caspensis, & Blundus ex nostris disp. 4. cit. art. 4. & alii plures, ac etiam Faber loc. cit.

43 Rursus est alia Difficultas, An suffragia communia possint offerri pro excommunicatis contritis, pœnitentibus nondùm ab excommunicatione absolutis. Prima opinio negat, cujus ratio est, quia cum excommunicatio non tollatur, nisi per absolutionem, ità neque ejus effectus, qui est exclusio à suffragiis communibus, undè sicut potest quis esse in gratia, & manere adhuc in excommunicatione, ità similiter cum effectibus excommunicationis. Confirmatur ex capit. *à nobis* 18. & ex cap. *Sacris* 38. de sent. excom. ubi dicitur pro hujumodi excommunicatis jam defunctis etiamsi præcesserint signa manifesta pœnitentiæ, non esse oblationes recipiendas, nec orationes faciendas antè impensam absolutionem; ergò multò minus pro illis viuis. Tandem, quia hoc etiam congruit ad reverentiam, & timorem hujus censuræ, ut illam homines magis timeant, & in majori veneratione habeant. Ità Soto, Suarez, Coninch. Hurtadus, Caspensis, & alii. Secunda opinio, quæ probabilior, & magis pia videtur, affirmat excommunicatum pœnitentem non esse his suffragiis privatum, & consequenter infert posse ea pro illis offerri, licet non publicè. Ratio est, quia credi non potest Ecclesiam, quæ est pia mater, velle à dictis suffragiis, illum excludere, quia jam non est contumax, sed sibi per charitatem conjunctus. Confirmatur, quia excommunicatio justè lata in foro exteriori, sed injustè in foro interiori ob causam præsumptam, & non veram non valet, undè innocens si excommunicetur, non ob id suffragiis Ecclesiæ privatur, ut tenent communiter DD. ex cap. *Alma mater*, cùm illa sententia coram Deo non liget, quia excommunicatio supponit grave crimen cum contumacia, seù rebellione, licet coram Ecclesia in foro exteriori pro excommunicato habeatur; ergò etiam in proposito cùm causa præsumatur in foro exteriori, sed revera non adsit, sequitur, quod suum effectum non habeat quoad forum interius. Denique cessante causa cessat effectus ejus, at excommunicatio est pœna contrà contumacem, & inobedientem Ecclesiæ ordinata; cum ergo hæc tollitur, tollitur quoque excommunicatio in foro interiori, & apud Deum, & ad pristinum statum restituitur, & sic gaudet suffragiis, & aliis bonis, quibus per excommunicationem privabatur. Ità Ricardus, D. Antoninus, Navarrus, Covaruvias, Azorius, Faber ex nostris loc. citat. & plures alii. Nec rationes in oppositum urgent, undè ad primam dicendum est, quod licet excommunicatio in foro exteriori non tollatur, nisi per absolutionem, in foro tamen interiori tollitur etiam per contritionem, & pœnitentiam, & sic cessat ejus effectus; non tamen ob id ab absolutione in foro exteriori liberatur, quia sicut contritio de peccatis includit confessionem in voto; undè contritus confiteri tenetur, quamvis peccatum quoad culpam sit dimissum; ità excommunicatus pœnitens, & contrictus tenetur ad petendam absolutionem in foro Ecclesiæ. Ad Confirmationem dicendum cum Fabro ex illis cap. potius oppositum deduci, nam ibi Papa fatetur aliquem esse posse absolutum in foro interiori, & apud Deum, & tamen esse ligatum apud Ecclesiam, quæ non judicat de occultis, ex hoc enim innuere videtur, quod licet in tali casu orationibus communibus fidelium non privetur, quia tamen Ecclesia id ignorat, non debet prius orare pro illo, quàm absolvat, quia rectus ordo judicii Ecclesiastici hoc postulat, ideò suprà diximus, quod licet pro illo possint suffragia communia offerri, non tamen publicè applicari. Ad ultimum negatur congruum esse, ut ablata culpa, & causa excommunicationis, adhuc ipsa liget, imò hoc est valdè incongruum, & irrationabile, neque hoc est faciendum, ut ipsa magis timeatur, quia timor debet esse rationabilis, ut ait Faber. loc. citat.

44 Denique est difficultas, an excommunicati adhuc in contumacia manentes priventur orationibus, & suffragiis privatis; iam enim supra diximus orationes hujusmodi, & suffragia duobus modis à fidelibus fieri posse, interdum scilicet, privatim, ut singulæ personæ sunt; interdum publicè, ut scilicet, sunt ministri Ecclesiæ, & auctoritate publica, vel ex thesauro Ecclesiæ, ut per indulgentias. & quidem conveniunt Doctores omnes, pro excommunicatis omnibus etiam non toletatis, & in contumacia manentibus posse fieri orationes privatas, & pia opera. & ratio est, quia Ecclesia de facto hoc non prohibuit, ac proindè potest licitè, & fructuosè pro illis privatim orari, & alia suffragia privata offerri; immò addunt etiam in missa in *Memento*, quando mentaliter, & occultè Sacerdos orat, posse hoc facere nomine proprio; licet enim *Memento* sit pars publici officij, nihilominus in eo non prohibetur privatim etiam

etiam orare, pro quibus voluerit Sacerdos; unde non tantum quisque privatus, sed etiam Sacerdos potest, tanquam persona privata pro excommunicatis orare etiam in publicis precibus, & sacro; imò actionem sacrificandi, prout pendet à merito privato operantis offerre, vel ejus in *Memento* in particulari meminisse, imò addit Blundus noster dis. 4. citat. art. 3. non solum Sacerdotem posse, ut privata persona, licitè in Missæ *Memento* pro excommunicato orare, verùm etiam fructum Missæ, qui sibi correspondent, ut privata persona, sivè secundum meritum personale applicare excommunicato applicatione speciali cum Scoto *quol.* 20. §. *De primo*, dummodo id secretè, & occultè fiat. Verùm quamvis hæc sit communissima, & vera omnium sententia, adhuc tamen probabile censet Faber loc. cit. excommunicatum esse etiam privatum fructu suffragiorum, & orationum particularium. & ratio est, quia in sacris Canonibus habemus excommunicatum ejectum esse extrà Ecclesiam, & esse privatum communione fidelium; at in communione fidelium, quæ explicatur in symbolo, ineluduntur nedùm bona, orationes, & suffragia communia Ecclesiæ, quæ scilicet, à Ministris publicis Ecclesiæ fiunt in sacrificiis, & sacris orationibus, sed omnes orationes, & opera pia, quæ fiunt ab unoquoq; fideliũ privatim, ut sunt jejunia macerationes, peregrinatione, & similia. Cæterum à communi sententia recedendum non est, quia Ecclesia de facto id non prohibuit, ut praxis, & cõsuetudo Ecclesiæ ostendit, & hoc valdè consentaneum est Ecclesiasticæ pietati, nec verisimile est Ecclesiam, quæ est pia Mater, velle excommunicatos privare suffragiis quoque, & orationibus privatis, & quandò eos excludit à communione fidelium, excludit ab ea ut includit bona, orationes, & suffragia communia Ecclesiæ non autem particularia, & privata, ut Doctores communiter exponunt, & quamvis Ecclesia id non explicet, in partem favorabiliorem est interpretanda juxtà regulam juris, & id etiam docet ex nostris Astesanus lib. 7. tit. 9. cum aliis antiquioribus ab ipso relatis

45 Secundus excommunicationis majoris effectus est privare excommunicatum à communione Sacramentorum tam activa, quàm passiva, undè communiter Doctores docent, non solum excommunicatum denunciatum, vel notorium Clerici percussorem, verum etiam occultum, & toleratum administrando, vel suscipiendo Sacramẽta mortaliter peccare, ità enim colligitur ex c. *Cum illorum*, & ex cap. *Si quem de sentent. excom.* & ex ca. *si celebrat* de Clerico excommunicato ministrante, & ex c. *Engeltrud* 3. quæst. 4. ubi dicitur excommunicatum esse privatum communionem fidelium, seu Ecclesiastica, quæ quidem communio in participatione Sacramentorum principaliter cõsistit, tam activa, quàm passiva, ideſt in illorum administratione & susceptione; ergò dum excommunicatus Sacramenta administrat, vel suscipit, mortaliter peccat, quia facit contrà Ecclesiæ præceptum ejusq; expressam prohibitionem, & hoc etiam communiter docent Tholog. 4. d. 18. & Scotus d. 13. q. 2. G. & d. 25 q. 1. D. ubi etiam id probat, quia si celebrans in minori excommunicatione graviter peccat ex c. *licet desent. excom.* ut suprà dictum est, multò magis excommunicatus excommunicatione maiori, imò addunt excommunicatum, etiamsi per pœnientiam in gratiam Dei redierit, adhuc licitè non posse Sacramenta administrare, vel suscipere, nisi prius fuerit absolutus. & ratio est, quia per excommunicationem participatione Sacramentorum est privatus; ergo semper coram Ecclesia est privatus, donec ab excommunicatione nõ fuerit absolutus. & Ità præsertim docet Ricardus 4. dist. 18. a. 9. q. 4. Hoc autem diximus intelligendum esse de excommunicato non solùm denunciato, sed etiam occulto, & tolerato, & quia excommunicatus quicumque absque ulla exceptione secundùm jus antiquum Sacramentorum participatione privatus erat, ut patet ex juribus citatis; ergò etiam secundùm jus novum, quia, ut supra dictum est, extravagans Concilii Constantien. nullo modo excommunicatis favere intendit, at valdè faveret, si sine peccato Sacramenta administrare, vel recipere possent, ut Cajetanus advertit in summa, verbo *Absolutio* cum pluribus aliis. Hæc autem omnia intelligenda sunt, ut communiter Doctores advertunt, & Scotus etia loc. cit. ex cap. *Apostolicæ* de Clerico excommunicato ministrante, nisi ignorantia invincibilis, metus mortis, infamia, jactura bonorum, & similia damna excusent, quia censura Ecclesiastica cum tanto rigore non obligat; undè si quis excomunicatus ignorans invincibiliter se esse excommunicatum ignorantia juris, vel facti administraret Sacramenta, vel reciperet, non peccaret mortaliter, quia, ut constat ex disp. de Actibus humanis peccatum non est nisi voluntarium, talis autem ignorantia facit actum omninò involuntarium, item si aliquis excommunicatus occultus, sibi tamen notus, urgente gravi necessitate Sacramenta administraret, vel susciperet v.g. ad evitandam mortem, vel infamiam, vel scandalum, vel gravem jacturam, non peccaret mortaliter, quia lex Ecclesiastica, qualis est de evitando excommunicato in Sacramentorum participatione cum tanto rigore non obligat, ut cum periculo mortis, infamiæ, jacturæ bonorum, & similium. Ita Navarrus, Soto, Sayrus, Layman, Armilla, Emmanuel Sà, Suarez, Faber, & Blundus ex nostris loc. c. & aliis DD. passim. Conveniunt tandem Doctores, ut Hurtadus advertit disp. 4. difficult. 2. excommunicatum posse etiam licitè administrare Sacramenta in casu necessitatis proximi, quia id satis significat Trid. sess. 14. ca. 7. dùm inquit *ex pietate Ecclesiæ omnes Sacerdotes posse pro articulo mortis absolvere quos libet pœnitentes*, sub qua particula *omnes* etiam sacerdos excommunicatus comprehenditur, nam in eo articulo ex voluntate Ecclesiæ suspenditur excommunicatio quoad privationem jurisdictionis, & quoad prohibitionem absolvendi; & hoc intelligendum est, quando non est alius minister, quid id facere possit; sed occurrunt aliquæ difficultates breviter dissoluendæ. Ita etiam Faber loc. cit. cap. 5.

46 Prima difficultas est, an excommunicatus usu, & participatione Sacramentorum fiat irregularis, vel aliam censuram incurrat. Respondetur cum communi Doctorum distinguendo de participatione activa, vel passiva, nam loquendo de passiva excommunicatus per susceptionem passivam Sacramentorum præter peccatum mortalem nullam aliam pœnam, vel censuram incurrit, nisi suscipiendo Sacramentum Ordinis. & ratio est, quia nullus aliquam censuram incurrit, vel pœnam Canonicam, nisi à latere Canonum sit inflicta, ut docet Scotus 4. d. 6. qu. 8. & d. 7. qu. 4. & d. 13. qu. 2. at non reperitur aliquod jus, in quo Pontiex aliquam pœnam infligat excommunicato Sacramenta suscipienti, nisi sit Sacramentum Ordinis; ità enim tradit Innocentius c. 1. *de sent. excom. in 6.* undè excommunicatus suscipiendo ordinem sacrum manet eo ipso suspensus ab executione Ordinis, & si in eo ministret, sit irregularis, hæc enim pœna in jure solùm in susceptione Ordinis sacri est imposita, ut patet ca. 1. & 2. de Schismaticis. Ità Doctores communiter, & ita sentit Scotus 4. d. 25. q. 1. & Blundus, ac Faber cum ipso, quia jus Canonicum sic determinat. Loquendo autem de usu, & participatione activa Sacramentorum certum est è contra apud omnes excommunicatum Sacramenta administrantem fieri irregularem, ut patet ex c. *licet*, & c. ult. de Clerico excomunicato ministrante, & c. *Si quis* 11. q. 3. & ex c. *Is qui*, & c. *Is cui de sent. excom. in 6.* undè quoad irregularitatem incurrendam in usu Sacramentorum non valet paritas de administratione, & receptione Sacramentorum, quia Jura Canonica talem pœnam imponunt administranti, non suscipienti. & ratio discriminis est, & quia administrare sacramenta major longè dignitas est quàm illa recipere. Verùm hoc etiam intelligendum est, nisi sacerdos excommunicatus celebret, vel alios Ordinis actus exerceat ad gravem infamiam evitandam: vel mortis periculum, & aliis casibus supradictis. & ratio est, quia hæc irregularitas contrahitur ex culpa, quæ nulla est in his casibus, ut docet Scotus loc. cit. 4. dist. 13. quæst. 2. & dist. 25. qu. 1. ex cap. *Apostolicæ* de clerico excommunicato ministrante; undè est regula generalis, quod ad incurrendam irregularitatem ex delicto seù culpa, sempre requiritur talis culpa, undè quotiescunque irregularitas contrahitur ex delicto, seù culpa, si quis excusatur à culpa, excusatur etiam ab irregularitate pro tali culpa inflicta & idem quoque dicendum est, si sacerdos Sacramenta administraret ignorans invincibiliter se esse excommunicatum. Ità Navarrus, Corduba, Sayrus, Suarez, & alii Doctores ex cap. *Apostolicæ*, & ex Glossa ibidem.

47 Secunda difficultas est; an Sacramenta suscepta ab excommunicato excommunicatione majori sint valida; supponimus autem hìc cum communi Doctorum. & præsertim ex Scoto 4. d. 13. q. 2. §. *Ad quæstionem*, & dist. 25. quæst. 1. & d. 39. §. *De secundo* non esse idem in jure validum, & licitum; potest enim contingere, quod aliqua actio fiat illicitè, quia contrà prohibitionem Ecclesiæ, & consequenter cum peccato mortali, & tamen sit valida, ut consecratio facta à Sacerdote hæretico, vel Schismatico, si fiat cum debita intentione, & omnibus aliis ad validè consecrandum requisitis; iam autem supra diximus n. 45. excommunicatum excommunicatione majori etiam occultum, & toleratum administrando, vel suscipiendo Sacramenta mortaliter peccare, idque proindè licitè facere; nunc ergò videndum est, an id facet validè, quamvis illicitè, quod prius de susceptione Sacramentorum explicabimus, & posteà de administratione, & in primis certum est hanc difficultatem non habere locum in Sacramento Baptismi, qui antè ejus susceptionem nullus esse potest excommunicatus, ut supra dictum est; nec etiam in sacramento Eucharistiæ, quia istud supponitur factum antè ejus susceptionem; sed tantùm in aliis quinque sacramentis locum habet, quæ fiunt quando suscipiuntur, & administrantur, & quidem de duobus sacramentis, quæ

characterem imprimunt, scilicet, Confirmatione, & Ordine sacro conveniunt Doctores esse valida, si essentialia adsint, scilicet, materia, forma, & intentio ministri, & characterem imprimere, quia de jure divino, cùm hæc adsunt fit sacramentum, sivè suscipiens peccet, sivè non, illa recipiendo, quia hoc non pendet à dispositione suscipientis, licet effectum gratiæ propter suscipientis indispositionem non producant, & idem etiam asserunt de Sacramentis extremæ Unctionis, & Matrimonii, quia ex Christi institutione necessariò perficiuntur, quandò forma materiæ applicatur cum debita Ministri intentione, & ideo Ecclesia nequit ea annullare, undè tale matrimonium inter excommunicatos non dissolvitur, sed ratum habetur, licet effectus gratiæ non sequatur ex defectu dispositionis subjecti recipientis; quod si in horum sacramentorum receptionem contingat excommunicatum non peccare, ob ignorantiam invincibilem, vel aliis rationabilibus de causis jam explicatis, & esse rectè dispositum in eorum receptione etiam per illa sacramenta gratiam recipiet ex opere operato, quia tunc talis effectus, cum sit de jure divino, impediri nequit.

48 Difficultas tamen est de sacramento Pœnitentiæ, an susceptum ab excõmunicato sit validum non obstante excommunicatione. & non est difficultas, si suscipiens illud à mortali non excusetur, quod ex vi communicationis scienter committit suscipiendo illud, quia in tali casu omnes concedunt esse nullum cum peccet mortaliter agendo contrà censuram, quod redundat in defectum materiæ essentialis, scilicet, doloris essentialiter requisiti; sed difficultas est de excommunicato ignoranter, & inculpabiliter recipiente absolutionem sacramentalem à peccatis suis, ut putà quia ignorat, vel oblitus est se esse excommunicatum, & consequenter non absolvitur ab excommunicatione priusquam à peccatis, an illa confessio sit valida, & absolutio sit rata. Negant tale sacramentum esse validum Paludanus, Antoninus, Sylvester, Vasquez, Torres, Hurtado, & alii ex defectu jurisdictionis, quia id est prohibitum ab Ecclesia, à qua excommunicatus est separatus; ergò de illo Judex Ecclesiasticus judicare non potest. Affirmant Cajet. Navarrus, Angelus, Medina, Suarez, Avila, Sayrus, Coninchius, Bonacina, Caspensis, Faber, & Blundus ex nostris, & plures alii, & hoc asserunt non solùm de excommunicato tolerato, quod etiam Adversarii concedunt, si à tali culpa excusetur ignorantia aut inadvertentia invicincibili, sed etiam de non tolerato. Ratio est, quia Ecclesia non intendit punire innocentem, qui autem inculpabiliter Sacramentum pœnitentiæ suscipit est innocens; ergo Ecclesia non intendit eum privare beneficio susceptionis Sacramenti, sed solùm quandò quis est contumax juxtà illud ex cap. 2. de Const. *Res, quæ culpa caret, in damnum vocari non debet*. Confirmatur quia tunc dari possunt omnia requisita ad valorem, & effectum hujus Sacramenti, scilicet, materia, forma intentio, dispositio in suscipiente, & jurisdictio in ministro; neque in eo casu dicendum est Sacerdotem carere jurisdictione absolvendi talem excommunicatum, ut Adversarii putant, quia Ecclesia in tali casu auferre non præsumitur potestatem jurisdictionis Ministro aliàs eam habenti, & proindè absolutio illa censenda est valida; undè qui suæ excommunicationis invincibiliter, oblitus, aut ignorans à peccatis integrè confessis absolvitur, non præmissa absolutione ab excommunicatione, verè & fructuosè absolvitur; nec talem confessionem irritare tenetur; & similiter, quandò instat mors excommunicati adeò repentina, ut non sit tempus eum prius ab excommunicatione absolvendi, tunc absolutio à peccatis adhuc est valida, sivè confessarius id faciat ex ignorantia, sivè bona fide. & ratio hujus est, quia excommunicatus in his, & similibus casibus per censuram non fit incapax absolutionis, etsi prohibeatur eam recipere priusquam absolvatur à censura; & ut inquit S. Bonav. 4. d. 18. a. 4. q. 4. licet excommunicatus Ecclesiæ prohibitione privetur Sacramentorum participatione, tamen illa prohibitio non est irritatio juxtà regulam Juris, *Multa prohibentur, quæ tamen facta tenent*. Imò piè credendum est Ecclesiam, ut piam Matrem, non intendere in his casibus excommunicatum suspendere à Sacramentorum participatione, sed excommunicationem suspendere, ut constat ex dictis suprà n. 45. in fine.

48 Tertia difficultas est; an Sacramenta administrata ab excommunicato excommunicatione majori sint valida, & rata. Conveniunt Doctores omnia Sacramenta præter pœnitentiam à tali excommunicato ministrata esse valida, quia in his non requiritur jurisdictionis potestas, qua privatur excommunicatus, & ideò si adsint omnia pertinentia ad Sacramenti substantiam nempè debita materia, forma, & intentio ministri in subjecto capaci sunt valida, ut suo loco dictum est in tractatu de Sacramentis; ex Christi institutione independenter à voluntate Ecclesiæ perficiuntur, quando forma applicatur materiæ cum debita intentione, & malitia ministri Sacramentum impedire non potest, neque effectum ejus, scilicet, gratiæ collationem, si ex parte suscipientis non sit obex, quia Sacramenta sunt de jure divino, quod Ecclesia invalidare nequit; & ideò inquit Scotus 4. d. 5. qu. 1. Baptismum ab hæretico, & schismatico collatum esse validum, quod pluribus probat auctoritatibus, & præsertim ex D. August. ad Orosium q. 59. idem de Sacramento matrimonii clarum est ex c. *significasti* de eo, qui duxit in matrimonium, ex quo cap. expressè habetur matrimonium ab excommunicatis, seù inter excommunicatos contractum validum, & ratum esse; cùm tamen ipsi contrahentes sint veluti Ministri talis Sacramenti quoad ejus essentiam, & substantiam, quæ consistit in mutuo, & libero consensu voluntatum ipsorum cõtrahentium, ut dictum est disp. de Matrimonio, idem etiam docent Scotus de Sacramento Ordinis 4. d. 15. q. 1. §. *De secundo*, & D. Bonav. & omnes Theologi cum Magistro d. 24. quod validè confertur ab Episcopo excommunicato vitando, seu denunciato, & colligitur ex c. 1. & ult. *De eo qui furtivè ordines suscipit*; & tandem idem quoque Doctores passim affirmant de Sacramento Eucharistiæ, Confirmationis, & Extremæ Unctionis.

50 Sola igitur difficultas est de Pœnitentiæ Sacramento, an administratum ab excommunicato sit validum, & non est difficultas, quando pœnitens absque excusatione à culpa excommunicato confitetur, tunc enim certum est nullum esse, quia tunc non ponitur requisita materia, scilicet, vera confessio, & dolor requisitus, sed tantùm est difficultas, an præcisè ex vi ipsius excommunicationis invalidè ab excõmunicato administretur, & communis sententia docet Sacramentum pœnitentiæ à Sacerdote excommunicato adenunciato, vel notorio Clerici percusso. re administratum esse invalidum, & nullum. & ratio est, quam Scotus assignat 5. d. 19. §. *De quarto*, quia, scilicet, ad hujusmodi Sacramenti validitatem requiritur in ministro, nedùm potestas ordinis, sed etiam jurisdictionis; sed sacerdos excommunicatus, vel notoriè Clerici percussor privatur ab Ecclesia jurisdictione, quam habet in administrando Sacramenta, ut sumitur ex ca. *ad probandum de sent. & re jud.* & ex cap. *Romana* de officio Vicarii in 6. & ex c. *Audivimus* 24. q. 1. absolutio autem data à non habente jurisdictionem est nulla; ergò &c. appositè autem hoc dicitur de sacerdote excommunicato, denunciato, vel notoriè Clerici percussore, quia post decretum Concilii Constant. in Extravag. *Ad evitanda* Sacramentum pœnitentiæ à sacerdote occultè excommunicato, sivè tolerato administratum alicui pœnitenti validum est, nisi aliundè essentialem habeat defectum, scilicet, in materia, vel forma, vel intentione Ministri, quia eo ipso quod Ecclesia in favorem aliorum fidelium eum permittit, & tolerat eis indulgens communicationem cùm illo in receptione Sacramentorum ab eo relinquit illi jurisdictionem sufficientem ad illud validè efficiendum.

51 Dices Concil. tali decreto noluisse favere excommunicato, ut ibi se declarat, multum autem ei faveret, si Sacramenta ab occulto excommunicato administrata ex vi illius decreti essent valida, & præsertim pœnitentiæ Sacramentum. Respondetur ex superius dictis, Concilium per tale decretum noluisse favere excommunicato directè, quia non est in eo concessum excommunicato cum aliis fidelibus communicare sed tantùm aliis fidelibus concessum est pluribus de causis posse non vitare illum in participatione Sacramentorum, imò, & Sacramenta ab illo petere, atque ideò Sacramenta valida sunt ob fidelium cum ipso excommunicato occulto participantium utilitatem, licet id quoque resultet indirectè in commodum etiam ipsi excommunicato. Ità Nav. Suar. Sanc. Ugolin. & alii Theologi, quos citat, & sequitur Blund. disp. 4. a. 6. Denique addunt DD. ut refert Blund. ibid. & Hurtadus disp. 4. diffi. 2. quod etiam quando excommunicatio communiter ignoratur, ut si excommunicatus sit in loco distanti ab eo, in quo denunciatus fuit, vel ubi notoriè ob Clerici percussionem incurrit excommunicationem, & aliàs titulum habet coloratum, & idoneum ad absolvendum, ut si officium parochiale habeat, aut licentiam confessiones audiendi. Sacramentum pœnitentiæ, & absolutio collata pœnitenti adhuc valida censetur, quia tunc Ecclesia pro ea occasione excommunicationem suspendit quoad privationem jurisdictionis.

ARTICULUS TERTIUS.

De aliis excommunicationis majoris effectibus.

52 TErtius effectus excommunicationis majoris est privatio usus divinorum officiorum, itaut non tantùm eorum fructu careat excommunicatus, sed etiam sub mortalis iis nequeat interesse sic, quod mortaliter censeatur cũ aliis communicare, nisi ignorantia excuset, vel necessitas vitandi scandali, aliavè

aliavè justa causa, & privatur etiam Ecclesiastica sepultura, ut constat ex cap. *Responsio*, & ex cap. *Nuper de sent. excomm.* & cap. *Alma Mater*; undè excommunicatus etiam toleratus privatur, ne possit interesse, vel assistere sacro, sivè illud audire, vel ei inservire, ut constat ex juribus citatis, & ex cap. *Illud* de Clerico excommunicato ministrante; quando tamen toleratus vult sacro assistere, etsi malè faciat, & mortaliter peccet, alii tamen idem sacrum audientes illum vitare non tenentur, neque expellere, quia communicare cum illo in tali casu est favor fidelibus concessus in prædicta Extravagante *Ad evitanda*, licet indirectè sit favor excommunicati tolerati; excommunicato autem non tolerato nedùm non est licitum audire sacrum, sed neque aliis fidelibus assistere cum illo in eodem sacro audiendo, quia in prædicta Extravagante non est aliquod innovatum respectu excommunicatorum non toleratorum, sed manet jus antiquum integrum; si tamen talis excommunicatus assistat alteri sacro licet sit in eodem templo, hoc non prohibetur, quia non censetur communicatio cum non tolerato, quando fidelis aliud sacrum audit, nec conjungitur ad unam orationem fundendam cum illo. Ità Suarez, Henriquez, Filliucius, Coninchius, Caspensis, & alii. Quod autem dictum est de communicatione externa prohibita in Missa, cum excommunicatis non toleratis, & toleratis, hoc idem dicendum est in aliis divinis officiis quoad ministrationem, quoad cooperationem in solemni officio, & publico, & quoad assistentiam; nomine autem divinorum officiorum intelliguntur Missæ sacrificium, publica oratio, processio, cantus Horarum Canonicarum, benedictio olei, aquæ, candelarum, & cætera Ordini Clericali annexa, quæ solemniter fiunt excepta concione, in his enim licet alii fideles toleratum vitare non teneantur, tenentur tamen sub mortali vitiare non toleratum, nisi vel levitas materiæ vel ignorantia, vel necessitas excuset. Diximus excepta concione, quia cuilibet excommunicato etiam non tolerato licet audire concionem, & sacram Theologiæ lectionem, quia hæc audire ad conversionem audientium ordinatur, & in ipsis intenditur etiam conversio non tolerati, undè alii fideles concionem, vel sacram lectionem audientes adesse possunt, quia assistentia hujusmodi simultanea in concionibus audiendis non censetur communicatio, sicut in Missa. Ità DD. adducti, & colligitur ex c. *Si quis Episcopus* 4. q. 3. & c. *Is qui de sent. excom. in* 5. & c. 1. *de sententia, & re judicata in* 6. Demum excommunicatus non toleratus post mortem sepultura Ecclesiastica privatur ex c. *Sacris* de Sepulturis, & Clementina prima eodem titulo, quia æquum est, ut ait ibi Pontifex, ne communicemus defuncto, cui non communicavimus vivo; quod si decessit cum signis contritionis, etiam post mortem à censura absolvi poterit, & tunc in loco sacro sepeliri; si verò in loco sacro sepultus est, & non absolutus, debet exhumari, ex c. cit. si ab aliis corporibus discerni possit, quod si discerni nequeat, non est exhumandum. Ità etiam discurrit Faber ex nostris disp. 4. cit. c. 6. & Blundus loc. cit.

53 Quartus effectus excommunicationis majoris est incapacitas, & inhabilitas ad beneficia Ecclesiastica, & ad fructus eorum, undè nullus excommunicatus excommunicatione majori quamvis sit occultus, sivè toleratus, est capax beneficii habendi, sed collatio beneficii eidem facta nulla est, uti & præsentatio, vel electio, institutio, & confirmatio; idque verificatur, etiamsi excommunicatio ignoretur, & ratio est, quia ignorantia invincibilis licet excuset à culpa, non tamen supplet defectum conditionis requisitæ ad valorem actus. Ità habetur ex c. *Pastoralis* de Clerico excommunicato, & tenet communis DD. sententia Sanchez, Avila, Turrianus, Villalobos, Diana, Lessius, Bonacina, Sayrus, Caspensis, & alii passim contrà nonnullos id negantes, & ratio est jus ipsum ità præscribens in odium excommunicationis, & quia beneficium datur propter officium, à quo excommunicatus jam est ex se suspensus; ex quo inferunt non eo ipso, quod datur absolutio ab excommunicatione, revalidari collatione beneficii recepti in excommunicatione, sed post absolutionem ab excommunicatione iterum dandum esse beneficium à potente illud conferre; & ità etiam tenet Blundus noster disp. 4. cit. par. 5. artic. 3. Nullus tamen excommunicatus etiam non toleratus privatur ipso facto beneficio rectè, & validè obtento ante excommunicationem, ac proindè licitè, & validè retinet adhuc beneficium antè illam sibi collatum; idque deducunt DD. adducti ex cap. *Pastoralis*, §. *verùm* de appellationibus, cap. *Ursus* 11. q. 3. & planè in jure talis privatio non habetur, quod si aliquandò in jure dicatur excommunicatum *ipso facto* privari beneficiis obtentis antè excommunicationem, explicant DD. citati hoc intelligi debere post Judicis sententiam, quia cùm pœna sit rigorosa, non tenetur reus illam in se exercere ante sententiam. An verò excommunicatio major privet fructibus beneficii antè ipsam legitimè obtenti dissensio est inter Doctores. Negant aliqui dicentes excommunicatum posse adhuc licitè percipere fructus sui beneficii, dummodò per se aut per Vicarium satisfaciat officio, nec eos teneri restituere antè Judicis sententiam. Ità Sanchex, Vasquez, Bonacina, Coninchius, Hurtadus, Caspensis, & alii, quorum ratio est, quia talium fructuum perceptio non est communicare cum fidelibus. Affirmant alii probabilius non posse excommunicatum toto tempore, quo est excommunicatus, fructus beneficii, cujus adhuc retinet possessionem facere suos, sed teneri illos restituere etiam antè Judicis sententiam, si eos percepit durante excommunicatione, & hoc clarè deducitur ex cap. *Pastoralis* §. *finali de appellat.* & cap. *Quod autem* 23. quæst. 7. & cap. *Præter* 22. dist. & ratio est quia beneficium datur propter officium *ex cap. finali de rescriptis in* 6. sed excommunicatus est suspensus ab officio quatenus nimirum privatus est usu officii; ergo etiam privatus est beneficio, idest, usu, & fructibus ejus, & ideo cap. cit. *Pastoralis* dicitur, quod *illi proventus Ecclesiastici meritò subtrahuntur, cui Ecclesiæ communio denegatur*, quibus verbis innuitur illorum fructuum perceptionem esse aliquo modo Ecclesiæ communionem. Ità Covarruvias, Suarez, Toletus, Canus, Aragonius, Paludanus, Sayrus, & ex nostris Blundus disp. 4. cit. part. 5. art. 13. Hæc tamen doctrina limitanda est in electione Summi Pontificis, nam si aliquis excommunicatus denunciatus eligeretur in Summum Pontificem, validè eligeretur, & esset verus Pontifex, ut patet ex clementina citata, in qua dicitur, quod *ad evitanda Schismata, & dissensiones nullus Cardinalium potest prætextu cujuscunque Censuræ ab hujusmodi electione repelli*, quæ verba cum sint generalia, & favorabilia, non sunt arctanda ad electionem tantùm activam, sed etiam ad passivam extendenda; undè sicut excommunicatio quamvis notoria non reddit inhabiles Cardinales electores ad eligendum, ità nec ut eligantur, hoc enim est singulare in Summi Pontificis electione ad evitanda Schismatum pericula, & nocumenta, quæ ex oppositio sequi possent, ut hic omnes DD. advertunt, & Blundus noster loc. cit. art. 1. ità etiam de hoc effectu excommunicationis discurrit Faber loc. cit.

54 Quintus effectus excommunicationis majoris est privatio jurisdictionis Ecclesiasticæ externæ, ut deducitur ex can. *Audivimus* 24. q. 1. & ex c. *Ad probandum de sent. & re judic.* in decretalibus, & c. *Is cui* 12. de officio de legat. in 6. & ex cap. 1. de officio Vicarii in 6. Actus autem, seù usus Ecclesiasticæ jurisdictionis, quibus excommunicatio privat, sunt præcipere, legem ferre, vel judicium tàm in foro contentioso, quàm in foro pœnitentiæ, dispensare, vel licentiam præbere ad aliquod munus Ecclesiasticum exercendum, jurisdictionem delegare, indulgentias concedere, & similia; ex quo infertur nedùm illicitos esse quoscunque actus jurisdictionis Ecclesiasticæ à tali excommunicato exercitos, sed etiam invalidos, si non sit toleratus, ut deducitur ex cap. cit. quod notanter additur, quia si sit toleratus, omnia prædicta ab ipso facta sunt valida, quod deducitur ex Extravagante toties allegata *Ad evitanda*, quia eo ipso, quod Ecclesia illum permittit, & tolerat in favorem aliorum fidelium facultatem sufficientem ei relinquit, ut validè tales actus ergà illos exerceat; quandò tamen excommunicatus toleratus hos actus exercet non provocatus à fidelibus, sed in hos se ingerit sine necessitate, vel aliis fidelibus non petentibus, quamvis validè id faciat, non tamen licitè, quia permissio, & indulgentia in hoc ab Extravagante concessa, non intelligitur in favorem illius directè, ut sæpè dictum est, sed in favorem aliorum fidelium. Hic etiam inferunt Doctores excommunicatum non toleratum privatum esse jurisdictione conferendi Ecclesiastica beneficia, & consequenter, si confert, collationem illam invalidam esse, & nullam, & qui sic beneficium à non tolerato accepit, dicendus est intrusus, ac proindè tenetur sine alia declaratione beneficium unà cùm fructibus relinquere, & id specialiter deducitur ex cap. *Ne sede vacante in* 6. & ex c. *Quia diversitatem*, scilicet, de concessione præbendæ, & ex cap. *Tanta* de excessibus Prælatorum; & hoc verificatur quoad electionem, non solùm quando excommunicatus eligit solus, sed etiam quando eligit cum aliis non excommunicatis, quia alii non habilitant illum, undè quando aliàs non constat fuisse suffragia sufficientia absque suffragio excommunicati, electio censenda est nulla, & quia è contrà excommunicatus non inhabilitat alios, ideò quando constat absque illo fuisse sufficientia, censenda est valida, etiam quandò Capitulum admittit excommunicatum ad electionem, quia talis admissio nullo jure invalidat electionem; licet enim alii peccent admittendo excommunicatum ad electionem, non tamen ob id jure eligendi privantur, quia incurrunt tantùm excommunicationem minorem ob hujusmodi admissionem, quæ non privat jure eligendi. Ità Henriquez, Coninchius, Hurtadus, & alii Theologi contrà quosdam Canonistas oppositum docentes, si tandem electio certum numerum electorum non requirit, ut majorem partem, sed

omnia requirerentur vota ad ejus validitatem, unius excommunicati votum sufficeret ad eam invalidandam, & hoc in odium, & vindictam excommunicatorum. Ità Innocentius in cap. ultimo *de Procuratoribus*, & in cap. *Illa* de electione. Hæc tamen doctrina pariter limitanda est in electione Summi Pontificis, quæ valida est quamvis à Cardinalibus excommunicatis fiat, & denunciatis ex Clementina cit. *Ne Romani de electione in 6.* Sicut pariter supra diximus, si quis cum esset excommunicatus, in Summum Pontificem eligeretur, validè electus esset ob rationes ibi adductas. Demum si ab excommunicato tolerato beneficium conferatur, collatio valida est, licet ipse peccet conferendo, si sponte, & non ad petitionem fidelium illud conferat, ut docent Panormitanus, Angelus, Sayrus, Suarez, & alii passim, quia per Extravagantem *Ad evitanda* nullus favor fit excommunicato, licet fiat aliis fidelibus; quod autem diximus de collatione beneficii, hoc idem dicendum est de præsentatione ad beneficium facta ab excommunicato non tolerato, ac pariter de ejusdem resignatione.

55 Sextus effectus excommunicationis majoris est privatio communicationis forensis, vel judicialis, undè excommunicatus vitandus, seù non toleratus nec licitè, nec validè exercere potest actus judicii forensis, seù ad judicium forense spectantis, etiam sæculare, ut sunt judicare, agere, procurare, advocare, scribere, & testificari; ità habetur cap. *Decernimus* 8. *de sent. excom.* cap. 1. *de exceptionibus in 6.* & cap. *Veniens* 38. de testibus, & ex aliis juribus, nisi sit excommunicatus toleratus, & invitetur ad id ab eis, cum quibus communicat eos exercendo, ut docet D. Bonav. 4. d. 18. art. 4. q. 5. u[illegible] nequit esse Judex, nec Ecclesiasticus, nec secularis, ut com[illegible] sententia tenet, & praxis Ecclesiæ, & colligitur ex cap. *Prælatos* de Hæreticis; ratio est, quia ad hoc, ut leges, vel sententiæ latæ vim habeant, debent ab eo ferri, qui jurisdictione non est privatus, excommunicatus autem est jurisdictione privatus, nec potest esse advocatus, nec procurator in judicio, neque testis ex cap. *Decernimus de sent. excom.* & ex cap. *Intelligimus* de judiciis, quia privatur excommunicatus civili fidelium consortio ex c. penult. *de sent. excom.* ergò etiam privatur eorum consortio in judiciis, & si compareat, potest ei opponi exceptio excommunicationis, & si non opponit reus, debet eam opponere Judex ex cap. *Decernimus*, si est excommunicatus vitandus; si verò sit toleratus, poterit Judex, & reus ipsum in judicio admittere. Nec potest esse Tabellio publicus, scilicet, Scriba, vel Notarius ex cap. cit. & ob eandem rationem, undè est regula generalis Doctorum in cap. *Ad probandum de sent. & re judic.* acta ab excommunicato publico, seù non tolerato, virtute publici officii ipso facto esse nulla; acta tamen ab excommunicato occulto valida sunt, licet ipse peccet, quia contrà Ecclesiæ præceptum communicat cum fidelibus, pisi ad petitionem fidelium, & eorum necessitatem ea agat. Nec tandem potest esse Tutor, aut Curator, neque testamenti executor, ut docet Suarez, Sayrus, Silvius, Lyman, Diana, & plures alii, qui tamen addunt acta ab hujusmodi Tutore, & Curatore valida fore, si non repellatur, vel ei opponatur exceptio excommunicationis, sic etiam de hoc effectu excommunicationis discurrit Blundus noster disp. 4. cit. part. 6. & Astesanus lib. 7. cit. tit. 9.

56 An verò validi sint contractus emptionis, venditionis, locationis &c. qui fiunt ab excommunicato denunciato, Doctores respondent cum distinctione; si enim contractus hujusmodi celebrentur ab excommunicato ratione publici officii v. g. à Prælato, Curatore, Tutore &c. sunt invalidi, ut colligitur ex cap. *Veritatis* de dolo, & contumacia, & ratio est, quia hujusmodi excommunicatus suspensus est ab officio, & beneficio; ergò caret jurisdictione, & consequenter contractus ab eo celebrati invalidi sunt, tanquam à non habēte jurisdictionem; si verò hujusmodi contractus sint celebrati ab excommunicato etiam denunciato, non ratione, & titulo publici muneris, vel officii, sed privati, sunt validi, & communiter docent Canonistę ex cap. cit. *Cùm inter de exceptionibus in 6.* & ex c. *Si verò de sent. excom.* nam si essent invalidi, hoc ideò esset, quia aliqua lege civili, vel Ecclesiastica in odium excommunicationis irritantur; sed nulla in jure reperitur lex talis illos irritans; imò contractus matrimonii est validus ab excommunicato initus ex cap. *Significasti*; item professio in religione facta ab excommunicato est valida ex cap. *Cùm illorum de sent. excom.* ut ibi notat Abbas; sic etiam donatio ab excommunicato facta est valida ex cap. *Inter dilectos* de donationibus; ergò idem dicendum est de aliis contractibus; imò ut notat Sylvester verbo *Excommunicatio* contractus celebrati cum excommunicato ità sunt validi, ut possit quis eum in judicium convenire, & contrà ipsum agere petendo ab eo, ut debitum solvat ex contractu celebrato; licet excommunicatus non possit in judicio contrà alium agere, ut debitum solvat, cùm possit è judicio repelli, ut dictum est; adhuc tamen, ut notat Blundus loc. cit. art. 7. extrà judicium potest debitum petere à suo debitore, nec peccat petendo à debitore, quod ille sibi debet, quia in quibusdam casibus in jure expressis licitum est cum excommunicato communicare, & ipsi cum aliis, ut posteà diximus. Denique etiam testamentum ab excommunicato denunciato factum est validum, & ratum, etiam cùm excommunicatum instituit hæredem, si in omnibus aliis juxtà formam juris conditum fit, ut colligitur ex cap. cit. *Veritatis* de dolo, & contumacia, & ex cap. *Decernimus de sent. & excom. in 6.* & ex ca. *ad probandum de sent. & re judic.* Ratio est, quia testamentum valorem habet ex voluntate Testatoris, quæ ad hoc efficax est, nisi per legem irritetur; at nullum est jus irritans testamentum ab excommunicato factum, nec incapacem reddens hereditatis excommunicatum ne possit hæres institui; sicut etiam nulla est lex reddens excommunicatum incapacem illorum, quæ ab intestato, vel per donationem sibi relinquuntur; ergò validum est testamentum excommunicati etiam cùm alium excommunicatum instituit hæredem, licet ille peccet testando, quia sic faciendo contra præceptum de non communicando cum aliis fidelibus in actibus civilibus communicavit cum eis; excipiuntur tamen ab hac assertione, ut notat Blundus loc. cit. ar. 1. & 2. ii, qui excommunicationem incurrunt, quia insequuti sunt hostiliter Cardinales cap. *Felicis de pœnis in 6.* ac etiam Hæretici, ac eorum fautores, & receptatores, si per annum permanserint in excommunicatione, ut habetur cap. *Excommunicamus de Hæreticis in 6.*

57 Septimus, & ultimus effectus majoris excommunicationis est privatio civilis, & politicæ externæ communicationis fidelium, idest, baptizatorum per modum commercii, societatis, & conservationis, itaut excommunicatus non possit cum aliis sic communicare, etiamsi sit toleratus, & si non sit toleratus, etiam alii cum ipso communicare non possunt, ità enim expressè præcipitur cap. *Cum excommunicato* 11. q. 13. &c. *Nuper* c. penult. *de sent. excom.* quod, scilicet, fideles teneantur vitare excommunicatum denunciatum, & notorium Clerici percussorem in communi consortio, & familiaritate, ità quod non liceat nec sic excommunicato, nec aliis cum ipso sermones miscere, prandium sumere, civiles contractus celebrare, & alia hujusmodi ad humanum, & civile consortium spectantia, quæ hoc versiculo comprehenduntur, qui sumitur à Glossa in cap. *Statuimus de sent. excom. in 6. Os, orare, vale, communio, mensa negatur*, & ità communiter explicatur à Doctoribus, quod *Os* significat allocutionem, confabulationem, sivè fiat per litteras, nutus, aut alia signa exteriora amicitiæ, & benevolentiæ, ut oscula, amplexus, &c. *Orare* significat communicare cum excommunicato in recitando, aut cantando simul, vel alternatim divinum officium, vel idem sacrum audiendo, & omnem aliam communicationem in divinis de qua supradictum est. *Vale* significat omnem honorificam salutationem, qua denotatur bona æstimatio, vel reverentia tali excommunicato facta, & non tantùm verbalem, ut aliquid dixerunt, sed etiam aliis signis factam, scilicet, aperiendo caput, aut assurgendo ei reverentiam facere, ut communior opinio tenet. *Communio*, et hoc nomen à cæteris distinguitur, significat quamcunque cooperationem, seù societatem in negotio aliquo gerendo, quæ reliquis quatuor vocibus non significatur, nempè cohabitare simul, vel simul iter agere, ut comites, item communicare in Sacramentis, & in quocunque humano contractu, ut emptionis, venditionis, locationis, &c. qui tamen contractus, quamvis sint prohibiti excommunicato, adhuc tamen sunt validi, ut suprà dictum est; *Mensa* tandem significat, & prohibet in eadem mensa simul comedere, quod intelligendum est formaliter, idest, cum alio per modum societatis comedere, & tanquam cum comite, quia tunc est vera communicatio unius cum alio, qualis non est in casu, si incidas in idem hospitium, iter, mensam, imò lectum; undè communiter Doctores advertunt Suarez, Hurtadus, Bonacina, Caspensis, Blundus, Faber, & alii passim in hujusmodi rebus semper secundùm prudentiam, & circumstantias facti attendendum esse, an communicatio fidelis cum excommunicato sit formalis, & per se, an verò materialis tantùm, & per accidens; quia non prohibetur esse in eadem Urbe simul, vel platea, vel vico, imò neque in eadem domo, vel mensa quomodocunque, sed prohibetur communicatio formalis.

58 Quale autem peccatum sit communicare cum excommunicato non tolerato, conveniunt Doctores communicationem in divinis, ut in Sacramentis, in Missa, in officiis divinis, solemniter, seù publicè celebratis esse mortale ex suo genere, seù ex objecto propter gravitatem materiæ, quamvis per accidens possit esse veniale ob ejusdem materiæ parvitatem, ut si communicatio sit in parva parte Missę, aut officii divini solemniter celebrati; quod notanter additur, quia communicatio in officio divino privatim dicto, ut quando excommunicatus, & alter

alter horas canonicas recitant, Clericus enim in sacris constitutus, aut beneficatus quamquis excommunicatus, officium recitare tenetur, tantùm est venialis, ut notant Covarruvias, Vasquez, Hurtad. & alii communiter; loquendo verò de communione civili in humanis, seù temporalibus, quamvis aliqui putaverint etiam ex suo genere esse peccatum mortale, absolutè tamen tenendum est cum communi sententia esse tantùm veniale, quia est materia levis, & maximè vulgaris, & frequens, in quam facilè quis labitur; undè verisimile non est pietatem Ecclesiæ has res frequentes, & ex se leves sub mortali precipere; esset tamen peccatum mortale, si talis communicatio fieret ex contemptu formali excommunicationis, & clavium Ecclesiæ, vel quia reputatur talis prohibitio inutilis, & vana, vel si quis cum excommunicato communicet in eodem crimine; secluso igitur contemptu tantùm est veniale regulariter, ut notant Suarez, Bonacina, Diana, Cajetanus, Henriquez, Caspensis, Faber, Blundus, & alii passim; & qui cum eo communicat hoc modo, minorem tantùm excommunicationem incurrit, quæ privat tantùm susceptione Sacramentorum, & electione passiva ad beneficia, & dignitates Ecclesiasticas ut dictum est suprà ex cap. *Si celebrat de Cleric. excom. minist.* Dices, ergò unus excommunicatus non tenetur alium vitare; quia uterque est extrà Ecclesiam, prohibitio autem communicandi cum excommunicatis solùm fideles includit. Respondetur cum Blundo disp. 4. cit. par. 3. art. 1. negando consequentiam, ad probationem dicendum est, quod nomen *fidelis* sumitur in proposito pro quolibet baptizato, qui facto vel speciali jure, ac debito fidelis esse debet, undè licet aliquis sit excommunicatus, nihilominus fidelis est, & consequenter, cùm excommunicatio separet à communione fidelium, separat etiam excommunicatum à communione cum altero excommunicato; quod autem sic accipiatur vox *fidelis*, quandò dicitur excommunicationem privare excommunicatum communionem fidelium ex eo patet, quod Ecclesia intendit separare excommunicatum à consortio omnium illorum hominum, in quos ipsa jurisdictionem habet, ut patet in capit. *Sicut Apostolis* cum aliis 11. qu. 3.

59 Postremò conveniunt Doctores ratione necessitatis, vel utilitatis, vel pietatis licitam interdum esse communicationem aliquam cum excommunicato etiam denunciato, vel notorio Clerici percussore, undè ex capit. *Cum considerat de sent. excom.* & cap. *Quoniam multus* 11. q. 3. aliquas causas colligunt, ob quas hujusmodi communicatio licitè haberi potest, quas hoc versiculo communiter exprimunt *Utile, lex, humiles, res ignorata, necesse*, qui versus habetur à Glossa in c. *Cum desideret* & refertur à D. Bonaventura 4. d. 18. q. 5. *Utile* significat utilitatem spiritualem excommunicati nempè correctionem, ut scilicet à vita sua mala recedat, convertatur, Prælato obediat, Ecclesiæ satisfaciat, & alia hujusmodi, quod etiam Scotus adnotavit 4. d. 19. §. *De quinto* ex Paulo ad Thessal. 3. dicente *Nolite quasi inimicum existimare illum, sed corripite, ut fratrem*; potest etiam significare utilitatem illius, qui communicat cum excommunicato, v. g. petendo consilium ab eo, si æquè bonum ab alio non sperat, vel utendo medico excommunicato non tolerato, si sit magis idoneus, vel petendo eleemosynam ab eo, si ab aliis æquè commodè subveniri nequit; undè est regula generalis, quod ob utilitatem spiritualem, vel temporalem tàm propriam, quàm ipsius excommunicati, potest quis cum excommunicato communicare, quandò æquè commodè ab aliis subveniri non potest; *Lex* significat obligationem illi reddendi, quod suum est, ut si debitor creditori mutuum restituat, si uxor viro debitum conjugale reddat, undè licitè possumus ab excommunicato petere debitum, vel reddere ex cap. *Intelleximus* de judiciis, nec excommunicatione mariti uxor eximitur ab obligatione communicationis debitæ ratione matrimonii, ut constat ex cap. *Inter alia* 31. *de sent. excom. Humile* significat subjectionem, & obsequium, quod filius parenti, servus domino deferre tenetur, ob talem enim subjectionem possunt filii cum parentibus, imò etiam nepotes, pronepotes, & in eodem genere affines, ac etiam servi, & famuli cum suis dominis excommunicatis communicare privata communicatione civili, ut patet ex cap. cit. *Quoniam multos*, & docet D. Bon. d. 18. cit. art. 4. q. 5. & alii Theologi ibidem; si tamen antè excommunicationem fuerint in servitio, nec auxilium dederint dominis, sine quo illud crimen non commisissent, propter quod excommunicati fuerunt; tunc enim non poterunt famuli cum suis dominis communicare, quia sicut habetur in Canon. cit. Sicut ei fuerunt participes criminis, ità debent esse participes pœnæ, nec merentur, ut privilegium, quod aliis famulis conceditur, ipsis etiam concedatur; ob dictam tamen subjectionem per vocem *Humile* significatam non excipiuntur vassalli, vel subditi alicui in jurisdictione temporali à prohibitione communicationis cum domino excommunicato non tolerato, nec è contrà ex cap. *Non Sanctorum* 15. quæst. 6. quia vassalli non sunt filii, nec servientes, nec aliter de familia domini temporalis, tùm quia moraliter loquendo non est necessaria hæc communicatio, sicut est necessaria cum aliis dominis particularibus, cùm quibus est cohabitatio; & ob eandem rationem Clerici non excipiuntur à prohibitione communicationis cum suo Episcopo excommunicato, nisi fuerint de familia, nec è contrà, ut habetur in cap. ultimo de excessibus Prælatorum; nihilominus propter vexationes, & alia, quæ tales subditi prudenter timere possunt, interdum poterunt excusari, ut plures docent DD. de quo puncto alia plura videri possunt apud Blundum disp. 4. cit. p. 6. art. 10. & apud Fabrum disp. 4. cit. c. 7.

60 *Res ignorata* significat ignorantiam excusare à prædicta communicatione, ut constat ex dicto Canon. *Quoniam multos*, quod intelligitur tàm de ignorantia facti, idest excommunicationis, quàm juris, idest, prohibitionis communicationis cum excommunicato, undè ut ait. S. Bon. loc. cit. si commmunicans cum excommunicato ignorat ipsum esse excommunicatum, vel per denunciationem, vel per publicam famam, non peccat, nec minorem excommunicationem incurrit, adhoc enim requiritur notitia moraliter certa non modò excommunicationis, sed etiam denunciationis ejusdem, aut incursionis notoriæ in excommunicationem, aut percussionem clerici, & hoc præsertim verum est, quandò ignorantia est invincibilis, & inculpabilis, quia sicut talis ignorantia excusat à culpa, ità etiam excusat ab excommunicatione, quæ non contrahitur, nisi per aliquam culpam, ut dictum est quæst. præced. art. 4. nu. 26. in dubio verò non peccat quis communicando, imò non potest tractari, ut excommunicatus absque injuria illius, quia in dubiis melior est conditio possidentis, undè cum ille possideat jus, & privilegium communicandi cum excommunicato non denunciato per Extravagantem Martini V. *ad evitanda*, tali jure, & privilegio se privare non debet, quousque certò sibi constet, vel saltem per famam, & rumorem publicum de denunciatione excommunicationis illius notitia ad illum pervenerit. Ita DD. communiter, & Blundus noster loc. cit. art. 11 licet Faber loc. cit. in oppositum inclinet. Qui verò scit aliquem excommunicatum fuisse, illum vitare tenetur, donec sibi constet fuisse absolutum, ad quod sufficiet fama publica absolutionis, vel quod plures fide digni id pro certo affirment. Ultima particula est *Necesse*, qua significatur necessitatem spiritualem, ac etiam temporalem, si sit notabilis, excusare à prohibitione majoris excommunicationis; sivè hæc necessitas sit ex parte excommunicati denunciati, sivè ex parte communicantis, aut participantis cum ipso, ut patet ex cap. cit. *Quoniam multos* 11. q. 3. cap. *Inter alia* §. *Illud de sentent. excommunic.* Ex quo sequitur quemlibet Sacerdotem posse administrare Sacramentum pœnitentiæ tali excommunicato in articulo mortis existenti, eumque omni Censura, & Casibus absolvere ex Conc. Trid. sess. 14. cap. 7. item quemlibet licitè posse tali excommunicato graviter indigenti victum, & vestitum præbere, eumque hospitio recipere, si non habeat, à quo recipiatur; & pariter è contrà posse excommunicatum denunciatum cum quolibet alio fideli communicare in gravi, & notabili necessitate, vel animæ, vel corporis constituto, eique eadem dona, & auxilia spiritualia, vel temporalia subministrare, dummodò id non fiat in contemptum excommunicationis, vel Ecclesiæ, & alius idoneus haberi non possit ad talem necessitatem sublevandam. Ità S. Bonavent. dist. 18. cit. art. 3. quæst. 5. Scotus 4. dist. 6. quæst. 2. & alii Doctores communiter. Item posse quemlibet communicare cum tali excommunicato in his, quæ pertinent ad vitandum grave damnum proximi, & præsertim Reipublicæ, quia ut docet Scotus loc. cit. quandò duo præcepta simul concurrunt, præferendum est illud, quod magis urget, & obligat; in casu autem posito concurrit præceptum Ecclesiæ, & legis naturæ, quod est de vitando gravi damno proximi, & præsertim Reipublicæ; ergo hoc est præferendum præcepto Ecclesiæ de non communicando cum excommunicatis, quia supponendum est Ecclesiam, ut piam Matrem, non intendere in tali casu suum præceptum obligare. Tandem, per *Necesse* intelligi etiam potest violentia, & gravis metus, ut habetur in cap. *Si verò de sentent. excom.* quando nimirum per vim, & metum cadentem in constantem virum cogimur cum tali excommunicato communicare etiam in divinis, quia lex Ecclesiastica non obligat ad sui observationem, quando notabile periculum urget, & gravis jactura. Ità Doctores communiter, & ex nostris Blundus loc. cit. art. 13. atque hi sunt casus, in quibus fideles cum excommunicato denunciato communicare possunt sine peccato, & sine incursu excommunicationis minoris.

ARTICULUS QUARTUS.

De causis, ob quas incurritur excommunicatio major.

61 POst explicatam naturam, effectusque excommunicationis majoris, examinandum est, quot sint, & quinam casus, in quibus incurritur excommunicatio major, minorem siquidem constat ex dictis art. 1. hujus quæstionis unico solùm casu incurri communicatione, scilicet, cum excommunicato in casibus suprà explicatis; possunt autem hujusmodi causæ assignari, vel in universali, vel in particulari, & quidem cum in particulari multæ sint, plures etiam, & variæ sunt excommunicationes, quæ in quatuor potissimum classes dividuntur; nam aliæ nulli, aliæ Episcopo, aliæ Pontifici per Bullam Cœnæ, aliæ eidem extrà illam reservantur, de quibus communiter agunt Summistæ verbo *Excommunicatio*, & breviter, ac exactè Busemb. in Medulla Theologiæ moralis lib. 7. capit. 2. de excommunicatione dub. 4. per plures articulos; quas brevitatis causa nos hìc omittimus, illas enim sigillatim recensere nimis prolixum foret, & summa cura collectas quisque videre potest apud Astesanum nostrum lib. 7. cit. tit. 2. 3. & 4. Blundum d. 5. part. 1. & 2. Toletum lib. 1. cap. 18. 19. & seq. & alios passim. Nos igitur in præsenti de his causis, & casibus incurrendi excommunicationem majorem in generali tantùm agemus, & quidem in duobus præsertim casibus generatim incurri solet, ut notat Abellius, cap. 6. de censuris sect. 2. Primò quandò fit, vel omittitur aliquid quod à jure prohibitum est, vel præscriptum sub pœna excommunicationis ipso facto incurrendæ. Secundò, quando Judici Ecclesiastico, vel Prælato aliquid sub pœna excommunicationis ipso facto incurrendæ præcipienti, vel prohibenti, & monitiones aliquas eo fine adhibenti, nō obtemperatur.

62 Circà excommunicationes primi generis plura quoque dicenda forent, quis enim hodiè eas numerare sufficiat? inquit Scot. 4. d. 25. q. 1. F. cùm crescant enim in infinitum crescentibus motibus capitum, non oportet circà hoc membranas implere, siquidem plurimæ, & maximè diversæ per totum juris Canonici corpus pro variis causis, & eventibus latè reperiuntur, quæ apud Astesanum videri possunt lib. 7. cit tit. 2. ubi exactissimè eas recenset, & 98. casus sigillatim enumerat in jure contentos, in quibus incurritur excommunicatio major; de uno casu tantùm hìc nos discurremus, qui frequenter accidere potest, & plures habet difficultates, qua ratione nimirum excommunicationem incurrat, qui Clericum, aut Monachum percutit, qui casus statuitur cap. *Si quis Suadente* 17. q. 4. ubi Innocentius II. excommunicat omnes, qui violentas manus in Clericum, vel Monachum iniciiunt, qui à solo Papa, sive singulari privilegio extrà mortis articulum absolvi possunt his verbis: *Si quis suadente Diabolo in Clericum, vel Monachum manus violentas injecerit, anathematis vinculo subjaceat, & nullus Episcoporum præsumat eum absolvere*, circà cujus Canonis intelligentiam plura discurrunt Astesanus loc. cit. tit. 3. & Blundus part. 2. art. 1. & alii passim; quod, scilicet, hac voce *si quis* comprehenduntur omnes utriusque sexus, ordinis, ac dignitatis personæ, quæ sunt excommunicationis capaces, & extenditur etiam ad efficaciter mandantes, consulentes, consentientes, suo nomine factum ratihabentes, non impedientes, saltem si ex officio, aut justitia teneantur, ut sunt omnes, quibus aliorum cura demandata est, & ratio deducitur ex cap. *Quantæ de sent. excom.* ubi habetur non solùm eos huic excommunicationi subiici, qui percutiunt, verùm etiam, qui consentiunt, omnes autem prædicti mandantes, consulentes &c. ad Clericum percutiendum consentire censentur; hoc autem intelligendum est, dummodò sequatur percussio, & mandatum vel consilium re vera in percussionem influxerit, quia est regula universalis, quod ad censuram incurrendam requiritur effectus secutus sub censura prohibitus. An verò mandans, vel consulens, si revocat mandatum, vel consilium, antequam delictum committatur, excommunicationem incurrat, discurrendum est juxtà dicta superius quæst. præced. art 3. numer. 21. Nomine Clerici comprehenduntur omnes, non solùm habentes characterem, sed etiam habentes primam Tonsuram, etiamsi conjugati sint, ut habetur cap. *Unico* de Clericis conjugatis in 6. modò privilegio Canonis non sint privati; amittitur autem hoc privilegium, primò degradatione, ut constat ex cap. *Degradatio* de pœnis in 6. deindè professione alicujus artis indecentis, putà histrionis, lenonis, caponis, ut habetur in 6. & in Clement. de vita & honestate Clericorum; & tandem bigamia, ut liquet ex cap. *Nuper* de bigamia; imò Bannes Suarez, Layman, Coninchius, & alii addunt Clericum non gaudere privilegiis dicti Canonis, præsertim post Concil. Trident. nisi Clericalem habitum, & Tonsuram deferre solitus sit, vel beneficium Ecclesiasticum possideat, vel alicui Ecclesiæ ex mandato Episcopi deserviat. Nomine *Monachi* comprehenduntur omnes Religiosi professi, aut conversi, etiam Novitii utriusque sexus; item Tertiarii S. Dominici, & S. Francisci, si habitum gestent, & in communitate vivant, ac etiam Heremitæ alicui regulæ, vel Superiori subjecti ut habetur cap. *Cum illorum, & cap. de Monialibus de sent. excom. & c. Religioso de sent. excom. in 6.* Demum *per manus violentas* intelligi debet omnis actio exterior iniuriosa personas Ecclesiasticas violenter tangens, sivè immediatè, sivè mediatè, ut si tangat vestem &c. nam si non tanget, quamvis animo tangendi lapidem proiiciat, vel aliquid aliud, ut Clericum percutiat, in hanc Excommunicationem non incidit, & notanter dicitur *actio exterior*, quia si quis contumeliosis, & injuriosis verbis Clericum afficeret, non ob id hanc excommunicationem incurreret.

63 Hinc Astesanus noster loc. cit. cum aliis antiquioribus, quos sequuntur Recentiores passim plures casus adducit, quibus dignosci potest, quando quis incurrat, vel non incurrat, prædictam excommunicationem; incurritur enim, si quis Clericum conspuat, pulvere, luto, vel aqua conspergat, vestem laceret, aliquid per vim, & iniuriam de ejus corpore eripiat, pileum, verbi gratia, vel pallium, itaut actio sit graviter injuriosa; si manu, vel pede, aut baculo eum percutiat; si manus violentas in equum, cui insidet, iniiciat occidendo, vel vulnerando, licet enim talis actio sit levis respectu corporis, non tamen respectu honoris; si eum prosequatur, ut in flumen, vel fossam incidat, vel equo decidat. Si eum violenter in carcere detineat, vel loco, undè sine dedecore exire non possit; & denique aliqui addunt ex Navarro etiam Clericum in hac excommunicationem incidere si ex malitia, vel passione seipsum iniuriosè percutiat, sed probabiliùs Barbosa, Turrianus, & alii id negant, quia prædictus Canon. *si quis suadente* manifestè loquitur de persona distincta Clericum percutiente, tùm quia oppositum nullo jure probatur. E contrà verò excommunicationem hanc non incurrit, qui Clericum percutit causa disciplinationis, & correctionis, ut Pater, quia non est etiam per Sacros Ordines liber à Patris potestate, ut constat ex Authentica *Præsbyteros* 1. C. de Episcopo. Item præceptor, Superior, aut aliquis propinquus, vel senex, ut habetur in cap. 1. *De sent. excom.* & in cap. *Cùm voluntate*. Neque qui clam crumenam abscindit Clerico, vel vestem tollit, quia non est actio violenta, sed fraudulenta. Neque qui Clericum percutit in tenebris non agnoscens, quod habitum gestet, quia ignorantia excusat. Neque qui eum percutit ad se defendendum, vel vitam suam, vel uxoris, parentum, filiorum, vel res suas cum moderamine tamen inculpatæ tutelæ. Neque qui Clericum percutit repertum in loco suspecto cum uxore sua, matre, aut filia, aut sorore. Neque si percussio sit jocosa, qualis esse solet inter pueros primam Tonsuram habentes, quando se percutiunt, vel casuales, qualis esse solet, quando janitor turbam eiiciens Clericum percutit. Neque si percussio fiat ex aliquo subito, & indeliberato animi motu, aut si injuria, & contumelia illata, viri prudentis judicio, talis non sit, quæ ad peccatum mortale sufficiat: nec tandem qui Clericum percutit, quia ipse voluntariè tali percussioni se submittit, dummodò actio statui, & Ordini Clericali non sit injuriosa. & ità intelligitur dictum in cap. *Contingit de sent. excom.* ut Blundus advertit loco citat. nam si sit injuriosa, non excusatur percutiens ab hac excommunicatione, quia lata est in favorem status Clericali, cui privata persona cedere non potest, etiamsi sponte se subiiciat, ut notat Panormitanus in dicto cap.

64 Denique quamvis hæc excommunitio sit Papæ reservata, potest tamen adhuc Episcopus ab ea absolvere in aliquibus casibus, ut Blundus etiam advertit loc. cit. ex D. Bonav. 4. dist. 18. art. 4. quæst. 6. in fine, & Summistæ communiter. Primus est, si percussor sit in articulo mortis, & habetur ex Concil. Trid. sess. 14. capit. 7. imò in tali casu non solùm Episcopus, sed etiam quilibet simplex Sacerdos ex eodem Trid. hanc facultatem absolvendi habet ab omnibus Casibus, & Censuris. Secundus, si percussor sit impubes, pauper, æger, senex, mulier, cæcus, claudus, servus, filiusfamilias, nam in cap. *Mulieres* excipiuntur omnes personæ, quæ non sunt sui juris, ut servi, mancipia & hujusmodi, & hæ personæ ab Episcopo absolvi possunt, & debent ex cap. *De cætero de sent. excom.* quia post Summum Pontificem, quem non possunt hæ personæ pro absolutione adire, ordinarius Pastor est Episcopus. Tertius est, si inimicitias capitales habeat, ex quibus vitæ periculum imminet ex cap. cit *De cætero*. Quartus si percussio occulta fuit, vel levis quod Episcopi judicio relinquitur, sufficiens tamen adhanc excommunicationem incurrendam, & quidem levis censetur, si fiat palma, pugno, pede, baculo, vel lapide vestigium non relinquente, enormis verò, si cum mutilatione fiat, vel sanguinis effusione in notabili quantitate. Quintus casus est, si percutiens sit Princeps, vel magnæ potentiæ, & sic delicatus, ut laborem adeundi Romanam

manam Sedem subire nequeat, ut ex c. *Mulieres* colligitur; tunc enim consulenda est Apostolica Sedes, & de statu personæ, & negotii veritate informanda, & interim, dùm Pontifex consulitur, sub juratoria cautione absolvi potest, si aliquod periculum sit in mora, & idem dicendum est de quolibet habente legitimum impedimentum, ut non possit Papam adire, vel ejus Legatum. Sextus casus est, si Regularis Regularem percutiat, hic enim à suo Prælato absolvi potest, nec Sedem Apostolicam pro absolutione tenetur adire ex cap. *Monachi de sent. excom.* & notanter dicitur, si Regularis Regularem percutit, quia si Clericum sæcularem percuteret, Papam adire debet, ut expressè habetur in cap. *Cum illorum*, licet postea concessum sit in cap. *Religioso de sentent. excom.* quod in eo etiam casu ab Episcopo absolvi possit. Hoc autem privilegium Regularibus concessum in cap. *Monachi* aliqui intelligunt, etiamsi percussio enormis fuerit, quia in dicto cap. hæc additur particula. *Quocunque modo se se in claustro percusserint*, ubi nullam facere videtur distinctionem inter percussionem gravem, & levem. Alii tamen limitant verbum illud *quocunque modo* dummodò non sit percussio enormis, quæ limitatio expressè habetur in cap. *Canonica de sentent. excomm.* ubi reservetur constitutio dicti cap. *Monachi*, & in fine hæc verba adduntur *Nisi excessu difficilis fuerit, & enormis, propter quem meritò ad Ecclesiam Romanam sit recursus habendus*, & hæc est communior opinio Canonistarum, & Theologorum, præsertim Francisci de Maironis 4. d. 18. q. 5. ut observat Blundus noster loc. cit. Quare extra hos casus nullus ab hac excommunicatione absolvere potest, nisi Papa, vel ejus à latere Legatus, ut habetur ex cap. *Ad eminentiam*: & ità etiam discurrit ex nostris Astesanus lib. 7. tit. 13. art. 3.

65 Circà excommunicationes posterioris generis, quæ scilicet, feruntur à Judice Ecclesiastico, quia non solùm feruntur contra eos, qui crimen aliquod commiserunt, sed etiam sæpè ferri solent contrà scientes crimen illud fuisse commissum, & illud denunciare, vel revelare nolentes; ideò superest dissolvenda gravis difficultas, an quibusvis casibus teneatur quis Judici talem denunciationem sub pœna excommunicationis imperanti obtemperare, & nisi fiat, an semper excommunicationem incurrat; pro cujus resolutione conveniunt Doctores varios esse casus, in quibus nulla est obligatio faciendi talem denunciationem, seù revelationem, ac proindè nulla ex ipsius omissione excommunicatio incurritur. Ad illos autem casus dignoscendos quædam regulæ assignari solent, ut Bonacina observat disput. 6. de onere, & obligatione denunciandi eos, quos jura, vel edicta denunciari præcipiunt punct. 1. & Abellius cum ipso loc. cit. Et quidem in primis certum est, qui ad denunciandum sub pœna censuræ obligatur, esse debere subditum ferentis censuram, & consequenter qui non est subditus illi, qui monitorium, edictum, aut legem sub pœna censuræ tulit, non ligari excommunicatione lata contrà non revelantes. & ratio patet ex dictis superius de Censuris in communi, quia actus jurisdictionis non potest in non subditum exerceri. Rursus conveniunt Doctores neminem teneri in delictis ab aliis commissis in sui damnum, seù in causa propria denunciare delinquentem, nisi aliter postulet publicum, & commune bonum, aut nisi alia circumstantia hujusmodi obligationem inducat & ratio est, nam quilibet injurias sibi factas condonare potest juxtà consilium Evangelicum *Dimite nobis debita nostra, sicut & nos &c.* contrà quod præsumendum non est Prælatum obligare velle in suis monitoriis, & edictis. Item conveniunt neminem teneri vi edicti ad revelandum id, quod novit sub secreto naturali, ut, verbi gratia, quando quis consilii, vel auxilii petendi gratia pro salute animæ, vel corporis, aut honoris, vel pro defensione bonorum externorum, crimen suum sub secreto alicui manifestavit, obligatio enim secreti est de jure naturæ, undè si quis remedium petiit à Medico, vel consilium ab Advocato, isti revelare non tenentur, imò neque debent, quod hac via cognoverunt, & revelantes in hoc casu peccant mortaliter, & ad restitutionem tenentur damni illati.

66 Deindè conveniunt Doctores neque etiam obligationem esse denunciandi, quando ex tali denunciatione notabile damnum, vel periculum imminet denuntianti in vita, vel in bonis; neque enim lex humana, vel Superioris præceptum cum tanto incommodo obligare censetur; undè sequitur uxorem non teneri ad denunciandum crimen Mariti, neque maritum uxoris, neque filium Patris, quia, scilicet, damnum mariti, vel Patris non potest non redundare in uxorem, aut filium, vel è contrà. Quam regulam aliqui extendunt etiam ad generos, soceros, fratres, & alios intrà quartum gradum. Hoc tamen intelligendum est cum hac limitatione, modò crimen non urgeat in detrimentum, & damnum publicum, siquidem bonum commune privato præferendum est; undè excipiuntur crimina illa, quæ in maximum Communitatis, & Reipublicæ detrimentum redundant, qualia sunt crimina hæresis, læsæ Majestatis, &c. propterea filius denunciare potest, & contrà Patrem testari in causa hæresis, eo quod honor, & gloria Dei parentum reverentiæ præferri debet, ac etiam in causa læsæ Majestatis, quando crimen nondùm est patratum, sed est in fieri. Præterea nemo obligatur ad denunciandum crimen illud, quod scit probari non posse, unde si quis vidit solus furtum aliquod committi, quod nullis aliis testibus, aut indiciis probari potest; illud denunciare non tenetur; & ratio est, quia crimen, quod juridicè probari non potest, ità se habet ac si nesciretur, ut colligitur ex cap. *Qualiter, & quando* de accusationibus; tùm quia alioquin nosmetipsos exponeremus periculo levitatis, & reum damno, quod fortasse injustè reciperet, revelando ea, quæ juridicè probari nequeunt; excipitur tamen crimen hæresis, aut aliud in grave damnum Communitatis vergens, quod semper denunciandum est, ut nuper diximus; & idem dicendum est, quando quis novit impedimentum aliquod matrimonii, quia ad impediendum matrimonium unus testis sufficit, ut habetur cap. *Postea* de Sponsalibus; quando verò etiam per alium testem omni exceptione majorem delictum probari potest, tunc ex decreto lato ad illud manifestandum oritur obligatio denunciandi in illo, qui vidit illud committi, hìc enim in tali casu dicitur posse illud juridicè probare. Hinc tandem sequitur à fortiori, nullam esse obligationem denunciandi delictum, quod non scimus verè, & realiter, & cum certitudine aliqua morali non cognoscimus, qualia sunt quæ audivimus ex tumore aliquo incerto, vel à personis aliquibus levibus, quæ non sunt fide dignæ, vel quorum habemus levem suspicionem, & ratio est, quia talis denunciatio nullam in foro externo fidem facere potest, & tantò magis nosmetipsos in tali casu periculo levitatis exponeremus, & reum damno, quod injustè recipere posset, revelando ea, quæ verè, & realiter nescimus; tùm tandem quia obligatio non est extendenda ultrà id, quod in monitoriis exprimitur; edicta autem loquuntur de scientibus verè, & realiter, & cum morali aliqua certitudine, scire enim propriè est veritatem visu, vel alio corporis sensu perceptam mente retinere. Ità Bonacina loc. cit. & alii Doctores communiter ab ipso citati.

67 Denique loquendo generaliter de causis excommunicationis, sivè à jure, sivè à Judice latæ conveniunt DD. excommunicationem majorem non nisi ob peccatum mortale ferri posse, ut dicitur in Can. *Nemo Episcoporum*, & in Trident. sess. 15. de reformatione cap. 3. & non solùm licitè id fieri non posse, sed nec validè etiam à Papa, ut dictum est quæst. præced. art. 3. num. 23. quia excommunicatio major est pœna nimis excedens, & inæqualis peccato veniali; & non solùm excommunicatio hæc ferri non potest validè, nisi ob peccatum mortale, sed etiam non potest, nisi ob mortale exterius, & cum annexa contumacia, seù inobedientia respectu Ecclesiæ præcipientis, ut ibidem dictum est num. 24. Imò, ut observat Hurtadus disp. 12. de excomm. diffic. 3. quamvis excommunicatio major pro quacunque mortali inobedientia respectu Ecclesiæ validè ferri possit, quia quæcunque mortalis hujusmodi excommunicatione digna est; tamen adhuc illicitè fiet, quia si pro quacunque feratur, fiet ut excommunicatio major, quæ in animarum medicinam instituta est, in earum perniciem redundet, quia fideles nimis exacerbabuntur, si ità temerè, & ità facilè feratur; & hoc est, quod etiam docuit Scotus 4. d. 19. §. De quinto, ut diximus art. 1. hujus quæst. n. 38. ubi ait, quod ad licitè ferendā excommunicationem majorem non sufficit quodcunque peccatum mortale, sed debet esse enorme, & publicum, ideoque meritò ibidem reprehendit Prælatos faciles ad excommunicandum, & fatuos appellat, quia excommunicatio est gladius Ecclesiæ, qui tamen ab Apostolis rarò invenitur extractus, siquidem in omnibus D. Pauli epistolis non invenitur, quod excommunicaverit, nisi tribus vicibus, quas ibi enumerat. Addit tandem Hurtad. ibid. excommunicationem majorem validè, & licitè ferri posse à jure, & etiam ab homine, non solùm pro peccatis præteritis, sed etiam pro futuris sub conditione, si fiant, vel expressa, vel subintellecta, v.g. si quis non admiserit, vel qui non admiserit Conceptionem Virginis absque peccato originali, sit ipso facto excommunicatus, verùm quod dicit de excommunicatione pro peccatis præteritis, non est absolutè admittendùm, sed limitandum, ac intelligendum juxtà prædicta qu. præced. de censuris in communi art. 3. nu. 24. Quædam alia de causis excommunicationis majoris videri possunt apud Astesanum nostrum lib. 7. cit. tit. 7. ubi docet nec uxorem excommunicari posse pro peccato viri, nec filium pro peccato patris, nec servum pro peccato domini, nec Principem pro peccato populi sui, nisi committendo, vel omittendo particeps esset peccati populi, si nimirum esset notabiliter negligens, vel remissus in regimine illius. & ratio est, quia ad incurrendam censuram requiritur peccatum proprium, & non sufficit alienum, ut dictum est q. præced. art. 3. in fine.

68 Solet

68 Solet etiam hìc agi de causis impedientibus incursionem excommunicationis majoris, seù de causis excusantibus ab ejus incursu, de quibus fusè agit Hurtadus loc. cit. disp. 13. sed de hoc discurrendum est juxtà doctrinam circà hoc punctum traditam quæst. præced. de censuris in communi art. 4. ubi plures assignavimus causas, quæ ab eis incurrendis excusare possunt, sed quatuor esse diximus præcipuas, & principaliores; prima est ignorantia invincibilis, seù inculpabilis tùm juris, tùm facti; secunda est impotentia faciendi id, quod sub pœna censuræ faciendum præcipitur; tertia est appellatio justè, ac debitè facta; quarta est voluntas, seù consensus illius, in cujus favorem censura lata fuit, & denique diximus causas omnes à peccatis excusantes excusare etiam saltem in foro interno à censuris, quæ semper peccatum supponunt', quod præcipuè de excommunicatione majori verificatur, ut suprà dictum est, & ideò non est necesse, ut in explicatione harum causarum immoremur.

ARTICULUS QUINTUS.

Qui possint absolvere ab excommunicatione majori.

69 PRo absolutione hujus quæsiti recolenda sunt, quæ diximus, qu. præc. art. 4. de censuris in communi, quis possit absolvere ab eisdem incursis, & ex ibidem dictis constituenda est hæc regula generalis pro absolutione excommunicationis majoris, scilicet, hanc debere tolli ab habente potestatem, vel jurisdictionem, sivè ordinariam, sivè delegatam, sivè per privilegium, cujus tenor semper est diligenter ponderandus, & attendendus modus excommunicationem reservandi', cui nimirum sit reservata, ut tamen distinctius hæc omnia percipiantur, supposita illa vulgata excommunicationis majoris distinctione, nimirum quod quædam est à Jure, & quædam ab homine, sivè à Judice, sequentes conclusiones sunt statuendæ.

70 Primò itaque dicendum est, quod ab excommunicatione à jure communi non reservata Pontifici expresè, ex vi juris communis potest absolvere, qui potest absolvere à peccatis, & ratio est, quia conditor Canonis dùm excommunicationis absolutionem sibi non reservavit, specialiter sibi eam non retinuit. Ità D. Bonaventura 4. d. 18. art. 4. quæst. 6. & Scotus d. 25. quæst. 1. lit. F. & cæteri Theologi, ac Canonistæ, unde Seraphicus Doctor loc. cit: hanc regulam generalem ibi tradit, quod de omni excommunicatione à jure lata, sivè majori, sivè minori, non reservata, potest quilibet absolvi à proprio Episcopo, vel Sacerdote, & sumitur hæc generalis doctrina ex cap. Nuper de sentent. excommunicationis, ubi dicitur, quod quia Author Canonis eam absolutionem sibi specialiter non retinuit, eo ipso concessisse videtur aliis facultatem relaxandi; & antè declarat, quibus hanc facultatem concessisse videtur his verbis: *In secundo casu à proprio Episcopo, vel Sacerdote poterit absolutionis beneficium obtinere*. & idem dicendum est de excommunicatione non reservata lata per statuta particularia Diœcesum, & Provinciarum ex cap. citat. Nuper, ut communis Doctorum sententia tenet; undè qui habet potestatem, sivè ordinariam, sivè delegatam absolvendi aliquem à mortalibus, poterit etiam eùdem absolvere à prædicta ab excommunicatione non reservata, quarè hæc facultas absolvendi excommunicatione à Jure non reservata extenditur etiam ad omnes illos Sacerdotes, qui ex privilegio, vel alia ratione vices subire possunt proprii Sacerdotis in Sacramento Pœnitentiæ ministrando, quo nomine intelligitur Parochus, ut ex pluribus cap. Juris Canonicis colligi potest, præsertim verò ex cap. *Omnis utriusque sexus*, de pœnit. & remiss. tales autem sunt, qui habent potestatem jurisdictionis absolvendi à peccatis mortalibus, qui quatenus tale munus exercent, vicem gerunt proprii Sacerdotis, scilicet Parochi, quarè Regulares ab Ordinario ad Confessiones audiendas admissi habent hanc potestatem absolvendi ab hujusmodi excommunicatione à Jure non reservata, & ideò addit Scotus loco citato. *Per absolutionem cujuscunque Sacerdotis jurisdictionem absolvendi à peccatis habentis*, hujusmodi excommunicationem tolli posse, & hoc etiam innuitur in cap. cit. dùm inquit, excommunicationem non reservatam tolli posse per absolutionem, non solùm à Papa, sed etiam à proprio Episcopo, imò à proprio Sacerdote, *vel qui ejus vices gerit*, per quam periculum insinuatur, quod hæc facultas absolvendi ab excommunicatione à jure non reservata extenditur etiam ad omnes Sacerdotes qui ex privilegio, vel alia ratione vices proprii Sacerdotis subire possunt.

71 Nec refert, quod ait Faber disp. 4. cit. cap. 8. nu. 253. in illo cap. *Nuper* casu secundo sermonem fieri de excommunicatione minori, non majori, undè infert præmissam doctrinam de absolutione ab excommunicatione majori non reservata non benè ex illo cap. deduci, sed potius vim habere ex eo, quod sic est in usu, & ità servatur in praxi. Non refert, inquam, quia ut ait Hurtadus disp. 15. diffic. 2. quamvis in eo cap. tantùm sit sermo de excommunicatione minori, ratio tamen dicta, & ibi adducta etiam pro majori inservire potest, & cum ea ratio tantùm deserviat Pontifici ad declarandam voluntatem excommunicantis, & non ad decernendum, ideo ubi eadem currit ratio, idem est dicendum. Verum quidem est, quod licet Scotus hanc communem opinionem teneat loc. cit. non tamen omninò approbat rationem ex illo cap. deductam, qua cæteri Doctores utuntur, quod nimirum quia conditor Canonum talis excommunicationis absolutionem sibi specialiter non retinuit, eo ipso facultatem aliis relaxandi concessisse videtur; inquit enim Doctor, quem etiam sequitur Suarez de Censur. disp. 7. sect. 4. quod illa consequentia non sequitur, nec formaliter, nec materialiter ad illud antecedens, scilicet, Papa non sibi reservavit absolutionem ergò concessit, cùm ex sola negatione reservationis absolutionis non sequatur illius positiva concessio, etiam loquendo de forma consequentiæ secundum jura, alioquin multa possent Prælati inferiores Papæ, quia Papa non videtur illa sibi specialiter reservare, quod tamen falsum esse multis exemplis ostendi potest, ut videre est apud Fabrum loc. cit. Nihilominus, quia ut Blundus advertit ex D. Bonav. loc. cit. in illo cap. *Nuper* sex casus excipiuntur, à quibus non conceditur Episcopis, & propriis Sacerdotibus absolvere, idcircò saltem implicitè in aliis casibus id concessum esse videtur.

72 Secundò dicendum est, ab excommunicatione à jure reservata eum tantùm absolvere posse, cui est reservata, aut ejus Superiorem, aut eum, cui ipse commiserit per delegationem, vel privilegia, quia eo ipso, quod reservatur, non conceditur facultas aliis inferioribus. Episcopis verò ex Tridentino sess. 25. cap. 6. de reformatione conceditur facultas absolvendi suos subditos ab excommunicatione Papæ reservata, quando delictum est occultum, imò etiam quando excommunicatio est publica, sed excommunicatus est legitimè impeditus, itaut Papam adire nequeat ex cap. *De cætero de sent. excom.* sivè ætate senili, sivè infirmitate, sivè impubertate, sivè fragilitate sexus, ut fœmina, cujuscunque conditionis, sivè inimicitia capitali periculosa, sivè cura familiæ, sivè quia est sub cura parentum, sivè quocunque alio impedimento ad arbitrium prudentis sufficienti, & hæc omnia constant ex variis juribus, in quibus sic decernitur. An verò nunc possit Episcopus uti prædicta concessione Tridentini quoad Bullam Cœnæ Domini, & quoad excommunicationes ei annexas, alii affirmant, alii negant, quos omnes refert Hurtad. diffic. 3. & utramque opinionem judicat probabilem. Quando autem, & quomodo possit absolvere ille, cui à Superiore conceditur facultas absolvendi à reservatis, vel per delegationem particularem, vel generalem, vel per Privilegia, vel Indulgentias, Jubilæum &c. inspicienda, & ponderanda sunt verba in tali facultate posita, nihil enim præter intentionem concedentis facultatem potest efficere, quæ intentio ex verbis concedentis est deducenda, & ex circumstantiis est colligendum, an facultas illa extendatur etiam ad reservata, quandò non habetur expresè, sed datur per verba generalia; est verò difficultas, an facultas absolvendi per Privilegia, & per Indulgentiam habet locum tantùm in foro interiori, & conscientiæ, an etiam in foro exteriori, & quidem, quando in privilegio additur, quod fiat pro foro tantùm conscientiæ, certùm est non valere, nisi pro eo, quia talis additio ad id forum absolutionem restringit; & pariter quando additur, quod etiam fiat pro foro exteriori, valet quoque pro illo, quarè difficultas procedit solùm, quandò in privilegio absolutè conceditur facultas absolvendi nulla additione posita, nec restrictione fori, ut conceditur in Bulla Cruciatæ, ac etiam mendicantibus. Aliqui docent tunc absolutionem etiam valere pro foro exteriori, seù contentioso, quia ex una parte in dicto privilegio facultas absolvendi conceditur absolutè, & absque ulla restrictione, & altera est gratiosa, & liberalis; ergò non est restringenda, & limitanda. Ità Suarez, Rodriquez, Bonacina, Medina, & alii. E contrà verò docent alii plures tunc absolutionem ab excommunicatione non valere in foro exteriori, ac proindè sic absolutum posse à Judice tractari ut excommunicatum. & ratio est, quia oppositum asserere est contrà rigorem juris, & jurisdictionem ordinariorum, quo eorum tribunal non parùm turbatur, quod non est credendum concedi generali, & absoluta concessione. Ità Covarruvias, Henriquez, Avila, & alii, quos citat, & sequitur Hurtadus loc. cit. diffic. 4. Tandem Faber loc. cit. ait, quod si absolutè concedatur facultas, videndum est, an ex modo concessionis, & ex subjecta materia intelligatur illam valere quoque in foro exteriori; verbi gratia, si concedatur hæc facultas in ordine ad confessionem faciendam, & suscipienda Sacramenta, quomodo hæc facultas in Jubilæis concedi solet, in quibus cum Indulgentia plenaria conceditur quoque facultas absolvendi à censuris, valet solùm in foro exteriori, &

ri, & sic pariformiter ait de aliis esse discurrendum, qui dicendi modus sicut est communior inter Doctores, ità quoque est probabilior.

75 Tertiò dicendum est, excommunicationem ab homine lata ab eo per absolutionem relaxari posse, à quo lata fuit, vel à Superiore ejus. Ità D. Bonavent. & Scotus loc. cit. & cæteri Theologi eadem dist. & Canonistæ omnes, & habetur ex cap. *Inferior dist.* 21. & cap. *Ad reprimendum*, & cap. *Postoralis §. præterea* de offic. Ordinarii. & ratio est axioma Theologorum, & Canonistarum, quod ejus est solvere, cujus est ligare, cùm non minor, vel alia potestas requiratur ad absolvendum, quàm ad ligandum; ergò absolutio ab excommunicatione ab homine lata ab eo præstanda est, à quo lata fuit, nisi ille sit eo superior vel nisi excommunicatus sit in mortis articulo, vel ejus evidenti periculo, quia in tali casu conceditur omnibus Sacerdotibus quamvis excommunicatis, & non toleratis facultas ad absolvendum ab omni excommunicatione, etiam ab homine, & specialiter lata, quando deficit, qui aliàs extrà eum articulum id facere potest, ut posteà dicemus ex Concil. Trid. sess. 14. cap. 7. Quandó autem dicitur ab eo relaxandam esse per absolutionem excommunicationem à quo lata fuit intelligi non debet secundùm hanc personam singularem, sed secundùm munus, & officium, quia licet hæc persona moriatur, officium tamen, & munus nunquam moritur, & ideò si Episcopus, v. g. qui aliquem excommunicavit, moriatur, vel per aliquam censuram sua jurisdictione privetur, aut alio modo; ad ejus superiorem, vel ad ejus successorem pro absolutione recurrendum est, ut benè discurrit Blundus loc. cit. quod ait expresè colligi ex cap. *Si Episcopus antè* 11. quæst. 3. ubi dicitur, quod successor eum absolvere potest, quem Episcopus mortuus ligavit, & quod dicitur de Episcopo mortuo, id ipsum ait intelligi debere de deposito, & quacunque alia ratione privato ab Episcopatu. Et quod dictum est habet locum non solum in sententia excommunicationis lata ab homine contrà aliquem, vel aliquos particulares, posse nimirum à tali excommunicatione absolvere ipsum Judicem, qui excommunicavit, & eo superiorem, ac etiam eum, cui aliquis eorum commiserit, & non posse alium quamvis excommunicatio non sit reservata, quia absolutio à dicta excommunicatione à nullo jure conceditur, ut tribunal Judici sit ordinariè illæsum, & non turbatum; sed etiam habet locum in excommunicatione ab homine generaliter lata, nimirum sententia generaliter lata, sivè medio præcepto generaliter lato, ut cùm Prælatus excommunicat quemcumque, vel quoscunque, qui fecerunt tale delictum &c. nisi tali tempore satisfaciant &c. nam ab hac etiam absolvere potest, qui sic generaliter excommunicavit, & eo superior, & ille cui aliquis eorum commiserit, & nullus alter, præsertim quando excommunicatio hujusmodi est servata.

74 Difficultas tamen est, an ab hac excommunicatione lata generaliter ab homine, quando non reservatur, possit absolvere qui potest ab excommunicatione à jure lata non reservata. Negant Cajetanus, Suarez, Vasquez, Ugolinus, & Faber ex nostris loc. cit. Ratio est, quia excommunicatio generaliter lata contrà quoscunq; qui aliquod delictum fecerint, non est excommunicatio à jure, cùm non sit registrata in corpore juris, neque sit statutum aliquod, quia hoc respicit futurum, & est de Peccatis futuris, non factis: hæc autem est de peccatis, seù excessis factis, & præteritis; ergò debent de ea judicari, sicut de excommunicationibus latis ab homine decernitur in jure; de illis autem decernitur, quod non possunt absolvi nisi à Judice, qui illas posuit, vel à suo Superiore, ut apertè habetur ca. *Nuper de sentent. excom.* in quo ponitur discrimen inter excommunicationem ab homine, & à jure, quod excommunicatio ab homine non relaxatur, nisi à Judice eam ferente, vel ab ejus Superiore; excommunicatio verò à jure potest relaxari ab Episcopo, vel à Parocho; ergò dicendum est excommunicationem generalem non posse relaxari, nisi à Judice, qui eam tulit, vel à suo Superiore, ut dictum est de aliis excommunicationibus ab homine. Ità discurrit Faber c. 8. cit. n. 241. Alii verò affirmant ab excommunicatione lata ab homine per generalem sententiam, si non reservatur in ipsamet excommunicationis impositione, posse absolvere quemlibet, qui potest absolvere à peccatis, ut dictum est de excommunicatione lata à jure, & non reservata. Ità Navarrus Cornelio, Coninchius, Avila, Hurtadus, Caspensis, Diana, & alii, quæ opinio communior est, & probabilior. & ratio est, quia eo ipso, quod ejus absolutio non reservatur, committi videtur cuicunq; qui potest absolvere à peccato, ob quod incurritur, non minus quàm absolutio à jure lata, eo quia absolvendo à dicta excommunicatione non turbatur tribunal Judicis eam ferentis cùm non sit ei reservata. Nec obstat, quod in cap. cit. *Nuper* decernatur, quod excommunicatio, quæ est ab homine, non possit absolvi, nisi à Judice, qui eam tulit, vel à suo Superiore; nam ibi loquitur solùm de excommunicatione speciali, & non per sententiam generalem lata, hæc enim eo ipso, quod Superior, à quo imposita est, eam non reservavit, videtur absolutionem commisisse cuicunque facultatem habenti, & eo ipso æquiparatur excommunicationi latæ à jure, & nemini reservatæ; undè ex prædicto cap. *Nuper* solùm deduci potest, quod ab excommunicatione lata in particulari contrà aliquem, tantùm absolvere potest, quia eam tulit, vel ejus Superior, vel successor habens æqualem potestatem in officio, vel qui habuerit commissionem, vel privilegium à potente concedere, ut expresè habetur in cap. *Propositi* de foro competenti.

75 Quartò dicendum est, in articulo mortis, vel ejus evidenti periculo omnes Sacerdotes etiam simplices posse absolvere à quacunque excommunicatione reservata, sicut & à peccatis reservatis ex Trident. sess. 14. c. 7. quæ facultas conceditur in tali casu Sacerdotibus etiam excommunicatis, non toleratis, quando, deficiat, qui aliàs extrà eum articulum id faceret; & ratio est, quia in hoc casu omnes Sacerdotes æqualem habèt jurisdictionè saltem ex voluntate Pontificis, & Concilii indistinctè loquentis; imò aliqui asserunt, & non sine probabili fundamento, hoc etiam verum esse, quamvis adsit Sacerdos, qui aliàs posset, & extrà eum articulum jurisdictionem habet, quia cùm Concilium non distinguat, respectu cujuscumque Sacerdotis, militat ratio ibi à Concilio adducta: *Ne scilicet, hoc occasione aliquis existens in talis articulo pereat*, quod enim ille præsens, qui aliàs jurisdictionem habet, hoc est omninò per accidens, & ità tenent Navarrus, Emmanuel Sa, Rodriquez, Vega, Caspensis, & plures alii. Hoc tamen fieri debet exigendo prius, si tempus non deficiat, juramentum comparendi, cùm primum commodè possit coram eo, à quo extrà eum articulum legitimè absolvi potèst, ut generaliter dicitur in cap. *eos qui* 22. *sent. excom. in 6.* exceptis pueris, itaut absolvendus juret se præsentaturum coram Superiore, cùm poterit ex c. *Ea noscitur*, quæ præsentatio non est, ut reus absolvatur, cùm jam sit absolutus, sed ut Superior medicinam, vel satisfactionem necessariam imponat, & hoc onus se præsentandi est personale tantùm, nec transit ad hæredes, sed tantùm onus restituendi, si defunctus aliquid restituere tenebatur, quod si absolutus ab excommunicatione in articulo mortis non se posteà præsentet, cùm possit, in eadem reincidet excommunicationem reservatam ex cap. cit. *Eos qui*, hoc autem tempus, quo, cessante impedimento se præsentare tenetur, taxandum est prudentis arbitrio attentis circumstantiis personæ, loci & temporis, itaut nulla subsit fraus, vel negligentia, quando verò casui reservato non est annexa excommunicatio, tale onus se præsentandi imponendum non est, quia absolutio supponitur fuisse directa, & nullo jure in eo onus se præsentandi coram Superiore imponitur, ut Doctores communiter docent. Denique ut Suarez advertit disp. 7. sect. 7. si in tali articulo contingat moribundum à peccatis absolvi non posse, quia v. g. non esset sanæ mentis, nec ulla contritionis signa dedisset, adhuc tamen à censuris esset absolvendus, ut in loco sacro sepeliri possit, ac etiam ut pro illo Ecclesiæ suffragia fieri possint.

76 Quintò, quoad conditiones requisitas in absolvente, ut absolutio sit valida, dicendum est præcipuas esse, ut habeat potestatem jurisdictionis in eum, qui absolvitur, & quod sit Clericus saltem prima tonsura initiatus, ut constat ex dictis quæst. præc. de censuris in communi art. 2. quia potestas spiritualis non competit laicis; non tamen necessarium est, quod sit Sacerdos, sed sufficit, ut sit Clericus, & aliquo ex ordinibus inferioribus consecratus. Est tamen difficultas, an in aliquo casu possit Laicus absolvere ab excommunicatione, utpotè in articulo mortis deficiente Sacerdote, & quamvis aliqui id affirment, attamen ut Faber noster advertit loc. cit. absolutè tenendum est non licere laicis etiam in tali casu absolvere ab excommunicatione, quia Laici clavium potestatem in spiritualibus non habent. cap. *Verbum* de Pœnitentia dist. 1. sed Clericis competit; & cum Pontifex, & Concilium facultatem concedunt in articulo mortis absolvendi ab omnibus censuris, præsumitur id intendere in ordine ad confessionem peccatorum, ut scilicet, in illo casu possint à peccatis absolvi; at potestas absolvendi à peccatis Laico competere nequit; ergo neque facultas absolvendi à censuris in articulo mortis Laico competere potest, pro qua sententia Faber citat Navarrum, Covarr. & alios. Deindè est difficultas, an Clericus non Sacerdos habens jurisdictionem Ecclesiasticam in foro exteriori, seù judiciali, & qui in eo foro potest excommunicare, & ab excommunicatione absolvere, possit etiam verè quoad Deum, & in foro interno conscientiæ absolvere. Negant Sylvester, & plures Canonistæ, quorum fundamentum est usus Ecclesiæ, & auctoritas Concil. Tridentin. sess. 14. cap. 7. ubi loquens de concessione facultatis hujus articulo mortis, loquitur semper de Sacerdotibus. Alii tamen communius, & probabilius affirmant, ut Antoninus, Covarr. Avila, Hurt.

Faber

Faber l.c. & plures alii, quorum fundamentum est, quia Matth. 18. eis quibus conceditur potestas veré ligandi, etiam conceditur potestas veré solvendi. Clerici autem quamvis non Sacerdotes, jure communi capaces sunt Ecclesiasticæ jurisdictionis in foro exteriori, seú judiciali; quaré sicut per eam veré, & quoad Deum possunt ligare, ità etiam veré, & quoad Deum possunt absolvere; tùm quia hæc absolutio ab excommunicatione non est Sacramentalis, & ideò non indiget Sacerdote pro ministro. Concilium autem loc. cit. quamvis talem facultatem concedat Sacerdotibus illam non habentibus non ob id eam aufert illis, qui jam ordinariè, vel ex aliqua delegatione eam habent, quamvis non sint Sacerdotes. Tandem est difficultas, an Clericus non Sacerdos nullam habens jurisdictionem in foro exteriori possit ab excommunicatione absolvere existentem in articulo mortis. Affirmant Sylvester, Angelus, & alii Summistæ, quia Ecclesia eam facultatem concedere potest; ergo cum sit pia mater, eam concedere supponitur. Negant Suarez, Vasquez, Hurtadus, & alii Doctores communiter, quia talis potestas nullo jure, nec scripto, nec consuetudine firmato invenitur concessa, nisi solis Sacerdotibus, & solùm eo fine, ut à peccatis absolvant, quia absolutio à peccatis in articulo mortis ad salutem est maximè necessaria, non verò absolutio ab excommunicatione, ut advertit Hurtad. disput. 15. diffic. 1. quia excommunicatio ratione sui non impedit salvationem, sed ratione peccati, cui annexa est; imò id quod post mortem manet excommunicationis, auferri potest post ipsam mortem, atque ideò pietati Ecclesiæ non obstat, quod eam non Sacerdotibus non concedat.

77 Sextò quid sit dicendum quoad conditiones ex parte absolvendi requisitas constat ex dictis quæst. præced art. 3. præsentia verò localis, vel absentia ad excommunicandum, & absolvendum nihil confert, quia videmus continuò, & præsentes, & absentes excommunicari, & absolvi. An verò absolutio censuræ data absenti habeat effectum ab instanti, quo datur ab absolvente, an verò ab istanti, quo talis absolutio pervenit in notitiam rei anteà ligati excommunicatione, constabit ex dicendis. Difficultas est, an excommunicatus possit invitus absolvi ab excommunicatione, & difficultas est, an hoc licitè fieri possit, nam validam esse talem absolutionem concedunt omnes, ut notat Faber loc. cit. n. 261. ex D. Thoma, D. Bonaventura, Riccardo, & aliis antiquioribus, quia cum excommunicatio non sit culpa, sed pœna, sicut potest simpliciter imponi invito, ità absolutè loquendo potest ab invito removeri, in hoc enim differt ab absolutione à peccatis, quæ non potest, nisi pœnitenti conferri. In qua re cum distinctione procedendum est, vel enim est sermo de absolvente per potestatem ordinariam à voluntate excommunicati indepẽdentem, vel per Bullam Cruciatæ, vel Jubilæum, aut aliud privilegium in favorem pœnitentis concessum, & si hoc posteriori modo loquamur dicendum est cum Caspensi loc. cit. sec. 13. & aliis Recentioribus nolentem, & invitum absolvi non posse, quia usus privilegii pendet ex voluntate utentis illo, ac proindè si excommunicatus uti eo privilegio recusat sibi per Jubilæum concesso Confessarius facultatem non habet absolvendi virtute illius. Si verò loquamur priori modo, scilicet, de absolvente per potestatem ordinariam à voluntate excommunicati independentem, tunc rursus distinguendum est cum Fabro loco citat. vel enim excommunicatus non perseverat in delicto, ob quod fuit excommunicatus, sed ab eo recedit, & satisfacit; tamen absolutionem petere non vult, & taliter invitus potest ab excommunicatione absolvi, nedùm validè, sed etiam licitè, quia cùm ablata sit contumacia, nulla remanet causa, ob quam absolvi non debeat, quamvis enim absolutionem petere nolit, hoc parum refert, quia potestas absolvendi à voluntate excommunicati non dependet, & ideò eum sic invitum licitè absolvere potest; vel perseverat in delicto propter quod fuit excommunicatus, ut hæreticus permanens in hæresi, vel habens rem alienam, nec volens restituere, & sic invitus non potest licitè absolvi, ut docet D. Bonaventura dist. 18. cit. quæst. 6. quia non potest absolvi, nisi cesset à contumacia, propter quam est excommunicatus, & consequenter absolvi non potest, nisi volens, sivè de peccato pœniteat, ob quod excommunicationem incurrit, absolutio enim, ut ait D. Bonavent. loco citat. in solutione argumentorum utilis est redeunti, non autem in contumacia persistenti, & ideò talem excommunicatum absolvere nolentem absolvi, & à contumacia cessare, potius est præstare iram, quàm misericordiam, & hoc etiam videtur repugnare juri, quod illam ponit, quia sic invitum absolvens hanc censuram enervat, & eam comtemptibilem reddit. Addit tamen Seraphicus Doctor cum Riccardo, & aliis antiquioribus attentis quibusdam circumstantiis posse etiam sic invitum licitè ab excommuincatione absolvi, v.g. quando Judex cognoscens, quod excommunicatio non prodest, sed obest, & consequenter non est medicina, sed venenum, eo quod excommunicatus à contumacia desistere nolit; tunc enim si Judex prudenter cognoscat, quod si absolvatur etiam invitus, & contumax, hoc illi proderit; licitè ipsum absolvere poterit, & ità etiam tenent Suarez, Vasquez, Turrianus, Diana, Caspensis, Faber loc. cit. & alii Recentiores, quod etiam intelligendum esse dicunt, non tantùm de absolutione ab homine, ut antiquiores dicebant, sed etiam de absolutione à jure, si tres adsint conditiones. Prima, nisi jure caveatur, ut nullo modo absolvatur, nisi satisfaciat. Secunda, quod non sit in præjudicium tertii. Tertia, quod non adsit scandalum, nec censuræ contemptus.

78 Denique quoad formam absolutionis ab excommunicatione potest esse sermo de forma absolutionis, vel quantum ad substantiam ad hoc ut sit valida, vel quantum ad solemnitatem, ut diximus qu. præc. de censuris in communi art. 4. nu. 31. Quantum ad substantiam omnes Theologi, & Canonistæ conveniunt, ut ibi dicebamus, nullam certam verborum formam esse necessariam, sed sufficere quæcunque verba ore prolata, vel scriptis expressa, & exarata, quibus sufficienter absolutio exprimantur, qualia sunt *absolvo* te, vel *reconcilio te Ecclesiæ*, *vel tollo à te censuram*, vel *benedico te*, & similia, & semper exprimi debet persona absolventis, persona quæ absolvitur, & censura, à qua absolvitur, neque opus est exprimere causam censuræ, imò neque censuram ipsam eterminatam, si intentio sit absolvendi ab omnibus, quas possit absolvens, & quibus ligatus sit absolvendus, quod si pluribus sit ligatus, & unam tantùm absolvere intendat, nec eam designet, à nulla absolvet, quia non erit major ratio in tali casu, cur potius ab una absolvat, quàm ab alia; & de jure ordinario talis absolutio fieri debet verbis, vel scripto, non autem aliquo alio signo, quamvis sensibili, quia sic in jure statutum est, ut patet Clementina ultima de sent. excommunic. & aliter facta est nulla; dixi de jure ordinario hoc necessarium esse, quia si Summus Pontifex declararet se alio modo, quàm verbo, vel scriptis absolvere, validè absolveret, ut habetur eadem Clementina, quia ipse est suprà jus positivum humanum, secus autem est de aliis Prælatis inferioribus, qui formam juris communis servare tenentur, nec illud immutare possunt, cæremoniæ verò servandæ in absolutione à censura in foro pœnitentiæ, & interiori nullæ sunt præter spectantes ad Sacramentum Pœnitentiæ, quæ autem sint servandæ pro solemni forma absolutionis videri possunt apud Fabrum l.c. n. 271. & seq.

ARTICULUS SEXTUS.

Quædam difficultates explicantur in hac materia.

79 PRima difficultas est, an absolutio ab excommunicatione possit ferri sub conditione de futuro, v.g. si solveris infrà mensem, & dubitatur de conditione sub futuro, quia fieri posse sub conditione de præterito, aut de præsenti omnes concedunt, quotidie enim hoc modo absolvimus antè absolutionem à peccatis dicendo, inquantum possum absolvo te à vinculo excommunicationis majoris, & minoris, si fortè incurristi, vel teneris. Aliqui dicunt absolutionem sic factam esse illicitam, & nullam, quia absolutio à peccatis non potest dari sub conditione de futuro; ergò neque absolutio ab excommunicatione, quia de utraque eadem ratio esse videtur. Ità D. Antoninus, Sylvester, Angelus, & alii Summistæ. Alii verò asserunt talem absolutionem esse quidem validam, ut potè nullo jure irritam, adhuc tamen esse illicitam, quia absolutio dari non debet ab excommunicatione, nisi contumacia cessante, & data satisfactione, ità quod hæc præcedere debet, non subsequi. absolvere ergò priusquàm fiat satisfactio, est modus inversus, & nullius est effectus, antequam conditio adimpleatur, & potest parere contemptum censuræ, nam sic absolutus posset differre satisfactionem ad libitum, quia esset in potestate sua conditionem adimplere, atque ideò talis modus absolvendi est illicitus. Ità Avila 2. p. c. 7. disp. 3. dub. 15. Faber ex nostris d. 4. cit. q. 9. & alii Recentiores. Alii tandem asserunt validè, & licitè hoc fieri posse; validè quidem, quia absolutio sic facta nullo jure irritatur; ac proindè impleta conditione, sub qua facta fuit, effectum tollendi excommunicationem habebit; nec est par ratio de absolutione Sacramentali à peccatis, quia hæc est ex Christi institutione, & ejus effectus annexus est ipsi verborum prolationi, absque potestate suspendendi talem effectum post dictam prolationem: at absolvere ab excommunicatione, sub conditione de futuro non est contrà institutionem, & naturam excommunicationis, sicut nec eam ferre sub conditione de futuro; quod etiam licitè fieri possit probatur, quia nullo jure prohibetur, non quidem positivo, cum nullum extet; nec naturali, quia sic absolvere non est contrà rationem, sicut nec excommunicare sub conditione, & absolutio conditionata ab excommunicatione impleta conditione fit absoluta, ob rationem tamen à secun-

da

da opinione adductam hic modus absolvendi, quamvis alioqui licitus, rarò est in usu, sed impleta conditione datur absolutio de novo. Ità Suarez, Vasquez, Coninchius, Hurtadus, Caspensis, & plures alii Recentiores.

80 Secunda Difficultas est, quando facultas absolvendi conceditur, sub hac conditione *satisfacta parte*, ut conceditur in Bulla Cruciatæ, An quis absolvi possit ab excommunicatione incursa ob injuriam alteri factam non satisfacta parte; & quidem conveniunt DD. excommunicatum ob injuriam, seù injustitiam alteri illatam, licitè absolvi non posse, etiam à suo ordinario, nisi prius satisfaciat parti, si possit, & absque gravi detrimento, ut deducitur ex c. 2. de sent. excom. in 6. & ex cap. ex part. 23. de verb. signific. In hujus difficultatis solutione cum distinctionem procedendum est; vel enim hæc satisfactio commodè fieri potest ab excommunicato, & absque gravi detrimento; vel est impossibile pro tali statu excommunicatum satisfacere parti. & quidem in hoc secundo casu, quamvis Soto in 4. d. 22. quæst. 2. art. 3. affirmet non posse absolvi ex tali privilegio, & licentia, quia illa valet tantùm adimpleta conditione, quæ cùm non adimpleatur, facultas est nulla, quia absolvens validè absolvere nequit, nisi servata privilegii forma, communis tamen opinio asserit in tali casu absolutionem validam, & licitam, esse, si excommunicatus satisfaciat eo modo quo potest, præstando, scilicet, cautionem vel pignorationem saltem juratoriam, si aliam non possit, & signa contritionis ostendat. & ratio est, quia talis additio in privilegio posita de satisfactione facienda intelligenda est, quandò commodè fieri potest, & sine magno detrimento, neque enim versimile est Pontificem postulare conditionem impossibilem; & faciens, quod potest, videtur satisfacere parti; quia pars non debet, nec rationabiliter petere potest, nisi id, quod est possibile. Ità Navarrus, Graffius, Suarez, Vasquez, Henriquez, Avila, Coninchius, Caspensis, Hurtadus, & Faber loc. cit. ac alii Recentiores passim. Si autem commodè satisfacere possit, tunc adhuc est distinguendum, si enim illa particula *satisfacta parte* ponitur in privilegio, tanquam conditio necessariò requisita, vel irritans absolutionem factam illa non adimpleta, & Sacerdos absolvat non satisfacta parte, absolutio non solùm illicita est, sed etiam nulla, quia satisfactio partis est conditio necessariò requisita, qua non adimpleta facultas per privilegium concessa est nulla. Si tamen apponeretur particula illa, non tanquam conditio necessariò requisita, ut absolutio sit valida, sed absolutè facultatem absolvendi concederet, monendo tamen, vel præcipiendo, ut faceret satisfacere parti læsæ, & Sacerdos absolvat, non satisfacta parte, quamvis lethaliter peccet, & teneatur ad restitutionem damni indè secuti parti læsæ, validè tamen absolveret, quia haberet adhuc veram potestatem jurisdictionis; siquidem dicta additione, scilicet, *satisfacta parte*, non limitatur potestas delegato collata ex prædicto privilegio, sed tantùm fit ei admonitio, ut juris communis formam servet; & cùm in jure communi prædicta verba absolutionem non irritent, quamvis illicitam reddant, consequenter neque etiam in privilegio, & ideò diligenter concessionis forma inspici debet, & secundùm illam judicari. Ità Avila, Hurtado, Tannerus, Diana, Caspensis, & Faber loc. cit. contrà Suarez, Vasquez, Coninchium, & alios.

81 Tertia Difficultas est, An ut is, qui absolutus est ad reincidentiam, iterum in excommunicationem incidat, requiratur nova culpa. Pro cujus quæstionis intelligentia observandum est hanc absolutionem ad reincidentiam posse dari dupliciter, ut cum aliis notat Faber loc. cit. primò quando aliquis absolvitur ab excommunicatione, non simpliciter, & absolutè, sed ad tale, & tantum tempus, & ad certos aliquos effectus tantùm legitimè exercendos, v.g. ut excommunicatus possit ad testandum admitti, aut validè beneficii collationem acceptare, & similes, ut colligitur ex cap. *Veniens* 38. de testibus; & de hoc casu non agitur, quia absolutio ad certum effectum non est propriè absolutio, sed potius dispensatio quædam, per quam non obstante excommunicatione conceditur, vel talis possit hujusmodi actum facere, talis enim vere manet excommunicatus, nec ullo modo solvitur ad ullum alium effectum, nisi ad illum particularem, quarè nec propriè illo perfecto in excommunicationem reincidit, quia nullam novam obligationem contrahit, ut Coninchius observat. disp. 14. dub. 16. Secundò potest quis absolvi ab excommunicatione cum conditione, quod infrà certum tempus faciat aliquid, & nisi faciat, in excommunicationem reincidat, tunc enim si conditionem adimplet, est liber ab excommunicatione simpliciter, si verò non adimpleat, in excommunicationem reincidit. Difficultas ergò procedit, quando absolutio datur posteriori modo, in quo puncto Doctores variè discurrunt, sed pro resolutione breviter dicendum est, quod absolutus hoc secundo modo, & cum tali conditione, ut nisi intrà mensem satisfecerit, rursus in excommunicationem reincidat; vel commodè, & sine gravi detrimento id facere potuit, vel non; si primum, certum est per novam culpam reincidere, quia reincidit in novam contumaciam contrà illud præceptum, quæ sine nova culpa dari non potest; si secundum, aliqui dicunt impotentiam implendi conditionem in tali casu impedire reincidentiam, sed probabilius est, ut ait Faber loc. cit. quod nisi in absolutione specificetur, quod impotentia excuset, ut si apponeretur illa particula, *dummodo possis*, vel similis, non excusat, sed tunc absque nova culpa reincidit, quia absolutio valet secundum intentionem absolventis, quæ verbis exprimitur, & tunc reincidit vi prioris sententiæ, qua prius fuit excommunicatus. Nec obstat neminem de novo ligari posse aliqua excommunicatione sine novo peccato. Hoc enim solùm verificatur, cùm nova excommunicatio infligitur; secus autem est, quando prior redit, quæ absolutè ablata non fuit, sed solùm pro certo tempore, & pro reliquo tempore sub conditione, qua non posita, & adimpleta, eadem excommunicatio redit, & propter idem peccatum. Ità Suarez, Filliucius, Hurtado, Faber loc. cit. & plures alii contrà Navarrum, Avilam, & Coninch. Henriquez, Bannem, Cordubam, Rodriquez, & alios.

82 Quarta Difficultas, si excommunicatio hoc modo feratur: *Petrus ob tale furtum sit excommunicatus, donec restituat*, an hoc ipso, quo restituit, desinat esse excommunicatus absque alia absolutione. Negant Glossa, Navarr. Sylvester, ac etiam Faber loc. cit. cap. 8. initio, quia excommunicatio solùm per absolutionem tollitur; & in jure reperitur forma absolutionis præscripta ad auferendam excommunicationem; ergò absque ea nequit excommunicatio auferri. Affirmant Covarr. Vasquez, Coninchius, Caspensis, Avila, & alii, quia excommunicatio est pœna lata à jure, vel à Judice; ergò non durat amplius, quàm vult inflictor ipsius, quod etiam ob eandem rationem contingit in suspensione, & interdicto.

Confirmatur, quia cùm pœnæ sint restringendæ, sententia pœnalis non amplius ligat, quam verba in proprio, & rigoroso sensu significant, atque in tali sententia verba in proprio sensu solùm significant reum ligari usque ad satisfactionem; ergò non amplius ligatur. & hæc secunda sententia communior est, & probabilior; sed ejus sectatores non conveniunt in solutione rationis prioris sententiæ, etenim Vasquez, & Coninchius concedunt illud assumptum, scilicet excommunicationem non nisi per absolutionem tolli posse, nec posse auferri, nec desinere absque absolutione, undè in proposito dicunt talem excommunicationem non tolli sine absolutione, quia hæc implicitè simul fertur cum ipsa excommunicatione, sub conditione tamen futuræ satisfactionis, talis enim sententia idem valet, ac si diceret: *Ego te excommunico propter furtum, & rursum te absolvo statim, atque satisfeceris*. Alii verò, ut Hurtado, & Caspensis dicunt, quod quando excommunicatio fertur ad certum tempus cessat eo completo ex cap. In loco 5. q. 4. & ratio est, quia excommunicatio major est pœna lata à jure, vel ab homine; ergò non durat amplius, quàm vult inflictor ipsius, atque ideò tunc non est necessaria absolutio, sed ipsa excommunicatione ex se cessat finito tempore, quia tantùm fertur usque ad eum terminum cum carentia voluntatis prolungandi excommunicationem ultrà illum terminum, ac proindè ex defectu voluntatis illam prolongandi, ipsa ex se cessat. Undè in proposito dicunt, eo modo excommunicandi ad certum tempus non fieri implicitè absolutionem, sed tantùm ferri excommunicationem usque ad eum terminum cum carentia voluntatis prolongandi illam post illum terminum, quod in rigore non est excommunicationem auferre, & ab ea absolvere; sed tantùm est eam non prolungare, & ideò cessat non ex voluntate positiva eam auferendi, sed ex defectu voluntatis eam prolungandi, quia absque voluntate excommunicantis nequit prolungari. Ad rationem autem in oppositum dicunt, quod forma absolutionis ab excommunicatione in jure reperta tantùm est pro excommunicatione absolutè, & absque termino lata. Ità Hurtad. disp. 14. diffic. 1. qui dicendi modus est satis probabilis.

83 Quinta Difficultas est; An absolutus ab excommunicatione in foro conscientiæ possit cum aliis excommunicare, & actus exercere qui per censuram prohibentur. Ille autem dicitur absolvi in foro interiori, seù conscientiæ, qui absolvitur ab eo, cui Superior concessit facultatem absolvendi, salvo jure cognoscendi de illo delicto in foro exteriori, & de eo pœnam, & satisfactionem imponendi, ut docet Bonacina cum communi Doctorum disp. 1. de Censuris in communi q. 3. pun. 10. quomodo autem dignoscere possimus facultatem datam esse ad absolvendum tantum in foro conscientiæ, vel in utroque foro, jam diximus art. præc. n. 72. Ad hanc difficultatem dicendum est cum Navarro, Suarez, Rodriquez, Filliuc. Ugolino, & aliis quos citat & sequitur Bonac. loc. cit. eum, qui erat occultus excommunicatus, obtenta absolutione in foro conscientiæ, se gerere posse,

tanquam

tanquam non excommunicatum, si verò esset excommunicatus publicus, non potest uti publicè absolutione obtenta tantùm in foro conscientiæ, neque cum aliis communicare propter scandalum, nisi etiam publicè constet ipsum fuisse absolutum. Hoc autem tripliciter constare potest publicè; primò, dùm scitur pœnitentem confessum fuisse tempore Jubilei, in quo aderat facultas absolvendi ab illa excommunicatione. Secundò quando scitur ipsum fuisse confessum Confessario habenti facultatē absolvendi à tali excommunicatione & cōdignam exhibuisse satisfactionem. Tertiò tandem, quando ipse Confessarius hoc attestatur, qui tamen cavere debet, ne prædictam faciat attestationem nisi à pœnitente prius facultatem obtinuerit illius attestationis faciendæ. Confessarius enim loqui non potest extrà confessionem de auditis in illa; in his igitur tribus casibus uti potest publicè absolutione obtenta in foro conscientiæ, & cùm cæteris communicare, quia tunc cessat scandali periculum. Ità Bonacina loc.cit. cum Doctoribus adductis, ubi etiam addit, quod quando quis absolutus fuit in foro conscientiæ ab excommunicatione publica, potest occultè cum iis communicare, quibus notum est ipsum fuisse absolutum, quamvis absolutio publicè non constet, quia in tali casu scandali periculum imminere non videtur; & quando ejus delictum, ob quod censuram contraxit, defertur ad Judicem, non indigere nova absolutione, ut possit cùm cæteris communicare, aut actus per censuram prohibitos exercere, quia re vera fuit absolutus, & consequenter potest se gerere, tanquam absolutus, modò aliis constet ipsum fuisse absolutum, itaut non subsit scandali periculum.

84 Sexta Difficultas est, An excommunicatus ab uno Episcopo, si mutet domicilium, possit ab alio Episcopo absolvi, in cujus Diœcesi de novo domicilium accepit. Aliqui partem tuentur affirmativam, quia jam est sub jurisdictione alterius Episcopi. Ità Vasquez, Turrianus, & quidam alii. Alii verò partem defendunt negativam, quia causa jam est incepta, & ideò ad priorem Episcopum ejusdem causæ consummatio spectat. Ità Suarez, & ex nostris Faber loc.cit. Alii communiùs, & probabiliùs cum distinctione, procedūt, nam vel excommunicatus à suo Episcopo est excommunicatus non particulariter, nec nominatim, sed solùm generaliter, & per sententiam generalem lata fuit excommunicatio, quia, scilicet, Episcopus excommunicavit in genere quemcunque, qui illud delictum fecit; vel est excommunicatus particulariter, & nominatim ob aliquod delictum commissum; excommunicatus primo modo potest ab alio Episcopo absolvi, in cujus Diœcesi domicilium accepit, quia talis excommunicatio non est reservata ei, à quo lata fuit, sed potest à quocunque absolvi, sicut excommunicatio à jure; excommunicatus autem secundo modo non potest absolvi, nisi à Judice, qui sententiam tulit, quia ille jam acquisivit jus, & ideò jurisdictio sic per actum confirmata non amittitur per mutationem domicilii, & translationem dominii, nam ex lite coram ipso Episcopus ille accepit jus in illum ex cap. *Proposuisti* de foro competenti, & aliter faciendo plures fraudes committi possent. Undè qui per sententiam particularem contraxit excommunicationem, debet absolvi à Judice, qui illam tulit, & à cujus excommunicatione ligatus fuit, quia ratione illius delicti delinquens est subditus illius Episcopi. Et pariter eadem ratione qui existens in alieno Episcopatu citatus fuit in aliqua causa coram illo Episcopo, in qua causa contingat ipsum quoque excommunicari, ab alio Episcopo non potest absolvi, quia ex lite coram ipso Episcopus ille accepit jus in eum, ut habetur cap. cit. *Proposuisti*, de foro competenti. Ità Navarrus, Caspensis, & alii Doctores communiter, & quoad hanc partem consentit etiam Faber loc.cit. cap. 8. apud quem alia quædam dubia videri possunt soluta ad hanc materiam spectantia. Demum quid sit dicendum de excommunicatione minori, ac ejus effectibus, & quis ab ea absolvere possit satis constat ex dictis suprà in hac quæstione ar. 1. num. 35. & 36. alia plura de excommunicatione videri possunt apud Nicolaum de Orbellis 4. distinct. 28. quæst. 3. 4. & 5.

QUÆSTIO TERTIA.

De Suspensione.

85 JAm suprà dictum est ab initio hujus Disputationis de Censuris quæst. 1. artic. 1. num. 6. triplicem esse censuram, seù essentialiter in tres præcipuas species dividi, scilicet, in excommunicationem, suspensionem, & interdictum. De prima Censura Ecclesiastica, quæ est omnium gravissima, quæstione præcedenti disputavimus; in præsenti igitur secundam speciem, quæ suspensio dicitur, aggredimur explicandam, & omissis variis acceptionibus, quibus hoc nomen accipi potest, solùm agemus de suspensione Ecclesiastica.

ARTICULUS TERTIUS.

Quid sit suspensio, & quotuplex, & quomodo differat à cæteris censuris, & pœnis.

86 PRimò suspensio est censura, qua Clericus functiones aliquas Ecclesiasticas exercere prohibetur, hìc enim est sermo de Suspensione proprie, & strictè sumpta, & prout est Censura Ecclesiastica Clericorum propria, solus enim Clericus suspendi potest; unde communiter à Doctoribus definiri solet, quod est *Censura Ecclesiastica, qua prohibetur, vel arcetur Minister Ecclesiæ ab aliquo actu Ecclesiastico aliàs sibi conveniente, & hoc ad tempus*, & sic etiam definitur à Scoto 4. d. 25. q. 1. H. Censura Ecclesiastica stat loco generis, per quod Suspensio distinguitur ab alia pœna Canonica, quæ non est censura, ut est cessatio à divinis, irregularitas, degradatio, & depositio, quæ non sunt censuræ propriè dictæ, ut constat ex dictis *loco cit. qu. 1. art. 1. num. 6.* Additur *Qua Minister Ecclesiæ*, &c. Siquidem hæc censura ab aliis differt Censuris excommunicatione, scilicet, & interdicto, ut Navarrus advertit ca. 27. quia Suspensio propriè est Clericorum censura, & solis Clericis convenit, ut dictum est, ferturque formaliter contrà eos, ut Clerici sunt, aut beneficium habent, excommunicatio verò, & interdictum sunt censuræ communes Clericis, & Laicis. Additur tandem alia particula, *Ad tempus*, per quam ait Scotus suspensionem distingui specialiter ab aliis pœnis Canonicis, & quamvis Suarez *disp. 25. sect. 1.* cum aliis recentioribus hanc particulam non approbet, quia omnes censuræ sunt medicinæ, ut patet cap. *Medicinalis de sent. excomm. in 6.* & idcirco in suspensione, quæ est censura, certum tempus præscribi non potest, sed semper illam conditionem includit *donec resipiscas, vel satisfacias*. Hoc tamen non obstat, quia ut Faber advertit *disp. 6. c. 1.* quando Scotus dixit, quod suspensio est prohibitio ad tempus, non intendit, quod suspensio, quatenus est censura, feratur ad determinatum tempus, quia certum est ferri ad contumaciam tollendam; & ideò perseverare potest, quantum ipsa contumacia durat, quæ cùm sit incerta, incertum etiam est tempus, quo suspensio durare, & perseverare potest; eatenus igitur dixit Scotus Suspensionem esse prohibitionem ad tempus, quia suspensio ex vi nominis, & ex natura sua est prohibitio non perpetua, sed temporalis, qui enim suspenditur ab aliquo officio vel beneficio, non privatur illo omninò, sed remanet spes restitutionis; in aliis verò censuris, ut sunt excommunicatio, & interdictum, & aliis pœnis Canonicis, ut est irregularitas, depositio, degradatio, &c. ex vi nominis, & natura censuræ non insinuatur spes restitutionis, sed solùm privatio eorum bonorum, quibus privant, abstrahendo à perpetuitate prohibitionis, & spe restitutionis; licet in duabus illis censuris, in quantum sunt ab Ecclesia institutæ, spes restitutionis includatur, quia sunt ordinatæ, ut medicinæ ad contumaciam tollendam. Ità Faber loc. cit. Aliæ etiam definitiones suspensionis à Recentioribus assignari solent, præsertim illa, quod est censura, quæ Clericus impeditur, ne functiones exerceat sui officii, vel beneficii, seù qua Clericus functiones aliquas Ecclesiasticas exercere prohibetur, quæ coincidunt cum illa à nobis assignata; qui autem suspensionem violat, & actum exercet, à quo suspensus est, mortaliter peccat, ut docet Navarrus, Bonacina, Suarez, & alii communiter, nisi materiæ levitas excusset; & si suspensionem violet per exercitium solemne ordinis alicujus majoris, à quo suspensus est, etiam irregularitatem, ut patebit ex dicendis, incurrit.

87 Secundò suspensio multiplex est, altera enim est à jure, & altera ab homine ex Scoto l. c. quæ divisio communis est omni censuræ, ut dictum est q. 1. de Censuris in communi; peculiaris autem, & celebris divisio censuræ suspensionis, quam ibidem Doctor assignat, est in suspensionem ab officio tantùm, sivè officium sit ordinis, sivè jurisdictionis, & in aliam à beneficio tantùm, seù ab administratione, & fructibus beneficii percipiendis, & aliam addunt DD. communiter ab officio, & beneficio simul, quàm Scotus omisit, quia nihil aliud est, nisi aggregatum ex utraque suspensione, ut ait Faber l. c. numeratur tamen, ut tertia species, quia utraque simul habet plures effectus, quàm suspensio ab officio tantùm, & suspensio à beneficio tantùm, qua ratione dici solet suspensio totalis, ut expressè habetur in cap. *Tuarum* 11. de privilegiis, aliæ verò duæ priores dicuntur partiales, quia per unam suspenditur quis ab officio tantùm, & per aliam à beneficio tantùm. Undè quando in jure profertur sententia suspensionis simpliciter, & absolutè, & non exprimitur, an sit ab officio, vel beneficio, intelligi debet de suspensione ab utroque

utroque, sive de suspensione illum integrum effectum complectente, cùm non sit major ratio, quare intelligatur potius de uno, quàm de alio, ut communiter explicant DD. & ex nostris Blundus disp. 6. ar. 3. & Faber loc. cit. Rursus suspensio ab officio alia est ab officio in totum, quia nimirum quis privatur omni usu sui officii, & omnibus actibus ad illud pertinentibus, ut si aliquis suspendatur ab ordine, & à jurisdictione, alia est ab officio in parte; qualis est illa, qua v. g. quis suspenditur à confessionibus audiendis, non verò ab aliis Sacramentis administrandis, aut aliis, quæ proprium concernunt officium, per officium verò intelligitur in præsenti omnis potestas spiritualis ad aliquem actum spiritualem exercendum, sive ordinis, sivè jurisdictionis, sivé administrationis Ecclesiasticæ; per beneficium verò intelligitur jus ad capiendum Ecclesiasticos fructus, vel proventus. Denique quia suspensio duobus modis ferri potest, uno modo, ut pœna medicinalis, quæ posita emendatione exigat auferri, qua ratione est proprié censura Ecclesiastica; alio modo, ut purè pœna, seu vindicta alicujus peccati commissi; dividi quoque solet in suspensionem aliam pœnalem, & aliam medicinalem; pœnalis est illa, quæ fertur in punitionem, & vindictam delicti commissi, & hæc non fertur per modum censuræ, sed per modum pœnæ; medicinalis est illa, qua intenditur emendatio delinquentis, & hæc est proprié censura, ut notat Bonacina disp. 3. de suspensione pun. 1. Qui autem majorem harum specierum explicationem desiderat, Fabrum legat disp. 6. cit. c. 1. ubi sigillatim de singulis discurrit, de quo nos art. seq.

88 Tertiò, Scotus loc cit. cum aliis antiquioribus aliam addunt suspensionis speciem, quæ est ab ingressu Ecclesiæ, quam Recentiores non libenter recipiunt, Suarez namque disput. 35. sect. 4. censet prohibitionem, qua quis ab ingressu Ecclesiæ prohibetur, non esse speciem quandam suspensionis, sed interdicti. Cæterùm, ut Faber advertit loc. cit. & Blundus art. 17. in jure suspensio ab ingressu Ecclesiæ fertur sub nomine suspensionis, ut patet ex capit. *Is cui* de sentent. excommunic. in 6. & in cap. ult. de officio Ordinarii in. 6. hæc suspensio ab ingressu Ecclesiæ enumeratur cum aliis duabus speciebus suspensionis ab officio, & beneficio, nam verba textus sunt ista: *Alioquin Episcopis, & eorum Superiores ab ingressu Ecclesiæ, cæteri verò ab officio, & beneficio tamdiu eo ipso noverint se suspensos, quousque restitutionem fecerint de prædictis;* & hoc etiam ratio ipsa suadet, quia talis prohibitio ab ingressu Ecclesiæ, ut est quædam suspensionis species, proprié Clericorum est, unde in cap. cit. fertur pœna irregularitatis contra eum, qui suspensus ab ingressu Ecclesiæ in ea celebrat divina; ut autem est species interdicti, est quædam pœna communis Clericis, & Laicis. Quarè suspensio ab ingressu Ecclesiæ, ut est quædam suspensionis species, in hoc consistit, quod Clericus suspensus in ea celebrare prohibetur, & divinis officiis interesse; potest tamen in ea orare, Sacramentum recipere, jurisdictionem exercere, ac etiam in ea sepeliri, si cum signis pœnitentiæ decedat, ut ex c.c. Colligunt Sayrus, Emanuel Sà, & alii Doctores. Interdum verò ab ingressu Ecclesiæ non solum prohibet celebrationem divinorum in ea, sed etiam Sacramenta ibi recipere, privatas orationes ibi fundere, & in ea sepeliri, & alia hujusmodi, ut patebit ex infra dicendis de interdicto, atque ità constat, quomodo prohibitio ab ingressu Ecclesiæ, ut est quædam Suspensionis species, differat ab ejusdem prohibitione, quatenus est species interdicti. Tandem ut ait Faber loc. cit. hæc disputatio, an prohibitio ab ingressu Ecclesiæ sit species interdicti, vel suspensionis, parvi momenti est, quia in jure fertur modò sub nomine suspensionis, modò sub nomine interdicti, & sufficit, ut sciamus quisnam sit effectus talis prohibitionis, ut est species suspensionis, & ut est species interdicti.

89 Quartò differt suspensio à cæteris censuris, & pœnis Canonicis, & primò quidem differt ab excommunicatione majori, quia major excommunicatio plures parit effectus, quàm suspensio, & licet plura sint eadem materialiter, quibus hæc, & illa privant, sunt tamen diversa formaliter, quia illis privant sub diversa ratione: nam suspensio privat v. g. celebratione Missæ, quatenus est actus ordinis, & Ecclesiasticæ potestatis, & usus activus Clericorum proprius; excommunicatio autem major non privat hac ratione, sed quatenus celebrare est communicatio in divinis cum aliis infidelibus. Ab excommunicatione minori differt, quia hæc privat solùm passiva receptione Sacramentorum, non verò suspensio, quæ solùm privat activa, & plures alios habet effectus, quàm excommunicatio minor. Ab interdicto differt, quia suspensio fertur in Ecclesiasticas personas. Interdictum verò tam fertur in Clericos, quàm in Laicos, & interdictum privat usu passivo Sacramentorum, & Ecclesiastica sepultura, quibus non privat suspensio, & licet sæpè privent eadem re materialiter, non tamen formaliter, sed sub diversa ratione, ac denique suspensio non inducit privationem tot rerum, sicut inducit interdictum, ut ex dicendis patebit. Ab irregularitate differt, quod hæc privat susceptione ordinis, ut ordo est: suspensio verò privat exercitio ordinis, vel beneficii, seu potestatis Ecclesiæ, ut est quædam functio. Demum differt à depositione, & degradatione, quod utraque istarum est amotio perpetua, & sine spe recuperandi gradum Clericalem, undè hodie fiunt tantùm in iis Clericis, qui brachio sæculari traduntur, quod non accidit in suspensione, quæ ex se non est perpetua, neq; annullat officium ipsum, nec beneficium habitum, & est pœna medicinalis; depositio verò, & degradatio sunt pœnæ ex se perpetuæ, ac proindè neque medicinales, neque censuræ, & privant officio, & beneficio habitis, inhabilesque reddunt ad beneficia de novo obtinenda; undè per depositionem, & degradationem persona Ecclesiastica ob aliquod enorme delictum removetur in perpetuum ab omni ordine, jurisdictione, & beneficio, itaut quamvis ordinis characterem non amittat, qui indelebilis est, omni tamen, & quocunque illius usu privatur absque ulla spe remissionis. Quod si hæc solis fiat verbis, depositio verbalis appellatur; si verò præter verba aliæ quædam cæremoniæ adhibeantur in Pontificali præscriptæ, vocatur realis depositio, seù degradatio, ut fusè declarat Faber disp. 2. de pœnis, & censuris c. 1. cum Scoto lo. c. ubi etiam advertit, quod depositio verbalis non tolit privilegium fori, degradatio verò tollit, itaut degradatus possit à Judice Laico eodem modo plecti, ac si nunquam Clericus fuisset; & tandem addit ex communi Summistarum sententia depositum, & degradatum non eximi ab obligatione servandi castitatem, & horas Canonicas recitandi, ad quas prius tenebatur, quia obligationes istæ ordinibus sunt annexæ, seù potestati ordinis, non potestati jurisdictionis; tùm quia depositio, & degradatio sunt pœnæ, & ideò non imponuntur ad onera tollenda, sed ad tollendos honores, & adimplenda gravamina, & Scotus addit lo. c. has pœnas, nunquam à jure, sed præcisè à Judice infligendas esse.

90 Quintò si suspensio proprié, & strictè sumatur, quatenus est censura, seù pœna Eccles. lata in pœnam medicinalem ipsius suspensi, non potest validè ferri, nisi ob culpam propriam illius, qui suspenditur, ut Faber advertit disp. 6. cit. c. 2. & ratio est quia cùm censura sit medicinalis non potest ferri, nisi ad tollendum peccatum, & contumaciam, undè quando nulla est contumacia, nec culpa, injustè quis suspenditur, quod maximè veritatem habet de suspensione ab officio, seù ab ordine sacro, quæ primò, & principaliter est censura Ecclesiastica; imò neque ferri potest ob culpam tantùm venialem, ut contrà Navarrum, & Avilam tenent Faber, Suarez, Vasquez, Caspensis, & alii, quia ex se est pœna gravior, & quæ non facilè tollitur, ac proindè ferri nequit, nisi ob culpam gravem, sivè mortalem, notanter autem dixi, si suspensio proprié, & strictè sumatur, quia si sumatur largè pro omni prohibitione utendi aliqua potestate, admitti potest, quod ferri possit ob culpam venialem tantum, immò etiam & sine propria culpa, ut docent aliqui Canonistæ, quod deducunt ex cap. *Vel non est compos*, de tempore ordinandorum, ubi puer ordinatur in ætate 13. annorum suspenditur ab officio Diaconi usque ad ætatem legitimam; patet enim quod puer ille nullam habebat culpam, sed Episcopus eum ordinando. Qui autem possint hac censura ligare, vel ligari, seù quinam possint suspendere, vel suspendi satis constat est dictis de censuris in communi, nam potestate ordinaria suspendere possunt omnes illi, in quibus ex vi proprii muneris jure ordinario, sivè humano, sivè divino, residet in foro exteriori Ecclesiastica potestas, & potestate delegata illi soli suspendere possunt, quibus talis potestas delegata fuerit, vel commissa ab habente ordinariam potestatem. Suspendi autem possunt omnes Clerici viventes. Summo Pontifice excepto, utpotè subditi Ecclesiæ, & officii Ecclesiastici capaces, ac beneficii, à quibus fit suspensio; qui verò non sunt Clerici, effectuum suspensionis non sunt capaces.

91 An verò communitas Ecclesiastica, ut Collegium, vel Capitulum suspendi possit, pendet ex dictis *quæst.* 1. de Censuris in communi a. 4. n. 18. ibi enim diximus censuram suspensionis, & interdicti utique ferri posse in Communitatem, Capitulum, & Collegium, ut habetur ca. un. *de Sede vacante*, & in cap. *Quia sæpe* 40. de elect. in 6. non autem censuram excommunicationis. & ratio discriminis est, quia tut ibi dicebamus suspensio, & interdictum non sunt pœnæ ità graves, sicut excommunicatio, non enim privant hominem suffragiis, & auxiliis Ecclesiæ, sicut privat excommunicatio, undè absurdum non est aliquos innocentes, & bonos, quatenus sunt membra illius corporis, ligari interdum suspensione, & propter peccatum commune puniri in particulari; tum quia ut ait Faber dip. 6. cit. c. 2. suspensio in hoc præsertim ab excommunicatione differt, quod excommunicatio privat bonis personalibus, ut participatione Sacramentorum, & aliis rebus divinis, quæ sunt actiones, quæ non competunt communitati, ut sic, & collectivè sumptæ, cùm illa, ut sic, non habeat animam, quæ sit capax privationis

tionis talium bonorum, at Communitas, ut sic aliquod beneficium habere potest, quo tota Communitas fruatur, & habere potest aliquam potestatem jurisdictionis, ut conferendi aliquod beneficium; quæ potestas in corpore totius Communitatis residet, & Capituli, non in personis particularibus, ut particulares sunt, ideò tota communitas collectivè sumpta ab his beneficiis suspendi potest, & ab his actionibus potestatis jurisdictionis. Non desunt tamen qui dicant, suspenso Capitulo, vel Conventu non censeri suspensos singulos, nisi sint in culpa, ut Emanuel Sà, Layman, & alii.

92 Postremò, quantitas, & qualitas suspensionis colligi debet ex verbis quibus fertur ab homine, vel à jure, quæ utpotè in re odiosa non ampliùs sunt extendenda, quàm significent propriè, & rigorosè accepta; quæ autem, & quot sint suspensiones à jurè recensere nimis prolixum esset, & quidem Scotus de quatuor tantùm mentionem facit, ut Faber advertit loc. cit. Summistæ verò alias plures recensent, & Astesanus præsertim ex nostris lib. 7. tit. 16. enumerat usque ad 53. Nos cum Filliucio tractat. 17. ca. 7. & aliis illas solùm enumerabimus, quæ contrahuntur à Clericis in ipsa ordinatione peccantibus, quæ sunt duodecim, ex quibus quatuor proveniunt ex parte dantis ordinis, octo verò ex parte recipientis. Suspenduntur igitur. Primò recipientes ordines ab eo, qui renunciavit Episcopatui. 2. Recipientes ab alieno sine licentia proprii. 3. Recipientes à proprio in aliena Diœcesi sine licentia. 4. Recipientes ab excommunicato, vel suspenso. 5. Recipientes antè legitimam ætatem. 6. Recipientes extrà tempora sine dispensatione. 7. Recipientes non servatis interstitiis. 8. Ordinati ficto titulo. 9. Promoti per saltum. 10 Recipientes post Matrimonium ratum etiam non consummatum. 11. Si sint excommunicati, vel suspensi, vel interdicti. 12. Si cum litteris Capituli Sede vacante infrà annum. Sunt aliæ plures juris suspensiones, quæ videri possunt apud Blundum nostrum disp. 6. cit. par. 2. art. 6. Toletum, Suarez, Coninchium, Caspensem, & alios. Advertendum tamen est cum Hurtad. tract. de suspensione diffic. 13. plures suspensiones à quibusdam afferri, quæ verè non incurruntur, nec obligant, nisi post Judicis sententiam, & talem præsertim esse inquit, quæ communiter afferri solet contrà Clericum concubinarium notorium ex c. *Quæsitum* de cohabitationem Clericorum, & mulierum, quod etiam asserit Bonacina loc. cit. punct. 5. cum pluribus aliis ab ipso citatis. Nihilominus Toletus lib. 1. cap. 47. cum pluribus aliis tenent suspensionem illam ipso facto incurri ante quamcumque Judicis sententiam; & certè Concilium Tridentinum. Sess. 45. cap. 14. contrà Clericos Concubinarios graves decernit pœnas, & innovat, ac confirmat alias antiquis Canonibus latas. Sic pariter Abellius cum Bonacina, Suarez, & pluribus aliis in sua medulla cap. 6. de Censuris sect. 2. §. 2 de suspensione negat recipientem Ordines non servatis interstitiis, aliquam incurrere suspensionem; & ideò in hac materia cautè procedendum est & diligenter examinandum, quæ suspensiones à jure ipso facto incurrantur, & quæ non nisi post Judicis sententiam præmissa monitione, & hoc deducendum est ex verbis, quibus à jure hæc, vel illa suspensio fertur.

ARTICULUS SECUNDUS.

De Effectibus Suspensionis.

93 JAm diximus Suspensionem aliquando imponi absolutè & tunc privare ab officio, & beneficio simul; aliquando autem ab officio tantùm, & hoc dupliciter, vel ab officio absolutè, & simpliciter, seù totaliter, vel ab aliquo tantùm particulari officio; in præsenti itaque declarandi sunt sigillatim suspensionis effectus, quando hoc, vel illo modo imponitur, sic enim singulæ suspensionis species magis innotescent.

Primò itaque suspensio ab officio simpliciter, & absolutè lata habet pro effectu privari hominem omni usu ordinis, & jurisdictionis, ac muneris Ecclesiastici aliàs sibi convenientis. Hæc assertio est communis DD. sententia, quam etiam docent ex nostris Faber, & Blundus loc. cit. & ratio ipsa suadet, quia suspensio ab officio absolutè lata ad aliquam officii Ecclesiastici partem non coarctatur; ergo comprehendit totum, quia qui privat, & negat genus, privat, & negat omnes & singulas species illius generis; ac proindè hæc suspensio ab officio dicitur totalis, seù in totum, ut suprà dictum est, quia suspendit ab omni actu ordinis, & jurisdictionis. Suspensio verò partialis dicitur, quæ suspendit, vel ab ordine, vel à jurisdictione, non autem ab utroque simul, etsi suspendat ab ordine majori, non suspendit ab ordine minori, undè Sacerdotes interdum suspenduntur ab officio Sacerdotali absolutè, ut in c. *Sanè* 2. de officio delegati, interdum verò solùm à celebratione Missæ; aliquando solùm ab officio audiendi Confessiones, & sic de aliis; & eodem modo fieri contingit in suspensione à jurisdictione, nam in Clem. 2. *De ætate, & qualitate*, &c. delinquens privatur voce in Capitulo, quæ ad jurisdictionem revocatur, aliquando tantùm à collatione beneficiorum ex cap. *Grave nimis* de præbendis, & cap. un. *Ne sede vacante* in 6. Ex quibus patet, quod quando quis absolutè, & simpliciter ab officio suspenditur, cum illa suspensio sit totalis, quia nulla ponitur expressa limitatio suspensus intelligitur ab usu cujuscumque ordinis, jurisdictionis, & Ecclesiasticæ administrationis, & ulterius impedit, ne aliud simile officium suscipi possit ex cap. ult. de Cleric. excom. ministrante.

94 Secundò suspendit etiam ab omni loco, si feratur absolutè absque determinatione loci particularis, sicut excommunicatus ab Episcopo, pro omni loco est excommunicatus, quia est pœna personalis, quæ personam ubique comitatur. Si verò determinetur locus, vel ex circumstantiis colligatur, tantùm intrà ipsum suspensus intelligitur; undè qui in uno Episcopatu ab officio concionandi, vel confessiones audiendi suspenditur, poterit in alio Episcopatu concionari, vel confessiones audire cum licentia illius Episcopi, quia effectus suspensionis sæpè sunt partiales, & non totales, & respectu unius loci, & non alterius, ut constat in extravaganti *Ambitiosè*, in qua suspenditur à tali Ecclesia, quod non evenit in excommunicatione, qui enim in uno loco est excommunicatus, ubicunque debet haberi talis. Similiter si feratur suspensio sine determinatione temporis, durabit donec auferatur ab habente potestatem; si verò limitetur ad certum tempus, eo finito cessabit absque aliqua absolutione, ut ait Glossa in c. Sacro *de sent. excom.* talis enim suspensio, ut suprà dictum est, re verà est pœna, non censura, ideoque illa soluta nulla manet obligatio. Ex quo sequitur ex se esse peccatum mortale, ut etiam supradiximus, violare suspensionem ab officio, quia materia ex se est gravis, nisi inadvertentia excuset, vel aliquando aliqua materiæ levitas ex accidenti. Ità DD. communiter, ac etiam Faber noster loc. cit. Tandem actus suspensi ab officio aliquando sunt validi, & aliquando non, si enim sunt actus solius ordinis potestatem jurisdictionis non requirentes, validi sunt, quia suppositа debita materia, & forma, & intentione Ministri eos Ecclesia impedire non potest, quoad valorem, quem habent ex Christi institutione, undè Sacerdos suspensus ab ordine consecrans validè consecrat. Actus verò potestatem etiam jurisdictionis requirentes in suspenso ab officio sunt invalidi per se loquendo, cum sic suspensus usu jurisdictionis *sit* privatus; per accidens tamen possunt esse validi, ut si suspensus sit occultus, & ab Ecclesia toleratus in officio publico, in tali enim casu propter commune bonum Ecclesia jurisdictionem supplet. Hoc tamen adhuc inter hos actus versatur discrimen, quod suspensus ab officio, si actum ordinis exerceat, ipso facto irregularitatem incurrit, sivè sit denunciatus, sivè non, excusabitur tamen in casu, quo à culpa mortali excusetur ministrando, v.g. ad vitandam infamiam, vel scandalum; si verò actum jurisdictionis tantum ex rceat, nullam pœnam incurrit ipso facto, judicio tamen Judicis puniri potest, quia talis pœna in jure non invenitur. Ità etiam DD. communiter, sed præsertim Blundus noster disp. 6. cit. p. 1. art. 6. cum Scoto 4. dist. 26. qu. 1. D. & F. ac etiam d. 13. *quæst.* 2. §. *Primò videndum est*, ubi ait pœnam irregularitatis esse impositam contrà exercentes officium ordinis, non jurisdictionis.

95 Tertiò suspensus sivè à jure, sivè ab homine ab officio simpliciter, non privatur beneficio habito, neque fructibus talis beneficii, ità etiam DD. communiter, & Faber, ac Blund. loc. cit. art. 7. & quidem quod pectat ad beneficium habitum nulla est dubitatio, quia in jure istæ sunt species diversæ, & una non includit alteram, neque in jure habetur, quod suspensio ab officio se extendat ad suspensionem à beneficio habito. De fructibus tamen aliqua potest esse dubitatio, quia beneficium datur propter officium c. ul. *De Rescriptis* in 6. & accessorium sequitur principale; ergò ex hoc ipso, quod ab officio quis suspenditur, suspenditur consequenter à beneficio, officium enim est principale, & fructus beneficii sunt accessorium. Nihilominus communis etiam sententia idem asserit quoque de fructibus beneficii; quod scilicet suspensio præcisè ab officio privationem fructuum non includit, quia nullibi in jure tali pœna assignatur; & prædictæ privationes sunt diversæ, & una alteram non includit, cùm ergo suspensio ab officio non includat suspensionem à beneficio, nec etiam consequenter includit privationem fructuum beneficii, quia isti beneficium sequuntur, & consequenter sunt illius, cujus est beneficium, ac proindè illos percipere poterit, dummodò beneficio inserviat, vel per se, vel per alium; tùm quia multi sunt fructus beneficii, qui tantùm recitationem horarum Canonicarum requirunt; quas supensus beneficiatus privatim recitare tenetur; ergo saltem respectu istorum

rum suspensus ab officio nullam privationem incurrit, nec ratio dubitandi adducta obstat, quia illud caput de fructibus beneficii intelligitur, qui ità personali ministerio sunt annexi, ut absque illo non dentur, ut sunt quotidianæ distributiones ex c. *licet* de præbendis; qui verò suspenditur ab officio, non ideò privatur fructibus beneficii, cum semper teneatur horas Canonicas saltem privatim recitare. An verò suspensus simpliciter ab officio impediatur etiam à consecutione novi beneficii, itaut collatio talis beneficii sit irrita, vel tantùm irritanda. Hurtad. Turrian. Caspensis, ac etiam Blundus ex nostris asserunt non esse irritam, quia nullo jure positivo id est prohibitum, & persona suspensa non est inhabilis ad consecutionem novi beneficii, sed tantùm impedita, vel prohibita; dicunt tamen talem collationem esse irritandam ex cap. *Cùm bonæ memoriæ* 8. ubi decernitur collationem beneficii factam suspenso per triennium in suspensionem perseveranti esse irritandam. Probabilius tamen est talem collationem esse irritam, & suspensionem ab officio reddere suspensum inhabilem ad novi beneficii consecutionem ut tenent Avila, Suar. Vasq. & plures alii, ac etiam Faber loc. citat. Ratio est, quia cùm beneficium detur propter officium, repugnat, ut illi detur beneficium, qui privatus est officio; undè non est par ratio, ut ait Faber de perceptione fructuum beneficii jam obtenti, & beneficii de novo post suspensionem collati, nam in primo qui habet beneficium, habet jam jus acquisitum in fructibus ejus, quo per suspensionem non privatur; at in secundo nullum jus habetur, & novus titulus confertur, quod suspenso repugnat, ut dictum est; quod verò dicitur in c. citat. *Cùm bonæ memoriæ* talem collationem non esse irritam, sed irritandam, explicari debet irritam esse declarandam, seù ab initio irritam quoque fuisse, ut alii similes textus in jure explicari solent.

96 Quintò, suspensio ab officio partiali ab ea parte officii tantùm suspendit, quæ per verba indicatur, & ab aliis partibus, quæ in illa parte implicitè necessariò includuntur, à qua fit suspensio, ab aliis verò partibus, quæ in illa non includuntur, nequaquam. Ità etiam DD. communiter, & præsertim Faber, & Blundus loc. cit. art. 9. Assertio quoad primam partem probatur, & declaratur, quod scilicet suspensio partialis ab officio suspendat tantùm ab illa parte officii, quam verba explicant, & significant, nam si Episcopus aliquis, vel Parocus suspendatur ab ordine absolutè sine ulla limitatione, hic est suspensus solùm ab officio, & usu ordinum omnium; at non est suspensus à potestate jurisdictionis, quia potestas ordinis, & jurisdictionis sunt diversæ potestates, & omninò distinctæ, quarum una alteram non includit, & una sine altera consistere potest, ut docet Scot. 4. d. 19. §. *De Quinto*, ergo sicut suspensus ab officio non est suspensus à beneficio, quia illa suspensio ista præscindit, & est specie distincta; ità intrà latitudinem officii suspensio ab ordine abstrahit à jurisdictione, & Ecclesiastica administratione; undè sequitur, quod suspensus ab ordine non est suspensus ab actu eligendi, si hanc potestatem habeat, quia actus eligendi est actus jurisdictionis, non ordinis. Deinde probatur assertio quoad secundam partem, quod scilicet suspensus ab una parte officii est suspensus ab omnibus inclusis in illa, hac enim ratione si Episcopus à Sacerdotio suspendatur, etiam censetur suspensus ab ordine Episcopali, quia ordo Episcopalis includit ordinem Sacerdotalem, atque ideò suspensus à Sacerdotio consequenter intelligitur esse suspensus ab ordine, & functionibus Episcopalibus; & hac eadem ratione suspensus ab ordine minori intelligitur etiam suspensus à majori, cùm illum intrinsecè supponat, & sicut suspensus ab ordine inferiori consequenter est suspensus, seù prohibitus, ne Superiorem ordinem recipere valeat si illum non habet, ità est etiam suspensus ab usu illius, si illum habeat, est enim regula DD. generalis, quod censura, quæ impedit susceptionem alicujus ordinis non habiti, à fortiori impedit usum ejus jam habiti. Demum probatur assertio quoad tertiam partem, quod scilicet suspensus ab una parte officii non suspenditur ab aliis, quæ in illa non includuntur, nam Episcopus, v. g. suspensus à Pontificalibus non privatur usu ordinum, quos exercet sine Pontificalibus, quia hæc non sunt essentialiter connexa, & ideò potest hujusmodi Episcopus sic suspensus dicere Missam privatam, sicut simplex Sacerdos, & eodem modo discurrendum est de suspensione ab officio partiali quoad solam jurisdictionem, hæc enim non privat ab usu actuum ordinis, quia potestas ordinis, & jurisdictionis sunt omninò diversæ, excipiuntur tamen actus ordinis, quia jurisdictionem substantialiter requirunt, ut ministratio Sacramenti pœnitentiæ; quarè sicut jurisdictio in foro contentioso non requirit necessariò ordinem, ità nec ordo saltem quoad aliquos actus requirit jurisdictionem ad illos efficiendos, ut notavit Glossa in cap. *Transmissam*.

97 Quintò suspensio à beneficio, quæ est altera species censuræ, est prohibitio à fructuum beneficii perceptione, undè per hanc suspensionem non intelligitur quis privari beneficio jam obtento, sed solùm usu ejus, quia usus in fructuum perceptione formaliter consistit, ut DD. communiter docent; ex quo sequitur quod primarius hujus suspensionis effectus non est privare possessione beneficii, sed tantùm usu percipiendi fructus Ecclesiasticos, quem habet ratione officii. Ità deducitur ex cap. *Cum bonæ memoriæ* de ætate, & qualitate, & ex c. *Cupientes* §. *cæterum* de elect. in 6. & c. *Sicut* cohabitatione Clericorum, & mulierum; hæc autem suspensio à beneficio minimè includit suspensionem ab officio, ut ex prædictis c. deducitur, sed tenetur sic suspensus à beneficio exercere officium, ad quod obligat beneficium, sivè sit jurisdictionis, sivè ordinis, undè si beneficium habeat obligationem Missas dicendi, tenetur suspensus à beneficio illas dicere, licet fructib. beneficii frui non possit, nam cùm suspensio sit pœna, & hic sit suspensus propter suam culpam, mirum non est, si adhuc obligatus maneat ad onera beneficii, & privetur fructibus, quia censura non fertur ad tollendum onus, quarè sicut suspensio ab officio non includit suspensionem à beneficio, ut supradictum est, nisi exprimatur, ità è contrà nec suspensio à beneficio includit suspensionem ab officio nisi exprimatur, suspensus tamen à beneficio intelligitur etiam suspensus à consecutione novi beneficii ob rationem superiùs adductam de suspensione ab officio. Ità DD. communiter, & præsertim Feber, & Blund. loc. cit. art. 11. Dices, beneficium datur propter officium; ergo suspensus beneficio statim intelligitur etiam suspensus ab officio, nam si quis beneficii fructibus privetur, non potest manere obligatus ad officium explendum, ad quod est obligatus propter beneficium.

98 Respond. cum Blundo loc. citat. ex Glossa, & aliis Doctoribus, quod cum suspensio à beneficio fit tantùm à fructuum perceptione, & non ab ipso beneficio, fit ut suspensus à beneficio, idest, à fructibus, ratione tamen beneficii, quod possidet, sit obligatus ad officium, undè licet beneficium detur propter officium, in pœnam tamen sui criminis potest quis à fructuum beneficii perceptione suspendi, & relinqui cùm obligatione ipsi beneficio annexa. Undè si suspensus à beneficio fructus ejusdem capiat, & peccat mortaliter ex se, & eos restituere tenetur, quia capit non suum, & hoc absque ulla Judicis sententia, nisi in aliquibus casibus, de quibus præclarè Scot. 4. d. 15. qu. 2. §. *de Quinto*, nullam tamen pœnam incurrit præsertim irregularitatis, quia in jure non invenitur irregularitas lata in violatorem censuræ, nisi propter ministerium in divinis; à quo per censuram prohibitus est, ut Scotus docet 4. d. 13. qu. 2. *Videndum primò*, irregularitas autem cùm sit pœna gravissima, non contrahitur, nisi expressè in jure ob tale, vel delictum inflligatur, ut idem Scot. docet. 4. d. 6. qu. 8. & d. 13. qu. 2. fructus autem, quib. sic suspensus privatur tempore suspensionis, nunquam recuperari possunt, si est valida, quia illis justè privatur; si verò sententia suspensionis invalida esset, recuperari poterunt quia in tali casu injustè ablati sunt. Sed quid dicendum, si Clericus à beneficio suspensus non habeat undè vivat, & sine illis mendicare cogatur. Resp. cum Fabro nostro loc. citat. quod si est suspensus propter contumaciam, quia non vult Ecclesiæ parere, non est alendus ex beneficii fructibus, & relinquendus est mendicationi, talem enim necessitatem sibi imputare debet cùm possit recedendo à contumacia, & parendo Ecclesiæ ab ea liberari; si verò suspensus sit in pœnam delicti commissi, de licentia Prælati est ei subveniendum ob decentiam status Clericalis, & quia non est in potestate sua ab illa suspensione recedere, ità etiam Bon. disp. 3. punct. 2. cum pluribus aliis. Demum suspensio à beneficio quoad circumstantiam temporis privat suspensum fructibus beneficii, donec per eum, qui suspensionem tulit, auferatur, vel à Superiore ejus; & si talis suspensio sit simpliciter lata, hoc est, absque speciali loci determinatione, tunc extenditur ad omnia loca, idest, privat fructibus cujuscunque beneficii, ubicunque illud sit, vel possideatur, sivè suspensio lata sit à Papa, sivè ab Episcopo, ut docet communis sententia in cap. *Pastoralis*, §. *Verum*, & in ca. *Postulasti* de foro competenti; quid verò nomine fructuum beneficii comprehendatur in suspensione lata simpliciter à benefico, conveniunt DD. intelligi omnes redditus temporales ratione beneficii acceptos, sivè sint fructus terræ, sivè animalia, sivè pecuniæ, sivè distributiones quotidianæ, quæ dantur ratione tituli beneficii, de quo plura videri possunt apud Fabrum, & Blund. loc. citat. art. 16. Addunt aliqui suspensum à beneficio non posse conferre ulla beneficia, aut ad ea eligere, si jus conferendi, aut eligendi ei conveniant ratione beneficii, à quo suspensus est, quia ipse privatus est fructib. beneficii, inter quos talis collatio est computanda. Sed contrarium ait esse dicendum Coninch. disp. 15. de suspensione dub. 2. quia cap. *Cùm Vintonienses* 25. de electione expressè dicitur suspensos à beneficio posse eligere. Ratio est,

quia electio, aut collactio beneficii est propriè actus jurisdictionis, ac officii Clericalis, à quo talis non est suspensus, & non nisi impropriè beneficii fructus dici potest.

99 Denique explicandi sunt effectus prohibitionis ab ingressu Ecclesiæ, quatenus est species quædam suspensionis, ut diximus art. præc. n. 88. & quidem Faber loc. cit. ait hanc tertiam suspensionis speciem privare quibusdam Sacramentis, & divinis officiis, scilicet, illis omnibus, qui in Ecclesia celebrantur, ut est celebratio Missæ, & divinorum officiorum, quæ in Ecclesia publicè fiunt, ac etiam Ecclesiastica sepultura; non privare autem participatione Sacramentorum, & divinorum officiorum, quæ extrà Ecclesiam fiunt. Ex quo infert, quod qui interdictus est ab ingressu Ecclesiæ poterit interesse, & exercere omnia divina officia, quæ extrà Ecclesiam celebrari possunt; ab omnibus verò in Ecclesia prohibetur, ità quod sic interdictus non potest celebrare in ea, nec in ea sepeliri, nec dare, aut recipere Sacramenta, nec aliud ministerium sacrum in ea ministrare, nec Missam, aut aliquod aliud officium sacrum in ea audire, quæ omnia inquit, deduci ex c. *Is cui, de sent. excomm.* in 6. Cæterum hæc omnia potius sunt effectus prohibitionis ab ingressu Ecclesiæ, ut est species interdicti, & quædam pœna communis Clericis, & Laicis; prohibitio autem ab ingressu Ecclesiæ, ut est quædam species suspensionis Clericorum propria, in eo consistit quod Clericus suspensus in ea celebrare prohibetur, & divinis officiis interesse; potest tamen in ea orare, Sacramenta recipere, jurisdictionem exercere, ac etiam in ea sepeliri, si cum signis pœnitentiæ decebat, ut loc. cit. diximus, & docet etiam Blundus loc. cit. art. 17. cum Sayro, Emanuel Sà, & aliis Doctoribus. Interdictum verò ab ingressu Ecclesiæ non solùm prohibet celebrationem divinorum in ea, sed etiam Sacramenta ibi recipere, privatas orationes ibi fundere, & in ea sepeliri; ex quibus constat effectus à Fabro enumeratos esse proprios prohibitionis ab ingressu Ecclesiæ, ut est species interdicti: non autem suspensionis, quare proprius ejus effectus, ut est species quædam suspensionis, est quod Clericus suspensus in Ecclesia celebrare prohibetur, & divinis officiis interesse; potest tamen in ea orare, seù privatas orationes fundere, Sacramenta recipere, ac etiam in ea sepeliri, & ità colligitur ex cap. cit. *Is cui*, ut diximus art. præc. nu. 88. Hic denique observandum est cum communi Doctorum suspensum, quacunque suspensionis specie sit suspensus, non esse à nobis necessariò evitandum, sicut est præceptum de publicè excommunicato, & denunciato, non enim est nobis directè præceptum, ut suspensos Clericos ulla in re vitemus, sed tantùm ne eos ad exercendum actum eis prohibitum inducamus, aut in eo ipsi cooperemur. Ità Coninchius loc. cit.

ARTICULUS TERTIUS.

De causis suspensionis, & ejus absolutione, & ablatione.

100 PRimò quoad primam quæsiti partem de causis suspensionis resolutio facilè deducitur ex dictis art. 1. nu. 90. & sequ. & quidem quod spectat ad causam efficientem regula generalis est apud Summistas illum solum suspendere posse, seù censuram suspensionis ferre, qui excommunicare valet, & habet potestatem jurisdictionis, & reliqua conditiones, ut in superioribus dictum est de potestate ferendi censuras. Causa verò materialis, sivè proprium hujus censuræ subjectum est clericus, seù persona Ecclesiastica, siquidem hæc pœna, ut suprà dictum est, propriè clericorum est, cùm materiam circà quam hæc censura versatur, sub officiis, & beneficiis Ecclesiasticis contineatur; unde Summo Pontifice excepto, qui censuræ non est capax, cùm in Terris Superiorem non habeat, quilibet alius clericus, etiamsi Episcopus, vel Cardinalis sit, est materia, & subjectum aptum hujus censuræ, quia dignitas illa non reddit eos correctionis incapaces, nec ab omni humana subjectione facit eos immunes, & liberos. Non tamen quilibet clericus à quolibet suspendi potest, sed unusquisq; à suo Prælato, quem jure Ordinario, vel ex privilegio habet, solus autem Papa omnes, & singulos clericos, & Religiosos suspendere potest, cùm suprà Ecclesiam totam habeat potestatem, consequenter ferendi censuram in omnes Christianos. Deindè de causa finali, seù propter quam censura suspensionis ferri potest diximus etiam loc. cit. cum communiori validè ferri non posse, nisi ob culpam propriam illius, qui suspenditur, & esse debere mortalem, nec sufficere venialem tantùm, quia ex se est pœna gravis, & quæ non facilè tollitur, ac proindè ferri nequit, nisi ob culpam grauem, sivè mortalem. Nonnulli tamen docent posse censuram suspensionis etiam contrahi sine propria culpa, licet non sine culpa aliena, & Blund. noster disp. 6. cit part. 2. art. 4. ait hoc etiam esse de mente Scoti 4. dist. 25. qu. 1 D. ubi inquit, quod si aliquis ignoranter invincibiliter ordines simoniacè accipiat, non efficitur irregularis nisi postquam hoc sibi constiterit, actum ordinis simoniacè suscepti exequatur; verùm postquam sibi constat de ordine sic sucepto, suspensus est ab actu illius Ordinis, quousque à tali suspensione liberetur; ergo secundùm Scotum simoniacè ordinatus ignorans invincibiliter, quod alius prætium dedit, ut ordinaretur, suspensionem contrahi sinè propria culpa, non tamen sine culpa Episcopi simoniacè ordinantis, & illus, qui pretium dedit, ut ordinaretur; quarè ad has opiniones conciliandas Blun. l. c. cum distinctione procedit, & inquit, quod si loquamur de suspensione lata à jure, contingere potest aliquem talem incurrere suspensionem sine propria culpa, ut patet de eo, qui ignoranter ab Episcopo simoniaco, vel qui loco, & dignitati renunciavit, ordinatur, talis enim suspensus est ab ordinum executione, non propter propriam culpam; sed Episcopi suspensi, à quo ordines accepit; si verò loquamur de suspensione lata ab hominem ait talem nunquam incurri sine culpa saltem veniali illius, qui suspenditur; quod satis probabiliter dictum videtur. Denique quod spectat ad causam formalem, seù ad formam ferendi suspensionis Censuram, dicendum est in suspensione latà à jure, nullam aliam formam esse necessariam præter verba legis, quæ sufficienter speciem suspensionis, & modum illam incurrendi exprimant; in suspensione verò lata ab homine præter verba, quæ sufficienter exprimunt modum, & speciem, seù effectum suspensionis, necessariò requiritur, si fertur ob contumaciam, quod monitio præcedat, ut de ipsa contumacia suspensus, convincatur, quia si fertur suspensio in pœnam præteritæ culpæ non requiritur necessariò monitio, ut notant Nav. Sayr. Suar. Emmanuel Sà, & alii DD. passim, in quo tamen casu talis pœna non est propriè dicta, ut dictum est q. 1. de censuris in genere a. 3. n. 20.

101 Secundò quoad aliam quæsiti partem conveniunt DD. ut notat Hurtad. loc. cit. diff. 10. & 11. omnia, quæ excusant opus cui annexa est suspensio propriè dicta, à culpa mortali impedire effectum, & valorem suspensionis, quia suspensio strictè sumpta non incurritur, nisi ob culpam mortalem, ut suprà dictum est, saltem regulariter loquendo; talia autem sunt defectus advertentiæ, & ignorantia invincibilis, sivè juris, idest, prohibitionis, ad cujus transgressionem fertur, sivè facti prohibiti, ac etiam metus gravis mali, sivè in corpore, sivè in fama, & honore, ac etiam in bonis fortunæ, quando opus cui est annexa suspensio est aliàs prohibitum jure naturali; hæc enim omnia valorem, & effectum suspensionis impediunt, ut universaliter dictum est de quacunque censura qu. 1. art. 4. n. 26. Quibus autem modis suspensio tollatur, quando incurritur, cùm distinctione procedendum est, ut idem Hurt. advertit, & Faber loc. cit. potest enim suspensio ferri dupliciter, vel per modum censuræ, vel per modum puræ pœnæ; tunc fertur per modum censuræ, quando fertur ab contumaciam respectu Ecclesiæ, & medicinaliter, itaut emendatione posita sit debita absolutio, ut quando fertur absolutè, & prævia admonitione; tunc verò fertur per modum puræ pœnæ commissi delicti, quando fertur ad determinatum tempus, in hoc enim differt à depositione, & degradatione, ut suprà dictum est. Quando itaque suspensio fertur primò modo, scilicet, per modum censuræ, conveniunt DD. per absolutionem tolli debere, sicut alias censuras; quando verò fertur per modum puræ pœnæ ad certum tempus, dicunt tolli posse absque absolutione, aut ex se ipsa impleto termino, sivè temporis, sivè operis, ad quem usque fuit lata, quod potius est cessare, quàm tolli; aut per dispensationem antè impletum terminum ab ipso suspendente, vel ejus superiores, vel ex eorum facultate, & quod finito tempore in sententia præscrito auferatur hoc impedimentum ex eo probatur, quia sententia non obligat ampliùs quàm sit intentio Judicis, vel juris, quæ determinatis verbis significatur & eadem ratio valet, ut etiam tolli possit per dispensationem antè implerum terminum. Quandò autem tempus suspensionis incipiat, & quando terminetur, regula generalis assignatur, quod incipiat ab eo puncto, ex quo sententia lata est, si feratur à Judice; & à tempore, quo delictum commissum est, si est à jure; terminatur verò, cum tempum præscriptum continuatum completur omninò, quod tempus computari debet secundùm computationem communem temporis in contractibus humanis usitatam; quia suspensio est prohibitio, ideò prohibet, & se extendit ad totum illud tempus completum, quod significat, ut ait Faber loc. cit.

102 Tertiò suspensio, quæ est censura, & per modum censuræ fertur, non tollitur eo ipso ablata contumacia, ut quidam Canonistæ dixerunt, sed per absolutionem potentis absolvere, sicut & aliæ censuræ, ut dictum est, & ità tenet communis sententia; & quidem omnes Sacerdotes in articulo mortis ab hujusmodi censuris, sicut à quacunque alia, & ab omni peccato absolvere possunt, quia in tali articulo nulla est casuum, nec censurarum reservatio ex Concil. Trid. sess. 14. c. 7. extrà verò hunc articulum si sit à jure reservata debet absolvi à suspendente, vel

vel ab alio de ejus licentia, & privilegio, quando enim conditor Canonis sibi absolutionem reservat tacitè, vel expressè juxtà cap. *Nuper*, nullus inferior absolvere potest. Quando autem non est à jure reservata, an possit absolvi à quovis Confessario potente à mortalibus absolvere, est inter Doctores dissensio. Affirmant aliqui, quia ab excommunicatione à jure non reservata potest absolvere, quia potest absolvere à peccatis ex c. *Nuper de sent. excom.* ut dictum est qu. præc. art. 5. num. 70. ergò etiam à suspensione. Communis tamen sententia docet ab Episcopo tantùm absolvi posse, vel ab Episcopalem auctoritatem habente, non autem à Parocho, vel à quovis Confessario potente absolvere à mortalibus, & inquit non esse partem rationem de excommunicatione, & suspensione; excommunicatio enim à jure non reservata absolvi potest à quovis Confessario potente absolvere à mortalibus propter majorem necessitatem absolutionis excommunicationis ad recipienda Sacramenta, si quidem excommunicatio major privat suffragijs, & receptione Sacramentorum, quibus non privat suspensio, sed solùm activa eorum administratione, quæ non est necessaria simpliciter ipsi suspenso ad salutem. Ità Laymán, Avila, Henriquez, Hurtadus, Diana, Caspensis, & Faber ex nostris loc. cit. ac Blundus artic. 7. Sed an hæc facultas Episcopis concessa competat etiam Superioribus Religionum, eo quod Episcopalem habeant auctoritatem ergà Religiosos eis subditos; communis sententia affirmat ut ait Blundus ibidem, & hoc expressè inquit declaratum fuisse à Pio V. in quodam Brevi ad instantiam Provincialis Provinciæ Castellæ Ordinis Prædicatorum, quod etiam probat evidenti ratione, quia non sunt deterioris conditionis Reguiares, quàm sæculares, imò melioris, ut patet, sunt enim in statu altiori, undè si Superioribus Religionum talis facultas concessa non fuisset respectu suorum subditorum; non esset Regularibus à Sede Apostolica ità benignè provisum, sicut sæcularibus, & essent deterioris conditionis, quod non est dicendum; ergò non solùm Episcopus, sed quilibet etiam jurisdictionem Episcopalem habens, vel quasi Episcopalem hoc potest respectu suorum subdictorum, ut omnes Doctores affirmant de Capitulo Sede vacante.

103 Quartò suspensionis censura ab homine lata à suspendente absolvi debet, vel à Superiore ejus, vel Successore, vel ab eis facultatem habente; & hoc etiam docet Scotus loc. citat. d. 25. qu. 1. ubi ait, quod tollitur suspensio per relaxationem factam ab eo, qui eam tulit, vel ab ejus superiores, *Si autem suspensio lata* sit sub conditione, donec satisfaciat, vel restituat, aliqui dicunt secuta satisfactione, vel impleta conditione tolli ipso facto absque aliqua absolutione; in hoc enim differre dicunt excommunicationem ex una parte, & suspesionem, & interdictum ex alia, quod excommunicatio certam formam prærequirit adhoc, ut excommunicatus sit absolvendus, neque eius absolutio potest ex conjecturis, & tacita excommunicantis mente deduci; suspensio autem, & interdictum nullam certam formam exspoſcunt, neque verba requirunt, ut cessent, sed sufficit tacita Superioris voluntas, quæ resultat ex illis verbis: *Suspendo vel interdico*, donec satisfecerit. Ità Layman, Cornelio, Hurtad. Casp. & Bonacina, qui etiam alias citat. loc. cit. pun. ult. Alii verò id negnat, quando suspensio fertur per modum censuræ, quia censura non tollitur eo ipso ablata contumacia, ut suprà dictum est. Tùm quia excommunicatio lata cum hac conditione, *donec satisfeceris* non cessat posita satisfactione, sed adhuc per absolutionem auferendam est, ut omnes concedunt; ergò idem de suspensione dicendum est; Tùm tandem, quia alioquin sequeretur, nunquam ferendam esse absolutionem à suspensione regulariter, & per se loquendo, quia non est absolvendus suspensus antè ablationem contumaciæ regulariter, & licitè loquendo; si igitur etiam post oblatam contumaciam, & secutam satisfactionem non est absolvendus, sequitur nunquam absolvendum esse. Ità Angelus, Sylvest. Avila, Decius, Alterius & Faber ex nostris l. c. ubi ait hanc esse etiam Scoti opinionem, qui non agnoscit alium modum auferendi suspensionem, quatenus est censura, & per modum censuræ fertur, nisi per absolutionem; nam si feratur per modum puræ pœnæ, & ad certum tempus, concedi potest, & admitti opinio opposita, ut suprà dictum est. Cæterum si consequenter loqui velimus ad dicta q. præc. art. 6. nu. 82. dicendum est non solum suspensionem per modum puræ pœnæ latam ad certum tempus tolli posse absque absolutione impleto termino, sed etiam suspensionem latam per modum censuræ sub conditione, donec satisfaciat, vel restituat, ob rationes ibi adductas, imò hoc asserendum est etiam de ipsa excommunicatione sub tali conditione lata, ut ibi dictum est, & quando dicitur censuram per modum censuræ latam non tolli eo ipso ablata contumacia, hoc intelligendum est de censura, & excommunicatione absolutè, & absque termino lata, sic enim non nisi via absolutionis tolli potest; & hoc etiam tenere debent omnes DD. ibi citati, ut consequenter loquantur ad eam doctrinam ab ipsis receptam, & aprobatam etiam in materia excommunicationis, licet communiter dicatur excommunicationem cum hac conditione latam *donec satisfeceris* non cessare posita satisfactione, sed adhuc per absolutionem esse auferendam; nam ratio ibi adducta, ità convincit de excommunicatione, sicut de suspensione, & interdicto, in quo tamen prudentis Lectori judicio me remitto.

104 Quintò tandem, quod spectat ad formam absolutionis hujus censuræ conveniunt DD. nullam esse certam formam verborum præscriptam pro absolutione à suspesione, sed sufficere verba, quæ solutionem significent à vinculo illo suspensionis; usitata tamen forma, ut communiter Summistæ dicunt est ista, *Ego absolvo te à vinculo suspensionis, quam incurristi, & restituo te ad executionem tui muneris, vel Ordinis, vel ad tuum beneficium;* quando autem res est dubia, apponi debet particula, *si quam incurristi;* non tamen omnia illa verba sunt necessaria, sed illa solùm, *Absolvo te à vinculo suspensionis*, vel *à suspensione*, quia sufficit, ut exprimatur actus sententiæ absolventis, ut docet Scot. 4. dist. 14. q. 4. B. de absolutione à peccatis; undè sicut in usu est tantùm in absolutione à peccatorum *Ego absolvo te à peccatis tuis*, ità in proposito dicere sufficit: *Ego absolvo te à vinculo suspensionis*, cùm enim verbum illud, à vinculo suspensionis, vel à suspensione, sit verbum generale, & omnes species suspensionis includat; licet absolvendus sit suspensus ab una specie suspensionis, & non ab alia, ut ab officio, non à beneficio, vel è contrà opus non est in absolutione speciem suspensionis specificare, sicut neque in absolutione à peccatis speciem peccati, quia in illo generali nomine comprenditur, sed sufficit, quod absolventis intentio determinetur ad absolvendum ab illa suspensione, quam incurrit, cujus absolutione indiget. Quod autem spectat ad solemnitatem absolutionis hujus censuræ nihil dicendum remanet, quia ab Ecclesia, ut notat Faber loc. cit. nulla solemnitas est instituta, quæ in absolvendo ab hac censura sit ex præcepto servanda, quia de hac solemnitate nihil in jure reperitur, neque ex praxi communi aliqua est in usu. Denique si suspensio conditionalis fuerit, ut quamdiù quis non satisfecerit, suspendatur, cessante conditione, cessat per se suspensio, neque ulla præterea verbalis absolutio requiritur, ut suprà dictum est.

QUÆSTIO QUARTA.

De Interdicto.

105 DE excommunicatione, & suspensione hactenus disputatum est, nunc de tertia censuræ specie agendum est, quæ interdictum dicitur, & ut à nomine ipso exordium sumamus, non sumitur interdictum in præsenti generaliter, quatenus omnis prohibitio Superioris, & in quacunque materia interdictum appellari solet, sed sumitur specialiter pro quadam pœna speciali Ecclesiastica quorundam bonorum Ecclesiasticorum, seù divinorum privativa, & per modum censuræ imposita, ut sumitur in cap. *Quærenti* 20. de verb. signific.

ARTICULUS PRIMUS.

Quid, & quotuplex sit Interdictus.

106 PRimò interdicti nomine hìc intelligitur Ecclesiastica quædam censura, per quam fidelibus prohibetur participatio Sacramentum, divinorum officiorum, & Ecclesiasticę sepulturæ, ut colligitur ex c. *Non est nobis* de sponsalibus, & ex c. *Quod in te* de pœnitentia, & remissione; & definiri solet interdum per genus remotum, & interdum per genus proximum; & quidem per genus remotum definitur à Scoto 4. d. 25. q. 1. G. quod interdictum *est prohibitio, vel arctatio à quibusdam actibus Ecclesiasticis exercendi, vel ab assistendo quibusdam talibus*, ubi Doctor supponit, quod interdictum sit pœna, & censura Ecclesiastica, cùm anteà dixerit *quinta pœna est interdictum*, illa vero particula: *Arctatio à quibusdã actibus Ecclesiasticis* est prima differentia, qua distinguitur ab excommunicatione, quæ est arctatio, & privatio universalis omnium actuum Ecclesiasticorum; alia verò paricula *vel ab assistendo quibusdam talibus* est secunda differentiam, per quam distinguitur à suspensione, & aliis pœni, quæ non consistunt in privatione assistentiæ divinorum, sed in ministratione, etenim suspensio, & aliæ pœnæ Ecclesiasticæ excommunicatione excepta, nõ privant assistentia divini actibus sed solũ interdictum, undè laici hanc pœnam incurrere possun

assistendo divinis actibus prohibitis. Ità hanc Scoti definitionem explicat Faber noster disp. 5. cap. 1. Alii verò frequentiùs pro majori claritate definitionem interdicti assignant per genus proximum hoc modo, *est Ecclesiastica censura privans hominem activè, & passivè ab omnibus divinis officiis, & à certis Sacramentis, & Ecclesiastica sepultura*. Quod sit censura patet ex Inoc. III. in cap. *Quærenti* de verb. signific. per quod distinguitur ab aliis pœnis Canonicis, quæ non sunt Censuræ, ut sunt depositio, degradatio, irregularitas, & cessatio à divinis per illam particulam *privans hominem activè, & passivè omnibus divinis officiis* distinguitur interdictum à suspensione, quæ licet privet usu activo officii, non tamen passivo, neque privat semper omnibus, sed nunc uno, nunc duobus, & interdum omnibus, & dicitur activè, & passivè privare, quia quæ per interdictum prohibentur, ità prohibentur, ut ne quis dare, nec percipere possit, qua ratione interdictus Ecclesiasticâ sepulturam nec dare, nec recipere potest, sicut etiam, nec divina officia celebrare, nec eis assistere, differt etiam à suspensione, quia hæc Clericorum tantùm censura est, ut diximus, interdictum verò est censura communis Clericis, & Laicis. Per aliam verò particulam *à certis Sacramentis*, &c. ab excommunicatione distinguitur, quæ omnium Sacramentorum communione privat, & Ecclesiastica sepultura. Differt tandem ab aliis censuris, quamvis enim materialiter plures habeat effectus communes cum illis, sub diversa tamen ratione formali, ut etiam diximus de suspensione qu. præc. art. 1. n. 89. quomodo autem prohibitio ab ingressu Ecclesiæ, ut est species quædam interdicti, sub hac quoque definitione comprehendatur, patet ex dictis ibidem num. 88. licet Blund. disp. 7. p. 1. art. 1. neget comprendi, quia putat esse tantùm speciem suspensionis, & non interdicti, quod tamen est contrà communem omnium opinionem.

107 Secundò, interdictum prima sui divisione dividitur in locale, personale, & mixtum ex utroque, itaut tres sunt interdicti species, scilicet, locale, & personale, ac locale, & personale simili; ità Doctores communiter, & Scotus loc. cit. dùm ait, quod hæc pœna interdictum infligitur loco, & non personæ, interdum personæ, & non loco, interdum utrique, & sicut infligitur, ità servanda est. Interdictum locale illud dicitur, quod directè fertur in locum, quia scilicet interdicit divina officia in eo loco celebrari secundùm modum à Canonibus expressum, in personas verò tantùm indirectè, & per redundantiam quandam, scilicet dum sunt in illo loco, & in tali Ecclesia, undè illæ personæ possunt alibi divini officiis assistere, Sacramenta recipere, &c. interdictum autem personale est, quod immediatè, & directè fertur in personam, per quod persona arcetur ab usu tam activo, quàm passivo quorumdam divinorum officiorum, & in quocunque loco. Interdictum tandem locale, & personale simul illud est, quo locus, & personæ simul interdicuntur. Addit autem Doctor loc. cit. quod hæc pœna interdicti, ut ab aliis Ecclesiasticis pœnis distinguitur, frequentiùs infligitur loco, & non personis, nisi dum intersunt divinis in tali loco; undè quamvis interdictum in locale, & personale dividatur, magis tamen propriè videtur dici de locali, nam per hoc propriè distinguitur ab excommunicatione, & suspensione, quia illæ pœnæ propriè contrà personas feruntur, & non contrà loca. Dicitur autem locale, ut Faber advertit. loc. citat. non quia locus sit propriè capax pœnæ spiritualis, sed tantùm per accidens, quo etiam modo dicimus locum cum Ecclesia consecrari, benedici, &c. & quia tendit in personas ratione illius loci, quia in eo divina officia celebrare prohibentur. Et quidem de interdicto locali habetur sermo c. *Præsenti de sentent. excom. in 6.* & de interdicto personali habetur cap. *Sententia* eodem titulo, ex quibus locis colligitur hæc esse interdicta specie diversa, & duas constituere species. Addunt etiam alij aliud interdicti genus, quod ambulatorium appellant, de quo fit mentio in capit. *Non est vobis* de sponsalibus, & in cap. *Dilectis filiis* de appellationibus, quod dicunt in hunc modum ferri: Intercedimus Petrum, & quemcunque locum, ubi fuerit, vel ubicunque fuerit Petrus, ille locus interdicto subjaceat; & hoc interdictum dicitur deambulatorium, quia ambulat cum persona, itaut locus, in quo fuerit talis persona, sit interdictus. Verùm opus non est species interdicti multiplicare præter tres assignatas, quia hoc interdictum deambulatorium reducitur ad mixtum, quando nimirum & locus, & persona simul interdicuntur, ut Caspensis advertit dis. 4. sec. 1. cum pluribus aliis.

108 Tertiò, quodlibet ex his Interdictis dividitur rursus in generale, & speciale, & in primis quantum spectat ad interdictum locale divisio sumitur ex capit. *Præsent. de sent. excom. in 6.* & ex capit. *Cùm in partibus* de verborum significatione; interdictum locale generale est, quo aliqui locus generali, seù universalis plura, scilicet, in se continens partialia loca interdicitur, ut si interdicatur Regnum, Provincia, Diœcesis, Civitas, Villa, Castrum, & tota Parochia alicujus Civitatis, ut dicitur in c. cit. undè ut locus dicatur generaliter interdictus, duo genera locorum continere debet, scilicet, locum sacrum, & cultui divino dicatum, qualis est Ecclesia, & locum prophanum. Interdictum verò locale speciale est, quo locus aliquis particularis interdiciture, verbi gratia Ecclesia aliqua ob crimen aliquod in ea perpetratum, atque ità extrà illud locum potest persona interesse divinis, nisi talis persona illi interdicto particulari locali causam dederit, tunc enim nullibi poterit interesse divinis, sed ubique se gerere debet, ut persona interdicta, in hoc enim casu interdictum particulare locale infert secum personale, ut notat Caspensis loc. cit. cum pluribus aliis ex cap. *Si sententia de sent. excom.* Rursus interdictum personale dividitur similiter in generale, & speciale. Interdictum personale generale est, quod fertur in aliqua. Communitatem personarum, ut est corpus politicum plurium personarum collectivum, & in personas singulas, ut sunt partes illius Communitatis, ut quando interdicitur omnes personæ unius Regni, Provinciæ, vel Civitatis, aut Collegii, vel Capituli, & hujusmodi interdictum constringit omnes, qui ex illa Communitate sunt, etiam innocentes, qui proindè illud servare tenentur, nisi speciali aliquo privilegio sint exempti, ut docet Bonacina disp. 5. de Interdicto punct. 1. cum pluribus aliis. Interdictum autem personale speciale est, quod fertur in aliquas personas determinatè. Tandem Interdictum quoque mixtum aliud est generale, aliud speciale, ut notat Blundus noster loc. cit. Generale est, quando totum Regnum, vel tota Civitas, vel totum Castrum interdicto subiicitur, & simul omnes personæ illius loci; mixtum verò speciale est, quando certa aliqua Ecclesia interdicitur, & simul aliquæ personæ illius; addit præterea Scotus loc. cit. quod interdictum sivè locale, sivè personale, sivè mixtum aliud est à jure, & aliud est à Judice, seù ab homine, quæ quidem divisio satis patet ex dictis de Censuris in communi, & excommunicatione, & suspensione, siquidem omnis censura aut est à jure, aut ab homine, seù à Judice. Solet etiam dividi interdictum in totale, & partiale; totale est, quod fertur sine limitatione, & comprehendit omnes interdicti effectus, quod fit cùm persona, vel locus sine ulla exceptione interdicitur; partiale verò est, quod fertur cum limitatione in ordine ad effectum, ut si alicui interdicatur ingressus Ecclesiæ tantùm, vel si privetur tantùm Ecclesiastica sepultura.

109 Quartò ex his infertur resolutio illius difficultatis, an interdictum locale generale inferat interdictum generale personale, & è contrà; quamvis enim quidam Canonistæ dixerint interdictum locale generale semper esse junctum cum interdicto personali generali, dicendum tamen est cum communi sententia, quam ex nostris defendunt Faber, & Blundus loc. citat. art. 3. & 7. quod interdictum generale locale non infert interdictum generale personale, nec è converso, ut expressè deducitur ex cap. *Si sententia de excom.* undè si locus aliquis est tantùm interdictus, verbi gratia, Regnum, vel Civitas, personæ illius Civitatis non sunt interdictæ, & ejus habitatores possunt interesse divinis officiis in alio loco non interdicto, & ibi Sacramenta recipere; & pariter Clerici illius Civitatis possunt extrà illam alibi celebrare divina officia, & omnes extrà locum interdictum in Ecclesia sepelliri, ut docent Covar. Sayrus, Suarez, & alii Doctores passim, quod verum non esset, si interdictum locale generale semper junctum esset cum interdicto personali generali, tunc enim personæ illius Civitatis interdictæ neque in illa, neque extrà illam celebrare possent, nec sacra audire, nec in Ecclesia sepeliri. Verum tamen est, ut suprà diximus, interdictum locale generale, quod directè fertur in locum, posse quoque interdum in personas indirectè tantùm ferri, & per quandam redundantiam, modo iam explicato, dum, scilicet, sunt in loco sacro interdicto; undè si dicatur in sententia. *Non liceat in tali loco solemniter divina celebrare, nec divinis officiis interesse;* hujusmodi sententia, licet indirectè, & per se in locum feratur, indirectè tamen, & per quandam redundantiam etiam personas comprenhendit, ut sunt in tali loco, quia eis, ut sunt in tali loco, non licet solemniter in eo celebrare, vel divinis officiis interesse, ut loquitur Scotus loc. citat. similiter interdictum personale non infert interdictum locale, undè interdicto Clerico non est interdicta Ecclesia, & si Parochus est personaliter interdictus, ejus Ecclesia non est interdicta, & alius Sacerdos non interdictus potest in ea celebrare divina, ut notat Glossa in capit. citat. & Sylvester verbo *Interdictum*, quando autem, & persona, & locus essent interdicta, nec ipse Parochus, nec alius in alia Ecclesia celebrare posset. Ratio autem hujus doctrinæ deducitur ex dictis, quia, scilicet, interdictum personale, & locale sunt interdicta distincta; & ideò ferri potest interdictum in personas, quia feratur in locum, & è converso, & hoc etiam

dedu-

deducitur ex praxi, & usu, quia interdicto populo alicujus Civitatis, qualibet alia persona, quæ non est de illo populo, potest divina celebrare, & divinis interesse in tali loco.

110 Quintò præterea ex dictis infertur resolutio alterius difficultatis, an cùm interdicitur populus alicujus loci, sub tali interdicto omnes personæ illius loci comprehendantur; conveniunt enim Doctores, ut notant Faber, & Blundus loc. cit. art. 8. interdicto populo interdici omnes personas, quæ sunt partes illius Communitatis, tam inculpabiles, quàm culpabiles, ut constat. ex capit. *Si sententia de sent. excom. 6.* in quo nulla fit injuria innocentibus, etiamsi eo interdicto impediantur ab eo, quod eis particulatim conveniunt, quia pœna spirituali benè unus pro culpa alterius puniri potest, ut notat Glossa in capit. citat. & eò magis in proposito, ut Ecclesiastica sententia plenè observetur, quia fortè contemptui exponeretur, nisi etiam innocentes sub illa comprehenderentur. Hoc tamen vertit discrimen, ut notat Hurtad. tract. de Interdicto diffic. 4. inter innocentes, & nocentes Communitatis generaliter interdictæ, quo ut deducitur ex capit. cit. innocentes tantùm sunt interdicti, ut sunt partes, & membra talis Communitatis, ac proindè eo ipso, quod mutatione domicilii, aut aliter desinunt esse membra illius, desinunt quoque eo ipso absque alia relaxatione esse interdicti, sicut qui post interdictum in Communitatem latam fiunt illius membra, eo ipso fiunt interdicti sententia anteà in eam Communitatem lata; nocentes verò, & culpabiles etiam, ut particulares personæ sunt interdicti, ac proindè quamvis per mutationem domicilii, vel aliter desinant esse membra Communitatis illius, adhuc interdicti manent. Item interdicto populo censetur omnes de illo populo interdicti, sivè presentes sint, sivè absentes, quia quamvis absentes sint, adhuc ad eam pertinent Communitatem, undè quando populus interdicitur, interdicuntur etiam habitantes in suburbiis à Civitate aliquantulum distantibus, & etiam nobiles; nisi aliquo gaudeant privilegio saltem ex consuetudine. Hospites verò longi temporis non intelliguntur interdicti, quia non sunt de populo illius Civitatis sicut neque scholastici exteri, quia sunt veluti hospites; ità communiter omnes Doctores tam Theologi, quàm Canonistæ. An verò qui habet duo domicilia in distinctis populis, & in uno loco populus est interdictus, & in alio non, intelligatur interdictus, nec ne, dissentiunt Doctores; affirmant aliqui, quia etiam si habeat domicilium in altero oppido populi non interdicti, & actu habitet in eo, adhuc tamen est verè membrum populi interdicti. Ità Hurtad. loc. cit. cum quibusdam aliis. Negant alii, ut Silvester, Suarez, Faber, & Blundus, loc. cit. quia non est major ratio, cur sit interdictus cum populo interdicto, quàm quod non sit interdictus cum populo non interdicto, cum utriusque æquè sit pars, & potius in partem favorabilem sit inclinandum. Sed probabiliùs cum Caspensi, loc. cit. & pluribus aliis distinguendum est, quod hoc dubium decidendum est juxta locorum diversitatem, in quibus habitat; nam si tempore interdicti habitat in loco interdicto, tunc censetur interdictus, quia pro tunc intelligitur pars illius populi, non verò quando habitat in loco non interdicto, quia tunc illius par censetur, in quo habitat.

111 Denique conveniunt Doctores, nomine populi interdicti Clericos non comprehendi, ac proindè multò minus Religiosos, nec è contrà nomine Cleri interdicti populum comprendi, ut habetur in dicto c. *si sententia*, quia Clericus, & populus sint distinctæ excommunitates, ut potè quæ distinctis legibus gubernantur; atque ideò interdicto populo non interdicitur Clerus, quia Clerus non est pars populi, & interdicto Clero non interdicitur populus, quia populus non est pars Cleri; nec etiam intelligitur interdictus Episcopus ex capit. *Quia periculosum de sent. excom. in 6.* ubi dicitur, quod Episcopi, & alii Prælati illi superiores non comprehenduntur sub generali sententia suspensionis, & interdicti, nisi fiat de eis specialis, & expressa mentio; an verò interdicto Clero censeantur etiam interdicti Religiosi; affirmant aliqui asserentes proindè interdicto Clero interdici etiam omnes personas Ecclesiasticas privilegio clericali gaudentes, idest, Religiosos etiam, & Novitios, & conversos, fœminas etiam Religiosas, & conversas. Ità Suarez dispu. 32. sect. 1. cum pluribus aliis. Negant alii magis communiter, & probabiliter, & ratio est, quia licet in favorabilibus nomine Cleri, & clerici veniant etiam Episcopi, & Regulares, non tamen in odiosis; tùm quia si interdicantur Religiosi, non censentur interdicti clerici, quamvis clerici lato modo dicuntur Religiosi; ergò à pari, quando interdicuntur clerici, non censentur interdicti Religiosi, non enim status Religiosorum pejoris est conditionis statu clericorum; cùm tamen fertur interdictum in omnes personas Ecclesiasticas alicujus civitatis, Provinciæ, vel Regni intelliguntur etiam interdicti Religiosi. Ità Ugolinus, Avila, Alterius, Coninchius, Layman, Bonacina, Caspensis, Diana, Faber, & Blundus ex nostris loc. cit. & passim alii Doctores: & hæc omnia hactenus in hoc articulo dicta de interdicto breviter, & clarè etiam ex nostris docent Nicolaus de Orbellis 4. d. 18. qu. 9. per plures §. & Astesanus in sua Summa lib. 7. *de Censuris* tit. 16. per plures articulos, quamvis à nullo, quem viderim, ex Recentioribus citati.

ARTICULUS SECUNDUS.

De effectibus Interdicti, & pœnis illud violantium.

112 PRimò conveniunt Doctores tres esse effectus Interdicti simpliciter, & absolutè lati, sivè localis, sivè personalis, & loquuntur de effectibus interdicti, qui modò incurruntur post Bonifacium VIII. Martinum V. & Eugenium VI. nam jure antiquo multò plures erant; & expressè habentur cap. *Alma Mater*. Primus est privatio aliquorum Sacramentorum. Secundo est privatio divinorum officiorum. Tertius est privatio sepulturæ Ecclesiasticæ; dicitur autem tres hujusmodi effectus esse interdicti simpliciter, & absolutè lati, & absque ulla limitatione, quia effectus isti non sunt ità inter se connexi, quin possint ab ipso latore limitari, & separari ad differentiam effectuum excommunicationis, qui separari non possunt, sed sunt ipso jure connexi; undè fieri potest, ut notat Bonacina loc. citat. punct. 3. ut aliquis interdicatur ab officio sacerdotali, sed non ab Ecclesiastica sepultura, vel interdicatur ab officio prædicandi, non tamen à Sacramentis, vel interdicatur ab officio audiendi confessiones, non verò ab aliis; quarè consultò subdit diligenter advertendam esse formam, qua interdictum fertur, nam quando fertur simpliciter, & absolutè, ac sine ulla limitatione, intelligendum est quoad omnes tres recensitos effectus; quando verò non fertur absolutè, sed cum restrictione, & limitatione, eam tantùm actionem prohibet, quæ interdicto exprimitur, & omnem aliam, quæ in ea includitur, & sine qua illa fieri non potest; non verò eam prohibet, sine qua actio interdicta fieri potest, & quæ in interdicto non includitur, propterea verba interdicti sunt semper diligenter consideranda, & examinanda, ut cognoscatur, ad quos effectus extendatur, & ad quos non; quia ut diximus interdictum ab ipso latore limitari potest quoad effectus, quia non sunt jure connexi sicut sunt effectus excommunicationis. Sed quamvis per Interdictum simpliciter, & absolutè latum prohibeatur participatio Sacramentorum, divinorum officiorum, & Ecclesiasticæ sepulturæ, hæc tamen prohibitio varias habet exceptiones tam in participatione Sacramentorum quàm divinorum officiorum, quàm etiam Ecclesiasticæ sepulturæ, ut ex modò dicendis constabit.

113 Secundò itaque ut à primò exordiamur effectu, qui est prohibitio activa, & passiva quorundam Sacramentorum, explicandum est quænam Sacramenta sint excepta, & quæ non; in primis igitur tempore interdicti, sivè sit generale, sivè particulare Sacramenta Baptismi, & confirmationis solemniter ministrari possunt, ut habetur cap. *Quoniam* & cap. *Alma Mater de sent. excom. in 6.* & conferri potest Baptismus, & recipi ab interdictis, ac etiam in loco interdicto ratione necessitatis hujus Sacramenti, cùm enim tunc urgeat præceptum divinum, & naturale, nullo jure Ecclesiastico tempore Interdicti hujus Sacramenti collatio, & receptio prohiberi potest; & quod dictum est de Baptismo etiam de confirmatione dici debet, tùm quia confirmatio est veluti complementum Baptismi, quia datur ad præstandam fidem in Baptismo receptam; tùm quia cap. *Quoniam* cit. æquiparantur Baptismus, & Confirmatio quoad eorum ministerium in interdicto propter moræ periculum, quarè in quocunque interdicto sivè locali, sivè personali licitum est hæc duo Sacramenta ministrare; & cum ibi non distinguatur de interdicto personali, & gratiæ sint ampliandæ, & pœnæ restringendæ, satis probabile censet Faber disp. 5. cit. cap. 2. num. 17. quod etiam personaliter interdictus, qui causam dedit interdicto, possit utrumque Sacramentum dare propter moræ periculum, quamvis alii id negent. Sacramentum etiam pœnitentiæ, ut ibidem dicitur, ministrari potest propter necessitatem hujus Sacramenti in quovis interdicto, sivè locali, sivè personali, præterquam iis, qui sunt in causa culpabili, ob quam latum est interdictum, nisi prius satisfecerint, aut satisfaciendi idoneam dederint cautionem, vel saltem se satisfacturos esse juraverint. Sacramentum item Eucharistiæ tempore interdicti non nisi in articulo mortis, per modum viatici ministrari potest, ut constat ex cap. *Quod in te de pœnit. & remiss.* & ex cap. *Permittimus de sent. excomm.* & idem dicendum est in probabili mortis periculo, undecunque periculum illud proveniat, sivè ex infirmitate, sivè ex periculosa navigatione inchoanda; sivè ex bello, sivè ex damnatione Judicis ad mortem, sivè ex periculoso partu, tale siquidem mortis periculum non est tantùm in infirmitate mortali, ut notat Scotus 4. d. 17. O. sed etiam quan-

quando quis aggreditur actus arduos, in quibus sit verisimile, quod mors immineat, ut Blundus noster advertit loc. cit. art. 5. ex Covar. Ugolino, & aliis.

114 De extremæ Unctionis Sacramento dicendum est tempore interdicti omninò prohiberi. & ratio est, quia nullibi excipitur, cùm ergò generalis prohibitio habeatur de Sacramentorum administratione per interdictum, & illorum administratio solùm liceat, de quibus fit exceptio, & de hoc Sacramento nulla fit exceptio, sequitur illius administrationem esse omninò interdictam. Ità discurrit Faber loc. citat. num. 26. sic pariter discurrit, & eadem ratione de Sacramento Ordinis, quia per Interdictum generaliter prohibetur administratio, & receptio Sacramentorum, quæ non excipiuntur, Sacramentum autem Ordinis nullibi excipitur. Et tandem idem quoque asserit de Sacramento Matrimonii, quod tempore interdicti licitè contrahi nequeat, qua etiam de hoc Sacramento nulla est in jure exceptio, idemque docent Blundus noster, & Bonacina loc. cit. & plures alii. Nihilominus satis probabiliter docent alii etiam tempore interdicti licitè matrimonium contrahi posse, dummodò fiat sine benedictionibus nuptialibus, istæ enim tempore interdicti non licent, cùm inter divina officia computentur, & Missam adjunctam habeant, & preces solemnes, quæ tempore interdicti sunt prohibitę, quod autem matrimonium nudè sumptum, & sine benedictione nuptiali licitè contrahi possit colligitur ex cap. *Appellamus* de feriis, ubi dicitur matrimonium quocunque tempore contrahi posse. & ratio etiam suadet, quia matrimonium est contractus, contractus autem non est prohibitus tempore interdicti, neque personis interdictis; & quamvis in baptizatis habeat etiam adjunctam Sacramenti rationem, hoc tamen obstare non videtur; quia hoc Sacramentum secundùm substantiam, non ab Ecclesia, sed ab ipsis contrahentibus ministratur. Ità Hurtadus, Avila, Sancius, Layman, Coninchius, Caspensis, Orbellius ex nostri, & plures alii; imò quidam ex Adversariis, dum dicunt tempore interdicti matrimonium licitè contrahi non posse, hoc intelligunt cum benedictionibus nuptialibus, & ità præsertim loquitur Blundus loc. citat. Quamvis igitur in cap. *Si sent. 16. de sent. excommun. in 6.* susceptio Sacramentorum tempore interdicti generatim prohibeatur, exceptis casibus in jure expressis, & Sacramentum matrimonii non excipiatur, id tamen intelligendum est, ut Hurtad. advertit loc. cit. diffic. 8. de Sacramentis administrationi Ecclesiæ commissis; hujus autem Sacramenti administratio non est Ecclesiæ commissa, seù ministris ab ipsa ordinatis, aut deputatis, sed tantùm ipsis contrahentibus, ut disp. de Matrimonio dictum est. Quorum autem Sacramentorum participatio sit licita, & concessa etiam tempore Interdicti ex privilegio Mendicantibus, Religiosis, & Bullam Cruciatam habentibus, videri potest apud Blundum loc. cit. & alios passim.

115 Tertiò quod spectat ad alium Interdicti effectum; qui est privatio divinorum officiorum conveniunt Doctores hoc nomine significari sacrificium Missæ; Horas Canonicas, quæ publicè in Ecclesia cantantur ab ejus Ministris, Benedictiones solemnes, & alia omnia, quæ à personis Ecclesiasticis publicè fiunt ad divinum cultum; hæc enim omnia tempore interdicti prohibita esse censentur, undè etiam interdicti ob alienam culpam sacro interesse non possunt. Clerici tamen, & Religiosi, quando ipsi interdicti non sunt, possunt, ac debent, ut antè, Missas, divinaque officia celebrare in Ecclesiis specialiter, non interdictis, sed januis clausis, sine campanarum sono, voce submissa, & exclusis excommunicatis, ac interdictis, sicut habetur in capit. *Alma Mater*. Permittitur tamen, ut in festis Natalis Domini, Paschæ, Pentecostes, & Assumptionis B. Mariæ Virginis, quibus additus fuit à Martino V. dies festus Corporis Christi cum octaua, & à Leone X. dies festus Conceptionis ejusdem B. Virginis, tempore interdicti generalis Missæ, & divina officia publicè, & solemniter celebrentur, & cantentur; januis apertis, cum campanarum sonitu, admissis quoque interdictis, qui causam interdicto dederunt, modò isti longè sint ab altari, nec ad oblationes, vel communionem accedant. Hoc autem intelligendum est de tempore interdicti generalis localis, loquendo verò interdicto locali speciali, ut de aliqua Ecclesia particulari alicujus Civitatis, privilegia illa ex capit. *Alma* non habent locum. & ratio est, quia concessionis eorum privilegiorum fuerunt inconvenientia ibi à Pontifice adducta, quod, scilicet, ex rigore statutorum interdicti cessabat populorum devotio; hoc autem locum non habet in interdicto particulari locali, quia in tali casu si divina in uno loco non celebrantur, in alia celebrantur; tempore ergò interdicti localis specialis non est licitum singulis diebus divina officia celebrare, vel Missas, sed tantùm licet in Ecclesiis specialiter interdictis, in quibus Eucharistia asservatur, semel in hebdomada Missam celebrare ad renovandam Eucharistiam, & administrandam infirmis, sicut jure antiquo licitum erat, nam circà hoc nihil est immutatum jure novo in cap. *Alma Mater*, & tantò minus privilegia prædicta illius capitis locum habent in interdicto personali, sivè generali, sivè speciali, quia ut dictum est, illud loquitur solùm de interdicto locali generali, non personali, undè tempore interdicti personalis personæ interdictæ personaliter interdicto particulari, vel generali Missas celebrare non possunt, nec eis interesse, quia hoc habetur expressè in c. *Si Civitas* & c. *Si sententia de sent. excommun. in 6.* Ità Navarrus, Henriquez, Bonacina, Caspensis, Faber, & alii Doctores passim.

116 Quartò, quod spectat ad privationem Ecclesiasticæ sepulturæ, qui est tertius interdicti effectus, conveniunt pariter DD. in loco generaliter interdicto non posse aliquem sepeliri, nisi privilegium habeat ex c. *Quod in te* de pœnit. & remiss. ubi præcipitur, ne corpus aliquod defunctum cujuscunque fidelis laici etiam infantis in tali loco interdicto sepeliatur, potest tamen in alio loco sacro non interdicto sepeliri, quando tamen interdictum est personale, corpus talis defuncti sic interdicti nullibi sepeliri potest in loco sacro, sicut neque ille, qui causam dedit interdicto generali locali ex cap. cit. *Si Civitas*; & ratio differentiæ est, quia in primo interdicto prohibitio non fertur in personas absolutè, sed solùm ratione loci; in secundo autem absolutè fertur in personas. Quamvis autem tempore interdicti localis non possint laici, licet non interdicti, sepeliri in loco interdicto, possunt tamen clerici, dummodò personaliter interdicti non sint, etiam in loco interdicto sepeliri, sine solemnitate tamen, & sine campanarum sonitum, ut patet ex ca. citat. *Quod in te* de pœnit. & remiss. Ità Navarrus, Ugolinus, Sylvester, Layman, Suarez, Bonacina, Orbellius ex nostris, Caspensis, & alii passim; sic etiam quibus interdictus est Ecclesiæ ingressus, decedentes cum signo contritionis, & pœnitentiæ possunt absolvi, & in loco sacro sepeliri, ut habetur ex cap. *Is cui de sent. excommunic. in 6.* ubi dicitur interdictum ab ingressu Ecclesiæ non posse in ea sepeliri, nec in Cœmeterio, nisi pœnituerit. An verò laici habentes privilegium tempore interdicti generalis localis assistendi divinis officiis, eo ipso gaudeant Ecclesiastica sepultura, est contentio inter Doctores. Affirmant Navarrus, Avila, Sayrus, Coninchius, Bonacina, & alii. Ratio est, quia in privilegio duo considerari possunt, unum principale, & aliud accessorium, principale est divinum officium, accessorium est sepultura; qui ergò tempore interdicti habet privilegium principalis, ideſt, officii divini, videtur etiam habere privilegium accessorii, ideſt, sepulturæ, tùm quia cui communicamus vivo, possumus etiam communicare mortuo. Negant Covar. Ugolinus, Alterius, Caspensis, Suar. Faber ex nostris loc. cit. & plures alii, quorum ratio est, quia hi effectus sunt separabiles, & independentes; & ex vi concessionis circà unum non intelligitur circà aliud, undè videmus tempore interdicti corpora infantium defunctorum loco prophano sepeliri, & tamen dùm vivebant, ad divina officia admittebantur: utraque opinio est probabilis, & sufficienti innixa fundamento; conveniunt tamen in hoc, quod si quis haberet privilegium, ut tempore interdicti admittatur ad divina, tunc etiam absque dubio admittendus esset ad Ecclesiasticam sepulturam, quia sub illo modo loquendi generali hæc etiam comprehenditur.

117 Quintò explicatis iis, quæ tempore interdicti jure communi prohibentur, nunc discurrendum est de iis, quæ jure communi tempore interdicti locali permittuntur. & quidem conveniunt Doctores permitti publicè salutationem Angelicam, dùm pulsatur, recitare, benedictionem mensæ, gratiarum actionem, fructuum benedictionem, & habitus Novitiorum, cantum litaniarum per laicos confratres, ac etiam per Sacerdotes Regulares, sed absque solemnitate Crucis, & sine *Dominus vobiscum*, Crucis adorationem in feria sexta Parasceve; permitti etiam, quod Sacerdos, qui juvat infirmum, possit recitare Litanias, & alios psalmos, & coram laicis dicere Evangelia, vel legere passionem Christi Domini, dummodò non dicat *Dominus vobiscum*: in loco etiam interdicto legere lectiones Sacræ Scripturæ, Evangelium declarare, aut psalmos prædicare, concionari, & quod in Ecclesia Conventuali submissa voce, & sine cantu bini, vel terni horas Canonicas recitare possint, januis tamen clausis, & interdictis, ac excommunicatis exclusis. Ità Blundus noster disp. 7. cit. 2. a. 10. cum Navarro, Sylvestro, Tabiena, Medina, & aliis. Deindè licet etiam interdictis, ac tempore interdictis actus jurisdictionis exercere, quia effectus interdicti sunt tantummodò tres, scilicet, privatio aliquorum Sacramentorum, divinorum officiorum, & sacræ sepulturæ, actus autem jurisdictionis exterioris ad nullum istorum effectuũ reducitur; ex quo sequitur interdictum etiam nominatim denunciatum posse excommunicare, vel ab excommunicatione absolvere, dare indulgentias, & similia, sed absq; solemnitate sacerdotali; ac etiam indulgentias consequi posse, modò sit in gratia,

tia, & opera præstet ad consecutionem indulgentiarum præscripta. & ratio est, quia interdictum consecutione indulgentiæ non privat, & in pœnis non est facienda extensio. Ità Bonac. l.c.pun.6.cum Nav. Avila, Henriq. Ugolino, Sylvestro, & aliis. Demùm conveniunt DD. nullam esse prohibitionem qua laici directè prohibeantur cum interdictis communicare, quamvis nominatim denunciatis, etiam in divinis excepta Ecclesiastica sepultura. & ratio est, quia non est jus aliquod laicos obligans ad vitandum interdictos, nisi ad non tribuendum illis Ecclesiasticam sepulturam, ut habetur Clementina 1. de sentent. excomm. Ità Hurtad. tract. de interdicto diffic. 11.

118 Sextò tandem superest videre de pœnis, & quas secundum Jura incurrunt violantes, seù non servantes interdictum. & quidem violare interdictum in materia Sacramentorum ea ministrando, vel suscipiendo est peccatum ex suo genere mortale, quia est violatio præcepti Ecclesiastici gravis, & cum sit in materia Sacramentorum, est etiam sacrilegium, tam in laicis recipientibus tantùm, quàm in clericis ministrantibus, vel recipientibus, nisi excusent bona fides, ignorantia, vel inadvertentia, quia materia ex se est gravis, & clerici interdictum violantes modo proprio Clericorum ministrantes, vel celebrantes irregularitatem incurrunt, sivè interdictum sit locale generale, sivè speciale, vel personale ex cap. *Is cui de sent. excom. in 6.* & sunt etiam inhabiles, ut ad beneficia Ecclesiastica eligantur. Deindè violare interdictum in diuinis officiis quantum ad Clericos est ex se peccatum mortale, quia ad illos maximè spectat illud servare, nisi ex levitate materiæ aliquando excusetur. Similiter laici personaliter interdicti audiendo, vel assistendo divinis officiis ex se peccant mortaliter, quia faciunt contrà præceptum Ecclesiasticum grave, ideoque talis violatio, & transgressio gravis reputatur, & ad peccatum mortale sufficiens, quia hujusmodi sunt, qui præcipuè prohibentur; quod si laicus non interdictus in loco sacro sine scandalo Sacrum audiat, vel officijs divinis assistat, aliqui censent non peccare, vel solùm venialiter peccare, quod probabilius est, quia adhuc facit contrà Ecclesiæ præceptum, nisi privilegium habeat, vel sit familiaris privilegium habentis, & illum comitetur. Insuper Clerici interdictum violantes per actum Ordinis, sivè sit locale, sivè personale, irregularitatem incurrunt, & fiunt intelligibiles tàm activè, quàm passivè, & pariter quilibet clericus, sivè sæcularis, sivè Regularis coram interdictis non toleratis celebrare præsumens ab ingressu Ecclesiæ suspenditur, donec ei satisfaciat, cujus sententiam violavit ex capit. *Epicoporum* de privilegiis in 6. Laici verò propter meram interdicti transgressionem nullam pœnam incurrunt, vel Ecclesiasticam censuram; nisi cogentes celebrare divina officia in loco interdicto, vel vocantes ad ea publicè prohibito, vel prohibentes, ne interdicti Missæ præsentes exeant moniti à celebrante, nam laici hæc agentes ipso facto excommunicantur in Clementina 2. de sent.excom. Denique violatio interdicti quoad tertium effectum Ecclesiasticæ sepulturæ est peccatum mortale, & colligitur ex gravitate pœnæ tali violationi impositæ, quæ est excommunicatio, ut constat ex Clementina 1.de sepulturis, ubi excommunicantur ipso facto, qui aliquem sepeliunt in loco interdicto, & nulla alia pœna præcisè propter hoc incurritur in jure; si verò defunctus aliquis contrà prædictam prohibitionem sepeliatur in loco interdicto, non est exhumandus, & in loco non sacro sepeliendus, nisi sit affectus censura excommunicationis, & ratio est quia per interdictum prohibetur solùm actus sepeliendi in loco interdicto; non autem prohibetur corpora ibi sepulta manere, sicut prohibetur de excommunicato, undè cùm materia sit odiosa, favorabiliùs est exponenda; at sepultus extrà locum sacrum est transferendus. Ità discurrunt DD. communiter de pœnis violantium interdictum generale locale.

ARTICULUS TERTIUS.

De causis Interdicti, & ejus relaxatione, ac etiam de Cessatione à divinis.

119 PRimò quoad primam quæsiti partem causa efficiens interdicti est ille, qui habet potestatem jurisdictionis ferendi interdictum, & interdicere possunt iidem, qui excommunicare possunt, & suspendere. Ità Doctores communiter, & ratio est, quia ferre interdictum est actus jurisdictionis Ecclesiasticæ; ergo quilibet habens jurisdictionem Ecclesiasticam, sivè ordinariam, sivè delegatam interdictum ferre potest ex cap. *Episcoporum* de privilegiis in 6 & ex cap. *Sanè* 2.de officio delegati, & quia duplex est interdictum, aliud à jure, aliud ab homine; seu Judice latum, ut notat Scotus 4. dist. 25. qu. 1. G. sequitur, quod ejus causa efficiens est duplex, nimirum quandoque Jus, & quandoque homo, vel Judex; quarè illi solùm interdictum personale, & locale ferre possunt, qui jurisdictionem habent Ecclesiasticam, sivè ordinariam, sivè delegatam in foro exteriori, & contentioso in illas personas, & loca, vt constat ex cap. *Cùm inter de consuetud.* & ex cap. *Cùm ab Eccles.* undè Papa omnes Christi fideles, & eorum loca interdicere potest; legatus Papæ potest interdicere in loco, vel Provincia, ubi fungitur munere legationis, sicut etiam Nuncius Sedis Apostolicæ, ut patet ex cap. *Novit* de officio legati, & Episcopus in sua Diœcesi ordinariam habet potestatem hanc censuram ferendi etiam sine consensu Capituli, & potest ferre interdictum in clericos, & laico, ex capit. 3. de consuetudinibus in 6. Quod spectat ad causam materialem constat ex dictis posse interdici locum generalem, & specialem, ac etiam universitatem sivè collectivè, sivè divisivè; tam enim locus, quàm personæ sub jurisdictionem esse possunt Superioris interdicere potentis; potest etiam interdici Communitas personaliter ex capit. *Si sententia de sentent. excom. in 6.* & hoc interdicto generali personali nec infantes, nec amentes comprehenduntur, undè in loco sacro sepeliri possunt, comprehenduntur verò in locali, sivè generali, sivè speciali, eo quod directè locum afficit.

120 Secundò quod spectat ad causam finalem, seù propter quàm infligitur interdictum, cum hoc sit quædam pœna, & Ecclesiastica censura ex genere suo gravissima, non infligitur sivè à Jure sivè à Judice, nisi propter aliquod delictum sibi proportionatum, quod proindè debet esse mortale, & cum aliqua contumacia, interdictum itaque personale particulare culpam, & contumaciam particularem requirit, alioquin injustum esset, ut de excommunicatione dictum est; & tanto magis, ut feratur interdictum locale, vel personale generale in communitate requiritur peccatum valdè grave cum contumacia commissum vel ab omnibus, vel à capite, aut præcipuis membris Communitatis, licet reliqui culpa vacent; quamvis enim omnes non peccaverint, quia tamen omnes sunt de eodem corpore morali etiam innocentes interdici possunt, & in hoc suprà diximus interdictum ab excommunicatione differre, quod hęc in Communitatem ferri non potest, interdictum verò utique, ut patet cap. *Si sentent. de sent. excommunic. in 6.* & sic etiam de Interdicto locali generali discurrendum est, cum enim per istud quoque innocentes plectantur, requirit etiam gravissimam causam, seù delictum, & cùm hæc causa reperiri non possit in loco, qui per se, & immediatè interdicto subiicitur, cum sit res inanimata, & incapax delicti; reperiri debet in hominibus illius loci, quia propter delictum hominis extranei locus interdici non potest, neque sufficit unius personæ privatæ delictum, quia cum interdictum sit pœna publica, requirit causam publicam, vel æquivalentem, quale est delictum Principis, vel Rectoris loci, vel Communitatis, ut habetur cap. *Si sentent. de sentent. excomm.* & cap. *Non ex vobis* de Sponsalibus, quia tunc talis pœna in particulares, ut partes Communitatis redundans, est proportionata culpæ, quæ fuit Communitatis, aut capitis Communitatis, vel alicujus personæ publicæ: respectu verò innocentium potiùs habet rationem defensionis justæ, quam pœna. Interdictum etiam locale speciale requirit quoque culpam gravem, quamvis minorem, quàm interdictum generale requirat, quia interdictum locale speciale est multo minus gravis pœna, quàm sit interdictum locale generale. Ità communiter discurrunt Doctores de causa finali, seù propter quam infligitur hæc censura, & præsertim ex nostris Faber disp. 5. cit. qu. 1. cap. 3. & Blundus disp. 7. par. 2. art. 3. De causa formali tandem, seù de forma, quæ servanda est in sententia interdicti ferenda, conveniunt Doctores formam substantialem requisitam esse verba significantia interdictum ferri, ex quibus colligetur, an interdictum sit locale, vel personale generale, vel particulare, & quando sit amplè intelligendum, & qua restringendum; forma verò accidentalis ferendi hanc censuram est aliqua solemnitas, ad quam præsertim necessarium est præmittere monitionem, ut interdictus à contumacia desistat, ut de excommunicatione jam suprà dictum est, & post latum interdictum necessaria est quoq; denunciatio, seù intimatio, siquidem antè denunciationem vel intimationem nulla est obligatio servandi inrerdictum, ut docent Suar. Filliuc. Bonac. & alii Doctores passim. Hic recenseri solent casus particulares, in quibus incurruntur interdicta personalia, & localia à jure lata, quæ brevitatis causa omittuntur, videri enim possunt apud Doctores, & Summistas passim ea referentes, & præsertim apud Blundum loc. cit. & Hurtad. citat. diffic. 17. ac Bonacinam citat. punc. 8.

121 Tertiò quoad aliam quæsiti partem, quomodo, & à quo interdictum auferi possit, conveniunt Doctores, quando interdictum fertur ad certum tempus, ut pura pœna peccati præteriti, ut cùm quis interdicitur ab ingressu Ecclesiæ per mensem, tunc finito tempore interdictum cessare absque ulla abso-

absolutione, quia sententia, vel lex non operatur plusquam verba ejus sonant, ut pariter de suspensione dictum est quæst. præced. art. 3. n. 101. antè tempus verò signatum, ut cesset, indiget relaxatione Superioris, vel illius, qui illud posuit, vel successoris, aut ex eorum facultate, ut ait Scotus 4 d. 25. qu. 1. G. Si verò interdictum feratur, ut censura, & pœna medicinalis, quod tunc contingit, quando fertur ob contumaciam respectu Ecclesiæ, & medicinaliter, itaut emendatione posita sit debita absolutio, ut quando fertur absolutè, & post admonitionem saltem à jure factam; tunc eget absolutione, & per absolutionem tollitur, si sit personale; si verò sit locale, tollitur per relaxationem; & si sit reservatum, debet tolli à reservante, & ab habente potestatem, non enim per inferiorem tolli potest, quia requiritur potestas jurisdictionis in foro contentioso; interdicta autem localia, & personalia generalia, quæ jure communi sunt imposita, nec sunt reservata, possunt tolli ab Ep scopo, vel alio jurisdictionem habente in Communitatem interdictam, non tamen à Religiosis privilegiatis, quia locus, & Communitas foro pœnitentiæ non subiiciuntur; ab interdicto tamen juris personali, si reservatum non est, quilibet Confessarius approbatus absolvere potest, modò fiat satisfactio, vel detur cautio sufficiens, ut rectè docet Faber loc. cit. & Suarez, disp. 38. sect. 2. Dubium tamen est an cùm interdictum fertur sub conditione, ut sub hac forma *donec satisfaciat*, vel *restituat* nùm adimpleta conditione interdictum tollatur absque absolutione, seù relaxatione facta à Superiore. Suarez, & Faber loc. cit. tenent necessariam esse absolutionem, seù relaxationem ab illo, qui interdictum posuit, vel potestatem habet illud auferendi, quod deducunt ex juribus, quæ sub illa forma ferunt interdictum, & censuras; non enim solùm satisfactionem requirunt ad illas tollendas, sed etiam absolutionem, & relaxationem, undè cap. *Quamquam* de censibus in 6. ubi censuræ, & interdictum feruntur contrà exigentes ab Ecclesiasticis personis injusta tributa, in fine hæc verba habentur. *Nec ab excommunicatione hujusmodi absolutionem, vel interdicti relaxationem obtineant, donec exacta plenariè restituerint, & de transgressione competenter satisfecerint;* ex quibus verbis constat, quod post satisfactionem exactam adhuc Papa requirit absolutionem ab excommunicatione, & relaxationem ab interdicto. Sed quamvis hic dicendi modus sit probabilis, probabilior tamen, & communior opinio docet, quod quando interdictum fertur sub conditione, donec quis satisfaciat, facta satisfactione, & ablata contumacia, eo ipso tolitur sine relaxatione, vel absolutione, ut etiam de suspensione diximus quæst. præced. art. 3. n. 103. cum pluribus Doctoribus ibi citatis, & ità etiam de interdicto discurrunt Covar. Sylvest. Caspensis, & alii Doctores passim, undè Faber. l. c. fatetur hanc esse communiorem opinionem.

122 Quartò præterea conveniunt Doctores interdictum locale tam generale, quàm speciale non tolli etiamsi Civitas, vel Regnum interdictum destruantur, vel diruantur, quia semper remanet solum, ubi erat Civitas, vel Regnum, super quod principaliter fundatur interdictum, quod propterea locale vocatur, quarè si de novo fiat in eo solo aliqua Ecclesia statim interdicta manet, atque ità ut interdictum illud tollatur, eget relaxatione; & multò minus interdictum tolli per alienationem, & venditionem loci interdicti à Principe, vel domino illius, quia interdictum est onus loci, & ideò locus transit ad emptorem cum onere; si tamen Princeps ille aliam emeret civitatem, illa non subiicitur interdicto, quia à principio talis civitas sub interdicto comprehensa non fuit. E contra verò interdictum generale personale destructa communitate, eo ipso tollitur, nam tunc perit subjectum, in quod directè interdictum ferebatur, undè licet maneant singulæ personæ, non tamen manent interdictæ, quia interdictum ferebatur in personas secundario tãtùm, & ex consequenti, quatenus erant partes illius, totius, quarè cùm totum illud corpus dissolvitur, statim interdictum cessat, quia singulæ illæ personæ non ampliùs manent, ut partes communitatis. Nec obstat, quod de civitate destructa dicebamus locum, in qua sita erat, adhuc manere interdictum; quia ibi manet solum, & in eo partes integrantes, quæ non separantur, at communitas partes politicas habet, quæ omnes destructa communitate separantur, itaut amplius non constituant illud corpus, & totum unum morale, quod prius constituebant. Si tamen aliquæ ex illis personis causam dederunt interdicto, tunc talis persona non liberatur ab interdicto per dissolutionem illius corporis communitatis, quia tunc non est interdicta per participationem illius Communitatis, sicut alii innocentes, sed est causa directa, ob quam interdictum est latum, & consequenter in personam illius primariò, & directè latum est, & sic est interdictum personale particulare, quarè per dissolutionem illius corporis non liberatur, sed eget absolutione, vel relaxatione. Ità Faber loc. cit. cum DD. relatis.

123 Sed difficultas est, quid sit dicendum, si quis personaliter interdictus, & in particulari pœniteat, sed moriatur antequam ab interdicto sit absolutus, cesset ne interdictum per mortem, & possit sepeliri in loco sacro, quamvis nulla sit adhibita absolutio. Negant Joannes Andreas, Ancharanus, Suarez, Bonacina, & inclinat Faber loc. cit. quia hæc videtur esse sententia, & sensus cap. *Is cui de sent. excom. in 6.* dùm dicit *Talis quoque si hoc interdicto durante decedat, non debet in Ecclesia, vel in Cæmeterio Ecclesiastico, nisi pœnituerit, sepeliri.* Affirmant Avila, Cornejo, Caspensis, & plures aliis, si hìc moriatur cùm signis pœnitentiæ, posse in loco sacro sepelliri quamvis nulla sit adhibita absolutio. & ratio est, quia eo ipso, quod cum pœnitentia decessit, manfit absolutus à jure, quia hoc interdictum quantum ad hunc effectum positum erat, nisi potuerit, ut patet ex cap. cit. & ideò impleta conditione sublatum fuit, undè prædictum caput videtur potiùs huic secundæ sententiæ favere, quæ etiam mihi probabilior videtur ob regulam illam generalem, quod pœnæ, & odia sunt restringenda, non amplianda; est etiam difficultas, an interdictum possit relaxari ad cautelam, quidam enim affirmant, & quidam negant; sed breviter dicendum est, quod loquendo de interdicto generali locali absolutio ad cautelam non habet locum, ità enim habetur expresè cap. *præsenti de sentent. excom. in 6.* quando autem est interdictum speciale loci, aut personæ, potest ad cautelam relaxari, quia jura id non prohibent, & hoc beneficium conceditur regulariter in omni censura; ergò neque in hac negari debet. Ità Sylvester, Angel. Navar. Covar. Suar. & alii passim, ac etiam Faber, & Blundus ex nostris loc. c. Denique quantum ad formam substantialem servandam in absolutione, vel relaxatione interdicti conveniunt etiam DD. nullam esse præscriptam certam verborum formam, sed talem esse debere, quæ sine ambiguitate ulla exprimat tolli tale interdictum, seù talem locum, vel personam ab interdicto liberari.

124 Quintò tandem quoad ultimam quæsiti partem de cessatione à divinis, quæ proximè ad interdictum accedit, definiri solet, quod *sit prohibitio, qua in aliquo loco divina officia celebrari, prohibetur, & Sacramenta aliqua administrari;* & quamvis, aliquo modo cum interdicto, & suspensione conveniat, cùm similia ferè prohibeant, diverso tamen modo prohibent, quia prohibitio hæc non fit ab Ecclesia in punitionem alicujus peccati, nec est pœna medicinalis, & ideò non est censura, sed fit ab Ecclesia tùm in signum mæroris ob enormem injuriam ipsi factam ad imitationem populi Israelitici, qui quando captivus ferebatur, in signum tristitiæ organa suspendebat, quibus laudes Deo cantabat; tùm etiam in defensionem, ut cogat injurantem desistere ex cap. 1. *de sent. excom. in 6.* dicitur autem cessatio in locum decreta, quia cessatio à divinis non afficit immediatè personas, sed locum; differt itaque cessatio à divinis essentialiter à suspensione, quia suspensio directè fertur in personam, non in locum, at cessatio à divinis fertur in locum tantùm, quia ex vi cessationis à divinis nunquam ubique prohibetur celebrare divina, sed tantùm in aliquo loco, quem respicit cessatio, ut constat ex usu Ecclesiæ; differt etiam essentialiter ab interdicto, quia pœna violantis interdictum est irregularitas, ut suprà dictum est, pœna verò violantis cessationem à divinis non est irregularitas, sed excommunicatio, ut habetur in Clementina 1. *de sent. excom.* & in hoc etiam differt à suspensione, quia suspensus celebrans fit irregularis, non autem qui per cessationem à divinis est prohibitus, & celebrat. Ità Bon. Hurtad. Caspensis, Faber loc. cit. & alii DD. passim tractantes de cessatione à divinis, qui etiam quoad effectus ejus conveniunt, cessatione à divinis in loco, ubi est posita, prohiberi celebrationem divinorum officiorum publicam, privata namque recitatio sub obligatione rationis beneficii, vel ordinis non tollitur eo tempore, item administrationem Sacramentorum exceptis baptismo parvulis, & pœnitentia morientibus, & Eucharistia per modum viatici, ut habetur in cap. *Non est vobis* 11. de Sponsalibus.

125 Est tamen difficultas, an Ecclesiastica sepultura liceat tempore cessationis à divinis; plures negant, alii concedunt clericis, quidam Sacerdotibus tantùm, sed omnes sine fundamento juris loquuntur, quia tempore cessationis à divinis non invenitur in jure prohibita Ecclesiastica sepultura; quarè quoad hoc punctum dicendum est cum Suarez disp. 39. sect. 2. quem sequitur Faber noster loc. citat. quod accipiendo Ecclesiasticam sepulturam simul pro depositione Cadaveris in loco sacro, & cum officio, ut fieri solet in mortuorum tumulatione, certum est illam tempore cessationis à divinis prohiberi, quia officium illud est Ecclesiasticum; at loquendo de sola, & nuda tumulatione cadaveris sine solemnitate illius officii, dicendum est non prohiberi per cessationem à divinis. & ratio est, quia depositio corporis in loco sacro, secluſa divini officii reci-

recitatione solita non est divinum officium, sed opus pietatis, & misericordiæ, ergò sic nudè considerata sine ea solemnitate non continetur sub prohibitione illa divinorum officiorum tempore cessationis à divinis. Conveniunt prætereà DD. ad ponendam cessationem à divinis requiri jurisdictionem fori contentiosi, & semper cessationem à divinis ferri ab homine, & nunquam à jure; & causam ob quam imponitur, debere esse peccatum mortale externum communi bono Ecclesiæ universalis, vel alicujus particularis contrarium; undè non propter quodlibet peccatum mortale externum cessatio à divinis justè ferri potest; & cessatio à divinis sic lata servari debet eo modo, quo de interdicto suprà explicatum est, ut docet Layman cum pluribus aliis c. 6. de cessatione à divinis ex probabiliori Teologorum sententia. Conveniunt pariter graviter peccare violantes cessationem à divinis eo quod faciant contrà prohibitionem Ecclesiæ in re gravi; non tamen irregularitatem incurrunt violando cessationem à divinis sivè generalem, sivè particularem, nam irregularitas, nec quælibet alia pœna incurritur nisi sit in jure expressa; verùm tamen est Religiosos etiam exemptos, & privilegiatos excommunicationem incurrere, si cessationem generalem non servent, quæ ab Ecclesia Cathedrali servatur, vel à Parochiali, ut habetur in Clement. 1. *de sent. excom.* & conveniunt etiam ad pœnam justè ferendam quoad substantialia ea omnia esse servanda, quæ servanda esse diximus in ferenda excommunicatione, ut sit valida, & justa, quia illa communia sunt omni sententiæ justæ, & validæ; conditiones verò ad solemnitatem requisitæ apud Fabrum videri possunt loc. cit. & alios passim. Conveniunt tandem DD. cessationem à divinis ab eo tolli, qui illam ponit, & cùm talis pœna non sit à jure, ut suprà dictum est, quia in nullo jure aliqua reperitur, sequitur quod omnis cessatio sit à Judice, & consequenter ab ipso vel successore, vel superiore solùm tolli posse, & si ponatur, donec satisfecerit, secuta satisfactione eo ipso tollitur; non tamen suspenditur per appellationem sequentem, sicut enim interdictum per appellationem suspendi non potest, quia secum affert executionem, ut habetur expressè c. *Ad hæc quoniam* de appellationibus; ità quoque de cessatione à divinis dicendum est, cùm in hoc assimiletur interdicto, quia ipsa etiam secum executionem affert; potest tamen suspendi à Judice, qui eam posuit, vel in partem, vel in totum, quia ab ejus voluntate pendet. Ità Faber loc. c. cum pluribus.

QUÆSTIO QUINTA.

De Irregularitate.

126 HActenus de Censuris Ecclesiasticis disputavimus, tam in generali, quàm in speciali, nunc de Irregularitate agendum est, quæ licet non sit Censura Ecclesiastica, ut dictum est q. 1. de Censuris in communi a. 1. est tamen pœna Canonica lata præsertim contrà violantes Censuras Ecclesiasticas, & impedimentum Canonicum susceptionem Ordinum Ecclesiasticorum, vel eorum usum impediens, ut ex pluribus Juris capitibus deducit Scotus 4. d. 13. qu. 2. & dist. 25. qu. 1. & ideò ad complementum hujus disputationis de Censuris quæstio hæc de Irregularitate valdè utilis est, immò necessaria, ut ex dicendis magis constabit, & de singulis Irregularitatibus fusè, & exactè tractat Astesan. noster l. 6. per plures titulos.

ARTICULUS PRIMUS.

Quid, & quotuplex sit Irregularitas, & quinam ejus effectus, & causæ.

127 PRrmò, ut à quid nominis exordiamur. Irregularitas est nomen abstractum ab hoc nomine concreto; *irregulare*, quod significat extrà regulam, sicut regulare significat secundum regulam, undè irregularitas amplè sumpta ex vi nominis significat impedimentum quoddam ponens extrà regulam; prout autem ad præsentem materiam spectat, & contrahitur, sumitur pro quoddam impedimento canonico, quo aliquis ab ordine clericali excluditur, quarè tali impedimento detentus extrà ordinem illorum ponitur, quibus ad ordinem clericalem ascendere licet; hinc prout spectat ad quid rei communiter à Doctoribus definiri solet, quod est *impedimentum Canonicum susceptionem Ordinum Ecclesiasticorum, & eorum administrationem impediens*, & sic etiam definitur à Scoto 4. d. 25. q. 1. D. quod *est inhabilitas ad susceptionem Ordinum, & executionem actuum Ordinum*, undè sequitur non esse censuram, sed quasi inhabilitatem, etsi enim interdum per modum pœnæ imponatur, propriè tamen pœna non est; quicquid dicat Faber disp. 3. de irregularitate c. 1. siquidem nec etiam irregularitas, quæ contrahitur ex delicto, est pœna propriè loquendo, quia non fertur in punitionem delicti, sed ad evitandam indecentiam, quæ esset in eo, quod persona, quæ tale commisit crimen, suscipiat Ordines, aut jam susceptos exerceat, ut communiter Doctores advertunt. Sicut enim in lege veteri, ut habetur Levit. 21. & refert Scotus 4. dist. 13. quæst. 2. §. *primò videndum* aliqui ob quosdam defectus ad evitandam indecentiam ad ministeria altaris, & templi non admittebantur; ità in lege nova aliqui fideles ob aliquos defectus inhabiles censentur ad susceptionem ordinum, vel ad executionem actuum Ordinum, ut Blundus noster advertit disp. 8. de irregularitate p. 1. art. 1.

128 Itaque prædictas definitiones in unam conjungendo Irregularitas definiri potest ut aliqui dicunt, quod est *quædam inhabilitas jure Canonico introducta directè impediens Ordinum susceptionem, & usum susceptorum*, ubi Ordo latè sumitur, prout etiam primam Tonsuram comprehendit, quam irrègularis suscipere non potest secundùm communem DD. opinionem, ut notat Bonacina disp. 7. de irregularitate qu. 1. punct. 1. Dicitur *inhabilitas*, quia eam contrahens redditur incapax susceptionis, ac usus ordinis, quantum per jus humanum fieri potest, in quo differt à suspensione, & aliis censuris, quod hæ immediatè, & directè usum impediunt potestatis Ordinis; at irregularitas tollit ipsam potentiam suscipiendi ordinem, ac eo utendi; similiter differt à depositione, ac degradatione, quod hæc respiciunt per se, ac directè ordinem susceptum, ideoque in solos clericos cadunt, at irregularitas immediatè, ac directè respicit, ac impedit ordinem suscipiendum potestque contrahi à non Clerico. Dicitur *jure Canonico introducta*, quia omnis irregularitas est de jure Canonico, & nulla est de jure divino, ut docet Scot 4. dist. 6. qu. 8. & d. 7. qu. 5. & d. 13. qu. 2. & dist. 25. qu. 1. & dist. 33. q. 2. quibus in locis docet irregularitatem esse pœnam Canonicam, & tantùm juris positivi Canonici, & consequenter nunquam incurri ob aliquod crimen, vel defectum naturalem, nisi expressè sit in Canone expressa, & inflicta, ut habetur cap. *Is qui, de sent. excom. in 6.* ubi dicitur *Neminem censendum esse irregularem ob aliquod delictum, nisi expressè habeatur in jure*, ex quo sequitur fœminas, neque non baptizatos esse propriè irregulares, & quia eorum incapacitas suscipiendi Ordines, non est à jure indicta, sed oritur immediatè ex ipsa natura, ac institutione Sacramenti ordinis, cui essentiale est, quod invalidè conferatur fœminis, aut non baptizatis; undè inconsultò aliqui confundunt irregularitatem, & incapacitatem ordinum, dùm inter irregulares enumerant fœminas, & infideles, hi etenim potiùs incapaces sunt quam irregulares. Additur tandem particula *directè* ad differentiam excommunicationis, quia licet hæc etiam excommunicatum impediat promoveri ad sacros Ordines, & jam promotum in illis ministrare; hoc tamen est indirectè, & inquantum Ordo est Sacramentum; irregularitas verò impedit directè, & non inquantum Ordo est Sacramentum, immò nec inquantum est officium, quia hoc facit suspensio, sed præcisè inquantum est Ordo Ecclesiasticus, ut Blundus l. c. deducit ex verbis Scoti 4. d. 25. q. 1. F. ubi ait, quod irregularitas tantùm excludit ab his, quæ pertinent ad ordines.

129 Secundò ex hac irregularitatis definitione deducuntur ejus effectus; primus enim, & præcipuus est impedire ordinum susceptionem, & susceptorum usum, & quidem de susceptione ordinum patet ex verbis Canonum dicentium *Non aspiret ad ordines* cap. *Curandum dist.* 33. seù ad Ministerium Ecclesiasticum non admittatur cap. *Si cujus uxorem dist.* 34. & ex c. 2. *Significasti* 16. de homicidio; quamvis autem irregularitas à susceptione ordinum impediat, non tamen, ità impedit, quod si ordo ab irregulari suscipiatur, sit nullus, & irritus, adhuc enim validè suscipitur, ut DD. communiter docent, quia Ecclesia, à qua irregularitas est instituta, Sacramentorum valorem impedire nequit, si omnia à Christo instituta, & requisita adhibeantur; undè si aliquis antè legitimam ætatem ordinaretur in sacris, qui secundùm multos est irregularis ex defectu ætatis; verè esset ordinatus ex Scoto 4. d. 25. q. quamvis non licitè, sivè secundum jura, nam multa prohibentur, quæ tamen facta tenent; de executione verò, & administratione est etiam communis sententia, undè irregularis ministrans in ordine graviter peccat, ut Scotus docet in 4. d. 13. q. 1. ex cap. *Si celebrat* de Cleric. excom. ministr. & ratio est quia talis prohibitio gravius est, & de re gravi; non tamen irregularis suscipiens ordine, vel in susceptis administrans novam incurrit irregularitatem, ut DD. communiter docent. Prætereà communior, & probabilior sententia asserit, irregularitatem reddere ipso facto beneficii, vel pensionis collationem factam irregulari invalidam, quia Canones prohibent beneficia conferri irregulari, ut habetur cap. 2. *Cleric. pugnan-*

pugnante in duello, & cap. *Dubium* de elect. cui sententiæ favet etiam Concil. Trid. sess. 14. cap. 7. de reform. ubi dicitur, homicidam nullo tempore posse ad sacros ordines promoveri, nec illi aliqua Ecclesiastica beneficia conferri licere, etiamsi curam non habeant animarum, & ità tenent ex nostris Blundus disp. 8. cit. part. 2. art. 19. plures alios adducens Theologos, & Summistas. Probabile tamen est, ut etiam Hurtad. advertit disp. 1. de irregularitate diffic. 5. irregularem non privari beneficiis antè irregularitatem obtentis, in quo omnes ait convenire DD. quia hæc privatio ex nullo jure deducitur, imò addit ex cap. *Clericis* 5. ne Clerici, vel Monachi, clarè deduci Clericum ob irregularitatem ex mutilatione membrorum provenientem non esse ipso facto privatum, sed privandum, & consequenter multò minus ob irregularitatem ex aliis causis; undè beneficiarius irregularis licitè beneficium retinet, quousque à Judice privetur, dùm possit per se, vel per alium exercere officium beneficio annexum; idem docet Bonacina disp. cit. q. 1. punct. 4. plures alios adducens. Non tamen privat irregularitas potestate jurisdictionis, nec impedit usum ejus, ut communiter Canonistæ docent in c. *Tanta* de excessibus Prælatorum. & ratio est, quia potestas jurisdictionis non tantùm temporalis, sed etiam Ecclesiastica est distincta à potestate ordinis, à qua tantùm excludit irregularitas, sivè ab ordinum executione, ut docet Scotus 4. d. 25. q. 1. Hoc autem intelligendum est de jurisdictione in foro contentioso, quia de jurisdictione fori interioris, quæ necessariò supponit usum ordinis, & ejus potestatem, certum est irregularitatem ejus usum impedire, licet non privet potestate. Ità Covarruvias, Azorius, Suarez, Filliucius, Bonacina, & Blundus loc. cit. & alii passim

130 Tertiò irregularitas non aliter dividitur, & multiplicatur quàm ex causa, ob quam fertur, undè altera est, quæ contrahitur ex delicto, altera verò non ex delicto, sed ex aliquo defectu, & quælibet ex his in plures alias subdividitur, ut ex dicendis patebit; undè Scotus 4. d. 25. quæst. 1. E. ait, quod irregularitas quandoque incurritur ex quibusdam delictis, seù criminibus; quandoque ex quibusdam, quæ non criminibus, & quandoque ex quibusdam, quæ interdum sunt crimina, interdùm non. Ratio autem hujus divisionis est, quia ut Caspensis advertit disp. 5. de irregularitate sec. 1. cum omnis irregularitas præcisè propter indecentiam contrahatur in jure signatam, quæ est ratio communis omnibus irregularitatibus, & hæc indecentia possit oriri ex defectu tantùm sine peccato, & etiam ex peccato: ideò irregularitas primo dividi potest in eam, quæ est ex defectu tantùm, & in eam, quæ est ex peccato sivè delicto; deindè quia talis indecentia aliquandò contrahitur per proprium actum, sivè licitum, v.g. per sententiam justam judicis ad mortem, sivè per illicitum, ut per celebrationem in censura; aliquandò etiam sine proprio actu, v.g. ex defectu originis, ætatis, &c. ideò irregularitas rursus dividi potest in eam, quæ per proprium actum contrahitur, & in eam, quæ contrahitur, sine proprio actu. Prætereà dividitur in totalem, & partialem; totalis est, quæ omni Ordine suscipiendo, & suscepti exercitio privat, ut homicidium, bigamia &c. partialis verò est, quæ non impedit omne exercitium Ordinum, sed tantùm aliquo Ordinis ministerio privat, vel solo ascensu ad ordinem superiorem, ut fit in Sacerdote, qui sine sua culpa pollicem perdidit, qui excepta celebratione, potest alia Sacerdotalia munera obire, ut confessiones audire, &c. & in Diacono, qui sinistro oculo carens inhabilis est ad Sacerdotium, in suo tamen Ordine ministrare potest. Quoniam verò indecentia illa, ob quam irregularis privatur ordinum suceptione, & susceptorum usu, aliquando oritur ex proprio actu licito, aliquando ex proprio illicito, conveniunt Doctores ad utramque irregularitatem contrahendam requiri actum externum, quia propter actum meré internum irregularitas nunquam contrahitur, non enim quis ex solo proposito, & voluntate occidendi incurrit irregularitatem, quinimò nec eam contrahit, si actus externus non sit consumatus, undè si quis in hostem sagittam projiciat, ut illum occidat, si eum non interficiat, nec enormiter mutilet, talis non est irregularis; & ratio est, quia Ecclesia per has pœnas Canonicas actus internos punire non intendit, quia eorum non est Judex; denique quando irregularitas incurritur propter actum illicitum, seù ex delicto, requiritur necessariò peccatum mortale secundùm communiorem, & probabiliorem, quia irregularitas ex delicto præsertim contracta est maxima pœna; ergò non imponitur, vel incurritur, nisi ex delicto gravi, & ideò ait Scotus 4. d. 13. qu. 2. l. quod propter peccatum non contrahitur irregularitas, nisi sit tale cui sit anexa prohibitio Canonica. Quibus verbis indicat requirit gravitatem delicti, & peccatum mortale; quarè si excusetur à peccato mortale, vel propter defectum advertentiæ, vel propter levitatem materiæ nunquam incurritur irregularitas de facto ex delicto; notanter autem diximus ad irregularitatem ex delicto incurrendam requiri culpam mortalem; nam ad incurrendam irregularitatem ex defectu nulla culpa est necessaria, ut patet ex multis irregularitatibus, quæ ex solo defectu contrahuntur. Ità Navarrus, Suarez, Sanchez, Henriquez, Hurtado, Coninchius, Filliucius, Reginaldus, Faber, & Blundus, ex nostris, & alii passim.

131 Quartò de causis irregularitatis, quod spectat ad causam efficientem conveniunt communiter Doctores nullam esse latam, seù impositam irregularitatem, nisi à jure humano Ecclesiastico, ut colligitur ex cap. *Is qui de sent. excom. in 6.* ubi dicitur nullam incurri irregularitatem, nisi sit expressa in jure; quarè irregularitas solo jure humano Ecclesiastico fertur, & non nisi Papali, quia à nullo Episcopo inferiore legitur jure lata. & ratio est, quia potestas ferendi irregularitatem ad eum pertinet, qui potest jus commune Canonicum condere, ut evidenter colligitur ex cap. cit. ubi asseritur nullam irregularitatem adesse, nisi sit in jure expressa. Ità discurrunt Doctores communiter apud Bonacinam loc. cit. Difficultas tamen est, an irregularitas ferri, & imponi possit per sententiam à Judice Papa inferiore. Affirmant aliqui, quia nulla est lex quæ prohibeat Judicem hanc pœnam infligere pro aliquo delicto, & pro hac parte citatur communiter Scotus 4. d. 25. quæst. 1. D. ubi ait, quod hæc pœna incurritur frequenter à jure, quamvis posset aliquando infligi à Judice secundùm jura; ac proindè eam, tanquam de mente Doctoris defendit Faber disp. 3. cit. cap. 1. n. 17. quoad etiam hac ratione probat, quia infligere alicui pœnam irregularitatis pertinet ad potestatem jurisdictionis; sicut ergo Judex per eandem potestatem infligere potest alias pœnas canonicas graviores, ut est excommunicatio, ut patet, nulla est ratio, propter quam cogamur dicere hanc pœnam non posse à Judice infligi. Communis tamen opinio partem tuetur negativam, quam dicunt ex usu Ecclesiæ deduci, quia nunquam legitur lata sententia, qua à Judice inferiore imponatur irregularitas; & satis congruenter, quia irregularitas non est instituta, ut pœna ad punienda delicta, sed ut impedimentum ad indecentiam evitandam; ad Judices autem inferiores per sententiam non tàm pertinet indecentias vitare quàm delicta punire. Ità Soto, Suarez, Avila, Hurtad. & alii plures, qui proindè concludunt Judices Papa inferiores etiam Episcopos ad ferendam irregularitatem, tàm per sententiam, quàm per jus, impeditos esse jure Papali, non scripto, sed viva voce, aut aliter tradito, ità præsertim Hurtad. disp. 1. cit. de irregularitate diffi c. 6. & hæc sententia sicut communior est, ità etiam probabilior, & est expressè Scoti 4. d. 6. q. 8. ut Blundus noster advertit l. cit. art. 3. ibi enim Doctor ponderans cap. *Quidos de conf. dist.* 4. in quo ponitur pœna irregularitatis contrà suscipientes bis baptismum, licet ignoranter, dicit, quod illud cap. desumptum est ex Pœnitentiali Theodori Episcopi Cantuarienſis, & idcircò in quantum est talis Auctoris nullum robur habet infligendi pœnam irregularitatis, siquidem solus ille hanc pœnam infligere potest, qui est Ecclesiæ caput, & conditor Canonum; & in fine quæstionis concludit, quod universaliter pœna Canonica non incurritur, nisi inferatur à latore, & conditore Canonis, qui est Papa. & tandem subdit, quod nisi inveniatur in jure Canonico expressè irregularitas inflicta pro aliquo delicto, nunquam incurritur. Ex quo patet quàm immeritò Doctor pro opposita sententia citetur, quamvis enim loc. cit. dist. 25. dicat, quod hæc pœna infligi potest à Judice, hoc non absolutè dixit, sed addidit *secundùm jura*, cujus additionis sensus est, ut idem Blundus advertit l. c. quod Judex interdum irregularitatem imponere potest, non tamen novam, sed à jure prius impositam juxtà illud, quod habetur cap. cit. *Is qui*, ubi dicitur, quod nullus irregularitatem incurrit, nisi irregularitas sit expressè in jure.

132 Quintò loquendo de cæteris causis irregularitatis conveniunt Doctores quod causa materialis, vel potiùs subjectiva, in quam cadit irregularitas, est omnis homo capax Ordinis, & subditus juri communi. & ratio est, quia irregularitas est quædam privatio, seù impedimentum ad recipiendos Ordines, & eos jam susceptos exercendos; privatio autem supponit subjectum capax formæ, cujus est privatio; quæ capacitas reperitur solùm in homine juri communi subdito; quæ particula additur ad excipiendum Summum Pontificem, qui irregularitatem contrahere nequit, quia quamvis sit subjectus juri suo quoad vim directivam, non tamen quoad vim coactivam, ut suo loco dictum est; ex quo sequitur fideles omnes, & baptizatos tàm laicos, quàm Clericos etiam Episcopos, & Cardinales ligari posse irregularitatibus in jure expressis; infideles autem, & fœminæ irregulares dici non possunt propriè loquendo, quia capacitatem non habent ad ordines, quorum susceptione, & usu privat irregularitas; non enim potest quis tunc habere privationem, quando non est natus habere habitum, sicut catulus antè novum diem non dicitur cœcus, vel usu privatus, quia

quia tunc non est natus habere visum; cùm ergò homo antè baptismum non sit capax Ordinis ex c. *si quidem Præsbiter*, & ex c. *Veniens* de Præsbitero non baptizato, consequenter neque est capax irregularitatis, cùm irregularitas sit quædam privatio capacitatis ad Ordines. Ità Doctores communiter discurrunt de subjecto irregularitatis capaci. Sed hæc communis doctrina non videtur de mente Scoti 4.d. 33. q. 2. §. *Hi sunt duo*, ubi tenet Bigamum etiam antè Baptismum esse irregularem, & inquit rationem in oppositum adductam non urgere, quia & si privatio non possit alicui inesse, nisi quando illud natum est habere habitum, tamen impedimentum habendi habitum pro tempore, quo deberet inesse, potest præcedere illud tempus habendi habitum, ut patet in exemplo allato, nam catulus antè nonum diem habere potest aliquod impedimentum, ne habeat visum tempore, quo sibi competeret; irregularitas autem non est privatio propriè ejus, quod est habere ordines, sed magis est impedimentum, ne quis sit capax Ordinis pro tempore, quo sibi competeret; ergò potest esse antè baptismum. Tùm etiam quia licet privatio non possit inesse, nisi quando potest inesse habitus; causa tamen privationis potest inesse, quando habitus non est natus inesse; sed irregularitas est causa privationis, seù carentiæ Ordinis pro tempore congruo, quod est post baptismum; ergò illud tempus præcedere potest. Ità discurrit Doctor loc.cit. quæ doctrina etiam exindè probari potest, quia si nulla irregularitas antè baptismum contrahi posset, frustra disputarent Theologi, an per Baptismum irregularitas homicidii, vel Bigamiæ tollatur, supposito quod aliquis antè Baptismum sit homicida, vel Bigamus. Tùm tandem quia extat auctoritas Divi Ambrosii, quæ refertur dist. 26. cap. *Unatautùm* dicentis *Antè Baptismum iterata conjugia prærogativæ ordinationis impedimenta generant*.

133 Sed controversia hæc est solùm in modò loquendi, ut rectè notarunt Faber disp. 3. cit. c. 8. & Blundus p. 1. ar. 7. quando enim Doctor inquit, quod homo etiam antè baptismum est irregularitatis capax, intelligit fundamentaliter, non formaliter, quia licet omnis homo antè baptismum sit incapax Ordinis propter carentiam baptismi, qui est janua omnium Sacramentorum, non tamen omnis talis habet impedimentum ad Ordines, quod habet Bigamus, & homicida, atque ideò tale impedimentum dici potest irregularitas saltem fundamentaliter, ut ait Blundus loc.c. quod adhuc magis explicat Faber loc. cit. nu. 240. dùm inquit, quod aliud est loqui de impedimento, seù defectu, cui est imposita pœna irregularitatis; & aliud est loqui de ipsa irregularitate, seù de impositione irregularitatis illi defectui; impedimentum illud est antè baptismum, sed non habet annexam irregularitatem, nisi post baptismum. Ecclesia enim ordinavit, quod hujusmodi defectus etiam antè baptismum contractus faciat hominem inhabilem ad sacros Ordines pro eo tempore, quo est capax illorum, quod est, quando est baptizatus, & ideò bigamia antè baptismum non est irregularitas, sed solùm post baptismum ad differentiam homicidii facti antè baptismum, quod Ecclesia noluit esse impedimentum Ordinum, nec inducere irregularitatem post baptismum. Ità Faber discurrit, & optimè loc. cit. Et hoc totum fatentur etiam alii Theologi, ut advertit Hurtad. disp. 2. *de Irregularit. diffic.* 20. dùm ait Doctores in hoc convenire, quod in rigore loquendo per baptismum nulla tollitur irregularitas, quia antè Baptismum nulla incurritur, quamvis antè ipsum sint defectus, & committantur crimina, ob quæ fertur irregularitas contrà baptizatos, quia irregularitas est impedimentum Ecclesiasticum, quod nondùm baptizatos non afficit, cùm non sint Ecclesiæ subjecti; nihilominus qui antè baptismum aliquem contraxit defectum, ob quem imposita est baptizatis irregularitas, si talis defectus potest baptismum perseveret, fit statim post baptismum irregularis, cùm post baptismum habeat talem defectum, & jam sit capax irregularitatis, quod de Bigamo definitum est in Can. *Si quis viduam* d. 34. ità discurrit Hurtad. loc.cit. quæ doctrina coincidit omninò cum allata ex Scot. loc. cit. juxtà explicationem dictorum Scotistarum Fabri, & Blundi.

134 Sextò circa causam formalem irregularitatis conveniunt Doctores aliam non esse, quàm verba ipsa irregularitatem exprimentia; circà formam verò verborum quibus in jure inducitur irregularitas, dicunt in primis verba juris irregularitatem inducentia debere significare Canonicum impedimentum ipso facto incurrendum, nulla expectata Judicis sententia etiam declaratoria criminis; ac prætereà requiri, ut verba, quibus irregularitas incurrenda declaratur, ità si propria, ut in species tale impedimentum declarent ab aliis distinctum, & ex verbis juris colligendum est, an significent irregularitatem totalem, vel tantùm partialem; quædam autem regulæ traduntur à Doctoribus ad cognoscendum an verba sufficienter exprimant irregularitatem incurrendam, quæ videri possunt apud Suarez, Coninchium, Bonacinam, & alios. Denique de causa finali, seù propter quam incurritur irregularitas, jam constat ex dictis ad contrahendam irregularitatem ex delicto necessariò requiri peccatum mortale, & non sufficere peccatum veniale, cùm enim irregularitas ex delicto contracta sit maxima pœna, consequenter non nisi ex delicto gravi imponitur, vel incurritur; neque ad eam contrahendam sufficere delictum mentale, sed necessariò requiri actum externum à lege prohibitum, ut docet D. Tho. p. 2. q. 20. a. 5. ad. 6. & alii Theologi, & Canonistæ, & sufficit, quod actus ille externus sit occultus, excepta irregularitate ex infamia, ut colligitur ex Concil. Trid. decernentes posse Episcopum dispensare in omni irregularitate ex delicto occulto proveniente, præterquam in homicidio, undè supponit dari posse peccata externa occulta sufficientia ad irregularitatem incurrenda. Neque obstat in quibusdam Bullis concedi solere facultatem absolvendi ab irregularitatibus mentalibus, ut enim exponunt Henriquez, Suar. Coninch. Sayr. Caspens. Bonac. & alii passim, per irregularitates mentales intelliguntur irregularitates occultæ, quæ, scilicet, per actum externum occultè contrahuntur, itaut in judicio probari nequeant. Irregularitas autem quæ non contrahitur ex delicto, propter tria præsertim incurri solet, nimirum propter servitutem, propter illegitimationem, & propter turpem, vel enormen corporis mutilationem, seù defectum, ut Blundus observat l.c. art. 8. apud quem alia plura circa hoc punctum videri possunt.

ARTICULUS SECUNDUS.

Quomodo, & quando Irregularitas incurratur.

135 PRæcipua difficultas in hoc puncto est; an aliquis in dubio judicandus sit irregularis, pro cujus intelligentia supponendum est ax alibi dictis in materia de opinione probabili tunc aliquem esse dubium de aliqua re, quando est suspensus, & anceps; itaut assensum determinatum nulli parti dubii præbeat; in hoc enim ibi diximus dubium ab opinione differre, quod opinio assensum, seù judicium ad unam partem determinatam includit, licet cum formidine de oppositio; & rursus dubium esse duplex, aliud juris, quando nimirum ignoratur lex irregularitatem continens, vel de ea dubitatur; aliud facti, quando, scilicet, dubitatur, an tale factum sit ex his, quæ prohibet lex sub irregularitate. Hoc supposito Doctores conveniunt in hoc, dubitantem tam dubio juris, quam facti, graviter peccare, si in tali dubio operetur non adhibita sufficienti diligentia ad veritatem assequendam, & dubium illud expellendum ad arbitrium viri prudentis, nam sine tali diligentia adhibita censetur temerè operari, & cum periculo irregularitatem violandi, sicut in dubio præcepti peccatum est facere contrà tale præceptum non adhibita priùs sufficienti diligentia ad assequendam talis præcepti notitiam. Difficultas ergò, est, quando præmissum est sufficiens examen, & diligentia adhibita, an sit in jure talis irregularitas, vel si constet illam extare, dubitatur an tale factum sit ex his, quæ à lege prohibentur sub irregularitate, an in hoc casu possit talis dubitans ità se gerere, ac si irregularis non esset.

136 In hac controversia tres solent referri opiniones. Prima absolutè, affirmat, tam in dubio juris, quàm facti hominem censendum esse irregularem, undè qui dubius est, an in jure sit alicui delicto, quod commisit, aut defectui, quam habet, annexa irregularitas, vel qui dubius est, an crimen commiserit, aut defectum habeat cui expressè sit annexa irregularitas, censeri debere esse irregularem, & debere se gerere, ut talem; aliàs sic dubius temerè se exponeret periculo transgrediendi præceptum, vel prohibitionem. Ratio est, quia in dubiis tutior pars est eligenda cap. *Ad audientiam* de homicidio, & cap. *Significasti* 2. eodem tit. Nec valet dicere Pontificem ibi loqui de dubio facti, non de dubio juris irregularitatis homicidii; quia ratio data à Pontifice in dubio facti homicidii militat etiam in dubio juris irregularitatis homicidio, ideò enim hoc asserit in dubio facti; quia in dubiis tutior pars est eligenda; sed etiam in dubio juris irregularitatis tutius est se reputare irregularem, & ut sic se gerere, ergò tenebitur ad hoc dubius quoque de jure irregularitatis. Ità Vasquez part. 2. disp. 66. c. 1. Turrianus de Censuris lib. 8. disp. 57. dub. 5. Hurtad. in præsent. diffic. 3. & 4. & plures alii. Secunda opinio utitur distinctione, & ait in foro interiori in dubio censendum esse irregularem ob rationem pro prima opinione adductam; in foro autem exteriori nequaquam. & ratio est, quia Judex in foro exteriori se regulare debet secundùm illas maximas. *Odia, & pœnæ sunt restringendæ, & quod in dubiis reus potius est absolvendus quàm condemnandus* juxtà regulam juris in 6. Cùm partium jura sunt obscura, reo favendum est potius,

potius, quàm actori; & quod Judex non debet aliquem condemnare, de quo dubitet an condemnari debeat, nec ne. Ità Panormitanus, & Hostiensis; Joann. Andreas, Navarrus, & alii Canonistæ. Tertia opinio asserit in dubio juris neminem esse irregularem, in dubio verò facti in utroque foro censendum esse irregularitatem contrahi; dissentiunt tamen Doctores, an non solùm in casu homicidii, sed etiam in omnibus aliis casibus in puro dubio facti sic dubius censeri debeat irregularis; aliqui hoc affirmant in omnibus casibus, ut Covarruvias, Vasquez, Faber ex nostris loc.c. alii autem in casu tantùm homicidii, non autem in aliis, ut Avila, Suarez, Coninchius, Caspensis, Bonacina, Blundus ex nostris, & alii plures, qui dicendi modus sicut communior est, ità etiam probabilior.

137 Primò itaque dicendum est, in dubio juris irregularitatis facta sufficienti diligentia, & semper manente dubio nullus judicandus est irregularis, nec tenetur quis se gerere ut irregularem, neque in foro interno conscientiæ, neque externo, undè in tali casu potest practicè dubium deponere judicando non esse latam irregularitatem. Ità Doctores tertiæ sententiæ. Ratio desumitur ex Scoto 4. dist. 13. quæst. 2. H. quia pœnæ sunt restringendæ, & non ampliandæ de Regulis juris in 6. ergò si expressè non constet propter tale delictum in jure latam esse irregularitatem, non est censendus irregularis, qui illud commisit, quia ait Scotus loc. cit. & 4. dist. 7. qu. 5. nunquam censendus est quis irregularis ob aliquod delictum commissum, nisi expressè in jure Canonico talis pœna inveniatur, ut habetur cap. *Is qui de sent. excommu. in 6.* ubi dicitur *Neminem incurrere irregularitatem, nisi sit expressè lata in jure;* in dubio autem juris non adest jus expressum sufficienter irregularitatem indicans, & ità etiam discurrit Doctor 4. d. 6. quæst. 8. in fine; quarè si irregularitas est ità dubia, ut prudentes, & sapientes judicium ferre nequeant, an in jure contineatur, nec ne, quia non invenitur in jure ex vi verborum inflicta, non potest dici in jure expressa; atque ideò talis irregularitas absolutè judicanda est nulla.

Confirmatur, quia qui sufficientem adhibuit diligentiam ad dubium juris expellendum, & veritatem indagandam; si rei veritatem inveniri non potuit, & dubium expellere, eo ipso ignorantia invincibili laborare censetur, sed qui aliquod præceptum invincibiliter ignorat, excusatur illud non servando, quia ignorantia invincibilis à peccato excusat; ergò pariter in proposito qui sufficientem adhibuit diligentiam ad expellendum dubium juris, & rei veritatem inveniendam circà irregularitatem ob aliquod delictum, nec de illa constat, irregularitatem servare non tenetur, neque ut irregularem se gerere. Quod denique id locum etiam habeat in utroque foro exindè probatur, quia in dubio juris nullus in foro externo judicatur irregularis; ut patet ex c. cit. *Is qui*, ergò neque judicandus est irregularis in foro conscientiæ, quod est forum animæ, & misericordiæ.

138 Secundò dicendum est, in dubio facti debere quemlibet se gerere pro irregulari, seù abstinere se ab actibus Ordinum, donec dispensetur. Ità constat ex cap. prædicto *Ad audientiam*, &c.c. *Significasti* & cap. penult. de Homicidio, quæ quidem capita loquuntur de utroque foro, quia in cap. *Ad audientiam* est sermo de casu in foro exteriori, in cap. verò *Significasti* 2. est sermo in foro interiori, & ratio, quæ ibi adducitur est, quod in dubiis pars tutior est eligenda, quæ ratio in utroque foro locum habet; ergò in dubio facti in utroque foro debet quis se gerere pro irregulari, & hoc etiam expressè docet Scotus 4. dist. 5. qu. 3. C. ut Blundus advertit, ubi docet quod si in tali dubio quis dubitat se esse irregularem debet se gerere pro irregulari, quousque dubium perseverat; quod si re vera non sit irregularis, cessante dubio dispensationem petere non debet, quia nunquam re vera irregularis fuit. Hæc tamen doctrina de dubio facti ad dubium juris extendi non debet, ut facit prima opinio, quia Pontifex c. cit. loquitur tantùm de dubio facti homicidii, non autem de dubio juris irregularitatis homicidii, nec ratio ibi à Pontifice adducta, quod in dubiis tutior pars est eligenda, æquè militat in utroque casu, scilicet, de dubio facti, & de dubio juris, nam eam rationem Pontifex ibi applicat tantùm ad dubium facti homicidii, & in eo intendit tantùm obligare, quod quidem facit propter atrocitatem delicti homicidii, quod etiam in dubio facti vult Ecclesia à suis ministris abesse; nam illa regula, quod in dubiis tutior pars est eligenda, ex se non semper obligat in quocunque casu, siquidem ut diximus l. 2. sent. disp. 5. q. 2. de Conscientia probabili in opinionibus sæpè contigit, ut opinio minus probabilis sit tutior, & tamen certum est posse probabiliorem sequi opinionem, etiamsi sit minus tuta; & in dubio, an res sit alicujus, vel non; si quis eam bona fide possideat, & posteà dubitet, an sit sua, ob tale dubium eam restituere non tenetur, ut omnes communiter docent, cùm tamen tutior pars esset eam restituere; non ergò in dubiis semper, & in quocunque casu tutior pars est eligenda sub obligatione.

139 Tertiò dicendum est, non in quolibet dubio facti aliquem judicandum esse irregularem, sed solùm in casu homicidii de quo casu tantùm citata jura loquuntur, nec doctrinam tradunt generalem in omni casu. Ità Doctores ultimò citati pro tertia sententia. Ratio est, quia versamur in materia odiosa, in qua pœnæ sunt restringendæ juxtà regulam juris, cùm ergò jura citata loquantur solùm de dubio facti in casu homicidii, quando est dubium facti in aliis quibuscunque irregularitatibus provenientibus ex aliis quibuscunque delictis ab homicidio distinctis, nemo est censendus irregularis neque in foro interno, neque externo, neque in his casibus sequenda est pars tutior ex obligatione, sed standum est pro possessione dubitantis, & in eis millitat regula juris, *in dubio rerum esse absolvendum & cùm jura partium sunt obscura, reo potiùs favendum esse, quàm actori*, nam planè nimis durum esset in quocunque dubio facti obligare propter dubium, ut quis in se gravissimas pœnas exerceat, & eas subeat.

Confirmatur, quia in dubio voti, an quis illud emiserit, non obligatur illi, ut notat Gloss. in cap. *finali* de Censibus, & Abbas ibidem, & plures alii Theologi; & tamen dubium voti est dubium facti, quia votum est opus voventis; ergò nec in quolibet alio dubio facti excepto homicidio, debet quis se abstinere ab usu ordinum, si adhibita sufficienti diligentia dubium expelli nequeat. Tandem quia est dubium juris; utrum in aliis factis, & delictis præter homicidium imposita sit irregularitas, in dubio autem juris, ut dictum est in prima assertione, post adhibitam sufficientem diligentiam ad veritatem indagandam nullus censendus est irregularis. Nec rursus hic obstat, quod in dubiis tutior pars est eligenda, quia ut ait Scotus loc. cit. tunc in dubiis tutior par est eligenda, quando timetur peccati mortalis periculum; si alia pars eligatur, sed in proposito non est periculum peccati, ut patet in exemplis allatis de dubio voti, & de dubio rei bona fide possessæ, an sit sua; tùm quia ut Blundus advertit l. c. ar. 6. nos non semper teneri, seù in omni casu tutiorem partem eligere docent Antonius, Sylvester, Navarrus, Sanchez, & plures alii Theologi, sed tantùm in casibus à jure expressis, in aliis verò est de consilio, non de præcepto. & ità præsertim docet Nav. in c. *Si quis autem de pœnit.* n. 34. Tùm tandem quia q. 2. cit. de Conscientia probabili a. 4. nu. 82. satis explicuimus, quomodò intelligi debeat dictum illud, in dubiis tutiorem partem esse eligendam, hoc enim intelligendum est de dubio prædicto, quia operans cum tali hæsitatione peccaret contrà conscientiam; ad quam requiritur certitudo moralis de bonitate operationis, & ut sit tale judicium, quo dicat, hoc mihi licet omni dubitatione secluſa saltem practica, licet aliqua remaneat speculativa, alioquin durante dubio practico partem tutiorem sequi tenemur; undè in proposito, si operans practicè dubitet, & tale dubium non deponat, tunc in omni casu dubii, tàm juris, quàm facti eligere tenetur, quod tutius est, ut etiam Blundus advertit loc. c. atque ideo in prima assertione dicebamus, quod si quis dubitat, an verbi gratia lata sit irregularitas contrà raptores, aut qui dubitat, an sub talibus verbis contineatur irregularitas, si adhibita sufficienti diligentia, adhuc persistit in dubio, debet practicè dubium deponere; judicando non esse latam irregularitatem, ut licitè operari possit, & absque periculo incurrendi irregularitatem, ut etiam notat Bonac. cit.

149 Quartò dicendum est ignorantiam juris non excusare ab irregularitate ex jure expressa, undè si aliquis Sacerdos est excommunicatus, sed ignorat in jure latam esse irregularitatis pœnam contra excommunicatum celebrantem, vel in aliquo ordine ministrantem, talis celebrans, vel actum Ordinis exercens est irregularis. Ità Scotus 4. d. 13. quæst. 2. G. quod probat, quia tenetur ille Sacerdos, qui se exponit ad talem & tantùm actum, scire Jura, per quæ potest licitè exercere talem, & tantùm actum, & ideò talis ignorantia non excusat, sed fortè magis aggravat, & ratio est, ut ibid. Aretinus advertit art. 4. quia talis ignorantia in Sacerdote improbabilis omninò est, & vincibilis, & si non est affectata, est tamen crassa, & supina, atque ideò talis ignorantia juris non excusat; & cum non excusèt à culpa mortali, non impedit, quin minus hæc irregularitas contrahatur; imò Blundus loc. cit. art. 5. advertit Doctorem hoc idem asserere d. 6. qu. 8. de eo, qui Clericum percutit, vel hominem occidit, & nescit pœnam irregularitatis latam contrà homicidam, & pœnam excommunicationis positam contrà percutientem Clericum; & prò ratione assignat, quia talis dat operam rei illicitæ, de qua re debet scire quod sit illicita; & idem dicit de eo, qui Baptismum iterat, nam talem non excusat ignorantia juris ab Irregularitate, quia debet scire, quid jura determinant circà baptismum, ejusque irreiterabilitatem. & hanc eandem sententiam sequuntur Soto, Vasquez, Sua-

Suarez,& Hurtado contrà Navarrum, Sanchez, Coninchium, & alios, quod probant, quia homicidium, v.g. & quodcunque aliud delictum factum contrà jus naturale etiam cum omnimoda ignorantia prohibitionis Ecclesiasticæ sub pœna irregularitatis, est simpliciter tale delictum, v.g. homicidium, aut aliud; & quamvis in eo delicto non sit contumacia in Ecclesiam, adhuc tamen remanet in eo sufficiens indecentia ad susciendos ordines, & ad exercendos jam susceptos, ob quam evitandam fertur irregularitas ab Ecclesia, imò in eo remanet sufficiens culpa; ut ea pœnalitas ei infligatur; ergò absque fundamento prærequiritur notitia prohibitionis Ecclesiasticæ ad incurrendam irregularitatem, & tantò minus scientia,& notitia annexionis ipsius irregularitatis cum tali delicto, quia de ratione pœnæ, aut quasi pœnæ non est, quod sit voluntarias, sed tantùm culpa, propter quam incurritur. Ità Hurtad. diffic. 8.

141 Dices, ignorantia juris quoad censuras excusat, ne incurrantur; ergò etiam quoad irregularitatem. Assumptum patet ex dictis q. 1. hujus disp. a. 4. n. 26.

Respondetur negando consequentiam, & ratio disparitatis est, quia censuræ sunt pœnæ medicinales, quæ pro contumacia formaliter feruntur, & ut ab illa recedatur, ut ibid. dictum est; ubi autem intervenit hujusmodi ignorantia inculpabilis, sivè juris, sive facti, nulla committitur contumacia, & ideò nec ulla incuritur censura; sed irregularitas, quæ est pœna, non fertur ut medicina, sed in vindictam delicti, & ideò ignorantia juris non excusat, quin incurratur, quando talis irregularitas est in jure expressa pro tali delicto; imò juxtà doctrinam Scoti adductam assumptum illud non est universaliter verum, ut patet ex exemplo ab ipso adducto de percutiente Clericum, qui excommunicationem ignorat contrà hujusmodi percutientem, quam tamen adhuc incurrit; sed solùm quando excusat à culpa, tunc enim excusat etiam à censura. Addit tamen Scotus loc. cit. 4. d. 6. quæst. 8. C. & d. 13. q. 2. G. & dist. 25. q. 1. G. quod ignorantia facti probabilis, idest, non crassa, & truffatica, ut ipse loquitur, totaliter excusat ab irregularitate, quod probat ex cap. *Apostolicæ* de Cleric. excom. ministr. ubi dicitur, quod ignorans quis probabiliter se esse excommunicatum, si celebret, non incurrit irregularitatem, sicut nec peccat, & idem habetur cap. *Ignorantia* de Regulis juris in 6. ubi dicitur, quod ignorantia facti, non juris, excusat, undè si Sacerdos Parisiis existens excommunicetur Romæ ipso nesciente, celebrãs cum tali ignorantia non fit irregularis, nisi ad famam publicam constaret.

142 Quintò tandem dicendum est, quando irregularitas incurritur propter actum illicitum, seù ex delicto necessariò requiri peccatum mortale secundùm communiorem, & probabiliorem sententiam, ut dictum est art. præced. num. 130. ex Scoto 4. dist. 13. quæst. 2. l. atque ideò omnia, quæ excusant opus delicti à culpa mortali, excusant etiam delinquent ab irregularitate ob illud delictum lata, undè ut advertit Hurtad. loc. cit. cum Avila, Coninch. Bonacina, & aliis, ignorantia invincibilis, & defectus plenæ advertentiæ, considerationis, sivè facti, quo dictum jus violatur, quia à culpa mortali excusant, ab irregularitate quoque excusare censentur; & idem asserendum dicunt de metu mortis, aut infamiæ, vel alterius gravis nocumenti, quod nimirum excuset ab irregularitate annexa operi prohibito jure tantùm humano, quia tunc metus cujuscunque nocumenti gravis opus excusat à culpa saltem mortali. Dixi autem hoc asserendum esse juxtà communiorem sententiam, & probabiliorem, quia Cajetanus, Covarru. Armilla, Corduba, & alii putant ad incurrendam irregularitatem peccatum veniale sufficere, quorum ratio est, quia occidens aliquem casualiter dans operam rei licitæ, & non adhibens debitam diligentiam excusatur à peccato mortali, ut etiam docet Scotus loc. cit. non tamen ab irregularitate; ergo culpa venialis sufficiens est ad contrahendam irregularitatem. Hæc tamen ratio non urget, ut Blundus advertit loc. cit quia ibi Doctor loquitur de Irregularitate, quæ contrahitur ex homicidio, quod quandoque est delictum, quandoque non, ut est homicidium casuale ab eo commissum, qui dat operam rei licitæ, sed non adhibet debitam diligentiam, hic enim utique adhuc in tali casu irregularitatem incurrit, sed hæc secundùm Scotum est alia irregularitatis species ab ea, que ex delicto contrahitur, undè per delictum, ex quo contrahitur alia irregularitas, grave delictum intelligere videtur, quod vocat crimen, ut magis ex dicendis constabit.

ARTICULUS TERTIUS.

Quæ sunt Irregularitates ex delicto.

143 JAm suprà dictum est art. 1. hujus quæstionis n. 130. ex duplici capite irregularitatem contrahi universaliter loquendo nimirum, vel ex delicto, vel ex aliquo defectu, inter quas irregularitates hoc præsertim versatur discrimen, quod irregularitas ex defectu, ablato defectu sæpè tollitur, quæ verò est ex delicto, manet semper, donec dispensetur in ea, utait Præpositus can. *Miror* d. 50. & eodem modo discurrit Scotus 4. d. 25. q. 1. E. de speciebus irregularitatis, dum ait quod irregularitas quandoque incurritur ex quibusdam delictis, seù criminibus; quandoque ex quibusdam non criminibus; & quandoque ex quibusdam, quæ interdum sunt crimina, interdum non; in præsenti igitur vestigandum est, quot sint genera delictorum, ob quæ irregularitas contrahitur, seù quæ, & quot sint irregularitates, quæ oriuntur ex delicto cum Scoto loc. cit.

244 Prima est ob iteratum baptismum seriò, & scienter, estque irregularis tam rebaptizans, quàm rebaptizatus, etsi in rebaptizante irregularitas tantùm sit partialis, ne Clericus ad altiorem ordinem ascendere possit; quando igitur quis scienter rebaptizat, vel rebaptizatur, uterque irregularitatem contrahit, quod tamen intelligendum est de baptismo absolutè reiterato, qui enim sub conditione infantem rebaptizaret, de quo dubitaret, an validè baptizatus esset, nec peccaret, nec ullam irregularitatem contraheret. Ità Doctores communiter docent, & præsertim Scotus 4. dist. 6. quæst. 8. ex cap. *Ex literarum* de Apostatis, & reiterantibus Baptisma. Per iteratam autem Baptismi collationem, ignoranter factam, putant aliqui rebaptizatum esse irregularem, non autem rebaptizantem, quod probant ex cap. *Qui bis.* de consec. dist. 4. ubi dicitur, qui bis ignoranter baptizati sunt, non indigent pro eis pœnitere, nisi quod secundùm Canones ordinari non possunt, nisi magna necessitas cogat. Quæ opinio Scoto non placet loc. cit. quia si rebaptizans ignoranter ignorantia facti, non est irregularis, neque sic rebaptizatus, quia non videtur esse majoris ponderis secundùm rationem de baptizato, quàm baptizante; tum quia rebaptizatus suam salutem quærere tenetur, ne sit in dubio; ergò dum dubitat, an sit baptizatus, nec ne, vel ignorat; si rebaptizetur, non fit irregularis, quia universaliter ignorantia facti probabilis, ut dictum est, excusat suscipientem, & conferentem ab irregularitate. Nec obstat, inquit Doctor, caput citatum, quia illud non est ab Auctore Canonum, sed sumptum est ex pœnitentiali Theodori Episcopi Cantuarienſis, qui potestatem non habuit infligendi pœnam toti Ecclesiæ, quia hoc proprium est Capitis Ecclesiæ. Per iteratam autem Confirmationem, etiam scienter, nec suscipiens, nec confirmans irregularitatem incurrit, licet mortaliter peccet, ut pariter Doctores communiter docent, & præsertim Scotus 4. dist. 7. quæst. 4. & 5. contrà quosdam Canonistas, qui à paritate rationis, sivè à simili de baptismo arguunt de Confirmatione per ca. cit. *Qui bis*, &c. contrà quos arguit Doctor, quia universaliter nulla pœna Canonica, & præsertim irregularitas incurritur ipso jure, nec propter argumenta exponentium Canones, sivè à simili, sivè à contrario sensu, nec propter eorum auctoritatem, nisi illa sit expressè in jure lata, licet enim Jus conditum exponere possint, non tamen concedere novum per suas expositiones, cùm igitur non inveniatur in jure expressè lata irregularitatis pœna pro iteratione Confirmationis, sequitur quod non incurratur, & eo maximè, quia constitutionis pœnales sunt restringendæ, & non ampliandæ de regulis Juris in 6. Undè si voluisset Legislator talem pœnam pro iteratione Confirmationis infligere, sicut pro iteratione Baptismi, expressè illam in aliquo Canone statuisset, sicut statuit pro iteratione baptismi; quod etiam confirmat Doctor ex c. *Illud*, de consec. d. 5. ubi nulla talis pœna infligitur Episcopo iterum confirmanti, sed nec suscipienti. Alia plura de hac irregularitate videri possunt apud Fabrum cit. c. 3.

145 Secunda irregularitas incurritur ex violatione censuræ in susceptione, vel exercitio ordinum, ut si quis majori excommunicatione, suspensione, vel interdicto irretitus aliquos actus majorum ordinum solemniter exerceat, ut si Missam celebret vel sacramentaliter absolvat, talis enim fit irregularis, ut habetur cap. *Si quis Episcopus* 11. qu. 3. & cap. *Is quis* de sen. excom. Ita Doctores etiam communiter docent, & Scotus præsertim 4. dist. 25. qu. 1. D. Notanter autem hoc diximus de excommunicato excommunicatione majori, quia si est solùm excommunicatus excommunicatione minori, & in ea celebret, licet graviter peccet, non tamen irregularitatem incurrit, ut Scotus docet 4. dist. 13. qu. 2. & d. 25. qu. 1. & ex cap. *Si celebrat*, de Clerico

rico excomm. notanter etiam hoc diximus de ligato excommunicatione, suspensione, & interdicto, quia universaliter per violationem cujuscumque Censuræ,& impedimenti Canonici, ut depositionis, vel degradationis efficitur quis irregularis, ut docet etiam Doctor cit. 4. dist. 13. qu. 2. lit. E. & I. & maximè, si ministrans in ordine sciat, se esse censura ligatum,vel tali pœna Canonica impeditum, alioquin ignorantia facti probabilis excusat,ut etiam D.notat lo.c.ex c. cit. *Apostolicæ*,& Bonac. cum pluribus aliis ab ipso adductis disp. 7. q. 3. pun. 3. ubi etiam addit, quod si quis censura aliqua ligatus actum ordinis exerceret, urgente aliqua gravi necessitate, aut ad evitandum aliquod scandalum, irregularitatem non incurreret, & inquit, quod ligatus majori excommunicatione, suspensione, vel interdicto, etiamsi sit occultus, & toleratus incurrit irregularitatem exercendo solemniter, vel ex officio actus majorum ordinum, nisi excusetur ratione necessitatis, vel scandali vitandi, vel ignorantiæ; & hoc notanter asseritur de exercitio actus majoris ordinis, quia ob exercitium minoris ordinis non incurritur irregularitas; nam actus minorumordinum exercentur ex consuetudine à Laicis etiam cum solemnitate.

146 Verùm loquendo de susceptione ordinum contra prohibitionem per censuras factam, an quis fiat irregularis, non ità conveniunt Doctores, sicut de exercitio Ordinum, nam aliqui asserunt ligatum majori excommunicatione recipiendo scienter, vel cum ignorantia crassa, vel affectata ordines sacros irregularitatem non incurrere, sed solùm remanere suspensum ab usu ordinis susceptì cum excommunicatione. Ità Suarez, Filliucius, Coninchius, Barbosa, & quidam alii. Communior tamen,& probabilior opinio affirmat suscipientes ordines sacros cum excommunicatione non tantùm suspendi ab usu ordinis susceptì, sed etiam irregularitatem incurrere, ut ait Bonacina loc. cit. punct. 4. & Faber noster disp. 3. cit. c. 2. nu. 65. nam hoc expressè deducitur ex cap. 1. de eo, qui furtivè ordines suscepit, quia in eo capite apertè dicitur de eo sic ordinato. *Alioquin nulla ratione concedimus eum ad Sacerdotalem ordinem promoveri*, habetur ergo expressè ibi in Jure pœna irregularitatis imposita suscipienti ordinem excommunicatione, cùm in eo capite decernatur, quod qui suscepit Subdiaconatum, à quo sub anathemate prohibitus fuerat, non possit ascendere ad Sacerdotium sine dispensatione. Hoc autem præsertim asseritur de susceptione ordinum sacrorum, nam ligatus majori excommunicatione juxtà quosdam DD. non incurrit irregularitatem recipiendo ordines minores, vel primam Tonsuram, quia hæc irregularitas non est in jure expressa; quamvis opposita sententia probabilior sit, ut notat Bonac. l. c. quia c. *Cùm illorum* de sent. excom.in 6. ubi talis irregularitas imponitur suscipienti ordines in excommunicatione, absolutè loquitur de suscipiente Ecclesiasticos ordines, nulla facta distinctione majorum, & minorum. Hoc tantùm interest inter susceptionem ordinum, & exercitium eorundem cum violatione censuræ, quòd exercens actus majorum ordinum, si excommunicatione, vel suspensione, aut interdicto sit irretitus, irregularitatem incurrit, ut dictum est; suspensus verò, vel interdictus irregularitatem non incurrit recipiendo ordines sacros, sed tantùm excommunicatus. & ratio est, quia hoc non habetur expressè in jure de aliis censuris, sicut de excommunicatione, ut notat Bonac. & Faber loc.c.

147 Tertia irregularitas incurritur quoque ex abusu susceptionis ordinum, non quidem per violationem censuræ, sed ob delictum, quo quis malè suscipit ordines, cùm nimirùm simoniacè ordinatur ab Episcopo excommunicato, suspenso, interdicto, vel hæretico denunciato; nisi excusèt ignorantia, vel metus, qui in constantem virum cadere potest. Ita Scotus 4. d. 25. qu. 1. D.de simoniacè ordinato, & 4. dist. 13. qu. 2. H. ex cap. *Maritum*, dist. 33. & ex cap. *De cætero* 1. quæst. 1. & ex cap. *Nobis*, & ex cap. *Si qui*, ita etiam Mayron 4. d. 23. quæst. 3. Faber disp. 3. cit. cap. 2. & Blundus disp. 8. cit. part. 2. art. 1. & ità etiam discurrunt Navarrus, Emanuel Sà, & alii recentiores, qui etiam idem asserunt cum Scoto loc. citat. de suscipiente ordines furtivè, ut expressè habetur cap. 1. & 2. de eo, qui furtivè ordines suscipit. Ille autem furtivè dicitur ordines suscipere, ut ibidem Glossa explicat, qui sine Episcopi ordinantis scientia, & voluntate non vocatus, nec legitimè examinatus, vel admissus se ingerit cum aliis ordinandis, vel nomen alterius approbati usurpando, vel faciendo alium examinari nomine ipsius,& dando illi nomen suum,& postea ipso proprio nomine vocatus ad ordines accedit,in his enim casibus propriissimè dicitur, quis furtivè ordines suscipere,& consequenter fieri irregularem, & irregularitas est saltem quoad ascensum ad ordines, & dispensatio in ea spectat ad Papam,si sit publica,& ad Episcopos etiam, si sit occulta. Alii etiam casus referuntur à quibusdam Doctoribus, in quibus fit aliquis irregularis indebito modo ordines suscipiendo, quos Blundus noster enumerat loc. cit. Verùm cùm pœna irregularitatis non contrahatur, nisi sit in Jure expressa, ut supra dictum est, & in illis casibus non inveniatur irregularitas in jure expressa,sequitur in eis irregularitatem non incurri,sed vel excommunicationem, vel suspensionem. Advertendum tamen est, quod quando quis ordines susceptì ab Episcopo non baptizato,vel consecrato,vel non Sacerdote,qui est unus ex prædictis casibus, ille nihil recipit, cùm nullam habeat potestatem,ordines conferendi, quia, non est Episcopus, qui autem potestatem non habet,ordines conferre non potest,ut docet Scotus noster 4. disp. 36.qu. secunda.

148 Cæterùm de simoniacè ordinato est aliqua difficultas,an fiat irregularis, etenim Suar. de Cens.disp.43. sect.4. contendit ex crimine simoniæ irregularitatem non induci, undè vult talem ordinatum suspensionem tantùm incurrere, non irregularitatem, quia talis irregularitas non est in jure expressa; nemo autem judicandus est irregularis in jure, nisi casus sit expressus, quia pœnæ sunt restringendæ, non ampliandæ juxtà regulam juris, ut Faber loc.cit.ubi fusè tractat hanc difficultatem, ait hanc opinionem videri communiorem, quia Navarrus cap. 27. ubi tractat de irregularitate, & ejus speciebus hanc speciem irregularitatis ex Simonia non adducit, sicut etiam,& cæteri Summistæ de hac irregularitate nullam faciunt mentionem. Fundamentum tamen sententiæ Scoti est valdè probabile, ut notant Faber, & Blundus loc. cit. quia est commune assertum, quod censuræ, ut excommunicatio, suspensio, & interdictum tollùntur per absolutionem, non per dispensationem, irregularitas verò solùm per dispensationem propriè loquendo; at in multis Canonibus,in quibus fit sermo de ablatione impedimenti ex Simonia contracti, non est in usu verbum *absolvere*; sed dispensare, quod est proprium irregularitatis, ut patet cap. *Nobis* de Simonia à Scoto adducto, nam ibi dicitur, quod cum hujusmodi simoniacis solus Papa dispensat; cùm ergò dispensare sit propriè ab irregularitate, non à suspensione, ut dictum est, sequitur simoniacè ordinatum irregularitatem incurrere. Confirmatur, quia cùm in Bullis Jubilæorum, & in Bulla Cruciatæ conceditur ampla facultas absolvendi à censuris, & pœnis Ecclesiasticis nunquam intelligitur concedi facultatem dispensandi in irregularirate, quia irregularitas non tollitur per absolutionem, sed per dispensationem, quam doctrinam, ait Faber ab ipsomet Suarez approbari loc.cit. disp. 1. sect. 3. Denique majori & differenti pœna secundùm jura punitur ordinatus simoniacè scienter, quàm ordinatus simoniacè ignoranter, ut patet c. cit. *Nobis* de simonia, &c. *de simoniacè*, quia ille est propriè simoniacus, sed ordinatus simoniacè ignoranter non est suspensus, & celebrare potest quousque ignorantia invincibilis perseverat, cessante autem ignorantia statim ipso facto est suspensus,& si deindè celebret fit irregularis; ergò non est dicendum, quod propter simoniæ crimen sola incurratur suspensio, alioquin simoniacus scienter,& simoniacè ordinatus ignoranter eadem pœna plecterentur, quod est absurdum. Ad fundamentum oppositæ sententiæ dicendum est, quod esto in capitibus adductis non habeatur clarè nomen irregularitatis à simoniacè ordinato incurrendæ, habentur tamen verba æquivalentia idem significantia, ut pluribus ostendit Faber loc. cit. & ideo negandum non est, in jure non haberi simoniæ crimini impositam esse irregularitas pœna, licet sub nomine suspensionis, depositionis, irritationis, damnationis, & similium explicetur.

149 Quarta irregularitas, quæ rursus ex abusu Ordinum contrahitur, est, quæ incurritur ob peccatum, quod Clericus certò, scienter actum Ordinis sacri, quem non habet, solemniter exercet, ut simplex sacerdos exerceat actum Ordinis Episcopalis, si simplex Clericus baptismum solemniter administret, in his enim & similibus casibus irregularitas contrahitur; ità etiam Doctores communiter, & Scotus præsertim loc. cit.4.d.25.q.1.D.& dist.13.q.2.E. ubi ait. quod si quis non est Sacerdos, & attentat facere, ut Sacerdos, non solum peccat mortaliter, & nihil facit, sed etiam irregularis est, cap. 1. & 2.de Cleric. non ordinat. ministrant. & universaliter quicumque exequens, vel attentans actum alicujus Ordinis, quem non habet, irregularis est, quod ait constare inillo titulo in diversis capitulis; ex quibus Scoti verbis deducit Blundus loc. cit. quod hæc irregularitas non solùm à Clerico incurri potest, sed etiam à Laico, à Clerico quidem, ut si Diaconus, v.g. Sacerdotis munus exerceat, talis enim duplicem incurrit pœnam, nimirùm suspensionis, quoad Diaconatum, & irregularitatis quoad Sacerdotium; à Laico verò, si aliquem actum Ordinis sacri usurpet, talis enim totaliter à Clericatu excluditur, quia irregularis efficitur, ita ut nullum ordinem suscipere valeat, non tamen incurrit suspensionem, quia hæc propria Clericorum est: & hoc etiam dicunt aliqui intelligi posse de actu Ordinis minoris, si temen exerceatur ab aliquo, ac si esset ordinatus

natus in eo, cùm non sit ordinatus; consuetudo tamen obtinuit, ut omnem actum minorum Ordinum Laicus exerceat, ut Clericus, & ideò qui eos exercet, irregularitatem non incurrit, sed tantùm exercendo actum Ordinum majorum. Hoc tamen interest quoad hanc irregularitatem inter Clericum, & Laicum, ut Suarez advertit disp. 42. sect. 4. & Caspensis disp. 42. sect. 5. quod hæc respectu Laici est totalis, respectu verò Clerici est partialis, ut non possit ascendere ad Ordines superiores, & manet suspensus ab executione ordinis præstantioris, & ultimi per biennium, vel triennium ad arbitrium Episcopi, ut habetur capit. illo secundo, non verò ab usu aliorum ordinum inferiorum susceptorum, ut dixerunt Navarrus, Sylvester, Angelus, & alii Summistæ.

150 Juxtà præmissam doctrinam patet, quid sit dicendum de Clerico per saltum promoto, quamvis enim aliquid dicant, esse tantùm suspensum, non verò irregularem, si tamen post susceptionem ordinis per saltum in eo ministret, certum est fieri irregularem, quia violans susceptionem per usum Ordinis irregularitatem incurrit, ut notat Bonacina cit. pun. 4. & Faber, ac Blundus ex nostris loc. cit. quin imò talis efficitur irregularis non solùm quoad ordinem prætermissum, in quo ministrat, sed etiam ad ascendendum ad Superiores ordines, undè promotus per saltum, v. g. ad Diaconatum, & ministrans in subdiaconatu, quem prætermisit, manet irregularis, nedum quoad talem ordinem, & alios superiores suscipiendum, sed etiam ad ministrandum in Diaconatu; nam juxtà caput primum allegatum ab Ecclesia est abiiciendus, tanquam inhabilis factus ad omnem ordinem, & Ecclesiasticum ministerium ob suam temeritatem. Idem quoque dicendum est de Sacerdote, si ministret in Episcopatu, quem non habet, scilicet confirmando, & ordinando, ut notat Blundus loc. cit. talis enim manet irregularis, nec in Episcopum consecrari possit, & à Sacerdotio suspensus biennio, vel triennio ad arbitrium Episcopi, non autem ab executione inferiorum ordinum, juxtà doctrinam cap. 2. cit. de Clerico non ordinat. minist. quod etiam colligitur ex regula illa universali superius ex Scoto adducta, quod *exercens, vel attentans actum Ordinis, quem non habet, fit irregularis*. Hoc autem præcisè asseritur de actu ordinis, quia exercens actum jurisdictionis, qua caret, non fit irregularis, ut Doctores communiter docent, undè Sacerdos audiens confessionem sine jurisdictione, vel absolvens non subditum, irregularitatem non incurrit, licet mortaliter peccet, quia actum ordinis non exercet, sed tantùm jurisdictionis.

151 Quinta irregularitas est, quæ incurrit ex delicto hæresis, & aliis criminibus ex annexis; dicitur autem hæreticus ille, qui habet errorem in intellectu de iis, quæ sunt de Fide, cum pertinacia in voluntate, undè ad hæresim completam hæ duæ conditiones requiruntur, ut communiter docent Theologi omnes, & Canonistæ, nimirùm error in intellectu eorum, quæ sunt de Fide, & pertinacia in voluntate, cùm enim hæc deficit, & purus error, ob quem solùm non censetur quis hæreticus, nisi accedat pertinacia in voluntate. Hæretici itaque omnes, & Apostatæ à fide sunt irrregulares ex cap. *Qui in aliquod*, & ex cap. *Presbyteros*, dist. 5. & intelligitur hæc irregularitas, tam in Laicis, quàm in Clericis, tam ad ascensum ad Ordines, quàm ad usum receptorum, ita communiter Doctores omnes, & Scotus noster dist. 25. cit. quæst. 1. in solutione ad ultimum principale, ubi dicit, quod Hæreticus ipso facto etiam ante declarationem est irregularis secundùm jura; undè ad irregularitatem incurrendam sufficit externa hæresis, licet occulta, nec requiritur esse notoriam, sive evidentia facti, sive propria confessione hæretici in judicio, sive per sententiam Judicis, ut aliqui volunt, quia crimen occultum sufficit ad incurrendam pœnam irregularitatis, ut supra diximus ex Concilio Tridentino; & hæc est communior sententia, quam docuit Scotus loc. cit. dum dicit hanc pœnam non requirere declarationem, & consequenter sufficere, quod tale crimen sit perpetratum. Similiter prædictam irregularitatem incurrunt fautores, receptores, & consilium, aut favorem hæreticis dantes, ut constat ex cap. *Statutum* 2. de Hæreticis; ubi idem, quod de Hæreticis, statuitur etiam de eorum fautoribus, receptatoribus, & defensoribus, unde sine ullo fundamento de hoc dubitat Hurtadus difficul. 3. cum quibusdam aliis.

152 Filii etiam Hæreticorum ex eodem cap. *Statutum* sunt irregulares usque ad secundam generationem, quamvis etiam veram fidem sint amplexi, & ab errore parentum recesserint; si tamen eorum parentes ante mortem fuerint Ecclesiæ reconciliati, tunc quamvis ipsi parentes etiam post hæresis abjectionem, irregulares adhuc maneant, filii tamen nullam ab eis irregularitatem contrahunt; hoc autem notanter dicitur de filiis Hæreticorum, quia licet quando pater est hæreticus, ejus filii, & nepotes sint irregulares; quando tamen Mater tantùm est hæretica irregularitas extenditur ad filios tantùm, & non ad nepotes, ut exprimitur c. cit. Et quod dictum est de filiis hæreticorum, etiam intelligendum est de filiis fautorum, receptorum, ac defensorum eorundem, quia eodem modo de omnibus illis jura allegata loquuntur. De quibus filiis prædicta jura intelligi debeant, communior opinio docet, ut ait Faber loc. cit. intelligi indifferenter de omnibus tam legitimis, quàm illegitimis quocuque modo, sive sint nati post lapsum patris, vel antè, quamvis aliqui dicant intelligi tantùm de filiis post lapsum natis, & ratio est, quia jura allegata absolutè loquuntur de filiis hæreticorum, fautorum, &c. absque ulla exceptione, vel limitatione. Schismatici verò, ut sic, nimirum recedentes ab obedientia Papæ propter aliquam causam, sine hæresi, vel cooperatione hæreticorum, quia sic essent fautores, & irregularitatem incurrerent, justà communem sententiam, non sunt irregulares, quia in jure talis irregularitas non habetur, sed tantùm incurrunt alias pœnas contrà Schismaticos latas, ut advertunt Suarez, Caspens. & alii. Religiosi tandem professi à Religione Apostatæ sunt irregulares ex c. fin. de Apostatis, ubi decernitur, durante eo statu, non esse admittendos ad Ordines.

153 Sexta irregularitas est, quæ incurritur ex delictis infamibus, seù infamiam inducentibus in delinquentem, est autem infamia, ut ait Scot. 4. d. 25. qu. 1. C. status læsæ dignitatis quantum ad vitam, & mores, sicut fama est status illæsæ dignitatis quantum ad vitam, & mores, & duplex est, ut Doctores communiter docent, & Scotus ibidem, alia juris, alia facti; infamia juris contingit, quando committitur delictum, cui à jure Canonico imposita est pœna infamiæ, & etiam à jure civili, dummodò per jus Canonicum non sit revocata, nam omnis infamia civilis, quæ per jus canonicum expresè non sit sublata, etiam est infamia canonica ex c. *Omnes*, 1. 6. qu. 1. & duobus modis, inquit Doctor loc. c. potest quis hac via famam amittere, uno modo, quando publicè, & notoriè committit peccatum aliquod, cui à jure imposita est infamiæ pœna, & hic dicitur infamis à jure simpliciter, & absolutè, licet enim de hoc peccato non accusetur, nec à Judice puniatur, adhuc tamen dicitur infamis à jure ob notorietatem peccati commissi; alio modo quando quis accusatus de crimine, cui à jure pro pœna apposita est infamia, est coram Judice convictus, & de illo est condemnatus, & tunc iste est infamis, nedùm à jure, sed etiam à Judice, & hæc infamia juris habetur in Canone *Infames* 16. q. 1. ubi etiam recensentur crimina, ob quæ infamia juris incurritur; quæ sunt adulterium, incestus, raptus virginis, sodomia, veneficium, duellum sacrilegium, simonia, hæresis, favor illius, crimen læsæ Majestatis, hostilis insecutio Cardinalium, perjurium in judicio, & alia quædam quæ ibi videri possunt. Infamia verò facti, quæ popularis dici solet, seù communis, contingit, quando committitur aliquod delictum, quod infame censetur apud viros probos, honestos & graves, vel ut alii dicunt quando opinio vitæ alicujus est gravata ex aliquo crimine apud bonos, & graves viros non inimicos, nec malevolos, sed fide dignos; & hæc infamia differt ab infamia juris, ut notat Faber disp. 2 qu. 1. c. 2. quia ista est de crimine publicè & notoriè commisso, ut dictum est, vel si peccatum, cui à jure imposita est infamiæ pœna, est occultum, tamen deductum ad forum contentiosum probatur per testes fide dignos, & per sententiam Judicis de illo accusatus condemnatur; at infamia facti est, quæ oritur ex delicto occulto, cui est imposita infamiæ pœna à jure, (opinio enim de aliis peccatis, quibus infamia non est à jure imposita, non est infamia) non tamen publicè, & notoriè commisso coram pluribus, qui possint esse testes de visu immediato, sed noto aliquibus paucis, nec etiam evidenter, sed per probabiles conjecturas, & adminicula, vel coram uno tantùm, qui possit esse testis de visu immediato, à quo postea apud alios divulgatum est, per quam divulgationem fama ejus, & bona opinio graviter læsa remanet.

154 Conveniunt itaque DD. tam infamiam juris, sivè Canonici, sivè Civilis, cui Canonicum non resistit, quàm infamiam facti, facere hominem irregularem, infamiam quidem juris ad ordines suscipiendos, & exercendum susceptos, infamiam verò facti ad ordines suscipiendos, ut notant Avila, Caspensis, & alii, ac etiam Faber noster l. c. c. 4. in fine. Præterea conveniunt, ut notat Hurtad. 4. prædictam irregularitatem incurri etiam ob infamiam inflictam à Judice per sententiam, quod innuit quoque Scot. l. c. ac etiam propter infamiam ex publica punitione corporali, ut ex publica verberatione, & ob infamiam ex officio, aut ex quacunque alia causa provenientem, ut colligitur ex cap. cit. *Infames*. Est tamen aliqua difficultas, an irregularitas orta ex infamia juris contrahatur, si crimen sit occultum, ità enim affirmat Suar. disp. 48. sect. 1. cum quibusdam aliis. Communior tamen, & probabilior sententia docet cum Scoto loc. c. necessariò requiri, quod crimina sint notoria sivè

confes-

confessione rei in judicio, sivè sententia Judicis declaratoria, sivè notorietate facti, quando, scilicet, crimen ità evidens fuit majori parti viciniæ, ut Collegii, ut nulla possit tergiversatione celari. Ità Avila, Hurtad. Caspensis, & alii passim, quod etiam ipsa ratio suadet, quia cùm infamia opponatur bonæ famæ, quæ est clara cùm laude notitia, ut ait D. August. l. 83. q. q. 31. opus est pariter, ut infamia oriatur etiam ex publica delicti perpetrati notitia, quamdiù enim delictum est occultum, delinquens pro infami non habetur; ex quo fit, nec adulterum, nec Sodomiam in Sacerdote irregularitatem inducere, si hæc delicta sint occulta, quia textus expressus non invenitur, in quo talis irregularitas infligatur; excipienda tamen sunt ea crimina, quibus ratione sui, secluſa infamia, annexa est irregularitas, de quibus suprà diximus, quia ob hæc, quamvis occulta, incurritur irregularitas, eo quod imponitur ob talia peccata absolutè, & secundùm se considerata, & non quatenus solùm infamiam inducunt; & ideò irregularitatem causant, quamvis sint occulta, qualia sunt homicidium injustum, rebaptizatio, & ministratio Sacramentorum, quando ministrans est aliqua censura ligatus, ac etiam hæresis, ut supradictum est, licet hoc neget Hurtad. loc. cit.

ARTICULUS QUARTUS.

De irregularitate orta ex homicidio, & mutilatione.

155 SEjunctim de hac irregularitate agimus ab aliis enumeratis ex delicto contractis, tùm quia hæc oritur ex defectu, qui quandoque potest esse crimen, & non esse crimen, ut ait Scot. loc. cit. dist. 25. q. 1. sub. E. hoc est, potest esse perpetratum cum culpa, & sine culpa; tùm quia irregularitas variis modis ex hoc eodem crimine contrahi potest, ut ex dicendis patebit, qui particularem petunt explicationem; quicunque enim alterum injustè quocunque modo occidit, aut mutilat, vel illius injustè occisioni, vel mutilationi cooperatur jussu, consilio, auxilio, aut alio simili modo fit irregularis, neque solùm incurritur irregularitas ex homicidio voluntario simpliciter, & directè, sed etiam ex casuali, quod accidit præter intentionem operantis, quando debita diligentia non fuit adhibita, quæ si adhibita fuisset, homicidium secutum non esset, quod similiter de mutilatione dicendum est, ut ex dicendis constabit. Pro intelligentia autem dicendorum, notandum est ex Scoto loc. c. duplex esse homicidium, scilicet, voluntarium, & casuale; voluntarium est illud, quod, directè, & per se intenditur ab occidente, quod rursus duplex esse potest, aliud est simpliciter, & omninò voluntarium, quando nimirum directè, & immediatè intendit hominem occidere; aliud verò est voluntarium simpliciter, sed involuntarium secundùm quid, seù mixtum cum involuntario, ut cum intendit occidere hominem immediatè, quia aliter non potuit evadere mortem, quàm occidendo invasorem; hoc enim homicidium est voluntarium simpliciter, sed involuntarium secundùm quid, quia est mixtum involuntario, si enim aliter posset evadere mortem, non occideret, cùm verò nullo modo intendit occidere, nec directè nec indirectè, sed homicidium sequitur omninò præter intentionem operantis, est involuntarium simpliciter, ut si quis irruat in gladium alterius ex seipso, nullam illi præbendo occasionem, dicitur homicidium omninò, & simpliciter involuntarium. Homicidium verò casuale dicitur illud, quod non directa voluntate, nec immediatè intenditur ab occidente, sed per accidens evenit; & hoc etiam duplex est, aliud est omninò casuale, quod neque in se, neque in sua causa est volitum, quia neque prævisum est, neque potuit prævideri secuturum, & hoc coincidit cum homicidio omninò, & simpliciter involuntario; aliud verò est, quod quamvis in se non fuerit directè volitum, & intentum indirectè tamen censetur aliquo modo volitum in sua causa; ex qua potuit prævideri secuturum, quod etiam dupliciter contingere potest; primò quando non adhibet diligentiam debitam, quam si adhibuisset, homicidium secutum non fuisset; secundò quando occidens dat operam rei illicitæ, ut si aliquem fuste percutiat non intendens occidere, sed fustigare, & sequatur homicidium, tunc enim illi imputatur, ac si esset voluntarium. Quarè nomine homicidii voluntarii intelligitur in præsenti homicidium illicitum, & prohibitum in quintò Decalogi præcepto, & quod in se expressè, & formaliter est volitum, vel saltem implicitè in causa ità propinqua, ut sit moraliter impossibile velle illam causam, & non velle illam mortem, vel saltem periculo ejus probabili se exponere.

156 Deindè observandum est eandem esse rationem de homicidio, ac de mutilatione quoad hanc irregularitatem incurrendam, quia jura expressè nedùm homicidium, sed etiam mutilationem huic pœnæ subiiciunt, ut videbimus, tan quoad ascensum ad ordines, quàm quoad ministerium in susceptis, ut constat ex Clem. *Si furiosus* de homicidio, & ex cap. ult. de homicid. in 6. Mutilatio autem hìc intelligitur, ut communiter Doctores exponunt, quando à corpore abscinditur, & separatur membrum aliquod principale, ideſt, pars corporis etherogeneal, quæ officium per se distinctum habet, v. g. pes, manus, oculus, auris, &c. undè sola sanguinis effusio, vel divisio carnis, per quam sanguis effunditur, non censetur membri abscissio, quia corpus homogeneum, ut sanguis, caro, cutis, & similia, propriè loquendo non dicuntur corporis membra, quia Canonistæ membrum appellant partem illam, quæ est quasi proximum instrumentum alicujus actionis, ut manus, pes, oculus, &c. Aliqui tamen Theologi, ut Cajet. Sot. Suarez, & alii Recentiores, ac etiam Faber ex nostris disp. 3. cit. cap. 7. per membrum intelligunt non solùm partem illam principalem, quæ est proximum instrumentum alicujus actionis, sed etiam eam, quæ est pars partis principalis, ità quod nedùm manus, v. g. dicatur membrum corporis humani, sed etiam digitus, undè abscindens duos digitos principales manus, v. g. pollicem, & indicem ab his Doctoribus censetur irregularis, quamvis totam manum non abscindat, quia adhuc talis abscissio censetur mutilatio enormis, quia munera, & actiones manus notabiliter impedit; undè breviter dicendum est, per mutilationem hìc intelligi abscissionem integram alicujus membri principalem, vel gravem, & notabilem alicujus talis membri diminutionem. An verò sub mutilatione intelligatur etiam debilitatio, quæ reddat membrum inutile ad suam actionem exercendam, ut cùm quis fuste frangit brachium, vel manum alteri, quam amplius movere non potest; vel requiratur ulterius abscissio totalis, & separatio manus, vel brachii à corpore. Aliqui dicunt sufficere debilitationem cum Panormitano, Sylvestro, Angelo, & aliis. Aliqui negant cum Navarro, & aliis, quia jura debilitationem non nominant, sed solam mutilationem, quæ significat totalem membri abscissionem, & separationem à corpore, & pœnæ non sunt ampliandæ, sed restringendæ, & idem sentit Faber loc. cit. Sed breviter dicendum est cum Suarez disp. 48. sect. 2. & aliis Recentioribus, quod si debilitatio talis esset, quæ faceret membrum pœnitus inutile, & aridum, seù mortuum, in hoc casu prima opinio admitti potest, quia talis deformatio est idem, quod abscissio totalis, & obtruncatio, cùm enim sit inutile, licet sit junctum corpori, videtur obtruncatum; & pendulum tantùm manere, quod etiam approbat Faber loc. cit. Denique quia tam hominis occisio, quàm mutilatio potest esse justa, vel injusta, hoc est publica, vel privata auctoritate facta, videndum est, an ex quacunque tali hominis occisione, vel mutilatione irregularitas contrahatur. His præmissis.

157 Primò dicendum est ex homicidio omninò involuntario irregularitatem non contrahi. Ità DD. communiter, & Scotus loc. cit. 4. dist. 25. quæst. 1. E. pro quo adducit dist. 58. ubi dicitur, quod si quis irruit in gladium alterius, morte, vel mutilatione ejus secuta, non fit irregularis, & idem habetur in Clement. *de homicidio*, ubi dicitur, quod si furiosus, aut insanus, aut dormiens, hominem mutilet, vel occidat, nullam ex hoc irregularitatem incurrit; & idem dicendum est de homicidio omninò casuali, quod neque in se, neque in sua causa est volitum, quia neque prævisum est, neque potuit prævideri secutum, homicidium enim sic casuale, ut dictum est, coincidit cum homicidio omninò, & simpliciter involuntario. Si verò sit sermo de homicidio casuali, quod quamvis in se non fuerit directè volitum, & intentum, indirectè tamen censetur aliquo modo volitum in sua causa, ex qua prævideri potuit secuturum, tunc distinguendum est, & idem etiam dicendum de mutilatione sic casuali. Qui dat operam rei licitæ, & non adhibet debitam diligentiam, quam debet, & potest, ne homicidium sequatur, fit irregularis illo secuto, ut docet Scotus loc. cit. tam ad ascensum ad ordines, quàm ad ministrandum in susceptis, ut constat ex c. *Dilectus*, &c. *Significasti*, &c. *Ad audientiam*, de homic. ubi dicitur homicidium casuale imputari ei, qui dabat operam rei illicitæ si debitam diligentiam non adhibuit. & ratio est, quia homicidium indirectè voluntarium sufficiens est ad irregularitatem contrahendam, ut omnes docent Doctores, tale autem homicidium est indirectè voluntarium, cùm debitam diligentiam omiserit. Qui verò dat operam rei illicitæ, etiamsi debitam adhibeat diligentiam, ne homicidium sequatur, fit irregularis eo secuto ex Scoto loc. cit. ubi ait duas conditiones necessariò requiri ad hoc, ut quis ex homicidio casuali irregularitatem non incurrat, nimirum, ut det operam rei licitæ, & debitam adhibeat diligentiam, altera enim deficiente irregularitas incurritur, & hoc expressè habetur in c. *Finali*, de homic. ubi dicitur homicidium casuale non imputari ei, qui dedit operam rei licitæ, nec fuit in culpa diligentiæ requisitæ, ex quo

deducitur altera istarum conditionum deficiente irregularitatem incurri; & hoc deducitur expressè etiam ex cap. *Suscepimus*, & ex c. *de Cætero*, & ex aliis capitibus Juris Canonici.

158 Sed quamvis hæc sit communis opinio, ac etiam D. Thomæ 2.2 q.64. art. 8. aliqui tamen ut Soto, Suarez, & alii oppositum sentiunt asserentes, quod estò quis det operam rei illicitæ, si tamen hæc non sit proximè, & immediatè ad occisionem alicujus ordinata, adhibita debita diligentia, non fit irregularis; undè dicunt, quod non per quodcunque opus illicitum, ad quod sequatur homicidium, incurritur irregularitas, sed tantùm per opus illud illicitum, quod ex se potest esse causa homicidii, ut si Clericus det operam rei bellicæ, licet imprudens, & nesciens aliquem occidat, est irregularis; at si committens adulterium invadatur à marito, quem Clericus adulter occidat, non fit irregularis, quia adulterium, licet sit opus illicitum, tamen non est causa ex se apta inducere homicidium; undè opus illicitum, ad quod sequitur irregularitas, est illud quod prohibetur propter periculum homicidii, & de hoc jura loquuntur, non autem quodcunque opus illicitum, si non sit tale, quod annexum habeat homicidii periculum. Cæterum opinio Scoti, sicut communior est, ità etiam probabilior, quia ut ait Blundus disp. 8. cit. art. 9. sufficit, quod res illa illicita ordinem aliquem habeat, & connexionem cum homicidio secuto, ut quis dans operam tali rei illicitæ irregularitatem incurrat; quod verò proximè, vel remotè, hoc non dicunt Canones. & hoc patet ex exemplo ab Adversariis adducto de Clerico adulterium committente, & invaso à marito, quem occidit, benè etenim prævidere poterat, ac debebat, quod si inveniretur à marito, exponebat se periculo illum occidendi ad sui defensionem.

Confirmatur, quia in jure habentur casus expressi, in quibus quis judicatur irregularis dans operam rei illicitæ, quæ ex se nullo modo est apta homicidium inducere, ut causa illlus, quos casus refert Faber c. 7. cit. in fine: quarè ad irregularitatem incurrendam ex homicidio illæ duæ regulæ Scoti, & communioris opinionis sufficere debent; si detur opera rei illicitæ, & sequatur homicidium, irregularitatem incurri; etsi etiam detur opera rei licitæ, sed debita diligentia non adhibeatur.

159 Secundò dicendum est, ex homicidio omninò voluntario, & injusto contrahi irregularitatem, & sic etiam de mutilatione discurrendum est. Ità Doctores communiter, & Scotus loc. cit. & habetur expressè ex cap. *Miror* dist. 50. & ex cap. ult. d. 55. & ex tit. de homicidio voluntario, & casuali; ubi notant communiter DD. ad hanc irregularitatem incurrendam non sufficere solam voluntatem occidendi, vel mutilandi cùm vulneratione, seù percussione ad hunc effectum, nisi mors sequatur, vel mutilatio. & ratio est, quia ut ait Doctor loc. cit. talis non est verè homicida, & ideò pœnam latam contrà homicidas non incurrit, & pœna ipso jure imposita non incurritur, nisi per delictum consummatum, non autem per solùm volitum, vel intentatum, non tamen requiritur, quod ex illato vulnere statim mors sequatur, vel mutilatio, sed sufficit, quod post sequatur ex tali causa, undè qui præbet alicui venenum, licet mors sequatur post longum tempus, talis est irregularis, etiamsi posteà de peccato suo pœniteat, ut Blundus advertit loc. cit ar. 3. & ratio est, quia mors posteà ex veneno secuta, quod præbuit, est voluntaria saltem in causa, sivè in illa priori voluntate, qua voluit præbere, & de facto præbuit venenum. Prætereà non solùm occisor, vel mutilator, seù qui propriis manibus hominem voluntariè, & injustè occidit, vel enormiter mutilat, fit irregularis, sed etiam omnes concurrentes voluntariè ad tale homicidium, vel mutilationem, illi autem sunt omnes, qui in illis duobus versibus continentur jam suprà relatis disp. 7. de Restitutione in communi qu. 2. artic. 1. agendo de personis ad restituendum obligatis. *Jussio, consilium, consensus, palpo, recursus. Participans, mutus, non obstans, non manifestans;* eodem enim modo peccatur circà furtum, sicut circà homicidium, & alia crimina, & hoc assertum fundatur super cap. *Nutum sit* 1. qu. 1. ubi habetur illa maxima: *Facientem, & consentientem par pœna constringit*, qui autem consentiunt sunt omnes, qui in prædictis versibus tanguntur; & de homicidio in specie hoc de mandante habetur c. *is qui* de homic. in 6. & de consulente habetur in cap. *Permittosè* de pœnit. d. 1. &c. *Sicut dignum* de homic. &c. *Si quis viduam* dist. 50. & c. 2. *de Clericis pugnantibus*, & de cooperatore colligitur ex c. cit. *Sicut dignum*, & ex cap. *Significasti* 2. de homicidio. Sunt autem intelligendæ particulæ illorum versuum eo modo, quo ibi sunt explicatæ ex Scoto 4. d. 15. q. 2. a. 4. nimirum, quod concursus seù consensus in quolibet sit efficax, & expressus, vel interpretativus, ut disp. cit. diximus q. 2. a. 1. n. 24. deindè, quod iste consensus sit verè causa homicidii, vel mutilationis, quia si ex eo non sequatur effectus, nulla est irregularitas, tunc enim homicidium non censetur voluntarium & tandem, quod sex priores consentientes semper irregularitatem incurrunt; sed tres ultimi solùm, quando ex officio homicidium, & mutilationem prohibere tenentur; qui verò non tenentur ex officio, vel justitia, non incurrunt, quia talis irregularitas non est jure expressa, cùm non censeantur voluntariè concurrere ad effectum homicidii, sicut qui tenentur ex justitia, adhuc tamen peccant contrà charitatem, quando sine læsione personæ propriè, & status, homicidium impedire possunt, & impediunt, ut de furto lo. cit. dicebamus, eodem enim modo circà homicidium peccatur, sicut circà furtum, & alia crimina, quamvis Hurt. Caspensis, & alii dicant non impedientem homicidium, quod, ex justitia impedire tenetur, irregularitatem non incurrere, etiamsi ex dolo non impediat.

160 Ex doctrina tamen ibi tradita deducitur, quod si mandans aliquem occidi, vel enormiter mutilari, revocat posteà mandatum, & hanc revocationem intimet mandatario, & manifestè, irregularitatem non incurrit, si mandatarius revocatione non obstante, illum occidit, vel mutilat, cùm non amplius ex ejus voluntate mandatarius illum occidat, vel mutilet, sed ex propria voluntate, & malitia, & hæc est communis Doctorum opinio, ac etiam Innoc. in cap. *ad Audientiam:* Non tamen ità conveniunt DD. de consulente consilium revocante, aliqui enim dicunt talem revocationem non esse sufficientem ad evitandam irregularitatem, quia adhuc censetur causa moralis homicidii, non enim est par ratio, inquiunt, de mandante, & consulente, nam in mandante satis est, si revocet mandatum, cùm mandatarius agat nomine mandantis, at is, cui datur consilium, agit proprio nomine, & in propria causa, motus rationibus acceptis à consiliante, & ideò non est satis revocare consilium. Ità Angelus, Sylvester, Majolus, Emanuel Sà, Lessius, & ex nostris Blundus loc. cit. Oppositа tamen sententia magis placet, & est conformior doctrinæ lo. c. traditæ, ubi diximus tam de mandante, quàm de consulente, ut censeantur influere moraliter in delictum mandatum, & consultum necessariò requiri, quod concursus, seu consensus in quolibet sit efficax & expressus, vel saltem interpretativus; at post revocationem factam ab hoc, vel illo mandati, vel consilii modo jam explicato mandatum, vel consilium non influit efficaciter in delictum, quia tunc delictum non procedit ex voluntate illa, cujus ipse mandans, vel consulens fuit causa, cùm fuerit efficaciter revocata, sed tunc actio injusta alterius malitiæ est imputanda. Igitur quoad hoc, nulla est differentia inter mandantem, & consulentem. Ita Coninch. Hurtado, Caspensis, & plures alii.

161 Rursus plures Doctores docent, quod si quis illicitè consulat, vel mandet, ut homicidium fiat, si mandatarius, vel ille qui consilium accepit, occidatur ab eo, quem occidere volebat, tunc mandans, vel consulens non efficitur irregularis, quia in jure irregularitas non est lata, nisi ob mandatum, aut consilium, quo quis mandat, aut consulat aliquem, ut alterum, vel seipsum occidat secuto effectu. Ità Turrianus, Hurt. Caspensis, & alii. Oppositа sententia tamen probabilior videtur, quam docent Avila, Blundus loc. cit. & plures alii, quia qui sic mandat, vel consulit, dat operam rei illicitæ, & idcircò secuta illius morte irregularitatem non effugit, juxtà regulam superius traditam de dante operam rei illicitæ. Verum tamen est, ut Blundus advertit, talem irregularitatem potius oriri ex homicidio casuali culpabili, quàm voluntario, cùm is, qui mandat, vel consulvit homicidium inimici, nullo modo homicidium mandatarii intendat, vel illius, qui consilium accepit de occidendo. Deniq; DD. etiam communiter docent, quod si quis mandet occidi unum, & occidatur alius à mandatario, non est reus homicidii secuti, nec irregularitatem incurrit, quia tale homicidium, nec directè, nec indirectè est illi voluntarium, nec formaliter, nec virtualiter, quia licet mandaverit fieri homicidium, non tamen vagè, sed determinatè, ideſt, hujus determinatæ personæ. Cæterùm valdè probabile est, ut etiam Blundus advertit loc. cit. talem adhuc esse posse reum homicidii casualis, quia dat operam rei illicitæ, & ex hoc capite irregularitatem contrahere juxtà regulam superiùs traditam.

162 Tertiò dicendum est, etiam ex homicidio voluntario id est, publica auctoritate facto irregularitatem contrahi, ille enim dicitur justus occidens, qui non privata auctoritate occidit, sed publica. Ità specialiter habetur cap. *Sententiam* ne Clerici vel Monachi, ubi decernitur, quod sententiam sanguinis nullus Clericus dictet, nec sanguinis vindictam exerceat, & de Laicis idem habetur c. 1. & 2. d. 51. in quibus decernitur arcendos esse à munere Clericali milites, & Curiales, seù ministrantes in curia criminali. Ratio autem propter quam ordinavit Ecclesia homicidam voluntarium etiam inculpabilem esse inhabilem ad ordines sacros, & esse irregularè, est horror sanguinis effusi; ut ait Scot. l. c. d. 25. q. 1. infrà E. & d. 15. q. 3. G. qua ratione David, qui tamè justè occiderat, voluit Deo ædificare domum, sed quia fuit effusor multi sanguinis humani, prohibitur est à Deo 2.

Regum. 7. Undè hæc irregularitas non oritur ex delicto, sed ex defectu, quem communiter Theologi, & Canonistæ lenitatis appellant, quia, qui sic hominem occidit, vel mutilat, etiamsi id justè faciat, & absque peccato; adhuc tamen irregularitatem incurrit ex defectu lenitatis propter horrorem sanguinis, is enim pacem non præsefert, & Christi mansuetudinem, nec ipsum repræsentat, quarè ideò Ecclesia hanc irregularitatem statuit, quia Sacerdos gerit personam Christi, qui utpotè lenissimus neminem unquam læsit, neque hæc irregularitas contrahitur, nisi ex licita mutilatione, vel homicidio in judicio, vel bello justo, ut dicemus art. sequ n. 176.

163 Quarto eodem modo discurrendum est de irregularitate, quæ ex bello contrahitur, quod quidem duplex est, quoddam defensivum, quoddam aggressivum, & hoc rursus aliud justum, aliud injustum. Itaque loquendo de bello aggressivo injusto discurrendum est, sicut de homicidio voluntario, & injusto; quod, scilicet, militantes in bello injusto, sivè sint Clerici, sivè Laici secura morte, vel mutilatione alterius, etiamsi propriis manibus non occidant, sed occidentibus cooperentur, arma præbeant, & auxilium quovis modo præstent, vel favorem, hortando, consulendo, &c. irregulares fiunt. Ità Doctores communiter, sic enim habetur ex cap. *Quod in dubiis* de pœnis, & ex cap. *Si quis* d. 15. & ex aliis c. juris. & ratio est, quia qui aliquo modo dant causam ad homicidium injustum, sunt irregulares, ut suprà dictum est ex c. *De cætero* at omnes, qui bello iniusto interfunt, aliquo modo ad injustum homicidium cooperantur; ergò secuto homicidio irregulares fiunt; undè in bello injusto, si vel unus occidatur, totus exercitus fit irregularis, saltem si aliqua ratione sit cooperatus, ut Bonac. advertit q. 4. punct. 4. cum pluribus alii. Si verò loquamur de bello justo aggressivo, etiam omnes tam Clerici quàm Laici propriis manibus pugnantes, occidentes, & mutilantes inimicos irregularitatem incurrunt; non tamen ex delicto, sicut pugnantes in bello injusto, sed tantùm ex defectu lenitatis, sivè mansuetudinis, sicut enim qui justè contra aliquem sententiam sanguinis profert, secuto effectu irregularitatem incurrit, ut suprà dictum est; ita qui militat in bello justo aggressivo, si occidat, vel mutilet, ut patet ex c. *Si quis viduam*, & ex c. *Aliquantos*, d. 50. de quo dicemus ar. sequ. tractando de irregularitate ex defectu lenitatis contracta. Denique loquendo de pugnantibus in bello defensivo idem dicendum est, quod de irregularitate contracta ex homicidio voluntario, quod tamen habet admixtum involuntarium, de quo dicemus conclusione sequenti.

164 Quintò dicendum est, quod qui committit homicidium voluntarium simpliciter, sed involuntarium secundùm quid seù involuntarium permixtum, ut qui occidit aggressorem, vel invasorem ad sui defensionem, quia aliter mortem evadere non poterat, sivè sit Clericus, sivè Laicus, post Clem. un. de homicidio, irregularitatem non incurrit. Ità DD. communiter, tam Theologi, quàm Canonistæ. Notanter autem dicitur *post Clement.* quia secundùm Scotum loco citato 4. distin. 25. quæst. 1. Alensem pagin. 3. quæst. 3. membr. 3. artic. 2. D. Thom. 2. 2. quæst. 64. artic. 7. & alios antiquiores, talis occidens secundùm jus antiquum dif. 50. cap. *Si quis viduam*, & dist. 58. cit. *De iis*, irregularitatem incurrebat, sed de facili dispensabilem; imò & Concil. Trid. sess. 14. ca. 7. hoc jus antiquum renovare videtur, vel supponere illud non esse abrogatum, dum ibi dispensationem super irregularitatem ex tali homicidio contractam loci ordinario committit, de qua re fusè disputant Recentiores, ut videre est apud Covar. Nav. Suar. & alios ab eis citatos. Sed ad vitandam prolixitatem breviter hæc jura conciliari possunt cum Fabro disp. 3. cit. c. 7. n. 218. dicendo, quod Clementina intendit occidentem invasorem, cum moderamine tamen inculpatæ tutelæ non fieri irregularem, ità nimirum quod nulla sit culpa in sic occidente aggressorem. Verùm quia difficile est in hujusmodi casu servare ad unguem moderamen inculpatæ tutelæ, & facile est excedere modum defensionis, ideò Concil. Trid. dixit in hoc casu dispensationem jure quodammodo deberi, & illam ordinariis locorum esse committendam, quid autem requiratur ad moderamen inculpatæ tutelæ satis explicuimus suprà disp. 8. de Restitutione in particulari qu. 2. art. 1. nu. 21. ubi de homicidio licito, & illicito fusè differvimus, de quo etiam plura videri possunt apud Astesanum nostrum l. 1. tit. 25. art. 2. & Blundum disp. 8. cit. p. 2. art. 5. & idem asserunt Doctores de eo qui invasorem occidit ad se defendendum, ne ab eo mutiletur, aut graviter vulneretur, vel deformetur.

165 Hoc idem etiam asserunt Doctores de eo, qui invasorem occidit in defensionem bonorum temporalium, cum moderamine tamen inculpatæ tutelæ, quia hujusmodi homicidium non est peccatum, ut etiam diximus loc. c. dummodò nocumentum temporale sit grave, & actu injustè inferatur, & non possit alio modo fieri defensio, nisi per mortem aggressoris, & quamvis aliqui dicant hoc solummodò Laicis licitum esse, non autem Clericis, & Religiosis, quos sequitur Blundus loc. cit. oppositum tamen probabilius esse diximus loc. c. & jura in contrarium afferri solita diximus intelligenda esse, quando non servatur moderamen inculpatæ tutelæ; & tantò magis dicendum est id etiam licitum esse pro defensione pudicitiæ, undè si quis pro defensione castitatis, si alia ratione eam defendere non potest, occidat iniquum invasorem, nec peccat, nec irregularitatem incurrit, quod etiam asserit Scotus 4. d. 15. qu. 3. quia si licitum est propria defendere bona occidendo invasorem cum moderamine inculpatæ tutelæ, multò magis licitum erit defendere pudicitiam, & castitatem occidendo, si alia ratione defendi non potest, cùm majus bonum sit bonum animæ, ut est bonum virtutis, quàm corporis, ut est bonum temporale, ut ait Doctor loc. cit. Hoc etiam asserunt communiter Doctores apud Bonacinam qu. 4. cit. punct. 6. de defensione famæ, & honoris, quando aliud medium proprii honoris defendendi non suppetit, nulla facta Clericorum, & Religiosorum exceptione, quæ tamen fieri debet juxtà dicta disp. 8. cit. qu. 2. ar. 1. n. 25. eo vel maximè, quod opinio id asserens esse quoque Clericis, & Religiosis licitum damnata fuit à S. Congr. die 24. Septembr. 1665. Demum idem quoque dicendum est de eo, qui cum moderamine inculpatæ tutelæ occidat alterum in defensionem proximi innocentis, quamvis defensio non cadat sub obligatione justitiæ, sed tantùm sit licita, ut etiam diximus loc. cit. nu. 26. ex communi Theologorum sententia; quamvis non desint, qui oppositum sentiant, ut refert Blundus loc. cit. quorum fundamentum est, quia in dicta Clement. solùm fit mentio de defensione propriæ vitæ, & non alterius etiam innocentis, tùm quia praxis, & consuetudo Curiæ Romanæ est, ut in casu quo quis vitam defendit proximi innocentis, etiam cum moderamine inculpatæ tutelæ, quod dispensatio petatur.

166 Præterea plures Doctores asserunt prædictam doctrinam etiam habere locum, quamvis occidens dederit occasionem alteri, ut ipsum invadat, ut dicendo verbum contumelioſum, aut adulterando cum uxore invadentis, si nequit aliter se defendere, ex quo deducunt adulterum, qui maritum aggressorem causa necessariæ defensionis occidit, non fieri irregularem; quorum ratio est, quia per hoc, quod ille ad alienam accesserit uxorem, non est privatus jure defendendi se, atque adeò si occidat; licitè occidit, nec irregularitatem incurrit. Ita Covar. Soto, Medina, Suares, Sayrus, Avila, Turrianus, Diana, Hurtado, Caspensis, & alii, quos sequitur Blun. loc. cit. Verùm opposita sententia probabilior est, ut diximus suprà nu. 158. nam si aliquis occidens hominem casualiter dans operam rei illicitæ incurrit irregularitatem, ut suprà dictum est ex Scoto 4. d. 25. q. 1. E. tantò magis in adulterio deprehensus, si maritum adulteræ occidat, ut mortem evadat, fit irregularis. Cofirmat. quia ut ibi dicebamus, talis adulter voluntariè se ingessit actui periculoso ex quo probabiliter judicare potuit indè posse sequi homicidium alterius, ac proindè eo secuto fit irregularis, & hac ratione, ut refert Navarr. cap. 27. Pius V. declaravit Clericum adulterum, in casu, quo erat probabile periculum, ne maritus ipsum occideret, vel uxorem adulteram, incurrisse irregularitatem homicidio adulteræ secuto. Ità Navar. l. c. D. Antoninus, Majolus, Villalobos, Astesanus ex nostris li. 1. tit. 35. & plures alii. Hæc tamen regula, in omnibus casibus prædictis est observanda, quod quando exceditur moderamen inculpatæ tutelæ, itaut mortaliter peccetur, non est dubium incurri irregularitatem homicidii, quia solùm occidens alium privatim sine culpa irregularitatem non incurrit.

167 Postremò agendum remanet de irregularitate, quæ contrahitur medendo, vel chirurgiam exercendo, & breviter dicendum est, Laicum exercentem medicinam, vel chirurgiam, si debitam diligentiam adhibeat, non fieri irregularem, etiamsi membrum aliquod abscindat causa sanitatis, vel mors curati sequatur. Ità DD. communiter ex c. *Ad aures*, de ætat. & qualit. & ratio est, quia dat operam rei licitæ, & adhibet diligentiam, quam debet, undè concurrunt illæ duæ conditiones superius ex Scoto recensitæ nu. 158. quæ morte alicujus secuta, vel mutilatione excusant ab irregularitate; tum quia in hujusmodi abscissione, vel exercitio non deest lenitas, vel mansuetudo, cum pars abscindatur ob conservationem totius. Quid verò dicendum sit de Clericis, & Religiosis artem Medicinæ, vel Chirurgiæ, exercentibus non conveniunt DD. aliqui enim absolutè dicunt irregulares fieri, ut Blund. noster l. c. ar. 10. quia talis ars est eis prohibita ex c. *Sententiâ*, ne Clerici, vel Monachi, &c. *Tua nos*, de homicidio, quarè morte curati secuta, vel mutilatione, irregulares fiunt, quia dant operâ rei illicitæ, ac prohibitæ. Alii verò dicunt non fieri irregulares tale officiũ exercendo secundùm regulas artis citra abscissionem, vel adustionẽ, & hoc inquiunt esset, quod specialiter eis prohibetur in allatis c. membra, scilicet, abscin-

abscindendo, vel adurendo. Ità Bonac. l. c. pun. 5. citans Mol. Henriquez, Sayrum, & alios. Hoc tamen certum est apud omnes, Clericum majoribus ordinibus initiatum non peccare, nec adsci irregularitate, si hanc artem exerceat etiam incidendo, vel adurendo urgente necessitate, ut idem Bonac. advertit l. c. v.g. tempore pestis, quando non adest alius, qui hoc munus exerceat, nam in eo eventu, in quo obligat jus naturæ, cessat prohibitio juris positivi. Denique ex his constat quid sit dicendum de iis, qui curam infirmorum habent, si enim debitam diligentiam, & providentiam adhibeant, morte secuta infirmi, irregularitatem non incurrunt, cùm concurrant illæ duæ conditiones ex Scoto, quæ morte alicujus secuta ab irregularitate excusant, quod si non adhibeant, eam incurrunt. Ità DD. cõmuniter.

ARTICULUS QUINTUS.

Quæ sint Irregularitates ex defectu.

168 PRima irregularitas est ex defectu animæ, ad quam incurrendam triplex defectus à Doctoribus assignari solet. Primus est illius, qui de recenti ad fidem accessit, ac proindè Neophiti sunt irregulares, ut deducitur ex Can. *Neophitus*, d. 61. quod etiam colligitur ex can. 1. & 2. d. 48. & ideò recenter baptizati in adulta ætate ordinari non possunt, nec etiam ad ordines minores, ut contrà Toletum, & alios advertunt Avila, Suarez, Hurtado, & alii plures, & deducitur ex c. *Neophitus*; si tamen post aliquod tempus sui baptismi, ità profecit in fide, & in moribus, ut arbitrio Episcopi sit quasi veteranus Christianus, poterit ordinari, ut ex dicto c. deducitur. Quidam inter irregulares ex hoc defectu recensent etiam hæreticos; & infideles, non baptizatos, quibus etiam subscribit Blund. noster loc. cit. art. 16. sed satis inconsideratè, ut etiam Toletus advertit l. 1. c. 59. siquidem non baptizati irregulares dicendi non sunt, cùm non sint capaces ordinis, ut diximus art. 1. hujus quæstionis n. 128. hæretici verò sunt ex delicto irregulares, ut constat ex dictis ar. 3. n. 151. Secundus est defectus usus rationis ex Scoto 4. d. 13. qu. 2. §. Primò videndum undè perpetuò amentes censentur irregulares, & etiam qui ex crebra indispositione in furiam incidunt, ut qui morbo laborant epileptico, qui sunt lunatici, energumeni. Secus autem est de phrenetico ex vi morbi, aut vulneris, aut iræ transeuntium, hi etenim statim, ac desinunt esse tales, non sunt irregulares, & si illi sunt ordinati, & intrà annum eo morbo non laborarunt, præsumuntur liberati, & ad ordinum exercitium permittuntur. Tertius est defectus literaturæ, seù scientiæ ex cap. *Illiteratos*, d. 36. quæ verò scientia, & peritia inordinandis requiratur, habetur sufficienter ex Conc. Trident. sess. 25. de Reform. cap. 4. quæ autem requiratur ad Episcopatum habetur ex cap. *Omnes*, d. 38. & aliis cap. Juris, & noviter ex Trid. sess. 22. de Reform. cap. 2. de scientia requisita in assumendo ad Ecclesias Cathedrales; Caspensis tamen advertit disp. 15. sect. 16. Episcopos dispensare posse cum Religiosis non multum literatis; ut ad sacros ordines promoveri possint, quia in illis non tanta scientia requiritur, ac in Clericis sæcularibus, cùm ad curam animarum non ordinentur, tùm etiam quia ex continuo convictu, & communicatione cum doctis in Religione in scientia proficiunt.

169 Secunda irregularitas est ex defectu corporis, quia ut notat Scot. 4. d. 25. q. 1. E. ab aliquo contrahi potest, vel propter turpem, & enormem mutilationem, ut habetur ex tit. *De corpore vitiatis non ordinandis*, vel propter enormem infirmitatem, ut habetur ex tit. *De Clerico ægrotante, vel debilitato*, movetur autem Ecclesia ad reddendum irregulares corpore graviter vitiatos, vel horribili infirmitate infirmos, ut Scotus advertit 4. d. 15. q. 2. *§ primò videndum*, quia sicut in veteri lege Levit. 21. lex hujusmodi statuta erat, quod qui maculam haberet, non offerret Deo suo panem; nec ad ministerium ejus accederet; ità in lege nova, quæ est veteri perfectior, tantò magis statuendum erat, personas in naturalibus defectuosas, seù in corpore, ad servitium, & cultum Dei in altari non esse admittendas propter reverentiam Sacramenti, & ad vitandum scandalum pusillorum. & subdit Doctor prohibitiones istas patere in can. dist. 25. & extrà de corpore vitiatis; tales autem ait esse enormiter corpore mutilatos, vel horribili infirmitate oppressos, ut leprosi, & hujusmodi. Itaque enormis mutilatio, quæ gravem inducit deformitatem, & cum qua sine scandalo, & indecentia quis in ordine ministrare non posset, vel quæ impedit usum ordinis, inducit irregularitatem simpliciter, & absolutè in Laico, ne ordines suscipere valeat, & in Clerico, ne possit in susceptis ministrare, & ad alios promoveri. Ità communiter DD. ex cap. *Si Evangelica*, d. 55. & ex cap. *Expositi* de corpore vitiatis non ordinandis; ex quibus cap. etiam deducitur irregularem esse mutum, cæcum, aut altero oculo præsertim sinistro carentem, qui dicitur oculus Canonis; item qui ità difformis est in manibus, vel in aliquo alio exteriori corporis membro, ut sine scandalo pusillorum, & indecentia in ordine ministrare non possit; etiamsi nulla sit mutilatio membri. Si autem deformitas, non esset notabilis, nec mutilatio gravis, irregularitatem non inducunt, est autem modica deformitas, vel non enormis, & turpis mutilatio ex Scot. 4. d. 15. q. 3. §. *De secundo*, quæ actum humanum non impedit, ut amputatio digiti vel alicujus partis digiti, quod tamen intelligendum, est, dummodò mutilatus non fuerit in culpa talis mutilationis, quia si sponte, & non ex causa justa hæc contigisset irregularitatem induceret, & in tali casu ordinandus repellitur, & jam ordinatus deiicitur, ex d. 55. c. *Qui partem*. & de hoc defectu alia plura videri possunt apud Asteianum nostrum l. 6. tit. 21.

170 Sic etiam infirmitas enormis, seù quæ deformitatem inducit, aut perpetuum impedimentum ad usum ordinum reddit infirmum irregularem. Ità Theologi omnes, & Scotus loc. cit. & habetur expressè in c. *Tua nos*, de Cleric. ægrot. & in toto titulo de corpore vitiatis. & ità lepra, cùm sit infirmitas valdè turpis, irregularitatem inducit ex cap. cit. item morbus gallicus, si reddat hominem notabiliter difformem, morbus caducus, paralysis, apoplexia, pestis, & universaliter quælibet alia horribilis infirmitas, ut Scot. loquitur; si autem infirmitas non sit enormis, sed curabilis, irregularitatem non inducit, non enim quælibet infirmitas, vel ægrotatio facit hominem irregularem, nec infirmitas curabilis vocatur vitium corporis, ut explicatur in L. *Interfuprum*, de verborum significatione; sic etiam neque irregulares censendi sunt, qui levem mentis alienationem, vel vertiginem, vel deliquium animæ patiuntur; curare tamen debent, si sunt ad Sacerdotium ordinati, ut Sacerdotem habeant assistentem, quando periculum est, ne sacrificium perficere possint. De Hermaphrodito autem conveniunt Doctores, quod si in eo prævalet fœmineus sexus, vel uterque sexus censetur æqualis, est irregularis ob rationem superiùs adductam, quia solus sexus virilis est capax ordinationis, talis autem Hermaphroditus non est perfectus vir; si verò sexus virilis prævalet, conveniunt Doctores esse capacem ordinationis, quia est capax characteris, & jam est vir, non fœmina, sed an tunc, sit irregularis, non conveniunt. Aliqui enim dicunt esse irregularem propter deformitatem monstruositatis, quæ licet sensibus non pateat, tamen cogitationi semper occurrit. Ità Navarrus, Sylvester, Antoninus, Sylvius, Fernandez, & alii plures. Alii ex adverso negant esse irregularem, quia mutilatio, seù monstruositas sine culpa, quæ munus altaris non impedit, nec scandalum affert, irregularitatem non inducit; defectus autem hic Hermaphroditi, licet sit vitium corporis, cùm tamen sit occultum, nec altaris ministerium impediat, nec scandalum afferat, cùm sit secretum, non videtur irregularitatem inducere. Ità Toletus, Turrecremata, Hurtado, & Faber ex nostris d. 3. cit. c. 6. quæ sententia sustineri potest, modò talis defectus non sit notorius, tunc enim non posset promoveri propter scandalum.

171 Tertia Irregularitas est ex defectu natalium, undè omnes qui non sunt nati ex legitimo matrimonio vero, vel probabiliter existimato, vel per subsequens matrimonium legitimati, aut à jure, vel ab homine Canonicè, sivè sint naturales, sivè spurii, ipso jure irregulares, sunt. Ità Doctores omnes tam Theologi, quam Canonistæ, & Scotus cit. 4. d. 25. q. 1. Q. Faber disp. 3. cit. c. 5. & Blundus disp. 8. cit. a. 11. & Astesan. lib. 6. tit. 23. & ità expressè habetur in c. 1. & 2. *De filiis Presbyt. non ordin.* & c. *Is, qui de filiis Presbyt.* & aliis illegitimè natis; dicitur autem quis illegitimus, quando non ex legitimo matrimonio, sed ex fornicatione adulterio, aut alio quovis illicito concubitu procreatus est. Ratio autem quarè Ecclesia pro tali defectu hanc irregularitatem instituit, assignatur à Scoto l. c. quia tales illegitimi, ac male nati præsumuntur imitatores paternæ incontinentiæ, & præsumitur etiam malè morigerati, quia malè educati, tùm etiam in detestationem paterni criminis ob infamiam quandam, & turpitudinem, quam indè filius contrahit. Quamvis autè sine eorum culpa tales illegitimi hanc irregularitatem contrahant, hoc tamen mirum esse non debent, quia ut Blund. advertit l. c. non propriè ab Ecclesia imponitur, ut pœna respectu eorum, sed tanquã Canonicum impedimentum ob quandam indecentiam, quam ex vitio naturæ illegitimi contrahunt; defectuosum enim in Altari ministrare non decet, ideoque ab Ecclesia meritò arcetur, & reiicitur à tali ministerio, quod per usum ordinis susceptì exercetur. Tales autem communi jure legitimantur per subsequens matrimonium inter eorum parentes, modò hi tempore conceptionis validè contrahere potuerint; item per dispensationẽ Pontificiam, licet enim Principes sæculares per potestatem tẽporalem civiliter legitimare possint in ordine ad officia sæcularia, & hæreditates obtinendas; illa tamen non sufficit ad irregularitatem tollendam, sicut neque sufficiens est ad eam inducendam,

cùm ejus sit ligare cujus est solvere de reg. juris in 6. possunt tandem legitimari quoque per professionem religiosam, ut communiter DD. docent, quamvis ad dignitates etiam in Religione, v. g. Abbatiam, Prioratum, & similes sine dispensatione promoveri non possint. & Ità Glossa, Panormitanus, & alii illum textum intelligunt in c. ult. *De filiis Presbyt.* ut notat Blundus loc. c.

172 Sed hic duplex occurrit difficultas. Prima est quid dicendum sit, quando est dubium, an quis sit legitimus, debeat ne censeri irregularis? Affirmat Vasq. cum quibusdam aliis; sed negativa sententia communior est, & probabilior, & sequitur ex dictis suprà art. 2. hujus quæst. ubi diximus extrà casum homicidii in dubio juris, vel facti nullum teneri se reputare irregularem, quia extrà illum casum nullo jure exprimitur, quod aliquis sit irregularis. Tùm quia ut diximus disp. 9. q. 3. de Restitutione ex adulterio, filius non tenetur credere matri asserenti eum esse illegitimum, nisi circumstantiæ valdè urgeant, licet enim filius credat matrem suam fuisse adulteram, non ob hoc credere tenetur esse illegitimum, quia cum simul maneat cum marito potuit concipere ex marito æquè, ac ex adultero, & ideò non est censendus irregularis. Ità Avila, Coninch. Caspensis, Diana, Faber. l. c. & alii communiter. Alia difficultas est de expositis, an censendi sint illegitimi? Affirmat Hurtad. cum aliis diffic. 14. ac etiam inclinat Faber l. c. n. 146. ubi approbat sententiam eorum, qui in hoc casu asserunt consulendum esse, ut dispensatio petatur, hoc enim securius est, & maximè cùm facilè sit eam omitere, si enim facilè dispensatur in illegitimitate nota, tantò magis in dubia. Negativa tamen sententia etiam in hoc casu communior est, & probabilior, quam sequitur, & probat Blund. l. c. quia Jus Canonicum, & Civile in multis favet expositis, ut patet ex c. 1. de Infantibus expositis, & in C. eodem titulo. Confir. ex Bulla, quam edidit Greg. XIV. in gratiam Confraternitatis pro expositis, ubi decernitur, ut habeantur pro legitimis, quia quod aliquis exponatur, non est signum sufficiens, quod sit illegitimus, & extrà matrimonium susceptus, nam parentes non semel filios suos ob paupertatem exponunt. Tandem quia qui non probatur malus in jure præsumitur bonus, vel talis præsumi debet, ut notat Scot. in 4. dist. 15. q. 4. §. *De secundo*, & d. 29. § *Hic dicitur*, ex c. un. de scrutinio in ordine faciendo, & de regulis juris in 6. ubi habetur, semper in dubiis præferenda esse benigniora; ergò cum expositi non probentur esse illegitimi, à Jure, sivè ab Ecclesia, pro legitimis habentur.

173 Quarta irregularitas est ex defectu ætatis, & libertatis, in primis etenim defectus legitimæ ætatis ad ordines suscipiendos requisitæ inducit irregularitatem, quamdiù defectus durat secundùm communem Doctorum sententiam ex can. 1. d. 59. & c. ult. de temporibus ordinationum, & ità etiam tenet Fab. l. c. c. 6. n. 176. & alii passim ex Clem. *De ætate & qualitate* Blundus autem l. c. a. 17. censet quod si aliquis absque legitima ætate ordinetur, & non celebret usque ad legitimum tempus, potiùs dici debere suspensum, quàm irregularem, quia sic docet Glossa in Clem. cit. ubi ait, quod si antè legitimam ætatem quis ordinetur, verè suscipit ordines, sed non habet legitimam eorum executionem, donec, legitimam attigerit ætatem, & ipso jure est suspensus. Scot. nullam mentionem facit in 4. d. 25. q. 1. de hac irregularitate ex defectu ætatis, sed solùm q. 2. ejusdem dist. dicit pueris prohibitum esse sacros ordines suscipere, licet minores suscipere possint, ex quo colligi nequit, quod sint irregulares si ad sacros ordines accedant, quia non omnis prohibitio Canonica est irregularitas, siquidem, ut ipse etiam docet 4. d. 13. q. 2. §. *Primò sciendum* etiam peccator publicus, & notorius prohibitionem habet, nec celebret, & tamen irregularis non est, si celebret, licet mortaliter peccet; qua propter ponderanda sunt verba textus in c. cit. an loquantur de irregularitate, vel suspensione.

174 Deindè irregularitas contrahitur etiam ex defectu libertatis. Ità DD. communiter, & Scot. l. c. 4. d. 25. q. 1. sub. E. & habetur expressè ex d. 54. & ex tit. de servis non ordinandis per totum præsertim c. 1. 2. & 5. Ratio autem, cur Ecclesia hanc irregularitatem imposuerit est ista, inquit Doctor, quia servus propriè dictus est possessio domini, & ideò non debet ab eo auferri ipso invito, ac proindè c. cit. statutum est, mancipia non posse ordinari antè manumissionem; at si servus à servitute redimatur, vel à domino libertate donetur, poterit absque ulla alia dispensatione ad ordines promoveri, ut habetur cap. *Servorum*; &c. *Nulli*, &c. *Quicunque* d. 54. & ratio est, quia cessante servitute, ut causa, cessat irregularitas, ut ejus effectus; ad hanc autem libertatem consequendam per ordinationem sufficit, qualiscunque licentia domini etiam tacita, undè si servus ordinetur domino sciente, & non contradicente statim liber evadit, & consequenter immunis ab irregularitate, ità enim expressè habetur c. *Si servus* d. 54. ubi dicitur, quod si servus sciente Domino, & non contradicente in Clericum fuit ordinatus, ex hoc ipso, quod constitutus est liber, ingenuus erit, & consequenter ab irregularitate immunis ex servitute proveniente. Si verò ordinetur Domino inscio, idest, sine ulla licentia, nec tacita, nec expressa, nec de novo ad id consentiente, quamvis aliqui dicant, quod adhuc liber evadit, si sacris initietur; Scot. tamen. l. c. dicit, quod debet domino reddi, qui tamen eum non debet actibus suum ordinem indecentibus applicare, sed actibus suum statum decentibus, idest, actionibus spiritualibus, ut nempè inserviat divinum officium recitando, preces celebrando, & alia hujusmodi faciendo, in his enim actionibus dominus potius lucratur, quam lædatur, ut ait Blundus l. c. a. 12. cùm actiones spirituales sibi sint utiliores corporalibus, & sint majoris valoris. Dicit autem Scot sic ordinatum inscio domino deberi ei reddi, quia licet in prædictis cap. in favorem ordinis tali servo ordinato concedatur ut satisfactione redimi possit; sine tamen tali satisfactione hoc ei jura non concedunt, imò dicunt, quod si Episcopus fraudis conscius illum ordinaverit, tenetur duplum reddere domino; quod si nullus præter ipsum servum sit in culpa, & factus sit presbyter, privandus est peculio, vel ex ministeriis sui officii satisfacere tenetur.

175 Ad hanc tandem irregularitatis speciem reducitur etiam obligatio ad ratiocinia, ut Faber advertit disp. 3. cit. c. 5. n. 137. & constat ex cap. unico *De obligatis ad ratiocinia*, ubi dicitur sic obligatos, quamdiù hæc obligatio durat, esse irregulares; dicuntur autem obligari ad ratiocinia, qui rationem reddere tenentur, ob administrationem rerum temporalium, sivè publicarum, ut sunt Judices, Tabelliones, Thesaurarii, vel Depositarii æris publici, Advocati, Procuratores, & hujusmodi, sivè rerum privatæ personæ, ut Curatores pupillorum, Tutores, & similes personæ, tales enim ad ordines promoveri non possunt, nisi priùs officium illud deponant, & de officio administrato rationem reddant, ut patet ex c. cit. De obligatis ad ratiocinia non ordinandis, undè officio depositò, & reddita administrationis, ratione, sine alia dispensatione cesset irregularitas, & ad ordines promoveri possunt; hoc autem notanter dicitur de administratione rerum temporalium, & sæcularium, quia ob administrationem rerum Ecclesiasticarum non incurritur irregularitas, cùm non sit administratio temporalis, sed spiritualis quodammodo, & Ecclesiastica, ut advertunt Innoc. & Panorm. in cap. cit. & patet ex c. *Ne Clerici vel Monachi*. Imò nec hanc irregularitatem incurrunt administratores rerum piarum, quamvis sæcularium, ut sunt res personarum miserabilium, in quo conveniunt etiam DD. & deducitur ex c. ult. d. 86. & can. 1. dist. 88. quia talis administratio non est aliena à statu Clericali, nec purè sæcularis. Tandem qui deposuit officium, per quod obligabatur ad ratiocinia, & suæ administrationis rationem reddidit, poterit ad ordines promoveri, quamvis adhuc remaneat debitor alicujus summæ pecuniæ absque alia lite, & infamia, quia solutus est ab obligatione ad ratiocinia, quod est illùd, quod ad irregularitatem incurrendam jus canonicum requirit, ut præsertim ex nostris advertunt Faber, & Blund. loc. cit.

176 Quinta irregularitas est ex defectu lenitatis, quæ oritur ex homicidio justè, & contrahitur quando quis directè, vel indirectè morti, vel mutilationi alterius, quamvis modo aliquo licito, & justo cooperatur. Undè conveniunt DD. Judices omnes sententiam sanguinis proferentes (Summo Pontifice excepto, de quo dictum est superius immunem esse ab omni censura, & irregularitate) idest, mortis, aut mutilationis; & omnes ministros justitiæ ad eam cooperantes publica auctoritate, ut accusatorem, testem ferentem testimonium in causa sanguinis, advocatum, seù procuratorem accusatoris, & tabellionem fieri irregulares sententia executioni mandata, ut habetur can. 1. dist. 51. & c. 3. Ne Clerici, vel Monachi, & c. 3. de homic. in 6. Item omnes alios ministros ad executionem sententiæ physicè concurrentes, ut sunt lictores torquentes reum ad extorquendam veritatem, comitantes eum causa securitatis & focum struentes ad comburendum reum, ut ex dict. Can. deducitur, & constat ex commun praxi, & usu. Non tamen irregularitatem incurrunt vendentes, aut donantes ligna ad hæreticum comburendum, gladios, & funes, & alia instrumenta ad interficiendos delinquentes, nec qui furcam erigit, nec famuli, qui à Notario dictata scribunt, qui nullus ex prædictis concurrit ad ista injustè, neque ut minister justitiæ ut advertunt Coninch. Hurtad. Caspensis, & alii passim. Nec etiam irregularitatem incurrit Judex Ecclesiasticus, qui aliquem degradat, & tradit brachio sæculari, maximè præmissa protestatione se non intendere ullam pœnam sanguinis, ut cum pluribus aliis Bonac. docet disp. 4. qu. 3. de irregular. pun. 1. nec etiam Inquisitores fidei tradendo aliquos Judici sæculari comburendos, etiamsi nullam præmittant protestationem, ut constat ex Bulla Pii V. apud eundem Bonac. & in. c. *Novimus* de verb. signif. optimè declaratur, cur hujusmodi Prælati, &

ti, & inquisitores non fiant irregulares, ut notat Faber loc. c. c. 7. n. 208. quia nimirum in tali actione Prælatus non applicat reum foro sæculari, & judicio mortis, quia hoc esset valdè principaliter ad rei mortem cooperari, sed solùm declarat illum esse reum talis criminis, & proindè se illum eiicere à statu clericali, & intimare Judici sæculari, ut eum in suum forum recipiat, qui deindè de ipso judicat secundùm justitiam, & cùm justitia requirat, ut pœna mortis puniatur, eum morti adjudicat. & sic etiam rem declarat Blund. loc. cit. ar. 6. ex Scoto 4. d. 13. q. 2. E. & d. 25. q. 1. B. dum ait Inquisitorem, vel alium Judicem Ecclesiasticum tradere Clericum Curiæ sæculari non esse aliud, quàm ipsum totaliter excludere ab actibus Ecclesiasticis, & tutela, & à foro, & à numero personarum Ecclesiasticarum; hoc autem fieri potest sine ullo irregularitatis periculo, quia terminus hujus actionis non est mors, sed tantùm exclusio à statu Clericali; & ità proportionaliter discurrendum est, dùm laicum tradit curiæ sæculari, non fieri irregularem, quia ipse non profert sententiam sanguinis, nec delegat jurisdictionem, sed solùm permittit Judici sæculari, ut in talem personam manum mittat, suppositi delicti declaratione. Alia plura ad hoc spectantia de Judice, de Accusatore, de Teste, & aliis justitiæ ministris apud eundem Blundum videri possunt.

177 Ad hanc irregularitatis speciem reducitur etiam irregularitas contracta ex bello justo aggressivo, ut diximus art. præc. n. 163. tam enim Clerici, quam Laici propriis manibus pugnantes in bello justo aggressivo, & occidentes, vel mutilantes inimicos, irregulares fiunt, non tamen ex delicto, sicut pugnantes in bello injusto, sed tantum ex defectu lenitatis, sivè mansuetudinis, ut ibi dicebamus, sicut enim qui justè contrà aliquem profert sententiam sanguinis, secuto effectu irregularitatem incurrit, ut modò dictum est, ità qui militat in bello justo aggressivo, si occidat, vel mutilet, & patet ex. c. *Si quis viduam* & ex c. *Aliquantos*, d. 50. & ex c. *Petitio tua*, de homid. Non tamen fit irregularis ille, qui in bello justo hostem invadentem occidit ad propriæ vitæ defensionem, ut art. præced. dictum est, neque qui hostem muros Urbis oppugnantem in sui, suorumque defensionem occidit, aut qui hortatur milites ad fortiter pugnandum, hostemque repellendum. Notanter autem dictum est, tam Clericos, quàm Laicos pugnantes in bello justo aggressivo propriis manibus, & occidentes, vel mutilantes inimicos fieri irregulares; quia si propriis manibus non occidant, vel mutilent, non fiunt irregulares, etiam si alii occidant, vel mutilent, ut docent Navarr. Covar. Sylvester, Emmanuel Sà, Majolus, Blund. loc. cit. & alii DD. passim ex c. cit. *Petitio tua*. & ratio est, quia tales militantes, cùm non occidant, nec mutilent, nec ad alterius occisionem proximè concurrere censeantur, consequenter etiam nec videtur irregularitatem incurrere latam contrà homicidas, & enormiter mutilantes. Addit tamen Blund. loc. cit. Clericos in tali bello pugnantes, si sint in sacris, vel beneficiati, licet non occidant, vel mutilent, peccare tamen mortaliter, quia non possunt Clerici in tali bello, quamvis justo, licitè pugnare, cùm eis omninò ab Ecclesia prohibeatur propriis manibus pugnare, ut habetur in c. *Eos qui* 20. q. 3. & in cap. *Quicunque* & in c. Clerici 23. q. 8. eo quia non decet eos, qui se militiæ spirituali tradiderunt, arma, vel negotia sæcularia tractare; quarè sic pugnando mortaliter peccant, cùm faciant contrà prohibitionem Ecclesiæ, & ità docent Doctores communiter; quarè si Pontifex Clericis concedat, ut in aliquo bello justo propriis pugnent manibus, tunc si occidant, vel mutilent, irregulari tatem non incurrunt, nec mortaliter peccant.

178 Sexta irregularitas est ex bigamia, seu ex defectu Sacramenti, qui in bigamia reperitur. Ità DD. omnes, & Scot. 4. d. 25. quæst. 1. E. & d. 33. quæst. 2. & habetur expresè ex c. 1. 2. & 4. de Bigamis non ordinandis; rationem verò congruentiæ, quarè Bigamus ab Ecclesia arceatur, ne ordinetur in sacris, vel saltem in sacerdotem, assignat Doctor loc. cit. 4. d. 33. quæst. 2. B. ex. D. August. & Ambros. defectum sacramenti, seù signi ad signatum, ut habetur d. 26. cap. *Acutius* &c. *Una*, sacerdos enim tanquam Christi Vicarius in Ecclesia repræsentans personam Christi non debet habere aliquid repugnans Christo in comparatione ejusdem Christi ad Ecclesiam, & Ecclesiæ ad Christum; sed Christus est unicus sponsus unius Ecclesiæ, & Ecclesia est unica sponsa unius Christi sponsi; ergò habens oppositum hujus non rectè significat, vel repræsentat Christum in Ecclesia; sed Bigamus qui habuit duas uxores, vel unam, quæ fuit duorum, habet aliquid repugnans isti conjunctioni Christi, & Ecclesiæ, ergò propter hoc Sacramenti, ideſt, significationis defectus Bigamus congruenter arcetur ab ordinibus, præsertim à sacerdotio; Causa verò necessitatis, ob quàm bigamia inducit irregularitatem, vario modo à Doctoribus assignatur, quos omnes refert, & reiicit Doctor loc. cit. art. 2. ubi tandem concludit, quod causa hujusmodi irregularitatis non est, nisi ex statuto Ecclesiæ, quod quidem statutum habet pro fundamento defectum Sacramenti, ideſt significationis in bigamo jam explicatum. Quandò igitur qui s pluries matrimonium contraxit, quamvis id licitè fiat, tale nihilominus matrimonium pluries iteratum non habet perfectionem omnimodam quantum ad Sacramenti significationem, quia perfectè significare non potest unionem Christi cum Ecclesia, quando unus, vel una cum pluribus successivè contraxit, quamvis licitè, & ideò hæc irregularitas est solùm ex defectu, non ex delicto.

179 Triplex autem bigamia ex diversis juribus deducta assignatur à Doctoribus in ordine ad inducendum hunc irregularitatis defectum, vera, interpretativa, & similitudinaria. Vera bigamia est cùm quis validè matrimonium contraxit cum duabus, sivè antè, sivè post baptismum ex cap. 1. & 2. de bigamis; interpretativa, ob quam similiter irregularitas conrrahitur, contingit præsertim, quando quis viduam in matrimonium duxit ex Can. *Si quis viduam* dist. 50. similitudinaria tandem, ut loquuntur DD. est quando quis post votum solemne castitatis matrimonium contrahit etiam obtenta dispensatione ex can. *Quotquot* 27. q. 1. dicitur autem similitudinaria, quia assimilatur veræ, quæ contrahitur ob duplex matrimonium, quia per votum solemne castitatis quodammodo contrahitur matrimonium spirituale cum Deo. Notanter autem diximus bigamiam interpretativam contingere præsertim, quando quis viduam in matrimonium duxit, quia licet hic sit modus præcipuus, & magis frequens, quo contingere solet; aliis tamen etiam modis contingere potest, quibus similiter incurritur irregularitas ut videre est apud Bonacin. Hurt. Caspensem, & alios passim. Non sufficiunt autem ad hanc bigamiam contrahendam sponsalia cum pluribus contracta, etiam secuta copula, nec fornicatio, vel adulterium, vel matrimonium ratum cum pluribus, sed requiritur matrimonium verum, vel saltem præsumptum cum duabus, & consumatum; diximus *vel saltem præsumptum*, quia licet quandoque secundum matrimonium sit nullum, juris tamen interpretatione præsumitur bigamia, licet impropriè dicta. Movet autem dubium Scot. loc. cit. C. quarè bigamia antè baptismum contracta inducat irregularitatem, non autem homicidium, sed deformitas homicidii per baptismum tollatur, non autem bigamiæ, cùm tamen bigamia quid minus malum videatur, quàm homicidium. Et respondet causam non esse, nisi statutum Ecclesiæ volentis istam pœnam remitti per baptismum, & non illam, & ait istam Ecclesiæ ordinationem esse rationabilem ex hoc, quod homicida non est inhabilis ad ordines, nisi ob horrorem sanguinis effusi, ut suprà dictum est, iste autem horror tollitur in baptismo, quia præsupponitur, quod de lupo factus sit agnus, sicut, & Paulus antè baptismum persecutor post baptismum factus est ovis, & pastor. Cùm igitur in baptismo cesset causa illius inhabilitatis, debet cessare etiam effectus; sed causa inhabilitatis in bigamo ad ordines non cessat in baptismo, quia semper remanet defectus Sacramenti, ideſt, significationis, quæ requiritur in Saceedote repræsentante personam Christi in ordine ad Ecclesiam, ideò nec ibi tollitur effectus, nisi posteà per specialem dispensationem. Ità discurrit Scotus loc. cit. alia plura de hac irregularitate ex Bigamia, & variis modis eam contrahendi videri possunt apud Astesanum l. 6. tit. 7. Fabrum disp. 3. cit. cap. 8. & Blund. loc. cit. art. 18.

180 Septima tandem irregularitas assignari solet ex defectu bonæ famæ, quando nimirum quis aliquam contraxit infamiam, sivè ea sit juris, qua ratione circulatores, histriones, mimi, comædi, & alii artes ejusmodi, vel officia exercentes censentur infames jure tam civili, quàm Ecclesiastico, sivè infamia sit facti, ut quando quis infamiam contraxit crimine aliquo notorio, & scandalo, ut proditione, sacrilegio, & aliis similibus criminibus, quæ degradatione, vel depositione sunt digna. Ità hanc irregularitatem explicat Tolet. l. 1. c. 57. cum pluribus aliis, quæ omnia clarè deducuntur ex c. *Infames* 16. q. 1. Alii verò hanc irregularitatem ex infamia contractam connumerant inter species irregularitatum ex delicto contractarum, ut Bonac. disp. 7. de irregularitate quæst. 3. pun. 1. cum pluribus aliis. Quarè ad confusionem evitandam distinguendum est de irregularitate contracta ex infamia cum culpa, vel sine culpa contrahentis; irregularitas primo modo contracta ex infamia connumerari debet inter species irregularitatem ex delicto contractarum, ut nos fecimus suprà art. 3. n. 153. hæc enim incurritur, ut ibi dictum est, ex delictis infamibus, seù infamiam ducentibus in delinquente; irregularitas verò contracta ex infamia secundo modo, scilicet, sine culpa connumerari debet inter irregularitates ex defectu contractas, & talis est, quæ contrahitur ex exercitio artium, vel officiorum ex jure infamium, vel alio modo sine culpa, quales sunt histriones, mimi, comædi, & alii qui ex officio publicè tali officium exercent, & filii publicæ meretri-

cis, quamvis esset conjugata, aut ex quacunque alia causa proveniant sine culpa contrahentis, & de tali irregularitate ex defectu bonæ famæ est sermo in præsenti. Præterea docent etiam Doctores antiquiores ob pœnitentiam solemnem incurri irregularitatem, ut constat ex can. *Placuit* & ex c. *Quicunque d.* 50. & ex Cap. *Pœnitentes* d. 55. de qua irregularitate agit Astesanus lib. 6. cit. tit. 17. quia tamen pœnitentia hæc non amplius est in usu, ideò irregularitas hæc jam non habet locum, ut notavit Hurtad. diffic. 19. Denique aliæ quædam irregularitates à quibusdam afferri solent, quæ communiter reiiciuntur ut potè nullum habentes in jure fundamentum, ut ostendit Bonac. disp. 7. cit. pun. 7. §. un.

ARTICULUS SEXTUS.

Quomodo tolatur irregularitas, & quis ea dispensare possit.

181 PRimò quoad primam quæsiti partem, conveniunt Doctores quatuor modis irregularitatem tolli posse, nimirum susceptione baptismi, professione religiosa, ablatione, seù remotione causæ, & dispensatione legitima. Per baptismum itaque tollitur quævis irregularitas ex delicto proveniens, vel magis propriè loquendo per baptismum fit, ut baptizatus nullam incurrat irregularitatem ratione delictorum, quæ antè baptismum commisit; siquidem in rigore loquendo per baptismum nulla tollitur irregularitas, quia antè baptismum nulla incurritur, cùm sit impedimentum Ecclesiasticum, quod nondùm baptizatos non officit, cùm non sint Ecclesiæ subjecti, quamvis ante baptismum sint defectus, & committantur crimina, ob quæ fertur irregularitas contrà baptizatos, ut satis suprà declaratum est art. 1. hujus q. n. 132. & 133. per nulla igitur peccata antè baptismum commissa fit quis irregularis baptismum recipiens, quarè nec homicidium antè baptismum commissum, neque sententia sanguinis secuta morte data antè baptismum facit hominem irregularem, si baptismum recipiat, quia talis irregularitas in jure non habetur. E contrà verò per baptismum non tollitur irregularitas, quæ oritur ex defectu, si post baptismum idem defectus remaneat, ut de bigamia dictum est artic. præced. enim 179. quarè autem bigamia antè baptismum contracta irregularitatem inducat, non autem homicidium, & homicidii deformitas per baptismum tollatur, itaut homicida baptizatus nullam irregularitatem incurrat. non autem deformitas bigamiæ, quæ minor est, quàm homicidii; jam ibi declaratum est ex Scoto 4. d. 33. q. 2. lit. C. Deindè per professionem religiosam tollitur irregularitas ex defectu natalium proveniens, seù ex illegitimatione quoad Ordines, licet non quoad prælaturas ex c. 1. de filiis Presbit. dictum est art. præced. n. 171. Rursus aufertur etiam irregularitas ex defectu proveniens sublata causa, ob quam fuerat inducta, ut v. g. irregularita ex defectu ætatis proveniens tollitur per adventum legitimæ ætatis, & sic de aliis, quæ feruntur pro tali tempore, pro quo durat talis casu, ut notat Bonacina qu. 5. cit. punc. 2 Demum tollitur irregularitas per legitimam dispensationem, non verò per absolutionem, cùm non sit censura, ut ait Blundus loc. cit. art. 20. & forma dispensationis est hæc: *Dispenso te in irregularitate, quam, vel quas ob hanc, vel illam causam incurristi*, & quidem si dispensans intendat tollere omnes, id que possit, omnes tollit, sin minus, eam tantùm tollit, quam potest, & vult.

182 Secundò quoad alteram quæsiti partem, potestas dispensandi in irregularitate est solùm Ecclesiastica, sicut enim per solam Ecclesiasticam potestatem irregularitas imponi potest; ità per eandem duntaxat potestatem potest in ea dispensari, quia potestas ferendi leges, & in eis dispensandi ejusdem sunt ordinis; hæc potestas jure divino universalis, & suprema in solo residet Summo Pontifice, quia ipse solus ligandi, atque solvendi potestatem immediatè habet à Christo; tùm etiam quia ex supradictis omnis irregularitas est de jure positivo Ecclesiastico, in quo jure universaliter Papa dispensare potest, ut ex ejus suprema potestate constat, & ex cap. *Sunt quidam* dist. 25. & ex cap. *Significasti* de electione. Ità Doctores communiter, quia etiam docent nullum Episcopum in jure ordinario dispensare posse in irregularitate secundùm se, seù generaliter sumpta, sed solùm in ea, quæ ei conceditur, ut constat ex cap. *At si Clerici* de judiciis, & ex cap. *Cum illorum de sent. excom.* Episcopis autem in Conc. Trid. sess. 24. cap. 6. *de Reformat.* conceditur, ut dispensare possint omnibus irregularitatibus ex delicto occulto provenientibus excepta ea, quæ oritur ex homicidio voluntaria, ac etiam iis, quæ ad forum contentiosum pervenerunt, cum suis subditis, & in sua Diœcesi, undè licet jure ordinario dispensare nequeant in irregularitate, quia inferior in lege Superioris dispensare non potest; nihilominus ex dicto privilegio dispensare possunt in præfatis casibus. Dicitur autem hoc facere posse cum suis subditis, quia cum extraneis dispensare non potest, sicut neque potest Archiepiscopus dispensare cum extraneis, vel cum subditis Episcoporum suffraganeorum, præterquam in actu appellationis, vel visitationis Provinciæ, quia hæc auctoritas non conceditur Archiepiscopo, ut Archiepiscopus est, sed ut Episcopus, ut Bonacina notat q. 5. cit. punc. 1. cum Suarez, & aliis. Hoc tamen privilegium à Tridentino loc. cit. Episcopis concessum, ut communiter Doctores docent, intelligitur tantùm in eis Regionibus, ubi acceptatum est, nam ubi non est acceptatum, quoad leges onerosas, supponitur neque acceptatum esse quoad favorabiles, ut declaravit S. Concil. Congreg. quia par habet esse conditio favorum, & onerum *de Reg. Juris* in 6.

183 Tertio, quando Conc. Trid. loc. cit. concedit Episcopis dispensare posse cum suis subditis in irregularitatibus provenientibus ex delictis occultis, nomine occulti delicti in dicto decreto, ut notat Hurtad. diffic. 20. ex Avila, Henriquez, & aliis, intelligitur id, quod distinguitur à publico, ac proindè occultum dicitur, quod quamvis per testes probari possit, non tamen est publicum, quia nec est notorium, nec manifestum, nec famosum. & ratio est, quia quando non est publicum, cessat scandalum, quod Tridentinum dicta limitatione evitare intendit; notorium autem dicitur, ut ibidem ait Hurtad. quod est notum, aut confessione rei in judicio, aut sententia Judicis lata, aut evidentia facti, qua nimirum evidens est majori parti viciniæ, vel Communitatis, in qua decem ad minus habitant; manifestum verò dicitur, de quo est fama in majori parte viciniæ, vel Communitatis à scientibus orta, & deducta; famosum tandem dicitur, quando est fama in majori parte Communitatis, non tamen ex certa scientia, sed ex indiciis, & præsumptionibus. Quarè in præsenti in hujusmodi dispensationibus non sumitur occultum, ut aliàs sumi solet, pro eo, scilicet, quod non est probabile in judicio; sed sumitur pro eo, quod non est publicum in jure modo jam explicato; quod valdè advertendum est, ne quis decipiatur in modo explicandi occultum in dispensatione irregularitatis, vel suspensionis ex delicto occulto, ut notat Caspensis disp. 5. sect. 17. Itaque Episcopus dispensare non potest in irregularitate, quando delictum est publicum, vel notorium, sed solùm potest, quando delictum non est publicum, vel notorium, ut quando est notum tribus, vel quatuor tantùm, nec est fama in majori parte viciniæ vel Collegii de illo delicto, ut etiam Bonacina notavit loc. cit. cum pluribus aliis; exempli gratia, si quis majori excommunicatione ligatus publicè celebret, sed illius excommunicatio sit ignota adstantibus, & sic irregularitatem contrahat, poterit Episcopus in illa dispensare, quia licet celebratio sit publica, delictum tamen non est publicum, ut explicat Bonacina ibidem.

184 Quartò, quando in dicto decreto Tridintini excipitur irregularitas ex homicidio voluntario proveniens, & ex quocunque delicto ad forum contentiosum deducto, per illud homicidium intelligitur homicidium injustum directè, & ex proposito voluntarium, ut idem Hurtad. advertit loc. cit. undè dispensare potest Episcopus in irregularitate ex homicidio occulto casuali contracta, ut Blundus etiam asserit loc. c. Est tamen aliqua difficultas de irregularitate ex homicidio, quod quis committit vim vi repellendo, ut se à morte defendat, & non est sermo de homicidio, quod quis committit ob inevitabilem necessitatem defendendi se à morte, quia talis ex supradictis in tali defensione non peccat, nec irregularitatem incurrit ex Clement. *si furiosus*, sed sermo est de homicidio commisso ab eo, qui se defendendo moderamen excessit inculpatæ tutelæ, & quamvis aliqui negent posse Episcopum in tali irregularitate dispensare, Blundus tamen loc. cit. affirmat cum Aragonio, Salonio, Vivaldo, Henriquez, Coninch. Sairo, Rodriquez, & pluribus aliis, quorum ratio est, quia hæc irregularitas non est de numero earum, quæ non possunt dispensari, nisi à Papa, ut notant communiter Doctores ex Tridentino loc. cit. Quando etiam in dicto decreto excipitur irregularitas contracta ex quocunque delicto ad forum contentiosum deducto, nomine talis irregularitatis intelligitur illa, super qua, aut super cujus delicto trahitur quis ad tribunal, quousque ab instantia absolvatur, undè in delicto ad forum contentiosum deducto Episcopus dispensare non potest, quando delinquens de aliquo delicto accusatus fuit, ut nondùm in judicio se purgavit, nec definitivè liberatus fuit, aut ab instantia; sed tantùm quando delinquens post accusationem se purgavit; aut quando defectu probationis absolutus fuit, tunc enim Episcopus cum eo dispensare potest, & docet Bonacina loc. cit. cum Henriquez, Rodriquez, Molina, Sairo, Suarez, Filliucio, Avila, Sanchez, & pluribus aliis, quorum ratio est, quia in tali casu cessat ratio deductionis ad forum contentiosum, perindè enim est, ac si delictum non fuisset ad illud reductum, cùm accusatus ad suum præstinum sta-

tum

tum reducatur antè accusationem. Confirmatur, quia verba accipienda sunt cum effectu cap. *Relatum* de clerico non residente; ergò quando Concilium in prædicto decreto in privilegio Episcoporum excipit crimen ad forum contentiosum deductum, intelligendum est cum effectu, idest, modò deductio ad forum sortita sit effectum.

185 Quintò est difficultas, an Episcopus finito, & completo judicio dispensare possit in irregularitate proveniente ex delicto ad forum contentiosum deducto, postquam delinquens convictus fuit condemnatus, & jam punitus. Affirmant Sanchez, Avila, Hurtad. loc. cit. & plures alii, quorum ratio est, quia Tridentinum denegat Episcopis facultatem dispensandi in delictis non occultis, & deductis ad forum contentiosum, ne minuatur, & perturbetur tribunal, & auctoritas Judicum; sed Episcopus dispensando cum reo jam convicto in judicio, ac etiam punito non diminuit auctoritatem, nec turbat tribunal Judicum, quod vitare intendit Trident. cùm jam perfectum sit judicium; ergo potest Episcopus cum eo dispensare. Negat Bonacina loc. cit. cum Suarez, Rodriquez, Sanchez, Henriquez, Reginaldo, & pluribus aliis, quorum ratio est, quia Concil. Trid. loc. cit. concedit Episcopis facultatem dispensandi in irregularitate ex delicto occulto proveniente, aut non deducto ad forum contentiosum; in casu autem proposito delictum deductum est ad forum contentiosum, nec est occultum, sed est omninò publicum, nam quæ probantur in judicio appellantur publica, & hæc opinio probabilior videtur, & ex ejus fundamento allato facilè solvitur adductum pro opposita sententia; cùm enim Concilium absolutè loquatur, & sine ulla distinctione, consequenter neque nos distinguere debemus, sed juxtà modum loquendi Concilii absolutè asserendum est, Episcopum non posse dispensare in irregularitate ex hujusmodi delicto proveniente, cùm delictum non sit amplius occultum in casu proposito, sed publicum omninò, & ad forum contentiosum deductum, & ibi omninò probatum, & condemnatum.

186 Sextò est difficultas. An Episcopus in casu homicidii voluntarii justi occulti dispensare possit, ut homicida promoveri possit saltem ad ordines minores, & beneficium simplex. Affirmant Garzias, Medina, Rodriquez, Emanuel Sa, Toletus, & alii, quorum ratio est, quia antè Concilium poterat hoc Episcopus, ut habetur cap. de filiis Presbyt. in 6. ergò etiam post, cùm tale privilegium non sit per Concilium sublatum. Negant Navarrus, Sayrus, Suarez, Bonacina, Blundus ex nostris loc. cit. art. 4. & alii communiter, quorum ratio est, quia Concil. Trident. dat facultatem Episcopis dispensandi in irregularitatibus provenientibus ex delictis occultis, excepta irregularitate proveniente ex homicidio voluntario etiam occulto, & absolutè dicit non posse Episcopum dispensare in homicidio voluntario etiam occulto; ergò aufert, quod jus antiquum Episcopis concedebat, & hic dicendi modus probabilior videtur, & conformior modo loquendi Concilii. Potest tamen Episcopus dispensare in irregularitate proveniente ex mutilatione occulta, quamvis ex industria facta, quia mutilatio, est distincta ab homicidio, & ità determinavit Sac. Cardinalium Concilii Congregatio, ut referunt Caspensis, Hurtado, Blundus loc. cit. & alii communiter. Nec obstat Clement. 1. de Homicidio, quia ille tantùm procedit quoad incurrendam irregularitatem, in hoc enim homicidium, & mutilatio æquiparantur, nam ex utrisque contrahitur, quando mutilatio est enormis; non autem quoad dispensationem ex eadem Sac. Concilii Congreg. Et hic observandum est, quicquid concessum est Episcopis quoad dispensationem irregularitatum, intelligi etiam concessum Prælatis Religionum virtute indulti Apostolici, sivè suorum privilegiorum respectu suorum subditorum, ut communiter Doctores advertunt. & ratio est, quia Religionum prælati in suos subditos habent jurisdictionem quasi Episcopalem; undè consequenter asserit Blundus noster loc. cit. art. ult. posse etiam suos subditos absolvere percutientes Clericos sæculares ab excommunicatione, quam incurrunt, si percussio non sit enormis, & sit occulta, in foro conscientiæ, ac etiam dispensare in irregularitate, quam contrahunt, si in ea excommunicatione celebrent, dummodò sit etiam occulta, quod probat ex privilegio fratribus minoribus concesso à Clemente Quarto const. 4. & à Bonifacio Nono, & Eugenio Quarto; cui privilegio ait non esse derogatum, quod appareat, imò addit aliquos hoc privilegium extendere etiam ad percussionem enormiter, modò sit occulta, quia quando est publica, soli Pontifici reservatur.

187 Septimo est difficultas. An Episcopus dispensare possit in irregularitate orta ex hæresi occulta. Hæc enim facultas eis concessa videtur ex Concil. Trid. loc. cit. ibi enim conceditur facultas Episcopis dispensandi in irregularitatibus ex delicto occulto provenientibus, & idem in hæresis crimine posse per se ipsos, non per Vicarium. & ità sentiunt Ugolinus, Sanchez, & quidam alii. Communis tamen opinio asserit solum Pontificem dispensare posse in irregularitate ob hæresim contracta, etiamsi hæresis sit occulta, quia, ut notat Faber disp. 3. cit. cap. 4. n. 126. hæc concessio revocata est per Bullam in Cœna Domini, in qua hoc tempore Pontifici reservatur potestas absolvendi à censura, & à culpa hæresis; undè consequenter est illi quoque reservata multò magis dispensatio irregularitatis indè provenientis, vim enim prohibetur majus, intelligitur quoque prohiberi minus, argumento ca. *Cùm illorum de sentent. excom.* ubi habetur Episcopos in eis casibus dispensare non posse, in quibus est illis prohibita absolutio, nam majora illis intelliguntur prohibita, quibus prohibita sunt minora, cùm ergo per Bullam Cœnæ revocata sit potestas absolvendi, consequenter intelligitur quoque revocata potestas dispensandi; atque ideò cum Episcopis prohibita sit absolutio hæresis, prohibita quoque censetur dispensatio irregularitatis ex hæresi provenientis. Ità Suar. Toletus, Filliucius, Bonac. & alii communiter, quapropter Faber loc. cit. ait hanc esse communem opinionem, quod solus Papa in hac irregularitate dispensare possit.

188 Postremò conveniunt Doctores in irregularitatibus ex defectu provenientibus solum Pontificem dispensare posse, non autem Episcopum, nisi in aliquo casu particulari sit ei concessa facultas, ut patebit discurrendo per singulas, etenim in irregularitate ex defectu ætatis solus Papa dispensare potest ex cap. *Nullus de temp. ordin. in 6.* & Gloss. Clement. *generalem* de ætate, & qualit. In irregularitate ex defectu corporis solus Papa dispensare potest, sivè sit ex deformitate, sivè sit ex infirmitate, ut patet ex capitulo *Significasti* de Corpore vitiatis, Episcopus verò indicare potest an defectus, vel deformitas irregularitatem judicat ex cap. 2. *de corp. vitiat.* In irregularitate ex defectu animæ etiam solus Papa dispensare potest, ut patet de Neophito apud Toletum, Suarez, & alios; certum est Episcopum non posse dispensare circa omninò illiteratum ex cap. *Nullus de temp. ordinand. in 6.* & ex decretis Concil. Trident. adductis, ut notat Faber loc. cit. cap. 6. n. 165. In irregularitate ex defectu bonæ famæ idem pariter dicendum est, quia solus Papa potest omnem infamiam juris, etiam civilis tollere à quocunque Clerico, & etiam à laico sibi subjecto, ac etiam non subjecto, si ejus ministerio indiget, ut notant Innocent. Panormit. & Hostiens. cap. *Cum te de sent. & re judic.* In irregularitate ex defectu natalium solus Papa cum illigitimo dispensare potest ad Ordines majores, ad dignitates, & beneficium curatum ex. c. 1. *De filiis Præsb. in 6.* Episcopus verò solùm ad Ordines minores, & beneficium simplex ex eod. cap. Nec etiam potest Episcopus dispensare in irregularitate ex defectu lenitatis proveniente, quia ut Bonacina advertit q. 4. punc. ult. Episcopus dispensare non potest in irregularitate, quam Judex causam sanguinis exercens contraxit mandando homicidium, vel mutilationem juxta leges, & gravitatem delictorum, quia Trident. concedit Episcopis facultatem dispensandi in irregularitate proveniente ex delicto occulto, excepto homicidio, voluntario; sed prædicta irregularitas non provenit ex delicto, sed ex homicidio justo volito; ergò nequit Episcopus in ea dispensare; qua ratione nec dispensare potest in irregularitate, quam miles incurrit pugnando in bello justo adversarium occidendo, quia Episcopus ex privilegio Tridentini potest solum dispensare in irregularitate proveniente ex delicto homicidii non voluntarii, ut idem Bonac. notat ibid.

189 Circà dispensationem super irregularitatem ex Bigamia contractam est difficultas, ut ait Scotus 4. dist. 33. q. 2. art. 2. nam neque Papa super illam dispensare posse videtur, quia cap. *Super eo* de bigamis dicitur *Quod cum Bigamis contrà Apostolum dispensare non licet, ut debeant ad sacros Ordines promoveri*, quibus verbis innuitur non licere Pontifici in hac irregularitate dispensare, quia bigamia est de jure divino, cùm Apostolus dicat Episcopum esse debere unius uxoris virum 1. ad Timot. 3. non potest autem Pontifex dispensare in jure divino. Certum tamen est Pontificem in hac irregularitate dispensare posse, ut docet Scotus loc. cit. & est communis DD. sententia, cum enim omnis irregularitas sit de jure canonico, certum est Papam super hanc etiam dispensare posse, quod etiam probat Doctor ex cap. *lector cap.* 33. & ex Glossa ibidem; & quando Apostolus fecit hoc præceptum, fecit illud tanquam Episcopus particularis, & non promulgavit illud, tanquam à Deo conditum, ut advertunt Valentia, Henriquez, Sayrus, Filliucius, Bonaci. l. c. & alii passim, Summus, autem Pontifex dispensare potest in legibus latis ab Episcopis, ac etiam ab ipsis Apostolis, tanquam Episcopis, neque in allato cap. dicitur, quod Papa cum bigamis dispensare non possit. Sed quod non licet; dicitur autem non licere, ut Scotus declarat lo. c. non quia omninò non liceat, sed solum quod pro urgenti necessitate talis dispensatio licet, &

non aliter. Itaque in bigamia vera, quando, scilicet, quis duas virgines in matrimonium successivè, vel viduam duxerat, & cum eis illud consummaverat, dicendum est solum Papam dispensare posse, non Episcopum, etenim Sixtus V. super hoc interrogatus respondit ex sententia S. Congreg. super Conc. non posse, & Episcopum sic promoventem, & Bigamum sic promotum aliquas censuras incurrere, nam Episcopus manet suspensus à collatione Ordinum, promotus verò suspensus manet ab executione Ordinum suceptorum, & beneficio privatus, ac insuper obligatus ad restitutionem fructuum, cùm non faciat illos suos. Ità Toletus l. 1. c. 31. Blundus noster loc. cit. Caspensis, Fernandez, Bonac. & est communis recentiorum sententia.

190 De bigamia verò interpretativa est aliqua difficultas. Aliqui enim censent Episcopum dispensare posse, quando est occulta, & oritur ex delicto etiam alieno, quam contrahit is, qui cognovit uxorem, postquam cum alio adulterium commisit. Alii verò tutiùs, & probabiliùs negant Episcopum dispensare posse ad ordines præsertim majores cum bigamo, sivè vero, sivè interpretativo. Ità Hostiensis, Præpositus, & Panormitanus, & plures alii, quod satis probatur ex cap. *Super eo* & cap. *Nuper* de bigamis. Imò Bonacina q. 2. cit. punct. 5. id etiam affirmant quoad ordine minores, vel ad primam Tonsuram, vel ad beneficium etiam simplex, quod aiz colligi ex Trid. sess. 23. cap. 17. ad finem. In bigamia tandem similitudinaria Episcopum dispensare posse etiam quoad ascensum ad sacros ordines affirmant omnes ex cap. *Sane* de Clericis conjugatis, & cap. 1. Qui Clerici, vel voventes; & pariter affirmant Prælatos Regulares cum suis subditis in eadem bigamia dispensare posse, tam ad sacros ordines suscipiendos, quàm ad utendum anteà receptis. Ità Bonacina loc. cit. Suarez disp. 59. sect. 3. Caspensis disp. 5. sec. 14. & alii passim. & hæc de Censuris dicta sufficiant ad explicandam nostri Doctoris mentem in materia adeò gravi, & necessaria.

DISPUTATIO XIV.

DE PRÆCEPTIS PARTICULARIBUS CERTO HOMINUM STATUI PROPRIIS.



ACTENVS egimus de præceptis divinis, & Ecclesiasticis, ac etiam de pœnis quibuscunq; fidelibus communibus, nunc agendum est de præceptis particularibus certo hominum statui propriis, sicut enim fideles omnes præcepta Decalogi, & Ecclesiæ omnibus communia sub peccato mortali scire tenentur, itaut eorum ignorantia vincibilis, etiamsi transgressio non sequatur, sit peccatum mortale; ità etiam quædam particularia præcepta, quæ ad quorundam statum, & officium pertinent, ipsi quoque scire tenentur, de quibus modò breviter agendum est.

QUÆSTIO PRIMA.

De Statu Religioso.

2 JAm suprà diximus disp. 11. q. 2. art. 1. Religionis nomen dupliciter accipi posse; primò ut significat virtutem illam inter morales præcipuam, qua ab hominibus Deo debitus cultus, & honor exhibetur, quo sensu ibi de Religione tractavimus; secundò ut significat statum, & vitæ conditionem multorum fidelium speciali modo, & regula Deum colentium, in quo sensu de Religione nunc agere intendimus, & explicare, in quo consistat status Religionis hoc modo sumptæ, & ad quæ Religiosus ex vi suæ professionis obligetur.

ARTICULUS PRIMUS.

Quæ sit natura, & essentia status Religiosi.

3 PRimò conveniunt Doctores, quod licet Religiosus dici possit quicunque sanctè, ac piè Deum colens, eo quod Religio virtus sit, qua Deo cultus debitus exhibetur; per antonomasiam tamen quandam Religiosi in Ecclesia nominari consueverunt illi, qui peculiari vitæ instituto, & nominatim tribus votis Obedientiæ, Castitatis, & Paupertatis, se totos divino cultui addixerunt, & omninò se Deo tradiderunt, per obedientiam quidem quoad animum, per Castitatem verò quoad corpus, & per paupertatem quoad bona externa; undè status Religionis ità definiri solet ex D. Th. 2. 2. qu. 108. art. 2. quod est quidam modus vivendi totum hominem divino cultui applicans sub aliqua regula eum abducendo à curis sæculi retardantibus à perfecta charitate, & unione cum Deo, vel ut alii clarius, & distinctius loquuntur, *est plurium fidelium ad divinæ charitatis perfectionem tendentium editis votis perpetuæ paupertatis, castitatis, & obedientiæ, stabilis in communi vivendi modus ab Ecclesia approbatus.* Dicitur *plurium fidelium*, quia ad statum, atque Ordinem Religiosum requiritur, ut sit Sacra quædam Congregatio, seù Communitas; dicitur *ad divinæ charitatis perfectionem tendentium*, quia status Religionis est disciplina quædam, qua aliquibus exercitiis ad perfectionem devenitur, undè sequitur statum Religiosum esse perfectionis, non quidem in eo sensu, quod omnes perfecti esse debeant, cùm quidam eorum sint incipientes, quidam proficientes, undè Scotus 3. disputat. 18. quæstion. unic. distinguens statum perfectionis inquit, quod quædam persona est in statu perfectionis exercendæ, ut Prælatus, quædam verò in statu perfectionis acquirendæ, ut simplex Religiosus; sed in eo tantum sensu, quod omnes ad Christianam perfectionem, unionemque cum Deo, tanquam propositum sibi finem ex status sui obligatione tendant, ut docet D. Thomas loc. cit. Dicitur *editis votis perpetuæ paupertatis, castitatis, & obedientiæ* quia tria sunt præcipua hujus perfectionis consequendæ impedimenta teste Joan. epist. 1. capit. 1. *omne quod est in mundo concupiscentia carnis est, & concupiscentia oculorum, & superbia vitæ*, ab his autem impedimentis liberatur homo per voluntariam paupertatem, castitatem, & obedientiam; de paupertate enim dicitur Matth. 19. *Si vis perfectus esse, vade, & vende omnia, quæ habes, & da pauperibus;* & de obedientia subditur ibidem, *veni, & sequere me;* de Castitate tandem etiam ibidem dicitur *sunt Eunuchi, qui se castraverunt*, idest amputaverunt usum, & potestatem venereorum, non quidem per abscissionem membri corpoream, sed per votum Castitatis propter regnum Dei, ut communiter explicant Patres. Additur autem hæc tria vota debere esse perpetua, quia ad statum Religiosum non sufficit nudum propositum servandi tria illa Evangelica consilia, sed requiritur personalis obligatio per vota Deo edita, non ad tempus determinatum, sed in perpetuum, & usque ad finem vitæ; undè deducitur essentiam status Religiosi in tribus illis votis consistere juxtà cap. ad *Apostolicam*, & cap. *Cùm ad Monasterium* de statu Monachorum. Tandem additur, quod hic stabilis in communi vivendi modus debet esse ab Ecclesia, approbatus, quia quamvis olim Episcopi Religiones possent approbare; posteà tamen in Concil. Lateran. sub Innocentio Tertio statutum est, ne nova inducatur Religio, nisi à Pontifice approbata, cùm enim Religio sit quædam Sacra Congregatio, seù Communitas, in qua consequenter aliqua spiritualis jurisdictio esse debet, & hæc à solo Papa proveniat, congruum est, ut talis Communitas ab eodem approbetur. Ita Astesanus noster lib. 6. tit. 47. de Regularibus, sivè Religiosis art. 2. & post ipsum Bellarmin. Suarez, Reginald. Layman, Joannes de la Cruz, Lezana, & alii Recentiores.

4 Secundò, cùm ad essentiam Ordinis, & status Religiosi aliud non requiratur, quàm ut in eo tria prædicta vota perpetuæ paupertatis, castitatis, & obedientiæ sub Prælato edantur cum approbatione Ecclesiæ, ut constat ex modò dictis; sequitur varios Religiosorum Ordines in essentialibus convenire & solùm inter se differre accidentaliter, quatenus omnes variis mediis

mediis accidentaliter differentibus ad Christianam edunt perfectionem, quæ est Charitas, & conjunctio cum Deo; essentialia verò statui Religionis omnibus sunt communia, commune est enim omnibus, ut editis Deo votis in perpetuum à se amoveant ea, quæ mortales plerumque à virtutis perfectione impediunt, scilicet, rerum externarum substantiam, carnis delectationes, & propriæ voluntatis libertatem; diversitas verò accidentalis procedit ex diversitate mediorum, quæ unusquisque Ordo juxtà Regulam suam adhibet ad eundem finem principalem assequendum, seù ad ipsa essentialia vota meliùs adimplenda; etenim ad eundem finem consequendum diversa media adhiberi possunt, quæ omnia ad ejus consecutionem ideonea sint, & convenientia, licet alia magis, & alia minus, ex quo discrimine oritur, quod inter Religiones, seù Ordines religiosos ille perfectior censeri debeat, qui secundùm regulam suam habet media magis accommodata ad finem, præsertim principalem consequendum, huc enim tandem omnia Religionum exercitia tendunt, ac referri debent, ut charitas Dei in nobis perfecta sit, ut Laym. discurrit tra. 5. c. 3. Ex quo etiam deducitur eos qui in Ordinibus militaribus ab Ecclesia approbatis castitatem non absolutam, sed limitatam, seù conjugalem profitentur; licet Ecclesiasticæ personæ censeantur, non tamen esse propriè Religiosos ex D. Thoma 2. 2. qu. 186. art. 4. ad 3. quia non vovent absolutam, & omnimodam castitatem, cum ducant uxores, undè nec gaudent privilegio cap. *Si quis suadente Diabolo*, ut ait Cajetanus verbo *Excommunicatio*; sunt tamen veri Religiosi Commendatarii Melitenses, seù Equites, scilicet, S. Joannis, quia solemniter vovent perpetuam, & omnimodam Castitatem, & Obedientiam, & paupertatem; similiter ex fratribus, & sororibus Tertiariis, sivè Ordinis Seraphici Patris S. Francisci, sivè aliorum, tantùm sunt Religiosi propriè dicti, qui in Religionem approbata, secundum certam regulam, tria vota substantialia emittunt; contrà verò hi non sunt veri Religiosi, & propriè dicti juxtà doctrinam allatam, qui licet tria ista vota emittant, & communiter, vel seorsim habitent, regulam tamen à Sede Apostolica approbatam non profitentur. Ità Busembaus lib. 4. capit. 1. ex Layman loc. cit. & aliis; & ratio horum omnium est, quia essentia status religiosi, ut dictum est, in hoc consistit, quod sit fidelium ad divinæ charitatis perfectionem tendentium, editis votis perpetuæ castitatis, & obedientiæ stabilis in communi vivendi modus, & ab Ecclesia approbatus, quorum uno deficiente, deficiet etiam status Religiosus propriè dictus; undè ad substantiam, & essentiam veri, & proprii Religiosi quatuor conditiones requiruntur ut notat Lezana in summa qq. Regularium capit. 2. Prima est profiteri obedientiam, paupertatem, & castitatem, secunda, ut hæc tria vota aliquo firmentur. Tertia, ut tale votum emittatur in Religione aliqua per Sedem Apostolicam approbata. Quarta, ut promittens hæc vota sub jurisdictione, & potestate alterius constituatur.

5 Tertiò conveniunt Doctores ad valorem professionis religiosæ tres requiri conditiones. Prima est qualitas, seù aptitudo voventis, scilicet, ut decimum sextum ætatis annum expleverit, annumque integrum in probatione steterit cum habitu religioso juxtà Concil. Trid. decretum sess. 35. c. 15. de Regularibus, nullumque habeat impedimentum, quod per statuta à Pontifice confirmata in eo ordine substantiale esse censeatur. Secunda ut professio sponte fiat non cogente gravi metu, qualis esset incarceratio, alimentorum subtractio, eo quod in professionem consentire noluerit, votum enim factum ex metu gravi injustè incusso à causa intrinseca, seù libera ad extorquendum votum ex communi Doctorum consensu invalidum est, vel quia non est sufficienter voluntarium, vel quia jus illud irritat, aut Deus non acceptat, ne det vim injustæ coactionis, ut diximus de Voto in communi disp. 11. de præceptis Decalogi q. 3. art. 3. nu. 161. Tertia conditio est consensus, & acceptatio expressa, vel tacita Prælati Ordinis, quam Religioni incorporari debet, idque ordinariè non tantùm cum consilio, sed etiam cum consensu Capituli, aut certè majoris, vel principalioris partis ejusdem iuxta cujuscunq; ordinis statuta, & constitutiones. E quo sequitur eum, qui professionem irritam edidit ex defectu alicujus prædictarum conditionum, religione egredi posse & uxorem ducere, nisi eam conditionem deficientem posteà tacitè, vel expressè ratificaverit; ad evitandum tamen scandalum causam egressus notificare debet, ac insuper defectum professionis probare; si causa ad forum externum proveniat, idque intrà quinquennium à die probationis, alioquin post illud juxtà Trident. loc. cit. cap. 19. audiri non debet, quia præsumitur eam per illud spatium temporis intereà tacitè ratificasse. Undè non solùm professio expressa, illa, scilicet, quæ fit verbo, vel scripto ipsius voventis, sed etiam tacita, quæ, scilicet, fit portando per notabile temporis spatium habitum proprium Religionis, vel exercendo propria professorum, verum Religiosum constituit, servatis conditionibus à Concil. Trid. sess. cit. cap. 5. designatis. & ratio est, quia jure antiquo utraque professio tam expressa, quam tacita erat valida, & per Trid. professio tacita non est sublata, sed potiùs confirmata. Ità Navarrus, Rodriquez Azorius, Lessius, Layman, Lezana, Miranda, & alii passim.

6 Quartò est difficultas, an ad essentiam Religionis, & ut aliquis verus Religiosus censeatur, requiratur ejus vota esse solemnia, vel ut publica professione sint edita. Prima sententia affirmat, quæ communis est apud Thomistas, ut refert Joannes Cruz de Satu Religionis cap. 2. quod probat, quia ex Bonifacio Octavo cap. unico de Voto, & redemp. ut professio religiosa valeat, debet fieri in manibus illius, qui potest profitentem tali Religioni incorporare; & subdit, quod licet Gregorius XIII. Bulla 26. declarat Patres Societatis Jesu esse adhuc veros Religiosos, quamvis vota simplicia edant, & irritet matrimonium cum illo simplici voto castitatis celebratum; adhuc tamen est differentia inter istos, & alios Religiosos voti solemnis, quia hi essentialiter, & ex jure divino sunt inhabiles ad matrimonium, & eorum votum à tempore Apostolorum hanc vim irritandi matrimonium, nec extat aliqua lex Ecclesiastica, que illam vim ei tribuat; tùm etiam quia per istud votum solemne totaliter homo Deo traditur, & consecratur per internam voluntatem juxta doctrinam D. Thomæ 2. 2. q. 88. a. 7. At religiosi Societatis voti simplicis ex jure Ecclesiastico prædicti decreti Greg. XIII. sunt inhabiles ad matrimonium, & sic in omni sententia possunt dispensari per Ecclesiam ad matrimonium contrahendum; imò in dicto decreto habetur, quod ex causa rationabili possunt dicti Religiosi voti simplicis à Ministro Generali dimitti, & votis istis liberari; si tamen isti fine licentia Ministri generalis à Religione recedant, sunt apostatæ, & excommunicati, ut ibidem decernitur. Ità discurrit præfactus Auctor loc. citat.

7 Opposita tamen sententia communior est, & probabilior, scilicet, non solùm vota solemnia, qualia fiunt in omnibus Religionibus anno Novitiatus, sed etiam vota simplicia, quæ Patres Societatis emittunt post approbationis biennium, constituere verè, & propriè Religiosum voventem; ità enim definitum est à Greg. XIII. quæ incipit *Ascendente Domino*. & ratio est, quia illis etiam conveniunt quatuor conditiones supra assignatæ ad substantiam, & essentiam veri, & proprii Religiosi. Nec obstat, quod talia vota non sint perpetua ex parte acceptantis, cùm sic ventes à Societate expelli possint; sufficit enim quod ex parte voventum sint perpetua, & ipsi libertate discedendi à religione careant, quemadmodum, & alterius obligationis personalis, aut servitutis statum satis est, quod servus seipsum à servitute eximere non potest, licet à domino manumitti possit; & ad statum Episcopalem sufficit, quod aliquis Ecclesiæ sit alligatus, licet auctoritate Papæ transferri, vel omninò liberari possit; & idem etiam facere potest de ipsis Religionem solemniter professis, quamvis enim obligatio ex votis solemnibus orta emissis in professione Religiosorum sit perpetua potest nihilominus Summus Pontifex in illis dispensare ex suprema potestate, quam habet; tùm quia id sæpius fecisse testantur historiæ, tùm quia in tali dispensatione nihil fieret contrà jus naturale, aut divinum, ut latè ostendimus lib. 4. sent. disp. 7. de Matrimonio qu. 16. art. 2. ubi cum Scoto 4. d. 38. q. un. ex professo declaravimus, quænam differentia sit inter votum solemne, & votum simplex, & in quo propriè solemnitas voti consistat, ac etiam quo jure votum solemne castitatis matrimonium irritet, an tantùm jure Ecclesiastico, vel etiam jure naturali, & divino, & cum Scoto loc. cit. statuimus hæc vota non differre essentialiter, sed tantùm accidentaliter ex sola Ecclesiæ institutione, ut etiam diximus suprà disp. 11. q. 3. art. 6. num. 60. itaque ideò Pontificem dispensare posse in voto solemni castitatis, & Religionis, licet ut hoc licitè fiat, requiratur publicæ utilitatis causa, & urgentissima; ex quo patet falsitas fundamenti sententiæ oppositæ. Ità Vasquez, Sanchez, Valentia, Regin. Layman, Lezana, & alij Recentiores passim.

8 Quintò conveniunt Doctores hanc obligationem procurandi perfectionem, seù tendendi ad illam in Religiosis esse sub mortali peccato, & ità præsertim ex nostris Corduba in Regulam S. Pat. nostris Francisci capit. 1. Rodriquez 3. tom. qq. Regul. qu. 48. art. 1. Lezana loc. cit. cap. 1. & alii passim. & ratio est, quia talis obligatio est de re graviissima, quam voverunt, & in qua consistit substantia status Religiosi. An verò talis obligatio tendendi ad perfectionem in Religiosis sit distincta ab obligatione servandi vota, & observantia regulares, vel sit eadem cum illa, Doctores non ità conveniunt; probabilius tamen est cum Sanchez lib. 6. in Decalog. cap. 5. Lezana loc. cit. & aliis esse eadem, & in illa contentam, sicut obligatio obediendi Deo, ei placendi, & in ipso constituendi nostrum ultimum finem, non

est

est obligatio distincta ab obligatione servandi mandata Dei, sed in illa includitur, & hoc etiam ratio ipsa suadet, nam aliàs quoties Religiosus votum aliquod transgrederetur, duplici peccato peccaret, uno nimirum contrà votum, altero contrà perfectionem, quam procurare tenetur; hoc autem asserendum non est, quia Religiosus ad aliam perfectionem comparandam non tenetur, nisi ad eam, quæ mediis institutis suæ Religionis haberi potest; neque ex vi hujus obligationis, seù præcepti tenetur Religiosus omnes suas inordinatas passiones domitas, & superatas habere, sed sufficit ut quantum potuerit conetur eas evincere, & superare, quod Doctores declarare solent exemplo à D. Th. adducto loc. cit. de duobus militibus, quibus Dux præcipit, ut fortiter pugnent, ac dimicent, quorum unus ità hoc adimplet ut inimicum superet, & occidat; alter verò quamvis fortiter dimicet, & pugnet, inimicum tamen non occidit, nec vincit, uterque enim sic faciendo suæ obligationi satisfacit. Tùm quia, ut suprà dictum est, status Religiosus est perfectionis non in eo sensu, quod omninò perfectus esse debeat, sed quatenus ex suis status obligatione ad perfectionem tendere tenetur, quantum potuerit; undè mortaliter peccaret contrà hoc præceptum procurandi perfectionem, quandò nullo modo curaret de profectione sui status, & ea media contemneret, quibus ad perfectionem perveniri solet.

9 Sextò est difficultas, an peccata Religiosi graviora sint peccatis sæcularium, pro cujus resolutione Astesanus noster lib. 6. tit. 47. art. 2. in fine advertit, peccatum quod à Religiosis committitur, posse esse gravius peccato sæcularium ejusdem speciei tripliciter; uno modo si sit contrà votum religionis, ut si Religiosus fornicetur; secundo modo si ex contemptu peccet; quia ex hoc videtur esse ingratus divinis beneficiis, quibus est sublimatus ad statum perfectionis; tertio propter scandalum, quia ad vitam ejus plures respiciunt; si verò Religiosus non ex contemptu, sed ex infirmitate, vel ignorantia peccatum aliquod quod non est contrà votum suæ professionis, committit absque scandalo, scilicet, in occulto, refert opinionem D. Thomæ 2. 2. qu. 1. 89. ar. 10. quod levius peccat eodem genere peccati, quàm sæcularis, quia peccatum ejus si sit leve, quasi absorbetur à multis bonis operibus, quæ facit; & si sit mortale faciliùs ab eo resurgit, primò quidem propter intentionem, quam habet ad Deum erectam, quæ etsi ad horam intercipiatur, faciliter tamen ad pristina reparatur; deindè quia juvatur à sociis ad resurgendum juxta illud Eccles. 4. *Si unus ceciderit, ab altero fulcietur, væsoli, quia cùm ceciderit, non habet sublevantem se.* Sed Astesanus inquit loc. citat. quod licet prædictæ rationes ostendant, quod Religiosus in casu illo resurgit, & corrigit se faciliùs, & citiùs ratione intentionis, & audiutorii majoris, quod satis est verisimile; non tamen ostendunt, quod peccet leviùs, quin potiùs ex hoc ipso, quod religiosus est magis instructus, sequitur quod graviùs peccat, quia scientia est circumstantia aggravans, non allevians peccatum; & ex hoc ipso etiam quòd est Religiosus, & ad ea, quæ sunt perfectionis obligatus, tenetur magis vitare etiam tale peccatum, quàm sæcularis, undè concludit Religiosum peccare graviùs cæteris paribus ratione status, quia status Religiosus est circumstantia aggravans, non allevians peccatum. Neque hinc sequitur Religiosos esse deterioris conditionis sæcularibus, quia peccata illorum sunt graviora peccatis istorum. Sicut enim ratione status Religiosi quilibet actus bonus in eodem genere in Religioso melior est, & magis Deo acceptus, quàm in sæculari; ità etiam dicendum est de actu malum in eodem genere absque ullo præjudicio status Religiosi, juxtà regulam juris, quod si sentit commodum debet etiam sentire incommodum; & hæc etiam est communis opinio apud Lezanam loc. cit. quod peccata Religiosi absolutè loquendo debent censeri graviora, cæteris paribus, peccatis sæcularium, quia cùm Religiosus sit specialiter Deo dicatus tenetur habere majorem adverteniam ad non peccandum, & placendum Deo; tùm etiam rationem aliqualis ingratitudinis bo majora beneficia à Deo accepta.

10 Postremò, quamvis voluntaria paupertas sit primum fundamentum ad perfectionem charitatis acquirendum, & ad statum Religionis, ut constat ex illo Matth. 19. *Si vis perfectus esse, vade, & vende omnia, quæ habes, & da pauperibus*, ac sic dicat, ab hoc debes incipere, si vis ad perfectionem tendere; nihilominus inter illa tria vota Religionis votum obedientiæ est præstantius, ut ait Astesanus loc. citat. cum D. Thoma 2. 2. quæst. 186. art. 8. Primò quia per votum obedientiæ majus bonum offertur Deo, quàm per alia vota, scilicet, propria voluntas, ratione cujus quod fit ex obedientia est magis acceptum Deo, quàm id quod fit ex propria voluntate absque præcedenti voto, & obligatione. Tùm secundò, quia in voto obedientiæ aliam etiam vota continentur, non è converso, nam etsi Religiosus teneatur ex voto servare castitatem, & paupertatem, tam hæc, & plura alia cadunt sub obedientia. Tùm tandem, quia votum obedientiæ magis propriè extenditur ad actus propinquos fini Religionis, quanto autem aliquid est fini propinquius, tanto est melius, & hinc est quod votum obedientiæ est Religioni essentialius, si enim aliquis sine voto Obedientiæ voluntariam paupertatem, vel castitatem ex voto servet, non ideò pertinet ad statum Religionis, qui præfertur ipsi virginitati etiam ex voto servatæ; undè Augustinus de Virginitate dixit. *Nemo quantum puto ausus est Virginitatem preferre Monasterio*; è contrà verò in Religione, si sola obedientia expressè promittatur, etiam alia tacitè, & implicitè promissa censentur, undè in professione Fratrum Prædicatorum sola obedientia expressè promittitur ut ait Joannes Cruz loc. cit. Et hæc tria vota statui Religioso sunt adeò essentialia, ut quamvis Pontifex ex suprema potestate, quam habet, possit in eis dispensare, ut dictum est de voto solemni Castitatis, præsertim quando urget publicæ utilitatis causa, & urgentissima, & dispensare possit in votis solemnibus Religionis, ut quis desinat esse Religiosus, non potest tamen dispensare, ut quis manens Religiosus substantialibus votis non teneatur, quia ad essentiam Religionis illa spectant, ut docent Navarrus, Layman, Busembaus, & nos quoque diximus disput. cit. de Matrimonio. Denique notat Astesanus loc. cit. ad perfectionem status Religiosi requiri, quod hæc tria, scilicet, paupertas, continentia, & obedientia cadant sub voto, & non sufficere nudum propositum servandi illa tria Evangelica consilia, ut suprà dictum est; quia ad Religiosos pertinet, quod sint in statu perfectionis; ad statum autem perfectionis requiritur obligatio ad ea, quæ sunt perfectionis, quæ quidem fit Deo per Votum; undè cum tria prædicta ad perfectionem vitę Christianæ pertineant, status Religiosi requirit, quod ad prædicta tria obligetur ex voto.

ARTICULUS SECUNDUS.

Ad quid teneatur Religiosus vi suæ Professionis, & Regulæ sui Ordinis.

11 PRimò conveniunt Doctores Religiosum vi suæ professionis teneri ad progrediendum aliquo modo in via profectionis, & ratio est, quia ex vi suæ professionis tenetur velle servare suum statum, qui est perfectionis, sivè tendentium ad perfectionem; hoc autem est intrinsecè velle ad perfectionem tendere; & talem obligationem esse sub mortali, & præsertim ex ea parte, qua respicit trium votorum observantiam, quæ est medium præcipuum ad talem perfectionem consequendam, ut suprà dictum est; quod apertè colligitur ex Concil. Tridentin. sess. 25. de Reform. cap. 1. ubi præcipit, ut omnes Regulares, tàm viri, quam mulieres ad regulæ, quam professi sunt, præscriptum vitam instituant, componant, atque in primis, quæ ad suæ professionis perfectionem, ut Obedientiæ, paupertatis, Castitatis, ac si quæ alia sunt alicujus regulæ, & Ordinis peculiaria Vota, & præcepta ad eorum respectivè essentiam, nec non ad communem vitam, & victum & vestitum observanda pertinentia, fideliter observent; omnisque cura, & diligentia à Superioribus adhibeatur, tàm in Capitulis Generalibus, & Provincialibus, quàm in eorum visitationibus, quæ suis temporibus facere non prætermittant, ut ab illis non recedatur, cùm compertum sit ab eis non posse ea, quæ ad substantiam Regularis vitæ pertinent, relaxari; se enim illa, quæ bases sunt, & fundamenta totius Regularis disciplinæ, exactè non fuerint conservata totum corruat ædificium necesse est; ità verbum Concil. loc. cit. ex quibus verbis patet Religiosum sub mortali obligari præsertim ad observantiam trium Votorum, Obedientiæ, Paupertatis, & Castitatis, quæ sunt veluti bases, & fundamenta totius Regularis disciplinæ; quod anteà etiam docuit D. Thomas 2. 2. qu. 186. art. 9. ubi ait Religiosum teneri sub peccato mortali ex genere servare tria vota essentialia, & sequuntur communiter alii Doctores.

12 Secundò, difficultas est, an Religiosus semper peccet mortaliter transgrediendo quodcunque eorum, quæ in Regula continentur, quàm difficultatem exactè tractat Astesanus noster loc. cit. ubi negativè respondet, non enim æqualiter obligatur ad observandum omnia, quæ ibi continentur, sed secundùm magis, & minus secundùm quod ibi diversimodè traduntur; nam in Regulis SS. Patrum continentur aliqua per modum præcepti, & inhibitionis; aliqua per modum statuti rationabilis, aliqua per modum monitionis, & exhortationis, & hujusmodi, & hoc patet in Regula Beati Patris Francisci. Religiosus ergò transgrediendo illa, quæ continentur in Regula suę professionis per modum præcepti, & inhibitionis peccat mortaliter. Transgrediendo verò illa, quæ continentur ibi per alium modum, non peccat quantum est ex vi regulæ mortaliter, nisi fortè ratio-

ratione excessus, vel contemptus; aliter si SS. Patres Religionum fundatores aliquam Regulam æqualiter ad omnia contenta in ipsa voluissent, frustrà differenter secundùm diversitatem dictorum modorum ea tradidissent. Ità discurrit Astesanus loc. cit. quod etiam confirmat ex Gregorio IX. Innocentio IV. Alexandro IV. & Nicolao IV. qui declarando Regulam B. Patris nostri Francisci, dicunt non obligari Fratres Minores per illam sub mortali, nisi ad ea, quæ in ipsa præceptorie, vel inhibitorie sunt expressa. Hoc idem docet D. Thomas loc. cit. ubi ait non teneri Religiosos observare omnia in Regula contenta sub culpa mortali, sed aliqua sub mortali, alia sub veniali, & quædam alia nec etiam sub veniali; & rationem adducit, quia eo modo obligantur Religiosi observare contenta in sua Regula, secundum quod ipsa Regula præscribit. Regula autem quædam præscribit, ut obligatoria sub mortali, alia solùm sub veniali, & alia quædam ad nullam culpam.

13 Sed obiicitur, quia facere contrà votum est mortale peccatum; sed Religiosi voto professionis adstringuntur ad regulam, & per consequens ad omnia contenta in ea; ergò peccant mortaliter transgrediendo quodcunque contentorum in regula sua.

Respondet Astesanus loc. citat. concedendo, quod Religiosi adstringuntur ad observandam regulam, & omnia contenta in ea; non tamen adstringuntur ad observandum omnia illa, & singula æqualiter, ut dictum est, sed differenter secundùm quod ibi differenter tradunt, scilicet, præcepta, ut præcepta, statuta, ut statuta, & monita, ut monita; hoc enim intendit, qui regulam condidit, & hoc etiam intendit, vel intendere debet, qui regulam aliquam, vel contenta in ea vovet, vel profitetur, & ideò non sequitur, quod Religiosus semper peccet mortaliter transgrediendo quodcunque contentorum in regula sua, nisi tantùm quando transgreditur illud, quod expresse præcipitur, vel prohibetur in ipsa. Si rursus obiicias, quod facere contrà votum est peccatum mortale, respondet Astesanus, quod hoc est verum, quando aliquis vovet aliquid intendens se ad illud faciendum obligare simpliciter, hoc est obligatione necessitatis, ità quod contraveniendo peccet mortaliter, hoc autem modo vovens aliquam regulam non intendit se obligare ad observandum ea, quæ continentur ibi per alium modum, quàm per modum præcepti, vel inhibitionis.

14 Tertiò, ex hoc infertur descendendo ad singula, quod ea, quę sunt in regula, & spectant ad observantiam votorum essentialium Religionis sine dubio obligant sub mortali, ut suprà dictum est, quantum est ex genere suo, nisi fortè ratione parvitatis materiæ solùm obligent ad veniale, & ratio est, quia hoc modo obligant ipsa vota; ea autem quę sunt in regula, & solùm ab ea præscribuntur, ut opera supererogationis, & de consilio, qualia sunt exercitia humilitatis, mortificationis, & similia non obligant ad culpam neque mortalem, neque venialem. & ratio est, quia ista opera non proponuntur, ut præcepta, sed solùm pertinent ad majorem Religiosorum charitatem exercendam, undé ad ea, quæ sunt supererogationis, qualia sunt consilia Evangelica, non tenetur aliquis, nisi ex obligatione propria. Ità Astesanus loc. cit. & Lezana Tom. 1. c. 7. quando autem regula præscribit aliqua, quæ alias sunt sub præcepto, v.g. diligere proximum, horas Canonicas recitare, & similia, hæc utique obligant ad mortale, vel veniale secundùm quod alias obligarent, & ratio est, quia hæc proponi non solent in regula, tanquam nova præcepta, sed solùm cum intentione reducendi in memoria ea, quæ aliàs sunt præcepta à Deo, vel ab Ecclesia, ut Lezana advertit. loc. cit. cum Cajetano, Valentia, & aliis; vel etiam addit, quod si hæc, & alia hujusmodi in Regula ponerentur cum intentione inducendi novam obligationem, vel præceptum, (quod ex circumstantiis attendendum est) transgressio talium duas includeret malitias ex doctrina jam tradita lib. 2. sent. disput. 6. de peccatis, unam ex proprio objecto, alteram ex circumstantia voti, quod frangitur transgrediendo regulam ex voto promissam. & ratio deducitur ex dictis loc. cit. quia licet diversitas præceptorum præcisè inspecta non faciat diversitatem specificam in pecatis, ut constat de frangente jejunium die, quo duplex urget jejunandi præceptum, ut quando in Quadragesima aliqua occurrit Vigilia, tunc enim duplex peccatum non committit; tamen quando peccatum ad diversas virtutes oppositionem habet, tunc in eo duplex malitia consurgit; in casu autem proposito transgressio regulæ ad virtutem religionis haberet oppositionem ultrà illam, quam habet ad aliam virtutem, cui opponitur tale peccatum ex objecto; hæc autem malitia ex circumstantia contrà Religionem consurgens in casu posito sequitur naturam malitiæ ex objecto, ita ut sit mortalis, vel venialis, sicut illa fuerit. Quando autem Regulæ institutor suam mentem circà obligationem ad culpam non declaravit, attendenda est communis acceptatio, & usus Religionis, cui Regula fuit tradita, ut advertit Lezana loc. citat. si enim communis sensus, & existimatio Religiosorum fuit illam regulam obligare ad mortale, vel ad veniale tantùm, sic obligare censendum est, & non aliter; communis enim acceptatio, & consuetudo est optima legum interpres, ut habetur capit. *Cum dilectus* de consuetudine, nec lex aliter obliget, quàm prout communiter ab omnibus accipitur.

15 Quartò, quod dictum est de obligationibus Religiosorum ratione regulæ sui Ordinis pariter asserendum est, servata proportione, de obligationibus eorundem rationem Constitutionum, seù Statutorum suæ Religionis; possunt enim in Religionibus condi, seù institui leges, aut Constitutiones Religiosos in conscientia obligantes ad earum observantiam, qui Constitutiones, seù Ordinationes in Religione cum regula comparantur, sicut in naturalibus perfectiones, seù formæ accidentales cum forma substantiali, seù anima, quæ est perfectio substantialis compositi; undé quando ea, quæ habetur in Constitutionibus, vel statutis Religionum, sunt de rebus aliàs præceptis jure naturali, divino, vel positivo, transgressio illorum talis censenda est, qualis ex se fuerit talium mandatorum transgressio. Et similiter, quando fuerint res directé ad tria vota spectantes, transgressio illarum mortalis quoque censenda est, cùm sit de re gravi ex suo genere, nisi interdum per accidens solùm sit venialis ratione inadvertentiæ, vel parvitatis materiæ, ut suprà dictum est; & tandem quando fuerint res, quæ solùm sub consilio proponuntur, ad nullam culpam obligabunt. Et hìc advertendum est, quod licet in quibusdam Religionibus obligatio observandi Constitutiones aliquando sit ad culpam mortalem aliquando ad venialem, & aliquando ad nullum peccatum, sed ad meram pœnam ab ipsis Constitutionibus taxatam, ut in Constitutionibus Carmelitarum exprimitur par. 5. cap. 1. dùm dicitur *Constitutiones nostri Ordinis neminem ex se intendunt obligare ad culpam, sed ad pœnas.* Nihilominus, ut advertit Lezana c. 8. nu. 10. cum Suarez 4. tom. de Relig. tract. 8. lib. 1. capit. 2. quando Constitutiones hujusmodi Religionum obligant solùm ad pœnam, possunt dici obligare saltem indirectè etiam ad aliquam culpam, & rationem adducit, quia adhuc tales Constitutiones obligant in conscientia ad patiendum pœnam impositam, & dant jus Superiori ad puniendum transgressorem illarum tali pœna; ergò si Religiosus resistat passioni tali pœnæ, peccabit juxtà gravitatem materiæ, & circumstantiarum, ac per consequens tales Constitutiones ad aliquam culpam obligant saltem indirectè; tùm quia aliàs prædictæ Constitutiones non differrent à mero consilio, nec essent vera præcepta. Confirmatur ex dictis lib. 3. de sent. disp. 3. demerito Christi qu. 9. art. 1. num. 367. ubi diximus doctrinam illam, quod dari possit mandatum aliquod Superioris non obligans ad ullum peccatum etiam veniale, non esse omninò certam, quia licet omittere rem sub solo consilio cadentem nullum prorsus sit peccatum; valdè tamen durum videtur posse omitti rem sub præcepto cadentem absque ulla prorsus culpa etiam veniali, cùm enim earum regularium transgressores in illis Religionibus quibusdam pœnis puniantur; hoc ipso convincuntur saltem esse veniales, quia non datur pœna sine culpa, etenim ut Scotus docet quol. 18. L. & O. imputabilitas sequitur moralitatem, ut ejus propria passio, ad premium quidem actum mortaliter bonum, ad pœnam verò actum mortaliter malum, quarè transgressiones illæ eo ipso, quod imputantur ad pœnam dignæ censentur, consequenter etiam culpabiles, & peccaminosæ censeri debent saltem venialiter.

16 Quintò, Lezana cap. 8. cit. n. 25. aliud addit notabile documentum, quod hic refero, quia Religioni nostræ videtur maximè necessarium; ait ergo, quod constitutio, seù ordinatio Religionis permittens in ea Magistros, aut DD. tolerari potest, dummodò qui accipit tales gradus sit idoneus, aliàs qui scit non esse ideoneum, & petit illos peccat mortaliter, & tantò magis qui scienter admittit. & subdit circa hoc punctum advertendum esse decretum Clementis VIII. & Urbani VIII. quod de hujusmodi graduatis sic loquitur. *Nullus nisi actu legat, vel prædicet, aliquo sui gradus privilegio gaudeat*, ubi advertit actu legere, vel prædicare dici debere Magistro, quando tempore vacationum studente, ut legant, vel prædicent; & ad hunc abusum multitudinis Magistrorum in Religione nostra tollendum Constitutiones Urbanæ in cap. 5. Regulæ tit. 5. statuunt, ne ad Magisterium promoveantur, nisi Collegiales Collegiorum ab ipsis institutorum; quod siquis Apostolicas literas intra, vel extrà Ordinem ad Magisterium suscipiendum, obtinuerit; monent Generalem ministrum, ut ad Summũ Pontificem, cui præcipuam perpetuò reverentiam, obedientiamque præstare tenetur, pro revocatione, ne præter Urbanas Constitutiones, Sanctissimaque earum decreta aliquem ad hujusmodi gradum promovere cogatur, humiliter recurrere debeat; qualiter autem, & quo-

quomodò hoc noſtrarum Conſtitutionum ſtatutum ſit hactenus obſervatum oſtendit multitudo Magiſtrorum actu exiſtentium præter alumnos Collegiorum ab ipſis inſtitutorum; Et adhuc major eſt abuſus Provincialium titularium ab eiſdem Conſtitutionibus Urbanis inſtitutorum in cap. 8. *Regulæ* tit. 21. ubi ſtatuunt ad hos Provinciarum titulos eos duntaxat aſſumendos eſſe, qui iiſdem qualitatibus, ac inſignibus decorentur, quibus in tota Religione ad alios Provincialatus ſivè per electionem, ſivè per Inſtitutionem aſſumendos, decoratos eſſe oportet; & quia non poſt multum temporis minus dignis conferebantur, ac etiam indignis, ad tollendum abuſum Provincialatus hujuſmodi ſuppreſſi fuerunt, & abrogati; verùm anno 1660. Sanctiſs. D. N. Alexander Papa VII. à Generali tunc temporis exiſtente exoratus conceſſit denuò diſtributionem quatuor Provincialatum titularium cenſuram in præmium dignioribus Patribus S. Theologiæ Magiſtris ob laborum, & meritorum præſtantiam ad priſtinam formam Conſtitutionum Urbanarum, ut patet in Decretis nunc temporis impreſſis pro regularis diſciplinæ inſtauratione in Religione noſtra Min. Conc. Sed nihilominus etiam ſub eodem regimine rurſus priſtinus ſubrepſit abuſus, quia in eodem Conventu hos diſtribuendo Provincialatus Magiſter ordinarium, & recens inſigni lectoribus publico viginti annorum ſpatio, & plurium prælatus fuit; & quapropter Miniſtri Generales pro tempore exiſtentes omni conatu tanto abuſui in conſcientia providere tenentur, ac illa ponderare decreta, in quibus non ſolùm S. Theologiæ Magiſtris ob exercitium lecturarum ad præſcriptam Conſtitutionem, & titulo concionum in Eccleſiis inſignioribus decernitur in præmium Provinciæ paternitas ex merito; ſed etiam fratribus ſimplicibus quædam prærogativæ minores ob Magiſterium Novitiorum, ob meritum operum muſicalium, ob munus Confeſſarii, ob miniſterium S. officio præſtitum, & hujus ponderis ſimilia onera ſpatio duodecim ſaltem annorum laudabiliter perecta, & hoc ad alliciendum præmio eorum animos, qui plerumq; faſtidiunt talium functionum ſubire labores, ſed de præmio imprimentium, ac opera typis tradentium in Religionis utilitatem, & decorem nulla prorſus fit mentio; & hæc eſt potiſſima cauſa, ut diximus ſuprà d. 6. q. 1. a. 1. n. 10. ex Card. de Lugo diſp. 35. de Juſtitia, & Jure ſec. 5. cur. in Religionibus quibuſdam ſtudia langueant; cùm tamen Conſtitutiones noſtræ in capit. 5. Regulæ tit. 4. expreſsè dicant, quod nullum eſt inter Religioſorum exercitia, quod majorem ſibi vindicet laudem, quodvè plus ſplendoris Religioni, plus utilitatis proximis afferat, quam laudabilis ſtudiorum occupatio, ſacraque divinarum literarum exercitatio.

17 Sextò, Religioſos ad Cardinalatum, vel Epiſcopatum extra ordinem aſſumptus manet adhuc verus Religioſus, ac proinde votis eſſentialibus ſuæ Religioni obſtrictus, & ſumitur ex Gloſſa cap. 3. 16. qu. 1. & in c. unico 18. qu. 1 rationem aſſignat D. Thomas 2. 2. q. 185. art. 8. quia diſpoſitio ad aliquam perfectionem ipſa adveniente non tollitur; ſtatus autem religioſus ad hujuſmodi dignitates comparatur, ſicut diſpoſitio ad perfectionem, tùm quia cum Religioſi ad hujuſmodi dignitates promoventur, etſi quoad aliquos effectus paupertatis, & obedientiæ exempti cenſeantur, non tamen in prædictis votis diſpenſantur ex eodem D. Thoma 2. 2. q. 88. art. 11. ad 4. & q. 1. 85. art. 8. Et quidem de voto Caſtitatis nullum eſt dubium, nam potiùs magis roboratum manet in Religioſo jam ad Epiſcopatum promoto, eo quod per Epiſcopalem dignitatem perſona magis manet Deo dedicata, & conſecrata, itaut Epiſcopus violando caſtitatem magis peccet. Dixi autem quoad aliquos effectus obedientiæ, & paupertatis exemptum cenſeri, quia votum obedientiæ manens in Religioſo facto Epiſcopo non eſt reſpectu ſuperiorum Ordinis, ſicut erat anteà, ſed reſpectu Pontificis, itaut ultra obligationem, quam habent generaliter omnes fideles, ac alii Cardinales, & Epiſcopi ad obediendum illi, teneatur Religioſus factus Epiſcopus ex vi voti obedientiæ in profeſſione emiſſi illi ſpecialiter obedire. Quo autem ad votum paupertatis, licet eo maneat obſtrictus, quia per ſupradictas dignitates non confertur illi dominium bonorum Eccleſiaſticorum, ſed ſolùm eorum adminiſtratio ex voluntate Pontificis, quod voto paupertatis non repugnat; poteſt tamen diſponere inter vivos de ſui Epiſcopatus redditibus eo modo, quo Epiſcopus ſæcularis, undè poteſt de illis diſponere ad moderatam ſui, & familiæ ſuſtentationem ſecundum decentiam ſtatus, ad pia opera, elemoſynas, &c. & ratio eſt, quia quamvis Religioſus Epiſcopus verum, & abſolutum dominium non habeat ſuorum reddituum, liberam tamen habet illorum adminiſtrationem in honeſtos, & pios uſus; hæc eſt communior, & probabilior opinio, quam docent cum T. Thoma cit. Suarez, Henriquez, Sanchez, Layman, Leſſius, Molina, Io: Cruz, & alim paſſim, ut videre eſt apud Lezanam loc. cit. cap. 17.

18 Undè minimè placet, quod ait Angles in floribus 1. p. q. un. de Voto diſſic. 13. dub. 3. Monachum ad Epiſcopatum aſſumptum ratione voti in profeſſione emiſſi ad obſervantiam præceptorum ſuæ Regulæ, vel ad tria vota eſſentialia non teneri, jam enim cùm ſit ad Epiſcopatum aſſumptus, non eſt Monachus. Non placet, inquam, quia Epiſcopus iſte adhuc manet Religioſus juxtà dicta, cùm ſtatus Religionis non repugnet ſtatui Epiſcopi, & aliàs ſtatus Religionis in tribus votis eſſentialiter conſiſtat ex capit. *Cùm ad Monaſterium* de ſtat. Monach. quod etiam ex eo probari poteſt, quod Epiſcopus Religioſus tenetur ex præcepto portare habitum ſuæ Religionis, qui eſt ſignum obligationis ad vota regularia, & ratio eſt, quia obligatio portandi illum non eſt ex ſolo mandato regulæ, aut Conſtitutionum, ſed ex jure Canonico; ut cap. penult. finali de vita, & honeſt. Clericorum; ac etiam ex rationabili conſuetudine, & ſi quoad figuram habitus Epiſcopis ſæcularibus ſe conformare poſſint, retento ſolum colore habitus ſuæ Religionis, ut Clemens VIII. conceſſit in Rituali Romano reformato. Verum eſt tamen, quod licet prædicti ex Religionibus aſſumpti ad dignitates Cardinalatus, vel Epiſcopatus ad obſervantiam trium Votorum ſint obligati, non tamen ſubjacent cenſuris, aut pœnis à Religiones contrà tranſgreſſores impoſitis, eo quod non manent ampliùs ſub juriſdictione Religionis, aut Prælatorum ipſius. Quo autem ad alia regulæ præcepta, at regulares obſervantias ex obligatione moralis honeſtatis ea ſervare debent, quæ ipſorum munus non impediunt, & officium Pontificale, cujuſmodi ſunt ſolitudo, ſilentium, aut vigiliæ graves, quibus impotentes redderentur ad illud exequendum, dixi ex obligatione honeſta ad ea teneri, quia hujuſmodi obligatio, ſeù debitum eſt ſolum ſecundum decentiam, & honeſtatem, non tamen legale, aut obligans ad culpam, vel pœnam. & ratio eſt, quia Religioſus factus Cardinalis, vel Epiſcopus extrà Ordinem eximitur, & liberatur à jugo Religionis capit. unico, 18. q. 1. Ità DD. adducti, & alii paſſim, quod etiam anteà docuit Aſteſanus noſter loc. cit. art. 5. ubi ait, quod cum Monachi ad prælationes tranſeunt ſæculares, & abſolvuntur à quibuſdam obſervantiis, ut à jejunio, ſilentio, & vigiliis, quia ut dicitur 16. qu. 1. nemo poteſt Eccleſiaſticis deſervire, & in monaſtica regula ordinatè perſiſtere, ut diſtrictionem Monaſterii teneat, qui quotidiè in miniſterio Eccleſtaſtico cogitur permanere; & tandem ſubdit, quod ab aliis non abſolvitur, ut ab habitu, continentia, & proprio non habendo.

19 Septimò, ejecti etiam, & expulſis à religionibus, tanquam incorrigibiles manent quoque cum eandem obligatione trium votorum Religionis, ſicut anteà, ut fusè oſtendit Lezana tom. 1. c. cit. c. 23. Undè neque placet, quod idem Angles ait. loc. cit. qu. *de Voto diſſic.* 8. nempè excluſum à Religione non teneri præcepta Regulæ, nec votum obedientiæ, & paupertatis obſervare quia jam non eſt Monachus illius Religionis, & impoſſibile eſt obedientientiam ſervare, quia non eſt illis Prælatis ampliùs ſubditus, atque etiam paupertatem, cùm ſine proprio vivere non poſſit; non placet, inquam, quia de voto Caſtitatis, & continentiæ etiam fatetur ipſe obligari ad illud ſervandum, ſicut anteà, & ex vi voti obedientiæ tenentur eſſe parati ad obediendum Prælatis Religionis, quandò ad ipſam fuerint revocati, ſiquidem jus habent illos revocandi, cujus ſignum eſt, quod in c. *final. de regular.* innovato à Sacra Congreg. ut ait Lezana loc. cit. præcipitur; ut cenſuris cogantur ad Religionem reverti, quod non eſſet, niſi ad hoc ipſi eſſent ex voto obedientiæ obligati. Tenentur etiam ad votum paupertatis ſervandum eo modo, quo ſtatus illorum patitur, cùm ad hoc etiam ſint obligati ex vi ſuæ profeſſionis, in qua non eſt diſpenſatum, undè ejecti nec habent, nec habere poſſunt dominium alicujus rei, quia hoc eſt directè contra votum emiſſum, ſed ſolùm uſum facti, & incertum rerum ſibi ad victum, veſtitum, habitationem, & vitam neceſſariarum, quia hic uſus non eſt contrà votum paupertatis emiſſum, quarè ſi res illæ eis à religione non ſubminiſtrantur, eo ipſo datur licentia illas quærendi, & habendi, nec etiam poſſunt teſtari, ſi in illo ſtatu moriantur, quia teſtandi poteſtas non eſt cum voto paupertatis compoſſibilis, cùm ſupponat dominium rei, & non merum uſum, quem ſolum habent ejecti, cùm non ſint domini eorum, quæ poſſident, ſed ſolum adminiſtratores nomine Religionis in ordine ad uſus neceſſarios; & quicquid in tali ſtatu acquirunt, Monaſterio, vel Religioni acquirunt, undè ſunt expulſi, cum ex vi profeſſionis ab ipſis emiſſæ Monaſterium, vel Religio jus habeat ad omnia inpoſterum ab ipſis acquirenda. Tùm etiam quia hujuſmodi ejecti non ſunt omninò à religione derelicti, ſed ſolùm ſeparati à communione, & commercio ipſius, cujus ſignum eſt, quod Religio tenetur eos quærere, & ſi correcti reſipiſcant, iterum recipere. Ità Lezana loc. cit. cum Navarro, Sanchez, Leſſio, Sairo, Molina, & aliis ab ipſo adductis.

20 Poſtre-

20 Postremò, an Religiosi habentes parentes in extrema necessitate positos possint Religionem relinquere ad illos sustentandos; dimissis variis dicendi modis, opinio affirmativa satis probabilis est, quam tenet Angles l.cit.cum Corduba in medulla fratrum Minorum c.2.qu.6.& probat ratione satis efficaci; quia cùm licitum sit furari ex sacrario, ut existenti in extrema necessitate subveniatur, si aliud remedium adhiberi non possit, ut constat exemplo Davidis arripientis panes propositionis Deo consecratos ad subveniendum esurientibus; licebit etiam Religioso Deo consecrato à Religione recedere, si aliter parentibus subvenire non possit; nam præceptum de sustentatione parentum est divinum, & naturale, quod quidem per votum obedientiæ, quod est tantùm positivum, minimè fuit revocatum. Hoc autem appositè asseritur in casum extremæ necessitatis parentum, quia quando non extrema, sed magna egestate laborant, ad illos sustentandos satis probabile est Religiosos non licere à religione recedere. & ratio est, quia secundum communiorem, & probabiliorem opinionem præceptum eleemosynæ non obligat, nisi in extrema necessitate; erit tamen sufficiens causa hæc impetrandi dispensationem à Sede Apostolica, ut non obstante Religionis voto, filius Religiosus à Religione recedere possit ad parentes sustentandos, nec alius sit præter ipsum, qui illis subveniat, & hoc erit securiùs, & tutiùs, non tamen mutare potest religionis habitum, & regularem observantiam deserere, sed ex vi professionis suæ ad paupertatem, & ad cætera Religionis præcepta tenetur, sicut anteà, solùmque à præcepto obedientiæ est liber; & quidem Religionis habitu retento multò melius poterit parentum necessitati subvenire, quàm ipso dimisso, sivè concionando, sivè confessiones audiendo, sivè artem mechanicam, aut liberalem exercendo, tenetur enim regulam servare, præsertim in his, quæ ad vota essentialia pertinent, quantùm in se fuerit, sola obedientia dempta. Ità Angles loc.cit.

ARTICULUS TERTIUS.

De obligationibus Religiosorum ratione voti obedientiæ.

21 POst disputationem de tribus votis essentialibus in communi, nunc de illis agendum est in particulari & quidem primò de voto obedientiæ, deindè de voto Castitatis, & ultimò de Paupertate, & ratio hujus ordinis est, quia per votum obedientiæ, quo Religiosus propriam abnegat voluntatem offert Deo bonum animæ, quod inter cætera hominis bona est excellentius, & nobilius, ut docet Arist.1. Etich. per votum verò continentiæ, seù castitatis, quo venereis delectationibus renunciat, offert Deo bonum corporis delectabile, quod quidem sicut animæ bonis est ignobilius, ità bonis exterioribus præcellit, per votum tandem Paupertatis, quo Religiosus omnibus temporalibus fortunæ bonis renunciat cum suis juribus offert Deo exteriora bona, quæ inter prædicta bona infimum tenent locum; itaque obedientiæ votum non solum est essentiale religionis, sed etiam est præcipuum inter tria substantialia Religionis vota, eo quod per illud propria voluntas Deo ofertur, quæ potior est, quam corpus, quod offertur per castitatem, & exteriora bona, quæ per votum Paupertatis Deo offeruntur.

22 Primò itaque obedientia communiter definiri solet secundùm Doctores, quod est virtus, quæ promptum facit hominem ad implendum mandatum Superioris, & Religiosus ex voto obedientiæ obligatur ad omnia, quæ Superior præcipit secundùm Regulam, & Constitutiones sui Ordinis, sivè directè, & expressè, sivè indirectè, & implicitè, qualia sunt illa quæ ad regulæ observantiam sunt necessaria. & ratio est, quia ad hæc omnia se Religiosus obligavit eo ipso, quo professionem emisit secundùm regulam; undè si superior subdito jejunare præcipiat aliquo die, qui in Regula non exprimitur, vel aliam corporis macerationem subire in pœnam delicti commissi, nunc Religiosus obedire tenetur, quia hoc totum pertinet, & necessarium est ad Regulæ observantiam; sic pariter obedire tenetur Superiori præcipienti mandata omnibus Christianis communia, vel etiam omnibus Ecclesiasticis, vel Religiosis, ut divinum recitare officium, Sacrum diebus festis audire, &c. quamvis enim ista in Regula non contineantur, supponuntur tamen quasi præambula quædam ad ejus observantiam necessaria; ea verò, quæ sunt omninò suprà Regulam, ut, verbi gratia, magnæ austeritates, nimiæ corporis macerationes, & mortificationes quædam extraordinariæ, nec possunt, nec debent à Superiore præcipi, nec Religiosus ad ea, tenetur, quia votum Obedientiæ, ut dictum est, solùm ad ea obligat, quæ Regulam concernunt sivè explicitè, sivè implicitè; si tamen in regulam aliquid præcipiant, tunc subditus obedire tenetur, eo quod in tali casu id quod præcipitur, est Regulæ conforme; itaque per votum obedientiæ obligatur Religiosus obedire superiori secundùm statuta suæ religionis, & non majori rigore, obligatur, quàm ibi contineatur, undè inter statuta illius aliqua non obligent sub peccato, non tenetur ex vi voti illa sub peccato servare. Ità DD. passim apud Lezanam loc.cit. cap.4. quæ omnia etiam Astesanus noster advertit lib.6. cit. tit.47.art. 3. ubi ait, quod si loquamur de obedientia secundùm perfectionem; sic extendit se ad omnia, quæ non sunt contrà Deum, & Regulam professam, ut dicit D. Bernardus, quod perfecta obedientia finem nescit; si autem loquamur de obedientia secundùm necessariam obligationem, sic habet modum, & mensuram secundùm voti emissi magnitudinem, atque ità secundùm regulam obedire tenetur; sed secundum regulam aliqua dicuntur esse explicitè, aliqua implicitè, sinè quibus regularis observantia servari non posset, & tàm in his, quàm in illis obedire tenetur; quo autem ad ea, quæ sunt omninò suprà regulam, subdit distinguendum esse, aut enim præcipiuntur in cautelam peccati committendi, v.g. quod subditus jejunet in pane, & aqua, quia Prælatus videt naturam ejus pronam ad luxuriam, & sic non tenetur obedire, nisi in casu, quod non posset aliter vitare peccatum; aut præcipiuntur in pœnam peccati commissi; & sic tenetur, aut tandem in augumentum meriti, ut recipere martyrium, & alia hujusmodi, & sic non tenetur. Ità Astesanus loc. cit. & ità etiam ex nostris discurrit Bartoloccius in Minorica lib.1.cap.2.de Voto obedientiæ.

23 Secundò, circà ea, quæ sunt præter Regulam, ut sunt illa, quæ nec ibi continentur, nec ad illa, quæ ibi continentur, expediunt, vel ordinantur, ut levare festucam, & alia hujusmodi vana, & impertinentia, conveniunt etiam Doctores Religiosum non teneri obedire Prælato ea præcipienti; & ratio est, quia obligatio obedientiæ in Religiosis solùm consurgit ex voto, quod emiserunt, hoc autem votum solùm est secundùm regulam illius Ordinis, & ità quicquid est vanum, & impertinens & nullo pacto ad regulam spectans, sub obligatione non cadit; Lez.c.4.cit.ex D.Thoma quol.10.art.10. & Astes. noster loc.cit. sed Bartoluc.loc.cit.ait, quod licet hæc sit communis sententia, & satis probabilis, & rationi consona, ut patet ex ejus fundamento, nihilhominus oppositam esse probabiliorem, & perfectioni religiosæ convenientiorem, quam ait esse Scoti 4.d.3.q.4. F.docet enim ibi Doctor, quod quando Superior præcipit aliqua vana, & impertinentia, ut levare festucam, spuere in parietem & similia, quamvis liceat Subdito tale præceptum Superioris contemnere, idest irrationabile, & infructuosum judicare: non tamen licet, dum est Prælatus, contemnere non observando, quia dicitur Matth. 13. *Super cathedram Moysi sederunt Scribæ, & Pharisæi, quæcunque dixerint vobis, servate, & facite*. Verùm jam suprà diximus; aliud esse loqui de obedientia secundum perfectionem, & aliud de obedientia secundùm necessariam obligationem, illa enim extenditur ad omnia, quæ non sunt contrà Deum, & regulam Ordinis, ista verò solùm ex voto obedientiæ consurgit, & modum, & mensuram desumit ex voti emissi magnitudine; Scotus itaque loc. citat. intelligendus est de obedientia secundùm perfectionem, non autem secundùm necessariam obligationem, de qua hic est sermo. Undè licet in regula alicujus Ordinis universaliſſima obediendi materia præscribatur, ut v.g. in regula nostra Minorum capit. 10. ut obediant in omnibus, quæ non sunt contraria animæ, vel regulæ, & in Constit.Scot.Jesu, ut obediant in omnibus, in quibus manifestè peccatum non cernitur; tamen id intelligendum est secundùm perfectionem obedientiæ, ad quam Religiosi tendere debent, non autem quatenus obediendi necessitas ex voto est, ut docet Layman lib.4 trac.5.c.9. ex D.Bonav. in 2.d.44.art.3.qu.2. & D. Thom.2.2.qu. 104. art. 5. ubi triplicem obedientiam distinguit. Prima est indiscreta, quando scilicet aliquis obedit in illicitis contram legem Dei, vel regulam Ordinis; altera imperfecta, sed sufficiens, quando scilicet quis obedit tantùm in his, quæ secundùm regulam sunt, & ad quorum observationem se voto obedientiæ expressè, vel implicitè obstrinxit. Tertia denique omninò perfecta, quæ scilicet in omnibus licitis obedit sinè ullo termino, & limitatione, ut si quis obediat in omnibus, quę non sunt contraria legi Dei, aut regulæ, quam professus est. & ità etiam discurrunt Major, Sylvester, Sanchez, & plures alii.

24 Tertiò loquendò de his, quæ sunt contrà regulam, scilicet, quia eorum oppositа in regula præcipiuntur, vel prohibentur, ait Astesanus loc. cit. distinguendum esse; aut enim in eis potest dispensare Prælatus, aut non eo quòd regula, vel constitutio prohibet; si sit certum, quod dispensare non potest, tunc subditus ei in talibus obedire non tenetur; si verò sit certum, quodpotest, vel saltem dubium an possit, obedire tenetur cap.de *dubio* 23.q.1.quid culpatur. Unde quando Prelatus præcipit aliquid contra regulam, si tamen constet evidenter, ac etiam probabiliter, imò etiam si res sit speculativè dubia, quod possit in illo dispensare, tenetur Religiosus obedire. & ratio est, quia in

his

his casibus credere tenetur, quod præcipiendo illam rem dispensat in regula, & quod potest dispensare, quia ut docet Angelus verbo *Dispensatio* Prælati Ordinis cum interventu causæ legitimæ, & rationabilis possunt exceptis tribus votis essentialibus, suprà totam regulam dispensare. & idem dicendum est, quando dubitat Religiosus, an Prælatus ex justa causa dispenset; quarè cùm Religiosus, ex ægritudine, aut alio probabili impedimento dubius est, an teneatur, v.g. jejunare, à carnibus abstinere, divinum officium recitare &c. tenetur obedire Prælato præcipienti ne jejunet, aut quod carnibus vescatur, aut quod officium non persolvat. Ità Lezana loc.cit. cum Navarro, Soto, Lessio, Salas, & aliis. Ex quo etiam deducitur non solùm teneri Religiosum Prælato suo obedire in rebus, quas certò cognoscit esse licitas, & honestas, sed etiam quando dubitat, an res, quæ illi præcipitur, sit licita, nec ne, dummodo non sciat evidenter esse malam, & illicitam. & ratio est, quia tunc est melior conditio superioris, qui est in possessione potestati præcipiendi, in dubio autem nemo spoliandus est jure, quod habet. Nec dicas subditum etiam esse in possessione libertatis, hoc enim falsum est, cùm habeat debitum parendi, qua ratione D. August. lib. 22. contra Faustum cap. 74. & 75. docet, quod etiam Regi iniquo indicenti bellum obediendum est à subditis, dùm non constat bellum esse injustum. Imò Lezana loc.cit. cum Corduba, Vasquez, & aliis asserit idem quoque dicendum in casu, quo Religiosus judicat probabiliter ut malum, id quod Superior præcipit, dùm enim hoc ei non constet evidenter, obedire tenetur, tùm propter eandem rationem; tùm quia esset confusio, & destructio communitatis, si prætextu opinionis probabilis nollet quis superiori obedire; tùm tandem, quia aliàs cogendi essent superiores ad non præcipiendum, nisi ex certa, & evidenti notitia honestatis rei præceptæ, quod est supra humanam facultatem. Ex quo tandem deducit, quod malè scioli quidam Religiosi, qui vix Theologia, vel Casibus conscientiæ à limine salutari, arundine Mathematica, quid Superiores iis, vel illis præscribendis auctoritatis habeant cùm scandalo pusillorum factiosè metiuntur; cum teste D. Greg. in 1. Reg. l. 2. c. 4. *Vera obedientia nec Præpositorum intentionem discutit, nec præcepto discernit, quia omne vitæ suæ judicium majori subdidit.*

25 Quartò conveniunt etiam Doctores, Religiosum non teneri obedire Superiori actus merè internos præcipienti v. g. fidei, spei, charitatis, &c. & ratio est, quia nequit humana potestas, vel superior creatus judicare de actibus internis intellectus, vel voluntatis, nec eos præcipere, vel prohibere, cùm scriptum sit 1. Reg. in Cant. Annæ: *Deus scientiarum Dominus est, & ipsi præparantur cogitationes*, ac proinde Ecclesia dicitur non judicare de internis; quando tamen actus internus est modus necessarius externi, qui præcipitur, tunc sub eodem præcepto cadit, quo externus, & tunc obligatur, Religiosus ad illum, & hi multoties ab Ecclesia præcipiuntur, & prohibentur ut patet in Bulla Cœnæ, ubi excommunicantur hæretici etiam occulti, & pariter dum Horæ Canonicæ recitantur, devotè, & attentè præcipiuntur recitari; undè si Superior præcipiat Religioso, quod divinum recitet Officium, aut Missam celebret, & applicet pro aliquo, & juxtà ejus intentionem, tunc tenetur Religiosus habere actus internos attentionis, & intentionis, quia in tali casu sunt modi necessarii actuum externorum, qui præcipiuntur, siquidem in his, & similibus præceptis, non imponitur subditis interior tantùm animi motus, sed præcipitur ipsis interior, ut cum actu exteriori Missæ conjungatur, & subditi in hoc Prælatis non obedientes mortaliter peccant, cùm in re gravi obedientiæ resistant. Ità D. Thom. 2.2.qu.104.art.5. Conveniunt etiam DD. Religiosum ex voto obedientiæ, ad obedientiam formalem non teneri, illam, scilicet, per quam subditus præceptum Superioris exequitur ex formali obedientiæ, motivo, & quatenus præceptum est. & ratio est, quia Religiosus non vovet obedientiam formalem, & sub motivo obedientiæ; sed tantùm obedientiam materialem, id est, executionem rei, quæ præcipitur, ex quocunque motivo fiat, undè per illam voto suo sufficienter satisfacit, sicut generaliter fideles hoc etiam modo aliis præceptis satisfaciunt, ut dictum est 2. sent. disp. 6. q. 3. num. 85. Nec etiam tenetur Religiosus ex vi voti exequi id, quod scit suum Superiorem velle, ut faciat, nisi hæc voluntas aliquo precepto, vel intimatione ei manifestetur; quia ex vi voti non obligatur, nisi ad obediendum, & exequendum mandata sui Superioris; voluntas autem Superioris rationem præcepti non habet, nisi sit intimata. Nec tandem tenetur Religiosus ad ea exequenda, quæ sibi solùm à Prælato sub consilio proponuntur, quia quæ sunt sub consilio ad nihil obligant, ut ex ipso nomine constat, sicut vota obedientiæ, castitatis, & paupertatis, ad nihil sæculares obligant, quia illis solùm proponuntur, ut consilia, non ut præcepta; quare ex dictis sequitur Religiosum ex vi voti obedientiæ obligari solùm ad obediendum præceptis suorum Superiorum quomodocunque intimatis, sivè oretenus, sivè scripto, sivè alio modo. Ità Lezana loc. citat. cum Suar. Less. Valent. Azor. & pluribus aliis.

26 Quintò, ad dignoscendum quodnam sit illùd præceptum quod sub peccati mortali vinculo transgressores ligat, advertendum est ex dictis lib. 2. sent. disp. 6. qu. 6. de differentia peccati mortalis, & venialis, nomen præcepti sumi aliquando strictè, & propriè, & sic concernit, quæ sunt necessaria ad salutem, itaut si aliquod illorum quis transgrediatur, mortaliter peccet, & hujusmodi est illud. Non mœchaberis, non furtum facies, &c. aliquando minus strictè sumitur, ut nimirùm concernit ea, quæ non sunt simpliciter necessaria ad salutem, valdè tamen utilia, quæ proinde si non serventur, non ob id mortaliter peccatur, cujus generis sunt. Non dices verbum otiosum, juratio ni non assuescat os tuum, & similia; quæ doctrina habetur ex Scoto 2. dist. 21. B. Præceptum ergò primo modo acceptum, est illud, quod verè, & propriè est præceptum, & ligat sub mortali culpæ vinculo, nisi parvitas materiæ excuset, vel inadvertentia, ut sunt furtum de re, parva læsio famæ, ira subitanea, primi motus, & similia. Modus autem cognoscendi, quando aliquid strictè præcipitur, & ut necessarium simpliciter ad salutem, ex quatuor præsertim capitibus deduci potest regulariter loquendo, ut passim Summistæ advertunt, scilicet, ex materia, quæ præcipitur; ex pœna, sub qua præcipitur; ex verbis, sub quibus præcipitur; & ex intentione præcipientis; ubi enim materia, quæ præcipitur est gravis, & necessaria ad salutem constat, quod hujusmodi transgressio est mortalis, ut illa, non occides &c. Ex pœna verò cognoscitur, dum aliquid præcipitur sub pœna gravi, sivè sit spiritualis, ut excommunicatio, sivè sit corporalis, ut puta mortis, mutilationis membri, publicæ fustigationis, perpetui carceris, &c. mortaliter enim tunc peccatur, quia tunc transgressor notabili se exponit periculo contrà propriam sui ipsius charitatem; si pœna verò sit levis, & parva, venialis erit trãsgressio; ex verbis autem cognoscitur, dùm aliquid præcipitur in virtute, vel ad meritum sanctæ obedientiæ, sub pœna divinæ indignationis, maledictionis æternæ, sub anathemate, sub obtestatione divini judicii, sub pœna depositionis, degradationis, infamiæ, suspensionis, & similium; item dum ponuntur hæc verba, præcipio, inhibeo, & interdico, teneantur; hæc enim, & similia verba obligationem sub mortali inducere videntur, ut deducitur ex cap. *Exivi* in Clement. Tandem ex intentione præcipientis grauitas præcepti dignosci potest, dùm manifestè Prelatus ostendit mortale obligare se velle, undè hæc regula certa, & infallibilis assignari solet in iis, quæ solùm à voluntate humana dependet, quod si Superior in suis præceptis obligare ad mortale intendit, obligat; si autem non intendit sic obligare, non obligat. Ità DD. communiter, & Bartoluccius noster cap. 2. cit.

27 Sextò, dubitatur, an teneatur Religiosus obedire Prælato, ut exponat se periculo vitæ ad bonum proximi, v.g. an tempore pestis, vel alterius mali contagiosi, ex quo imminet periculum mortis, teneatur Religiosus obedire Prælato suo præcipienti, ut ministret infirmis Sacramenta. & ratio dubitandi est, quia Religiosus non tenetur ad ea, quæ sunt suprà Regulam omninò, ut supra dictum est, sicut est exponere se periculo mortis ad bonum proximi; tum quia hoc ad Episcopos spectat, & non ad Religiosos, ut ait D. Thomas opusc. 18. art. 7.

Respondetur in hujus dubii solutionem cum distinctione procedendum esse; si enim pestis, vel morbus contagiosus est inter Religiosos, & in Monasterio, tenetur Religiosus obedire Prælato suo, ut ministret infirmis suæ Religionis tam temporalia, quàm spiritualia ad salutem corporis, & animæ necessaria quia præstare Religiosos sibi invicem mutua hæc ministeria, & pietatis obsequia ad conservationem Religionis spectantia, concernit Regulam, quam professi sunt, & ideò tenentur ad ea etiam cum vitæ periculo, sicut tenentur cum eodem periculo milites in bello præliari, quoniam hoc vitæ periculum concomitanter se habet ad opus, quod per se præcipitur, scilicet, servitium infirmorum; quod si hoc verificatur de Regularibus in communi, ut docent Cajetanus, Rodriquez, Sanchez, Lezana, & alii communiter; tantò magis in Fratribus Minoribus verificari debet, quia circà curam fratrum infirmorum habent in Regula singulare præceptum, ut Bartoluccius noster advertit. loc.cit. Si verò pestis sævit in sæculo, & extrà ordinem, non tenetur regulariter, & per se Religiosus obedire Prelato suo, ut ministret infirmis extraneis cũ periculo vitæ. & ratio est, quia Religiosum servire infirmis extraneis cum periculo vitæ non est secundùm Regulam, sed suprà illam. Dixi regulariter, & per se Religiosum ad hoc teneri; quia per accidens, & in casu, quo deessent Parochi, qui Sacramenta infirmis ministrarent, vel qui essent ob multitudinem infirmorum non sufficerent, tunc teneretur Religiosus obedire, & Sacramenta extraneis infirmis

mis ministrare. & ratio est, quia Religiosi præsertim mendicantes, & alii, quorum institutum est saluti proximorum incumbere, sunt Episcoporum, & Parochorum coadjutores in salute proximorum procuranda, & ob id fidelium eleemosynis sustentatur. Ità Lez. l. c. cum Doctoribus citatis; qui idem etiam asserit de temporæ hæresis, quæ est pestis animæ spiritualis, scilicet, Religiosos teneri obedire Prælato suo præcipienti, ut assistant alicui loco ad prædicandum cum D. Thom. opusc. cit. a. 14. disputandum, & veritatem Catholicam contrà hæreticos defendendum etiam cum periculo vitæ. & ratio est eadem, quia hoc non excedit Regulam, quam professi sunt, sed potius illam concernit, cùm in his necessitatibus sint Episcoporum, & Parochorum coadjutores.

28 Septimò, dubitatur ulteriùs. An Regulares professi teneantur acceptare novam Regulam, seù arctiorem vivendi modum, quem nec explicitè, nec implicitè professi fuerunt. Affirmant Glossa, Innocentius, Abbas Rosella, & alii antiquiores, quorum ratio est, quia Religiosi professi propriam voluntatem non habent, sed eam edito obedientiæ voto in voluntatem superioris transtulerunt. Negant alii communiter, ut Angelus, Sylvester, Armilla, Vasquez, Sanchez, Layman, & alii passim ex opposito fundamento, quia Religiosi per votum obedientiæ non transtulerunt omnem voluntatem in Superiorem, ut quælibet ipsis imperare possint, sed tantùm ea, quæ observationem Regulæ quam profitentur, concernunt, directè, vel indirectè, ut suprà dictum est, & docet D. Thom. quol. 10. art. 10. Verumtamen, si statutum Superioris, sivè capituli sit ad reformationem regulæ antiquæ jam promissæ, ut talis reformatio necessaria videatur ad religiosæ vitæ conservationem, atque ut vota Religionis essentialia, aliaque salubria serventur, subditi talem reformationem, & novam observantiam acceptare tenentur. & ratio est quia talis observatio, & restrictio indirectè pertinent ad Regulam, quando sine ea Regula, & ordinis institutum in suo vigore conservari non potest, & consequenter quando Religiosus regulam profitetur, & vovet, ad ea omnia etiam se obligat saltem implicitè, sine quibus status Religionis in suo vigore conservari nequit, sed paulatim collabi necesse est, & relaxari. & huic assertioni concordat Concil. Trid. sess. 15. ubi loquens de Regularium reformationem, habet hæc verba *S. Synodus necessarium esse censuit, quo facilius, ac maturius, ubi collapsa est vetus, ac regularis disciplina, instaretur, ut constantius ubi conservata est perseveret, percipere, &c.* ergò si strictior observatio necessarium medium videatur ad substantialium votorum in tali ordine observatione, Regularibus auctoritate Superiorum, & Capituli imponi potest; estò eam expressè non voverint. Advertit tamen Rodriqu. t. 1. qu. 27. art. 2. dictum Concilii allatum cum hac limitatione intelligi debere, quod locum habeat solùm, ubi nulla est mitigatio Regulæ, seù dispensatio Sedis Apostolicæ, quia in quibus apparet aliquos ordines esse dispensatos, uti in nostro Min. circà possessionem bonorum stabilium in communi, non est cur debeat admitti prædicta Concilii dispositio.

29 Postremò est Difficultas, An liceat Religiosis appellare à correctione suorum Superiorum, & sermo est de appellatione ad Judicem superiorem intrà ordinem, non autem extrà, quia si Religiosi ad Tribunalia sæcularia, vel non sua appellare præsumunt, in hoc casu appellatio illi interdicitur per Gregorium XIII. & Julium secundum, qui prohibent appellationis Fratrum, & Monialium ad Curias Ecclesiasticas, aut sæculares, & præcipiunt sub excommunicatione Judicibus quarumlibet Curiarum, ne istas appellationes ullo modo recipiant, vel cognoscant, & aliter factæ ab eis irritantur. Prima opinio absolutè negat id licere, cujus fundamentum est, quia id prohibetur per Sacros Canones, & per determinationem Summorum Pontificum, præsertim Alexandri Tertii in capit. ad nostram, & cap. Reprehensibilis, Innocentii Tertii in cap. Cùm speciali de appellation. & Bonifac. VIII. in comprend. privil. appellation. favere videtur etiam Conc. Trid. sess. 15. cit. de Reg. capit. 4. ubi decernit, quod non liceat Regularibus à suis Conventibus recedere, etiam prætextu ad suos Superiores accedendi, nisi missi, vel vocati fuerint. Communis tamen, & vera opinio affirmat id licitum esse, & non esse contrà votum obedientiæ, quod Religiosus gravatus à Prælato causa querelæ recurrat ad Superiorem Prælatum, ut si est gravatus à Priore, vel Guardiano, quod recurrat ad Provincialem, & à Provinciali ad Generalem, tùm quia appellatio à gravaminibus est de jure naturæ, tùm quia potestas minoris Prælati est subordinata majori, & illi subjecta, ac per consequens ab illo discutienda; tùm tandem quia extat decretum à S. Regularium Congregatione emanatum anno 1587. in quo conceditur, ut Regularium appellatio gradatim fiat, scilicet à Priore, vel Guardiano ad Prouincialem, à Provinciali ad Generalem, & à Generali ad Protectorem Religionis, & à Protectore ad eandem S. Congregationem. Ità Navarrus, Roderiq. Saytus, Lezana, & Bartoluccius noster loc. citat. & alii passim. Et ad fundamentum prioris opinionis dicunt decreta illorum Pontificum intelligi debere, si subditi Regulares appellant à suorum Superiorum justis mandatis, & correctionibus, quæ fiunt juxtà statuta Regulæ, vel ordinis, & ad effugiendam regularem disciplinam, in tali enim casu appellatio est illicita, & injusta, quia subditus sic correctus non gravatur, appellatio autem fundatur in gravamine, ut habetur capit. *Ut debitum* de appellat. Quando autem Subditus gravatur, & appellat ad suos, ac legitimos Superiores, & præsertim juxta modum, ac formam à Sac. Congregatione præscriptam, talis appellatio est licita, & rationabilis, & admittenda. Neque id contrariatur Concil. Tridentino loc. cit. quia ibi non prohibet Religiosos recurrere ad suos Superiores per viam appellationis, sed tantùm absolutè; quinimò addunt præfati Doctores, quod si regularis sit verè gravatus, & oppressus, ejusque appellationem gravans, & opprimens admittere nolit, nec facultatem facere adeundi Superiorem majorem, sed conjicit in carcerem, aut alio modo impedit; tunc justè sine sui Prælati licentia fugere, & Superiorem adire potest, ut à tali gravamine, & oppressione liberetur, quia hoc est de jure naturæ, nec ob id censuram aliquam, aut Apostasiam incurret.

30 Caveant igitur Superiores, ne ex passione, ut interdum accidere solet, subditum nimis gravent, vel opprimant, quia ut inquit Astesanus noster loc. cit. plus peccat Prælatus non intendens fidelem curam, quàm subditus non solvens humilem obedientiam. Primò ratione officii, quia debet verbo, & exemplo lucere subdito, sicut Sol in mundo, undè sicut casus Solis de Cœlo esset major defectus in mundo, quàm unius stellæ; ita maior est casus Prælati, quàm subditi; deinde ratione adiutorii, quia Prælatus habet majus adjutorium scientiæ, gratiæ, & obedientiæ subditorum sibi obsequentium, & in omnibus ipsum adjuvantium. Tertiò tandem ratione majori damni, quia sicut majus damnum est corpori infirmitas capitis, quàm pedis; sic defectus Prælati plus nocet Collegio, & religioni, quàm defectus unius, ac etiam plurium subditorum.

ARTICULUS QUARTUS.

De Obligationibus Religiosorum ratione voti Castitatis.

31 PRimò conveniunt DD. Religiosum per votum Castitatis emissum omnes venereas delectationes è se abdicare, etiam aliàs in statu conjugali licitas; qui enim castitatem in Religione vovit, non solùm contrahendo matrimonium mortaliter peccat, quin etiam matrimonium ipsum est irritum, & invalidum, etiamsi sit consummatum, ut habetur in Concil. Vienn. Clem. unica de consang. Tridentin. sess. 14. can. 9. & aliis Conciliis. Unde Castitas, quæ ante votum ad solam virtutem temperantiæ, & continentiæ pertinebat, per votum emissum, pertinet etiam ad virtutem Religionis, & sic violatio Castitatis in Religioso duplicem habet malitiam specificam in Confessione necessariò explicandam, nimirùm luxuriæ contrà temperantiam, & castitatem, & sacrilegii contrà Religionem. Per Castitatem itaque promissam obligatur Religiosus se abstinere ab omni voluntaria delectatione venerea interna, & externa, qualiscunque illa sit, ut à turpibus cogitationibus, delectationibus morosis, consensu, ac etiam actibus externis, ut ab aspectu, locutione, tactu, & similibus cum fœminis. & ratio est; quia sicut ista in sæcularibus sunt contrà Castitatem, vel Continentiam, ita in Religiosis sunt contrà votum; votum enim castitatis est nova obligatio, quam sibi Religiosus imponit supra obligationem juris naturalis, & divini, quod quidem hæc omnia prohibet extrà conjugium; ex quo fit, quod omnis actus venereus, qui in sæcularibus extrà conjugium est peccatum contrà Castitatem, sit in Religioso etiam sacrilegium, quia talis actus virtuti religionis quoque opponitur ratione voti emissi, ut dictum est. Ità Suarez. Sanchez, Lessius, Cornelio, Joannes Cruz, Layman, & Lezana loc. citat. capit. 5. ubi etiam advertit hanc malitiam sacrilegii esse mortalem in illis actibus, in quibus malitia libidinis in sæcularibus est mortalis, venialem verò tantùm, in quibus illa est venialis. & ratio est, quia circumstantia voti Castitatis obligationem juris naturalis non immutat, sed solùm addit circumstantiam sacrilegii, quæ circumstantia naturâ actus sequitur, cui adjungitur. Subdit tandem contingere posse, actum venereum, qui in sæcularibus est venialis, verbum v. g. inhonestum, gestum impudicum, & similia esse mortale in Religioso ratione scandali, quia cùm sæculares talia in Religioso vident, grave concipiunt scandalum, siquidem Religiosus ab his alienus omninò esse debet, & hoc ratione status Religiosi ad exemplum aliorum.

32 Se-

32 Secundò est difficultas, quomodo confitendę sint circumstantiæ voti Castitatis religiosæ, & annexæ ordini sacro. An, scilicet Religiosus Sacerdos, seù in sacris constitutus, contrà Castitatem peccans teneatur in Confessione manifestare circumstantiam voti Castitatis religiosæ, & voti Castitatis annexi Sacerdotio, aut Ordini sacro. Affirmant aliqui ut Petrus Ledesma cap. 19. de pœnitent. cum quibusdam aliis, quorum ratio est, quia ibi sunt duæ malitiæ specie diversæ, una contra Castitatem religiosam, & altera contrà Castitatem Sacerdotio debitam, aut Ordini sacro. Communis tamen, & probabilior opinio negat asserens sufficere, quod dicat se contra castitatis votum deliquisse. Ità Lezana loc. cit. cum Sanchez, Bonacina, & alii passim. & ratio est, quia sola præceptorum diversitas non facit malitias diversæ speciei, nisi etiam sint contrà diversas specie virtutes, ut dictum est suprà art. 2. hujus quæst. nu. 14. de frangente vigiliam in Quadragesima occurrentem; in proposito autem malitia contra Castitatem religiosam, & malitia contra Castitatem ordini sacro debitam, non sunt contra diversas virtutes, seù contra eandem, & ideò non sunt malitiæ specie diversæ, nec necessariò in Confessione manifestandæ, ambæ enim sunt contra Religionem; undè etiam subdit Lezana, quod in casu quo Confessarius cognoscat pœnitentem esse Religiosum, Sacerdotem, aut Diaconum, non tenetur pœnitens aliquam dicere circumstantiam voti Religionis, aut Ordinis sacri, eoquia Confessarius sciens pœnitentem esse Religiosum, Sacerdotem, vel Diaconum, sufficienter etiam cognoscit peccata ejus carnalia cum voto solemni Castitatis oppositionem habere, & esse sacrilegia. Ex qua doctrina pendet etiam solutio alterius difficultatis. An, scilicet, qui ultra votum simplex Castitatis emisit etiam votum solemne ejusdem, & contra illam peccat, utramque circumstantiam in Confessione aperire teneatur. Quamvis enim aliqui affirment, eo quod obligatio servandi Castitatem ex voto solemni sit major, & diversa, quàm illa, quæ ex voto simplici originem ducit. Probabilior tamen, & communior opinio negat id necessarium esse, cum Lezana loc. citat. eo quod utrumque votum est ejusdem speciei essentialiter, & solùm accidentaliter diversum ex sola Ecclesiæ institutione, ut dictum est art. 1. hujus quæstionis num. 7. Scoto 4. d. 38. quæst. un. & votum simplex Castitatis non minus obligat apud Deum, quàm solemne, ut etiam docet ex nostris Astetanus lib. 8. tit. 16. ac per consequens in tali peccato solùm est una malitia sacrilegii, quæ sufficienter explicatur dicendo, se votum Castitatis violasse.

33 Tertiò, propter Castitatem à religiosis Viris observandam, & conservandam ab Ecclesia prohibitum est illis intrà sua Monasteria fœminas admittere, cujuscunque qualitatis sint, & conditionis, & hoc primò ex motu proprio Pii V. edito anno 1570. qui incipit: *Regularium Personarum*, Deindè ex alia Constitutione Greg. XIII. quæ incipit: *Ubigratiæ*, quæ tamen prohibitio de puellis parvulis intelligenda non est, ut explicant Rodriquez, Sanchez, Lezana cap. 10. & alii communiter, quæ permitti possunt intrare Religiosorum Monasteria, non obstante prædicta Pontificum prohibitione, eo quod illorum finis est, ne detur Religiosis occasio impudicitiæ, & periculum, quod cessat in parvulis puellis. Nomine autem Monasterii tantùm intelligitur claustrum, Dormitorium, & officinæ interiores, ut patet ex Innocentio Quarto, Nicolao Tertio, & Gregorio Nono, sic explicantibus Regulam Minorum dictum fœminarum ingressum vetantem, undè mulieres hortos contiguos Monasteriis, & Sacristiam intrantes, dum tamen per istorum portas, & non Conventus intrent, præfatas Pontificum leges ingressum in Monasteria vetantes non violant. Nec obstat quod Gregorius XIII. in ea Constitutione dicat, quod non liceat intrare Monasteria, & eorum loca, quia per loca Monasteriorum intelligit illa, quæ Clausuræ sunt subjecta, ut sunt Claustrum, Dormitorium, & aliæ Officinæ interiores, ut explicat Joannes Cruz l. 1. c. cap. 5. ubi ait ità explicatum esse in suis Constit. FF. Prædicatorum d. 2. cap. 1. ubi habetur, quod mulieres non intrent claustrum, dormitorium, & alias Officinas interiores, & planè pluribus in locis, sic usu receptum est; & licet Bonacina de Clausura q. 1. pun. 1. & Lezana capit. 10. cit. & quidam alii dicant hortos Religiosorum Monasterio contiguos esse clausuræ subjectos, etiamsi habeant januam, per quam absque claustrorum ingressu in illa intrari possit, quia ista re vera sunt partes monasterij, & intrà Monasterii septa continentur. Addunt nihilominus, ut videre est apud Lezana loc. citat. quod si scandalum, & perturbatio Religiosorum absit, sitque contrarium usu receptum, ingressus mulierum in ea loca tolerari potest. In quibus autem casibus licitus sit talis ingressus declarat Pius V. in dicta Constitut. *Decet Romanum Pontificem*, declarat enim licere fœminarum ingressum in Claustra Religiosorum, quando in eis Missæ, & Diuina Officia celebrantur, at cùm processiones fiunt, & quandò Christi fidelium cadavera ibi sepeliuntur, ac etiam pro eis suffragia fiunt. Similiter, quando divinum verbum in Claustris Monasteriorum proponitur, vel per aliam quamcunque causam tantus concursus populi fuerit, quod commodè ingredi non possint, & egredi per portam Ecclesiæ concedit, ut dictæ mulieres una cùm aliis secularibus personis possint ingredi, & egredi per portam Claustri Monasteriorum, & locorum Regularium, dummodò recto tramite accedant ad portam, qua exitur è Monasterio. Alia ad hoc pertinentia, videri possunt apud Lezanam, Bonacinam, & Joannem Cruz loc. cit.

34 Quartò, similiter propter eandem Castitatem à Religiosis fœminis, seù Monialibus observandam præcipitur etiam illis non admittere intrà sua Monasteria quascunque personas, sivè viros, sivè fœminas, aut è suis Monasteriis egredi, paucissimis casibus exceptis. Moniales itaque intrà Clausuram sui Monasterii admittere non possunt quamcumq; personam cujuscumque generis, conditionis, aut sexus, ità habetur in cap. *Periculoso* de statu Regul. in 6. & in Concil. Trid. sess. 25. cap. 5. & in Bullis Pii V. & Gregorii XIII. Non extenditur autem hæc prohibitio ad infantes pueros, seù puellas, ut advertunt Joannes Cruz loc. cit. & Lezana cap. 5. & quando Concil. Trident. excludit omnes cujusvis ætatis, loquitur de habentibus usum rationis, & de illis, qui ad peccatum movere possunt, ut sunt fatui, qui licet intrando non peccent, peccant tamen Moniales eos admittentes; licentiam verò ingrediendi dictam Clausuram concedere possunt Episcopi respectivè ad Monasteria sibi subjecta, ac etiam Superiores Religiosi in Monasteriis sibi subditis, & hoc semper intelligitur in casibus necessariis, & causis legitimis occurrentibus licentiam concedendi. Causæ autem legitimæ, ut prædicti Auctores advertunt, sunt primò necessitates communes Monasteriorum, quæ per ipsas Moniales suppleri non possunt, v. g. fabricatorum, portatorum lignorum, & similium; deindè necessitates spirituales, v. g. Confessarii, seù Sacerdotis ministrantis Sacramenta infirmis; & tandem necessitates corporales, ut Medici, Chirurgi, &c. & generaliter loquendo satis est, quod hæc necessitas sit moralis, & nec licet ingredientibus ex aliqua præditarum causarum, finito negotio propter quod ingressus est, per aliquod temporis spatium notabile in Monasterio immorari, quia jam cessavit legitima causa ingressus, & lex in suo robore manet. Licet etiam superioribus monialium intrare earum Monasteria in casibus tamen necessariis, & comitati à paucis personis senibus, & religiosis. Ita Gregorius XIII. Bulla 42. ubi etiam Episcopi sine causa necessaria Monialium suarum Monasteria intrantes interdicuntur pro primo ingressu ab ingressu Ecclesiæ, & pro secundo ingressu excomunicantur, & suspenduntur à munere Pontificali, & à divinis, & alii Superiores Regulares sine causa necessaria in Monasteria Monialium suarum intrantes excommunicantur, & officio, & omni ministerio sunt privati. Possunt tamen in Monasteriis Monialium admitti puellæ seculares, ut ibi honestè educentur, ut à S. Congregatione Cardinalium declaratum fuit anno 1575. de licentia tamen superiorum, seù si à Superioribus Monasteriorum licentiam impetraverint, atque Abbatissæ, & reliquarum Monialium consensus accesserit, & aliis conditionibus servatis à Sacra Congregat. præscriptis; atque in eis dùm erunt, eandem servare debent Clausuræ legem, quam Moniales ipsæ, & si semel exierint, nullam habeant ad ea Monasteria revertendi facultatem. Ità Auctores suprà citati.

35 Quintò etiam, ut dicebamus, propter eandem castitatem servandam nequeunt Moniales professæ exire à Monasterio etiam ad breve tempus quovis prætextu ex Concil. Trident. sess. 25. cap. 5. & c. *Periculoso* jam citato, nec licentia egrediendi Monialibus à Monastrio concedi potest, nisi urgente gravissima causa, ut habetur in dicta Constitutione Pii V. anno 1569. ubi tres causæ assignantur, scilicet, *maximi incendii, vel infirmitatis lepræ, aut Epidemiæ*, & existente aliqua istarum necessitum, petenda est licentia à Superiore, si in brevi possit haberi, cum talis egressio vetita sit in jure sine tali licentia in ca. *Monachum* 10. qu. 4. & in Concil. Trid. loc. cit. si tamen periculum sit in mora, sat est licentia præsumpte, & tunc Moniales ad locum competentem se transferre debent, ubi quantum commodè fieri potest, clausæ morentur, quousque de Monasterio sit provisum; ità enim statuit Pius V. loc. c. & declaravit, quod ad solùm tempus necessarium stare licet Monialibus extrà Monasterium, & non amplius, quia licentia non durat, nisi durante causa egressionis. Affirmant etiam plures Doctores Navarr. Azorius, Guttierez, Lezana; Joannes Cruz, & alii plures, tres istas exceptiones Epidemiæ, Lepræ, & magni incendii in prædicta Constitutione contentas extendendas esse ad alios casus similes vel urgentiores, qualis est casus tempore belli ostium invadentium Monasterium, casus aquæductus, aut ruinæ domus, & alio-

aliorum similium incendio, ac etiam aliarum infirmitatum læpræ, & epidemiæ æquivalentium; undè nomine Epidemiæ dicunt non solùm pestem intelligi debere, sed & morbum etiam alium contagiosum, qui solet aliis de familia periculum mortis afferre. Ità Rodriq. Sanchez, Lezana, & alii. Imò addit Joan. Cruz loc. cit. quod stando etiam in rigore vocabuli Epidemia potest accipi pro morbo multos invadente, & populariter grassante etiam sine pernicie, & morte, quia si talis morbus contagiosus etiam absque pernicie, & morte ex una in alias Moniales transeat, & per Monasterium grassetur, difficillimè clausura servaretur, cùm ad minus necesse sit illuc Medicos introducere, & alias mulieres sæculares ad monialium medicamen. Difficultas tamen est, an iste egressus sit licitus in infirmitatibus soli moniali nocivis, & non toti communitati. Negant Rodriquez, Sanchez, Silvius, & plures alii, quorum ratio est, quia Pontifex in illa exceptione solùm consulit vitæ, & incolumitati totius communitatis, aut majoris partis ipsius, non unius, aut alterius Monialis. Tùm etiam quia magis præponderat bonum communem Religionis, aut Conventus, quod positum est in exacta clausuræ observantia, quàm bonum particulare vitæ unius monialis. Alii verò etiam oppositum probabile censent, & magis pium, quia sæpius hoc nullum præjudicium faciet bono communi Religionis, & lex naturalis conservandæ vitæ superior est quocunque præcepto Ecclesiastico. Ità Suarez, Lezana, Joannes, Cruz, & alii cum Navarro in ca. *Statuimus*, ubi extendit dictum decretum Pii V. ad infirmitatem soli moniali nocivam, cui exeundo à Monasterio remedium adhibetur, si aliàs periculum vitæ, aut gravis, & diuturnæ infirmitatis probabiliter timetur. Vide pro aliis casibus Bonacinam de Clausur. qu. 1. punct. 9.

36 Sextò, variæ sunt pœnæ transgressoribus prædictarum Constitutionum impositæ, pœnæ etenim, quas Religiosi incurrunt admittentes fœminas in sua Monasteria sunt privationes officiorum, quæ in præsenti obtinent, & inhabilitatis in posterum ad illa, & alia omnia, & suspensionis à divinis ipso facto sine alia declaratione. Ità Pius V. in suo motu proprio, & Gregorius XIII. addit privationem dignitatum, & beneficiorum, & inhabilitatis ad illa, & excommunicationem Pontifici reservatam. Pœnæ verò contrà ingredientes Monasteria monialium ultra casum necessitatis, & sine Superioris licentia sunt excommunicatio ipso facto ex Concil. Trid. sess. 25. cap. 5. illamque Summo Pontifici reservavit Gregorius XIII. in Bulla illa 1575. quæ incipit *Ubi gratiæ*, ubi etiam contrà Prælatos, vel Moniales talem ingressum permittentes infligit pœnam privationis dignitatum, & beneficiorum suorum, ac inhabilitatis ad illa, & alia inposterum obtinenda. Circa autem hujusmodi pœnas, quæ in Decretis Pontificum, aut S. Congregationis contrà præfatos transgressores apponi solent, advertendum est cum Lezana ca. 10. quod pœnæ excommunicationis, suspensionis, interdicti, & irregularitatis impositæ ipso facto, ut si dicatur *ipso facto ipso jure*, aut *eo ipso* incurrendæ, non solùm obligant in foro exteriori, sed etiam interiori conscientiæ, itaut antè omnem Judicis sententiam teneatur transgressor legum ad illas obligantium illas subire, hæc enim est communis totius Ecclesiæ praxis; quando autem hujusmodi pœnæ non ponuntur ipso facto incurrendæ, ut si in lege dicatur solùm *excummunicatur*, *suspenditur* vel *sub pœna excommunicationis*, *sub pœna suspensionis* non incurruntur, donec per Judicem sit lata talis sententia, vel declaratio; sic etiam pœnæ illæ, quæ adjungi solent contrà transgressores, privationis vocis activæ, passivæ, privationis officiorum, dignitatum, administrationum, bonorum, &c. & inhabilitatis ad prædicta, vel alia quævis obtinenda ipso facto, vel ipso jure &c. infligendæ; hujusmodi inquam, pœnæ pariter in conscientia non obligant antè Judicis sententiam adminus declaratoriam transgressionis talis legis. & ratio est, quia sic usu receptum est apud viros doctos, eo quod hoc est conforme naturæ legis humanæ, quæ facilis esse debet, & fragilitatis humanæ accomodata, nimis enim durum, & asperum videtur, quod hujusmodi pœnæ incurrantur antè Judicis sententiam, & delicti declarationem. Quando tandem non solùm istæ pœnæ ponuntur sub illis terminis *ipso facto*, *ipso jure*, *eo ipso*, &c. sed ulterius adduntur hæc verba *absque ulla declaratione*, *antè omnem declarationem*, *absque ullo Superioris decreto*, *vel sententia*, & similes dictiones; tunc valdè probabile est, tales pœnas incurri, & obligare in conscientia etiam, & foro interiori antè quamcunque declarationem, quamvis aliqui Theologi oppositum sentiant. & ratio est, quia dum Pontifices, & harum legum latores iis utuntur terminis, nil aliud intendere videtur, nisi quod ad hoc, quod illæ pœnæ in utroque foro incurrantur, nulla expectetur sententia, sed in hoc sint similes Censuris, & irregularitatibus, aliàs frustrà, & superfluè illæ particulæ apponerentur, *absque ulla declaratione*, *antè ullam sententiam*. Ità Lezana loc. cit. cum Suar. Vasquez, & pluribus aliis.

37 Postremò, Religiosus voto Castitatis adstrictus nefandum Sodomiæ peccatum committens, non solùm contrà hujusmodi votum graviſſimè peccat, sed etiam pœnas in Conc. Lateran. taxatas sub Alexand. III. relato in c. *Clerici* de excess. prælat. ac etiam alias posteà à Pio V. in Constit. edita anno 1568. quæ incipit *Horrendum illud*, in qua decernitur, quod omnes Presbyteri, & alii Clerici sæculares, & Regulares cujuscunq; gradus, & dignitatis tam dirum nefas exercentes omni privilegio Clericali, omnique officio, dignitate, & beneficio Ecclesiastico priventur; ità quod per Judicem Ecclesiasticum degradati, potestati statim sæculari tradantur, qui de eis illud idem capiat supplicium, quod in Laicos hoc in exitio devolutos legitimis reperitur sanctionibus constitutum. Ità ad verbum loquitur citata Constitutio, ubi cum Navarro, & aliis illa particula advertenda est *tam dirum nefas exercentes*, per hanc enim innuitur ad illas pœnas incurrendas non sufficere, quod quis semel, vel altera vice tantùm hoc crimen perpetraverit, siquidem illa particula denotat actum per plures vices continuatum, & cùm in prædicta Constitutione hujusmodi pœnæ non ponantur ipso facto incurrendæ, juxtà regulam datam dicendum est non incurri, donec per Judicem sit lata talis sententiæ, declaratio. Itaque Religiosus ratione voti Castitatis in professionem emissi ad omnia prædicta observanda tenetur; expositores tamen Regulæ Minoritanæ, ut Bartoluccius noster advertit in Minorica cap. 3. de Voto Castitatis, inquiunt, quod voti Castitatis vinculum, sicut, & aliorum votorum, Fratribus Minoribus strictiori observantia indicitur, quàm cæteris Religiosis. & ratio est quia non solùm ipsi tenentur ad præfata Venerea evitanda, quod omnibus Regularibus est commune, sed prætereà ipsis specialiter præcipitur, quod omninò evitare debeant suspecta consortia, & concilia mulierum, ingressum in monialium Monasteria, ac denique compaternitates virorum, & mulierum, quæ cap. 10. prædictæ Regulæ prohibentur. Peccatum denique Religiosi contrà castitatem, seù lapsus carnis voluntarius opere consummatus à Superioribus Regularium reservari potest ad majorem, & rigidiorem hujus voti observantiam, ut Clemens VIII. declaravit anno 1593. in decreto de Casuum reservatione, ubi iste non loco ponitur inter eos quos reservari posse permitti; per lapsum autem carnis voluntarium non solùm intelligitur fornicatio, adulterium, incæstus, &c. sed etiam quæcunque voluntaria pollutio, aut molities, ut communiter docent Doctores, eo quod etiam iste est lapsus carnis voluntarius, ac etiam in sua specie opere consummatus, licet aliàs in ordine ad alium ultimatum actum, scilicet copulam, non sit consummatus. An verò casus reservati à Prælatis Regularium sint etiam reservati pro suis Novitiis, Doctores non conveniunt, Ledesma namque, Joannes Cruz, & quidam alii negativam tuentur partem, quorum ratio est, quia antè professionem non sunt Religiosi; ergo nec legibus Religiosorum sunt adstricti. Sed probabilior videtur pars affirmativa, & ratio est, quia cùm Novitii sint exempti à jurisdictione Episcoporum, ut Doctores communiter docent, consequenter manebunt sub jurisdictione Prælatorum Ordinis, quem sunt ingressi, ac eorum legibus erunt subjecti. Ità Corduba, Rodriquez, & alii Doctores communiter, & rationabiliter, quia hoc postulat recta Novitiorum educatio, & institutio, ut in Regula instruantur, quæ profiteri volunt.

ARTICULUS QUINTUS.

De obligationibus Religiosorum ratione voti Paupertatis.

38 QUamvis paupertas voluntaria in ordine, & numero trium votorum essentialium sit ultimum, est tamen primum fundamentum ad perfectionem charitatis acquirendum, & ad statum Religionis, ut docet D. Th. 2. 2. qu. 186. a. 3. & deducitur ex illo Mat. 19. *si vis perfectus esse, vade, & vende omnia, quæ habes, & da pauperibus*, ac si dicat, ab hoc debes incipere si vis ad perfectionem tendere, per votum enim paupertatis Religiosus abdicat à seu dominium cujusvis rei temporalis, undè paupertas definiri solet, quod sit *voluntaria rerum temporalium abdicatio*, *per quam Religiosus ipsorum proprietate privatur*. & ratio est, quia opponitur proprietati, quę est facultas possidendi, & utendi aliqua re ad libitum, ex quo infertur Religiosum peccare mortaliter ex genere suo tale votum violando: in individuo tamen peccabit mortaliter, vel venialiter ex gravitate, vel parvitate materiæ eo modo, quo peccat, qui rem alienam contrectat Domino rationabiliter invito, & sic quę est materia gravis ex objecto pro furto, eadem gravis erit pro constituendo peccato mortali contra votum paupertatis, cujus exacta cognitio

maximè necessaria est pro Religiosorum conscientiis dirigendis, quia alii strictius, alii latius de eo sentiunt, ex quo non mediocres scrupuli oriri solent, atque ideò plura in hac materia sunt examinanda ad scrupulos tollendos.

39 Primò itaque Religiosus voto paupertatis obligatur, ut nihil habeat proprium, ubi nomine proprii bona temporalia intelliguntur pretio æstimabilia, quorum dominium, & facultatem disponendi liberam, & independentem in perpetuum per tale votum à se abdicavit. & notanter dicitur hoc de bonis temporalibus, quia Religiosus retinet dominium bonorum spiritualium honoris, famæ, & similium, eo quod per votum paupertatis non renunciat prædictis bonis, aut juribus spiritualibus, sed solùm bonis temporalibus, ut docet D. Thomas 22. qu. 186. art. 7. & non solùm tenentur Religiosi ex voto paupertatis ad non habendum proprium, sed etiam ex vi præcepti Ecclesiastici, ut patet ex c. *Non dicatis* 12. q. 1. & can. *Cum ad Monasterium*, quod etiam confirmarunt Concil. Trident. sess. 25. capit. 2. & plura alia Pontificum decreta. Itaque paupertas Religiosa privat dominio cujuscunque rei temporalis, cùm enim dominium sit jus perfectè disponendi de re corporali, per paupertatem hoc jus perfectè disponendi tollitur, & aufertur; privat etiam usufructu, quod est jus utendi, & fruendi aliena re salva ejus substantia, quia per paupertatem Religiosus hoc quoque jure privatur, nec illud habet, nisi dependenter à Superioris voluntate. & ob eandem rationem privat quoque usu juris, qui est usus utendi re aliena; non tamen privat usu facti, quia hic usus paupertati non opponitur, servi namque nihil habent proprii, & tamen hunc usum habent respectu vestium, & ciborum, quæ illis à Dominis suis administrantur, & conceduntur. Ità Azorius, Lessius, Navarrus, Sanchez, Lezana, & alii Doctores passim; ex quo inferunt Religiosum ob votum paupertatis emissum non solùm non posse habere dominium usumfructuum, aut usum alicujus rei, prout quid juris important, sed neque etiam possessionem, administrationem, aut peculium, prout etiam quid juris important, quia hæc omnia, hoc modo sumpta facultatem important utendi aliqua re ad libitum, & independenter à voluntate alterius, quod voto paupertatis directè repugnat; sicut enim per votum obedientiæ Religiosus voluntati Superioris omnes suas subjecit actiones; ità pariter per votum paupertatis ejusdem Religioso non remanet post votum paupertatis emissum, nisi purus usus facti, idest, usus rerum necessariarum dependenter à Superioris voluntate, & ad ejus nutum, quia hic usus cum paupertate non pugnat. Quæ doctrina deducitur ex dictis suprà disp. 3. de Justitia, & jure qu. 1. art. 1. ubi explicavimus quid sit dominum, usus fructus, usus juris, & usus facti, ac etiam fusè declaratur à Fabro nostro disp. 45. de Restitutione cap. 2. & seq. quo autem sensu dici possit Religiosus habere etiam usum juris, ut dixit Joannes XXII. in Extravagante *Ad conditorem*, jam declaravimus disp. 3. cit. q. 1. ar. 1. numer. 12. resolvendo gravem controversiam olim ortam inter prædictum Pontificem, & Nicolaum Quartum occasione peculiaris paupertatis, quam profitentur Fratres Minores Regulam S. Patris Francisci in puritate sua observantes, de qua etiam fusè tract. Faber loc. cit.

40 Secundò, non repugnat voto paupertatis, quod Religiosi habeant bona in communi etiam immobili. & ratio est, quia tale votum solùm dicit abdicationem dominii privati bonorum temporalium, & ità Concil. Trident. sess. 25. de Regularibus cap. 3. ubi habet. Concedit S. Synodus omnibus Monasteriis, & Domibus tam Virorum, quàm Mulierum, & Mendicantium, exceptis Domibus Fratrum sancti Francisci Capuccinorum, & eorum, qui Minorum de Observantia vocantur, etiam quibus aut ex Constitutionibus suis erat prohibitum, aut ex priuilegio Apostolico non erat concessum, ut deinceps bona immobilia eis possidere liceat, &c. Ita Trident. loc. cit. Quod autem prædicti Minores de Observantia, nec in particulari, nec in communi possint habere dominium rerum, quæ possident, jam anteà determinarunt Nicolaus IV. cap. *Exiit qui seminat*, de verb. signific. in 6. & Clemens V. Clem. 1. §. *Proinde cum Vir Sanctus*, quare dominium earum rerum, quas illi Fratres possident jam loco supra citato disp. 3. q. 1. artic. 1. residere diximus, vel apud eleemosynarum largitores, vel Sedem Apostolicam nudo duntaxat usu facti ad vitæ sustentationem ipsis concesso, quod verificatur maximè post Bullam quandam Martini V. & Pauli III. ut refert Rodriquez 2. tom. qq. Regul. quæst. 125. ar. 6. Quamvis autem majoris sit perfectionis in Religione nihil habere proprium, nec in particulari, nec in communi, ut probat Astesanus noster libr. 6. citat. tit. 47. capit. 4. ex D. Gregorio hom. 12. super Ezech. & ex D. August. de doctrina Christiana libr 3. cap. 3. ac etiam ex illo, quod Christus Dominus dixit Apostolis Matth. 10. *Nolite possidere aurum, neque argentum, neque pecuniam*, quibus verbis videtur Dominus prohibere Apostolis, quos voluit esse majoris perfectionis, ne aliquo modo possiderent in communi, nec in particulari hæc temporalia. Nihilominus conveniunt Doctores, & Patres habere bona in communi non contrariari paupertati Religionis, nec paupertatem Evangelicam lædere, vel minuere, & oppositum damnatur à Joanne XXII. in Extrav. cit. *Ad Conditorem*, & in Extravag. *Inter nonnullos*, de verb. signific. & illud asserentes habentur tanquam hæretici, & in Direct. inquis. q. 1. & 18. ut refert Joannes Cruz lib. 1. cap. 4. dub. 2. Imò dicunt aliqui hanc fuisse paupertatem ab Apostolis servatam, quia habebant bona in communi, quod colligunt ex Actor. 2. & ex eo, quod legitur Joann. 12. quod Judas habebat loculos, in quibus ea servabat, quæ mittebantur, & Joann. 4. quod Discipuli intrabant Civitatem Samariæ, ut emerent necessaria. Sed quicquid sit de hoc, an Apostoli habuerint bona in communi, certum est illa habere paupertatem Evangelicam non lædere, nec paupertati Religionis contrariari, quia votum paupertatis, ut dictum est, solùm importat abdicationem dominii privati bonorum temporalium.

41 Tertiò præterea, modus specialis, quo Religiosi tenentur servare votum paupertatis, ut Doctores communiter docent, est vivendo vita communi; vivere autem in communi, ut notat Bartoluc. noster lib. 1. c. 3. de voto paupertatis n. 32. est vivere in vera paupertate, & de manibus Prælati sincerè recipere quicquid opus est cuique ad suæ vitæ sustentationem, puta, victum, vestitum, Cellam, mobilia, utensilia, & alia hujusmodi, & æquo animo retinere, recipere, & resignare totum, quod per manus obedientiæ ad ipsum Religiosum pervenerit. Tenetur autem Religiosus ad hunc vivendi modum, quia licet sine tali vita communi votum paupertatis simpliciter observari possit, ut ait Lezana cap. 6. cum Navarro, & aliis, ac etiam Faber noster disp. 45. cit. c. 5. cum votum paupertatis substantialiter in eo consistat, ut non habeatur dominium alicujus rei temporalis, aut usus ipsius sine licentia Superioris. Nihilominus Ecclesia Spiritu Sancto edocta, prospiciens difficultatem observandi paupertatis votum sine prædicta vita communi, ideò hunc specialem vivendi modum omnibus præscripsit, ut patet ex Concilio Tridentino loc. cit. ubi statuit, quod nemini Regularium, tam Virorum, quàm Mulierum liceat bona immobilia, vel mobilia cujuscunque qualitatis fuerint, etiam quovis modo ab eis acquisita, tanquam propria, aut etiam nomine Conventus possidere, vel tenere, sed statim ea Superiori tradantur, Conventuique incorporentur. Nec deinceps liceat Superioribus bona stabilia alicui Regularium concedere, etiam ad usumfructum, vel usum, administrationem, vel commendam. Ita Concil. loc. cit. quæ omnia confirmata fuerunt à Clemente VIII. in decretis pro reformat. Regular. quæ habentur tom. 3. Bullar. numer. 60. & posteà approbata, & innovata à Sacra Congregatione Concilii Auctoritate Urbani VIII. in decretis de Apost. & ejectis. Neque audiendi sunt, ut rectè advertit Lezana loc. citat. aliqui dicentes mentem Concilii, Summorum Pontificum, & SS. Congregat. eam solummodo esse, quod Religiosi nihil habeant inamovibile, & independens à voluntate Superioris; non verò, quod non possint habere quæcunque bona, sivè mobilia, sivè immobilia, amoviblliter tamen, & dependenter à Superiorum voluntate. Non, inquam, sunt audiendi, quia hoc est manifestè eludere verba Concilii, Pontificum, & Sacræ Congregat. quorum decretis expresè præcipitur quod omnia à Religiosis quomodocunque acquisita, *Statim Superiori tradantur, & Conventui incorporentur, ac cum aliis ipsius bonis confundantur*. Undè illorum est intentum, non solùm quod Religiosi nihil independenter à voluntate Prælatorum habeant, sed ut administratio bonorum illorum ad solos Officiales Monasteriorum pertineant, & non ad ipsos Religiosos privatim, ut indè communis victus, & vestitus omnibus suppeditari possit, in quo vita communis consistit.

42 Quartò tamen addendum est, cum Valentia, Vega, Rodriquez, Lezana, & Fabro nostro loc. cit. & aliis communiter, quod non obstantibus predictis decretis in illis Monasteriis, in quibus vita communis observari non potest, dando Religiosis ea, quæ sunt simpliciter necessaria, sivè ob nimiam paupertatem, sivè ob malitiam, incuriam, vel negligentiam Superiorum, Religiosis aliquod peculium permitti potest, etiam rei stabilis, annus redditus, vel census, si aliter commodè vivere non possint, & secundùm decentiam status, in ordine tamen ad usus tantùm simpliciter necessarios, & amovibiliter ad nutum Superioris. & ratio est, quia peculium hoc modo sumptum non est Religiosis prohibitum, neque ex natura voti paupertatis, quia votum paupertatis solùm excludit possidere, aut uti aliqua re independenter à voluntate Superioris, neque ex vi juris communis; quia licet capit. *Cum ad Monasterium*, & cap. *Monachi* de statu Monachorum, Religiosis prohibeatur

beatur aliquod habere peculium, hoc tamen intelligitur de peculio sine rationabili causa concesso, vel irrevocabili, & à voluntate Superioris independenti; sed solùm est contra præcepta Ecclesiastica Concil. Tridentini, & Summorum Pontificum jam relata. Cùm igitur hæc præcepta non obligent cum morali impossibilitate, qualis in casibus propositis supponitur esse, tunc non obligare censentur; eatenus enim Concil. Tridennum, & Summi Pontifices prædicta omnia Religiosis prohibuerunt, quia supponebant Monasteria, ac eorum Superiores singulis Religiosis omnia necessaria subministrare, ut ex verbis ipsorum decretorum satis constat; ergò in casibus propositis, in quibus Monasteria de necessariis non provident, leges istæ Ecclesiasticæ cessare censentur, & Religiosis licitum est peculium prædicto modo declaratum, ac pariter quod ea, quæ Religiosi propria labore, industria, donatione acquirunt, concedantur ipsis ad usus necessarios, & honestos. Similiter in prædictis Conventibus, in quibus Religiosi non providentur sufficienter de necessariis simpliciter ad vitam, & decentiam status, vel ob Monasterii paupertatem, vel ob malitiam, aut negligentiam Superiorum, ut interdum accidere ostendit Faber cum Navarro disp. 45. citat. num. 138. licita est aliquarum Religionum consuetudo, in quibus de bonis Monasterii certa portio pecuniarum, quod vestiarium appellari solet, applicatur Religiosis pro quolibet Mense, vel anno, & hoc ad usus solùm necessarios, & dependenter à voluntate Superiorum; hoc siquidem aliud non est, quàm Superiorem applicare necessaria Religiosis de bonis Monasterii, quod sine dubio licitum est, ac debitum, ut advertit Lezana loc. c. cum Navarr. Sanchez, & aliis.

43 Quintò ulterius addendum est, quod in prædictis Conventibus, & casibus, in quibus ob rationes allatas vita communis observari non potest dando singulis, & omnibus Religiosis ea, quæ sunt eis simpliciter necessaria secundum decentiam status, servandum est ad minus commune, & publicum pecuniarum depositum ex his, quæ Religiosi acquirunt, aut Monasteria ipsis concedunt, & quoad portionem singulis applicatam, ex quo extrahantur expendenda pro singulorum necessitatibus, quod si tale depositum, vel ærarium à Religiosis non servetur pecunias, & alia acquisita in eis reponendo, sed apud se retineant, peccant, peccato proprietatis; & contrà votum paupertatis, quia illas possident contrà sui Superioris voluntatem, qui Depositarium publicum ad hoc assignavit, ut nempè apud illum Religiosi suas reponant pecunias, ac etiam contrà Pontificum decreta id præcipientium, ut præsertim constat ex decreto Sacræ Congregationis Apostolicæ visitationis jussu Urbani VIII. die 13. Julii anno 1627. pro Franciscanis Conventualibus Monasteriis Sanctorum Apostolorum Romę, quod habetur in nostris Constitutionibus Urbanis in c. 4. regulæ t. 1. & refertur etiam à Lez. c. 6. c. ubi habentur hæc verba. *Pecuniæ verò, alieque res quæcunq; Fratrum intrà vigintiquatuor horas tradantur Superiori in commune Conventus Ærarium reponendæ, triplicique clave custodiendæ, quarum una penas Guardianum pro tempore existentem, duæ verò aliæ penes alios duos fratres singulo quoque anno per Conventum eligendos conserventur, ex quibus subministrato exhibitori, quantum Religiosæ ejus necessitates expostulare videbuntur, reliquum penes Ærarium remaneat, & arbitrio duarum ex tribus partibus Capituli, vel Congregationis Provincialis singulis annis faciendæ erogetur.* Et ideminferius in eodem cap. à nostris Constitutionibus præcipitur tit. 8. de particularium Fratrum eleemosynis, & quod qui secus attentare præsumpserit, pecunias quomodolibet acquisitas, seù largitas celando, seù malitiosè apud se, vel apud alios retinendo, veluti proprietarius puniatur; ex quo sequitur loquendo de prædictis Conventibus, & casibus adductis non esse contra paupertatem, sed licitum, quod ea quæ Religiosi proprio labore, industria, aut donatione acquirunt, ipsi concedantur ad usus necessarios, & honestos, ut docent Azorius, Valentia, Graffius, Lezana loc. cit. & plures alii. Hinc Faber noster disp. cit. c. 5. num. 125. & sequent. deducit, habere aliquid in particulari, ut peculium prædictum, non repugnare vitæ communi servatis tribus conditionibus. Prima, quod sit de rebus necessariis, non superfluis. Secunda, quod sit concessum justa de causa. Tertia, quod sit concessum à Superiori; observantia enim depositi, & ærarii jam declarata, quamvis non sit totaliter conformis perfectæ Communitati, est tamen prævia, & proxima dispositio ad perfectæ Communitatis introductionem quia Depositum ad hoc inventum est, ac institutum, ut auferatur à Religiosis usus fructus, & administratio bonorum, quæ ab eis habentur, & Monasterio incorporentur; sed quantum ad usum facti simplicem remaneant designata ad sublevandas eorum necessitates, & hac ratione pecuniæ servatæ non confunduntur.

44 Sextò in prædictis tamen Monasteriis, & casibus assignatis observandum est, quoad fieri possit, ut notat Lezana loc. citat. quod pecuniæ ex prædicto peculio, bono stabili, vel censu provenientes, vel ex proprio Religiosi labore, aut industria acquisitæ, vel quas Monasterium ei concessit ad usus simpliciter necessarios, non possideantur, colligantur, aut expendantur ab ipsis Religiosis, sed à publicis Monasterii Officialibus ab ipso ad id munus designatis, id enim expresè indicat Concil. Tridentin. loc. cit. sess. 25. cap. 2. dicens *administratio autem bonorum Monasteriorum ad solos officiales eorundem ad nutum Superiorum amovibiles pertineant*; & idem præcipiunt etiam Constitutiones nostræ Urbanæ loc. cit. Adhuc tamen licitè potest aliquando Superior, ut Faber advertit disp. 45. cit. num. 131. pecunias aliquas pro honestis, & necessariis indigentiis concedere particulari Religiosis etiam ab ipsis expendendas, quia de facto videmus ratione itinerum, equitationum, & hujusmodi, Superiores Religionum, quæ etiam vitam communem exactè observant, concedere ipsis particularibus Religiosis pecunias expendendas pro hospitatione, equitationibus, & similibus; qua ratione Lezana quoque c. 6. cit. nu. 56. cum Sanchez, & aliis inquit, quod consuetudo etiam aliquid retinendi, accipiendi, dandi, vel expendendi sine licentia Superiorum, quando est recepta, & viget consentientibus ipsis, excusat Religiosum à peccato proprietatis regulariter loquendo, quia talis consuetudo vim licentiæ habet saltem tacitæ. Imò Joannes Cruz. l. 1. cap. 3. dub. 1. ait cum Victoria, Lopez, & aliis non peccare Religiosum saltem mortaliter retinendo pecunias aliquas in Cella, & non in communi depositio, dummodò tamen animum habeat eas expendendi de licentia Prelati, neque retineat eas in Cella animo celandi Prælato, nam si Religiosus, quando fit scrutinium à Prælato, aliquid in Cella vel alibi retentum celaret, mortaliter peccaret ex genere; licet si res celata sit levis, probabile sit tantùm venialiter peccare, siquidem in istis præceptis, sicut, & aliis naturalibus, & positivis, quod ex suo genere est peccatum mortale, ob levitatem materiæ fit veniale. Quamvis enim aliqui putent in materia proprietatis non posse dari materiam levem, propter quam solùm venialiter peccetur, ut Vivald. Passarellus, Vandellus, & alii; oppositа tamen sententia longè probabilior est posse crimen proprietatis quamvis ex genere suo mortale, reddi veniale ex parvitate materiæ, ut dictum est initio articuli, itaut si Religiosus aliquid leve possideat, accipiat, expendat, &c. sine licentia sui superioris, solùm venialiter peccet, quod etiam docet Lezana cap. 6. cit. num. 57. Hæc autem omnia approbo cum præfatis Auctor. non ut abusibus ansam præbeam, sed ut timoratis conscientiis Religiosorum satisfaciam, qui in prædictis Monasteriis, ubi vita communis exacta observari nequit, aliter vivere non possunt.

45 Septimò, conveniunt tamen DD. omnes, quod si Prælatus subdito permittat, ut bona ex quacunque causa, vel titulo provenientia in usus vanos, turpes, aut illicitos expendat, aut superflua, pretiosa, ac statum suum excedentia, & dedecētia penes se habeat, non solùm subditus peccat contrà votum paupertatis, sed etiam Prælatus, estq; talis donatio, seù alienatio, irrita, & restitutioni obnoxia. & ratio est quia Prælatus majorem facultatem subdito conferre non potest, quàm ipse habeat, ipse autem cum non sit dominus bonorum Religionis, & Monasterii, sed tantùm fidelis dispensator, non potest ea bona inutiliter, & arbitratu suo expendere, sed tantùm in Religionis necessitatem & utilitatem. Ità Navar. Valentia, Silvius, Molina, Azorius, Lessius, Sanchez, Layman, Lezana, & alii passim, qui tamen omnes addunt posse Religiosum de licentia Superioris facere aliquas moderatas eleemosynas, & hanc licentiam esse debere, expressam, vel saltem tacitam, & præsumptam, quod enim tacita sufficiat, saltem quoad Deum, & in foro conscientiæ docet D. Th. 2. 2. q. 32. a. 8. ad primum, qui eam appellat præsumptam, & dicit valere ad faciendam eleemosynam, siquidem aliquid dare, seu donare alicui sine licentia saltem præsumpta superioris esset actus proprietatis, & dominii, excepto tamen casu, quod pauper esset in extrema necessitate constitutus, tunc enim posset Religiosus ei subvenire etiam sine licentia superioris, quia in tali necessitate omnia sunt communia, ut in superioribus dictum est. Imò Faber noster disp. 45. cit. n. 127. docet cum Navarro, & aliis, quod licet etiam concedere religioso benemerito, ut aliqua elargiatur cognatis pauperibus ad conservationem sui status, præsertim verò, quando ejus intuitu aliqua bona notabilia ab initio ingressus, vel postea Monasterio obvenerunt per successionem, artem, & industriam ejus, quod probat ex eo quod refert Navarrus Comment. 2. de Regularibus n. 25. ubi ait, quod Dominicani S. Stephani Salmanticæ solent Magistris ejusdem Ordinis Cathedras magnorum stipendiorum ibi regentibus permitere, ut ex illis cognatis pauperibus subveniant; quod etiam ex eo confirmari potest, quod Monaste-

ria, & Superiores nomine ipsorum possunt, & tenentur de superfluis eleemosynas facere pauperibus. & ratio est, quia ut ait Molina t. 2. de Justitia dis. 276. ipsi quoque obligantur præcepto communi dandi eleemosynam, sicut alii.

46 Postremò, ex dictis resolvitur quæstio, an Religiosi vitam communem non observantes sint proprietarii, & pœnas incurrant proprietariis indictas. Etenim ut optimè Lezana discurrit c. 6. cit. in fine, loquendo de illis Monasteriis, & Conventibus, in quibus vitæ communis superius explicatæ observantia viget, si aliqui Religiosi eam non observent, absque dubio proprietarii censendi sunt, ac ut tales plectendi. & ratio est, quia Conc. Trid. sess. 23. c. 1 Regularibus omnibus tam uirris, quam mulieribus præcipit, ut communem vitam, victum, & vestitum fideliter observent, quod præsertim intendit de Monasteriis, & Conventibus, ubi singulis Religiosis necessaria subministratur pro victu, & vestitu secundum decentiam sui status. Tùm quia in tali casu prædicti Religiosi peculia possident, & portiones contrà intentionem Regulæ, quam professi sunt, & voluntatem suorum Superiorum, ac etiam Summorum Pontificum, ut constat ex eorum decretis superius allatis. Loquendo autem de aliis Conventibus, in quibus vitæ communis observantia non viget, vel propter eorum penuriam, & impotentiam subministrandi necessaria omnibus, & singulis Religiosis, vel proptet malitiam, & negligentiam Superiorum, qui nolunt, vel negligunt singulis Religiosis necessaria subministrare pro victu, & vestitu, excusari possunt à peccato propietatis, si alio modo comodè, & secundum decentiam status vivere nequeunt, & ad minus commune Depositum, vel ærarium servare debent modo jam explicato. Ità Lezana loc. cit. cum Bartolomeo à Sancto Fausto de Voto Paupertatis quæst. 196. & 197. Qui tamen, & valdè notabiliter addit Religiosos, ità viventes, quia aliter vivere non possunt, & vitam communem in prædictis Conventibus observare non possunt, paratos semper, & promptos esse debere ad reformationem recipiendam, & vitæ communis introductionem, si à Superioribus de novo instituatur, seù restauretur; nec ullo modo talem reformationem, & vitæ communis restaurationem sine gravissimo mortali peccato renuere posse. & ratio est, quia cum modus vivendi in vita communi Religiosos omnes sub mortali peccato universaliter obliget, nec ab illius observantia aliter excusari possint, nisi quia Monasterium illis necessaria non subministrat victu, & vestitu secundùm decentiam status; eo ipso quod hujusmodi necessaria illis suppeditantur, & providentur, nulla amplius remanent excusationis ratio; & hanc ait Lezana esse communem Doctorum sententiam Sylvestri, Valentiæ, Lessii, Navarri, Rodriquez, Bartholomæi à Sancto Fausto, & aliorum passim, quorum plures inquit præsertim loqui de obligatione Superiorum ad prædictam vitam communem in omnibus Conventibus introducendam.

47 Et quidem rationabiliter DD. allati hanc Superiorum obligationem exagerant, quia ut inquit Faber noster disp. 45. cit. n. 138. quærens, undè proveniat, quod in quibusdam Religionibus vita communis exacta non servetur, nec introduci possit; quamvis hoc proveniat ex nonnullis Religiosis privatis, & subditis, qui parum Deum timentes, & suæ professionis immemores volunt pecuniis pro voluntate uti; principalius tamen, & majori ex parte ex imperfectione, & culpa Superiorum majorum provenit, ut ibi cum Navarro ostendit; quamvis enim extrinsecè sanctitatem, & sermonibus publicis, ordinibus, & factis quibusdam externis Religionis reformationem, & vitæ communis reparationem prætendere videantur: intrinsecus tamen sunt Lupi rapaces, & non nisi pecuniæ inhiantes, & munera accipientes à Religiosis dignitates, & officia ambientibus, quantumvis indignis, & dignioribus prætermissis, & hoc quotidiana experientia demonstrat in quibusdam Religionibus, Ministri enim Generales terminato eorum officio, ditiores facti dignitates Ecclesiasticas extrà Religionem quærunt; vel si in religione persistant, omnes cumulatas opes ad suos Conventus deferunt, in quibus nec etiam vitam communem observari procurant, & hoc est, quod Faber noster zelo Religionis impulsus exagerat, & cum lacrymis deplorat l. c. Ad majorem voti paupertatis declarationem hic ulterius agendum esset de largitione, munerum Regularibus utriusque sexus interdicta, siquidem Clem. VIII. in Bulla 28. quæ incipit *Religiosæ*, ut votum paupertatis integrè servaretur, & bonis religionum consuleretur, munerum largitiones, seu donationes fieri interdixit, injuncta tam largentibus, quàm recipientibus pœna; sed quia de hoc fusè, & exactè pertractant Bonac. t. 1. tr. var. disp. 3. Joannes Cruz l. 1. c. 3. dub. 4. & Faber disp. 45. cit. c. 4. in fine, breviter complectitur omnia in prædicta Bulla contenta, brevitatis causa omittimus Lectorem ad l. c. remittendo. Hic etiam agendum esset de obligatione Religiosorum recitandi Divinum officium, sed hæc etiam obligatio saltem quoad magis essentialia constabit ex dicendis de eadem obligatione Clericorum sæcularium q. seq.

QUÆSTIO SECUNDA.

De Statu Clericali.

48 NOmine Clerici generaliter intelliguntur illi, qui Sacris Ordinibus sunt initiati, vel saltem prima Tonsura; ad quorum statum cum plura pertineant jam declarata l. 4. sent. in Tractatu de Sacramentis, & alia plura etiam inferius discutienda in eadem materia, hic solùm agemus de Horis Canonicis, seù de Divino Officio recitando, de Beneficiis Ecclesiasticis, & Simonia; ut quilibet Sacris Ordinibus initiatus, aut Ecclesiasticis Ministeriis ad scriptus facilè dignoscere possit, quæ sint muneris sui partes, & quid ratione characteris, & beneficii, vel officii susceptì agere teneatur.

ARTICULUS PRIMUS.

De obligatione recitandi Divinum Officium, seù Horas Canonicas.

49 OFficii Divini, vel Ecclesiastici nomine intelligitur series Horarum Canonicarum certis temporibus ab Ecclesiasticis recitanda ex præscripto, ac institutione Ecclesiæ, & ex antiquissima Apostolorum, ac Patrum traditione; quatuor autem præsertim de Horarum Canonicarum recitatione quæri solent. Primum, quænam personæ ad illas recitandas obligentur. Secundum, quomodo horæ illæ recitari debeant, ut tali obligationi satisfiat. Tertium, quanta sit hæc obligatio, & quibus pœnis subjaceant illi qui recitare omittunt. Quartum denique quænam causæ ab illarum recitatione excusent, de quibus plura tractant DD. tàm veteres quam Recentiores, quæ nos breviter hoc articulo perstringemus magis necessaria tangendo ad prolixitatem evitandam in materia satis trita.

50 Primò itaque quoad personas huic obligationi subjectas conveniunt communiter Doctores hanc obligationem ex triplici capite oriri; nimirum ex susceptione Ordinis Sacri, ex beneficio Ecclesiastico, & ex Religiosi status professione, atque ideò tria esse personarum genera, quæ ad Horas Canonicas recitandas obligantur, scilicet, initiatos Sacris Ordinibus; beneficium aliquod obtinentes, & Religiosos, seù in statu Religioso constitutos. In primis igitur omnes Clerici in aliquo Ordine Sacro constituti ad Horas Canonicas privatim recitandas sub culpa mortali obligantur, etiam si nullum Ecclesiasticum beneficium possideant. Ità communiter Doctores omnes, & præsertim ex nostris Astesanus lib. 6. tit. 1. art. 6. cum D. Bonaventura 4. dist. 24. p. 1. quæst. 1. artic. 4. & apertè constant ex cap. *Dolentes* de Celebratione Missarum, ubi sic dicitur: *Directè præcipimus in virtute Sanctæ Obedientiæ, ut Divinum Officium nocturnum, pariter, & diurnum, quantum eis Dominus dederit studiosè pariter celebrent, & devotè*, præceptum autem obligat ad mortale, & hoc etiam constat ex generali totius Ecclesiæ praxi, & consuetudine, quæ vim legis obtinere meritò censetur, ut rectè Navarrus observat cap. 7. Deinde etiam omnes Clerici beneficium aliquod Ecclesiasticum obtinentes, etiamsi nullo Sacro Ordine sint insigniti, ad easdem Horas Canonicas recitandas similiter obligantur ex Divo Bonavent. loc. cit. & expresè id etiam deducitur ex cap. *Quia per ambitiosam*, de rescriptis in 6. & ex Concilio Lateranensi sub Leone Decimo sess. 9. in Bulla reformationis §. *Statuimus*, quam Constitutionem renovavit posteà & explicavit Pius V. Bulla sua 138. quæ à Navarro refertur cap. 26. Imò Astesanus loc. cit. addit, quod Clerici beneficiati sunt obligati ad dicendas Horas Canonicas non tantùm ex statuto Ecclesiæ, sed etiam ex obligatione justitiæ, quia Laici sæculares dederunt eis redditus, ut quia ipsi impliciti assiduè negotiis sæcularibus non poterant intendere Divinis, ipsi Ministri Ecclesiæ vices eorum suppleant in Canonicis Horis recitandis. Quod autem dictum est Clericos in aliquo Ordine Sacro constitutos ad Horas Canonicas privatim recitandas sub culpa mortali obligari, intelligendum est etiamsi sint suspensi, excommunicati, interdicti, depositi, aut degradati, tùm jure Ecclesiastico, tùm generali Ecclesiæ consuetudine, ut communiter docent DD. & ratio est, quia ut inquit Navarrus in Summa cap. 7. cit. tales privantur honoribus, non oneribus, recitatio verò Divini officii onus est, non honor.

51 Quod

51 Quod verò ad Religiosos spectat, quamvis aliqui dixerint ad recitationem Divini Officii non teneri, nisi in aliquo Ordine Sacro sint constituti, vel speciali aliquo Regulæ suæ præcepto ad id obligentur. Communis tamen, & vera sententia est Religiosos omnes, & singulos, qui Religionem profitentur Choro addictam, etiamsi in Sacris Ordinibus constituti non sint, non minus quàm Clericos majoribus Ordinibus initiatos ad Divinum Officium recitandum, sub culpa mortali obligatos esse. Et ratio est, quia licet ad id ratione professionis non obligentur, cùm tantùm vota Religionis professi fuerint, non autem Divinum Officium recitare, neque etiam ex aliquo Ecclesiæ præcepto, cùm nullum tale reperiatur, nihilominus antiqua, & laudabilis Religionum consuetudo ad id illos obligat, undè ad id tenentur vi generalis consuetudinis, quæ in omnibus Religionibus Choro addictis recepta est, quarè si in aliqua Religione talis non vigeat consuetudo, sicut dicitur esse in Societate Jesu, non erit talis obligatio. Ità Sanctus Antoninus, Medina, Rodriquez, Suarez, Valentia, Azorius, Lezana, Bellarminus, Lessius, Layman, & alii passim. Professi verò, qui non sunt Choro destinati, verbi gratia, Laici, vel Conversi Religionum ad id non obligantur nec ex vi professionis Religiosæ, nec ex aliquo præcepto Ecclesiastico, aut consuetudine, sed tantùm ad dicendas certas orationes: *Pater noster*, & *Ave Maria*, juxtà institutum Regulæ, quam sunt professi, vel suarum Constitutionum, ut patet de Conversis Ordinis nostri Minorum, qui ad prædictas orationes sub mortali tenentur ratione Regulæ. Neque etiam Novitii ad Officium Divinum tenentur, nisi aliàs sint in sacris constituti, quia nulla lex, vel consuetudo ad id illos obligat, si quidem non adhuc verè Religiosi censentur, nec in onerosis, sub hac voce comprehenduntur. Ità Doctores omnes citati. Præterea ex Clementin. 1. de Regular. omnes Ecclesiæ Regulares tenentur psallere in Choro quotidie Horas Canonicas, & quamvis hoc præceptum omnes, & singulas obliget religiones magis, vel minus juxtà modum sui Instituti, probabilissimum tamen censet Lezana c. 12. cum Suar. & pluribus aliis hanc obligationem esse sub mortali, quia ità est communiter receptum; & inquit hanc obligationem præsertim cadere in Superiores locales Conventuum, & Monasteriorum; illis enim curare incumbit, ut eorum subditi huic muneri satisfaciant. & ratio est, quia quoties obligatio aliqua cadit in corpus aliquod mysticum, & Communitatis, capititalis corporis, qui est Prælatus, præcipuè incumbit curare, ut adimpleatur; tandem addit cum Navarro, Azorio, Rodriquez, & aliis, Moniales etiam teneri ad Divinum Officium recitandum, non quidem ex aliquo præcepto Ecclesiastico, sed ex consuetudine, quæ habet vim legis, quod etiam Toletus affirmat l. 2. c. 12. cum duplici tamen limitatione, quæ apud ipsum videri potest.

52 Secundò, quod spectat ad modum, & ordinem recitandi Divinum Officium, in primis omnes qui ad illud recitandum obligantur, recitare tenentur justà præscriptum Breviarii Romani à Pio V. editi, & Clemente VIII. reformati, ità enim præcipiunt prædicti Pontifices in Bullis super hoc editis, & præsertim Pius V. in Bulla. *Quod à nobis* 1658. edita, ubi tamen ab hac obligatione eximit Ecclesias, & Religiones, quæ iam à ducentis annis antè illius editionem alio Breviario, vel ex institutione, vel ex consuetudine usi fuerint, eisque permittit, ut illud deinceps etiam retineant. Ordo autem servandus in Horis Canonicis recitandi sest, qui à Breviario præscribitur, si tamen quis prædictum Ordinem inverteret, verbi gratia, si Vesperas antè Sextam, aut Nonam recitaverit, sufficit, ut Horas omissas repetat, nec ullum est peccatum, quando id sit propter rationabilem causam; sine illa tamen, vel propter incuriam, aut negligentiam, tòlùm erit veniale, cùm ejusmodi Ordo extrà Chorum præsertim, non sit sub præcepto, nisi secundariò, & tamquam circumstantia minoris momenti, ità enim communiter hoc Ecclesiæ præceptum interpretantur Navarrus, Sotus, Layman, Lezana, Abellius, & alii passim. Singulæ autem Horæ integrè, & continuè recitari debent, & sine notabili interruptione, ut habetur ca. *Nihil 7. quæst.* 1. & cap. *Nullus, de Censur.* distinct. eo quod unitas uniuscujusque horæ Canonicæ spectat ad ritum recitandi illam ab Ecclesia præscriptum. Sed Difficultas est quale sit peccatum, cum quis Horarum recitationem notabiliter interrumpit; & conveniunt omnes nullum esse peccatum; si id fiat aliqua rationabili causa, si verò nulla talis causa subsit, aliqui existimant culpam esse mortalem, ut Navarrus, & Lezana loc. cit. Alii verò communius, & probabilius censent secluso contemptu, non incurri, nisi venialem, neque ullam esse obligationem horam inchoatam repetendi, cum singuli Psalmi, imò, & singuli ferè versiculi per se suam significationem completam retineant. Addunt tamen, si interruptio, quamvis justa, fuerit diuturna, consultum esse repetitionem facere saltem ab initio Nocturni, vel Psalmi, si id commodè fieri possit. Ità Cajet. Zechius, Layman, Abellius, Fill. Bonac. & plures alii.

53 Omnes etiam Horæ Canonicæ dici debent debitis, & statutis temporibus à legitima consuetudine præscriptis, quod præsertim locum habet in recitatione Horarum publica; siquidem in privata, quamvis laudabile sit, ut singulæ Horæ suis temporibus, & intervallis recitentur; nihilominus ad vitandum mortale peccatum, ut notant Tolletus, Lessius, Abellius, & alii communiter, sufficit, ut eo intervallo recitentur, quod est inter medium noctis præcedentis, & sequentis, qui enim intrà illud tempus recitaverit, sivè initio, sivè in medio, sivè in fine, substantiæ præcepti satisfacit. Potest etiam tam in recitatione publica, quàm privata, dici Matutinum sequenti diei cum laudibus pridie non solùm post Solis occasum, ut quidam dicunt, sed etiam antè illum dictis Vesperis, & Completorio quinque horis post meridiem, sivè in hyeme, sivè in æstate, quia ità etiam consuetudine receptum est apud multos, etiam Romæ, ut testatur Lezana loc. c. cum Suarez, & aliis. An verò unica Divini Offici lectione duorum dierum obligationi satisfieri possit; quamvis Caramuel justà suas novas doctrinas in dubium id revocaverit, unanimis tamen, & firma est omnium Catholicorum sententia negativa, ut videre est apud Episcopum Oriolensem Crespinum à Borgia in quæst. selectis Moralibus quæst. 10. casu 3. undè opposita sententia, ut diximus suprà disp. 12. quæst. 2. art. 1. num. 37. à Sacra Congregatione damnata fuit die 18. Martii 1666. qua ratione etiam ibi diximus, auditione unius Missæ obligationi duorum dierum non posse satisfieri; certum est enim, & apud omnes Catholicos indubitatum recitationem divini Officii onus esse affixum diei, undè si non esset introducta consuetudo, vel privilegium concedens, ut Matutinum, & laudes possint dici in Vespere, ad duo officia recitanda teneremur; ergò signum est, quod voluntas legislatoris fuit ad hoc obligare, nec privilegium, ut solutionem Matutini, & laudum anticipare possimus, debet esse in fraudem legis, ut rectè discurrit Episcopus Oriolensis loc. cit. Tùm quia certum est non posse recitari totum Divinum Officium diei sequentis in Vespere præcedentis, sicut Matutinum; ergò voluntatem expressam legislatoris habemus, quoad duplex officium Divinum, ut obligationi duorum dierum satisfiat. Demum attentio quoque, vel devotio necessaria est recitantibus Horas Canonicas, ut patet ex cap. cit. *Dolentes*, de Celebratione Missar. & hoc præceptum attentionis, seù deuotionis ex communi sententia obligat sub peccato mortali, nisi excuset levitas materiæ, quando, scilicet, est defectus attentionis ad paucos versus vel pauca verba. Qualis autem, & quanta hæc attentio esse debeat jam diximus loc. cit. disp. 12. qu. 2. ar. 1. nu. 34. & seq. declarando attentionem necessariam ad satisfaciendum præcepto audiendi Missam.

54 Tertiò, quanta sit hæc obligatio quotidie recitandi Divinum officium, patet ex dictis ab initio articuli tantam esse, ut mortaliter peccet quisquis hoc onus habens, Horas Canonicas, vel notabilem earum partem voluntariè omittit, & hæc est communis Doctorum opinio contrà paucos quosdam dicentes non esse peccatum mortalem, nisi quis habeat consuetudinem eas omittendi, quæ sententia nihil probabilitatis habere videtur, tùm quia est contrà torrentem Doctorum, tùm quia permittit violari præceptum in re gravi, & ad virtutem Religionis pertinens. Quæ autem sit omissio materiæ notabilis ad peccatum mortale sufficiens Doctores non conveniunt. Quidam enim arctè nimis, ut Navarrus, existimant omissionem tertiæ partis unius parvæ Horæ, verbi gratia, unius psalmi cùm Hymno esse peccatum mortale. Alii è contrà laxè nimis, ut Escobius, dicunt unam parvam Horam non esse partem notabilem respectu totius officii, quod per modum unius est præceptum. Communis tamen, & probabilior opinio media incedit via dicens materiam notabilem, cujus omissio est peccatum mortale esse integrum unius diei officium, vel integram aliquam Horam, ex brevioribus, vel ut addunt aliqui, dimidiam etiam partem illius, undè mortale non erit omittere unum psalmum etiam ex Horis brevioribus, unam Lectionem, vel quid simile ex Matutino, nec tertiam partem Horæ parvæ, quia non censetur pars notabilis, & talem etiam dicunt aliqui esse in Matutino, quod est æquale uni parvæ horæ, undè cum certa regula dari nequeat in hac materia notabili assignanda, judicio propriæ conscientiæ standum erit, quæ prudens sit, & timorata; & in casu dubii ad scrupulos tollendos explicandum erit in Confessione, qualis, & quanta fuerit.

55 Quoniam verò, ut ab initio articuli dictum est, obligatio in beneficiariis Clericis gravis est, & sub peccato mortali ex suo genere, & non sit tantùm ex virtute Religionis, sed etiam ex virtute justitiæ, quod etiam docent Sanctus Antoninus, Medina, Suarez, Layman, & alii communiter; ideò præter peccati mor-

mortalis reatum', quem incurrunt, qui totum unius diei officium, vel aliquam notabilem illius partem recitare omittit, inducit etiam onus restitutionis fructuum pro rata omissionis officii, si elapsis sex mensibus post adeptam beneficii possessionem culpabiliter officium non recitaverit, ità enim speciali Constitutione statutum fuit in Concilio Lateranensi, sub Leone Decimo sessione 9. quæ posteà à Pio V. ut suprà dictum est, renovata fuit, & explicata, & refertur hæc Bulla à Navarro ca. 25. in qua prædicta Constitutio sic declaratur, ut ille qui primis sex mensibus, post adeptam beneficii possessionem, officium non recitaverit, peccet quidem graviter, non tamen ad restitutionem teneatur vi illius Constitutionis, quod si post illos sex menses adhuc omiserit, tunc pro rata illius omissionis ad faciendam restitutionem obligabitur. Undè qui uno die tantùm officium omisit, restituere tenetur omnes fructus beneficii illi die respondentes, verbi gratia qui accipit annuè 355. aureos ex beneficii fructibus tenetur pro omissione officii unius diei unum aureum restituere, qui autem Matutinum tantum omiserit, mediam partem fructuum restituere tenetur, nempè medium aureum, qui reliquas Horas etiam mediam partem; qui verò unam tantùm ex illis, sextam partem; quæ quidem restitutio facienda est fabricæ, vel pauperibus, sivè illius loci, ubi beneficium situm est, sivè alterius. Ità Layman, Filliucius, Bonac. Abellius, Diana, & alii communiter contrà quosdam dicentes, quod si Beneficiarius intrà unius anni spatium per octo, vel decem dies tantùm officium omittat, ad restitutionem non tenetur. Quamvis autem Concilium omnes fructus prædicto modo pro omissione Divini Officii restituendos esse decrevit, addunt tamen nonnulli DD. hoc decretum cum tali moderamine intelligi posse, ut Beneficiarii qui præter Horarum recitationem alia quoque onera habent annexa, verbi gratia, Pastores, Episcopi, &c. eam solummodò fructuum partem restituant, quæ judicio viri prudentis Horarum Canonicarum recitationi, servata debita proportione, respondere censetur. Ità Medina, Henriquez, Lessius, Toletus, & alii apud Layman loc. cit. imò aliqui dicunt, quod si aliquis Pastor tenues habeat redditus ad sustentationem, ad nihil obligandus videtur ab officii Divini omissionem, cùm ob alia onera, quæ annexa habere supponitur, illi sustentatio debeatur.

56 Quartò, quænam causæ excusent ab Horarum recitatione, conveniunt Doctores in primis excusare gravem infirmitatem, quam notabiliter talis recitatio aggravaret, in tali enim casu Ecclesia, quæ est benigna Mater, obligare non intendit, ut sumitur ex cap. *Clericum vidlum*, distinct. 91. in dubio autem, an infirmitas sit talis, quæ excuset, inquiunt standum esse judicio Confessarii, vel Medici, aut alterius prudentis viri. Deindè urgentem occupationem circà negotium publicum, quod notabiliter impediretur, vel convenienter fieri non posset, si diceretur Divinum Officium, quommodò Concionatores, vel Confessarii aliquando excusari possunt, & idem dicendum de urgenti occupatione circà negotium etiam privatum magni ponderis, sivè proprium, sivè alienum, ut circà curam infirmorum quia in his, & similibus casibus verisimile non est Ecclesia obligare ad Officium Divinum cum tanto dispendio boni communis, vel particularis; si tamen recitatio illa absque maxima difficultate intrà eundem diem naturalem anticipari, vel postponi posset, id fieri deberet, ut si manè prævideas te tota die confessionibus occupandum, quæ differri non possint. Item excusare recitandi impotentiam, undè si quis iter faciens Breviarium amittit, nec aliud reperire potest, hanc dubiè excusabitur ab officio Divino, quando sine sui culpa Breviarium amisit, vel ei ablatum fuit, quia nemo ad impossibile tenetur; quando autem voluntariè, vel per negligentiam cupabilem Breviarium amisit, non excusatur, quia tunc non recitatio, seù officii omissio censetur illi voluntaria in sua causa. Ità Toletus, Suarez, Azorius, Layman, Lezana, Bonacina, Diana, Tancred. & alii passim, qui etiam addunt ignorantiam quoque excusare interdùm à recitatione Divini Officii, ut si quis, v. g. illud ommittat ex naturali quadam oblivione, quia, scilicet, nec venit in mentem intrà tempus debitum obligatio recitandi, nec ipsa recitatio, & solùm esse potest aliqua culpa, quæ in hominibus timoratis ordinariè est levis.

57 Quæres, An qui ob aliquam causam ex prædictis integrum diei Officium recitare non potest, saltem teneatur aliquam illius partem recitare, si possit. Aliqui dicunt, si quis majorem saltem, vel præcipuam Officii partem, verbi gratia Matutinum cum laudibus recitare possit obligandum esse, non autem si partem solùm minorem, & minus præcipuam, v. g. parvas Horas, vel etiam Vesperas. Ità Navarrus, Azorius, Rodriquez, & alli apud Layman loc. cit. Alii tamen communius, & probabilius dicunt, qui ob aliquam ex prædictis causis à Divino officio recitando excusantur, non tamen excusari à dicendis illa vel illis Horis Canonicis, quas commodè dicere possunt, sicut qui debet centum, & non potest solvere, nisi decem tenetur decem solvere, & sicut qui nequit totam jejunare Quadragesimam, tenetur saltem illis jejunare diebus, quibus potest. Quod si dubitet, an possit unam Horam integram recitare, certus sit autem se non posse omnes, se omninò in tali casu excusatum præsupponere potest, & præsumere, in his enim casibus Ecclesiasticæ leges cum tanto rigore obligare non intendunt, ut materiam anxietatis, & scrupulorum parant. Ità Suarez, Layman, Lezana, & alii communiter. Notanter autem diximus infirmitatem gravem à recitatione Divini Officii excusare, quia levis dolor, v. g. pectoris, vel stomachi, ac etiam interdum febris tertiana, aut quartana non excusat, cùm tota die non affligat; quod si ægrum nimis laxum, & afflictum relinqueret, adhuc excusaret. Porrò taliter excusatus, & rationabiliter, alium Horas legentem audire non tenetur, nec alium substituere, ut quidam nimis scrupulosè dixerunt; si tamen commodè legere potest cum socio, magis pium, & probabile est teneri. Ità Navarrus, Lef. Filliucius, Layman, Bonacina, Diana, & alii plures. Alia plura ad hanc materiam spectantia apud præfatos Auctores videri possunt, & præsertim noviissimè apud Tancred. de Relig. tr. 3. l. 4. & Stephanum à S. Gre. l. 3. de Divino Officio, seù horis Canonicis.

ARTICULUS SECUNDUS.

De beneficiis Ecclesiasticis, & modis licitè ea obtinendi, & conditionibus ad hoc requisitis.

58 CUm beneficia Ecclesiastica sint annexa personis Ecclesiasticis, de quibus hìc agimus, & hæc plures habeant obligationes annexas, ut unusquisque Beneficiarius sciat, quid ratione beneficii, vel officii suscepti præstare teneatur, necessarium judicavimus hìc agere de Beneficiis, tanquam etiam de annexis ad dictas personas Ecclesiasticas. Cùm autem plura circà Beneficia Ecclesiastica à Theologis, & Canonistis disputari soleant, in præsenti magis præcipua, & maximè scitu digna tractabimus ex communiori, ac magis recepta Doctorum sententia, tàm Veterum, quàm Recentiorum.

59 Primò, itaque quamvis variæ Beneficii definitiones à Doctoribus assignari soleant, in hoc tamen communiter conveniunt, quod nomine Beneficii Ecclesiastici intelligi debeat; *Jus perpetuum percipiendi fructus ex bonis Ecclesiasticis propter aliquod officium spirituale auctoritate Ecclesiæ constitutum*. Ità Lessius, Layman, Filliucius, Stephanus à Sancto Gregorio, & alii passim, & antè omnes Astesanus noster lib. 6. tit. 33. art. 1. Dicitur *Jus perpetuum*, ad excludendum Vicariam, Commendam, & Capellaniam temporalem, quæ non sunt Beneficia, de quibus Canones loquuntur. Nec obstat, quod Prioratus temporalis, vel etiam Abbatia, & aliæ Prælaturæ, apud Regulares sint Beneficia, & tamen non sunt perpetua. Quia etiam Beneficium regulare ex sua institutione non est amovibile, licet sit amovibile respectu personæ Superiori subjectæ, undè talis amovibilitas non provenit ex natura dictæ Prælaturæ, sed ex accidenti, scilicet, ex Religionis regimine, & subjectione ad Superiores majores, qui justis de causis prædictas prælaturas nolunt esse perpetuas. Dicitur *jus percipiendi fructus propter officium*, quia in Beneficii constitutione tria concurrunt. Primum est officium, seù obligatio exercendi aliquam actionem spiritualem, ut legendi Horas Canonicas, vel etiam administrandi Sacramenta, aut quid aliud spirituale munus. Secundùm est jus percipiendi proventum, seù fructus ex bonis Ecclesiasticis, quod jus est quid spirituale, cùm ex causa spirituali ortum ducat. Tertium est ipse proventus, qui licet in se sit quid tempore, provenit tamen ex bonis Deo dicatis, & ideò jure spirituali exigitur, & propter officium spirituale. Dicitur tandem *auctoritate Ecclesiæ constitutum*, quia ut dictum jus percipiendi fructus Ecclesiasticos dicatur Beneficium Ecclesiasticum, opus est ut auctoritate Ecclesiæ erectum sit, vel confirmatum, ut communiter Doctores asserunt ex ca. *Nemo*, de Consecrat. dist. 1. Tùm quia solius Prælati est officia, & Beneficia in Ecclesia instituere, eisque Ecclesiasticos fructus annectere in sustentationem Ministrorum, quibus eget Ecclesia. Tùm tandem quia regula 1. Juris in 6. habetur, quod *Beneficium Ecclesiasticum non potest licitè sine institutione Canonica obtineri*. Hęc autem institutio seù collatio juris beneficialis dicitur, quæ ab Ecclesiæ Prælato fit secundùm formam à Sacris Canonibus præscriptã. Nec obstat, quod Laici quoque Reges, aliique Principes quædam beneficia conferant; id enim faciunt non quasi jure ordinario, ac proprio, sed ex speciali privilegio, & quasi delegatione Papæ, ut Layman advert. l. 4. tr. 2. c. 1. Ex quo tandem colligitur beneficia jure Ecclesiastico esse instituta, ut colligitur ex ca. 1. & 2. d. 22. & c. *Licet* de præbendis in 6. ex Clem. 1. in fin.

60 Se-

60 Secundò dividitur Beneficium in Sæculare, & Regulare, & utrumque in simplex, & compositum, seù duplex. Ità Auctores supracitati, & Astesanus noster lib. 6. cit. tit. 22. art. 4. in fine. Beneficium regulare est illud, quod tantùm pro Regularibus institutum est, & solis Regularibus competit, ut Abbatia, Prioratus, Canonicatus Regularis, &c. Sæculare verò est illud, quod pro Clericis sæcularibus institutum est; undè sine dispensatione, nec beneficium regulare Clerico sæculari conferri potest, nec vice versa beneficium sæculare Clerico regulari; ut colligitur ex cap. *Cùm de beneficio de præbend.* in 6. & ca. *Super eo*, de Regularibus. Omne autem beneficium præsumitur esse sæculare, nisi probetur esse regulare, vel ex prima sui institutione, vel per possessionem pacificam quadraginta annorum, per eam enim ex sæculare fit regulare; & sic etiam è contra poterit probari beneficium esse sæculare ratione præscriptionis, ut patet ex cap. *De Quarta*, de præscript. & notat. Glos. in c. c. *Cùm de beneficio* de præbend. in 6. Beneficium compositum, seù duplex est illud, quod habet adjunctam aliquam administrationem, aut eminentiam in Ecclesia cum jurisdictione in foro externo, qualia sùt beneficia curata, Archidiaconatus, Episcopatus, &c. Beneficium verò simplex dicitur illud, quod nullam administrationem, aut eminentiam hujusmodi habet, sed tantùm institutum est ad preces Deo fundendas, alia que Divina officia obeunda, quales sunt Capellaniæ, Canonicatus, sivè sæculares, sivè regulares, &c. undè beneficia simplicia à compositis, sivè duplicibus distinguuntur, quatenus simplicia sunt instituta tantùm ad preces fundendas duplicia; verò habent aliquam administrationem annexam; & inter beneficia duplicia, quædam sunt majora, ut Papatus, Episcopatus, Cardinalatus; quædam media, ut reliquæ dignitates Ecclesiasticæ, personatus, & officia; denique quædam absolutè Parochialia dicuntur. Ità Nav. Lessius, Azorius, Layman, & alii passim de hac materia tractantes; qui etiam aliàs Beneficiorum divisiones assignant, sed istæ sunt principaliores, & ad nostrum institutum sufficientes.

61 Tertiò Beneficia Ecclesiastica tribus modis communiter obtineri solent. Primò per electionem, & confirmationem, quæ quidem electio fit à pluribus, ut à Capitulo, & à solis Ecclesiasticis per suffragia, confirmatio verò est à solo Superiore, & est collatio beneficii facta electo, si electum idoneum esse intelligat. Secundò, per præsentationem patroni prævian, & institutionem subsecutam à Prælato Ecclesiæ factam, si præsentatus sit idoneus; undè præsentatio in eo differt ab institutione, quod illa est nominatio alicujus personæ idoneæ Patronum Episcopo facta, vel alteri, ad quem collatio pertinet, institutio autem est ipsius beneficii, juriumque ipsius collatio, & attributio, quæ solùm per Ecclesiasticos fieri potest, præsentatio verò etiam per Laicos: & quamvis per Patronus præsentato, & nominato jus ad rem conferat, itaut beneficium alteri conferri nequeat, si sit idoneus, jus tamen in re, & collatio beneficii per institutionem datur. Tertiò tandem per collationem liberam, quandò nimirum beneficium solo jure Prælati datur, nec subest juri Patronatus, undè etiam Beneficia ex modo ea conferendi dividuntur in Electiva, Patronatus, & Libera. Quamvis autem hi tres sint communiores, & frequentiores modi obtinendi beneficia; alii etiam duobus modis interdum obtineri possunt, nimirum Resignatione in favorem alterius cum secuta collatione, & etiam interdum Permutatione. Resignatio est, quando quis suum beneficium libere resignat, seù dimittit in manibus collatoris in favorem alterius. Permutatio verò, quando hæc resignatio fit causa permutandi beneficii cum alterius beneficio. Quoniam verò, ut supradictum est, beneficia jure Ecclesiastico sunt instituta, ideò supremus, & universalis omnium beneficiorum collator est Papa, quia ipse est supremus dispensator bonorum Ecclesiasticorum, & Ordinarius Ordinariorum, & ità decernitur in c. cit. *Licet de præbend.* in 6. in Clem. cit. ubi habetur. *Romanum Pontificem plenam, & liberam potestatem habere super beneficia.* In qualibet verò Diœcesi Episcopus est proprius beneficiorum collator, nisi ex legitima præscriptione hoc jus alteri competat. & ratio est, quia Episcopus in sua Diœcesi est moderator sacrorum; ergò & ad ipsum spectat officia, & beneficia, sacra conferre. Ità DD. omnes suprà cit. & alii passim.

62 Quartò, ut beneficium aliquod licitè, & legitimè obtineatur aliquæ conditiones requiruntur. Prima ut sit Clericus saltem primæ Tonsuræ, aliàs ad quodlibet beneficium inhabilis censetur, ut constat ex cap. *Cùm Deo* 17. descriptis, & ex c. *ex litteris* in 6. de transactionibus. Secunda, ut sit ex legitimo thoro procreatus, illegitimus enim cujuscunque beneficii incapax est, nisi cum eo dispensetur. Tertia, ut sit legitimæ ætatis capit. *Cùm in cunctis* de electione, nisi dispensetur, ætas autem pro beneficio simplici determinatur annus decimusquartus, ad Curatum vigesimum quintus inceptus, ad Episcopatum verò trigesimus annus incæptus, ut colligitur ex Trident. sess. 22. & 23. Quarta, ut nullo sit inhabilis juris impedimento, qualis est irregularitas, vel excommunicatio, aut alia censura Ecclesiastica, collatio enim beneficii facta excommunicato excommunicatione majori, suspenso, interdicto, vel irregulari nulla est, & ipso facto irrita, ut habetur c. *Postulastis* 7. de Clerico excommunicato, & ca. *Tanta* 18. de excessibus Prælatorum, & cap. *Cùm dilectus* 8. de consuetudine. Quinta, ut sit bonis moribus, & doctrina sufficienti præditus, ut habetur cap. *Cùm in cunctis* de electione, & ex Conc. Trid. sess. 24. cap. 12. dignitas enim personæ, ut ad beneficia assumi possit, in tribus præsertim consistit, scilicet, in morum probitate, in scientia saltem earum rerum, quæ ad suum spectant officium, & præterea in aptitudine ad suum munus exercendum, qui enim bonus est, & doctus, nescit tamen exercere suum munus, vel non potest ob alias occupationes, vel quia non est datus praxi, & exercitio exteriori, tunc non censetur dignus, ut Majolus, Rodriquez, Fernandez, & Toletus advertunt, & plures alii. Sexta denique est, ut non sit conjugio copulatus, ut habetur cap. 1. 2. & 8. de Clericis conjugatis, & in Trident. sess. 22. capit. 4. undè si quis Clericus beneficium habens, & antè sacrorum Ordinum susceptionem Matrimonium contrahat, ipso jure illud amittit, ut communis Ecclesiæ praxis, & Doctorum sententia demonstrat. Imò, ut habetur cap. *Super inordinata*, & cap. *Gravi* de præbendis, qui recipit beneficium quodcunque, tenetur habere determinatam intentionem status Ecclesiastici, Ordinisque muneri suo necessarii, & permanendi in statu Clericali; undè deducunt Doctores illum mortaliter peccare, qui beneficium aliquod acceptat absque tali intentione, sed solummodò, ut ejus fructus per aliquod tempus accipiat, verbi gratia, donec studiorum cursum absolverit, vel opulentam uxorem invenerit, imò Navarrus, Lessius, Laym. & alii dicunt in tali casu non posse beneficium illud licitè retinere, & ad restitutionem teneri fructuum perceptorum, quia tamen addunt, quod si ex justa causa post modum status Clericalis non satis illis convenire videatur, potest animum mutare, v. g. si primogenitus familiæ, aut frater unicus sine liberis decedat, ad conservationem familiæ nobilis, vel graves lites sopiendas inter cognatos hæredes. & ratio est, quia pia Mater Ecclesia ità ad Clericalem statum obligare non intendit ut hæc, & similia bona impediatur.

63 Quintò ex dictis colligitur, qui nam dicatur beneficio Ecclesiastico dignus, & quinam indignus, dignus enim dicitur ille, qui suppositis aliis conditionibus habet morum honestatem, scientiam quoque ad tale munus sufficientem, ac denique prudentiam, & industriam rerum gerendarum, prout ad tale officium desideratur, indignus verò dicitur ille, qui talibus caret condictionibus, & conveniunt Doctores grave peccatum esse Ecclesiastica beneficia conferre indignis, ut testatur Innocentius cum Concilio generali in cap. *Grave nimis* de præbendis, & conferentem teneri ad restitutionem damnorum, & pœnas juris incurrere, quas Rebuffus memorat in pract. benefic. de pœnis contrà collatores. Est tamen difficultas, an beneficia sint semper dignioribus conferenda, quam fusè suprà disc. 6. de obligationibus justitiæ distributivæ quæst. 1. art. 1. de distributione officiorum sæcularium, & Ecclesiasticorum nu. 7. & seq. Undè ex ibi dictis modò breviter asserendum est, quod licet ille, qui beneficium resignat in favorem alterius, digniorem quærere non teneatur, sed sufficiat, si dignum quærat, electores tamen, præsentatores, & collatores quantùm in ipsis est semper curare tenentur, ut beneficia præsertim curam animarum annexam habentia dignioribus conferantur, itaut graviter peccet, & mortaliter is, qui eligit, præsentat, aut confert beneficium præsertim curam animarum habens annexam digno prætermisso digniori, qui nimirum aptior videtur, speraturque multò melius tali officio functurus; notanter autem hoc asseritur præsertim de beneficiis curam animarum annexam habentibus, quia ut dictum est loc. c. loquendo de beneficiis simplicibus faciliùs excusari possunt electores à peccato mortali eligendo dignum prætermisso digniori; dummodò tamen communiter, & frequentiùs digniores eligant, quia si communiter, & frequenter, eos prætemitterent, non facilè à gravi culpa excusari possent, siquidem sic faciendo brevi temporis intervallo Ministris indignis Ecclesia repleretur, ut ibi dicebamus cum Card. de Lugo disp. 35. *de Justitia, & Jure* sect. 2. Imò addunt aliqui etiam beneficium curam animarum habens annexam posse in aliquo casu digno conferri, prætermisso digniori, si id fiat ex legitima causa; quia si, verbi gratia, patronus dignum præsentet, collator conferre tenetur, etiamsi alios digniores noverit, & aptiores ad tale officium. Item si beneficium ex institutione sua alicui ex certa familia sit conferendum, tunc enim aptiori ex illa familia conferendum erit, etiam aliis aptioribus prætermissis extrà illam; extrà autem hujusmodi casus beneficia hujusmodi curam animarum annexam habentia semper dignioribus sunt

conferenda, nec aliter sine gravi peccato fieri potest, ut expressè docet Trid. sess. 24. cap. 1.

64 Sextò tandem conveniunt Doctores beneficia Ecclesiastica quatuor modis amitti, & vacare, ut Layman advertit loc. citat. cap. 17. Primò per mortem beneficiati, ad quam vacationem requiritur, ut beneficiatus habuerit jus in re, & quasi dominium beneficii, nimirum ut in beneficio electivo per legitimam electionem, & confirmationem institutus fuerit. Secundò ex juris dispositione decernentis in tali, vel tali casu beneficium vacare ipso facto, atque ab altero impetrari posse, idque vel propter alterius beneficii incompatibilis consecutionem, ut, verbi gratia, Episcopatus, ex cap. *Cùm in cunctis*, & cap. de *Multas de præbendis*. Vel propter professionem religiosam, ut si beneficiatus Religionem, sit professus cap. *Beneficium de Regularibus* in 6. Vel per contractum matrimonii cap. *de diversis* de Clericis conjugatis. Vel propter commissionem criminis, cui amissio beneficii ipso facto est annexa, verbi gratia, hæresis, schismatici, sodomiæ sæpiùs exercitæ, &c. quamvis etiam tunc opus sit sententia Judicis declaratoria criminis, antequam criminosus beneficium dimittere non teneatur, ut docent Azorius, Sanchez, Henriquez, Layman loc. cit. & plures alii. Tertiò per Judicis sententiam ob crimen, cui talis inferenda pœna à jure decernitur, scilicet, in homicidam ca. *Clericis* Ne Clerici, vel Monachi; in hæreticorum receptores, & fautores capit. *Excommunicavimus* de Hæreticis, item in perjurium secundùm Gloss. in cap. *Quærelam* de jurejur. Est autem non modicum discrimen inter privationem beneficii ipso jure latam, & eam, quæ per Judicis sententiam inferenda est; etenim si beneficium per Judicis sententiam vacare debeat, neque fructus antè percepti condemnato auferri possunt; neque resignatio, aut communicatio beneficii ab eodem facta rescindi potest; benè tamen, si pœna privationis ipso jure contracta sit; item si per sententiam Judicis ferendam beneficium vacet, non potest impetrari, aut auferri, antequam privationis sententia in criminosum feratur; benè tamen si beneficium ob crimen ipso jure alicui adimatur. Quartò tandem vacat beneficium per liberam renunciationem, seù resignationem, quæ definitur, *spontanea proprii beneficii dimissio facta coram legitimo Superiore id acceptante*. & notanter dicitur *dimissio*, quia per renunciationem aliquis jus in beneficio amittit, itaut vacare censeatur, & alteri possit legitimè conferri. Additur *spontanea*, quia dimissio metu exorta, aut dolo, & fraude, irrita est, vel saltem irritari debet juxtà cap. *Super hoc de renunciat.* & cap. *Ad aures* de his, quæ vi, metusve causa. Ità Layman loc. cit. cum pluribus aliis ab ipso adductis. Quocunque autem modo ex prædictis beneficium aliquod obtineatur, aut per resignationem dimittatur, Simoniæ peccatum præ cæteri evitandum est, quod in omnibus prædictis modis contingere potest, tam ex parte obtinentis, quàm conferentis, aut patroni, de quo quidem peccato, quoniam frequenter evenire solet, ex professo agemus quæst. seq.

ARTICULUS TERTIUS.

De Beneficiatis, ac eorum obligationibus.

65 PRimò, ad residentiam personalem in loco beneficij ad obsequia Ecclesiastica personaliter reddenda obligantur in prims omnes habentes beneficia, quibus animarum cura incumbit. Ità ex cap. *Nonnulli*, & in suo Ordine, ex cap. *Cùm ad hæc* deducit Astesanus noster lib. 6. cit. tit. 34. ubi habetur, quod Clericus residere debet in propria persona faciendo servitium Ecclesiæ, ad hoc enim beneficia sunt instituta, ut servitium in Ecclesia indè fiat; & ità etiam expressè habetur in Conc. Trid. sess. 23. cap. 1. *de Refor.* ubi decernitur Episcopos, parochos, eosque qui curatum beneficium habent ad talem residentiam jure divino teneri; nec sufficere, si per alios administrent, nisi majus bonum urgeat; quia contrà rationem est, quod hic officium, & fructus, alter verò onus habeat, & declarat residentiæ nomine intelligi debere assiduam commorationem in loco beneficii ad obsequia Ecclesiastica personaliter præstanda, quod etiam anteà docuerat Astesanus tit. 34. cit. art. 1. ubi ait, quod qui residet in Parochia, & non exercet officium suum, non dicitur residere, & tenetur ad restitutionem fructuum dicto tempori correspondentium, quia parum est suam præsentiam exhibere, & curam, sivè servitium negligere, quod posteà etiam docuerunt Sylvester, Sotus, Layman, Bonacina, Stephanus à S. Gregorio, & alii passim; undè subdit Astesanus ibidem, quod in Cathedralibus Ecclesiis, & Collegiatis distributione quotidianæ tantùm præsentibus, qui divinis intersunt juxta cujus libet Ecclesiæ rationabilem ordinationem tribui debent; qui verò aliter de distributionibus illis aliquid percipit, illius dominium non acquirit, imò illud totaliter restituere tenetur, nisi eum infirmitas, vel justa, & rationabilis necessitas corporalis, aut evidens Ecclesiæ utilitas excusaret. Permittitur tamen Episcopis à Concilio loc. cit. singulis annis sivè continuè, sivè interruptè à suis Ecclesijs, sivè Diœcesibus ex justa aliqua causa abesse duobus, vel ad summum tribus mensibus. Curatis verò, seù Parochis à suis Ecclesiis, seù Parochiis per duos tantummodo menses, sivè continuè, sivè interruptè abesse posse, idque non nisi justa aliqua de causa, & dummodo idoneos Vicarios ab Ordinario approbatos substituant; quod si Episcopi intrà annum ultra tres, & Parochi ultrà duos menses absque legitima causa per Episcopum cognita, & approbata absint, mortaliter peccant, & fructus beneficii non faciunt suos; imò Diana, Bordonus, & alii asserunt supradictum Concilii decretum etiam in Superioribus, sivè Prælatis regularibus habere locum, ideoque eos teneri etiam tempore pestis cum periculo suis assistere. Denique Concilium sess. 24. cap. 10. idem decernit de iis, qui in Ecclesijs Cathedralibus, vel Collegiatis obtinent dignitates, Canonicatus, præbendas, vel portiones, quo nimirum si intrà annum ultrà tres menses absint, primo anno media parte fructuum, secundo verò anno omnibus fructibus, quos illo anno lucrati sunt, priventur, quæ tamen pœna est sententiæ ferendæ, non latæ, ut communiter Doctores advertunt, & ex ejusdem Concilii verbis deducitur.

66 Secundò, sunt quædam causæ à continua residentia excusantes, & ob quas diuturnas absentia quorumcunque beneficiatorum etiam animarum curam habentium licita reddi potest, quæ ad quatuor capita revocari possunt, quorum meminit Concil. Trident. loc. cit. ut advertunt Azorius, Barbosa, Filliucius, Layman, Bonacina, & alii passim; nimirum ut loquitur Concilium, *Christiana charitas, urgens necessitas, debita obedientia, ac evidens Ecclesiæ, vel Reipublicæ utilitas*, quæ tamen causæ à Superioribus approbari debent, ut legitimæ censeatur. Ad primum caput spectat, verbi gratia, si quis à loco beneficii discedat causa juvandi proximum in gravi necessitate auxilio indigentem, ut scilicet, odia, vel lites componatur. Ad secundum caput spectat, si à beneficii loco recedat ob aeris intemperiem per aliquod tempus, ob corporis infirmitatem, vel ob aliam justam, & rationabilem salutis corporalis necessitatem, ut ait Astesanus loc. cit. verbi gratia, ob capitales inimicitias, vel ad litem prosequendam pro juribus beneficii, & ob alias similes rationabiles causas. Ad tertium caput pertinet, si mandato Papæ beneficiatus absit, vel in Apostolicæ Sedis servitio occupatus, c. *Cùm dilectus*. & cap. *Ad audientiam eodem tit.* ubi Doctores notant, & præsertim Abbas, quod occupatur in servitio Papæ, quia servit Ecclesiæ universali, habetur pro residente in beneficio Ecclesiæ particularis. Ad quartum spectat, si Clericus absit ob negotium Ecclesiæ, ut patet ex ca. *Ad audientiam*, & c. *ex parte* eodem tit. ut notat Astesanus loc. cit. ubi fusè explicat prædictas causas à residentia beneficii excusantes. Hinc excusari possunt Cardinales Episcopi, quos Summus Pontifex non residere permittit, ut illorum opera, consilio, & prudentia utatur in rebus magni momenti ad Ecclesiam pertinentibus, & Episcopi onus legati, vel Nuncii Apostolici suscipientes in obsequium Ecclesiæ, & Reipublicæ Christianæ, quia in his, & similibus casibus adest causa obedientiæ, & utilitatis Ecclesiæ, ut notant Azorius, Molfesius, Reginaldus, Bonacina, & alii passim, & antè omnes Astesanus loc. cit.

67 Dices, Residentia est de jure naturali divino, ut expressè docet Concil. Trid. loc. cit. ubi ait residentiam in beneficiis saltem curatis divino jure necessariam esse; sed Summus Pontifex, & tantò minus Episcopus in jure naturali divino non potest; ergò non potest alicui etiam in prædictis casibus facultatem, & licentiam non residendi concedere, atque ità abiens à beneficio etiam de licentia Superioris non excusatur. Respondetur ex alibi dictis, quod estò Summus Pontifex in jure divino dispensare non possit, potest tamen declarare jus divinum ad hunc, vel illum casum non extendi, atque ità in proposito declarare potest jus divinum naturale residentiæ ad prædictos casus non extendi, & dispensare solùm in præcepto residendi, quatenus pendet à jure positivo humano; etenim, ut Bonacina advertit disp. 5. punct. 5. Residentia pastorum in loco beneficii ad curam gregis, quamvis formaliter sit de jure divino, radicaliter tamen, & fundamentaliter est de jure Ecclesiastico, quatenus ab Ecclesia facta est beneficiorum divisio, & quilibet suo beneficio deputatus est, seù quatenus beneficiarius pactum init cum Ecclesia de residendo, quod quidem pactum potestati Ecclesiæ subest.

68 Tertiò, ut pateat, qualiter beneficiati se gerere debeant in expendendis beneficiorum suorum redditibus, loquendo de ea parte redditum, & proventuum Ecclesiasticorum, quæ congruæ, & honestæ sustentioni minimè necessaria est, ac proindè ipsi beneficiati superflua, conveniunt Doctores teneri

neri beneficiarios hanc partem in pios usus expendere, & peccaturos illos, si portionem illam superfluam, & redundantem profanis usibus, ut propinquis ditandis impendant, ità enim apertè constat ex Concil. Trident. sess. 22. c. *Reform.* ubi sic loquitur, *Omninò verò eis interdicit, ne ex redditibus Ecclesiæ consanguineos, familiares vè suos augere studeant, cùm & Apostolorum Canones prohibeant, ne res Ecclesiasticas, quæ Dei sunt, consanguineis donent, sed si pauperes sint, iis ut pauperibus distribuant, eas autem non distrahant, nec dissipent illorum causa; imò quàm maximè potest eos Sancta Synodus monet, ut omne humanum hunc ergà fratres, nepotes, propinquosque carnis effectum, undè multorum malorum in Ecclesia seminarum extat penitus deponant.* Quæ ultima verba præsertim ab Eccle siæ Prælatis etiam Cardinalibus sunt valdè ponderanda, ut ibi Concilium exprimit. Quid autem per pios usus sit intelligendum conveniunt Doctores nomine pii usus intelligi debere, qui vel ad cultum divinum, vel misericordiam spiritualem, aut corporalem ordinatur, hoc est ad cultum templorum, vel pauperum necessitatem sublevandam; ideſt, eorum, qui non habent necessaria, sivè ad victum, sivè ad suum statum servandum; item in usum Religiosorum in Cappellanias, Missas, suffragia pro defunctis, hospitalia, & similia opera pia; in prophanos autem usus conveniunt Doctores licitè à Clericis expendi posse in primis bona patrimonialia, quæ nimirum ipsis hæreditate, vel industria, vel donatione, vel alio modo, quo laicis solent, sibi acquirunt, vivendo interim ex fructibus beneficii. Item quasi patrimonialia, quæ nimirum ipsis, tanquam Clericis obveniunt, non tamen ut redditus beneficii, sed ut stipendia alicujus officiiis Clericalis, & ob aliquas Ecclesiasticas functiones, verbi gratia, ob Missæ celebrationem, concionem, cantum Ecclesiasticum &c. Ratio est, quia de bonis patrimonialibus certum est beneficiarios liberè disponere posse, cum ejusmodi bonorum verum habeant dominium, sicut laici, neque enim per Clericatum, vel Ordinis susceptionem fiunt dominii incapaces, ac proindè bona patrimonialia ad libitum expendere possunt, dummodo in eis expendendis nihil fiat justitiæ, vel charitati repugnans; & idem quoque de bonis quasi matrimonialibus, ac etiam de bonis merè Ecclesiasticis, seù de redditibus beneficiorum quoad eam partem tantùm, quæ congruæ cujuscunque sustentationi necessaria est, dici posse censent Major, Covarruvias, Navarrus, Layman, Abellius, Stephanus à S. Gregorio, & plures alii; undè beneficiarii fructus superfluos in pios usus expendere tenentur, & aliter faciendo graviter peccant, non autem fructus, quos sibi subtraxerint ex decenti sustentatione.

69 Quartò præterea est difficultas, an Beneficiarius, qui beneficii fructus suæ congruæ sustentationi superfluos in prophanos usus erogat, non solùm mortaliter peccet, ut dictum est, sed etiam ad restitutionem teneatur; cujus difficultatis resolutio ex alia quæstione pendet, an, scilicet, beneficiarius verum, & proprium habeat dominium illius partis fructuum, & reddituum beneficii, quæ congruæ, & honestæ ejus sustentationi necessaria non est; de qua quæstione duæ extant celebres Doctorum sententiæ. Prima sententia docet post erecta beneficia, cæterosque proventus singulis titulis assignatos, beneficiarios effici absolutè dominos omnium proventuum, licet enim beneficiarii non habeant dominium beneficiorum, saltem habent usumfructum; usufructuarius autem dominium fructuum habet; tum quia, & Canones, & Concilia sæpiùs dicunt, & repetunt beneficiorum munera benefic o debita exercentem facere fructus illius suos; ergò verum eorum dominium acquirit, ac proindè quamvis partem superfluam in prophanos usus expendendo mortaliter peccet, non tamen ad ullam restitutionem faciendam obligatur, non enim ad restitutionem tenetur, qui rem suam distraxit, sed qui alienam, aut alteri debitam. Ità Covarruvias, Sotus, Lessius, Reginaldus, Molfesius, Valentia, Bonacina, & plures alii. Secunda sententia docet beneficiarios non esse dominos illius partis redundantis, sed tantùm dispensatores, ac proindè ex justitia obligari ad eam partem in pios usus expendendam, aliàs si secus fecerint, non tantùm mortaliter peccare, sed etiam ad restitutionem obligari, ideſt, teneri tantundem ex aliis bonis in pia opera impedire; assumptum verò probatur, quia in primitiva Ecclesia facta fuit fructuum Ecclesiasticorum divisio in tres Partes, quarum prima usibus pauperum deputata fuit; secunda constituta fuit in reparationem Ecclesiæ, & beneficiorum; tertia in commodum beneficiatorum sustentationem; quod autem in alterius usum deputatum, est, non potest sine violatione justitiæ, ex qua consurgit restituendi obligatio ad alium usum applicari; beneficiarius autem fructus beneficii superfluos profanè expendens eos non applicat ad usum, ad quem sunt deputati; ergò contrà justitiam peccat, & ideò ad restitutionem quoque tenetur. Ità Major, Paludanus, Navarrus, Layman, & alii. Quamvis autem ambæ istæ sententiæ sint valdè probabiles ob auctoritatem, pluralitatem gravium Doctorum eas propugnantium, & ob validitatem rationum, quibus unaquæque fulcitur; posterior tamen communiter censetur tutior, & in praxi consulenda ad tollendos abusus, qui frequenter contingere solent in expendendis beneficiorum redditibus. Denique ex communi Doctorum consensu congrua Beneficiarii sustentatio censetur, quæ ad status, & familiæ sustentationem necessaria est juxtà conditionem status, gradus, dignitatis, qualitatis, & regionis, in qua habitat, undè congrua sustentatio in indivisibili non consistit, nec respectu omnium est æqualis, quia plus requirit Episcopus, quàm Decanus, & hic plus, quàm Canonicus, & plus requirit Canonicus in Ecclesia principali, quàm simplex Parochus, & plus debilis, & tener, quàm robustus, & valens; & quod sufficit in uno loco, non sufficit in alio ob varietatem pretii, victus, & vestitus; quapropter regula, & modus congruæ sustentationis attendi debet ex usu aliorum prudentis, & timoratæ conscientiæ, & in eodem gradu. Ità Busembaus lib. 4. c. 2. dub. 3. cum Molina, Bonacina, Layman, Card. de Lugo, & aliis.

70 Quintò ulterius est difficultas, an Milites Commendatarii, ut sunt Equites S Jacobi Calatravæ, Alcantaræ, aut Florentiæ Milites S. Stephani, & alii consimiles possint fructus Commendarum ad libitum distrahere, & expendere. In qua quæstione duæ sunt sententiæ. Prima negat, quia hujusmodi Commendæ sunt bona Ecclesiastica, qui autem talia bona obtinet, non potest eorum fructus impendere ad ditandos consanguineos, vel amicos, nec ad prophanos usus distrahere; quod tantò magis de prædictis Commendatariis asserendum est, quia sunt veri Religiosi, & votis Religionis adstricti nempè paupertatis, obedientiæ, & castitatis; cum voto autem paupertatis dominium bonorum, aut fructuum stare non potest. Ità Navarrus, Avilla, Azorius, Reginaldus, & alii, Secunda opinio affirmat prædictos Equites, si profanè fructus Commendarum expenderint, non peccare mortaliter, sed tantum veniàliter, secluso peccato, ad quod illos consumerent; & ratio est, quia dicti Commendatarii sunt domini proventuum, quos ex bonis sibi commendatis percipiunt, non enim habent votum perfectum paupertatis, nec hujusmodi Commendæ applicantur eis sub titulo aliquo spirituali, nec spiritualis officii, sed potiùs titulo sæculari, nempè militari; imò Gregorius XIII. revocando motum Pii V. eis testandi facultatem concessit, sicut etiam anteà habebant; quarè prædicti Commendatarii hoc tempore graviter peccare non videntur contrà paupertatis votum proventus commendarum ludis exponendo, & ex eis consanguineos ditando. Ità Bonacina cit. disp. 4. punc. 2. & Stephanus à S. Gregorio lib. 3 *de beneficiis* cap. 81. qui plures alios adducunt, & videtur opinio communior, & probabilior. Addunt tamen id asserendum non esse Equitibus S. Joannis Baptistæ, isti namque strictiùs vota emittunt, & observant, & Commendæ, quæ eis conceduntur, dantur sub titulo spirituali, & cum obligatione etiam recitandi divinum officium; ac pretereà censent idem dicendum esse de Equitibus istis, quod de beneficiariis dictum est, & consequenter non posse dictarum Commendarum proventus, & fructus ad libitum expendere, sed ad pios usus, nec de illis ditare parentes, vel amicos. De aliis autem bonis dicunt posse liberè pro arbitratu suo inter vivos disponere. & ratio est, quia ipsi non vovent rigidam Claustralium Religiosorum paupertatem, sed eam, quæ inter ipsos servari solet, & jam ex usu, & experientia constat de prædictis bonis, prout libet, ipsos disponere; ex quo tandem deducunt prædictos Equites, & Commendatarios S. Joannis Baptistæ, qui ultrà sui status conditionem pecuniam ex Commendis perceptam ludo exponunt, aut in vanos usus consumunt, graviter peccare; quamvis enim contrà voti obligationem non faciant paupertatis, quam Religiosi Claustrales in professione promittunt, faciunt tamen contrà strictum Trid. præceptum superiùs adductum.

71 Postremò, Beneficiarii tenentur divinum officium recitare, aliter beneficii fructus non possunt facere suos, ut dictum est suprà art. 1. nu. 50. ex Concilio Lateran. sub Leone X. sess. 9. §. *Statuimus*, ubi privantur fructibus beneficiarii Horas Canonicas omittentes. & ratio est regula illa generalis, quod beneficium datur propter officium, quod in se continet, cui sunt annexæ Horæ Canonicæ; quænam autem pars fructuum ob omissionem alicujus partis officii, vel totius amittatur, declaratum est ibidem num. 55. incipit autem talis obligatio ab eo tempore, quo beneficiarius jus habere incipit in beneficium per collationem, & acceptionem, vel per institutionem, aut confirmationem; verum est tamen aliqua esse beneficia, quæ ex eorum institutione ad horas Canonicas non obligant, ut sunt

quæ-

quædam Præposituræ, aliqui Personatus, & Præstimonia quædam, quæ tantum requirunt quotidiè Officii B. Virginis recitationem, vel quinque Pater, & Ave, vel psalmum Miserere, ut Navarrus, Lessius, Stephanus à S. Greg. & alii passim advertunt. Insuper intrà annum à collatione beneficii curati tenetur beneficiatus Sacerdotii Ordinem suscipere, quem si non suscipit, amittit ipso jure deinceps beneficii fructus, illosque restituere tenetur, ut Nav. advertit in Manuali c. 25. & de oratione 22. ità enim statuitur can. de elect. l. 6. quod qui intrà annum à collatione beneficii curati Sacerdotio non initiatur, ipso jure beneficio privetur; quamvis autem aliæ quoque sint obligationes Beneficiariorum, principaliores tamen sunt assignatæ, quæ culpam mortalem inducunt, ac etiam interdum fructuum beneficii restitutionem

ARTICULUS QUATUS.

De Pluralitate Beneficiorum simul, & de Pensionibus.

72 PRimò certum est simpliciter, & absolutè loquendo plura simul habere beneficia non licere, ità enim decernitur cap. *Singula* 89. dist. & in Concil. Trid. sess. 24. cap. 17. & hæc prohibitio intelligenda est de omnibus beneficiis tam curatis, quàm simplicibus, ut declaravit Congreg. Cardinalium quam affert Emanuel Sà in summa cap. 31. cujus rationem reddit Concilium loc. cit. quia pluralitas hujusmodi magnam inordinationem involvit, dùm minuitur cultus divinus, Ecclesia operariis, fundator pia intentione, paupereş utiliores Ecclesiæ futuri sustentatione privantur, quando unus plurium officia occupat, & ideò ibi statui, ut inposterum unum tantùm Ecclesiasticum beneficium singulis conferatur, quod quidem si ad vitam ejus, cui confertur, honestè sustentandum non sufficiat, liceat, nihilominus aliud simplex sufficiens, dummodò utrumque personalem residentiam non requirat, eidem conferri. Ità ad verbum Conc. Trident. loc. c. ubi proinde declarat plures Episcopatus, quamvis exiguos, & plura beneficia curata, quamvis exigua, simul habere non licere, item nec plura, quæ residentiam requirunt, quales sunt Canonicatus, & similia, nec etiam plura simplicia, cùm unum sufficit ad decentem beneficiarii sustentationem. Notanter autem diximus regulariter, & ordinariè loquendo plura simul beneficia habere non licere, quia in quibusdam casibus plura simul habere licet etiam sine ulla dispensatione. Primò cùm unum non est satis ad congruam sustentationem beneficiati, dummodò utrumque personalem residentiam non requirat; ut ait Concil. l.c. Secundò, quando beneficia sunt legitimè unita, ut quando Parochia est Cannonicatui annexa, eique accessoria, tunc enim utrumque per modum unius possidetur. Tertiò cùm talia beneficia, vel saltem alia, excepto uno, personalem residentiam non requirunt, in his enim casibus nulla requiritur dispensatio, ut docent Nav. Angel. Tol. & alii.

73 Secundò addendum tamen est cum Layman, Lessio, Azorio, & aliis, quod si plura illa beneficia compatibilia talia sint, quod unum ad honestam sustentationem sufficiat, ut licitè simul haberi possint, requiritur specialis Papæ dispensatio, quæ etiam non nisi ex justa causa, & honesta est concedenda; undè qui per dispensationem plura talia beneficia obtinuit, nisi justa causa subsistit, non erit in conscientia tutus, sed alterum resignare tenebitur, ut docent præfati Doctores; porrò justa dispensandi causa est, ut etiam communiter Doctores docent, evidens necessitas, & utilitas Ecclesiæ, & quandoque etiam prærogativæ, & merita personæ, v. g. in signis nobilitas, dignitas, scientia, auctoritas, virtus &c. Modo caveatur ne beneficiorum coacervatio etiam ob personæ prærogativam facta ad privatum tantùm, & non ad commune bonum referatur, ut notat Busembaus lib. 4. cit. cap. 2. art. 4. & tandem, ut ait Abellius in Appendice de statu Clericali qu. 4. de illa necessitate, & utilitate Ecclesiæ, ac justa dispensandi causa, an talis, sit, quæ pluralitatem illam beneficiorum coram Deo excuset, penes ipsum Pontificem judicium residere debet; quia cessante causa rationabili, & justa, sivè honestæ sustentationis; sivè necessitatis, aut utilitatis ipsius Ecclesiæ, illicitum est plura beneficia, quamvis compatibilia, simul retinere; nec ad id ulla Summi Pontificis dispensatio suffragari potest, cùm hæc beneficiorum qualiumcumque pluralitas juri naturali repugnet, quando nulla justa, & rationabili causa cohonestatur, & ità ait sentire præfatus Auctor D. Bernardum epist. 271. ad Theobaldum Campaniæ Comitem, & lib. 3. de Consideratione ad Eugenium, & D. Thomam quol. 9. art. 5. & plures alios Recentiores ab eo citatos, & præsertim Cardin. Bellarminum in Epistola ad Episcopum Theanum Nepotem suum, ubi postquam dixit sacros Canones multiplicitatem beneficiorum horrere, addit Theologos Parisienses post longam disputationem anno 1238. definisse. *Neminem posse duo beneficia, si unum sufficeret ad eum alendum, obtinere sine peccato mortali*, quod etiam posteà à Conc. Trid. definitum est loc. cit. Hæc autem omnia de pluralitate beneficiorum illicita optimè insinuavit Astes. noster l. 6. tit. 33. ubi contrarium docentes appellat divitibus obedientes, & vitia palpantes, ac foventes.

74 Tertiò, quoniam non minora inconvenientia, nec leviores abusus in materia pensionem contingere solent, quam pluralitatis beneficiorum, nonnulla de pensionibus quoque subdere necessarium duxi, licet, non satis libenter, quia Veteres Doctores, quos præsertim, ut Magistros veneror, parùm, vel nihil de hac materia tractant. Pensio itaque communiter definiri solet, quod est jus percipiendi fructus ex alieno beneficio, cui juri nomen hoc *Pensionis* impositum est, non solùm ad indicandum pondus, & onus solutionis, quod fert Beneficiarius, ex sui beneficii fructibus, sed etiam ad significandum, quod non tantùm beneficiario quotidiè pensare incumbit, quomodo, & quando talem pensionem solvere debeat, sed etiam pensionario, quod talis pensionis exactæ coram Deo rationem est redditurus, an justè, & ex justa causa eam exegerit. Pensio autem triplex est, ut Toletus advertit cum aliis lib. 5. c. 82. quædam est temporalis, quædam spiritualis, & quædam media, seù mixta, quia nec est omninò temporalis, ut prima, nec omninò spiritualis, ut secunda. Temporalis, quæ datur propter Ministerium temporale Ecclesiæ exhibitum, verbi gratia, Æconomo, Cantori, Ædituo, quæ proindè etiam laicis confertur; spiritualis est, quæ datur alicui ob officium aliquod spirituale erga Ecclesiam, & titulo merè spirituali, ut quæ datur Concionatori, & Coadiutori Episcopi, vel Parochi. Altera, media, seù mixta est, quæ fundatur quidem in statu spirituali, seù Clericali, non tamen propter spirituale ministerium confertur, sed ob aliam causam, ut quæ datur Clerico pauperi, vel Parocho seni ad sustentationem, vel quæ datur causa resignationis, vel litis componendæ. Prima pensio dicitur laicalis, quia laicis etiam datur; duæ posteriores verò dicuntur Clericales, quia Clericis tantùm conferuntur; inter pensionem verò laicam, & Clericalem hoc præsertim versatur discrimen, quod illa nihil prorsus cum Ecclesiastico beneficio commune habet; hæc autem cum eo multum convenit, siquidem & jus spirituale est, vel potiùs spirituali annexum, & statum Clericalem requirit; quamvis autem pensio Clericalis multùm cùm Ecclesiastico beneficio conveniat, adhuc tamen ab eo differt, nec beneficium Ecclesiasticum proprie dici potest, quia non est jus percipiendi fructus ex bonis Ecclesiasticis ex se in perpetuum; sed tantùm temporale. Beneficium verò ex sua institutione est ità durabile, ut ex unius amotione, qui illud possidebat, alium requirat posteà, cui sit conferendum. Ità Navarrus, Toletus, Layman, Filliucius, & alii passim

75 Quartò, quinam autem pensiones beneficiis imponere possit, certum est Summum Pontific. talem habere potestatem pensiones imponendi ob justam causam, cùm in beneficiis plenissimam habeat potestatem cap. 2. de præb. in 6. Dixi ob justam causam, quia ut ait Tol. l. c. c. 83. concessio pensionis est quædam dispensatio, dispensatio autem sine causa non habet locum in foro interiori, & coram Deo; quia Pontifex bonorum, & redituum Ecclesiæ non est dominus, sed tantùm dispensator universalis; undè sicut cum dispensat in voto sine causa, non facit hominem in conscientia securum; ità in pensionum, & beneficiorum distributione, quarè nullus sine justa causa, quamvis dispensatus à Summo Pontifice, potest illas tuta conscientia habere. Ità etiam discurrit Stephanus à S. Greg. l. 3. *de Pensione* c. 84. & ait esse communem Theologorum sententiam, pro qua etiam citat Lessium, & alios; ac etiam Fernandez p. 4. c. 15. §. 6. ubi etiam addit justam causam ad concedendam pensionem esse omnem illam, quæ in utilitatem Ecclesiæ cedit. Atque ideò in primis concedi posse pro dirimenda lite exorta inter duos circà idem beneficium, ne tempore litis Ecclesia legitimo pastore careat, ut habetur cap. *Nisi essent de præbend.* Deindè concedi posse alicui pro servitio Ecclesiæ facto, vel faciendo sivè corporali, sivè spirituali. Item concedi posse Clericis pauperibus, quia illorum congrua sustentatio in decus, & honorem Ecclesiæ resultat. Præterea etiam concedi posse laicis egenis, quia pietas Ecclesiam, ut piam Matrem exornat; ac tandem concedi posse in permutatione pinguioris beneficii in minus pingue, ut permutanti fructus integri maneant ad decentiam sui status servandam. Quamvis autem proprium sit solius Pontificis pensiones designare, & imponere, addunt tamen aliqui id etiam posse Episcopum in quibusdam casibus specialibus, & necessariis, v. g. propter paupertatem, & senium resignantis, vel litis compositionem, vel propter adæquandos fructus in permutatione bene-

beneficiorum, quamvis non in perpetuum, neque cum facultate transferendi ad alterum, sed solùm ad vitam pensionarii, ideſt, ejus, cui pensio designatur, ut habetur in c. cit. *Nisi essent de præbend.* Ità Layman. & Fill. pro qua sententia plures alios adducunt; id enim Episcopis competere poterat in certis casibus jure antiquo, cui non est derogatum ex nova Constitutione Pii V. ut Filliucius declarat tr. 42. *de Pensionibus* cap. 2.

76 Quintò, ad hoc ut pensio dicatur legitimè, ac juridicè imposita, debet esse moderata, itaut beneficiato relinquatur sufficiens sustentatio, ut fusè probat Gigas de Pensionibus qu. 6. & 9. talis autem plerunque censetur esse tertia pars fructuum; undè in beneficio parochiali potest imponi pensio, quando tamen tale beneficium excedat summam centum scutorum, nam juxtà Concilium Trident. sess. 24. c. 13. *de Reform.* vetitum est, ne Parochi pensione graventur, nisi ultrà dictam summam centum ducatorum ex beneficio habeant, & talis est communis usus; sic etiam in Episcopatu pensio imponi potest, quando fructus Episcopatus excedunt summam mille aureorum, ut dicitur in Concil. loc. cit. adeout ultrà pensionem centum remaneant pro Parocho, & mille pro Episcopo; nec obstat, si Beneficiarius haberet pingue patrimonium, quia dicti fructus dantur illi, tanquam merces operis, & ministerii, undè cùm hujusmodi fructus in ea quantitate sint ei assignati ratione stipendii ex eo, quod laboraverit, vel laboret pro Ecclesia, & tale stipendium sit ei jure naturali, & divino debitum, quia dignus est operarius mercede sua, non potest juridicè tali stipendio privari per impositionem pensionis, ut latè probat Azor. l. 6. 2. p. q. 1. cum pluribus aliis, qua ratione multi etiam asserunt in distributionibus quotidianis pensionem juridicè imponi non posse, quia dicti fructus dantur, tanquam merces operis, & ministerii ex cap. 1. de Cleric. non resid. & ita tenet Joan. Andreas in rubric. *de conceſſ. præbend.* Felinus c. *Ad aures de reſcr.* Oldradus consil. 117. & plures alii. Notant etiam hìc communiter D.D. quod quamvis beneficium sit juris patronatus, adhuc potest super illud pensio imponi, nec ad id requiri patroni consensum, quia id nullo jure statutum est, & nulla ei fit injuria per talem impositionem, cùm is fructus ex beneficio non percipiat, sed tantùm habeat jus instituendi, & præsentandi quod ei non adimitur; hoc tamen intelligendum est, nisi ratione paupertatis patroni essent ipsi applicandi fructus beneficii, in tali enim casu, quod patronus verè pauper esset, & alimentis indigeret, & fructus beneficii non sufficerent pro dicto beneficiario, & patrono, nullo modo in tali beneficio posset pensio assignari, nam patrono indigenti tenetur Ecclesia, seù Beneficiarius beneficium juris patronatus habens alimenta præbere ex cap. *piæ mentis*, & c. *Filiis* 16. qu. 7. & potior in tali casu reputanda est causa patroni, quàm pensionarii, ut advertit Stephanus à S. Greg. l. 3. cit. c. 84. num. 11.

77 Postremò, circà obligationes pensionarii conveniunt Doctores esse obligatum ad recitandum Officium B. Virginis post Constitutionem Pii V. nec facit fructus suos, si omittat; item non posse exigere pensionem in conscientia, nisi priùs litteras Apostolicas obtineat dictam pensionem concedentes, nec sufficiet simplex impetratio, ut probat Gigas de Pensionibus qu. 34. Prætereà valdè probabile est cum Molina tom. 1. *de Justitia, & Jure* tr. 2. disp. 145. & pluribus alis, pensionarium teneri eodem modo, ac beneficiarium superfluos fructus pensionum in pios usus expendere, illos autem, quos sibi subtraxerit ex propria, & debita sustentatione expendere posse, ut voluerit, ut de beneficiatis dictum est; rursus tenetur pro rata pensionis ad solvenda onera fructibus beneficii supervenientia ab eo, qui potest imponere, nisi pensio sit reservata libera, & ab omni onere exempta ut Fill. advertit tr. 42. cit. c. 7. sicut è contrà Beneficiarius non tenetur ad pensionem solvendam, si fructus beneficii in totum, vel in partem perierint, ut communiter Doctores docent, & videri potest apud Gigantem, Felinum, Azorium, & alios passim. An verò quis plures possit pensiones habere; dicendum est cum Stephano à S. Gregorio id ex jure communi non esse prohibitum sicut est de beneficiis, attamen spectato jure naturali, habens unam pensionem sufficientem ad honestam vitam, non potest aliam habere, ne unus esuriat, & alius ebrius fit; possunt tamen alicui ob merita, ob nobilitatem, litteraturam, vitæ probitatem, & alias prærogativas plures concedi pensiones; quod tamen intelligendum est cum limitatione superiùs posita circà pluralitatem beneficiorum, dummodò periculum absit, ne pensionum coacervatio etiam ob personæ prærogativam facta ad privatum tantùm, & non ad commune bonum Ecclesiæ referatur. Denique conveniunt Doctores pensionem ex se non esse perpetuam, sed extingui per mortem pensionarii, sicut usus fructus morte usufructuarii, posse tamen Papam ex plenitudine potestatis facere perpetuam; sed in his, & similibus casibus summa Pontificum prudentia, & zelus optimum D. Bernardi documentum l. 3. cit. de Consideratione ad Eugenium advertere deberet, quod cum plenitudine potestatis concurrat etiam plenitudo justitiæ; ubi enim necessitas urget, excusabilis dispensatio est; ubi utilitas provocat, dispensatio laudabilis est, utilitas, dico, communis non propria, nam cùm nihil horum est, non planè fidelis dispensatio, sed crudelis dissipatio est. Ità D. Bernard. l. 3. cit. propè finem optimo zelo ductus.

QUÆSTIO TERTIA.

De Simonia.

74 QUoniam Simoniæ sacrilegium Clericis specialiter interdictum est, & nedùm in beneficiis obtinendis committi potest, sed etiam in aliis casibus emendo, aut vendendo res sacras, ideò seperatim de Simoniæ sacrilegio in hac quæstione tractamus, quia copiosiorem exigit tractationem; hoc autem Simoniæ nomen, originem duxit à Simone Mago, quia primus hìc fuit in lege gratiæ, qui Dei donum, seù Spiritum Sanctum emere volebat, ut illum venderet actorum 8. ut ait D. Augustinus tract. 10. in S. Joann. *Volebat emere Spiritum Sanctum, quia volebat vendere Spiritum Sanctum*; ex quo factum est, ut peccatum illud, quo aliquid spirituale, aut spirituali annexum pecunia, aut aliqua re pretio æstimabili emitur, aut venditur, Simonia nuncupetur, & sic etiam de hoc sacrilegio discurrit D. Thomas 2. 2. q. 100. art. 1. Hìc igitur breviter perstringemus, quæ pro hac materia sunt magis necessaria.

ARTICULUS PRIMUS.

Quid, & quotuplex sit Simonia, & quale peccatum.

79 PRimò, simonia communiter definiri solet tam à Theologis, quàm à Canonistis, quod sit *studiosa voluntas emendi, aut vendendi preto temporali aliquod spirituale, vel spirituali annexum*, quam definitionem ita declarant ex nostris Astesanus libr. 6. tit. 53. art. 1. & Nicolaus de Orbellis 4. dist. 25. quæst. 2. dicitur *Studiosa voluntas* ut intelligatur esse actus deliberatus, & non surreptitius, & debet esse actus voluntatis qui ad effectum deducitur, seù voluntas ad actum exteriorem progressiva, ut loquitur Gloss. 1. qu. 1. *Qui studet*, quia quamvis simonia mentalis sit peccatum non tamen obligat ad restitutionem rei acquisitæ spiritualis, vel temporalis, nisi sequatur effectus emptionis, vel venditionis, seù nullo pacto interveniente, extrà de simonia, Mandato nostro. Nomine verò emptionis, & venditionis intelligitur omnis contractus non gratuitus, quia simonia sine pactione aliqua non consistit tacita, vel expressa, & obligatione ex pacto; quod additur, quia obligatio naturalis quæcunque ut gratitudinis, non sufficit, v. g. quando quis sperat, vel intendit tantùm, non tamen obligat, quia non facit contractum. Nomine pretii temporalis intelligitur pecunia, vel aliquid pecunia æstimabile, qualiter est munus à lingua, vel à manu, vel ab obsequio, ut communiter docent Theologi, & infra declarabitur. Nomine tandem rei spiritualis, quæ per simoniam emi, vel vendi dicitur, intelligitur omne id, quod est aliquo modo supernaturale, hoc est, quod à Deo procedit, ut est auctor gratiæ, vel ad Deum, ut est auctor gratiæ ordinatur, sivè sit aliquod reale, sivè morale tantùm, sive per modum actus, sivè per modum habitus, ut sunt virtutes supernaturales, gratiæ gratis datæ, aut gratum facientes, Sacramenta, & quilibet usus potestatis alicujus supernaturalis, ut est consecratio, absolutio, dispensatio, benedictio, excommunicatio, electio, præsentatio, confirmatio, collatio beneficii, aliique actus Ecclesiasticæ jurisdictionis; dicitur tandem *vel Spirituali annexum* ad comprehendendum ea, quæ non sunt purè spiritualia, sed ad ea ordinantur, eisque sunt annexa, vel quia ad officium spirituale pertinent, qualia sunt beneficia Ecclesiastica, & vasa, ornamenta, & cætera supellectilia sacra; ex quo patet malitiam simoniæ consistere in irreverentia, quæ committitur, dùm res spirituales instar temporalium pretio æstimantur, & contractibus subiiciuntur.

80 Secundò conveniunt Doctores, pretium quod pro re spirituali tradi solet, & cujus ratione simonia committitur, triplex esse, scilicet, munus à manu, munus à lingua, & munus ab obsequio, ut Astesanus noster advertit loc. cit. art. 3. & fusè Bonacina declarat disp. 1. de simonia quæst. 1. paragr. 1. sic enim habetur in cap. *Salvator* 1. qu. 3. & ad hæc tria rerum genera omnia alia revocari possunt, quæ in pretium pro re spirituali

tradi

tradi solent. Nomine muneris à manu intelliguntur omnia bona externa pretio æstimabilia, sivè mobilia sint; sivè immobilia, sivè corporalia, sivè incorporalia, ut habetur cap. *Totum* 1. qu. 1. & cap. *Tuanos*, de simon. Et idem dicendum est de promissionibus, vel obligationibus illorum; undè sequitur simoniam committi, dum quis beneficium, vel rem spiritualem alicui confert ob rem aliquam pretio æstimabilem, ut ob pecuniam, ob remissionem debiti, vel ob istorum promissionem. & ratio est, quia promittit temporale pro spirituali, & consequenter tradit munus à manu. Nomine muneris ab obsequio, intelligitur opus hominis conducens ad utilitatem, seù commodum temporale hominis, hujusmodi enim temporale obsequium est pretio æstimabile, ut de se patet, pretium enim tradi solet, ut obsequium seù ministerium temporale alicujus obtineatur; undè sequitur simoniam committi tradendo beneficium, vel aliquid aliud spirituale cum pacto, seù cum onere præstandi aliquod obsequium temporale, quia in tali casu exigitur munus ab obsequio pro re spirituali, & ita habetur cap. *Cùm essent*, de simonia. Subdit tamen Nicolaus de Orbellis loc. citat. cum Raimundo, Goffredo, & Hostiensi, quod obsequium corporale licitum, & honestum non inducit vitium simoniæ, dum tamen fiat sine peccato, & serviens sit dignus, ut si quis serviat Episcopo in negotiis ejus, vel Ecclesiæ, quia hoc innuit à contrario sensu Canon. ille 1. quæst. 1. *Sunt nonnulli*, ubi munus ab obsequio dicitur servitus indebitè impensa, id est obsequium illicitum. Nomine tandem muneris à lingua intelligitur actio precum, seù supplicationum, & intercessionum, quæ lingua exerceri solent in favorem illius, qui confert beneficium, vel rem aliam spiritualem, cùm enim hujusmodi preces, vel intercessiones fiant in favorem illius, meritò hoc nomen muneris à lingua sibi vendicant; ut tamen preces hujusmodi rationem pretii habeant, opus est, ut fiant ex pacto expressè, vel tacitè inito cum eo, qui spirituale confert, tunc enim pretio æstimantur, & cum re spirituali commutari censentur, undè erit simonia, si priùs preces præcedant ex pacto, verbi gratia, si intercedas pro me apud Regem, vel Principem, dabo beneficium; si verò nullum præcessit pactum, simoniæ culpam non inducunt, quia gratis factæ censentur, nec habent rationem pretii defectu pacti, seù conditionis. Ita D. Tho. 2. 2. q. 100. a. 5. quem sequuntur Recentiores omnes.

82 Tertiò, simonia dividitur in eam, quæ est juris divini, estque prohibita propter malitiam suam, verbi gratia. Hostiam consecratam vendere; & eam, quæ est juris humani, estque mala tantùm propter prohibitionem, quo pacto ab Ecclesia prohibetur venditio beneficiorum secundùm id, quod in ipsis temporale est, scilicet quoad jus præcisum percipiendi fructus; undè quælibet venditio, aut emptio, rei spiritualis supernaturalis est simonia jure divino prohibita, ut deducitur ex variis Scripturæ locis, passim à Doctoribus adductis; venditio autem, vel emptio alicujus rei temporalis, quæ alicui rei spirituali annexa est, ut emptio, vel venditio beneficiorum Ecclesiasticorum quoad partem temporalem simonia est Ecclesiastico jure vetita; quamvis enim jus ad percipiendos beneficii fructus materialiter consideratum, & seorsim à quovis officio spirituali, & sacro præcisum sit quid temporale, quod proindè jure divino invendibile non est; ob reverentiam tamen rei spiritualis annexæ Ecclesiasticis legibus prohibitum fuit, ne tale jus vendi posset. Undè sicut Ecclesia potest locum materialem divino cultui dicatum à Laica potestate legibus suis immunem reddere, itaut qui talem immunitatem violat, contra virtutem Religionis peccet, & sacrilegium committat; ita prohibere potest, ne res aliqua annexa rei sacræ vendatur ob reverentiam talis rei, itaut si vendatur, aut ematur pretio aliquo temporali, venditio illa, aut emptio simoniaca censeatur. Ita Sua. r Azor. Reg. Less. Laym. Bonac. & alii passim.

82 Quartò, rursus dividitur simonia in mentalem, conventionalem, & realem. Mentalis est ea, quæ cum externa actione dationis, & acceptionis conjungitur, in qua tamen simoniæ malitia non apparet, qua ratione mentalis dicitur, ut Filliucius advertit tractat. 45. cap. 10. non autem quia sit actus purè internus, ut quidam dicunt. Conventionalis ea est, in qua pactum intercedit dandi rem temporalem pro spirituali, vel expressum, vel tacitum. Realis tandem est, quando ex utraque parte pactum executioni mandatum est; undè ad perfectam, & realem omninò simoniam requiritur voluntas interior contrectandi sub pretio temporali rem spiritualem; præterea pactum explicitum, vel saltem implicitum, quod tale censendum est, cùm datur pretium temporale, quamvis nulla conventio præcedat; & tandem exhibitio externa pretii, & externa traditio rei spiritualis, undè altero horum deficiente non est realis, sed conventionalis simonia. Ita Armilla, Toletus, Fernandez, & alii passim. Addi quoque solet simonia confidentialis, verùm ut notat Filliucius loc. cit. hæc diversam speciem non constituit, sed tantum in ea tres prædicti modi reperiri possunt, illa enim dicitur simonia confidentialis, cùm quis alteri dat beneficium, ut illud sibi, vel alteri resignet, vel cum onere dandi certam partem fructuum; undè si nullum pactum intercedat, sed interius tamen sit mala intentio, erit simonia confidentialis mentalis tantùm; si fiat pactum exteriùs erit conventionalis, si pactum fuerit ex utraque parte completum, erit realis.

83 Quintò, conveniunt Doctores simoniam esse prohibitam jure naturali, divino, & humano, & quidem prohibitam esse jure naturæ probatur, quia ratio nostra lumine Fidei instructa naturaliter dictat res sacras sanctè esse tractandas, & nullum pretium temporale esse rei sacræ proportionatum, qua talis est, atquè ideò, qui rem sacram vendit, vel permutat, indignè illam tractat, quia ex terminis apparet valdè indignum esse tales res pro tali pretio vendere, vel permutare, res enim spiritualis non potest aliquo terreno pretio compensari, sicut dicitur de Sapientia Proverbiorum 3. Pretiosior est cunctis opibus, & omnia, quæ desiderantur, huic non valent comparari; quod etiam sit prohibita jure divino patet ex tertio Regum 13. ubi reprehenditur Jeroboam eò quod daret Sacerdoti pretium, ac etiam ex verbis Christi Matth. 10. *Gratis accepistis gratis, date*, & tandem, quod etiam prohibita sit jure positivo humano constat ex toto titulo *De Simonia*; & ideò suprà diximus simoniam dividi in eam, quæ est juris divini, estque prohibita propter malitiam, seù quia est intrinsecè mala, & in eam, quæ est juris humani, & est mala tantùm propter prohibitionem. Hinc ad quæsitum illud, an in his quæ simoniam inducunt auctoritas Papæ dispensare possit, & excusare à simonia, respondet Astesan. l. c. a. 2. cum Bernardo extrà de pactis. Cùm pridem, quod in his, quæ sunt ex sui natura simoniaca in veteri Testamento, ut vendere Sacramenta, & hujusmodi spiritualia, non excusat auctoritas Papæ; in his verò quæ sunt simoniaca per constitutionem Ecclesiæ excusat, quia potest in talibus dispensare. Undè subdit, quod Papa non liceret accipere pecuniam pro aliqua re spirituali, sicut nec alteri homini, imò tantò peccaret gravius, quantè locum majorem obtinet, licet enim res Ecclesiæ sint ipsius, ut dispensatoris principalis, non tamen sunt ipsius, ut Domini, & possessoris; tandem concludit etiam D. Tho. loc. cit. dicere, quod si Papa reciperet pro aliqua re spirituali, sivè de bonis Ecclesiæ, sivè de bonis aliis, non careret vitio simoniæ. Ità discurrit Astesanus l. c. & sequuntur omnes alii Doctores, ac etiam Orbellus cit. 5. 15.

84 Sextò, ex dictis sequitur simoniam esse peccatum mortale, & valdè grave ex genere suo, undè c. *Reperiuntur* 1. q. 1. dicitur *execrabile flagitium* &c. *Sicuti*, idest, de simonia, dicitur *Simoniacam pestem tui magnitudine alios animæ morbos vincere*. & ratio est, quia aliquis actus est malus ex genere suo ex hoc, quod transit super materiam indebitam; emptionis autem, & venditionis indebita materia est res spiritualis, quod probat Astesanus loc. c. triplici ratione. Prima est, quia res spiritualis non potest aliquo terreno pretio compensari, ut suprà dictum est, & ideò Petrus dixit Simoni Actorum 8 *Pecunia tua tecum sit in perditionem, quoniam donum Dei existimasti pecunia possideri*. Secunda est quia illud solùm est materia debita venditionis, cujus venditor est Dominus. Prælatus autem Ecclesiæ non est Dominus rerum spiritualium, sed dispensator juxtà illud 1. Corinth. 4. *Sic nos existimet homo, ut Ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei*. Tertia ratio est, quia venditio repugnat origini spiritualium donorum, quæ proveniunt ex gratuita Dei voluntate, undè Matt. 10. dicitur *Gratis accepistis, gratis date*, & ideò aliquis in vendendo, & emendo spiritualia exhibet irreverentiam Deo, & ideò peccat peccato irreligiositatis. Ita discurrit Astesanus loc. c. Ex quo deducitur simoniam per se opponi virtuti Religionis, sicut enim ad virtutem Religionis pertinet cultus Dei, ità etiam eidem adversatur vitium illud, quo Deus in se, vel in re sacra contemnitur, bonitas enim alicujus actus, & illius privatio ad eandem virtutem suo modo pertinent. Negari tamen non potest, ut Bonacina advertit disp. cit. q. 3. in fine, quin simonia possit per accidens malitiam quoque injustitiæ habere annexam, nimirum dùm jus alterius violatur, illique fit injuria, ut, verbi gratia, si Parochus nolit sine pretio suis ovibus Sacramenta ministrare, quibus aliàs gratis ministrare tenetur, aut si calicem consecratum pluris vendat ratione Consecrationis, quamvis enim Calix sacer dignior sit, & venerabilior, non ramen pretio magis æstimabilis est, ut infrà dicemus de obligatione restitutionis ob simoniam. Hinc tandem concludunt DD. simoniam ex genere suo gravissimum crimen esse, nec veniale fieri posse ex materiæ levitate, quia nullum donum gratiæ licet sit parvum, & modicum, vendi potest sine gravi irreverentia, tùm ipsiusmet doni, tùm etiam Dei, undè tota ratio malitiæ reperitur in vendi-

venditione rei spiritualis in pauca quantitate, ac in magna. Potest tamen simonia esse veniale peccatum ob actus imperfectionem, ut inadvertentiam, & inconsiderationem, ac etiam ignorantiam, ut patet ex regulis generalibus traditis in materia de legibus. Ità Suar. Fill. Laymann, Tancred. Less. Bonac. & alii passim.

85 Quæres, An simonia sit adeò mala, ut neque per divinam potentiam licita fieri possit. Communis opinio affirmat simoniam, quæ est juris divini, de qua hic est sermo, formaliter sumptam nunquam licitam esse, nec licitam fieri posse etiam per divinam potentiam. Ratio deducitur ex dictis, quia talis simonia non est mala, quia prohibita, sed est prohibita, quia mala; ergò intrinsecam habet malitiam ex objecto, ex quo sequitur in simonia dispensari non posse etiam per divinam potentiam, sicut eadem ratione dispensari nequit in mendacio, vel blasphemia, & aliis peccatis contra præcepta primæ tabulæ, cùm intrinsecam habeant malitiam, quæ auferri non potest manente eadem rei essentia, & non mutatis circumstantiis.

Confirmatur, quia, ut arguit Bonac. loc. cit. semper est contrà rectam rationem æstimare rem spiritualem pretio, seù re temporali; & quamvis Deus sit rerum omnium Dominus, facere tamen non potest, ut res spiritualis non pluris æstimetur, quàm temporalis; cùm igitur in eo consistat simoniæ malitia, ut res spiritualis non pluris æstimetur, qu[illegible] temporalis, consequenter in ea, neque per divinam potentiam dispensari potest; nam superior dispensando solam aufert prohibitionem, ablata autem prohibitione juris divini, vel humani adhuc simonia remanet illicita, quia ut suprà dictum est, non est mala, quia prohibita, sed est prohibita, quia mala; & ideò c. *Sane* 15. qu. 13. simonia appellatur crimen læsæ Majestatis divinæ, & dicitur *instar publici criminis læsæ Majestatis esse pumendam.* Ità etiam Salas, Suar. Less. Fill. Reginald. & alii passim.

76 Postremò ex dictis colligitur ad rationem simoniæ duo præsertim requiri, quorum unum est pretium, qualis est pecunia, aut quodlibet aliud pretio aliquo æstimabile, ut declaratum est suprà num. 80. alterum est veluti merx, scilicet, res aliqua spiritualis, vel spirituali annexa, quæ tali pretio æstimatur, eoque venditur, vel emitur, materia enim circà quam simonia versatur, est res spiritualis, aut annexa rei spirituali, ut ex ejus definitione deducitur; undè quotiescunque hæc duo simul concurrunt, toties simonia committitur, si verò vel unum illorum desit, non committitur. Dices, in quibusdam casibus hæc duo concurrunt, in quibus tamen nulla simonia committitur, v.g. quando pecunia datur in eleemosynam pro vita æterna in remissionem peccatorum juxtà illud Daniel. 4. *Peccata tua eleemosynis redime:* temporalia etiam dantur ministrantibus spiritualia, & ab eis accipiuntur, tanquam stipendium, & tamen in his casibus nulla commirtitur simonia, ergò &c.

Respondet Astesanus loc. cit. ar. 3. in primò casu simoniam non committi, quia eleemosynæ ità dantur pauperibus, quasi Deo, qui est Dominus spiritualium, & ideò simonia non committitur cum eo, sicut cum Prælatis Ecclesiæ, quando eis aliquid datur pro beneficio collato, quia non sunt domini, sed dispensatores eorum. Item prædicta cadunt sub merito, & proponuntur nobis venialia à Deo pro moneta dilectionis, & operibus charitatis; non sic de spiritualibus, quæ per Ministros Ecclesiæ conferuntur, undè corporalis eleemosyna non est pretium vitæ æternæ, nisi inquantum imperatur à charitate. Nec etiam in secundo casu simonia committitur, quia temporalia ministrantibus spiritualia dantur, & ab eis accipiuntur, tanquam stipendium necessitatis, & pro sustentatione, & secundùm Ecclesiæ ordinationem, & approbatam consuetudinem, & non ut pretium mercedis spiritualium, quia tunc dantes, & accipientes simoniam committerent, non obstante quacunque consuetudine, quia consuetudo non præjudicat juri naturali, vel divino, quod prohibet simoniam.

ARTICULUS SECUNDUS.

Quibus modis Simonia beneficiis obtinendis, ac in aliis casibus committi possit, vel non.

87 QUoniam hoc simoniæ peccatum innumeris ferè modis committi potest, quos hìc sigillatim referre nimis prolixum esset, atque molestum; proponenda est hìc regula generalis, & à Doctoribus communiter recepta, qua in quovis casu particulari dignosci possit, an simonia committatur, nec ne; ad hanc autem regulam statuendam supponendum est pecuniam, aut aliquid pecunia æstimabile pluribus modis, & multiplici titulo pro aliqua re spirituali dari posse, scilicet, aut in sustentationem Ministrorum Ecclesiæ, aut in eleemosynam Ecclesiarum, seù Confraternitatem, vel per modum oblationis, quæ Deo fit in persona Ministri, vel per modum liberalis donationis in signum gratitudinis, vel per modum laudabilis consuetudinis ab Ecclesia approbatæ, vel tandem per modum pretii ipsius rei spiritualis. Hoc supposito ad dignoscendum in quibus casibus committatur simoniæ peccatum, vel non, generalis hæc regula est servanda; quotiescunque aliquid spirituale, vel spirituali annexum modo jam explicato emitur, aut venditur, quod contingit quotiescunque pro tali re aliquid pecunia æstimabile; tanquam illius pretium datur, aut accipitur, toties simoniæ labes incurritur: secus verò si alio titulo ex prædictis datur, vel accipitur; adhuc tamen tunc etiam examinandum est, ac maturè perpendendum, qualis sit ille titulus, an verus, & legitimus, an verò fucatus, & ad palliandam simoniam appositus, ut observat Abellius in Appendice cit. art. 3. qu. 2. Ita etiam discurrit Bonacina loc. cit. §. 2. ubi ait ad cognoscendum in foro interno an res temporalis tradita sit pro re spirituali per modum pretii, judicium ferendum esse ex assertione delinquentis, ipsius enim testimonio standum est, quia culpa simoniæ magna ex parte pendet ab intentione operantis cap. *Tua nos. De Simonia.* Loquendo autem de foro externo, seù quoad alios, qui de actione alterius judicium ferre debent, ait inspiciendum esse, an adsit aliquis titulus probabilis tradendi rem temporalem, qui simoniacam labem non contineat, & ejus suspicionem purgare possit, ut est titulus sustentationis debitæ operario, aut titulus redimendæ vexationis, aut laboris, aut liberalitatis, & similes; & si aliquis ex hujusmodi titulis intercedat, tunc præsumendum est pecuniam, vel rem aliam pretio æstimabilem non dari tanquam pretium rei spiritualis. Ratio est, quia quilibet jus habet ad bonam famam, & opinionem, cùm in illius possessione existat; ergò nisi oppositum constet, vel ex sufficientibus conjecturis colligatur, præsumendus est innocens, & immunis à delicto. Ità Bonacina loc. cit. imò addit, hoc verùm esse posse, etiamsi pactum aliquod intercesserit, nam pactum honestum esse potest, & consequenter præsumitur factum ob titulum honestum, nisi sufficientes conjecturæ in oppositum existant; ex hac igitur regula generali jam assignata plures resolvi possunt difficultates in hac materia.

88 Prima Difficultas est. An Sacerdos possit Missam cantare, & exequias celebrare pro pecunia citrà simoniam. Respondet Nicolaus de Orbellis dist. 25. cit. qu. 2. §. 2. affirmativè cum D. Thoma loc. cit. & Scoto 4. d. 5. quæst. 1. in fine, nam D. Thomas inquit, quod Sacerdos potest accipere pecuniam, vel aliud, cujus pretium potest pecunia æstimari, non tanquam pretium consecrationis Eucharistiæ, aut Missæ celebratæ, sed quasi stipendium suæ sustentationis; siquidem vendere, quod spirituale est in hujusmodi actibus, aut emere, simoniacum est; sed accipere, aut dare aliquid pro sustentatione ministrantium spiritualia secundùm ordinationem Ecclesiæ, & consuetudinem approbatam est licitum, ità tamen, quod non adsit intentio emptionis, & venditionis. Prædicantibus etiam verbum Dei temporalia debentur ad sustentationem ipsorum, non autem ad emendum prædicationis verbum, non enim venale est Evangelium; sic etiam temporalia dantur Deum laudantibus in celebratione Divini Officii, sivè pro vivis, sivè pro mortuis, & pro processionibus faciendis in aliquo funere, ac anniversariis celebrandis, quæ recipientes tenentur celebrare pro illis, pro quibus rogantur; si autem hujusmodi aliquo pacto interveniente fiunt, aut cum intentione emptionis, & venditionis simoniacum est. Scotus autem loco citato, dicit, quod non licet emere, vel vendere actum illum, inquantum est Sacramentalis, sed laborem Sacerdotis in actu illo, sicut conducuntur hodiè Sacerdotes ad celebrandum Missas, non ut ipsi vendant, & alii emant actum celebrationis, inquantum est Sacramentalis, quod absit, sed ipsi vendunt laborem, & alii eum emunt, quia oportet unumquemque de suo labore taliter qualiter victitare. Ità Scotus loco citato, qui tamen oppositum docere videtur quæst. 20. quol. ubi inter cætera dicit; quod non est verisimile, quod aliquis tantùm vellet dare Sacerdoti pro labore corporali. Sed ait loco citat. dici posse Sacerdotes pauperes suum laborem pro aliquo temporali permutare non attendendo præcisè quantitatem laboris, sed quia ex illo labore quantumlibet parvo oportet ipsos sustentari. Ex qua doctrina D. Thomæ, & Scoti constat non committi simoniam, si Sacerdotes pro celebrationibus Missarum, exequiis mortuorum, aliisque functionibus Ecclesiasticis stipendium, seù honorarium accipiant, quando illud non datur per modum pretii, sed per modum eleemosynæ, & sustentationis, aut laudabilis consuetudinis ab Ecclesia approbatæ, undè Apost. dicit 1. Corint. 9. *Qui in Sacrario operantur, quæ de sacrario sunt, edunt, & qui*

Altari

Altari deserviunt cum Altari participant; ità etiam discurrit Astesanus loc. citato, art. 3. & sequuntur Recentiores omnes; quos citat Bonacina loco citato, quæst. 4. punct. 2. ubi advertit non obstare, quod sacerdotes ut plurimum aliundè habeant, quo alii possunt; hoc enim est per accidens; nec impedire potest, ne sacerdos accipiat id, quod sibi ex natura rei debetur, cum nemo etiam dives suis stipendiis militare teneatur. Hac etiam ratione communiter asserunt DD. licitè mercedem aliquam honestam pro tradenda Theologiæ doctrina dari, & accipi posse; quamvis sit scientia supernaturalis, nimirum ratione laboris, qui in tam sublimi, & ardua scientia docenda non nisi maximus esse potest. Ita Cajet. Victor. Sot. Suar. Layman, Tancred. & alii passim.

89 Secunda difficultas est, an occasione rei spiritualis accipi possit aliquid temporale titulo gratitudinis citrà simoniam. Communis opinio affirmat, simoniam non commmitti, dum occasione rei spiritualis accipitur pecunia, seù res pretio æstimabilis, non tanquam pretium rei, sed gratis, vel titulo gratitudinis. Ratio est, quia simonia committitur, dum traditur pretium pro re spirituali; sed quod datur occasione rei spiritualis titulo liberalitatis, & gratitudinis, gratis datur, & non tanquam pretium rei acceptæ. Tùm quia simonia committitur mediante contractu emptionis, & venditionis, in casu autem posito talis contractus non intervenit. Tùm tandem, quia sic colligitur ex cap. *Quàm pio*, & cap. *Sicut Episcopus* 1. quæst 2. Certum tamen esse debet simoniam esse, si quis ità pacisca tur, dono tibi pecuniam, seù aliam rem pretio æstimabilem, ut mihi vicissim ex gratitudine rem aliquam spiritualem præstare debeas. Ratio est, quia hujusmodi conventiones nomine donationis, aut remunerationis conceptæ revera non sunt donationes, sed permutationes simoniacæ, quia in tali casu ob rem datam accipienti novum onus imponitur vicissim aliquid dandi, undè datio non est gratuita, sed onerosa, & reciproca, in hoc enim essentialis ratio pactionis onerosæ consistit; & quamvis donatarius ex naturali æquitate gratitudinis obligetur ad quandam antidoralem donationem faciendam, nihilominus, si ea in pactum prædicto modo deducatur, novum onus, seù obligatio pretio æstimabilis ei imponitur, etenim, talis pactione secluſa, donatarius ad talem donationem faciendam jure cogi non posset, etiamsi rem donatam retinere vellet, nec ei injuram faceret, quia nulla obligatio justitiæ adesset, sed tantùm gratitudinis, atque ideò in tali casu ingratus tantùm diceretur antidoralem donationem intermittendo. Ità Layman cap. 8. cit. *de simonia* §. 2. & Bonacina quæst. 7. punct. 1. ubi inquit, quod licet nulla simonia committatur tradendo aliquid alteri ex gratitudine, seù in remunerationem obsequiorum, ut si Prælatus beneficia conferat iis, qui de ipso benemeriti sunt; committitur tamen, dùm quis aliquid spirituale tradit alteri cum pacto, ut obsequium sibi præstet, vel rem pretio æstimabilem præbeat, etiamsi diceret, liberaliter trado tibi hoc beneficium; vel rem aliam spiritualem, si tu rem aliquam temporalem liberaliter promittas. Ratio est, quia sic dicendo obligationem in pactum deducit, & falsa est illa propositio, quia inducat se liberaliter tradere, & liberale donum exigere, cùm sic dicendo contractum onerosum ineat, & re ipsa non donet, sed vendat; itaque sine tali pactione ex natura rei simonia non est rem temporalem, ac pretio æstimabilem gratuitò donare ei, qui spiritualem aliquem actum, aut officium exhibet. & ratio est, quia donum gratuitum pretio opponitur, siquidem pretium datur, vel promittitur, tanquam vicissim ex justitia debitum. Ità etiam de muneribus discurrit Nicolaus de Orbellis d. 25. cit. §. 18. ubi ait quod simonia aliquando committitur ex datis, acceptisque muneribus, & aliquandò non, & ait dictum illud Isajæ 33. *Beatus, qui excutit manus suas ab omni munere*, de illis donis intelligendum esse, quæ accipientis animum allicere, vel invertere solent; sic etiam Astesanus loc. cit. art. 3.

90 Tertia Difficultas est. An sit simonia promittere, aut donare alicui rem temporalem sub conditione, ut ab illo opus spirituale præstetur, ut, verbi gratia, si parentes filiis munera promittant sub conditione, ut Sacramenta frequentent; si Christianus infideli donet sub conditione, ut sacramentum Baptismi suscipiat; si puella viro hæretico futuras nuptias spondeat si ad fidem convertatur; si puellæ, aut alteri personæ aliquid donetur sub conditione, si Religionem ingressa fuerit. Affirmare videntur D. Antoninus, Medina, Sylvester, Angelus, & alii, quia sic etiam sentire videtur D. Thomas 2. 2. quæst. 100. art. 3. ad. 3. & quæst. 189 art. 9. ubi expressè docet simoniacum esse alterum ad Religionē trahere muneribus, si pactum interveniat. Communis tamen sententia docet, ex natura rei simoniam non esse promittere, donare, aut legare alicui rem temporalem, ac pretio æstimabilem sub conditione, aut modo, ut ab altero opus bonum spirituale præstetur, non per modum retributionis, seù commutationis, modò jam declarato in exemplis adductis. Ita Layman loc. cit. cum Adriano, Navarro, Molina, Sanchez, Suarez, Maldero, & aliis, quod probat ratione satis evidenti, nam certum est simoniam non committi, ubi non est contractus onerosus, & reciprocus, sed liberalis datio, seù donatio; si autem promissioni, vel dationi conditio, vel modus adiiciatur, qui promissario, vel donatario vicissim non afferat obligationem simpliciter, sed solùm si rem promissam accipere, vel rem donatam retinere velit, quod aliquid ab ipso fieri debeat, non tamen in gratiam, & utilitatem dantis, sed potiùs accipientis; tunc non transit in contractum onerosum, & reciprocum, sed adhuc sub tali conditione, & modo manet liberalis pactio, vel donatio; ergò non est illicita, neque simoniaca; sicut enim aliæ similes conditiones gratuitas promissionibus, aut donationibus adiici possunt, absque quod evadant onerosi contractus, ut, verbi gratia, si pater tuus mortuus est, vel si Navis ex India venerit, dabo tibi &c. Ità etiam, si tale quidpiam à promissario, vel donatario factum fuerit, præsertim si id resultet in utilitatem accipientis potius, quàm dantis; sicut ergò licitum est secundùm communem Doctorum sententiam promittere, vel donare alicui rem temporalem, ut ille ad opus bonum spirituale inducatur; ita etiam licitum esse videtur, promittere, aut dare sub conditione, vel modo, ut tunc rem accipere, aut retinere promissarius, vel donatarius possit, si opus bonum spirituale ab ipso perfectum fuerit.

91 Quarta Difficultas est; an sit simonia dare pecunias nolenti baptizare, nisi iis receptis. Affirmant aliqui existimantes id ex natura rei simoniacum esse, ideoque nunquam licitum esse, ac potiùs permittendum esse, ut infans sine baptismo moriatur, ità sentire videtur D. Thomas loc. cit. & 4. dist. 25. qu. 2. Paludanus, Sylvester, Arragonius, & quidam alii, imò & Doctor noster 4. dist. 25. quæst. 2. in fine ait, quod habens parvulum debet ipse in tali casu baptizare, si non est mancus, vel mutus, vel si non potest invenire aliquem, qui parvulum baptizet, nisi emendo baptismum, debet dimittere parvulum mori sine baptismo, quia non sunt facienda mala, ut indè eveniant bona, & quilibet magis debet diligere seipsum, quàm proximum, & per consequens magis in seipso vitare peccatum mortale, quam in alio damnationem. Communis tamen opinio negat, & magis piè, ac probabiliter docet non esse simoniam tale pretium offerre pro redimenda illa negationis vexationis, atque ideò non esse peccatum dare pecuniam sacerdoti nolenti parvulum baptizare in extrema necessitate existentem, nisi pecunias recipiat, quas licitè recipere non potest, modò tamen dentur pro ipsa baptizatione, & actu Sacramentali, sed solùm ad hoc, ut illis moveatur ad faciendum, quod aliàs facere deberet. Ità Albertus Magnus, Adrianus, Major, Valentia, Suarez, Lessius, Henriquez, & alii apud Layman loc. cit. & Poncius ex nostris disp. 56. *de Simonia* quæst. 2. qui asserunt in tali casu pecuniam dari posse ob redimendam injuriam infantis in extrema inevitabili necessitate constituti; quod tamen aliqui negant in causa adulti, quia alio modo sibi consulere potest, scilicet, per contritionem, quæ est baptismus flaminis, atque ideò tantam necessitatem non habet, sicut infans.

92 Hæc autem assertio probatur satis evidenti ratione, nam dare pecuniam in tali casu, vel esset illicitum, quia in seipso Simoniacum est, vel quia inductivum ad simoniæ peccatum committendum; non primum, quia si licet precibus, aut minis alterius animum movere, ut pravum affectum odii, vel iræ, vel avaritiæ deponat, quo ille à debito virtutis opere præstando impeditur, hoc etiam facere mediis muneribus licebit, cùm non sit major ratio de uno, quàm de alio; neque secundum, quia ut arguit Poncius loc. cit. movere aliquem ad aliquid faciendum, quod ipse posset facere, si vellet, sine peccato, imò & quod facere deberet, non est malum, nec inductivum ad malum, sed potiùs bonum; sed Sacerdos ille non obstante pecunia promissa, vel data posset sine peccato baptizare, quia posset illam oblatam non recipere, vel acceptam statim restituere, & gratis baptizare, & id etiam facere tenetur, si verò non fecerit, id accidit culpa ipsius; ergò in tali casu licet dare pecuniam, quia hæc non eò ordinatur, tanquam Sacramenti pretium, neque ex natura operis, ut de se patet, neque ex intentione operantis, quia adhoc solùm datur, ut supponimus, ut ea moveatur Sacerdos ad faciendum, quod aliàs facere tenetur, & ad redimendam infantis injuriam in extrema necessitate constituti; & hoc etiam valdè probabile est de adulto, qui non potest ab alio baptismum sine pretio obtinere, & est in ultimo vitæ periculo, & in periculo damnationis, quia difficilis est actus contritionis, cujus flamine baptizetur. Et eadem ratione Suarez, Filliucius, Bonacina, & alii asserunt licitum esse, si Tyrannus, vel infidelis Eucharistiæ Sacramentum sacrilege detineat, & tractet, illi pecuniam dare, imò etiam sponte offerre, ut à sacrilegio cesset,

cessset, & Sacram Eucharistiam Ecclesiæ restituat, esto is pecuniam animo simoniaco accepturus existimetur, tunc enim non fit Eucharistiæ injuria, sed potiùs honor, & reverentia exhibetur illam è manibus infidelium vindicando, & redimitur injusta vexatio, quæ Eucharistiæ impendebat. & idem dicendum de reliquiis ab infidelibus sacrilegè retentis.

93 Nec puto Auctores primæ opinionis ab hac secunda sic explicata dissentire, illi enim aliud non intendunt, quàm quod non liceat dare tali Sacerdoti aliquid pro pretio baptismi, & in hoc sensu loquitur præsertim Scotus loc. cit. ut satis ex ejus verbis constat, quæ habet in fine quæstionis, ubi ait, quod si Sacerdos nitatur vendere actum baptizationis, potest ille, qui offert parvulum, emere, non intendens actum illum emere, inquantum est Sacramentalis, sed laborem Sacerdotis in illo actu; & tantò magis inquit, quod si ille Sacerdos vellet vendere aquam suam, & nullo modo aliter concedere eam, potest ipsa emi, estò etiam quod sit consecrata, sed nullo modo habendo oculum ad consecrationem, quia tantùm valeret, quantùm non consecrata, sic enim licet vendere calicem consecratum nullo modo oculum habendo ad emendum, vel vendendum consecrationem. Ità Doctor loc. cit. Addendum tamen est, & advertendum cum Poncio loc. cit. quod si Sacerdos ille diceret, quod baptizare non vellet, nisi alter vellet significare, quod daret pecunias pro pretio, alterum non posse id facere, quia id esset intrinsecè malum, & in hoc sensu etiam fortè locuti sunt Auctores primæ sententiæ, dùm dicunt dare pecunias in casu posito esse simoniacum.

94 Quinta difficultas est, quæ simonia committatur in beneficiis. Pro cujus resolutione in primis certum est apud omnes simoniam esse vendere, aut emere beneficium Ecclesiasticum, ut patet ex cap. *Si quis* 1. qu 3. sicut etiam vendere, aut emere, pretium ve dare, vel accipere pro resignatione beneficii, vel collatione, aut electione ad illud: licet tamen pecuniam dare electoribus, ut indignum non eligant, quia tunc non procuratur, nisi ut tollatur actio injusta eligentium, quod constat esse honestissimum; non tamen licet pecuniam dare, ut eligatur aliquis dignus in particulari, nisi quando non est nisi unus dignus, qui possit eligi. & ratio est, quia tunc emeretur electio ipsius, quod patet simoniacum esse, potest tamen id fieri in eo casu, quando non est, nisi unus dignus, qui possit eligi, quia in tali casu procuratur pecunia directè, ut non eligatur indignus; quòd licitum est, ut diximus, & indirectè tantùm, ac per accidens, ut eligatur ille, qui solus est dignus, in quo nihil mali reperitur. Ità Cajetanus, Scotus, Toletus, Fernandez, Poncius, & alii passim. Item licet resignare beneficium reservata pensione, ut patet ex cap. *Ad quæstionem* de rerum permutatione. & ratio est, quia re vera pensio in tali casu non est pretium beneficii, sed potiùs pars ejus, quæ renuncianti reservatur, undè licitè potest Pontifex alicui beneficium conferre, reservata pro alio pensione, quia id faciendo nihil aliud præstat, quàm fructus beneficii quasi dividere, & partem beneficiario dare, & partem alteri reservare, quod licitè facere potest; sicut enim plura beneficia potest eidem officio annectere, ità potest idem beneficium, seù fructus ejus dividere, & partem assignare beneficiario, & partem alteri. Ita Auctores omnes supracitati & ex communi usu, & consuetudine satis patet. Non tamen licet resignare alteri beneficium in confidentiam, ideſt, ex intentione illum obligandi, ut post aliquod tempus illud resignet Nepoti, vel amico resignantis, aut pensionem ex eo alteri solvat, hæc enim esset simonia confidentiæ mentalis, ut communiter Doctores sentiunt; si verò pactum intercedat, committet simoniam conventionalem realem, quæ pœnas juris infert, ut habetur in Bulla Pii Quinti, quam refert Navarrus cap. 23. n. 100. Potest etiam licitè, & citrà simoniam in permutatione bneficiorum compensari fructuum inæqualitas, dummodò ex licentia, & auctoritate Summi Pontificis id fiat, vel reservando pensionem ex beneficio, quod ampliores habet proventus, vel aliquid præstando, quod ab ipso Pontifice, tanquam justum, & licitum approbetur, ut docet Lessius cap. 35. dub. 17.

95 Sextà difficultas est, an titulus redimendæ vexationis excuset à crimine simoniæ tradentem aliquid temporale. Et communis Doctorum sententia affirmat, injustam vexationem excusare à labe simoniæ, dùm pecunia traditur ad tollendam ipsam injustam vexationem, quam quis patitur circà rem spiritualem, ita enim habetur in cap. *Dilectus* de simonia. & ratio est, quia in tali casu temporale traditur pro temporali non pro spirituali, ipsa enim vexatio est temporale impedimentum, dum autem temporale traditur pro temporali, simoniæ labes non incurritur; undè ille, qui habet jus in beneficio aliquo, seù cui beneficii collatio legitimè facta est, potest pretio redimere vexationem injustam, si fortè quis eum impediat à possessione capienda, nec in ea redemptione ullam committit simoniam. & ratio est, quia in tali casu non emit aliquod spirituale, sed solùm procurat, ut auferantur impedimenta accipiendi possessionem rei spiritualis, quæ ad ipsum pertinet. Hinc infert Astesanus loc. cit. art. 3. quod si Episcopus excommunicet me injustè, vel minetur auferre mihi beneficium, quod justè possideo, licitè redimo jus meum dando ei pecuniam, ut sententiam injustam revocet, vel ab hac injuria cesset, quod probat ex c. Prohibemus extrà de Magistris. Ita etiam Suarez, Lessius, Layman, Bonacina Pontius, & alia passim.

96 Sed major est difficultas, an habens jus litigiosum in beneficio possit dare aliquid alteri tale jus prætendenti, ut non prosequatur jus suum, & communis sententia videtur hoc absque simonia fieri non posse, quia dare aliquid, ut alter renunciet juri suo, in tali casu videtur esse simoniacum, quia jus illud est spirituale. Hoc tamen non obstante, Pontius noster loc. cit. & quidem non improbabiliter existimat, non esse simoniam, si daretur aliquid, non pro beneficio, quod dans putaret esse suum, sed ut vitaret expensas, quas ad jus suum defendendum facere deberet, nam procurare per decem nummos, ne quis exponatur periculo amittendi centum quos in lite expendere deberet, nihil habet malitiæ, neque enim quod dat est spirituale, neque illud, pro quo dat. Ex qua doctrina occurrit rationi in oppositum adductæ, quamvis enim dare aliquid alteri, ut juri suo renunciet, sit simoniacum, quia jus illud est spirituale; dare tamen aliquid, ut cesset à lite ad prosequendum jus suum, non videtur simoniacum, quia non ob id ille renunciat juri suo positivè, sed tantùm negativè, nimirum non prosequendo ipsum; illa autem negatio prosecutionis juris non est quid spirituale, & hoc eodem fundamento asserit etiam, quod habens possessionem beneficii cum jure litigioso potest illud relinquere alteri habenti simile jus accepto pretio absque simonia, quia cùm non sit certum, quod beneficium sit suum, sed propter, probabilitatem tamen, quam habet, quod sit suum, vellet in litigando expensas facere, nullo modo apparet esse simoniacum ad illas expensas evitandas aliquid recipere, quia neque quod accipit est spirituale, neque illud, pro quo accipit, hoc est expensæ, quas in litigio faceret. Hoc tamen secundum minus probabile videtur, quàm primum, tùm quia Ecclesia generaliter interdicit pacta, & conventiones in beneficiis. Tùm quia possessio illius beneficii est annexa titulo spirituali, & jus beneficiarii firmatur magis, & roboratur possessione, ut ait Bonac. loc. c.

97 Postremò, conveniunt Doctores, nullam esse simoniam, vendere, aut emere Calices etiam consecratos pretio eodem, quo emerentur, si consecrati non essent, quia ut docet Scotus loc. cit. 4. d. 25. quæst. 2. in fine, Calices, vasa alia, & vestimenta sacra remanent semper secundùm se pretio æstimabilia, ac proindè vendibilia; si tamen majori pretio venderentur, quia consecrata sunt, tunc simonia committeretur, ut etiam Toletus advertit lib. 5. cap. 87. Item nullam esse simoniam pro dote puellæ, quæ vitam Religiosam vult profiteri, aliquid ab ea, vel ejus parentibus accipere pro ejus sustentatione; secus verò si præcisè pro ipsa susceptione ad statum religiosum aliquid acciperetur; dare enim, vel accipere pecunias pro ipso Religionis ingressu, simonia est, quia est res spiritualis, utpotè à Spiritu Sancto proveniens, & ad finem spiritualem tendens. Undè solùm pro necessaria ipsius ingredientis sustentatione aliquid accipi potest; quod etiam deduci potest ex Concilio Trident. sess. 25. cap. 16. de Regul. ubi sicut concedit accipere aliquid pro sustentatione Novitii, sic etiam, ut licitum concedere præsumitur pro sustentatione Religiosi, posita Monasterii necessitate. Undè si Monasterium, vel Religio est dives, communior opinio Doctorum censet simoniam sapere, aliquid hujusmodi titulo sustentationis exigere. Quarè Innocentius Tertius in Concilio Generali Lateranensi cap. 64. habeturque cap. *Quoniam* de simonia, prohibuit omninò, ne Moniales, pro admittendis ad suum Monasterium, pretium ullum recipiant prætextu paupertatis, non quidem veræ, sed fictæ, & simulatæ. Undè quamvis aliqui Theologi nitantur excusare praxim illam, quæ in omnibus ferè Monasteriis Monialium etiam ditissimis nunc viget, ut in ea non nisi dote mediante, ac pretio sub prætextu sustentationis pateat aditus; alii tamen fatentur, id esse verum avaritiæ signum, & speciem simoniæ retinere, ut advertit Abellius loc. cit. & plures alii. Conveniunt tandem Doctores, simoniam esse dare, vel accipere pretium pro absolutione à peccatis, censuris, pro dispensatione in voto, juramento, impedimento Matrimonii, irregularitate, &c. Advertit tamen Layman c. 8. cit. paragraph. 2. in fine, in his posse interdum aliquid exigi per modum mulctæ ad piam causam applicandæ, qua ratione etiam Bardi pag. 2. tr. 1. sect. 1. ait non esse simoniam dare Bullam

Crucia-

Cruciatæ pro pecunia, quia pecunia illa ad bonum spirituale ordinata jam efficitur quid spirituale, & sic commutatur spirituale pro spirituali, quod etiam Tancred. approbat lib. 4. de simonia, disputatione decima quarta.

ARTICULUS TERTIUS.

Quænam sint pœnæ contra Simoniacos constitutæ.

98 LOquimur hìc de pœnis, præsertim à jure impositis, certum est enim alias quoquè imponi posse per Judicis sententiam. Pœnæ autem simoniacis à jure impositæ intelligendæ sunt, si simonia ex utraque parte per traditionem completa sit, seù de simonia reali, & completa modo superius explicato ar. 1. n. 82. nulla enim pœna Juris incurritur propter simoniam mentalem, ut docent communiter DD. & colligitur ex c. ult. de simonia. Imò aliqui, & satis probabiliter opinantur, nec etiam puniri posse, quia licet à simonia mentali opus externum imperetur, tamen in tali opere non ita proditur simoniaca labes, ut ab Ecclesia puniri possit, quæ solùm judicat de externis. Nulla autem simonia etiam realis, & completa juris pœnas ipso facto inducit præter illas, quæ committuntur in procurandis, aut dandis Ordinibus, Beneficiis, ac ingressu Religionis, quia jure de aliis mentionem non faciunt. Ita Astesan. noster l. 6. cit. tit. 55. a. 4. satis diffusè, Nicolaus de Orbellis d. 25. cit. qu. 2. §. 28. & posteà Navarr. Sylvius, Cajet. Suar. Fill. Trancred. Bonac. & alii Recentiores communiter.

99 Primò itaque conferens Ordines cum simonia reali, & completa est excommunicatus, ut habetur in Extrav. *Cùm detestabile* de simonia, & suspensus à collatione cujuslibet Ordinis, quod plures explicant Doctores, intelligendum esse etiam de prima Tonsura, quia per eam ex communi loquendi modo aliquis ordinari dicitur, hoc est, in Ordine Clericorum constitui, ac etiam suspensus est ab executione omnium munerum Pontificalium, ut habetur in Bulla Sixti V. edita contra malè promoventes, & promotos, ubi aliæ etiam pœnæ specificantur, quod scilicet, interdictus sit etiam illi Ecclesiæ ingressus; & quod si contrà suspensionem, & interdictum illud aliquid fecerit, sit ab administratione suæ Ecclesiæ suspensus, & à perceptione fructuum omnium suorum beneficiorum, nullusque præter Summum Pontificem illum absolvere possit. & hæ censuræ Sedi Apostolicæ reservantur, etiamsi simonia sit occulta, ut observat Layman loc. cit. §. 7. de pœnis simoniæ. Qui autem ordinem aliquem simoniacè susceperit est pariter ipso facto excommunicatus, ut habetur in eadem Extravag. & incurrit suspensionem ab Ordinibus, seù illorum executione, & non tantùm quos simoniacè suscepit, sed etiam omnibus simpliciter, ut in eadem Extravag. exprimitur, & per supra dictam Bullam Sixti V. privatur omnibus dignitatibus, officiis, & beneficiis, & inhabilis ad omnia efficitur, nec ab alio, quàm à Summo Pontifice potest absolvi. Hoc tamen intelligendum esse explicat Lessius pro iis locis tantum, in quibus dicta Bulla promulgata fuit, & recepta, existimat enim illam pluribus in loci ignorari, ac proindè non esse ubique receptam. Notant etiam communiter DD. quod si ignorante eo, qui ordinatus est, alius pretium simonacè obtulit, nulla censura suspensionis incurritur ab eo, qui ignoravit, & culpa caruit, & ita colligitur ex cap. *De Simoniacè* ubi dicitur, quod cum quidam ipsis ignorantibus Simoniacè ordinentur, possunt in suis Ordinibus remanere, quia Simoniaci non sunt. Ità Navarrus, Suarez, Henriquez, Lessius, Castropalaus, Layman, Tancred. & alii passim.

100 Secundò, quod spectat ad Simoniam realem, & completam in beneficiis, qui beneficium Simoniacè confert, aut conferri procurat eligendo, præsentando, confirmando, aut instituendo in primis excommunicationem ipso facto incurrit Sedi Apostolicæ reservatam, ut habet cit. extravagant. *cùm detestabile*, quæ pœna etiam ibidem decernitur contrà operam suam interponentes, ut beneficium Simoniacè obtineatur, vel ut Ordo Simoniacè conferatur. Qui verò beneficium Simoniacè acquirit est ipse quoque ipso facto excommunicatus, & collatio, ac provisio beneficii nulla est, ac irrita, nullumque jus per eam acquiritur, neque beneficium consecutus fructus suos facit, sed ad eorum restitutionem tenetur, ut in eadem Extravagan. statuitur, & in cap. *Matthæus*, de Simonia, ac insuper fit inabilis ad idem beneficium obtinendum, ut habetur ex cap. *Nobis fuit* de Simonia, & cap. penultim. de electione. Sed Dubium est, quod nomine beneficii hoc loco intelligatur cujus occasione hæc excommunicatio incurritur, dum Simonia committitur. Aliqui dicunt intelligi solum ea, quæ propriè beneficia dicuntur, & appllantur, quorum ratio est, quia si Summus Pontifex in Extravagant. citat. quælibet officia regiminis spiritualis complecti voluisset, clariùs locutus fuisset, quarè cùm in materia pœnali versemur, verba non sunt interpretatione amplianda, sed potius restringenda. Ità Bonacina de Simonia quæst. 7. cit. §. 2. citans Navarrum, Lessium, Azorium, Sylvestrum, & alios. Alii verò volunt intelligi non tantùm beneficia propriè accepta, verùm etiam quæcunquæ spiritualem jurisdictionem, aut administrationem habent, qualia sunt officia Religionis, scilicet, Prioris, Guardiani, Provincialis, Generalis, & cæt. Ratio est, quia Summus Pontifex loc. cit. usus est nomine officiorum, & non beneficiorum, ut quælibet officia Ecclesiastica spiritualem jurisdictionem, & administrationem habentia comprehenderet, & loquitur expresè, & ad verbum de Ecclesiis, Monasteriis, Dignitatibus, Prioratibus, & aliis officiis Ecclesiasticis. & hoc etiam valdè consentaneum est, quia non minora absurda, & inconvenientia sequuntur ex emptione, & venditione beneficiorum propriè dictorum, quàm aliorum spiritualem jurisdictionem, administrationem habentium, & ideò eidem pœnæ quoq; subiici debent ista ementes, & vendentes Simoniacè, quarè hæc secunda sententia tutior est, & probabilior, quam tenent Cajetanus, Navarrus, Suarez, Filliucius, Layman, & alii plures. Rursus dubium est, An beneficium Simoniacè obtinens privetur suis beneficiis antè legitimè obtentis; & Doctores communiter respondent talem causa cognita privandum, ac deponendum esse per Judicis sententiam, si Simonia per ejus culpam commissa fuit, ità enim colligitur ex cap. *Præsbyter*, 1. *quæst.* 1. & cap. Sicut Simoniaca, antè latam verò sententiam Simoniacus potest in foro conscientiæ beneficia antè legitima obtenta, ac possessa retinere, & fructus percipere. Ità Ugolinus, Henriquez, Avila, Suarez, Layman, & alii, nec etiam ad alia beneficia obtinenda fit inhabilis antè Judicis sententiam, sed tantùm ad idem beneficium obtinendum hoc enim solùm exprimitur in cap. cit. licet Bonacina oppositum teneat q. 7. cit. pun. 2. diff. 2.

101 Tertiò quod attinet ad Simoniam pro Religionis ingressu in primis excommunicantur tam dantes, quàm recipientes aliquid Simoniacè pro Religionis ingressu, ut videre licet in Extravag. 1. de Simonia. Communiter tamen Doctores advertunt Suarez, Lessius, Layman, Navarrus, & alii rarò hanc excommunicationem incurri ob Religioni ingressum, & ab ea excusare, vel tenuitatem, & paupertarem Monasterii, vel contrariam consuetudinem receptam. & ratio est, quia Monasterium est inops, itaut commodè ingredientem sustentare nequeat, nisi aliquid pro sustentatione tribuat, omnes concedunt illicitum non esse aliquid dare, vel recipere ex pacto pro sustentatione ingredientis, quia hoc est jus naturale, & in tali casu datur temporale pro temporali, scilicet, pro sustentatione ingredientis, non autem pro spirituali, scilicet pro ipso Religionis ingressu, ut ad Simoniam committendam requiritur. Si verò Monasterium dives est, quamvis aliqui dicant, ut Toletus, Suarez, Filliucius, & alii, non posse quicquam licitè dari, vel accipi, & dando, vel accipiendo prædictam censuram incurri. Alii tamen dicunt etiam in tali casu istam excommunicationem non incurri dando vel recipiendo aliquid, non pro ipso Religionis ingressu, sed pro ipsius ingredientis sustentatione, quia adhuc in hoc casu eadem ratio militat, quamvis Monasterum dives sit, & locuples, quia quoties datur, vel accipitur temporale pro temporali, non committitur Simonia; sed in hoc casu etiam accipitur temporale pro temporali, cùm accipiatur pecunia, vel res alia pretio æstimabilis pro sustentatione Religiosi, quæ pretio æstimabilis est; ergò Simonia, non committitur; atque ideò sicut Monasterium inops Simoniam non committit recipiendo aliquid pro sustentatione ingredienti, ita neque Monasterium dives, & consequenter neque excommunicationem incurrit in cit. Extravagant. positam contrà Simoniacos pro Religionis ingressu; quam sententiam, ut probabiliorem sequitur Bonac. loc. c. §. 4. nu 4. & aliis rationibus probat citans pro ea Sylvestrum, Sotum, Mirandam, Suarez, Laym. & alios. Verùm, ut diximus art. præced. num. 97. opposita sententia tutior est in conscientia, plures enim, & graves DD. censent simoniam sapere, quando Monasterium est dives, aliquid titulo sustentationis exigere; hoc enim fit prætextu paupertatis, non quidem veræ, sed fictæ, & simulatæ, & hoc præsertim apertè docet D. Thomas 4. dist. 25. quæst. 3. ad 2. ubi ait, quod quando sine gravamine Monasterii recipi potest Novitius, simoniacum est aliquid exigere, cui subscribunt Cajetanus, Victoria, Rosella, Armilla, Lessius, & alii Suummistæ.

102 Quartò certum est ex dictis, & communi Doctorum sententia ad prædictam excommunicationem contrà committentes simoniam in ordine, vel beneficio, aut Religionis ingressu incurrendam non sufficere simoniam mentalem, quia Ecclesia de internis non judicat, imò neque etiam sufficere conditionalem, quia ad incurrendam censuram requiritur effectus completus, & consummatus, per simoniam autem solùm conventionalem effectus non est completus, & consummatus, sed

per

tem solùm conventionalem effectus non est completus, & consummatus, sed per realem; ergo simonia realis requiritur ad talem excommunicationem incurrendam.

Confirmatur, quia hæc excommunicatio fertur contrà dantes, & accipientes, ut textus Extravagant. citat. loquitur; hæc autem verba effectum simoniæ completum indicant tam ex parte dantis, quam accipientis; tùm tandem quia ut testatur Bonac. lo. cit. sic usu, stylo, & praxi Curiæ Romanæ receptum est, sicque in Rota Romana sustineri solet. Pœnæ etiam prædictæ inflictæ sunt contrà eos, qui simoniam confidentialem committunt superius explicatam art. 1. num. 82. cùm quis, scilicet, alteri dat, vel procurat beneficium cum certa confidentia, idest, expresso, aut tacito pacto, ut is, cui procuratur, elapso aliquo tempore illud sibi, vel alteri resignet, vel cùm onere dandi certam fructuum partem, ut patet ex Bulla Pii IV. quæ incipit: *Romanum Pontificem*, & Pii V. quæ incipit *Intolerabilis*; hæc itaque specialis simonia inducit in primis excommunicationem Papalem utrique parti contrahenti; deindè annullat resignationem, & collationem beneficii, in quo est commissa, & inhabilitat ad idem posteà obtinendum. Rursus privat omnibus beneficiis, & pensionibus antè obtentis, non tamen antè sententiam latam, & beneficia sic collata soli Pontifici reservantur. Ad prædictas tamen pœnas incurrendas necessarium est, ut simonia confidentialis opere impleta sit dato, & accepto beneficio, licet accipiens vicissim illam promissionem non impleverit, v. g. pensionem nondùm solverit, undè simonia confidentiæ completa dato, & accepto beneficio, licet accipiens promissionem vicissim non impleverit, prædictas pœnas inducit. An autem ista excommunicatio incurratur statim post beneficii receptionem antè illius captam pacificam possessionem communis opinio affirmativè respondet, quia recepto beneficio completa videtur actio sub censura prohibita; beneficiarius enim per collationem dicitur beneficium recipere, etiamsi illius pacificam possessionem adhuc non habeat. Quod autem dictum est de simonia confidentiali in beneficiis, dici etiam debet de confidentia in pensionibus, quia Constitutio Pii IV. beneficia, & pensiones complectitur, ut patet ex verbis ipsius à Bonac. relatis q. 7. cit. punct. 1. §. 1. Ità Less. Suar. Laym. Bonac. & alii communiter, quamvis Tancred. hoc ultimum neget disp. 43.

203 Quintò de Restitutione debita propter Simoniam plura solent à Doctoribus disputari; sed breviter dicendum est, in primis propter simoniam purè mentalem nullam deberi restitutionem, ità enim habetur cap. ult. de simonia, & ità docent communiter DD. Deindè qui beneficium habet simoniacè obtentum per alium, sed à se bona fide possessum, non tenetur simul cum beneficio fructus collectos, & bona fide consumptos restituere, sed solùm eos, quos habet, quando bona fides cessat, & beneficium resignat. Ità D. Th. 2.2.qu. 100. art. 6. ad 3. Tandem qui simoniacè pro collatione ordinum, & beneficiorum pecunias accepit, illas restituere tenetur antè Judicis sententiam, & similiter pro collatione Sacramentorum, & Sacramentalium, si notabiliter excedat id, quod pro sustentatione exigi poterat, ut docet D. Thom. l. c. art. ult. & ratio est, quia jus Canonicum suprà allegatum illum incapacem reddit dominii talis pretii, & pecuniæ simoniacè acceptæ; & quamvis aliqui Theologi existiment nullam ad id esse obligationem, oppositum tamen tutius est, ac probabilius, ut videri potest apud Lessium dub. 28. & alios Doctores passim, & hoc præsertim de pretio pro collatione beneficii accepto, & de ipso beneficio simoniacè consecuto, hoc enim retineri non potest etiam antè Judicis sententiam, ut patet tùm ex cap. *Si quis neque* 1. q. 1. tùm ex Extravag. *Cùm detestabile*, de Simonia; imò non solùm beneficium sic consecutum restitui debet etiam antè Judicis sententiam, sed etiam fructus ejus jam percepti, siquidem nullo justo titulo retineri possunt, cum adeptio beneficii simoniaca sit ipso facto irrita; tùm etiam quia sic expressè habetur in extravag. cit. *Cùm detestabile*. Cui verò facienda sit restitutio pretii accepti pro beneficio, collatione Ordinum, Sacramentorum, & Sacramentalium, licet sint etiam diversi modi dicendi, brevius tamen, & probabilius dicendum est in primis, quod qui dedit, ignoravit simoniacum esse contractum, ipsi semper est reddenda pecunia, vel pretium, quia bona fide dedit, ità decernitur cap. *Veniens* de simonia. Deindè acceptum pro beneficio, aliave re spirituali, non secuta collatione, jure naturæ restituendum est ei, à quo est acceptum, quia deest titulus retinendi, cùm non præstetur id, pro quo datum est. Tandem si res tradita sit, & simonia ex utraque parte completa, probabilius est restituendum esse, non danti, ut aliqui dixerunt, sed Ecclesiæ beneficii, in cujus injuriam simonia commissa est, vel pauperibus, ubi consuetudine id receptum est. Ratio est, quia Ecclesia utrumque punire intendit tam scilicet dantem, quam accipientem, quia in tali casu turpitudo delicti, tam dantem, quàm accipientem afficit, ideoque dans indignus est, ut ipsi restitutio fiat arg. l. 2. C. de condict. ob turpem causam, quapropter D. Th. 2.2.q. 32. & 62. Adrianus, Covar. Navarr. Sylvester, Less. & alii communiter ajunt, quæ simoniacè accepta fuerunt, ea post præstitam rem spiritualem, non danti, sed Ecclesiæ, vel pauperibus esse restituenda.

104 Postremò de causa efficiente simoniæ, seù de personis, quæ illam committere possunt, plura etiam à Doctoribus disputari solent; sed suppositâ distinctione simoniæ præmissa a. 1. n. 81. quod alia jure divino prohibita est, & alia jure tantùm humano, breviter dicendum, omnes cujuscunque conditionis homines culpam Simoniæ jure naturali, & divino vetitæ contrahere posse. & ratio est, quia omnes, etiam Summus Pontifex, juri naturali, & divino sunt subjecti; undè non solùm Christi fideles, sed etiam infideles peccato simoniæ subiici possunt, ut si Baptismum, vel Ordinem, vel Episcopatum pro filio, vel amico emunt, aut alia ratione spiritualia tradant prævia pecunia, vel recipiant. & ratio est, quia infideles etiam, & Pagani juri naturali, & divino subiiciuntur, loquendo autem de simonia jure tantùm humano prohibita, dicendum est omnes cujuscunque conditionis homines Baptizatos simoniam jure canonico prohibitam incurrere posse. & ratio est, quia omnes homines baptizati legibus Ecclesiasticis generaliter latis sunt subjecti, undè licet in tali materia simoniæ Summus Pontifex excusari possit, quia secum dispensare censetur, inferiores tamen Prælati, ut Episcopi, excusari non possunt, sed labem simoniæ incurrunt, in beneficiis conferendis recipiendo aliquid temporale pro institutione, collatione, resignatione, permutatione, vel alia provisione. Clerici etiam pluribus modis simoniam incurrere possunt, si nimirum Ordines per pecuniam recipiant, vel beneficia, & alia Officia Ecclesiastica, vel si ministrent spiritualia pro temporalibus, tanquam pro pretio, & similibus modis. Religiosi tandem, tam ut Clerici, quam ut Religiosi, simoniaci esse possunt, ut si Religiosum recipiant pro pretio, professionem conferant pro pecunia, vel procurent officia, ut Generalatum, Provincialatum, Prioratum, & similia, ut habetur cap. *Salvator*, 1. q. 3. Ità Suarez, Filliucius, Tancred. Bonacina, & alii Recentiores, & ex nostris Astesanus, & Nicolaus de Orbellis loc. cit.

DISPUTATIO XV.

DE PECCATIS.

PRÆMISSIS, & expeditis Disputationibus de Legibus, de Justitia, & Jure, de præceptis Virtutum Theologicarum, de Legis Divinæ, seù Decalogi præceptis, de præceptis particularibus certo hominum statui propriis, ordo doctrinæ postulat, ut in præsenti Disputationem amplissimam de peccatis aggrediamur, quæ contrà prædicta Præcepta committi possunt. Quoniam verò quoad ea de peccatis, quæ ad speculationem, & scholasticam spectant, copiosè, ac sufficienter egimus, ac disceptavimus libr. 2. sentent. disput. 6. hìc solùm, quæ ad moralem doctrinam pertinent tractabimus, repetendo interdùm, & cùm majori brevitate, ac facilitate ea dumtaxat, quæ ad praxim attinent, & ad rationem cognoscendi, & discernendi peccata juvare possunt pro directione Confessariorum, ac pœnitentium.

QUÆSTIO PRIMA.

De Natura, & essentia Peccati.

2 IN hac quæstione non est sermo de natura, & essentia peccati originalis, quod aliena culpa contrahitur, de quo sufficienter actum est l. 2. sent. disp. 4. qu. 5. sed de natura, & essentia peccati actualis, quod propria culpa contrahitur, & propria voluntate incurritur, & hoc rursus est duplex, unum dicitur proprié, & simpliciter actuale, quia nimirum in aliquo actu consistit, vel omissione actus, ut detractio, desiderium impudicum, Missæ omissio, &c. Alterum dicitur habituale, quia, scilicet, habitualiter perseverat, donec per pœnitentiam retractetur, ut est detractio, fractio jejunii, vel aliud peccatum externa die commissum, de quo pœnitentia nondum est peracta. & quoniam de peccato habituali quoque sufficienter egimus 2. sent. disp. 6. cit. q. 9. ideò in præsenti de natura, & essentia peccati actualis erit sermo.

ARTICULUS PRIMUS.

Quid sit peccatum actuale, & quotuplex.

3 PRimò, pro hujus quæsiti resolutione supponendum est ex dictis disp. 6. cit. qu. 1. malitiam moralem formaliter peccati constitutivam in privativo consistere, & non in positivo, ut quidam Thomistæ dixerunt, quod quidem satis evidenter constat, & Patrum auctoritate, & ratione; nam D. Anselmus lib. de concordia præscientiæ cum libero arbitrio c. 1. inquit: *Non est injustitia qualitas, aut actio, aut aliqua essentia, sed tantum absentia debitæ justitiæ*, & D. Aug. lib. 12. de Civit. cap. 7. ait: *Nemo quærat causam efficientem humanæ pravitatis, non enim est efficiens, sed deficiens, quia nec illa effectio est, sed defectio*, & D. Ambrosius lib. de Isaac, & anima c. 7. ait: *Quid est malitia, nisi boni indigentia?* & eodem modo loquuntur alii Patres, dùm essentiam, & formalitatem peccati, & mali mortalis explicare volentes, semper per privationem boni illud exprimunt, ipsum appellantes absentiam boni, privationem boni, corruptionem virtutis, & ordinis defectum. Hoc idem ratione probatur, & quidem de peccato omissionis nulla est difficultas, hoc enim peccatum, ut ex ipso nomine constat, concedunt omnes formaliter consistere in carentia ipsius actus honesti, & debiti, cum scilicet, quis potest, & tenetur illum elicere; ut sunt omnia peccata contrà præcepta positiva; de peccato autem commissionis probatur ratione Scoti 2. dist. 27. quia posita voluntaria, & libera privatione confirmitatis ad legem, & regulas morum in voluntate, vel ejus actu, & præciso quocunque positivo illis superaddito intelligitur peccatum; ergò peccatum formaliter, quod est malum mortale, in tali privatione consistit.

Confirmatur, quia posita tota substantia actus cum libera tendentia in objectum, quod proponitur, ut prohibitum, adhuc actus non intelligitur formaliter malus, nisi intellecta tali privatione; ergò &c. Probatur assumptum, quia cùm actus tendens in objectum prohibitum non possit concipi ut talis, nisi sub privatione confirmitatis ad præceptum negativum; consequens est non posse concipi, ut malum formaliter, nisi cum præfata privatione, ea namque secluſa jam non diceretur actus tendens in objectum prohibitum, atque ideò non diceretur mortaliter malus; quasdam verò Adversantium responsiones fusè rejectas vide loc. cit. & hæc est communis opinio.

4 Secundò, cujus autem boni sit hæc privatio, quam malitia formalis peccati importat, asserit Scotus loc. cit. 2. distin. 37. & distin. 40. & quol. 17. esse privationem debitæ rectitudinis, seù confirmitatis ad legem, quam voluntas procurare tenetur in actu suo; hæc autem assertio probata sufficienter remanet ex auctoritatibus, & rationibus modò allatis, quę dùm convincunt peccatum in privatione boni consistere, non de alio bono loquuntur, quàm de eo, quod inesse debuit operi, vel operanti, cujus privatio est carentia rectitudinis debitæ actui, ut ibi loquitur Doctor, pro quo etiam alia duo Augustini loca adducit, quæ apud ipsum videri possunt. Et hæc videtur esse cõmunis Theologorum sententia, dùm peccatum communiter definiunt esse privationem rectitudinis illius, quam homo ex præscripto legis æternæ, & rectæ rationis dictamine inducere tenetur in actum suum; & duo dicunt ad rationem peccati præsertim requiri, unum quod pertinet ad substantiam actus humani, tanquam ipsius peccati materiale, nimirum ut talis actus sit humanus, id est, voluntarius, & liber; alterum, tanquam ipsius peccati formale, ut scilicet, talis actus sit malus, & pravus, ideſt, ut careat debita commensuratione ad suam regulam; regula autem humanorum actuum proxima, & interna est recta ratio, ut dictum est disp. 1. de Conscientia, remota verò, & principalis, ac primaria, ut dictum est disp. 2. est ipsa lex æterna, quæ per lumen rationis naturalis cuicunque manifestatur juxtà illud Apostoli Rom. 2 dicentes homines gestare *Opus legis scriptum in cordibus suis testimonium reddentes illis conscientia ipsorum*. Et hoc etiam modo Bonacina, disp. 2. q. 2. de peccato actuali cum Navarro, Medina, Azorio, Sanchez, & aliis explicat definitionem peccati à D. August. traditam l. 12. contrà Faustum cap. 37. quod *est dictum, vel factum, vel concupitum contrà legem Dei æternam*, qua definitione comprehenduntur peccata oris, operis, & cordis, ad quæ omnia peccata reducuntur. & ait materiale peccati esse actum, si loquamur de peccato commissionis, formale verò esse privationem rectitudinis debitæ illi actui indicatam per illam particulam *contrà legem Dei æternam*, ut intelligatur omnia peccata, sivè sint contrà legem naturalem, sivè contrà legem ipsam Divinam, sivè contrà legem humanam esse saltem indirectè contrà legem Dei æternam, nam lex Divina non solùm præcipit obedientiam, & adimpletionem legis naturalis, & divinæ, sed etiam humanæ, *qui enim potestati Dei resistit, Dei ordinationi resistit*, ad Romanos 13. Demum in idem recidit alia peccati definitio, quæ à pluribus tradi solet, quod est transgressio legis, sivè est voluntarius recessus à regula Divina, per quam regulam intelligitur præceptum tam naturale, & divinum, quam humanum, & per recessum intelligitur actus, vel ejus omissio.

5 Tertiò, ex præcedenti asserto sequitur, quod de ratione peccati, & mali moralis est esse contrà legem aliquam ex prædictis, itaut omne peccatum tale sit formaliter, quia prohibitum, itaut si per possibile, vel impossibile quælibet lex ex dictis tolleretur, aut invincibiliter ignoraretur, peccatum non amplius esset peccatum formaliter, nec malum morale. Ità colligitur ex D. Bonavent. 2. d. 35. dub. 4. & Scoto loc. cit. 2. d. 37. §. *Concedo igitur*, & 4. d. 50. quæst. 1. §. *de Secundo*, ubi ait quodcunque peccatum ideò esse tale, quia est contrà legem, quod fusè probavimus disp. 6. cit. de peccatis q. 3. artic. 1. tùm auctoritate, tùm ratione. Ità enim expresè deducitur ex Sacra Scriptura, nam Roman. 4. habetur, *ubi non est lex, neque prævaricatio*, & cap. 7. *peccatum non cognovi, nisi per legem*; ac etiam ex Patribus, ut patet ex August. loc. cit. cum ait peccatum esse dictum, factum, vel concupitum contra legem Dei æternam, & lib. 2. de peccatorum meritis, & remissione ait *neque peccatum erit, si non divinitus jubeatur, ut non fit*, & lib. de duabus animabus contrà Manich. inquit *peccatum est voluntas retinendi, vel consequendi, quod justitia vetat*, & juxtà phrasim Augustini loquitur etiam Ambrosius lib. de Paradiso c. 8. cùm inquit. *Quid est aliud peccatum nisi legis Divinæ prævaricatio, & cœlestium mandatorum inobedientia?* quo loquendi modo expresè docent actum peccati præcisè esse peccatum, quia Divina lege prohibitum, adeout si nullum extaret præceptum, nullum esse peccatum. Ratione tandem probatur, quia peccatum ex dictis consistit in privatione rectitudinis debitę, sed hoc debitum, & obligatio non potest esse, nisi à lege alicujus Superioris; ergò omne peccatum esse debet contrà aliquam legem. & hæc sententia verior est, & communior in Schola Scotistarum, & etiam Thomistarum, quam tenent Aversa, Salas, Bonacina, Lezana, & alii Recentiores passim asserentes malitiam peccati actualis consistere in contrarietate ad legem.

6 Addendum tamen est, ut diximus, & fusè probavimus loc. cit. in his actibus, qui dici solent intrinsecè mali, ut sunt odium Dei, Blasphemia, mendacium, & alia peccata contrà primæ tabulæ præcepta, malitiam moralem non ità ex lege lata attendi debere, quasi possint à Deo dispensari, ut benè fiant. Ità enim expresè docet Scotus 3. d. 37. §. *Ad quæstionem*, ubi negat præcepta, primæ tabulæ, quatenus sumuntur negativè, esse dispensabilia, licet concedat præcepta secundæ tabulæ à Deo dispensari posse. & ratio à priori est, ut ibi diximus, quia quantumcunque ab illis actibus intrinsecè malis præscindamus prohibitionem ex lege derivatam, & consequenter malitiam formalem in genere moris ex tali prohibitione provenientem; numquam tamen possunt hi actus à prohibitione radicali, & fundamentali sejungi, quæ oritur ex natura actus eo ipso, quod transit sper tale objectum; ex qua prohibitione oritur in actu malitia formalis in genere naturæ quæ sufficit, ut nunquam dispensari possit, ut licitè fiat; ut loc. cit fusè probatur. Quomodo autem etiam peccatum veniale sit contrà legem, & præceptum Dei patet ex dictis disp. 6. cit. quæst. 6. nu. 163. & adhuc magis constabit ex infrà dicendis de discrimine inter peccatum mortale, & veniale vertente, quia nimirum mortale est contrà præceptum obligans ad aliquod necessarium ad salutem, veniale verò contrà præceptum obligans ad aliquod utile tantùm, non verò simpliciter necessarium, ut docet Scotus 2. d. 21. littera B. qua ratione dici solet consilium. Quo etiam sensu dicantur

aliqua

aliqua mala, quia prohibita, & aliqua prohibita, quia mala, patet ex dictis disp. cit. qu. 3. num. 97. ea enim malorum distinctio ab omnibus admittitur in hoc sensu, quod dantur aliqua mala, quia vetita sunt præcisè per legem positivam; alia verò lege positiva quoq; prohibentur, quia sunt mala, hoc est, contrà legem naturalem, & æternam, undè concluditur non dari peccatum, quod nō sit contrà legem, vel positivam, vel saltem naturalem.

7 Quartò, præterea omne peccatum intrinsecè etiam includit oppositionem cum aliqua virtute. & ratio est, quia vitium directè virtuti contrariatur; sed quodcunque peccatum pertinent ad aliquod vitium, à quo eliciatur, vel ad quod disponat; ergò peccatum omne contrariatur virtuti; & hæc oppositio etiam peccati cum virtute est maximè illi intrinseca, & essentialis, cum enim malitia peccati in carentia rectitudinis, & honestatis virtutis essentialiter consistat, ut diximus, consequenter dicendum est hanc quoque oppositionem esse illi intrinsecam, & essentialem. Confirmatur, quia ex hac oppositione peccati cum virtute, seù rectitudine, & honestate illius oritur, quod sit contrà rationem, & naturam rationalem, ac etiam contrà legem; & contrà Deum; ergo talis oppositio est maximè intrinseca, & essentialis peccato. Ex eo autem, quod peccatum sit contrà Deum, deducunt plures peccatum etiam intrinsecè includere, quod sit offensa Dei, quod ex ejus definitione probant, eo enim quod in ipsa dicitur, quod sit *contrà legem æternam* denotant esse contrà Deum, ac per consequens offensa ipsius. Ità Caspensis, Lezana, Granadus, Cornexo, & favent Cajetanus, Medina, Zumel, Victoria, & plures alii Thomistæ. Sed probabilius est, quod ait Bonacina loc. cit. cum pluribus aliis offensam, & injuriam Dei esse potius veluti quandam passionem, & proprietatem peccati, quatenus peccator peccando Deum offendit, illique injuriam facit, sicut subditus suo Principi; vel Superiori injuriam facit, dùm ipsius legibus, & præceptis debitam obedientiam non præstat. Non est tamen talis offensa, & injuria de ratione formali, & intrinseca peccati, quia si per impossibile aliquis invincibiliter Deum esse ignoraret, sciret verò homicidium, vel furtum esse contra rectam rationem; procul dubio furando, vel occidendo peccaret, ipsius tamen peccatum rationem offensæ Dei non haberet, siquidem de ratione offensæ, ut inquit Arist. 5. Ethic. c. 8. est quod cognoscatur persona, quæ offenditur, aliàs non erit voluntaria, nec imputabilis; sicut occisio hominis non est voluntaria, aut imputabilis ei, qui invincibiliter eum, quem occidit, putat non esse hominem, sed feram; non ergò includit intrinsecè peccatum esse offensam Dei, & ob id etiam excusatur amens, dum alium injuriosis afficit verbis, quia nescit illis verbis injuriam irrogari. Nec obstat quod ajunt Adversarii, quod adhuc in tali casu, quo esset in aliquo ignorantia Dei invincibilis, tale peccatum Deo displiceret quia esset contra rationem & dictamen rationis. Etenim admisso etiam, quod Deo displiceret, non tamen peccanti imputaretur, ut offensa Dei, ob ignorantiam ejus invincibilem, quæ ipsum excusat.

8 Quintò, quoad aliam quæsiti partem, pluribus, variisque divisionibus solet peccatum dividi, ut notat Astesan. noster lib. 2. tit. 6. de vitiis, & peccatis in communi art. 2. quæ in præsenti insinuandæ sunt, & inferius specialiter examinandæ. In primis itaque peccatum actuale dividitur in peccatum commissionis, & omissionis, ut docet D. August. lib. de perfectione Justitiæ c. 11. & ratio est, quia peccatum actuale est transgressio legis, hæc autem transgressio duobus modis fieri potest, ex August. l. c. si nimirum aut illa fiant, quæ prohibentur, & hoc est peccatum commissionis; aut non fiant, quæ jubentur, & istud est omissionis. Undè peccatum commissionis opponitur præcepto negativo, quod obligat semper, & pro semper, seù omni tempore; peccatum verò omissionis opponitur præcepto affirmativo, quod obligat semper sed non pro semper, id est, non omni, sed certo tantùm, & determinato tempore obligat. Deindè etiam generaliter dividitur utrumque peccatum tam commissionis, quàm omissionis in mortale, & veniale; peccatum mortale, ut nomen ipsum sonat, est illud, ratione cujus homo gratia sanctificante privatur, & æterna damnatione puniri meretur; veniale verò, quod quidem peccatum sit, non tamen gratia sanctificante hominem privat, neque damnatione æterna dignum reddit, ac proindè, ut ipsum nomen sonat, facilè veniam consequitur, vel aliquo modo venia dignum est, ità communiter discurrunt Theologi de differentia peccati mortalis, & venialis, sic enim colligitur ex D. August. 21. de Civit. c. ult. & lib. de vera & falsa pœnit c. 18. & ex D. Ambrosio lib. de Paradiso cap. 1. & aliis PP. Rursus ex D. Hieronymo Ezech. 43. dividitur peccatum in peccatum cordis, oris, & operis, & ità etiam colligitur ex D. August. lib. 11. contrà Faustum c. 27. dum ait, peccatum esse dictum, vel factum, vel concupitum contra legem Dei, sicut enim aliquando bonum pertinet ad cor, ut colligitur ex illo Psalm. 5. *Qui loquitur in corde suo*, aliquando ad os, *qui non egit dolum in lingua sua*, & aliquando ad opus, *nec fecit proximo suo malum:* ita pariter de malo, & peccato discurrendum est, ut ait Scotus 2. dist. 42. qu. 4. quod etiam in duplici sensu potest intelligi, ut communiter Doctores advertunt, primò de uno, & eodem peccato, ut v. g. de vindicta, quæ primò in corde concipitur, deindè per verba contumeliosa ad os progreditur, & posteà ad opus per percussionem, occisionem; &c. secundo de diversis peccatis, nam infidelitas perficitur in corde, detractio in ore, & homicidium in opere. Item ex D. Greg. 31. Moral. inter peccata quædam sunt spiritualia, & quædam carnalia. Peccata quidem spiritualia dicuntur, quæ in electione spirituali perficiuntur & consummantur, ut superbia, inanis gloria, &c. carnalia verò, quæ in carnali, ut gula, & luxuria, undè dixit Apostolus 2. Corinth. 7. *Mundemus vos ab omni inquinamento carnis, & spiritus.*

9 Demum ex parte motivi, ut ait Astesanus loc. cit peccatum dividitur in peccatum ex ignorantia, ex passione, & ex malitia. Peccatum ex ignorantia illud est, quod ab ignorantia vincibili voluntarium diminuente, tanquam à causa per accidens procedit juxta illud 1. ad Cor. 2. *Si cognovissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent;* dicitur autem hoc peccatum ab ignorantia vincibili provenire, quia ut Scotus advertit 2. dist. 22. quæstion. un. quod ex ignorantia invincibili fit, omninò involuntarium censetur, ac proinde peccatum esse non potest, quia hoc esse debet voluntarium; dicitur etiam esse ex ignorantia voluntarium diminuente, ad excludendam ignorantiam vincibilem affectatam, seu directè volitam, quia ut Scotus ibidem innuit, ignorantia affectata perfectam libertatem non tollit, ac proinde peccatum ex ignorantia non constituit, sed potius ex malitia, quando enim quis ex industria, & ex professo aliquid vult ignorare, ut posteà liberiùs peccet, tunc prima peccati origo non est ignorantia, sed prava ignorandi voluntas. Peccatum ex passione illud est, quod ex motione appetitus sensitivi originem ducit trahentis voluntatem ad consensum, ac proinde ejus libertatem diminuentis juxta illud Jacob. 1. *Unusquisque tentatur à concupiscentia sua abstractus, & illectus*, adhoc enim ut dicatur peccatum ex passione, requiritur, ut passio perturbans intellectum antecedat, & quodammodo extorqueat voluntatis consensum, ut Scotus docet 2. dist. 6. quæst. 1. ad. 1. nam quando sequitur, & excitatur à voluntate, ut cùm quis sponte concupiscentiam in se excitat, tunc non est peccatum ex passione, sed ex malitia, siquidem tunc prima peccati radix, & origo non est passio, sed mala voluntas, quæ passionem excitat, ut docet Scotus 2. disp. 34. quæst. 1. C. Peccatum tandem ex malitia ex Scoto ibidem est, quod absque ignorantia, vel passione præcedente ex plena libertate, & voluntate committitur juxtà illud Job. 34. *Qui quasi de industria recesserunt à Deo*, qua ratione Aristot. 7. Ethic. cap. 7. & 8. vocat hoc peccatum ex electione & sic etiam vocatur à Scoto 2. dist. 6. cit. quæst. 1. & ratio est, quia tunc homo propriè ex se fertur in malum, quando neque ex passione, neque ex ignorantia, sed propria libertate in illud fertur, & ideò tunc ex malitia peccare dicitur. Conveniunt autem DD. divisionem peccati in tria prædicta membra non esse essentialem, sed accidentalem, quia sumitur ex diversis motivis ad circumstantiam tantùm pertinentibus, ut patet in exemplo homicidii, quod committi potest ex ignorantia, ex passione, & ex malitia, itaut nulla ex illis motivis inducatur diversitas essentialis, & specifica, sed tantùm accidentalis ex diversis circumstantiis ad eandem speciem pertinentibus.

ARTICULUS SECUNDUS.

Quid requiratur ad peccatum actuale.

19 PRimò, ad hoc, quod aliquis actus, vel ejus omissio sit peccaminosus, & culpabilis requiritur, quod non tantùm sit voluntarius, sed etiam liber, & deliberatus, id est, cum aliqua actuali advertentia malitiæ, & ratio deducitur ex dictis 2. sent. disp. 5. de actibus humanis q. 1. nu. 3. quia ad actum humanum, vel mortalem duo requiruntur, nempè quod sit liber, & deliberatus, hoc est, quod liberè procedat à voluntate ex delectu operante, & deliberatè ab intellectu, id est, ex debita consideratione, & attentione rationis circa finem ejusdemque deliberatione, & consultatione circa media, quantùm sufficit ad exercitium libertatis; solùm enim actus hujusmodi per regulas morum sunt regulabiles, & possunt esse boni, vel mali in genere moris, & actuum moralium proprietates habere, scilicet esse meritorios, vel demeritorios, ac laude, vel vituperio dignos, ut ibi dicebamus. Neque ad actum peccaminosum præsertim mortaliter sufficit libertas, & advertentia quævis virtualis, vel interpretativa, qua scilicet, quis advertere poterat, & debabat; nec quæcunq; actualis, qua scilicet intellectus malitiam objecti

semiplenè attendat, ut contingit in semiebriis, vel semidormientibus, vel ita graviter mente distractis, ut ad malitiam objecti leviter advertant; sed requiritur, ut plenè, & sufficienter malitiam objecti advertat, aut saltem de ea dubium, vel scrupulum concipiat. & ratio est, quia nisi quis talem advertentiam habeat malitiæ operis, quod præstat, vel saltem dubium habeat, vel cogitationem aliquam mali; inadvertentia, seu oblivione invincibili laborare censetur, quæ ignorantiæ invincibili comparatur. Unde sicut ista à peccato excusat, ita etiam inadvertentia malitiæ, vel periculi excusare debet. Tum quia non est peccatum, nisi voluntarium, sine advertentia autem voluntarium esse non potest, cùm voluntas non feratur in incognitum; unde quando quis actu peccat semper habere debet advertentiam aliquam malitiæ operis quod præstat, saltem tenuem, & confusam, ideoque Doctores communiter docent ebrium non peccare formaliter, quando usu rationis caret, sed malitiam eorum, quæ tunc fiunt, anteà contraxisse, dùm prævidens malum, quod commissurus erat, ejus causam dedit, atque ideò peccasse solùm in causa.

11 Secundò, ex his sequitur ad peccatum contrahendum tres requiri conditiones. Prima est, ut sit voluntarium, ideſt, ut fiat à voluntate consentiente; & defectu hujus conditionis nullus actus, qui neque est in voluntate, neque à voluntate, est peccatum, nisi voluntas eum acceptet, sivè is sit internus, ut cogitationes contrà fidem, motus carnis etiam usque ad effusionem seminis, sivè externus, ac violentus, ut stuprum Virgini per vim illatum. Secunda conditio est, ut sit liberum, ideſt, ut sit in potestate voluntatis illud facere, vel non facere, & defectu hujus conditionis à peccato excusantur vehementissimi motus iræ, aut concupiscentiæ, & sensualitatis, quibus usus rationis perturbatur, & libertas tollitur, qui dici solent motus primò primi, motus enim primò primus juxtà communem Doctorum dicitur ille, qui omnem rationis usum, & malitiæ advertentiam prævenit, consequenter non est voluntarius, & liber, cùm voluntas in incognitum non feratur; non tamen defectu hujus secundæ conditionis excusantur à peccato motus secundò primi, talis enim dicitur ille, qui motui primò succedit, & hic cùm sit conjunctus cum aliqua cognitione, & advertentia malitiæ, ad culpam imputatur, quia posita aliqua malitiæ advertentia, præcaveri potest, & repelli, quamvis si perfecta non adsit advertentia, & deliberatio, ad mortalem culpam non imputatur, sed solùm ad venialem, ut suprà dictum est. Tertia conditio est, ut advertatur malitia, & defectu hujus conditionis excusatur à peccato qui aliquo die non jejunat, nihil cogitans, vel dubitans dei jejunio in tali die; item qui lapidem proiicit per fenestram nihil advertens periculum lædendi transeuntes; vel qui contractum usurarium celebrat advertens esse talem. & tandem hac ratione damna, & eventus ex ebrietate secuti, & nullo modo prævisi inculpabiles sunt, quia nec in se, nec in causis sunt liberi; secus verò, si sint prævisi, nec diligentia sufficiens ex præscripto prudentiæ sit adhibita, ne sequantur quod consultò addimus, quia tali diligentia adhibita, quamvis posteà eveniant, culpa vacant. Ità Vasquez, Lessius, Sanchez, Azorius, Reginaldus, Bonacina, & alii Recentiores, & antè omnes Aftesanus noster l.2.cit.tit.6.

Tertiò, constat ex dictis qualem advertentiam per se requirat peccatum; etenim advertentia ad peccatum mortale requisita plena esse debet, & perfecta per firmum intellectus judicium de malitia actus, vel saltem periculo illius, ut communiter Doctores docent. & ratio est, quia cum peccatum mortale sit gravis Dei offensa, & creaturæ rationalis irreparabile damnum, quia homo per peccatum mortale æternæ pœnæ fit reus, plenum, atque perfectum voluntatis consensum requirit, qui esse nequit absque plena advertentia, & firmo judicio de malitia actus, vel saltem de periculo malitiæ: Tùm quia credibile non est infinitam Dei bonitatem, ac pietatem velle, ut homo talis, & tantæ pœnæ reus constituatur, nisi expressè ad peccati malitiam adverterit, vel saltem dubitaverit; & si quælibet advertentia ad mortale sufficeret, jugum Christi nimis onerosum esset, non suave, & leve; ergo ad peccatum mortale requiritur expressa advertentia malitiæ, vel periculi. Advertentia autem ad peccatum veniale sufficiens est quæcunque semiplena, & imperfecta notitia per imperfectum, & semiplenum judicium de malitia actus, vel de periculo illius. & ratio est, quia cùm peccatum veniale sit levis offensa, nec separans hominem à Deo, ad illud contrahendum sufficit quicunque semiplenus, & subreptitius voluntatis consensus; & aliàs quæcunque advertentia etiam imperfecta, & semiplena ad prohibendum liberum consensum in opus cognitum, ut pravum, est sufficiens. Quæres, an ad peccatum mortale requiratur plena advertentia malitiæ, quatenus malitia est mortalis, vel sufficiat consideratio, seù cognitio malitiæ simpliciter. Respondet Bonac. disp. 2. c. q. 2. p. 3. cum Vasquez, Reginaldo, & pluribus aliis satis esse, ut homo advertat ad malitiam absolutè sumptam, tali enim posita malitiæ advertentia potest homo, & tenetur ulterius inquirere an malitia sit gravis, vel levis, & periculum graviter peccandi cavere debet; si enim talem cautionem, & inquisitionem non adhibeat, eo ipso censetur velle opus quavis malitia affectum, seque periculo exponit patrandi grave delictum; qui autem se periculo graviter peccandi exponit, eo ipso se coinquinat peccato, cujus periculo se exponit.

13 Quartò, ultrà advertentiam malitiæ prædeclaratam ad peccatum requiritur etiam consensus. & ratio est, quia nullum est peccatum, nisi sit voluntarium, sed voluntarium dicitur illud, cui voluntas consentit; ergo nullum est peccatum, nisi adsit voluntatis consensus; hic autem potest esse duplex, unius directus & expressus; alter indirectus, & interpretativus, seù virtualis; primus contingit quando voluntas aliquid expressè intendens operatur; alter verò contingit, quando quis aliquid facit, vel omittit prævidens ex tali opere, vel omissione aliquod peccatum, & malum secuturum, aut quando negativè se habet, vel negligens est tentationibus repellendis. Ad peccatum itaque incurrendum, licet consensus directus, & expressus non sit necessarius, requiruntur tamen ad minus consensus virtualis, & interpretativus. Quomodo autem in dubiis discernere, & dijudicare possimus consensum perfectum, & sufficientem ad mortale, vel imperfectum, & insufficientem adfuisse; ait Bonac. l. c. triplici regula dignosci posse. Prima est, si homo advertens ad peccatum ità se cognoscit affectum, & animo dispositum, ut quamvis illud facilè committere posset, non committeret; ut plurimum judicandum est, non adfuisse consensum deliberatum, & ad mortale sufficientem. Secunda regula est, si dubitans sit vir ità bonæ, & timoratæ conscientiæ, ut peccatis dissentire soleat; ut plurimum judicandum, est, non habuisse plenam advertentiam, & consensum, licet aliquam in repellendis tentationibus negligentiam admiserit; secus autem dicendum est de eo, qui frequenter tentationibus succumbere consuevit, hic enim in dubio putandus est consensisse perfectè. & ratio est, quia fortissima præsumptio, & probabilitas desumitur ex consuetis, ut ajunt Juriſperiti. Tertia tandem regula est, quando quis dubitat, an aliquid fecerit in somno, an in vigilia; seù dùm esset sui compos, an potius dùm ebrietate, vel phreneſi correptus esset; non leve dicendum est fecisse, seù voluisse sine plena advertentia, & consensu, nam quæ cum plena advertentia fiunt, facillimè cognoscuntur facta fuisse ratione plenè advertente, cùm rationis usus liberam permittat homini de suis actibus cognitionem, nisi fortè mora temporis aliquam induxerit oblivionem. Ità Bonac. l.c. cum Sanch. Reginald. Clavis regia, & aliis; de quo etiam videri potest Becan. tr. 2. de Peccatis ca. 4. q. 5. ubi ait ad perfectum, & directum consensum duo requiri, perfectam nimirum intellectus advertentiam, & motum, ac approbationem voluntatis, undè quando hæc duo concurruntur, voluntas plenè, & perfectè consentire censetur; ex quo sequitur duplici etiam ex capite consensum posse esse imperfectū; primò ex defectu advertentiæ intellectus, deindè ex defectu voluntatis.

15 Sextò, ex dictis etiam colligi potest, quale peccatum sit desiderium malum, per quod intelligitur voluntas, intentio, vel desiderium efficax rei malæ; hoc enim esse potest, vel absolutum, vel conditionatum; si desiderium sit absolutum, sivè cogitatio cum voluntate in peccatum consentiente aliquando perpetrandum, aut in peccato jam commisso complacente, dicendum est habere eandem specie malitiam peccati mortalis, vel venialis, quam habet actus exterior, in quem fertur, ut constat ex illo Matth. 5. *Qui viderit mulierem ad concupiscendum mæchatus est in corde suo*. & ratio est, quia actus interior suam bonitatem, vel malitiam habet ab exteriori, tanquam objecto, ut Scot. docet quol. 18. Si verò desiderium est conditionatum, rursus distinguendum est; si enim desiderium sit cum consensu conditionato, quo quis aliquid concupiscit, sub tali conditione, quæ omnem malitiam objecti auferat, non est peccatum saltem mortale, v.g. vellem prædari, vel fornicari, si à Deo mihi permitteretur, si Judex essem, malefactorem istum occiderem. Si verò conditio malum non auferat, tunc est peccatum, v.g. si cogites, si non esset infernus, mœcharer; si non essem religiosus, fornicarer. Ratio est, quia quamvis consensus conditionatus nihil ponat in rerum natura ex parte objecti voliti, in voluntate tamen ponit affectum, præcisa conditione non auferente malitiam, ac proindè talis erit culpa, qualis esset illud appetere absque conditione. Ità Valent. Sayrus, Salas, Sanchez, Layman, Busemb. & alii. Hoc tamen intelligendum arbitror, si dùm Religiosus hæc dicit habeat affectum fornicationis faciendæ, si esset in statu sæculari; secus enim est, si illis verbis tantùm ostendere vellet, quia facturus fuisset in alio statu; qua ratione licitū est desiderium cum conditione hac. *Si prohibitum non esset*, v.g. ede-

ederem carnes in die Veneris, si Ecclesia non vetuisset, tunc enim non peccaret, non solùm quia conditio omnem malitiam, quæ à sola prohibitione est, aufert, sed etiam quia sic dicendo, tantùm ostendere intendit, quid facturus esset, si Ecclesia id non vetuisset.

15 Postremò, est satis communis opinio omne peccatum necessariò supponere aliquem errorem, vel inconsiderationem in intellectu, atque ideò non posse voluntatem peccando deficere nisi in intellectu præcedat aliquis defectus, quo non existente, nec in voluntate esset peccatum. Ità Thomistæ passim cum D. Th. 1. p. quæst. 63. art. 3. & p. 2. q. 77. art. 2. quod probant præsertim ex S. Scriptura, ubi omnia peccata alicui defectui intellectuali tribuuntur, ut Jer. 22. *desolationi desolata est terra, & quia nemo est, qui recogitet corda* Isaiæ 5. *propterea captivus ductus est populus meus, quia non habuit scientiam*, & Prov. 14. *errant, qui operantur malum*, undè in eadem Scriptura homo justus passim appellatur sapiens, peccator verò stultus, imò & Arist. ipse 3. Ethic. c. 1. ait, quod omnis pravus est ignorans, & hoc etiam suadet ratio ipsa, quia malitia peccati tanta est, ut si perfectè pro viribus penetraretur, & consideraretur, certè hominem à peccato deterreret, & ideò dixit Moyses Deut. 32. *utinam saperent, & intelligerent, & novissima providerent*. Verùm licet spectato naturali, & ordinario modo operandi voluntatis creatæ soleat in intellectu præcedere aliqua inconsideratio eorum, quæ possunt à peccato voluntatem deterrere, & quamvis, ut regulariter homo malè operetur, aliquis, ut plurimum præcedat defectus in intellectu, non quicunque, sed præcisè talis considerationis defectus, quæ morali certitudine quadam peccatum impediret, quo sensu intelligi debent testimonia Scripturæ adducta; tamen absolutè loquendo non est necesse, ut omne peccatum voluntatis ex aliquo defectu intellectus semper procedat, quia ex sola voluntate eligentis procedere potest, ut Scot. noster docet 2. d. 6. qu. 1. ad. 3. & 3. d. 36. a. 2. ubi fusè probat dari posse dictamina prudentiæ sine actibus virtutis moralis consequentibus, & consequenter defectum in voluntate, sine prævio defectu in intellectu, & 1. d. q. q. 4. §. *ad argumentum* ubi docet voluntatem ità liberè assentire posse majori bono, ac efficacius proposito, sicut minori, & minus efficaciter proposito, quod etiam evidenter ostendit D. Augustin. 12. de Civit. cap. 6. exemplo de duobus hominibus æqualiter corpore, & animo affectis eandem pulchritudinem idem intuentibus, quorum alter consentit, alter dissentit: Quæ omnia fusè examinavimus lib. 2. sent. disp. 3. *de Dæmonibus* quæst. 2. ubi etiam cum Scoto ostendimus malos Angelos non peccasse ex ignorantia, aut aliqua inconsideratione, vel inadvertentia, sed cum plenissima scientia, & ex mera malitia, quam opinionem præter Scotistas plures sequuntur Recentiores Valentia, Molina, Becanus, Lezana, & alii ibi citati.

QUÆSTIO SECUNDA.

De Peccato commissionis, & omissionis.

16 PRæmisso examine quidditatis, & essentiæ peccati actualis, ac eorum, quæ ad illud incurrendum requiruntur, ac divisionum ejus in generali nunc ad illas specialiter examinandas accedimus; & quia art. 1. prima divisio assignata fuit in peccatum commissionis, & omissionis, consequenter eam primò declarandam aggredimur, quam divisionem esse adæquatam supponimus cum communi Doctorum contrà nonnullos antiquiores; nam omne peccatum est contrà aliquam legem, ut dictum est, omnis autem lex, vel præcipit, vel prohibet aliquid, contrà legem præcipientem peccatur omissione actus præcepti; contrà prohibitionem verò peccatur commissione actus prohibiti.

ARTICULUS PRIMUS.

De Peccato Commissionis.

17 PRimò quæritur. An malitia peccati commissionis consistat in aliquo positivo. Specialiter autem hæc difficultas movetur de peccato commissionis, quia ut dictum est art. 1. præcedentis quæstionis ab initio, peccatum omissionis, ut ex ipso nomine constat, concedunt omnes formaliter consistere in carentia ipsius actus honesti, cùm quis ipsum potest, & tenetur elicere, ut sunt omnia peccata contrà præcepta affirmativa, & positiva. Plures Theologi ex schola Thomistarum docent malitiam peccati commissionis, quod actum positivum importat, ut est homicidium, furtum &c. consistere in habitudine talis actus ad suum objectum, ac proindè in aliquo positivo, & quamvis in tali peccato admittant etiam aliam malitiam privativam, illam nihilominus positivam vocant priorem, & potiorem. Fundamentum præcipuum eorum est, quia peccatum commissionis, v. g. velle furari, vel occidere, præcisè sumptum, & quatenus importat actum tendentem in objectum illud, quod est furari, vel occidere, secluſa omni privatione rectitudinis, est disconveniens rationi, & naturæ rationali; ergò est malum moraliter, ac proindè malitia moralis solùm in prædicta tendentia positiva actus ad suum objectum consistet. Ità quamplures ex schola Thomistarum, quorum aliqui dixerunt illud positivum esse aliquid physicum, & reale, ut Cajetanus, Medina, Bannes, Zumel, Cabrera, & Salmatiscenses; alii verò, ut Canus, Vasquez, Perez, Arriaga, Amicus, Oviedo Aversa, Caspensis, & alii Recentiores, dixerunt esse aliquid morale, nempè dissonantiam, & disconvenientiam actus peccaminosi ad naturam rationalem rationaliter operantem, quam explicant per relationem rationis, aut extrinsecam denominationem.

18 Dicendum tamen est juxtà dicta q. præc. art. 1. & fusius 2. sent. disp. 6. de peccatis quæst. 1. etiam malitiam formalem peccati commissionis non consistere in aliquo positivo, sivè reali, sivè morali, vel rationis. Hæc est communior, & probabilior sententia Antiquorum, & Recentiorum, ut constat ex dictis loc. cit. & probatur in primis ex communi doctrina Patrum, qui omne malum præsertim morale, & malitiam peccati solùm per negationem, seu privationem explicant, ut suprà dictum est; deindè ratione, quia si malitia formalis peccati consistit in aliquo positivo reali, & physico, sequitur Deum non solùm permissivè, sed etiam positivè esse causam peccati influendo nimirum in formalem malitiam peccati, quod valdè absurdum est, & anathemate comprehenditur Conc. Trid. sess. 6. can. 6. Consequentia patet, quia omne ens positivum est à Deo, & Deus est causa per se influens in omnem entitatem realem positivam, & creatam, quam rationem late prosequimus disp. 6. cit. quæst. 2. num. 6. & sequ. varias reiiciendo Thomistarum responsiones. Quod autem neque consistat malitia peccati commissionis in aliquo positivo morali, seù rationis ibidem quoque ostendimus n. 15. & sequ. hoc enim dicunt esse relationem dissonantiæ, vel disconvenientiæ ad legem, vel rationem eam proponentem; sed hæc disconvenientia non benè concipitur, vel explicatur per modum ordinis positivi, & contrarietatis ad legem, aut rationem, etenim potius concipi debet per modum recessus & defectionis à lege juxtà modum loquendi PP. de malitia peccati; hoc autem modo explicata relationem aliquam positivam non importat, sed solam privationem convenientiæ, & conformitatis ad legem. Tum quia admissa in actu hac relatione positiva dissonantiæ, hæc necessariò supponere debet in actu recessum à lege, & carentiam rectitudinis, & conformitatis ad legem; ergo nequit primordialiter actum malum constituere. Tùm tandem quia non considerata in actu positivo illa disconvenientia ad legem, sed tantum carentia debitæ rectitudinis, & conformitatis ad legem, habetur totum id quod ad rationem malitiæ moralis requiritur; ergò superfluit quæcunque alia positiva relatio disconvenientiæ. Quam etiam rationem loc. cit. fusè prosequimur varia repellendo Adversariorum responsa.

19 Addendum tamen est malitiam fundamentalem, seù radicalem peccati commissionis in aliquo positivo reali consistere, nimirum in tendentia actus ad objectum rationi dissonum, seù in conversione, per quam voluntas à Deo avresa ad bonum creatum convertitur. & ratio est, quia ut rectè advertit Lezana tract. 5. de peccatis disp. 2. qu. 1. ex eo, quod actus, v. g. velle furari, vel occidere tendat in objectum rationi dissonum, seù quod idem est, convertatur ad ipsum, oritur in eo privatio rectitudinis justitiæ, quæ est malitia formalis; ergò talis actus secundum suam positivam entitatem importat esse, fundamentum, vel causam, & radicem malitiæ formalis, ac per consequens malitia fundamentalis, & radicalis in positiva illius actus entitate sita erit. Et hoc solùm convincit, & probat argumentum pro opposita sententia adductum, nimirum velle furari, vel occidere, quatenus præcisè importat actum tendentem ad suum objectum, solùm esse disconveniens naturæ rationali fundamentaliter, & radicaliter; non autem proximè, & formaliter, quia hoc habet ratione disconvenientiæ, quæ est convenientiæ, & conformitatis ad rationem privatio. & eodem modo explicandus est D. Augustin. dùm peccatum cummissionis definit *per dictum, factum, vel concupitum contrà legem æternam*, quod nimirum definit peccatum per actum quoad materiale ipsius peccati, non quoad formale, juxtà dicta superiùs qu. 1. art. 1. n. 4. Alia verò argumenta plura pro positivo ab adversariis adducta vide soluta disp. 6. cit. de Peccatis qu. 1. cap. 2. Se-

20 Secundò quæritur, An malitia peccati commissionis formaliter consistat simul in positivo, & privativo, an potius in sola privatione. Affirmant aliqui apud Lezanam loc. cit. quæst. 2. consistere simul in positivo, & negativo, quorum fundamentum est, quia nomina connotativa formaliter important simul tam subjectum, quàm formam illius, ut patet de cæco, & surdo, qui formaliter important subjectum, & cæcitatem, seù surditatem; peccatum autem commissionis est nomen connativum, sicut cæcus, & surdus; ergò simul importabit tam entitatem positivam actus, quàm privationem conformitatis ad legem.

Confirmatur à pari, quia aliqua sunt, quæ in suo conceptu essentiali includunt positivum, & negativum, ut patet de ente creato, quod essentialiter includit suam positivam entitatem, & limitationem, seù negationem ulterioris perfectionis; ergo idem similiter dici poterit de malitia peccati commissionis, prout à peccato omissionis distinguitur, quod consistat essentialiter in positivo, & negativo, seù primativo. Communis tamen sententia oppositum docet, & sequitur ex dictis in resolutione præcedentis difficultatis; si enim malitia formalis peccati commissionis consisteret saltem inadæquatè in positivo, consequenter dici deberet Deum esse causam peccati commissionis quoad illud positivum, quod inadæquatè importat, quia omne ens positivum est à Deo, & Deus est causa per se influens in illud; Quarè dicendum est peccatum etiam commissionis in sola privatione consistere, ut dictum est quæst. præced. art. 1. ab initio, quia posita tota substantia actus cum libera tendentia in objectum, quod proponitur ut prohibitum, adhuc actus non intelligitur formaliter malus, nisi intellecta privatione conformitatis ad legem, & illa intellecta, ac posita in actu, & præciso quocunque positivo illis superaddito, intelligitur peccatum commissionis; ergò tale peccatum in sola hujusmodi privatione formaliter consistit. Ad rationem in oppositum adductam negatur major, ut enim constat ex dictis part. 1. Institut. Logic. nomina concreta, & connotativa solam formam important pro formali, pro materiali autem, & connotato subjectum; undè in proposito peccatum commissionis pro formali solam malitiam importat, quæ est veluti forma malè subjectum afficiens, scilicet, actum, & pro materiali, & connotato ipsum actum, quem afficit. Ad Confirmationem negatur etiam assumptum cum ejus probatione, negatio enim ulterioris perfectionis in ente creato non est essentialis illi, nec in ejus essentiali conceptu includitur, sed illud necessariò sequitur, & comitatur, sicut negatio finitatis, & limitationis sequitur necessariò ens increatum, & infinitum.

21 Tertiò quæritur, cujus rei sit privatio malitia formalis peccati commissionis. Et dicendum est consequenter ad dicta quæst. præcendenti esse privationem rectitudinis, seù honestatis debitæ actui ipsi, qui malus denominatur, scilicet, furto, vel mendacio. Quomodo autem hoc sit intelligendum, jam declaratum est disp. 6. cit. quæst. 2. artic. 1. numero 44. ubi diximus quemlibet actum malum, sivè ex sola circumstantia, sivè etiam ex objecto, nedum secundum genus, ut aliqui dicunt, sed etiam secundum speciem, & individuum esse immediatum subjectum privationis peccaminosæ, quatenus consideratur sub differentia passiva ad elici, & non elici, continuari, & non continuari, sic, vel non sic, elici. Quod etiam satis aptè ibidem declaravimus ex Scoto quol. 18. art. 2. sicut enim quia voluntas, ut est sub indifferentia activa ad elicere actum, vel non elicere, continuare, vel non continuare, stante præcepto legis negativo, debitrix est rectitudinis, ut ait Doctor 2. dist. 37. E. & imputabilis activè, ut loquitur quol. 18. & sic eliciens actum, dicitur activè peccare, vel peccatrix, & privatarectitudine conformitatis ad legem. Ità pariter actus ipsius voluntatis, quia ex se liber est passivè, etiam in eo instanti, quo fit, ut voluntas activè, ut stat sub indifferentia ad elici, vel non elici, continuari, & non continuari, contrahit morale debitum passivum, ut materia legis, ut eliciatur, vel non eliciatur, sic, vel sic eliciatur, secundum quod lex fuerit prohibens, vel præcipiens: adeòquod sicut indifferentia activa, & debitum activum ex parte voluntatis sufficit, ut ipsa dicatur peccare, vel peccatrix, ità è contrà indiffentia passiva, & debitum passivum ex parte actus sufficit, ut in se dicatur peccatum, & passivè capax rectitudinis, & conformitatis ad legem prohibentem; nam ut stat sub indifferentia respicit alteram quoque contradictionis partem, scilicet, non elici, non continuari, in qua fundatur rectitudo præcepta, & hac ratione habet capacitatem ad illam, si non physicam, & subjectivam, saltem moralem, & logicam, quatenus de ipso actu, sic indifferenti, utrumque extremum cum veritate enunciari potest, & consequenter in hoc eodem sensu verum erit dicere quod sit capax rectitudinis, vel malitiæ, quæ in illis extremis fundari possunt. Ità ibi discurrimus de immediato malitiæ subjecto. Quam doctrinam ad verbum hic repetere placuit ad tollendam difficultatem de actibus intrinsecè malis, quod eorum malitia in privatione debitæ rectitudinis consistere nequeat, quia licet ii actus, qui sunt tantùm ex circumstantia mali, & non ex objecto, possent habere oppositam bonitatem, quatenus poterant fieri absque mala circumstantia, alii tamen actus, qui ex genere, & objecto sunt mali, verbi gratia, odium Dei, & blasphemia ex natura sua non sunt capaces oppositæ bonitatis, undè deducunt Adversarii eorum malitiam non posse in privatione constitui, placuit, inquam, præfatam doctrinam ad verbum repetere, quia satis ex ea patet, quomodo, & quo sensu etiam actus intrinsecè mali dici possint capaces rectitudinis debitæ.

22 Quartò quæritur, An peccatum commissionis essentialiter differat à peccato omissionis, & difficultas est de peccatis omissionis, & commissionis eidem virtuti oppositis. Aliqui absolutè negant, quorum ratio est, quia essentia peccati consistit in privatione rectitudinis; ergo si privatio est ejusdem rationis in duobus peccatis, consequens est, ut illa duo peccata sint ejusdem speciei, licet unum sit commissionis, alterum omissionis. Ità autem contingit, quando commissio, & omissio opponuntur eidem virtuti secundum eamdem rationem, ut contingit in commissione furti, & omissione restitutionis, quia utrumque opponitur justitiæ, & eodem modo facit inæqualitatem. Ità discurrit Becanus tract. 2. cap. 3. quæst. 1. cum Valentia, Suarez, & aliis, & Amicus disput. 22. sect. 1. inquit, & quod eandem sententiam cohærenter docere tenentur quicunq; rationem constitutivam peccati commissionis collocant in privatione oppositæ rectitudinis debitæ, quarè Auctores hujus sententiæ concludunt differentiam peccati omissionis, & commissionis in moralibus non esse essentialem, sed tantùm materialem. Alii verò absolutè affirmant peccatum omissionis differre specie à peccato commissionis, non solùm si hæc duo peccata materialiter considerentur, verùm etiam si considerentur formaliter secundum inordinationem, & propriam malitiam contrà eamdem virtutem, alioquin odium Dei, & omissio amoris ipsius, quæ sunt contrà charitatem, & hæresis, ac omissio credendi, quæ sunt contrà fidem, non distinguerentur specie, siquidem important privationem honestatis, seù rectitudinis unius, & ejusdem virtutis; consequens autem est falsum, quia odisse Deum, & non amare, cùm teneris; hæresis, & omissio actus credendi plusquam specie differunt, & illa sunt longè pejora istis, nam hæresis facit infidelem, non autem omissio actus credendi. Ità Amicus loc. cit. Azorius, Bonacina, Clavis Regia, Medina, Vasquez, Curiel, & plures alii.

23 Sed in resolutione hujus difficultatis media via incedendum est, adhibita distinctione, ut diximus disput 6. cit. quæst. 2. art. 4. si enim teneamus, quod una, & eadem virtus possit fundare præcepta specie diversa, unum affirmativum, aliud negativum, ut probabilissimum est, tunc sustineri potest omnissionem & commissionem contrà eamdem virtutem esse peccata adhuc specie diversa. Ratio est, quia ut ibi dicebamus, peccatum non est privatio rectitudinis habitualis ipsius virtutis, cui opponitur, neque ex hoc capite peccata postulant distingui ex rectitudine virtutum, quibus opponuntur, quia non sunt privationes rectitudinis habitualis earum, sed est privatio rectitudinis actualis, ideſt, conformitatis ad unum, vel plura dictamina, & præcepta ejusdem virtutis specie diversa, & ità optimè stare poterunt plura peccata specie diversa omissionis, & commissionis contra eamdem virtutem; licet enim illa præcepta, & dictamina sint circà idem materiale objectum ejusdem virtutis, non tamen circà idem formale, neque secundùm eamdem rationem, ut contingit in exemplis allatis de odio, & non amore Dei; hæresi, & omissione actus credendi. Quando verò omissio, & commissio eidem virtuti opponuntur secundùm eamdem rationem formalem, ut contingit in commissione furti, & restitutionis, tunc non sunt peccata specie diversa, quia utrumque opponitur justitiæ, & eidem præcepto, quod dat unicuique possidendum, quod suum est. Ita discurrimus loc. cit. ubi etiam specialius explicamus, quomodo præceptum affirmativum amoris Dei, & negativum odii possint essentialiter differre, etiamsi circà eamdem charitatis virtutem versentur, adeout inferri possit, utrumq; peccatum contrà illa præcepta, commissionis unum, omissionis aliud essentialiter differre, & præfata distinctione adhibita opiniones adductæ facilè conciliari possunt, nam secunda opinio loquitur in primo sensu, prima verò in secundo, inquit enim peccata omissionis, & commissionis esse ejusdem speciei, quando omissio, & commissio opponuntur eidem virtuti secundùm eamdem rationem, ut contingit in commissione furti, & omissione restitutionis.

24 Postremò, hac eadem doctrina resolvitur alia difficultas, quomodo distinguantur vitia extrema eidem virtuti opposita, ut etiam quæst. 2. cit. art. 3. dictum est, malitia enim prodiga-

digalitatis, & avaritiæ sunt diversæ speciei, quia virtus liberalitatis consistit in medio negans utrumque extremum, alterum per excessum, ut prodigalitas, & alterum per defectum, ut avaritia; quapropter liberalitatis virtus duo præcepta, & rationis dictamina necessariò includit, quorum uno prohibetur excessus, & alio defectus; cùm liberalis dicatur ille, qui expendit, quando, & quantum est necessarium, hoc est, qui sumptus facit, neque eximios, & excessivos, neque viles, & justo minores. Cùm igitur liberalitas duas rectitudines formalites includat, vel duo præcepta specie diversa, consequenter etiam conformitates ad illa erunt specie diversæ, & quia prædicta vitia opposita, sunt privationes istarum rectitudinum diversarum, proindè ipsa quoque sunt peccata specie diversa; & sic etiam Lezana urrit discquæst. 3. cit. devitiis extremis eidem virtuti in medio consistenti oppositis, licet enim honestas, & rectitudo virtutis, quæ est inter duo extrema vitia, sit formaliter una, est tamen virtualiter duplex, & habet actus, seù rectitudines actuales speciei diversæ, & ità etiam vitia illa contraria sunt specie diversa, quia opponuntur diversis illis actibus, & rectitudinibus actualibus, unum videlicet per excessum, & aliud per defectum; undè licet liberalitas sit una virtus adæquata, & unius speciei adæquatæ, & prodigalitas, & avaritia sint privationes ejusdem virtutis liberalitatis, non tamen adæquatè unaquæque seorsim sumpta destruit duplicem rectitudinem, ex qua componitur liberalitas, sed inadæquatè, ut fusè explicavimus loc. cit.

ARTICULUS SECUNDUS.

De Peccato Omissionis.

25 CErtum est præter peccatum commissionis dari etiã peccatum omissionis, ut supra dictum est, quia non solùm homo peccat, quando facit id, quod lex prohibet, & vetat, sed etiam quando non facit id, quod præcipit, & hic secundus defectus est omissio, sicut primus commissio, undè peccatum omissionis est carentia actus debiti ex vi præcepti affirmativi; potest autem omissio dividi in culpabilem, & peccaminosam, de qua loquimur in præsenti, ut non audire Missam die ab Ecclesia præcepto, & in non culpabilem, seù non peccaminosam, ut non audire Missam die feriali. Utraque etiam dividitur in omissionem actus interioris, verbi gratia, dilectionis Dei, vel actus fidei, & exterioris, ut auditionis Missæ, &c. Et tandem dividi potest in eam, quæ est directè voluntaria, ut si quis expressè, & explicitè velit Missam non audire; & in eam, quæ non est directè voluntaria, sed indirectè tantùm, & implicitè, ut si quis illam expressè non velit, sed tamen velit expressè causam, ex qua talis omissio sequitur, ut si quis ludere velit, vel dormire tempore, quo urget Missæ præceptum, vel in aliis actibus internis velit occupari tempore, quo præceptum fidei currit, vel dilectionis Dei. His prænotatis.

26 Primò quæritur, An possit esse peccatum omissionis, absque omni actu, & non est quæstio de actu intellectus, quem necessariò requiri nullum est dubium, siquidem sine cognitione objectum proponente nihil potest esse voluntarium, nec consequenter peccatum; sed quæstio est de actu voluntatis, an, scilicet, possit dari pura omissio peccaminosa, sine quocunque voluntatis actu, qui causa illius existat directè, vel indirectè. Nec etiam est quæstio de modo regulariter, & ordinariè peccandi omissivè, siquidem conveniunt omnes omissionem culpabilem regulariter, & ordinariè ab aliquo actu voluntatis oriri directo, seù expresso, vel saltem indirecto, qui antecedenter, aut concomitanter ad omissionem se habeat; sed quæstio est, an possit dari pura omissio culpabilis absolutè loquendo absq; aliquo actu, sivè directè, sivè indirectè in illam tendentem. Quamplures negativè respondent, quorum fundamentum est, quia ut omissio sit peccatum debet saltem indirectè, & interpretativè esse voluntaria, ut de se patet, sed non potest esse hoc modo voluntaria, nisi procedat ex aliquo actu voluntatis, qui sit causa, vel occasio illius; ergo & cæt. minor probatur, quia voluntarium interpretatiuum, seù virtualiter fundatur in aliquo voluntario formali, ideò enim quis dicitur aliquid virtualiter velle, quia vult aliquid, in quo illud virtualiter continetur. Ità Cajetanus, Capreolus, Bannes, Vasquez, Suarez, Lorca, Lezana, Faber ex nostris, & alii Thomistæ passim. Alii verò concedunt dari posse peccatum omissionis absque omni actu loquendo de omissione interiori, qualis est omissio actus charitatis, vel fidei; non tamen loquendo de omissione exteriori, qualis est omissio audiendi sacrum die festo. & ratio est, quia videtur omninò impossibile, quod quis omittat actum exteriorem eundi ad templum, nisi saltem sedendo, vel stando, vel in cubiculo cubando, quando urget præceptum audiendi sacrum, hæc autem, & alia id genus, licet physicè non sint actiones, sed potius actionum privationes, moraliter tamen censentur pro actibus externis. Ità Azorius, Becanus, Caspensis, & quidam alii.

27 Hanc quæstionem latè tractavimus, & ex professo disp. 6. cit. *de Peccatis* quæst. 4. ubi sententiam affirmativam absolutè statuimus, tanquam de mente Scoti, & Scotistarum omnium, & diximus, quod licet reguraliter loquendo peccatum omissionis non contingat sine aliquo actu, qui ejus causa directè, vel indirectè existat; absolutè tamen loquendo posse interdum contingere, sine omni actu, ità quod, nec physicè, nec moraliter pura omissio peccaminosa sit impossibilis, sivè interior sivè extetior, ita enim colligitur ex Scot. 2. d. 42. q. 4. in fine §. *Adquæstionem quartam*, ubi explicando divisionem peccatorum cordis, oris, & operis ait, quod debet intelligi positivè quoad peccatum commissionis, & negativè quoad peccatum omissionis, undè secundum ipsum pura negatio actus debiti est peccatum omissionis, & idem colligitur ex 1. dist. 51. *Primum istorum solvitur*; & videtur etiam esse opinio D. Thomæ 2. 2. quæst. 69. artic. 2. ubi ait omissionem esse peccatum actuale, non quia necessariò habeat aliquem actum, sed quia negatio, vel privatio actus reducitur ad genus actus, ac proindè eam sequuntur Salas, Aversa, Hacquetus, & alii etiam ex Thomistis. Fundamentum autem præcipuum hujus sententiæ statutum est ibi artic. 1. quoniam omittere est non agere, & exequi actum debitum, & præceptum, sed potest voluntas liberè non agere actum debitum absque eo, quod ullum actum interiorem eliciat, aut exteriorem imperet, sed tantù prævideat se debere exercere actum præceptum, & non exerceat; ergo, &c. Major probatur, quia peccatum omissionis, quod præcepto affirmativo opponitur, per hoc distinguitur à peccato commissionis, quod opponitur negativo, quod hoc ex suo genere includit actum positirum, at omissio secundùm se nullum actum includit. Minor verò probatur ex Aristot. 3. Ethic. cap. 5. docente non minus esse immediatè in potestate voluntatis non agere, quàm agere, cùm hoc sit de ratione libertatis exercitii, & contradictionis, prout distinguitur à libertate specificationis, & contrarietatis; ergò cùm ad malitiam contraehndam non requiratur voluntarium formale, & explicitum, nec actus positivus, quo illa intendatur, sed satis sit eam tantùm prævidere, & prævisam non impedire, poterit voluntas absque ulla implicantia culpabiliter omitere nullum actum internum eliciendo, qui sit causa talis omissionis directè; nec ullum exteriorem imperando, qui sit ejus causa indirecta, sed solùm prævidendo imminentis præcepti obligationem, & ab omni actu cesare etiam exteriori.

Confirmatur, quia sicut liberè me continere possum ab actu præcepto sine actu, quo id directè velim; sic & à quocunque alio actu, tam interiori, quàm exteriori, qui sit causa per accidens, & indirectè, vel occasio ejus, quia non sum minus liber ad alios actus, & voluntas æquè libera est ad actum præceptum, & quemcunq; alium, qui possit esse causa indirectè omissionis ejus. Plures autem Adversariorum responsiones, & evasiones vide rejectas, & præclusas loc. cit.

28 Pro solutione autem fundamenti prioris sententiæ advertendum est, ut quæst. cit. dictum est art. 2. hos terminos voluntarii directè, & expressè, & interpretativè in vario sensu à Theologis usurpari solere. Quandoque enim sumuntur pro eo, quod est voluntarium in se, vel in causa, primo modo voluntarius dicitur omnis actus immediate à voluntate elicitus, vel imperatus, secundo modo voluntarium dicitur, cujus causa est volita, ex qua consequitur effectus voluntarius, ut cùm quis jacit sagittam ad occidendam feram cum periculo occidendi hominem, si sequitur occisio, dicitur illi voluntaria in causa, etiamsi non fuerit intenta, & expressè volita, & quidem accipiendo voluntarium indirectum, & interpretativum in hoc sensu, ut videtur in argumento sumi omissio actus, quem poterat, ac debebat habere voluntas, dici non debet indirectè volita, ac interpretativè, sed potius formaliter, & expressè, ac directè, cùm non minus in potestate voluntatis sit immediatè suspensio actus, quam actus ipse. Quandoque verò voluntarium, virtuale, indirectum, ac interpretativum sumitur pro eo, quod æquivalenter se habet ad actum explicitum, quamvis enim voluntas nullum talẽ habeat circà objectum, ex varia tamẽ rerum, ac circumstantiarum serie interpretamur ipsam, ac si circà tale objectum haberet actum positivum volitionis, vel nolitionis; ut si quis in lecto decumbens audiens pulsum Missæ, & non surgens, etiamsi tam circà actum præceptum, quàm circà decubitum in lecto merè negativè se habeat; adhuc tamen interpretamur eum nolle ire ad sacrum, quamvis enim talem actum formalem, & positivum non habeat: in tali tamen casu, dùm voluntas non imperet actum adeundi templum, cùm posset imperare, & deberet, ità se gerit, ac si positivè nollet actũ præceptum, vel positivè vellet decubitum, ex quo sequitur sacri omissio; undè accipiendo volun-

voluntarium indirectum, virtuale, ac interpretativum in hoc sensu neganda est minor argumenti cum ejus probatione, quia voluntarium indirectum, & interpretativum in hoc sensu opus non est, quod reducatur ad aliud voluntarium directum, & formale, sed satis est, ut tanquam ad causam reducatur ad ipsam liberam voluntatem non operantem cum potestate, & debito operandi, nam in eo casu voluntas ità se habet, ac si positivè nollet actum præceptum.

29 Quando autem dicebatur, videri omninò impossibile, quod actus exterior eundi ad templum omittatur, nisi sedendo domi, vel stando, vel in lecto cubando, quæ moraliter censentur pro actibus externis.

Respondetur ex dictis qu. cit. art. 1. n. 106. Hoc totum verum esse, sed nihil nobis officere; quando enim asserimus omissionem, tam interiorem, quàm exteriorem posse sine quocunque actu contingere, loquimur dumtaxat de actibus voluntatis elicitis, vel imperatis, undè concedimus utique ad omissionem exteriorem semper necessarium esse aliquem actum externum, vel aliquid se habens per modum illius, quod sit ejus occasio, voluntas tamen circa hoc est libera, & potest illud imperare, vel non imperare; & quando non imperat, dicimus tunc contingere omissionem exteriorem, sine quocunque formali voluntatis actu tam elicito, quàm imperato; quamvis enim interveniat sessio, cubatio, &c. tamen hæc non sunt formaliter, & expresè imperata, sed tantùm virtualiter, & interpretativè, undè licet illa censeantur pro actibus externis, non tamen à voluntate formaliter semper imperatis, quo sensu hic de actibus externis loquimur, & dicimus sine quocunque tali hoc modo considerato, hoc est, à voluntate imperato posse omissionem contingere tàm internam, quàm externam. Ità discurrebamus loc. cit. quæ hic repetere placuit pro fundamentali istius difficultatis resolutione; alia verò plura argumenta contrà hanc sententiam ab Adversariis objecta vide soluta loc. cit.

30 Secundò quæritur, An actus conjunctus omissioni culpabili sit peccatum. Quoniam dubio præcedenti dictum est, regulariter, & ordinariè loquendo peccatum omissionis non contingere sine aliquo actu, qui ejus causa directè vel indirectè existat: quæritur in præsenti, an talis actus regulariter conjunctus cum omissione culpabili semper sit peccatum, ut v.g. si quis studeret, aut aliud ageret, dùm sacrum audiendum est, an illa actio sit peccatum. Aliqui affirmant esse peccatum ratione omissionis, etiamsi ex se peccatum non esset, ut Capreolus, Valentia, & alii nonnulli. Alii negant esse peccatum ratione omissionis, si in se peccatum non sit, ut Durand. cum quibusdam aliis. Communior tamen, & probabilior opinio, quam amplexi sumus qu. 4. cit. art. 1. num. 109. distinguit, quia voluntas ejus, qui sacrum omittit, duobus modis in actum studendi ferri potest; vel aliud faciendi, dum sacrum audiendum est; primò antecedenter, itaut voluntas studiendi, vel actus studendi sit causa omissionis sacri; secundò concomitanter, aut consequenter; ut cùm aliquis propter pluviam, verbi gratia, aut aliam causam jam antè deliberatè statuit omittere sacrum, & posteà ne sit otiosus, vel studere. Quando igitur actus est causa omissionis culpabilis, tunc est peccatum, quia omnis actus liber, qui est causa alicujus peccati, est etiam peccatum, & malitia ejusdem rationis infectus, undè talis actus in casu positivo est peccatum non tamen ab omissionis peccato distinctum, nisi sit aliundè malus; ex quo sequitur in Confessione satis esse, ut v. g. quis declaret se in die festo Missam omisisse, nec ulteriùs teneri ad explicandum, quæ nam actio illius omissionis causa fuerit, si actio illa ex se mala non sit. Hoc tamen cum ea limitatione intelligendum est, ut dictum est loc. cit. dummodò actus ille, qui est causa omissionis, non sit ipse quoque sub præcepto, & quidem magis urgenti, tunc enim actus est bonus, & à peccato omissionis excusat; est enim regula generalis, quod quando duo præcepta simul occurrunt, quæ ambo servari non possunt; tunc illud servandum est, quod magis urget, qualis dicitur esse visitatio infirmi periclitantis tempore sacri, nam visitatio illa in tali casu à charitate præcipitur, & ideò auditioni sacri præferri debet, qui præcipitur à Religione.

31 Quando verò actus omissioni conjunctus non est causa omissionis, nec est incompossibilis cum actu præcepto, sed omninò concomitanter ad omissionem se habet, ut est oratio, vel recitatio officii in omissione auditionis Missæ, tunc non est malus ratione omissionis, imò bonus, & laudabilis esse potest, ut si quis volens tempore sacri domi manere propter pluviam, legeret horas Canonicas, non peccaret legendo horas, sed tantùm peccaret omitendo sacrum. Hoc autem notanter asserimus de actu omissioni conjuncto, qui non est causa omissionis, nec est incompossibilis cum actu præcepto, nam aliqui putant actus omnes cum observantia præcepti incompossibiles, quos homo facere eligit, postquam apud se statuit non observare præceptum, adhuc malitiam omissionis contrahere, & aliqui hoc asserunt saltem de prima operatione, quæ post illud propositum per se primò eligitur, estque incompossibilis cum observantia præcepti, ut Vasquez, Becanus, Bonacina, & alii nonnulli. Alii tamen probabilius universaliter negant operationes etiam cum observantia præcepti incompossibiles, quæ fiunt tempore omissionis, etiamsi per se primò exercentur post voluntatem omittendi præceptum, esse peccata, dummodò integrum sit homini, cùm libuerit, eas relinquere, & ad observantiam præcepti se applicare; undè si quis apud se deliberavit propter pluviam non ire ad sacrum, & postea studium elegit, ne tempore sacri otio torpeat, dicunt hoc studium, etiamsi incompossibile sacro malitiam omissionis non contrahere; & hoc probabilius esse diximus loc. cit. & ratio est, quia supposita semel illi mala voluntate non audiendi sacrum, jam omissio sufficienter intelligitur per eam causata; neque studium illud esse incompossibile cum auditione sacri infert necessariò esse illius causam, supposito enim quod omissio sacri semel habeat propriam, & sufficientem causam sui, quicquid posteà apponitur incompossibile cum auditione sacri, per accidens se habet ad omissionem, & nullo modo est causa illius, quia omissio jam intelliguntur sufficienter causata per aliam causam, nempè per voluntatem omittendi ob difficultatem exeundi à domo propter pluviam. Ità etiam Suarez, Salas, Amicus, Arriaga, Ouvidus, Pasqualigus, Lezana, Aversa, Morandus, & alii communiter, ut fusiùs prosequimur loc. cit.

32 Tertiò quæritur, Quo tempore peccatum omissionis contrahatur. Et quidem certum est apud omnes quando actu omittitur actus præcepti, si adsit libertas ad eum ponendum, tunc contrahi peccatum omissionis externæ, quia tunc verè, & liberè violatur præceptum; undè solùm difficultas est in casu, quod fuerit impedita libertas ex ebrietate, vel somno, & sensus quæsiti est, an peccatum contrahatur, non tantùm quando quis occasionem dedit, & causam probabilem futuræ omissionis, sed etiam tempore posteà adveniente, quando currit præceptum implendum, etiamsi tunc vitari non possit, putà si sequatur omissio in ebrietate, vel somno, in quo statu est impotens ad observantiam præcepti. Prima opinio affirmat utroque tempore peccatum omissionis contrahi, quando, scilicet, datur causa omissionis, & quando reipsa accidit, etiamsi tunc sit ablata libertas per ebrietatem, vel somnum. Ita Thomistæ passim, Cajetanus, Medina, Tannerus, Suarez, Valentia, Lezana, Aversa, Hacquetus, Serra, & plures alii Recentiores. Secunda opinio asserit tunc tantùm peccatum omissionis contrahi, & omissionè ad culpam imputari, quando re ipsa currit præceptum, & ponitur omissio. & ratio est, quia sicut præceptum affirmativum non obligat ad semper, sed pro determinato tempore, ità omissio, quæ præcepto affirmativo opponitur, non contrahitur, nec ad culpam imputatur, nisi pro tempore, quo præceptum obligat; sed contingere potest, ut præceptum obliget tempore, quo quis ebrius est, ergo, &c. pro qua opinione citari solent Marsilius, Altisiodorensis, Palatius, ac etiam ipse D. Thomas, qui pluribus in locis, ait pro illo tempore solùm aliquem cessando ab actu peccare, quo obligat præceptum affirmativum. Tertia sententia è contrà tenet, quod licet re vera peccatum omissionis contrahatur, quando currit præceptum, supposita libertate in operante; non tamen ablata libertate per ebrietatem, vel somnum, quo sensu versatur hæc quæstio, sed in tali casu asserit tunc peccatū omissionis contrahi, quando quis dedit causam illius, verbi gratia, per ebrietatem, vel somnum, non autem eo tempore ebrietatis, vel somni, quando actus præceptus, v.g. auditio Missæ fieri debebat; pro qua citantur antiquiores D. Bon. Gab. Adrian. Angest. & sequuntur Recentiores commmuniter Vasquez, Arriaga, Amicus, Ouviedus, Caspensis, Morandus, & alii passim.

33 Hanc quoque quæstionem fusè tractavimus disp. 6. cit. q. 5. ubi hanc tertiam sententiam statuimus tanquam de mente D. Bon. 2. d. 32. art. 3. qu. 1. ad arg. & d. 36. art. 1. qu. 2. ad arg. & 3. d. 12. art. 2. qu. 1. ad arg. ac etiam Scoti 2. d. 40. & 42. in principio, & fine, & quol. 18. Quarè ex ibi dictis absolutè asserendum est, quod supposito libertatis impedimento tempore, quo currit præceptum affirmativum, tunc omissio rei præceptæ non imputatur ad culpam, sed solùm quando data liberè fuit causa subsecutæ omissionis, quæ proindè in eo casu peccatum dici non potest, sed tantùm effectum peccati, vel si peccatum dicatur, non debet dici peccatum in se, sed tantùm peccatum in causa. Probatur assertum quoad primam partem, peccatum enim debet esse voluntarium, & liberum, cùm libertas sit fundamentum totius generis moris; sed omissio actus præcepti in somnis, vel in ebrietate consecuta, & idem est de comissione libera, esse nequit etiam secundariò libertate ab actu derivata; ergò nequit esse in se peccatum, sed tantùm in apppositione causæ: Major patet, probatur minor, quia ut actio sit idoneum moralitatis subje-

subjectum ex Arist. 3. Et hic cap. 5. in fine, ità debet esse libera, ut nedùm in principio, sed etiam in medio, & fine sit in potestate voluntatis elicientis, vel imperantis, ut etiam docet Scotus 2. d. 42. infrà B. sed quando omissio in somno, vel ebrietate contingit, actus voluntatis jam præcessit, & omissio illa non amplius subditur voluntatis dominio, nec ipsa dicitur actu libera respectu illius; ergò sicut in eo casu ab actu voluntatis libertatem non participat, nec etiam secundariò, ità nec pariter malitiam. Deindè probatur assertio quoad secundam partem, quod nempe in his, & similibus casibus malitia omissionis contrahatur in applicatione, & appositione causæ, quæ fuit in voluntatis potestate, quia tunc erit volita indirectè, & in causa talis omissio, & directè volitus est actus cum observantia præcepti incompossibilis, ebrietas, scilicet, vel somnus; ergò tunc contrahitur malitia omissionis, scilicet, in causa.

Confirmatur quia ut dicebamus loc. cit. hac ratione præcisè etiam in peccato commissionis, qui voluntariè alteri venenum propinavit, etiamsi effectus non sequatur, peccat in hujusmodi veneni propinatione, quia tunc voluntariè causam homicidii adhibeat, & per ipsum non stetit, quin sequeretur; ergò pariter se inebrians, aut dormiens prævidens ex ebrietate, vel somno secuturam Missæ omissionem, tunc ejus malitiam contrahit, quia dat ejus causam.

34 Nec refert, quod quando causam apposuit, præceptum auditionis Missæ non currebat; licet enim tunc præceptum non urgeret ad exercendum actum, obligabat tamen ad non ponendum impedimentum exercendi illum pro tempore debito; hoc enim præcepto non solùm ipsa auditio Missæ præcipitur, sed etiam ne apponatur causa impeditiva ipsius, sicut præceptum non occidendi nedùm homicidium prohibet, sed etiam probabilem homicidii causam. Nec etiam refert, quod dormiens excitetur à somno, & Missam audiat, quia hoc est omninò per accidens, nec id tollit, quin adhuc periculo omissionis probabili se exposuerit, eo ipso quod causam apposuit. Ad fundamentum autem oppositæ sententiæ, quod omissio præcepti tunc solùm est, quando præceptum obligat, in casu verò posito præceptum obligat tempore, quo quis dormit, vel ebrius est; jam responsum est quæst. cit. art. 2. ab initio, præceptum non obligare ad actionem non voluntariam, & ità ad nihil obligare tempore somni, vel ebrietatis in sensu composito; sed in sensu diviso obligare præceptum ad aliquid liberè faciendum, vel non faciendum, hoc vel illo tempore; quod si ebrius es, vel dormis, obligat ad non apponendum liberè causam faciendi, vel non faciendi hoc, vel illo tempore; qui igitur dat liberè, & prævidens talem causam, tunc peccat peccato omissionis, vel comissionis, non autem tunc, quando omissio sequitur, vel comissio, si ea libera non sit. Varias autem Adversarum responsiones, & objectiones vide rejectas, & solutas loc. cit.

35 Quartò tandem quæritur. An qui propria culpa incidit in aliquem morbum diuturnum incurrat omnes omissiones ex eo sequentes. Ratio dubitandi deducitur ex resolutione dubii præcedentis, quia si in prædictis casibus peccatum omissionis universaliter contrahitur in appositione causæ, non potiùs pro illo determinato tempore, quo urget præceptum, sequitur quod qui voluntariè, & propria culpa incidit in aliquem morbum diuturnum, ex quo prævidit plures secuturas omissiones, verbi gratia jejunandi, audiendi sacrum, recitandi officium, &c. incurrat omnes earum malitias, quod valdè durum videtur; probatur sequela, quia, quando dedit causam tali morbo, dedit etiam illam omnibus prædictis omissionibus, quas prævidit ex eo futuras. Hanc quoque difficultatem attigimus qu. 5. cit. propè finem nu. 151. ubi diximus varias esse illius solutiones, ut est videre apud Suarez, Becanum, Lezanam, & alios nostræ opinionis sectatores, communiter tamen ab eis sequelam admitti, si hujusmodi omissiones fuerunt actu prævisæ, & saltem indirectè voluntariè. Addunt tamen, quod ut istæ omissiones sint voluntariè indirectè, opus est non solùm esse prævisas, sed esse tales, ut præceptum obliget ad vitandam ægritudinem, & morbum, ne illæ sequantur; præcepta autem positiva ad hoc non obligant, nisi quando omissiones proximè, ac veluti eodem quasi tempore moraliter loquendo sequuntur; undè dicunt, quod quæ jure humano ligant, non imputantur in causa remota, quia id esset valdè durum, sed tantùm in proxima, quæ, scilicet, eodem quasi tempore impedit executionem, vel tollit media ad eam per se ordinata, ut in proiiciente breviarium, vel se inebriante respectu officii recitandi, non sic autem impedit recitationem officii, vel Missæ auditionem ægritudo, quæ ex nimio potu, vel culpa incurritur, sed solùm valdè remotè. Ità discurrimus loc. cit. & est plurium satis probabilis sententia.

QUÆSTIO TERTIA.

De Peccatis mortali, & veniali.

36 Secunda divisio generalis peccatis actualis q. 1. hujus disp. a. 1. assignata est in mortale, & veniale, ubi diximus per mortale, ut ipsum nomen sonat, illud intelligi, quod ità Deum offendit, ut in animam privationem gratiæ inducat, & amicitiæ divinæ, quæ privatio est mors animæ, & puniatur etiam æterna pœna, quæ est mors secunda. Veniale autem, quod licet peccatum sit, & aliquo modo Deum offendat, non tamen ità graviter, ut amicitiam cum Deo destruat, & æternæ pœnæ reatum inducat, ac proindè ut ipsum nomen sonat, facilè veniam consequitur, vel aliquo modo venia dignum est; verùm quia discrimen modò allatum, quod mortale æterna, veniale temporali pœna dignum sit, non est à priori, sed à posteriori, supponens aliud discrimen primò constituens, & unum ab alio discernens, ideò in præsenti eorum primaria differentia, ac veluti essentialis inquirenda est, ut uniuscujusque essentia, & quidditas dignosci possit; quod breviter expediemus ex jam dictis disp. 9. cit. de peccatis q. 6. ubi fusè, & scholasticè de hoc discrimine tractavimus.

ARTICULUS PRIMUS.

An aliud sit peccatum mortale, aliud veniale, & quomodo inter se differant.

37 Primò certum est, & ex fide dari quædam peccata mortalia, & quædam venialia tantùm, divina namque scriptura pluribus in locis testatur damnationem, seù mortem æternam pro quibusdam peccatis incurri, ut Ephes. 5. *Omnis fornicator, aut immundus, &c. non habet hæreditatem in Regno Dei*, & Apoc. 12. *Homicidis, & fornicatoribus, &c. pars illorum erit in stagno ardenti, igne, & sulphure*; quod verò quædam peccata sint tantùm venialia indicat etiam eadem scriptura Proverb. 20. *septies in die cadit justus*, & 1. Joan. 1. *Si dixerimus, quia peccata non habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est*, quo loco, ut D. August. advertit libr. de natura, & gratia cap. 39. sermo est de peccatis justorum, ob quæ justi esse non desinunt, & quę proindè cum gratia sanctificante stare possint, qualia sunt peccata venialia; & ità etiam statutum est in Concilio Milevitano can. 7. & Trident. sess. 6. capit. 21. ubi expressè declaratur justos, & sanctos in levia, & quotidiana, quæ etiam peccata venialia dicuntur, quandoque cadere. Prætereà certum est, ac de fide discrimen peccati mortalis, & venialis non ex eo desumendum esse, ut quidam Hæretici dixerunt, quod peccata omnium prædestinatorum, aut fidelium venialia sint; reproborum verò, & infidelium mortalia, sed ex propria ratione, & natura ipsorum peccatorum; nam scriptura expressè testatur quosdam prædestinatos, & fideles mortaliter peccasse, ut constat de Davide, cum adulterium perpetravit, quod peccatum mortale fuit, & S. Petro, cùm ter Christum negavit, in qua negatione utique mortaliter peccavit, ut D. August. testatur tract. 66. in S. Joan. ubi dicit illum timendo corporis mortem per istam negationem mortem animæ incurrisse. Id etiam constat ex Bulla Pii V. Gregorii XIII in quæ propositio Michaelis Baii damnatur. *Nullum est peccatum ex natura sua veniale, sed omne meretur pœnam æternam.* Denique id etiam probatur ex eo, quod si omnia prædestinatorum peccata venialia essent, sequeretur à prædestinatis gratiam santificantem nunquam amitti posse, cùm per solum peccatum mortale amittatur, quod tanquam falsum, & hæreticum à Conc. Triden. sess. 6. can. 53. damnatum est.

38 Secundò, conveniunt Doctores, peccatum mortale duplex esse, aliud est mortale ex genere suo, aliud ex accidente. Mortale ex genere suo est, quod per se lædit charitatem Dei, vel proximi quoad personam, res aut jura, vel nos ipsos graviter corrumpit; undè peccata omnia contra virtutes Thologicas mortalia sunt ex genere suo, quia Deum offendunt, & alicui ejus interno bono nocent, verbi gratia, veracitatis, misericordiæ, vel charitati; item ferè omnia, quæ fiunt contrà Decalogi præcepta, quia quæ contrà tria prima præcepta committuntur, nocent similiter Deitati, scientię, omnipotentiæ divinæ, ejusque honori externo, vel interno, quæ verò contrà reliqua præcepta fiunt, nocent personæ, bono, aut juri proximi, peccata verò illa septem, quæ capitalia dicuntur, aliqui Doctores asserunt non omnia esse mortalia ex genere suo, de quo infrà suo loco dicemus, cùm de his peccatis capitalibus in specie agemus. Peccatum autem mortale ex accidente dicitur, cum actus aliquis venialis, aut etiam ex genere suo indifferens, fit per accidens mor-

mortalis, ut etiam inferius suo loco declarabitur. Peccatum verò veniale etiam triplex est, ut dictum est disp. 6. cit. qu. 6. ab initio; aliud est veniale ex suo genere, & objecto, quia nimirum versatur circa objectum, quod est materia levis offensæ, ut verbum otiosum, immoderatus risus, & similia; aliud est veniale ex parvitate tantùm materiæ, ut furtum in parva quantitate, aliud tandem veniale dicitur ex imperfectione actus, ideſt, ex defectu deliberationis, ut subiti, & indeliberati motus odii, invidiæ, superbiæ, luxuriæ, & similes. Hoc autem interest inter peccatum veniale ex parvitate materiæ, & veniale ex imperfectione actus, seù ex defectu deliberationis, quod veniale ex hoc capite potest in quacunque materia contingere etiam ex suo genere gravissima; unde qui subita quadam ira correptus blasphemat, vel alium percutit non plenè advertens, quod dicit, vel faciat, non peccat mortaliter, sed venialiter tantùm ex defectu plenæ advertentiæ, & deliberationis; ad peccatum enim mortale plena advertentia, & deliberatio requiritur, ut dictum est qu. 1. hujus disp. art. 2. num. 12. Veniale autem ex parvitate materiæ non potest in quacunque materia contingere, non enim in qualibet materia datur parvitas rei, seù materiæ, & ratione cujus peccatum, quod alioquin fuisset mortale, efficiatur veniale. & ratio est, quia semper ex suo genere invenitur culpa mortalis in ea materia, in qua reperitur integra ratio injuriæ, & offensæ, cum ergò detur aliqua materia, licet parva, in qua reperitur adhuc integra ratio injuriæ, & offensæ, sequitur non dari parvitatem materiæ in qualibet, materia. Ità Bonacina disp. 2. quæst. 3. punct. 4. cum Suarez, Sanchez, & pluribus aliis; undè deducit non dari parvitatem materiæ in actu odii, quo quis Deum prosequitur, neque in juramento falso assertorio, quamvis res, suprà quam cadit juramentum, in se sit levis, nam adducitur Deus in testem falsi, eique mendacium tribuitur, & in materia simoniæ, si quis vendat rem spiritualem, licet valdè modicam, & parvam, adhuc peccat mortaliter, quia rem spiritualem pretio æstimat, & consequenter illi gravem infert injuriam, & idem etiam evenit in quibusdam aliis materiis, ut diximus de rebus venereis disput. 9. quæst. 7. artic. 3. num. 144.

39 Tertiò, dicrepant Doctores in assignanda propria, & formali ratione, per quam peccatum mortale à veniali differat, de qua quæstione varias examinavi sententias quæst. 6. cit. art. 1. Quidam enim existimant in eo differre, quod mortale sit contrà legem, veniale verò præter legem. Alii, quod mortale sit contrà præceptum, veniale verò contrà concilium, qui dicendi modus communiter etiam Scoto tribuitur 2. disp. 21. B. Alii, quod mortale dicit deordinationem ab ultimo fine, quia tolit charitatem, & gratiam, per quam homo ad Deum ordinatur, & illi tanquam ultimo fine conjungitur; veniale verò non tollit ordinem ad finem, sed tantùm media, quia ponit inordinationem in actione humana, quæ ad Deum referri deberet, tanquam ad ultimum finem, nec tamen potest, cùm peccatum in Deum referri nequeat, undè actus illi, qui immediate tendunt contra finem, scilicet, Deum, sunt mortalia; qui tendunt contrà media ad finem, sunt venialia. Denique alii asserunt rationem formalem destinctivam peccati mortali à veniali in eo consistere, quod in quolibet peccato mortali reperitur contemptus Dei, vel expressus, vel tacitus, sive interpretativus, ex quo sequitur dissolutio charitatis, & amicitiæ, quæ inter Deum, & hominem intercedit, in peccato autem veniali non reperitur, nec proindè ipsius charitatis, & amicitiæ divinæ dissolutio; sicut in amicitia humana leves amici offensæ, licet ipsis displiceant, non tamen usque ad illius contemptum procedunt, nec proindè amicitiæ vinculum, & unionem dissolvunt. Omnes tamen isti dicendi modi fusè refelluntur à nobis loo citato eo quia differentiæ ab eis assignatæ, vel non sunt à priori, sed à posteriori; vel si sunt à priori, non tamen sunt omninò primæ; undè hæc etiam ultima differentia licet sit vera, & cæteris notior, & à Recentioribus communiter magis recepta, & approbata; adhuc tamen neque ipsa est prima, & essentialis, quam hic vestigamus, cum per eam non tàm essentia ipsius peccati, quàm unus illius effectus declaretur; tum quia non adhuc per eam sufficienter declaratur, quod hic inquirimus, quid, scilicet, sit in mortali peccato, ratione cujus sit gravis offensa Dei, & odium inimicitiæ fundet, & quid in veniali, ratione cujus sit levis offensa, nec odium illud fundet; quarè si magis remotè, & radicaliter talem differētiam assignare velimus, dicere debemus mortale esse transgressionem præcepti graviter obligantis, veniale vero præcepti levis, vel leviter obligantis, quod nisi explicare velimus circulo vitioso; ut præceptum gravè dicatur, quod obligat sub mortali, & leve quod obligat sub veniali; recurrendum est, ut ibi dicebamus, ad explicationem ex Scoto mox assignandam, quod præceptum graviter obligans sit illud, quod obligat ad aliquod necessarium ad salutem consequendam; illud verò leviter, quod obligat præcisè ad aliquod utile tantùm.

Confirmatur tandem, quia licet ex præfata differentia à Recentioribus communiter allata, quod in mortali reperitur contemptus Dei, quia est offensa gravis, in veniali autem non reperitur, quia est offensa levis, etiam oriretur, quod aliud tollat gratiam, & aliud non, & aliud pœnam mereatur æternam, aliud verò temporaneam, adhuc tamen ipsa quoque aliud discrimen supponit primò constitutivum, & unum ab alio discriminans; adhuc enim assignari potest, ac debet alia ratio prior, propter quam mortale dicatur offensa gravis, & veniale levis, & in mortali reperiatur contemptus Dei, non autem in veniali.

40 Quartò itaque juxta resolutionem hujus difficultatis jam assignatam l. cit. dicendum est peccatum mortale per se, & à priori differre à veniali, quia illud est privatio rectitudinis necessariæ ad Deum beatificè consequendum; veniale autem est privatio rectitudinis, quæ non est necessaria, sed tantùm utilis ad talem finem consequendum. Ità Scotus 2. d. 21. B. dùm inquit mortale per se à veniali differre, quia peccatum mortale est deordinatio opposita ordinationi, sine qua finis non potest sequi aliquo modo, quæ quidem ordinatio habet præceptum, contrà quod deordinatio fit, peccatum autem veniale est deordinatio opposita ordinationi, quæ necessaria non est ad finem consequendum, sed est utilis, & quæ non est de præcepto, sed potius de concilio. Ità Doctor loco citat. per quæ ultima verba minimè negare voluit talem inordinationem prohiberi, aut rectitudinem oppositam præcipi, ut Thomistæ perperam intelligunt, sed solùm non præcipi tanquam medium necessarium ad salutem, sed tantùm utile; quarè lex, cui peccatum veniale opponitur, à Scoto non appellatur præceptum, sed consilium non quia non sit verè præceptum, & sit propriè consilium, quale est illud Apostoli 1. Corint. 7. *De Virginibus præceptum Dei non habeo, consilium autem do &c.* sed quatenus præceptum simpliciter, & absolutè loquendo illud significat, quod obligat in re gravi, & ad aliquod necessarium ad finem consequendum, & hoc modo Doctorem interpretantur ibi Rada, Faber, Vulpes, Poncius, & alii Scotistæ passim, ut dictum est loco citato. Probatur autem hìc dicendi modus ex confutatione aliarum sententiarum, licet enim concedamus has esse differentias mortale peccatum à veniali distinguentes, quod mortale est offensa, & contemptus Dei, ac aversio ab eo, non autem veniale, non tamen adhuc probatur has esse differentias primò constitutivas, quales hìc inquirimus, ideò enim mortale est offensa, contemptus, & aversio simpliciter à Deo, non autem veniales, quia illud est contrà præceptum obligans ad aliquod necessarium ad salutem, istud verò est contrà præceptum obligans ad aliquod utile tantùm; hac enim ratione præsertim peccans mortaliter dicitur simpliciter, & in rigore Deum offendere, & contemnere, ac ab eo simpliciter averti, quia avertitur ab aliquo præcepto obligante ad aliquod necessarium ad salutem, non sic peccans venialiter; ergò hæc potiùs erit prior, & immediatior differentia mortalis, & venialis, quàm illæ jam assignatæ. Varias evasiones Adversariorum vide præclusas loc. citato, ubi fusiùs de hac re differimus.

41 Quintò deindè ex assignata differentia colligitur vera definitio peccati mortalis, & venialis, mortale enim est deordinatio opposita ordinationi, sine qua finis ultimus ullo modo consequi non potest, veniale verò est deordinatio opposita ordinationi utili ad illum finem consequendum, quæ non cadit sub præcepto, sed solùm sub consilio, ab obligatione tamen legis non omninò libero, sicut est consilium propriè dictum, quod est totaliter liberum à legis obligatione, nec ullo modo spectat ad legem, quæ quidem definitiones clariùs, & breviùs sic confici possunt, ut quæst. 6. citat. dictum est num. 165. quod peccatum mortale est transgressio legis obligantis ad aliquid necessarium ad ultimum finem consequendum, veniale verò est transgressio legis obligantis ad aliquod utile tantum, quæ definitiones non solùm competunt mortali, & veniali ex genere, & per se consideratis, sed etiam mortali, & veniali ex circumstantiis, seù per accidens. De definitione mortalis patet, omne enim mortale sivè ex genere, sivè ex circumstantiis est transgressio legis obligantis ad aliquod necessarium, & est contrà præceptum propriè dictum; quamvis enim verbum otiosum in se spectatum sit solummodò contrà consilium in sensu jam explicato, verbum tamen otiosum propter malum finem, ex quo per accidens fit mortale, est contrà præceptum propriè dictum. De definitione venialis autem hoc idem patet, omne enim veniale sivè ex genere, sivè ex circumstantiis est transgressio legis obligantis ad aliquod utile tantùm, sivè est trangressio consilii habentis modum præcepti leviter obligantis modo jam declarato; licet enim furtum

in

in levi materia videatur contrà illud præceptum *Non furaberis*, re tamen vera cùm tali circumstantia, scilicet, parvitatis materiæ non est contrà præceptum illud, ut graviter obligans, sed tantum leviter, qua ratione dicitur habere rationem consilii, quia cum tali circumstantia non graviter obligat; undè illa eadem lex *Non furaberis*, idem objectum respiciens, scilicet, rem alienam, si eam respicit in magna quantitate, est præceptum graviter obligans, quia obligat ad aliquod necessarium pro ultimo fine consequendo, si verò in parva quantitate, est præceptum leviter obligans, quatenus obligat ad aliquod utile tantùm, qua ratione dicitur habere rationem consilii potiùs, quàm præcepti, & idem dicendum de aliis venialibus ex indeliberatione.

42 Postremò, hìc quæri solet, an peccatum mortale importet gravitatem infinitatem, & proponitur solùm quæstio de peccato mortali, quia de veniali concedunt omnes non habere rationem infinitæ offensæ; neque difficultas est, an malitia peccati mortalis sit infinita secundum quid, & extrinsecè eo modo, quo actus in se quidem finitus, attingens tamen objectum infinitum dicitur esse quodammodò infinitus extrinsecè, & objectivè, sic enim concedunt omnes malitiam peccati etiam venialis esse infinitam; sed difficultas est de infinitate simpliciter, non quidem in tota entis latitudine, sic enim constat solum Deum esse infinitum, sed de infinitate in certo, ac determinato genere nempè in genere malitiæ, & offensæ, affirmant Thomistæ quamplures, quorum præcipuum fundamentum est, quia offensa, & injuria crescit ex dignitate personæ offensæ, & ideo gravior est offensa, quò persona offensa dignior est; sed dignitas Dei per peccatum offensa est simpliciter infinita; ergò, &c. Hanc etiam quæstionem ex professo tractavi disputat. 6. citat. quæst. 7. ubi artic. 1. statutum est cum Scoto pluribus in locis ibi citatis, quem Recentiores communiter sequuntur, peccatum in ratione offensæ non includere malitiam simpliciter infinitam intrinsecè, & formaliter, sed tantùm secundùm quid; & fundamentum unicum hujus sententiæ, ac veluti à priori, ut ibi ostendimus, est quia infinitum simpliciter in aliquo genere dicitur illud, quo majus dari non potest in eo genere, in quo est infinitum; ut constat ex dictis in Physica declarando naturam, & conditionem infiniti simpliciter, & in actu, quod vocant cathegorematicum cum Arist. 6. Phys. si enim daretur majus infinito, jam infinitum haberet terminum, ultrà quem protenditur illud, quod est majus; atque ità non ampliùs infinitum foret, sed finitum in eo genere, in quo infinitum ponebatur; sed ex peccatis mortalibus unum est alio majus, & majus in ratione malitiæ, & offensæ; ergò nullum peccatum est simpliciter infinitum. Nec valet communis Adversariorum responsio, argumentum probare tantùm malitiam peccati esse infinitam in ratione malitiæ, non autem in ratione offensæ, & injuriæ. Non valet, inquam, quia peccatum est malitia, & offensa Dei, ità tamen, ut malitia sit radix injuriæ, & offensæ, peccatum enim theologicè acceptum, & adequatè ideò est offensa, injuria, & contemptus Dei, quia habet malitiam, quæ est privatio observantiæ, & præcepti legis Dei; ergò si ipsa ratio malitiæ in peccatis est inæqualis, & suscipit magis, & minus, etiam ratio offensæ, & injuriæ in omnibus peccatis æqualis esse non potest, sed major, & minor pro peccatorum gravitate; consequentia probatur, quia ut ibi dicebamus, accessorium sequitur naturam principalis, & quod sequitur aliud per modum passionis, nequit habere perfectiorem modum essendi, quàm illud.

43 Ad fundamentum in oppositum jam diximus qu. 7. citat. art. 2. distinguendam esse majorem, quod crescit injuria ex dignitate personæ offensæ, non quoad æqualitatem, sed secundum aliquam proportionem, & ideò ex dignitate infinita Dei offensi non infertur injuriæ infinitas simpliciter, & positiva, sed solùm infinitas secundum quid, & negativa, hoc est, excellentia superioris gradus, & ordinis, adeout dari nequeat major gravitas ex tali circumstantia personæ offensæ. & ratio est, quia dignitas personæ non est causa præcisa augmenti offensæ, sed alia quoque concurrunt, quæ sunt finita, & limitata, sicut etiam è contrà actus charitatis in Deum non crescit in bonitate ad æqualitatem, quantùm objectum est bonum, quia actus limitatur principio creato, à quo elicitur. Alia plura ad hanc difficultatem spectantia videri possunt loco citato, siquidem juxtà nostrum institutum ea solùm hìc repetenda, & recolenda judicavimus, quæ ad praxim pertinent, & ad moralem institutionem necessaria, vel saltem utilia censemus.

ARTICULUS SECUNDUS.

An peccatum mortale, & veniale differant genere, vel specie, & qualiter sit inter utrumque discernendum.

44 THomistæ, & alii Recentiores in hac quæstione ità communiter discurrunt, quod loquendo de peccato mortali, & veniali quantum ad rationem offensæ nequent esse ejusdem speciei, aut generis, sed necesse est differre specie, & genere, quia peccatum mortale est gravis offensa Dei, & privat gratia, & charitate, mortemque animæ spiritualem affert, veniale verò est levis offensa, nec privat charitate, & gratia, nec mortem affert spiritualem, ut patet ex dictis. Loquendo autem de peccato mortali, & veniali quantum ad rationem malitiæ, dicunt specie differre, si comparatio fiat inter veniale ex genere, & mortale ex genere. Ratio est, quia habent objectum specie diversum, & privant perfectione specie diversa, aliud enim est objectum, v.g. verbi otiosi, aliud furti, & alia est perfectio, qua privat mendacium jocosum, & alia, qua privat homicidium; si verò sermo sit de veniali ex imperfectione actus, aut ex levitate materiæ, dicunt peccatum veniale ex hoc capite non differre specie à mortali, sed intrà eandem speciem differre solùm secundum magis, & minus; magis autem, & minùs ex communi Philosophorum axiomate speciem non variant, undè furtum quinque assium ejusdem est speciei cum furto centum aureorum, & ab eo solùm differt secundum magis, & minùs, nam utrumque respicit idem specie objectum, actus autem specificatur ab objecto, & in idem recidit, quod alii dicunt peccatum mortalem, & veniale esse ejusdem generis, & speciei in genere moris, quando sunt circà eandem materiam, ut furtum grave, & furtum leve, quando verò sunt circà diversam, esse diversæ speciei, ac etiam quandoque diversi generis, ut mendacium jocosum, & fornicatio. Ità Cajetanus, Medina, Valentia, Zumel, Meratius, Granadus, Becanus, Clavis Regia, Reginaldus, Bonacina, Lezana, & alii communiter cum D. Thoma 1.2.qu.72.art.5.qu.77.art.7.& qu.88.art.2.& 6.

45 Nos autem hanc quæstionem alio modo decidimus de mente Scoti disp.6.cit.de peccatis q.6. art. 2. ubi diximus peccatum dupliciter considerari posse, nimirum moraliter, seù philosophicè, alio modo theologicè, ut docet Scotus 4. d. 14.q.3.B. & d.21.qu.1.H.& alibi frequenter peccatum philosophicè consideratum est, cujus malitia ex naturalibus cognosci potest ut virtuti naturali contrarium. Philosophi siquidem peccatum considerant solummodò, prout rectæ rationis adversatur, peccatum verò, theologicè consideratum, est, cujus malitia non cognoscitur, nisi dependenter à revelatione, & quatenus supernaturaliter innotescit, ut nimirum offensivum Dei, impeditivum gloriæ, & dispositivum ad pœnam æternam, Theologi enim in peccato attendunt, quod sit contrà Dei voluntatem, ac legem, adeòque ipsius Dei offensa quædam, & injuria. Hoc autem supposito diximus ibi, quod si peccatum mortale in communi, ut sub se comprehendit mortale ex genere, & ex circumstantiis, & pariter veniale in communi, ut comprehendit sub se veniale ex genere, & ex circumstantiis, theologicè considerentur, differunt inter se diffentia essentiali, & specifica, ac proindè divisio peccati hoc modo considerati in mortale, & veniale erit generis in species. Ratio est, quia natura, & essentia peccati in communi, ut abstrahit à mortali, & veniali, consistit in privatione rectitudinis, quæ actui in esse deberet, ut constat ex dictis, & privationes distinguuntur penes rectitudines, quibus privant, vel quibus opponitur, at rectitudo, vel lex habens rationem præcepti propriè dicti, quod, scilicet, obligat ad aliquod simpliciter necessarium ad salutem, differt essentialiter, & specificè à rectitudine, vel lege habente potiùs rationem consilii, etiamsi circà idem objectum versentur, si non in genere moris, & philosophico, saltem in genere theologico, & si non ex natura rei, saltem ex voluntate legislatoris; ergò privationes rectitudinis per veniale, & mortale contractæ specie inter se differunt, ac proindè talis divisio peccati erit generis in species. & hæc divisio à Thologicis tantùm tradita fuit, nec unquam Philosophis moralibus innotuit, ut Scotus insinuat 2.d. 37. D. & 4. d.21.qu.1.& d.26.qu.1.concl.3.& d.50.q.1.sub E.

46 Verùm si de peccato philosophicè loquamur, & in genere moris, tunc distinguendum est, etenim si de mortali, & veniali ex genere loquamur, specificè, & essentialiter inter se differunt. & ratio est, quia mortale, & veniale ex genere, ut homicidium, & verbum jocosum circa objecta specie diversa semper versantur, atq; ideò in genere moris semper specificè distinguuntur; at si de eisdem loquamur in eodem genere moris, prout sunt venialia, & mortalia ex circumstantiis tantùm, sivè per accidens,

cidens, sic non semper specificè distinguuntur, quia utrumque peccatum hoc modo consideratum possunt esse circà idem objectum, & contrà eandem virtutem, ut patet de furto, quod sivè sit grave, sivè leve semper est circà idem objectum, scil. rem alienam, & contrà eandem virtutem, & rectitudinem moralem, scilicet, contrà justitiam; in genere autem moris, quod peccatum sit magis, vel minus grave contrà eandem virtutem non variat speciem moralitatis. Ex quo sequitur communem illam divisionem peccati mortalis, & venialis in mortale, & veniale aut ex genere, aut ex circunstantiis, vel sub aliis verbis in mortale, & veniale aut per se, aut per accidens, dari de mortali, & veniali philosophicè consideratis, & in genere moris, non autem theologicè; quia in hoc sensu nimirum theologicè considerata tàm per se differunt specie furtum, & verbum jocosum, quàm furtum leve, & grave, quia tàm per se est contrà consiliũ duntaxat, non autem contrà præceptum propriè dictum furtum leve, ut sic, quàm verbum jocosum, ut fusiùs explicamus loc. c.

47 Sed instant Thomistæ sustinentes mortale, & veniale non distingui specie, quando objectum est idem, seù quando circà eandem versantur materiam, quia peccatum veniale ex sola indeliberatione habet idem objectum materiale, & formale cum actu deliberato; ergò specie non differunt. Consequentia probatur, quia actus bonus deliberatus, & indeliberatus circà idem objectum sunt ejusdem speciei; ergò idem dicendum de actibus aliis similibus.

Confirmatur, quia potest etiam idem actus numero successivè fieri mortale, & veniale, ut passim Doctores docent dicentes peccatum mortale posse aliquando fieri veniale, & è contrà, & nos etiam dicemus art. seq. at si mortale, & veniale specie distinguuntur, & essentialiter, id fieri non posset, quia quod est in vna specie essentialiter, non potest ad aliam transire, homo enim non potest fieri equus, nec per se, nec per accidens; ergò specie non distinguuntur.

Respondetur, argumentum probare solùm mortale, & veniale, quando circà idem objectum versantur, non distingui specie in genere moris, & philosophicè, quod nos quoque gratis concedimus, non tamen probare, quod specie non distinguantur adhuc in genere theologico, quia, ut suprà dictum est, ad hanc distinctionem inducendam sufficit diversa intentio obligandi in legislatore; diversa est autem obligatio, qua inducitur per præceptum propriè dictum ab illa, quæ inducitur per consilium, & si circà idem objectum versarentur, quia præceptum obligat ad aliquid simpliciter necessarium ad salutem, consilium autem ad aliquod utile tantùm, sine quo finis adhuc consequi potest. Ad confirmationem concessa majori neganda est minor, & ad probationem dicendum veniale pro formali nunquam mortale fieri posse, vel è contra, itaut mortalitas transeat in venialitatem, vel è contrà, quia hoc implicat, sicut quod homo fiat equus; sed benè veniale pro materiali potest fieri mortale, & è contra quatenus potest idem actus crescere in libertate, & cognitione objecti, aut quantitate, quo casu desineret in eo venialitas, & adveniret mortalitas, undè veniale formaliter nunquam fit mortale, nec è contrà, sed substratum unius malitiæ transit ad aliam, quia tàm venialitas, quàm mortalitas accidunt actui, nedùm in esse naturæ, sed etiam in esse moris; & hoc verificatur non tantùm de actu exteriori, sed etiam interiori, quia actus malus inchoari potest cum semiplena deliberatione, & continuari posteà cum plena deliberatione, atque ità priùs erit venialis, deindè mortalis. Alia plura de hoc puncto videri possunt loc. cit.

48 Quoad aliam quæstionis partem, quomodo, scilicet, inter mortale, & veniale discernendum sit, quia ad Sacerdotis officiũ spectat lepram à lepra distinguere, nec justum in pœnitentiæ tribunali sententia ferre potest, nisi peccatorum gravitatem, vel levitatem dignoscat; variæ regulæ à Doctoribus assignari solent, qua ratione peccata mortalia, & venialia inter se dignosci possint, prima tamen, & omnium præcipua est, quam tradidimus q. 6. cit. art. 2. in fine, & est vis, ac obligatio præcepti, contrà quod peccatum committitur; si enim est præceptum propriè dictum, obligans, scilicet, ad aliquod simpliciter necessarium ad salutem consequendam, peccatum contrà illud sivè commissionis, sivè omissionis est mortale, si verò non præceptum propriè dictum, sed potiùs habet rationem consilii, quatenus obligat ad aliquod utile tantùm, non autem necessarium pro salute consequenda, erit veniale. An autem obligatio sit præcepti, vel consilii, ex Scripturis præcipuè dignosci potest, ut docet D. August. in Enchirid. cap. 78. quando enim sacræ litteræ tradunt peccatum aliquod à Regno Dei excludere, inimicum Dei constituere, æterna morte peccatorem dignum efficere, ut ad Rom. 1. *Qui talia agunt digni sunt morte* & ad Galatas *Qui talia agunt Regnum Dei non possidebunt*, & similia, ex his, & similibus loquendi modis rectè infertur peccata hujusmodi ex genere suo esse mortalia, quandoq; autem non ità strictè obligat, ut de stultiloquio ad Ephes. 5. habetur *ad rem non pertinere*. Quando autem in aliquo casu ex Scripturis id sufficienter dignosci non potest, ex communi Ecclesiæ, & Doctorum consensu dignosci poterit, undè ex modo loquendi Sacræ Scripturæ non satis liquet, an peccatum aliquod ex genere suo mortale sit, aut veniale; videndum est quid sentiant Ecclesiæ Doctores, si enim ex communi consensu doceant aliquod peccatum esse mortale ex genere suo, pro mortali habendum est, si veniale pro veniali, quod si de aliquo peccato inter se dissentiant & variæ sint eorum sententiæ, ut pluries contingit, tunc pars probabilior, & tutior, vel saltem probabilis, & tuta est eligenda, ut dictum est lib. 2. sent. disp. 5. qu. 2. & 3.

49 Præterea, ut etiam diximus disp. 6. cit. de peccatis art. 2. in fine, potest etiam obligatio legis ratione naturali dignosci si hæc neque ex Scriptura, neque ex Doctorum sententia possit sufficienter colligi; considerari enim debet digni tas, & gravitas materiæ, quæ proponitur, vel prohibetur, etsi materia est digna, & gravis, adhuc consideranda est illius quantitas, & ponderanda, nam etiamsi præceptum esset de re gravi, & magni momenti, parvitas tamen materiæ à peccato mortali excusare potest, nam leviter à tali præcepto deficere, perindè est, ac leve præceptum transgredi. Quod si materia gravis, & digna foret, ac etiam in quantitate notabili, adhuc considerandum est, an consensus hominis fuerit plenè, & perfectè deliberatus, vel semiplenè, ac imperfectè. Hæc enim tria benè ponderata mortale à veniali sufficienter discernunt, ut constat ex dictis, quia defectus primæ conditionis, scilicet, dignitatis, & gravitatis materiæ facit peccatum veniale ex genere, & ex objecto, ut verbum jocosum, immoderatus risus, & similia; defectus secundæ, scilicet materiæ faciunt peccatum veniale in parvitate, & levitate materiæ, ut furtum in parva quantitate; defectus tandem tertiæ facit peccatum ex indeliberatione, ut subiti, & indeliberati motus odii, invidiæ, superbiæ, luxuriæ, & similes.

50 Specialis tamen difficultas est de hoc actu: *Volo committere omnia peccata venialia*, an sit peccatum mortale, vel solùm veniale. Affirmant D. Antonius, Sanchez, Scotus, Bonacina & quidem alii. Negant Cajetanus, Salas, Granadus, Castropalaus, & alii. Sed breviter dicendum est cum Lez. dis. 5. de peccato veniali q. 7. talem actum consideratum solùm ex parte objecti, & per se esse peccatum veniale duntaxat, quia malitia actus interioris solùm ex objecto per se attenditur, quarè cùm tale objectum limites peccati venialis non excedat, ex hac parte malitia talis actus solum vel per accidens, & ratione periculi, cui se exponit committens venialis esse potest; si tamen talis actus consideretur plura venialia, & tantò magis omnia, cadendi in peccatum mortale, valdè probabile est esse peccatum mortale. & ratio est, quia quamvis peccata venialia quantalibet unico peccato mortali æquiponderare non possint, verissimum tamen est venialia peccata, ut docet D. Tho. qu. 10. art. 4. & illa præsertim, quæ ex deliberata voluntate committuntur, esse dispositionem ad peccatum mortale, quatenus humana voluntas illa committendo assuescit divinæ legi in minoribus non subiici, unde paulatim disponitur ad ipsius divinæ legis jugum etiam in majoribus, & gravioribus excutiendum juxta illud Eccl. 19. *Qui spernit modica, paulatim decidet*, & illud D. Gregor. 4. Past. admon. 34. *Qui minima peccata devitare negligit, à statu justitiæ non quidem repentè, sed partibus totus cadit*, quarè volens committere omnia venialia, vult se exponere periculo proximo peccandi mortaliter, ac proinde mortaliter peccat saltem per accidens ratione hujus periculi.

ARTICULUS TERTIUS.

An peccatum mortale possit aliquando fieri veniale, & è contrà.

51 PRimò conveniunt Doctores, peccatum ex suo genere mortale posse ex accidenti fieri veniale variis modis, quod ita declaratur; tria enim ad peccatum mortale requiruntur, quorum si unum desit, fit veniale, quod aliàs ex se est mortale, unum est ex parte intellectus, plena, scilicet, advertentia, & deliberatio, & alterum ex parte voluntatis, scilicet, perfectus consensus. & ratio est quia spectata humana fragilitate divinam bonitatem decere non videtur hominem suppliciis punire æternis absque plena deliberatione, & consensu; ut satis constat ex dictis qu. 1. hujus disp. art. 2. tertium tandem, quod ad peccattum mortale requiritur, est gravitas materiæ saltem, ut plurimum, & ratio est, quia ubi materia parvi est momenti ibi moraliter modica offensio esse reputatur, ut plurimum; quod notanter additur, quia cùm detur aliqua materia, licet parva, in qua reperitur adhuc integra ratio injuriæ, & offensæ sequitur non dari parvitatem materiæ in qualibet materia, quæ à pec-

à peccato mortali excuſet, ut dictum eſt art. 1. hujus quæſtionis num. 38. Itaque hinc deducitur peccatum mortale ex ſuo genere tribus ex cauſis veniale fieri poſſe. Primò ſi ex parte intellectus non ſit perfecta advertentia malitiæ, ſeù deliberatio, qua ratione ira, quæ ex ſuo genere mortalis eſt, propter imperfectionem actus venialis fieri poteſt, ſi aliquis, verbi gratia, ex imperfecta rationis advertentia, & deliberatione vindictam aliquam gravem appetat. Deinde peccatum mortale ex genere ſuo poteſt fieri veniale ex parte voluntatis, ſi non adſit perfectus conſenſus, cujus ſigna ſunt, ſi quis valde timidè, & ſuſpensè proceſſiſſe ſe meminit, vel ſi ſemiſomnis fuit non plenè ſui compos, judicetque ſe id non fuiſſe facturum, ſi plenè vigilaſſet, & ſimilia. Tandem mortale fieri poteſt veniale ex parte materiæ, ſi hæc ſit parvi momenti, qua ratione furtum, quod ex genere ſuo eſt mortale, ratione levitatis materiæ venialis fieri poteſt ſi res furto ablata ſit viliſſima, & pretii exigui, & infimi; quando autem materia ſit parvi momenti diſcernendum eſt morali judicio viri prudentis, & attendæ etiam ſunt circumſtantiæ, quia contingere poteſt, ut res ex ſe levis attentis circumſtantiis boni communis, vitandi ſcandali, &c. fiat gravis; unde DD. deducunt gravitatem, vel levitatem materiæ deſumendam eſſe non tantùm ex ipſa ſecundum ſe conſiderata, ſed ſpectatis omnibus circumſtantiis, & exemplum commune afferri ſolet de eo, qui ſartori acum furatur, quæ licet ſecundùm ſe ſit materia levis, poteſt tamen tale furtum eſſe peccatum mortale, ſi acus ſit ſartori omninò materia neceſſaria ad vitam ſuſtentandam.

52 Secundò conveniunt Doctores peccatum quoque veniale ex ſuo genere poſſe ex accidenti fieri mortale variis modis, qui tamen omnes hac univerſali regula comprehenduntur, ſcilicet, tunc fieri mortale, quando ſupervenit aliqua circumſtantia transferens ad ſpeciem peccati mortalis, in ſingulari autem quinque præſertim modis id poſſe contingere dicunt. Itaque in primis peccatum veniale fit mortale, quando committitur dubitando, aut credendo ſe facere peccatum mortale, tale enim efficitur ex dictamine conſcientiæ erroneæ. Deindè ſi veniale in pravum aliquem finem referatur ex intentione operantis, ut ſi quis verbum otioſum dicat, vel mentiatur eo fine, ut ad fornicationem fœminam inducat; quod tamen non eſt duplex peccatum mortale, unde neceſſarium non eſt mendacium illud in Confeſſione exprimere, ſed ſolùm deſiderium fornicationis, quia ſecluſa malitia mortalis finis manet veniale. Rurſus veniale tranſit in mortale ratione nimii affectus in rem aliquam, ut ſi quis ità inordinatè efficiatur ad fabulas luſum, verba otioſa, & ſimilia, ut malit feſto omittere ſacrum, quàm illis privari, ac etiam ſi comittat peccatum veniale cum ea animi præparatione, ut ſi eſſet peccatum mortale, eodem modo perpetraret; hic tamen affectus non tantùm habitualis, ſed etiam actualis eſſe debet, ut peccatum contrahatur, quia ad culpam non imputatur id, ad quod comittendum habitu tantùm es paratus. Præterea veniale fit mortale ratione gravis ſcandali, quod peccator ſecuturum prævidit, aut prævidere potuit, ac debuit, ut ſi ex tali peccato veniali alter occaſionem blaſphemandi deſumat, quia in hoc caſu tali operi aliquid ſuperaditur graviter charitati repugnans. Addunt aliqui veniale, vel opus differens tranſire etiam in mortale, ratione periculi incidendi in mortale, quando nimirum quis ſinè ſufficienti cautela, aut neceſſitate aliquid facit, per quod in mortale labitur, vel proximum periculum peccandi mortaliter, tale autem cenſetur, quod frequenter homines ſimilis conditionis in peccatum inducit, undè in Confeſſione explicanda eſt ſpecies peccati, cujus periculo ſe expoſuit. quia eodem genere peccati peccavit juxtà illud *qui amat periculum peribit in illo*. Denique peccatum veniale tranſit in mortale, ſi tranſgreſſio aliqua, vel inobedientia ex ſe venialis committatur ex formali contemptu legis, vel Legislatoris, hoc enim eſt peccatum ſuperbiæ conſummatæ, ac formalis inobedientiæ.

53 Tertiò, eſt ſpecialis difficultas, an peccatum veniale propter ſui multiplicationem fieri poſſit mortale, ita ſcilicet ut plura peccata venialia integrent unum mortale. Ratio dubitandi pro parte affirmativa eſt, quia D. Auguſt. expreſsè hoc docuiſſe videtur, nam tract. 1. in epiſt. D. Joan. ait multa peccata levia faciunt unum grande, multæ guttæ implent flumen, multa grana faciunt maſſam, & ſerm. 41. de Sanctis ait, non ſolùm majora, ſed etiam minora, ſi nimirum plura ſunt, mergunt, & ep. 198. ſi collecta contra nos fuerint, ita nos gravabunt, & oppriment, ſicut unum aliquod grande peccatum.

Confirmatur ratione, quia plura furta parva, cùm ad materiam gravem perveniunt, fiunt peccatum mortale, & idem argumentum in aliis materiis fieri poteſt; ergo plura venialia unum mortale conſtituunt, & ob id Gloſſa in cap. *Tres ſunt* de Pœnit. docet ex pluribus peccatis venialibus fieri unum mortale, ſeu plura venialia unum mortale conſtituere. Communis tamen omnium ſententia oppoſitum docet, multa, ſcilicet, venialia unum peccatum mortale non efficere per ſe, & formaliter loquendo, ita expreſsè colligitur ex illo proverbiorum 14. *Septies in die cadit juſtus*, ubi vocatur homo juſtus, etiam ſepties, id eſt ſæpiùs, & frequenter venialiter peccet. & ratio eſt, quia multa venialia non privant hominem gratia Dei proximè, & immediatè, ſed cum eis ſtare poſſunt; ergo unum peccatum mortale non efficiunt, cùm hoc hominem privet gratia Dei. Ita D. Thom. p. 2. q. 88. ar. 4. Cajetanus, Suarez, Vaſquez, Becanus, Lezana, Caſpenſis, Bonacina, & alii Doctores communiter aſſerentes, venialem non fieri mortalem ratione frequentiæ, ſeu conſuetudinis, præciſo tamen contemptu, ſcandalo, & periculo proximo incidendi in mortale, quamvis enim quodlibet peccatum veniale præſertim repetitum ſit diſpoſitio ad peccatum mortale, ut ſupra dictum eſt, non tamen quodlibet inducit periculum proximum peccandi mortaliter, quia eſt ſolùm diſpoſitio remota, quæ per ſe non eſt moralis occaſio peccandi mortaliter, ſed tantùm in aliquibus peccatorum generibus conſuetudo, & frequentia venialium proximum affert periculum incidendi in peccatum mortale, modò jam explicato articulo præcedenti num. 50. & ſic intelligendus eſt D. Auguſt. loc. cit. non enim intendit quod peccata venialia fiant mortalia ex repetitione, vel conſuetudine tantùm, ſed ratione periculi, quod in quibuſdam peccatorum generibus ex frequentia, & repetitione actuum venialium oriri ſolet.

54 Ad confirmationem ex ratione deducta eſt communis, & optima reſponſio; furtum illud ultimum eſſe peccatum mortale, non quia ex illo, & aliis præcedentibus mortale illud peccatum confletur, & coaleſcat, ſed quia in hoc ultimo furto poſt levia furta ad tantam quantitatem fur pervenit, quę conjuncta cum præcedentibus materiam notabilem, & gravem conſtituit; unde in hoc ultimo furto peccat mortaliter advertens ad quantitatem præcedentem, non quia plura venialia unum mortale efficiant, ſed quia ultimus actus verſatur circa materiam, quæ cum præcedentibus continuata ad peccatum mortale ſufficiens eſt; licet enim materia illius actus ſit ſecundùm ſe levis, ac per conſequens ſecundùm ſe ſolùm ſufficiens pro peccato veniali; tamen prout conjuncta, & unita moraliter cum materia præcedentium eſt gravis, & notabilis, atq; ideo ad peccatum mortale ſufficiens; advertendum tamē eſt eſſe debere continuationem moralem juxta commune hominum judicium, & æſtimationem, neque enim continuare levia furta quis dicitur, ſi hodie parvam quantitatem furetur, & poſt ſex menſes parvam aliam, & ſic deinceps. Dices, malitia peccati mortalis ſimpliciter infinita eſt non infinita, ut ſupra dictum eſt; ergo poſſunt tot peccata venialia cumulari, ut ad quantitatem illius malitiæ perveniant.

Reſpondetur negando conſequentiam, quia ſunt malitiæ diverſi generis, & ordinis, unde licet peccatum veniale in ſuo ordine poſſit eſſe majus, & majus, nunquam tamen ad malitiam mortalem, quæ eſt altioris ordinis, pervenire poteſt; ut patet de linea reſpectu ſuperficiei, de argento reſpectu auri, & de natura reſpectu gratiæ, ac hominis reſpectu Angeli, quantumcunque enim augeantur perfectio unius, quod eſt ordinis inferioris, nunquam tamen attingere poteſt perfectionem alterius, quod eſt ordinis ſuperioris.

55 Hæc igitur à Doctoribus conſtituitur regula generalis, quod quotieſcunque materia ultimi peccati venialis continuari poteſt cum materia præcedentium, quæ quantitas ex hypoteſi ſufficiat ad mortale, ultimum peccatum, verbi gratia, furtum, in quo materia notabilis completur, eſt mortale, quod per ſe alioquin eſſet veniale; quia in hoc ultimo furto continetur expreſſa, vel tacita volitio ſimul injuſtè retinendi parvas quantitates etiam antecedenter ablatas; quando verò materia ultimi peccati non poteſt continuari moraliter cum materia præcedentium peccatorum venialium, ultimum peccatum non eſt mortale, quia ſingulæ materiæ ſunt parvæ, & diviſæ remanent abſque mortali conjunctione, & conſequenter ultimum peccatum retinet qualitatem peccati venialis. Ita Bon. diſp. 2. q. 2. punct. 5. cum pluribus aliis ab ipſo citatis. Quoniam verò hæc doctrina non in omnibus peccatis venialibus locum habet, ut poſtremum ſimul cum præcedentibus materiam notabilem peccati mortalis conſtituat, ut patet de mendacio jocoſo, quod licet millies repetatur, nunquam tamen ſimul cum præcedentibus materiam peccati mortalis integrat, & conſtituit, ideò ad hoc dignoſcendum regulam hanc ſub præfatis verbis, & cum prædicta limitatione aſſignavimus, quod quotieſcunque materia, & objectum peccati venialis ſubſequentis continuari poteſt, & unum quid majus cum materia præcedentium integrare, tunc ultimum peccatum veniale, quod cum præcedentibus materiam conſtituit notabilē, fit mortale, quod alioquin eſſe veniale.

56 Quar-

56 Quartò est difficultas. An idem actus numero successivè de veniali fieri possit peccatum mortale, & è contra. Negat Faber noster disput. 6. de pœnitentia numer. 9. eandem numero actum de veniali successivè posse fieri mortale, & è contra, fretus auctoritate Scoti quol. 18. X. ubi ait, quod actus de malo non fit bonus, vel de bono malus, quia raptim transit, vel si manet, manet communiter cum eo sua rectitudo, nec idem manens mutatur à recto in non rectum. Communis tamen sententia oppositum docet, ut dictum est art. præc. nu. 47. & quidem actu exteriori satis de se patet, hic enim potest esse bonus, vel malus, si vel cessat obligatio præcepti, vel mutetur intentio finis, eodem actu exteriori manente, ac perseverante; idem etiam de actu interiori probatur, quia ut ibi dictum est, actus malus inchoari potest cum semiplena deliberatione, & postea continuari cum plena deliberatione, atq; ita prius erit venialis, deinde mortalis, & contra fieri, potest ut actus in principio sit plenè deliberatus, posteà verò superveniente aliqua passione manet imperfectè deliberatus, & ratio est, quia non oportet ad cognitionis variationem in his casibus variari voluntatis affectum, potest enim voluntas adveniente perfecta notitia deformitatis objecti perseverare in eodem affectu, ex eodem motivo elicito. Neque id Scoticæ doctrinæ repugnat, quia ut dictum est disp. 6. citat. de peccatis art. 2. numer. 274. Scotus ubique docet bonitatem, & malitiam moralem accidere actui in genere naturæ, & loco citato quol. 18. docet bonitatem, & malitiam se habere ad actum, sicut velocitas, & tarditas ad motum, itaut sicut idem motus potest esse nunc tardus, nunc velox; ita pariter idem actus elici potest conformiter regulæ rectæ, & posteà non conformiter continuari, & tandem posteà subdit regulariter non ita evenire, quia actus interior raptim transit, vel si manet manet cum eo regulariter sua rectitudo, ex quibus verbis patet, ibi esse locutum de eo, quod regulariter, ac ut in pluribus evenit circa actum, non autem simpliciter, & absolutè.

57 Quintò, quamvis conveniant Doctores eundem actum numero successivè de veniali fieri posse peccatum mortale, & è contra, non tamen ita conveniunt, an idem actus numero possit esse simul peccatum veniale, & mortale. Affirmant aliqui, quorum ratio est, quia si mendacium, verbi gratia, jocosum ordinetur ad homicidium, non amittit malitiam suam ex objecto veniale, licet acquirat aliam ex fine mortalem. Negant alii, eò quod veniale, & mortale oppositionem, & repugnantiam includant, & rationes contradictoriè oppositas, veniale siquidem est ab intrinseco principio reparabile, nec tollit gratiam, & amicitiam cum Deo, mortale verò è contra est ab intrinseco principio irreparabile, tollitque gratiam, & amicitiam cum Deo. Alii verò cum distinctione procedunt dicentes, eundem actum numero, si propriè loquamur; non posse simul esse peccatum mortale, & veniale, quia denominationes istæ quandam oppositionem, & repugnantiam includunt; posse tamen simul habere malitias peccati mortalis, & venialis, sicut enim idem actus potest simul habere duas malitias specie distinctas, ita fieri potest, ut uni earum sit conjunctus contemptus Dei, & non alteri, ut cùm quis mentis contra justitiam, nam ibi est una malitia contra veritatem, quæ non est mortalis, & altera contra Justitiam, quæ est mortalis. Ita Becanus tract. 2. capit. 2. qu. 5. qui dicendi modus non satis placet, quia si idem actus numero potest simul habere malitias peccati mortalis, & venialis, & sequitur necessario talem actus esse simul peccatum mortale, & veniale, ut de se patet. Unde magis arridet, quod ait Amicus disput. 13. sec 7. num. 216. non posse eundem actum esse simul peccatum mortale, & veniale positivè, sic enim deberet idem actus continere proprietates utriusque peccati simul, quia hoc importat eundem actum positivè esse simul mortale, & veniale, quod implicat, ut probat argumentum pro parte negante adductum; addit tamen posse eundem actum esse simul mortale positivè, & veniale negativè, quia ad hoc sufficit, ut idem actus de facto positivè contineat proprietates mortalis ratione finis, & eidem considerato ratione objecti conveniant proprietates venialis, non quidem actu, & positivè, sed potentia, & negativè.

58 Postremò est difficultas, an idem numero peccatum veniale manens idem in genere moris possit fieri mortale, vel è contrà, & communis opinio negativè respondet cum D. Tho. 1. 2. q. 88. a. 4. ubi apertè negat posse eundem actum mortaliter ex veniali fieri mortale, licet possit idem actus physicè. Ratio est, quoniam actus in esse moris principaliter pendet à ratione regulante; sed alia est ratio regulans, à qua discordat veniale, & à qua discordat mortale; ergò alius est actus moralis peccatum veniale, atque mortale, minor probatur, nam regula, à qua discordat mortale, est dictamen de conservanda charitate ultimo fini debita; regula verò, à qua discordat veniale est dictamen de conservando tantum fervore charitatis ergà ultimum finem. Confirmatur, quia sicut actus, qui anteà bonus erat moraliter, non potest effici malus, nisi adsit aliqua mutatio cognitionis, & affectus, seù voluntatis; ità actus peccaminosus venialiter non potest idem numero in genere moris effici peccaminosus mortaliter, nisi adsit aliqua mutatio, vel ratione cognitionis, & deliberationis, vel ratione finis mortaliter peccaminosi, vel ratione alterius circumstantiæ. Ità Bonacina, & Amicus l. cit. cum Medina, Valentia, Clave regia, & pluribus aliis. Verùm Auctores isti non videntur consequenter loqui, nam ut dictum est art. præced. ipsi quoque concedunt veniale ex imperfectione actus, aut ex levitate materiæ non differre specie à mortali, sed intrà eandem speciem differre solùm secundum magis & minùs, undè inferunt furtum quinque assium esse ejusdem speciei cum furto centum aureorum, ab eoque differre solùm magis, & minùs, nam utrumque respicit idem specie objectum, actus autem specificatur ab objecto; ergò idem numero peccatum veniale manens idem in genere moris, hoc est, intrà eandem speciem essentialem, fieri potest mortale ex circumstantia superveniente gravitatis materiæ, ut v. g. furtum quandò pervenit ad quantitatem, quæ ad mortale sufficiat, & ideò loc. cit. dicebamus tam venialitatem, quàm mortalitatem posse actui accidere, nedùm in esse naturæ, sed etiam in esse moris, & illa diversitas regularum adducta in argumento pro mortali, & veniali, non respicit ipsa in genere moris, seù philosophicè considerata, sed solùm theologicè, ut declaratum est ar. præced. n. 45. & ideò idem numero peccatum veniale manens idem in genere moris modo jam declarato potest fieri mortale, vel è contrà.

QUÆSTIO QUARTA.

De distinctione, & comparatione peccatorum.

59 CUm in Concilio Tridentino sess. 14. ca. 3. & can. 7. definitum sit, omnia, & singula peccata post Baptismum commissa, quorum memoria habere potest diligenti examine præmisso esse in Confessione declaranda, ac etiam circumstantias speciem peccatorum mutantes, ut pœnitens hoc præstare possit, & Confessarius illum ad id præstandum adjuvare, opus est inquirere, & declarare, undè specifica, vel numerica peccatorum distinctio oriatur, & undè eorum inæqualitas sit desumenda, quod in præsenti quæstione breviter præstabimus.

ARTICULUS PRIMUS.

Undè specifica peccatorum distinctio sit desumenda, & undè numerica.

60 PRimò, quod spectat ad primam quæsiti partem de distinctione specifica peccatorum, non est hic sermo de specie, & distinctione specifica physica peccatorum, sed de specie, & distinctione specifica morali, neque est difficultas de peccatis omissionis, nam de his concedunt omnes speciem sumi ex actibus debitis, quorum sunt omissione, atque ideò omissiones illas dicunt esse peccata specie distincta, qua privant actibus debitis secundùm speciem moraliter distinctis, ut omissio Missiæ, & eelemosynæ, sed præcipua difficultas est de distinctione specifica peccatorum commissionis, in cujus decisione juxtà sententiarum varietatem circà rationem formalem peccati DD. discurrere solent; undè qui formalem malitiam peccati commissionis constitutivam collocant in positivo, quamvis peccata omissionis specificari concedant per privationem oppositæ rectitudinis, qua privant, peccata tamen commissionis specificari dicunt, & volunt per ordinem ad objecta, & materiam, circà quam versantur, atque ideò ex diversitate objectorum diversa oriri malitias in actibus humanis. Ità Thomistæ supracitati qu. 2. hujus disp. art. 1. ab initio cum D. Thome p. 2. quæst. 18. art. 2. & quæst. 72. artic. & 6. quorum fundamentum est, quia commune est actibus humanis diversificari specie per objecta, omnis enim actus essentialiter dicit tendentiam ad suum objectum; ergò specificatur etiam ab objecto, consequentia patet, quia quod habet esse in ordine ad aliud, ab eo quoque specificationem sumit, undè concludunt species morales peccatorum commissionis desum debere ex objectis ipsorum actuum, vel ex modo tendendi moraliter in illa, hoc est, ex respectu, & ordine, quo sunt rectæ rationi dissona, quia sæpè contingit, ut objecta physicè specie differant, & tamen cum recta ratione dissonantiam non habeant specie diversam, ac proindè idem peccatum constituant in genere moris, ut si quis edendo carnes, vel pisces intemperans sit, carnes, & pisces differunt specie, ut res sunt, non

non tamen ut rectæ rationi adversantur, & ideò peccata specie diversa in genere moris non constituunt. Verùm hic dicendi modus satis explosus manet ex dictis loc. cit. ubi statutum est malitiam formalem peccati etiam commissionis non consistere in aliquo positivo, sivè reali, sivè morali, vel rationis, sed in privatione debitæ rectitudinis, & probatum est præsertim ex communi Patrum doctrina, qui omne malum præsertim morale, & malitiam peccati solùm per negationem, seù privationem explicant debitæ rectitudinis. Ratio autem adducta, quod omnes actus specie distinguantur ex objectis, probat solùm, ut loc. cit. diximus, peccata commissionis quoad materiale sivè entitatem positivam specie distingui ex objectis formalibus eorum, peccata enim quoad materiale ipsos actus important, quoad formale autem proximè distinguuntur ab oppositis formis, sivè rectitudine virtutis, qua privant, quia privationes proximè distinguuntur specie à formis, quibus privant, peccata autem etiam commissionis formaliter sunt privationes restitudinum oppositarum, & solùm remotè, & fundamentaliter distinguuntur ex objectis, cum enim rectitudo virtutis proximè ex objecto specificetur, consequenter etiam privatio talis rectitudinis ex eodem specificatur remotè.

61 Secundò nec etiam qui malitiam peccati tàm omissionis, quàm commissionis in privatione debitæ rectitudinis constituunt, rem explicant eodem modo. Aliqui enim putant peccata distingui specie per ordinem ad virtutes, quibus opponuntur & absolutè dicunt diversitatem specificam rationis formalis cujuscunque peccati ex diversitate specifica virtutum, quibus opponuntur, sumi debere, pro quo dicendi modo etiam Scotus noster citari solet 2. d. 37. quæst. un. §. *ex ista solutione*, quorum fundamentum est, quia ab illo sumitur specificatio rei, à quo sumitur constitutio ejusdem, cum eadem sint principia constitutiva, & specificativa, seu specificè distinguentia; sed peccata constitutionem sumunt à privatione debitæ rectitudinis oppositæ virtutis; ergo ab eadem specificationem sumunt, quarè penes privationes diversarum rectitudinum oppositarum virtutum, diversitas specifica, peccatorum etiam sumi debebit; & ità furtum, verbi gratia, ideò specie à blasphemia distinguitur, quia illud est oppositum justitiæ, hæc autem religioni; sicut igitur justitia, & religio specie differunt, ità etiam furtum, & blasphemiam dicendum est specie differre. Sed nec etiam hic dicendi modus, nisi meliùs explicetur, plenè satisfacit, quia eidem virtuti peccata specie diversa opponi possunt, ut contrà justitiam peccata rapinæ, furti, adulterii, homicidii &c. Et contrà Religionem idololatria, sacrilegium, violatio festorum, & alia hujusmodi, idem constat de virtutibus, quæ in medio, seù mediocritate consistunt, contrà quas sunt duo peccata specie diversa per excessum, & defectum, ut dictum est suprà q. 2. hujus disp. art. 1. num. 24. Accidit, quod aliqui actus mali, & peccaminosi esse possunt, qui tamen non sint contrà aliquam specialem virtutem, ut verbi gratia, actus iste *volo turpiter vivere*, hic enim actus certum quidem peccatum est, & tamen ad aliquam speciem infimam malitiæ, vel peccati spectare non videtur, quia pro objecto habet malum, & turpe in communi non determinatum ad aliquam speciem turpitudinis, & malitiæ, quia est voluntas, qua quis vult in universum malè, & turpiter vivere. Concedendum est itaque peccata diversis virtutibus opposita, esse specie diversa, quia privationes perfectionum specie diversarum important, negandum tamen est ex oppositione solùm ad virtutes specie diversas distinctionem specificam peccatorum sufficienter colligi, ut constat ex rationibus adductis. Nec oppositum docet Doctor loc. cit. ut patet ex his, quæ ibi habet in solutione ad 2. sub. litera E, ubi ait, quod cùm peccata sint privationes rectitudinum, quæ deberent inesse actibus, non distinguuntur per conversiones ab objectis, quæ non sunt mala nisi materialiter, sed per comparationem ad rectitudinem aliam, & aliam specie, quæ deberet inesse, & specificat non esse privationes habitualis rectitudinis ipsius virtutis, cui opponuntur, sed actualis, quæ nimirum deberet inesse ipsis actibus.

62 Tertiò, alii dicunt peccata specificari per ordinem ad diversa præcepta, à quibus unitatem, vel deversitatem desumunt, quorum fundamentum est, quia omne peccatum dicit contrarietatem ad aliquam legem, ut patet ex dictis q. 1. hujus disp. art. 1. nu. 5. ergo ex diversitate legum sumenda est diversitas peccatorum, consequentia probatur, si enim contrarietas ad legem est essentialis peccato; ergo diversitas legum causat diversitatem essentialem in peccatis. Sed neque hic dicendi modus satisfacit, nisi meliùs explicetur, quod evidenti ratione suadetur quia desiderium rei alienæ, & furtum rei alienæ sunt peccata ejusdem speciei, ut de se patet, & tamen sunt contra distincta, & diversa Decalogi præcepta, furtum enim septimo prohibetur præcepto, quod est: *Non furaberis*, desiderium verò rei alienæ est contrà decimum, quod est: *Non concupisces rem Proximi tui*, & idem argumentum fieri potest de sexto, & decimo ejusdem Decalogi præcepto, sic etiam diversa sunt præcepta, non furaberis, & restitues rem alienam, & tamen furari, & non restituere peccata sunt ejusdem speciei; ergo distinctio specifica peccatorum simpliciter, & absolutè loquendo, non rectè sumitur ex diversitate præceptorum, quibus illa vetantur. Accedit, quod homicidium v. g. est unum specie peccatum, & tamen duobus adversatur præceptis, scil. divino, & humano, quibus prohibetur; ergo, &c. Tandem probatur, quia peccatum formaliter consistit in privatione rectitudinis debitæ actui, ut sæpè dictum est, eadem autem privatio reperiri potest in aliquo actu prohibito uno, vel pluribus præceptis; ergo, &c.

63 Quia tamen, ut satis constat ex dictis, sæpe ex diversitate præceptorum à posteriori colligitur peccatorum quoque diversitas, hæc regula à DD. assignatur ad dignoscendum, quando rectè, & sufficenter specifica peccatorum diversitas ex diversitate peccatorum colligi possit, quæ talis est, quando peccata prohibita sunt pluribus præceptis in diversis materiis, & ob diversa motiva, vel circa eamdem materiam, sed propter diversa motiva formalia ad diversas virtutes pertinentia, tunc peccata contrà hujusmodi præcepta erunt in multiplici specie, & inter se specie diversa, ut v. g. sit præceptum prohibens furtum simpliciter, & præceptum, & prohibens furtum in loco sacro primum præceptum inducit motivum justitiæ, secundum Religionis de cultu sacris rebus debito, unde qui furatur in loco sacro duplicem committit malitiam specie distinctam injustitiæ, scilicet, & sacrilegii. & ratio est, quia præcepta lata circà eandem materiam, si sint ex diversis motivis, materiam præceptam constituunt in diversis virtutibus, & perfectionibus peccata autem diversis virtutibus, & perfectionibus specie distinctis opposita sunt specie diversa, qua ratione fractio jejunii Ecclesiastici præcepto præscripti, & simul à Confessario in satisfactionem peccatorum injuncti, duplicem continent malitiam, unam contrà temperantiam ratione Ecclesiastici præcepti, & alteram contrà pœnitentiam ratione Sacramentalis obligationis, quando verò leges prohibentes, vel præcipientes habent eandem materiam, & idem motivum, in tali casu unicum tantùm erit peccatum, ut constat in allato exemplo homicidii, quod est unum specie peccatum, quamvis duobus sit præceptis prohibitum, divino, scilicet, & humano; quando verò præcepta, aut leges habeant diversa motiva, id deducendum est, vel ex diversitate materiarum, quas præscribunt leges, vel ex diversitate virtutis, sub cujus motivo eandem sæpè materiam præscribunt, ut constat in exemplis allatis de furto in loco sacro prohibito, & de jejunio ab Ecclesia ob temperantiam, & simul à Confessario ob pœnitentiam injuncto. Dices, qui facit aliquem actum prohibitum pluribus præceptis, etiam ex eodem motivo latis committere tot inobedientias, quot sunt præcepta, & consequenter tot etiam peccata committere, quot sunt præcepta. Negatur consequentia, duplex enim est inobedientia in præceptorum transgressione, ut Doctores communiter advertunt, una specialis, qua quis præceptum transgreditur ex contemptu expresso superioris præcipientis, altera generalis, qua quis præceptum transgreditur absque contemptu, & hæc non addit specialem malitiam, sed est circumstantia generalis singulis peccatis communis, quæ non ita peccatum aggravat, ut diversitatem specificam superaddat, vel numericam, aut circunstantiam necessariò in Confessione explicandam, & ideò qui plura transgreditur præcepta ex eodem motivo lata, non tot incurrit speciales inobedientias, quot sunt præcepta. Ita Vasquez, Clavis regia, Caspensis, Amicus, Bonacina, & alii DD. Communiter.

64 Ex qua doctrina solvitur ratio in oppositum adducta, cùm enim dicebatur peccatum esse transgressionem legis, aut præcepti, ideoque multiplicatis legibus, seu præceptis, multiplicari etiam peccata, quæ sunt contra illa.

Respondetur id esse verum, quando multiplicantur præcepta formaliter; id est, quando propter motiva diversarum virtutum lata fuerint, non autem quando solùm multiplicantur materialiter, hoc est, quando lata sunt ex motivo ejusdem virtutis. & ratio est, quia in hoc secundo casu respiciunt solùm honestatem illius singularis virtutis, & habet unum duntaxat motivum formale virtutis, à quo specificantur, ideò solùm differunt materialiter, non formaliter, & consequenter peccata contra ipsa commissa erunt ejusdem speciei, etiamsi præcepta, seu prohibitiones multiplicentur; at in primo casu, quando præcepta, sunt lata propter diversa motiva virtutum, sunt plura non tantùm materialiter, sed etiam formaliter, quia respiciunt diversa honestates virtutum, & habent plura motiva formalia, & consequenter peccata contra ipsa commissa erunt diversæ speciei. Ita etiam Cajetan. Medin. Valentia, Conrad. Montesinos, Lezana, & alii passim.

65 Quar-

65 Quartò itaque juxta dicta superius quæst. 2. hujus disp. art. 1. dicendum est peccata specie distingui per ordinem ad diversas specie perfectiones, & rectitudines, quibus privant. Ratio est, quia peccatum formaliter consideratum, ut ibi diximus, consistit in privatione rectitudinis, seu perfectionis, alicujus moralis; sed privatio specificatur à forma, cujus est privatio, privationum enim specifica distinctio, ut docent Philosophi, non aliundè attenditur, quàm ex distinctione specifica formarum, quibus privant; ergo cujuscunque peccati formalis, & specifica distinctio ab altero desumenda est ex ratione specifica illius rectitudinis, & perfectionis, qua privat. Ex quo sequitur peccata illa esse inter se specie diversa, non modò quæ virtutibus specie diversis opponuntur, sed etiam quæ eidem virtuti sub diversa tamen ratione formali repugnant, ut dicebamus art. 2. cit. n. 23. & 24. qua ratione perjurium, & voti prævaricatio specie inter se differunt, quia eidem virtuti Religionis sub diversa tamen ratione formali opponuntur, ut constat ex dictis disp. 11. de præceptis Decalogi in explicatione primi, & secundi præcepti; & ob eandem rationem peccatum furti specie differt à peccato rapinæ, quia estò eidem virtuti justitiæ opponantur; sub diversa tamen ratione formali, & ideò perfectio, & rectitudo, qua caret furtum, specie distinguitur ab ea, qua caret rapina; furtum enim, quod in occulta acceptione rei alienæ consistit, ea perfectione caret, qua fur ex suppositione, quod voluisset circa rem alienam operari in absentia dominii, tenebatur bene operari absque damno illius, rapina verò, quæ consistit, in acceptione rei alienæ coram domino, vel præsente, aut sciente domino, caret ea perfectione, qua raptor ex suppositione, quod voluisset circà aliena coram domino operari, tenebatur bene operari absq; injuria, ac violentia dominii, ut rectè Bonac. discurrit disp. 2. q. 3. punc. 3. Cùm ergo perfectiones debitæ actui furti, & rapinæ sint diversæ speciei, sequitur etiam furtum, & rapinam esse peccata specie diversa, licet eidem virtuti specificæ justitiæ oppositа, quia important privationes perfectionum specie distinctarum, & sic de aliis peccatis discurrendum est, quæ eidem virtuti sub diversa tamen ratione formali repugnant.

66 Quintò, quod spectat ad distinctionem numericam ipsorum peccatorum, dicendum est tot esse numero distincta peccata, quot sunt actus voluntatis moraliter interrupti, & repetiti. Ita Doctores communiter cum D. To. 2. d. 42. q. 1. a. 1. & ratio est, quia cum voluntas sit principium actuum moralium bonorum, & majorum, nec ullum sit peccatum, nisi in quantum ab ipsa voluntate deliberatè procedit, hinc sequitur peccatorum numerum in tantùm multiplicari, in quantum ipsius voluntatis actus moraliter interrupti repetuntur, sicut enim ad unitatem motus requiritur unitas temporis, & continuatio partium ipsius adinvicem, alioquin idem numero motus non censentur, ut habetur 6. Phys. ita etiam ad unitatem numericam actuum voluntatis; sed quando actu sunt moraliter interrupti non est unum tempus sed plura, & diversa; ergo quando actus voluntatis sunt moraliter interrupti, non est unum numero peccatum, sed plura; tunc autem actus voluntatis moraliter interrumpi censentur quoties nec formaliter, nec virtualiter perseverant, hoc est, tum nullus effectus assignari potest, in quo virtualiter, vel interpretativè manere censeantur; unde qui proficiscitur ad furandum, vel hostem occidendum, quamvis in via voluntatem furandi, vel occidendi sæpius repetat, non censetur nisi unum numero peccatum committere quia tales actus non sunt interrupti moraliter, cùm prior voluntas furandi, vel occidendi in actione itineris virtualiter perseveret, & in aliis actionibus externis ad illum finem ordinatis, porrò actus moraliter interrumpuntur, itaut nec virtualiter, nec interpretativè manere censeantur per contrariam voluntatem, ac propositum, item per cessationem ab actu voluntariam, & liberam, ac etiam secundùm aliquos per cessationem involuntariam, & naturalem, ut per somnum, quia cùm in illo cesset usus rationis, non continuatur actio libera, & moralis; licet alii hoc non concedant, quia esto per hanc interrumptionem physicè actus multiplicetur, non tamen moraliter, quia hoc ipso, quod animus involuntariè distrahitur, prior voluntas interpretativè remanet, cùm non sit retractata, aut aliter interupta. Quomodo etiam peccata numero multiplicari possint ex diversis numero objectis totalibus dicemus infrà qu. 5. art. 2. num. 85. & seq.

67 Postremò, actus externi, licet sint numero distincti, ad eundem tamen finem, & actum principalem ordinati, modò distinctam, & particularem malitiam non habeant, non censentur peccata distincta ab ipso fine, & actu principali moraliter loquendo, & in ordine ad confessionem, ut communiter Doctores docent de osculis, tactibus, verbis impudicis, & aliis actibus copulam carnalem præcedentibus, vel comitantibus, ac etiam subsequentibus, quæ tanquam dispositiones, complementa, & appendices operis unum numero peccatum integrare dicunt moraliter loquendo; quia nimirum sunt vel initia, vel partes, vel complementa, & appendices operis ejusdem actus humani, & objecti, in quo omnia prædicta moraliter uniuntur, quæ limitationes, & particulæ notanter apponuntur, quia si similes actus non sunt initia, vel partes integrantes, vel partes copulæ subsecuturæ, aut ex illa præterita ex natura rei paulò post non consequantur; censentur peccata numero distincta, ac in confessione exprimenda, ut si quis de fornicatione jam præterita glorietur, vel rursus illam posteà iterare desideret. Ita Suarez, Navarrus, Azorius, Filliucius, Busembaus, & alii passim.

ARTICULUS SECUNDUS.

Unde sumatur inæqualitas, & gravitas peccatorum.

68 Hic supponendum est cum communi, & certa sententia contrà Stoicos, non omnia peccata esse paria, & æqualia in gravitate, sed alia esse aliis graviora, & minùs gravia, & imparia tam in gradu essentiali, vel specifico, quàm in accidentali, vel individuo, & hoc tanquam dogma fidei colligitur ex diversis Scripturæ locis, Hierem. 7. *Pejus operati sunt, quàm Patres eorum.* Threnorum 4. *Major effecta est iniquitas populi mei peccato Sodomorum.* Joan. 16. *Qui tradidit me tibi, majus peccatum habet*, & 1. Corinth. 5. *Auditur inter vos fornicatio, qualis nec inter gentes.* & Deuteron. 25. *Pro mensura delicti erit & plagarum modus*, & similes aliæ auctoritates passim habentur tum in novo, tum in veteri testamento, & hoc adeò perspicuum est etiam lumine rationis, ut meritò dixerit D. August. epist. 29. contra omnes sensum generis humani Stoicos dixisse omnia peccata esse inter se paria, siquidem omnes nationes aliter judicant de diversis peccatorum generibus, & graviùs quædam præ aliis vituperantur, & puniuntur; quem errorem etiam latiùs impugnat lib. de hæresibus c. 22. ac etiam D. Hieronym. contra Jovinianum, eundem secutus errorem consequenter etiam dixit pœnam Inferni pro omnibus damnatis fore æqualem. Hac igitur suppositа veritate Catholica in præsenti examinanda sunt capita, ex quibus peccatorum gravitas, & inæqualitas est desumenda.

69 Primò itaque conveniunt Doctores, æqualitatem, & gravitatem peccatorum sumi ex objectis, itaut quò objectum est magis rationi dissonum, eò gravius sit peccatum, & hac ratione peccata contrà Deum sunt aliis graviora, & in peccatis contra proximum homicidium est gravius furto. Ratio deducitur ex superius dictis q. 2. hujus disp. art. 1. ubi diximus, malitiam fundamentalem, seù radicalem peccati commissionis consistere in tendentia actus ad objectum rationi dissonum, ex quo sequitur, quod prout magis, vel minus tale objectum fuerit rationi dissonum, eò peccatum sit gravius, aut levius, quod etiam proportionaliter de peccatis omissionis dicendum est, si quidem cùm ipsa omissio formaliter sumpta sit privatio actus debiti, respicit illum quasi objectum ipsius, & ita est gravior, vel levior juxta diversitatem ipsius, & hac ratione etiam peccata spiritualia sunt carnalibus grauiora, quia habent objectum inhonestius. Hæc autem gravitas, seu inæqualitas peccatorum, quæ ex objectis eorum sumitur fundamentaliter, & radicaliter, adhuc meliùs explicatur per ordinem ad virtutes, quibus opponuntur, quia malitia formalis peccati tam omissionis, quàm commissionis consistit in privatione rectitudinis alicujus virtutis, ut supra dictum est, quo ergo major fuerit illa rectitudo, eò pejor erit privatio, sicut in naturalibus cœcitas est furditate pejor, quia illa privat nobiliori sensu, quàm ista, & hac ratione Arist. 8. Ethic. cap. 10. dixit: *Pessimum est, quod est contrarium optimo.* Igitur ex hujusmodi virtutum inæqualitate sumenda est etiam inæqualitas, & gravitas peccatorum illis oppositorum: & hac etiam ratione peccata spiritualia, sivè sint commissionis sivè omissionis, sunt graviora carnalibus, quia spiritualia perfectioribus opponuntur virtutibus, scilicet, Theologalibus, & moralibus in intellectu, & voluntate residentibus, peccata verò carnalia opponuntur virtutibus inferioribus in appetitu sensitivo existentibus, scilicet temperantiæ, castitati, &c. Itaq; quò virtus fuerit perfectior, eò peccatum, quod illi contrariatur, erit gravius, si tamen cætera sint paria præcipuè ratione debiti, ut Caspensis advertit disp. 2. sec. ult. cum Vasquez, & aliis, etenim contingere potest, ut præceptum virtutis minus nobilis strictius obliget, quàm præceptum nobilioris virtutis, ut contingit in misericordia, quando aliquis est in peccato mortali, & sine dispositione administrat Sacramentum in casu necessitatis, cùm tamen Religio sit nobilior virtus.

70 Secundò, conveniunt etiam D D. gravitatem, & inæqualitatem peccatorum ex parte circumstantiarum desumi, itaut

itaut quò pejores fuerint, eò peccata sint graviora, non solùm quatenus ab iis accipiunt novam speciem malitiæ, ut patet de furto commisso in loco sacro, quæ circumstantia addit novam malitiam sacrilegii, sed etiam intra eandem speciem cum objecto principali, sicut gravius peccatum est furari centum, quàm decem. Ratio est, quia sicut malitia humanorum actuum non ex objecto desumitur, sed etiam ex circumstantiis, quæ sunt veluti quædam adjacentia objectis actuum humanorum, ut suo loco dictum est; sic pariter ex illis sumetur gravitas, & inæqualitas peccatorum, itaut quò pejores fuerint circumstantiæ, majorem quoque gravitatem peccatis tribuant. Confirmatur, quia hac ratione quædam peccati circumstantiæ sunt necessariò in Confessione Sacramentali exprimendæ ex Con. Trid. sess. 14. c. 3. unde etiam Scot. 4. d. 17. q. 1. H. duplex genus circumstantiarum in peccatis notat, quæ ejus malitiam aggravant, quasdam notabiliter aggravantes intra eandem speciem quasdam verò speciem mutantes, seù novum peccatum specie distinctum inducentes in eodem actu, quale est alienum accipere in loco sacro, quia hoc specialem habet prohibitionem ratione loci sacri, & fornicari cum consanguinea, vel affine, quia hoc etiam specialem habet prohibitionem ratione consanguinitatis, & affinitatis, & idem docet Doct. 2. d. 21. qu. 2. art. 3. ergo potest aggravari peccatum assentialiter ex circumstantiis speciem mutantibus ob specialem earum prohibitionem, vel accidentaliter ex circumstantiis speciem non mutantibus, sed tantùm intra eandem speciem aggravantibus, quæ quando notabiliter aggravant, an sint in Confessionem necessariò explicandæ, sufficienter discussum est lib. 4. d. 5. q. 18. art. 1.

71 Tertiò, ad circumstantias quoque spectat gravitas peccatorum ratione majoris nocumenti, certum enim est aggravari peccata, & unum esse majus alio ratione nocumenti, quod ex illis sequitur, ut docet D. Thom. q. 20. ar. 5. & q. 73. ar. 8. & alii Theologi communiter, qua ratione Scotus 3. disp. 38. quæst. un. expressè docet mendacium perniciosum esse ex se nocivum, & nocere cui quis mentitur, & de quo mentitur, ejusque gravitatem pensari ex bono, cujus est ablativum, quod si fuerit jocosum, vel officiosum docet ibidem sub. lit. E. magis esse peccaminosum aliquando propter scandalum indè sequens, ut constat ex illo Matth. 10. *Væ homini illi, per quam scandalum venit*, scandalum enim nocumentum quoddam est; potest autem aggravari peccatum ratione nocumenti quandoque intrà eandem speciem, ut si quis comedat cibos suæ sanitatis nocentes graviùs peccat comedendo cibos plus nocentes, & quandoque ratione nocumenti potest oriri nova species malitiæ in peccato, ut si ex furto homicidium sequatur. Ad circumstantias etiam spectat gravitas peccatorum ex conditione personæ, quæ peccat, & in quam peccatur, ut docet D. Thomas loco citato, ac etiam Scotus noster 2. disp. 21. quæst. un. sub. F. ubi ait peccatum posse aggravari ex circumstantia accidentali propter excellentiam personæ, & dignitatem, quæ ex hoc magis debet præcavere peccatum; item propter fortitudinem, & facultatem resistendi, qua ratione subdit peccatum Adæ essentialiter levius peccato Evæ ex genere suo fuisse accidentaliter gravius peccato illius ex circumstantia dignioris personæ, ac etiam quia Adam fuit circumspectior, excellentior, & fortior Eva ad resistendum tentationi; undè non solùm ex dignitate personæ, sed etiam ex aliis conditionibus peccatum aggravari potest, ut qui ditior est magis peccat furando, & furari à magis paupere majus peccatum est, & sic de aliis circumstantiis facilè erit prudenti judicio rem expendere. Denique etiam sumitur peccatorum gravitas, & inæqualitas ex parte voluntarii, seù liberi, ut communiter Theologi docent, itaut illud sit gravius peccatum, quò majori cum libertate, & rationis advertentia perpetratur; illud verò levius, quod cum minori; ex quo infertur ea, quæ sunt indirectè voluntaria, cæteris paribus, leviora esse, quàm voluntaria directè, & peccata ex ignorantia, metu, aut concupiscentia perpetrata leviora esse, quàm ea, quæ in malitia, aut electione committuntur, ut Scotus docet 4. d. 43. quæst. 1. sub G & probat quia in peccato ex malitia est plenissima ratio voluntatis, non sic in peccato ex passione, cùm passio appetitus sensitivi minuat rationem voluntarii alliciens voluntatem ad peccandum, & eam non relinquens omninò in sua differentia; & ob id dicit 2. d. 21. cit. peccatum carnis faciliùs remitti, quia difficiliùs vincitur, quatenus de nostro contrà nos roboratur, & ideò gravius est peccatum ex certa malitia, quàm ex passione.

73 Quartò circà circumstantiam personæ est aliqua difficultas, An gravitas peccati crescat ratione personæ offensæ, & ratio dubitandi est, quia si hoc verum esset peccatum veniale fieret mortale solùm ratione personæ offensæ, & consequenter levissima injuria, verbi gratia, contrà Regem erit peccatum mortale; consequentia probatur, quia si peccatum aggravatur ex dignitate personæ offensæ, cùm personæ dignitas in casu posito sit magna, magna erit etiam aggravatio.

Confirmatur etiam, quia si peccatum augetur ex dignitate personæ offensæ, graviùs inferatur damnum ratione damnationis æternæ. Verissimum tamen est peccatum crescere ex dignitate personæ offensæ, ut Scotus docet in 3. d. 19. q. un. in solutione ad secundum, ubi ait graviùs esse peccatum in Deum, quàm in creaturam, gravius in Regem, quàm in ejus militem supponens peccatum aggravari ratione personæ offensæ tàm essentialiter secundùm distinctam speciem gravitatis, si offensio illius ratione dignitatis, officii, vel jurisdictionis est contrà speciale præceptum, quàm accidentaliter sub eadem specie intensivè, vel extensivè undè homicidium Sacerdotis est essentialiter gravius homicidio sæcularis, quia includit totam malitiam simplicis homicidii auferens rectitudinem præcepti *Non occides*, & addit novam malitiam sacrilegii ratione Sacerdotii offensi, quæ offensio est specialiter prohibita ex Scoto 4. d. 17. sub N. & eadem ratione occisio Patris, vel Matris est essentialiter gravius homicidio alterius, quia ultrà malitiam simplicis homicidii est contrà illud præceptum *Honora parentes*. Ad rationem dubitandi allatam neganda est consequentia, licet enim peccatum crescat ex dignitate personæ offensæ, non tamen crescit ad æqualitatem, sed proportionaliter, ut fusè declaravimus 2. disput. 6. cit. de peccatis quæst. 7. & semper intra ordinem ipsius offensæ, quæ si levis est, nunquam fit gravis, neque veniale fit mortale, peccatum enim veniale est peccatum in Deum infinitum in dignitate. Ad confirmationem vel neganda est consequentia, quia licet occisio justi gravius sit peccatum ratione dignitatis personæ, occisio tamen peccatoris majus peccatum est ratione damni illati; vel concedenda est consequentia, quia nisi damnatio peccatoris esset ab occisore intenta, talis æterna damnatio est effectus malæ dispositionis ipsius occisi, ideò cum illa dispositio ab occisore non procedat, sed ab occiso, occidens non erit causa damnationis illius. De qua difficultate alia plura videri possunt apud Vulpium nostrum disput. 132. de comparatione peccatorum adinvicem art. 9. ubi tractat; an peccatum aggravetur ratione personæ offensæ, & art. seq. an aggravetur ex magnitudine personæ peccantis.

73 Quintò est etiam difficultas, An peccatum levius ex objecto possit ex aliqua circumstantia fieri gravius alio peccato graviori ex objecto. Negant Vasquez, Montesinos, & alii Recentiores cum Durando 4. dist. 22. qu. 1. quorum fundamentum est, quia in naturalibus individuum inferioris speciei, quantumvis intrà suam speciem perficiatur, nunquam attingit, nec attingere potest perfectionem superioris speciei; ergo quantumcumque crescat in peccatis ex circumstantiis gravitas speciei inferioris, ad speciem superiorem attingere non poterit; consequentia patet, quia sicut res se habet in speciebus naturalibus, ità quoque in moralibus. Communior tamen, & probabilior sententia docet peccatum levius ex objecto, aut virtute, cui opponitur, adeò posse ingravescere ex circumstantiis, ut possit esse gravius alio peccato graviori ex objecto, & virtute, cui opponitur. Ità Medina, Valentia, Zumel, Azorius, Lorca, Granadus, Lezana, Aversa, & alii communiter. Ratio est, quia peccata contrà fidem, & charitatem sunt ex objecto graviora, quàm fornicatio, & furtum, quæ sunt contrà temperantiam, & justitiam; sed peccatum infidelitatis potest fieri veniale, si ex surreptione, vel indeliberatione contingat, ut in subitis quibusdam motibus antè plenam advertentiam, peccatum autem fornicationis est peccatum mortale, si fiat cum plena advertentia; ergò peccata leviora ex objecto, & virtute, cui opponuntur, ut sunt furtum, & fornicatio, possunt esse graviora alio peccato graviori ex objecto, qualis est infidelitas, quæ in casu posito est veniale peccatum ratione surreptionis, & indeliberationis. Confirmatur, quia homicidium est gravius peccatum ex objecto, & virtute, cui opponitur, quàm fornicatio, & tamen fornicatio cum moniali ratione circumstantiæ sacrilegii annexæ redditur in tali casu gravior homicidio; ergo peccatum levius ex objecto, & virtute, cui opponitur, adeò ex circumstantiis ingravescere potest, ut peccatum, quod alioqui erat ex objecto levius, reddatur simpliciter gravius. Tandem id etiam probari potest ex naturalibus, quamvis enim aurum ex specie sua sit nobilius, & majoris pretii, quàm argentum; potest tamen esse tanta quantitas argenti, seù tot nummi argentei, ut in æstimatione, & morali valore unum nummum aureum excedant; pariter ergò etiam in moralibus contingere potest, ut peccatum levius ex objecto, & virtute opposita adæquare possit in gravitate, ac etiam excedere peccatum gravius.

74 Ex qua doctrina facilè solvitur ratio prioris sententiæ, siquidem tantùm probat, quod quantumcunque crescat species inferior peccati, nunquam ad speciem superiorem alterius peccati pervenire poterit quantum ad perfectionem physicam, &

entitativam, non tamen probat, quin pervenire possit quantum ad moralem æstimationem; quod satis constat ex adducto exemplo auri, & argenti, siquidem quia aurum est metallum altioris ordinis, & nobilius in specie, quàm argentum nunquam argentum quantumcunq; crescat, & augeatur, ad perfectionem physicam, ac entitativam speciei auri pervenire potest; in ordine tamen ad humanos usus, & secundum moralem æstimationem, & valorem, potest esse tanta quantitas argenti, ut perveniat, imò & excedat valorem, & perfectionem moralem ipsius auri. Hoc etiam contingit inter virtutes, poterit enim actus aliquis inferioris virtutis, & ex objecto suo minoris bonitatis reddi ex circumstantiis magis bonus, hoc est, majoris valoris, & æstimationis, moralis, ut patet in exemplo de omittente Missam die festo, ut infirmo assistat in extrema necessitate constituto, quamvis enim Religio sit nobilior virtus, quam misericordia, tamen in præfato casu actus assistendi infirmo ex circumstantia necessitatis extremæ redditur magis bonus, quàm actus audiendi Missam, qui est actus virtutis Religionis.

75 Postremò est difficultas de vitiis extremis eidem virtuti oppositis in medio consistenti, quodnam istorum sit gravius, aut majus in sua specie, an quod ei opponitur per excessum, vel quod opponitur per defectum. Pro cujus decisione recolendum est, quod diximus q.2. hujus disp. art.1.n.24. quod licet honestas, & rectitudo virtutis, quæ mediat inter duo vitia extrema, sit formaliter una, est tamen virtualiter duplex, & habet actus, seù rectitudines actuales speciei diversæ, & ideò illud peccatum, seù vitium extremum erit gravius, quod actui perfectiori, seù rectitudini actuali virtutis opponitur, & illud minus grave, quod opponitur minori perfectioni. Verùm quia regula generalis assignari nequit, undè dignosci possit, quodnam sit vitium extremum, quod perfectiori actui, seù rectitudini actuali virtutis opponitur; ideò dicendum est cum Suarez, Montesinos, Lezana, & aliis, quod in virtutibus in medio consistentibus, quæ per se ordinantur ad impellendum hominem, qualis est liberalitas, quæ hominem impellit ad pecuniam elargiendam, & fortitudo, quæ impellit ad aggrediendum pericula, majus vitium illud censeri debet, quod tali virtuti opponitur per defectum, quàm quod opponitur per excessum, itaut majus vitium sit avaritia, quàm prodigalitas; & timiditas, quam audacia, seù temeritas. At verò per oppositam rationem in virtutibus per se ordinatis ad hominem cohibendum, seù retrahendum, qualis est, v.g. temperantia, majus vitium illud censeri debet, quod tali virtuti opponitur per excessum, quàm quod opponitur per defectum, itaut majus vitium sit intemperantia, quàm insensibilitas, quia illud magis contrariatur, quam illud, fini virtutis, qui est cohibere, seù retrahere illum.

QUÆSTIO QUINTA.

De subjecto peccati.

76 NOn est hìc sermo de subjecto proximo, & immediato peccati, & malitiæ ipsius, constat enim ex jam dictis q.2. hujus disp. ar.1.n.21. proximum, vel immediatum subjectum peccati, & malitiæ ipsius esse solùm voluntatis actum elicitum, vel imperatum, positivum, vel negativum, inquantum voluntas circa quodcunque objectum creatum, vel increatum tendit liberè saltem cum indifferentia contradictionis per actum positivuum, vel negativum, rectum, vel obliquum, ut ex professo jam demonstravimus 2.sent.disp.6.de peccatis q.2.ar.1. sed sermo est de subjecto remoto, qualis est potentia, quæ tales actus elicere potest, qui sint malitiæ moralis capaces.

ARTICULUS PRIMUS.

Quæ potentia possit esse subjectum peccati.

77 CONveniunt omnes DD. voluntatem posse esse, & de facto esse subjectum peccati, quod expresè docuit D. August.l.1.retract.c.9.ubi ait, quod *voluntas est, qua peccatur, & recte vivitur*, & manifestè deducitur ex eo, quod odium Dei, vel proximi, invidia, &c. sunt vera peccata, & subjectantur in voluntate, cùm sint actus immanentes ipsius, de quorum ratione est, quod in ea potentia recipiantur, & subjectentur, à qua eliciuntur. Imò addunt omne peccatum, quatenus liberum, & voluntarium est, in voluntate subjectari, quia nullum est peccatum, quod non sit liberum, & voluntarium; sed esse liberum, & voluntarium à consensu voluntatis dependet, & hìc consensus est actus ipsius, & in ipsa receptus; ergo omne peccatum ea ratione, qua voluntarium est, & liberum, in voluntate subjectatur. Solum ergo difficultas est circà alias potentias præter voluntatem, an possint esse subjectum peccati. Pro resolutione.

78 Primò dicendum est, solam voluntatem esse subjectum primò actus peccaminosi, aliàs verò potentias ejus imperio subjectas secundariò. Ità Scot 2.d.42. §. *Ad quæstiones*, ubi præmittit tanquam generale principium in hac materia per se notum, quod malitia primò, & formaliter non est, nisi in aliquo actu voluntatis, quod probat ex D. August.3. de libero arbitrio dicente, quod *causa primò peccandi est voluntas*, & non nisi mediante proprio actu elicito, vel imperato, siquidem nihil est peccatum, nisi quod est in potestate facientis, & nihil est in potestate facientis, nisi quod est in potestate voluntatis ejus, ex quo sequitur, quod in solo velle est peccatum primò, & in aliis non nisi mediante velle. Tùm quia omnis causa activa in universum præter voluntatem est naturaliter activa; ergò nulla præter voluntatem est vituperabilis propter suam actionem. Ex quo infert Doctor, quod in cogitatione, sermone, & opere non est peccatum formaliter primò, sed hoc est in solo actu voluntatis, in illis autem formaliter secundò; undè infert posteà actus inferiorum potentiarum, & actus humanos exteriores posse esse materialiter peccaminosos, in quantum possunt imperari à voluntate contrà regulam rationis, quia ex D. Anselmo voluntas est motor in toto regno animæ, & omnia sibi obediunt; sicut ergò voluntas tenetur habere in actibus suis rectitudinem, sic tenetur illam habere in aliis actibus exterioribus ad quos cooperatur, ut motor, quarè tenetur habere rectitudinem tam in suis actibus elicitis, quàm in imperatis, undè quia isti quoque actus sunt liberi libertate participata, ideò ipsi quoque possunt esse formaliter mali propria malitia eis inhærente, dependenter tamen à voluntate, à qua libertatem participant per ejus imperium. Undè omnis potentia, quæ subest imperio voluntatis, est subjectum peccati modo prædicto, & nulla potentia distincta à voluntate potest esse principium consummati peccati independenter à libero voluntatis consensu. & hæc est communis Theologorum sententia contrà Cajetanum p.2. qu 74. art. 4. asserentem appetitum sensitivum propter conjunctionem cum appetitu rationali participare vestigium quoddam libertatis, quod sufficiens est ad peccatum veniale, etiam independenter à consensu, & motione voluntatis, non tamen ad mortale; quæ doctrina communiter ab omnibus reiicitur etiam ab ipsis Thomistis.

79 Secundò, ex hoc deducitur dari peccatum subjectivè in potentia intellectiva, in quantum subest physico voluntatis imperio. Ratio est, quia in intellectu est error, hæresis, & judicium temerarium, quæ sunt peccata commissionis contrà præcepta negativa hos actus prohibentia, & ignorantia culpabilis, seù negligentia ad sciendum, quæ scire tenemur, & carentia actus fidei, quæ sunt peccata omissionis contra præcepta affirmativa actus contrarios præcipientia. Quoniam autem peccatum in intellectu reperitur quatenus subest voluntatis imperio, Scotus loc. cit. lit. F. multis rejectis dicendi modis, declarat, quomodò actus intellectus sit in potestate voluntatis, duas distinguens intellectiones, sivè discretivas, sivè directivas circa unumquodque intelligibile, quarum una est confusa, & imperfecta præcedens naturaliter omnem voluntatis actum, siquidem intellectus est potentia merè naturalis prius naturaliter operativa, quàm voluntas; altera est clara, & perfecta à voluntate imperata præsuppositio objecto jam imperfectè, vel confusè cognito; postquam enim intellectus plura indistinctè, & confusè cognovit, & apprehendit, à voluntate posteà applicatur imperativè ad cognoscendum distinctè, & clarè potius hoc, quàm illud. Voluntate igitur imperante, & complacente in aliqua intellectione confirmat intellectum in ea, illamque intendit, undè illa, quæ erat remissa, & imperfecta fit per illam complacentiam perfecta, & intenta, & hoc modo potest voluntas imperare cognitionem alicujus objecti, & convertere intellectum ad illam, voluntate autem nolente aliam cogitationem, & non complacente in ea, illa remittitur, vel desinit esse, & sic dicitur voluntas avertere intellectum ab intellectione illius. Et ex hac doctrina solvit ibi Doctor lit. H. argumentum in oppositum probans in cogitatione non posse esse peccatum, quia cogitatio non est in potestate voluntatis dicente August. 3. de liber arb.c.15. *non est in potestate nostra, quin visis tangamur*, eo quia volitio requirit intellectionem priorem natura. Respondet enim Doctor sufficere, quod illa intellectio sit imperfecta, & confusa ad hoc, quod voluntas illi complaceat, vel non complaceat, & intellectum ab ea avertat.

80 Tertiò ex hoc ulterius deducit DD.l.c. in solutione qu.3. insensualitate quoque seù in appetitu sensitivo posse esse peccatum, quia appetitus noster, in quo convenimus cum brutis, est liber, & rationalis per participationem, non quidem per actum

suum,

ſuum, ſed per actum alterius potentiæ, ſcilicet, voluntatis, cui ſubeſt, & ideò poteſt converti ad bonum, & averti à bono; in brutis autem licet ſit appetitus ſenſitivus, non tamen eſt particeps rationis in eis, ſicut eſt in nobis; qua ratione in 3. d. 33. ſub lit. A. vocat appetitum ſenſitivum in homine obedibilem rationi mediante voluntatis imperio, cui proximè ſubiicitur, & à qua ejus actus imperari poteſt juxtà, vel contrà regulam rationis, qua ratione eſt homini imputabilis ad laudem vel vituperium juxtà illud Aug. loc. c. de lib. arbitr. *Motus ſi culpæ imputatur, non eſt naturalis, ſed voluntarius*, in brutis autem motus ſenſualitatis eſt prorſus naturalis. Ad hoc autem magis declarandum, quandò nimirum motus ſenſualitatis in nobis ſint peccata, Doctor loc. cit. in 2. diſtinguit motus ſenſualitatis in primò primos, qui nimirum præcedunt omnem voluntatis actum, quos voluntas, quia non poteſt, prævenire non tenetur, & de his intelligitur illud Aug. loc. cit. *non eſt in poteſtate noſtra, quin viſis tangamur*. Deindè in ſecundò primos, hoc eſt, non ſic primos, ſed comitantes ſaltem actum voluntatis, ad quos de facto imperativè concurrit ad majorem ejus intenſionem, & durationem, & complacendo, vel condelectando appetitui ſenſitivo. Tertiò tandem in quos ſaltem veré poteſt concurrere, quamvis negativè ſe habeat, illos non prohibendo, & poſitivè in eos non concurrat; & hac diſtinctione præmiſſa motuum ſenſualitatis, Doctor in moribus primi generis, vel ordinis nullum peccatum agnoſcit, quia in eis nulla ratio libertatis, vel voluntarii dari poteſt; in motibus ſecundi generis peccatum commiſſionis adſtruit, & in motibus tertii ordinis ſolùm omiſſionis peccatum, inquantum voluntas motus illos nec prohibet, nec cohibet. Ex hoc igitur patet, quomodo appetitus ſenſitivus in homine ſubiiciatur voluntatis imperio, ejuſque motus ab ea imperari poſſit, ut liber, & voluntarius dici poſſit ſaltem per participationem, atque ideò poſſit in eo eſſe peccatum, non tantùm veniale, ſed etiam mortale; nam motus inordinati appetitus ſenſitivi poſſunt eſſe tam circà levem, quàm circà gravem materiam, & tam ex perfecta, quàm ex imperfecta advertentia rationis; ergò poſſunt eſſe non tantùm paccata venialia, ſed etiam mortalia. Tùm etiam quia habitus vitioſi, qui ſunt in appetitu ſenſitivo, tam ad peccata mortaia inclinant, quàm ad venialia; ergò poſſunt eſſe principia horum, & illorum, atque ideò utraque in appetiu ſenſitivo ſubjectari poſſunt. & hæc eſt communis Thologorum ſententia.

81 Quartò, An in membris, & potentiis exterioribus poſſit eſſe peccatum, aliqui negant moti auctoritate D. Thomæ quæſt. 74. art. 2. dicentis, quod in membris externis nullum reperitur peccatum, undè præter voluntatem admittunt peccatum ſolummodò in intellectu, & appetitu ſenſitivo, quorum fundamentum eſt, quia ſolæ iſtæ potentiæ, & actus earum non ità imperio voluntatis ſubiiciuntur, ut moveantur ab illa neceſſariò, & infallibili motu, itaut ei reſiſtere non poſſint, ſed potius habent proprium motum contrà imperium voluntatis, undè ut ait Ariſt. 1. Politic. cap. 3. ſubiiciuntur ei imperio politico, & non diſpotico, quæ conditio in aliis potentiis exterioribus non reperitur, atque adeò concludunt præter voluntatem ſolùm in intellectu, & appetitu ſenſitivo poſſe eſſe peccatum. Communis tamen, & vera ſententia docet etiam in ſenſibus, & membris externis veré peccata requiri, ut Scotus docet l. c. in ſolutione q. 2. & non tantùm in voluntate, intellectus, & appetitu ſenſitivo, & hoc adeò certum eſt, ut mirum ſit in dubium revocari, quod poſſint eſſe ſubjectum peccati, certiſſimum enim eſt viſionem, vel auditionem rei obſcenæ ad libidinem excitantis ſæpiſſimè eſſe peccata etiam mortalia, & ſatis de ſe conſtat hæc ſubjectari in potentia viſiva, & auditiva, & ſimiles actus exteriores in Decalogo ſunt expreſsè prohibiti, ut *non occides, non mœchaberis, non furtum facies*, quod etiam Chriſtus dixit Matth. 15. *homicidia, adulteria, fornicationes, furta, falſa teſtimonia, blaſphemiæ, hæc ſunt, quæ conquinant hominem*. Et probatur evidenti ratione, ut enim dictum eſt 2. ſent. diſp. 5. de actibus humanis q. 5. actus exteriores ſunt capaces formalis bonitatis, & malitiæ, licet hanc non habeant à potentia exteriori, qua eliciuntur, ſed ab interno actu voluntatis, à quo liberè imperantur; ſed hi actus inſunt aliis potentiis à volluntate intellectu, & appetitu ſenſitivo, etiam in membris externis; ergò, &c.

Confirmatur, quia ut ait Scot. l. c. ad rationem peccati ſufficit libertas participata à voluntate, & diſſonantia cum regula rationis, & ob hanc cauſam præter voluntatem omnes peccatum conſtituunt etiam in intellectu, & appetitu ſenſitivo; ſed hæc ratio eodem modo urget in actibus membrorum externorum, nam & ipſi libertatem à voluntate participant, cum ab illa imperentur, & habent conſonantiam, vel diſſonantiam cum regula rationis, actus enim potentiæ motivæ, ut ait Doctor, ſubeſt voluntati, & debet eſſe circumſtantionatus, & rectus rectitudine ſibi debita, ut quod tranſeat ſuper materiam debitam, ad hoc ut ordinetur ad debitum finem; ergo &c.

82 Ad rationem in oppoſitum adductam dicendum eſt illud, quod intellectus, & appetitus ſenſitivus obediunt voluntati politicè, itaut poſſint ab ea diſſentire, & proprios habere motus præter ejus imperium, at membra externa obediunt diſpoticè, itaut non poſſint non obedire, nec proprium habere motum contra ejus imperium, non convincere, quod in iſtis non poſſit eſſe peccatum, ſed potiùs oppoſitum, nam qualecumque ſit imperium voluntatis in ſenſus, & membra externa, dummodò iſta voluntati obediant, & ab ipſa libertatem participent, ſequitur actus eorum eſſe humanos, ac proindè bonitatis, & malitiæ capaces; tùm quia ſi libertas participata eſt moveri, & imperari, quantò major fuerit ſubordinatio, & ſubjectio ad voluntatem, tantò major erit libertatis participatio. Denique ratio allata non convincit, quia libertas ad peccatum neceſſaria non conſiſtit in eo, quod aliqua potentia inferior poſſit repugnare voluntati, ſiquidem potentiæ inferiores, quæ aliquo modo ei repugnant, id præſtant naturaliter, & neceſſariò, & non liberè undè ſi intellectus, & appetitus ſenſitivus obediunt voluntati politicè, & non diſpoticè, non eſt propter aliquam libertatem, quam ex ſe habeant, & per quam imperio voluntatis contravenire poſſint; ſed propter neceſſitatem quandam naturalem, qua non plenè ſubiiciuntur illi, motus enim, quos habent præter voluntatis imperium, ſunt omninò naturales.

83 Poſtremò remanet tamen adhuc alia difficultas, an malitia actus exterioris ſit diſtincta à malitia actus interioris, & communis ſententia Thomiſtarum aſſerit non eſſe diſtinctam, ſed eandem, quia actus exterior, quatenus eſt in executione non dicitur malus intrinſecè à malitia ſibi inhærente, ſed extrinſecè à malitia exiſtente in actu interiori; undè inferunt malitiam formalem actus exterioris eſſe poſteriorem malitia actus interioris, non eo ſenſu quaſi ſint duæ malitiæ formales, quarum una ſit prior, quàm altera, ſed quia eſt una malitia formalis, quæ inhæret actui interiori, & per denominationem extrinſecam tribuitur actui exteriori. Verùm jam l. 2. ſent. diſp. 5. cit. qu. 5. ex profeſſo demoſtravimus cum Scoto quol. 18. actum exteriorem habere dictam bonitatem, vel malitiam ſuperaditam illi, quæ ſupponitur in interno, itaut cum ipſo faciat majorem, vel minorem bonitatem, vel malitiam extenſivè, quam cæteris paribus ſolus externus non haberet, quod Doctor. probat quol. cit. art. 3. expreſſo. D. Aug. teſtimonio 13. de Trinit. c. 5. dicentis *mala voluntate, vel ſola quilibet efficitur miſer, ſed miſerior poteſtate, qua deſiderium malæ voluntatis adimpletur*, & nos latè proſequimur pluribus aliis rationibus loc. c. quas hìc repetere non eſt opus. Hìc ſolùm eſt advertendum actus ejuſmodi exteriores dupliciter ſpectari poſſe, primò quatenus ſunt objecta actuum interiorum, ſecundò quatenus ſunt actiones exercitæ, & jam verſantur in executione, tanquam effectus actuum interiorum, ſi primò modò conſiderentur, actus interior habet ſuam malitiam formalem ab exteriori, tanquam ab objecto; ſi verò ſecundo modo, actus exterior habet ſuam malitiam formalem ab interiori, tanquam à cauſa imperante.

ARTICULUS SECUNDUS.

Explicatur diviſio peccati in peccatum cordis, oris, & operis.

84 Declarando quæſt. 1. hujus diſ. art. 1. quid, & quotuplex ſit peccatum actuale, & plures, ac varias diviſiones peccatorum recenſendo, eam quoque aſſignavimus in peccatum cordis, oris, & operis ex D. Hier. ſuper Ezech. c. 43. quæ ſatis in uſu, nam in Confeſſione generali dicimus eſt. *Peccavi cogitatione, verbo, & opere*, & diximus duplici ſenſu poſſe intelligi, ut Doctores communiter advertunt, primò de uno, & eodem peccato, ut v. g. de vindicta, quæ primò in corde concipitur, deindè per verba contumelioſa ad os progreditur, & poſteà ad opus per percuſſionem, occiſionem, &c. ſecundò de diverſis peccatis, ſiquidem non nulla ſunt, quæ in actu interiori conſumatur, ut odium Dei, vel proximi, & peccatum hæreſis; quædam conſumantur in ore, veluti detractio, & contumelia; quædam denique conſumantur in opere, ut furtum, vel homicidium, & in hac acceptione præſertim de hac diviſione hìc eſt ſermo, cùm enim jam dictum ſit art. præcedent. non tantùm in voluntate, intellectu, & appetitu ſenſitivo, ſed etiam in ſenſibus, & membris externis veré peccata reperiri, ſequitur non ſolùm dari peccata cordis, ſed etiam oris, & operis. Hanc autem diviſionem Scotus loc. cit. quæſt. 4. §. *Ad quæſtionem quartam*, ità breviter declarat, & inquit, quod D. Hieronymus non dividit hìc

dit hic peccatum actuale formaliter, nec subjectum peccati formalis, quia hic est actus voluntatis, & non cogitatio, nec sermo, nec opus exterius; sed distinguit hic tantùm subjectum materiale peccati. & posset contineri illa divisio peccati sub duplici membro, scilicet, quod quoddam est peccatum in actu interiori, quoddam consistit in actu exteriori; primo modo est peccatum cogitationis, secundo modo subdividitur, quia sic continet locutionem, & operationem, quia locutio maximè convenit homini, ut est rationalis, & ut est homo, quia ut sic est communicativus, & sic circumloquimur actum exteriorem per duo membra, & debet intelligi divisio positivè quoad peccatum commissionis, negativè quoad peccatum omissionis in cogitatione, locutione, & opere. Ità Scot. loc.c. Hac declaratione præmissa conveniunt DD. quod loquendo de hac divisione in primo sensu, comparando nimirum peccata cordis, oris, & operis in ordine ad idem objectum, ut velle occidere, invitare ad occidendum, & occidere in hac acceptione, hæc peccata specie non differre, sed peccatum in corde dicitur inchoari, ore prosequi, opere autem compleri; at loquendo de hac divisione in secundo sensu de diversis, scilicet, peccatis, quorum aliqua consummantur in actu interiori, ut odium Dei, & infidelitas; aliqua in ore, ut detractio, & contumelia, & alia in opere, ut homicidium, & furtum, certum est peccata cordis, oris, & operis specie differre, quia habent objecta formaliter diversa, ut de se patet. Tota itaque difficultas est in explicando, qua ratione peccata cordis, oris, & operis multiplicentur specie, & numero. Pro cujus difficultatis resolutione.

85 Primò dicendum est, peccata cogitationis multiplicari specie ex diversitate objecti, sivè materiæ specie diversæ, sivè ex objecto, & fine specie diversis; & similiter etiam numero multiplicari ex parte objecti, sivè materiæ, licet alioquin sit unus tantùm voluntatis actus, quando talis actus dicit ordinem, & respectum ad objecta numero diversa. Ità deducitur ex jam dictis qu. 4. hujus disp. art. 1. de distinctione specifica, & numerica peccatorum; & quidem quoad primam partem probatur assertum ex variis exemplis etiam ibi adductis, ut verbis g. si quis alium occidere velit, ut bona ejus furripere possit; vel furari vellet, ut habeat undè det meretrici, in his enim, & similibus casibus, quamvis unus sit voluntatis actus, duo tamen sunt peccata specie diversa, quia in illo eodem actu duæ reperiuntur malitiæ specie diversæ, nimirum homicidii, & furti, vel furti, & fornicationis. & eodem modo discurrendum est, quando in objecto, & materia sunt duæ pravitates, vel malitiæ contra diversas specie virtutes, vel præcepta, ut si quis velit rem sacram furari, vel Sacerdotem occidere, vel post votum castitatis emissum cum scorto rem habere. Quoad aliam partem de multiplicatione numerica etiam probatur, quia sicut per objecta specie diversa actus inter se differunt specificè, ità etiam ex objectis numero diversis numericè distinguuntur, & peccata numero multiplicantur, undè si Petrus, v.g. eodem actu voluntatis tres homines occidere proponat, est triplex homicidii peccatum, & idem dicendum est de peccato omissionis, ut si quis velit trium dierum Quadragesimæ jejunia prætermittere, vel tribus diebus festis Missam non audire, ut rectè discurrit Caspensis cum pluribus aliis tr. de peccatis disp. 2. sect. 8. ubi etiam advertit objecta ad hoc ut numero peccata multiplicent, debere esse integra, itaut unum non sit pars alterius, nec omnia tanquam partes, aliquod totum constituant, nam in tali casu non sunt objecta numero diversa, & consequenter peccata numero non multiplicant. Ità Vasq. Azor. Caspensis, Aversa, & plures alii contrà Navarrum, Bonac. Fill. & alios dicentes, quod si quis uno actu desideret plures mulieres, aut plures homines occidere proponat, vel jejunare nolit per totam Quadragesimam, vel non recitare officium per mensem, & similia, unum tantùm numero peccatum committit, & non plura. Verùm ut aliqui ex citatis Auctoribus notant, hæc est lis parvi momenti, nec multum ad rem refert uno, vel alio modo loqui, sivè enim decem peccata dicas velle decem homines occidere, sivè unum, parum refert, si in illo uno malitiam assignes graviorem necessariò in confessione explicandam, cùm unum hoc illis decem æquivaleat, proindeque objecti gravitas in confessione exprimenda sit, quippè quæ actum in suo esse individuali constituit, sic enim ille unus actus æquivalet pluribus, & sic saltem æquivalenter est plura peccata.

86 Secundò, quod spectat ad peccata oris, aliqui volunt multiplicari specie, quando verbum, seù sermo dirigitur ad specie diversa, ut si Petrus Paulum compellet Hæreticum, latronem, adulterum, tria peccata contumeliæ specie distincta committit, & idem asserunt, si sermo dirigatur ad objectum, quod duplicem habet malitiam specie diversam, ut si quis alium appellet furem rerum sacrarum. Ità Sanchez, Vasquez, Caspensis, & alii nonnulli. Alii verò negant, & dicunt omnes præfatas contumelias ejusdem esse speciei, quia in una ratione formali conveniunt, quæ est intentio auferendi alteri honorem; undè ajunt sufficere in Confessione, si dicatur, toties contumelia affeci meum proximum, nec requiri quod exprimat appellasse illum hæreticum, adulterum, &c. Ità Mol. Emmanuel Sà, Bonac. & alii. Priorem sententiam probabiliorem censeo, quia prædictæ contumeliæ videntur specie distinctæ, non autem ejusdem speciei, quod enim in una ratione formali conveniant, quæ est intentio auferendi alteri honorem, probat solùm, quod veniant in una ratione formali generica, non autem specifica; alioquin omnes blasphemiæ in Deum, & Sanctos essent ejusdè speciei, nec opus esset eas in confessione exprimere, quia conveniunt in una ratione formali, quæ est intentio auferendi honorem Deo, & Sanctis, imò & de omnibus peccatis hoc idem asseri posset universaliter loquendo, quia omnia conveniunt in una ratione formali, quæ est intentio faciendi contra præcepta, ac Deum offendendi, quod tamen apertè constat falsum esse.

87 Quod verò spectat ad pluralitatem numericam peccatorum oris, nec etiam DD. conveniunt. Aliqui enim negant multiplicari numero peccata, si quis uno iræ impetu compellet alium ter, vel quater furem; & dicunt neq; augeri numero convitia pro numero eorum, quibus obiiciuntur, ut si quis simul Deo maledicat, & duodecim Apostolis, dicunt non esse, nisi duplex maledictum in Deum, & in Apostolos. Ità Nav. in Manuali c. 6. cum quibusdam aliis. Affirmant alii in prædictis casibus peccata numero multiplicari, quia hæc convitia verbo complentur; ergò sicut cum primò latronem apppellasti, semel peccasti, sic etiam cum secundò, & tertiò, quia non est major ratio de primo, quam de aliis. Confirmatur, quia sicut si ter mentiris, tria peccata committis, quoniam singula suo verbo consumantur; ità etiam si ter alium latronem dixeris, tria erunt peccata, quia unumquodque suo verbo consumatur. Denique siquis unico ictu tres homines occidit, tra utique committit homicidia numero distincta, & in confessione aperienda, quia distinguuntur ex objectis, numero diversis, quamvis unico ictu sint patrata; ergo hac eadem ratione plura numero maledicta erunt in Deum, & Apostolos distincta ex objectis numero diversis, quia non est major ratio, cur qui unico ictu tres homines occidit, tria peccata committat, quam qui unico sermone Deo maledicit, & duodecim Apostolis. Alii tandem, & probabilius cum distinctione procedunt; quando quis pluribus personis injuriam infert, plura peccata committit juxtà numerum personarum, ac proinde illarum numerum in confessione opus est explicare, non quia personarum pluralitas præcisè sit circumstantia speciem mutans, sed quia est objectum terminans, & determinans ipsum actum, ut aliquid ad ipsius substantiam spectans in individuo, cum autem actus ipse individualis in confessione sit exprimendus, & hic sufficienter exprimi nequeat, non expresso personarum numero, sequitur numerum personarum esse exprimendum At verò si quis ter, vel quater continuato sermone alium appellet latronem; unum est contumeliæ peccatum, quia una est pugna, vel lis, undè licet tres illi actus, vel quatuor sint mali, sunt tamen partes unius pugnæ, vel litis, idque probatur ex regula superius tradita, quod ad hoc, ut objecta numero peccata multiplicent, debent esse integra, itaut unum non sit pars alterius, nec omnia, tamquam partes, unum totum constituant, sic enim non censentur objecta numero diversa, & consequenter peccata numero diversa non multiplicant; ut patet quando quis cum altero dimicat, eumque ter, vel quater pugno percutit, aut vulnerat, tunc enim unum est peccatum, quia unica est pugna, cujus partes sunt vulnera illata. Ità Suar. Vasq. Henriq. Bonac. Casp. & alii communiter.

88 Tertiò, quod spectat ad peccata operis, conveniunt Doctores species multiplicari ex objectis specie diversis, ut homicidium, furtum, adulterium, &c. item ex objecto plures malitias specie distinctas habente, ut furtum rei sacræ, homicidium Clerici, & similia; ac tandem ex objecto, & fine specie diversis, ut si quis alium occidat, ut bona ejus furripiat, quæ omnia patent ex dictis q. præc. a. 1. explicando, undè sumatur specifica peccatorum distinctio. Numerica verò horum peccatorum distinctio sumenda est, vel ex actibus, & objectis numero distinctis, vel si unus sit actus, dicit tamen ordinem, & respectum ad objecta numero distincta, ut si quis uno ictu plures homines occidat, plura numero homicidia committit, ut constat ex modò dictis. Et tandem, quando hæc peccata operis facto consumantur, tot sunt numero peccata, quot actus sunt unus post alterū, undè si quis ter, vel quater fœminā non nuptam cognoscat, post primum actum consummatum, alter, qui sequitur est distinctū numero fornicationis peccatum, quia est omninò alius, & diversus, & sua per se turpitudine malus, & vitiosus, ac ideò in confessione particulariter exprimēdus. Qui verò cum tribus fœminis tria cōmisit fornicationis, peccata, dicere non tenetur, se tres fœminas carnaliter cognovisse, sed satisfacit dicendo se ter

fuisse

fuisse fornicatum, nam actus fornicationis cæteris paribus eandem habet malitiam, sivè committatur cum una, & eadem fœmina, sivè cum pluribus, & diversis ejusdem rationis, & conditionis; quod notanter additur, quia si fœminæ non sint ejusdem conditionis, ut si copulam habuit cum Virgine soluta, & conjugata, tunc exprimere tenetur, se toties cum Virgine, toties cum soluta, & toties cum conjugata rem habuisse, quæ iltæ circumstantiæ speciem mutant. Verùm tamen est, quod loc. c. diximus explicando, undè sumatur numerica peccatorum distinctio; quod actiones externæ, licet numero distinctæ, ad eundem tamen finem, & actum principalem relatæ, dummodò specialem non habeant malitiam ab eo distinctam, non distinguuntur ab ipso fine, & actu principali moraliter loquendo, & in ordine ad confessionem, sed unum numero peccatum cum ipso constituunt; undè oscula, tactus, verba impudica, &c. copulam carnalem præcedentia, imò, & concomitantia, & subsequentia, tanquam complementa, & appendices operis principalis, unum numero peccatum censentur, ut Doctores communiter docent.

89 Postremò, quia in sensualitate quoque, seù in appetitu sensitivo potest esse peccatum, ut diximus art. præced. n. 80. ex Scoto 2. dist. 42. q. 3. ideò hic quoque disputari solet de motibus concupiscentiæ appetitus sensitivi, quomodo, & quando sint peccata; sed de hoc sufficienter, & ex professo tractavimus disp. 11. de præceptis Decalogi q. 10. art. 1 ubi cum Doctore loc. cit. & ex communi omnium sententia diximus motus sensualitatis, & concupiscentiæ alios esse primò primos, qui nimirum repentè consurgunt, & excitantur, & omnem rationis considerationem prævenient, itaut nulla sit apprehensio, vel suspicio malitiæ, & hos diximus non esse peccata, quia non sunt in nostra potestate, nec sunt voliti in seipsis, neque in causa, quia ut ait D. August. 3. de lib. arbitr. cap. 15. *Non est in potestate nostra, quia visu tangamur*, non est autem peccatum, nisi voluntarium directè, vel saltem indirectè, ideſt, in se, vel in causa, alios autem esse secundò primos, qui, scilicet, motibus primò primis immediatè succedunt, & cùm aliqua rationis consideratione circà objectum propositum de ejus bonitate, vel malitia; & hos diximus esse posse peccata, si consensus voluntatis accedat; & esse peccata venialia, quando imperfectè consentit in re gravi, ac etiam quando perfectè consentit in re levi, quando autem perfectè consentit in re gravi, esse peccata mortalia, atque ideò duo requiri, ut aliquis concupiscentiæ motus sit peccatum mortale; primum est, ut motus turpis in re gravi; alterum est, ut voluntas perfectè consentiat; ad perfectum autem voluntatis consensum duo etiam requiri, perfectam nimirum intellectus advertentiam, & motum seù approbationem voluntatis, quæ omnia fusè declarantur q. 10. cit. a. 1. ubi etiam a. 2. agimus de delectatione morosa, de qua etiam à pluribus hic tractari solet.

QUÆSTIO SEXTA.

De Causis peccati, & excusantibus ab eo.

90 CErtum est, & apud omnes indubitatum primam, & præcipuam peccati causam esse voluntatem, quæ à Divinæ legis regula recedit, & liberè deflectit. Ità enim sonantibus verbis docuit Aug. l. de duab. anim. contrà Manichæos c. 11. quando dixit *peccatum sine voluntate esse non posse, omnis mens, apud se divinitus conscripptum legit.* Sed quia præter voluntatem sunt etiam aliæ quædam causæ tum externæ, tum internæ ad peccatum moventes, & inducentes, in præsenti quæstione vestigandum est quænã sint illæ.

ARTICULUS PRIMUS.

Quænam sint causæ peccatorum.

91 PRimò supponendum est peccatum aliquam causam habere, cum enim sit aliquid extra Deum suo modo existens in rerum natura, consequenter ab aliqua causa debet esse dependens eo modo, quo causari potest. Undè Doctores communiter dicunt habere quidem causam per se quoad entitatem positivam, quæ præsertim in peccato commissionis reperitur; quo autem ad deordinationem, quę in privatione consistit, habere causam tantùm per accidens, quia privatio non per se intenditur, nec per se causatur, ut patet in naturalibus; ignis enim causando per se calorem, causat per accidens frigoris privationem, qua ratione dici solet, peccatum, prout in privatione consistit, habere tantùm causam deficientem, non efficientem, & ità discurrit D. Thomas quæst. 75. art. 1. & 2. Hoc tamen intelligendum est physicè loquendo, non autem in genere moris, siquidem, ut docet Vulpes noster disp. 136. art. 2. & 3. ex Scoto 2. d. 36. infrà E. loquendo in genere moris non accidit humano actui ex parte agentis deficere, vel non concordare suæ regulæ, si tale agens voluntarium ex propria libertate à regula sua deficit, & illi non se conformat. & ratio est, quia non magis est per se in libertate voluntatis conformare actum suum propriæ regulæ, quàm illum non conformare, adeout non magis ex proposito conformitatem ejus intendat, quàm negationem conformitatis, nec magis per se primò ab ipsa pendeat concordia ejus cum regula, quàm negatio concordiæ, & recessus à regula; ergò loquendo in genere moris propriè, & rigorosè loquendo voluntas non est causa peccati per accidens, sed per se. In hoc igitur sensu omnis peccati causa est creata voluntas, quia ut ait Divus Augustin. loc. cit. *Non nisi voluntate peccatur.* & ratio est, quia omne peccatum ideò est peccatum, quia voluntarium, & liberum, utique à voluntate creatur, & est actus, si est peccatum commissionis, vel à voluntate elicitus, vel saltem imperatus, & si est peccatum omissionis est etiam à voluntate, tanquam omittente, quia operari poterat, & debebat, aliæ verò potentiæ inferiores suos actus exercentes sunt causæ peccati, inquantùm voluntati subduntur. Sed quoniam præter voluntatem sunt etiam aliæ quædam causæ tum externæ, tum internæ, quibus homo inducitur ad peccandum, de his præsertim in hic discurrendum est.

92 Secundò conveniunt Doctores, & Patres duas esse causas externas ad peccatum moventes, & inducentes, Diabolum, scilicet, & mundum, & in primis quod Diabolus per suggestiones suas, & tentationes ad peccandum moveat, & inducat colligitur ex illo Sap. 1. *Invidia diaboli mors introivit in orbem terrarum*, & Jo. 8. *ille fuit homicida ab initio*, & 1. S. Petri 5. *Adversarius vester Diabolus, tanquam Leo rugiens circuit quærens quem devoret*, quamvis enim dæmon esse nequeat causa directa nostræ intellectionis, aut volitionis, ut docet Scotus 2. d. 11. quæst. un. art. 1. ubi ait Angelum non posse intellectum humanum effectivè movere ad aliquem intelligendi actum, neque voluntatem ad aliquem ejus actum; potest tamen esse causa indirecta illorum, primò repræsentando sensibus externis objecta ad illos excitantia; secundò commovendo phantasmata, & imaginativam; tertiò commovendo humores quibus homo moveatur ad iram, luxuriam, desperationem, &c. quod etiam docet Doctor ibidem art. 2. ubi ait posse Angelum interius instigare hominem, ut inducatur ad aliquid agendum, primò immutando exteriores sensus per applicationem rerum sensibilium efficaciter illos immutantium; secundò interiores sensus, vel mediatè per phantasmata è sensibus externis provenientia, vel immediatè offerendo novum imaginabile aptum illa generare; tertiò commovendo, aut perturbando spiritus, & humores quibus excitetur, & inducatur ad aliquid agendum. Hoc modo potest diabolus esse causa indirecta peccati, ex qua tamen diaboli tentatione nulla sequitur in voluntate peccandi necessitas, sed semper remanet libertas, & potestas illi resistendi juxtà illud Jacob. in sua Canonica cap. 4. *Resistite à Diabolo, & fugiet à vobis*, supponens non posse vim inferre. Quod verò spectat ad mundum hic etiam dicitur causa externa hominem movens, & inducens ad peccandum, accipiendo, & intelligendo nomine mundi homines impios, & iniquos juxtà expositionem Augustini in Psal. 54. certum enim est etiam illos, sivè suo malo exemplo, sivè nefariis eorum persuasionibus ad peccandum aliquando alios inducere juxtà illud Eccles. *Qui tetigerit picem inquinabitur ab ea, & qui communicaverit superbo, induet superbiam.*

93 Tertiò non defuerunt Hæretici asserentes Deum etiam esse causam, & auctorem peccati, quod probant ex quibusdam Scripturæ locis, in quibus quædam peccata committi dicuntur ex Dei voluntate, & ordinatione. Deindè, quia in pluribus etiam Scripturæ locis dicitur Deum indurare; excęcare, &c. ut constat Exo. 7. Deut. 2. Josue 11. Isaiæ 6. & ad Roman. 1. Demum ratione, quia qui est causa actus, ad quem sequitur privatio, est etiam causa talis privationis; sed Deus concurrendo cum voluntate creata est causa actus, ad quem sequitur privatio rectitudinis, in qua consistit malitia peccati; ergo etiam est causa ipsius malitię, seù privationis. Cæterum Deum non esse causam, & auctorem peccati est veritas Catholica manifestè ex Scripturis deducta, Psal. 5. *Non Deus volens iniquitatem tu es*, Sapient. 14. *Odio sunt Deo impius, & impietas ejus*, S. Jacob. 1. *Deus intentator malorum est, ipse autem neminem tentat.* Item hæc impietas damnata est in Concil Arausic. 2. can. 22. & 25. & Trid. sess. 6 can. 6. & à pluribus Patribus refutata, præsertim à D. Basilio homilia integra, cui titulus est, quod Deus non sit auctor malorum, ubi probat æquè impium esse dicere Deum esse auctorem peccati, ac Deum non esse. Tandem probatur ratione, quia Deus non est causa moralis, neque physica peccati; ergò nullo modo est causa illius, quia nulla alia causa est præter moralem, & physicam; probatur an-

tecedens quoad primam partem, quia causa moralis est, quæ agit consulendo, vel præcipiendo, Deus autem nec præcipit, nec consulit peccatum, ut constat ex locis Scripturæ adductis, & Eccles. 15. *Nemini mandavit impiè agere.* Quod autem neque sit causa physica probatur ex jam dictis 1. sent. disput. 4. quæst. 3. an etiam actus mali sint à Deo prædefiniti, ubi diximus, quod licet Deus positivè concurrat ad actum, non tamen ad ipsius defectum, seù ad privationem rectitudinis, quæ in ipso actu reperitur, in qua sola privatione consistit ratio formalis ipsius peccati. & ratio est, quia aliter Deus est causa operis positivi, quàm sit homo, Deus enim vult illum actum voluntate tantùm consequente, non verò antecedente, & ità concurrit ad illum, ut quantum est ex se vellet non concurrere, qua de causa licet actus ille una ratione dicatur Deo voluntarius simpliciter, alia tamen ratione dicitur involuntarius secundum quid, & hinc est, quod privatio rectitudinis illi actui annexa, in qua ratione peccati statuimus, soli creaturę tribui debet, ut causæ, non Deo, qui enim vult aliquid voluntate antecedente, vult omne illi annexum necessariò, qui verò vult voluntate tantùm consequente potest etiam velle illud sine annexo, ut fusius declavimus disp. 4. cit. num. 63. & hæc doctrina, ut ibi notavimus, est D. Bonav. 1. d. 46. art. 1. qu. 2. in solutione ad ultimum, quod probabat Deum esse causam peccatis, & velle malum, quia qui vult aliquid, vult omne illi annexum, & respondet S. Doctor, quod velle aliquid stat dupliciter, aut voluntate antecedente, aut voluntate consequente, quod vult aliquis voluntate antecedente, vult omne illi annexum necessariò, quod verò vult voluntate consequente, potest etiam velle sine annexo.

94 Nec urgent testimonia Scripturæ in oppositum adducta, in quib. quædam peccata committi dicuntur ex Dei voluntate, & ordinatione, hæc enim, & similia loca intelliguntur de Deo, quatenus peccata permittit, seù ratione permissionis illorum, est enim communis regula SS. Patrum, ut Lezana advertit disp. 9. de causi peccati qu. 7. quod quoties in S. Scriptura aliquod peccatum Deo tribuitur, id sit intelligendum solùm permissivè. Ità D. Aug. de gratia, & l. arb. c. 23. Damasc. 4. de fide c. 20. Chrysost. h. 35. Matth. quos communiter Theologi, & Scholastici sequuntur. Ad illud de obduratione, & excæcatione respondet D. Aug. l. 1. ad Simplicianum Deum indurare, & excæcare peccatores. *Non impertiendo malitiam, sed non impertiendo gratiam* specialem scil. & efficacem, & l. 5. contrà Julian. cap. 3. & l. de gratia, & l. arb. cap. 21. ait Deum homines indurare, excæcare, & tradere in reprobum sensum, quando ob eorum obstinationem, & perviciam peccata sequentia permittit in pœnam præcedentium. Alias Patrum expositiones vide apud Becan. c. 6. de causa peccati q. 4. Ad rationem patet ex dictis, quod licet Deus concurrat ad actum peccati, non tamen ad defectum illi annexum, quia vult illum voluntate tantum consequente, non autem antecedente, undè licet sit causa ipsius actus, non est tamen causa defectus, qui in illo reperitur, sicut facultas motrix est quidem causa de ambulationis, non tamen claudicationis, quæ ex solo tibiæ defectu provenit, & eodem ferè modò discurrit Scot. in solutione hujus difficultatis 2. d. 37. §. *Ad solutionem*, ubi ait, quod quando duæ causæ partiales cõcurrunt ad effectum communem ambarum, potest esse defectus in productione effectus ex defectu unius causæ concurrentis præcisè, & non alterius, v. g. ad velle concurrit intellectus, & voluntas libera, potest igitur esse defectus in actu isto ex defectu voluntatis, licet non præcedat defectus in cognitione; ita igitur in proposito, inquit Doctor, si ad velle voluntatis creatæ concurrunt duæ voluntates, scilicet voluntas creata, & divina, potest esse defectus in ipso velle ex defectu alterius causæ, & hoc quia ista causa posset dare rectitudinem actui, quam tenetur dare, & tamen non dat; alia autem licet non teneatur eam dare, tamen quantum est ex se daret, si voluntas creata cooperaretur, universaliter enim quicquid Deus dat antecedenter, daret illud consequenter, quantum est ex se, nisi esset impedimentum, dando autem voluntatem liberam, dedit antecedenter opera recta, quæ sunt in potestate voluntatis, & ideò quantum est ex parte sui dedit rectitudinem omni actui voluntatis, & voluntati ex consequenti daret, si ipsa voluntas creata quemcumque actum elicitum rectè ageret ex parte sui. Est igitur defectus in effectu istarum duarum causarum, non propter defectum causæ superioris, sed inferioris, non quia causa superior causet rectitudinem in effectu, & inferior obliquitatem, sed quia causa superior quantùm est ex se causaret, si causa inferior secundum suam causalitatem causaret, & ideò rectitudinem non causari est propter hoc, quia causa secunda quantum ad se pertinet, non causat. Ità ad verbum Doctor loc. cit.

95 Quartò conveniunt DD. unum etiam peccatum respectu alterius posse, & solere habere rationem causæ externæ, potest autem esse causa ad modum, quo actus intentionis simul cum voluntate est causa actus electionis, sic enim intentio verbi gratia, superbiæ, vel inanis gloriæ causa est aliorum peccatorum, v. g. vindictæ, homicidii, furti, &c. & intentio adulterandi, aut furti potest etiam esse causa homicidii; potest etiã esse causa per modum fomenti, quo pacto dixit D. Tho. qu. 84. art. 1. avaritiam seù cupiditatem esse posse radicem aliorum peccatorum, quod probat ex illo 1. ad Tim. 6. *Radix omnium malorum est cupiditas*, quod ait non esse ita intelligendum, quasi omnia peccata ex cupiditate, & avaritia oriri debeant, sed quia omnia possunt oriri ex illa, saltem per modum fomenti, & instrumenti, eo quod pecuniæ sunt instrumenta ad omnia vitia. Sc. autem 2. d. 6. q. 2. ad argumenta principalia cupiditatem presse sumptam pro inordinato divitiarum appetitus, ut cummuniter accipitur, non concedit esse propriam radicem omnium peccatorum, sed latius sumptam pro inordinata cupiditate complacendi sibi ipsi, ut sit idem, ac nimia amicitia, vel inordinatus amor sui ipsius, hìc enim re vera radix est omnium peccatorum ex August. 14. de Civ. Dei cap. ult. *Amor sui usque ad contemptum Dei fecit civitatem Diaboli*, quarè Scot. loc. cit. art. 1 primam radicem Civitatis Diaboli ponit inordinatum amorem amicitiæ sui, quæ germinat usque ad contemptum Dei, quod expresse deducitur ex illo Joan. 12. *Qui amat animam suam in hoc mundo perdet eam, & qui odit animam suam, in vitam æternam custodit eam*; ergò cupiditas ab Apostolo appellata radix omnium pecatorum ponitur pro inordinato hoc amore sui, cui opponitur odium sui sanctum, ut Fusius Vulpes ostendit disp. 154. art. 1. quod autem inordinatus amor sui sit causa omnis peccati concedit etiam D. Tho. qu. 77. art. 4. & q. 84. per totam, quod & ipse probat ex D. Aug. loc. cit. Præterea Scot. 3. d. 33. lit. B. & 4. d. 14. q. 1. §. *Dico* docet quod peccatum potest esse causa alterius peccati dupliciter uno modo disponendo ad consimilem actum eliciendum facilius inquantum usu, vel consuetudine ejus in humana voluntate habitus vitiosus generatur, alio modo, inquantum semel commissum manet objectivè præsens in memoria peccatis per impressam sui speciem, & ideò objectum delectabile illicitum peccati causativum ad secundò peccandum efficacius movet.

96 Quintò tandem quod spectat ad causas peccati internas, licet variæ assignari soleant, ut intellectus voluntas, appetitus, imaginatio, & similia, tres tamen præsertim assignari solent, scilicet, Ignorantia, Passio, & malitia, ut inductivæ ad peccandum, & ad quas reducatur omne peccatum, undè traditur, ut adæquata divisio, quia omne peccatum, vel est ex ignorantia, vel ex passione, vel ex malitia, ut dictum est qu. 1. hujus disp. art. 1. nu. 9. & hæc triplex peccati causa ex S. Scriptura expresse deducitur, & quidem de peccato ex ignorantia habetur Actor. 3. *Scio quia per ignorantiam fecistis*, & 1. ad Corint. 2. *si cognovisset, nunquam dominum gloriæ crucifixissent*. De peccato autem ex passione Jacob. 1. *Unusquisque tentatur à concupiscentia sua abstractus, & illectus, concupiscentia verò cum conceperit, parit peccatum*. De peccato ex malitia tandem Job. 34. *qui quasi de industria recesserunt à Deo*. Et ratio ipsa, ac etiam experientia hanc divisionem suadet, ac triplicem internam peccati causam; quidam enim peccant, quia ignorant, id quod faciunt esse peccatum, quidam verò, quia passione ad peccandum rapiuntur; alii tandem, nec ignorantia affecti, nec passione inducti peccant, sed ex mera malitia, qua ratione Arist. 7. Ethic. c. 7. & 8. vocat hoc peccatum ex electione, & sic etiam vocatur à Scoto 2. dist. 6. qu. 1. Ignorantia autem est causa peccati, non per se, & positivè influendo, sed per accidens tanquam removens prohibens; quia nimirum scientiam tollit, quæ si adesset, peccatum impediret juxtà illud Apost. loc. cit. si cognovissent, nunquam dominum gloriæ crucifixissent. Passio est causa peccati, quia ut dictum est qu. præced. art. 1. ex Scoto 2. d. 42. in solutione qu. 3. appetitus sensitivus potest voluntatem movere ad quosdam actus indirectè, & ob connexionem harum potentiarum, ratione cujus voluntas nata est condelectari appetitui sensitivo. Malitia tandem magis denotat dependentiam peccati ex ipsa vi, & libertate voluntatis, ut ait Doctor loc. cit. 2. d. 6. qu. 1. tunc homo propriè ex se fertur in malum, quando neque ex ignorantia, neque ex passione, sed propria libertate in illud fertur, & ideò tunc ex malitia peccare dicitur. Hæc autem tria peccatorum genera, ut dictum est præc. ar. 1. in fine, non distinguuntur essentialiter ex parte hujus triplicis causæ, nisi contingant in diversa materia, ex qua distinctionem specificam sortiantur, quia sumuntur ex diversis motivis ad circumstantiam tantùm pertinentibus. De hac igitur triplici interna causa peccati in seq. art. breviter juxtà institutum nostrum agendum est.

A R-

ARTICULUS SECUNDUS.

Qua ratione ignorantia sit causa peccati, vel ab illo excuset.

97 SUpponendum est ex dictis dip. 13. de Censuris qu. 1. ar. 4. nu. 26. & ex communi Theologorum sententia, & Scot. 4. d. 6 qu. 3. ignorantiam aliam esse juris, aliam facti; illa est, qua ignoratur jus sivè divinum, sivè humanum, ut si quis nesciat legem Ecclesiasticam die Veneris carnium comestionem prohibere, ista verò, qua ignoratur factum materia, vel circumstantia ipsius, ut si quis nesciat esse carnem id, quod comedit, vel non advertat esse diem Veneris, ea enim quæ de ignorantia dicuntur, de inadvertentia quoque, & oblivione intelligi debent. Rursus alia est ignorantia antecedens alia concomitans, alia subsequens, ingnorantia antecedenseſt, quæ nec directè, & indirectè volita est, ideoque dicitur antecedens, quia omnem voluntatis actum omninò antecedit, itaut nullo modo sit volita ab ipsa, & propterea vocatur etiam invincibilis, & probabilis dicitur invincibilis, quia nulla diligentia vinci potuit, ideoque dicitur etiam inculpabilis; dicitur verò probabilis, seù justa quando esto absolutè loquendo omni adhibita diligentia, quæ adhiberi potest vinci potuerit, non tamen debuit, quia non fuit obligatio adhibendi majorem diligentiam ea, quæ adhibita est, quia sufficiens moraliter censebatur, licet cum ea superari non potuerit, ideoque dicitur moraliter invincibilis, ac proindè etiam inculpabilis. Ignorantia concomitans est, quando ignoratur, aliquid quod tamen si sciretur, adhuc tamen ageretur, ut quando quis inimicum occidit existimans se interficere feram, ità dispositus tamen, ut si inimicum esse cognovisset, nihilominus occidisset. Ignorantia tandem consequens dicitur illa, quæ aliquo modo voluntaria est, seù per actum voluntatis volita, seù directè, & formaliter, sivè indirectè, & interpretativè in negligentia ad sciendum, cum scire posset, & deberet, & propterea vocatur vincibilis, culpabilis, & improbabilis, quia diligentia aliqua adhibita vinci potuit, ac debuit, & quando est directè, & expresse volita, vocatur affecta, ut cùm quis expresse vult aliquid ignorare, ut liberius peccet, quando verò est indirectè volita ratione negligentiæ vocatur crassa, vel supina, & aliquando negligens, ut quando quis refugit laborem alicujus studii, undè ignorantia rei alicujus sequitur. Ità Astesan. noster lib. 2. tit. 1. art. 2.

98 Quænam autem diligentia sit adhibenda, ut ignorantia aliqua judicetur invincilibilis; certum est, quod quotiescunque quis præstat omne id, quod præstare tenetur ad ignorantiam expellendam, & ad aquirendam scientiam oppositam, quam habere tenetur, tunc ignorantia adhuc in eo remanens erit invincibilis, & inculpabilis, quia justà communem Theologorum sententiam ad expellendam ignorantiam non tenetur homo adhibere omnem diligentiam physicè possibilem, siquidem cùm lex Dei sit jugum suave, cum tanto rigore obligare censenda non est, sufficit, si adhibeat diligentiam moraliter possibilem, & quæ moraliter sufficiens censeatur ad ignorantiam expellendam. Qualis autem, & quanta hæc moralis diligentia esse debeat, & quando dicatur quis omnem diligentiam præstare, quam adhibere tenetur, hæc regula generalis à Theologis communiter assignari solet, quod quotiescunque adhibet humanam, & moralem diligentiam, quam adhibere solent homines cordari in aliquo negotio gravi, consulendo, scilicet, viros doctos, & adhibet diligentiam prudenti judicio sufficientem, quamvis posset habere majorem, non tenebitur, & ignorantia erit invincibilis. Undè non potest quis, nec tenetur ignorantiam vincere, quando nulla ratio occurrit de præcepto, nec ullum occurrit dubium, vel suspicio de conditione, & malitia objecti, etenim absque hujusmodi cogitatione homo induci nequit ad veritatem inquirendam. Neque tenetur quis ignorantiam vincere, quando consultis viris doctis, & peritis, invenit opinionem probabilem juxtà moralem, & prudentem existimationem, tunc enim non tenetur homo illam deponere, & licet contingat in re illam esse falsam, adhuc tamen qui justà illam se gerit, prudenter operari censetur, & excusatur à culpa ut dictum est lib. 2. disp. 5. quæst. 2. de Conscientia probabili. His igitur suppositis quæritur in præsenti, qua ratione ignorantia possit esse causa peccati, & quæstio non est de causa per se, quia cum ignorantia sit privatio, scilicet, scientiæ, non potest esse hoc modo causa peccati, nec quoad materiale, nec quoad formale; sed est quæstio de causa per accidens, scilicet, ut removens prohibens, quatenus removet scientiam, quæ si adesset, impediret peccatum, ne fieret, hoc enim modo non solùm potest esse causa actus deordinati, sed etiam ipsius deordinationis, in qua malitia formalis peccati consistit. Pro resolutione quæsiti.

99 Primò conveniunt Doctores, ignorantiam antecedentem invincibilem tam juris, quàm facti omninò à peccato excusare, atque ideò esse causam peccati non posse competere ignorantiæ omninò invincibili, sed tantùm vincibili. Ità D. Thomas qu. 76. art. 3. Scotus 4. dist. 30. quæst. 1. & cum illis communiter omnes, & probatur ex verbis Christi Domini Joan. 15 *Si non veniſſem, & eis locutus non fuiſſem, peccatum non haberent* quæ verba sic explicat D. Bernardus epist. 77. ad Hugonem de S. Victore *si locutus non fuisset, sed non eis, inobedientiæ culpam ignorantia excusaret*, & D. Aug. tract. 89. in S. Joan. cit. *illos ad quos Christus non venit, & quibus non est locutus, excusationem habere, non de omni peccato suo, sed de peccato illo, quod in Christum non crediderint*. Probatur etiam ratione ex Scoto loc. cit. deducta, peccatum non est, nisi voluntarium ex Augustin. de vera Religione, sed ignorantia invincibilis, seù quod idem est, antecedens facit actum involuntarium ex 3. Ethic. ut concedunt Theologi omnes; ergò à peccato excusat, nec potest esse causa peccati, quod necessariò debet esse voluntarium, atque hæc vera sunt, sivè ignorantia sit habitualis proveniens à negligentia ad scientiam acquirendam, sivè tantùm actualis per modum oblivionis, vel inadvertentiæ, quia ut suprà dictum est, ea quæ de ignorantia habituali dicitur, de inadvertentia quoque, & oblivione intelligi debent. Dices, qui invincibiliter ignorat esum carnium dies Veneris esse prohibitum ex tali ignorantia movetur ad carnes edendas ea die; ergo videtur esse causa peccati. Respondetur per hoc probari tantùm ignorantiam invincibilem esse causam peccati quoad actum, seù materiale peccati duntaxat, non quoad formale, seù malitiam formalem, & deordinationem, undè quoad modum loquendi dici poterit hæc ignorantia esse causa peccati materialiter, non autem formaliter, hoc est, illius operis, quod materialiter quidem vitiosum est, formaliter tamen non imputetur ad culpam, undè in hoc ignorantia invincibilis à vincibili differre dicitur, quod invincibilis est causa peccati quantùm ad actum, seù materiale peccati duntaxat, vincibilis verò etiam pro formali. Ità Cajetanus, Vasq. Valent. Aversa, Lezana, Tannerus, & alii passim.

100 Secundò conveniunt DD. ignorantiam consequentem, seù vincibilem non excusare à peccato opus factum ex ipsa, atque ideò esse causam peccati non tantùm materialiter, sed etiam formaliter, hoc est, quod imputetur ad culpam. Ità D. Thomas, & Scot. loc. cit. & alii cum ipsis, & colligitur ex S. Scriptura, in qua sæpè de peccatis ex ignorantia fit mentio, & judicantur digna reprehensione, & supplicio; probatur etiam ratione ex oppositò fundamento, quia nimirum hujusmodi ignorantia est volita, & voluntaria, qua ratione vocatur consequens, deindè est culpabilis, idcircò vocatur vincibilis, & ideò non excusat à peccato opus, quod ex ipsa provenit, undè licet quis nesciat, vel non advertat aliquod esse malum, aut etiam putet esse bonum, si tamen veritatem scire potuit, & neglexit scire, peccatum utique est illi voluntarium saltem in causa, quod satis est, ut ei imputetur ad culpam. Cùm autè talis ignorantia consequens, & vincibilis duplex esse possit affectata, scilicet, vel non affectata, ut constat ex dictis, hoc inter utramque vertit discrimen, quod ignorantia illa, quæ non est affectata, minuit peccatum, quia minus voluntarium reddit, ea verò quæ est affectata, peccatum non minuit, sed potùs auget. Quænam autem propria ignorantia vincibilis dici possit, ac debeat declarandum est consequenter addicta de ignorantia invincibili, nimirum ignorantiam vincibilem eam esse judicandam, quæ studio, & diligentia adhibita superari poterat, quia, scilicet, in mentem venit rei ignoratæ cogitatio, & dum sufficiens diligentia fieri potuit ad habendam veritatis, & præcepti cognitionem, non fuit adhibita, sed omissa, & neglecta. Undè peccata ex hac ignorantia provenientia regulariter loquendo censentur esse ejusdem speciei, ac si fierent ex malitia, quia habent idem objectum formale, & esse directè volita, prout contingit in peccatis, quæ fiunt ex malitia, aut solùm indirectè, prout accidit in iis, quæ ex hujusmodi ignorantia fiunt, differentiam solùm arguit accidentalem, ut notat Lezana disp. 9. cit. quæst. 3. imò propriè loquendo quæ fiunt ex ignorantia affectata, dici debent directè volita, appellatur enim affectata, quia est volita ex nimio affectu voluntatis ad peccandum justà illud Psalm. 31. *Nolvit intelligere, ut benè ageret*, undè quæ ex tali ignorantia fiunt, sunt potiùs peccata ex malitia, nam quando quis ex professo vult aliquid ignorare, ut posteà liberius peccet, tunc prima peccati origo, non est ignorantia, sed prava voluntas ignorandi, undè Divus Bernardus epist. 77. citat. Gregor. libr. 25. moral. cap. 16. Augustin. lib. de gratia, & lib. arb. cap. 3. docent quod nescire sit ignorantiæ, nolle autem scire sit superbiæ, quod significat peccatum illud, quod est ex ignorantia affectata, propriè esse peccatum ex malitia.

101 Tertiò, An ignorantia concomitans excusat à peccato, Doctores non conveniunt, aliqui enim negant excusare à pec-

cato; alii verò affirmant. Alii tandam media via procedunt dicentes ignorantiam concomitatem excusare à peccato opus externum, quod ex illa fit, non verò operantem, aut actum internum illius. Sed breviter distinguendum est, de ignorantia concomitanti vincibili, vel invincibili; si fuerit vincibilis, non excusat à peccato, quin potius accusat, & est peccatum. & ratio est, quia est volita in sua causa immediata, scilicet, in negligentia inquirendi veritatem, ut qui intendens occidere feram, occideret inimicum, nulla diligentia adhibita, in hoc casu ignorantia non est causa peccati, quia si sciviſſet, nihilominus occidiſſet, sed est peccatum propter causam dictam, nempè quia voluit causam immediatam homicidii, scilicet, negligentiam inveſtigandi veritatem, ut benè discurrit Angeles in Floribus 2. dist. 22. quæst. 2. artic. 3. diff. 2. si verò ignorantia comitans fuerit invincibilis, tunc à peccato excusat, & ratio est, quia ignorantia talis, etsi non faciat actum involuntarium, quia non causat aliquid voluntati repugnans facit tamen non voluntariũ quia non potest esse actu volitum, quod est ignoratum, & sic in hujusmodi actu non reperitur ratio voluntarii, sine qua peccatum nullum esse potest. Confirmatur quia actus ille, ex quo sequitur homicidium commissum per ignorantiam invicibilem concomitantem sagittario, seù venatori nullo modo imputandus est ad culpam, & homicidium indè secutum rationem peccati non habet, nisi ratihabitio subsecuta fuerit, quia de ratione peccati est, quod sit voluntarium, tale autem homicidium in casu predicto nullo modo est voluntarium, non quidem formaliter, ideſt in se, ut patet, neque interpretativè, ideſt in sua causa, quoniam præfuit debita diligentia, neque virtualiter, quia sagittatio, ex qua secutum est homicidium, non fuit ab animo iræ, aut vindictæ imperata; sed ab animo venandi; ergo, &c. Notanter autem addidimus, nisi ratihabitio subsecuta fuerit, nam si illi placuerit occidisse inimicum; esse mortale justà illud Proverb. 2. *Lætantur cum malè fecerint.*

102 Dices, si ille sciret, adhuc inimicum suum occideret, ergò semper occisio inimici indirectè saltem est voluntaria, atque ideò peccatum in casu ignorantiæ concomitantis etiam invicibilis, quia occidens inimicum putans occidere feram ità dispositus est, ut si inimicum esse cognovisset, nihilominus occidisset. Resp. cum Angles l. c. quod hæc conditionalis, si sciret dictus Sagittarius ibi latere inimicum, occidisset ipsum, potest dupliciter haberi, aut formaliter tempore, quo mittit sagittam dicens; si in illo nemore lateret inimicus meus, libenter eum occiderem, & hoc modo homicidium tunc esset volitum, & consequenter peccatum, aut habetur in promptitudine animi, & dispositione habituali, ita quod si recordaretur inimici, formaret dictam conditionalem, quam non format, quia non recordatur, & in hoc casu conditionalis non efficit actum culpabilem. & ratio est, quia solus actus est meritorius, aut demeritorus, & non solus habitus, præparatio autem animi solùm sapit naturam habitus. Quando igitur in argumento dicitur occidentem inimicum, qui putat occidere feram, esse ità dispositum, ut si inimicum esse cognovisset, nihilominus occidisset, atque ideò homicidium esse ad culpam imputandum, neganda est consequentia, quia sic est dispositus tantùm habitualiter, non actualiter, quod ad presentem culpam homicidii nil refert, bonitas enim vel malitia actus non pendet ex habituali, sed ex actuali voluntate, pendet enim ex ea, quatenus est principium elicitum, aut imperativum actus, habitualis autem voluntas in prædicto casu nihil elicit, vel imperat in ordine ad præsentem inimici occisionem. Ex qua doctrina solvi possunt omnia, quæ contra nostrum assertum solent obiici.

103 Quartò est difficultas, An ignorantia vincibilis, quæ est causa peccati, sit in seipsa peccatum, & habeat specialem malitiam præter malitiam peccati, cujus est causa. Varii quoque in hac difficultate sunt modi dicendi; sed breviter dicendum est, quod ignorantia vincibilis, quæ est causa peccati, semper est peccatum, sivè ratione sui, sivè ratione negligentiæ ad sciendum, & est speciale peccatum distinctum ab eo, quod fit ex eadem ignorantia. Ità Alensis, D. Bonavent. & alii antiquores 2. d. 22. & Recentiores ex nostris Angles loc. cit. art. 2. diffic. 1. & Vulpes disp. 135. art. 2. ex Scoto 4. dist. 6. qu. 8. Quoad primam partem probatur, quia hæc ignorantia est vincibilis; ergò culpabilis, idem enim est ignorantiam esse vincibilem, ac esse culpabilem, sicut è contrà idem est ignorantiam esse invincibilem ac esse inculpabilem. Confirmatur, quia ignorantia actualis, de qua præsertim hìc est sermo, est carentia actus debiti, scilicet, scientiæ actualis, vel considerationis alicujus rei, scilicet, mysteriorum fidei, vel rerum spectantium ad officium cujuscunq; hoc enim ratione hujusmodi ignorantiæ vocatur inconsideratio, est ergò in se verum peccatum omissionis, & contra præceptum affirmativum sciendi talem rem. Quod etiam sit speciale peccatum distinctũ ab eo, quod fit ex eadem ignorantia, probatur, quia ignorantia vincibilis articulorum fidei est mortale peccatum, secundum se, quamvis nullum aliud peccatum indè sequeretur. & ratio est, quia cum credere sit sub præcepto, qui enim non crediderit, condemnabitur, profectò, qui non habuerit fidem articulorum propter ignorantiam culpabilem, sivè vincibilem, erit hujus præcepti reus, & ex consequenti mortaliter peccabit. Et eadem est ratio de ignorantia earum rerum, quas qui tenetur scire propter operationem, ut sunt v. g. tempus, quo obligant præcepta jejunii, Confessionis, Communionis, & similia, quicquid dicat Lezana disp. 9. quæst. 2. ubi ait tamen ignorantiam non esse speciale peccatum distinctum ab eo, quod committitur propter ipsam. Quod autem eadem sit ratio quoque harum rerum probatur, quia ignorantia culpabilis in eo, qui ignorat aliquod præceptum Ecclesiasticum, sivè præceptum aliquod ad suum statum pertinens secundùm se est mortale peccatum. & ratio est, quia ut ait Angles loc. cit. scientia dictorum est necessaria ad cavendum mortale, & cùm laborans tali ignorantia in certissimo periculo peccandi mortaliter constituatur, erit talis ignorantia secundùm se mortale peccatum, cùm sit certissima occasio peccandi mortaliter. Ad quam autem peccati speciem revocetur talis ignorantia, & cui virtuti opponatur, est ferè communis opinio esse peccatum oppositum præcepto, & virtuti, ex qua homo tenetur aliquid scire, vel facere, nam exponit se periculo faciendi contra præceptum talis virtutis non curando ipsius cognitionem, & scientiam, ut in exemplis adductis ignorantia temporis jejunii opponetur temperantiæ, vel abstinentiæ, ad quam pertinet jejunium, ignorantia articulorum fidei erit speciale peccatum contra virtutem fidei, ex cujus præcepto tenetur homo ipsius mysteria scire. Satis etiam probabile est opponi virtuti studiositatis, ad quam pertinet inclinare voluntatem, ut moveat intellectum ad acquirendam scientiam rerum, quas homo scire tenetur.

104 Quintò tandem est difficultas. Quarum rerum ignorantia sit vincibilis, aut possit esse invincibilis, & difficultas est de jure naturali, & positivo divino, vel humano. Et quidem de jure positivo humano certum, & notum est facilè contingere posse, & solere invincibilem ignorantiam, sivè sit jus positivum civile, sivè Ecclesiasticum. & ratio est, quia non omnes tenentur scire jus positivum, non enim colligitur necessariò ex principiis universalissimis juris naturalis, ut præcepta Decalogi, sed solùm ex beneplacito legislatoris tale jus dependet; undè qui inculpabiliter ignorat legem, qua cavetur ne frumentum vendatur ultrà pretium à lege definitum, neque erit reus injustitiæ, neque ad restitutionem tenebitur, & qui ignorat catalogum aliquos libros prohibentem, si ob ignorantiam invincibilem librum prohibitum retineat, vel quia oblitus est libri, vel quia consuluit peritiores, qui fortè catalogum ignorabant, in hoc casu excommunicationem non contrahet, nec in aliis casibus similibus. Ità Angles loc. cit. diffic. 5. qui tamen rectè subdit, neminem posse ignorantiam invincibilem habere eorum, quæ sunt juris positivi, & frequentissimè omnibus nota, undè qui percutit Clericum est excommunicatus, & peccat, qui in Quadragesima comedit ova, & lacticinia. & ratio est, quia horum ignorantia culpabilis censeri debet, cùm sint hæc lippis, & tonsoribus nota. Loquendo verò de jure positivo divino, communis hoc tempore est Theologorum sententia, ut refert Aversa quæst. 76. sect. 4. dari posse infidelem in partibus orbis præsertim à Christianitate remotis, qui omninò invincibiliter totam fidem Christianam ignoret, eumque proindè, si in tali statu moriatur, non fore damnandum ob peccatum infidelitatis, sed ob alia peccata contrà legem naturæ, & ità expresè docuit Divus Thomas 2. 2. qu. 10. art. 1. ubi ait, infidelitatem in his, qui nihil audierunt de rebus fidei, non esse peccatum, & tales infideles non damnari propter culpam contrà fidem, sed propter peccatum originale, & alia peccata contrà legem naturalem. Non desunt tamen gravissimi DD. negantes dari posse ignorantiam invincibilem fidei, & affirmantes nullum infidelem sine sua culpa ignorare posse mysteria fidei, quæ ad salutem necessaria sunt, quia hæc fides ad salutem necessaria potest haberi ab omnibus adultis, etiam gentilibus quantum est ex parte Dei, nisi ipsimet impediant, quod colligitur ex illo Joan. 1. *Illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*, ut jam diximus l. 3. sent. disp. 6. q. 15. a. 1. n. 390. de quo plura videri possunt apud Angles l. c. diff. 3. & Vulpes dis. c. a. 6. Quod ad præsentem verò rem spectat, & ad fideles, docet Vulpes ... id. ex Scot 3. d. 25. q. 1. fideles omnes per ignorantiam invincibilem excusari non posse à culpa contra præcepta divina, sivè de credibilibus; sivè de agibilibus in symbolo, & Decalogo contenta; posse tamen dari in aliquibus fidelibus ignorantiam aliquorum credibilium, & agibilium invincibilem, & à culpa excusantem, ut potè facilè contingit pueros, habentes tamen usum rationis, invincibiliter ignorare, se teneri ad præmittendam confessionem, vel contritionem ad suscipiendum Con-

Confirmationis Sacramentum, si habeant conscientiam peccati mortalis, nisi de hoc doceantur, & sic in aliis casibus. Quæ doctrina ab aliis etiam Theologis passim traditur.

105 Denique loquendo de jure naturali dicendum est cum Thoma qu.94. art.6.ex Scoto 3.d.37.quæst.un.§. *Ad quæstionem* quos alii Theologi passim sequuntur, universalissima ipsius juris naturalis principia ex terminis nota, vel conclusiones necessariò ex eis sequentes, quæ sunt strictissimè de lege naturæ, à quovis homine adulto invincibiliter ignorari non posse, cujusmodi sunt hæc. *Bonum esse faciendum, malum fugiendum, nemini injuriam inferendam*, sunt enim hæc universales, & per se notæ humanarum actionum regulæ unicuique hominum naturaliter insitæ, ut docet D. Aug. l.2.de lib.arb. cap. 10. loquendo verò de jure naturali latius sumpto, & quoad alia principia minus universalia, quo pacto dicuntur aliqua esse de lege naturæ, quia sunt multum consona illi legi, licet non sequantur necessariò ex principiis practicis, quæ sunt nota ex terminis, & omni intellectui apprehendenti sunt necessariò nota; dicendum est ignorantiam invincibilem de illis in quibusdam hominibus esse posse etiam toto vitæ tempore, manifestum enim est quamplura esse juri naturali repugnantia, & minimè consona, quæ non solùm ab indoctis, & rudibus, sed etiam à doctis, & ingenii acumine præcellentibus talia esse ignorantur, siquidem, & Cassianus olim, & alii eruditissimi, ac vitæ sanctitate præcellentes viri, ut in ejus collationibus habetur, existimarunt mendacium aliquando esse licitum ad bonum aliquod promovendum, vel malum impediendum; imò etiam nunc quamplures doctissimi viri, ac in Theologia versatissimi inter se dissentiunt de re aliqua ad jus naturæ spectante minus presse sumptum, ut patet in materia mercaturæ, & de contractibus, in qua sunt multi contractus in usu penes multos, positi tamen in controversia inter Theologos, an sint liciti, & justi, vel usurarii, & injusti, & variæ sunt sententiæ inter se oppositæ quibusdam affirmantibus, aliis verò negantibus, undè sequitur quosdam illorum ignorantia invincibili juris naturalis laborare, quæ eos à peccato excusat, & omnes eorum probabilem opinionem sequentes in talibus contractibus.

ARTICULUS TERTIUS.

De aliis causis interioribus peccati, scilicet, passione, & malitia.

106 PRimò quoad primam quæsiti partem, per passionem hoc loco intelligitur operatio appetitus sensitivi, quæ actio vocatur passio ratione immutationis corporalis, quæ huic actioni conjungitur, quod autem peccatum causetur etiam aliquando ex motibus, & passionibus appetitus sensitivi, testatur S. Scriptura Dan.13.*Concupiscentia subvertit cor tuum.* Jacob. 1.*Unusquisque tentatur à concupiscentia sua abstractus, & illectus*, & Rom. 7. *Sentio legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captivantem me in lege peccati*, undè peccatum ex passione illud est, quod oritur ex motione appetitus sensitivi trahentis voluntatem ad consensum; ac proinde ejus libertatem diminuentis, siquidem, ut docet Scotus 2.d.42.in solutione q.3.appetitus sensitivus potest voluntatem movere ad quosdam actus indirectè, etenim ratione connexionis harum potentiarum voluntas nata est condelectari appetitui sensitivo; notanter autem dicitur hoc peccatum ex passione oriri ex motione appetitus sensitivi, trahentis voluntatem ad consensum, nam passio, sivè motio appetitus circà voluntatem dupliciter se habere potest, nam aliquando antecedit, & quodammodo voluntatis consensum extorquet; aliquando verò sequitur, & excitatur à voluntate, ut cùm quis motum sensualitatis, & carnis concupiscentiam in se excitat, & solùm primo modo peccatum ex passione constituit, de quo in præsenti est sermo, non autem secundo modo, sic enim non est peccatum ex passione; sed ex malitia, quia tunc prima radix peccati non est passio, sed mala voluntas, quæ ex mera sua libertate passionem excitat, & hoc est valdè advertendum, quia inter utrumque peccatum magnum vertit discrimen, quia hoc posterius multò gravius est, cum ex plena libertate fiat, & deliberato proposito, & passio excitata non impediat, vel minuat voluntatis affectum circà turpem delectationem sed potius augeat. Hoc autem peccatum, quod ex passione oritur, dicitur etiam ex infirmitate procedere, eo, quod passiones sint quædam veluti animæ ægritudines, & infirmitates; potest autem passio dupliciter voluntatis consensum præcedere, & quodammodo extorquere, ut Scotus docet l. cit. primò ità antecedenter ad ipsum rationis judicium ut homo, antequam ad malitiam sui actus attendat, passione aliqua præoccupetur, & tunc si adeò vehemens illa sit, ut ipsius rationis judicium prorsus obnubilet, ac perturbet, itaut ad malitiam suis actus attendere nequeat ob ejus vehementiam, nullum erit peccatum, ut contingit in motibus primò primis cùm nulla sit rationis deliberatio, sine qua consensus voluntatis liber esse non potest; secundò itaut passio judicium rationis non tollat, sed illud tantùm ex parte distrahat, aut impediat, itaut ratio sufficienter malitiam ipsius actus advertat, & tunc à peccato non excusat, illius tamen gravitatem minuit, ut contingit in motibus secundò primis, & declaravimus qu.5.art.1.num.80.

107 Secundò inquit Doctor loc.cit.passionem, seù concupiscentiam non esse causam peccati directè, & per se, sed solùm indirectè ex parte objecti, quod etiam docet D. Thomas qu.77.ar. 1. cum enim appetitus sensitivus sit quid materiale, & corporeum, non potest per se, & directè agere in voluntatem, quæ est potentia spiritualis, & à qua peccatum provenit, solùm igitur indirectè est causa illius ex parte objecti ex eo, quod passio, seù concupiscentia est occasio, quod voluntas feratur in bonum illud sensibile, seù delectabile, circà quod versatur ipsa passio, quod adhuc magis declarat 3. dist. 15. quæst. un. §. *Quantum ad secundum*, ubi ait voluntatem nostram moveri à passione appetitus sensitivi ex connexione ejus cum illo, inquantum operatur pro statu isto dependenter ab illo, sufficit enim connexio hæc, & dependentia, ut delectabile conveniens appetitui sensitivo conveniant etiam quodammodò voluntati, & subdit voluntatem humanam moveri primò à passione appetitus sensitivi per distractionem, vel per impedimentum judicii rationis ad exercitium suæ libertatis necessariò prærequisiti, & probat ex D. Augustin. 14. de Civit. Dei c. 16. dicente dolorem vehementem, vel summam delectationem in parte sensitiva usum rationis impedire, & ex Aristot. 7. Ethic. cap. 9. dicente, quod delectatio vehemens furatur intellectum sæpissimè sapientis; ergò voluntas indirectè movetur à passione appetitus sensitivi ad operandum contra regulam rationis. Confirmatur, quia ut etiam docet Doctor quol. 18. art. 1. objectum voluntatis debet esse præcognitum, & practicè judicatum secundum principia prudentiæ, ut actus ejus sit honestus, & cum omnimoda imputabilitate elicitus, sed passio vehemens appetitus sensitivi impedit omninò, aut saltem valdè perturbat usum rationis, & judicium intellectus, ergò potest voluntas indirectè impediri ab appetitu sensitivo, ne agat secundùm regulam rationis. Ita etiam discurrit Lezana disp.9.cit.q.5. ubi ait passionem, seù concupiscentiam esse causam peccati indirectè duplici modo; primò quidem per abstractionem, seù distractionem eo quod cùm tam phantasia, quàm intellectus sint vires, & potentiæ ejusdem animæ, & invicem connexæ pro statu isto, dùm phantasia advertit vehementer ad objectum sensibile, quod est objectum passionis appetitus, distrahitur intellectus propter connexionem, & sympathiam harum potentiarum ad hoc, ut non consideret rationem mali, quæ est in tali objecto, sed tantùm rationem boni delectabilis. Secundo modo potest esse passio causa peccati indirectè illiciendo, seù alliciendo ipsam voluntatem ad objectum illud delectabile, & intellectum ad hoc, quod sub ratione boni convenientis illud proponat, qui duplex modus ex illo Jacobi 1. expressè colligitur: *Unusquisque tentatur à concupiscentia sua abstractus, & illectus* ubi prima particula *abstractus*, primum modum insinuat, & altera illectus secundum denotat cum enim passionem appetitus aliqua alteratio, seù immutatio corporalis humorum, membrorum, &c. comitetur ad objectum illud delectabile inclinans, facilè etiam indè provenit, quod voluntas etiam, trahatur ab ipsa, & consequente ad peccatum, quia nata est condelectari appetitui sensitivo.

108 Tertiò ex dictis infertur peccata ex passione provenientia semper aliquem defectum in intellectu præsupponere, ratione cujus possint dici aliquo modo ex ignorantia procedere. Ità Scotus 2.distinct.43.quæst. 1. & 2. & 3. dist.37.art.2.ubi affirmat peccatum ex passione appetitus sensitivi habere aliquam annexam ignorantiam. & ratio est, quia illa passio immutans phantasiam trahit intellectum ad apprensionem ejusdem sensibilis fortiter illam immutantis, ac insuper illicit voluntatem ad operandum circà illud idem; atque ità distrahit intellectum à consideratione malitiæ, quæ est in peccato; hæc autem abstractio vel distractio est quædam inconsideratio, aut defectus perfectæ cognitionis; ergò peccata ex passione facta semper defectum aliquem in intellectu supponunt, ratione cujus dici possint aliquo modo ex ignorantia procedere. Confirmatur ex Aristot. 7. Ethic. cap. 3. & 10. ubi ait incontinentiam, ideſt, ex passione peccante se habere sicut se habet semidormiens, vel temulentus; ergò habet aliquem defectum in intellectu. Et ob id Scotus l. c. peccatum hoc vocat ex infirmitate dictum à peccato ex certa malitia, ad quod voluntas movetur ex sola sua libertate, nulla præcedente passione in parte sensitiva, nec ignorantia ex parte intellectus, & 2.d.37.qu.1.ad 1. ait hoc peccatum in nobis contingere pro hoc statu naturæ corruptæ ex vulnere

pec-

peccati originalis, quod reddit hominem infirmum ad resistendum appetitui sensitivo immutato à præsente sensibili contrà ordinationem rationis, donec per gratiam consummatam in patria perfectè sanetur.

109 Quartò quoad secundam quæsiti partem, peccatum ex malitia dicitur illud, quod committitur non ex ignorantia, aut passione, sed ex certa scientia, industria, & proposito, & ex plena libertate, & voluntate. Ità D. Thomas qu. 78. art. 3. & Scotus 2. d. 43. quæst. 2. quos passim alii omnes sequuntur. Quod autem peccatum causetur etiam ab ipsa malitia, seù pravitate voluntatis itaut homo aliquando ex certa, & deliberata malitia peccet, constat ex Scriptura Job. 34. *Quasi de industria recesserunt à Deo, & omnes vias ejus intelligere noluerunt*, & ex Aristot. 7. Ethic. cap. 10. ubi peccatum ex passione vocat incontinentem, peccantem verò ex malitia vocat malum, seù malignum undè Aristot. ibi vocat hoc peccatum ex electione, & Scriptura vocat peccatum ex industria, quia nimirum committitur sine ignorantia ex parte intellectus, & sine aliqua passione appetitus sensitivi. Confirmatur etiam ex Patribus, quia Augustin. lib. 83. quæst. qu. 26. inquit, quod præter peccata, quæ ex ignorantia contingunt, vel ex infirmitate passionis appetitus sensitivi, sunt alia, quæ contingunt ex sola malitia, & industria. Probatur tandem ratione, quia libertas in homine dupliciter minui, vel impediri potest, primò ex parte intellectus, & hoc facit ignorantia; secundò ex parte appetitus sensitivi, & hoc facit passio; ergò quando nec ignorantia adest ex parte intellectus, nec passio ex parte appetitus sensitivi, & adhuc peccatum contingit, tunc peccatum est plenè liberum, & omni excusatione carens, ac proindè dicitur peccatum ex malitia. Undè infertur peccatum ex malitia non dici tale, quia ex malitia antecedente procedat eo modo, quo peccatum ex ignorantia, vel passione procedit ex illis antecedenter se habentibus ad peccatum, sed solùm dici peccatum ex malitia negativè, idest, non ex alia causa, quàm ex libertate voluntatis, in malum consentientis; undè ipsa libertas voluntatis, quæ malè sua utitur facultate, & à nullo sollicitata peccat, denominatione quadã extrinseca vocatur malitia, qua de causa peccata ex malitia, cæteris paribus majorem habent culpam, ut infrà dicemus.

110 Quintò, cùm dicitur peccata ex malitia nonaccidere ex ignorantia, occurrit difficultas, an fieri possit, ut peccatum contingat sine ullo errore, aut defectu præcedente in intellectu, ut significari videtur, quando dicimus aliqua peccata esse sola malitia. Et quidem inter Scholasticos valdè communis est sententia asserens nullum peccatũ contingere absque aliquod defectu in intellectu, quod probant ex Aristot. 3. Ethic. cap. 1. & 7. Ethic. cap. 3. ubi habet, quod *omnis peccans est ignorans*, & ex modo loquendi S. Scripturæ, quæ pluribus in locis dicit peccatores errare, errasse, vel similia, qualis autem esse debeat hic defectus in intellectu necessariò præcedens defectum voluntatis, non conveniunt, & in varias sententias sunt diversi. Ità Thomistæ omnes cum D. Thoma 1. p. qu. 63. ar. 3. & p. 2. q. 77. art. 2. Oppositum docet Scotus 2. dist. 6. quæst. 1. ad 3. & 3. d. 36. art. 1. ubi fusè probat dari posse dictamina prudentiæ sine actibus virtutis moralis consequentibus, & consequenter defectum in voluntate sine prævio defectu in intellectu, idem docet D. Bonavent. 2. dist. 41. art. 3. in fine quæst. & d. 43. art. 1. quæst. 1. & sequuntur plures Recentiores Valentia, Molina, Becanus, Arriga, Lezana, & plures alii, quorum fundamentum est, quia voluntas est libera quoad specificationem, & exercitium; ergò posita omnimoda scientia excludente omne genus ignorantiæ, erroris, vel inconsiderationis, adhuc peccare potest, ac per consequens peccatum esse poterit sine ullo genere ignorantiæ. De hac controversia tractavimus ex professo l. 2. disp. 3. qu. 3. ubi diximus, quod regulariter loquendo, ut homo malè operetur, aliquis ut plurimum præcedit defectus in intellectu, non quicunque, sed præcisè talis considerationis defectus, quæ mortali certitudine quadam peccatum impediret & ratio est quia malitia peccati tanta est, ut si perfectè pro viribus penetraretur, & consideraretur, certè deterreret hominem à peccato, & in hoc sensu diximus in S. Scriptura omnia peccata tribui alicui defectui intellectuali, ut habetur Jerem. 22. *desolatione desolata est terra, quia nemo est, qui recogitet corde*. Addimus tamen art. 2. simpliciter, & absolutè loquendo nullum defectum esse necessarium in intellectu, ut sit defectus in voluntate, & tunc propriè, & in rigore dicitur peccatum ex malitia, quia quamvis regulariter, & moraliter loquendo semper aliqua inconsideratio, & inadvertentia peccatum præcedat; physicè tamen, & ex natura rei non est hoc necessarium, cujus rei signum est, quod multi peccant non solùm cùm remorsu conscientiæ, quod est signum peccare omnimodè scienter, & cum advertentia omnium, quæ animadverti debent, sed etiam ex industria, & ominimoda scientia, de quibus intelligitur illud Job. 34. *Quasi ex industria recesserunt ab eo*, qui modus peccandi propriè constituit peccatum ex malitia, prout distinguitur à peccato ex passione, & ignorantia. Cætera ad hoc punctum pertinentia videantur loc. cit.

111 Sextò, est difficultas, an peccata ex habitu vitioso commissa dici debeant ex malitia, aut potiùs ex passione. Affirmat Lezana cit. q. 6. cum pluribus aliis dici debere ex malitia cum D. Thoma q. 78. art. 2. & 3. & ratio est, quia illud dicitur fieri ea malitia, quod fit à voluntate ex seipsa, sed habitus est aliquid intrinsecum voluntati, & procedens ex actibus ab ea elicitis, & in ipsa intrinsecè receptis, passio autem est aliquid extrinsecum ipsi elicita, & intrinsecè recepta solùm in appetitu; ergò quod fit ex habitu dici debet fieri ab ipsa voluntate ex se, ac per consequens ex malitia, non ex passione. Scotus autem 3. d. 33. q. un. B. & 4. d. 14. qu. 1. art. 1. §. *Dico*, supponens ex actibus malis frequentatis habitum vitiosum in voluntate generari affirmat quidem peccatorem ex habitu remanere pronum ad sequendam illam inclinationem vitiosi habitus, ut difficulter eligat bonum à ratione dictatum, & delectabiliter oppositum secundum malam consuetudinem præcedentem, non tamen affirmat peccantem ex tali habitu peccare ex malitia, sed potiùs ex impotentia, itaut ejus peccatum sit potiùs infirmitatis, quàm malitiæ. Ratio est, quia peccatum ex certa malitia, ut notat Vulpes disp. cit. art. 4. procedit ex sola libertate voluntatis, ut nihil sit eam ad malum alliciens ex eodem Scot. 3. d. 43. q. 2. at ex habitu acquisito verè allicitur voluntas, veluti ex causa naturali ad peccandum faciliùs, & intensiùs adjuvante, & inclinante; ergò tale peccatum est potiùs infirmitatis, & impotentiæ, quàm certæ malitiæ. Confirmatur, quia magis est libera voluntas non malè habituata ad peccandum, & non peccandum, quàm malè habituata; cùm vehementia naturalis habitus per modum ponderis libertatem, & dominium actus imminuat; ergò peccatum ex tali habitu procedens potiùs infirmitatis est, quàm malitiæ, quia non procedit ex omnimoda, & plena voluntatis libertate, sicut requiritur ad peccatum ex malitia. Denique tale peccatum est etiam ignorantiæ, & stultitiæ, quia ut ait Scot. 3. distin. 36. art. 2. habitui vitioso ex actibus malis in voluntate genito respondet semper habitus stultitiæ genitus in intellectu ex frequentatis judicii erroneis, ex quo dicitur omnis malus ignorans. Ad rationem in oppositum dicendum est, quod voluntas tunc ex malitia peccare dicitur propriè loquendo, quando ex pura libertate eligit sibi malum sine impulsu occasionis extrinsecæ, habitus autem malus ex frequentatis actibus malis acquisitus est inductivum extrinsecum; licet inhæreat voluntati, inquantum accidens, & ideò peccatum ex habitu extrinsecè acquisito est magis propriè infirmitatis, vel impotentiæ, quàm certæ malitiæ, undè difficultas ista est potiùs contentio de nomine, quàm de re.

112 Postremò ex dictis concludendum est, peccatum ex malitia cæteris paribus esse majus, & graviùs peccato ex ignorantia, aut passione, non quidem ea ratione, ut aliqui dixerunt, quia voluntas per tale peccatum intendat malitiam, vel malum sub ratione mali; hoc enim est impossibile, ut dictum est in l. de Anima disp. 7. q. 5. n. 99 & seq. sed quia ex certa scientia, & cognitione mali est ex se circà illud, et si sub ratione alicujus boni utilis, vel delectabilis, undè peccatum ex malitia est magis voluntarium, & liberum, cùm voluntas committat illud ex seipsa, peccata autem ex ignorantia, & passione, non nisi ab illis inducta. Ex aliis verò duobus membris peccatum ex ignorantia ex suo genere levius est, quàm peccatum ex passione, quia ignorantia minuit liberum, & voluntarium, passio verò licet minuat liberum, auget tamen voluntarium, & voluntatis conatum, tùm quia faciliùs potest aliquis vitare peccatum ex passione, quàm ex ignorantia, & ità de gravitate horum trium peccatorum discurrit D. Greg. l. 25. Moral. c. 16. vbi sic ait *Gravius quidem peccatur infirmitate, quàm ignorantia, sed multò gravius studio, quàm infirmitate*, & ità etiam de peccato ex malitia, & passione discurrit Scot. 2. d. 43. q. 2.

ARTICULUS QUARTUS.

De causis excusantibus à peccatis.

113 PRimò constat ex dictis suprà a. 2. n. 99. ignorantiam antecedentem invincibilem tàm juris, quàm facti à peccato excusare. & ratio est, quia ut ibi dicebamus, nullum est peccatum, nisi voluntarium, sed ignorantia invincibilis facit actum involuntarium, ut omnes etiam Philosophi docent ex 3. Ethic. cùm voluntarium supponat cognitionem, & usus libertatis nostræ in cognitione, tanquam radice nitatur; undè à peccato excusatur, qui cognitionem aliquam, seù cognitionem legis habuit, vel aliquam advertentiam circà malitiam objecti, vel facti; sed adhibita morali diligentia veritatem rei attingere non potuit

potuit, & ob id ab eo non abstinuit à quo abstinere tenebatur; in tali enim casu ignorare censetur ignorantia invincibili, ut patet ex dictis; etenim qui posita dubitatione, vel cogitatione præcepti, vel malitiæ operis, eam adhibuit diligentiã, quam vir prudens sufficientem judicabat juxtà facti, & negotii qualitatem & circumstantias non peccat si quid posteà præstet, à quo revera abstinere tenebatur, nec illa ad culpam est imputandum, cùm ex invincibili ignorantia factum censeatur, quæ à peccato excusat. Notanter autem hoc asserimus de ignorantia invincibili malitiæ objecti, vel facti, quia ignorantia invincibilis pœnæ à peccato non excusat. & ratio est, quia ignorantia invincibilis pœnæ voluntarium non tollit, & advertentiam sufficientem ad legem, & prohibitionem, & factum prohibitum, & consequenter ad peccatum, sed cum ignorantia invincibili pœnæ advertentia juris prohibentis, aut facti prohibiti potest reperiri, & consequenter peccati, atque ideò ignorantia pœnæ à peccato non excusat. Ità Doctores communiter. Azorius, Sanchez, Valentia, Suarez, Reginaldus, Bonac. & alii passim.

114 Secundò conveniunt etiam Doctores, impotentiam adimplendi præceptum excusare à peccato, sivè impotentia sit physica, ut quando quis in carcere clausus Missam audire nequit die festo; sivè moralis, ut quando quis preceptum adimplere nequit sine gravi incommodo, & periculo gravis damni proprii, vel alieni, utraque enim impotentia est sufficiens causa excusandi à peccato & ratio est quia ad impossibile nemo tenetur, & impossibilium non est obligatio l. *Impossibilium*; qua ratione diximus suprà disp. 12. q. 1. art. 3. ratione impotentiæ illos excusari à jejunio, qui sine aliquo gravi incommodũ, aut notabili damno jejunare non possunt; non enim cum tanto rigore fideles Ecclesia obligare intendit, undè infirmi, convalescentes, & debiles jejunare non tenentur, & præsertim quando judicium Medicorum intervenit. Hic tamen DD. advertunt, quod qui totum præceptum adimplere nequit, tenetur adimplere partem, quam novit se posse adimplere, modò sit pars notabilis, & censeatur à superiore intenta. Ità Bonac. cum pluribus aliis disp. 2. c. q. 8. pun. 1. cujus ratio est, quia qui potest partem materiæ præceptam adimplere, si pars sit dividua, seù ab alia divisibilis, & separabilis, non habet sufficientem causam, qua ab obligatione illius partis adimplendæ eximatur juxtà regulam juris, qui non potest solvere totum, quod debet, solvat quod potest; notanter autem dicitur, modò sit pars notabilis, & à superiore intenta censeatur, quia si pars sit parvi momenti, aut talis, quæ à superiore intenta non censeatur, consequenter nulla censetur adesse obligatio illius levis partis adimplendæ, quia subditus non obligatur ultrà voluntatem, & intentionem superioris, & legislatoris, ut constat ex dictis suprà disp. 2. *de legibus*. Ex qua regula deducitur eum, qui ob infirmitatem, vel aliam rationabilem causam divinum officium recitare non potest totum, tenetur saltem ad eam partem, quam commodè persolvere potest, modò sit pars notabilis; eum verò, qui lege aliqua, vel voto Domum Lauretanam, vel Romam adire tenetur, ad quam ob impotentiam pervenire non potest, ad partem itineris, quam implere potest non teneri, quia talis pars à legislatore intenta non censetur, cùm legislator solum intendat obligare ad iter illud peragendum ratione termini, quem supponimus ob impotentiam attingi non posse, licet pars itineris peragi, & confici possit, & sic discurrendum in aliis similibus casibus, ut docet Suarez, Azorius, Bonac. loc. cit. & plures alii. Quid verò dicendum sit de eo, qui voluntariè se coniicit in aliquod impedimentum, quo posito non poterit præceptum adimplere, an in eo casu ob impotentiam excusetur à peccato, patet ex dictis suprà qu. 2. art. 2. de peccato omissionis in fine nu. 35. de quo etiam potest videri Bonac. l. c.

115 Tertiò, conveniunt prætereà Doctores per vim absolutam alicui illatam excusari à peccato, dicitur autem vis absoluta, per quam homo omninò invitus ad aliquid prohibitum faciendum, vel præceptum omittendum impellitur, nihil ad hoc conferente ipsius voluntate, ut quando fœmina trahitur ad carnale peccatum committendum animo omninò repugnante, vel quis die festo violenter impeditur, ne adeat Ecclesiam ad sacrum audiendum; vis igitur absoluta in hoc sensu alicui illata à peccato excusat, & ratio est, quia ut sæpiùs dictum est, non est peccatum, nisi voluntarium; at voluntarium excluditur, & impeditur, cùm vis absoluta alicui infertur, quia is, qui per vim absolutam aliquid facere cogitur, vel omittere, non consentit; ergò &c. Verùm ne in judicando de peccatis ex hac doctrina errare contingat, advertit Reginaldus lib. 11. c. 6. in fin. ad istud violentiæ genus, per quod homo excusatur à peccato, duplicem resistentiam esse necessariam; unam ex parte voluntatis, hoc est, ut ipsa nolit violentiam inferri; si enim velit positivè violentiam inferri, aut negativè se habeat ita ut neque velit, neque nolit, sed suspesa maneat, non dicetur vim absolutè pati, nec violentiam inferri; undè si fœmina neque volens, neque nolens ad copulam carnalem trahatur, à peccato non excusatur. Alteram ex parte facultatis membrorum exteriorum, nempè, ut is qui vim patitur, quantum potest externi agentis contrà se conatum impediat, & propulset per fugam, aut clamores, aut alios externos actus ad resistendum idoneos, & accommodatos, undè si quis manu ab altero per vim arrepta trahatur ad Clericum percutiendum, & quantum potest trahenti, & vim afferenti non resistat, non excusatur à peccato, & si eum occidat, ab homicidio, quia in tali casu violentiam absolutè pati non censetur. & ità discurrit Bonacina loc. c.

116 Quartò, conveniunt etiam Doctores, nullum metum per se excusare à peccato, & ideò quando quis timore inducitur ad faciendum aliquid illicitum, quamvis per metum minuatur malitia, quia minuitur libertas; non tamen excusatur à culpa, quia sicut metus non tollit voluntarium simpliciter, ità nec liberum simpliciter ad culpam requisitum, & sufficiens, & ad summum excusari poterit quoad gravitatem culpæ, alleviatur enim peccatum ejus, qui ex metu delinquit; quod autem metus non tollat voluntarium simpliciter, probat Scot. 3. d. 15. q. un. lit. S. verf. *Hoc credo falsum*, exemplo Mercatoris merces in mare proiicientis ad evitandum naufragium; quod enim voluntas absolutè, & efficaciter vult, & exequitur, absolutè est voluntarium, & non nisi secundùm quid, seù sub conditione involuntarium; sed talia sunt, quæ ex metu fiunt, ut constat in prædicto exemplo, etenim mercator metu ductus merces in mari vult efficaciter proiicere, cum re ipsa illas proiiciat, nihil enim magis absolutè, & efficaciter volumus, quàm quod liberè, & reipsa facimus; quoniam verò huic efficaci voluntati annexa est displicentia inefficax, qua eas proiicere nollet, & de facto non proiiceret, nisi naufragium timeret; hinc est, quod ea, quæ metu fiunt, absolutè, & simpliciter sunt voluntaria, & involuntaria tantùm secundùm quid, & sub conditione; atque ideò si metu facis, quod simpliciter malum est, simpliciter, & absolutè peccas, quia operatio, quæ fit ex metu habet rationem voluntarii sufficienter ad peccatum. Notanter autem diximus nullum metum per se excusare à peccato, quia interdum potest excusare per accidens, quando, scilicet, est tanta passio metus, ut turbato judicio verè tollatur deliberatio, quæ ad peccandum requiritur, potest enim metus, quando gravis est, adeò judicium turbare, ut non sinat illud liberè operari. Est autem metus gravis, qui & cadens in constantem virum dicitur, præconcepta opinio mortis, aut alterius mali notabilis propriæ, vel propinquiorum personæ, famæ, aut fortunis probabiliter imminentis, undè ad gravitatem metus non sufficit quævis levis mali suspicio, sed requiritur præsentia, aut probabilis mali conjectura, ut jam diximus l. 4. disp. 7. *de Matrimonio* q. 4. art. 2. n. 120. & seque. ubi etiam advertimus, quod ut metus censeatur gravis, vel levis, non solùm consideranda est ratio mali, quod imminet, sed etiam personæ, & probabilitatis, nam qui levis est viro constanti, & forti, facilè censebitur gravis imbecillo, ac muliebri, quod enim viro constanti, & forti formidabile non est, fœminæ tamen, vel puero, aut seni formidandum meritò videtur, ut etiam diximus suprà disp. 4, *de Contractibus* q. 1. art. 2. n. 19.

117 Quintò addunt communiter DD. quod quamvis transgressio legis ex quocunque metu oriatur sit culpabilis, quia essentia peccati in voluntaria legis transgressione consistit, sæpè tamen contingit ob periculum alicujus mali cessare in eo casu legis obligationem, & propterea tunc sine peccato fieri, quod extrà illum casum esset peccatum; in tali autem casu opus excusatur à peccato non quia fiat ex metu, sed quia lex non obligat cum periculo talis mali, undè operatio ex talis periculi metu procedens non est transgressio legis, nec peccatum. Quando autem cesset obligatio legis ratione metus, vel periculi, communior, & probabilior Doctorum opinio affirmat, ratione mali gravis imminentis cessare primò leges humanas, quæ pendent à libera voluntate Superioris, quia non est credibile legem humanam cum tanto onere obligare, cum enim rationabiliter operetur, non censetur velle obligare cum tanto dispendio, ut v. g. audiatur sacrum, vel servetur jejunium cum periculo vitæ; si tamen observatio legis humanæ ad conservandum bonum, aut avertendum malum commune cesseria sit, quod pluris æstimatur, quàm bonum privatum, qualis est vita propria, tunc lex illa obligat cum periculo vitæ, ut si, v. g. tempore belli Dux mandet militi, quod à statione non recedat, item si perituræ sint animæ; nisi tempore pestis Pastor ægros adeat; per accidens etiam interdum accidere potest, ut lex humana obliget cum periculo vitæ, ratione alterius præcepti juris naturalis, aut divini concurrentis, ut, v. g. si quis cogere vellet transgredi Ecclesiæ præceptum in Religionis contemptum, & odium fidei. Præceptum verò legis naturalis negativum prohibens rem intrinsecè malam violare non licet, ne quidem ob metũ mortis: hac ratione mendacium in nullo periculo potest carere malitia, quia contrarie-

trarietas locutionis cum interno conceptu, in qua hujus peccati malitia fundatur, eadem ratione in quovis gravi perseverat periculo; idem dicendum de Idolorum cultu, & similibus. Notanter autem hoc dicitur de lege naturali rem intrinsecè malam prohibente, quia multæ leges etiam naturales, aut divinæ, quæ non prohibent rem aliquam intrinsecè malam, non obligant in periculo gravis damni; ut patet in primis de voto, quod licet debitum sit jure divino naturali, non tamen obligat cum periculo gravis incomodi; item de restitutione, quæ licet jure divino, & naturali sit facienda, tamen non obligat cum longè majori proprio detrimento; ac etiam de confessione, quæ licet jure divino sit antè sumptionem Eucharistiæ præmittenda, tamen non obligat simpliciter in omnibus casibus. Ità Henriquez Vasq. Suar. Sanch. Azorius, Becan. Laym. Arrag. Salas, Clavis regia, & plures alii apud Bonacinam loc. cit.

118 Postremò, in jure humano dispensatio legislatoris, vel parem potestatem habentis facta ex justa causa excusat à transgressione præcepti. & ratio est, quia cùm sit auctor suæ legis, potest quemvis ab ea excipere; undè si Petrus obtenta dispensatione aliquid faciat, quod præcisa dispensatione peccatum esset, excusatur à peccato, quia non facit contra legem cum per validam dispensationem ab obligatione legis exemptus fuerit; secùs autem dicendum, si dispensatio sit invalida, quia per talem dispensationem nullus ab obligatione legis eximitur, & consequenter neque ab ejus transgressione excusatur. Ità Doctores communiter, quis autem, quomodo, & quando validè possit dispensare constat ex dictis suprà disp. 2. de legibus qu. 6. art. 2. ubi de cessatione legis per dispensationem tractavimus. Quæres, an cessante causa dispensationis, cesset dispensatio ipsa. Affirmant aliqui, sicut enim cessat obligatio legis, quando illius causa, & ratio cessat, ità asserunt de dispensatione dicendum, quod ejus causa cessante, ipsa quoque dispensatio cesset. Negant alii, quia per illam dispensationem verè relaxata est illa lex, ac ejus obligatio extincta, ac proindè revivisere nequit, eo quod causa cessaverit. Verùm l. c. diximus in hoc puncto cum distinctione, procedendum esse, ac media via incedendum; si dispensatione redacta ad actum irrevocabilem cesset tota causa, non ideò cessat, vel vim amittit dispensatio, v. g. si dispensatum fuit in impedimento consanguinitatis propter paupertatem fœminæ, licet contracto matrimonio divitias obtineat, non est irritum, & idem est, si beneficium per dispensationem quis obtineat, & posteà cesset causa, ob quam dispensatum fuit. At si dispensatio excusabat ab observatione alicujus præcepti, quod extenditur per tempus, v. g. à jejunio in Quadragesima, vel ab horis Canonicis diurnis propter ægritudinem, tunc cessante causa, cessat quoque dispensatio, quia nimirum ab initio supponitur data durante causa infirmitatis, & pro singulis illis diebus, quibus durabat infirmitas.

QUÆSTIO SEPTIMA.

De effectibus peccati.

119 POst completam tractationem de causis peccati, nunc de ejus effectibus agendum est, certum enim est, ut colligitur ex pluribus S. Scripturæ locis, ac Patrum testimoniis peccatum aliquos habere effectus; quamvis enim peccatum pro formali sit nihil, aut privatio; pro materiali tamen actum positivum importat, & ità ratione illius aliquem potest habere effectum; imò etiam pro formali inspectum adhuc aliquos potest habere effectus etsi non physicè, saltem moraliter, ut ex dicendis patebit, de his igitur effectibus in præsenti quæstione breviter est discurrendum.

ARTICULUS PRIMUS.

Quinàm sint peccati actualis effectus.

120 PRimò certum est, ac de fide per peccata actualia, & personalia singulorum amitti dona Dei gratuita, atque adeò effectum esse peccati donis gratuitis spoliare; ità per peccatum mortale amittitur gratia habitualis sanctificans, & charitas, qui non sunt habitus, vel virtutes realiter distinctæ, sed una, & eadem virtus, ut ex professo ostendimus l. 2. sent. disp. 7. *de Justificatione qu. 6.* ex Scoto 2. d. 27. ubi statuimus gratiam habitualem non esse habitum realiter à Charitate distinctum, sed tantùm ratione, ità nimirum, quod quatenus nos Deo facit gratos dicitur gratia sanctificans, quatenus verò nos inclinat, & pronos facit ad Deum diligendum Charitas appellatur; quod evidenter deducitur ex Concil. Trident. sess. 6. c. 7. ubi dicitur hominem impium justificari *dum per Spiritum Sanctum Charitas Dei diffunditur in corde ipsius*, quibus verbis fieri mentionem de gratia sanctificante de se patet, quæ per peccatum mortale amittitur; habitus verò fidei amittitur per peccatum infidelitatis, & habitus spei per peccatum desperationis. Quamvis autem per peccata venialia hæc dona non amittantur, solùm enim mortale est, quod ob sui gravitatem, gratiam, & amicitiam cum Deo solvit, & destruit, pœnamque inducit æternam; adhuc tamen per peccatum veniale, ut communiter docent Theologi fervor charitatis minuitur, & aliqua temporalis pœna inducitur. Rursus docent Theologi peccata actualia auferre, vel impedire plurima auxilia divinæ gratiæ, quæ ad benè operandum conferri solent, quoniam illis per peccata obicem ponimus. Imò aliqui existimarunt peccata adeò augeri posse, ac multiplicari, ut Deus quibusdam omne auxilium deneget in perpetuum. Communis tamen, & vera Theologorum sententia est, ac divinæ pietati valdè consona, peccatoribus quibuscunque quamdiù in hac vita morantur, auxilia ad pœnitentiam sufficientia nunquam denegari, ut diximus l. 1. sent. disp. 5. de divina prædestinatione, & r. probatione.

121 Secundò, certum est etiam effectum peccati esse maculam quandam, & deformitatem, quam anima per peccatum contrahit, & quæ transacto ipsius peccati actu in ea remanet, donec justificetur, ità expressè colligitur ex S. Scriptura Josue 22. *Usque in præsentem diem macula hujus sceleris in vobis permanet*, Jerem. 2. *Maculata es* in iniquitate *tua coram me, dicit Dominus*. Eccles. 31. *Qui inventus est sine macula*, & ex aliis Script. turæ locis, in quibus peccatores appellantur immundi, coinquinati, sordidi, & ex Patribus, qui eodem modo loquuntur. Conveniunt autem Doctores hanc maculam esse habituale peccatum, quod transacto actu peccati remanet in pecatore, & consetur durare, ac perseverare, quousque per pœnitentiam deleatur, & dicitur habituale peccatum eo quod veluti habitualiter remanet in anima post peccatum actu commissum; undè peccatum istud habituale distinguendum est à vitioso habitu, seù à prava illa inclinatione, & propensione, quæ in anima generatur ex actibus peccati frequentatis, ac sæpiùs repetitis, & in ea remanet etiam postquam ipsa peccati macula per infusionem gratiæ deleta est, nec tollitur nisi per contrarios virtutis actus, & sæpè repetitos. Quid autem hæc macula importet, seù habituale peccatum sic sumptum variæ sunt Theologorum sententiæ, quas sigillatim, & accuratè examinavimus l. 2. sent. disp. 6. cit. q. 9. de macula, seù peccato habituali. Communis tamen, & valdè celebris sententia in schola Thomistarum est, peccatum habituale formaliter consistere in privatione nitoris, & pulchritudinis animæ, seù gratiæ, ex D. Tho. p. 2. qu. 76. ar. 1. & 2. licet non omnes eam eodem modo explicent, ac defendant. Verùm peccatum habituale non posse in sola, ac nuda privatione gratiæ constitui probavimus evidenter q. c. a. 1. ex Sco. 2. d. 37. §. *Istæ quæstiones* quia hinc sequeretur peccatum secundum se non esse peccatum, quia non privaret hominem gratia, quæ per primum supponitur totaliter ablata; & omnia peccata habitualia essent ejusdem speciei, quia omnis privatio gratiæ est ejusdem speciei, cùm omnes privationes non aliundè distinctionem sumant, quàm ab habitibus, quibus privant.

Confirmatur in præsenti, quia privatio gratiæ propriè loquendo spectat ad primum effectum peccati jam assignatum, qui est spoliare hominem donis gratuitis; ergò macula, qui est alter effectus peccati, & quam importat habituale peccatum, non potest adæquatè constitui in sola, ac nuda privatione gratiæ; undè non satis consequenter ad principia nostra Vulpes d. 146. a. 1. & 2. maculam habitualem causatam per peccatum in anima constituit in privatione gratiæ.

122 Tertiò itaque ex dictis qu cit. art. 6. in declaranda vera, ac germana Scoti sententia de peccato habituali, in quo consistit macula habitualis, de qua est sermo, dicendum est formale constitutivum peccatoris esse reatum quendam, seù quandam obligationem ex actu peccaminoso contractam, qua statim ac aliquis peccat, realiter obligatur ad pœnam peccato correspondentem, quousque pœna illa soluta fuerit, vel remissa. Ità clarissimè loquitur Doctor 4. d. 14. quæst. 1. art. 1. qui modus loquendi, ut rectè intelligatur, neque Adversariorum censuris sit obnoxius, advertendum est, ut ibi diximus, quod per hujusmodi reatum, & obligationem ad pœnam duo intelligi possunt, nempè vel ordinatio, & deputatio ad pœnam, quæ est denominatio extrinseca, aut relatio sumpta ab actu divinæ voluntatis, quo peccator ob actum peccaminosum præcedentem deputatur ad pœnam illi debitam; vel denominatio extrinseca, aut relatio ab actu ipso peccati præterito desumpta, quę est dignitas pœnæ, vel deputationis, ac ordinationis ad pœnam, quatenus eo ipso, quod homo peccavit, redditur dignus ex ipso actu peccati, quod ordinetur ad pœnã. In primo sensu talis obligatio ad pœnam dicitur simpli-

simpliciter, & absolutè reatus pœnæ; at in secundo sensu propriè dicitur reatus culpæ, cui veluti passio consequitur ad ipsum actuale peccatum, & manet moraliter, vel habitualiter in peccatore etiam actu peccaminoso physicè præterito; quando igitur Doctor loc. c. statuit formale constitutivum habitualis culpæ in reatu, & obligatione ad pœnam peccato correspondentem, non loquitur de reatu primo modo inspecto, quo sensu simpliciter, & absolutè dicitur reatus pœnæ, sed loquitur de reatu in secundo sensu, quo pacto dicitur reatus culpæ, undè secundùm Scotum macula, quæ est alter effectus peccati, de quo hic loquimur, non consistit in obligatione ad pœnam consequente actum divinæ ordinationis, sed consequente actum ipsum peccati, quæ proindè dicitur dignitas pœnæ.

123 At obiiciuntur Adversarii, quod per habitum gratiæ sanctificantis formaliter homo constituitur mundus, sanctus ac Deo acceptus; ergò per privationem illius erit formaliter immundus, & maculatus, & hoc est eorum præcipuũ fundamentũ.

Respondemus quæst. cit. ar. 8. gratiam posse dupliciter considerari, vel materialiter, ut est habitus quidam supernaturalis, vel formaliter sub ratione gratiæ, quam formalitatem non participat, nisi quatenus per eam homo ordinatur ad Deum, ut ad finem supernaturalem, & habet jus ad gloriam; undè privatio è contrà gratiæ in tantùm est macula animæ, inquantum eam tali jure privat; si autem tali jure privari est macula animæ, tantò magis ordinari ad pœnam damnationis erit ejusdem macula; itaque ordinatio ad gloriam est formaliter animæ mundities, & pulchritudo, & ordinatio ad pœnam è contrà est immundities, & turpitudo; quoniam ex divina ordinatione hujusmodi formales effectus non exercentur modò, nisi mediante habitu gratiæ, & ejus privatione; ideò dicebamus ibidem privationem gratiæ materialiter saltem, & concomitanter ad constitutionem habitualis culpæ concurrere, non autem formaliter ob plures rationes loc. cit. adductas.

124 Quartò, præter reatum culpæ, in quo macula habitualis consistit, est etiam alter peccati effectus, qui dicitur reatus pœnę, ut patet ex modo dictis, certum est enim pœnam aliquam peccatis hominum ex divina justitia esse decretam justà illud Matth. 5. *Qui dixerit fratri suo fatue, reus erit gehennæ ignis,* & *Rom. 2. Tribulatio,* & *angustia in omnem animam hominis operantis malum*. Hæc autem pœna, cùm justè à Deo sit decreta, supponit peccatorem illa dignum esse, illiusque reatum per peccatum incurrere; reatus verò pœnæ duplex est, unus dicitur reatus pœnæ æternæ respondens peccato mortali nondùm remisso; alter est reatus pœnæ temporalis respondens peccato veniali, aut mortali jam deleto, pro quo nondùm satisfactum est; undè patet omne peccatum inducere reatum pœnæ non solùm quoad dignitatem, idest, quod omne peccatum sit pœna dignum; sed etiam quoad ordinationem voluntatis Dei; & deputationem ad pœnam, hoc est, quod nullum peccatum absque sufficienti recompensatione relinquetur. Verum est tamen, ut notat Auersa q. 87. sec. 1. non omnia peccata de facto plectenda esse, quantum in se merentur, siquidem Deus ex sua misericordia peccata remittit, & homo etiam per Dei gratiam satisfacit, ne patiatur pœnam pro peccatis alioquin sibi debitam, ut constabit ex dicendis inferius de Sacramento pœnitentię. Quarè dicendum est nullum peccatum absque sufficienti recompensatione relinquendum esse; quia nimirum pro omni peccato vel subire pœnam oportet illi debitam, vel exhibere Deo satisfactionem pro pœna æquivalentem, considerata etiam superabundanti Christi satisfactione pro peccatis omnibus, quæ nobis ex divina misericordia remittuntur. & ratio est quia ordo divinæ justitiæ petit, ut nulla culpa absque pœna, vel satisfactione proportionata reliquatur.

125 Quintò ad dignoscendum, quanta sit pœna cuicunque actuali peccato divinitùs decreta, cum distinctione procedendum est; si enim de peccato mortali sit sermo, certum est, ac de fide unicunque peccato mortali pœnam æternam, tàm damni, quàm sensus esse constitutam. & quidem de pœna damni, quæ in beatificæ visionis privatione consistit, satis constat ex illo Mat. 8. ubi de reprobis, & peccatoribus dicitur, quod *eiicientur in tenebras exteriores*, de pœna verò sensus ex eodem S. Mat. 15. *Ite maledicti in ignem æternum*, de qua pœna fusè tractavimus lib. 2. *sent. d. 3. de Dæmonibus qu. 6.* ubi etiam advertimus, quod cùm in S. Scriptura dicitur, pœnam æternam cuicunque peccato mortali esse constitutam, non solùm de perpetuitate ipsarum pœnarum quantùm ad durationem, & extensionem id est intelligendum, sed etiam de earundem pœnarum intensione, & immutabiliter, it aut nulla earum immutationem damnati unquam habebunt, ut deducitur ex illo Isaiæ c. ult. *Vermis eorum non morietur,* & *ignis non extinguetur*. Qua verò ratione justè Deus ob unicum peccatum mortale, quod aliquando brevissimum, & quasi momentaneũ est, pœnam æternam decreverit, & statuerit jam declaratum est 2. d. 6. *de peccatis* q. 7. a. 2. n. 195. ex Scot. 3. d. 19. qu. un. ad 3. & 4. d. 50. in fine, ubi ait pœnam peccato mortali correspondentem non esse infinitam intensivè, sed extensivè, & quoad durationem tantùm, neque infinitæ pœnæ duratio correspondet peccato mortali ex propria natura, inquit Doctor, quia posset Deus absolutè loquendo aliquam peccato mortali infligere pœnam, quæ si tantùm duraret per momentum, adhuc sufficienter peccatum puniret, sed hoc accidit ex ordinatione divina sic disponente, quia enim culpa, & peccatum durat in obstinata damnatorum voluntate, ideò quoque pœna durat, ut docet D. Augustin. de fide ad Petrum circà medium dicês; *per manente in eis injustæ affectionis malo, permanet eis justæ retributionis damnatio*. Hoc autem non ità intelligendum est, ideò damnatos æterna pœna puniri, quià actu demereãtur, postquam sunt in termino, neque quod actu puniantur propter illam malam voluntatem, cùm enim sint in termino, non sunt in statu nec merendi, nec demerendi, sed ità intelligi debet ut, ibi explicavimus, quia quando erant in via, fuerint in causa, ut quantum esset ex se ipsis, in tali statu semper permanerent, undè duratio illa in æternum in peccato est voluntaria in causa, dùm voluntariè decesserunt in tali statu, in quo pœnitentiam agere non possunt, & ideò proportione servata etiam pœna est in æternum duratura, quod Doctor in 4. d. 46. qu. 4. ad 2. explicat exemplo de servo se in foveam proiiciente, è qua non possit nisi Domini auxilio exire, sic enim quantum est ex se voluntatem habuit interpretativam manendi semper in tali statu. Solet etiam alia ratio assignari æternitatis pœnæ, & est quia maximè expedit, ut peccata gravia, qualia sunt mortalia, vitentur, si enim esset spes finis pœnæ, non multo curarent homines de illa. Ità discurrimus loc. cit.

126 Deniq; si de peccato veniali sit sermo, certum est de fide peccata venialia justorum, neque in hac vita, neque in futura punienda esse pœna æterna, sed solummodò temporali, sicut etiam de fide certum est homines justos in accepta justitia usque ad mortem perseverantes æterna beatitudine non esse privandos. Solùm est difficultas de peccatis illis venialibus, cum quibus peccatores, & reprobi ex hac vita decedunt, an, scilicet veniale mortali conjunctum puniatur in Inferno pœna æterna. Affirmant Thomistæ cum D. Thoma qu. 87. a. 5. ad 3. pœnam illam fore æternam, non tàm ratione gravitatis, quàm irremissibilitatis ipsius peccati venialis ratione conjunctionis cum mortali, cùm in Inferno nullus neque remissioni, neque redemptioni sit locus. Negant Scotistæ cum Scoto 4. d. 15. quæ. 1. & d. 21. quæst. 1. asserentes peccatum veniale sivè in hac vita dimissum quoad culpam, sivè non sola temporali pœna etiam in Inferno puniri, licet cum mortali conjunctum, atque ideò veniale in Inferno dimitti posse, nedùm quoad pœnam, sed etiam quoad culpam. Hanc quæstionem ex professo tractavimus l. 2. d. 6. c. q. 7. ubi statuimus peccata venialia in Inferno non puniri pœna æterna sensus, sed tandem eorum pœnam finiri, & quidem de veniali in hac vita remisso quoad culpam, non verò quoad pœnam, hoc docet etiam D. Th. 4. d. 22. q. 1. art. 1. & ratio est, quia qui solvit rem, quam debet, à debito illius omninò liberatur; ergò damnatur, qui totam tẽporalem pœnam veniali correspondentem patitur in Inferno, verè liberatur à debito illius pœnæ, cũ, passione illius solvat, & patiatur totum, quod solvere, & pati debebat. Nec obstat, quod in peccato mortali existat, quia Deus semper punit citrà condignum, & estò quod secundùm rigorem justitiæ puniret ad condignum, omninò injustum esset æternam pœnam infligere pro veniali in hæc vita remisso, cui secundum se pœna temporalis deberetur. Idem dicendum est etiam de peccato veniali non remisso quoad culpam, scil. non puniri æterna pœna sensus, quia peccatũ veniale, quamvis non remissum quoad culpam, tantùm est dignum pœna temporali, & determinata quam verè solvit qui patitur in Inferno, & passione illius temporalis pœnæ extinguitur debitum, seù dignitas illius pœnæ.

227 Neque obstat, solutione pœnæ apud Deum debere esse satisfactoriam, passionem autem pœnæ debitæ damnatorum in Inferno satisfactoriam non esse apud Deum; aliàs in hac vita per pœnalitates impatienter toleratas pœnam restantem ex peccatis remissis quoad culpam solveremus. Non obstat, inquam quia etiam passione non satisfactoria quod potest apud Deum solvi pœna imò, & pœnalitatibus in hac vita etiam impatienter toleratis, si in punitionem peccati à Deo immittuntur, & ordinantur, loc. c. latè ostendimus. Sensus verò illius catholici axiomatis, quod in Inferno nulla est redemptio, ut etiam ibi diximus art. 2. est, quod nulla est spes indè evadendi, sivè ibi aliquod veniale remitti possit, aut aliqua pœna venialis, etiam moralis jam hìc dimissi, sivè non. Alias verò objectiones contrà hoc nostrum assertum vide solutas loc. cit. ubi etiam differimus, an veniale in Inferno remitti possit, nedùm quoad pœnam sed etiam quoad culpam, quod est difficilius.

ARTICULUS SECUNDUS.

An peccatum diminuat bonum naturæ, seù inclinationem naturalem ad bonum.

128 CErtissimum est, ac de fide per omnia peccata lædi quodammodò naturam, ità enim expressè ex S. Scriptura colligitur, quæ ad hanc læsionem explicandam variis utitur nominibus infirmitatis, corruptionis, vulneris, plagæ, & similibus, ut Psal. 37. *putruerunt, & corruptæ sunt cicatrices meæ à facie insipientiæ meæ*. Psal 40. *Sana animam meam, quia peccavi tibi*. Jere. 17. *Sana me Domine, & sanabor*. Ezech. 18. *Anima, quæ peccaverit, ipsa morietur*. Matth. 9. *Non est opus valentibus medico, sed malè habentibus*. Sic etiam loquuntur Concilia, & Patres, undè in Concil. Arausic. 2. can. definitum est, per peccatum totum hominem *secundum corpus, & animam in deterius commutatum*, & in Trident. sess. 6. cap. 1. liberum arbitrium per peccatum mansisse *viribus attenuatum*. Ratio etiam id suadet, quia omne peccatum naturam dedecet rationalem, & dicitur esse contrà naturam; ergò hac saltem ratione naturam aliquo modo lædit. Et conveniunt Theologi, & Patres specialiter per peccatum originale valdè læsam esse humanam naturam, quod etiam expressè ex S. Scriptura deducitur, nam Genes. 2. dicitur hominem per peccatum mortem incurrisse, ubi nomine mortis intelliguntur etiam ægritudines, & aliæ hujus vitæ miseriæ, & ærumnæ, & c. 3. dicitur hominem propter peccatum factum esse subjectum laboribus, doloribus, & aliis hujus vitæ molestiis, quibus omnibus certè læditur humana natura; & cap. 6. & 8. expressa est inclinatio humanæ naturæ ad malum, & ipsius naturæ deordinatio propter peccatum, quod etiam suadet ratio, nam cùm Dei perfecta sint opera, credibile non est tantam motuum perturbationem, & repugnantiam, tantamque inclinationem ad malum humanæ naturæ, quanta in hoc statu cernitur, in ipso primo statu, quo Deus hominem condidit, extitisse, sed aliquo peccato ipsius accidisse, quo natura vitiata, & depravata fuerit; quæstio ergò solùm est, quæ, & qualis corruptio naturæ, & boni ejus diminutio sit effectus peccati, & quomodò.

129 Primò itaque conveniunt Theologi per peccatum non tolli, neque corrumpi ullam perfectionem intrinsecam, & naturalem ipsius hominis; cùm enim D. Dyonisius c. 4. de divinis nominibus asserat etiam in Dæmonibus naturalia mansisse integra post peccatum, hoc idem Theologi consequenter asserunt de hominibus. & ratio est, quia perfectiones naturales hominis, & ei intrinsecæ sunt ab ipsa natura humana inseparabiles; ergò nequit esse effectus peccati illarum corruptio, vel diminutio; tùm quia, ut constat ex superiùs dictis, peccatum essentialiter est tantùm privatio rectitudinis actui debitæ; solùm ergò illi opponitur, ac per consequens perfectione naturales homini intrinsecæ per illud non corrumpuntur; nec ulla perfectio, vel potentia humanæ naturæ debita naturaliter dici potest per peccatum aboleri per se loquendo; quod notanter additur, quia ut advertit Aversa q. 85. sect. 3. ex accidenti fieri potest, ut aliquis naturali quadam perfectione deficiat; sic enim post primi parentis lapsum multi nascuntur monstruosi, & absque aliquo corporis membro, cùm tamen in statu innocentiæ omnes integri, & perfecti nati fuissent. Corruptio itaque naturæ humanæ per peccatum primi parentis originata consistit in dissolutione illius ordinis, sivè harmoniæ, quæ dono justitiæ originalis constabat, ut & corpus animæ, & sensualitas rationi, & ratio Deo plenè subiiceretur; quapropter propriè, & formaliter loquendo naturæ corruptio ex peccato originali contracta est defectus illius facultatis, quam ex justitiæ originalis supernaturali dono natura humana habebat ad exequendum sine ulla difficultate officium naturale virtutum earum, quarum actiones lege naturæ præcipiuntur, & præscribuntur; munus enim justitiæ originalis in statu innocentiæ erat, ut declaravimus l. 2. disp. 4. qu. 5. de peccato originali art. 5. num. 127. comprimere motum, & rebellionem potentiæ inferioris circà proprium bonum delectabile; hac enim de causa voluntas, ut ait D. Anselm. ibi citatus, amissa justitia originali, quæ erat frænum ipsius, facit actus inordinatos, & sequitur appetitum sensitivum inordinatè, & contrà rationem debitam; & quoniam illa facultas, quam justitia originalis per modum fræni præstabat, in quatuor potentiis inerat, intellectu, scilicet, voluntate, concupiscibili appetitu, & irascibili, idcircò Patres, & Theologi dicunt naturam humanam ex originali peccato quatuor vulnera accepisse, scilicet, ignorantiam in intellectu, malitiam in voluntate, concupiscentiam in appetitu concupiscibili, & infirmitatem in irascibili, ut infrà dicemus, & declarabimus.

130 Secundò, conveniunt præterea Doctores per peccatum originale, & per peccata etiam actualia aliquo modo minui perfectionem naturalem, seù inclinationem naturalem ad bonum honestum operandum, ità enim deducitur ex illo Job. 8. *factus sum mihi metipsi gravis*, idest, difficilis ad benè operandum & ex illo Psalm. 17. *corrupti sunt, & abominabiles, non est, qui faciat bonum*, ac etiam ex verbis relatis Tridentini, non enim dici potest liberum arbitrium viribus atenuatum propter peccatum, nisi propter diminutionem aliquam inclinationis naturalis ad bonum honestum operandum. Non tamen omnes eodem modo rem explicante, aliqui enim velle videntur hanc diminutionem inclinationis naturalis ab bonum fieri propriè, & intrinsecè eo modo, quo minuitur quantitas per ablationem alicujus partis, & qualitas per ablationem gradus, & ità sentire videntur D. Th. qu. 85. c. & D. Bonav. 2. d. 35. art. 1. & 2. quem dicendi modum Scot. reiicit 2. d. 37. §. *Istæ quæstiones*, ac etiam alii communiter, quia propriè, & intrinsecè minui est per ablationem alicujus partis, vel gradus formæ, quæ dicitur minui, ut dictum est, & illud quod diminuitur per ablationem alicujus internæ partis, potest denique omninò tolli, si illa actio iterum, atque iterum repetatur, sed inclinatio naturalis ad operandum bonum honestum, si radicaliter sumatur, est ipsa animæ substantia; si proximè, est ipsa potentia intellectus, vel voluntatis, quæ non susciptiunt magis, & minus, quod auferri, vel addi possit; ergò non potest intrinsecè minui.

Confirmatur, quia si per peccatum diminuitur intrinsecè inclinatio naturalis ad bonum, multiplicatis peccatis tandem omninò tolleretur, ac per consequens post plura peccata commissa destrueretur anima, intellectus, voluntas, & c. & procedendo in peccatis æqualibus, vel majoribus sequitur, quod natura humana tandem totaliter consumeretur, quia omne finitum per ablationem finiti tandem consumitur, ut ait Doctor l. c. ergò corruptio, vel diminutio naturæ, seù naturalis inclinationis ad bonum honestum operandum, quæ est effectus peccati, non potest consistere in tali diminutione intrinseca hujus naturalis inclinationis.

131 Tertiò itaque dicendum est cum communiori opinione quæ est Scoti l. c. per peccatum non diminui inclinationem naturalem ad bonum honestum intrinsecè, sed tantùm extrinsecè, hoc est, non per ablationem alicujus intrinseci, sed per appositionem alicujus impedimenti, propter quod reddatur difficilis, vel minus idonea ad operandum, qua ratione dici potest diminui potentia visiva per appositionem alicujus veli ante oculos, vel etiam per augumentum contrarii, qua ratione, si ex duobus exercitibus contrariis, qui primò erant æquales, unus posteà augeatur, alter, qui non est actus, minorari dicitur, & fieri minus potens, & eadem ratione, si duo corpora priùs essent æqualia, & uni aliquid adjungeretur alterum jam esset minus alio, non per ablationem alicujus partis, sed quia alterum per additionem partis alicujus majus factum est. Hoc igitur modo dicendum est per peccatum diminui inclinationem naturalem ad bonum honestum operandum, nam diminui aliquam inclinationem extrinsecè est reddi difficiliorem. & minus idoneam ad suum finē, vel effectum per appositionem, sc. alicujus impedimenti extrinseci, vel per augumentum contrarii, sic autem per peccatum diminuitur inclinatio naturalis ad bonum honestū, quia per quodcunque peccatum sivè mortale, sivè veniale producitur aliqua dispositio, vel habitus ad similes actus peccaminosos, quod est impedimentum ad benè operandum. & rursus per talem dispositionem, vel habitum contraria inclinatio ad malum crescit, & augetur, sicut enim per actus bonos augetur, & roboratur inclinatio naturalis ad bonum honestum, ità per malos, & peccaminosos diminuitur saltem extrinsecè. Et in hoc sensu etiam Vulpes noster d. 145. a. 1. exponit dictum Tridentini, quod per *peccatum liberum arbitrium hominis est attenuatum*, nimirum quatenus exrinsecè tantùm ob pœnalem dependentiam in operando à sensibus dicitur liberum arbitrium nostrum pronum, & inclinatum, sed non extinctum, quia nihil intrinsecè ex natura potentiæ est ablatum, nec datur alius habitus vitiosus in nobis, nisi extrinsecè acquisitus impediens tantùm exercitium naturalis inclinationis nostri rationalis appetitus ad virtuosè agendum, secundùm ordinationem rationis, & sic etiam mentem D. Tho. interpretantur ejus Expositores, specialiter Montesin Casp. Vasq. Tanner. Lez. Aversa, & alii passim, & cum Scoto conciliari procurant, quandò enim Scotus dicit inclinationem hominis ad bonum non minui per peccatum, de interna diminutione intelligi debet, ut ejus verba sonant, & quando D. Thomas, & D. Bonav. dicunt hominis inclinationem diminui per peccatum intelligi debent de diminutione extrinseca jam declarata. Hic tamen advertendum est, quod si per inclinationem naturalem ad bonum honestum intelligatur illa, quæ per virtutes aquisitas præstatur, posse in hoc sensu dici aliquandò minui etiam intrinsecè per peccatum actuale, & personale, cum enim per hoc introducatur interdum habitus, vel dispositio virtuti aquisitæ

quisitæ contraria, consequenter talis virtus quoad aliquem gradum diminuitur, quod est intrinsecè diminui modo jam explicato.

132 Quartò conveniunt etiam Doctores, quatuor esse vulnera, quæ in natura oriuntur ratione peccati, scilicet, ignorantiam, malitiam, concupiscentiam, & infirmitatem, & colligitur, ut Scotus advertit 2.d.37.cit.q.un. suprà F. ex parabola. Lucæ 10. de illo, qui *descendebat ab Jerusalem in Jericho, & incidit in latrones, qui despoliaverunt eum, & plagis impositis abjerunt semivivo relicto*, hic enim homo, ut passim Patres exponunt, symbolum est hominis, qui post peccatum non solùm manet spoliatus gratuitis, sed etiam vulneratus in naturalibus, quod non est ità intelligendum, ut explicat Doctor lo.c. quasi natura humana fuerit per peccatum positivè vulnerata, sed tantùm privativè, quia nimirum per peccatum justitia originali expoliata fuit, per quam omnes potentiæ erant unitæ, & conformes, & inferiores subjectæ superioribus, & obedientes; post peccatum autem divisæ manserunt, & dissidentes, hæc autem potentiarum divisio, seù vitium inferiorum à superioribus discontinuitas metaphoricè vulnus appellatur, metaphora desumpta ex vulnere in animalibus, in quibus vulnus nihil aliud est, quàm partium unitarum divisio, & discontinuatio; qui enim vulneratur, inquit Doctor, nullam sui partem amittit, sed tantùm solvitur continuitas determinatæ partis corporis, ut fiat inhabilis ad operationes suas. Ex hac autem potentiarum divisione, & discontinuitate quatuor prædicta vulnera sunt in potentiis animæ causata, ut notat Vulpes disp. cit. art. 3. ignorantia in intellectu, ut intelligens dependenter à phantasmatibus confusis multa ignoret sibi pertinentia, & deficiat in considerando, ea, quæ movent ad piè vivendum; malitia in voluntate, ut ex propria libertate inclinetur potiùs ad sequendum quodlibet, quam quod recta ratio dictat; concupiscentia in appetitu sensitivo, qua inclinatur in bonum sensui delectabile, cui sæpiùs peccatum conjungitur; & infirmitas in irascibili; qua infirmata est ad vincendas tentationes, & aggrediendum bonum arduum, quod est ejus objectum, prout deberet, magis enim timet mortem, aut aliud damnum corporale, quam peccatum; quamvis autem hæc quatuor vulnera præcipuè sint effectus peccati originalis, ut suprà dictum est, quia per illud amissa est justitia originalis, quæ potentias inferiores superioribus subiiciebat, & obedientes reddebat; nihilominus sunt etiam suo modo peccati actualis, & personalis effectus, ut docet D. Th. q. 85. c.a. 3. nam per illud ratio hebetatur, & obscuratur in agendis, voluntas induratur ad bonum, & major difficultas benè agendi accrescit, & concupiscentia magis exardiscit.

133 Quintò tandem conveniunt Doctores esse etiam effectum peccati privationem speciei, modi, & ordinis, ut docet D. Tho. q. cit. a. 4. & Scot. in reportatis 2.d. 35. q. 1. a. 2. ex D. August. de natura boni c. 3. & 4. & in Enchiridio c. 6. Hoc autem ità declarat Vulpes disp. cit. art. 4. quia cùm peccatum formaliter sit privatio rectitudinis debitæ, & concordiæ cum sua regula in actu humano, ideò ponitur privatio speciei, quia species est gradus positivus humani actus, scilicet, formalis ejus pulchritudo consistens in integritate omnium sibi convenientium secundùm ordinationem regulæ rationis, quam aufert formaliter peccatum; ergò est privatio speciei in humano actu. Deindè in hac conformitate cum sua regula consistit formaliter quoque modus humani actus, quia revera est conformitas ejus cum suo exemplari; ergò peccatum est privatio prædicti modi in actu humano. Tandem peccatum est formaliter, vel virtualiter demeritoriè aversio ab ultimo fine; ergò est etiam privatio ordinis, qui in humano actu est conversio formalis, vel virtualis ad Deum.

134 Postremò est difficultas, an unum peccatum possit esse pœna alterius, de qua fusè agunt Faber noster de pœnitentia, disp. 8. c. 9. & Vulpes d. 147. art. 2. & Scotus 2. d. 36. adducitur pro parte affirmativa ac etiam D. Bonavent. ibid D. Th. autem pro parte negativa q. 87. a. 2. Quia tamen quæstio potiùs videtur de nomine, quam de re, ut ait Lezana disp. 20. q. 6. breviter dicendum est unum peccatum esse posse pœnam alterius, non ratione malitiæ moralis, sed ratione alicujus mali adjuncti, præsertim verò denegationis auxilii efficacis, quæ in omni peccato prosupponitur. Ratio est, quia pœna est effectus justitiæ vindicativæ, ac proindè debet esse tale malum, quod Deus possit intendere, & efficere; sed malitia moralis non est hujusmodi; ergò secundùm se à justitia vindicativa Dei procedere nequit, sed solùm ratione mali adjuncti in punitionem peccatoris, & præsertim ratione permissionis, & denegationis auxilii efficacis, quod Deus sæpè denegat propter peccata præcedentia. & in hoc sensu dixit Scot. l.c. peccatum esse posse pœnam peccati, ut patet ex his, quæ habet d. 37. in fine solvendo argumentum in oppositum, quod erat tale: omnis pœna justa est à Deo, nulla autem culpa est à Deo; ergò nulla culpa est pœna peccati. Respondet Doctor, quod quædam pœna est positiva, sicut calor excellens est disconveniens carni, & tali potest esse à Deo efficiente; alia est privativa; cujusmodi est peccatum, & talis non est à Deo efficiente, sed deserente, idest, naturam, quæ deficit, delinquente in suo defectu, & in omnibus defectibus consequentibus ad illum defectum, ubi includuntur multæ carentiæ perfectionum convenientium tali naturæ, & sic concludit Doctor quod pœna, quæ est peccatum, non est à Deo efficiente, vel deficiente primò, sed tantùm est à Deo deserente voluntatem ratione primi demeriti, quæ deserta à Deo cadit in secundum demeritum. Ita discurrit Doctor l. c. ex quibus verbis patet ipsius mentem esse, quod peccatum ratione malitiæ moralis, & secundùm se nequeat esse pœna peccati præcedentis, sed solùm ratione mali adjuncti, scilicet ratione permissionis, & denegationis auxilii efficacis, quod Deus sæpè denegat propter peccata præcedentia. Quem dicendi modum ad unguem sequitur Casp. d. 6. sect. 6. cum pluribus aliis recentioribus.

135 Sed obiicies, Scotum paulò superiùs §. *Ad quæstionem tertiam* docere, quod unum peccatum potest esse pœna alterius etiam ratione malitiæ moralis, & quatenus est carentia boni convenientis voluntati secundùm affectionem justitiæ; quod probat, quia ablatio boni commodi pœna est, quia conveniens ei; sed bonum justitiæ est magis conveniens voluntati, quàm bonum commodi; igitur ejus ablatio per se est pœna, si enim privatio boni utilis, & delectabilis potest habere rationem pœnæ, tantò magis privatio boni honesti, siquidem non minus est hoc disconveniens naturæ rationali, quàm illa, imò magis. & hoc confirmat Doctor per vulgatum illud Aug. dictum lib. 1. Confess. c. 12. *Jussisti Domine, & ità est, ut animus inordinatus pœna sit sibi*. Respondetur cum Lezana l.c. hoc tantùm probare, quod lato modo loquendo potest unum peccatum dici pœna alterius; quia ad hoc, ut aliquid habeat rationem pœnæ lato modo sumptæ, sufficit quod illud sit disconveniens naturæ rationali, & illi occasione peccati proveniens; sed peccatum etiam formaliter inspectum ratione malitiæ est contrarium, & disconveniens naturæ rationali, & occasione alterius peccati illi proveniens; ut probat argumentum adductum; potest ergò habere rationem pœnæ lato modo sumptæ; non autem propriè, & in rigore, ut est effectus virtutis justitiæ vindicativæ, quia ad hoc requiritur, ut possit infligi ab eo, qui culpam punit, & quod honestè possit à Judice justo amari, & appeti. Deus autem non potest infligere peccatum quoad malitiam, nec illud, ut sic, amare, aut appetere, dicitur enim Abacuch. *Mundi sunt oculi tui, ne videant malum;* erit ergò solùm pœna lato modo sumpta, & in hoc sensu duntaxat loquitur Doctor l.c. & ideò rectè ait Lez. loc. cit. hanc quæstionem potiùs esse de nomine, quàm de re; & hoc etiam modo ait Aversa q. 87. sect. 3. duas relatas sententias conciliari posse.

QUÆSTIO OCTAUA.

De peccatis capitalibus in specie.

136 EGimus hucusque in præcedentibus quæstionibus de peccatis in generali, modò in hac ultima quæstione ad specialia descendendum est, & præsertim discurrendum de septem peccatis capitalibus, quæ sunt superbia, avaritia, luxuria, invidia, ira, gula, & acedia, & capitalia dicuntur, quoniam ab his alia peccata oriuntur; & instar capitis, quod influit in membra, ipsa etiam influunt in alia peccata, ut docet D. Greg. 35. mor. c. 31. & notant hic graves DD. hæc septem non debere appellari peccata mortalia, ut apud multos est in usu, sed capitalia, tùm quia non omnia sunt mortalia ex genere suo, ut ex dicendis constabit; tùm quia rudes homines, cum ista tantùm peccata audiunt vocari mortalia, credunt ista sola mortalia esse, nec dari alia peccata mortalia, quod est falsum, nam sunt alia etiam peccata contrà Decalogi præcepta, & ideò ait Scotus 2. d. 42. q. 5. quod secundùm rationem formalem peccatorum divisio ista septimembris non est sufficiens; imò quod esset per se accipienda distinctio peccatorum, vel ex carentia, vel ex obliquitate præceptorum, ita quod sicut sunt decem præcepta, ità sint decem peccata capitalia; & posset etiam sumi distinctio peccatorum ex oppositione ad virtutes; sustinendo tamen, & exponendo assignationem septem vitiorum capitalium, quæ est in communi usu, dicendum est, quod hæc septem capitalia vitia dicuntur, quia ex illis frequentiùs alia peccata oriuntur secundùm rationem causæ finalis, licet aliqua peccata interdùm ex aliis causis oriri possint, ut notat Nicolaus noster de Nise tr. 3. p. 3. q. 4.

ARTI-

ARTICULUS PRIMUS.

De prioribus peccatis capitalibus.

137 PRimò inchoando à superbia recolendum est, quod diximus 2. sent. disp. 3. q. 4. a. 1. ex Scoto 2. d. 6. q. 2 superbiam dividi in propriam, & impropriam, seù latè dictam. superbia propriè dicta est immoderatus affectus propriæ excellentiæ ad alios relatæ, quibus aliquis præesse, vel antecellere cupit, quod ex ipso nomine superbiæ clarè deducitur, superbire enim idem sonat, quod velle super alios ire, undè propriè definitur, quod sit *appetitus propriæ excellentiæ super alios*, alio verò modo magis communi, & vulgari superbia appellatur quæcunque nimia complacentia sui, quàm aliquis habet cum magna æstimatione illius perfectionis, quam in se videt, & amat, quo pacto exponit Doctor Augustinum 14. de Civit. Dei c. 13. dicentem, quod sibi placens immoderatè dicitur superbus, negat itaque Scotus effectum nimiæ complacentiæ sui ipsius esse superbiam propriè dictam, sed vocat illum luxuriam quandam spiritualem, quæ proprio nomine Philauthia dicitur, & lato modo superbia; etenim superbia propriè dicta suprà amorem sui inordinatum addit relationem præcellendi aliis, quæ distinctio omninò necessaria est, ut ibi dicebamus, ad distinguendas formalitates horum vitiorum, siquidem vitia propriè distinguuntur per virtutes, quibus opponuntur; cùm igitur humilitas explicetur per hoc quod quis se aliis minorem existimet, & velit aliis subiici, ità è contrà superbia propriè dicta includit præfatam relationem excellentiæ super alios; atque ideò appetitus immoderatæ excellentiæ sine relatione ad alios, quibus aliquis præesse desideret, non exprimit formalitatem propriam, & specificam superbiæ, quæ dicitur ambitio, sed tantùm generi-cam, & communem. Quo autem modo sumpta ex duobus assignatis hoc primum peccatum capitale constituat, non omnes convenire videntur, etenim ut refert Astesanus noster lib. 2. tit. 51. Isidorus, & Cassianus hoc primum peccatum capitale statuunt superbiam presse, & propriè sumptam, at D. Greg. loc. cit. statuit superbiam latius, & genericè sumptam, prout est inordinatus amor propriæ excellentiæ præcisa relatione ad alios, quibus aliquis præesse desideret, & ità communiter Theologi sentire videntur, qui hoc primum capitale peccatum definiunt, quod est appetitus inordinatus propriæ excellentiæ simpliciter, & absolutè loquendo, & dicunt superbiam sic sumptam esse peccatum mortale ex objecto, & ex genere suo; aliquos tamen superbiæ motus esse veniales propter eorum imperfectionem, dum, scilicet, eis ratio non consentit, vel ex alia circumstantia, & ita etiam ex nostris sentire videtur Nicolaus de Orbellis 2. d. 42. ubi de his septem vitiis capitalibus tractat.

138 Secundò superbiæ hoc modo sumptæ, licet plures soleant assignari species, tres tamen sunt præcipuæ, quæ & filiæ superbiæ appellari solent, quatenus ab ea originantur, ut videre est apud Orbel. lo. c. Layman, Toletum, Saccum, Busembaum, & alios passim. Prima est vanagloria, ideſt, cupiditas inanis gloriæ, vanus enim glorioſus vult propriæ excellentiæ manifestationem, sivè veræ, sivè fictæ, unde appetitus excellentiæ movet ad inanem gloriam, & sic oritur ex superbia; vanè igitur gloriari est inordinatè appetere propriæ excellentiæ manifestationem cum laude indebita, & immerita; hanc enim gloriam appetere, quando excellentia est vera, non est ex se malum sed indifferens, est autem malum, cùm appetitur inordinatè, undè hoc peccatum est tantùm veniale ex genere suo; ut docet D. Th. qu. 122. art. 3. & ratio est, quia per hoc vitium intrà suos terminos contentum nec Deo, nec proximo gravis irrogatur offensa; fit tamen sæpè mortale per accidens, scilicet, vel ratione materiæ, si v. g. gloriatio sit de re moraliter mala, vel ex fine malo, vel cum notabili damno proximi, qualis fuit jactantia Pharisæi Lucæ 18. cùm dixit *non sum sicut cæteri homines, raptores, adulteri, velut hic publicanus*, quod animadversione dignum est, propter frequentiam harum comparationum; quæ communiter fiunt. Secunda species, seù filia superbiæ est præsumptio, quæ est appetitus aggrediendi aliquid suprà vires, cum enim homo vult dicere, vel facere suprà id, quod potest, dicitur præsumptuosus, ut, v. g. quis præsumat dignitatem Ecclesiasticam, potestatem ordinis sacri; item officium Medici, Aduocati, Confessarii &c. sine debita peritia, & licet hoc peccatum veniale sit communiter; fit tamen mortale, si damnum Deo, aut proximo afferatur ut in exemplis allatis, peccat etiam mortaliter, qui aliquid præsumit cum periculo probabili proprii gravis damni corporalis, vel spiritualis, ut cùm quis equum ferocem ascendit, vel pondus immodicum subit, & similia facit suas vires excedentia: item cùm se exponit periculo peccandi, ut qui cognoscens se proclivem ad venerea præsumit cum fœmina loqui, & cum ea sola habitare, est enim sic præsumere Deum tentare, ut docent Navarrus, Toletus, & alii Summistæ. Tertia species est ambitio, quæ communiter definiri solet, quod sit inordinatus appetitus dignitatis, & honoris non debiti, ut si ambias beneficium, vel officium, quo es indignus, undè dicunt ex genere suo esse tantùm veniale peccatum, & ex circumstantia externa fieri mortale, ut si beneficium ambias illicito modo, & medio, v. g. per simoniam, vel officium in Republica ad damna ferenda. Ità Navarr. Toletus, Fernandez, Busembaus, & alii passim. Verùm cùm ambitio sit superbia propriè sumpta, ut diximus, includit relationem excellentiæ suprà alios, atque ideò talis relatio in ejus definitione exprimi debet, quod scilicet, sit inordinatus appetitus honorum, & dignitatum ad præcellendum aliis; sicut humilitas, quæ illi opponitur, definitur per hoc, quod quis se aliis minorem existimet, & velit aliis subiici; & hoc modo explicato ambitio, cùm sit superbia propriè dicta, censeri debet peccatum mortale ex genere suo, & veniale tantùm ex circumstantiis; cùm enim distinctio, & gravitas peccatorum sumatur ex oppositione ad virtutes, quarum rectitudine privant, & ambitio, cùm sit superbia propriè dicta, opponatur humilitati, quæ principalis est virtus inter morales, consequenter censenda est peccatum mortale ex genere suo, & non tantùm veniale, nisi ex circumstantiis.

139 Tertiò, Avaritia definitur, quod sit inordinatus divitiarum appetitus, seù immoderatus amor habendi, quod ità declarat Nicolaus de Orbelli loc. c. quod si amor iste sit tantus, ut propter ipsum non vereatur homo facere contrà amorem Dei, & proximi, putà alienum injustè surripiendo, vel detinendo, seù ad hæc deliberatam voluntatem habendo, erit peccatum mortale; si autem inordinatus amor infrà hæc sistat, ut scilicet, homo, quamvis superflue divitias amet, non tamen propter ipsas vellet facere aliquid contrà Deum, & proximum, sic avaritia est tantùm peccatum veniale; & hoc est, quod sub aliis verbis docet Toletus l. 7. tract. de septem peccatis mortalibus c. 25. ubi ait, quod ad cognoscendum, quale peccatum sit avaritia, opus est considerare, & distinguere, quando contrà justitiam exercetur, vel contrà liberalitatem; quandò enim est contra justitiam, ut cùm pecuniæ effectu quis retinet alienum, aut aliqua via injusta alienum accipit, mortaliter peccat, nisi ob levitatem materiæ, vel ob defectum deliberationis à mortali excusetur, tunc enim tantùm venialiter peccat. Quando verò est contrà liberalitatem, tunc ex se veniale peccatum est, quamvis fiat mortale, cùm opponitur præcepto charitatis; quod tunc contingit, quando ex tali divitiarum immoderato affectu sucurrere indigenti recusat posito in extrema, aut gravi necessitate, tunc enim ad hoc obligatur ex præcepto charitatis. & ità etiam discurrit ex nostris Astesanus l. 2. tit. 30. ubi quærens, an avaritia semper sit peccatum mortale, respondet esse mortale, quando opponitur justitiæ, sic enim ad avaritiam pertinet injustè alienum accipere, vel retinere; quando autem opponitur liberalitati, sic dicit inordinatum amorem divitiarum, qui si crescat tantùm quod propter ipsum non vereatur quis facere contrà amorem Dei, vel proximi, erit mortalis, si autem infrà hoc sistat, est venialis.

140 Quartò ex avaritia plura oriuntur vitia, quæ ejus filiæ dicuntur, ut notat Astesanus, & Orbellius ex D. Gregorio lo. c. scilicet proditio, fraus, fallacia, periurium, inquietudo, violentia, & obduratio contra misericordiam. Rationem reddunt, quia cùm avaritia sit immoderatus amor divitiarum, avarus in duobus excedit; primò namque superabundat in retinendo, & sic ex avaritia oritur obduratio contrà misericordiam, quia, scilicet, cor ejus misericordia non emollitur, ut de suis divitiis subveniat miseris; secundò ad avaritiam spectat superabundare in accipiendo, & secundùm hoc avaritia potest considerari dupliciter; uno modo secundum quod est in affectu, & sic ex avaritia oritur inquietudo, inquantum ingerit homini sollicitudinem, & curas superfluas, *avarus enim non implebitur pecunia* Ecclesiast. 1. alio modo potest considerari in effectu, & sic in acquirendo aliena quandoque vi utitur, quod pertinet ad violentas, & rapinas; quandoque autem deceptione, seù dolo, quæ quidem si fiat verbo, erit fallacia quantum ad simplex verbum; periurium autem si addatur juramenti confirmatione; si autem dolus committitur in opere, tunc aut quantum ad personam, & sic est proditio, ut patet de Juda qui ob avaritiam proditionem commisit in Christum; quantum verò ad res, erit fraus, vel furtum, & ita etiam posteriores Summistæ Nav. Toletus, Saccus, Busembaus, & alii has avaritiæ filias explicant, & declarant. Advertit autem Orbellius l. c. prædicta vitia ex avaritia pullulantia appellari ejus filias, & non species, quia aliud est peccatum habere species, & aliud habere filias; licet enim aliquando species, & filiæ in idem concurrant, siquidem species vitii capitalis ad idem genus pertinent, filiæ tamen plerumque ad aliud genus pertinent, cùm unum vitium oriatur ex alio, & vi-

tium

cium oppositum uni virtuti oritur ex vitio opposito alteri virtuti, sicut odium Dei, quod opponitur charitati, oritur ex luxuria, quæ opponitur castitati, & perjurium quod opponitur religioni, oritur ex avaritia. Subdit tamen, quod aliquando idem vitium poni potest filia, & species ejusdem vitii, sicut in proposito fraus, vel furtum est filia avaritiæ, cùm ex ipso oriatur, & est etiam ejus species, cùm sub ipsa contineatur, & sic etiam de avaritia discurrit ex nostris Nicolaus de Nise tr. cit. de septem vitiis q. 5.

141 Quintò, luxuria est vitium capitale, quod committitur, cùm homo utitur venereis præter debitum ordinem rationis, ac proindè definitur, quod est appetitus inordinatus venereorum, quorum usus cùm ex natura sua sit institutus ad humani generis conservationem, quod est magnum bonum hominum, & externum Dei, proindè qui eo abutitur Deum lædit, & homines, & ideò ex genere suo est peccatum mortale; cujus septem species numerari solent, ut notat Astesanus lib. 1. tit. 31. & lib. 2. tit. 46. nimirum Fornicatio simplex, Adulterium, Stuprum, Raptus, Incæstus, Sacrilegium, & Peccatum contra naturam, quibus claritatis gratia addi solet Impudicitia, quæ consistit in actibus, aspectibus impudicis, & verbis obscænis, ac similibus extrà matrimonium, de quibus fusè tractavimus disp. 11. q. 7. de sexto Decalogi præcepto, & q. 10. de nono, & decimo Decalogi præcepto; unde hic solùm restat agendum de filiabus luxuriæ, quæ ab Astesano, Orbell. Nicol. de Nise, & aliis passim octo assignantur ex D. Greg. l. c. scilicet, cæcitas mentis, inconsideratio, inconstantia, præcipitatio, amor sui, odium Dei, affectus præsentis sæculi, horror, sivè desperatio futuri; quæ sic intelligi debent, quod cæcitas mentis est, cùm quis adeò addictus est turpitudini, ut de cœlestibus non cogitet; præcipitatio, qua quis ex eadem causa sine consilio operatur, inconsideratio, quando in modo delinquit inconsideratè agens, quæ statum, vel personam dedecent; inconstantia, quando quis ex eodem affectu voluptatum à piis propositis mox deficit, & hæc quatuor priores sunt mortales, quando ultimus finis in creatura ponitur, vel præceptum aliquod Dei graviter obligans prætermittitur, & se tenent ex parte intellectus. Aliæ verò quatuor posteriores se tenent ex parte voluntatis, nempè amor sui, talis animo homo ob voluptates carnis seipsum finem constituit suarum actionum, non Deum. Odium Dei, lascivus enim à rebus divinis abhorrere solet, imò ab ipso Deo, utpotè peccatorum vindice; affectus præsentis sæculi, quia voluptatum carnalium amor ità animum efficit, ut etiam æternæ beatitudini renunciare paratus esset, si præsentibus frui semper permitteretur. Horror futuri sæculi, quando voluptatibus immersus mortem inordinatè timet, & de ea cogitare nolens vitam illicitis mediis prolongare studet. & hæ quatuor posteriores, si plenus sit voluntatis consensus, per se sunt mortales; ex indeliberatione verò, vel alia actuum imperfectione sunt veniales. Ratio autem sufficientiæ hujus numeri filiarum luxuriæ videri potest apud Orbellium, & Nicolaum de Nise loc. c.

142 Sexto, Invidia est tristitia de alieno bono, prout illud est diminutivum propriæ excellentiæ, seù inquantùm tale bonum minuit excellentiam invidentis; hoc enim vitio volumus, & desideramus alium carere tali bono, quia per illud nos excellit, quarè invidere ex vi nominis idem importat, quod non velle videre, volumus enim non videre, tàm ipsum, cui invidemus, quàm bonum, quod invidemus; undè invidia est directè contrà charitatem, hæc enim gaudet de bono proximi, quod invidia destructum optat, & non destructum dolet, & ideò est peccatum mortale ex genere suo, cùm bonum, de quo tristamur est grave, & cùm liberè, ac scienter in talem tristitiam consentimus; quod notanter additur, quia sunt etiam interdum primi motus invidiæ in perfectis viris ex surreptione insurgentes, qui sunt veniales, & simile est de invidia parvulorum, in quibus non est usus rationis, & de motu invidiæ secundùm quod est passio sensualitatis. Non est autem peccatum tristari de alieno bono, non quia alius habet tale bonum, sed quia nos non habemus illud, aut aliud simile, & hæc tristitia propriè est zelus, ut ait Arist. 2. Rethoric. & si sit de bonis honestis est laudabilis juxtà illud Corint. 12. *Æmulamini charismata meliora*; undè tali tristitia vocatur à Patribus invidia sancta. Ità Astesanus libr. 2. tit. 63. Orbell. & Nicol. de Nise l. c. qui etiam advertunt, quod licet invidia oriatur ex inani gloria, dicit enim Philosophus 2. Rhetor. quod amatores honoris, & gloriæ magis invident; adhuc tamen hoc non obstante ponitur unum de vitiis capitalibus, non enim est contra rationem vitii capitalis, quod ipsum ex alio oriatur, sed quod non habeat aliquam rationem principalem producendi ex se multa genera peccatorum.

143 Denique Invidiæ quinque assignantur filiæ ex D. Greg. l. c. quæ sunt odium, susurratio, detractio, exultatio in adversis proximi, & afflictio in prosperis; cujus numeri rationem, & sufficientiam assignat Orbell. l. c. ex Alensi, quia omnis invidia aut est in affectu, aut in sermone, aut in opere; si in affectu, sic est odium; odire enim proximum est effectare ejus malum, & hoc dupliciter, quia si sit affectio mali pœnæ propter vindictam habendam, sic odium id ram pertinet; si autem sit affectio mali damni, sic pertinet ad invidiā, quia enim invidus de bono proximi tristatur, ad hanc tristitiam tollendam movetur ad desiderandum, quod proximus illo bono careat; si autem sit invidia in sermone, tunc aut ille sermo ordinatur ad discordias seminandas, & sic est susurratio; aut ad famam proximi tollendam, & sic est detractio; si autem sit in opere, aut est respectu adversitatis proximi, quam desiderat, & procurat, & sic est exultatio in adversis; aut est respectu proprietatis, & sic est afflictio in prosperis, quando nimirum prospera proveniunt proximo contrà conatū invidentis ea impedire nitentis. Nicolaus autem de Nise hujus numeri sufficientiam sic assignat, quia in conatu Invidiæ est aliquid, tanquam principium, aliquid tanquā medium, & aliquid tanquam terminus; principium est, ut aliquis minuat gloriam alterius, vel in occulto, & sic est susurratio, vel manifestè, & sic est detractio; medium autem est quia aliquis intendens minuere gloriam alterius, aut hoc potest, & sic sequitur exultatio in adversis; aut non potest, & sic est afflictio in prosperis; terminus autem est in ipso odio, quia sicut bonum delectans causat amorem, ità tristitia causat odium. Alia plura de Invidia videri possunt apud Vulpium nostrum tom. 2. par. 3. d. 59.

ARTICULUS SECUNDUS.

De cæteris peccatis capitalibus.

144 PRimò, ulteriùs procedendo ad cætera peccata capitalia, & loquendo de ira certum est hanc esse passionem quandam, & ideò definitur, quod sit inordinatus vindictæ appetitus, undè si ordinatè appetatur vindicta, non est peccatum iræ, ut cùm Superiores irascuntur culpis subditorum, eosque puniunt, seù vindicant. Notant autem Nicol. de Nise, & Orbell. l. c. motum iræ posse esse inordinatum dupliciter, primò ex parte objecti, seù appetibilis, ut si quis appetat vindictam injustam, seù ob injustam causam, vel justo majorem, ut optando inimico mortem, quam non meretur, vel propria auctoritate exequendam; vel denique licet vindicta sit justa, non tamen eam appetit propter debitum finem ut propter justitiæ conservationem, aut peccantium cohibitionem, vel aliorum quietem, sed ut satiativam animi sui malevoli, & sic ira de genere suo est peccatum mortale, qua charitati, & justitiæ contrariatur; potest tamen contingere, quod talis appetitus vindictę sit peccatum veniale propter imperfectionem actus, quæ quidem imperfectio contingere potest, vel ex parte appetentis, putà cùm motus iræ usum rationis prævenit, vel ex parte appetibilis, putà cum quis appetit in aliquo modico se vindicare, quod nempe est ità parvi momenti, ut si etiam actualiter inferatur, non esset peccatum mortale, putà si quis parùm trahat aliquem puerum per capillos, vel aliud hujusmodi. Alio modo potest motus iræ esse inordinatus quantum ad modum irascendi; quia, scilicet, nimis ardenter irascitur, vel iram suam nimis manifestat exterius per signa, & sic ira secundùm se non habet rationem peccati mortali, sed ex genere suo est veniale; potest tamen fieri mortale ex accidenti, ut si addatur blasphemia, maledictio, scandalum, & similia.

145 Secundò assignant Doctores nostri supracitati sex iræ filias ex D. Greg. l. c. quæ sunt rixa, tumor, mentis contumelia, clamor, indignatio, & blasphemia, cujus numeri rationem, & sufficientiam hoc modo reddunt, ira namque tripliciter considerari potest. Primo modo secundùm quod est in corde, & sic ex ea duo vitia nascuntur, primum est indignatio, inquantum quis reputat eum, contrà quem irascitur, indignè sibi tale quid fecisse; aliud est tumor mentis, inquantùm qui animum suum implet diversis cogitationibus diversas excogitando vindictæ vias, undè licet tumor mentis aliquando pro inflatione superbiæ accipiatur, non tamen in proposito, sed sumitur pro quodam conatu, sivè audacia hominis vindictam intentantis. Secundo modo consideratur ira secundū quod est in ore, & sic ex ira duplex vitium procedit; primum dicitur clamor, inquātùm aliquis inordinatè, & cōfusè loquendo iram suam demonstrat; aliud autem vitium est, secundùm quod quis in verba injuriosa prorumpit, quæ quidem si sint contrà proximum peccatum illud dicitur contumelia; si verò sit contrà Deum dicitur blasphemia attribuendo Deo, quod non est ei attribuendum, vel negando ab eo, quod est ei attribuendum, blaphemia etiā Sanctorum redundat in Deum. Tertiò modo consideratur ira secundum quod procedit usque ad factum, & sic ex ira oriuntur rixæ, per quas intelliguntur omnia nocumenta, quæ facto proximis inferuntur ex ira. Ità etiam de his iræ filiabus discurrit Busemb. li. 5. c. 3. du. 6. cum Tol. Baldel. Bon. & aliis Summistis, ubi etiam advertit ad discernendam earum malitiam, quod indignatio, quæ est inordinatus affectus ex eo, quod quis reputet indignè se ab alio tracta-

ri, communiter est veniale, imò si ex justo rationis judicio procedat, nullum est peccatum, posset tamen esse mortale, si cresceret usque ad deliberatum odium, & contemptum personæ gravem. Tumor mentis, quo quis morosè diversas vindictæ vias excogitat, & his cogitationibus animum tumefacit, quale peccatum sit, ex qualitate vindictæ, quæ excogitatur, judicandum est. Clamor, cùm iratus vocem extollit, multa inordinatè, & confusè effundens, est veniale communiter, nisi aliud addatur. Blasphemia ex communi omnium consensu est mortale, ut dictum est disp. 11. de præceptis Decalogi q. 3. ar. 1. Contumelia, qua quis proximo malum aliquod obiicit, est ex genere suo mortale, si fiat cum intentione illum inhonorandi; quod notanter additur; quia animo corrigendi, & humiliandi potest Superior obiicere subdito verbum aliquod contumeliosum, quomodò Christus Apostolos vocavit stultos, & Apostolus Galatas insensatos, in quo tamen peccari potest, si modus debitæ correctionis excedatur, vel subditus graviùs dehonoretur, quàm per delictum meruit. Rixæ tandem, si modum non excedant, sicut leviculæ pugnæ, veniales sunt; secùs si progrediantur ad seditiones, vulnera, & cædes; suntque hæc communiter peccata ex parte inchoantis rixam; alter enim potest se defendere cum moderamine inculpatæ tutelæ. Vide Astesanum lib. 2. tit. 49. art. 3.

146 Tertiò, Gula est inordinatus appetitus cibi, & potus, opponiturque virtuti temperantiæ, & sobrietatis, & conveniunt DD. esse peccatum veniale tantùm ex genere suo, quia præcisè sumptum non repugnat charitati Dei, vel proximi, quia verò ex circumstantiis mortale fieri potest, ad discernendum quando sit veniale, & quando mortale, notandum est ex Nicolao de Nise loc. cit. qu. 6. talem appetitum cibi, & potus posse esse inordinatum dupliciter; uno modo per carentiam ordinis debiti circà finem ultimum, quia nimirum ab eo avertit, putà cùm quis delectationi gulæ inhæret, tanquam ultimo fini, & eam præfert divinæ dilectioni juxtà illud Pauli, *quorum Deus venter est*, & sic est peccatum mortale. Alio modo potest esse talis appetitus inordinatus per carentiam ordinis in modo appetendi tantùm, putà cùm quis nimis ardenter delectationem ciborum concupiscit, aut etiam aliquem excessum; sic tamen, quod propter hoc nihil agere vellet contrà legem Dei, & tunc est peccatum veniale tantùm; potest autem hic excessus, vel inordinatio quinque modis committi, ut Astesanus advertit lib. 2. tit. 42. ex D. Greg. l. c. nimirum, si edas antè tempus, si nimis exquisita, si plus justo, si voraciter, si nimis exquisitè præparata, qui quinque modi continentur in hoc versu, *si properè, lautè, nimis ardenter, studiosè*, & nullo ex his modis gula est peccatum mortale, quia nullus horum modorum repugnat præcisè charitati Dei, vel proximi; fit tamen peccatum mortale, ut Fernandez advertit part. 4. c. 2. §. 6. primò, quando in ea ponitur ultimus finis, ut dictum est; secundò, cum eduntur prohibita à lege; tertiò, cùm ex cibo, & potu oritur grave damnum corporis, veluti ægritudo, vel damnum animi, veluti peccatum mortale. Quartò, quando scandalum oritur ex nimia superfluitate ciborum, de quo scandalo Paulus dicebat, se nunquam manducaturum carnes, si sciret fratrem indè scandalo offendi. Quintò, tandem propter ciborum qualitatem, quos nimirum natura non creavit ad esum, vel potum hominum, qualis est caro humana, & sanguis humanus, ut docent Cajetanus, Navarrus, Toletus, & alii passim.

147 Quartò, circà ebrietatem, an sit peccatum, notandum est cum Astesano nostro libr. 2. tit. 43. ebrietatem dupliciter sumi posse, uno modo pro defectu, qui provenit ex nimia vini potatione, & sic est pœna consequens ex culpa; alio modo pro actu, quo quis in talem incidit defectum, & ille actus dupliciter adhuc ebrietatem causare potest; primò ex vini generositate præter opinionem bibentis, & sic potest esse sine peccato; alio modo ex inordinata concupiscentia, & usu vini, & sic est peccatum; undè malitia ebrietatis plenè, & perfectè in eo consistit, quod quis sine justa, & gravi causa, tantùm ob voluptatem, aut ingluviem, sciens, & volens privet se usu rationis, qui necessarius est ad peccata declinanda, & opera virtutum exercenda; privet, inquam, se usu rationis non simpliciter, ut fit in somno modo naturali instituto ab auctore naturæ ad virium, & vitæ conservationem; sed violenter, & modo innaturali rationem perturbando in modum amentis bruti; quarè ebrietas, qua predicto modo ratio plene sopitur, est ex genere suo mortale, & de facto est mortale, cùm advertit, quod potus est potens inebriare, quia per ebrietatem se privat proxima potestate utendi ratione ad omnem suam necessitatem, quando verò non advertit, tunc potest esse cum peccato veniali. Ità etiam de ebrietate discurrit Orbellius loc. cit. ubi ait aliquem tripliciter inebriari posse, uno modo ità quod nesciat potum esse immoderatum, & inebriare potentem, puta quia ignorat vini fortitudinem, & generositatem, & sic ebrietas potest esse sine peccato, ut patet de ebrietate Noe in lib. Geneseos; alio modo sic, quod aliquis percipiat potum esse immoderatum, non tamen æstimat esse sufficientem, & potentem ad inebriandum, & sic ebrietas potest esse cum peccato veniali. Tertio modo contingere potest, quod aliquis benè advertat potum esse immoderatum, ac etiam ad inebriandum potentem, & sufficientem, & tamen magis vult ebrietatem incurrere, quàm à potu abstinere, & talis mortaliter peccat, cùm sciens, & volens usu rationis se privet, & periculo peccandi graviter se exponat. Cùm autem gula sit vitium capitale, quinque habet filias, ut docent Astesanus, & Orbellius l. c. ex A. Greg. 31. moral. quæ sunt inepta lætitia, scurrilitas, idest, jocularitas quædam proveniens ex defectu rationis, immunditia, quæ potest attendi secundùm inordinatam emissionem quarumlibet superfluitatem, vel specialiter quantum ad emissionem seminis, quæ si voluntaria sit, est peccatum mortale; multiloquium; & hebetudo mentis circa intelligentiam, scilicet, propter fumositates ciborum caput perturbantes, quas gulæ filias eodem etiam modo explicant Layman, Less. Baldel. Escob. & alii passim.

148 Quintò, ad explicandum ultimum capitale peccatum, quod est acedia, ait Orbellius. l. c. & Astesanus lib. 2. tit. 63. quod acedia secundùm Damascenum est, quædam tristitia aggravans, quæ, scilicet, ità deprimit animum hominis, ut nihil ei agere libeat, undè acedia importat quoddam tedium operandi juxta illud psalm. 118. *Dormitavit anima mea præ tedio;* hic tamen specialiter accipitur, ut significat tristitiam, seù fastidium spiritualis boni, undè communiter definiri solet cum D. Tho. 2. 2. q. 35. a. 2. quod est fastidium spiritualium rerum, & ideò directè repugnat effectui charitatis, qui est gaudere de bono spirituali, ex quo sequitur secundùm suum genus esse peccatum mortale. Hic tamen advertendum est cum Nicolao de Nise l. c. q. 4. quod peccata, quæ ex genere suo sunt mortalia, non sunt mortalia, nisi quando suam perfectionem, seù suum esse completum consequuntur, est autem consummatio peccati in consensu rationis, undè si desit rationis consensus, tunc propter imperfectionem actus peccatum est veniale; quarè est regula generalis, quod in quocunque genere peccati sensus inordinati motus absque consensu rationis expresso, vel interpretativo rationem peccati mortalis habere non possunt; motus ergò acediæ in proposito, quando est propter repugnantiam carnis ad spiritum si ratio sibi non consentit, est peccatum veniale; imò si ratio viriliter detestetur, nullum penitus est peccatum, sed materia exercendæ virtutis, quod etiam est intelligendum in omni genere peccati; si verò motus acediæ habeat consensum rationis ità quod voluntas deliberatè fugiat, & horreat, ac quasi detestetur bonum divinum, & spirituale, carne omninò contrà spiritum prævalente, tunc manifestum est, quod acedia est peccatum mortale. Hinc deducunt Navarrus, Sylvester, Toletus, Fernandez, & alii Summistæ vero. *Acedia* eum peccare mortaliter, qui fastidiosus vitæ, & ærumnarum deliberatè optat se nunquam fuisse natum, aut conceptum, vel potiùs esse brutum animal, quàm hominem; si quis tamen afficeretur tristitia ex eo, quod implere teneatur opus laboriosum spirituale sibi injunctum, ut jejunare, horas Canonicas recitare, sacrum audire, & similia, opus tamen faceret, hoc est, jejunaret sacrum audiret &c. dicunt, quod non peccaret. Et hæc omnia Scoti doctrinæ sunt conformia, qui 2. d. 6. q. 2. & d. 42. qu. 5. in parte sensitiva hominis ponit acediam vitium capitale inquantum partem intellectivam inclinat, trahit, & allicit ad peccaminosè contemnendum, negligendum, vel appretiandum bona spiritualia necessaria, vel utilia ad Deum super omnia diligendum, & ad vitam æternam promerendam; & cum hæc omnia concedat Vulpes l. c. disp. 58. non video, qua ratione posteà ibi neget ar. 3. acediam ex proprio genere contrariari charitati, & ex genere suo est peccatum, mortale.

149 Denique Acedia est etiam vitium capitale, ut est communis omnium sensus, & ratio est, quia sicut invidia, quæ est tristitia de bono proximi, est vitium capitale, eo quod ex invidia homo impellitur ad aliqua facienda, ut fugiat tristitiam, vel tristitiæ satisfaciat, ut dictum est art. præced. ità in præsenti eadem ratione acedia, quæ est tristitia de bono divino, & spirituali, vitium capitale poni debet, cui proindè sex filiæ communiter assignantur ex D. Grogorio loco citato, quæ sunt malitia, rancor, pusillanimitas, desperatio, torpor circà præcepta, & vagatio mentis circà illicita, ut specialiter docent Doctores nostri supracitati, Astesanus, Arbellius, & Nicolaus de Nise, qui loco cit. advertit, malitiam hic non sumi secundùm quod est genus omnium vitiorum, sed specialiter pro ea, qua quis odio habet bona spiritualia, & vellet ea non esse, aut qua ipsum pœnitet benè fecisse, aut qua contemnit Dei beneficium, verbi gratia, desiderando non fuisse natum, vel non agnovisse Christum. Neque etiam rancor hic accipitur communiter pro quadam indignatione contrà eum, qui ad spiritualia bona inducit. Neque etiam accipitur hic evagatio mentis circà illici-

illicita, prout generaliter in omni peccato reperitur, sed specialiter inquantum, scilicet, propter fastidium, & tristitiam bonorum spiritualium aliquis se trasfert ad delectabilia exteriora; & hæc ex se venialis est nisi cum ex præcepto aliquo talis attentio exigitur, ut in audiendo sacrum diebus festis, & in recitandis horis Canonicis, quando homo ad eas obligatur, in his enim rebus mentis evagatio mortalis esset, si notabilis esset, & culpabiliter, seù ex negligentia haberetur. Pusillanimitas est respectu consiliorum, ut notat Astesanus loco cito, quia nimirum homo divina consilia, quæ perfectionis sunt, exequi non audet, & hæc venialis est ex se. Torpor verò est circà præcepta, quo, scilicet, homo negligit, & omittit facere, quæ sunt ex præcepto, & hic mortale est, & charitati adversatur, quia quicunque debet suam salutem procurare, & operari. Desperatio tandem est, qua homo diffidit se finem supremum consecuturum, hæc autem facilè oritur ex acedia, quia homo velut arduum, & difficilis consecutionis respicit talem finem; est autem desperatio mortale grave, cùm fit ex pleno rationis consensu, veniale verò, quando est solùm quidam motus imperfectus. Hic verò communiter Doctores advertunt, quod cùm tali genere acediæ non peccetur, nisi quando actio virtutis sub præcepto cadens ob sui difficultatem omittitur, vel negligentius quàm par est, exercetur; expelli debet hoc vitium non fugiendo, sed resistendo, & opus virtuti fortiter aggrediendo, & ratio est, quia difficultates in exercitio virtutum non tàm vehementes sunt, sicut falsa apprehensione ab inexpertis æstimantur; tùm quia rerum spiritualium studium quantò magis exercetur, tantò avidius retinetur juxtà illud Sapientis de sapientia loquentis capit. 8. *Non habet amaritudinem conversatio illius, neque tædium convictus illius, sed lætitiam, & gaudium.* Ità Layman lib. 2. tract. 3. cap. 9.

DISPUTATIO XVI.

DE SACRAMENTIS IN GENERE.

1 POST Disputationem de Peccatis ordo Doctrinæ expostulat ut materiam de Sacramentis aggrediamur, quæ sunt remedia animam à maculis peccatorum expurgantia per collationem gratiæ; quemadmodum enim eruditè discurrit Abellius in sua Medulla Theologica part. 2. tract. 5. de Sacramentis, quod olim per Ezechiel. 36. pollicitus fuerat Deus effusurum se super servos suos, & ancillas suas aquam mundam, qua emundarentur ab omnibus inquinamentis suis, hoc præsertim in Sacramentis à Christo Domino postmodum institutis adimplevit; hæc siquidem sunt veluti vasa quædam sacra, quæ ut declarat Concilium Tridentinum sess. 1. can. 6. divinum illum gratiæ sanantis, & sanctificantis liquorem in se continent, & ex se diffundunt; & hi sunt fontes illi Salvatoris, ex quibus cum gaudio haurire possumus aquam vivam, quæ fiat in nobis fons aquæ salientis in vitam æternam, ut ipse dixit Joan. 4. Quoniam verò de hac materia Sacramentorum jam accuratè, ac dilucidè tractavimus ex professo lib. 4. sent. quoad ea præsertim, quæ ad speculationem, & scholasticam doctrinam spectant, non tamen omnia, quæ ad practicam, & moralem; ideò ad complementum nostræ Theologiæ Moralis necessarium duximus hanc materiam Sacramentalem rursus pertractare, addendo alia ad doctrinam moralem spectantia, ac interdum cum majori facilitate, & brevitate aliqua repetendo ibi pertractata, quæ ad praxim attinent, ut hic Tractatus de Sacramentis adeò necessarius sit ex omni parte integer, & completus. Totaque hæc tractatio sic optimè disponetur, ut prius de Sacramentis in Genere, postmodum de singulis in speciali tractetur.

QUÆSTIO PRIMA.

De Natura, & essentia Sacramenti in genere.

2 HOC Sacramenti nomen apud Latinos idem significat, quod apud Græcos nomen *Mysterium* undè hæc nomina, tanquam synonima interdum accipi solent, ut patet ex illo Apoc. 12. *& in fronte ejus scriptum mysterium, & ego ostendam tibi Sacramentum mulieris;* quamvis autem hoc Sacramenti nomen plures habeat acceptiones, duobus tamen præsertim modis apud Sacros Scriptores acceptum reperitur; uno modo pro re occulta, & latente, quo sensu dicitur Ephes. 2. *Ut notum nobis faceret Sacramentum voluntatis suæ;* alio modum pro signo ipsius rei latentis, & occultæ, ut patet ex verbis Apostoli Ephes. 5. ubi matrimonium appellat Sacramentum magnum quia est signum alicujus rei latentis, & occultæ, nimirum conjunctionis Christi cum Ecclesia. *Sacramentum hac magnum est, ego autem dico in Christo, & in Ecclesia*, & in hac posteriori acceptione usurpatum est hoc nomen à SS. Patribus, & ab ipsa Ecclesia in præsenti ad significandam cæremoniam quandam sensibilem aliquam sanctitatem conferentem, ut ex dicendis constabit. & in hoc sensu vestigamus modò naturam, & essentiam Sacramenti in genere.

ARTICULUS PRIMUS.

Quid sit Sacramentum, & in quo ejus essentia consistat.

3 JAm diximus lib. 4. disp. 1. de Sacramentis in genere q. 1. art. 1. plures, & varias Sacramenti definitiones à Theologis assignari, qui rectè intellectæ, & explicatæ, vel in unam, & eandem coincidunt, vel saltem ex illis vera, & integra Sacramenti definitio colligi potest, ut enim inquit Scotus 4. distinct. 1. qu. 2. in calce, quod una definitio non exprimit per aliam exprimitur, & sic ex omnibus colligendo, quod in singulis sparsim invenitur, haberi potest hæc definitio completa, & omnibus numeris absoluta, quam ipse Doctor assignat quæst. cit. artic. 2. sub lit. F. dicens, quod Sacramentum est, *signum sensibile gratiam Dei, vel effectum ejus gratuitum ex institutione Divina efficaciter significans ordinatum ad salutem hominis viatoris*, quam definitionem Joannes Echius hom. 4. de Sacramentis ait esse omnibus aliis præferendam, quia ex communi omnium sensu tria ad essentiam Sacramenti spectare dicuntur; primum, ut sit signum sensibile; secundum, ut significet sanctitatem, & justitiam ex Dei institutione; tertium, ut eandem efficiat; qua de causa Theologi passim docent Sacramentum esse signum practicum, quia non tantùm significat, sed etiam efficit, quod significat; sed hæc tria continentur, & explicantur in allata definitione, ut mox ejus declaratione constabit; undè coincidit cum illa, quæ traditur in Catechismo Concil. Trident. part. 2. cap. 1. quod Sacramentum *est res sensibus subjecta, quæ ex Dei institutione sanctitatis, & justitiæ tùm significandæ, tùm efficiendæ vim habet*, singulas autem allatæ definitionis particulas explicabimus breviter repetendo, quæ fusè diximus loco citato.

4 Primò itaque Sacramentum dicitur *signum*, quod sumitur ex Scriptura, nam Genes. 18. Circumcisio, quæ inter vetera Sacramenta erat præcipuum, dicitur *signum fœderis*, & ad Roman. 6. Baptismus appellatur signum sepulturæ, & resurrectionis. Signum autem non solum dici potest in ordine ad cognoscendum, & manifestandum aliquod occultum, quo pacto sumitur ab Augustino lib. 2. de Doctrina Christiana cap. 1. ubi definit esse illud, *quod præter speciem, quam ingerit sensibus, aliquid aliud facit in cognitionem venire*, & dicitur signum cognoscendi, quo modo hædera dicitur signum vini venalis, nomina rerum, fumus, ignis, &c. sed etiam ad faciendum id, quod significatur, quo pacto signa dicuntur illa quando inter aliquos convenit, vel ex pacto suo, vel ex mandato Superioris, ut dabo tali signo certa quædam operatio fiat. Quando itaque Sacramentum dicitur *signum*, non debet hæc prima particula accipi pro mero signo

cognoscendi, quod dicitur signum merè speculativum, quasi negando, vel excludendo signum faciendi, quod dicitur practicum; sed potius accipi debet in communi, ut consequenter per alias sequentes particulas determinetur, quonam modo Sacramentum sit signum, & hoc valdè rationabiliter, quia *signum* in hac definitione stat loco generis, aliæ verò particulæ sequentes *institutione divina efficaciter significans* tenent locum differentiæ genus illud contrahentis, ac determinantis. Additur verò, quod hoc sit *signum sensibile*, quia debet esse signum ipsis hominibus, qui non nisi per sensus in cognitionem ducuntur, & ideò dixit Chrysostomus hom 83. in Matth *Si incorporeus esses nudè ipsa dona incorporea tibi traaidisset, sed quia corpori conjuncta est anima tua, ideò rebus sensibilibus tibi intelligenda traduntur.* & hoc ad suavem Dei providentiam pertinuit, ut per res exteriores, & signa quædam sensibilia, veluti manu duceremur ad cognitionem, & perceptionem rerum spiritualium, & divinarum.

5 Secundò dicitur *signum efficaciter significans*, ut ostendatur Sacramentum non esse purum signum cognoscendi, sed etiam faciendi, quod significat, quia Sacramenta, ut ait Scotus loc. cit. sunt signa practica gratiæ, & non tantùm speculativa, undè per hanc particulam insinuatur, quod non solùm significant, sed etiam causant gratiam; & per hanc particulam distinguuntur Sacramenta novæ legis à Sacramentis veteris legis, quæ in suscipiente veram animæ sanctitatem non causabant, quæ solùm per gratiam habitualem, & sanctificantem habetur, sed tantùm legalem, & imperfectam, undè in Sacramentis veteris legis significatio gratiæ erat purè speculativa, & ideò Concilium Florentinum in litteris unionis assignando discrimen inter Sacramenta veteris, & novæ legis eis solam tribuit gratiæ significationem, illius nempè, quæ per novæ legis Sacramenta nobis conferenda erat ex meritis Christi; nostris verò Sacramentis non tantùm ejusdem gratiæ significationem tribuit, sed etiam causationem. Rursus per eandem particulam *efficaciter* non tantùm innuitur Sacramenta novæ legis practicè gratiam significare, sed etiam modus, quo illam conferuntur, ut docet Concil. Trid. sess. 7. can. 6. ubi inquit Sacramenta novæ legis non ponentibus obicem gratiam conferre infallibiliter; per hoc enim innuitur, quod gratiam non conferunt per modum meriti, aut actionis meritoriæ, sicut datio eleemosynæ propter Deum gratiam confert eam largienti, si sit in statu gratiæ sanctificantis; sed conferunt ex opere operato, ideſt, virtute sua, & ex meritis exhibitis passionis Christi, ideoque ex parte suscipientis aliud non requiritur, quam quod obicem peccati non ponat, ut docet Scotus 4. dist. 1. qu. 6. K. & magis patebit ex dicendis. Et hoc etiam est, quod exprimitur in definitione Sacramenti tradita à Catechismo loc. cit. cùm ait *sanctitatis & justitiæ tùm significandæ, tùm efficiendæ vim habere*, quibus verbis indicatur Sacramentum esse signum quoddam practicum, cujus usu, seù applicatione fideles interius ex opere operato sanctificentur, & exterius veluti symbolo, seu nota quadam ab aliis gentibus discernantur, ut magis ex dicendis constabit.

6 Tertiò dicitur *ex institutione divina*, quia Sacramentum non est signum naturale, aut physicum gratiæ, sicut fumus ignis, sed voluntarium, & ad placitum. & ratio est, quia nulla res creata ex sui natura habet, quod possit esse gratia significativa, gratiæ enim nedùm ab agente naturali produci nequit, sed neque ejus possibilitas innotescere potest, nisi per fidem. Imò Sacramentum nedùm esse non potest signum gratiæ practicum, & faciendi naturale; sed nec etiam speculativum, & cognoscendi, quia tale signum est illud, quod natura duce, & ex ipso ducit in cognitionem alterius, sicut fumus respectu ignis, aurora respectu diei; at Sacramenta, cùm sint sensibilia, & materialia nequeunt nos ducere naturaliter in cognitionem rei spiritualis, & præsertim supernaturalis. Additur etiam quod sit signum ex institutione divina, seu ex sola Dei voluntate, & institutione, quia solius Dei est illa signa instituere, quæ justitiam, & sanctitatem significare, & conferre possint sicut illius solius est sanctitatem ipsam, & justitiam efficere; cum enim gratia sit specialis divinæ naturæ participatio, nulla creatura ex natura sua virtutem habet producendi illam, sed solus Deus. Hoc tamen non obstat, quin Christus Dominus etiam inquantùm homo fuerit causa ministerialis principalis ipsorum Sacramentorum, & ad eorum interiores effectus, non solùm meritoriè, sed etiam efficienter in ratione causæ instrumentalis operetur; quod ità intelligi debet, ut declaramus disp. 1. cit. qu. 6. ab initio, quod Christus Dominus, qua Deus, tanquam causa principalis, & qua homo, tanquam causa immediatè determinans signa illa sensibilia septem, & tanquam merens, & Deus iis mediantibus concurreret ad conferendam gratiam efficaciter, & infallibiliter, instituerit immediatè omnia novæ legis Sacramenta; ex quo infertur solum Deum esse causam principalem effectus interioris Sacramenti, scilicet, gratiæ, & charitatis. Christum verò, ut hominem, esse causam principalem meritoriam illius effectus, efficientem verò ministerialem ex commissione Dei. An verò potuerit homini, vel Angelo communicari postestas instituendi Sacramenta tractamus ex professo quæst. 6. cit.

7 Quartò dicitur *signum efficaciter gratiam significans*, quia juxtà definitionem Sacramenti ex Scoto traditam de ratione ejus est, non tantùm significare, sed etiam efficere veram gratiam, & sanctitatem ex opere operato, hoc autem modo Sacramenta tantùm novæ legis rationem Sacramenti habent, non autem veteris legis, quia illa veram, & propriam sanctitatem non causabant, sed tantùm impropriam, & figurativam; quod si interdum causabant veram, & propriam sanctitatem, hoc non faciebant ex vi propria, seù ex opere operato, sed tantùm ex opere operantis, sola Circumcisione excepta, quam vult Doctor noster veram contulisse sanctitatem ex opere operato, ut fusè ostendimus disp. 1. cit. qu. 2. art. 3. Addit autem Doctor *gratiam, vel effectum ejus gratuitum*, quia in Eucharistia res Sacramenti non est gratia habitualis animæ inhærens, sed gratia per se subsistens, scilicet, Christus ipse sub speciebus Eucharisticis, & ideò ut utrumque includeret, illa apposuit particulam, *vel effectum ejus gratuitum*; gratia verò inhærens non datur, nisi quando species recipiuntur. Quarè Sacramentum Eucharistiæ primò, & principaliter significat verum Christi Corpus sub speciebus contentum, qui dicitur effectus gratuitus, quia ex gratuita Dei voluntate procedens; & dicitur effectus; non quia tunc de novo fiat, sivè esse accipiat, sed quia fit de novo præsens illis speciebus per transubstantiationem panis, & vini in ipsum, quod est opus divinæ gratiæ, ut ex inferius dicendis constabit in propria disputatione hujus Sacramenti. Hinc sequitur, ea quæ Sacramentalia dicuntur, v. g. benedictio Abbatis, consecratio Virginis, &c. non esse propriè Sacramenta, quia præcisè ex usu suo, & opere operato gratiam non conferunt, uti nec actus virtutum, præterquam quod hi sensibiles non sint.

8 Quintò tandem dicitur *ordinatum ad salutem hominis viatoris*, ut explicaretur causa finalis hujus institutionis, & simul indicaretur Sacramentum esse institutum communi, & universali lege ad usum hominum, & totius humani generis, & non pro certa aliqua persona, & in privato aliquo, & peculiari casu. & ratio est, quia Sacramenta tradita sunt Ecclesiæ in communem fidelium utilitatem, & omnium salutem, atque ideò lege communis institui debuerunt. Ex quo fit verba illa Christi ad Magdalenam, & Paraliticum *Remittuntur tibi peccata tua*, & insufflationem Christi in Apostolos, per quam Spiritum Sanctum dedit illis dicens *Accipite Spiritum Sanctum*, non fuisse Sacramenta, quamvis fuerint signa rei sacræ, scilicet, gratiæ à Christo Domino instituta ad sanctificationem, eò quia non fuerunt ab eo instituta, neque ut cæremoniæ frequentandæ continuandæ, & permanentes in Ecclesia; neque in beneficium totius Ecclesiæ, & ad usum communitatis fidelium, sed fuerunt opera particularia, & signa in quibusdam certis casibus, & in beneficium singularium personarum, & ideò non veniunt sub nomine Sacramenti, prout hìc sumitur, scilicet pro signo stabiliter instituto in beneficium Ecclesiæ, & communem fidelium utilitatem. Similiter Martyrium ob eandem causam non est Sacramentum, quamvis enim ex opere operato gratiam conferat, non tamen est specialiter ud hoc institutum, ut fusius diximus d. 2. de Baptismo, & Confirmatione qu. 7. Ex quibus infertur ad essentiam Sacramenti tria requiri. Primum est, ut sit signum stabile, & communi, ac universali lege institutum ad communem fidelium utilitatem. Secundum, ut significet veram, & propriam sanctitatem, qualis est gratia habitualis, & santificans. Tertium, ut eandem efficiat ex opere operato, id est usu suo, & applicatione per propriam efficaciam, & non ex opere operantis, sive per actum, aut dispositionem ministrantis, vel suscipientis, quæ estò ad effectum Sacramenti requiratur, non tamen ut causa, sed ut conditio sine qua non, ut constabit ex dicendis.

9 Denique ex dictis infertur definitionem Sacramenti ex Scoto assignatam esse optimam, quia habet verum genus, & differentiam, & quædam addita, quæ semper in definitione relativorum, quale est Sacramentum, poni debent, cùm eorum definitio non sit purè quidditativa, sed data per additamentum; nam *signum* ponitur, ut genus, quod pertinet ad relationem, alia verò duo *ex institutione Divina efficaciter significans*, locum tenent differentiæ, ut constat ex dictis. Et quia in definitione relativi fundamentum, & correlativum ponuntur, tanquam addita, ideò in hac definitione Sacramenti, quod pro formali relationem importat, ponitur *sensibile*, pro fundamento, seu subjecto relationis, *gratia, vel effectus ejus gratuitus* pro correlativo, seu termino illius signi, quod est Sacramentum. Additur tandem, quod sit ordinatum *ad salutem hominis viatoris*, ut indi-

ndicaretur finis, & modus quo talis Sacramentorum institutio facta est, ut explicatum est; quare nil deest, ut hæc definitio sit vera, & propria eo modo, quo Sacramentum definiri potest. Ex hac etiam definitione constat, quænam importentur à Sacramento intrinsecè, & in recto, & quæ extrinsecè, ac in obliquo; nam intrinsecè, & in recto importantur illa, quæ locum generis tenent, & differentiæ, nimirùm *signum*, quod ponitur ut genus; *ex institutione divina*, *efficaciter significans*, quod ponitur, ut differentia; cætera verò, quæ ponuntur ut addita, nimirùm *sensibile*, ut fundamentum talis relationis, *gratia*, *verò vel effectus Dei gratuitus*, ut corelativum, importantur extrinsecè, & in obliquo, ut indicat Doctor loc. cit. I. quomodo autem, & in quo sensu materia, & forma dicantur partes extrinsecæ Sacramenti dicemus art. seq. ita circa assignatam Sacramenti definitionem discurrimus d. 1. cit. de Sacram. in genere q. 1. art. 1. ubi etiam art. 2. plures solvuntur objectiones, quæ contra ipsam fieri solent, & ibi videri possunt; nam ex earum solutione adhuc magis eluceſcit præfatæ definitionis intelligentia.

ARTICULUS SECUNDUS.

De materia, & forma Sacramentorum.

10 DOgma Catholicum est, hæc nostra Sacramenta novæ legis constare quasi materia rebus, ac veluti forma verbis, aliqua materiæ cum forma, tum in naturalibus, tum in artificialibus proportione servata; quomodo autem constent rebus, & verbis, tanquam materia, & forma, ut ex partibus ea intrinsecè componentibus, fusè declaravimus d. 1. cit. qu. 3. ubi ab initio quæstionis advertimus ex Scoto 4. dist. 3. qu. 2. §. *Hic primò*, pro recta hujus compositionis intelligentia Sacramentum dupliciter considerari posse; vel ut est quoddam totum ex rebus sensibilibus, & relatione signi constans, vel ex parte fundamenti, in quo relatio signi fundatur, ut est quoddam compositum ex aliquibus rebus, & verbis; quorum primum dicitur materia, alterum forma, non propriè, sed metaphoricè, & proportionaliter, itaut nomine rerum intelligatur id omne, quod in Sacramentis indeterminatam habet significationem, nomine verò verborum id, per quod illud determinatur, ut v. g. in Baptismo aqua naturalis se habet, ut materia qua significare potest per ablutionem propter suam humiditatem, & refrigerium propter suam frigiditatem; sed cùm dicitur: *Ego te baptizo* manifestatur quod aqua utimur in Baptismo ad significandam emundationem spiritualem. Sacramentum primo modo consideratum est compositum physicum, & accidentale, cujus forma est relatio signi, alia verò sunt fundamentum; verè enim à relatione signi afficitur illud subjectum, sicut quælibet relatio subjectum, in quo fundatur, informat; unde tunc dicta materia, & forma, id est, res, & verba simul habent se instar materiæ, significatio verò eorum instar formæ. Secundo autem modo consideratum est compositum morale, & artificiale, siquidem ex beneplacito illa duo, scilicet, res, & verba sunt assumpta, ut fundamentum relationis signi, & unum non informat, vel subjectat alterum; quarè minus rectè, ut diximus loc. cit. nonnulli Recentiores putant hanc quoque compositionem esse physicam, quia ad talem compositionem constituendam non sufficit partes esse physicas, sed requiritur ipsam quoque compositionem esse aliquo modo physicam nimirum, aut per realem unionem, aut continuationem, aut contiguitatem partium in ordine ad certam figuram constituendam, quarum compositionum nullam habent res, & verba Sacramentorum, ut ex dicendis constabit. Quando itaque in proposito quæritur, an Sacramentum constet rebus, & verbis, tanquam materia, & forma, non est sermo de Sacramento primo modo sumptò, ut est quoddam totum ex rebus sensibilibus, & relatione signi constans; sed est sermo de Sacramento sumpto secundo modo, scilicet, quoad suum esse partiale ex parte fundamenti, in quo relatio signi fundatur, & quæstio est, an in quolibet Sacramento res, & verba ita ad invicem conjugantur, ut partes illius intrinsecæ, & essentiales censeantur, pro cujus resolutione.

11 Primò dicendum est omnia novæ legis Sacramenta rebus, & verbis constare, vel formaliter, vel saltem æquivalenter, tanquam ex materia, & forma, ut verbi gratia, in Baptismo res sensibilis, & actio, id est, aqua, & ablutio, in unctione oleum, & unctio dicitur materia, & quidem oleum, & aqua materia remota, actio verò illa materia proxima; verba autem, aut quod eorum loco ponitur, ut in matrimonio signum consensus, dicuntur forma. Ita statuimus loc. cit. & expressè declaratur in Concil. Florentin. in decreto Eugenii Papæ, ubi post enumerationem Sacramentorum novæ legis hæc verba leguntur: *Hæc omnia Sacramenta tribus perficiuntur rebus, tanquam materia, verbis tanquam forma, & persona Ministri cum intentione;*

Ac etiam in scriptura quibusdam Sacramentis expressè res, & verba assignantur, nam de Baptismo habetur Matth. 28. *Baptizantes eos*, ecce res, scilicet, ablutionem, *In nomine Patris, & Filii, &c.* ecce verba. Deinde in Eucharistiæ institutione legimus Christum accepisse panem, & dixisse illa verba: *Hoc est corpus meum*, & similiter de extrema Unctione habetur Jac. 5. *Ungentes eos Oleo sancto in nomine Domini, & oratio fidei salvabit infirmum*. Notanter autem diximus Sacramenta nostra constare rebus, & verbis, vel formaliter, vel saltem æquivalenter; nam aliqua si non in toto rigore, saltem æquivalenter constant rebus, & verbis; ut Matrimonium, & Pœnitentia; in Matrimonio enim semper verba interveniunt, vel formaliter, ut cùm expressè pronunciatur à contrahentibus, aut saltem æquivalenter, ut cùm per signa, & nutus notificantur. & quando Concilia, & Patres dicunt in Sacramentis præter verba requiri res, aliud docere noluerunt, quàm quod præter verba, quæ sunt forma, & à ministro prolata, requiritur aliud, quod dicitur res, hoc est, contradistinctum ab eo, quod locum formæ tenet, & ab eo aliquo pacto determinabile; quod autem hoc aliud, quod habet rationem materiæ, & tenet locum rei, sint verba, vel actiones alterius potentiæ, parum refert. Atque ita in Sacramento pœnitentiæ Confessio ipsa externa, sive verbis, sive nutibus, aut aliis signis exterioribus facta est, vera res Sacramenti pœnitentiæ contradistincta à verbis à Ministro prolatis, quæ sola sunt forma. Et sic pariter dici potest in Sacramento Matrimonii, quod forma sunt verba, vel alia signa exteriora consensum contrahentium exprimentia, res autem est traditio, seu translatio potestatis in corpora, verè enim transfertur dominium, & corpora traduntur, atque ita datio corporum est materia, & tenet locum rei in Sacramento Matrimonii, ut expressè innuit Doctor 4. distinct. 26. quæst. 1. sub P. quæ omnia propriis locis de unoquoque Sacramento magis explicabuntur.

12 Secundò dicendum est res, & verba, quæ dicuntur materia, & forma Sacramentorum semper esse partes intrinsecas, & essentiales Sacramentorum, quæ in usu consistunt, & in fieri, qualia sunt omnia præter Eucharistiam, quæ habet modum permanentis, ac veluti etiam in facto esse consistit, & utraque esse fundamentum relationis signi, quam Sacramentum pro formali importat. Ità etiam statuimus loc. c. & est communis omnium sententia, quod ibi probavimus ex analogia ad compositionem naturalem, in qua partes illæ per modum materiæ, & formæ concurrere dicuntur; quæ sunt composito intrinsecè, & essentiales, una per modum determinabilis, alia per modum determinativi; sed in Sacramentis novæ legis in usu, & fieri consistentibus tam res, quàm verba se habent, ut partes intrinsecæ, & essentiales signi Sacramentalis, res quidem, ut quid determinabile, verba verò, ut quid determinativum; ergo, &c. minor probatur, utraque enim necessaria sunt, & neutra sufficiunt ad fundandam significationem Sacramentalem, siquidem in Sacramento baptismi, verb. g. nec ablutio sine verbis, nec verba sine ablutione sufficerent ad internam animæ ablutionem significandam, ablutio namque sine verbo *baptizo* indifferens est ad humectationem, frigefactionem, & ablutionem significandam, & verbum *baptizo* sine ablutione est falsum. De Eucharistia verò, quia est Sacramentum per manens, aliter discurrendum esse inquit Doctor 4. dist. 8. quæst. 1. quam vis enim verba consecrationis ponint dici forma Sacramenti Eucharistiæ, quatenus sunt forma consecrationis, quæ est inchoatio hujus Sacramenti propriè tamen loquendo non sunt pars intrinseca, & essentialis illius, ut evenit in cæteris Sacramentis, quæ in usu consistant, quia tunc non esset Sacramentum permanens, cùm verba non possint esse, nisi successiva; ipsa tamen consecratio consistit in fieri, & ideò aliquam formam verborum requirit, sed ista non est forma Sacramenti, sed consecrationis Sacramenti, & intantùm illa verba dici possunt Sacramentalia, quia ad hoc Sacramentum pertinent, tanquam forma consecrationis ejus, quæ est hujus Sacramenti inchoatio; sed non dicuntur sic Sacramentalia, sicut verba baptismi, illa enim sunt Sacramentalia quia sunt forma illius Sacramenti. Undè inquit Doctor hoc Sacramentum Eucharistiæ consistere in speciebus consecratis, itaut ipsæ species visibiles sint materia, ideſt, proximum fundamentum relationis significationis, ipsa significatio sit formale. Et si queras quodnam sit in hoc Sacramento, tanquam materia, & aliud tanquam forma. Respondet, quod non est hic aliud, tanquam materia, & aliud tanquam forma, sicut est in aliis, cujus ratio est, quia hoc est Sacramentum permanens, & ideo non possunt aliqua verba ad ejus essentiam pertinere, undè tandem concludit in solutione ad quartum utramque speciem panis, & vini esse signum unius rei, scilicet, Corporis Christi sub illis existentis.

13 Sed obiiciunt aliqui, quod supra diximus ex Concil. Florent. omnia Sacramenta tribus perfici necessariò, rebus

tanquam materia, verbis tanquã forma, & Minisſtro, ubi etiam ſpecificatam materiam Sacramenti Euchariſtiæ eſſe panem, & vinum, quia in Euchariſtiæ inſtitutione legimus Chriſtum accepiſſe panem, & illa verba dixiſſe: *Hoc eſt Corpus meum*. Reſpondetur, quando Concil. Florent. ait materiam Euchariſtiæ eſſe panem, & vinum, hoc eatenus dixit quatenus ſint materia conſecrationis, quæ eſt inchoatio Sacramenti Euchariſtiæ; dixerat enim prius loquens de Sacramentis in genere, omnia tribus neceſſariò perfici, rebus tanquam materia, verbis tanquam forma, & Miniſtro; ex quibus colligitur illa tria ſolùm eſſe neceſſaria ad fieri cujuslibet Sacramenti, & hæc tria utique concurrunt etiam ad fieri Sacramenti Euchariſtiæ, quod eſt conſecratio; undè quando ſubdit hæc omnia tribus conſtare, ſenſus eſt, quando non poteſt fieri Sacramentum, niſi per verba, & res, quod de omnibus eſt verum, & in hoc ſenſu quoque verum eſt Euchariſtiam in ſuo fieri habere res, & verba, at neceſſe non eſt, ut in facto eſſe hæc adſint. Quarè argumentum ex verbis Concilii deductum ad ſummum probat, panem, & vinum eſſe materiam conſecrationis, verba verò formam; & intantùm hæc dici poſſe materiam, & formam Sacramenti Euchariſtiæ, quatenus ſunt materia, & forma conſecrationis; at abſolutè id aſſeri nequit, quia ſic innueretur in Euchariſtia una cum Corpore, & Sanguine Chriſti ſubſtantiam panis, & vini remanere, quod eſt hæreticum, ut fusè diſcurrimus loc. cit.

14 Tertiò dicendum eſt, ut Sacramentum ſit validum, debere inter materiam, & formam, v. g. inter effuſionem aquæ in Baptiſmo, & pronunciationem verborum talem, & tamen eſſe conjunctionem, ut ſecundum moralem hominum æſtimationem, ſpectata natura cujuſcunque Sacramenti, una alteram afficiat, hoc eſt, ut verba cenſeantur in tale rem cadere, & cum ea unum totale ſignum conſtituere. Ità Doctores communiter, & præſertim Scotus 4. diſt. 6. q. 3. infrà B. ubi inquit, quod inter materiam, & formam Sacramentorum talis ſimultas requiritur, qualis requiritur in actibus humanis, noluit enim Chriſtus nos obligare ad tam ſubtilem ſimultatem, quam vix poſſet homo percipere, & ſervare. Ratio eſt, quia ſimultas materiæ, & formæ ſumi debet juxtà naturam compoſiti; ſi compoſitum ſit phyſicum, debent ſimul eſſe phyſicè, ſi morale, moraliter; undè in propoſito cum Sacramentum ſit compoſitum morale, & non phyſicum, ſatis erit ſi moraliter ſimul judicentur eſſe, eſtò phyſicè aliqua mora intercedat. Sufficit ergò tanta conjunctio, ſeù propinquitas temporis inter res, & verba, quanta moraliter requiri videtur ad verificandum ſenſum verborum applicationem materiæ determinantem, quod totum prudenti judicio, & humano more æſtimandum eſt, ſicut fieri ſolet in aliis ſimilibus humanis rebus, & negotiis. Quoniam verò Sacramenta ex diverſis actibus humanis conſtant, quorum alii majorem ſimultatem, alii minorem ex natura ſua poſtulant, non poteſt una certa regula in omnibus aſſignari, ſed ſingularum operationum, quibus Sacramenta conſtant, eſt perpendenda natura, & juxtà earum diverſitatem poterit major, aut minor temporis propinquitas inter res, & verba eſſe neceſſaria, & ſufficiens; nam in confectione Sacramenti Euchariſtiæ requiritur, ut eo ipſo tempore, quo verba formæ proferuntur, materia ſit præſens, hanc enim, ut præſentem ſignificant pronomina demonſtrativa *Hoc*, *vel Hic*. in Sacramento autem Pœnitentiæ, & Matrimonii major diſtantia admitti poteſt inter accuſationem pœnitentis, & abſolutionem Sacerdotis, quia peragitur per modum judicii, in quo accuſatio præſupponitur abſolutioni, nec requiritur, ut ſententia judicis cum rei accuſatione tempore conjuncta ſit; in Matrimonio etiam unius conjugis conſenſus poſt alterius conſenſum tamdiù ſequi, quamdiù hic moraliter permanere cenſetur, ſicut in aliis contractibus. In Baptiſmo, Confirmatione, Unctione, & Ordine requiritur talis conjunctio, ut dùm Miniſter verba pronuntiat, moraliter etiam cenſeatur lavare, &c.

15 Quamvis autem, ut dicebamus, non poſſit in omnibus una certa regula aſſignari, in praxi tamen hoc ſemper in omnibus eſt ſervandum, ut materia, & forma Sacramenti taliter conjungatur, quod ſine periculo, & dubio, ſed modo certo, & tuto Sacramenta adminiſtrentur; qua ratione Doctor l. c. in Sacramento Baptiſmi requirit phyſicam ſimultatem ſaltem inter aliquam partem prolationis formæ, & materiæ, ut vel incipiat forma, antequam deſinat materia, vel è contrà incipiat materia, antequam forma abſolvatur, quam Scoti opinionem eſſe in praxi ſervandam conſulunt Navar. Sylveſter, Vivaldus, & plures alii apud Abell. part. 2. tra. 1. de Sacramentis in genere ſect. 2. ubi ait, quod in Sacramentis, quæ in actione aliqua tranſeunte conſiſtunt, & quorum forma applicationem ipſius materiæ ſignificant, quamvis aliqui Doctores arbitrentur ad illorum validitatem ſatis eſſe, ut moralis aliqua conjunctio inter materiam, & formam reperiatur, ideoq; validum, v. g. fore Baptiſmũ, ſi ſtatim poſt ablutionem verba formę proferãtur, aut poſt formę prolationem ablutio ſequatur; certior tamen, & tutior eſt in praxi aliorum Doctorum ſententia ad majorem certitudinem, ſcrupuloſque tollendos, qui aſſerunt materiam, & formam ſimul reipſa conjungi debere, itaut ſimul tempore materia Sacramenti applicetur, & verba formæ proferantur, aut ſaltem priuſquam materiæ applicatio finiatur, formæ prolatio inchoetur, vel vice verſa.

16 Quartò dicendum eſt, materiam, & formam Sacramentorum novæ legis fuiſſe determinatas ex inſtitutione Chriſti quoad ſubſtantiam, ita quod ſi aliæ ſubſtantiæ ponantur quoad ſubſtantiam, non fiat Sacramentum. Ità etiam ſtatuimus q. 3. cit. cum Scoto 4. diſtinct. 3. quæſt. 2. & eſt communis Doctorum ſententia, quæ in primis conſtat ex Scriptura, ubi leguntur res, & verba à Chriſto Domino determinata pro Sacramentis. Deindè ex Concil. Florent. loc. cit. ubi ſingulis Sacramentis determinatas formas, & materias aſſignavit, & ex Trid. ſeſs. 3. can. 1. ubi docet Sacramenta novæ legis fuiſſe à Chriſto Domino inſtituta, ut inſtrumenta ad cauſandam gratiam, ac proindè ea inſtrumenta pro libito variare, & mutare non licebit, & conſequenter res, & verba Sacramentorum certa, & determinata eſſe debent, & ideò ſeſs. 20. cap. 20. aſſerit Eccleſiam non habere poteſtatem circà ſubſtantiam Sacramentorum. Demum id quoque conſtat ex perpetua, & conſtanti Eccleſiæ traditione, quæ ſemper docuit res, & verba determinata requiri ad Sacramenta. Unde D. Dionyſius lib. de Eccleſ. Hyrar. cap. inquit: *Primi duces Sacerdotalis muneris viſibilibus ſignis cœleſtia Sacramenta texuerunt, & partim ſcriptis, partim non ſcriptis inſtitutionibus nobis tradiderunt*. Obſervant autem communiter Doctores determinationem illam materiæ, & formæ, ſeu rerum, & verborum non eſſe æqualem, & ejuſdem rationis in omnibus Sacramentis novæ legis, ſed latitudinem quandam habere, intra quam poteſt variatio aliqua reperiri abſque præjudicio validitatis Sacramenti; nam Chriſtus inſtituit, v. g. pro Euchariſtia panem de tritico, & vinum de vite, poteſt autem intrà latitudinem hujus panis talis variatio reperiri, quod ſit ex una, vel alia ſpecie tritici, quod ſit azymus, vel fermentatus, & intrà latitudinem vini, quod ſit album, vel rubrum, purum, vel lymphatum, itaut talis materiæ variatio Sacramentum non irritet, dummodo vinum ſit de vite expreſſum, & panis non ex alio genere frumenti, quàm ex tritico. Sic etiam in Sacramentò Pœnitentiæ quilibet dolor de peccatis ex ſupernaturali aliquo motivo elicitus, licet non ſit ejuſdem ſpeciei, ad illius Sacramenti validitatem ſufficit, quia nimirum dolor ille ex quocunque motivo ſupernaturali elicitus, ſive ſit contritio, ſive attritio, eſt ſufficiens diſpoſitio ex parte pœnitentis ad abſolutionem peccatorum in Confeſſione recipiendam; è contrario autem in Baptiſmo, v. g. ſi aqua ſit congelata, quamvis ejuſdem ſit ſpecie cum liquida, non eſt tamen materia Baptiſmi ſufficiens, quia non eſt apta ad corporalem ablutionem, unde determinatio materiæ in Sacramentis petenda eſt præſertim ex aptitudine ad uſum ipſius Sacramenti ſecundùm inſtitutionem Divinam. Sic pariter in forma Sacramentorum aliqua conſimilis latitudo reperitur intrà determinationem illius à Chriſto factam, nam cùm in reliquis ſex Sacramentis certa quædam, & determinata verba ore prolata requirantur, In Matrimonium ſigna, & nutus ad conſenſum de præſenti exprimendum verborum loco ſubſtitui poſſunt; & in aliis etiam Sacramentis, quæ certa verba ore prolata requirunt, determinatio verborum illorum ex qualitate ſoni, vel ſyllabarum, quibus illa conſtant, deſumenda non eſt, ſed ex ſignificatione, itaut eadem determinatè verba cenſeantur, quorum eadem eſt ſignificatio, ſive Hebraicè proferantur, vel Græco, aut Latino ſermone, ſive vulgari Italico, Gallico, aut Hiſpanico, quia Chriſtus non determinavit, ut verbà Sacramentorum hoc, vel illo idiomate proferantur, unde mutatio unius vocis in aliam eundem ſenſum retinentem Sacramentum non invalidat.

17 Quintò dicendum eſt, ut valeat Sacramentum non debere fieri ſubſtantialem, ſeù eſſentialem mutationem materiæ, vel formæ, accidentalem verò mutationem, etſi ſæpè ſit illicita, non tamen invalidum facere Sacramentum. Ita etiam communiter Theologi docent, & Scotus præſertim 4. diſt. 3. qu. 2. & diſt. 8. quæſt. 1. & alibi. Porrò mutatio materiæ Sacramentorum tunc ſubſtantialis cenſetur, quando tanta eſt, ut ſecundùm communem uſum, & æſtimationem hominum differat nomine, & re ab ea, quam Chriſtus præſcripſit, & inſtituit; accidentalis dicitur, quando cum ea eundem adhuc retinet uſum, & nomen: formæ ſimiliter mutatio eſſentialis eſt, quando non manet idem ſenſus verborum, accidentalis autem, quando adhuc manet; unde ad dignoſcendum, quæ mutatio ſit eſſentialis, & quæ accidentalis hæc regula generalis eſt obſervanda, quod tunc mutatio eſſentialis cenſeatur, quando ſecundum prudentem æſtimationem nõ manet ampliùs eadem res in ſubſtan-

ſubſtantia, nec in verbis eadem ſignificatio, itaut illa mutatio, quæ deſtruit ſenſum verborum à Chriſto inſtitutum, eſt ſubſtantialis, quæ verò non deſtruit cenſetur accidentalis; ex quo ſequitur nullum eſſe Sacramentum defectu materiæ, ſi materia cruda conſecretur, id eſt, farinacea maſſa nondum piſta, & igne cocta, quia ſecundùm communem uſum, & æſtimationem non eſt panis, ſivè hæc differat ſpecie ſubſtantiali à pane, ſivè non; item ſi aquæ artificiales adhibeantur in Baptiſmo, quia non habent communem uſum, & nomen aquæ elementaris, eſtò phyſicè ſpecie non diſcrepent, valet tamen Sacramentum, & ſi aqua Baptiſmi ſit calida, & panis Euchariſticus ſit ater, fermentatus, &c. Defectu verò formæ Sacramentum eſt nullum, ſi litteræ aliquæ mutentur ſenſum variantes, quod facilè in initialibus contingit, ut ſi dicatur, in nomine Matris, Milii, &c. item ſi magna verborum fiat interruptio, ita ut moraliter cohærere non videantur. Rurſus ſi forma diviſim à pluribus proferatur, verbi gratia, unus dicat. Ego te baptizo, alter in nomine Patris, &c. quia erunt duæ formæ imperfectæ, & ſenſus falſus. Forma verò valet, etſi non liceat, ſi omittas voces non eſſentiales, verbi gratia, *Ego*, & *Amen* in Baptiſmo, *enim* in forma Euchariſtiæ, ſi tantùm verba tranſponas, ut Hoc meum eſt Corpus, ſi ſynonima ſubſtituas, verbi gratia, abluo pro baptizo, ſi verbum aliquod addatur, quod tamen ſenſum ejus non evertat, v. g. In nomine Patris, ſi te creavit, & ſimilia; in his enim omnibus, & ſimilibus caſibus mutatio formæ cenſetur eſſe accidentalis tantum, ut docet D. Thomas quæſt. 6. art. 7. Scotus loc. cit. & ſequuntur Layman, Toletus, Bonacina, Filliucius, & alii Summiſtæ paſſim.

QUÆSTIO SECUNDA.

De effectibus Sacramentorum.

18 SAcramenta maximè per ordinem ad effectus ſunt conſideranda, ut potè ex quibus eorum vis & efficacia magis percipitur, duplex autem Sacramentorum effectus à Theologis communiter aſſignari ſolet; unus primarius, qui eſt gratia habitualis, quæ eſt qualitas ſupernaturalis qua homo formaliter juſtificatur, qua de cauſa dicitur gratia ſanctificans, Alter ſecundarius, qui dicitur Character, quo nomine intelligitur ſignum quoddam ſpirituale, quod animæ per quædam Sacramenta imprimitur, ratione cujus ſunt irreiterabilia, de hoc itaque duplici Sactamentorum effectu in hac quæſtione agemus, & prius de primario, ac poſteà de ſecundario.

ARTICULUS PRIMUS.

De primario effectu Sacramentorum, qui eſt gratia.

19 PRimò certum eſt, ac de fide contra quoſdam veteres, ac etiam recentiores Hæreticos Sacramenta novæ legis conferre gratiam ſanctificantem, & juſtificantem, non tantùm Fidem excitando in ſuſcipiente, ſed per ſe, & propriè ex divina inſtitutione, hoc enim expreſsè Scripturæ teſtimonia demonſtrant, dum per Sacramenta præter Fidem remiſſionem peccatorum nobis promittunt, ac animæ ſalutem, quæ non niſi per gratiam juſtificantem obtineri poteſt, quod patet per plura Sacramenta diſcurrendo de Baptiſmo quidem Joan. 2. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, &c.* quibus verbis regeneratio ſpiritualis, quæ fit per gratiam, aquæ Baptiſmali, tanquam cauſæ tribuitur de. Pœnitentia Jo. 20. *Quorum remiſeritis peccata, remittentur eis*, &c. quibus verbis ſignificatur Sacerdotes in Sacramento pœnitentiæ per abſolutionem verè peccata remittere, ac proindè gratiam conferre, ut declarat Concil. Trident. ſeſſ. 14. ca. 3 & 9. de Euchariſtia Joann. 6. *Qui manducat me, & ipſe vivet propter me*, vita nimirum ſpirituali, & gratiæ, de Ordine 2. ad Timoth. 1. *Admoneo te, ut reſuſcites gratiam, quæ eſt in te, per impoſitionem manuum mearum*, & tandem de extrema Unctione Jacob. 5. *Ungentes eum oleo in nomine Domini, &c. ſi in peccatis ſit, remittentur ei*, quibus verbis, declaratur vis hujus Sacramenti ad remittenda peccata, ac proindè ad gratiam conferendam. Undè ſequitur alia quoque Sacramenta eundem habere effectum, cùm horum, & aliorum ſit par ratio.

Confirmatur auctoritate Conciliorum, & Patrum, nam in Concilio Florentino in decreto Eugenii, & Trident. ſeſs. 7. cap. 6. expreſsè definitum eſt *Gratiam conferri per legis Sacramenta ſemper, & omnibus quantum eſt ex parte Dei, ſi ritè ea ſuſcipiunt*, quod etiam expreſsè docent Chryſoſtomus hom. 60. ad populum dicens *Deum per viſibilia ſigna, inviſibilem largiri virtutem*, & Aguſtin. in pſalm. 37. dicens *Sacramenta novi teſtamenti dare ſalutem*, & ſic etiam loquuntur alii Patres. Denique hoc etiam ratio ipſa ſuadet, quia infantibus verè, & realiter Sacramentum Baptiſmi exhibetur, per quod mediante Divina gratia peccatum originale deletur, in quibus tamen actus fidei non excitatur, tùm quia alioquin Sacramenta non plus valerent, quàm prædicatio Evangelii, aliaque externa ſigna, quibus in audientium, & videntium animis fides excitatur.

20 Secundò certum eſt etiam, ac de fide Sacramenta novæ legis gratiam producere, & conferre, non ſolùm inquantum ſuſcipientes ad aliquem actum fidei, aut alium pium effectum objectivè excitant, ut præfati ſectarii dicebant, ſed propria virtute & efficacia, non quidem principaliter, hoc enim ſolius Dei eſt proprium, ſed inſtrumentaliter, & ex opere operato, ut Theologi loquuntur; quod ut faciliùs intelligatur, notandum eſt ex Scoto 4. d. 1. d. 6. K. dupliciter gratiam obtineri poſſe, uno modo ex opere operantis, & eſt quando obtinetur ex merito, vel ratione diſpoſitionis præcisè, ut eſt ab operante, quo modo ſemper intervenit aliquod meritum ſaltem de congruo reſpectu gratiæ, alio modo ex opere operato, & eſt quando præcisè ratione operis externi, vel Sacramenti applicati datur aliqua gratia ultrà omne meritum operantis, tam de condigno, quàm de congruo. Undè in propoſito gratiam conferri ex opere operantis in aliquo Sacramento idem eſt, ac conferri intuitu meriti ipſius operantis, ſeù illius, qui eſt conficiens, vel adminiſtrans Sacramentum, aut illud ſuſcipiens, gratiam verò conferri ex opere operato idem eſt, ac conferri gratiam præcisè vi ipſius operis operati, ideſt, Sacramenti applicati, & facti, prout juxtà Divinam inſtitutionem faciendum eſt. Quod igitur novæ legis Sacramenta gratiam quoque conferant ex opere operato ſatis apertè demonſtrant Scripturæ teſtimonia jam relata; quæ hanc vim ſingulis tribuit Sacramentis, tum quia alioquin ex opere operantis poteſt, & ſolet homo gratiam conſequi, vel ejus augmentum per alios quoq; virtutum actus, undè non eſſet quicquam proprium, ac peculiare Sacramentorum ſic gratiam conferre. Confirmatur etiam auctoritate Conciliorum, & Patrum, nam Trid. ſeſſ. 7. can. 8. dicit. *Si quis dixerit per novæ legis Sacramenta non conferri gratiam ex opere operato, anathema ſit*, & D. Aug. lib. 19. contrà Fauſtum cap. 11. vim Sacramentorum quoad gratiam conferendam appellat *inenarrabilem*, & capit. 16. ait *Sacramenta novæ legis plurimum à legalibus diſtare, & eſſe virtute majora, utilitate potiora*, talia autem non eſſent, ſi ſolùm ex opere operantis gratiam conferrent. Item S. Cyprianus ſerm. de Cœna Domini ait. *Sacramentis ineſſe æternæ vitæ effectum*. Denique Innocentius Tertius libr. 1. de myſterii Miſſæ inquit: *Miſſæ ſacrificium conferre gratiam, licet per malos miniſtros, quia etiamſi opus operans ſit fortaſſe immundum ex parte miniſtri, tamen opus operatum eſt ſemper mundum reſpectu Dei*. Cum autem Sacramenta dicuntur hoc modo conferre gratiam, hoc intelligi debet, ut ſuprà diximus non quidem in eo ſenſu, quod ſint cauſa principalis, cùm enim gratia ſit ſublimis quædam naturæ Divinæ participatio, ſolus Deus eſſe poteſt cauſa principalis, & auctor gratiæ, ſed dici debent cauſæ inſtrumentales, quatenus talia ſigna ſenſibilia aſſumuntur à Deo ad conferendam gratiam ſupra omnem eorum virtutem, & extrà omnem naturæ ordinem.

21 Tertiò, quia duplex occurit modus, quo Sacramenta dici poſſunt ſic inſtrumentaliter gratiam conferre; unus phyſicus, itaut Sacramentum per veram, & propriam efficientiam ex ipſa Sacramenti ſubſtantia directè, & immediatè manantem per verum, & phyſicum influxum gratiam in anima producat, quo pacto anima, v. g. per oculum, tanquam per inſtrumentum actum viſionis producere dicitur; alter moralis, itaut gratia à ſolo Deo immediatè producatur, & ad præſentiam, & exhibitionem ipſius Sacramenti, tanquam ſigni ab ipſo inſtituti, in animam infundatur, quæ actio gratiæ productiva non ab ipſo Sacramento directè, & immediatè egrediatur, ſed à ſolo Deo ad exhibitionem Sacramenti, qui modus cauſandi ſolam dicit cauſalitatem moralem. Controverſia famoſa eſt inter Thomiſtas, & Scotiſtas, quonam horum modorum Sacramenta ſint cauſæ inſtrumentales gratiæ, an ſcilicet, phyſicè, vel ſolùm moraliter. Thomiſtæ affirmant Sacramenta per phyſicam efficientiam, & cauſalitatem gratiam conferre; Scotiſtæ verò aſſerunt eſſe cauſas tantùm morales, quatenus ad gratiam producendam, & ſuſcipientibus largiendam movent ipſum Deum gratiæ omnis auctorem, largitorem, qui ideò gratiam illam tunc vult conferre, quia Sacramentum rectè perfectum, & debitè ſuſceptum eſt. Quam ſententiam ex profeſſo docuit Scot. 4. diſt. 2. q. 4. & 5. §. *Ad primam; ergo quæſtionem*, & nos fusè defendimus d. 1. c. de Sacramentis in genere q. 4. ex Conciliis, & Patribus efficientiam gratiæ tribuentibus immediatè, & proximè ipſi Deo, per miniſterium tamen, & exhibitionē ipſius Sacramenti, ità

ità enim expresè docuit Concilium Moguntinum sub Paulo III. celebratum anno 1549. cap. 11. ubi loquens de Sacramentis novæ legis, & eorum efficacitate in gratia conferenda ait, *non esse ritus simplices, sed sacrosancta signa, & efficacia signa, quę ritè ea suscipientes gratiam eis conferendo sanctificant; gratiam verò Sacramentalem, non ex ipsa externarum rerum virtute, nec ex merito ministri, sed ex interna, & divinæ operationis virtute æstimandam esse*, quibus verbis exprimit Concilium gratiam nobis per Sacramenta collatam non externo symbolo Sacramentali tribuendam esse, sed internæ virtuti, & operationi divinæ.

22 Hoc idem innuunt Patres Ambrosius, Augustinus, Hieronymus, Cyprianus, & alii loc. cit. adducti, dum dicunt in Sacramentorum susceptione Deum solum esse, vel Spiritum sanctum, qui animam sanctificat, mundat, & lavat, dum exterius Sacramentum perficitur, elementum lavare extrinsecus, Deũ verò mundare intrinsecus, & tandem Sacramentum significare visibiliter, quod Deus agit invisibiliter, quo quidem loquendi modo satis expresè Patres significant, non ipsum Sacramentum per modum causæ physicæ gratiam efficere, sed Deum ipsum immediatè ad exhibitionem Sacramenti. Denique rationibus hoc idem ibi probavimus ostendendo improbabilitatem, & impossibilitatem omnium modorum, quibus Thomistæ defendere, & suadere nituntur Sacramenta physicè gratiam causare, & præsertim modi communioris, quo utuntur, dùm dicunt Sacramentum immediatè efficere ipsam gratiam in anima recipiendo in se virtutem quandam à Deo superadditam, qua per modum instrumenti elevatur ad producendum gratiæ effectum, hunc enim dicendi modum ex instituto reiicit Doctor loc. cit. 4. d. 1. qu. 5. §. *Contrà opinionem istam*, quia gratia est adeò sublimis, & excellens Divinæ naturæ participatio, ut non videatur possibilis ulla virtus creata illius physicè effectiva vel enim hæc esset corporea, vel spiritualis; non primum, quia virtus corporea non sufficit ad producendam formam taliter spiritualem, & supernaturalem, nam adhuc ita erit improportionata, sicut ipsa Sacramenti substantia, quod est corporeum. Neque secundum, quia virtus spiritualis in subjecto corporeo collocari nequit, cui tanquam accidens inhæreat, aut enim esset indivisibiliter, ideſt, tota in toto, & tota in qualibet parte, aut divisibiliter, ideſt, tota in toto, & pars in parte, non primo modo, quia inter omnes formas materiam perficientes sola intellectiva ponitur talis, nec secundo modo, quia tunc extenderetur per accidens in subjecto, quod est contrà rationem virtutis spiritualis. Ità discurrimus quæst. 4. cit. art. 1. num. 149. & sequentibus. Deindè art. 2. num. 155. probamus cum Doctore loc. cit. quod etiam si possibilis esset modus ille causalitatis, adhuc Sacramentis, prout de facto sunt instituta, tribui non debet, nec convenire potest, nam per Sacramenta, quæ in fieri consistunt, & successivè exercentur gratia, producitur in instanti ultimo, in quo jam non est Sacramentum, nempè per primum non esse illius; in quo verum est dicere, cùm sit instans extrinsecum, nunc non est Sacramentum, sed immediatè antè fuit; ergò nequeunt esse causę instrumentales physicę, quia nihil potest physicè causare etiam per modum instrumenti, nisi actu existat, siquidem actualis existentia est conditio simpliciter necessaria ad physicam causalitatem, sivè principalem sivè instrumentalem. Rensponsione autem, & objectione Thomistarum adamussim rejectæ sunt, & solutæ loc. citat. Sunt verò causæ morales gratiæ Sacramenta non quidem principales, sed tantùm instrumentales, tùm quia sic vocantur à Conc. Trident. sess. 6. cap. 7. tum quia causa moralis principalis ipsius gratiæ est passio Christi Domini, ut dicitur ibidem, in cujus virtute dumtaxat Sacramenta hunc suum attingunt effectum.

23 Quartò, cum certum sit Sacramenta omnia novæ legis conferre gratiam sanctificantem, sivè primam, ut Baptismus, & Pœnitentia, sivè secundam, quæ est augumentum ipsius præhabitæ gratiæ, ut reliqua Sacramenta, quæri solet, an Sacramenta causent aliam gratiam, quàm sanctificantem, quod quæsitum breviter resolvimus dis. cit. quæst. 10. a. 1. ubi cum communi sententia diximus nullam gratiam conferri per Sacramenta à gratia habituali distinctam præter auxilia aliqua particularia, quę Deus dare decrevit tempore opportuno Sacramenta debitè recipientibus, quod etiam deducitur ex Scoti principiis, postquã enim 4. dist. 1. q. 4. & 5. docuit Sacramenta gratiam conferre habitualem, seù santificantem, agens posteà de Sacramentis in particulari, aliquos peculiares effectus singulis assignat, & gratias distinctas ab illa communi, quàm omnia causant, quæ non important, nisi auxilia prædicta, agens enim de Baptismo inquit per gratiam ab illo collatam nos regenerari, per Cõfirmationem nec nos roborari ad confitendum constanter Christi fidem, per Ordinem dari gratiam dignè exequendi ministeria sacra, quod consequenter de aliis quoque dicendum est, ut docet Divus Bernardus sermone de Cæna Domini; etenim per Sacramentum Eucharistiæ conferuntur subsidia ad perseverandum in gratia, & ut non sentiamus tam magnas iræ, invidię, & luxuriæ tentationes, quas sine illo Sacramento experiremur; per Sacramentum Pœnitentię pœna æterna in temporalem commutatur, per Sacramentum Matrimonii dantur auxilia ad ejus onera sustinenda, & prolem rectè educandam; & tandem per extremam Unctionem conferruntur auxilia, quibus infirmus resistat tentationibus in fine vitæ occurentibus, & quibus sanitatem recuperet, si magis ad bonum animæ conducat. Undè concluditur, quod gratia, quam singula Sacramenta addunt supra communem gratiam, quam omnia conferunt, consistit in auxiliis actualibus ad fines speciales juvantibus, ob quos singula Sacramenta sunt instituta; atque ità gratia Sacramentalis differt à gratia communi habituali ab omnibus Sacramẽtis causata per ordinem ad peculiares effectus Sacramentorum ad quos præstandos gratia ipsa communis ordinatur per specialia Dei auxilia in singulis Sacramentis collata, quæ doctrina est etiam Divi Bonaventuræ 4. dist. 1. quæst. 6. & dist. 7. art. 2. quæst. 2. & in hoc sensu dici solet singula Sacramenta specialem aliquam gratiam conferre, ratione cujus inter se distinguuntur, quatenus quodlibet Sacramentum confert peculiarem gratiam ex vi sua distinctam à gratia alterius ratione peculiaris effectus, quæ quidem specialia auxilia distinctè etiam recensentur, ac enumerantur Concil. Forent. in decreto Eugenii Papæ, & distinctius, ac facilius intelligentur ex iis, quę infrà de unoquoque Sacramento in particulari dicenda sunt. Tribuuntur autem illa specialia auxilia non statim, ac Sacramentum recipitur, sed iis temporibus, & occasionibus, in quibus convenientia, & necessaria talia auxilia videntur illi, qui est ut ait Propheta psalm. *Adjutor in opportunitatibus, in tribulatione.*

24 Quintò quæritur, An Sacramenta novæ legis æqualem semper conferant gratiam. Pro resolutione notandum est, quæsitum hoc in duplici sensu accipi posse primò, an diversa Sacramenta, ut v. g. Baptismus, & Eucharistia æqualem conferant gratiam, secundò, an unum, & idem Sacramentum æqualem conferat gratiam omnibus illud suscipientibus. Et quidem in primo sensu omnes conveniunt conferre inæqualem, nam in Concil. Trid. sess. 7. can. 7. definitum est Sacramenta omnia non esse inter se æqualia, sed alia aliis digniora esse, & excellentiora undè communiter hic ordo dignitatis inter Sacramenta assignari solet, ut etiam satisindicat Trident sess. 13. cap. 1. & seq. quod omnium dignissimum, & præstantissimum sit Sanctissimæ Eucharistiæ Sacramentum, secundum dignitatis locum obtineat sacramentum Ordinis, tertium Confirmatio, quartum Baptismus, quintum extrema Unctio, sextum Pœnitentia, & septimum Matrimonium, valdè autem cõsentanem est Deum voluisse majorem, & uberiorem gratiam conferre cæteris paribus per Sacramenta digniora, & perfectiora, qua ratione Theologi communiter dicunt Eucharistiæ Sacramentum majorem, & uberiorem gratiam præ cæteris conferre. In secundo autem sensu concedunt omnes Sacramenta ejusdem rationis inæqualem conferre gratiam pro inæqualis recipientis dispositione, itaut major gratia conferatur magis disposito, & minus disposito minor, sic enim expresè docet Tridentinum sess. 6. cap. 7. dùm inquit loquens de adultorum justificatione illos justitiam recipere *secundum propriam cujusque dispositionem, & cooperationem.* & ratio deducitur ex perfectissima Dei providentia, & justitia distributiva, quemadmodum enim majori contritionis, & dispositioni juxtà Sacramentum major quoque gratia correspondet, ità majori attritioni, quæ in Sacramento locum contritionis supplet, major quoque gratia correspondere debet. Petes, an gratia illa uberior, quæ melius dispositis tribuitur, sit tantùm ex opere operantis, an etiam ex opere operato.

25 Aliqui putant melius dispositis tribui majorem gratiam non modò ex opere operantis, sed etiam ex opere operato, nam actus illi, per quos homo ad suscipiendum aliquod Sacramentũ disponitur, duobus modis spectari possunt, primò prout sunt ex se alicujus gratiæ meritorii, secundò prout passivè disponunt subjectum suum, & magis aptum reddunt ad effectũ Sacramenti recipiendum, & sic duplex illis respondet gratia; si spectentur priori modo, gratiam merentur ex opere operantis; si posteriori modo, reddunt hominem aptum ad majorem gratiam Sacramentalem ex opere operato recipiendam. Ità Abellius ca. 1. de Sacramentis in genere sect. 5. cum Becano, & aliis. Sed quamvis hoc fit satis probabiliter dictum, aliter tamen pluribus Scotistis dicendum videtur de mente Doctoris 4. dist. 4. quæst. 7. §. *sic ergò* quod, scilicet, illa uberior gratia, quæ melius dispositis tribuitur, sit tantùm ex opere operantis, non autem ex opere operato; inquit enim ibi, quod quantùm est ex parte ipsius Sacramenti Deus aliquam gratiæ portionem disposuit regulariter conferre cum isto signo, ita quod nulli minorem, & ita dici potest conferri virtute Baptismi, de quo ibi loquitur; quia virtu-

virtute veritatis hujus signi, & sicut determinatio ista universalis quantùm ad illum gradum est uniformis, ità & effectus æqualis; ex quibus verbis mens ejusdem colligitur esse, ut advertimus disp. 1. cit. quæst. 9. art. 1. quod Deus de facto gratiam Sacramentalem determinavit ad certum, & determinatum gradum, ita quod nulli suscipienti Baptismum, verbi gratia, conferatur unquam major, vel minor gradus gratiæ, & ille confertur semper ex vi Sacramenti illud sine obice suscipienti; & ex vi ejusdem, quod est idem ac ex opere operato, nunquam major confertur, vel minor, sed omnibus æqualis; & si interdum alicui melius disposito confertur major, id erit ex opere operantis, & non ex opere operato. & ratio est, quia quodlibet Sacramentum habet definitum effectum ex certa lege, & promissione Dei, ut docet Concil. Trid. sess. 7. can. 7. de Sacramentis in genere, & ideò hic effectus ex parte Sacramenti semper esse debet æqualis, sicut enim Sacramentorum significatio debuit esse determinata pro singulis, ità & eorum efficientia quantum est ex parte Sacramenti; hæc tamen est quæstio de nomine, quia semper major gratia confertur melius dispositis, sivè hæc majoritas sit ex opere operantis, sivè ex opere operato.

26 Sextò quæri solet, An omnia Sacramenta vim habeant conferendi primam gratiam. Hanc difficultatem resolvimus disp. 1. cit. qu. 10. a. 2. ubi diximus cum Scoto 4. d. 9. qu. un. & distinct. 25. qu. un. non omnia Sacramenta ex se, & ex vi suæ institutionis primam gratiam conferre; nam quædam per se, & principaliter sunt instituta ad delendum peccatum originale, vel actuale, ut Baptismus, & pœnitentia, quæ proindè ex vi sua, & propria institutione habent conferre primam gratiam, ideoque communiter Sacramenta mortuorum appelari solent, quia nimirum sunt instituta ad præbendam vitam spiritualem iis, qui spiritualiter per peccatum mortui erant. Alia verò sunt Sacramenta per se, & principaliter instituta ad perficiendam magis animam, ut Confirmatio ad roborandam animam, non enim corroboratur, nisi quod prius esse habet, & Eucharistia ad eandem reficiendam per modum cibi spiritualis, ideoque dici solent Sacramenta vivorum, quia per se loquendo supponunt, & juxtà suam institutionem animam esse in gratia. Ex quo fit ut volentes ad hæc Sacramenta vivorum accedere, ità dispositi esse debent, ut saltem in sua conscientia, & existimatione esse in statu gratiæ supponuntur, quod non requiritur in accedentibus ad Sacramentum Baptismi, vel Pœnitentiæ, quæ dicuntur Sacramenta mortuorum. Addimus tamen loc. cit. per accidens, & indirectè fieri posse, ut Sacramenta instituta ad primam gratiam conferendam conferant augumentum gratiæ, & è contra illa, quæ instituta sunt ad augumentum, conferant aliquando etiam primam gratiam, quod ità declaravimus ibidem, quia contingere potest ex una parte, ut accedens ad Baptismum, vel pœnitentiam supponatur esse in statu gratiæ per actum perfectæ contritionis, in quo sanè casu hæc duo Sacramenta, alioquin per se ad primam gratiam conferendam instituta, conferant secundam, seù augmentum gratiæ, ut ait Doctor 4. distinct. 4. qu. 6. Ex alia parte potest etiam per accidens contingere, ut aliquis habens aliquod mortale oblitum, putans tamen bona fide se esse in gratia, cum attritione accedat ad Sacramentum aliquod vivorum, & tunc ex virtute talis Sacramenti, alioquin ad solùm gratiæ augmentum conferendum instituti, primam gratiam recipiat, & à peccato justificetur. & ratio est, quia Sacramenta omnia ex se vim habent conferendi gratiam non ponentibus obicem, ex Tridentino session. 6. canon. 6. & 7. taliter autem se habet homo bona fide accedens, & inculpabiliter ignorans se esse in statu peccati, sed tamen re vera attritus de peccatis, cum qua attritione reciperet utique gratiam per Sacramentum Baptismi, vel pœnitentiæ; ergò etiam dici debet retinere primam gratiam in tali casu per Sacramenta vivorùm modo jam explicato loc. cit. Specialis tamen difficultas est de Sacramento Eucharistiæ, an valeat primam gratiam conferre, & peccatum mortale remittere saltem per accidens, de qua fusè agimus etiam loc. cit. ad quem brevitatis gratia Lectorem remitto.

27 Postremò quæri solet, quo tempore Sacramenta gratiam conferant. Conveniunt Doctores Sacramenta causare gratiam, quando sunt in esse completo Sacramenti, idest in eo instanti, in quo materia, & forma habent perfectam significationem, ad quam sunt instituta, sivè Sacramentum sit completum, & perfectum in ultimo instanti prolationis verborum, sivè in ultimo instanti materiæ, sivè in ultimo instanti utriusque, si materia, & forma sint simul. Ratio est quia Sacramenta gratiam producunt in eo instanti, in quo gratiam significant, siquidem Sacramentum est signum practicum, ut suprà dictum est, quod scilicet, significat, & significando producit, sed significat gratiam in eo instanti, in quo materia, & forma perfectam habent significationem; ergò, &c. undè Sacramentum Baptismi, verbi gratia, causat gratiam in eo instanti, in quo ablutio, & prolatio verborum perfectum sensum gignit, & consequenter non est verus Baptismus, quando quis, aut nondùm abluit, aut nondùm protulit verba perfectum sensum habentia. Ità Suarez, Henriq. Coninchius, Bonac. & alii passim. Qui tamen minùs rectè dicunt illud ultimum instans, in quo completur Sacramenti significatio, & gratia producitur, esse instans intrinsecum; hoc enim repugnat principiis Philosophiæ docentis successiva desinere per ultimum instans extrinsecum, seù per primum sui non esse quatenus valet dicere, modò non est, immediatè antea erat; undè assignari non potest ultimum esse entis successivi, nec ejus ultimum indivisibile, sicut assignatur punctum in linea, eo quod sit ens permanens; ergò gratia producitur in ultimo instanti extrinseco, in quo jam non est Sacramentum, sed immediatè antea fuit, cùm enim hoc sit ens successivum, excepta Eucharistia, verbi gratia, prolatio verborum, vel motus localis ablutionis in baptismo, debet desinere per primum non esse; in quo verum est dicere, cùm sit instans extrinsecum, nunc non est forma illa integra, sed immediatè antea fuit, hoc est toto tempore ab incæptione prolationis usque ad illud instans, ut fusius dictum est disp. cit. quæ. 4. art. 2. num. 158.

ARTICULUS SECUNDUS.

De effectu secundario quorundam Sacramentorum, qui est character.

28 PRimò conveniunt Doctores nomine characteris intelligi signum quoddam spirituale, quod animæ per quædam Sacramenta imprimitur, ut enim dixmus disp. 1. cit. qu. 5. a. 1. character est nomen græcum idem significans, quod latinè sonat signum, nota, vel sigillum alicui rei impressum, & affixum; & dicunt esse signum indelibile, nec ullis peccatis obliterari posse, ac proindè Sacramenta, quæ illum imprimunt, iterari non posse; imò characterem illum manere etiam post mortem, non solùm in animabus beatorum, sed etiam damnatorum, in illis quidem ad majorem ornatum, & splendorem, in istis verò ad majorem ignominiam, & confusionem. Ità de nomine, & natura Characteris discurrit Scotus noster 4. dist. 6. qu. 9. §. *De Primo*, & ità expressè definitum est in Conc. Trident. in decreto Eugenii Papæ, & in Trident. sess. 7. can. 9. & antè præfata Concilia idipsum docuerunt SS. Patres, undè D. Ambros. l. 1. de Spiritu sancto inquit *Spiritu signamur, ut splendorem, atque imaginem ipsius tenere possimus, quod est utique spirituale signaculum*, & Cyrill. Hieros. præfatione in Catech. Baptismi Sacramentum per effectus definiens ait esse *signaculum sanctum, & indelebile*, & sic etiam de Charactere discurrit D. Aug. serm. de gestis cum Emerito c. 6. & l. 2. contrà Epist. Parmeniani. Et quidem ejusmodi characterem verè imprimi animæ per susceptionem quorundam Sacramentorum colligitur etiam ex pluribus Scripturæ locis, ut ad Ephes. 1. *In quo credentes signatis estis*, ubi Apostolus loquitur de signaculo spirituali, quod accipitur in Baptismo, ut exponunt Chrysost. Hieron. & alii Patres; & ad Ephes 4. *Nolite contristare Spiritum Sanctum, in quo signati estis in diem redemptionis*, quem etiam locum intelligit Hieronymus de charactere baptismali. Item 2. Corint. 1. *Unxit nos Deus, & signavit nos* ubi Apostolus de Sacramento Confirmationis loquitur, & Unctioni illius signaculum conjungit, quæ loca fusius declarata apud Bellarminum videri possunt t. 5. l. 2. c. 20.

29 Secundò conveniunt Doctores tria tantùm Sacramenta Characterem imprimere, Baptismum, scilicet, Confirmationem, & Ordinem, ut constat ex Concil. Florent. & Triden. cit. quod etiam ratione suadetur, ut diximus qu. 5. cit. quia tria illa tantùm Sacramenta iterari non possunt, ut ex praxi continua Ecclesiæ colligitur, alia verò quatuor iterari possunt; hoc autem verum non esset, nisi characterem imprimerent, siquidem ex sola Characteris impressione Trident. loc. cit. deducit illa tria Sacramenta iterari non posse, alioquin nulla ratio esset, cur iterari non possent, sicut alia Sacramenta; ergo ex non iteratione, tanquam ab effectu, quod characterem imprimant, rectè deducitur. Rursus hoc probat Scot. 4. dist. 6. qu. 10. ut l. c. dicebamus eleganti congruentia ex politia humana deducta, nam sicut qui in familia Principis bene disposita, vel exercitu benè ordinato ad diversa applicantur officia, diversis notis, ac insignibus notari solent; quibus eorum munus cognoscatur, & ab aliis discernantur; ità in exercitu, & familia Christi diversi sunt hominum ordines, singuli propriis characteribus notati, quibus eorum munus cognoscatur, ab aliis discernantur; nam per Baptismi characterem homo familiæ, & militiæ Christi adscribitur, & ab omni alio extra hanc familiam distinguitur; per characterem Confirmationis deputatur homo tanquam miles Christi ad certamen spirituale, ad profitendam fidem, & strenuè pugna-

pugnandum contrà fidei persecutores. & tandem per characterem Ordinis deputatur homo, tanquam Christi Minister ad Sacramenta dispensanda, & varias actiones sacras obeundas juxtà Ordinum diversitatem; quam congruentiam indicavit etiam D. Aug. cit. lib. 2. contrà epist. Parmeniani, nam ibi loquens de Baptismo, & ordine dicit, Sacramenta illa non minus inhærere apostatis, quàm corporalem notam Imperatoris militibus fugitivi, ideoque illa non esse iteranda, dum apostatæ ad Ecclesiam redeunt; hac igitur ratione valdè congruum est, ut per tria illa Sacramenta diversi imprimantur characteres juxtà graduum, & munerum diversitatem. Ex quo rursus Doctor l.c. sub lit. I. deducit rationem, cur alia Sacramenta præter hæc tria characterem non imprimant, nullus enim habet determinatum gradum in familia Regis, quia comedit, vel bibit, nec quia post offensam Domini reconciliatur sibi, nec quia personas multiplicat in illa politia, nam isti actus communes esse possunt omnibus in quocunque gradu, sed alium gradum habet aliquis, quando in familia Domini recipitur; alium quando constituitur miles ad Rempublicam defendendam; & alium quando constituitur, ut supremus in familia ad constituendum alios in gradibus determinatis. Sic in proposito alia Sacramenta, ut Eucharistia ad nutritionem spiritualem ordinata, Matrimonium ad procreationem corporalem, Pœnitentia ad reconciliationem in nullo certo gradu constituunt in Ecclesia, imò possunt esse communes omni membro Ecclesiæ in quocunque gradu; atque ideò nulla est ratio, vel congruitas, cur hæc Sacramenta characterem imprimant, sicut illa tria.

30 Tertiò conveniunt etiam Theologi, ut l.c. dicebamus, in hoc quod character producatur à Sacramento eo modo, & eo tempore, quo producitur gratia sanctificans, si non adsit obex. Ratio est, quia character est effectus Sacramenti secundarius, sicut gratia est primarius, ut suprà dictum est, ideoque produci debet ex opere operato, & tunc quando Sacramentum censentur completum, ut de gratia jam diximus. Quod tamen cum hoc discrimine, & limitatione intelligendum est, quod gratia si adsit obex, non producitur, producitur tamen character, & ratio est, quia ipse non ponitur directè ad sanctificandum, & justificandum, sicut ponitur gratia, undè quando adest obex, adhuc character producitur ipso non obstante, gratia verò solùm, quando obice ablato Sacramentum iterum reviviscit. Ex quo deducitur ad productionem characteris nullam requiri dispositionem, qualis requiritur ad productionem gratiæ, sed solùm quod Sacramentum debito modo conficiatur, hoc est, cum debita materia, & forma, & intentione Ministri. Et hinc tandem deducitur characterem esse animæ impressum indelibiliter, ut suprà dictum est, cujus rationem innuit Doctor l c. §. *Ad quæstionem*, quia quicquid corrumpitur, vel corrumpitur ex defectu subjecti, vel conservantis, vel ratione contrarii oppugnantis; at character ex nullo capite ex enumeratis corrumpi potest; non quidem ex primo, cùm ejus subjectum sit anima, quæ est immortalis; non ex secundo, quia conservatur à Deo; nec denique ex tertio capite, quia nullam formam physicè contrariam habet, nec etiam moraliter, si enim ullam talem haberet, maximè esset peccatum, constat autem eum manere in peccatoribus ex auctoritate Patrum, & Conciliorum, præsertim Concilii Florentini, & Trident. cit. quarè sequitur esse indelebilem, & à parte post, æternum, ut l. c. fusè discurrimus.

31 Quartò quamvis etiam Theologi passim in hoc conveniant, quod Character est ens physicum reale ab anima realiter distinctum, quia impressio characteris est actio realis juxtà modum loquendi Conciliorum, & Patrum, atque ideò character est res aliqua verè, & realiter existens, non verò sola rationis relatio, aut extrinseca denominatio, cùm sit effectus per realem actionem productus. Adhuc tamen in multis aliis discrepant, & disputant, an sit forma realis relativa, vel potius forma aliqua absoluta de genere qualitatis, & ad quam illius speciem pertineat. Et quamvis etiam conveniant, quod unum ex potissimis prædicatis characteris sit esse signum, & sigillum quoddam spirituale designans subjectum, & segregans ab aliis, quia tale signum non habent, adhuc tamen disputant, an sit signum, aut sigillum hoc naturaliter significans, vel solùm ad placitum, & ex institutione Divina; de quibus omnibus fusè disputamus l.c. ubi dicimus, quod licet de mente Scoti 4 dist. 6. q. 12. cit. probabiliter defendi possit characterem esse formam realem relativam de numero earum relationum, quæ in Schola nostra extrinsecus advenientes appellari solent; probabilius tamen esse formam realem absolutam de genere qualitatis etiam de mente ejusdem; & rursus non esse signum naturaliter significans aliquem esse Christi famulum, aut militem ejus, vel potestatem illam, quam habent ordinati, sed merè ad placitum, & ex institutione Divina, quæ omnia fusè probamus q. 5. cit. a. 7. concl. 1. & 2. & addimus concl. 3. Characterem non esse merum, & nudum signum Christo conformativum, & configurativum absque aliqua prorsus activitate, & potentia causandi, ut quidam putant, imò potiùs habere virtutem, & potentiam aliquo modo ordinatam ad quosdam effectus aliquo modo causandos, quod manifestè deducitur ex modo loquendi Patrum Ambrosii, Nazianzeni, Augustini, & aliorum, qui in charactere aliquam virtutem agnoscunt ad aliquos effectus operandos, undè Catechismus Romanus de Sacramento Confirmationis loquens ait characterem per ipsam impresso nos, veluti Christi milites, contrà nobis insitum hostem, & spiritualia nequitiæ in cœlestibus armari, atque instrui; armari autem charactere virtutem quandam ejus, & efficaciam significat ad agendum, & resistendum, Addimus tamen ibidem concl. 4. characterem non esse potentiam propriè, & physicè activam, aut passivam, neque habere ex natura sua physica ulla ratione potentiæ respectu illorum effectum, qui communicantur iis, qui eo insigniti sunt; sed solùm esse moralem quandam potestatem, & habilitatem, quod facilè suadetur, quia character in aliquem effectum physicè non influit, sed tantùm moraliter, quatenus est quoddam signum ex Divina ordinatione ad hoc institutum, ut qui illo fuerit insignitus, aptus sit, & habiles ad ea munera exercenda, quæ reperiuntur in receptione, vel administratione horum Sacramentorum; quod declaratur discurrendo per tria Sacramenta, characterem imprimentia, nam per baptismi characterem fidelis est aptus ad recipienda cætera Sacramenta; per characterem Confirmationis ad tuendam fidem; & per characterem ordinis ad ministranda aliis Sacramenta; hoc autem totum provenit ex Ordinatione, & institutione Divina, quatenus per ea factum est, ut nemo recipere possit validè ullum Sacramentum, nisi baptismo suppositio, cùm tamen anima physicè loquendo possit æquè suscipere alia Sacramenta, sivè habeat baptismi Sacramentum, sivè non, neque ex officio administrari, aut confici Sacramenta, nisi ab habente characterem ordinis.

32 Quintò dicimus l.c. concl. 5 quod si character ponatur accidens absolutum, & qualitas quædam spiritualis supernaturalis, ut probabilius esse diximus, in secunda qualitatis specie reponi potest, ut est potestas quædam spiritualis ad aliquid agendum, vel recipiendum, character quidem Baptismi ad recipiendum, ordinis verò, & Confirmationis ad agendum. Ità enim docet Doctor loc. c. §. *Ad quæstionem*, & facilè probatur ex dictis, quia potentia, quæ est secunda species qualitatis essentialiter importat qualitatem, quæ sit principium alicujus operationis; sed character est qualitas ex divina institutione ordinata ad aliquam operationem, ordinatur enim ad cultum Dei, qui in Sacramentorum receptione, vel administratione exercetur; nam character baptismalis, ut dictum est, reddit hominem habilem, & idoneū ad omnia Sacramenta recipienda, ac eorum effectus, itaut sine tali charactere, neque vera Sacramenta reciperentur, neque illorum effectus. Character ordinis dat facultatem homini, ut diversa munera ipsorum ordinum exerceat, & ministret. Character denique Confirmationis hominem ad hoc disponit, & ordinat, quod fidem coram Tyranno confiteatur, quasi ex proprio officio, & munere; ergò character rectius in secunda qualitatis specie reponitur, quàm in aliis. Ex quo tandem sequitur characterem tria præsertim efficere in anima, cui imprimitur, ut notat Abell. loc. cit. sec. 6. Primum est, quod conferat potestatem quandam spiritualem ad ea peragenda, quæ ad cultum divinum spectant, quæ quidem potestas, vel est passiva, ut in Baptismo, vel activa, ut in Ordine, & Confirmatione, ut declaratum est. Secundum est, quod hominem Christo Domino configuret, à quo tanquam Summo Sacerdote omnis potestas spiritualis derivatur, & ideò qui charactere aliquo sunt insigniti, Christo Domino magis assimulantur, quàm simili characterem carentes. Tertium tandem est, quod hominem consignet, eumque ab aliis secernat, qui hujusmodi characterem non receperunt; undè qui charactere Sacerdotali, v.g. sunt insigniti, quovis in loco, vel statu reperiantur per totam æternitem, ut tales, agnosci poterunt, & ab aliis distingui.

33 Denique disputant DD. in quo subjecto proximè imprimatur character, tanquam in immediato subjecto, an scilicet, in essentia, & substantia ipsius animæ, vel potius in potentiis ejus intellectu, aut voluntate. Thomistæ quamplures, illud in intellectu reponunt, ut Cajet. Capreolus, Soto, Nugnus, Ledesma, & alii. Scotistæ verò passim in voluntate reponunt cum Scoto 4. d. 6. q. 11. Alii tandem communiter in essentia, & substantia animæ immediatè; ut recentiores passim. Quæstio itaque est de subjecto proximo, & non remoto, quia hoc solum potest esse homo, qui solus est Sacramentorum capax, & effectuum ipsorum, inter quos est Character, & tota difficultas est de subjecto proximo, & immediato, quod notanter additur, quia loquendo de subjecto proximo, ut à remoto condistinguitur, cer-

certum est tale subjectum esse animam, ut definitum est in Concil. Florent. & Trident. cit. Quia tamen in anima distinguimus essentiam, & duas potentias scilicet intellectum, & voluntatem, quæstio est inter Theologos ubi nam proximè, & immediate subjectetur character, an in ipsa animæ substantia, an in aliqua ex ejus potentiis, & quidem cùm anima sit spiritualis, & indivisibilis substantia, & omnes ejus potentiæ sint idem realiter cum ipsa in schola nostra, ut dictum est in libris de Anima; certum est in ipsam totam esse characteris subjectum inhæsionis, undè in sententia nostra non est tanta difficultas in hoc puncto, quanta est in sententia Thomistarum potentias animæ realiter ab ipsa distinguentium, siquidem apud nos hæc sola remanet difficultas, an character subjectetur in anima sub ratione formali animæ, an potiùs sub ratione formali intellectus, vel voluntatis. Et pro resolutione dicendum est cum Scoto loc. cit. characterem immediatè subjectari in voluntate, seù subjectari in anima sub ratione formali voluntatis, ut ex professo disputavimus q. 5. cit. art. 4. & probavimus rationibus satis evidentibus cum Doctore. Primò quia si character est signum, vel fundamentum obligationis animæ ad Deum, & rationabile est, quod ponatur in illa potentia, cujus est primò obligari, vel esse rationem contrahendi obligationem, talis autem est voluntas, quia præcisè per ejus actum aliquis se obligat principaliter, illa enim quæ concurrunt ibi ex parte intellectus, vel alterius potentiæ in homine, non sunt nisi præambula quædam ad firmum velle, quod est rationabiliter proponere, vel vovere, vel alia signa illud esse firmum manifestantia. Confirmatur, quia dispositio, & forma, ad quam est dispositio, ponuntur in eodem subjecto; ergò cùm gratia, & charitas ponantur in voluntate, tanquam in subjecto, sequitur characterem quoque debere in voluntate locari, tanquam in subjecto proximo, & immediato, cùm sit dispositio ad gratiam Sacramentalem. Tandem quia etiamsi character non sit potentia physica, aut physicè operativa, est tamen potentia moralis reddens homines aptos, & idoneos ad actus exercendos pertinentes ad recipienda, vel ministranda Sacramenta, qui actus immediatè, & principaliter à voluntate exercentur, siquidem per actus Sacramentales debitum honorem Deo reddimus, qui est actus Religionis, quæ est virtus ad voluntatem pertinens, cùm sit pars justitiæ, quam omnes Theologi docent in voluntate collocari. Varias autem responsiones, & evasiones Adversariorum vide rejectas, & præclusas loc. cit.

QUÆSTIO TERTIA.

De Ministro, & susceptore Sacramentorum.

34 DE causis intrinsecis materiali, & formali Sacramentorum satis egimus quæst. 1. explicando, quæ pertinent ad naturam, & essentiam Sacramenti; quod spectat ad causas extrinsecas pro causa finali sufficiunt, quæ hactenus diximus quæst. præced. de Sacramentorum effectibus, Sacramenta siquidem ad suos effectus conferendos proximè ordinatur, quarè in præsenti quæstione agendum restat de causa effectiva, & subjectiva, effectiva duplex est, prima instituens, seù causa principalis efficiens Sacramentorum, quæ eadem est cum auctore, & institutore Sacramenti, qui solus est Deus, & instrumentalis conjuncta, humanitas Christi, ut dictum est suprà quæst. 1. art. 1. num. 6. Secunda est causa conficiens, & conferens Sacramentum, & est Minister ipse, qui Christi virtute Sacramentum conficit, causa tandem subjectiva est is, qui Sacramentum suscipit, & de his in præsenti breviter agendum est.

ARTICULUS PRIMUS.

Quis sit Minister Sacramentorum, & quæ in illo requirantur ad validam illorum administrationem.

35 HIc supponendum est cum communi sententia ex D. Thoma quæst. 64. art. 3. distinct. 6. qu. 5. de facto, & lege ordinaria solum hominem viatorem esse legitimum Sacramentorum Ministrum, ut constat ex variis Scripturæ testimoniis 1. Corinth. 4. *Sic nos existimet homo, ut Ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei*, & Ephes. 4. *Ipse dedit quosdam Apostolos, quosdam autem Prophetas, quosdam Pastores, & Doctores*, & Hæbreor. 10. *Omnis Pontifex ex hominibus assumptus pro hominibus constituitur in his, quæ sunt ad Deum*. Et tandem ex institutione particulari cujuslibet Sacramenti constat potestatem illam solis hominibus viatoribus esse collatam, iis enim dixit: *Baptizate omnes gentes* dum baptismum instituit; *hoc facite in meam commemorationem*, dum instituit Eucharistiam; *& quorum remiseritis peccata*, &c. dùm instituit Pœnitentiæ Sacramentum. Notanter autem diximus ità esse de facto, & lege ordinaria, quia de possibili, & ex privilegio particulari, ut ait Doctor loc. cit. potest Sacramentorum esse Minister quilibet ratione utens, sivè sit Angelus, sivè anima separata, sivè homo beatus, sivè damnatus, undè Divus Augustinus libr. 2. contrà Parmenianum cap. 15. inquit: *Quod attinet ad Baptismum adest Deus, qui dat, sivè per seipsum, sivè per hominem, sivè per Angelum*. Talis autem Minister nullam habet causalitatem in gratiam, quæ producitur per Sacramentum, nisi quatenus habet intentionem, & adhibet materiam, & formam, quæ materia, & forma, supposita ministri intentione, est causa moralis proxima, & totalis gratiæ per Sacramentum collatæ, ut suprà dictum est. & hoc sufficiat pro decisione quæsiti quoad primam partem, pro resolutione autem quoad alteram.

36 Primò dicendum est in Ministro ad hoc, ut validè Sacramentum aliquod administret duo præsertim requiri secundùm communem omnium sententiam. Primum est sufficiens, & legitima potestas, cùm enim Sacramenta non agant, & operentur, nisi supernaturali modo, & juxtà Divinæ institutionis præceptum, ut suprà dictum est; hinc necessariò sequitur illos dumtaxat censeri debere idoneos Ministros ad illa conficienda, qui secundùm rationem institutionis cujusque Sacramenti sufficientem à Deo potestatem acceperint. Hæc autem potestas respectu Baptismi secundùm Divinam institutionem in omnibus, & singulis viatoribus etiam infidelibus sufficiens reperitur, respectu verò Matrimonii in omnibus fidelibus baptizatis nullo impedimento Canonico obstrictis, & tandem respectu aliorum quinque Sacramentorum in iis solùm, qui Sacerdotali, aut Episcopali charactere sunt insigniti, ut inferius locis de unoquoque Sacramento magis explicabitur. Alterum quod requiritur in Ministro, ut validè Sacramentum aliquod administret, est intentio conficiendi Sacramentum, & ad ejus effectum cooperandi, vel saltem in genere faciendi id, quod Christus faciendum instituit, vel quod ipsa Ecclesia facit; ut docet Scotus loc. cit. quod quidem primum sancitum est in Concilio Florentino in decreto ad Armenos, cùm inquit: *Hæc omnia Sacramenta tribus perficiuntur, scilicet, rebus, tanquam materia, verbis tanquam forma, & persona ministri conficientis Sacramentum cum intentione faciendi, quod facit Ecclesia*, & posteà in Tridentino session. 7. can. 11. cùm ait. *Si quis dixerit in Ministris, dum Sacramenta conficiunt, & conferunt, non requiri intentionem saltem faciendi quod facit Ecclesia, anathema sit*. Et ratio etiam ex institutione ipsius Christi deducitur, quia Sacramentorum suorum Ministros voluit, ut ea humano, & rationabili modo conficerent, & ministrarent, undè & Apostolus eos dispensatores vocat, ut significet illos considerate, & cum certa intentione operari debere, ut etiam Doctor insinuat loc. citat. quæstion. 5. in corpore quæstionis.

37 Secundò, quando dicimus ex parte Ministri necessariam esse intentionem faciendi, quod facit Ecclesia, per hanc intentionem non intelligitur sola intentio faciendi meram actionem externam eo ritu, quo est ab Ecclesia præcepta, & merè materialiter sumpta; sed intentio conficiendi illam, quatenus est Sacramentum; quod est dicere requiri intentionem explicitam, vel implicitam conficiendi verum Sacramentum, & faciendi, quod Christus instituit, adeò quod non sufficit prior illa intentio materialiter, ut validum conficiatur Sacramentum, sed requiritur intentio illa formalis faciendi, quod Christus instituit, vel Ecclesia intendit, vel quod alii Ministri Christi intendere solent. Ità jam statuimus disp. 1. cit. q. 7. art. 1. cum Scoto 4. d. 6. q. 5. D. Bonavent. d. 6. art. 3. qu. 1. Alensi qu. 8. membro 3. art. 1. & est communis Theologorum sententia, quod ibi probavimus præsertim ex definitionibus Conciliorum jam adductis ad valorem Sacramenti requirentium intentionem faciendi id, quod facit Ecclesia, hæc enim intentio non est facere duntaxat actiones externas sacramentales à Christo Domino institutas, quasi materialiter sumptas; sed est etiam intentio illas faciendi formaliter, prout sunt Sacramenta; quia cùm Concilia definiunt esse necessariam intentionem faciendi, quod facit Ecclesia, damnat errorem Hæreticorum dicentium, quantumvis jocosè, aut per ludibrium ministretur forma, aut materia Sacramenti, verè confici Sacramenta, ut patet ex Trident. sess. 14. cap. 6. & can. 9. de pœnit. ubi inquit, quod si Sacerdos non seriò, sed joco absolutionis verba proferat, absolutio non valet, quod etiam priùs sancivit Conc. Const. sess. ult. & contrà hunc errorem dicunt Concilia requiri in Ministris intentionem faciendi id, quod facit Ecclesia; sed qui jocosè, aut per ludum Sacramenta ministrat, verè haberet intentionem faciendi res externas, in quibus materialiter Sacramentum consistit; alia ergò intentio requiritur à Conciliis, scilicet, faciendi Sacramen-

mentum formaliter, ut tale, & exercendi actiones exteriores, quatenus Sacramentales sunt, ut fusè probamus loc. cit. ubi etiam nonnullas objectiones solvimus contra necessitatem hujus intentionis non spernendas, quæ ibi videri possunt.

38 Tertiò, cùm triplex esse possit Ministri intentio in Sacramentis exercendis, scilicet, actualis, habitualis, & virtualis, quæ est veluti media inter illa duo membra, ut ait Doctor 4.d.6.q.6. A. quatenus est imperfectior prima, & perfectior secunda; ad valorem Sacramenti sola habitualis intentio non sufficit, quia habitualis intentio, ut explicat Doctor l.c. nihil aliud est, quàm propensio illa, & facilitas, seù promptitudo ad efficiendum Sacramentum, quæ oritur ex iterata sæpius Sacramentorum administratione; hæc autem potest etiam esse in dormientibus; hi enim multa aliquando faciunt ex habitu jam acquisito, quæ tamen neque ad præmium, neque ad pœnam imputantur, quia sine deliberatione fiunt; si verò habitualis intentio explicetur cum pluribus Recentioribus pro actu præterito, & non retractato nec etiam hoc modo sumpta est sufficiens, quia intentio ad Sacramentum conficiendum requisita debet esse causa influens in ejus effectionem; sed intentio meré habitualis in hoc sensu nullo modo in effectionem Sacramenti influere potest, quia talis intentio neque manet in seipsa, cùm jam sit præterita, neque in aliquo effectu indè secuto, quia ut supponimus, nulla actio ad Sacramentum ordinata ex tali intentione orta fuit, aliàs non esset intentio, meré habitualis, sed virtualis; cùm ergò Sacramentum, & ejus effectio nec immediatè, nec mediatè ex tali intentione procedat, dicendum est talem habitualem intentionem nullo modo sufficere. Actualis autem intentio est quidem sufficiens ad valorem Sacramenti, imò sufficientissima ea enim est, qua aliquis Sacramentum conficiens actu, & de facto intendit conficere, seù facere, quod facit Ecclesia; non tamen est absolutè necessaria, quia non major intentio requiritur in actionibus Sacramentalibus, quàm in aliis actionibus moralibus, & meritoriis, ad quas non necessariò requiritur actualis intentio, sed sufficit virtualis, tùm quia, ut ait Doctor, noluit Deus hominem obligare cum tanto rigore, vel ad nimis difficile, & moraliter impossibile, est autem impossibilis moraliter continuata attentio in aliqua actione, quia ut ait August. 3. de lib. arb. non est in potestate nostra, quin visis tangamur, & experientia docet objectum sensibile ob connexionem appetitus sensitivi cum intellectivo voluntatem distrahere, & rationem. Quarè concluditur, ut ait Doctor, & est communis sententia, solam virtualem intentionem esse sufficientem, & necessariam ad conficiendum verum Sacramentum; virtualis autem intentio dicitur illa, qua operans virtute actualis intentionis priùs habitæ facit omnia, quæ facit, tanquam ex radice, ità, quod intentio illa actualis præhabita fuit principium ordinatum ad omnes actus sequentes; & in proposito ea est, quæ cùm paulò antè actu extiterit, nec revocata fuerit, ex vi illius minister actionem Sacramenti perficit, ut cùm quis, v.g. ex intentione celebrandi Missam, & conficiendi Sacramentum Eucharistiæ, vestes sacras induit & ad altare accedit; quod si posteà in ipso consecrationis actu ex humana fragilitate distrahatur, dummodò verba consecrationis super materiam aptam debitè proferat, nec primam intentionem revocet, validè Sacramentum conficit, quia id facere censetur vi actualis illius intentionis præteritæ, quæ causa extitit, ut vestes sacras induerit, ad altare accesserit, & alia egerit, cum quibus consecratio connexionem habuit, ut fusè explicatum est quæst. 7. cit. ar. 2. Quod autem intentio interpretativa non sufficiat diximus ibi nu. 283.

39 Quartò, præterea addendum est ad efficiendum Sacramentum necessariam esse intentionem absolutam, neque sufficere conditionatam, nisi talis sit, quæ statim in absolutam transeat; ità etiam statuimus q. 7. cit. a. 2. in fine, & est communis omnium sensus. Ratio primæ partis est, quia ut ibi dicebamus, intentio pro conficiendo Sacramento debet esse efficax, at sola absoluta intentio est efficax, non autem conditionata; ergò illa est necessaria. Probatur etiam, & explicatur ibidem quoad alteram partem, quia conditio apposita intentionis, vel est de futuro, vel præterito, vel præsenti; si est de futuro v.g. absolvo te, si cras restitutionem feceris, non conficit Sacramentum, quia talis conditio de futuro suspendit intentionem præsentem, & facit, quod tunc Minister intentionem non habeat, siquidem intentio, quam habet, ab illa conditione futura dependet; sed ad Sacramenta conficienda requiritur intentio de præsenti, quia requiritur intentio influens in administrationem illorum, vel actualis, vel saltem virtualis, ut dictum est; si verò intentio est de præterito, vel de præsenti, opus est, ut vel omninò destruat intentionem, vel illam relinquat absolutam, & efficacem, namsi conditio illa nec fuit, nec est, jam destruit intentionem, quia voluntas sub conditione, non posita conditione, nulla est, si verò conditio illa vel fuit, vel est, jam intentio transit in absolutam, quia voluntas conditionata, impleta conditione, fit absoluta; undè quando quis sub conditione hac alterum baptizat, si non es baptizatus, ego te baptizo, illa conditio vel est adimpleta, vel non; si non est adimpleta, destruitur intentio ob rationem allatam; si verò est adimpleta, intentiò transit in absolutam, & ità conficit Sacramentum. & hac de causa, ut l.c. dicebamus, jura consulunt, quod si Sacramenta fiant sub conditione, hæc conditio sit de præterito, vel de præsenti, non verò de futuro, nam adimpleta conditione conficitur Sacramentum; non adimpleta, non conficitur; quia statim intentio destruitur; si verò conditio apposita sit de futuro, semper est contraria subsistantiæ Sacramenti, & nihil efficit, etiamsi conditio apposita posteà impleatur, quia ad conficiendum Sacramentum ultrà Ministri intentionem requiritur materia, & forma Sacramenti, at posteà cùm impletur conditio, licet intentio adesset, non tamen adest materia, & forma Sacramenti, quippè quæ jam præteriit, & ideò nec antea, nec post fit Sacramentum, ut etiam Becanus observat ca. 5. de Sacramentis in communi q. 4.

40 Dices, si Sacramentorum validitas pendet ab intentione Ministri, duo sequerentur absurda, primum Sacramenta nostra incerta esse, ac dubia, quia non possumus esse certi de intentione Ministri, cùm hæc nobis non constet; alterum est, malitiam Ministri alteri nocere posse quoad salutem animæ, ut si Minister baptizans puerum intentionem non haberet illum baptizandi, quod nimis durum videtur.

Respondetur ex dictis loco cit. negando sequelam primi absurdi loquendo de certitudine morali, quæ ad securitatem, & tranquillitatem animi sufficere debet, quod, scilicet spectatis omnibus circumstantiis nulla occurrat rationabilis causa dubitandi de Sacramenti susceptì validitate; imò sicut ex præcepto charitatis judicia omnia temeraria, & suspiciones contrà proximum, ac proindè contrà quemcunque Sacramentorum ministrum abiicere debemus; sic etiam dubitationes omnes, quæ de illius legitima, & sufficienti intentione suboriri possent, repudiare tenemur; undè argumentum probat tantùm nos non habere certitudinem physicam de intentione Ministri, quę quidē necessaria non est, non autem probat de certitudine morali, quæ sufficit ad pacandos animos, sicut hac morali certitudine quiescit filius credens firmè esse talis patris filium, cùm tamen facile contingere possit ex levitate matris, vel tentationem, aut alia occasione, quod esset alterius patris filius. Ad aliud absurdum evitandum plura quoque diximus qu. 7. c. nu. 271. & valdè probabilem esse diximus Alesis, Durandi, Gabrielis, & aliorum Doctorum sententiam, qui existimant in eo casu, in quo ex malitia, vel ignorantia, aut inadvertentia Ministri in collatione alicujus Sacramenti intentio sufficiens adhibita non esset Christum Dominum, tanquam summum sacerdos, qui nunquam in necessariis deest, defectum illius Sacramenti suppleturum esse; nec deest congruentia, ut Deus causa principalis instituens, & causans hominum salutem medio Sacramento, in eo casu, quo Sacramentum absque ulla suscipientis culpa, sed solum conferentis sit nullum, sua divina misericordia defectum suppleat in his, quæ ad salutem sunt necessaria.

41 Quintò ulterius quæritur, an præter legitimam potestatem, & sufficientem intentionem in Ministro requiratur etiam fides, & gratia santificans ad valorem Sacramenti, & est commune Catholicorum dogma contrà Donatistas, & alios Hærecos neutram requiri ad Sacramenti validitatem, quia valor Sacramenti per se non pendet ex fide, vel sanctitate Ministri, ac proindè validum est Sacramentum, quod confertur ab Hæretico; vel schismatico, vel peccatore, dummodo reliqua necessaria concurrant, & ità expressè definitum est in Conc. Tr. sess. 7. c. 12. de Sacramentis in genere, & can. 4. de baptismo, & olim definitum fuerat in Conc. Nicæn. 1. can. 19. & Chartagin. 1. can. 1. & à Summis Pontificibus Leone Magno epist. 77. ad Nicetam, & Gregorio Magno lib. 3. regist. epist. 71. Ratio est, quia Minister Sacramentorum operatur auctoritate, & potestate à Deo accepta, ut omnes concedunt; hanc autem potestatem non aufert Deus propter peccatum, aut infidelitatem Ministri, quia potestas conficiendi Sacramentum non est gratia gratum faciens, sed gratis data, & non datur in utilitatem Ministri, sed aliorum; ergò non debet auferri propter peccatum Ministri, quia alii non debent puniri propter peccatum alterius.

Confirmatur, quia ut passim docent Patres, & Concilia si valor Sacramentorum penderet à probitate, aut fide Ministri, multi redderentur perplexi de valore Sacramenti, quia status Ministri quoad sanctitatem, & fidem incertus est neque de ea potest esse tanta certitudo moralis, sicut de intentione, de qua ipse Minister certitudinem physicam habere potest, non autem de sua probitate, & fide; & multò facilius est Ministrum habuisse intentionem faciendi, quod facit Ecclesia, seù quod idem est, faciendi verum Sacramentum, quàm ipsum esse justum, & san-

ſanctum, & ideò decuit, & congruum fuit valorem Sacramenti ab intentione Miniſtri pendere, non ſic à ſanctitate. Addendum tamen eſt, ad hoc ut Miniſter non modo validè, ſed etiam licitè Sacramentum conficiat, fidem, & gratiæ ſanctificantis ſtatum in eo requiri; tùm quia Chriſto, cujus eſt miniſter ſe conformare debet, tùm quia ſancta ſanctè ſunt tractanda, ut conſtat ex D. Dionyſio de Eccl. Hierarch. c. 1. ubi ait, quod *malis non eſt fas tangere ſymbola* ideſt, Sacramenta, & ex D. Augu. l. 2. contrà Parmenianũ, ubi dicit quod *omnia Sacramenta, cum obſint indignè tractantibus, proſunt tamen per eos dignè ſumentibus*.

42 Sextò ex hoc deducunt Doctores communiter, & præſertim Abellius loc. cit. ſec. 8. quod quotieſcunque aliquod Sacramentum eſt conficiendum, illius miniſter diligenter examinare debet, an peccati alicujus mortalis ſit conſcius, & ſi ità eſſe deprehendat, vel dubitet, illud prius Sacramentali confeſſione delere debet, ſi opportunitas adſit, ſin minus ſaltem perfectæ contritionis actu expiare, non enim licet Sacerdoti adminiſtrare Sacramenta cum ſola attritione cognita, quia adhuc eſt extrà ſtatum gratiæ, ut Bonac. advertit cum pluribus aliis qu. 3. punc. 2. §. 1. Excipitur tamen caſus neceſſitatis urgentis v. g. Baptiſmi puero moribundo conferendi, tunc enim quamprimum fieri poteſt, illius ſaluti conſulendum eſt, omiſſis quibuſcunque aliis; nec peccaret qui tunc baptiſmum in peccato mortali miniſtraret, ſi contritionis eliciendæ tempus non ſuppeteret. Plures etiam aſſerunt non eſſe peccatum mortale ex ſe, & ex genere ſuo, quis in ſtatu peccati mortalis Euchariſtiam alteri ſumenda porigat, ſicut neque ſi Parochus, vel alius Sacerdos ab eo delegatus in tali ſtatu peccati adſiſtat celebrationi matrimonii, quia in tali actione non miniſtri, ſed teſtis honorarii perſonam ſuſtinet; nec etiam ſi Diaconus, vel Subdiaconus in ſtatu peccati mortalis ſolemniter miniſtrent, quia hæ actiones non tendunt proximè ad ſanctificationem animæ ex opere operato, ſicut actiones Sacramentales; qua ratione etiam Sacerdos, vel Epiſcopus mortaliter non peccat, ſi Sacramentalia exerceat in peccato mortali v. g. nuptias, aquam benedicat, altaria, templa, vaſa conſecret, concionetur, Euchariſtiam de loco in locum transferat, & ſimilia. Ità Valentia, Suarez, Henriquez, Vaſquez, Layman, Coninchius, Card. de Lugo, & alii communiter, quamvis Cajetanus, Silvius, Navarrus, Filliucius, & alii oppoſitum ſentiant; ſed licet prior ſententia ſit maximè probabilis, in praxi tamen tutiùs eſt, ut antequam miniſter functionem ſolemnem cujuſcunque ordinis ſacri exerceat, ſi peccati mortalis conſcius ſit, actum contritionis ſemper præmittat ob ſacramenti reverentiam.

43 Denique docent communiter doctores, & præſertim Averſa quæſt. 64. de Sacramentorum cauſis ſec. 2. in fine non omnes, qui poſſunt validè, poſſe etiam licitè Sacramenta præbere; ſic enim ratio Eccleſiæ regimini congruebat, ut quibuſdam certis miniſtris Sacramenta miniſtrare ex officio competeret, & non aliis, ad confuſionem evitandam, & alia inconvenientia; undè ſoli ſacerdotes in univerſum poſſunt licitè Sacramenta miniſtrare, excepto matrimonii Sacramento, cujus Miniſtri proprii ſunt iidem contrahentes, ut dictum eſt l. 4. d. 7. *de Matrimonio* q. 2. a. 2. ac etiam excepto Baptiſmo in caſu neceſſitatis quando nullus adeſt ſacerdos, tunc enim etiam ab aliis licitè conferri poteſt; ſed nec etiam omnes ſacerdotes, ſive etiam Epiſcopi licitè poſſunt quæcunque Sacramenta quibuslibet miniſtrare, ſiquidem ad hoc miniſterium peculiarem habere debent juriſdictionem, vel ordinariam, qualem reſpectu ſuorum ſubditorum habent Epiſcopi, & Parochi, qua ratione dicuntur illarum ovium Paſtores, vel delegatam, ideſt, ex commiſſione, & licentia ejuſdem proprii Paſtoris, qualis ſæpè concedi ſolet etiam aliis ſacerdotibus, qui non ſunt animarum Paſtores, & hujuſmodi juriſdictio, ſeù juriſdictionis poteſtas, vel ordinaria, vel delegata in Sacramento Pœnitentiæ non ſolum eſt neceſſaria ad licitè, ſed etiam ad validè abſolvendum, ut Theologi communiter docent; ac etiam in Sacrameto matrimonii ad ejus valorem hęc juriſdictionis poteſtas neceſſaria eſt ex decreto Concil. Trident. licet enim contrahentes ſint miniſtri, debet tamen adſiſtere Parochus, vel alius ſacerdos de ejus licentia. Demum præter hanc juriſdictionem Sacramenti Miniſter ad licitè Sacramenta miniſtranda debet eſſe expeditus, & liber ab omni Eccleſiaſtica cenſura, & impedimento, alioquin ſi excomunicatione, interdicto, ſuſpenſione, aut irregularitate ligatus eſſet, graviter in miniſtrando peccaret, ut dictum eſt ſuprà diſp. 13. *de Cenſuris*.

ARTICULUS SECUNDUS.

Quis ſit ſuſceptor Sacramentorum, & quæ in illo requirantur ad validam, & licitam eorum ſuſceptionem.

44 HIc etiam ſupponendum eſt cum communi Theologorum ſententia, quod ſicut de facto, & lege ordinaria ſolus homo viator eſt legitimus Sacramentorum Miniſter, ut dictum eſt art. præced. ità etiam ſolus homo viator, & in hac vita degens eſt ſubjectum Sacramentorum capax. & ratio eſt, quia Sacramenta ſunt inſtituta ad ſalutem hominis viatoris, & in remedium peccati, ut patet ex definitione Sacramenti ſuperiùs tradita; ergò ſolus homo eſt ſubjectum Sacramentorum capax, quandiù in hac vita degit, in qua remedio eget ad tollenda peccata, & gratiam acquirendam. Notanter verò diximus de facto, & lege ordinaria ſolùm hominem viatorem eſſe ſubjectum Sacramentorum capax, quia de potentia abſoluta etiam Beati poſſent Sacramenta recipere, hoc enim nullam involvit implicantiam; Angeli tamen nullatenus ſunt Sacramentorum capaces, quia ſunt entia prorſus ſpiritualia, Sacramenta verò in rebus materialibus conſiſtunt, ut conſtat ex dictis; adhuc tamen verum eſt non omnes, & ſingulos homines eſſe omnium Sacramentorum capaces, nam aliqui ſunt incapaces Ordinis, ut fœmina, alii ſunt incapaces extremæ Unctionis, ut puer, qui nondùm ad rationis uſum pervenit, & aliqui etiam ſunt incapaces matrimonii propter impotentiam perpetuam, aut propter defectum uſus rationis. & hoc ſufficiat pro reſolutione quæſiti quoad primam partem; quo autem ad alteram.

45 Primò declarandum eſt, quæ intentio requiratur, & ſufficiat in ſuſcipiente Sacramenta, & quidem in primis certum eſt in infantibus, vel adultis perpetuò amentibus nullam requiri intentionem, cùm nullum poſſint actum voluntatis elicere, ac proindè validè ea Sacramenta recipere, quorum ſunt capaces, v. g. Baptiſmum, & Confirmationem, etiamſi id nullo modo intendant; ſicut etiam è contrà certum eſt invalidè Sacramentum conferri omninò invitis, & voluntate repugnantibus, & contradicentibus, vel iis, qui voluntatem habuerunt nunquam ſuſcipiendi Sacramentum, & in amentiam inciderunt, antequam eam revocarent, ità enim expreſsè habetur cap. *Majores* de Baptiſmo. In adultis verò, ſi ſint rationis compotes, requiritur conſenſus ad validam cujuſcunque Sacramenti ſuſceptionem. Ità expreſsè deducitur ex Concil. Arauſic. 1 capit. 12. ubi, habetur *Obmuteſcens baptizari, aut pœnitentiam accipere poteſt. ſi voluntatis præteritæ teſtimonium aliorum verbis habet*, & ex Conc. Cartag. 3. c. 35. ubi habetur *Ægrotantes ſi pro reſpondere non poſſunt, cùm voluntatis eorum teſtimonium hi, qui ſui ſunt, dixerint baptizentur*, undè Concilia ſupponunt non poſſe ægrotantibus, vel obmuteſcentibus Sacramenta Baptiſmi, aut Pœnitentiæ miniſtrari, niſi aliquando voluntatem ea ſuſcipiendi habuerint, & oſtenderint, aliàs fruſtrà teſtimonium aliorum de tali voluntate requireretur; qua etiam ratione in Rituali Romano Pauli V. prohibetur baptizari eum, qui cùm aliquando rationis uſum habuerit, antè amentiam nunquam voluntatem oſtendit baptiſmi recipiendi; & hoc rationi valdè conſentaneum eſt, ut qui compos rationi vult beneficium tàm magnum recipere, ipſe in ſuam utilitatem adminiculum conſenſus adhibeat, ut Poncius etiam obſervat diſp. 41. *de Sacramentis in genere* qu. 10. concl. 3. Sufficit autem ad hoc quælibet intentio, ſivè actualis, ſivè virtualis, ſivè etiam habitualis, ut adultus validè Sacramentum ſuſcipiat, ac proindè opus non eſt, ut actu intendat, dùm ſuſcipit, ſed ſufficit, ut aliquando id intenderit, & nunquam revocaverit, & ità etiam ſuavis Dei providentia poſtulat, vt ſicut nullum ſine ſuo conſenſu juſtificat, ità abſque ejus conſenſu nullum per Sacramenta conſecraret, ac proindè qui aliquando uſum rationis habuit, & nulla unquam ratione Sacramentum expetiit, invalidè illud ſuſcipit, an verò ſufficiat voluntas merè interpretativa, & in cauſa, licet aliqui id negent, ut Coninchius, Caſpenſis, & alii, probabiliter tamen admitti poteſt, ut diximus diſ. 1. c. q. 7. a. 2. n. 284. quia cùm intentio ex parte ſuſcipientis requiratur ſolùm, tanquam diſpoſitio, ſeù conditio, per quam ſuſcipiens intelligatur non repugnare Sacramento, non verò ut principium actionis Sacramentalis, ſicut requiritur in Miniſtro, quemadmodum in ſuſcipiente ad talem non repugnantiam indicandam ſufficit ſola intentio habitualis ità etiam interpretativa ſufficere videtur, quorum neutra ſufficit in Miniſtro; undè diverſa eſt omninò ratio de miniſtro, & ſuſcipiente, tùm ex inſtitutione ipſa Chriſti, tùm ex ipſa rerum proportione, qua plus requiritur ad agẽdum, quàm ad recipiendum. Hæc eſt communis Theologorum doctrina, & præſertim Scoti 4. diſp. 4. quæſt. 4. ubi quærit, an adultus non conſentiens poſſit effectum baptiſmi recipere, & ait adultum ratione uten-

utentem, & contrariè simpliciter dissentientem non validè baptizari, quia Deus peccatorem dicit Proverb. 23. *Fili præbe mihi cor tuum* nolens aliquem omninò invitum familiæ suæ adscribi, suscipiens autem baptismum adscribitur per hoc familiæ Christi, & licet speciali ter ibi de baptismo loquatur, est tamen doctrina generalis pro omnibus Sacramentis recipiendis.

46 Secundò ad declarandum, an præter intentionem prædictam requiratur adhuc ulterior dispositio in adultis ad Sacramenta validè suscipienda, scilicet, fides, & probitas suscipientis, distinguendum est de dispositione, quę requiritur ad substantiam, vel valorem Sacramenti, & de dispositione, quę requiritur ad effectum principalem Sacramenti, qui est gratia justificans quia aliud est Sacramentum, aliud effectus Sacramenti, & Sacramentum est priùs natura, quàm effectus; loquendo igitur de prima dispositione ad valorem Sacramenti non est necessarium ut recipiens habeat fidem, aut sanctitatem, excepto Pœnitentiæ Sacramento, ubi requiritur dispositio fidei, & contritio, vel attritio, quod apertè constat ex Conciliis, & Pontificibus, qui juxta ritũ Ecclesiæ Hæreticos baptizatos, vel ordinatos nolunt rursùs baptizari, vel ordinari. Unde supponunt Sacramentum sine vera fide, & consequenter sine sanctitate esse validum, & idem docent SS. Patres. Ratio autem hujus rei alia non est, quàm institutio Christi, qui probitatem, aut fidem suscipientis non præscripsit, tanquam conditionem ad valorem, & substantiam Sacramenti necessariam, nisi in Sacramento Pœnitentiæ, de cujus subsistantia est pœnitentia interna peccatoris, quam simul cum externa Confessione, pro parte essentiali per modum materiæ instituit. Loquendo autem de dispositione, quę requiritur ad affectum principalem, qui est gratia, nam ad characterem non alia dispositione est opus, quàm quæ ad valorem Sacramenti requiritur, loquendo inquam, de tali dispositione, aliqua alia adhuc dispositio requitur, & conditio, ob cujus defectum Sacramenta, quamvis valida, dicuntur informia; undè, ut Baptismus, & Pœnitentia gratiam conferant justificantem, licet non requiratur in suscipiente prævia aliqua sanctitas, seu gratia sanctificans, adhuc tamen requiritur fidei, spei, & contritionis, vel attritionis dispositio, ut infrà suis locis explicabitur, non requiritur autem gratia sanctificans, quia duo Sacramenta sunt instituta ad primam gratiam conferendam, & ideò dicuntur Sacramenta mortuorum, ad reliqua verò Sacramenta, quæ dicuntur vivorum, requiritur, ut suscipiens sit in gratia, quia illa non primam, sed secundam tantùm gratiam, id est augumentum tantùm gratiæ conferunt, etsi aliquando per accidens dent primam, cùm scilicet, quis bona fide putat se carere mortali. Ità Layman, Bonacina, Becanus, Aversa, & alii communiter, quæ omnia fusè declarata sunt 4. sent. disp. 2. qu. 5. de dispositione necessaria ad recipiendum Baptismum requisita, & de aliis Sacramentis in propriis locis, non enim potest una regula de Sacramentis omnibus definiri, quænam dispositio adhuc Sacramentorum effectum requiratur, & quinam sit obex effectuum hunc impediens, sed distinctè, & in specie de singulis est assignanda, in genere autem hæc adnotare sufficiet non esse necessarium ad omnia Sacramenta recipienda accedere in statu gratiæ, & specialiter id necessarium non esse ad Sacramenta Baptismi, & Pœnitentiæ, quia hæc per se instituta sunt ad primam gratiam conferendam, & peccatorum remissionem, sed satis esse ad hæc accedere cum detestatione, & pœnitudine peccatorum, sivè hæc sit contritio, sivè & attritio, & cum proposito ab iis imposterum abstinendi.

47 Tertiò ex hoc deducunt Doctores communiter, & præsertim Aversa qu. 64. cit. sect. 9. in fine, graviter peccare, & sacrilegii reum esse accedentem ad aliquod Sacramentum suscipiendum, si conditiones non adhibeat, quantum est ex parte sua, ad ejus valorem requisita, & pariter si dispositionem non adhibeat requisitam ad effectum gratiæ recipiendum, & obicem ponat juxtà illud Apostoli 1. Corint. *Qui indignè manducat, & bibit, judicium sibi manducat, & bibit*, si nimirum cum conscientia peccati mortalis Eucharistiam suscipit, & eadem regula est de reliquis Sacramentis, proportione servata, ut si quis v. g. baptismum suscipiat, vel absolutionem Sacramentalem absque attritione saltem suorum peccatorum, & pariter si alia Sacramenta suscipiat cum conscientia peccati mortalis, grave sacrilegium committit; quæ obligatio ex ipsa vi, & institutione Sacramentorum ortum trahit, cùm enim Sacramenta vim habeant gratiam conferendi ex eorum institutione gravem irreverentiam eis inferunt, qui sine debitis dispositionibus ad illa accedunt, quia eorum virtutem supernaturalem impediunt conferendi gratiam, & quantum est de se irritam reddunt Sacramentorum vim, & significationem; ex vi tamen hujus obligationis quicumque habet conscientiam peccati mortalis confessionem Sacramentalem præmittere non tenetur ad quodcunque aliud Sacramentum suscipiendum, excepto Eucharistiæ Sacramento, de quo quantum ad hoc extat speciale præceptum, ut suo loco videbimus; sed satis erit per se loquendo præmittere, vel confessionem, vel contritionem, qua prudenter quis putet se in gratia repositum esse, imò loquendo de Baptismo, quando quis indispositus, & cum sacrilegio suscipit illud, sed posteà se disponit, effectum quoque gratiæ baptismalis recipiet, ut dicemus disp. seq. Denique qui vult Sacramenta suscipere, liber esse debet, & expetitus ab excomunicatione, & interdicto ex instituto Ecclesiæ talem susceptionem impediente; imò si quis etiam esset in statu gratiæ, quod quidem esse potest per actum contritionis simul cum hujusmodi censura accedendo ad Sacramentum, grave adhuc peccatum sacrilegii committeret, & ideo absolutionem à censura priùs procurare debet.

48 Quartò conveniunt Doctores adultum Sacramenta recipientem recipere majorem, vel minorem gratiam juxta dispositionem meliorem, vel minùs perfectam, qua se præparat, ac disponit ad illa recipienda, ut dictum est supra qu. 2. a. 1. nu. 24. ita enim expressè habetur in Concil. Trident. sess. 6 c. 7. ubi loquens de adultorum justificatione per Baptismum, de quo & aliis Sacramentis quantum ad hoc est eadem ratio, inquit illos *Justitiam recipere secundum mensuram, quam Spiritus Sanctus partitur singulis, prout vult, & secundum propriam cujusque dispositionem*, & hoc valdè congruum est, ut ex hoc magis excitentur ad meliùs se disponendos, & ne talis deligentia sit frustanea; an verò illa major gratia detur virtute Sacramenti ex opere operato, an verò ob meritum dispositionis ex opere operantis, ibidem dictum est numer. 25. Quamvis autem gratia, quæ datur in Baptismo, & in aliis Sacramentis semper sit æqualis; quantum est ex parte ipsius Sacramenti, in parvulis, vel adultis æquè dispositis, & ità sit de facto, attamen de possibili, & ex speciali privilegio potest uni communicari major gratia, quàm alteri, non obstante æqualitate dispositionis, & hoc ex triplici capite, ex speciali nimirùm Dei benevolentia, qui est causa principalis; secundò ex speciali passionis Christi applicatione, qui est causa meritoria; tertiò tandem ex merito Ministrorum, & adstantium, qui ex opere operantis, & de congruo possunt suscipienti aliquem gratiæ gradum mereri; ita expressis verbis Scotus 4. d. 4. qu. 7. §. *Sic ergo*, ubi assertionem probat quoad singulas partes, & nos ex professo defendimus disp. 1. cit. de Sacramentis in genere quæst. 9. contra Recentiores omnes oppositum asserentes ex verbis Concil. Trident. cit. quibus expressè docet gratiam dari secundùm propriam uniuscujusque dispositionem, & cooperationem; sicut ergo magis dispositis major gratia datur per Sacramentum, ita æqualiter dispositis æqualis gratia dari debet. Verùm ut diximus loc. cit. art. 2. ex verbis Concilii potiùs oppositum deducitur, quia non solam dispositionem assignat pro mensuram quantitatis gratiæ conferendæ, sed etiam voluntatem Dei; & Concilium ibi loquitur de facto, & de eo, quod contingit ex lege communi; nos autem cum Scoto loquimur de possibili, & de eo, quod contingere potest ex speciali privilegio, non enim Doctor sustinet de facto hanc assertionem de inæqualitate provenire ex parte causæ principalis, aut meritoriæ, ut ei Recentiores imponunt, sed de possibili, ut apertis verbis loquitur cit. cap. cùm inquit: *Dubium est de facto, sed possibilitas est ostensa.* Alia ad hunc punctum spectantia videantur loco citato.

49 Quintò, est difficultas. An Sacramenta sine debita dispositione suscepta suos conferant effectus saltem homine posteà se disponente; & difficultas procedit, quando Sacramentum integrum suscipitur quoad essentialia, tamen sine effectu ob indispositionem suscipientis, quia non accedit legitimè dispositionem suscipientis, quia non accedit legitimè dispositus, & ideò ejus effectum non recipit, an scilicet, in eo casu sublato obice, & accedente dispositione, quam suscipiens omiserat, Sacramentum gratiam producat. Quamvis autem de Baptismo id omnes affirment, ut fusè discurrimus disp. 2. cit. q. 6. & declaramus cum Scoto 4. d. 4. q. 5. de cæteris tamen Sacramentis varii sunt modi dicendi, ut ibidem diximus a. 3. communior tamen, & probabilior est hoc privilegium convenire omnibus Sacramentis characterem imprimentibus, ac proinde non solùm Baptismo, sed etiam Ordini, & Confirmationi concedi debere, quę nullo modo iterari possunt, quod præsertim ex nostris docuerunt Bassolius, Poncius, Brancatus, & alii Recentiores, & colligunt ex Scoto 4. d. 1 q. 5. §. *Contra istam opinionem*, Vers. *Quartò arguitur* in fine, ubi negat per alia Sacramenta imprimi ornatum characteri similem, quia aliàs recedente fictione suum causarent effectum, scilicet, gratiam, si adesset dispositio ad eam. Advertimus tamen ibi articulo 3. numero 164. quod potior ratio, cur Baptismus inter alia Sacramenta hoc habeat privilegium conferendi gratiam recedente fictione, sive obice, vel impedimento, non est, quia characterem imprimat, sed quia est medium ad salutem necessarium, scilicet ad remissio-

sionem originalis culpæ, & peccatorum mortalium antecedentium; quare cùm semel susceptus iterari non possit, ne præcludatur via salutis, necessariò dicendum est eundem baptismum cum obice susceptum habere posteà vim remittendi illa peccata ablato obice, atque adeo conferendi gratiam justificantem. & hæc est ratio, quam Doctor adducit 4. d. cit. quæst. 5. B. hæc autem ratio non procedit de Confirmatione, & Ordine, quam vis characterem imprimant, quia nec sunt Sacramenta necessaria ad salutem, nec per se instituta ad peccatorum remissionem.

50 De Sacramento Matrimonii, & extremæ Unctionis hoc idem asserunt alii, quod scilicet gratiam conferant ablato obice, & ferè eadem ratione, quia hæc etiam aliquo modo sunt irreiterabilia, licet characterem non imprimant, nam Matrimonium iterari nequit ante mortem unius conjugum, nec extrema Unctio in eadem infirmitate iterari potest. Sed hæc ratio minimè urget, ut ibi diximus num. 166. quia hæc duo Sacramenta sunt simpliciter iterabilia, quod illis tribus characterem imprimentibus nullo modo convenire potest; tum quia dato etiam, quod hæc Sacramenta sint aliquo modo irreiterabilia, jam dictum est etiam in Sacramentis simpliciter irreiterabilibus, qualis est Baptismus, non esse irreiterabilitatem solam præcipuam rationem, cui Sacramentum ablato obice gratiam conferat, sed quia cum irreiterabilitate medium ad salutem simpliciter necessarium, quod de his duobus Sacramentis affirmari non potest. De Sacramento autem Eucharistiæ omnes ferè conveniunt, ut diximus ibidem, semel cum obice susceptum peccati mortalis, gratiam posteà non conferre ablato obice, qua de causa dixit Apostolus eam indignè suscipientem, & in peccato, judicium sibi manducare; & quidem maxima irreverentia Christo Domino exhibita, sub Sacratis speciebus contento meritò exigere videtur, ut tale Sacramentum ab initio indignè susceptum, nec tum nec postea ablato obice gratiam conferat, præsertim cùm possit iterum dignè sumi in ordine ad consequendam similem gratiam, qualem conferret, nisi obex adesset. De Pœnitentia tandem negat expresè Doctor loc. cit. 4. di. 1. q. 5. posse gratiam conferre ablato obice, quod nos etiam ex instituto defendimus lib. 4. disp. 5. de Sacramento Pœnit. qu. 14. ubi. absolutè negamus posse dari hoc Sacramentum validum, sed informe, ut conceditur de Baptismo.

51 Postremò est difficultas, an à malis Ministris liceat Sacramenta recipere; mali autem, & indigni Ministri sunt, qui habent quidem potestatem Sacramenta conficiendi, sunt tamen in statu tali, ut sine peccato tali potestate uti non possint; quæritur ergo, an liceat à talibus Ministris Sacramenta petere, & recipere; quales nimirum sunt illi, qui notoriè in peccato aliquo mortali existunt, ut publici concubinarii, de peccatis enim occultis nemo judicare debet. Huic quæsito communiter cum distinctione responderi solet à Doctoribus quod duplex est Minister indignus, alter toleratus ab Ecclesia, alter non, toleratus vocatur, qui licet sit peccator, tamen ab Ecclesia non est præcisus, nec à Sacramentorum ministerio per censuram Ecclesiasticam prohibitus; non toleratus verò, qui est ab Ecclesia prohibitus, & præcisus. Rursus vel Minister est is, cui ex officio Sacramenta ministrare incumbit, ut Episcopus, & Parochus, aut is, cui non ex officio id incumbit, sed tantùm ex delegatione. & tandem vel hic est expositus ad Sacramenta ministranda, ut quando Confessarius aliquis in loco sedet, ubi confessiones audire solet, vel non est expositus. Hac distinctione præmissa affirmant communiter Doctores non licere petere, vel accipere Sacramenta à Ministro non tolerato, quia qui Sacramentum petit à tali Ministro communicat peccato illius, talis enim Sacramentum administrare non potest sine peccato mortali, cùm sit illi ab Ecclesia graviter prohibitum; excipiunt tamen casum extremæ necessitatis, quia in tali casu cessat prohibitio, & ideò tunc licitum est petere, ut Scotus docet 4. d. 5. qu. 2. unde in articulo mortis absolutio Sacramentalis licitè peti potest à Sacerdote etiam non tolerato, si alius Sacerdos non adsit. Ita Canus, Azorius, Becanus, Abellius, & alii passim, & habetur in declaratione Cardinalium, ex collect. Joann. Galemat. capit. 7. sess. 14. Concil. Trident. Deindè dicunt licitum etiam esse nulla urgente necessitate Sacramenta petere, ac recipere à Ministro, cui ex officio Sacramenta ministrare incumbit, quamvis malus sit, & indignus, quamdiu tamen ab Ecclesia toleratur. & ratio est, quia subditus, qui tale jus habet petendi, & accipiendi Sacramenta ab eo, ob illius malitiam, tale jus amittere non censetur; similiter dicunt ab eo, etiam, cui ex officio Sacramenta ministrare non incumbit, si sit expositus, & ab Ecclesia toleretur, licitum esse Sacramenta recipere quia ipse administrans illa sibi soli nocet, ut habetur Can. *Scisciatantibus* 15. q. 8. Tandem dicunt à malis Ministris, qui nec expositi sunt, nec ex officio ministrare tenentur non licere illa petere, si nulla urgeat necessitas. & ratio hujus est, quia hoc esset verè eos ad peccandum inducere, de quo potes videri Toletus lib. 1. cap. 92.

QUÆSTIO QUARTA.

De numero, ordine, & necessitate Sacramentorum.

52 DE diversitate Sacramentorum veteris, & novæ legis, & quantum Evangelica Sacramenta præstent, ac præcellant antiquis; item quot, & quæ fuerint vetera Sacramenta & præsertim quid sit dicendum de Circumcisione pro statu legis scriptæ, sufficienter jam discurrimus 4. sent. disp. 1 de Sacram. in genere qu. 2. Quare hic solùm restat assignare numerum, & ordinem Sacramentorum novæ legis, ac eorum necessitas declaranda, ut deinceps de singulis pertractemus; quod breviter agemus duobus articulis sequentibus.

ARTICULUS PRIMUS.

Quæ, & quot sint nostra Sacramenta, & quem ordinem inter se habeant.

53 PRimò Ecclesiæ Catholicæ constans est sententia Sacramenta novæ legis esse numero septem, nec plura, nec pauciora, quæ sunt: Baptismus, Confirmatio, Eucharistia, Pœnitentia, Extrema Unctio, Ordo, & Matrimonium, quod tanquam dogma de Fide definitum est in Concil. Trid. sess. 7. can. 10. & anteà in Florentino sess. ultima, & à Lucio Papa Tertio c. *Ad abolenda*, de Hæreticis, aliisque antiquioribus Pontificibus, & Conciliis, & colligitur ex Scriptura, nam de Baptismo Joan. 5. dicitur: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non potest introire regnum Dei*, & Matth. 28. *Euntes docete omnes gentes baptizantes eos in nomine Patris, & filii, & Spiritus Sancti.* De Confirmatione Actorum 8. ubi Apostoli imponebant manus super baptizatos ut eis daretur Spiritus Sanctus: *Tunc imponebant manus super illos & accipiebant Spiritum Santum*, ubi Eugenius Quartus in Florent. cit. per manus impositionem intelligit Chrismatis unctionem, & per accipere Spiritum Sanctum intelligit donum gratiæ sanctificantis. De Eucharistia Joan. 6. Matth. 26. Marci 14. Lucæ. 22. patet hoc Sacramentum fuisse à Christo Domino institutum in ultima Cœna, ubi dedit auctoritatem Apostolis Sacramentum hoc conficiendi dicens: *Hoc facite in meam commemorationem*. De Pœnitentia Joan. 20. *Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt.* De Ordine constat in Evangelio Christum ordinasse suos Apostolos in Sacerdotes, quando in nocte Cœnæ dixit illis: *Hoc facite in meam commemorationem*, & quando post Resurrectionem eisdem dixit: *Accipite Spiritum Sanctum, & quorum remiseritis peccata remittuntur eis*, de quo etiam rectè intelligitur locus ille 2. ad Timotheum 1. *Admoneo te, ut resuscites gratiam Dei, quæ in te est, per impositionem manuum mearum.* De Extrema Unctione Jacob. 5. ubi habetur: *Infirmatur quis in vobis? inducat Presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum ungentes eum oleo in nomine Domini, & oratio Fidei salvabit infirmum, & alleviabit eum Dominus, etsi in peccatis sit, remittuntur ei.* Denique de Matrimonio probari solet ex illo Pauli ad Ephes. 5. ubi de Matrimonio loquens ait: *Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico in Christo, & in Ecclesia*, quibus verbis significat Apostolus Matrimonium esse Sacramentum, ut Aug. exponit lib. 1. de nupt. & concup. c. 21. licet Scot. noster 4. d. 26. sub. lit. I. dicat hujus Sacramenti institutionem planiùs deduci ex illis verbis à Christo prolatis Matth. 19. *Quos Deus coniunxit, homo non separet.* Quamvis enim ibi tantùm approbaverit contractum institutum Gen. 2. & per consequens illum ibi non instituerit; instituit tamen Sacramentum, seu illum contractum ad dignitatem Sacramenti evexit, quæ quidem S. Scripturæ testimonia amplius suis locis illustrabuntur tractando de unoquoque Sacramento, & institutione illorum.

54 Secundò, ratio, seu potiùs congruentia, cur septem numero Sacramenta fuerint instituta, desumi solet ex analogia inter corporalem, & spiritualem vitam, ut docent D Thomas 3. p. q. 65. art. 1. & Sco. 4. d. 2. qu. 1. hoc modo, nam in vita corporali requiruntur quædam ex parte cujuslibet particularis personæ, quædam ex parte totius Reipublicæ; ex parte hominum singulorum requiruntur tria per se, nempè generatio, augmentatio, nutritio, & duo per accidens, nimirum remedia contrà morbos, si infirmitas occurrat, & remedium contrà morbi reliquias, ut perfectè convalescat. Ex parte verò Reipublicæ duo requiruntur, primò parentes, qui vitam corporalem hominum propagare possint; secundò Principes, & Magistratus, qui eam ordinent, & gubernent. Eodem ergò modo in vita spiritualis res se habet; primò

primò requiritur regeneratio, quæ fit per Baptismum; secundò augmenta tio, seù roboratio, quæ fit per Confirmationem; tertiò nutritio spiritualis, quæ fit per Eucharistiam, quartò remedium contrà morbum peccati, quod fit per Pœnitentiam; quintò remedium contrà reliquias peccatorum, quod per extremam Unctionem habetur; sextò ex parte Reipublicæ Matrimonium, quo licitè propagantur homines ad cultum Dei deputati; septimò tandem institutum est Ordinis Sacramentum pro recta Ecclesiæ gubernatione; & hanc totam congruentiæ rationem clarè expressit quoque Concilium Florentinum his formalibus verbis: Per Baptismum spiritualiter renascimur; per Confirmationem augemur in gratia, roboramur in fide; renati autem, & roborati nutrimur divina Eucharistiæ alimonia; quod si per peccatum ægritudinem incurrimus, spiritualiter per Pœnitentiam sanamur; spiritualiter etiam, & corporaliter, prout expedit animæ, per Extremam Unctionem; per Ordinem verò Ecclesia gubernatur, & multiplicatur spiritualiter; per Matrimonium tandem corporaliter augetur. Hìc autem advertendum est, quod licet Concil. Florent. & Trident. definierint septem tantùm esse Ecclesiæ Sacramenta, non tamen definierunt singula dicere speciem ultimam, & infimam, sed reliquerunt Scholasticis disputandum, præsertim de Sacramento Ordinis, & Eucharistiæ, ut lib. 4. sent. jam discussum est in propriis horum Sacramentorum disputationibus.

55 Tertiò, si Sancti Patres aliquando alios ritus, vel cæremonias Sacramenta vocant; non loquuntur in propria, sed in lata significatione, ut communiter Doctores docent, qui etiam ad hoc rectè intelligendum advertunt ad conficienda Sacramenta duplicem ritum requiri, unum essentialem, qui est de necessitate Sacramenti, & alium accidentalem, qui est tantùm de necessitate præcepti; ad ritum essentialem Sacramenti requiritur materia, & forma, & intentio Ministri; ad ritum verò accidentalem, certæ cæremoniæ requiruntur ex Ecclesiæ institutione, seù actiones externæ, & religiosæ, quibus Sacramenta docetè, & ordinatè ministrantur juxtà Ecclesiæ præscriptum. Circà quod convenium Doctores, quod Sacramenta, nec licitè, nec validè administrantur sine ritu essentiali, & ratio deducitur ex proximè dictis, quia ritus essentialis consistit in materia, & forma, ac debita intentione Ministri, Sacramenta autem altero istorum deficiente, non validè administrantur, cùm Sacramenta his tribus perficiantur, ut constat ex superius dictis; sine ritu autem accidentali, quamvis validè administrentur, non tamen licitè, quia tenemur nos accommodare ritibus Ecclesiæ in Sacramentorum administratione, ut constat apud omnes, ac proindè variare ritus, & cæremonias Ecclesiæ est peccatum mortale ex genere suo contrà Religionem, nisi quis ob levitatem materiæ à mortali excusetur, qualis videtur esse, si quis lingua vulgari baptizet, & non latino idiomate absque necessitate. & ratio est, quia peccatum contrà Religionem, qualis est variatio rituum, & cæremoniarum ab Ecclesia præscriptarum, est mortale posita gravitate materiæ; tùm quia ritus à Summo Pontifice præscripti neque per alios Prælatos Summo Pontifice inferiores mutari possunt, quia inferior legem superioris abrogare non potest. Potest tamen Episcopus in sua Diœcesi ritus mutare; qui à Summo Pontifice præscripti non fuerunt, siquidem in potestate Episcopi est ea facere, quæ ad rectum Ecclesiæ suæ regimen pertinent, dummodò à Summo Pontifice non impediatur. Ità Suarez, Valentia, Henriquez, Reginaldus, Lessius, Azorius, Caspensis, Becanus, Aversa, Bonacina, & alii passim.

56 Quartò, quod spectat ad ordinem, quem inter se Sacramenta tenent, docent etiam præfati Doctores multiplicem ordinem inter Sacramenta considerari posse. Primus est ordo numerationis, seù connexionis, quo superiùs enumerata sunt ex Conc. Florent. & Trident. ut primum locum obtineat Baptismus, secundùm Confirmatio, tertium Eucharistia, quartum Pœnitentia, quintùm extrema Unctio, sextum Ordo, & septimum Matrimonium, cujus ordinis ratio sumitur præcipuè ex analogia illa, & proportione vitæ spiritualis ad corporalem. Secundus est ordo dignitatis, & perfectionis, quo aliquod sit aliis dignius, & excellentius, & juxtà hunc ordinem omnium dignissimum, & præstantissimum est Eucharistiæ Sacramentum, ut suprà diximus art. 1. hujus quæst. 2. num. 24. ex Trident. sess. cap. 7. cap. 1. & seq. & ratio hujus præeminentiæ est, quia hoc Sacramentum continet realiter, & substantialiter Christum ipsum sub speciebus Eucharisticis; secundum dignitatis locum obtinet Sacramentum Ordinis; tertium Confirmatio; quartum Baptismus; quintum extrema Unctio; sextum Pœnitentiæ, & septimum Matrimonium, quod etiam insinuat Trident. lo.c. Tertius est ordo executionis, sivè susceptionis, & sic antè omnia suscipitur Baptismus, & primum locum obtinet, quia ipse est janua omnium Satramentorum, itaut alia Sacramenta invalidè suscipiātur nondùm suscepto Baptismo; secundò suscipi solet Confirmatio, quamvis non de necessitate, sed de congruentia; tertiò per se loquendo sequitur Eucharistia, & dicitur per se, quia per accidens, si nimirum interponatur peccati mortalis impedimentum, tunc mediare debet Sacramentum Pœnitentiæ; undè ut observat Aversa qu. 65. sect. 2. hic mos in Ecclesia servatur, ut adulti qui baptizantur, statim confirmentur, & ad sumendam Eucharistiam admittantur; sed quia filii ex parentibus fidelibus orti statim in infantili ætate baptizantur, & non nisi per plures annos ad communionem admittuntur, & interim ex humana fragilitate peccata contingunt, ideò inter fideles Pœnitentiæ Sacramentum sumptionem Eucharistiæ præcedere solet. Tandem sequitur extrema Unctio, quæ reliquias peccatorum abstergit, & ad finalem præparationem disponit, ut ait Scotus l.c. & hæc sunt quinque Sacramenta, quæ singulas personas respiciunt, & per se in eodem suscipiente ordinem habent; inter Sacramenta verò Ordinis, & Matrimonii hic susceptionis ordo non reperitur, quia non per se in eodem subjecto junguntur, sed merè per accidens, quatenus contingere potest, ut conjugatus decedente, aut consentiente uxore promoveatur ad ordines, vel anteà ordinatus in minoribus, posteà matrimonium contrahat.

57 Denique quartus, & ultimus est ordo necessitatis, quo scilicet, unum Sacramentum præ aliis est necessarium, & hunc ordinem respiciendo primum locum tenet Baptismus, deindè Pœnitentia, quia nullus salvari potest sine baptismo, vel etiam sine pœnitentia post lapsum in peccatum; tertium locum obtinet Ordo, qui respectu totius Ecclesiæ est necessarius. Alia verò quatuor Sacramenta dicuntur necessaria ad melius esse, Confirmatio post Baptismum, Eucharistia, & extrema Unctio post Pœnitentiam, Matrimonium ad fidelium multiplicationem, sed de hac Sacramentorum necessitate distinctiùs agemus art. seq. Addit Aversa lo.c. ordinem quoque tractationis, & doctrinæ, quia in declarandis, & considerandis singulis Sacramentis non omnes eundem ordinem servant; hìc autem ordo doctrinæ in tractatu de Sacramentis præsertim ex natura rei postulare videntur, ut initium à baptismo desumat, ut potè qui est janua omnium Sacramentorum, & Sacramentum pertinens ad generationem spiritualem animarum; & finem attingat in Sacramento extremæ Unctionis, ut potè pertinente ad finalem præparationem; hoc enim est Sacramentum, ut inquit Scot. lo. cit. quo exiens finaliter præparatur, quia vita ista spiritualis quædam via est ordinans, ut benè vivens in ea, de ipsa sine impedimento transeat ad aliam, pro qua præparatur.

ARTICULUS SECUNDUS.

An omnia Sacramenta sint ad salutem necessaria, & quomodo.

58 PRimò, conveniunt DD. fuisse aliquo modo necessarium ad salutem hominis viatoris Sacramenta instituti, non quidem simpliciter, & absolutè, sed ad melius esse, & facilem illius consecutionem. & quidem quod Sacamentorum institutio non fuerit simpliciter, & absolutè necessaria ex indè probatur, quia virtus infinita Dei non est Sacramentis alligata, ut communiter Theologi dicunt, Deus enim liberè Sacramenta instituit ad nostram justificationem, & salutem, siquidem alio modo poterat, & sine Sacramentis hominem salvare, poterat enim instituere, ut per solos actus ex opere operantis homines salvarentur; fuit tamen necessarium ad melius esse, & faciliorem salutis consecutionem, quia multò melius, & utilius fuit Sacramenta instituere, præsertim propter parvulos, & infantes, qui cum actu proprio justificari non possent, optimè illis provisum est, ut per aliquod externum remedium eis applicandum, & ex opere operato justificari possent ab originali, atque salvari. & hoc etiam multò melius, & utilius fuit propter adultos, ut abundantiorem, & uberiorem per Sacramenta gratiam reciperent, & cum majori certitudine justificarent. Hinc deducitur Sacramenta esse necessaria solùm ex suppositione, seù suppositā Christi institutione, quantum ad usum, & exercitium, quia nimirum instituta sunt à Christo tanquam media, & remedia, sine quibus homo justificari, & salvari non potest, quod intelligendum est indefinitè, idest, non de omnibus, & singulis Sacramentis, sed absolutè, & in genere, sicque intellecta propositio est de fide, ut habetur in Conc. Trid. sess. 7. can. 4.

59 Secundò ad hoc meliùs, & distinctiùs intelligendum duplicem solent Theologi præsertim Recentiores distinguere necessitatem respectu salutis, seù vitæ æternæ, unam medii, alteram præcepti, ut diximus disp. 1. cit. *de Sacramentis in genere*, qu. 10. artic. 3. illud dicitur necessarium necessitate medii juxtà potio-

potiorem modum explicandi utramque necessitatem, quod est omninò per se necessarium ad gloriæ consecutionem, ideoque ab antiquioribus Theologis necessarium simpliciter appellabatur; sic status gratiæ dicitur necessarius ad gloriam consequendam, gratia enim justificans secundùm legem Dei ordinariam est medium necessarium ad consequendam beatitudinem, quatenus sine illa de lege Dei ordinaria nullo modo obtineri potest; quarè illud dicitur necessarium necessitate medii, quo prætermisso, etiamsi ex ignorantia, vel oblivione prætermittatur, salus non obtinetur juxtà legem Dei ordinariam. Necessarium verò necessitate præcepti solùm est necessarium quasi per accidens, quia tantùm se habet, ut removens prohibens, quatenus, scilicet, præceptum implendo tollitur peccatum, quod ex tali transgressione committeretur, & gloriæ consecutionem impedire poterat destruendo statum gratiæ, qui est simpliciter ad eam necessarius; undè quod est necessarium hoc secundo modo duntaxat, cùm sit solùm quasi per accidens necessarium, si prætermittatur ob ignorantiam, vel impotentiam, non impedit gloriæ consecutionem, quia in tali casu ad culpam non imputatur: undè quia jejunium solùm est necessarium necessitate præcepti, si quis ob impotentiam non jejunet, vel ob ignorantiam præcepti inculpabilem, excusabitur à peccato, ac proindè jejunii omissio gloriæ consecutionem non impediet. Hujus autem duplicis necessitatis distinctio, licet quibusdam ex nostris non placeat sine ullo fundamento, ut loco citato, ex professo ostendimus, est omninò necessaria ad dignoscendum, quænam Sacramenta sint necessaria ad salutem necessitate medii, & quæ solùm sint necessaria necessitate præcepti, ut mox explicabimus.

60 Tertiò præmissa hac doctrina pro terminorum declaratione, & modo loquendi, dicendum est cum Scoto pluribus in locis quædam Sacramenta esse simpliciter necessaria juxtà modum loquendi veterum Scholasticorum, vel esse necessaria necessitate medii juxtà modum loquendi Recentiorum, ut Baptismus; quædam verò esse eodem modo necessaria, non tamen omnibus, ut Pœnitentia, quæ solis adultis peccatoribus est necessaria; nam Sacramenta Baptismi, & Pœnitentiæ ad primam gratiam conferendam sunt instituta; Baptismus quidem simpliciter respectu omnium pro culpa originali delenda; Sacramentum verò Pœnitentiæ pro actuali delenda in adultis, si post baptismum susceptum illos peccare contingat; sed gloria haberi nequit sine prima gratia; ergò hæc duo Sacramenta sunt necessaria simpliciter, seù necessitate medii prætato modo explicata. Dices, si quis antè susceptum baptismum actum contritionis eliciens, aut dilectionis Dei super omnia moriatur, salvabitur; & idem dicendum de eo, qui post baptismum susceptum peccasset; ergò hæc Sacramenta non sunt simpliciter necessaria, seù necessitate medii. Huic instantiæ jam occurrimus loc. c. n. 366. istos in prædictis casibus salvari, quia prædicta Sacramenta habent in voto, & desiderio suscipiendi, quia susciperent de facto, si possent, ità enim disposuit suavis Dei providentia, ut cùm prædicta duo Sacramenta sint simpliciter necessaria; quando nequeunt suscipi in re, sufficiant in voto, vel in aliquo æquivalenti, si votum non habet locum, ut in parvulo, cui sufficit martyrium, si baptismum suscipere nequit, quod baptismus sanguinis dici solet. Dices rursus, non minus contritione, ut sit medium justificans, involvitur votum restituendi, & quodcunque aliud præceptum adimplendi, quàm baptismum recipiendi; ergò si necessarium necessitate medii est id quod in re, vel in voto ad justificationem requiritur; non minus restitutio, jejunium, quàm Baptismus, & Pœnitentia erunt necessaria necessitate medii. Respondetur ex dictis ibid. num. 367. negando consequentiam, quia licet ad illud, quod dicitur necessarium necessitate medii requiratur, quod sine ipso vel in re, vel in voto salus obtineri non possit; hoc tamen non sufficit, sed ulterius requiritur, quod per se, & positivè in justificationem influat modo jam suprà explicato nu. 59. & non tantùm per accidens, & per modum removentis prohibens; quod in proposito de restitutione, & jejunio, & aliis præceptis minimè verificatur; sicut enim restitutio in re, vel jejunium non concurrit ad justificationem, ut medium positivè influens, sed tantùm ut removens prohibens, nempè peccatum, quod ex transgressione præcepti restitutionis, vel jejunii contraheretur; ità neque votum ejus positivè concurret, sivè ut medium quoad justificationem.

61 Quartò quædam Sacramenta sunt toti Ecclesiæ communitati simpliciter necessaria vagè non determinando personas, & talia sunt Sacramenta Ordinis, & Matrimonii. Ratio est, quia nequeunt homines salutem consequi, nisi aliqua Sacramenta recipiant, hæc autem nequeunt confici, & ministrari, nisi à Sacerdotibus, & personis Deo sacratis; ergò simpliciter necessarium est Ordinis Sacramentum, per quod homines fiunt Dei Ministri, vagè tamen, & indefinitè, itaut aliqui ex tota communitate debeat Sacramenta illa conficere, & ministrare. Sic etiam de Sacramento Matrimonii discurrendum est servata proportione, quia in tota Ecclesia propagatio humani generis est necessaria, pro qua etiam extat præceptum naturale; contractus autem Matrimonii in lege nova ad esse Sacramenti à Christo est elevatus; ergò etiam Sacramentum Matrimonii est simpliciter necessarium in Ecclesia Dei vagè, & indefinitè, itaut aliqui ex tota Communite illud Sacramentum sumere debeant, licet nullus in particulari teneatur. & plura adhuc de convenientia, & necessitate horum Sacramentorum in sequentibus dicenda sunt, & maximè in speciali tractando de singulis, quare in præsenti solùm advertere sufficit, quod licet Ordo, & Matrimonium ad bonum commune totius Ecclesiæ maximè requirantur, & necessaria sint, ad salutem tamen uniuscujusque fidelium nullam neque medii, neque præcepti necessitatem inferunt.

62 Quintò Eucharistiæ Sacramentum est necessarium duntaxat necessitate præcepti, ut constat ex Trid. sess. 13. can. 9. ubi damnatur quicunque dixerit homines non teneri ex præcepto Sanctæ Ecclesiæ in festis Paschalibus communicari statim ac ad usum rationis pervenerint; est tamen aliqua inter Theologos dissensio, an præceptum de Eucharistia sumenda sit Ecclesiasticum tantùm, an etiam divinum, & hoc secundum valdè probabilius videtur, ut diximus l. c. num. 370. & expressè tenet Scot. 4. d. 13. qu. 3. quia Christus Joan. 6. apertè dixit se velle sumi in Eucharistia à quolibet Christiano verbis illis *Nisi manducaveritis carnem filii hominis, non habebitis vitam in vobis*, ubi loquitur Christus de manducatione. & potatione vera, reali, & Sacramentali; & cùm non loquatur de necessitate medii, quia hoc est Sacramentum vivorum, sequitur quod de necessitate præcepti sit intelligendus. Ecclesia verò tantùm præscripsit tempus, in quo fideles communicari debent semel in anno, scilicet, in festo Paschatis, ut dictum est suprà disp. 12. *de præceptis Ecclesiæ* q. 2. a. 3. Dices hoc Sacramentum esse necessarium etiam necessitate medii, & simpliciter, quia sicut se habet cibus corporalis, & materialis ad vitam corporalem, ità panis Eucharisticus ad vitam spiritualem; sed cibus corporalis est simpliciter necessarius ad vitam corporalem, ergò spiritualis ad vitam spiritualem.

Respondetur ex dictis quæst. 10. cit. art. 3. in fine Eucharistiam non comparari cibo materiali quoad necessitatem vitæ simpliciter, alioquin in omni ætate, & tempore sumenda esset, quod tamen Ecclesia prohibet; sed tantùm quoad augmentum vitæ, & ejus conservationem; quarè cùm hic cibus spiritualis ad alendam vitam gratiæ spiritualem ordinetur, quæ non nisi per actionem malam deperditur, quæ sit libera, non erit necessarius simpliciter, sicut cibus materialis ad vitam corporalem, undè paritas assumpta non currit in omnibus, ut argumentum supponit.

63 Postremò communis etiam sententia docet Sacramenta Confirmationis, & extremæ Unctionis non esse necessaria necessitate medii, neque præcepti, ut etiam diximus l. c. Ratio est, quia cùm sint Sacramenta vivorum, & instituta ad dandam secundam gratiam, seù gratiæ augmentum, apertè deducitur non esse necessaria necessitate medii, quia augmentum gratiæ non est medium ad salutem simpliciter necessarium, cum sine illo salus haberi possit. Neque etiam sunt necessaria necessitate præcepti, ut ait Scot. 4. d. 7. q. 2. quia de illis nullum extat præceptum, sed solùm obligant ad non contemnendum; quarè ad summum dici possunt necessaria necessitate secundùm quid, hoc est utilia; cùm enim per ipsa conferatur gratia, & sint instituta ad particularem finem in salutem hominis viatoris, non est dubitandum, quin sint maximè utilia, & proficua ad eandem salutem obtinendam, ut infrà suis locis explicabitur.

DISPUTATIO XVII.

DE BAPTISMO ET CONFIRMATIONE.

1 POST tractatum de Sacramentis in genere descendimus ad tractatum de Sacramentis in specie, & in particulari, quem meritò inchoamus à Baptismo, quia ianua est reliquorum, & sine ipso ad aliud Sacramentum non est aditus. Non agitur hìc autem de Baptismo sanguinis, ideſt, martyrio, nec de baptismo flaminis, seù spiritus, ideſt, contritione cum voto baptismi, vel desiderio, quia non sunt Sacramenta propriè dicta, sed de Baptismo fluminis, qui dicitur ablutio corporis exterior sub præscripta forma verborum facta, ut posteà dicemus. Hìc autem Disputationi de Baptismo aliam quoque addimus, & annectimus de Confirmatione, tùm quia ità fecimus l. 4. sent. disp. 2. q. 8. tum quia ibidem præcipuas de hoc Sacramento difficultates ex professo discussimus, undè opus non est in præsenti distinctam de eo disputationem instituere.

QUÆSTIO SEPTIMA.

De essentia, & existentia Baptismi, ac ejus necessitate.

2 NOmen Baptismi, quod à voce græca derivatum est, ex vi vocabuli lotionem, immersionem, seù lavacrum importat, & ex usu omnium Patrum, Conciliorum, & ipsius Ecclesiæ impositum est ad significandum aliquod Sacramentum speciale legis Evangelicæ, quod consistit in quadam ablutione facta sub certa verborum forma significante ablutionem animæ à peccato, ut declarat Catechismus Conc. Trident. p. 2. Hìc igitur breviter videndum est quid sit Baptismus hoc modo acceptus, quæ ejus necessitas, & quando à Christo Domino fuerit institutus.

ARTICULUS PRIMUS.

Quid sit Baptismus, & in quo ejus essentia consistat, ac necessitas.

3 PRimò, ad explicandum Baptismi essentiam Doctores communiter utuntur definitione tradita à Magistro sent. 4. d. 3. qu. 1. quod *sit ablutio corporis exterior facta sub præscripta forma verborum*, quæ quidem definitio, quia aliquas patitur difficultates, nec omninò clarè essentiam exprimit Baptismi, ut notat Scot. 4. d. 3. qu. 1. aliam clariorem ibi tradit dicens, quod *est Sacramentum ablutionis animæ à peccato consistens in ablutione hominis aliqualiter consentientis facta in aqua ab alio abluente, & in verbis certis simul ab eodem abluente cum debita intentione prolatis*, quam definitionem carpunt nonnulli Thomistæ, & alii Recentiores, veluti comatam, & involventem particulas, & conditiones superfluas, nempè ut ablutio sit hominis aliqualiter consentientis facta ab alio, & ut verba cum intentione debita proferantur. Verùm, ut diximus 4. sent. disp. 2. qu. 2. definitioni relationis in concreto addere conditiones, & rationes fundandi non est contrà artem definiendi relationes, nec contrà naturam definitionis datæ per additamentum, quæ specifica, & propria exponit, & convertitur cum definito; talis autem est definitio à Scoto tradita, ut potè data per omnes causas, tùm physicas, tùm metaphysicas juxtà Arist. monitum, cum enim dicitur *est Sacramentum* per hanc particulam assignatur genus metaphysicum, est enim Baptismus Sacramenti species. Cùm dicitur *ablutionis animæ à peccato* per hoc cum cæteris parculis sequentibus indicatur ejus differentia à cæteris Sacramentis. Cùm additur *consistens in ablutione hominis aliqualiter consentientis* indicatur materia proxima cum subjecto; cùm dicitur *facta in aqua* indicatur materia remota. Cùm tandem additur *in certis verbis simul ab eodem abluente cum debita intentione prolatis* assignatur forma, & intentio in ministro requisita. Quarè datur per omnes causas, per efficientem, scilicet, cùm intentione; per finalem, scilicet ablutionem animæ à peccato; per materialem, nempè ablutionem, & verba, & tandem per formalem scilicet significationem, ac etiam per subjectivam cum suis dispositionibus, ideſt, hominem aliqualiter consentientem; cùm igitur explicet essentiam Baptismi per omnes causas tam physicas, quam metaphysicas, omnibus numeris absolutè censeri debet. Accedit, quod definitio Baptismi à Magistro tradita simpliciter, & absolutè inspecta; ut sonat, non soli baptismo Sacramentali competit, ut benè discurrit Hiqueus noster. 4. d. 3. q. 1. *in fine*, quia si quis baptizaret Canem, vel aliud animal, ut malefici quandoque faciunt, cum præscripta verborum forma, non esset ablutio baptismalis, quamvis esset exterior corporis ablutio cum præscripta verborum forma; rectè ergò ponitur in ea definitione, quod sit *ablutio hominis*. Item si invitus baptizaretur, non esset baptismalis ablutio; ergò benè additur *aliqualiter consentientis*. Rursus si hæc ablutio fieret à seipso, non esset baptismalis, ergò rectè additur *ab alio facta*. Prætereà si esset in alio liquore non esset baptismalis, rectè ergò additur *in aqua*. Demum, si joco, & sine intentione fieret, neque esset baptismalis, rectè ergò additur *cùm debita intentione*, atque ideò definitio illa nullam continet particulam superfluam.

4 Secundò, quod spectat ad ipsius Baptismi necessitatem, certum est de fide esse necessarium omnibus cujuscumque sexus, ætatis, & conditionis non tantum necessitate præcepti, sed etiam medii, ut dictum est q. præc. art. 2. n. 60. quod primò probatur ex ipsius Christi verbis Jo: 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei*. Deindè probatur ex Conciliis Carthag. & Milevit. in quibus damnatus est error Pelagianorum dicentium parvulos sine baptismo salutem consequi posse, ac etiam ex Concil. Constantiensi, in quo denuò proscriptus est idem error ab Wiclefo renovatus, ac tandem Trident. sess. 7. can. 5. ubi anathematizatur qui dixerit Baptismum ad salutem necessarium non esse. Rursus probatur ex August. li. 3. de orig. animæ c. 9. & li. 1. de peccatorum meritis, & remiss. c. 18. & Hier. li. 3. contrà Pelagium, & alii SS. Patribus à Bellarmino relatis l. 1. de Bapt. c. 4. Denique probatur ratione, quia illud est necessarium necessitate mediis ad salutem, sine quo salus obtineri non potest, ut constat ex dictis qu. præced. a. 2. n. 59. sed sine Baptismo salus obtineri non potest, ut patet ex verbis Christi relatis: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non potest intoire in Regnum Dei*, ubi illa particula *Nisi* denotat necessitatem medii; ergò, &c. Ex quo etiam sequitur Baptismum esse quoque necessarium necessitate præcepti, quia quod est necessarium necessitate medii, est etiam necessarium necessitate præcepti, cùm major necessitas inferat minorem: Hæc tamen est differentia inter parvulos, & adultos, ut etiam loc. cit. insinuavimus, quod parvulis necessarius sit Baptismus re ipsa susceptus, adultis verò, vel in re, vel in voto, quod etiam declaravit Conc. Trid. sess. 6. ubi dicit *Justificationem à peccatis post Evangelium promulgatum sine lavacro, aut ejus voto fieri non posse*, undè communiter dici solet Baptismum esse necessarium necessitate medii in re, vel saltem in voto, quando non adest facultas illum suscipiendi in re; quarè per votum Baptismi intelligitur illud suscipiendi desiderium, & propositum, non quidem nudum, aut simplex, sed fidei, & perfectæ contritionis conjunctum, quia sine actibus harum virtutum nullus adultus extra Sacramentum justificari potest, ut constat ex dictis l. 2. sent. d. 7. de justificatione.

5 Tertiò, hinc deducitur in casu necessitatis in adultis suppleri posse Sacramentum Baptismi per contritionem, atque ideò Baptismum in re non esse adultis simpliciter necessarium ad primam gratiam consequendum, & peccatorum remissionem, sed sufficere contritionem in se votum Baptismi continentem, ut ex Scoto deducitur 4. dist. 4. quæst. 6. ab initio, & fusè probavimus 4. sent. disp. 2. de Baptismo, & Confirmatione quæst. 7. art. 1. ex illis præsertim Scripturæ locis, in quibus promittitur justificatio, & peccatorum remissio hominibus verè pœnitentibus, ut Ezech. 18. *Si egerit pœnitentiam impius, vita vivet, & non morietur, &c.* ex his enim & similibus Scripturæ locis constat perfe-

perfectam contritionem esse sufficientem, & ultimam dispositionem ad gratiam sanctificantem, quæ contritio utique haberi potest ab homine adulto antè realem baptismi susceptionem, cum voto tamen suscipiendi, quod constat ex Act. 10. ubi legitur Cornelium Centurionem antè Baptismi susceptionem fuisse justificatum, quare dixit D. Aug. l. 4. contrà Donat. c. 22. *Fidem, conversionemque cordis id, quod ex Baptismo deerit, posse supplere, si fortè ad celebrandum Mysterium Baptismi angustiis temporum succurri non potest*, quod ipse quoque ostendit exemplo Cornelii Centurionis antè realem baptismi susceptionem justificati. Neque hinc sequitur superfluam fore posteà baptismi susceptionem, siquidem de eo Cornelio Aug. c. 21. jam dixerat, quod & de quolibet aliquo dici potest: *Si etiam Spiritu Sancto jam accepto baptizari noluisset, contempti tanti Sacramenti reus extitisset.* Hic tamen advertendum est, quod diximus q. 7. cit. a. 1. n. 172. quod licet regulariter loquendo in casu posito votum baptismi esse debeat explicitum, tamen in aliquo casu sufficere votum Baptismi in actu contritionis inclusum, & non necessariò requiri explicitum, sed interdum etiam sufficere implicitum; votum enim Baptismi potest esse duplex, vel dupliciter fieri potest, explicitè, scilicet, & implicitè; tunc fit explicitè, quando adultus non solùm de suis peccatis contritionem habet cum proposito generali servandi deinceps omnia, & singula præcepta; sed etiam cum speciali proposito Baptismum suscipiendi, quod haberi non potest sine fide, & cognitione Baptismi, & hoc est votum Baptismi explicitum. Implicitum verò est, quod in ipsa contritione, & generali proposito omnia mandata servandi continetur; & hoc dicimus ad justificationem sufficere, quod etiam indicavit Trid. sess. 14. c. 4. ubi dicit perfectam contritionem esse sufficientem dispositionem ad gratiam; in ea autem includitur votum Baptismi saltem implicitè, quia includitur propositum servandi omnia mandata, & adimplendi omnia ad salutem necessaria, qualis præsertim est Baptismi susceptio.

6 Quartò, conveniunt prætereà DD. & passim docent SS. Patres, Baptismum adultorum suppleri posse martyrium, quando adest Baptismi impossibilitas, ità statuimus disp. 2. c. q. 7. art. 2. cum Alensi D. Tho. D. Bon. ex Scot. l. c. & dist. 14. qu. 1. lit. V. quod probant ex illo Matth 10. *Qui perdiderit animam suam propter me, inveniet eam*, quibus verbis D. Aug. l. 2. de orig. anim. cap. 12. asserit. *Martyres, quibus contigerit antè pro Christi nomine occidi, quàm Christi Baptismate dilui, exceptos esse ab hac sententia, nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, &c.* Sola difficultas est de modo, an scil. hic Baptismus ex opere operato tollit totam culpam, & pœnam, sicut etiam martyrium vi sua præter meritum patientis gratiam conferat. Et quamvis aliqui antiquiores id negaverint, communior tamen, & probabilior sententia affirmat martyrium ex singulari privilegio, & speciali Dei dispensatione habere vim conferendi primam gratiam, & consequenter ad instar Sacramēti Martyrem justificare ex opere operato; itaut si quis ad martyrium accedat, adhuc in peccatis existens, tamen sine affectu ad aliquod peccatum, ut cum fide, & dilectione inchoata, & pœnitentia saltem imperfecta, qualis requiritur etam antè Baptismus aquæ, is virtute Martyrii ex opere operato justificabitur, atque salvabitur, hoc est vi sua ad vitandam de nomine quæst. ita statuimus l. c. cum Scot. 4. d. 4. qu. 6. ubi dicit, quod si Baptismus sanguinis sit completus, martyr moritur, evolat in cœlum, nec tenetur ad Baptismum aquæ, & eodem modo discurrit d. 4. q. 1. §. *Sed nec debet requiri*, & sequuntur Recentiores omnes ibi citati. Ratio autem hujus asserti fundatur præsertim in promissione Christi, qui voluit hoc speciale privilegium iis concedere, qui pro ipso morinntur, ut non minus in sanguine suo, quàm in aqua baptizari possint, ut ex ejus verbis colligitur Matth. 10. *Qui me confessus fuerit coram hominibus, confitebor ego eum coram Patre meo*, & Mar. 8. *Qui perdiderit animam suam propter me, salvam faciet eam*, quæ verba juxtà Aug. interpretationem 13. de Civitate Dei c. 7 specialem continent promissionem factam iis, qui vitam pro Christo exponunt; undè inquit ibi Augustinus, quod quicunque etiam nō percepto regenerationis lavacro pro Christi confessione moriuntur, tantùm valet iis ad dimittenda peccata, quātum si abluerentur sacro fonte ipsius Baptismatis, nam qui dixit: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua*, etiam dixit *Qui me confessus fuerit coram hominibus*, & rursus: *Qui perdiderit animam suam propter me, inveniet eam;* ergo si Baptismus vim habet omnem culpam, & pœnam tollendi, eo quod sit Sacramentalis, seù Mystica configuratio mortis Christi, ut habetur ad Roman. 6. multò magis Martyrium illam vim habebit, cùm sit realis conformatio cum Christo, quo argumento usi sunt Clemens, Cyprianus, Tertullianus, & alii Patres, ut fusè discurrimus l. c. ubi etiam nonnullas evasiones, & objectiones sufficienter præcludimus, & solvimus, quæ autem dispositio requiratur ad martyrium in adultis, etiam tractavimus ibi articulo 3.

7 Quintò, statuimus etiam ibidem articulo 4. cum communiori, & probabiliori sententia non tantùm Baptismum adultorum, sed etiam infantium per Martyrium suppleri posse, ut expressè etiam tenet Doctor noster 4. dist. 4. quæst. 3. §. *Dicitur*, ubi docet etiam infantes, qui in utero cum ipsa Matre propter Christum trucidantur, consequi eundem Martyrii fructum, quem consequuntur qui exclusi ab utero Matris eodem titulo trucidantur, undè tantò magis supponit de infantibus ab utero materno exclusis nullum esse dubium, quin sint Martyrii capaces, seù Baptismi sanguinis. Hoc autem probari solet, ut diximus ibi, præsertim ex traditione Ecclesiæ, & SS. Innocentium exemplo, quos Ecclesia tanquam Martyres colit, ut patet in eorum officio, in hymno enim inquit. *Saluete flores Martyrum*, & rursùs in oratione: *Deus, cujus præconium Innocentes Martyres non loquendo, sed moriendo confessi sunt*; & passim etiam apud SS. Patres pro Martyribus habentur, undè Augustinus inquit libro 3. de Symbol. ac Catechumenos *Sanctos Innocentes ab originali peccato fuisse suo sanguine dilutos*, & 3. de lib. arb. ca. 23. ait: *Non frustra Infantes illos, qui ab Herode occisi sunt, in honorem Martyrum receptos commendat Ecclesia*, & ita etiam eos appellant Chrysostomus, Cyprianus, Bernardus, Hilarius, Hieronym. Beda, & alii Patres, quorum verba passim referunt Recentiores. Hoc etiam probari potest ex modo dictis, quod, scilic. Martyrium non tantùm ex opere operantis, sed etiam ex opere operato gratiam confert, atque ideò etiam parvulis illud patientibus pro Christo suum effectum conferre potest, scilicet primam gratiam peccatum originale delentem, & hanc confert moraliter, non physicè, quatenus Deus intuitu Martyrii, quod est optimum opus, eique gratissimum, hanc gratiam confert ad instar Sacramentorum ob speciale privilegium, peculiaremque promissionem, quam fecit Christus verbis illis. *Qui perdiderit animam suam propter me, inveniet eam.* Neque ob id est Sacramentum, quia Sacramentum est actio quædam sacra, & sancta ad cultum veri Dei ordinata, & à Christo instituta; Martyrium verò, dùm ex impietate Tyranni provenit, nedum sacra actio non est, sed potiùs sacrilega, & impia, qua servi Dei crudeliter necantur, & Deus ipse graviter offenditur; undè non confert gratiam activè Sacramentorum more, sed tantùm passivè, quatenus patienti Martyrium promisit Deus ex speciali privilegio gratiam conferre. Cætera ad hoc punctum spectantia videantur l. c. ubi fusè de hoc discurrimus.

8 Postremò, ex dictis facilè est intelligere, quid communiter Patres, & Theologi significare velint, cùm triplicem Baptismum distinguunt, fluminis, flaminis, & sanguinis, Baptismus enim fluminis est Baptismus jure susceptus; Baptismus flaminis est Baptismus in voto; Baptismus denique sanguinis est Martyrium, quod morte pro Christo perpessa est. De primo dicitur Joan. 3. *Venit Jesus in terram Judeæ, & baptizabat*; de secundò legitur Actor. 1. *Vos autem baptizabimini Spiritu Sancto non post multos hos dies*, de tertiò Marci 10. *Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum, & Baptismo, quo ego baptizor baptizari?* Hinc sequitur, ut notat Glossa. cap. *Baptismi vicem*, de consecrat. dist. 4. tria esse baptismata Sacramenta, quia Baptismus fluminis tantùm est propriè Sacramentum, qui est unicus in essentia, & specie athoma juxtà illud Pauli ad Ephes. 4. *Unus Dominus, una Fides, unum Baptisma*, quem locum de unitate specifica ibi Chrysostomus interpretatur; reliqua verò duo non sunt propriè Sacramenta, quia ut Glossa loquitur non fiunt accedente verbo ad elementum, sed vicem tantùm Sacramenti supplendo per cordis contritionem, vel sanguinis pro Christo effusionem, quia sic inquit Glossa, mundatur homo à peccatis per pœnitentiam, vel sanguinis effusionem, sicut per Baptismi lavacrum. Ita ad verbum discurrimus quæst. 7. cit. ab initio.

ARTICULUS SECUNDUS.

Quando Baptismus fuerit institutus à Christo, & cæperit esse sub præcepto.

9 PRimò, ut jam diximus disp. 2. cit. q. 1. supponit quæstio Baptismum fuisse verè, & immediatè ab ipso Christo institutum, & ex verbis ejus deducitur expressè Jo. 5. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, &c.* & Matth. 28. *Euntes docete omnes gentes baptizantes in nomine Patris & Filii, & Spiritus Sancti*, & quærit de tempore, quo fuerit institutus, an antè, vel post Passionem, & Resurrectionem ipsius. Quamvis autem Antiquiores quidam, ut Alensis, Albertus, Mairon, & alii putaverint institutum fuisse post Passionem, & Resurrectionem ejus, quando Apostolis dixit l. c. Matt. 28. *Euntes docete omnes gentes baptizantes eos, &c.* Communis tamē, & verior sententia docet, ut diximus ibidem, fuisse à Christo institutū antè ipsius

ipsius Passionem, ut Scot. docet 4. d. 3. q. 4. quem sequuntur non solùm Scotistæ omnes, sed etiam Recentiores omnes ibi citati, & probat ex ipsa Evangelica narratione Jo. 3. ubi cum expressè legatur Christum antè suam Passionem per discipulos baptizasse, nulla est ratio negandi, Baptismum fuisse antè ejus passionem institutum. Nec valet expositio quorundam Patrum, quibus innititur opposita sententia dicentium Apostolos tunc baptizantes non dedisse illum Baptismum, qui est novæ legis Sacramentum; sed vel eundem quem dabat Jonn: Baptista, vel alium, qui esset solùm figura, & quasi inchoatio Baptismi à Christo instituendi. Non valet, inquam, quia ut ait Doctor l.c. cum August. ca. 118. videntes discipuli Joannis discipulos Christi baptizantes conquesti sunt apud Joannem, quod ausi sint baptizare, si autem baptizassent Baptismo Joannis, nullum habuissent causam querelæ, quod Apostoli baptizassent Baptismo Christi; ergò Apostoli non dabant baptismum Joannis, sed alium omninò diversum à Christo institutum, quam Scoti rationem latè prosequitur Suarez disp. 19. sect. 1. Nec etiam benè dicitur illum Baptismum fuisse quidem à Christo institutum antè passionem, non tanquam verum Sacramentum, sed solùm tanquam figuram, ac veluti inchoationem Baptismi posteà instituendi. Non enim conveniens erat, ut Christus ipse, in cujus adventu umbræ, & figuræ omnes cessare debeant, uteretur Baptismo, qui esset solùm umbra, & figura veri Sacramenti tùm quia Baptismus ille dabatur in Spiritu Sancto, ut ipse Jo. Baptista attestabatur; ergò gratiam conferebat, & verum erat Sacramentum. Ità discurrimus loc.c.

10 Secundò, licet certum sit Baptismum fuisse à Christo Domino institutum antè ipsius mortem, & passionem addit tamen Scot. loc.cit. ex Scriptura assignari non posse certum, ac determinatum tempus, quo antè ejus mortem fuerit institutus quod probat reiiciendo singulos dicendi modos. Quod enim, communiter dici solet ex D. Thom. qu. 66. art. 32. fuisse propriè institutum, quandò Christus in Jordane à Joanne baptizatus est, non sufficienter probat, quia Christus Dominus non fuit baptizatus Baptismo suo, sed Baptismo Joannis, benè tamen ait Doctor, tunc aquam dedicavit ex contactu suæ mundissimæ carnis, tanquam sui Baptismi materiam idoneam, ut docet D. Ambr. lib. 2. in Lucam, dum ait: *Baptizatus est Dominus non mundari volens, sed mundare aquas, ut ablutæ per Christi carnem, quę peccatum non cognovit, baptismatis jus haberent*; quod quidem non in uno sensu intelligendum est, ut l. c. diximus, quasi contractu suæ carnis tunc Christus aliquam virtutem mundandi communicaverit aquis, sed illa sanctificatio aliud non fuit, nisi ordinatio, seù designatio qua Christus ordinavit, & dedicavit aquam, tanquam sui baptismi idoneam materiam. Neq; etiam rectè dici potest institutum fuisse per verba illa Nicodemo dicta Joann. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, &c.* quoniam generale præceptum omnibus necessarium, & solemne, quale est Baptismi Sacramentum, decens non erat institui coram privata persona; & eo vel maximè, quia per Nicodemum talis Baptismi institutio promulganda non erat; quarè concludit Doctor, quod licet institutio Baptismi fuerit facta antè mortem Christi tempus tamen præcisum, & determinatum in Evangelio non legitur, & eodem modo discurrit etiam D. Bonav. 4. d. 3. qu. 1. dum ait, quod Christus non solùm instituit Baptismum, sed etiam insinuavit, antequam institueret, ac denique institutum illum stabilivit, & approbavit; insinuavit quidem, quando fuit à Joanne in Jordane baptizatus; instituit verò, quando ipse, & discipuli ejus baptizabant; confirmavit denique, & approbavit post Resurrectionem, quando dixit Apostolis Mat. 28. *Euntes docete omnes gentes baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*. Varias responsiones, & objectiones Vasquez, & aliorum vide præclusas, & solutas l.c.

11 Tertiò, quod spectat ad aliam quæsiti partem, quando, scilicet, Baptismus cæperit esse sub præcepto, inquit Doctor l. c. non statim, ac fuit institutus, cæpisse esse sub præcepto quod probat, quia licet antè mortem Christi fuerit institutus, non fuit tamen hominibus tunc propositus, ut medium ad salutem necessarium, quia præceptum ejus, non fuit eo tempore datum, neque enim nobis traditum est, nec scriptum antè Christi mortem, & resurrectionem, sed post, cùm dixit Matth. ult. *Euntes docete omnes gentes baptizantes eos, &c.* & quamvis anteà Nicodemo dixerit. *Nisi quis renatus fuerit, &c.* non est verisimile, Baptismum ab eo tempore fuisse necessarium, quo Christus hæc verba protulit; quia illa non protulit tanquam legem condens, vel promulgans, sed in privato colloquio sermonem habens, tùm quia illis verbis minimè Christus indicavit, quod jam tunc necessarium esset ad salutem, sed quod tempore suo futurum erat necessarium; undè verba illa supponunt pro eo tempore, quo talis renascendi modus fuerit hominibus præscriptus, & per illa potiùs explicavit necessitatem Baptismi futuram, quam dederit formale præceptum. Accedit ratio generalis ex debita, & congrua dispositione divinæ providentiæ desumpta, quia credibile non est, Christum voluisse homines obligare eodem tempore duplici lege, alioquin non jugum suave, sed onus intolerabile fuisset hominibus impositum, qui eodem tempore fuissent ad onera veteris, & novæ legis adstricti; lex autem vetus obligavit, & duravit saltem usque ad mortem Christi, quia ut inquit Doctor, lex vetus mala non erat, sicut idololatria, & ideò non debuit subitò repelli, & extingui, sed debuit synagoga cum honore sepeliri, ut ostenderetur fuisse bona pro tempore suo. & in hoc puncto nobiscum conveniunt etiam Thomistæ, & alii communiter.

12 Quartò addit Scotus, Baptismum neque cæpisse esse sub præcepto statim post Christi mortem, vel ejus Resurrectionem, ut dicunt Thomistæ; quia Baptismus antè Christi mortem statim post ejus institutionem non fuit sub præcepto, sed tantùm sub consilio, quia lex Evangelica, quæ est perfectissima, non debuit præcipitanter imponi, sed priùs per consilium ad ejus observantiam debuerunt homines allici, ut posteà exercitatis posset sub præcepto imponi; si ergò post ejus institutionem non statim fuit sub præcepto, ita nec statim à morte Christi cæpit esse sub præcepto, sed tantùm sub consilio; consequentiam probat Doctor, quia nullus aliter se habet nunc, quàm priùs, ad aliquam legem, vel præceptum nisi quia aliter sibi est promulgatum, lex siquidem, vel præceptum antè sufficientem ejus promulgationem obligare non incipit; sed à Passione Christi statim lex Evangelica, & Baptismi præceptum non fuit aliter promulgatum, ac antè Christi mortem; ergò respectu ejus non aliter se habuerunt homines, quàm antè Christi mortem. Major patet, quia promulgatio est de intrinseca ratione legis obligantis, vel saltem necessaria conditio ad ejus obligationem, undè apud Jurisperitos commune est axioma, quod *lex non obligat, nisi promulgata*, & hanc promulgationem ajunt tantam esse debere, ut sit solemnis, adeout non sit satis, ut in una, vel altera Regni parte fiat, ut universum Regnum obligationem inducat, ut satis constat ex dictis suprà disp 2. *de legibus* q. 1. a. 2. n. 17. & 18. Minor probatur, quia in passione Christi tantùm abest, quod publica quædam, ac solemnis Evangelii facta fuerit publicatio, ut Apostoli ejus præcones futuri ob metum Judæorum tunc temporis latitarent, undè post Christi mortem, ejusque resurrectionem usque ad Pentecosten nulla talis promulgatio legitur facta, sed Christus toto eo tempore privatim tantùm Apostolos instruebat, qua ratione, & quo modo post acceptum Spiritum Sanctum in die Pentecostes Evangelium promulgare deberent. Imò eis prohibebat, ne priùs illud promulgarent, ut habetur Actor. 1. *Et convescens præcepit eis ab Hierosolymis ne discederent, sed expectarent promissionem Patris &c.* Neque Apostoli usque ad illum diem publicè prædicaverunt juxta illud Lucæ 24. *Vos autem sedete in illa Civitate, donec induamini virtute ex alto*.

13 Quintò tandem concludit Scotus l.c. obligationem Baptismi generaliter, & quoad omnes incæpisse post sufficientem, & solemnem Evangelii promulgationem Orbis universo factam. & ita etiam expressè Conc. Trident. docere videtur sess. 6. c. 4. ubi de justificatione loquens vocat eam translationem peccatoris de statu peccati ad gratiam, *quæ quidem translatio* inquit *post Evangelium promulgatum sine lavacro regenerationis, aut ejus voto fieri non potest*, ubi notanda sunt illa verba *post Evangelium promulgatum*, ait enim Concilium neminem sine baptismo justificari posse, non statim post mortem, vel resurrectionem Christi, sed post Evangelium promulgatum; ergò ex Concilio antè Evangelii promulgationem, & præcepti de Baptismo per aliud medium justificari poterant, nempè per Circumcisionem, & solùm post solemnem Evangelii promulgationem obligatio baptismi incæpit. Neque communis Thomistarum responsio satisfacit, Concilium tantùm requirere hanc promulgationem, ut possit ignorantia tolli, qua homines à Baptismi susceptione excusabantur, non autem ad obligationem ejus inducendam, quæ statim post Christi mortem incæpit. Hæc enim expositio est omninò præter Concilii mentem eo loci, ubi minimè docere intendit, qua ratione homines peccent baptismum non suscipiendo, sed qua ratione absque illo justificari nequeant, sivè ejus obligationem ignorent, sivè, non.

14 Cæterum gravis adhuc urget difficultas, quandonam facta fuerit sufficiens, & solemnis Evangelii promulgatio, itaut cæperit omnes obligare, & an facta fuerit simul apud omnes gentes, vel potiùs successivè, & aliquo temporis tractu. Dixerunt aliqui factam fuisse in die Pentecostes, quia eo tempore Apostoli prædicaverùt variis linguis omni nationi. Quoniam ergò illi promulgationi intererant homines ex omni ferè natione, quæ sub Cælo est, ut patet Actor. 2. verisimile est illam promulgationem fuisse universalem, & solemnem, & hinc etiam deducunt uno, eodemque tempore legem novam cæpisse ubique vim

suam

ſuam habere, ſicut eodem tempore pro toto terrarum Orbe fuit lex vetus abrogata, itaut obligare deſineret, & hoc tempus dicunt fuiſſe diem illum Pentecoſtes; nam videtur omninò certum illos, qui tunc illi promulgationi intererant, cùm ſtatim in ſuam patriam redirent, hoc totum aliis nationalibus ſuis notificaſſe, nec amplius obligatos fuiſſe ſervare legis veteris cæremonias. Scotus tamen q. 4. cit. §. *Quantum ergo*, quamvis concedat in die Pentecoſtes novam legem propriè obligare cæpiſſe, quia tunc incæpit ſolemnis Evangelii promulgatio, & Apoſtoli cæperunt publicè Evangelium prædicare; negat tamen in illa die ſimul, & ſemel omnes obligaſſe gentes ubique terrarum; ſed inquit, quod in die Pentecoſtes miſſo Spiritu Sancto ſolemniter prædicaverunt, & appoſitæ ſunt animæ in illo die circiter tria milia, & baptizati ſunt Actor. 2. Indè autem ad alias Civitates ſecundùm ordinem cuilibet loco, vel gentis erat tempus, in quo ibi publicè, & ſolemniter prædicabatur lex Evangelica, ità quod tempus non incæpit ſimul apud quoſcunque, ſed ex Sion exibat lex, & verbum Domini de Jeruſalem juxtà prophetiam Iſajæ: & quibuſdam incæpit tempus obligationis ad menſem poſt Pentecoſten, & aliquibus ad annum, aliquibus ad decem annos, & ſic deinceps, ſicut eis prædicabatur. Ità diſcurrit Doctor. l. c. itaut certa regula temporis deſignari nequeat pro ſingulis locis, ſed debet res moraliter æſtimari, ſicut in promulgatione humanarum legum, nempè ut intercedat tempus moraliter requiſitum quo diffundi poſſit ſufficiens notitia legis, quia lex nova non debuit temerè, & præcipitanter induci, hoc enim eſſet contrà ſuavem Dei providentiam, & induceretur onus grave, & non leve, & hoc ipſum oſtendunt, & ſuadent congruentiæ ex Doctore ſuperiùs allatæ. Alia ad hoc punctum ſpectantia videantur loc. cit.

QUÆSTIO SECUNDA.

De materia, & forma Baptiſmi.

15 EXplicata eſſentia, & exiſtentia Baptiſmi, ut ejus eſſentia phyſica magis pateat, & materia, & forma Baptiſmi in præſenti quæſtione eſt breviter declaranda, recolendo, quæ fuse diximus lib. 4. d. 2. cit. *de Baptiſmo* q. 2. a. 1. & 2. & cùm duplex ſit materia Baptiſmi proxima, ſcilicet, & remota, agemus prius de materia remota, poſteà de proxima, ac denique de forma ejuſdem.

ARTICULUS PRIMUS.

De materia remota, & proxima Sacramenti Baptiſmi.

16 PRimò, ſtatuendum eſt ſolam aquam ſimplicem, naturalem, & elementarem eſſe legitimam materiam remotam Sacramenti Baptiſmi, ex jam dictis loco citato. Ità de fide definitum eſt in Conc. Lateranenſi c. *Firmiter*, de ſumma Trinitate; in Florentino in Decret. Eugen. & Trid. ſeſſ. 7. can. 2. de Baptiſmo, & habetur ex pluribus Scripturæ locis: *Niſi quis renatus fuerit ex aqua, &c. Ecce aqua quis prohibet me baptizari, &c.* Actor. 8. *Mundans eam lavacro aquæ, &c.* Ad Epheſ. 5. Nec aliter poteſt probari aſſertio, inquit Scotus 4. d. 3. qu. 3. §. *Hìc dicendum*, niſi ex voluntate, Chriſti inſtituentis aqua veram, & naturalem pro materia hujus Sacramenti, ut patet Joa. 3. & Matth. 3. ſubdit verò hujus inſtitutionis apertas eſſe congruentias, quia aqua eſt frigida, fluida, lucida, neceſſaria, & communis, quæ proprietates humori illi conveniunt, in quo Baptiſmus fieri debet, quia eſt ad reprimendum æſtum concupiſcentiæ, ad flectendum rigorem inobedientiæ, ad illuſtrandam claritatem fidei, ad introducendum in viam ſalutis, & hoc Sacramentum eſt commune omnibus, & cùm ſit Sacramentum neceſſitatis, in ea materia inſtitui debuit, quæ ubique reperiatur. Nomine autem aquæ naturalis intelligitur illa, quæ eſt naturalis, & ſimplex, ſivè ſit ex mari, ſivè ex flumine, aut fonte, aut palude, vel ex pluvia, aut ex nive, & glacie reſoluta, ut docet D. Thomas quæſt. 66. art. 3. & 4. & hæc ita neceſſaria eſt, ut non ſufficiat quicunque alius liquor, quamvis aptus ad lavandum, & quamvis ſimilis aquæ naturali, ut fusè tradit Doctor loc. c. in quo ſingularis elucet divinæ miſericordiæ benignitas ut Catech. Roman. obſervat part. 2. c. 2. quod ad Sacramentum tantæ neceſſitatis, & utilitatis conficiendum materiam illam elegerit, quæ ſemper præſto eſt, atque ab omnibus ubique facilè parari poteſt. Hinc communiter inferunt Theologi aquas omnes artificiales, quæ v. g. ex roſis, aut aliis floribus, vel herbis eliciuntur, & alios humores mixtos, ut, verbi gratia, lacrymas, ſalivam, ſudorem, brodium, vinum limphatum, cerviſiam, & ſimiles liquores; qui ab aqua naturali ſpecie differunt, non eſſe idoneam, & ſufficientem Baptiſmi materiam. & ratio eſt, quia morali hominum æſtimatione non cenſentur aqua naturalis, & uſualis. Econtrà verò dicunt ex quacunque aqua naturali, quamvis accidentaliter immutata, Baptiſmum validè confici poſſe, dummodò ſecundùm communem hominum æſtimationem veram naturalis aquæ formam retineat, ac proindè nihil validitati hujus Sacramenti obeſſe, ſi aqua calida ſit, vel frigida, pura, vel impura, aut aliquo liquore alieno in modica quantitate permixta; adhuc enim validè, inquiunt Sacramentum confici, quod notanter additur, quia, ut licitè adminiſtretur, aqua pura eſt adhibenda, quantum fieri poterit.

17 Secundò, ſtatuendum eſt materiam proximam hujus Sacramenti eſſe ablutionem ex aqua naturali, ut conſtat ex illis Chriſti verbis: *Baptizantes eos in nomine Patris, &c.* & ex communi totius Eccleſiæ praxi, & doctrina, eſtque res de re clara, cùm enim aqua ſit Baptiſmi materia remota, ut dictum eſt, oportet materiam ejuſdem proximam conſiſtere in applicatione ipſius materiæ remotæ, quæ fit per ablutionem, & hoc etiam indicat ipſum Baptiſmi, nomen quod propriè dicit ablutionem, non enim quis baptizatur, niſi dum abluitur. & intelligitur hìc ablutio, ut notat Doctor loc. cit. non tantùm, ſicut aqua dicitur lavare corpus quaſi formaliter, ſed ſicut homo dicitur lavare corpus cum aqua quaſi propriè activè, nam ſolus contactus corporis ab aqua, quæ eſt quaſi ablutio formalis, non eſt inſtituta tanquam ſignum, vel pars ſigni, ſed ipſa lotio effectivè ab aliquo abluente facta; nec oportet, quod ſit ablutio, ut importat amotionem ſordium à corpore per contactum aquæ, ſed ſufficit lotio in communi dicta corporis ab aqua, alio hoc agente, quod nihil aliud eſt, niſi quod oportet iſtum contactum corporis ab aqua fieri ab alio cauſante iſtum contactum: Ex quo deducitur hanc ablutionem conſiſtere in contactu ſucceſſivo corporis, & aquæ, vel ſcilicet, corpore per aquam traducto, ut ſi fieret per immerſionem ejus in aquam, vel aqua fluente per corpus, ut ſi fieret per aſperſionem, vel infuſionem aquæ ſuper corpus. & requiritur etiam, quod iſte contactus ſit immediatus, id eſt, quod immediatè tangat corpus, undè non ſufficeret circa veſtes, aut ſi quis ablueretur corio incluſus. Quæſtio tamen eſt, an ablutio, quæ eſt materia proxima hujus Sacramenti ſit ablutio actio, hoc eſt, quatenus activè exercetur ab eo, qui abluit, vel potiùs ablutio paſſio, id eſt, quatenus paſſivè recipitur in eo, qui abluitur; quam difficultatem breviter reſoluimus qu. 2. cit. nu. 36. dicentes ablutionem, quæ eſt materia proxima hujus Sacramenti, non eſſe ablutionem actionem, ſed ablutionem paſſionem, ut docet Scotus 4. d. 6. qu. 2. ſub D. quod ibi probat, quia ſi Baptiſmus eſſet ablutio, quæ eſt actio, ſequeretur quod ſi Miniſter ſimul, & eadem aſperſione plures baptizaret, eſſet ibi unicus tantùm Baptiſmus, quia eſſet unica tantùm actio, quod eſt falſum; & è contrà ſi duo activè eundem hominem baptizarent, ſequeretur plura ibi eſſe Sacramenta; quia ibi plures interveniunt actiones, quod etiam eſt falſum, quia homo ille unum tantùm ſuſciperet Baptiſmum, ſicut una tantùm eſt ablutio paſſiva.

18 Tertiò quoniam ut ſuprà dictum eſt, ablutio dupliciter exerceri poteſt, ut paſſim Theologi docent, uno modo per aſperſionem, ſeù effuſionem aquæ in corpus; alio modo per immerſionem corporis in aqua, & conſuetudo Eccleſiæ utrumque modum in diverſis locis obſervat, & in praxi ſervanda eſt conſuetudo cujuſcunque loci; difficultas eſt, num ubi poſterior modus abluendi ſervari ſolet, ſit de neceſſitate, & valore Sacramenti, ut poſt immerſionem ſequatur emerſio, vel etiam valeat Baptiſmus, ſi proiiciatur, & ſubmergatur infans in puteum, vel flumen cum prolatione verborum. Communis opinio Recentiorum tenet, non eſſe de neceſſitate Sacramenti emerſionem, ſed valere Baptiſmum factum per projectionem, & illam immerſionem puram ſufficere, & eſſe verè, & propriè ablutionem baptiſmo idoneam, quamvis illicitam, iniquam, & mortiferam, dummodò proferatur integra forma antè mortem infantis; quorum fundamentum eſt, quia quamvis in tali caſu ſequatur ſubmerſio, & mors infantis, nihilominus infans poteſt verè dici ablutus, & baptizatus, quia Baptiſmus non ordinatur ad vitam corporis, ſed animæ; undè ſicut, ſi ſuper infantem in cuna jacentem ſuperi nfundat quis tantam aquæ copiam, ut eum coopertum relinquat, utique verè baptizat, ſi cætera adſint; ſic pariter ſi illum proiiciendo ſubmergat; quemadmodum etiam ſi Sacerdos Catechumenum mergat in fontem, ex quo eum caſu extrahere nequeat, ſed ſubmergatur, modò adſit intentio baptizandi, & cætera adſint, adhuc verè baptizat. Ità Suar. Vaſq. Coninch Laym. Hurtad. Valent. Diana Bonac. Caſp. Averſa, & alii paſſim.

19 Oppoſitum tamen docuimus q. 2. cit. art. 1. num 14. cum Scoto

Scoto 4. d. 4. qu. 3. sub A ubi in quodam corollario dicit, quod si parvulus esset de ponte projectus, non esse baptizatus, quia hoc modo non est ad vitam ordinatus, sed ad mortem, quæ opinio communis est in schola Scotistarum, ac etiam apud antiquiores Riccard. Palud. Marsil. Holcot. Aliacens. Sylvest. Armil, & alios præsertim. Astesan. lib. 4. tit. 3. art. 6. & probatur ratione Doctoris ibidem, quia ablutio Baptismalis ordinatur ad vitam, & non ad mortem per se loquendo, nec verisimile est Christum pro materia proxima hujus Sacramenti ordinasse materiam, quæ ex natura sua est ordinata ad mortem corporalem; qualis est submersio; hoc enim ad suavem ejus providentiam spectat, & Christus Sacramentorum institutor sic Sacramenta instituit, ut per virtutem, quam corporaliter per materiam sensibus conferunt, arguamus insensibilem gratiam, quam animæ conferunt; undè sicut in aqua hoc Sacramentum est institutum, quia quemadmodum corporaliter maculas abluit, ita & spiritualiter; sic pariter, si materia hujus Sacramenti vitam spiritualem præstare debet, hoc per fomentum corporale innuere debet; in casu autem posito tantùm abest, ut ablutio vitam corporalem juvet, quod potiùs ex natura sua eam destruit.

Confirmatur, quia ut arguit Astesanus noster loc. cit. cum Riccardo, proxima materia Baptismi est ablutio in aqua, qui autem aqua abluitur, primò aqua cooperitur vel in toto, vel in parte, & postea discooperitur, undè propter primum repræsentat Christi sepulturam, propter secundùm, ejus resurrectionem, quamvis autem infans in casu prædicto per actum illius, qui ipsum proiicit in aquam immergatur, non tamen est actus ordinatus ex sui natura ad hoc, ut puer abluatur, sed ut submergatur; ergò ut baptismus per immersionem factus sit verum Sacramentum, debet post eam immediatè sequi emersio, quia Baptismus est Sacramentum non tantùm repræsentans Christi sepulturam, quod fit per immersionem, sed etiam resurrectionem, quod fit per emersionem immediatè sequentem. Denique cum submersio non vitam, sed mortem pariat corporalem, non est censenda apta hujus Sacramenti materia, qua vita designari debet, non interitus, ut fusiùs loc. cit.

20 Hinc patet ad fundamentum oppositæ sententiæ; negatur enim submersionem infantis in puteum, vel flumen esse verè, & propriè ablutionem, & mundationem à sordibus, quia ex natura actionis ordinatur ad mortem infantis, non autem ad ablutionem, per quam tolluntur sordes salva substantia, & vita baptizati; etenim in communi modo loquendi id ablui dicitur, & lavari, quod vel non totum immergitur, vel immersum emergitur statim; undè etiam negatur, si super infantem in cuna jacentem tanta aquæ colluvies superinfundatur, ut moriatur, esse verum Baptismum, quia ablutio, quæ est materia Baptismi proxima, talis esse debet, vt ex natura sua ad mortem baptizandi non ordinetur, hoc enim magis congruum est divinæ institutioni, & ablutioni usuali, seù consuetæ, & morali; & licet Baptismus non ordinetur ad vitam corporis, sed animæ, adhuc tamen neque per se ordinatur ad mortem corporis, quia etiam Christi resurrectionem figurare debet, ac repræsentare; sic autem ordinaretur, si sub materia ejus comprehenderetur ablutio ex natura sua ad mortem corporis ordinata, qualis est submersio, quare in hoc sensu dici potest Baptismus etiam ordinatus ad vitam corporalem, quatenus pro ejus materia talis ablutio est instituta, quæ ex natura sua compatibilis sit cum vita corporali. Casus autem ille, quo non posset minister Catechumenum ex fonte extrahere, vel flumine, ad rem non est ut l. c. dicebamus; tunc enim esset verus Baptismus, quia per accidens in tali casu sequeretur mors baptizati, nimirùm ex defectu virium Ministri non potentis illum extrahere; non autem per se, & natura rei, ut evenit in casu submersionis, de qua est sermo, ut fusiùs l. c. discurrimus

21 Quartò, quia Baptismalis ablutio, ut supra dictum est, etiam alio modo exerceri potest, nempè per aspersionem, seù effusionem aquæ in corpus, qui modus baptizandi, ut plurimùm in Ecclesia servatur, certum est apud omnes non oportere ablutionem fieri in toto corpore, aut majori ejus parte, alioquin nullus Baptimus nunc perfectus esset, quia regulariter in solo capite datur, non enim est verisimile, inquit Scotus 4. d. 4. qu. 3. § *ad quæstionem*, quod in die Pentecostes, quando baptizati sunt tria milia ab Apostolis Act. 2. quod quilibet, quantum ad totum corpus suum lavaretur aqua, sed præcisè quantum ad faciem aspergendo, vel quantum ad caput perfundendo. Difficultas tamen est, quænam pars corporis ablui debeat, ut validus sit Baptismus, & quidem conveniunt Doctores, Baptismum haud dubiè validum fore, si caput hominis abluatur, quod docet D. Thomas q. 56. art. 11. ad 4. & Scotus l. cit. ubi dicit, quod si appareat ex utero Matris caput infantis, & in ea corporis parte baptizetur, si puer nasceretur, & ex utero matris exiret, non oporteret ipsum rebaptizare, quia illa censetur pars hominis præcipua, utpotè in qua viget omnis sensus, & hoc ex Ecclesiæ præcepto faciendum esse constat ex cap. *Postquam vos* de consecrat. d. 4. & ex Catechis. Trid. part. 2. cap. 1. Validum quoque fore Baptismum existimant Soto, Suarez, Laym. Isambertus, & plures alii, si scapulæ, pectus, aut alia hujusmodi pars notabilis abluatur; cæterum si alia pars minùs notabilis v. g. manus, per, &c. tantummodò abluretur, ut si infans in egressu ex utero materno manum, vel pedem proferret, Doctores non conveniunt. Aliqui enim dicunt simpliciter, & absolutè loquendo validum esse Baptismum abluta quacunque corporis parte etiam minima, quorum fundamentum, est quia sicut homo dicitur tangi, & vulnerari, in quacunque parte tangatur, & vulneretur, ita etiam dicitur ablutus in quacunque corporis parte abluatur. Tùm quia anima rationalis est in qualibet parte; ergò quacunque corporis parte abluta etiam minima, verè denominari potest totus homo ablutus, & effectus Baptismi etiam in anima recipi potest. Ita Vasq. Henriq. Diana, Caspensis, Meratius, & plures alii Recentiores, quorum aliqui etiam dicunt ad valorem Baptismi sufficere, si aqua solos capillos attingat; & per eos defluat, etiamsi cutem non attingat, quia capillos quoque putant animatos anima rationali, vel saltem computantur tanquam corporis partes & sumuntur, ut unum totaliter cum corpore.

22 Oppositа tamen sententia probabilior est, ut diximus q. 2. cit. n. 45. nimirùm tale Baptismum non esse tutum, & nullam esse certitudinem, quod Baptismus datus in aliqua minima corporis parte sit validus, & propterea sic baptizatum in casu necessitatis iterum esse rebaptizandum sub conditione. & hæc est communior opinio cum D. Tho. & Scoto l. cit. ubi postquam dixit, quod si appareat in utero Matris caput infantis, & in ea corporis parte baptizaretur non oportere ipsum rebaptizare, si ex utero matris exiret; subdit deindè, quod si appareat tantùm pars minus principalis, scilicet, manus, vel pes, illa est baptizanda, si aliquod vitæ periculum immineat, quia ibi est tota anima, licet non omnis sensus, sicut in capite, quamvis hoc minus sufficeret, ut esset simpliciter baptizatus, undè si nasceretur postea vivus, esset sub conditione rebaptizandus, ut habetur extra de Baptismo, & ejus effectu, cap. *De quibus*. Ita ibi Doctor, quia si id asserit de manu, & pede, tantò magis credendum est hoc idem de minimis partibus asseruisse, ut de digito, vel auricula. Ratio est, quia hoc Sacramentum, sicut est summè necessarium, ità cum maxima securitate tradendum est, ne anima infantis periculo exponatur, & propterea monemur textu cit. *Extrà de Baptismo*, & in Rituali Romano in prædictis casibus, ubi perplexitas securitati præstat, iterandum esse Baptismum sub conditione, quod utique Ecclesia non consuleret, si in prædictis casibus validus esset Baptismus sine ulla hæsitatione, ut prima opinio asserere videtur. Addit Layman cum quibusdam aliis idem sentiendum esse, si infans pelle adhuc illa, quam vocant secundinam, circumdatus, propter periculum baptizetur, cùm à quibusdam dubitetur, an sit pars infantis; sed de hoc discurrendum est, ut inquit Aversa q. 64. sect. 4. quod si vestis, vel membrana illa esset adeò subtilis, vel porosa, ut aqua ad ipsum corpus permearet, & circà illud flueret, tunc validus esset Baptismus; quod si res dubia esset, ob majorem securitatem Baptismus repeti deberet sub conditione; & hoc idem pariter asseri deberet, si soli capilli aqua perfunderentur, ut l. c. diximus nu. 47. quia ad veritatem Baptismi opus est, ut aqua corpus, & carnem tangat, juxtà illud Aug. hom. 80. in Joan. *Quæ est ista virtus aquæ, ut corpus tangat, & cor abluat?* Cùm igitur capilli non sint verè, & propriè corporis partes, sed potiùs ornamentum, eorum præcisa ablutio non erit materia Baptismi idonea, & ideò tutiùs est in re tanti momenti Baptismum sub conditione repetere.

23 Ad fundamentum prioris sententiæ jam diximus loc. cit. n. 46. quod licet anima sit in qualibet corporis parte, & quamvis juxtà communem loquendi modum dicatur homo vulneratus in quacunque corporius parte vulneretur etiam minima, non tamen in communi modo loquendi verè & propriè dicitur ablutus per lotionem cujuscunque minimæ partis illius; & ideò si solus pes, aut digitus abluatur, non videtur validus baptismus; cùm per ejusmodi partis ablutionem non videatur sufficienter homo denominari ablutus, estò in casu necessitatis administrandus sit Baptismus in qualibet parte, etiam in solo digito, si nequeat in capite baptizari, ob summam hujus Sacramenti necessitatem. Verùm est tamen, quod l. c. addimus, & notat Aversa l. c. quæstionem hanc esse potiùs de nomine, quàm de re, quia nec auctores primæ sententiæ ita validum putant ejusmodi Baptismum, ut negent transacta necessitate, debere postea in aliqua parte principali sub conditione repeti ad dubium, quod anteà non valuerit. Nec Auctores secundæ sententiæ putant esse ita invalidum; quin adhiberi possit, ac debeat in casu necessitatis, in quavis minima parte ob aliquâ probabilitatem, & spem, quod

quod valeat; undè omnes in hoc conveniunt, quod ob summam hujus Sacramenti necessitatem debet in casu necessitatis quodcunque remedium adhiberi, & tentari, inquo sit aliqua spes, & probabilitas utilitatis, & ob certitudinem, & securitatem remedii tantæ necessitatis, omnis cautela major adhiberi debet, quæ opportuna sit, & possibilis, cùm nunquam satis tutò æternæ animarum saluti, quæ ex hoc Sacramento pendet, consuli possit.

24 Quintò tandem est difficultas, quanta ablutio sit ad Baptismum necessaria, an, scilicet, sufficiat quæcunque modica aquæ quantitas, utpotè aliqua gutta ad valorem Baptismi. Negant Bonac. Granad. Laym. & alii Recentiores. & ratio est, quia ad Baptismum requiritur contactus successivus, & tanta aquæ quantitas, qua possit homo denominari ablutus; ex quo inferunt, invalidum esse Baptismum, quando quis una, aut duabus aquæ guttis aspergitur, eò quod non possit sic dici homo simpliciter ablui. Affirmant Vasq. Henriq. Meratius, Aversa, Calp. & alii plures, dummodò tantùm gutta aquæ fluat, ac extendatur per aliquas corporis partes, alioquin si in aliqua parte sisteret, & non flueret, verè non ablueret. Sed etiam hæc quæstio potiùs est de nomine, quàm de re, ut diximus q.2.cit. a.1.in fine. Neque enim Auctores primæ opinionis negant paucas aquæ guttas ad Baptismum sufficere, si per partes corporis fluunt, sed dicunt eas non sufficere, quia regulariter persistunt, & non fluunt per corpus. Neque Auctores secundæ opinionis asserunt esse materiam sufficientem, si persistant, & non fluant per corpus. Addimus tamen ibidem secundū dicendi modum magis conformari Doctori d.4. c. q.4. dùm ait in die Pentecostes fuisse homines circà ter mille baptizatos, non quod in toto corpore, vel majori parte fuerint abluti, sed præcisè quantum ad faciem aspergendo, vel quantum ad caput perfundendo; quibus verbis innuit Doctor, partem illius multitudinis fuisse singulatim per sufficientem aquæ copiam super caput effusam baptizatos; partem verò pro temporis augustia per aspersionem aquæ in facie eorum per guttas aquæ, quæ tamen fuerint sufficiens Baptismi materia. Undè deducitur ad Baptismi validitatem sufficere posse guttas aliquot, quæ corpus tangant cum aliqua sui divisione, & partium successione; cùm enim hoc sit Sacramentum necessitatis, dicendum est modicam aquam sufficere, quanta satis est ad abluendum, vel tangēdum corpus successivè per aliquas partes, & eam aquæ quantitatem adhibendam esse, quæ ad ejus validitatem citrà quodcunque dubium sufficere possit.

ARTICULUS SECUNDUS.

De forma Sacramenti Baptismi.

25 Certum est, ac de fide esse necessariam in hoc Sacramento, certam verborum formam; & veram, ac legitimam esse illam, quæ sumitur ex illis Christi verbis Matth. ult. *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti*, ut constat ex Conciliis Lateranensi cap. *Fermiter* de Summa Trinitate, Florent. in decret. Eugen. & Trident. sess.7. can.4. de Baptismo. Verùm tamen est aliquam reperiri diversitatem in accomodatione, & usu hujus formæ inter Ecclesiam Latinam, & Græcam, siquidem Latini baptizant dicendo; *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti;* Græci verò baptizant dicendo *Baptizetur*, vel ut Arcudius vult *Baptizatur servus Christi in nomine*, &c. estque de fide utroque modo formam esse validam, & legitimam, ut patet ex Concil. Florent. cit. & ipso Ecclesiæ usu, nobis tamen non licet in forma Græcorum, quia est contrà consuetudinem, nec fieret sine scandalo; rationem autem hujus diversitatis jam assignavimus quæst.2. cit. art.2. cum Scoto 4.d.3.q.2. §.*de secundo*, quæ ibi videri potest; hic autem breviter declaranda sunt, quæ sunt de essentia formæ prædictæ.

26 Primò, itaque in prædicta forma exprimi debet actio ipsius Ministri, ut docent D. Thom.q.66. art.5. & Scot. l.c. *De tertio*, & jam diximus q.2. cit. num.51. sivè exprimatur per verbum activum, ut fit à Latinis, sivè per passivum, ut fit à Græcis, & sumitur ex illo Matth. ult. cit. *Baptizantes eos, &c.* ubi exprimitur actus ille baptizandi. & ratio est, quia Baptismus est Sacramentum in usu consistens; in Sacramentis autem in usu consistentibus exprimitur actio ipsa Sacramentalis; tum etiam quia in collatione baptismi duplex intervenit causa, una principalis; quæ est Sancta Trinitas; alia instrumentalis, quæ est minister baptizans; ergò in forma baptismi utrumq; exprimi debet & Trinitas invocata, cujus nomine, auctoritate, & virtute fit baptismus, & exterior actus baptizandi, qui fit à Ministro. Undè Alexander Tertius c.1. de baptismo, & ejus effectu dicit, quod *si quis puerum ter in aquam immerserit in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti, & non dixerit, Ego te baptizo, non est pu-*

er baptizatus, & in hoc etiam sensu Eugenius Quartus in Conc. Florent. cit. explicuit sensum formæ Græcæ, *Baptizatur talis servus Christi* hoc est, subdit Eugenius baptizetur manibus meis, quibus apertè indicat in forma, quam prædixerat, implicitè subintelligi *manibus meis*, undè saltem virtualiter exprimitur actio, ut à Ministro. Quarè putandum non est ut diximus l.c. Græcos aliam assumpsisse formam à Latinis, quasi actionem Dei duntaxat, non autem Ministri instrumentaliter designati velet; sed indicativum modum neglexerunt, ut denotarent Ministrum totum opus, ut causam principalem non perficere, nec sibi nomen baptismi arrogare posse; quia per verbum indicativi modi, quo utuntur Latini, videbantur eis ansam dari quibusdam putandi, non actum operis dumtaxat, sed omnem etiam effectum baptismi principaliter à Ministro manere, undè ad tollendum hoc schisma inter eos ordinatum fuit, ut Minister non exprimeretur in propria persona, nec actus baptizandi indicativo modo exprimeretur, sed optativo; qua etiam de causa Doctor loc. c. ait verbum illud *Baptizetur* in forma Græcorum non esse imperativi modi, ut volunt Recentiores, sed optativi ad significandum non esse Ministrum, qui virtutem det baptismo, sed Deum, illum verò desiderare tantùm, & orare Deum, ut virtutem baptismo conferat, quia imperativus modus auctoritatem Ministri designat, non sic deprecativus.

27 Secundò, requiritur etiam necessitate Sacramenti, ut diximus loc. cit. ut in forma baptismi exprimatur persona, quæ baptizatur, ut patet in utraque forma Latinorum, & Græcorum, per illud verbum *Te* in forma Latinorum, aut *talis servus* in forma Græcorum, ut hoc modo explicetur distinctio inter personam baptizantem, & baptizatam, quod ad valorem baptismi necessarium est, quia nemo seipsum baptizare potest. Non ità tamen opus est exprimi personam baptizantis directè, baptismus enim forma Græcorum consueta ministratus validus est, ut constat ex Concil. Florentino cit. & tamen in ea forma persona ministri baptizantis directè non exprimitur. Ita Scotus loc. cit. § *de tertio*, ubi ait, quod licet suscipientem necesse sit in forma baptismi exprimere; ministrum tamen non est necessarium aliquo verbo exprimi; undè non solùm, si prætermittatur *ly Ego*, & dicant *Baptizo te*, ubi in ipso verbo satis includitur persona Ministri, sed etiamsi nec in ipso verbo explicetur, ut patet in forma Græcorum, adhuc perficitur Sacramentum. Dices hoc repugnare præcedenti asserto, in quo diximus exprimendam esse actionem Ministri, quæ exercetur circà eum, qui baptizatur. Hanc instantiam præclusimus loc. cit. negando assumptum, aliud enim est exprimendam esse in forma actionem, quę exercetur circà eum qui baptizatur, aliud verò exprimendam esse personam Ministri baptizantis, item aliud est, non esse necessarium directè exprimere personam ministri, & aliud est debere directè, & explicitè excludi, primum quidem asseruimus, non secundum, non enim valeret, si quis diceret, baptizat te Christus, & non ego, quia illo ipso modo dicendo *baptizat te Christus*, debet implicitè, & indirectè sub intelligi, baptizat te Christus per hoc meum ministerium, sivè per meas manus, ideoque non debet hoc excludi directè per aliam contrariam negationem, si enim talis exclusio fieret dicendo, baptizat te Christus, & non ego, profectò non baptizaret, quia intentioni Christi, & Ecclesiæ adversaretur, sed si illa non fiat exclusio, etiamsi directè persona Ministri non exprimatur, sed tantum persona Christi, adhuc est forma sufficiens, quia Christus intelligitur per suum ministrum baptizare; & in hoc sensu Eugenius Quartus in Concil. Florentin. explicavit sensum formæ Græcæ *Baptizetur N. servus Christi*, &c.ut suprà dictum est.

28 Tertiò prætereà, ut docent D. Thomas, & Scotus loc.cit. & est communis Theologorum sententia, ad valorem Baptismi necessaria est expressio, & invocatio Sanctissimæ Trinitatis sub unitate Deitatis, quod significatur illo verbo *in nomine*, undè, Sanctus Hieronymus super cap. 4.*ad* Ephes. ait *non baptizamur in nominibus Patris, &c. sed in uno nomine, quo intelligitur Deus*, & Aug. lib.3.*contra Maxim.*cap.32. inquit *conferri baptismum, non in nominis, & quia tres unum sunt.* Exprimi etiam debet explicita, & distincta prolatio, & invocatio trium personarum SS. Trinitatis Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, at constat ex citatis Christi Domini verbis: *Baptizantes eos in nomine Patris, &c.* tùm ex Concil. Lat. c. *Firmiter* ex D. Aug. l. c. Leone ep.4. Cypriano ep. 63. ad Jubajanum, & aliis Patribus. Ex quo Theologi communiter deducunt eum invalidè baptizare, qui his formis uteretur, ego te baptizo in nomine Christi, aut qui diceret in nomine trium personarum, aut in nomine SS. Trinitatis. & ratio est, quia his formis non exprimuntur nominatim tres Trinitatis personæ, quarum explicita expressio ad valorem Baptismi necessaria est, & non sufficit implicita.

Dices ab initio nascentis Ecclesiæ administratum fuisse ab Apostolis baptismum in nomine Jesu Christi, ut habetur pluribus in locis Actuum Apostolorum. Huic instantiæ latè satisfecimus l.c. quare ex ibi dictis respondetur, vel id fuisse permissum Apostolis à Christo Domino speciali dispensatione, ut magis eo tempore Christi nomen innotesceret, ut inquit Doctor loc. cit. nobis tamen permissum non esse, eo quod cessaverit causa talis dispensationis baptizandi hoc modo; Vel ipsos etiam Apostolos formam Baptismi consuetam servasse cum expressa invocatione Sanctissimæ Trinitatis facta speciali mentione Jesu Christi in secunda persona hoc modo: *Ego te baptizo in nomine Patris, & Jesu Christi filii ejus, & Spiritus Sancti*, ut explicat, Sanctus Cyprianus Epist. 73. ubi exponens, Sancti Petri verba Actorum 2. *Baptizetur vnusquisque vestrum in nomine Jesu*, sic ait, *Jesu Christi mentionem fecit Petrus, non quasi Pater omitteretur, sed ut Patri quoque filius adjungeretur*.

29 Quartò, ulterius quæri solet, An baptismus collatus sub hac forma exprimendo Trinitatem personarum sub aliis nominibus, scilicet; *genitoris geniti, & procedentis ab utroque*, sit validus. Affirmant aliqui esse validum, quia hæc nomina videntur synonyma saltem quoad principale significatum cum Patre, & Filio, & Spiritu Sancto, quia in idem recidunt Pater, & Genitor; Filius, & Genitus; Spiritus, Sanctus, & Procedens ab utroque; undè illa mutatio non est substantialis, sed accidentalis, sed quæst. 2. cit. nu. 56. diximus cum Scoto loc. cit. sub H. nec validè, nec licitè posse sic Trinitatem invocari, quia non servaretur forma à Christo instituta. & ratio est, inquit Doctor, quia sicut Deus dederat Judeis nomen divinam essentiam significans sub propria ratione, scilicet, *Tetragrammaton*, ità Christus dedit Ecclesiæ nomina personas divinas significantia sub propriis rationibus, & in exercitio baptismi sub illis invocari debent, & talia sunt hæc nomina Pater, Filius, & Spiritus Sanctus; illa verò nomina Genitor, Genitus, & ab utroque Procedens non significant divinas personas sub propriis rationibus, sed tantùm earum notionem, & originationem; undè falsum est illa nomina esse synonyma propriè loquendo, quia verba illa dicuntur synonyma propriè loquendo, quæ eandem rem significant, sub eadem ratione; at diversa sunt significata illorum nominum, quia Pater, Filius, Spiritus Sanctus significant propriam eorum rationem personalem; at Genitor, Genitus, & ab utroque Procedens significant tantùm eorum notionem, & generationem. & idem etiam docuerunt D. Thomas q. 66. cit. artic. 7. ad 7. D. Bon. 4. d. 3. qu. 3. art. 2. Alensis, & alii antiquiores, quos sequuntur passim Recentiores; qua de causa Auctores oppositæ sententiæ ingenuè fatentur suam sententiam esse tantum speculativè probabilem, non tamen in praxi ponendam, & addunt, quod si contingat aliquem fuisse sub illa forma baptizatum, genitoris, geniti, & ab utroque procedentis, iterum baptizandum esse sub conditione, ut videre est apud Caspensem disp. 1. *de Baptismo* sec. 3. *in fine*.

30 Quintò, quia dictum est suprà de necessitate Sacramenti requiri, ut in forma baptismi exprimatur persona, quæ baptizatur, occurrit difficultas, An validus sit baptismus collatus alicui, quem Minister credebat esse masculum, cùm sit fœmina, aut esse filium Petri, cùm sit filius Pauli; est igitur difficultas, an error personæ baptismum destruat. Affirmant aliqui apud Bonacinam disp. 2. cit. q. 2. punc. 4. num. 26. quia Sacramentum Matrimonii vitiatur, & irritum redditur per errorem personæ, ut omnes concedunt; ergò idem dici debet de baptismo. Communis tamen opinio negat, ut ait Bonacina loc. cit. & sequitur ex nostris Angles quæst. ult. de Ministro Sacramentorum art. 8. difficul. 3. Ratio est, quia quamvis in casu posito Minister speculativè erret, tamen practicè non erat, cùm dirigat, & dirigere debeat intentionem suam in præsentem personam, ne irritum faciat Sacramentum, sicut valida est absolutio, quam quis impendit illiquem credit esse virum, cùm sit fœmina, & hoc non ex alia ratione, nisi quia intentionem suam dirigit in præsentem personam. Quarè validè baptizat, qui baptismum confert filio Petri, quem putabat esse filium Pauli; modò intentionem contrariam non habeat, qualem haberet, si diceret, volo hunc baptizare, qui est filius Pauli, quod si fortè alius sit, cum baptizare non intendo; tunc enim invalidè baptizaret, quia in particulari deficeret intentio ad valorem baptismi necessaria; & in tali casu Minister suo ministerio abuteretur, debet namque prius baptizandum cognoscere, & intentionem ad illum, quicunque sit, baptizandum dirigere. & in casu, quod quis pro fœmina baptizatus fuerit in infantia, & nomen ei impositum, quod fœminis imponi consuevit, si postea in virili ætate virilia membra prævaleant, quæ in infantia ità latebant, ut fœmina putaretur, non esset rebaptizandus, sed solum nomen commutandum in nomen viri, ut Bonacina advertit l.c. cum Scoto, Sairo, Vivaldo, & aliis, qui dicunt in Lusitania errasse quosdam, qui baptismum iterum contulerunt cuidam jam provectæ ætate, qui semper fœmina existimatus fuerat. Ad rationem in oppositum neganda est paritas de Matrimonio, & baptismo, aliisque Sacramentis, quia Matrimonium contrahens hic, nunc cum tali persona particulari contrahere intendit, & secundùm conditiones individuas; at baptizans, vel alia Sacramenta administrans nec respicit, nec respicere debet personas particulares secundùm conditiones individuas, sed personam presentem, qualiscunque sit, & conditiones solùm necessarias ad confectionem Sacramenti considerare debet, ut validè conferatur.

31 Denique quæri solet, An baptismus sit validus, quando cum aliqua verborum mutatione administratur: pro cujus quæsiti solutione varias assignat regulas Scoto loc. cit. generalis autem regula illa est, quam assignavimus præcedenti disp. *de Sacramentis in genere* quæst. 1. art. 2. nu. 17. quod quando in verbis substantialis mutatio contingit, ut si verba assumerentur sensum distinctum importantia à sensu, qui sub verbis formæ continetur, tunc Sacramentum invalidum censeri debet; si verò mutatio sit tantùm accidentalis, tunc validum adhuc est Sacramentum. Undè censetur validè baptizare, qui omittit tres illas particulas, *Ego*, *In*, *Amen*, nam mutatio non est substantialis, nec destruit sensum formæ, & cum non sit materia gravis non efficit baptizantem reum lethalis culpæ; si verò omittantur alia verba invalidus est baptismus, quia mutatur forma substantialiter, & non remanet idem sensus. Sic etiam validè baptizare censetur, qui loco illius particulæ *Ego* dicit *Nos*, quando particula *Nos*, idem significat quod *Ego*, aut qui baptizando Principem dicit, Ego vos baptizo, nam per hujusmodi permutationem non variatur sensus formæ substantialis. Ità Bonacina loc. cit. cum pluribus aliis ab ipso citatis. Dubium tamen est, an particula conjunctiva, quæ ponitur inter nomina personarum sit de necessitate, ac validitate formæ. Affirmant Conrad. Vivald. Reginald. Barthol. de Angel. & alii, quia particula *Et* confert ad significandam distinctionem inter divinas personas. Negant alii probabilius, quia sine tali particula conjuctiva adhuc consistit, & benè exprimitur divinarum personarum distinctio. Ità Coninchius, Comitolus, Toletus, Diana, Caspensis, Aretinus ex nostris, & alii plures; in rigore tamen, ut ait Aversa q. 66. cit. sec. 5. satis esset semel apponere talem particulam, scilicet, antè nomen tertiæ personæ dicendo, In nomine Patris, Filii, & Spiritus sancti, quia more latino idem est sensus, ac si per singula nomina repeteretur. Tandem dubium etiam est, an ordo nominandi divinas personas, scilicet primò Patrem, secundò Filium, tertiò Spiritum sanctum sit de essentia formæ, & aliqui affirmant, quia hic ordo est de substantia Trinitatis; alii tamen cum Bonacina l. c. probabilius dicunt talem ordinem in nominando non esse de essentia formæ, quia etiamsi quis diceret, In nomine Filii, & Patris adhuc vocabula ipsa ordinem originis denotant, qui est de substantia Trinitatis, si quidem omninò Filius à Patre procedit; & sic à fortiori dicunt non esse contrà formæ essentiam, si inter alias partes illius invertatur ordo, dummodò debitus sensus retineatur, ut si quis diceret, Ego in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti baptizo te, aliove simili modo. Non vacaret tamen mortali culpa, ut ait Aversa loc. c. invertere ordinem divinarum personarum, aut aliam notabilem inversionem ordinis in tota forma facere; undè licet non sit de necessitate Sacramenti, est tamen de necessitate præcepti, ut forma fiat cum dicto ordine.

QUÆSTIO TERTIA.

De Ministro, & Susceptore Baptismi.

32 MInister baptismi propriè intelligitur ille, qui baptizat, qui hoc Sacramentum confert: duplex autem est hic baptismi minister, vel administrator, primus dicitur minister solemnitatis, cui nimirum competit ex officio hoc Sacramentum cum debita solemnitate ministrare; alter verò dicitur minister necessitatis, ad quem non spectat ex officio, seu vi sui muneris, sed tantùm ob necessitatem defectu illius baptismum administrare. Item suscipere baptismum dicuntur illi, qui baptizantur, non solùm adulti, qui sua sponte, & voluntate baptizari petunt, & consentiunt, sed etiam infantes, quibus nihil de hac re cognoscentibus confertur baptismus. De his igitur tractandum est in præsenti quæstione.

AR-

ARTICULUS PRIMUS.

Quis possit Baptismum conferre, & administrare.

33 PRimò, ut jam diximus disp. 2.cit.qu.3. quamvis soli Presbytero ex officio, ex vi ordinis, & consecrationis ministrare baptismum incumbat, & Diacono etiam ex vi ordinis, & commissione Presbyteri, & Parochi, ut docet D. Thomas q.67.a 2.in casu tamen extremæ necessitatis pueri, v.g. periclitantis quævis persona humana rationis particeps vir, aut fœmina, fidelis, aut infidelis, non solùm validè, sed etiam licitè baptizare potest, dummodò possit alium abluere, & legitimam formam proferre cum debita intentione faciendi, quod facit Ecclesia, ut docet Scot. 4. d. 6. p. 1. & licet antiquis temporibus multis etiam Ecclesiæ Patribus hic punctus fuerit dubius; modò tamen absque erroris periculo negari non potest, cùm id fuerit expressè definitum ab Innocentio Tertio in Concilio Lateran.c. *firmiter* de Summa Trinitate, & fide Catholica, & ab Eugenio IV. in Concil. Florentin. in decreto fidei, cujus rei congruentia est maxima hujus Sacramenti necessitas, ob quam oportuit validè à quavis persona humana habente prædicta requisita validè ministrari posse, & hac ratione ait D. Thom.q.67. cit.ar.ità à Christo Domino institutum fuisse, ut nimirum Sacramentum ad salutem simpliciter necessarium, seu necessitate medii à quocunque homine in casu necessitatis validè, & licitè conferri posset, dummodo non adsit alia persona dignior, undè in casu necessitatis docent communiter Doctores ordinem hunc esse servandum, ut dignior minus digno præferatur; ordo autem dignitatis, & Prælationis hic est. Primò Sacerdos, deindè Diaconus, posteà Subdiaconus, postmodum initiatus minoribus Ordinibus, indè habens primam tonsuram, ultimò laicus, & inter hos vir præfertur fœminæ, fidelis autem fœmina prætertur viro infideli, atque ità præsente Sacerdote non baptizet Diaconus, præsente Diacono non baptizet Clericus inferior, vel Laicus, nec præsente viro baptizet fœmina. Addunt etiam communiter DD. apud Laym.c.7. de Baptismo hunc ordinem invertere, interdum esse peccatum mortale, & quandoque veniale tantùm; mortale quidem dicunt esse, si præsente Sacerdote Laicus, aut etiam inferior Clericus baptizare præsumeret; veniale verò duntaxat, si præfatus ordo invertatur inter alios Clericos inferiores, & Laicos, vel inter virum, & mulierem; imò nullam fore culpam, si aliqua adsit rationabilis causa inversionis istius ordinis, ut quia obstetrix melius, & certius modum baptizandi callet, vel quia virum accedere non decet ad puerum baptizandum nondum omninò ex utero matris editum. Cùm autem dicimus quemlibet hominem in casu necessitatis non modò validè, sed etiam licitè ministrare posse, hoc est intelligendum absque solemnitate, idest, absque cæremoniis illis, quæ ex præcepto Ecclesiæ in collatione baptismi adhiberi solent, etenim si Laicus cæremonias illas usurparet, mortaliter peccaret, & irregularis fieret, ut habetur c. *Siquis* extrà de non ordinato ministrante.

34 Secundò quæritur, an unus Minister possit validè simul, & semel plures baptizare sub hac forma, *Ego vos baptizo*, cui quæsito respondet Scot.d.q.2. §. *De tertio membro*, ut etiam diximus q.3.cit.a. 2. affirmativè, non enim est contrà baptismi institutionem plures simul baptizari ab uno, imò fundari videtur in illi verbis *Baptizantes eos*, &c. & ità credibile est, ut Doctor suprà dixerat Apostolos tria millia homium baptizasse in die Pentecostes, ut habetur Act.2. undè inquit, quod in casu necessitatis, quod singulos singillatim baptizando aliqui periclitarent, non solùm esset validum, sed etiam licitum; extra verò casum necessitatis, quamvis esset validum, tamen esset illicitum, & grave peccatum, quia esset contrà ritum Ecclesiæ in re gravi. Quærit autem Doctor. loc.cit. an in tali casu esset unus baptismus, vel plures pro numero eorum, qui baptizantur. & ratio dubitandi est, quia non est, nisi unica forma, nam verba sunt tantùm semel, & ab uno prolata: Et respondet esse plura baptismata, & Sacramenta pro numero eorum, qui baptizantur; cujus ratio est, quia plures sunt baptizati, & per consequens plures baptizationes passivæ, atque ideò baptismata plura, quia Sacramentum baptismi præsertim in baptizatione passiva consistit. Ad rationem verò dubitandi adductam dicit, minimè opus esse ad plurificationem alicujus omnia, quæ sunt ipso plurificari, sed sufficit aliquod plurificari ad hoc, quod totum plurificetur, & illa etiam forma non est simpliciter una, quia ly *Vos* includit singulare pluries geminatum, undè forma, seu verborum prolatio esset saltem virtualiter, seu æquivaleuter multiplex, quasi diceretur: Ego te baptizo Petre, baptizo te Paule, & sic de singulis; & tandem plures sunt effectus, nempè distincti in singulis, qui baptizantur, gratia, scilicet, & character, quarè vis quoque significativa, & causativa talis effectus se habet, ut multiplex. Ità discurrimus l.c. cum Doctore, quem dicendi modum communiter recentiores sequuntur ibi citati, ubi alia plura vide ad hoc spectantia.

35 Tertiò, major est difficultas, an plures possint eundem hominem baptizare simul, seu uni, & eidem validè baptismi Sacramentum ministrare, quam difficultatem etiam resolvimus q.3.cit.a.1.cum Doctore 4.disp.6.qu.2. ubi ab initio ait, pluribus modis contingere posse, quod plures simul eundem baptizent. Primùs est, si plures simul & eodem tempore corpus abluant, & debitam formam cum debita intentio ne proferant. Secundus, si plures simul id faciant, sed uno priùs altero, vel abluente, vel formæ prolationem absolvente. Tertius uno tantùm abluente, & altero formam proferente, putà si unus sit mutus, & tantùm abluat, alter sit brachiis mutilus, & verba tantùm proferat. Quartum tandem addunt alii, si plures abluant, & simul hanc formam proferant *Nos te baptizamus in nomine Patris, &c.* Et quidem in primo casu ait Doctor loc.ci. §. *De primo* cum Alensi, Divo Thoma, D. Bonaven. Riccardo, & aliis antiquioribus, quos sequuntur Recentiores communiter, baptismum validum esse, quia in tali casu verisimile non est factum unius irritare factum alterius, non enim unus habet actionem contrariam alterius opus irritantem, sed omnino similem; at si unus tantùm Minister faceret, & administraret baptismum; esset verum Sacramentum; ergò esto alius quoq; idem faciat, & administret Sacramentum, factum alterius validum erit, Confirmatur, quia possunt simul plures Sacerdotes eandem hostiam consecrare, siquidem recenter creati Sacerdotes simul cum Episcopo verè consecrant; egò à pari si plures baptizent, verum, & validum Sacramentum conferunt. Tandem in isto concurrunt omnia ad baptismum necessariò requisita, nam singuli applicant integram formam, & materiam indépendenter ab alio; ergò si singuli debitam habeat intentionem, ut supponitur, verum conficient Sacramentum. An verò in præfato casu conferatur unus, vel multiplex baptismus, fusè discurrimus l. c. & diximus quæstionem non esse magni momenti, & quodcumque dicatur facilè, & probabiliter admitti posse: addimus tamen, quod præstat dicere, cum Doctore loc.c. D. si plures eundem baptizarent, unum esse baptismum, & non plures, quia Sacramentum baptismi magis, & principalius consistit in baptizatione passiva, quàm in activa; quarè licut in casu, quod unus minister simul, & semel plures baptizet, diximus esse plura baptismata, quia plures sunt baptizati, & per consequens plures baptizationes passivæ; ita è contrà in casu, quod plures unum, & eundem simul baptizent, unus baptismus dici debet, & non plures; quia licet sint plures baptizationes activæ, unica tamen est passiva, sicut unus tantùm est baptizatus, ut ibi fusè discurrimus.

36 Quartò, conveniunt etiam Doctores, ut diximus quæst. cit. num. 66. in secundo casu jam posito, si plures unum baptizent ità, ut unus alterum præveniat in absolvenda forma cum appositione materiæ, baptismum à primò collatum esse validum, & ab ipso solùm conferri, altero nihil efficiente. & ratio, qua omnes utuntur, est illa, quia subjectum semel baptizatum incapax est ulterioris baptismi, cum hoc Sacramentum sit de numero irreiterabilium, ut superius dictum est; ergo quicquid posteà fit ab alio Ministro abluente, & verba proferente irritum est, ac inane. E contrà verò non ità conveniunt Doctores, an in tertio casu proposito sit validus baptismus nempè si unus Minister materiam adhibeat, & alter formam, ille aquam infundendo, & iste verba proferendo. Quidam enim antiquiores, quibus adhæret Cajetanus 3. part. quæst. 67. artic. 6. talem baptismum valere dixerunt, si forma proferatur ritu Græcorum, Baptizetur servus Christi, vel etiamsi formæ latinorum inhærendo dicatur in plurali: Nos te baptizamus. Communis tamen sententia oppositum docet, talem nempè baptismum non valere, ac etiam in casu necessitatis, si conveniant mutus, & mancus, non posse puerum validè baptizare, itaut mutus lavet, & muncus verba proferat. Ità Alensis, D. Thomas, Divus Bonaventura, & Scotus loc.cit §. *De secundo* lit.E. quod ibi probat, quia actus ille esset contrà Christi institutionem, qui sic instituit baptismum, ut ab unico ministro utraque actio prodiret, scilicet, abluendi, & verba proferendi, ut ex illis verbis colligitur. *Baptizantes eos in nomine Patris*, &c. hoc enim ità intellexit, ut idem ipse Minister actum ablutionis exerceat, & verba ipsa proferat. Deindè probat etiam Doctor, quia baptismus ille sub nulla forma valeret; non quidem sub forma inter Latinos consueta dicendo *Ego te baptizo*, quia si muncus hanc formam proferat, falsum diceret, cum ipse non abluat, sed mutus, & consequenter nequit esse conveniens forma Sacramenti; & idem est, si diceret, *Nos te baptizamus*, quia cùm ab uno solo abluatur, propositio etiam falsa est. Nec tandem valeret sub forma Græcorum, quia adhuc sub ea forma debet

sic

sic exprimi actus baptizandi, ut notetur esse ab eo Ministro, qui verba profert, ut dictum est quæst. præcedenti art. 2. numer. 27. & Græca illa oratio non est pura deprecatio, sed efficax operatio, quasi diceretur, per actum istum, qui à me fit, baptizetur ille; ergò muncus formam tantùm proferens, & non abluens, veram formam non servaret dicendo: *Baptizetur servus Christi*, quia esset oratio falsa, cùm actus abluendi à proferente non exeat. Responsiones autem, & objectiones Cajetani vide præclusas, & solutas loc. cit.

37 Quintò tandem, neque Doctores conveniunt, an validus sit baptismus à pluribus collatus in quarto casu jam posito, nempè si plures Catechumenum abluant, & simul hanc formam proferant *Nos te batizamus in nomine, &c.* Aliqui enim absolutè affirmant, ut Marsilius, Riccardus, Major, Paludanus, Durandus, & Cajetanus, talem baptismum esse validum quia ab omnibus Theologis communiter conceditur posse plures ministros eodem tempore unum hominem validè baptizare, si unusquisque aquam infundens dicat *Ego te baptizo in nomine Patris*, &c. ut diximus in primo casu; sed quando plures ad baptizandum concurrunt, melius, & convenientius eorum pluralitas exprimitur per hanc formam *Nos te baptizamus*, quàm per illam, *Ego te baptizo*, nam per eam non significatur plurium Ministrorum conventus, qui ad unum baptizandum concurrunt, sed potius unius tantùm Ministri persona; ergo & cæt. Alii verò cum distinctione procedunt, & inquiunt, quod si Ministri dicentes *Nos te baptizamus*, habeant talem intentionem, ut nullus eorum per se totum baptismum conferat, sed omnes simul, & unus dependenter ab alio, ità quod forma faciat sensum complexivum, Sacramentum nullum est, quia illa intentio est contra significationem, & veritatem formæ, per quam significatur abluentem baptizare independenter ab alio. Si verò Ministri dicentes *Nos te baptizamus* habeant intentionem, quod unusquisque eorum per se, & independenter ab alio totum conferat baptismi Sacramentum, tanquam si ipse esset solus, itaut proferant talem formam in sensu copulativo cum recta intentionem integrè baptizandi, verè baptizant, quia tunc quilibet habet intentionem ad Baptismum sufficientem. Ità Suarez, Aversa, & alii Recentiores.

38 Communior tamen, & probabilior sententia absolutè negat talem baptismum esse validum, ità quod si duo baptizarent dicentes *Nos te baptizamus*, neque in sensu complexivo, neque in sensu copulativo Sacramentum efficeretur. Ità Vasquez, Coninchius, Caspensis, Surianus, Bonacina, Ledesma, Centinus ex nostris, & alii passim. Ratio est, quia in utroque sensu daretur in forma variatio essentialis, ut diximus quæst. cit. nu. 73. nam forma baptizandi ex suo suo modo significandi significat baptismum ab uno ministro causari, cùm sit hæc *Ego te baptizo*, & consequenter significat ab illo causari adæquatè, & independenter ab alio; at hæc forma *Nos te baptizamus*, licet significet baptizare, significat tamen me baptizare cum alio, inadæquate; ergo habet modum essentialiter diversum ab eo, qui fuit institutus à Christo. Nec sufficit dicere argumentum valere, si talis forma proferatur, & intendatur in sensu complexivo, non autem copulativo. Nam quando uterque dicit *Nos* significatur tunc per eam particulam pluralis numeri, quod ab utroque complexim administretur baptismus, & sic à quolibet partialiter, non totaliter, ac etiam in sensu copulativo indicatur, quod unus baptizat cum alio, & dependeter ab eo; ergò in neutro sensu efficitur Sacramentum. Dices parum referre, quod in casu posito uterque baptizantium formam explicet in numero plurali, quia si aliquis Episcopus ob dignitatem personæ diceret baptizando, *Nos te baptizamus*, adhuc verus esset baptismus, sic enim illa particula, estò in plurali prolata, numerum significat singularem, cùm unus solus baptizet. Sed hæc instantia non est ad rem, gratis enim concedimus propositionem illam posse ab uno solo proferri baptizante ob dignitatem personæ, quam sustinet, ut solent primates, & magnates dicere, Nos dicimus, Nos volumus, in hoc autem sensu non agitur hæc quæstio in presenti, sed in sensu proprio, quod particula *Nos* numerum pluralem significet, & conventum plurium ad unum, & eundem baptizandum.

39 Ad fundamentum verò oppositæ sententiæ jam occurrimus loc. cit. num. 74. gratis concedendo verum esse baptismum à pluribus collatum dicente unoquoque *Ego te baptizo*, quia per hanc formam, non conventus plurium, sed unusquisque, ut integer Minister designatur, & totalis, ac ab alio independens; At dicendo, Nos baptizamus, ex vi propositionis indicatur sensus complexivus, vel plurium copulativus, indicans utrumque partialiter ad baptismum concurrere, quod est contra ejus institutionem, qua ratione in primo casu, quod plures, eundem baptizarent unoquoque dicente, *Ego te baptizo*, dicendum est singulos illorum esse causam integram, & totalem Sacramenti, quia in causis moralibus, & instrumentalibus non repunat dari plures causas totales ejusdem effectus. Sacramenta autem dictum est disp. præced. non physicè, sed tantùm moraliter concurrunt ad productionem gratiæ. Dices, hæc propositio, *Nos te baptizamus*, æquivalet istis singularibus Ego te baptizo, & Ego te baptizo, sed si quilibet Ministrorum dicere t in singulari, Ego te baptizo, verus esset baptismus, ut suprà dictum est in primo casu; ergò quamvis dicatur in numero plurali, Nos te baptizamus, adhuc verus erit baptimus.

Respondetur negando majorem, nam sicut dicit Priscianus illud pronomen *Nos* non geminat singulare suum, ut dicatur Ego, & Ego, sed Ego, & Tu, vel Ego, & ille; & ideò hæc propositio *Nos te baptizamus*, non resolvitur in has duas, Ego baptizo, & Ego baptizo, sed in has, Ego baptizo, & ille baptizat, &c. & ideò si dicatur, Nos baptizamus, aliquid dicitur, quo forma variatur etiam essentialiter, ut dictum est loc. cit.

ARTICULUS SECUNDUS.

Quis Baptismum suscipere possit, & quæ dispositiones ad id requirantur.

40 CErtum est, ac de fide quemlibet hominem in statu vitæ baptismi capacem esse, ut expresè colligitur ex verbis Christi Matt. ult. *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos*, &c. & quidem de adultis nulla est difficultas, de his enim præsertim sermo est ibi, siquidem sicut ad Evangelicam doctrinam audiendam sunt idonei, sic etiam ad percipiendum Baptismi Sacramentum, qui omnium Sacramentorum est janua. De infantibus verò rationis usum nondum assecutis negarunt Hæretici nonnulli contendentes, non nisi adultis conferendum esse Baptismum, atque ideò dixerunt infantes, cùm ad ætatem adultam pervenerunt, iterum rebaptizandos esse, si antè usum rationis baptizati fuerunt, qua de causa Anabaptistæ sunt appellati. Verùm contrà hunc errorem, ut ait Scotus 4. dist. 4. quæst. 1. & 2. fides Catholica docet, parvulos etiam usum rationis nondum assecutos esse baptizandos, & Baptismi suscipiendi esse capaces pro remissione peccati originalis, quod in carnali conceptione contraxerunt, ut inquit Divus Augustin. de fide ad Petrum, quod clarè deducitur ex verbis ipsius Christi Matthe. 19. *& Sinite parvulos venire ad me, talium est enim Regnum Cœlorum*, ideoque hæc veritas, tanquam dogma de fide in pluribus Conciliis definita est, ut in Concilio Milevitano can. 2. cap. 23. ubi hæc habentur *Placuit, ut quicunque parvulos recentes ab uteris matrum baptizandos negat, anathema sit*, ac etiam in Viennensi, sub Clemente Quinto Clementina 1. de Summa Trinit. & fide Cathol. ac tandem in Trident. sess. 5. can. 4. ideoque D. August. libr. 10. de Genes. ad lit. ait hanc baptizandorum puerorum in Ecclesia consuetudinem esse tradictionem Apostolicam, & hoc etiam ratio ipsa suadet, quia cum Baptismus sit necessarius, non tantùm necessitate præcepti, sed etiam medii, ut suprà dictum est, & costat ex illo Joann. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, &c.* consequens est, ut quilibet homo natus, & in hoc mortali corpore existens, sivè adultus sit, sivè infans, sivè vir, sivè fœmina sit subjectum baptismi idoneum, quia prædicta Christi verba, cùm sint universalia, & neminem excludant, ad quemlibet hominem sunt extendenda. Quoniam verò circà hoc punctum dubia quædam occurrere solent, hìc breviter sunt resolvenda.

45 Primò quæritur, An liceat baptizare infantes in utero Matris existentes. Respondet Scotus 4. d. 4. cit. qu. 3. §. *Ad quæstionem*, quod vel puer secundùm omnes partes est in utero matris, vel secundùm aliquam partem apparet extrà uterum; si primò modo, ait quod potest baptizari, quia baptismus est lotio, vel ablutio in aqua, sed parvulus sic in utero existens non potest lavari, quia nec sic immediatè tangi ab aqua, & sic etiam discurrit D. Tho. q. 68. ar. 11. undè subdit quod ab Baptimum conferendum expectanda est totalis egresio pueri ex utero materno, quia in Concilio Neocesarienssi cap. 6. dicitur baptismum mulieris prægnantis non prodesse filio. Si tamen periculum aliquod immineat, & secundum aliquam partem infans extrà uterum appareat, subdit Scotus, quod aut apparet pars principalis, ut caput, & tunc potest baptizari in illa parte, nec est posteà rebaptizandus, si eum perfectè nasci contigerit, quia censetur simpliciter baptizatus, non est enim verisimile, inquit Doctor, quod in die Pentecostes, quando baptizati sunt tria milia Actor. 2. quod quilibet quantum ad totum corpus suum lavaretur aqua, sed præcisè quantum ad faciem aspergendo, vel quantum ad caput perfundendo, si autem appareat pars minus principalis, scil. manus, velpes, illa est baptizanda, quia ibi est tota anima, licet non omnis sensus, sicut in capite; etsi hoc minus sufficeret ad hoc, ut esset simpliciter baptizatus, undè si nascere-

ſceretur poſteà vivus, eſſet ſub conditione rebaptizandus, ut docetur extrà de Baptiſmo, & ejus effectu cap. *De quibus*, ut jam diximus quæſt. præcedenti art. 1. nu. 21. & tandem ſubdit Doctor, quod ſi puer non naſcatur vivus, credendum eſt, quod Deus ſuppleat quod impotentia impediret, & ideò talis, etiamſi mortuus naſcitur, ſepeliendus eſt in terra benedicta. Et hæc eſt communis Theologorum ſententia contrà Cajet. 3. p. q. 68. a. 2. & 11. ubi ait parvulos exiſtentes in utero matris; etiamſi nulla pars corporis extra uterum appareat, & poſſe ſalvari per baptiſmum in voto parentum, hoc eſt, per fidem parentum facta oblatione prolis ad Deum cum invocatione Trinitatis; quia valdè conſonum eſt Divinæ miſericordiæ, ut nullus ſit hominum ſtatus, in quo ſalvari non poſſint; ſed impoſſibile eſſet ſalvari puerum, qui intrà uterum Matris moritur, niſi illis ſubvenire poſſet fides parentum modo jam explicato. Hæc tamen opinio, quamvis ſpeciem quandam pietatis præferat eſt aliena à ſenſu, & dogmatibus Eccleſiæ, & ideo Pius V. in editione illa Romana operum D. Thomæ juſſit eſſe prætermittendam, ut refert Aretin. noſter 4. d. 4. q. 3. a. 3. ubi ad fundamentum Cajetani reſpondit, quod non eſt illis parvulis impoſſibilis ſalus propter defectum miſericordiæ divinæ, nam jam Deus inſtituit remedium generale Sacramenti baptismi, ad quod ſi pervenirent, ſalvarentur; cui addendum eſt Deum providiſſe pro quolibet hominum ſtatu, & etiam pro parvulis in utero Matris exiſtentibus, non quidem per baptiſmum, ſed per martyrium; ut jam diximus 4. diſp. 2. qu. 7. art. 4. ubi ſtatuimus baptiſmum infantium poſſe per martyrium ſuppleri, quod etiam docet Doctor d. 4. cit. q. 3. §. *Dicitur*, ubi inquit infantes, qui in utero cum ipſa matre propter Chriſtum trucidatur, conſequi eundem effectum martyrii, quem conſequuntur, qui excluſi ab utero Matris eodem titulo trucidantur.

24 Secundò quæritur, An Moſtrum ex viro, & fœmina genitum ſit baptizandum, & ſit baptiſmi capax, quod notanter additur, quia Syrus, vel genitus ex fœmina, & bruto non eſt capax baptiſmi, ſiquidem nec eſt homo, nec originale peccatum habet, cum peccatum originale ex Adamo per virilem virtutem traducatur.

Reſpondent Doctores communiter, quod ſi monſtrum ſit tale, ut de eo dubitetur an ſit homo, & animam habeat rationalem ſi nihil certi dignoſci poſſit, mortiſque periculum immineat, baptizari debet hac conditione adhibita, *ſi homo es, ego te baptizo*, quod ſi poſteà certò conſtiterit eſſe hominem, non eſt rebaptizandus, quia illa conditio ſemper fuit vera. Si verò nullum ſit in mora periculum, medici conſuli debent, & alii in hac arte periti, ac etiam tutius erit rem ad Epiſcopum deferre, ordinemque ab illo præſcriptum exequi, ut habetur in Rituali Romano titulo de baptiſmo. Si Monſtrum autem tale ſit, de quo dubitetur an ſit unus homo, vel plures, reſpondent cum Scoto 4. d. 6. quæſt. 2. §. *De quarto*, quod ſi tempus haberi poteſt ad diſcernendum, an monſtrum ſit ſimpliciter una perſona, vel duæ de hoc debet haberi diligens inquiſitio, antequam baptizetur; diſcerni autem præſertim poterit, ſi unum, vel plura capita in eo ſint, unum, vel plura pectora, tunc enim totidem erunt corda, & animæ, homineſque diſtincti probabiliter loquendo, quod notanter additur, quia ait Doctor, nec ſignum de duobus capitibus eſſe omninò certum, quia tamen rarò, vel nunquam accidit, quod ſit duæ animæ, quin ſint duo capita, vel duæ partes principales capitis, ſubdit quod ſi certitudo haberi poteſt, & ſint partes, de quibus patet, quod pertinent ad diſtinctas perſonas, in tali caſu ſeorſim ſinguli erunt baptizandi, & ſeparatim perfundi debebit iſta pars, & illa cum iteratione formæ in ſingulari ſuper utrumque. Si autem certitudo haberi non poſſit, baptizandus eſt ſaltem in illis partibus, quæ principaliter pertinent ad unum cum forma in ſingulari, & ſecundò abluendæ ſunt aliæ partes, quæ non videntur principaliter pertinere ad illum primum, & hoc cum forma, quæ ſervanda eſt in illis, de quibus eſt dubium, quæ ponitur extrà de baptiſmo, & ejus effectu c. *De quibus*. Ità Doctor l. c. quod etiam habetur in Rituali Romano l. c. ubi declarat, quod ſi diſtinctio illa perſonarum non poſſit certò deprehendi, ut ſi monſtrum duo quidem capita habeat, non verò duo pectora, tunc in uno abſolutè baptizari debet, in altero ſub conditione

43 Tertiò quæritur, An adulti amentes ſint baptizandi. Reſpondent Doctores communiter cum diſtinctione. Vel enim fuerunt perpetuò amentes, nec ſperatum eos rationis compotes aliquandò eſſe futuros, & talibus conferri debet baptiſmus, ſicut aliis infantibus, cùm baptiſmus ſit Sacramentum maximæ neceſſitatis; & ſicut ad valorem baptiſmi infantis non eſt opus, ut baptizetur cum ejus conſenſu, cujus tunc non eſt capax, cùm uſu rationis careat; ità neque ad valorem baptiſmi amentis, ſed ſufficit Eccleſiæ voluntas. & ratio eſt, quia ſicut prædicti peccato originali maculati ſunt per alienam voluntatem, ſcilicet, primi parentis, ità per alienam quoque, ſcilicet, Eccleſiæ voluntatem ab ea labe mundari poſſunt, ità Bellarminus, Henriquez, Bonacina, & alii paſſim ex Concilio Cartaginenſi, & Arauſiceno. Si verò amentes aliquando uſum rationis habuerunt, & poſteà in amentiam lapſi ſunt, rurſus diſtinguendum eſt, etenim ſi conſtet illos, dùm mentis compotes eſſent, baptiſmum petiiſſe, vel exoptaſſe, nec voluntatem illam mutaſſe, baptiſmus erit illis conferendus, ſi verò dubitetur, an petierit baptiſmum antè amentiam, inquiunt DD. citati baptizandos eſſe ſub conditione, ſi baptiſmum petierunt, vel exoptarunt, modò non conſtet permanſiſſe in ſtatu peccati mortalis. & ratio eſt, quia melius eſt ipſos decedere cum baptiſmo dubio, quam ſine ullo baptiſmo. Verùm ſi conſtet in ſtatu peccati permanſiſſe, ut in concubinatu, non ſunt baptizandi, quia baptizarentur cum obice, & Sacramentum miniſtraretur indignis, undè etiam habetur in Concil. Trident. in tali caſu à baptiſmi adminiſtratione abſtinendum eſſe. Et hæc tota doctrina eſt Scoti 4. d. 4. quæſt. 4. §. *Hìc diſtinguo*, ubi etiam ipſe in ſolvendo hoc dubio cum ſimili diſtinctione procedit, & inquit quod idem eſt judicium faciendum de adultis, qui nunquam rationis uſum habuerunt, quales ſunt amentes, vel fatui à nativitate, atque de pueris reſpectu baptiſmi, cum hoc tamen diſcrimine, quod ſi ſperatur adultum aliquando eſſe curandum, & ratione uſurum, expectandum eſſe, tale tempus, ut cum majori reverentia Sacramentum recipiat; ſi verò deſperetur illum perventurum ad uſum rationis, ſtatim eſſe baptizandum: Amentes verò, qui ex ſana mente in amentiam inciderunt, ſubdit judicandos eſſe ſecundum eam voluntatem, quam habuerunt, dùm ſanæ mentis exiſterunt; undè ſi tunc in eis apparuerit voluntas ſuſcipiendi baptiſmum debet in furia, vel amentia conſtitutis Sacramentum exhiberi, ſi deſperetur illos ad uſum rationis perventuros denuò, quia aliàs eſſent in periculo damnationis; an verò ſi dùm ſana mente pollebant, nulla in eis apparuerit talis voluntas, inquit nequaquam eſſe baptizandos. De quo puncto alia plura videri poſſunt apud Aret. qu. 4. cit. art. 3.

44 Quartò quæritur, An liceat infidelium infantes invitis parentibus baptizare. Quæſtionem hanc jam ex profeſſo diſcurrimus diſp. 2. cit. quæſt. 4. ubi ab initio diximus nomine infidelium hìc intelligi ſolos non baptizatos, non autem Hæreticos, & Apoſtatas, qui à fide defecerunt, cùm enim iſti adhuc in ſua Apoſtaſia ſint Eccleſiæ ſubjecti, ſicut ipſi ad fidem ſervandam cogi poſſunt, ità & eorum filii ipſis etiam renitentibus poſſunt baptizari, ſiquidem ratione parentum quoad ſalutem ſpiritualem manent Eccleſiæ ſubjecti. Neque eſt quæſtio de validitate baptiſmi, quia infantes hujuſmodi ſunt baptiſmi capaces, & poſſunt eis appplicari omnia ad ejus valorem eſſentialiter requiſita, ſcilicet, materia, & forma cum debita intentione Miniſtri, nec requiritur proprius conſenſus, cùm uſum rationis non habeant, neque parentum, quia in his, quæ ad juſtificationem ſpectant, voluntas parentum non ſentetur voluntas filii, niſi in jure civili ad aliquos effectus civiles à voluntate parentibus invitis, undè quæſtio eſt ſolùm an licitè id fieri poſſit. Negat Divus Thomas 2. 2. qu. 10. ar. 12. & 3. par. qu. 67. art. 10. cum ſuis ſectatoribus, & eſt communis Recentiorum ſententia. Affirmat Scotus cum ſuis 4. d. 4. q. 9. quæ controverſia, ſi benè perpendatur, potius eſt de nomine, quam de re, quia Scotus etiam id abſolutè non affirmat, ſed quibuſdam cautelis adhibitis, quibus conſideratis utraque ſententia ferè in idem recidit. Prima enim ſententia aſſerit infantes infidelium invitis eorum parentibus non eſſe baptizandos, ſi ſub illorum cura, & poteſtate remaneant, aut periculum ſit, ne ad eorum curam, & poteſtatem redeant, & ab illis pervertantur. Si autem ab illorum cura, & poteſtate juſtè abſtrahi poſſunt, itaut nullum ſit periculum, ne ad illos redeant; aut ab illis pervertantur, affirmat in tali caſu licitum eſſe infantes illos etiam invitis parentibus baptizare, & ſimiliter ait hoc eſſe licitum in caſu, in quo infans eſſet in certo periculo mortis, de cujus vita deſperatum eſt quia in eo eventu ceſſat periculum perverſionis, & ſubveniendum eſt proximo extremè indigenti. Ità diſcurrunt Scoto, Vaſquez, Valentia, Reginaldus, Coninchius, Caſpenſis, Amicus, Averſa, & alii Auctores primæ ſententiæ. Sed his quoque cautelis adhibitis aſſerit Scotus loc. cit. ſententiam affirmativam, non aliter, nec alio modo, ut diximus quæſt. 4. cit. art. 1. ab initio, nimirum ſi præcaveri poſſit, ne infantes occidantur à parentibus, ne baptizentur, & ſit aliqua certitudo, quod tales infantes baptizati ſint religiosè educandi, ne irreverentia accidat fidei ob Apoſtaſiam, quibus cautelis adhibitis conſtat hanc controverſiam eſſe potius de nomine, quàm de re, & Recentiores ita loquentes in Scoti ſententiam prorſus incidere. Aliqua autem ad rem ſpectantia vide accuratè diſcuſſa loc. cit.

45 Quartò quæritur, An jam juſtificati teneantur ad ſuſceptionem baptiſmi; & ratio dubitandi eſt, quia non legitur

de

de Apostolis, nec de B. Virgine, quod fuerint baptizati, tùm quia si justificatus baptizaretur, videretur fieri injuria Sacramento, injuria enim est Sacramento, quod sit signum falsum; sed jam justificatus suscipiens baptismum, facit hoc, tunc enim baptismus caret significato, cum non det gratiam; ergo &c. Hanc quæstionem tractat Scotus 4.d.4. quæst.6. & respondet affirmativè etiam justificatos teneri ad baptismum suscipiendum post sufficientem ipsius promulgationem, & esse capaces effectus baptismi, quod intelligit tam de justificatis mediante voto baptismi, quam de illis, qui essent justificati sine tali voto; quæ est communis Doctorum sententia. & quidem de justificatis primo modo, scilicet, mediante voto baptismi res de se patet, quia eo ipso, quod non justificantur nisi mediante tali voto, sequitur manifestè, quod teneantur posteà ab baptismum, quando illum suscipere possunt. De aliis verò justificatis etiam probatur, quia præceptum baptismi est universale; ergo etiam justificati secundo modo à tali obligatione eximi non debent, præsertim cùm nulla sit causa, ob quam excipi debeant, quia illis esset maximè utile baptismum suscipere, ut eo mediante characterem reciperent, & etiam augmentum gratiæ, & aliorum Sacramentorum capaces redderentur; tum quia ait Doctor, omnes ad legem Christi sunt adstricti, & ideò signum Christi recipere debent, scilicet, characterem baptismalem, quilibet enim debet esse membrum Ecclesiæ militantis, non solùm latenter, sed etiam patenter, ne alios scandalizet, undè concludit Doctor quemlibet viatorem qualitercumque justificatum, nisi cum eo Deus specialiter dispensset, post baptismum promulgatum per modum præcepti ad illum teneri. Hinc deducitur valdè probabile esse, quod Apostoli fuerint vel à Christo, aut à se invicem baptizati, ut tenet D. Aug. & habetur in decreto de Consec. distint. 4. can. *Quando alius*, nec ulla videtur necessitas, quod Christus cum Apostolis in hoc dispensaverit, tùm quia Christus etiam in seipso voluit baptismum saltem Joannis, suscipere, antequam legem baptismi aliis imponeret, quia Actorum 1. dicitur, quod *Christus cæpit facere, & docere*, debebant ergo apostoli, sicut & Christus prius facere, deindè docere. Idem etiam subdit piè credendum esse de B. Virgine, cùm voluerit & purificari juxtà legem Moysis; nisi ipsa fortè sit excepta ab illa lege, quia fortè habuit in conceptione filii sui illam plenitudinem gratiæ, ad quam Deus disposuit eam pervenire. Denique respondet ad rationem dubitandi in oppositum, quod non fit injuria Sacramento, nec per hoc fit, quod sit signum falsum, quia vel ibi confertur aliqua gratia de novo, per quam augetur præcedens, & tunc est signum practicum; vel nulla, si jam prius erat gratia perfecta, & adhuc etiam tunc est signum practicum verum, non respectu gratiæ in fieri, sed in esse; & similiter respectu ablutionis interioris, non quæ tunc fit, sed prius factæ. De quo alia plura videri possunt apud Hiqueum in Comment. d. 4.cit. quæst.6.

46 Denique quod spectat ad aliam quæsiti partem de dispositionibus ad suscipiendum fructuosè baptismum necessariis, de adultis solùm quæstio intelligenda est, non de parvulis, & quia de hoc ex instituto tractavimus d.2. cit. q.5. ex jam ibi dictis cum Scoto 4.d.4. q.4. breviter nunc dicendum est, tres dispositiones ad baptismum fructuosè recipiendum in adulto requiri. Prima est ejus consensus, ità D. Tho. q.68. a.7. & Scot. l.c. quod probat, quia Deus per Sapientem dicit Proverb. 23. *Fili præbe mihi cor tuum*, nollens aliquem omninò invitum familiæ suæ adscribi; suscipiens autem baptismum adscribitur per hoc familiæ Christi, & hoc etiam certum est ex praxi Ecclesiæ, quæ nunquam adultum baptizat, nisi priùs illum interroget, an velit, & respondeat, velle aut saltem sibi constet, quod anteà baptismum petierit, quod etiam docuit Innocentius Tertius c. *Majores* de Baptismo, & ejus effectu, undè posteà etiam Paulus Quintus in Rituali Romano monet, non nisi volentem esse baptizandum; amentes verò, qui lucida habent intervalla, esse baptizandos, dùm mentis sunt compotes, ut suum possint præbere assensum; non requiritur autem consensus actualis expressus, sed sufficit virtualis, aut interpretativus, seù ut adultus aliquandò habuerit actualem suscipiendi baptismi voluntatem, eamque non retractaverit. Secunda dispositio ad suscipiendum baptismum necessaria est fides ex Scot. l. c. ut constat ex illo Matth. ult. *Docet omnes gentes, qui crediderit, & Baptizatus fuerit*, &c. & Actorum 8. ubi Eunucho baptismum postulanti Philippus respondit: *si credis ex toto corde, licet*, & hoc etiam constat ex praxi Ecclesiæ, quæ baptizandum super præcipuis fidei nostræ articulis interrogat, illiusque publicam professionem ab eo exigit; sufficit autem, ut diximus q. cit. a.2.n. 123. quod hæc fides sit actualis; nec necessaria est habitualis, nam ante justificationem in baptismo receptam non datur in recipiente fides habitualis, simul enim dantur in effectu baptismi tres virtutes Theologicæ. Tertia dispositio necessaria in adultis, qui cum peccato originali aliquod mortale conjunctum habent, est aliqua pœnitentia, ac displicentia peccatorum commissorum; ità diximus ibidem n.125. ex Doctore l.c. & est certum de fide, ut expressum est Actorum 2. illis Sancti Petri verbis *Pœnitentiam agite, & baptizetur unusquisque vestrum in remissionem peccatorum*, & hæc necessitas, & obligatio pœnitentiæ antè baptismum ad dignam, & salutarem ejus susceptionem definita fuit in Conc. Carthag. 4.c.85. & nuper in Trid. sess.6. c.6. de justificatione, ubi dicuntur peccatores disponi *per eam pœnitentiam, quam antè baptismum agi oportet*, & eadem est frequens doctrina Patrum; qualis verò debeat esse hæc pœnitentia, & qualis ille dolor, & ex quo motivo elicitus sufficienter, declaratur l.c. Notanter autem diximus has tres conditiones requiri in adulto ad baptismum fructuosè recipiendum, quia ad ejus validitatem prima solùm necessaria est, ut constat ex c. *Majores*, &c. *de Judæis* d.64. & ex D. August. l.2. contrà Petilian. & l. de Catech. rud. c.17. Undè quandò quis seriò vult baptismum recipere, quamvis neque fidem, neque de peccatis commissis dolorem habeat, verè ipsius baptismi characterem recipit, non tamen gratiam sanctificantem, neque alios effectus ab ipsa pendentes, de quibus agemus q. seq. Ideoque dicebamus qu.5. c.a. 2. n.122. Baptismum separari posse à suo effectu principali, qui est gratia sanctificans, ejus efficaciam sequente, quia potest quis accedere cum dispositione ad baptismum sufficientem, ejusque valorem, & non ad effectum baptismi, qui est gratia, & hoc respectu adultorum, quia respectu parvulorum eadem est dispositio ad validitatem, atque ad effectum baptismi, vel potius nulla talis requiritur dispositio, sed sufficit capacitas physica, ut ait Doctor d.4. q.4. A. & docet Trid. sess. 7. c.23. & 24. quia parvuli sunt incapaces dispositionis moralis, & idem est judicium de adultis amentibus, & perpetuò furiosis, nam neque in his aliqua requiritur dispositio moralis ad baptismum, vel ejus effectum, ut suprà dictum est.

QUÆSTIO QUARTA.

De effectibus Baptismi.

47 QUoniam, ut dictum est disp. præced. de Sacramentis in genere q.2. Sacramenta maximè per ordinem ad effectus sunt consideranda, ut potè ex quibus eorum vis, & efficacia magis percipitur in præsenti quæstione discurrendum est de effectibus Baptismi, & videndum quos effectus per se conferat Baptismus, & quia hæc quæstio magna ex parte resoluta loc.c. de Sacramentis in genere, ideò in ea explicanda breviter procedemus ea tantùm addentes, quæ ibi non sunt declarata.

ARTICULUS PRIMUS.

Quinam sint effectus Baptismi.

48 PRimò dicendum est, in Sacramento Baptismi imprimi characterem, quod est signum quoddam spirituale indelebile, ratione cujus baptismus semel ritè susceptus iterari non potest. Hoc assertum est de fide, quod probat Scotus 4. d. 6. quæst. 9. §. *Ad quæstionem*, quia de Sacramentis Ecclesiæ sentiendum est, sicut sentit Romana Ecclesia, ut dicitur in cap. *Ad abolendam* extrà de Hæreticis, sed Ecclesia Romana sentit characterem imprimi in anima in Sacramento Baptismi, ut constat ex cap. *Majores* de Baptismo, & ejus effectu, ubi Innocentius Tertius dicit: Qui fictè accedit ad baptismum characterem suscipit Christianis impressum. & ibidem in fine ejus capituli dicitur: Tunc characterem imprimit Sacramentalis operatio, cùm obicem voluntatis contrariæ non invenit obsistentem. Igitur propter auctoritatem Ecclesiæ tenendum est in baptismo imprimi characterem. Deindè hoc dogma, ut de fide definitum est in duobus Conciliis generalibus, scilicet, in Conc. Florentino in decreto Eugenii §. *Quintò Ecclesiasticorum*, & Trident. sess.7. can.9. de Sacramentis in genere, undè hac ratione ibi declarat hoc Sacramentum iterari non posse, & per istum characterem baptizatum fieri habilem ad validè recipiendum reliqua Sacramenta, est enim Baptismus Sacramentorum janua, ut loquitur Concilium ubi suprà. Tandem id etiam ex diversis congruentiis Doctor probat, quæ apud ipsum videri possunt; naturam autem hujus characteris cum suis proprietatibus jam latè explicuimus 4. disp. 1. de Sacramentis in genere quæst. 5. undè hic solùm est advertendum ad hunc effectum characteris recipiendum præcisè in adultis non esse aliam dispositio-

positionem necessariam, quam virtualem ipsorum consensum susciendi Sacramentum, undè imprimi potest absque reliquis effectibus gratiæ, & donorum, ut dictum est art. 2. qu. præced. *in fine*, & exprimit Innocentius Tertius cap. *Majore* cit.

49 Secundò dicendum est in baptismo per se infundi gratiam habitualem unà cùm virtutibus Theologicis fidei, spei, & charitatis, & de gratia quidem expresè definitum est, cùm in Concil. Florent. loc. cit. tum in Tridentino sess. 6. can. 11. ubi dicitur, quod nullus justificari potest, nisi per habitum gratiæ infusum, sic enim loquitur. *Si quis dixerit homines justificari, vel sola imputatione justitiæ Christi, vel sola peccatorum remissione exclusa gratia, & charitate, quæ in cordibus eorum per Spiritum Sanctum diffunditur, atque illi inhæreat*, &c. Sed in baptismo justificantur homines; ergò per habitum gratiæ animæ infusum, & sic etiam loquitur Scotus 4. dist. 4. quæst. 5. *Ad quæstionem*, ubi ait, quod sicut est creditum parvulo in baptismo originale dimitti; ità, & creditum est sibi gratiam infundi, quia Deus pro statu naturæ lapsæ nulli remittit culpam, nisi cui datur gratia, nullum enim liberat à perditione, nisi quem ordinat ad hoc, ut sit filius regni. Quod etiam cum gratia habituali in Baptismo infundatur aliæ virtutes Theologicæ expresè deducitur ex eodem Concil. Trident. sess. 6. cap. 7. ubi definitur justificationem fieri per voluntariam susceptionem gratiæ, scilicet, charitatis, quæ in cordibus eorum diffunditur, qui justificantur, atque ipsi inhæret simul cum fide, & spe, & verba Concilii sunt ista: *In ipsa justificatione cum remissione peccatorum hæc omnia simul infusa accipit homo per Jesum Christum, cui inseritur fides, spes, & charitas*, & ibidem definit causam instrumentalem hujus justificationis esse baptismum. Prætereà Thomistæ asserentes præter virtutes Teologicas admittendas esse quoque morales per se infusas ordinis supernaturalis essentialiter diversas ab acquisitis purè moralibus, consequenter dicunt has etiam virtutes morales in baptismo infundi, quod probant ex Concil. Viennensi in Clement. de summa Trinitate, & fide Catholica, ubi definitur in Baptismo infundi, gratiam, & virtutes, & ex Catech. Romano de Baptismo, ubi dicitur: *Gratiæ adhæret nobilissimus virtutum comitatus, quæ in anima simul cum gratia divinitus infunduntur*. Sed admittendas non esse hujusmodi virtutes morales per se infusas, & à Theologicis, ac moralibus acquisitis essentialiter diversas jam ostendimus lib. 3. sentent. disp. 7. *de virtutibus* quæst. 2. cum Scoto 3. dist. 39. qu. un. ubi etiam art. 1. diximus Concil. Viennese per *virtutes* solas Theologicas intelligere, quia controversia, quæ fuerat inter Theologos tempore Innocentii Tertii in Concil. Lateran. & refertur capit. *Majores*, erat de virtutibus Theologicis, & non Moralibus, ut Vasquez advertit dis. 86. c. 2. ait enim fuisse opinionem multorum Scholasticorum asserentium nec etiam virtutes Theologicas infundi simul cum gratia; & ideò cùm Clem. Quintus in Conc. Viennensi, tanquam probabiliorem opinionem approbavit in Baptismo infundi gratiam, & virtutes, de Theologicis virtutibus intellexit, non de Moralibus, quæ quidem virtutes Theologicæ cum gratia infusæ nobilissimus virtutum comitatus optimè vocari possunt, ut loquitur Catechismus, ut loc. cit. fusè declaramus.

50 Tertiò Dicendum est, per gratiam in Baptismo infusam non solùm deleri originale peccatum, sed etiam omnia actualia, si quæ antè baptismi susceptionem commissa sunt, non tantùm quoad culpam, sed etiam quoad pœnam illis debitam. Ità expresè definitum est in Concilio Florentino in Decreto Eugenii citato §. *Primum omnium* his verbis: *Hujus Sacramenti effectus est remissio omnis culpæ originalis, & actualis*, quoad culpam Quod attinet verò ad pœnam propriè dictam, quatenus, scilicet, distinguitur à pœnalitatibus naturam corruptam consequentibus, quales sunt possibilitas corporis, ægritudines, dolores, fames, sitis, fœmes peccati, & potentiarum inordinatio, quas ipsa experientia notum est per Baptismum non auferri, patet ex eo, quod hac ratione ibi negat baptizatis imponenda opera satisfactoria pro peccatis antè Baptismum commissis his verbis: *Omnis quoque pœna, quæ pro ipsa culpa debetur, propterea baptizatis nulla pro peccatis præteritis injungenda est satisfactio, sed morientes, antequam culpam aliquam committant, statim ad Regnum Cœlorum, & Dei visionem perveniunt*; ex quo etiam deducetur Baptismum non solùm delere peccatum originale, & actuale mortale antè ipsum commissum, sed etiam veniale, quia si Baptismus vi sua non se extenderet etiam ad venialia remittenda, non posset pœna illis debita condonari, cùm nequeat saltem de lege ordinaria condonari pœna manente culpa. idem etiam habetur expresè *de consecrat.* disp. 4. cap. *Per Baptismum*, sub his verbis, *Quicquid mali ab homine factum, dictum, cogitatum est, totum aboletur, & quasi factum non sit habetur*, sed si peccata remissa essent punienda post baptismum susceptum, non haberentur, tanquam non facta; atque ideò dici debent per baptismum deleri tam quoad culpam, quàm quoad pœnam. Tandem hoc idem etiam novissimè definitum est in Concilio Trident. session. 5. cap. 5. ubi docet homines per Baptismum renasci Deo innocentes, immaculatos, innoxios, Deo dilectos, hæredes Dei, cohæredes Christi: *Itaut nihil prorsus eos ab ingressu Cœli remoretur*; remoraretur autem, si una cum originali in adulto omnia personalia non delerentur tàm mortalia, quàm venalia, cùm etiam venialia, quamdiù non remittuntur, ab ingressu regni cœlestis retardent, & expressius sessione 6. cap. 14. dicit in Sacramento pœnitentiæ non semper totam pœnam temporalem remitti, ut in Baptismo fit, quod latius repetit sessione 14. capit. 8. ubi in hoc constituit discrimen inter justificationem, quæ per baptismum, & per Sacramentum pœnitentiæ fit. Et hoc confirmari potest ex universali Ecclesiæ praxi quæ nulla unquam satisfactionis opera baptizatis imponere solet, sicut imponit Sacramentaliter confessis, imò Catechis. cit. dicit, *id sine maxima Sacramenti injuria fieri non posse*.

51 Quartò Dicendum est, præter gratiam sanctificantem Baptismum conferre quoque omnia illa auxilia supernaturalia, quæ sunt proportionata fini, ad quem baptismus est institutus. Hoc constat ex his, quæ suprà diximus disp. præced. qu. 2. art. 2. num. 23. ubi universaliter ostendimus omnia, & singula Sacramenta præter gratiam habitualem, & sanctificantem ab omnibus Sacramentis causatam, conferre quoque propriam gratiam Sacramentalem ad proprium finem ordinatam, ob quem singula Sacramenta sunt instituta, quæ gratia Sacramentalis, ut ibi explicavimus in quibusdam auxiliis consistit, quibus homo supernaturaliter adjutus facilius proprium finem consequitur, ad quem Sacramentum ordinatur. Cùm igitur proprius finis Sacramenti Baptismi sit servare legem Christi, eiusdem religionem profiteri, consequenter gratia Sacramentalis baptismi consistit in quibusdam supernaturalibus auxiliis, quibus Deus Christianos speciali modo ad servandam divinam legem, Sacramenta dignè suscipienda, aliaque religionis, & pietatis officia exequenda habiles reddit, ut explicat Catechismus loc. cit. quam gratiam Sacramentalem ait procedere ex arctissima illa unione, qua per Baptismum Christo Domino baptizati, tanquam capiti suo, membra copulantur, & connectuntur. Præter hos effectus principaliter, & per se à baptismo collatos aliosque effectus secundarios solent enumerare SS. Patres, & Doctores, ut refert Astesanus noster lib. 4. & Bonacina disp. 2. qu. 2. punct. 7. ut est sanitas, quam baptismus aliquando confert, ut dicitur de Lepra Constantini, ablatio irregularitatis ex delicto; obligatio servandi præcepta Ecclesiæ, & alia hujusmodi, quæ apud Auctores passim videri possunt, ex quibus baptismi effectibus colligi potest, ut inquit Abellius c. 1. *de baptismo* sect. 6. qualis, & quanta sit hujus Sacramenti excellentia, & dignitas, quanta etiam ejusdem utilitas, & necessitas: ac proindè quàm justa ratione præceperit Ecclesia in Rituali Romano tit. de baptismo ut parvuli recenter nati quam primum ad Ecclesiam baptismi suscipiendi causa deferantur, & quàm graviter peccent parentes, qui ob inanes causas, & vanos quosdam respectus per plures dies hujus Sacramenti subsidio infantes privant, eosque sine ulla rationabili, & sufficienti causa beatitudinis æternæ admittendæ periculo exponunt.

52 Quintò quæritur, An omnes baptizati recipiant æqualiter effectum baptismi, qui est gratia, seù in baptismo conferatur semper suscipientibus æqualis gratia. Quæstionem hanc de Sacramentis in communi jam resolvimus disp. præced. q. 2. a. 1. nu. 24. nunc specialiter discutienda est de Sacramento baptismi cum Scot. 4. dist. 4. q. 7. & in duplici sensu potest intelligi, primò an ex parte Sacramenti semper detur omnibus æqualis gratia; secundò an ex parte suscipientis detur uni interdum major gratia, quàm alteri. Et quidem in primo sensu inquit Doctor in corpore quæstionis §. *Sic ergo*, quod gratia, quæ datur in baptismo semper est æqualis quantum est ex parte ipsius Sacramenti, quod ità declarat, quia aliquam gratiam disposuit Deus regulariter conferre cùm isto signo, ità quod nulli minorem, & ista potest dici conferri virtute baptismi, quia virtute veritatis hujus signis, & sicut determinatio illa universalis quantum ad istum gradum est uniformis, ità effectus æqualis confertur semper ex vi Sacramenti sine obice illud suscipienti, & ex vi Sacramenti nunquam major conferetur; ex qua Scoti doctrina ità probatur assertio quoad hanc partem, quia ab eadem causa, & æqualiter se habente æqualis producitur effectus; sed baptismus habet semper æqualem virtutem; ergò quantum est ex parte ipsius Sacramenti semper æqualem gratiam causabit. Veruntamen, subdit Doctor, quia Deus prædestinavit diversos electos ad diversos gloriæ gradus; & hoc antè determinationem hujus signi ad tantam, vel tantam gratiam conferendam, & ordinato ad majorem gloriam rationabiliter potest conferri

major

major gratia; posset Deus in determinando veritatem, seù certitudinem hujus signi disponere conferre alicui suscipienti præcisè illam gratiam, quæ requiritur ad certitudinem signi, & alicui majorem, quem prædestinavit ad majorem gloriam, sed ille ulterior gradus non conferretur virtute baptismi, sed de speciali benevolentia divina; ita quod haberet iste duplicem gratiam, unam ex vi Sacramenti baptismi, illam, scilicet, quam determinavit Deus conferre infallibiliter, & regulariter baptismo me liante, & alteram ex speciali benevolentia divina, quæ licet non sit effectus baptismi, sicut prima, dicitur tamen effectus, quia concurrit ad eandem numero gratiam constituendam in baptizato cum illo gradu priori, & concomitanter se habet cum effectu Sacramenti; licet non sit propriè illius effectus. Tandem addit Doctor, quod etiam ex parte causæ meritoriæ, qualis est passio Christi, potest esse in baptizatis inæqualitas gratiæ susceptæ, quia cùm Christus noverit omnes electos, & gloriam, quam eis disposuit Deus dare, potuit efficacius offerre passionem suam pro illis, quibus disposuit Deus majorem gloriam conferre.

53 Denique quoad aliam quæsiti partem, an, scilicet, ex parte suscipientis detur uni major gratia, quàm alteri, respondet Doctor litter. D. §. *De tertio* quod vel baptizati sunt parvuli, vel adulti, comparando parvulum ad parvulum, cùm nullum habeant motum proprium, nullam habent inæqualitatem ad gratiam ex parte sui recipiendam; potest tamen in parentibus unius esse major motus, quàm alterius pro suo parvulo, vel in aliquibus aliis ministrantibus, aut assistentibus Baptismo, ob quorum merita Deus uni parvulo majorem gratiam conferre potest, quàm alteri, sed hoc non virtute Baptismi, sed meriti. & hoc modo fortè parentes B. Nicolai orationibus suis meruerunt sibi majorem gratiam, quæ erat in eo etiam parvulo principium tam mirabilis effectus, ut duobus diebus in hebdomada unica tantùm lactatione contentus maneret; undè quoad hoc magis optandum est puerum baptizari à bono Sacerdote, quàm à malo, quia oratione Sacerdotis boni, quas multas facit antè, & post Baptismum, magis exaudiuntur, & prosunt illi, pro quo fiunt, quàm orationes mali. Ubi tamen advertendum est, hoc meritum ministri, & aliorum assistentium esse de congruo, & non de condigno, siquidem Theologi omnes communiter in hoc conveniunt, quod purus homo alteri non possit primam gratiam mereri de condigno, ut docet Alensis 3. part. quæst. 69. memb. 5. artic. 2. D. Thomas p. 2. qu. 114. art. 6. D. Bonavent. 2. d. 27. art. 2. quæst. 1. & alii antiquiores, quam totam doctrinam vide fusius declaratam l. 4. dis. 1. *de Sacramentis in genere* quæst. 9. ubi etiam diximus non obstare, quod contrà hoc à Recentiobus afferri solet ex eo, quod communiter dicitur Sacramentum non dependere à malitia, vel bonitate Ministri; siquidem hoc intelligitur solùm quantùm ad substantiam Sacramenti, effectum, & fructum ejus ordinarium, quod planè non obstat, quin adhuc Deus adijcere possit ex liberalitate aliquid ob impetrationem aliorum. Deindè subdit Doctor loc. cit. propè finem quæstionis, quod si baptizati sint adulti, cùm illi per motum proprium possint esse inæqualiter dispositi, & in Sacramento conferatur gratia secundum proportionem dispositionis in suscipiente, sequitur inæqualis effectus pro ratione majoris, vel minoris dispositionis, & sic expressè docet etiam Concil. Trident. session. 6. cap. 6. ubi loquens de adultorum justificatione, ait illos justitiam recipere *Secundum propriam cujusque dispositionem, & cooperationem*, quod etiam valdè consonum est perfectissimæ Dei providentiæ, ac justitiæ distributivæ, sicut enim majori contritioni, & dispositioni extrà Sacramentum major quoque gratia correspondet, ità pariter majori attritioni, quæ in Sacramento locum contritionis supplet, major quoque gratia correspondere debet, ut dicebamus disp. præced. quæst. 2. art. 1. num. 24. de Sacramentis novæ legis in universum. Et hoc etiam ratio ipsa suadet quia actus activorum sunt in patiente disposito 2. *de Anima tex.* 24. ideſt, formæ recipiuntur in subjecto secundùm dispositionem illius; sed inter adultos potest unus esse magis dispositus ad Baptismum suscipiendum, quàm alteri potest enim unus accedere cum majori devotione quàm alter; ergò in magis disposito perfectior recipitur Baptismi effectus, atque ità ex parte recipientis potest dari major gratia in baptismo. & Ità tenent Doctores communiter D. Antoninus, Sylvester, Nugnus, Suarez, Reginaldus, Coninch. Vivaldus, Bonacina, & alii passim.

ARTICULUS SECUNDUS.

An fictio impediat Baptismi effectum, & hic conferatur illa recedente.

54 NOtandum est fictionem hìc accipi, prout opponitur dispositioni, ille enim ad Baptismum fictè accedere censetur, qui non est sufficienter dispositus ad ejus receptionem sumpto nomine ex Sapient. 1. *Spiritus Sanctus disciplinæ effugiet fictum*; sicut ergò in adultis duplex dispositio requiritur, una ad valorem Baptismi, altera ad effectum illius; sic etiam est duplex fictio, seù indispositio, prima impediens valorem Baptismi, secunda effectum ejus principalem, qui est gratia; prior est, quando quis Baptismum recipit sine voluntate, seù intentione illum recipiendi; posterior est, quando quis caret fide, vel attritione, aut proposito servandi mandata Dei; quæ dispositione requiruntur ad effectum baptismi consequendum qui est gratia, ut dictum est quæst. præced. art. 2. num. 46. Hic autem obex gratiæ duplex esse potest, primus quasi negativus, ut cùm quis ad Sacramentum dispositus accedit, hoc tamen invincibiliter ignorat, & ideò non peccat, licet ob defectum dispositionis requisitæ effectum Sacramenti non recipiat; Alter est positivus, quando quis actualiter peccat in ipsa Sacramenti susceptione, ut si sciens se esse in peccato mortali Sacramentum suscipiat. Vel loquendo juxtà phrasim antiquorum fictio, quæ effectum Sacramenti impedit duplex esse potest, una sine peccato, quæ tunc accidit, quando quis absque idonea dispositione ad baptismum accedit bona fide credens se esse sufficienter dispositum, altera cum peccato, & tunc accidit, quando quis sciens se esse in peccato mortali absque aliqua dispositione debita doloris de suis peccatis ad Sacramentum accedit. & juxtà hanc distinctionem resolvenda est quæstio proposita breviter ex jam fusè dictis 4. d. 2. cit. qu. 6.

55 Primò itaque dicendum est, quod loquendo de fictione seù indispositionem valorem Baptismi impediente, hac posteà recedente valor Baptismi non sequitur; at loquendo de fictione impediente tantùm ejus effectum, hac recedente effectus baptismi sequitur, & confertur. In hac assertione conveniunt omnes Doctores, & ratio est, quia valor Baptismi à sola suscipientis voluntate non dependet, sed etiam ab aliis conditionibus ad illam necessariò requisitis, scilicet intentione Ministri, ac etiam à debita materia, & forma, quæ proindè si desint, Baptismus validus esse nequit, etiamsi adsit voluntas recipientis, per quam fictio primi generis removeretur; at effectus Baptismi, qui est gratia posito baptismo cum legitima dispositione infallibiliter sequitur; ergò si per sufficientem dispositionem fictio secundi generis removetur, statim baptismi effectus sequitur, qui per hujusmodi fictionem impeditus erat. Dices, quando hujusmodi fictio secundi generis removetur, jam reipsa baptismus non adest, sed anteà præcessit; ergò tunc effectum suum producere nequit. Consequentia probatur à simili de valore baptismi, ideò enim non fit validus baptismus recedente fictione primi generis, quia materia forma, & intentio Ministri jam transierunt, valor autem Baptismi pendet ab illis præsentibus, non præteritis: idem ergò dicendum de effectu baptismi, qui est gratia, quod recedente fictione secundi generis, non sequitur, nec confertur, quia Baptismus non est præsens, sed transivit. Respondetur negando paritatem de valore, & effectu baptismi, valor enim Baptismi intrinsecè, & essentialiter pendet à materia, & forma, ac intentione Ministri, atque ideò pendet ab illis præsentibus, non præteritis, effectus autem Baptismi, qui est gratia pendet à Baptismo effectivè tantùm, tanquam ab instrumento morali, quod moraliter operari potest, etiamsi physicè non sit præsens, quamvis igitur, quando obex, vel fictio secundi generis removetur per sufficientem dispositionem, jam reipsa non fit baptismus, sed transierit; hoc tamen minimè obstat, quia talis effectus principaliter à Deo pendet, & instrumentaliter à baptismo effectivè in genere causæ moralis, quæ operari potest etiamsi non sit præsens physicè.

56 Secundò, loquendo de fictione, seù indispositione impediente tantùm baptismi effectum, si baptismus susceptus fuerit cum obice tantum negativo, qui, scilicet, est sine peccato, dicendum est fortior posteà suum effectum in tali homine se disponente per solam attritionem, nimirum tunc gratiam infundi, peccatum originale remitti, nec non, & peccata omnia tam mortalia, quàm venialia Baptismum antecedentia, & condonari debitam pœnam; & quidem hoc totum haberi virtute baptismi præteriti, quamvis enim tunc baptismus nō adsit, sed transierit, hoc tamen non obstat, quin talis effectus tunc sequatur, & conferatur, quia ut supradictum est pendet ab eo effectivè tanquam ab instrumento morali, quod moraliter operari potest, etiam-

etiamsi non sit physicè præsens; in hac conclusione Doctores etiam omnes ferè conveniunt, quod quando obex est tantùm negativus, sola sufficiat attritio, ut diximus quæst. 6. cit. art. 1. & ratio est quia in eo qui fictè ad baptismum accedit cum obice tantùm negativo sine actuali peccato, sufficienter tollitur fictio, & talis obex, si post susceptum baptismum non peccavit mortaliter; ergò jam relinquitur locus baptismo, ut suum possit producere effectum. Consequentia patet, quia in tali casu opus non est Sacramento pœnitentiæ, cùm supponamus omnia peccata antè baptismum esse perpetrata, assumptum probatur, quia attritio sufficiens est dispositio in ipso baptismo, ut constat ex dictis disp. 2. cit. quæst. 3. ergo etiam post baptismum si nullum interea accesserit peccati impedimentum; Tùm quia fictio, de qua hic est sermo, cùm sit obex negativus tantùm, in sola carentia dispositionis consistit; ergo posita dispositione tollitur fictio, in casu autem nostro non opus est alia dispositione, quàm attritione; ergo hac posita tolluntur omnia peccata vi solius baptismi.

57 Tertiò Dicendum est, quod si baptismi Sacramentum fuerit susceptum cùm obice positivo, & cum fictione, quæ est cum peccato, tunc necessaria est contritio, vel attritio simul cum Sacramento pœnitentiæ ad tollendam talem fictionem, & ad hoc, ut baptismi Sacramentum suum producat effectum. Hæc etiam conclusio est ferè communis, paucis quibusdam exceptis, qui dicunt hominem in tali casu gratiam posteà recipere virtute novæ contritionis, vel Sacramenti, pœnitentiæ, non autem prioris baptismi. Fundamentum præcipuum est, ut diximus, & latè explicuimus quæst. 6. cit. num. 142. auctoritas D Aug. lib. 1. *de Baptismo contrà Donatistas* cap. 12. & lib. 3. cap. 13. & lib. 6. cap. 5. quæ inserta est in jure his verbis. *Tunc valere incipit ad salutem baptismus, cum illa fictio veraci confessione recesserit, quæ corde in malitia, vel sacrilegio perseverante, peccatorum ablutionem non sinebat fieri*, quam auctoritatem latè explicamus loc. c. Deindè probatur ratione, quia baptismus debet aliquando suum effectum habere, si tollatur obex fictionis, aut impedimenti, aliàs non possent peccata antè baptismum fictè suscepta unquam deleri; non enim deleri possunt per pœnitentiam per se loquendo, & multò minus per alia Sacramenta; nam pœnitentia per se non respicit, tanquam proprium objectum, nisi peccata post baptismum commissa, aut quæ committuntur in ipsa baptismi susceptione, ut omnes fatentur. Tandem probatur, quia neque contritio, neque pœnitentiæ Sacramentum totam pœnam peccatis debitam condonat, nec per se, nec per accidens, sed hoc tantùm convenit baptismo; ergò cùm baptismus iterari non possit, dicendum est peccata jam commissa ex vi præcedentis baptismi dimitti recedente fictione cùm hic effectus baptismi aliundè suppleri non possit, ut loc. cit. fusè demonstramus.

58 Quartò dicendum est, quod estò in casu proposito præcedentis asserti peccata baptismum præcedentia tollantur vi baptismi præcedentis sublata fictione per contritionem, vel pœnitentiam; ipsa tamen fictio, & sacrilegium per ipsam commissum in susceptione baptismi non tollitur in virtute baptismi, sed virtute contritionis, vel pœnitentiæ. Hæc etiam assertio est Scoti loc. cit. in qua omnes convenire videntur; & primò probatur ex Concil. Trid. sess. 6. can. 14. ubi asseritur peccata post baptismum commissa non posse per baptismum deleri, sed per pœnitentiam. Deindè probatur ratione, nam cum peccatum in ipsa susceptione baptismi commissum, & post ipsam susceptionem perseverans sit posterius baptismo saltem natura; quia est sacrilegium commissum ob indignam baptismi susceptionem, non potest deleri, nisi per Sacramentum pœnitentiæ, vel per contritionem; ergò posita contritione, vel attritione cum Sacramento pœnitentiæ directè deletur peccatum in susceptione baptismi commissum. Demum probatur, quia, ut inquit doctor, tale fictionis peccatum per se, ac directè opponitur ipsi baptismo, & ejus effectui: est enim formaliter injuria, & irreverentia in Sacramentum, & est impedimentum baptismalis effectus; ergo per ipsum baptismum auferi nequit, sed alio adæquato remedio tolli debebit, qua fictione sublata totum suum effectum baptismus habebit quo ad reliqua peccata ipsum præcedentia. Hoc idem asserendum esse inquit Doctor l. c. infrà D. etiam de peccatis baptismum concomitantibus, ut si v. g. contingat, quod quis in ipsa actuali susceptione baptismi habeat voluntatem furandi, aut fornicandi, aut odii, vel invidiæ &c. talia nimirum peccata baptismum concomitantia modo prædeclarato virtute contritionis, vel pœnitentiæ dimitti, sicut dimittitur ipsa fictio, non virtute baptismi; quod etiam tenent Conincbius, Caspensis, & alii Receniores; & probant ratione à Scoto insinuata; communiter enim abomnibus conceditur ideò indignam baptismi susceptionem non posse posteà per ipsum dimitti, quia directè impedit effectum ejus, ac ei irreverentiam inefrt; non enim probabilem videtur Sacramentum esse institutum ad remittendum illud peccatum, quod ejus vim enervat, effectum impedit, eique directè opponitur, & irreverentiam infert; undè neque pœnitentia tollit peccatum in actu ipso pœnitentiæ commissum hoc enim beneficio privatur, qui ei injuriam infert, sicut qui violat Ecclesiam, beneficio privatur immunitatis Ecclesiasticæ; sed alterum peccatum sacrilegæ fictioni conjunctum in casu posito eodem modo virtuti baptismi opponeretur, ejus effectū impediret, & injuriam inferret; ergò per ipsum remitti non potest. Minor probatur, quia indigna Sacramenti susceptio ideò ejus virtutem directè impedit, quia debitæ dispositioni directè repugnat; atqui quodvis aliud peccatum mortale durans in susceptione Sacramenti usque ad ultimum ejus instans debitæ dispositioni directè repugnat, imò ad ipsam sacrilegam fictionem attinet, quia omne peccatum, quod fit contrà dignam Sacramenti susceptionem, integrat fictionem; ergò pariter impedit ejus virtutem, ac proindè ejus virtute remitti non potest. Ex quo sequitur tum ipsam baptismi indignam susceptionem, quàm aliud quodlibet peccatum illam concomitans, posteà speciatim in confessione explicandum esse; quia per baptismum remitti nequeunt, ut q. cit. prosequimur nu. 150.

59 Quintò, ex hoc deduximus qu. cit. nu. 153. Sacramentum baptismi reviviscens quandoque gratiam conferre, ut causam totalem, quandoque verò, ut partialem tantùm, quando reviviscit per solam attritionem, & per ablationem obicis negativi tantùm, tunc solus totam gratiam confert, ut constat ex dictis conclusione secunda nu. 56. quia in eo casu nihil est aliud, quod possit gratiam causare. Quando verò reviviscit per Sacramentum pœnitentiæ in ablatione obicis positivi, ut in casu conclusionis tertiæ n. 57. simul natura cum eo confert gratiam, ut causa partialis, & quidem majorem, quàm unumquodque seorsim per se conferret, quia utrunque Sacramentum vim habet causandi certam gratiam, nec unum alterius vim impedit. Ità Doctor qu. 5. citat. lit. D. ubi ait quod ad justificandum fictum post fictionem concurrunt pœnitentia, & baptismus, ut causæ partiales quarum quælibet respicit objectum suum, baptismus enim respicit originale, & actualia, sivè propria antè ejus susceptionē commissa, pœnitentia verò omnia alia, quæ fuerunt causa fictionis, vel post baptismum commissa. Et ratio est, quia tunc nec baptismus potest gratiam conferre ex se solo, cum peccata post se commissa remittere nequeat; nec pœnitentia potest peccata delere antè baptismum commissa, quia ei non subjacent. Et cùm ex alia parte nequeat gratia infundi sine peccatorum remissione, nec unum peccatum possit sine alio remitti, sequitur neutrum Sacramentū posse habere effectum sine alio, sed suum effectum conferunt simul dependentur à se mutuo, seù cum mutua dependentia unius ab alio, sicut duo idem levant pondus, quod neuter seorsim levare poterat. Ità discurrit Doctor loc. cit. Plures autem instantias Vasquez disp. 159. cap. 3. vide solutas qu. 6. cit. art. 2 contrà præcedentem doctrinam.

60 Postremò quærunt hìc Theologi, An Circumcisio, quæ olim apud populum Judaicum divinitùs instituta fuerat, peccati originalis remissionem, & gratiam sanctificantem ex opere operato contulerit. Negant Thomistæ communiter cum D. Thoma quæst. 70. art. 4. quod probant ex Concil. Florentino in decreto Eugenii, ubi dicitur. *Sacramenta legis antiquæ non causasse gratiam, sed eam solùm per passionem Christi dandam figurasse*. Affirmantem sententiam jam ex instituto defendimus 4. disp. 1. *de Sacramentis in genere* q. 2. art. 3. ubi concluf. 1. diximus Circumcisionem non solùm fuisse à Deo institutam in signum populi hoc charactere signati, sed etiam in remedium originalis culpæ pro parvulis, ut docet Scotus 4. d 1. qu. 6. ab initio ex pluribus Patribus præsertim ex August. lib. 3. *contrà Julianum* capit. 18. & lib 5. cap. 9. & cap. 2. de gratia, & peccato orignali cap. 30. lib. 16. *de Civitate Dei* ca. 27. l. 4. *de baptismo* c. 24. & alibi frequenter, quod deducit ex ipsamet institutione Circumcisionis Genes. 17. *Masculus, cui præputii caro circumcisa non fuerit, delebitur anima ejus de populo*, quem locum ità interpretatur Aug. cum aliis Patribus, quia parvuli originali culpa vulnerati, nisi per Circumcisionem ejus remissionem obtinebant, damnabantur. Deindè concluf. 2. ibidem diximus cum Doctore loco citato, Circumcisionem gratiam contulisse ex opere operato, quod necessaria sequitur ex præcedenti asserto, semel enim concesso, quod Circumcisio instituta fuerit ad delendum originale peccatum, statim sequitur, quod gratiam contulerit, non enim aliter de potentia ordinaria peccatum originale deleri potest, quàm per gratiæ collationem, ut omnes concedunt; quod verò eam contulerit ex opere operato, probatur etiam auctoritate Patrum qui manifestè eandem causalitatem, & eundem tribuunt causandi modum circumcisioni, & remedio legis naturæ quàm baptismo respectu gratiæ, undè D. Gregor. libr. 5. Moral. capit. 2. inquit. *Quod apud nos valet aqua baptismi, hoc*

egit

egit pro iis, qui de Abrahæ stirpe prodierunt, mysterium Circumcisionis. Probatur etiam ratione, quia circumcisio effectum justificationis habebat parvulis applicata absque bono, vel meritorio opere ministrantis, si quidem etiam ab infideli poterat conferri, ac ex pravo fine validè, si facere intendisset, quod Ecclesia, vel congregatio fidelium intendebat ex D. Aug. lib. 1. contrà Cresconium cap. 31. & epist. 103. ubi ait Circumcisionem à Samaritano collatam fuisse validam non minus, quàm nunc sit baptismus ab Hæretico collatus; cum ergo ex opere operantis gratiam non conferret, sequitur, eam contulisse ex opere operato, si quidem alius modus non datur in productione gratiæ, nisi ut intuitu meriti suscipientis, vel ministrantis, aut virtute ipsius Sacramenti conferatur. Ad auctoritatem verò Concilii Florentini adductam jam responsum est quæst. 2. cit. a. 4. n. 90. ex doctrina Scoti q. 6. c. lit. I. Concilium esse locutum de Sacramentis Mosaicæ legis, atque propriè dictis, atque ideò sub iis Circumcisionem non comprehendisse, quia antè legem Mosaicam per multos annos instituta fuit, undè D. Paulus etiam dixit Circumsionem non fuisse ex lege, sed ex Patribus, ideoque securè dici potest non fuisse saltem præcisè veteris legis Sacramentum, nec sub illius legis Sacramenti per se includi, atque ità neque cum eis connumerari debere, nisi veluti per accidens, quatenus in lege Moysis inserta fuit, & confirmata; alioquin de se erat Sacramentum, & remedium legis naturæ, inquantum erat quædam determinatio illius remedii in populo Hebræo. Quod autem sit discrimen inter vim Circumcisionis, & baptismi ad conferendam gratiam jam diximus qu. citat. concluf. 3. quod Circumcisio non habet vim justificandi adultos ab actuali peccato, ut habet baptismus, sed tantum parvulos ab originali, nec vim habuit augendi gratiam quando applicabatur homini prius justificato, ut facit baptismus, ut Scotus docet dist. 1. q. 6. cit. lit. I.

QUÆSTIO QUINTA.

De Sacramento Confirmationis.

61 QUoniam Confirmationis Sacramentum specialiter institutum est, ut roborentur baptizati in spirituali militia Christi ad fortiter pugnandum, tùm interius contrà tentationes, tùm exterius in quibuivis casibus etiam cum discrimine vitæ, si opus sit; pro conservatione fidei in baptismo receptæ, quam baptizati conservare professi sunt, ut constabit inferius agendo de hujus Sacramenti effectibus, qua ratione dici solet complementum, & perfectio gratiæ baptismalis; convenienter post baptismum in præsenti, & hac ultima quæstione de Confirmatione agendum est.

ARTICULUS PRIMUS.

De nomine, & essentia Confirmationis, ejusque institutione, ac necessitate.

62 PRimò, ut à nomine inchoemus, per hoc nomen Confirmationis intelligitur in Ecclesia ritus ille, quo Episcopus baptizati frontem sacro Chrismate ungit sub certa verborum forma, qui ritus licet à SS. Patribus diversis nominibus appellari soleat, nam à S. Clemente epist. 4. *Consignatio*, vocatur, à S. Cypriano epist. 73. ad Jubanianum *Signaculum Dominicum*, à S. Augustino l. 2. *contra Petilianum* c. 104. *Sacramentum Chrismatis*, & aliter ab aliis; communi tamen nomine, & magis usitato in Ecclesia vocari solet *Confirmatio*, quod nomen, ut Abellius advertit ca. 3. *de Sacramento Confirmationis* sec. 1. ante 1200. annos usurpatum reperitur à S. Melchiade Pontifice in Epistola sua decretali ad Episcopos Hispaniæ, ubi ait, quod *Confirmatio armat, & instruit nos ad agonem vitæ istius.* Quod autem spectat ad essentiam, & quid rei, communiter definiri solet, ut notat Bonac. disp. 3. punc. 1. quod Confirmatio est Sacramentum, quo homo viator baptizatus injungitur in fronte ab Episcopo cum Chrismate, & præscripta verborum forma ad fidei robur consequendum; in qua definitione quatuor causarum genera exprimuntur, ac etiam subjectum istius Sacramenti capax, quod est homo vivens in hoc mortali corpore, per particulam *injungitur* indicatur causa materialis proxima, quæ est unctio, per aliam *cum Chrismate* indicatur materia remota, quæ est Chrisma, per aliam *ab Episcopo* indicatur causa efficiens ministerialis hujus Sacramenti, dicitur: *sub præscripta verborum forma* ad denotandum causam formalem, quę in Verbis ab Episcopo prolatis continetur; additur tandem *ad fidei robur consequendum*, ut effectus, & causa finalis hujus Sacramenti ostendatur. Quam definitionem adhuc magis explicat Scotus noster 4. d. 7. qu. 1. ab initio, dùm inquit, quod Confirmatio, seù Sacramentum Confirmationis est unctio hominis viatoris aliqualiter consentientis, vel libero arbitrio nunquam usi, facta in fronte in figura Crucis cum Chrismate sanctificato, & hoc à Ministro idoneo simul cum intentione debita injungente, & verba certa proferente, significans efficaciter ex institutione divina unctionem animæ per gratiam roborantem ad confitendum cum constantia fidem Christi.

63 Secundò, certum est, ac de fide Confirmationem esse Sacramentum novæ legis à Christo Domino institutum, ut jam diximus 4. disp. 2. cit. q. 8. de Sacramento Confirmationis ab initio; ità enim definitum est in Concilio Florentino in decreto de unione Armenorum §. *Secundum*, & posteà in Tridentino sess. 7. cap. 1. *de Sacramentis in genere*, & can. 1. de Confirmatione, quæ veritas manifestè etiam colligitur ex scriptura Actorum 8. *Tunc imponebant manus super illos, & accipiebant Spiritum Sanctum*, ubi Eugenius Quartus in Florentin. cit. per manus impositionem intelligit Chrismatis unctionem, & per accipere Spiritum Sanctum intelligit donum gratiæ sanctificantis, & sic etiam explicatum fuit in Conc. Senonensi decreto 10. his verbis: *Qui tunc impositionis manum, tunc Confirmationis appellatum est Sacramentum*, & eodem sensu hunc locum explicant D. Hieronymus in Dialogo adversus Luciferianos, & D. Cyprianus epist. 73. ad Jubajanum. Et ex hoc eodem loco evidenter colligitur hoc Sacramentum esse à baptismo condistinctum, ait enim sacer textus de Apostolis loquens. *Qui cùm venissent, oraverunt pro ipsis, ut acciperent Spiritum Sanctum, nondùm enim inquemquam illorum venerat, sed baptizati tantùm erant in nomine Domini Jesu.* Et quamvis neque ex hoc loco, neque ex ullo alio Sacræ Scripturæ institutio hujus Sacramenti efficaciter deduceretur, ut quidam Hæretici contendunt, adhuc id non obstaret, ut inquit Scotus d. 7. citat. quæst. 1. infrà C. supponitur enim adhuc institutum esse à Christo, licet tempus, & modus hujus institutionis in scriptura non legatur, fortè quia historiographi scripturam usque ad tempus illud non produxerunt non enim produxerunt ultrà tempus Apostolorum; nec enim est improbabile, inquit Doctor multa esse tradita auctoritativè à Christo Ecclesiæ per Apostolos, quæ tamen in scriptura non legimus, ut dicit Damascenus libr. 4. capit. 4. & plura de fide credimus, quæ ex scriptura non constat, sed ex perpetua Ecclesiæ traditione juxtà illud Pauli 2. ad Tessalon. 2. *Tenete traditiones, quas didicisti, sivè per sermonem, sivè per epistolam nostram*; hujus autem Sacramenti institutio ex perpetua Ecclesiæ traditione nobis constat, quam nobis scriptam plures reliquerunt Pontifices, & Patres, quos latè referunt Bellarminus in hoc loco cap. 3. Suarez disp. 32. sec. 1. Amicus disput. 13. sec. 1. & alii Recentiores passim, ex quibus Patrum testimoniis præclarum præsertim est illud Augustini l. cit. ubi ait, quod *Sacramentum chrismatis in genere visibilium signaculorum sacrosanctum est, sicut ipse baptismus.*

64 Tertiò, quo autem tempore hoc Sacramentum fuerit à Christo Domino institutum, quamvis aliqui, ut ait Suarez disp. 32. citat. sec. 2. censeant fuisse institutum post Christi Domini resurrectionem, cùm Apostolis plenitudinem Episcopalis potestatis in corpus mysticum Ecclesiæ suæ contulit illis dicens: *Sicut misit me Pater, & ego mitto vos*; communis tamen, & probabilior sententia est, ut diximus quæst. 8. cit. quod in nocte cœnæ fuerit à Christo Domino institutum, undè promanavit consuetudo sacrum Chrisma conficiendi in die Cœnæ Domini, quæ quidem semper in Ecclesia servata est, & adhuc servatur. & hanc sententiam expresè tradidit Fabianus Papa epist. 2. c. 1. dùm ait. *In illa die Dominus Jesus postquam cœnavit cum Discipulis suis, & lavit eorum pedes, sicut à Sanctis Apostolis prædecessores nostri acceperunt, nobisque reliquerunt, Chrisma conficere docuit*, ubi per Chrisma Sacramentum Confirmationis intelligitur, quod totum posteà confirmavit etiam Catechismus Romanus de Sacramento Confirmationis, ubi tamen advertendum est, quod licet ea nocte Apostolos docuerit Chrisma conficere, satis tamen probabile est nemini eorum tunc temporis datam esse potestatem conferendi hoc Sacramentum, quia nondum Apostoli in ultima Cœna instituti erant Episcopi, ad quos tantùm spectat hoc ministrare Sacramentum sed Christum id Apostolis contulisse post resurrectionem Joan. 20. cùm dedit eis plenariam potestatem ordinis Sacerdotalis, & Episcopalis, quando dixit: *Accipite Spiritum Sanctum, &c.* per quod etiam conciliari possunt allatæ opiniones dicendo cum Coninchio, Aretino, Bonacina, & aliis institutionem Sacramenti Confirmationis inchoatam fuisse in die ultimæ cœnæ, cùm ibi instituta fuerit materia, & forma; completam verò fuisse hujus Sacramenti institutionem post Christi Domini resurrectio-

rectionem Joan. 20. cum data fuit Apostolis plena potestas ordinis Sacerdotalis, & Episcopalis. Nullatenus admittenda est opinio quorundam dicentium hoc Sacramentum fuisse institutum Matth. 19. quando Christus parvulis imponebat manus; cum enim parvuli nondùm essent baptizati, verisimile non est tunc institutum fuisse Confirmationis Sacramentum, quod baptismum supponit, sed ibi potiùs designatum, & significatum fuisse.

65 Quartò quod spectat ad obligationem hujus Sacramenti suscipiendi, satis constat ex dictis 4. disput 1. *de Sacramentis in genere* quæst. 10. art. 3. num. 369. Sacramentum Confirmationis non esse necessarium necessitate medii neque præcepti; non quidem necessitate medij, quia cum sit Sacramentum vivorum, & institutum ad dandum secundam gratiam, seù gratiæ augmentum, apertè deducitur non esse necessarium necessitate medii, quia gratiæ augmentum non est medium ad salutem simpliciter necessarium, cum sine illo salus haberi possit, & experientia constat plures salvari sine confirmatione, ut patet in infantibus baptizatis ante susceptam Confirmationem ex hac vita decedentibus, undè concludit Scotus dist. 6. cit. qu. 2. hoc non esse Sacramentum simpliciter necessarium ad salutem juxtà illud Marci ultim. *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit*, & de Consecr. dist. 5. ubi habetur, quod baptizatus per solum baptismum salvetur. Neque jam est necessarium necessitate præcepti, quia nec ex scriptura, nec traditione, neq; fine, aut institutione Sacramenti tale præceptum colligitur; quamvis enim confirmatio vires tribuat, & robur ad profitendam, & confitendam fidem; nihilominus hujusmodi vires per alia media adhuc obtineri possunt, ut mediis orationibus, confessione, & Eucharistia, undè neque Ecclesia urget ejus susceptionem ullis pœnis. Ex quo fit, ut qui confirmationem sponte omittit non peccet mortaliter secluso contemptu, vel alia circumstantia, quod notanter additur, quia obligatur adultus, ut ait Doctor loco cit. ad non contemnendam hujus Sacramenti susceptionem, sicut habetur extrà de sent. excom. ubi dicitur in Glossa, quod non est plenè Christianus, qui contemnit, & in hoc sensu explicat id, quod habetur de consecr. dist. 5. ubi dicitur quod omnes fideles per manus impositionem Episcoporum post baptismum Spiritum Sanctum suscipere debent, ut pleni Christiani inveniantur; loquitur enim de adulto, inquit Doctor, qui debet suscipere, idest, non contemnere, & pro tempore congruo suscipere in effectu; judicaretur enim contemptus, si omnimoda opportunitate oblata non susciperetur: quam Scoti doctrinam amplectuntur etiam Toletus, Sylvester, Abellius, Layman, & alii ab ipso citati cap. 5. de Confirmatione, qui existimant proximè ad contemptum accedere, si quis non curaret hoc Sacramentum suscipere, oblata illius suscipiendi opportunitate, quam posterum non ad futuram prævideret.

66 Denique Abellius cap 3. cit. sec. 4. cum Isamberto dist. 7. art. 1. asserit in iis locis, ubi viget, aut imminet persecutio contrà Ecclesiam, teneri quemlibet adultum, si Episcopum commodè adire possit, hoc Sacramentum suscipere, ut ex illo robur, & vires ad fidem constanter profitendam acquirat, sicut, & illū qui graves contrà fidem experiretur tentationes, quas per hujusmodi Sacramenti virtutem se posse tantummodò superare existimaret; undè non satis mihi probatur, quod ait Bonacina disp. 3. cit. punct. 2. num. 2 qui confirmationem sponte omittit, non peccare mortaliter secluso contemptu, etiamsi omittat, quando fidem protestari debet coram Tyranno; non inquam, mihi satis probatur, quia omissio Confirmationis in tali casu saltem proximè ad contemptum accedit. Et sic etiam sentire videtur Busembaus in sua Medulla Theologica lib. 6. tract. 1. cap. 2 dub. 3. ubi ait, quod non ex solo contemptu, sed etiam ex aliqua alia circumstantia confirmatio aliquando potest esse necessaria ad salutem ex præcepto charitatis sui, vel proximi, vel alio v.g. ad cavendum scandalum, vel ratione conscientiæ, qua quis valdè metuit, ne in tormentis deficiat sine hoc Sacramēto.

ARTICULUS SECUNDUS.

Quænam sit materia, & forma Sacramenti Confirmationis.

67 CONveniunt Catholici omnes, ut diximus qu. 8. cit. art. 1. & 2. materiam remotam hujus Sacramenti esse Chrisma ex oleo olivarum, & balsamo confectum, & ab Episcopo benedictum, proximam verò esse ipsius Chrismatis unctionem in fronte suscipientis ab Episc. factam in figura Crucis; formam verò consistere in his verbis, quę ab Episcopo proferuntur: *Signo te, vel configno te signo Crucis, & confirmo te Chrismate salutis in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*; ità D. Tho. qu. 72. art. 2. & 4. & Scotus noster loc. cit. dist. 7. qu. 1. ab initio, & constat tùm ex Conc. Florent. in decreto Eugenii, tùm ex Catechismo Romano p. 2. cap. 3. ac etiam ex ipso usu, & praxi Ecclesiæ; undè licet non habeatur in sacris litteris expressum, tamen ex communi P. P. & Theologorum consensu, ac etiam ex traditione ipsa Ecclesiæ, & praxi satis constat, quæ etiam sufficit ad reddendam rem tanquam de fide certam. Et quidem quantum ad materiam proximam, quod in unctione consistat, nomen ipsum Chrismatis ostendit, quo hoc Sacramentum solet etiam communiter appellari, nam Chrisma græcè est latinè unctio, & Paul. 2. ad Corint. 1. inquit: *Qui confirmat nos Deus, & unxit nos*. Quod verò ad materiam remotam spectat ejus convenientiam explicat Doctor qu. cit. in fine hac ratione, quia nimirum Chrisma habet similitudinem cum effectu hujus Sacramenti, oleum enim nitorem habet, & supereminet cęteris liquidis, & est materia proxima incendii; per primum significat castitatem; vel munditiam, per alia duo significat charitatem, & balsamum, quod habet bonum odorem, significat bonam famam juxtà illud 2. Corint. *Christi bonus odor sumus*, balsamo etiam corpora mortuorum condiuntur, ne putrefiant, ideò significat incorruptionem; per illam ergò materiam, scilicet Chrisma ex oleo, & balsamo confectum significatur, quod confirmatus debet habere munditiam, & charitatem, & bonam famam, quia sine istis non est multum authentica confirmatio fidei Christianæ. Demum de sufficientia formæ dubitari non potest, cùm Ecclesia in doctrina Sacramentorum errare nequeat, ut notat Doctor dist. 6. quæst. 8. de charactere ex cap. *Ad abolendum* de hæreticis, & ejus sufficientia patet, quia exprimit materiam proximam, & remotam, causam instrumentalem, & principalē, & deniq; subjectum, & effectum hujus Sacramēti, ut patet discurrenti per singulas particulas, & declarat Doct. loc. c. sed quia in hac materia aliquæ difficultates occurrunt qu. cit. accuratè discussæ, ex earum resolutione ibi tradita aliqua sunt hìc observanda ad clariorem, & certiorem hujus veritatis intelligentiā.

68 Primò itaque quia antiquiores quidam dixerunt solam Episcopalis manus impositionem esse materiam essentialem hujus Sacramenti, quod probant ex facto Apostolorum, qui ut legitur Act. 8 & 19. per solam manuum impositionem hoc Sacramentum ministrabant nulla mentione facta de Chrismate, aut alia materia; hìc observandum est, nullam manuum impositionem ab ea condistinctam, quæ requiritur in ipsa sacri Chrismatis unctione, esse essentialem hujus Sacramenti materiam, ut Scotus docet loc. c. in solutione ad primam objectionem sub litt. C. & fundamentum habet in Conc. Florent. cit. ubi Eug. IV. in decreto unionis Armentorum dicit, *looo illius manus impositionis Apostolicæ dari nunc in Ecclesia Confirmationis Sacramentum* hoc est sacri Chrismatis unctionem, undè in Pontificali Rom. hujus manus impositionis nulla prorsus fit mentio præter eam, qua Chrismatis unctio in modum Crucis applicatur in fronte confirmandi, & eadem planè veritas ex ritu etiam græco colligitur, in quo præter Chrismatis unctionem nulla alia manus impositio adhibetur. Ad objectionem ex facto Apostolorum desumptam ab initio nascentis Ecclesiæ respondent Bellarminus, Vvaldens. Hugo, & alii impositionem manuum, cujus fit mentio in actis Apostolorum, aliam non fuisse, quàm unctionem Chrismalem, cùm Apostoli non ungerent, nisi imponendo manus, ac proindè illam manuum impositionem semper conjunctam fuisse cum Chrismatis unctione; quæ responsio admitti posset, ut diximus loc. cit. nisi obstaret auctoritas Conc. Florent. in decreto cit. dum ait loco manus impositionis, qua utebantur Apostoli ab initio nascentis Ecclesiæ, successisse posteà in Ecclesia confirmationem, hoc est Chrismatis unctionem; quibus verbis expressè significatur aliam fuisse manus impositionem; quam tunc Apostoli adhibebant, ab ea qua nunc utitur Ecclesia, alioquin non benè diceretur loco illius nunc successisse Chrismatis unctionem, ut una res propriè alteri succedere dicatur, debet esse ab ea diversa, cùm nulla res sibi succedere dicatur. Ac proindè diximus meliorem esse Scoti responsionem loco cit. hoc fecisse Apostolos ab initio nascentis Ecclesiæ ex singulari dispensatione, & speciali Christi privilegio pro eo solùm tempore, quo Spiritus Sanctus suprà fideles sub visibilibus signis descendebat, ac proindè tunc necessaria non erat sensibilis materia Sacramentalis; quando verò hujusmodi signa visibilia cessarunt, usi sunt Apostoli Chismate in hujus Sacramenti collatione, quam expositionem dedit etiam Div. Thomas quæst. 62. cit. art. 2. & ulterius addendum est, quòd quando manuum impositione utebantur, non erat Sacramentum, sed ex speciali dispensatione eo modo conferebant rem hujus Sacramenti, scilicet, Spiritum Sanctum, seù eius gratiam, quando verò cessantibus illis miraculis ab initio Ecclesiæ necessariis ad fidem introducendam, utebantur unctione Chrismatis, & conferebant gratiā Spiritus Sancti, tunc Confirmatio illa erat Sacramentum, ut loc. cit. fusiùs explicamus.

69 Secundò observandum est ex dictis q.2. n.223. ad substantiam hujus Sacramenti necessariò requiri Chrisma compositum ex oleo olivarum, & balsamo; ità enim expressè docent D Bonav. 4. d. 7. part. 1. q. 2. Alensis, & D. Tho. & Scotus loc. cit. dum ait materiam remotam hujus Sacramenti esse Chrisma compositum ex oleo olivarum, & balsamo, & hoc quidem de necessitate Sacramenti, ut explicant ibi Scotistæ omnes cum omnibus ferè Recentioribus; paucis quibusdam exceptis, qui cum Cajetano dixerunt ad validitatem Confirmationis solum oleum sufficere posse, nec mixtionem balsami requiri, nisi ex Ecclesiæ præcepto, eo modo quo in Sacramento Eucharistiæ commixtio aquæ in calicem est de præcepto; quia Eugenius IV. in suo decreto in Concil. Florent. ità dixit aquam debere vino admisceri in Sacramento Eucharistiæ, sicut balsamum oleo in Confirmatione; sed hoc non obstante vinum sine aqua est materia sufficiens in Eucharistia; ergò sic pariter oleum in Confirmatione sine balsamo; tùm quia materia Sacramentorum debet esse communis, & facilis, nec constitui debet in liquore pretioso, & raro, qui non facilè invenitur, cujusmodi est balsamum; debet etiam esse clara, & certa, de qua nemo dubitare possit, ut patet in materia Baptismi, Eucharistiæ, & aliorum Sacramentorum, at difficile est invenire verum, & genuinum balsamum, & in omnium sententia facilimè illud adulterari potest. At hæc opinio non satis probabilis videtur, ut loc. cit diximus, cum Concilia, & Patres, ut habetur in Catech. Rom. suprà, perpetuò docuerint hoc Sacramentum per Chrisma, seu unguentum ex oleo, & balsamo confici oportere, quod expressis verbis præsertim declaravit Concil. Florent. cùm absolutè doceat loc. cit. materiam hujus Sacramenti esse Chrisma ex oleo, & balsamo confectum; undè omninò falsum est eodem modo locutum esse Concilium de mixtione aquæ cum vino in calicis consecratione, & mixtione balsami cum oleo in Confirmatione; nam loquendo de materia Eucharistiæ vinum de vite absolutè dicit esse materiam, cui posteà addit ratione mysterii aquam debere misceri, quæ verba denotant solum vinum esse materiam, & posteà addendam esse aquam veluti de necessitate præcepti; materiam verò Confirmationis ait esse non solum oleum, cui admisceatur balsamum, sed Chrisma ex oleo, & balsamum confectum. Nec opus fuit materiam hujus Sacramenti esse ità obviam & communem, ut est materia aliorum, quia non est tantæ necessitatis ad salutem sicut alia, cùm non sit necessarium necessitate medii, neque præcepti; & cùm balsamum in modica quantitate sufficiat, facilè haberi potest præsertim indicum, quod in magna copia ex India defertur; & pro materia hujus Sacramenti sufficit quodlibet balsamum, sivè perfectum, quale dicitur esse Syriacum, sivè imperfectum, quale reputatur Indicum, ubi nascitur in magna copia, hoc enim quoque sufficit ad hujus Sacramenti materiam, ut patet ex declaratione Pauli Tertii, & Pii Quarti, & parum ad hoc refert, quod sit ejusdem, vel alterius speciei cùm Syriaco, sicut nec refert de diversis vini speciebus pro materia Eucharistiæ; de quo alia plura vide l.c.

70 Tertiò tandem observandum est, ad substantiam quoque hujus Sacramenti requiri, ut Chrisma sit ab Episcopo benedictum, ut docet D. Thomas cit. art. 3. & Scotus d. 7. q. 1. sub lit. D. & constat ex Concil. Florent. citat. in prædicto decreto de unione Armenorum; tùm ex Innocentio I. Epist. 29. ad Decentium, tùm etiam ex communi, & perpetua Ecclesiæ praxi. Ratio autem cur materia hujus Sacramenti debeat necessariò esse benedicta, ut Sacramentum validè conferatur, assignatur à Soto loc. cit. eò quia Christus contactu suæ carnis mundissimæ omnem aquam consecravit in usum baptismi non sic autem materiam illam Confirmationis, & ideò requiritur hìc specialis consecratio, & sanctificatio, quod etiam inquit esse rationabile magis hìc, quàm ibi, quia baptismus est Sacramentum necessitatis, & ideò potest à quocunque Ministro conferri, & rationabile est, quod in aqua non consecrata, alioquin materia conveniens non posset esse communis, & impediretur salus multorum. Ità Doctor loc. cit. qua ratione utitur etiam Catechismus Romanus ad hoc idem probandum. Ex qua doctrina facile reiicitur quorundam opinio asserentium consecrationem Episcopi esse necessariam necessitate tantùm præcepti, non verò Sacramenti; quod probant, tùm quia hæc Chrismatis benedictio est aliquod Sacramentale ab Ecclesia institutum, sicut benedictio aquæ baptismalis; tùm quia eodem Chrismate ab Episcopo benedicto inungitur baptizandus, & confirmandus; sed respectu baptizandi est pura cæremonia ab Ecclesia instituta; ergò etiam respectu confirmandi. Ità Paludanus, Capreolus, Cajetanus, Soto, Palatius, Valentia, & quidam alii. Sed facilè solvitur, ut dicebam, hujus sententiæ fundamentum ex prædicta Scoti doctrina assignando disparitatem de benedictione Chrismatis, & aquæ baptismalis; ideò enim benedictio aquæ baptismalis, sicut etiam benedictio Chrismatis, quo baptizandi unguntur, est Sacramentale quoddam, quia talis benedictio non fuit à Christo instituta, sed ab Ecclesia ordinata, & consequenter sine illa validus potest esse baptismus; at benedictio Chrismatis, quo ungitur confirmandus, est ab ipso Christo instituta, ut constat ex Concil. citat. & ideò sine ipsa validum esse nequit Confirmationis Sacramentum. Ità discurrimus q. 8. cit. n. 227. quibus nunc addimus cum Abellio, & Jamberto loc. cit. nullam certam benedictionis formulam à Christo Domino fuisse determinatam, illudque solumodò decrevisse, ut Chrisma benediceretur ab Episcopo, modum verò benedicendi Ecclesiæ arbitrio reliquisse, qua Episcopus uti debet. An vero saltem per dispensationem Pontificis possit Chrismatis consecratio simplici Sacerdoti committi, vide q. 8. cit. n. 228.

ARTICULUS TERTIUS.

De Ministro, & susceptore Confirmationis, ac ejus effectibus.

17 PRimò conveniunt DD. tanquam in dogmate de fide, ut jam diximus q. 8. cit. art. 3. ordinarium hujus Sacramenti Ministrum esse solum Episcopum, ità enim definitum est in Concil. Constantiensi sess. 8. & in Florent. ab Eugen. IV. in suo decreto fidei, cujus rationem reddit ibi, quia de solis Apostolis, quorum vicem tenent Episcopi, legitur, quod per manus impositionem Spiritum Sanctum dabant; quod posteà confirmatum est in Trident. sess. 7. can. 3. dùm inquit, quod *si quis dixerit S. Confirmationis ordinarium ministrum non esse solum Episcopum, sed quemuis simplicem Sacerdotem, anathema sit.* Et non tantùm est ordinarius, ac necessarius minister necessitate præcepti, sed etiam Sacramenti, ut dictum est loc. cit. itaut si simplex Sacerdos propria auctoritate illud conferre tentet, nihil efficiet, quia cùm ex institutione Christi ordinarius Minister ipsius sit solus Episcopus, à quocunque inferiori collatum erit invalidum, qua de causa Concil. Trid. sess. 23. cap. 4. inter alias functiones proprias Episcoporum, quarum functionum potestatem reliqui Sacerdotes ordinis inferioris nullam habent, ponit hanc etiam, scilicet, Confirmationis Sacramentum conferre; quod etiam anteà docuit Innocentius I. epist 29. ad Decentium, ubi ait non ab alio quàm ab Episcopo Confirmationis Sacramentum esse conferendum. Ex quo sequitur, ut diximus loc. cit. à quolibet Episcopo etiam hæretico, & degradato hoc Sacramentum collatum esse validum, & ratio est, quia ad hoc Sacramentum ministrandum validè aliud non requiritur, quàm materia debita, & forma à Ministro habente ordinem Episcopalem ministrata; sed per hæresim, vel degradationem Episcopus ordinem Episcopalem non amittit, cùm hic à Christo pendeat, nec per ullum peccatum tollitur, aut impeditur, quo minus valide, estò non licitè, Episcopales exerceat functiones, ut habetur ex eodem Trid. sess. 7. can. 12. de Sacramentis in genere, talis enim functio est actus Ordinis, nec à Jurisdictione dependet, ut validè fiat.

72 Secundò, addimus tamen ibi num. 245. secundùm communiorem, & veriorem sententiam tùm veterum, tùm Recentiorum, scilicet Alensis, D. Thomæ. D. Bonav. Riccardi, & Scoti q. cit. sub. lit. B. ex commissione, seù delegatione Summi Pontificis Confirmationis Sacramentum posse à simplici Sacerdote ministrari, cujus sententiæ præcipuum fundamentum est factum D. Greg. Papæ lib. 3. epist. 65. & refertur c. *Prevenit*, d. 25. qui tandem permisit, & concessit presbyteris Sardiniæ confirmare, seù Sacramentum Confirmationis conferre; cujus dispensationis meminit Eugenius IV. in Concil. Florent. cit. dicens: *legitur aliquando per Apostolicæ Sedis dispensationem ex rationabili, & urgenti causa simplicem Sacerdotem Chrismate per Episcopum confecto hoc administrasse Confirmationis Sacramentum;* ubi notanter dicitur cum Sacerdote talem dispensationem factam fuisse, quia alteri, vel etiam Diacono tale munus committi non potest, etiam à Rom. Pontifice; dicitur etiam id factum fuisse per Apostolicæ Sedis dispensationem, quia Episcopus, ut communiter DD docent, etiam ad suos subditos non potest committere munus confirmandi simplici Sacerdoti, potest tamen alteri Episcopo per litteras dimissorias; additur tandem simplicem Sacerdotem ex tali dispensatione hoc Confirmationis Sacramentum ministrare posse Chrismate per Episcopum confecto, quia quamvis simplex Sacerdos ex dispensatione Summi Pontificis possit extraordinariè hoc Confirmationis Sacramentum conferre, tamen sacrum Chrisma conficere semper ex perpetua Ecclesiæ praxi Episcopo soli reservatum fuit, ut superius dictum est cum communi Doctorum, & probat Isambertus disp. 2. art. 6. Ex his itaque patet solum Sacerdotibus, & solùm à Summo Pontifice hoc ministerium delegari posse, &

se, & nullum est fundamentum, vel exemplum ad hanc facultatem ulterius extendendam, ut aliqui dixerunt; tota autem difficultas hujus communis sententiæ consistit in explicando, quomodo possit, vel potuerit Pontifex ea, quæ jure divino sunt Episcopi propria, conferre simplici Sacerdoti, cùm Minister spectet ad essentialia Sacramenti; de qua difficultate fusè agimus q. 8. cit. nu. 247. & sequ. An autem ex commissione Summi Pontificis possit etiam simplex Sacerdos Chrisma conficere vide q. 8. art. 1. n. 228.

73 Tertiò, quod spectat ad suceptorem hujus Sacramenti, conveniunt Doctores solum hominem viatorem esse hujus Sacramenti capacem ex illa generali regula, quod omnia Sacramenta sint pro hominibus viatoribus instituta, eo quod soli homines viatores sint novæ gratiæ capaces, ejusque accrementi. Item solos homines baptizatos esse ejusdem Sacramenti capaces, cum baptismus sit janua Sacramentorum faciens baptizatos omnium illorum capaces. Denique omnem hominem viatorem, sivè infantem, sivè adultum, sivè virum, sivè fœminam, sive rationis compotem, sivè amentem esse hujus Sacramenti capacem. & ratio est, quia omnis homo baptizatus est capax effectus illius Sacramenti; ergo etiam & ipsius Sacramenti, etenim qui capax est effectus Sacramenti, est etiam ipsius Sacramenti capax, siquidem Sacramentum est propter effectum. Addunt tamen, quod licet infantes antè usum rationis validè confirmari queant, melius tamen est conferre illis, postquam ad rationis usum pervenerunt, ut recordentur se hoc Sacramentum recipisse, ne iterum recipiant, & usum rationis expectandum esse praxis Ecclesiæ docet. Prætereà dicunt non solùm pueris, sed etiam amentibus, qui antè amentiam petierunt, conferri posse Confirmationis Sacramentum; imò addunt aliqui etiam perpetuo amentibus administrari posse, & moribundis, etiamsi illud anteà non petierint. & ratio est, quia non potest afferri sufficiens ratio, qua ostendatur hos privandos esse gratia habituali, quæ per Sacramentum Confirmationis confertur. Nec obstat istos non esse præliaturos, & fidem prostraturos; hoc enim est per accidens, & perpetuò amentes, ac in periculo mortis existentes non recipiunt hoc Sacramentum ad pugnam, & conflictum, sed ad meritum obedientiæ, & gratiæ augmentum, quod est eis valdè utile, nam effectus hujus Sacramenti est character, & augmentum gratiæ, ut mox dicemus, & nulla in hoc casu est Sacramenti irreverentia, ad hæc enim ritè conferenda sufficit in parvulo, & eadem est ratio de perpetuò amente, sola voluntas Christi, & Ecclesiæ. Ità Bonacina cum pluribus aliis ab ipso citatis disp. 3. qu. un. punc. 4. quod totum etiam innuitur à Scoto in definitione Confirmationis allata, dùm inquit, quod Confirmatio est unctio hominis viatoris aliqualiter consentientis quoad adultum, vel libero arbitrio nunquam usi quoad infantem, & perpetuò amentem.

74 Quartò, quoad spectat ad aliam quæsiti partem de hujus Sacramenti effectibus; quamvis plures enumerari soleant, tres tamen sunt præcipui, & principales ad quos alii reduci possunt. Primus illis cum aliis Sacramentis communis, est nempè augmentum gratiæ sanctificantis; non enim hoc Sacramentum per se institutum est ad dandam primam gratiam, quia illa sola Sacramenta sunt instituta ad dandam primam gratiam, quæ per se instituta sunt ad tollendum originale peccatum, vel mortale; at solus baptismus institutus est ad tollendum originale peccatum, & reliqua, quæ cum eo fuerint conjuncta; ad tollendum verò alia peccata post baptismum commissa solum pœnitentiæ Sacramentum est institutum, ut constat ex Concil. Florent. cit. in decreto Eugenii, & Trid. sess. 7. & 14. ergò Sacramentum Confirmationis neque ad remissionem peccati, neque ad primam conferendam per se institutum est, sed tantùm augmentum ejus. Quo fit, ut hoc Sacramentum per se requirat statum gratiæ in suscipiente, undè nequit adultus cum conscientia peccati mortalis licitè ad illud accedere, quamvis in eo casu caracterem adhuc acciperet, quia hic cum peccato non pugnat; sed solùm in suscipiente requirit virtualem, & interpretativam voluntatem suscipiendi Sacramentum. Secundus effectus hujus Sacramenti proprius, & peculiaris est complementum, & perfectio gratiæ baptismalis, & auxilium quoddam speciale actualis gratiæ tempore opportuno conferendum, ad Christi fidem interius fideliter contrà quaslibet tentationes retinendam, & exterius in quibusvis casibus etiam cum vitæ periculo, si opus fuerit, fortiter profitendam. Ità Doctores communiter, & constat ex decreto Eugenii, & Con. Trid. cit. & anteà docuerat S. Melchiades Papa in ep. cit. ad Episc. Hisp. ubi ait *In baptismo regeneramur ad vitam, post baptismum confirmamur ad pugnam, in baptismo abluimur, post baptismum roboramur.* Cum igitur hoc Sacramentum ex ordinatione Christi ad Christianam religionem tuendam institutum sit, præter augmentum gratiæ habitualis peculiaria confert auxilia suo tempore danda ad hunc effectum facilius consequendum. Tertius denique hujus Sacramenti effectus est character spiritualis, qui per hoc Sacramentum indelebiliter animæ imprimitur, distinctus à charactere baptismali, qua peculiari nota confirmatur insignitus adscribitur in militia Christi. Ità expressè definitum est, tam in Concil. Florent. cit. in decreto de unione Armenorum §. *Quintò*, quam in Tridentino sess. 7. can. 9. & anteà definitum fuerat in Concil. Toletan. 8. can. 7. & etiam in Concilio Cabilonensi 3. can. 27. Quod autem Character Confirmationis à charactere baptismali sit distinctus ex eo patet, quia distincta sunt Sacramenta, sicut quia ordo est Sacramentum distinctum à Baptismo, & Confirmatione distinctum quoque ab illis imprimit characterem; tùm etiam quia character baptismalis, nullum alium supponit in suscipiente characterem, estque prima janua, & omninò necessarius ad alia Sacramenta suscipienda, character verò Confirmationis baptismalem supponit, & ad reliqua Sacramenta necessarius non est.

75 Quintò tandem quæritur quæ dispositio requiratur in adulto ad Sacramentum Confirmationis validè, & fructuosè recipiendo; pro cujus quæsiti resolutione supponendum est ex dictis Confirmationis Sacramentum solis baptizatis validè conferri posse, quia hujus Sacramenti character, ut modò dicebamus, Baptismi characterem supponit, itaut si quis non baptizatus confirmaretur, nihil reciperet, quia Baptismus est janua omnium Sacramentorum. Hoc suppositio in primis certum est ad effectum hujus Sacramenti per se loquendo necessarium esse, ut qui illum recipit, primam gratiam habeat, quia hoc per se institutum est, non ad primam gratiam conferendam, sed tantùm ejus augmentum, ut dictum est; undè qui baptizatus est, si baptismalem gratiam nō amisit sufficienter dispositus est ad effectum hujus Sacramenti recipiendum, nec novam dispositionem necessario requirit, sivè infans sit, vel adultus, si verò post baptismum mortaliter peccavit, per se loquendo indiget contritione, vel attritione cum Sacramento pœnitentiæ, ut dignè hoc Sacramentum recipere possit, ac ejus effectum. & ratio est jam adducta, quia indiget prima gratia ad effectum hujus Sacramenti recipiendum, undè cum eam peccando amiserit, opus est, ut eam prius recuperet, quàm ad effectum hujus Sacramenti recipiendum accedat. Deinde in adulto requiritur consensus, non tantum per modum dispositionis ad effectum Sacramenti, sed etiam per modum intentionis, & voluntatis ad valorem Sacramenti necessariæ undè adultus ratione utens, si ad hoc Sacramentum accedat sine tali consensu, ideſt, nolens confirmari Sacramentum non recipit quia nullus adscribitur militiæ Christi invitus, ut etiam de Baptismo dictum est; non tamen opus est consensum hujusmodi esse actualem, vel virtualem, sed sufficit, quod sit consentiens habitualiter, hoc est ut prius habuerit voluntatem Confirmationis, & post talem consensum non habuerit dissensum contrarium, undè qui talem consensum habuit, nec illum revocavit, si posteà in amentiam incidit, adhuc sufficienter dispositus hoc Sacramentum sucipit; demum si detur adultus ratione utens, qui merè negativè se habeat ad hoc Sacramentum recipiendum, hoc est, non consentiens neque dissentiens tam actualiter, quàm habitualiter, illud validè non reciperet, quia oportet hominem ratione utentem aliquam habere devotionem ad Sacramentum ad hoc, ut illi valeat, aliter enim illud contemnere censetur, ut patet ex dictis de Sacramentis in genere, & de Baptismo quæst. 3. artic. 2. numer. 46. & ex definitione Confirmationis à Scoto tradita, quod est unctio hominis viatoris aliqualiter consentientis quoad adultum. Alia pura de hoc Sacramento videri possunt apud Astesanum nostrum libr. 4. tit. 7.

DISPUTATIO XVIII.
DE SACRAMENTO EUCHARISTIÆ.

1 LURA de ineffabili, & augustissimo Eucharistiæ Sacramento disputavimus libr. 4. sent. disput. 3. & ea præsertim, quæ ad speculationem, & scholasticam doctrinam spectant, sed quia plura etiam omissa sunt ad practicam, & moralem attinentia, ideò pro complemento nostræ Theologiæ moralis hanc sublimem disputationem rursus percurrere opus fuit, addendo alia ad moralem doctrinam spectantia omissa, & ibi pertractata breviter repetendo, & cum majori facilitate eodem ferè ordine, quo in præcedentibus disputationibus usi sumus.

QUÆSTIO PRIMA.

De essentia Eucharistiæ, ac ejus existentia.

2 VAriis nominibus Sanctissimum hoc Sacramentum à Sanctis Patribus nuncupari consuevit, ut Sacramentum corporis, & sanguinis Christi, Sacramentum Altaris, Sacra Synaxis, Communio, & similibus, sed præ cæteris usitatissimum est in Ecclesia Eucharistiæ nomen, quod idem latinè sonat, ac *Bona gratia*, vel quia Christum gratiæ auctorem realiter continet, vel quia futuram gloriam significat, undè & futuræ gloriæ pignus dicitur; vel ad denotandum nos in hoc Sacramento gratias uberrimas, imò & ipsum gratiarum fontem in nobis recipere, & per idem Sacramentum acceptissimas Deo gratias referre posse, ut dicitur in Catechismo Trident. p. 2. cap. 4. Cæterum quovis nomine appelletur hoc venerabile Sacramentum, illud significat, quod à Christo Domino in ultima Cœna institutum est, in quo sub speciebus panis, & vini verè, & realiter, ac substantialiter ejusdem Christi corpus, & sanguis continetur, ut in Concil. Trid. definitum est sess. 13. cap. 1. & 2. ejusque essentia, & existentia in præsenti quæstione est declaranda.

ARTICULUS PRIMUS.

An Eucharistia sit Sacramentum, & in quo ejus essentia consistat.

3 PRimò, quod spectat ad hujus Sacramenti existentiam, & institutionem, supponendum est, tanquam certum de fide, ut Scotus docet 4. d. 8 quæst. 1. Eucharistiam esse verè, & propriè Sacramentum novæ legis à Christo Domino institutum in ultima Cæna, ut habetur Lucæ 22. ubi dedit auctoritatem Apostolis hoc Sacramentum conficiendi dicens: *Hoc facite in meam commemorationem;* & hoc quidem certum est de fide, ut diximus 4. disp. 3. cit. ab initio, tùm ex communi, & perpetua Ecclesiæ traditione, tùm ex pluribus Conciliis, in quibus hæc veritas definita est, ut in Concil. Carthag. 3. can. 29. & in Concil. Lateranens. c. *Firmiter* de Summa Trinitate, & in Concil. Florent. in decreto Eugenii, ac denique in Tridentin. sess. 7. can. 1. & sess. 13. estque veritas adeò manifesta, ut nullus Hæreticorum, qui Sacramenta aliqua novæ legis agnoverunt, hoc negaverint. Cõgruitatem autem, & convenientiam institutionis hujus Sacramenti deducit Doctor, tùm ex fine cultus, & Religionis circa Christum; congruum enim fuit Christum esse nobiscum in tali signo sensibili, ut magis excitetur quilibet ad reverentiam, & devotionem ergà Christum; tùm etiam ex necessitate ipsius Sacramenti, quia congruum fuit, ut post generationem spiritualem, quæ fit in Baptismo, & post augmentum, seu robur, quod in Confirmatione acquirimus ad confessionem, & defensionem fidei, daretur nobis nutrimentum spirituale sub similitudine nutrimenti corporalis, quod præcipuè in pane, & vino consistit. Ex quo tandem deducitur esse etiam Sacramentum ab aliis diversum, quia habet materiam, & formam ab aliis diversam, & diversum modum significandi gratiam, quam confert; quia in Eucharistia datur nobis augmentum gratiæ, non per modum roborantis ad pugnam spiritualem, ut datur in Confirmatione, sed ad nutriendam, & augendam vitam animæ, & ideò sub specie cibi corporei est instituta, ut insinuetur eosdem effectus in anima causare, quos cibus naturalis in corpore causat. Quod verò spectat ad hujus Sacramenti essentiam Scotus loco citato, sic illud definit: *Eucharistia est Sacramentum corporis Christi, & Sanguinis veraciter contenti sub speciebus panis, & vini post consecrationem factam à Sacerdote sub certis verbis cũ debita intentione prolatis ex institutione divina veraciter significans corpus Christi, & sanguinem sub eis realiter contineri*, in qua definitione *Sacramentum* genus definiti denotat, nempè relationem signi in recto; *corporis, & sanguinis* terminum talis relationis, seù significatum; *sub speciebus panis, & vini* denotant materiam conversionis, & fundamentum proximum talis relationis; *post consecrationem* indicat actionem Sacramentalem; *à Sacerdote* ministrum idoneum talis Sacramenti; *certis verbis* formam consecrationis; & tandem *ex institutione divina veraciter significans* modum significandi.

4 Secundò, quoniam ad hoc Sacramentum perficiendum multa concurrunt, & præsertim quatuor, scilicet, consecratio, corpus, & sanguis Christi, species consecratæ, & usus, sivè sumptio Sacramenti, ex quibus primum, & quartum in actione aliqua transeunte consistunt, secundum verò, & tertium in re permanente quæritur, in quibus ex istis omnibus essentia Sacramenti Eucharistiæ propriè, & intrinsecè consistat; Hæretici nonnulli, ut refert Castro de Hæresibus verbo *Eucharistia* hæresi 11. contendunt hoc Sacramentum non in re permanente, sed in re transeunte consistere. Calvinus quidem in solo illius usu, & sumptione, Kemnitius autem tùm in sumptione, tùm in consecratione ipsius, ut refert Bellarminus libr. 4. de Eucharistia; oppositum docent Catholici omnes, & præsertim Scotus quæst. 1. cit. infrà lit. D. ubi inquit quod usus hujus Sacramenti non est Sacramentum, sed quædam dispositio Sacramentalis, seù via, quia hoc Sacramentum applicatur membro Ecclesiæ. & ratio est, quia antè sumptionem Sacramentum est essentialiter integrum, ut habetur ex Trident. sess. 13. cap. 3. & probatur ex verbis consecrationis, quæ antè sumptionem proferuntur, & in instanti terminativo prolationis suam habent veritatem; atque ideò antè illam datur verum Sacramentum; tùm quia hoc Sacramentum non reputatur tale solùm, quando sumitur, & est in ore suscipientis, sed etiam quando in sacrario servatur, defertur ad infirmos, & in processionibus circumfertur, & ut tale adoratur; undè concludit Doctor loco citato, Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum in re aliqua permanenti consistere, & sic corpus Christi Domini post verba consecrationis prolata realiter existens sub speciebus panis, & vini est propriè, & verè Sacramentum, sivè sumatur, sivè in sacrario servetur; undè colligitur hoc Sacramentum ab aliis sex in eo præsertim differre, quod alia Sacramenta in aliqua actione transeunte consistant, scilicet, in applicatione formæ ad materiam, nec proindè existant, nisi cum actu conferuntur, & suscipiuntur; at Sacramentum Eucharistiæ in aliqua re permanenti consistit, ut ait Doctor loco citato. Denique tantò magis certum esse debet nec panem, nec vinum hujus Sacramenti essentiam ingredi, nã materia remota nullius Sacramẽti essentiam ingreditur. Neque gratiam Sacramentalem, quæ nobis media sumptione confertur, quia hæc potiùs est effectus Sacramenti, & ad summum solùm concurrit, ut terminus significationis Sacramentalis; nec etiam consecrationem sumptam pro actione consecrativa, quia Sacramentum Eucharistiæ est res permanens, & non in solo usu consistit, ut cætera Sacramenta, ut suprà dictum est.

5 Tertiò cùm igitur constet tanquam dogma de fide, Sacramentum hoc in re permanenti consistere, disputant Doctores, nùm in solo Christi corpore sub speciebus contento, nùm in solis speciebus, nùm in utroque simul Sacramenti hujus ratio propriè consistat; & est valdè communis opinio inter Recentiores asserentes consistere, tam in speciebus consecratis, quàm in Christi corpore sub iis existente, proindeque Sacramentum Eucharistiæ esse veluti quid compositum ex speciebus consecratis,

cratis, ac corpore, & sanguine Christi Domini; quod probant ex cap. *Hoc est de consec. dist.* 2. ubi dicitur hoc Sacramentum *constare duobus, visibili elementorum specie, & invisibili Christi carne, & sanguine*, deindè ex eo, quod Concil. Trid. dicit in Eucharistiæ Sacramento verè contineri corpus, & sanguinem Christi, undè infertur aliquid aliud ab ipso Christi corpore, & sanguine ad rationem Sacramenti pertinere, nimirum species, & accidentia, sub quibus continentur. Ità Victoria, Vasquez, Coninchius, Amicus, Card. de Lugo, Morandus, Abellius, & alij quamplures. Sed quamvis verum sit, species panis, & vini pertinere ad rationem essentialem hujus Sacramenti, ut ait Doctor loc. cit. & est communis Theologorum sententia contrà Uvaldensem tom. 2. de Sacramentis capit. 21. Attamen in rigore loquendo corpus, & sanguis Christi, quæ continentur in Sacramento Eucharistiæ, neque totaliter, ut dicebat Uvaldensis, neque partialiter, ut ajunt Recentiores citati, hoc Sacramentum constituunt, itaut utrumque complectatur, & species Sacramentales, & corpus, & sanguinem Christi, & supponat pro aggregato ex utroque. Ità jam statuimus disp. 3. cit. quæst. 1. art. 1. num. 14. & sequ. cum Scoto loc. cit. in solutione ad 3. quod ibi fusè probamus, quia de ratione Sacramenti est, quod sit signum sensibile, seu ut loquitur Trident. invisibilis gratiæ visibilis forma; sed corpus, & sanguis Christi, ut in Eucharistia existunt, non sunt signa sensibilia, & visibilia; ergò &c. Tùm quia corpus, & sanguis Christi non sunt signum, sed significatum in Eucharistia, species enim, seù accidentia illa consecrata significant ibi esse corpus, & sanguinem Christi; ergò non sunt Sacramentum, nec ad rationem Sacramenti intrinsecè, & essentialiter spectant, quod est essentialiter signum; consequentia patet, quia implicat idem esse simul signum, & signatum; probatur assumptum ex Trident. sess. 13. cap. 8. ubi ait, *communne hoc quidem est Sanctissimæ Eucharistiæ cum cæteris Sacramentis symbolum esse rei sacræ, & invisibilis gratiæ formam visibilem*, ubi Concilium loquitur de ipsis speciebus præcisè, distinguens signatum, & signum permanens, formam visibilem, & gratiam invisibilem à se invicem, sicut in alijs Sacramentis distinguuntur. Evasiones verò Adversariorum vide præclusas loc. cit.

6 Nec urgent quæ in oppositum adducuntur, nam locus illius capituli *Hoc est* non est ad rem, quia ibi loquitur de sacrificio Missæ, & de compositione sacrificij, in quo offertur Christus sub speciebus, & non de compositione Sacramenti, inquit enim *Sacrificium Ecclesiæ duobus confici, & duobus constare, visibili elementorum specie &c.* imò potiùs est ad oppositum, quia extremis verbis illius Capituli habetur, Sacramentum Eucharistiæ esse species, corpus verò Christi esse rem Sacramenti, sic etiam quod ex Conc. Trid. adducitur potiùs est ad oppositum; dicit enim in hoc Eucharistiæ Sacramento verè contineri corpus, & sanguinem Christi; ergò solæ species, sub quibus continentur, erunt essentialiter Sacramentum, non verò corpus, & sanguis Christi, quia non potest idem esse sui ipsius continens. Nec tandem urget, quod etiam solet obiici, plures Patres dicere Eucharistiam esse ex duobus compositam, nempè speciebus, & corpore Christi; & ex visibili elementorum specie, & invisibili corpore, & sanguine Christi. Quia ut diximus loc. cit. art. 2. nu. 30. hoc modo loquendi nil aliud docere prætendunt, quàm quod cum speciebus est etiam simul corpus, & sanguis Christi, nihil curando quam faciant compositionem, & an utrumque sit de essentia hujus Sacramenti, quia de hoc puncto non disputabant cum Hæreticis, sed tantùm de intima Christi præsentia sub speciebus, quam illi negabant.

7 Quartò, tandem addimus q. cit. concl. 5. nu. 18. quod quamvis Sacramentum Eucharistiæ essentialiter, & in recto solas species Sacramentales importet, & pro illis supponat, connotare tamen adhuc corpus, & sanguinem Christi sub ipsis contenta, & in hoc sensu dici posse Sacramentum Eucharistiæ esse veluti quid compositum ex speciebus consecratis, & corpore, & sanguine Christi, itaut unum importetur in recto, & aliud in obliquo, seù pro connotato. Ità Scotus loc. cit. lit. G. §. *si autem quæras*, ubi dicit, quod Eucharistia supponit tantùm pro speciebus, quatenus continent corpus, & sanguinem Christi; quod diximus manifestè deduci ex pluribus testimonijs, quæ rationem Sacramenti solis speciebus attribuunt, canit enim Ecclesia in sequentia Missæ, *fracto demum Sacramento ne vacilles, sed memento tantùm esse sub fragmento, quantum toto tegitur*; fractio autem est specierum, ut patet ex versu sequenti *signi tantùm fit fractura qua nec status, nec statura signati minuitur*; item in cap. *Berengarius* dicitur post consecrationem non solùm manere in altari Sacramentum sed etiam ipsum Christum; ex quibus, & alijs testimonijs loc. cit. adductis satis constat solas species dici Sacramentum. Nec satisfacit Adversariorum responsio dicentium, species non ideò dici Sacramentum tantùm, quia ipsæ solæ sint Sacramentum; sed quia non habent aliud munus, quàm Sacramenti, non enim significantur, sed significant tantùm. Non inquam, satisfacit hæc responsio, immò potiùs argumentum confirmat, nam si species dicuntur Sacramentum, quia significant, & non significantur, hinc deducitur ipsas solas esse Sacramentum propriè loquendo, non autem corpus Christi, quia de ratione Sacramenti est significare, & non significari; tum quia ipsæ solæ corpus Christi practicè significant, atque ideò in ipsis tantùm hoc Sacramentum essentialiter consistit, hoc enim est primarium hujus Sacramenti significatum. Quod autem saltem de connotato, & in obliquo corpus Christi ad hoc Sacramentum pertineat, quatenus, scilicet, est objectum specierum, & terminus continentiæ earum, est adeò clarum, ut ab ullo negari possit; cùm enim in hoc Sacramento principale signatum sit corpus, & sanguis Christi, quæ post consecrationem per species repræsentantur; sequitur necessariò hæc aliquo modo, nempè pro connotato, & in obliquo ad Sacramenti essentiam pertinere, & Sacramentum ab eis extrinsecè specificari eo modo, quo relationes, & relativa à suis terminis extrinsecè specificari dicuntur; cùm enim Sacramentum Eucharistiæ, sicut & alia sint in genere signi, signum autem dicat ordinem ad signatum, & specialia Sacramenta pænes hoc distinguantur, quod ordinem dicunt ad specialia, & diversa signa formaliter; opus est, ut ipsum signatum in quolibet Sacramento habeat rationem formæ extrinsecæ, à quo extrinsecè specificetur eo modo, quo relationis, & relativa à suis terminis specificari dicuntur. Et quod dicitur de Eucharistiæ Sacramento, inquantùm est signum quoddam, potest, ac debet dici de eodem, inquantùm continet corpus, & sanguinem Christi, nam continens etiam dicit ordinem ad contentum. Alia plura ad hoc spectantia vide loc. cit.

ARTICULUS SECUNDUS.

De Unitate hujus Sacramenti, ac necessitate.

8 AGitatur hæc quæstio, ut diximus disp. 3. cit. quæst. 2. ab initio, tam de unitate, vel pluralitate specifica, quàm numerica; cùm enim constet hoc Sacramentum confici sub duplici specie, scilicet, panis, & vini, quæritur an sit unum, vel potiùs plura specie Sacramenta sub specie panis, & sub specie vini. Et cùm etiam constet toties confici in distinctis formulis panis, & potionibus vini, quæritur an sit unum, vel plura numero Sacramenta in pluribus hostiis consecratis, & pluribus vini potionibus; & quoad alteram quæsiti partem de duplici etiam necessitate medii, vel præcepti quæstio intelligi potest, & hoc supposito breviter ex ibi dictis per sequentes conclusiones est resolvenda.

9 Primò itaque loquendo de unitate specifica dicendum est hoc Sacramentum simpliciter, & absolutè debere dici unum, non unitate simplicitatis, & indivisibilitatis, sed unitate integritatis, & perfectionis essentialis. Ità statuimus quæst. 2. cit. art. 1. nu. 37. cum Scoto 4. d. 8. quæst. 1. sub lit. D. quod ibi probat, & declarat dicens corpus Christi posse dupliciter considerari; primò strictè, ut includit partes tantùm animatas, cujusmodi non est sanguis, & alii humores, licet sint in potentia proxima, ut animentur, & in carnem animatam convertantur, & hoc modo corpus est essentialiter aliud à sanguine; ideoque dari potest proprium signum significans corpus hoc modo sumptum, prout è sanguine contradistinctum. Alio modo potest corpus accipi prout includit omnia illa, quæ pertinent ad totum corpus organicum, scilicet, partes animatas, & inanimatas, & humores, & spiritus, & hoc modo sanguis est aliquid corporis sic sumpti; & corpus sic sumptum est unum unitate integritatis, & dari potest aliquod signũ tali unitate unum, quod tale corpus integrum significet; atq; ità signum propriũ corporis primo modo sumpti, quale sunt species panis, & signũ propriũ sanguinis, quales sunt species vini, possunt esse unũ signũ corporis secundo modo sumpti, unum, inquã, unitate integritatis, non indivisibilitatis, cum enim signatũ sit unũ unitate integritatis, non indivisibilitatis; eadem pariter unitas est adscribenda signo, ut Sacramẽto, nempè ipsis speciebus panis, & vini, & per consequens dicendum est non plura, sed unum esse Sacramentum Eucharistiæ in hoc sensu. Congruum autem fuit, inquit Doctor, hoc Sacramẽtum habere talem unitatem integritatis, & non indivisibilitatis, quia est ad completam animæ nutritionem institutum, quæ significatur per completam corporis nutritionem; completa autem hominis nutritio fit ex aliquo uno unitate integritatis, non indivisibilitatis, scilicet, ex alimento, non enim nutrit sufficienter cibus sine potu, nec è contrà. Itaque sicut in rebus physicis plures substantiæ diversæ speciei possunt concurrere ad unam substantiam unius speciei etiam athomæ integrandam, ut patet de carne, ossibus, & nervis ad constitutionem corporis

humani unius speciei athomæ concurrentibus; ità pariter in præsenti species panis, & vini concurrunt ad componendum unum totum integrale Sacramentum per modum partium distinctæ speciei, quia re vera forma, & materia corporis est tam distinctæ speciei à forma, & materia sanguinis, quàm à materia, & forma cujuscunque alterius Sacramenti, & præterea in ratione signi formaliter sunt institutæ ad significanda signata omninò diversa, etenim quando consecratus panis, ex vi verborum continetur, & ponitur ibi tantùm corpus Christi primo modo sumptum, & ex cõcomitantia solum ponitur ibi sanguis, quia verum Christi corpus sine sanguine non reperitur; similiter dùm consecratur vinum, ibi ex vi verborum est sanguis Christi, & corpus per concomitantiam, ut notat Doctor 4. disp. 10 quæst. 4. ad 2. Itaque Sacramentum Eucharistiæ est unum signum, & Sacramentum unitate integritatis, non indivisibilitatis, itaquod ex utroque signo partiali specierum Eucharistiæ integretur unum signum totale corporis Christi latè sumpti, prout, scilicet, sanguinem etiam includit. Et quando dicimus utramque speciem habere se tanquam partem integralem hujus Sacramenti, non in eo sensu intelligendum est, ut illud integrent tantùm secundùm aliquam perfectionem debitam, non tamen essentialem, sicut pes, & manus hominem integrare dicuntur; sed in eo sensu, ut sint partes integrantes illud essentialiter, itaquod qualibet earum deficiente desinat esse hoc Sacramentum quoad suam integritatem essentialem.

10 Dices ergò in natura harum specierum salvabitur essentia hujus Sacramenti, quod est falsum, si enim sub utraque specie seorsim totus, & integer sumitur Christus, verumque Sacramentum; ergò sub utraque specie sumitur simpliciter Sacramentum, atque ità in utraque simpliciter salvatur essentia Sacramenti, idque expresè docet Trid. sess. 21 c. 1. ubi dicitur *sub altera tantùm specie totum, atque integrum Christum, & verum Sacramentum sumi.* Respondemus qu. 2. cit. n. 39. in utraque specie seorsim salvari essentiam hujus Sacramenti materialiter, & implicitè, non verò formaliter, & explicitè, ut requiritur ad complementum, & integritatem essentialem hujus Sacramenti; cùm enim sub qualibet specie sit totus Christus, ut animam spiritualiter reficiat, ut definit Trid. l c. habetur integrum Sacramentum quoad rem significatam, scilicet, Christum, & perfectam refectionem; non tamen quoad modum significandi, & ex vi Sacramenti, seu formaliter, quia tali pacto sub speciebus panis continetur tantùm corpus, seù caro Christi, & per modum cibi; & sub speciebus vini continetur, tantùm ex vi verborum sanguis Christi, & per modum potus. Nec aliud intendit Trident. l. c. dicens contra Hæreticos necessariam non esse communionem sub utraque specie, quia communicantes sub una tantùm specie nihil minus suscipiunt, nec minus reficiuntur spiritualiter, quàm communicantes sub utraque cùm in qualibet ipsarum sit totus Christus quoad rem significatam, licet non quoad modum significandi. Neque per illam particulam *verum Sacramentum* intendit Concilium alteram speciem per se sumptam esse absolutè integrum Eucharistiæ Sacramentum quoad essentiam, non enim inquit sub altera tantùm specie totum, atque integrum sumi Sacramentum, sed ait sumi *Totum atque integrum Christum, & verum Sacramentum*, quibus verbis disertè discernit inter veritatem, & integritatem, vel totalitatem Sacramenti, & ait sumi in altera specie totum, & integrum Christum, non tamen totum, & integrum Sacramentum, adhuc tamen verum Sacramentum, eo quod communicantes sub una tantùm specie nihil minus suscipiunt, nec minus reficiuntur spiritualiter, quàm communicantes sub utraque, cùm in qualibet ipsarum sit totus Christus, quantum attinet ad rem significatam, licet non quoad modum significandi.

11 Secundò dicendum est, unitatem hujus Sacramenti non esse specificam tantùm specie subalterna, ut aliqui dicunt, sed etiam specie infima, & athoma. Ità Scotus loc. cit. & Scotistæ omnes, & sequuntur Recentiores passim; & probatur in primis, quia hoc Sacramentum propriè, & simpliciter loquendo, & à Concil. Trid. & Catechis. Romano enumeratur, ut unum, sic enim loquitur agens de Sacramento Eucharistiæ, *non plura, sed unum Sacramentum Ecclesiæ auctoritate docti confitemur*, ac etiam Patres de Eucharistia semper loquuntur, tanquam de uno Sacramento; si ergò hoc Sacramentum propriè, & simpliciter loquendo est unum, sequitur esse unum unitate specifica infima, & non tantùm subalterna; quamvis enim homo, & leo conveniant in ratione animalis, tanquam generis proximi, vel speciei subalternæ; adhuc tamen simpliciter dicuntur plura animalia, & unum tantùm secundùm quid, quia unitas generica, estò sit etiam generis proximi, est unitas tantùm secundùm quid. Confirmatur, quia si species panis, & vini sunt partes integrantes Eucharistiam integritate essentiali, ut dictum est; ergò non possunt esse partes tantum subjectivæ illius, quæ solùm potentia sunt in suo toto, sed debent esse integrales, quæ necessariò sunt actu in toto; essent autem partes subjectivæ tantùm, si essent Sacramentum unum specie tantùm subalterna, sicut homo, & leo sunt partes tantùm subjectivæ animalis generis proximi, & Sacramentum Eucharistiæ, ut sic, esset tantùm totum universale respectu Sacramenti corporis & sanguinis Christi, non autem integrale, ut loquitur Scotus, sicut animal repectu hominis, & leonis est totum aniversale tantùm non integrale. Demum quemadmodum convivium corporale, quamvis ex cibo, & potu integretur, est unum specie infima, quia refectio corporalis integra ex cibo, & potu constat, siquidem nec solus cibus, nec solus potus est integra refectio, sed utrumque simul; ità singulæ species non sunt Sacramentum totale, sed solùm partiale habentes significationes partiales adinuicem ordinatas ad constituendam, & integrandam unicam sanctificationem totalem unius signati speciei infimæ, quemadmodum cibus, & potus ordinata sunt adintegrandum unum convivium totale & unam refectionem specie infima. Objectiones autem cõtrà asserta prædicta uide solutas q. 2. c. a. 2.

12 Tertiò, loquendo de unitate numerica, licet aliqui dicant Eucharistiam esse unum numero Sacramentum ex parte rei contentæ, esse verò plura ex parte specierum continentium, absolutè tamen dicendum est Sacramento Eucharistiæ multiplicationem numericam esse concedendum, adeout non sit unum Sacramentum, quod ubique ab omnibus fidelibus sumitur; ità statuimus q. 2. cit. art. 3. cum communiori sententia tum Scotistarum, tùm Recentiorum; & ratio est, quia una particula consecrata significat corpus Christi præsens, & est causativa gratiæ per modum cibi independenter ab omni alia particula consecrata; ergò est Sacramentum corporis Christi secundùm se consideratum, nec dici potest, quod sit idem numero Sacramentum cum alia particula consecrata, quia una potest in pixide conservari, & alia corrumpi; ergo nequit dici esse idem numero Sacramentum cum illa alioquin de eodem contradictoria verificarentur scilicet, corrumpi, & non corrumpi, recipi, & non recipi. Hæc autem unitas, vel pluralitas numerica, ut l. c. diximus, non est desumenda ex unitate, vel pluralitate sumentium, aut sumptionum, ut quidam putant, quia ab eo res habet unitatem aqua habet entitatem, unitas enim cùm sit passio intrinseca rei, à propria, & intrinseca ejus entitate sumenda est; sed antecedenter ad usum, & sumptionem habet Eucharistia totum suum esse essentiale, quidditativum, & permanens, ut patet ex dictis a. præced. ergò antecedenter ad sumptionem habet suam unitatem, vel multiplicitatem numericam. Hæc ergo sumenda est ex unitate, vel pluralitate numerica specierum consecratarum, ut dictum est l. c. n. 63. & ratio est, quia tota essentia Sacramenti Eucharistiæ in speciebus consecratis consistit; ergo ad earum multiplicationem debent quoque Sacramenta numero multiplicari, & Christus hoc Sacramentum instituit in specie consecrata panis secundùm se, & in specie consecrata vini secundùm se, & secundùm earum physicam unitatem; quia in qualibet harum specierum independenter ab altera est significatio corporis, vel sanguinis Christi, & significatio corporis practica, vel factiva gratiæ; ac proindè plures hostiæ consecratæ, etiamsi simul consecrentur, & sumantur, adhuc sunt plura numero Sacramenta, quia sunt plures numero distinctæ, & physicè discontinuatæ, & in qualibet seorsim, & ab altera independenter hoc Sacramentum est institutum, & planè sicut pluralitas numerica aliorum Sacramentorum desumitur à pluralitate numerica signorum sensibilium, ut patet de Baptismo, Confirmatione, Pœnitentia &c. ex quibus constituuntur, ità pariter de Eucharistia discurri debet. Objectiones autem contrà hoc assertum vide solutas q. 2. cit. a. 4.

13 Quartò, quod spectat ad aliam quæsiti partem de necessitate hujus Sacramenti conveniunt Doctores Eucharistiam in re susceptam nec infantibus, nec adultis esse necessariam necessitate medii, seù non esse medium necessarium ad primam gratiam obtinendam. Ità D. Thomas q. 65. art. 4. & D. Bonavent. 4. d. 12. p. 2. art. 2. q. 1. quos alii passim sequuntur, & colligitur ex Trident. sess. 13 c. 2. ubi docet ad primam gratiam obtinendam sufficere Baptismum, & Pœnitentiam, quia baptismus per se primò ad remissionem peccatis originalis est institutus. Pœnitentia verò ad remissionẽ peccatorum mortalium post baptismum, ac proindè dicuntur Sacramenta mortuorum; ergò Eucharistia nunquam est necessaria ad primam gratiam justificantẽ. Confirmatur, quia nullũ Sacramentum supponit necessariò effectũ, propter quem per se primò institutũ est, vt constat ex terminis; at usus hujus Sacramenti primam gratiã, & remissionem peccati per se supponit, & multò magis, quàm reliqua, quæ dicuntur Sacramenta vivorum, ut deducitur ex Trident. sess. c. c. 7. ubi docet præmittendam esse confessionem ad Eucharistiam sumendam, cùm quis conscius est peccati mortalis, etiãsi contri-

contritum sese existimet; ergò hoc Sacramentum nulla ratione per se institutum est ad primam gratiam conferendam, ac proindè ad salutem consequendam necessarium non est necessitate medii. Neque obstat, quod eisdem ferè verbis, quibus Christus Joann. 3. proposuit necessitatem baptismi: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, &c.* expresserit etiam necessitatem hujus Sacramenti: *Nisi manducaveritis carnem filii hominis, &c. non habebitis vitam in vobis*. Non obstat, inquam, quia ut hìc notant communiter Doctores, talis forma verborum de se indifferens est ad significandam necessitatem medii, vel præcepti, undè sensus ex materia, suprà quam verba illa cadunt, est colligendus, & discernendus; nam si sermo sit de aliqua re, vel actione ad primam gratiam obtinendam necessaria, præter necessitatem præcepti continet etiam necessitatem medii, si verò sit sermo de actione aliqua, quæ primam gratiam acquisitam supponat, necessitatem præcepti solùm significat. Ità Recentiores communiter, & præsertim Caspensis tract. 22. disp. 1. sec. 5.

14 Quintò tandem hinc sequitur Eucharistiæ Sacramentum esse necessarium duntaxat necessitate præcepti, ut dictum est suprà disp. 16. q. 4. art. 2. in fine, & constat ex Trid. sess. cit. ubi damnatur quicunque dixerit homines non teneri ex præcepto Sanctæ Ecclesiæ in festis Paschalibus communicari statim ac ad usum rationis pervenerint; ubi etiam addidimus hoc præceptum de sumenda Eucharistia secundum probabiliorem, & communiorem sententiam, quam expresè tenet Scotus 4. d. 13. q. 2. non tantùm esse Ecclesiasticum, sed etiam divinum, quia Christus Joan. 6. apertè dixit se velle sumi in Eucharistia à quolibet Christiano verbis illis: *Nisi manducaveritis carnem filii hominis, non habebitis vitam in vobis*, ubi Christus loquitur de manducatione, & potatione vera, reali, & Sacramentali; & cum non loquatur de necessitate medii, ut dictum est, quia hoc Sacramentum vivorum, sequitur quod de necessitate præcepti sit intelligendus; Ecclesia verò tantum præscripsit tempus, in quo fidele communicari debent semel in anno, scilicet, in festo Paschatis, ut dictum est suprà d. 12. de præceptis Ecclesiæ q. 2. art. 3. Quamvis autem hoc Sacramentum non sit necessarium ad salutem necessitate medii, sed tantùm præcepti; asserunt tamen Doctores communiter, ut notat Caspensis loc. cit. esse moraliter adultis necessarius in re, vel in voto ad perseverandum in gratia, hoc est, valdè utile, & efficax. & ratio est quia Eucharistia est instituta à Christo Domino ad præservandum hominem à peccatis, ut docet Trident. sess. 13. cit. c. 2. & ad conservandum hominem in gratia; cum ergò hoc sit adeò arduum, & difficile, & homo tam fragilis, si possit, & non suscipiat Eucharistiam, videtur moraliter loquendo casurus; & hoc videntur significare Patres, dùm hujus Sacramenti necessitatem extollunt ad perseverandum in gratia, præsertim verò Cirillus lib. 10. in Joan. c. 13. ubi ait: *Non poterat aliter corruptilis hæc natura ad incorruptilem vitam traduci, nisi naturalis vitæ corpus ei conjungeretur*, loquitur enim de impossibilate morali, non de absoluta.

QUÆSTIO SECUNDA.

De materia Eucharistiæ.

15 SIcut in aliis Sacramentis est duplex materia, proxima, & remota, ità etiam in Eucharistia, sed ordine inverso, ut notavimus 4. d. 3. c. q. 3. nam in aliis materia remota est res permanens, proxima verò ejus usus, qui transit; in hoc autem Sacramento remota transit, & proxima manet, scilicet, species panis, & vini; quæritur ergò tantùm de remota, illa nimirum, quæ facta consecratione transit in corpus, & sanguinem Christi; Supponimus autem in præsenti ex Conciliis Lateranensi, Florentino, & Tridentino à Recentioribus passim relatis materiam remotam Eucharistiæ omninò necessariam esse panem, & vinum quod etiam constat ex perpetua traditione, & usu Ecclesiæ, quæ nunquam in alia materia consecravit exemplo Christi Domini, qui corpus suum in pane, & sanguinem suum in vino consecravit, ut constat Matth. 26. Marci 14. Lucæ 22. & 1. Corint. 11.

ARTICULUS PRIMUS.

Qualis panis, & quale vinum requiratur ad Eucharistiam conficiendam.

16 PRimò dicendum est materiam consecrationis corporis Christi necessariò esse debere, panem triticeum aqua naturali confectum, & igne decoctum, vel assum. Ità jam statuimus disp. 3. cit. q. 3. art. 1. cum Scoto 4. d. 11. part. 2. q. 5. & est communis Doctorum sententia, & quidem quod solus panis ex frumento, vel tritico confectus sit sufficiens, & apta hujus Sacramenti materia expresè deducitur ex Conc. Florent. ubi in decreto Eugenii statutum est: *Eucharistiæ materiam esse panem triticeum, & vinum de vite*; ex quo sequitur panem ex hordeo, avena, aut aliis similibus granis à tritico specie diversis non esse idoneam hujus Sacramenti materiam, undè patet falsum esse, quod docuit Cajetanus Eucharistiam posse consecrari ex quovis pane cujusvis speciei, dummodo sit aptus ad vescendum. An autem confici possit in pane permixto ex tritico, & aliis granis, hæc regula assignari solet, ut notat Astesanus noster part. 1. suæ summæ l. 4. tit. 9. de materia Eucharistiæ, quod aut est tanta permixtio, quod trahitur triticum ad speciem alienam. vel ad medium, ut quando ex utraque parte est æqualis permixtio, & tunc in eo confici non potest; aut manet adhuc species panis triticei, ut quando virtus tritici præponderat, & sic potest confici, quando autem ità sit, ex accidentibus cognosci potest; præcipuè ex sapore, quia accidentia magnam partem conferunt ad cognoscendam substantiam, est tamen semper optimum, & reverentiæ tanto Sacramento debitæ convenientissimum, ut panis consecrandus ex puro tritico conficiatur sine ulla granorum quorumvis admixtione. Deindè quod solus panis aqua naturali confectus sit hujus Sacramenti materia idonea, probat Scotus l. c. quia ita supponitur panem illum fuisse formatum, quo usus est Christus consecrando, tùm etiam quia panis communis, & usualis, quo utuntur homines, solùm fit ex materia triticea, & aqua naturali. Ex quo rursus constat falsum esse, quod ait Cajetanus qu. 74. art. 7. panem ex aqua rosacea confectum esse materiam sufficientem hujus Sacramenti; nam sicut necesse est totam farinam, vel saltem majorem ejus partem esse triticeam; ità pariter opus est totam aquam, vel saltem majorem ejus partem esse naturalem, non autem artificialem, qualis est aqua rosacea. Tandem quod panis ex aqua naturali, & farina triticea confectus debeat etiam esse calore ignis concoctus probatur, quia solus panis triticeus in conviviis communiter usitatus morali hominum judicio censetur ille, qui ex farina triticea, & aqua naturali mixtus, & igne tostus, sivè assus, undè neque massa farinæ nondum igne cocta, neque panis ille, qui ex melle, aut butyro esset coagmentatus, aut frixus, vel elixus sufficiens hujus Sacramenti materia censetur, ad hoc enim, ut sit talis, debet per ignem coqui, ita ut asseturvel torreatur, sivè in furno, sivè sub cineribus, sivè alio consimili modo, non autem elixetur, vel frigatur; alioquin non esset verus, & usualis panis, in quo Christus consecravit.

17 Secundò dicendum est loquendo de necessitate Sacramenti tàm panem fermentatum, quàm azymum esse materiam consecrationis sufficientem; loquendo autem de necessitate præcepti tenentur latini consecrare in pane azymo, & Græci in fermentato juxtà diversum ritum Ecclesiæ Latinæ, & Græcæ. Ità statuimus l. c. & quoad primam partem assertio est communis inter Catholicos, & ità docet Scotus loc. cit. ubi ait simpliciter tenendum esse, quod de necessitate panis consecrabilis non est, neque ut sit azymus, neque fermentatus, & probatur ex Conc. Florent. in decreto unionis §. 2. ubi definitur in azymo, sivè fermentato pane triticeo corpus Christi veraciter confici. Deindè, quia ut constat ex traditione Ecclesiæ Christus instituit pro materia substantiam panis triticei azymo, & fermentato communem, sicut substantiam vini commune albo, & nigro, & quidem quod panis fermentatus sit sufficiens materia Eucharistiæ patet, quia est aptissimus ad usum substentandi hominem, per quem usum effectus hujus Sacramenti significari debet; de pane verò azymo hoc idem efficaciter probatur ex facto Christi, qui ut constat ex Matth. 26. Marci 14. & Lucæ 22. panem, & vinum consecravit in primo die azymorum, in quo Judæis non licebat habere apud se panem fermentatum, ut constat ex Exodo 12. & 13. Quoad secundam partem est etiam communis assertio inter Thologos, & colligitur ex Florent. c. definiente in alterutro pane, scilicet, azymo, & fermentato corpus Domini conficere debere unumquemque juxtà ritum suæ Ecclesiæ sivè Occidentalis, sivè Orientalis; quo loco particula *debere* indicat obligationem præcepti servandi consuetudinem propriæ Ecclesiæ, undè Catechis. Romanus dicit nulli licere privata auctoritate, aut potius temeritate Ecclesiæ suæ ritum immutare; ex quo sequitur Sacerdotem Græcum in Ecclesia Græca pane fermentato, Latinum verò in Ecclesia Latina non nisi azymo uti debere. Quod quidem præceptum de pane azymo tantummodò ad conficiendam Eucharistiam in tota Ecclesia Latina adhibendo adeò strictè obligare asserit Abellius cum Isamberto ca. 4. *de SS. Eucharistia* sect. 3. ut ne quidem in casu necessitatis existimet Sacerdotem Latinum in pane fermen-

fermentato consecrare licitè posse, quod probat ex cap. finali Extrà de celebrat. Missarum, ubi Sacerdos, qui in pane fermentato consecraverat, punitur officii depositione, & amissione beneficii, quamvis excusationem necessitatis prætexeret.

18 Tertiò dicendum est solùm vinum de vite esse aptam materiam ad consecrationem sanguinis Christi; ità etiam statuimus l.c. qu.3. a.2. & est communis assertio omnium Catholicorum, & Scoti quæst. 6. cit. §. ad secunda quæst. & ratio principalis, inquit Doctor, ex Christi institutione deducitur Matth. 26. qui cùm vinum consecrasset illis verbis. *Hic est sanguis meus* statim subjunxit verba illa: *non bibam amodò de hoc genimine vitis*, & idem habetur Marci 14. Quod si hæc verba fuerunt à Christo prolata antè consecrationem, ut quidam volunt, adhuc tamen ex ipsis eodem modo constat vinum ex vite fuisse in ea mensa propositum, & Christi verbis consecratum, & institutum ad conficiendum sanguinem Christi, ut in eum locum præsertim notarunt Chrysost. hom.83. in Matth. & Cyprianus l.2. epist.3. Idem etiam definitum est in pluribus Conciliis, scilicet, in Aurelianensi quarto c.4. Lateranensi cap. *firmiter* de summa Trinit. & fide Catholica in Florent. in decreto Eugenii cit. & tandem Trident. sess.13. can.2. Declarat etiam Doctor hoc vinum esse debere de uva expressum, quamdiù enim liquor est in uva tantùm habet magis rationem comestibilis, quam potabilis, undè mustum ex ur maturis expressum esset quidem in rigore materia valida, quamvis aliqui de hoc dubitent, non esset tamen conveniens, donec sit purum, & sufficienter concoctum eo quod mustum semper habet aliquam imperfectionem, & mixtionem alterius rei; in casu tamen necessitatis non esset peccatum in musto consecrare, ut patet ex cap. *Cùm omne crimen de consec. d.* 2. Ex quo sequitur nullum alium liquorem à vino vitis esse materiam sufficientem consecrationis undè excludunt vina, quæ non sunt vitis, putà ex pomis malogranatis, moris, furmento, & similibus, quæ non sunt vinum de vite, & vinum appellantur, eo quod colorem vini referant, & ad modum vini conficiantur. Item excluduntur liquores aliqui, qui licet sint exurs, non tamen sunt vinum usuale, putà agrestis, sapa, aquatum, acetum, si jam propriè sit acetum, tunc enim specie differt à vino, ut ex utriusque diversis affectionibus, & proprietatibus constat; nam si sit vinum, quod solùm incipiat acescere, esset adhuc materia sufficiens, sed non conveniens, undè conficiens in illo peccaret. De vino autem congelato, quamvis quidam Theologi existiment non esse idoneam consecrationis materiam, attamen l. c. cum communi sententia statuimus vinum quoque congelatum esse sufficientem consecrationis materiam, quia ut docet Scotus 4. d. 12. qu.4. vinum condensari potest, & rarefieri subsistente Eucharistia, rarefactio enim, & condensatio substantiam vini non destruunt, sicut congelatio aquæ, olei, & cujuscunque alterius liquoris fluxibilis non destruit præfactos liquores, undè si post consecrationem accidat congelatio, adhuc permanet ibi sanguis Christi, ut habetur in rubrica Missalis, & similiter si vinum congelatum liquefiat, potest optimè consecrari, ex quo manifestè deducitur per congelationem vinum substantialiter non immutari, sicut nec alios liquores fluxibiles. Adhuc tamen verum est, quod estò in vino gelato possit fieri valida consecratio, ad majorem tamen decentiam, & scrupulos evitandos, ut monet Suarez disp.45. sect.1. consultius est, vel aliud vinum adhibere, vel vinum congelatum adhibitis pannis calidis, aut admoto igne liquefacere, ut sic convenientius consecrari possit, quod quidem rubricæ Missalis faciendum esse præscribunt, si post consecrationem vinum congelet, ut à Sacerdote celebrante sumi possit.

19 Quartò Dicendum est aquam vino permiscendam esse antè consecrationem, in parva tamen quantitate, itaut species vini non solvatur, sed potius ut ipsa aqua in vinum convertatur, & sic in vinum conversa consecretur, talem tamen mixtionem non esse necessariam necessitate Sacramenti, seù non esse de essentia consecrationis. Ità etiam statuimus l. c. cum Scoto ibidem, & est communis assertio inter Catholicos, & quidem quod in consecratione Calicis aqua sit apponenda in pluribus Conciliis definitum est Toletano, Carthaginensi, Bracharensi, Florentino, & tandem in Trident. sess.22. can.7. & 9. & hoc in Ecclesia semper observatum fuisse testantur SS. Patres, qui fusè à Gratiano citantur 2. de Consecrat. idque ex professo probat S. Cyprianus epist.63. ad Cæcilium. Quod autem hujusmodi mixtio non sit necessaria necessitate Sacramenti ex eisdem etiam Conciliis colligitur, consultò enim dicitur in Florentino, *materiam esse vinum, cui aqua antè consecrationem sit miscenda*, non autem dixit esse vinum, & aquam, vel mixtum ex vino, & aqua, sed tantùm dixit vinum, ubi de Sacramento Confirmationis loquens absolutè dixit materiam illius esse oleum balsamo mixtum. Hoc etiam expressè docet Cathechismus Romanus c. 4. ubi dicit sine tali permixtione Sacramentum constare posse, & in Concil. Trid. sess.22. c.7. dicitur id ab Ecclesia præceptum esse Sacerdotibus, unde sequitur non esse ex institutione divina necessarium, & necessitate Sacramenti, sed tantùm necessitate præcepti, & Ecclesiastici tantùm, non verò divini, ut etiam docet Scotus l. c. quod etiam probari potest ex Conciliis jam citatis; in Florentino enim decernitur, ut Armeni debeant aquam admiscere, quia omnes Ecclesiæ ab initio hoc servaverunt, & servant, & inconveniens est, ut aliqua Religio discrepet ab hac universali observatione; quibus Concilii verbis apertè indicatur necessitatem faciendi talem permixtionem peti ex consuetudine Ecclesiæ, ac proindè præcepti Ecclesiastici, cum consuetudo vim habeat legis.

20 Quintò tandem addimus q. 3. cit. a.2. *in fine*, hanc aquam in substantia debere esse naturalem, non artificialem, ut est rosacea, vel similis, quia illa simpliciter intelligitur nomine aquæ, & præceptum talis admixtionis potissimum est ad imitandam mixtionem à Christo factam, qui sine dubio aquam admiscuit naturalem, & in casu, quo illa deesset, nullatenus per ullam aquam artificialem suppleri potest, seù alium liquorem. Deindè hujusmodi aqua in modica quantitate adhiberi debet, ut suprà dictum est, nam in Concil. Florent. cit. dicitur illam esse debere modicissimam, & idem docet Ecclesiæ usus, cui omnis Sacerdos se conformare tenetur. & ratio est, quia quælibet parva aquæ gutta, dummodò sensibilis sit, sufficit ad significationem, ad quam ritus hic deservit, & ex alia parte, quo minor est aqua, eò commodius potest in vinum converti, & deindè cum ipso in sanguinem, & hæc est ratio, quam Doctor adducit d. 11. qu. 7. *in fine*, ubi ait ità modicam esse apponendam, & ità tempestivè, ut antè consecrationem possit in vinum converti, quia non convertitur in sanguinem, nisi prius sit conversa in vinum. An verò aqua mixta vino possit immediatè in sanguinem Christi converti, latè differimus disput. 3. quæst. 4. cùm sit controversia hac præsertim tempestate valdè celebris, ibique asserimus art. 1. cum communiori, & antiquiori sententia aquam vino mixtam non immediatè, sed tantùm mediatè in sanguinem converti, quatenus prius in vinum convertitur per ipsius vini virtutem, ex quo sequitur conversio ejus in sanguinem. & hanc controversiam in præsenti omittimus, quia est quæstio merè Scholastica.

ARTICULUS SECUNDUS.

Quæ conditiones ad materiæ consecrationem requirantur.

21 PRimò conveniunt omnes, ut diximus d. 13. cit. qu.5. art. 2. materiam consecrandam sivè panis, sivè vini Sacerdoti celebranti sufficienter debere esse præsentem ad hoc ut consecratio sit valida, itaut aliquo sensu, puta visu, vel tactu deprehendi possit. Et hoc constat ex verbis ipsius cõsecrationis, quæ materiam illam Sacerdoti consecranti præsentem esse significant, quia particulæ illæ demonstrantivæ *Hoc*, & *Hic*, quæ in consecratione panis, & vini adhibentur si per se sumantur, & juxtà propriam significationem, & acceptionem, denotant præsentiam localem rei, quæ per tales particulas ostenditur, quæ enim à longè videmus non significamus pronomine *Hoc* sed *illud*, undè talis præsentia non est ad Sacramentum conficiendum sufficiens; duo enim materia consecranda requirit, & notitiam aliquam sensus, ut certum reddat consecrantem de qualitate materiæ, & debitam loci propinquitatem, cùm debeat à ministro consecrari, quod fieri nequit, nisi sit ipsis moraliter præsens, undè non sumitur hìc præsentia pro sola existentia rei in loco, sed etiam pro relatione ejusdem ad cogitationem proferentis, itaut illa materia dicatur ministro præsens, quæ aliqua cognitione ab ipso præcipitur, putà visu, vel tactu. Non est autem necesse, ut materia percipiatur in se, sed sufficit, ut percipiatur in suo continente, ut panis in pixide, vinum in calice etiã coopertum, undè quod materia præsens sivè panis, sivè vini sit operta, vel non operta, nihil refert, nam demonstratio per tales particulas *Hoc*, & *Hic* juxtà communem usum etiam proprium refertur ad res præsentes, non solùm discoopertas, sed etiam opertas; & operimentum quoties se habet per modum proximi continentis, seù cooperientis materiam consecratatam non tollit sufficientem præsentiam, secus autem esset, si corpus, quo materia celatur, non haberet talem habitudinem ad materia, ut si inter materiam, & consecrantem intercederet paries, aut quid simile, tunc enim consecratio non teneret, ut docent communiter Doctores, quia non est præsentia requisita. Ex quo sequitur, quod quando cumulus aliquis hostiarum, vel formularum in altari exponitur coram Sacerdote, possint omnes ab illo validè consecrari, quamvis non videat singulas, nec tan-

tangat, quia singulæ censentur ei moraliter præsentes eo ipso, quo continentur in cumulo illo, quem videt, aut tangit; materia verò valdè procul v. g. centum passibus distans, & si videri possit invalidè consecratur, quia moraliter censetur abesse, cùm non possit demonstrari per *ly Hoc* vel *Hic*. Quanto autem propinquitas, sufficiat, dubium est, & ex morali prudentum judicio pendet.

22 Secundò conveniunt omnes ad validitatem consecrationis opus esse, ut materia non solùm sit moraliter presens, sed etiam ut per intentionem consecrantis certa sit ac determinata, ac consequenter illam solam materiam validè à Sacerdote consecrari, quam determinatè consecrare intendit. Ratio est, ut dicebamus quæst. 5. cit. num. 128. quia intentio ministri adeò necessariò ad fieri cujuscunque Sacramenti requiritur ex Concil. Florent. & Trident. ut si illa desit, nullo modo Sacramentum conficiatur. Tùm quia actiones sunt singularium, & circà singularium ex 1. Metaph. ergò si Sacerdos determinatam intentionem non haberet circà materiam aliquam singularem, ac determinatam, nihil efficeret; undè non sufficit, quod materia consecranda sit Sacerdoti localiter præsens, sed etiam per ejus intentionem determinari debet, ut sit hæc, vel illa. Hinc communiter notant, quod si Sacerdos v. g. manu tenens decem hostias intendat tantùm novem consecrare, non determinando quas, vel unam tantùm consecrare intendat, non determinando quam, nihil conficeret, etiamsi tota illa materia sit sufficienter præsens. Ratio est, quia intentio consecrantis debet esse practica, & non tantùm speculativa, talis autem esse non potest, nisi circà determinatam materiam; tùm quia particula demonstrativa formæ non designabit materiam, quæ consecratur, nec effectum, qui ex consecratione fit. Quarè ad scrupulos evitandos communiter docent tutius, ut Sacerdos semper consecrare intendat formulas omnes sibi appositas, quamvis earum numerum ignoret, illius enim primæ intentionis virtute omnes consecrantur, etiamsi quando ipsius formæ verba profert, de illis actu non cogitet, sed ad eam, quam præ manibus habet, solummodò attendat. Undè si Sacerdos consecret existimans tantùm unam consecrare hostiam, & postea reperiat duas, si intentionem ad unam hostiam ità coarctavit, ut omnem aliam positivè excluserit, nulla erit consecrata; si verò intentionem non tam coarctatam habuerit, sed consecrandi materiam sibi præsentem, & quam ad consecrandum defert, utraque hostia consecrata manebit; nec obstat falsa illa existimatio, quod sit una tantùm hostia, quam secum detulit ad altare, quia talis existimatio speculativa, & privata censetur, nec nocet intentioni practicæ, & generali Sacerdotis, quam semper habere supponitur Sacerdos consecrandi totam materiam, quam habet præsentem, & qua generali intentione tota illa materia præsens determinationem recipit in ordine ad consecrationem.

23 Tertiò conveniunt rursus omnes quamcunq; minimam quantitatem sensibilem, in qua substantiam panis, & vini conservari potest, esse aptam materiam consecrationis. Ratio est, ut dicebamus qu. cit. nu. 129. quia talis particula est præsens localiter, & est designabilis per particulam demonstrativam *Hoc* vel *Hic*, quod sufficit ad hoc, ut possit converti in corpus, & sanguinem Christi. Tum quia hæc particula omnes habet conditiones ad consecrationem requisitas, est enim sensibilis, quæ est præcipua Sacramenti conditio; & sub ea conservatur substantia panis, & vini, quæ est materia remota hujus Sacramenti; nec refert, quod sit minima, dummodò sit sensibilis, nam Christus de facto existit sub quacunque minima parte hostiæ consecratæ. Ex quo sequitur, quod si panis, vel vinum sit in tam exigua quantitate, ut modo humano, & naturaliter sensibilis non sit, nulla ratione validè consecrari poterit, quia quodcunque Sacramentum ex institutione divina habet, quod sit signum sensibile, & consequenter materiam requirit, quæ sit sensibilis, atque ideò, quod actu sensibile non est, validè consecrari non potest. Dices; Christus conservatur in quavis parte etiam insensibili hostiæ conseratæ, si à toto divideretur, quia in Florent. & Trid. absolutè, & sine ulla limitatione definitur corpus Christi contineri sub singulis specierum particulis etiam separatione facta; ergò posset etiam in ea primò produci, nam eadem dispositio requiritur ad conservandum, atque ad perficiendum hoc Sacramentum. Respondemus loc. cit. negando consequendam, quia aliqua exiguntur ad fieri rei, quæ ad conservationem necessaria non sunt, undè licet conservari possit Christus facta separatione sub qualibet particula, non tamen consecrari; quia in fieri necesse est materiam posse demonstrari, ut consecretur; sed post consecrationem non est id necessarium, ut conservetur.

24 Quartò, quoad quantitatem ex parte magnitudinis non omnes conveniunt, sed variæ sunt opiniones ut diximus qu. 5. cit. num. 131. Aliqui affirmant dari terminum in quantitate quoad magnitudinem, ultrà quam Sacramentum nequit validè confici. Alii è contrà absolutè negant dari ullum terminum, etiamsi in infinitum procedatur in extensione. Alii tandem negant quidem si in infinitum fingamus panem, vel vinum extendi; aut ultrà sensum, posse consecrari, non quidem ob excessum quantitatis, neque defectu potestatis consecrandi, sed defectu præsentiæ requisitæ. Ità Suares, Aversa Morandus, Amicus, Poncius, & Gavatius ex nostris, & alii passim, & hæc opinio sicut est communior in Scholis; ita etiam probabilior. Ratio est, quia ad præsentiam requisitam in re consecranda requiritur, ut res sit præsens aliquo modo practico, & moraliter, & demonstrabilis per *ly Hoc* vel *Hic*, ut suprà dictum est; at si panis vel vinum essent in immensa aliqua magnitudine extensa, non diceretur talis particula demonstrari, nec esse præsens practicè, & moraliter; ergò &c. Neque enim ad hoc, ut aliquid dicatur alicui esse præsens morali modo, itaut sit propriè demonstrabile per *ly Hoc* sufficit, quod sit continuatum cum eo, quod est illi præsens, & demonstrabile, undè videmus; quod licet aer v. g. qui est in suprema aeris regione continuetur cum eo, qui est nobis præsens, & terra, quæ est hic Meldulæ v. g. continuetur cum ea, quæ est Romæ, non tamen loquendo de aere supremæ ragionis, aut de terra, quæ est Romæ, dicemus *hic aer*, vel *hæc terra*, sed potius ille aer, illa terra, non secus ac si essent omninò discontinuata ab aere, & terra nobis præsenti. Ex quo patet ad hoc, ut matera consecrabilis dicatur moraliter præsens, & sensibilis, non sufficere quamcunque partium continuitatem sed talem esse debere, quæ sufficiat ad demostrandum aliquid præsens per illa pronomina *Hoc*, & *Hic*, & ità solùm illæ partes, quæ sunt intrà spheram activitatis potentiæ sensitivæ, possunt dici moraliter præsentes, & sensibiles, licet ratione partium interpositarum actu non sentiantur. Quanta autem debeat esse hæc propinquitas, quæ sufficiat ad faciendam rem moraliter præsentem, nulla certa regula præscribi potest, & mathematica mensura definiri; sed prudenter ajudicari debet juxtà sensum, & proprietatem loquendi, de quo videri potest Bonacina quæst. 2. pun. c. 6. numer. 10. & 9 Itaque concludendum est materiam Eucharistiæ per se non habere terminum suæ magnitudinis, aut parvitatis, hoc est, ex vi formæ, & potestatis, quæ est in Ministro, sed accidens, quia materia consecrabilis debet esse moraliter præsens consecranti, & sensibilis, hoc est, quæ aliquo sensu percipi possit, atque ideò solùm per accidens habet terminum suæ magnitudinis, & parvitatis, ut fusiùs declaramus loc. cit.

25 Quintò conveniunt Doctores ad conficiendam Eucharistiam necessariam esse quoque consecrationem sub utraque specie, sed discrepant in hujusmodi necessitate explicanda, an scilicet, sit necessaria sola necessitate præcepti, an etiam Sacramenti; & fuit opinio quorundam antiquorum, quam refert Innocent. III. lib. 4. *de officio Missæ* c. 25. qui dicebant ambas species ità necessariò ad hoc Sacramentum requiri, ut si una absque altera consecretur, irritum omninò, ac invalidum esset Sacramentum. Oppositа sententia communis est inter DD. ut jam diximus qu. 5. cit. art. 1. scilicet, non esse de necessitate Sacramenti Eucharistiæ utriusque speciei consecrationem nimirum panis, & vini, itaut si in una tantùm specie fieret consecratio, validum esset Sacramentum; & ità etiam sentit Scotus 4. d. 8. qu. 3. §. *Respondeo*, ubi in fine inquit in hoc Sacramento plures concurrere consecrationes, non quidem totales, sed partiales, itaut si una forma tantùm consecrationis unitate integritatis, non verò indivisibilitatis, qua continet in se plures formas partiales, distinctio autem illarum formarum partialium, ait Doctor, patet, quia una est efficax sine alia quod manifestum est, alioquin enim fideles corpus adorantes antè consecrationem sanguinis essent idololatræ, quod falsum est, quæ ratio fuit D. Bernardi epist. 69. ubi hoc idem probat, quia communiter una pars materiæ, scilicet, panis, consecratur antè vinum, & statim à populo adoratur, tanquam Sacramentum Eucharistiæ, antequam consecretur vinum. Confirmatur, quia hoc significant ipsa consecrationis verba *Hoc est &c.* cùm enim verissima sint, antequam vinum consecretur, necessariò sub accidentibus panis constituunt Christi corpus, antequam sub accidentibus vini sit sanguis; quod etiam idem esset, si priùs consecraretur vinum, quàm panis, quia una consecratio non pendet essentialiter ab alia, cùm effectus unius formæ non sit per se, & necessariò connexus cum effectu alterius, unde corpus ex se potest esse separatum à sanguine, & è contrà, ut fuit in triduo mortis Christi. Tùm tandem quia hoc est proprium debitæ formæ, ut si proferatur super debitam materiam à Ministro cum sufficienti intentione, infallibiliter faciat, quod significat. Objectiones quasdam in contrarium vide solutas l. c.

26 Sextò conveniunt rursus DD. ad Eucharistiam conficiendam necessariam esse consecrationem sub utraque specie necessitate præcepti, sed discrepant in ea explicanda; quidam

enim

enim dicunt esse necessariam sola necessitate præcepti Ecclesiastici, ut Adrianus, Major, Alensis, Navarrus, & alii apud Suarez disp. 43. sec. 2. Communis tamen, & probabilior sententia docet, ut diximus loc.cit.consecrationem sub utraque specie non solùm esse necessariam necessitate præcepti Ecclesiastici, sed etiam divini, ut notat Bonacina disp. 4. cit q.2. punc. 3. & ità etiam sentit Scotus loc.cit. ubi sub.lit.D.ponit casum; quod Minister parans calicem Sacerdoti ex aliqua negligentia pro vino ponit aquam,& Sacerdos non advertens,& supponens ministrum ritè omnia fecisse, procedit usque ad perceptionem, & percipiens liquorem de calice advertit esse aquam. Et respondet, quod in tali casu tenetur consecrare sanguinem de novo, & consecratum percipere, quod probat,quia quandò sunt duo præcepta ordinata, præceptum Superioris magis ligat, nunc autem præceptum Christi, & Ecclesiæ est,quod Sacramentum,quando conficitur, conficiatur integrum, & inquit de ista integritate servandam esse districtam Ecclesiæ obligationem de Consec.d. 2.cap.*Comperimus*, & divisionem prohiberi à Christo ex prima institutione hujus Sacramenti; quarè assertum hoc quoad utramque partem est DD. loc. cit. & quoad primam partem patet ex ca. cit.*Comperimus*, ubi dicitur non posse à Sacerdote absque gravi sacrilegio dividi mysterium, & non sumi utramque partem hujus Sacramenti. Quoad alteram quoque partem probatur, nam quod ex Christi institutione pendet, de jure divino censeri debet, sed utramque speciem ad hoc Sacramentum requiri ex Christi pendet institutione, ut inquit Doctor; ergò præceptum hoc non tantùm ab Ecclesia pendet, sed etiam à Christo, & consequenter est de jure divino. Minor probatur ex Concil. Trid. sess. 22. cap. 1.ubi indicat hoc Sacramentum ità à Christo institutum esse,ut noluerit fieri sine sacrificio corporis, & sanguinis sui, ut patet ex illis verbis *Hoc facite in meam commemorationem*,sed sacrificium corporis,& sanguinis,quod Christus instituit, non potest esse sine consecratione panis,& vini,ut patebit ex inferius dicendis de sacrificio Missæ; ergò neque hoc Sacramentum confici potest absque consecratione panis, & vini ex præcepto etiam divino.

27 Postremò sequitur ex proximè dictis neque Summum Pontificem dispensare posse, ut in una sola specie consecretur, ut diximus loc.c. cum communi sententia. & ratio est, quia in iis,quæ sunt juris divini nequit Ecclesia dispensare,quandoquidem inferior in lege Superioris dispensare non potest, ut ajebat Scot.l.c. & ità statutum fuit ab Urb.II.q.1.c.*Sunt quidam*,& Zosimo c.*Contrà statuta*. Confirmatur, quia non minus est de jure divino integritas hujus Sacramenti, quàm illius materia; sicut ergò nequit Pontifex suprà materiam Sacramentorum dispensare, ut quod deficiente vino alius liquor sufficiat, & deficiente pane triticeo satis sit hordeaceus; ità neque dispersare potest,ut deficiente vino in solo pane consecratio fiat, vel è contrà.

Confirmatur tandem, quia Ecclesia dispensare non potest in iis, quæ ad substantiam Sacramentorum pertinent; utraque autem species pertinet ad integritatem substantialem Eucharistiæ, ut suprà dictum est, cùm Sacramentum non sit integrum, & perfectum sine utraque specie.& planè si posset Pontifex circà Sacramentum Eucharistiæ dispensare in iis, quæ Christus circà illud instituit; nulla posset assignari ratio,cur pariter dispensare non posset in sigillo Confessionis, matrimonio consummato,materia Baptismi,& aliorum Sacramentorum. Objectiones quasdam in contrarium vide solutas l.c.n.123.& 124.

QUÆSTIO TERTIA.

De forma Eucharistiæ.

28 QUemadmodum duplex est materia partialis Sacramenti Eucharistiæ, nimirum panis, & vinum, ut constat ex dictis quæstione præced.ab initio; ità pariter est duplex partialis forma, alia dicitur forma Sacramenti corporis, & alia sanguinis; & de hac duplici forma in præsenti quæst.discurrendum est; & primo loco agemus de forma Sacramenti corporis, posteà verò de forma Sacramenti sanguinis breviter repetendo, & cum majori facilitate, quæ de hoc fusè diximus 4. sent. disp. 3. cit. quæst. 6. & 8. & seq.& alia addendo ibi omissa ad moralem doctrinam spectantia, ut fecimus quæst.præced.agendo de materia Eucharistiæ.

ARTICULUS PRIMUS.

Quæ sit forma ad consecrandam Eucharistiam requisita, & qui verus, & proprius verborum illius sensus.

29 PRimò conveniunt omnes Catholici formam consecrationis corporis in illis quatuor verbis consistere *Hoc est corpus meum;* ità enim docuit Apost.1.Cor. 11. ubi recitans, & docens formam, qua Christus consecravit, dicit *Hoc est corpus meum*. Ità etiam docuit Conc. Florent. in decreto Eug. ubi in specie loquens de Sacramento Eucharistiæ dicit formam hujus Sacramenti esse verba illa Salvatoris. *Hoc est corpus meum* quibus hoc Sacramentum conficitur, Sacerdos enim in persona Christi loquens illis verbis hoc confici Sacramentum, & idem tandem docet Trid. sess. 13. Conveniunt etiam particulam *enim* non esse de essentia formæ consecrationis, & consequenter nec de necessitate Sacramenti,sed tantùm poni ad continuanda quatuor præfata verba cum præcedentibus, scilicet. *Qui pridiè &c.* esse tamen de necessitate præcepti, undè qui eam omitteret,graviter peccaret contrà perpetuam, & universalem Ecclesiæ consuetudinem. Solùm igitur est difficultas, an quatuor ista verba ad substantiam, & validitatem Sacramenti sufficiant, an etiam necessaria sint verba præcedentia *Qui pridiè*, ut Sacramentum conficiatur. Aliqui dicunt, quod licet illa verba non sint forma, vel pars illius, esse tamen ità necessariò requisita, ut si Sacerdos illis prætermissis consecraret, vel nihil efficeret, vel saltem dubium esset, an consecrasset, quia verba illa præcedentia sunt necessaria, tanquam conditio determinans modo sensibili prolationem formæ fieri in persona Christi, quæ opinio communiter tribuitur Scoto 4. d.8.quæst.2. §. *de secundo dico*,eamque sequuntur nonnulli Scotistæ, ut Rada,Faber,& Brancatus. Communis tamen sententia docet verba præcedentia illud pronomen *Hoc* non esse de necessitate Sacramenti,sed solùm præcepti, ac proindè si omitterentur,adhuc per illa quatuor verba *Hoc est corpus meum* verè Eucharistiæ Sacramentum conficeretur; quamvis enim verum sit, quod illa quatuor verba absolutè prolata sine præcedentibus ex vi verborum non significant, id, quod efficitur, sed corpus proferentis, quia ly *Est* unit ly *Corpus* ad eum, qui dicit *meum*; tamen si Sacerdos,cùm illa verba profert, intendat corpus Christi,jam hæc non significant corpus proferentis, sed Christi, quam opinionem ut communiorem, & probabiliorem nos etiam amplexi sumus 4. disp. 3.q.6.cit.art.1. ubi etiam cum cæteris Scotistis diximus esse de mente Doctoris, quamvis enim q. 2.cit.art.2. pro prima opinione stare videatur; posteà tamen art. 3. ejusdem quæstionis in communem opinionem ipse quoque condescendere videtur,ut ibi explicat Hiqueus,etenim ex discursu Doctoris,quem habet sub lit. Y. vers. *sic ergo breviter* colligitur, quod quotiescunque Sacerdos intendit proferre,& profert verba consecrationis secundùm quod fuerunt à Christo instituta, sufficienter intelligitur loqui in persona Christi, & habetur totum id, quod requiritur, ut Sacramentum conficiatur, scilicet, intentio debita, & instrumentum debitum, cui Deus assistit, ut fusè loco citato, discurrimus, & objectiones in oppositum solvimus art. 2.

30 Secundò conveniunt etiam omnes Catholici verba illa *Hic est calix sanguinis mei*, vel illis æquivalentia *Hic est sanguis meus*, nam illa verba intelliguntur per figuram methonimiam pro re contenta in calice, esse simpliciter de essentia consecrationis calicis, vel sanguinis, itaut illis omissis, estò alia proferantur, non erit verè Sacramentum, & hoc de fide tenendum est, quia illis verbis fit, & significatur vinum esse conversum in sanguinem Christi, sicut his verbis *Hoc est corpus meum* fit, & significatur panem esse conversum in corpus Domini. Quarè solùm est dubium de verbis aliis hæc verba antecedentibus, scilicet, *simili modo*, ac etiam subsequentibus, scilicet, *novi, & æterni testamenti &c.*& quidem de antecedentibus eodem modo discurrendum est, ut de præcedentibus formam consecrationis panis, quod nimirum sunt necessaria tantùm necessitate præcepti, non verò Sacramenti, ut constat ex modo dictis in simili de consecratione panis; de subsequentibus verò tres esse diximus præcipuas sententias disp. 3. cit. q. 7. Prima asserit omnia verba in forma Calicis, qua utimur, contenta esse de essentia consecrationis, pro qua citatur D. Thomas 3.p.q. 78. art.3. & 4. d.8.& q.2. a. 1. Secunda verò asserit verba illa *Qui pro vobis, & pro multis effundetur in remissionem peccatorum* esse essentialia, illa verò intermedia *novi, & æterni testamenti* non esse essentialia, sed proferri ad magis explicandum mysterium, quam sequuntur nonnulli Recentiores. Tertia tandem sententia,quæ est communis, docet sola illa verba *Hic est calix sanguinis mei*, vel æquivalentia,*Hic est sanguis meus* esse de essentia consecrationis

tionis calicis, reliqua verò esse tantùm necessaria necessitate præcepti, saltem in Ecclesia Latina, quam diximus esse Alensis, D. Bonaventuræ, ac etiam Scoti loc.cit. quæst.2. art.2. postquam enim ibi impugnavit opinionem D. Thomæ asserentis omnia verba esse essentialia, deindè sub litt.D. §. *De secundo articulo* cit. dico breviter, quod non est nobis traditum omninò certitudinaliter, an ad formam consecrationis sanguinis pertineant aliqua verba post illud *sanguinis mei*, ideò periculosum est hoc asserere, quibus verbis expressè docet verba illa, *Hic est calix sanguinis mei* esse essentialia, cætera verò, quæ sequuntur, non esse essentialia, & periculosum esse illud asserere sine sufficienti auctoritate.

38 Hinc concludimus loc.cit. dicendum esse, formam consecrationis sanguinis in illis verbis essentialiter consistere *Hic est calix sanguinis mei*, vel in æquivalentibus, *Hic est sanguis meus*, verba verò sequentia, non esse de ejus essentia, & probamus à priori, quia illa sola verba sunt de essentia consecrationis Calicis, quæ sufficienter significant præsentiam sanguinis Christi sub speciebus vini, sed sola verba illa *Hic est calix sanguinis mei*, vel *Hic est sanguis meus* id sufficienter significant; ergò &c. Major patet, quia verba illa sufficiunt ad essentiam formæ, quæ significant ea, quæ sunt de essentia Sacramenti, verba enim Sacramentalia id efficiunt, quod significant; minor probatur, quia illa verba significant id, quod sub speciebus vini continetur, esse Christi sanguinem, & hoc in ultimo instanti suæ prolationis antecedenter ad prolationem sequentium; ergò cum tota ratio Sacramenti in significatione consistat, verba illa ad conservationem sufficientia erunt.

Confirmatur, quia prolatis illis tantùm verbis necessariò causatur præsentia sanguinis Christi sub speciebus cùm necessariò sint vera, & ex institutione divina efficiant quod significant; ergò ipsa sola sunt de essentia consecrationis Calicis, quia antecedenter ad sequentia verba continent veritatem, & verissima sunt. Tandem, quia non sunt minoris efficaciæ verba illa *Hic est sanguis meus* in consecratione Calicis, quàm ista *Hoc est corpus meum* in consecratione panis, ergò sicut hæc sufficiunt ad conversionem panis in corpus Christi, nec sunt de essentia alia sequentia verba; *Quod pro vobis tradetur*; ità & illa ad conversionem vini in sanguinem, nec erunt de essentia alia subsequentia verba, *Qui pro vobis effundetur*, & hæc est communis, & vera sententia, tùm antiquorum, ut diximus, tùm Recentiorum, Vasquez, Suarez, Coninch. Cardin. de Lugo, Becani, Meratii, Aversæ, Hurtadi, Caspensis, & aliorũ passim. Responsiones autem, & objectiones Adversariorũ vide rejectas, & solutas loc cit.

32 Tertiò, quod spectat ad verum, & proprium illorum verborum sensum, quibus fit consecratio, quæritur, an debeant intelligi recitativè tantùm, seù materialiter, an verò significativè seù formaliter, seu an Sacerdos verba illa proferat animo solùm referendi verba ab ipso Christo in hujus Sacramenti institutione usurpata, an etiam animo exercendi significationem illorũ, & consecrandi, seù convertendi panem, & vinum in corpus, & sanguinem ejusdem Christi; in qua quæstione tres etiam sententias esse diximus disp.3.cit. q.8. duas nimirum extremas, & tertiam mediam. Prima extrema docet prædicta verba solùm recitativè, & materialiter dici à Sacerdote, pro qua citantur plures antiquiores, Ocham, Major, Durandus, Salmeron, Mirandulanus, Catherinus, & alii. Secunda extrema asserit significativè tantùm proferri, & formaliter, quam tenet Vasquez, Amicus, Bernal, & alii Recentiores. Tertia tandem sententia media asserit utroque modo proferri, quæ est opinio Div. Thomæ, D. Bonavent. Scoti loc.c. & omnium Thomistarum, & Scotistarum. & quidem in primis quod recitativè proferãtur probamus q.8.cit.ar.1 quia illud verbum *dicens* immediatè ponitur in Canone Missæ antè verba consecrationis, ergo hæc verba proferri à Sacerdote recitativè negari nequit, quia Sacerdos expressè narrat verba illa fuisse à Christo prolata in ult. Cœna, dicit enim, *Benedixit, fregit, dediq; discipulis suis, dicens, accipite, & manducate: Hoc est corpus meum*; ergò Sacerdos profert illa verba recitativè, quia narrat quid Christus Dominus in hujus Sacramenti institutione fecerit, & dixerit, aliquid autem recitativè proferri aliud non est, quàm proferri, ut dictum ab alio. Deindè quod etiam significativè, & formaliter à Sacerdote proferantur, probatur, quia Sacerdos illa verba non profert animo solùm referendi verba ab ipso Christo in hujus Sacramenti institutione usurpata, sed etiam animo exercendi significationem illorũ, & consecrandi, seù convertendi panem, & vinum in corpus, & sanguinem Christi, ut ipse fecit. Tùm quia expressè deducitur ex eo, quod in decreto Eugenii declaratur Sacerdotem in persona Christi loquentem hoc conficere Sacramentum; non loqueretur autem in persona Christi, si tantùm narraret, & recitaret id, quod Christus dixit. Tùm tandem, quia ut dicebamus loco citato ex mera ratione verborum non colligitur præsentia corporis, & sanguinis Christi in Eucharistia, verba namque præcisè recitativè, & historicè prolata solùm referunt factum Christi, & solùm significant, id quod Christus habuit in manibus post eorum prolationem esse corpus, & sanguinem suum, non autem hoc, quod Sacerdos habet in manibus, esse corpus, & sanguinem Christi, ut ergò hoc colligatur proferri etiam debent significativè, & formaliter. Responsiones autem, & objectiones Adversariorum vide rejectas, & solutas loco citato.

33 Quartò quæritur, quid demonstret pronomen *Hoc*, vel *Hic* in forma consecrationis, & ratio dubitandi est, quia vel pronomen *Hoc* in forma corporis significat panem, & tunc propositio esset falsa, quia panis non est corpus Christi; vel significat accidentia panis, & neque hoc dici potest ob eandem rationem, vel demonstrat ipsum corpus Christi, & hoc etiam dici nequit; quia quando profertur, corpus Christi non adest, cùm non ponatur, nisi in fine prolationis totius formę. Ad quam difficultatem solvendam tres etiam diximus qu.8.cit. esse dicendi modos. Primus est, ut pro nomen illud accipiatur substantivè saltem in forma consecrationis panis, & per illud significetur substantia corporis Christi, confusè tamen eo pronomine designata, itaut nec determinet substantiam panis, nec substantiam corporis Christi, sed dicat substantiam ab utraque abstrahentem, sivè individuum substantiale vagè, & indifferenter sumptum, quod tandem per ipsum propositionis prędicatum determinatur in fine prolationis verborum ad substantiam corporis Christi significandam. Ità Suarez, Card. de Lugo, Aversa, & plures alii Recentiores. Secundus dicendi modus asserit prędictum pronomen suum adjectivè, & habere suspensam significationẽ usq; ad fidem prolationis verborum, & totius propositionis, sicut habet terminos syncategorematicus, itaut eodẽ modo hęc Christi verba intelligantur, *Hoc est corpus meum*, sicut si quis diceret *Hoc est thesaurus meus*, & sicut etiam Pater cœlestis de eodem Christo Domino dixit, *Hic est filius meus dilectus*, & hoc præsertim cernitur in forma consecrationis sanguinis, ubi pronomen *Hic* accipitur adjectivè, siquidem in genere masculino convenit cum sanguine, non est autem major ratio, cur pronomen *Hic* in forma sanguinis adjectivè sumatur quàm pronomen *Hoc* in forma panis. Ità Major, Maldonatus, Vasquez, Hurtad. Amicus, Caspensis, & alii. Tertius dicendi modus est Scoti 3.dist.8. cit. quæst.2. concl.8. & 9. ubi asserit *ly Hoc* & *Hic* sumi substantivè, & non adjectivè, & non demonstrare aliquod singulare vagum commune substantiæ panis, & corporis Christi, sivè substantiæ vini, & sanguinis ejus, sed denotare singulare, & individuum entis, quod in fine prolationis formæ contrahitur, & determinatur ad significandum corpus, vel sanguinem Christi, quę est communis Scotistarum sententia, quam fusè probamus, & declaramus quæst.6. cit.art.2.

34 Quod autem pronomina *Hoc*, & *Hic* in formis consecrationis non adjectivè, sed substantivè sumantur, probamus ibi ex ipsa Grammatica, quia pronomina demonstrativa hic, hęc, hoc, tunc adjectivè sumuntur, quando actu alicui subjecto copulantur, ut hic calamus est obtusus, hæc pagina est alba, hoc attramentum nigrum; substantivè verò, quando per se ponuntur nulli substantivo copulata, ut hic est calamus, hæc est pagina, hoc est attramentum; cùm ergò illa pronomina in formis consecrationis per se ponantur, & null substantivo actu, & explicitè copulentur, substantivè, non adjectivè sumuntur. Deindè pronomina *Hoc*, & *Hic* non demonstrare aliquod singulare vagum commune substantiæ panis, & corporis Christi, sivè substantiæ vini, & sanguinis probamus ibidem, quia quodcunque singulare vagum commune corporis Christi, & aliis corporibus, & substantiis habet se per modum superioris respectu corporis Christi, sed quod est inferius prædicatione propria, & naturali non potest prædicari de superiori, sicut non benè de animali prædicatur, quod sit homo, sed è contrà; Tùm quia pronomina illa demonstrant id, quod in ultimo instanti prolationis verborum reperitur, hoc autem non est aliquod commune, pani, & corpori Christi, vel vino, & ejus sanguini, sed ipsum corpus, & ipse sanguis Christi; ergò &c. Tandem, quod illud pronomen *Hoc*, quamvis secundum rem demonstret Corpus Christi, tamen secundum modum significandi, vel ex vi significationis suæ demonstret singulare entis, itaut sit sensus *Hoc ens est corpus meum*, probamus ibidem supponendo ex dictis in Logica quæst.1. de genere art.3. dari individua generica, de quibus genus immediatè prædicari potest, & quod in singularibus est ordo secundum ordinem universalium, & quod prius universale quodcunque potest intelligi descendere in proprium singulare, quam contrahatur per differentiam aliquam ad aliquod inferius tanquam ad speciem, ut sic habeamus ordinem istorum singularium, hoc ens, hæc substantia, hoc corpus, & sic deinceps usque ad sortem; quarè, in proposito pronomen

Hoc

Hoc licet significet Corpus Christi secundùm rem; secundùm tamen modum significandi, seù ex vi suæ significationis significat singulare entis, scilicet, hoc ens; undè licet pronomen *Hoc* secundùm rem Corpus Christi significet, illud tamen diversa ratione significat, nam Corpus Christi, significat Corpus Christi, ut est singulare naturæ determinatæ; at verò pronomen *Hoc* significat Corpus Christi, ut est singulare entis, & ut est præsens, & demonstrabile, non quidem per se, sed per accidentia, sub quibus continetur, & hæc conceptuum diversitas sufficit, ne illa propositio *Hoc est corpus meum* sit identica, sed formalis; ut ibi fusius explicamus. Responsiones autem, & objectiones Adversariorum vide rejectas, & solutas loc.cit.

35 Quintò tandem quæritur; quomodo hæc forma consecrationis vera esse possit, & ratio dubitandi est, quia prius requiritur rem aliquam esse, quàm veram esse propositionem, quæ affirmat illam esse juxtà axioma philosophicum; ab eo quod res est, vel non est, oratio dicitur vera, vel falsa; forma autem consecrationis, cùm afficiat rem illam, quam enunciat, est illa prior, & ex consequenti falsa, cùm significet id esse, quod nondum est. Veritas tamen catholica hæc est, verba consecrationis in hoc Sacramento propriè, & in rigore sermonis esse vera, quando proferuntur, quamvis nonnisi in ultimo instanti prolationis earū reperiatur Corpus Christi sub speciebus panis, & sanguinis, sub speciebus vini. Ità jam statuimus d.3.c.q.9.a.1. quam veritatem in toto rigore logico demonstrat Scot. l.c. per tredecim concl. & præcipua ratio est, quia veritas propositionis non regulatur pro tempore, quo copula profertur, sed pro tempore, quo tota propositio absolvitur, atque ideò à tota propositione finita desumitur; sed in ultimo instanti prolationis verborum, quod est primum non esse illorum, in quo præcisè instanti verborum Sacramentalium significatio intelligitur completa, res per illa significatæ à parte rei existunt, scilicet, corpus Christi, sub speciebus panis, & sanguis sub speciebus vini; ergò formæ illæ secundum omnem rigorem, & verborum proprietatem sunt veræ. Minor est de fide, major probatur; quia conceptus per orationem prolatam causatus non habetur nisi in ultimo instanti prolationis ejusdem; ergò ut aliqua propositio vocalis sit vera de rigore sermonis, satis est, quod in ultimo instanti, in quo conceptus illius cōpletur, significatum per eam à parte rei existat; undè hęc oratio *Hoc est corpus meum* non sortitur veritatem, & significationem totalem nisi sit omninò finita, & secūdùm omnes ejus partes completa; si enim quis hanc orationem proferret *Hoc est corpus*, & non proferret *meum*, sed diceret *Petri*, certè talis oratio referetur tota ad corpus Petri; ergò ejus sensus nondùm determinatus est, nisi ultima quoque particula proferatur, per quam determinatur termini priores, & copula eorundem, & tunc integra propositio dicitur existere, non verò anteà, & id maximè in proposito dicendum est, cùm enim formæ consecrationis sint practicæ, & operativæ, totam earum veritatem referunt ad ultimum instans, in quo operantur, & tota hæc est Scoti doctrina loc.cit. §. *aliter ergo* in prima conclusione. Ex qua etiam solvitur ratio dubitandi adducta, quod hoc præsertim versatur discrimen inter propositiones, quæ vim significativam solummodò habent, & eas, quæ vim etiam habent effectivam illius, quod enunciatur, quod illæ supponant rem, quam enunciant, jam esse, hæ verò illam efficiant; undè ad veritatem formæ consecrationis, per quam corpus Christi, sub speciebus panis ponitur, sufficit quod in eodem instanti prolationis verborum, quo eius significatio completur, res per eam significata, & enunciata talis à parte rei sit, qualis esse significatur, & enunciatur, quod cùm in forma illa reperiatur, ut ex dicendis art.seq. constabit, sequitur illam esse; & ità etiam discurrit Abellius cap.4. cit. sect. 4. de mente D. Thomæ in solutione hujus quæsiti, & alii Recentiores passim.

ARTICULUS SECUNDUS.

Quid in hoc Sacramento per verba consecrationis efficiatur.

36 EXplicata veritate verborum consecrationis Eucharisticæ, eorundem efficacia modò est declaranda; tria verò sunt præsertim, eaque maxima admiranda, ut docet Catechismus Roman. p. 2. cap. 4. quæ per verba consecrationis efficiuntur. Primum est, quod verum, & proprium Christi corpus, & illud idem, quod ex Sanctiss. Virgine natum ad dexteram Patris sedet, & verus, ac proprius ejusdem sanguis, qui pro nobis effusus est, in hoc Sacramento realiter, & substantialiter continetur; Secundum est, quod nulla in Sacramento illo remanet panis, aut vini substantia, quamvis id à sensibus alienum omninò videatur, sed tota ipsius panis, & vini substantia in substantiam corporis, & Sanguinis Christi Domini convertitur. Tertium denique est, quod in eo Sacramento accidentia panis, & vini, quæ oculis, aliisque sensibus percipiuntur, sine ullo subjecto mirabili quadam ratione remanent, & operantur, quæ tria hic sunt breviter explicanda, & tanquam de fide statuenda.

37 Primò itaque statuendum est, ut diximus disp.3.cit.qu.10. tanquam dogma Catholicum in pluribus Conciliis definitum Ephesino, Romano, Viennensi, Constantiensi, Florentino, & aliis contrà plures Hæreticos antiquos, & Recentiores, cæterosque Sacramentarios, sub speciebus Eucharisticis contineri verè, & realiter, & substantialiter corpus, & Sanguinem Christi, & non tantùm in figura, signo, & virtute, & ut illi commiscuntur verum sensum Scripturarum, Conciliorum, & Patrum detorquentes; etenim hęc Catholica veritas nullam habet repugnantiam cum principiis philosophicis, ut ostendit Scot. 4. d.10.q.1. ex quibus supponimus nullam esse implicantiam idem numero corpus per potentiam Dei absolutam esse in pluribus locis, & habere plures præsentias, sivè hujusmodi præsentiæ sint diversæ rationis, scilicet, una circumscriptiva, alia definitiva, sivè ejusdem rationis scilicet plures circumscriptivæ, vel plures definitivæ, in hoc enim nullam esse implicantiam de potentia Dei absoluta jam ostendimus disp. 11. Phys. Undè non obstat, quod Sacramentarii obiicere solent, possibile non esse Christum totum in tam parva hostia contineri realiter, & in ejus qualibet minutissimam particula, ac simul in Cœlo, & in tot locis super terram realiter adesse. Hęc enim, & similia argumenta probant solùm ista videri posse impossibilia iis, qui Dei potestatem incomprensibilem, & inexhaustam bonitatem, ac magnam charitatem ignorant, ut ait Apost. ad Eph.2. fideles verò, qui firmiter credunt *non esse impossibile apud Deum omne verbum*, ut testatus est Angelus, firmissimè etiam sibi persuadent realem illā Christi præsentiam in hoc Sacramento tam expressis divinæ veritatis testimoniis assertam, Deo possibilem esse, licet possibilitatis illius modum ignorent. Totus itaque Christus secundum suam substantiam est præsens Sacramento Eucharistiæ, ideſt, secundùm corpus, sanguinem, animam, divinitatem, & subsistentiam divini Verbi, & non tantùm secundùm substantiam, sed etiam secundum accidentia sua omnia intrinseca, & absoluta, quæ habet in Cœlo, atque adeò etiam secundùm ipsius quantitatem; & totus Christus tam quoad substantiam, quàm quoad accidentia est in hoc Sacramēto, ac qualibet ejus particula tamdiù, quamdiù species manent incorruptæ, & ità definitum est in Conciliis citatis. Licet autem totus Christus sit in qualibet specie, non tamen eodem modo est sub una, atque sub altera secundum corpus suum, & sanguinem, nam ut passim Theologi declarant, sub specie panis ex vi quidem consecrationis, & primariò tantummodò est corpus, per concomitantiam verò, & quasi consequenter, & secundariò est ibi sanguis, & reliqua, quæ ad Christum pertinent; è contrà verò sub specie vini ex vi consecrationis, & primariò est tantùm sanguis, per concomitantiam autem, & secundariò corpus etiam, & reliqua; & ratio talis præsentiæ sumitur ex verbis ipsius consecrationis, quibus id, quod in Sacramento fit, significatur, ut l.cit. fusè declaravimus.

38 Secundò fides catholica docet, non solùm corpus, & sanguinem Christi Domini realiter in Sacramento Eucharistiæ existere, ut dictum est, sub speciebus panis, & vini, sed præterea nihil substantiæ panis, & vini in eo remanere, totamque panis, ac vini substantiam transmutari, & converti in substantiam corporis, & sanguinis Christi, ut de fide definitum est in Conciliis Rom. sub Gregorio VII. & Nicolao III. Lateranens. sub Innocentio III. Constantiens. sess.8. & Trid. sess.13. cap.4. & can.2. ubi eam propriè, & aptissimè transubstantiationem appellat, ut diximus disp.3. cit. quæst.12. contrà Hæreticos tam Calvinistas negantes prorsus realem præsentiam Christi, sub speciebus, sine qua non posset esse hujusmodi conversio; quàm Lutheranos qui licet realem præsentiam Christi, sub speciebus admittant, adhuc tamen putant manere simul sub speciebus substantiam panis, ideoque actionem illam, per quam ponuntur sub speciebus consecratis corpus, & sanguis Christi, vocant Impanationem, non autem Transubstantiationem. Nec obstat Eucharistiam in scripturis vocari panem, ut 1. Corinth. 10. undè inferunt panis substantiam simul cum Christi corpore in Eucharistia remanere, aliàs falsò panis diceretur; vocatur enim panis, vel quia ante consecrationem verè panis fuit, ideoque panis dicitur, quamvis amplius non sit; vel quia exteriorem figuram panis retinet, & alia panis accidentia, sicut Genes.18. Angeli vocantur viri, quia exterius tales apparebant, licet realiter tales non essent. Nec etiam obstat verbum *Transubstantiationis* in Scriptura non reperiri; siquidem neque in illa reperitur verbum *Consubstantialis*, quod tamen Concilium Nicænum primum usurpavit ad Christi Domini naturam Divinam explicandam, quarè idem quoque rationabiliter Concilia Lateranens. Florent. & Trident. facere potuerunt ad Eucharistiæ mysterium, & veritatem expressiùs significandam, & ab erroribus vindicandam, ut notat Abellius cap.4. citat. sect. 5.

§. 2.

scut 2. Si autem per transubstantiationem fit conversio panis, & vini in corpus, & sanguinem Christi, & ea ratione sistitur ille in Eucharistia præsens; ità etiam asserendum est hunc realem effectum, omninò etiam fieri virtute verborum formæ, tanquam per Dei quoddam instrumentum, atque ideò per opus ipsum Ecclesiastici ministerii, & deducitur ex facto ipsius Christi, & institutione, quibus accedit, quod Sacramenta novæ legis significando efficiunt idipsum, quod significant, ut suprà dictū est; siquidem eorum significatio non est purè speculativa, sed practica, & operativa; sed verba illa, ut significant esse præsens Corpus Christi, sunt de substantia ipsius Sacramenti; ergò idipsum efficiunt, tanquam pars Sacramenti, & consequenter dicendum est etiam ipsum Ministrum, ut illa verba profert, unà cum illis quoque concurrere ad conversionem instrumentaliter, si quidem & Minister, & opus ipsum Ecclesiastici Ministerii censeri debent, tanquam unum instrumentum integrum ad Sacramenti effectum attinens.

39 Tertiò præterea fides catholica docet, species illas, seù accidentia panis, & vini, putà figuram, colorem, saporem, &c. manere sine ullo subjecto: ità definitum est in Concilio Constantiensi sess. 8. ubi damnata est, tanquam falsa, & hæretica hæc Vuiclesi propositio: *Accidentia panis non manent sine subjecto in Sacramento*, &c. & denuò definitum est in Concil. Trident. sess. 13. can. 2. & sequitur ex proximè dictis, aliter enim non staret fides transubstantiationis, ut perspicuum est; id tamen de omnibus accidentibus conjunctum sumptis est intelligendum; alioquin verum est, quod diximus disp. 3. cit. q. 15. ab initio cum Scoto l. c. & D. Thom. q. 77. a. 1. & 2. solam quantitatem panis, & vini ab omni subjecto separatam divina virtute in hoc Sacramento existere, reliqua verò accidentia in quantitate recipi, & sustentari, tanquam in proximo, & immediato subjecto, uti recipiebantur anteà, quandò simul cum quantitate substantiæ inhærebant. Ex quo consequenter diximus nullam fieri mutationem in reliquis accidentibus, sed in sola quantitate, nam sola quantitas manet separata à proprio subjecto, scilicet, substantia, reliqua verò manent, ut anteà, totaliter, ac sufficienter sustentata à quantitate, quia quantitas est subjectum immediatum, & proximum aliorum accidentium, per quod substantiæ inhærent, ut ostensum est dip. 2. Phys. q. 3 a. 2. Sola remanet difficultas, quomodo accidens separatum conservetur. Aliqui enim volunt in tali casu novum perfeitatis modum accidenti separato fore concedendum loco actualis inhærentiæ, ac ei oppositum, cujus virtute per se existeret sine subjecto. Alii concedunt quidem Deum tale accidens conservaturum absque aliqua additione alterius modi positivi, non tamen eadem actione, qua prius eandem formam in subjecto conservabat, sed influxu alterius omninò rationis. Alii utrumque asserunt in tali, scilicet, casu accidens separatum fore conservandum, tùm per novum modum positivum, tùm per novam actionem. Nos autem utrumque negamus l. c. cum Scoto 4. d. 12. q. 1. & 6. §. *Ad argumenta*, ubi accidenti separato nullum concedit novum perfeitatis modum positivum pro ejus conservatione, ut per se existere dicatur, sed tantùm negativum, quatenus, scilicet, prosequitur Deus conservationem accidentis secundùm suam entitatem, & subtrahit concursum, quo conservabat subjectum, & inhærentiam accidentis in subjecto; ac etiam negat accidens separatum indigere ad conservationem suæ entitatis novo concursu à priori diverso secundum rem, quo conservabatur in subjecto, quam etiam sententiam latè probavimus disputat. 3. Phys. q. 4. art. 2.

40 Quartò circà efficaciam verborum consecrationis est difficultas, an verba consecrationis suum effectum operentur, quatenus vera, adeout veritas formæ sit causa conversionis panis, & vini in corpus, & sanguinem Christi, vel potius è contrà conversio sit causa veritatis; vel brevius, an verba consecrationis sint causæ conversionis, non solùm ratione significationis, sed etiam ratione veritatis. Thomistæ communiter partem tuentur affirmativam, eo quia Concilia, & Patres ex veritate verborum deducunt conversionem panis, & vini in corpus, & sanguinem Christi. Scotus verò 4. dist. 8. q. 2. cit. propè finem existimat verba pro illo priori esse quidem significativa sui objecta, non tamen vera, nec falsa, sed neutra, hoc est præscindere ab utroque, ac proindè verba illa esse causam conversionis ratione significationis, non autem ratione veritatis, quam sententiam non solum sequuntur Scotistæ omnes, sed etiam Recentiores ferè omnes communiter Suarez, Vasquez, Lugo, Aversa, Caspensis, Becanus, & alii passim; quapropter d. 3. cit. q. 9. art. 2. statuimus cum Scoto loc. cit. formam consecrationis esse conversivam, seu causare transubstantiationem, & præsentiam corporis, vel sanguinis Christi, inquantum est significativa, non autem inquantùm est vera, undè verba consecrationis, estò sint vera in fine prolationis, non tament sunt conversiva, quatenus vera, sed quatenus neutra, & præcedentia veritatem saltem natura; & quidem quoad primam partem nulla est difficultas, quia omnia Sacramenta suos effectus causant, quatenus sunt quædam signa sensibilia à Deo assumpta, & instituta, ut ad eorum positionem Deus assistens ponat effectus aliquos; ergò causant quatenus significant; tùm quia ex eo, quod forma consecrationis significet corpus Christi esse sub speciebus, colligitur, quod causet præsentiam ejus sub illis, nam Sacramenta efficiunt, quod significant; quoad secundam partem probat Doctor loco citato ideò hæc oratio est vera: *Hoc est corpus meum*, quia ea expleta panis destruitur, & corpus Christi sub speciebus ponitur, in quo consistit conversio; ergò prius natura ponitur corpus Christi sub speciebus, quàm intelligatur oratio illa veritatem habere. Consequentia patet, nam causa, & omnis ratio, secundum quam causat, debet præcedere effectum saltem natura, quam rationem latè prosequimur loco citat. ubi etiam videri possunt responsiones Thomistarum rejectæ, & objectiones solutæ.

41 Postremò hìc quæri solet, an plures formæ possint simul concurrere ad ejusdem materiæ consecrationem, seù an plures Sacerdotes possint simul eandem materiam consecrare, & est dubium nedum de valida, sed etiam de licita consecratione; quam quæstionem q. cit. art. 2. *in fine* diximus esse resolvendam juxtà dicta superius de Baptismo disp. præced. q. 3. art. 1. numer. 35. ubi diximus ex Scoto d. 6. qu. 2. plures eundem baptizantes sic, quod omnes simul formam expleant, singulos eorum verum, ac validum Sacramentum conficere. Ità igitur in proposito quoque dicendum est, plures Sacerdote formam consecrationis in eodem instanti simul super eandem materiam proferentes cum recta, & absoluta intentione illam consecrandi, si simul verba consecrationis absolvant, omnes verè Sacramentum conficere; sicut enim plures præfato modo eundem baptizantes validum baptismi Sacramentum conficiunt, ità eadem ratione de Eucharistia discurrendum est, & sicut in eo casu diximus plures illos baptizantes concurrere, ut causas totales morales ad eundem baptismum; ità pariter in proposito dicendum est, plures Sacerdotes unam, & eandem hostiam simul consecrantes verè se habere, ut causas totales eundem effectum totaliter causantes in genere moris, quia id non importat in signato respectu signi physicam, & essentialem dependentiam, quam tantùm negamus posse in uno aliquo affectu reperiri ad plures causas totales, quæ fuit doctrina Scoti loc. cit. à nobis latè tradita, & disputata disp. 8. Phys. q. 3. art. 2. Quod etiam licitè possint interdum plures Sacerdotes eandem materiam consecrare probat consuetudo, qua Ecclesia Romana utitur cum Sacerdotibus de recenti ordinatis, qui omnes cum Episcopo ordinante concelebrant simul cum ipso verba consecrationis super eandem materiam proferentes, quem ritum ab omnibus Episcopis observari præcipitur in novo Pontificali jussu Clementis VIII. edito, undè est sententia hoc sæculo adeò communis, & certa, ut sine maxima temeritate in dubium revocari nequeat.

ARTICULUS TERTIUS.

Explicantur quædam difficultates circà transubstantiationem panis, & vini in corpus, & sanguinem Christi.

42 PRima difficultas est. Quid sit propriè illa transubstantiatio, & quomodo intelligi debeat. Varii sunt modi dicendi Theologorum in hac re, & fusè discurrimus disp. 3. cit. q. 12. art. 2. ubi diximus communiorem, & probabiliorem tùm Antiquorum, tùm Recentiorum esse illorum, qui dicunt transubstantiationem panis in corpus Christi non esse ipsius corporis Christi substantialem productionem, seù mutationem, ideò est Christi corpus per illam transubstantiationem de novo non produci, nec substantialiter mutari, aut localiter moveri; sed per vim, & efficaciam consecrationis fieri, ut desinente tota panis substantia, corpus Christi, quod est in Cælo, sine ullo motu locali, aut mutatione substantiali jam esse incipiat sub speciebus ipsius panis; adeout conversio panis in corpus Christi sit transubstantiatio non productiva; sed adductiva, vel traslativa; & actio per quam Christus in Sacramento ponitur; realiter & formaliter sit actio, per quam producitur præsentia Sacramentalis Christi ad species panis, & vini, quia hoc vere est, quod fit in hoc Sacramento, ut Christus qui erat in seipso, præsens fiat ipsis speciebus; quæ actio vocatur adductio, quia corpus Christi non per motum localem sit præsens speciebus, sed per quandam aliam simplicem mutationem constituitur in Sacramento, quia Christus nec deserit locum Cœli, sed ibi semper permanet, nec successivè advenit, ut fiat præsens speciebus, nec trasit per medium, sed statim, & immediatè fit præsens. Et hæc est expressa Scoti sententia 4. d. 11. q. 3. *Quantùm ergò ad istum articulum;* ubi ait, quod

tran-

transubstantiatio poni potest duobus modis, uno modo quod sit ad substantiam, ut per ipsam accipientem esse, alio modo ut sit ad substantiam, ut per ipsam accipientem esse hic; prima potest dici productiva sui termini ad quem, secunda adductiva; quia per ipsam adducitur terminus, ut sit hic; transubstantiatio primo modo non potest esse ad substantiam, quæ præfuit, quia non videtur posse poni secundum esse suum antiquum, sed secundo modo benè potest esse in præexistens, quia potest fieri de novo præsens hic, ubi fuit terminus à quo, manens tamen ubi erat prius; ità Scotus loc. c. undè ad hanc transubstantiationē requiritur, ut corpus Christi fiat præsens verè, & realiter accidentalibus panis, itaut corpus quod prius non erat præsens sub accidentibus, post consecrationem fiat præsens, & terminus formalis transubstantiationis sit substantia corporis Christi secundùm suum esse substantiale antiquum, & præexistens, relatio verò præsentialitatis in corpore Christi fundata, & ad species terminata sit terminus concomitans, quatenus transubstantiatio adductiva includit mutationem quandam ad simplicem præsentiam circa terminum ad quem, ratione cuius potest esse, ubi non præfuit, & ubi præfuit terminus à quo, ut Doctor declarat loc. cit. ità statuimus quæst. 13. cit. art. 2. & ex professo defendimus, & art. 3. solvimus objectiones contrà transubstantiationem adductas.

43 Secunda Difficultas est, An præsentia Sacramentalis Christi ad species præter inseparabilem eorum præsentiam ex pacto divino includat etiam aliquam unionem physicam corporis, & sanguinis Christi sub speciebus. Affirmant Thomistæ, & plures Recentiores dicentes talem præsentiam Sacramentalem Christi ad species haberi per unionem physicam formalem similem illi, quam habebat substantia panis, & vini cum eisdem accidentibus dempta inhærentia; itaut Christus incipiat esse sub speciebus non solùm per simplicem præsentiam, siuè coexistentiam, sed etiam per unionem quandam, qualis erat inter substantiam panis, & accidentia ejusdem, sublata tamen inhærentia. Oppositum statuimus dist. 3. cit. quæst. 10. art. 1. ubi nu. 220. asserimus inter species, & corpus Christi nullam physicam intercedere unionem, sed solùm realem, & inseparabilem præsentiam, qua Christus est indissolubiliter præsens speciebus, quæ indissolubilis præsentialitas non ab aliqua formali unione physica attendi debet, neque ab aliquo naturali, & necessario vinculo, sed solùm à divina voluntate, quæ decrevit corpus Christi esse intimè presens speciebus quousq; esse specierū retinēt. Ità Scot. 4. d. 10. q. 6. cōcl. 4. cum tota sua schola; & probatur quia non sunt multiplicanda entia sine necessitate, nulla autem est necessitas ponendi aliam unionē, quam illa presentiæ à Deo conservatæ, quamdiù species manent; ergò &c. Minor probatur primò, quia Patres, & Cōcilia presertim Florentinum, & Tridentinum, quæ exactissimè Christi existentiam in Eucharistia declarant, aliis vocabulis non utuntur, quàm præsentiæ, vel continentiæ; ergò signum est nullam aliam unionem inter Christum, & species esse necessariam; deindè quia eo ipso, quod necessariò ex pacto Dei illa præsentia conservetur corporis Christi sub speciebus, necessariò etiam movebitur Christus motis speciebus, ut patet, & iis monstratis potest semper verè dici *Hoc est, Corpus Christi*, quia corpus Christi sub eis continetur. Tandem quia alia unio formalis physica non datur, nisi vel partium in continuo, vel formæ in subjecto, quorum neutrum dici potest, quia licet species, & corpus Christi compenetrentur ad invicem, non tamen continuantur; nec accidētia ullo pacto corpori Christi inhærent, ut subjecto, nec illud taliter afficiunt, non enim dicitur quantum, vel album quantitate, vel albedine panis; neque è contrà corpus Christi afficit species, cum nihil ab eo recipiant, aliter non essent ibi accidentia sine subjecto. Nec etiam dici potest eam unionem esse effectivam, ut alii comminiscuntur, qualem intercedere dicunt inter ferrum, & magnetem illud sibi copulantem, ut loc. cit. fusè ostendimus Adversariorum responsa reiiciendo, & objecta solvendo art. 2. quæ ibi videri possunt. Nec tandem valet dicere cum aliquibus hanc unionem esse ineffabilem, & inexplicabilem, quia sic eludi possent omnes difficultates circà fidei mysteria contingentes, quod est contrà Apostoli monitum dicentis, nos esse debere paratos de illis rationem reddere, quantum fieri potest ex principiis fidei.

44 Tertia Difficultas est, quid ponatur in hoc Sacramento ex vi verborum, & per concomitantiam. Hoc etiam sufficienter declaravimus disp. 3. cit. quæst. 11. art. 1. in fine, ubi diximus, quod licet totus Christus sit sub utraque specie, & in qualibet ejus parte, non tamen eodem modo est sub una, atque sub altera secundùm corpus, & sanguinem, ut docet Scotus dist. 10. cit. quæst. 4 & satis patet ex dictis de forma consecrationis in superioribus, & art. præced. num. 37. nam sub specie panis ex vi consecrationis, & primariò tantumodo est corpus; per concomitantiam verò, & quasi consequenter, & secundariò est ibi sanguis, & reliqua, quæ ad Christum pertinent; è contrà autem sub specie vini tantùm est sanguinis ex vi consecrationis, & primariò, per concomitantiam verò corpus etiam, & reliqua, & ratio huius dispositionis sumitur ex verbis consecrationis, quibus id, quod in hoc Sacramento fit, significatur. Hoc autem amplius declarat Doctor loc. cit. dicens aliquid posse esse in Eucharistia primò, & ex vi verborum, aliquid verò concomitanter, ac veluti secundariò, sub specie panis primò, & ex vi verborum ponitur corpus Christi animabile, vel animatū, vel exanime, hoc est, ut à mortuo, & vivo præscindit, quia in forma nulla fit mentio vini, aut mortui, sed corporis, quod ut sic ab utroque statu rescindit; atque ità Sancti de hoc Sacramento loquuntur dicentes, illud corpus esse in Eucharistia, quod natum est ex Virgine, pependit in Cruce, jacuit in sepulchro, & gloriosum resurrexit. Consequenter verò est ibi omne absolutum, & omne respectivum cum corpore conjunctum, quod absolutū, & respectivum sit prius natura ipso ubi; itaut sub specie panis concomitāter est anima, sanguis, Verbum unitū corpori, & animæ, est quantitas corporis, & qualitas naturalis ejus, est scientia, & gratia animæ, & similia. Sub specie autem vini primò, & ex vi verborū est sanguis, concomitanter sunt anima, corpus, & Verbum, & accidentia sanguinis, & aliorum concomitantium. Et hæc tota doctrina Scoti confirmata est in Conc. Trid. sess. 13. c. 3. ubi disertè docet animam esse sub utraque specie per concomitantiam his verbis dicens. Verum Christi corpus, utrumq; eius sanguinem sub panis, & vini specie unà cum ipsius anima, & divinitate existere; sed corpus quidem sub specie panis, & sanguinem sub specie vini ex vi verborum, ipsum autem corpus sub specie vini, & sanguinem sub specie panis; animamque sub utraque vi naturalis illius connexionis, & concomitantiæ, qua partes Christi Domini, qui jam ex mortuis resurrexit nō amplius moriturus, inter se copulantur; divinitatem quoque propter admirabilem illam ejus cum corpore, & anima hypostaticā unionem; quapropter verissimum est tantundem sub alterutra specie, atque sub utraque contineri; totus enim & integer Christus sub panis specie, & sub quavis ejus speciei parte, totus item sub vini specie, & sub quavis ejus speciei parte existit. Ità discurrit Concil. loc. cit.

45 Quarta Difficultas est, an Christus in Eucharistia propriam retineat quantitatem, & eandem figuram, quam habet in Cœlo. Hoc etiam sufficienter declaravimus quæst. 11. cit. art. 2. ubi diximus cum Scoto dist. 18. cit. quæst. 1. & est communis Theologorum sententia, substantiam corpoream Christi existere in Sacramento cum illa partium distinctione, & organorum dispositione, quæ corpori humano connaturalis est, & quæ convenit ipsi Christo in se, undè habet corpus Christi in Eucharistia omnes suas partes distinctas, & ordinatas eo modo, quo illas habet in se, quam extensionem vocat Doctor partium in ordine ad se, & ait seperari posse ab extēsione earundē partiū in ordine ad locum, ità quod in uno etiam puncto loci possit totum corpus existere cum hac distinctione, & dispositione partium in ordine ad se. Hinc distinguit Doctor duplicem positionem, una dicit ordinem partium in toto, altera est commensuratio partium corporis contenti ad partes corporis continentis; prima positio, & extensio est differentia quantitatis, & de eius essentia; altera verò est de prædicamento situs, & est modus quantitativus, quo corpus commensuratur loco, & est respectus extrinsecus adveniens. Quoniam verò omne absolutum alteri absoluto comparatum potest esse sine respectu extrinsecus adveniente, utpotè qui non necessariò sequitur extrema, ut respectus intrinsecus adveniens; ideò potest quantitas corporis Christi esse præsens quantitati panis, & modum quantitativum non habere, secundùm quem ei commensuretur; undè licet corpus Christi in comparationem ad quantitatem hostiæ habeat respectum intrinsecus advenientem inæqualitatis, nam est majus corpus Christi, non tamen habet respectum extrinsecum commensurationis ad quantitatem hostiæ, quia totum corpus Christi est in tota quantitate hostiæ, & totum in qualibet illius parte, quod etiam dici debet de sanguine respectu quantitatis vini secundùm proportionem. Sic pariter distinguenda est duplex figura in corpore quanto, ut significat Doct. 4. dist. 12. quæst. 42. una intrinseca, & quantitativa, quam alii organicam appellant, quæ fundatur in positione de genere quantitatis; altera extrinseca, & situalis, quæ fundatur in positione de genere situs; prima consistit in tali unione, & ordine talium partium inter se, ratione cuius inter illam, & istam partem mediant plures, vel pauciores; altera verò est talis dispositio partium in ordine ad locum, qua, scilicet, caput est sursum, pedes deorsum, manus ad latera, & sic de aliis. Quia ergò illa attenditur penes ordinem partium in toto, & ad se invicem, ista penes ordinem partium in loco, ideò hæc est corporis accidens

per

per accidens, ac proindè ab ipso separabilis, illam verò semper retinet etiam existens in loco indivisibiliter. Et ideò de figura intrinseca, & quantitativa dicendum est eadem, quam Christus habet in Cœlo, etiam in Eucharistia retinere, quia licet ibi partes corporis ejus sint in eadem spatij parte; habent tamen talem ordinem unionis inter se, ut ratione illius caput immediatè sit unitum collo, non manibus, vel pedibus, & ratione cujus etiam talem exigunt localem dispositionem, si connaturali modo locentur, ut caput esse sursum, pedes deorsum, & sic de alijs. Ità etiam discurrunt Suarez disp. 48. sect. 1. Card. de Lugo disp. 8. sect. 2 & alij Recentiores.

46 Quinta difficultas est de actione, & passione accidentium in Eucharistia, an, scilicet, accidentia in Eucharistia possint habere quamcunque actionem, & passionem, quam potuerunt habere in subjecto, de qua quæstione latè agimus disp. 3. cit. qu. 15. & quod spectat ad actionem diximus ibi art. 1. omnes actiones, quas prædicta accidentia possunt causare, dùm subjecto inhærent, per solùm influxum accidentalem, possunt etiam causare in Eucharistia, ut Scotus docet 4. dist. 13. quæst. 3. & est communis Theologorum sententia. & ratio est, quia accidentia Eucharistica eandem retinent naturam, quam priùs habebant conjuncta; ergò possunt agere per se sola quicquid poterant, dùm in subjecto erant; consequentia patet, quia forma manens eadem in esse eandem habet virtutem, & consequenter ejusdem actionis principium esse potest.

Confirmatur, quia inhærentia in subjecto erat solùm necessaria, ut in rerum natura existerent; sed in Eucharistia perfectè existunt per divinam virtutem; ergò agere poterunt quicquid anteà poterant, etsi non sint in subjecto: & ut ad singularia descendamus, diximus ibidem accidentia Eucharistiæ easdem actiones intentionales exercere posse, quas anteà, hoc est producere omnes species intentionales, quas poterant conjuncta, ut experientia docet, tanguntur enim, videntur, gustantur, odorantur, &c. Irem efficere possunt omnem accidentalem alterationem, quam anteà poterant in subjectum externum, nam calefaciunt, frigefaciunt, species vini in magna quantitate inebriant, etsi essent maximæ activitatis, possent ultimò disponere ad formam substantialem de novo gignendam, & ad priorem corrumpendam. Ratio est, inquit Doctor d. 12. quæst. 3. cit. lit. K. quia quando aliqua forma est totale principium activum respectu actionis alicujus, si illa manet per se sub modo convenienti ad agendum, potest esse principium ejusdem actionis; sed qualitas est principium formale, & totale utriusque actionis, quæ sibi competere potest, scilicet realis in passum ipsum alterando, & intentionalis in sensum; & quando est separata à subjecto, est tamen in quantitate sivè habens extensionem, sicut antè separationem à substantia, atque adeò manet sub modo convenienti ad agendum, qui est modus extensionis; ergò potest esse principium utriusque actionis: major patet, quia totali principio posito, & sub ratione, qua natum est esse principium, producere potest illud, cujus est principium; minor de actione intentionali patet, quod enim accidentia sint principium totale sensationis, manifestum est, accidentia enim sunt illa, quæ immediatè per se objiciuntur sensibus; substantia verò non nisi per accidens, scilicet, mediantibus ipsis accidentibus, & hinc provenit accidentia separata eodem omninò modo sensus immutare, sicut quando erant conjuncta. Hoc idem etiam probatur de actione reali, quia illa forma est principium totale actionis, quę est principium assimilandi sibi passum; sed accidentia separata in Eucharistia sunt hujusmodi præsertim in actione reali, ut patet de frigiditate, quæ ab accidentibus vini producitur in alio vino, hæc enim est totaliter similis frigiditati producenti; ergò &c.

47 Demum quod spectat ad passionem diximus q. cit. art. 2. species Eucharistiæ ab agente creato mutari posse secundùm locum, ut docet Scotus dist. 12. cit. quæst. 4. lit. E. quia Sacerdos huc, & illuc hostiam defert, & hostia sibi derelicta deorsum cadit ex impetu propriæ gravitatis, principium enim internum, quo gravia moventur deorsum est gravitas, ut dictum est disp. 3. in lib. de Cœlo q. 2. Rursus moveri posse motu alterationis, ut calefieri, & frigefieri, & hoc ab agente naturali, ut docet Doctor loc. c. quia substantia ipsa transmutatur ab agenti naturali mediante quantitate, siquidem mutationes naturales fiunt per contactum physicum, & corporeum; ergò priùs fit mutatio in quantitate quàm in substantia, atque adeò quantitas separata à substantia non minus ad qualitatem poterit immediatè agente naturali transmutari. Tandem diximus etiam ibi species Sacramentales transmutari posse ab agente naturali motu rarefactionis, & condensationis, & probavimus ex jam dictis de rarefactione, & condensatione disp. 4. d. generat. & corrup. quæst. 5. ubi docuimus tanquam probabilius, & menti Doctoris conformius, non acquiri per eas, veluti per se terminum, nisi novam extensionem localem partium locati majorem, vel minorem ad prædicamentum situs pertinentem; si ergò per rarefactionem, & condensationem non acquiritur, vel deperditur quantitas, sed tantùm major, vel minor extensio localis eadem quantitate permanente; ergò hujusmodi mutationes fieri possunt circa species Sacramentales ab agente naturali. Consequentia patet, quia intātùm alij oppositum tenent, quia dicunt per condensationem, & rarefactionem variari quantitatem; at quando species rarefiunt, majorem duntaxat extensionem localem acquirunt, quem in condensatione deperdunt, quarè earum quantitas non secundùm rem variatur, sed tantùm secundùm modùm, scilicet, secundùm respectum quendam extrinsecus advenientem ad partes loci, non autem in ordine ad se, ut loc. c. fusiùs explicamus. Quid autem possit Christus agere, & pati prout existens in Eucharistia, vide dict. cit. qu. 14. ubi de hoc agimus ex professo, & plures alias resolvimus difficultates ad hanc materiam de Transubstantiatione spectantes.

QUÆSTIO QUARTA.

De effectibus Eucharistiæ.

48 CErtum est, ac de fide Sacramentum Eucharistiæ dignè susceptum suum conferre effectum; idque ex opere operato, ut de omnibus Sacramentis novæ legis jam definitum fuit in Conc. Floren. in decreto de unione Armenorum, et rursus in Tridentino in universali quidem de omnibus sess. 6. c. 7. & sess. 7. can. 6. & 8. in particulari verò de Eucharistiæ Sacramento sess 13. c. 2. In præsenti igitur quæstione inquirendum est, quinam sint effectus Eucharistiæ in particulari, & quo modo, ac tempore ab ea conferantur, & quę dispositiones ad dignam hujus Sacramenti susceptionem sint necessariæ, quod hic præstabimus breviter percurrendo, quæ de hoc latè disputavimus disp. 3. cit. qu. 17.

ARTICULUS PRIMUS.

Qui sint effectus Eucharistiæ, & quomodo, ac quando ab ea causentur.

49 PRimò conveniunt Doctores, ut dictum est loc. c. primarium, & per se effectum hujus Sacramenti esse secundam gratiam, seù augmentum gratiæ. Ratio est, quia hoc est Sacramentum vivorum, non verò mortuorum, ut clarè deducitur ex illo Jo. 6. *Qui manducat me, & ipse vivet propter me*, quarè sicut cibus, & potus vitam sumentis augent, ita hoc Sacramentum vitam spiritualem gratiæ augebit, quam supponit, cùm institutum sit per modum cibi, & potus, cujus finis est spiritualis animæ nutritio. Undè sicut nutritio corporalis vitam corporalem supponit, ita nutritio spiritualis animæ, quæ fit virtute hujus Sacramenti, vitam spiritualem supponit, ac proindè appellatur Sacramentum vivorum, quia ex institutione sua gratiam in suscipiente supponit, cibus enim non datur mortuis, ut resurgant, & ad vitam revocentur, sed tantùm vivis, ne moriantur, & in vita conserventur, & augeantur. Confirmatur, quia ut in pluribus Concilijs definitum est, & Theologi communiter docent, hoc Sacramentum per se, & ex institutione sua peccatum mortale non remittit, nec primam gratiam confert habitualem, quia per modum cibi, & potus institutum est; atque ideò ex sui institutione vitam gratiæ in suscipiente supponit, & peccati mortalis remissionem; ergo primarius, & per se illius effectus, ad quem institutum est, est gratię augmentum, non verò ipsa prima gratia habitualis. Notanter autem dicitur hunc esse primarium, & per se illius effectum: ac ex institutione sua, quia ut diximus qu. 17. cit. art. 1. nu. 397. in aliquo casu veluti per accidens, secundariò, & indirectè primam gratiam conferre potest, & peccatum mortale remittere, ut Scotus docet 4. d. 9. qu. un. §. *de secundo*, & ex instituto declaravimus d. 1. *de Sacramentis in genere* quæst. 10. art. 2. n. 350. ubi etiam talem casum indicavimus, quo id contingere possit; quando nimirum quis ad Eucharistiam accedit nullam habens conscientiam peccati mortalis, & putans invincibiliter se esse in gratia, eo quod facto diligenti peccatorum examine nullius peccati recordatur; vel si recordatur, nec habet copiam Confessarij, habet actum quem putat contritionis, cùm re vera non sit, nisi attritio; iste enim cum tali dispositione Eucharistiam sumens, verè accedit dignè, & sine obice, atque ità recipit gratiam, cùm omnia Sacramenta gratiam conferant non ponentibus obicem ex Concil. Trid. sess. 7. can. 7. ut fusiùs declaravimus loc. c.

50 Se-

50 Secundò conveniunt etiam Doctores, ut diximus loc. cit. præter augmentum gratiæ, qui est primarius, & præcipuus hujus Sacramenti effectus, quosdam alios etiam causare, de quibus fusè Recentiores, etenim peccata venialia remittit, & à mortalibus præservat, ut docet Trident. sess. 13. cap. 2. ubi ait Eucharistiam esse antidotum, quo à quotidianis liberamur culpis, & à mortalibus præservamur, & S. Bernardus serm. de Cœna Domini, ubi dicit, *duo in nobis hoc Sacramentum operari, ut & sensum minuat in minimis, & in gravioribus tollat omninò consensum*, hos autem duos effectus tribus præsertim præstat modis, ut docent plures SS. Patres, primò suggerendo vires, & robur addendo per augmentum gratiæ; secundò amovendo peccandi occasionem juxtà illud Psalm. 22. *Parasti in conspectu meo mensam adversus eos, qui tribulant me*, tertiò protegendo nos à dæmonum impugnationibus, ipsosque dæmones arcendo. Item diminuit fomitem, & inordinatum appetitum, quia Christus Dominus se in hoc Sacramento sumendum nobis exhibet, non modo tanquam cibum, quo nutriamur, sed etiam tanquam salutare medicamentum, quo naturæ nostræ infirmitates, idest pravæ inclinationes, immoderati affectus, &c. curentur, undè S. Gregorius Nissenus Orat. Cathec. cap. 37. dicit Eucharistiam esse: *Salutare medicamentum veneni damnum, quod corpori fuerat inditum per contrariam repellens affectionem*, S. Ambrosius lib. 5. de Sacram. cap. 4. *Iste panis quotidianus sumitur in remedium quotidianæ infirmationis*. Rursus quædam speciales gratiæ actuales auxilia opportuno tempore vi hujus Sacramenti dignè susceptì conferuntur, per quæ charitas conservatur, roboratur, & perficitur, ut explicat S. Grisost. hom. 6. ad populum Antioch. dùm ait hoc esse Sacramentum, in quo Christus Dominus maximam erga nos charitatem evidentissimè testatur. Tandem præstantissimus etiam hujus Sacramenti effectus recensetur à PP. Singularis quædam, & inexplicabilis unio Christi Domini cum eo, qui Sacramentum istud dignè suscipit juxtà illud, quod ipse dixit Joan. 6. *Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in eo*, & de hac mirabili unione cum magno pietatis affectu sæpè loquuntur PP. sed præsertim S. Ghrysost. loc. cit. ubi ait; *Propterea seipsum nobis immiscuit, & corpus suum in nos contemperavit, ut unum quid efficiamur, tanquam corpus capiti coagmentatum, ardenter enim amantium hoc est*. Hoc autem diximus q. 17. cit. a. 1. in fine, intelligendum non est de unione aliqua physica, ut quidam explicare videntur, quasi dicat aliquid præter unionem per affectum, & præter solam indistantiam localem Christi sub speciebus ad os, & stomachum communicantium; sed tantùm de unione quadam morali, quatenus communicantes dicuntur una caro cum Christo, dum dignè accedunt ad eius carnem manducandam, & sanguinem bibendum, quia speciali modo fiunt ejus membra, quatenus quodamodo in ipso convertuntur, & ipsos respicit quasi carnem suam.

61 Tertiò loquendo de modo, quo primarius effectus hujus Sacramenti causatur, est præcipua difficultas an hoc Sacramentum majorem gratiam conferat virtute utriusque speciei, quàm unius tantùm; & quæstio est de speciebus diversæ rationis, panis, scilicet, & vini, quibus hoc Sacramentum, tanquam perfectum convivium spirituale integratur, non autem de speciebus ejusdem rationis; de his enim omnes concedunt, quod etiam multiplicatæ in eadem sumptione per se, & ex vi Sacramenti majorem non conferunt gratiam, quàm conferrent non multiplicatæ, imò quàm conferret vel minima pars hostiæ consecratæ: Est etiam quæstio de speciebus diversæ rationis per se, & vi Sacramenti consideratis, non autem ratione melioris dispositionis subjecti, quia alioquin si quis post unam sumptam speciem interim ferventiores actus eliciens melius disponatur, jam ratione melioris dispositionis sumendo aliam speciem majorem gratiam consequetur, quod quidem concedi debet non tantum de pluribus speciebus diversæ rationis, sed etiam ejusdem rationis, utpotè per plures hostias in una communione sumptas, itaut successivè una post aliam sumatur. Negant D. Thomas, D. Bonaven. Cajetanus, Valentia, Suarez, Amicus, Coninchius, Becanus, Aversa, Morandus, Bonacina, & ex nostris Gavatius, Brancatus, & alii communiter, quod probant primò ex Concil. Trid. sess. 21. cap. 3. dicente *Nulla gratia necessaria ad salutem fraudari eos, qui unam speciem solùm accipiunt*, per quod innuit tantam gratiam recipere, qui unam tantùm speciem recipit, sicut qui utramque. Deindè quia alioquin possent laici meritò de Ecclesia conqueri, quod usum Calicis ipsis interdixerit. Demum quia in qualibet specie est totus Christus; ergò per quamlibet speciem datur tota gratia hujus Sacrament. Affirmant Alensis, Vasquez, Lugo, Caspensis, Orlandus, Meratius, Bernal, & ex nostris Poncius, Hiqueus, & alii.

52 Quamvis autem utraque opinio sit probabilis, & negativa etiam communior, nos tamen quæst. 17. cit. art. 2. diximus affirmativam videri probabiliorem, quod ibi probamus, quia hoc Sacramentum non solùm, ut sacrificium, est sub utraque specie institutum, sed etiam ut Sacramentum Joan. 6. *Caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus*, nam ad completum convivium requiritur cibus, & potus; ergò quælibet pars hujus Sacramenti habet causare gratiam, & suam habet significationem diversam, & suum refectionis modum, quia Sacramenta id efficiunt, quod significant, atque ideò non minus uni, quàm alteri signo respondere debet sua propria gratia Sacramentalis. Confirmatur quia quælibet species habet propriam significationem gratiæ distinctam à significatione alterius cùm una significet animæ refectionem per modum cibi, & alia per modum potus; ergo quælibet habet proprium effectum distinctum ab altera, siquidem causalitas sequitur significationem, ac per consequens quando sumitur utraque species, sumitur plus gratiæ, quam cùm recipitur una. Tandem hæ duæ species faciunt ad integritatem convivii spiritualis; sed causis pluribus, quando integrant unam, cuilibet ex ratione propria convenit esse partem in causando; ergò idem in proposito dicendum est has, scilicet, duas species unam causam integram in specie constituere, & consequenter quamlibet propriam habere efficaciam; cùm ergo quælibet per se gratiam conferat, si ambæ sumuntur, major fructus percipitur, & consequenter utraque simul uberiorem gratiam confert, quàm altera tantùm; qua ratione Clemens Sextus in Bulla ad Regem Galliæ concessit ei communionem sub utraque specie dicens hoc ei permittere, *ad majus gratiæ augmentum*; ità discurrimus loc. cit. præcludendo varias Adversariorum evasiones, quæ ibi videri possunt. Ad id, quod ex Trident. adducitur in oppositum respondemus ibidem ea verba nostræ potius favere sententiæ, non enim absolutè dicit Concilium, nulla gratia fraudari eum, qui sub una tantùm specie Sacramentùm recipit, sed dicit, *nulla gratia necessaria ad salutem fraudari*, quibus verbis supponere videtur, accipientes unam tantùm speciem aliqua gratia privari, quam tamen dicit ad salutem non esse necessariam. Ad secundum non possunt Laici de Ecclesia conqueri, tùm quia non ob id aliqua gratia ad salutem necessaria privantur, ut declarat Concilium; tùm quia in hujus Sacramenti dispensatione non tam attendi debet suscipientium utilitas, quàm ipsius Sacramenti reverentia, quia periculum est Calicis effusione in tanta communicantium multitudine; qua etiam de causa non datur hoc Sacramentum parvulis baptizatis, nec amentibus perpetuis, ac ægrotis vomitum patientibus, nec una die bis sumi potest, quæ omnia suscipientium utilitatem impediunt, & tamen ob reverentiam huic Sacramento debitam omittuntur. Ad ultimum negatur consequentia, quia quamvis totus Christus sit sub qualibet specie, tamen virtus causativa gratiæ in hoc Sacramento non est solus Christus, sed Christus, & species; ille ut causa principalis, istæ ut instrumentales, ideò quia species vini à speciebus panis sunt diversæ, opus est diversum quoque causare effectum; tùm quia licet totus Christus contineatur in hostia, non tamen, ut potabilis, sed ut cibus, ideoque ibi causat solùm effectum cibationis spiritualis, non verò potationis. Alia quædam ad hoc spectantia vide loc. cit.

53 Quartò loquendo de tempore, quo hoc Sacramentum incipit conferre gratiæ augmentum in ejus sumptione; Aliqui dixerunt tunc primùm Eucharistiam gratiam conferre, quandò primùm est in ore, quia verè ore fit manducatio juxtà significationem ipsius verbi *manduco*, derivatur enim a *mando*, quod significat dentibus, & ore cibum conterere, gratia autem hujus Sacramenti non est promissa, nisi manducationi ipsius juxtà illud Joan. 6. *Qui manducat me, ipse vivet propter me*, quare, inquiunt gratiam dari, cùm hostia sumpta est in ore, etiamsi non sit in stomachum transmissa, alioquin ægroti, qui hostiam præ infirmitate nequeunt in stomachum transmittere, non acciperent gratiam, quod videtur absurdum. Ità Vasquez, Becanus, & alij. Communis tamen opinio, ut diximus loc. cit. docet hoc Sacramentum gratiam non conferre, nisi traiiciantur, & deglutiantur species, quia hoc est propriè comedere, & bibere; nec enim in communi modo loquendi dicitur quicquam ille comedisse, vel bibisse, qui panem, aut vinum in ore sumens, aut etiam panem dentibus conterens, totum indè expueret nihil deglutiens; undè quamvis verbum *manduco* derivatum videatur à verbo *mando*, quod significat cibum ore, & dentibus conterere; tamen si propriè loquamur, estò manducatio à masticatione incipiat, principalius tamen, imò essentialiter in trajectione cibi consistit, & trāsmissione in stomachum, & in eo consummatur; quo etiam modo de potu discurrendum est, quia nec bibisse potum dicitur, qui degustans statim expuit, nec manducasse; qui acceptum in ore cibum statim ejecit, imò ab omnibus hic censetur jejunus, quæ est doctrina Scoti expressa 4. d. 8. q. 3. lit. C. ubi de cibo loquens, & ejus sumptione, ut frangit jejunium, ait

opus

opus esse, ut cibus stomachum intret, quia jejunium est carentia cibi susceptí in stomacho, vel in via ad stomachum, ita quod intret stomachum; juxtà quam doctrinam non solvitur jejunium naturæ, nisi cibus stomachum intret, atque ideò manducatio, quæ jejunium frangit, essentialiter petit trajectionem, seù transmissionem cibi in stomachum, & ità debet sumi manducatio in proposito, & non pro sola masticatione, quæ ore, & dentibus exercetur. Neque præbetur Eucharistia infirmis, qui deglutire non possunt, sed sollicitè curari solet, ut hostiam traiiciant, nõ ergo Eucharistia gratiam cõfert statim, ac linguam vel palatum attingit, vel quamdiu in ore retinetur; sed requiritur, & expectatur trajectio per guttur; Tunc igitur hoc Sacramentum incipit primò causare gratiam quando primò verum est dicere hostiam fuisse in stomacho receptam, seu in ultimo instanti terminativo, in quo verum est dicere, species Sacramentales esse ad stomachum trajectas.

54 Quintò tandem est difficultas, an Eucharistia per se, & ex opere operato gratiam conferat quousque in stomacho existit, præsertim si homo tunc temporis melius disponatur. Communis opinio negat, cujus fundamentum præcipuum est, quia gratia hujus Sacramenti non est promissa, nisi manducationi ipsius, ut jam dictum est, sed toto tempore, quo post comestionem species durant in stomacho, non manducatur; ergò nec gratiam influit. Ità Victoria, Vasquez, Bonacina, Meratius, Granado, Caspensis, & ex nostris Pontius, Gavatius, & alii passim. Alii verò adhuc piè, & probabiliter docent, Sacramentum Eucharistiæ toto tempore, quo durant species in stomacho, augere gratiam ex opere operato, si homo qui recipit illud, magis, ac magis adhuc se disponat. Ità Cajetanus, Valentia, Suarez, Coninchius, Aversa, Lugo, Orlandus, & ex nostris Hiqueus, & alii; quem dicendi modum q. 17. cit. art. 2. in fine diximus valdè pium esse, & aptissimum ad excitandos homines ad devotionem, & reverentiam huic Sacramento exibendam toto eo tempore, quo in ipsis permanet ob spem majoris fructus, & exaltat misericordiam Dei ergà nos, & hujus Sacramenti excellentiam; suadet enim Christum otiosè non manere eo tempore in stomacho, & est rationi valdè consentaneus, quia hoc Sacramentum gratiam confert per modum nutrimenti; sed cibus præcipuè nutrit, quando est in stomacho calore naturali adjutus; ergò etiam hoc Sacramentum calore melioris dispositionis quasi adjutum animã spiritualiter nutriet, quæ nutritio spiritualis in augmento gratiæ consistit, ut expresè significatur in decreto Eugenii citat ubi dicitur: *Omnem effectum quem cibus, & potus materialis quoad vitam operatur corporalem sustentando, augendo, reparando, & delectando, Sacramentum hoc quoad vitam operari spiritualem.* Ex quo etiam facilè occurritur rationi prioris sententiæ, quod gratia hujus Sacramenti præcisè manducationi ipsius promissa est; licet enim transacta sumptione, & quando Eucharistia durat in stomacho, non perseveret manducatio Sacramenti physicè, adhuc tamen moraliter perseverat ratione dispositionis, & ita credibile est, & pium etiam tunc temporis causare gratiam, seù augmentum gratiæ ex opere operato. Hoc saltem certum est in hac materia, optimè eum facere, qui ob reverentiam tanti Sacramenti disponit se ad recipiendum gratiæ augmentum, quamdiù species Sacramentales intrà seipsum conservat, sic enim faciendo, si non accipiat vi Sacramenti ex opere operato illud augmentum, recipiet tamen ipsum meritoriè ex opere operantis propter ipsam bonam dispositionem, ut Poncius observat d. 44. q. 10. n. 8. Tandem monet sapienter Abellius cum Isamberto c. 4. cit. sect. 6 in fine, ad hos Eucharistiæ effectus per totam vitam obtinendos Sacramenti illius perceptionem sæpè repetendam esse, adeout existimet vix fieri posse, ut quis propria sponte, ac deliberatè ab hoc Sacramento per longum tempus abstineat, quin in novum aliquod peccatum mortale dilabatur; hujus tamen Sacramenti frequentia semper cum hac conditione intelligi debet, ut quoties sumitur, dignè, & cum debitis dispositionibus sumatur, de quibus agendum est art. seq.

ARTICULUS SECUNDUS.

De dispositionibus ad dignam hujus Sacramenti perceptionem necessariis.

55 PRimò conveniunt Doctores, primam, & præcipuam dispositionem necessariam ad dignam Eucharistiæ sumptionem esse munditiem ab omni peccati mortalis macula, & gratiæ sanctificantis in suscipiente statum; atque ideò præmittendam esse cõfessionem Sacramentalem antè hujus Sacramenti sumptionem ab eo, qui alicujus peccati mortalis à se commissi conscius est. Ità D. Thomas qu. 79. art. 2. & Scotus d. 8. cit. q. 3. suprà. B. & ratio deducitur ex dictis, cum enim hoc Sacramentum se habeat instar spiritualis alimenti, vitam spiritualem in suscipiente necessariò supponere debet; quarè Apost. 2. Cor. 11. apertè declarat indignè manducantem, & bibentem *reum esse corporis, & sanguinis Christi*, & Patres communiter docent Eucharistiam sumentes cum conscientia peccati mortalis gravissimum committere peccatum, quod quidem peccatum indignè cõmunicantium aliqui Patres cum peccato Judæ proditoris comparant, ut D. Augustinus tr. 6. in S. Joann. alii cum peccato eorum qui Christum Dominum occiderunt, ut D. Chrysost. hom. 6. ad pop. Antioch. quarè monet Concil. Trid. sess. 13. c. 7. quod *communicare volenti revocandum est in memoriam Apostoli præceptum, probet autem seipsum homo, Ecclesiastica autem consuetudo declarat eam probationem necessariam esse, ut nullus sibi conscius peccati mortalis, quantumvis sibi contritus videatur, absque præmissa confessione Sacramentali ad sacram Eucharistiam accedere debeat.* Notanter autem dicitur ad dignam sacræ Eucharistiæ sumptionem requiri munditiam à quovis peccato mortali, non verò à peccato veniali, quia per hoc sanctificantis gratiæ status non destruitur, ut est de fide, qui ad dignam Eucharistiæ sumptionem est sufficiens. Hoc autem totum intelligendum est, ut explicat Concil. l. c. modò non desit copia Confessoris, & extrà casum necessitatis urgentis.

56 Secundò difficultas est, an accedens ad Sacramentum Eucharistiæ debeat esse in gratia per confessionem, vel sufficiat per contritionem. Communis opinio affirmat non sufficere, statum gratiæ per contritionem, sed debere esse per confessionem, quod deducunt ex Concil. Trident. l. c. ubi ait necessariam esse confessionem ad dignam hujus Sacramenti sumptionem, etiamsi contritio de mortali adsit, ita Bonac. disp. 4. q. 6. punct. 1. plures alios citans, imò Suar. disp. 66. sect. 3. & Card. de Lugo disp. 14. sect. 4. dicunt eum, qui per revelationem sciret se per contritionem justificatum esse, ob ligari nihilominus ad confessionem antè communionem præmittendam, & sequitur etiam ex nostris Aretinus d. 9. q. 1. art. 11. ubi ait esse de fide communicaturum habentem aliquod mortale peccatum, de quo contritus est, & non confessus, prius teneri tale peccatum confiteri, quàm communicet, si adsit copia Confessarii. Oppositum tamen, & quidem satis probabiliter, docet Gavatius ex nostris d. 21. q. 3. c. 1. ubi ait quod qui in mortale aliquod incidit, ejusque contritionem verè à parte rei habet, absque actuali confessione posset dignè ad Sacramentum Eucharistiæ accedere, quod deducitur ex Scoto loc. cit. ubi ait, quod qui in peccato mortali non contritus Eucharistiam recipit, illam spiritualiter non recipit, quia non recipit effectum spiritualem; ad quem illius susceptio ordinatur, qui est spiritualis animæ nutritio; quibus insinuat Doctor, quod peccator contritus Eucharistiam spiritualiter reciperet etiam omissa cõfessione; intantùm enim confessio necessaria videtur, ut homo peccator dignè accedat ad Eucharistiam suscipiendam, inquantùm per illam homo peccator justificatur, & Deo gratus redditur; sed non minus per contritionem justificatur homo, & Deo fit gratus; ergo etiam non præmissa confessione contritio sufficit, ut homo dignè communicet. Neque Concilium loc. cit. inquit necessariam esse confessionem, etiamsi contritio adsit, sed ait etiamsi peccator existimet se esse contritum, vel sibi videatur contritus, quæ duo diversa sunt, undè observat Gavatius loc. cit. num. 64. Auctores citatos maxima æquivocatione laborare non distinguentes inter has duas propositiones, quæ tamen re vera aliæ sunt, & diversæ ab invicem, Prima est, peccator verè contritus potest absque præmissa confessione dignè ad Eucharistiam accedere. Secunda peccator, qui se contritum existimat, vel qui sibi contritus videtur, non tenetur confessionem præmittere illius peccati, cujus conscientiam habet, sed absque illa potest ad Sacramentum Eucharistiæ accedere; & hanc secundam propositionem tradidit Tridentinum, non verò primam. Quoniam verò difficilis est vera, & propria contritio, & adhuc difficilius hominem cognoscere se ità esse contritum, hac de causa pro majori securitate præceptum extat præmittendi confessionem antè Eucharistiæ sumptionem; si quis peccati mortalis conscius sit, quantumvis sibi contritus videatur; unde si quis etiam esset verè contritus de tali peccato, adhuc peccaret ex hoc capite accedendo ad Eucharistiam sine confessione, quia faceret contra tale præceptum. In eo verò casu, quod quis per revelationem sciret, se per contritionem justificatum esse, satis probabile esset non obligari ad confessionem antè communionem præmittendam, quia tale præceptum latum est ob incertitudinem cognitionis veræ contritionis, undè in casu proposito locum non haberet, sed sine ullo scrupulo ad Eucharistiam accedere, posset omissa confessione, nam ex certitudine cognitionis veræ contritionis præsumere posset se tali præcepto non adstringi; qui tamen casus est purè metaphysicus.

57 Tertiò difficultas est, quo jure Sacramentalis confessio sacræ communioni præmittenda sit, in qua tres extant sententiæ. Prima docet esse juris divini naturalis, quia reverentia huic Sacramento debita exigit hominem, quantùm possibile est, dignè ad illud accedere, ne injuria inferatur tanto Sacramento, quod per se statum gratiæ requirit; nullum autem certius remedium est ponendi se in statu gratiæ, ac proindè dignè accedendi ad hoc Sacramentum, quàm Sacramentalis confessio, ut de se patet, cùm ad perfectam contritionem difficilius, & rari perveniant. Hic tamen dicendi modus communiter non recipitur, quia non semper tenetur homo in suis operationibus certiora adhibere media, præsertim quando medium certius omne dubium appositæ partis adhuc non tollit, ut est in proposito casu, in quo neque Sacramentalis confessio omne dubium tollit, quod peccatum sit remissum, cum etiam dubium sit, an ad confessionem Sacramentalem cum sufficienti dolore accedamus ad tale Sacramentum requisito. Quarè absolutè loquendo huic obligationi satisfacere potest homo per solam contritionem de peccato commisso, quia per hanc non solùm omnium mortalium remissionem consequitur, sed gratiam ipsam, per quam formaliter fit justus, & sanctus. Secunda sententia asserit hujusmodi præceptum esse divinum positivum à Christo statutum, & à Paulo traditum, & promulgatum verbis illis 1. ad Corint. 11. *probet autem seipsum homo, & sic de pane illo edat, & de calice bibat*, ità plures Thomistæ Soto, Suarez, Vasquez, Valentia, Aversa, Card. de Lugo, Bernal, & alii. Tertia sententia asserit prædictum præceptum non esse divinum, nec naturale, nec positivum, hoc est immediatè à Christo Domino statutum, sed vel Apostolicum, vel præcisè Ecclesiasticum. Ità Scotus noster 4. d. 9. q. un. in fine, ubi ait hoc præceptum de præmittenda confessione antè sumptionem Eucharistiæ esse statutum illa lege Apostoli, quæ ponitur 1. Corint. 21. probet autem seipsum homo &c. & ait illa verba esse Apostoli, non Christi, cui dicendi modo expresè favet Conc. Trid. l. c. dùm ait *communicare volenti revocandum est in memoriam Apostoli præceptum probet seipsum homo &c.* & probatur ratione evidentissima, quia ex communi Theologorum consensu præceptum divinum confitendi per se, & mediatè non obligat, nisi in articulo mortis, sivè ut ait Scotus l. c. ad aliquando, quod quandò antè specificationem Ecclesiæ fuit indeterminatum ad quodcumque antè mortem; ergo per se non obligat antè communionem, quam sententiam sequuntur Joan. Medina, Palatius, Navarrus, Alphonsus de Castro, Coninchius, & plures alii, & Gavatius egregiè defendit q. 3 cit. c. 3.

58 Quartò difficultas est. An ad percipiendum primarium hujus Sacramenti effectum scilicet, augmentum gratiæ præter statum justitiæ, & sanctitatis necessarius sit aliquis devotionis affectus ex pia aliqua consideratione procedens. Affirmant aliqui dicentes, quod si talis devotioni s affectus ex aliqua actuali distractione, aut aliquo actuali peccato veniali impediatur, etiam impediri fructum hujus Sacramenti, quoniam veniale peccatum opponitur fervori, & devotioni ad perceptionem hujus Sacramenti requisitis, pro qua opinione citantur Alensis, D. Bonaventura, Durandus, Cajetanus, & alii antiquiores, quorum præcipuum fundamentum est, quia SS. Patres ad effectum hujus Sacramenti percipiendum magnam animi devotionem, charitatis fervorem, vel quid simile postulare videntur. Tum quia hoc Sacramentum institutum est per modum cibi, & potus, qui viventem non nutriunt absque proprio actu vitali ipsius viventis. Communis tamen, & probabilior sententia est, ut diximus disp. 3. ci. q. 17. art. 2. ab. initio, quod ad percipiendum hujus Sacramenti fructum, scilicet, augmentum habitus gratiæ, & sanctitatis in suscipiente Eucharistiam, præter statum gratiæ nulla alia actualis devotio requiritur, itaut ille effectus nullatenus impediatur aliquo peccato veniali, vel mentis distractione; ità colligitur ex Scoto d. 6. q. 6. & d. 9. quæst. un. & docent passim Recentiores ibi citati; & probatur ex Concil. Trid. l. c. ubi ait dispositionem necessariam ad hoc Sacramentum esse statum gratiæ, & sanctitatis, & si sit conscientia peccati mortalis, quod præmittatur confessio, & nullam aliam Concilium dispositionem requirit. Deindè quod talis effectus nullo peccato veniali impediatur ex eo patet, quia si peccata venialia sunt præterita, & non remissa, virtute hujus Sacramenti remitti possunt; si autem sunt præsentia, etiamsi actu committantur, adhuc cum augmento gratiæ non repugnant, sicut enim in facto esse, & permanenter simul cum ea consistere possunt, ità etiam in fieri non repugnant. Denique quod neque actualis distractio hunc effectum impediat probatur, quia si est voluntaria ex hac parte solùm addit culpam venialem, quæ hoc augmentum non impedit, ut modò dictum est; si verò involuntaria, tantò minus impediet; quarè ad summum impedire poterit fervorem charitatis, & auxilia actualia, quæ tunc virtute Sacramenti tribui solent, non vero augmentum gratiæ habitualis. Ad fundamentum in oppositum ex SS. Patribus desumptum jam occurrimus l. c. Patres eam devotionem actualem in recipientibus Eucharistiam postulare, non tanquam dispositionem necessariam ad ejus effectum recipiendum, sed tanquam utilem, & maximè dicentem Sacramenti hujus diginitatem; tùm etiam obmajorem gratiam recipiendam, tùm denique ob comitatum actualium auxiliorum, quæ in perceptione hujus Sacramenti conferri solent. Ad rationem etiam ibidem diximus, ut hoc Sacramentum augeat gratiam, sufficere, quod inveniat vitam spiritualem in anima; & dignè suscipiatur, sic enim facta est promissio gratiæ à Christo Domino medio hoc Sacramento, & ad summum probat requiri voluntatem saltem virtualem recipiendi Sacramentum; & quod accedens ad hoc Sacramentum cum peccato veniali actuali non recipit ejus effectum quasi secundarium, qui est fervor charitatis, non tamen probat, quod non recipiat primarium, qui est augmentum gratiæ, quia hæc cum peccato veniali oppositionem non habet.

59 Quintò conveniunt præterea DD. aliam quoque requiri dispositionem ex parte corporis, ut, scilicet, qui Eucharistiam vult recipere sit jejunus, idest, ut nihil cibi, vel potus à media nocte sumpserit. Ità D. Thom. q. 80. art. 8. & Scot. & disp. 8. cit. q. 3. idque in variis Conciliis definitum est, ut in Carthag. 3. c. 29. & Toletan. 7. can. 2. & rationem congruitatis assignat Aug. ep. 118. nempè, *ut in honorem tanti Sacramenti prius in os Christiani Corpus Domini intraret, quàm reliqui cibi*, quam auctoritatem referunt Angelicus Doctor, & Subtilis, & indè deducunt quale hujusmodi jejunium esse debeat, perfectum scilicet, & naturale, itaut omnem prorsus cibi potus, medicinæ, aut cujusvis alterius rei comestibilis, vel potabilis in quantumlibet parua quantitate sumptionem excludat. Undè etiam deducunt, quod si quis sanguinem, vel alium humorem ex capite fluentem, aut cibi reliquias dentibus adhærentes, aut os elvendo aquæ guttulas cum saliva mixtas casualiter deglutiret, jejunium violare non censetur, neque ob id à communione abstinere tenetur, quia nempè non se habent per modum cibi, sed potius per modum salivæ. Nec etiam jejunium solvere censetur, qui aromata ori apponit eaque dentibus terit ad vitandum, v. g. aerem noxium, dummodò nihil deglutiret, si enim deglutiret, jejunium solveret, quamvis postea evomeret. Præceptum hoc de præmittendo jejunio ipsi communioni Eucharistiæ non est naturale divinum, quia ex natura rei non inconvenit hoc Sacramentum sumi post alicujus cibi, vel potus sumptionem, alioquin nec in articulo mortis posset dari non jejunis per modum viatici, nec Christus Dominus post cœnam illud sumpsisset, & Apostolis tradidisset. Nec etiam hujusmodi præceptum est divinum positivum, ut constat ex D. August. l. c. ubi subdit, quod *ideò non præcepit Christus quo deinceps ordine sumeretur Eucharistia, ut Apostolis, per quos Ecclesias dispositurus erat, servaret hunc locum*, undè restat ut tale præceptum sit merè Ecclesiasticum, ut docent Scotus, D. Thomas l. c. quos omnes alii passim sequuntur. Nec obstat, quod Christus in cœna Sacramentum istud instituit, & postquam cœnavit illud discipulis suis tradidit, ut patet Lucæ 22. & 1. ad Corint. 11. Non obstat, inquam, quia ut docet D. Bonav. d. 8. art. 2. q. 2. hora illa conveniens fuit primæ institutioni, sed usui nostro non convenit, nam usus idoneitatem suscipientis exigit, homo autem satur ad spiritualia peragenda non est idoneus.

60 Assignantur tamen nonnulli casus, in quibus secundùm communem Doctorum sententiam, & Ecclesiæ praxim non jejuno Eucharistiam sumere licet; Primus est, quando in periculo mortis per modum viatici sumenda est, ut docent D. Tho. & Scotus l. c. idque colligitur ex Concil. Constantiensi sess. 13. ubi prohibet hoc Sacramentum recipi à fidelibus non jejunis, *nisi in casu infirmitatis, aut alterius necessitatis à jure, vel Ecclesia concesso, vel admisso.* Secundus casus est, quando id exigere videtur reverentia huic Sacramento debita, ut in casu v. g. quod nisi statim sumatur Eucharistia, vel incendio absumenda est, vel infidelium, aut impiorum manibus profananda; tunc enim à Sacerdote vel à quovis alio etiam non jejuno sumi potest, ac debet, quod tamen intelligendum videtur in casu, quo ibi non adsit aliquis jejunus, qui Sacramentum sumere possit. Tertius casus est, quando sacrificii perficiendi necessitas incumbit, quod tripliciter contingere potest, ut Gavatius noster advertit disp. 11. cit. q. 5. c. 2. primò si Sacerdos loco vini aquam consecravit, vel alium liquorem, illumque sumpsit, tunc enim vinum accipere debet, & consecrare, & postea sumere, licet non jejunus. Secundò si post consecrationem recordetur se non esse jejunum tunc enim debet adhuc hoc non obstante Missam prosequi, ut sacrificium perficiat. Tertio, si post consecrationem, sed antè Sacramenti sumptionem Sacerdos celebrans moriatur, tunc enim debet alius Sacerdos etiam non jejunus sacrificium inchoa-

choatum perficere, si jejunus commodè haberi nequeat, qui Missam absolvat, & sacrificium perficiat. Hoc autem ità probat Scot. l. c. Quando simul concurrunt duo præcepta, quæ simul servari nequeunt, illud servandum est, quod strictius, & fortius obligat ex regula generali communiter recepta; sed præceptum de Sacramento integro sumendo strictius, & fortius obligat, quàm præceptum de non sumendo à jejuno, quia hoc est præceptum Ecclesiæ duntaxat, illud verò est divinum, nempè Christi, qui illud integrum instituit, ac confecit, integrumque à Sacerdotibus sumi mandavit; ergo illud strictius, & fortius obligat, atque ideò in casibus positis illud servandum est altero omisso. Quartus denique casus est, quando post sumptam ablutionem, animadvertit Sacerdos aliquas hostiarum à se consecratarum particulas in patena supersesse, illas enim tunc licitè absumere poterit, ut docent Navarrus, Suarez, Coninchius, Bonacina, & alii passim.

61 Postremò ad dignam hujus Sacramenti perceptionem requiritur, ut notat Abell. cit. sec. 7. §. 1. ut nulla Ecclesiæ prohibitio talem perceptionem impediat, in tali casu quantumvis quis sanctus, & justus existat, Ecclesiæ parere tenetur, nec contempto, aut neglecto illius præcepto dignè potest quis ad talem mensam accedere; undè si quis excommunicationis alicujus sententia fuerit Superioris auctoritate perculsus, ab Eucharistiæ perceptione abstinere tenetur, quantumvis aliàs coram Deo innocens & ab omni culpa immunis existat, donec vel innocentiam suam Superiori probaverit, vel absolutionem ab excommunicatione acceperit, ut enim rectè monet D. Greg. hom. 29. in Evan. *Pastoris sententia justa, vel injusta semper est timenda, & is, qui sub manu Pastoris est, timeat ligari, vel injustè, nec Pastoris sui judicium temerè reprehendat, ne si injustè ligatus sit, ex ipsa tumida reprehensionis superbia, culpa, quæ non erat, fiat.*

QUÆSTIO QUINTA.

De Suscipiente, & Ministro hujus Sacramenti.

62 PRius hìc agimus de suscipientibus hoc Sacramentum, quam de Ministro, quia susceptio majorem habet connexionem cum quæstione præcedenti de effectibus Eucharistiæ, & dispositionibus necessariis ad primarium ejus effectum percipiendum. Duplex autem est hujus Sacramenti minister, alter conficiens, cujus potestas versatur in materia consecranda, alter tantùm dispensans, qui solum distribuit materiam jam consecratam; undè in hoc Sacramento duplex quoq; ministerium distinguitur, quæ duo in aliis Sacramentis non distinguuntur, quia consistunt in fieri, & conficiuntur, dùm conferuntur, & in utroque sensu de ministro, & ministerio hujus Sacramenti agemus in præsenti q.

ARTICULUS PRIMUS.

Quinam sint hujus Sacramenti capaces.

63 PLuribus modis hoc Sacramentum suscipi potest, ut docet Scot. 4. d. 8. q. 3. ab initio, & posteà Conc. Trid. sess. 13. c. 8. ubi triplicem distinguit modum sucipiendi Eucharistiam; nempè Sacramentalem tantùm, spiritualem tantùm, Sacramentalem, & spiritualem simul. Sacramentaliter tantùm illi communicare dicuntur, qui reipsa Sacramentum percipiunt manducando corpus, & bibendo Sanguinem Christi Domini, ex sua tamen indispositione effectum Sacramenti non recipiunt, ad quem ordinatur hujus susceptio, qui est animæ nutritio spiritualis per gratiam datam à Christo, Spiritualiter tantùm communicant, illi, qui voto, & desiderio sine reali sumptione hoc Sacramentum appetunt, & ex Trid. cit. illi propriè sic communicare dicuntur, qui in statu gratiæ inveniuntur, & ita ex fide viva disiderant, quæ per dilectionem operatur; de quo communicandi modo explicat Scotus lo. c. illud Augustini dictum de Consec. d. 3. *Et quid paras dentem, & ventrem? Crede, & manducasti;* talis enim spiritualiter nutritur. Sacramentaliter tandem, & spiritualiter simul illi communicant, qui cum debita præparatione, ac dispositione accedentes realiter hoc Sacramentum recipiunt, ac etiam ex opere operato ejus effectum; undè hoc tertio modo, inquit Scot, l. c. recipit Sacramentum bonus fidelis sine peccato mortali secundùm possibilitatem suam, & quia diligenter conscientiam examinavit; & talis verè nutritur, & Christo cibo spirituali unitur, & incorporatur secundùm illud Aug. *Crede, & manducabis non me convertens in te, sed tu converteris in me*, hoc enim interest inter cibum corporalem, & spiritualem, quod cibus corporalis cõvertitur in nutrien-

dum, sed in nutritione spiritualiter cibatus convertitur in cibum. Hoc igitur quæritur; quinam possit hoc tertio modo Eucharistiam susçipere, & conveniunt Doctores solos homines viatores sic Eucharistiam susçipere posse, & solos baptizatos, & non alios esse proprie hujus Sacramenti capaces, quod constat ex illa regula generalis superius tradita, Baptismum esse januã aliorum Sacramentorum, & cætera Sacramenta baptismo non præmisso prodesse non posse, tùm etiam ratione speciali de hoc Sacramento, quia non genitus nutriri non potest, & ità homo non regeneratus per baptismum non est hujus spiritualis nutrimenti capax. Hoc supposito breviter examinandæ sunt aliquæ difficultates hìc occurruntes.

64 Primò dubitatur, an infantes, & amentes sint hujus Sacramenti capaces. Pro parte affirmativa facit, quod in quibusdam Ecclesiis olim fuit consuetudo præbendi Eucharistiam parvulis post baptismum, cujus rei pro antiquo tempore meminit Dionys. cap. 3. Eccles. Hierarch. & pro mediis temporibus *Alcuinus* l. de Divinis Officiis. c. de Sabbato Sancto; quam consuetudinem neque condemnat Conc. Trid. sess. 21. c. 4. ubi ait *Neque damnanda est antiquitas, si eum morè in quibusdam locis servavit, ut enim Sanctissimi illi Patres sui facti probabilem causam pro illius temporis ratione habuerunt, &c.* Communis tamen, & vera sententia docet omnes baptizatos etiam infantes esse quidem capaces, ut cum fructu hoc Sacramentum percipere valeant, non tamen expedire de facto Sacramentum iis præbere. Et quidem quoad primam partem assertum constat ex Conc. Trid. c. dùm enim consuetudinem parvulos communicandi non damnat in antiquis Patribus, jam sentit Eucharistiam effectum suum posse in illis habere, & hoc etiam ratio ipsa suadet, quia ut constat ex dictis q. præc. a. 2. n. 58. actualis devotio necessaria non est ad fructum hujus Sacramenti percipiendum, sed sufficit solus status gratiæ, qualis in parvulis reperitur; undè sicut alia Sacramenta, quæ non requirunt essentialiter operationem susçipientis, ut non solùm Baptismus, sed etiam confirmatio, & ordo valida sunt, si dentur parvulis, ita etiam de Eucharistia dicendum est in proposito respectu ipsorum. Quod autem de facto non expediat tale Sacramentum eis præbere patet ex præsenti usu, & praxi Ecclesiæ. & rectè quidem antiqua illa consuetudo communicandi parvulos sublata est ob reverentiam, ac decentiam tanti Sacramenti, & ad evitandum periculum, cùm alioquin id non sit necessarium parvulis ad salutem, ut ait Trid. l. c. quarè licet non extet de hoc expressa prohibitio, id tamen est prohibitum saltem per consuetudinem ab Ecclesia approbatam, & traditam Parochis pro regula in Rubricis Romanis Pauli Quinti. Quod verò spectat ad amentes, cum distinctione procedendum est, vel enim semper caruerunt usu rationis & sunt perpetuò amentes, & de his discurrendum est, sicut de infantibus, quarè sicut istis, neque in articulo mortis licitum est Eucharistiam præbere, ita neque perpetuò amentibus. Amentibus verò, qui prius usum rationis habuerunt danda est Eucharistia in articulo mortis, si prius habuerunt voluntatem eam susçipiendi, quam habuisse prudenter creditur, quia habuerunt voluntatem implendi omnia præcepta, inter quæ extat præceptum divinum de accipiendo viatico, quod proindè eis denegandum non est, cùm sint capaces effectus, & fructus hujus Sacramenti, nisi constet commisisse aliquod mortale, nec sit periculum irreverentiæ ut vomitus, expuitionis, &c. His tandem, qui non omninò amentes sunt, sed debilem tantùm habent rationis usum, non est hoc Sacramentum omninò negandum etiam extra articulum mortis, sed pro ratione dispositionis, & devotionis administrandum. Ita Suarez, Vasquez, Aversa, Caspensis Amicus, Abellius, & alii Theologi passim cum D. Thoma q. 80. a. 9.

65 Secundò dubitatur, qua ætate pueri sint hujus Sacramenti capaces, & eis administrari debeat. Et quidem in c. *Omnis* expressum est *postquam ad usum rationis pervenerint*, quod quidem D. Anton. Paludanus, Jo: Sancius, Castropal. Philippus de Cruce, & probabile reputat Diana p. 3. tr. 6. ref. 70. intelligunt statim, ac puer usum rationis attigerit, sivè statim atque sit capax peccati mortalis, atque præcepto confessionis, quod ibidem sancitum est, incipiat obligari. Alii verò DD. communiter de hoc precepto tractantes intelligunt, usque dum puer perfectiorem, & maturiorem judicii usum essequatur; quod plane non potest certa mensura pro omnibus definiri, sed cujusque pueri indoles est consideranda, quia alii citius, alii tardius perfectionem judicii assequuntur, neque tamen requiritur, ut puer pleno, ac perfecto judicio polleat; sed satis est, ut aliqualem usum rationis habere incipiat; quo possit actũ fidei, & devotũ aliquem affectum circà hoc Sacramentum elicere. Undè prudentissimè inquit Abell. c. 4 c. de Eucharistia sect. 9 graviter aliquando peccare parentes, pastores, & Cõfessario, qui ex incuria primam puerorum communionem nimis differunt, quos D.

Franciscus Salesius Episcopus Gebennensis in ipso rationis crepusculo ad Christum Dominum volebat in hujus Sacramenti participatione adduci, ut illius gratiis irrorati tanquam nouellæ olivarum in circuitu mensæ Domini adolescerent, eaque confortante baptismalem innocentiam fœlicius, & constantius custodirent. Addunt tamen communiter Doctores quando pueri jam rationis usum adepti incidunt in mortis periculum, etiam communicari posse antè eam ætatem, qua iis soleat hoc Sacramentum concedi, quod exemplis suadent, & ratione, si enim olim dabatur infantibus statim post baptismum, & nunc etiam datur amentibus, qui solùm anteà rationis usum habuerunt, sed postea omnis humanæ cognitionis expertes sunt, iisque debet ex obligatione à Pastoribus dari; multò magis pueris dari debebit aliqualiter cognoscentibus, imò tanta cognitionis luce præditis, quanta sufficit ad mortale peccatum, & ad confitendum, & dolendum de peccatis suis, & qui sunt verè capaces obligationis, & præcepti. Tùm quia nisi tunc impleatur divinum communionis præceptum, jam non remanet tempus ulterius illud adimplendi, utpotè morte instante, quarè tunc non adest commoditas differendi, sicut circa præceptum Ecclesiasticum annuæ communionis; atque ideò non solùm potest, sed ex obligatione debet tunc à Pastoribus hoc Sacramentum pueris ministrari. Ità discurrit Aversa qu. 8. de Sacram. Euchar. sect. 2. cum Suar. Henriq. Laym. Bonac. Diana, Reg. Salas, & aliis.

66 Tertiò dubitatur, an mutis, & surdis à nativitate, non solum in articulo mortis, sed etiam in vita Eucharistia sit administranda. Communis opinio affirmat, & fundamentum est, quia muti, & surdi à nativitate capaces sunt Sacramenti pœnitentiæ, ut tenent communiter Doctores; ergò etiam Sacramenti Eucharistiæ; probatur consequentia à paritate rationis, quia plura difficiliora, vel saltem non minus difficilia quis cognoscere debet, ut validè, & fructuosè confiteatur nimirum discrimen inter peccatum mortale, & veniale, dolorem de peccatis præteritis sufficientem ad validitatem confessionis, firmum propositum illa non reiterandi, & animum satisfaciendi, ac alia, quæ non minus difficilia sunt ad capiendum, quàm illa quæ ad validam Eucharistiæ sumptionem reperiuntur. Confirm. quia muti, & surdi, ut plurimùm adeò perspicaci pollent ingenio, ut plura difficillima ipsis per signa, & nutus significata intelligant, & intellecta facilè signis manifestent, ut ipsa experientia docet; ergò per signa quoque, & nutus potest eis Eucharistiæ mysterium explicari, & dispositiones ad dignam ejus susceptionem requisitæ, & posteà communicari. Denique quamvis muti, & cæci à nativitate sint capaces Sacramenti pœnitentiæ, adhuc tamen hoc de mutis difficilius est, quàm de surdis, ut diximus 4. disp. 5. qu. 16. art. 2. nu. 246. & seq. quia confessio Sacramentalis aliquo signo sensibili fieri debet; signum autem ad confessionem aptissimum est humana vox, quia distinctius, & certius significat, quam alia omnia signa sensibilia, & est inter homines maximè usitatum, & notum, ideoque in Concil. Florent. in decreto Eugenii materia Sacramenti pœnitentiæ dicitur esse oris confessio. Et nihilominus hoc non obstante diximus ibidem cum communi Theologorum sententia ex Scoto 4. dist. 17. q. un. in solutione principalium mutos esse capaces Sacramentalis confessionis, & ad illam de jure divino teneri, quia manifestatio humanorum conceptuum potest fieri non solùm voce, & locutione, sed etiam scripto, aliisvè signis, & nutibus, ut constat de moribundis, quia non potentes loqui signa contritionis, & confessionis exhibent; ergo tantò magis id asserendum erit de Sacramento Eucharistiæ, pro cujus sumptione non sunt necessaria signa adeò sensibilia, ita etiam Diana t. 5. tr. 6. resol. 6 & 7. Casp. tr. 22. disp. 9. sect. 5. in fine, & alii passim.

67. Quartò dubitatur, an rei ad mortem damnati sint Eucharistiæ capaces, ut licitè illis denegari non possit. Affirmat communis opinio apud Caspens. loc. cit. damnato ad mortem dandam esse Eucharistiam, etiamsi non sit jejunus, quia ex vna parte is tenetur ex præcepto, cùm sit in articulo mortis, nec violenta mors tollit ei hanc obligationem; & ex alia Judex non tenetur differre executionem, quando commodè non potest, & multò minus, si reus ex industria jejunium violavit ut vitam protraheret; Imò subdit ibidem contrà Julium Clarem, Zerolam, & alios Juristas non esse indecens Eucharistiam recipere quoq; in ipso die mortis, ac etiam quamvis pridie antè mortem sumpta esset Eucharistia à damnato per modum viatici, si tamen devotionis causa ipso quoque die mortis iterum communicare vellet, non solùm non esse impediendum, sed potiùs hortandum, ut tolerabilius mortem pateretur, ut etiam Sanchez notat in scelect. disp. 4. nu. 4. Verum quamvis hic sit communis dicendi modus, & Christianæ pietati valdè consentaneus, nihilominus satis etiam probabiliter addit Abell. sec. 9 cit. cum Isamberto Ecclesiam posse speciali aliquo decreto, vel ratione alicujus consuetudinis hujusmodi reos ad mortem damnatos Sacramentali Eucharistiæ sumptione privare, quod præsertim probat ex eo, quod Ecclesia olim in quibusdam Conciliis, ac nominatim in Consilio Illiberitano quosdam peccatores publicos, licet pœnitentes, & Sacramentaliter absolutos, sacra viatici sumptione etiam in articulo mortis privavit; ergo idem etiam nunc in similibus casibus facere poterit ad hororem quorundam criminum altius animis imprimendum; cùm in dispensatione Sacramentorum salva illorum substantia plenariam à Christo Domino potestatem acceperit. Ità discurrit Abellius loc. cit.

68 Quintò tandem dubitatur, an Laici teneantur communicare sub utraque specie. Affirmant Hæretici multis Scripturæ, & Patrum auctoritatibus moti, præsertim verbis illis Jo. 6. *Nisi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis ejus sanguinem non habebitis vitam in vobis*, ubi Christus eodem modo necessitatem communicandi, sub utraq; specie promulgat, quo Baptismi necessitate promulgaverat Jo. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non potest introire in Regnum Dei*, cum igitur particula *Nisi* necessitatem indicet, æqualis erit necessitas in utraque specie communicandi. Oppositum docent Catholici omnes juxtà definitionem Conc. Trid. sess. 21. cap. 1. 2. & 3. ubi ait Laicos, & Clericos non conficientes nullo præcepto divino ad Eucharistiæ Sacramentum sub utraq; specie sumendum obligari, neque ullo pacto salva fide dubitari posse, quin illis alterius speciei communio ad salutem sufficiat; quia fatendum est etiam sub altera tantum specie totum, atque integrum Christū sumi, ac propterea quod ad fructū attinet, nulla gratia necessaria ad salutem illos defraudari, qui unam solùm speciem accipiunt, ut dictum est qu. præc. ar. 1. n. 51. & hoc etiam habetur in Conc. Constant. in quo primum usus Calicis videtur fuisse prohibitus, ut innuit Trid. loc. cit. dùm ait in Ecclesia progressu temporis gravibus, & justis causis mutatam fuisse illam consuetudinem communicandi sub utraq; specie, & certè ut Abellius advertit loc. c. in Scripturis etiam Act. 2. 20. & 27. fit mentio solius fractionis panis, in cujus communicatione fideles dicuntur fuisse perseverantes illis verbis: *Erant autem perseverantes in doctrina Apostolorum, & communicatione fractionis panis*, & idipsum Jo. 6. Christus ipse expressit, *Panis quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita*. & olim in Ecclesia Sacramentum hoc sub sola specie panis ad communionem infirmorum asservatū, ipsisq; infirmis ministratum fuisse constat ex Conc. Nic. can. 12 & 14. & ex Euseb. lib. 6. Hist. Eccles. c. 35. & etiam ex S. Gregor. Nazianz. in oratione de Gorgonia sorore; ex quibus clarissimè constat, quantum à veritate alienum sit, quod Hæretici dicunt, fideles omnes, & singulos ad communionem sub utraque specie sumendam ex divino præcepto obligari; & in antiqua Ecclesia fuisse quoq; in usu communionem in unica specie. Nec unquā in Ecclesia Catholica usitata fuit communio, sub utraque specie prætextu necessitatis, & obligationis, sed solùm causa devotionis, quæ posteà aucto fidelium numero, & imminuto ministrorum studio, meritò in hanc reverentiam, & cautelam commutata est, ut in sola panis specie communio præbeatur, ad evitandum præsertim periculum ut aliquid sanguinis effundatur, quod quidem magis cavendum est, quàm aliquid panis in terra decidat, quia gutta sanguinis colligi non potest.

69 Nec obstant verba illa Joan. *Nisi manducaveritis*, &c. sensus enim eorum non est, quod necessaria sit communio sub utraq; specie conjunctivè, ad quod demonstrandum Conc. Trid. loc. c. refert verba ex eodem Evangelii textu jam adducta *Panis quem ego dabo*, &c. in quibus sola panis specie nominatur; & ad illa verba explicanda plures expositiones à Doctoribus adduci solent, frequentior autem, & probabilior est particulam illam *Et* non sumi collectivè, sivè copulativè, sed disiunctivè, nam etiam Dialectici tradunt aliquando particulam *Et* significare disiunctivè, ut sensus sit, Nisi manducaveritis carnem filii hominis, vel biberitis ejus sanguinem, &c. Et hic modus sumendi particulam *Et* pro *Vel* frequentissimus est in sacra Scriptura, ut notat etiam Gavatius ex nostris disp. 10. qu. 3. ca. 2. nam Levitici 20. dicitur, *Qui maledixerit Patri, & Matri, sanguis ejus sit super eum*, hoc est qui maledixerit Patri, vel Matri, alioquin non dixisset, sanguis ejus, sed sanguis eorum, & Exodi c. 21. *Filium quoque, & filiam si cornu percusserit, simili sententiæ subjacebit, si servum, ancillamq; invaserit triginta Siclos argenti Domino dabit*, ac si dixisset, filium quoque, vel filiam, similiter si servum, vel ancillam, & alia exempla similia habentur quoq; in testamento novo, ut Act. 3. *Argentum, & aurum non est mihi*, ideſt, argentum, aut aurum; & hanc expositionem indicat Trident. loc. c. dùm ait ex illis verbis non rectè colligi communionē sub utraq; specie, nam qui dixit, Nisi manducaveritis, &c. dixit quoque, Qui manducaverit ex hoc pane vivet in æternum; & dixit etiam, Panis quem ego dabo caro mea est pro mundi vita.

ARTI

ARTICULUS SECUNDUS.

Quis sit legitimus hujus Sacramenti Minister.

70 PRimò dicendum est, solum novæ legis Sacerdotem, ut ministrum legitimum Eucharistiam conficere posse, & ut Ministrum ordinarium dispensare. Ità Theologi omnes cum D. Thoma q. 82. art. 3. & Scoto d. 13. q. 2. & quoad primam partem constat ex ipsis Christi verbis Luc. 22. & Matt. 26. *Hoc facite*, &c. quibus solis Apostolis, eorumque in Sacerdotio successoribus hanc Eucharistiæ conficiendæ potestatem concessit; constat etiam ex Conc. Lateran. sub Innocentio III. c. *Firmiter*, in quo statuitur *Neminem nisi Sacerdotem ritè secundum claves Ecclesiæ ordinatum Sacramentum hoc posse conficere*, quod etiam expressè definitum est in Conc. Trid. sess. 2. c. 1. & SS. Patres unanimiter docent. Quoad secundum etiam constat ex verbis Apostoli ad Corint. 4. *Sic nos existimet homo, ut ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei*, & ex verbis, quæ Ecclesia recitat in hymno Corporis Christi *Sic sacrificium istud instituit, cujus officium committi voluit solis Presbyteris, quibus sic congruit, ut sumant, & dent cæteris*, undè in cap. *Pervenit* de Consec. d. 2. reprehenduntur quidam Sacerdotes, qui Laicis Eucharistiam dabant ad infirmos deferendam. Hoc etiam definitum fuit in Conc. Nicæno 1. c. 16. ubi dicitur *Ministrare hoc Sacramentum proprium est Presbyteri & non Diaconi*, & posteà in Trid. sess. 13. c. 8. ubi dicitur *Hunc semper in Ecclesia morem fuisse, ut Laici à Sacerdotibus communionem acciperent*. Denique id probat Sco. l. c. ratione ex congruitate deducta, sicut enim ab anima mediante corde illius virtutes ad cætera membra derivantur, & in corde est principalis sedes vitæ ex Arist. l. de hist. anim. c. 16. & sicut in qualibet politia actus principales ad eam pertinentes alicui personæ in illa præcipuæ competunt; ità cognum est actum instum dispensandi Eucharistiam apud illum residere, qui in Ecclesiastica Hierarchia principalis est, qualis est Sacerdos. Notanter autem dicitur solum Sacerdotem esse ordinarium dispensationis, & administrationis hujus Sacramenti Ministrum, quia ut testantur S. Ambrosius l. 1. off. c. 41. & S. Justin. Apolog. 2. in fine, primis Ecclesiæ temporibus ob Sacerdotum penuriam extraordinariè hæc Eucharistiæ dispensatio Diaconis etiam commissa fuit, & delegata, quod tamen tempore consequenti ad solam causam necessitatis redactum fuit, ut declaratur in Conc. Carthag. 4. can. 38. Undè dicunt etiam DD. communiter, nunc quòque ex commissione Sacerdotis, & causa necessitatis posse Diaconum hoc Sacramentum dispensare, ut si infirmus in mortis articulo viaticum postularet, nec adesset Sacerdos, posset Diaconus illi administrare, quia id ei convenit jure communi, ut constat ex Concilio Nicæno can. 14.

71 Secundò est difficultas, an ex commissione, seù necessitate posset etiam Clericus minor Diacono, aut purus Laicus hoc Sacramentum infirmo ministrare, aut sibimet sumere in mortis articulo. Affirmant plures, quia priscis temporib. Eucharistia dabatur in manus proprias Laicorum, ut se communicarent, & interdum per Laicos ad infirmos mittebatur, ut narrat Euseb. l. 6. Histor. c. 36. undè nulli dubium est tunc licuisse; Sed etiam post rigorosam prohibitionem, quæ habetur in. c. cit. *Pervenit*, & non multis antè annis narratur etiam ac laudatur, Mariam Scotiæ Reginam in Anglia detentam, instante sibi ob fidem Catholicam morte, per se sumpsisse Sacram Eucharistiam quam ad hunc finem à catholico Sacerdote receptam secum asservabat; quarè id etiam his temporibus in casu præcisæ necessitatis concludunt licitum esse; ità Suar. Valentia, Layman, Filliuc. Reginald. Diana, Lezana, Castropal. Gavat. ex nostris, & plures alii, qui etiam rationem reddunt, quia jure solum humano prohibitum est Laico attingere Eucharistiam ex c. cit. *Pervenit*; jus autem humanum non videtur in tali eventu obligare, sed potius videtur cedere graviori precepto Divino, quo fideles tenêtur in articulo mortis communicare. Negant plures alii, quorum præcipuum fundamentum est prohibitio relata in c. ci. *Pervenit*, quod decretum confirmat Conc. Trid. sess. 13. c. 8. ubi ait in *Sacramentali sumptione semper in Ecclesia Dei mos fuit ut Laici à Sacerdotibus communionem acciperent, qui mos tanquam ex traditionem Apostolica descendens jure, ac meritò retineri debet*, quæ consuetudo fundatur tùm in reverentia ipsa Sacramenti, ob cujus dignitatem decet, ut non nisi à Sacerdote, & in solo necessitatis casu tantùm à Diacono administretur. Tùm quia cùm hoc Sacramentum non sit ad salutem necessarium necessitate medii, sed tantùm utile, non obligat nisi cùm debitis circumstantiis ad ipsius debitam reverentiam requisitis, quæ privatæ personæ utilitati prævaleret debet; undè in pluribus locis, etiam ubi sunt pauci Sacerdotes, & Diaconi non sufficientes ad communicandos moribundo somnes, multi permittuntur mori absque viatico, quod tamen non contingeret, nisi existimaretur Ecclesia ob reverentiam Sacramenti interdicere, quod nemo, nisi Sacerdos, aut Diaconus Eucharistiam ministret, etiam in casu necessitatis, quia non est Sacramentum necessarium necessitate medii. Et ad id, quod refertur de Regina Scotiæ, dicunt illam habuisse privilegium ad hoc faciendum à Summo Pontifice, & præterea sine privilegio illud facere potuisse ad vitandam irreverentiam, quæ ab Hæreticis Sacramento inferri potuisset, quo casu quicunque etiam non jejunus Eucharistiam sumere potest, aut ministrare; potuit etiam id facere ex sententia sui Confessarii, aut alterius Viri docti, qui fuisset opinionis oppositæ. Ità Alensis, D. Thom. Henriquez. Bonacin. Caspens. Amic. Poncius, Astesanus noster, & plures alii, quæ opinio sicut est communior, ità etiam probabilior, utpotè consuetudini Ecclesiæ conformior.

72 Tertiò, quoniam hoc Sacramentum ad legitimam sui administrationem duplicem requirit potestatem ordinis, scilicet, & jurisdictionis, ut communiter docent Doctores, ulterius addendum est, nullum Sacerdotem posse licitè alteri Eucharistiã administrare, nisi sit ejus proprius pastor, vel ex proprii Pastoris commissione, seù licentia expressa, vel rationabiliter præsumpta id faciat; pro cujus declaratione sciendum est ex communi etiam Doctorum consensu duplicem esse jurisdictionem ordinariam, scilicet, & delegatam, ordinaria residet in Superioribus, quorum officio annexa est, ut in Summo Pontifice pro universa Ecclesia, in Episcopo pro sua Diœcesi, in Parocho, pro sua parochia, in Generali Religionis pro tota sua Religione, & sic de aliis Superioribus ordinatis. Delegata est, quæ communicatur à Superiore, vel ad tempus huic, & illi personæ; vel stabiliter per privilegia toti Religioni, aut communitati; loquendo igitur de jurisdictione ordinaria proprius hujus Sacramenti dispensator est Sacerdos, qui pastor est ovium, ad Pastorem namque pertinet proprias oves pascere, & nutrimentum præbere; cæteris verò convenit ex commissione, vel privilegio, quæ commissio exhiberi potest, vel per expressam voluntatem, vel per ratihabitionem, seù rationabilem præsumptionem; licet enim dispensatio Eucharistiæ sit propria pastoris, & ejus qui habet jurisdictionem; ipsa tamen actualis distributio non est actus jurisdictionis, & ob id ad eam non requiritur approbatio Episcopi, nec necessaria est expressa voluntas, vel ratihabitio, sed sufficit rationabilis præsumptio, quæ nõ sufficit ad ministrationem Sacramenti pœnitentiæ ut suo loco dicemus. Ex privilegio autẽ jam à Sede Apostolica concessum est omnibus Ordinibus, vel saltem excõmunicatione privilegiorum, ut toto anno, excepto festo Paschæ Rusurrectionis, possint omnibus fidelibus in suis Ecclesiis Eucharistiam ministrare. Ità Suarez Vasquez, Coninchius, Caspensis, Amicus, Aversa, Lugus, Castropal. Gavatius disp. 3. cit. q. 2. ubi fusè de hac retractat, & alii passim, qui etiam addunt, posse dare viaticum in casu necessitatis, quando Parochus expectari nõ potest, vel ejus consensus haberi, nam in tali casu potest benè præsumi cõsensus Parochi; sed talis præsumptio cõsensus ipsius non sufficit, ut detur communio Paschalis, quia facilè illa communio differri potest, donec consensus expressus illius habeatur.

73 Quartò quæritur, quænam dispositio requiratur in Sacerdote Eucharistiæ Sacramentum administrante; & quidam in conficiente hoc Sacramentum statum gratiæ requiri, ut licitè illud conficiat, fatentur omnes, quamvis enim in statu peccati adhuc validè conficeret, grave tamen sacrilegium committeret, faceret enim contra reverentiam huic Sacramento debitam ex eadem specie Religionis, qua præscribitur hoc Sacramentum dignè tractari, tam in consecratione, quam in oblatione. Difficultas tamen est, an etiam ad dispensandum aliis hoc Sacramentum requiratur status gratiæ, ut licitè dispenset. Affirmant plures requiri, quorum ratio est, quia Sacerdos est minister deputatus ex officio ad hoc munus, & consecratus cum speciali gratia; qui autem ex officio deputatus est ad ministranda Sacramenta, debet esse in gratia, alioquin graviter peccat indignè tractando Sacramenta in peccato mortali. Ita Suarez, Valentia, Coninchius, Bonacina, Reginald. Villalobos, Filliucius, & alii, citantur etiam pro hac sententia D. Thom. Riccardus, & alii antiquiores, qui tamen re vera loquuntur solùm de Sacerdote celebrante, & Eucharistiam conficiente, non autem dispensante, de quo præsens quæstio. Negant alii dicentes, Sacerdotem in peccato mortali existentem non peccare mortaliter, sed venialiter tantùm dispensando aliis hoc Sacramentum, & hæc sententia est satis probabilis, potestque commodè defendi, ut ait Aversa q. 10. cit. de Ministro Eucharistiæ sect. 5. quia in hoc ministerio Sacerdos non conficit Sacramentum, sed solùm applicat, quarè se habet, veluti in rebus naturalibus causa per accidens applicans activa passivis; & non est ita per se, ac indirectè instrumentum Dei ad sanctificandum hominem,

ficut quando actu conficit Sacramentum consistens in fieri non videtur ergo tam graviter obligari, esse in statu gratiæ, ut alioqui in hoc ministerio mortaliter peccet, sed tamen ob reverentiam tanto Sacramento debitam, saltem venialiter peccabit, dummodò id contingat sine scandalo suscipientium. Ita discurrit Aversa loc.c. pro qua sententia citantur ab ipso Silvius, Nugnus, Cabrera, Kellisonus, Vasq; Lugus, uterq; Ledesm. Joan de Cruce, Barbosa, Diana, & alij.

74 Quintò prætereà debet cavere Sacerdos, ne hoc Sacramentum ministret censura aliqua irretitus, etiamsi alioqui se reposuisset in statu gratiæ, aliter non solùm mortaliter peccaret, sed etiam irregularitatem incurreret, utpotè cum tali impedimento actum Ordinis exercens, ut suprà dictum est disp. 13. de censuris qu. 2. art. 2. quod tamen intelligendum est excepto casu extremæ necessitatis ad communicandum infirmum. Dubium tamen est, an possit fidelis in casu necessitatis Eucharistiam accipere ab excommunicato, degradato, schismatico, hæretico, & dubium non est de excommunicato ab Ecclesia tolerato, à quo etiam extra casum necessitatis Eucharistiam accipere possumus, quando commodè alium habere nequimus; sed tantùm de excommunicato non tolerato, qualis est nominatim excommunicatus, & notorius Clerici percussor, cum quibus tantùm in sacris communicare prohibemur juxtà decretum Concil. Constant. Negant plures ex antiquis, pro qua sententia citari solent D. Thom. D. Bonav. Durandus, Paludanus, Palatius, & alii Scholastici 4. d. 13. quorum fundamentum est prohibitio ipsa Ecclesiæ, quæ prohibet nos cum hujusmodi hominibus in sacris communicare, ut dictum est disp. cit. à quibus non nisi Sacramenta Baptismi, & Pœnitentiæ, quæ sunt ad salutem necessaria in articulo mortis ex eadem Ecclesiæ concessione suscipere possumus. De Baptismo habetur 24. qu. 1. can. *Si quem*, qui desumptus est ex D. Aug. lib. 1. de Baptismo contra Donatistas cap. 2. De pœnitentia verò habetur cap. *Quod in te*, de pœnitentijs, & remissionibus, docetque Trid. sess. 14. cap. 7. ubi definit in articulo mortis quoscunque Sacerdotes absolvere posse quoscunque Pœnitentes à quibuscunque peccatis; de communione verò, reliquisque Sacramentis nulla fit mentio. Affirmant plures ex Recentioribus, ut Scoto, Suarez, Vasq. Amicus, & alii, quæ sententia probabilior videtur, & conformior jam dictis disp. 13. cit. q. 2. art. 2. quorum fundamentum est, quoniam eadem jura, quæ in articulo mortis concedunt Sacramentum pœnitentiæ ab omnibus Sacerdotibus suscipiendum, concedunt etiam viaticum, ut constat ex cap. citato *Quod in te*, ubi Pontifex expressis verbis declarat, quod eodem verbo, quo pœnitentiam concedit morientibus, concedit quoque viaticum.

Confirmatur ratione, quoniam hoc Sacramentum jure divino obligat in articulo mortis, sed Ecclesia prohibere non potest, ne hoc jus in eo articulo servetur, nisi solùm in casu irreverentiæ; nulla autem est irreverentia hoc Sacramentum in mortis articulo suscipere à nominatim excommunicato, degradato, Schismatico, Hæretico, alioquin sequeretur, neque nos posse in articulo mortis Sacramentum Pœnitentiæ à tali Sacerdote recipere, cùm eodem modo sit contrà reverentiam Sacramenti pœnitentiæ, ut illud à talibus Ministris impendatur. Tandem quia eo ipso, quod Ecclesia in tali casu facultatem concedit moribundis ab hujusmodi Ministris Sacramenta petendi, hoc ipso concedit illis quoque potestatem ea ipsa Sacramenta in tali casu licitè ministrandi, petere enim, & ministrare sunt correlativa, unde non potest in tali casu esse licita petitio, quin simul licita sit administratio Sacramenti, & ideò nulla à petente committitur irreverentia à talibus Ministris in articulo mortis Sacramenta suscipiendo.

75 Ex qua doctrina facilè occurritur fundamento prioris sententiæ, illa enim Ecclesiæ prohibitio non se extendit ad fideles in articulo mortis constitutos, in quo sicut licitum est ab hujusmodi ministris accipere Sacramentum Baptismi, ut etiam Scot. docet 4. d. 5. q. 1. & pœnitentiæ, ita & Eucharistiæ, ut jam ostensum est. In hac tamen difficultate mihi valdè probatur, quod ait Amicus disp. 31. de Ministro Eucharistiam dispensante sect. 2. in fine, cum pluribus aliis, quod quia vix in praxi fieri potest, ut ab hujusmodi Ministris hoc Sacramentum sine scandalo aliorum administretur, aut periculo salutis ipsius suscipientis, ne in eorum errores, & hæreses, quas plerunque solent hæretici, & Schismatici in Sacramentorum administratione admiscere, consentiat; consultius est in eo articulo mortis à communione abstinere, quàm ab hujusmodi Ministris illam accipere cum tanto periculo, præsertim cùm hoc Sacramentum non sit ad salutem necessarium necessitate medii; Quod confirmari potest exemplo Herminigildi filii Leovigildi Regis Visigothorum, qui potiùs elegit à parente occidi, quàm ab Episcopo Ariano Eucharistiam accipere ipsa die Paschatis, propter quod factum mirificè laudatur à D. Gregor. lib. 3. Dialog. cap. 31. & refertur 24. qu. 1. can. *Cæpit* quia nimirum optimè, & laudabiliter communionem ab Hæretico oblatam renuit, ne videretur cum illo in hæresim consentire, & adj evitandum periculum, ne ab eo in errorem induceretur, ad hunc enim finem à parente ad eum missus fuerat, ut illum in suum traheret errorem, ut innuit D. Greg. loc. cit.

76 Postremò examinandum est, quomodo se debeat gerere Minister cum peccatore Eucharistiam poscente, nùm, scilicet, peccatori Eucharistiam petenti possit Minister absque peccato dispensare, aut potiùs illam denegare debeat; notanter autem additur *Eucharistiam poscenti*, quia certum est Ministrum non posse illi, quem scit esse in peccato, ultrò Eucharistiam offerre licitè, & absque peccato. In solutione istius difficultatis procedendum est juxtà regulas generales traditas disp. de Sacramentis in genere circà Sacramentorum administrationem distinguendo de peccatoribus publicis, vel occultis, & de administratione publica, vel secreta. Si igitur peccator sit occultus, & publicè Eucharistiam petat, omninò Sacerdos debet illam dare, ut docent Alens. quæst. 11. memb. 2. art. 3. D. Thom. quæst. 80. art. 6. D. Bonav. disp. 9. quæst. ult. & alii Theologi passim, quia peccator occultus habet jus in facie Ecclesiæ Eucharistiam petendi, quo jure privari non potest, nisi aliqua causa manifesta, undè si Sacerdos illam denegaret, peccatum ejus proderet, atque ideò peccaret; quamvis enim quoad forum interius, & coram Deo nullum habeat jus ad petendum Eucharistiam, habet tamen quoad forum exterius, & in facie Ecclesiæ, quo jure privari non debet, aut repelli, nisi in facie Ecclesiæ sit sufficienter convictus. Si verò peccator sit publicus, & notorius, nullo modo Eucharistia est conferenda, nisi de emendatione constet, ut docent præfati Doctores, quia peccator notorius, & publicus, cùm sit in statu notoriè indigno, & absque debita dispositione, non habet jus in eo statu Eucharistiam petendi, atque ideò est illi omninò deneganda, quocunque modo illam petat. Tandem si peccator sit occultus, & Eucharistiam secretò petat, adhuc est Eucharistia deneganda, quia peccator ille nullum jus habet petendi Eucharistiam, & nullum adest periculum illius peccatum prodendi, quia secretò petit; hoc autem intelligendum est, dummodò per Sacramentalem confessionem peccatum illius Ministro non innotuerit, tunc enim quamvis nullum esset infamiæ periculum, esset illi nihilominus omninò Eucharistia administranda, quia Confessarius ex sigillo tenetur non solùm aliis, sed nec ipsi pœnitenti absque illius licentia peccata in confessione detecta obiicere, & exprobare, hoc autem faceret saltem implicitè si sumpta occasione confessionis Eucharistiam petitam pœnitenti denegaret, de quo plura alia videri possunt apud Gavatium disput. 13. cit. q. 3. quæ in fine hujus Disputationis de Sacrosancto Missæ Sacrificio tractari solent, quam materiam ad sequent. Disput. de Sacramento Ordinis remittimus agendo de Ordine Sacerdotij, ut fecimus in 4. sent. libro.

DIS-

DISPUTATIO XIX.

DE SACRAMENTO ORDINIS.

1 OST disputationem de Sacramento Eucharistiæ aliam aggredimur de Sacramento Ordinis, utpotè quæ cum illa necessariam habet cõnexionem, siquidem Ordo, seu ordinatio, ut inquit Scotus 4. d 24.q.un. art.3. est institutio alicujus in gradu Ecclesiæ præeminente, cui convenit aliquod ministerium circà Eucharistiam exhibendum, & septem gradus, quibus constat Ordinis Sacramentum, appellantur gradus per similitudinem, quia per eos, quasi gradus ascenditur ad Præsbyteratus dignitatem, virtute cujus homo constituitur legitimus Eucharistiæ minister, tàm quoad confectionem, quam quoad dispensationem, ut dictum est disp. præc. Et quoniam plura quoque de hoc Sacramento diximus lib 4. sent. disp.4. ad speculationem præsertim spectantia, breviter hanc disputationem expediemus ex dictis ibidem, addendo alia, ad moralem doctrinam attinentia ibi omissa.

QUÆSTIO PRIMA.

De essentia, & existentia Sacramenti Ordinis.

2 NOmen Ordinis, quod ex se latissimam habet significationem, ut observat Scotus loc. cit. magis in rigore accipitur pro gradu eminenti in politia, vel Communitate aliqua, & Republica, sic enim dicitur Ordo Senatorius, ordo equestris, & similes, & hinc ab Ecclesia usurpatum est ad significandum certum statum, & gradum personarum, qui dicitur Ordo Clericalis, nempè Ministrorum, qui ad res divinas, & sacras sunt deputati, ut docet etiam Catechismus Romanus par.2.cap.7. Tùm etiam ad significandum ritum illum sacrum, quo quisque Ministrorum illorum solemni religione consecratur, ac divino cultui, sacrisq; Altaribus deputatur, & in hoc sensu sumitur in præsenti

ARTICULUS PRIMUS.

Quid sit Ordo, & an sit Sacramentum, & quotuplex.

3 QUamvis sit aliqua Doctorum varietas in assignanda Ordinis definitione, quæ potiùs est de nomine, quàm de re, ut diximus disp.4.cit.qu.1. ab initio, clarior tamen, & exactior est, quam tradit Doctor loc. cit. quod Ordo, seù ordinatio est institutio alicujus in gradu Ecclesiæ præeminenti, cui convenit aliquod ministerium circà Eucharistiam exhibendum, facta à Ministro idoneo, certa verba proferente, & simul cum intentione debita, ministerium gradus illius aliquo signo visibili repræsentans ex institutione divina efficaciter significans gratiam præeminentem, qua ordinatus dignè aliquod ministerium exequatur. Ita Doctor loc.cit. ubi ait ex hac communi Ordinis definitione proportionaliter deduci posse rationes speciales Ordinis cujuslibet; & notanter ibi dicitur præcipuè circà Eucharistiam, quia actus Ordinum versantur solùm circa illam, ut infra dicetur, vel saltem actus principaliores eorum; dicitur autem à *Ministro idoneo*, scilicet, ab Episcopo quantum ad sacros Ordines, nam quantum ad alios non sacros aliqui non Episcopi possunt esse Ministri; dicitur tandem *proferente verba certa*, quantum ad formam, vel formas ordinationum, quæ sunt diversæ in diversis Ordinibus, ut patet in libris Episcoporum. Quæritur ergo in præsenti, an Ordo sic sumptus sit Sacramentum, quæ quidem quæstio dupliciter intelligi potest; Primò in genere, an, scilicet, in Ecclesia Dei sit Sacramentum Ordinis, secundò in particulari, an quilibet Ordinum Ecclesiasticorum, qui communiter septem enumerantur, sit Sacramentum, pro cujus resolutione.

4 Primò dicendum est, Ordinem esse Sacramentum novæ legis à Christo Domino institutum. Ita statuimus loc. cit. tanquam dogma fidei contra Hæreticos quosdam, & satis apertè ex ipsa Scriptura deducitur, nam in Evangelio Christus ordinavit suos Apostolos in Sacerdotes, & Episcopos, quando in nocte Cœnæ dixit illis: *Hoc facite in meam commemorationem*, & quando post Resurrectionem eis dixit: *Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis*, Joann. 20. Deindè Apostoli ipsi ordinaverunt septem illos viros Actorum 6. *Hos statuerunt ante conspectum Apostolorum, & orantes imposuerunt eis manus.* Ordinaverunt Paulum, & Barnabam Act.10. *Tunc jejunantes, & orantes, imponentesque eis manus dimiserunt illos*, item colligitur ex verbis Apost. 2.ad Timoth. 1. *Admoneo te, ut resuscites gratiam, quæ est in te per impositionem manuum mearum*, ubi loquitur de sacra ordinatione ipsius Timothei, ex quibus locis deducitur in sacra ordinatione aliquem ritum sensibilem intervenire, & collationem gratiæ per hunc ritum, undè sequitur veram rationem Sacramenti in ordinatione reperiri; & quod ordinatio Ministrorum Ecclesiæ sit à Deo instituta, & mandata non solùm demonstratur ex Patribus, Pontificibus, & Conciliis, ut refertur Bellaminus, Vasquez, Becanus, Aversa, & alii, sed apertè etiam colligitur ex Act.cap.13. *Segregate mihi Paulum, & Barnabã in opus, ad quod assumpsi eos*, & c. 20. *In quo vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei*, & ad Ephes. 14. *Ipse dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam Prophetas, alios autem Pastores, & Doctores.* Et hoc tandem suadet ratio ex congruitate deducta, ut dicebamus l.c. nam extat in Ecclesia exercitium sacrarum functionum, & præsertim conficiendi sacrosanctum Eucharistiæ Sacramentum, & Sacrificium item absolvendi à peccatis, & similes; & quia non expediebat, neque decens erat, ut omnibus promiscuè, & absque discrimine hoc ministerium competeret, & potestas; opus planè fuit, ut ipse Christus legitimam hanc potestatem in Ecclesia ad hæc facienda reliquisset, & ritum aliquem visibilem; seu sensibile, signum instituret, quo talis potestas, & gradus certis quibusdam personis à legitimo Ministro communicaretur, & hic ritus, & hoc signum est Sacramentum Ordinis, de quo loquimur.

5 Secundò dicendum est, septem esse Ordines propriè dictos, scilicet, Ostiariatum, Lectoratum, Exorcistatum, Acolithatum, Subdiaconatum, Diaconatum, & Presbyteratum; primam verò Clericalem Tonsuram non esse Ordinem propriè dictum, sed esse puram Ecclesiæ institutionem, & esse dispositionem, ac præparationem ad præfatos Ordines, quorum tres posteriores dicuntur majores, quatuor verò priores dicuntur minores. Hoc assertum constat ex diversis Conciliis septem illos Ordines enumerantibus, ut ex Conc Roman. sub S. Sylvestro c.4. Carthag.4.c.2. Florent.in decret. Eugenii, & nuper ex Trident. sess. 23.cap. 2. ubi hos septem Ordines Ecclesiæ enumerat quosdam majores, & quosdam minores, per quos veluti per gradus ad Sacerdotium ascendimus; & ita etiam discurrit Scotus 4.d.24.cit.art.2.lit.D. ubi inquit, quod communiter septem Ordines ponuntur tres majores, & sacri, & quatuor minores, & non sacri, quorum sufficientia sic assignatur; quia Ordo est potestas, & gradus præeminens ad actum Sacramentalem, præcipuè circà Eucharistiam, aut igitur directè, & immediatè, aut indirectè, & mediatè. Primo modo deducuntur tres Ordines sacri, qui dicuntur majores, & secundo modo quatuor non sacri, qui dicuntur minores; primum fit tripliciter, aut Eucharistiam conficiendo, & sic est Ordo Sacerdotii, aut dispensando, & tractando eam in vasis, & sic est Ordo Diaconatus, unde patet quod legere Evangelium non est principalis actus Diaconi, sed secundarius, aut subministrando materiam Eucharistiæ, & sic est Subdiaconatus, cujus etiam legere Epistolam, est actus minus principalis, & secundarius; alii autem quatuor Ordines minores accipiuntur respectu actuum remotè se habentium ad Eucharistiam, ut Doctor ibidem explicat. Quod verò spectat ad Clericalem Tonsuram, quamvis Canonistæ quidam aliis Ordinibus annumerendam esse arbitrentur; communis tamen, & vera Theologorum sententia est, ut diximus q.1.cit.art. 1. non esse ordinem, sed solummodò cæremoniam Ecclesiasticam, quæ præparat, & disponit ad Ordines suscipiendos, ut D. Thom. D. Bonav. Scot. & alii Theologi, 4. d. 24. communiter docent, & clarè constat ex Concilio Trid. sess. 23. c. 2 ubi numerantur, & nominantur singuli Ordines; nec tamen inter primam ponit Tonsuram, sed distinctè, & separatim eam commemorat, tanquam quid prævium ad omnes Ordines cùm dicit: *Ut qui jam Clericali Tonsura insigniti essent, per minores, & majores Ordines ad Sacerdotium ascenderent*, quibus verbis expressè prima Tonsuram à numero etiam ordinum Minorum excludit, & clariùs adhuc in Catechis. Rom.l.c. dicitur, Tonsuram esse tantummodò præparationem quandam ad Ordines suscipiendos sicut Exorcismus est præparatio ad Baptismum, & sponsalia ad Matrimonium.

6 Tertiò dicendum est, non tantùm Ordinem in genere, sed etiam in particulari unumquemque Ordinem Ecclesiasticorum esse Sacramentum; ita statuimus disp. 4. cit. quæst. 2. art. 1. cum communi, ac retinenda Theologorum, ac Canonistarum sententia, & probatur assertum primò de illis omnibus Ordinibus in genere ex Concil. Trident. citat. c. 2. ubi cùm omnes septem Ordines enumerasset, eosdemque semper in Ecclesia fuisse dixisset, cap. 3. & posteà absolutè definit Ordinem esse Sacramentum absque ulla restrictione ad majores Ordines, aut minorum exclusione, undè deducitur secundum ejus mentem omnes septem Ordines universaliter loquendo habere veram Sacramenti rationem, & à Christo Domino institutos fuisse. Nec obstat, quod tres tantùm majores Ordines dicantur sacri, quia ut cum Hamberto observat Abellius c. 7. de Sacramento Ordinis sec. 1. non sic vocantur, quasi solis illis ratio Sacramenti competat, sed quia solis illis votum continentiæ annexum est. Denique de singulis etiam in particulari probatur l. c. ut ibi videri potest; quare sola remanet difficultas, quomodo prædicti Ordines unum constituant Sacramentum; si enim singuli rationem Sacramenti participant, sequitur plura esse Sacramenta, quàm septem, at hæc quoque difficultas soluta est disp. citat. q. 1. a. 2. in fine ex Scoto d. 23. cit. q. un. art. 4. ubi docet duas unitates his septem Ordinibus tribui posse. Prima est unitas generis propinqui adeo quod omnia sit unum Sacramentum genere propinquo, non remoto; quod declarat exemplo virtutum moralium, nam Justitia, Fortitudo, & Temperantia sunt tria genera virtutum, quorum unum quodque sub se varias continet virtutum species, & tamen omnes illæ tres virtutes continentur sub uno genere communi, quod est virtus moralis; sic igitur pariter in proposito isti septem Ordines sunt unum Sacramentum unitate generis propinqui, quod est Ordo, & est genus subalternum, quod respectu Sacramenti, in communi ad septem Ecclesiæ Sacramenta est species, est verò genus respectu illorum septem specierum Ordinum, seu Ordinationum sub illo contentorum, quod Ordo sacer appellatur, & est supremum Sacramentum, quam solutionem amplectitur Bellarminus libr. 1. de Sacramento Ordinis cap. 8. & alii Recentiores passim, dùm inquiunt, quod quamvis singuli Ordines rationem Sacramenti habeant, unum tamen in genere Sacramentum simul constituunt, quod sufficit, ut Ordo dicatur unum genericè Sacramentum, quod sub se diversas continet species. Alia unitas, quæ his etiam septem Ordinibus tribui potest, est unitas Ordinis, & cujusdam connexionis, quam habent inter se, & ad Sacerdotium, qui est supremus Ordo, ad quem alii ordinantur, quatenus in Clerum assumendus priùs debet primam Tonsuram recipere, deinde Ostiarium, & sic deinceps gradatim usque ad Sacerdotium, quamvis hæc graduatio non sit simpliciter necessaria necessitate Sacramenti, sed tantùm præcepti Ecclesiastici, ut loco citato, diximus. Addit tamen Doctor hanc unitatem Ordinis, & Subordinationis non esse illam, propter quam Ordo, vel ordinatio est unum Sacramentum, sed magis esse unitatem priorem jam assignatam nimirùm generis propinqui.

7 Quartò dicendum est, Episcopatum quoque esse Ordinem propriè dictum ab omnibus enumeratis distinctum etiam à Sacerdotio. Ità statuimus cum communiori in Scholis q. 1. cit. a. 1. n. 8. in quam etiam magis Doctor inclinare videtur loc. cit. art. 2. & expressè deducitur ex Conc. Trid. sess. 23. cap. 4. ubi declarat præter cæteros Ecclesiasticos gradus, Episcopos, qui in Apostolorum locum successerunt, ad hunc Hierarchicum ordinem præcipuè pertinere, & positos, sicut idem Apostolus ait, à Spiritu Sancto regere Ecclesiam Dei, eosque Presbyteris superiores esse, ac Sacramentum Confirmationis conferre, & paulò post addit; docet insuper Sacrosancta Synodus in ordinatione Episcoporum, Sacerdotum, & cæterorum Ordinum, &c. Itaque Concilium docet Episcopos ad Hierarchicum Ordinem pertinere, præter cæteros Ecclesiasticos gradus, per quos utique cæteros ordines intelligit; facit deindè mentionem de ordinatione Episcoporum, Sacerdotum, & cæterorum ordinum; quarè sicut ordinatio Sacerdotum, & aliorum Ordinum est Sacramentum Ordinis, ita & ordinatio Episcoporum; sed potestas data per ordinationem, quæ est Sacramentum, est Ordo propriè dictus; ergò & Episcopatus quoque erit talis Ordo, & ab aliis distinctus, quia Concilium illum enumerat, ut ab aliis condistinctum. Cui veritati suffragatur etiam SS. Patres, qui Episcopatum Ordinem vocant; ut S. Anacletus epist. 3. cap. 1. S. Cajus epist. ad Felicem Episcopum, & S. Ambrosius lib. 3. de Sacramentis cap. 1. suffragatur etiam ratio, quia Episcopatus est gradus quidam præeminens in Ecclesiis, & potestas quædam ad actum Sacramentales, qui nullo modo conveniunt cæteris Ordinibus, ut ad actus ordinandi Sacerdotes, Diaconos, & Subdiaconos similiter ad actum confirmandi, & conficiendi Chrisma. Tùm quia non minùs videtur necessarius in Ecclesia aliquis Ordo respectu actuum Sacramentalium per se, & magis nobilium absque comparatione, quàm respectu Sacramentalium per accidens, & indirectè, ac minus nobilium; sed planum est, quod actus illi, ad quos disponit gradus Episcopi, vel Episcopatus sunt per se Sacramentales, & valdè nobiliores, & excellentiores actibus, ad quos disponunt omnes alii Ordines à Sacerdotio, quamplures enim sunt indirectè tantùm Sacramentales, sicut actus Subdiaconi, & quatuor minorum Ordinum; ergò, &c. Et sanè omninò absurdum videtur, quod Ordines minores aut etiam Diaconatus, & Subdiaconatus sint Ordines propriè dicti, & non Episcopatus, cùm hæc potestas sit longè excellentior illis.

8 Quintò, etiam addendum est, Episcopatum non ità à Sacerdotio distingui, sicut alii Ordines inter se distinguuntur. Ita quoque statuimus loc. cit. cum communi sententia à Sacerdotio Episcopatum distinguente, & deducitur ex Scoto loc. c. alii namque Ordines ita se habent, ut notat ibi Doctor, quod solùm ex præcepto Ecclesiæ debet inter eos servari certa quædam connexio, & graduatio, alioquin quantum ad substantiam re vera valeret quicunque Ordo, etiamsi alium non supponeret ante se, ità quod si Sacerdotium ipsum alicui non habenti Diaconatum conferretur, imò nec ullum prorsus ex aliis inferioribus Ordinibus, adhuc esset ratum & validum, nec repeti, & iterari deberet, quamvis ex ipsius Ecclesiæ præcepto ab ejus exercitio ille suspensus remaneret, & ratio est, quia nullus Ordo ex illis septem in collatione de necessitate Sacramenti ab alio dependet, ut patet *Extrà* de Clerico per saltum promoto c. un. in quo non est reiterandus ordo ille, sed cautè supplendum est, quod fuerit omissum. At non ità se habet Episcopatus respectu Sacerdotii, imò tantam cum eo habet connexionem; quod nisi Sacerdotium præcedat, invalidè confertur; undè si aliquis non Sacerdos ordinaretur in Episcopum, nihil fieret, quia Episcopatus de necessitate Sacramenti à Sacerdotio dependet, & hoc totum est de institutione ipsius Christi; undè debebit p ius ille in Sacerdotem ordinari, & posteà tota consecratio Episcopalis ex integro repeti debebit rursus, & iterari, quia nimirum illa, quæ antecessit, fuit irrita prorsus, & nulla; atque ideò ob hanc necessariam connexionem Episcopatus cum Sacerdotio, & necessariam dependentiam ab illo, non potest ita distingui ab eo, & separari, sicut alii Ordines ab invicem distinguuntur.

9 Dices communis, & antiqua Ecclesiæ traditio habet, quod sint tantùm septem Ordines Ecclesiastici, vel ergò Episcopatus poni non debet Ordo, vel saltem non distinctus à Sacerdotio. Ad hanc instantiam Auctores asserentes Episcopatum esse Ordinem propriè dictum, & ab Ordine Sacerdotii simpliciter diversum, gratis concedunt Ordines esse plures, quàm septem, & quando septem communiter assignantur, & enumerentur, ajunt sermonem esse de Ordinibus ad Sacerdotium requisitis, & Concilia de illis septem præsertim mentionem fecisse, quia supponebant satis notum esse, Episcopatum esse ordinem particularem, à reliquis distinctum. Melius tamen respondetur, ut dictum est l. c. optimè in Ecclesia assignari, & retineri numerum Ordinum septenarium, quorum septimus supremus, & ultimus dicatur Ordo Sacerdotii; ita tamen, ut hic ultimus Ordo amplè sumatur, & nomen Sacerdotii, non tantùm pro potestate consecrandi, sed etiam validè conferendi illa Sacramenta, quæ requirunt ministrum consecratum; ac deindè hoc tanquam genus dividatur in duas species, hoc est, in duos Sacerdotii gradus, unum ad conficienda Sacramenta Eucharistiæ, Absolutionis, & extremæ Unctionis; alterum ad Sacramenta Confirmationis, & Ordinationis, ita ut Episcopatus, & Presbyteratus faciant unum Ordinem unitate generica, qui in duas species dividatur, quarum una includit, vel præsupponit aliam, & uni quidem relictum est idem commune nomen Sacerdotii, alteri verò attributum est nomen proprium Episcopatus, quod quidem fundamentum habet in dicto Anacleti Papæ cit. qui ep. 3. c. 1. dicebat bipartitum esse ordinem Sacerdotum, & duos esse Ordines Sacerdotum, scil Episcoporum, & Presbyterorum, idque ex Christi Domini institutione; de quo plura alia videri possunt l. c.

ARTICULUS SECUNDUS.

Quæ sit materia, & forma Sacramenti Ordinis, & quæ sint Officia singulorum.

10 PRimò dicendum est, materiam remotam Sacramenti Ordinis in generali esse rem illam, quæ ab Episcopo traditur suscipienti aliquem Ordinem, proximam verò esse illius rei traditionem; formam denique in verbis illis consistere ab Episcopo prolatis, quibus exprimitur potestas Ordinis, qui confertur.

fertur. Ita Doctores communiter, & constat ex Concil. Carthag. & ex Florent. in decret. Eugenii, ubi dicitur materiam Sacramenti Ordinis esse rem illam, cuius traditione confertur Ordo, formam verò esse verba, quæ ab Episcopo in hujusmodi traditione proferuntur; loquendo verò de materia, & forma singulorum Ordinum in particulari recolendum est, quod diximus dist. 4. cit. quæst. 3. ab initio Christum Dominum non determinasse in omnibus Sacramentis æqualiter speciem rei ponendæ pro materia; in aliquibus enim non determinavit rem ponendam, vel exhibendam talem secundùm speciem infimam, sed solum per se designauit in materiam alicujus signi externi positionem, vel traditionem externam alicujus rei sensibilis apte, ut per ipsam significaretur talis effectus Sacramentalis, relinquendo Ecclesiæ determinationem magis specialem rei adhibendæ. Quod præsertim patet in exemplo Confessionis Sacramentalis, nam pro materia Sacramenti pœnitentiæ instituta est manifestatio peccatorum sensibilis; quomodocunque hoc contingat, sivè enim hæc manifestatio fiat sensibilis per verba, sivè per solos nutus est sufficiens, quia tale signum externum confessionis peccatorum habet subitantiam signi à Christo instituti; atque ità dicendum est in præsenti de Sacramento Ordinis, quod Christus pro materia quorundam Ordinum instituit traditionem alicujus rei accommodatæ ad significandum talis Ordinis ministerium, potestatem, & gratiam; non tamen designavit ipse rem numero, vel specie determinatam, sed specialem ejus rei determinationem Ecclesiæ reliquit, ut hæc opportunè determinaret rem talem istam, vel illam esse tradendam, ubi v. g. librum, vel vas, cereum, vel candelabrum, vel utrumque, & planè id ipsa experientia docet, quia non solum ipse Christus illam materiam non adhibuit, quæ de facto in collatione Ordinum adhiberi solet, sed nec etiam Apostoli illam ab initio adhibebant; siquidem tunc temporis ab Ecclesiæ primordio nec liber Evangeliorum, nec Epistolarum extabat, cujus traditio est materia alicujus Ordinis de facto. Quarè verisimile non est Christum quorundam Ordinum materias determinasse, quæ modo sunt in usu, sed illam materiam Ecclesiæ determinationi reliquit. Ità Doctores communiter ibi citati.

11 Secundò igitur ad singulos Ordines in particulari descendendo in assignanda materia, & forma cujuscunque Ordinis, ac eorundem officiis procedemus juxtà Scoti doctrinam 4. dist. 24. quæst. unica, & ea quæ habentur in Concilio Cartaginensi cit. & in Pontificali Romano, ut fecimus quæst. 3. cit. art. 1. Itaque materia ordinationis Ostiarii est traditio clavium Templi per manus Episcopi, forma verò sunt verba illa, quibus utitur consecrans, quando illas porrigit; ex quo constat officium Ostiarii esse aperire, & claudere fores Ecclesiæ ad ingressum fidelium, & ad custodiam sacrarum rerum. Materia, & forma Sacramenti, quo confertur Ordo Lectoratus est porrectio, vel traditio Codicis, de quo ordinandi legere debent, & verba, quæ proferuntur ab Episcopo Codicem tradendo, unde Lectoris officium est legere ad populum lectiones sacras, sivè simpliciter recitando, sivè canendo. Materia, & forma Exorcistatus est traditio libri exorcismorum ad expellendos Dæmones ab obsessis, & verba, quæ tum ab Episcopo proferuntur, quibus ordinans dat ei potestatem ad expellendos Dæmones, & hoc est peculiare officium Exorcistæ. Materia, & forma Acolythatus est traditio Cerei extincti, & urceoli vacui cum verbis, quę tunc Episcopus profert. Ex quo sequitur duplex esse Acolythi officium in dicta duplici Ordinationis parte significatum, unum est lumina accendere, & deferre, & cum his Sacerdoti assistere ad Eucharistiæ Sacrificium. Alterum est præparare, & porrigere urceolos cum vino, & aqua ad idem Sacrificium peragendum, ideſt urceolos cum vino, & aqua Subdiacono præparare. Undè quia hìc concurrunt duæ materiæ, & duæ formæ, dubitari solet, quænam earum sit de essentia, & in qua parte consistat propriè hæc Ordinatio. Aliqui volunt consistere in priori illa parte, scilicet in traditione Cerei cum suis verbis, quia istud videtur Officium hujus Ordinis præcipuum, undè & sumptum est nomen Acolythi, & Ceroferarii. Alii è contrà contendunt consistere in posteriori parte, scilicet, in traditione Urceoli cum suis verbis, quia hoc ministerium magis directum est, & proximum ad Eucharistiæ Sacrificium. Melius tamen, & tutius affirmant alii, ut diximus loc. cit. media via incedentes in ordinatione Acolythi materiam, & formam in duplici parte consistere, & ex utraque coalescere, materiam, scilicet, ex traditione Urceoli vacui, & candelabri cum Cereo extincto, formam verò ex verbis ipsi correspondentibus, undè tutius, & probabilius videtur utramque traditionem, tàm Urceoli, quàm Cerei esse in hac Ordinatione essentialem, tùm quia utraque ponitur æqualiter in Conciliis, & Catechismo, ac Pontificali Romano; tùm quia in iis, quę ad validitatem Sacramentorum spectant, tutior semper pars est amplectenda.

10 Tertiò duplex quoque est materia partialis, & duplex forma Subdiaconatus, & Diaconatus. Prior materia partialis Subdiaconatus est traditio Calicis vacui cum patena vacua cui partialis hæc forma respondet, *Videte cujus ministerium vobis traditur*; posterior ejusdem materia partialis est traditio libri Epistolarum, cui respondet hæc altera partialis forma, *Accipite librum Epistolarum, & habete potestatem legendi eas in Ecclesia Dei, &c.* Ex quo patet præcipuum Subdiaconi officium esse, ut ait Doctor loc. cit. art. 2. in fine, sacra vasa, calicem, scilicet, & patenam ad usum sacrificii præparare, & ad altare deferre, aliud verò officium minus præcipuũ est Epistolam in Missa solemniter canere, prout Ecclesię ritus obsèrvat. Similiter prior partialis materia Diaconatus est manuũ Episcopi impositio, quæ fit super ordinandum, forma correspondens illi sunt hæc verba: *Accipite Spiritum Sanctum, ac robur ad resistendum Diabolo, & tentationibus ejus in nomine Domini*; posterior partialis materia est traditio libri Evangeliorum, forma ei respondens verba illa: *Accipe potestatem legendi Euangelium in Ecclesia Dei, &c.* Ex quo patet duos esse præcipuos actus Diaconatus, vel officia; primum est ministrare materiam ad conficiendam Eucharistiam, & dispensare Corpus, & Sanguinem Christi; alterum est Evangelium legere, sivè canere inter Missarum solemnia, prior tamen actu est nobilior, inquit Doctor loc. cit. quia immediatius ordinatur ad Eucharistiam conficiendam, in ordine ad quam jam supradictum est Ordines distingui, & alios dici Majores, alios Minores, legere autem Evangelium est actus remotior. Verùm quia in his Ordinationibus quoque traditur ab Episcopo duplex materia, & profertur duplex forma, insurgit dubitatio similis præcedenti, quænam illarum sit materia, & forma essentialis, in qua dubitatione pariter sunt opiniones, duæ extremæ asserentes unam, vel alteram materiam, & formam dumtaxat esse essentialem, & tertia media asserens materiam, & formam in his Ordinationibus Subdiaconatus, & Diaconatus in duplici parte consistere, & ex utraque coalescere; undè materiam Subdiaconatus constituit in traditione Calicis vacui, & patenæ vacuæ, & simul in traditione libri Epistolarum, formam verò in verbis, quibus utraque traditio fit ab Episcopo. Et similiter Ordinationem Diaconatus adæquatè constituit in utraque parte, scilicet, in impositione manus, & libri Evangeliorum traditione cum suis verbis, quæ in utraque dicuntur, & ex utraque ratione inquit integram compleri materiam, & ex utraque prolatione integram formam; quam sententiam docet Sanchez, Henriquez, Bellarminus, Lugus, Coninchius, Bernal, Aversa, Caspensis, & alii Recentiores communiter, & latè defendimus loco citato, ut probabiliorem, ut ibi videri potest.

13 Quartò præterea duplex etiam est materia partialis, & duplex forma Presbyteratus; prior partialis materia est traditio calicis cum vino, & patenæ cum pane, seù hostia superposita; forma correspondens sunt hæc verba, *Accipe potestatem offerendi sacrificium Deo, Missasque celebrandi tàm pro vivis, quàm pro defunctis in nomine Domini*; posterior partialis materia ejusdem est impositio manuum Episcopi super ordinandum, partialis item forma ei respondens sunt hæc verba, *Accipe Spiritum Sanctum, quorum remiseris peccata, remittuntur eis, & quorum retinueris, retenta sunt.* Quæstio est autem similiter inter Doctores, an sola traditio calicis cum vino, & patenæ cum hostia sit materia sufficiens, & essentialis, & verba illa, quę tunc ab Episcopo proferuntur; an verò etiam impositio manuum sit materia necessariò requisita, ut de essentia, & simul etiam verba ab Episcopo prolata, dùm manus imponit, sint essentia formæ. In qua controversia sunt pariter tres sententiæ, duæ extremæ, & una media. Prima extrema censet materiam essentialem hujus ordinationis esse solam impositionem manuum Episcopi, formam verò esse verba illi correspondentia, & ratio est, quia hujus tantùm fit mentio in Concil. Carthag. 4 cap. 3. Secunda extrema docet totam essentiam ordinationis hujus consistere in traditione patenæ cum pane, & calicis cum vino, & verbis ei adjunctis, impositionem verò manus cum verbis ei correspondentibus non esse de essentia, & substantia Ordinis Sacerdotalis, sed esse Sacramentalia, quæ sunt adhibenda ratione præcepti, non verò quia sint de essentia, qui dicendi modus est communis apud Summistas. Media sententia communior, & tenenda asserit Sacerdotis ordinationem adæquatè consistere, tùm in traditione patenæ, & calicis cum pane, & vino, tùm in illa manuum impositione, quæ sit ab Episcopo post hanc traditionem, atque adeò integram materiam esse hanc traditionem, & impositionem, integram verò formam esse verba, quæ in utroque actu ab ordinante proferuntur, quam opinionem etiam, ut probabiliorem, quæst. 3. cit. art. 2. amplexi sumus, & docet Scotus dist. 24. quæst. un. art. 3. ubi conceptis verbis inquit, in Sacerdotio videri probabile, quod ibi sint duæ formæ partiales, in quarum

altera

altera conferatur potestas conficiendi Eucharistiam, & in alia potestas absolvendi in Sacramento Pœnitentiæ; & istis conjunguntur duæ materiæ, hoc est, duo signa visibilia propria, formæ primæ traditio calicis, & patenæ cum hostia, secundæ formæ impositio manus Episcopi super caput ordinandi, ut sic Episcopus concorditer agat cum Summo Episcopo Christo, qui priùs contulit potestatem Apostolis tàm conficiendi Eucharistiam, quàm absolvendi à peccatis.

14 Ex qua doctrina desumitur unicum hujus assertionis fundamentum, nam in Sacerdotio perfecto duplex reperitur potestas, una est in corpus Christi naturale, & physicum, qua quis constituitur potens Eucharistiam conficere; altera est in corpus Christi mysticum, seù morale, qua quis potest peccata fidelium remittere, & Sacramenta Pœnitentiæ, atque extremæ Unctionis ministrare, & utraque potestas pertinet formaliter ad eundem Ordinem Sacerdotii, ut expressis verbis docet Scotus loco citato lit. G. ubi ait, quod utraque potestas, scilicet, in corpus Christi verum, & mysticum committitur cuilibet Sacerdoti completè ordinato, & quod utraque potestas integrat totum Ordinem Sacerdotii, & ista posterior præsupponit illam priorem in subjecto necessitate Ordinis; si ergò hæ duæ potestates sunt ità essentialiter connexæ necessitate Ordinis, & de jure divino, falsum est manuum impositionem, per quam traditur secunda Potestas, esse cæremoniam tantùm accidentalem, & necessariam solùm necessitate præcepti, quia non est perfectè, & completè Sacerdos, qui utramque potestatem non habet. Fundamenta verò utriusque extremæ sententiæ vide soluta loc. c. Ex his patet primaria, & præcipua Sacerdotis officia, quæ ei de jure divino, & ex vi suæ institutionis conveniunt, & quæ sunt ei ità propria, & annexa, ut nec validè, nec licitè exerceri possint ab alio quocunque non ordinato Sacerdote; patet inquam; hęc esse rà mirùm consecrare panem, & vinum in corpus, & sanguinem Christi, sivè offerre hoc Sacrificium, quod in lege Evangelica est unicum, & singulare; item à peccatis absolvere, quod est Sacramentum Pœnitentiæ ministrare, demum præbere etiam extremæ Unctionis Sacramentum. Alia quędam minùs pręcipua addi solent, quę in Pontificali videri possunt.

15 Quintò tandem de Episcopatu loquendo aliqui dicunt triplicem esse materiam partialem Episcopatus, triplicem item formam partialem. Prima illius materia partialis est impositio manuum à tribus Episcopis facta super caput illius, qui in Episcopum ordinatur; forma ei correspondęs, sunt hæc verba ab illis tribus simul prolata: *Accipe Spiritum Sanctum*. Secunda materia partialis est unctio capitis, & manuum ipsius electi in Episcopum facta per consecrationem Episcopi, forma ei respondens, sunt verba, quæ in ipsa unctione à consecratore Episcopo proferuntur. Tertia denique partialis materia est traditio baculi pastoralis, annuli, & libri Evangeliorũ; forma ei respondens sunt verba, quæ in ipsa traditione consecrator Episcopus profert, ita Abell. cum Isamberto, & aliis cap. 7. de Sacram. Ordinis sec. 2. Cæterum, ut diximus qu. 3. cit. art. 2. in fine communior, & propabilior opinio est, hanc ordinationem essentialiter, & adæquatè consistere in manuum impositione, tanquam in materia, & verbis, quæ in illa dicuntur, tanquam forma: *Accipe Spiritum Sanctum*, quæ etsi sint verba generalia, hìc, & nunc denotant Apostolicã dignitatem, qua creatus Episcopus in Ecclesia refulget; ità Bellarm. Vasq. Layman, Aversa, Caspensis, Bernal, & alii passim, & ità quidem ex Scriptura deducitur, ubi Apostolus ordinationem Timothei per manuum impositionem nominabat, & eodem modo antiqui P. P. locuti sunt, nominantes consecrationem Episcopalem per manuum impositionem, quorum testimonia adducunt Auctores relati. Ex quo deducitur unctionem capitis, & manuum, & verba illa: *Ungatur, & consecretur caput tuum cœlesti benedictione &c.* ad essentiã hujus ordinationis non pertinere, quia id etiam videmus in multis cęremoniis Baptismi, Presbyteratus &c. quæ sunt solummodò Sacramentalia, non Sacramenta, neq; partes Sacramenti essentiales; ubi etiam advertendum est Episcopum ab Episc. ordinari debere, non ab inferiori simplici Sacerdote, imò jure saltem Ecclesiastico à tribus Episcopis ejus consecratio fieri debet.

16 Demum officia Episcopo propria, ut loco cit. dictum est, quædam consistunt in ministerio eorum Sacramentorum, quæ peculiariter ad Episcopum spectant, & jure divino illi competunt, & ex institutione ipsa Christi nimirùm conferre Sacramentum Confermationis, conferre Sacramentum Ordinis, item benedicere, & consecrare ipsum Chrisma, quod est materia confirmationis, ac tandem benedicere, & consecrare oleum infirmorum pro Sacramento extremæ Unctionis. Quædam verò consistunt in quibusdam aliis benedictionibus, & consecrationibus, quæ peculiariter ad Episcopum spectant jure Canonico, & Ecclesiastico, quia sunt ritus ab Ecclesia instituti, tanquam cęremoniæ quędam, & solemnitates Ecclesiasticæ, ut benedicere, & consecrare Templa, & altaria; & vasa ad Sacrificium Eucharistiæ deservientia, scilicet, calicem, & patenam; Campanas quoque pulsantes ad divina officia; Virgines, & Moniales, tanquam Christi Sponsas, qui omnes sacri ritus in Pontificali Romano latè describuntur.

QUÆSTIO SECUNDA.

De Ministro, & Susceptore Sacramenti Ordinis, ac eius effectibus.

17 Declaratis, quæ pertinent ad essentiam hujus Sacramenti in præcedenti quæstione, in præsenti agendum est de Ministro, & suscipiente hoc Sacramentum, & declarandum, quis legitimè Sacramentum Ordinis conferre, & quis item illud suscipere possit, & quęnam qualitates, seù dispositiones requirantur in illis, qui ad Ordines sunt promovendi, & tandem, quinam sunt hujus Sacramenti effectus, quod breviter duobus articulis sequentibus expediemus.

ARTICULUS PRIMUS.

Quis Sacramentum Ordinis conferre, & quis illud suscipere possit.

18 Primò, quod spectat ad primam quæsiti partem, certum est, ac de fide ordinarium hujus Sacramenti ministrum esse solùm Episcopum, ut constat ex Concil. Flor. in decret. Eugenii, & Trid. sess. 13. cap. 4. ac etiam ex perpetua Ecclesiæ traditione, & pluribus SS. Patrum testimoniis probant Astes. nost. lib. 6. cit. art. 1. ubi etiam rationem congruam hujus divinæ institutionis adducit ex D. Bonav. 4. dist. 25. qu. 1. art. 1. quia sicut ad solum principem pertinet, non tantùm ordinare in exercitu viros bellatores, sed etiam Duces exercitus; sic & ad Episcopos solos, qui sunt in Ecclesia Principes, non tantùm ordinare homines ad certandum contrà fidei persecutores audacter confitendo fidem Christi; quod fit per Sacramẽtum Confirmationis; sed etiam constituere Duces exercitus Ecclesiastici, quo faciunt conferendo Sacramentum Ordinis; sed difficultas est, an omnis, & quælibet Episcopus, etiam excommunicatus, aut hæreticus, vel degradatus possit validè ordinare; & communiter affirmativè respondent cum D. Bonav. loc. cit. & Scoto, ac Riccardo ibidem, ac etiam Astesano loc. cit. fundamentum est, quia sicut potestas consecrandi à charactere Sacerdotali dependet, ità potestas ordinandi fundamentaliter, & essentialiter à charactere, dependet Episcopali, cum ipsa ordinatio fiat per modum cujusdam consecrationis, character autem ille æquè in Episcopis, ac in Sacerdotibus est indelebilis; ergò hanc potestatem retinent Episcopi, licet sint excommunicati, vel interdicti, vel suspensi, aut privati Episcopatu, quia adhuc characterem retinent Episcopalem, cui annectitur prædicta potestas Ordines conferendi. Quamvis autem talis ordinatio esset valida, adhuc tamen esset illicita, ut enim Episcopus non modò validè, sed etiam licitè Ordines conferat, ab omni censura, & impedimento Canonico immunis esse debet, alioquin illicitè conferret, & ordinatus ab excommunicato vitando suspensionem incurrit, ut patet ex dictis de Censuris. Ità Vasquez, Coninchius, Bonacina, Henriquez Fornarius, Soto, Abell. & alii communiter.

19 Secundò, est difficultas, an ex commissione Summi Pontificis possit aliquis alius ab Episcopo conferre Ordines; & conveniunt Doctores ex dispensatione Summi Pontificis simplicem Sacerdotem Ordines minores conferre posse, non autem aliquem non Sacerdotem, & ratio est, quia collatio Ordinum est actus Ordinis, actus autem Ordinis non potest exerceri ab eo, quiret Ordine; quod autem simplex Sacerdos possit ex dispensatione Summi Pontificis conferre Ordines minores, ex eo constat, quod Abbates Regulares suis subditis primam Tonsuram, & quatuor minores ex concessione Summi Pontificis conferre possunt, ut habetur cap. *Quoniam*, dist. 96. & cap. *Cùm contingat* extrà de ætate, & qualitatibus ordinandorum, & etiam ex Concilio Tridentino sess. 13. cap. 21. de Reformat. De Diaconatu autem, & Subdiaconatu Doctores non conveniunt; antiquiores enim communiter negant hos Ordines à simplici Sacerdote conferri posse, etiam ex concessione Summi Pontificis, nam jure divino determinatus videtur minister sacri Ordinis, ità docet Astesanus loco citato cum Divo Thoma 4. dist. 25. quæst. 1. art. 1. & sequuntur Bellarminus, Henriquez, Covaruvias, Suarez, Furnarius, Bonacina, & alii plures. Affirmant alii, ut Abellius loc. cit. quod probat ex privilegio per Inno-

Innocentium VIII. Anno Domini 1488. Abbatibus Cisterciensibus concessio, ut quibuscunque Monachis sui Ordinis Subdiaconatum, & Diaconatum, conferre possint. Hoc saltem certum esse debet de Presbyteratu, ut etiam Abellius ipse concedit, cùm enim nullum extet similis privilegij exemplum, nec ulli simplici Sacerdoti, quamvis in maxima dignitate constituto, Summus Pontifex concesserit unquam facultatem ordinandi Sacerdotes, hinc consequenter inferendum est, ejusmodi facultatem ita soli Episcopo competere, & convenire, ut nullis aliis delegari, aut committi possit. Quod tandem spectat ad Episcopatum, quamvis ut suprà dictum est, & habetur in Pontificali Rom. ad consecrandum Episcopum, tres Episcopi jure communi requirantur, potest nihilominus Pontifex dispensare, ut unus Episcopus alium Episcopum ordinare solus possit, quod probat Abellius loc. cit. ex facto S. Gregorij Papæ, qui cum Augustino Episcopo in Angliam misso dispensavit, ut quando ibi solus esset Episcopus, solus etiam alios Episcopos ordinare posset, donec plures essent, qui cum illo Episcopalem ordinationem facerent.

20 Tertiò, quod spectat ad aliam quæsiti partem conveniunt communiter Doctores, solos masculos esse Sacramenti Ordinis capaces, ita enim constat ex perpetua Ecclesiæ traditione, & colligitur ex Apostolo 1. Timoth. 2. ubi prohibet mulierem in virum dominari, & 1. Corinth. 12. jubet esse subditam, nec permitti ei in Ecclesia loqui, vel docere, qui verò ad ordines promoventur, præeminentiam accipiunt, ac potestatem in alios; & cap. *Novæ quædam*, de pœnitent. & remission. dicitur mulierem sacræ ordinationis esse adeò incapacem, ut ne quidem Sanctissimæ Virgini Deiparæ, quæ tamen universis Apostolis longè dignior, & eminentior fuit, claves Regni Cœlorum traditæ fuerint. Nec obstat, quod ex antiquis Canonibus constet in Ecclesia primitiva fuisse Diaconissas, Presbyteras, Ostiarias, &c. sic enim dicebantur, non quia ullo Ordine fuerint insignitæ, sed quia erant uxores Diaconorum, vel Presbyterorum, vel quia deputatæ erant ad quædam officia, & munia exteriora præsertim erga alias mulieres obeunda absque ulla ordinatione. Et hac ratione tenetur etiam communiter Hermaphroditum, qui magis inclinat in sexum fœmineum, non esse subjectum hujus Sacramenti idoneum. Ut autem masculi validè ordinentur, debent esse baptizati, quia Character Ordinis præsupponit de necessitate characterem Baptismi, ut constat ex cap. *Veniens*, de Presbytero non baptizato, ubi dicitur, quod fundamento non existente nihil potest superædificari, Baptismus autem est fundamentum, & janua omnium Sacramentorum, & ideò sine Baptismo, nec Ordo, nec aliud Sacramentum validè suscipi potest; undè si quis non baptizatus credens se esse baptizatum, ad Ordines accedat, & ad Sacerdotium promoveatur, talis non est Sacerdos, nec Sacramentum Eucharistiæ conficere potest, nec in foro pœnitentiali absolvere; Undè talis in Presbyterum ordinatus, si se deprehenderit non esse baptizatum, debet baptizari, & iterato ordinari, ut habetur capite citato, & refert Astesanus lib. 6. tit. 2. art. 4. ex D. Bonavent. 4. d. 24. part. 2. quæst. 1. art. 3. & D. Thom. ibidem. Si verò masculus fuerit baptizatus, est subjectum Ordinis capax, quamvis sit infans, & carens usu rationis, ut habetur cap. unico extra de his, qui per saltum ordinantur, ubi dicitur illos non esse reordinandos, qui antè discretionis annos acceperunt minores Ordines, undè supponit masculos rationis usu carentes esse capaces Sacramenti Ordinis, quod etiam ratio suadet, quia hoc aliud impedire non posset, nisi defectus consensus, sed ille non magis ad hoc requiri debet, quam ad ipsum Baptismum ac etiam Confirmationem, & Eucharistiam, quæ infantibus olim etiam conferebantur, usus enim rationis solummodò requiri videtur in suscipientibus Sacramenta, quę consistunt in aliquo actu ipsius suscipientis, sicut est Matrimonium, quod consistit in mutuo contrahentium consensu, & Pœnitentia, ad quam necessarius est dolor, & confessio, qui sunt actus Pœnitentis; non est autem necessarius rationis usus in suscipiente Sacramenta, per quæ datur aliqua potestas, quæ est prior actu, qualè est in proposito Ordinis Sacramentum. Ita Bon. dilp. 8. q. un. punct. 5. & alii DD. communiter ab ipso cit.

21 Quartò, ad hoc Sacramentum Ordinis non tantùm validè, sed etiam licitè recipiendum, aliæ quoque requiruntur conditiones. Prima est, ut suscipiens hoc Sacramentum sit confirmatus, quia licet Ordo non supponat necessariò characterem Confirmationis, ut validè suscipi possit, ut ait Astesanus loc. cit. & Doctores communiter concedunt, illum tamen supponit, ut licitè conferri possit, ut patet ex Concil. Trid. sess. 23. cap. 4. ubi prohibentur initiari Tonsura, qui Sacramentum Confirmationis non susceperunt. Secunda, ut susceperus Ordines initiatus sit prima Tonsura, ut patet ex communi usu, & praxi Ecclesiæ, valida tamen est ordinatio antè primam Tonsuram, cùm nullo jure colligatur hanc necessariam esse ad validam Ordinis susceptionem, ut observat Bonac. loc. cit. cum Toleto, Fornario, & aliis. Tertia est legitima ætas, quamvis enim jure divino, & ex institutione Christi, & consequenter ad valorem Ordinis nulla certa ætas requisita sit in ordinando, jure tamen Ecclesiastico pro singulis Ordinibus est præscripta, ad primam Tonsuram, & minores Ordines requiruntur saltem septem anni completi, ad Subdiaconatum viginti duo, ad Diaconatum viginti tres, ad Presbyteratum viginti quinque ut decernit Trid. sess. 22. cap. 12. de Reform. quod tamen intelligendum est de annis inchoatis, etiamsi per medium tantùm diem sint inchoati, ut constat ex Bulla Pii II. quam refert Quaranta verb. *Ordinatio*, ad Episcopatum verò requiruntur juxtà juris antiqui dispositionem triginta anni completi, ut habetur cap. *Cùm in cunctis*, de electione, & nihil jure novo in contrarium statutum est. Quarta conditio est scientia sufficiens ad usum uniuscujusque Ordinis, quapropter Conc. Trid. sess. 23. c. 12. in promovendis ad minores requirit, ut saltem linguam Latinam intelligant, in promovendis verò ad Subdiaconatum, & Diaconatum exigit cognitionem eorum, quæ ad istos Ordines pertinent, & tandem cap. 14. in promovendis ad Sacerdotium eam scientiam exigit, qua possint populum docere necessaria ad salutem, ritèque administranda Sacramenta, ut fusè declarat Abell. c. 7. cit. sect. 4. ex qua Concilij doctrina satis prudenter deducit, plerosque decipi existimantes sufficere simplici Sacerdoti, qui neque curam animarum suscipere, neque divinum Verbum prædicare, neque audiendis confessionibus, aut alijs Sacramentis administrandis vacare intendit, si linguam Latinam utcunque intelligat, & ea, quæ ad Missam celebrandam, Officiumque divinum recitandum spectant, didicerit; cùm tamen Concilium absolutè nullos ad Sacerdotium promoveri velit, nisi qui ad populum docendum ea, quæ scire omnibus necessarium est ad salutem, & administranda Sacramenta idonei comprobentur, quod est valdè observandum, ut licitè quis ad Sacerdotium promoveri possit.

22 Quintò, prætereà ad legitimum tempus Ordinationis requiritur, & est quinta conditio, ut serventur temporum interstitia, id est, ut post aliquem Ordinem susceptum non nisi anno elapso superior Ordo conferatur, quod non solùm in majoribus, sed etiam minoribus Ordinibus servari debere testantur Navar. Majol. Menoch. Reginald. & alij apud Bonac. loc. cit. qui tamen advertunt interstitia non esse mathematicè computanda, sed moraliter, & juxtà ritum Ecclesiæ, nimirùm ab una Quadragesima ad aliam, à Pentecoste, ad Pentecostem, quamvis inter primam, & secundam Pentecostis solemnitatem duodecim menses non sint elapsi; ut Barbosa declarat ex Cardinal. Congreg. sess. 23. cap. 11. posse tamen Episcopum in illis temporum interstitijs ex causa rationabili dispensare, & omnes etiam minores Ordines simul, & eodem die conferre, non verò duos majores, neque etiam ipsos minores simul cum aliquo majori absque Summi Pontificis dispensatione cap. *Dilectus*, de temporibus ordinandorum. Sexta conditio est, ut ordinandus nullo censuræ vinculo sit innodatus, præsertim excommunicatione, siquidem excōmunicatio Sacramentorum susceptione privat, ut constat ex dictis de censuris; item, ut nulla etiam sit irregularitate impeditus, irregularitas enim est inhabilitas ad Ordines suscipiendos; undè spurius licitè non potest Ordines suscipere, neque carens debita membrorum integritate, ut carens naso, vel digitis ad hostiam elevandam, vel perfringendam necessarijs, vel manus habens instabiles, & tremulas, itaut periculum adsit effusionis Sanguinis in elevando calice, nec tandem qui ad mortem alterius cooperatus est, licitè ad Ordines promoveri potest, cùm sit irregularis, & graviter peccat Ordines suscipiendo, & eo ipso ab Ordinum susceptorum exercitio suspensus est, ut constat ex dictis de irregularitate. Septima conditio est, ut ordinandus nulla lethali culpa sit inquinatus, siquidem ut ait Catechismus Romanus loc. cit. qui mortiferi alicujus peccati sibi conscius initiari se curaret, vel pateretur, novo, & maximo scelere se obstringeret, & ideò monet ibidem, ut qui sacris sunt initiandi præsertim, priùs Pœnitentiæ Sacramento conscientiam purgare diligenter studeant.

23 Denique præfatis conditionibus, & dispositionibus ad sacros Ordines requisitis addenda est adhuc una, quam valdè inculcat Conc. Trid. sess. 22. c. 2. de Reform. ut nimirùm habeat titulum, quando ad sacros Ordines promovetur. Cùm enim non deceat, ut Concilium loquitur, eos qui divino ministerio adscripti sunt, cum Ordinis dedecore mendicare, aut sordidum aliquem quæstum exercere, statuit S. Synodus, ne quis deinceps Clericus sæcularis, quamvis aliàs sit idoneus moribus, scientia, ac ætate ad sacros Ordines promoveatur, nisi priùs legitimè constet, eum beneficium Ecclesiasticum, quod sibi ad victum honestè sufficiat, pacificè possidere, aut patrimonium, vel pensionem verè ab eis obtineri, taliaque esse, quæ iis ad vitam sustèn-

ſtentandam ſatis ſint, atque illa, de inceps ſine licentia Epiſcopi alienari, aut extingui, vel remitti nullatenus poſſint donec beneficium Eccleſiaſticū ſint adæpti ad uſum ſufficiens, vel aliunde habeant, undè vivere poſſit, hocque ſtatuit Concilium antiquorum Canonum pœnas, ſuper his innovando, quia comperum fuerat complures pluribuſque in locis ad ſacros Ordines admitti, qui variis artibus, ac fallaciis fingebant ſe beneficium Eccleſiaſticum, aut etiam facultates idoneas obtinere. Ex quo Concilii decreto deducit Abellius ſec. 4. cit. in fine, quam graviter peccent illi, qui ficto interdū, & ementito patrimonii titulo, ſe Ordinibus ſacris ingerunt, aut ſtipulationes aliquas de retrocedendo titulo illo, aut fructibus ejus nunquā exigendis contra Concilii mentē faciunt, ne verentur Spiritui Sancto mētiri, qui haud dubiè maledictionē pro benedictione expectare debent, ac meritò formidare, nec tam indigna, & ſacrilega Sacramenti ſuſceptio ipſis in animæ perniciem, æternamque ruinam vertatur. De quo puncto alia plura etiam videri poſſunt apud Bonacinam loco citato, & quas pœnas incurrant.

ARTICULUS SECUNDUS.

Quinam ſint hujus Sacramenti effectus.

24 PRimò conveniunt Doctores, per dignam cujuſcunque Ordinis, ſivè majoris, ſivè minoris ſuſceptionem conferri gratiam, tùm ſanctificantem, ſicut fit in aliorum Sacramentorum ſuſceptione, cùm hic ſit effectus omnium communis; tùm ſpecialem, & cujuſcunque Ordinis propriam, quę conſiſtit in jure quodam accipiendi ſpecialia quædam auxilia functionibus, & officiis uniuſcujuſque Ordinis proportionata, per quæ is, qui aliquo Ordine eſt initiatus, ad officia illa debitè, & ritè exercenda peculiari modo juvatur, & idoneus efficitur; & hęc auxilia ſpeciali Dei providentia conferuntur, non ſolùm in ipſa actuali Ordinis ſuſceptione, ſed etiam quoties ſuſceptus Ordo eſt exercendus. Conveniunt ulterius per Ordinum ſuſceptionem conferri quoque jus quoddam ad ſacras, & religioſas functiones cujuſque Ordinis proprias legitimè exercendas, cùm eo præſertim fine unuſquiſq; Ordo conferatur, ut patet ex verbis in uniuſcujuſque Ordinis collatione prolatis. Conveniunt tandem per Sacramentum Ordini imprimi quoque characterem indelebilem, quod expreſsè definitum eſt in Concil. Trid. ſeſs. 23. cap. 4. & can. 4. & conſtat ex dictis diſp. de Sacramentis in genere, & ex communi ſenſu Eccleſiæ docentis Sacramentum Ordinis iterari non poſſe magis quàm Baptiſmi, & hoc quidem ex impreſſione characteris indelebilis provenire; undè quando ordinatos interdum deponi, vel degradari contingit ob gravia crimina perpetrata, character Ordinis ab eis non auferetur, cum ſit indelebilis; ſed tantùm gradus, & honor, ac locus Ordini debitus, itaut quoad hunc gradum, honorem, & locum cum laicis reputentur, & pro talibus habeantur. Hìc tamen occurrunt aliquæ difficultates breviter diſcutiendæ.

25 Secundò eſt difficultas, an omnis Ordinatio, ſeù quodlibet Ordinis Sacramentum imprimat characterem. Negant Vaſquez, & alii exiſtimantes aliquos Ordines non eſſe Sacramenta propriè dicta. Affirmant alii oppoſitum tenentes cum D. Thoma, & Scoto ſingulos nimirum Ordines eſſe Sacramēta propriè dicta, juxtà quam ſententiam conſequenter affirmandum eſt quemlibet ex prædictis Ordinibus characterem imprimere, ut diximus diſp. 4. cit. quæſt. 3. art. 3. quæ ſententia communior eſt, & probabilior, & expreſsè ex Concil. Trid. loc. cit. deducitur, ubi cum abſolutè loquendo de Ordinis Sacramento dicat characterem imprimere, conſequenter ſignificat cuicunq; Sacramento Ordinis ſub ipſo contento id competere.

Confirmatur, quia ex communi Eccleſiæ ſenſu quodlibet Ordinis Sacramentum eſt irreiterabile; ergo quodlibet characterem imprimit, hìc enim communiter cenſetur eſſe cauſa irreiterabilitatis ex Concil. Florent. in decreto Eugenii, ubi habetur Sacramenta novę legis, quę repeti non poſſunt, characterem imprimere. Nec valet quorundam reſponſio dicentium, quod imprimitur per aliqua Ordinis Sacramenta, non eſſe novum characterem diſtinctum à characterе Ordinis prioris, ſed potiùs quandam illius extenſionem. Non valet, inquam, quia ut loc. cit. diximus, hoc eſt gratis, & voluntariè dictum ſine ullo prorſus fundamento, quia non eſt facilius explicare, & intelligere, quomodo talis extenſio fieret, quàm quomodo novus character imprimatur; imò eſt longè difficilius, nam talis extenſio abſque alicujus qualitatis in animā impreſſione concipi nequit; at illa qualitas, qua fieret extenſio, omnes utique conditiones habet ad rationem characteris requiſitas; ergò eſſet character, atque ideò intelligi nequit fieri novam prioris characteris extenſionem abſque novo characterе addito.

26 Tertiò eſt difficultas, an ad valorem ſingularum Ordinationum, ut hunc ſuum producant effectum, & characterem imprimant, ex parte ordinādi requiratur tactus phyſicus rei, cujus traditione ordinatur, & quæſtio eſt de neceſſitate Sacramenti, quia de obligatione præcepti habetur expreſsè in Pontificali tale præceptū, ut tangatur calix, & patena ſuperpoſita. Negant quamplures neceſſarium eſſe contactum iſtum phyſicum, & quoad hoc ajunt ſufficere hæc inſtrumenta porrigi ei, qui ordinatur, præſenti, & conſtituto coram ordinante, quia ad verificationem formæ non eſt neceſſarius tactus materiæ phyſicus, ut enim quis verè, & propriè dicat, *Accipite hoc, vel illud*, non eſt neceſſe, ut ille, cui offertur, vel porrigitur, accipiat illud, ſed ſufficit, ut illi offeratur, & porrigatur. Ita Cajetanus, Victoria, Armilla, Tabiena, & alii Summiſtæ. Sed quamvis hic dicendi modus ſit probabilis, communior tamen, & probabilior eſt ſententia requirens contactum phyſicum ſaltem mediatum, ejus materia, cujus ſit traditio, dum conceditur poteſtas Ordinis, dummodò non in tanto rigore intelligatur, ità ſtatuimus loc. c. cum Valentia, Averſa, Coninchio, Bonacina, Caſpenſis, & pluribus aliis etiam ex noſtris, quod præſertim probant auctoritate Clementis VIII. qui ſpeciali diplomate decrevit ordinari ſaltem ſub conditione, qui tunc temporis fuerant ab Epiſcopo Sagienſi ordinati, eo quod nec Epiſcopum ille per ſeipſum tradidiſſet inſtrumenta ordinandis, nec ordinandi phyſicè inſtrumenta illa tetigiſſet; hoc etiam ſuadet ratio, ſicut enim ex ea parte, qua aliquis ordo confertur per manuum impoſitionem, opus eſt, ut ordinatus verè, & phyſicè ab ordinante tangatur; ſic pariter dùm Ordines conferuntur per inſtrumentorum porrectionem, neceſſe erit verum, & phyſicum contactum intercedere ſaltem mediatum, & certè plana, & plena verbi illius, *Accipe* ſignificatio id quoque exigere videtur, ut nempè is, qui ordinatur, verè tangat, & hoc pacto ſacra inſtrumenta accipiat, quod enim non apprehenditur, aut tangitur, non accipitur. Notanter autem dicitur, contactum verum, & phyſicum *ſaltem mediatum* intercedere debere, quia alioquin opus non eſt ad valorem Ordinationis, ut ordinatus immediatè tangat ſuis manibus ſacra inſtrumenta, nam etiamſi id contingeret mediante aliquo velo, id ad valorem ſufficeret; imò de facto cum materia ordinationis Sacerdotalis ſit panis, & vini, non tamē immediatè tangitur ipſum vinum, ſed ſolùm calix vinū continens, ſicut neque opus eſt ad valorem Sacramenti tangi panem immediatè, ſed ſatis eſt tangere patenam, in qua continetur, ut docent Sylveſter, Angelus, Sanchez, Averſa, Iſambertus, Abellius, & alii Auctores hujus ſententiæ.

27 Quartò eſt difficultas, an Ordinatio Epiſcopi imprimat characterem à Sacerdotali diſtinctum. Auctores aſſerentes Epiſcopatum eſſe quidem verum Ordinem, & Sacramentum, non tamen à Sacerdotio diſtinctum, ſed facere, & complere unum Ordinem cum illo, conſequenter hi dicunt non imprimi per ipſum novum, ac diſtinctum characterem, ſed ſolùm extendi eundem priorem Sacerdotalem ad hoc, ut valeat perficere novos actus Epiſcopales. Sed juxtà dicta quæſt. præc. art. 1. dicendum eſt in Epiſcopatu addi, & imprimi novum characterem ab aliis diverſum etiam à Secerdotali; ità cum communiori, & probabiliori jam ſtatuimus loc. cit. & ratio eſt, quia Trid. loc. cit. can. 9. abſolutè docet per Sacramentum Ordinis imprimi characterem, cùm ergò Epiſcopatus ſit Ordo ſimpliciter à Sacerdotio diſtinctus ex dictis ibidem, & per eum nova poteſtas conferatur ordinato ad novos actus Sacramentales diſtincta à poteſtate collata per Ordinem, & characterem Presbyteratus, conſequenter quoque dicendum eſt novum, atque diſtinctum imprimere characterem, & ut ibidem dicebamus, magis præſtat dicere per Epiſcopum novum, & diſtinctum imprimi characterem, quam extendi priorem Sacerdotalem, quia explicari commodè nequit quomodo talis fiat extenſio, niſi aliquid de novo infundatur; quod ſi de novo fit talis qualitas, dici potius debet novus character, quam prioris extenſio.

Confirmatur, quia ſi in aliis inferioribus Ordinibus imprimitur intrinſecè qualitas in eorum collatione, quæ dicitur Character in anima, & non eſt ſola extenſio characteris Ordinis prioris, ut ſupra dictum eſt; hoc tantò magis de Epiſcopatu affirmandum erit, qui eſt Ordo longè nobilior illis, & longè excellentiorem ordinato affert poteſtatem. Tandem probatur, quia per Epiſcopatum nova, & diſtincta poteſtas tribuitur ordinato, quam non habet ſimplex Sacerdos, & non eſt unus Ordo cum Sacerdotio, ſed ſimpliciter ab eo diverſus, licet neceſſariò ipſum præſupponat; ergò per ipſum quoque novus imprimitur character, ſicut fit in aliis Ordinibus præcedentibus.

28 Quintò prætereà eſt difficultas, de connexione Ordinum inter ſe, an, ſcilicet, ex eorum inſtitutione ſint ità connexi, ut Character Ordinis poſterioris neceſſariò præſupponat in ordinato impreſſionem Characteris prioris; & ratio dubitandi eſt, quia Ordines inſtituti ſunt, tanquam gradus; ergò ex ipſa inſti-

tutione

tutione fit, ut non possit ascendi ad posteriores, nisi per inferiores. Cæterum satis constat ex dictis quæst. præced. & ex Scoto dist.24. art.4. connexionem hanc,& graduationem Ordinum nequaquam requiri ad validitatem sequentium, nec simpliciter esse de jure diuino, & ex instituto Christi, sed fuisse ab Ecclesia tantùm injunctam; undè nec character Sacerdotalis præsupponit necessariò necessitate Sacramẽti characteres aliorum Ordinum præcedentium, nec ullus ex inferiorum Ordinum characteribus præsupponit necessariò ullum ex reliquis, ut notat Astesanus noster lib.6.tit.2.art.4 Hocque probavimus qu.3. cit.art.3. ex ipso jure in cap.un. de Clerico per saltum promoto, ubi qui omisso Diaconatu fuerat consecratus Sacerdos, non jubetur in Sacerdotem reordinari, sed permittitur in Ordine Sacerdotis ministrare,postquam Diaconatum acceperit,quod utique factum non esset, si impressio characteris Sacerdotalis characterem Diaconatus necessariò presupponeret necessitate Ordinis, & Sacramenti, quod consequenter dicendum est de aliis Ordinibus respectu præcedentium. Addidimus autem ibidem, quod licet aliqui Canonistæ hoc etiam asserant de gradu, seu charactere Episcopali respectu Sacerdotalis, quod non ex intrinseca ratione, seù Christi institutione hic supponatur ab illo, sed tantùm ex Ecclesiæ præcepto, itaut si quis non Sacerdos in Episcopum ordinatur, valeat hęc ordinatio, nec sit iteranda. Nihilominus communis, & vera Theologorum sententia est Episcopalem Ordinationem de ipso jure divino,& Christi institutione Sacerdotium supponere ità necessario, itaut absque ipso non valeat, & qui absque Sacerdotio in Episcopum ordinatus fuisset, deberet denuò post Sacerdotalem ordinationem suscipere Episcopalem. Undè Episcopatus quamvis formaliter Diaconatum non includat, vel necessariò supponat necessitate Sacramenti, nec alios Ordines præcedentes, includit tamen formaliter, & intrinsecè Sacerdotium, vel saltem illud necessariò præsupponit juxtà dicta superius, ideoque vocatur absolutè Sacerdotium. Ratio autem congrua istius essentialis inclusionis, vel dependentię esse potest,quia nemo dare potest,quod prius in se non habet, vel formaliter, vel eminenter; non potest ergo Episcopus ordinare Sacerdotes, quod est ejus præcipuum, & primarium munus, nisi sit Sacerdos.

29 Postremò est difficultas, an character Episcopalis sit dignior Sacerdotali, pro cujus resolutione quæst.3.cit. art.3. duos assignavimus dicendi modos, quorum uterque probabilis est. Primus est plurium Scotistarum ex Scoto desumptus, dist.24. cit.ar.2. quod si loquamur de charactere totali,integro,& perfecto, quem habet Episcopus, ut est Sacerdos, & Episcopus, esse sine dubio digniorem, quia includit alterum, & aliquid ampliùs; si verò consideretur character particularis, qui superadditur characteri Sacerdotali in ordine ad functiones illas, qui soli Episcopo competunt, est omninò inferior, quia majoris dignitatis est conficere corpus, & sanguinem Christi,& absolvere à peccatis,quàm conferre Ordines,& Cõfirmationem, aut consecrare Chrisma, ut patet, quem dicendi modum sequitur Bellarminus de Ordine cap.5. cum pluribus aliis Recentioribus. Alter dicendi modus asserit defendi etiam posse ordinem Episcopalem non solùm esse excellentiorem, & nobiliorem Sacerdotali, si sumatur,quatenus illum includit, & aliquid superaddit,sed etiam si præcisè sumatur, aut si per Dei potentiam absolutam realiter sine illo daretur. Ratio est, quia verè quidem potestas consecrandi Eucharistiam est in hoc genere suprema, sed certè potestas Episcopalis non est ab hoc aliena, quinimò per se valet constituere ipsos Sacerdotes, qui habent consacrare Eucharistiam, & per se confert hanc potestatem illis; undè per modum causæ universalis,& superioris modo quodam eminenti respicit hunc ipsum effectum, qui est consecrare Eucharistiam;quarè ex hac parte character, & ordo Episcopalis etiam per se, ac præcisè sumptus est suo modo Sacerdotali sublimior. Ità Aversa qu.1. sect.10. cum aliis Recentioribus,quod etiam antea docuit Bassolius noster 4. dist.14.ubi ait propè finem quæstionis nullum esse inconveniens asserere, quod sicut Episcopatus est superior, & posterior ordo Sacerdotio, ità etiam sit nobilior, quia Sacerdotium ex Episcopatu dependet, cum nullus in Sacerdotem nisi ab Episcopo ordinetur, & ità actus Sacerdotii virtualiter continetur in actu Episcopatus, & Sacerdotium in Episcopatu.

QUÆSTIO TERTIA.

De Sanctissimo Missæ Sacrificio.

30 QUoniam suprà diximus primarium, & principale munus Sacerdotis esse, consecrare panem, & vinum in corpus, & sanguinem Christi, & hoc Sacrosanctum Eucharistiæ sacrificium Deo in Missa offerre, quod quidem in lege Evangelica unicum est, & singulare; nunc inquirendum est,& declarandum,an in Missa verum, & proprium sacrificium Deo offeratur à Sacerdote, quod breviter resolvemus ex jam dictis disp.4.cit.quæst.4.supponendo hìc nomine *Missæ* secundùm communissimam, ac usitatissimam illius acceptionem significari actionem illam Religiosam divinitus institutam, per quam Christi Domini corpus, & sanguinis consecratur, offertur, & sumitur cum sacris quibusdam ritibus ab Ecclesia præscriptis.

ARTICULUS PRIMUS.

An in Missa verum, & propriè dictum Sacrificium Deo offeratur, & quænam partes ejus ad rationem sacrificii pertineant.

31 PRimò, ut pateat in quo vera, & propria ratio sacrificii consistat, conveniunt Doctores, quod quamvis ad rationem sacrificii requiratur, ut per illud significetur interna animi nostri submissio, & suprema Dei excellentia; hoc tamen non sufficit, quia in eo sacrificium convenit cum aliis actibus Religionis, adoratione namque interna animi nostri submissionem profitemur,& supremam Dei excellentiam,& majestatem, & tamen hæc veram, & propriam sacrificii rationem non participat, nam sacrificium propriè dictum non modò in nullo actu purè interno, sed neque in quolibet externo salvari potest, quia sacrificiũ est peculiaris actus Religionis, quo speciali quodam modo protestamur excellentiam Dei absolutam, & nostrã subjectionem per oblationem rei externæ. Hinc Recentiores communiter,ut diximus disp.4.cit.quæst.4 ab initio, dicunt rationem sacrificii consistere in immutatione rei Deo oblatæ,qua Deum ipsum auctorem vitæ, & mortis nostræ præsertim profitemur, qua ratione sacrificium definiunt, quod *sit nota, seù signum existens in re Deo oblata, quo Deum ipsum Auctorem vitæ, & mortis profitemur*, & per hoc sacrificium distinguunt ab omnibus aliis actibus Religionis, & præcipuè à laude, adoratione, & simplici oblatione, cum quibus majorem habet similitudinem; laude siquidem, & adoratione eminentiam divinæ naturæ suprà omnẽ creatum protestamur; simplici oblatione supremum ejus,& absolutum dominium in res omnes creatas; sacrificio autem profitemur ejus omnipotentiã, qua est Auctor vitę, & mortis, & potest cuncta destruere pro arbitratu suo, sicut nos rem, quam ei sacrificamus, in ejus honorem destruimus. Sed hunc dicendi modum loc.c. reiicimus,quia,& laus, & adoratio, & simplex rei oblatio fieri possunt Deo,ut auctori vitæ,& mortis;etenim ex motiuo recuperandę sanitatis,vitandę mortis,aut ob sanitatem jam recuperatam possumus Deum laudare, adorare, argentum, & aurum, aut vestes offerre, in quo casu hujusmodi actus laudis, adorationis, & oblationis utique Deo fierent ex motiuo omnipotentiæ Dei vitæ,& mortis Auctoris.

Confirmatur, quia latria est cultus divinitati debitus propter seipsam, sivè ob ejus excellentiam absolutè consideratam; sed sacrificium est actus externus ad supremum latriæ cultum pertinens; ergò sicut cultus latriæ Deo convenit, qua Deus est, & ratione divinitatis, ità & sacrificium Deo debebitur, qua Deus est, & non qua præcisè est vitę, & mortis Auctor. Quapropter ibi diximus cum Hiqueo,Gavatio,& aliis Scotistis sacrificium propriè dictum, de quo hic est sermo,melius definiri,quod sit oblatio externa alicujus rei permanentis Dei exhibita, qua significatur supremum dominium, aut excellentia Dei, & subjectio sacrificantis ad ipsum,mediante aliqua ipsius rei oblatæ destructione, aut immutatione. Per hoc enim sufficienter salvatur, quod sacrificiũ sit actus Religionis, & quidem supremæ speciei, quæ est latria,& sufficienter distinguitur à quocumq; alio,quod non est sacrificium; per hoc enim, quod dicitur oblatio externa rei permanentis distinguitur à laude, quæ fit verbis, & ab adoratione, quæ fit per genuflexionem; per id quod additur, cum aliqua destructione, vel immutatione rei oblatæ distinguitur à simplici oblatione; per alias tandem particulas exprimitur ejus significatio in ordine ad terminum, & distinguitur ab oblatione facta Deo mediatè, ut à primitiis, decimis &c.

32 Secundò conveniunt Doctores, & Catholici omnes in Missa

Missa verum, & propriè dictum sacrificium Deo offerri, & contrà Hæreticos plures id negantes, & expressè deducitur ex ipsa Christi institutione, cùm dixit *Hoc facite in meam commemorationem*, ubi verbum *facite* æquivalet verbo *sacrificate*, sic enim interdum Scriptura loquitur, ut Levit. 15. *Sumet duos turtures, dabitque Sacerdoti, qui faciet unum pro peccato, & alterum in holocaustum*, undè denotat rationem sacrificii, quia jussit Christus hoc mysterium exerceri, veluti ad perpetuò retinendum, ac repetendum suæ mortis sacrificium, quod in hoc Sacramento mysticè renovatur. Ità communiter Patres hunc locum exponunt ducti testimonio Andreæ Apostoli, qui Ægeæ Proconsuli suadenti, ut Diis immolaret, respondit. *Ego omnipotenti Deo immolo quotidiè, non Taurorum carnes, nec Hircorum sanguinem, sed immaculatum Agnum in altari*, quo clarius dici non poterat in hujus veritatis testimonium. Deindè probatur auctoritate Ecclesiæ, quæ semper intellexit in hoc mysterio Eucharistiæ verum sacrificium ex mandato Christi celebrari, ut in pluribus Conciliis definitum est, nimirum in primo Concilio Niceno can. 14. in 1. Toletano can. 5. in Antisiodorensi can. 8. in Lateranensi cap. 1. in Florentino in decreto Eugenii, ac demum in Tridentino sess. 22 cap. 1. ubi sic loquitur *Ecclesiæ suæ visibile, sicut hominum natura exigit, reliquit sacrificium, quo cruentum illud semel in Cruce peractum repræsentaretur, ejusque memoria in finem usque sæculi permaneret, atque illius salutaris virtus in remissionem eorum, quæ à nobis quotidie committuntur, peccatorum applicaretur*, & tandem concludit can. 1. *Si quis dixerit in Missa non offerri Deo verum, & proprium sacrificium &c. anathema sit*. Tandem probatur ex ratione sacrificii superius assignata, quæ tota in hoc mysterio completur cum omnibus conditionibus requisitis, ejus enim definitio communiter recepta est, quod sit exterior oblatio, & immutatio alicujus rei permanentis exhibita in honorem, & cultum Dei ad recognoscendam, & protestandam summam ejus excellentiam, & supremum dominium, facta per legitimum Ministrum, & per legitimam auctoritatem institutа; sed hæc tota ratio planè in mysterio Eucharistiæ, & celebratione Missæ invenitur; nam panis, & vinum conversa in corpus, & sanguinem Christi offeruntur Deo in signum supremi ipsius dominii, & nostræ subjectionis; fit hæc etiam oblatio per legitimum Ministrum, nempè per Sacerdotem ad hoc officium specialiter deputatum, & instituta est per legitimam auctoritatem, nempè ab ipso Christo, qui est Caput, legislator, & Ecclesiæ fundator; fit etiam rei oblatæ consumptio, quia Christus ipse definit esse, quatenus est sub speciebus panis, & vini visibilis, & sensibilis, & species ipsæ Sacramentales consumuntur, nam per manducationem, & potationem desinunt esse; verum igitur, & proprium sacrificium in Missa offertur; quamvis enim in Missa interveniat mystica tantum victimæ, seù hostiæ immolatio; adhuc tamen talis immolatio est vera, & realis hostiæ sacrificatio, undè ad verum, ac reale sacrificium sufficit mystica hostiæ occisio, hoc est Sacramentalis Christi desitio sub speciebus, ut loc. c. fusè ostendimus, ubi art. 1. Ità ad verbum discurrimus, & alia plura videri possunt ad hunc punctũ spectãtia.

33 Tertiò, quoniam plures actiones in Missa exercentur, quibus hoc sacrificium percipitur, ideò dubitatur, & quænam ipsarum præsertim ad essentiam sacrificii spectet, & de duabus præsertim ipsius Missæ partibus est difficultas, consecratione, scilicet, & communione, an utraque vel una tantùm illarum ad rationem, seù essentiam sacrificii pertineat; de aliis enim, quę in Missa fiunt, conveniunt ferè omnes, quod ad essentiam sacrificii minimè pertineant, sed quod sint tantùm cęremoniæ quædam ab Ecclesia institutæ, quarum aliæ sunt præparatoriæ, ut est oblatio panis, & vini in Offertorio, quod ab oblatione denominatur; aliæ sunt representativæ eorum, quæ in passione Christi Domini gesta sunt, aliæ demum significativæ fructus, qui ex illo sacrificio in fideles derivatur. Tres autem sunt celebriores Theologorum sententiæ in hac quæstione; prima asserit rationem, seù essentiam sacrificii in sola consecratione consistere, sumptionem verò se habere potius consequenter, & non nisi extrinsecè ad illud pertinere, cujus fundamentum est, quia hujus sacrificii essentia in ea actione consistit, quæ est expressissima passionis, & mortis Christi Domini; repræsentatio, atque consecratio est hujusmodi, cùm in illa vi verborum corpus seorsum à sanguine ponatur, & sic fiat mistica quædam sæparatio sanguinis ab ipso corpore, in qua quidem separatione realiter in Cruce facta posita fuit vera, & propria ratio sacrificii cruenti in ipsa Cruce peracti; ergo &c. Ità Alanus, Suarez, Vasquez, Coninchius, Meratius, Bernal, Caspensis, & alii. Secunda asserit solam sumptionem esse propriè, & formaliter sacrificium, consecrationem verò se habere antecedenter, veluti actionem præviam, & præparatoriam; cujus fundamentum est, quod ad rationem sacrificii pertineat realis quædam immutatio, seù destructio rei oblatæ; per consecrationem autem nulla fit corporis, & sanguinis Christi destructio, sed potius nova ipsius sub speciebus Sacramentalibus positio, quæ per communionem destruitur, per quam proindè fit, ut corpus Christi esse Sacramentale amittat per destructionem specierum, & sic realiter immutetur; ergò in sola sumptione verè, & propriè hoc sacrificium consistit. Ità Angles, Ledesma, & alii apud Vasquez disp. 222. c. 3. Tertia tandem sententia communior, & probabilior asserit nec solam consecrationem, nec solam Sacramenti sumptionem integrare essentiam Sacramenti Eucharistici, sed utramque simul. Ità Bellarminus, Scotia, Lugo, Aversa, Amicus, Abellius, & ex nostris Hiqueus, Poncius, Gavatius, & alii quamplures, quam sententiam nos quoque tuemur q. 4. cit. a. 2. & 3.

34 Quartò itaque cum hac ultima sententia asserendum est in utraque actione simul, consecratione, scilicet, & sumptione hujus Sacramenti rationem sacrificii essentialiter consistere, & neutram sine alia sufficere, & hoc solum probant rationes pro utraque parte adductæ; & quidem de consecratione patet ex eo, quod Ecclesia præcipit, ut habetur in Jure cap. *Nihil* & cap. *illud* 7. qu. 1. ut si contingat Sacerdotem celebrantem facta consecratione mori antè Communionem, alius Sacerdos etiam non jejunus Missam perficiat, consummando totam victimam, ne scilicet, sacrificium imperfectum relinquatur, per quod innuitur hoc sacrificium absque sumptione non esse integrum, ac perfectum essentialiter; nec ratio adducta pro prima opinione convincit, quia mystica illa separatio sanguinis à corpore Christi non sufficit ad rationem sacrificii, ad hanc enim realis aliqua immutatio rei sacrificatæ requiritur, alioquin non sacrificium, sed simplex oblatio foret, ut constat ex dictis; cùm ergò talis immutatio in sola consecratione non reperiatur, hinc sequitur in illa sola perfectam, & completam sacrificii rationem minimè reperiri. Præterea, quod nec etiam sola sumptio sufficiat ad essentiam hujus sacrificii constituendam ex eo patet, quia si hæc sola essentian sacrificii constitueret, & consecratio solùm se haberet, ut actio prævia, & præparatio ad sacrificium, ut dicebat secunda sententia, nempè tanquam productio, vel adductio victimæ per sumptionem sacrificandæ; sequeretur, quod etiamsi Sacerdos ex hostia multo anteà consecrata, vel ab aliis, vel à se, posteà sumeret, talis sumptio adhuc sacrificii rationem haberet, dùm fieret intentione offerendi cultum Deo; & præterea cum sumptio etiam laicis conveniat, & omninò extrà sacrificium, sequeretur rationem sacrificii ab usu Sacramenti differre ex sola diversitate sumentis, & intentionis, & non ex ipsa ratione, & usu externo, quæ sunt absurda manifesta; quarè ratio pro hac sententia adducta probat quidem sumptionem Sacramenti quoque esse de essentia sacrificii, in quo præter oblationem victimæ, quæ offertur, necessaria est etiam aliqua victimæ immutatio, quæ fit in ipsa sumptione; non tamen probat in ea sola rationem sacrificii consistere; undè ex his sufficienter deducitur utramque actionem, nempè consecrationem, & sumptionem essentialiter sacrificium Eucharisticum integrare, nam ea tantùm actio censenda est essentialis huic sacrificio, quæ omissa necessariò est repetenda, quia nequit hujus necessitatis alia assignari causa; sed tantùm consecratio, & consumptio omissa necessariò est repetenda, ut constat ex proximè dictis; ergò &c.

35 Quintò tandem addendum est, ut diximus loc. cit. quod quamvis utraque actio ad essentiam hujus sacrificii pertineat adhuc tamen consecratio magis principaliter se habet, & ratio est; quia illa actio magis principaliter ad essentiam sacrificii concurrit, propter quàm principaliter confertur potestas ipsa sacrificandi, nam potestas sacrificandi est propter sacrificium, sed potestas sacrificandi principaliter cõfertur propter consecrationem; ergò hæc principalius spectat ad sacrificium. Minor colligitur ex forma Sacerdotii à Conc. Florent. assignata *Accipe potestatem offerendi sacrificium in Ecclesia &c.* sed hæc potestas principaliter cadat suprà consecrationem corporis, & sanguinis Christi, nam propter hanc illa participaliter confertur, ut constat ex Trident. sess. 23. can. 1. ubi actionem ipsam consecrandi assignat, tanquam primam, ac principalem actionem Sacerdotii. Tum quia hæc actio conficiendi Sacramentum est magis digna, quàm illud sumendi, & in consecrationem magis repræsentatur passio Christi, quæ fuit sacrificium cruentum, ut ostendit ratio adducta pro prima sententia, cui deinceps substitutum est hoc nostrum sacrificium incruentum, ac demum in persona Christi exercetur. Verùm quamvis consecratio sit pars principalior hujus sacrificii, adhuc tamen difficile est explicare, quomodo ad essentiam sacrificii pertineat, de cujus ratione est, ut victima, quæ sacrificavit, immutetur, & destruatur; in consecratione autem tantum abest, ut destruatur Christus, quod potiùs tunc sub novo modo essendi in Sacramento constituitur; ut ratio adducta pro secunda sententia urgebat, quomodò ergò per consecrationem immutatur, prout ad ratio

nem

nem sacrificii requiritur? pro hujus difficultatis explicatione varii dicendi modi sunt à Recentioribus excogitati, quos retulimus,& examinavimus quæst.4. cit.art.3.

36 Postremò autem ibi nu. 83. hanc difficultatem solvimus dicendo, consecrationem ad intrinsecam, & essentialem rationem sacrificii Missæ spectare, quatenus habet rationem oblationis, qua Sacerdos personam Christi gerens ejusdem corpus, & sanguinem Deo super Altari offert; itaut tota ratio intrinseca,& essentialis sacrificii Missę consistat,tùm in consecratione, ut habet rationem oblationis,qua Christus in Altari sub speciebus panis,& vini offertur; tum in sumptione,per quam victima per consecrationem oblata immutatur, & ad destructionem specierum secundùm esse Sacramentale destruitur. Quod totum consonat doctrinæ ab initio quęstionis de sacrificio in communi traditæ; sicut enim ibi diximus ad essentiam,& naturam sacrificii in communi propriè accepti duo pertinere, nempè oblationem externam,& sensibilem ex una parte, & rei oblatæ destructionem ex alia. Ità in proposito in sacrificio Missæ dicimus intervenire consecrationem, tanquam oblationem externam, & sensibilem, & Sacramenti sumptionem, tanquam rei oblatæ destructionem; & totam hanc doctrinam deducit Gravatius noster part.2.disp.1.q.3.ex Scoto 3.q.9.quæst.un. art.2.ubi sacrificium Missæ oblationem appellat, quam debet Sacerdos offerre pro se, & pro populo, & quol. 20. ab initio sub A. quod quandocunque Christus, ut Summus Sacerdos offert, panis, quem dat, idest, caro ejus est mundi vita; tunc autem semetipsum Christus offerre dicitur, quando dat nobis carnem suam, quod utique non fit, nisi in consecratione, dùm dicit *Accipite, & comedite, hoc est corpus meus;* ergò de mente Doctoris consecratio habet rationem oblationis, quod etiam expresè colligitur ex Concil. Trident.sess.22. cap.1.& can.2.ubi docet Christum Apostolis, eorumque successoribus potestatem dedisse offerendi sacrificium Missæ verbis illis *Hoc facite in meam commemorationem* undè & can.2.ait *Si quis dixerit, illis verbis, hoc facite &c. non ordinasse, ut ipsi, aliique Sacerdotes offerrent corpus, & sanguinem suum, anathema sit*, ex quibus verbis expresè constat apud Patres Concilii consecrare, & offerre esse unum, & idem.

Confirmatur ex forma ordinationis Sacerdotis, in qua dicitur *Accipe potestatem offerrendi sacrificium Deo*, in illa autem forma accipit potestatem consecrandi; ergò consecratio habet rationem oblationis in Missa; & hic etiam est communis loquendi modus Patrum,dùm de Consecratione loquuntur,quod eam appellant oblationem in sacrificio Missę, quod probat Gavatius ibidem plurium Patrum testimoniis, quæ apud ipsum videri possunt. Alia plura ad hunc punctum spectantia vide quæst.4.cit.& præsertim art.4.ubi exactè solvuntur quæcunque contrà præfatam doctrinam obiici possunt.

37 Solet etiam hic disputari, an utriusque speciei consecratio sit de essentia sacrificii Missę,de quo egimus ex professo disp. 4. cit. quæst. 5. & breviter diximus, quod si sacrificium sumatur solùm pro reali oblatione, & immutatione rei in honorem Dei juxtà ea, quæ hactenus de sacrificio dicta sunt; sic in singulis Eucharistiæ partibus, & in qualibet per se, ratio sacrificii invenitur, quia sacrificium hoc modo sumptum est oblatio externa rei permanentis cum ejusdem destructione,facta à legitimo ministro summam Dei excellentiam, nostramque ergà eundem subjectionem repræsentans; sed sola consecratio panis esset oblatio externa corporis Christi cum ejusdem immutatione,sicut enim species panis distincta consecratione, ità distincta sumptione sumitur à specie vini, & ideò quoad hanc considerationem sola unius speciei consecratio veram, & essentialem haberet sacrificii rationem; si verò ulterius consideretur, quod est speciale in Eucharistiæ sacrificio ex vi suæ institutionis, quod nempè sit expressa, & completa repræsentatio sacrificij cruenti in passione Christi peracti, planè secundùm hanc considerationem hoc sacrificium expresè, & completè,non nisi in consortio utriusque speciei inveniri potest,quia cùm Christus per realem occisionem, & separationem corporis, & sanguinis immolatus fuerit, ideò hoc mysterium instituere voluit, in quo mysticè toties denuò mactaretur, quoties hoc mysterium exercetur; hæc autem mystica mactatio in ipsa separatione corporis, & sanguinis,quantum est ex vi verborum,consistit,quod planè, nisi utriusque consecrationis virtute haberi potest, ut fusè loc. cit. discurrimus, & declaramus.

ARTICULUS SECUNDUS.

Quæ res sit oblata in hoc sacrificio, & quinam offerrens.

38 QUoniam tria in hoc mysterio reperiuntur omninò distinguenda; primò panis, & vinum quantum ad substantiam, quæ destruitur, deindè Christus ipse, qui fit Sacramentaliter præsens sub speciebus,& tandem species Sacramentales,quæ permanent cum substatia Christi,& priùs erant cum substantia panis,& vini, disputant Theologi, quænam res propriè sit, quæ offertur, & sacrificatur in Eucharistia, ut verè, & propriè sacrificiū dici possit; & Recentiores aliqui,ut Vasquez, Coninchius, Meracius, & alii, quos sequitur ex nostris Gravatius disp.1.cit.de Sacrificio Missæ quæst.6.dicunt,id quod in hoc Sacrificio offertur esse solum Christum cum ordine ad species, ipsas tamen species intrinsecè ad Sacrificium Missæ non pertinere, ut partem rei oblatæ; si enim sub speciebus panis, & vini ipse obtulit corpus, & sanguinem suum, igitur res oblata fuit corpus,& sanguis, species verò id, sub quo. Similiter si seipsum sub signis sensibilibus immolandum instituit, jam res immolata est Christus;species autem,non id quod, sed sub quo Christus immolatur, adeò ut res in hoc Sacrificio oblata, & immolata in recto est Christus,species autem in obliquo solùm,undè concludunt, quod species non sunt res oblata, nec pars rei oblatæ, sed modus sub quo Christus offertur, & immolatur. Circà aliam quęsiti partem quæstio est de Christo,an actu unà cum Sacerdote hoc Sacrificium offerat, & sit principalis offerens, & qualiter nimirum, num immediatè, & proximè offerat, vel remotè tantùm,& mediatè,hoc est,mediantibus Sacerdotibus; & similiter Recentiores nonnulli dicunt Christum Dominum, non solùm remotè,& mediatè,sed etiam proximè,& immediatè hoc sacrificium offerre, quorum ratio est, quia hoc modo melius salvatur,quo pacto Christus ex Trident. sess.22.c.2.sit principalis offerens in hoc sacrificio,sic enim non tantùm remotè, & habitu, sed proximè etiam, & actu ponitur concurrere cum ipso Sacerdote ad actionem sacrificandi.Ità Bellarminus, Suarez, Coninchius,Miranda,Caspensis,Castropalaus, Fornarius,& alii. Pro resolutione quæsiti quoad primam partem.

39 Primò statuendum est ex jam dictis q.4. cit. art.1. quod licet substantia panis,& vini sit quidem aliquo modo materia hujus sacrificii,non tamen propriè,& principaliter fit res, quæ immolatur,& sacrificatur; Et quidem quod sit aliquo modo materia sacrificii patet ex modo loquendi Ecclesiæ in Offertorio Missæ,cùm dicit *Suscipe Sancte Pater hanc immaculatā hostiam, &c. Offerimus tibi Domine Calicem salutaris, &c.* illud autem, quod tunc in manibus Sacerdos tenet,est substantia panis,& vini;undè licet illa oblatio non sit formaliter immolatio, saltem indicat illud, quod tunc offertur, esse materiam sacrificii, quatenus constat ex pane, & vino, tanquam ex termino à quo, & materia transeunte; non tamen est res,quę propriè,& principaliter ex intento offertur,& sacrificatur,seu victima,quæ immolatur; quia licet substātia panis, & vini in hoc sacrificio destruatur in protestationem divinæ potentię,ac proindè sit aliquo modo hujus sacrificii materia, quia tamen ejus destructio non est primariò, ac per se intenta, sed secundariò ad verificanda verba consecrationis, & ad introductionem corporis, & Sanguinis Christi sub speciebus, quæ in hoc Sacramento sunt per se, & primariò intenta; ideò nequit esse propriè materia hujus sacrificii, sed solum spectat ad illud, ut terminus à quo, & materia transiens,quæ ad præsentiam rei principaliter intentæ corrumpi debet, ac desinere.

40 Secundò dicendum est, Christum ipsum esse rem, quæ propriè, & principaliter in hoc sacrificio offertur;ità Conc. Trident.sess.22.cap.1.ubi de Christo loquens inquit, *quod in Eucharistia novum instituit Pascha seipsum ab Ecclesia per Sacerdotes sub signis visibilibus immolandum*, & cap. 2. *In divino hoc officio, quod in Missa peragitur,idem ille Christus continetur, & incruentè immolatur,qui in ara Crucis semel seipsum cruentè obtulit*,quo etiā loquendi modo passim utuntur Patres, dùm dicunt Christum ipsum, corpus, & sanguinem Christi sacrificari, offerri, & immolari in Altari. Quod si quæras, an simul cum humanitate in hoc sacrificio offeratur etiam suppositum divinum, dicēdum est eo modo,quo fuit in Cruce oblatum, offerri quoque in Altari,& Sacrificio Missæ, nempè per solam Idiomatum communicationem, non per formalem actionis sacrificativæ subjectionem; implicat enim suppositum divinum esse capax immutationis, quæ ad sacrificium requiritur, & significationis divini cultus,nam hæc supponit inferioritatem ad Deum. Confirmatur,quia Christus in sumptione Sacramenti immutatur modo ad sacrificium sufficienti, quia licet non destruatur quoad esse simpliciter, sicut in antiquis sacrificiis victima mactabatur, & cremabatur; destruitur tamen quoad esse Sacramentale, & licet non desinat quoad substantiam, benè tamen quoad præsentiam Sacramentalem;idque omninò sufficit,ut propriè dici possit in Eucharistia sacrificari,quia hoc sacrificium sic Deus instituit,hoc nempè modo extraordinario,& singulari aliis victimis, & sacrificiis non communi.

41 Tertiò dicendum est species etiam Sacramentales aliquo

modo

modo pertinere ad rem, quæ in hoc mysterio sacrificatur. Hoc enim expressè deducitur ex verbis Tridentini allegatis, dùm inquit Christum obtulisse corpus, & sanguinem suum sub speciebus panis, & vini, & seipsum sub signis visibilibus instituisse, quo planè loquendi modo significavit, has quoque species ad victimam hujus sacrificii pertinere; imò Cõcilium in illo eodem capite rationem congruitatis assignat, dùm inquit *Ut dilectæ Sponsæ suæ Ecclesiæ visibile, sicut hominum natura exigit, relinqueret Sacrificium*, quia ergò victima, ut sit humano usui accommodata debet esse sensibilis, ideò & ipsæ species ad rationem hujus victimæ pertinere debent. Confirmatur, quia species ipsæ in hoc sacrificio valdè immutantur, nam in sumptione consumuntur, & in consecratione à subjecto separantur; ergò nil obstat, quin pertinere possint ad rem, quæ in hoc Sacramento sacrificatur. Tùm tandem quia expressè habetur ex Canone *Hoc est* de Consecrat. d.2. ubi dicitur *Hoc sacrificium duobus constare, visibili, scilicet, elementorum specie, & invisibili Domini Nostri Jesu Christi, carne, & sanguine*, ita etiam Suarez, Becanus, Scortia, Aversa, Amicus, & alii Recentiores. Quod autem dicebant Auctores suprà adducti, species Sacramentales ad rem oblatam in hoc sacrificio non pertinere, ut partem ejus, sed esse purum modum, sub quo Christus offertur, & immolatur, est pura de nomine contentio, ut diximus quæst. 4. cit. nu. 74. & seq. nam Hiqueus 4.d.13.q.5. sui Commentarii asserit ipse quoq, nobiscum species in ratione sacrificii unum integrum constituere cum Christo, sub ipsis, gratis adhuc concedens species se habere, ut quo, & Christum, ut quod, & rationem adducit, quia sacrificium est visibile, & sensibile signum, & mediantibus speciebus convenit Christo esse, quod habet in Sacramento, & sacrificio; ergo ab iis in ratione sacrificii non præscindit, quia tamen Christus, ut sub speciebus offertur; ideò oblatio terminatur ad Christum, ut ad rem principaliter oblatam, & ad species, ut quo. Non ergò repugnat, quod species pertineant ad rationem sacrificii tantùm, ut quo, & adhuc cum Christo, ut quod, integrent unam rationem sacrificii cum ipso, quare concluſimus loc.cit. utramque opinionem sustineri posse, quia in re Auctores utriusque conveniunt, & solum in modo loquendi discrepant, omnes enim concedunt species Sacramentales pertinere ad rem, quæ in hoc mysterio sacrificatur, quod est intentum nostrum in hoc puncto, sivè ut quo, sivè ut quod.

42 Quartò quod spectat ad aliam quæsiti partem, Christus Dominus est principalis offerens Missæ sacrificium. Ità D. Thomas q. 82. art. 1. & Scotus quol. 20. ab initio lit. A. ubi explicans illud Joan. 6. *Panis quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita* subdit, quandocunque enim Christus, ut Summus Sacerdos offert, panis quem dat, ideſt, caro ejus, est mundi vita, quibus verbis significat, quod Christus est offerens sacrificium Missæ, non quomodocunque, sed ut Summus Sacerdos & principalis offerens, undè Tataretus ibi, & alii Scotistæ dicunt, quod Sacerdos offert ministerialiter Christum, & Christus offert se principaliter, quam doctrinam posteà confirmavit Conc. Trid. loc.c. dùm inquit *Christum esse nunc offerentem Sacerdotum ministerio, qui seipsum tunc obtulit in Cruce*, quod etiam anteà docuerat Concil. Lateranens. sub innocentio Tertio, ut refertur cap. *Firmiter* de Summa Trin. & fide Catholica, *Idem ipse Sacerdos est, & Sacrificium Jesus Christus*; & sic etiam colligitur ex Scriptura, ut explicant Sancti Patres, & præsertim D. August. lib. 10. de Civit. Dei ca. 29. ubi dicitur de Christo *Tu es Sacerdos in æternum*, optimè enim intelligi potest Sacerdotium Christi dici æternum, ideſt, perpetuum in toto sæculi decursu, quia semper Christus ipse in hoc sacrificio officium gerit Sacerdotis, sub speciebus panis, & vini. Et hoc etiam ratio ipsa suadet, ut notat Aversa q. 21. sec. 8. ex Bellarmino lib. 6. de Eucharist. cap. 4. quia cùm sacrificium sit oblatio, personam quoque offerentem involvit, undè ut sit Deo acceptum, debet esset à digno, & grato offerente, & ideò Gen. 4. dictum est *Respexit Deus ad Abel, & ad munera ejus, ad Cain autem non respexit*; sed sic est quod interdum contingit Missam ab indigno Ministro celebrari; ergò alius debebat esse Summus Sacerdos, nempè Christus, semper offerens principaliter hoc sacrificium, & cujus vice alii Sacerdotes offerunt, ideoque hoc sacrificium semper est Deo acceptissimum, sicut munus missum à Principe per manus famuli, quod juxtà dignitatem mittentis acceptatur, & non juxtà conditionem famuli; & eleemosyna data à probo hero per manum iniqui servi adhuc est Deo accepta intuitu dantis. Per hunc enim modum salvatur, ut docet Scotus loc.c. quo pacto actio sacrificandi non inquinetur, etiamsi à malo Ministro procedat, sed semper ex opere operato suum consequatur effectum, quia nimirum actio illa sacrificativa non accipit suam honestatem, saltem completam, ut procedit à Ministro, sed ut est à Christo assumpta, ut principali offerente, mediante Ministro, tanquam instrumento.

43 Quintò addendum est, Christum Dominum principaliter hoc sacrificium offerre, non quia proximè, & immediatè offerat, ut dicebant Auctores citati ab initio articuli, sed solùm quatenus illud instituit, non quomodocunque, sed à Sacerdotibus suo nomine Patri offerendum, undè Christus non est offerens proximè, & immediatè, sed remotè, & mediantibus Sacerdotibus, quatenus isti in persona illius offerunt, ità Divus Thomas, & Scotus loc.cit. ut fusè declarat Gavatius noster disp. 2. q. 1. cap. 1. & sequuntur Henriquez, Vasquez, Becanus, Amicus, Aversa, & alii Recentiores communiter; & probatur in primis ex Conc. Florent. in decreto de Sacramentis, ubi inquit, quod *Sacerdos in persona Christi loquens, conficit hoc Sacramentum*; ergo non Christus immediatè, & proximè, sed Sacerdos personam Christi gerens sacrificium hoc conficere dicitur, quem modum etiam indicat Concil. Trid. dùm inquit, Christum esse nunc offerentem *Sacerdotum ministerio*, & idem demonstrat Gravatius loc. cit. pluribus Patrum testimoniis, quæ apud ipsum videri possunt. Deindè hoc etiam ratio ipsa suadet, nam ut Christus sit principalis offerens in hoc Sacrificio; sufficit ut Sacerdos in persona ipsius offerat, & per virtutem ab ipso acceptam, sicut enim verè dicitur agere qui per alium agit, tanquam per suum substitutum, & per virtutem, & auctoritatem illi impertitam, & communicatam. Ità Christus verè sacrificare dicitur, cùm per Sacerdotes, tanquam per suos substitutos, & per virtutem illis communicatam sacrificat. Confirmatur, quia ut Amicus advertit disp. 33. sec. 4. si aliquis Apostolus in triduo consecrasset, talis sacrificii principalis offerens fuisset idem Christus, non ratione actualis oblationis, ad quam tunc Christi anima à corpore separata non concurrisset, cùm hoc sit munus totius compositi; ergo ratione institutionis, & virtutis Sacerdotibus communicatæ, tanquam Christi Vicariis, & Ministris. Propria ergo ratio, qua verè Christus dicitur principalis offerens in hoc sacrificio est, quia sic illud instituit, ut offeratur nomine ipsius, & in ipsius persona, hac enim ratione quilibet Sacerdos se habet, ut Minister Christi Summi Sacerdotis, & ità se gerit, ac si diceret, offero tibi Deus hoc munus nomine Christi filii tui; sivè Christus filius tuus per manus meas mittit tibi hoc munus acceptissimum corporis, & sanguinis sui, sicut quando famulus nomine sui Domini aliquod munus defert alteri, ut declarat Aversa loc. cit.

44 Demum, quia Sacerdos dicitur hoc sacrificium offerre, non tantùm nomine Christi, sed etiam nomine Ecclesiæ, difficultas est, quomodo id sit intelligendum; Amicus, & Aversa loc.cit. cum Bellarmino, Vasquez, & aliis sic explicant, quod dicitur Sacerdos hoc sacrificium offerre quoque nomine totius Ecclesiæ, sed diverso modo, quo illud offerre dicitur in persona Christi, quoniam in persona Christi Sacerdos offert, tanquam inferior nomine, & jussu Superioris; nomine verò Ecclesiæ, tanquam Superior pro inferiore, est enim Ecclesia, prout à Sacerdotibus contradistinguitur, populus fidelis, qui hoc Sacrificium offert per Sacerdotem, tanquam per Superiorem, & advocatum suum apud Deum. Concurrit autem ad hoc Sacrificium offerendum Ecclesia, vel habitualiter, & interpretativè, quo pacto omnes fideles etiam absentes concurrunt vel actualiter, & expressè, ut præsentes, qui simul cum Sacerdote illud offerunt actu; vel causaliter, ut qui præcibus illud, vel eleemosyna procurarunt, undè unusquisque eò magis de illius fructu participat, quo expressius, pluribusque titulis ad illud concurrit. Ità Amicus ad verbum sec 4. cit. in fine.

45 Cæterum distinctius, & magis accuratè cum distinctione procedit Gavatius noster in hujus puncti declaratione disp. 2. cit. quæst. ult. ubi ait, quod Ecclesia non tantùm sumitur in communi modo loquendi pro populo, sed pro universo fidelium cætu, ut loquuntur Recentiores adducti, sed etiam ut supponit pro Prælatis, & præsertim Summo Pontifice, ad quem spectat ritus, & cæremonias Missæ ordinare, quamvis ergo accipiendo Ecclesiam in primo sensu, scilicet, pro universo fidelium cætu, verum sit, quod Sacerdos offerens hoc sacrificium nomine Ecclesiæ offert illud tanquam superior pro inferiore, accipiendo tamen Ecclesiam in secundo sensu, dicitur illud offerre, tanquam inferior pro Superiore, Ecclesia enim in hoc sensu supponit pro Prælatis, nempè pro Episcopis, à quibus Sacerdotes potestatem celebrandi, & sacrificium offerendi accipiunt, respectu quorum Sacerdotes non se habent, ut superior, sed ut inferior; ergo Ecclesia in hoc sensu verè dicitur per Sacerdotem sacrificium Missæ offerre, ut superior per ministrum inferiorem, cui offerendi potestatem largita est; neque offert Sacerdos in persona Ecclesiæ, ut sic, ut Superior in persona inferioris; sed ut minister inferior nomine superioris; Si verò Ecclesia sumatur in alio sensu, prout scilicet, intelligitur pro universo fidelium cætu, utique verum est Sacerdotem sacrificium offerre nomine Ecclesiæ sic sumptæ, tanquam superiorem pro inferiore, & advocatum ejus apud Deum. Nec ullum est incoveniens fideles etiam

ejus apud Deum. Nec ullum est inconveniens fideles etiam concurrere aliquo modo ad hoc sacrificium offerendū, stat enim quod soli Sacerdotes proximè, & immediatè sacrificium Missæ offerāt tanquam particulares Ministri ad hoc munus deputati; alii verò fideles remotè modò jam explicato, & ipsis Sacerdotibus mediantibus. Adhuc enim salvatur solos Sacerdotes hoc sacrificium offerre oblatione propriè dicta, quatenus illi soli sacrificare convenit; cæteri verò fideles Laici dici possunt, & ipsi illud idem sacrificiū offerre, quatenus interno affectu sacrificio consentiunt, & fructuum illius postulant esse participes, & quatenus Sacerdoti exterius sacrificanti cooperantur, petendo, aut procurando sacrificium, dando eleemosynam, aut sacrificanti inserviendo, vel orationibus assistendo, his enim actionibus dicuntur fideles etiam specialiter simul cum Sacerdote hoc sacrificium offerre. Demq; quod alii quoq; fideles hoc sacrificiū offerant constat ex ipso Canone Missę ibi, qui ante consecrationē dicitu. *Et omniū circumstātiū, quorum tibi fides cognita est, & nota devotio, pro quibus tibi offerimus, vel qui tibi offerunt hoc sacrificiū laudis*, & peracta consecratione subditur, *Undè, & memores Domine nos servi tui, sed & plebs tua sancta, &c. offerimus præclaræ Majestati tuæ de tuis donis, ac datis, hostiam puram, &c.* sicut etiā ante consecrationē dicitur, *Hanc igitur oblationem servitutis nostræ, sed & cunctæ familiæ tuæ, &c.* dicuntur autem fideles hoc sacrificium offerre, non quia ad id efficiendum physicè, vel moraliter concurrant, sed quia Sacerdos est à Deo deputatus pro populo, ut nomine fidelium illud offerat, & pro eorum salute.

QUÆSTIO QUARTA.

De effectibus Sacrificii Missæ.

46 SUpponendum est ex Scoto quol. 20. ab initio, & communi DD. sententia Sacrificium Missę duplicem habere valorem, nimirum ex opere operantis, & ex opere operato ad effectus suos producendos; primumq; esse, qui ex bonitate ipsius Ministri emanat, quod quidē illis cum omnibus aliis piis operibus commune est; secundū qui ex Christi institutione competit, sivè benè moraliter dat, sivè malè, sivè operans sit in statu gratiæ, sivè peccati, dummodò opus ipsum exequatur secundùm quod fuit à Christo Domino institutum; undè Conc. Trid. sess. 22. cap. 2. dicit *hujus sacrificii oblationem ità esse mundam, ut nulla indignitate, vel malitia offerentium inquinari possit.* Hìc non disputamus de effectibus, quos hoc sacrificium causat ex opere operantis, sed de effectibus, quos causat ex opere operato, quatenus est opus Christi nullo habito respectu ad dispositionem Ministri offerentis.

ARTICULUS PRIMUS.

Quinam sint hujus sacrificii effectus.

47 PRimò, conveniunt Catholici omnes, hoc sacrificium ex sui institutione, & ex opere operato habere vim remittendi pœnam peccatorum, suppositā remissione culpæ, sicq; esse verè satisfactoriū, & propitiatoriū, & non solum pro vivis, sed etiam pro defunctis, ideſt, animabus in Purgatorio detentis: & expressè colligitur ex Trid. sess. 22. cap. 2. & can. 3. in quibus definit, hoc sacrificium non solum prodesse sumenti, sed etiam iis, pro quibus offertur tàm vivis quàm defunctis pro peccatis, pœnis, & satisfactionibus. Habetur etiam ex perpetua Ecclesiæ traditione, & fidelium existimatione; ratione verò non alia constare potest, quàm voluntate, & institutione Christi, ità Ecclesię suæ manifestata, & ex efficacia passionis Christi, cujus cruenti sacrificii hoc incruentum est repręsentatio, ac veluti renovatio. Dùm autem dicitur virtute hujus sacrificii remitti pœnas debitas post remissionem culpæ restantes, intelligi debet, quod immediatè remittantur, & non tantùm mediatè impetrando auxilia ad opera satisfactoria; hoc enim innuit Concil. loc. c. cùm ait per hoc sacrificium prædictas pœnas, non solùm fidelibus vivis remitti, sed etiam defunctis in Purgatorio degentibus quibus utiquè immediatè remittuntur, & non impetratione gratię actualis ad bona opera satisfactoria excitantis, quia in Purgatorio non est locus satisfaciendi, seù exercendi opera satisfactoria, sed solùm satispatiendi, & sola pœnarum perpessio; idem ergo de vivis quoque dicendum est, cum idem sacrificium pro utrisque offeratur, & quantum ad hoc non sit in eo diversa virtus respectu horum, & illorum. Denique dici debet conferri hunc effectum ex opere operato, ideſt, ex ipsa hujus sacrificii institutione, & Christi promissione independenter à merito, & probitate operanti, atque ideò conferri certò, & infallibiliter statim de præsenti, sicut Sacramenta conferunt gratiam, dummodò tamen non inveniant obicem, ideſt, culpam non remissam; & ratio est, quia huic sacrificio aliquis effectus est tribuendus, quem lege infallibili conferat, cum habeat rationem causæ particularis, sicut Sacramenta, per quam ex opere operato meritum passionis Christi nobis applicatur; non potest autem commodius alius assignari effectus immediatus, & infallibilis, quàm prædictarum remissio pœnarum, ut passim docent Theologi omnes, quia talis effectus non dependet à dignitate Ministri, ut ait Concilium loc. c. & Scotus quol. 20. ab initio quæstionis.

48 Secundò, loquendo autem de remissione peccatorum quoad culpam docent communiter Theologi non remitti immediatè peccata mortalia quoad culpam, neque conferri primam gratiam, etiamsi is, pro quo hoc sacrificium offertur, attritus sit, sed tantum mediatè, quatenus Deus hoc sacrificio placatus confert auxilia, quibus homo disponitur ad veram pœnitentiam, & peccatorum remissionem; & ità etiam expressè docet Conc. Trid. loc. c. dum loquens de sacrificio Missæ quoad remissionem peccatorum quantū ad culpam inquit, *Hujus oblatione placatus Dominus gratiam, & donum pœnitentiæ concedens crimina, & peccata etiam ingentia dimittit.* ubi nomine gratiæ non intelligitur gratia habitualis, & formaliter justificans, alioquin non subderet Concilium *donum pœnitentiæ concedens*, sed intelligitur gratia actualis auxilii, seù præveniens, qua excitamur ad pœnitentiam, & peccatorum detestationem. Ex quo Theologi communiter deducunt remissionem peccatorum quoad hujus sacrificii effectum, non eo modo, quo in Baptismo, & Pœnitentia per infusionem gratiæ habitualis remitti solent; sed ea solùm ratione, quod hujus sacrificii intuitu donum pœnitentiæ Deus conferat, ideſt, gratię actualis alicujus auxilium, quo peccator excitetur, & adjuvetur ad actum perfectæ contritionis eliciendum, vel ad absolutionem in Sacramento pœnitentiæ dignè, & fructuosè recipiendam, ut declarat expressè Trident. loc. cit. quę etiam est expressa Scoti doctrina 4 dist. 23. ubi docet peccata mortalia non nisi per Baptismum, & Pœnitentiam remitti, & similiter Baptismum duntaxat, & Pœnitentiam esse media per se instituta ad acquisitionem primæ gratiæ; igitur etiam juxtà doctrinam Scoti, ut etiam observat Gavatius noster disp. 4. cit. quæ. 2 sacrificium Missæ nec peccata mortalia immediatè remittit, nec primam gratiam confert; & hæc etiam fuit expressa D. Thomę sententia 4. dist. 12, qu. 2. art. 2 proindè sequuntur Bellarminus, Azorius, Suarez, Coninchius, Vasquez, Lugus, Meratius, Bonacina, Aversa, Amicus, Caspensis, & Recentiores omnes. Nec urgent testimonia Patrum à quibusdam adducta, qui putant sacrificium hoc habere vim conferendi etiam immediatè primam gratiam, & peccatorum mortalium remissionem homini attrito, pro quo offertur. Non urgent inquam, quia ut etiam advertit Gavatius loc. cit. licet plures Patres dicant per hoc sacrificium peccata mortalia deleri; non est tamen necesse, ut de immediata deletione, & remissione id intelligatur sed mediata, hoc est, mediante pœnitentiæ dono, ut explicat Concil. loc. cit. Dices, ergò non per sacrificium, sed per pœnitentiam dicerentur peccata remitti. Respondeo per utrumque, per pœnitentiam quidem immediatè, per sacrificium verò mediatè, quatenus virtute sacrificii confertur auxilium gratiæ prævenientis, qua peccator ad pœnitentiam excitatur, per quam deindè peccata remittuntur, ut suprà dictum est; & sic etiam tenent ex nostris Aret. 4. dist. 14. qu. 2. art. 4. & Angl. 4. qu. *de valore Missæ diffic.* 4.

49 Tertiò, loquendo de remissione peccatorum venialium quoad culpam, plures ex allegatis DD. præsertim Coninch. Suarez, Vasq. Amicus, Caspensis, Aversa, & alii eodē modo discurrunt, ac de remissione mortalium, scilicet, non remitti venialia quoad culpam immediatè per hoc sacrificium, sed tantum mediatè impetratione nimirum auxiliorum, quæ ad contritionem perfectam, vel susceptionem Sacramenti excitent pœnitentiæ, & rationem deducunt ex tractatu de pœnitentia, ubi docent venialia extrà Sacramentum non remitti sine contritione, & infusione gratiæ. Alii verò asserunt sacrificium hoc, nedùm habere vim peccata venialia remittendi mediante auxilio supernaturali divinę gratiæ eo modo, quo de mortalibus jam dictum est sed etiā immediatè, per se, & ex opere operato, ità Canus, Hériq. Nugnus, Diana, & Gavat. ex nostris q. 2. cit. cap. 3. & alii plures, dummodò ille, pro quo sacrificium offertur, obicem non ponat, hoc est, ad peccata venialia affectum, & complacētiam non habeat, sivè illa non continuet; quod planè videtur satis probabiliter dictum, & satis evidenter probat Gavat. ibidem ex Concil. Trid. sess. 14. cap. 5. ubi docet, peccata venialia non esse materiam necessariam Sacramenti pœnitentiæ, sed multis aliis remediis expiari posse, ut nos quoque fusè docuimus 4. dist. 5. qu. 9. de remissione peccatorum venialium art. 1. & 2. atqui nullum

aliud remedium ad id efficacius videtur, quàm Missæ sacrificium, quod ut idem Concilium docet sess.22.cap.1. fuit à Christo Domino Ecclesiæ suæ sponsæ relictum, quo salutaris sacrificii cruenti Crucis virtus in remissionem eorum, quæ à nobis quotidiè committuntur, peccatorum, applicaretur. Si ergo Christus Ecclesiæ suæ reliquit hoc sacrificium, ut per illud passionis ejus virtus nobis applicaretur in remissionem peccatorum venialium; verisimile est sacrificium hujusmodi habere vim remittendi peccata venialia etiam immediatè, & non mediatè tantùm eo modo, quo peccata mortalia per illud remittuntur; cùm longè faciliùs venialia remittantur ex genere suo, quàm mortalia. Confirmatur, quia Concilium dùm de remissione mortalium loquitur per Missæ sacrificium, modum etiam assignat, quo illa remittit, nimirum non immediatè, sed mediante divinæ gratiæ auxilio modo jam explicato; loquens verò de remissione venialium absolutè inquit illa per sacrificium Missæ remitti, quatenus nobis virtutem passionis Christi applicat, sivè sacrificii cruenti Crucis in eorum remissionem. Demum id etiam deducitur ex jam dictis disp.7. qu 9. de remissione peccatorum venialium, ubi diximus talem remissionem fieri posse, per meram extrinsecam Dei condonationem absque ulla gratiæ habitualis infusione, aut formali peccati retractatione; ergò nulla potest assignari ratio, cur non possit sacrificium Missæ habere vim illa remittendi immediatè. Quod autem veniale remitti possit absque gratiæ infusione probavimus q.cit. art.3. ex Scoto 4. dist.21 lit.E. quia peccatum veniale non includit privationem gratiæ, sed est cum illa compossibile, ergo ad illud tollendum non requiritur necessariò gratiæ infusio. Quod etiam non requiratur actualis pœnitentia, & formalis peccati retractatio ibidem latè demonstramus, & expressè Doctor ipse docet 4.dist.9. D. dum ait, quod de peccato veniali non oportet dubitare, quia de illo non est necessitas pœnitentiæ formalis, & actualis, ex qua doctrina solvitur fundamentum prioris modi dicendi, quod venialia extrà Sacramentum sine contritione, & infusione gratiæ remitti non possit.

50 Quartò, dixerunt aliqui hoc sacrificium habere etiam per se, & ex opere operato vim augendi gratiam immediatè, seù conferendi augmentum gratiæ habitualis hominibus justis. Communis tamen sententia affirmat virtute hujus sacrificii gratiam habitualem non augeri immediatè, sed tantùm mediatè, quatenus virtute illius conferuntur justis auxilia actualia, & efficacia ad bona opera exercenda, quibus in justitia, & sanctitate crescant. Ità Doctores omnes supracitati, & alii passim, & deducitur expressè ex Conc. Trid. sess.7. ab initio, ubi docet omnè veram justitiam per Sacramenta, vel incipere, vel cœptam augeri, vel amissam reparari; sola igitur Sacramenta sunt, quæ per se immediatè, & ex opere operato gratiam conferunt; & ratio etiam id ipsum suadet, quia aliàs sequeretur hoc sacrificium posse offerri pro infantibus, ut in gratia continuò crescant, & posse adultum sine interiori motu recipere augmentum gratiæ; justiorem fieri, & majoris beatitudinis capacem, quod non videtur satis solidè dictum; consequentia patet, quia hoc sacrificium motum voluntatis non requirit, ut conferat effectum sibi immediatè convenientem, & ex opere operato, ei pro quo offertur; quarè nullatenus putandum est illum, qui absque receptione Sacramenti concurrit ad Missam, vel pro quo celebratur Missa, per hoc recipere novum augmentum gratiæ præter meritum operantis; & multò minus si erat in statu peccati, licet attritus, recipere primam gratiã, & remissionẽ mortalium peccatorum, cùm enim sacrificium Missæ per se ad augmentum gratiæ conferendum institutum non sit, tantò minùs poterit per accidens primam gratiam conferre. Quarè concludendum est hoc sacrificium habere vim tantùm impetrativam mediante augmenti gratiæ, si enim pro aliquo peccatore oblatum vim habet impetrandi eidem auxilium divinæ gratiæ, quo excitentur ad eliciendum actum perfectæ contritionis de peccatis; multò magis si pro homine justo, & in statu gratiæ offeratur, auxilium eidem impetrare poterit, quo disponatur ad eliciendum actum bonum de condigno augmenti gratiæ, & gloriæ meritorium. Ita Doctores omnes allegati, & præsertim Gavatius noster disput.4.cit. quæst.3.

51 Quintò tandem conveniunt Doctores hoc sacrificium habere virtutem impetrandi à Deo plura bona temporalia, quatenus ad spiritualia conducunt, & ordinantur; ità colligitur ex Scoto quol.20.cit.lit.B.in fine, & expressè docetur à Trident. sess.22.cit. cap. in fine, ubi asseritur hoc sacrificium offerri non solùm pro peccatis, pœnis, & satisfactionibus, sed etiam pro alijs necessitatibus, qua ratione dici solet hoc sacrificium esse propitiatorium, satisfactorium, & impetratorium; & hoc etiam deducitur ex continua praxi, & perpetuo usu Ecclesiæ, in qua offeruntur sacrificia pro peste avertenda, pro pluvia petenda, vel aeris serenitate juxta temporum contingẽtiam, pro pace obtinenda, tranquillitate Reipublicæ, Principum concordia, & aliis innumeris beneficiis impetrandis. Notanter autem additur virtute hujus sacrificii à Deo impetrari plura bona temporalia, quatenus ad spiritualia ordinantur, & conducunt, quia hujus sacrificij effectus nituntur meritis sacrificii cruenti à Christo in Cruce oblati, at nobis non promeruit Christus in Cruce bona temporalia, nisi in ordine ad spiritualia, & prout ad illa conducant, & ordinantur. Et hinc est, quod effectus hujusmodi non semper, & infallibiliter obtinentur, quia non semper ad bonum spirituale conducunt, & animæ salutem, sæpè enim Missæ celebrantur pro salute, pro pace, & aliis necessitatibus, & tamen re ipsa effectus non obtinetur, ut satis experientia constat, licet credibile sit semper aliquid à Deo obtineri, nec sacrificium in vanum offerri, etiamsi non obtineatur id, pro quo de facto offertur. Et hoc etiam suaderi potest exemplo extremæ Unctionis, cujus effectus est etiam sanitas corporalis, non tamen absolutè, sed prout animæ saluti id expedierit, ut docet Trid.sess.14.c.2. Et tandem, quod virtute hujus sacrificii impetrentur bona temporalia solùm prout ad spiritualia ordinantur, constat ex 1. ad Timot.c.2. ubi cùm obsecrasset Apost. fieri orationes, postulationes gratiarum pro omnibus hominibus, pro Regibus, &c. statim immediatè subjunxit, ut quietam, & tranquillam vitam agamus in omni pietate, & castitate, hoc enim bonũ est, & acceptũ corã Salvatore nostro Deo, qui omnes homines vult salvos fieri &c.

52 Postremò hinc colligitur illius quæsiti resolutio, an Missæ sacrificium effectus suos infallibiliter producat, etenim ut Abellius advertit sect. 11. de Sacrificio Missæ §.3. in fine cum distinctione procedendum est, si enim consideretur, ut est latreuticum, & Eucharisticum, infallibiliter suum consequitur effectum respectu Dei, ad quem laus, & honor ex hoc sacrificio redundat, & illi semper acceptissimum est. Si verò consideretur, ut satisfactorium, habet etiam suum effectum in illis, pro quibus offertur, dummodò nullum ponant obicem, quando eis talis fructus applicatur; hoc est, ut sint in statu gratiæ constituti, nunquam enim peccati pœna relaxatur, nisi simul remittatur culpa, vel anteà sit remissa; confertur autem hic effectus illis, pro quibus hoc sacrificium offertur secundùm modùm, & mensuram tùm institutionis ipsius Christi, tùm devotionis, & bonæ dispositionis illorum. Si tandem hoc sacrificium spectetur, ut impetratorium, dici potest habere hanc quoque efficacia infallibilem ad bona spiritualia, vel temporalia in generali à Deo impetranda, non verò ad hæc, vel illa in particulari; cum ex parte Dei nulla intercedat promissio absoluta de his, aut illis specialibus bonis sacrificii hujus intuitu conferẽdis, nulla enim talis constat absoluta Dei promissio ex Scripturis, vel Patribus, sed tantùm conditionata; si nimirum bona illa hìc, & nunc conducant ad majorem Dei gloriam, & illius, vel illorum pro quibus postulantur, salutem, ut constat ex loco Scripturæ citato 1. ad Timoth. cap.2.

ARTICULUS SECUNDUS.

Quantam vim, & efficaciam habeat hoc sacrificium in suis effectibus conferendis.

53 MOvetur hoc quæsitum de vi, & efficacia extensiva, non autem intensiva; etenim quantam virtutem intensivè habeat Missæ Sacrificium in suis effectibus conferendis, quantam scilicet, pœnam remittat, quantam satisfactionem exhibeat, item quantam gratiam auxiliantem conferat, & similiter de aliis temporalibus beneficiis, non potest certa mensura definiri, nec certa regula assignari, nisi quod censeri debet majorem, vel minorem conferre juxtà majorem, vel minorem subjecti dispositionem, cui applicatur, & auxilia gratiæ, aliaque beneficia conferre etiam plus, aut minus, juxtà divinæ providentiæ dispositionem. Movetur igitur quæstio de vi, & efficacia extensiva tantum, seù de effectu extensivo, & sensus est, an Missa, v.g. oblata pro quatuor habeat majorem effectum remissionis pœnæ extensivè, quàm si offeratur pro uno; an verò inter illos dividatur ille effectus, qui tribueretur uni v.g. si uni defuncto remitteretur unus annus Purgatorii, ille annus dividatur inter quatuor defunctos, itaut singulis quarta pars anni remittatur; & similiter etiã an virtus impetratoria hujus sacrificii sit determinata, nùm potius extẽsivè infinita, ut possit pluribus, & pluribus prodesse absq, singulorum detrimento. Undè ex hujus difficultatis solutione pendet celebris illius practicæ quæstionis decisio, an liceat Sacerdoti plura adæquata stipendia à pluribus accipere; si enim Missæ Sacrificium talem valoris infinitatem habeat, videri posse licere, quia in tali casu facta hac suppositione, per applicationem ad plures nõ minueretur fructus Missæ ad singulos. Si verò talis infinitas negetur, negandum etiam erit licere, nam qui pro Missa justum stipendium donat, ea intentione

ne præbet, ut totus fructus remissionis pœnæ sibi applicetur.

54 His præacceptis pro intelligentia quæstionis, eam breviter resolvemus ex fusè jam dictis de hac materia 4.disp.4.cit.qu. 6. juxtà doctrinam Scoti quol.20. ubi hanc controversiam præ cæteris eruditissimè tractat; in qua diximus tres extare sententias, duas extremas, & unam mediam. Prima affirmat hoc sacrificium habere vim, & efficaciam infinitam extensivè, scilicet, quantum ad numerum eorum, quibus prodesse, & applicari potest ad conferendos suos effectus, id est posse pluribus applicari, atque tantundem unicuique prodesse, ac si nulli alteri applicaretur, quæ sententia fundatur in valore hujus sacrificii, tùm ex parte rei oblatæ, quæ infinita est, tùm ex parte principalis offerentis, qui est idem Christus; & in ritu Ecclesiæ, quo possunt Sacerdotes in Memento vivorum, & mortuorum plures, & plures commemorare nullo præscripto termino ad hoc, ut fructum sacrificii participent. Ità Cajetan. Sylvester, Canus, Corduba, Vasquez, Nugnus, Poncius, & alii. Secunda sententia negat, & asserit hoc sacrificium habere virtutem ità limitatam, ac determinatam etiam extensivè, ut si una Missa dicatur pro pluribus, ille solus effectus, qui datus fuisset uni, per partes distribuatur inter illos plures; quæ sententia fundatur praxi Ecclesiæ, quia solent Sacerdotes determinatè pro certis personis Missas applicare, nec permittitur unam Missam pro pluribus celebrare, qui singuli integrum dederint stipendium; & hanc limitationem deducit ex conditione ipsius actionis sacrificandi, quæ in se, & ut procedit à tali Ministro immediatè, finita est, ac limitata, quarè non potest ejus virtus ad plures & plures æqualiter extendi, sed ejus effectus determinatus distribuetur per partes, si pluribus applicetur. Ità D. Bonaventura, Scotus, Riccardus, Navarrus, Bellarminus, Valentia, Coninchius, Suarez, Bonacina, Toletus, & ex nostris Aretinus, Hiribarnes, Hiqueus, Gavatius, & alii Recentiores. Tertia opinio media asserit virtutem impetratoriam hujus sacrificii non esse determinatam, sed esse infinitam extensivè, itaut possit pro pluribus, & pluribus absque singulorum detrimento prodesse. Sed virtutem satisfactoriam affirmat esse simpliciter limitatam, ut non nisi certum effectum, vel totum uni, vel per partes distributum pluribus conferre possit; & fundamentum est, quia effectus satisfactionis, idest, remissio pœnæ datur statim, & infallibiliter, & totaliter ex opere operato, quarè potest, & debet certam habere mensuram; at impetratio ad dispositionem divinæ providentiæ refertur, ut quatenus ei placitum est, beneficia, quæ petimus, largiatur, cujus non est abbreviata manus in paucis, vel in multis. Ità Aversa, Caspensis, Filliucius, Alphonsus de Leone, & alii Recentiores. Pro resolutione juxtà dicta l. c.

55 Primò dicendum est, valorem hujus sacrificii ad satisfaciendum pro debito pœnæ restantis post remissionem culpæ, qui est primus, & principalis effectus, qui certò, & infallibiliter ex opere operato per hoc sacrificium confertur, non esse infinitum, sed finitum juxtà dispositionem divinæ sapientiæ, & meram Christi, & Dei voluntatem, & institutionem. Ità D. Bonaventura 4.d.45.art.3.q. 3. & Scotus quol. 20. lit. N. ubi inquit, quod Missa non tantùm valet virtute sacrificii applicata pluribus in eodem gradu, sicut si uni soli applicaretur, & est communis Auctoribus secundæ sententiæ. Probat autem id Doctor quol.cit.a. 1.infrà B. quia si idem numero sacrificium ob sui infinitatem ex æquo pluribus, imò infinitis prodesse posset, ac si unitatum illorum applicaretur, vel paucioribus, tunc frustrà in Ecclesia essent speciales orationes, assignatæ, aliæ pro vivis, & aliæ pro defunctis, & iterum pro vivis aliis, & aliis, ut patet in orationibus in Missali Romano pro diversis personis assignatis, & Statibus, vel Congregationibus, frustrà, inquam, essent istæ specialiter assignatæ, quia non plus valerent illis, quam generaliter cuicunque in Ecclesia. Sequeretur etiam, inquit Doctor ibidem paulò inferius, Sacerdotes qui non ex stipendio, nec ex aliqua alia obligatione, sed ex mera devotione celebrant, contra charitatem facere, si pro una Purgatorii anima celebrant, quia secundum ordinatam charitatem pro omnibus celebrare deberent, nam ex charitate tenetur Sacerdos impetrare bonum pluribus, dummodò hoc possit per eundem actum sine diminutione boni alicujus eorum, atque ità per unicam Missam totum Purgatorium evacuare posset. Sequeretur tandem quemlibet Sacerdotem unico sacrificio satisfacere posse pro quibusvis fundationibus, & obligationibus pia testatorum voluntate relictis, ac denique posse ab uno, vel diversis plura stipendia accipere, & unica Missa omnibus satisfacere, quod est contrà Ecclesiæ praxim. Ratio autem à priori hujus assertionis est, ut l. c. dicebamus, quia oblatio hujus sacrificii, ut fit à Christo, neque est actio meritoria, neque satisfactoria, cùm Christus nunc nec mereatur, nec satisfaciat; undè solum habet vim tollendi debitum pœna, quatenus ex Christi institutione habet annexas satisfactiones præteritas ipsius Christi; congruum autem fuit, ac convenientissimum, ut hæc annexio fieret finito, & limitato modo, & cum virtute finita, ut hac ratione sæpiùs à Sacerdotibus frequentaretur, & offerretur, si autem infinitum habuisset valorem, unum sacrũ pro omnibus defunctis sufficeret, & pro omnibus vivis, ac per cõsequens inutiliter multiplicarentur Capellaniæ, & obligationes aliæ, quas fideles in commodum animarum suarum piè fundere solent. Ex qua doctrina solvitur fundamentum primæ sententiæ, quam vis enim sacrificium Missæ sit in se valoris infiniti tam ratione rei oblatæ, quàm ratione principalis offerentis, cujus dignitas, & excellentia infinita est, nihilominus efficientia, & influxus actualis ipsius sacrificii est solummodò finitus, ut docet etiam D. Thomas 4.d.45.q.2.art.4. Eucharistia namque non est majoris efficientiæ in ratione sacrificii, quàm in ratione Sacramenti, quarè sicut in ratione Sacramẽti, quãvis sit infiniti valoris, & excellẽtiæ, nõ tamẽ nisi limitatos producit effectus; ità à pari in ratione sacrificii nõ nisi finitos producet, & limitatos.

56. Secundò, addendum tamen est ex dictis loc. cit. etiam in hoc sacrificio quandam valoris infinitatem synchategorematicam assignari posse respectu ejusdem effectus satisfactionis, quatenus crescere potest valor semper ex majori, & meliori dispositione offerentis, vel illius pro quo offertur, quæ devotio, cùm semper crescere possit; poterit etiam eodem modo crescere valor satisfactionis synchategorematicè. Hanc etiam tenent assertionem plures ex Auctoribus secundæ sententiæ, nec Doctoris repugnat loc. c. ubi cùm negat hujusmodi valorem esse infinitum in hoc sacrificio, loquitur de illo valore ex se, & indepẽdenter à meliori dispositione. Undè conclusio sic est intelligenda, ut dicebamus loc. cit. quod si hoc sacrificium consideretur per ordinem ad eos, pro quibus offertur, nulla habita ratione dispositionis ipsorum, certum habet effectum, ac limitatum, quem in illis causat, qui proindè effectus pluribus applicatus semper fit minor proportionaliter, si verò consideretur cum ordine ad dispositionem, quam singuli habent ad hoc sacrificium, non habet hoc sacrificium limitationem ad aliquam determinatum effectum, quo perfectiorem causare non possit, sed eo majorem in unoquoque ex opere operato causabit, quo majorem, ac meliorem dispositionem inveniet in subjecto, cui applicatur, Conclusio autem sic explicata probatur, hunc enim modũ causandi, ideò Sacramentis tribuimus, ut majorem, scilicet gratiam ex opere etiam operato conferant magis dispositio, & minus dispositio minorem ex Concil. Trid. sess. 6. cap. 7. quia facit ad majorem Sacramentorum venerationem, sic enim fideles devotius, & fervent ius ad ea suscipienda præparantur; ergò ob eãdem rationem similem causandi modũ huic sacrificio tribuere debemus, cùm æque teneamur, hanc majorem fidelium devotionem salvare, ac venerationem ergà hoc sacrificium. Undè cùm res ità se habeat, quod non minorem devotionem Christus à fidelibus erga hoc sacrificium exposcat, censendum est prædicto modo hoc sacrificium institu isse ad eos magis ad hanc majorem devotionem excitandos.

57. Tertiò dicendum est, valorem hujus sacrificii non solùm quoad vim santisfactivam, sed etiam quoad vim impetrativam illi ex opere operato competentem finitum, & limitatũ esse, & propterea sacrificium idem pluribus applicatum minus illi prodesse, ac si paucioribus, vel uni tantùm applicaretur. Ità statuimus loc. cit. contrà tertiam sententiam mediam, & est Scoti quol. 2. infrà lit. C. quam probat, quia sacrificium Missæ non minus finitè, & limitatè applicat passionem Christi ad satisfaciendum; ergo sicut quoad vim satisfactivam minus prodest oblatum pro pluribus quàm pro paucioribus, ut probatum est, etiam quoad vim impetratoriam minus proderit, probat Doctor assumptum, quia si virtus sacrificii Missæ impetratoria esset infinita extensivè adeò quod posset pluribus, & pluribus prodesse absque ullo singulorum detrimento, sequeretur per unum sacrificium posse tam facilè impetrari primam gratiam, & donum pœnitentiæ peccatoribus quotcunque sicut uni, quia ad hoc non requiritur pœnæ solutio, sed sola placatio, & impetratio boni ab ipso, & ità etiam æquè facilè posset sanitas impetrari omnibus ægrotis uno sacrificio sicut uni, quæ omnia communi fidelium sensui repugnant, aliter frustra Ecclesia determinatas orationes adhiberet pro privatis hominibus, & pro rebus particularibus obtinendis.

Confirmatur, quia in amicitia humana dilectus per supplicationem suam meretur majus bonum uni, quàm si supplicaret pro multis, nam pro uno exaudiretur, ut tantum bonum impetret ei, qui si pro multis peteret, vel non pro omnibus exaudiretur, vel non tantum bonum impetraret, & istud secundum justam legem amicitiæ, igitur per unum sacrificium non potest tantũ bonum pro multis impetrari, ac uni soli, pro quo specialiter offertur. Ex qua doctrina reiicitur etiam fundamentũ illud tertiæ sententiæ mediæ, quod impetratio non fundatur in proportione, & cõvenientia orationis cũ beneficio petito, sed in libera-

litate, & ubertate Dei, quæ non minuitur, etiamsi oratio pro multis fiat.

54 Quartò addendum est præterea ex dictis l.c. vim etiam hujus sacrificii impetrativam posse aliquo modo dici synchategorematicè infinitam, quatenus fructus ejus, qui per modum impetrationis obtinetur, ratione devotionis, aut multitudinis offerentium potest in infinitum semper crescere. Hanc etiam tenent quamplures ex Auctoribus secundæ sententiæ; nec etiam hæc repugnat Doctori l.c. ubi quando negat hanc vim impetrativam esse infinitam in hoc sacrificio, loquitur de illa prout ei competit ex opere operato, & independenter à meliori offerentium dispositione. Et facilè probatur, quo enim plures sacrificium idem offerunt, & quo devotius, ac ferventius tam Sacerdos, quàm reliqui adstantes, eò planè majorem habet vim impetrandi, nam singuli tantum impetrant, quantum impetrarent, si soli in suo ordine offerrent, modò æquè efficaciter, & ferventer ad sacrificium concurrant, ac si soli essent; quod explicari potest exemplo plurium eandem navim trahentium, si associati eundem conatum adhibeant, quem adhiberent, si unusquisque seorsim traheret. Ex quo deducitur, ut omnes communiter advertunt, quandò plures eandem Missam audiunt, aut ei intersunt, & ità eam aliquo modo offerunt, non ideò eos singulos minorem effectum percipere, ut aliqui dicunt, quibus adhæret Gavatius noster disp. 3. cit. q. 2. in fine; falsum enim prorsus est, quod ex majori adstantium multitudine minuatur fructus, quia cùm sint ibi distinctæ oblationes, etiam distincti sunt effectus iis correspondentes, qui potius ex multitudine concurrentium crescunt, tantùm abest, ut minuantur; quò enim numerosior est offerentium multitudo, eò major Deo honor exhibetur, sicut Princeps multitudine adstantium, & sibi deservientium magis honorari censetur; tùm quia plurium preces simul per modum unius Dei oblatæ sunt magis efficaces, quàm si omnes essent separatim oblatæ, quia etiam hìc verificatur, quod vulgò dicitur. *Major est virtus unita seipsa dispersa &, virtus unita fortior*, qua ratione SS. Patres, & Concilia Missam parochialem commendant propter majorem in illa fidelium simul offerentium unionem, & uberiores, quæ indè profluunt benedictiones; & hac eadem ratione Ecclesia in necessitatibus curat, ut multi simul ad Missam solemnem audiendam, & simul orandum cõcurrant.

59 Quintò tandem ex dictis deducitur Missæ sacrificium non æquè prodesse iis, pro quibus offertur tantùm generaliter, ac illis, pro quibus offertur specialiter, & nominatim, quod satis constat ex ipsa ipsius Ecclesiæ praxi; frustrà enim Ecclesia pro certis, & determinatis personis illud offerret, ut pro infirmo, vel muliere prægnante, & pro hoc, vel illo defuncto si non magis prodesset iis, pro quibus speciatim offertur, quàm pro aliis: sacrificium verò Missæ specialiter pro pluribus oblatum, non tantùm prodesse illis singulis, quantum uni eorum, si pro illo solo specialiter offeretur, ac proindè Sacerdotem, qui ratione stipendii à pluribus personis accepti, aut alia de causa ad sacrificandum est obligatus, non satisfacere unicum pro illis offerendo sacrificium; quod planè constat, ut diximus ex communi ipsius Ecclesiæ sensu, & continua praxi; qua tam multæ singulares Missæ pro singularibus personis offeruntur, quod utique non faceret, si pro illis pluribus, vel omnibus oblatæ æquè illis ex opere operato prodessent, ac si pro singulis offerentur; & quidem cùm Missæ, sacrificium pro defunctis oblatum aliter illi prodesse non possit, nisi ad pœnæ temporalis relaxationem ab ipsis in Purgatorio luendæ, si Missa una pro pluribus oblata tantum pœnæ singulis relaxaret, quantum relaxaret uni, si pro eo solo offeretur, utique non tam multæ Missæ pro uno dumtaxat, & non pro omnibus, aut saltem pro pluribus speciatim offerentur, ut quotidiè contingere videmus; nec in reductione Missarum ad minorem numerum adeò rigorosè procederet Conc. Trident. sess. 25. c. de Reform. & ipsa Sacra Congregatio in tot Bullis super hoc emissis, si Missam pro pluribus oblatam tantum singulis prodesse existimaret, quantum si pro uno duntaxat offeratur; hocque intelligi debet de sacrificio Missæ non tantùm prout est satisfactorium, qua ratione quando pro pluribus speciatim offertur minus singulis prodest, minusque pœnæ redimit respectu singulorum, quàm si pro uno tantùm offeratur, quia, ut sic, se habet per modum cujusdam solutionis, quæ cùm finita sit sine dubio minuitur, si in plures dividatur, sed etiam quatenus est impetratorium, loquendo de vi impetrativa illi ex opere operato competente, ut dictum est num. 57.

QUÆSTIO QUINTA.

De subjecto, pro quo hoc Sacrificium offeri, & applicari potest.

60 QUoniam Sacrificium Eucharistiæ non solùm ad præstandum cultum Deo est institutum, qua ratione, Lautreticum, & Eucharisticum dicitur, seu Sacrificium laudis, quatenus fit in gratiarum actionem pro summo beneficio Passionis Christi accepto; sed etiam ad obtinendam culpæ, & pœnæ remissionem, qua ratione Propitiatorium appellari solet, & Impetratorium, quatenus ad omnia bona impetranda conducit, tam spiritualia, quàm corporalia; videndum superest, pro quibus illud licitè, & validè offerri possit, & quibus hujusmodi fructus provenire possint; & quæstio proposita intelligenda est, non de eo Missæ fructu, qui ex opere operantis provenit, certum enim est ejusmodi fructum à quolibet Sacerdote applicari posse iis omnibus vivis, & defunctis, pro quibus orationes suas particulares dirigere potest, cùm de utroque sit par ratio, sed de fructu illo, qui est ex opere operato.

ARTICULUS PRIMUS.

Pro quibus licitè, & validè Missæ Sacreficium offerri potest.

61 IN hujus quæstionis resolutione in quibusdam conveniunt Doctores, & in quibusdam discrepant, ut ergò certa ab incertis separemus, conveniunt omnes in primis in eo, quod Sacrificium Missæ licitè, & validè offerri possit pro omnibus, & quibuscunque fidelibus baptizatis, & non excommunicatis, sivè vivis, sivè defunctis in Purgatorio existentibus, idque constat ex perpetua, & universali ipsius Ecclesiæ praxi, & ex ritu illo, quo in Missæ celebratione Sacrificium hoc offerri consuevit. *Pro omnibus orthodoxis, atque Catholicæ, & Apostolicæ fidei cultoribus, &c. & pro omnibusin Christo quiescentibus, qui nos præcesserunt cum signo fidei, & dormiunt in somno pacis*, & ita docet Conc. Trid. sess. 22. c. 2. & can. 3. quoniam hi omnes sunt effectuum hujus Sacramenti capaces. Conveniunt etiam omnes ei contra Sacrificium Missæ, nec licitè, nec validè pro damnatis offerri posse, sivè cum peccato aliquo actuali mortali, sivè cum solo originali decesserint, & ita docuit D. Aug. lib. 1. de origine animæ c. 9. & 11. & est de fide contra Origenem damnatos æterna pœna esse cruciandos, juxtà illud Matth. 25. *Discedite à me maledicti in ignem æternum*, & ratio est manifesta, quia hoc Sacrificium nihil eis prodesse potest, cum non ampliùs sint in statu consequendi novam misericordiam, nec damnati, nec pueri sunt aliqua ratione membra Christi, quando cum peccato originali decesserunt, Sacrificium autem Missæ offerri non potest, nisi pro iis, qui sunt membra Christi, si non actu, saltem potentia ex Aug. l.c. Conveniunt item Sacrificium Missæ propriè loquendo pro Sanctis, & Beatis, qui jam sunt in termino beatitudinis, offerri non posse, & ratio est, quia nulla opus habent satisfactione, nec pro culpa, nec pro pœna, cùm enim sint in termino finali beatitudinis, ab utraque omninò sunt immunes; tùm enim quia nulla re indigent, quam illis possimus per sacrificium impetrare; ergo propriè loquendo pro illis Sacrificium hoc nequit offerri. Dixi propriè loquendo, quia minus propriè loquendo licitè, & validè potest hoc Sacrificium offerri in honorem, & memoriam Sanctorum, ut habetur in Concil. Trid. sess. 22. c. 3. non quod illis offeratur Sacrificium, ut ibidem declarat, sed Deo soli, qui illos coronavit. Hæc sunt in quibus Doctores communiter conveniunt, in quibusdam autem aliis discrepant, quæ breviter hìc sunt resolvenda.

62 Primò dubitatur, an Missæ Sacrificium licitè offerri possit pro infidelibus non baptizatis, & pro excommunicatis baptizatis. Affirmant nonnulli hoc Sacrificium directè pro infidelibus non baptizatis, & excommunicatis baptizatis, licitè offerri posse, & sequitur ex nostris Poncius disp. 44. quæst. 10. conc. 4. ubi ait, quod fructus hujus Sacrificii, quatenus est impetratorium gratiæ, & favoris, potest participari etiam à non baptizatis, & ab excommunicatis quoque, ut offertur pro illis à Sacerdote, quatenus particularis persona, non verò quatenus illud offert nomine Ecclesiæ; imò Gavat. noster disp. 5. cit. qu. 2. cap. 1. asserit Missæ Sacrificium non solùm per modum impetrationis, verùm etiam ex opere operato pro non baptizatis, & præsertim Catechuminis licitè, & validè à Sacerdote offerri posse, pro excommunicatis verò validè qudem, sed non licitè. Communior tamen, & probabilior opinio docet, indirectè quidem pro infidelibus non baptizatis, sicut & pro excom-

excommunicatis baptizatis, Sacrificium Missæ licitè offerri posse, & de facto sic offerri, quatenus scilicet, pro incremento, & exaltatione Ecclesiæ, & quovis schismate ab ea tollendo offertur, quæ duo per conversionem infidelium, resipiscentiam excommunicatorum maximè fiunt; directè autem nec pro infidelibus non baptizatis, nec pro excommunicatis baptizatis licitè offerri posse. Et quidem, quod nec validè, nec licitè possit directè offerri Sacrificium Missæ pro non baptizatis, quamvis Catechumenis constat ex ipsius Ecclesiæ praxi, quæ, quamvis summo affectu, veluti pia Mater eorum conversionem, & salutem exoptet, nullam tamen mentionem eorum in Missa fieri voluit, neque orationes ullas pro eis in illa instituit offerendas, nisi in solo die Parasceves, quod tamen sine dubio fecisset, si pro eis hoc Sacrificium offerri voluisset, hoc etiam confirmat D. Thom. q. 29. a. 1. testimonio D. Aug. li. cit. de origine animæ c. 9. asserentis hoc Sacrificium non esse directè offerendum, nisi pro his, qui sunt membra Christi, & hoc etiam suadet manifesta ratio, ut Caspensis advertit disp. 1. de Sacrificio Missæ sect. 4. quia Baptismus est janua omnium Sacramentum, & ideò qui non est capax fructuum Sacramentorum, nec erit capax fructus Sacrificii hujus ex opere operato, sed omnes nondum baptizati non sunt capaces Sacramentorum, cum nondum sint ingressi januam Ecclesiæ per Baptismum, ergo, &c. Quod autem neque pro excommunicatis possit offerri, quorum nomine intelliguntur nominatim excommunicati, vel notorii Clericorum percussores juxta extravagantem Martini Quinti, quæ incipit *Ad evitanda*, constat ex prohibitione Ecclesiæ c. *Nobis* & c. *Sacra*, extra de sent. excom, ubi vetatur pro illis Missæ Sacrificium offerri, quam tamen prohibitionem Navarrus cum aliis censet non extendi ad excommunicatos per veram pœnitentiam jam contritos, licet nondum ab excommunicatione absolutos, pro quibus existimat, licitè hoc Sacrificium offerri posse. Sed fortè hæ duæ sententiæ facilè conciliari possunt, nec in re discrepant, sed tantùm in modo loquendi; cùm enim hæc secunda negat, posse licitè hoc Sacrificium offerri pro infidelibus non baptizatis, & pro excommunicatis baptizatis, intelligit non posse offerri directè, & nomine Ecclesiæ, & quando prima affirmat offerri posse, intelligit id fieri posse à Sacerdote indirectè, & ut à privata persona, nō autem nomine Ecclesiæ, ut patet legenti illius sectatores.

63 Secundò dubitatur, an licitè hoc Sacrificium offerri possit nomine Ecclesiæ pro excommunicato tolerato, nec nominatim denunciato. Affirmant plures, quia per concessionem Concilii Constantiensis potest excommunicatus occultus in loco sacro sepeliri, non potest autē more Ecclesiæ ab eo sepeliri quis, quin preces, & orationes pro eo offerantur, & divina officia celebrentur. Potest etiam cum aliis admitti, quando Missæ Sacrificium offertur, tunc autem Sacerdos pro omnibus circumstantibus orat, ut patet ex illis verbis in Memento. *Et omnium circumstantium, pro quibus tibi offerimus, vel qui tibi offerunt hoc Sacrificium*, & denique quia in dicto Concilio permittitur communicare cum hujusmodi excommunicatis occultis, & toleratis in quibuscunque divinis, vel extra, & eos non vitare, ita Navarrus, Henriquez, Ugolinus, Avila, Coninchius, Lugus, Aversa, Castropalaus, & ex nostris Faber de censuris disp. 4. c. 4. & Gavatius q. cit. c. 4. & plures alii. Negant alii, quorum ratio est, quia prædicti excommunicati manerent, & non manerent excommunicati, quod implicat; manerent quidem ex suppositione, quod absolutionem, assecuti non fuissent; non manerent autem, quia communicarent cum aliis fidelium in communibus Ecclesiæ suffragiis, excommunicatus verò est membrum ab Ecclesia præcisum; ergò si gaudet communibus Ecclesiæ influxibus, & beneficiis non est membrum ab Ecclesia præcisum. Undè ad rationem prioris sententiæ respondent Conc. Constant. ad evitanda scandala, & succurrendum conscientiis timoratis solùm concessisse fidelibus, ut possint communicare cum excommunicatis toleratis, quantum ad externam conversationem, tam in divinis, v. g. in audiendo sacro, in administratione, & receptione Sacramentorum quàm in humano convictu, ut constat ex proæmio illius Constitutionis; non verò voluisse eis concedere internam suffragiorum communionem. Ità Valentia, Suarez, Vasquez, Bonacina, Marchinus, & plures alii, quam etiam ut veriorem, & probabiliorem opinionem sequitur Caspensis l. c. Et planè utraque opinio mihi quoque probabilis videtur, quod si quis negantem probabiliorem existimare velit, non tamen asserere debet Concilium Constantiense noluisse omninò concedere hujusmodi excommunicatis internam suffragiorum communionem universaliter loquendo, sed tantùm contumacibus, & impœnitentibus; non autem excommunicatis per veram pœnitentiam jam contritis. Si enim hoc probabiliter asseritur de excommunicatis notoriis, & toleratis, quod nempè hujus sacrificii fructus participare possint, quando per veram pœnitentiam sunt contriti, licet nondùm sint ab excommunicatione absoluti, ut suprà dictum est, idipsum tantò magis asseri potest, & debet de excommunicatis occultis, & toleratis, & hoc modo etiam opiniones conciliari possent, quod prima affirmans hoc sacrificium offerri posse nomine Ecclesiæ pro excommunicatis occultis, & toleratis, loquitur de illis, qui per veram pœnitentiam sunt contriti; secunda verò negans hoc sacrificium pro his excommunicatis offerri posse, intelligit de illis, quamdiù in contumacia existunt, & sunt impœnitentes.

64 Tertiò quamvis certum sit hoc sacrificium pro damnatis offerri non posse, ut ab Inferno liberentur, ut suprà dictum est, adhuc tamen dubitatur, an saltem illis prodesse possit ad aliquam pœnæ mitigationem, seu remissionem. Aliqui dixerunt per suffragia minui etiam damnatis pœnam debitam peccatis venialibus in hac vita remissis quoad culpam, ac minui etiam pœnam debitam peccatis mortalibus remissis quoad culpam, & non ad plenum in hac vita quoad pœnam condonatis, pro qua sententia Amicus disp. 33. sect. 5. citat Majorem in 4. d. 45. qu. 1. & Scot. etiam nostrum 4. d. 15. q. 1. §. *De quarto*. Communis tamen, & vera Doctorum sententia est nullo modo suffragia prodesse damnatis, adeoque non posse hoc sacrificium pro ipsis offerri, & opposita sententia communiter erronea censetur, vel saltem errori proxima, quæ veritas deducitur ex communi Ecclesiæ sensu, quæ docet in inferno nullam esse redemptionem, & ex ipso damnatorum statu, qui in termino existentes nullius sunt redemptionis capaces, sicut è contrà, quia Beati sunt in termino beatitudinis, nullius sunt diminutionis gloriæ capaces, quarè graviter peccaret, qui pro damnatis oraret, ut rectè Maironus noster 4. d. 21. qu. 5. art. 3. & expresse prohibetur c. *Pro abeuntibus* 13. q. 2. Adhuc tamen verum est, ut jam statuimus, & latè probavimus 2. sent. disp. 6. qu. 8. peccatum veniale sivè in hac vita dimissum quoad culpam, sivè non, sola temporali pœna etiam in Inferno puniri, licet cum mortali conjunctum, & pariter pœnam peccati mortalis hic dimissi, sed non in hac vita solutam, in Inferno persolvi; talis enim solvitur in Inferno per satisfactionem, & non per satisfactionem, aut per suffragia, pœna enim solvi potest, quantum justitiæ debetur per solam satisfactionem involuntariam, & in hoc sensu loquitur Doctor l. c. quod declarat exemplo ex actibus humanis desumpto, si enim alicui offensæ in Regem correspondeat præcisè secundum legem abscissio manus, si isti etiam invito abscinditur manus, satisfacit, & hoc adeò sufficit Regi, quod secundum legem, & justitiam non debet ab eo pœnam ulteriorem exigere, & tamen non recipit eum in gratiam, vel amicitiam. Quinam autem sit sensus illius catholici axjomatis, quod in Inferno nulla est redemptio, jam fusè declaravimus q. 8. cit. a. 2. esse quod ibi nulla est spes evadendi, sivè ibi remitti possit per satisfactionem involuntariam aliquod peccatum veniale, aut aliqua pœna venialis, vel mortalis jam hic dimissi, sivè non, ut ibi fusius videri potest.

67 Quartò, quamvis etiam omnes Catholici doceant hoc sacrificium non tantùm vivis baptizatis, sed etiam defunctis in Purgatorio existentibus applicari posse quoad pœnarum remissionem, ut dictum est, adhuc tamen quæstio est, quomodo hoc sacrificium defunctis prosit, an scilicet, remissionem pœnæ animabus purgantibus hoc sacrificium conferat infallibiliter, & ex certa lege, an tantùm per modum liberalis impetrationis. Aliqui dixerunt remissionem pœnæ animabus purgantibus hoc sacrificium conferre tantum per modum liberalis impetrationis non verò infallibiliter, & ex certa lege, ità Soto in 4. d. 13. q. 2. a. 1. Can. li. 12. de locis Theologicis c. 13. & quidam alii Thomistæ. Communior tamen, & probabilior opinio docet hunc effectum remissionis pœnarum ab animabus purgantibus infallibiliter, & certa lege participari, & ex opere operato hujus sacrificii, ità Suarez, Vasquez, Henriquez, Coninchius, Caspensis, Amicus, Aversa, & alii Recentiores passim, & Faber ex nostris tom. de Pœnitentia disp. 37. c. 2. & nos quoque docuimus 4. disp. 4. cit. qu. 7. a. 1. colligitur ex Scoto quol. 20. a. 1. principali 2. puncto §. *De secundo autem in isto articulo*, quod ibi multipliciter probamus, sed præsertim ex destructione præcipui fundamenti oppositæ sententiæ, quod est, quia præcipua conditio ad percipiendum fructum hujus sacrificii ex opere operato, & infallibiliter, est status viatoris, ut passim Theologi docent; animæ autem in Purgatorio existentes non sunt amplius in via, & sunt extrà potestatem, & dominium Ecclesiæ militantis, & ideò non possunt infallibiliter, & ex certa lege participare bona ipsius, sed tantùm per modum liberalis impetrationis, nempè prout Deo placuerit orationes vivorum, & Ecclesiæ sacrificia pro defunctis acceptare; sed hæc ratio non convincit, ut ibi diximus, nam quando dicitur status viatoris ad hunc effectum participandum necessariò requiri, etiam statum Purgatorii comprehendere debemus, nam quatenus qui illic sunt, ad ultimum terminum non adhuc pervenerunt, aliqua ex parte viatores sunt adhuc maximè quoad remissionem pœnarum, vel etiam culparum venialium obti-

nendam, atque ideò animæ in Purgatorio detentæ sunt capaces fructus ex opere operato hujus sacrificii, ut potè quæ aliqualiter sunt viatrices. Tùm quia animæ Purgatorii sunt membra Christi, & quamuis non possint promereri, nec demereri, quia tamen non sunt omninò in termino, & extrà viam, nam adhuc sunt in via ad Cœlum, ideò hoc sacrificium potest eis prodesse, sicut prodest vivis. Tùm tandem quia paribus verbis apud Patres, & Concilia dicitur hoc sacrificium vivis prodesse, & defunctis, ut patet apud Tridentinum sess. 22. cap. 1. can. 3. & sess. 25. in decreto Purgatorio, & ità in forma Ordinis Sacerdotalis æquè hæc potestas tribuitur Sacerdotibus, & non magis determinatur ad vivos, quàm ad defunctos, dùm dicitur *Accipe potestatem offerendi sacrificium in Ecclesia pro vivis, & defunctis*. Quare ex hoc capite concludendum est animas purgantes adhuc esse sub potestate, & dominio Ecclesiæ militantis, nam licet sint in termino merendi, non tamen sunt in termino, sed adhuc in via solvendi debita, quæ ex peccatis in hac vita commissis, & non ad plenũ expiatis contraxerunt ideoque poterunt militantis Ecclesiæ suffragiis, & satisfactionibus infallibili lege iuvari, cùm non minus dominium quantum ad hoc Ecclesia in eas habeat, quàm in viventes. Aliàs probationes vide loco citato, & objectiones in oppositum solutas.

66. Quintò tandem dubitatur, an Missæ sacrificium ex opere operato prosit non solùm illis, pro quibus offertur, sed etiam ipsi Sacerdoti offerenti, quatenus præcisè est offerens; notanter autem dicitur ex opere operato, quandoquidem quod sacerdos offerens possit ex opere operantis sibimet aliquem fructum impetrare, nulli dubium esse potest, cùm oblatio facta ab homine existente in gratia sit actio dignissima, & ad impetrandum apta. Affirmant aliqui Sacerdotes offerentes participare hunc sacrificii fructum, non solùm quatenus hoc sacrificium pro se offerre possunt, sed etiam quatenus offerentes sunt formaliter; quorum fundamentum est, quoniam ipsa actio offerendi de se dignissima est, ut ad illam etiam qua oblatio est præcisè, hic effectus consequatur, cùm illa fiat in persona Christi fundata in meritis ipsius; igitur si hic effectus est proprius istius sacrificii, maximè ratione hujus oblationis, quæ suum valorem immediatè accipit à re oblata, quæ est corpus, & Sanguis Christi; ità Suarez disput. 79. sect. 5. Amicus disput. 33. sect. 6 num. 171. & quidam alii. Communior tamen, & probabilior opinio negat, docetque nullum in sacrificio Missæ fructum ex opere operato provenire Sacerdoti offerenti, quatenus est offerens præcisè, quod probant ex eo, quod Apostolus dicit ad Hebræos cap. 5. Pontificem, seù Sacerdotem constitui pro honoribus in iis, quæ sunt ad Deum, ut offerat dona, & sacrificia pro peccatis, undè concludit, quod *debet quemadmodum pro populo, ità etiam, & pro semet ipso offerre pro peccatis*, & cap. 7. subdit *Qui non habet necessitatem quotidie, quemadmodum Sacerdotes, prius pro suis delictis hostias offerre, deindè pro populis*; ex quibus Apostoli verbis expresè deducitur, Sacerdotem effectum sacrificii sui participare, non inquantum Sacerdotem, sed inquantum peccatorem, proindeque, ut effectum aliquem sui sacrificii participet; necessariò requiri, ut passivè se habeat ad illud, ideſt, ut illud offerat pro se, sicut, & pro aliis, ad quos ex ejus applicatione fructus Missæ derivatur.

67. Denique confirmari potest etiam ex verbis, quibus per Episcopum Sacerdos consecratur; *Accipe potestatem offerendi Sacrificium tam pro viuis, quàm pro defunctis*, hæc enim verba significant illi conferri potestatem, qua prosit iis, pro quibus Missæ Sacrificium oblaturus est, unde sequitur Sacerdotem præcisè eatenus sibi prodesse, non quatenus Missæ Sacrificium offert, sed quatenus etiam pro se ipso offert; & hæc doctrina non solùm est D. Thom. 3. p. q. 22. art. 4. ad 1. sed etiam Scot. quol. 20. I. ubi dicit, quod etsi bonum reddendum virtute Sacrificii non debeatur Sacerdoti pro se, debetur tamen Ecclesiæ secũdùm ejus distributionem, quia ipse ex ordine suo est nuncius Sponsæ ad Sponsum offerens petitiones specialiter pro determinatis personis, & ita dispensatorie, vel dispositivè determinans eis illud, quod pro talibus petitionibus reddetur; ita discurrit ad verbum Doctor loc. cit. quibus verbis significat effectus, qui ex opere operato correspondent virtuti sacrificii à terminatione, & applicatione Sacerdotis dependere, ideoque non nisi illis prodesse, quibus ab ipso Sacrificium applicatur; quarè ut dicebat Apostolus ad talem fructum participandum debet quemadmodum pro populo; ità etiam pro semet ipso offerre pro peccatis; & hæc est sententia communior, & probabilior, ut dicebant, quam sequuntur Vasquez, Coninchius, Legus, Meratius, Abellius, & alii plures, & ex nostris Gavatius disp. 1. cit. quæst. 2. Ratio autem in oppositum adducta probat solùm Sacerdotem offerentẽ posse ex opere operantis sibimet aliquẽ fructũ hujus Sacrificii impetrare; non autem ex opere operato, de quo tantùm effectu procedit proposita quæstio, ut suprà dictũ est.

ARTICULUS SECUNDUS.

Qualis esse debeat Sacerdotis applicatio, ut Missæ fructus in alios derivetur.

68. PRimò, conveniunt Doctores ex jam declarata fructuum Missæ generalitate, ut notat Abellius sect. 11. de Missæ Sacrificio §. 5. ex institutione Christi notabilem aliquam partem relictam esse liberæ applicationi, & determinationi Sacerdoti, tanquam ipsius Ministri, & dispensatoris mysteriorũ ejus, quod constat ex communi ipsius Ecclesiæ sensu, & quotidiana praxi, quæ morem fidelium, & consuetudinem approbat quo expetunt pro se Sacrificium illud peculiariter offerri, quòd utique frustra fieret, si jam ex Christi Domini, & Ecclesiæ institutione omnis ejus fructus applicatus esset, nullusque superesset per Sacerdotis intentionem applicandus; Sicut autem Sacerdos in hujus Sacrificii actione omnibus aliis cum ipso offerẽtibus, modo superiùs explicato, superior exititit, ita etiam fructuum illorum applicatio ab ejus intentione præsertim dependet, ut Scotus docet loc. cit. itaut, sivè licitè, sivè illicitè applicet, valida tamen, & rata sit semper ejus applicatio, cùm sit actus à potestate Ordinis pendens, ut patet ex verbis relatis, quibus per Episcopum Sacerdos consecratur, qui proindè ejus voluntati subjacet. Verùm est tamen certò determinari non posse, quantus sit fructus Missæ, quem Christus voluit, sivè generatim ad omnes fideles vivos, & defunctos, sivè speciatim ad hos, vel illos secundum intentionem particularem Sacerdotis celebrantis derivari ut ait Abell. loc. cit. cùm nec S. Scriptura, nec Ecclesiæ traditio, nec Concilia, aut Patres quidquam de hujusmodi quantitate definierint, aut tradiderint; ideoque satis esse, ut Sacerdos celebrans saltem tacitè, vel interpretativè tantum de hujusmodi fructu Sacrificii his, aut illis secundùm devotionem, & obligationem applicare velit, quantùm Christus Dominus ipsi applicandum concessit. Hoc itaque supposito modo declarandum est, quænam applicatio requiratur ex parte Sacerdotis celebrantis, ut Missæ fructus in alios derivetur, & quænã ex parte ejus requirãtur, ut applicatio sit valida, & licita.

69 Secundò conveniunt Doctores, ad hoc ut validè hujus Sacrificii fructum applicat, in primis requiri ejus intentionem eo modò, quo superiùs dictum est requiri, ut Sacramentum aliquod validè conficiatur; dubitatur tamen qualis esse debeat hæc intentio, & applicatio, & conveniunt Doctores, non requiri necessariò applicationem actualem, sed sufficere virtualem, ut supra de Sacramentis in genere docuimus. An verò sufficiat intentio habitualis est difficultas; negat Vasquez disp. 38. cap. 6. cum aliis sufficere habitualem, quia applicatio habitualis dicitur voluntas præterita nondum retractata, ut si ego hodiè pro anima Petri applicarem sacra per totum mensem, vel annum facienda; cùm ergò hæc voluntas, & intentio ad valorem Sacramenti sufficiat, ut omnes admittunt, sic inquit Vasquez, neque sufficere ad valorem Sacrificii; & sequitur Abellius loc. cit. cum Granado, & quibusdam aliis. Communior tamen, & probabilior sententia, ut diximus quæst. 7. cit. art. 2. docet non esse necessariam in Sacerdote actualem, vel virtualem intentionem, aut applicationem, sed sufficere habitualem, hoc est, quod prius intentionem actualem habuerit, ipsamque non retractaverit. Ita Scotus quol. 20. D. ubi dicit, quod non oportet celebrantem pro multis tunc de eis actu cogitare, sed sufficit, quod antè recollegerit istos, pro quibus intendit specialiter orare, & intentionem suam talem Deo obtulerit; ex tunc enim, si tantum in communi eorum memoriam habeat, hoc sufficit, quia tunc Deus oblationem, & devotionem suam pro illis acceptat, pro quibus ordinavit se prius velle offerre, ita Doct. ibi quem sequuntur Suarez, Lugus, Bonacina, Diana, Aversa, Caspensis, Coninchius, Hurtado, & ex nostris Gavatius, Centinus, Brancatus; & alii Recentiores passim, ut diximus loc. cit. ubi etiam advertimus propriè loquendo de intentione habituali non importare intentionem merè præteritam non retractatam per actum contrarium, ut communiter Recentiores exponunt, sed potiùs promptitudinem quandam per actus præcedentes acquisitam, qualis etiam in dormientibus esse potest, ut explicat Doctor 4. d. 6. quæst. 6. lit. A. sed accipiendo etiam habitualem intentionem pro volitione præterita non retractata, ut ipse quoque accepit 4. d. 4. quæst. 4. lit. H. adhuc dicimus, quod licet ad valorem Sacramenti non sufficiat, sufficit tamen ad valorẽ Sacrificii, ut pro aliquo re vera applicatũ dicatur.

70. Quare autem ad conficiendum Sacramentum, & præsertim Eucharistiam talis intentio habitualis non sufficiat, sed requiratur actualis, vel saltem virtualis, ad valorem verò Sacrificii sufficiat habitualis, ideſt, quæ antecedenter intervenerit, & retractata non sit, iam loc. cit. duplicem assigna-

vi-

mus

prima est, quod hæc applicatio Sacrificii non est tanquam voluntas, & intentio faciendi talem actum, quæ proindè influere debet, & movere in actum ad hoc ut illum constituat in tali statu morali; sed est tanquam donatio & translatio fructus percipiendi ex tali actu, quæ quidem valida, & efficax est, quamdiu retractata non fuerit; undè in Sacerdote duplex intentio considerandа est, una est, qua vult celebrare, & conficere Sacramentum, & Sacrificium, & hæc quidem debet esse actualis, vel saltem virtualis; quia est voluntas faciendi talem actum, debetque influere, & movere ad ipsum faciendum; altera, qua vult, ut fructus talis Sacrificii, quando celebrabit, perveniat ad talem personam, & hæc satis est, ut præcesserit, & retractata non sit. Alia autem disparitas ibidem quoq; assignata inter Missæ applicationem, & intentionē conficiendi Sacramētum est, quod ut aliqua forma habitualiter permanere dicatur, vel physicè, vel saltem moraliter, opus est, quod in eo subjecto, vel aliquem relinquat habitum, vel saltem obligationē aliquam sequentē ad illam formam, quo pacto actus contrahendi universaliter loquēdo etiam præteriti, quia obligationē relinquunt, moraliter permanere dicuntur. Ita autem contingit in proposito, nam quando Sacerdos Missam pro aliquo singulis anni diebus celebrare promittit, talis promissio obligationem relinquit, ratione cujus habitualiter durare, & permanere censetur in genere moris, ideoq; talem intentionem habitualem sufficere dicebamus, ut singulis postea diebus Sacrificium pro illo applicatum censeatur; At non sic res se habet de intentione jam diu præterita, & non retractata de conficiendo Sacramento, quia hæc per id nec physicè, nec moraliter permanet; non quidem physicè, quia nec in se ipsa durat, nec in aliquo effectu permanet ab ipsa secuto; nec etiam moraliter, quia nulla est obligatio ex tali intentione præterita; ideoq; intentio habitualis nullo modo dici potest, nec ullo modo sufficiens pro conficiendo Sacramento. Quasdam objectiones in contrarium vide solutas loc. cit.

71 Tertiò est difficultas, an applicatio Sacrificii, & an valida sit, fieri debeat secūdū intentionem à Sacerdote habitam, vel secundum intentionem debitam, hoc est, an Deus attendat ad intentionē, quam de facto habet Sacerdos, an verò ad illam, quam habere debebat juxta Præceptum, vel juxta aliam obligationem, ut stipendii accepti, vel promissionis. Aliqui dicunt, quod si Sacerdos applicet Missam alicui, & Superior Sacerdotis applicet alteri, aut præceperit Sacerdoti, ut applicet illi, cui intendit ipse Superior, tunc valere applicationem, aut jussionem Superioris, & non Sacerdotis, ac fructum Sacrificii pervenire ad illum, cui vult Superior, non cui vult Sacerdos, ita quamplures Summistæ, Corduba, Barbosa, Diana, Marchinus, Alphonsus de Leone, Ledesma, Gavantus, & alii, pro qua sententia etiam Scotus citari solet, quol. 20. art. 2. K. ubi dicit, quod quando habetur doctrina certa de applicatione, est sic facienda, ita quod si contrarium fiat, fortè nec ei, cui applicatur valet, & applicanti nocet, quia peccat. Oppositа tamen sententia, ut diximus qu. 7. cit. art. 2. communior est, & probabilior, quæ asserit peccare quidem talem Sacerdotem, vel contra obedientiam, vel contra justitiam, attamen suam applicationem potius valere, & fructum Sacrificii pervenire ad eum, cui ipse applicat. Ita Suarez, Vasq. Lugus, Coninchius, Aversa, Caspensis, & alii plures, & ex nostris Gavatius disp. 5. cit. qu. 2. c. 5. ubi benè ponderat Scot. loc. cit. cit. §. *De secundo articulo principali*, expressè pro hac sententia stare, inquit enim lit. H. & I. esse in potestate Sacerdotis celebrantis applicare virtutem sacrificii, quod probat ex D. Augustin. ac etiam ratione, quia sicut Sacerdoti Sacrificium offerenti convenit determinare intentionem suam, pro quo specialiter offerat; sic convenit sibi dispensatoriè, vel dispositivè determinare, cui virtute Sacrificii, bonum, quod impetratur reddatur; & tandem concludit, quod Sacerdos ratione Ordinis habet gradum notabilem in Ecclesia, propter quem sibi convenit offerre, & oblationis virtutem determinare; & in hoc non est præcisè organum, sed minister, & dispensator; minister respectu oblationis, dispensator respectu determinationis virtutis Sacrificii ad certas personas; sicut igitur Sacerdos solus potest hoc Sacrificium Deo offerre propriè loquendo de sacrificia oblatione, ita ipse solus valet virtutem Sacrificii ad hanc, vel illam personam determinare, quia Minister, & dispensator hujus Sacrificii est ipse Sacerdos non ejus Prælatus; & hac ratione Scoti, quæ est à priori, utuntur Recentiores omnes ad hoc assertum probandum, undè non video, quomodo illum citent pro oppositа sententia, ejus enim verba superiùs adducta non sufficiunt, ut de mente Doctoris tale feratur judicium, quia non assertivè illud dicit, sed dubitativè, ut ostendit particula *fortè*, & advertit Gavat. l. c.

72 Et per hoc refellimus loc. cit. responsionem, quam Adversarii solent adhibere, oblationem sacrificii quoad substantiam utique à voluntate Prælati pendere non posse, benè tamen quoad applicationem pro hoc, vel illo. Hanc enim solutionem alla-

ta ratio directè impugnat, quia utrumque fit immediatè à Sacerdote ex commissione Christi, & potestate ab ipso accepta ut cōstat ex forma, qua Sacerdos ordinatur *Accipe potestatem offerendi Sacrificium pro vivis, & defunctis*, per quam non solùm datur Sacerdoti potestas consecrandi, sed etiam Sacrificium applicandi; ergo non tantùm quoad consecrationem, sed *etiam quoad applicationem operatur*, ut Minister Christi, & ex commissione, & potestate ab ipso accepta, ut dicebat Doctor lo. c. Confirmatur, quia sicut in aliis Sacramentis, dum Minister intendit conficere, & conferre alicui Sacramentum, quamvis id faciat contra voluntatem, & præceptum Superioris, aut quamcunque obligationem, adhuc sua confectio, & collatio Sacramenti valebit, dummodo adsint reliqua ad valorem Sacramenti requisita; ità pariter in proposito tam ejus oblatio, quàm Sacrificii applicatio erit valida, & effectum habebit, quamvis contrà præceptum obedientiæ, aut debitum justitiæ; & ratio est, quia in administratione, & applicatione Sacramentorum Subditus non pendet à voluntate Superioris, quoad valorem actionis, excepto pœnitentiæ Sacramento, ad quod requiritur essentialiter jurisdictio cujus collatio pendet à Superiore, ita discurrimus l. c. ubi videri possunt nonnullæ objectiones in oppositum solutæ.

73 Quartò conveniunt Doctores, ut applicatio illa specialis à Sacerdote facienda sit valida, & licita, necessariò requiri, quod sit determinata, & certa, ne effectum hujus Sacrificii suspensum relinquat. Verùm hæc certitudo, & determinatio non eodem modo ab omnibus explicatur. Aliqui enim adeò rigorosè id intelligunt, ut dicant Sacerdotem non posse celebrationem Missæ prævenire offerendo, & applicando pro eis, qui posteà eleemosynas dabunt, quia applicatio hujus Sacrificii non potest esse suspensa, & sicut Sacramentorum sic etiam Sacrificii effectus à futura conditione pendere non potest. Ita Corduba, Suarez, Coninchius, Barbos. Abellius, Isambertus, Marchinus, Caspensis, & alii plures. Alii verò dicunt Sacerdotem id facere posse, modò non intendat effectum Sacrificii suspendere ad illud usque tempus, quo sibi tradetur eleemosyna; non enim est in potestate Sacerdotis effectum Sacrificii suspendere, sicut enim omnia Sacramenta, simul atque perficiuntur, suum habent effectum ex opere operato, nec est in potestate ministri illum suspendere, & in futurum reservare, ita Sacrificium suum habet effectum ex opere operato, nec minister potest sua intentione illum in futurum reservare. Sacerdos igitur, qui anticipatè celebrat Missas, effectum Sacrificii non suspendit, sed ex tunc applicat Sacrificii valorem pro eo, qui dabit eleemosynam, satisfacit, & potest accipere eleemosynam pro Missa jam celebrata. Ratio est, quia fructus Sacrificii anticipatè celebrati prodest, certæ personæ eleemosynam tradituræ, cùm persona sit certa in mente Dei, & sit capax fructus, ut supponitur, & Sacerdos mentem suam in ipsam dirigat pro ipsa Missæ Sacrificium offerendo, Tum quia sicut bonus debitor satisfacit creditori anticipata solutione, ita Sacerdos, &c. Ita Bonacina disp. 4. qu. ult. punc. 7. §. 5. pro qua citat Arragonium, Reginaldum, Petrum Navarrum, Rodriquez, Henriquez, & alios, & inquit idem sensisse Congregationem Pœnitentiariæ Mediolanensis ipso præsente, & ita consulente, qui dicendi modus mihi etiam satis probabilis videtur, Deus enim utique noscit futurum esse, ut talis crastina die vel posteà roget Sacerdotem, ipsique eleemosynam largiatur, ut pro se offerat, & ideò Deus talem oblationem, & applicationem anticipatam acceptare potest, quo supposito effectus hujus Sacrificii suspensus non relinquitur. Subdit tamen Bonacin. l. c. in praxi hujusmodi consuetudinem non esse approbandam, & tolerandam, tum quia redolet nimiam lucri cupiditatem, tum quia fideles retrahi possent ab eleemosynis in futurum tradendis pro celebratione Missarum, si Sacerdos offerenti eleemosynam responderet, applico tibi Sacrificium, quod aliàs celebravi; sic enim facilè homines sibi persuaderent, Sacerdotem accipere stipendium, & non persolvere onus, pro quo stipendium accepit; quare talis applicatio non est in consuetudinem trahenda, sed solùm in aliquo casu necessitatis permittenda. Et sic etiā de difficultate discurrit Amicus dis. 33. c. sect. 8. in. fine.

74 Quintò tandem est difficultas, an qui tenetur in aliqua Ecclesia celebrare sine Sacrificii applicatione; seu obligatione talis applicationis, possit Missam illam alteri applicare, & pro illa aliud stipendium accipere, v. g. an quando datur stipendium Sacerdoti, non pro applicatione sacrificii, sed pro cultu Ecclesiæ, vel commoditate populi tunc possit Sacerdos Missam applicare pro aliquo alio, & ab eo stipendium accipere. Negant aliqui quia id expressè prohibitum est per Sacram Congregationem Concilii Tridentini in declaratione decreti de celebratione Missarum sub Urbano VIII. emanati, cōmunior tamē, & probabilior sentētia affirmat, Sacerdotem licitè id facere posse, quia in tali casu licet pro cultu Ecclesiæ, vel populi commoditate celebrare teneatur, nullā tamē obligationē habet applicationis sacrificii, sed ei li-

bera manet, qua ratione Bonacina q. cit. punct. 8. tenet cum pluribus aliis ab ipso citatis, Parochum illis diebus, quibus non tenetur suis ovibus Missæ sacrum applicare, posse ab aliquo stipēd. accipere, & pro ipso Sacrificium offerre, quia non est deterioris conditionis cæteris Sacerdotibus, cæteri autem Sacerdotes onus non habentes Missæ applicandæ, possunt eleemosynam accipere; Decretum autem S. Congr. adductum intelligendum est de Sacerdote volente satisfacere una Missa duplici obligationi celebrandi pro duobus, de hoc enim casu Decretum loquitur, ut patet ipsum legenti. Ita Suarez, Vasq. Lugus, Caspensis, Bonac. & alii passim, & præsertim Aversa q. 21. de Sacrificio Missæ sec. 17. plures alios citans, quia dum Sacerdos, inquit titulo beneficii, vel quovis alio tenetur solùm ad celebrationem tali loco, vel tempore, & non ad applicationē Sacrificii, nihil huic obligationi præjudicat applicando alteri Sacrificium, & accipiendo stipendium; neq; ex alia parte similiter præjudicat ei, à quo stipendium accipit, dum ei integrè Sacrificium applicat, quod alio titulo celebrare, sed non applicare tenebatur, nec alio quovis jure id vetitum est. Decretum enim S. Congregationis, ut diximus, intelligi debet de Sacerdotibus, qui aliis titulis celebrare tenebantur cū applicatione Sacrificii ad aliorum intentionē, ut colligitur ex ipsa serie, & tenore legis in ea materia editæ,

ARTICULUS TERTIUS.

De stipendio, quod pro celebratione Missæ accipere licet.

75 COnveniunt Doctores, & Catholici omnes Sacerdoti licitum esse pro sacro faciendo stipendium accipere, sivè per modum annui redditus cum onere celebrandi, sivè per modum manualis eleemosynæ pro singulis Missis, ut moris est; quod satis patet ex communissima Ecclesiæ praxi ex mente omnium Prælatorum, ac Summorum Ponificum, & ex generali doctrina Christi in Evangelio Matth. 10. & Apostoli 1. ad Corint. 9. undè sumptum est illud *Qui altari servit, de altari vivere debet*, atque ideò in Concilio Agathensi definitum est Sacerdotes licitè, & justè posse accipere certum pro Missa stipendium. In assignanda autem ratione hujus rei non omnes eodem modo loquuntur, communior tamen, & facilior modus dicendi est, licitum esse stipendium illud accipere pro vitæ sustentatione, sivè ex toto, sivè ex parte, quia dignum certè est, ut qui aliquid in alterius gratiam facit, sivè in ministerio spirituali in alterius bonum occupatur, ab eo sustentetur, hic enim titulus abundè sufficit ad justificandam hanc stipendii acceptionem, & communiter à Doctoribus approbatur, quia ex Evangelico l. c. deducitur, licet aliqui alios titulos, rationesque quæsierint; & hanc rationem præsertim assignat Scotus 4. d. 5. q. 2. in fine, ubi ait, quod habens parvulum baptizandum, quem Sacerdos non vult baptizare, nisi vendendo actum baptizationis, potest emere à Sacerdote talem actum, non inquantum est quid Sacramentale, sed potest emere laborem Sacerdotis in illo actu, sicut conducuntur Sacerdotes ad celebrandas Missas, non ut ipsi vendant, & alii emant actum celebrationis, inquantum est quid Sacramentale, quod absit, sed ipsi vendunt laborem, & alii emunt illum, quia oportet unumquemque de suo labore taliter qualiter victitare, & vitam acquirere. Quod fusiùs declaravimus suprà disp. 14. q. 3. a. 2. tradendo regulam generalem, & à Doctoribus communiter receptam, qua in quovis casu particulari dignosci possit, an simonia committatur, nec ne; undè fit nullam hìc intervenire simoniam, cùm stipendium nulla ratione exigatur, aut detur in pretium rei sacræ, vel ministerii sacri, sed tantùm pro vitæ sustentatione ex eo debita, quod alteri spiritualia ministrentur, non enim est simonia occupari in ministrando spiritualia sub onere, ut alter sustentationem præstet; idque licitè facerè possunt non solùm Sacerdotes pauperes, sed etiam divites, ut l. c. dicebamus, & communiter etiam Doctores advertunt, nam etiam Sacerdos aliundè dives adhuc jus habet se sustentandi ex altaris ministerio, si velit, etiamsi aliundè habeat, undè ali possit, hoc enim est per accidens, nec impedire potest, ne Sacerdos accipiat id, quod sibi ex natura rei debetur, cùm nemo etiam dives suis stipendiis militare teneatur. Ita Cajetan. Sylvester, Suarez, Vasquez, Navarrus, Coninchius, Caspensis, Bonacina, & alii passim, quia nimirùm stipendium illud non accipitur titulo eleemosynæ ad paupertatem supplendam, sed titulo justæ sustentationis propter opus in alterius gratiam factum, ac proindè non minus digni sunt mercede sua Sacerdotes aliundè divites, quam pauperes. Conveniunt tandem Doctores stipendium justum, & condignum pro Missæ celebratione illud censendum esse, quod lege communi Prælati, vel Episcopi, & communi Ecclesiæ consuetudine taxatum est, ac prudenti hominum existimatione, vel judicio, sicut contingit in aliarum rerum pretii taxatione, quæ pecunia æstimari solent. His præsuppositis, ut communiter concessis, plura dubia circà hujusmodi stipendium controverti solent, quæ hodiè cessasse videntur post decreta S. Congregationis Concilii jussu Urbani VIII. edita anno 1625. ac proindè breviter expediemus.

76 Primò dubitatur. An pro unica Missa Sacerdos pauper possit accipere tot stipendia, quot sufficiunt ad ejus diurnam sustentationem. Affirmabant Scoto, Arragonius, Nugnus, & plures alii ex eo principio quod Missa sit valoris infiniti extensivè, ac proindè pluribus applicata tantundem singulis prosint; Negabant Suarez, Vasquez, & alii suprà citati q. præced. a. 2. magis communiter, vel ex oppositio principio, quod missa sit valoris finiti extensivè, itaut pluribus applicata certus ejus fructus singulis per partes distribuatur, ut nos quoque magis ibidem approbavimus ex Scoto quol. 20. quoad satisfactionis effectum, vel etiam admissa illa valoris infinitate, quia adhuc Sacerdos titulum non habet percipiendi duplex stipendium pro sui sustentatione, supposito quod unum sit congruum, & proportionatum. Sed quicquid sit stando in jure naturali, jam modò controversia hæc est decisa ex jure positivo in prædictis decretis de celebratione Missarum, in quibus graviter cuilibet Sacerdoti interdicitur, sivè dives sit, sivè pauper, pro una Missa plura accipere stipendia, & ideò modò ità omninò observandum est; non quasi per hoc damnata sit prior opinio suo antiquo statu, ut advertit Aversa sect. 17. cit. sed quia ipsa lege positiva illius usus, & praxis est prohibitus, sicut passim prohiberi possunt, & solent alia, quæ alioqui stando in solo jure naturæ licita erant; verba autem prædicti decreti sunt ista: *Sacra Congregatio sub obtestatione divini judicii mandat, ac præcipit, ut absolutè tot Missæ celebrentur, quot ad rationem attributæ eleemosynæ præscriptæ fuerint, itaut alioquin ii, ad quos pertinet, quæ obligationi non satisfaciant, quinimo graviter peccent, & ad restitutionem teneantur*; & ità etiam jam pridem docuit ex nostris Nicolaus de Orbellis 4. d. 13. quæst 4. ubi ait obligatum ad dicendum Missam pro uno non sufficienter solvere debitum dicendo Missam pro ambobus, nam qui tenetur ad majus bonum non satisfacit solvendo minus bonum, sed ex suppositione tenetur iste ad dicendum duas missas ex obligatione, qua se singillatim cuilibet obligavit; ergò non satisfacit dicendo missam pro ambobus. Imò quia aliqui dixerunt posse Sacerdotem satisfacere per unam Missam, si plura diminuta stipendia acceptavit, nisi oppositum expressè promiserit, & præsertim in casu, quo Sacerdos nimia coactus inopia ea diminuta stipendia acceptavit; declarat ulterius S. Congregatio, & præcipit, ut omninò tot Missæ dicantur, quamvis recepta stipendia sint exigua, & incongrua, sivè Sacerdos expressè promiserit, sivè tacuerit, neque excipitur, quando Sacerdos ex nimia inopia diminutum stipendium acceptavit; sed pro tot diminutis stipendiis, tot missas, quot fuerunt requisitæ, ex integro celebrare debet.

77 Secundò dubitatur, an possit Sacerdos duobus stipendiis à duabus personis acceptis satisfacere unica missa, applicando uni partem solitam, & alteri suam partem, quæ ipsi celebranti correspondet. Affirmarunt aliqui, quos refert Diana tom. 1. tract. de celeb. Missarum resol. 14. quia præter valorem specialem pro iis, quibus missa applicatur, censetur habere alium pro ipsomet celebrante, in quantum offert, & hunc ipsum valorem dicunt posse quoque pro aliis applicari, atque ideò potest Sacerdos pro applicanda hac sua parte aliud stipendium accipere; idque ait Aversa l. c. etiam post edita decreta admitti à Bartholomæo de S Fausto. Peirino, Bordone, & aliis dicentibus æquivalere, & sufficere valorem, & fructum unius Missæ ad hunc effectum; vel saltem æquivalere, & sufficere fructum trium missarum, hoc est, si partem sibi correspondentem in tribus missis applicet Sacerdos pro una missa debita. Alii tamen id verius negant, ut Suarez, Bonacina, Aversa, Caspensis, Lugo, & alii passim, & ratio id convincit, quia vel illam partem in alium Sacerdos transferre non potest, vel certè res est valdè dubia, & nescitur an habeat effectum etiam quoad satisfactionem ex opere operato; at qui dat stipendium pro Missa, valorem certum sibi applicari intendit, non autem incertum, & dubium, & sub opinione Doctorum manentem, & præsertim post prædictum Congregationis decretum nulla de hac re potest esse dubitatio, cùm prohibeatur unquam unica missa duobus stipendiis satisfacere etiā cum onere restituendi, & præcipit expressè; *ut absolutè tot Missæ celebrentur, quot ad rationem attributæ eleemosynæ præscriptæ fuerint*. Addit tamen Aversa l. c. quod si ii, qui stipendia tribuunt vel diminuta, vel etiam integra, contenti sint, ut per unam Misam illi satisfiat, sivè applicatione valoris, & fructus ad eundem Sacerdotem spectantis, sivè etiam absque ea, tunc id sanè licebit, quia scienti, & volenti non fit injuria. Hinc minimè placet, quod novissimè scripsit Ludovicus à S. Raimundo par. 2. tract. 2. de stipendio Missæ resol. 1. asserens, ut verius, & probabilius absolutè fructum specialem Missæ Sacerdo-

cerdoti correspondentem esse applicabilem ab ipso pro aliis personis, & consequenter posse Sacerdotem pro dicta applicatione stipendium distinctum accipere ab eo, quod accipit pro applicatione fructus soliti non obstante decreto Urbani Octavi de celebratione Missarum. Hoc enim est aperire viam avaritiæ quorundam Sacerdotum, & abusibus, quos Sacra Congregatio prædicto decreto præcludere omninò intendit, qui passim contingebant in stipendiis accipiendis pro Missarum celebratione, dum præcipit expressè, *ut absolutè tot Missæ celebrentur, quot ad rationem attributæ eleemosynæ præscriptæ fuerint*, ubi ponderanda est particula illa *absolutè*, tali enim generali, & absoluto loquendi modo prohibet etiam, ne possit Sacerdos duplex stipendium pro una Missa accipere applicando uni personæ partem solitam, & alteri suam partem. Nec valet quod inquit, cum prædicta lex sit pœnalis, potiùs restringendam esse, quàm ampliandam juxtà regulam juris in 6. Non valet, inquam, quia regula illum locum habet, quando lex penalis non absolutè, & generaliter aliquid prohibet, sicut prohibet in proposito, nulla limitatione admissa, vel tergiversatione, hæc enim erat Sacræ Congregationis intentio.

78 Tertiò dubitatur, an Sacerdos, qui Missas dicendas suscepit, possit posteà aliis Sacerdotibus dicendas dare, retenta sibi parte stipendii accepti, & dato illis stipendio quidem justo, sed inferiori; & ratio dubitandi est, quia cùm det alteri Sacerdoti stipendium justum pro Missa celebranda, licitè videtur hoc posse facere. Nihilominùs id etiam in prædicto decreto expressè interdicitur, & præcipitur, ut totum acceptum stipendium Sacerdoti celebraturo reddatur his verbis: *Ac similiter omne damnabile lucrum ab Ecclesia removere volens prohibet Sacerdoti, qui Missam suscepit celebrandam tunc certa eleemosyna, ne eandem Missam alteri, parte ejusdem eleemosynæ sibi retenta, celebrandam committat*. Non tamen per hoc intelligitur prohiberi, quo minus beneficiatus habens pinguiorem redditum pro certis Missis celebrandis, possit excessum sibi retinere, dato alteri consueto stipendio; nec enim tenetur dare stipendium alteri Sacerdoti celebranti ad rationem redituum beneficii, sed sufficit quod det eleemosynam congruam, ut ipsamet S. Congregatio declaravit, quę hoc intelligit solùm de Sacerdote, qui ab aliquo superabundans stipendium pro Missa accepit, in tali casu tenetur integrum stipendium alteri Sacerdoti tribuere, cui vult Missam remittere. Item nec prohibetur, quo minus Ecclesiarum administratores exiguam aliquam partem justi stipendii retinere possint pro expensis, quas faciunt in ordine ad easdem Missas, dum alios non habent redditus ad id sufficientes, ut eadem Sacra Congregatio declaravit. Petes, si Sacerdos alteri Missam dicendam committat, quam ipse accepto stipendio dicere debebat, & alter Sacerdos partem stipendii ei remittat, & contentus sit parte aliqua, an possit tunc primus retinere sibi partem ex voluntate condonantis. Affirmant Lugus, Diana, Aversa, & alii, & quidem sætis probabiliter, quia sicut posset merè gratis secundus Sacerdos celebrare, ut primum liberet ab onere suscepto, quo casu condonat illi totum stipendium acceptum, sic posset à fortiori condonare partem, ac proindè prædicto decreto non prohibetur, quominus possit dari alteri Sacerdoti diminutum stipendium ad celebrandum, retenta sibi parte, quando alter scienter, & sponte consentit; volenti enim, & scienti nulla fit injuria. Hoc etiam minimè placet, quod ait Bordonus resol. 25. quæst. 18. ubi inquit etiam post decretum Urbani tradentem stipendium taxatum, retenta sibi parte minori, aut majori non peccare mortaliter, nec ad restitutionem teneri, quia nulli infertur damnum, neque injuria, sed solùm fit contrà simplicem prohibitionem, quod non potest esse nisi peccatum veniale, & hoc non intelligit solùm in una, aut paucis Missis, sed absolutè, & absque ulla limitatione; quod planè admittendum non est, quinimò, ut ait Aversa loco cit. si quis pro magno Missarum numero recipit ab alio integra stipendia, & alterum Sacerdotem decipiat dicendo se non accepisse nisi dividiata, eumque hoc dolo ad ea acceptanda inducat, grauiter peccaret, & ad restitutionem obligaretur; si tamen patefacta veritate eum inducat, ut sciens, & volens consentiat, sic juxtà prędicta excusari poterit.

79 Quartò, quoniam ut supra dictum est triplex est hujus sacrificii fructus, primus est, ut cōferat gratiam, & peccata remittat modo jam explicato qu. præc. art. 1. sicque dicitur propitiatorium; secundus est, ut nobis impetret bona, quæ petimus, & sic dicitur impetratorium, tertius est, ut satisfaciat pro peccatis, & pro pœnis eis debitis, & sic dicitur satisfactorium; quæritur modo, an Sacerdos possit pro vna Missa duplex stipendium accipere à diversis personis applicando uni fructum impetrationis, & alteri fructum satisfactionis. Affirmant aliqui, quia contingere potest, & de facto multoties contingit, ut duæ personæ petant eidem Sacerdoti, ut pro eis unam Missam celebret, & una petat, ut celebret Missam pro defuncto, & alia, ut illam Missam celebret pro salute alicujus infirmi; in tali autem casu prima petit tantum fructum Missæ satisfactorium, cùm anima in Purgatorio existens non sit capax fructus impetratorii; alia verò solùm petit impetrationem, & non satisfactionem; cùm ergò isti duo fructus impetrationis, & satisfactionis sint realiter distincti, & separabiles, utrique obligationi satisfaciet Sacerdos dicendo, v.g. Missam de Spiritu Sancto, vel de B. Virgine, & applicando uni personæ fructum Missæ impetratorium, & alteri satisfactorium ex accepto ab eis stipendio; ità Marchinus de Sacram. Ord. tract 3. p. 3. c. 16. ubi alios suppresso nomine refert. Communis tamen, & vera sententia negat, & ratio est, quia qui dat stipendium pro Missa censetur velle fructus omnes, qui ab ea procedunt, tàm impetratorium, quàm satisfactorium, nam interrogatus, utrumque velle sine dubio responderet, & stipendium pro utroque est sufficiens; ergò Sacerdos ex justitia tenetur applicare utrumque fructum danti tale stipendium.

Confirmatur, quia Sac. Congreg. in allato decreto de celebratione Missarum expressè præcipit, ut Sacerdotes absolutè tot Missas celebrent, quot ad rationem attributæ eleemosynæ præscriptæ fuerint, & cum generaliter, & absolutè loquatur, generaliter, & absolutè intelligi debet, ut diximus; ergò stante suprà dicto decreto nō potest Sacerdos etiam in casu posito duplex stipendium accipere à diuersis personis pro ejusdem Missæ applicatione. Ad rationem prioris opinionis licet aliqui concedant posse Sacerdotem se obligare ad unum fructum Missæ, & non ad alium de consensu, & voluntate largientis eleemosynam pro missæ celebratione, ut Bordon. loc. c. quia fructus illi sūt realiter distincti, & separabiles; absolutè tamen, & absque ejus consensu id nullatenus Sacerdoti licet, quia tribuens eleemosynam habet jus ad utrumque Missę fructum, & uterq; illi debetur ratione stipendii dati, & utrumq; sibi vult applicari saltem implicitè, atq, ideò Sacerdoti non licet velle se obligare ad unum Missę fructum, & non ad alium absq; scientia, & consensu explicito tribuentis. Ità Navarr. Bonac. Possevin. Tambur. Pellizar. Lezana, Ludouico à S. Raymundo, & alii passim.

80 Quintò dubitatur an omissio unius Missę, pro qua acceptum est stipendium à Sacerdote, sit peccatum mortale. Negant aliqui dicentes Sacerdotem omittentē unam Missam celebrare, pro qua stipendium accepit, non peccare mortaliter, sed tantum venialiter ob parvitatem materiæ, & damni illati, quia stipendium regulariter loquendo notabilem furti materiam non attingit, ità Sanchez lib. 1. *de Matrimonio* disp. 5. nu. 25 cum quii busdam aliis. Communis tamen, & vera opinio affirmat omissionem unius Missæ, pro qua receptum est stipendium, esse peccatum mortale; ratio est, quia obligatio in Sacerdote consurgens ex acceptatione stipendii est de genere justitiæ, & ad justitiam commutativam reducitur, ità quod si opus non adimpleatur, onus restitutionis relinquatur, censeturq; hæc obligatio ità gravis, ut Sacerdos accepto stipendio non celebrans mortaliter peccet, etiamsi alioquin stipendium acceptum notabilem furti materiam non attingat, licet enim damnum pecuniæ non sit graue, damnum tamen spirituale per priuationē debiti fructus Missæ est satis grave; quia dictus Sacerdos per talem omissionem privat eum, qui dedit ei pro Missę celebratione stipendium justum, fructu ipsius Missę, quo ipse dans stipendium à Deo impetrabat vel beneficium aliquod, vel liberationem alicujus animæ à pœnis Purgatorii; atqui hoc totum est quid graue, & consequenter omissio illa gravis est, utpotè tertiam personam privans beneficio gravi spirituali; ergò Sacerdos per talem omissionem mortaliter peccat contrà virtutem justitiæ, siquidem ratione pacti initi cum persona illa justum stipendium ei dante pro tali Missæ celebratione, pro illa dictam Missam celebrare tenebatur; quamvis enim propriè commutatio dici non possit inter Missam, quam Sacerdos veluti dat, & stipendium, quod accipit; tamen intantum justè accipit stipendium in sui sustentationem, inquantum Missam celebrat in beneficium dantis stipendium, ideoq; si juxtà illius intentionem non celebrat, injustè stipendium retinet, & ad restitutionem tenetur; ex qua doctrina ruit prioris sententiæ fundamentum, quia gravitas omissionis dictæ Missæ non est pensanda cum stipendio, seù eleemosyna data pro tali Missæ celebratione, sed cum privatione fructus ipsis Missæ impetratorii, & satisfactorii, quæ privatio est in materia graui spirituali debita ex justitia. Ita Petrus Navarra, Aragonius, Alphonsus de Leone, Bonacina, Aversa, Ludovicus à S. Raymundo, & alii communiter.

81 Postremò quæritur, an Sacerdos possit accipere plura stipendia, quibus non nisi post longum tempus satisfacere possit Circà hoc in citato decreto S. Congregatio decrevit, & prohibet, ne accipiantur eleemosynæ pro Missis, nisi oneribus antè susceptis satisfactum sit, vel ut in declarationibus ejusdem decreti explicatum fuit, nisi infrà modicum tempus possit

omni-

omnibus satisfieri, vel qui dat eleemosynam sciat, & consentiat, ut toto illo tempore celebratio differatur, donec aliis satisfiat; ex consensu enim partis benè potest celebratio Missarum quantumcunque diferri, quia scienti, ac volenti non fit injuria; ad paucos etiam dies potest diferri, quia non est mora notabilis. Quid autem intelligendum sit per modicum tempus, seù quanta intelligatur modica dilatio pro qualitate hujus materiæ, Ledesma, Villalobos, Diana, Lugus, Aversa, Caspensis censent ad quinquaginta, vel sexaginta dies, & Poncius noster addit septuaginta, ità scilicet, ut per tot diebus possit anticipatè Sacerdos stipendium Missarum accipere; addit tamen Aversa quæst. 11. cit. sect. 18. quod est valdè advertendum pro urgentia rerum posse contingere, ut etiam unius diei dilatio sit nimia, ut si quis hoc manè Missam petat pro lite eadem die dicenda, pro infirmo agonizante, periclitante, & similibus, itaut præter gravem culpam dilationis teneretur etiam Sacerdos restituere stipendium transacta jam indigentia Missæ. Speciâliter autem pro suscipiendo onere Missarum in perpetuum sub certo stipendio singulis, vel certis diebus celebrandorum, in iisdem decretis Sacræ Congregationis duæ conditiones distinctè injunguntur; una est, ne id onus suscipiatur, nisi de Superioris licentia, nimirum Episcopi in Ecclesiis sęcularium, & Generalis, vel Provincialis in Ecclesiis Regularium, qui Superiores accuratè considerare debebunt, si attentis aliis similibus oneribus, & numero Sacerdotum tali Ecclesię inservientium locus remaneat nova onera Missarum suscipiendi, & adimplendi; altera conditio est, ne pecunia pro tali onere assignata expendatur, sed omninò in aliquo fundo fructifero cum expressa oneris mentione implicetur, ut indè perpetuus similiter census pro futuris temporibus percipiatur. Reliqua ad hoc sacrificium spectantia facillima sunt, & apud Auctores communiter, ac sufficienter declarata.

DISPUTATIO XX.

DE MATRIMONII SACRAMENTO.

1 AM diximus disputat. 16. quæst. 4. agendo de ordine tractationis Sacramentorum parum referre, quo ordine quis tractaverit de Sacramentis in particulari, cùm nullus talis ex natura rei assignari possit, nisi ut initium talis tractatus à Baptismo desumatur, utpotè qui est janua omnium Sacramentorum, & Sacramentum pertinens ad generationem spiritualem animarum, & finem attingat in Sacramento extremæ Unctionis, utpotè pertinente ad finalem præparationem pro transitu ex hac vita ad aliam. Et quoniam ibidem diximus quædam Sacramenta esse omnibus, & singulis simpliciter necessaria, ut Sacramenta Baptismi, & Pœnitentiæ, utpotè ad primam gratiam conferendam instituta, Baptismum quidem pro culpa originali delenda, pœnitentiam verò pro actuali delenda in adultis, si post susceptum Baptismum illos peccare contingat; quædam verò esse toti Ecclesiæ communitati simpliciter necessaria vagè tantùm, non determinando personas, qualia sunt Sacramenta Ordinis, & Matrimonii. Quamvis lib. 4. sentent. ultimo loco de hoc Sacramento agemus, placuit hìc de ipso agere immediatè post disputationem de Sacramento Ordinis, ob hanc convenientiam, quam invicem habent, quod sunt necessaria vagè non determinando personas; de hoc autem Sacramento discurremus breviter repetendo ibi dicta ad moralitatem spectantia, & alia addendo ibi prætermissa, ut fecimus in præcedentibus disputationibus.

QUÆSTIO PRIMA.

De essentia, & Institutione Matrimonii.

2 MAtrimonii nomine, quod etiam conjugium, & Conubium appellari solet, intelligitur legitima viri, & mulieris conjunctio individuam vitæ societatem continens, ut docet Chatechismus Romanus part. 2. cap. 1 esse autem licitum, ac honestum contrà quosdam Hæreticos in pluribus Conciliis est definitum Grangensi cap. 11. can. 8. Brachar. can. 11. Tolet. 1. & aliis, expresè enim docuit Apostolus 1. Corinth. 7. *Qui Matrimonio jungit Virginem suam, benè facit, & si nupserit Virgo, non peccabit*, imò Scotus 4. dist. 26. quæst. un. nedùm ex relatis, sed etiam ex naturalibus fusè demonstrat Matrimonium, etiam ut à Sacramento præscindit, esse actum licitum, & honestum, quia nimirum est medium proportionatum ad finem per se bonum, & honestum, scilicet, ad filiorum procreationem, & generis humani propagationem eo modo, quo decet humanam naturam; solet autem dividi matrimonium in legitimum, ratum, & consummatum; legitimum dicitur illud, quod legitimo consensu inter personas non impeditas contractum est, quale olim erat ante Christi Domini adventum, & quale etiam nunc est inter Ethnicos, & infideles. Ratum in se includit legitimum, & addit rationem Sacramenti, per quod majorem acquirit firmitatem, & indissolubilitatem, qua ratione dicitur ratum, ut docet Innoc. III. in cap. *Quanto* de divortiis, dùm inquit: *Etsi matrimonio verum inter infideles existat, non tamen est ratum*, quia ut ait Glossa, dissolvi potest; inter fideles autem non tantùm legitimum, sed & ratum existit, quia habet rationem Sacramenti, ac proindè est indissolubile. Matrimonium tandem dicitur consummatum, quando reali corporis usu, & legitima conjugum copula perficitur, & completur.

ARTICULUS PRIMUS.

An Matrimonium sit Sacramentum, & in quo essentialiter consistat.

3 PRimò conveniunt Doctores, quod sicut in prima mundi conditione matrimonium à Deo institutum est, tanquam officium naturæ, cùm dixit conjungens Adam cum Eva Genes. 2. *Relinquet homo patrem suum, & matrẽ suam, & adhærebit uxori suæ, & erunt duo in carne una*, ut fusè Scotus ostendit 4. d. 26. cit. sub lit. H. & Q. & nos cum ipso 4. disp. 7. qu. 1. art. 2. ità in ipsius mundi instauratione per Christum facta Sacramenti dignitas illi adjuncta est, itaut Matrimonium, quod inter fideles legitimè contrahitur, sit ex ipsius Christi Domini institutione verum, ac propriè dictum novæ legis Sacramentum; & hæc est veritas de fide definita in Concil. Flor. in decretis Eugenii, & in Trid. sess. 24. cap. un. & can. 1. damnantur, qui dixerint non esse Sacramentum novæ legis; & eadem veritas constat ex universali, & perpetua Ecclesiæ traditione à tempore Apostolorum, & ex SS. Patrum testimonio, qui Matrimoniũ Sacramenti nomine vocant, eiq; propriũ Sacramentũ effectum tribuunt, scilicet, gratiæ collationem, undè August. lib. de fide, & operibus ca. 7. inquit *in Ecclesia nuptiarum non solum vinculum, verum etiam Sacramentum ità commendatur, ut non liceat viro uxorem suam alteri tradere, & lib. de bono conjugali* c. 18. *in nostrarum nuptiis plus valet sanctitas Sacramenti, quàm fecunditas uteri*, & Ambros. lib. 1. *de Abraham* cap. 7. ait *eum, qui conjugii thorum polluit, peccare in Deum, ejusque gratiam solvere, ac Sacramenti cœlestis amittere consortium*, & Cyrillus Alexandrinus lib. 2. in Jo. cap. 22. vocat nuptias sanctas, & ait Christum sua institutione sanctificasse principium nostræ nativitatis, & in ipsius nuptiis præparasse gratiam hominibus nascituris. Tandem etiam ratione suadetur, nam cœremonia externa cum significatione rei sacræ, & cum annexa promissione gratiæ est Sacramentum; matrimonium autem in lege Evangelica est hujusmodi, nam externa contractus celebratio viri cum fœmina efficiens obligationem perpetuam est cæremonia externa, & signum sensibile; adest etiam rei sacræ significatio, quæ duplex est, una est conjunctio

ctio Christi sponsi cum Ecclesia, altera verò est conjunctio viri cum fœmina per dilectionem, & christianam charitatem, ut significat Paulus ad Ephes.5. *Viri diligite uxores vestras, sicut Christus Ecclesiam*, ubi etiam verba illa subdit. *Sacramentum hoc magnum est*, quibus verbis Tridentinum ait loc.c. insinuari, quod matrimonium sit Sacramentum. Quando autem Christus hoc Sacramentum instituerit, Doctores non eodem modo discurrunt, quamplures dicunt Christum hoc Sacramentum instituisse in nuptiis Canæ Galileæ Jo. 2. eo quod aliqui Patres doceant Christum sua præsentia tunc nuptias sanctificasse; sed planè in ea functione nihil prorsus de Matrimonio Christus protulit, ut fecit, quando alia Sacramenta instituit. Quarè Scotus loco cit. inquit hujus Sacramenti institutionem planiùs non posse deduci, quàm ex illis verbis à Christo prolatis Matth. 19. *Quod Deus conjunxit, homo non separet*; licet enim ibi tantum approbaverit contractum institutum Gen. 2. & per consequens illum ibi non instituerit; instituit tamen Sacramentum, seù illum contractum ad dignitatem Sacramenti evexit, quod potest accipi ex illo verbo, quod additur, *Quod Deus conjunxit, homo non separet*, ut non intelligatur ibi conjunxisse pro instituisse præcisè contractū matrimonii, sed conjunxisse tunc gratiosè per institutionem Sacramenti concomitantis illum contractum conjungentem. Ità Doctor ibi sub litt. K. quam sententiam tenet etiam Sanchez lib.2. disput.4. & alii plures apud ipsum.

4 Secundò ad declarandum, in quo essentialiter ratio Matrimonii consistat, notat Doctor loc.cit.sub litt.O. vers. *De quinta conclus.*: ut diximus qu.1. cit. art.1. ab initio tria in matrimonio distingui debere, seù matrimonium tripliciter sumi posse. Primò pro vinculo inter conjuges, quod consistit in relatione mutuæ obligationis, seù dominii, & servitutis, quia hinc indè corpora traduntur in potestatem in ordine ad finem contractus, quæ relatio est moralis, seù rationis materialiter, & permanens. Secundò sumitur matrimonium pro ipso contractu in fieri, ex quo manat vinculum illud, tanquam ejus effectus, & consistit in actione illa transeunte contrahendi inter conjuges; undè matrimonium hoc secundo modo sumptum se habet ad matrimonium primo modo dictum, sicut causa in fieri, quemadmodum generatio ad paternitatem, vel potius sicut baptizari, & ordinari ad charecterem. Tertiò tandem sumitur pro Sacramento, seù signo sensibili causante gratiam, & est similiter in fieri, & simul est, & non est cum matrimonio secundo modo sumpto, ideoque non semper manet, nec in aliquo permanenti consistit; addit autem Doctor acceptionem hujus vocis matrimonii esse æquivocam, si ponatur æquè primò illa importare, sed hoc minimè asserendum esse ait, sed potius dicendum, quod hoc nomen absolutè prolatum directè, & principaliter significat primum, hoc est, vinculum ipsum jam explicatum in recto; alia verò duo, non nisi ut connotata, & in obliquo, itaut pro secundo dicatur contractus matrimonii, & pro tertio Sacramentum Matrimonii, ubi non est constructio intransitiva, sed transitiva; & hæc acceptio matrimonii, itaut obsolutè prolatum supponat pro vinculo permanenti inter conjuges, conformior est modo loquendi Canonum, & Conciliorum; undè Tridentinum sumit matrimonium pro ipso vinculo in cap. doctrinali, & in cap.1. de Reform. Matrim. sess.24. & seq. & etiam communiter Doctores dicunt matrimonium consistere in vinculo. Quia tamen in communi modo loquendi matrimonii nomen ad illa tria significanda extendi solet, ideò quando quæritur, quid sit matrimonium, & in quo ejus ratio formalis consistat, seù definitio, melius est declarare prius, de quo matrimonio sit sermo, seù in qua acceptione, an, scilicet de matrimonio, quod est contractus civilis tantum, an de eo, quod etiam est Sacramentum, an tandem de illo, quod est vinculum ex contractu ortum; quarè ad rem magis declarandam, & confusionem evitandam assignat Doctor tres matrimonii definitiones juxtà triplicem ejus acceptionem jam declaratam.

5 Tertiò itaque definit Doctor loco cit. Matrimonium, ut supponit pro vinculo hoc Modo, Matrimonium *est vinculum indissolubile inter marem, & fœminam ex mutua translatione potestatis corporum suorum in se invicem facta ad procreandum prolem benè educandam*, quæ definitio optima est, quia datur per omnia quatuor causarum genera; per causam formalem, dum dicitur *vinculum indissolubile*, per materialem dum dicitur *inter marem, & fœminam*, per efficientem, dum dicitur *ex mutua translatione*, & tandem per finalem, dum additur *ad procreandam prolem*. Quarè essentia matrimonii, ut est quid permanens, consistit in vinculo illo perpetuæ obligationis, seù juris dominii mutui inter marem, & fœminam, quod ex contractu translationis ortum est, & mutua corporum traditione; & ratio est, quia in matrimonio nihil est permanens, nisi vinculum, quod in mare, & fœmina mutuum permanet usque ad mortem ex 1. Corint.7. *Mulier alligata est legi quanto tempore vir ejus vivit, & mulier non habet sui corporis potestatem, sed vir, neque vir habet sui corporis potestatem, sed mulier*; patet ergò hoc solum vinculum in matrimonio esse quid permanens, contractus enim, & civiliter, & Sacramentaliter consideratus transit. Ex quo sequitur conjunctionem hanc maritalem non esse ipsam copulā carnalem, quia hæc etiam est transiens, & antè illam est verum, & legitimum matrimonium, imò sine copula potest per totam vitam durare, ut patet de matrimonio S. Joseph cum B. Virgine, neq; etiam esse præcisè puram animorum conjunctionem, quia hæc etiam inter fratres, & amicos reperiri solet; sed in eo consistere, quod ex mutuo consensu, per quem semel facta est dominij corporum mutua translatio, uterque conjux jus habet, & potestatem utendi corpore alterius ad actum conjugalem, quæ potestas, & jus potest aliquando quoad actum secundum impeditum remanere, vel ad tempus, vel etiam ad totam vitam; quarè copula frequens non se habet, tanquam pars essentialis, & intrinseca matrimonii, sed se habet tanquam complementum, & consummatio matrimonii, undè conjuges per copulam matrimonium consummare dicuntur, ac proindè distingui solet in ratum, & consummatum, ut diximus, & quamvis de ratione matrimonii consummati sit copula, quia per hanc propriè consummatur, & completur, tamen absque hac subsistit matrimonium, quod dicitur ratum. Aliqua tamen est difficultas inter Doctores, quid importet hoc vinculum, ut habet vim denominandi contrahentes ligatos, quamdiù vivunt, quædam enim dixerunt esse relationem aliquam realem ex contractu prævio inter conjuges resultantem; alii verò dicunt esse relationem rationis, quia actio præterita consensus non inducit vinculum ex natura actionis physicæ, sed qua moralis est, & subest legi, & institutioni. Sed planè ut diximus loco cit. nec oportet, nec expedit hoc vinculum matrimoniale explicare per relationem verè, & propriè realem, non per relationem verè, & propriè rationis; sed potius explicandum est per denominationem realem extrinsecam ex ipsomet contractu præterito derivatam; hoc enim per se sufficit, quia ex vi illius verè, & propriè conjuges manent inter se colligati cum dicto dominio, & subjectione, neque ad id opus est alia relatione, aut forma reali distincta, ut fusè loco cit. ostendimus.

6 Quartò deindè definit Doctor matrimonium secundo modo sumptum, nempè pro ipso contractu in fieri dicens, quod *Contractus matrimonii est maris, & fœminæ mutua trāslatio corporum suorum pro usu perpetuo ad procreandam prolem debitè educandam*; Hæc etiā definitio recta, & sufficiens censeri debet, ut diximus loco citat. quia constat exgenere, & differentia absque ulla superfluitate, & consequenter essentiam matrimonii declarat hoc secundo modo accepti, ut à quocumque alio contractu distinguitur, ut patet per singulas particulas discurrendo; dicitur *translatio*, quia in hoc convenit, tanquam in genere cum quocunque alio contractu, quilibet enim contractus fundatur in *do, ut, des*, mutua autem translatio explicat hanc mutuam dationem omni contractui communem; *corporum suorum* designat materiam hujus contractus, ut à cæteris discernitur: *Maris, & fœminæ*, personas contrahentes significat, quia alii non sunt capaces hujusmodi contractus; reliquæ tandem particulæ usum, & finem hujus contractus explicant; ergo hæc definitio est bona, quia translatio tenet locum generis, ea autem quæ transferuntur dicto modo, scilicet, pro usu perpetuo, & ad prædictum finem, scilicèt ad procreandam prolem, sunt differentiæ translationis eam contrahentes ad hanc speciem cōtractus, cùm igitur allata definitio hæc omnia explicet, recta, & sufficiens censeri debet, & cum ea coincidit definitio Matrimonii consueta in jure Canonico, & Civili ex Alexandro Tertio desumpta in cap. *Illud quoque de præsumption.* quod est: *conjunctio maritalis viri, & mulieris inter personas legitimas individuam vitæ consuetudinem retinens*, quam etiam Magister sent. assignavit, & Scotus approbat d. 27. q. 1. nam per ly *Conjunctio* explicatur Matrimonium in ratione contractus, uniuntur enim per volvntates mutuas, per ly *Maritalis*, excluditur conjunctio fornicaria, per ly *viri, & mulieris*, excluduntur personæ ejusdem sexus, quæ non sunt Matrimonii capaces, & dicitur in singulari, quia matrimonium debet esse unius tantùm cum nna; per ly *inter legitimas personas*, excluduntur, qui aliqua lege prohibentur Matrimonio copulari, hìc enim contractus fit tantùm in personas habiles secundùm leges. Denique additur *individuam vitæ consuetudinem retinens* ad explicandum vinculum indissolubile, quod oritur ex tali contractu, & per quod Matrimonium ab aliis contractibus differt, quorum vinculum mutuo contrahentium sensu dissolvi potest, hoc verò minimè, quod etiam insinuatur in definitione ex Scoto allata per illa verba *pro usu perpetuo*, ideſt, vita durante ob vinculi indissolubilitatem; hæc indissolubilitas est huic contractui adeò necessariò cōne-

nexa, ut Matrimonii vinculum etiam antequam elevaretur à Christo ad esse Sacramentale erat insolubile, & tale etiam fuit ab initio in lege naturæ, ut Doctor advertit d. 31. lit. D.

7. Quintò, tandem definit Doctor loc. cit. Matrimonium tertio modo sumptum, nempè prout supponit pro Sacramento dicens, quod Sacramentum Matrimonii est *expressio certorum verborum, vel signorum æquivalentium maris, & fœminæ ad se invicem significantium traditionem mutuæ potestatis corporum ad prolem debitè procreandam, ex institutione divina efficaciter significans gratiam conferendam mutuò contrahentibus ad conjunctionem mutuam animorum gratiosam.* Quia etiam definitio perfecta est, cum explicet omnia ad hoc Sacramentum Matrimonii essentialia; dicitur enim *expressio certorum verborum, vel signorum*, quia Sacramentum Matrimonii fundatur in contractu matrimoniali, qui consistit in prædicta expressione interni consensus per actus externos, & sensibiles, ut patet ex proximè dictis. Cùm verò additur: *Ex institutione divina efficaciter significans gratiam, &c.* specificatur Matrimonium sub ratione Sacramenti, & discernitur à Matrimonio infidelium, & antiquorum temporum, quod non est, nec erat propriè Sacramentum, nec conferebat gratiam; & ratio Sacramenti in nostro Matrimonio propriè consistit in virtute ei à Christo collata ad conferendam gratiam contrahentibus, sicut suscipientibus alia Sacramenta, & cùm dicitur hoc Sacramentum ex institutione divina efficaciter significare gratiam conferendam contrahentibus, significatur quod sit signum sensibile conferens gratiam sanctificantem ex opere operato, quæ est ratio generica Sacramentorum novæ legis. Cùm verò additur: *ad conjunctionem mutuam animorum gratiosam*, denotatur finis, & differentia hujus gratiæ Sacramentalis, ut discernitur ab aliis Sacramentis, quia gratia baptismalis est ad regenerandum, gratia Confirmationis ad roborandum in fide, & sic de aliis Sacramentis, quæ sicut contrà differentes morbos viatoris sunt instituta, ita gratiam conferunt ad hunc, vel illum finem; Matrimonium verò ad finem designatum, & proprium in ordine, scilicet ad benè ferenda onera matrimonialis contractus; quia per hoc quod Sacramentum istud conferat gratiam sanctificantem, & aliàs gratias, & auxilia ad finem prædictum, significatur differentia ipsius in fine ab aliis Sacramentis, quæ per se ad hoc non sunt instituta; de quo effectu loquitur Doctor d. 26. cit. sub littera N. sed ad alios fines valdè diversos, ut patet tractando de singulis Sacramentis.

8. Denique ex his satis constat rationem hujus Sacramenti cõsistere in contractu, & in ipso præcisè fundari, non autem in vinculo, & in actu illo transeunte, non in effectu permanente atque ideò esse solùm Sacramentum in fieri, non autem deinceps in facto esse; nam solùm ille contractus, & actus transiens institutus est, & elevatus, tanquam medium ad conferendam gratiam, non verò vinculum ex illo actu resultans, & deinceps permanens. Ratio est, quia quod libet Sacramentum ex institutione Christi suo usu gratiam confert, at vinculum matrimoniale suo usu non sanctificat; aliàs dicendum esset, quod quoties conjuges in statu gratiæ coirent, & actum matrimonialem exercerent, toties gratiam novam acciperent, non solùm ex opere operantis, sed etiam ex opere operato, quod est apertè falsum; nequaquam enim putandum est per ipsam copulam dari ex opere operato Sacramentalem gratiã, aut alium spiritualem effectum, & quoties iteratur copula, dari ex opere operato aliud gratiæ augumentũ, & hic est cõmunis Theologorum sensus, ut videri potest apud Coninchium, Aversam, Caspensem, & alios in cujus probationem addi solet, quod dicitur cap. *Conubia*, 32. quæst. 2. ex Origene h. 6. in Numer. *Non tamen tempore illo, quo conjugales actus geruntur, præsentia Spiritus Sancti dabitur.* At alia plura ad hunc punctum de essentia Matrimonii spectantia, vide disp. 7. cit. qu. 1. art. 1. ubi in fine articuli etiam explicamus quomodo, Sacramentum Matrimonii sit unum.

ARTICULUS SECUNDUS.

De Materia, forma, & Ministro Matrimonii.

9. PRimò omissis variis Theologorum super hac quæstione sententiis, quas exactè discussimus disp. 7. cit. qu. 2. diximus ibi art. 1. n. 53. probabiliorem esse, quæ docet materiam hujus Sacramenti esse corpora contrahentium, mutuò tradita, vel tradenda, formam verò esse verba eorundem, vel alia signa externa æquivalentia sufficienter exprimentia consensum; quam etiam diximus esse de mente Scoti d. 26. cit. de materia quidem in calce quæstionis ad 2. ubi ait, contrahentes esse materiam; de forma verò sub lit. L. ubi ait, quod verba contrahentium hinc indè expressiva consensus, vel alia signa externa æquivalentia sunt una forma unitate integritatis, quia sunt unum signum integrum respectu contractus, & respectu gratiæ. Idem sentit D. Bonav. 4. d. 26. par. 2. quæst. 1. ubi ait, quod semper vir, & muiler fuerunt materia hujus Sacramenti, & D. Thom. d. 41. qu. 3. art. 2. ubi in corpore quæstionis ait, quod debitam materiã hujus Sacramenti facit personarũ legitimitas, & debitam formam expressio consensus interioris per verba. Hoc idem sentiunt Scotistæ passim Bassolius, Almainus, Tataretus, Brancatus, & alii, quos sequitur magna Recentiorum caterva, Vasquez, Ponce. Meratius, Hurtad. Caspensis, Layman, & alii quamplures; & evidenti ratione probatur, quia ut sæpè ibi dictum est, Christus Dominus in nullo penitus naturam hujus contractus immutavit, sed solùm ad statum Sacramenti evexit, ut esset gratiæ collativum; eadem ergò materia, & forma erit in hoc contractu assignanda, quæ in aliis contractibus civilibus assignari solent, quæ Sacramenta non sunt; clarè autem constat in aliis contractibus materiam esse eam, de qua contrahitur, & inter contrahentes convenit, & formam esse mutuum contrahentium consensum signis externis, & sensibilibus expressum, sic in contractu venditionis res ipsæ, quæ venduntur, sunt materia contractus, ut equus, vel domus, & forma est consensus ipse, ut verbis, vel aliis signis externis expressus. Cùm ergo eadem sit materia, & forma Matrimonii, quatenus Sacramentum est, & quatenus contractus, concludendum est in hoc Sacramento consensum verbis, vel aliis signis expressum esse formam, materiam verò esse corpora contrahentium, ut mutuò tradita, vel tradenda; & sicut in aliis contractibus materia eorum debet esse legitima, idest, non impedita lege aliqua, sic etiam in Matrimonii contractu corpora debent esse legitima, hoc est, non impedita, vel naturali, vel humana lege, de quibus impedimentis, infrà erit sermo. Confirm. quia hæc sententia valdè quadrat verbis Eugen. in decreto fidei Conc. Flor. ubi dicit omnia Sacramenta tribus perfici, rebus tanquam materia, verbis tanquam forma, & intentione Ministri, nam juxtà hanc sententiam res sunt corpora contrahentium, forma autem sunt verba eorum consensum exprimentia; posteà verò loquendo de hoc septimo Sacramento, quod est Matrimonium, causam ejus efficientem, assignavit dicens, quod *causa efficiens Matrimonii regulariter est mutuus consensus per verba de præsenti expressus*, & cùm in aliis Sacramentis materiam, & formam designasset, abstinuit ab assignanda materia, & forma hujus Sacramenti; non tantùm ob varias Theologorum opiniones in hoc puncto, sed præsertim, quia cum hoc Sacramentum rationem contractus supponat, illam supponit Eugenius esse materiam, & formam Matrimonii, ut Sacramentum est, quæ fuerit illius, ut contractus est, tantumque assignavit causam Matrimonii efficientem.

10. Secundò, quia discrepant etiam hujus probabilioris sententiæ Auctores in assignanda proxima hujus Sacramenti materia, diximus de indè, loc. cit. num. 54. probabiliorem modum dicendi in hoc puncto esse eorum, qui dicunt corpora contrahentium esse materiam remotam, & circà quam contractus matrimonii; traditionem verò, & acceptationem corporum, non quidem verbalem, sed realem, esse materiam proximam. Ratio est, quia omnia Sacramenta habent esse in fieri, excepta Eucharistia, atque ideò etiam matrimonio talis materia assignari debet, quæ in fieri consistat, sed nequit melius alia constitui, nisi traditio illa sicut enim in Baptismo, & Confirmatione, Ordine, & extrema Unctione actio, & cum materia remota exercetur, dicitur materia proxima; idem pariter dicendum est de corporum traditione in matrimonio; & sicut in aliis donationibus, & commutationibus dicitur verè, & realiter quis tradere, cùm explicat de præsenti suam rem alteri transferre, & tamen datio non est consensus, quia hic est causa dationis, neque uerba, quia hæc exprimunt eam, sed actualis, & realis externa translatio; ità in matrimonio discurrendum est. Et sicut in donationibus regulariter intervenit actus aliquis tangendi rem datam in signum possessionis, sic etiam hìc intervenit manuum tiacto, qua possessus corporum mutuò datur, & fides perpetua exprimitur, hæc ergò realis datio, ut distinguitur à verbali est, matrimonii materia proxima, jtà Hurtadus disp. 3. diffic. 21. Brancatus noster disp. 23. art. 3. & 4. & plures alii. Dices, omnia alia Sacramenta per verba perficiuntur, ut patet ex Conc. Florent. in prædicto fidei decreto, ubi etiam Eugenius de matrimonio loquens expresè ait per verba de præsenti perfici; ergo sola verba sunt de essentia formæ Sacramenti hujus, nec alia signa externa æquivalentia sufficiunt. Deindè Ecclesia nequit mutare materiam, & formam Sacramentorum, sed potest Ecclesia variare materiã prædictã, quia potest utriusque consensum de habili ad contrahendum inhabilem reddere, & è contrà; ergo &c.

11. Respondemus loc. cit. negando paritatem de hoc, & aliis Sacramentis, quia alia Sacramenta in elementis fundantur, vel aliis rebus, at matrimonium consistit in contractu ejusdem omninò rationis cum eo, qui inter homines fieri solet, neque Christus Dominus illum ullo modo immutavit, vel ejus

ejus naturam alteravit, se solùm ad statum Sacramenti euexit, undè cùm etiam per nutus fieri soleat, & alia signa à verbis diversa sic etiam remansit. Neque Eugenius in eo decreto absolutè dixit matrimonium per verba de præsenti perfici; sed addidit particulam *regulariter*, per quam indicari voluit hoc Sacramentum etiam nutibus, vel per epistolam perfici posse absolutè loquendo, atque adeò verba præcisè non esse de ratione, vel constitutione formæ istius Sacramenti; nec aliter dici potest, quia surdis, & mutis permittitur contrahere, & frequenter in hoc contractu matrimoniali contrahentes à Parocho interrogantur, an consentiant, quibus sufficit innuere, quod sic, ut ait Trid. sess. 24. cap. 1. Ad aliud dicendum est matrimonium ab Ecclesia variari posse ex ea parte, qua est contractu, humanus & lib. hac enim ratione ejus potestati subiicitur; non autem ex ea parte qua est Sacramentum, & gratiæ collativum, hoc est inquantum est signum sensibile, & practicum gratiæ sanctificantis. Christus autem non aliam materiam, & formam pro hoc Sacramento instituit nisi illam, quam habet, ut contractus est, itaut matrimonium semel institutum sub ratione contractus ab humana potestate habet ex divina institutione, quod sit Sacramentum, & retineat pro materia, & forma eandem omninò, quam habebat, ut contractus; neque Ecclesia statuere potest, ut id, quod pro contractu matrimonii est materia, forma, & Minister, non sit etiam pro eo, ut Sacramentum est.

12. Tertiò quoad aliam quæsiti partem, quis sit hujus Sacramenti Minister, quamvis non desint, qui putaverint esse Sacerdotem, vel Parochum, quia actio Sacramentalis est sacra, & ideò minister etiam debet esse sacer; vera tamen, & communis sententia, ut diximus q. cit. art. 2. oppositum docet; Parochum, scilicet, non esse hujus Sacramenti Ministrum, sed ipsos contrahentes, quod etiam expresè docuit Scotus dist. 26. cit. sub litt. M. versic. *de ministro est aliud dubium*, ubi ait, quod ipsimet contrahentes sibi ipsis ministrant hoc Sacramentum, vel mutuò, vel uterque sibi, integrant tamen unum Ministrum, ut suprà dixerat de unitate formæ. Et hoc etiam expresè deducitur ex doctrina decreti fidei Eugenii Quarti jam citati, ubi ait, quod *causa efficiens matrimonii regulariter est mutuus consensus per verba de præsenti expressus*, quibus verbis significat nullam aliam esse causam efficientem vinculi matrimonii præter mutuum contrahentium consensum, ideoque Sacerdotem non esse hujus Sacramenti Ministrum, sed solos contrahentes. Probatur etiam ratione ex natura ipsius contractus deducta, circà quem nihil immutatum est, nisi quod ad rationem Sacramenti in lege Evangelica fuit elevatus; hoc Sacramentum in contractu consistit, contractum autem non Sacerdos, sed ipsi contrahentes celebrant; ergo non Sacerdos, sed ipsi contrahentes sunt Ministri ipsius Sacramenti, vel ut ajebat Doctor loc. cit. sunt ambo unus Minister totalis integraliter, & duo partiales, quia sic concurrunt ad efficiendum contractum. Neque Concilium Trid. sess. 24. cap. 1. assistentiam Parochi requirit, tanquam Ministri Sacramentum conficientis, sed tanquam conditionem necessariam ad validitatem contractus, ac proindè verba illa, quæ profert, *Ego vos conjungo* non pertinent ad formam hujus Sacramenti, sed ex Ecclesiæ instituto adhibentur ad contractũ mutuum ipsorum contrahentium comprobandum, undè sensus illorum est, ego vos declaro conjunctos, vel approbo conjunctionem vestram maritalem, nam verè antè hæc verba Parochi jam peractum est Sacramentum, sicut & contractus in ipso mutuo consensu expresso contrahentium, nec rursus aliter, nec alio modo Rituale Romanum administrationem hujus Sacramenti tribuit Parocho, nisi inquantum debet in ipso contractu assistere, ac posteà benedictionem solemnem impertiri. Neque obstat, quod actio Sacramentalis sit sacra, hinc enim nõ sequitur necessariò Ministrum quoque ejus esse debere sacrum, ut patet in baptismo, quem tamen etiam laici validè conferre possunt. Dices, contrahentes sunt materia hujus Sacramenti, ut suprà dictum est; ergo non possunt esse Ministri, consequentia patet ex paritate aliorum Sacramentorum, in quibus Minister nunquam potest esse materia, tùm quia materia non coincidit cum efficiente ex communi Philosophorum axiomate. Resp. negãdo consequentiam cum ejus probatione, dispar enim est ratio aliorum Sacramentorum, quia alia non consistunt in contractu personæ Ministri, sicut matrimonium, ideoque materia, & minister in hoc Sacramento coincidunt; illud verò axioma philosophicum licet sit verum, ut in pluribus, non tamen universaliter etiam in physicis, ut patet de agentibus actione immanenti, omnes enim potentiæ vitales suos causant actus, eosq; recipiunt.

13. Quartò addendum est ulterius, ut etiam diximus loc. c. contrahentes non tantùm esse Ministros hujus Sacramenti, quando per seipsos immediatè contractum efficiunt Matrimonii, sed etiam quando fit per procuratores, vel per litteras, aut internuncios, quod validè fieri posse mox dicemus, ità Vasquez Ponce, Hurtadus, & alii Recentiores. Ratio est, quia tunc etiam ipsi sunt, qui mortaliter contrahere dicuntur, quamvis enim Procuratores, & non ipsi, physicè consensus eliciant, & eos exprimant, quia tamen virtute principalium, & ex eorum commissione, & nomine eos eliciunt, & exprimunt, non autè pro seipsis, & nomine proprio, ideò ipsi principales dicuntur absolutè contrahere, & non procuratores, nisi cum addito, nempè instrumentaliter, seù ut ministri instrumentales. Quod si quando matrimonium fit per procuratores, adhuc ipsi conjuges sunt Ministri contractus, & Sacramenti: tantò magis id asserendum erit, quando contrahunt per epistolam, & nuncios, quia tunc ipsi sunt, qui non tantùm moraliter, sed etiam physicè consentiunt exprimendo consensũ per epistolam, ac proindè quando contractus fit per epistolã, consensus conjugũ, & scripturæ, quibus exprimuntur, ad essentiã contractus, & Sacramenti pertinent, & quando fit per nuncios, cõsensus conjugum, & verba nuncii nomine ipsorum prolata pariter etiam ad contractus, & Sacramenti essentiam spectant, ut advertit Hurtadus disp. 3. diff. 22. Verum an inter absentes matrimonium validè contrahi possit est aliqua difficultas, quamvis enim conveniant Doctores contractum matrimonii antiquitus validè celebrari potuisse in absentia per Procuratores, ut constat ex c. *fin. de Procuratoribus in 6.* ad huc tamen opiniati sunt aliqui post Conc. Trid. validè fieri non posse inter absentes per Procuratorem hujusmodi contractum, ubi ejus decretum de matrimonio publicatum est, & receptum; quia nimirum Concilium ad valorem matrimonii etiam sub ratione contractus requirit, ut omninò coram Parocho, & testibus contrahitur, quod quidem per eosdem cõtrahentes immediatè fieri debet, & non potest fieri per Procuratorem, vel epistolam; nam Concilium hanc regulam tradit, quod *Parochus viro, & muliere interrogatis, & eorum mutuo cõsensu intellecto dicat, ego vos in matrimonium conjungo*, ubi planè supponit ambos contrahentes debere per se, & immediatè, ac præsentialiter adhibere, & exprimere consensum suũ, non autem mediante procuratore, vel internuncio, aut per epistolam. Alii verò licet gratis concedant posse validè, & licitè, etiam stante decreto Concil. Trid. contrahi Matrimonium per procuratorem, vel internuncium, aut litteras, adhuc tamen negant talem contractum baptizatorum in absentia factum, quamvis validum, habere rationem Sacramenti, & esse gratiæ collativũ, quod probant ex paritate aliorum Sacramentorum, nam pœnitentiæ Sacramentum requirit præsentiam pœnitentis ad absolvendum, quia in ejus forma dicitur: *Ego te absolvo*, & similiter Baptismus, & alia Sacramenta ob eandem rationem, sic etiã in Matrimonio dicitur *Ego te accipio in Conjugem*, ergo etiam in ipsa præsentia contrahentium requiritur, pro qua sententia citantur Cajetanus, Canus, Victoria, uterque Ledesma, & alii, sed his non obstantibus pro resolutione.

14. Quintò, dicendum est validè celebrari Matrimonium inter absentes per Procuratorem, epistolam, vel nuntium, & in ratione contractus, & in ratione Sacramenti; Ita statuimus cum communi, & vera sententia q. 2. cit. art. 3. & est de mente Doctoris 4. d. 26. lit. M. ubi docet Matrimonium posse celebrari per alium nomine contrahentium, & loquitur de Matrimonio, tam sub ratione contractus, quam Sacramenti, & d. 27. q. 2. ad 2. vbi dicit, quod ad contractum Matrimonii sufficit parentes contrahere pro filiis, & sufficeret sine quibuscunque verbis contractus per lit. siquidem in alii contractibus emptionis, & venditionis, firmior contractus habetur in lit. quàm in verbis nudis, & an in tali contractu salvetur quoq; ratio Sacramenti, se remittit ad ea quæ dixerat d. 26. concl. 4. & quidem quod sit validum Matrimonium inter absentes celebratum sub ratione contractus constat ex c. vlt. cit. de Procuratoribus, in 6. & c. *Honorantur* 32. q. 2. eaque dispositio etiam post Tridentinum locum habere potest, siquidem Concilium circà hoc nihil innouavit, sed tantùm aliquid addidit ex parte formæ ad tollendos abusus, & fraudes, & modus ille interrogandi contrahentes, & dicendi illa verba: *Ego vos in Matrimonium conjungo*, ponitur à Concilio tanquam ordinarius, & consuetus, nam in rigore loquendo sufficit, si proferatur, & exprimatur consensus absque ulla interrogatione, nec ulla verba Parochi sunt de essentia hujus contractus; præterquam quod, quando intervenit Procurator, potest à Parocho interrogari de consensu pro suo principali, & de facto ità practicatur, quando contractus fit per Procuratorem, quod Procurator coram Parocho, & testibus dicit, talis accipit te in uxorem, mediantè me, aut ego nomine talis, verbi gratia, Petri accipio te in illius uxorem, aut alio simili modo, quo aptè exprimatur consensus sui principalis. Ad hoc autem ut Matrimonium per Procuratorem validè contrahatur, tres requiruntur conditiones, ut habetur in di-

dicto c. finali de procuratorib. in 6. Prima est, ut Procurator habeat speciale mandatum ad Matrimonium nomine alterius contrahendum. Secunda est, ut id exequatur per se ipsum, & non per alterum à se substitutum. Tertia est, ut hujusmodi commissio non revocetur antè contractum Matrimonium, etenim si alter conjugum talem commissionem revocasset, Matrimonium non subsisteret, ut fusiùs declaramus l. c. & eodem modo potest etiam contractus Matrimonii per epistolam validè celebrari, ut patet ex l. *Mulierem* ff. de ritu nuptiarum, quia per epistolam potest quis proprium consensum coram Parocho, & aliis testibus exprimere, & ex tunc per eundem alterius consensum, si verè consentiat, coram eisdem acceptare, quod sufficienter fiet his verbis scriptis, vel æquivalentibus. *Accipio te in meam Conjugem:* celebratur enim contractus per litteras eisdem verbis scriptis, quibus voce prolatis in præsentia celebrari solet. Tãdem validè etiam celebrari potest per internuncium, qui referat, & exprimat, ut nuntius est, nomine mittentis consensum ipsius dicendo: *Petrus v. g. mittit me, ut suo nomine nunciem tibi, ipsum te velle in uxorem.* Ét his casibus, quando nimirùm contractus Matrimonii per epistolam, vel nuncium celebratur, ille cui mittitur epistola, vel nuncius exprimens consensum ipsius mittentis, etiam debet suum consensum, & acceptationem traditionis sibi factæ à mittente exprimere ipsi mittenti, vel per alteram epistolam, vel per nuncium, quia illi facienda est expressio talis, sivè in sua persona per epistolam, sivè alteri ad id commissionem habenti, ut nuncius habere solet.

15. Denique quod Matrimoniũ inter absentes prædicto modo contractum sit etiam validum in ratione Sacramenti propriè dicti probatur, quia in Matrimonio sic celebrato concurrunt omnia ad substantiam Sacramenti servandam necessaria, scilicet, materia, forma, & intentio contrahentium; datur enim materia, nempè contrahentium corpora, datur legitima forma, utriusq; nempè consensus sufficiẽter expressus per signa, vel verba mandantis, quatenus per Procuratorem innotescunt, vel per epistolam, aut internuncium, intentionem contrahentium adesse supponimus; ergo nihil deest ad substantiam Sacramenti necessarium. Confirmatur, nam quotiescunque in Matrimonio salvatur ratio veri, & legitimi contractus, salvatur etiam ratio Sacramenti; quia ut sæpè dictum est, Christus in nullo prorsus naturam Matrimonii immutavit, sed illam ad rationem Sacramenti evexit, atqui in Matrimonio contracto inter absentes fideles, ac baptizatos salvatur ratio contractus naturalis, & civilis, ut constat ex modo dictis, & præterea à servari etiam possunt omnes conditiones posteà à Trid. statutæ, & præscriptæ, exprimendo nimirum prædictum consensum coram Paroco, & duobus testibus, interveniente etiam ipso Procuratore, vel nũcio; ergò nihil omninò deest, quin sit verum Sacramentum. Nec fundamentum oppositæ sententiæ urget ex paritate aliorũ Sacramentorum deductorũ, quia hoc est speciale in Sacramento Matrimonii, eò quod fundatur in contractu, ejusque naturã subsequitur, contractus autem ex sua natura præsentiam contrahentium necessariò non postulat, sed etiam potest inter absẽtes perfici. Et in aliis Sacramentis illa determinata verba cum illis pronominibus ex institutione Christi sunt de necessitate Sacramenti, & ad eorum veritatem requiritur presentia Ministrantis, & suscipientis; at illa verba *Ego accipio te Conjugem*, non sunt determinatè requisita, quia per quæcumq; verba, vel etiam signa consensum traditionis dominii corporum exprimẽtia potest Matrimonium perfici; hujusmodi autem consensus, & traditio, & consensus mutui expressio possunt esse inter absentes per Procuratorem, vel nuncium, vel epistolam. Neque dicas fieri posse, ut is, qui per Procuratorem contrahit, eo tempore, quo Procurator ejus consensum per verba de præsenti exprimit, sit in statu peccati mortalis; hoc enim non obstat, quin matrimonium illius sit verè Sacramentum, quamvis nullã ex eo gratiam recipiat ob dispositionis defectum in suscipiente. Alia plura ac hoc punctum spectantia loc. citat. videri possunt.

ARTICULUS TERTIUS.

Quæsita nonnulla resolvuntur.

16. PRimò quæritur, an Matrimonium etiam antè legem Evangelicam, & in omni populo fuerit Sacramentum. Extat quorundam opinio, ut diximus q. 1. cit. a. 3. qui putarũt ab ipso mundi exordio, & ex immediata institutione divina Matrimonium fuisse Sacramẽtum habens vim conferendi gratiam, & ità quidem primùm fuisse institutum à Deo inter Adamum, & Evam in statu innocentiæ, ac deindè post peccatum fuisse denuò reparatum ad talem statum Sacramenti ex meritis Christi prævisis, ac deinceps inter omnes populos ita fuisse, ac tandem fuisse in lege Evangelica à Christo Domino confirmatum, ità Alensis, Catherinus, Petrus Soto, Alphonsus de Castro, Albertus Pighius, & quidam alii, quod probant ex auctoritate veteris Testamenti, quia dum Genesis primo dictum est: *Masculum, & fœminam creavit eos, benedixitque illis Deus, & ait, crescite, & multiplicamini.* Illa benedictio otiosa censeri nõ debet, sed potiùs gratiam contulisse, & pro reliquis Conjugibus promisisse, & ideò singulariter hominibus data fuit, non aliis animalibus. Verùm jam diximus ibidem communem, & veram opinionem in Schola, tam Thomistarum, quàm Scotistarum, & Neotericorum esse, quod licet Matrimonium fuerit in omni lege, & apud omnes nationes honestum, & laude dignum in ratione contractus civilis, non tamen fuisse in omni lege Sacramentum, sed tantùm in Evangelica per Christi institutionem. Ita Doctor loco citato littera K. quod posteà in Tridentino Concilio definitum est sess. 7. his uerbis: *Si quis dixerit omnia septem Sacramenta non fuisse à Christo Domino instituta, anathema sit*, inter quæ Sacramenta etiam Matrimonium recensẽt, & sess. 24. can. 3. statuitur. *Si quis dixerit Matrimonium non esse verè, & propriè Sacramentum ex septem legis Evangelicæ à Christo Domino institutum neque gratiam conferre, anathema sit*, & etiã ibidem dicit, & subdit Matrimonium in lege nova conjugiis per Christum gratiam præstare, quod falsum esset, si Matrimoniũ in veteri lege verum fuisset Sacramentum, siquidem tunc etiã in illa lege gratiam contulisset. Idem etiam indicavit Concilium Florentinum in decreto Eugenii, ubi pariter definivit septem esse novæ legis Sacramenta à Christo instituta, inter quæ Matrimonium quoque connumerat, & de omnibus ait per hoc differre à Sacramentis veteris legis, quod nostra Sacramenta gratiam continent, & conferunt, & sic etiam loquuntur communiter Patres. Neque etiam dici potest saltem post Christi advẽtum matrimonium inter Infideles habere rationem Sacramenti; quia baptismus est janua omnium Sacramentorum, ac proindè nullus, nisi susceptò baptismo est Sacramentorum capax à Christo institutorum. Ad fundamentum autem oppositæ sententiæ negandum est, benedictionem illam Dei primis parentibus datam vim habuisse conferendi gratiam, aut sanctificandi, siquidem fuit solùm approbatio quædam divini operis in esse naturæ, undè etiam falsum est illam benedictionem fuisse hominibus singulariter datam, & non aliis animalibus, nam paulò antè creationem volatilium, & aquatilium pariter *benedixit eis dicens, crescite, & multiplicamini, & replete aquas maris, avesque multiplicentur super terram.*

17. Secundò quæritur, an matrimonium infidelium saltem, quando ambo conjuges baptizantur, evadat Sacramentum, cùm anteà simplex contractus esset. Affirmant quamplures, quorum aliqui docent sine ullo novo consensu, aut ratificatione fieri Sacramentum, & fundamentum est, quia contractus ipsorum præteritus non habuit aliud impedimentum, ut non fuerit Sacramentum, quàm quòd non fuerit baptizatorum; ergò cum contractus præteritus maneat moraliter, & sit baptizatorum, evadit statim Sacramentum post susceptum baptismũ; præsertim cùm tam congruum sit, quod illis provideatur de remedio hujus Sacramenti, ac aliis quibuscunque fidelibus ad ferenda Matrimonii onera, pro quo dicendi modo citantur D. Thomas, Paludanus, Hispalensis, Covarruvias, Sanchez, Becanus, & sequitur Aversa q. 1. *de Matrimonio* sec. 6. & ex nostris Poncius disp. 49. q. 3. Alii verò docent fieri Sacramentum, si interveniat novus consensus, seù ratificatio; & fundamentum est quia Matrimonium antè baptismum contractum poterat dissolvi, post baptismum autẽ non potest amplius dissolvi; ergò post baptismum fit Sacramentum, non potest autem fieri, nisi per novum consensum, vel ratificationem præcedentis. Ità Capreolus, Hæchius Bellarminus, Henriquez, Bonacina, Ledesma, Abellius, & sequitur ex nostris Brancatus disp. 13. art. 9. Oppositа sententia absolutè negat matrimonium contractum inter infideles posse unquam fieri verum Sacramentum, ità Vasquez, Sylvius, Coninchius, Ponce, Diana, Caspensis, Hurtadus, & sequitur ex nostris Hiqueus 4. d. 36. in Commentario n. 58. quam sententiam loc. cit. diximus esse probabiliorem, quia nullo ex duobus modis assignatis matrimonium jam inter infideles contractum fieri potest Sacramentum, quando baptizantur, & ad fidem convertuntur. Non quidem primo modo, quia essentia Sacramenti hujus annexa est contractui in fieri, non autem contractui in facto esse, vel moraliter permanenti, nec vinculo permanenti post contractum, hoc enim Sacramentum est quid transiens in fieri, & in actione consistens, cùm ergo contractus ille præteritus non fuerit inter baptizatos, dici nequit evadere Sacramentum, quando baptizantur, quia tunc actu non existit, sed fuit antè; Sacramenta namque tunc tantùm fiunt, quando applicatur materia,

ria; & forma eorum physicè; quando autem baptizantur infideles illi, non applicatur materia, & forma hujus Sacramenti, qui est mutuus conjugum consensus, juxtà primum dicendi modum; ergò tunc non conficitur hoc Sacramentum, nec præteritum matrimonium evadit Sacramentum; neque Baptismus illi vinculo concedit aliam firmitatem, nisi quod sit ratum, hoc est, non possit dissolvi undè fatemur vinculum Matrimonii consummati fieri per baptismum utriusque conjugis omninò indissolubile, non tamen Sacramentum, quia per Baptismum non applicatur materia, & forma necessaria hujus Sacramenti.

18 Quod autem neque secundo modo, hoc est, per interventum novi consensus, aut ratificationem prioris jam præteriti possit Matrimonium infidelium ad statum Sacramenti transire, probatur, quia nequeunt infideles illi de novo Matrimonium contrahere, cùm non possint sibi mutuò corpora tradere, quia neuter jam habet sui corporis potestatem, & nemo potest alteri tradere, quod suum non est; ergo Matrimonium inter infideles jam contractum non potest fieri Sacramentū per interventum novi consensus, vel ratificationem prioris; antecedens patet, consequentia verò probatur. Ideò enim Auctores secundi modi dicendi ad novum consensum recurrunt, vel ratificationem prioris, ut fingant novam materiam, & formam hujus Sacramenti; sed hic contractus non potest innovari, quia supponit contractus hujusmodi partes esse sui juris, quod de jam conjugatis dici nequit; cùm jam legitimum contractum celebraverint, qui non est suspensus, aut impeditus, neq; posito Baptismo amplius impediri potest, si est Matrimonium consummatum. Ex quo patet quid sit dicendum ad fundamentum utriusque modi dicendi primæ sententiæ, quando verò addebatur congruum esse, quod etiam infideles conjugati, & ad fidem conversi hujus Sacramenti remedium participent ad ferenda Matrimonii onera, quæ fuit utilitatis ratio, ob quam Christus hoc Sacramentum instituit; dicendum est magis videri rationi congruū, ut dicatur Deum per fidem, conversionem, & Baptismum eorum supplere gratiam, & auxilia, quæ solent conjugatis hoc Sacramento conferri ad onera Matrimonii ferenda, quàm ut detur gratia Sacramenti hujus nullo adhibito Sacramento. Et ex his tandem solutio alterius dubii deduci debet, an etiam quando unus solus convertitur, matrimonium anteà initum fiat Sacramentum, si enim quando ambo conjuges ad fidem convertuntur, matrimonium anteà initum non transit ad statum Sacramenti, ut hactenus ostensum est; tantò minus, & ob eandem rationem, quando unus tantùm ex conjugibus venit ad fidem, & baptizatur, ejus matrimonium rationem Sacramenti assumet, siquidem in utroque casu causa eadem militat ratio, ut consideranti patebit, licet oppositum doceant Aversa loco cit. & etiam Brancatus noster art. 10. ut consequenter loquantur ad sua principia.

19 Tertiò quæritur, an matrimonium fidelis cum infideli sit Sacramentum saltem ex parte ipsius fidelis; & difficultas procedit ex suppositione, quod inter baptizatum, & non baptizatum possit validè fieri matrimonium, obtenta nimirum dispensatione de contrahendo cum infideli; & quidem certum est non esse Sacramentum ex parte conjugis infidelis, quia iste est defectu baptismi aliorum Sacramentorum incapax, quarè est sola difficultas ex parte baptizati. Affirmant Soto, Catherinus, Echius, Rebellus, Aversa, & ex nostris Hiqueus, Poncius, & Brancatus; fundamentum est, quia potuit sic optimè institui à Christo Matrimonium in Sacramentum, ut semper quando contrahitur ab aliquo baptizato, atque ideò Sacramentum novæ legis capaci, verè fit in illo Sacramentum, etiamsi alter ex contrahentibus ob defectum baptismi non sit capax alterius Sacramenti, eratque hæc institutio rationabilis, quia perindè indiget talis fidelis contrahens cum infideli ope, & subsidio spirituali per auxilia gratiæ, ad quæ conferenda fuit à Christo data vis ipsi matrimonio, nec oportebat hanc vim subtrahi ob incapacitatem alterius contrahentis.

Confirmatur, quia de facto si ex duobus contrahentibus unus sit per peccatum mortale indispositus, & incapax ad recipiendum tunc effectum hujus Sacramenti, adhuc alter, qui est dispositus, & capax verè recipit totum effectum suum, qui ad eum spectat; ergò sic pariter in proposito potest habere vim conferendi gratiam in uno, qui est capax Sacramenti ratione baptismi, quamvis non in altero, qui sit incapax ob defectum baptismi, & ità in uno sit Sacramentum, & non in altero. Tandem, quia quamvis infidelis sit incapax hujus Sacramenti, adhuc tamen benè potest esse, ut ejus actio concurrat ad constituendam essentiam Sacramenti per modum materiæ, & formæ in altero conjuge fideli; sicut certè valet Sacramentum baptismi datum etiam ab infideli, & non baptizato servatis conditionibus ad valorem requisitis, quia ipsimet conjuges dicuntur hujus Sacramenti Ministri, & hoc Sacramentum conficere, ut supràdictum est.

20 Negant è contrà tale matrimonium etiam ex parte fidelis esse Sacramentum Vasquez, Henriquez, Sanchez, Coninchius, Isambertus, Hurtadus, Ponce, Caspensis, & alii Recentiores, quam sententiam loco cit. diximus esse probabiliorem. Fundamentum est, quia essentia hujus Sacramenti consistit in mutuo expresso consensu utriusque conjugis, & non unius tantùm, sed dùm alter est infidelis, seù non baptizatus, atque adeò incapax hujus Sacramenti, jam non potest adhiberi consensum aptum ad essentiam ipsius Sacramenti; ergò tale matrimoniū nec ex parte illius, qui baptizatus est, erit Sacramentum, cùm non habeat totam Sacramenti essentiam requisitam. Confirmatur, quia Christus Dominus in solo contractu integro hoc Sacramentum instituit, ut prædictum est; sed in solo baptizato non est integer, & perfectus contractus, sed in utroque conjuge; ergo in solo baptizato non habet rationem Sacramenti, & sicut matrimonium est unicus contractus duorum, sic etiam est unicum Sacramentum in ambobus conjugibus. Denique quia quamvis potuerit quidem hoc Sacramentum à Christo institui, ut quando contrahitur ab aliquo fideli, & baptizato, verè sit in illo Sacramentum etiamsi alter ex contrahentibus ob defectum baptismi non sit capax hujus Sacramenti, & potuit etiā facere, ut ipse consensus conjugis infidelis concurreret ad constituendam essentiam Sacramenti in altero conjuge fideli, quamvis ipse non suscipiat Sacramentum, sicut de facto valet Sacramentum baptismi datum etiam ab infideli, & non baptizato; quamvis inquam, hoc totum concedamus, nullam tamen habemus conjecturam, quod ità de facto sit institutum, imò potius oppositum deducitur ex Scripturis, Conciliis, & Patribus expressè docentibus solum contractum matrimonialem baptizatorum esse elevatum ad rationem Sacramenti; quarè concludendum est, quod si vera est illa propositio ex doctrina fidei, quod solus contractus inter baptizatos est elevatus ad rationem Sacramenti, contractus fidelis cum infideli non est Sacramentum etiam ex parte ipsius, quia talis non est contractus baptizatorum, seu inter baptizatos, sed est contractus baptizati cum infideli, & non baptizato.

21 Ad fundamentum primæ sententiæ patet ex dictis, quod utique poterat sic institui Sacramentum Matrimonii, neque negari potest, quod talis institutio rationabilis fuisset ob rationē ibi allatam, at non apparet ex Scriptura, Conciliis, & Patribus, quod sic fuerit institutum, sed potiùs oppositò modo, quia dicūt solum contractum inter baptizatos ad rationem Sacramenti elevatum esse. Neq; ob id fidelis infideli conjunctus destitutus esset auxiliis necessariis ad ferenda matrimonii onera, quæ per hoc Sacramentum conferri solent, nam adhuc in hoc casu illa haberet virtute fidei, & baptismi, ut suprà dicebamus de matrimonio infidelium, quando ambo baptizantur. Ad Confirmationem patet per idem, quod sicut de facto matrimonium inter fideles contractum confert gratiam uni, & non alteri obicem ponenti peccati mortalis; unde respectu illius remanet informe; ità etiam taliter institui poterat, ut inter fidelem, & infidelem contractum vim haberet conferēdi gratiam illi, & non isti, quia est incapax Sacramenti hujus ob defectum baptismi; at de facto non est ità institutum, quia ambo contrahentes debent esse baptizati, ut sit contractus Sacramentalis, cùm solum matrimoniū baptizatorum sit ad rationem Sacramēti elevatum, ut loquuntur Concilia, & Patres. Ad ultimum paritas ex Sacramento baptismi desumpta, quod potest etiam ab infideli conferri planè omninò claudicat, quia baptismus est Sacramentum necessitatis pro animarum salute, & ideò ità institutum est, ut valet etiā datum ab infideli, & non baptizato, servatis conditionibus ad valorem baptismi requisitis, non ità matrimonium; & quamvis talis fidelis contrahens cum infideli ope, & subsidio spirituali indigeat, ad quæ conferenda Sacramentum Matrimonii fuit à Christo institutum, hoc potest suppleri virtute ipsius fidei, & baptismi, ut suprà dictum est.

22 Quartò quæritur, an inter baptizatos possit celebrari matrimonium, quod non sit propriè Sacramentum, seu an inter fideles possit separari à matrimonio ratio Sacramenti, itaut sit tantùm contractus legitimus, & non Sacramentum, ut, v. g. si duo fideles haberent intentionem contrahendi matrimonium validum, non tamen faciendi Sacramentum, & hoc quia fortè sunt in peccato mortali, & nollunt committere aliud mortale per sacrilegium, faciendo, scilicet, & recipiendo Sacramentum Matrimonii in mortali. Negant Ledesma, Coninchius, Sanchez, Aversa, & communiter nostrates Hiqueus, Poncius, Brancatus, & alii Recentiores: fundamentum est, quia Christus inseparabiliter addidit contractui baptizatorum rationem Sacramenti, quod constare videtur ex Concil. Flor. & Trid. absolutè, & absque ulla limitatione dicentibus matrimonium baptizatorum

rum esse Sacramentum, cum igitur contractus Matrimonii ex Christi institutione intrinsece, & necessariò sit Sacramentum, non potest ex intentione contrahentium separari ratio Sacramenti à ratione contractus, undè volens, & intendens contractum, vult etiam implicitè, & intendit consequenter Sacramẽtum, ac proindè intentio in contrahentibus non conficiendi Sacramentum repugnat directè intentioni faciendi matrimoniũ, ut contractus est, quia ex institutione Christi inseparabilis est in Matrimonio fidelium ratio Sacramẽti à contractu matrimonii.

23. Affirmant alii inter baptizatos posse fieri, ut contrahentes ex suo arbitrio, & intentione ineant validum, & ratum matrimonium in ratione humani, ac civilis contractus exclusa ratione Sacramenti, si nempè intendant verè inter se contrahere, seque mutuò obligare, & sibi invicem dominum suorum corporum tradere, non tamen conficere, & suscipere Sacramentum. Ità Vasquez. Rebellus, Hurtadus, Caspensis, Ponce, Bonacina, Diana, & alii plures, fundamentum est, quia sine intentione Ministri nullum fit Sacramentum, ad ejus enim validitatem hæc tria concurrunt, materia, forma, & intentio Ministri, cùm igitur Ministri hujus Sacramenti sint conjuges ipsi, ut suprà dictum est, si non habent intentionem conficiendi Sacramẽtum, sed tantùm civilem contractum, planè talis contractus, estò validus, rationem Sacramenti non habebit. Et absque fundamento dicitur Christum ità inseparabiliter addidisse contractui baptizatorum rationem Sacramenti, ut deficiente ratione Sacramenti ex defectu intentionis conficiendi Sacramentum, vel aliter, instituerit contractum irritum evadere, hoc, inquiunt, dicitur sine fundamento, nam Christus evadendo matrimonium in Sacramentũ, ipsum contractum matrimonii in sua natura reliquit, & tantùm illi adjunxit significationem infallibilem gratiæ sanctificantis; ergò non repugnat dari inter baptizatos matrimonium validum, & legitimum in ratione contractus, non verò in ratione matrimonii. Concilia verò absoluta illa locutioue quod Matrimonium baptizatorum sit Sacramentum, tantùm indicare voluerunt, Christum omnem contractum Matrimonii baptizatorum validum absque aliqua exceptione in Sacramentum instituisse, quod non tollit posse non fieri Sacramentum, si desit intentio requisita, ficut contingere potest, quod ablutio, & prolatio verborum baptismi, quas absque exceptione aliqua Christus in Sacramentum instituit, ex defectu intentionis requisitæ non fiant Sacramentum.

24 Fatentur tamen relati Auctores conjuges in tali casu sacrilegium committere contrà reverentiam Sacramento debitã celebrando contractum absque rationem Sacramenti, quia id esset actionem Sacramentalem irritare, siquidem tenebantur etiam habere intentionem Sacramenti, cum Christus Dominus matrimonium in Sacramentum instituerit; sicut quilibet alius Sacramentorum Minister mortaliter peccat, dùm absque intentione conficiendi Sacramentum præstat id, quod Christus in Sacramentum instituit. Quænam autem harum opinionum sit probabilior, & magis de mente Doctoris nostri jam diximus loc. cit. in fine articuli deducendum esse ex his, quæ habet dist. 26. cit. sub lit. L. vers. *Sed hìc est dubium*, ubi formam hujus Sacramenti inquirit, & ibi totum ejus discursum ad verbum retulimus, ex quo discursus Hiqueus, & Brancatus deducunt primam opinionem esse magis de mente ejus, quia in ultimis verbis dicit, quod omnem contractum matrimonii legitimum concomitatur Sacramentum in lege Evangelica, ideſt, inter baptizatos, quia illud signum, quod requiritur ad contractum, est ex institutione divina hoc Sacramentum independenter à contrahentibus, & non ex eorum voluntate. Verùm notavimus ibi, quod quamvis in fine illius discursus ità loquatur Doctor, tamen ab initio etiam dixit, quod si pro forma hujus Sacramenti determinata sunt verba, sequitur etiam in lege Evangelica quandoque dari contractum sine Sacramento, cum contrahatur quandoque inter mutos sine verbis, & ait istud non esse absurdum, undè absolutè loquendo non videtur habere pro inconvenienti; quod in lege Evangelica dari possit in aliquo casu matrimonium in ratione contractus, & non Sacramenti, nec istud est absurdum, inquit Doctor, quia possibile est, quod usque ad legem Evangelicam frequenter contrahebatur, ubi tamen nunquam fuit Sacramentum propriè loquendo; quarè sic intelligendo Scoticum discursum probabilior esset de mente ipsius secunda opinio, quam prima, sed quia hic casus præcisionis contrahentium est purè metaphisicus, quoniam moraliter possibile non apparet, quod volens inire contractum talem nolit ipsum inire, ut Sacramentum, quænam harum opinionum sit probabilior, non determinavimus, sed prudentis lectoris judicio determinandum reliquimus.

QUÆSTIO SECUNDA.

De validitate Matrimonii.

25 CONveniunt DD. quatuor præsertim requiri ad Matrimonii validitatem. Primum est, ut contrahentes liberum præbeant consensum, illumque de præsenti per verba aliqua, aut signa exteriora exprimant, ut docet Catechis. Roman. p. 1. c. 8. Secundum est, ut consensus illius expressio fiat coram Parocho, & duobus, vel tribus testibus, ut expresse habetur in Conc. Trid. sess. 24. *de Reformatione Matrimonii*. Tertium est ætas pubertatis in utroque contrahentium, in mare quidem annorum quatuordecim completorum, in fœmina verò duodecim item completorum, ut habetur ex c. *Contmebatur*, &c. *Attestatione*, &c. ult. de dispensatione impuberum, ubi pueri, & puellæ antè dictam ætatem declarantur inhabiles ad matrimonium contrahendum, nisi malitia suppleat ætatem, & ob justam aliquam causam cum illis dispensetur. Quartum tandem ad validitatem matrimonii requisitum est, ut in contrahentibus nullum subsit impedimentum Canonicum, quod matrimonium contrahendum impediat, contractumque dirimat, de quibus impedimentis inferiùs suo loco dicemus, verùm quia circà prima duo requisita, præsertim aliquæ difficultates occurrunt, hìc breviter illas declarabimus ex jam dictis l. 4. disp. 7. cit. *de Matrimonii Sacramento* q. 3. & 4.

ARTICULUS PRIMUS.

De mutuo contrahentium consensu ad Matrimonium necessario.

26. PRimò quoad primam conditionem ad validitatem matrimoniii requisitam conveniunt Doctores, ut diximus quæst. 3. cit. art. 1. ad valorem contractus matrimonii mutuum consensum contrahentium necessariò requiri, itaut si ex parte alicujus contrahentium liber ille consensus desit, matrimonium sit nullum, ut patet ex decreto fidei in Conc. Florent. ubi Eugenius Quartus definit, quod *causa efficiens matrimonii est mutuus consensus per verba de presenti expressus*, & idem habetur c. *Tua* 26. de Sponsalibus, & deducitur ex natura ipsa, & speciali conditione hujus contractus, quicquid sit de aliis contractibus in quibus alioquin potest contrahentium consensus aliundè supleri; nec sufficit, quod consensus iste sit simplex quædam voluntas, & complacentia, sed esse debet volitio efficax, ut in dicto cap. *Tua* significatur; & ratio est, quia per matrimonii contractum dominium corporum invicem traditur, quod absque consensu efficaci tradi nequit. Nec sufficit, ut ex quacunque deliberatione procedat, sed ex plena deliberatione procedere debet ad peccatum mortale sufficiente, siquidem matrimonii contractus magni ponderis est, & momenti, utpotè dominii corporis translativus in alteram personam in ordine ad carnalẽ conjunctionem, & gravis obligationis inductivus in ipso transferente dominium, & hæc est communis doctrina in omni schola, quàm ex professo tradidit etiam Scotus 4. d. 26. lit. G. dist. 27. q. 2. & d. 28. 29. & 30. Et hic consensus, qui ordinariè ad validitatem matrimonii necessarius est, non potest suppleri per ullam humanam auctoritatem, undè nec Pontifex, nec ullus Princeps sæcularis potest quemquam cogere ad Matrimonium etiamsi appareat urgens necessitas, ut dicebamus loc. cit. cum communi Doctorum, quia Deus hoc sibi reservavit, & instituit absolutè contractum per consensum maris, & fœminæ, cui alligavit contractum, itaut sine illo iniri nequeat, undè quamvis Princeps Ecclesiasticus, vel sæcularis possit præcipere, ut vir, vel fœmina consentiant in matrimonium, tamen sine eorum consensu nullatenus eos potest maritali vinculo copulare, & ratio est, quia Respublica tantum habet potestatem suprà res, & corpora civium, quatenus publico bono expedit, at bono Communitatis minimè expedit, ut vir, & fœmina contrà eorum voluntatem, ac ipsis invitis matrimonialiter conjugantur, imò matrimonia sic inita infælices haberent exitus, nam conjugium suaptè natura ordinatur ad suscipiendam, & educandam prolem per mutuum amorem inter conjuges: nulla ergò humana potestas ad hoc se extendit, ut uni tradat dominium conjugale corporis alterius absque proprio eorum consensu, sed ipsimet homines habent singuli suorum corporum potestatem ad tradendum sui dominium in usum conjugalem, an verò saltem potestate divina possint vir, & fœmina absque proprio consensu in matrimonium copulari, suisè disputamus loc. cit. ad quem lectorem remittimus.

27 Se-

27 Secundò conveniunt Doctores ad hujusmodi contractum non sufficere consensum merè internum, sed requiri, ut exterius significetur, & exprimatur. Ità Theologi passim, & Juristæ, ut diximus q.3.cit.a.3.& Scotus noster 4.d.26. cit.lit.G. ubi loquens de actibus cõsentiendi maris, & fœminæ ait oportere istos actus per aliqua certa signa mutuò exprimi, alioquin neutri constaret de actu voluntatis alterius, & idem repetit d.27.q.2. Probatur ex Concil. Florent. in decreto Eugenii citato, ubi hæc expressio ponitur, tanquam pars essentialis, & constitutiva matrimonii; idem constat ex jure Canonico, & Civili, ubi passim hæc expressio intervenire supponitur, tanquam ipsius conjugii constitutiva, ut habetur c. *Licet*, & c. *Tuæ fraternitati*, & c. finali de Sponsalibus. Hoc etiam suadet ratio, quia matrimonium est humanus contractus, est enim mutua traditio, & acceptatio corporum ad usum conjugalem, at omnis humanus contractus per actus humanos, & ab hominibus perceptibiles fieri debet, alioquin ut inquit Doctor, neutri contrahentium constaret de actu voluntatis alterius, quoniam per voces, & signa externa conceptus interni manifestantur, est etiam matrimonium in lege nova Sacramentum; ergò non sufficit ad illud consensus merè internus, nisi externo, & sensibili signo sit expressus. Sed dubium est, nùm saltem ex dispositione divina posset constitui matrimonium solo interno viri, & fœminæ consensu absque alia expressione externa, sed Deo revelante utrique alterius consensum, & ità supplente humanam expressionem, in qua difficultate aliqui affirmant, ut Coninchius, & Aversa; alii negant; ut Sanchez, Ponce, Caspensis, & alii passim. Quam contentionem lo.c. diximus esse solùm de nomine, & quoad communem loquendi modum de matrimonio negantem sententiam esse probabiliorem: hic enim sermo est de matrimonio, & aliis contractibus inter homines ex natura rei, & spectata ipsa contractuum humana institutione; & in hoc sensu dicimus etiam ex divina dispositione non posse matrimonium constitui nec sub ratione contractus, nec sub ratione Sacramenti, solo interno viri, & fœminæ consensu absque alia expressione externa, sed Deo ipso utique revelante alterius consensum; at in alio sensu loquendo de contractibus, & Sacramentis, sicut spirituali modo inter Angelos constitui potuerunt, si Deus miraculosè efficeret, ut homines sibi invicem per conceptus loquerentur, ut Angeli loquuntur, planè negandum non est, internum consensum per signa intellectus tunc manifestatum sufficientem esse ad contrahendam obligationem, & vinculum matrimoniale; & per talem modum internum contractus posse Deum conferre gratiam, sicut nunc confert per actum externum sensibilem. Hoc autem non tollit, quin ex ipsa naturali coutractuum institutione inter homines necessaria sint signa externa sensibilia, quandoquidem natura nos animo, & sensu constare volvit, & non alio modo intelligere, quam per sensus.

28 Tertiò conveniunt rursus Doctores verba non esse simpliciter necessaria ad valorem hujus contractus, sed ad hunc sufficere nutus, & alia signa externa verbis æquivalentia, & sufficientia ad exprimendum consensum internum; omnes enim concedunt verba non esse in omnibus necessaria, nam benè potest iuter surdos, & mutos contrahi matrimonium per alia signa, & nutus, ut habetur. c.cit. *Tuæ* de Sponsalibus, ubi dicitur surdos, & mutos contrahere posse sine verbis, & hoc idem Scotus insinuat d.26.lit.L. & adhuc expressius d.28.q.1. ubi movens dubium de contractu matrimonii, an possit fieri sine verbis, sed aliter, affirmativè respondet. Hoc autem intelligendum est de valore matrimonii, non tantùm sub ratione contractus, sed etiam Sacramenti, quoniam in c.cit. *Tuæ* de Sponsalibus sermo est de matrimonio, quod etiam sit Sacramentum inter fideles, & hoc idem insinuat Florentinum in decreto Eugenii, ubi loquens de Sacramento matrimonii ait regulariter per verba perfici, significans per illam particulam *regulariter* posse etiam in aliquo casu aliter perfici, per nutus, scilicet, & alia signa verbis æquivalentia; sed difficultas est, an in potentibus loqui requirantur verba de necessitate Sacramenti, aut saltem ex præcepto. Affirmant aliqui Juristæ speciali jure Ecclesiastico necessaria esse verba in potentibus loqui ad valorem matrimonii, & necessitate Sacramenti, eo quod in prædicto cap. *Tuæ* apertè dicitur, quod *necessaria sunt quantum ad Ecclesiam verba consensum exprimentia de præsenti;* Quidam verò Theologi, licet non admittant ea esse necessaria necessitate Sacramenti, dicunt tamen esse necessaria necessitate, & obligatione præcepti, quia saltem ille textus in c. *Tuæ* satis indicat necessitatem præcepti. Ità Sylvius, Ledesma, Rodiriquez, Aversa', & quidam alii.

29 Communis tamen sententia negat verba etiam in potentibus loqui esse necessaria necessitate Sacramenti, quod expressè habetur in c.1. de Desponsi. Impuberum in 6. ubi statuitur valere matrimonium quando parentes exprimunt consensum nomine filiorum præsentium, & non contradicentium, quia hoc est sufficiens signum, quod ipsi consentiunt, quod totum etiam docuit Scotus d.27.q.2.ad 2.& hoc etiam ratio ipsa suadet; quia cùm ad rationem contractus, & ad veram expressionem consensus partium alia signa exteriora sufficere possint præter verba, & in matrimonio debeant omninò sufficere inter surdos, & mutos, congruum non erat, neque expediens, ut Ecclesia in reliquis præfigeret verba, tanquam necessaria necessitate Sacramenti ad valorem matrimonii, & hoc etiam constat ex praxi Ecclesiæ in Rituali Romano de Sacramento Matrimonii, ubi dicitur quod ad illud contrahendum *non sufficit consensus unius, sed debet esse amborum, & expressus aliquo signo sensibili, sivè fiat per se, sivè per Procuratorem*, neque id restringit Rituale ad solos mutos, sed indifferenter loquitur de omnibus, & loquitur de matrimonio, non tantùm, ut contractus civilis est, sed etiam ut Sacramentum. Negat etiam communior opinio in potentibus loqui verba esse necessaria necessitate præcepti, ut dictum est l. c. Ità Sanc. Ponce, Coninch. Hurt. Filliuc. Diana, & ex nostris Hiq. & Branc. & alii Recentiores dicentes, quod licet sit valdè congruum, ut matrimonium per verba celebretur, & hæc sint valdè convenientia ad rem tanti momenti; secluso tamen scandalo, non videtur esse de præcepto divino, aut Ecclesiastico, modò subsit aliqua causa sufficiens, ut verecũdia in puellis, quia recedere à communi forma, quæ est in usu per verba, & in re gravi, si fieret ex contemptu, & sine causa, peccatum utique esset; si tamen ex causa excusante, qualis in puellis est pudor, non est peccatum, quia onera non sunt aggravanda, nisi lex sit expressa, nulla autem lex in contrarium apparet, quæ verba esse adhibenda præcipiat; etenim in dicto cap. *Tuæ* significatur tantùm verba esse necessaria, ut matrimonium, & consensus contrahentium clarius constet Ecclesiæ, quæ non judicat de occultis, & tanquam id, quod regulariter facit ad probationem matrimonii faciliorem, non autem voluit illis verbis significare Pontifex, quod Ecclesia exigat tantùm verba, alioquin statim sibi contradiceret, dùm subdit, quod surdi, & muti possunt contrahere matrimonium sine verbis per mutuum consensum aliis signis expressum.

30 Quartò conveniunt D. verba, vel alia signa, quibus contrahitur matrimonium, talia esse debere, ut exprimant de præsenti, & tunc, quando proferuntur, conjuges mutuò transferre, seù dare sua corpora adinvicem. Ità. D. Th. D. Bonav. & Scotus 4.d.28. q.1. ubi ait significationem verborum debere esse talem, ut exprimat consensum, & contractum de præsenti; quia sunt signa repræsentativa, non autem prognostica, quod quidem commune est omnibus Sacramentis. Probatur ex. c. *Licet*. de sponsa duorum, & ex toto tit. de sponsalibus, & de Clandestina Desponsatione, ubi contractus matrimonialis per hoc à sponsalibus secernitur, seù à simplici promissione, quod ille fit per verba de præsenti translationem exprimentia, & pro præsenti; hæc verò per promissionem de futuro, & per verba exprimentia translationem faciendam. Deindè probatur ex Conc. Flor. in Decreto Eugen. ubi loquens de matrimonio inquit, quod *causa efficiens matrimonii regulariter est mutuus consensus per verba de præsenti expressus*. Tandem probatur ratione à Scoto ibi insinuata, quia contractus matrimonialis est actualis traditio mutua potestatis corporum adinvicem; sed sola verba, seù signa, quæ eam exprimant de præsenti, significant actualem dationem, & traditionem, non autem verba de futuro; quia nullus promittendo tradit illud, quod promittit, imò est cõtradictio, quia promissio est de tradendo in futurum; ergò consensus, & contractus matrimonialis non potest exprimi, & celebrari, nisi per verba de præsenti. Hoc etiam probat Doctor de matrimonio ea ratione, qua Sacramentum est, quia intentio Ministri de Sacramento conficiendo, quãdo verba profert, non potest esse de futuro, sed necessariò esse debet de præsenti, nec intendere pro futuro est sufficiens intentio in ministro ad Sacramentum conficiendum, sed oportet, quod intendat pro præsenti, sicut signum significat, omnia enim verba Sacramentorum talia sunt, quæ significant repræsentativè effectum tunc fieri, quando proferuntur, non autem prognosticè, scilicet faciendum; ergò contrahentes non contrahunt, nec Sacramentum efficiunt, si consensum præstant per verba de futuro, sed necessariò debent esse de præsenti, ut appareat consensum esse de translatione dominii corporum pro præsenti, & manifestent exterius tunc fieri traslationem dominii in corpora contrahentium, quando verba proferuntur ab illis, vel signa æquivalentia demonstrant. Qualiter etiam hujusmodi nubentium consensus possit adhiberi, & exprimi per procuratorem, nuncium, aut epistolam, jam declaratum est suprà quæstion. præcedent. articulo 2. numero 14. & 15. ubi etiam statuimus talia matrimonia non solùm valere in ratione contractus, sed habere etiam veri Sacramenti rationem etiam stante decreto Concilii Tridentini.

31 Quintò, est tamen gravis difficultas, quam fusè exagitamus loco cit. an simultas temporis requiratur ad consensum

mutuum de præsẽti,ut sit validus, in qua diximus tres esse opiniones,duas extremas,& tertiã mediam, quæ probabilior est,& cõmunior. Prima extrema absolutè affirmat utriusq; consensũ debere simul exprimi, & incõtinenti absque temporis intervallo, ita nonnulli Juristæ. Secunda extrema docet nihil referre quantocumque tempore consensus conjugum inter se distent,& nullam temporis concomitantiam,aut propinquitatem requiri ad matrimonii validitatẽ,ut patet de cõtractu facto per litteras, vel Procuratorem inter absentes, & longè distantes,potest enim esse ut unus existens in Europa velit contrahere cum existente in India, nã in tali casu magna temporis distantia inter utriusque consensum intercedere debet. Tertia sententia media negat contrà primam necessarium esse, quod consensus contrahentiũ simul tempore exprimatur, & contrà secundam nihil referre, quantocumque tempore consensus inter se distẽt; & inquit sufficere,& requiri inter consensum, & expressionem amborũ contrahentium talem conjunctionem, ut moraliter permanere cẽseatur cõsensus,& expressio ex parte unius, quousque adhibeatur ex parte alterius, censerique moraliter permanere juxtà intentionem,& dispositionem illius,qui prior consensit. Ità colligitur ex Scot.d.26.concl.4.& 5.ubi ait ad validitatem matrimonii non esse semper necessariam simultaneam existentiam cõsensuum,sed eam sufficere,quæ sufficit ad cõtractum legitimũ, & sequuntur Recent.passim Soto,Lopez,Henr.Ledesm.Sanch. Dian.Ponce, Aversa,Coninch.Hurt.Casp. & ex nostris Hiq. d. 28.qu.un. & quoad primam partem manifesta experientia convincitur in matrimoniis per epistolam, nuncium, aut procuratorem celebratis, in quibus consensus partium simul exprimi nequit; ergò simultanea consensuum coexistentia ad validitatem matrimonii non est necessaria. Quod autem inter consensus contrahentium necessaria sit aliqua simultas, vel propinquitas saltem moralis, & talem opus sit intervenire conjunctionem, ut moraliter permanere censeatur consensus, & expressio ex parte unius, quousque adhibeatur ex parte alterius contra secundam opinionem, nec ad valorem matrimonii sufficere qualemcumque, & quantamcumque temporis interçapedinem probatur, quia quamvis nullum tempus definitè præscribatur ad expectandum alterius contrahentis consensum, omnes tamen implicitè censentur saltem indeterminatè aliquod tempus contractui perficiendo ità præscribere, quia nemo est, qui velit perpetuò alterius consensum expectare, & de statu suo continuò permanere suspensus; ergò omninò dici debet aliquam moralem conjunctionem requiri inter consensum, & expressionem amborum contrahentium, ut matrimonium valeat, & hæc tamdiù permanere censetur, quamdiù durat moralis, seu habitualis permanentia consensus; consensus autem tamdiù moraliter, vel habitualiter perseverat, donec explicitè, vel saltem implicitè revocetur. Quantum autem tempus hoc casu debeat effluxisse, ut quis censeatur suum revocasse consensum, non potest generatim præscribi, sed ex intentione, & dispositione contrahentis discerni debet,& ex modo consentiendi, & variis circumstantiis, quæ in re morali occurrere solent, ut fusius declaramus loc. cit.

32 Sextò conveniunt Theol.proprium,& per se objectũ consensus maritalis esse jus,& mutuũ dominium in corpora conjugũ,itaut præfatus consensus expresè ferri debeat, ut in objectũ, & in materiã circà quam;in mutuam dominii corporũ traditionem,& acceptationem in ordine ad actũ conjugalem, & copulã carnalẽ,ut docet Scot.4.d.30.q.2.art.2.& deducitur ex iam dictis de substantia matrimonii,ad cujus essentiam pertinere diximus mutuam illam corporum traditionem, & acceptationem in ordine ad copulam, & actum conjugalem; non tamen esse,ut habeant intentionem reipsa exercendi copulam, quasi etiam copula ipsa ingrediatur objectum proprium,& per se hujus cõtractus, & consensus conjugum ad essentiam Sacramenti necessarius debeat etiam esse expressus in copulam carnalem; quia copula carnalis est tantùm actus,& usus potestatis,& dominii per matrimonii contractum acquisiti in corpora conjugum; actus autem, & usus contractus, vel rei contractæ nunquam dicitur pars contractus, nec ei essentialis; undè quando matrimonium dicitur per copulam consummari, non ideò dicitur quia matrimonium per talem actum compleatur quoad aliquam sui partem essentialem,vel integralem;sed quia potestas,& dominium rei per propriam operationem,& actum completur; atque ideò tota matrimonii essentia consistere potest absque consensu saltem explicito in copulam, sicut etiam veritas, & validitas matrimonii consistere potest, etiamsi copulam nunquam sequatur, communiter asseritur de sanctissimo conjugio Deiparæ cum S. Ioseph; quarè solum est difficultas; an saltem necesse sit,ut consensus conjugum indirectè, & implicitè feratur in copulam,quã ex professo tractavimus q.3.cit.ar.3.& ibi videri potest.Denique quia in quolibet contractu potest aliquis suũ præstare consensũ dupliciter,absolutè nimirum,quando,scilicet,datur absque ulla conditione,& limitatione;vel conditionatè,hoc est dependenter ab aliqua conditione, à cujus existentia valor contractus dependet,quia sit dependenter ab illa,disputatur hic ulterius à Theologis, quænam conditiones matrimonium invalident, & quæ non; de qua etiam quæstione ex professo diserimus disp. 7. cit. quæst.5. & ibi ejus resolutio videri potest, & præsertim, an matrimonium contractum sub conditione servandi castitatem sit validum, ubi num.162. affirmativè respondemus.

ARTICULUS SECUNDUS.

Deliberate ad consensum conjugalem requisita.

33 PRimò conveniunt Doctores, ut suprà dictum est, consensum ad matrimonium requisitum liberum esse debere ideò à ratione deliberata profectum, alioquin consensus obligationem non induceret, cùm hæc sit in contractibus effectus quidam deliberatæ rationis contrahentium, imò Scotus 4. d.29. qu.un. art.1. docet liberum consensum ad matrimonium requiri; non tantùm jure humano, sed etiam divino, ut ex professo cum ipso demonstravimus d.7.cit.quæst.4.art.4.ut verò pateat quæ, & qualis esse debeat libertas ad consensum conjugalem requisita, duplex libertas considerari potest, ut diximus quæst.4.cit.art.1. una dicitur à necessitate,quæ,scilicet,opponitur omnimodæ necessitati, & determinationi ad unum, quo pacto actiones humanæ dicuntur liberæ ad differentiam actionũ naturalium, & hæc dicitur libertas physica, qua fruitur sola rationalis natura,eo quia usum rationis participat; Alia dicitur libertas à coactione, quæ opponitur externo impulsui, & motivo, quo dicitur quis invitus consentire, & cogi ad aliquid faciendum, quo impulsu actus redditur secundum quid involuntarius, salva adhuc physica libertate, quia voluntas non potest cogi simpliciter ad actum volendi, ut docet Doctor loc.cit. sed tantùm secundum quid, metu, scilicet, majoris mali, quod declarat exemplo mercatoris proiicientis merces in mare, ut submersionem evitet, & libertas huic extrinsecæ coactioni,& violentiæ opposita libertas civilis appellari solet; & quidem certum est libertatem primi generis, scilicet, physicam, quæ opponitur necessitati, & determinationi ad unum, ad contractum matrimonii necessariò requiri,non qualemcumque,sed plenam, & perfectam, & ex plena, & perfecta deliberatione, & advertentia procedentem; & ratio est, quia matrimonium est contractus humanus, cujus objectum, & materia, circà quam versatur est valdè gravis, nimirum proprii corporis traditio sub alterius potestate. Undè pueri, qui nondùm ad perfectum rationis usum pervenerunt, insani, & mente capti tempore,quo usu rationis carent, non possunt validè matrimonii contractum celebrare ex defectu planæ libertatis, quam dicimus requiri, & de furioso definitur in cap. *Dilectus* de sponsalibus, & in l.6.tit.2. part.4. & in aliis juribus declarantur tales prorsus inhabiles ad alios humanos contractus; atque ideò tantò magis ad istum, qui est de re gravissima.

34 Secundò,major difficultas est de libertate civili,seu à coactione,an,scilicet, hæc etiam ad validitatem matrimonii sit necessaria,itaut consensus ad illud requisitus debeat esse, non tantum physicè, sed etiam civiliter liber, & minimè coactus; pro cujus decisione duplex metus distingui solet, unus gravis, qui cadit in constantem virum,seù quem vir constans,& fortis prudẽter,& rationabiliter concipit; alter levis & non cadẽs in constantem virum,& est ille quem concipit vir exili, & pusillo animo,vel etiam fortis imprudẽter,& irrationabiliter. Undè Scot. q.cit.a.1. duas conditiones assignat metus cadentis in constãtem virum; prima est, quod malum sit grave, quæ gravitas attendi debet ex natura mali in se,ut patet in exemplis ab ipso adductis de morte, carcere, captivitate, & mutilatione enormi, stupro, & similibus, non autem ex vana, & non fundata æstimatione patientis, aut meruentis; altera conditio est, ut illa mala certò immineant, hoc est, secundùm prudentem, & fundatam æstimationem, quæ sufficit ad electionem rectam in actibus humanis; quod si conditiones istæ simul non concurrant, metus non censebitur gravis, sed levis. Rursus advertendum est gravem metum dupliciter incurri posse, vel incuti, vel scilicet, injustè, ut cùm Tyrannus mortem minatur alicui, nisi adoret Idola, vel justè, ut cùm Princeps minatur subdito mortem, si rebellionem tentet, hisque omnibus modis potest quis induci ad matrimonium contrahendum. Hoc prænotato inquit Doctor loc. cit. ad valorem matrimonii requiri consensum ità liberum, & voluntarium, ut non sit metu gravi injustè incusso extortus, alioquin matrimonium esse ipso facto nullum, & irritum in utroque foro, scilicet, conscientiæ, & externo, & hæc est communis Theologorum, Juristarum, & Moralium sententia, quã docuerunt D. Thomas, D. Bonaventura, Riccardus, Paludanus, & veteres alii Scholastici, & sequuntur passim Recentiores, estque expressa in jure cap. *Cum locum*, &c. *Veniens* eod. tit. de

de Sponsalibus, & cap. *Significavit*, in quibus locis apertè decidit, ut Doctor advertit, matrimonium contractum ex metu cadente in constantem virum esse ipso facto nullum, & irritum in utroque foro, & non solùm sensus est, quando deest consensus internus, sed etiam quando adest, ipso metu extortus.

35 Hìc autem advertendum est, ut loco citato, dicebamus, duplicem esse metum gravem, alium intrinsecum, qui nempè provenit à causa intrinseca, ut si oriatur ex re morsu conscientiæ, vel metu gehennæ, alium extrinsecum, qui scilicet, provenit à causa extrinseca, ut ab homine privato, vel à Judice. Quando hìc dicimus matrimonium ex metu gravi contractum ipso facto nullum esse, & irritum, sermo est de metu à causa extrinseca proveniente, quia si ab intrinseco proveniat certum est non irritare matrimonium, quia sponte fit, & totum est ab intrinseco absque ulla vi, debet ergò intelligi de metu gravi à causa extrinseca proveniente, ac etiam injustè incusso, ut si què velit aliquis interficere, aut infamare, nisi in matrimonium consentiat, nam si justè sit incussus, ut cùm Episcopus excommunicationem minatur Petro, nisi Mariam ducat, cum qua sponsalia contraxit, vel Judex cogit illum ad ducendam Virginem, quam violavit, hoc, inquam, pacto metus ad extorquendum consensum justè incussus matrimonium non irritat, quia hoc modo cogitur ad id, quod ipse contrahens facere tenebatur, qua ratione metus potius videtur esse ab intrinseco, quàm ab extrinseco, quia ipsemet dedit justã causã istius metus incutiendi.

36 Tertiò est difficultas apud Doctores de metu reverentiali quando, v. g. puella jubenti Patri, ut cum tali viro nubat, contradicere non est causa, an scilicet, metus ille debeat censeri gravis, atque sufficiens ad matrimonium irritandum. Nonnulli Juristæ significarunt metum reverentialem sufficere ad irritandum matrimonium, aliosque contractus, itaut consensus ab aliquo præstitus ex reverentia ergà majores non valeat ex defectu libertatis ad matrimonium requisitæ, & sequuntur Navar. & quidam alii, quos citat Layman part. 2. de Sacramento Matrimonii cap. 5. Communior tamen, & probabilior opinio docet solam reverentiam ergà majores sivè metum reverentialem nõ sufficere ad reddendum irritum matrimonium. nisi accedente rationabili timore gravis mali. Ità Soto, Henriquez, Lessius, Coninchius, Lopez, Sanchez, Aversa, Abellius, & alii Morales dicentes metum illum reverentialem tunc solummodò censeri gravem, ac proindè validitati matrimonii contrariũ, quando voluntati, & imperio Patris, aut alterius Superioris conjunctæ sunt minæ graves, aut aliqua sævitia, idemque dicendum si timeatur gravis, & diù duratura indignatio Patris. Neque dicas metum reverentialem se solo sufficere ad annulandã professionem Religiosam ut plures docent Doctores, atque ideò etiam sufficientè esse ad annullandum matrimonium, cùm tã ad professionem emittendam, quàm ad matrimonium contrahendum liber requiratur consensus, eo quod agatur de electione status, quæ est materia gravis. Hoc enim non urget, nam longè probabilior est opinio contraria asserens dictum metum reverentialem se solo non sufficere ad reddendam invalidam professionem, nisi pariter adsint minæ, vel sævitiæ conjunctæ modo jam explicato, alioquin professio adhuc valida erit, ut colligitur ex c. *Puellæ* 20. quæst. 1. ubi textus ad annullandam puellæ professionem non solum Patris imperium ponderat, sed etiam coactionem. Ità docet Sanchez l. 4. disp. 6. Stephanus à S. Gregorio lib. 3. de matrimonio, qui plures alios citat.

37 Quartò præterea est etiam difficultas, an blanditiæ, ac etiam preces importunæ possint afferre metum gravem cadentem in constantem virum, atque ita matrimonium annullare. Negant Juristæ nonnulli, etiamsi dictæ preces à Superiore adhibeantur, ubi simul conjungitur reverentia, quæ illi debetur, ac defertur, sufficere ad incutiendum metum gravem, seù cadentem in constantem virum, ita Abbas cap. *Cùm inter* de elect. n. 8. ubi ait preces instantissimas Principum justum metum nõ inducere ad rescindendum actum, nisi sævitias soleant in sibi non obtemperantes exequi, sic etiam discurrunt Henriquez, Lopez, Ledesma, Aversa, & alii dicentes solas preces, & blanditias, quãvis importunas, non sufficere ad reddendũ irritũ matrimoniũ, nisi tamen adjungatur metus alterius damni, aut indignationis, qui quidem metus facilè adjungetur in repellendis precibus Principis, aut Superioris, cujus gratia, & benevolentia subditus indigeat. Fundamentũm est, quia sola precum importunitas, & frequentia, & sola blanditiarum suavitas non debet tantam vim viro constanti inferre, & hæc molestia non est tam magna, ut quis ad se liberandum ab ea debeat prudenter facere rem tam magnam sicut est contrahere matrimonium sibi alioquin ingratum, sed ad summum hæc importunitas comparabitur metui levi, qui non sufficit ad matrimonium irritandum. Affirmant alii Juristæ dictas præces importunas cum metu reverentiali junctas sufficienter posse incurrere timorem in virum constantem cadentem, quod probant ex capit. *Petitio* de jurejurando, ubi dicitur juramentum, quod Antiochenus Princeps extorsit non esse servandum, & rationem reddunt Innocentius, Hostiens. Jo. Andreas, & alii, quia precibus importunis extorsit, & in propriis terminis professionis, & matrimonii docet annullari per dictas preces importunas cum metu reverentiali Covar. 4. decretal. 3. par. cap. 3. & alii Juristæ, quos sequitur Sanchez. lib. 4. disp. 7. explicans per preces importunas debere intelligi instantissimas, ac sæpius inculcatas, & replicatas, etenim preces Principis dicuntur in jure extorquere, & cogere, ut habetur in cap. cit. *Petitio* de jurejurando, & cap. *Cùm inter* de elec. & hoc idem sentit Stephanus à S. Greg. loc. c cum aliis Rec.

38 Inter has opiniones viam mediam elegimus loc. citat. distinguendo, quod vel preces, & blanditiæ adhiberi possunt ab æqualibus etiam inferioribus, vel à Superioribus, & majoribus; primo modo, quia non sunt cum metu reverentiali conjunctæ, quantumvis sint instantissimæ, & importunæ, certum esse debet sufficientes non esse ad metum inducendum cadentem in virum constantem, nec consequenter ad matrimonium annullandum. At secundo modo, cum metui reverentiali sint conjunctæ, quando sunt importunæ, hoc est, instantissimæ, ac sæpius repetitæ, & inculcatæ, sufficientes videntur cum secunda sententia ad inducendum metum gravem, & matrimonium irritandum. Nec juvat dicere cũ Aversa quæst. 4. sec. 5. non quascunque principis preces habere vim coactionis, sed tantùm quæ ferunt periculũ gravis indignationis. Nã, ut ipse quoque fatetur ibidem, facilimum est tale periculum adesse in repellendis precibus Principum, & Superiorum, qui ob supremam eorum auctoritatem solis nutibus obediri prætendunt, ut ipsa experientia docet, qua de causa simpliciter, & absolutè, & absque ulla limitatione Principis preces in jure cap. cit. consensum subditorum cogere, & extorquere dicuntur. Undè ratio inducta pro prima sententia locum non habet in precibus Principum quando sunt importunæ, ac sæpius inculcatæ; quia quando sunt tales eo ipso prudenter judicari possunt habere periculum annexum gravis indignationis Superioris; quod si preces Principis non sunt tales, in tali casu ratio adducta valet, & prima sententia rectè discurrit, neque secunda contradicit. Et hoc à fortiori de blanditiis asserendum est, quod nempè non inducant coactionem matrimonium irritantem, quia ut inquit Doctor dist. 29. cit. ad 3. prin. in eis est multum de voluntario, siquidem voluntas frequenter appetitui sensitivo concordat, cui nata est condelectari. Objectiones quasdam contrà præmissam doctrinam de consensu coacto vide soluta qu. 4. cit. art. 2.

39 Quinto tandem est difficultas, an matrimonium metu contractum juramento, aut sequenti consensu, vel copula validari possit, & quidem ut diximus qu. 4. cit. art. 3. est communis opinio matrimonium metu gravi extortum, licet juramento firmetur, irritum esse, & expressè habetur in jure cap. 2. De eo, qui duxit in matrimonium, ubi declaratur non fuisse validum matrimonium quoddam metu contractum, & juramento firmatum, & ratio etiam id suadet; quia eo ipso, quod Ecclesia irritum declaravit matrimonium metu contractum, supponitur etiam declarasse irritum tale matrimonium etiam juramẽto firmatum, quia nempè semper consensus est coactus, & juramentum ipsum est coactum, ac vi extortum. Tùm quia si tale juramentum validum redderet matrimonium, vanum esset remedium ab Ecclesia statutum declarando, & decernendo tale matrimonium esse irritum, & nullum, qui enim ad matrimonium compellit; ad juramentum etiam compellere posset, & ita mens Ecclesiæ deluса remaneret, ita Sanchez, Hurtadus, Ponce, Corduba, Aversa, Caspensis, Stephanus à S. Gregorio, & alii passim. Deindè conveniunt DD. matrimonium metu contractum posse validari per novum consensum spontaneum posteà præstitum, sed non conveniunt in modo declarandi. Quamplures dicunt ad faciendum validum matrimonium, quod re vera est invalidum defectu consensus interni, vel ratione gravis metus, sufficere si consensus de novo præstetur ab eo, qui consenserat fictè, aut per metum gravem, perseverante adhuc altero conjuge in suo priori consensu; & ratio est, quia ex parte alterius sponsi adsunt omnia requisita ad contrahẽdum matrimonium, & deest tantummodo consensus ejus, qui fictè, vel cum metu consensit; ergò accedente novo consensu ex parte istius validum fit matrimonium, tunc enim adest mutuus consensus, quo matrimonium perficitur, & nihil aliud deest. Ità Navar. Rodriquez, Sanchez, Henriquez, Coninch. Aversa, Bonacina, & alii, quorum aliqui addunt non esse necessarium in hoc casu aliquo signo externo exprimere consensum, qui de novo præstatur, sed sufficere consensum internum, nec etiam opus esse aliquid dicere alteri conjugi, qui verè consensit, nam ex parte ipsius non requiritur novus consensus. Verùm loco citato hunc dicendi modum non approbavimus, & diximus in utroque ca-

su necessarium esse iterari consensum utriusque conjugis, & necessarium esse, ut exterius quoque renovetur, quia expressio exterior antiqua exhibita ab eo, qui fictè consensit, vel ex gravi metu, non est expressio sufficiens consensus posteà eliciti, & tandem in utroque casu utrumque conjugem conscium debere fieri de nullitate matrimonii, quia alter conjux talis nullitatis ignarus alio modo sufficienter consentire non potest ad revalidandum matrimonium nullum, quæ omnia ibi latè probata sunt, ac ibi videnda.

40 Deniq; loquendo de copula carnali conveniunt DD. matrimonium metu gravi contractum, & simul eodem metu consummatum nullum esse, & neutiquam ratificari per copulam consummatam, ut docent Sanchez, Ponce, Hurtadus Caspensis, & alii communiter, qui etiam conveniunt convalidari per sequentem copulam affectu conjugali sponte habitam, idest animo se habendi perpetuo conjuges, non autem animo fornicario explendi, scilicet, tunc suam libidinem absque intentione perpetui conjugii, & hoc expresse habetur in cap. *is quidem* de sponsalibus, & suadet ipsa ratio, quia hæc est expressa renovatio cõjugalis, non metu, sed sponte facta. Quia tamen copula simplex non est signum sufficiens exterius, seù expressio exterior maritalis consensus, sed tantùm pium, & prudens indicium expressionis anteà factæ, & coitus non facit matrimonium, sed voluntas ex c. *Beata Maria*, & c. *Conjuges*, aliqui Doctores dicunt in præfatu casu copulæ metum passum debere manifestare novum suum consensum conjugi, vel anteà copulam, vel in ea, quod si ità fiat, tunc per eam consensus expressionem propriè loquendo validatur matrimonium anteà nullum, & per copulam quodammodo confirmatur, tanquam per pium, & prudens indicium expressionis anteà factæ, & in hoc sensu dicit Ecclesia cap. cit. & cap. *Ad id*, matrimonium metu contractũ per subsequentem copulam affectu maritali habitam validari. Quam doctrinam nos quoque loc. cit. satis approbavimus, quia cùm revocari nequeat, & ratificari matrimonium anteà nullũ, nisi fiat Sacramentum, magis pium est dicere, quod Sacramentũ fiat per expressionem consensus factam antè copulam, vel in ea, quàm per actum ipsius carnalis concubitus, quia ut sæpè jura inculcant, coitus non facit matrimonium, sed voluntas.

ARTICULUS TERTIUS.

De altera conditione ad validitatem matrimonii requisita, ubi de matrimonio Clandestino.

41 ALteram conditionem ad validitatem matrimonii requisitam ab initio hujus quæstionis num. 25. jam diximus esse, quod consensus illius expressio fiat coram Parocho, & duobus, vel tribus testibus, quamvis enim matrimonia clãdestinè contracta essent olim solummodò illicita, novo tamen jure sunt quoque invalida, ut in Conc. Trident. sess. 24. cap. de reformatione matrimonii constitutum est. Quarè ubi promulgatum est prædictum Trident. decretum de matrimoniis clandestinis, requiritur etiam ad matrimonii validitatem præsentia Parochi, aut alterius Sacerdotis de illius, vel ordinarii licentia adeout si non adsit, non sufficiat contrahentium consensus, modo jam declaratio expressus, undè communiter Theologi dicunt quod ubi decretum illud est promulgatum, si matrimonium cõtrahatur per procuratorem, per nuncium, vel per litteras, necesse sit, ut etiam Parochus, & testes adhibeantur, qui testari possint de consensu utriusque præstito per litteras, vel internunciũ, ut declaravimus disp. 7. cit. qu. 3. num. 95. undè præsentia Parochi, vel alterius Sacerdotis ab eo, vel ordinario substituti, & testium, quam Concilium ad matrimonii validitatem requirit, non tantùm physica esse debet, sed etiam moralis, itaut intelligant quid agatur, & de eo testari possint, qua ratione testes à Concilio vocantur, ut advertunt Layman, Ledesma, Abellius, & alii Recentiores passim. In præsenti igitur de matrimonio clandestino agendum est, & videndum quo jure, & ex quo tempore sit prohibitum, licet autem nomen hoc matrimonii Clandestini apud Canonistas plures habeat acceptiones, tamen apud Theologos duobus tantùm modis matrimonium dicitur Clandestinum, uno modo ex defectu proclamationum, seu denunciationum, quæ antè contractum matrimonii præmitti solent, inter quas matrimonii Clandestini acceptiones hoc interest, quod priori modo sumptum post definitionem Conc. Trid. loc. cit. est nedùm illicitum, sed etiam invalidum, quando fit sine Parocho, & testibus, ac posteriori modo sumptum, quamvis ex eodem Triden. ibidem sit prohibitum, non tamen est irritum, & invalidum quia nullo jure irritatur, undè matrimonium sine denunciationibus prævis, & absque earum dispensatione contractum est tantùm illicitum, non autem invalidum, ut posteà dicemus. De matrimonio itaque clandestino in utroque sensu hic agendum est.

42 Primò itaque conveniunt Doctores, tam Theologi, quam Canonistæ matrimonium Clandestinum non esse prohibitum jure divino, sed tantùm jure Ecclesiastico, ut diximus disp. 7. cit. quæst. 8. art. 1. quia ex solis Ecclesiæ decretis habetur talis prohibitio in pluribus Conciliis, ut patet in cap. finali de Clandestina desponsatione, non autem ex Sacra Scriptura, quia nullum tale extat præceptum nec in veteri, nec in novo testamẽto. Conveniunt etiam ex antiquis temporibus, imò à principio Ecclesiæ fuisse prohibitum, ut testatur Trident. loc. c. ubi loquens de matrimoniis Clandestinis ait: *Sancta Dei Ecclesia ex justissimis causis illa semper detestata est, atque prohibuit*, undè in Ecclesia semper prohibita fuere, & illicita, ex quo sequitur sic contrahentes, etiam ubi Trident. non viget, peccare mortaliter, ut Brancatus noster advertit d. 22. art. 2. in fine. Quo autem ad invaliditatem ejusdem, dicendum est, quod quamvis antè Tridentinum validum fuerit, estò illicitum, tamen post ejus definitionem omninò invalidum, & illicitum est, adeoquod invaliditas matrimonii clandestini non fuit ab Ecclesia introducta in ejus initio, neque in alio tempore sequenti usque ad Conc. Trident. in quo declarata, & firmata est, & hæc assertio communis est inter Catholicos, & quoad utramque partem patet ex ejusdem Concilii verbis loc. cit. ubi sic loquitur: Dubitandum non est clandestina matrimonia libero contrahentium consensu facta, rata, & vera esse matrimonia, quamdiù Ecclesia ea irrita non fecit, & posteà subdit: inposterum, qui aliter, quàm præsente Parocho, vel alio Sacerdote de ipsius Parochi, vel Ordinarii licentia, & duobus, vel tribus testibus matrimonium contrahere attentabunt, eos Sancta Synodus ad sic contrahendum omninò inhabiles reddit, & hujusmodi contractus irritos, & nullos esse decernit, prout eos præsenti decreto irritos facit, & annullat. Ità Concilium ibi, ex quibus verbis constat hanc invaliditatem non solùm esse circà personas, sed etiam circà contractum ipsum, itaut matrimonium clandestinum ex defectu Parochi, & testium non solùm sit invalidum, eo quod personæ sic contrahentes redditæ sunt inhabiles, sed etiam quia ipsemet contractus redditus est inhabilis, & sufficiens ad obligandum contrahentes, finis autem, & motivum, quod habuit Ecclesia ad irritanda matrimonia clandestina fuit, ut polygamias impediret, & perpetuos concubinatus, & alia plura Reipublicæ incommoda ex illis derivata, quæ per simplicem prohibitionem ejusque impediri non potuerant, ut loc. c. verbis expressis Concilium se declarat.

43 Secundò, occurrit difficultas, qualiter Ecclesia reddere potuerit irritum matrimonium clandestinum anteà validum, & ratum, & ratio dubitandi est, quia ea, quæ ad Sacramentorũ substantiam, & validitatem pertinent, ab Ecclesia mutari non possunt, quia quicquid ad eorum valorem requiritur, fuit jure ipso divino à Christo Domino institutum, si ergo olim consensus clandestinus ad valorem matrimonii sufficiens fuit, etiam nunc sufficiens erit, nec videtur Ecclesia potuisse matrimoniũ clandestinum invalidare. Sed hæc difficultas loc. cit. ex communi Doctorum sententia resoluta est, quod licet Ecclesia facere non possit, quod verus, & legitimus contractus non sit materia sufficiens Sacramenti matrimonii, ut à Christo institutum est, potest tamen facere, ut ille, qui anteà verus, & legitimus erat contractus, non sit deinceps legitimus, & verus, novas instituendo leges, & solemnitates, quia humana potestas variare potest ea quæ spectant ad validitatem contractus, & ideò Ecclesia mutare potuit conditiones, & circumstantias hujus contractus sicut, & aliorum, requirens justis de causis ad ejus validitatem solemnitatem illam, quæ anteà necessaria non erat, præsentiam nempè Parochi, & aliorum testium. Ex quo patet quid sit dicendum ad rationem dubitandi adductam, quamvis enim Ecclesia efficere non possit, ut validus contractus non sit ad rationem hujus Sacramenti sufficiens, quia substantia matrimonii est contractus legitimus, & validus, & à Christo ad rationem Sacramenti elevatus est, ideoque Ecclesia facere non potest, ut contractus legitimus non sit Sacramentum, adhuc tamen Ecclesia immutare potest, ut talis contractus sit, vel non sit legitimus, & ad hoc ut contractus validus existat, certas cõditiones apponere, quæ si desint, censebitur invalidus, nec proindè ad hujus Sacramenti substantiam, seù validitatem sufficiens erit, & hoc non est per se, & directè substantiam Sacramenti immutare, sed tantùm per accidens, indirectè, & remotè, quatenus invalidando matrimonium clandestinum, impeditur ne talis contractus fiat Sacramentũ, seù ad statum Sacramentalẽ elevetur. Quãvis igitur Ecclesia institutionem Christi immutare non possit faciendo, ut contractus legitimus non esset Sacramentum, optimè tamen facere potuit, ut non esset legi-

timus

timus contractus, nisi qui tali forma, & publicitate ineatur, nempè coram Parocho, & testibus. Ita Scotus qu. un. in fine, ubi ait, quod Ecclesia benè potest aliquid immutare circà materiam habilem, vel inhabilem, & declarare personas idoneas, vel non idoneas, sed non potest circà illud, quod est essentiale contractui matrimonii, præsuppositа materia idonea.

44 Tertiò, est rursus difficultas, an matrimonium clandestinum post Tridentinum sit ità invalidatum, ut in nullo casu sit validum inter fideles, v.g. quando absque gravi detrimento, sivè in articulo mortis, sivè extrà, nequit matrimonium omitti, seù diferri, celebretur invalidè absque Parocho, cujus non est copia. Affirmant aliqui in prædicto casu validè fieri matrimonium absque Parocho, imò etiam absque testibus, utpotè si quis lethaliter vulneratus, vel morti proximus contrahit clandestinè cum fœmina concubina, tùm ob salutem animæ, tùm ob mulieris honorem, & ut filios legitimos reddat, si tunc copia Parochi, & testium haberi non potest; nam in tali præsertim casu cessat finis legis, quia statim sequitur mors, undè nullum est periculum transeundi ad secundas nuptias, & perpetui concubinatus; ad quæ Tridentinum respexit, quando clandestinum invalidavit. Confirmatur, quia lex positiva præsertim humana non obligat cum gravi incommodo, & nocumento, ut constat de lege audiendi Missam; aut jejunandi, vel divinum officium recitandi; quarè hujusmodi casum possumus conjectari Concil. comprehendere noluisse. Ità Soto 4. dist. 22. qu. 1. quem sequitur Graffius l. 2. dec. c. 85. & quidam alii. Communis tamen opinio oppositum docet, nempè ob nullam necessitatem tale matrimonium valiturum, sicut neque inter consanguineos, aut aliter jure Ecclesiastico impeditos, & ratio est, quia ut diximus loc. cit. quia Tridentinum absolutè, & absque ulla limitatione irritat matrimonium absque Parocho, & testibus celebratum, & reddit personas inhabiles, quæ nulla necessitate habiles fieri possunt, & universaliter loquitur de omni matrimonio clandestino, & de omnibus contrahentibus toti Ecclesiæ præscribens, quinam contractus matrimonialis sit validus; ergò neq; præfati casus, neque præfati contrahentes excipiuntur. Ità Sanchez, Ponce, Hurtadus, Aversa, Brancatus, & alii communiter. Et ad rationem in oppositum respondent, quod quamvis urgens necessitas excuset ab obligatione legis positivæ præcipientis, aut prohibentis etiam divinæ, non tamen efficit habilem aliàs lege inhabilem, neque validum, quod lege irritante est nullum; & licet motivum legis invalidantis fuerit illud jam in argumento adductum, & illud cesset in assignatis casibus, non ob id cessare censendus est vigor legis, quia lex contrà omnes contractus clandestinos lata est universaliter, & absolutè loquendo, quia Ecclesia præscribere voluit formam, & validitatem legitimi contractus in universum, & formam essentialem, & necessariam in omni casu, nullam permittens exceptionem, & moribundus ille benè salvari potest per pœnitentiam de præterito, neque existimatio famæ mulieris, & legitimatio prolis tanti ponderi est, ut aditum relinquere debeat ad infringendam Ecclesiæ legem præscribentem formam substantialem conjugii inter fideles.

45 Dices, pro casibus similibus extremis Ecclesia de remedio providit in aliis materiis, ut casuum reservatorum, censurarum, &c. ergò etiam in hac. Respondemus loc. cit. negando consequentiam, quia illa sunt ad salutem necessaria, non autem matrimonium, nam si moribundus sit concubinarius, poterit contineri, & confiteri absq; matrimonii contractione, ut dictum est, ac proindè Ecclesia pro hoc casu non dispensavit in matrimonio clandestino. Adhuc tamen verum est, quod si post matrimonium coram Parocho, & testibus contractum, deprehendatur occultum aliquod impedimentum dirimens; tunc obtenta dispensatione satis erit, ut vir, & mulier de novo consentiant in matrimonium inter se mutuo contrahendum, & consensum illum signo aliquo exteriori sibi invicem manifestent, nec ad id Parochi, aut testium presentia requiritur, ut docent Navarrus, Sanchez, Hurtadus, Meratius, Caspensis, & alii. Ratio autem disparitatis in hoc casu, & aliis suprà adductis est; quia in hoc ultimo casu optimè validatur matrimonium absque nova Parochi præsenti, & aliorum testium, eo quod præsentia antiqui, & præcedens in casu impedimenti, vel defectus occulti sufficit ad evitanda incommoda, quorum intuitu Tridentinum irritavit matrimonia facta absque Parochi præsentia, & aliorum testium, quod in aliis casibus supra adductis dici non potest, quia nulla præcessit Parochi, & testiū præsentia. Sufficit inquam, in hoc ultimo casu antiqua presentia Parochi, & testiū ad evitanda absurda ex clandestinis matrimoniis consurgentia, quia tunc matrimonium, estò invalidum ex occulto defectu, publicum fuit in facie Ecclesiæ, & ideò si aliud matrimonium contrahere vellent, impedirentur ab Ecclesia, quæ primum matrimonium in foro externo validum judicaret, qua de causa matrimonium sic contractum nequit dici clandestinum, quia semel in facie Ecclesiæ contractum fuit, quod sufficit ad tollendam clandestinitatem.

46 Quartò præterea est difficultas, an ut validè matrimonium contrahatur præmittendæ sunt denunciationes, quæ sunt admonitiones quædam, quibus in Ecclesia publicè prolatis nominibus nubere cupientium monentur Christiani, ut si aliquod impedimentum mouerint inter eos, illud revelare teneantur, vocanturque etia publicationes, & proclamationes, quod prius statutum fuit in Concil. Lateran. sub Innocentio Tertio cap. 51. & refertur cap. *Cùm inhibitio* de Clandest. Desponsi. & rursus innovat, ac præcipit Trid. loc. cit. ubi decernit, ut antequam matrimonium contrahatur ter a proprio contrahentium Parocho tribus continuis diebus festivis in Ecclesia inter Missarum solemnia publicè denuncientur, qui matrimonium contrahere volunt. Non desunt Juristæ opinantes has denunciationes ità ad valorem matrimonii esse necessarias, ut iis non præmissis contractus sit irritus, & nullus, sicut de assistentia Parochi, & testium suprà dictum est. Fundamentum est, quia Trid. eodem decreto, eodemque verborum tenore præcipit, ut anteà præmittantur denunciationes, ac posteà cum assistentia Parochi, & testium matrimonium contrahatur, sicut ergò irritum est prætermissa Parochi, & testium assistentia, ità etiam prætermissis denunciationibus. Confirm. quia matrimonium essentialiter requirit publicitatem, cùm clandestinum sit irritum, & invalidum, at denunciationes non minus ad publicitatem spectant, quàm Parochi assistentia, imò magis, quia inserviunt ad detegendum, si quæ sint impedimenta inter contrahentes; ergò si assistentia Parochi est ad valorem matrimonii necessaria, tantò magis denunciationes. Tandem quia frustratorium esset Concilii præceptum de denunciationibus, nisi ad valorem requirantur.

47 Communis tamen, & vera sententia, ut diximus q. 8. cit. art. 2. asserit ad validitatem matrimonii prævias denunciationes non requiri, sicut requiritur Parochi, & testium assistentia. Ratio est, quia non sunt necessariæ ad substantiam hujusmodi contractus ex natura rei, seù jure naturali, quia alii contractus his proclamationibus non egent, & antè Conc. Lateran. non constat fuisse in usu. Neque sunt necessariæ ex institutione Christi, quia neque ex Scriptura, neq; ex traditione id habetur, & tamen antè dictum Later. Concil. vera matrimonia fiebant. Nec tandem sunt necessariæ ad valorem matrimonii ex Ecclesiæ decreto, sed tantùm ad solemnitatem, & ex præcepto, quod satis patet ex ipso Conc. Trid. cùm enim decretum commune præceptivum tulisset de præmittendis denunciationibus, ac de assistentia Parochi, & testium in ipso contractu; posteà clausulam irritantem adjecit solùm de assistentia Parochi, & testium, non autem de præviis denunciationibus inquit enim: *Qui aliter, quàm præsente Parocho, vel alio Sacerdote de ipsius Parochi, seù Ordinarii licentia, & duobus, vel tribus testibus, matrimonium contrahere attentabunt, eos Sancta Synodus ad contrahendum omninò inhabiles reddit, & hujusmodi contractus irritos, & nullos esse decernit, prout eos præsenti decreto irritos facit, & annullat;* ex quibus verbis patet Concilium non ponere denunciationes inter requisita ad valorem, & substantiam matrimonii, qui inter ea, sine quibus matrimonium est nullum, ipsas non recensèt sed tantùm assistentiam Parochi, & testium. Confirmatur, quia Conciliū ibidem arbitrio Episcopi, & Ordinarii remittit, si expedire judicaverit, prætermitti denunciationes, signum evidens non illas constituisse tanquam de substantia contractus, sed ad summum, tanquam de obligatione. Denique Ponce l. 5. qu. 30. & alii Recentiores, ità referunt, ità declaratum fuisse à S. Congreg. Concilii, quia de hoc requisita respondit, matrimonium sic contractum, hoc est sinè denunciationibus, & proclamationibus, quę solent præmitti, non esse invalidum, & nullum sicut illud, quod sine præsentia Parochi, & testium contrahitur. Hinc patet ad fundamentum in oppositum, quod ex eodem Concilio desumi videbatur, licet enim ea omnia requirat, non tamen omnia, tanquam ad valorem, & substantiam matrimonii requisita; & licet in priori parte eodem tenore verborum præceptum injungat de præmittendis denunciationibus, & assistentia Parochi, non tamen clausulam irritantem apponit, sicut in posteriori parte facit, ubi solùm loquitur de assistentia Parochi, & testium, & clausulam irritantem apponit, undè ad summum dicetur Conc. in prima parte illius decreti præscribere formam, & limitare modum, ut matrimonium licitè contrahatur, non autem ut validè, quasi omnia illa sint etiam de necessitate valoris. Ad Confirmat. negatur minor, quia ut patet ex dictis, licet tota illa publicitas à Conc. præcepiatur, & per denunciationes, & per Parochi, & testium assistentiam, tamen in posteriori parte decreti secunda tantum publicitas pro validitate præscripta est, & ad hanc tantum clausu-

la irritas appositа est, & non ad primam. Ad ultimum negatur consequentia, non enim frustratorium est præceptum de denunciationibus præmittendis, cùm sit ad finem detegendi impedimenta, quæ inter eos esse possunt, qui matrimonium contrahere intendunt.

48 Quintò tandem quæritur, quænam requiratur, ut matrimonium non modò validè, sed etiam licitè contrahatur, & communiter respondent DD. quatuor præsertim necessaria esse. Primum est, ut constat ex modò dictis, ut antequam matrimonium contrahatur ter à proprio contrahentium Parocho tribus continuis diebus festivis in Ecclesia inter Missarum solemnia publicè denuncietur inter quos matrimonium sit contrahendum, ità enim præscribitur in Conc. Lateran. & Trid. cit. & hæ denunciationes ab utriusq; contrahentium Parochis fieri debent, si fortè ad diversas Parochias pertinent, ut impedimenta, si quæ subsint, ex utraque detegi possint, à quibus denunciationibus, vel illarum aliquibus potest Episcopus dispensare ex justa causa, ut in præfato decreto declaratum est, ità Sanchez, Henriquez, Layman, Abellius, & alii passim. Secundum est, ut ipsi contrahentes nullius peccati mortalis sibi conscii sint, undè Conc. Trid. loc. cit. monet conjuges, ut antequam contrahant, sua peccata diligenter confiteantur, & hoc etiam ratio ipsa suadet, cùm enim matrimonium sit Sacramentum vivorum, ab iis, qui per peccatum mortui sunt, nec licitè, nec utiliter suscipi potest. Tertium est, ut matrimonium à filiis familias cum consensu parentum contrahatur, quamvis enim matrimonium invitis parentibus contractum, si aliæ conditiones necessariæ observentur, sit validũ, ut definitum est in Conc. Trid. in decreto de reformatione Matrimonii c. 1. certum est tamen, ut communiter DD. docent, graviter peccare filios familias, si invitis rationabiliter parentibus, vel eorum consensu non requisito Matrimonium contrahant. Quartum denique est, ut tempore apto, & convenienti Matrimonium celebretur, serveturque Ecclesiæ interdictum nuptiarum celebrationem prohibentis à prima Dominica Adventus usque in diem Epiphaniæ, & à feria 4. Cinerum usque ad oct. Paschatis inclusivè, ut habetur in Conc. Trid. sess. 24. cit. cap. 10. quæ omnia etiam fusiùs jam declaravimus disp. 7. cit. qu. 8. in fine.

QUÆSTIO TERTIA.

De Matrimonii unitate, & indissolubilitate.

49 DEclaratis, quæ pertinent ad Matrimonii essentiam, ac validitatem in ratione contractus, & Sacramenti, modo discurrendum est de ejusdem matrimonii unitate, vinculo, firmitate, seù indissolubilitate, quæ ipsum consequuntur, & comitantur, veluti connaturales ejusdem proprietates, quæ omnia breviter expediemus percurrendo, quæ de hac materia, fusè diximus, & ex professo lib. 4. disp. 7. *de Matrimonii Sacramento* qu. 6. & 7.

ARTICULUS PRIMUS.

De Matrimonii unitate.

50 UNitati matrimonii Polygamia opponitur, seù uxorum pluralitas, quæ duplex esse potest, ut dicebamus quæ. 7. cit. ab initio, una successiva, quando, scilicet, successivè quis plures habet uxores, altera simultanea, quando nimirum simul habet plures. Et quidem pluralitatem uxorum successivam validam esse, & licitam, altero conjugum mortuo, est communis Catholicorum sensus contrà Montanistas, & Novatianos olim secundas nuptias damnantes, & apertè colligitur ex Divo Paulo 1. Corinth. 7. *Mulier alligata est legi, quanto tempore vir ejus vivit: quod si dormierit vir ejus, liberata est, cui vult nubat, tantùm in Domino*, & Rom. *Si mortuus fuerit vir ejus, liberata est à lege viri, ut non sit adultera, si fuerit cum alio viro.* Quod posteà confirmatum est in Concil. Florent. quod expressè definit, non solùm secundas nuptias licitas esse, sed etiam tertias, quartas, ac ulteriores quoque esse licitas, & ita loquitur in Armenorum instructione. Et idem ratione constat, quia morte unius conjugis solvitur in superstite vinculum, & obligatio; ergò cum altero liberè contrahere potest, quia ex priori matrimonio nullũ ligaminis impedimentum relinquitur; instantias verò Hæreticorum, & præsertim Kemnitii solvunt Dogmatici passim. Quarè remanet sola quæstio de Polygamia, & pluralitate uxorum simultanea, quam licet omnes matrimonio repugnare concedant, & invalidam, ac illicitam esse in lege Evangelica, disputant tamen quo jure sit prohibita, & an aliquando fuerit illicita, & permissa; pro cujus quæstionis resolutione breviter recolenda sunt, quæ diximus loc. cit.

51 Primò conveniunt DD. & Catholici omnes Polygamiã seù pluralitatem uxorum jure divino esse prohibitam, & repugnare primæ institutioni matrimonii, quæ à Deo facta est in terrestri Paradiso, quod deducunt Hieronymus, Chrisostomus, Anselmus, Beda, & alii Patres ex ipsa Adami, & Evæ creatione, quia si Deus voluisset matrimonium esse unius cum multis, creasset Adamo, non unam tantùm, sed plures fœminas, quas in uxores ducere potuisset; cùm ergò unam tantùm creaverit, satis constat voluisse, ut unam tantùm haberet uxorem, non plures, qua ratione Innocentius Tertius cap. *Gaudemus*, de Divortiis dicit unam tantùm costam, in unam tantùm fœminam conversam fuisse, & non plures in plures. Hoc etiam deducitur ex verbis illis à Deo prolatis Genes. 2. *Erunt duo in carne una*, ubi supponitur conjuges non posse esse plures, quam duos. Conveniunt præterea polygamiam jure divino positivo prohibitam esse in lege quoque Evangelica, ut apertè colligitur ex verbis ipsius Christi Matth. 19. & Marci 10. ubi expressè docet esse adulterum eum, qui dimissa voce ducit aliam, quod non esset, si vivente priori alia quoque esset uxor ejus legitima; & hoc posteà tanquam de fide definitum est in Conc. Trid. sess. 24. can. 2. *Si quis dixerit licere Christianis plures simul habere uxores, & hoc nulla lege divina esse prohibitum, anathema sit*, quod etiam anteà docuerunt Divus Thomas, Divus Bonaventura, & Scotus 4. dist. 33. Conveniunt tandem pluralitatem maritorum simul cum una uxore esse etiam jure naturali illicitam, & nullam, quia hæc polygamia, quæ magis propriè dicuntur Poliviria, directè militat contra finem primarium matrimonii, scilicet, contrà prolis generationem, & commodam ejus educationem; siquidem conjunctio plurium virorum cum eadem muliere generationem maximè impedit, ut docent Medici, & experientia constat in meretricibus, quæ hac de causa nunquam, vel rarò concipiunt, quando pluribus commiscentur viris; nocet etiam hæc virorum pluralitas debitæ prolis educationi, quia nullus virorum, quibus eadem uxor communis esset, sufficienter filiorum educationi incumberet ob prolis incertitudinem, quia nullus proprium filium agnosceret. Et hac de causa Canones, Concilia, & Patres nunquam de Poliviria, hoc est, virorum pluralitate locuti sunt, quia de hac nunquam fuit quæstio, sed solùm de polygamia, seù pluralitate uxorum.

52 Secundò est difficultas, an pluralitas uxorum simul etiã jure naturali sit illicita, & irrita, & quidem communis opinio hoc simpliciter, & absolutè affirmat. Verùm melius cum Scoto distinguendum est, & dicendum polygamiam esse contrà jus naturæ latè sumptum, non autem strictè, & in rigore, etenim ut docet Scotus 4. dist. 17. & dist. 26. F. & repetit in proposito dist. 33. q. 1. §. *Ad argumenta* in solutione ad primum lex naturæ dupliciter sumi potest, primò pro primis principiis practicis notis ex terminis, vel pro conclusionibus ex his principiis deductis, & hoc modo dicitur esse de lege naturæ, quod est verum practicum simpliciter notum lumine rationis naturalis, & ibi primum, & potissimum gradum tenet principium practicum notum ex terminis, secundùm gradum tenet conclusio demonstrata ex talibus principiis; secundò sumitur lex naturæ latiùs pro omni eo, quod est consonum legi naturæ primo modo dictæ, & dicitur lex naturæ secundariò, & addit quod circa primum, seù quod est de lege naturæ primo modo, nulla cadit dispensatio, & ideò oppositum semper videtur esse peccatum, at circà secundùm potest cadere dispensatio; undè tandem concludit secundò tantùm modo monogamiam esse de lege naturæ, & polygamiam contrà illam, non verò primo modo. Et quidem polygamiam esse contrà jus naturæ latè sumptum omnes concedunt, & satis de se patet, nam consonum est legi naturæ, ut unus unam ducat, & cum ea perpetuò contrahat, nec ipsa vivente aliam ducat; ergò polygamia est contrà jus naturæ latè sumptum; consequentia patet, & probatur assumptum nam est legi naturæ consonum, quod proles benè, & commodè educatur; quod concupiscentiæ, & incontinentiæ commodè, & oportunè ex utraque parte provideatur, & tandem, ut pax, & amicitia in domo, familia, & Republica, quantum fieri potest, conservetur, at hæc omnia benè, & facilè cum unitate uxoris conservantur, & valdè difficulter cum pluralitate; ergo, &c. Quod autem polygamia non sit contrà jus naturæ strictè, & in rigore sumptum probatur, quia illud dicitur esse de jure naturæ hoc modo, quod est ex terminis notum, vel ex principiis per se notis necessariò deductum; sed conjugatum cum una non posse simul etiam cum alia conjugari non est sic notum; ergo, &c. Minor probatur, quia hoc non includitur in illo primo principio: *Quod tibi non vis, alteri ne feceris, & quod tibi vis, alteri feceris*, etenim in tali contractu

non

non læderetur jus alienum, quia supponitur, quod fieret cum tali scientia,& implicito uxoris primæ consensu, ut si viro placeret, posset aliam deinceps ducere; tùm quia sicut potest mulier renunciare totaliter juri suo,ità quòd si posteà petat, non teneatur vir reddere, ità potest renunciare parti juris sui, ideſt, partialiter juri suo cedere, quod transferat jus, quod cedit, in aliam, & hoc videtur licitum, dummodò non sit specialis Superioris prohibitio. Neque injustitia adesset in hac secunda permutatione, inquit Doctor, quia quantum ad finem principalem matrimonii, scilicet, prolis procreationem, plures valet vir,quam mulier, quia vir potest simul, & proximo tempore plures fœcundare mulieres; sed mulier non nisi ab uno viro fœcundari potest, & ideò quoad hunc finem matrimonii præcipuum plus valet vir, quam mulier; quarè concludit Doctor, quod nisi divina lex polygamiam prohiberet, jure naturæ licita esset; tùm quia nec est contra prolis educationem, quia posset ducere, quarum proli educandæ cum subsidio præsertim ipsarum sufficere possit. Denique si polygamia esset contrà jus naturæ strictè, & in rigore sumptum, nunquam à Deo fuisset in hoc dispensatum, quia suprà tale jus nulla cadit dispensatio,inquit Doctor; patet autem quod in veteri lege polygamia aliquando dispensata fuit ut mox dicemus; ergò &c. Objectiones autem quasdam contra hanc doctrinam vide solutas l.c.

53 Tertiò præterea est difficultas, an polygamia fuerit aliquando valida, & licita, & conveniunt Theologi, ac Juristæ polygamiam plurium virorum cum una uxore semper fuisse illicitam,& contrà jus naturale, & positivum, nec unquam fuisse permissam,& ità præsertim docet Scotus distinct. 2.33.citat. §. *Ad argumenta* in solutione ad 2.prin. ubi.ait, quod nunquam fuit ex parte justitiæ inter commutantes sic commutare, ut minus eveniret finis principalior, & magis eveniret finis minus principalis, quia finis principalis est magis intendendus, sed pluralitas maritorum magis esset ad finem minus principalem, scilicet, ad sedandam libidinem, & multò minus ad finem principaliorem, scilicet fœtus generationem,quia eadem mulier infrà idem tempus à pluribus viris fœcundari non posset. Quod ex D. August. desumpsit lib. de Bono Conjugat. c. 17. ubi inquit, quod non sicut uni viro plures licebat habere uxores, ità uni fœminæ plures viros,duobus enim,sivè pluribus maritis,vivis nullam legimus servisse Sanctarum, plures autem fœminas uni viro legimus conjunctas, plures enim fœminæ ab uno viro fœtari possunt, una verò à pluribus non potest. Ità Augustinus l.c. ergò nunquàm à Deo dispensatum fuit pro Poliviria, seù maritorum pluralitate. Imò Bellarminus, Soto, & alii dicunt, nec Deum dispensare posse, ut una mulier plures duceret maritos. Communior tamen,& probabilior opinio oppositum docet, & ratio est, quia Deus dispensare potest in aliis quoque præceptis juris naturæ,ut in fornicatione, furto, homicidio, & similibus, ut docet Doctor 3.d.36.ergò pariter etiam in hoc dispensare posset, cùm non sit præceptum urgentius illis. Tùm quia Deus in tali casu posset res ita disponere, ut ex hujusmodi polygamia nõ sequerentur illa inconvenientia, ob quæ à lege naturæ est prohibita,atque ideò tali dispositione facta lex naturæ non obligaret.

54 Quartò conveniunt etiam Doctores polygamiam, seù pluralitatem uxorum per singularem Dei dispositionem olim concessam fuisse antiquis Patribus, ità Scotus dist. 33. cit.a.2.ac Divus Thomas, & Divus Bonaventura ibidem, quod probat Doctor ex Genes. 16.& 25. de Abrahamo,qui habuit Saram, Agar,& Cæturam;de Jacob, qui habuit Rachelè,& Liam,& de David 2.Regũ 5.qui plures habuit uxores, probabile autem non est,quod hi Patres sic contrahendo aliquid fecerint illicitum,sed potiùs credendum est, quod illas non accepissent, nisi fuisset cum illis dispensatum, & hoc in casu paucitatis fidelium procreantium prolem, ut hoc modo plures mulieres ab uno fœcundarentur, & sic proles ad divinum cultum propagaretur, & multiplicaretur. Quod verò id sit contrà jus naturale non obstat, ut id Deus concedere possit, quia non est contrà jus naturale strictè sumptum, & primariò, sed tantùm latè sumptum, & secundariò, ut suprà dictum est. Tùm quia ut docet Scotus 3. distinct. 36.& sequitur Hurtad. disp.9. difficultat. 2. cum aliis Recentioribus ipsius Dei concessione, & dispensatione, quæ est juris declaratio, vel juris revocatio, definit esse contra jus naturæ, quia definit esse contrà jus uxoris, cùm Deus, ut supremus corporum Dominus possit viro facultatem concedere, ut validè, & absque injustitia in uxorem aliis quoque uxoribus suum tradat corpus; sicut etiam concessione divina facta alicui, ut alterum occidat, vel ejus bona accipiat, occisio illius, & bonorum acceptio definit esse injusta, & contra jus naturale, quia Deus est supremus Dominus bonorum, & vitæ omnium. Tùm tandem, quia Doctor loco citato, optimè declarat, quomodo adhuc in tali casu servabatur justitia cosiderando contractum ex parte contrahentium; quando enim aliquid ordinatur ad duos fines, unum principalem,& alium minus principalem, rationabile est uti illo eo modo, quo magis confert ad finem principalem, licet per hoc aliquid detrahatur fini minus principali, verbi gratia, cibus valet ad duo, scilicet, ad delectationem, quæ est finis minus principalis,& ad nutritionem, qui est magis principalis secundum rectam rationem,& conveniens est, ut aliquis utatur cibo eo modo,quo magis expedit nutritioni, licet in hoc aliquid detrahatur delectationi. Ità ergò in proposito iste contractus matrimonii est ad bonum prolis, ut ad finem principalem,& ad vitandam fornicationem, ut ad finem minus principalem; ergò secundum rectam rationem debent contrahentes sic commutare, ut commutatio plus valeat ad procreationem prolis, licet minus valeat ad illam redditionem debiti, sed hoc fit in commutatione corporis unius viri pro pluribus corporibus mulierum, quia corpus viri ad prolis procreationem, qui est finis principalior, plus valet, quàm corpus mulieris, ut supra dictum est; ergo hoc absolutè faciendum est in casu necessitatis, quia quando est necessarius valdè finis principalis, negligendus est finis minus principalis.

55 Quintò addendum est,quod polygamia consistens in hoc, quod aliquis post repudium unius uxoris acciperet alteram, qualis erat in usu apud Judæos, fuit licita ex dispensatione divina in lege Mosayca. Ità statuimus q.7.cit.artcul.2 cum Scoto d.33.cit.q.3.contrà illos,qui dicebant repudium in lege Mosayca non fuisse concessum per veram, & propriam dispensationem, quæ faceret illud licitum, sed fuisse solùm permissum & toleratum ad majus malum evitandum nempè uxoricidium, hoc idem defendunt Scotistæ,& Moderni omnes; Fundamentum est, quia Moyses hanc permissionem scripsit in Legum Codice, non per modum puræ permissionis, ac tollerantiæ,sed etiam dispositionis. & legis, ut patet in Deuteronom. capit. 24. & Malachiæ 2. ubi præceptivo modo repudium permittitur; ergò non potuit esse simplex tolerantia, vel convenientia, quia nullus legislator aliquid tolerans contrà legem propriam, vel alterius Superioris positiva lege, vel edicto tolerantia scribit in Codice Legum, sed in facto tantùm per punitionis suspensionem eadem suffert.Confirmatur, quia lex justa non debet dare alicui occasionem peccandi mortaliter; sed si repudium in Lege Mosayca fuit simpliciter illicitum, tunc lex Moysis dedisset per se,& directè occasionem peccandi.Denique aliud est permittere tantùm,& dissimulare aliquid; aliud est ipsum dictare, & consulere, aut præcipere,primum fieri potest à lege, vel legislatore respectu mali per suspensionem punitionis, sed secundùm nunquam fit respectu mali à lege justa, vel legislatore. Cùm ergò lex Moysis justa fuerit,& non solùm repudium permiserit, sed faciendum dictaverit, sequitur repudium sub illa lege non tantùm fuisse permissum, & toleratum ad majus malum evitandum, sed etiam justum, & licitum ex divina dispensatione, quia Moyses,ut legislator, inquit Doctor, non fuit nisi præco Dei, nam si sola permissio fuisset, ac toleranria Moysis, sequeretur ipsum manifestè populum decepisse, scandalum perpetuum commisisse,& Deum graviter offendisse, quod de Moyse nefas est cogitare dum legem Dei tunc populo præscribebat. Objectiones autem quasdam contrà hoc vide solutas loco cit.

56 Postremò concludendum est, in lege Evangelica nullo modo licitam esse polygamiam, nec habendo plures uxores simul, nec habendo successivè plures repudiando primam. Ità Doctor loc.cit. & est communis inter Catholicos, quia concessio populo fideli facta revocata fuit à Christo Domino Matth.6. & 19 qui matrimonium reduxit ad suam primam,& naturalem institutionem, quando dixit *Erunt duo in carne una*, non tres vel quatuor, *& eum, qui dimissa uxore aliam ducit mœchari, & esse adulterum*, cùm ergò prima matrimonii institutio polygamiam excludat, ut suprà dictum est, sequitur hanc dispensationem fuisse à Christo penitus sublatam. Hoc totum etiam definitum est in Concil. Trid. sess. 24. can. 2. *Si quis dixerit licere Christianis plures simul habere uxores, & hoc nulla lege divina esse prohibitum, anathema sit* Accedit tandem ratio,quia matrimonium in nova lege est Sacramentum significans unionem Christi cum Ecclesia; ergo debet esse necessariò unius cum una. Addunt etiam communiter. Doctores, nõ solùm quoad Christianos prædictam concessionem fuisse penitus sublatam per legem Christi, sed etiam quoad judæos, & alias nationes omnes, itaut jam non Christianis solùm, sed etiam aliis omnibus polygamia sit vetita. Ratio est, quia Christus Dominus simpliciter, & absolutè pro omnibus hominibus, & non pro Christianis tantùm matrimonium reduxit ad primævum suum statum, & modum de jure naturæ; Undè apud Judæos, & alios infideles jam ulteriora connubia nec valent, nec licent; non quia id mera Christi lege sit vetitum, cui legi sine baptismo præcedente

dente alii populi non sunt subjecti, sed quia, cùm jure ipso naturali omnes adstrigantur, sublata est per Christum concessio, seù dispensatio de polygamia. Ex quo factum est, ut quando infidelis conjugatus cum pluribus ad fidem convertitur, & baptismum suscipit, non permittatur in conjugio permanere, nisi cum prima, quam habebat, uxore. Addit tandem Doctor posse casum necessitatis occurrere ex bello, vel peste, in quibus multitudo virorum caderet, & multitudo mulierum maneret; & tunc in tali in casu licitam esse posse polygamiam ex parte commutantium, sicut olim in antiqua lege ad propagationem, & multiplicationem cultorum veri Dei; nec deficeret ibi, nisi completio justitiæ, quæ est ex approbatione divina, quæ fortè tunc fieret, & Ecc[illegible] specialiter revelaretur. Ità concludit Doctor noster l.c. quod [illegible]ié, & prudenter dictum censendum est.

ARTICULUS SECUNDUS.

De matrimonii indissolubilitate, & perpetuitate.

57 PRimò conveniunt Catholici omnes, ut diximus qu.6. cit. art.2. contrà quosdam Hæreticos matrimonium legitimè contractum sivè ratum, sivè consummatum inter fideles continere nexum perpetuum, & insolubilem, & ità præsertim docuit Scotus noster in toto tractatu de matrimonio à d.36. usque ad 42. ubi nil aliud tam frequenter repetit, & inculcat, quàm matrimonialis vinculi insolubilitatem, non tantùm sub ratione Sacramenti, sed etiam sub ratione legitimi contractus à Sacramento præscindentis, & ità expresè docet d.31. q.1 §. *Ad quæstionem* sub lit. D. movens dubium, an ista insolubilitas conveniat matrimonio Evangelico propter rationem Sacramenti, ut ajunt Glossa, & quidam Canonistæ, respondet. Dico, quod in lege naturæ fuisset insolubile, & tunc non fuisset propriè Sacramentum annexum contractui matrimonii, & Christus potuisset istam indissolubilitatem præcepisse in matrimonio suæ legis, licet nullum Sacramentum adjunxisset illi contractui. Ità Doctor l. c. quæ omnia posteà per Trid. confirmata videntur sess. 24. in principio de matrimonii reformatione, ubi hoc ipsum de omni matrimonio generaliter docet; idemque insinuat Gregorius Nonus in cap. finali de Conditionibus appositis, ubi ait conditionem perpetuitati matrimonii repugnantem esse contrà substantiam illius, & manifestè deducitur ex Genes. 2. ubi generaliter dicitur. *Quam ob rem relinquet homo Patrem, & Matrem & adhærebit uxori suæ, & erunt duo in carne una*, hoc est, ut explicat Scotus dist. 26. F. & H. non momentaneè accipiet vel ad tempus, sed perpetuò, & tota vita durante; idem deducitur ex Matthæi 19. ubi de matrimonio dicitur. *Quod ergò Deus conjunxit, homo non separet*, & Marci 10. & Lucæ 16. ubi omnis, qui uxorem dimittit, & aliam ducit, mœchari dicitur. Idcircò Paulus ad Roman 7. dixit Mulier vivente viro obligata est legi, nam durante conjugum vita maritali vinculo, & lege matrimonii sunt devincti, undè ortum habuit vulgaris matrimonii definitio, quod est *viri, & fœminæ maritalis conjunctio individuam vitæ societatem, & consuetudinem retinens.* Et tandem hac de causa communiter Doctores ajunt cessare in matrimonio, & exceptionem pati vulgarem, & communem regulam de Contractibus traditam c.1. de Reguliis juris: *Omnis res per quascunque causas oritur, per easdem solvitur*, hæc enim regula solùm habet locum in aliis contractibus, in quibus ratione materiæ possunt contractus dissolvi ex ipsamet contrahentium voluntate, qui ut liberè contraxerunt, ita & pro arbitratu suo possunt contractum rescindere cedentes juri suo, vel ex potestate Superioris illos ex justa causa rescindentis; hæc autem regula in matrimonio non tenet, tùm propter bonum commune, cum matrimonii dissolutio in detrimentum publicum vergat, tùm propter jus divinum, quo matrimonium indissolubile fuit institutum, ut mox dicemus.

58 Secundò, hoc supposito ex communi Doctorum, est difficultas, quo jure matrimonium sit indissolubile, sivè præcisè ratum, sivè etiam consummatum, de quo plures sunt sententiæ; Aliqui enim dixerunt ex sola Ecclesiæ institutione, & dispositione insolubilitatem matrimonii provenire, ità plures Juristeriti apud Sanchez lib.2. disp.13. Alii asserunt, non jure naturali, sed supernaturali divino, vel ab origine mundi, vel etiam à Christo Domino in lege gratiæ matrimonii contractum insolubilitatem accepisse, ità Sanchez l.c. Tancred. ibidem, Coninchius disp. 26. dub. 2. & alii ab ipsis citati. Alii tandem affirmant etiam jure naturali esse matrimonium indissolubile, tam consummatum, quam ratum etiam in ratione contractus, ut à Sacramento præscindit, ita communiter Scholastici 4 dist. 33. quos sequuntur Vasquez, Meratius, Ponce, Corduba, Lopez, Hurtadus, Bellarminus, Rebellus, Aversa, Bonacina, Caspensis, Azorius, & alii passim. Nos autem quæst. 6. cit. art. 1. statuimus in primis matrimonium fuisse institutum insolubile jure divino supernaturali à Mundo condito, & posteà tale confirmatum fuisse à Christo Domino in lege gratiæ, ità Scotus d. 26. qu. un. lit. H. & Q. ubi ait obligationem matrimonii indissolubilem fuisse à Deo justitutam lege sua positiva, & est communis Theologorum sensus, tam veterum, quàm Recentiorum, quod probat Doctor ex illo Genes. *Adhærebit uxori suæ*, ideſt, non momentaneè accipiet, inquit Doctor, & probat etiam ex oraculo Christi, qui Matth. 19. interrogatus, an liceret uxore dimittere ex quacunque causa, respondit: *Non legistis, quia qui fecit hominem ab initio masculum, & fœminam creavit eos; & dixit, propter hoc dimittet homo patrem, & matrem, & adhærebit uxori suæ* & concludit: *Quod ergo Deus conjunxit, homo non separet*, quibus verbis Christus expressit; non posse uxorem dimitti, quia à Deo facta est conjunctio, & Deum instituisse contractum indissolubilem inter virum, & fœminam, qui auctoritate humana dissolvi nequeat.

59 Deindè diximus Matrimonii indissolubilitatem esse quidem legi naturæ valdè conformem, non tamen esse de lege naturæ strictè, & in rigore loquendo; & ratio est, quia ut diximus art. præced. num. 52. ex Scoto 4. dist. 17. & 26. propriè, & in rigore loquendo illud dicitur esse de lege naturæ, vel jure naturali, cujus veritas est nota ex terminis, vel quod sequitur evidenter ex tali principio sic noto, undè in rigore loquendo nihil aliud est de lege naturæ, nisi principium, vel conclusio demonstrata, indissolubilitas autem matrimonii non est quid ex terminis notum, neque ex primis principiis practicis necessariò deductum, si enim sic nota esset, omnes nationes id cognoscerent, & cognovissent, quia lex naturæ omnibus, & singulis hominibus nota est, hoc autem falsum est, ut de se patet. Et quamvis possit esse legis naturæ præceptum, & lumine naturæ notum, esse necessarium ad genus humanum propagandum, & conveniens ad bonam prolis educationem, & Reipublicæ conservationem, ut mas, & fœmina inter se contrahant cum tali obligatione; non tamen potest ex terminis apparere, vel ex principiis evidentibus necessariò deduci talis obligatio, & indissolubilitas contractus, ut omninò necessaria ad talem finem consequendum, sed solùm ut magis apta, & ad talem finem idonea, ac proindè quod sit legi naturæ valdè conveniens; nam sine tali contractu indissolubili adhuc prolis propagatio, & educatio consistere posset, mediantè nimirum conrractu ad tempus, & annos determinatos, quamdiù v.g. conjuges sint apti ad generationem, & nati ad consistentem ætatem pervenerint. Addimus tandem ibi in fine articuli, quod licet matrimonii vinculum antequam elevaretur à Christo ad statum Sacramenti, erat insolubile, & tale etiam fuit ab initio; adhuc tamen ex tali elevatione ejus insolubilitas magis firmata est, ac stabilita, itaut ex nullo capite humana auctoritate solvi possit, ità declaravit Innocentius Tertius in capit. *Quantò* de Divortiis, ubi Pontifex assignans discrimen inter fidelium, & infidelium conjugia inquit, quod etsi matrimonium verum inter infideles existat, non tamen est ratum, quia Sacramentum fidei, quod semel est admissum, nunquam amittitur, sed ratum efficit conjugii Sacramentum, ut ipsum in conjugibus illo durante perduret. Ità ille, quod etiam adhuc magis constat de matrimonio consummato: quia nulla adest dispensatio ad solvendum matrimonium consummatum fidelium, sicut est ad solvendum matrimonium infidelium, ut habetur d.28.q.2.c. *Finali, si infidelis*, ubi permittitur, quod si unus ex conjugibus convertatur ad findm, & alius remanens vult discedere, potest discedere, nec est ei servanda fides conjugii; sed hoc non ex alio capite provenire potest, nisi quia matrimonium fidelium est Sacramentum, infidelium autem minimè. Hoc autem præsertim asseritur de matrimonio consummato, quia hoc in oratione Sacramenti repræsentat unionem hypostaticam Verbi cum natura humana, quæ unio sicut est indissolubilis, ità etiam insolubile est matrimonium consummatum inter fideles, quod illam representat, ut ait Innocentius Tertius de Bigamis c. *Debitum*.

60 Tertiò est difficultas, an matrimonium dissolvi possit ob aliquam causam in lege Evangelica, nam Græci omnes affirmant posse dissolvi ob adulterium alterius conjugis moti ex verbis Christi Matth. 19. *Quicunque dimiserit uxorem suam, nisi ob fornicationem, & aliam duxerit mœchatur*, quibus concedere videtur, quod vir possit uxorem dimittere, & aliam accipere ob causam adulterii. Pro cujus difficultatis resolutione q.6. c.a.2. statuimus in primis, matrimonium Christianorum cōsummatum esse omninò insolubile, itaut neq; ob adulterium alterius conjugis, neque ob hæresim, aut molestam cohabitationem, vel aliam similem casuam dissolvi possit, ac proindè alio conjuge superstite nunquam licitum esse ad alias nuptias transire. Hæc est communis Catholicorum sententia, quam Scotus ex instituto docuit 4. disp. 31. G. & dist. 33. quæst. 3.

§. *Alia*

§. *Alia opinio*, ubi ait repudium à Deo concessum in lege Moysi fuisse à Christo in lege sua Evangelica penitus, & quacunque ex causa abrogatum. Quod posteà confirmatum est in Concilio Florentin. & Trident. sess. 24. cap. 5. & 7. & probatur evidenter ex Sacra Scriptura Marci 10. ubi Christus Dominus generaliter loquens ait. *Quicunque dimiserit uxorem suam, & aliam duxerit, adulterium committit super eam, & si uxor dimiserit virum, & alii nupserit, mœchatur*, idem habetur Lucæ 16. *Omnis qui dimiserit uxorem suam, & aliam ducit, mœchatur, & qui dimissam à viro ducet, mœchatur*, & Roman. 7. *Quæ sub viro est mulier vivente viro alligata est legi, & vivente viro vocabitur adultera, si fuerit cum alio viro*, & Corint. 1. cap. 7. *iis, qui matrimonio juncti sunt præcipio non ego, sed Dominus, uxorem à viro non discedere, quod si discesserit, manere innuptam, aut viro suo reconciliari*. Probatur etiam hæc veritas plurib⁹ SS. Patrum testimoniis, & Pontificum rescriptis, quæ fusè à Bellarmino referuntur cap. 16. & Brancato nostro disp. 16. art. 7. Et tandem probatur ratione jam insinuata, quia matrimonium Christianorum consummatum est signum conjunctionis Christi cum Ecclesia, quatenus sub ratione Sacramenti repræsentat unionem hypostaticam Verbi cum natura humana, ut ait Paulus ad Ephes. 5. sed illa conjunctio est indissolubilis; ergo, & matrimonium Christianorum est indissolubile. Ad fundamentum in oppositum ex verbis Matth. 19. desumptum respondetur ex doctrina Patrum, Conciliorum, & rescriptis Pontificum in repudio, seu perfecta dimissione quoad vinculum duo esse consideranda, scilicet, dimissionem unius, & potestatem ducendi aliam: Christus igitur in præfatis verbis hæc duo distinguitur, & unum in causa fornicationis concedit, scilicet, dimissionem, alterum verò, scilicet, potestatem aliam ducēdi omninò abrogavit, alioquin esset manifesta contradictio cum præcedentibus verbis, quibus repudiū quod erat in lege Mosayca permissum, & solutionem quoad vinculum omninò reprobaverat, solùm ergò concedit illis verbis, quod ex causa fornicationis possit quis uxorem dimittere quoad cohabitationem, & thorum, non tamen quoad vinculum, nec in ullo casu permittit licere aliam ducere priore conjuge vivente, & sic patet, quod idem dicit Matthæus, quod Lucas, & Marcus, & in hoc sensu hunc locum exposuit præsertim D. Augustin. lib. 2. de adulterio conjugat. capit. 9.

61 Deindè diximus ibidem matrimonium Christianorum ratum, & non consummatum jure derivato à Christo Domino in favorem professionis religiosæ posse dissolvi quoad vinculum per ingressum alterius conjugis in Religionem. Ità communiter Doctores, quos adducunt, & sequuntur Sancher, Trancred. Ponce, Meratius, Caspensis, & alii passim, & Scotus noster ex professo 4. d. 31. qu. un. C. ubi inquit; quod Christus, qui dissolubilitatem induxit Matth. 19. probans pro lege sua repudium Mosaycum, ipse relaxavit indissolubilitatem, quando alter conjugum ad Religionem convertitur, undè Ecclesia nūquam attentasset post matrimonia rata nō consummata licentiare alterum ad Religionem, altero manente in sæculo, nisi Christus hoc instituisset, habetur autem hoc ex facto Christi vocantis Joannem Apostolum, & Evangelistam à nuptiis Joan. 2. cujus exemplum imitati sunt alii. Doctor loc. cit. quod totum posteà confirmatum est in Conc. Trid. in sess. 24. can. 6. & in jure Canonico c. *Ex publico* de Conversione Conjugatorum, & cap. *Ex parte tua* eodem titulo, ubi asseritur *Ex sacri eloquii interpretatione, & divina revelatione in Ecclesia Christi semper fuit custoditum, ut ratum matrimonium per professionem solemnem dissolveretur*, undè ex Christi privilegio, ut Scotus dicebat, professio religiosa vim obtinuisse creditur dirimendi matrimonium ratum, quod non aliundè constat, quàm per Ecclesiæ traditionem. Hoc etiam ratione suadetur, quia recta ratio dictat, semper licitum esse transitum de statu minus perfecto ad perfectiorem, si absque alterius detrimento id fieri possit, at status religiosus perfectior est, & status conjugii imperfectior; ergò potest quis ab isto ad illum transire, si absque alteriùs detrimento id fieri possit, quod fit quando matrimonium est tantummodò ratum, & nondùm consummatum, quia tunc nulla est proles, & uxor, si velit alteri nubere, potest, & æquè benè, ac anteà, cùm sit Virgo, & ex tali separatione nihil infamiæ incurrat, ut de se patet, neque ulla fit ei injuria, sed marito consentire tenetur perfectiores nuptias cum Christo inire volenti, cùm id sine ullo suo incommodo facere possit, quàm materiam fusè prosequitur Brancatus noster disp. 16. art. 13. 14. & 15. Addimus tandem ibi in fine articuli matrimonium inter infideles contractum dissolvi posse quoad vinculum, si alter conjugum convertatur ad fidem, & alter nolit alteri cohabitare sine injuria Creatoris. Ità Doctor 4. d. 39. sub E. & F. idem docent D. Thomas, & D. Bonavent. & est communis omnium Theologorum, & Canonistarum sententia, quam deducunt ex verbis Apostoli 1. ad Corint. 7. *Si infidelis discedit, discedat, non enim servituti subjectus est frater, aut soror in hujusmodi*, quæ verba non sunt intelligenda tantùm de separatione quoad thorum, & cohabitationem, sed etiam quoad vinculum matrimonii, & est res in Ecclesia decisa, & expressa in jure cap. *Si infidelis* ex Divo Ambrosio dicente, ut in ejus loci expositione refert Cornelius à Lapide. *Qui in infidelitate perseverat, non debetur ei reverentia conjugii, qui horret auctorem conjugii, sed potest alteri se conjungere*, & Divo Gregorio sic exponente *Contumelia Creatoris solvit jus matrimonii circà eum, qui relinquitur, infidelis autem discendens, & in Deum peccat, & in matrimonium, nec est ei fides servanda conjugii*. Idem habetur capit. *Quanto*, & capit. *Gaudemus* de Divortiis ex Innocentio Tertio, ubi Pontifex declarat, quod frater, aut soror fidelis non subjiciatur servituti, & ligamini prioris conjugii, sed possit illud dissolvere, & aliud inire conjugium cum altera, scilicet, persona fideli, quod fusius adhuc declaramus loco citato.

62 Quartò tandem est difficultas, an matrimonium ratum non consummatum auctoritate Pontificia dissolvi possit, & est quæstio de Matrimonio rato extrà casum professionis religiosæ, itaut sensus sit, an possit etiam in aliis casibus ex dispensatione Summi Pontificis absque solemni professione alterius conjugū verè dissolvi matrimoniū ratum nondùm consummatum, itaut ambo liberè possint ad alia transire conjugia, an inquam, id fieri possit ex ejusdem Pontificis dispensatione, gravi interveniente causa, hac enim deficiente certum videtur non posse validè dissolvi, etiā per dispensationem Rom. Pontificis. Negant quamplures ex communi principio, & fundamento, quod nequeat Pontifex dispensare in jure naturali, & divino, ut dicitur in tractatu de legibus; matrimonium autem ratum est ex sua natura, ad divino jure indissolubile, ità communiter discurrunt Scholastici veteres. Alii è contrà volunt matrimonium ratum esse quidem ex natura sua indissolubile propria contrahentium auctoritate, tamen non solùm potestate divina, sed etiam humana Summi Pontificis posse dissolvi, ità Recentiores communiter, Sanchez, Henriquez, Bonacina, Aversa, Caspensis, Layman, Navarrus, & alii passim, & præsertim qui dicunt insolubilitatem Matrimonii rati esse juris Ecclesiastici. Quoniam hæc est una ex præcipuis controversiis in hac materia, latè eam discurrimus quæ. 6. cit. art. 3. ubi diximus posse etiam ex dispensatione Summi Pontificis in aliis quoque casibus præter casum professionis Religiosæ, verè dissolvi Matrimonium ratum, nondùm consummatum, itaut ambo liberè possint ad alia transire conjugia, & hæc videtur probabilior sententia, quia auctoritati Pontificiæ favorabilior in re justa, & suadetur ex ipso facto, quia pluries in hac re Summi Pontifices dispensarunt, ut de Eugenio IV. & Martino V. testatur D. Antoninus 3. p. tit. 1. cā. 21. & de Paulo Tertio, & Pio Quinto testatur Navarrus in Summa c. 11. & de Gregor. XIII. refert Henriquez. l. 11. de Matrimonio c. 8. una die cum undecim dispensasse.

Confirmatur, quia Summus Pontifex potest dispensare, & de facto dispensavit, ut pluribus exemplis ostendimus loc. cit. in professione solemni, quod est vinculum potentius, cùm hoc dirimat vinculum matrimonii non consummati; ergò à simili, vel à fortiori Pontificia potestas extenditur ad matrimonium ratum, quod est minoris vinculi, quia sicut ad commodam, & prudentem gubernationem fidelium convenienter Christus Ecclesiæ suæ potestatem reliquit dispensandi in votis solemnibus, quæ alioquin cùm sint promissiones factæ Deo obligant de jure divino naturali, tantò magis ob eandem rationem de dispensatione Matrimonii rati hoc asseri poterit, quod solo jure divino positivo est indissolubile, non autem naturali in rigore loquendo, ut suprà declaratum est.

63 Addimus tamen loc. citat. Pontificem hanc habere auctoritatem non ex solo humano jure, quasi solùm humana lege, & constitutione, atq; inter Christianos Pontificia, jussum sit ne matrimonium ratum dissolvatur, sed dici debet Pontificem hanc auctoritatem habere ex Divina cōcessione Christi Domini, ut ejus Vicarium in Ecclesia, quia Romano Pontifici à Christo Domino collata est potestas dispensandi non solùm in jure divino, quando hoc ad bonum Ecclesiæ regimen expedire censetur eo tamen modo, quo diximus in superioribus disp. 2. de legibus q. 3. art. 2. in fine, per declarationem nimirum, & interpretationem, quæ propriè non est dispensatio, & in rigore loquendo, ut ibi declaravimus, & expressè deducitur ex illo Jo. 21. ad Petrum, & ejus successoribus *Pasce oves meas*, sed quandoque expedit sic dispensare in matrimonio rato nondùm consummato, ut patet in assignandis causis talis dispensationis; ergò hæc potestas Romano Pontifici neganda non est, atque ità dici debet Pontificem hanc habere auctoritatem ex divina concessione Christi, quo pacto licet matrimonium ratum ex natura sua dicatur non posse dissolvi, adhuc tamen

ple-

plenè divinæ subditur potestati, ut Dei auctoritate dissolvi possit, & sicut Christus eidem suæ Ecclesiæ potestatem reliquit dispensandi in voto professionis, quod est majus vinculum, sic etiã ad meliorem fidelium gubernationem hujusmodi potestatem reliquit dispensandi in matrimonio, gravi interveniente causa. Et per hoc patet ad fundamentum primæ sententiæ negantis posse Pontificem dispensare ad dissolvendum matrimonium ratum, eo quod nequeat dispensare in jure naturali, & divino, nam satis dictum est id non posse Pontificem auctoritate humana, sed solùm divina sibi à Christo Domino concessa. Addimus tandem ibi, justam requiri causam ad hoc, ut Pontifex, non solùm licitè, & absq; peccato, sed etiam ut validè dispenset in matrimonio rato, cum enim supponamus ex dictis etiam hoc matrimonium ratum esse jure divino insolubile, ad summum ex justa causa dici debet concessa potestas illud dissolvendi, sicut pariter requiritur in voti dispensatione, nequit enim Pontifex uti auctoritate dispensativa in lege divina, quæ ex speciali concessione ejus dispositioni hìc, & nunc subiicitur, nisi ut fidelis dispensator in ædificationem, & justa interveniente causa, aliàs non ratificatur talis dispensatio à Deo, qui potestatem tribuit in ædificationem, non in dissipationem, & destructionẽ, & hanc opinionem, ut tutiorem, & probabiliorem sequuntur Sanchez, Barbosa, Aversa, Tancred. & ex nostris Hiqueus, & Brancatus, & est non solùm contrà Juristas asserentes insolubilitatem matrimonii rati esse juris humani; sed etiam contra quosdam Theologos, qui licet fateantur esse juris divini naturalis, vel positivi, dicunt tamen Christum concessisse absolutè hanc dispensandi potestatem Pontifici etiam sine causa, ne relinqueret locum perplexitati. Quæ autem sint justæ hujus dispensationis causæ, variæ assignari solent, ut magna inæqualitas inter virũ, & fœminam, vel periculum magni scandali, vel damni inter conjunctos, aut perpetuæ discordiæ inter conjuges ipsos, itẽ impotentia consummandi post contractũ, vel perpetuus morbus alteri conjugum superveniens, sed hæc res prudenti judicio dispensantis potiùs relinquenda est, ut diximus loc. cit.

QUÆSTIO QUARTA.

De Sponsalibus Matrimonio præviis.

64 ANtè Matrimonium non solùm Denunciationes præmitti solent, sed etiam sponsalia, hoc est, promissio, & conventio contrahendi, non quidem quasi id necessarium sit ex natura matrimonii, vel ejus valorem, aut ex præcepto Ecclesiæ, ut de Denunciationibus dictum est, sed quia ad præventionem, & securitatem matrimonii futuri hoc est utile, & opportunum, velut quædam moralis prævia dispositio ad illud, & dicuntur sponsalia à verbo *Spondeo*, quod est promitto, seù à spondendo, aut sponte promittendo, & significat spontaneam promissionem mutuam inter virum, & fœminam de matrimonio in futurum contrahendo, sponsaliorum nanque obligatio non contrahitur per solùm desiderium, aut propositum matrimonii contrahendi, nisi promissio intercedat, eaq; mutua, & reciproca; undè sponsalia propriè dicta, de quibus hìc loquimur, definiuntur, quod sunt *futurarum nuptiarũ mutua promissio*, ut habetur in c. *Nostrates* 30. q. 6. & L. 2. ff. de Sponsalibus, & quia de his Scotus ex professò non tractat ex Sacris Canonibus, & Theologis moralibus quæstionem hanc expediemus breviter repetendo, quæ de hoc fusè diximus 4. disp. 7. cit. p. 9.

ARTICULUS PRIMUS.

Quæ, & quot ad Sponsaliorum valorem requirantur.

65 PRimò conveniunt Doctores, ut diximus quæst. 9. cit. art. 1. ad validitatem sponsaliorum requiri, ut sponden tes verè, & ex animo promittant, & talis promissio sit libera & voluntaria, quia sponsalia obligationem inducunt, vis autem obligandi ex voluntate oritur, ac proindè talis promissio libera esse debet, & voluntaria, ac etiam deliberata, non enim ad inducendam obligationem est sufficiens, nisi ex plena advertentia & deliberatione procedat, qua ratione non solum deliberata esse debet, sed etiam spontanea, ut excluditur promissio metu, vel fraude extorta, quæ non est valida, ut supradictum est de matrimonio ex metu extorto, quæ autem, & qualis deliberatio requiratur, & sufficiat ad sponsalia, communiter dicunt illam requiri, & sufficere, quæ ad peccatum mortale requiritur, & sufficit, cùm enim sponsalia obligent sub mortali, petunt plenam deliberationem, & maturum judicium, quale ad mortale requiritur. Nec major advertentia est necessaria, ut quidam putarunt, quia Ecclesia ætatem sufficientem ad sponsalia septennium designavit, siquidem usus rationis, & libertas regulariter septennio incipit, ut habetur in cap. *Litteras* 4. in cap. *Accessit* 5. & in cap. *ad dissolvendum* 12. & in cap. un. de sponsalibus impub. & rationabiliter hæc ætas assignatur ut sufficiens ad sponsalia, quia talis ætas sufficiens est ad usum rationis, & ad graviter peccandum, ac proindè hìc usus rationis ad sponsalia sufficiens censeri debet. Deindè conveniunt ad valorem spõsaliorum necessariam esse mutuam promissionem sponsi, & sponsæ, & ita deducitur ex l. 1. ff. de sponsalibus, ubi sponsalia vocantur repromissio, hoc est reciproca promissio, & ratio est, quia sponsalia promissionem continent futuri matrimonii, sicut ergò matrimonium utriusque partis consensu perficitur, dùm vir, & fœmina se invicem in conjuges accipiunt; ita sponsalia non nisi mutua utriusque partis promissione de contrahẽdo matrimonio perficiuntur, & sicut matrimonium est duorum mutuam, & reciprocam suorum corporum potestatem tradentium, ità sponsalia sunt duorum mutuam, & reciprocam suorum corporum potestatem promittentium, siquidem res, quæ in contractu matrimonii traditur, in contractu sponsaliorum prævio promittitur. Exquo sequitur sponsalia, non nisi per mutuam ipsorum contrahentium promissionem constitui, itaut verè non fiant uno promittente pro alio, etiamsi Pater pro filio, vel filia promitteret, absque promissione propria ipsius patris, vel saltem absque ejus mandato, ut alius tanquam Procurator promittere valeat, ut habetur l. *Sponsalia l. In sponsalibus*, & l. *filiofamilias* ff. de sponsalibus, & cap. *Accessit* de Desponsat. Impuber. & cap. unico sub eodem titulo in 6. An verò censenda sit repromissio ad sponsalia sufficiens, quando alter fidem dedit de matrimonio contrahendo, alter verò non expresè repromisit; sed alteriùs promissionem tantùm acceptavit vide loc. cit. ubi cum communiori negativè respondemus. Conveniunt tandem Doctores promissionem declaratam de matrimonio contrahendo ad valorem sponsalinm necessariam signo aliquo sensibili exprimi debere, quia hæc promissio debet contrahentibus innotescere, aliàs non posset esse mutua, quarè ad definitionem spõsaliorum superius relatam à Canonistis traditam, quod *sunt futurarum nuptiarum mutua promissio* addunt Theologi Morales hanc aliam particulam *signo aliquo sensibili expressa*; quæ autẽ, & qualis expressio per verba, aut signa requiratur ad constituẽda sponsalia, discurrendum est, sicut suprà dictum est de matrimonio in simili proposito. Ex quo patet discrimen, quod versatur inter promissionem, quæ fit Deo per votum, & inter promissionem, quæ fit homini; promissio enim quæ fit Deo, sufficit, ut sit interna, cùm Deus intueatur Cor. 1. Regum 16. non verò sufficit, si fiat homini, quia actu humano ab homine imperceptibili, qualis est actus merè internus, insurgere nequit obligatio cum alio.

66 Secundò est difficultas, an sponsalia clandestina sint valida & licita, seù an sponsalia debeant publicè, vel possint validè, & licitè etiam clam iniri. Non defuerunt ex Canonistis, qui dixerint, quod sicut ad matrimonii valorem requiritur illa solemnitas, ut publicè coram Parocho, & testibus contrahantur ex decreto Concil. Trid. ut suprà dictum est, ità etiam requiritur ad validitatem sponsaliorum, nam eadem ratio, ob quam Ecclesia olim probibuit, & posteà in Tridentino irritavit matrimonium clandestinum, etiam in sponsalibus procedere videtur, ne scilicet, quisquam poliquam uni promisit clàm, & privatim impunè deinceps promittat aut contrahat cum altera, dũ prior promissio in facie Ecclesiæ non potest probari, & ob alia hujusmodi inconvenientia. Communis tamen sententia oppositа docet ut diximus q. 9. cit. art. 2. nempè non esse de necessitate, nec de obligatione sponsaliorum, ut publicè, sivè coram Paroco, & testibus ineantur, sed benè posse etiam clàm, & privatè inter ipsos promittentes iniri, non solùm validè, sed etiam licitè. Ita Sanchez, Lopez, Hurtad. Becanus, Rebellus, Aversa, Coninchius, Brancatus ex nostris, & alii passim. Fundamentum est, quia sponsalia clandestina neque irrita sunt, neque prohibita jure naturali, ut patet, neque alio jure positivo de ipsis specialiter lato, quia si aliquo, maximè prædicto, Tridentini, eo autem non irritatur, nec prohibetur, nisi matrimonium clandestinum; ergò ad sponsalia extendi non debet, lex enim Trident. irritans, & prohibens tale matrimonium est correctoria juris communis, ac proindè ultrà casũ ab ea expressum extẽdi non debet l. *Præcipimus C. de appellationibus*. Confirmatur, quia ità de facto declaravit S. Carpinalium Congregatio, ut refert Hurtad. disp. 1. diffic. 26. ubi etiam Rebellum citat hæc verba S. Congregationis referentem *Decretum Trid. quo statuit, ut matrimonium fiat coram Parocho, & testibus non habere locum in sponsalibus*, & ità etiam usus Ecclesiæ suadet, non

non enim consuetum est inter fideles, ut sponsalia coram Parocho celebrentur, & interdū inter solos contrahere volentes nullis aliis præsentibus vel conscīis perficiuntur, super qua re tamē contuli debent cujusque Diœcesis consuetudines, & leges particulares. Hinc ad fundamentum oppositæ sententiæ negatur assumptum, quod eadem ratio prohibitionis procedat de matrimonio clandestino, & de sponsalibus, nam matrimonium clandestinum à Tridentino prohibitum est, ad adulteria vitanda, solebant enim aliqui, spreto priori matrimonio clàm inito, publicè aliam ducere, & cum ea in perpetuò adulterio vivere, cùm enim de priori matrimonio Ecclesiæ non constaret, ad secundū cogebat, quod erat adulterium coram Deo, undè in matrimonio maximum aderat periculum, quia post unum matrimoniū contractum omne aliud subsequens erat invalidum, hoc autem periculum non habet locum in sponsalibus, nam matrimonium contractum, prioribus sponsalibus cum alia contemptis, validum est, quamvis illicitè contrahatur cum injuria prioris sponsæ, & promissionis, ut fusius declaratum est l. c.

67 Tertiò, quamvis Doctores conveniant ad validitatem sponsaliorum requiri, ut contrahentes saltem ætatis annum septimum expleverint, quia usus rationis, & libertas septennio incipere solet regulariter loquendo, & secundùm communem naturæ cursum, ut constat ex cap. *Litteras*, & cap. *Accessit* de desponsatione impuberum: adhuc tamen difficultas est, an ad valorem sponsaliorum requiratur septennium mathēmathicè completum, & an si malitia suppleat ætatem, hoc est, quando ante septennium usus rationis est perfectus, sponsalia sint valida antè illud contracta, & si valida, ad etiam licita. Negant plerique ad valorem sponsaliorum necessariò requiri septenniū mathematicè completum dicentes etiam anteà posse tam validè, quàm licitè iniri sponsalia, & satis esse, si puer sit proximus septennio, eique pauci desint dies ad illud complendum, pro qua opinione citari solent D. Thomas D. Antoninus, Victoria, Vivaldus, Diana, & alii, quorum fundamentum est, quia in moralibus parum pro nihilo reputatur, & quod parum distat, nihil distare videtur, undè qui proximè completurus est septennium, moraliter habetur, ac si complevisset. Imò volunt prædicti Auctores valere etiam sponsalia, quandocunque malitia ætatem suppleat, idest prudentia, & judicium rationis septennium prævenit, in præsenti enim materia malitia nil aliud significat, quàm discretionem, & usum rationis perfectum, & fundamentum est, quia cùm etiam in jure præscripta sit certa ætas ad matrimonii valorem, tamen declaratur sufficere minor ætas, si malitia ætatē suppleat cap. *de illis* 2. de desponsatione Impub. & quod dicitur de matrimonio debet pariter ad spōsalia extēdi ex l. *Oratio* ff. de spōsalibus; ergo pariter sponsalia antè septēniū validè contrahi poterunt quando malitia ætatem supplet.

68 Communior tamen, & probabilior opinio, ut diximus loc. cit. docet verè requiri septennium completum ad validè ineunda sponsalia, ità Sanchez, Ponce, Coninchius, Tancred. Hurtad. Caspensis, Aversa, Brancatus ex nostris, & alii passim. Ratio est, quia professio antè annum 16. completum est irrita ex Tridentino sess. 24. c. 15. & testamentum conditū antè annū 14. completum, est invalidum l. *Qui ætatè* ff. Qui testamentum condere possunt; ergò similiter sponsalia antè septennium completum celebrata erunt invalida; cùm eadem sit utrobique juris dispositio; habentur enim textus expressi in jure Canonico, in quibus hæc ætas præscribitur. Neque admittenda est illa exceptio, & limitatio valere sponsalia, si desint tantùm pauci dies ad complendum septimum annum, dum enim ex ipso jure expresso requiritur certus annus completus, jam deficit præscripta ætas, si vel unus dies desit, undè communiter Doctores requirunt etiā ultimum diem anni septimi saltem inchoatum ut septennium dicatur completum, & sufficiens ad validè ineunda sponsalia. Imò Hurtad. d. 1. diffic. 24. contendit non sufficere ultimum diem septennii esse inchoatum, sed debere esse completum, quia quousque completus sit, non est septennium, mathematicè completum, nec in indivisibili consistens, idem sentit Brancatus noster disp. 27. art. 5. sicut de tempore ordinationis in sacris certum est, inquit, quod nisi completus sit annus 21. & incipiat. 22. ætas non sufficit ex Conc. Triden. sess. 23. ca. 12. & idem inquit esse de professione regularium, qua statuitur, ut professio non fiat antè 16. annum completum, & nisi dies ultimus anni 16. sit expletus, irrita esset professio, quia re vera non esset expletus annus 16. Verùm Ponce, Aversa, Becanus, Caspensis, & alii communiter dicunt sufficere, si ultimus dies anni septimi sit inchoatus, licet nondum totus effluxerit, quia in rebus favorabilibus id sufficit, qualia sunt testamentum, cōtractus matrimonii, & sponsaliorum, & ità in favorem testamenti statutum est l. *qua ætate* ff. de Testamentis, & idem sentiendū est tēpore ordinationis in sacris, & Religiosę professionis, nimis enim rigorosū videtur mathematicū illud cōplementū; eo enim ipso quod ultimus dies est inchoatus, licet nondum totus effluxerit, verè, & propriè juxtà juris statutum septenniū completum dici potest, nō autem si desint dies pauci, dùm enim ex jure ipso requiritur certus annus completus, si vel unus dies deficit, ætas à jure præscripta, ut dictum est. Undè regula illa, quod parum distat, nihil distare videtur, non habet locum ubi terminus est à jure præscriptus, neque pro nihilo reputatur illud parum, quod jure ipso exigitur, nec moraliter in jure hatur, ac si complesset annum, si desint pauci dies, & unus solùm ad complendum septimum annum, sed oportet, ut saltem sit inchoatus ultimus dies talis anni, etiamsi nondùm totus effluxerit. Et juxtà hunc dicendi modum regula illa potest habere locum, quod parum pro nihilo reputatur, & quod parum distat nihil distare videtur, si enim dies ultimus anni septimi sit inchoatus, etiamsi nondùm totus effluxerit, adhuc in rei veritate, & absque juris præjudicio septennium completum dici potest, quia nullus dies anni deficit etiam ultimus, cùm jam supponatur inchoatus.

69 Quartò rursus neque admittenda est alia exceptio, & limitatio, ut dicebamus loc. cit. valere sponsalia antè septenniū, si malitia suppleat ætatem, ità probabilius tenent Abbas, Angelus, Rosella, Vasquez, Hurtad. Aversa, Brancatus noster, & alii. Ratio est, quia jus talem exceptionem non apponit in sponsalibus: & planè si apponeretur, frustratoria omninò fuisset lex de ætate septem annorum, siquidem sufficeret quæcunque ætas, in qua usus rationis adesset, & ad nihil prorsus prædicta juris dispositio deserviret, quia si malitia supplet ætatem, sponsalia eodem modo fiunt, aut non fiunt validè, sivè adsit septennium à jure præscriptum, sivè non. Neque ex eo, quod hæc exceptio in ætate ad matrimonium requisita appositа fuerit, debet pariter extendi ad ætatem in sponsalibus requisitam, ut urgebant Auctores primæ opinionis, non enim generaliter quod decretum, & statutum est in matrimonio, etiam de sponsalibus intelligi debet, ut de publicitate suprà dictū est, nec specialiter in præsenti casu eadem ratio exceptionis militat in sponsalibus, quæ in matrimonio, nam ætas sufficiens ad matrimonium definitur probabilitate ad generandum, quæ si citius adveniat, minor etiam sufficiet ætas, sicut de facto sufficit in fœmina ætas, duodecim annorum, cùm in viro requiratur quatuordecim, & ità habetur eo c. *de illis* 2. de Desponſ. Impub. ubi dicitur, quod si fuerint ità ætati proximi, quod carnali copula conjungi potuerint, minoris ætatis intuitu separari non debent, & hæc est ratio, quæ communiter assignari solet, cur jus canonicum eandem ætatem in viris, & fœminis ad sponsalia præscripserit, cum tamen diversam ad matrimonium exigat, nam ad sponsalia sufficit usus rationis, qui regulariter eodem tempore viris, & fœminis obvenit septennio expleto, ad matrimonium autem requiritur potentia generandi, quæ tardius in viris reperitur, ut docet D. Thomas q. 43. art. 2. & 3. Responsionem autem Sanchez. Ponce, Becani Caspensis, & aliorum docentium, malitia ætatem supplente adhuc validè sponsalia contrahi ante septennium, vide rejectam art. 2. cit. num. 269. Quæ verò habilitas requiratur ad sponsalia ineunda, conveniunt Doctores omnes illas solas personas ad sponsalia habiles esse; inter quas matrimonium consistere potest, adeout ad sponsalia eadem requiratur habilitas, quæ ad matrimonium, sponsalia namque sunt futuri matrimonii promissio, ideoque inhabiles ad matrimonium, inhabiles quoque ad sponsalia censentur.

70 Quintò tandem est difficultas, an esset peccatum mortale, si quis sponsalia contraheret antè legitimam ætatem à jure præscriptam. Affirmant aliqui, quod deducunt ex c. 2. de Desponſ. Impub. ubi districtè inhibetur, ne aliqui, quorum uterque vel alter ad ætatem legibus, vel Canonibus præscriptam non pervenerit, conjungantur, nisi fortè aliqua urgentissima causa interveniente, quæ districta inhibitio vim præcepti continet, undè qui contrà eam facit, videtur peccare mortaliter, & in regavi. Verùm l. c. in fine articuli negantem sententiam probabiliorem censemus cum præcitatis Auctoribus Sanchez, Tancred. Coninch. Ponce, Hurtado, Aversa, Becano, Caspensi, & aliis. Ratio est evidens, quia pueri antè legitimam ætatem sponsalia contrahere nequeunt, nisi contrahant antè usum rationis, ut constat ex dictis; sed antè usum rationis peccare non possunt, saltem mortaliter; ergo contrahendo antè legitimam ætatem non peccant. Quod si pueri antè septennium plenum rationis usum habere supponantur, & promittant inter se matrimonium, neque per hoc adhuc dici possunt peccare, licet non possint adhuc sponsalia perficere, quia promittunt sibi quantum possunt humano modo, & valebit promissio quantum in ea infantili ætate valere potest per modum simplicis promissionis, undè neque subeunt impedimentum publicæ honestatis ab Ecclesia institutum, supes quod cadit jus Ecclesiæ, ut sponsalia non valeant antè completum septennium. Ad fundā-

damentum oppositę sententiæ dicendum est textum illius juris Canonici de matrimonio intelligendum esse, non de sponsalibus, ut exponit Panormitanus cum aliis Canonistis, loquitur enim de conjunctione, non de promissione, ut liquidò constat ex illa particula *conjungatur*, sponsalia autem non sunt conjunctionis promissio, cum res sit pœnalis, & prohibitoria, ultrà proprium sensum, & significatum extendi non debet.

ARTICULUS SECUNDUS.

Quam obligationem sponsalia inducant.

71 CONveniunt Doctores, ut diximus quæst. 9. cit. art. 3. ab initio sponsalia validè obligare in foro conscientiæ sub mortali, itaut ex promissione illa mutua inter virum, & mulierem, sivè privatim, sivè in facie Ecclesiæ facta oriatur obligatio sub peccato mortali ad illam ex parte utriusque adimplēdam, contrahendum, scilicet, matrimonium, & majorem adhuc esse hanc obligationem, si sponsalia fuerint juramento firmata, ita habetur in jure cap. *ex litteris* & cap. *Requisivit* de sponsalibus, cap. *Desponsata*, & cap. *De conjugali* 27. q. 2. quibus in locis obligatio gravis insinuatur inter sponsos ad matrimonium contrahendum, atque adeò sub culpa mortali. Accedit etiam ratio ex ipsa rei natura, & ex vi ipsius contractus promissorii deducta, quia ex contractu oritur obligatio justitiæ sub mortali, quando materia est gravis, & constat ex dictis suprà disputat. de Contractibus, hæc enim est natura, & vis contractus, qui est mutuus, & onerosus ex utraque parte, ut graviter obliget ex justitia ad sui observationem, sed sponsalia sunt cōtractus mutuus, & onerosus inter sponsos in materia gravi, itaut injustè agat, & gravem injuriam irroget alteri parti illa pars, quæ resilit, & recusat adimplere promissa; ergò &c. Diximus autem loco citato sponsalia obligare sub mortali per se loquendo, & quantum est ex natura ipsorum, quia alioquin ex justa causa, & justo modo potest esse licitum resilire, si nimirum ex adimpletione promissionis, sivè ex illo matrimonio prævideatur secuturum aliquod grave malum, vel magnum scandalum, ut graves rixas inter parentes contrahentium, vel aliud grave incommodum, etenim justitia non obligat ad faciendum malum, est autem malum celebrare matrimonium cum scandalo aliorum, in hoc inquam, Doctores omnes conveniunt, sed in pluribus aliis discrepant, quæ hic sunt breviter resolvenda ex dictis loc. cit.

72 Primò dubitatur, an sponsalia obligent etiam in foro externo, itaut ad implendum promissum matrimonium possit Judex Ecclesiasticus compellere sponsum injustè à sponsalibus recedentem. Aliqui dixerunt tunc solùm esse cogendum, quando sponsalia juramento firmavit, quod deducitur ex cap. *Ex litteris* de sponsalibus, ubi Pontifex rescribit compellendum esse promissorem per censuram Ecclesiasticam, si promissionem juramento firmaverit, quia contrà juramentum venire periculosum est, ità Soto, Vigueſius, Bart. Ledesma, Tabiena, & alii nonnulli. Alii verò asserunt non esse cogendum, etiamsi juramento sponsalia firmaverit, sed tantùm esse monendum, & si monitis non acquieverit, relinquendum, quod probant ex c. *Requisivit* de sponsalibus, ubi Pontifex expresè definit, mulierem, etiam quæ cum juramento promisit, monendam esse potius, quam cogendam, quia matrimonia debent esse libera, & coactiones solent habere difficiles exitus, ità Angelus, Armilla, & pauci quidam alii, Communior tamen opinio docet, ut diximus loco citato per se loquendo injustè à sponsalibus resilientem, petente parte, debere, primò admoneri, & si nolit parere, per censuras, & alia juris remedia cogendum esse, sivè sponsalia juramento confirmata fuerint, sivè sola fide firmata, ità Sanchez, Ponce, Trancred. Aversa, Caspensis, Becanus, Coninch. Hurtad. Brancatus noster, & alii passim, qui tamen addunt aliquandò per accidens non esse cogendū, quā vis sponsalia sint jurata, quando nimirum ex matrimonio timetur prudenter malus exitus. Et quidē quod per se, ideſt, periculo excluso mali exitus, & gravis incommodi, cogendus sit, quando sponsalia sunt juramento firmata, satis patet ex cap. cit. *ex litteris*, & ratione cōstat, quia ad Judicem præsertim Ecclesiasticū spectat juramento obstrictum cogere ad juramenti impletionem, cùm ejus violatione nimia Deo inferatur injuria. Et etiam quod cogendus sit, si juramentum non præcessit, sed sola fide firmata, evidens ratio convincit, quia contrahentes sponsalia tenentur servare fidem ex justitia, & ad Judicem cōpellere spectat, ut unicuique petenti, quod suum est reddatur debitum ex justitia. Nec obstat cap. cit. *ex litteris*, ubi cogendus dicitur qui juraverit non enim ob id negat obligationem ex sponsalibus ortam, ut sic, non sufficere, ut Judex compellat, sed solùm juramentum adducitur pro causa, quia erat sufficiens, & major, quàm sola sponsalium promissio. Neque sequitur invalidè eum matrimonium contrahere, qui metu excommunicationis ad id cōpellitur, nam metus excommunicationis justè incussus, ut in præsenti supponitur, non cadit in constantem virum, & consequenter matrimonium non irritat. Et quod adducitur ex cap. *Requisivit*, ubi dicitur sponsam recusantem monendam esse potius, quàm compellendam, intelligitur de compulsione, seu coactione extraordinaria, quia ex matrimonio extraordinariè coacto exitus difficiles frequenter eveniunt. Et hoc etiam advertitur in cap. *ex litteris*, ubi dicitur nolentem compellendum esse, nisi rationabilis causa obstet, qualis est prudens timor mali exitus, nam existente hujusmodi rationabili causa, quæ ad prædicta mala extendi potest, compellendus non erit. Ex quo probata manet altera pars asserti, nimirum quod per accidens, quando, scilicet, timetur periculum mali exitus, non sit cogendus resiliens ad implenda sponsalia etiam jurata; & ratio est, quia minus malum sæpè permittendum est ad vitandum majus, at majus malum est scandala, & perpetuas rixas, & inimicitias oriri, quàm fidem sponsalium frangi; ergò quando ex matrimonio coacto malum gravius timetur, quam sit non implere sponsalia, ut quando timentur perpetuæ rixæ, aut uxoris desertio, nolens non est cogendus, hoc minus malum permitti potest, ut illud majus evitetur.

73 Secundò dubitatur, an ex sponsalibus suboriatur nova malitia præter fornicationem in actibus carnalibus spōdentium cum aliis personis. Affirmant plures sponsalia addere fornicationi sponsæ aut sponsi cum alia persona novam malitiam injustitiæ specie distinctam, & in confessione necessariò explicandam. Ità Sanchez, Coninchius, Hurtad. Tancred. Diana, Filliucius, & alii, quorum fundamentum est quia sponsi per sponsalia sibi mutuò reddunt jus justitiæ ad corpora; ergò violatio corporis promissi sponsi, vel sponsæ est injusta, scilicet, contrà jus, quod quilibet sponsus habet in corpus alterius. Negant alii sponsalia novam superaddere malitiam fornicationioni, qui proindè dicunt hanc circumstantiam non mutare speciem nec esse necessariò in Confessio ne aperiendam. Ità Ponce, Meracius, Caspensis, Brancatus noster, & alii communiter, quam opinionem l.c. diximus esse probabiliorem. Ratio est, quia peccatum hujusmodi adulterium non esset, ut deducitur ex ejus definitione, quam D. August. assignat lib. 2. de adult. conjug. & habetur c. 2. causa 36. q. 1. *Adulterium est alieni thori violatio*, & est etiam Isidori ex c. Non mœchaberis, ubi super Exod. c. 29. sic habet: *Specialiter adulterium facit, qui præter suam ad alteram accedit*, & sic etiam omnia jura loquuntur, quæ statuunt adulterum eum esse, qui habens uxorem alteri commiscetur, & è contra, undè adulterium dicitur quasi ad alterius torum accessus; sed spondens tantùm alicui eam accipere in uxorem non eam adhuc habet uxorem, & spondentes non habent unum torum; ergo copula eorum cum aliis non est adulterium propriè loquendo de adulterio, & accedens ad sponsam de futuro cum alio non violat alienum torum, ac proindè nec adulterium committit. Deindè nec committitur alia injustitia, quia sponsalium substantia in eo consistit, ut spondentes futuro tempore matrimonium mutuò promittant contrahendum, & ad id se obligant; sed dum cum alia persona fornicantur, contrà hanc obligationem nihil faciunt, nec alter quoad hoc lædit jus alterius, quia tali fornicatione non obstante semper talis obligatio manet, & voluntas implendi promissum; ergo &c. Hinc ad fundamentum alterius sententiæ neganda est consequentia, quia illud jus non est alius, quam jus in uno habenti alium aliquandò in conjugem, & acquirendi dominium corporis ejus, quod jus nec tollitur, nec violatur per fornicationem, quia planè ei satisfiet, dùm alteri se in conjugem tradet. Cùm igitur sponsus, vel sponsa ex vi sponsalium suum corpus, & jus in illud alteri non dederit, sed tantùm promiserit, injustitiam contrà promissarium non committit, si illud alteri ad fornicandum commodaverit, sicut si promittens alteri agrum vendere, interim illum alteri commodet etiam ad damnificandum, nullam ob id injustitiam promissario facit.

74 Tertiò dubitatur, an qui prius votum simplex castitatis, vel Religionis emisit, & puellam defloravit cum promissione matrimonii, teneatur ad matrimonium, vel potius ad votum. Et difficultas procedit, quando Virgo voti ignara erat, quia si conscia esset, nulla erit obligatio eam ducendi, imò nec resarciendi damnum illatum, quia mala fide permisit damnum illud sibi inferri. Prima opinio docet votum castitatis, vel Religionis impedire obligationem ducendi sic defloratam, ac proindè defloratem teneri voto. Ità Navarrus, Rodriquez, Vivaldus, Layman, Hurtad. Diana, & alii. Ratio est, quia per votum prius Deus acquisivit jus, quod non potest vovens propria auctoritate tollere susciendo statum voto contrarium. Tum quia prædictus non tenetur illam ducere ratione promissionis, quia

quia fuit nulla, utpotè rei illicitæ ratione voti præsuppositi, neque tenetur ratione damni illati, quia huic satisfieri potest constitutione dotis, aut aliter. Alia opinio docet votum simplex castitatis, aut Religionis non impedire obligationem ducendi illam, etiam cum animo consummandi. Ratio est, quia ex voto oritur sola obligatio spectans ad virtutem Religionis, ex sponsalibus verò obligatio rigorosa justitiæ, quæ arctior, & strictior est. Tùm quia promissio voti ad Deum fuit merè liberalis, at promissio sponsalium ad alteram fuit onerosa cum reciproca obligatione ex parte alterius; nec Deus ità rigidè exigit observantiam promissionis sibi factæ, præsertim cum injuria alterius &, ità censentur in eo casu eam relaxare. Tùm tandem, quia votum non obligat cum damno notabili debiti alteri ex justitia. Ità Sanchez, Lessius, Tancred. Vasquez, Rebellius, Caspensis, & plures alii. Has tamen opiniones facilè conciliavimus l.c. media via incedendo, & dicendo quod si damno illato nequit alia via satisfieri, nisi eam ducendo, ut regulariter contingit, quando defloratione non cautè facta à viro, aut ab eo publicata, virgo est infamata, non cessat ipso facto voti obligatio, sed emergit sufficiens cautia petendæ, & obtinendæ dispensationis, qua obtenta tenetur illam ducere ob rationes secundæ opinionis, quia, scilicet, votum non obligat cum damno notabili debiti alteri ex justitia. Et hoc asserendum est, quando necessaria sit satisfactio, non enim semper est necessaria, ut notat Hurtad. diffic. 21. tunc, scilicet, quando defloratæ non est infamata à viro, & æquè benè nubit, ac si con esset defloratæ, & quando est necessaria, ut cùm non potest æquè benè nubere, tunc satisfieri potest per constitutionem dotis sufficientis ad resarcimentum damni per defloratione illati; & universaliter loquendo impleri potest, ac debet votum castitatis amissum absque damno defloratæ; quando alia via, quàm ducendi eam, potest ei satisfieri, ut sæpè potest. Quando autem non potest alia via satisfieri, nisi eam ducendo, erit obligatio eam ducendi, & tunc votum obligabit quoad redditionem debiti conjugalis, etiamsi quoad petitionem obliget, & quoad alios actus. Quod si ad tollendam omnem dubietatem, & scrupulum petatur in tali casu, & obtineatur voti dispensatio, ut consultius judicio, tunc votum penitus evanescet tam quoad redditionem debiti conjugalis, quàm quoad petitionem, & alios actus.

75 Quartò dubitatur, an qui defloravit Virginem spe fictæ promissionis matrimonii, eam ducere teneatur, in qua difficultate conveniunt Doctores, quod si fictus promissor signa dedit, quibus fœmina sufficienter agnoscere potuit subesse dolum promissionis, vel ipsa agnoscendo inæqualitatem conditionis re vera intellexit, vel suspicata est fictè matrimonium promitti, in eo casu non tenetur fictus promissor ad promissionem implendam, quia ex mera sua voluntate consensit, & decepta non fuit, nec tenetur ratione damni illati, quia volenti, & scienti nulla fit injuria. Quod si fœmina sufficienter agnoscere non potuit subesse dolum promissioni, & consensit decepta, & spe fictæ promissionis inducta, conveniunt etiam Doctores eum, qui fictè, seù verbaliter tantùm promittens matrimonium sub ea spe Virginem defloravit, teneri aut ad eam ducendam, aut ad satisfaciendum damno defforationis; est autem difficultas, an teneatur determinatè ad eam ducendam in uxorem. Negant aliqui præsertim si disparis sint conditionis in nobilitate, vel divitiis dicentes satisfacere constituendo ei dotem ad supplendum damnum defforationis, & ratio est, quia ille nullam incurrit obligationem ratione promissionis; quæ fuit omninò ficta, sed solùm ratione damni illati; ergo ad nihil amplius tenetur quàm ad satisfaciendum damno illato, dotem sufficientem addendo, ut nubat viro sibi simili in qualitate, & conditione. Ità D. Antoninus, Bart. Ledesma, & alii nonnulli. Affirmant alii, & ratio est, quia iste verè intulit damnum Virgini contrà ejus voluntatem, quæ solùm consensit sub conditione promissionis veræ, & non fictæ; ergò tenetur ex justitia eam ducere, quia quamvis damnum defforationis possit pecunia compensari, non tamen justa deceptio, nisi eam in uxorem ducendo. Ità Sanchez, Vasquez Tancred. Meratius, Becanus, Capensis, Ponce, & plures alii. Alii tandem docent prædictum teneri ex fidelitate ad eam ducendam in uxorem, quamvis, sit multò nobilior illa; ex justitia verò ad id non teneri, sed satisfacere, si damnum defforationis pecunia compensarit, aut constitutione dotis sufficientis, aut aliter. Ratio prioris partis est, quia prædicta promissio, quamvis solùm verbalis, est vera promissio respectu hominis; ergò obligat ex fidelitate ad standum promissioni matrimonii. Ratio posterioris est, quia qui ità fictè promisit, non tenetur promissione ipsa, aut contractu, aut ex justitia; quia ea promissione noluit conferre jus justitiæ; sed tantum tenetur ratione damni illati, quia injustè, utpotè deceptione illatum est. Ità dicurrit Hurtad. disput. 1. difficult. 12. & quidam alii cum ipso.

76 Sed jam diximus l.c. quod quamvis omnes istæ opiniones sint probabiles, secunda tamen probabilior videtur, quod scilicet, qui sub spe fictæ promissionis Virginem defloravit, eam ducere tenetur sub mortali in uxorem, nec damno illato satisfacit constituendo ei dotem sufficientem, ut nubat viro simili in qualitate, & conditione. Ratio est, quia estò fictus promissor non obligetur ex promissione, quia reipsa non fuit vera promissio, sed promissionis fictio; obligatur tamen ex justitia commutativa, nimirum ex contractu ad hanc justitiam pertinente, ut patet de omnibus aliis contractibus conditionalibus, ubi intervenit pactum, & illa conditio, do, ut des, vel facio, ut facias; nam in his contractibus, ubi alter ex sua parte implevit, tenetur etiam alter implere, quamvis fictè contraxerit, quia ex justitia verè contrahere tenebatur; justitia autem commutativa non tantùm petit reddi æquale, sed interdum, ut idemmet reddatur, ut si equum furatus es, non satisfacis reddendo pecuniam, nam unum pro alio creditore invito reddi non potest l. 2. ff. *si certum petatur*; sed in hoc casu intervenit perfectus contractus, scilicet, do, ut des, vel facio, ut facias; ergò cum puella promissionem impleverit tradendo corpus suum innitens promissioni matrimonii, si se defforandam dedisset, tenetur fictus promissor implere ducendo eam, & adhibendo consensum ex justitia debitum; non quidem ratione damni illati, ut prima, & tertia opinio dicebat, quia nullum damnum illatum est Virgini sub tali conditione consentienti, sed ratione contractus, & pacti initi. Et hoc ibi asserendum esse diximus, quamvis sponsores disparis sint conditionis in nobilitate, vel divitiis, & hoc intelligendum esse non solùm quando mulier fuit inæqualitatis inscia, sed etiam dùm fuit satis conscia, sibi tamen persuasit matrimonium ab illo ex animo promitti, & ratio est, quia intervenit verus contractus obligans ex justitia commutativa ad servandam conditionem, sub qua fuit initus; nec disparitas conditionis eximit promittentem ab obligatione implendi id, quod fictè promisit, aliàs si ex animo promisisset, non maneret sua promissione ex justitia obligatus ob eandem inæqualitatem, sed tantùm ex fidelitate. Nec refert, quod hæc inæqualitas Virgini nota fuit inditium sufficiens, & argumentum doli, & fraudis in viro nobili in promissione facienda, ac proindè saltem in tali casu non teneri fictum promissorem ad promissionem implendam, quia Virgo non consentit, hac data hypothesi, spe futuri matrimonii in copulam, sed liberè, & independenter à tali spe, quia satis agnovit sibi fictè promitti. Hoc enim gratis omninò dicitur; quia ut notat Caspensis disp. 1. sect. 4. sæpè nobiles, ac divites, & hoc passim videmus, non solùm sponsalia, sed matrimonium quoque cum mulieribus abjectis, & plebeis, ac pauperibus contrahere solent; atque ideò Virgo illa potuit credere, & sperare secum fieri, quod cum aliis suæ conditionis sæpè factum est; undè si bona fide, & simplici animo consensit, contractus tenet), & fictus promissor promissum implere tenetur, nec satisfacit dotem constituendo, nisi ipsa complaceat, & remittat. Undè addimus l.c. in fine articuli non placere, quod ait Bonacina quæst 1. punct. 2. n. 7. plures alios adducens virum in tali casu, non solùm non teneri ad illam fœminam ducendam, sed neque ad illam dotandam, vir enim in tali casu illi injuriam feciſſe non censetur, cum fœmina videatur sciens consensisse. Non placet inquam, quia licet supponatur conscia notabilis disparitatis adhuc bona fide id fecit, & simplici animo inducta spe futuri matrimonii ob alios similes casus sæpè secutus, quarè contractus adhuc tenet, & fictus promissor tenetur implere promissum ratione contractus, & pati inniti.

77 Quintò tandem dubitatur, quid dicendum sit de ficta Matrimonii promissione quoad vim obligandi, quam difficultatem fusè tractavimus q. 9. cit. a. 4. ubi diximus in promissione matrimonii triplicem esse posse voluntatem, unam promittendi, alteram obligandi se per promissionem, tertiam implendi, quod promissum est; & sic è contrà tribus etiam modis promissionem fictam fieri posse; primò quando quis exterius, & verbaliter promittit, interius verò animum promittendi non habet; secundò itaut sit animus promittendi, non tamen se obligandi; tertiò si promittens animum habeat promittendi, & se obligandi, non tamen promissum implendi. Et diximus convenire DD. in hoc tertio genere promissionis eum, qui habet animum promittendi, & se obligandi non tamen implendi, revera contrahere sponsalia, & obligari ad præstandum id, quod promisit; ratio est, quia obligatio sequitur naturaliter ex voluntaria promissione animo se obligandi facta, ergo sicut posito igne necessariò sequitur calor, etiam si nolit apponens, ità posita voluntaria promissione animo se obligandi facta, sequitur naturaliter obligatio, quæ per contrariam voluntatem non adimplendi impediri non potest, quia positis rerum naturis nullus earum effectus necessarios impedire potest. De aliis verò duobus promissionis fictæ generibus diximus discrepare DD. quorum opiniones ibi exactè exa-

ctè examinavimus, & pro resolutione diximus, quod loquendo, de primo genere promissionis fictæ verius, & probabilius est promissionem matrimonii externam solis verbis, & oretenus factam absque animo promittendi non sufficere ad sponsalia, & in foro interno non obligare. Ità Sanchez, Tancred. Coninch. Meratius, Becanus, Caspens. Aversa, Brancatus noster, & est communior, & probabilior sententia, quæ probatur ex ratione contractus, siquidem contractus, seù pactum essentialiter est duorum consensus, & conventio ex l. 1. ff. de Pactis; sponsalia verò sunt verus contractus, verumque pactum; ergò impossibile est, ut subsistant sine intentione promittendi, seù consensu interno, ideoque dictum est suprà, si fiant ab impuberibus infrà septennium esse irrita, & nulla ex defectu consensus ex c. *Litteras*, &c. *Continebatur*, de Desponſ. Impub. Confirmatur à pari de voto, & matrimonio ipso, si enim in his deficiat intentio vovendi, & contrahendi, ipso facto nulla sunt, & nihil sit in foro interno, li cet Ecclesia in externo præsumat esse verum votum, & verum matrimonium. Dices cum Vasquez, Ponce, & aliis oppositum sentientibus promissio, quamvis tantùm exterior, & verbalis est vera promissio respectu hominis, qui cor non intuetur; ergo est valida ad obligandum. Respondetur hoc probare tantùm, ut dicebamus, quod talis promissio vera reputaretur in foro externo; & talem Ecclesia esse præsumeret, non tamen probat, quod vera, & legitima esset in foro interno, de quo hic loquimur, ut fusius declaramus l.c.

78 Loquendo verò de secundo genere promissionis, quando nimirum habet quis animum promittendi, non tamen se obligandi, an obliget talis promissio; quamvis aliqui affirment, & consequenter dicant sic promittentem verè sponsalia contrahere, & obligari; negativa tamen sententia communior est, & probabilior, ut diximus loc.c. quam tuentur Auctores adducti, & omnes probant hac unica ratione, quæ est efficacissima, quia conditio verbis expressa, vel mente retenta, quæ adversatur substantiæ matrimonii, ipsum annullat; quamvis contrahens cum illa conditione habeat animum contrahendi ex c. *finali* de condit. appos. ergo similiter invalidabit sponsalia, & quamcunque promissionem conditio contraria substantiæ illorum; at de intrinseca ratione sponsalium, & cujusvis alterius contractus est animus, & intentio se obligandi; ergò conditio, quæ huic animo adversatur, promissionem reddit invalidam. Minor subillata probatur, quia consensus sine obligatione non sufficit ad contractum onerosum, ideò enim contractus dicitur onerosus, quia contrahenti imponit onus ad aliquid faciendum, dandum, & permutandum; ergo si desit consensus ad dandum, faciendum, &c. non est contractus. Et planè immeritò prorsus negat Hurtad. disp.cit. diffic.10. intentionem non se obligandi esse contrà substantiam promissionis, hoc enim experimur in matrimonio, si enim quis consentiat absque animo se obligandi non tenet ut omnes fatentur; ergo idem dicendum erit in sponsalibus, cum sint contractus ejusdem rationis, idem etiam experimur in voto, si enim desit animus se obligandi, jam non est votum ex cap. *Litteraturam* de voto; ergo de sponsalibus idem dicendum est, cum sit eadem ratio, sicut enim per votum aliquid Deo promittimus; ità per sponsalia matrimonium promittitur Sponsæ. Imò hac ratione deducunt Auctores citati, nec hujusmodi promissionem animo non se obligandi factam obligare etiamsi juramento firmetur, supposito promittentem non habere animum se obligandi, tamen si habeat animum promittendi, jurandi, & ratio est, quia sicut promissio per se non obligat, nisi adsit animus obligandi, ità pariter juramentum non obligat, nisi adsit animus obligandi, nec Deus acceptat juramentum, nisi secundùm hominis intentionem c. *humanæ aures*, 22. qu. 5. Notanter autem diximus promittentem eo modo, scilicet, cum animo promittendi non autem cum animo se obligandi, non obligari ex vi talis promissionis ad eam servandam, quia ut Bonacina advertit cum Lessio, Ledesma, Rebello, & aliis fieri potest, ut ob aliam rationem servanda sit promissio, ut rationi vitandi scandali, si aliter evitari non potest, quàm per adimpletionem promissionis; imò fictè promittens etiam hoc modo cogetur in foro externo stare promissioni, eamque servare, quia ut supradictum est, juraſſe præsumetur cum animo, & intentione jurandi, & se obligandi. Similiter fieri potest, ut obligetur stare promissioni non solùm ratione scandali vitandi, sed etiam ratione damni præcavendi, ut quando quia ficta promissione matrimonii, aut ficto juramento aliquam decepit illam defiorando, quamvis enim in tali casu non teneatur ex vi promissionis, aut juramenti servare promissum, matrimonium celebrando cum decepta, teneretur tamen rationen damni injustè illati, ut dictum est. Objectiones in oppositum vide solutas l.c.

ARTICULUS TERTIUS.

Quibus modis, & quibus de causis Sponsalia dissolvantur.

79 PRimò, quia contractus sponsalitius non est natura sua indissolubilis, sicut conjugalis, ut habetur cap. 2. de Sponsalibus, conveniunt Doctores omnes, tam Theologi, quàm Canonistæ, ut diximus disp.7.cit.quæst.10.obligationem in Sponsalibus contractam aliquando cessare, & dissolvi posse ob aliqua impedimenta supervenientia, seù ob justam aliquam causam, cùm enim in sola promissione de futuro consistat, potest omninò dissolvi, itaut promissionis obligatio cesset, dicuntque sponsalia pluribus modis dissolvi posse, quorum præcipuos, & magis ordinarios hìc breviter referemus ex dictis loc.cit. Itaque in primis Sponsalia dissolvi possunt per mutuum consensum, & mutuam ipsorum Sponsorum remissionem liberè factam; & ratio est, quia contractus hic natura sua dissolubilis est, ut diximus, contractus autem dissolubilis ex voluntate contrahentium dissolvi potest, res enim per quas nascitur, per easdem dissolvitur, ut patet ex regula generali omnium contractuum, & obligationum, quæ sumitur ex cap 1. de Regulis juris; & idem dicendum est, quamvis sponsalia fuerint juramento firmata, quia cum materia jurament, in quam cadit, sit promissio facta homini, altero promissionem remittente, cessat obligatio juramenti, quæ in illa fundabatur, cap. *Debitores* de jurejurando. Hoc autem totum de Sponsalibus puberum intelligendum est, ut diximus loc.cit. non autem impuberum, impuberes dicuntur pueri, qui annum ætatis 14. non attingunt, & puellæ non attingentes 12. & consequenter puberes dicuntur, qui 14. annum jam attigerunt, & puellæ, quæ annum 12. Quando igitur sponsalia inter impuberes inita fuerùt, vel ambos, vel unum puberem, & alterum impuberem, non possunt impuberes sua voluntate resilere, & sponsalia rescindere, antequam ad pubertatem perveniant, sed solùm possunt statim, ac pubertatem attigerint; ita definitum est in cap. *De illis*, 7. de Sponsal. Impub. cujus dispositionis hæc ratio fuit, ut immaturitati impuberum occurratur, qui ob eam sæpiùs contraherent, & dissolverent; tum quia, ut si fortè minus prudenter se obligaverint, possint obligationem excutere, cum ad majorem ætatem pervenerint, & usus rationis magis capaces. Undè sponsalia antè pubertatem inita non habent vim simpliciter obligandi ad contrahendum in pubertate, sed habent vim ligandi, ne interim alia sponsalia ineantur, & inducunt publicæ honestatis impedimentum: Et si impuberes, qui sponsalia contraxerunt, ita se habeant, ut unus prius ad pubertatem perveniat, quàm alter, non possunt sponsalia dissolvi, nisi alter quoque ad pubertatis annos pervenerit, & habetur ex eodem cap.cit. *De illis*.

80 Secundò conveniunt Doctores sponsalia quoque dissolvi per Religionis ingressum, quod etiam intelligendum est, si fuerint juramento firmata, ut diximus quæst.18.cit.artic.1. quia cum juramentum sit in confirmationem sponsalium, cessante sponsalium obligatione, cessat etiam juramenti obligatio. Sed non eodem modo rem declarant; aliqui enim dicunt Sponsalia non dissolvi per Religionis ingressum, nisi promissione secuta, ac proindè si sponsus tempore Novitiatus Religionem deserat, teneri ad fidem servandam, nam ingrediens Religionem non statim cedit juri suo, sed sub ea conditione, si professus fuerit; sponsalia namque per ingressum Religionis dirimi dicuntur, quia est mors quædam spiritualis, at non est mors spiritualis Religionis ingressus, nisi facta professione. Ità Durandus, Paludanus, Viguerius, Veracrux, & Armilla. Alii verò communis, & probabilius existimant sponsalia dirimi per solum Religionis ingressum alterius sponsorum, etiamsi professionem non emittat, ità enim deducitur ex cap. *Ex publico* de Conversione conjugatorum, ac proindè manentem in sæculo posse statim aliud matrimonium contrahere, & à fide priorum sponsalium omninò solutum esse, ratio est, quia eo ipso quod quis Religionem ingreditur, satis se declarat sponsalibus renunciare, siquidem in eo notabilis fit mutatio status, nam vulgò magnum censetur dedecus matrimonium inire cum eo, qui fuit Monachus, aut cum ea, quæ fuit Monialis; ergò manens in sæculo liber est ab obligatione. Ità Navarrus, Soto, Ledesma, Sylvester, Angelus, Sanchez, Aversa, Becanus, Toletus, Bonacina, & alii passim. Rursus aliqui volunt sponsalia per Religionis ingressum penitus dissolvi ex parte utriusque sponsi, tam scilicet, ex parte ingredientis Religionem, quàm ex parte manentis in sæculo, itaut hic sit liber ad aliud matrimonium contrahendum, & ille si à Religione egrediatur, si t etiam liber ad contrahendum cũ alia. Ità Sanchez, Tancred. Henri-

Henriquez, Bonacina, Becanus, Stephanus à S. Gregorio, & alii. Ex adverso autem probabilius tenent alii quamplures solvi quidem statim sponsalia ex parte remanentis in sæculo, itaut eo ipso sit liber ad aliud matrimonium contrahendum; non tamen statim solvi ex parte alterius Religionem ingredientis, sed hunc adhuc obligatum manere, ut si fortè egrediatur, & altera pars eum acceptet, teneatur adhuc cum ea contrahere. Ita Ponce, Coninch. Hurtad. Rebellus, Aversa, Caspensis, Brancatus ex nostris, & plures alii. Et quidem statim dissolvi sponsalia ex parte manentis in sæculo, conceditur ab Auctoribus etiam primæ opinionis, & facilè probatur, quia quando fit notabilis mutatio status in altero sponsorum, cessat obligatio sponsalium in omnium sententia; nam contractus sponsalium hanc conditionem tacitam involvit, nisi fiat notabilis mutatio status; hæc autem in isto casu occurrit, nam ingressu Religionis notabilis mutatio status fit in persona ingrediente, ut dictum est, adeout à Religione egrediens fiat moraliter minus aptus ad nuptias, quia magnum dedecus censetur inire matrimonium cum tali ob notam gravem levitatis, & inconstantiæ ostensam in egressu, & permanens in sæculo cogitur expectare, an alter profiteatur, quod est onus grave; ergo, &c. Quod autem non solvantur sponsalia statim ex parte alterius, qui Religionem ingreditur, sed adhuc maneat obligatus, si è Religione egrediatur, ad fidem servandam, & cum ea contrahere, quæ remanet in sæculo, si parata sit eum acceptare, probatur, quia non fit liber jure aliquo positivo, cum nullum tale extet; neque in ingressu ipso, quia professionem potest egredi; ergo si egrediatur, & alter velit, tenetur adhuc stare promissis, non enim rationi consonum est, ut qui retrocedit, gaudeat favore Religionis, sed ut ad sæculum redeat cum antiquis obligationibus, & oneribus.

81 Tertio conveniunt rursus Doctores, ut dictum est loc. cit quando unus ex Sponsis vovet castitatem, alterum manente liberum à sponsalibus, quia vovens suo voto obligationi alterius renunciare censetur, quia intendit ad id se obligare, quod cum matrimonio sibi promisso est incompossibile; conveniunt etiam susceptionem Ordinis Sacri, utpotè ad matrimonium inhabilitantis, dissolvere sponsalia prius facta, ut habetur ex cap. *Scripsit*, 27. q. 2. imò ad votum suscipiendi Sacros Ordines, sponsum manere liberum à sponsalibus, quia eo voto sponsus suo juri, & obligationi sponsæ renunciare censetur. Dixi per votum suscipiendi Ordines Sacros, & majores, quia sponsalia non dirimuntur per votum suscipiendi Ordines minores, imò neque per realem eorum susceptionem, cum minores Ordines statui matrimonii non repugnent. Est tamen difficultas, an per votum simplex castitatis subsequens, vel suscipiendi Sacros Ordines solvantur sponsalia etiam ex parte sponsi voventis, & liber maneat ab ipsis. Negant aliqui, quod deducitur ex cap. *Veniens*, ubi Pontifex jubet pœnitentiam imponi ob mentitam fidem mulieri, quæ post sponsalia votum castitatis emiserat; ergo votum castitatis subsequens sponsalia dirimit. Deindè probant ratione, quia illicitè, & invalidè promittuntur Deo res prius alteri homini promissa, & debita, ut si quis prædium dedit, vel promisit Petro cum titulo oneroso, non potest illud dare, vel promittere Ecclesiæ, sed per sponsalia promiserat quis corpus suum alteri homini; ergo non validè promiserat per votū castitatis Deo, vel Sacrorum Ordinum in præjudicium prioris promissionis, ita Navarrus, Sanchez, Tancredus, Reginaldus, Rebellus, Coninchius, Hurtadus, Valentia, Becanus, & alii. Communior tamen, & propabilior opinio affirmat, & ratio est, quia in sponsalibus, ut dictum est, subintelligitur illa conditio, nisi perfectior vitæ status eligatur, non enim debent perfectionem impedire; cum igitur per votum castitatis, vel suscipiendi Ordines Sacros perfectior vitæ status eligatur, status enim cælibatus, & Clericatus perfectior est statu matrimonii, ut constat ex Tridentino sess. 24. can. 10. sequitur sponsalia dirimi per votum simplex castitatis, vel Sacros Ordines suscipiendi, eorumque obligationem cessare ex utraque parte. Ita Sotus, Henriquez, Ponce, Rodriquez, Ledesma, Cajetanus, Suarez, Vasquez, Naldus, Angelus, Aversa, Bonacina, Caspensis, Brancatus noster, & alii passim. Ad fundamentum primæ opinionis ex can. citato deductum dicendum est per mentitam fidem non intelligi fidem sponsalitiæ promissionis; sed fidem Deo datam per votum, quia mulier illa post votum Deo factum cum alio contrahere volebat, ut patet ex verbis textus, & Glossa ibidem; vel si per fidem intelligatur sponsalitia promissio, adhuc aliqua debuit pœnitentia injungi, eo quod illa mulier nō tàm castitatis amore, quàm potius ne compelleretur cum illo sponso contrahere, votum emisit, ut narratur in textu. Ad rationem, si argumentum valeret, magis urgeret contra Religionis ingressum post matrimoniū ratum, quàm contra votum post sponsalia emissum, quia ibi facta est traditio, & translatio corporum, quæ non est facta in sponsalibus, & tamen Deus acceptat rem alterius, tanto ergò magis poterit Deus acceptare rem alteri promissam, & adhuc non collatam; major ergò est falsa, quando prior promissio est obstaculum implendi perfectiorem statum ob rationem allatam; in aliis verò promissionibus, quę perfectiori statui non obstant, qualis est in argumento assignata, & similes, est vera illa doctrina, & Deus talem rem alteri promissam acceptat, quia promittens conditionalem habuit intentionem de non stando contractui, si vellet uti divino privilegio solvendi illum Deo se dicandi. De quo alia plura vide loco citato.

82 Quartò convenunt Doctores, quod si matrimonium de præsenti cum alia contractum sit validum dissolvuntur priora sponsalia cap. *Si inter* de Sponsalibus, quamvis peccat mortaliter qui sic contrahit, ut habetur cap. *Sicut ex litteris* de Sponsalibus. Ratio est, quia obligatio matrimonii est major, quàm sponsalium; ergò si illa adhæsit, hæc cessat, si verò matrimoniū cum alia contractum sit irritum adhuc obligant priora sponsalia, quia non præstat impedimentum, quod de jure non sortitur effectum, ut habet 52. regula juris in *6.* hoc autem intelligendū est respectu illius, qui cum alia matrimonium contraxit invalidum, non autem respectu innocentis, hic enim liber est à Spōsalium obligatione, eo quia alter recessit à contractu cum illo jam inito. Difficultas tamen est, an ità cesset, ut penitùs extinguatur, vel an sponsus soluto matrimonio cum alia contracto per mortem illius non amplius ad priora sponsalia teneatur. Aliqui docent omninò cessare, & penitùs extingui, itaut soluto matrimonio, sivè morte, sivè professione secundæ, contrahere cum prima, sivè relicta non teneatur etiam ipsa volente. Ratio est, quia jam per subsequens matrimonium extincta prorsus erat vis priorum sponsalium ex juribus anteà adductis; sed obligatio semel extincta non revivisicit ex c. *Quæris*, de Consecr. dist. 4. Confirmatur quia matrimonium superveniens est fortius vinculum vinculo sponsalium præcedentium, & ejusdem rationis cum illo, & cum eo incompossibile; ergo extinguit illud, sicut etiam qui vovet profiteri in Religione strictiori liberatur omninò ab eo voto per professionem factam in Religione laxiori. Ità Sanch. Tancred. Henriquez, Villalobos, Lessius, Becanus, Bonacina, Filliucius, Stephanus à S. Gregorio, & quidā alii. Communior tamen, & probabilior sententia docet teneri. Ratio est, quia intantùm ille manet liber ab obligatione sponsalium præcedentium, quia per sequens matrimonium impeditur ne eam adimplere possit; sed per dissolutionem matrimonii tale impedimentum tollitur, & redditur habilis, & expeditus ad illam adimplendam; ergo adimplere tenetur, si prior sponsa cum eo contrahere velit; undè quamvis vinculo matrimonii durante cum secunda sopita sit obligatio sponsalitia respectu primæ, non tamen omninò extinguitur, ideoque tali vinculo deficiente cum secunda, revivisicit sponsalitia cum prima ad contrahendum matrimonium cum ipsa, si velit. Confirm. quia obligatio validè contracta non semper extinguitur per impedimentum fortius superveniens, sed suspenditur, ut cùm quis votum Religionis emisit, & posteà matrimonium contraxit, & consummavit, mortua uxore Religionem adhuc ingredi tenetur; ergo ob eandem rationem idem erit in præsenti dicendum. Ità Adrianus, Ledesma, Hurtadus, Coninchius, Vega, Ponce, Aversa, Caspensis, Brancatus ex nostris, & alii quamplures.

83 Ad fundamentum oppositæ sententiæ negatur assumptum, illa enim jure utique definiunt debere hominem manere in matrimonio post priora sponsalia contracto, quia ipso durante priorem promissionem sponsalitiam nequit implere; sed non dicunt priorem illam obligationem ita penitus extingui, ut etiamsi matrimonium cum secunda contractum per ejus mortem dissolvatur, non teneatur amplius homo factus liber à conjugio eam adimplere. Ad Confirmationē negatur assumptum quoad secundam partem, quamvis enim vinculum matrimonii sit fortius obligatione sponsalitia, & ejusdem rationis cum ea, non tamen est incompossibile cum ea, ut refertur ad tempus cessationis ipsius vinculi, undè licet quamdiù vinculum matrimonii durat, ejus impletionem impediat, & obligationem suspendat, non tamen omninò tollit, & extinguit. Nec valet assumpta paritas de voto ingrediendi Religionem strictiorem, quod omninò extinguitur per professionem in Religione laxiori & ratio disparitatis est, quia votum illud simplex commutatur in eam professionem, & votum solemne, aut ex privilegio Ecclesiæ, & jure Pontificio, aut ab ipso profitente, quia professio quamvis in Religione laxiori, certè majus bonum est, quàm votum proficiendi in strictiori, ut ait Hurtad. disp. 2. diffic. 3. ità discurrimus q. 10. cit. art. 1. in fine.

84 Quinto conveniunt præterea Doctores fornicationem Sponsi, vel Sponsæ Sponsalibus supervenientem innocenti præbere jus dissolvendi sponsalia, ita enim definitū est in cap. *quem-*

ad-

admodum, 25. de jure jurando, etiamsi sponsalia fuissent juramento firmata, & ratio est, quia juramentum illud hanc tacitam includit conditionem, si alter contrà desponsationis fidem non peccaverit, alias fidem frangenti fides seruanda non est, quę ratiò æquè probat de sponso, qui fornicando similiter fidem notabiliter frangit. Est tamen duplex difficultas; Prima est, an dissolvantur sponsalia, quando fornicatio est involuntaria, ut quando sponsa per vim cognita est. Secunda est, an per fornicationem à sponsa existimata virgine ante sponsalia commissam, & post sponsalia à sponso cognitam, possint sponsalia ex parte sponsi dissolvi. Circà primam, quamvis aliqui negent, quia sponsa in tali casu est inculpabilis, nec fidem fregisse censetur, nec in futurum suspecta redditur. Communis tamen opinio docet posse dissolvi, & ratio est, quia ista censetur notabilis mutatio ex parte sponsæ, ex qua vir dedecus grave pati potest, cum vulgò satis infame sit corruptam ducere in vxorem, præsertim cum non ità facilè constare possit sponsam per vim, & omninò involuntariè cognitam esse; & quamvis etiam id constaret, & sponsa in tali casu inculpabilis esset, adhuc tamen facta est talis mutatio circà eum, propter quam meritò sponsus eam repudiare potest, & hoc clarè deducitur ex cap. *Raptor*, 37. quæst. 1. ità Henriquez, Sanchez, Tancredus, Reginaldus, Nauarrus, Coninchius, Rodriquez, Ledesma, Becanus, Bonacina, Hurtadus, Stephanus à S. Gregorio, & alii passim; qui etiam addunt ob eandem rationem sponsalia dissolvi posse ex parte sponsi, si sponsa permittat se turpiter tangi, quia eo ipso habetur omninò impudica, ac proindè vilior, & etiam quia notabiliter frangit, seù in re gravi, legem sponsalium, seù fidem. Circà secundam difficultatem Paludanus cum quibusdam aliis partem tuentur negativā, quod deducitur ex c. *Quemadmodum* 25. de jurejurando, ubi dicitur sponsum non posse obiicere sponsæ fornicationem sponsalia præcedentem. Communis tamen opinio affirmat sponsum adhuc resilire posse, non quia sponsa fidem fregerit, aut quia ob fornicationem sponsalia præcedentem inposterum suspecta reddatur, sed quia adhuc per talem fornicationem est notabiliter vilior, quàm æstimatur à sponso; quarè sponsus in tali casu graviter deceptus censeri debet, & quod tantùm per errorem consenserit, contractus autem cui error gravis causam dedit, potest à decepto irritari, & ob eandem rationem propter fornicationem præcedentem viduæ existimatæ honestæ ante sponsalia commissam, & posteà cognitam à sponso, potest sponsus à sponsalibus resilire, quia, scilicet, illa fornicatione reddita est notabiliter vilior. Neque contrà id obstat prædictum capit. *Quemadmodum*, quia ibi apertè loquitur de fornicatione præcedente cognita antè sponsalia, ut Glossa ibi advertit, & passim Doctores exponunt; sponsa autem è contrà ob fornicationem sponsi præcedentem, quamvis ignoratam, & posteà cognitam resilire non potest quia sponsus ob illam non est notabiliter vilior in ordine ad matrimonium, ità docent Sanchez, Tancredus, Coninchius, Hurtadus, Caspensis, & alii Auctores supracitati, quia id sponsæ non est dedecus, nec per ejusmodi actum vir redditur infamis, ut nota inuratur sponsæ, nec ignominiosum est sponsæ talem virum ducere, sicut esset sponso talem mulierem ducere.

85 Sexò prætereà conveniunt Doctores sponsalia quoque dissolvi per lapsum termini constituti ad contrahendum matrimonium, si terminus ille præfixus sit, tanquam terminus finiens obligationem, ultrà quem contrahentes obligari nolunt; dissolvi, inquit, ex parte illius, per quem non stetit, quominus matrimonium iniretur; ratio est, quia prædictus terminus in tali casu ad id fuit assignatus, ut eo transacto finiatur obligatio; ergo is, per quem non stetit, ab obligatione liber manet, quia obligari tantùm voluit usque ad præfatum terminum, & non ultrà; alter verò per quem stetit, non manet liber, quia tunc quamvis finita fuerit obligatio orta per se ex dictis sponsalibus, obligatur tamen per accidens, ut reddat, quod debuit ex justitia reddere. Si verò terminus obligationi adiiciatur, & præfigatur non ad finiendam obligationem, sed ad sollicitandum obligationis effectum, seù ad constituendum tempus, ut deinceps debitor in mora constituatur non solvendo, tunc lapsus termini obligationem non extinguit: ratio est, quia tunc terminus non fuit præfixus ad finiendam obligationem, sed tantùm ad sollicitandum ejus effectum, ac proindè eo finito, & transacto, non eo ipso finitur obligatio. Si tandem terminus nullus sit præfixus, nec alia conditio, non tenetur promissor statim implere, sed tantùm requirente eo, cui facta est promissio, hoc enim generale est in omni debito absque termini præfixione, quod solùm tenetur debitor solvere à creditore requisitus; & in hoc casu spōsalia dissolvi possunt, quando dilator requisitus ab altero sponso ad perficienda sponsalia, & matrimonium contrahendum ità differt, & prorogat, ut judicio prudentum censeatur sponsalibus renunciasse, aut quando mora est tanta, ut alter non censeatur se vsque ad tantum obligasse, quæ omnia prudentum arbitrio discernenda sunt. Ità Reginaldus, Coninchius, Hurtadus, Becanus, Guttierez, Rebellus, & alii Auctores supracitati. Qui ulterius addunt sponsalia etiā quamvis juramento firmata, per discessum alterius sponsi in lōginquas partes absque consensu alterius dirimi, & dissolvi ex parte relicti. Ità habetur expressè in cap. *De illis*, 5. de Sponsalibus, cujus dispositionis ratio, est quia Sponsus tàm longè discedens cum mutatione domicilii, & absque alterius licentia juri suo renunciare videtur, atque ità potest alter eam tacitam renunciationem acceptare, & matrimonium cum alio contrahere. Et quamvis Jus Civile L. 2 C. de repudio præscribat talem sponsum expectandum esse per triennium, si fuerit extrà Provinciam, vel per biennium intrà Provinciam, tamen vel dictum jus habet vim tantum in foro externo, ut ait Bonacina, qu. 1. punct. 6. *in fine*; vel melius dicendum cum aliis jus Civile fuisse correctum per jus Canonicum loc. cit. cujus decisioni sine dubio in hac materia standùm est, cùm sit satis consona rationi.

86 Denique conveniunt Doctores, sponsalia quoque dissolvi posse per notabilem aliquam mutationem post sponsalia cōtracta supervenientem; quæ si ab initio extitisset, aut prævisa fuisset, à sponsalibus contrahendis meritò absterruisset, ut si alter sponsorum in morbum contagiosum incidat, lepram, paralysim morbum gallicum, aut notabilem corporis defectum, vel deformitatem, item si notabilem famæ, aut bonorum jacturam patiatur, si sponsa dotem promissam afferre nequeat, si graves inter sponsos, aut eorum parentes inimicitiæ oriantur, si sponsus patrium solum mutare, vel vagari cum gravi sponsæ incommodo constituat; in his enim, & similibus casibus, qui judicio viri prudentis dignosci debent sponsalia dissolvi possunt. Ratio horum omnium est, quia contractus sponsalitius tacitè fit sub hac conditione, quod si adsit rerum notabilis mutatio obquam sponsalium impletio fit notabiliter gravior, & onerosior, is cui fit, resilire possit. Accedit, quod promissio semper supponitur, & intelligitur facta, rebus in eodem statu permanentibus ex cap. *Quemadmodum* de jurejurando. Jmò etiam si aliqua ejusmodi causa tempore ipso sponsalium extiterit, nec nisi post illa contracta deprehendatur, adhuc in hoc casu sponsalia dissolvi possunt, cum enim sponsalium tempore defectus non appareret, perindè erat, ac si non esset, quando verò apparere incipit, perindè est, ac si de novo existat, nam in jure paria censentur non esse, & non apparere L. *Infundi*, ff. de contrahendum empt. & hæc omnia intelligenda sunt, etiamsi sponsalia essent juramento firmata, quia juramentum naturam sequitur promissionis; & hujus obligatione cessante, cessat etiam juramenti obligatio, ut sæpè dictum est. Ità Sanchez, Ponce, Tancred. Coninchius, Tuscus, Riccius, Reginaldus, Molina, Ledesma, Valentia, Aversa, Hurtadus, Caspensis, Brancatus, ex nostris, & alii passim. Ità discurrimus quæst. 10. cit. art. 2. ubi etiam in fine difficultatem illam expendimus, an propria auctoritate liceat à sponsalibus resilire justa de causa, vel opus sit auctoritate Judicis Ecclesiastici, cui cum communi Doctorum ibi respondemus, quod si causa dissolvendi sponsalia moraliter certa sit nulla Judicis auctoritate opus est, nisi ratione vitandi scandali, quando nimirum publicè contracta fuere, undè etiam pluribus in locis observatur, ut à sponsalibus publicè notis resilire, non liceat, nisi causa etiam prius ad Ordinarium delata, & ab ipso probata; vndè propria, & privata auctoritate sponsalia dissolvere licebit, quando hæc clam contracta fuerunt, & causa ea dissolvendi occulta est, & dùm publicè contracta sunt, & justa causa ea dissolvendi etiam publicè constat, quia ex hac dissolutione sponsalium propria, & privata auctoritate facta nullum oritur scandalum. Si autem causa dissolvendi sponsalia dubia sit, nec certò constet esse justam, & sufficientem, tunc propria, & privata auctoritate ea dissolvere non licet, quia quilibet spōsus vi contractus sponsalitii est in possessione juris acquisiti, ut fiat, quod promissum est, in dubio autem nèmini licet propria, & privata auctoritate alterum de possessione sui juris deturbare, sed adhoc decidendum requiritur legitima Judicis auctoritas.

QUÆSTIO QUINTA.

De Matrimonii Impedimentis.

87 POstquam in præcedentibus de essentia matrimonii, & Sponsalium dictum est, nunc de impedimentis ejusdem agendum est, de quibus tractat Scotus 4. dist. 34. usque ad 42. hæc autem impedimen-

menta duplicis sunt generis, quædam enim matrimonium contrahendum solummodo impediunt, alia verò etiam contractum dirimunt, & hæc Doctor loc. cit. appellat simpliciter talia, quia non solùm obstant, ne licitè contrahatur, sed etiam ne validè, illa verò vocat impedimenta tautum secundum quid quia prohibent quidem matrimonium, non tamen reddunt illud irritum, & nullum, si cum ipsis contrahatur, sed tantùm illicitum. Undè impedimenta primi generis dicuntur merè prohibentia, secundi verò generis dicuntur etiam dirimentia juxtà divisionem communiter à Doctoribus traditam, hanc igitur quæstionem breviter expediemus juxtà fusè dicta, & disputata de hac materia disp. 7. q. 11. & seq.

ARTICULUS PRIMUS.

De impedimentis non dirimentibus, seù merè prohibentibus.

88 Hic supponendum est ex dictis q. 11. cit. art. 1. Ecclesiam ex auctoritate sibi à Christo Domino collata in omnes fideles potuisse ex causis rationabilibus certa quædam Matrimonii impedimenta instituere non tantùm prohibentia, sed etiam dirimentia, & ità de fide definitum est in Concil. Trid. sess. 24. can. 3. 4. & constat ex praxi, & usu Ecclesiæ, & sicut in veteri testamento quædam impedimenta matrimonii constituta fuere, ità expediens fuit, ut in lege quoque nova constituerentur, & quamvis Christo Domino non fuerunt immediatè constituta, hoc tamen prudenter, & utiliter fecit Ecclesia, in qua hæc potestas remansit, ut docet Scotus dist. 35. & seq. quibus in locis expresè docet potuisse Ecclesiam statuere impedimenta matrimonium etiam dirimentia, & de facto statuisse, & hoc etiam ratio ipsa suadet, quia jure humano nemo negat statui posse nonnullas conditiones humanorum contractuum, ut licitè, & validè celebrentur; cum igitur matrimonium sit quidam contractus humanus, ex ea parte qua talis est, poterat utique ex ipso jure humano hujusmodi conditionibus subiici, & poterat humana potestate illicitus reddi, imò & irritari non minus, quàm reliqui contractus, statuendo ut matrimonium ab his, vel illis personis, aut hoc, vel illo modo factum sit illicitum, ac etiam invalidum, & nullum, & quidem ut ab impedimentis non dirimentibus, sed merè prohibentibus exordium sumamus, impedimenta hujus generis quinque communiter à Theologis numerantur, ut diximus disp. cit. quæst. 12. art. 1. & videre est apud Bonac. q. 3. punct. 14. qui alios cit. & Brancatū nostrū disp. 36. nimirum Interdictum, Catechismus, Votū simplex, Sponsalia, & Crimē, quæ memoriæ jurandæ causa versibus quibusdā cōprehēdūtur, qui passim à Summistis referūtur.

89 Primum itaque impedimentum est Ecclesiæ interdictum seù prohibitio, ut habetur ex c. *Non vovorem*, 33. q. 1. &c. *Capellanus*, de feriis, interdicti autem nomen id sonat, quod prohibitio, quarè si amplè in hac significatione sumatur, omnia impedimenta generaliter comprehendit, specialiter autem hìc nomine Interdicti intelligitur prohibitio matrimoniorum ratione feriarum, interdictum est enim ab Ecclesia, seù prohibitum, ne quibusdam anni temporibus matrimonia fiant, & diversa de hoc fuit prohibitio pro temporum varietate, nunc autem impedit ab Adventu usq; ad Epiphaniam, & à feria quarta Cinerum usque ad Octavam Paschatis inclusivè, ut habetur ex Trid. sess. 24. c. 10. Uerum tamen est Conc. loc. cit. prohibere solùm dictis temporibus solemnitatem nuptiarum undè de licentia Ordinarii possunt etiam in illis sponsalia, & matrimonia celebrari absque solemnitate, ut ait Glossa communiter recepta in dicto ca. *Capellanus* de feriis, secluſa verò licentia prohibitum est temporibus illis matrimonia celebrare, ut hìc notant Sanchez, Reginaldus, Coninchius, Bonacina, & alii. Non tamen est vetitū his temporibus consummare matrimonium ante contractum, nam jura non loquuntur de consummatione matrimonii, ut notant relati Auctores; prohibitio igitur matrimoniorū in prædictis temporibus complectitur solùm solemnia cum publica benedictione in Ecclesia, & aliis ejusmodi pompis, ut patet expressè ex ipsis Concilii verbis, quod etiam anteà adnotavit D. Bonaventura 4. distinct. 32. p. 4. q. 1. ubi etiam congruentiam assignat, cur illis præsertim temporibus Ecclesia matrimonia prohibuerit sic celebrari. Interdicti etiam nomine in proposito intelligendum venit, quando ab Episcopo prohibentur nuptiæ, donec aliqua causa examinetur, ut notat Novellus instructione Christiana ad Parochos de Sacramento Matrimonii versus finem, pro quo citat. c. 1. 2. & 3. de Matrimonio contracto contrà interdictum. Interdicti enim nomine intelligi potest peculiaris prohibitio, non à jure, sed ab homine, quæ interdum fit certis aliquibus personis, nec contrahant, & potest justè fieri, non solùm à Pontifice, sed etiam ab Episcopo, ut dictum est, imò etiam à Parocho ex causa, & ad tempus ut ait Aversa q. 10. sec. 2. ubi etiam advertit, quod quandocunque in tali prohibitione, & interdicto, etiamsi sit à Pontifice, non apponitur expressè forma irritans, remanet purum impedimentum prohibens, & non dirimens. Quis enim in hoc dispensare possit, dictum est loc. cit.

90 Secundum impedimentum est Catehismus, qui est instructio fidei, quæ fit antè januam Ecclesiæ super baptizando à patrino, qui ad interrogationem factam à Parocho respondet nomine ejus, qui baptizari debet, per hanc ergo sacram cæremoniam cōtrahit hìc patrinus cognationem quandam spiritualem cum eo, quem tenet, ob quam prohibitum est illi cum eo posteà contrahere, ità habetur ex cap. *Contracto*, de cognat. spirit. & cap. 2. de cognat. spirit. in 6. & hoc dicitur impedimentū Cathechismi prohibens, sed non dirimens, estque rationi consonum, ut sicut patrinus tenens in baptismo contrahit cum baptizato perfectam cognationem spiritualem matrimonium dirimentem; ità patrinus tenens tantùm in Catechismo quandā contraheret inperfectam, ac veluti inchoatā cognationem spiritualem solummodò prohibentem, & de hoc impedimento mē tionem facit Scotus 4. d. 42. K. ubi ait per Catechismum, qui præcedit baptismum, oriri cognationem spiritualem, per quam impeditur matrimonium contrahendum, licet non dirimatur contractum, ac etiam D. Bonaventura ibidem part. 1. q. 1. Sed dubium est, an hoc impedimentum jure novo Conc. Trid. sess. 24. cap. 2. de Matrim. fuerit sublatum. Negant aliqui dicentes ibi tantùm fuisse restrictum ad easdem personas, & gradus cum cognatione spirituali perfecta oriente ex baptismo. Ità Palacius, Navarrus Ugolinus, Vega, & quidam alii, quos sequitur Brancatus ex nostris disp. 36. art 2. Communis tamen, & probabilior opinio affirmat, ut diximus loc. cit. hoc impedimētum jure novo per Concilium loc. cit. fuisse sublatum, ità enim clarè habetur ex verbis ipsius, ut etiam notavit Aversa quæst. 10. sect. 3. in fine, ibi enim post designatas personas, inter quas contrahi voluit spiritualem cognationem, concludit *Omnibus inter alias personas hujusmodi spiritualis cognationis impedimentis omninò sublatis*, quo loquendi modo non tantùm impedimentū dirimens, de quo præsertim agebat, sed etiam merè prohibens satis attingit, & cùm hoc impedimentum in nulla parte designaverit, jam in omnibus sustulit, & quando etiam Concilium dubiè, & obscurè esset locutum, adhuc hæc opinio, ut communior, & probabilior amplectenda est, quàm oppositа, quia lex dubiè loquens pro parte favorabili est declaranda, cum privilegia sint amplianda, & pœnæ restringendæ, undè hanc opinionē sequuntur Henriquez, Sanchez, Reginaldus, uterque Ledesma, Tancred. Coninch. Guttierez, Ponce, Filliuc. Emman. Sà, Diana, Becanus, Bonac. Aversa, Abellius, Steph. à S. Greg. & tota ferè Recentiorum caterva, imò Ponce l. 6. c. 11. testatur, ità S. Congregationem declarasse, cujus verba ibidem refert.

91 Tertium matrimonii impedimentum est votum castitatis, hoc autem potest esse duplex, aut solemne, quale est in professione religiosa, vel etiam in susceptione Ordinis Sacri, aut simplex, quale privatim fieri solet, de voto solemni agemus posteà inter impedimenta dirimentia, nunc verò sermo est de voto simplici castitatis, vel ingrediendæ Religionis, vel suscipiendi Sacros Ordines, vel non nubendi, & de hoc impedimento etiā loquitur Doctor 4. d. 38. q. un. C. ubi inquit, quod votum simplex continentiæ non impedit simpliciter, licet enim impediat matrimonium contrahendum, non tamen dirimit contractum quod solum impedimentum dirimens dicitur simpliciter impedire. Hoc igitur votum simplex castitatis jam declaratum est impedimentum prohibens matrimonium contrahendum, ut constat ex cap. *Si quis* 27. q. 1. & cap. un. *de voto in 6.* Ratio est quia matrimonium repugnat adimpletioni hujusmodi voti, & tali voto adstrictus contrahendo matrimonium graviter peccat, cum faciat contrà votum in re gravi, quamvis matrimonium ab eo factum sit validum, quarè Doctores communiter dicunt, quod qui cum hujusmodi voto matrimonium contrahit, dispēsatione illius non obventa, non solum mortaliter peccat, sed nec etiam debitum conjugale licitè petere potest, quamvis reddere possit, ac debeat, & hoc etiam jam pridem docuerunt D. Thomas 4. d. 38. qu. 1. art. 3. D. Bonavent. ibidem part. 2. q. 1. hæc autem vis est in voto, non tam ex præcepto positivo Ecclesiæ, quàm per se ex jure divino, & naturali, quia hoc sua natura, seù suo jure naturali impedit sub mortali ne fiat matrimoniū, quia sic contrahere est contrà fidem Deo datam in re gravi, & ex natura rei quisque tenetur servare, quæ Deo promisit; quarè hoc matrimonii impedimentum est de jure divino naturali, & peccaret quoque alter conjugum, qui talis voti conscius contraheret, tanquam alterius peccato cooperans. Sed Dubium est, an sic vovens possit sine peccato matrimonium contrahere animo determinato non consummandi. Affir-

mant plures absolutè loquendo, quia votum castitatis, & Religionis impediunt tantùm contrahere cum animo consummandi, quare si talis animus absit, votum castitatis matrimonium non impedit. Ità Hurtad. disp. 21. diffic. un. Caspensis disp. 8. sect. ult. & alii. Sed hoc non placet sic absolutè prolatum, ut diximus loc. cit. ut enim hoc licitè fieri possit, requiritur etiam alterius conjugis consensus, alioquin fieret ei injuria, & esset quædam illusio; si autem in hoc alter etiam conjugum cõsentit, aut etiam simili voto ad perpetuam continentiam se obligat, tunc quidem votum Castitatis matrimoniũ non prohibet, nec contrahens peccat, dummodò periculum copulæ absit, hoc enim modo valere, & licere matrimonium, & ità de facto contraxisse B. Virginem, & S. Joseph communiter docẽt Doctores; secluso autem alterius conjugis consensu, is qui contraheret animo non consummandi, licet non peccaret contra votum castitatis, nisi ratione periculi, cui se exponeret; peccaret tamen adhuc contra justitiam, & debitum conjugale, ut etiam benè advertit Aversa qu. 10. cit. sect. 4. ità discurrimus loc. cit. ubi etiam quædam alia dubia resolvimus ad hoc spectantia.

92 Quartum matrimonii impedimentum, ut etiam diximus loco cit. est contractus sponsalium cum alia persona initus, hæc enim sponsalia anteà celebrata impediunt inire matrimonium cum alio, vel cum alia. Quod si de facto matrimoniũ contrahatur, & celebretur, valebit utique, seù validum erit, illicitum tamen erit, & injustum contrà obligationem justitiæ ex sponsalibus ortam, qui enim sponsalia contraxit cum una persona, gravem contraxit obligationem standi sponsalibus, siquidem sponsalia sunt matrimonii promissio, quæ obligationem sub mortali inducit, ut declaratum est quæst. præced. ubi etiam art. 3. declaravimus ex professo, quibus modis, & quibus de causis liceat à sponsalibus resilire; & diximus, quod in hoc casu licet per matrimonium de præsenti cum alia contractum priora sponsalia dissolvantur, ut habetur cap. *Si inter* de sponsalibus; non tamen ità cessat obligatio, ut penitus extinguatur adeò, ut sponsus soluto matrimonio cum alia contracto per mortem illius non amplius ad priora sponsalia teneatur; quamvis enim vinculo matrimonii durante cum secunda sopita sit obligatio sponsalitia respectu primæ, non tamen omninò extincta est, & ideò tali vinculo deficiente cum secunda per mortem illius, revivisceit obligatio sponsalitia cum prima ad contrahendum matrimonium cum ipsa, si velit, ut ibi probavimus, non enim matrimonium cum secunda contractum est incompossibile cum obligatione sponsalitia respectu primę, etiamsi quamdiù durat, impletionem illius impediat, & sit incompossibile cum ipsa impletione.

93 Quintum tandem matrimonii impedimentum est crimen, ubi tamen advertendum est, ut diximus qu. 12. cit. artic. 2. crimen duo impedimenta constituere, unum dirimens, de quo dicemus infrà, aliud verò merè prohibens, de quo modo agendum est, & declarandum quodnam sit hoc genus criminis, quod constituit hoc impedimentum merè prohibens. Hoc itaque crimen, quod matrimoniũ prohibet, septem delicta sub se continere dicitur ex antiquo jure Canonico, ut uxoricidium, Presbytericidium, incestus, & alia loc. c. à nobis enumerata, & declarata, ob quæ olim quasi pœnitentiæ loco matrimonium interdictum erat; sed circa hæc omnia impedimenta ex crimine orta occurrit difficultas, nùm hæc impedimenta adhuc vigeant, & obligent, in qua tres sunt opiniones, duæ extremæ, & una media, ut dictum est loco cit. Prima est hujusmodi impedimenta semper obligasse sub mortali, & adhuc etiam sic obligare, sicut, & alia impedimenta jam relata non ex crimine orta, ità Rebel. Ius, Toletus, Brancatus noster, & alii, quorum ratio est, quia nulla est facta Canonum, & decretorum circa hæc impedimenta immutatio; ergò sicut prius, ità & nunc adest obligatio. Nec valet dicere, hæc impedimenta prohibentia ex crimine orta esse jam per consuetudinem abrogata, nec amplius obligare. Quia consuetudo mala contra legem est corruptela non sequenda, sed abiicienda ex dist. 8. cap. *Malam*, & consuetudo obstans Canonicis institutis est nulla cap. *Ad nostram*, de Consuetud. nec demum valet præscriptio consuetudinis, quandò obstat jus commune, etiamsi bona fide aliquid fiat ex cap. 1. *de præscript.* in 6. Secunda sententia extrema asserit hæc omnia impedimenta merè prohibentia, & ex crimine orta esse jam per consuetudinẽ abrogata, nec amplius obligare, nec oportere de his petere dispensationem ad licitè contrahendum, aut saltem cum limitatione hæc impedimenta non amplius vivere in locis, ubi constet de consuetudine abrogante, aut saltem non amplius ligare, ubi talis contraria consuetudo scientibus, & approbantibus, seù tolerantibus Prælatis invaluerit, ità Navarrus, Sanch. Trancred. Coninch. Ponce, Diana, Ledesma, Bonac. Gutier. Aversa loc. cit. ubi hanc rationem affert, quia sanè de facto non apparet talia impedimenta esse in usu, nec solet de iis dispensatio peti, & hoc benè sciunt Prælati, & Pontifex ipse, & tamen ea renovare, aut de eorum observatione solliciti esse non curarunt, quare dici possunt de consensu ipsius Ecclesiæ abrogata esse, & in iis abrogandis non obstant illæ leges, quæ contrariam consuetudinem reprobabant, ut corruptelam, loquebantur enim tantùm de impedimentis dirimentibus.

94 Denique tertia sententia media, quæ magis placet, ut diximus loc. cit. & per quam duæ extremæ conciliari possunt est, quod etiam olim jure antiquo non aliter acceptæ sunt hæc impedimenta ex crimine orta, nisi ut quando crimina essent publica, aut in judicio Ecclesiastico convicta, talis pœna pro iis imponeretur, ut delinquentes ad matrimonium contrahendum non admitterentur, undè etiam nunc possent Judices Ecclesiastici ob hujusmodi crimina talem pœnam imponere, neque hoc sit abrogatum, si causa ad judicium Ecclesiæ deducatur. Et est falsum, quod in hoc sensu super his impedimentis ex crimine ortis Prælati conniveant, loquendo de formali conniventia, imò experientia est in contrarium, quia conniventia formalis est, quando cum scientia, quæ pro foro externo est necessaria, nempè publica tacetur, non enim tenentur, neque possunt de occultis judicare; si autem aliquos hujusmodi impedimentis irretitos contraxisse comperiant juridicè, & cum sufficienti probatione, contrà eos juris remediis utique procedunt, & hoc quidem non alio jure, quàm antiquo; ergò in hoc sensu loquendo hæc impedimenta adhuc vigent, & obligant, & hanc tertiam sententiam etiam obligare videntur Brancatus noster, & Aversa loc. cit. & plures alii sequuntur, quæ etiam tantò magis tuenda est de aliis impedimentis merè prohibentibus non ex crimine ortis, nam etiam experientia constat, quod si Prælati juridicè comperiant aliquos tempore intendicti, vel feriarum, vel aliis etiam impedimentis non ex crimine ortis detentos contraxisse, contrà eos procedunt, & pœnis à lege præscriptis, tanquam reos plectunt. Quis autem dispensare possit in dictis impedimentis non dirimentibus, sed merè prohibentibus, jam satis declaravimus loco citato in fine secundi articuli, & rursus dicemus infrà artic. 4. in fine num. 115.

ARTICULUS SECUNDUS.

De impedimentis matrimonium dirimentibus.

95 JAm diximus superius ab initio quæstionis impedimenta ad matrimonium duplicis esse generis, quædam impedientia, vel prohibentia tantùm; alia verò etiam dirimentia, quibus nimirum efficitur, ut matrimonium non tantùm illicitè, sed etiam invalidè contrahatur; undè hæc impedimenta non in sensu dirimentia dicuntur, quasi dissolvant matrimoniũ jam factum, & validè contractum, ut ex ipsius vocabuli etymologia designari videtur; siquidè ex anteà dictis satis constat, matrimonium semel validè contractum, etiamsi sit tantùm ratum, dissolvi non posse, nisi per solemnem Religionis professionem, sed in hoc sensu tantùm dirimentia dicuntur, quia impediunt, ne matrimonium validè contrahi possit. Hæc igitur impedimenta duodecim communiter à Theologis enumerantur, quæ his tribus versibus comprehenduntur, qui etiam à Scoto referuntur 4. dist. 52 qu. un. litt. M.

Error, conditio, votum, cognatio, crimen,
Cultus, disparitas, vis, ordo, ligamen, honestas,
Si sis affinis, si fortè coire nequibis.

Hæc sunt duodecim impedimenta ex antiquo jure Canonico recensita, sed ut diximus disp. 7. cit. qu. 13. art. 1. præter hæc aliud quoque impedimentum dirimens jure novo institutum fuit in Conc. Trid. nempè Raptus irritans, & dirimens matrimonium inter raptorem, & raptam, quamdiù hæc in potestate illius fuerit, ità enim decrevit sess. 24. cap. 6. *Inter raptorem, & raptam quamdiù ipsa est in potestate raptoris, nullum posse consistere matrimonium*, hoc tamen non est omninò novum, quia facilè reduci potest ad impedimentum vis, seù violentiæ contra matrimonii libertatem. Quando autem, & quomodo hæc impedimenta matrimonium dirimant, & invalidum reddant, conveniunt Doctores, non solum invalidè contrahere illos, qui verè se agnoscunt aliquo horum impedimentorum detentos, sed etiam quando impedimentum subest, & est eis ignotum, etiamsi bona fide contrahant, & præmissis anteà debitis diligentiis; & ratio est, quia dùm re vera talia subsunt impedimenta, eo ipso inhabiles sunt ad contrahendum, quamvis ipsi id ignorent, & propterea eorum matrimonium reipsa est nullum, & invalidũ, detecto errore statim remedium quærere debent ad matrimonium convalidandum, ne in peccato permaneant. An verò valeat matrimonium, si è contrà aliqui contrahant putantes se aliquo impedimento dirimente laborare, cùm tamen re vera tale impedimentum non adsit, & scientes matrimonium cum tali impe-

impedimento contractum esse invalidum, dissensio est inter Doctores, quam exactè discutimus loc. cit.

96 Quomodo autem, & qualiter matrimonium cum impedimento dirimente contractum convalidari debeat sublato impedimento, in primis certum esse debet, ut diximus q. 13. cit. art. 2. non sufficere solam impedimenti ablationem, sed novũ consensum requiri, & ità expresse docet Doctor 4. d. 35: quæst. un. C. ubi ait, quod stante tali impedimento primus consensus non fuit matrimonialis, & ideò nullus actus potest esse licitus in virtute illius consensus, & ideò adhoc ut sint conjuges, requiritur novus consensus, primus autem consensus non fuit matrimonialis, quia præstitus fuit inter personas tunc inhabiles, atq; ideò nullius erat valoris, nec virtute illius matrimonium unquam perfici potest, sed opus est, ut postquam per impedimenti dispensationem personæ factæ sunt habiles, novus adhibeatur consensus, quò matrimonium perficiatur. Addit ulterius Doctor ibidẽ non sufficere novum consensum illius tantùm conjugis qui impedimentum novit, & postmodum fecit esse sublatum sed requiri novum consensum ex parte utriusque, & ità communiter sentiunt Doctores, cujus ratio est, quia ex utraque parte defuerat consensus legitimus, & validus, cùm esset inter personas inhabiles, & incapaces, Quod si impedimentum erat ex parte unius tantùm, ut quando nesciente muliere viri conjugium initus est cum ea contractus, vivente adhuc propria uxore, post istius mortem, & habita dispensatione, adhuc ex parte utriusque necessarius est novus consensus ad validandum matrimonium, quia licet nullum esset impedimentum ex parte mulieris, ejus tamen consensus non fuit validus, inquit Doctor, quia consensit in eum, tanquam in potentem contrahere, ipse autem ex parte sui non erat talis, qualis eum credit. Et tandem in his casibus non satis est interius renovari consensum, sed requiritur simul novus consensus externus, sivè nova consensus expressio, quoniam totus antecedens consensus tam quoad actum internum, quàm externum, erat nullus, & irritus ex utraque parte ob rationem allatam. An verò ad validitatem matrimonii, & legitimam consensus renovationem requiratur, conjux ignarus fiat conscius nullitatis, controversia est inter Doctores, quam etiam exactè discutimus loco citato. His itaque suppositis, jam explicanda sunt prædicta impedimenta.

97 Primum impedimentum est error, qui dupliciter contingere potest, vel circà substantiam personæ, ut si quis ducat Claram existimans esse Annam, vel circà ipsius personæ qualitatem, ut si quis ducat Claram existimans esse nobilem, vel divitem, quam posteà comperit esse ignobilem, vel pauperem, & quidem priori modo conveniunt Doctores reddere matrimoniũ invalidum, non autem posteriori. Ut autem hoc clarius, & magis fundatè percipiatur, advertendum est ignorantiam ab errore differre, eo quod ignorantia dicat tantum modò negationẽ scientiæ, quæ dici solet ignorantia simplicis negationis, error autem dicat judicium perversum intellectus, qui dici solet ignorantia gravæ dispositionis, uterque tamen sufficit ad causandũ actum involuntarium, quia voluntas non fertur in incognitum. Quilibet autem ex his erroribus duplex est, scilicet, vel antecedens contractum, & causans illum, qui à Jurisperitis dans causam contractui appellatur, & est dùm aliquis nollet iniri matrimonium cum tali, si sciret esse talem, & non eam, quàm ipse putat, & intendit determinatè Claram, & tamen offertur ei Anna, quam existimat esse Claram. Ille verò error dicitur concomitans, dùm re vera ignorat illam sibi oblatam esse Annã, sed existimat esse Claram, si tamen id agnosceret, id ipsum vellet, nam dispositus est contrahere etiam cum illa persona, quæ illi offertur, si eam agnosceret. Hoc suppositò communis sententia docet errorem circà substantiam personæ, sive sit antecedens, sivè etiam concomitans, dirimere matrimonium, non tantùm jure positivo, sed etiam naturali, ità statuimus disput. 7. citat. quæst. 14. art. 1. cum D. Thoma, Bonavent. & Scoto 4. d. 30. q. 1. ubi ait errorem substãtiæ in omni contractu illum invalidare, ut si vendatur auricalcum pro auro nulla est venditio, & sic de aliis. Probatur autem specialiter in proposito, quod sic de jure naturæ, nam quod sit de jure positivo constat ex c. un. 29. qu. 1. quia jure naturali exigitur consensus liber ad valorem alicujus contractus, saltem circà id, quod est per se objectum talis contractus, sed ad libertatem requiritur cognitio, & advertentia rationis, quæ in utroque errore nequaquam reperitur, quamvis enim error concomitans non causet involuntarium positivè, causat tamen non voluntarium, cum nihil sit volitum, quin præcognitum, nec possit esse voluntarium, quod est ignoratum, ac proindè etiam non reperitur libertas sufficiens, & necessaria ad valorem illius consensus, consensus enim conjugalis circà talem personam non solùm debet esse voluntarius negativè, aut non voluntarius, sed debet esse voluntarius positivè cũ tali persona ad hoc, ut valeat, & vinculũ matrimonii inducat. Ità Recentiores etiã omnes sentiunt.

98 Circà errorem verò qualitatis, ut nobilitatior, aut divitiarum conveniunt Doctores in casibus jure etiam naturali matrimonium dirimere, ut etiam diximus loc. c. Primò quando fit matrimonium dependenter ab ea qualitate, tanquam à conditione, ut si contrahens his verbis suam exprimeret intentionem *Contraho tecum modo sis dives vel nobilis* esset etiam invalidum matrimonium, nisi illa conditio, quæ tunc spectat ad objectum per, se illius intentionis, verificaretur, & ratio est, quia cùm tunc deficiat conditio, sub qua fit contractus, deficit etiam contractus ipse. Secundò dirimit matrimonium hic error, quando refunditur in personam, & transit in errorem personæ modo jam explicato loco citato. Extra autem hos duos casus conveniunt Doctores errorem qualitatis per se non dirimere matrimonium, & ità expressum habetur in cap. *Unico* cit. 29. quæst. 1. ubi dicitur, quod error fortunæ, & qualitatis non excludit consensum, undè quæ nubit pauperi putans illum esse divitem, non potest renunciare, quavis erraverit, similiter qui accipit corruptam, vel deformem, quam existimabat Virginem, vel pulchram, non potest illam dimittere, & cum alia contrahere, & optimam rationem reddit Sanchez lib. 7. disp. 18. quia cum nihil sit volitum, quin præcognitum, quando error est in apprehensione rei non necessariæ ad essentiam contractus, & ad ipsius finem, sed in aliquo accidente, efficit quod contractus sit quoad essentiam voluntarius, & quod tantùm sit involuntarius secundum quid, & quantum ad illud accidens, in quo versatur error, non verò reddit illud involuntarium simpliciter quoad substantiam, siquidem intentio non respicit qualitatem, tanquam objectum per se, sed tanquam aliquid accidentarium objecto per se. Sed difficultas est, an error qualitatis matrimonium dirimat, quando dat causam contractui, quando, scilicet, error circà qualitatem personæ talis est, ut quis nisi sic circa qualitatem deceptus non contraheret, sed uno voluntatis actu fertur in personam, prout tali qualitate indutam. Affirmant aliqui, ut Præpositus, Medina, Ponce, & Brancatus noster disp. 20. art. 5. Communis tamen, & certa sententia Theologorum, & Juristarum est, errorem qualitatis per se matrimonium non dirimere, etiamsi fuerit antecedens, & dans causam contractui, nisi tamen consensus fuisset conditionatus sub tali qualitate, aut nisi error qualitatis transeat in errorem personæ, ut suprà dictum est, alioquin non valeret matrimonium, quando aliqua accipitur, ut virgo, quæ talis non esset, quod tamen neque Auctores oppositæ sententiæ concedunt, quia oppositum expressè habetur in dicto cap. *Unico* 29. q. 1. consequentia patet ex paritate rationis, vir enim ducit illam ex errore, quo putat eam Virginem alioquin non ducturus, si sciret eam, & contrahens regulariter hanc qualitatẽ intendit in conjugẽ determinatè, & explicitè. Ità discurimus loc. cit. ubi solvimus rationes in oppositũ.

99 Secundum Matrimonii impedimentum est *conditio*, cum autem nomen conditionis sit in sua significatione adeò amplum, inter impedimentum matrimonii adaptatum est ad denotandum peculiariter statum servilem, & hoc ex communi usu, vel abusu, ut diximus loc. cit. art. 2. quia propriè loquendo ait Scotus 4. d. 42. N. impedimentum conditionis importat consensum conditionatum contrà tria bona matrimonii, ut habetur cap. fin. de condit. oppos. & servilis conditio intelligitur eorum, qui sunt propriè servi, ideſt, mancipia, & ità sũt Domini, ac sub ejus potestate, ut eos vendere possit, & de conditione servitutis in hoc sensu hìc est sermo. Hoc suppositò conveniunt Doctores matrimoniũ contractũ cum errore conditionis non esse invalidum, quando persona, cũ qua contrahitur est æqualis, aut melioris conditionis, & ità præsertim docet Scotus 4. d. 30. q. 1. B. & d. 36. c. 2. art. 1. ubi dicit errorem in meliori, & etiã æquali conditione non annullare matrimoniũ, quia in utroque casu conditio contrahentis non fit deterior, sed melior in primo, & qualis in altero casu. Ecclesia enim hoc impedimẽtum apposuit, ut non fiat injuria personis liberis, cũ igitur nulla inæqualitas interveniat, vel injuria, quando persona, cum qua contrahitur est æqualis, vel melioris conditionis, sequitur matrimonium in tali casu cum conditionis errore contractum esse validum. Ex quo fit servum contrahentem cum serva, quam credebat esse liberam, aut contrahentem cum libera, quam putabat esse servam, validè contrahere, & ità habetur cap. *Si quis*, & cap. *Ad nostram* de conjugio servorum, nam in primo casu fieret æqualis conditionis, & in secundo melioris.

100 Conveniunt etiam Doctores, ut diximus loc. cit. matrimonium contractum cum errore conditionis esse invalidum, quando conditio errantis fit deterior, ut quando liber contrahit cum serva, quam credebat liberam, quod etiã constat ex Ju-

ex Juribus adductis, & ratione jam assignata, cum enim ab Ecclesia hoc impedimentum fuerit inductum ad tollendam inæqualitatem, & ne injuria fieret alteri contrahenti, magna ad esset inæqualitas, si validum foret matrimonium, quando sit deterior conditio errantis, ut in casu posito contingeret, quando, scilicet, liber cum serva contraheret, quam liberam esse credebat. Ità etiam Doctor loco citato, quod probat ratione satis evidenti, qua liber intendit commutationem sui corporis liberam facere pro potestate libera corporis alterius, sed servus non potest hanc liberam facere, quia est omninò subditus Domino per servitutem, qui eum vendere potest etiam extrà patriam in lõginquas regiones; ergò liber non censentur in servam scienter consentire, & sic ex defectu consensus liberi contractus est nullus. Et hoc etiam asserendum est, quando ignorantia servitutis est vincũlis, ut hic notant Sanchez, Coninchius, Aversa, & alii, quia nempè hic non agitur de culpa vitanda, sed de validitate matrimonii, quæ requirit omninò scientiam conditionis hujus, ut dicebamus de errore personæ, quarè in hoc casu ignorantia vincibilis, & crassa non æquiparatur scientiæ, sicut dici solet in materia de culpa vitanda, quando tamẽ contrahens opinionem haberet, vel probabilem dubitationem de conditione servili personæ, cum qua contrahit, tùnc bene matrimonium valeret, ut hic advertunt Bonacina, Ponce, Rebellus, Aversa, & alii, quia hæc opinio, & dubitatio venit sub nomine scientiæ, ideſt, notitiæ in hac re, & in hoc casu contrahenti non fit injuria, eo quod inæqualitas videatur esse voluntaria. An verò error servitutis, seu ignorantia in persona libera dirimat matrimonium jure naturali, aut tantùm Ecclesiastico, & quædam alia dubia soluta videri possunt loco cit. & etiam alia plura à Theologis, & Canonistis de hoc impedimento servitutis disputari solent, quæ apud alios videnda relinquimus, quia hujusmodi impedimentum hodiè inter Christianos rarissimè contingit, nisi fortè respectu eorum, qui per Judicis sententiam damnati sunt ad triremes in perpetuum eorum vita durante, aut carceri perpetuo mancipati, tales enim eum cũ sint servi pœnæ, ut jura loquuntur, servilis conditionis leges subire debent. Hæc autem omnia videri possunt apud Scotum clarè discussa d. 36. quæst. 1. ubi ex professo agit de impedimento servitutis.

101 Tertium impedimentum est Votum solemne, scilicet, illud, quod emittitur vel in susceptione sacrorum ordinum, vel in professione Religionis, tale siquidem votum non modo impedit matrimonium contrahendum, quod etiã facit votũ simplex castitatis, ut dictum est art. præced. sed etiã contractum dirimit, & ità definitum est in Concilio Viennensi Clement. unica, & in Trident. sess. 24. can. 9. & in aliis Conciliis relatis à Sanchez lib. 7. disp. 26. & aliis Theologis, itaut si post hoc votum emissũ cõtrahatur matrimoniũ, irritum sit, & nullum. Ut autem rectè intelligatur differentia vertens inter hæc duo vota solemne, scilicet, & simplex, videnda sunt quæ diximus disp. 7. cit. quæst. 16. art. 2. ubi cũ Scoto 4. d. 38. q. un. fusè, & ex professo declaravimus quænam diferentia sit inter votum solemne, & simplex, & in quo propriè voti solemnitas consistat, ac etiam quo jure votum solemne matrimonium irritet, an tantùm jure Ecclesiastico, vel etiam jure naturali divino, & cum Scoto loc. cit. statuimus, hæc vota non differre essentialiter, sed tantùm accidentaliter ex sola Ecclesiæ constitutione, atque ideò Pontificem dispensare posse in voto solemni castitatis, & Religionis, & sic expressè habetur cap. *Unico* in 6. his verbis *voti solemnitas ex sola Ecclesiæ constitutione est inventa*. Undè concludit Doctor in fine quæstionis, quod ratio hujus differentiæ est tantùm Ecclesiæ statutum, quæ illegitimat personam solemniter voventem ad contractum matrimonialem, non autem voventem simpliciter, & congruentia hujus esse potest, inquit Doctor, quia vovens simpliciter non sic ponit se in potestate Ecclesiæ quantum ad propositum contractus, sicut vovens solemniter non solùm in manu Dei se ponit, sicut vovens simpliciter, sed etiam in potestate Ecclesiæ, & ideò voventem solemniter cogit Ecclesia ad non contrahendum, & talem contractum illegitimat, sed voventem simpliciter relinquit divino judicio tantùm, undè licet contrahendo mortaliter peccet, non tamen Ecclesia talem contractũ dirimit, & hanc sententiam non solùm sequuntur Scotistæ, sed etiam Recentiores ferè omnes, ut Sanch. Tancred. Ponce, Coninch. Aversa, Caspensis, Hurtad. Bonacina, Becanus, Stephanus à S. Gregorio, & alii passim, qui proindè asserunt votum solemne, & simplex ejusdem materiæ v. g. castitatis non differre essentialiter, nec ex ipsius voti natura, nec jure divino, sed tantùm accidentaliter ex sola Ecclesiæ constitutione, quæ instituit, ut votum solemne dirimat matrimonium subsequens non autem simplex, votum enim solemne nihil habet suprà votum simplex, ratione cujus magis dirimat matrimonium quàm simplex, excepto Ecclesiæ decreto, sicut enim in voto solemni persona traditur Deo, ità etiam in simplici. Rationes autem oppositæ sententiæ vide solutas loc. cit.

102 Quartum matrimonii impedimentum est cognatio, quæ significat conjunctionem quandam inter certas personas, ob quã inter eas matrimonii non admittitur. Triplex autem à Theologis distinguitur naturalis, scilicèt, spiritualis, & legalis. Cognatio naturalis, quæ etiam consanguinitas vocatur, est vinculum personarum, quæ ab eodem proximo stipite per carnalẽ propagationem descendunt; de quo impedimento tractat Scotus 4. d. 40. q. un. & ad declarandum, quomodo cognoscendi sint gradus consanguinitatis, & in primo articulo assignat descriptionem consanguinitatis, & distributionem graduum, & tres regulas generales; quæ communiter à Theologis, & Canonistis sunt receptæ, ut diximus disp. 7. cit. qu. 17. art. 1. inquit itaque consanguinitatem describi posse quod sit vinculum personarũ, ab eadem persona carnali propagatione descendentium, illa autem persona, à qua descendunt, dicitur stipes, linea verò dicitur ordinata collectio hujusmodi personarum, & dividitur in ascendentem, & descendentem, quæ dicitur linea recta, & in transversalem, seu collateralem, linea recta descendens est à persona propagante ad propagatas, ut pater, filius nepos, &c. linea ascendens est è converso, ut pater, avus, proavus &c. linea vero transversalis est, quando ambæ personæ descendunt ab eadem, & neutra ab altera, ut frater, soror, consobrini, &c. In his autem lineis sunt diversi gradus cognationis, gradus autem est determinata propinquitas personæ ad personam, siquidem in linea ascendentium, & descendentium quælibet persona addita alteri facit gradum, undè pater, & filius sunt in primo gradu, nepos in secundo, pronepos in tertio, ab nepos in quarto; in linea verò transversali duo fratres sunt in primo gradu, horum filii in secundo, ità consequenter. Porrò ad distantiam illam dignoscendam, & computandos ipsius consanguinitatis gradus tres regulas generales assignat Doctor, quas alii etiam passim adducunt. Prima regula hæc est, quod in linea recta ascendẽtium, & descendentium tot numerantur gradus, quot personæ, undè pater, & filius in primo consanguinitatis gradu conjuncti esse dicuntur, quia filius à patre una generatione descendit, nepos est in secundo cum avo, quia ab eo descendit duabus generationibus, proavus, & pronepos sunt in tertio, abavus, & abnepos in quarto gradu, & sic deinceps. Secunda regula est, quod in linea transversali æquali tot gradibus unus conjungitur alteri, & ab eo distat, quot quilibet conjungitur suo communi stipiti, & ab eo distat, ratio est, quia ratione illius tantùm conjunguntur, & in ordine ad illum distant, undè frater, & soror sunt in primo gradu lineæ transversalis; quia in eo gradu sunt cùm suo communi stipite proximo, quo mediante inter se conjunguntur, & in ordine ad quem distant, patrueles verò, & consobrini, seù filii, & filiæ fratris, & filii, ac filiæ sororis sunt in secundo gradu, nepotes, & neptes ex fratre, & nepotes, ac neptes ex sorore sunt in tertio gradu, pronepotes, ac proneptes ex fratre, & pronepotes, ac proneptes ex sorore sunt in quarto gradu, & sic deinceps. Tertia regula est, quod in linea transversali inæquali tot gradibus unus conjungitur alteri, & ab eo distat, quot qui remotior est à communi stipite proximo, & ei conjungitur, & ab eo distat, Ratio est, inquit Doctor, quia personæ, quæ sunt in linea transversali, non habent inter se propinquitatem, nisi ratione communis stipitis, à quo originem ducunt, & ideò non possunt inter se propinquius conjungi, quàm remotior eorum conjugatur stipiti, undè patruus, & nepos ex fratre sunt in secundo gradu, quia eodem distat nepos ex fratre ab avo, qui est stipes utriusque, & similiter pronepos distat à patruo in tertio grado, quia eodem distat à proavo, & sic deinceps. His præmissis inquit Doctor, quod aliqua variatio facta est pro decursu temporis in designatione gradus, ad quem se extendat hæc prohibito, & irritatio matrimonii, etenim olim extendebatur usque ad septimum gradum, ut patet ex pluribus capitib. 35. qu. 3. sed postea sub Innocentio Tertio restricta est, usque ad quartum gradum inclusivè, ut patet ex cap. *Non debet* de Consanguinit. & affinitate, quod confirmatur à Trid. sess. 24. cap. 5. An autem consanguinitas in linea recta, ac etiam transversali, & in quo gradu, matrimonium dirimat etiam de jure naturæ fusè disputamus loc. cit.

103 Cognatio spiritualis est quædam propinquitas orta ex administratione, vel susceptione baptismi inter susceptores, & baptizatum illi usque patrem, ac matrem, nec non inter baptizãtẽ, & baptizatũ, ejusque patrem, ac matrem, quod etiam de confirmatione intelligendũ est, unde hæc cognatio describitur à Scoto 4. d. 42. q. un. ab initio §. *Respondeo*, quod est quoddã vinculum contractum ex dispensatione Sacramentorum specialiter baptismi, & confirmationis. Hæc tamen spiritualis cognatio, quæ tale afferat impedimentum matrimonium dirimens, non est inducta jure naturali aut divino, sivè ex intentione ipsa

ipsa horum Sacramentorum, sed ex mero jure Ecclesiastico; & statutum fuit in Concilio Niceno can. 21. quod posteà ab aliis Pontificibus, & Conciliis confirmatum est, & præsertim in Trident. sess. 24. *de reformat. matrim.* cap. 2. & habetur in jure Canonico per plura capita 30. qu. 1. de cognatione spirituali in decretalibus, & eodem tit. in 6. Ratio autem congruitatis, cur Ecclesia hanc cognationem spiritualem, tanquam impedimentum dirimens, constituerit potius in Sacramento Baptismi, & Confirmationis, quàm in aliis, fundatur in quadam congruentia, & similitudine generationis naturalis, ut Doctor insinuat loc. cit. sicut enim per generationem naturalem naturalis cognatio contrahitur, ità per generationem spiritualem, quæ fit per hæc Sacramenta, contrahitur ex Ecclesiæ instituto cognatio quædam spiritualis, & sicut cognatio naturalis est impedimentum matrimonium dirimens ob reverentiam consanguineis debitam; ità pariter congruum fuit, ut per hanc quoque spiritualem cognationem matrimonium dirimatur inter personas quas afficit, ob reverentiam cognationis spiritualis. Quamvis autem olim jure antiquiori hujusmodi cognatio spiritualis plures comprehenderet personas, modò tamen per Tridentinum loc. cit. jure novo inter pauciores restricta est, ubi declarat, quod minister baptizans, seù confirmans, & patrinus, ac matrina tenens in baptismo, seù confirmatione contrahit hanc spiritualem cognationem cum baptizato, seù confirmato, & cum patre, ac matre ejus, nec ultrà has personas cognatio hæc extenditur: Ex quo sequitur, ut hinc notant Sanchez, Hurtadus, Meratius, & alii, nullam inter ipsos susceptores contrahi cognationem, hoc est, inter virum, & fœminam tenentes baptizatum, aut confirmatum, proindeque patrinum posse validè, & licitè eam conducere in matrimonium, cum qua simul alienum filium è sacro fonte suscepit, ut constat ex Bulla Pii Quinti, quæ incipit *Cum illius vicem*. Hic tamen DD. communiter observant hoc impedimentum spiritualis cognationis à patrino, vel matrina non contrahi in administratione baptismi privata absq; solemni ritu, sed tantùm à baptizante; ratio est, quia ea cognatio spiritualis ex parte illorum non contrahitur præcisè propter munus, quod exercent tenendi parvulum, sed quia solemniter, seù ritu solemni tale munus exercent; at ex parte baptizantis contrahitur præcisè propter munus baptizandi quacumq; etiam solemnitate præcisa. Excipiunt tamen casum, in quo maritus conjugis suæ prolem in necessitate baptizat, tunc enim nullam cum eo contrahit cognationem, ut habetur capit. *Ad limina* 20. qu. 1. ità discurrimus qu. 17. cit. ar. 2. cum Sanchez, Suarez, Tancred. Hurtad. Rebel. Diana, Bonac. & aliis contrà Navarrum, Coninch. Poncium, & alios, ubi etiam solvimus tres præcipuas difficultates in hac materia occurrentes.

104 Cognatio denique legalis dicitur, quæ ex humana adoptione nascitur, ut diximus loc. cit. est enim propinquitas personarum ex adoptione proveniens, adoptio verò est ex personę extraneæ in filium, aut filiam legitima assumptio; & quoniam hęc cognatio à lege est introducta ad producendas, seù propagandas familias, quod fit dum aliqua familia extinguitur, nisi alius in eam adoptetur, seù inseratur, ideò dicitur legalis; & hoc matrimonii impedimentum primò introductum est lege Civili L. *Adoptivus* ff. de Ritu Nupt. & Instit. de Adoption. quod lex Canonica posteà confirmavit cap. *Ità diligere* cap. *Per adoptionem* 30. qu. 3. & extrà cap. un. de Cognatione legali. Ut autem magis pateat, undè hæc cognatio legalis oriatur, & ad quas personas se extendat advertit Scotus dist. 42. cit. ab initio qu. litt. B. quod adoptio est duplex, una perfecta, quæ dicitur arrogatio, per quam adoptatus transit in potestatem adoptantis, & fit hæres illius necessarius etiam ex testamento non secus, ac filius naturalis, neque talis adoptio fit, nisi auctoritate supremi Principis. Alia est imperfecta, seù simplex, que nomen adoptionis retinet, & fieri potest auctoritate Magistratus inferioris Principe, per quam adoptatus non transit in potestatem adoptantis quia est sub potestate sui patris naturalis, & non hæres necessarius in testamento, sed tantum ab intestato. Conveniunt DD. ex adoptione perfecta oriri cognationem legalem matrimonium dirimentem, sed difficultas est, an hæc oriatur etiam ex adoptione imperfecta. Negant Sanchez, Henriquez, Tancred. Meratius, Bonacina, Reginald. Filliucius, Aversa, Caspensis, & alii communiter, quorum ratio est, quia jura quibus hoc impedimentum introductum est, potius restringenda sunt, quàm dilatanda in favorem matrimonii; ergò cum loquantur de adoptione absolutè, intelligi debent de sola adoptione perfecta, quia imperfecta absolutè talis non est. Verùm Scotus loc. cit. docet cognationem legalem matrimonium dirimentem non tantùm ex adoptione perfecta oriri, quæ dicitur arrogatio, sed etiam ex imperfecta, & simplici; ità etiam Scotistæ omnes, Basolius, Hiqueus, Brancatus, & insuper Riccardus, Paludanus, D. Antoninus, & ex Recentioribus Petrus Soto, Toletus, Lopez, Angelus, Tabiena, Ponce, Rebellus, Hurtadus, & alii, quod probant ex contrario fundamento, quia ubi jura non distinguunt, neque nos distinguere debemus; at jura, quibus ex adoptione inducitur cognatio legalis matrimonium dirimens loquuntur de adoptione absolutè, & absque ulla distinctione, ut explicat Glossa in cap. unico de cognatione legali, ubi habet, per decretalem istam, quæ indistinctè loquitur de adoptione, non distinguendo inter adoptatum, & arrogatum introductam esse cognationem legalem. Tum quia adoptio imperfecta, quamvis sit imperfecta, est tamen absolutè, verè, & propriè adoptio; ergo dicta jura non sunt restringenda ad cognationem legalem ex adoptione perfecta. Alia quædam ad hoc punctum spectantia vide latius explicata loco citato.

ARTICULUS TERTIUS.

Alia impedimenta matrimonium dirimentia explicantur.

105 QUintum matrimonii impedimentum est *Crimen* dirimens, quia de alio impedimento criminis merè prohibente jam tractavimus suprà art. 1. hoc autem impedimentum criminis, quod non tantùm impedit, sed etiam dirimit est duplex, ut habetur ex cap. *Si quis vivente* 31. qu. 1. & cap. *Significavit*, & cap. *Super hoc* de eo qui duxit. Primum est homicidium, seù occisio conjugis, aliud verò est adulterium, ut diximus disp. 7. cit. qu. 19. art. 1. Tunc homicidium præcisè secluso adulterio matrimonium dirimit, quando vir, & fœmina ex intentione invicem matrimonium contrahendi in necem mariti mulieris conspirant, vel in necem uxoris viri, morte sequuta quovis modo ad eam necè concurrant, sivè utroque physicè per seipsos occidendo, sivè morantici imperando, consulendo, suadendo, &c. sivè altero physicè, & altero moraliter concurrente; ità DD. communiter docent, & Scotus loc. cit. 4. dist. 35. qu. un. ubi advertit quasdam requiri conditiones, ut crimen solius homicidii impedimentum dirimens inducat. Prima est, ut uxor occidat maritum, vel maritus uxorem physicè, vel moraliter modo jam declarato; undè ad inducendum hoc impedimentum non sufficit sola homicidii ratihabitio absque cooperatione, quia ratihabitio non est homicidium, sed posterior homicidio, nec in ipsum influit nec physicè, nec moraliter, ità Valentia, Sanchez, Henriquez, Guttierez, & alii apud Bonac. qu. 3. punct. 6. Secunda conditio ex Bonacina ibidem est, ut vir, & fœmina, qui conjugium contrahunt, ambo simul in mortem conjugis conspiraverint, undè si unus illorum machinatus sit mortem absque alterius conspiratione, non contrahit impedimentum matrimonium dirimens; modò non interceserit adulterium cum homicidio, ut habetur cap. *Super hoc* de eo, qui duxit in matrimonium. Oppositum tamen tenet Aversa qu. 18. sec. 4. ubi ait, non solùm quando ambo concurrunt, & conspirant in necem, ut contrahant, incurrere hoc impedimentum; sed etiam sufficere ex hac parte machinationem, & intentionē unius etiam inscio altero, & inquit sic expressè haberi in jure cap. *Si quis vivente* 31. qu. 1. ubi jura imponunt hoc impedimentum machinatori, & consequenter eodem impedimento ligant etiam alium, cum quo ille intendebat contrahere, quia non potest unus absque alio illud incurrere, & dum jura ità clarè loquuntur, diximus loc. cit. hoc probabilius esse, licet Doctor in primum magis inclinare videtur. Tertia conditio est, ut in finem contrahendi vir, & fœmina machinentur mortem, ut patet ex eodem cap. *Si quis*, si enim ob alium finem fecerint, ut ex odio, vel vindicta, & non ex intentione contrahendi matrimonium inter se, tunc homicidium matrimonium non dirimit, & consequenter poterit cum ea matrimonium contrahere, & in hac conditione conveniunt omnes ferè DD. quia expressè deducitur ex jure loc. cit. Quarta conditio est, ut mors ipsa sequatur realiter, & ex vi actionis illorum, quia si ex incuria Medici, vel Chirurghi, vel ex alia causa sequatur, tunc tale homicidium matrimonium non dirimet, & colligitur ex eodem cap. cit. *Si quis* 31. qu. 1.

106 Aliud verò crimen dirimens est adulterium, ubi etiam DD. communiter advertunt apud Bonacinam loc. cit. solum, & nudum adulterium non sufficere ad dirimendum matrimonium inter adulteros; sed ut dirimat matrimonium, quod posteà adulteri inire tentaverint, unum ex his tribus delictis debet habere conjunctum. Primum, vel homicidium ad hunc finem factum, ut cum adultero superstite, quamvis illius cædis minimè conscio, contrahere possit. Secundum, matrimonium contractum de præsenti superstite conjuge, qui adulterii injuriam patitur, & hoc verum est, sivè adulterium præcesserit contractum matrimonii, sivè secutum sit, sivè matrimoniū clandestinè contrahatur, sivè coram Parocho, & testibus. Tertium scilicet,

promissionem futuri matrimonii mortuo conjuge, quando nimirum alter conjux adulterium committit, & pollicetur ei, cum quo adulteratur, se contracturum cum eo post obitum conjugis, & hæc promissio ab eo acceptatur. Undè conveniunt Doctores adulterium etiam absque machinatione in mortem conjugis matrimonium inter ipsos adulteros contrahendum dirimere, si adulterium conjugatur, aut cum matrimonio per verba de præsenti inter ipsos adulteros inito, adhuc, altero conjuge superstite, aut cum promissione matrimonii contrahendi cũ altero complice facta ante mortem conjugis, ut constat ex cap. *Relatum* 31. q. 1. & ex cap. 1. 6. 7. & ult. De eo qui duxit in matrimonium, & talis promissio seria esse debet, & ex corde debet esse mutua, & ab utroque acceptata, ac tandem absoluta, & sine conditione præter conditionem mortis ipsius conjugis. Et hæc tota doctrina est Scoti q. cit. *in fine*, ubi recolligendo dicta inquit, quod adulterium se solo non inducit impedimentũ criminis matrimonium dirimens, sicut neque etiam fides data, seù promissio se sola sufficit, nisi conjungatur adulterium, seù machinatio mortis, machinatio autem mortis se sola absque alio sufficit, fiat intuitu matrimonii contrahendi, si autem ex alio fine fiat, ut si uxor in odium mariti ejus mortem permittat, non sufficit saltem in foro interno, quia in foro externo præsumitur solam machinationem mortis impedire contractum, ut dixi concluſ. 3. Hoc autem totum asseritur supposito, quod uterque delinquens norit adulterium, nam si alter, vel uterque probabiliter ignorabat vinculum prioris matrimonii, atque adeò se committere peccatum adulterii, non contrahitur impedimentum dirimens matrimonium, ut patet ex cap. *Veniens* de eo qui duxit in matrimonium. Tandem subdit Doctor d. 35. lit. G. nec jure naturæ, nec divino inductum esse hoc impedimentum, sed tantùm Ecclesiastico, ut fusè prosequimur loc. cit.

107 Sextum matrimonii impedimentum, ut diximus q. 19. cit. art. 2. cũ Scoto d. 39. q. un. est *cultus disparitas*, quando, scilicet, baptizatus contrahit matrimonium cum fœmina non baptizata, aut mulier baptizata cum viro non baptizato, hoc enim est impedimentũ dirimens, non quidè jure naturali, vel divino, sed tantùm jure Ecclesiastico positivo, quia Ecclesia, ait Doctor loc. cit. illegitimavit fidelem respectu infidelis cap. *Sic enim* 28. q. 1. cujus ratione insinuat, quia ibi no est cõpleta ratio Sacramẽti ex parte infidelis, qui non fuit baptizatus, cũ baptismus sit janua Sacramentorũ, & hoc impedimentũ colligitur etiã tùm ex Concilio Toletano 3. cap. 14. tùm ex communi praxi ipsius Ecclesiæ, quæ sufficiens est ad tale impedimentum inducendũ, quamvis etiam non esset in jure expressum, ut Bonacina advertit loc. cit. punct. 7. Quo autem ad matrimonium inter Catholicos, & Hæreticos conveniunt Doctores, ut diximus lo. cit. talem cultus disparitatem matrimonium non dirimere, & hoc etiam satis patet ipsa consuetudine, & praxi Ecclesiæ nunquã enim talia matrimonia quoad vinculũ dissolvuntur, aut irrita judicantur, & cap. decrevit *de Hæreticis* in 6. mulier catholica nubens hæretico privatur quidem dote, sed matrimonium valere supponitur, patet etiam ex reipsa, quia nullo jure statutum est hoc impedimentum. Certum tamen est etiam ex communi Doctorum talia connubia jure Ecclesiastico esse prohibita, & illicita, non solùm ex pluribus Canonibus passim adductis, sed etiam ex Concilio generali Calcedonensi can. 14. ubi talia matrimonia interdicta fuerunt, & cap. cit. *decrevit* de Hæreticis in 6. ubi etiam puniuntur. Addit etiam Aversa q. 18. sec. 2. talia matrimonia etiam jure naturali esse prohibita, & illicita, quia frequenter tale matrimonium affert Catholico perversionis periculum, & proli pravæ educationis, discordias, & rixas in familia, ob quæ consequenter ex natura rei illicitum est, & cavendum redditur, quod pluribus etiam probat Layman c. 14. de impedimentis matrimonii, ubi etiam monet experientia cõpertum esse ex hujusmodi matrimoniis tot, & tanta sequi spiritualia incommoda, tùm ipsi conjugi Catholico, tùm liberis, ac Christianæ Reipublicæ, ut plerumque legi charitatis adversetur, in quo casu inquit, nec quidem summum Pontificem id dispensativè permittere posse, nisi probabilis aliqua spes subsit ex hujusmodi matrimonio longè majores fructus spirituales obventuros esse, quorum intuitu incommoda illa, tanquam minora, utcunque tolerari possunt. Undè quamvis fateantur omnes ex dispensatione Pontificis licere Catholicis contrahere cum Hæreticis, hoc tamen intelligi debet solùm ex ea parte, qua tale conjugium lege positiva Ecclesiæ prohibetur, alioquin ex alia parte, qua jure naturali est illicitum instante perversionis periculo, nulla Ecclesiastica dispensatio suffragari potest, ut etiam observat Aversa loc. cit. sublato ergo hoc periculo, potest sine dubio Pontifex dispensare, quia sic faciendo relaxat solùm suam legem positivam. Alia plura videri possunt loc. cit. ad hoc impedimentum spectantia.

108 Septimum impedimentum est *vis*, seù metus gravis injustè incussus, quando nimirum quis vi, aut metu ejusmodi ad contrahendum matrimonium inducitur, quod nullo modo cõtraxisset, nisi ad id prædicto modo compulsus fuisset, de quo dictum est suprà q. 2. art. 2. de libertate ad contractum conjugalẽ requisita: violentia enim, seù vis, quæ inter impedimenta dirimentia recensetur, coactionem significat, qua quis minis, & metu ad contrahendum inducitur, qualiter autem, & quo jure matrimonium metu contractum sit irritum, & nullum ex defectu libertatis ad talem contractum requisitæ, jam ex instituto tractavimus d. 7. cit. q. 4. art. 3. ubi diximus esse irritum non tantùm jure Ecclesiastico, sed etiam jure naturali, & positivo divino cum Scoto d. 19. art. 2. ubi ait hoc impedimentum esse de jure naturæ, vel saltem divino positivo, & impedimentum coactionis non esse à sola Ecclesia inductum, sed à Deo, ab Ecclesia tamen fuisse expressum, & explicatum. Quarè hìc solùm restat agendum de impedimento raptus, qui proximè ad violentiam accedit, ut suprà diximus, & importat violentam fœminæ extractionem de domicilio, seù loco, in quo morabatur, sivè esset domus parentum, sivè alius quicunque, itaut violentia, qua abducitur sit physica, aut moralis, nempè minis, & metu gravi, non autem solis precibus, aut blanditiis, seù donis, aut promissis, vel etiam dolo, & fallaciis, ut diximus d. 7. cit. q. 14. c. 3. Et quidem juri antiquiori hoc impedimentum ità matrimonium dirimebat, ut nullatenus inter raptorem, & raptam consistere posset, etiamsi rapta in pristinam libertatem remissa consentire, & contrahere vellet, ut habetur cap. *Placuit* 36. q. 2. jure tamen Canonico noviori correctum est, vel potiùs ablatum in c. finali de Raptoribus, ubi sub Innocentio Tertio statutum fuit matrimonium inter raptorem, & raptam valere, si rapta consentiat liberè absque clausula, quod rapta prius esset in locum alium liberum restituta. Jure tandem novissimo Trid. sess. 24. c. 6. de matrimonio irritatur matrimonium inter raptorem, & raptam, quandiù rapta manet in potestate raptoris, nõ verò si fuerit separata, & in loco tuto, & libero restituta, undè Conciliuni limitare hoc impedimentum constituit, scilicet pro eo solùm tempore, quo rapta in potestate raptoris manserit, sed postquam in locum liberũ fuerit restituta extrà potestatem raptoris, posse cum eodem raptore contrahere, si velit, absque ulla impedimenti dispensatione, ubi etiam advertendum est, hoc impedimentum tantùm habere locum, ubi Tridentinum receptum fuit, & viget. Circà tamen hoc Tridentini decret. aliquæ contingunt difficultates, quas exactè examinamus loc. cit. sed præsertim dubitatur, an raptus, quo fœmina invitis parentibus, ipsa tamen consentiente, rapitur, matrimonium dirimat. Affirmant aliqui dicentes, quod raptus propriè dicitur, quando persona aliqua invita, vel resistentibus ejus parentibus, seù illis, sub quorũ cura est, abducitur per vim ad matrimonium cõtrahendũ, vel libidinem explendam, ità Bonacina, quæst. 4. punct. 18. citans Henriquez, Gutierez, Tuscum, Molinam, & alios. Negant verò Sanchez, Tancredus, Coninchius, Hurtadus, Caspensis, & alii, & meritò quidem, quia ut ait Hurtad. disp. 23. diffic. 3. Tridentinum in dicto decreto loquitur tantùm de Raptu, quo læditur libertas ad matrimonium requisita, quia huic læsioni tantùm occurrere intendit, dicto autem raptu, quamvis vero, non læditur libertas ad matrimonium requisita, quia non fit invita fœmina, cujus tantùm libertas, & non parẽtum, ad matrimonium conducit, ideoque in dicto decreto consuluitur libertati, non parentum, sed ipsorum contrahentium tantùm. Alias quatuor difficultates ad hoc punctum spectantes vide solutas loc. cit.

109 Octavum impedimentum est *Ordo*, quando scilicet, quis initiatus est sacris Ordinibus, vel aliquo illorũ, tales enim ordines ob votum solemne castitatis, quod habent annexum, matrimonium contrahendum impediunt, & contractum dirimunt, ut habetur c. un. de Voto in 6. & ex Concil. Trid. sess. 24. can. 9. ità statuimus d. 7. cit. q. 16. art. 2. cum Scoto 4. d. 37. q. un. Quod autem de omni ordine sacro id intelligatur est evidens, quia Canones, & Concilia loquuntur de ordine sacro in communi, ut omnes, & singulos comprehendit, maxima autem ait Doctor loc. cit. §. *Dico*, *ergo*, congruentia fuit ad hoc statuendum, quia talis deputatur Ministerio sacro, quod munditiã requirit mentis, & carnis, perspicacitatem intellectus, & fervorem affectus, ad quæ omnia disponit continentia, & ad e orũ opposita frequẽtia carnalis actus, nec in hoc debet aliquis dicere Ecclesiã sibi præjudicare in suo jure, quia Ecclesia cõmuniter nõ cogit aliquem ad susceptionẽ Ordinis sacri, & satis publicavit, quod post talem Ordinẽ susceptũ susciperis est inhabilis ad contrahendum, igitur voluntariè incurrit talem inhabilitatẽ, ità Doctor loc. cit. Diximus autem loc. cit. ex communi tam Veterum, quàm Recentiorũ sententia jure tantùm Ecclesiastico, & non divino sacris Ordinibus hanc continentiæ obligationem esse

esse annexam, quæ sit impedimentum dirimens matrimonium post Ordines Sacros contractum, quia nullum extat divinum præceptum de hac re, neque ex lumine naturali colligi potest quamvis enim ratio naturalis dictet esse validè consentaneum, ut diximus, quod sacri homines ab actibus carnalibus abstineāt, & usu matrimonii, non tamen dictat esse necessarium; alioquin veteris testamenti Sacerdotes uxores habere non potuissent; quod etiam Doctor confirmat ex consuetudine primitivæ Ecclesiæ, quæ multis jam sæculis Græcis Sacerdotibus usum matrimonii concessit antè ordinationem contracti, ut patet in cap. *Cum olim* in decretalibus de Clericis conjugat. hoc autem non fecisset, si celibatus jure divino esset Sacerdotio annexus. Undè autem in Ordinatis oriatur hoc impedimentum dirimens, an, scilicet, hæc inhabilitas proveniat præcisè ex vi voti cum sacris ordinibus annexi, an etiam ex statuto Ecclesiæ inhabilitantis existentem in sacris ordinibus ad matrimonium, ex instituto jam diximus l.c. ubi diximus de mente Doctoris nostri obligationem continentiæ sacris ordinibus annexā esse non tantùm ex vi voti, sed etiam directè, & immediatè ex præcepto Ecclesiæ imponentis talem obligationem iis, qui ordinantur in sacris, sicut præcipit, & obligat ad recitandum divinum officium, ut fusè prosequimur loc. cit.

110 Nonum impedimentum est *ligamen*, quod ait Doctor 4. dist. 33. nil aliud importare, quàm vinculum viri cum uxore post contractum matrimonium legitimum, sivè consummatū, sivè tantummodò ratum, quamdiù enim hoc vinculum durat, matrimonium cum quovis alio contrahendum impedit, ac dirimit, idque non tantùm jure Ecclesiastico, ut patet ex cap. 1. & ult. de sponsa duorum, sed etiam jure divino, ut satis constat ex prohibitione Christi Domini Matth. cap. 19. & Marc. cap. 10. ubi dicitur: *Quicunque dimiserit uxorem, & aliam duxerit mœchatur*, ex quibus verbis sic ait à fortiori Innocentius Tertius cap. *Gaudemus* extrà de Divortiis. *Si ergo uxore dimissa, duci aliæ non potest, quanto fortiùs, & ipsa retenta;* & ratio est, quia uxor dimissa post legitimum matrimonium adhuc est verè uxor, & hoc idem ex Ecclesiæ praxi, & communi Christianorum usu expressè deducitur; undè Conc. Trid. sess. 24. can. 2. hoc idem his verbis definit: *Si quis dixerit licere Christianis plures habere uxores, & hoc nulla divina lege esse prohibitum, anathema sit;* ità discurrimus dist. 7 cit. quæst. 16. art. 1. undè deduximus, quod si contingat quempiam adhibita omni diligentia, & cum morali certitudine de morte prioris conjugis, contrahere novum matrimonium; sed postea detegatur priorem consortem adhuc vivere, hoc secundum matrimonium non valere, quamvis bona fide cōtractum, & mulierem teneri ad priorem conjugem reverti dimisso secundo, quia bona illa fides legamen contractū cum priori non dissolvit, & ità expressè decisum est in jure cap. *Dominus* de secundis nuptiis, & cap. *Cùm per bellicam*, & hic est communis Doctorum consensus. Est tamen difficultas, an validè secundum contrahat matrimonium, qui sine sufficienti probatione, & certitudine de morte prioris conjugis illud contrahit, sed re vera posteà invenitur illum fuisse anteà defunctū. Negat Ponce lib. 7. cap. 53. quia ex cap. *In præsentia* inhabilis redditur persona conjugata ad iterum contrahendum, donec certum nuncium accipiat de morte prioris conjugis. Communis tamen opinio affirmat, ut diximus loc. cit. cum sit re vera contractum mortuo priori conjuge, & ità expressè habetur cap. cit. *Dominus* de secundis nuptiis; quamvis enim, ne matrimoniū illicitè contrahatur præcipiat Pontifex ibi, quod nullus ad secundas nuptias migrare præsumat, donec ei constet, quod ab hac vita migraverit conjux ejus, adhuc tamen supponit, & docet valere hoc matrimonium absque tali certitudine contractum, & solùm dirimi, quando de vita ejus constiterit. Neque in cap. adducto *In præsentia* dicitur oppositum, sed tantùm declaratur ibi illicitum secundum matrimonium antè habitum certum nuncium de morte prioris conjugis, non tamen per hoc redditur nullum in casu, quod re vera prior conjux sit defunctus.

ARTICULUS QUARTUS.

De cæteris impedimentis, ac eorum dispensatione.

111 DEcimum impedimentum est *Honestas* publica, quæ ut docet Scotus 4. dist. 41. §. *Ad quæstionem* est propinquitas quædam jure Ecclesiastico introducta oriens ex sponsalibus inter sponsum ex una parte, & consanguineos sponsæ ex altera, & è contrà, aut oriens ex matrimonio rato nondum consummato inter maritum, & consanguineos uxoris; & è contrà; & impedit, ne quis contrahere valeat cum persona consanguinea illius, cum qua tale matrimonium inierat, vel sponsalia; undè ad personas affines non extenditur, sed attingit tantùm personas consanguineas illius, cum quo inita sunt sponsalia, vel matrimonium, & in jure hoc impedimentum justitia publicæ honestati appellari solet, quia justum, & æquum est, ut ob publicam honestatem, seu decentiam inter dictas personas matrimonium non contrahatur. Ex quo constat hoc impedimentū distingui ab impedimento affinitatis, quia hoc oritur ex sponsalibus, vel ex matrimonio rato non consummato, illud verò contrahitur solùm per copulam carnalem licitam, vel illicitam, ut mox dicemus. Quamvis autem jure antiquo impedimentum istud usque ad quartum gradum protenderetur, sicut extenditur affinitas, ut patet ex cap. *Unico* de sponsalibus; jure tamen novo in Concilio Trid. sess. 24. cap. 3. constitutum est, ut impedimentum publicæ honestatis ex sponsalibus ortum ultrà primum gradum non extendatur, undè si quis de futuro contraheret cum aliqua, ea mortua non posset cum ejus matre, vel sorore contrahere, quia sunt in primo gradu, in cæteris autem gradibus posset. Quando verò hoc impedimentum oritur ex matrimonio rato, extenditur ad quartum gradum, sicut antè Tridentinum extendebatur, & secundum juris antiqui dispositionem relictum est, ut constat ex decreto Pii V. quod incipit *Ad Romanum spectat*, lex autem hujus impedimenti habetur tit. De sponsalibus cap. *Juvenis* cap. *Veniens* cap. *ad audientiam*, & cap. *Sponsam;* ità discurrimus de hoc impedimento disp. cit. qu. 18. art. 2. ubi etiam nonnullas solvimus difficultates circà hoc impedimentum contingentes, quæ ibi videri possunt, & hìc solùm advertere sufficit in solutione illius dubii, an ex sponsalibus etiam invalidis hoc impedimentum dirimens oriatur, aliter ex jure antiquo, aliter ex novo procedendum esse, nam jure antiquo ex sponsalibus quavis ratione invalidis, dummodò non essent invalida ex defectu consensus, oriebatur impedimentum publicæ honestatis, ut habetur cap. un. cit. de sponsalibus in 6. & refert Doctor loc. cit. At jure novo post Conc. Trid. ex sponsalibus invalidis quomodocunque non oritur impedimentum publicæ honestatis, ita enim clarissimè decernit sess. 24. citata capit. 3.

112 Undecimum impedimentum est *Affinitas*, quam Doctor describit loco cit. quod sit vinculum quoddam personæ ad personam ex carnali copula cum persona alteri consanguinea contractum, sivè ut alii definiunt, & recidit in idem, est propinquitas personalis proveniens ex carnali copula, sivè hæc sit licita, sivè illicita, ut habetur capit. *Discretionem* de eo qui duxit, & in Trid. sess. 24. cap. 4. & quia talis conjunctio accedit ad fides quasi ipsiusmet consanguinitatis, propterea affinitas vocatur, inquit Doctor. Contrahitur autem ex uno capite inter consanguineos viri cognoscentis fœminam, & ex alio inter ipsam fœminam cognitam præcisè, & similiter ex eodem capite inter consanguineos fœminæ cognitæ, & inter ipsum virum cognoscētem duntaxat ex alio. Ex quo infertur neq; cognoscentem contrahere affinitatē cum cognita, vel è contrà, neq; consanguineos cognoscentis cum consanguineis cognitæ, vel è contrà; propterea duo fratres possunt ducere duas sorores, & filius potest ducere illam, cujus matrem pater ejus duxit cap. *Super his* de Consanguinitate, & Affinitate, quarè si Petrus habeat copulam cum Anna, fit affinis consanguineis Annæ in eo gradu, in quo sunt ipsi consanguinei Annæ cum ipsa, undè si ipsi sunt ejus consanguinei in primo gradu, fiunt affines cum Petro in primo gradu, & idem dicendum est de consanguineis Petri respectu Annę, nam ipsa per copulam habitam cum Petro fit affinis consanguineis Petri in eo gradu, in quo ipsi consanguinei sunt cum Petro; licet autem Petrus fiat affinis cum consanguineis Annæ, & Anna fiat affinis cum consanguineis ipsius Petri, nihilominus consaguinei Petri, & consanguinei Annæ non fiunt affines inter se, nullo enim jure talis affinitas probari potest, quia affinitas affinitatem non parit, & hæc est communis omnium doctrina tàm Theologorum, quàm Juristarum, cum expressè habeatur in jure. Subdit deindè Doctor quod affinitas propriè gradus non habet, sed mensurantur gradus affinitatis juxtà gradus consanguinitatis; atque ideò distantia, vel propinquitas affinitatis est mensuranda juxtà distantiam, vel propinquitatem graduum consanguinitatis cū ea persona, per quam paritur affinitas, undè stipes in affinitate sunt illæ duæ personæ, quæ se carnaliter cognoscunt, quæ proindè non dicuntur affines, sed principium affinitatis, ut si Petrus carnaliter cognoscat Annam, Petrus, & Anna sunt stipes affinitatis ex eorum copula consurgens. Quarè Doctor ad cognoscendam affinitatis distantiam, & propinquitatem talem regulam assignat *quoto gradu consanguinitatis aliquis distat ab alio, toto gradu affinitatis ab eodē distat illa, qua est ab isto carnaliter cognita*, undè gradus affinitatis ità computantur, ut consanguinei viri cognoscentis fœminam eum gradum affinitatis cum ipsa teneat, quem ipsi consanguinei tenent cum viro illo, qui fœminam cognovit; & similiter ex parte fœminæ eum

gradum affinitatis teneant cum viro cognoscente fœminam, quem fœminæ consanguineæ illius mulieris cognitæ tenent consanguinitati cum ipsa hac muliere cognita. Quare si Petrus v. g. cognoscit Annam conjugem suam habentem fratres sorores, patrem, & matrem, frater, & soror Annæ sunt affines Petri in linea transversa, pater verò, & mater Annæ fiunt affines Petri in linea recta, nam in affinitate computandi sunt gradus eodem modo, quo in consanguinitate, pro cujus majori intelligentia videri potest arbor affinitatis descripta à Brancato nostro disp. 26. art. 1.

113 Conveniunt autem Doctores, affinitatem jam declaratam matrimonium dirimere jure saltem Ecclesiastico, ne inter affines validè contrahi possit, ut diximus qu. 18. cit. ar. 1. ita enim habetur ex pluribus capitibus 35. qu. 2. qu. 10. aliisque sacris Canonibus, & aliis Pontificum, & Conciliorum decretis, & hoc sivè affinitas consurgat ex copula licita, & conjugali, sivè illicita, & fornicaria. Hoc tamen inter copulam licitam, & illicitam versatur discrimen, quod ex copula licita oritur impedimentū matrimoniū dirimens vsque ad quartū gradū, ex illicita verò oritur impedimentum dirimens matrimoniū vsque ad secundū duntaxat, ut novissimè Conc. Trid. declaravit sess. 24. c. 4. ubi nihil innovavit circà affinitatē ex copula conjugali consurgentem, sed illam reliquit vsque ad gradum, in quo anteà determinata erat, ob reverentiā matrimonii, affinitatē verò ortā ex copula fornicaria vsque ad secundū gradū tantùm revocavit, licet olim etiam in gradibus remotioribus dirimere, & hoc fecit ob difficultatē detegendi affinitatē ex copula fornicaria consurgentem in vlterioribus gradibus, vndè qui fornicatus est cū aliqua potest contrahere matrimoniū cum consanguinea illius in tertio, vel quarto gradu. Est tamen difficultas inter Doctores, an affinitas dirimat matrimoniū etiam jure naturæ in aliquo gradu, & est præsertim quæst. de affinitate orta ex copula conjugali, & licita, ortam enim ex copula illicita, & fornicaria omnes concedunt non impedire, nisi ex jure positivo Ecclesiæ, quia nec ratione nec auctoritate oppositum constat, in qua difficultate variæ sunt sententiæ, quas fusè examinamus loc. c. ubi diximus communiorem, & probabiliorem universaliter docere in nullo affinitatis gradu jure naturali irritum esse matrimoniū & ità præsertim Scot. docere d. 41. §. *Ad quæstionem* ubi ait, quod affinitas simpliciter impedit matrimonium, & ratio non est, nisi statutum Ecclesiæ illegitimantis affines, & in eodem gradu impedit matrimonium, in quo consanguinitas loquendo de affinitate propriè dicta. Ità etiam Alensis, Caiet. Sanc. Henriq. Trancred. Ponce, Hurtad. Meratius, Casp. Bon. Diana, Aversa, & alii Recentiores passim, & Scotistæ omnes, & præsertim Brancatus noster disp. 36. art. 8.

114 Duodecimū tandem impedimentum est *Impotentia*, ideſt, inhabilitas perpetua ad consummandum matrimonium, ut diximus disp. 7. cit. quæst 15. cum enim finis primarius matrimonii sit prolis generatio, & hæc non nisi per copulam carnalem naturali modo obtineri possit planè vir, & fœmina, qui matrimonio sunt jungendi, ad hujusmodi copulam habiles esse debēt, ut ait Scotus 4. dist. 34. quæst. vn. ubi agit de hoc impedimento, quare impotentia, & inhabilitas ad exercendam copulam carnalem ad humanam generationem necessariam maximè matrimonium impedit, & est impedimentum dirimens, sivè hoc se teneat ex parte viri, sivè ex parte mulieris, dummodò fuerit eo tempore, quo matrimonium contractum est, non verò posteà subsecutum sit. Vndè inhabilitas non est ex eo præcisè, quod alteruter conjugum, aut uterque sint steriles, quia impotentia ad generandum, seù ad prolificandum, dummodò adsit potentia ad copulam carnalem, & seminationem, non est impedimentum dirimens, ut omnes passim concedunt cum Scoto 4. dist. 31. quæst. vn. ad 3. prin. ubi ait, quod contrahens non tenetur absolutè ad prolem, sed conditionatè si eveniat ad gratanter suscipiendam, & religiosè educandam, & ubi est certa impossibilitas ad bonum prolis, tunc matrimonium est ibi in remedium, non in officium, quia ut suprà dixerat d. 26. sub Q. & R. institutio divina respectu matrimonii, licet fuerit ad procurandam prolem, tanquam propter finem pricipalem, & primarium, tamen præter hoc fuit institutum etiam in remedium, scilicet, vitandæ incontinentiæ post lapsum, tanquam propter finem secundarium, & minus principalem, quarè in casu sterilitatis matrimonium est in remedium concupiscentiæ, quia homo post Adæ lapsum utitur concupiscentia, Deus autē huic morbo piissimè subvenit, ut etiamsi proles non possit haberi, matrimonia fiant, & ideò dixit Apostol. 1. Gorinth. 7. propter vitandam fornicationem unusquisque suam uxorem habeat, & mulier suum virum, & posteà nulla prolis mentione facta subdit, *melius est nubere, quam vri*, quarè Doctores omnes docent validum esse matrimonium inter steriles contractum, quia inter istos adhuc intercedit vera copula apta ex natura sua ad generationem prolis, ut videre est apud Bonacinam quæst. 3. punct. 13. ubi alios citat. Si verò talis impotentia eveniat post matrimonium consummatum, aut etiam si sequatur matrimonium ratum, licet præcedat consummationem, non dirimit matrimonium, quia cum matrimonio rato fuit potestas irrevocabiliter tradita, licet posteà eveniat impedimentum actus, & ità de omni matrimonio decisum est cap. *Hi qui*, 32. quæst. 7. tam consummato, quam rato, siquidem etiam matrimoniū ratum ex institutione sua indissolubile est, solùmque ex concessione Christi factum est, ut per auctoritatem Ecclesiæ solvi possit, sicut de facto solvitur per solemnem professionem, sed statutum non est, ut per supervenientem impotentiam dissolvatur. Ità Scotus loco citato Sanchez, Henriquez, Aversa, Filliucius, Brancatus noster, & alii communiter. Si verò dubitetur, an impotentia præcesserit, vel supervenerit ad conjugalem contractum, licet aliqui dixerint non debere dirimi matrimonium, sed potiùs præsumi, ac sustineri debere validum, communior tamen sententia est, ut diximus loc. cit. in tali dubio debere potiùs præsumi impedimentum præcessisse, atque adeò matrimonium non valere, sed dirimi debere, ità Bonacina loco citato, & Aversa quæst. 13. sect. 4. qui alios adducunt. Quæ autem, & qualis impotentia dirimat matrimonium, & Hermaphroditus validè contrahere possit, & quomodo, fusè declaravimus qu. 15. cit. art. 2.

115 Quæres, quis in supradictis impedimentis dispensare possit. Communis opinio docet in impedimentis non diriementibus posse Episcopum dispensare excepto voto Castitatis, Religionis, ità præsertim Bonacina quæst. 3. puncto 15. ubi rationem adducit ex Navarro, quia quamvis inferior non possit dispensare in lege Superioris per se loquendo, nihilominus consuetudine receptum est, ut dispensatio illorum impedimentorum non obtineatur à Papa, excepto voto Religionis, & Castitatis, quod Pontifici reservatum est quæ tamen communis opinio nonnullas patitur exceptiones, ut notavimus disputatione 7. citat. quæst. 12. *in fine* ibi videndas, Loquendo autem de impedimentis dirimentibus conveniunt Doctores Summum Pontificem dispensare posse in impedimentis jure solùm Ecclesiastico matrimonium dirimentibus, cum plenariam habeat potestatem in totum jus Ecclesiasticum, & ut Theologi, & Canonistæ ajunt, totum corpus juris sit in ejus potestate reconditum, & è contrà conveniunt dispensare non posse in impedimentis dirimentibus jure naturæ, & divino, si quidem in illis impedimentis potestatem non habet, quia cum dispensatio propriè dicta sit juris relaxatio, non habet summus Pontifex potestatem relaxandi jus naturale, & divinum, nam Pontifex non habet potestatem in jus superius, seù in legem superioris sui, qualis est lex divina, aut naturalis. Satis tamen probabile est, ut diximus disp. 7. cit. qu. 20. vlt. p. quod licet Papa relaxativè dispensare nequeat in aliquo casu juris naturalis, aut divini, quæ sola propriè, & rigorosè dispensatio dicitur, habeat tamen potestatem declarandi, quando præcepta naturæ obligant, quando non, in quibusdam casibus particularibus, & hac ratione dici possit, quòd potestatem habeat dispensandi declarativè in eis, & similiter etiā in jure divino potestatem habeat declarandi, quando lex aliqua divina non obliget, ità enim expressè docuit D. Bonaventura 4. d. 38. part. 2. q. 3. de quo videri potest Brancatus noster disp. 38. art. 2.

116 Est tamen difficultas, an summus Pontifex dispensare possit in voto solemni Religionis, quam fusè discutimus disp. 7. cit. q. 20. art. 1. Negant Thomistæ communiter cum D. Thoma 2. 2. q. 88. art. 2 quorum præcipuum fundamentum est, quia nequit Pontifex dispensare in his, quæ spectant absolutè ad jus naturale, & divinū, siquidē non potest inferior in lege superioris propria auctoritate dispensare ex Can. *inferior* 21. alioquin tolleretur debita subordinatio inferiorum ad superiores. sed votum solemne Religionis matrimonium irritat, non tantū jure Ecclesiastico, sed etiā naturali, & divino, quod probant pluribus rationibus l. cit. adductis, ergò &c. Affirmant tamen Scotus 4. d. 38. q. vn. & cum eo alij omnes extrà scholā D. Thomæ sūmū Pontificē posse dispensare in voto solemni castitatis, ut valeat tali voto adstrictus matrimonium inire, quando justa esset causa, est autem justa causa, non quando respicit bonū alicujus particularis, sed quando ità exigit bonum commune alicujus Regni, & Reipublicæ, posse inquā, in tali casu dispensare, non quidē ad tēpus, ut aliqui dixerunt v. g. ut duret in matrimonio, donec filios generet, quia hoc est contra substantiā matrimonii, quod essentialiter est vinculū perpetuū, sed debet dispensare absolutè, vel saltem cū hac conditione, ut uxore consentiente, vel fornicante post prolem susceptā teneatur ad Religionem redire. Ità cum Scoto Scotistæ omnes, & Cajetanus etiam ex Thomistis 2. 2. q. 88. art. 2. Sanchez, Tancred. Coninch. Ponce, Lessius, Reginal-

ginaldus, Bonacina, Hurtadus, Aversa, Azorius, & alii passim, quod probant ex pluribus casibus secutis, quia de facto summi Pontifices non semel dispensarunt in votis Religionis solemnibus, ut Alexander Tertius dispensavit cum Nicolao Justiniano Monacho, ut Surius refert, ut matrimonium contrahere posset. Idem etiam referunt factum fuisse cum Rege Aragoniæ, in voto solemni Religionis, item etiam cum Constantia sanctimoniali filia Rogerii Regis Siciliæ. Cœlestinus Papa dispensavit, ut Monasterium post professionem exiens Henrico Sexto Regi nuberet, & alia quoque similia exempla in historiis leguntur; ergò possunt summi Pontifices dispensare in voto solemni Religionis, quia ab actu ad potentiam consequentia tenet. Varia autem subterfugia, & evasiones Adversariorum ad hoc argumentum eludendum ex historiis, & casibus secutis adductum vide præclusas loc.cit.

117 Ratio autem à priori ad hoc idem probandum est, quia ut loc.cit. dicebamus, non possumus, nec debemus negare Pontifici Ecclesiæ capiti, quod concedere possumus absque ullo absurdo, & quod sit valdè expediens gubernationi Ecclesiæ; sed posse Pontificem in his votis dispensare nullum est absurdum, & regimini Ecclesiastico valdè expediens ergò &c. Minor probatur, & quidem quod sit validè expediens, satis constat, nam potest evenire casus, ut Regnum integrum deperdatur, vel maximè deturbetur, nisi Religiosus aliquis ex illa stirpe regia superstes ducat vxorem, ut hac nostra tempestate vidimus in Regno Poloniæ; quod autem nullum sit absurdum, probatur ex destructione fundamenti opinionis adversæ, quæ intantùm affirmat non posse summum Pontificem in voto solemni Religionis dispensare, inquantùm putat votum solemne matrimonium irritare, non tantùm jure Ecclesiastico, sed etiam jure naturali, & divino; sed falsitas hujus fundamenti constat ex jam dictis disp.7.cit.q.26.art.2. ubi ex instituto ostensum est, ut suprà diximus art.2.hujus quæst.num.101. solo jure Ecclesiastico, non autem jure naturali, aut divino factum esse, ut votum solemne professionis religiosæ matrimonium dirimat, & professos reddat inhabiles ad contrahendum, quia solemnitas ipsa voti in professione religiosa solo jure Ecclesiastico est instituta, ut ibi latè demonstratum est pluribus, & efficacibus motivis. Ex quibus patet quid sit dicendum ad rationem oppositæ sententiæ, constat enim ex dictis nec majorem, nec minorem esse simpliciter veras, sed cum aliqua limitatione; licet enim nequeat Pontifex absolutè, & in rigore dispensare in his, quæ spectant ad jus naturale, & divinum, potest tamen dispensare dispensatione declarativa, & interpretativa, vel ex commissione extraordinaria Christi superaddita officio summi Pastoris, & legislatoris Ecclesiastici ad remittendum nomine Dei obligationem ortam ex voto ipsi Deo facto, quæ extraordinaria commissio concessa est ei illis verbis Joan. 21. *Pasce oves meas*, ut advertunt Hurtad.disp.16.difficul.1. Caspensis disp.10.sect.1. & alii; qui etiam addunt, quod quia hæc potestas superaddita est Pontifici, non absolutè, & in destructionem, sed tantùm in ædificationem, ideò voti dispensatio absque rationabili causa spirituali cedente in ædificationem esset invalida. Nec etiam vera est absolutè minor, quamvis enim votum Religionis jure naturali obliget, ipsa tamen voti solemnitas in professione religiosa solo jure Ecclesiastico instituta est ex jam dictis quæst. 16. cit. art.2. Rationes verò, quibus Adversarii oppositum probare contendunt, jam sufficienter solutæ sunt quæst. 20. cit. art. 1.

118 Denique quid requiratur, ut dispensatio sit valida; jam dictum est qu.20.cit. art.2. ex communi Doctorum consensu ad valorem dispensationis à Pontifice concedendæ in iis impedimentis, quæ sunt de mero jure Ecclesiastico nullam requiri causam, sed solam ejus voluntatem sufficere, & posse pro suo libito dispensare in lege propria absque ulla cognitione causæ, si ipse verè dispensare intendat, & ratio est, quia cum lex humana à voluntate legislatoris totam suam vim habeat, jam tali voluntate cessante etiam sine causa lex obligare desinit, & sic valet legis relaxatio, sivè dispensatio in tali casu, ut non solum validi, sed etiam liciti sint actus subditorum, qui deinceps contra talem legem fierent ex toto, vel ex parte sublatam; appositè autem dicitur, si ipse verè dispensare intendat, quia si intentionem dispensandi non habeat, nisi existente justa causa, dispensatio sine tali causa obtenta non valet, non quidem ex potestatis defectu, sed intentionis; ideò si Pontifici falsæ causæ exponantur, obtenta dispensatio minimè valebit, quia Pontifex ex dicta suppositione, non nisi veris existentibus narratis dispensare intendit. Diximus etiam in iis impedimentis, quæ sunt de mero jure Ecclesiastico, quia si Pontifex dispensare potest aliquo modo etiam in iis impedimentis, quæ sunt de jure divino, & naturali, nempè potestate extraordinaria, & à Christo Domino superaddita, ut aliqui volunt, vel potestate solùm declarativa, seù interpretativa, ut alii contendunt juxtà dicta superius nu.præc.id utique non potest, nisi ex justa causa, ut ibi diximus, sine qua dispensatio non valeret, ac de facto cum votum obliget de jure divino, & naturali, saltem ad prohibendum, si non ad dirimendum, requiritur justa causa, ut voti dispensatio valeat, itaut si absque tali causa dispensaretur, non solùm illicita esset dispensatio, & contractus matrimonii illicitus, ut ait Aversa q.19.sec.4. sed etiam invalida juxtà superius dicta, quia ad validè dispensandum in votis, quibus matrimonium impeditur, seù prohibetur; necessaria est etiam rationabilis causa judicio prudentis discernenda secundùm communem opinionem, ut notat Hurtad. disp. 26. diffic.3. & Stephanus à S. Gregorio cap. 112. *in fine*, pro quo Canonistas citat.in Glossa cap. *Non est verum*, ubi dicitur inferiorem invalidè dispensare in lege Superioris absque justa causa, undè consequenter deducit summum Pontificem absque justa causa dispensantem in voto, vel juramento, aut aliis ad jus divinum spectantibus, non tantùm illicitè, sed etiam invalidè dispensare. Qua ratione in casibus, quibus etiam ab Episcopis concedi potest dispensatio, vel aliis ex delegatione Pontificis etiam in impedimentis, quæ sunt de mero jure Ecclesiastico, omnium causa requiritur ad valorem dispensationis; & ratio est, quia cùm agatur de lege Superioris, non est in libera facultate inferiorum ei derogare, sed solùm in quantum expressè, vel præsumptivè illis à Superiore permittitur. Certè autem Pontifex non intendit, nec consentit, ut quisquam alius infrà ipsum absque rationabili causa dispenset, atque ideò quæcumque alia dispensatio ab aliis infrà ipsum sine tali causa concessa non erit valida. Quæ autem alia requirantur ad validitatem dispensationis magis ad particularia descendendo videantur loc. cit.

QUÆSTIO SEXTA.

De effectibus Matrimonii, atque Divortio.

119 PRO complemento hujus disputationis de matrimonii Sacramento restat postremò agendum de ejus effectibus, atque Divortio, quamvis enim matrimonium inter Christianos legitimè contractum, & ab ipsis consummatum sit omninò indissolubile quoad vinculum conjugale, sunt tamen aliqui casus, in quibus possunt conjuges licitè ab invicem quoad thorum, & cohabitationem separari, remanente tamen semper vinculi conjugalis indissolubilitate; hanc igitur quæstionem quoad utramque partem breviter expediemus ex jam fusè dictis, & disputatis de hac materia disp.7. cit. *de Matrimonii Sacramento* 4. sentent. lib. quæst.12. & 22.

ARTICULUS PRIMUS.

Quinam sint matrimonii effectus.

120 CONveniunt Doctores, ut diximus quæst.21. cit. art.1. præter gratiam sanctificantem, quæ per hoc matrimonii Sacramentum confertur, & est communis omnium Sacramentorum effectus, & præter gratiam Sacramentalem istius propriam, & peculiarem, quæ consistit in quibusdam specialibus gratiæ actualis auxiliis, quæ opportuno tempore hujus Sacramenti intuitu conjugibus conferuntur ad ipsius matrimonii officia debitè, ac merè obeunda; tres præterea esse hujus Sacramenti peculiares, & principales effectus, qui alio nomine à Patribus, & Theologis tria matrimonii bona appellari solent, quæ sunt Sacramenti indissolubilitas, prolis legitimè susceptio, ac pia educatio, & thori conjugalis fides. Hoc autem non ità intelligendum est, ut ibi dicebamus, quasi hoc Sacramentum præter hæc tria alia quoque bona annexa non habeat, nimirum concupiscentiæ remedium, mutuum conjugum adjutorium, mutua obsequia, & similia, qui etiam sunt effectus, & bona matrimonii; sed hæc tria præsertim assignantur tanquam præcipua, & principalia, de quibus agit Scotus noster 4.d.31.& 32.

121 Primò itaque quod spectat ad matrimonii indissolubilitatem, quod vocat Doctor loc.cit. bonum Sacramenti, certum est ex dictis supra qu. 3. art. 2. matrimonium inter Christianos legitimè contractum, & ab ipsis consummatum esse omninò indissolubile quoad vinculum, id enim constat tum ex Sctiptura Marci 10. & Luc. 16. ubi Christus Dominus hanc de matrimonio Christianorum legem tulit, *Quicumque dimiserit uxorem suam, & alteram duxerit, adulterium committit*; Tùm ex Concil. Tr.sess.24.c.5.& 7.de refor.matr.ubi anathema profertur in eos, qui dixerint propter adulterium, hæresim, aut quamlibet aliam

causam

causam Christianorum matrimonia dissolvi posse quoad vinculum. Nec obstat, quod Christus Matt. 10. dixerit uxorem dimitti posse ob fornicationem, quia intellexit posse dimitti quoad thorum, & cohabitationem, non verò separari quoad ipsius matrimonii vinculum, ut declaravit D. Aug. lib. de adult. conjug. cap. 11. & nos explicuimus q. 3. cit. art. 2. Certum quoque est ex dictis ibidem matrimonium ratum quidem, sed non adhuc consummatum, quamvis sit verum Sacramentum, solvi tamen posse etiam quoad vinculum, si alter conjugum votum solemne Religionis emittat, ut definitum est in Conc. Trident. sess. 24. can. 6. & hæc relaxatio Christi, inquit Doctor d. 31. cit. lit. C. rationabilis, fuit, quia rationabile est obligationem ad minus bonum commutari in obligationem ad majus bonum ab eo, qui habet auctoritatem commutandi; professio autem in Religione est obligatio ad majus bonum quia ad spirituale cum proposito continentiæ perpetuo, & istum statum prætulit statui conjugali. Et tandem hac de causa c. *Ex publico* de conversione conjugatorum secundùm communem Doctorum sententiam, & expositionem injungitur Judici, ut conjugi de Religionis ingressu deliberanti antè matrimonii consummationem bimestre spatium definiat, intrà quod vel Religionis ingressum, & propositum exequatur, vel conjugi debitum reddat.

122 Secundò quod spectat ad bonum prolis, certum est matrimonium à Deo institutum esse ad generis humani conservationem, & multiplicationem, & ad ipsius Ecclesiæ propagationem, & est finis principalior matrimonii, & ad hunc finem ordinatur etiam bonum fidelitatis, ponitur etiam quidam alius finis annexus matrimonio, scilicet, vitatio fornicationis pro tempore lapsus, non solùm enim matrimonium est in officium procreandi prolem, sicut tempore innocentiæ, sed etiam est in remedium concupiscentiæ. Notant autem Basolius, Nicolaus de Nisse, & alii Scotistæ cum Doctore opus non esse, ut hoc bonum prolis ponatur in re, & in effectu absolutè inter conjuges, sed sufficit sub conditione ponatur ut si evenerit proles, quod non potest poni sine redditione debiti, non impediatur, nec perimatur, & si subvixerit, religiosè educetur. Quarè absolutè loquendo potest alter non petere, & sic etiam alius non reddere, imò, & matrimonio jam rato, sivè etiam consummato possunt perpetuam vovere continentiam; undè si ex amore virtutis, & ad perfectiùs, liberiusque Deo serviendum pari consensu continentiam servare vellent, haud dubiè perfectiorem statum adhuc eligerent, ut D. August. docet. epist. 45. ad Armentarium, & Paulinam conjuges, quos ad servandam continentiam efficaciter hortatur, quam communi voverant consensu, & idipsum quoque probat lib. 1. de consensu Evangel. cap. 1. ex castissimo conjugio Deiparæ Virginis, & S. Joseph, quod inter eos intercessit absque ullo Virginitatis detrimento, quorum proindè exemplo concludit, magnificè insinuari fidelibus conjugatis etiam servata pari consensu continentia, posse permanere, vocarique conjugium, non permixto corporis sexu, sed custodito mentis affectu. Multum etiam confert matrimonium proli genitæ, ut notat Aversa q. 22. sect. 2. efficit enim filios legitimos, quod multum valet ad bonorum successionem, & graduum, ac dignitatum successionem, nedùm in sæculo, sed etiam in Ecclesia juxtà varias leges civiles, & Ecclesiasticas. Rursus matrimonium habet vim legitimandi filios anteà susceptos, ita quod si vir, & fœmina per illicitam copulam prolem habuerint, & posteà justo matrimonio conjungantur, per hoc subsequens matrimonium legitimi redduntur filii anteà geniti per copulam illicitam ad bonorum successionem, & graduum, ac dignitatum capacitatem; ità enim statutum fuit jure civili, cum variis limitationibus, & adhuc magis amplè jure Canonico, & absque alia limitatione, nisi quod anteà tales parentes essent ad contrahendum habiles, & nullum haberent impedimentum dirimens, ità habetur c. *Tanta* c. *Conquestus* c. *Transmissæ* & cap. *Causam*. Itaque matrimonium duplici nomine cohonestatur ex prole, primò quia proles per se magnum bonum quoddam est, cùm illius procreatio societatem humanam conservet, & augeat; secundò quia filii ex vero matrimonio suscepti, vel post illud censentur esse legitimi, hoc est, idonei ad bonorum hæreditatem, & successionem, ad publicas dignitates, & officia in Republica; qui autem extrà matrimonium procreantur, illegitimi sunt, & inhabiles ad ea officia.

123 Tertiò quod ad thori conjugalis fidem pertinet, sivè fidelitatis ad conjugem, in duobus consistit hæc fides, vel tribus; primò quod non tradatur corpus unius conjugis; nisi alteri conjugi, quia hoc esset contrà justitiam, & fidelitatem, & istud est necessarium semper in omni matrimonio, & invariabiliter in omni lege sicut non permittere adulterium, undè conjuge vivente alter conjux cum alia persona contrahere nequit; nec ullo modo permisceri. Deindè thori conjugalis fides exigit, ut ambo conjuges mutuò cohabitent, & mutua obsequia in re familiari ad ministranda, & filiorum educatione præstent, ad quod quidem reciprocè obligantur, & etiam cogi possunt à Judice tam Ecclesiastico, quàm sæculari ex c. *Litteras* de restit. spoliatorum; cum autem vir sit caput uxoris, & familiæ, ut dicitur Ephes. 5. tenetur uxor ad obediendum viro in his, quæ ad familiæ administrationem spectant, & vicissim obligatur vir ad alimenta, & alia vitæ subsidia uxori, ac reliquæ familiæ præstanda; cumque ad virum pertineat pro libito suo domicilium eligere, ac mutare, uxor eum sequi tenetur, ut habetur ex cap. *Unaquæque* 13. q. 2. ut docet Navarrus c. 14. ubi tamen rectè monet uxorem non teneri virum sequi cum gravi corporis, vel animi incommodo, ut si ad bellum proficiscatur, cui subscribunt Sanchez, Tancred. Scotus, Layman, Abellius Aversa, & alii passim, in quibus autem casibus possint conjuges licitè ab invicem quoad thorum, & cohabitationem separari dicemus posteà art. seq. Tandem fides conjugalis consistit in tradendo corpus suum conjugi petenti pro loco, & tempore, seù ut vir, & uxor sibi mutuò debitum conjugale reddant, nã ut loquitur Apost. 1. Corint. *Mulier sui corporis potestatem non habet, sed uir. similiter autem uir sui corporis potestatem non habet, sed mulier* undè idem præcipit, *ut uxori uir debitum reddat, similiter, & uxor uiro*, idque sivè debitum illud conjugale expresè petatur, sivè tacitè, & hæc obligatio mutua reddendi debitum conjugale est sub peccato mortali, si alter conjugum særiò, instanter, & rationabiliter illud petat. Diximus autem teneri conjuges debitum sibi invicem reddere pro loco, & tempore, quia reddere debitum est præceptum affirmativum de justitia, & fidelitate observanda ad alterum, præcepta autem affirmativa licet obligent semper, non tamen ad semper sed pro loco, & tempore secundùm circumstantias debentes concurrere ad actum. Undè conjux non tenetur alteri debitum, reddere pro quandocumque alius petit, sed in aliquibus casibus debet etiam non reddere; ut inquit Do. d. 3. q. un. §. *Ad quæstionem*, ut quando unus conjugum adulterium commisit, vel fornicationem, tunc enim jus petendi amisit, & conjux innocens debitum ipsi negare potest. Item si ex redditione debiti imminet probabile periculum damni notabilis in salute corporali, quia rectus naturæ ordo exigit, ut prius consulatur incolumitatis proprii individui, quàm generationi prolis, quod verum est, etiamsi exigenti immineat incontinentiæ periculum, quia cum tanto detrimento non tenetur vitare periculum alterius, ut Sanchez, Coninch. Hurtad. & alii advertunt. Item si uxor sit prægnans; & proli conceptæ probabile mortis periculũ teneatur.

124 Quartò movet difficultatem Scotus l. c. quomodo hæc tria bona in quolibet matrimonio reperiuntur, nam in primis de indissolubilitate, quæ dicitur bonum Sacramenti videtur, quod non reperiatur in matrimonio rato non consummato, quia dissolvitur per votum solemne Religionis, ut supra dictum est. Deindè dubitatur etiam de bono prolis, quia cum sterili, vel Virgine, quæ vovit Virginitatem, vel cum sene jam impotente potest esse matrimonium, & tamen non est ibi bonum prolis, nec in re, nec in spe. Denique dubium est etiam de bono fidei, seù fidelitatis, quia inter adulteram, & virum suum est verùm matrimonium, & tamen non est ibi bonum fidei. Respondet Doctor etiam matrimonium ratum jure divino positivo esse perpetuum, excepto casu professionis Religiosæ, quem exemit Christus à lege insolubilitatis, quod etiam consonat rationi naturali rectæ, ut suprà dictum est; in hac ergo lege indissolubilitatis matrimonii Christus ipse dispensavit, aut non comprehendit casum conversionis conjugis ad Religionem, non consummato matrimonio: Quando ergo matrimonium dicitur esse insolubile, intelligi debet de solubilitate ab homine, non autem à Deo, qui potest etiam matrimonium consummatum dissolvere, ut habetur Matth. 19. *Quos Deus conjunxit, homo non separet*, & ideò purus homo non potest conjuges dissolvere, nec tota hominum communitas; & quando alter conjugum ante matrimonii consummationem Religionem ingreditur, illa dissolutio fit à Deo, non ab homine, undè Deus instituit professionem, seù votum solemne unicum remedium dissolutionis matrimonii, & non quodlibet votum solemne, sed Religionis, nam votum solemne suscipiendi ordines sacros non dissolvit matrimonium, nec cum eo est incompossibile, nisi mero jure Ecclesiastico. Ad secundum inquit Doctor, quod obligatio non est absolutè ad bonum prolis, sed sub conditione, si scilicet eveniat ad gratanter suscipiendum & religiosè educandum, & non ad procurandum studiosè oppositum per aliquem modum illicitum scilicet ne eveniat; & ità patet ad illud, quod dicitur de Virginibus, & sterilibus, & aliis non potentibus generare, vel non volentibus propter votum castitatis emissum, quia non obstantibus prædictis possunt contrahere, & sufficienter in eorum matrimonio habetur bonum prolis scilicet sub conditionis modo jam declarato. Addit tamen Doctor loc. cit. in solutione ad. 3. prin. quo secundùm rei veritatem ubi est certa impossibilitas ad bonum

num prolis, non videtur actus ille conjugalis multum excusari per illud bonum sub conditione, & in tali casu, inquit Doctor, matrimonium esse tantùm in remedium, non in officium. Ad ultimum ait Doctor, quod bonum fidei semper in matrimonio reperitur ex obligatione, licet non semper in executione; undè licet inter adulteram, & innocentem non sit bonum fidei quantum ad actum ex parte adulterantis, adest tamen in obligatione, quia uterque conjux ad tale bonum obligatur ex vi matrimonii; & de his matrimonii bonis plura videri possunt apud Astesanum lib. 8. tit. 10.

125 Quintò conveniunt Catholici omnes usum matrimonialem, seù copulam conjugalem, quæ est effectus matrimonii, ex se licitam esse, ut diximus qu. 21. cit. art. & satis apertè constat ex eo, quod Deus Genes. 1. primis parentibus commendavit usum conjugalem illis verbis *Crescite, & multiplicamini*, & ex eo, quod ad Hæbr. 7. thorus conjugatorum dicitur à Paulo, *immaculatus*, imò Scotus noster 4. d. 26. qu. un. fusè demonstrat, nedùm ex revelatis, sed etiam ex naturalibus matrimoniũ etiam, ut à Sacramento præscindit, esse actum licitũ, & honestum, quia est mediũ ex natura rei proportionatum ad finem per se bonũ, & honestum, scilicet, filiorum procreationem, & humani generis propagationem eo modo, quo humanam decet naturam. Verùm quia per licitam, & honestam copulam intelligendo illam, quæ omni prorsus culpa vacet tam veniali, quàm mortali, & è contrà illicitam, quæ etiam venialiter solùm sit culpabilis, valdè refert cõsideratio finis, & aliqua difficultas, quo fine sit exercendus talis actus, ut licitè fiat; & quidem conveniunt omnes actum conjugalem, non solùm ob prolis generationem, quæ est ejus finis primarius, & immediatus, sed etiam ad vitandam incontinentiam in altero conjuge, dùm alter videt illum esse in periculo, esse licitum, & honestum, quia est actus charitatis ex fine salutis spiritualis proximi, & etiam justitiæ reddere indigenti, quod suum est; & ità expresè docuit Scotus 4. d 32. A. ubi considerato duplici fine matrimonii, & propter prolem generandam, & propter fornicationem vitandam, docet usum matrimonii, seù copulam carnalem conjugum esse ex genere suo actum virtutis, saltem justitiæ. Difficultas tamen est, an in actu conjugali facto ad vitandam propriam incontinentiam sit aliqua culpa saltem venialis, & quidem Magister 4. dist. 31. quem etiam nonnulli sequuntur Theologi, & Summistæ, existimat in eo esse culpam saltem venialem. Ratio est, quia utens actu conjugali ad eum finem, non intendit proprium finem ipsius actus, scilicet, prolis generationem, ut patet; Communis tamen sententia est nullum esse peccatum nec veniale, conjugem petere debitum præcisè, ut incontinentiam in seipso vitet; ità præsertim Almainus ex nostris 4. d. 26. q. un. in fine, quod probat ex D. Paulo 1. Corinth. 7. ubi ait *propter fornicationem autem unusquisque uxorem suam habeat, & unaquæque suum virum*, ideſt, ad vitandam fornicationem, & infrà cum suasisset conjugibus aliquando orationi vacare, & communi consensu à conjugio abstinere subdit *iterum revertimini in idipsum, ne tentet vos Satanas propter incontinentiam vestram*, qui loquendi modus planè non denotat permissionem venialis peccati, sed omninò concessionem actus liciti. Hinc etiam Almainus deducit rationem, quà posteà usi sunt Navar. Rebel. Coninch. Ponce, Hurtadus, Aversa, Caspensis, & alii Recentiores passim hanc opinionem sequentes, quia usus conjugalis suppositò peccato, seu lapsu humanæ naturæ, ordinatur sua natura in remedium concupiscentiæ propriæ, unde ait Paulus loc. cit. *Qui non potest continere, nubat in Domino*, undè sæpiùs replicat Scotus, quod matrimonium in statu naturæ corruptę non est solùm in officium, sed etiam in remedium: ergo si quis ordinet actum matrimonialem in illum finem propter quem institutum est matrimonium in statu naturæ corruptæ, dicitur referre in finem rectum, quamvis minus principalem, quàm sit prolis generatio; & erit actus licitus, quia nulla lex est, quæ cogat, ut in usu rei principaliorem finem semper intendamus, aliàs in præsenti materia usus conjugalis ad vitandam incontinentiam in altero conjuge existente in periculo ejus non esset licitus, & sterilis non posset uti matrimonio, quia nequit prolis generationem intendere. Ex qua doctrina patet ad rationem in oppositum, negatur enim assumptum, quia in statu naturæ lapsæ etiam concupiscentiæ extinctio est finis matrimonii proprius, & quamvis sit minus principalis, non tamen pervertitur ordo utendo tali medio, quia adhuc adhibetur medium per se licitum, ac etiam ad talem finem ordinatum, nec ulla lex obligat, ut dicebamus, quod quis ordinare debeat actum suum ad finem primarium, & principalem, ac perfectiorem, sed satis est, si ordinet ad finem in se quoque licitum, & honestum, ad quem suo quoque modo refertur.

126 Postremò major adhuc est difficultas, ut loc. cit. dicebamus, an usus conjugalis factus solius voluptatis, & delectationis causa, quæ in ipso actu est, sit licitus. Negant Mairon, Hugo, Hostiensis, Sanch. Tancred. & quidam alii existimantes copulam conjugalem ob talem finem exercitam esse peccatum mortale, vel saltem culpa veniali non carere. Fundamentum hujus sententiæ sumitur præsertim ex auctoritate, nam D. August. de bono conjugali c. 6. ait: *Conjugalis concubitus generandi causa non habet culpam, concupiscentiæ verò faciendæ venialem habet culpam*; & cap. *Vir cum propria* adducitur hæc auctoritas ex D. Gregor. *Cum non amor procreandæ prolis, sed voluptas dominatur in opere commistionis, habent etiam ipsi conjuges in ipsa commistione quid defleant*, & plures alii Patres eodem modo loquuntur, quibus etiam inter ipsos conjuges damnari videtur copula gratia solius voluptatis habita. Verùm Auctores adducti, & præsertim Almainus noster l. c. & est modò communior opinio, asserunt etiam ob finem delectationis, servata tamen convenienti moderatione, non esse illicitam copulam, nec venialiter culpabilem. Ratio est, quia in humanis operationibus culpabile non est moderatè appetere delectationem in iis à natura insitam, quando ipsæ operationes per se licitæ sunt, & honestæ, nec immoderato excessu, aut aliis prævis circumstantijs vitiantur, ut patet in delectu ciborum, & potus; ac delectatio carnalis copulæ conjugalis ex ipsa rei natura est annexa, ex avidius appetatur ob conservationem speciei, & dicta delectatio, seù voluptas verè est licita sicut, & actus ipse; ergò talis finis intentus inter conjuges culpabilis non erit, quibus copula ipsa per se licita est; dummodò neque actu, neque habitu alii fines matrimonii excludantur, quia hac ratione non tantùm esset veniale, sed etiam mortale, atque ideò talis actus ex eo fine præcisè ex suo genere non est malus, nisi aliqua circumstantia vitietur. Undè non carebit saltem culpa veniali, si fiat ob capiendam nimiam delectationem, seù ex desiderio nimiæ delectationis, & hoc tantùm volunt innuere Patres illo loquendi modo, volunt enim solùm damnare excessum, non tamen moderatum voluptatis usum, & ita August. exponit Almainus l. c. Addit tamen Brancatus noster disp. 39. art. 3. quod licet usus conjugii ob finem delectationis moderatæ non sit culpabilis, est tamen valdè periculosum illum velle propter talem finem, quia difficilè concupiscentia moderamen ac limites agnoscit, nam modus voluptate sensuali, quæ mentem absorbet, vel absolutè servari non potest, vel saltem cum difficultate, & qui eam amat, & appetit, rarò non fine excessu amat, & appetit, ut Patres, eo loquendi modo innuere voluerunt. Quare concludit, & quidem satis rationabiliter, quod licet velle copulam conjugalem ex fine voluptatis moderatæ, non excludendo positivè alios matrimonii fines, non sit peccatum, est tamen valdè periculosum ex tali fine eam velle, quia difficulter cum tali moderamine appeteretur. Quibus autem aliis modi actus conjugalis fiat illicitus fusè discurrimus quæst. 21. cit. art. 2. & 3.

ARTICULUS SECUNDUS.

Quibus de causis inter Conjuges divortium fieri possit.

127 Divortium dicitur, vel à diversitate mentium, vel quia hi, qui matrimonium distrahunt, in diversas partes eunt, ut notat Astesanus noster lib. 8. tit. 36. undè definitur, quod sit *legitima viri ab uxore, vel è converso separatio*, ff. de Divortiis L. 1. & dicitur separatio legitima, quia fine lege, vel ratione fieri non debet, & hic sumitur pro dissolutione matrimonii, & separatione conjugum quoad thorum, & habitationem simul, remanente tamen semper vinculi conjugalis indissolubilitate, quo sensu communiter à Theologis usurpatur, & à Concil. Trid. sess. 24. can. 8. dùm ait *Si quis dixerit Ecclesiam errare, cùm ob multas causas separationem inter conjuges quoad thorum, & cohabitationem ad certum, incertumvè tempus fieri posse decernit, anathema sit*. In hoc igitur articulo videndum est; qualiter possit unus conjux ab altero separari, & recedere ob illius delictum, & culpam etiam eo invito, nam qualiter possint conjuges per professionem religiosam, aut susceptionem Ordinis separari, ut quando uterque conjux pari consensu religionem ingreditur, jam superius dictum est; & conveniunt etiam DD. posse conjuges ex mutuo consensu, secluso incontinentiæ periculo, thoro separari, aut ad tempus, aut in perpetuum, ut melius Deo serviant, aut ob aliam honestam causam, imò posse etiam continentiam vovere, quamvis neuter Religionem ingrediatur. Hìc igitur inquirendæ sunt causæ, ob quas divortium quoad thorum, & habitationem licitè fieri possit, aut in perpetuum, aut ad tempus ob delictum, & culpam alterius conjugis, hoc enim maximè propriè divortium appellatur, quod facilè resolvemus ex jam dictis disp. 7. cit. quæst. 22.

128 Primò certum est apud Doctores, ut diximus quæst. 22. cit. art. 1. quod licet adulterium non sit causa sufficiens faciendi divortium quoad vinculum inter conjuges, ut dictum

est

est suprà quæst. 3. art. 2. de matrimonii indissolubilitate; nihilominus est causa sufficiens divortii perpetui quoad thorum, & habitationem, & hoc ostenditur ex triplici jure naturali, divino, & ecclesiastico; naturali quidem, quia hoc totum oritur ex natura ipsius contractus conjugalis, ut conjugi, qui non servavit matrimonii fidem, alter præstare non debeat conjugale commercium; fides autem data in matrimonio perfectè violatur per fornicationem, & commixtionē carnalem cum alio, quā cum proprio conjuge, conjuges enim matrimoniū ineunt, ut per illud fiant una caro ex 2. Genes. dividit autem carnem conjux ille, qui cum alio commiscetur. Idem concessum est etiam jure divino, ut patet Matth. 5. & 19. *Omnis qui dimiserit uxorem suam excepta fornicationis causa*, &c. quod non intelligitur quoad vinculi solutionem, ut loc. c. dictum est, sed tantùm quoad divortium, de quo nunc est sermo, quoad thorum, scilicet, & cohabitationem. Et tandem hoc etiam statutum est jure Ecclesiastico cap. *Significasti*, cap. *Gaudemus*, cap. *Ex litteris* de Divortiis, & aliis Sacris Canonibus, quos refert ex nostris Brancatus disp. 42. art. 3. & Astesanus lib. 8. tit. *36.* & alii Recentiores passim. Suntque in hac re æquales tam vir, quam uxor, quæ eodem modo ob adulterium mariti potest ab eo separari, ut communiter docent Doctores contrà Cajetanum, quia uterque sibi mutuò obligatur ex justitia ad fidem servandam, ut probat Orbellus noster 4. d. 35. qu. 2. ex cap. *Si quis uxorem* 32. quæst. 2. Et ex natura matrimonii etiam hoc deducitur, quia re vera etiam vir adulterando frangit conjugii fidem, atque adeò justam causam uxori præbet denegandi illi deinceps conjugale commercium, & licet gravior injuria, & infamia, ac matrimonii læsio ab uxore adultera inferatur contrà virum, ejusdem tamen speciei injuria quoque infertur uxori à viro adultero, nec magis, & minus variant speciem, & ideò eandem causam divortii præbet uir uxori adulterando, & fidem conjugalem frangendo. Potest autem hæc separatio fieri à conjuge innocente licitè, & justè quoad thorum propria auctoritate, & absque Judicis sententia, hæc enim est conditio per se inclusa in conjugali contractu, ut suprà dictum est, ut intantùm unus conjugum teneatur alteri fidem servare in reddendo debito, inquantum alter illi fidem servaverit in non habendo copulam cum alia persona, & ideò tali conditione non adimpleta eo ipso solvitur à debito conjugali reddendo. Loquendo autem de divortio quoad separationem habitationis, licet sint varii modi dicendi, diximus tamen l. c. probabilius esse per se loquendo non posse conjugem læsum propria auctoritate divortium facere ab adultero invito, sed ad hoc Judicis sententiam esse necessariam, ut docent D. Thoms, & D. Bonaventura, & pluribus etiam textibus Canon. ostendit Brancatus noster disp. 42. art. 9. §. 2. si tamen præter adulterium, sivè publicum, sivè occultum adsit etiam alia causa conjuncta, ut sævitia, vel insidiæ mortis, alteriusvè gravis damni, & imminens sit periculum, potest innocens propria auctoritate divortium facere, non quidem ratione adulterii præcisà inspecti, sed ratione istius causæ annexæ, ut idem Auctor advertit ibidem.

129 Secundò conveniunt Doctores, ut diximus ibidem, nomine adulterii, quod sufficientem divortii causam præbet, præsertim copulam consummatam intelligi, quæ ex natura sua habilis sit ad generationem, qualis est uxoris cum alio viro, vel viri cum alia fœmina. Sed quia alia etiam peccata contrà conjugii fidem committi solent, nempè vel non consummata, sed per solos actus impudicos cum alia habitos, vel consummata contrà ordinem naturalem, ut pollutio extrà vas, Sodomia, & Bestialitas, hinc disputant, nùm hæc etiam ad divortium sufficiant, itaut sub adulterii nomine comprehendi possint. Prima opinio satis communis, & probabilis affirmat copulam Sodomiticam cum tertia persona habitam, ac etiam bestialitatem ad divortium sufficere. Fundamentum est, quia per Sodomiam, aut Bestialitatem non minus frangitur fides conjugi, quam per copulam naturalem cum tertia persona habitam, nam ille actus carnalis frangit fidem, qui carnem unius conjugis ab alio dividit; talis autem est Sodomia ab uno conjuge habita cum tertia persona, nam carnem suam uxor, vel vir in tali casu alteri jungit, licet modo innaturali, & idem etiam de peccato bestialitatis censendum est; quando enim unus conjugum divertit ad unionem carnalem cum bestia, separat se à carne alterius conjugis, & frangit fidem ei datam; aliis verò actibus impudicis cum tertia persona factis, sivè sint tactus, sivè etiam pollutiones, si non sint cum copula, gratis concedit hæc opinio causam sufficientem non præberi ad faciendum divortium, quia his actibus non dividitur caro, sed tantùm quando fit unitas carnis cum tertio, at per quoscunque actus impudicos secluſa copula carnali non fit unitas carnalis cum alio, ergo neque divisio à conjuge proprio; ità significarunt D. Thom. D. Bonaventura, Riccardus, Durand. & alii antiquiores 4. d. 35. q. 2. quos sequuntur plures Recentiores, Sanchez, Tancred. Coninch. Hurtad. Bonacina, ac Summistæ passim, & Branc. ex nostris disp. 44. cit. art. 3. Alia opinio negat ob hæc peccata luxuriæ dari posse divortium, & ratio est, quia Christus Dominus in verbis Matth. cit. tantùm ob adulterium permisit divortium, & non ob alia luxuriæ peccata, & cum simus in lege pœnali, mitior interpretatio sumenda est, atque ideò dicendum hæc alia peccata præter copulam adulterinam generationi aptam non sufficere simpliciter ad divortium. Ità Abulensis, Palatius, Innocentius, Cardinalis, & alii ex Juristis, quos sequuntur, & referunt Ponce, *l. 9. c. 17.* Aversa q. 23. sec. 1. & alii, quæ quidem sententia quoque sua probabilitate non caret, si enim concedit prima opinio nec etiam pollutionem habitam cum tertia persona, dummodo non adsit copula, & intrà vas seminis effusio, ad divortium sufficere, quia adhuc non est divisio carnis suæ in alterum per copulam, & concubitum; ità etiam concedere debet ob eandem rationem nec copulam Sodomiticam cum tertia persona habitam, & cum effusione seminis intrà vas innaturale sufficere ad divortium, quia ut arguit Aversa loc. cit. licet hæc sit copula consummata, & sit divisio carnis suæ in alterum; tamen non est copulæ ad generationem per se habilis, propriè autem illa adulterina copula justam divortii causam præbet, qua unus conjux posset prolem gignere cum alia persona, & in domum, & familiam prolem adulterinam inducere. Confirmatur, quia sicut hæc sola copula fundare affinitatem sufficit, & in viro bigamiæ irregularitatem inducere, & non alia quæcunque, ita etiam ista sola videtur ad divortium sufficere. Denique si prima opinio admittit quamcunque pollutionem extrà vas, & cum quibuscunque tactibus ad divortium non sufficere, etiamsi in omni tali peccato adsit specialis malitia, ac deformitas contrà fidem matrimonii, sic pariter id admittere poterit de copula in vase innaturali, vel cum bestia, quia in tali copula non est habilitas ad prolem generandam.

130 Tertiò conveniunt Doctores, ut dictum est quæst. 22. ar. 1. doctrinam generalem nunc traditam de divortio, quod unus conjugum ab alio justè, & licitè faceret, potest ob ejus adulterium, plures limitationes, & exceptiones habere, quia plures sunt casus, in quibus non potest adultera à viro accusari, vel dimitti; ut notat Orbellus ex nostris 4. dist. 35. undè dicunt adulterium non sufficere ad divortium, quando adulterium commissum est sine culpa conjugis adulteri, tunc enim non licet alteri divortium facere, non solùm quoad separationem habitionis, sed nec etiam licebit negare debitum, siquidem nec per viam pœnæ, nec conventionis debet hæc privatio habere locum, ubi non est culpa; id autem contingere potest, quando uxor probabiliter credens virum mortuum alteri nubit, nam in hoc casu non potest ob adulterium à viro superveniente dimitti, quia re vera non est culpa formaliter adulterii, & fractæ fidei, ut habetur c. *Si Virgo* 34. q. 2. & ea fornicationis culpa non fuit formaliter injuriosa viro, qui putabatur defunctus, & idem habetur cap. *Cum per bellicum* ibidem, quia per talem ignorantiam, ac bonam fidem excusatur culpa. Similiter si uxor cognita sit per fraudem ab aliquo se virum ejus simulante, puta si ad mulierem noctu quis accedat sub specie mariti, aut ad virum alia mulier sub specie uxoris ex c. *In lectum* 34. q. 2. & ratio est, quia talis ignorantia tollit voluntarium, & culpam excusat. Tandem idem dicendum, si per vim cognita ab alio fuerit, dummodò illata vis reddat omninò copulam involuntariam, quia tunc nullam formalem injuriam infert, neque formale adulterium committit, & ità habetur c. *Ità* 32. qu. 5. quia non est peccatum, nisi voluntarium, & liberum, ità communiter DD. Theologi, & Canonistæ, de quo plura vide apud Brancat. nostrum disp. 42. art. *6.* §. 1. Item conveniunt Doctores neque adulterium sufficere ad divortium, quando injuria adultero remissa est, in hoc enim casu innocens ab adultero recedere non potest, quia tali remissione cedit juri suo discedendi. Hæc autem remissio fieri potest, vel expressè, ut quando expressè se remittere affirmat, vel tacitè, ut quando conjux adulterii conscius ad adulteram liberè accedit petendo, vel reddendo debitum, vel illam adhuc retinet, vel recipit, cùm illam anteà dimisisset, hæc enim omnia sufficiens remissionis signum censentur, & condonationis; secus autem est, si hæc faceret adulterii ignarus, aut non omninò voluntariè, & liberè, sed causa redimendæ alicujus vexationis, tunc enim non censentur remittere, quia tunc accessus non est sufficiens remissionis signum, ut quando uxor metu mariti, aut præcepto Judicis ad hæc compellitur, antequam adulterium probare possit. Ità Sanchez, Tancred. Coninch. Hurtad. Caspensis, & alii passim.

131 Quartò conveniunt Doctores adulterium non sufficere ad divortium, si vir sit causa fornicationis uxoris, ut si eam prostituat, sivè lenocinium exerceat, ità habetur ex cap. *Discretionem* de eo qui cognovit consanguineam. Quod verum est, sivè invitam prostituat, sivè volentem, hoc est, quando mulier etiam libenter, & sponte consentit, & quando volenti adulte-

adulterare vir ipse consentit, ut contrà quosdam antiquiores docent communiter Recent. adducti, & ratio est, quia est semper particeps ejusdem culpæ, & deducitur ex verbis citati Canonis, dum additur *præsertim invitam*, quia per hæc verba supponitur id etiam esse verum, quando non prostituitur invita. Et eodem modo nec potest mulier divortium facere à viro, in cujus adulterium ipsa consensit, quia eadem prorsus est decisio juris, & ratio, æquum enim non est, ut vir obiiciat uxori, vel è contrà, adulterium ipsius consensu factum, & ut ob id debitum neget. Et idem dicendum, si vir adulterii conscius non prohibeat, cùm possit absque gravi damno, censetur enim consentire, quoties potens prohibere non prohibet, si justam causam non habeat ad non prohibendum, & ità habetur ex L. 2. C. *Ad legem Juliam de adulteriis*, quia in tali casu, ità se habet, sicut qui positivè consentit, etenim hoc modo tacitè, & facto ipso consentit, ac licentiam uxori adulterandi concedit. Secus dicendum de uxore putant Sanchez, Tancred. Caspensis, & alii, si conscia sit adulterii viri, & non prohibeat, nec tamen positivè consentiat; volunt enim adhuc simpliciter divortium facere posse, quia communiter uxores non audent reprehendere viros, & cum uxor sit inferior, ac proindè non sit ejus officium prohibere viri delicta, ejus taciturnitas non reputatur consensus, sicut in viro. Aversa tamen cum aliis qu. 23. sect. 3. eandem censet esse rationem de uxore respectu viri, licet enim in regimine domus sit ei subjecta, est tamen par illi quoad debitum conjugalis fidei, ac pariter ejus officium est viri adulterium, suique injuriam prohibere, si potest, pari enim modo ab Apostolo dictum est: *Vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier*; licet ergo difficilius, & rarius contingat, ut uxor possit prohibere, & impedire virum, casu tamen quo commodè possit, si non impediat, videtur quoque tacitè consentire; & certè, inquit Aversa, fœmina quæ tali sensu, & animo vigeat, ut audeat à viro ob ejus adulterium recedere, vel debitum denegare, multò promptius audere poterat reprehendere virum, quando fructum sine suo damno sperabat.

132 Quintò prætereà conveniunt DD. adulterium non sufficere ad divortium, quàdo ab utroque conjuge commissum est, ut constat ex c. *Significasti* 4. de Divortiis, in tali enim casu neuter tuta conscientia potest alterum dimittere, quia injuria uni facta compensatur injuria ei ab altero facta, & quamvis aliqui Juristæ dixerint opus esse, quod utriusque conjugis delicta sint numero, & gravitate paria ad hoc, ut de rigore fiat delictorum compensatio, quia hæc ratio redditur in jure loc. cit. *Quod paria delicta mutua compensatione tollantur*, Theologi tamen communiter asserunt ad compensationem sufficere quodcumque alterius delictum, quod per se præbuisset sufficientem divortii causam, & sic intelligi paria delicta, idest, pariter per se sufficientia ad divortium. Ita Scot. Paludan. Gabriel, Palat. Tabiena, Sanch. Hurtad. Caspensis, Aversa, Ponce, Coninch. & alii Recentiores. Undè nō sufficit quod unus unicum tantùm commiserit adulterium, & alius plura, non sufficit, inquam, ut qui unum tantùm commisit possit divertere ab altero, qui plura commisit, nec quod unus tantùm secretò, alter verò publicè adulteraverit, quia pares sunt quoad hoc, quod est esse infideles, & fidei fractores, & dedisse causam ad divortium sufficientem; & benè potest adulter publicus opponere consorti volenti divortium facere, seù neganti debitum, simile delictum sibi notum quamvis apud alios occultum, & ità illum compensationis lege adstringere, dummodò tamen de simili consortis adulterio sit certus; alioquin si certus non sit, non potest ad compensationem adstringere, quia ut jura loquuntur certi ad incertum, & aliquid ad illiquidum compensatio fieri non debet. Rursus dicunt aliqui, non sufficere, ut unus sit emendatus, & alter in adulterio persistat, etiamsi emendatus admoneat, seù inducat alterum ad emendationem, & reconciliationem, quia emendatio injuriam illatam non aufert, & ea invitatione non extinguitur injuria invitato illata, nam ea invitatio, vel inductio non est satisfactio pro illa, ut ait Ponce l. 9. cap. 17. Hurtad. d. 11. diff. 3. & plures alii. Verùm meliùs respondent alii cum D. Bon. 4. d. 35. in expositione literæ, posse in tali casu emendatum petere divortium à non emendato, quando illum admonuit, ut se corrigeret, & nihilominus se corrigere noluit, sed denuò in adulterium lapsus est. Ratio est, quia mediante admonitione conjux correctus, & emendatus suum declarat animum, & reditum ad primum statum, & jus acquirit, & præteritis delictis terminum compensationis imponit, ideoque deinceps se habet ad instar innocentis, quarè ab altero adhuc in suo crimine perseverante, & contumaci justè tunc poterit divortium facere absque compensationis obstaculo. Ità Sanchez, Tancred. Coninch. Reginald. Henriquez, Ledesma, Aversa, Bonac. & alii.

133 Sextò ulteriùs addunt alii neque adulterium sufficere ad divortium, si innocens post divortium factum adulteret, tunc enim innocens posteà factus nocens alterum emendatum tenetur admittere, quia injuria sibi facta sufficienter compensatur per adulterium posteà à se contrà alterum commissum. Ità Coninch. Hurtad. Aversa, Caspens. & alii contrà Sanch. Tancred. & Rebel. Quod verum esse dicunt, quamvis divortium factum sit per sententiam Judicis. Ratio est, quia post sententiam quoque semper manet vinculum matrimonii, & tenetur alter quàvis dimisso servare fidem, quarè etiam post sententiam innocēs adulterando conjugi dimisso injuriam infert, qua posteà compensatur injuria jam ipsi innocenti facta à dimisso, & consequēter jus anteà innocētis persistendi absque altero cessat, quia per sententiam non acquisivit jus adulterandi, sed tantùm per eam declaratum fuit, quod jus habebat divertendi ab altero, sententia enim jus sancit, non crimina fovet; ergò verè injuriam intulit, & consequenter est compensanda, quia quamvis sententia lata sit, illa tamen respexit tantùm statum præsentem, juxtà quem lata est, & ideò non tollit reo jus compensationis, si innocens in futurum fiat nocens, quia quoad hanc partem nunquam hæc sententia in rem judicatam transire censetur, quasi oppugnari nequeat, & rescindi, sed semper conjux condemnans auditi debebit, & veris probationibus adductis alterius delicti absolvi, & remitti. Ex quo infertur eum, qui adulterium commisit post divortii sententiam nondùm mutato statu, teneri sibi reconciliare conjugem dimissum, etiamsi ad hoc à Judice non compellatur; quod si statum mutasset per professionem in Religione, vel Ordinum susceptionem; nec tenetur, nec potest jam redire, cum Religio jam in Religiosum jus acquisierit, quod strictius est jure conjugis dimissi, de quo alia plura videri possunt ad hoc punctum spectantia quæst. 22. cit. art. 2. & apud Brancatum nostrum disp. 42. art. 6. §4.

134 Postremò conveniunt Doctores, ut diximus etiam qu. 22. cit. a. 3. alias etiam esse causas sufficientes præter adulterium ad faciendum divortium quoad thorum, & habitationem, non quidem in perpetuum, sed quamdiù ipsæ causæ durant, & ad duo capita generalia reduci possunt, quia Doctores communiter affirmant, & deducitur ex prædictis capitibus juris, conjugem posse ab altero separari, primò quando cohabitare nequit cum illo sine gravi animę periculo; deindè quando nequit habitare cum eo etiam absque gravi corporis periculo; quod etiam ratione suadetur, quia consentaneum non est, nec ratio exigit, ut cum tanto detrimento animæ, vel corporis obligationi cohabitandi satisfiat, ac proindè jure naturali separari licet; unde cessante dicto periculo ad cohabitationem redeundum est, quia ob illud tantùm conjux à cohabitatione excusabatur, quarè tali causa cessante, etiam divortium cessare debet. Ex quo deducitur primò conjugem separari posse ab altero, quando ab eo provocatur, & inducitur ad peccandum mortaliter, & admonitus non desistit à provocando, & instigando, in hoc enim casu conjux instigatus timens sibi lapsum recedere potest, quia non tenetur cum altero conjuge cum tanto periculo permanere. Secundò posse separare, quando alter labitur in hæresim, vel apostasiam, quia semper cohabitatione cum eo perseverante in hæresi, aut in apostasia est periculum aliquod infectionis tam conjugi innocenti, quam proli constat ex c. *De illa* 6. de Divortiis, &c. *Idololatria*, lapsus enim in hæresim, vel infidelitatem est quædam fornicatio spiritualis, ob quam licitum est facere divortium, sicut licitum est ob fornicationem carnalem. Tertiò posse conjugem ab alio separari, quando ob ejus furiam, vel sævitiam timet sibi grave aliquod damnum, quod virum constantem terreat, vel ob morbum contagiosum, quia ratio non exigit, ut cum tanto detrimento obligationi naturali cohabitandi satisfiat; docet autem communiter Doctores sub nomine sævitiæ venire omnem metum damni notabilis cadentem in constantem virum, ut periculum vitæ, crudelem castigationem, molestam cohabitationem, discordias, & jurgia gravia, ut fusè declaravimus art. 3. cit. nu. 584. Quartò tandem dicunt conjuges separari posse, quando alter est veneficus, quia venefici sæpe etiam conjunctissimis graviter nocere solent, utpotè qui Dæmonis consilio agunt.

135 Quæres, an facto divortio licitum sit utrique conjugi mutare statum: & quidem conveniunt DD. conjugem innocentem post divortium ritè factum ob adulterium, etiam altero invito, posse castitatē vovere, sacris initiari, & Religionē ingredi, quia tunc innocens ità est in perpetuum ab altero solutus quoad thorum, & cohabitationē, ac si alter mortuus esset, & ità apertè definitum est in jure c. *Agathosa* 72. qu. 2. c. *Constitutus*, & c. *Conveniens* de Cōversi. Conjugatorum. Difficultas autem est, an liceat etiam conjugi adultero mutare statum post factum divortium per Judicis sententiam ingrediēdo Religionem, vel Ordines suscipiendo. Affirmant aliqui etiam invito, & renitente conjuge innocente, vel saltem licere inscio, & inconsulto innocente, quāvis non eo invito, admittunt Palud. Henriq. Angles, & quidam alii. Communis tamen sententia docet conjugem adulterum

non

non posse altero inconsulto, & tanto minus invito, etiamsi separatio facta sit per Judicis sententiam, quia lata fuit in favorem innocentis, non verò in favorem nocentis, ac proindè quoties innocens velit, alter manet obligatus, & est ad ipsum revocandus; undè adulter invito, & inconsulto innocente ad Religionem transire nequit, nec sacris initiari, aut castitatem vovere; & si professus sit, vel sacris initiatus, vel votum emiserit, ab innocente revocari potest, & votum irritari, contrà enim jus conjugis innocentis professio, & votum non valet. Benè tamen poterit adulter mutare statum de licentia, & consensu innocentis, quia jam eo ipso innocens cedit juri suo declarando se non curare reconciliari, & conjugale conjugium instaurare; Et ad hoc sufficit licentia tacita, ideli, si innocens sciat alterum velle mutare statum, & potens reclamare non contradicat, nec resistat. Ità Sanchez, Tancred. Coninchius, Hurtadus, Caspensis, & alii passim. Hoc tamen totum intelligendum est, ut declarat Aversa quæst.23.sect.8.quando adhuc innocens statum non mutavit, si enim tunc repugnet mutationi alterius, velitque reconciliari, non potest adulter mutare statum, sed reconciliationem acceptare tenetur, nec etiam tunc temporis potest adulter mutare statum inscio, & inconsulto innocente, quia cum hìc jus habeat matrimonium instaurandi per reconciliationem, debet adulter explorare, an alter velit. Sed postquam innocens statum mutavit, ideſt, professionem in Religione emisit, vel Sacrum Ordinem suscepit, poterit pariter ipse adulter statum mutare, quia jam non potest amplius revocari, & ad reconciliationem invitari, ità discurrimus quæst.22.cit.art.1.in fine, de divortio ob adulterium secuto. Si verò sit sermo de divortio facto ob alias causas prædictas ab adulterio distinctas aliter discurrendum est, quia ut communiter DD. advertunt, in nullo ex dictis casibus potest per se separatio fieri in perpetuum, sed tantùm quamdiù durat prædictum periculum; quia ob illud dumtaxat unus conjugum à cohabitatione cum altero excusatur, ideoque eo cessante periculo ad cohabitationem rursus reverti tenetur. Quapropter, an facto divortio ex prædictis causis ab adulterio distinctis sit licita mutatio status, plura circà hoc punctum dici solent à DD.tam Canonistis, quàm Theologis, quæ breviter retulimus, & resolvimus qu.22.cit.art.3.nu. 586. & ibi videri possunt. Reliqua verò ad hoc Sacramentum Matrimonii spectantia videantur disp.7.sæpè cit.l 4.sent.

DISPUTATIO XXI.

DE POENITENTIÆ SACRAMENTO.

1 POSTQUAM in præcedentibus egimus de Sacramentis Ordinis, & Matrimonii ob convenientiam, quam invicem habent, quod sunt Sacramenta toti Ecclesiæ communitati simpliciter necessaria vagè tantùm non determinando personas; nunc de Pœnitentiæ Sacramento agendum est, quod est Sacramentum omnibus, & singulis simpliciter necessarium pro actuali culpa delenda in adultis, si post susceptum baptismum illos peccare contingat. Verùm quia pœnitentia aliquando accipitur pro virtute pœnitentiæ, aliquando pro Sacramento pœnitentiæ, quandoque etiam pro Confessione, quandoque pro satisfactione, & aliquando etiam pro aliis actibus; breviter hìc agemus in primis de pœnitentia virtute, posteà de pœnitentia Sacramento, & tandem de Confessione, & satisfactione, quæ sunt partes Sacramenti pœnitentiæ juxtà ordinem servatum l.4.sent.disput.5.de Pœnitentiæ Sacramento, & virtute, & hoc totum agemus breviter repetendo ibi dicta ad moralitatem spectantia pro conscientiis dirigendis, & alia addendo ibi prætermissa.

QUÆSTIO PRIMA.

De Pœnitentia, ut est virtus.

2 POenitentia, ut diximus dis.5.cit.q.1. ab initio, secundùm nominis ethymologiam derivatur à pœna, & tenere, & dicitur pœnitentia, quasi pœnæ tenentia, ut ait D. Aug. l.de vera, & falsa pœnitentia c.11. sicut verbum pœnitere significat animi dolorem, sivè retractationem, ac detestationem facti præteriti. Undè Ecclesia semper hoc nomine usa est, quatenus non solùm significat mutationem, & emendationem anteactæ vitæ, sed præcipuè animi dolorem, & afflictionem, & quandam voluntariam punitionem, quam pro commissis culpis sibi peccator infligit, undè pœnitentia in præsenti quæstione accipitur pro hujusmodi peccati remedio, quo peccator à Deo remissionem obtineat, quod quidem remedium à mundi initio in omni lege fuit à Deo hominibus concessum, quo & ipsi primi parentes, ac deinceps omnes alii peccatores suorum delictorum veniam consequi potuerunt; quarè pœnitentia in hac quæstione non sumitur pro uno ex Sacramẽtis novæ legis, sed in latiori significatione, qua virtus pœnitentiæ appellatur, ut enim dantur aliæ virtutes de aliis bonis actibus, ità nominatur hæc virtus, cujus munus est pœnitere de peccatis commissis, ut magis ex dicendis constabit.

ARTICULUS PRIMUS.

An pœnitentiæ sit specialis virtus à cæteris distincta, & quæ sit propria ratio ejus, ac objectum.

3 DUo supponenda sunt in hac quæstione, ut diximus loc. cit. tanquam communiter concessa, & apud omnes certissima; primum est Pœnitentiam esse virtutem, quia præcepta divina sunt de actibus virtutum, extat autem præceptum de pœnitentia agenda Matth. 4. *agite Pœnitentiam;* ergò non est dubium pœnitentiam esse rationi conformem, & consequenter esse virtutem, si habitualiter sumatur, vel esse actum virtutis, si sumatur pro actu ex tali habitu producto; probatur etiam ratione ex Scoto deducta 4. d. 14. quæst. 2. A. quia habitus pœnitentiæ sivè infusæ, sivè acquisitæ respectu omnium suorum actuum consideratus est electivus, secundùm rectam rationem est per se principium actus laudabilis, est dispositio perfecti ad optimum, est qualitas, qua benè vivitur, & nemo malè utitur; ergò est virtus, & ejus actus sunt virtuosi. Consequentia patet ex definitione virtutis; assumptum verò probatur, quia inclinat ad detestandum, & vindicandum peccatum, ad acceptandam, & ferendam pœnam pro peccato voluntariè ex dictamine rationis recto, & omnes hujusmodi actus sunt laudabiles, & præmiabiles, per eam homo benè, & sanctè vivit, & disponitur ad amicitiam Dei, quæ est quid optimum. Et quamvis pœnitentia videatur involuntaria, quia est contrà inclinationem voluntatis consideratæ secundùm affectionem commodi; est tamen voluntaria, si voluntas consideretur secundùm affectionem justitiæ, ac deliberationis, licet enim pœna sit omni naturæ, & potentiæ contraria, voluntas tamen ex libertate sua potest aliquam sibi inferre pœnam, vel etiam potentiis inferioribus; ut docet Scot.d.14.cit.q.2. lit. X. Alterum quod in hac quæstione supponitur, est pœnitentiam non esse virtutem Theologicam, sed moralem, quia virtus theologica habet Deum pro objecto, non verò aliquod creatum, ut constat ex dictis lib.3. sent. disp. 6. de Virtutibus Theologicis; pœnitentia autem non habet Deum pro objecto, nec formali, nec materiali, se aliquod creatum ordinabile ad aliud; objectum enim ejus materiale est peccatum commissionis, vel omissionis præteritum, formale verò vel compensatio injuriæ Deo factæ, vel vindicabilitas, & punibilitas mali per pœnam, vel reconciliatio, & pax habenda cum Deo, vel malitia ipsa, vel destruibilis juxta opinionum diversitatem, aut quid aliud simile; ergo pœnitentia non est virtus theologica, sed moralis. Tùm quia pœnitentia reducitur ad justitiam, quæ est virtus moralis, ut infrà constabit, & hoc totum docet etiam Scotus 4.d.14.q.2.lit.G. ubi ait pœnitentiam ad virtutes morales esse reducendam, eo quod objectum ipsius sit ali-

sit aliquod creatum ordinabile ad aliud. Hoc suppositio pro resolutione quæstionis.

4 Primò notandum est, ut diximus disp. 5. cit. quæst. 1. art. 1. ab initio ex Scoto 4. dist. 14. quæst. 1. art. 3. §. *De secunda conclusione*, quod cùm pœnitere sit quasi pœnam tenere secundùm nominis ethymologiam, hoc potest esse quadrupliciter. Primò per actum voluntatis imperativum, quæ sibi, & aliis imperat secùdùm Augustinum, imperando nimirum intellectui, ut consideret peccatum esse offensivum Summæ Majestatis, & bonitatis divinæ, quæ est super omnia diligenda, & imperando sibi ipsi nolitionem, seù detestationem peccati commissi propter causandam tristitiam, licet quandoque ista tristitia non sequatur; & hoc modo pœnitere est vindicare, vel punire peccatum à se commissum, quia applicare sibi ipsi pœnam est tenere eam, & illud potest intelligi sivè applicet, vel infligat pœnam in effectu, vel affectu, quia vindicans non minus vindicat, etsi quandoque pœna non sequatur propter defectum alicujus causæ secundæ, dùm tamen ipse æquè, & justè intendat pœnam infligere. Secundo modo pœnitere contingit detestando, vel odiendo, aut nolendo peccatum à se commissum, & hoc in particulari sub propria ratione, vel in generali simul de quocumque peccato à se commisso, & etiam loquendo de displicentia formali, vel virtuali, quæ nimirùm illam includit, sicut causa effectum, licet etiam effectus non sequatur, ut est actus dilectionis divinæ, ad quem nata est sequi talis displicentia. Tertio modo pœnitere contingit pœnam infligtam, scilicet, tristitiam gratanter acceptando, & talis complacentia tristitiæ est actus voluntatis habentis tristitiam pro objecto volito ad quod sequitur passio gaudii gaudendo, scilicet, de ipsa tristitia, sicut dicit Augustinus *Peccator de peccato doleat, & de dolore gaudeat*. Quartò tandem modo pœnitere contingit pœnam sibi pro peccato inflictam patienter sufferendo, & sic pœnam tenere est pœnam non abiicere remurmurando, undè sustinere est sub actione infligentis se illi conformando tenere, & hoc est minus, quàm tertium, ut patet. Potest autem pœna sumi pro tristitia, quæ est in parte intellectiva, & quæ primò, & propriè est pœna, & secundùm Augustinum 14. de Trinitate est dissensio animæ ab his, quæ nobis nolentibus accidunt; vel pro aliquo disconvenienti in parte sensitiva, causatur itaque passio à duobus primis actibus pœnitendi, & supponitur à duobus ultimis; Ex quo sequitur tristitiam, vel dolorem non esse pœnitentiam propriè sumptam, quatenus est virtus, vel virtutis actus, ut plures inconsideratè loquuntur, quia pœnitentia in actione potissimum consistit, tristitia autem est passio quædam; tùm quia pœnitentia est tentio activa pœnæ, imo est ipsa pœna tenta, ut notat Rebellus d. 14. quæst. 1. art. 1. tùm tandem quia tristitia est objectum pœnitentiæ, vel effectus causatus ab illa, non autem ipsa pœnitentia. Hanc verò pœnitentiæ distinctionem, & divisionem fuisse rationabiliter à Doctore nostro assignatam contrà nonnullos Recentiores fusè demonstramus loc. cit.

5 Secundò ista suppositia doctrina, & sufficienti divisione actuum pœnitentiæ resolvit Doctor quæstionem d. 14. cit. q. 2. art. 1. dicens, quod pœnitere secundo modo, scilicet, detestari peccatum non est actus alicujus specialis virtutis, sed est actus cuicùque virtuti appetitivæ communis, quod probat quia quæcumque virtus inclinans ad complacendum in bono honesto, inclinat etiam ad detestandum, & odio habendum, sivè ad displicentiam de malo inhonesto oppositio, ut v. g. Castitas sicut inclinat ad actum castum, ità inclinat ad detestandum actum inhonestum castitati contrarium, & humilitas inclinat ad detestandū actum superbiæ, quia opponitur actui humilitatis, & sic de cæteris. Eodem etiam modo discurrit de pœnitere tertio modo, quod est gratanter acceptare pœnam pro peccato inflictam, quia quæcumque virtus potest esse principium acceptandi, & volendi aliquod objectum, potest etiam inclinare, & esse principium ad acceptandum aliquid in ordine ad illud objectum; per diversas autem virtutes potest acceptare aliud, & aliud objectum, in ordine ad quod possit pœna inflicta pro peccato acceptari; nam si ex Charitate amatur Deus, potest acceptari pœna inquantum reductiva est ad Dei amicitiam. Si autem ex virtute Spei desideratur Deus, ut bonum mihi, ex virtute Spei acceptatur pœna, ut ordinativa ad consecutionem, & possessionem hujus objecti. Si ex virtute timoris cavetur amissio vitæ æternæ, ex ipsa quoque potest acceptari pœna, ut illam amissionem excludens. Si ex amicitia honesta ad seipsum diligit quis sibi munditiam, & innocentiam, ex illa etiam potest acceptare pœnam, quæ solvit reatum, qui infuit. Ità discurrit Doctor loco citato in fine primi articuli, ex quo patet actum quoque illum pœnitendi tertio modo non esse unius specialis virtutis, sed plurimum. Et hanc doctrinam ex Recentioribus præsertim acceptat, & approbat Aversa quæst. 2. de Pœnitentia virtute sect. 2. eamque declarat dicens, sumi posse pœnitentiam generaliter, prout spectat ad omnes, & singulas virtutes in propria materia, quia prorsus ejusdem virtutis est velle aliquod bonum honestum, & nolle malum illi oppositum. Sumi etiam potest pœnitentia circa universitatem peccatorum, prout inclusa in Charitate Dei, vel virtute Spei, vel alia ex virtutibus, peccatum enim potest considerari quasi malum Dei, prout Deo displicet; item ut malum quoddam spirituale ipsius peccantis, quatenus, scilicet, per peccatum mortale amittit homo gloriam æternam, & pœnitentia de peccato primo modo spectat ad virtutem charitatis, secùdo autem modo ad virtutem Spei, quia ad eandem virtutem, quæ gaudet de aliquo bono, spectat dolere de malo oppositio. Rursus consideratur peccatum, ut est contrà legem, & obedientiam generalem, quæ omnia præcepta complectitur, sicque dolere, & pœnitere de peccatis sub hoc motivo ad virtutem obedientiæ pertinebit. Et quatenus peccatum consideratur ut est contrà gratitudinem debitam Deo summo benefactori, ejus detestatio spectabit ad virtutem gratitudinis; ità discurrit Aversa ibidem, quæ est ipsissima Scoti doctrina loc. cit.

6 Tertiò deindè inquit Doctor l. c. quod pœnitere primo modo sumptum est actus cujusdam virtutis specialis sub justitia contentæ, est enim actus justitiæ punitivæ, quæ est pœnitentia propriè dicta, & pariter inquit pœnitere quarto modo, qui est patienter ferre, esse actum virtutis particularis, scilicet patientiæ. Ut autem ostendat pœnitentiam propriè sumptam esse specialem virtutem, & non universalem, ideſt, inclusam in omnibus, quæ odio habent malum propriæ honestati, seù bonitati oppositum, utitur duplici argumento ex duobus mediis deducto, scilicet, à specialitate objecti, & à specialitate circumstantiarum, quod in unum ità reduci potest; Illa est specialis virtus, & à cæteris distincta, quæ peculiare objectum formale habet, & peculiarem laudem, ac difficultatem in objecto suo attingendo; sed pœnitentia primo modo sumpta, quæ est propriè pœnitentia, est hujusmodi; ergo &c. Minor quod attinet ad objectum probatur, nam pœnitentia hujusmodi respicit per se, & formaliter rationem peculiarem objecti, quam nulla alia virtus attingit, respicit enim peccatum, quatenus vindicabile, & per pœnam expiabile, ut ait Doctor lit. C. respicit enim peccatum præteritum, quatenus ut est offensa Dei, potest aboleri, & destrui detestando illud, ut Deus qui anteà propter peccatum fuit homini iratus, fiat eidem propitius, & placatus. Est autem formale hoc motivum pœnitentiæ objectum, neque ab ulla alia virtute respicitur per se, & formaliter nisi à pœnitentia, ut magis infrà patebit, & sine dubio est per se honestum, & expetibile, ut peccatum per pœnam deleatur, ut Deus anteà iratus nobis fiat propitius, & placatus, ac proindè ex hoc objecto habet actus pœnitentiæ peculiarem laudē, & honestatem; an autem pœnitentia, qua peccatum præteritum deletur sit actus absolutus, & efficax, vel conditionatus videndus est Doctor 2. d. 6. qu. 1 & c. 3. d. 15. §. *Aliter potest dici*, ac etiam quod nos diximus q. 1. c. a. 1. n. 10. Quod verò pœnitentia peculiarem quoque habeat difficultatem in objecto suo attingendo, quàm aliæ virtutes circà suum non habent, probatur, nam in hoc ipso etiam, quod sic aboleatur Dei offensa, & reddatur homini Deus ex irato placatus, est peculiaris difficultas à difficultate cujusque virtutis distincta, nam virtus pœnitentiæ cum versetur in peccato præterito distruendo, id homini robur præstat, ut quamvis peccati illecebras, & blandimenta sit expertus adhuc peccatum efficaciter detestetur, quod quidē est multò difficilius; per alias autem virtutes peccata ipsis contraria aversatur quis formaliter, & per se, non ut jam expertus, ut facit pœnitens, sed absolutè, ut habent turpitudinem tali, vel tali virtuti repugnantem, sivè illam quis expertus sit, sivè non; undè nulla virtus per se habet difficultatem illam peculiarem, quàm per se, & formaliter superat virtus pœnitentiæ propter experientiam peccati præteriti, & ideò benè dicebat Doctor loco citato, quod nulla alia virtus versatur circà tale objectum, scilicet, peccatum, ut vindicabile, & per pœnam expiabile, nec actus ullius virtutis habet tales circumstantias, quæ conveniunt actui pœnitentiæ, ut in tale objectum tendenti, scilicet, finem, modum, & hujusmodi. Ex hoc igitur satis patet præter pœnitentiam generaliter sumptam prout spectat ad omnes, & singulas, virtutes in propria materia, dari propriè specialem virtutem pœnitentiæ, quæ omnia peccata complectitur condistinctam à prædictis omnibus virtutibus cujus propria, & specifica ratio est pœnitere, vel pœnam tenere de peccatis formaliter consideratis, quatenus sunt offensa, & injuria Dei, sivè velle satisfacere Deo offenso, & offensam per pœnam assumptam resarcire; in peccato namque considerari potest non solum turpitudo contrà propriam virtutem, non solùm esse quasi malum quoddam Dei, esse malum proprium peccantis, esse contra legem, & obedientiam; sed præterea ratio offensæ & injuriæ contrà Deum, tanquam suprenum Dominum; pœnitere

ergo

ergo de peccatis sub hoc formali motivo est specialis pœnitentiæ virtus à cæteris condistincta. Ità etiam discurrit Aversa loc.cit. ubi quoque hanc virtutem ex humanis deducit, quia etiam inter homines est quædam virtus specialis, quæ unumquemque obligat, ne offendat, & si fortè offenderit, debeat satisfacere, & offensam per pœnam voluntariè assumptam resarcire; similis ergo quædam virtus specialis agnoscenda est hominis erga Deũ & hæc est pœnitentia ab aliis virtutibus condistincta, de qua modò agimus, & rationem inquirimus.

7 Quartò quod attinet ad aliam quæsiti partem de objecto formali pœnitentiæ varii sunt dicendi modi, quos accuratè, & sigillatim examinamus disp. 5. cit. q. 2. art. 1. ubi in fine concludimus probabiliorem dicendi modum esse illorum, qui motivum formalem specialis pœnitentiæ assignant ipsum peccatum, ut vindicabile, hoc est in pœnam commutabile, & per aliquam satisfactionem, vel satispassionem expiabile, quod motivum distinguit pœnitentiam à certis virtutibus, quæ licet peccatum detestentur, ut contrarium proprio objecto, non tamen ulterius tendunt ad illud expiandum per aliquam satisfactionem. Et hic est modus dicendi Scoti loc.cit. & fuit etiam D. Thom. 3. par. quæst. 85. ar. 3. quem benè probat Brancatus noster cum aliis Scotistis disp. 3. art. ult. quia peccatum ex communi sententia est objectum materiale, in quod tendit pœnitentia; sed sub nulla alia ratione tendit in illud, nisi sub ratione vindicabilis, & per pœnam expiabilis; ergò &c. Minor probatur, non enim potest esse peccatum ejus objectum simpliciter sub ratione mali, seù privatione boni alicujus virtutis, quia sic respicitur, vel respuitur à qualibet virtute, cui opponitur; non sub ratione offensæ Dei, ut plures arbitrantur, quia sub hac ratione à charitate respicitur, & respuitur, quæ vult in Deo omne bonum, & respuit omne malum tàm in bonis intrinsecis quàm extrinsecis. Non sub ratione injuriæ, quia sic respicitur à justitia commutativa, quæ dictat compensationem pro offensa, & præscindit à penali, & non penali actione. Nec denique alia ratio est assignabilis in peccato, sub qua respiciatur à pœnitentia, nisi sub ratione vindicabilis, & punibilis, & per pœnam expiabilis, ut patet ex impugnatione aliorum modorum dicendi. Confirmatur, quia sub hac ratione vindicabilitatis ad nullam aliam virtutem pertinere potest præterquam ad pœnitentiam, ut potest inductione ostendi tam in moralibus, quàm theologicis virtutibus; non quidem ad fidem, quæ pro objecto respicit verum à Deo revelatum; non ad Spem, quæ respicit bonum possidendum; non ad Charitatem, quæ respicit bonum amico inexistens, vel inexistere potens. Et ex virtutibus moralibus, non ad fortitudinem, quæ respicit arduum aggrediendum; non ad Temperantiam, quæ respicit mediocritatem in delectationibus; remanet ergò ut ad justitiam pertineat, hæc autem commutativa esse non potest, ut ex dicendis patebit; ergò erit justitia punitiva; justitia autem proprii peccati punitiva est virtus pœnitentiæ, quia tenet pœnitentiam sibi, & non infligit alteri; ergò objectum formale pœnitentiæ est peccatum, quatenus vindicabile. Denique per hunc dicendi modum salvantur omnia, quæ de virtute pœnitentiæ dicuntur, salvatur enim, quod sit virtus, quia vindicabilitas peccati est aliquid eligibile secundùm rectam rationem, salvatur quomodo respiciat peccatum in ratione objecti odibilis, & detestabilis, quod toties in Scriptura, & Patribus inculcatur; salvatur ordo actuum, quos in peccati punitionem elicit, vel imperat pœnitentia, & denique salvantur cætera alia, quæ pœnitentiæ tribui solent, ut ex argumentorum solutione ostendimus quæst. 2. cit. art. 1.

8 Quintò tandem ad declarandum ulterius, quæ virtus sit pœnitentia, jam diximus disp. 5. cit. q. 3. art. 1. esse quandam justitiã ergà Deum, ideoque ad justitiam reduci debere, ut est una, & particularis virtus ex Cardinalibus, ut ex Sacra Scriptura colligitur Baruch 2. *Anima, quæ tristis est super magnitudine mali, dat tibi gloriam, & justitiam Domino*, & probat Scotus q. 2. cit. sub lit. A. hac ratione, quia virtus inclinans ad puniendam transgressionem legis est justitia ex Arist. 10. Ethic. cap. ult. ubi agens de vitiis, & virtutibus legem positivam statuit, quia esset præmiativa virtutum, & punitiva vitiorum, quæ lex ad virtutem justitiæ spectat; sed pœnitentia ad hoc inclinat, ut patet ex dictis, quia actus potissimi pœnitentiæ sunt actus, quibus pœna infligitur pro legis transgressione; tùm quia ad justitiam propriè spectat satisfacere alicui pro offensa illata, resarcire, & compensare injuriam illatam, & hoc propriè præstat pœnitentia ergà Deum; ergò est justitia quædam; & propriè loquendo justitia vindicativa dici debet, seù ejus species, ut docet Scotus loc. citat. lit. F. ubi ait esse actum justitiæ punitivæ, & probatur ex definitione Augustini communiter à Theologis recepta, quod sit *Vindicta puniens in seipso, quod dolet commisisse*, si enim pœnitentia ex sua ratione formali est vindicta, jam essentialiter erit justitia vindicativa. Hoc etiam evidenter deducitur ex Conc. Trid. quia pœnitentiæ Sacramentum est tribunal justitiæ, & non alterius, quàm vindicativæ, ut patet ex sess. 14. cap. 2. ubi ait pœnitentes, tamquam reos stisti antè hoc Sacramentum, & peccatorum remissionem recipere, & c. 5. & 8. dicit ad divinam justitiam spectare pœnitentes recipere, & pœnam remanere peccantibus post baptismum, pro qua ordinatur opus satisfactorium, quod aliter appellat pœnas satisfactorias, quarum necessitatem ostendit ex condecentia divinæ justitiæ peccatum vindicantis, undè c. 8. ipsum satisfactionis opus pœnam vocat; ergò est propriè actus justitiæ vindicativæ satisfactionem pro peccatis præscribere. Et tandem probatur ratione ex his deducta, quia Deus ex justitia vindicativa ordinat peccatum per pœnam, & actus pœnitentiales in hoc Sacramento ex Conc. l. c. sed etiam est finis exequentis pœnam, seù Ministri, & ipsius Judicis; peccator autem est Minister exequens in seipsum, vel contrà seipsum pœnam mediante virtute pœnitentiæ; ergò virtutis pœnitentiæ finis proprius, & intrinsecus est vindicare peccatum; minor probatur, quia ut minister ordinatè procedat, debet procedere ex fine legis, & legislatoris, cùm idem sit finis potestatis ministerialis, & principalis causam delegantis.

9 Sed Objicies, justitia est ad alterum, pœnitentia est ad se; ergò non est justitia, nec ad justitiam pertinet. Confirmatur, quia potest pœnitens satisfacere Deo per actum temperantiæ, & fortitudinis, sed tales actus non sunt justitiæ, nec ordinantur ad alterum; ergò &c. tandem proprium est justitiæ ponere æqualitatem inter excessum, & defectum, implicat autem creaturam ponere æqualitatem inter excessum peccati, & defectum offensæ, quia nullam possumus pro offensa Dei condignam offerre satisfactionem; ergò &c.

Respondet Doctor q. cit. lit. D. justitiam non esse ad alterum simpliciter, & absolutè loquendo, sed ad alterum, vel quasi ad alterum; & sic etiam se habet pœnitentia, nam actum vindicandi peccatum potest aliquis eodem modo secundùm rectam rationem exercere in seipsum, sicut in alterum; quando enim exercet in seipsum, non exercet in se, nisi ut in alterum, quia exercet in se, nisi inquantum sibi committitur à legislatore in istum reum vindicare, accidit autem, quod iste, cui committitur, ut Ministro judicis, sit ipse reus, quia eodem modo exerceret secundùm rectã rationẽ Ministri in reũ, si esset omninò alius in persona, hoc, inquam, accidit in justitia, sicut accidit Medicinæ, quod Medicus sanet seipsum, cùm ipsa respiciat sanabile, ut sic. Ad Confirmationẽ dicendum, quod potest pœnitens Deo satisfacere per actus temperantiæ, & fortitudinis elicitivè solùm, nam potest pœnitentia quoscunque actus virtutis imperare, & per tales actus à se imperatos, & à propriis virtutibus elicito Deo satisfacere, in quo casu actus illarũ virtutum imperativè tantùm erunt pœnitentiæ; elicitivè autem illius erunt virtutis, ex cujus motivo proximè eliciuntur. Ad ultimum probat tantùm pœnitentiam non esse justitiam simpliciter perfectam, & rigorosam, quod gratis concedimus, quia talis inter Deum, & Creaturam non datur, ut dictum est l. 3. sent. disp. 3. de Merito Christi qu. 5. a. 3. sed veluti secundùm quid, ac deficientem à rigore justitiæ, ut latè explicamus qu. 3. a. 1. n. 49. Instabis pœnitentiam saltem non esse justitiam vindicativam, quia hæc verè, & propriè est in Judice, non in reo, sicut est pœnitentia; Tùm quia justitia vindicativa per se non intendit reconciliationem, sed æqualitatem compensæ, nam sæpè inter inimicos datur æqualis compensatio, & justa solutio absque reconciliatione; at pœnitentia per se intendit destructionem peccati ut cum Deo amicitia recuperetur. Respondetur ex modò dictis justitiam vindicativam non esse in Judice tantùm, sed vel in ipso, vel in Ministro ab ipso delegato, quia dum Judex vindictam justè imperat, & ex recto dictamine legis, Minister ad intentionem Judicis exequens justè agit, & actum justitiæ exercet; sic autem pœnitens dicitur in seipso punire, & vindicare peccatum, ut Minister Dei legislatoris, undè justitia vindicativa non ei convenit, ut reo, sed ut Dei ministro in tali causa constituto. Ad Confirmationem dicendum, quod quamvis peccator per pœnam Deo reconcilietur, hic tamen non est finis præcipuus, & proximus pœnitentiæ, sed remotus, & minus principalis, ut docet Doctor cit. lit. F. ubi ait, quod quamvis peccator per pœnitentiam Deo reconcilietur, ipsa tamen pœnitentia vindicativa non est principaliter ad hanc reconciliationem ordinata, sed potiùs ad commutationem culpæ in pœnam, seù ad justam correspondentiam, quam lex exigit inter culpam, & pœnam.

ARTI-

ARTICULUS SECUNDUS.

An Pœnitentia sit virtus infusa, vel acquisita, & ejus actus sint supernaturales, & quomodo.

10 EXplicato pœnitentiæ objecto cum suo modo, quo debet attingi ad quidditatem ejus pœnitus declarandam, remanet explicandum, an sit virtus infusa, vel acquisita, & an actus ejus sint supernaturales quoad substantiam, vel tantùm quoad modum, & sermo est de pœnitentia Christiana, quæ ad gratiam aliquo modo disponit sivè mediantè Sacramento, sivè extrà, sivè remotè, sivè proximè; sunt autem actus pœnitentiæ sicut etiam cujuslibet habitus, alii eliciti, alii imperati; eliciti sunt, quos ipsa physicè producit, & hi quidem omnes intrinsecè tendunt sub motivo formali pœnitentiæ; imperati verò, quos non causat physicè, sed alias inducendo virtutes, ut eos eliciant; etenim ut dictum est lib. 2. sent. disp. de actibus humanis, quælibet virtus potest imperare actus aliarum virtutum eos dirigendo, & extrinsecos ordinando in finem, quem ipsa respicit, & ad quem illi sunt apti, & idonei, undè regula universalis est eos omnes actus posse à pœnitentia imperari, qui utiles apprehendunt ad finem pœnitentiæ consequendum; actus autem aliarum virtutum, tam interni, ut charitatis, fidei, quàm externi, ut eleemosynæ, jejunii, & orationis apti sunt, & idonei ad vindicationem, & compensationem peccati à pœnitentia intentam, veluti præcipuum ejus finem, & intrinsecum, ut superiùs dictum est.

11 Primò itaque quæsiti resolutio quoad primam partem, an scilicet, pœnitentia sit virtus infusa, vel acquisita, ut jam diximus q. 3. cit. art. 2. pendet ex doctrina jam tradita, lib. 3. sent. disp. 6. de virtutibus moralibus qu. 2. ubi conclusum est præter virtutes Theologicas non dari alias morales per se infusas, ut communiter tenent Thomistæ, & articulo primo in fine, id etiam de virtute pœnitentiæ asseruimus cum Scoto distinct. 14. cit. q. 2. in solutione ultimi principalis, & qu. seq. & communiter etiam defendunt Scotistæ, & alii Recentiores; ubi tamè advertendum est, quod quando Doctor ait loco cit. pœnitentiã esse virtutem moralem, acquisitam quoad habitum, & non per se infusam, intelligitur in eo sensu, & rigore, quo Theologi de virtute per se infusa loquuntur, & eo modo, quo virtutes Theologicas Fidem, Spem, & Charitatem, virtutes per se infusas appellant, hoc est habitus quoad substantiam supernaturales totaliter, & immediatè in anima à Deo causatos, quia de ratione entis à Deo infusi in hoc sensu est, ut Deus activè totaliter physicè causet id, quod in subjectum aliquod infundit, ut patet de infusione animæ, luminis gloriæ, & virtutum Theologicarum. Non autem loquimur in sensu Patrum, qui infusum appellare solent, quodcunque gratuitè à Deo donatum, & ejus gratia obtentum, ad quod natura propriis viribus pertingere non potest, nam in hoc sensu pœnitentia Christiana, quæ est dispositio ad justificationem, utique infusa dici potest, & debet, quatenus divina gratia auxiliante, & excitante, donatur mediante suo actu, nam actus pœnitentiæ, ut sit fructuosus, & ad justificationem disponat, gratiam auxiliantem, & excitantem requirit, ut Patres, & Concilia frequenter docent, & in hoc sensu pœnitentia est virtus supernaturalis, ut supernaturale distinguitur contra id, quod fit viribus solius naturæ sine adjutorio gratiæ specialis, non autem ut significat virtutem infusam supernaturalem quoad substantiam in sensu, quo jam frequentius sumitur à Theologis, quatenus distinguitur contra virtutem acquisitam moralem.

12 Secundò, hac de causa Doctor loc. cit. duplicem secernit pœnitentiam cum August. lib. de vera, & falsa pœnitentia, unã fructuosam absolutè possibilem ex naturalibus hominis, alteram fructuosam, quæ est opus Dei ab ejus misericordia inspiratum, etenim ut docet ipse 3. dist. 33. & 36. omnis virtus appetitiva, qualis est pœnitentia, quia est in voluntate, habet sua peculiaria dictamina in intellectu, à quibus in suis actibus regulatur, quorum aliqua sunt merè naturalia, id est, habita absque ulla revelatione, sed solo naturæ dictu, ut v. g. quod Deus supremum Numen, & prima causa est colenda: quod tibi non vis, alteri ne feceris, & his similia, quæ dictat natura, & sic virtus, quæ tali lumine regulatur, nequit respicere objectum supernaturale, quatenus tale, quia omnis actus, vel habitus objectum supernaturale sic respiciens à lumine supernaturali fidei principium habet, & originem trahit, & hoc modo virtus pœnitentiæ in pagano quoque, & infideli dari potest cum dictamine naturali, quod omne malum est puniendum, hæc tamen virtus ejusque actus supernaturalia, ut sic, non respicit. Cetertùm præter hæc dictamina naturalia dantur etiam dictamina revelata, hoc est, per fidem nota, ut sunt dictamina Decalogi, & aliorum revelatorum in lege nova, & veteri, quæ possunt regulare virtutes naturaliter acquisitas, quarum actus ex tali dictamine eliciti, & cum auxilio etiam supernaturali objecta supernaturalia respicere possunt, & sic de pœnitentia dicimus in proposito, quod supposito dictamine revelato, & credito Deum offendi per omne peccatum, ejus gratiam amitti, & obligationem ad pœnam æternam remanere, insuper Deum per vindictam, & dolorem de peccato commisso placari, si hujusmodi actus ex tali dictamine eliciantur, & supernaturali auxilio, talis actus est supernaturalis, & respicit objectum supernaturale, etiamsi ab habitu naturaliter acquisito procedat, ut etiam Brãcatus noster advertit disp. 1. q. ult. cum alii Scotistis.

13 Tertiò, plures rationes ad nostram assertionem probandam Scotistæ adducere solent, quæ generaliter probant non dari virtutes morales per se infusas ab acquisitis distinctas; peculiaris tamen, & magis convincens pro pœnitentia virtute est ista; ut diximus quæst. 3. cit. art. 2. quod nulla est necessitas, aut fũdamentum statuendi actum pœnitentiæ, ut virtutis per se infusæ, nisi in ordine ad delitionem peccati, quod ineſt, & non remittitur, nisi supposita pœnitentia, & per ipsam, tanquam per dispositionem præviam, ut patet ex Concilio Tridentino sess. 6. cap. 5. 6. 7. & 14. sed pœnitentia per se infusa inutilis est ad hũc effectum; ergo frustra, & sine fundamento ponitur. Major patet, quia nec Scriptura, nec Patres, nec Concilia alium usum pœnitentiæ tribuunt, vel agnoscunt; Minor probatur, quia prius natura habet homo dolorem de peccatis, quàm Deus illum justificet; ergo talis dolor non est elicitus à pœnitentia infusa, & hic actus semper præcedit ejus infusionem; consequentia patet quia pœnitentia infusa secundùm Adversarios non infunditur, nisi in ipso justificationis instanti; quare si pœnitentiæ actus præcedit justificationem, ut ejus prævia dispositio, etiam præcedet pœnitentiam infusam, atque ideò hæc necessaria non erit, siquidem absque tali habitu infuso Deus acceptavit pœnitentiã actualem ex dictamine revelato, & auxilio supernaturali præcedentem. Confirmatur, quia impossibile est, quod actus, qui est causa disponens subjectum ad infusionem alicujus habitus producatur ab illo eodem habitu infuso, quia idem esset causa, & effectus respectu ejusdem, quod implicat, & hoc etiam universaliter verificatur in dispositionibus ad alias formas, nam calor lignum disponens ad introductionem formæ ignis, non producitur à forma genita ad quam disponit, sed comproducitur ab ipso igne; Ignis enim producens formam in ligno simul producit calorem ultimò disponentem lignum, & ipsam formã ignis. Neque obstat quod urget, & sæpius inculcant Thomistæ, actum pœnitentiæ, ut sit fructuosus, & dispositio sufficiens ad gratiam, & justificationem esse debere supernaturalem, atque ideò talem actum ab habitu supernaturali, & infuso procedere debere. Non obstat, inquam, quia ut fusè discurrimus loc. cit. ad supernaturalitatem actus, ut sit sufficiens dispositio ad justificationem, minimè opus est, quod ab habitu infuso sit elicitus, sed sufficit, quod sit ab una causa supernaturali, nempè ab auxilio speciali, nec aliam causam hujus actus supernaturalem requirit Concil. Trident. sess. 6. cap. 5. & 6. definit enim ibi contra Pelagianos, & Semipelagia nos illos actus non fieri sine adjutorio Dei speciali, & solis liberi arbitrii viribus dicens: *Si quis dixerit sine præveniente Spiritu Sancti gratia, atque ejus adiutorio, &c.* & hoc idem definiunt Patres, & Augustinus post Conciliũ Diospolitanum art. 7. de aliarum vitutum actibus, ut sint sufficientes dispositiones ad justificationem, quas non ob id licet cõstituere infusas, & denique omnia, quæ in hac materia decernunt Patres, & Concilia, concernunt actum, & non habitum, & ideò nihil faciunt ad rem, ut fusè prosequimur loc. cit. ubi solvimus quæcunque Thomistæ in oppositum obiiciunt.

14 Quartò quoad aliam quæsiti partem, an hi actus, ut à pœnitentia procedunt, sint naturales, vel supernaturales, & quomodo, advertendum est pro quæsiti intelligentia, quod supernaturalitas est duplex, prima quoad substantiam, quæ excitativè est suprà omnem exigentiam, & capacitatem subjecti, & à sola natura produci potest, ut gratia, visio beata, habitus infusi, qui à solo Deo, vel non nisi media aliqua causa creata supernaturali produci possunt; Altera quoad modum, quæ solum se tenet ex parte producentis, vel modi producendi, ut cùm effectus ettò secundùm entitatem suam præcisè spectatam naturæ facultatem transcendat, modus tamen, quo producitur, prorsus naturæ facultatem excedit, quo pacto visus cæco nato restitutus, & revocatio defuncti ad vitam effectus dicuntur supernaturales, quia licet in se entitativè sint naturales, quia tamen sunt suprà, ac præter exigentiam naturæ, quia in his circumstantiis, & dispositionibus visus, & vitæ productionem non postulat, ideò dicuntur supernaturales quoad modum. Quæritur ergò in proposito, an actus pœnitentiæ sint supernaturales quoad substantiam, vel tantùm

quoad modum; & pro resolutione jam diximus dist. 5. cit. qu. 4. art. 1. quod quamvis dari possit actus vindicandi, & detestandi peccatum, qui sit naturalis ex parte intellectus ratione dictaminis, & ex parte voluntatis ratione principii, hoc est sine auxilio supernaturalis gratiæ; actus tamen pœnitentiæ, qui disponit ad justificationem, & gratiam est supernaturalis tàm ratione dictaminis, quàm ex parte principii, scilicet, divini auxilii concurrentis. Hoc assertum est Scoti 4. dist. 14. q. 2. ar. 2. & in fine quæstionis, ubi docet dari pœnitentiam duplicis generis, ut dictum est, unam fructiferam, idest, ferentem fructum, ut veniam peccatorum, & gratiam, quam proindè dicit esse meritum de congruo, seù dispositionem reipectu justificationis; aliam verò non fructiferam, idest, hos effectus non ferentē, & primam dicit sine amore Dei haberi non posse; secundam verò ait absolutè ex puris naturalibus hominis innasci posse, & ead. dist. 14. q. 3. ab initio A. B. & C. duplicem rursus ait dari posse pœnitentiam, unam naturalem, idest, naturali lumine notam, quandam verò supernaturaliter notam, idest, fide, & habentem dictamen supernaturale dictans, quæ pœna, & quomodo sit à pœnitente tenenda. Et quidem, quod possit dari actus detestandi peccatum, qui sit naturalis ex parte dictaminis, ac proindè quod possit peccator peccatum detestari ex puris naturalibus solo influxu generali, probatur, quia peccator naturaliter cognoscere potest peccatum esse offensivum Dei, & aversivum ab ipso, ut ab auctore, gubernatore, & fine naturæ; ergò sub hac ratione potest illud ex puris naturalibus detestari. Et simili ratione probatur dari posse actum detestandi peccatum, qui sit naturalis ex parte principii, idest, sine auxilio supernaturali, quia possunt dari actus aliarum virtutum moralium absque auxilio supernaturali gratiæ, quia auxilium supernaturale non tàm datur ad superandam difficultatem actus, quàm ad proportionandum illum fini; cùm ergò actus detestandi peccatum ex fine naturali bono, sicut & actus aliarum virtutum ex eodem fine facti proportionem habeant cum objectis, potentia, fine, & aliis circumstantiis, nil obstat, quin fieri possint à potentia naturali absque aliquo principio, seù auxilio supernaturali.

15 Quod verò prædictus actus pœnitentiæ naturalis non sit meritorius gratiæ de congruo, neque sufficiens dispositio ad justificationem, quæ est altera pars asserti, probatur, quoniam actus pœnitentiæ, qui disponit ad justificationem, & gratiam, est donum Dei, & Deo tribuitur, ut speciali auctori, & ex speciali ejus motione pendet, ità habetur Jeremiæ 31. *Postquam enim convertisti me, egi pœnitentiam*, in quem locum Hieronymus ait, *Ergò idipsum, quod agimus pœnitentiam, nisi Dei nitamur auxilio, implere non possumus*, & ad Timot. 2. inquit Apostolus: *Ne quando Deus det illis pœnitentiam ad cognoscendam veritatem, & resipiscant à Diaboli laqueis*; in quem locum ait Chrysostomus. *Et quis hoc dat, nisi qui respexit Petrum negantem, & fecit flentem?* Sic etiam olim ab antiquis Patribus, & Conciliis contrà ipsum Pelagium decretum fuit, ut habetur in Concilio Palestino art. 12. *Ut fateatur secundum gratiam, & misericordiam Dei veniam pœnitentibus dari, non secundum merita eorum, quandoquidem etiam ipsam pœnitentiam esse donum Dei dixit Apostolus, ubi ait, Ne quando det illis Deus pœnitentiam*, quæ autem merè naturalia sunt, non dicuntur specialia dona Dei, cùm sint omnibus communia. Hoc idem sancitum fuit in Conc. Trid. sess. 6. can. 3. *Si quis dixerit sine Spiritus Sancti inspiratione, & ejus adjutorio hominem credere, sperare, diligere, aut pœnitere posse sicut oportet, ut ei justificationis gratia conferatur, anathema sit.* Ex quo etiam deduci potest ratio, quia actus pœnitentiæ Christianæ hominem disponit ad justificationem, per hoc enim à quavis alia pœnitentia distinguitur, quæ ad hoc non sufficit, siquidem per illa verba *ut oportet* innuitur dari aliqua alia pœnitentia, quæ ad justificationem non disponit; quod autem ad justificationem disponit, solis naturæ viribus fieri nequit, ut definitum est in Concilio Arausicano 2. can. 6. 9. & 10. & in Trident. loco cit. alioquin sola natura justificationem inchoare posset contrà divina oracula; ergò pœnitentia naturalis prodiès à libero arbitrio cum solo concursu generali Dei neque est dispositio ad gratiam, neque meritoria de congruo ad expiationem peccati, & justificationem peccatoris. Ex quibus testimoniis deducitur actum pœnitentiæ Christianæ, quæ est sufficiens dispositio ad justificationem, non tantùm esse debere supernaturalem rationem dictaminis ex parte intellectus, sed etiam ex parte voluntatis ratione principii, scilicet, auxilii divini moventis, & concurrentis; & hoc insinuare voluit Trident. cum inquit: *Si quis dixerit sine Spiritus Sancti inspiratione, & ejus adjutorio*, &c. nam per inspirationem significat dictamen per revelationem, vel illuminationem ex parte intellectus, & per ejus adjutorium denotat speciale auxilium, & specialem motionem ex parte voluntatis. Et hanc fuisse germanam, & perpetuam Doctoris nostri sententiam fusè demonstramus l. cit. ubi etiam convincenter reiicimus calumniam, ei communiter impositam, quod 4. dist. 14. quæst. 2. §. de 2. principali docuerit posse peccatorem ex suis viribus naturalibus cum communi influentia Dei pœnitere de suis peccatis, hancque pœnitentiam esse dispositionē de congruo ad infusionem gratiæ, & remissionem peccati. Hoc enim falsò imponitur Doctori nostro, ut latè discurrimus ibidē.

16 Quintò tandem diximus quæst. 4. cit. ar. 2. quod quamvis actus pœnitentiæ Christianæ, ut sit sufficiens dispositio ad justificationem peccatoris, debeat esse supernaturalis, ut dictum est, non tamen est supernaturalis quoad substantiam, ut communiter Thomistæ asserunt, & alii Recentiores, sed tantùm quoad modum. Quod quidem deducitur ex dictis lib. 3. sent. disp. 6. de virtutibus Theologicis qu. 6. ubi diximus etiam actus supernaturales earum credendi, sperandi, & Deum super omnia diligēdi non esse supernaturales quoad substantiam, & entitatem, sed tantùm quoad modum; quod ibi præsertim deduximus ex discrimine actuum supernaturalium patriæ, quales sunt visio, & fruitio beata, ab actibus supernaturalibus viæ credendi, sperandi, & Deum super omnia diligendi, quando namque Patres, & Concilia de actibus patriæ loquuntur glorioſis, & beatificis, absolutè negant posse rationalem creaturā per proprias vires naturales videre Deum, eoque beatè frui absque speciali elevatione per lumen gloriæ facta, aut consimile auxilium speciale, ut constat ex Conc. Viennen. in Clementina, quæ ibi citatur *Ad nostram de Hæreticis*. At quando de actibus viæ loquuntur supernaturalibus credendi, sperandi, &c. & dicunt speciale auxilium ad eos exercendos esse necessarium, non sic absolutè loquūtur, sed cum quadam limitatione, ut constat ex Conc. Trid. sess. 6. cit. can. 3. dicente hominem non posse sine gratia, & speciali auxilio credere, sperare, & Deum super omnia diligere, *ut oportet ad hoc ut ei justificationis gratia conferatur*, quo loquendi modo indicat dari posse alios actus harum virtutum, qui non sint *sicut oportet* ad justificationem, & vitam æternam, hoc est, qui sint naturales secundùm substantiam, non supernaturales; si enim exprimere voluisset esse simpliciter, & absolutè supernaturales secundùm substantiam, & non tantùm secundùm eam circumstantiam *sicut oportet* adeò quod liberum arbitrium viribus propriis actus illos secundum substantiam attingere non possit; nulla aderat necessitas illam particulam apponendi *sicut oportet*, sed absolutè dicere poterat hominē sine gratia non posse credere, sperare, & diligere, ut justificationis gratiam consequatur, sicut absolutè loquitur Concil. Viennen. de actibus beatificis patriæ.

17 Cùm igitur Conc. Trid. sess. 6. cit. can. 3. eodem modo loquatur de actu pœnitendi, qui est dispositio sufficiens ad justificationem, dicendum est hunc pariter actum esse supernaturalem duntaxat quoad modum, non quoad substantiam. Imò potiori ratione de actu pœnitendi id est asserendum, quàm de actu credendi, sperandi, & Deum super omnia diligendi, quia isti sunt actus virtutum Theologicarum, & infusarum, non autem actus pœnitendi, quia pœnitentia ex dictis non est virtus Theologica, neq; infusa; quarè si hoc non obstante adhuc actus credendi, sperandi, & diligendi Deum sunt in nostra sententia actus supernaturales tantùm quoad modum, non quoad substantiam, id tantò magis dicendum erit de actu pœnitendi. Et planè dùm Concilium ad pœnitendum, sicut oportet, ut justificationis gratia conferatur, requirit auxilium speciale, non obscurè indicat dari quoque aliquod pœnitere ejusdē rationis quoad substantiam, ac entitatem physicam, sed non cum illo modo *sicut oportet*, ad quod non requiritur speciale auxilium; hoc autem aliud esse non potest, quàm actus pœnitentiæ naturalis, qui quoniam ex supernaturali motivo non procedit, neque ex aliquo speciali concursu indebito, non est sufficiens dispositio ad justificationem, cùm nullus actus sufficiens dispositio ad justificationem esse possit, ne quidem remota, nisi ex speciali auxilio Dei dato per Christum procedat, ut docent Concilia, & Patres, cùm omnis dispositio ad justificationem à gratia Dei inchoari debeat. Objectiones autem Adversariorum contrà allatam doctrinam vide solutas loc. cit.

QUÆSTIO SECUNDA.

De actibus contritionis, & attritionis.

18 Duplex extingui solet pœnitentia Christiana, ut diximus disp. 6. cit. quæst. 5. ab initio, altera perfecta, quæ Contritio dicitur; altera imperfecta, quæ Attritio nominatur, quæ distinctio præsertim intelligitur de pœnitentia sumpta pro pœnitudine de peccatis præteritis cum proposito ampliùs non peccandi, & ap-

& approbantur à Conc. Trid. sess. 14. cap. 4. ubi eam perfectam appellat, quæ vim habet justificandi ex se independenter à susceptione Sacramenti, & per se sufficiens est ad remissionem culpæ; Imperfectam verò, quæ quidem suo modo utilis est, & saltem remotè ad justificationem disponens, sed de se non sufficit ad justificandum, sufficit autem cum susceptione Sacramenti Baptismi, vel Pœnitentiæ. Ratio autem hujus dispositionis est, quia omnis pœnitentia, aut peccatum detestatur ex supremo, & perfectissimo motivo, quatenus Dei offensa est, & sic dicitur pœnitentia perfecta, seù Contritio, aut ex aliquo motiuo infrà Deum, & sic dicitur pœnitentia imperfecta, seù Attritio. Conveniunt autem in hoc Contritio, & Attritio, quod utraque est actus supernaturalis ex auxilio supernaturali procedens, ut colligitur ex Concil. Trid sess. 6. cap. 6. & 14. ubi decernit, quod nulla pœnitentia, etiamsi cum Baptismi susceptione sit connexa sit sufficiens ad justificationem, nisi à gratia excitante, & adjuvante oriatur, & sess. 14. cap. 4. illam contritionem imperfectã quæ Attritio dicitur, declarat donum Dei esse, & Spiritus Sancti impulsum, non adhuc quidem inhabitantis, sed tantùm moventis, quo adjutus viam sibi ad justitiam parat. Conveniunt etiam in hoc, quod uterque actus, tam attritionis, quàm contritionis debet esse adeò efficax, ut formaliter, vel saltem virtualiter includat propositum de cætero non peccandi, itaut simpliciter voluntatem avertat ab effectu peccandi, aliàs enim esse non poterit sufficiens dispositio ad gratiam, cujus infusioni affectu peccandi adversatur, undè pœnitentia definitur sess. 14. cap. 4. quod *est animi dolor, ac detestatio de peccatis commissis cum proposito non peccandi de cætero*. Cùm ergò Contritio, & Attritio in his rationibus conveniant, & aliis quoque conditionibus ad rationem veræ pœnitentiæ necessariis inferius assignandis, uunc videndum est, in quibus differant, & quomodo ab invicem distinguãtur, quod patere non potest, nisi priùs vestigando utriusq; essentiam, & formalem rationem.

ARTICULUS PRIMUS.

De actu Contritionis pœnitentiæ perfectæ.

19 SUmendo igitur Contritionem in rigore pro pœnitentia perfecta, & prout ab attritione distinguitur, opus est explicare quid sit, sivè per quid hæc perfecta pœnitentia constituatur. Contritio itaq; propriè dicta solet à Theologis definiri, quod sit detestatio de peccato commisso cum proposito non peccandi de cœtero ex motivo charitatis, vel est detestatio peccati propter Deum summè delectum, vel est dolor, quem quis concipit de peccato ex eo, quod diligat Deum super omnia amore amicitiæ. Ex quo deducitur, quod ut contritio sit proxima dispositio ad gratiam debet procedere ex supernaturali Dei dilectione, quod colligitur ex Trid. sess. 6. c. 6. ubi describens pœnitentiam adultorum ad justificationem necessariam, docent eam ex dilectione Dei procedere, & sess. 14. cap. 4. affirmat pœnitentiam, quæ extrà Sacramentum hominem cum Deo conciliat, esse charitatem perfectam, deducitur etiam ex scriptura Luc. 7. *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum*. ubi peccatorum remissio dilectioni Dei tribuitur, ita etiã passim docẽt Patres præsertim August. serm. 7. de tempore, ubi ait: *Pœnitentiam certam non facit, nisi odium peccati, & amor Dei*. Accedit tandem ratio, quia contritio debet esse per se sufficiens dispositio ad gratiam, & remissionem peccati mortalis; ergò debet includere aversionem à peccato, quæ per odium ejusdem habetur, & conversionem ad Deum, quæ fit per actum amoris Dei super omnia; pro cujus majori declaratione discurrendum est breviter per singula, quæ disputari solent, an sint ad contritionem requisita, ex dictis quæst. 5. cit. art. 1. & seq.

20 Primò itaque quæritur, quo pacto contritio includat hanc supernaturalem Dei dilectionem, an, scilic. requiratur formalis amor Dei, & explicitus, an sufficiat virtualis saltem, & implicitus. Affirmant aliqui necessariam esse dilectionem formalem imperantem, quod probant, quia ex Scriptura, & Patribus perfecta pœnitẽtia procedit ex dilectione Dei; ergo procedit ex illa tãquam ex actu imperante distincto, quod etiam Trid. innuere videtur l. c. ubi dilectionem Dei requirit, ut causam pœnitentiæ, & detestationis peccati; ex qua doctrina hæc etiã ratio conficitur, electio medii posterior est semper intentione finis juxtà illud axioma, ordinatè volens prius vult finẽ, deindè media ad finem; sed contritio peccati per ejus detestationem est mediũ ordinatũ ad dilectionem Dei; ergò prius est volita dilectio Dei, quàm contritio eliciatur. Ita Canus, Soto, Coninch. Lorca, & alii Recentiores, & ex nostris Faber disp. 16. cap. 1. Diximus tamen l. c. quod licet regulariter loquendo perfecta contrio supponat dilectionem Dei formalem, à qua imperetur, absolutè tamen loquendo, potest justificari peccator absque formali amore per detestationẽ perfectam peccati includentem in se virtualiter Dei amorem, atq; ita perfecta contritio non necessariò simpliciter supponit dilectionem Dei formalem, sed sat est virtualis, quam includit in actu ipso detestationis propter Deum elicito. Et hæc assertio quoad utramque partem deducitur ex Scoto d. 14. cit. qu. 2. §. *In ista quæstione*, vers. *alia conclusio*, ubi ait; quod licet regulariter charitati conveniat uti actu pœnitentiæ, interdum tamen etiam actus ipse charitatis ab actu pœnitentiæ imperari potest, & ita tenent non solùm Scotistæ communiter, sed etiam Suarez. Vasq. Aversa, Amic. Card. de Lugo, & alii recentiores, quod pluribus probavimus loc. cit. sed ratione præsertim, quia non repugnat inveniri veram contritionem sine formali actu amoris Dei super omnia, siquidem hujusmodi actus differunt objectis, quorum unum sine altero menti obiici potest, potest enim peccator considerare peccatum, ut divinæ bonitati summè repugnans, & illud repræsentare voluntati, ut tale, quamvis non apprehendat explicitè Deum, ut super omnia amandum, ac proindè poterit voluntas in tali casu elicere unum actum, nempè perfectæ detestationis peccati, quamvis alium non eliciat, & eritadhuc vera contritio, quia amor Dei super omnia in tali actu virtualiter continetur; ex eo enim quod vera contritio peccatum detestatur, tanquam divinæ bonitati summè repugnans, ex vi illius ferretur in Deum per actum amoris super omnia, si Deus tanquam amandus obiiceretur. Hoc etiã confirmat Card. de Lugo disp. 5. de pœnit. sect. 7. quia idem est idem detestari peccatum ex motivo charitatis, seù quia malum Dei est, ac velle Deo carentiam peccati, licet quoad modum tenendi differant hi duo actus, sicut etiam hi actus, quo volo Petro visum, vel quo nolo Petro esse cœcum, nam licet unus sit per modum fugæ, & alter prosecutionis, re tamen vera habent idem objectum saltem virtualiter, undè fit actum contritionis, qui ex motivo charitatis fit, semper esse actum dilectionis, licet non ità explicitum, ac si tenderet per modum prosecutionis, undè concludit contritionem sine alio actu amoris sufficere, quia ipsa semper est actus amoris saltem virtualiter.

21 Hinc patet solutio fundamenti oppositæ sententiæ, quando enim Scriptura, & Patres dicunt ad contritionem perfectã necessariò requiri dilectionem Dei, loquuntur de pœnitentia, quæ ordinariè concipitur ex dilectione formali imperante, quippè quæ perfectior est, & usitatior; Vel non sunt intelligendi tantùm de dilectione formali, sed etiam virtuali, qui casus tunc contingit, quando peccator justificatur absque proprio, & formali actu amoris Dei re ipsa tunc elicito, sed per detestationem perfectam peccati, quæ & virtualiter, & voto amorem Dei includit, qualis est detestatio peccati, quatenus est contrà bonum Dei in se, quæ detestatio verè dici potest propter Deum summè dilectum, quia est elicita, ex charitate ejus, & respiciendo solùm ad bonitatem, & amicitiam ipsius, undè est verè actus charitatis non minus, quam dilectio formalis; non tamen hæc dispicentia est amor Dei formalis, quia non est formaliter actus prosecutionis, sed fugæ, nec tendit in Deum, ut in objectum *Quod*, sed solum tanquam in motivum *Quo*, quatenus respicis illum, ut rationem proximam detestandi peccatum. Ad rationem dicendum est, quod estò contritio peccati per ejus detestationem possit esse medium ordinatum ad dilectionem Dei, imò ità sit regulariter loquendo; tamen interdum etiam potest esse medium ordinatum ad finem charitatis absque formali dilectione Dei; potest enim peccator considerare peccatum, ut divinæ bonitati summè repugnans, quod est motivum charitatis, & illud repræsentare voluntati, ut tale, quamvis non apprehendat explicitè Deum eliciet super omnia amandum; in quo casu voluntas actum perfectè detestationis peccati sine actu formali amoris Dei, ut enim actus dicatur formalis amor Dei non est satis, quod sit elicitus à charitate, quia charitas habet unum objectum primarium, quod est Deus, & alia secundaria; ex quibus quædam amat propter Deum, ut proximum, alia odio habet, ut peccatum; undè in illo casu detestatio peccati est amor Dei virtualis tantùm, non formalis, & est actus non ab ipsa charitate imperatus, sed formaliter ab ipsa charitate elicitus, quod fusius adhuc declaramus loc. cit. quæst. 5. art. 1. num. 91. & seq.

22 Secundò quæritur, an sit de ratione Contritionis, ut sit sufficiens dispositio ad justificationem extrà Sacramentum, quod sit ex motivo charitatis. Affirmant Thomistæ communiter, & Neoterici ut actus contritionis proximè disponat ad gratiam, & peccati remissionem extrà Sacramentum debere esse ex motivo charitatis, ac proindè Contritionẽ definire solent *esse dolorem de peccatis propter Deum summè dilectum*, & colligunt ex Scripturis, & Patribus, qui dicunt amorem Dei ad justifica-

tionem requiri formalem, vel saltem virtualem, qui utique non haberetur, si motivum charitatis non interveniret, quarè Vas. quez quæst. 75. art. 2. erroneam censet sententiam dicentium actum Contritionis, qui non sit dilectio, vel ex illa proficiscatur, sufficere ad justificationem, & hanc etiam opinionem sequuntur Suarez, Valentia, Bellarminus, Coninchius, Amicus, & plures alii, ac etiam ex nostris Poncius disp. 45. qu. 2. Nos tamen dixi mus loc. c. quod licet pœnitentia de peccatis ex motivo formali charitatis, & dilectionis Dei sit perfettissima contritio, de qua maximè verificatur, quod sit proxima dispositio ad gratiam justificantem; adhuc tamen contritio, & pœnitentia de peccatis ex motivo justitiæ, quatenus peccata sunt contrà debitum, & contrà jus Dei, vel ex alio motivo spectante ad Deum, probabiliter videtur esse sufficiens in ratione ultimæ, ac proximæ dispositionis ad justificandum peccatorem. Ità colligitur ex Scoto 4. dist. 14. qu. 2. §. *Ad secundum*, ubi dicit, quod potest præcedere actus intentionis, seù voluntatis vindicandi peccatum, qui non est actus charitatis, vel ex motivo charitatis elicitus, sed potius est proprius actus pœnitentiæ virtutis, & ex motivo justitiæ elicitus, sub qua continetur pœnitentia, & ex illo potest immediatè oriri detestatio peccati, ità etiam Bassolius ibidem qu. 2. art. 2. & sequuntur Scotistæ passim, & Nominales affirmantes, ut contritio sit proxima dispositio ad justificationem, sufficere quod eliciatur ex motivo satisfaciēdi Deo, vel consequendi remissionem peccatorum, aut reconciliationem cum Deo, vitæq; emendationem, vel ex alio motivo spectante ad Deum, quam opinionem censet quoque probabilem ipse Suarez disp. 4. sect. 2. licet ibi in partem negativam inclinet, ac etiam Card. de Lugo disp. 5. sec. 1. ubi ait non esse dignam censura, qua eam notavit Vasquez, eamq; sequuntur plures Recentiores, sed egregiè præ omnibus defendit Aversa qu. 3. sect. 5.

23 Probatur autem in primis ex modo loquendi Sacræ Scripturæ, ubi non semper videtur exigi pœnitentia ex motivo dilectionis Dei, seù charitatis, ut sit sufficiens dispositio ad remissionem peccatorum, sed ex motivo universaliori, & præsertim ex motivo peculiari ipsius pœnitentiæ, quatenus est specialis virtus à cæteris distincta, ut patet ex illo Ezech. 18. *Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis, omnium iniquitatum ejus non recordabor*; & idem indicat modus loquendi Patrum frequenter dicētium Deum esse paratum dare suam gratiam peccatori se à suis viis convertenti; & planè durum nimis videtur, ut inquit Aversa, illum actum, qui maximè propriè virtutem pœnitentiæ constituit, non esse idoneum ad justificationem, & remissionem peccatorum, alioquin malè factum fuisset, ut nomen pœnitentiæ tali actui, & virtuti appropriaretur, si per se non est sufficiens dispositio ad justificationem, sed potius appropriari debuisset soli virtuti charitatis, si solùm ex hoc motivo est sufficiens ad justificationem dispositio. Confirmatur, quia ideò Adversarii dicunt contritionem ut sit proxima dispositio ad gratiam, ex supernaturali dilectione procedere debere, & motivo charitatis, quia pœnitentiæ ex tali motivo elicitæ justificatio, & peccati remissio in Scriptura promittitur, ut Lucæ 7. *Remittuntur tibi peccata multa, quoniam dilexit multum;* sed non minus frequenter in Scriptura promittitur justificatio, & peccati remissio contritioni, & perfectæ peccatorum detestationi ex solo motivo pœnitentiæ, quatenus est species justitiæ vindicativæ, & virtus à cæteris distincta, ut patet ex locis superius adductis; ergò hæc Dei promissa liberaliora nimis rigorosè restringuntur ad contritionem solam ex motivo dilectionis. Denique aliundè definiendum non est, quænam pœnitentiam ad justificationem sufficiat, quàm ex Sacra Scriptura; hæc autem aliud non dicit, quam opus esse peccatorem toto corde converti ad Deum, ideſt, detestando peccatum super omne detestabile, & propter Deum; sed hoc totum saluatur in pœnitentia de peccatis assumpta propter Deum ex motivo justitiæ, quatenus peccatum est offensa Dei; sic enim pœnitendo dicitur peccator ad Deum toto corde converti, & peccatū super omnia detestari, ideſt, super quodcunque aliud malum pœnæ, itaut paratus esse, quodcunque incommodum, & quamcunq; pœnam subire potius, quàm Deum offendere; ergò talis pœnitentia ex motiuò jnstitiæ elicita videtur ad justificationem sufficiens.

24 Et planè, ut loc. cit. dicebamus, huic doctrinæ favet communis fidelium conceptus, quem habent de pœnitentia, ipsi enim dum de contritione cogitant, & ipsa mediante studeant à peccatis justificari, absolutè de peccatis suis dolere conātur, quatenus sunt contrà Deum, & dùm confitentur, dicere solent se dolere de peccatis commissis eo, quod per illa Deum offenderunt, neq; cogitant an doleant de peccatis simpliciter, ut sunt malum Dei, & Deo displicent, vel ut sunt offensa, & injuria indebita Deo, ergo perfectam contritionem restringere non opportet ad illam solam, quæ est actus charitatis, sed ampliari benè potest ad illam quoque quæ sit actus justitiæ, qua fideles dolent de peccatis suis ob offensam Deo illatam, ut ait Lugus loc. cit. quod frustrà nititur evadere Poncius. Neque in hac sententia difficultatem ingerit modus loquendi Patrum, & Theologorum; qui expresse videntur postulare dilectionem, & charitatis motivum ad hoc ut peccata remittantur, qui modus loquendi videtur etiam ex Scriptura desumptus; quando enim Scriptura dixit peccata propter dilectionem remitti, non ob id negavit etiam per actum pœnitentiæ specialis, quæ est justitia vindicativa, posse remitti; imò id pluries affimant, ut constat ex dictis; & quando dixit peccatores toto corde ad Deum converti debere non determinavit id ex motivo charitatis necessariò fieri debere, potest enim intelligi id etiam fieri posse ex motivo ipsius justitiæ. Et demum, quando Theologi dixerunt contritionem esse dolorem de peccatis propter Deum summè dilectum, vel id dixerunt, quia pœnitentia de peccatis ex motivo formali charitatis, ac dilectionis Dei est inter omnes perfectissima contritio, de qua maximè verificatur, quod sit proxima dispositio ad gratiam justificantem, vel absolutè dicere voluerunt esse dolorem de peccatis propter Deum summè dilectum, quatenus sunt contrà Deum summè appretiatum, & præferendo Deum omnibus aliis rebus, abstrahendo de reliquo ab una, vel alia formalitate, inquantum peccata sunt contrà bonum Dei, & Deo displicet, quod est motivum charitatis, aut sunt contrà bonum Deo debitum, & offensam Deo irrogant, quod est motivum justitiæ, ut explicat Aversa. Quasdam autem Adversantium instantias, & objectiones vide solutas loc. cit.

25 Tertiò quæritur, an sit de ratione contritionis, ut sit proxima, & ultima dispositio ad gratiam habitualem, quod sit cum ea conjuncta, seù quod sit formata habitu charitatis. Affirmant Thomistæ passim, quia putant contritionem perfectam, quæ est ultima dispositio ad gratiam habitualem procedere ab habitu charitatis, & consequenter à gratia immediatè, si hæc ab habitu charitatis nou distinguitur, & mediatè, si sunt duo habitus inter se distincti. Ità tenent Cajetanus, Conradus, Medina, Soto, Canus, Valentia, Vasquez, Martinez, Torres, Serra, & alii Thomistæ communiter freti auctoritate Divi Thomæ qu. 113. art. 8. asserentis infusionem gratiæ esse primam in justificatione, & post illam sequi motum liberi arbitrii in Deum, & in peccatum, ex quo sequi videtur actum contritionis efficienter à gratia habituali procedere, & consequenter, ut sit talis, debere esse conjunctam cum gratia, & charitate. Nos tamen diximus quæst. 5. cit. num 99. contritionem perfectam habere quidem pro eodem instanti temporis, in quo est, gratiam, & justificationem annexam, tàm ut formatam habitu gratiæ, & charitatis, non disponere ad justificationem, & peccati remissionem, ac proindè non esse de ratione ejus, ut sit ultima dispositio ad gratiam, quod sit cum ea conjuncta; ità jam docuimus lib. 2. sentent. disp. 3. *de Justificatione* quæst. per totam, de mente Doctoris 4. dist. 14. qu. 2. N. & dist. 16. q. 2. ubi in eodem temporis instanti, in quo fit justificatio, duo distinguit instantia naturæ, unum, in quo contritio gratiam habitualem præcedit, ut proxima, & ultima dispositio ad ipsam; alterum quo ipsam comitatur, & jam intelligitur gratia formata, ubi in priori signo intelligebatur, ut informis: undè inquit ibi contritionem, non quidem, ut charitate formatam, sic enim consequitur, vel concomitatur justificationem, & peccati remissionem, sed quæ est formata charitate, & in sensu diviso disponere ad justificationem, qua ratione distinguitur à se ipsa, ut informata, & ità sentiunt Scotistæ ibidem Bassolius, & Hiqueus, Brancatus dist. 8. artic. 13. & Faber disput. 16. cap. 2. in fine, & sequuntur Recentiores omnes citati disp. cit. de justificatione quæst. 7. qui tenent contritionem, ut est proxima, & ultima dispositio ad justificationem, & gratiam habitualem non procedere efficienter ab ipsa, sed solùm ab auxilio speciali cum libero arbitrio. Et quidem quod contritio perfecta in eodem temporis instanti, in quo elicitur, habeat justificationem annexam, etiam sine receptione actuali Sacramenti docet expresse Concilium Trid. sess. 14. & passim concedunt omnes, quia per hoc præsertim à posteriori differt contritio ab attritione, quod illa infallibiliter gratiam affert sine Sacramenti susceptione, hæc autem non.

26 Quod autem contritio, ut formata habitu charitatis, non disponat ad justificationem, quæ erat altera pars asserti, probatur, quia in eo posteriori naturæ signo, in quo intelligitur formata gratia, supponit justificationem, & peccati remissionem, ergò non disponit ad eam; consequentia patet, quia nulla forma disponit ad effectum formalem, quem includit, alioquin disponeret ad se ipsam; ergò nequit pœnitentia, ut formata habitu charitatis disponere ad justificationem, in qua formaliter includitur ipsa charitatis infusio, & peccatorum remissio Restat ergò, ut disponat ad eam solùm in priori signo naturæ, considerata quatenus informis, quia quælibet dispositio præcedit formam,

formam, ad quam disponit, tempore, vel saltem natura, quarè cùm talis sit contritio respectu gratiæ habitualis, solùm in priori signo naturæ erit dispositio, in quo intelligitur ut informis. Et quidem in eo ipso signo naturæ, in quo præcedere intelligitur, tanquam dispositio ad gratiam, dicenda est contritio, sic eam appellat Concilium Tridentinum sess. 6. cap. 6. ubi docet hanc esse præviam dispositionem ad justificationem, & cap. 7. inquit, *hanc autem dispositionem, seù præparationem justificatio ipsa consequitur*; ergò ut prior justificatio, quamvis in eo priori intelligatur, ut informis, est verè, & propriè contritio, quia ut talis causat moraliter, & infallibiliter gratiam, & est actus peccati detestativus ob Dei amorem, & denique in eo signo habet omnia prædicta essentialia contritionis, ut ab attritione distinguitur. Neque fundamentum in oppositum urget, quia disp. cit. de justificatione q. 7. ex professo demonstravimus contritionem, ut est proxima, & ultima dispositio ad gratiam habitualem, nequaquam ab ea elici, & effectivè procedere, sed præsupponi ad ipsam per modum dispensationis, & meriti de congruo, cùm enim Deus gratiam habitualem infundat intuitu talis dispositionis præcedentis, ut ait Concil. l. c. jam nequit actus ille, qui est dispositio, esse ab eadem gratia, ut principio efficiente. Neq; hinc sequitur liberum arbitrium se solo ad justificationem disponi ex puris naturalibus, quod fuit error Pelagii, sufficit enim, ut ille actus ab auxilio efficaci, & gratia actuali procedat, ut non dicatur esse motus liberi arbitrii nudi, ut fusè loc. c. ostendimus, & in hoc sensu explicari potest D. Thom. loc. cit. dum ait, infusionem gratiæ esse primam in justificatione, & post eam sequi motum liberi arbitrii in Deum, ut nimirùm loquatur de infusione, & communicatione gratiæ actualis, & non habitualis.

27 Quartò quæritur, an ad veram contritionem requiratur intensio in tali, vel tanto gradu, num potiùs sufficiat substantia actus in quocunque sit gradu. Faber noster tom. de pœnitentia disp. 16. cap. 2. tenet de mente Doctoris esse, quod contritio requirat determinatam, & certam quandam intensionem citàs eum in 4. dist. 14. qu. 2. art. 2. item tenet Hiqueus 4. d. 14. qu. 2. in Comment. fundamentum est, quia contritio est actus à charitate imperatus, sed hæc includit intensionem, quia amat Deũ super omnia, siquidem præceptum charitatis erga Deum obligat, ut ametur *ex toto corde, ex tota mente, & ex tota anima*, Deut. 6. hoc autem exhiberi nequit, nisi toto conatu causetur amor, totisque viribus; ergò actum intensum faciunt, & ad hoc tenetur homo, ut conteratur. Nos tamen diximus quæst. 5. cit. art. 2. ad veram contritionem non requiri intensionem in tali, vel tali gradu, sed sufficere substantiam actus in quocunque sit gradu, & hanc esse veram, & genuinam Doctoris nostri sententiã, quam sequuntur Scotistæ passim, ut Aretinus, Hiribarnes, Põcius, Branc. & alii, & nos quoq; statuimus lib. 3. disp. 6. qu. 12. ubi docuimus de mente Doctoris 3. dist. 27. qu. un. Deum esse super omnia diligendum appretiativè tantùm, seù prælativè, nõ autem intensivè, & probatur ex ibi dictis, quia ad actum charitatis non requiritur certa intensio, hæc enim accidentalis est, & sola appretiatio est ei essentialis, nam formæ, quæ intendunt, & remittuntur semper sunt ejusdem rationis, ac speciei in quocunque gradu; ergò idem quoque de contritione dicendum. Cõfirmatur, quia peccatum mortale quantumvis remissum tollit gratiam, & charitatem; ergò è converso contritio quantumvis remissa, dummodò sit vera contritio, peccatum tollet, quia contritio etiam minus intensa est dolor super omnia, non quidẽ intensivè, sed appretiativè, imò si non esset appretativè summus, quantumcunq; esset summè intensus, non sufficeret, debet ergò esse summus appretiativè, quia debet oriri ex motivo charitatis Dei super omnia, undè sicut amor Dei super omnia non debet necessariò esse summus intensivè, sed tantùm appretiativè, quia, scil. præfert Deum creaturæ, ut loc. cit. declaratum est, sic etiam servata proportione de contritione dicendum est. Ad fundamentum in oppositum primò potest negari major universaliter vera, quia ut constat ex dictis, & docet Scotus q. 2. cit. lit. S. contritio non tantùm causari potest ex motivo vel imperio charitatis, sed etiam ex motivo proprio justitiæ, vel pœnitentiæ. Deindè concessa majori debet adhuc negari minor, quia ut diximus lib. 3. d. 6. cit. qu. 21. art. 2. ex illis testimoniis colligitur tantùm obligatio diligẽdi Deũ super omnia appretiativè, itaut pro nulla creatura velimus Deũ offendere, aut ei displicere, & in hoc consistit totalis cordis, mentis, & virium, qua præcipimur Deũ diligere, nõ autẽ in totalitate intensionis, quia quantum ad hanc conditionem, ut inquit Doctor cum Augustino, nonpotest hoc præceptum in via adimpleri, sed tantùm in Patria.

28 Et ex hac doctrina diximus rursus loc. cit. solvi aliam quæstionem quoque quæ hìc disputari solet, quantumnam vera pœnitentia, & perfecta contritio debeat detestari peccata, sicut enim Deus est super omnia diligendus appretiativè, ità & contritio debet detestari peccatum super omnia alia mala appretiativè, quia enim peccatum avertit à Deo super omnia diligibili, ideò debet homo plus fugere, & detestari peccatum, quam quodcunque aliud summum malum pœnæ, sivè incommodũ. Quod exemplo amoris explicari solet, tunc enim amor dicitur appretiativè summus, cùm nostra æstimatione aliquid tanti facimus, & ità eum amamus, ut parati simul, si necesse sit, quodlibet præ illo negligere, & hac ratione diligimus Deum appretiativè. Eodem igitur modo est de detestatione discurrendum, quod, scilicet, id summè detestamur, quod præ aliis odio habemus, quarè ut detestatio peccati sit actus veræ contritionis, debet esse supra omne detestabile, & supra omne malum pœnæ, debetque à pœnitente odio haberi, non solùm super quodcunque malum, & incommodum, quod homines in hac vita perpeti solent, & possunt, sed suprà omne malum pœnæ etiam ipsius inferni, si ab eo culpa præscindatur, quia malum pœnæ etiam æternæ est minus malum malo culpæ. Quando autem diximus detestationem peccati, ut sit actus veræ contritionis, debere esse suprà omne detestabile, & suprà omne malum pœnæ, advertunt omnes hoc non esse ità intelligendum, quasi per se, & necessariò requiratur, ut expresè comparatio fiat inter peccatum, & omne aliud malum in particulari, quia nec præcipitur hujusmodi expressa comparatio, nec fideles de hoc sunt solliciti, nec Confessarii hanc expressam comparationem à pœnitentibus postulãt; imò nec etiam illis consulere debent, quia mala in particulari considerata magis terrent. Satis ergò erit actum pœnitentiæ talem esse, ut implicitè, vel virtualiter, aut interpretativè detestetur peccatum plusquam omne aliud malum in universali, quia quicunque se disponit ad primam gratiam post peccatum recipiendam, debet esse in ea animi dispositione saltem virtualiter, ut si occurreret occasio peccandi mortaliter, potiùs eligeret pœnam quamlibet, quàm iterum moraliter delinquere, hoc autem est peccatum detestari suprà omne malum pœnæ saltem implicitè, & virtualiter. Ità rem declarant Navar. Valentia, Suar. Aversa, Caspens. Amic. & communiter Doctores, & ex nostris Brancatus fusè disp. 7. art. 7.

29 Quintò quæritur, an ad contritionem requiratur certa temporis mora, seù duratio, & sensus est, an odium peccati, vel contritio requirat durare aliquo tempore, ut sit sufficiens dispositio ad justificationem. Affirmat Cajetanus cum quibusdam aliis tom. 1. opusc. tract. 4. quæst. 1. ubi ait, Deum non justificare peccatorem mox, ut habet dolorem de peccatis propter Deũ super omnia odibile, & propositum vitandi peccatum supra omne vitabile, sed expectare etiam tum incertum nobis tempus priusquam eum sibi reconciliet, quod probat, quia si Deus statim in ipso instanti contritionis infallibiliter infunderet gratiã sanctificantem, jam homo posset esse certus de sua gratia, cùm possit nobis evidenter constare dolere nos de peccatis propter Deum, at nemo certus esse potest de statu gratiæ; ergò signum est actum contritionis debere aliquo tempore durare, antequam Deus gratiam infundat, neque nobis constare, quanta sit illius temporis mensura. Communis tamen opinio docet, ut diximus loco citato, ad remissionem solius culpæ quantumcunq; gravissimæ sufficere momentaneam contritionem, & deducitur evidenter ex scriptura Isaiæ 30. *Ad vocem clamoris tui statim, ut audierit, respondebit tibi*. & Ezech. 33. *Impietas impii non nocebit ei in quacumque die conversus fuerit ab impietate*, ubi *in quacunque die*, proindè valet, ac si diceret *in quocunque momento*, juxtà communem Patrum expositionem. Hoc idem docent Patres, Leo Papa Epistol. 91. *Apud Deum nullas patitur veniæ moras vera conversio*, quod confirmat Cyprianus de Cœna Domini exemplo boni latronis, cui statim contrito dictum fuit. *Hodie mecum eris in Paradiso*, undè subdit, *cujus impietas in momento induit pietatem*, quarè Augustinus in Enchiridio cap. 65. concludit, *quod non tam considerandæ est mensura temporis, quàm doloris, cor enim contritum, & humiliatum Deus non spernit*. Accedit etiam ratio, quia sicut justus eodem instanti quo peccat, justitiam amittit, sic peccator eodem instanti, quo conteritur, justitiam acquirit, aliàs sequeretur posse fieri, ut si quis habens peccatum haberet veram contritionem, & moreretur illo intermedio tempore, antequam Deo reconciliaretur, damnaretur, quod est absurdum.

30 Notanter autem diximus, ad remissionem solius culpæ etiam gravissimæ momentaneam contritionem sufficere, quia ad remissionem totalem peccatorum, tam scilicet, quo ad culpam, & omnem pœnam temporalem virtute solius contritionis exigitur extensio doloris per aliquam temporis moram; quia quo peccata sunt graviora, eò major dolor desideratur, ut omnis remissio pœnæ habeatur, non solùm intensivè, sed etiã extẽsivè, sic enim habetur in Apoc. *Quantum glorificavit se, & fuit in delitiis, tantùm date ei tormentum, & luctum*; undè ad re-

missionem culpæ, & omnis pœnæ major requiritur satisfactio, quàm ad remissionem culpæ tantùm, & per consequens major temporis mora erit necessaria. Imò actus pœnitentiæ virtutis, quæ est detestatio peccati, esto salvari possit in vnico instanti pro remissione culpæ, adhuc tamen consulendum est peccatori ut quo magis potest, illum protrahat, & ità consulebat D. Aug. libr. de vera, & falsa pœnitentia cap. 13. *Omnes fructus Pœnitentiæ pavor habere, nunquam credat sufficere, semper doleat, semper coram Domino erubescat, & dolorem cum vita finiat.* Accedit etiã ratio, quia actus instantaneus dolendi proportionem non habet cum actu peccandi, qui nunquam, vel raro per unicum tantùm instans durat. Ad fundamentum in oppositum negatur ob id posse hominem esse certum de sua justitia, quamvis enim possit alicui esse notum per vitalem experientiam, se habere actũ doloris, & contritionis, non tamen est evidens illum actum esse supernaturalem, vitalis enim experientia per se non sufficit ad discernendum, an actus internus sit naturalis, vel supernaturalis, & ratio deducitur ex dictis, quia actus pœnitentiæ non est supernaturalis quoad substantiam, sed tantùm quoad modum, ut dictum est quæst. præc. art. 2. num. 16.

31 Sextò quæritur, quale propositum de cætero non peccandi requirat contritio, an, sc. formale, vel actuale, an potius virtuale sufficiat, nam absolutè loquendo de ratione pœnitentiæ est propositum non peccandi imposterum abstrahendo à proposito formali, & virtuali, qua de causa hoc propositum indefinitè ponitur à Concil. Trident. sess. 14. cap. 4. in definitione contritionis, cùm inquit, quod est dolor, ac detestatio de peccato commisso cum proposito non peccandi de cætero, & sess. 6. cap. 6. idẽ propositum recensent inter dispositiones ad justificationem requisitas, & hoc adeò verum est, ut Scotus 4. d. 14. quæst. 4. in solutione ad 2. princ. hoc propositum de non peccando imposterum, non solùm ad rationem contritionis postulat, sed etiam ad veritatem attritionis. Controversia igitur est, quale debeat esse hoc propositum, an, scilicet, requiratur explicitum, & formale, quo nimirùm pœnitens actualiter statuat non ampliùs peccare, vel sufficiat implicitum, & virtuale, id est, imbibitum in ipsamet detestatione de peccatis commissis, quæ nempè detestatio talem vim habeat, quod si à pœnitente explicitè quæratur, an vellet iterum peccare, non posset simul cum illa detestatione habere animum peccandi, sed si aliquem actum circà hoc eliciat non nisi propositum abstinendi à peccatis habebit. In qua controversia tres sunt sententiæ, duæ extremæ, & una media. Prima extrema affirmat requiri formale, & actuale, quod quidem aliqui requirunt tantùm de necessitate præcepti, aliqui verò etiam de necessitate medii, pro qua sententia plures citantur Thomistæ, & ex nostris Brancatus disp. 8. art. 14. & Hiqueus disp. 17. quæst. un. in Comment. Secunda sententia extrema, negat necessariò, & per se requiri formale propositum asserens sufficere virtuale inclusum in ipsa detestatione peccatorum, vel obedientiali dilectione Dei. Ità Major, Argentinus, Medina, Valentia, Vega, Coninchius, & alii. Tertia sententia media quam sequimur loco citato, asserit expressum propositum de cætero non peccandi per se quidem, & regulariter esse necessariũ, sivè necessitate præcepti tantùm, sivè etiam medii, quando pœnitens cogitet, & advertat etiam de tempore futuro, per accidens tamen, & in aliquo casu defectu considerationis, aut temporis sufficere virtuale, & implicitum, & sequuntur Navarrus, Suarez, Vasquez, Henriquez, Nugnez, Amicus, Lugus, Aversa, & ex nostris Aretinus disp. 14. quæst. 3. art. 8. Hiribarnes eadem dist. quæst. 2. sect. 7. & plures alii Scotistæ, & Recentiores & quidem hoc assertum quoad primam partem est Scoti disp. 14. cit. quæst. 4. §. *Ad primum argumentum*, ubi ad rationem contritionis cum displicentia de peccatis commissis exigit etiã propositum cavendi de cætero, quam sufficienter probant rationes, & auctoritates, quæ pro priori sententia adduci solent, sic enim loquitur Scriptura Isaiæ 1. *Lavamini, mundi estote, auferte malum cogitationum vestrarum, quiescite agere perversè*, Amos 5. *Odite malum, & diligite bonum*, ad Ephes. 4. *Deponite veterem hominem, & induite novum*, in quibus, & similibus auctoritatibus passim in scriptura occurrentibus præter detestationem præteritæ vitæ, semper propositum additur novæ vitæ. Sic etiam loquuntur Patres, ut Ambrosius, Gregorius, & alii, dũ pœnitentiam definiunt, quod sit *præterita mala plangere, & plangenda iterum non admittere*. Sic etiam Concilia loquuntur præsertim Florentinum in decreto Eugenii Quarti, & Trid. loc. cit. dum dicunt ad contritionem pertinere, ut doleat de peccato commisso cum proposito non peccandi de cætero. Sic tandem suadet ratio, quia perfecta pœnitentia est motus, quo anima per gratiam movetur à statu peccati ad statum justitiæ juxtà illud *declina à malo, & fac bonum*, hìc autem includit recessum à malo per detestationem vitæ prioris, & accessum ad bonum per desiderium, & propositum vitæ melioris; ergò per se, & regulariter loquendo, quando per tempus licet, & cũ detestatione præteritæ vitæ subit memoria futuræ, & non impedit invincibilis ignorantia, vel naturalis oblivio talis propositi, hoc est necessarium formale, & explicitum, sivè ut medium & dispositio ad justificationem, ut aliqui volunt, sivè ut præceptum naturali jure conjunctum cum detestatione præteritæ vitæ, ut fert communior opinio.

32 Quo verò ad aliam partem, quod, scilicet, quoties advertentia futuræ vitæ defuerit inculpabiliter, tunc satis sit virtuale propositum, & implicitum, sivè in Dei dilectione imbibitum, sivè in actu detestationis peccati, quatenus offensa Dei est, est etiam Scoti 4. d. 22. qu. 1. §. *De tertio*, ubi ait, quod pœnitens quotiescunque dignè pœnitet, obligat se saltem in voto ad non peccandum imposterum, quia sine tali proposito non est digna pœnitentia. Itaque in casu naturalis oblivionis, aut invincibilis ignorantiæ, vel temporis defectu, expressum propositum cavendi peccata in futurum non est ad justificationem necessarium, sed sufficit virtuale, & implicitum, siquidem verisimile non est in his casibus peccatorem non justificari, si aliàs fecerit, quantùm in se fuit, detestando efficaciter peccata commissa ex motivo charitatis, nam in his casibus defectus formalis propositi ad culpam imputari non posset, alioquin sequeretur, quod si quis præterita peccata ex vehementi amore Dei detestãs moreretur statim, antequam de futura vita cogitare posset, gratiã consecuturus non esset, quod omninò alienum est à misericordia Dei, qui diligentes se diligit. Dato ergo casu, quod pœnitẽs præ nimio dolore peccatorum non recordaretur vitæ futuræ, cum tali tamen dispositione, quod si recordaretur, proponeret efficacissimè in futurum cavere, talis dolor est propositum virtuale, & pœnitens in tali casu excusatur ab actuali, ut patet in celebri illa Davidis justificatione, in qua nulla fit mentio hujus propositi, sed statim exclamanti, *Peccavi*, subjungitur à Propheta Nathan, *Dominus quoque transtulit peccatum tuum*, ubi inquit August. hom. 41. de tempore *in his tribus syllabis, peccavi, flamma Sacrificii coram Domino ascendit in cœlum*. Accedit etiã ratio, quia dolor de peccatis commissis propter offensam Dei virtualiter includit propositum cavendi posteriori tempore peccata; ergo in his casibus sufficiens censeri debet, cum includat recessum à quovis peccato etiam futuro, saltem virtualiter, cõsequentia patet, probatur assumptum, quia sola detestatio peccati commissi separat cor ab affectu peccati, non tantùm præteriti, sed etiam peccati absolutè sumpti, prout est indifferens ad præsens, præteritum, & futurum; ergo saltem implicitè in se imbibit propositum vitandi peccata etiam imposterum, atque adeo erit sufficiens dispositio in illis casibus ad justificationem, neque prædictorum casuum possibilitas negari potest, etenim contingere potest, aliquem peccatorem subita sic morte prævenire, ut recordari quidem possit peccatorum commissorum, & de is dolentem, & clamantem *Domine miserere*, moriatur, antequam de futuro aliquid cogitare, & statuere potuerit. Objectiones in oppositum vide solutas loco citato.

33 Septimo quæritur, an votum, seu propositum Sacramenti Pœnitentiæ, seu confessionis ad contritionem requisitum, ut sit proxima, & ultima dispositio ad justificationem ex Trident. sess. 6. cap. 14. & sess. 14. cap. 4. debeat esse semper explicitum, & formale, an interdum sufficiat etiam implicitum, & virtuale. Recentiores communiter affirmant sufficere virtuale, & implicitum, de quo putant Tridentinum esse locutum loc. cit. quia ibi loquitur de Sacramenti voto, quod in ipsa contritione includitur, non includitur autem, nisi virtualiter. Alii verò è contrà dicunt, votum Sacramenti pœnitentiæ non sufficere, si sit implicitum, sed semper explicitum esse debere, & actum ab ipsa contritione distinctum, ita præsertim ex nostris Brancatus disp. 8. art. 5. Nos tamen diximus quæst. 5. cit. art. 3. num. 117. per se, & regulariter loquendo tale votum esse debere formale, & explicitum, per accidens tamen, & in aliquo casu implicitũ, & virtuale sufficere posse, ut in præcedenti quæsito dictum est de proposito non peccandi imposterum. Assertum quoad primã partem deducitur ex Scoto 4. disp. 17. q. un. in solutione principaliũ ad auctoritatẽ Augustini, & Cassiodori, ubi dicit contritioni annexum esse votum confitendi, nec deleri peccatum per contritionẽ sine proposito Confessionis, & loquitur de voto explicito, & formali, ut patet legenti textũ, & ibi notat Hiqueus, & expressè etiã deducitur ex Conc. loc. cit. ubi votũ Sacramenti requirit, tanquam aliquid ab ipsa contritione distinctũ, & non tantùm, ut virtualiter in ipso contritionis actu inclusum, ita habetur sess. 6. cap. 14. ubi loquens de pœnitentia hominis Christiani post lapsum inquit: *ea contineri non modò cessationem à peccatis, & eorum detestationem, aut cor contritum, & humiliatum: verum etiam eorundem Sacramentalem Confessionem, saltem in voto, & suo tempore faciendam;* hi autem actus sunt diversi, &. tanquam diversi numerantur; ergò sensus

Con-

Concilii est,quod regulariter loquendo tale votum Sacramenti Pœnitentiæ debeat esse expressum,& formale,& fieri debeat per actum ab ipso actu contritionis diversum. Idem etiam D. Bonavent.pag.1. ejusdem dist.17.art.1. ubi asserit, neminem justificari posse absque Sacramento Confessionis saltem in voto, & loquitur de voto explicito,& sic explicat plures Sanctorum auctoritates docentium neminem sine confessione justificari posse,& sic etiam discurrunt Alensis pag.4.qu.9. membr.2. art.1. & Divus Thomas 3.part.quæst.86.art.6.Magister disp.16.cap.2.& alii antiquiores, apud quos non ità familiaris fuit distinctio voti formalis,& virtualis,sicut est apud Recentiores. Quod autem per accidens, & in aliquo casu sufficiat aliquando votum confusum,& implicitum Sacramenti Pœnitentiæ, verbi gratia, in casu ignorantiæ,quando est defectus instructionis,qui casus contingere potest etiam frequenter in iis, qui minus sunt instructi, concedunt Recentiores passim,& ex nostris Hiqueus disp.17. quæst.un. num.112. & probatur, quia hoc satis congruum videtur divinæ Misericordiæ,& infirmitati nostræ, & tale propositum re vera sufficit, ut verè peccatum remitti dicatur in ordine ad claves; ergò aliud non requiritur. Consequentia probatur, quia aliàs facientis,quod in se est ex fide,& gratia Deus deesset, hìc autē in tali casu aliud præstare nequit ex impedimēto supposito defectus sufficiens instructionis,quamvis habeat bonamvoluntatem,& perfectū dolorem de peccatis commissis; ergo,&c.

34 Octavò quæritur,an contritio necessariò cadat super omnia peccata memoriæ præsentia,vel possit esse de aliquo tantùm. Affirmant aliqui dari posse veram pœnitentiam formaliter de uno peccato,& non de aliis,quæ utilis,& fructuosa sit,itaut per talem actum consequatur fructum pœnitentiæ, qui est remissio omnium peccatorum, ità Jo.Medina tract. de pœnitentia qu.12. part.2. Fundamentum est, quia non repugnat peccatorem moveri ad unum peccatum detestandum propter peculiarem oppositionē cum aliquo attributo,& perfectione divina non detestando simul cætera,v.g. motus ex peculiari affectu ergà Sanctitatem divinam detestari potest peccatum blasphemiæ ob peculiarem oppositionem,quam cum tali habet attributo, non detestando reliqua peccata intemperantiæ, aut injustitiæ ergà proximum. Quod autem talis actus sit charitatis ergà Deum, licet imperfectus,& inadæquatus, ex eo constat, quia pro motivo formali haber ipsam increatam Dei sanctitatem, ob quam immediatè movetur ad detestandum blasphemiæ peccatum,ut peculiariter huic divinæ perfectioni oppositum;ergò talis actus est bonus,& laudabilis,& potest esse supernaturalis,sicut actus aliarum virtutum. Nos autem diximus loc.cit. num.122. contritionem, quæ est vera,& perfecta pœnitentia in scripturis injuncta pro peccatorū remissione esse debere adæquatā de omnibus peccatis mortalibus formaliter, vel saltem virtualiter, nec posse unum mortale detestari, quin simul alia commissa detestetur. Et hæc est communis sententia, quæ expresè deducitur ex scripturis, quibus de omnibus peccatis pœnitentia inducitur, ut patet ex illo Ezech.17. *Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus iniquitatibus suis*. Patet etiam ratione,quia contritio, ut talis detestatur peccata propter Deum ultimum finem super omnia dilectum,ut constat ex dictis;ergò implicat ut detestetur unum peccatum mortale, quin simul detestetur omnia memoriæ præsentia saltem virtualiter, & penitus excludat complacentiam de aliquo alio peccato. Consequentia patet, quia si per contritionem homo detestatur peccatum, jam eo ipso implicat cum contritione retinere affectum,& complacentiam ad aliquod peccatum mortale; nam hoc ipso non detestaretur peccatum propter Deum super omnia dilectum, siquidem non detestaretur illud propter Deum dilectum supra illam creaturam, cujus complacentiam, & affectum præferret complacentiæ, & dilectioni Dei. Ut ergò contritio sit sufficiens dispositio ad justificationem, si sit expresè, & formaliter de uno solo peccato, debet saltem virtualiter esse de omnibus aliis, quod tunc contingit, si sit motivo generali, quatenus communi omnibus peccatis, potest enim quis de aliquo peccato dolere considerans illud, ut offensa Dei, itaut moveatur formaliter hac ratione detestabilitatis secundùm se spectata, undè cùm alia quoque peccata sint malum,& offensa Dei, hæc pœnitentia saltem virtualiter cætera quoque complectitur peccata, & est talis, ut prorsus excludat complacentiam, aut voluntatem de aliis peccatis. Hinc patet ad fundamentum oppositæ sententiæ, nam actus, quo peccator unum peccatum mortale detestatur,ut specialiter alicui divino attributo oppositum, cùm sit ex particulari motivo cujusdam certæ virtutis, non est dolor alia diversa peccata virtualiter includens,quin imò ex sui ratione videtur posse secum admittere complacentiam de aliquo aliquo alio peccato, atque ideò non est censendus sufficiens dispositio,ne quidem cum Sacramento ad justificationem.

35 Nonò quæritur, an ad contritionem requiratur, ut fit de singulis peccatis distinctè,itaut de singulis mortalibus culpis debeat esse de singulis contritio. Affirmant aliqui,& ità significat Sylvester verbo *Contritio* num. 5. Angelus num. 4. & alii, quorum fundamentum est, quia magis tenentur ad habendam contritionem, quàm confessionem de peccatis, quoniam à contritione nulla excusat necessitas; sed tenemur omnia,& singula peccata in particulari confiteri; ergò & de omnibus,& singulis conteri. Confirmatur, nam graves morbi speciales requiruntur medicinas; ergò, & graves culpæ speciales detestationes. Demum ità quoque docet Catechismus de Sacramento pœnitentiæ §. *Maximè autem*. Nos tamen diximus loc.cit.num.125. ad veram contritionem, quæ fit sufficiēs dispositio, sivè intrà,sivè extrà Sacramentum non requiri,ut unicuique peccato mortali sua respondeat specialis detestatio, sivè per unum, sivè per diversos actus, sed sufficere pœnitentiam de omnibus peccatis commissis in confuso,& in generali. Ità Scot.4.dist.15.quęst.1. §. *Ex hoc patet*, ubi dicit, quod una contritio in specie potest competere pluribus in specie peccatis, & quod una numero est sufficiens sub una generali ratione de pluribus numero, & paulò infrà, §. *De quinto articulo* asserit sufficere contritionem expressam de uno, quæ habitualiter, seù virtualiter extendatur ad reliqua,& ità tenent communiter Scotistæ Hiqueus,Aretinus, Faber,& alii ibidem,& Recentiores quoque Suarez, Vasquez, Amicus,Aversa, Coninc. qui alios citant. Fundamentum est, quia ex scriptura hoc non habetur, sed potiùs oppositum, ut patet ex loco Ezech. adducto *si impius egerit pœnitentiam ab omnibus iniquitatibus suis*, &c. ubi de omnibus peccatis pœnitentia in singulari exigitur,& non pœnitentiæ; sic etiam nullum Concilium sancivit, ut de multis peccatis multæ habeantur contritiones, sed ad peccata delenda dicunt contritionem sufficere, sine Sacramento in re, sed solùm in voto, vel attritionem cum Sacramento, & non exigunt attritiones, vel contritiones in plurali. Undè perfecta contritio ad delectionem peccatorum requisita non coalescit ex pluribus actibus singulis peccatis correspondentibus, neque est illorum simul collectio, seù est simplex voluntatis motus omnia peccata respiciens in generali, & sic illa detestans. Undè ad fundamentum oppositæ sententiæ negatur paritas de Confessione, & Contritione secundùm se consideratā, nam ex vi institutionis hujus Sacramenti per modum judicii exercendi tenetur quidem pœnitens distinctè recogitare,& in memoriam sibi reducere sua peccata ad hoc, ut ea confiteatur; non tamen singillatim distinctos actus doloris elicere, aut unum detestationis actum ad singula distinctè, & singillatim terminatum; sed satis erit unus actus omnia complectens in generali moraliter confessioni conjunctus,& sicut in ordine ad confessionem sufficit una contertio de omnibus confitendis; ità in ordine ad pœnitentiam una detestatio de omnibus pœnitendis in generali. Ad Confirmationem negatur omnimoda paritas de morbis corporalibus,& spiritualibus; ad hos enim sufficit una medicina efficax, qualis in proposito ex institutione divina est contritio de omnibus in genere sub ratione offensæ, fruſtrà enim fit per plura, quod per unum fieri potest. Ad ultimum Catechis. illud tantùm suadet, ut quia perfectius, non autem præcipit, ut necessarium, ut constat ex ejus verbis *Hortandi,& movendi sunt*,&c.

36 Postremò quęritur,an contritio de pluribus peccatis simul requirat distinctam eorum recogitationē, seù an esse debeat de omnibus mortalibus distinctè recogitatis, an tantùm confusè cognitis. Affirmant aliqui contritionem plurium peccatorum specie diversorum requirere cogitationem illorum distinctam, confusam verò,& in generali nullo modo sufficere.Ita præsertim ex nostris Branc.disp.8.ar.11 quod pluribus ibi probare contendit, quę fuit opinio Cani, Soti,& Medinæ,ut refert Suar. sect.6. quod probant ex Scriptura,quę videtur requirere saltem distinctam recogitationē omnium peccatorum Psal. 76. *cogitavi dies antiquos,etc.exercitabar,& scopebam spiritum meum* Is.36.*recogitabo tibi annos meos*. Sic etiam PP. docuisse videntur,præsertim verò Chrysh.9.ad Hebr.circà finē,ubi inquit,*Si quis recognoscat se peccasse,& non ad singulas species descendat, nunquam cessabit*. Deindè probant ratione quia talis debet esse cognitio peccatorum precedens contritionem,qualis debet sufficere ad confessionem; sed ad hāc non sufficit confusa cognitio peccatorum; ergò neq, ad eam; minor patet,probatur major, quia cōtritioni competit gratię collatio,& peccatorum remissio quatenus habet votum confessionis; ergò eorum cogitatio talis esse debet, qualis ad confessionem requiritur; adeout contritus peccatorum suorum confessionem facere possit absq; alia recogitatione.

37 Nos tamen diximus loc.cit. num.129. ad valorem contritionis extrà Sacramentum non necessariò, requiri examen, & recogitationem explicitam singulorum peccatorum in particulari,sed sufficit,ut homo feratur in omnia formaliter,& actu ex-

presso de illis dolendo in generali. Ità Scotistæ omnes,& Recentiores citati pro præcedenti assérto, ex quo hoc quoque necessariò sequitur, si enim semper opus esset ad justificationem media contritione consequendam singula peccata sua in specie, & numero recolere, peccator ad mortem illicò raptus non posset justificari,& passim contingere posset quempiam ad talem terminum devenire, ut de peccatis suis inciperet distinctè recogitare, & pœnitere, sed quia non haberet spatium omnia percurrendi, non posset justificari,quod est contrà valorem virtutis pœnitentiæ communiter à Patribus edoctum; ergò dolor de peccatis confusè consideratis sortiri potest rationem contritionis, si in peccatum feratur sub contritionis motivo; potest enim ex confusa consideratione vitæ præteritæ dolere propter Deum summè dilectum,ac firmiter proponere vitæ emendationem,quamvis ullum peccatum in particulari cõsideret. Pro majori autem intelligentia hujus doctrinæ advertendum est ex dictis l.c. quod quando quæritur, an ad veram contritionem requiratur distincta recogitatio omnium peccatorum,potest hoc dupliciter intelligi; primò an contritio extrà Sacramentum cogitationem requirat de singulis peccatis mortalibus, ut homo justificari possit, seù an ea cognitio de singulis peccatis requiratur ex speciali præcepto contritionis, & in hoc sensu dicimus non requiri; secundò intelligi potest, an contritio requirat talem peccatorum cogitionem in ordine ad confessionem, seù ex speciali precepto confessionis,& hoc omninò negari non potest,undè si aliqui PP. & antiquiores Theologi contrariæ sententiæ favere videantur, certè loquuntur de examine,& cogitatione in ordine ad confessionem, non autem in ordine ad valorem contritionis extrà Sacramentum. Et in hoc sensu locutus est Scot.4.d.17.q. un.a.2.M. cùm dicit faciendam esse inquisitionem possibilem fragilitati humanæ ad recogitanda peccata, loquitur enim in ordine ad confessionem faciendam, inquit enim quod peccata sic ad memoriam reducta debet pœnitens posteà confiteri; alioquin loquens d.15.q.1.§. *De quinto articulo* de peccatorum recogitatione in ordine ad contritionem habendam extrà Sacramẽtum, apertè dicit quod non est necesse intellectum simul considerare hoc peccatum, & illud,nec voluntatem pœnitere simul de hoc, & illo, sed sufficit, quod dùm cogitat de uno, & pœnitet de illo promptus quoque sit cogitare,& pœnitere de alio,si sibi occurreret,ut Faber etiam notat disp. 16. c. 2.

38 Ad auctoritates pro opposita sententia adductas dicendũ est Scripturam ibi narrare, quod viri Sancti & perfecti fecerunt ad pleniorem,& perfectiorem pœnitentiam, & satisfactionem, non tamen jussisse ità ab omnibus fieri debere, undè hoc est consilium, non præceptum. Patres quoque commendarunt quidem distinctam peccatorum recogitationem ad pleniorem pœnitentiæ modum, & aliquando ad obligationem confessionis in lege Evangelica respexerunt. Chrysostomus autem non negat absolutè posse peccatorem justificari per contritionem, nisi per prævium examen ad singulas peccatorum species descendat,sed solùm negat perse veraturum in gratia,quia regulariter oportet propositum descendere ad particularia, ut occurrente posteà occasione servetur,& perseveret,quę regula apud viros spirituales satis communis est; undè nos quoque fatemur, in praxi utilissimum esse peccata singula in memoriam revocare ad perfectiorem contritionem habendam. Ad rationem negatur major, quia non eodem modo quantum ad hoc fuerunt homines in lege veteri obligari ad contritionem,sicut nunc ad confessionem, quia hæc obligatio est nova in lege evangelica, alioquin neque ex lege veteri, neque jure naturali talis apparet obligatio, ad probationem majoris concesso antecedente negatur consequentia,ex hoc enim quod contritio virtutem habeat peccata remittendi, quatenus habet annexum confessionis votum; solùm sequitur pœnitentem teneri ad distinctum peccatorum examẽ, quando aderit confitendi opportunitas. Alias rationes ad idem vide solutas l.c.& responsiones Adversariorum præclusas.

ARTICULUS SECUNDUS.

De actu Attritionis pœnitentiæ imperfectæ.

39 DIximus ab initio quæstionis attritionem esse dolorem aliquem de peccatis, qui non est tam perfectus, nec est ultima, & proxima dispositio ad gratiam, sicut est ipsa Contritio, & Scotus ipse 4.d.14.q.2.N. & q.4.nomine attritionis intelligit actum odii, doloris, seù detestationis peccati, qui secundùm se,& proximè non disponit ad gratiam sanctificantem, sed est tantùm remota dispositio,& fit proxima virtute Sacramenti reipsa susceptì. Cæterum, ut diximus disp.5. cit.q.6. ab initio est aliqua attritio non solùm insufficiens ad remissionem peccatorum per se ipsam obtinendam, hoc est absque Sacramento in re, sed etiam insufficiens cum ipso Sacramento, ut si sit actus naturalis, vel non sit efficax in ordine ad peccata vitanda, quia nimirum est asque proposito actuali, vel saltem virtuali emendandi vitam. Et de hac attritione hìc non est sermo, quia hæc non est attritio supernaturalis, quæ juvat ad salutem,& de qua Trident. ait sess.14.c.4.esse donum Spiritus Sancti, & includere propositum non peccandi de cætero; sed de illa, quæ est actus supernaturalis, & ex Spiritus Sanctis impulsu elicitus, quæ licet per se ipsam ad gratiam obtinendam sit insufficiens,efficitur tamen sufficiens virtute Sacramenti, undè superius diximus hanc attritionem supernaturalem in hoc convenire cum contritione, quod est dolor de peccatis cum proposito emendandi vitam,& spe veniæ divinitus obtinendæ, nam tam attritio,quàm contritio est peccatorum detestatio, detestatio autem idem est, quod nolitio,& displicentia peccati,quę à dolore distinguitur,sicut causa ab effectu, & separari possunt, in Beatis enim est perfecta displicentia de peccatis sine dolore, dolor autem est effectus detestationis in subjecto doloris capaci,adhuc tamen solent Concilia, & Patres contritionem, & attritionem appellare dolorem, sumpta denominatione non ab essentia rei, sed ab effectu. Sicut autem ar. præc. naturam, & essentiam Contritionis vestigavimus, varias difficultates resolvendo,quæ de ipsa disputari solent,sic pariter in hoc articulo de attritione procedemus.

40 Primò itaque explicandum est, quænam sint motiva Attritionis ex dictis q.6.cit.art.1.& quidem attritionis piæ,& Christianæ, quæ homini ad salutem prodesse potest, & de qua hìc est sermo, Concil. Trid. l.c. sess. 14. c. 4. duplex assignat motivum, unum quo concipitur ex turpitudinis peccati consideratione; alterum verò, quo concipitur ex gehennæ, & pœnarum metu; juxtà quam doctrinam duplex erit attritio, una oritur ex consideratione fœditatis peccati,altera ex metu gehennæ,& aliarum pœnarum; cujus divisionis sufficientiã sic explicamus l. c. quia infrà dolorem peccati propter Deum, vel dolet quis quia peccatum in se malum est,& deforme, vel quia est sibi causa mali,scilicet,pœnæ;& ità adæquatè hoc duplex motivi genus communiter à Theologis recipitur, & assignatur; & hoc etiam insinuavit Scotus ipse 4.dist.20.q.1.§. *In ista quæstione*,ubi postquam dixit detestationem ordinatam, quæ verè contritio est, debere elici à principio libero, & habere pro fine ipsum Deum, cujus consideratio, & amor voluntatem moveat ad detestanda peccata, paulò infrà ostendit, quænam sit attritio dicens, quod in extremis morte subitanea imminente difficile est habere actum ità circumstantionatum, quia qui usque tunc impœnitens fuit,non videtur extorquere à seipso displicentiam novam, nisi timore pœnæ imminentis; præsumitur enim, quod si remotus esset à pœna,sicut prius, non extorqueret à seipso illam displicentiam, sicut nec prius. Ità Doctor ibidem,quibus verbis expressè indicavit displicentiam ortam à timore gehennæ constituere attritionem,& se sola non sufficere ad salvandum peccatorem; displicentiam verò ortam ex consideratione Dei,& super omnia diligibilis, constituere contritionem, & se sola ad salutem sufficere sine Sacramento,ut etiam notavit Hiribarnes noster disp. 6.sec.1.Sub nomine autem pœnarum,advertimus l.c.non solùm comprehendi pœnam æternam Inferni, sivè sensus, sivè damni, sed etiam pœnas temporales Purgatorii, & hujus vitæ, scilicet, pestis, famis,belli,vel alterius damni,quo Deus sæpè punit peccata etiam in hac vita, siquidem Deus minatur, & penas æternas,& temporales hujus sæculi ad homines deterrendos, ut ex metu pœnæ fugiant culpam,ac proindè timor hujusmodi laudabilis est, ac honestus, etiam metu pœnæ temporalis, hoc enim timore,inquit Trident.suprà,utiliter concussi Ninivitę ad Jonæ prædicationem terroribus plenam pœnitentiam egerunt. Et hic etiam advertendum est, ut ibi diximus, pœnam hujusmodi metuendam,ut à Deo infligtam, vel infligendam, & non ab homine,metus enim pœnæ præcisè, ut ab homine procedit, sivè per vindictam sivè per judicialem sententiam, non sufficit ad attritionem, tùm quia nõ avertit hic metus hujus pœnæ ab omni peccato, sed ab externo tantùm, quod solum homo animadvertere, & punire potest, tùm quia cum omnis justificatio etiam in Sacramento sit conversio hominis ad Deum, qui atteritur præcisè ob motivum humanum, is nullo modo convertitur ad Deum, sed solum ad hominem. Difficultates autem,quæ circà hoc motivum fieri possunt vide solutas q.6.cit.a.1.n.139.& seq.

41 Secundò circà aliud motivum attritionis à Concilio assignatum ex turpitudinis peccati consideratione est difficultas, in quo consistat ratio talis turpitudinis, & quæ peccati turpitudo sit sufficiens motivum Christianæ attritionis. Affirmant aliqui nullam turpitudinem contrà virtutem, & honestatem naturalem esse sufficiens motivum Christianæ attritionis, sed eam duntaxat peccati turpitudinem, quæ opponitur alicui perfectioni divinæ supernaturaliter cognitæ. Fundamentum est quia ea tantùm peccati turpitudo est sufficiens motivũ Christianæ attritionis, quæ opponitur peccato in hoc statu cõmisso; sed pec-

peccatum in hoc ſtatu commiſſum includit averſionem à Deo objecto ſupernaturali; ergò ea tantùm peccati turpitudo erit ſufficiens motivum Chriſtianæ attritionis, quæ opponitur alicui perfectioni divinæ ſupernaturaliter notæ, ut ſunt irreverentia contrà Deum finem ſupernaturalem, ingratitudo, inobedientia, & ſimilia. Ità Lugus diſp. 5. ſec. 2. Amic. diſp. 3. ſec. 2. Caſpenſ. diſp. 3. ſec. 7. & alii Recentiores. Nos tamen diximus l. c. numer. 143. cum communiori opinione quamlibet turpitudinem moralem peccati, ſivè oppoſitionem dicat alicui perfectioni divinæ ſupernaturaliter cognitæ, ſivè non, dummodò ſit ſupernaturaliter, ideſt, per fidem nota, ſufficere ut ſit motivum attritionis Chriſtianæ. Ità Suarez diſp. 5. ſect. 3. Averſa q. 2. ſec. 14. Brancatus ex noſtris diſp. 9. art. & alii Neoterici paſſim. Ratio eſt, quia Concilium non ſe reſtringit ad illas peccati turpitudines tantùm, quæ opponuntur alicui perfectioni divinæ ſupernaturaliter notæ, ſed indefinitè loquitur de peccati turpitudine, ut opponitur huic, vel illi virtuti in particulari, excepta Charitate, ut ſi deteſteris furtum, quia eſt contrà juſtitiam, fornicationem, quia eſt contrà caſtitatem, &c. & omnis talis actus eſt verè bonus, & honeſtais in genere moris, & de genere virtutis moralis, quæ ipſa honeſtas ſicut oppoſita turpitudo, non ſolùm naturali lumine conſtat, ſed etiam revelatione divina, & lumine fidei; & talem actum ſupponimus eſſe ex ſuperiori auxilio gratiæ, & de ordine ſupernaturali ſaltem ſecundum modum, ſicut de aliis ſimilibus actibus ſalutaribus Concilium loquitur; ergò talis dolor, & attritio de peccatis ob eorum intrinſecam turpitudinem, & ex amore oppoſitæ honeſtatis, ut per divinam legem præceptæ, & revelatæ, erit verè ſalutaris, & cum Sacramento ſufficiens ad juſtificationem diſpoſitio. Per quod patet ad fundamentum in oppoſitum, falſum enim eſt eam tantùm turpitudinem eſſe ſufficiens motivum Chriſtianæ attritionis, quæ opponitur alicui perfectioni divinæ ſupernaturaliter notæ; nam aliæ quoque turpitudines peccatorum, ut huic, vel illi virtuti in particulari opponuntur, ſunt contrà Deum legislatorem, cùm rectitudines oppoſitæ ſint à Deo præceptæ, & per fidem revelatæ, ut media idonea ad ſalutem conſequendam, ut fuſius oſtendimus l. c.

42 Tertiò, quia dictum eſt etiam attritionem eſſe aliquo modo deteſtationem peccati propter Deum, dubitatur ulterius, an ſi ità deteſtatio peccati propter Deum, ut etiam dilectionem Dei includat formaliter, vel ſaltem virtualiter. Affirmant aliqui ex noſtris, ut Faber diſp. 16. cit. c. 3. Hiqueus 4. d. 14. q. 2. n. 219. Poncius diſp. 45. q. 3. imò hi duo ultimi dicunt attritionem, ut ſit ſufficiens diſpoſitio ad juſtificationem conſequendam in Sacramento pœnitentiæ elici debere ex motivo charitatis ſivè proximo, ſivè remoto, hoc eſt, elici, vel imperari à charitate. Nos tamen diximus art. cit. nu. 146. attritionem elici non poſſe ex motivo charitatis proximè, & immediatè, ſed ſic elici ex metu gehennæ, aut turpitudine peccati, aliovè motivo honeſto, quod non ſit motivum charitatis; ità enim fert communis opinio, & eſt expreſſa Concilii Trident. ſeſſ. 14. cap. 4. ubi hanc differentiam ponit inter attritionem, & contritionem, quod attritio eſt, vel ex motivo turpitudinis peccati, vel ex timore pœnarum; contritio verò ex alio motivo nobiliori, quia eſt dolor de peccato, prout eſt offenſa Dei ſuper omnia dilecti, vel diligibilis; ergò non requiritur ad conſequendam gratiam in Sacramento pœnitentiæ attritio ex motivo charitatis proximè, & immediatè, nec talis attritio eſt dabilis, quia eo ipſo non amplius eſſet attritio, ſed contritio. Undè ibidem rejectis Poncii, & Hiquei reſponſionibus, concludimus n. 148. quod formale motivum, in quod contritio tendit eſt peccatum, ut offenſivum Dei, eique adverſativum, ut ſupernaturali fini ſuper omnia diligibili. Formale autem mutivum, in quod tendit attritio eſt peccatum deteſtabile propter aliquod motivum infrà Deum ſuper omnia diligibilem. Inſuper immediatum motivum, quo nititur contritio ad peccatum deteſtandum eſt Deus ipſe, ex cujus complacentia movetur ad illud deteſtandum, immediatum verò motivum attritionis eſt aliqua honeſta ſupernaturalis creata, Deus autem ſolùm extrinſecè terminata actum attritionis Chriſtianæ, ut finis *Cui*; & hoc omninò neceſſarium eſt, quia ſi quis peccatum deteſtaretur præcisè propter timorem gehennæ, itaut in illo timore ultimò ſiſteret, & non ordinaret actum illum ad timorem filiam, ſed illum pro ultimo ſine ſibi conſtitueret, licet actus non eſſet de ſe malus, ſed bonus; tamen non eſt attritio, quæ eſt ſufficiens diſpoſitio ad juſtificationem in Sacramento pœnitentiæ, quia excluderet debitum finem ultimum; quando autem talem finem non excludit eſt ſufficiens diſpoſitio cum Sacramento ad juſtificationem, quia ſufficienter tollit affectum ad peccandum; & conſequenter tollit obicem ad Sacramentũ, illa enim attritio ſufficienter tollis affectum ad peccandum, quæ actu animũ peccatoris cõvertit ad Deum, à quo avertit peccatum; ſed omnis attritio concepta ex aliquo motivo ſupernaturali cum ordine ad Deum objectum, & finem ſupernaturalem *Cui*, ſi animũ peccandi excludat, efficaciter convertit hominẽ ad Deum; igitur omnis attritio concepta ex motivo ſupernaturali cum ordine ad Deũ objectum, & finem ſupernaturalem *Cui*, ſi voluntatem peccandi excludat, erit ſufficiẽs diſpoſitio cum Sacramento ad juſtificationem, atque ideò falſum eſt, quod præfati Scotiſtæ dicebant; ut quis benè diſponatur per attritionem ad juſtificationis gratiam in Sacramento pœnitentiæ conſequendam, ſemper opus eſſe, quod habeat dolorem de peccatis ex motivo charitatis ſivè elicitè, ſivè imperatè; ſufficit enim, quod attritio concepta ſit ex aliquo motivo ſupernaturali cum ordine ad Deum objectum, & finem ſupernaturalem *Cui*; hic autem non eſt ordo, quem importat dilectio formalis, vel virtualis Dei, & eſt proprius contritionis, quia non eſt ordo ad Deum, tanquam ad objectum, ex cujus amore movetur pœnitens ad deteſtãdum peccatum; ſed eſt ordo ad Deum, tanquam ad juſtum peccati vindicem, quem pœnitens timet, timens enim malum ſibi imminens ab aliqua determinata perſona, timet etiam perſonam; non ergo ex hoc, quod attritio dicit ordinem ad Deum hoc modo, & eſt propter Deum, ſequitur quod ſemper eſſe debeat ex motivo charitatis formali, vel virtuali. Objectiones autem præfatorum Scotiſtarum vide ſolutas loc. cit.

43 Quartò quæritur, quo pacto attritio à contritione diſtinguatur, circà quod varios dicendi modos recenſemus, & examinamus qu. 6. cit. art. 2. ubi in fine concludimus ex ſuperius dictis ſufficienter deduci, in quo attritio, & contritio conveniant, & in quo differant. In primis enim conveniunt ex parte objecti materialis, & proximi, ſcilicet, peccati, nam ambę circà illud verſantur. Deindè ex parte modi illud reſpiciendi, ſcilicet, averſando, & deſtruendo illud ſuper omnia. Rurſus in efficacitate deſtruẽdi illud, nam uterque actus voluntatem deſtruendi peccatum includit formaliter, vel virtualiter modo eis proportionato, & uterque includit voluntatem, & propoſitum non peccandi de cætero ex Trid. loc. cit. Item conveniunt in ordine, & origine, quia uterque eſt actus ordinis ſupernaturalis, & conſequenter ex auxilio gratiæ procedens. Denique quia neuter requirit certum aliquem intenſionis gradum, aut certam durationis quantitatem. Potiſſimum verò diſcrimen, & à priori inter attritionem, & contritionem ſumendum eſt ex diverſo formali motivo, in quod tendunt, nam formale motivum, in quod contritio tendit, eſt peccatum, ut offenſivum Dei, eique adverſativum, ut ſupernaturali fini ſuper omnia diligibili. Formale autem motivum, in quod tendit attritio, eſt peccatum deteſtabile propter aliquod motivum infrà Deum ſuper omnia diligibilem, quod Concil. Trid. ſeſſ. 14. cit. cap. 4. ſpecificat communiter eſſe, vel peccati turpitudinem, vel timorem pœnarum; cumque hæc differentia attritionis, & contritionis aſſignetur ibidem expreſſis verbis à Concilio, quiſque tenetur ei ſe conformare, & talem differentiam, ut primariam, & eſſentialem agnoſcere. Adhuc tamen Concilio non repugnat alias aſſignare differentias, veluti ſecundarias, & accidentales, qualis eſt illa, quod contritio conſtat ſe ſola gratiam cauſare ſine Sacramẽto reipſa ſuſcepto, & in effectu, ſed cum ſolo ejus voto, & in affectu, loquẽdo nimirum de cauſalitate diſpoſitiva, non autem formali; attritio verò non cauſat gratiam ſive Sacramento reipſa ſuſcepto, & in effectu, atque ideò illa ſe ſola ſufficit ad juſtificationem extrà Sacramentum obtinendam, hæc verò ſufficit ſolum ad juſtificationem in Sacramento obtinendam. Hæc, inquam, etiam eſt vera, & propria differentia attritionis, & contritionis etiam ab eodem Concilio aſſignata, & paſſim à Theologis adducta; non tamen eſt primaria, & eſſentialis, ac veluti per cauſam, ſed tantùm ſecundaria, & accidentalis, ac veluti per effectum; & ſi quæ aliæ etiam aſſignentur differentiæ inter attritionem, & contritionem, pariter accidentales, & ſecundariæ cenſeri debent, ut ab illa omninò prima, & eſſentiali originem ducentes, quæ ſumitur per originem ad objecta formalia, & motiva, pœnes quorum diverſitatem actus eſſentialiter ſpecificari ſolent.

44 Quintò eſt difficultas, an attritio poſſit fieri contritio, & quomodo. Affirmant aliqui illo vulgariter dicto innixi, quod peccator virtute Sacramenti ex attrito fit contritus, & videtur etiam favere Doctor diſt. 14. quæſt. 1 & 2. N. ubi ait attritionem fieri poſſe contritionem. Pro reſolutione autem hujus difficultatis jam diximus quæſt. 6. cit. art. 3. num. 168. attritionem ſumi poſſe, vel juxtà ſenſum antiquorum Scholaſticorum, qui per attritionem intelligebant illam peccati deteſtationem, ſivè perfectam, ſivè imperfectam, quæ gratiæ infuſionem præcedebat, quem actum poſteà continuatum poſt gratiæ infuſionem, contritionem appellabant. Vel in ſenſu Recentiorum, qui juxtà modum loquendi Concil. Trid. ſeſſ. 24. cap. 4. per contritionem intelligunt deteſtationem peccati propter Deum ſuper omnia diligibilem, quæ ſine Sacramento pœnitentiæ in re, ſed ſolùm in voto peccata delet, & gratiam cauſa per modum moralis diſpoſitionis;

sit ionis; per attritionem verò detestationem factam ex inferiori, & imperfectiori motivo, nempè pœnarum, vel turpitudinis peccati, quæ sine Sacramento in re susceptò justificationem non causat. Quando itaque Doctor l.c. ait attritionem fieri posse contritionem accipit in primo sensu ab Antiquoribus usurpato, ut patet legenti textum, in quo sensu utique attritio fieri potest contritio, quia nullum est inconveniens, nec ulla repugnantia, quod actus doloris de peccatis commissis sine Sacramento in re susceptò duret usque ad illud instans, in quo Deus decrevit gratiam infundere sine Sacramento, qui actus antè gratiæ infusionem dicatur contritio, quia est informis; & post talem infusionem dicatur contritio, quia est actus formatus juxtà modum loquendi veterum, qui actum informem appellabant attritionem, formatum verò gratia, contritionem; nulla enim est repugnantia, quod actus aliquis intrinsecè immutetur per solam adjacentiam ad aliquod extrinsecum, modò unam habeat denominationem, modò aliam, & in hoc sensu quoque Doctorem explicant Hiqueus d.14.q.2.num.115. & Brancatus disp.9.art. 3. At accipiendo attritionem, & contritionem juxtà mentem Concil.loc.cit. & modum loquendi Recentiorum pro dolore nimirum perfecto, vel imperfecto ratione motivi, non verò gradualis intentionis, nunquam secundùm rem, & essentiam attritio fieri potest contritio, nam cum attritio, & contritio in hoc sensu sint actus essentialiter diversi juxtà diversitatem objectorum formalium, & motivorum, à quibus specificantur, non potest unus intrinsecè in alium mutari, quia fieri non potest, ut idem actus numero, qui erat antè essentialiter attritio, posteà fiat contritio; si enim qui anteà peccatum detestabatur ex motivo pœnarum, vel peccati turpitudine, posteà ex motivo charitatis incipiat illud detestari; tunc quidem ex attrito fiet cõtritus, non tamen attritio fiet contritio, sed potest attritionem succedet contritio; sicut quando in aqua calori succedit frigus dicitur quidem calidum fieri frigidum, non tamen calor fit frigus, undè melius est dicere hominem ex attrito fieri contritum per advenientem gratiam, quàm attritionem fieri contritionẽ, quia hic posterior loquendi modus significat mutationem intrinsecam attritionis in contritionem.

45 Et hinc patet intelligentia illius vulgariter dicti, quod peccator virtute Sacramenti ex attrito fit contritus, non enim sensus est attritionem intrinsecè mutari in contritionem, cùm enim sint actus essentialiter diversi, non potest unus intrinsecè in alium mutari, nec etiam ità debet intelligi quasi homo recipiens absolutionem, eo ipso transeat ex actu attritionis ad actum contritionis, incipiatque postea detestari ex perfecto motivo propter Deum; sed intelligendum est solùm per denominationem ab effectu desumptam, ac veluti per quandam æquivalentiam, inquantum, scilicet, ut recipit effectum virtute Sacramenti nimirum justificationem, quam alioquin habuisset ex vi contritionis, cujus defectum supplet absolutio, vel inquantum contritio dicitur à conterendo, ac delendo peccato, per Sacramentum enim abolentur, ac destruuntur peccata; & in hoc eodem sensu dici etiam potest attritio extrinsecè tantùm mutari in contritionem, quia nimirum susceptà gratia per Sacramẽtum, ea quæ ex intrinseco motivo erat, & perseverat attritio, dicitur ex superveniente gratia contritio, quia virtute Sacramenti habet effectum contritionis, quod est reddere hominem gratum, & amicum Deo per justificationem; & hoc totum est de mente Doctoris 4. d. 17. qu. un. ubi docet attritum virtute Sacramenti justificari, & est communis Theologorum sensus, & distinct. 14. q.4. in solutione ad 2. principale, ubi in hoc eodem sensu jam explicato concedit attritionem fieri contritionem.

46 Sextò est difficultas, an attritio etiam cognita ut talis sufficiat ad justificationem cum Sacramento. Negant quamplures apud Aversam q.11. sect. 4. quorum aliqui necessariam simpliciter putant esse in hoc Sacramento contritionem perfectam, non solùm obligatione præcepti, sed etiam de necessitate medii ad ejus effectum consequendum, itaut etiamsi bona fide quis confiteatur cum sola attritione, nihil proficiat. Alii verò dicunt esse quidem necessariam ex obligatione præcepti ad effectum Sacramenti consequendum, non tamen necessitate medii, ità quod si quis bona fide accedat putans se esse contritum, cùm tamen re vera sit tantùm attritus, adhuc recipit gratiam Sacramenti. Fundamentũ est, quia sciens esse attritum, & non contritum accedit ad Sacramentum cum conscientia peccati mortalis; ergò ponit obicem gratiæ, peccatum enim mortale gratiæ repugnat, atque ideò attritio cognita, ut talis, non sufficit ad justificationem cum Sacramento; & sic etiam sentire videtur ex nostris Faber disp.16.c.3.n.69. ubi ait, quod nota attritio, quæ est præcisè propter timorem pœnæ, & non propter Deum, non est vera attritio Christiana, nec sufficit ad Sacramentum baptismi, vel pœnitentiæ dignè susciendum, ejusque effectum cõsequendum, quibus verbis significare videtur saltẽ esse debere putatã contritionem, licet posteà disp.18.cap.3. oppositum probabiliùs putet. Nos tamen diximus qu.6.cit. art.3. n.171. in hoc Sacramento non esse necessariam perfectam contritionem nec necessitate medii, nec obligatione præcepti, sed sufficere attritionem etiam cognitam ad recipiendam absolutionem, & gratiam Sacramentalem. Ità Doctor dist.14.quæst.4.cit. in solutione ad 2. princ. ubi ait, concedo ergò, quod antè perceptionem dignam pœnitentiæ oportet suscitari, vel simpliciter, vel secundum quid, scilicet, ut habeat dispicentiam aliquam de peccatis; & infrà dist.19. in responsione ad quæstionem, §. *Contrà primum*, ubi determinat Sacramentum pœnitentiæ posse dignè recipi ab attrito ea attritione, quæ non sufficeret extrà Sacramentum; & hoc idem jam antè statuerat de Baptismo 4.d.4.q.5. ab initio, ubi dicit accedentem ad baptismum debere esse de peccatis commissis, vel contritum, vel saltem attritum, qua de causa nos quoque superius disp.17. de Baptismo qu.3. art.2. diximus ad effectum baptismi consequendum, scilicet gratiam, necessariam non esse in adultis pœnitentiam, quæ sit vera, vel saltem putata contritio, sed sufficere attritionem etiam cognitam, ut talem, & est communis opinio in Scholis, quam tenet Suarez, Vasquez, Lugus, Caspensis, Aversa, Coninch. Becan. Valentia, Bellarminus, Bonacina, & ex nostris Hiqueus, Poncius, Brancatus, Aretinus, & alii Theologi passim.

47 Probatur autem primò ex Doctrina Evangelii: *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis*, & ubicumque Clavium fit mentio, quarum clavium potestas data esset solùm ad declaranda omnia peccata mortalia jam remissa per contritionem, non autem ad remittenda, nisi sufficeret attritio cum Sacramento, ut patet; fateri ergo oportet aliquam dispositionem esse, quæ licet per se non sufficiat ad consequendam peccatorum veniam, sufficit tamen cum Sacramento, quæ utique non est perfecta contritio, sed attritio solùm, & hoc non solùm in eo, qui putaret se esse perfectè contritum, sed etiam in eo, qui cognoscit se solùm attritum. Deindè probatur ex Concil. Trid. sess.14.cap.4. ubi attritioni tribuit eam vim cum Sacramento, quam habet contritio extra Sacramentum, sufficit autem contritio ad justificationem; rursus attritioni tribuit vim in Sacramento, quam ei negat extrà Sacramento; ergò supponit in Sacramento esse sufficientem ad justificationem. Neque dicas ibi Concilium loqui de attritione, quæ contritio æstimetur, nam loquitur ibi de ea, quæ concipitur ex metu gehennæ, vel peccati turpitudine, hæc autem est æstimata attritio, & cognita, ut talis; tùm quia æstimatio non facit ad veritatem dispositionis, præsertim quando est erronea, sicut illa, quę putat attritionem esse contritionem, cùm re vera non sit talis, nam veritas contritionis non pendet ab æstimatione nostra, sed solùm ab acceptatione divina circumstantiis honestis, & gratia. Tandem probatur ex institutione hujus Sacramenti, quod dicitur mortuorum, & per modum judicii reconciliativi; ergò de se non supponit vitam, & reconciliationem anteà habitam, scilicet per contritionem; tùm quia institutum est tãquam novum remedium ad faciliorem remissionem peccatorum, quo carebat lex vetus; at nisi sufficeret attritio cũ ipso, sed requireretur contritio, esset gravior, & difficilior remissio in lege nova, quàm antiqua, in qua sola contritio sine onere suscipiendi Sacramentum justificabat; cùm ergo sufficiat attritio cum Sacramento ad veniam peccatorum obtinendam, non solùm non tenetur peccator accedere cum contritione, sed potest sciens, & volens cum tali dispositione accedere ad Sacramentum, qua virtute Sacramenti justificetur, quod est dicere attritionem, etiam cognitam ut talem, sufficere cum Sacramento ad justificationem. Ad rationem in oppositum neganda est consequentia, quia ille solam gratiæ Sacramentali obicem ponere censetur, qui accedit cum dispositione repugnante effectui, ad quem primò, & per se Sacramentum ordinatur; conscientia autem peccati mortalis non repugnat remissioni ipsius peccati, & ad quam tanquam ad proprium effectum primò, & per se Sacramentum pœnitentiæ ordinatur. Sed quod repugnat remissioni peccatorum est complacentia in ipsis, & propositum, vel voluntas peccandi mortaliter; & ideò ad hoc Sacramentum dignè susciendum necessariò prærequiritur, quod pœnitens habeat veram attritionem Christianam, quæ omnem complacentiam in peccato, & omne propositum, ac voluntatem peccandi mortaliter excludat. Alias rationes quoque contrà nostrum assertum vide solutas loc.cit.

48 Septimò est difficultas, an attritio debeat esse formalis, & expressa detestatio, sivè dolor de peccatis, an verò sufficiat virtualis. Navar.cap.1.nu.18. Emanuel Sà verbo *Contritio*, & alii Summistæ affirmant sufficere virtualem, undè dicunt ad effectum hujus Sacramenti sufficere eam attritionem, qua pœnitens dolet se non habere dolorem peccatorum. Communis tamen opinio est, ut diximus art.cit.n.173. dolorem debere esse formalem, & expressum de peccatis, & virtualem non sufficere. Ità

Vasq.

Vasq. Hur. Casp. & alii; & probatur tum ex Trid. sess. 14. c. 3. & 4. ubi insinuat ad effectum hujus Sacramenti consequendi requiri dolorem formalem de peccatis, tum ex institutione hujus Sacramenti per modum judicii voluntarii reconciliativi, quod non potest consistere, nisi ille, qui vult reconciliari cum eo, quem offendit, verè, & actu doleat de offensa, eamque detestetur, sicut veram, & actualem accusationem exhibet. Quarè qui verè nō dolet, nullo modo justificatur, esto si id inculpabiliter faciat, novam culpam non committat. Ex quo etiam sequitur neque justificari etiam doleat se non dolere, neque enim dolere de carentia doloris est dolere de peccatis, sicut si doles, quia non amas aliquem, non ideò illum amas; tum quia dolere de defectu, seù carentia doloris non est dolere de peccato, nec expressè, ut patet, neque virtualiter, quia carentia illa doloris, seù dolor de tali carentia non continet virtualiter dolorem de peccato, cum sufficiens non sit, nec efficax ad excitandum dolorem de peccato. Ità tamen loquitur communis opinio, ut diximus l. c. quia ex quatuor modis pœnitendi à Scoto assignatis d. 14. q. 1. art. 3. §. *De secunda Conclusione* solùm secundum agnoscit, quod est detestari, vel odio habere peccatum à se commissum, seù displicentiam habere de peccato à se commisso; at etiam alio modo potest voluntas pœnitere, ut Doctor docet ibidem, per actum, scilicet, imperativum imperando nimirum intellectui, ut consideret peccatum ut offensivum Dei, & imperando sibi ipsi nolitionem, seù detestationem peccati commissi ad causandam tristitiam, & dolorem; & hoc modo pœnitere est vindicare, vel punire peccatum à se commissum, quia applicare sibi pœnam est tenere eam, & istud potest intelligi inquit Doctor, sivè applicet, vel infligat pœnam in effectu, vel affectu, quia vindicans non minus vindicat etsi quandoque pœna non sequatur propter defectum alicujus causæ secundæ, dùm tamen ipse æquè, & justè intendat pœnam infligere, quem pœnitendi modum, ut primum, & præcipuum à Scoto assignatum jam declaravimus ab initio hujus disp. q. 1. a. 1. Juxtà igitur hunc dicendi modum etiam prima opinio optimè defendi potest, quod interdum quoque sufficiat dolor virtualis de peccatis, ac etiam dolor non habendi dolorem de peccatis; si enim pœnitens per actum voluntatis imperativum causas proximas tristitiæ, & doloris applicavit, nimirum considerationem turpitudinis peccati, & nolitionem ejus, quamvis dolor, & pœna non sequatur interdum ex defectu alicujus causæ secundæ, adhuc non minus verè pœnitere censendus est, quia ut inquit Doctor l. c. vindicans non minus vindicat, etsi quandoque pœna nō sequatur propter defectum alicujus causæ secundæ, dùm tamē ipse æquè, & justè intendat pœnam infligere.

49 Postremò est difficultas, an ad valorem Sacramenti requiratur quod prædictus dolor confessionem præcedat. Affirmant aliqui dolorem huic Sacramento necessarium debere esse priorem confessione non solùm natura, sed etiam tempore. Ità Coninchius disp. 4. dub. 6. cum quibusdam aliis, fundamentum est, quia confessio debet reddere sensibilem dolorem internum significando illum, non potest autem esse signum doloris, nisi ex ipso dolore procedat, neque enim alio modo dolorem significare potest nisi tanquam causam; ergò si dolor non est causa confessionis, non redditur dolor sensibilis per confessionem. Confirmatur, quia confessio debet esse signum doloris, actus verò externus non potest esse signum interni, quem non supponit. Denique accusatio vera debet esse profecta ex odio delicti; ergò si confessio non oritur ex dolore, nō fuit vera accusatio. Nos tamen diximus a. 3. cit. in fine opus non esse, quod prædictus dolor confessionem præcedat, sed satis esse si ipsam sequatur ante absolutionem. Ita Suarez, Lugus, Amicus, Caspensis, & alii passim, & est ferè communis in Scholis; probatur ex praxi fidelium, tam pœnitentium, quàm Confessariorum, si enim illi aliquando peccata cōfitentur absque dolore, & à Confessarii exhortatione excitati dolent, non repetunt peccata, neque ab iis ad ea repetenda urgentur, sed statim absolvuntur, tanquam ritè, & sufficienter dispositi. Confirmatur, quia nulla est ratio, cur dolor ille subsequens non sufficiat, quia licet confessio sine dolore facta, nec sit Sacramentalis, nec accusatio, tamen per subsequentem dolorem informata, & subjecta clavibus, & accusatrix, & Sacramentalis est. Tandē rectè proceditur in hoc negotio, si facta prius omnium peccatorum explicatione, & postea concepta contritione, vel attritione postremò dicat pœnitens, se dolere de omnibus peccatis jam expositis, & illorum venia petere, & si nihil dicat pœnitēs sufficit, quod expositis omnibus peccatis percutiat pectus, ut fieri solet, nā etiā illa sola pectoris tunsio est vera accusatio, utpotè doloris effectus, & index.

50 Ad fundamentum in oppositum dicendum est contritionem in eo casu, vel attritionem fieri sensibilem per ipsam confessionem præcedentem, ad quod non requiritur quod confessio sit effectus doloris, sed voluntatis suscipiendi Sacramentum, & hæc voluntas inferat positionem doloris necessarii, undè confessio significare potest dolorem, non solùm, ut sui causam, sed etiam ut effectum provenientem ab alia causa, nempè à voluntate, seù intentione suscipiendi Sacramentum, ac consequenter ponendi omnia ad illud requisita. Cùm autem unum ex his sit dolor, eo ipso, quod pœnitens peccata confitetur, ostendit se de iis doluisse, vel dolorem habiturum esse antè absolutionem; confessio autem non solùm significat causam illam, idest, intentionem dictam, sed etiam alium effectum ejusdem intentionis, nempè dolorem cum ipsa connexum, & ab ipsa inseparabilem, sed disiunctivè, scilicet, vel positum, vel ponendum antè absolutionem, quo dolore, sivè præterito, sivè præsente, sivè etiam consequente sufficienter redditur dolorosa confessio propter connexionem, scilicet, confessionis, & doloris in illa intentione suscipiendi Sacramenti cum omnibus requisitis.

Ad Confirmationem pariter dicendum est actum externum esse posse signum actus interni, vel præcedentis, vel saltem concomitantis, aut subsequentis antè absolutionem, & in prædicto casu confessionem esse signum doloris concomitantis modo jam explicato. Ad ultimum eodem modo dicendum est accusationem veram procedere ex odio delicti, vel præcedente, vel saltem concomitante, aut subsequente, quod in eo casu non respicit propriè, ut sui causam, sed ut coeffectum ab eadem causa manantem, & procedentem, scilicet, ab intentione, & voluntate suscipiendi Sacramentum pœnitentiæ cum omnibus requisitis. Alia plura ad actum attritionis scholasticè spectantia videri possunt quæst. 6. cit.

QUÆSTIO TERTIA.

De necessitate, & efficacia Pœnitentiæ virtutis ad remissionem mortalium.

51 QUæstio procedit de potentia ordinaria, ut diximus disp. 5. cit. q. 7. nam loquendo de extraordinaria inquit Doctor 3 dist. 14. quæst. 1. V. pœnitentiam non esse ità necessariam, ut sine ea, implicet contradictionem remissio peccati, quia posset Deus de potentia absoluta sine ullo actu peccatoris omnem culpam, & pœnam remittere, ut jam statuimus lib. 2. sent. disp. 7. de justificatione qu. 4. & quando etiam Deus peccatum remittere vellet mediāte aliquo peccatoris actu, adhuc sine pœnitentia remittere posset; sicut enim de facto pœnitentiam destinavit inter media necessaria ad culpæ remissionem, ità destinare poterat alium, scilicet, temperantiæ, misericordiæ, &c. cùm id absolutè ex sua voluntate dependeat. Procedit etiam quæstio solùm de adultis, etenim de parvulis loquendo, certum est justificari posse, & de facto sic justificari per gratiam eis in baptismo collatam sine aliquo mōtu voluntatis eorum, cujus in ea ætate sunc incapaces, Pœnitentia autem duplex est, formalis nimirum, seù explicita nempè detestatio, & dolor de peccato commisso cū proposito emendationis, & virtualis, seù implicita, quæ consistit in dilectione Dei super omnia, seù in actu perfecto amoris Dei, qui virtute continet pœnitentiam formalem. Duplex etiam est necessitas nempè medii, & præcepti, ut dictum est suprà disp. 16. de Sacramentis in genere qu. 4. art. 2. dicitur aliquid necessarium necessitate medii, sine quo, vel ex natura rei, vel ex institutione Dei non potest haberi finis, itaut carentia, & omissio ipsius sivè culpabilis, sivè inculpabilis impediat consecutionem finis, undè vocatur necessitas finis, & unicum medium; illud verò dicitur necessarium necessitate præcepti, cujus culpabilis tantùm, non autem inculpabilis transgressio, vel omissio impedit consecrationem finis, ut loc. cit. declaravimus. In præsenti igitur quæstione explicandum est, quanta sit hujus pœnitentiæ necessitas, quæ, & qualis pœnitentia sit necessaria, quando talis necessitas urgeat, & tandem quomodo pœnitentia causet remissionem peccati mortalis.

ARTICULUS PRIMUS.

Quanta sit Pœnitentiæ necessitas, & quæ Pœnitentia sit ad salutem necessaria.

52 PRimò pro resolutione quæsiti quoad primam partem jam diximus q. 7. cit. art. pœnitentiam esse necessariam necessitate medii ad salutem homini lapso in peccatum mortale; & est assertio de fide, quam Scot. docet 4. dist. 14. qu. 1. D. & X. & d. 17. F. ubi indiscriminatim loquitur de omni statu hominis post peccatum, & probatur ex Sacra Scriptura, quæ ubique peccatoribus hoc unicum pœnitentiæ remedium proponit, ut Eccles. 13. *Si pœnitentiam non egerimus, incidemus in manus Domini,*

Domini, & non in manus hominum, & Lucæ 13. *Nisi pœnitentiam egeritis, omnes simul peribitis*, quarè dixit Conc. Trid. sess. 14. c. 1. quod fuit pœnitentia universis hominibus, qui se mortali aliquo peccato inquinassent, quovis tempore ad gratiam, & justitiam essequendam necessaria. Probatur etiam ex Patribus, qui nil frequentius inculcant, quàm ut peccatores pœnitentiam agant, qu ia hoc est illis unicũ salutis remedium, undè inquit August. epist 50. *Nisi egeris pœnitentiam, salvus esse non poteris*, qua ratione etiam pœnitentiam secundam tabulam post naufragium appellare solent, per quam veluti unicum remedium post fractam innocentiæ navem à naufragio eripimur, & portum salutis intramus; dicitur autem secunda tabula post naufragium, quia prima est Baptismus, per quem homo naufragus ex peccato originali salvatur, ut notat Scotus d. 14. c. qu. 1. D. Ex quo loquendi modo Scripturæ, & Patrum satis constat pœnitentiam esse proprie necessariam necessitate medii ex institutione, & ordinatione Dei, sine quo non contingit peccatorem justificari, adeout si peccator etiam absq; nova culpa impœnitentiæ, vel ex inculpabili oblivione, vel ex subitanea morte, aut judicii amissione deficiat in adhibenda debita pœnitentia, non justificabitur, neque salvabitur, sed ob priorem culpam non remissam damnabitur. Deindè diximus art. cit. nu. 179. pœnitentiam esse etiam necessariam necessitate præcepti, quod etiam clarè deducitur ex Scriptura, quæ non semel de peccatis commissis pœnitentiam injungit sub forma præcepti, & Ezech. 18. *Convertimini, & agite pœnitentiam ab omnibus iniquitatibus vestris*, Joel 2. *Convertimini ad me, scindite corda vestra* Matth. 3. *Agite pœnitentiam*, quæ verba utique præceptum sonant; & suadet etiam ratio, quia si pœnitentia est necessaria tamquam medium, non potest non esse etiam ex præcepto, quia sicut homo tenetur ad sibi procurandum suum ultimum finem, sic pariter tenetur ad ponenda media pro talis finis consecutione. Tandem addimus ibidem nu. 181. pœnitentiam esse peccatori necessariam, non tantùm ex præcepto positivo, ut constat ex modò dictis, sed etiam naturali, ut ait Scotus 4. d. 14. cit. q. 1. & 3. A. quia jus naturæ obligat, ut homo applicet ea, quæ sibi sunt necessaria ad finem consequendum, quem sibi acquirere tenetur, sed pœnitentia est necessaria de lege ordinaria ad justificationem acquirendam, & hæc omninò necessaria est ad beatitudinis consecutionem, quam unusquisque sibi procurare tenetur; ergo &c. Undè autem oriatur talis pœnitentiæ necessitas; & ex quibus motivis sit attenda latè declaramus loco citato, numero 190. & sequenti.

53 Secundò pro resolutione quæsiti, quoad alteram partem, quæ scilicet, & qualis pœnitentia sit necessaria ad salutem, in primis certum est, ut diximus quæst. 7. cit. art. 2. ab initio pœnitentiam, quæ in lege tam naturæ, quàm Moysis erat ad salutem necessaria post peccatum personale commissum, fuisse actum contritionis perfectæ, ut docet Doctor loc. cit. in quibus indifferenter loquitur de omni statu, & posteà confirmavit Trident. sess. 14. cap. 1. ubi docet quovis tempore fuisse pœnitentiam necessariam universis hominibus, qui se aliquo peccato mortali inquinassent, ad gratiam & justitiam assequendam, quam pœnitentiam pro antiquis Patribus inferiùs posteà declarat fuisse contritionem perfectam. In lege autem gratiæ necessaria est, vel contritio perfecta extra Sacramentum, vel imperfecta, quæ dicitur attritio cum Sacramento, etenim Trident. l. c. duabus causis justificationem tribuit per infusionem gratiæ, & deletionem peccati, scilicet, Sacramento pœnitentiæ, & perfectæ contritioni cum voto Sacramenti, quia in lege gratiæ, ut contritio ad salutem sufficiat, est necessarium, habere votum Sacramenti pœnitentiæ, ut etiam ante Trident. docuit Scot 4. d. 17. q. un. X. & ratio est, quia in lege Evangelica fideles obligantur ad pœnitentiam Sacramentalem, itaut illis non sufficiat contritio, ut hanc obligationem adimpleant, sed etiamsi prius per contritionem justificati sint, adhuc tenentur Sacramentaliter confiteri, quia nimirum in contritione ipsa votum Sacramenti includebatur; & hæc obligatio oritur ex præcepto Christi, ut postea de ipso Sacramento ostendemus. Difficultas tamen est, an ad pœnitentiam ad salutem necessariam sufficiat sola attritio cum Sacramento confessionis. Et quamvis Valentia disp. 7. q. 8. de Contritione punct. 4. absolutè affirmet in nullo casu, in quo per se obligat præceptum contritionis, posse per solam attritionem cum Sacramento Confessionis suppleri, quia præceptum datum de uno actu non adimpletur per alium actũ, atque ideo post confessionem factam adhuc teneri ad contritionem perfectam. Communis tamen sententia affirmat, ut diximus l. c. ad remissionem peccati sufficere attritionem cum Sacramento, & præter hoc peccatorem non teneri per se ex vi pœnitentiæ ad contritionem. Ità Navarrus, Canus, Suarez, Vasquez, Coninchius, Henriquez, Amicus, Aversa, & alii communiter, & sequitur ex dictis quæst. præced. art. 2. num. 46. ubi diximus cum Scoto ibi citato attritionem etiam cognitam, ut talẽ, ad Sacramentum Confessionis sufficere, & effectum ejus consequendum, nam alioquin opus esset ad hoc Sacramentum accedere cum contritione saltem putata, & gravior, & difficilior esset remissio peccatorum in lege nova, quàm antiqua, in qua sola contritio justificabat sine onere suscipiendi Sacramentum, undè sequeretur duplicatum fuisse onus pœnitentiæ in lege Evangelica. Tùm quia hinc sequeretur Sacramentum confessionis peccata remittere in voto contritionis suo tempore exercendæ, quod falsum est, cùm potius res è contrà se habeat, quod contritio peccata remittit in voto confessionis ex Trident. loc. cit.

54 Ratio autem à priori hujus veritatis, ut diximus loc. cit. est Christi voluntas, qui in lege Evangelica præceptum contritionis commutavit in præceptum confessionis, atque ideò in omnibus casibus, in quibus anteà contritio obligabat, nunc per Sacramentum Confessionis suppleri potest. Undè non per hoc dicitur dispensatum fuisse antiquum contritionis præceptum, sed solùm commutatum, quia loco contritionis per Sacramẽtalem Confessionem potest tunc adimpleri. Ex quo patet ad fundamentum allatum in oppositum, nam juxtà explicationem Ecclesiæ in Trident. loc. cit. nomine legitimæ, & perfectæ pœnitentiæ non tantum intelligitur contritio, sed etiam attritio cum Sacramento, etenim ad hoc disiunctim tenemur in lege gratiæ, itaut per utrumque disiunctim præceptum pœnitentiæ adimpleri possit; undè præceptum pœnitentiæ suppleri posse per Sacramentum Confessionis non tollit præceptum pœnitentiæ specialis virtutis, seù contritionis, sed tantùm facit, quod hæc non sit determinatè necessaria, quia etiam servari potest per attritionem in Sacramento, quod est novum remedium in lege Evangelica ad faciliorem remissionem peccatorum, quo carebat lex vetus.

55 Tertiò est difficultas, an saltem in articulo mortis teneatur peccator non solùm per confessionem cum attritione, sed etiam per veram contritionem agere pœnitentiam. Affirmant Valentia, Suarez, Tannerus, Sanchez, Granadus, & alii Recentiores putantes saltem in articulo mortis præceptum contritionis per se obligare independenter à præcepto confessionis. Fundamentum est, quia cum homo non possit esse certus se esse in gratia, & possit in Sacramento aliquis intervenire defectus, vel ex parte pœnitentis, vel ex parte Sacerdotis, debet homo pluribus modis suam procurare justificationem, ut tutius possit ex hac vita decedere. Confirmatur, quia non est omninò certum attritionem cognitam, ut talem, ad Sacramentum sufficere, & ideò quamvis alioquin in rebus moralibus operari sufficiat juxtà opinionem probabilem, tamen in re gravissima, & in extremo mortis articulo debet homo tutissimum adhibere remedium, & hoc ex charitate ergà seipsum. Tandem quia si quis in extremo mortis articulo conari ad perfectam contritionem renueret, suspectum se redderet ne sufficientem quidem habere attritionem, sed potius occultum aliquem affectum ad peccatum. Nos tamen diximus art. cit. num. 196. neque in articulo mortis teneri ad contritionem, qui per Sacramentum confessionis in eo articulo justificatus est, sed tantùm teneri in casu, quod copiam Confessoris non haberet. Ità Scotus 4. d. 19. q. 2. *in calce*, & d. 20. q. un. A. ubi docet pœnitentiam vel solam interiorem, vel exteriorem cum susceptione Sacramenti pœnitentiæ sufficere ad salutem alicujus etiam in extremis, & sequuntur Recentiores communiter Cardin. de Lugo, Amicus, Aversa, Becanus, Turrianus, Layman, Diana, & ex nostris Faber, & Brancatus, & alii passim. Probatur ex Trid. sess. 14. cit. cap. 4. universaliter docente vel contritionem perfectam, vel attritionem cum Sacramento sufficere ad salutem, & sufficienter disponere ad obtinendam Dei gratia, & peccatorum remissionem nullum excipiendo casum. Confirmatur, quia nequit assignari ratio, cur in aliis temporibus sufficiat sola attritio, etiam cognita, ut talis, & non in articulo mortis; ergò si in aliis sufficit temporibus, etiam & in ipso mortis articulo, cum tunc non minorem habeat virtutem Sacramentum Confessionis, quàm in aliis temporibus; & planè fruſtrà provisum esset fidelibus in nova lege de Sacramento pœnitentiæ, si hoc in majori necessitate illis non proficeret, sed contritio necessaria esset, sicut in veteri lege. Sicut ergò aliis temporibus præcepto contritionis sufficienter satisfit per Sacramentum Confessionis, ità & in articulo mortis, ubi major est necessitas.

56 Ad fundamentum oppositæ sententiæ negatur, hominem in articulo mortis ad tantum onus obligari, & si potest aliquis intervenire defectus, vel ex parte pœnitentis, vel ex parte Confessarii, idque ad talem obligationem inducendam sufficeret, hoc etiam asserendum esset extrà mortis articulum, quia tales defectus etiam extrà mortis casum contingere possunt; tùm etiam quia estò possit aliquis intervenire defectus ex parte pœnitentis, potest etiam in exercenda conttitione id cõtingere, quarè

suæ obligationi pœnitens satisfacit, dùm morali certitudine ritè confiteri conatur; ad supplendum verò Confessarii defectum sufficit bona fides pœnitentis, & moralis quædam certitudo absque alia cautela, nisi quando occurrit aliqua particularis, & moralis ratio dubitandi, ut dici solet in collatione Baptismi, ordinis, & aliorum Sacramentorum exercitio. Ad confirmationem negatur assumptum, etenim post Concil. Trid. satis certum moraliter est attritionem etiam cognitam ad Sacramentum pœnitentiæ sufficere, ut supra dictum est; insuper falsum est hominem in mortis articulo teneri tutiorem viam sub præcepto eligere; sufficit enim, ut eligat tutam, & moraliter certam, quæ omne dubium practicum tollat oppositæ partis, & hoc præsertim verum est, quando neque pars tutior omne dubium metaphysicè tollit, ut est in proposito de contritione, de qua nunquam potest esse quis certus metaphysicè, sed solùm à tuta differt secundùm magis, & minus intrà eundem moralis certitudinis gradum. Ad ultimum argumentum, non est ad rem, quia supponimus hominem in mortis articulo constitutum facere, quod in se est, & moralem adhibere diligentiam, ac diligens studium ritè, & devotè confitendi.

57 Quarto est difficultas, an semper sit necessaria pœnitentia formalis, vel potius aliquando sufficiat virtualis, hoc est, an per solum actum dilectionis Dei super omnia, qui dicitur pœnitentia virtualis, quia continet virtute de testationê peccatorum, absque actuali pœnitentia, possit in aliquo casu peccatum remitti. Negant aliqui in ullo casu etiam naturalis oblivionis, & invincibilis ignorantiæ, ac etiam martyrii pro Christo perpessi sufficere pœnitentiam virtualem in eo, qui peccata commisit, sed semper requiri pœnitentiam formalem, & actualem peccatorum saltem in genere ab eo, cui nulla occurrit memoria peccatorum in specie. Ità Cujus in relectione de pœnit. part. 3. §. *De Charitate*, Petrus Soto de Instit. Sacerd. sec. 4. & quidam alii Thomistæ, quorum præcipuum fundamentum est, quia implicat esse veram dilectionem Dei in peccatore sine formali pœnitentia, & detestatione peccati, nam est natura charitatis, & dilectionis Dei super omnia ut statim peccatorem excitet ad formalem detestationem offensæ contrà Deum saltem in genere, si specialiter memoriæ non occurrat. Nos tamen diximus a. cit. num 199. cum communiori sententia quod licet regulariter pœnitentia formalis post mortale sit necessaria ad salutem, in aliquo tamen casu potest non esse necessaria, sed suppleri per pœnitentiam virtualem, qualis est dilectio Dei super omnia. Ità Scotus 4. d. 14. q. 1. *De secunda conclusione*, & §. *Ex his ad solutionem*, & Scotistæ omnes ibidem, quam Scotistam sententiam sequuntur communiter Recentiores Bellarminus, Suarez, Vasquez, Coninc. Lugus, Amicus Aversa, Valentia, Navarrus, Corduba, Bonacina, & plures etiam ex Thomistis cum S. Th. 3. p. q. 87. art. 1. & Cajet. ibid. Hoc. autem probat Doctor. d. 14. cit. q. 1. lit. V. quia alioquin daretur casus, in quo peccator destitueretur medio ad salutem contrà scripturam Dei misericordiam exaggerantem, qui non vult mortem peccatoris, sed magis ut convertatur, & vivat, nec prius deserit, quam deseratur; sequelam verò probat, quia potest quis in actu fervoris ad martyrium statim sustinendum rapi, ubi fortè non esset cogitatio de peccatis commissis, nec per consequens aliqua pœnitentia formalis; ergo in tali casu homo ille non salvaretur, quia pœnitentiam formalem non habet de peccatis suis; hoc autem dici non potest, quia nullus excluditur à Regno Cœlorum, qui facit quod est simpliciter necessarium, & sibi possibile, ut facit homo ille in tali casu; necessitatur enim tunc ad toto corde insistendum circà actus distrahentes à cogitatione de peccato commisso ad profitendam fidem coram Tyranno, ad patienter sufferendum martyrium, qui actus in eo instanti distrahunt, & impediunt peccatorum cogitationem, & detestationem; igitur in tali casu dicendum est ad ejus justificationem sufficere ferventem amoris actum, quo mortem subit pro fide.

58 Ratio autem à priori hujus asserti est, quia dilectio supernaturalis, & efficax est perfecta conversio creaturæ ad Deum, ergo statim ei correspondet conversio Dei ad creaturam juxtà illud Zachariæ 1. *Convertimini ad me, & ego convertar ad vos*, alioquin pateretur in amore se vinci à creatura, si posita conversione perfecta ipsius ad Deum, Deus statim non converteretur ad eam; & ad hoc faciunt plura scripturæ, & patrum testimonia, in quibus dilectioni Dei vis justificandi, & remittendi peccata concedi videtur, ut Proverb. 8. *Ego diligentes me diligo*, Jo. 4. *Qui manet in charitate in Deo manet, & Deus in eo*, & cap. 14. *Qui diligit me diligetur à Patre meo*, & Lucæ 7. *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum*; & 1. Petri 4. *Charitas operit multitudinem peccatorum*, ità etiam loquuntur Patres, ut Bernardus epist. 75. Origenes hom. 2. in Leviticum, Augustinus de natura, & gratia c. ult. & tract. 5. in epist. Jo. & alibi frequenter. Ad fundamentum in oppositum dicendum est, ità esse per se loquendo supposita saltem dubia peccatorum memoria; per accidens autem oppositum accidere potest, quando, scilicet, homo non habet spatium vitam suam examinandi, & pro tunc peccata memoriæ non occurrunt, ut in casu martyrii adducto; quod autem in eo casu dilectio Dei ad peccatorum detestationem nõ excitet, non est ex defectu sui, sed vel inculpabilis memoriæ peccatorum, vel opportunitatis temporis, in quo aut urget præceptum majus, ut in profitenda fide corã Tyranno, cùm ad utrumque simul animus attendere nequit, aut non potest simul in eodem momento utrumque actum dilectionis, & detestationis elicere; hoc autem efficacitati dilectionis non obest, quo minus opportuno tempore detestationem excitet, ut benè discurrit Amicus disp. 14. sec. 3. & est doctrina Scoti l. c. Alias objectiones vide solutas l. c.

59 Quintò est difficultas, an cum actuali memoria peccatorum charitas supplere possit necessitatem pœnitentiæ formalis. Affirmant aliqui, quorum fundamentum est, quia pœnitentia est præceptum affirmativum, de cujus ratione est non obligare semper, sed suo tempore, igitur poterit peccator tempore, quo pœnitentia formalis non obligat, habere dilectionem Dei super omnia absque pœnitentia formali peccatorum, quæ tunc menti occurrunt, sed solùm habere propositum pœnitendi tempore suo; ergo statim hic justificabimur sine formali pœnitentia peccatorum, quorum præsentem memoriam habet; hæc ultima consequentia probatur, quoniam dilectio Dei super omnia perfectè convertit animum peccatoris ad Deum, & aliundè non statim tenetur ad observantiam præcepti de formali pœnitentia; ergò dilata pœnitentia formali ad tempus debitum, quando de ea præceptum curret, poterit interim justificari per solum actum dilectionis formalis, pro qua sententia citari solent Medina, Gabriel, Cajetanus, Navarrus, Vega, quibus subscribunt Valentia, Lugus, & Aversa, qui volunt actum a moris sufficere etiam in casu, quo homo recordatur suorum peccatorum, sed non instat tunc præceptum, & obligatio pœnitentiæ. Nos tamen diximus a. cit. n. 203. non esse sufficientem dispositionem ad gratiam justificantem dilectionem, quæ non statim peccatorem excitat vel ad formalem detestationem peccatorum, quorum memoriam habet, vel ad detestationem in genere, si dubius sit, an aliquid commiserit, cujus memoria non occurrit. Ità Scotus 4. d. 14. cit. q. 1. V. ubi inquit, quando adest memoria actualis peccatorum necessariam esse formalem displicentiam, & 4. d. 49. q. 4. sub N. ubi ait, quod actu cogitans peccatum, & sine omni displacentia peccat, & d. 45. q. 3. in responsione ad 3. prin. inquit hominem obligari ad contritionem peccatorum commissorum, quotiescunque illorum recordatur, quod probat hac ratione; quando enim Petrus sui peccati recordatur, aut sequitur velle, & complacere in illo, aut nolle, sivè displicere, aut nec placere, nec displicere, si primum Petrus malus est, quia complaceat in peccato, quod commisit; si secundum, habetur intentum, quia displicet; si tertium adhuc malus est, quia si quis prudens, & sciens cogitat de aliquo, quod est contrà Deum, & illud ei non displicet, non habet veram Dei dilectionem, quia illa non patitur secum aliquid, quod sit contrà Deum. Ex quo sequitur dilectionem Dei in eo, qui memor est peccati, habere connexionem moralem necessariam cum pœnitentia formali, ità quod si quis Deum diligit perfectè, & toto corde, & actu cogitet de offensa ei illata per peccatum, non poterit non tristari de hujusmodi peccato, & injuria. Et tandem ex hac eadem doctrina facilè fruit fundamentum oppositæ sententiæ, supponit enim hominem non obligari ad detestationem peccati quotiescunque memoriæ occurrit; cujus oppositum docet Doctor loc. c. & nos etiam rursus dicemus ar. seq. & hoc idem cum Doctore tenent Amicus, Faber, Aretinus, & Brancatus l. c. & alii Scotistæ, ac Recentiores.

60 Postremò est difficultas, an qui sine formali contritione justificatur extrà Sacramentum per formalem Dei amorem cũ oblivione, vel inadvertentia inculpabili suorum peccatorum, teneatur posteà, cum ipsorum recordatur, elicere formalem contritionem, si nullam detestationem saltem in genere de eis habuit. Negat Vasquez q. 86. art. 2. dub. 2. quia præceptum contritionis eo fine impositum est, ut homo à peccato justificetur; ergò hoc fine per formalem Dei amorem obtento cessat contritionis obligatio. Confirmatur, quia præceptum Confessionis non est impositum ex fine duntaxat justificationis obtinendæ, sed etiam subiiciendi peccata clavibus; ergò licet justificatus extrà Sacramentum teneatur posteà confiteri, tamen justificatus extrà Sacramentum per formalem Dei amorem, non tenebitur posteà conteri. Nos tamen art. cit. nu. 205. affirmativè respondemus cum Scoto loc. cit. 4. d. 45. qu. 3. in solutione ad 3. princ. ubi non solùm asserit viatorem obligari ad contritionem ad essequenda peccatorum remissionem, quotiescunque recordatur completa deliberatione, sed etiã ait ad hoc fore obligatos Beatos

ipsos,

ipsos, si in illis daretur memoria peccatorum, vel si datur, nisi gaudium beatificum impediret, & sequuntur communiter Recentiores Suarez, Coninch. Amicus, Henriquez, Caspensis, & ex nostris Aretinus, & Faber loc.cit. Verum tamen est, ut diximus loc. cit. Recentiores citatos id tenere, non ex eo capite, quod præceptum contritionis obliget, quotiescumque peccata memoriæ occurrunt, nam plures id negant, ut videbimus art. seq. sed quia cùm hoc præceptum sit naturale fundatum in ipsa natura reconciliationis, posito quod defectu inculpabili oblivionis non fuerit statim adimpletum, adimplendum est cùm primùm potest, potest autem cùm primum oblita peccata mentem subeunt. Et quidem si Deus ultrà formalem sui amorem sine memoria peccatorum elicitum exigit accedente recordatione formalem contritionem, planè rem exigit multum rationi consonam, nam valdè consonum est rationi, ut qui alium offendit ultrà actum amoris ergà illum elicitum, debeat quoque illi signa doloris, & pœnitentia de offensione illata exhibere, hoc enim est signum indicans veram, & efficacem dilectionem, quæ de se talem infert illatæ offensæ detestationem.

61 Ex quo patet ad fundamentum Vasquex negandam esse consequentiam, nam per formalem Dei dilectionem remissum est peccatum cum obligatione ad contritionem, quia detestatio formalis est effectus naturaliter consequens dilectionem efficacem Dei, & pœnitentia formalis requiritur ut præceptum naturaliter servandum, cum primum servari potest, potest autem, cum primum oblita peccata mentem subeunt. Ad Confirmationem negatur pariter consequentia, quia sicut Deus per contritionem extrà Sacramentum justificat cum obligatione confitendi, cum primum poterit; ità per formalem sui amorem in casibus allatis peccata remittit, ut quando postea peccator justificatus sui peccati recordatur, de eo quoque conteri teneatur, quia Deus cum tali onere censetur illud remisisse, sicut remittit illud cum onere confitendi, si hoc fieri possit.

ARTICULUS SECUNDUS.

Quando necessitas pœnitentiæ urgeat, & præceptum contritionis obliget.

62 SErmo est rursus de pœnitentia virtute, non Sacramento, ut diximus qu.7.cit.art.3. ab initio nam benè notum est extare apud fideles præceptum annuę Confessionis, quod est positivum Ecclesiasticum quantum ad hanc temporis determinationem; sermo item est de obligatione per se, & ab intrinseco ratione virtutis pœnitentiæ; certum enim est per accidens, & in gratiam alterius obligare aliquando, ut si conscius peccati mortalis debeas Sacramentum aliquod ex his, quæ vivorum dicuntur, suscipere, vel quodcumque Sacramentum ex officio ministrare, nam in tali casu obligatio pertinet ad Religionem, non autem ad pœnitentiam, si alioquin non occurrat tempus, in quo simul urgeat pœnitentiæ præceptum. Certum autem est in primis præceptum pœnitentiæ per se obligare in articulo mortis, si peccator non habeat copiam Confessarii, & est communis omnium sensus; nam si tunc pœnitentia non fiat, aliud tempus non supereſt, quo fiat, non enim in alia vita datur locus pœnitentiæ salutari; & quidem tunc temporis per se, & ex natura rei intrinsecè obligat, & idem dicendum est in casu, quo periculum amentiæ immineret, quod quantum ad hoc periculo mortis æquivalet; Remanet itaque dubitatio, an extrà periculum mortis aliquo alio tempore tale præceptum per se obliget, quod resolvemus juxtà dicta art.3.cit.

63 Primò itaque dubitatur, an peccator post commissam culpam statim, & absque dilatione resurgere teneatur, & pœnitere. Affirmant quamplures ex veteribus Theologis, quorum aliqui dixerunt, quod licet non obligaret omnes statim post peccatum, saltem obligare aliquos, scilicet, Religiosos, utpotè qui majorem cum Deo profitentur familiaritatem, atque adeò continuò post peccatum tenentur illi reconciliari, ità præsertim D.Bonaventura 4.dist.17. par.3.art.2.qu.2. quod probant in primis ex pluribus scripturæ locis, in quibus dilatio pœnitentiæ damnatur, ut Ecclesiast.5. *Non tardes converti ad Dominum, & non differas de die in diem*, & ad Rom. 2. *Tu autem secundùm duritiam tuam, & impœnitens cor tuum thesaurizas tibi iram in die iræ*, & sic etiam loquuntur Patres. Deindè ratione, quia numquam licet peccatum committere; ergo neque in eo manere, atque ideò statim peccator tenetur per pœnitentiam resurgere. Tandem id specialiter probant de Religiosis, quia Religiosus saltem tenetur semper tendere ad perfectionem, sed quando est in peccato mortali non tendit; ergò ut tendat, tenetur statim resurgere. Negant alii communiter teneri peccatorem de rigore, & per se loquendo statim, sed quamprimùm post peccatum commissum redire ad pœnitentiam, & quia Alensis, D.Thomas, D.Bonaventura, & Scotus nihil expressè de hoc determinarunt, itaut sit necessarium, & de præcepto, sed solùm tanquam decens, & magis congruum commendarunt, ideò hæc secunda opinio, ut diximus art.3.cit. num.208. tenenda est, ut modò communis in schola Recentiorum, quia non eo ipso, quod aliquid est congruum, & decens, fingendum est præceptum naturale, quo præcipiatur; & ratio clarissima est, quia licet obligatio ad non peccandum sit per modum præcepti negativi, obligatio tamen resurgendi post peccatum commissum est per modum præcepti affirmativi; ergo non obligat semper, & pro semper, sed certis, & determinatis temporibus. Confirmatur, quia ex opposita sententia sequitur, peccatorem continuò peccare actualiter, quia qui tenetur ad aliquod præceptum affirmativum, eo tempore, quo tenetur, & non implet, peccat peccato actuali; ergò si peccator statim post peccatum commissum semper tenetur præcepto contritionis, & statim pœnitere absque ulla dilatione, semper peccat actuali peccato, quod nimis durum est, & contrà cōmunem sensum fidelium, nam neque pœnitentes se accusant de hac dilatione, neque Confessarii eos interrogant. Tandem neque Religiosi ipsi ex perfectione sui status tenentur statim à peccato resurgere, quia Religiosi non tenentur ad plus, quàm alii, nisi ad quod voto se adstrinxerunt, licet possint, & soleant ex vi suæ regulæ ad sæpius, & citius confitendum obligari.

64 Ad fundamentum oppositæ sententiæ respondetur testimonia illa scripturæ, & similia indicare tantùm consilium, & non præceptum, vel si præceptum important, hoc solùm jubemur desistere ab actualibus peccatis committendis, & repetendis; vel tandem si præceptum important de non differenda pœnitentia, hoc solùm convincit præceptum de contritione obligare aliquibus aliis temporibus extrà articulum mortis, quod gratis concedimus, ut mox dicemus, non verò quod statim obliget post peccatum commissum. Dices, semper tenetur homo non esse Deo infensus, & inimicus; ergò si peccatum incurrit, statim tenetur ab eo resurgere, cùm per peccatū homo fiat Deo infensus, & inimicus. Respondetur semper hominem teneri non esse Deo infensum, & inimicum actu, non autem habitu, nisi quando currit præceptum de reconciliando nos cum Deo. Ad confirmationem negatur consequentia; utique enim verum est, nunquam licere manere in peccato actuali illud continuando, sed non est eadem obligatio statim resurgendi à peccato habituali, quia in isto non permanet homo per aliquam actualem transgressionem, sed solùm per dilationem pœnitentiæ, ad quam adhuc non obligatur. Ad ultimum tendentia ad perfectionem in Religioso est finis, & circumstantia generalis, sicut amicitia Dei, & obedientia Decalogi in Christiano, & ideo quia generalia sunt, quamvis in quolibet peccato omittantur, nisi per se, & directè contrarium intendatur, diversum peccatum non constituunt. Quando itaque dicitur Religiosum semper teneri tendere ad perfectionem, hoc ità intelligendum est, ut nunquam velit regredi, vel non progredi directa, & expressa voluntate, non verò indirecta, & implicita, qualis est in casu nostro. Alias objectiones ad idem vide solutas loc.cit.

65 Secundò dubitatur, an saltem alio tempore ante mortis articulum præceptum contritionis per se obliget de peccatis commissis pœnitere. Negant Vasq.dub.6. Hurtad.diffic.4. & aliis asserentes præceptum pœnitentiæ obligare per se solùm in mortis articulo, quia tantùm videtur contrà rationem, & contrà charitatem ergà Deum in æternum permanere in inimicitia Dei, & ità etiam sentit Cajetanus in summa verbo *Contritio*. Oppositum tamen docet communis sententia tam Veterum, quàm Recentiorum apud Coninch. Lugum, Suar. Averſ. Casp. Amicum, & alios, ut diximus art.3.cit.nu.211. & fuit præsertim expressa Scoti sententia 4.d.20. ubi agit de difficultate pœnitentiæ in extremis, & in solutione ad 2.princ. ait, quod qui determinat non pœnitere, nisi in articulo mortis, mortaliter peccat, quia exponit se periculo decedendi ex hac vita in peccato mortali, cum articulo mortis sit incertus; & hoc suadent plura Scripturæ testimonia pœnitentiæ dilationem usque ad extremum vitæ damnantia, & Patrum acriter reprehendentium nimiam pœnitētiæ dilationem, inter quos Augustinus præsertim à Scoto loc. cit. relatus pœnitenti in articulo mortis minimè credit, undè inquit serm.37.de temp. *Age pœnitentiam, dùm sanus, securus es quando eo tempore pœnitentiam egisti, in quo peccato potuisti; si autem vis agere pœnitentiam, quando jam peccare non potes, peccata te dimiserunt, non tu illa*; ità August. loc. cit. Et ratio expressa deducitur ex triplici motivo generali pœnitentiæ, quod assignavimus disp.5.cit.quæst.7. art.1. num.190. & seq. nimirùm charitatis Dei, charitatis propriæ, & justitiæ, cùm enim dilectio Dei hominem obliget, ut interdum in spatio vitæ actum dilectionis exerceat, utique eadem ipsa charitas peccatorem obligabit, ne per totam ejus vitam, aut magnam vitę partem inimicus Deo existat. Et cum homo se diligere teneatur quantum ad

bona

bona spiritualia, maximum planè malum ejus esset, & gravissimum animæ periculum per totam ejus vitam, aut magnam vitæ partem in statu periculi jacere, rarò enim conceditur diù vixisse in peccato, & mori in gratia juxtà tritum adagium, *qualis vita finis ità*, undè inquit Augustl.loc.cit. *Pœnitentia sera, rarò vera*. Et denique ex speciali etiam motivo justitiæ, seù pœnitentiæ, ut est specialis virtus, peccator obligari videtur, ne tamdiù differat satisfactionem Deo offenso, hic enim esse manifestus divinæ amicitiæ contemptus.

66 Quandò autem intrà vitæ cursum, seù quanto tempore post commissum peccatum, teneatur peccator ex natura rei ad pœnitentiam, difficile est determinare. Coninch. Lugus, & alii spatium trium, aut quatuor annorum designant, sed pro diverso statu personarum, aut circumstãtiarum erit hoc tempus plus, vel minus contrahendum, sicut in aliis materiis jejunii, furti, dilationis votorum, & similibus fieri solet; undè magis coarctari debebit pro Religiosis v. g. quàm pro Laicis ratione status, & conditionis personarum. Solet etiam hoc tempus in quibusdam occasionibus determinatè assignari; obligat enim quoties quis tenetur elicere actum dilectionis ergà Deum, certum est autem præcepta fidei, spei, & charitatis non obligare solùm in fine vitæ; tunc ergò pariter etiam pœnitentiæ præceptum obligabit, quia ut suprà dictum est, amor Dei super omnia necessariò infert dolorem de peccatis, quando menti occurrunt, & propositum firmum ea in posterum cavendi, undè quando quis tenetur ad Dei amorem, tenetur etiam ad pœnitentiam peccatorum menti occurrentium. Rursus obligat in morali periculo vitæ, ut passim docent Doctores, est autem morale periculum vitæ, non in quo uni, aut alteri, sed in quo plerisque solet mors contingere, ut in bello, vel longa, & periculosa navigatione, quia morale periculum vitæ æquivalet supremo mortis articulo; tenetur inquam, homo in his casibus, vel ad actum contritionis, si copia Confessarii non adest, vel ad Sacramentum Confessionis saltem cum attritione. Addunt alii alios casus, in quibus tale præceptum urget, sed minus certos, ut videri potest loc.cit.

67 Tertiò dubitatur, an hoc præceptum obliget, quoties peccata commissa menti occurrunt, & est quæstio de cogitatione completa, & deliberata, quando, scilicet, voluntas ex electione cogitat de peccato commisso, vel si ex accidenti talis contingat recordatio, volũtariè, & deliberatè sistit in tali cogitatione, nam de cogitatione indeliberata, & ex surreptione omnes concedunt hominem non teneri de peccatis commissis conteri, quoties sic menti obiiciuntur. Negativa sententia communis est inter Recentiores, ut videre est apud Suarez disp. 14. sect. 4. fundamentum est, quia in prima dubitatione proposita hujus articuli diximus post peccatum commissum non statim teneri hominem de illo pœnitere; non potest autem pœnitere, nisi cum primò occurrit memoria peccati, ex quo sequitur evidenter non teneri pro quocumque tempore, quo ei in memoriam venit, alioquin etiam teneretur, cum primò ei occurrit post ejus commissionem. Confirmatur, quia non minus obligat præceptum charitatis ad Deum diligendum, quàm contritionis ad detestandum peccatum, quia non est gravius hoc præceptum de odiendo peccato, quam de amando summo bono; sed sola memoria Dei practicè diligibilis non obligat ad actualem Dei dilectionẽ; ergò nec sola memoria peccati practicè detestabilis ad actualem ejus detestationem. Demum quia fideles communiter non putant se esse ad hoc obligatos, nec etiam ipsi se de hoc peccato omissionis accusant, aut Confessarii de illo eos interrogant.

68 Affirmativa verò sententia, ut magis pia, apud Veteres Theologos est magis recepta, ut diximus ar.cit.n.214. & expressè deducitur ex Scoto loc.cit.4.d.46.q.3. ad 3.princ. ubi quærens, an Beati cum recordantur peccatorum commissorum tristentur, inquit. Si viator completa deliberatione recordari non potest peccatum commissum, quin detestetur, vel displiceat, alioquin peccat ad minus omittendo &c. & inferius d.49. qu. 4. sub N. ubi dicit, actu intelligens Deum, & nullo modo diligens peccat, similiter actu cogitans peccatum, & sine omni displicentia peccat; sequuntur Scotistæ passim præsertim Branc. d. 14. art.7. & Faber disp.18.cap.4. pro qua etiam adducit D. Thom. D.Bonav. & Alensem. Verum est tamen, ut Brancatus notat loc.cit. quod quando ii Theologiæ proceres dixere tam de lege naturæ, quàm positiva divina peccatorem teneri ad dolendum de peccatis commissis, quoties de illis completè, ac deliberatè recordatur, non esse solùm locutos de pœnitentia justificante, qualis est contritio, ut loquuntur Recentiores, sed de omni actu pœnitentiæ indiscriminatim, sivè contritionis, sivè attritionis, & de contritione sivè formali, sivè virtuali; quia revera non eo ipso, quod homo recordatur peccati commissi, statim tenetur se ad justificationem disponere per actum contritionis perfectæ, alioquin frustrà institutum esset pœnitentiæ Sacramentum, nam homo teneretur semper accedere justus ad confessionem; sed sufficit, & præcepto pœnitentiæ satisfacit, si se disponit ad justificationem saltem per attritionem. Et hoc etiam satis congruum est, ac rationi consentaneum, quia sicut alia præcepta, sivè naturæ, sivè positiva, licet pro certis casibus obligent, non tamen obligant ad actus perfectissimos, qui in talium præceptorum virtutibus fieri possunt; ità de pœnitentiæ præcepto dicendum est, quod non semper obliget ad perfectissimum. Assertum verò sic explicatum probatur ratione Scoti 4. disp. 46. quæst. 3. *in solutione* ad 3. princ. superius adducta, quia peccator deliberatè cogitans de peccato commisso, hoc est, ex electione, & cum attentione, vel illud detestatur, & habetur intentum, vel complacet in eo, & sic peccat novo peccato commissionis, vel nec complacet in illo, nec displicet de illo, & sic adminus peccat peccato omissionis, inquit, Doctor. Neque dicas tunc non peccare peccato omissionis, quia tunc præceptum pœnitendi non obligat, undè potest sine peccato omittere absque actu amoris, vel odii, complacentiæ, vel displicentiæ. Quia hæc est manifesta principii petitio, quod tunc præceptum pœnitentiæ non obliget, hoc enim est, quod modò disputatur, & nos asserimus, quod si præceptum est aliquando de peccatis commissis pœnitere, non potest opportunius tempus assignari, quàm cum menti occurrunt ex electione, & plena deliberatione, ut offensiva Dei; ergo tunc obligat, ut ea actu detestemur, quia si hoc non est opportunum tempus detestandi peccatum, nullum tempus erit à lege naturæ determinatum, in quo tale præceptum urgere debeat; quia in tali tempore attentè cognoscitur, & cum plena deliberatione ejus malitia apparet.

69 Ad fundamentum in oppositum dicendum est, nos negasse hominem teneri ad pœnitentiam statim post commissum peccatum in eo casu, quod id asserebant Doctores suprà citati, qui volebant quamprimum moraliter fieri potest teneri peccatorem ad examen conscientiæ faciendum de peccatis commissis, & eorum cogitationem procurare, & de illis pœnitentiam agere, & in eo sensu eam opinionem rejecimus, ut nimis rigorosam, & diximus ad tale examen non teneri, neque ad talem pœnitentiam; cum quo tamen adhuc stat, quod si aliqua occasio sese offert de peccati commissi cogitatione habenda plena, & deliberata, tunc ad illius detestationem teneatur, tunc enim tempus est, in quo debet poni actus ejus in esse, & in quo obligat præceptum pœnitentiæ. Ad Confirmationem negatur minor, imò retorquetur argumentum, nam quoties deliberatè cogitat homo de summo bono, tenetur illud amare; ergo quoties cogitat deliberatè de summo malo, quale est peccatum, ut Dei offensivum, tenetur odio habere, eodem enim modo se habent odium mali, & amor boni, nam ex naturæ principiis hæc doctrina deducitur, quod nocivum cum attentè consideratur, odio haberi debet. Ad ultimum negatur assumptum, certum enim est, quod regulariter loquendo, quando quis de peccatis commissis attentè cogitat, vel illa odit, vel in illis complacet, & de tali complacentia se in confessione accusat, & à Confessario interrogatur, an eam habuerit; undè eo ipso, quod se accusat habuisse complacentiam de peccato commisso, cum illud recogitavit, sufficienter confitetur omissionem detestandi, quæ cum tali complacentia est necessariò annexa. Alias objectiones ad idem vide solutas loc.cit.

70 Quartò tandem dubitatur, an peracta semel ritè pœnitentia restet obligatio rursus pœnitendi, quoties peccata remissa menti occurrunt. Negant Recentiores communiter post pœnitentiam semel, ac sufficienter ritè peractam, quoties peccata memoriæ occurrunt, actu positivo pœnitentiam continuare, seù repetere, nisi inquantum denuò lapsus est, quia tunc sine dubio necessaria esset & pœnitentia. Ità Valentia, Suarez, Vasquez, Coninch. Amicus, Aversa, & alii passim. Fundamentum est, quia præceptum pœnitentiæ semel obligat tantum circà eadem peccata, quia habita semel pœnitentia, & contritione perfecta de uno, vel pluribus peccatis, ille liberatur à pœna æterna, & fit amicus Dei, & hæres vitæ æternæ, ergò non obligat quotiescũque peccatum memoriæ occurrit. Confirmatur, quia si teneretur homo pœnitentiam reiterare quotiescumq; peccata semel expiata ex se in memoriam recurrunt, & ad hoc obligaretur ex vi ipsius pœnitentiæ; deberet etiam per se procurare hanc peccatorum cogitationem, quod patet esse falsum. Tandem, quia nequit assignari motivum dolendi de peccatis dimissis, cum memoriæ occurrunt, & maximum onus imponeretur hominibus absque necessitate; peccator enim semel justificatus obligatur tantùm ad pœnitentiam deinceps negativè, seù habitualiter continuandam, ne unquam, scilicet, complaceat de peccato commisso, & in hoc sensu Patres dicunt debere adhuc peccatorem justificatum pœnitentiam per totam vitam continuare; non tamen tenetur actu positivo illam repetere, quando peccata memoriæ occurrunt.

71 Cæ-

71 Cæterum satis quoque pium, & probabile esse diximus a. cit. numer. 221. teneri hominem ad pœnitendum etiam de peccatis dimissis pœnitentia virtute sivè formali, sivè virtuali, quoties de illis completè, & deliberatè recordatur. Ità Doctor loco cit. 4. d. 45. q. 3. ad 3. prin. ubi loquitur etiam de peccatis dimissis, nam ait ad hoc obligatos etiam fore Beatos, si in illis daretur memoria peccatorum, vel si datur, nisi gaudium beatificum impediret; certum autem est peccata Beatorum antè ingressum beatitudinis fuisse delata, & hoc idem docuerunt Alensis, D. Thomas, & D. Bonaventura, ut referunt Faber, & Brancatus loco citato, & probatur eadem ratione, qua idem probatum est præcedenti dubio de peccatis commissis; cum enim homo post peccatum dimissum attentè recordatur illius, vel illud amat, vel odit, quamvis enim sit dimissum non ob id cessat esse malum, atque ideo non cessat exigere odium sui, & in hoc sensu etiam dicunt Patres adhuc peccatorem justificatum continuare debere pœnitentiam per totam vitam, quoties illi de novo sua peccata dimissa in memoria redeunt cum cogitatione practica de iis, prout detestabilia sunt. Nec rursus replicare juvat; non teneri peccatorem justificatum peccatum sic ei præsentatum detestari, sed ad divertendum intellectum à tali objecto, ne se exponat periculo peccati, vel ab omni actu cessare. Non sufficit inquam, quia incidente cogitatione practica de peccatis commissis vel dimissis, quatenus detestabilia sunt, non videtur voluntas posse ab omni actu cessare, & merè negativè se habere nullum prorsus eliciendo actum, nam hoc est difficile, & moraliter non contingit; sed debet aut velle, aut nolle actum detestationis, nolle videter malum; ergò tenetur velle. Nec etiam actus divertendi intellectum à tali objecto sufficit, nam hoc saltem Adversarii negare non possunt, quòd si quando incidit memoria peccati remissi, adsit periculum complacentiæ, vel delectationis morosæ, tunc tenemur positivum pœnitentiæ, ac displicentiæ actum elicere, quia per hoc tutius excluditur peccatum, quàm per actum diversivum.

72 Ad fundamentum in oppositum dicendum est, præceptum contritionis, seù pœnitentiæ utique tantùm obligare semel pro venia obtinenda, adhuc tamen etiam obligare ad eam repetendam incidente cogitatione practica de peccatis remissis, quatenus detestabilia sunt, de novum peccatum commitatur. Ad Confirmationem negatur consequentia, ex hoc enim quod incidente practica cogitatione de peccatis etiam remissis, quatenus detestabilia sunt, teneatur homo ad repetendum pœnitentiæ actum minimè sequitur, quod etiam semper teneur per se procurare hanc peccatorum recogitationem; undè gratis concedimus in nullo tempore per se teneri hanc peccatorum recogitationem procurare ad ea detestanda, sed solùm per accidens ex tali suppositione, quod menti obiiciantur ut destanda; & per hoc salvatur discrimen valdè notandum quod versatur inter obligationem pœnitentiæ ad detestanda pecca ta commissa, ac remissa, quando menti occurrunt; nam ad hæc detestanda tenemur præcisè ex tali suppositione, quod menti occurrant, atque ità merè per accidens, ad illa verò tenemur etiam per se aliquando antè mortis articulum eorum recogitationem procurando. Ad ultimum negatur assumptum, quia sicut bonum exigit semper amari, etiam postquam millies est amatum, ità & malum exigit semper odiri etiam post plura odia præcedentia, undè remissio peccati non tollit, quin rursus odiri debeat, quando menti occurrit, ut practicè detestandum. Neque ob id maximum onus imponitur hominibus absque necessitate, quia præceptum pœnitentiæ non per se obligat post peccatorum remissionem absolutè loquendo, quasi teneatur homo etiam per se hanc peccatorum recogitationem procurare, sed solùm per accidens facta nimirum tali oppositione, quod ex occasione aliqua peccata dimissa in mentem recurrant, ut practicè detestanda, & adsit periculum complacentiæ, vel delectationis morosæ, tunc enim tenemur elicere positivum pœnitentiæ actum, ac displicentiæ, quia per hoc tutius peccatum excluditur, quàm per actum diversivum, ut supra dictum est.

ARTICULUS TERTIUS.

Quomodo pœnitentia, seù contritio causet remissionem peccati mortalis.

73 EXplicata pœnitentiæ virtutis necessitate, in hoc ultimo articulo explicanda est ejusdem virtutis efficacia ad tollendum peccatum mortale, quod breviter expediemus ex jam dictis hac materia disp. 5. cit. q. 8. ubi ab initio diximus, certum esse in lege Evangelica duo dari remedia ad delendum peccata post baptismum commissa, scilicet, contritionem perfectam, & attritionem cum Sacramento, ut satis constat ex superius dictis; pœnitentia virtus, quæ dicitur attritio de facto non potest se sola absque Sacramento delere peccata mortalia, ut docet Concil. Trid. sess. 14. c. 4. circà finem, ubi ait attritionem non disponere ad justificationem, & gratiam se sola, licet id faciat cum Sacramento, quod etiam anteà docuit Scot. 4. dist. 19. q. 2. in fine, & ratio est in promptu, quia si attritio sufficeret, frustrà institutum esset pœnitentiæ Sacramentum in supplementum efficaciæ attritionis. Pœnitentia autem virtus, quæ dicitur contritio nedùm in lege veteri efficaciam habuit delendi peccata mortalia, sed eam quoque habet in lege Evangelica cum hac conditione, quod saltem in voto Sacramentum requirit pœnitentiæ, ut docet Trid. l. c. & Scot. 4. dist. 10. q. un. A. Nunc igitur discurrendum est de modo, quo pœnitentia, seù contritio causet remissionem peccati mortalis, in qua quæstione diximus l. c. tres præsertim esse sententias. Prima tenet peccati deletionem à contritione causari physicè, & in genere causæ efficientis; ità quidam Thomistæ, eo quod D. Thomas q. 85. art. 2. ad 3. dixit pœnitentiam expellere peccatum effectivè, & expressivè docet Ledesma 4. p. q. 27. art. 4. Secunda sententia docet contritionem in genere causæ formalis ex natura rei expellere culpam, itaut habeat formaliter vim justificandi peccatorem, vel per se, & præcisè sumpta, vel saltem conjuncta cum gratia habituali. Ità Vasquez p. 2. disp. 203. Meratius, Hurtad. Turrianus, & alii. Tertia tandem, & communior sententia docet contritionem solùm esse dispositionem ad remissionem peccati, vel se sola, & ex natura sua, sicut est calor ad expulsionem frigoris, vel ex institutione divina. Quid autem pro resolutione hujus quæstionis dicendum sit, fusè declaravimus q. 8. cit. art. 1. & 2. undè breviter repetendo ibi dicta quæsitum resolvemus.

74 Primò dicendum est, contritionem non esse deletivam culpæ physicè, & in genere causæ efficientis, neque in genere causæ formalis, quasi per contritionem homo formaliter justificetur, sed tantùm moralis dispositivæ. Conclusio est valdè communis contrà primam, & secundam sententiam, & quoad primam partem probatur, quia forma non expellit aliam physicè, & efficienter, nisi producendo in subjecto formam aliam physicè cum illa incompossibilem, ut patet de igne per physicam efficientiam frigiditatem à ligno, vel aqua expellente, quia in eis physicè calorem inducit; sed contritio non producit physicè formam cum peccato incompossibilem, scilicet gratiam, vel charitatem; quamvis enim Thomistæ nonnulli dicant actum ipsum pœnitentis concurrere physicè effectivè, saltem instrumentaliter ad producendam gratiam sanctificantem in anima, hoc tamen falsum omninò est, quia gratia, & charitas non ab actibus nostris, estò supernaturalibus, sed à solo Deo physicè, & immediatè producitur. Tùm quia estò etiam actus supernaturales ipsius pœnitentis eo modo ad producendam gratiam instrumentaliter concurrerent; gratia tamen peccatum non expellit physicè, & ex natura rei, sicut calor frigus, quia non opponuntur physicè, & ex natura rei, sed tantùm moraliter, & demeritoriè, ut dictum est li. 2 disp. 7 de Justificatione qu. 2. ergò &c. Tùm tandem quia cõtritio intantùm delet culpam, inquantum statuit Deus ad dispositionem ejus culpam delere; ergò etiam delet non in genere causæ physicæ, sed moralis tantùm.

75 Quòd verò contritio neque sit deletiva culpæ in genere causæ formalis, quasi per contritionem homo formaliter justificetur, sed tantùm moralis dispositivæ docet ex professo Scotus, 1. distinct. 17. qu. 1. ubi ait hominis justificationem de facto fieri per habitum infusum, & non per solum actum, & 4. dist. 14. quæst. 2. §. *De secundo principali*, ubi docet attritionem perfectè circumstantionatam in genere moris, quæ in ejus sententia est contritio informis, quatenus natura præcessit gratiam, esse dispositionem tantùm, & meritum de congruo ad justificationem, & peccati remissionem; quatenus verò formata est gratia, delere peccata etiam formaliter, non ratione sui, sed gratiæ annexæ, à qua valorem accipit, & sic etiam loquitur Trident. sess. 6. cap. 7. ubi ait *hanc dispositionem, seù præparationem justificatio ipsa consequitur*, & sess. 14. ca. 4. docent per *contritionem nos præparari ad justificationem*; forma autem dispositiva ad aliquem effectum non causat eum formaliter, & præsertim si solùm sit dispositio in genere moris, sicut est cotritio, non enim est dispositio ad justificationem physicè, & ex intrinseca sua natura, ut dictum est disp. 7. cit. de justificatione quæst. 8. art. 3. sed tantùm ex institutione Dei liberè illam acceptantis in ordine ad remittendum peccatum. Item Trid. loco cit. contritionem, & pœnitentiam appellat formam impetrativam remissionis peccatorum dum ait: *Contritionem fuisse omni tempore necessariam ad impetrandam veniam peccatorum*, forma autem impetrativa alicujus effectus non causat eum formaliter; ergò ex modo loquendi Concil. Trid. claré deducitur contritionem non causare peccati remissionem in genere causæ formalis, sed propriè esse causam remissionis peccatorum, tanquam causam moralem per modum dispositionis, impe-

impetrationis, & præparationis ad gratiam sanctificantem, quæ formaliter peccata remittit, & delet, ut ex professo docuimus disp. cit. de justif. q. 8. a. 1. ubi ostendimus solam, & adæquatam causam formalem justificantem in nobis esse gratiam habitualem, ut docet Trid. sess. 6. c. 7. dum inquit, quod *unica formalis causa est Justitia Dei, qua nos justos facit*, atque ideò diximus actum contritionis non habere per se vim justificandi formaliter peccatorem, sed gratiam habitualem esse per se causam adæquatam formalem talis justificationis, itaut etiam sine alia dispositione propria peccatoris ipsum justificaret.

76 Secundò, quia adhuc ulterius dubitatur, num pœnitentia ita sit causa moralis justificationis, ut se habeat per modum meriti ad illam, aliqui enim tenentes nullum meritum debere præcedere justificationem, negant pœnitentiam ullam habere meriti rationem nolentes uti, nisi nomine dispositionis moralis, ideò pro resolutione hujus difficultatis asserimus q. 8. cit. art. 1. num. 226. posse dici peccatorem per pœnitentiam perfectam, qualis est contritio, aliquo modo justificantem gratiam mereri: sed quia duplex est meritum, scil. de congruo, & de condigno, addimus ibidem non mereri de condigno, sed ad summum de congruo. Ita Scotus loc. cit. 4. d. 14. q. 1. Y. & q. 2. §. *De secundo principali*, & dist. 19. in fine, & dist. 20. ab initio, ubi docet pœnitentiam virtutem, quæ justificare potest sine Sacramẽto in re, hoc facere, ut meritum de congruo, sic. etiam passim Scotistæ loquuntur, Faber, Hiqueus, Hiribarnes, Brancatus, & alii, qui etiam advertunt, ita quoque locutum fuisse D. Thomam part. 2. q. 109. art. 7. Alensem q. 17. memb. 1. art. 2. & D. Bonav. 4. dist. 16. art. 3. q. 1. & sic etiam loquuntur Recentiores ut videre est apud Aversam part. 2. q. 114. sect. 6. & Cardinalem de Lugo disp. 8. de pœnit. sect. 6. Et quidem quod pœnitentia perfecta non deleat peccata, nec ad justificationem disponat, ut meritum de condigno deducitur ex omnibus Scripturæ locis, quibus significatur peccatorem gratis justificari, juxta illud Roman. 3. *Justificati gratis per gratiam ipsius*; At si contritio esset meritum deletionis culpæ de condigno, talis deletio culpæ non esset gratia, & donum liberale Dei, sed merces, & præmium, quod enim debetur merito de condigno est merces, & præmium, & hæc est expressa doctrina Trident. sess. 7. cap. 8. dum inquit, quod gratis justificati omninò dicimur, quia nihil eorum, quæ justificationem præcedunt, sivè fides, sivè opera, ipsam justificationis gratiam promerentur. Quod verò rectè, & candidè dici posset contritionem peccata delere, & ad justificationem disponere per modum meriti de congruo, probatur, quia in Scripturis pœnitentiæ voluntariæ, & contritioni promittitur remissio peccati; at non potest ei promitti, ut merito de condigno, quia tale meritum gratiæ statum supponit in operante, talis autem pœnitentia est à peccatore; restat ergo ut ei promittatur, veluti merito de congruo. Neque huic loquendi modo obstat Scriptura appellans justificationem peccatoris gratuitam, hoc enim loquendi modo solùm significat justificationem cadere non posse sub merito de condigno, quia hoc genus meriti excludit gratiam, & donum; & habet pro termino præmium, & mercedem ex justitia; at meritum de congruo nequaquam, sed habet pro termino beneficium, & donum cum hoc solo discrimine, quod meritum de congruo aliquo modo disponit ad illud obtinendum sine tamen exclusione gratiæ tribuentis, quod non evenit in dono, & beneficio collato absque ulla prævisione operis illius, cui confertur, ut satis patet ex dictis de natura utriusque meriti jam declarata leg. 3. sent. dist. 3. quæst. 1. ergo nil obstat, quin pœnitentia perfecta, seu contritio dici possit peccata delere, & ad justificationem disponere per modum meriti de congruo.

77 Tertiò, ex dictis etiam deduci potest decisio quæsiti illius, an pœnitentia virtus sit etiam causa gratiæ justificantis, & quomodo, potest enim dici causa mortalis tantùm, & dispositiva, & per modum meriti de congruo; quæ assertio deducitur ex Scoto loc. cit. & Concilio Tridentino in omnibus relatis locis, in quibus docet pœnitentiam perfectam esse præparationem, & dispositionem ad justitiam, quæ est gratia habitualis nos justificans, quo loquendi modo aliquam causalitatem illi tribuit respectu gratiæ peccatori conferendæ, & cùm hæc physica esse nequeat, quia sic solus Deus gratiam causat juxtà illud Psalm. 84. *Gratiam, & gloriam dabit Dominus* ut sit causa in genere causæ moralis tantùm, & quidem Concilium ipsum, dum loc. c. contritionem vocat dispositionem, impetrationem, & præparationem ad gratiam justificantem, quæ formaliter peccata remittit, & delet, nedùm causalitatem, sed etiam speciem causalitatis insinuare videtur, scilicet, moralem.

Confirmatur ex omnibus Scripturæ locis, tam veteris, quàm novę legis, in quibus pœnitentiæ promittitur justificatio, & peccatorum remissio, ut Ezech. 18. *In quacunque hora ingemuerit peccator, omnium iniquitatum ejus non recordabor amplius, & vita vivet*; si ergo posita pœnitentia perfecta pro veteri legi causaba tur infallibiliter gratia in homine contrito, in nova autem ead posita cum voto Sacramenti eadem causatur, planè negari non potest, quin sit aliquo modo causa gratiæ; illa enim censetur causa sufficiens, & efficax alicujus effectus, qua posita ponitur effectus, & qua ablata aufertur; cùm ergò non sit causa physica, erit ad minus causa moralis, si enim saltem hoc modo non causaret gratiam, explicari non posset quomodo ad justificationem disponat, & peccatorum remissionem. Denique quod nequeat esse nisi causa moralis, probatur, quia quod non causat effectum ex natura sua, sed ex pacto, & voluntate, vel ordinatione alterius, alio modo causare nequit, quàm moraliter, & dispositivè, ut patet de meritis, & precibus, imò & de ipsis Sacramentis; sed pœnitentia non causat gratiam, & justificationem, nisi ex pacto, & promissione Dei, ut constat ex omnibus Scripturæ locis, in quibus à Deo pœnitentiæ promittitur justificatio, & peccatorum remissio; ergò non aliam causalitatem exercere potest, quàm moralem, & per modum impetrationis, ut Concilium loquitur; si enim hoc saltem genus causalitatis non exerceret, explicari non posset, quomodo ad justificationem, & gratiam habitualem præparet peccatorum, ac disponat. Et hìc advertendum est, quod omnia, quæ de pœnitentia perfecta dicuntur, hoc est de contritione sine Sacramento in ordine ad justificationem causandam, dici quoque debet de pœnitentia imperfecta, scilicet, attritione cum Sacramento, hæc enim quoque virtute Sacramenti in re susceptì æquivalet contritioni, & pœnitentiæ perfectæ, atque ideò utraque est causa efficax, & infallibilis gratiæ justificantis modo declarato.

78 Quartò diximus etiam q. 8. cit. art. 1. nu. 229. virtute pœnitentiæ de facto omnia mortalia simul remitti, nec unum sine alio remitti posse; quod assertum censetur esse de fide, expressè enim deducitur tùm ex Scriptura, quæ non nisi integram peccatorum remissionem promittit pro integra pœnitentia, ut patet ex dicto Ezech. cit. *In quacunque hora ingemuerit peccator, omnium iniquitatum ejus non recordabor amplius*, tum ex doctrina Conc. Trid. de Justificatione sess. 6. & de pœnit. sess. 14. ubi justificationem declarat per modũ vivificationis, & liberationis à morte juxtà modum loquendi Sacræ Scripturæ; hæc autem non habetur, nisi per integram omnium peccatorum mortalium remissionem, nam per unum solum peccatum mortale, quod in anima remaneret, homo non esset justus, sed impius, non esset vivus, sed mortuus spiritualiter, demum non esset in statu salutis, sed damnationis æternæ. Hoc idem probatur ratione, quia peccatorum remissio de facto fit per justitiam inhærentem, & formam justificantem, quæ dicitur gratia habitualis, ex Trid. sess. 6. sed gratia de facto nullum peccatum mortale secum compatitur, & hominem pœnitus justificat, & sanctificat, & si pœnitens de uno solo peccato complacentiam haberet, jam esset prorsus indignus remissionis aliorum juxtà illud Jacob. 2. *Qui in uno offendit factus est omnium reus*. Notanter autem diximus de facto, & de potentia ordinaria unum peccatum mortale sine alio remitti non posse, quia licet aliqui id affirment etiam de potentia Dei absoluta, ut Valentia, Vasquez, Becanus, Amicus, & alii, quorum fundamentum est, quia peccatum mortale etiam de potentia Dei absoluta non nisi per infusionem gratiæ remitti potest, quam dicunt intrinsecè, & ex natura rei, cũ omnibus, & singulis mortalibus æquè formaliter repugnare. Alii tamen concedunt id fieri posse per potentiam Dei absolutã, ita Doctores omnes citati lib. 2. d. 7. q. 3. tenentes omne peccatum non solùm in pura natura, sed etiam in jam elevata ad finem supernaturalem posse à Deo ex vi alterius providentiæ ab ea, quæ nunc est, remitti absque infusione gratiæ sanctificantis, & absque ulla forma intrinseca per solam extrinsecam condonationem, quæ est expressa Scoti sententia pluribus in locis ibi adductis artic. 1. juxta quod principium posset Deus de potentia absoluta unum condonare peccatum, aliis non condonatis, & hoc idem deduci potest ex alio quoque principio in ea disp. 7. quæst. 2. præmisso, quod gratia, & peccatum non ex natura rei, sed tantùm ex Dei ordinatione ad invicem repugnant, ideoque de potentia Dei absoluta posse esse simul, atque per infusionem gratiæ posse remitti unum peccatum sine alio, quia juxtà hoc principium sola gratia ex se non delet peccatum, nisi accedente extrinseca condonatione, & favore divino modo jam explicato d. 7. cit. q. 1. art. 1. atque ita potest dari gratia cum extrinseca condonatione unius peccati, & non alterius, & potest à Deo ordinari ad delendum unum peccatum sine alio.

79 Quintò tandem diximus art. cit. n. 231. virtute pœnitentiæ, seu contritionis simul cum culpa etiam semper remitti pœnam æternam, non tamen totam pœnam temporalem, sivè in hac vita, sivè in Purgatorio luendam. Quod assertum est etiam communiter omnium Catholicorum, & expressè docuit

cuit Scotus dist. 14. quæst. 1. cit. lit. L. & H. ubi postquam dixi transacto actu peccaminoso remanere in peccatore reatum, seu obligationem ad pœnam æternam, docet deinceps hunc reatū per pœnitentiam deleri, & dist. 20. ab initio docet deleri, vel per pœnitentiam interiorem, scilicet contritionem, vel per Sacramentum, & tandem dist. 14. qu. 4. & d. 22. lit. F. ait, quod dum reatus pœnæ æternæ deletur, commutatur ex Dei misericordia pœna æterna in temporalem, vel in via, vel in purgatorio solvendam. Quoad primam partem probatur ex Scriptura, quæ inseparabiliter jungit statum culpæ cum reatu damnationis æternæ, & è contrà remissionem culpæ, seù justificationem cū redintegratione ad gloriam, & liberatione à tali damnatione, ut constat ex illo ad Rom. 6. *Nunc liberati à peccato servi facti Deo habentes fructum vestrum in sanctificatione, finem autem vitam æternam.* Et hoc idem docet Tridentin. sess. 6. cap. 14. ubi supponit pœnam æternam simul cum culpa mortali deleri, & hoc tandem suadet ratio, quia ordinariè non remittitur culpa, nisi per gratiam habitualem, hæc autem est filiatio adoptiva Dei hominem constituens Hæredem vitæ æternæ ex eodem Trident. sess. 6. cit. cap. 4. & 7. ergo tollit reatum, seu dignitatem pœnæ æternæ, non enim potest quis simul esse dignus vita, & pœna æterna.

80 Quoad secundam partem probatur etiam ex communi Theologorum consensu, qui dicunt, dum cum reatu culpæ deletur quoque reatus pœnæ æternæ, commutari ex Dei misericordia pœnam æternam in temporalem, vel in via, vel in purgatorio solvendam, & hoc etiam sancivit Trid. sess. 14. c. 8. contrà Hæreticos nostri temporis id negantes, ac consequenter purgatorium, suffragia, & indulgentias pro defunctis, ut refert Bellarmin. lib. 4. de pœnit. cap. 2. verba verò Conc. sunt hæc: *Sancta Synodus declarat falsum omnino esse, & à verbo Dei alienum, culpam à Domino nunquam remitti, quin universa etiam pœna condonetur.* Denique hoc etiam suadet ratio ex offensis humanis deducta, in quibus remissa tota offensa per acceptationem in amicitiam, adhuc potest, & solet offensus ab offendente aliquam satisfactionem exigere ad resarciendum jus læsum publicæ justitiæ; ergo similiter potest Deus peccatorem ad suam amicitiam acceptare condonata perfectè culpa, & adhuc ab eo aliquam exigere pœnam in recompensationem divinæ justitiæ læsæ, nam qui Deum offendit, non solùm amicitiam violavit, sed etiam jus, & justitiam, quarè utraque redintegranda est, & bene potest separatim una absque alia resarciri, nam potest quis esse alteri amicus, & simul debitor justitiæ, quia hæc jura, cùm sint diversa, non sibi contradicunt. An autem de potentia Dei absoluta possit Deus remittere culpam non remisso debito pœnæ æternæ, disputamus loc. cit. in fine art. & objectiones contra præcedentem doctrinam solvimus artic. 2. ejusdem quæstionis.

QUÆSTIO QUARTA.

De remissione peccatorum venialium.

81 Declarata remissione peccatorum mortalium per virtutem pœnitentiæ, in præsenti quæst. discurrēdum est de remissione venialium, pro quo supponendum est ex dictis lib. 2. dist. 6. de peccato habituali, etiam ex peccato veniali causari in anima aliquam maculam, quæ consistit non quidem in privatione alicujus gradus gratiæ habitualis, quandoquidem sit cum ea compossibilis in quocunque gradu; sed vel in denominatione à præcedenti culpa non retractata, vel in aliquo alio ab ea moraliter relicto, & permanente, pro quo homo nondum condignè satisfecit, quæ macula, & denominatio causa est, ut in homine aliquid sit, quod Deo displiceat, & quod impediat aliquorum donorū collationem, & auxiliorum, quibus homo charitate, quam habet ferventiùs uteretur. Certum autem est, ut jam diximus disp. 5. cit. qu. 9. ab initio, & passim concedunt omnes, maculam peccati venialis sufficienter tolli per contritionem formalem, vel saltem virtualēm, ac etiam per attritionem cum Sacramento, nam si hæc sufficiunt ad maculam abstergendā peccati mortalis, tantò magis venialis, & nedum per Sacramenta tolluntur, sed etiam per Sacramentalia, qualia sunt oratio Dominica, aspersio aquæ benedictæ, largitio eleemosynæ, benedictio Episcopi, &c. Sed difficultas est de modo, quo hæc omnia maculam venialem tollant, & an præter hæc assignata dentur etiā alia media ad illam tollendam, adeout, quamvis longè difficilior sit resurrectio à peccato mortali, quàm à veniali, difficilius tamen est explicare qualiter per pœnitentiā peccata venialia remittuntur, de quo varii sunt modi dicendi, quos fusè examinamus loc. cit. quæsitum autem nunc breviter juxtà dicta ibidem de mente Doctoris resolvemus.

ARTICULUS PRIMUS.

Quomodo remittantur venialia in hac vita.

82 Primò dicendum est peccatum veniale posse deleri extrà Sacramentum per contritionem, sivè generalem respicientem omnia peccata in genere, sivè etiam per specialem tendendam distinctè in veniale, & posse etiam deleri virtute attritionis cum Sacramento, imo etiam extrà Sacramentum in homine justo. Conclusio quoad primam partem est communiter concessa, & est Scoti 4. d. 21. q. 1. §. *Ista quæstione*, ubi ait peccatum veniale in hac vita remitti posse per pœnitentiam interiorem, & exteriorem, ubi nomine pœnitentiæ exterioris Sacramentum pœnitentiæ intelligitur, & obvia est probatio; quia contritio extrà Sacramentum, & attritio cum Sacramento sufficientes sunt ad delendum mortale, ut constat ex dictis q. præced. ergò tantò magis sufficientes erunt ad veniale delendum; dicuntur autem sufficientes ad delendum veniale peccatum, quia non sunt media necessaria, ut inquit Doctor loc. cit. cùm per alia quoque remitti possit. Quod autem in homine justo possint venialia deleri etiam per simplicem attritionem sine Sacramento, quæ est altera pars conclusionis, est Scoti, & Scotistarum, Suarez 3. part. disp. 11. sect. 2. Coninch. disp. 2. dub. 14. & aliorum contrà Vasquez, & alios Recentiores in homine justo ad deletionem venialis extrà Sacramentum requirentes cōtritionem formalem, vel saltem virtualem, & probatur, quia ex oppositā sententia sequeretur, quod magis, vel æquè rigorosa satisfactio exigeretur pro peccato levi, & gravi, quod non congruit justitiæ; sed contritio formalis, vel virtualis necessariò extrà Sacramentum ad deletionem peccati mortalis exigitur, ut constat ex dictis quæst. præc. ergò talis satisfactio non necessariò exigitur ad deletionem venialis præsertim in homine justo sed minor sufficit, qualis est attritio. Confirmatur, quia attritio quoque est verus actus pœnitentiæ, & habet oppositionem cum peccato veniali, quia est odium, nolitio, & destructio ipsius; ergò potest illud delere, consequentia patet, quia melius destrui nequit actus volitionis præteritus, quàm per nolitionē, & retractationem ejusdem, qualis in proposito est attritio respectu venialis peccati. Responsiones autem, & objectiones Adversariorum vide rejectas, & solutas quæst. 9. art. 1. & præsertim illam, quam adeò exaggerant, quod si sola attritio sufficeret sine Sacramento, nunquam venialia verè remitterentur in Sacramento, quia jam semper invenieretur remissio facta per attritionem.

83 Secundò dicendum est, justum posse quoque venialia delere per actus aliarum virtutum, qui æquè placent Deo, ac veniale displicuit, si ab ipsomet operante ad talem finem referantur, scilicet, deletionis peccati, vel saltem à Deo ad talem finem acceptentur. Hæc assertio verbatim est Scoti loc. c. & omnium Scotistarum, & tenet Suarez disput. 11. sect. 3. quamplurib. probat Brancatus noster disp. 15. art. 11. & quidem cum Trident. sess. 14. c. 5. dicat multis remediis posse deleri venialia ultrà formalem pœnitentiam, quæ sit contritio, vel attritio, utiq; sub iis remediis opera quoq; aliarum virtutum implicitè inclusit, utpotè in existimatione æquivalentia venialibus offensis; nulla enim est ratio cur magis displicere debeat levis offensa, qualis est veniale, quam placere actus fidei, charitatis, misericordiæ, temperantiæ, &c. factos ab homine justo. Confirmatur exemplo ex humanis deducto, nam si Princeps sit leviter offensus à Subdito, & hic opus heroicum faciat ad ei placendum, & talem offensam tollendam; statim Princeps talis operis intuitu placatur, & offensam dimittit, siquidem ei magis placet tale opus heroicum, quàm levis illa offensa displicuerit; ergò idem de Deo dicendum, qui in benignitate, misericordia, & liberalitate superari non potest, quis enim dicat Deum non acceptare jejunia, peregrinationes, opera pietatis, & similia pro deletione venialium, aut non magis, vel saltem æquè placere Deo hæc opera facta à justo pro delendis venialibus, ac displiceant ei venialia? eo præsertim quia venialia sunt leves offensiones, & interdū parū spontaneæ, & præfati virtutū actus aliquo modo à priori defectu voluntatē avertunt, & alioquin magnū valorē à gratia accipiunt, quæ supponitur in homine justo, atque adeò sunt Deo magis grati, quam veniale displicuerit; ergò satis erunt ad remissionē, Deumque inducent in genere causæ moralis ad illam exhibendam, & quod ea opera sic acceptet, satis piū est credere, ac rationabile, quia per illa tantus honor exhibetur Deo, imò major, quàm subtractus sibi fuerit per veniale, & talibus operibus sæpè in Scriptura talis acceptio promittitur, & remissio, ut dimittendo aliis injuriam *Dimitte*, & di-

dimittetur vobis, dimitte nobis debita nostra, &c. ut Augustin. notat Epist. 108. Denique quodlibet opus bonum ex gratia procedens est meritorium augmenti gratiæ, & gloriæ; ergò & remissionis culpæ venialis, patet consequentia, quia hæc remissio est quid minus, quam vita æterna, qui autem potest in majus, potest etiã in minus. Objectiones autem Adversariorum vide solutas artic. 1. cit. num. 252.

84 Tertiò diximus etiam loc. cit. nu. 253. pœnitentiam valere ad remissionem venialium, non per modum formæ physicę, & causæ formalis, sed solùm per modum causæ moralis, & in homine justo valere per modum condignæ satisfactionis, seù meriti de condigno. Et quidem pœnitentia tollere venialia, non per modum formæ physicę, & causæ formalis, sed moralis tantùm, probatur, quia venialia compatiuntur cum justitia, seu gratia habituali, quæ hominem justificat; ergò à fortiori cum contritione, aut alia quacunque forma, quæ ad justitiam solùm disponit, consequentia patet, quia quod est compossibile cum aliqua forma, tantò magis compossibile est cum dispositione ad eam. Quod verò in homine justo valeat pœnitentia per modum condignæ satisfactionis, seù meriti de condigno, quæ erat altera pars asserti, facilè probatur, quia si consideretur actus, pœnitentiæ de venialibus elicitus ab homine justo, sicut hic actus est meritorius de condigno gloriæ, ità potest de condigno valere ad remissionem peccati venialis, & sicut homo justus potest de condigno satisfacere pro pœna temporali relicta ex culpa remissa, sivè mortali, sivè veniali, ut Trident. docet loc. cit. ità etiam satisfacere poterit pro ipsa culpa veniali. Et ratio est, quia homo justus, cum sit verè dignus gloria, potest etiam de condigno removere impedimenta ab ingressu gloriæ retardantia; hujusmodi autem est pœna temporalis solvenda, & sic etiam culpa venialis expianda. Diximus autem hoc totum procedere de homine justo, quia alioquin de peccatore loquendo remissio peccati venialis datur omninò gratis, idest, sine merito, vel satisfactione condigna, quia nec ordine naturæ, nec tempore supponit personam gratam, sed simul omninò cum ipsa gratia confertur, & ideò sicut gratis datur, ità hæc remissio, quia ante gratiam sanctificantem nulla ratio justitiæ, nec meritum, aut satisfactio de condigno in nobis esse potest. Objectiones autem Adversariorum rursus vide solutas artic. citato numer. 255. & sequen.

85 Quartò conveniunt ulterius communiter Patres, & Doctores per Sacramenta quoq; venialia remitti, ut diximus q. 9. cit. art. 2. quorum commune fundamentum est, quia omnia Sacramenta, ut instrumenta passionis Christi ad sanctificandas animas sunt instituta, easque perfectè disponendas ad gloriæ consecutionem, & consequenter ad tollenda omnia impedimenta, quæ aliquo modo possunt à gloriæ consecutione impedire; cùm igitur venialia nos à consecutione gloriæ retardent, debent per Sacramenta ritè suscepta remitti. Et quidem venialia remittunt non solùm excitando fervorem charitatis, quo formaliter illa expellantur, ut aliqui dixerunt, sed ex se, sivè ex opere operato illa remittunt posita sufficienti subjecti dispositione, nam si ratione tantum fervoris in eorum susceptione excitati remitterentur, jam non ex merito, & opere operato Christi, sed ex merito, & opere suscipientis remitterentur, non autem ex vi Sacramenti. Tùm etiam quia non semper Sacramenta etiam dignè suscepta talem fervorem excitant; & ità in tali casu verum non esset Sacramentum remittere venialia etiam in non ponentibus obicem; fatendum ergò est semper ex se illa remittere posita sufficiente dispositione subjecti ad tollendum obicem pro digna Sacramenti susceptione. Quæstio tamen est, quam dispositionem Sacramenta in suscipiente requirant ad tollendum obicem, ut ea remittere possint. Communiter requirunt ad minus attritionem de peccato veniali commisso, quia attritio necessariò requiritur in suscipiente Sacramentum, tanquam dispositio ad tollendum obicem, & absolutionem obtinendam. Verùm licet attritio necessariò prærequiratur ad consequendam absolutionẽ mortalium, ut suprà dictum est, ac etiã venialium, quando sunt cum mortali conjuncta; tamen quando sunt separata, ut accidit in justis, talis dispositio non est necessaria ad tollendum obicem, ut Sacramentum eorum absolutionem influere possit; sed sufficere potest etiam aliqua minor dispositio, nempè actualis non complacentia de talibus peccatis, & voluntas recipiendi effectum remedii, quod assumit, hæc enim censetur virtualis quædam peccati detestatio, dùm homo vult ejus medicinam assumere, quod etiam concedunt Soto, Suarez, & alii plures.

86 Quintò de Sacramentalibus difficultas est, an ipsa quoque remissionem venialium ex opere operato conferant, an potius ex opere operantis tantùm. Quidam dixerunt hæc Sacramentalia vim aliam non habere remittendi venialia, nisi excitando in nobis motum contritionis, aut dilectionis, per quem immediatè venialia tolluntur, ità plures apud Henriquez lib. 1. de Sacramentis cap. 20. Alii verò dicunt hæc Sacramentalia per modum impetrationis venialia dimittere propter fidem, & orationes Ecclesiæ, quæ in benedictione aquæ, salis, &c. solet orationes adhibere, quibus petit, ut hujusmodi res benedictæ ad salutem mentis conferant, & corporis, ut constat ex Missali Romano. Alii tandem contendunt hæc Sacramentalia ex institutione Ecclesiæ habere vim remittendi venialia, non tantùm ratione impetrationis, aut quia excitant motum contritionis, & pœnitentiæ, sed etiam ex opere operato, ut refert, & tenet Valentia quæst. 4. de Pœnitentia; ratio est, quia Sacramentalia semper remittunt peccatum veniale, & tamen non semper in nobis excitant motum pœnitentiæ; ergò veniale non remittunt solùm excitando pœnitentiam, sed ex opere operato.

87 Nos tamen diximus art. 2. cit. nu. 260. Sacramentalia ab initio quæstionis enumerata, quæ hoc nomine appellantur, quia sunt cæremoniæ quædam ab Ecclesia institutæ ad ornatum, solemnemq; ritum Sacramentorum, non remittere venialia ex se, & ex natura sua, & ex opere operato, aut ex vi suæ institutionis, sed solùm quatenus excitant motum pœnitentię venialium, aut eam à Deo impetrant. Ità recentiores communiter, & indicavit Doctor dist. 21. cit. qu. 1. ab initio quæstionis argumenta proponendo, dum ait *per pœnam minimam posse remitti veniale, dum tamen sit voluntaria, ut aspersione aquæ benedictæ, & hujusmodi*, ubi rationi voluntarii, & actui interiori, & tandem operi operantis, seù pœnæ voluntariæ, quam amplectimur, tribuit venialium remissionem, & non ipsi aspersioni, ut signo efficaci, & operi operato, & sic etiam loquuntur Faber, Hiribarnes, Brancatus, Hiqueus, & alii Scotistæ. Ratio, qua omnes utuntur est, quia si hujusmodi Sacramentalia ex opere operato venialia remitterent, vel id esset ex institutione Christi, vel Ecclesiæ, non primum, quia de hac institutione nullibi constat; neque secundum, quia Ecclesia auctoritatem non habent instituendi certa, & infallibilia remedia, seù signa ad remittenda venialia; ergò propriè loquendo Sacramentalia hujusmodi dici non debent venialia remittere ex opere operato, si nimirum ex opere operato dicatur illud, quod de condigno, & infallibiliter ex meritis alterius datur, vel operatur. Dixi propriè loquendo, quia si illud dicatur ex opere operato, quod confertur non solum intuitu operantis, sed alterius etiam, sic dici possunt ex opere operato causare, quia habent efficaciam quatenus, sanctitas Ecclesiæ ipsis applicatur mediantibus orationibus, quibus hunc effectum ipsis impetrat à Christo Sponso. Ratio est, quia alioquin Ecclesia frustrà illas orationes adhiberet benedicendo, & consecrando aquam lustralem, & similia, si non possent hebere suum effectum, saltem per modum impetrationis, quod etiam non ità intelligendum est, quasi Ecclesia orationibus suis impetret nobis immediatè remissionem venialium, quando utimur Sacramentalibus, sed quia impetrat nobis contritionem, & pœnitentiæ motum, per quam venialia tolluntur, qua ratione tandem Sacramentalia non dicuntur remittere venialia justi ex opere operato, licet intercedat Ecclesiæ impetratio, sed ex opere operantis, quia Ecclesia suis orationibus non impetrat nobis immediatè remissionem, sed impetrat contritionem, per quam venialia tolluntur, tùm etiam quia hic effectus non est omninò infallibilis, quia non est fundatus in aliqua speciali promissione Dei.

88 Ex quo patet prædicta Sacramentalia non delere venialia ex eo præcisè, quod excitent motum aliquem pœnitentiæ, per quem immediatè venialia tollantur, ut prima opinio dicebat; quia sic dicendo nihil Sacramentalibus illis concederetur, tùm etiam, quia librorum lectio, verba concionantis, & amicorum correctiones hos motus excitare solent, neque ob id, librorum lectio, concio, correctio, & similia dicuntur venialia delere. Neque dicuntur venialia delere per modum impetrationis præcisè propter fidem, & orationes Ecclesiæ, quæ in benedictione aquæ lustralis, & similium adhibentur, ut secunda opinio dicebat, quia Ecclesia suis orationibus, ut dictum est, nobis non impetrat immediatè venialium remissionem, quando Sacramentalibus utimur, sed quia nobis impetrat pœnitentiæ motum, per quem peccata tolluntur, alioquin possent Sacramentalia dormienti, & fatuo applicari, eisque venialia deleri. Ut ergo Sacramentalia suum sortiantur effectum utrumq; requiritur, & unum sine alio non sufficit, requiritur, inquam, motus virtutis internus pœnitentis Sacramentalia suscipientis, supposita Ecclesiæ impetratione, per quod patet ad fundamentum illius tertiæ sententię, negatur enim Sacramentalia posse venialia delere peccata, etiam quando in nobis nullum excitant pœnitentiæ motum. Neq; opus est talem virtutis motum à Sacramentalibus excitatum esse semper contritionem, vel attritionẽ formalem, ut passim Recentiores loquuntur, alioquin majus reme-

remedium, & potentius requireretur ad delendum venialia quàm mortalia, nam ad delendum mortalia sola contritio sufficit, ad venialia verò delenda ipsa requireretur cum usu Sacramentalium; tùm quia si semper formalis pœnitentia requiritur, non multi essent modi venialia delendi, ut docet Trid. sess. 14. c. 5. dicens: *quod multis aliis remediis possunt expiari*, sed unus, scilicet formalis pœnitentia. Sufficit ergò ad venialia hoc modo delenda, quod Sacramentalia habeant annexum aliquem actum, qui sit vel pœnitentiæ formalis, vel virtualis, vel ad summum, qui referat talem usum Sacramentalium ad talem finem, ideſt, ut peccata venialia deleantur, ut ait Doctor dist. 21. quæst. 1. E.

89 Sextò tandem est difficultas, an veniale in hac vita possit sine mortali dimitti. Communiter concedunt omnes, ut diximus q. 9. cit. art. 3. peccata mortalia remitti posse absque venialium remissione, quia non omnis dispositio sufficiens ad remissionem mortalium sufficit semper ad remissionem venialium, nam actus quo quis detestatur peccata, quatenus sunt gravis offensa Dei, est dispositio sufficiens ad remissionem mortalium, non verò venialium, cùm hujusmodi actus detestationis non habeat sufficientem incompossibilitatem cum venialibus permanere, quæ sunt levis offensa Dei. Sed controversia est, an etiam è contra possint in peccatore venialia remitti sine mortalibus per dispositionem sufficentem ad illorum remissionem, non verò istorum. Et quidem communis opinio id negat, quia licet concedant omnes gratiam habitualem non requiri formaliter ad remissionem venialis, cum nulla gratia habitualis quantumvis intensa incompossibilis sit cum peccato veniali; dicunt tamen necessariò requiri, vel antecedenter, vel concomitanter, itaut nemo de facto assequatur remissionem peccati venialis, nisi vel jam justus sit, vel tunc justificetur. Ità Suarez, Vasquez, Nugnus, Valentia, Coninchius, Pesantius, Amicus, Becanus, Bonacina, Aversa, & alii Recentiores passim, quos sequitur ex nostris Brancatus dist. 15. art. 9. quorum commune fundamentum est, quia remissio venialium in hac vita sine infusione gratiæ habitualis fieri nequit, cum quo non stat peccatum mortale, quod ita probant quia si veniale posset sine mortali remitti, vel id fieret in Sacramento, vel extrà; non in Sacramento quia ibi semper confertur gratia habitualis, quando dignè suscipitur, mortale autem cum tali gratia consistere nequit. Nec extrà Sacramentum, quia vel remitteretur per attritionem, vel per contritionem, attritio sola non sufficit, nec haberi potest in peccatore de solis venialibus, Deus enim excitare non solet peccatorem ad dolendum de solis venialibus, sed potius, ac principaliter de mortalibus; contritio tandem non solùm venialia, sed etiam mortalia tollit, nullus ergò est casus in quo venialia tollantur manente mortali.

90 Nos tamen art. 3. num. 264. asserimus ex opposito fundamento posse remitti veniale peccatum relicto mortali, cui erat conjunctum per attritionem supernaturalem, & extrà Sacramentum, nec semper ad ejus remissionem requiri gratiam habitualem antecedenter, vel consequenter; ita enim inquit Doctor dist. 21. cit. qu. 1. E. cùm ait, potest dici alio modo, quod peccatum veniale in ista vita remitti potest, non tantùm per pœnitentiam interiorem, vel exteriorem, quia illa non est necessaria ad hoc, sed per aliquem actum Deo magis acceptum, quàm venialis displiceat, &c. ubi cum Doctor conferat pœnitentiam interiorem cum exteriori, scilicet Sacramento, indè infertur nomine interioris intellexisse veram contritionem formalem, vel virtualem, non verò attritionem, quia hæc seorsim sumpta non equivalet Sacramento, neque illud continet in voto, quare vult Doctor, peccatum veniale posse in hac via remitti absque susceptione Sacramenti pœnitentiæ, & absque contritione formali, vel virtuali, per solam, scilicet attritionem supernaturalem, seù alium actum æqualis valoris, quo revocetur actus pravus venialis, & hanc sententiam, ut de mente Doctoris sequuntur Hiribarnes disp. 19. sect. 4. & Hiqueus ibidem in comment. & alii Scotistæ. Probatur 1. quia per Sacramentalia remittuntur venialia, neque Ecclesia explicat usum Sacramentalium esse tantùm pro justis, imò contrarium, ut in aspersione aquæ benedictæ, quæ tàm justis, quàm peccatoribus communicatur, & ità communis videtur fidelium sensus, qui in susceptione Sacramentalium, verbi gratia aspersione aquæ benedictæ, benedictionis Episcopi, &c. putant etiam in statu peccati mortalis se à venialibus liberari, & hoc idem significavit D. Aug. in Enchirid. cap. 71. cum inquit: *De quotidianis levioribus culpis, sine quibus hæc vita non ducitur, quotidiana oratio fidelium satisfacit, eorum enim est dicere Pater noster, &c. fidelium* dicit, & non *Justorum*, ut omnes comprehendant. Deindè probatur cum Hiqueo ex destructione oppositi fundamenti, quod erat, ad remissionem venialis necessariam esse gratiæ habitualis infusionem, vel antecedenter, vel concomitanter, nam veniale ex dictis privationem gratiæ non includit, & compatitur cum ipsa; ergò ad ejus remissionem non necessariò gratiæ infusio requiritur. Tandem probatur ex destructione alterius fundamenti oppositæ sententiæ, quod sola attritio ad delectionem venialis non sufficiat, nam ut arguit Hiribarnes loc. c. ita se habet attritio respectu venialis, sicut se habet contritio respectu mortalis, sed hæc destruit mortale; ergò & illa veniale potest delere, major probatur, quia sicut mortale est aversio à rectitudine ardua, & necessaria ad salutem, & gratiæ conservationem; ita veniale est aversio à rectitudine exigua, & utili ad hanc conservationem, si gratia adest, & sicut contritio æquivalet illi rectitudini eximiæ, & illam continet, sic etiam attritio æquivalet rectitudini parvæ, & illam continet; ergò sicut contritio remissionem mortalis inducit efficienter per modum causæ mortalis, & de congruo; ita attritio poterit servata proportione delectionem venialis inducere, & sicut contritio habet rationem meriti de congruo respectu deletionis mortalis; ita attritio habebit eandem respectu expiationis venialis.

91 Dices remissio venialium est redintegratio ad familiaritatem Dei, quæ essentialiter supponit amicitiam ejusdem, nam talis remissio fieri nequit sine restitutione specialium auxiliorum quibus homo per peccata venialia voluntariè se privavit, hæc autem auxilia familiarissimè hominem cum Deo stringũt, atque ideò venialium remissio hominem restituit ad perfectam familiaritatem cum Deo, quæ amicitiam ejusdem necessariò supponit, atque ideò implicat ea remitti habitualem gratiam non habentibus. Respondetur ex dictis art. cit. nu. 266. non esse universaliter verum, remissionem venialium esse reintegrationem ad Dei familiaritatem, quæ essentialiter amicitiam ejusdẽ supponit, sed tantùm verificatur in justo, cui dum per venialium remissionem restituuntur auxilia, quibus per venialia se privavit, statim etiam ad familiaritatem Dei restituitur, quia talia auxilia ipsum in statu amicitiæ inveniunt, quem effectum in peccatore producere nequeunt, quia in statu amicitiæ eum non reperiunt. Itaq; universaliter loquendo tàm respectu justi, quàm peccatoris remissio venialium fit per restitutionem quorundam auxiliorum, quibus homo per peccata venialia voluntariè se privavit; hæc autem auxiliorum restitutio ex diverso subjectorum statu diversos quoq; sortitur effectus, nam si talis restitutio fiat justo, hominem restituit ad perfectam Dei familiaritatem, quia ipsum invenit in statu gratiæ, & amicitiæ; si verò fiat peccatori de solis venialibus attritio talem effectum producere nequit, sed alium longè inferiorem, quia ipsum invenit in statu inimicitiæ, & peccati. Neq; novum est, quod eadem causa ex diversa subjectorum dispositione in quæ agit, diversos quoque producat effectus secundarios, ut constat de sole, qui per eundem calorem ceram liquefacit, & lutum indurat; sic inquã, in proposito eorundem auxiliorum, & donorum restitutio, per quam veniale deletur tàm justo, quàm in peccatore licet in utriusq; eundem primarium producat effectum, nempè venialium deletionem, non tamen eundem secundarium, nam in justo ratione sui status inducit familiaritatem cum Deo, & facit ut ferventius utatur charitate, quam habet, quem effectum in luto peccatoris sortiri non potest ratione sui status, sed aliud longè inferiorem, quæ doctrina est valdè notanda pro hujus difficultatis solutione. Alias objectiones Adversariorum vide solutas art. 4. cit. in fine.

ARTICULUS SECUNDUS.

An veniale possit in alia vita dimitti, & quomodo.

92 PRimò certum est mortale in alia vita dimitti non posse, illi enim non remisso debetur æterna punitio, & ideò quæsitum movetur solùm de peccato veniali, & de hoc quidem quoad culpam, quia quoad pœnam certum est in Purgatorio dimitti, quando in hac vita fuit quoad culpam remissum, quia ei correspondet pœna temporalis, non æterna. Negarunt aliqui venialia post hanc vitam remitti posse, quia post hanc vitam non est tempus merendi, & satisfaciendi pro peccatis juxtà illud Jo. 9. *Me oportet operari opera ejus, qui misit me, donec dies est, veniet nox, quando nemo potest operari*, per diem autem Patres intelligunt tempus vitæ præsentis, per noctem verò futuræ, ità Alensis 4. part. qu. 15. memb. 3. ar. 3. ubi negat venialia post hanc vitam remitti, sed solùm in hac vita saltem in termino continuativo vitæ, & mortis, prout passim à Recentioribus refertur. Communis tamen sententia, ut diximus qu. 9. cit. artic 4. affirmat, & deducitur ex illo Matth. 12. *Qui peccaverit in Spiritum Sanctum non remittetur ei neque in hoc sæculo, neque in futuro*, ex quo Patres deducunt præcipuè Gregorius lib. 4. Dialog. cap. 9. esse aliqua peccata, quæ in futuro sæculo remittuntur, *in qua sententia datur intelligi*, inquit Gregorius, *quasdam culpas*

culpas in hoc sæculo, quasdam verò in futuro posse laxari. Et ratio est, quia potest aliquis ex hac vita decedere cum solis venialibus, potest enim decedere sine quacunque consideratione venialium, & per consequens sine ulla detestatione illorum, & absque alicujus Sacramenti susceptione, ut patet de illo qui solis venialibus detinetur, & vadit dormitum, & inter dormiendum occiditur, vel in amentiam perpetuam cadit; & cum certum sit, quod salvabitur, quia est in gratia, & solo veniali detinetur nec perpetuò stabit in Purgatorio ratione peccatorum venialiũ nec cum culpa veniali beatificabitur, quia nihil inquinatum intrabit Regnum Cœlorum; ergò potest acquirere venialium remissionem post hanc vitam, sivè id fiat in ipsa separatione animæ à corpore, sivè toto tempore Purgatorii. Neque urget, quod dicebat Alensis, posse venialia dimitti, saltem in termino continuativo vitæ, & mortis, nam aut illud instans est intrinsecum vitæ, aut intrinsecum morti, implicat enim esse intrinsecum utrique simul cùm nequeat vita, & mors, quæ sunt contradictoria simul, esse in eodem instanti; non potest autem dici, quod sit intrinsecum vitæ, quia cùm adhuc anima pro instanti sit in via posset venialiter peccare, cùm igitur in eodem instanti non possit quis peccare, & peccata simul retractare, assignandum est aliud tempus, in quo possit tale peccatum remitti, quod aliud esse non potest, quàm instans intrinsecum morti, vel tempus in quo manebit in Purgatorio. Quarè fatendum est posse veniale peccatum post hanc vitam dimitti.

93 Secundò remanet tamen adhuc difficultas de modo, & quando post mortem remittantur, de quo varii extant dicendi modi hìc breviter examinandi, & quidem valdè communis, & plausibilis est tam apud Veteres, quàm Recentiores, quod peccatum veniale quoad culpam remittitur decedenti in charitate post hanc vitam per aliquem actum bonum conversionis animæ ad Deum, & detestationis venialium. Ità quod anima in primo instanti separationis ejus à corpore potest habere ferventem actum dilectionis Dei, & contritionem etiam perfectam omnium præcedentium culparum, quia in eo instanti optimè cognoscit statum suum, & est expedita ad operandum, & ex parte Dei habet auxilium efficacissimum juxtà mensuram suæ gratiæ, & ipsa statim sine mora operatur, & perfectè tendit in Deum, & avertitur ab omnibus venialibus, atque ideò ille actus sufficit, ut statim tollantur omnia illa peccata, quoad culpam. Ità Durandus, Plaudanus, Riccardus, Bassolius, Almainus, quos sequitur tota Modernorum Caterva Henriquez, Suarez, Vasquez, Amicus, Coninchius, Lugus, Becanus, Aversa, Caspensis, & alii passim, quorum aliqui etiam dicunt venialia deleri posse post mortem per actus contritionis, & charitatis factos in alia vita, scilicet in Purgatorio aliquo tempore post separationem animæ à corpore, quia ex naturarei necesse non est, ut in primo separationis instanti anima statim eliciat sufficientem actum pœnitentiæ pro suis venialibus. Sed hic dicendi modus Scoto non placet 4. d. 21. quæst. 1. ubi in fine quæstionis antè principalium solutionem inquit, quod ponere in anima separata aliquem bonum motum, vel dispositionem, qua de congruo, vel de condigno quis mereatur deletionem culpæ venialis, non est consonum doctrinæ theologicæ, quæ ponit statum illum immunem ab his, & in re obscura magis recurrendum est ad regulas generales, & modum remissionis secundùm legem ordinariam, quæ respicit opera Viatoris, quam aliquid statuendum contrà legem, quæ non admittit statum merendi in alia vita, quia post mortem non est amplius tempus merendi, nec satisfaciendi, sed solùm satispatiendi, ut apertè colligitur ex testimonio Joan. citato *operamini donec dies est, venit nox, quando nemo potest operari*, & ex verbis Ecclesiast. *Ante obitum tuum operare justitiam, quia non est apud Inferos invenire cibum*, quam rationem prosequuntur ibidem Faber, Aretinus, Hiqueus, & præsertim Brancatus disput. 15. art. 13. responsiones autem, ac evasiones Recentiorum vide rejectas, & præclusas art. 4. cit. num. 172.

94 Tertiò, alius dicendi modus dimittendi venialia post mortem assignatur à Scoto loc. cit. 4.d, 21. q. 1. E. & est quod peccata venialia decedenti in charitate statim post mortem remittantur non quidem per aliquem actum meritorium, quem habeat justus post mortem, ut præcedens opinio asserebat, sed propter aliquem actum factum à justo in vita acceptatum à Deo ad remissionem venialium talis hominis statim post ejus mortem, quamvis homo ille post mortem per actum proprium de novo non mereatur remissionem illorum venialium. Idque suadet Doctor, ut diximus loc. c. quia ad peccatum veniale delendum non requiritur necessariò pœnitentia, & displicentia formalis peccati, sed potest deleri per aliquem actum magis Deo gratum, quàm actus peccati displicuerit, ut dictum est art. præced. cùm ergò in vita sic culpa venialis possit dimitti, non est inconveniens dicere, quod etiam in primo instanti post mortem deleatur per acceptationem operum illorum à Deo, licet justus tunc non possit illa referre meritoriè ad Deum pro illis culpis. Cur autem Deus in vita prius illorum operum intuitu peccata venialia non deleverit, sed tantùm in primo instanti post mortem, reddit rationem Doctor, quia causa impedibilis, dum est impedita, non ponit effectum, dum verò non est impedita, ponit, sed merita illius morientis in charitate essent causa sufficiens deletionis venialium illius, vel relata ab ipso, vel à Deo acceptante illa in ordine ad illud, si ergo non posuit ille obicem continuando peccatum, in vita erunt ei dimissa, si verò posuit obicem, Deus in vita illa non dimisit; quia ergo post mortem non potest amplius obicem ponere continuando in peccato, quia post mortem nemo amplius meretur, vel demeretur, statim venialia remittuntur ob actus bonos, qui in vita præcesserunt. & magis Deo placuerunt, quàm veniale displicuerit. Concludit itaque Doctor remitti utique venialia in primo mortis instanti, non per actum tunc elicitum, ut præcedens modus asserebat, quia tunc homo est extrà statum viæ, sed per media facta in vita relata ab ipso merente, vel à Deo ad remittenda hæc venialia post mortem, quem dicendi modum amplius declaramus loc. cit.

95 Quartò, alius quoque dicendi modus, quo peccatum veniale potest in alia vita dimitti, assignatur à Scoto loc. cit. & est per satispassionem, seu solutionem totius pœnæ temporalis, ad quam veniale ordinatur, itaut nil aliud sit culpæ venialis remissio in purgatorio, quàm solutio pœnæ temporalis debitæ pro illa quod ita declarat Doctor, quia actu transacto culpa quæ manet, nihil aliud est, nisi reatus ad debitam, iste verò reatus peccati venialis non est, nisi ad pœnam temporalem, ut constat ex dictis; ergo soluta pœna temporali in purgatorio, quæ pro venialibus debetur, culpa venialis erit remissa, quem dicendi modum sequuntur veteres Scotist. ac etiam Recentiores, Faber, Aretinus, Gavatius, & alii passim, paucis quibusdam exceptis, utpotè conformem doctrinæ, quam universaliter tradidit Doctor de macula, & peccato habituali 4. d. 14. qu. 1. art. 1. ubi ait formale constitutivum peccatoris esse reatum quendam, seu quãdam obligationem ex actu peccaminoso contractam, qua statim ac aliquis peccat, sivè mortaliter, sivè venialiter, obligatur ad pœnam peccato correspondentem quocunque pœna illa soluta fuerit, quam germanam Scoti sententiam de peccato habituali latè declaravimus lib. 2. sent. disp. 6. qu. 8. art. 6. & seq. Verùm quia non omnes Scotistæ, ut diximus loc. cit. hunc dicendi modum à Scoto assignatum pro dimissione venialis culpæ in alia vita eodem modo declarant, ideò ex dictis loc. cit. de habituali peccato advertendum est, quod cum ait Doctor peccatum veniale posse in purgatorio dimitti per satispassionem, seù solutionem totalis pœnæ temporalis, ad quam veniale ordinatur, per pœnæ solutionem non esse præcisè intelligendum ipsius pœnæ exhibitionem, & exactionem, nam hæc quoque datur in Inferno, ubi damnati pœnam temporalem luant pro peccatis venialibus in hac vita commissis, & non remissis, & tandem per satispassionem talis pœna finitur, & terminatur, cùm sit temporalis, & non æterna, ut diximus d. 6. cit. de pec. qu. 8. & adhuc reatus culpæ non dimittitur, sed perseverat ratione status, ut ibi dictum est n. 230. & ratio est, quia aliud est loqui de pœna actuali exhibita, & aliud de dignitate, & obligatione ad eam ex tali actu contracta, in qua propriè consistit reatus culpæ; potest enim adhuc ista manere culpa non retractata, etiamsi pœna semel sit sufficienter inflicta, & soluta, ut si reus ob commissum crimen mereatur una tantùm vice fustigari, si postquam est virgis cæsus, peccati patrati non pœniteat, adhuc crimen in eo habitualiter, vel moraliter manens, quatenus non est retractatũ, dicitur fustigatione dignum, seu illa pœna, quæ semel ei fuit inflicta, non autem nova fustigatione, hoc enim esset novam dignitatem ponere, non antiquam durare, quod evidenti exemplo declaratur; Doctor enim eximius, postquam semel Doctoratus lauream accepit, adhuc dicitur laurea dignus, non quod sit semper laureandus quamdiu vivit, sed quia semper dignitatem tenet ad lauream, quam semel accepit, ut discurrimus loc. cit.

96 Quando igitur in præsenti dicimus veniale etiam quoad culpam posse in purgatorio remitti per solutionem totius pœnæ temporalis illi debitæ, non tantùm intendimus solutionem ab illa actuali pœna, sed etiam à dignitate, & obligatione ad eam, in qua præcipuè reatus culpæ venialis consistit, adeò quod soluta torali pœna statuta pro venialibus, non solùm anima purgans ab actuali illa pœna liberetur, sed etiam à debito, & obligatione ad eam, in qua consistit ipsius culpæ venialis reatus, & hanc venialium remissionem Patres apertè deducunt ex illa Apostoli auctoritate 1. Corin. 3. ubi loquens de anima purgante inquit: *Sic salvus erit quasi per ignem*, quibus verbis insinuat peccata venialia in purgatorio dimitti per satispassionem, & purgationem ignis, non tantùm quoad reatum pœnæ, quæ remansit ibi

luenda pro peccatis in hac vita remissis, sivè venialibus, sivè mortalibus, sed etiam quoad reatum culpæ pro venialibus hic non dimissis; nam hominem ibi salvum fieri per purgationem ignis præcipuè significat liberationem ejus à culpa, & non tantùm à pœna. Et quando dicimus deletionem venialium fieri per solutionem pœnæ illis debitæ, non ita intelligendum est quasi per talem solutionem ex se ipso veniale destruatur, sicut ex solutione pecuniæ alicui debitæ destruitur debitum absq; beneficio, & gratia creditoris dimittentis; sed ita intelligendum est, ut soluta pœna veniali debita, intuitu illius solutionis per satisfactionem Deus culpam dimittat, hoc enim totum pendet ex ordinatione divina, ut Suarez etiam concedit tract. 5. disp. 7. sect. 3. nam Deus cum sit justus, accommodat pœnam dignitati culpæ. Undè facta quacunque solutione pœnæ, adhuc fatendum est Deus remittere culpam, licet ejus intuitu, ità quod non à semetipsa cessat culpa, neque per remissionem factam ab ipso solvente pœnam, sed ipse Deus remittit ejus intuitu, iniquitates enim nostras ipse delet, undè dicebat per Isaiam 43. *Ego sum qui deleo iniquitates tuas*, & alibi: *Qui est qui peccata deleat, nisi solus Deus?* Itaque duo ultimi modi pro remissione venialium assignantur à Scoto loc. cit. tanquam aliorum probabiliores, & quidem hic ultimus etiam à D. Greg. assignatur 4. Dialog. cap. 39. ubi dicit: *De quibusdam levibus culpis esse ante judicium purgatorius ignis credendus est.* Alter verò de remissione eorundem per merita præcedentia, confirmatur ex Glossa D. Greg. allata ab Alense qu. 25. memb. 3. art. 3. §. *Super dictum* Matth. 12. dicente: *Quædam enim culpæ in hoc sæculo relaxantur, quædam verò parvæ in futuro, quæ quidem post mortem gravant, sed dimittuntur, si homo bonis actibus in vita, ut ibi dimittantur, promeruit*, quæ auctoritas clarior esse non potest pro secundo dicendi modo venialia dimittendi in purgatorio.

96 Quintò tandem est difficultas, an veniale etiam in Inferno dimitti possit non tantùm quoad pœnam, sed etiam quoad culpam. Affirmant Fab. Hiribarnes, & alii Scotistæ, quorum fundamentum est, quia juxtà hoc principium de remissione venialis in purgatorio, quoad culpam per solam satisfactionem, videtur defendi posse veniale etiam in Inferno remitti non tantùm quoad pœnam, sed etiam quoad culpam. Nos tamen diximus qu. 9. cit. art. 4. in fine longè probabilius esse posse veniale in Inferno dimitti tantùm quoad pœnam, quæ temporalis est, non verò quoad culpam, & ratio discriminis inter damnatos, & purgantes est, quia satisfactio damnatorum omninò involuntaria est, atque coacta, atque ideò licet possit esse sufficiens ad pœnam tollendam, cùm enim in tali satisfactione servetur æqualitas justitiæ pro puniendo peccato, acceptanda videtur, tanquam solutio sufficiens ad pœnam tollendam, non tamen culpam, quia ad hoc ulterius requiritur, ut pœna sit sufficienter tolerata, & sine murmuratione; ut ex professo declaratum est disp. 6. c. de peccatis qu. 8. quomodo autem durante culpa in damnatis peccati venialis possit cessare pœna, & ordo ad eam, declaratum est ibidè præsertim n. 230. ut supra dictum est. Itaque concludendum est animabus in Purgatorio existentibus venialia dimitti, tùm quoad culpam, tùm quoad pœnam, non per bonum actum voluntatis, quem habeant, ut asserebat primus dicendi modus jam relatus, sed vel ob solutionem pœnæ temporalis debitæ, ut asserebat tertius dicendi modus, vel intuitu meritorum in vita præcedentium, ut asserebat secundus; si enim ante mortem fuit obex, ob quem deleri non potuerint illorum intuitu, cessante obice per separationem animæ poterunt illa merita talem sortiri effectū, ut uterque dicendi modus à Scoto approbatur loc. cit. In Inferno autem veniale mortale conjunctum dimitti potest quoad pœnam, non quoad culpam, ita quod veniale in Inferno pœna æterna non puniatur, sed temporali, ut latè ostendimus disp. 6. c. de peccatis qu. 8. cum Scoto 4. dist. 21. qu. 1. quia peccato veniali nec per se, nec per accidens æterna pœna debetur, quatenus scilicet, est conjunctum cum mortali, ut ibi fusè discurrimus. Et hęc de pœnitentia virtute sufficiant.

QUÆSTIO QUINTA.

De Pœnitentia, ut est Sacramentum.

98 IAm diximus ab initio disputationis hujus pœnitentiæ nomen in duplici sensu à Theologis sumi solere; primò pro virtute morali, cujus proprius actus est detestari peccatum, ac de illo commisso dolere, quatenus est offensa quædam, & injuria Deo illata, ut explicatum est, Secundò pro uno ex Sacramentis novæ legis, idest, pro ritu aliquo externo, & sensibili divinitùs instituto actus quosdam hominis pœnitentis, & Ministri absolventis complectente, cujus virtute à peccatis post baptismum commissis absolvitur, ac Deo reconciliatur; postquam igitur egimus de pœnitentia virtute, sequitur, ut de pœnitentia Sacramento agamus.

ARTICULUS PRIMUS.

De existentia Sacramenti Pœnitentiæ, ac ejus essentia.

99 PRimò, hoc esse Sacramentum novæ legis propriè dictum, & à Christo Domino immediatè institutum contrà Hæreticos quamplures definitum est in Conciliis, Constantiensi, Florent. & Trident. sess. 14. cap. 1. & can. 3. quam institutionem deducunt, ut diximus disp. 5. cit. quæst. 11. ex illis verbis, quæ dixit Christus Apostolis Jo. 20. *Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt*, quod etiam anteà docuit Scotus 4. dist. 2. qu. 1. ubi explicans quænam sit hæc auctoritas Apostolis à Christo data dimittendi peccata, inquit non esse potestatem principalem, quia hæc est solius Dei propria, sed arbitriam, & ministerialem, qualis est auctoritas Judicis arbitri, quod etiam adhuc magis explicat dist. 14. quæst. 4. §. *Quoad hoc secundum*, ubi dicit, quod pœnitentia est absolutio, id est, quædam sententia diffinitiva absolvens reum, non tamen sententia Judicis principalis, sed Judicis secundarii, vel commissarii; potest enim quis cognoscere in causa ex commissione, & sententiare vel pro condemnatione rei, si indignus est, vel pro ejus absolutione, si dignus sit, & tandem hoc idem confirmat 4. dist. 17. qu. un. quod autem hæc institutio facta fuerit per modum Sacramenti propriè dicti contrà Hæreticos id negantes, ex eisdem Christi verbis deducitur, & ratione suadetur, quia ad rationem Sacramenti propriè dicti duo maximè requiruntur, & sufficiunt, scilicet, ritus extrinsecus, siuè symbolum divinitùs institutum, & promissio gratiæ justificātis illi symbolo annexa; sed in relatis Christi verbis Jo. 20. utrumque reperitur, promissio quidem gratiæ in illis verbis patentissima est, cùm dicitur, *remittuntur eis*, remittuntur enim peccata, cùm quis justificatur, signum etiam sensibile ex institutione divina efficacitar significans absolutionem hominis à peccato clarissimè ejusdem Domini verbis insinuatur, nam cum Sacerdotibus concesserit potestatem remittendi, & absolvendi, planè illa potestas aliquo signo sensibili est exercenda, cùm homines corpore constent; undè absolutionis verbum ex eo loco clarè deducitur. Et cùm absolvi nequeant, qui ligati non sunt, ac etiam qui solvi nolunt, dùm scilicet paratum animum non indicant recipiendi absolutionem, nec testantur se peccasse, & eis peccata displicere, ex eodem loco colligitur ex parte pœnitentis quoque intervenire debere ritum externum, & sensibile signum, quo hanc animi dispositionem Judici Sacerdoti ostendat; nil ergò deficit, quin pœnitentia ex vi suæ institutionis sit verè, & propriè novæ legis Sacramentum.

100 Secundò, ejusdem dogmatis veritas expressis etiam Patrum testimoniis probari solet, nam D. Chrysostomus lib. 3. de Sacerdotio, postquam potestatem Sacerdotibus collatam ad remittenda peccata contulit cum potestate eorundem ad Eucharistiam conficiendam, posteà conferens eandem cum potestate baptizandi inquit: *Neque enim solùm cùm nos regenerant, sed etiam posteà condonandorum vobis peccatorum potestatem obtinent.* Item D. Ambrosius lib. 1. de pœnitentia cap. 7. inquit: *Cur baptizaris, si per hominem peccata dimitti non licet? quid interest utrum per pœnitentiam, an per lavacrum hoc jus sibi datum Sacerdotes sibi vindicent?* & tandem Petrus Chrisologus serm. 81. *Ubi sunt*, inquit, *qui per homines non posse peccata remitti, præscribunt? remittit Petrus peccata, & toto cum gaudio suscipit pœnitentes, atque omnibus Sacerdotibus hanc à Deo concessam amplectitur potestatem.* Quibus Patrum testimoniis non solùm constat, Pœnitentiam esse verum, & propriè dictum novæ legis Sacramentum, sed etiam ab omnibus aliis distinctum, & diversum, & præsertim à Baptismo contrà eosdem Hæreticos id negantes; quod etiam docet Scotus eisdem loco citato etenim ut constat ex dictis de Sacramentis in genere, Sacramenta propriè dicta penes duo inter se distinguuntur, scilicet, penes signum sensibile, & penes effectum; patet autem hæc duo in Baptismo, & Pœnitentia esse omninò diversa, nam pœnitentiæ signum sensibile est absolutio Sacerdotis, & confessio ipsa pœnitentis, ut modò dictum est; signum verò baptismi est ablutio facta in aqua naturali cum illis verbis: *Ego te baptizo, &c.* sunt enim diversa signa, & effectus, quia licet in utroque Sacramento gratia justificans significetur, diverso tamen modo fit hæc significatio, nam pœnitentia est signum gratiæ justificantis, quatenus hominem liberat à peccato actuali post Baptismum commisso, Baptismus verò est signum ejusdem gratiæ, quatenus liberat ab originali, & ab actuali quoq, ante Baptismū com-

commisso. Quæ etiam ratione probatur ab aliis quoque Sacramentis distingui, nam in aliis pariter Sacramentis diversa sunt signa sensibilia, ac diversi effectus, & signata, ut patet discurrēti per singula.

101 Tertio, circà essentiam, seù essentialem hujus Sacramēti constitutionem est valdè agitata inter Scholasticos controversia, quæ tamen, ut omnes fatentur, est solùm de nomine, & modo loquendi, omnes enim admittunt ad faciendum pœnitentiæ Sacramentum hæc omnia requiri, scilicet, contritionem confessionem, & satisfactionem ex parte pœnitentis, & absolutionem ex parte Sacerdotis, & sine his perfici non posse, & est dissidium posteà in modo explicandi, quomodo hæc omnia concurrant ad Sacramentum pœnitentiæ constituendum, an scil. omnia prædicta dici possint, & debeant verè, & in rigore partes Sacramenti pœnitentiæ essentiales, vel saltem integrales, an potiùs in una tantùm tanquam in principali consistat, in aliis verò, tanquam in circumstantiis, aut dispositionibus ad illud necessariis. Pro cujus difficultatis resolutione advertimus qu. 11. art. 1. ab initio duplicem in Sacramentis novæ legis compositionem considerari posse ex Scoto 4. d. 3. q. 2. §. *Hic primo*, prima est ex signo, & significatione, quam Recentiores Sacramentalem appellant, & fit ex rebus, & verbis, tanquam ex subjecto, & significatione Sacramentali, tanquam forma; in omni enim Sacramento invenitur id, quod assumitur ad significandā gratiam, & ipsa significatio, seu institutio, & potestas significativa, & in hoc sensu in omnibus Sacramentis, ac etiam in isto pœnitentiæ significato est forma, reliqua verò omnia etiam absolutio ipsa in proposito sunt materia, quia ea omnia assumpta sunt, & instituta ad gratiam significandam. Secunda verò compositio in ipsa materia significante considerari potest, quæ proindè dicitur materialis, fitque ex rebus, & verbis, & ad Sacramentalem præsupponitur, & fit ex illis rursus, tanquam ex materia, & forma, & in hoc Sacramento fit ex actibus pœnitentis, tanquam ex materia, & ex verbis Sacerdotis, tanquam forma; utraque autem est materia respectu alterius formæ, quæ est gratiæ significatio, quam Sacramentum quodlibet pro formali importat. Et quidem omnes Theologi in hoc convenire videntur, ut dictum est loc. cit. absolutionem esse partem hujus Sacramēti intrinsecam, & essentialem, ut docet Scotus loco cit. quod etiam probari potest ex Concilio Tridentino sess. 14. cap. 3. ubi ait, vim hujus Sacramenti præcipuè in verbis illis sitam esse *Ego te absolvo*, &c. absolutio enim est id, quod potissimè significat, & operatur remissionem peccatorum; ergo ipsa est pars potissima, & principalis hujus Sacramenti, ut Sacramentum est, quia positis omnibus aliis, & sola deficiente absolutione non datur Sacramentum pœnitentiæ.

102 Quartò, diximus quoque loc. cit. num. 309. actus etiā pœnitentis esse partem materialem intrinsecam hujus Sacramēti adæquatè considerati, & sumpti pro aggregato ex rebus, & verbis, quod est proximum, & adæquatum fundamentum significationis Sacramentalis, quod etiam probavimus ex eodem Trident. loc. cit. ubi dicit, quod sunt quasi materia hujus Sacramenti ipsius pœnitentis actus, qui quatenus in pœnitente ad integritatem Sacramenti, ad plenamque, & perfectam peccatorum remissionem ex divina institutione requiruntur, hac ratione pœnitentiæ partes dicuntur. Confirmatur, quia forma absolutionis habet verè rationem formæ in genere moris, scl. rationem determinantis, ac perficientis, ac suo modo informantis; ergò debet ei necessariò correspondere in genere moris aliqua materia per modum determinabilis, & perfectibilis, hæc enim sunt correlativa; hæc autem materia per verba absolutionis determinabilis, & perfectibilis aliud commodius statui nequit, quam ipsius pœnitentis actus. Denique sicut in baptismo v. g. non sola verba ministri, sed etiam ablutio in ipso Sacramento includitur, & sic in aliis; ità etiam non sola verba absolutionis sed confessio quoque suprà quam absolutio cadit, includitur in hoc Sacramento, & hoc totum ex utraque parte compositum fundat integram, & totalem significationem Sacramentalem à Christo institutam, Christus enim non solùm absolutionem, sed etiam actus pœnitentis instituit, ut ad eorum omnium positionem poneretur gratia, & ideò omnia hæc dicuntur signum efficax, & causa moralis gratiæ, ac remissionis peccatorum, licet unum eorum sit causa magis principalis, & alia minus. Et hæc est etiam communis Recentiorum sententia dicentium essentiam sacramenti pœnitentiæ in utroque consistere, scilicet, in absolutione, & in actibus pœnitentis, quia essentia hujus Sacramenti constat ex materia, & forma, sicut est in cæteris; forma autem est absolutio, materia verò actus pœnitentis. Neque oppositum sentit Scotus 4. d. 14. qu. 4. ut censent nonnulli Scotistæ, quamvis enim ibi, & d. 16. q. 1. Sacramentum pœnitentiæ absolutè dicat esse absolutionē, propter quod velle videtur, quod sola absolutio sit integrum fundamentū significationis Sacramētalis, & actus pœnitentis sint quid prærequisitum. Hæc tamen mens ejus non est, ut etiam Faber ipse fatetur disp. 9. c. 2. quia pœnitentiam Sacramentum definiens ait, quod est *absolutio hominis pœnitentis &c.* undè actus pœnitentis quoq; agnoscit esse partem istius Sacramenti, & cum absolutione constituere integrum fundamentum relationis signi, qua etiam ratione d. 17. q. un. R. contritionem, & confessionem partes pœnitentiæ appellat, ut loc. c. fusè ostendimus.

103 Quintò addimus l. c. num. 313. inter partes materiales hujus Sacramenti adæquatè sumpti præter Confessionem assignandas esse quoque contritionem, & satisfactionem, cum hac tamen limitatione, ut satisfactio in voto, id est, propositum saltem implicitum satisfaciendi sit pars essentialis Sacramenti, in re autem exhibita, sivè executio ejusdem sit tantùm pars integralis. Et quidem quod contritio spectet ad materiam essentialem hujus Sacramenti ex eo patet, quia quando absolutè loquēdo confessio dicitur hujus Sacramenti materia, intelligitur confessio dolorosa, quæ sit cum peccatorum detestatione, & ideò hæc tanquam una adæquata materia assignatur, nam sine hac confessio non haberet veram rationem accusationis sui ipsius, sed esset solùm historica quædam narratio, vel simulata quædam accusatio, undè illa actio veram rationem judicii non haberet. Quod verò satisfactio in voto, seù propositum saltem implicitum satisfaciendi in vindictam peccati commissi sit pars essentialis hujus Sacramenti deducitur ex Scoto 4. d. 16. qu. 1. E. ubi ait, quod dum perficitur Sacramentum pœnitentiæ per absolutionem, debet pœnitens habere votum satisfaciendi, & hoc modo satisfactio dicitur concurrere tunc ad perficiendum Sacramentum, qui enim contritus, vel attritus confitetur, habet etiam votum, & propositum satisfaciendi, ideſt, solvendi pœnam post absolutionem relinquendam, nam si peccator tale propositum non haberet saltem implicitè; sed haberet voluntatem contrariam, vel negativam, Sacramentum non conficeretur; ergò in hoc sensu pars ejus essentialis censeri debet, nam judicialis absolutio essentialiter dicit accusationem delicti cum proposito exequendi pœnam à Judice infligendam, & ipsam Judicis sententiam, & in hoc sensu satisfactionem quoq; esse partem essentialem hujus Sacramenti, & non tantùm integralem docent etiam Amic. disp. 10. sect. 4. Brancatus noster disp. 15. a. 1. & plures alii. Tandem, quod satisfactio in re exhibita non sit pars essentialis, sed tantùm integralis ex eo patet, quia enim perfecta est essentia Sacramenti, & collata justificationis gratia antè executionem satisfactionis, injunctæ, ideò satisfactio reipsa exhibita pars essentialis Sacramenti censeri non debet, sed tantùm integralis, quia licet ad primum, & præcipuum ejus effectum non sit necessaria, scilicet, ad remissionem culpæ, cùm hæc à satisfactione reipsa exhibita non dependeat, conducit tamen ad secundum effectum, scilicet, ad remissionem pœnæ temporalis, & ideò satisfactio sic sumpta dicitur tantùm pars integralis, quia sine ipsa constaret utique essentialiter Sacramentum, sed veluti mutilum, sicut se habet homo ex anima, & corpore essentialiter constans, deficiens tamen brachiis, aut alia parte ex illis, quæ dicuntur integrales, quia hoc Sacramentum non solùm est signum, & causa remissionis culpæ, sed etiam pœnæ relictæ ex peccato, cum hoc tamen discrimine, quod primò, & essentialiter constituitur per rationem signi practici significantis remissionem peccati, secundariò autem remissionem pœnæ temporalis, & ideò satisfactione deficiente licet adhuc in essentia constitutum remaneret ob remissionem peccati vi ipsius obtentam; remaneret tamen veluti mutilum, quia non esset signum, & causa remissionis pœnæ temporalis post rem sionem peccati adhuc remanentis.

104 Sextò deduximus ex dictis loc. c. n. 315. Sacramentum pœnitentiæ essentialiter constare contritione, confessione, & proposito saltem implicito satisfaciendi, tanquam materia, & absolutione juridica ministri, tanquam forma. Ratio est, quia primarius, & adæquatus conceptus hujus Sacramenti totaliter, & adæquatè considerati modo superius explicato est esse signum efficax gratiæ reconciliativæ peccatoris cum Deo per modum judicii absolutorii, ut omnes concedunt, sed hic conceptus non salvatur sine omnibus enumeratis, sc. sine contritione, confessione, & satisfactione in voto, seù proposito satisfaciendi ex parte pœnitentis, & absolutione juridica ex parte Ministri, ergò &c. Minor probatur, nam judicialis absolutio essentialiter dicit, & importat accusationem delicti cum proposito exequendi pœnā à Judice infligendam, & ipsam Judicis sententiam, ut suprà dictum est, quatenus autem est signum gratiæ cum Deo reconciliativæ necessariò supponit contritio rem ex parte reconciliandi, sine qua perfecta conciliatio intelligi nequit, ut suprà dicebam; ergò sine omnibus prædictis conceptus hujus Sacramenti essentialis adæquatè salvari nequit, scilicet, sine contritione, confessione, & proposito satisfaciendi, tanquam ma-

teria ex parte pœniteptis,& juridica absolutione,tanquam forma ex parte ministri, ut benè discurrit Amic.lo.c.Confirmatur, quia nihil obstat, quin omnia prædicta dicantur partes essentiales hujus Sacramenti adæquatè accepti, nempè pro aggregato jam explicato, quod est proximum fundamentum significationis Sacramentalis, vel enim obstaret, quia sunt res diversi generis, & non componunt aliquod per se unum, cum non se habeant per modum per se actus, & per se potentiæ; vel quia non omnia importantur æqualiter per concretum Sacramenti, sed unum in recto,& aliud in obliquo; sed primùm non obstat,nam solùm impedit, quin dicantur partes essentiales entis per se metaphysicè,& logicè;at præter hoc esse essentiale, datur etiam alius modus essendi tale, nam omne accidens concurrens cum substantia ad totum accidentale constituendum, dicitur essentiale tali toti,cùm non minus ad illud unum requiratur, quam aliud. Neque secundum obstat, quia non repugnat aliquam esse partem alicujus concreti, quæ tamen per illud non significetur in recto, sed tantùm in obliquo, ut patet de albo, cujus pars intrinseca tam est albedo, quàm subjectum, estò unum importetur in recto, & aliud in obliquo; ergò etiam in proposito nil obstat, quin actus pœnitentis,& absolutio dicantur partes essentiales hujus Sacramenti. Alias objectiones contrà præcedentem doctrinam vide solutas q. cit.a.2.

105 Septimò concludimus q. 11. cit.art.3.nu.328. Sacramentum pœnitentiæ sumptum pro aggregato, quod est proximum fundamentum significationis Sacramentalis,importare in recto absolutionē, in obliquo verò actus pœnitentis. Ità Scot.& Scotistæ passim l.c.4.d.14.qu.4.A.& d.16. qu. 1. E. quod etiam sentire videntur D.Bonav.Alensis,& Riccardus in præsenti,quatenus dicunt, quod considerando pœnitentiam, prout est Sacramentum, supponit pro absolutione, quod evidenter deducitur ex Trid. sess.14.cit.cap.3.dùm ait vim hujus Sacramenti præcipuè in verbis illis formæ sitam esse *Ego te absolvo*, & ex Conc.Colonienſi c.3.dùm inquit, hoc Sacramentum potissimum in absolutione præsbyteri consistere, quæ testimonia clariora esse nequeunt pro nostri asserti probatione, quod hoc Sacramentum principaliter, & in recto absolutionem importet, actus verò pœnitentis in obliquo tantùm,& pro connotato; id enim significatur in recto ab aliquo concreto, quod est principalius in eo; sed ex Conciliis adductis absolutione in hoc Sacramento principalius importatur,quia in eo dicunt præcipuam hujus Sacramenti virtutem sitam esse; ergo &c. Quod verò actus pœnitentis importentur in obliquo probatur,quia ex dictis in Instit.log.cap. 3. importari per modum connotati, & in obliquo, aliud non est, quàm concretum intelligi non posse,nisi ad ejus intellectionem aliud cointelligatur, quod datur intelligi ex modo significandi principalis significati; sed ità se habent actus pœnitentis in Sacramento pœnitentiæ, quia nequit haberi conceptus quidditativus,& quietativus judicii, & sententiæ judicialis sine accusatione, examine, & confessione, judicium enim humanum intrinsecè constat, non solùm ex sententia Judicis, sed ex aliis etiam actibus judicialibus; ergò cùm hoc Sacramentum sit à Christo institutum per modum judicii, connotat, & dat intelligere actus pœnitentis, ideoque cum definitur dicitur esse *absolutio hominis pœnitentis &c.* Tandem, quod nequeat in recto importare utrumque nempè absolutionem, & actus pœnitentis,probatur ex dictis in summulis l.c.quia nullum compositum accidentale potest ex æquo importare utramque partem, scilicet subjectum, & formam, cum non faciant per se unum logicè,& metaphysicè, sed unum importatur in recto,& principaliter significatur, aliud in obliquo, & connotatur; cum igitur aggregatum ex rebus, & verbis in hoc Sacramento sit compositum accidentale, nec dicat per se unum logicè, & metaphysicè, nequit illa ex æquo importare in recto, sed importabit illud in recto,quod principaliter significatur, scilicet, absolutionem, & in obliquo quod connotatur,vel datur intelligi ex modo significandi principalis significati, nempè pœnitentis actus.

106 Sed obiiciunt quidam Thomistæ putantes cum Scoto 4.d.14.q.1.a.1.Sacramentum pœnitentiæ supponere in recto pro actibus pœnitentis connotando in obliquo absolutionem, quia illum importatur in recto ab aliquo concreto, quod ex vi nominis datur intelligi; sed ex vi nominis pœnitentiæ non datur intelligi absolutio, quia absolutio non est pœnitentia, sed solùm pœnitentis actus, nam solus pœnitens dicitur ponere pœnitentiam. Respondemus l.c. nu.329. majorem verificari,quando nomen ad significandum totum impositum, vel ex tota rei essentia,vel saltem ex parte ejus principaliori derivatum est; interdum verò contingit tale nomen desumi ex una parte magis nota, licet principalior non sit,ut constat de baptismo, qui talis à sola absolutione denominatur,quæ est pars magis nota, sed minus principalis,imò quandoq;ex solo effectu desumatur,ut Ordo,qui potius videtur effectus Sacramenti,quàm ipsa actio ordinandi; undè argumentum concludit solùm hoc Sacramentum esse pœnitentiam ratione alicujus suæ partis essentialis, præter quam absolutionem quoque includit, tanquam partem etiam magis principalem, quo pacto etiā Confirmatio dici solet Chrisma ab altera parte,& extrema Unctio à sola materia denominatur. Præterquamquod hoc Sacramentum non tantùm dicitur pœnitentiæ,sed etiam interdum appellatur Sacramentum reconciliationis ab effectu, interdum absolutionis à forma, sic enim appellatur à Trid. sess.14. cit. c. 3. & quandoque etiam appellatur Sacramentum Confessionis à notiori parte materiæ, & ità vulgariter vocatur.

107 Denique ut diximus loc.c.n.332.consequenter ad doctrinam allatam Scotus 4.d.14. qu.4.sub A. hoc Sacramentum definit quod est *absolutio hominis pœnitentis facta certis verbis cum debita intentione prolatis à Sacerdote jurisdictionem habente ex institutione divina efficaciter significantibus absolutionem animæ à peccato*, quæ definitio cæteris exactior censeri debet, quia hujus Sacramenti quidditatem per omnes causas explicat, etenim illa prima particula *absolutio* explicat formam hujus Sacramenti pro aggregato sumpti,& quia in omni Sacramento verba sunt forma, hìc explicatur genus verborum, scilicet absolutorium, illa particula *hominis pœnitentis* materialem explicat causam, quia pœnitentis actus sunt materia hujus Sacramenti modo jam explicato; aliæ duæ particulæ *à Sacerdote jurisdictionem habente ex institutione divina* causam efficientem explicant, tum ministerialem, qui est Sacerdos, tum principalem, qui est Deus; illa particula *significantibus* explicat formale per se hujus Sacramenti, etenim ut sæpè dictum est ex Scoto 4.d.3. q.2.§.*Hìc primò* relatio signi ad signatum est formale per se in quocunque Sacramento; ac tandem illa particula *absolutionem animæ* explicat causam finalem proximam hujus Sacramenti; ergò est definitio data per omnes causas, atque ideò aliis exactior, ut fusius declaramus l.c.Quomodo autem Sacramentum pœnitentiæ sit unum,& qua unitate vide l.c.n. 334.& seq.

ARTICULUS SECUNDUS.

Quæ sit materia Sacramenti Pœnitentiæ.

108 JAm in superioribus dictum est ex Scoto 4.d.3.quæst.2. §.*Hìc primò* duplicem in Sacramentis novæ legis compositionem considerari posse, juxtà quam duplex quoque materia, ac duplex forma in eis assignari potest, quodlibet enim Sacramentum habet compositionem ex relatione signi, & rebus in quibus talis relatio fundatur, & juxtà hanc compositionem, quæ Sacramentalis dicitur, forma est relatio signi, materia verò res, in quibus fundatur. Et quonim res, in qua fundatur relatio illa, plura includit, nimirùm verba, & alia quæ non sunt verba, habet aliam quoque compositionem ex rebus, & verbis; quia; ergò talis compositio etiam in Sacramento pœnitentiæ reperitur, nempè ex verbis absolutionis à Sacerdote prolatis, & ex actibus ipsius pœnitentis, ut constat ex art.præced. videndum est in præsenti quodnam ex illis habeat rationem materiæ,& quodnam rationem formæ. Pro resolutione autem quæsiti supponimus ex dictis disput.5.cit.q.12.a.1.ab initio in Sacramento pœnitentiæ, sicut & in aliis novæ legis Sacramentis,duplicem materiā esse distinguendam, remotā, scilicet, & proximam, materia remota Sacramenti dicitur illa, circà quam versatur materia ipsa proxima, ut in baptismo aqua dicitur materia remota, quia circà illam versatur ablutio, quæ est materia proxima. Rursus materia alia est ex qua, & alia circà quam,prima dicitur quæcunque res concurrens ad constitutionem alterius per modum subjecti, ut lignum respectu arcæ, vel statuæ, & dicitur *ex qua*, quia ex ea, & forma res constat, & componitur. Materia verò, circà quam propriè talis dicitur in ordine ad aliquam potentiā, vel actū,& est quæcunque res,quæ potest esse objectum alicujus potentiæ,vel actus;hoc prænotato.

109 Primò diximus loc. c. actus pœnitentis esse materiam proximam hujus Sacramenti, scilicet contritionem, seù dolorem sumpto generatim hoc nomine, prout etiam attritionem complectitur, confessionem, ac etiam suo modo satisfactionem Ità expresè docēt Florentinum in litteris Eugenii,& Trident. sess.14.c.3.ubi absolutionem vocant formam hujus Sacramenti, actus verò pœnitentis quasi materiam, adhibent autem particulam illam diminuentem *quasi*, quia in aliis Sacramentis materia est aliquod sensibile,& tangibile corpus, seù ejus applicatio, ut aqua,& ablutio, oleum, & unctio, in hoc autem non est talis materia corporea, sed solùm humana locutio, ut explicat Catechismus de Sacramento pœnitentiæ nu.14.Ratio autem deducitur ex jam dictis disp. *de Sacramentis in genere*, ubi loquendo de compositione materiali Sacramentorum ex rebus,& verbis juxtà doctrinam Scoti loco cit.4. d. 3. quæst.2. dicebamus illud; quod

quod est magis significativum, & determinativum esse formam, quod autem est magis determinabile, & minus significativum esse materiam, ac ideò dicebamus communiter in quocumque Sacramento rem esse materiam, quia est magis determinabilis, & minus significativa, verba verò esse formam, quia sunt magis significativa. Cùm igitur ad Sacramentum pœnitentiæ componendum pro materiali, & aggregato concurrant res, & verba, sicut ad alia Sacramenta, & res sint pœnitentis actus, sine quibus forma nihil efficit, nec efficacem habet significationem, sequitur in hoc Sacramento actus pœnitentis meritò dici materiam, & verba absolutionis formam. Dicuntur autem materia proxima, quia proximè ad ea spectant, quæ sunt ad hoc Sacramentum simpliciter necessaria, & sine quibus essentia hujus Sacramenti subsistere nequit, qua ratione dicuntur etiam partes hujus Sacramenti essentiales, ut dictum est art. præced. ac proindè etiam dici debent materia *ex qua* hujus Sacramenti, & non tantùm circà quam, ut dixit Poncius disp. 45. quæst. 1. nam eo ipso, quod Concilia, & Patres actus pœnitentis appellant pœnitentiæ partes, jam explicari nequeunt de materia *circà quàm*, quia hæc nunquam est pars illius, cujus dicitur materia circà quam, sed necessariò intelligi debent de materia *ex qua*, quæ necessariò habet rationem partis.

110 Secundò diximus ibidem num. 339. materiam remotam hujus Sacramenti esse tàtùm peccata actualia post baptismum commissa, vel potiùs materiam remotam hujus Sacramenti esse peccata actualia pœnitentis, quatenus sunt materia circà quam versatur, sicut Medicina circà vulnera. Ità Scotus 4. d. 4. quæst. 5. ad 3. & est communis in omni schola; & probatur, quia materia remota hujus Sacramẽti, quod per modũ judicii emendativi fuit institutum est illa, quæ est materia judicii, sed materia remota judicii sunt crimina delinquentis emendanda; ergo materia remota hujus Sacramenti sunt peccata pœnitentis. Tũ quia illa est materia remota alicujus Sacramenti, circà quam versatur materia ejusdem proxima, ut dictum est ab initio articuli; sed materia proxima hujus Sacramẽti sunt actus pœnitentis ex præcedenti asserto, qui versantur circà peccata tanquam circà materiam destruendam; ergo &c. Deindè quòd sint peccata tantùm actualia post baptismum commissa probatur, quia peccatum originale, & actualia antè baptismum commissa tolluntur per ipsum baptismum, ut ex Trid. deducitur c. 1. & 2. ubi dicitur pœnitentiæ Sacramentum institutum esse ad reconciliandos fideles post baptismum lapsos; & ratio est, quia Judicis sententia non potest validè ferri, nisi in eos, & circà ea, quæ jurisdictionem habet; at Sacerdos jurisdictionem habet tantùm in eos, qui in Ecclesia per januam Baptismi sunt ingressi, ac proindè in ea tantùm peccata post talem ingressum commissa; peccatum autem originale, aut etiam actuale antè baptismum commissum non subiicitur jurisdictioni, aut judicio Ecclesiæ, cum homo, dum ea commisit, non esset subditus Ecclesiæ, & Ecclesia non judicet de illis, qui non sunt subditi juxtà illud 1. Corinth. 5. *Quid mihi de iis, qui foris sunt?* Tandem, quod hujusmodi peccata post baptismum commissa melius dicantur materia circà quam, quàm remota materia ex qua, patet, quia materia quoque remota est pars constitutiva ejus, cujus est materia, ut patet in omni composito naturali, & artificiali, ac etiam in aliis Sacramentis, ut constat de aqua in Sacramento Baptismi, & oleo benedicto in extrema Unctione; at peccata nunquam hoc Sacramentum constituunt, & ideò non rectè ejus materia appellantur ejus remota, si per hanc intelligatur materia ex qua, sed tantùm quatenus sunt materia circà quam versatur hoc Sacramentum, sicut medicina circà vulnera, ut etiam Brancatus notavit disp. 17. art. 2. & Coninch. disp. 4. dub. 3.

111 Tertiò diximus ibid. n. 340. omnia peccata actualia post baptismum commissa esse hujus Sacramenti materiam cũ hoc discrimine, quod mortalia sunt materia necessaria, venialia verò tantùm sufficiens. Hæc est communis assertio, & Scoti 4. d. 17. q. un. in fine, & habetur ex Conc. Trid. sess. 14. cap. 5. ubi dicit peccata venialia in confessione omitti posse absque peccato, nõ autem mortalia, & ratio est, quia Sacramentum hoc est necessarium post naufragium, hac enim ratione dicitur à Patribus secũda tabula post naufragium; sed sic est, quod sola peccata mortalia naufragium inducunt, non autem venialia, quia cum gratia sanctificãte sunt compatibilia; ergo sola mortalia sunt hujus Sacramenti materia necessaria, non verò venialia, sed tantùm sufficiens, & hoc etiam verum est de mortalibus per contritionem remissis, adhuc enim subiici debent absolutioni Sacramentali, & ideò non nisi in voto Sacramenti dicuntur remitti. Dices, quando Christus dedit Sacerdotibus potestatem absolvendi peccata verbis illis: *Quorum remiseritis peccata, &c.* vel inclusit venialia, vel non; si non; ergo non dedit eis potestatem ab eis absolvendi, atque ideò non erunt apta confessionis materia, si inclusit; ergo sicut propterea fideles obligavit ad confitenda mortalia, & dedit potestatem Sacerdotibus ea retinendi, ità etiam de venialibus. Respondetur cum Aversa quæst. 10. sect. 2. Christum in potestate remittendi peccata, quam contulit Sacerdotibus, inclusisse utique etiam venialia, sed non ob id fideles obligasse ad eorum confessionem, & verba Christi in sensu distributivo, & accommodo accipi debere pro hoc duplici peccatorum genere, ut illa peccata, quorum remissio est necessaria, cadant sub materia debita & necessaria, alia verò, quorum remissio non est necessaria, cadant sub materia libera. Insuper potestas remittendi peccata Sacerdotibus data potest quoque super venialia cadere, quatenus potest Sacerdos denegare eorum absolutionẽ homini non ritè dispositio, sine qua absolutione adhuc homo salvari poterit, si non habeat peccatum mortale adjunctum, quod est cum gratia incompossibile, & aliis etiam modis remissionem eorundem venialium obtinere poterit præter Confessionem Sacramentalem, ut supra dictum est quæst. præced. art. 1. de venialium remissione. Tandem quando dicimus peccata mortalia esse materiam necessariam hujus Sacramenti, hoc intelligendum est etiam de peccatis mortalibus dubiis, quæ ut dubia sunt confitenda, ut omnes docent.

112 Quartò est difficultas, an peccata validè confessa, & remissa possint esse materia novæ confessionis Sacramentalis, & difficultas est de materia sufficienti, non verò necessaria, omnes siquidem fatentur non esse materiam necessariam, cum semel sint dimissa per hoc Sacramentum. Negarunt aliqui Nominales, quorum fundamentum est, quod nihil amplius circa talia peccata jam remissa, & confessa possit absolutio operari; nec verificaretur tunc forma absolutionis, quia peccata jam semel absoluta rursus absolvi non possunt, siquidem nullus solvi potest, nisi ligatus; ergo non esset absolutionis capax talis pœnitens, quia non esset ligatus, alioquin hoc Sacramentum etiam innocenti posset impendi, qui nunquam peccavit. Ità Gabriel 4. d. 17. q. 1. art. 3. dub. 2. Rubion d. 15. q. 2. & quidam alii. Nos tamen diximus q. 12. cit. num. 342. cum communi sententia licitum esse de eisdem peccatis validè confessis, & absolutis novam petere absolutionem Sacramentalem, & consequenter posse eadem peccata jam remissa esse materiam sufficientem iteratæ confessionis Sacramentalis. Ità expressè Scotus 4. dist. 19. quæst. 2. in fine in solutione primi principalis, ubi concedit validè, & licitè idem peccatum jam remissum iterum subdi clavibus. Et probatur ex extravag. 1. Benedicti XI. de Privil. ubi ait, quod *licet de necessitate non sit iterum eadem confiteri peccata, tamen quia propter erubescentiam, quæ magna est pœnitentiæ pars, ut eorundem peccatorum iteretur confessio, reputamus salubre.* Idem deducitur ex can. *Quem pœnitet* de Pœnitentia d. 1. ubi sic legitur *Undè patet, quo quantò pluribus confitebitur sub spe veniæ turpitudinem criminis, tantò facilius consequetur misericordiam remissionis*, & tandem colligitur ex communi praxi, & usu piorum hominum, qui sæpè generales confessiones de suis peccatis aliàs confessis facere solent, etiamsi nullum dubium habeant, quod priores confessiones fuerint validæ, nec alia peccata nova offerant, sed solùm peccata anteà confessa. Hoc etiam constat ex multis Regulis, & Constitutionibus plurium Religionum, & Ordinum, qui piè, ac sanctè alumnos suos ad generales Confessiones faciendas obligant.

113 Ad fundamentum in oppositum negatur assumptum, falsum enim est peccata semel remissa non esse amplius capacia novæ Sacramentalis absolutionis, saltem novo titulo, alioquin neque peccata contritione remissa essent Sacramentalis absolutionis capacia; quòd optimè declarat Card. de Lugo dis. 13. nu. 17. nam sicut qui semel se obligavit alicui ad aliquid præstandum, potest iterum se ei obligare ad idem; & qui semel vovet, potest iterum vovere, & sæpius idem objectum promittere: sic qui remisit debitum, potest iterum idem remittere, nam remittere in rigore est obligare se per cessionem juris ad non utendum jure acquisito jure offensæ in ordine ad talem, vel talem effectum; quarè sicut possumus per obligationem repetitam dare idem jus, seù jus ad idem alicui, ità per remissionem repetitam possumus renunciare eidem juri in favorem alicujus. Ex quo etiam patet, quod licet qui nunquam ligatus fuit, non sit solutionis capax qualis est innocens, tamen qui semel ligatus fuit, & absolutus, potest iterum aliquo novo titulo absolvi per cessionem juris, quod aliquando habuimus. Falsum est rursus, quod tunc non verificaretur forma absolutionis, nam constat ex usu hominum, quod eandem offensam sæpius remittere solent sæpius cedendo juri quod aliquando habuerunt, nec tamen putant se mentiri, quando secunda vice remittunt. Alias objectiones ad idem vide solutas loc. cit.

114 Quintò est ulterius difficultas, an sufficiat ad novum Sacramentum conficiendum novam tantùm addere confessionẽm eorundem peccatorum jam confessorum absque novo dolore informatam, nùm potius requiratur prætereà novus dolor

de

de eisdem peccatis, quæ iterata confessione subiiciuntur clavibus. Primum affirmant aliqui apud Dian.tr.4. de Sacram.resolut.116 ac etiam Faber noster loc.cit. ubi inquit,quod cum quis semel confessus est peccatum, & manet in eadem dispositione, ut attritionis, vel contritionis, est sufficienter dispositus ad secundam absolutionem absque nova dispositione, vel dolore, sicut fuit ad suscipiendum primam absolutionem, atque ideò concludit hanc novam dispositionem non esse necessariam.Cæterum,ut diximus qu.12.cit.nu.344.longè probabilior est opinio opposita asserens non sufficere ad novum Sacramentum conficiendum novam tantùm addere confessionem eorundem peccatorum jam confessorum, sed requiri prætereà novum dolorem de eisdem peccatis, quæ iterata confessione subiiciuntur clavibus. Ità Navarrus, Suarez, Vasquez, Coninch. Amicus, Aversa, & alii, quos citat, & sequitur Bonac.disp.5.quæst.3. punct.1. in fine, ubi ait eadem peccata posse inservire pro materia remota plurium Sacramentorum Pœnitentiæ, modò adsit distincta materia proxima, hoc est, distinctus dolor, & distincta confessio. Ratio est, quia ad novum Sacramentum conficiendum requiritur nova saltem materia proxima à priori distincta; sed eadem peccata nova tantùm confessione subjecta clavibus sine novo dolore non est nova materia sufficiens ad novum Sacramentum constituendum; major patet ex suprà dictis; minor probatur, quia quando confessio dicitur materia proxima, & pars essentialis integrans Sacramentum pœnitentiæ, non intelligitur de confessione nuda, & absolutè sumpta, sed dolore informata, quæ sit cum peccatorum detestatione,ut constat ex superius dictis. Nec respondere juvat cum Fabro loc. cit. sufficere ad hoc, ut novo tantùm actu prior dolor applicetur super eadem peccata de novo confessa, sic enim intelligitur secunda confessio priori dolore informata. Falsum enim est id sufficere, nam omninò requiritur, ut novus eliciatur doloris actus à priori distinctus, ratio est, quia novus ille tantùm actus voluntatis prioris doloris applicativus super eadem peccata de novo confessa non præbet materiam novam proximam, quam diximus requiri ad novum Sacramentum constituendum; nam talis novus actus est tantùm conditio applicans priorem dolorem, non autem intrinsecè Sacramentum constituens; ergò non potest præbere novam materiam proximam novi Sacramenti constitutivam cum nova absolutione Sacramentali.

115 Denique concluſimus qu. cit. num. 345. iteratam Confessionem Sacramentalem eorundem peccatorum jam remissorum novo dolore informatam non tantùm esse validum Sacramentum, sed etiam fructuosum, & salubre. Ità Scotus loc. cit. ubi concedit validè, & licitè idem peccatum jam dimissum iterum subiici clavibus, ac etiam fructuosè, & apertè deducitur ex Extravag.jam citata Benedicti XI. ubi ait, *Ut eorundem peccatorum iteretur confessio, reputamus salubre*, & solidè probatur cum Amico loc.cit. quia non solùm licitè, sed etiam cum fructu repetimus super eadem peccata semel contrita novam, & novam contritionem extrà Sacramentum; ergò etiam licitè, & cum fructu possumus super eadem peccata semel confessa novam, & novam Sacramentalem iterare confessionem. Consequentia probatur, quia Sacramentum Confessionis in lege Evangelica succedit præcepto contritionis, illudque facilitat, & adjuvat, ut quod non potest imperfecta contritio extrà Sacramentum assequi, assequatur cum Sacramento,ergò sicut nondum instituto Confessionis Sacramento, poterant peccatores contritionis actus super eadem peccata cum fructu iterare, & replicare; ità instituto Confessionis Sacramento, non tantùm validè, & licitè, sed etiam cum fructu possimus super peccata illud iterare modo jam explicato, alioquin in Evangelica lege minus efficax, & fructuosum esset Sacramentum quàm fuerit in veteri contritionis præceptum.

Confirmatur, quia potest peccatum contritione remissum cum Sacramentali absolutione verum constituere Sacramentum, non modò validum quoad essentiam, sed etiam efficax,& fructuosum quoad effectum; ergò pariter poterit peccatū priori confessione, & absolutione remissum cum iterata confessione, & absolutione validum constituere Sacramentum, & non modò validum quoad essentiam, sed etiam efficax, & fructuosum quoad effectum; assumptum conceditur communiter ab omnibus; consequentia probatur; tùm quia non minus contritus, quàm secundò confitens accedit cum peccatis jam deletis, & remissis, ac proindè sine materia absolvenda; tùm quia non minus in uno, quàm in alio verba formæ verificari debent; igitur si hoc non obstat in uno, neque obstabit in alio.

116 Respondet Faber disput.21.cit.cap.2. in fine non esse parem rationem de eo, cui dimissum est peccatum per contritionem, antequam obtineret absolutionem Sacramentalem, & de eo, cui dimissum est peccatum per absolutionem Sacramentalem, quia in primo casu nondum obtinuit totum beneficium, quod per Sacramentum sibi obvenire poterat, ideò per absolutionem Sacramentalem obtinet totum illud, quod justè sibi obvenit; at in secundo casu pœnitens obtinuit jam totum beneficium, quod sibi existentia in illa dispositione obveniebat ex justitia, ideò stante eadem dispositione per vim clavium nihil amplius sibi debetur, ideò per secundam sententiam, & absolutionem nihil novi beneficii accipere potest.Sed hæc solutio,ut diximus ibidē n.346. procedit ex ea suppositione, quod in iteratione Confessionis eadem sit dispositio ex parte pœnitentis, nec ullus novus dolor elicitus de peccatis jam commissis,& remissis; qua data suppositione gratis utique concedimus secundam absolutionem non solùm futuram inefficacem,& infructuosam quoad effectum, scilicet, gratiæ augmentum, sed etiam invalidam quoad essentiam Sacramenti, quia ut suprà dictum est, ut secunda absolutio sit verum Sacramentum, non solùm requiritur nova confessio eorundem peccatorum, sed etiam novus dolor de eisdem peccatis, quo dato casu etiam Faber ipse concedit secundam absolutionem non solùm futuram validam quoad essentiam, sed etiam fructuosam quoad effectum, scilicet, gratiæ augmentum. Ex his itaque constat, quomodo de mente Doctoris sustineri potest iteratam confessionem eorundem peccatorum novo dolore informatam non solùm esse validam, sed etiā fructuosam, non tantùm quoad primum effectum, nimirum gratiæ augmentum, sed etiam quoad secundum, scilicet, dimissionis pœnæ temporalis, quæ solvenda remanserat post primam confessionem, ut l.c .declaramus.

ARTICULUS TERTIUS.

Quæ sit forma Sacramenti Pœnitentiæ.

117 CONveniunt Doctores, & est communis Catholicorum sensus in Ecclesia Dei extare postremo absolvendi à peccatis tam quoad culpam, quàm quoad pœnam, ut expressum est in Conc. Trid. sess. 6. c. 14. ubi docetur per Sacramentum pœnitentiæ, vel per ejus votum pœnam æternam unà cum culpa remitti. Certum item est ad formam hujus Sacramenti necessariò aliqua verba requiri juxtà definitionem Concilii Floretini in decreto Eugenii generatim statuentis Sacramenta novæ legis verbis constare, tanquam forma, quod posteà loquens specialiter de hoc Sacramento inquit, ejus formam esse verba absolutionis; quæ Sacerdos profert, cùm dicit *Ego te absolvo*,&c. quo etiam modo loquitur Trid. sess.14.cap.3.ubi inquit *formam hujus Sacramenti sitam esse in illis Ministri verbis*, &c.quod etiam antea docuit Scotus 4.d.14. q.4.A.& d.16.q.1.E. ubi ait pœnitentiæ Sacramentum constare forma, quæ aliud non est, quàm absolutio facta certis, seù determinatis verbis significantibus absolutionem animæ à peccato. Verùm quia circa hoc plures insurgunt difficultates, opus est eas breviter explicare juxtà dicta q.12.cit.a.2.

118 Primò itaque dubitatur, an ad formam hujus Sacramenti requirantur essentialiter verba propriè dicta, seù an absolutio Sacramentalis necessariò certis verbis sit proferenda. Non defuerunt dicentes ad valorem hujus Sacramenti opus nō esse, ut absolutio verbis proferatnr, & vocaliter, sed sufficere alio signo, scilicet, scripto, vel nutu judicari; quorum fundamentum est, quia Sacramentum hoc institutum est per modum judicii; ergò id, quod sufficit in rigore ad valorem sententiæ in aliis judiciis; sufficit etiam in hoc; sed sententia judicialis potest, & solet à Judice etiam scripto proferri, ergò sic etiam pariter Sacramentalis absolutio; sicut à pari eo quia Sacramentum Matrimonii sequitur naturam humani contractus; ideò potest etiam scripto, aut nutu, & per Procuratorem perfici, quamvis alioquin in aliis Sacramentis omninò debeat forma voce proferri. Ità Paludanus, Adrianus, Medina, Soto, Navarrus, & alii apud Suarez disp.19.sec. 1. Vera tamen, & communis sententia docet, ut diximus l.c.n.352.in hoc Sacramēto absolutionis formā proferri debere certis verbis voce formatis, & pronunciatis, & hoc nō solùm ex obligatione præcepti, sed etiā ex necessitate voloris. Ità præsertim Scotus noster l.c.& clarè deducitur ex Florent. incit. universaliter docente omnia novæ legis Sacramenta perfici verbis tanquam forma; & quamvis posteà loquens de Matrimonio dicat, regulariter perfici verbis, indicans posse interdum sine illis fieri, hæc ipsa exceptio, ut Lugus advertit disp. 13.sec.1.firmat regulam in contrarium, cùm de aliis Sacramentis nihil tale dicatur. Imò idem Concilium de hoc Sacramento pœnitentiæ specialiter loquēs expresse ait, quod *forma hujus Sacramenti sunt verba absolutionis, quæ Sacerdos profert, cùm dicit*, &c. ubi ly *verba* & *profert* necessitatem verborum expresse indicant in hac forma. Specialiter etiam de hoc Sacramento Tridentin. sess. 14. c.3. dixit ejus formam in Ministri verbis consistere. Ratio autem potissima sumenda est ex institutione Christi, quam traditio, & cō suetudo Ecclesiæ perpetua manifestavit; ōninò ergò necesse

ceſſe eſt, ut Sacerdos voce ſua explicitè proferat verbum proprium hujus Sacramentalis abſolutionis expreſſivum, & communem hanc regulam Pœnitentia cum aliis Sacramentis participat ex eodem Eccleſiæ uſu, & communi Theologorum intelligentia, & ſolùm exceptio fit juxtà mentem Eccleſiæ de Sacramento Matrimonii, ut patet ex Flor.cit. quod ſolùm de Matrimonio hanc generalem Sacramentorum regulam limitavit.

119 Ad fundamentum oppoſitæ ſententiæ jam loc.cit.n.354. negavimus judicium Sacramentale quoad omnia judicio publico ſubordinari debere, quamvis enim abſolutio ſit ſententia quædam judicialis, non ob id debet in omnibus normam humani judicii imitari; in illo enim nequit idem ſimul eſſe teſtis, & reus, in hoc autem niſi idem ſit teſtis, & reus, Sacramentum non eſt validum; illud poteſt eſſe coactum, hoc non niſi voluntarium; in hoc Judex reum confitentem abſolvit, non damnat, in illo é contrà; ſicut ergo in his conditionibus judicium Sacramentale non ſequitur naturam judicii publici, ita neque in illis, de quibus argumentum urget, nam illud fieri poteſt verbo, aut ſcripto, imò regulariter ſcripto perficitur, non voce, hoc verò non niſi verbo, & voce; & ratio à priori eſt, quia judicium publicum ad externum Reipublicæ bonum ordinatur, ad quod ſufficit externa delicti emendatio, aut judicium Sacramentale ordinatur ad internam animi ſalutem, quæ liberam poſtulat retractationem, & Confeſſionem peccatorum. Nec valet inſtantia de Matrimonio, quod ſine verbis contrahi poteſt per ſola ſigna æquivalentia conſenſum mutuum exprimentia; nam Matrimonium in aliis etiam pluribus conditionibus Sacramentorum aliorum inſtitutum non ſervat, ut ſuo loco viſum eſt, cujus diſparitatis variæ congruentiæ aſſignari ſolent, ſed pro adæquata ratione diſcriminis ad ſolam Chriſti voluntatem, & inſtitutionem recurrendum eſt, ut diximus loc.cit.

20 Secundò dubitatur, quænam ſint eſſentialia verba in conſueta forma Sacramenti pœnitentiæ. Circà quod plures ſunt dicendi modi, quorum præcipuus docet omnia, & ſola illa verba *Abſolvo te à peccatis*, ad eſſentiam formæ hujus Sacramenti pertinere. Fundamentum eſt, quoniam illa indicant Florent. & Trid. dùm poſt illa verba *Ego te abſolvo*, addunt, *& cætera*. Deindè quia verba hęc *abſolvo te*, ſine aliis ſunt ex ſe indifferentia ad ſignificandam abſolutionem à cenſura, vel abſolutionem à peccatis; ut igitur determinatè hanc ſignificent, determinanda ſunt per particulam *à peccatis*. Vera tamen, & communis ſententia, ut diximus loc.cit.num.355. docet ſola illa duo verba *abſolvo te* eſſentialem formam hujus Sacramenti conſtituere, & ad ejus valorem ſufficere, ac neceſſariam eſſe; & ita præſertim docuit Scot.diſt.14.cit.quæſt. *Ex hoc patet*, ubi dicit, quod communiter iſta verba ſunt apta *Ego te abſolvo*, quæcumque alia præmittantur, vel conſequantur ſecundùm diverſam cõſuetudinem in diverſis Eccleſiis. Nec apponit particulam *Ego* tanquam neceſſariam, quia præter verbum *abſolvo* non eſt neceſſarium ad valorem Sacramenti pronomen *Ego*, cùm per ſe includatur in ipſo verbo ut patet. Nec etiam neceſſe eſt addere à peccatis, nemo enim eſt, qui audiat Sacerdotem illa verba proferentem ſuper peccatorem peccata ſua confitentem, qui eo ipſo non intelligat Sacerdotem ſignificare illis verbis, quod abſolvat pœnitentem à peccatis, quæ confeſſus eſt. Ratio eſt, quoniam ea tantùm verba eſſentialem formam hujus Sacramenti conſtituunt, quæ cum adjunctis circumſtantiis exprimunt principalem effectum Sacramenti; talia autem ſunt illa duo verba *abſolvo te* in forma Sacramenti pœnitentiæ; ergò hæc tantùm ſunt de eſſentia formæ. Major patet, quia illa tantùm verba ſufficiunt, quæ ſufficienter ex natura ſua ſignificant peccatorem abſolvi à peccatis per Sacerdotem. Minor verò probatur, quia verba illa *abſolvo te* licet indifferentia ſint ad ſignificandam abſolutionem tam à cenſura, quàm à peccatis, prolata tamen ſuper pœnitentem, qui ſua peccata confeſſus eſt Sacerdoti, determinatur ad ſignificandam abſolutionem à peccatis, qui eſt principalis hujus Sacramenti effectus. Ad fundamentum prioris ſententiæ negatur conſequentia, alioquin ſequeretur etiam, quod addi deberet *in nomine Patris, &c.* quod etiam auctores illius ſententiæ negant, non enim magis particula *& cætera* referri debet ad *à peccatis*, quàm ad *in nomine Patris*, itaque Concilia illa addunt particulam, *& cætera*, non quia indicare voluerint, alia etiam verba ſequentia ad eſſentiam formæ hujus Sacramenti ſpectare, ac eſſe eſſentialia, ſed ſolùm integralia, quæ ex conſuetudine, & præcepto Eccleſiæ adduntur eſſentialibus, vel ut indicarent ſe non definire, an alia verba eſſentialiter requirantur, ſed hoc relinquere Theologis diſputandum. Ad Confirmationem patet ex dictis quomodo verba illa *abſolvo te* ſuper pœnitentem prolata qui Sacerdoti peccata ſua confeſſus eſt, determinantur ex tali circumſtantia ad ſignificandam abſolutionem à peccatis.

121 Tertiò dubitatur, an hoc ipſum verbum *abſolvendi* ſit ſimpliciter neceſſarium ad ſubſtantiam hujus Sacramenti, & valorem formæ, an potius ad valorem ejus etiam aliquod aliud verbum æquivalens ſufficere poſſit. Et quidem communis etiam eſt opinio poſſe validè dari per verba æquivalentia, ut diximus l.c. n. 357. ac præſertim ſufficere verbum remittendi dicendo *Remitto tibi peccata tua*, quia Chriſtus Dominus ſub hoc ipſo verbo dixit *Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis* ſimiliter verbum dimittendi, condonandi, indulgendi, parcendi, liberandi, quæ etiam habent vim ſententiæ judicialis. Ità Averſa q.12. ſect.2. cum aliis Recentioribus, quod etiam anteà docuerat Scot.diſt.14.cit.q.4. lit. C. ubi inquit; ex hoc patet ratio, quare non eſt neceſſe in iſto Sacramento eſſe iſta præciſa verba, ſcilicet, *Ego te abſolvo*, ſicut in Baptiſmo, vel Euchariſtia, quia ſufficit, quod exprimatur actus ſententiæ abſolutionis, ſicut in Judicio publico non oportet eſſe limitata verba; talis autem Judicialis actus ſufficienter exprimitur per allata verba ſynonyma æquivalentia, nam verba requiſita ad quodlibet Sacramentum ea debent eſſe, quæ ſignificent illam actionem, quam ſignificant verba Chriſti, & illum effectum, quem cauſant ex opere operato; ſed verba ſynonyma cum illis *abſolvo te* habent totum hoc; ergo &c. Idem etiam dicendum de pronomine *Te*, ſufficere, enim ad valorem Sacramenti idem exprimere aliquo modo æquivalenti, utpotè in tertia perſona, vel ſub nomine proprio pœnitentis *Abſolvo hunc hominem, abſolvo, Petrum* ut notat etiã Averſa l. c. aut ſi honoris gratia Sacerdos diceret *Abſolvo Dominationem tuam, Excellentiam tuam*, & ſic ſub aliis titulis conſuetis, vel indicando perſonam in particulis ſequentibus, ut *abſolvo à peccatis tuis*, vel *remitto peccata tua*, quamvis enim eſſet imperfectus loquendi modus, quia dici deberet, abſolvo te à peccatis tuis, remitto tibi peccata tua; tamen adhuc haberet ſenſum integrum, ſat determinatum, quantum ſufficeret; culpabile tamen eſſet in hac re immutare ritum Eccleſiæ. Ex qua doctrina, quæ eſt communis in omni ſchola, concluditur, quod quibuſcunque verbis proferatur forma abſolutionis, ſufficiens eſt ad valorem Sacramenti, quoties per illa verba ſufficienter ſignificatur actus Judicis proferentis ſententiam deciſivam abſolutionis peccatorum.

122 Quartò dubitatur, an forma Sacramenti pœnitentiæ ſit valida, ſi proferatur deprecatoriè, num potius proferri debeat indicativo modo ad hoc, ut ſit valida. Quidam antiquiores dixerunt non rectè dari abſolutionem ſub forma, & modo indicativo *Abſolvo te*, ſed potius dari debere per modum deprecativum, ſeù per modum orationis, v.g. dicendo *abſolvat te Deus*, ſicut nempè in Sacramento extremæ Unctionis forma profertur per modum deprecationis: *Indulgeat tibi Dominus* &c. quia ille modus loquendi ſub verbo indicativo denotat veluti auctoritatem cauſæ principalis peccata remittentis, ſed ſub modo deprecativo denotaret miniſterium cauſæ inſtrumentalis, certè autem Sacerdos nõ eſt auctor principalis peccata remittens, ſed eſt tantùm Miniſter, ac veluti inſtrumentum, cui modo dicendi aliqui etiam Patres favere videntur, & decretâ Juris, dùm abſolutionem à Sacerdote datam vocant orationem, & ſupplicationem. Vera tamen, & communis ſententia, ut diximus q.12.cit. a.3. n.359. docet formam abſolutionis modo deprecativo prolatam non ſufficere ad valorem, & eſſentiam hujus Sacramẽti, ut ſi dicatur *Abſolvat te Deus*. Ità colligitur ex Scoto loc. cit. & ratio eſt, quia non remanet idem ſenſus in verbo deprecativo *abſolvat*, & in verbo indicativo *abſolvo*, nam per verbum *abſolvo* oſtenditur id quod fit, per verbum verò deprecativum oſtenditur affectus, & deſiderium illius, quod fieri optatur

Confirmatur, quia hoc Sacramentum inſtitutum eſt per modum judicii ex Trident. ſeſſ.14.c.2. & 5. ſententia autem Judicis deciſiva tradi nequit modo deprecativo, ſed profertur modo indicativo, & non eſſet ſententia, ſi modo tantùm optativo proferatur. Demum id colligitur ex ipſis Chriſti verbis, non enim dixit: *Peccata illorum pro quibus oraveritis, remittentur eis*, ſed ſimpliciter, & abſolutè dixit *Quorum remiſeritis peccata remittuntur eis*, undè ſi quis pœnitentem abſolveret dicendo: *Abſolvat te Deus*, nihil efficeret. Ex quo ſolvitur fundamentum in oppoſitum, diverſa namque eſt ratio de Sacramento extremæ Unctionis, & pœnitentiæ, hoc enim inſtitutum fuit per modum judicii, non autem orationis, vel deprecationis, quare meritò Sacerdos juxtà eandem normam à Chriſto traditam dicit modo indicativo *Abſolvo te*; at forma extremæ Unctionis inſtituta eſt per modum ſubſidii, & orationis, ut deducitur ex Epiſt. Jacobi c.5. Infirmatur quis in vobis? inducat Presbyteros Eccleſiæ, & orent ſuper eum ungentes eum oleo in nomine Domini, &c. Nec ille modus indicativus in Sacramento pœnitentiæ per ſe denotat auctoritatem cauſæ principalis, ſed potius communis eſt & indifferens etiam ad Miniſtrum, nam Judex etiam non ſupremus, ſed Miniſter, aut delegatus Principis dicit quoque in cauſis decidendis, ego judico, abſolvo, condemno, quare

etiam

etiam in hoc locutionis modo indicativo optimè intelligitur Sacerdos totum facere auctoritate Christi Domini juxta verba, quæ formæ absolutionis præmitti solent. Quando denique Patres interdum absolutionem vocant orationem, & deprecationem, hoc dicunt ob alia verba deprecatoria, quæ in hoc ministerio adjungi solent, ut exponit D. Thomas q. 84. a. 3. ad 2.

123 Quintò dubitatur, an absolutionis forma sub conditione prolata sit valida. Communis sententia docet, ut diximus l. c. n. 362. quod absolutio data sub conditione de præterito, vel de præsenti valida est, non verò quæ profertur sub conditione de futuro. Ratio prioris partis est, quia illa conditio de præterito, vel de præsenti non suspendit actum, & ex multis causis potest dubitare Sacerdos, an ritè absolverit pœnitentem, ac proindè potest ità absolvere, si non es absolutus ego te absolvo. Ratio posterioris patris est eadem, quia conditio de futuro suspendit actum, illa enim verba, absolvo te si cras restitues, vel eleemosynam dederis, reddunt hunc sensum, verba quidem absolutionis nunc profero, sed effectum illorum conferre nolo usque ad illud tempus, quo reipsa restitues, vel eleemosynam dabis; quod quidem non est in potestate Ministri, quia hoc Sacramentum est agens necessarium, ac proindè in eo instanti, in quo est, producit effectum suum in suscipiente rectè disposito, neque est in potestate Ministri talem effectum suspendere. Ita rem explicant Aversa, Caspensis, Bonacina, Ledesma, Ilambertus, Gammachæus, Abell. & alii Recentiores passim.

124 Verùm hæc communis sententia plures, & graves patitur difficultates, ut ostendimus loc. cit. nisi melius explicetur, ac proindè subdimus ibidem n. 363. rem sic esse explicandam, quod conditio, vel est de re necessariò connexa cum actu Ministri, vel cum ipso pœnitente, v. g. si ego sum vivus, si sum Sacerdos, &c. quæ subintelliguntur, etiamsi non proferantur; sic ex parte pœnitentis, si es attritus, si es integrè confessus, quæ etiam ex parte ipsius supponuntur; Vel conditio est de re contingenti, & hæc vel præterita, vel futura, vel præsenti; & tunc dicendum est, quod nulla conditio sequens naturam actus, sivè sit præsens, sivè præterita impedit valorem absolutionis, nam talis conditio non destruit actum illum, nec ejus significatum mutat, & etiamsi non apponeretur, adhuc ut appositа subintelligeretur v. g. hæc conditio, te absolvo, si es capax, vel rationis compos, vel si habeo potestatem absolvendi, & similes, nam conditiones hujusmodi supponuntur ad hoc, ut absolutio sit valida, undè quando etiam explicitè, & verbaliter apponerentur, valorem formæ non destruunt vel impediunt. Deindè dicendum est conditionē de præsenti, vel præterito contingenti, & incerto reddere invalidam absolutionis formam, quia talis conditio reddit formam dubiā, cùm neque Minister, neque suscipiens sint certi de adimpletione talis conditionis, ut v. g. si Princeps dormit, vel nocte præterita dormivit, Ego te absolvo, talis conditio reddit invalidam absolutionis formam, reddit enim signum Sacramentale incertum, & indeterminatum, siquidem neque Ministro, neque suscipienti certa est illius conditionis adimpletio. Tandem dicendum est formam absolutionis prolatam cum conditione de re possibili, vel futura contingenti non esse validam ob eandem rationem, quia forma valida est signum certum effectus Sacramentalis, talis autem non est forma sub illa conditione prolata, nam propositio conditionalis non facit certitudinem, nisi adimpleta conditione, sed si conditio est futura, non est impleta, quando forma profertur, atque ideò tunc non est certum signum. Nec dici potest, tunc formam esse validam, quando adimpletur conditio, quia tunc verba non adsunt, neque aliæ compartes; ergo neque validitas; tùm quia pœnitens posset mori, antequam conditio adimpleatur, vel Ministri intentio retractatur. Rationes verò dubitandi oppositum vide solutas l. c.

125 Sextò tandem dubitatur, an absolutio possit conferri absenti, qui per scripta, vel nuncios confiteretur, vel saltem an confessus Sacerdoti præsenti possit ab eodem absente per litteras absolvi. Non defuerunt plures, & graves Auctores, qui opinati sunt validè, & ex justa causa etiam licitè dari posse absolutionem inter absentes, nempè per epistolam, vel internuncium, vel propria voce absolvendo absentem. Fundamentum est, quia hoc Sacramentū in forma judicii exercendum est ex Trid. sess. 14. can. 9. sed natura judicii non postulat præsentiam judicandi, cùm possit judicari, & absolvi etiā absens, ut constat de excommunicato. Sed quamvis sic aliquando opinari licuerit, tamen ut diximus l. c. n. 366. post interpositā Sedis Apostolicæ declarationem, ac jussionē, certum jam est non posse absolutionē inter absentes dari nec licitè, nec validè, itaut semper invalidum sit Sacramentum pœnitentiæ collatum absenti, sivè pœnitens confessus fuerit præsens, sivè absens; ità declaravit Clemens VIII. in Bulla super hoc edita anno Domini 1602. die 19. Julii, ubi ut falsa, temeraria, & scandalosa damnatur hæc propositio, *litteræ per litteras, sivè per internuncium Confessario absenti peccata Sacramentaliter confiteri, & ab eodem absente absolutionem obtinere*, prohibeturque sub pœna excommunicationis ipso facto incurrendæ soli Papæ reservatæ *Ne illa publicè, vel privatim doceatur, neque unquam, tanquam aliquo casu probabilis defendatur, aut ad praxim quovis modo deducatur*; quibus verbis innuitur, & ita ab omnibus intelligitur, interdictam esse absolutionem in absentia, non solùm in usu ordinario, sed etiam in casu extremæ necessitatis; & ità non solùm prohiberi, ut illicitam, sed damnari quoque ut invalidam. Et quidem hoc ipsum deducitur ex ipsa propria hujus Sacramenti forma *absolvo te*, quæ præsentem personam demonstrat; hic enim loquendi modus propriè ad personam præsentem dirigitur; & quamvis scribens per epistolam eodem modo alloquatur absentem, non tamen voce, sed scripto, jam autem suprà diffic. 1. statutum est absolutionem dari debere voce, & non scripto. Hoc idem ex Trid. deducitur sess. 14. c. 2. ubi loquens de hujus Sacramenti institutione à Christo facta inquit, *antè hoc tribunal tanquam reos sisti voluit, ut per Sacerdotum sententiam ab admissis peccatis possent liberari*, quo loquendi modo expresè Concilium significat debere pœnitentiam constitui personaliter antè ipsum Sacerdotem, ut ab eo absolutionem recipiat. Deindè hoc etiam probatur evidenti ratione, quia Sacerdos absens nequit sufficienter statum rei cognoscere per litteras, qui variari potest, & peccare post eas scriptas; ergo nec licitè, nec validè potest ab ipso absolvi in tali absentia. Tandem hoc idem probat etiam Scotus 4. dist. 17. qu. un. in solutione principalium propè finem, quia hoc forum est secretum, talis autem modus ministrandi hoc Sacramentum per litteras, vel internuncium non est secretus; ergo &c.

126 Addimus tamen ibid. nu. 367. adhuc validum esse Sacramentum, si pœnitens per litteras mittat sua peccata Confessario, & deindè in præsentia ejusdem dicat se de omnibus illis, quæ scripsit, accusare, & ab eodem Confessario absolutionem obtineat in præsentia; ità inquit Doctor loc. cit. dum inquit cum Glossa validam esse pœnitentiam per Scripturam, dummodo posteà absolutionem obtineat in præsentia Sacerdotis, quod etiam tenet Aretin. de mente Doctoris 4. d. 17. qu. un. art. 8. & sequuntur Valentia, Henriqu. Suar. Nugnus, Bonac. Amicus, & alii Recentiores affirmantes posse pœnitentem Sacerdoti absenti per litteras, vel nuncium confessum ab eodem posteà præsenti absolvi. Ratio est, quia in tali casu tam absolutio, quàm confessio fieri censetur in præsentia pœnitentis, & Confessarii, & nihil desiderari videtur ad validitatem confessionis, cùm pœnitens in tali casu cùm dolore integrè se accuset de omnibus peccatis. Ex quibus sequitur relatam Pontificis propositionem *non licere per litteras Confessario absenti peccata Sacramentaliter confiteri, & ab eodem absente absolutionem obtinere*, intelligendam esse conjunctivè, ut nimirum non liceat per litteras simul confiteri, & absolvi, non autem disiunctivè quoad confessionem dumtaxat. Ad fundamentum oppositæ sententiæ jam absolutæ neganda est minor de judicio Sacramentali, quoad ad certam verborum formam limitatur, ad quod cætera judicia non sunt limitata, ut constat ex dictis, hoc enim judicium specialiter ità fuit à Christo institutum, prout Sacramentum naturæ, & tenori congruum erat, & ità etiam propriæ rationi hujus Sacramenti congruebat, quod non ex aliorum accusatorum dicto, vel testium peragitur, ut judicia humana, sed solius ejusdem rei, neque ex deductis, & probatis in foro externo, sed ex statu, & dispositione præsenti ipsius pœnitentis. Alias objectiones ad idem vide solutas loc. cit. in fine quæstionis.

QUÆSTIO SEXTA.

De vi, & effectibus Sacramenti Pœnitentiæ.

127 IAm diximus d. 16. de Sacram. in genere, vim, & effectū communem omnium Sacramentorum novæ legis Evangelicæ esse conferre sanctificantem gratiam, undè juxtà hanc regulam generalem omnibus Sacramentis communem hoc Sacramentum vim habet conferendi hujusmodi effectum. Effectus autem proprius hujus Sacramenti, quem expresè, & peculiariter significat, prout à cæteris distinguitur, est remissio peccatorum post baptismū commissorum, ad hunc enim finem propriè institutum est per modum judicii, ut suprà dictū est, omnesq; ejus partes confessio, absolutio, & satisfactio ad hunc effectum ex divina institutione significandum, & conferendum maximam habent proportionem; pro majori igitur explicatione effectus hujusmodi remittendi peccata post baptismum commissa, & quorundam aliorum, hæc quæstio instituitur, quam breviter resolvemus juxtà dicta dis. 5. cit. q. 13. declarando etiam dispositionem ad tales effectus consequendos necessariam.

ARTI-

ARTICULUS PRIMUS.

Quinam sint effectus hujus Sacramenti.

128 PRimò dicendum est, proprium, primarium, ac per se effectum hujus Sacramenti, & potestatis clavium esse remittere peccata post Baptismum commissa quantumcumq; gravia quoad culpam. Hæc est vera, & communis sententia, ut diximus q.13.cit. art.1. contrà antiquos quosdam Scholasticos, qui dixerunt effectum absolutionis Sacramentalis in hoc consistere, quod Sacerdos declarat, & pronunciat peccata esse remissa à Deo, quia solius Dei est peccata remittere Isaię 43. Sacerdos verò per absolutionem Sacramentalem ostendit pœnitentem esse absolutum in facie Ecclesiæ, itaut sensus verborum absolutionis sit, Ego te ostendo, & declaro absolutum à Deo per contritionem præcedentem; quem dicendi modum omninò exprobrarunt D. Thom. qu. 86. art. 6. & Scot. 4. distinct. 14. qu. 4. art. 3. & dist. 19. q. un. ubi ex professo contrà Magistrum ostendit, hoc Sacramentum principaliter habere vim remittendi peccata quantum ad culpam, & hunc esse primarium ejus effectum; ità etiam omnes alii Scholastici, & morales Auctores, qui propterea dixerunt, non necessariò prærequiri contritionem pro dispositione ad hujus Sacramenti susceptionem, ut Veteres illi dicebant, sed sufficere attritionem, & hæc sententia est adeò hoc tempore certa, ut oppositam erroneam putent Suarez, Vasquez, Lugus, Amicus, Aversa, & alii Recentiores, nam censetur damnata à Trident. sess. 14. can. 9. illis verbis. *Si quis dixerit absolutionem Sacramentalem Sacerdotis non esse actum judicialem, sed nudum ministerium pronunciandi, & declarandi peccata esse remissa, anathema sit.* Et hæc veritas aperte deducitur ex ipsis Christi verbis Joan. 20. *quorum remiseritis peccata remittuntur eis*, quæ in proprio, & rigoroso sensu significant remissionem peccati quoad culpam, & similiter cùm dixit Matth. 16. & 18. *Quæcumque solveritis super terram, erunt soluta & in Cęlis*, utique primariò de peccatis intellexit quantum ad culpam, nam si esset absolutio declaratoria tantùm, quasi jam solutio peccatorum per contritionem præcessisset, non benè dixisset; *Quodcumque solveris super terram, erit solutum, & in Cęlis*, sed dicere debuisset *fuit solutum in Cœlis*, quia solutio facta fuisset à Deo intuitu contritionis absolutionem præcedentis, cùm ergò non dixerit *fuit solutum*, sed *erit solutum in Cęlis*, signum est hoc consequenter se habere, illud verò præcedere.

129 Deindè hoc etiam probat Doctor ratione loc. cit. nam opposita opinio Sacramento pœnitentiæ nimis derogare videtur, nam juxtà illam per Sacramentum pœnitentiæ nunquam deletur peccatum, sed necesse esset prius deleri per contritionem ad hoc, quod dignè susciperetur Sacramentum pœnitentiæ, & ex ea sequeretur etiam hoc non esse Sacramentum novæ legis, & Sacerdotem Evangelicum non differre à legali, si non absolveret à peccatis, sed solùm pœnitentem jam absolutum declararet. Tandem probatur destruendo fundamentum oppositæ sententiæ, cùm enim dicebant, solius Dei esse peccata dimittere Isaiæ 43. inquit Doctor 4. dist. 19. qu. un. B. hoc esse verum auctoritativè, & principaliter; Sacerdos autem peccata dimittit dispositivè, & instrumentaliter, ut instrumentum passionis Christi, non quidem attingendo illum effectum physicè, & virtute propria, nec alterius, sed attingendo moraliter modo jam declarato loc. cit. nu. 375. Aliud etiam fundamentum falsum est, quod necessariò requiratur contritio antè hujus Sacramẽti susceptionem, ut pœnitens censeatur rectè dispositus, & sic antè absolutionem consequatur peccatorum remissionem ex vi contritionis, hoc, inquam, falsum est, nam pœnitens cum sola attritione accedit veræ dispositus ad hoc Sacramentum, siquidem attritio sola est sufficiens dispositio ad gratiam hujus Sacramenti recipiendam, & cum hoc Sacramento sufficienter disponit ad primam gratiam, & peccati remissionem obtinendam, ut latè ostendit Doctor 4. d. 14. quæst. 4. art. 3. & posteà Concil. definivit sess. 14. cap. 4. & magis constabit art. seq.

130 Secundò, effectus hujus Sacramenti non tantùm est remissio peccatorũ mortalium, pro quorum remissione præsertim institutum est, sed etiam venialium, sicut enim quivis potest piè, & salubriter hæc in confessione declarare, quia ut suprà dictum est, licet venialia non sint ejus materia necessaria, sunt tamen materia sufficiens; ità de illis quoque remissionem virtute hujus Sacramenti consequi posse certum est; nam si venialia etiam per alia Sacramenta remitti possunt, ut dictum est suprà q.4. art.1. n.85. tantò magis per hoc Sacramentum, quod specialiter institutum est pro remissione peccatorum post baptismum commissorum. Est tamen difficultas inter Theologos, qua ratione peccata venialia in Sacramento pœnitentiæ remittantur; Aliqui dicunt hãc peccatorum venialium remissionẽ in Sacramento pœnitentiæ fieri per gratiam sanctificantem per hoc Sacramentum ex opere operato productam, non solùm secundùm se præcisè consideratam, sed præsertim ut datam intuitu previæ de aliis attritionis, qua ratione formalem cum illis peccatis habet repugnantiam, cum sit gratia reconciliationis ab ipsis. Ità Vasquez p.2. dis. 207. c.4. cum pluribus aliis. Verùm ad remissionem venialis necessariam non esse gratiæ habitualis infusionem nec antecedenter, nec concomitanter, jam diximus loco citato quia veniale privationem gratiæ non includit, & compatitur cum ipsa, atque ideò ad ejus remissionem non necessariò gratiæ infusio requiritur. Et quamvis attritio necessariò prærequiratur in suscipiente hoc Sacramentum, tanquam dispositio ad tollendum obicem, & absolutionem obtinendam mortalium, ac etiam venialium, quando sunt cum mortali conjuncta; tamen quando sunt separata, ut accidit in justis, talis dispositio non est necessaria ad tollendum obicem, ut eorum absolutionem Sacramentum influere possit, sed sufficere etiam potest aliqua minor dispositio, nempè actualis non complacentia de talibus peccatis, & voluntas recipiendi effectum remedii, quod assumit, ut à venialibus purgari possit, hæc enim censetur virtualis quædam peccati venialis detestatio, dùm homo vult ejus medicinam assumere, ut ab eo purgetur, ità jam statuimus suprà loquentes de remissione venialium q.4. cit a. 1. & magis declarabimus inferius agendo de dolore, & proposito requisito ad confessionem venialium. Quarè concludendum est, ut diximus ibidem in fine articuli n. 91 quod universaliter loquendo tàm respectu justi, quam peccatoris remissio venialium per Sacramentum pœnitentiæ fit per restitutionem quorundam auxiliorum, quibus homo per peccata venialia se voluntariè privavit; hæc autem auxiliorum restitutio ex diverso subjectorum statu diversos quoque sortitur effectus, nam si talis restitutio fiat justo, hominem restituit ad perfectam Dei familiaritatem, quia ipsum invenit in statu gratiæ, & amicitiæ; si verò fiat peccatori de solis venialibus attrito, talem effectum producere nequit, sed alium longè inferiorem, quia ipsum invenit in statu inimicitiæ, & peccati, ut ibi declaramus; verum tamen est veniale in hac vita non posse sine mortali dimitti per Sacramentum pœnitentiæ, sed tantùm per attritionem supernaturalem, & extrà Sacramentum, ut ibidem diximus num. 90. sic enim in peccatore potest remitti veniale peccatum relicto mortali, cui erat conjunctum, ut ibi declaramus, non autem per Sacramentum pœnitentiæ.

131 Tertiò est difficultas, quando producatur hìc effectus infusionis gratiæ, & remissionis peccatorum per verba absolutionis Sacramentalis, an, scilicet, sola illa verba *Absolvo te*, quæ suprà diximus esse de essentia formæ concurrant de facto ad effectum Sacramenti, nùm etiam concurrant alia sequentia *à peccatis tuis*. Qui contendunt particulam *à peccatis* esse de essentia, & necessitate hujus formæ requisitam ad valorem ipsius absolutionis, ut tenet Aversa qu. 12. sect. 3. cum aliis ab ipso relatis, consequenter volunt illa quoque verba concurrere ad effectum Sacramenti, itaut effectus non ponatur, donec omnia proferantur. Vasquez autem, Henriquez, & alii quamvis teneant in rigore sola illa verba *Absolvo te*, ad valorem formæ sufficere, quia implicitè important illa quoque *à peccatis tuis*; dicunt tamen, quod quando de facto illa quoque expresè apponuntur, pertinere ad essentiam, & substantiam formæ, atque adeò concurrere, nec poni effectum donec illa prolata sunt. Denique Suarez, Card. de Lugo, Amicus, Hiqueus, Poncius, & alii communiter tenent, non concurrere, quia cum verba *Ego te absolvo* ex se sufficiant, nec verba illa sequentia distrahant illorum significatum ad aliam significationem, omninò causare debent gratiam in ultimo instanti, quo proferuntur, & sic sequentia verba non concurrerent. Tamen adhuc probabile videtur, ut loco citato num. 376. quod ait Poncius disp. 46. quæst. 2. quod si Sacerdos intenderet non significare absolutionem à peccatis, nisi per integram formam, non causaretur gratia per propria verba *Te absolvo* nisi adderetur *à peccatis*, & consequenter in tali casu hæc quoque ultima verba ad effectum concurrerent; cum enim priora verba, quantum est ex se, possent significare aliam absolutionem, quàm à peccatis, ut puta à censuris ab intentione à Sacerdotis dependet, quod absolutè prolata sine particula *à peccatis* significent absolutionem ab eis, ideoque si intendat tantùm per omnia verba significare absolutionem à peccatis, videtur quod in tali casu illa sola verba *Ego te absolvo* non sufficiant ad habendum Sacramenti effectum. Et quamvis intentio privata Ministri validitatem formæ mutare non possit, quando manet intentio universalis faciendi quod facit Ecclesia, & Christus instituit, & proferuntur verba ex se determinata ad significationem, quam forma debet habere; tamen quando aliquid verba sunt æquivoca, & ex se indifferentia ad aliud significandũ, satis probabile, est quod ab intẽtione Ministri depen-

dependet illa verba indifferentia ad sensum debitum, & requisitum limitare.

132 Quartò est difficultas, quomodo salvetur, vis, & effectus hujus Sacramenti, & quem sensum habeat forma absolutionis, quandò invenit jam peccata remissa, vel per contritionem, vel aliam antecedentem confessionem, jam enim dictum est q. præced. art. 2. num. 112. peccata semel validè confessa, & remissa posse esse materiam novæ Confessionis Sacramentalis. Ratio dubitandi est, quia quando peccata jam sunt condonata, & remissa vel per contritionem, vel per aliam confessionem præcedentem, non absolvitur tunc ab illis, non enim absolvitur ille, qui vinculis non est ligatus, nec potest condonari debitum, quod non est; cujus difficultatis solutio, dimissis variis dicendi modis l. c. sigillatim examinatis art. 3. deducitur ex superius dictis effectum, scilicet, Sacramentalis absolutionis non tantùm semper esse infusionem gratiæ peccatorum remissivæ, sed actualem quoque ipsorum remissionem juxtà proprium, & absolutum sensum ipsorum verborum, etiamsi inveniantur jam remissa peccata vel per præviam contritionem, vel antecedentem confessionem, & ratio constat ex ibidem dictis, quia minimè implicat peccata iterum atque iterum remitti, & fieri novam eorundem remissionem, ac novum remissionis actum, & sicut ab initio per infusionem gratiæ talis peccatorum remissio facta fuit, ita denuò per aliam gratiæ infusionem, & accretionem fieri potest; quod totum ibidem fuit etiam cum Lugo, & Aversa ex humanis deductum, qui enim offensus fuit, vel alterius creditor erat, etiam facta reconciliatione, ac debito soluto, potest adhuc rursus, si voluerit, aut alter rogaverit, offensam, vel debitum dimittere dicendo, dimitto iterum offensam, vel debitum, & potest de hoc novam Scripturam condere, & hoc novo titulo rursus juri suo cedere, non obstante priori cessione. Potest pariter, qui semel promisit, & ad aliquid se obligavit, iterum promittere, & ad illud idem se de novo obligare, prout de facto solemus idem votum apud Deum repetere; ergò & Deus, ac Sacerdos nomine ipsius potest idem de novo peccatum dimittere, titulo præsertim novi doloris de ipso eliciti; consequentia patet, quia divina peccatorum nostrorum remissio, est veluti promissio de indignatione non retinenda pro nostris offensis, quæ quidem promissio repeti potest, quæ repetitio talem vim habet, ac si diceret, etiamsi anteà non remisissem, non promisissem, nunc remitto, nunc promitto, in quo casu ponitur quidem novus voluntatis actus in hominibus, ex parte Dei ponitur aliquis novus effectus ad extrà.

133 Neque hæc doctrina, ut dicebamus q. 13. cit. ar. 2. n. 387. repugnat Doctrinæ Scoti 4. d. 14. qu. 4. in solutione ad 2. prin. quando enim inquit ibi, quod cum per præviam contritionem jam obtenta est peccatorum remissio, tunc per Sacramentum pœnitentiæ non deletur peccatum, sed gratia, quæ infuit, augetur; non loquitur de quacunque peccati remissione, & absolutione, sed de omninò prima peccati remissionæ, quæ propriè dicitur peccati deletio, & destructio; per alias enim remissiones sequentes, & repetitas licet peccatum rursus dimitti dicatur, & condonari, non tamen propriè deleri, & aboleri; non enim propriè destruitur, & aboletur, nisi quod actu est, & existit, & quod non est planè deleri non potest. Et quando etiam dixit d. 19. qu. un. in solutione rursus ad 2. prin. quod nullus solvi potest, nisi ligatus, jam dictum est suprà qu. præced. art. 2. num. 113. quod licet, qui nunquam ligatus fuit, qualis est innocens, non sit solutionis capax; tamen qui semel ligatus fuit, & absolutus, potest iterum aliquo novo titulo absolvi per novam juris cessionem, quod aliquando habuimus in ipsum ut ubi diximus; quare illa propositio, nullus potest solvi, nisi ligatus, valet in physicis, non in moralibus, quia licet in physicis solutio supponat ligamen, nequit enim imaginari, quomodo sit solvendus, nisi in aliquo vinculo, seù ligamine concipiatur; in moralibus tamen potest quis pluries solvi, quia pluries judicari; licet enim homo à vinculis corporeis solutus non possit amplius solvi, potest tamen offensa, ac debitum jam remissum iterum atque iterum remitti, quia potest offensus, vel creditor iterum atque terum se obligare ad non exigendum illud debitum, nec indignationem concipiendam propter illam offensam, quod est propriè cedere juri, & offensam remittere.

134 Quinto est difficultas, an per pœnitentiæ Sacramentum merita bonorum operum reviviscant; de duplici autem bonorum operum genere proposita difficultas intelligi potest: primò de his, quæ in statu peccati mortalis exercentur, & opera mortua vocantur; secundò de illis, quæ in statu quidem gratiæ facta sunt, superveniente autem peccato mortali extinguũtur, vimque suam, ac meritum amittunt, & proindè opera mortificata dicuntur; & quidem loquendo de operibus bonis primi generis certũ est opera bona facta in statu peccati mortalis nihil unquam homini justificato profutura esse ad gloriam consequendam, ut enim diximus lib. 2. sent. disput. 7. de justificatione inter conditiones operis vitæ æternæ meritorii prima, & præcipua est, ut fiat ab homine justo, & in statu gratiæ sanctificantis constituto; undè D. Aug. tract. 71. in Joan. explicans illa Christi verba: *Sine me nihil potestis facere*, dicit opera fidelium à Christo Domino per peccatum mortale exciforum nihil illis ad vitam æternam consequendam prodesse; loquendo autem de operibus bonis secundi generis, scilicet, factis in statu gratiæ sanctificantis, & per peccatum mortificatis dicendum est virtute hujus Sacramenti reviviscere, itaut jus quod homo sibi ad æternam gloriam per opera illa acquisierat, eidem restituatur; & hic est communis Theologorum sensus, & præsertim Scoti 4. disp. 22. qu. un. art. 2. quod quidem ex professo probavimus disput. cit. de justific. quæst. 10. art. 1. ubi diximus etiam merita mortificata reviviscere per quamcumque justificationem subsequentem non tantùm juxtà dispositionem, quam habet resurgens, verùm etiam quoad totum jus, quod habuerant antè respectu præmii essentialis, quod etiam expressè docuit Concil. Trident. sess. 16. cap. 6. ubi ait: *Justificatis hominibus, sivè acceptam gratiam perpetuò servaverint, sivè amissam recuperaverint, proponenda esse Apostoli verba, abundate in omni opere bono scientes, quod Deus non est injustus ut obliviscatur operis vestri*. Ubi ponderanda est distinctio gratiæ perpetuò servatæ, & gratiæ amissæ, sed recuperatæ, quæ videtur inutilis, nisi Concilium intelligeret per pœnitentiam pristina merita instaurari; & hoc etiam expressè, docuit D. Hieronym. in cap. 3. ad Galat. dum inquit: *Qui ob Christi fidem laboraverit, & postea lapsus fuerit in peccatum non perdet merita sua, si ad pristinam fidem, & studium revertatur*. De hoc etiam alia plura videri possunt disp. 5. cit. de pœnitentiæ Sacramento qu. 10. ubi non solùm agimus de reviviscentia meritorum per pœnitentiam, sed præterea disputamus, an sicut bona opera mortificata per pœnitentiam reviviscunt, sic è contrario peccata in Sacramento pœnitentiæ semel remissa per subsequens peccatum mortale redeant quoad reatum tam culpæ, quàm pœnæ.

135 Postremò est difficultas, an semper hoc Sacramentum conferat suum effectum, vel possit esse validum, & informe, Sacramentum dicitur validum, quando constat omnibus suis partibus essentialibus; informe verò, quandò non confert actu gratiam sanctificantem ob indispositionem suscipientis; itaque quia alia quædam Sacramenta possunt esse vera, & valida, & carere effectu gratiæ ob indispositionem suscipientis, ut præsertim supra dictum est de Baptismo disp. 17. q. 3. art. 2. num. 46. modò dubium est de hoc quoque Sacramento, an in aliquo casu validum esse possit, & ob aliquam indispositionem suscipientis effectu gratiæ carere, quo sensu diceretur informe, non quasi in sua forma essentiali deficiens, alioquin etiam invalidum esset, sed tanquam deficiens solùm in effectu gratiæ, quæ est forma animam sanctificans. Affirmans sententia communis est in schola Thomistarum, quam sequuntur Suarez, Lugus, Valentia, Aversa, Caspensis, Henriquez, Navarrus, Diana, Bonacina, & alii Morales, quod præsertim deducunt ex paritate aliorum Sacramentorum, quæ possunt esse valida quoad essentiam, & informia quoad effectum, ut communiter asseritur de baptismo. Verum tamen est hos auctores inter se discrepare, in quibus casibus possit hoc Sacramentum esse validum, & informe, & quamvis major pars eorum affirmet, hoc evenire posse ex defectu doloris, si nempè pœnitens accedat absque dolore, vel saltem cum aliquali dolore, non tamen sufficiente, nec habente omnes conditiones requisitas ad effectum gratiæ; adhuc tamen non conveniunt qualis esse debeat hic dolor, qui ad essentiam Sacramenti sufficiat, non tamen ad effectum.

136 Nos tamen id absolutè negamus dis. 5. cit. q. 14. art. 1. cum Scoto 4. d. 1. qu. 5. ubi §. *Contrà istam opinionem* in fine, ubi inquit, quod in fictè pœnitente cessante fictione nihil est, quod sufficiat ad effectum veræ pœnitentiæ, alioquin non oportet talem fictè confessus de eisdem peccatis aliàs confiteri, & vers. *Quartò arguitur* insinuat privilegium illud baptismi conferendi gratiam recedente fictione, seù ablato obice ad summum convenire posse cæteris Sacramentis characterem imprimentibus Ordini, scilicet, & Confirmationi, & ità tenent etiam Gabriel, Major, Adrianus, Joan. Medina, Vega, Vasquez, Coninch. Turrianus, Amicus, Layman, Emanuel Sà, Fagundez, & alii Recentiores; quorum fundamentum est, quia hoc præsertim discrimen versatur inter hęc, & alia Sacramenta, quod illa non includunt, ut partẽ essentialem ipsam suscipientis dispositionem, undè possunt esse valida quoad essentiam, & informia quoad effectum, quia omnia essentialia includere possunt, etiamsi debitam suscipientis dispositionem non includant in ordine ad effectum; at Sacramentum pœnitentiæ ipsam pœnitẽtis dispositionem includit, ut partem essentialem, quam si semel includit, non solùm erit validum, sed etiam efficax, & formatum; si verò non includit,

dudit, non solùm erit inefficax, & informe, sed etiam invalidũ. Ex quo patet falsam esse paritatem assumptam de hoc, & aliis Sacramentis, magna enim est differentia hujus Sacramenti ab aliis, in quibus dispositio necessaria ad effectum distinguitur ab omnibus iis, quæ ad eorum essentiam requiruntur, at in hoc Sacramento idem actus, qui est dispositio necessaria ad ipsius effectum, est etiam ipsius pars essentialis. Ratio autem cur præsertim Baptismus inter alia Sacramenta possit esse validum, & informe, & gratiam conferre recedente fictione, non autem pœnitentia est, quia ut docet Scot. 4. d. 1 q. 5. lit. D. est medium ad salutem necessarium, scilicet, ad remissionẽ originalis culpæ, & peccatorum mortalium antecedẽtium; quarè cùm semel susceptus iterari non possit, ne præcludatur viæ salutis, necessariò dicendum est, eundem baptismum cum obice susceptum habere posteà vim remittendi illa peccata ablato obice, atque adeò tunc conferendi gratiam sanctificantem, quæ necessitas de Sacramẽto pœnitentiæ non urget, cum iterari possit. Alias autem objectiones contrà hanc sententiam vide solutas q. 14. cit. art. 3.

ARTICULUS SECUNDUS.

Quæ dispositio ad hoc Sacramentum suscipiendum sit necessaria, & ejus effectus consequendos.

137 PRimò dicendum est, aliquem actum interiorem pœnitentiæ, seù aliquem dolorem formalem, & expressum esse necessarium nõ solùm ad effectum, sed etiam ad essentiam hujus Sacramenti, itaquod ut confessio sit valida, non sufficit negativè se habere neque complacendo, neque displicendo, sed omninò requiritur formalis displicentia, & dolor peccatorum commissorum. Ita statuimus cum communi Doctorum disp. 5. cit. quæst. 15. art. 1. contrà Sylvestrum, Rosellam, & alios quosdam Summistas dicentes, quod si quis integrè omnia sua peccata confiteatur, & absolvatur, licet negativè se habeat formaliter quoad hoc, quod est complacere, vel displicere de peccatis, nihilominus verùm recipit Sacramentum, imò & gratiam; quia ipsa voluntaria absolutionis susceptio sine obice peccati actualiter voliti, & in quo complaceat, est quædam virtualis attritio, quæ sufficit, ut virtute Sacramenti gratiam consequatur. Hæc assertio definita est in Concil. Florent. & Trident. quæ Concilia explicari non possunt de dolore virtuali, nam hic salvari non potest, cùm peccata actu memoriæ non occurrunt; at verò ad Sacramentum Confessionis necessaria est actualis memoria peccatorum, quæ sunt confitenda; & quidem Trident. sess. 14. cap. 3. & 4 postquam definivit Contritionem esse partem Sacramenti pœnitentiæ, statim explicat hujusmodi contritionem importare animi dolorem, & peccati detestationem, qui autem peccata sua confitendo merè negativè se habet, non dolet verè, & propriè; ergò dolorem non habet ad essentiam hujus Sacramenti necessariam, & tantò minus ad ejus effectum percipiendum. Accedit contritionem, seù dolorem sumpto generatim hoc nomine prout etiam attritionem complectitur, esse partem hujus Sacramenti essentialem, & ad ejus essentiam necessariò requisitam, ut suprà dictum est quæst. præced. art. 2. nu. 109. ergò talis interior pœnitentia per modum actus formalis, & expressi necessariò requiritur præsertim ad recipiendũ hujus Sacramenti effectum, hic enim non causatur, nisi à Sacramento essentialiter perfecto quapropter Vasquez quæstion. 92. art. 1. dub. 1. oppositam sententiam non dubitavit appellare erroneam, & contrà omnes Doctores; hoc etiam expresè docuit Scotus, quicquid aliqui dixerint, pluribus in locis, nam disp. 14. quæst. 5. in solutione ad 2. princ. ait antè dignam hujus Sacramenti susceptionem opus esse, ut peccator suscitetur, vel simpliciter, quod fit per contritionem, vel secundum quid, quod ait fieri per aliqualem displicentiam de peccatis, quæ nimirum est attritio, quod etiam anteà docuerat eadem disp. 14. quæst. 2. art. 2. ubi ait rursus detestationem peccati esse duplicem, unam, quæ est perfecta, & cum omnibus circumstantiis, quæ est contritio, aliam quæ est imperfecta, & caret aliqua, vel aliquibus circumstantiis, & est attritio; & hoc rursus repetit inferius disp. 17. §. *de articulo*, & d. 19 §. *Ad quæstionem*, quibus in locis apertè docet non satis esse ad hoc Sacramentum accedere cum sola voluntate illud recipiendi, sed prætereà necessarium esse dolorem formalem, & expressum de peccatis commissis, non solùm ad effectum, sed etiam ad essentiam hujus Sacramenti.

138 Diximus autem suprà quæst. 3. art. 2. num. 48. ad effectum, & valorem hujus Sacramenti non sufficere dolorem de non dolere, sed dolorem, & displicentiam de ipsis peccatis esse debere, quia accusario Sacramentalis est de ipsis peccatis; ergo, & eorundem peccatorum detestationem involvere debet, & pœnitentia quæ in scripturis requiritur, & toties peccantibus inculcatur, planè intelligitur de ipsis peccatis. Diximus etiam ibidem num. 49. minimè opus esse, quod prædictus dolor confessionem præcedat ordine temporis, ut contendunt Layman, Coninch. & quidam alii Recentiores, sed satis esse si ipsa sequatur antè absolutionem, & fortè etiam si in ipsa absolutione, seù absolutionis actu concomitetur, licet probabilius sit debere actum doloris ad absolutionem supponi; sicut confessio ipsa, quia hæc tota materia, super quam cadit absolutio, nec proferri potest judiciali sententia, nisi post accusationem; ille ergo dolor qui est de substantia, & valore hujus Sacramenti, ad absolutionem supponi debet, quia hoc Sacramentum ministratur per modum judicii reconciliativi, in quo antè absolutionem præsupponitur cognitio causæ, & dolor de peccato commisso. Diximus tandem superius quæst. 5. art. 2. num. 114. non solùm quandocunque fit nova confessio de novis peccatis, & requiritur nova absolutio, requiri novum ac distinctum actũ doloris; sed etiam quando sit nova confessio de antiquis peccatis jam confessis, vel ex oblivione inculpabili prætermissis, & posteà menti occurrentibus, nec priorem dolorem in præcedenti confessione habitum sufficere, ut dixerunt Ledesma, Diana, Joannes de Cruce, & quidam alii Summistæ. Et quidem in nova, ac repetita confessione de peccatis aliàs confessis novum, & distinctum doloris actum requiri, ibi cõvincenter probatum est, quia debet esse nova, ac distincta materia proxima pro nova forma, & nova substantia Sacramenti, hæc autem materia proxima in hoc Sacramento est contritio, & confessio, quarè sicut dari non potest denuò absolutio, nisi adsit nova confessio, ità etiam nisi adsit nova contritio, seù novus dolor. Quod verò novus etiam requiratur dolor, in nova confessione de peccatis jam oblitis, & posteà menti occurrentibus, nec prior dolor in præcedenti confessione habitus sufficere possit, probatur modò evidenti ratione, quia dum quis ritè confitetur, sed aliqua oblivi-scitur, etiam facto diligenti examine, intantùm dicitur indirectè quoque absolvi à peccati oblitis, inquantùm habuit dolorem universalem de omnibus peccatis commissis etiam invincibiliter oblitis, ad quæ talis dolor censetur saltem virtualiter extendi; hæc autem virtualis extensio doloris sic de omnibus explicatur, quod ob sufficientem diligentiam adhibitam pœnitens censetur promptus ad eliciendum actum doloris formalem circà peccata oblita, & ab illa confessione manifestanda, si menti occurrerent; ergò talis virtualis extensio doloris necessariò petit, ut quotiescunque peccata jam oblita, & indirectè remissa, menti occurrunt, circà illa eliciat novum doloris actum in nova confessione de illis facienda.

139 Secundò dicendum, est simul cum dolore jam explicato requiri propositum de cætero non peccandi; ità statuimus q. 15. cit. art. 1. n. 417. cum communi Theologorum, & præsertim Scoto 4. d. 14. qu. 4. insol. ad 1. prin. ubi ad rationem contritionis cum displicentia de peccatis commissis exigit etiam propositũ cavendi de cætero, & posteà definitum est in Trident. sess. 14. c. 4. ubi hoc propositum ponit in definitione cõtritionis, cùm inquit, quod est dolor, ac detestatio de peccato commisso cum proposito non peccandi de cætero, & sess. 6. c. 6. idem propositum recensetur inter dispositiones ad justificationem requisitas, nam hoc includitur in ipso dolore efficaci peccatorum, ubi nomine doloris compre hendimus etiam ejus causam, nempè peccati detestationem seriam, & efficacem. Et sicut peccati detestatio seria debet esse, & efficax, talis etiam debet esse voluntas de cætero abstinẽdi à peccato; neq; sufficit volitio inefficax, siquidem cum hac stare potest volitio efficax peccandi in futurum, ut patet in exemplo proiicientis merces in mari ob metũ tempestatis; qui utique nollet merces proiicere, si aliter vitam servare posset. Solùm controversia est, an hoc propositum semper debeat esse explicitum, & actuale, an interdum sufficiat implicitum, & virtuale, quam jam resolvimus superius q. 2. a. 1. n. 31. & 32. ubi diximus per se, & regulariter loquendo necessarium esse formale, & explicitum propositum non peccandi in posterum; per accidens tamen, & in aliquo casu defectu considerationis, aut temporis sufficere virtuale, & implicitum, nam saltem quando pœnitens invincibili ignorantia talis propositi laborat, aut nulla subest futuræ vitæ memoria, sed solius præteritæ detestandæ, sufficere videtur virtuale propositum essentialiter inclusum in ipso efficaci peccatorum dolore, quæ dùm efficaciter pœnitens detestatur, virtualiter, & exercitè proponit eadem ampliùs non committere; Secus autem est, si subsit memoria futuræ vitæ, & formalis propositi de cætero non peccandi, tunc enim tenetur explicitè tale propositum habere, ut l. c. ex instituto probatum est. Ex quo sequitur attritionis Sacramentali esse magis intrinsecam detestationem præteritæ vitæ, quàm propositum emendationis futuræ, quia sine illa nullus potest esse dolor, benè tamen sine proposito saltem formali, undè Mairon 4. d. 14. q. 1. ad 4. ait satis esse propositum negativum non peccandi.

140 Ter-

140 Tertiò dicendum est, ad Confessionem validam, & fructuosam non necessariò requiri contritionem perfectam sed sufficere attritionem, etiam cognitam, ut talem. Ità statuimus q. 15. cit. num. 418. cum Scoto 4. d. 14. qu. 4. *in solutione*, ad 2. prin. & 19. *in responsione ad quæstionem* §. *Contrà primum*, undè nequè necessaria est attritio putata contritio, ut quidam dicunt, sed sufficit attritio etiam cognita, ut talis, ut suprà diximus q. 2. ar. 2. n. 46. quod expressè deducitur ex Trid. l. c. ubi loquens de contritione imperfecta, sivè attritione ait, quod quamvis sine Sacramento pœnitentiæ, sunt ejus formalia verba, per se ad justificationem perducere nequeat peccatorem, eum tamen ad Dei gratiam in Sacramento pœnitentiæ impetrandum disponit, quod intelligendum est ultimò, & infallibiliter, nam etiam extrà Sacramentum disponit, sed non proximè, & infallibiliter. Deindè hoc ipsum suadet ratio, quia baptismus, & pœnitentia sunt Sacramenta mortuorum, hoc est, ad suscitandos spiritualiter mortuos per se instituta, at si contritionem perfectam prærequirerent, ut necessariam dispositionem ad eorum valorem, & effectum percipiendum, nunquam mortuos suscitare possent, cùm jam eos supponerent contritione suscitatos, qua etiam ratione probatur sufficere attritionem etiam cognitam, ut talem; cùm enim prædicta Sacramenta sint ad mortuos resuscitandos per se instituta, jam qui se mortuum sentit per peccatum mortale, & solam attritionem in se experitur, licitè potest velle per Sacramentum suscitari, atque ideò non est opus, ut credat, & putet se esse cõtritum, seù contritione vivum, ut l. c. ex instituto probatum est. Hìc tamen advertendum est, ultrà ibidem dicta, quod quando dicimus ad valorem, & effectum hujus Sacramenti sufficere attritionem, intelligendum est de attritione, quæ in re sit talis, & non sufficit tantùm putata, ut aliqui dixerunt nimis laxantes habeans. Ratio est, quia hæc requiritur, ut pars essentialis Sacramenti, cum enim Concilia dicunt dolorem de peccatis ad hoc Sacramentum essentialiter requiri, non de dolore putato loquuntur, aut intelligi possunt, sed de dolore vero, & reali; sicut cùm dicunt ad baptismum aquam requiri, panem, & vinum ad Eucharistiam, loquuntur de aqua, pane, & vino veris, & realibus, non autem putatis: Sacramentum verò non est validum, nec suum effectum conferre potest; nisi sit essentialiter perfectum; ergò ad valorem, & effectum hujus Sacramenti non sufficit attritio tantùm putata, quia talis existimatio nihil ponit in re, & sola notitia non mutat naturam objecti. Quarè etiamsi pœnitens putet invincibiliter se accedere dispositum, si re vera talis non sit, effectum Sacramenti non consequitur, sed tantùm à peccato excusatur; imò Sacramentũ est nullum, & irritũ, quia deficit essentialis pars Sacramenti.

141 Quartò dicendum est, attritionem in Confessione Sacramentali necessariam, & sufficientem esse debere supernaturalem, & ex duobus motivis à Concil. Tridentin. assignatis lo. cit. naturalem verò, & ex motivo merè humano elicitam non esse sufficientem. Ità etiam statuimus qu. 15. cit. num. 419. satis constat ex dictis superius q. 2. art. 2. num. 39. & seq. Et quidem attritionem ad hoc Sacramentum requisitam esse debere supernaturalem, seù actum ordinis supernaturalis saltem quoad modum docet expressè Trid. loc. cit. ubi ait esse donum Dei, & ex Spiritus Sancti impulsu; & deducitur ex generalis doctrina, quæ tradi solet in materia de gratia, scilicet, hominem non posse ex naturæ viribus ad justificationem se disponere, ac præparare absque speciali, & supernaturali auxilio, & actus nostros naturale, & solis naturæ viribus elicitos non esse idoneam dispositionem ad gratiam, nec valere in ordine ad salutem; undè talis attritio ordinis merè naturalis nedùm ad effectum hujus Sacramenti est insufficiens, sed etiam ad valorem, quia Conciliũ l. c. dolorem exigit, nempè ordinis supernaturalis, tanquam de necessitate, & substantia ipsius Sacramenti. Qua etiam ratione probatur non sufficere attritionem de peccatis ob humana incommoda, sed esse debere elicitam, vel ex turpitudinis peccati consideratione, vel ex gehennæ & pœnarum metu; ut loquitur Concilium, & docent Suarez, Vasquez, Coninch. Amicus, Hurtadus, Aversa, & alii Recentiores, & facilè suadetur, quia accusatio Sacramentalis, & detestatio peccatorum debet esse formaliter de peccatis, prout mala sunt, ac detestabilia in genere moris, & vel explicitè, vel saltem implicitè in ordine ad Deum, ut sic enim ad hoc tribunal deferuntur, & cum hac dispositione huic foro subiici debent, ut à Scerdote, tanquam à Judice constituto à Deo remittantur; sed dolor de peccatis ob detrimentum merè humanum ex iis resultans, vel etiam ab humano Judice inflictum, vel infligendum, est merè naturalis, nec est de peccatis propriè, & formaliter, ut sunt mala, & detestabilia in genere moris, nec per se excludit voluntatem peccandi, nec induit moralem probitatem, & relationem ad Deum, nec ullo modo ad supernaturalem ordinem elevatur; ergò dicendum est dolorem de peccatis ob humana incommoda, vel ex alio motivo merè humano non valere, nec esse de genere attritionis salutaris, & in Sacramento sufficientis, qualis in Concilio describitur. Talis autem è contra est illa attritio, quæ peccata detestatur ob timorem Inferni, vel etiam Purgatorii, ac etiam aliarum pœnarum hujus vitæ, si considerentur, prout à Deo infliguntur in odium, & vindictam peccati. Talis etiam est attritio illa, quæ peccata detestatur ob eorum turpitudinem moralem, quia hoc motivum saltem implicitè in Deum refertur, sicut etiam opera moralium virtutum exercere ob earum honestatem, atque ideo utraque attritio illa esse potest supernaturalis, & ad valorem, & effectum hujus Sacramenti sufficiens, ut constat ex dictis suprà quæst. 2. art. 2. num. 39. & 40.

142 Quintò dicendum est, interiorem pœnitentiam confitentis esse debere integram, & adæquatam de omnibus peccatis mortalibus formaliter, vel saltem virtualiter; nec posse unum mortale detestari, quin simul alia commissa detestetur. Ita etiã statuimus qu. 15. cit. art. 1. in fine, ubi etiam diximus non esse id ita intelligendum, quasi opus sit, ut unicuique peccato mortali sua respondeat specialis detestatio, sivè per unum, sivè per diversos actus, sed sufficere pœnitentiam de omnibus peccatis commissis in confuso, & in generali ex Scoto 4. d. 15. q. 1. §. *Ex hoc patet*, ac etiam paulò infra §. *de quinto articulo*, ut jam ex instituto ostendimus suprà qu. 2. art. 1. num. 35. Non tenebitur autem, qui bona fide putat se non habere alia peccata mortalia, pœnitere, ac dolere sub conditione, si quæ fortè alia habeat, qui tamen rationabiliter de hoc timere potest, ut facilè contingit in iis, qui diù confessionem distulerunt, ad hoc teneri videtur sicut etiam qui confitetur in articulo mortis, quia tunc debet cum majori securitate suæ saluti consulere. In aliis autem ordinariis confessionibus, estò hoc non sit necessarium, adhuc tamen consultissimum erit semper habere universalem dolorem de omnibus mortalibus, si quæ fortè commissa sint, & tunc in mentem non veniant. Ita discurrit Aversa qu. 11. sect. 6. ubi proindè consulit pœnitentem, ut semper doleat de peccatis ex motivo generali, & attritionem concipiat ex motivo universali complectẽte etiam aliud peccatum sibi occultum, & invincibiliter oblitum, sic enim saltem virtualiter, & implicitè hujusmodi attritio attingit etiam hoc peccatum, ac proindè adhuc sufficiens dispositio ad gratiam, quia verè, & realiter voluntas per illud motivum generale avertitur ab omni peccato, super quod cadit tale motivum, & ita non ponit obicem gratiæ, solùmque remanet obligatio confitendi posteà, & expressè, ac formaliter pœnitendi de illo alio peccato, si quando posteà in mentem veniat. Ad veram tandem, & idoneam pœnitentiam non requiri certam actus intensionem, nec durationem sivè in Sacramento, sivè extrà Sacramentum jam probatum est superius qu. 2 art. 1. nu. 27. & 29.

143 Sextò, quia superius dictum est, etiam peccata venialia sola absque mortalibus esse posse materiam sufficientem hujus Sacramenti, hìc etiam quæri solet, an similis dispositio sit quoq; necessaria in confessione venialium pro eorum remissione, vel aliqualiter differens sufficiat attenta levitate peccati venialis. Est itaq; difficultas, an in Confessione, quæ fit de venialibus requiratur dolor formalis, & expressus saltem per modũ attritionis, & absolutus, ac efficax, sicut dictum est requiri in confessione mortalium. Affirmant Lugus d. 14. sect. 8. Aversa q. 11. sect. 1. & alii Recentiores passim, quorum fundamentum est, quia adhuc in confessione venialium procedit eadem necessitatis ratio, siquidem talis confessio debet adhuc esse vera accusatio, & ut sit materia sufficiens ad valorem Sacramẽti, debet esse cum dolore, & detestatione talium peccatorum, & hic actus est adhuc de necessitate, & substantia ipsius Sacramenti; partes enim essentiales ejus ex doctrina Conciliorum sunt cõtritio, & confessio, nomine autem contritionis nõ potest intelligi dolor aliquis imperfectus, seù displicentia inefficax, quia hæc non est detestatio, aut retractatio, imò potest stare simul cum proposito iterum committẽdi illud peccatum, & cum ipso peccato actuali; est autem incredibile, quod Deus remittat peccatum etiam veniale habenti complacentiam in ipso, nec deserenti formaliter, aut saltem virtualiter priorem voluntatem peccaminosam. Nos tamen diximus q. 15. cit. art. 2. nu. 422. quod licet attritio necessariò prærequiratur in suscipiente hoc Sacramẽtum, tanquam dispositio ad tollendum obicem, & absolutionem obtinendam mortalium, ac etiam venialium, quando sunt cum mortali conjuncta; tamen quando sunt separata, ut accidit in justis, talis dispositio non est necessaria ad tollendum obicem, ut eorum absolutionem Sacramentum influere possit; sed sufficere etiam potest aliqua minor dispositio, nempè actualis non complacentia de talibus peccatis, & voluntas recipiendi effectum remedii, quod assumit, ut à venialibus purgari possit, hæc enim censetur virtualis quædam peccati venialis detestatio, dùm homo vult ejus medicinam assumere, ut ab eo purgetur, ut suprà dictum est quæst. 4. art. 1. num. 85. & art. præced. num. 130. & sequuntur

tus Soto, Ledesma, Henriquez, Nugnez, & alii Neoterici dicentes sufficere aliquam retractationem virtualem per quæcunque actum, quo quis desiderat emundari à venialibus, & tenet ex nostris Hiribarnes disp. 19. sect. 1. Probatur autem ex dictis loc. cit. nam sola attritio absque comite Sacramento sufficit in homine justo ad deletionem venialis ex ibi dictis; ergò ad tollendum obicem in Sacramento, qui talem remissionē impedire potest, aliqua dispositio minor attritione formali sufficere potest, consequentia patet, quia ad tollendum obicem minus requiritur, quàm ad ipsum veniale tollendum; ergò si ad delēdum ipsum veniale satis est attritio, ad tollendum obicem in Sacramento minus requiritur. Confirmatur, quia peccatum mortale est gravis offensa Dei, & maxima aversio ab eo, veniale verò levis omninò, & exigua, cùm gratiæ, & amicitiæ Dei non opponatur; ergò ad tollendum obicem respectu venialis, ejusque remissioni impetrandæ in Sacramento minor dispositio sufficere poterit, quæ, scilicet, sit attritio virtualis, ut igitur homo suscipiens Sacramentum non dicatur ponere obicem remissioni venialis, satis erit, ut ad Sacramentum accedat sine actuali complacentia venialis, & affectu recipiendi Sacramentum, ejusque effectū, cùm tale desiderium sit virtualis quædā retractatio venialis, quatenus homo paratus est sumere remedium talis mali destructivum. Denique quia ex oppositā sententia sequeretur, quod magis, vel æquè rigorosa dispositio requireretur ad remissionē peccati levis, & gravis, quod justitiæ nō cōvenit.

144 Ad fundamentum oppositæ sententiæ respondum est loc. c. n. 423. quod licet ad consequendum fructum hujus Sacramēti pro remissione mortalium necessaria sit attritio formalis ad tollendum obicem ob peccati mortalis gravitatem, tamen ad consequendum fructum pro remissione venialium ob eorum levitatem sufficit alia dispositio minor jam declarata, nempè ut homo non habeat actualem complacentiam talium peccatorū, & habeat voluntatem recipiendi effectum remedii, quod assumit; hæc enim est quædam virtualis attritio, & detestatio peccati, dùm homo vult efficaciter ejus medicinam, & antidotum assumere; tali enim actu sufficienter excluditur quælibet complacentia peccati venialis, & quodlibet propositum committēdi iterum illud peccatum, undè licet non sit displicentia ita perfecta, sicut est formalis attritio, est tamen displicentia efficax sicut illa, desiderium enim, quo justus cupit à peccato emēdari per susceptionem Sacramenti, est quædam saltem virtualis detestatio, & retractatio peccati, dùm homo vult ejus medicinam assumere, & quamvis ex se non sufficiat extra Sacramētum ad deletionem venialis, ut attritio formalis, dicimus tamen ad id sufficere cum Sacramento, quia sufficit ad tollendū obicem pro effectu Sacramenti consequendo. Quando verò dicitur attritionem, & dolorem formalem etiam in confessione venialium esse saltem necessariam ad valorem hujus Sacramēti, quia à Conciliis ponitur ejus pars essentialis, & sine vero, & efficaci dolore hoc Sacramentum consistere nequit; respondū est loc. cit. ad valorem confessionis venialium posse etiam sufficere attritionem virtualem jam explicatam, cùm hæc æquivaleat detestationi, & retractationi formali ipsorum, ut jam dictum est, & quando Concilia dicunt ad valorem confessionis necessariam esse attritionem formalem, & verum, ac efficacē dolorem, loquuntur præsertim de confessione mortalium, vel venialium cū aliquo mortali, nam pro pura confessione venialiū potest etiam ad ipsius valorem attritio virtualis jam explicata. Aliam verò solutionem, si hæc non placet, vide loc. c.

145 Septimó ulterius est alia difficultas, an debeat etiam pœnitens dolere de omnibus venialibus, quæ confitetur. Affirmant aliqui teneri pœnitentem sub mortali habere saltem attritionem de omnibus venialibus, quæ confitetur, itaut quamvis non sit obligatus de his confiteri, & possit quæ voluerit prætermittere, tamen supposito, quod velit de eis confiteri, debere accedere cum eorum attritione, & alioquin peccare mortaliter, ita referunt Suarez disp. 20. sect. 6. Lugus d. 14. sect. 8. Aversa q. 11. sect. 6. fundamentum est, quia cum materia hujus Sacramenti sit confessio cum dolore, nisi quis habeat verum dolorem subiicit pro materia Sacramenti potius historicam narrationem, quæ non est apta materia, quarè facit injuriam notabilem Sacramento, & ità sacrilegium committit. Communis autem opinio Recentiorum affirmat non teneri pœnitentem ex necessitate de omnibus venialibus dolere, quæ confitetur, sed tantùm de aliquibus, ne irritum sit Sacramentum, quia dùm pœnitens confitetur aliqua peccata cum dispositione idonea ad valorem, & effectum Sacramenti, jam ponit in tuto exercitium Sacramēti, ne sit irritū, & careat effectu, & de reliquo non irrogat gravem injuriam Sacramento exponendo simul aliqua venialia de quibus non percipiat in se dispositionem, & attritionem requisitam ad eorum remissionem, sicut non peccant qui simul cum peccatis accusant se de quibusdam defectibus, & imperfectionibus rationem culpæ non habentibus, sed tantùm importantibus carentiam majoris perfectionis, quæ non est propriè materia hujus Sacramenti, ità Suarez, Lugus, Aversa, Henriquez, Hurtad. & alii Recentiores.

146 Hic tamen dicendi modus, ut diximus loc. cit. nu. 425. rectè procedit tenendo communem opinionem, quod in confessione venialium requiratur dolor formalis, & expressus saltem per modum attritionis, sicut requiritur in confessione mortalium, sic inquam, verum est non teneri pœnitentem ex necessitate de omnibus venialibus dolere, quæ confitetur, sed tantum de aliquibus ne irritum fiat Sacramentum. Cæterum tenendo juxtà doctrinam præmissam in solutione præcedentis difficultatis attritionem formalem, & expressam non esse necessariam dispositionem pro remissione venialium, quando non sunt cum mortalibus admixta, sed sufficere posse minorem dispositionem nempè actualem non complacentiam de talibus peccatis, & voluntatem efficacem recipiendi effectum remedii, quod assumit, ut à venialibus purgari possit, juxtà, inquam, hanc doctrinam tenetur pœnitens accedens ad Sacramentum cum solis venialibus de iis omnibus hoc modo dolere, & pœnitere, nam talis pœnitentia importat non solùm displicentiam de talibus peccatis, & voluntatem recipiendi remedium, quod assumit, sed talis actus debet necessariò cadere super omnia venialia, quæ confitetur, nam si ad omnia non se extenderet, jam de aliquo veniali complacentiam actualem haberet, vel displicentiam inefficacem, nec voluntatem efficacem haberet assumendi remedium pro purgatione omnium venialium, quæ confitetur; Undè sic accedendo gravem injuriam faceret Sacramento, & ideò loquendo de ista minori dispositione, quam diximus pro remissione venialium sufficere mediante Sacramento, debet talis pœnitentia ad omnia venialia se extendere, quæ in confessione aperiuntur, alioquin confessio irrita esset, & confitens mortaliter peccaret, quia cum obice accederet ad Sacramentum.

147 Postremò est difficultas, an etiam in Confessione venialium requiratur propositum efficax formale, vel virtuale evitandi omnia peccata venialia. Nam ex una parte tale propositum videtur necessarium ad excludendam voluntatem iterum venialiter peccandi; ex alia verò parte videtur, quod non quia scimus nos non posse vitare omnia illa, supposita fragilitate nostra, undè dicitur de venialibus, quod *septies in die cadit justus*, nemo autem potest efficaciter velle, quod videtur esse moraliter impossibile, non enim dari potest voluntatis propositum, & decretum efficax circa objectum cognitum impossibile: hinc oritur dubium, quonam modo possit pœnitens hoc propositum habere circà peccata venialia in posterum vitanda; pluribus modis hanc possibilitatem explicare conatur Lugus disp. 14. sect. 9. & præsertim inquit, quod pœnitens potest habere dolorē, & propositum de his peccatis venialibus, quæ confitetur, & habere dolorem de his omnibus, ac propositum vitandi omnia similia; neque necesse est in peccatis venialibus, sicut in mortalibus, habere animū omnia possibilia vitandi, in hoc n. differt confessio de venialibus à confessione mortalium, in qua requiritur semper universale propositum vitandi omnia, quod propositum non requiritur ad remissionem venialium, tale igitur propositum satis erit ad consequendam veniam omnium venialium, quæ confitetur, quem dicendi modum sequitur etiam Aversa q. 11. sec. 2. cum quibusdam aliis. Sed hunc dicendi modum reiicimus loc. cit. quia tali proposito limitato ad similia peccata tantum evitandi, qualia confessus est, seù non iterum illa committendi stare potest voluntas committendi alia venialia diversa, sivè diversæ speciei; sicut ergò in confessione mortalium non sufficit propositum sic limitatum, sed requiritur, propositum universale omnia prorsus mortalia evitandi, sivè similia, qualia confessus est sivè dissimilia, & alterius speciei; ità etiā dicendū de proposito in confessione venialū requisito ad consequendam veniam omniū eorū, quæ confessus est.

148 Dicendum ergo potius est, ut ibi statuimus, quod potest, ac debet pœnitens non solùm actu dolere de omnibus præteritis, & dicere, quod nullum vellet commisisse, sed etiam habere propositum faciendi diligentiam vitandi in posterum quodlibet singillatim, & cautè vivendi quantum ex divina gratia sibi concedetur: potest, inquam, habere propositum efficax faciendi quantum est ex parte nostra, & quantū in nobis fuerit ad vitanda illa, quantum humano modo fieri possit supposito divinæ gratiæ auxilio, hoc enim propositum sufficit ad hoc, ut in Sacramento remittantur omnia venialia, quæ fiunt confessionis materia, & ità videtur sentire Suarez disp. 4. sect. 3. neq; dissētit Aversa loc. c. ubi gratis concedit, quod hæc diligentia apprehendi potest à pœnitente, ut possibilis, & quod excludit voluntatem committendi ullum veniale in particulari; non enim benè staret cum illo animo voluntas metiendi venialiter, aut negligenter orandi, & sic de similibus; atq; hoc propositum de

futuro satis correspondet cum dolore de præterito, & sufficiet ad consequendam veniam de omnibus anteà commissis. Ad rationem verò dubitandi adductam, quod nemo potest efficaciter velle, quod videt esse moraliter impossibile, non potest autem homo in hac vita ob ejus fragilitatem omnia venialia vitare; dicendum est, quod licet hoc verum sit, adhuc tamen homo verè, & realiter physicam semper habet potentiam, & auxilium sufficiens ad vitanda quælibet peccata venialia, nec vitando plura, & plura talem amittit potentiam vel viribus deficit, & auxiliis ad alia vitanda sufficientibus. Quando ergo dicitur homini impossibile omnia evitare venialia, hoc intelligendum est de potentia morali duntaxat, non autem physica, & hoc est propter maximam, & ingentem difficultatem, & ob magnam sui fragilitatem, ac divinam permissionem, quamvis autem voluntas circà objectũ physicè impossibile efficax propositum habere non possit, ut ad volandum, vel movendum saxum excedentis ponderis, potest tamen habere circà moraliter impossibile supposito auxilio divino, atque ideò potest homo proponere efficaciter modo jam explicato ab omnibus venialibus in futurum abstinere, etiamsi sciat, vel probabiliter dubitet ob magnam difficultatem, & sui fragilitatem se in plura, & plura successivè lapsurum, talis enim dubitatio efficacitatem propositi non tollit.

QUÆSTIO SEPTIMA.

De Confessione Sacramentali.

149 POst contritionem, quæ erat prima pars materialis, & essentialis hujus Sacramenti, agendum est de confessione externa, quæ est altera pars essentialis Sacramenti hujus, & notior contritione, ut per se sensibilis; sumitur autem Confessio in præsenti pro manifestatione, seù accusatione suorum peccatorum in foro interno coram legitimo Ministro ad finem obtinendi eorum veniam, & remissionem per absolutionem, & hæc est propriè Sacramentalis confessio, de qua hic est sermo, & est actus pœnitentiæ virtutis, qui hic consideratur, ut altera pars hujus Sacramenti, definitur autem, ut diximus disp. 5. cit. q. 16. quod sit *accusatio Sacramentalis legitima de peccatis propriis facta coram Sacerdote ad eorum veniam impetrandam virtute clavium*, prima particula stat loco generis, quia confessio Sacramentalis non est qualiscunq; peccati propalatio, & manifestatio, reliquæ verò locum tenent differentiæ, etenim *Sacramentalis* ponitur ad differentiam Contritionis, quæ est confessio coram Deo, & aliarum confessionum non Sacramentalium, *legitima* ponitur ad differentiam earum, quæ carent conditionibus requisitis, *de propriis peccatis* ponitur ad differentiam confessionis laudis, in qua Deum laudamus, non autem nosmet accusamus, *facta coram Sacerdote* ad differentiam confessionis externi fori factæ coram Judice criminali, additur tandem *ad veniam impetrandã* ad differentiam confessionum pœnalium, quæ ad punitionem præcisè ordinantur, non ad veniam. Itaque in præsenti quæst. discurrendum est de necessitate hujus confessionis Sacramentalis, de modo quo fieri debet, ac de ejusdem integritate, quod breviter resolvemus juxtà dicta disp. 5. cit. q. 16. 17. & 18.

ARTICULUS PRIMUS.

An Confessio Sacramentalis sit ad salutem necessaria, & quomodo.

150 PRo resolutione quæsiti supponendum est ex dictis q. 16. cit. art. 1. Sacramentum pœnitentiæ fuisse à Christo Domino institutum completè quoad omnes suas partes, etiam quoad confessionem Sacramentalem contra quamplures Hæreticos, id negantes, & hoc præsertim docet Scot. 4. d. 17. qu. un. art. 1. & posteà tanquam de fide definitur Concil. Trid. sess. 14. cap. 5. ubi sic loquitur *ex institutione Sacramenti pœnitentiæ vniversa Ecclesia semper intellexit, institutam etiam esse à Domino integram peccatorum confessionem, & omnib. post Baptismum lapsis jure divino necessariam existere*, undè infrà concludit repellendam esse inanem eorum calumniam, qui eam à mandato divino alienam, & inventum humanum esse, atq; à Patribus in Concil. Lateran. congregatis initium habuisse docere non verentur. Hanc autem integram hujus Sacramenti institutionẽ sufficienter colligi ex verbis Christi Jo. 20. *Quorum remiseritis peccata*, &c. docet Scotus l. c. ac etiam posteà Conc. Trid. nam per hæc verba, inquit Doctor, acceperunt Apostoli, ac ejus successores potestatem remittendi, & retinendi peccata fidelium, & constituti sunt, tanquam Judices, qui pœnitentibus ritè dispositis sententiam absolutionis, & remissionis proferrent, indignis verò, & indispositis sententiam retentionis, sed certè judicium exerceri, & sententia proferri non potest, nisi probè cognita, & discussa causa, de qua agitur; ergò ex Institutione hujus Sacramenti, & de jure divino, explicita, & distincta confessio peccatorum præcedere debet. Hoc supposito.

151 Primò dicendum est, hoc Sacramentum esse medium necessarium ad consequendam remissionem mortalium, quæ post baptismum commisimus, necessitate divini præcepti, & consequenter confessionem Sacramentalem esse fidelibus eodẽ modo necessariam, & in hoc Sacramento requisitam ex institutione ipsa Christi, & divino jure, atq; ut talem semper, & ab initio in Ecclesia viguisse. Ità Scotus loc. c. cum omnibus Catholicis contrà Hæreticos id negantes, & constat auctoritate plurimorum Conciliorum generalium, ac præsertim Lateranensis sub Innocentio Tertio c. 21. Constant. sess. 8. Florent. in decreto Eugenii, & Trid. sess. 14. c. 5. cit. ubi ait ex institutione Sacramenti pœnitentiæ à Christo facta integram peccatorũ confessionem omnibus post baptismum lapsis jure divino necessariam existere, & can. 6. damnat negantes confessionem Sacramentalem institutam esse à Christo, & necessariam jure divino, & can. 7. declarat esse de jure divino necessarium confiteri in Sacramento pœnitentiæ omnia, & singula peccata mortalia. Et quidem ut ait Scotus, & posteà Trid. loc. cit. necessitas hujus Sacramenti, sivè confessionis Sacramentalis sufficienter etiam deducitur ex relatis Christi verbis Jo. 20. *Quorum remiseritis peccata remittuntur eis*, &c. supposita obligatione hominis ad diligendum Deum, & se ipsum, facta autem hac obligatione sic arguit Doctor, qui amisit primam gratiam tenetur eam recuperare ex illis duobus præceptis, Diliges Dominum Deum tuum, & diliges te ipsum, sed ubi sunt duæ viæ consequendi salutem, tenemur ad faciliorem, & tutiorem, alioquin videremur salutem contemnere eam periculo exponendo, facilior autem, & tutior via est peccati remissionem consequi per pœnitẽtiam Sacramentum, quàm per pœnitentiam virtutem, quia ad consequendam gratiam cum pœnitentia Sacramento sufficit attritio, cum pœnitentia verò virtute requiritur contritio, quæ est longè difficilior; ergò sub præcepto tenemur hoc Sacramentum suscipere ad peccati remissionem certius consequendam; ità discurrit Doctor sub lit. D. & Astesanus noster cum ipso lib. 5. tit. 10. art. 2. Deindè necessitas hujus Sacramenti, sive confessionis Sacramentalis potest rursus efficaciter deduci ex aliis Evangelii locis, ut diximus loc. c. n. 436. & notat Aversa q. 3. sect. 2. in quibus Christus per similitudinem clavium hujus Sacramenti essentiam, & excellentiam expressit, sicut enim clavis ad ostium aperiendum est omninò necessaria ut quo foris sunt, ingredi possint; ità potestas Sacerdotis ad solvendum, & ligandum à Christo ei communicata, quæ dicitur clavis, necessaria est ad aperiendam januam remissionis peccatorum, & Regni Cœlorum, alioquin si absque hujusmodi clave pateat aditus, frustrà data est hæc clavis Sacerdotibus, & frustra diceretur Clavis; ergò illis, quibus à Sacerdotibus per potestatem clavium aperitio, & solutio non conceditur, clausa manet janua atq; ideò hoc ministeriũ, & Sacramentum est eis ad Salutem necessarium; quarè concludendum est Confessionis necessitatem, sicut & ordinationem fuisse à Christo institutam, esseque verè de jure divino, qua tamen necessitas intelligenda est quando talis confessio fieri potest, casu enim quo fieri non posset, sufficere potest sola confessio in genere ad hoc, ut Sacramẽtum validè, & utiliter conficiatur, & absolutio pœnitenti impẽdatur, imò etiamsi desit copia Confessarii, sola contritio sufficere potest cum Sacramento in voto, ut passim omnes docent.

152 Secundò dicendum est, pœnitentiæ Sacramentum necessarium esse, non tantùm necessitate præcepti, sed etiam necessitate medii in re, vel in voto illis, qui mortaliter post baptismum peccarunt. Ità jam statuimus suprà disp. 16. de Sacramẽtis qu. 4. art. 2. cum Scoto loc. cit. ubi etiam hæ duo necessitatis genera explicuimus, & probatur in primis ex Trid. sess. 14. cap. 2. ubi definit pœnitentiæ Sacramentum ità necessarium esse lapsis post baptismum, sicut baptismus est necessarius iis, qui modum illum susceperunt, sed baptismus necessarius est necessitate medii in re, vel in voto, ut loc. cit. dictum est; ergò pariter pœnitentiæ Sacramentum necessarium est vel in re, vel in voto lapsis post baptismum. Deindè probatur ratione, quia ex dictis ibidem illud est necessarium necessitate medii in re, vel in voto quo prætermisso in re, vel in voto salus obtineri non potest, sed prætermisso pœnitentiæ Sacramento in re, vel in voto salus obtineri non potest ab eis, qui post baptismum lapsi sunt; ergo pœnitentiæ Sacramentum est illis necessarium necessitate medii in re, vel in voto. Tandem effectus, ad quem hoc Sacramentum ordinatur, est reconciliatio cum Deo, & peccati mortalis remissio post baptismum; sine hac autem reconciliatione,

ne, & remissione salus obtineri non potest, & hic effectus nulla ignorantia suppleri potest etiam invincibili; ergò non tantùm est necessarium necessitate præcepti, quia talis necessitas per ignorantiam invincibilem suppleri potest, ut loc.cit. dictum est, sed etiam necessitate medii. Ex quo patet mortaliter peccantem post baptismum salvari non posse, nisi pœnitentiæ Sacramentum recipiat in re, vel in voto, hoc est, nisi recipiat ipsum pœnitentiæ Sacramentum, aut actum contritionis eliciat, in qua votum Sacramenti pœnitentiæ continetur, aut eliciat actum dilectionis Dei super omnia, qui actui contritionis æquivalet; undè inquit Trident. sess. 14. cap. 4. remissionem peccati non esse contritioni attribuendam sine voto Sacramenti, quod in illa includitur. Sufficit verò contritio cum voto Sacramenti, quando vel adhuc non instat tempus obligationis, quo peccator per confessionem justificari teneatur, vel si teneretur, non posset tunc confiteri, & hæc tota doctrina expressè habetur apud Doctorem cit. 4. dist. 17. quæst. un. in solutione principalium ad auctoritatem Augustini & Cassiodori, ubi dicit contritioni annexum esse debere votum confitendi, nec deleri peccatum per contritionem sine proposito confessionis, nam qui actum contritionis elicit, tenetur adhuc eadem peccata, quorum remissionem per actum contritionis obtinuit, subiicere suo tempore Sacramento pœnitentiæ; contritio enim non ita justificat, ut peccatorem liberum relinquat ab obligatione subiiciendi peccata Sacramento pœnitentiæ, quamvis remissionem peccatorum illorum per contritionem obtinuerit; undè qui contritionis actū elicit, obtinet quidem virtute illius peccatorum remissionem, non tamen simpliciter, & absolutè, sed per ordinem ad futuram confessionem, cui Deus vult illa eadem peccata subiici debere; facta autem confessione à tali obligatione pœnitens liberatur; sicut quandò res aliqua venditur, & traditur emptori antè pretii solutionem, acquirit quidem emptor illius rei dominium, & venditor tradit per ordinem tamen ad futuram solutionem. Quomodo autem hinc non sequatur contritionem in nova lege esse deterioris conditionis, & minoris virtutis, & efficaciæ, quā esset in veteri lege, ubi justificabat independenter à confessione jam quoque declaratum est loco citato, ubi diximus potius hinc sequi, quod modò sit majoris virtutis, & efficaciæ, quàm fuerit in veteri lege, quia nemini potest esse certum, si veram habeat contritionem; efficacia autem Sacramenti est certa fide divina, quarè per ordinem ad Sacramentum majorem sumit valorem, & certitudinem, ut etiam docet Bonacina disp. 5. qu. 2. punct. 3.

153 Tertiò dicendum est cum Scoto dist. 17. cit. quæst. un. a. 2. præceptum divinum Confessionis omnes illas personas obligare, quæ post baptismum mortaliter peccaverunt, etiam Hæreticos, Apostatas, & degradatos. Hoc manifestè tùm ex Conc. Lateran. c. *Omnis utriusque sexus*, tùm ex Trid. sess. 14. cit. c. 2. ubi dicit baptizatos, qui se crimine aliquo contaminaverint, ad pœnitentiæ tribunal ex Christi Domini instituto sisti debere, & ratio est, quia cum peccata mortalia ex superius dictis sint materia necessaria hujus Sacramenti, & cum hoc Sacramentum sit à Christo institutum, ut medium necessarium ad remittendum omnia peccata mortalia post baptismum commissa, sequitur omnes baptizatos conscientiam peccati mortalis habentes hoc præcepto teneri. Undè infert Doctor loc. c. omnes etiam pueros baptizatos, cum primum ad eam pervenerint ætatem, in qua sint doli capaces, & conscientiam peccati mortalis habere possint, hoc præcepto teneri. Ex quo fit infantes antè usum rationis non esse hujus obligationis capaces, non solùm, quia non sunt capaces præcepti, sed etiam quia non sunt peccati actualis capaces, quod est materia hujus Sacramenti, & eadem ratione, si quis esset adultus innocens, & in gratia confirmatus, ut fuit B. Virgo, non obligaretur hoc præcepto, ut ait Doctor cit. in solutione ultimi argumenti. Dubium tamen est de Infidelibus, an teneantur tali Confessionis præcepto. Affirmant aliqui puros etiam Infideles, qui baptizati non sunt, hoc præcepto obligari, non quidem Ecclesiastico annuæ Confessionis, sed divino de Confessione simpliciter facienda, quod etiam tenent nonnulli ex Scotistis, ut diximus lo. c. quorum præcipuum fundamentum est, quia præceptum de confitendis peccatis non est humanum, sed divinum; ergò non solùm ad illud tenentur fideles, qui sunt intrà Ecclesiam, sed etiam Infideles extrà Ecclesiam existentes, quia præceptum divinum obligat omnes.

154 Nos tamen diximus quæst. 6. cit. num. 442. quod licet de possibili potuerit hoc præceptum Confessionis etiam ad infideles non baptizatos extendi, non tamen de facto extenditur. Ita Scotus loc. cit. & est vera, & communis sententia, quæ ex eo deducitur, quod peccata antè baptismum commissa non sunt materia necessaria Sacramentalis Confessionis, ut Doctor docet ibidem, & posteà definitum est in Concil. Florent. & Trident. nam sess. 6. c. 14. docet Sacramentum pœnitentiæ esse à Christo institutum pro iis, qui post baptismum in peccata labuntur, & sess. 14. c. 1. & 2. inquit, quod si justitiam in baptismo susceptam constanter tueremur, non opus fuisset aliud ab ipso baptismo Sacramentum ad peccatorum remissionem institui; si autem peccata antè baptismum commissa essent materia necessaria Sacramenti pœnitentiæ, deberent etiam per baptismum remissa subiici clavibus, quia in baptismo non remitterentur, nisi in ordine ad claves, sicut remittuntur peccata extrà Sacramentum per contritionem; atq; ita præter baptismum necessarium etiam fuisset pœnitentiæ Sacramentum, adhuc constanter conservata justitia baptismali, quod negat Trid. l. c. ergò infideles non baptizati non obligantur hoc præcepto, imò nec cōfiteri possunt peccata antè baptismum commissa, sed pro iis delendis tenentur solùm suscipere baptismum; nec ad hunc finem, & ex hoc motivo baptizari tenentur, ut confiteantur, itaut secus faciendo duplex peccatum committant, ut asserunt Auctores oppositæ opinionis, quam intelligunt, non quod in eo statu infidelitatis confiteri teneatur, sed quod ad hoc ipsum baptizari debeant, ut confiteantur, itaquod prætermittentes baptismum non solùm peccent contra ipsum baptismi præceptum, sed etiam contra hoc Confessionis. Fundamentum verò in oppositum, quod præceptum Confessionis est divinum, non humanum, & ideò obligat omnes, & cùm sit universale, omnes comprehendit, parum urget; hoc enim intelligitur solùm de omnibus talis Sacramenti capacibus, quales non sunt Gentiles, & infideles, cum enim Ecclesia non judicet, nisi qui per baptismi januam fuerint in ipsam ingressi ex Trid. sess. 14. c. 2. quod probat ex verbis Apostoli ad Corint. 1. *quid enim mihi de iis, qui foris sunt, judicare?* ad solos baptizatos hoc præceptum restringi debet.

155 Quartò est difficultas, an muti jure divino teneantur ad hoc Sacramentum, & quomodo. Ratio difficultatis est, quia confessio Sacramentalis aliquo signo sensibili fieri debet, cum nequeant homines sibi invicem suos manifestare conceptus, nisi per signa sensibilia; signum autem aptissimum ad confessionem est humana vox, quia distinctius, & certius significat, quam alia omnia signa sensibilia; ergò mutus, qui loqui non potest, ad hoc præceptum teneri non videtur. Confirmatur quia in Concilio Florent. in decreto Eugenii materia hujus Sacramenti dicitur esse oris confessio; ergo de necessitate, & valore hujus Sacramenti videtur esse, ut voce fieri debeat, sicut ablutio aquæ in baptismo. Tandem de necessitate hujus Sacramenti est, ut absolutio ore proferatur, ut suprà dictum est, undè Concil. Florent. loco cit. dicit formam hujus Sacramenti esse verba Sacerdotis; ergò ita etiam de Confessione dicendum videtur. Nos tamen loc. cit. nu. 447. diximus mutos etiam de jure divino ad hoc Sacramentum teneri. Ità Scotus d. 17. cit. qu. un. in solutione principalium, & est communis Theologorum sententia. Probatur, quia nullum extat præceptum divinum, vel Ecclesiasticum, ut confessio Sacramentalis humana voce fiat; non quidem divinum, quia neque ex sacra scriptura, neque ex traditione constat de hujusmodi præcepto; neque ex ejus institutione hoc præceptum colligi potest, siquidem ex ejus verbis solùm habemus necessarium esse, ut pœnitens judici causam suam manifestet; hinc tamen deduci non potest opus esse, ut hæc notitia detur per proprium sermonem humanum, nam hæc etiam haberi potest per quamcumque expressionem per alia sensibilia signa; & ita servatur in praxi, ut constat de moribundis, qui non potens loqui signa contritionis, & confessionis exhibent, sic ergò pariter muti sua peccata exprimere poterunt nutibus, vel aliis signis, habetur etiam exemplum in Sacramento Matrimonii, quod pariter non solùm voce, sed aliis etiam signis mutui consensus expressivis perfici potest. Nec etiam de hac re reperitur, Ecclesiasticum præceptū, aliudvè decretum, imò ex consuetudine Ecclesiæ oppositum colligitur, nam cùm pœnitens loqui non potest, si quovis alio modo conscientiam suam Sacerdoti significet, censetur sufficere, ut absolvendus sit, sicut de moribundis dictum est. Et planè optima fuit congruentia talis institutionis, quia hoc Sacramentum præcipuè institutum fuit, ut remedium ad salutem peccatorum maximè necessarium; ergò ejus essentia ad illud signum limitari non debuit, quod sæpissimè in articulo necessitatis deest, hujusmodi autem est vox articulata, & humanus sermo, quo non solùm muti, sed etiam moribundi sæpè uti non possunt.

156 Ad fundamentum in oppositum, concesso antecedente quoad omnes partes, negatur consequentia, quia manifestatio humanorum conceptuum potest fieri, non solùm voce, & locutione, sed etiam scripto aliisque signis, & nutibus, undè benè potest quis peccata sua aliis signis exprimere, & accusare, & consequenter benè poterit ab iis à Sacerdote absolvi, adhuc tamen optimus, & consuetus modus confitendi per vocem, & verba, quæ in humano commercio sunt commodissima signa. Ad Confirm. patet per idem, ideò enim Conc. Florent. peccatorum accu-

accusationem in hoc foro appelavit oris confessionem, quia ordinario modo sic fieri solet, imo debet ex obligatione sic fieri voce ab eo, qui potest, nisi rationabili causa excusetur; non tamen est absolutè pro omnibus necessarium, & in quocunq; casu, & ideò Conc. Trid. ad omnem tollendam ambiguitatem particulam oris omisit, & solum dixit confessionem in genere, & absolutè sumptam esse materiam; ex quo patet discrimen inter materiam Sacramenti hujus, & baptismi, non enim est una in specie materia hujus Sacramenti, sicut est aqua in baptismo, sed est una unitate generica, quia est manifestatio peccatorum per signa; in baptismo verò requiritur omninò ablutio aquæ, nec sufficit alius quicunq; liquor, quia specie, ac determinatè in tali materia Sacramentum baptismi est institutum. Ad ultimum negatur consequentia, non enim ità necessarium est confessionem fieri voce, sicut absolutionem, quia ex Conc. cit. essentialis formæ ratio hujus Sacramenti consistit in verbis, cujus etiam congrua ratio reddi potest, quia nimirum materia Sacramenti non semper expressam continet significationem, sed hæc completur per formam, & perficitur, & ideò magis necessarium est verbum ex parte formæ, quam ex parte materiæ; tum etiam quia moraliter loquendo nunquam, aut vix contingit necessitas absolvendi sine verbo, confitendi autem frequens est, quarè in Conc. Arausicano primo sub Leone primo c. 12. statutum est *obmutescentem si nutibus confiteatur, absolvendum esse.*

157 Quintò est difficultas, an pœnitens ex vi præcepti Confessionis, & de jure divino teneatur confiteri per Interpretem si aliter non possit. Affirmant Sylvester, & Canus apud Suarez sect. 6. Lugus disp. 15. sect. 5. Caspensis disp. 4. sect. 3. Brancatus ex nostris disp. 23. art. 6. & alii Recentiores, quorum fundamentum est, quia licet præceptum divinum non obliget ad confitenda peccata cum gravi detrimento extrinseco, ex confessione tamen facta per interpretem fidelem, & prudentem, qui eodem modo obligatur secreto, & sigilo ac Confessarius, non videtur tale detrimentum sequi, nisi quod peccata, quæ aliàs uni tantùm nota esse deberent, scilicet, Confessario, manifestentur duobus, illi nimirum, ac interpreti. At hoc incommodum non videtur tanti ponderis esse, ut pœnitentem excuset ab obligatione divini præcepti, quia sæpè habens peccatum reservatum absolvitur ab inferiori, cum onere tamen comparendi posteà coram Superiore, cui casus reservatur, ac ei manifestandi, & tamen non ob id pœnitens à talis obligatione eximitur; ergò etiam ita dicendum est de obligatione confitendi per interpretem, æquè enim in utroq; casu urget periculum damni publicitatis. Nos tamen diximus loc. cit. n. 450. ex præcepto divino, & multò minus Ecclesiastico non teneri fideles ad confessionem per interpretem ita Doctor expressè d. 17. cit. qu. un. in solutione principalium, ubi in responsione ad argumentum, quid sit dicendum, si interpres sint necessarius, ut confessio in particulari fiat, ait eum non teneri per interpretem confiteri, maximè quando timetur eum non esse idoneum, aut secretum, non negat autem eum sic posse confiteri, si velit, sed negat eum obligatum esse ad sic confitendum, ut ibidem advertit Hiqueus in Commentario nu. 121. & Ponc. disp. 45. qu. 6. ubi particula illa *maximè* non tenetur restrictivè, quasi solùm in tali casu non teneatur, sed ampliativè, nam suprà dixerat absolutè loquendo non videri necessarium ex præcepto divino confiteri per Interpretem, & posteà subdit maximè non teneri, quando timetur eum non esse secretum, & hæc est communis opinio apud Recentiores, Suarez, Vasquez, Aversam, Coninchium, & alios.

158 Quod autem talis confessio per Interpretem non sit ex præcepto divino, præter rationem à Scoto insinuatam loc. cit. clarè deducitur ex Trident. sess. 14. c. 5. ubi inquit, cæterum quoad modum confitendi secretò apud solum Sacerdotem, etsi Christus non vetuerit, quin aliquis in vindictam suorum scelerum, & sui humiliationem, tum ob aliorum exemplum; tùm ob Ecclesiæ offensæ ædificationem delicta sua publicè confiteri possit, non est tamen hoc divino præcepto mandatum, nec satis consultè humana aliqua lege præciperetur, ut delicta præsertim secreta, publica essent confessione aperienda. Hæc ibi Concilium. Quibus verbis patet confessionem hujusmodi, licet non sit à Christo vetita non tamen esse præceptum nec divina, nec humana lege, atque adeò nullum, neque jure divino, neque Ecclesiastico teneri ad aliam confessionem præter secretam, & auricularem soli Sacerdoti factam. Nec valet respondere cum Lugo cit. Concilium solùm loqui de Confessione secreta, prout contra distinguitur à publica, quæ fieret coram multis, qualis non est, quæ fit per Interpretem, neq; enim est publicum, quod per Interpretem fidelissimum, & stricto præcepto obstrictum dicitur Confessario, sicut neq; est publica confessio, qua idem peccatum reservatum manifestatur Superiori, & inferiori. Non valet, inquam, quia Concil. accipit confessionē secretam, & distinguitur à publica, non solùm coram multis facta, sed etiam facta duobus, ut sunt Sacerdos, & Interpres, ait enim à Christo solùm esse præceptum *modum confitendi secreto apud solum Sacerdotem*, quibus verbis excluditur quilibet alius præter Sacerdotem. Et quamvis etiam Concilium loqueretur de confessione publica coram multis facta, tamen ratio, ob quā dicit Concilium talem confessionem publicam non fuisse à Christo præceptam probat, etiam quod non præceperit illam, quæ fieret per Interpretem, hæc enim ratio est publicitas, quæ in utraq; confessione reperitur, tam coram multis facta, quàm per Interpretem, nec differunt nisi quoad magis, & minus, eo enim ipso, quod Confessio non fit soli Sacerdoti, jam est aliquo modo publica, vel saltem non secreta, sicuti à Christo est præcepta, qui præcepit solùm *modum confitendi secretò apud solum Sacerdotem*, ut sonantibus verbis Concilium expressit. Neque est par ratio de confessione, qua idem peccatum reservatum Superiori, & inferiori manifestatur, & de Confessione per interpretem facta, nam in eo casu facilè potest impediri significatio peccati alteri, quàm confessario, primò quia ad hunc finem in qualibet Ecclesia institui solent Pœnitentiarii publici facultatem habentes absolvendi à reservatis, & si Confessarius talem facultatem non haberet, potest ipsam petere pœnitens, & procurare per Confessarium ipsum absq; eo quod Superior veniat in notitiam personæ pœnitentis. Deindè quia posset immediatè confiteri ipsimet Superiori, qui ipsum audire teneretur, si alii confiteri non velit, ex illa obligatione, qua alter teneretur ipsi peccatum reservatum manifestare, neque enim Superior pœnitentem obligare potest, ut pluribus quàm uni peccatum tale confiteatur. Tùm tandem quia in tali casu de peccatis reservatis Superior, & inferior unum audientem constituere videntur ob unicam potestatem jurisdictionis absolvendi ab illis, quod dici nequit de Confessione per Interpretem facta, qui nullam supponitur habere potestatem nec Ordinis, nec jurisdictionis, undè re vera, & physicè, & moraliter sunt plures audientes; ex qua doctrina solvitur fundamentum prioris sententiæ.

159 Sextò est difficultas, quo tempore præceptum Confessionis obliget de jure divino, & sermo est de obligatione per se, & ex vi præcepti ipsius Confessionis, nam loquendo de obligatione per accidens certum est fideles in quibusdam casibus de jure divino ad præceptum confessionis teneri, quos assignat Faber disp. 28. c. 2. & Branc. disp. 23. a. 3. & alii Recentiores passim, & indicat Scotus ipse mox citandus dicens fidelem ad cōfessionem teneri etiam quando vult exercere actus aliquos, quibus debetur reverentia specialis, ut quando vult communicare, &c. In hoc autem sensu loquendo, ut diximus q. 10. cit. a. 3. omnes concedunt cum Scoto 4. dist. 17. q. un. a. 2. sub O. hoc præcepto obligari fideles omnes, qui sunt in articulo mortis, & conscientiam peccati mortalis habent, etenim si tunc hoc præceptum non adimpleant, non amplius illud adimplere possunt, vel saltem se periculo exponunt illud non adimplendi. Concedunt item pariter omnes cum Scoto loc. cit. hoc præcepto obligari etiam illos, qui sunt in probabili mortis periculo, postquam enim dixit loc. cit. divinum præceptum obligare ad Sacramentum pœnitentiæ, quandocunq; homo est in articulo mortis, subdit deindè, & declarat hoc non esse tantùm in infirmitate mortali, sed etiam quando aggreditur actus arduos, in quibus sit verisimile quod mors imminеat, ut in bello mortali, naufragio, &c. Undè non solùm dicimus in mortis articulo, quo quis est certò moriturus, seù lethali premitur morbo, sed etiā periculo, cùm scil. quis periculosum bellum, vel diuturnam navigationem, aut similia pericula ingreditur, hi enim omnes antè articulum, vel periculum mortis confiteri tenentur, dùm copiam Confessarii habent, & peccati mortalis conscientiam ob rationem allatam; quia cum hoc præceptum non obliget, nisi ad confitenda mortalia, si in articulo, vel periculo mortis constitutus nullam conscientiam peccati mortalis habeat, hoc præcepto non tenebitur. Sola ergò difficultas est, an hoc præceptū divinum Confessionis fideles obliget alio tempore, quàm in articulo, vel periculo mortis loquēdo de obligatione per se independenter à quocunq; alio præcepto, & extrinseca necessitate, cùm extrà hæc tempora nō videatur aliud certum tempus assignabile, in quo hoc præceptum per se obliget. Negant quamplures dicentes secluso præcepto Ecclesiastico non teneri quemquā ex divino jure antè mortis articulum, aut periculū confiteri eo quod ex præcepto Confessionis simpliciter non alia obligatio temporis oriatur, cùm enim sit præceptum affirmativū non obligat, nisi tempore necessitatis, est autē hoc tēpus solus articulus, vel periculū mortis, ita Suarez, Coninch. Lugus, Filliucius, & alii Recent. citantes Durandum, Paludanū, Riccardū, & alios antiquiores. Affirmant alii præceptum divinum Confessionis adhuc extrà casum articuli, vel periculi mortis obligare, sed non conveniunt in assignando tali tempore. Aliqui enim di-

dicunt obligare statim, ac quis peccavit. Alii verò, quoties ex dilatione confessionis oritur probabile periculum oblivionis peccatorum, ut videre est apud Fabrum disp.cit.

160 Nos tamen diximus q.16.cit.art.3. cum communiori,& probabiliori sententia, præceptum divinum confessionis ex vi sua non solùm obligare in mortis articulo, verùm etiam aliquoties extrà mortis periculum, vagè tamen, & indeterminatè, itaut nullum tempus assignari possit, in quo obligasset; nisi Ecclesia id determinasset, quod saltem confessio fiat semel in anno. Ita Amicus, Caspensis, Aversa, & ex nostris Hiqueus 4.dist. 17.qu.un. Faber loc.cit.& alii passim. Quod autem hoc præceptum per se aliquando obliget etiam extrà articulum,& periculum mortis satis evidenter deducitur ex Trid. sess.14.c.5. ubi sic loquitur: *Neque enim per Lateranense Concilium Ecclesia statuit, ut Christi fideles confiterentur, quod jure divino neeessarium, & institutum esse intellexerit, sed ut præceptum Confessionis saltem semel in anno ab omnibus, & singulis, cùm ad annos discretionis pervenissent, impleretur.* Cùm ergò Concilium his verbis doceat determinatum fuisse ab Ecclesia hoc tempus, in quo Christi fideles tenerentur hoc divinum præceptum de confitendo adimplere, necessariò intellexit de tempore, quo extra mortis articulum hoc idem præceptum jure divino obligasset, hoc enim tantùm tempus Ecclesiæ determinatione egebat; at si tempus implendi hoc præceptum jure divino esset tantùm articulus, vel periculum mortis, jam in tali casu determinatum esset tempus impletionis præcepti jure divino, atque ideò non potuisset Ecclesia statuere, ut obligaret semel in anno, quando enim præceptum, & tempus præcepti jure divino constituta sunt, non possunt ab Ecclesia mutari. Probatur etiam ratione satis congrua, quia finis institutionis hujus Sacramenti non fuit, ut hominem solùm in extremo vitæ disponeret, ut Sacramentum extremæ unctionis, sed ut hominem à peccato mundaret, & in gratia Dei conservaret in hac vita, ut opera meritoria vitæ æternæ operari posset, quæ sine gratia haberi non possunt, aliàs sequeretur, quod in hac vita non teneretur facere bonum, aut suis meritis ingredi Regnum Cœlorum, & sibi præparare coronam, quod in statu peccati assequi nequit; ergò sicut antè finem vitæ tenetur ad actus aliarum virtutum, & suam salutem operari mediante fide, sic etiam ad pœnitentiam, sicut enim ad effectum salutis fides sine operibus mortua est, ita opera existentis in peccato mortali mortua sunt. Nec fundamentum oppositæ sententiæ urget, quamvis enim hoc sit præceptum affirmativum, adhuc tamen negandum est obligare tantùm in extrema necessitate, licet in ea tantum determinatè obliget, extrà quam non nisi vagè, & indeterminatè obligat quantum est ex se, ut mox dicemus.

161 Deindè quod extrà mortis periculum hoc præceptum confessionis obliget tantùm vagè, & indeterminatè itaut nullũ tempus assignari possit, quo obligasset, nisi Ecclesia id determinasset, quod saltem confessio fiat semel in anno, pendet ex dictis suprà de pœnitentia virtute qu.3.art.2.ubi nu.65. diximus etiam aliquo tempore extrà mortis articulum, vel periculum præceptum contritionis de peccatis commissis per se obligare, difficile tamen esse tale tempus ex natura rei determinare; si ergò præceptum contritionis de peccatis commissis non habet determinatum tempus extra casum extremæ necessitatis, non est cur dicamus illud habere præceptum divinum confessionis; quę minus necessaria est, quàm contritio. Quod etiam ostendi potest excludendo duos modos jam relatos pro hujusmodi temporis determinatione extra mortis articulum, quod enim tempus determinatum obligationis, vel adimpletionis hujus præcepti de jure divino non sit statim post peccatum commissum, cõstat ex dictis loc.c.q.3.art.2. n.63. ubi statuimus non teneri peccatorem statim conteri, & pœnitere post peccatum commissum, aliàs esset in continuo peccato, qui statim ac peccat non conteritur, vel diligit Deum, sicut qui non restituit, quod nullus concedit; si ergò non tenetur peccator statim post peccatum commissum cõteri, & pœnitere, multò minus tenebitur statim confiteri, quia non est major necessitas confessionis, quam contritionis, quia sine confessione potest quis salvari, si nimirum habeat contritionem, nec adsit copia Confessarii, at sine contritione nequaquam. Confirmatur ex communi fidelium sensu, qui nunquam se accusant, quod non statim, ac peccaverant, sint confessi, & ex ipso Ecclesiæ præcepto de annua Confessione, non enim Ecclesia voluit, aut potuit obligationem juris divini retardare, & si tunc urgeret obligatio, erraret Ecclesia talem differendo obligationem, seù dilationem concedendo per annum integrum, & ea stante occasionem prævaricandi fidelibus obtulisset, qui absque ullo scrupulo, ac conscientiæ remorsu putant se de rigore obligationis non teneri citius confiteri.

162 Denique quod neque determinatum tempus obligationis hujus præcepti sit, quando ex dilatione confessionis oritur probabile periculum oblivionis peccatorum, ut asserebat alter ex duobus dicendi modis jam relatis pro secunda sententia, quẽ significarũt Marsilius, Sotus, Medina, Nugnez, & quidam alii, colligitur ex eodem usu Ecclesiastici præcepti, quia aliàs multi de facto tenerentur frequentius, quam semel in anno confiteri, facilè namque in unius anni spatio periculum occurrit oblivionis de aliquibus peccatis, & circumstantiis, ac præsertim de eorum numero, cùm multi de facto omnia sua peccata intra annum commissa memoria retinere nequeãt, undè sequeretur nõ sufficienter Ecclesiam tempus determinasse, quo omnes Christi fideles integrè hoc præceptum adimplere valeant. Confirmatur, quia si hæc opinio vera esset, sequeretur pœnitentem teneri confiteri adamussim omnia peccata, quæ re vera commisit; at hoc est falsum, quia ex præcepto divino confiteri non tenemur, nisi omnia illa peccata, quæ menti occurrunt post diligens examen, ut Trid.definit sess.14. cap.5. Tandem hoc idem ratio ipsa suadet, quia ex obligatione integritatis in confessione servandæ ad summum deducitur pœnitentem teneri moralem facere diligentiam eo tempore, quo confitebitur, in suis peccatis recolendis, & ea tantùm confiteri, quæ post naturam diligentiam, & prudentem discussionem recordatus fuerit, nec obligatur facere extraordinariam diligentiam, qualis esset anticipare confessionem, qua de causa, nec etiam peccata commissa scribere tenetur, ut sufficienter memoriæ fragilitati provideat, & nulli dubium est, quod hoc remedio satis memoriæ consuleret. Concludendum igitur est, ut diximus qu.16.cit. in fine, præceptum Confessionis ex vi sua non solùm obligare in mortis articulo, vel periculo, verùm etiam aliquoties extrà mortis periculum, ut suprà dictum est, vagè tamen, & indeterminatè, itaut nullum tempus assignari possit, quo obligasset, nisi Ecclesia id determinasset; quod saltem Confessio fiat semel in anno. Et quamvis Soto, Navarrus, Bonacina, & alii Summistæ dicant tempus hoc posse, ac debere determinari juxtà prudentis viri judicium ad consulendum propriæ saluti, & alia evitanda peccata; difficilè tamen est tale tempus assignare extrà articulum, & periculum mortis, maximè cum quacumque necessitate assignata in speciali possit esse remedium dilectio Dei vel contritio de peccatis commissis; ideoque probabilius alii Doctores censent necessariam fuisse Ecclesiæ determinationem, quæ vagum hoc tempus, ac indeterminatum ad certum spatium limitaret, scilicet saltem semel in anno. Ex quo infertur, cùm Christus non determinaverit tempus præcepti Confessionis, reliquisse illud Ecclesiæ determinandum, ut rectè advertunt Amicus, & Caspensis loc. cit. & Astesanus noster l. 5. cit. tit. 11. ubi ait, quod Ecclesia potuit in hoc præcepto tempus determinare, cùm sit præceptum disciplinæ, non naturæ. De præcepto autem Ecclesiæ annuæ Confessionis sufficienter tractavimus in superioribus disp.12.quæst.2.art.2.

ARTICULUS SECUNDUS.

An ut Confessio sit Sacramentalis, & valida, debeat esse secreta & de quibusdam aliis ejus conditionibus.

163 Hic advertendum est, ut diximus disp.5.cit.qu.17.ab initio, duplex esse confessionis secretum, unum quod servare tenetur Confessarius audita alterius Confessione, quod Confessionis sigillum dici solet, de quo infrà, alterum, quo pœnitens debet secretò facere confessionem apud solum Sacerdotem, quo seusu confessio dicitur secreta, non solum prout secretum opponitur publico, & publicum dicitur, quod omnibus, aut pluribus innotescit, & quod paucis notum est dicitur adhuc secretum, sed rigorosè excludendo omnem alium præter Sacerdotem, undè etiam dici solet auricularis confessio. Quæstio igitur est, an confiteri publicè coram pluribus sit contrà institutionem hujus Sacramenti, & ità non sit vera Sacramentalis confessio; supponit autem hæc quæstio modum secretæ confessionis honestum, & sanctum esse, & à Christo Domino institutum, & non haberi solùm ex pura Ecclesiæ traditione, ut nonnulli ducunt Hæretici, qui error posteà damnatus est in Concil. Trid. sess.14.c.5.& can.6.his verbis: *Si quis dixerit modum secretè confitendi soli Sacerdoti, quem Ecclesia Catholica ab initio semper observavit, & observat alienum esse ab institutione, & mandato Christi, & inventum esse humanum anathema sit.* In hac autem quæstione diximus loco citato, tres esse sententias, duas extremas, & unam mediam. Prima extrema docet conditionem secreti esse de essentia confessionis, & necessitate hujus Saaramenti, ita quod si omittatur, confessio non sit Sacramentalis, quam enixè defendit Faber dis.29.c.1. tanquam de mente Doctoris 4. d.17. q. un. ubi in solutione principalium ait confessionem factam per Interpretem nun esse pœnitentialem, vel Sacramentalem, quia non est confessio secreta, sed quodammodo publica. Secunda senten-

sententia extrema asserit è contrà conditionem secreti nullatenus esse de essentia, & necessitate hujus Sacramenti, atque ideò esse posse veram confessionem Sacramentalem, etiamsi publicè fiat, aut pluribus Sacerdotibus, aut per Interpretem, ità Recentiores, communiter cum Suarez disp. 21. sect. 2. ubi non solùm dicit secretam confessionem non esse de necessitate Sacramenti ex institutione Christi, sed nec etiam esse de necessitate præcepti ex parte pœnitentis, quia nullum in hac re invenitur præceptum divinum. Tertia sententia media asserit usum confessionis secretæ esse ex institutione Christi, & non haberi istum modum confitendi ex sola Ecclesiæ traditione, ut statuit Trid. loc. cit. non tamen istum modum esse de necessitate Sacramenti simpliciter, & absolutè loquendo, & in quocunque casu, sed tantùm prout regulariter fit, adeòut confessio publicè facta in aliquo necessitatis casu, ut in loco, ubi plures infirmi simul jacent tempore pestis, vel in repentino incendio, terræ motu, naufragio, & similibus, esset vera Confessio Sacramentalis, nõ quidem quoad modum à Christo institutum, & in Ecclesia usitatum, sed tantùm quoad substantiam, quatenus includit informationem Judicis in substantia, & cum intentione recipiendi absolutionem, quja inquantùm servat in substantia, sufficit in casu, quo nequit observari modus jam à Christo institutus, & in Ecclesia consuetus, ità ex nostris Hiqueus, Aretinus, Brancatus, Poncius, & alii Scotistæ, qui in hoc sensu Scotum interpretantur, nec oppositum tenuisse, cùm solùm dicat, quod nõ sit necessarium confiteri per Interpretem, vel pluribus Sacerdotibus, & quamvis det pro ratione, quod forum hoc est secretissimum, tamen sine dubio loquitur de ipso, ut regulariter contingit, & ut ex præcepto quis tenetur ad illud accedere, hoc enim solùm sufficiebat intento ipsius, quod erat probare confessionem per Interpretem non esse necessariam, & sub præcepto non cadere. Pro resolutione igitur quæstionis juxtà hanc tertiam sententiam, & doctrinam loc. cit. traditam.

164 Primo dicendum est, quod quamvis Christus instituerit modum confitendi secretum, tanquam modum Confessionis regularem, & ordinarium, ac per se convenientiorem, non tamē iste modus est de essentia, & necessitate simpliciter Confessionis Sacramentalis. Ità statuimus qu. 17. cit. art. 1. n. 463. contra primam opinionem relatam, & claré deducitur ex Trid. cit. sess. 14. cap. 5. ubi sic loquitur. Cęterum quoad modum confitendi secretum apud solum Sacerdotum, & si Christus non vetuerit, quin aliqui in vindictam suorum scelerum, & sui humiliationē, tùm ob aliorum exemplum, tùm ob Ecclesiæ offensæ ædificationem delicta sua publicè confiteri possit, non est hoc tamen divino mandato præceptum; ità Concilium, quibus verbis claré insinuatur, quod confessio secreta utique instituta est à Christo sub obligatione, non tamen publica, licet neque hanc vetuerit fieri posse in aliquo casu necessitatis, & ob aliquos fines particulares ultrà absolutionem obtinendam. Neque sic tamen institutus est modus iste secretè confitendi, quod non possit pœnitens renunciare tali modo, sive juri suo, quia ob ejus famā, & quietem concessus fuit, quæ renunciatio licita est pœnitenti, ut ex Concilio constat, estque consona juri naturali, divino, & Ecclesiastico. Confirmatur, quia plura habemus circa Sacramenta à Christo Domino instituta, quæ tamen non sunt de essentia, & necessitate Sacramenti simpliciter, & absolutè loquendo, sed tantùm ordinariè, & regulariter, sic à Christo Domino Ecclesia accepit modum orandi, gratias agendi, & benedicendi, antè Eucharistiæ consecrationem, ipse enim gratias agens benedixit, fregit &c. & tamen si absque his omnibus fieret consecratio, ad huc valida esset, quia de essentia Sacramenti nihil aliud est, quàm materia, forma, & intentio Ministri, sic ergò in proposito, quamvis à Christo hunc confessionis modum Ecclesia acceperit, nec possit Ecclesia illum abrogare, vel immutare, nihilominus sic confessio in aliquo necessitatis casu, aut alia rationabili de causa publicè fiat, adhuc erit vera, & Sacramentalis confessio, si reliqua quæ habent rationem materiæ, & formæ non deficiant. Ex quo sequitur confessionem publicè factam Sacerdoti aliquo necessitatis casu, vel alia rationabili de causa, si cętera adsint, esse validam, & Sacramentalem, ut deducitur expresè ex Concilio loco citato ubi ait Christum non prohibuisse confessionem publicam, si pœnitens eam facere velit, licet solam secretam præceperit, ut regulariter, & ordinariè faciendam, & satis patet Concilium ibi loqui de confessione Sacramentali, quicquid dicat Faber loco citato ibi enim loquitur de confessione in genere, quæ est accusatio sui ipsius, eamque distinguit in publicam, & secretam, docens solam secretam esse præceptum, non verò publicam; ex quo minimè sequitur publicam non esse Sacramentalem, saltem quoad substantiam, sed solùm, quod non cadat sub divino præcepto.

165 Confirmatur, quia adsunt aliqui casus, in quibus confessio est facienda, & tamen secretò, & soli Sacerdoti fieri non potest, ut quando confessio fit per Interpretem, certum est enim talem confessionem, si fiat, validam esse & Sacramentalem, sivè homo teneatur sic confiteri, quando aliter non potest, sivè non. Alius est, si in articulo, vel periculo mortis, ut in bello, vel in naufragio, vel in aliquo loco peste laborante plures confiteri velint, & non possint, nisi aliis audientibus, & simul confitentibus, certum est enim has, & similes confessiones validas esse, & Sacramentales. Quod verò ait Faber talem confessionem esse quidem validam, non tamen Sacramentalem, nec Sacerdotem tunc absolvere pœnitentem, ut Minister Sacramenti, sed ut Judex, & Minister publicus in foro exteriori, & ea auctoritate, qua absolveret habens auctoritatem in foro publico, est planè contrà omnium sensum, fideles enim sic decedentes ex hac vita in illis necessitatis casibus firmiter credunt decedere cum Sacramento pœnitentiæ, & Sacerdotes ipsi tunc temporis intendunt sic confitentibus Sacramentalem impendere absolutionem ejus formam proferendo, & ità est in praxi, sicut præteritis annis magna pietatis laude auditum est, erumpentibus è Vesuvio monte ingentibus flammis, & tota Civitate Neapoli crebris terræ motibus contremente, passim in viis, & templis plurimos graviora sua peccata coram quolibet obvio Sacerdote proclamasse absolutionem petendo, ut refert Aversa qu. 10. sec. 5. *in fine*. Quod si aliter esset, in magnum verteret fidelium sic decedentium detrimentum, quia attritio cum Sacramento conjuncta sufficiens est ad delenda peccata, non autem extrà Sacramentum, undè si aliquis in illis casibus solam de suis peccatis attritionem haberet, non verò contritionem, veniam illorum non consequeretur. Nec satisfacit, quod ait Faber, Ecclesiæ datam esse potestatem in utroque foro absolvendi, & illam absolutionem à peccatis in foro externo valere etiam in Cœlis, sicut Sacramentalem, gratis enim hoc omninò asseritur, quia privilegium, & virtus remittendi peccata confessa Sacerdoti etiam cum sola attritione data est solum absolutioni Sacramentali, ut constat ex scripturis, Conciliis, & Patribus, non autem alteri absolutioni judiciali. Ratio tandem à priori est, quia licet confessio fiat sine secreto, adhuc potest esse vera accusatio ex dolore cordis profecta, & per illam dari Sacerdoti sufficiens notitia, ut possit de peccatis judicare; ergo etiamsi in aliquo necessitatis casu alii interfint, & audiant, adhuc validitas confessionis salvari potest. Nec valet Faber responsio, non sufficere ad Sacramentum pœnitentiæ peccata manifestare Sacerdoti, & cum dolore cordis ad absolutionem eorum obtinendam, sed requiri insuper, quod confessio sit secreta. Hæc enim est manifesta principii petitio, hoc enim est, quod in disputatione vertitur, & quod directè illa ratio impugnat, quia ad essentiam Sacramenti nil aliud requiritur, quàm materia, forma, & intentio Ministri, quæ omnia sunt in Confessione publicè facta in prædictis.

166 Secundò dicendum est, confessionem publicè factam Sacerdoti in prædictis necessitatis casibus, vel alia rationabili de causa, licet esset Sacramentalis quoad substantiam ut probatum est, non tamen quoad modum, quo scilicet est instituta à Christo, & ad quem obligat Confessionis præceptum. Hanc assertionem statuimus quæstion. 17. cit. num. 466. cum Auctoribus tertiæ sententiæ mediæ, per quam facilè conciliari possunt aliæ duæ opiniones extremæ, & explicari in quo sensu dixerit Doctor noster talem confessionem non esse Sacramentalem, negat enim esse Sacramentalem, non simpliciter, & absolutè loquendo, sed respectivè ad modum secretum confitendi, cum quo obligat præceptum affirmativum Sacramenti, & sine quo non obligat. Probatur autem, & explicatur assertio, nam in communi modo loquendi, ut aliquid dicatur simpliciter, & absolutè tale absque addito, non solùm requiritur ut sit tale secundùm substantiam, sed etiam secundùm reliquas conditiones ad illud regulariter requisitas; qua ratione puer, & infans licet sit homo secundùm substantiam; quia tamen non est rationis compos, nec dum ad usum rationis pervenit, non appellatur homo, aut vir, sed puer, & infans, quia in communi modo loquendi per hominem intelligitur, qui est rationis compos, & jam ad rationis usum pervenit, sic igitur in proposito est de Confessione publica discurrendum, quod licet quoad substantiam possit esse Sacramentales, quatenus nimirum includit informationem Judicis in substantia, & cum intentione recipiendi absolutionem à Sacerdote, & sit à pœnitente, tamen quia non habet conditionem, & modum, quo à Christo Domino instituta fuit, & præcepta, & quo regulariter, & ordinariè in Ecclesia exerceri solet; ideò simpliciter, & absolutè loquendo non dicitur Sacramentalis, quia

quia modus ſecreti deficit, ſed dicitur talis tantum in ſubſtantia. Confirmatur, quia illa confeſſio dici debet, & conſuevit Sacramentalis ſimpliciter, & abſolutè loquendo, quæ regulariter exigitur, & non illa, quæ in caſu tantùm neceſſitatis permittitur, vel alia rationabili de cauſa, & non aliter, quia inquantùm ſervat ſubſtantiam Confeſſionis Sacramentalis, ſufficit in caſu in quo nequit obſervari modus regulariter requiſitus. Demum, quia talis confeſſio, quia publica eſt, per accidens ſe habet ad Sacramentum, intantùm enim reſpicit Sacramentum, & ratione ejus participat, inquantùm præcisè eſt accuſatio rei apud Judicem cum intentione ab eo recipiendi abſolutionem; quod verò fiat apud alios, vel aliis præſentibus, eſt omninò impertinens ad Sacramentum, licet ad alios fines à Concilio relatos conferre poſſit, ut ad ſui humiliationem, aliorum exemplum, Eccleſiæ ædificatione &c. qui tamen fines non ſunt Sacramentales, redundant enim omnes ex confeſſione illa ut notificat peccata aliis publicè, qui non habent poteſtatem judiciariam abſolvendi, & non in ordine ad abſolutionem, undè pœnitens eſt abſolutionis capax, & confeſſio Sacramentalis ea præcisè ratione, qua dirigitur ad Confeſſarium pro informatione danda, & abſolutione obtinenda, non verò ea ratione, qua fit publicè, & ad alios dirigitur nullam habentes poteſtatem judiciariam abſolvendi, undè ex hac parte confeſſio dici non debet, nec poteſt Sacramentalis. Rationes verò quibus Faber l. c. probare nititur confeſſionem publicè factam, ſivè in caſu neceſſitatis, ſivè alia rationabili de cauſa, nullatenus Sacramentum eſſe, nec etiam ſecundùm ſubſtantiam vide ſolutas q. 17. cit. art. 2.

167 Tertiò, quia plures alias conditiones ad veram, & legitimam Confeſſionem requiſitas Theologi recenſere ſolent, & eas tantùm hìc examinare intendimus, quæ aliquam habent difficultatem, cæteræ namque apud Summiſtas paſſim explicatæ videri poſſunt, hìc dubitari ſolet, an Confeſſio Sacramentalis debeat neceſſariò eſſe vocalis, itaut neceſſariò ſit facienda voce humana, & propria pœnitentis, quando impotentia non impedit, nam in tali caſu certum eſt, & exploratum apud omnes, quantùm ad ſubſtantiam Sacramenti attinet, ſatis eſſe quamcunque expreſſionem per quæcunque ſigna ſenſibilia, & ità ſervatur in praxi, ut etiam mutis, qui nutibus, vel aliis ſignis peccata ſua exprimunt prout poſſunt, impendatur abſolutio, & ſimiliter moribundis, qui non potentes loqui ſigna contritionis, & confeſſionis exhibent, ut dictum eſt artic. præced. num. 155. eſt igitur difficultas, an excluſo actu impotentiæ ſit de neceſſitate, & obligatione præcepti confiteri per vocem. Communis Recentiorum ſententia, ut diximus quæſt. 17. cit. art. 3. n. 475. docet adeſſe quidem gravem obligationem, ſed quæ rationabili cauſa excuſari queat, nec quidem ex inſtitutione hujus Sacramenti, vel ex ullo præcepto divino, vel Eccleſiaſtico talem obligationem haberi; ſed tamen ex uſu ipſo, & ſtylo fidelium in confeſſionibus faciendis, & Sacerdotes non permitterèt aliter confiteri volentes, ſatis hanc obligationem fundari, qua ſuppoſita indè conſequenter redderetur irrita, & invalida confeſſio ſecus facta. Addunt tamen hanc obligationem non eſſe talem, ac tantam, quæ ex rationabili cauſa aliquam exceptionem, & excuſationem non admittat. Et ſufficiens ratio præſertim cenſetur ad excuſandum à confeſſione vocali, etiam excluſo caſu impotentiæ, magna difficultas, vel nimia verecundia in exprimendis peccatis commiſſis, ſi puella v. g. prænimio pudore non audeat ſua peccata verbo proferre; ſed facilius ſcripto legenda traderet; aut ſi infirmus guture laborans, & cum difficultate loquens commodius ſcribere poſſet; cum enim talis obligatio confeſſionis vocalis ſit ſolùm ex conſuetudine introducta, non eſt accipienda cum tanto rigore. Ità Suarez, Vaſquez, Becanus, Coninch. Lugo, Layman, Diana, Caſpenſis, Filliucius, Averſa, Fagundez, Stephanus à S. Gregorio, & alii Recentiores paſſim.

168 Probabilius tamen ſtatuimus qu. 17. cit. art. 3. nu. 476. cum Fabro diſp. 29. cap. 2. Brancato diſput. 10. art. 4. & 5. & aliis Scotiſtis adeſſe præceptum divinum Confeſſionis vocalis, nec erubeſcentiam excuſare, ſed ſolam impotentiam. Colligitur ex Scoto 4. d. 15. qu. 1. art. *in fine*. & d. 17. qu. 1. *in principio*, & art. 2. per totum, ubi confeſſionem Sacramentalem docet eſſe actum externum, & ex ſua inſtitutione vocalem, quando, naturalis impotentia non impedit, ut accidit in mutis, quod ſi quis difficultatem habet loquendi, ut accidit in balbutientibus, poteſt verba nutibus adiuvare, ut ſufficienter poſſit Confeſſarius pœnitentis conceptum intelligere, & hoc apertè habetur c. *Quem pœnitet* de pœnitentia diſt. 1. illis verbis: *Præcepit enim Dominus mundandis, ut oſtenderent ora Sacerdotibus docens corporalis præſentia confitenda peccata, non per nutum, nec per ſcriptum manifeſtanda, dixit enim ora monſtrate, erubeſcentia enim victa timore offenſi fit venia criminis*. Ex hoc ergò Canone habemus facere confeſsionem ore eſſe divinum præceptum, nec erubeſcentiam excuſare, hæc enim confeſsio ex natura ſua habet pro objecto actus pœnitentis, præſertim confeſſionem, quæ ſecundùm uſum humanum fit voce humana, atque ideò ex intrinſeca ſua ratione confeſſionem modo humano requirit, ſi naturalis impotentia id non impedit. Confirmatur ex Concilio Florentino in decreto poſt ultimam ſeſſionem, ubi materiam Sacramẽti pœnitentiæ aſſignans dicit eſſe *oris confeſſionem*, quia hæc ſola, & univerſaliter fit confeſſio Sacramentalis, ſed quia regulariter, & ordinariè vocaliter fieri debet, quando naturalis impotentia non obſtat, præter quam nulla rationabilis cauſa occurrere poteſt, qua quis coram Sacerdote oris confeſſionem omittere poſſit. Denique ut benè diſcurrit Brancatus noſter lo. cit. ſi hoc aſſeratur, facilè invenietur maxima fidelium copia, & præcipuè puellarum, quæ hac diſpenſatione uti vellet, cum enim notum non ſit, cujus gradus, vel intenſionis debeat eſſe pudor à tali præcepto excuſans, facillimè eum ſibi in eſſe exiſtimabit, undè brevi tempore confeſſio vocalis non amplius eſſet in uſu, & deficeret.

169 Quartò prætereà eſt difficultas, an confeſſio ſit verè Sacramentalis, & valida, ſi fiat per ſcripturam præſenti Miniſtro, & hìc non loquimur de obligatione, & præcepto confitendi per ſcripturam, quando non poteſt voce, nam de hoc ſufficienter dictum eſt art. præced. ſed ſermo eſt de validitate confeſſionis Sacramentalis, & ſenſus eſt, an confeſſio facta per ſcriptũ, quod legatur à Sacerdote præſente, ſit contrà Chriſti inſtitutionem, atque ideò nulla, & invalida. Pro cujus difficultatis reſolutione jam diximus loc. cit. n. 477. confeſſionem per ſcriptum factã Sacerdoti preſenti eſſe validam, præſertim verò quando vocaliter fieri nequit; ità Scotus d. 17. cit. qu. 1. in fine, & probatur quia Chriſtus confeſſionem inſtituendo aliud non voluit niſi quod homo aliquod ſignum ſenſibile faceret, quo ſua peccata manifeſtaret ſubmittendo ſe Sacerdoti, undè dictum eſt ſuprà materiam hujus Sacramenti non eſſe unam in ſpecie, ſicut eſt aqua in baptiſmo, ſed eſſe unam unitate generica, quia eſt manifeſtatio peccatorum per aliquod ſignum ſenſibile, ſivè hoc ſit vox, ſivè ſcriptum, ſivè nutus, ſed per ſcriptum hoc totum habetur, quia per hoc ſua manifeſtat Sacerdoti præſenti delicta, & ſe illi ſubmittit; ergò &c. tunc autem eſſet invalida confeſſio, quando Chriſtus decreviſſet ſolam confeſſionem vocalem eſſe ſignum Sacramentale. Confirmatur, quia ſi confeſſio per ſcriptum Miniſtro præſenti eſſet invalida, vel hoc eſſet, quia regulariter vocalis in Eccleſia eſt in uſu, & in c. *Quem pœnitet* diſt. 1. dicitur confeſſionem non debere ſcripto fieri, ſed hoc non obſtat, quia Eccleſia permittit, ut mutus, vel moribundus, aut alio ſimili morbo correptus per ſcriptum, vel per nutus confiteatur, & in cap. cit. vult non fieri licitè, niſi adſit neceſſitas, cum ergò ipſa nequeat materiam Sacramentorum ſacere, ſignum eſt, dùm utitur hac confeſſione, ipſam quoque ſub Chriſti inſtitutione contineri. Vel hoc eſſet, quia per ipſam tollitur pudor, & verecundia, quæ eſt pœna à Chriſto intenta in confeſſione, at neque etiam id obſtat, quia eſtò in abſentia Miniſtri tolleretur, vel minueretur verecundia, cum tamen ſcriptum in præſentia illius legitur, minimè hæc tollitur, vel notabiliter minuitur, cum quemlibet pudeat de ſuis occultis, ac delictis, quæ alter in ſua præſentia legit. Vel hoc eſſet, quia abſolutio nequit validè niſi per verba conferri; Et neque id obſtat, nam de abſolutione hoc conſtat ex Eccleſiæ doctrina, & traditione, de confeſſione verò conſtat oppoſitum. Vel tandem hoc eſſet, quia confeſſio per ſcriptum vetita eſt ab Eccleſia, ut invalida, & illicita, & neque hoc obſtat, quia id intelligendum eſt de confeſſione per ſcriptum facta in abſentia Sacerdotis, non in ejus præſentia, ut mox dicemus. Dices, vel Chriſtus inſtituendo confeſſionem in ſignum Sacramentale habuit in mente pro objecto vocalem, & ſcriptam, vel non, ſi ſecundum; ergò nullus unquam poteſt uti ſcripta, ſi primum; ergò indifferenter quilibet poſſet uti ſcripta, ſicut vocali, cum æqualiter à Chriſto in ſignum Sacramentale ſit deputata. Reſpondetur, quod quando Chriſtus confeſſionem inſtituit in ſignum Sacramentale habuit pro objecto talis inſtitutionis aliquod ſignum ſenſibile, quo homo peccata ſua Sacerdoti manifeſtaret abſtrahendo à voce, ſcripto, nutibus, & aliis ſignis ad humanos conceptus exprimendos idoneis, cum hoc diſcrimine tamen, ut vocalis confeſſio ſemper eſſet in uſu, & regularis modus confitendi; ſcripta verò, & per nutus in caſibus duntaxat neceſſitatis, in quibus nimirum vox non ſuppetat, undecunque hoc proveniat, & ità etiam ſentiunt Suarez diſp. 21. ſec. 3. & Vaſquez qu. 91. art. 3. dub. 4.

170 Quinto tandem eſt difficultas, an confeſſio per ſcripturam in abſentia Sacerdotis ſit valida, & Sacramentalis, communis ſententia negat, nedùm eſſe validam, & Sacramentalem ſed aſſerit etiam eſſe illicitam ex decreto Clementis VIII. Conſtitutione 67. per quam expreſsè prohibet confeſſionem Sacra-

mentalem per litteras Sacerdoti absenti, & declarat illicitam; ità Recentiores omnes post tale decretum à Sede Apostolica emanatum, ac etiam Scotistæ omnes idem affirmarunt etiam antè tale decretum, quia Scotus 4. d. 17. qu. un. circà finem expresè docet confessionem per scripturam absente Sacerdote nō valere. Hæc tamen difficultas non ità absolutè decidi debet, sed juxtà doctrinam superiùs assignatam q. 5. cit. art. 3. n. 125. nēpè adhuc tali constitutione non obstante, validum esse Sacramētum, si pœnitens per litteras peccata sua confessario mittat, & posteà in præsentia ejusdem dicat, se de omnibus illis, quæ scripsit, accusare, & ab eodem confessario absolutionem in præsentia obtineat; suponendo tamen, quod talem confessionem per scripturam fecerit in casu alicujus necessitatis, nam extrà talē casum confessio nec valida, nec licita foret. Ità innuit Doctor loc. cit. dùm inquit cum Glossa validam esse confessionem per scripturam, dummodò posteà absolutionem obtineat in præsentia Sacerdotis, quod etiam tenent Valentia, Henriquez, Suarez, Nugnus, Amicus, Bonacina, & alii Recentiores, quia in tali casu tam absolutio, quàm confessio fieri censetur in præsentia pœnitentis, & confessarii, siquidem pœnitens in tali casu cū dolore se integrè accusat de peccatis commissis jam per scripturam Confessario manifestatis. Quarè dicebamus loc. cit. propositionem Pontificis in allato decreto insertam: *Non licere per litteras Confessario absenti peccata Sacramentaliter confiteri, ab eodem absente absolutionem obtinere*, intelligendam esse conjunctivè, ut nimirum non liceat per litteras simul confiteri, & absolvi, non autem disiunctivè quoad confessionem duntaxat. Ratio est, quia aliud est loqui de confessione, aliud verò de absolutione, hæc enim ad certa quædam verba limitata est, quæ requirit pœnitentis præsentiam, ac proindè non nisi proprio Sacerdotis verbo impendi potest, at confessio ex sui institutione ad certa verba non limitatur, quæ confitentis, & audientis præsētiam requirant, undè fieri potest per nutus, per scriptum, & per Interpretem, quando urget necessitatis causa. Congruentia verò hujus institutionis fuit, quia multò plures causæ poterant pœnitentem impedire à vocali confessione in præsentia Sacerdotis, quàm Sacerdotem à vocali absolutione in præsentia pœnitentis, ut loc. cit. declaratum est.

ARTICULUS TERTIUS.

An ut Confessio sit Sacramentalis, & valida, debeat esse integra, & quomodo.

171 CONveniunt Doctores omnes inter cæteras Confessionis conditiones præcipuam esse ejus integritatem, & hanc ad validitatem, & fructum ejus necessariam esse, non tantùm jure Ecclesiastico, sed etiam divino, pœnitentesque ad omnia sua peccata in Confessione declaranda, & exprimenda tēneri, & hoc sonantibus verbis docuit Concilium Tridentinum sess. 14. cap. 5. ubi non modò indicat necessitatem integritatis in confessione servandæ, sed etiam quis sit illius modus seù quænam requirantur, ut confessio integra esse censeatur, quæ omnia fusè declarata sunt disp. 5. cit. qu. 18. & hìc breviter repetemus.

Primò igitur ad integritatem confessionis secundùm mentem Concilii requiritur, ut pœnitens confiteatur omnia peccata mortalia à se commissa, quod, & anteà docuerat Scotus 4. d. 17. q. un. sub M. ubi ait pœnitentem teneri, & debere confiteri peccatum mortale, nam per veniale nullus periclitatur extrà navem Ecclesiæ, quia peccatum veniale stat cum perfecta charitate, quæ est navis salvans, & ideò ex prima institutione pœnitentiæ, ut secundæ tabulæ post naufragium, non oportet aliquem ad ipsam confugere pro remedio contrà peccatum veniale, sed tantùm contrà mortale. Imò inferius postquam docuerat peccata venialia esse materiam sufficientem, licet non necessariam hujus Sacramenti, ideoque hominem posse venialia confiteri, & hanc confessionem esse verum pœnitentiæ Sacramentum, movens posteà dubium sub lit. R. an obligatus confiteri semel in anno, si urgente præcepto Ecclesiæ non habeat nisi venialia tantùm, teneatur ad confessionem illorum pro observantia præcepti, respondet non teneri dicens, quantum capio ex statutis Ecclesiæ generalibus, nullus tenetur ad confessionem venialium in quocunque casu, neque in hoc Ecclesia specificavit præceptum de Confessione, & obiiciens sibi, quomodo in eo anno poterit Pastor ovis suæ vultum cognoscere, respondet tunc sufficere, si suo Sacerdoti dicat, Domine regratior Deo, quia ex quo fuit ultimò confessus, non habeo conscientiam de peccato mortali, date mihi Eucharistiam. Et hoc docuit etiam Trid. loc. cit. dum inquit mortalia esse deferenda ad Sacerdotes Judices, & Christi Vicarios, venialia verò, quamquam utiliter deferantur, posse sine culpa taceri, & aliis modis remitti, ut suprà declaratum est agendo de hujus Sacramenti materia. Omnia itaque mortalia pœnitens confiteri tenetur à se commissa, etiamsi aliqua peccata mortalia inveniantur anteà remissa, non tamen confessa, ut potè remissa per actum perfectæ contritionis, aut per aliam confessionem indirectè, in qua ex oblivione inculcabili omissa fuerunt, & ratio est, quia illa remissa non fuerunt virtute contritionis, vel præcedentis confessionis indirectè, nisi in voto confessionis de illis faciendæ. De illis verò peccatis, de quibus pœnitens dubitat, utrum mortalia sint, vel utrùm sint à se commissa, communis Doctorum sententia est, & in praxi tenenda pœnitentem ad ea sub dubio confitenda obligari, quia in dubiis tutior pars est tenenda, ut videri potest apud Aretinum 4. d. 17. q. un. art. 11. & omnia illa peccata mortalia uni, & eidem Sacerdoti esse confitenda, neque sine sacrilegio confessionem dividi, vel dimidiari posse, itaut quædam peccata uni, reliqua verò peccata alteri Sacerdoti declarentur, cùm hæc divisio, & dimidiatio confessionis integritati ejus repugnet, nec possit unum peccatum mortale sine alio remitti, & ità præsertim observat Abellius c. 5. *de Pœnitentia* sec. 14. cum Petro de Ledesma trac. *de Sacram. pœnit.* c. 16.

172 Secundò ad integritatem Confessionis requiritur, ut pœnitens omnia mortalia confiteatur, tā quoad speciem, quàm quoad numerum eorum in eadem specie, necesse est autem cōfiteri species omnes peccatorum mortales non verò physicas, quando moralem non mutant, ut v. g. quod occisio facta sit gladio, vel veneno, & ratio est, quia non cognita specie peccatorū, non potest à Judice hujus fori causæ gravitas dignosci, nec debita pœnitentia pro gravitate peccatorū imponi. Nec obstat, quod rudes, & idiotæ specierum peccati diversitatem ignorent, quia in tali casu satisfaciunt, si factū narrant. Numerus etiam peccatorum est necessariò in confessione exprimendus dicendo, toties furatus sum, fornicatus, vel mentitus, quod si certus numerus non occurrat, debet exprimere verisimilem, dicendo se decies, vel centies, aut circiter mentitum esse. Habetur autem hoc in Concil. Florent. sess. ult. *de hoc Sacramento*, & in Trid. loc. c. sess. 14. c. 5. & can. 7. cum dicunt necessarium esse confiteri omnia, & singula peccata mortalia, nempè de jure ipso divino, qui loquendi modus planè denotat, non solùm varias species esse exprimendas, sed & singula peccata sub eadem specie. Qui ergò determinatè recordatur de numero suorum peccatorū debet absolutè dicere, toties sum mentitus, vel fornicatus, & sic de singulis peccatis mortalibus. Qui verò non determinatè, & præcisè de certo numero suorum mortalium peccatorum recordatur, debet dicere circiter, sivè inter plus, & minus, quia plerunque præsertim in longioris temporis confessione impossibile est exactè numerum peccatorum exprimere, & ad impossibile nemo tenetur, quarè satisfaciet dicendo quantum post moralem diligentiam in mentem recurrat. Quod si neque hoc modo aliquid verisimile dicere confidit ob memoriæ labilitatem, vel peccandi frequentiam, aut temporis longitudinem, ut contingit de meretrice multorum annorum spatio vitam fornicariā agente, vel viro pluribus annis concubinam habente, & similibus, debebit saltem dicere tempus, quo in tali statu permansit, quantum sibi videtur, exprimendo consuetudinem, & frequentiam peccandi, ut toties in die, vel hebdomada, vel mense. Et in confessione meretricis ultrà tempus, vel biennium, aut decennium mecetricii, & frequentiam, ut toties in die, hebdomada, vel mense, debet exprimi certarum specierum numerus, ut si peccavit cum viris conjugatis, cum Religiosis, vel ordinatis in sacris, si peccato contrà naturam, hæc enim peccata distinctam habent specie malitiam, & faciliùs numerari possunt, quia non solent esse ità frequentia, & hæc est communior Theologorum sententia in explicatione peccatorum facienda in confessione quoad numerum, & species eorum, ut dicebamus loc. c.

173 Tertiò requiritur, ut pœnitens non tantùm explicet omnia peccata mortalia modo jam dicto, sed etiam omnes circumstantias speciem peccati mutantes; ità Concilium l. c. ubi advertendum est, quod circumstantia peccati est conditio non pertinens ad substantiam actus, sed aliquo modo ipsum attingens, & circumstans, ut dictum est lib. 2. sent. disp. 6. de peccatis, quæ dum transit in objectum, cessat esse circumstantia, & constituit speciem actus, & solùm dicitur circumstantia respectu alterius speciei, quam in eodem actu præsupponit, ut quando quis in loco sacro furatur, locus sacer respectu furti est quidem circumstantia, quia illud præsupponit in actu per ablationem rei alienæ, at respectu sacrilegii non est circumstantia, sed objectum, quia illud primò constituit. Septem verò circumstantiæ numerari solent, *Quis*, *Quid*, *Ubi*, *Quibus auxiliis*, *Cur*, *Quomodo*, *Quando* harum autem quædam mutant speciem peccati, vel de veniali in mortale, vel de una specie in aliam, ut furari in loco sacro, fornicari cum conjugata, consanguinea, moniali; tunc enim fornicatio mutatur in adulterium, vel incæstum,

vel

vel sacrilegium, & hæ debent necessariò confiteri ex Concil. cit. Quædam verò non mutant speciem, sed tamen aggravant, vel minuunt peccatum intrà eandem speciem, ut sunt quantitas, conatus, intensio, malitia, ignorantia, passio &c. gravius siquidem peccatum est intrà eandem speciem, quod fit majori conatu, quàm quod minori, item quod ex malitia, quàm ex ignorantia, vel passione, & gravius demum est furtum mille aureorum notabiliter furto decem, vel unius aurei. Quædam tandem circumstantiæ nec speciem mutant, nec notabiliter aggravant, ut si inimicum occidisti ferro, vel ligno, & tales certum est apud omnes non esse necessariò confitendas, sed tantùm speciem mutantes, nam de notabiliter aggravantibus intrà eandem speciem est controversia inter Doctores, ut mox dicemus ex Trident. cit. quod etiam Scotus anteà docuerat d. 17. qu. un. cit. art. 2. N. dùm inquit eas circumstantias notabiliter aggravantes esse necessariò confitendas, quæ speciali prohibitione prohibentur v.g. alienum accipere est illicitum, sed speciali prohibitione prohibetur accipi de loco sacro, & ideò speciale peccatum, scilicet, sacrilegii per hanc circumstantiam constituitur. Regula autem ad distinguendas circumstantias, quæ speciem mutant, vel solùm intrà eandem speciem aggravant, hæc est, si illa circumstantia faciat ut actus pertineat ad aliud vitium, & sit contrà aliam virtutem, mutat speciem; si verò non faciat ut sit contrà aliam virtutem, sivè ad aliud vitium pertineat, non mutat, sed aggravat intrà eandem speciem. Ad evitandas autem perplexitates, in quas personæ idiotæ aliquandò incurrunt nescientes, quænam sint circumstantiæ, speciem peccati mutantes, vel notabiliter tantùm intra eandem speciem aggravantes, aut quomodo explicari debeant, sufficit ut ad Sacramentum pœnitentiæ accedentes circumstantias notabiliores, quæ per se statim memoriæ occurrunt, & seipsas statim evidenter produnt, in Confessione explicent, & paratos esse sincerè, ac humiliter respondere ad Sacerdotis interrogata, cujus est dignoscere circumstantias in Confessione necessariò explicandas, ac de eis pœnitentem interrogare.

174 Quartò de circūstantiis autem, quæ speciem peccati non mutant, sed illud notabiliter aggravant, an sint in Confessione necessariò explicandæ, controversia est inter Doctores; dixi autem notabiliter aggravantes, quia ex una parte certum est apud omnes circumstantias parum aggravantes non esse necessariò explicandas, ut dictum est, & ex alia certum est pariter circumstantias aggravantes in infinitum, ideſt, quæ ex veniali faciunt mortale peccatum esse explicandas, licet enim hujusmodi actus in eadem specie remaneat, quæ ex objecto petitur; in ratione tamen propria peccati, & offensæ divinæ diversitatem acquirit etiam plusquam specificam; surripuisti v.g. Sutori pauperi acum, quo victum sibi, ac familiæ parabat, teneris hanc confiteri circumstantiam, quæ furtum tuum alioquin veniale ex genere suo facit mortale. Et ob eandem rationem circumstantiæ minuentes in infinitum, hoc est, de mortali facientes veniale sunt aperiendæ, ut v.g. si cogitationem habuisti de fornicatione, sed absque plena deliberatione, teneris explicare deliberationem imperfectam, quæ à mortali excusat. Quæstio igitur est de circumstantiis in eadem specie, & intrà eundem gradum peccati mortalis, & quidem notabiliter, seù multum aggravantibus, in qua quæstione duæ sunt oppositæ sententiæ. Prima affirmat hujusmodi circumstantias esse necessariò confitendas, cujus præcipuum fundamentum est, ut observat Abellius sec. 14. citat. quod sine illarum circumstantiarum notitia vix possint Confessarii dignoscere, quales, & quantas satisfactiones, aut restitutiones injungere; quæ remedia proponere, aut consilia pœnitentibus suggerere debeant, aliter enim haud dubiè se gerere debet Confessarius cum eo, qui brevi, aut qui diuturno tempore in peccati alicujus cæno hæsit; aliter cum illo, qui ex gravi, & inveterato odio, aut qui ex repentina ira, deliberata tamen, malum aliquod intulit, aut optavit, cum tamen hæ circumstantiæ peccati speciem non mutent, sed tantumodò aggravent. Ità Alensis, Altisiodorensis, Major, Marsilius, Suarez, Coninchius, Nugnus, Sanchez, Fagundez, Henriquez, Amicus, Abellius & Recentiores alii, & ex nostris Hiqueus, Faber, Aretinus, & alii. Secunda sententia negat. Ità D. Thomas, D. Bonavent. Albertus Magnus, Durandus, ex Recentioribus verò Vasquez, Valentia, Lugus, Becanus, Pesantius, Reginaldus, Diana, Bonacina, Caspensis, Aversa, & alii plures, quorum præcipuum fundamentum est, quia Concil. Trid. l. cit. circumstantias tatummodò speciem peccati mutantes in Confessione declarandas esset dicit; nulla facta mentione circumstantiarum, illarum, quæ tantummodò notabiliter aggravant in eadem specie, quod tamen dicere non omisisset, si necessarium esse judicasset, illas in confessione exprimere; & hanc sententiam etiam ex nostris sequuntur Poncius, Hiribarnes, & Brancatus, in hoc autem divisi sunt Scotistæ, quia Scotus d. 17. cit. sub N. docet dari etiam circumstantias quasdam non mutantes speciem, de quibus inquit non esse ità certum, quod eas oporteat confiteri, licet tutiùs, & utiliùs fateatur eas confiteri, quod nemo negat.

175 Nos autem diximus quæst. 18. citat. artic. 1. quod licet utraque sententia sit probabilis, & in praxi tuta, tùm ob insignium Doctorum auctoritatem, tum ob rationum momenta, nihilominus, quia Doctor nobis libertatem reliquit hanc vel illam tuendi, & quia secunda etiam speculativè fortioribus videtur niti fundamentis, asserendum esse cum ea circumstantias etiam notabiliter peccatum aggravantes intra eandem speciem non esse per se loquendo ex obligatione explicandas ad Confessionis integritatem servandam. Notanter autem additur per se loquendo, quia per accidens interdum potest esse obligatio eas manifestandi, nempè si propter talem circumstantiam peccatum habeat restitutionem, vel censuram annexam, in quo casu jam obligatio aliundè oritur, non autem ex hoc capite præcisè, quia circumstantia est notabiliter aggravans; quod ibi probamus satis evidenti, ac efficaci ratione, quia non est imponenda obligatio, & quidem tam onerosa, qualis illa, nisi constet de lege, sivè præcepto eam imponente, sed de hoc non constat; ergo &c. major patet, quia lex non obligat, nisi promulgata, imò in dubio legis latæ lex non obligat, minor probatur, quia neque ex scriptura, neque ex sensu Ecclesiæ, cujus est jus divinum interpretari, colligitur hujusmodi præceptum; & quidem Conc. Trident. l. c. ubi exactè hujus Sacramenti institutionem declarat, & explicat, quæ ad obligationem Confessionis pertinent, non meminit harum circumstantiarum; sed obligationem limitat, & restringit ad numerum peccatorum, & circumstantias speciem mutantes, atque adeò tacitè excludit alias circumstantias speciem non mutantes, quales sunt aggravantes; in doctrinalibus autem, sivè in dogmaticis, limitatio doctrinæ, & restrictio ad unam partem excludit aliam. Nec valet communis Adversariorum responsio Concilium ea tantùm definire, quæ certa sunt, ut moris est, reliqua verò sub inquisitione Doctorum reliquisse, quibus præjudicare Concilia non solent. Nam hoc subterfugium per aliatam doctrinam omninò præcluditur, expressè enim Concilium inquit, nihil aliud in Ecclesia à pœnitentibus exigi, quàm ut post diligens conscientiæ examen ea peccata confiteantur, quæ ad memoriam veniunt quoad species, & circumstantias speciem mutantes; at in doctrinalibus, ubi præscribuntur ea, quæ necessaria sunt, ea quæ prætermittuntur, tacitè dici videtur non esse necessaria; cum igitur Concilium agens de circumstantiis dicat esse præceptum confitendi illas, quæ speciem mutant, & de aggravantibus taceat, utique virtualiter negat tale præceptum ad eas extendi, cùm enim dicat: *Nihil aliud à pœnitētibus in Ecclesia exigitur*; ergò nihil aliud est sub præcepto, nisi quod ibi ponitur. Alias rationes vide l. c. & de circumstantiis actus humani, quæ diximus li. 2. sent. disp. 5. quæst. 4. art. 4.

176 Ad fundamentum alterius sententiæ jam diximus lo. c. quod si argumentum valeret, probaret etiam circumstantias non notabiliter aggravantes esse necessariò confitendas, quod nec ipsi Adversarii concedunt, imò etiam notabiliter alleviantes; sicut enim dicunt aggravantes esse necessariò confitendas, ut Confessarius probè causam noscat, & æquam injungat pœnitentiam, & ne illa gravitas Confessarium lateat, ità planè ob eandem rationem notabiliter minuentes explicari debebunt, ne plus concipiat Confessarius, quàm quod factum est; quod licet aliqui ex Adversariis concedant, est tamen omninò falsum, & contrà communem usum fidelium, quia hoc Sacramentum non est ad se excusandum; sed ad se accusandum, manifestatio autem talium circumstantiarum notabiliter minuentium videtur non accusatio, sed accusatio, quam potest cum laude, & merito omittere pœnitens. Itaque ad argumentum negandum est assumptum, & dicendum est sufficere illud Sacerdotis judicium, in quo species peccatorum, & eorum numerum, & circumstantias speciem mutantes cognoscat, ad condignitatem pœnitentiæ, & culpæ sufficere, quod pœnitentia respondeat dignitati culpæ secundùm suam naturam specificam spectatæ. Neque Ecclesia obligare voluit ad exactius judicium, quo cognoscantur circumstantiæ aggravantes intrà eandem speciem, impossibile enim est mortaliter loquendo omnes tales, circumstantias cognoscere, & explicare; neque opus est pœnitentiam respondere perfectissimæ condignitati culpæ secundùm omnes circumstantias aggravantes, non enim cum tanto rigore hoc Sacramentum est institutum; quarè ad summum concludit argumentum tutius, & utilius esse tales circumstantias confiteri ut ait Scotus loco citato, & nemo negat, non verò necessarium & ex obligatione. Dices, sequeretur hinc posse pœnitentem citrà culpam in confessione mentiri, vel saltem occultare majorem gravitatem, ut si dicat, furatus sum quinquaginta aureos,

aureos, cùm centùm furatus fuerit, non enim hæc circumstantia esset necessariò confitenda. Respondetur negando consequentiam, quia furatus centum aureos tenetur totum numerum confiteri, non quidem per se, sed per accidens ob obligationem, scilicet, restitutionis annexam, ut suprà dictum est, in quo casu jam obligatio aliundè oritur, non autem ex hoc capite præcisè, quia est circumstantia notabiliter aggravans; & ab illa etiam obligatione præscindendo numquam licet pœnitentem mentiri in confessione, vel majorem occultare quantitatem in his circumstantiis citrà culpam, non quia has circumstantias taceat, sed quia non confitetur peccatum, quod fecit, sed aliud, quod non fecit; vel certè non explicat totum peccatum, quod fecit, sed aliud, quod non fecit, vel certè non explicat totum peccatum, quod fecit, sed partem tantùm, ut fusè loc. cit. ostendimus, vbi etiam alias objectiones in oppositum solvimus ibi videndas, & in fine articuli quæsitum illud breviter resolvimus. An pœnitens teneatur has circumstantias aggravantes manifestare, si à Confessario interrogetur.

177 Quintò tandem certum est apud omnes, licet id non eodem modo omnes explicent, ad hanc Confessionis integritatem assequendam præsupponi debere diligens, & exactum conscientiæ examen, quia eo ipso, quod confessio integra omnium mortalium est sub præcepto, sub eodem quoque præcepto cadit discussio, examen ad confessionem prævium, quæ absque prædicto examine integrè fieri nequit moraliter loquendo, & ideò Trid. loc. cit. inquit, *oportere à pœnitentibus omnia peccata mortalia, quorum post diligentem discussionem conscientiam habent, in confessione recenseri.* Et quamvis non possit assignari aliqua certa regula ad dignoscendum quando examen sit sufficiens ad integram peccatorum expressionem, Scotus noster quem posteà Recentiores omnes sunt secuti ad tollendos scrupulos d. 16. q. 1. art. 2. inquit necessarium esse præmittere diligentem inquisitionem secundùm possibilitatem fragilitatis humanę, quod ità declarat, ut homo adhibere debeat tantam diligentiam in suę conscientiæ examine, quantam adhiberet circà aliquod arduum negotium, quod sibi multum esset cordi, ut si vellet uxorem ducere, vel Principem alloqui in causa amissionis magnæ partis bonorum; talis inquam, ac tanta diligentia sufficit, etiamsi alioquin præsumi posset, quod per exquisitam diligentia sufficit, etiamsi alioquin præsumi posset, quod per exquisitam diligentiam, & ista majorem plura adhuc peccata in mentem venirēt, & hoc est, quod communiter dicitur ad examen conscientiæ requiri summam diligentiam moraliter possibilem; nō verò physicè. Undè nec sufficit nimis levis, quæ apta non sit peccata in memoriam revocare, nec nimis exquisita requiritur, qualis maxima sollicitudine adhiberi posset; sed ad tollendos scrupulos conveniens, & mediocris diligentia adhiberi debet quanta prudentis viri arbitrio sufficiens videatur, & ut inquit Doctor, quanta in rebus gravibus, & magni momenti à viris cordatis, & prudentibus adhiberi solet. Et hæc pro vario personarum statu, & pro quantitate temporis ab alia confessione elapsi inæqualis esse debet, & major in uno requiritur, quàm in alio, ubi certa regula, & mensura taxari non potest, nisi prout in singulis prudentia dictaverit, non enim rudiores ad tam examen sunt obligandi, ut docti, & prudentes, sed Confessarii industria adjuvari debent ità tamen ut aliquam saltem diligentiam juxtà suam capacitatem præmiserint, ad evitandas perplexitates, & scrupulos tollendos, in quos personæ laicæ, & idiotæ aliquando incurrere solent nescientes, quanta, & qualis diligentia requiratur ad sufficiens conscientiæ examen, quod Confessioni faciendæ præmitti debet, ut peccatorum suorum absolutionem medio hoc Sacramento consequi possit; & hæc Scoti doctrina passim à Summistis recipitur, & approbatur.

ARTICULUS QUARTUS.

An semper, & in omni casu confessio debeat esse integra, vel aliquando non integra sufficiat, imò non explicita.

178 DE hoc puncto ex professo tractamus q. 18. cit. art. 2. & 3. ubi ab initio advertimus, quod confessio formaliter non integra dici solet, quando pœnitens in confessione aliquod peccatum mortale culpabiliter omittit; confessio verò materialiter non integra vocatur, in qua pœnitens non peccat omittendo rationabili de causa aliquod peccatum mortale, quod per se loquendo sub gravi culpa exprimere tenetur. Et quidem certum est omninò ex dictis confessionem debere esse integram utroque modo per se loquendo, & regulariter; at per accidens, & in quibusdam casibus fatentur omnes sufficere quandoque etiam non integram, seù dimidiatam, in qua nimirum aliquod mortale peccatum aliqua rationabili de causa, & legitimo impedimento prætermittatur, vel aliqua circumstātia alioquin necessariò exprimenda. Undè communiter dicunt Sacerdotem posse infirmum absolvere in tribus præsertim casibus, etiamsi confessio quoad externum sermonem non sit integra. Primò quando cœpit confiteri, & non potest confessionem perficere, & complere. Secundò, quando signis, & nutibus explicat sua peccata in specie. Tertiò quando signis, & nutibus exprimit aliqua peccata in specie, & non potest omnia exprimere. In his autem casibus licet confessio non sit integrā materialiter, quia aliquod omittitur peccatum; adhuc tamen dicitur integra formaliter, hoc est, quantum ad intentionem, & moralem possibilitatem, atque obligatione pœnitentis, quia tale peccatum omittitur rationabili de causa, & legitimo impedimento, & talis confessio adhuc vim habet conferendi gratiam sanctificantem, & remittendi omnia peccata mortalia tàm confessa, quàm omissa, quia non potest unum sine alio remitti; cum hoc tamen discrimine, quod quæ in cōfessione exprimuntur directè, & per se absolvi dicuntur, & remitti; reliqua verò indirectè, & per concomitantiā; quæ proindè non manent exēpta ab obligatione confitendi sicut priora directè remissa, sed confiteri debēt, si posteà possint exponi, & absolutioni directè subiici. Verùm quia sunt aliqui casus, in quibus dubiū est, an sufficiat confessio non integra peccatorū, nō erit abs re principaliores hic repetere, & breviter percurrere.

179 Primò conveniunt DD. confessionem materialiter non integram locum habere, seù licitam esse, quoties ex ea grave damnum, aut incommodum, sivè temporale, sivè spirituale, vel pœnitenti, Confessario, vel aliis imminet, aut prudenter timetur. Ratio est, quia Sacramentum Confessionis non obligat ad integritatem Confessionis materialem cum gravi damno faciēdam, ut de casu oblivionis definit Trid. sess. 14. cap. 5. præcepta enim positiva cum tanto incōmodo obligare non solēt. Damnū autem spirituale pœnitentis pluribus modis contingere potest, si nimirum timeatur, ne decedat absque absolutione ob imminens mortis periculum, sivè ex morbo ingruente, sivè ex incendio, sivè ex naufragio; si timeat ne inducatur à Confessario ad peccata similia iis, quæ confitetur, si timeat, ne diutius hærendo in examine peccatorum carnalium seipsum excitet ad turpia desideria, latius enim erit in tali casu levius conscientiam examinare, licet aliquod peccatum elabatur, quàm curando confessionis integritatem insistere cum periculo peccandi, ut notat Coninch. disp. 7. num. 25. Damnum verò temporale ejusdem pœnitentis est, si timeat sibi mortem, vel grave morbum ex longiori mora apud Confessarium peste, vel alio contagioso morbo infectum; si timeat, sibi grave odium, vel persecutionem à Confessario, cujus fratrem, v.g. occidit, vel sororem violavit; si timeat sibi gravem infamiam, quia putat, vel probabiliter dubitat Confessarium revelaturum esse peccatum; si æger ob difficultatem loquendi, vel capitis imbecillitatem non posset sine gravi incommodo in recensendis, vel vestigandis peccatis immorari. Si denique non possit confiteri, nisi per Interpretem, vel coram aliis, qui in eodem ægri tecto, vel cubiculo decumbunt, tunc enim reticere posset, quæ graviorem infamiam afferunt. Damnum spirituale Confessarii est, si timeas, ne ille ex tuorum peccatorum narratione occasionem sumat similia, vel alia peccata committendi; temporale verò, si periculum incurrat, ne contagio, quo tu laboras, inficiatur. Ità Suarez, Coninch. Granado, & alii apud Averf. qu. 10. sect. 15. quicquid dicat Marchin. de peste p. 3. cap. 4. imò ad mutilandam confessionem urgeris, non solùm ob damnum temporale Confessarii, sed etiam ob spirituale aliorum, si eodem morbo laborent ut scilicet etiam iis Sacramenta ministret in penuria Sacerdotum. Sed ne in mutilanda Confessione propter damna imminentia aliqua interveniat deceptio, hæc erunt observanda. Primum est, ut damna hujusmodi sint vera, & subsistentia, non autem imaginaria, seù ex levi suspicione orta. Secundum, vt non sit alius Confessarius, cui citrà incommodum illa confitearis. Tertium, ut ea tantùm peccata reticeas, de quibus prudēter times. Quartum denique ut memineris peccata prætermissa, cum damna illa evanuerint, eidem, vel alii Confessario esse aperienda, quo directè secundùm Sacramentale judicium absolvaris.

180 Secundò est difficultas, an sufficiat confessio peccatorum in genere, qua scilicet pœnitens nullum explicat peccatum in specie, sed solùm se accusat in genere multa peccata commisisse, quia nempè sensibus destitutus non potest aliud addere. Negant quamplures Thomistæ apud Card. de Lugo, & Dianam de absolutione Sacramentali sect. 1. Ratio est, quia materia proxima hujus Sacramenti debet esse confessio, qua per accusationem rei nova notitia datur Confessario, quam anteà non habebat de statu pœnitentis, quod non accidit in proposito, sciebat enim etiam anteà Confessarius pœnitentem habuisse, vel commisisse peccata, seù esse peccatorem juxtà illud 1. Jo. cap. 1. *Si dixerimus, quia peccatum non habemus, veritas in nobis non est.* Confir. quia Trid. docet necessariam esse confessionem peccatorum, non tantùm in ge-

in genere, sed etiam in specie, quia cùm absolutio sit actus judicialis, causa debet esse Sacerdoti distinctè cognita. Communior tamen, & probabilior opinio affirmat apud Recentiores, & ex nostris præsertim Ponc. Aretin. Hiribarnes, & Faber disp. 24. c. 4. ubi ait hanc esse probabiliorem, & magis piam, quia valdè durum videtur, quod qui in extremo vitæ suæ cupit, & vult suscipere Sacramentum pœnitentiæ, tamen propter infirmitatem aliquam impedientem loquelam, & alios motus, quibus peccata sua particularia intelligibiliter Sacerdoti manifestare non possit, privetur beneficio tanti Sacramenti, & ei præclusa sit via salutis. Nec sufficit dicere posse in tali casu salvari per actum contritionis. Nam talis actus est valdè perfectus, quem non ità facilè homo elicere potest, præsertim in articulo mortis constitutus, ubi gravitas infirmitatis, tentationes, & alia negotia eum valdè perturbant, ideò si solam habeat attritionem, non salvabitur sine Sacramento, cum Sacramento autem salvatur, & ideò hæc secunda opinio est probabilior, quæ probatur ex decretis Conciliorum, & Pontificum, & præsertim Pauli V. in Rituali Romano, ubi statuitur absolvendum esse infirmum, qui petiit confessionem his verbis *si æger confitendi desiderium, sivè per se, sivè per alios offenderit, absolvendus est*. Quarè Sacerdos non solùm potest, sed etiam debet impendere absolutionem ægroto in casu proposito, ne fortè, si solùm haberet attritionem, damnetur, quia cum beneficio absolutionis factus esset salvus. Ad fundamẽtum prioris opinionis dicendum est, ad rationem, & valorem Confessionis sufficere si sit accusatio de peccato commisso, qualis est in proposito, licet imperfecta, sed quanta haberi tunc posset, qua deferatur notitia delicti, sivè eã jam haberet Judex, sivè non, & petatur remedium implorando ejus officium, ut patet quotidiano experimento fori externi. Concil. verò Trid. loquitur de integritate confessionis prout per se, & regulariter fieri debet ex institutione Christi, non autem prout per accidens contingere potest, & in aliquo casu necessitatis, sicut hic loquimur; tunc enim sufficere potest confessio in genere facta peccatorum commissorum, quæ ex impotentia exprimi nequeunt quoad speciem; hæc enim confessio generalis in tali casu satis informat Confessarium, ut possit cognoscere illum pœnitentem habere materiam remotam Sacramenti, quæ sunt peccata, & velle ab illis absolvi, quæ sunt per se requisita ex parte pœnitentis ad valorem confessionis, undè licet in tali casu peccata in specie non exprimat, impotentia excusatur.

181 Tertiò, est difficultas, an possit absolvi qui morbo oppressus nullum peccatum neque in genere confitetur, sivè ore, sivè nutu, exhibet tamen signa doloris coram Sacerdote, sivè explicitè in ordine ad Confessionem, & claves Ecclesiæ, ut si dicat Confessario dolere se de peccatis, velle confiteri, & petere à Deo veniam propter absolutionem obtinendam, sivè absque ordine explicito ad claves, & sine mentione Confessionis, ut si tundat pectus, si imaginem sacram cum suspiriis aspiciat, si dicat, Miserere mei Deus. Negant Suarez, Bonac. Megala, & alii pauci, qui licet dicant exhibenti signa primi generis posse, ac debere absolutionem impendi, non tamen exhibenti signa solùm secundi generis. Ratio est, quia vera, & necessaria materia hujus Sacramenti est propriè confessio, & excusatio, non autem sola devotio, & contritio, seù veniæ petitio, quamvis exterius expressa. Nos tamen diximus qu. 18. cit. art. 2. num. 500. quæcumque signa tam primi, quàm secundi generis sufficere, ut laboranti in extremis absolutio Sacramentalis impendi possit. Ità Lugus, Diana, Layman, Sancius, & alii quamplures etiam ex nostris. Ratio est, quia non solùm prima, sed etiam posteriora signa sunt quædam confessio in ordine ad absolutionem Sacramentalem, non quidem expressa, sed tacita, quæ sufficit in casu illo extremæ necessitatis; ergo &c. consequentia patet, probatur assumptum, quia etiam perditissimi homines in casu proposito quantam habent vocem promere solent in petenda confessione; ergò etiam in eo, qui destitutus est voce, signa illa sunt tacita confessio, quia & ipsi animæ suæ remedium quo possunt modo quærunt. Et quidem ex August. serm. 44. tunditur pectus, ut arguatur, quod latet in pectore, & evidenti pulsu occultum castigetur peccatum; est ergò pectoris tunsio aliqua peccati manifestatio, & accusatio, ac proindè confessio, estò magis explicitè signis prioribus illa innotescat. Confirmatur, quia ex Layman, Sancio, & aliis apud Dianam conferri potest absolutio moribundo, quando dubium est, an signa prædicta procedant ex contritione, aut ex morbi, & mortis anguſtiis, ac mœrore, cum prodesse possit infirmo, nec obesse Sacramento propter appositam conditionem; ergò multò magis conferri poterit, si dubitetur solùm, an signa data ordinentur ad claves, nec ne, saltem sub conditione. Tandem probatur ex Rituali Romano Pauli V. jussu edito, docente ad impendendam absolutionem moribundo sensibus destituto satis esse, si confitendi desiderium ostenderit.

182 Quartò est difficultas, an qui absente Confessario petiit confessionem, & signa pœnitentiæ exhibuit, possit deindè ab illo superveniente absolvi, cum jam sensibus est destitutus, itaut nullum signum coram Sacerdote ostendat. Negant Soto, Victoria, Canus Navarr. Ledesma, & alii. Ratio est, quia materia essentialis hujus Sacramenti esse videtur confessio, qua pœnitens se accusat coram Sacerdote de suis peccatis; ergò non sufficit, nec valet confessio facta in absentia. Confirm. quia Clemens VIII. decrevit nullo modo licere confiteri per litteras, aut internuncium; sed confessio pœnitentis in dicto casu fit per internuncium, & testem supervenienti Sacerdoti; ergò non est sufficiens. Communis tamen Recentiorum sententia affirmat Suarez, Vasq. Valentia, Lugus, Layman, Aversa, Amicus, & ex nostris Poncius, Brancatus, Aretinus, & alii; probatur autem clarè ex pluribus Conciliorum, & Pontificum decretis, Arausicanum enim can. 11. decrevit, quod subitò obmutescens baptizari, aut pœnitentiam accipere potest, si voluntatis præteritæ testimonium verbis habeat, & Carthag. 4. c. 63. decrevit, quod qui in infirmitate pœnitentiam petit, si casu dùm ad eum Sacerdos invitatus venit, oppressus infirmitate obmutuerit, dent testimonium, qui eum audierunt, & accipiat pœnitentiam. Idem decrevit Leo I. epist. 91. & refertur c. *His, qui in tempore*, & tandem hoc confirmavit Paulus V. in Rituali Romano cit. verbis jam relatis. Et planè sine ullo fundamento negant Soto, & alii quidam prædicta decreta intelligenda esse de absolutione Sacramentali à peccatis, sed de absolutione cæremoniali à censuris Ecclesiæ. Nam & in illis antiquioribus decretis, & præsertim in novissimo Rituali Romano sermo est de absolutione Sacramentali à peccatis, quæ in illis decretis nomine pœnitentiæ, & reconciliationis intelligitur, ut constat ex eorum tenore, & intento. Probatur etiam ex destructione oppositi fundamenti, quia in tali casu illa confessio esset integra formaliter, nam, pœnitens talib. signis peccata sua Sacerdoti subiiciendo facit, quod in se est, & quantum potest hic, & nunc, & Confessarius per ea signa sufficiens judicium format, quantum fert occasio, & casus necessitatis de peccatis, & dispositione pœnitentis; ergò potest, ac debet absolutionem impendere.

183 Ex quo patet ad fundamentum in oppositum, nam confessio facta per signa, & facta per Interpretem in casu necessitatis est vera confessio, licet imperfecta ut superius visum est, confessio autem facta à moribundo in casu nostro est hujusmodi, nam fit per signa & per testem ea fideliter Sacerdoti supervenienti referentem, quæ proindè æquivalet confessioni factæ per Interpretem; ad judicium autem Sacramentale sufficit qualiscunque peccati notitia, qualis à reo hìc, & nunc haberi potest; undè falsum est absolutè loquendo, quod in argumento assumebatur, materiam essentialem hujus Sacramenti esse confessionem; qua pœnitens se accusat coram Sacerdote de suis peccatis, nam etiam superius diximus confessionem per Scripturam in absentia Sacerdotis esse validam, & Sacramentalem, dummodò posteà absolutionem pœnitens obtineat in præsentia Sacerdotis, ità notavimus suprà q. 5. ar. 3. n. 125. & in præsenti quæstione art. 2. nu. 170. Nec etiam obstat Decretum Clementis VIII. circà cujus intelligentiam variæ sunt excogitatæ expositiones, quarum quinque refert Aversa qu. 10. sect. 17. quæ singulæ aliquam patiuntur difficultatem. Quarè potius dicendum est ex prædictis l. c. circà illius decreti intelligentiam, Clementem prohibere confessionem per litteras, & internuncium Confessario absenti, tanquam insufficientem ad absolutionem validam absenti conferendam à Sacerdote pariter absente, cui fieret; non verò hujusmodi confessionem, quæ fit per petitionem Confessarii, & signa doloris, quæ est omninò diversæ rationis à confessione priori, & ideò illa solum confessio prohibita est ex vi illius decreti, non autem ista. Undè Coninck. disp. 7. nu. 105. ex Epistola Archiepiscopi Armacani refert eundem Clementem declarasse *Non fuisse sibi propositum damnare, seù prohibere, quod absolutio Sacramentalis impendatur incidenti in eo casu*, & Aversa loc. cit. refert in Congregatione etiam S. Inquisitionis Romana sub die 2. Decemb. 1621. denuò declaratum, ac jussum fuisse, ut Rituale in prædicto casu observaretur, nec decreto Clementis VIII. id repugnare.

184 Quintò est difficultas, num si peccatum commissum sit cum quodam complice, nec possit quis integrè suum confiteri peccatum cum circumstantia sine manifestatione complicis, si v. g. peccavit quis cum sua sorore, matre, vel filia benè nota eidem Confessario, num, inquam, possit tacere, vel dicere debeat talem circumstantiam, non alio imminente damno, nisi sola notitia, & infamia complicis apud Confessarium, si enim prudenter timeretur infamandum esse complicem à Confessario apud alios, aut occidendum, tunc complex non est revelandus, in eo n. casu non obligare integritatem materialem confessionis cõcedunt omnes, ut suprà dictũ est; undè hæc cõtroversia

non

non intelligitur de infamia, vel damno, quod complici timetur ex multis, vel imprudentia Confessarii, ut quod illum sit revelaturus, aut malum aliquod illaturus, sed sola infamia apud Confessarium, quæ per se ex confessione talis peccatis sequitur; intelligitur etiam in casu, quo alium Confessarium adire non possit, qui complicem ignoret, & urget confitendi necessitas, nam si commodè posset, alium adire teneretur. Affirmant aliqui posse, ac debere pœnitentem tacere circumstantiam complicis in tali casu. Fundamentum est, quia quando duo præcepta concurrunt, quæ simul servari non possunt, servandum est illud, quod est majus, & fortius; at majus, & urgentius præceptum est de servanda fama proxima, cum sit juris divini naturalis, quam de integritate Confessionis, quæ est juris divini positivi; ergò quando simul concurrunt, servanda est fama proximi, & omittenda integritas Confessionis. Confirmatur, nam hac ratione non tenemur confiteri per Interpretem, aut circumstantiam explicare, ex qua probabilirer timemus nobis, vel alteri infamiam secuturam, aut illam à Confessario, alteri revelandam, quia nostra, & proximi fama integritati confessionis est præferenda. Demum quia præceptum divinum integritatis confessionis non obligat, quando ex ea grave damnum proximo imminet, nec putandum est cum tam magno proximi detrimento obligare. Ità Marsilius, Navarrus, Palatius, Valentia, Armilla, Bannes, Faber ex nostris disp. 14. c. 5. & alii.

185 Communior tamen, & probabilior opinio, ut diximus l. cit. num. 504. affirmat complicis circumstantiam esse manifestandam, ut confessio sit integra, præsertim si nullum aliud damnum sequatur, quàm infamia complicis apud solum Sacerdotem. Ità D. Thom. D. Bonaventura, Durandus, Paludanus, Major, Almainus, Suares, Vasquez, Coninch. Lugus, Becanus, Amicus, Aversa, Caspensis, & alii Recentiores passim, & hæc etiam fuit opinio Scoti 4. d. 21. q. 2. vers. *De quid*, ubi hanc opinionem, ut veram supponit, inquit enim Confessarium teneri ad sigillum non solùm peccati confitentis, sed circumstantiarum etiam, & personæ secundæ, cum qua peccatur, undè supponit in confessione posse licitè revelari personam complicis, & veram esse opinionem communem, quæ asserit non solùm licere, sed etiam teneri. Probatur primò auctoritate D. Bernardi opusc. de formula honestæ vitæ, ubi circà finem ita *De nullo prorsus siniſtrè loquaris, quantumcunque sit verum, vel manifestum, nisi in confessione, & hoc ubi non potes aliter manifestare peccatum tuum*, sentit ergo D. Bernardus circumstantiam complicis esse in confessione explicandam, quando aliter tuum peccatum manifestare non potes, vel Confessarium adire, cui complex sit ignotus. Confirm. quia si non teneremur ad manifestandam personam complicem, etiam quando nullum aliud damnum sequitur complici præter illam simplicem notitiam, quæ Confessario datur, & qualemcunq; infamiã, quam apud illum incurrit; sequeretur conjugatam non teneri adulterium confiteri, quia illud redundat in infamiam alterius conjugis, nec conjugatos obligari ad peccata confitenda in abusu matrimonii commissa, quando uterque est Confessario notus. Tandem probatur destruendo oppositum fundamentum, quod erat esse præceptum naturale de non infamando proximo, sed occultum proximi peccatum alteri manifestare non est intrinsecè malum, & contrà legem naturalem, sed tantùm in duobus casibus, ut notat Becanus ca. 36. q. 2. nimirum quando fit sine rationabili causa, & quando fit ex intentione infamandi proximum, nam hujusmodi intentione deficiente, & alioquin rationabili causa interveniente, non erit peccatum detractionis, aut infamationis; undè si aliquis sciens uxorem adulterium commisisse, hoc communicaret amico taciturno, & secreto per modum consultationis, ut nempè consulat quid agendum, an occidenda, vel dimittenda, vel corrigenda; nulli dubium est hoc fieri posse sine ullo scrupulo peccati mortalis, quia hæc manifestatio fit rationabili de causa, & sine intentione infamandi uxorem. At in nostro casu non est intentio infamandi proximum manifestando complicem peccati, sed integrè confitendi, quia Deus obligat ad manifestandum peccatum in specie, quæ exprimi nequit sine manifestatione personæ complicis; tum quia ratione sigilli, quo Confessarius obstringitur, aliqui volunt nullam sequi complici infamationem apud Confessarium, quod etiam innuit Doctor lo. c. Quod autem sit sufficiens causa probatur, quia majus bonum est regulariter integritatem confessionis conservare ob reverentiam Sacramenti, quàm servare famam unius apud solum Confessarium, quando hinc sequeretur aliqualis infamia complicis apud illum, nam integritas Confessionis à Christo præcepta, & ad valorem Sacramenti necessaria majoris momenti est, quàm non infamare proximum apud solum Confessarium sigillo Confessionis obstrictum, præcipuè si aliud damnum non timetur.

186 Hinc patet ad fundamentum alterius opinionis, negatur enim indirectam Complicis manifestationem ad proprium peccatum exprimendum esse proximi infamationem, sicut enim per Adversarios non est proximi infamatio, quando persona complicis manifestatur ob ipsius utilitatem; ità etiam dicendum in casu nostro, quia nec fit animo infamandi, nec sine rationabili causa, & sufficienter compensatur hoc qualecunque damnum utilitate, & integritate confessionis. Ad Confirmationem negatur paritas, quia jure divino tenemur integram facere confessionem, non sic autem tenemur ad confessionem per Interpretem, ex vi enim ipsius non tenemur, nisi soli Confessario propria manifestare peccata. Ad ultimum gratis omninò concedimus præceptum divinum integritatis confessionis non obligare, quando grave damnum ex ea proximo imminet, utpotè si probabiliter timeatur infamandum esse à Confessario apud alios, aut occidendum, in his, inquam, & similibus casibus gratis concedimus non obligare integritatem materialis Confessionis; sed negatur in proposito tam grave damnum, & detrimentum sequi complici ex ejus manifestatione Confessario, qui sub sigillo tenetur ejus peccatum occultare, sicut principalis; si enim hoc fieri potest absque scrupulo peccati mortalis cum amico secreto, & taciturno per modum consultationis, ut suprà dictum est, multò magis id fieri poterit in Confessione, ubi sigillum tam strictè obligat. Sed instat Faber l. c. ex hac nostra sententia plura sequi posse inconvenientias in locis, ubi non est facile posse invenire Confessarium, qui non cognoscat complicem, ut in vicis, ubi est unus Sacerdos Parochus tantùm, vel in Conventibus Regularium, ubi omnes se agnoscunt; in his enim locis exprimere in Confessione personam complicem magnum potest afferre detrimentum, & varia pandere scandala saltem successu temporis. At hæc instantia parum urget, quia ut patet ex dictis, quæstio præsens, & casus propositus non est quando ex manifestatione complicis timetur prudenter aliquod malum ejus extrinsecum ex malitia, vel imprudentia Confessarii, ut quod illum sit revelaturus, aut aliquod mali illaturus, ut urget instantia facta, in tali enim casu gratis omninò concedimus oppositam sententiam esse sequendam; sed præsens casus est, quando nullum aliud damnum complici obvenit præter illam simplicem notitiam, quæ Confessario datur, & famæ diminutionem, quam apud illum incurrit, & sufficienter compensari diximus utilitate, & integritate Confessionis.

187 Postremò dubitatur, an dimidiari possit Confessio in casibus reservatis, in quo casu triplex occurrit difficultas. Prima, an possit Superior absolvere tantùm à reservatis, & quoad reliqua pœnitentem remittere ad inferiorem. Secunda, an quando Superior absolvit tantùm à reservatis, teneatur pœnitens simul cum non reservatis reconfiteri etiam reservata. Tertia, an interdum possit inferior saltem indirectè à reservatis absolvere; quas difficultates exactè tractamus q. 18. cit. a. 3. & breviter expediemus q. seq. agendo de casuum reservatione.

ARTICULUS QUINTUS.

An, & in quibus casibus Confessio sit invalida ac repetenda, & quomodo.

188 Confessio tunc valida esse censetur, & non iteranda, quando est apta, ut ex ea Sacramentum perficiposit, & è contrà tunc censetur invalida, & repetenda, quando Sacramentum pœnitentiæ ex ea fieri nequit, ex duobus autem præsertim capitibus confessio reddi potest invalida, & irrita, sub quibus alia plura continentur; primò ex parte pœnitentis, nimirum ex defectu dispositionis, ex omissione culpabili peccatorum, ex incapacitate effectuum, & similibus; secundò ex parte Ministri, ut ex defectu jurisdictionis, debitæ intentionis, scientiæ sufficientis ex defectu auditus, qui est distractus, vel dormiens, & aliis hujusmodi; satis autem constat ex dictis confessionem interdum invalidam esse, & irritam, & quandoque mortaliter peccari, & sacrilegium committi in actuali susceptione Sacramenti, in quo casu tantùm abest, ut quicquam prosit, ut potius nova culpa animam gravet; atque ideò talem confessionē esse de novo iterandam, & peccata repetenda. Neque dicas nullibi reperiri obligationem peccata confessa esse denuò in hoc judicio Sacramentali repetenda. Hìc ergò vestigandi, & recensendi sunt casus, in quibus confessio censetur invalida, & rursus repetenda, & quomodo.

189 Primò itaque ex defectu pœnitentis iteranda est confessio, quoties pœnitens culpabiliter moraliter integrè non confitetur, sed omittit aliquod peccatum in confessione; item si ex defectu examinis culpabili peccatum aliquod contingat omitti. Assertio est communis, & quoad primam partem probatur, quia integra peccatorum confessio est de necessitate salutis, ut diximus art. præced. ex Conc. Trid. sess. 14. per totam, sed facta cum illa

illa omissione non est integra; ergò remanet obligatio faciendi integram, & consequenter est repetendi totam confessionem, & in tali casu sufficere dicere peccatum omissum. Quamvis enim nullibi reperiatur explicitè, reperitur tamen implicitè, nam ex ipsa institutione Sacramenti pœnitentiæ, & necessitate confessionis Sacramentalis obligatio sufficienter deducitur, cum enim ad salutem necessarium sit omnia peccata mortalia confiteri ad absolutionem, & remissionem obtinendam, & per confessionem illam mutilatam non sint absoluta, neque remissa, remanet semper obligatio ea dicendi, & eo modo, quo sunt absolutionis capacia; hoc autem fieri nequit, nisi simul dicantur, quia dimidiam à Deo sperare veniam impium est, ut est commune Theologorum adagium. Hoc tamen totum intelligendum est, ut etiam communiter Doctores advertunt, quando Confessarius memoriam non habet de prima confessione; nam si illam habeat, sufficit quod pœnitens in genere se accuset de peccatis anteà confessis, & addat peccatum omissum, & sacrilegium commissum, sic enim adhuc sufficienter peccata jam omissa subiiciuntur clavibus, & de omnibus potest judicium ferri, & sententia, atque ideò in tali casu non est necessaria repetitio. Et sic pariter discurrendum est quoad secundam partem, quod si ex defectu examinis aliquod peccatum omitti contingat, & defectus sit culpabilis confessio est repetenda, si Confessarius præteritæ confessionis non recordetur, quia confessio non integra voluntariè repetenda est, ut constat ex probatione primæ partis, talis autem est confessio cum omissione procedente ex culpabili defectu examinis, quia omnis omissio orta ex ignorantia consequente est voluntaria; si autem Confessarius præcedentis confessionis recordetur; sufficit pariter, ut pœnitens in genere se accuset de prius dictis addens omissa, & negligentiam examinis, undè processit omissio, dùm enim recordatur Minister de prius dictis à penitente, & additur manifestatio peccati omissi, & negligentiæ, potest judicium de omnibus sufficienter ferri.

190 Addit insuper Brancatus noster disp. 12. de pœnitentia art. 9. §. 2. ex defectu quoque culpabili examinis, etiamsi nullum in confessione omittatur peccatum repetendam esse confessionem modo jam prædicto, quia per illam Confessionem, ad quam præcedit negligentia culpabilis examinis, non habetur effectus confessionis, idest, remissio peccatorum, & gratiæ infusio, tenetur enim pœnitens conformare se præcepto dictanti confessioni debere præmitti diligens examen ad illam integrè faciendam. Sed hoc minimè placet, quia si in confessione nullum omittitur peccatum, jam signum est præcessisse sufficiens conscientiæ examen, & nullam adesse culpabilem examinis negligentiam, neque pœnitens in hoc casu peccat contrà præceptum de faciendo gravi examine ante confessionem, quia hoc præceptum habet pro fine integritatem ejus, quæ in tali casu non omitteretur, undè talis doctrina solùm conferat ad scrupulos inducendos, & magnam conscientiæ perturbationem, quilibet enim facta etiam integra confessione, dubitare posset, an diligenter se excusserit, nec ne, & frequenter confessiones repetendæ essent. Notanter autem diximus ex omissione culpabili alicujus peccati, vel defectu culpabili examinis iterandam esse confessionem, quia ut notat Aversa quæst. 10. sect. 19. cum Gersone, Adriano, Sylvestro, Navarro, & aliis, si ignorantia, seù oblivio, & inadvertentia fuit invincibilis, & inculpabilis saltem moraliter, etiamsi pœnitens non excusetur à culpa veniali, non ob id redditur confessio invalida, & repetenda, sed tantùm relinquitur obligatio supplendi posteà defectum, ideſt, confitendi illa solùm peccata, quæ prætermissa fuerant, quando, scilicet, posteà pœnitens cognoscet, seù recordabitur, & advertet illa esse peccata mortalia; undè ajunt prædicti Doctores, pueros, & puellas, qui grandiores facti noviter agnoscunt quædam esse mortalia, quæ prius ex ignorantia omiserant confiteri, non teneri iterare priores confessiones, sed tantùm confiteri illa, quæ noviter dicunt esse mortalia.

191 Secundò ex defectu etiam displicentiæ, seù attritionis de peccatis commissis, ac etiam ex defectu propositi non peccandi de cætero est iteranda confessio. Hæc etiam est communis, & probatur; quia dolor de peccatis commissis est unum ex requisitis ad confessionem validam, ut supradictum est ex Concil. Tridentin. sess. 14. cap. 4. & sequent. undè ait Scotus 4. dist. 14. quæst. 1. X. quod sine dolore peccatum non remittitur, & quod graviter peccat, qui dolorem ad confessionem requisitum propria culpa prætermittit cum ponat obicem ad Sacramentum, & in materia Sacramenti deficiat, eodem modo probatur, quod si deficiat propositum formale, aut virtuale non peccandi de cætero, ut suprà explicatum est, pœnitens confessionem iterare tenetur, quia tale propositum ingreditur partem Sacramentalis confessionis ex Tridentino loco citato, siquidem debet esse connexum contritioni, in cujus definitione includitur, ut superius dictum est, & sine tali dolore ponitur obex Sacramento, & nullus effectus causatur. Ex quo etiam sequitur, ex defectu quoque intentionis relinquendi occasionem peccandi proximam iterandam esse confessionem, quando enim pœnitens noluit deserere statum, & occasionem proximam peccandi mortaliter censetur voluisse permanere in statu peccati mortalis, & debitum dolorem non habuisse. Notanter autem diximus talem iterationem oriri ex defectu intentionis relinquendi occasionem proximam peccandi, quia confessio facta absque voluntate relinquendi occasionem remotam peccandi non est iteranda; occasio enim proxima est illa, ut communiter Summistæ docent, quæ inducit aliquem frequenter ad peccandum, seù cum qua difficillimè homo abstinet à peccato; remota verò è contrà est illa, quæ non ita frequenter ad peccandum inducit, & cum qua absque tanta difficultate à peccando abstinet; undè confessio facta sine voluntate relinquendi occasionem remotam peccandi non caret proposito non peccandi, nec habet conjunctam voluntatem actualem, vel virtualem peccandi; solùm autem illa confessio est iteranda ratione propositi, & voluntatis non peccandi de cætero, quæ vel caret voluntate non peccandi, vel est conjuncta cum voluntate peccandi saltem virtualis, qualis est tantum occasio proxima peccandi, non autem remota. Ex his etiam deducitur, quod si excommunicatus scienter, & malâ fide confiteretur, & absolutionem à peccatis reciperet absque prævia absolutione censuræ, confessionem irritam, & sacrilegam faceret, quam proindè repetere deberet; & ratio est, quia primò deficit in confessionis integritate, cùm taceat excommunicationem, & peccatum, quod tunc denuò committit, deindè deficit in dolore, ac proposito ad validitatē cōfessionis requisito, siquidē actualiter habet voluntatem peccandi, dum eo ipso actu peccat. Quando verò quis bona fide confitetur, & absolvitur cū censura, probabilis est confessionem esse validam, nec esse repetendam, sed satis esse, ut posteà cognita excommunicatione ejus absolutio obtineatur. Jtà Aversa, Cardinalis de Lugo, Brancatus noster loco citato, Navarrus, Sylvester, Toletus, & plures alii.

192 Tertiò, ex defectibus occurrentibus ex parte Confessarii repeti debet Confessio facta Sacerdoti, non audienti, aut non percipienti, & repetenda est ex toto, vel ex parte, si facta sit apud Confessarium non audientem ex surditate, vel non attendentem ex somno, vel ex distractione, vel non percipientem loquelam ex diversitate idiomatis; & ratio est, quia Confessio instituta à Christo est manifestatio peccatorum facta alteri, qui debet judicare; ergò si pœnitens advertit, quod Confessarius peccata non audivit, tenetur confessionem ex integro repetere; si verò deprehendat aliquam solùm partem non fuisse auditam, vel perceptam, utpotè ob somnum Confessarii, vel distractionem, vel ob strepitum externum, qui auditum impedierit, hanc solùm partem repetere tenebitur; si autem pœnitens est certus, quod Confessarius ob somnum, vel distractionem aliqua peccata non audivit, & alia audivit, vel discernere nequit, quænam audita fuerit, & quæ non, omnia repetere tenebitur, quia in tali casu obstat periculum defectus integritatis, & semper remaneret dubiū, an omnia sint confessa, necne; ergo semper erit obligatio repetendi, sicut si dubius es, an confessus fueris aliquod mortale, vel illud omiseris, certè teneris illud confiteri; tenebitur ergò pœnitens in tali casu totam repetere confessionem quoad materiam moralem, & necessariam. Si tandem bona fide, & absque advertentia pœnitentis peccata confessa non audiantur à Confessario, vel quia dormit, vel quia de aliis cogitat, non tenetur pœnitens Confessionem repetere, nisi quando posteà talem decretum deprehendit, hoc autem deprehenso, illum supplere tenetur, etiamsi illa confessio, & absolutio ex ejus bona fide, & dispositione valida fuerit, & effectum gratiæ contulerit, ut ait Aversa loc. cit. cum pluribus aliis, licet validè de hoc dubitet Brancatus cit. §. 6. num. 244. de illo, qui sic confitetur solùm attritus, hìc enim justificatus esse non videtur, quia attritio non sufficit ad justificandum sine Sacramento, in hoc enim casu videtur, quod Sacramentum non fieret, quia confessio non fuit tota audita; ergò si Deus alio modo extraordinario hunc non justificaret; non videtur esse in statu salutis. Posset tamen dici, quod hoc modo sit instituta confessio, ut si ex parte pœnitentis non obstet, etiamsi tota non audiatur sufficiat, nam pœnitens, qui in casu mortis totam nequit perficere confessionem, si absolvitur cum attritione, est salvus; ergò multò magis qui totam perficit, & ex alterius incuria sua peccata non audiuntur, quia est eadem impotentia physica in utroque casu, qui enim nescit de non fuisse auditum, impotens physicè est ad cognoscendam suam obligationem. Et si in tali casu Sacramentum non fieret, dicendum est Deum ex sua misericordia alio modo extraordinario hunc justificare, & defectum Sacramenti supplere, ut dici solet in aliis similibus casibus; quia

quia pœnitens facit, quod in se est, & ignorat se ad aliud obligari.

193 Quartò repetenda pariter est confessio facta advertenter, & ex industria à pœnitente Sacerdoti ignaro, & discernere nescienti, quæ necessaria sunt, ut quæ sint peccata mortalia, & venialia, quando sit faciendа restitutio, remota occasio, & similia; in tali enim casu non censetur pœnitens dispositus ad Sacramentum illud judiciale, ità enim se habet, ac si peccata sua manifestare nollet, atque ideò facit confessionem irritam, & sacrilegam, eamque prorsus repetere debet, & in hoc omnes conveniunt, estque res de se clara. Dubium tamen est, an pœnitens qui bona fide confessus est Sacerdoti indocto, & minus idoneo, ac sufficienti ad ipsius confessionem excipiendam, quem post confessionem cognovit nesciviſse distinguere inter peccata mortalia, & venialia, vel inter reservata, & non reservata, teneatur iterum confessionem repetere. Affirmat D. Antoninus, Riccardus, Sylvester, Victoria, Vasquez, & Turrianus apud Aversam loc. cit. Negant alii, modò pœnitens bona fide confessus sit, & modò Confessarius potestatem habeat absolvendi ab hujusmodi peccatis reservatis. Ratio est, quia obtinuit absolutionem Sacramentalem ab habente facultatem absolvendi, & plenè peccata sua manifestavit, ut supponitur, nec obicem posuit valori Sacramenti; hoc autem intelligunt modò Sacerdos, cui pœnitens sua peccata confitetur, non sit adeò rudis, & indoctus, ut nullâ omninò ratione cognoscat peccati gravitatem, sed illam aliqua ratione cognoscat, quamvis in particulari nesciat discernere, & distinguere species in particulari. Ità Bonacina disp. 5. quæst. 5. punct. 3. plures alios citans, & Brancatus noster loco citato. Melius tamen, & clarius, cum distinctione procedendum est, & dicendum cum Aversa loco citato non teneri pœnitentem bona fide confessum repetere confessionem, vel aliqua peccata ex eo capite, quod Confessarius inter mortalia, & venialia non benè discerneret, dummodò tamen factum à pœnitente sit narratum, & à Confessario perceptum, sicut reipsa erat; etenim hac ignorantia non obstante, adhuc re vera, & Sacramentaliter est absolutus, & licet in satisfactione congrua injungenda defecerit, hic non est error substantialis, ob quem confessio necessariò repeti debeat, & si etiam ex Confessarii incuria, & imperitia pœnitens de suis obligationibus non fuit sufficienter monitus, & instructus, ut restituendi, solvendi, & similibus; satis erit si alium virum doctum consulat, à quo instruatur absque confessionis repetitione. Si autem ex imperitia Confessarii pœnitens non distinctè expressit peccatorum species, non explicavit circumstantias speciem mutantes, nec numerum peccatorum determinavit, ut facilè accidere potest; tunc utique subdit Aversa; talem defectum supplere tenebitur, & ea dicere, quæ prætermisit, quod non est propriè confessionem repetere quoad ea, quæ dixit, nisi fortè ad aliquam circumstantiam explicandam, vel multitudinem peccatorum numericam, denuò commemorare sit opus id quod anteà concisè, vel confusè dictum fuerat, & ità etiam discurrunt Coninchius, Caspensis, & alii ab ipso Aversa cit.

194 Quintò, debet repeti Confessio, quando pœnitens non fuit legitimè absolutus, quod pluribus modis evenire potest ex defectu solius Confessarii, ut si hic debitam absolutionis formâ non protulerit, vel si intentionem requisitam non habuerit, vel sine sufficienti jurisdictione absolverit, vel si Ecclesiastica censura, aut inhabilitate ligatus fuerit; in his enim casibus est confessio repetenda, quamvis bona fide ex parte pœnitentis facta sit, & cum omnibus debitis conditionibus si posteà deprehendatur defectus, quia confessio ad validam absolutionem ordinatur, qua verum Sacramentum perficiatur, & ideò quamdiù hæc obtenta non fuerit, obligatio manet eam procurandi per iteratam confessionem, & si pœnitens talis defectus in Sacerdote conscius erat, grave quoque sacrilegium commisit, de quo proindè in iterata confessione se accusare debebit. Quod autem diximus de defectu Sacerdotis Ecclesiastica censura, vel inhabilitate ligati, intelligendum est in casu, quo sit vitandus juxtà Extravagantem: Ad evitanda, quia hic est jurisdictione privatus; quod si non sit vitandus, jurisdictione non caret, & licet ipse peccet se ingerendo, non peccat tamen requisitus ministrando, nec illum requirens ut dictum est suprà disp. de Censuris. Quod verò diximus de defectu jurisdictionis, intelligendum est, si omni jurisdictione careat, itaut in nulla peccata ex his, quæ confessus est pœnitens, jurisdictionem habeat, tunc enim nulla est confessio, & iteranda; sed si habuit in aliqua, v. g. in non reservata, tunc est valida, quia etiam reservata manent indirectè remissa, sicut peccata oblita etiam indirectè remittuntur, si pœnitens sit in bona fide; cum obligatione tamen confitendi apud alium habilem ministrum de solis reservatis, postquam sciverit, & non de aliis, à quibus jam fuit validè, & directè absolutus, siquidem bona fide illi Sacerdoti confessus erat, nesciens peccata illa esse reservata, vel putans eum plenam habere potestatem etiam ab illis absolvendi. Ità Aversa, Caspensis, Bonacina, Brancatus, & Aretinus ex nostris, & alii passim.

195 Sextò, est difficultas, an Confessio facta Sacerdoti in jurisdictione dubio sit repetenda; quę difficultas alio modo proponi solet, an confessio facta Ministro, qui communi errore, & titulo colorato putatur habere jurisdictionem, sit valida, vel potius invalida, & iteranda, cum advenit notitia erroris, & illegitimitatis; ex cujus dubii solutione pendet quid sit dicendum de Confessione facta Confessario excommunicato evitando, qui communi errore, & titulo colorato præsumebatur legitimus Confessarius in loco, ubi facta est confessio; undè hoc non intelligitur de privata tantùm opinione solius Sacerdotis, vel pœnitentis; sed communi aliorum, quando, scilicet, communiter habetur talis. Prima sententia negat talem confessionem esse repetendam, fundamentum est, quia in eo casu censetur Ecclesia potestatem concedere, nam hoc ipso, quod Ministri in absolvendo sequantur opiniones probabiles Doctorum, ducuntur regula humana ad operandum humano modo proportionata; ergò hoc ipso Ecclesia censetur eorum gesta approbare supplendo defectum potestatis, ubi, & quantum opus fuerit, ne publicum bonum animarum lædatur; quæ doctrina colligitur ex Lege *Barbarius*, ff. de Officio Prætoris, in qua, ne publicum bonum lædatur, statuitur, ne res à putato tantùm Prætore gestæ irritæ sint, & invalidæ, nam hoc inquit: *humanius est* eadem ergò ratione dicendum in præfato casu Sacerdotem Ecclesiastico jure habere potestatem absolvendi à peccatis, ne publicum bonum animarum patiatur damnum.

Confirmatur, quia Parochus tantùm putatus, utpotè qui simoniacè beneficium obtinuit, ex eadem tacita confessione Ecclesiæ censetur habere omnem potestatem ad suum officium ritè obeundum. Ità Amicus disp. 13. de Confessione sect. 12. num. 275. cum Less. Henriq. Lugus, Sanch. Bonav. & aliis; ex quo etiã deducit validas esse Confessiones factas Sacerdoti, qui cum falsa licentia Ordinarii aliorum excipit confessiones, ut etiam cum aliquibus sentit Diana tract. 4. de Sacramentis resol. 122.

196 Alia sententia affirmat talem confessionem esse iterandam, ubi primum pœnitenti constiterit, quod Sacerdos nullam jurisdictionem habuit. Fundamentum est, quia ad Sacramentalem absolutionem non sufficit tantùm putata, vel probabilis potestas, sed requiritur realis, & certa; sicut nec sat est putatus dolor, sed requiritur realis, quoniam hæc non pendent ex opinione Doctorum, sed ex Christi institutione; ergò ut primum pœnitenti constiterit, quod Sacerdos nullam habeat potestatem, tenetur priorem confessionem repetere. Ità Suarez disp. 26. sect. 6. cum pluribus aliis, quam opinionem tuentur enixè ex nostris Brancatus disp. 22. cit. art. 9. num. 267. dicens omninò ab Ecclesia non posse suppleri defectum jurisdictionis in illo communi errore; nullibi enim habetur hæc doctrina, quod Ecclesia det jurisdictionem non habenti, quando alii putant habere; alioquin dici posset, quod si in Civitate fœmina existimata vir, & Sacerdos, quia alienigena, attentaret audire confessiones, vel ex facultate obtenta ab Episcopo putante esse Sacerdotem, vel quia putatur obtinuisse; pœnitentes confessi non tenerentur ad repetendas confessiones, quod est falsum. Imò si simplex Sacerdos, aut Clericus fingens se Episcopum, & putatus talis, confirmaret, & ordinaret, sequeretur eos esse confirmatos, & ordinatos, quia Ecclesia suppleret communem errorem, quod nemo dicet. Quarè concludit, quod ubi non est potestas, deest validum exercitium illius quomodocumque putetur ibi esse potestatem; neque nuquam Ecclesia dat potestatem alicui ad faciendum validè, quæ tentat facere, & non habet potestatem per hoc, quod existimatur habere.

197 Quamvis hæc secunda opinio tutior sit, & securior prima; firmo tamen non nititur fundamento, quia negant Auctores primæ sententię potestatem absolvendi, qua in dicto casu Sacerdos uteretur esse tantum putatam, & consistentem in sola hominum opinione, licet ea prærequiratur, ut necessaria conditio, qua posita Ecclesia ipsa ex æquitate juris censetur concedere realem potestatem ad absolvendum, quæ potestas cum sit jurisdictionis, pendet ab Ecclesia, ut ponatur, vel non ponatur, ut benè discurrit Amicus loc. c. ubi proindè negat esse eandem rationem de dolore putato, quoniam hic non pendet ab Ecclesia, sed ab ipso pœnitente, & ideò primum suppleri potest inscio etiã eo, cui conceditur, quia conceditur ad publicum bonum, non autem secundùm. Ex qua doctrina solvitur etiam ratio Brancati nostri ex absurdis deducta, quæ ex prima sententia sequerentur, negatur enim illa sequi absurda, potestas enim ordinis distincta est à potestate jurisdictionis, quæ ab Ecclesia pendet, ut ponatur, vel non ponatur, illa verò immediatè pendet à Deo, à quo est immediatè instituta, & ideò Ecclesia facere non potest,

test, quod fœmina existimata vir, & Sacerdos validè confessiones audiat, & pœnitentes absolvat, neque quod simplex Clericus se fingens Episcopum, & communiter talis putatus validè confirmet, & ordinet; quia deficeret, illis potestas Ordinis, quæ ab Ecclesia immediatè non pendet ut ponatur, vel non ponatur, sed à collatione Ordinis Sacerdotii, & Episcopatus, quod est Sacramentum, immediatè à Christo institutum. Sed neque etiam opinio satis firmo nititur fundamento, quia ut diximus 2. sent. disput. 5. qu. 3. de Conscientia probabili art. 1. ex obligatione virtutis Religionis in materia Sacramentorum, ac eorum ministerio tenemur sequi opinionem tutiorem, & certiorem ob specialem materiæ celsitudine, & omnimodam Sacramentorum venerationem ex institutione Christi Domini præcisè dependentem. Cum igitur secunda opinio tutior sit, & securior ut dictum est hæc sequenda videtur, & dicendum iterandam esse confessionem, ubi primum pœnitenti constiterit, quod Confessarius nullam habuit jurisdictionem ad ipsum absolvendum. Et ne dicatur, quod hoc tenendo malè provisum esset iis, qui errore inculpabili detinerentur, ne statum Ministri illegitimi cognoscerent, addendum est infinitam esse Dei misericordiam nec absolutè suam omnipotentiam Sacramentis alligasse, ut communiter docent Theologi, atque ideò existimandum est, quod Deus in tali casu alia via illis peccata condonet, & det gratiam, quàm per viam confessionis, ut suprà dictum est de eo qui in casu mortis totam nequit facere confessionem, si absolvitur cum sola attritione; vel dicendum, quod Deus eos illuminat, ut errore eruantur, ut in aliis casibus similibus dici solet, quia pœnitens facit, quod in se est, & se ad aliud obligari inculpabiliter ignorat.

198 Postremò, ut constet quonam modo sit repetenda Confessio in casibus prædictis, conveniunt Doctores, quod si confessio apud alium Confessarium à priori diversum sit repetenda, debent omninò explicitè & distinctè omnia repeti peccata quod etiam, & numerum, ac si penitus dicta non fuissent, & ratio est, quia prior illa confessio, & notitia priori confessario præstita nihil prorsus notitiam, & informationem posterioris confert, ut de se patet, quarè debent omnia peccata huic de novo, & integro narrari, & manifestari. Si verò confessio fiat apud priorem Confessarium, aliqui dicunt sufficere, ut pœnitens se accuset, in genere de peccatis eidem Confessario anteà manifestatis in alia confessione, etiamsi confessarius oblitus sit status pœnitentis. Ità Medina qu. 24. de confessione, quod tenet Diana 3. p. tra. 4. resol. 123. existimans absolutionem fore validam, in eo eventu, quamvis Confessarius neque statum peccatoris generatim recordetur, sed solùm quod sibi confessarius fuerit. Alii verò è cõtrà volunt de novo, & distinctè, ac explicitè repetendam esse confessionem, quia necessaria est in confessario distincta peccatorum notitia, ut medelam necessariam adhibere possit, & ideò requiritur distincta confessio. Ità Corduba in Summa quæst. 6. Suarez disp. 22. sec. 6. Coninch. disput. 7. sec. 11. Brancatus loc. cit. & alii nonnulli. Alii tandem communius, & probabilius media via incedentes docèt, quod si confessarius recordetur saltem in confuso de statu conscientiæ pœnitentis, vel saltem pœnitentiæ illi injunctæ, opus non sit distinctè confessionem repetere, sed sufficienter confitebitur dicens, se irritam fecisse confessionem ob hanc vel illam causam, accusando illam si culpabilis fuit, & simul se accusando uno verbo generatim de omnibus peccatis tunc dictis; hæc enim accusatio cum illa status notitia sufficit, ut confessarius rectè judicet, & pœnitentiam imponat, ac proindè ut convenienter absolvere possit, atque ità quidem servatur in praxi; nam sæpè quando differt absolutionem ab uno die in alium, non recordatur distinctè, & explicitè omnium, quæ audivit, sed solùm in confuso statum pœnitentis comprehendit, & hoc sufficit ad absolutionem tribuendam, & congruam pœnitentiam imponendam; hoc etiam igitur sufficiens erit in repetendis confessionibus invalidè factis, sivè ex defectu doloris, sivè ex defectu integritatis, & aliis capitibus; nec opus est ut Sacerdos distinctè, & in specie recordetur peccatorum, illorum, ut contendit etiam Brancatus noster art. 9. cit. num. 285. Ità Navarrus, Sylvester, Vasquez, Valentia, Henriquez, Toletus, Bonacina, Reginaldus, Layman, Caspensis, Aversa, & alii passim.

QUÆSTIO OCTAVA.

De Ministro Sacramenti Pœnitentiæ.

199 CERTA fide tenendum est, ut diximus 4. sent. disp. 5. cit. q. 19. solùm Sacerdotem esse hujus Sacramenti Ministrum, ita definiunt Concilium Constantiense in Bulla Martini V. & Trident. sess. 14. cap. 6. & 10. quod etiam ex scripturis evidenter deducitur, nam. Jo. 10. & Mat. 18. solis Apostolis, ac eorum successoribus promissa, & concessa est clavium potestas illis verbis: *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis*, ut unanimiter verba illa Christi Domini intellexerunt SS. Patres, & præsertim S. Ambrosius lib. 1. *de pœnitentia* cap. 3. S. August. lib. 2. cont. Epist. Parmeniani cap. 12. & S. Leo epist. 91. ad Theodorum. Et insulsum omninò est, ac ridiculum, ut ibi dicebamus, quod ait Lutherus per illa verba Christum omnibus Christianis talem contulisse facultatem; siquidem expressè ex ipso Evangelico textu deducitur, tunc Christum Dominum solis discipulis esse locutum, qui erant ibi congregati *foribus clausis propter metum Judæorum*, atque ideò illis solis talem concessisse facultatem, & auctoritatem; qui erant Apostoli, & consequenter eorum successoribus; ut patet ex universali Ecclesiæ traditione. Verùm quia circa modum hujus ministerii aliquæ sunt difficultates, breviter sunt explicandæ ex ibi dictis, & alia addenda ibi omissa ad moralitatem spectantia.

ARTICULUS PRIMUS.

Quis sit legitimus Sacramenti Pœnitentiæ Minister.

200 PRimò pro resolutione quæsiti dicendum est, quod quãvis certum sit solùm Sacerdotem esse legitimum hujus Sacramenti Ministrum, ut dictum est, non tamen quilibet Sacerdos quodlibet pœnitentes validè absolvere potest, sed præter potestatem ordinis, quam in ordinatione accipit, requiritur ulterius in eo potestas jurisdictionis; quarum potestatum distinctionem ità explicavimus cum communiori l. c. quod quamvis Sacerdos vi ordinationis suæ accipiat immediatè à Christo Domino potestatem remittendi peccata; non tamen accipit materiam, cui potestatem illam applicet, nec vi ordinationis suæ subditos habet, in quos judicialem illam potestatem exerceat, sed per Ecclesiam posteà isti determinantur, quatenus Sacerdotes constituit Judices vel ordinarios, vel delegatos talium, & talium. Ita declaratum fuit in Concil. Florent. in decreto Eugenii, in quo dicitur: *Ministrum Sacramenti pœnitentiæ esse Sacerdotem habentem auctoritatem absolvendi, vel ordinariam, vel ex commissione*, & posteà confirmatum est in Trident. sess. 14. cap. 7. ubi expressè dicit, *nullius momenti absolutionem eam esse debere, quam Sacerdos in eum profert, in quem ordinariam, aut subdelegatam non habet jurisdictionem*. Et hoc totum significavit Scotus 4. disp. 19. quæst. un. art. 4. ubi docet remissionem peccatorum ex potestate clavium totaliter provenire, quam Sacerdos in sua ordinatione accipit, tanquam à principio, seù potestate, per quam directè fit ipsa remissio, quia remissio fit virtute Sacramenti, & directè per absolutionem, quæ est usus clavis, & per ministrum ex divina institutione; non autem per aliquam institutionem humanam Ecclesiæ, quæ nullam habet potestatem Sacramenta instituendi; aut eis efficaciam ullam tribuere, seù effectum, secundùm quod instituta sunt à Christo, & mediantè sola Christi institutione. Undè sicut Ecclesia accepit tantùm jurisdictionem fori externi, mediantè qua nequit peccata remittere, ita quicquid per hanc potestatem facit directè, non concedit auctoritatem dimittendi peccata propriè, & directè. Quia tamen auctoritas in sua ordinatione Sacerdotibus concessa non tollit auctoritatem Ecclesiæ concessam jurisdictionis, subordinationis, & hierarchiæ, quam in personas omnes habet, ideò huic auctoritati subordinatur clavium potestas indirectè, quatenus determinatio, & concessio personæ, in quam exerceri possit sententia, directè spectat ad Ecclesiam, ut inquit Trident. loc. cit. illis verbis: *Quoniam igitur natura, & ratio judicii illud exposcit, ut sententia in subditos dumtaxat feratur &c.* Quamvis ergò Sacerdos à Christo potestatem, acceperit absolvendi à peccatis directè, & quando absolvit, in persona Christi absolvat, ut ejus Vicarius, & in virtute potestatis illius, à quo data est; quia tamen ut illa potestas validè exerceatur, requiri subditum, in quem feratur sententia, quem Sacerdos ex vi ordinationis suæ non habet, sed debet ab Ecclesia recipere, quæ sola in subditos potestatem habet per se, & reliqui dependenter ab ipsa, seù ex ejus confessione, hinc manet suspensa potestas clavium, donec per Ecclesiam reducatur ad actum, quod totum optimè advertit Hiqueus 4. disp. 19. qu. un. art. 4. in Commentario.

201 Secundò hinc deducit Doctor loc. citato potestatem clavium esse potentiam remotam, & non propinquam, quia potentia remota est, qua quis de se, & simpliciter agere potest, propinqua verò, & proxima requirit passum approximatum, & nõ impedimentum, ut agat, ex Arist. 9. Met. c. 4. ubi docet quod potentia activa, cui statim respõdet passiva, & non est impedibilis, est potentia propinqua ad agendũ; potentia verò, cui statim non respon-

respondet passum, vel eò habito est impedibilis, durante impedimento non est potentia propinqua, sed remota. Quia ergo Sacerdos ex ordinatione Sacerdotali non statim materiam habet, in quam claves exerceat, sed opus est, quod aliquis subditus sibi assignetur, in quem habeat jurisdictionem, & usum clavium, non solùm ad hoc, quod ritè absolvat, sed ad hoc, ut simpliciter absolvat, quia ut habetur in 6. de Regulis juris, sententia à non suo Judice lata est nulla; ideò talis potestas ordinis, seù clavium præcisè sumpta est remota, non propinqua. Et hinc Doctor ibidem assignat disparitatem inter potestatem consecrandi, & absolvendi in ordinatione sacerdoti collatas, quod illam nequeat Ecclesia validè suspendere quoad nullitatem actus, quem facit, si attenet, quia potestas illa cum habeat materiam in reipsa independenter ab Ecclesiæ jurisdictione, & consensu, est potestas proxima nulli alteri subordinata, non ità potestas absolvendi, quæ non habet materiam independenter à consensu, & auctoritate Ecclesiæ, ideoque suspensa manet, donec accedat Ecclesiæ, approbatio respectivè ad designationem subditorum, quã tribuit vel ratione muneris, & officii, ad quod aliquem assumit, ut ratione beneficii, cui annexa est animarum cura, & hæc vocatur ordinaria, vel tantùm delegat auctoritatem personæ, quæ dicitur delegata, quia non ex munere, & officio conveniens; & sic intelligitur habere auctoritatem, & jurisdictionem uno, vel altero modo Confessarius in Ecclesia, ut potestatem clavium ritè, & validè exercere possit, & hæc est communis doctrina Scotistarum d. 17. cit. Aretini ibidem, Fabri disp. 25. cap. 3. Brancatus disp. 19. a. 3. & aliorum.

202 Tertiò est difficultas, an quilibet Sacerdos etiam non approbatus possit à peccatis absolvere venialibus, & mortalibus aliàs confessis. Affirmant plures quilibet Sacerdotem etiam nõ approbatum à peccatis mortalibus aliàs confessis, & remissis, & à quibusvis venialibus quemlibet Sacramentaliter absolvere, posse dummodò tamen non sit excommunicatus, aut alio impedimento Canonico notoriè obstrictus. Ità Vivaldus, Pesantius, Suarez, Henriquez, Reginaldus, & alii apud Bonac. disp. 9. qu. 7. de Sacram. Pœnit. punt. 1. sivè id possit ex vi ordinationis suæ, sivè ex consuetudine, vel tacita Ecclesiæ concessione, sivè ex eo, quòd pœnitens quoad ea peccata se ei subiicit, quæ clavibus Ecclesiæ non tenentur subiicere, cum sit materia libera; Hoc idem docent alii à nobis citatis quæstion. 19. citat. art. 2. qui dicunt antiquos Doctores supponere hanc consuetudinem Ecclesiæ, quod quilibet Sacerdos in materia libera absolvere possit. Addunt tamen adhuc quamplures istorum hanc jurisdictionem quoque haberi ab Ecclesia immediatè, & non simpliciter de jure divino, aut ab ipso pœnitente liberè se subiiciente huic, vel illi Confessario in confessione venialium, & hanc esse jurisdictionem non ordinariam, sed delegatam per universalem concessionem quoad hoc factam ab Ecclesia omnibus Sacerdotibus. Verùm Faber noster disp. 25. capit. 3. versus finem, Brancatus disput. 19. art. 3. in fine cum aliis negant simplices Sacerdotes posse à peccatis absolvere venialibus, & mortalibus aliàs confessis, quia hoc etiam fieri nequit sine peculiari jurisdictione, cum etiam super materiam liberam hoc ministerium exerceatur per modum judicii. Nullibi autem apparet, quod Deus in ordine det hanc jurisdictionem Sacerdoti quoad venialia, & mortalia dimissa, quia, illis verbis: *Quorum remiseritis peccata &c.* instituit hoc Sacramentum contra peccata indistinctè, nec ulla ratio expostulat, ut ibi constituat Sacerdotes Judices animarum cum plena potestate in causis levioribus, ut sunt peccata venialia, in causis verò gravioribus, ut sunt mortalia, cum auctoritate diminuta. Nec dici potest, quod ab Ecclesia, scilicet, Concilio, vel Papa supremam auctoritatem habẽte concessa sit simplici Sacerdoti hujusmodi jurisdictio, & facultas quoad peccata venialia, non enim apparet à quo Concilio, vel Papa talis concessio facta fuerit; Neque apparet in Ecclesia talem semper extitisse consuetudinem, quia nostris temporibus nullum videmus simplicem Sacerdotem audire confessiones etiam venialium, nisi habeat auctoritatem jurisdictionis ordinariam, vel delegatam, idque expressè deducitur ex Trident. sess. 14. cap. 7. ubi ait in Ecclesia Dei semper fuisse custoditum, ut nulla sit reservatio in articulo mortis, & nullius momenti esse absolutionem, quam Sacerdos in eum profert, in quem ordinariam, aut delegatam non habet jurisdictionem, Navarrus in Manuali c. 4. & in c. placuit dist. 6. *de Pœnit.* inquit, nullibi legisse, nec vidisse esse in usu hanc consuetudinem, ut Sacerdos non admissus ab Ordinario absolvat etiam à venialibus.

203 Quartò est difficultas, an quilibet Sacerdos etiam ab Ordinario non admissus possit in articulo mortis pœnitentem absolvere. Communis sententia docet, quemcunque Sacerdotem, quamvis nec approbatus sit, nec ab Ordinario admissus, imò etiamsi excommunicatus, suspensus, degradatus, aut hæreticus sit, ut posteà dicemus, posse tamen quemlibet pœnitentem à quibusvis peccatis, & censuris in articulo mortis absolvere, ut docet D. Bonavent. 4. dist. 19. art. 3. quæst. 1. quod expressè deducitur ex ipsis Concilii verbis superius relatis in pietatem Ecclesiæ id reducentibus, dùm inquit: *Piè admodum in Ecclesia Dei custoditum fuit semper, ut nulla sit reservatio in articulo mortis*, & sumitur etiam ex ipsa forma reservationis casuum, qua Pontifices mortis articulum semper excipere solent, undè talem auctoritatem quoque in mortis articulo ab Ecclesia quilibet simplex Sacerdos habere supponitur, ut sonantibus verbis docet Concilium loc. cit. Per articulum verò mortis, licet Canus, Soto, Valentia, Covaruvias, & quidam alii Summistæ intelligant in rigore tempus illud, in quo certo, & de proximo mors instat, undè negant in urgenti mortis periculo posse Sacerdotem simplicem audire, & absolvere pœnitentem contendentes hanc auctoritatem esse illi concessam in solo mortis articulo, non in periculo; alii tamen Theologi communiter per articulum mortis etiam illius probabile periculum intelligunt, quale est eorum, qui prælium, aut periculosam navigationem proximè sunt inituri, & in hoc necessitatis casu, & periculo dicunt posse simplicem Sacerdotem audire, & absolvere pœnitentem, quæ explicatio articuli mortis fundamentum habet in ipso jure, ubi sacri Canones pro eodem accipiunt articulum mortis, & periculum mortis cap. *Si quis suadente &c.* & c. 17. q. 4. & cap. *Eos qui de sent. excomm. in 6.* Et hoc etiam rationi satis cõsonum est ob animarum remedium, & salutem, ne perditionis periculo exponatur; quarè sicut fideles non tantùm in articulo mortis rigorosè sumpto, quando nimirum proxima est, ac inevitabilis secundùm communem naturæ cursum sibi consulere, & propria peccata confiteri tenentur, sed etiam in alio quocumque probabili mortis periculo; ità & Ecclesia cuilibet Sacerdoti in similibus casibus facultatem audiendi, & absolvendi conferre censetur. Hæc est autem in tali casu periculi mortis differentia observanda, quod Sacerdos ille à quibuscumque peccatis tunc directè absolvat etiam reservatis; à censuris vero non, nisi sub ea conditione, ut elapso mortis periculo pœnitens se coram Superiore sistat, id quod sibi ab illo injungetur præstiturus, ut cit. cap. declaratur. Ità Medina, Sylvester, Suarez, Vasquez, Nugnus, Coninchius, Lugus, Caspensis, Aversa, Diana, Abellius, & ex nostris Faber, & Poncius, & alii passim.

204 Quintò est difficultas, an simplex Sacerdos hanc habeat auctoritatem in prædictis casibus etiam præsente Parocho, vel alio Confessario delegato. Affirmant Navarrus, Rodriquez, Henriquez, Villalobos, Barbosa, Ledesma, Diana, & probabile etiam censent Cardinalis de Lugo, & Caspens. eo quod Concil. Trident. in verbis adductis amplam, & absolutam facultatem concedit omnibus Sacerdotibus pro articulo mortis absque ulla exceptione, & limitatione; cùm igitur verba Concilii sint universalia, & nullam conditionem, vel limitationem apponant, & absolutè, ac indistinctè dicat, omnes Sacerdotes ea potestate gaudere in illo articulo, nullum est fundamentum ea limitandi, & restringendi, cùm lex ipsa non distinguat, nec restringat. Communis tamen, & probabilior sententia negat. Ità Valentia, Vasquez, Coninchius, Molina, Turrianus, Aversa, Avila, Bonacina, & absolutè Lugus, & Caspensis, & alii passim. Probatur ex ipso jure, quia in antiquis Canonibus c. *Aurelius* cap. *Presbyteri*, & cap. ult. quæst. 6. expressè hæc limitatio ponebatur, ut quando haberi poterat facultas à legitimo Superiore ad absolvendum infirmum periclitantem, deberet hæc facultas exqu[illegible]; sivè pro foro externo, sivè etiam interno. Neque censendu[illegible]st Tridentinum in allegatis verbis plus concedere voluisse ultrà antiqua jura, cùm verbis expressis declaret, se confirmare solùm id, quod in Ecclesia Dei custoditum semper fuerat, undè intelligi debet, sicut Ecclesiæ usus, & antiquiora jura dictabant, ut nempè Sacerdotes omnes in mortis articulo, quando necessitas urget, nec adest Superior habens facultatem, possint à quibuscumque casibus reservatis absolvere. Accedit etiam congrua ratio hujus intelligentiæ verborum Concilii, quia cessante fine legis cessat ipsa lex; finis autem legis hujus fuit, fidelium necessitati in his casibus subvenire, ut patet ex illis verbis: *Ne ipsa occasione aliquis pereat*; sed hæc necessitas non est, quando adest proprius Sacerdos, & Superior facultatem habens ordinariam, vel delegatam. Quod tandem confirmatur etiam ex usu, & praxi Ecclesiæ in aliis Sacramentis administrandis, quæ planè ab alieno Sacerdote infirmis non ministrantur, nisi in defectum proprii.

205 Sextò est etiam difficultas, an hæc facultas sit etiam concessa Sacerdotibus excommunicatis, suspensis, interdictis, & hæreticis. Negant Medina, Covarruvias, Navarrus, Soto, Ledesma, & alii, quorum fundamentum est, quia censura Ecclesiastica ipso facto tollit jurisdictionem; sed jurisdictio necessaria est ad absolutionem à peccatis; ergò censura impedit talem absolutionem. Affirmat tamen communis, & probabilior opinio, ut dixi-

diximus etiam loc. cit. & ratio est, quia ad id etiam instantia necessitatis extenditur, & sacri Canones, ac Trident. Concilium amplè loquūtur absq; ulla exceptione; tùm quia hæretici, Schismatici, & alii quovis vinculo irretiti Sacerdotes non cessāt esse Sacerdotes ex hæresi, schismate, & quavis alia censura, & pro illo actu eis jurisdictio non aufertur; jurisdictio enim tollitur Sacerdotibus per voluntatem Ecclesiæ, tales enim censuræ sunt ab homine; sed Ecclesia pro eo auctu, & in tali casu concedit eis jurisdictionem, quia nullum excipit Sacerdotem, ut constat ex Trident. cit. Adhuc tamen valdè probabile censemus, quod ait Aversa quæst. 16. sect. 3. in fine, quod si adsint simul unus simplex Sacerdos nullo impedimento ligatus, & alius excommunicatus vitandus, vel hæreticus, debet præferri Sacerdos simplex alteri impedito, dùm commodè fieri potest, quia tunc cessat necessitas utendi ministerio alterius impediti, & excluſi, de quo plura videri possunt apud Brancatus nostrum disput. 19. art. 9.

206 Septimò ex dictis deducebam loc. cit. num. 531. certum esse ex fide, ne validè quidem posse ullum Sacerdotem audire confessionem, & absolvere à peccatis absque potestate ista jurisdictionis, quod patet ex hujus Sacramenti institutione, nam Sacerdotes ex vi hujus institutionis illud administrant cum auctoritate ferendo sententiam remissionis, aut retentionis peccatorum, tanquam Judices, & Superiores quidam fidelium quoad hunc actum in tribunali, & foro conscientiæ, hanc autem auctoritatem ferendi talem sententiam, sivè dicendl jus appellant omnes in proposito jurisdictionem, sivè jurisdictionis potestatem; igitur æquè de fide certum est non posse hoc Sacramentum validè administrari sine hac potestate jurisdictionis, ut validè feratur illa judicialis sententia in foro conscientiæ. Sequitur secundò ex dictis hanc jurisdictionem potestatem, quæ ex divina institutione necessaria est, ut administratio hujus Sacramenti sit valida, non omnes Sacerdotes in quoslibet pœnitentes habere, sed alios in alios juxtà Ecclesiæ designationem, ac proindè aliquo modo differre à potestate ordinis ipsius Sacerdotalis. Sequitur tandem potestatem jurisdictionis, quæ ultrà potestatem ordinis ad absolvendum requiritur, & quam non omnes Sacerdotes habent, necessariam ad id esse non ex solo Ecclesiæ statuto, sed etiam ex ipsa Christi institutione, & jure divino, nam ex Christi institutione est necesse, ut Sacerdotes absolutionem impendant, tanquam Judices; ergo etiam ut ad id habeant jurisdictionis potestatem, quæ ad id requiritur, non enim potest quis munus Judicis obire sine competente jurisdictonis potestate, ut constat in quocunque foro.

207 Postremò addimus hìc, in Sacerdotibus qui parochiale beneficium non habent, præter jurisdictionem, & potestatem, quæ ipsius demandari potest, requiri quoque Episcopi approbationem, quæ nihil aliud est quam authenticum testimonium de illorum capacitate, & sufficientia ad excipiendas fidelium confessiones, eosque sacramentaliter absolvendos; censetur autem Episcopus aliquem approbare hoc ipso quod sciens, & volens ei præcipit, ut confessiones audiat; & ita definitum est in Concil. Trident. sess. 23. cap. 5. de Reform. ubi; *Decernit Sancta Synodus nullum etiam Regularem posse Cōfessiones sæcularium etiam Sacerdotum audire, nec ad id idoneum reputari, nisi aut parochiale beneficium, aut ab Episcopis per examen, si illis videtur esse necessarium, aut aliàs idoneus judicetur, & approbationem, quæ gratis detur, obtineat.* Ex quibus verbis manifestè deducitur Sacerdotem illum qui neque parochiale beneficium obtinet, neque ab Episcopo est appobatus, ad Sacramentum pœnitentiæ ministrandum idoneum non esse, ac proindè nec licitè, nec validè absolutionem Sacramentalem conferre posse; deducitur etiam ex hoc Concilii decreto, etiam Doctores, & Lectores licentiatos in sacra Theologia, vel jure Canonico, de quorum scientia constat, sivè sæculares, sivè regulares, teneri hanc approbationem petere, & obtinere, ut validè confessiones excipere, & pœnitentes absolvere possint; & è contrà Superiores Religionum posse suis dare Religiosis licentiam sibi eligendis in Confessarium aliquem è Sacerdotibus per Episcopum non approbatis, quia Concilium approbationem illam ad cofessiones tantùm sæcularium exigit. Notanter autem diximus in Sacerdotibus, qui parochiale beneficium non obtinent, præter potestatem jurisdictionis, quæ ipsis demandari potest, requiri quoque Episcopi approbationem; quia ex natura rei per talem approbationem nullum jus confertur, nec ulla jurisdictio ad confessiones audiendas, sed solùm persona judicatur habilis, & idonea, cui jurisdictio conferatur, sine qua approbatione invalidè ei hoc munus cōmitteretur ad audiendas sæculariū confessiones. Hoc autem præcipuè constat in Religiosis, qui quamvis ab Episcopo approbentur ad excipiendas sæcularium confessiones, tamen ab eo jurisdictionem non accipiunt, sed immediatè à Summo Pontifice, cui etiam immediatè subiiciuntur. Ita Suarez, Coninchius, Cardinalis de Lugo, Caspensis, Isambertus, Abellius, & alii passim.

208 Hic autem advertendum est, quod ut Regularis licitè utatur Episcopi approbatione circà sæcularium confessiones debet esse à Prælato suæ Religionis approbatus Generali, vel Provinciali; ita habetur in Clement. cap. *Dudum de sepulturis*, ubi dùm Pontifex Regularibus facultatem concedt audiendi sæcularium confessiones primò vult eos examinari, & approbari à suis Prælatis, & deindè præsentari Episcopis, ut de eorum licentia, & beneplacito possint in Diœcesibus eorundem sæcularium confessiones audire. Et hæc est communis Religionum praxis; nulla enim est ferè Religio, quæ suis fratribus non prohibeat vel petere approbationem Episcopi, vel uti petita, ac obtenta absque approbatione sui Generalis, vel Provincialis; atque ideò Regularis absque tali approbatione sui Superioris implicita, vel explicita procurans ab Episcopo approbationem, & ea utens illicitè facit. Et quidem satis consulto hæc praxis in Religionibus observatur, quia Superiores Ordinis fratrum vitam, & mores norunt, ac eorum habilitatem, & capacitatē, alioquin accidere posset, ut suspensi, interdicti, excommunicati &c. aliquando ab Episcopis approbarentur. Notanter autem dictum est hanc approbationem suorum Superiorum in Regulari requiri, ut approbatione Episcopi licitè utatur circà sæcularium Confessiones, quia utens approbatione Episcopi absque prævia, vel saltem sequenti approbatione Prælatorum ordinis in absolvendis sæcularibus validè absolvit, licet illicitè, quia requisita ad absolvendos sæculares etiam in Regularibus ex Concil. cit. sunt approbatio, & licentia Episcopi. Ita Rodriquez, Layman, Cardinalis de Lugo, Emmanuel Sà, Brancatus, & alii passim.

ARTICULUS SECUNDUS.

De aliis conditionibus in Ministro hujus Sacramenti requisitis, & ejus obligationibus.

209 IN præcedenti articulo actum est de conditionibus, & qualitatibus in Ministro hujus Sacramēti adeò necessariis, ut sine ipsis facta confessio invalida foret, nunc agendum est de aliis, quæ sunt necessariæ duntaxat ad congruè, & debitè ministerium suum exercendum, & licet quamplures loquentes de conditionibus ministri idonei ad hoc Sacramentum has cōditiones cum aliis confundere soleant, re tamen vera non sunt confundendæ, quia aliud est loqui de conditionibus simpliciter necessariis, ut hoc ministerium validè fiat, & aliud est loqui de requisitis, ut rectè fiat, sicut etiam aliud est quærere, quæ sint conditiones necessariæ confessario jam in munere Confessoris constituto, & aliud est loqui de conditionibus requisitis in persona ad hoc munus eligenda, ut ad hoc ministerium idonea censeatur, & observandum est easdem requiri conditione in persona admittenda ex auctoritate delegata ad confessionem, & in persona deputanda ad aliquod beneficium, & auctoritatem ordinariam quantum ad hoc munus.

210 Primò itaque requiritur probitas in Confessario ad hoc ministerium licitè exercendum, certum enim est sancta non nisi sanctè esse tractanda, nec Sacramenta in statu peccati mortalis administrari posse, quin novum mortale peccatum incurratur, ut habetur c. Illud dist. 95. & cap. *per Isaiam* 1. qu. 1. non tamen in rigore tenetur prævia confessione se præparare, sed si cōmodè non possit, & aliqua necessitas urgeat, sufficit perfecta contritione se eluere, quod totum non est in hoc Sacramēto peculiare, sed commune ad Sacramentorum ministerium, ut definit Conc. Trid. sess. 7. can. 12. & ita etiam docuit Scotus 4. d. 5. q. 1. ubi dicit in ministro Sacramentorum ad validè ministrādum statum gratiæ non esse necessarium, benè tamen ad licitè ministrandum, ad hoc enim status gratiæ requiritur, ut eadem dist. ostendit. quæst. 2. G. & qu. 5. K. Sed quia specialiter in hoc Sacramento plures interveniunt actiones, nempè audire confessionem, imponere satisfactionem, & absolvere à peccatis; quæ actiones non nisi successivè à Ministro exerceri possūt, quæritur ulterius, an minister teneatur esse in statu gratiæ, quando absolvi, an etiam quando audit confessionem pœnitentis. Aliqui dicunt satis esse, si Confessarius procuret se reponere in statu gratiæ, dùm vult absolutionis Sacramentalis verba proferre, etiamsi antecedenter esset in statu peccati, & ratio est, quia in hoc actu propriè perficitur Sacramentū, & confertur Sacramētalis gratia pœnitenti, ita Henriq. Lugus, Diana, Aversa, Caspensis, & alii. Non minus tamen probabilis, imò fortè probabilior est aliorum opinio dicentium Ministrum teneri esse in gratia, non tantum quando absolvit, sed etiam quando audit pœnitentiū confessiones, quia uterq; est actus Sacramētalis, & unus ordinatus ad aliū, & uterq; est actus clavium, ut suprà dictū est,

cum igitur necessitas præfatæ bonitatis sit ob sanctitatem, & reverentiam Sacramenti, uterque actus unum faciat Sacramentum, uterque eandem sanctitatem requirit. Dices, dispensans Eucharistiam in mortali non agit illicitè, sicut neque parochus in mortali assistens matrimonio; ergo neque audiens confessiones in mortali, sed sufficit ut culpa careat, dùm absolvit. Negatur paritas, quia primi actus, scilicet, dispensare Eucharistiam, & Matrimonio assistere non sunt actus Sacramentales sicut audire confessiones in ordine ad absolutionem; tunc enim Minister Sacramenti verè, & propriè cognoscit in causa, & potestatem clavium exercet, quod exercitium est actus Ordinis, non sic matrimonio adsistere, & interesse, quia ipsi contrahentes sunt ministri, Parochus autem officium testis adhibet, ut scilicet, talis contractus in facie Ecclesiæ fiat, ut suo loco dictum est, ità Suarez, Vasquez, Possevinus, Bonacina, Brancatus, & alii. Ad hanc autem probitatis conditionem addi debet, ne Sacerdos sit aliqua censura, aut irregularitate ligatus, etenim ex hoc etiam capite hoc Sacramentum ministrans graviter delinqueret, & si esset aliqua censura ligatus, eo ipso irregularitatem incurreret, tanquam exercens Ordinis Sacramentum censura ligatus, quod pariter omnibus Sacramentis est commune, ut communiter Doctores docent.

211 Secundò requiritur in Confessario scientia, & eruditio conveniens ad hoc ministerium, & hìc distinguendum est cum Fabro nostro disp. 26. cap. un. de scientia necessaria ad valorem Sacramenti, & de scientia necessaria ad hoc tantùm, ut ritè, & rectè, & sine peccato hoc Sacramentum administretur, si enim ignorantia in Sacerdote tanta esset, ut non sciat formam absolutionis, nec sciat communiter discernere inter mortalia, & venialia, hæc redderet nullam confessionem, quia si formam absolutionis ignorat, nullum est Sacramentum, ut ait Navarrus in Summa c. 9. Quia tamen hæc ignorantia regulariter non datur in eo, qui ad hoc ministerium vult admitti, & nullus Christianus ignorat, quod blasphemare, hominem occidere, vel alienam cognoscere est peccatum ducens hominem ad infernum, & è contrà dicere verba otiosa, & similia esse peccata levia, per quæ quis non damnatur, & consequenter esse venialia; ideò hìc tantùm est sermo de scientia, quæ est cõditio necessaria ad rectè ministrandum hoc Sacramentum, & sine peccato, & quæritur qualis, & quanta esse debeat, & talem scientiam esse necessariã satis de se patet, quia ad rectè exercendum suum officium debet esse unusquisque idoneus, ac sufficienter instructus, ne errandi periculo se exponat; ergò tantò magis Confessarius, qui in hoc ministerio Judicis, & Medici personam sustinet, quarè graviter peccaret qui sine sufficientis scientia hoc officium assumeret. Ut igitur Confessarius debitè suo muneri satisfacere possit, conveniunt Doctores teneri scire non solùm quæ sunt de substantia hujus Sacramenti, sed etiam quæ de præcepto, ut qualis esse debeat dispositio pœnitentis ad fructum hujus Sacramenti percipiendum, quæ sint peccata, vel non, quæ peccata saltem ex genere suo sint mortalia, vel venialia, quæ circumstantiæ peccati speciem mutent, vel notabiliter aggravent. Item scire debet obligationes restituendi, impedimentum Matrimonii, quæ sint peccata reservata, quibus sint annexæ censuræ, à quibus possit absolvere, aut non possit, in casibus verò difficilioribus circà censuras, obligationem restitutionis, &c. debet si non scire, saltem dubitare, ut absolutionem differat quousque doctiores consuluerit. Undè non tenetur Confessarius exactè omnia scire ad moralem doctrinam spectantia, sed quæ communiter occurrunt, & nota esse solent, nec tenetur promptè omnia discernere, & memoria retinere, sed satis erit, si in casibus difficilioribus, & raró occurrentibus dubitare sciat, ut spacium accipiat ad libros legendos, vel doctiores consulendos. Debent etiam attendi circumstantiæ pœnitentium, & locorum, ubi Confessarius tale munus exercet, non enim opus est esse per se satis instructum Confessarium audientem viros peritos, & doctos qui possunt tunc suppliere Confessarii defectum in rebus necessariis ipsum instruendo, & plus tenentur scire Confessarii in Civitatibus expositi, quam in pagis, & vilis, ad illos enim Judices, Curiales, & Mercatores accedere solent, qui casus incurrunt difficiliores, non autem ad istos. Ità Lugus, Aversa, Caspensis, Bonac. Abbell. & ex nostris Faber, & Brancatus, & alii passim.

212 Ex quo deducunt graviter peccare Sacerdotes ignaros, & sine scientia requisita se exponentes ad audiendas confessiones, & nescientes distinguere mortale à veniali, nec mortale à mortali, neque circumstantias peccatorum speciem mutantes graviter peccare, quoties hoc ministeriũ exercent, ac etiam gravissimè Episcopos, & alios Prælatos, qui tales Sacerdotes suis præficiunt ovibus, toties enim exponunt se periculo sacrilegii, ut, scil. solvant, quos non possunt, & ligent præter formam debitam, ideòque tales Sacerdotes non censeri idoneos pro hoc ministerio clarè docuit Benedictus XI. Extravag. *Inter cunctas de Privil.* explicans illud Oseæ 4. *Tu scientiam reliquisti, & ergò repexam te, ne Sacerdotio fungaris mihi, quia labia Sacerdotis custodiunt scientiam;* aliàs prout ad eum pertinet, subdit ibi Pontifex, inter peccatum, & peccatum discernere non potest. Excipitur tamen communiter, ut Faber noster advertit disp. 36. cit. in fine mortis articulus, & captivitas inter Saracenos, & similes alii casus, in quibus copia alterius Sacerdotis non adest, nec de proximo speratur, & periculum urget; tunc enim dummodo Sacerdos absolutionis formam sciat, & proferre possit, & cognoscat in genere aliqua peccata mortalia, sicut quilibet idiota Christianus cognoscere solet, tuta conscientia hoc munus exercere potest, nam in his, & similibus casibus quodcunque peccatum, & quælibet censura absolvi potest, & nulla, vel parva satisfactio exigi potest, & sufficit bonum propositum in pœnitente, si potest, & dolor de omissis, ut docet Nav. in Summa c. 4. cit. & alii passim.

213 Tertiò requiritur in Confessario prudentia, quæ etiam necessaria est non simpliciter ad valorem Sacramenti, sed secundùm quid ut, scilicet, hoc Sacramentum rectè, & sine peccato administretur, ut dictum est de scientia, sicut enim prudentia, in aliis rebus agendis est necessaria, ut agens suum finem consequatur; ita etiam in Confessario est necessaria prudentia ad suum finem consequendum, qui est facere sententiam justam, & rectam de peccatis confessis, & justam imponere pœnitenti satisfactionem, ut in gratiam Dei illum restituat; quod fieri solet nunc instruendo illum, nunc interrogando, nunc arguendo, nunc ad pia opera incitando, & opportuna remedia adhibendo, ut pœnitentem ad omnia peccata manifestanda inducat, ad contritionem, & firmum propositum non amplius recidivandi, ad occasiones evitandas, & similia; qualis autem, & quanta hæc diligentia, & prudentia esse debeat, solet à Summistis declarari exemplo Medici corporalis, sicut enim hic nihil intactum relinquit ut infirmitatem depellat, & infirmum sanet; ita Confessarius, cui est medicus spiritualis, se gerere debet, ut morbum peccati ab anima abiiciat. Undè si pœnitentem advertat aliqua ignorare ad hoc Sacramentum necessaria, tenetur eum instruere, & admonere quantum potest, verbi gratia si nesciat illa, quæ necessitate medii sunt ad salutem necessaria, debet ea docere, ut obligatum esse ad odium deponendum, ad restitutionem famæ honoris, aut bonorum, ad occasionem peccatorum tollendam, ad removenda, vel reparanda scandala, aliavè damna, quæ intulit; similiter eadem prudentia Confessarii requiritur in tranquillando pœnitentis animo, si fortè scrupulis agitatum esse percipiat, eoque per spem, & confidentiam in Deum erigendo, si timore nimio, aut aliqua disperationis tentatione depressum esse cognoscat. Denique ut optime advertit Cardinalis de Lugo disp. 22. num. 37. quando Confessarii Principum, Prælatorum, aliorumque magnatum sciunt ipsos non satisfacere officio v.g. circà collationem beneficiorum, electionem ministrorum, gubernationem subditorum, impositionem pedagiorum, circa eleemosynas ex bonis Ecclesiasticis faciendas, &c. regulariter tenetur Confessarius pœnitentem admonere de sua obligatione, aliàs si absolvit, suis humeris peccata illa imponit, & cæcus cæcum ducens ambo in foveam Inferni cadunt; ratio est, quia in talibus rarò est ignorantia invincibilis, & inculpabilis, & rarò contingit, quod illa scandalum non afferant in subditis, & damnum commune. Hæc etiam prudentia Confessarii præsertim requiritur in sigillo, seù secreto Confessionis inviolabiliter servando, de quo dicemus infrà.

214 Quartò loquendo de Confessarii obligationibus, dixerunt aliqui non teneri Ministrum in discursu confessionis interrogare, & examinare pœnitentem, sed tantùm attendere, & judicare ea, quæ pœnitens confitetur; ità insinuat Scoto 4. d. 18. q. 2. art. 4. quia inquit, officium, & onus Confessarii per se est audire, non autem interrogare. Rectius tamen alii cõmuniter docent per se etiam teneri Confessarium opportunè interrogare pœnitentẽ, & ita adiuvare ad integrã confessionẽ perficiendã, & præsertim ad hoc tenetur, quoties videt eum ex ignorantia, aut oblivione, aut inconsideratione, aut pudore, vel alia quavis de causa culpabiliter ommittere, quod ad integritatem confessionis requiritur. Ita D. Thomas, D. Antoninus, Navarrus, Reginaldus, Suarez, Aversa, Caspensis, & alii passim, & habetur cap. *Qui vult confiteri de pœnit. dist. 6.* ubi dicitur, *quod diligens inquisitor sapienter interroget à peccatore, quod forsitan ignorat, vel verecundia velit occultare*, & rationabiliter quidem, quamvis enim per se loquendo Confessarii officium non sit interrogare pœnitentem, sed audire; quandò tamen pœnitens in confessione deficit, ipsum adjuvare tenetur, cum enim sit Judex, & Dei minister, satagere debet ad perfectionem hujus judicii, & Sacramenti, procurando Confessionis integritatem, non solum quantum ad bonam fidem, & sufficientem pœnitentis diligen-

gentiam, sed etiam materialiter, quantum morali modo fieri potest; illos autem pœnitentes, qui per se sunt satis instructi, & ad sua peccata dicenda cum suis circumstantiis idonei, opus nō est, quod Confessarius interroget, sed tantum eos, qui hoc adjutorio indigere videntur, & qua adeo advertit pœnitentem non se sufficienter examinare, si enim defectus culpabilis esset, & ex negligentia, confessarius planè delinqueret indispositum absolvendo. Neque circà tales pœnitentes oportet, ut confessarius perquirat quæcunque in mentem venire possunt, seque, & pœnitentes nimium vexare; imò si rudes sunt, & odiotæ non expedit, ut ea perquirat, quæ fortasse sunt illis ignota, sic enim illos indirectè doceret de tabulis peccatis, quæ committi possunt, & hoc præsertim circà peccata carnalia observari debet modestè tantùm interrogando, quæ præcisè necessaria sunt, nec superfluas, & curiosas interrogationes multiplicādo, ne nimirum ruborem pœnitentibus integret, & ne se, vel illos in aliquod periculum pravæ delectationis coniiciat ob fragilitatem humanam in hac materia venerea.

215 Quintò, tenetur etiam confessarius ad hoc Sacramentū perficiendum, advertere, ut pœnitens sit ritè dispositus per contritionem, vel saltem attritionem de præterito, & propositum de futuro, & circa hanc dispositionem expendendam non levis aliquando difficultas occurrit, quomodo Confessarius se gerere debeat cum eis, qui frequenter in eadem peccata relabunt, hęc autem dispositio vel per se deprehendi potest ex signis, aut verbis ipsius pœnitentis, vel ex conditione, & statu ejusdem prudenter præsumi. Et quidem quando cognoscit pœnitentem non esse ità dispositum, & statum peccati mortalis relinquere nolle utique eum absolvere non debet, quales sunt qui inimicis reconciliari recusant, alienum restituere cum possint, nec proximas peccandi occasiones relinquere volunt, tales enim verā contritionem de peccatis commissis habere non censentur, nec verùm propositum de eisdem in futurum non committendis. Si verò Confessarius deprehendat pœnitentem ex mera fragilitate in eadem peccata sæpè relabi, certum est toties absolutionem illi dari posse, quoties in illa peccata relabitur, dummodò verè contritus, vel attritus de illis ad pœnitentiam accedat, & cum firmo proposito non amplius peccandi, sic enim docet Concil. Trident. sess. 14. cap. 2. his verbis: *Pœnitentes per Sacerdotum sententiam non semel, sed toties, quoties ad pœnitentiæ tribunal confugerint, posse ab admissis peccatis liberari*, quod etiam passim docent SS. Patres, & præsertim D. Hieronymus epist. 46. ad Rusticum dicens: *Non solùm septies, sed septuages septies delinquenti, si convertatur ad pœnitentiam, peccata condonantur*, & ratio est, ut inquit Navarrus in Manuali cap. 3. quia frequens peccati recidiva non est semper argumentum necessarium, quo judicari possit pœnitentiam, seù contritionem non esse veram, sed est tantummodò signum maximæ fragilitatis humanæ, neque ad recipiendam absolutionem requiritur, ut pœnitens, non amplius in futurum peccet, sed ut amplius peccare nolit. Quāvis autem hæc ita se habeant, nihilominus ut advertit Abellius cap. 5. cit. *de Sacram. Pœnit.* sect. 19. debet Confessarius prudēter, non tantum quid possit absolutè loquendo, sed potiùs quid hic, & nunc ipsi pœnitenti sit magis expediens, utilius enim interdum erit, si frequens Confessionis usus illi sit nocivus v. g. si occasionem liberius peccādi indè desumat, eum privare beneficio absolutionis, vel illam in aliquot dies differre, & interim pia quædam opera, & pœnitentiæ exercitia illi imponere, quæ omnia ex varia pœnitentis dispositione dijudicari debent, & Confessarii prudentia potius dignosci possunt, quàm ex certis regulis, & præceptis.

216 Sextò tenetur prætereà Confessarius monere pœnitentē, qui ignorantia vincibili, & moraliter culpabili est in malo statu, quia aliàs Sacramentum non benè administrabitur propter indispositionem pœnitentis; si verò ignorantia sit invincibilis, & inculpabilis v. g. si pœnitens bona fide rem alienam possideat, vel si ignoranter contraxit, & retinet matrimonium cū impedimento dirimente, & similia, tenetur quidē monere, & instruere pœnitentem, eumque educere ex invincibili ignorantia, quādo speratur fructus, nec incōmoda graviora timentur, quæ limitatio appositè additur, quia si timeatur admonitionem non profuturam, sed potius fore noxiam, quia nimirum pœnitens adhuc admonitus in illo statu permanebit, in quo per ignorantiam excusabatur, vel saltem adhuc manebit in peccandi periculo, tunc debet potius ab admonitione cessare, illumque in bona fide relinquere, ne admonendo talium peccatorum pœnitēti causam præbeat. Undè si Confessarius pœnitentem prævideat non restituturum, si ipsi nullitas tituli detegatur, quem prodesse putat, non est illi talis nullitas à Confessariò non interrogato detegenda, & si advertat matrimonium esse nullum, sed timet conjugem, adhuc in conjugio permansurum post admonitionem, sivè in periculo continuandi actus conjugales, vel si timeat aliud notabile damnum ex ea admonitione secuturum, ut v. g. ex conjugum separatione magnum scandalum, aut personarum infamiam vel hostilitatem, ac filiorum periculum; tunc pariter dissimulare debet ab admonitione cessando, & pœnitentem in bona fide relinquere, quia non debet cum tanto proximi periculo, ac dispendio providere, ubi alioquin formalis culpa non erat, sed tantùm opus materialiter malum, & per ignorantiam inculpabilem excusatum. Ita Suarez, Lugus, Sanchez, Villalobos, Diana, Layman, Aversa, & alii passim; qui tamen addunt, quod si opus redundaret in grave Communitatis damnum, ut v. g. si Confessarius advertat quēpiam invalidè ordinatum in Sacerdotem bona fide celebrare, & Sacramenta administrare, illum adhuc admonere tenetur, etiamsi timeat eum in tali ministerio perseveraturum, quia hoc resultat in grave damnum spirituale Communitatis, & sperari potest post factam admonitionem illum saltem aliquo tempore post ab eo ministerio cessaturum.

217 Septimò, quia contingere potest, ut Minister in Confessione aliquam ex regulis traditis non observet, & defectum aliquem committat, sivè culpabiliter ex malitia, vel vincibili ignorantia, sivè inculpabiliter, & ex bona fide, videndum est, qualiter obligatus remaneat talem defectum supplere, & corrigere, & quia tales defectus ex pluribus, & variis capitibus contingere possunt, breviter de principalioribus discurrendum est, & dicendum, quod si defectus contingat quoad valorem, & substantiam Sacramenti, ut si Sacerdos non protulit integram, & necessariam absolutionis formam, vel absque intentione, aut jurisdictione ex parte sua, vel absque dispositione necessaria ex parte pœnitentis, dicendum est cum Fabro nostro disp. 33. c. 3. Bonacina disp. 5. quæst. 7. punct. 6. & aliis, quod si possit Confessarius sine scandalo, & sine gravi suo detrimento eum admonere, ut iterum confiteatur, ad id tenetur admonendo ipsum de absolutione invalidè collata, si autem id facere nequeat absque gravi suo detrimento, ad hoc non tenetur, sed solùm debet de illo peccato pœnitere; pœnitenti enim fit parum nocumētum, quia jam ipse durante bona fide satisfecit præcepto, & conscientiæ suæ. Undè non valet paritas de Baptismo, & Ordine invalidè collato alicui, qui admoneri debet de tali invaliditate propter spiritualia incommoda, quæ sequuntur; quia in illis nocumentum suscipientis est gravissimum, & irreparabile, qui enim invalidè est baptizatus, alia Sacramenta recipere nequit, & invalidè ordinatus non potest alia Sacramenta validè administrare, quæ sunt incommoda magni momenti, non sic de administratione invalida Sacramenti pœnitentiæ, ut dictum est, & consequenter invalidè absolvens potest ob leviorem causam excusari ab admonitione facienda pœnitenti, quam excludetur invalidè baptizans, vel ordinans. Si verò defectus in Confessione contingat solùm circà materialem integritatem salva tamen validitate, & substantia Sacramenti, ut potè quia Confessarius non satis interrogavit, & examinavit de necessariis speciebus, aut circumstantiis, aut numerum peccatorum pœnitentem alioquin bona fide confitentem, si Confessarius ipse fuit positivè causa, ut ille prætermitteret aliqua necessario explicanda, utpotè dicendo opus non esse talia dicere, tenetur pariter posteà, dummodò sine scandalo, aut gravi detrimento possit, illum monere ad hoc, ut materialis in confessionis integritas resarciatur, si verò Confessarius non fuit positivè causa, sed tantùm per omissionem non interrogavit; sivè id ex pura inadvertentia, sivè etiam ex negligentia, voluntariè acciderit, non remanebit cum tanto rigiore obligatus ad talem admonitionem, quia defectus est solùm materialis, & non ab ipso confessario positivè causatus, nec alterius damni illativus, ita cum tali distinctione via media graditur Aversa quæst. 16. sect. 13. inter duas opiniones extremas ab ipso ibi relata, quarum una absolutè affirmat Confessarium etiam in hoc casu teneri pœnitentem monere pro supplendo defectu integritatis, alia absolutè negat.

218 Postremò, si defectus in Confessione commissus sit talis qui damnum aliquod inferat pœnitenti, ut v. g. si Confessarius eum non monuit, & obligavit ad evitandam occasionem proximam peccandi, quam habeat, & ideò in periculo relabendi remansit, in tali casu tenetur talem supplere defectum monendo, & instruendo pœnitentem ad hujusmodi occasionem evitandā ac novum damnum illi imminens, quando commodè, & sine scandalo, ac sui detrimento id facere possit, ad idem etiam tenetur, quando defectus in Confessione commissus in damnum tertii redundat, utpotè quia pœnitentem non obligavit ad restituendum, quod debeat, ad tollendum scandalum, &c. & tanto magis si redundet in damnum publicum, ut si non obligavit pœnitentem ad denunciandum Hæreticum, aut patriæ proditorē, aut in Confessione sollicitatorē, sivè alio modo, in his enim casib. tenetur etiam Confessarius talem supplere defectum, non so-

solum ob bonũ proprium ipsius pœnitentis, ut scil. eum tollat ex statu saltem materialiter pravo, sed etiam propter bonũ tertii, & præsertim Communitatis, quod saltem ex charitate procurare tenetur, & hunc supplere debet effectum, inquantùm potest sine scandalo, aut sui notabili detrimento; in qua tamen comparatione, ut notat Aversa loc. cit. potest aliqua diversitas considerari, quia juxtà majus, vel minus damnum tertii, aut Communitatis potest obligari ad aliquod incommodum subeundum, puta si damnum tertii fit in maxima copia bonorum, in fama insignis personæ, in periculo rebellionis, & perversionis populi, & similibus casibus, in quibus prudenti arbitrio discernendum erit quid præponderet. In omnibus autem supradictis casibus certum est apud omnes nullatenus posse Confessarium pœnitentem absentem absolvere, quia talis absolutio prorsus invalida foret, ut dictum est in superioribus, absolutio tamẽ ab excommunicatione, aliavè censura valere, & dari potest etiam in absentem, imò, & invitum, ac indispositum, servatis tamen regulis suo loco jam traditis de Censuris. Alia plura de Obligationibus Confessariorum videri possunt apud Aversam quæst. 16. cit. sect. 11. 12. & 13.

QUÆSTIO NONA.

De Ministro Confessionis quoad casus reservatos.

219 AD conditionem jurisdictionis, & approbationis, quæ in Ministro Sacramenti pœnitentiæ requiritur, ut dictum est, consequitur casuum reservatio, cum sit quædam talis jurisdictionis, vel approbationis requisitæ limitatio, ut scilicet, ad certos casus non extendatur; de qua re, quia speciales continet difficultates, præsens quæstio instituitur, in qua tanquam certum de fide supponendum est, in Ecclesia Dei esse potestatem reservandi in foro conscientiæ, ità enim definitum est in Concilio Trident. contrà Vuichelephum, & alios hæreticos sess. 14. cap. 7. ubi ità asseritur: *Magnopere ad Christiani populi disciplinam pertinere, ut atrociora quædam, & graviora crimina, non à quibusvis, sed à Summis duntaxat Sacerdotibus absolverentur*, ac deindè can. 11. sic statuit *Si quis dixerit Episcopos non habere jus reservandi sibi casus, atque ideo casuum reservationem non prohibere, quominus Sacerdos à reservatis verè absolvat, anathema sit*; idẽque habetur in aliis antiquis juribus, & sacris Canonibus, ac etiam Pontificiis Constitutionibus passim ab aliis citatis. Et hoc etiam ratio ipsa suadet, quia ut supra dictum est, in hoc pœnitentiæ Sacramento non solùm potestas Ordinis requiritur, sed etiam jurisdictionis, quæ à Superioribus debet communicari inferioribus, at reservatio, ut modò dicebamus, nihil aliud est, quam quædam ejusdem jurisdictionis limitatio, ut non se extendat ad certos casus. ergò Superiores eam limitare poterũt communicando illam quoad plures, vel pauciores casus, ad plures, vel pauciores personas, ut magis expedire videbitur, quod est sibi eorum absolutionem reservare in foro conscientiæ. Confirm. quia potestas jurisdictionis, ut suprà dictum est confertur per assignationem subditorum; sed ille, cujus est assignare subditos non magis illos alicui subdere potest absolutè quoad omnia peccata, quàm quoad aliqua tantum; ergo aliqua potest sibi reservare peccata, illa nimirum, in quibus pœnitentem non vult subdere Confessario; quia tamen in hac materia plures contingunt difficultates, in præsenti quæstione sunt breviter examinandæ saltem principaliores, quod enim à superioribus reservari possint, & rectè soleant certa subditorum peccata omnes Theologi docent, & fideles ipsi in communi praxi agnoscunt, ut sic subditi melius dirigantur, & à peccatis absterreantur quorum difficilem vident remissionem.

ARTICULUS PRIMUS.

Quinam, & quæ peccata reservare possint.

220 PRimò conveniunt Doctores, hanc peccatorum reservationem facere posse omnes, & solos Superiores, qui facultatem habent concedendi ordinariam, vel delegatam jurisdictionem, aut approbationem ad confessionem audiendas ergà subditos suos. Ratio deducitur ex dictis, quia cum potestas jurisdictionis, quæ cum potestate Ordinis annexa esse debet, emanet à Pontifice in Episcopos, & alios inferiores Pastores, potest eam illis limitatam concedere, & illi pariter eadem suis inferioribus limitare in iis, in quibus hoc sibi à Summo Pontifice non est prohibitum, & aliqua peccata ab eorum potestate excipere, itaut ab ipsius absolvere non possint, quia Superior potest id, quod saluti subditorum expedire judicat, reservatio autem peccatorum ad salutem animarum expedire potest, ut pœnitentes à peccatis facilius abstineant, & retrahantur. Hinc ergò Summus Pontifex sibi peccata reservare potest in universa Ecclesia, & ergà omnes fideles, cum enim sit ordinarius Episcopus totius orbis Christiani, & à quo omnis jurisdictio in peccata pendet, potest consequenter in toto orbe suam exercere potestatem, cum reservatio in sola negatione jurisdictionis ad aliqua peccata consistat, & ea reservare potest vel cum excommunicatione annexa, vel sine illa, licet ordinariè nunquam casus reservet in foro conscientiæ sine censura, ut constat ex his, quæ sibi reservat in Bulla Cœnæ Domini, & ità definitũ est in Cõcil. Trid. loc. cit. ubi ait, quod: *Meritò Pontifices maximi pro suprema potestate sibi in Ecclesia tradita causas aliquas criminum graviores suo potuerit peculiari judicio reservare*, idque expressè habetur in aliis antiquis juribus, & sacris Canonibus ex 17. q. 3. c. *Si quis ex* lib. 5. decret. tit. *de Judæis* ca. *Conquesti* ex 6. decret. de sent. excom. c. *Quicumque in* Clement. eodem c. *Si Dominici* item de pœnit. & remiss. & aliis Pontificum Constitutionibus aliqua gravia delicta sibi reservantium. Hoc etiam ratio ipsa suadet, quia ille præsertim absolutionem aliquam peccatorum sibi reservare potest, cui à Deo immediatè cura omnium ovium commissa est, talis autẽ est summus Pontifex, ut est certum de fide ex verbis Cõcilii modo relatis. Neque dicas nullibi in scriptura talem exprimi potestatem Pontifici traditam, exprimitur enim saltem implicitè in collatione potestatis facta Petro super oves universas verbis illis *Pasce oves meas*, est enim talis potestas de intrinseca ratione potestatis ordinariæ præsertim supremæ, ut possit delegare, cõmittere causas omnes, vel aliquas.

221 Secundò Episcopi in suis Diœcesibus potestatem habent reservandi sibi absolutionem aliquorum peccatorum; Ità habetur in Conc. Trid. loc. cit. ubi subdit, *Hoc idem Episcopis omnibus in sua cuique Diœcesi in ædificationem tamen non in destructionem, liceat pro illis in subditos tradita suprà reliquos inferiores auctoritate, præsertim quoad illa, quibus excommunicationis censura annexa est.* Ratio est, quia Episcopi ex Act. 20. *Attendite vobis*, &c. & ex 10. q. 1 c. *decretum* c. *hic quidem*, c. *Regendo*, & cap. *Quæcumque* auctoritatem habent regendi, corrigendi, & judicandi Ecclesiam sibi commissam, & alios delegare possunt ad eam regendam, ut Vicarios, & alios Commissarios; ergò aliquorum peccatorum absolutionem Episcopus sibi reservare potest, delegans enim ex natura delegationis non cogitur totam suam delegare potestatem. Non tamen conveniunt Doctores, quinã casus Episcopis ex jure sint reservati, quidam enim negãt absolutè ullos casus esse eis reservatos, alii verò censent Episcopis reservatum esse quodcunque peccatum enorme, publicum, & scandalosum, ob quod olim publica pœnitentia imposita fuit, ut adulterium notorium, & homicidium, & alii aliter sentiũt. Quarè in hac difficultate tutius est, ut ait Layman. tract. 6. de Sacram. pœnit. c. 12. ut quilibet Confessarius consuetudinem, & statuta Synodalia, & Episcopalia attendat, ac reservationes speciales Diœcesis illius, in qua versatur, iisque in praxi se conformet. Omnes item Prælati habentes jurisdictionem in animas, quocunque nomine vocentur, ut Præpositi, Abbates, & nisi à Summo Pontifice prohibeantur, possunt reservare sibi aliquorũ casuum absolutionem, ideò enim præcisè Papa in toto Christiano Orbe, & Episcopi in suis Diœcesibus quorundam delictorum absolutionem sibi reservare possunt, quia habent jurisdictionẽ in subditos; sed alii quoque Prælati supradicti jurisdictionẽ spiritualem habent in subditos, ut supponitur, quorum sunt Ordinarii; ergo, &c. Quicunque igitur Prælatus habens jurisdictionem Episcopalem non solùm reservare potest, ne Parochi, aliiq; Presbyteri sæculares ad confessiones audiendas delegati à certis peccatis absolvant, sed etiam ne Sacerdotes Regulares, qui alioquin jurisdictionem habent à Pontifice, sed tamen ab Episcopo approbantur, quia pariter hæc approbatio ab Episcopo, & jurisdictio etiam à Pontifice cum hac limitatione, & conditione eis conceditur. Denique Parochi etiam pro sua Parochia aliquos sibi casus reservare possunt, quia eo ipso, quod sunt Parochi in suas oves jurisdictionem habent ordinariam, & quamvis id Parochis non sit in usu, per desuetudinem tamen hæc potestas non amittitur, ut quidam dicunt; benè tamen verum est, quod ferè inutilis esset talis reservatio à Parocho facta, cum alii de licentia Papæ, vel Episcopi absolvere possent. Ità Aversa, Caspensis, Faber, & Brancat. ex nostris, & alii passim.

222 Tertiò Superiores quoque Regularium possunt sibi reservare absolutionem quorundam peccatorum; & ratio est quia sunt verè Prælati, & curam habent animarum sibi subditarum ex Clement. 1. de rebus Ecclesiast. non alienand. & ex c. Abbatis, de privil. in 6. ergo cum talem curam habeant dependenter à Papa, juxtà ejus præscriptum possunt ea uti, undè Provinciales ad id munus canonicè electi in Provincia sua statim post ele-

electionem accipiũt jurisdictionem quasi Episcopalem à Summo Pontifice immediatè, dependenter tamen à suo Generali; Generales verò etiam illam à Pontifice immediatè accipiunt, qui eam restringere, & limitare potest, quoties necessarium, & utile ad animarum salutem judicaverit, & idem etiam dicendum est de aliis Superioribus localib. quocumq; nomine appellentur, veluti Prioribus Rectoribus, Guardianis, &c. jurisdictionem nimirum à Summo Pontifice immediatè accipere, sed dependentia tamen à suis Generalibus, & Provincialibus. Quarè sicut Episcopis in suis Diœcesibus, & Parochi in suis parochiis casus reservare possunt, & peccata illa, quæ ad majorem subditorum suorum fructum indicaverint expedire, sic pariter Generales in suis Religionibus, Provinciales in suis Provinciis, & superiores locales in suis Monasteriis, nisi illis tale jus à Summi Pontificibus restringatur, quod notanter additur, quia Clemens VIII. in sua Constit. data 26. Maii 1594. decrevit in unaquaque Religione undecim peccata reservari posse, non plura, nec omnia, sed ex illis undecim, vel omnia, vel aliqua pro beneplacito Superiorum, & Religionis utilitate, & illis undecim enumeratis subdit Pontifex; *Si quod aliud præterea peccatum grave pro Religionis conservatione, aut conscientiæ puritate reservandum videbitur, id non aliter fiat, quàm generalis capituli in toto ordine, aut Provincialis in Provincia, matura discussione, & consensu.* Ex quibus verbis constat nullum Prælatum Regularem aliquod peccatum reservare posse præter illa undecim ibi enumerata, aut quæ à Capitulo generali, vel provinciali determinata fuerint matura discussione præmisa, & vocalium consensu, & Generales, aut Provinciales aliquod peccatum in particulari reservare non posse pro aliquo Monasterio, Collegio, aut domo, præter undecim ibi enumerata, etiamsi id expedire judicaverint, nisi cum consensu Capituli generalis, vel provincialis, non verò localis, ut in eadem Constitutione expresse habetur; ut verò in qualibet Religione sciatur quinam ex illis undecim casibus sint reservati, & cui Superiori, an Generali, Provinciali, vel locali, inspiciẽdæ sunt in particulari cujuscunque Religionis Constitutiones, & statuta.

223 Dissensio tamen est inter Doctores, an præter undecim peccata ibi enumerata possint Prælati Regulares aliqua alia peccata non quidem reservare, sed solùm sub excommunicatione prohibere ob gravem causam, reservando sibi absolutionem prædictæ censuræ. Affirmant Suar. Villalobos, Coriol. Fagund. & quidam alii hac ratione, quia decretum Clem. VIII. expresse loquitur de culpis, non de censuris, nam verba decreti sunt, *Nemo ex Regularium Superioribus peccatorum absolutionẽ sibi reservet exceptis*, &c. ergò non prohibetur reservatio absolutionis à censura, sed tantùm à culpa, sunt.n. hujusmodi absolutiones longè diversæ, & ad diversum forum, & jurisdictionem spectant. Confirm. quia per illud decretum non est ablata facultas Superioris censuras imponendi, impositio autem excommunicationis ab homine ex natura sua judici illam imponenti reservatur. Communior tamen, & probabilior sententia negat, quam tenent Peyrin. Sanch. Megala, Molfes. Caspens. Diana, & alii communiter, & ex nostris Faber disp. 27. c. 1. in fine, & Brancat. disp. 19. art. 11. §. 4. & ratio evidentissima est, quia in prædicta Clementis Constitutione omnis reservatio Prælatis, inter dicta est circà peccata, illis undecim exceptis, & hoc factum fuit in favorem subditorum regularium ad tollendam indiscretionem quorundam Superiorum, qui minutissima etiam peccata quædam sibi reservabant, si autem possent reservare censuras sine discussione, & consensu Capituli generalis, vel Provincialis, ratione censuræ appositæ jam illud peccatum reservatum maneret, & sic videtur inventum, & excogitatum in fraudem legis Pontificiæ nolentis, & prohibentis alia peccata reservari, quàm undecim ibi expressa. Confirm. quia quantum ad hoc eadem videtur ratio de impositione censurarũ, etenim ut ait Sot. 4. d. 19. q. 1. art. 5. versus finem, quidam Superiores fatui ad fictum zelum ostentandum sunt jtà proni ad hujus gladii extractionem, qui tamen ab Apostolis rarò invenitur extractus, ut multa pericula inducant. Denique ut referunt Card. de Lugo, Casp. Branc. noster, & alii, cũ à nonnullis Regularibus dubitaretur, an in predicto Decreto Clementis etiã censuræ comprehenderentur, itaut iisdem Superioribus absq; Capituli generalis, vel Provincialis consensu aliquibus peccatis in hujusmodi decreto non contentis excõmunicationẽ annectere, ejusdẽq; absolutionẽ sibi reservare liceat, S. Cardinalium Cõgregatio negotiis Regulariũ prepositorũ sub die 7. Julii 1617. expresse declaravit censuras quoque in supradicto decreto comprehendi. Quarè & ipse Suar. disp. 29. sec. 3. fatetur, cũ reservatur casus habens excõmunicationẽ annexã, ipsã reservationẽ cadere simul super culpã, & censurã, siquidem censura propter gravitatem culpæ imponitur, si.n. gravis non esset, impositione censuræ non egeret, & ejus reservatione; undè tandem, & ipse concludit in fine melius esse id non facere sine speciali consensu Capituli generalis, vel provincialis juxtà formam præscriptam in prædicto decreto Clementis VIII. ad omnem dubitationem tollendam, quæ doctrina maximè est observanda, quia plures Superiores eam penitus ignorant.

224 Quartò quod spectat ad aliam quæsiti partem, quænã peccata possint, ac soleant reservari, certum est non solere peccata venialia reservari, neque mortalia semel ritè confessa, & absoluta, quia talis reservatio inutilis omninò foret, cùm enim reservatio ex Conc. loc. c. ad coercenda atrocia delicta sit instituta, utique nec super venialia, nec super mortalia jam absoluta imponi debet, tùm quia cùm non adsit obligatio confitendi talia peccata, posset homo liberè de aliis confiteri, & ab eis absolvi similiter nec reservari solent peccata merè interna, etiãsi sint mortalia, quia cũ Ecclesia præcipuè externa spectet, opus non est, ut peccata merè interna reservet, sed aliqua tantùm mortalia externa, undè dùm absolutè reservantur homicidium adulterium, & similia, hoc intelligitur, quando hæc peccata sunt opere commissa, non autem pura voluntas occidendi, adulterandi, & similia interna peccata, imò si quis paraverit arma ad occidendum, & mulierem sollicitaverit ad adulterandum, hæc peccata sub reservationem non cadunt, nisi opere committantur, & dùm etiam reservatur peccatum hæresis intelligitur solùm, quando externis verbis, aut signis profertur, ut communiter Doctores advertunt. Itaque regulariter peccata, quæ reservantur, intelliguntur opere completa, & consummata, & non tantùm exterius inchoata, benè tamen, ut notat Aversa quæst. 17. de Casuum reservat. sect. 2. possunt ex intentione Superioris, & cum sufficienti expressione reservari peccata etiam attentata, seù inchoata, & interdùm de facto quædam ità reservari solent, ut plerumque ab Episcopis reservatur quæcunque attentatio impudicitiæ cum Monialibus etiam per verba sivè fiat cum animo deveniendi ad copulam, sivè absque tali animo, sicut de facto in Canone non solùm occisio Clerici reservatur, sed quæcunque etiam injuriosa percussio. An verò peccata mortalia interna reservari possint, negant aliqui eo quod Ecclesia non judicet de internis, nec possint super illa ferre censuras, Communior tamen, & probabilior opinio apud Fabrum loc. cit. affirmat Superiorem posse reservare sibi peccata mortalia merè interna, quia sicut potest suspendere jurisdictionem Sacerdoti, ne omninò alicui hoc Sacramentum ministret; ità potest illi auctoritatem limitatam concedere ad hæc peccata mentalia, & non ad alia; de facto tamen regulariter non reservantur, quia ut dictum est Conc. Trident. reservatio introducta est propter atrociora, & graviora crimina, quæ disciplinam Christianam perturbare possunt, qualia non sunt peccata merè mentalia. Nec ratio in oppositum adducta urget, respondetur enim cum Fabro loc. cit. Ecclesiam non judicare de occultis quoad forum exterius, sed secundùm allegata, & approbata; neque imponere censuras peccatis occultis, quia censuræ pertinent ad forum exterius, & ideò cadere debent super peccata, quæ ad forum exterius deduci possunt, licet etiam ligent in foro interiori, quoad peccata mortalia, quibus sunt annexæ, & sic etiam ex nostris discurrit Brancatus loc. cit. §. 7.

225 Quintò præterea conveniunt Doctores, tam Papã, quàm Episcopos, & alios potentes reservare aliqua peccata, posse sub censura, & sine illa reservare, etenim illa reservatio cadere potest utique non tantùm super censuram, sed per se super ipsum peccatum, ut suprà dictum est, & nulla est necessitas reservandi semper peccatum sub censura, imò plerunq; expedit, ac sufficit reservationem absque censura imponere, & quamvis Summus Pontifex non soleat casus reservare, nisi cum excommunicatione conjuncta, ut patet in Bulla Cœnæ, in Sacris Canonibus, & aliis Apostolicis Constitutionibus, invenitur tamen aliquando etiam peccatum aliquod sine excommunicatione reservasse, ut constat in Const. *Sanctum*, & *salutare*, à Sixto V. edita contrà Clericos malè promotos, & Prælatos malè promoventes, cum Censura tamen suspensionis, aliisque gravissimis pœnis. Alii verò Prælati, sivè sæculares, sivè Regulares plura solent passim reservare peccata absque ulla censura, vel pœna, ut constat in praxi, & de Episcopis hoc apertè dixit Concil. loc. cit. dùm inquit, licere eis reservare peccata *præsertim illa, quibus excommunicationis censura annexa est*, his enim verbis indicavit, posse etiam laudabiliter absque excommunicationis cẽsura reservare peccata, quando autem in reservatione peccatorum annexa est censura, non solùm ipsa censura reservatur, sed per se etiam, & directè peccatum ipsum, itaut simpliciter censura tolli posset, & adhuc remanere peccati reservatio; ità Doctores passim, præsertim Aversa loc. cit. & Brancatus noster §. 8. Ad dignoscendum verò specificè quænam peccata possint, ac soleant reservari, certum est respectu Summi Pontificis ob amplitudinem potestatis ejus nullum in specie exci-

excipi peccatum, quod ab eo reservari non possit, de facto autem reservantur ea, quæ in Bulla Cœnæ Domini continentur, & in Decreto, & in Decretalibus, & in Clementinis, & in Extravag. in motibus propriis; si verò loquamur de Episcopis in jure communi nullum est peccatum Episcopo reservatum, & ideò inspiciendæ sunt Constitutiones, & consuetudines Diœcesum; consuetudine tamen introducta, ut notat Casp. disp. 6. sect. 1. in fine, reservantur Episcopis homicidia voluntaria, scripturarum falsificatio, sacrilega violatio immunitatis, & libertatis Ecclesiasticæ, sortilegia, seù divinationes, & ex reservatis Pontifici remittitur Episcopo Clerici violenta percussio, quando non est enormis, & etiam enormis, quando percutiens est legitimè impeditus Pontificem adire; imò ut observat Layman tract. 5. part. 2. de excom. cap. 6. reservatio etiam aliorum casuum à Summis Pontificibus facta non adeò stricta, & rigorosa, quin ob plures causas relaxetur, & ad Episcopalem jurisdictionem devolvatur, quę causæ tres præsertim in jure Canonico exprimuntur in cap. *De cætero*, & cap. *Ea nascitur* de sent. excommun. Prima est ætatis infirmitas, si nimirum impuberes in casum aliquem incidant Pontifici reservatum, ii etenim ab Episcopo etiam post pubertatem absolvi possunt, ut habetur cap. *Pueris* de sent. excom. Secunda est sexus infirmitas, qua ratione mulieres lapsæ in excommunicationem Papæ reservatam absolvi possunt etiã ab Episcopo, ut habetur cap. *Mulieres*, & cap. *Quamvis* eodem titulo. Tertia tandem est quodvis legitimum impedimentum adeundi Sedem Apostolicam, qua ratione excusantur pauperes, senes, valetudinarii, qui non sunt sui juris, vel ob periculum vitæ, infamiæ, scandali, vel alia simili de causa impediuntur, ne Romam adire possint ad absolutionem recipiendam, ut toto illo titulo variis capitibus explicatur, undè concludunt communiter Doctores esse regulam communiter receptam quod casus Papalis superveniente impedimento legitimo Romam adeundi fit Episcopalis, ut Abellius advertit c. 5. cit. sect 17.

226 Sextò conveniunt etiam Doctores, ita posse Superiores sibi aliqua reservare peccata, ut tamen non nisi discretè, & aliqua rationabili de causa id facere debeant, alioquin secus faciendo peccarent, & reservatio illicita foret, quia hujusmodi potestas reservandi certa peccata à Christo Domino relicta est Ecclesiæ in ædificationem illius, ut inquit Tridentin l. c. non in destructionem animarum, qualis est quæ sine justa, & rationabili causa fieret; sic enim durum nimis, & onerosum redderet hujus Sacramenti usum, peccatores ab ejus susceptione, ac Sacerdotes à Ministerio nimis absterreret: quæ consideratio, & obligatio etiam in Summo Pontifice procedit, undè quamvis validè possit sibi Pontifex omnes reservare casus ex plenitudine potestatis, quam habet, cum enim ipse sit supremum caput in Ecclesia, habet auctoritatem sine ulla limitatione, & potest pro libito quantum ad validitatem ea uti, alioquin difficile esset discernere, an reservationes, & concessiones, aut dispensationes ab eo factæ essent validæ, vel non, quia dubitari posset, an factæ essent ex legitima causa, & sic omnia ferè essent incerta; quamvis, inquam, validè id faceret ob supremam, & independentem ejus auctoritatem, adhuc tamen faceret illicitè, quia omnis potestas à Christo Domino procedens ordinata est. De Episcopis verò major est difficultas, & aliqui negant reservationem sine justa, & rationabili causa factam esse validam. Sed Faber noster l. c. Suarez, Aversa, Caspensis, & alii communiter censent idem dicendum quantum ad validitatem in iis, quæ sibi à Summo Pontifice non prohibentur, nam si semper causa legitima requireretur ad reservationis validitatem semper dubitari posset, an adesset legitima causa, & ità innumeri scrupuli in mente Episcopi, & subditorum generari possent; possunt ergo etiam Episcopi absque ulla causa ad libitum suum reservare peccata, quæ voluerint validè quidem, sed illicitè, itaut absolutio contrà eam data invalida sit ob easdem rationes adductas pro reservatione à Summo Pontifice facta.

227 Postremò quæri solet, à quo data sit Superioribus potestas reservandi peccata, an à Deo immediatè, vel ab homine; Soto 4. dist. 18. quæst. 2. art. 5. cum quibusdam aliis absolutè affirmant hanc jurisdictionis potestatem reservandi peccata esse in omnibus Superioribus immediatè à Deo; Communis tamen, & vera sententia, quam sequuntur Faber loc. cit. & Brancatus §. 5. asserit, quod potestas Pontificis ad reservandã sibi peccatorum absolutionem utique data est illi à Deo immediatè, quia sicut Petrus à Deo immediatè jurisdictionem accepit ex Joan. 21. & ex. 2. quæst. 1. capit. *Petrus*, ità & Summus Pontifex ejus successor, ac vices gerens 2. ex distinctione 22. cap. *Quamvis*, & ex 9. quæst. 3. cap. *Nemo judicabit*; tum quia Papa nulli subjacet, sed soli Deo; ergo si habet jurisdictionem in alios, hæc à Deo, nam Papæ electio, & institutio est à Deo, licet si Cardinalibus designetur persona ex dist. 79. cap. *Electionem*, cùm ergo Papa jurisdictionem in omnes Christianos à Deo habeat, ab eo etiam potestatem habet sibi retinendi aliqua peccata, quæ immediatè vult judicare, & absolvere. Episcoporum verò potestas, & aliorum Prælatorum ad reservanda peccata est immediatè ab homine, nam jurisdictio eorum omnium immediatè est ab homine, licet enim ordo, & character Episcopalis sit à Deo immediatè per ministerium aliorum ordinantium Episcopum, & ideò ejus usus quoad validitatem à nullo homine auferri potest, nec impediri; jurisdictionis tamen potestas à Papa Episcopo datur, & confertur, ideoque Episcopi dicuntur vocari in partem sollicitudinis, quia cura animarum Pontifici immediatè commissa est per illa verba *Pasce oves meas* cum facultate alios quoque assumendi in adjutorium suum, & hinc est, quod à Papa suspendi possunt, ac jurisdictione privari, quod facere non posset, si talem jurisdictionem immediatè à Deo haberent, & de facto Clemens VIII. eam impedivit Prælatis Regularium, ne excederent in reservando, & potuit impedire, ne ullum reservarent, ergò idem facere potest cum aliis Prælatis, & Episcopis cùm omnes æquè illi subdantur; omnis ergo jurisdictio communicata est à Christo immediatè Summo Pontifici, & ab eo aliis, ut Episcopis, & ab Episcopis parochis, & ideò parochi, & alii potestatem ordinariam habentes nunquam sunt independentes à jurisdictione Superioris.

ARTICULUS SECUNDUS.

Quinam potestatem habeant absolvendi à casibus reservatis.

228 Duobus modis potest quis à casibus reservatis absolvi, scilicet, directè, & indirectè, directè dicitur absolvi, cùm absolutionem recipit ab habente potestatem absolvendi à reservatis; indirectè verò cum absolvitur ab aliis peccatis non reservatis, & per accidens quoque à reservatis absolvitur, ut infrà declarabitur, sic etiam jurisdictio ad absolvendum à peccatis reservatis directè duobus modis potest haberi, primò potestate ordinaria, secundò delegata. Ut ergo certa ab incertis secernamus, in primis certum est posse eundem Prælatum, qui reservavit, ab iis pœnitentem absolvere directè ex sua ordinaria potestate, ac jurisdictione, dummodo tamen habeat etiam Ordinis potestatem annexam, ideſt, sit ordinatus Sacerdos; ratio est, quia qui potest ligare, potest etiam solvere, undè & Superior qui reservavit, & Superior ipsius reservantis facultatem habet ordinariam, & directam absolvendi à casibus reservatis, quarè peccata reservata Episcopis possunt absolvi ab ipsis Episcopis, & etiam à Summo Pontifice, & peccata in Religionibus reservata Abbati, & Priori, seù Guardiano possunt ab eisdem absolvi, & insuper à Provincialibus, & Generalibus. Notanter autem additur limitatio, dummodò talis Prælatus etiam Ordinis potestatem habeat annexa .i. sit Sacerdos, quia sunt nonnulli, qui habent jurisdictionem, quam aliis communicare possunt, eam tamen per se ipsos exercere non possunt, quia non sunt Sacerdotes, undè ex hoc capite contingere potest, ut Prælatus non habens adhuc Sacerdotalem ordinem, possit quidem ex potestate jurisdictionis reservare, non tamen absolvere. Deindè quicunque habens auctoritatem delegatam ab altero illorum duorum Prælatorum ad peccata reservata absolvenda directè etiam potest ab eis absolvere; ratio est, quia qui facultatẽ habet ordinariam potest eam per se loquendo alteri communicare, & per modum delegationis licentiam aliis Confessariis præbere, ut absolvant, sivè pœnitentibus, ut eligant, & adeant alium Confessarium, à quo absolvantur. His præacceptis, ut communiter concessis remanent aliquæ difficultates in hac materia breviter examinandæ.

229 Primò, est difficultas de peregrinis bona fide venientibus ad alium Episcopatum, an ibi possint confiteri, & à peccatis reservatis absolvi, & à quo absolvi debeant; in qua varii sunt modi dicendi, ut refert Aversa qu. 17. cit. sect. 3. Communior tamen, & probabilior est triplicem reservationis varium statũ in prefato casu contingere posse; Primus est, si casus erat reservatus in loco è quo peregrinus discessit, sed non in loco, in quo invenitur, dùm confiteri vult. Secundus, si non erat reservatus in loco, è quo discessit, sed benè in loco ad quem pervenit. Tertius, si casus sit utrobique reservatus. In primo statu potest pœnitens de eo peccato liberè confiteri, & absolvi in loco, ubi reservatum non est, accedendo ad quemlibet communem Confessarium, & ratio est, quia reservatio unius Prælati non se extendit ergà suos subditos in alium locum digressos, & peregrini ex consuetudine sunt æstimandi in ordine ad Confessionem, sicut qui sunt incolæ illius loci, quo perveniunt; quod consonat regulæ jã traditæ suo loco de legibus Peregrinos non ligari legibus patriæ, sed benè ejus regionis, in qua sunt, ac proindè possunt absolvi à casibus reservatis suo Episcopo, quamvis Confessa-

rius

rius non habeat facultatem absolvendi à reservatis. Ex qua doctrina deducitur etiam quid sit dicendum in secundo reservationis statu, quando, scilicet, casus est reservatus in loco, ubi peregrinus versatur, & non in loco suæ patriæ, reservationem nempe in tali loco etiam peregrinos comprehendere, eosque non posse à peccatis ibi reservatis absolvi, quia peregrini in hoc Sacramentali foro reputandi sunt incolæ ejusdem loci; & hoc totum intelligitur, sivè pœnitens peccatum reservatum commiserit in eo loco, in quo confitetur, & est reservatum, sivè in alio, in quo reservatum non erat. Et tandem eadem ratione non potest peregrinus absolvi in tertio reservationis statu, quàdo scilicet, habet casus reservatos tam Episcopo proprii domicilii, quàm Episcopo loci, in quo reperitur per transitum, quia auctoritas ad eum absolvendum, sivè dicatur provenire ex Episcopo sui domicilii, sivè ex altero loci, in quo est advena, à neutro datur facultas ad eum absolvendum à casu utrobique reservato. Ità Averia, Suar. Coninch. Bonacina, Caspensis, Faber, loc. cit. Diana, & alii passim. Notanter autem movetur difficultas de peregrinis bona fide venientibus ad alium Episcopatū, quia ut prædicti Doctores advertunt, si discederet quis ex industria in fraudē legis ex sua patria, ut in aliis locis cōfiteatur, & absolvatur, tunc non cēsetur dari facultas, & licētia.

230 Secundò est difficultas, An Superior teneatur concedere facultatem subdito per seipsum, vel per Confessarium petenti, ut à reservatis absolvatur, & quamvis Navarrus, Victoria, & quidam alii censeant non teneri, eo quod alioquin redderetur ferè inutilis reservatio, si per se teneatur Prælatus concedere licentiam alteri Confessario, ut absolvat. Communior tamen opinio affirmat teneri per se loquendo, quia casuum reservatio propter utilitatem pœnitentium inducta est, ut resipiscant, & melius in vita spirituals dirigantur, facilius autem resipiscunt concessa facultate, quàm ea denegata; nam sæpè ex denegatione licentiæ graviora mala subsequuntur, atque ideò inquit Divus Thomas 4. dist. 17. quæst. 3. art. 3. *Peccare Superiorem, qui difficilem se præbet in concedenda hac facultate, quia multi sunt adeò infirmi, quod potius sine confessione morientur, quā tale peccatum tali Confessori confiteantur, & quamvis interdum ex tali licentia nonnulla mali occasio oriatur, per eam tamen multis majoribus malis occurritur.* Notanter autem dicitur Superiorē per se ad id teneri, quia si Prælatus timeat ex facilitatē concedendi licentiam potius imminere detrimentum proximi, aut ipsius pœnitentis, tenetur denegare, nam ad Superiorem pertinet consulere bono subditorum, & pœnitens ediscendo requiri specialem Superioris licentiam, & coactus eam expectare, atq; ad Confessarium redire, hac ipsa difficultate, & labore, cautior reddetur, ut à talibus peccatis abstineat, nec plus probat ratio in oppositum adducta. Ità Reginaldus, Coninchius, Sylvester, Soto, Aversa, Casp. Bonac. Faber noster, & alii passim.

231 Tertio est difficultas, an Superior possit concedere facultatem absolvendi à reservatis cum onere, ut pœnitens posteà compareat coram ipso, & quidem ut notat Faber disp. 27. cit. c. 2. num. 50. difficultas non est de peccatis, quibus excommunicatio annexa est, in his enim secundùm usum juris conceditur licentia absolvendi cum hoc onere, ut pœnitens coram Superiore compareat, & ratio est, quia sicut censuræ impositio ab Ecclesia pendet, ità & absolutio, & ideò in censuris potest Ecclesia absolutionis modum præscribere, prout voluerit, in confessione autem Sacramentali, quæ est de peccatis, Ecclesia aliquid immutare non potest de iis, quæ sunt de essentia talis Sacramenti, & ideò cum obligat habentem peccata, quibus annexa est censura, ut coram Superiore compareat, non obligat ad iterum illa peccata confitenda, sed ad dandam satisfactionē Superioris ratione censuræ contractæ explicato ei suo casu. Difficultas ergo est de casibus, quibus non est annexa censura, an sub hoc onere possit concedi licentia absolutionis illorum, & ratio dubitandi est, quia nemo cogi potest ad confitendum peccata iterum jam semel ritè confessa, quia absolutio Sacramentalis ex efficacia suæ institutionis pœnitentem à culpa liberat, tam in foro Dei, quàm in foro Ecclesiæ, & ideò remanet ille liber ab obligatione iterum subiiciendi illa peccata clavibus. Communis sententia docet dictam facultatem concedi posse cū onere iterum eadem peccata confitendi coram ipso, multum tamen Doctores variant, qua ratione id fieri possit, adeout Coninchius disp. 8. dub. 15. quinque sententias de hac re adducat, quas exactè examinat, potior tamen dicendi modus est Coriolani, Hurtadi, Caspensis, & aliorum dicentium id fieri posse propter mutuum consensum, seù pactum initum inter Superiorem, & inferiorem, sivè illud pactum fuerit expressum, sivè implicitum in aliquo statuto generali, quem dicendi modum adhuc clariùs explicat Faber loc. cit. dicens, duobus modis intelligi posse Superiorem concedere posse licentiam absolvendi à casibus reservatis cum onere comparendi coram ipso, uno modo, quod obligare possit ad comparendum obligatione absoluta, & hoc modo certum est Superiorem non posse obligare pœnitentem ad comparendum, ut optimè probat ratio dubitandi adducta, non enim Superior potest alicui facultatem concedere, ut Sacramentaliter à peccatis reservatis absolvatur, & deindè obligetur absolutè iterùm coram ipso eadem peccata confitendi; alio modo intelligi potest, quod ipsum ad id obliget obligatione conditionata, idest pendente à voluntate pœnitentis, & hoc modo concedere potest hanc facultatem cum prædicto onere, & sensus est, quod potest concedere facultatem pœnitenti, quod à reservatis absolvatur, dummodò acceptet hanc conditionem, & onus, ut se obliget deindè pro opportunitate comparere coram Superiore ad denuò cōfitendum eadem peccata, & ab illo condignam accipere pœnitentiam, quia de eisdem peccatis potest quis validè, & utiliter pluries confiteri, ut suprà dictum est, quamvis enim non sint peccata semel confessa materia necessaria hujus Sacramenti, sunt tamen materia sufficiens, & pro hac sententia Navarrum adducit Faber loc. cit. Cajetanum, Medinam, Angelum, Suarez, & alios antiquiores.

232 Quarto quæritur, an possint inferiores Confessarii directè à reservatis absolvere ex causa necessitatis, & in casibus extraordinariis; & in primis certum est Confessarium quemcunque posse pœnitentem absolvere à quibuscunque casibus reservatis instante extrema necessitate, idest, in mortis articulo, ità enim definitum est in Concil. Triden. sess. 14. cap. 7. *In Ecclesia Dei custoditum semper fuit, ut nulla sit reservatio in articulo mortis, atque ideò omnes Sacerdotes quoslibet pœnitentes à quibusvis peccatis, & censuris absolvere possint;* subdit tamen hoc fieri debere servato ordine, ut si adsit, qui habet auctoritatem, præferatur non habenti; si tempus adsit, tunc enim non urget necessitas, ut alius Confessarius non habens auctoritatem absolvat, & potest absolvere à quibuscumque casibus reservatis, sivè Summo Pontifici, sivè aliis inferioribus Prælatis; item à quibuscumque reservatis sivè cum censura, sivè absque censura, de omnibus enim loquitur Concilium, & sine ulla limitatione, & ideò distinctè dixit, *à quibusvis peccatis, & censuris;* absolutus autem à reservatis in articulo mortis, etiamsi periculum mortis evadat, non tenetur amplius ea confiteri Superiori reservanti, quia in mortis articulo quilibet Sacerdos necessariam, & omnimodam jurisdictionem circà peccata habuit, quando autem casus reservatus annexam habet excommunicationem, ut sunt omnes casus Pontificii, quamvis tunc etiam verè à censura absolvatur, adhuc tamen remanet cum onere, & obligatione comparendi posteà coram Superiore, aliovè legitimo Ministro, si fortè convaluerit, sub pœna reincidentiæ in eandem censuram, ut ita tutum est cap. *Eos qui de sent. excom. in 6.* undè magnum discrimen est inter absolutionem à censura, & absolutionem à peccato non habente censuram annexam, quando enim casus reservati non habent excommunicationem annexam, non absolvuntur sub hoc onere præsentandi se Superiori, & hæc est communis sententia, quam tenet Paludanus, Sylvester, Angelus, Navarrus, Suarez, Faber, Aversa, & alii Recentiores passim. Cùm autem dicimus quemcumque Confessarium posse pœnitentem absolvere à quibuscumque casibus reservatis instante extrema necessitate, id est, in mortis articulo, cum hoc debet etiam intelligi urgens necessitas, & mortis periculum, ut diximus quæst. præced. art. 1. n. 203. Præterea citrà mortis articulum, aut urgens periculum alia quoque necessitatis est causa, ob quam pœnitens in casibus Pontifici reservatis adhuc absolvi potest ab inferiori Ministro, quando nimirum pœnitens alio legitimo impedimento detinetur, ne Pontificem adire possit, quæ impedimenta jam explicata sunt art. præced. num. 225. quæ facultas ex illa regula deducitur, quod quoties non patet aditus ad Summum Pontificem, vel Legatum, aut delegatum, nisi cum magna difficultate, posse absolvi à reservatis ab inferiore, quæ regula desumitur ex declaratione excommunicationis *Si quis suadente*, & habetur cap. *de cætero de sent. excom.* ubi licet specialiter sermo sit de percussione Clerici, communiter tamen à Doctoribus extenditur ad alios casus Sedi Apostolicæ reservatis in quibus ad est similis ratio, scilicet impedimentum adeundi Superiorem. In aliis verò casibus reservatis aliis Prælatis Papa inferioribus nemo inferior absolvere potest, quia ut notat Faber loc. cit. illa introducta est de casibus Pontificiis propter distantiam, & aditum difficilem ad Sedem Apostolicam, quæ cessat in aliis inferioribus Prælatis, & maximè quia Concil. Tridentinū solum mortis articulum excipit, inferiores enim Prælati, ut Episcopi, in suis Diœcesibus ordinare possunt aliquos Pœnitentiarios, qui ab his casibus absolvere possint.

233 Quintò est difficultas, an Regulares virtute Bullæ Cruciatæ Confessarium eligere possint, qui eos à reservatis absolvat. Affirmant plures Doctores posse per Bullam Cruciatæ à Re-

Regularibus eligi quemcumque Confessarium ab Ordinario approbatum, licet extraneum à suo ordine, & non à suo Prælato Regulari approbatum, qui eos à casibus quoque reservatis juxtà privilegium ejusdem Bullæ absolvat; fundamentum præcipuum hujus sententiæ est, quia Pontifex in Bulla absque ulla exceptione concedit omnibus fidelibus facultatem eligendi Cõfessarium, nec ulla est ratio, cur tam ampla facultas à Pontifice concessa limitetur, & Religiosi à generali concessione excludantur. Ità Soto, Lopez, Curiel, Cornelio, Henriquez, Valerius, & plures alii. Communis tamen modò sententia negat omninò Regulares posse virtute Bullæ Cruciatæ uti prædicta facultate, & probatur ex pluribus declarationibus Summorum Pontificum, qui id omninò prohibent, nam Clemens VIII. peculiari sua Constitutione, quæ incipit *Romani Pontificis* sub die 23. Novembris 1599. declaravit facultatem Bullæ Cruciatæ quantum ad articulum eligendi confessarium, & absolutionem à casibus reservatis non habere locum cum fratribus, & sororibus quorumcumque Ordinum. Deindè hanc declarationem Paulus V. in alio Brevi anno 1608. confirmavit, & approbavit, & perpetuæ, ac inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjecit. Et tandem Urbanus VIII. alia sua Constitut. sub die 19. Junii anno 1630. prædictas Constitutiones Clementis VIII. & Pauli V. innovavit, & insuper declaravit: *Confessionem Sanctæ Cruciatæ quantum ad prædictum articulum eligendi Confessarium, & absolvendi à casibus reservatis cum Regularibus quorũcunque Ordinum, & Congregationum, Societatisque, & instituti mendicantium, & non mendicantium utriusque sexus, locum minimè habuisse, neque habere, nec illis ullo modo suffragari potuisse neque posse*, quibus verbis Urbanus tanquam abusum, & prætensionem indebitam reprehendit eorum, qui adhuc post obitum Clementis Confessarium eligebant, & priorem sententiam non tantùm his temporibus falsam esse, sed etiam anteà, dicit enim Pontifex Bullam Cruciatæ in ordine ad eligendum Confessarium, & absolvendi à casibus reservatis cum Regularibus locum minimè habuisse, neque habere, nec illis ullo modo suffragari potuisse, neque posse, ità Suarez, Reginaldus, Portellius, Miranda, Lugus, Aversa, Diana, Caspensis, & alii passim, undè valdè miror nonnullos Religiosos præsertim strictioris observantiæ adhuc in praxi priorem sequi sententiã.

234 Sextò, est difficultas, an censeatur reservatum peccatum, de quo quis est dubius, an illud commiserit, & difficultas est de dubio propriè sumpto, seu negativo, quia quando dubium est positum, & rationes ex utraque parte probabiles, certum est judicandum esse in favorem pœnitentis, & idem dicendum est, si Confessarius dubitet, an pœnitens lapsus sit in mortale reservatum, si verò dubium sit negativum, licet aliqui affirment tunc peccatum censeri reservatum. Communior tamen, & probabilior opinio negat, quia adhuc judicandum est in favorem pœnitentis, & potius præsumendum, quod reservans non voluerit reservare peccata dubia, sed tantùm quæ certò constat esse commissa, nisi ipsemet aliter suam mentem declaraverit, cùm enim reservatio sit lex odiosa, est strictè interpretanda, ità Suarez, Filliucius, Henriquez, Hurtad. Bonacina, Homobonus, Portellus, Diana, Card de Lugo, Poncius ex nostris, & alii passim. Sed quæres, si absolutus ab hujusmodi peccato dubio recordetur posteà se certò illud commisisse, an teneatur recurrere ad habentem auctoritatem absolvendi, & quamvis aliqui affirment, adhuc tamen negant Lugus, Sanchez, Poncius, Caspensis, & plures alii, & ratio est, quia jam censetur legitimè absolutus, etiamsi peccatum illud censuram annexam haberet, quod probant exemplo de eo, qui dubius de voto castitatis emisso, petit dispensationem ab habente auctoritatem in votis non reservatis, & eam obtinet, eo quod votum castitatis dubiũ non sit reservatum, posteà verò comperta veritate, quod votum emiserit, inquiunt non teneri ad Pontificem recurrere pro ejus dispensatione, quia cùm ratione dubii tunc votum non esset reservatum, potuit tunc inferior in illo dispẽsare, & legitimè usus est potestate, quam habebat ad disponendum in votis dubiis. Et planè hæc opinio probabilior est, & in praxi tenenda, quia, ut inquit Poncius, hoc Sacramentum ex se, & ex reservatione casuum est tam grave, & arduum, ut amplius ejus difficultas augeri non debeat, quàm quantum certa ratio, aut auctoritas, cui deferenda sit cogere videatur.

235 Septimò est difficultas, an facta semel confessione cum potente absolvere à reservatis, sivè per potestatem ordinariam, sivè delegatam, censeatur ablata reservatio eorum, quæ pœnitens propter oblivionem inculpabilem omisit, vel an obligetur posteà dum eorum recordatur iterum confiteri Superiori, vel habenti facultatem ad reservata, itaut à nullo alio validè absolvi possit; notanter autem dicitur, si oblivio sit inculpabilis, quia si culpabilis esset, itaquod confessio sit nulla, & invalida, remanet reservatum, quia absolutio est nulla. Prima sententia affirmat illum teneri iterum ea peccata confiteri Prælato, vel potenti absolvere à reservatis, quando in mentem redeunt, quia nulla est sufficiens causa, sivè ratio existimandi sublatam esse illorum peccatorum reservationem, cùm illa peccata ad tribunal Superioris, vel delegati non fuerint adducta, ad quod tamẽ erant reservata, ac proindè nec de illis judicatum fuerit, nec debita pœna, nec conveniens medicina adhibita, cùm tamen eo fine reserventur, ità Vasquez, Suarez, Meratius, & plures alii. Sed quamvis hæc sententia sit probabilis, communior tamen, & probabilior negat illum teneri iterum ea peccata confiteri Prælato, vel potenti absolvere à reservatis, & ait tolli reservationem casuum oblitorum per confessionem factam apud legitimum Ministrum habentem facultatem ab iis absolvendi & absolutionem ab eo datam, itaut pœnitens de iis posteà in memoriam redeuntibus possit liberè confiteri, & directè absolvi à quocunque communi Confessario; ità Navarrus, Sylvester, Ledesma, Lugus, Coninchius, Aversa, Diana, Bonacina, Faber, Poncius, & Brancatus ex nostris, & alii passim, quorum fundamentum est, quia etiam Auctores adversæ partis admittunt, quod quando pœnitens expressè petit, & minister dare intendit absolutionem adæquatè juxtà omnem ejus potestatem, verè tollitur omnis censura, & reservatio; sed semper de pœnitente præsumendum est, quod omnia reservata confiteri vellet, si recordaretur eorum, & de ministro absolvente pariter præsumi debet, quod ipsum ab omnibus peccatis absolvere intendat, tam confessis, quàm inculpabiliter oblitis, & consequenter à reservatis, & sicut semper censetur pœnitens saltem tacitè id petere, ità & Sacerdos idem intendere censetur; ergo per consuetam absolutionem semper tollitur omnis censura, & reservatio, quæ à tali ministro tolli potest.

236 Hinc patet quid sit dicendum ad fundamentum oppositæ sententiæ, quoties enim subditus bona fide confitetur Superiori detegendo suos omnes defectus, quorum recordatur, facit quantum est in se, ut remedia necessaria, & convenientem medicinam ei adhibeat, atque ideò Superior illa manifestatione contentus esse debet, ut omnem reservationem tollat etiam peccatorum inculpabiliter oblitorum, quia etsi talis pœnitens hoc explicitè non petat, censetur tamen implicitè, & interpretativè id petere, ut dictum est, quia ad confessionem venit, ut quantum fieri potest à peccatis omnibus liberetur, & si recordaretur se aliquibus peccatis reservatis irretitum esse, omninò petet reservationem tolli, & ab eis absolvi; & ideò Cõfessarius cupiens eum omninò ab omni culpa mundatum censetur etiam hic & nunc illum velle, quantum licitè potest, ab omnibus peccatis liberare, & consequenter etiam à reservatis oblitis, seù reservationem tollere, nam etiam in hoc casu tam licitè potest omnem tollere reservationem, sicut quando pœnitens hoc explicitè petit. Demum, ut notat Aversa quæst. 17. cit. sec. 8. cum Lugo, Diana, & aliis, ac etiam Poncius ex nostris, idem dicendum de eo, qui tempore Jubilæi absolvitur, sed aliqua reservata inculpabiliter est oblitus, etiamsi posteà intrà spatium determinatum non faciat ea, quæ ad lucrandum Jubilæum requiruntur, nempè tolli reservationem peccatorum, quæ oblitus, & multò magis eorum, quæ est confessus, quia per illam absolutionem omnis reservatio sublata fuit etiam quoad casus bona fide prætermissos, nec redit per defectum in adimplendis reliquis Jubilæi operibus; qui etiam Auctores addunt eandem rationem in omnibus casibus prædictis de peccatis oblitis pariter procedere de peccatis ex necessitate, sivè ex justa causa scienter prætermissis, ut potè ob timorem gravis damni vel ipsi pœnitenti, vel alteri, pariter enim aufertur reservatio, itaut liberè posteà possint cuilibet Confessario aperiri, & aufertur censura per absolutionem generalem censurarum.

ARTICULUS TERTIUS.

De modo absolvendi à casibus reservatis, & an possit in eis confessio dimidiari.

237 IN hac materia plures difficultates occurrunt, quia ut suprà dictum est agendo de Confessionis integritate, eã dimidiare non licet, neque absolutionem, siquidem ut est commune Theologorum axioma, impium est à Deo dimidiam petere veniam, quia non potest pœnitens ab uno peccato absolvi, & non ab alio, eo quod gratia cum nullo peccato mortali est cõpossibilis, duobus autem modis præsertim intelligi potest dividi confessionem, & absolutionem peccatorum reservatorum à non reservatis, uno modo, si quis simplicem adeat Confessariũ super casus reservatos facultatem non habentem, & confiteatur sola peccata non reservata, & ab eis absolvatur, & deindè ad Superiorem, vel alium delegatum remittatur pro reservatis; alio modo è contrà, si anteà Superiorem, vel delegatum adeat,

adeat, cui sola reservata confiteatur, & ab eis absolvatur, & posteà pro non reservatis ad alium simplicem Confessarium remittatur, ad quod declarandum varii sunt modi dicendi, & hic breviter examinandi juxtà dicta lib.4.sent. disp.5.qu.58. *de integritate Confessionis* art.3.

238 Primò itaque est difficultas, an possit Superior absolvere tantum à reservatis, & quoad reliqua pœnitentem remittere ad inferiorem. Affirmant Cajetanus, Navarrus, Soto, Valentia, & alii, quos refert Suarez disp.21.sect.1. quia sæpè Prælati variis occupationibus sunt impediti, ob quas non valent integras audire Confessiones subditorum, & nunc inquiunt esse ritum, & consuetudinem Curiæ Romanæ, ut pœnitens absolutus tantùm à reservatis quoad reliqua absolvendus mittatur ad inferiorem Sacerdotem. Negant Sylvester, Victoria, Canus, Suarez, Vasquez, Coninchius, Becanus, Caspensis, Amicus, Bonacina, & alii Recentiores passim id posse sine urgenti causa fieri, quæ sententia communior est, & verior, & sequitur ex nostris Brancatus, & Faber loc.cit. Ratio est, ut diximus loc.cit. quia integritas confessionis est de jure divino, quod omninò servandum est, nisi aliter permittat urgens, & rationabilis causa, quæ in hoc casu, de quo loquimur, difficillimè assignari potest, nam occupatio Prælati non est causa sufficiens, cùm facilè possit alteri Sacerdoti suas vices committere, & facultatem communicare absolvendi à reservatis, & falsum omninò est illam esse Romanę Curię consuetudinem, ut etiam dictum est loc.cit. quia ibi quoque regulariter, cum additur Superior ob absolutionem reservatorum in foro conscientiæ, vel omnia peccata pœnitentis audit, vel facultatem delegat Sacerdoti inferiori. Imò Brancatus disp.19. art.11. ait nullam assignari posse in Prælato urgentem causam excusantem hanc absolutionis dimidiationem, nam in quocumque casu posset, vel auferre reservationem, vel delegare jurisdictionem. Sed jam suprà dictum est, ac etiam mox dicemus, posse confessionē dimidiari in casu gravissimæ necessitatis v.g. mortis, loquelæ oppressionis, damni notabilis, & similium, quę non minus ex parte absolventis contingere possunt, quàm ex parte pœnitentis, & in his casibus planè concedi potest posse Superiorem audire reservata tantùm, & ab illis absolvere; undè non quælibet Superiorum occupatio est causa urgens, & sufficiens ad talem dimidiationem excusandam, sed debet esse talis, quæ de obliget ab integritate Confessionis. Alias quoque necessitatis causas justas, & sufficientes ad talem dimidiationem excusandam nituntur afferre Suarez, Coninchius, Lugus, Aversa, & alii Recentiores, quæ aliquam adhuc patiuntur difficultatem, nec ità facilè admitti debent, cùm integritas confessionis, & absolutionis sit de jure divino.

239 Secundò, est difficultas, an quando Superior absolvit tantùm à reservatis, teneatur pœnitens simul cum non reservatis reconfiteri etiam reservata. Auctores primæ sententiæ in præcedenti difficultate, ut diximus loc. cit. communiter affirmant, quando pœnitens absolutus à reservatis mittitur inferiori, ut à non reservatis absolvatur, debere in tali casu etiam reservata jam dimissa reconfiteri. Ratio est, quia ex c. *Omnis* saltem uni Sacerdoti sunt omnia peccata integrè confitenda; at in casu proposito non sunt omnia integrè confessa Snperiori, sed tantùm reservata; ergo confitenda sunt omnia integrè inferiori. Negant verò, & quidem probabilius Auctores secundæ sententiæ, quia vel illa peccata reservata ritè fuerunt Superiori confessa, vel non; non secundùm, ut etiam Adversarii concedunt, alioquin neq; absolutio ritè impensa fuisset, non enim potest Sacramentalis absolutio super illegitimam cadere confessionem; si ergo fuerunt illa peccata ritè Superiori confessa, jam non tenetur ea iterum confiteri, sicut quando pœnitens vel ex oblivione inculpabili, vel alia justa de causa aliquod peccatum in Confessione omittit, non tenetur simul cum illo alia jam directè confessa, & absoluta reconfiteri cùm opportunitas datur, quia hæc jam supponuntur ritè confessa, nec cadunt sub voto alterius Confessionis, sicut omissa justa de causa, aut oblivione inculpabili. Non ergo in casu proposito tenetur pœnitens reconfiteri reservata, jam confessa cum peccatis non reservatis, siquidem illa supponuntur jam ritè Superiori confessa, auctoritas autem allata ex cap. *Omnis* de integritate formali confessionis est intelligenda, non autem de materiali, alioquin semper cum oblitis, & ex justa causa non confessis confitenda quoque essent jam ritè confessa. Itaque confessio facta Superiori de solis reservatis est integra formaliter, quamvis non sit integra materialiter ob justam aliquam causam, & pœnitens in bona fide exiſtit, & consequenter absolutio valida est, & Sacramentalis, confertque gratiam, & directè remittit peccata reservata, indirectè verò, & consecutivè non reservata; atque ideò quando pœnitens semel obtinuit absolutionem reservatorum à Superiori, non tenetur posteà inferiori Sacerdoti simul cum non reservatis etiam reservata confiteri, à quibus jam directè fuit à Superiore Sacramentaliter absolutus, sicut etiam nunc posteà dicemus, ille qui justa de causa fuit absolutus ab inferiore directè à non reservatis, non tenetur rursus omnia peccata aperire Superiori, sed tantummodò reservata, cùm non sit obligatio bis subiiciendi eadem peccata Confessioni, & ità etiam tenet Bonacina disp.5.qu.7. punct.4.num.3.

240 Tertiò, est difficultas, an interdum possit inferior saltem indirectè à reservatis absolvere. Negant aliqui cum Vasquez q.91.art.3.dub.9. posse in ullo casu inferiorem Sacerdotem absolvere à reservatis, præterquam in articulo mortis, quod probant ex Trid.sess.14.cap.7. ubi inquit *Cum extrà articulum mortis Sacerdotes nihil possint in casibus reservatis id unum pœnitentibus persuadere nitantur, ut ad Superiores, & legitimos judices pro beneficio absolutionis accedant*. Probant etiam ratione, quia hæc sententia exercetur per modum judicii, nulla autem sententia est valida, nisi à Judice lata; cùm ergò Sacerdos inferior nullam habeat jurisdictionem in casus reservatos, præterquam in articulo mortis, non potest ab illis validè absolvere, quo fit ut nec absolvere possit à non reservatis, quia jam unum absolvi non possit sine alio, si non potest à reservatis, nec poterit à non reservatis. Nec valet dicere, directè absolvere à non reservatis, indirectè verò, & consecutivè à reservatis, quia dùm absolveret illa in confessione explicata, directè absolveret, siquidem absolveret illa, ut in judicium adducta, quod est absolvere directè; secus est de oblitis, quæ quia non adducuntur in judicium per confessionem pœnitentis, non possunt directè absolvi, sed tantùm indirectè, & hanc opinionem sequitur ex nostris Hiribarnes 4.d.18. disp.16.sec.5. ubi dicit cum aliis Auctoribus, ejusdem opinionis in periculo gravis scandali, & infamiæ posse habentem reservata, præmissa contritione, ad Eucharistiam accedere, quia tunc censetur non habere copiam Confessarii, sic etiam loquitur Caspensis disp.6.sec.5. dicens oppositam sententiam parum probabilitatis habere. Communis tamen opinio asserit quidem nulla existente necessitate, non posse inferiorem validè absolvere pœnitentem à non reservatis, ipsumque remittere ad Superiorem pro reservatis, quia Confessarius inferior non potest ab uno peccato mortali absolvere, quin absolvat ab omnibus, cum unum peccatum mortale non remittatur sine alio; cum igitur Confessarius inferior nequeat à reservatis absolvere, ut constat ex Trident. cit. sequitur etiam non posse absolvere à non reservatis præcisa necessitate, vel rationabili causa.

241 Addit tamen, ut diximus loc.cit. in aliquo casu maximæ necessitatis, etiam præter articulum mortis v.g. tuendi famam, vitam, vitandi scandalum, aut servandi præceptum annuæ Confessionis, supposito quod pro tunc non pateat aditus ad Superiorem posse pœnitentem absolvi ab inferiori, cum onere tamen adeundi Superiorem pro reservatis, quàm primùm opportunitas aderit. Verùm Auctores hujus communioris sententiæ rem non eodem modo declarāt. Aliqui enim dicunt inferiorem in tali casu posse absolvere pœnitentē per facultatem absolvendi directè, & per se à non reservatis, indirectè verò, & per accidens ab ipsis reservatis, sicut fieri solet ab oblitis, undè dicunt Sacerdotem peccatis reservatis obstrictum, si necessitatem habeat celebrandi, nec copiam habet Sacerdotis approbati pro reservatis, posse, & debere Sacerdoti non habenti facultatem reservatōrum peccata sua confiteri, ut directè à non reservatis, indirectè verò & consecutivè à reservatis absolvatur cum onere, & obligatione adeundi Superiorem pro absolutione directa reservatorum. Ità Suarez, Lugus, Coninchius, Amicus, Aversa, Bonacina, Poncius ex nostris, & alii Recentiores, & Summistæ passim. Alii verò dicunt, quod quando urgente necessitate inferior absolvit à non reservatis, dici non potest, quod pœnitens à Sacerdote sit absolutus directè, vel indirectè à reservatis, quia ex Trident. cit. caret jurisdictione ad sic faciendum, quare sententia ejus nulla esset, ac irrita, ideoque dicunt in tali casu peccata reservata deleri immediatè à Deo intuitu contritionis, vel absolutionem eorum fieri immediatè à Deo sine actuali ministerio Sacerdotis ratione gratiæ, quæ infunditur per absolutionem à non reservatis, non autem absolvitur Sacramentaliter, donec hoc fiat à Superiore, vel de ejus commissione, ità ex nostris discurrunt Aretinus 4.d.17. quæst. un.art.12. & Brancatus disp.19. cit.art.12. Primus tamen dicendi modus magis placet, ut diximus loc.cit. quia ut optimè inter alios discurrit Amicus disp.13.sec.10. nihil per hanc indirectam potestatem derogatur reservationi, sed solùm bono pœnitentis consulitur, ut in gravi casu necessitatis, quo ei non patet aditus ad Superiorem, remedio absolutionis non careat; recurrere enim ad actum contritionis cum secundo dicendi modo in his casibus nimis durum videtur, & arduum, quia actum contritionis elicere nostræ fragilitati est nimis difficile, undè per absolutionem Sacramentalem indirectam tutius necessitati pœnitentis subvenitur cum solo actu attritionis. Neque ob id ordo re-

ctæ

ctæ gubernationis perturbatur, & reservationi derogatur, nam semper pœnitens indirectè absolutus manet obligatus adeundi Superiorem, vel cui Superior suas commiserit vices ad petendam directam absolutionem pro reservatis, sicut præcepto Confessionis non derogat, quod quis contritione justificetur, quia adhuc justificatus, & per contritionem absolutus manet cum obligatione ad confessionem faciendam.

242 Quartò, quoniam hujus difficultatis cardo in hoc consistit, quomodo sola jurisdictio in non reservata sit sufficiens ad remittenda etiam validè reservata indirectè, hoc ità suaderi, & declarari potest, ut diximus loc.cit. nam talis jurisdictio etiam secundùm Adversarios sufficit ad remittendum indirectè peccatum reservatum oblitum, & reservatum putatum non reservatum, vel in Confessione omissum ex gravi, & rationabili causa; ergò in prædictis casibus necessitatis eadem jurisdictio in non reservata censeri debet sufficiens ad remittendum quoque indirectè reservatum, etiamsi cum non reservatis illud confiteatur. Consequentia est evidens, quia confessio reservati non minuit potestatem in absolvente, ideòque si illud ex justa causa omissum, vel ignoratum, vel inculpabiliter oblitum absolvi potest indirectè, & consecutivè, poterit etiam ut confessum, & in confessione expressum, quia non debet esse pejoris conditionis, qui peccatum reservatum confitetur, quàm qui illud ex causa omittit, ut ignorat esse reservatum, ut rectè discurrit Amicus l. cit. Neque obstat Trident. cit. in quo totam vim Adversarii faciunt, cùm dicit in casibus reservatis extrà articulum mortis nihil posse inferiores Sacerdotes; non enim per hoc negat directam potestatem in alia peccata, & consequenter indirectam in reservata; tùm quia eam potestatem negat inferioribus Sacerdotibus in reservata extrà articulum mortis, quam ibidem concedit in mortis articulo, sed in articulo mortis non concedit potestatem indirectam, sed directam; ergò hanc solam negat extrà articulum mortis. Nec etiam obstat ratio adducta pro opinione opposita, ut enim sententia in hoc foro sit validè lata coram Deo sufficit, ut sit à Judice aliquam jurisdictionem directam habente in personam pœnitentis, & aliqua ejus delicta ob essentialem connexionem remissionis unius delicti cum reliquis. Et ad replicam dicendum est, non satis esse ad absolutionem directam, ut peccata per Confessionem pœnitentis sint in hoc foro in judicium deducta, sed ulterius requiri directam potestatem, & jurisdictionem in illa, neque illud primum sufficit sine secundo.

243 Sed Dices, solam jurisdictionem in non reservata non sufficere ad remittenda etiam indirectè reservata, quia non potest Judex per jurisdictionem, quam habet in uno delicto, reum absolvere à cæteris, in quæ jurisdictionem non habet; ergò nec Sacerdos per jurisdictionem, quam habet in non reservata pœnitentem absolvere potest à reservatis, quia nulla potestas extrà suam sphæram se extendere potest. Respondetur cum Amico loc.cit. non esse parem rationem de potestate Judicis Forensis, & Pœnitentiarii, nam hic ratione modi, quo reum à delictis sibi subjectis absolvit, nempè per gratiam sanctificantem cuicunque peccato incompossibilem indirectam potestatem etiam habet in reliqua delicta, undè talia delicta non sunt omninò extrà sphæram talis potestatis absolutè sumptæ, sed tantùm extrà sphæram directam, atque ideò talis absolutio valida est, & Sacramentalis, confertque gratiam, & directè remittit peccata non reservata, indirectè verò, & consecutivè etiam reservata, ut patet à simili de Confessione, in qua si aliquod peccatum mortale per oblivionem omittatur, directè remittuntur peccata exposita in Confessione, indirectè vero remittitur peccatum oblitum. Cùm verò pœnitens opportuno tempore posteà Superiorem adit pro petenda absolutione directa reservatorum, tunc novum recipit Sacramentum, ac etiam effectum Sacramenti nempè gratiæ augmentum. Hoc autem intelligendum est, ut diximus l. c. quando casus reservatus non habet annexam excommunicationem, nam in tali casu inferior nullo modo potest pœnitentem Sacramentaliter à peccatis absolvere, donec Superior à censura absolvat, aut facultatem concedat absolvendi ab ea. Ratio est, quia excommunicatio major privat receptione Sacramentorum ex c. *si celebret* de Presbytero excommunicato, atque ideò donec pœnitens absolvatur ab excommunicatione, non est capax absolutionis Sacramentalis; quamvis non desint asserentes, etiamsi peccato reservato sit annexa excommunicatio, adhuc in casu necessitatis posse inferiorem Sacerdotem indirectè absolvere tali peccato cum onere petendi à Superiore absolutionem ab utroque. Ità Suarez, & Amicus loc.c. qui alios etiam citant.

244 Quintò, quamvis autem in prædictis casibus necessitatis absolutio à reservatis fieri possit prædictis modis; modus tamen regulariter absolvendi ab illis tutus, & magis usitatus est, quem assignat Faber noster disp. 27. cit. art. 3. num. 90. nimirum, quod pœnitens casibus reservatis irretitus pro absolutione obtinenda incipiat vel à Superiori, vel ab inferiori; si à Superiori, debet eum adire, ut ei facultatem concedat confitendi inferiori reservata, ut ab eo absolvi possit, neque in tali facultate, & licentia concedenda debent Superiores esse difficiles, ne gravissimum, & odiosum reddant confessionis Sacramentum, imò graviter peccant Superiores, ut dictum est art. præced. si sine justa causa difficiles se præbeant in concedendis licentiis pro absolutione reservatorum; debent tamen personis peritis, & circumspectis casus suos committere, quod communiter in omnibus Episcopatibus servari solet, ubi unus vel plures Pœnitentiarii deputantur; si autem vellit pœnitens ab inferiori incipere, qui modus adhuc est usitatior, & magis in praxi, debet inferiorem adire, ac ei detegere se aliquo casu reservato obstrictū esse, ut ipse Sacerdos facultatem Superiori postulet absolvendi à reservatis, vel à tali aut tali casu non manifestata pœnitentis persona, vel etiam si melius videbitur, potest coram eo omnia sua peccata confiteri tam reservata, quàm non reservata, & tūc Sacerdos antequam absolvat à peccatis, facultatem procurare absolvendi à reservatis, qua obtenta absolvat ab omnibus. Hic, inquam, modus absolvendi à reservatis est cæteris melior, & tutior, quia hic adest integritas confessionis, & absolutionis, & auctoritas jurisdictionis super omnia peccata, undè nulla intervenit dubitatio, nec errandi periculum, & est doctrinæ Scoti conformior, qui 4. d. 15. docet nullo modo confessionem esse dimidiandam, sed eidem Sacerdoti, & de omnibus esse faciendam. Undè omninò falsum est, & reiiciendum, quod aliqui antiquiores dixerunt, peccata non reservata confessario inferiori, & ordinario confitenda esse, à quibus absolvi debeat; reservata verò Superiori, à quo similiter de illis absolvatur; & ex istis duabus Confessionibus, & absolutionibus unum integrari Sacramentum, quia uterque est Minister Dei, qui est unus, licet Ministri sint plures. Hoc inquam, est omninò reiiciendum, ut penitus irrationabile, quia ut ait Faber loc.cit. hìc non solùm integritas Confessionis non intervenit, sed neque absolutionis, quorum utrumque est de jure divino; & ratio adducta nulla est, imò potius oppositum concludit, nam sicut Deus est unus; ità etiam voluit, ut respectu unius Sacramenti esset unus Minister, & Judex, cui integrè omnia peccata judicanda committantur, & ab eodem omnia absolvantur.

245 Postremò, quæ, & qualis esse debeat licentia particularis obtenta à Superiore pro absolutione à casibus reservatis, ut sit valida, communiter docent Doctores esse debere specialem, & expressam pro absolutione à reservatis, & non sufficere licentiam generalem eligendi sibi Confessarium alicui pœnitenti concessam, sive licentiam audiendi confessionem alterius alicui Sacerdoti concessam; ita enim declaravit Bonif. VIII. c. 2. de pœnitentiis, & remissionibus in 6. undè nisi in tali licentia specialis fiat mentio de casibus reservatis, licentia intelligetur tantùm de iis peccatis, à quibus alii communes Confessarii absolvere possunt. Imò addit Navarrus in Summa cap. 17. debere etiam licentiam esse specificam, & expressam de casibus habentibus censuram annexam, undè si Prælatus absolutè dicat se concedere alicui licentiam de casibus sibi reservatis, ait non intelligi de casibus habentibus censuram annexam, quia censura non est casus, sed pœna casus; tum quia ipse Summus Pontifex in Jubilæis, & similibus indultis hoc solet distinctè, & specificè exprimere. Verùm ut notat Aversa quæst. 17. cit. sect. 7. hoc dependet ex usu, & stylo cujuscumque Diœcesis, & singulorum Prælatorum, quo suam mentem, & intentionem exprimere solent; qui enim consuetus esset in his licentiis concedendis distinguere, & separare casus habentes, & non habentes annexam censuram & quandoque hos sine illis concedere, tunc quando non explicat casus annexam censuram habentes, eos concedere non censebitur. Qui verò omnes suos casus indistinctè proponere soleret, & in occasione concedere, censebitur etiam omnes concedere, nisi aliquam exceptionem faciat, nam sub nomine ipso casuum etiam censuræ ipsæ comprehendi possunt, & solent. Denique certum etiam est respectu personæ pro qua petitur, & obtinetur licentia, quod quando à Superiore conceditur pro tali certa persona, pro alia deservire non potest, benè tamen si Confessarius petat, & obtineat licentiam à Prælato pro absolutione cujusdam pœnitentes vagè, & indefinitè non designando personam. Dubium tamen est, an possit idem qui petiit, uti hac licentia pro seipso, ut se faciat absolvi ab alio Confessario, & quidam affirmant, ut Alphonsus de Leone, Diana, Villalobos, Floronus, & alii. Sed in hoc puncto cum distinctione procedendum est, ut ait Aversa loc.cit. si enim Prælatus Confessario dicat hanc licentiam petenti, se eam illi concedere ad absolvendum quemdam pœnitētem, non poterit Confessarius ea uti pro seipso, ut nimirum faciat se ab alio absolvi, quia Prælatus hanc auctoritatem absolvendi determinatè ipsi Confessario contulit, qui

pro-

proindè eam auctoritatem in alium Confessarium transferre non potest ad absolvendum alterum pœnitentem, nec consequenter, ut seipsum absolvi faciat. Si autem petatur, & concedatur licentia à Prælato, ut quidam pœnitens possit facere se absolvi ab aliquo Confessario, tunc utique ipsemet petens tali facultate pro se uti poterit, ut se absolvi faciat, quia licentia vagè concessa est pro pœnitente, & pro Confessario, & per accidens se habet, quod petens ipse sit Confessarius, alia plura de casuum reservatione videri possunt apud Brancatum nostrum disp. 19. cit. art. 11. & 12.

QUÆSTIO DECIMA.

De Sigillo secreti in Confessione servando.

246 DE hac materia latè tractavimus lib. 4. sent. disp. 5. quæst. 20. ubi ab initio diximus sigillum secreti apud Theologos metaphoricè obligationem illam significare, quia secretò teneri debeat res ex Sacramentalis Confessione cognitæ, sicut clausa esse solent, quæ sigillo consignata sunt, & quidem cum tanto rigore obligat hoc sigillum, ut communiter Theologi asserant, non licere Sacerdoti, qui Confessione excepit, ex quacumque gravissima causa, nec etiam ob periculum suæ vitæ, imò nec ob periculum totius Civitatis, & Reipublicæ, aut quodcumque particulare, vel commune damnum vitandum, & impediendum, confessionem revelare, & ea manifestare, quæ in Confessione audita sunt, & cognita. Ratio autem hujus præcepti, & arctissimæ obligationis ex ipsa hujus Sacramenti institutione pendet, cùm enim hoc Sacramentum sit institutum, ut medium necessarium ad salutem pro universa Christiana Republica, ejus utilitas cuilibet bono privato, ac etiam publico totius Regni est præferenda, hæc autem utilitas ex talis præcepti observatione dependet; nam si scirent homines posse in aliquo casu sua peccata confessa revelari, statim confessio redderetur odiosa, & ab ea retraherentur, nam probabiliter suspicari possent in aliis etiam casibus similibus id licere; in hac igitur quæstione videndum est, qualis, & quanta sit hujus præcepti obligatio, & undè oriatur, & an in aliquo casu confessio pœnitentis revelata possit, quod breviter expediemus repetendo ibi dicta ad moralitatem spectantia.

ARTICULUS PRIMUS.

Quo jure obliget sigillum confessionis, quos obliget, & ad quas res cælandas.

247 PRIMÒ quoad primam quæstionis partem Scotus 4. d. 21. qu. 2. in corpore quæstionis docet obligationem hujus sigilli triplici jure contineri, nempè naturali, divino, & humano; naturali quidem, quia manifestando ea, quæ ex confessione sunt cognita, violantur aliqua naturalia præcepta. Primum est charitatis fraternæ: *Quod tibi non vis, alteri ne feceris* Matth. 7. ubi dicitur *omnia quæcumque vultis, ut vobis faciant homines, hoc facite illis, &c.* Sed quilibet secundùm rectam rationem debet diligere famam propriam, & secretum peccati sui confessi; ergo confessor debet idem velle confesso; quia revelatio tolleret famam ejus. Alterum est fidelitatis, quilibet enim de lege naturæ tenetur fidelitatem servare proximo suo, quam vellet, & deberet velle sibi servari. Sed committens maximum secretum alteri vellet sibi servari tanquam secretum; ergo &c. & per fractionem hujus sigilli violantur etiam quædam alia præcepta naturalia loc. cit. explicata. Deindè inquit Doctor ibidem lit. F. etiam jure divino positivo hanc obligationem urgere, quia hoc ipso, quod Christus instituit, & præcepit confessionem peccatorum fieri, censetur etiam instituisse, & præcepisse illam eo modo, quo possit commodè ab ipsis hominibus illorum natura, & conditione spectata, usurpari; ad hunc autem modum inter cætera illud quoque secretum earum rerum, quæ in Confessione aperiuntur, maximè pertinet, nam si ea, quæ sunt in confessione dicta, vulgare liceret, homines communiter à confessione facienda detererentur, & Confessio maximè odiosa fieret, nullaque ex ea orirentur pax, & conscientiæ serenitas, quæ tamen sunt præcipui Pœnitentiæ fructus, ut docet Concil. Trident. sess. 14. c. 3. sed potius mentis inquietudo in ipso pœnitente, & continuus timor, ne Confessarius peccata sua in Confessione manifestata revelaret. Denique inquit Doctor obligationem sigilli etiam ex jure Ecclesiastico oriri, ut patet ex cap. *Omnis utriusque sexus de pœnit. & remiss.* ubi depositionis pœna, & perpetuæ pœnitentiæ in arcto Monasterio peragenda constituitur iis, qui hoc sigillum violarent; idem patet ex Canon. *Sacerdos de pœnit. d. 6.* in quibus capitibus id non decernitur tanquam novum jus, sed tanquam antiquum, & semper observatum. Ex quibus patet sigilli fractionem esse peccatum detractionis, infidelitatis, & sacrilegii, licet diversa ratione, nam quatenus est contrà præceptum divinum, & humanum est peccatum sacrilegii, quia hæc præcepta obligant peculiari ratione, qua tenemur hoc præstare in materia, & re sacra ad virtutem Religionis spectante; præceptum verò naturale solùm nos obligat ad servandum secretum sub illa generali ratione, qua tenemur esse fideles in servando depositio, & alterius famam tueri, & in fractione sigilli hæc peccata committuntur, etiamsi detegatur peccatum solùm veniale, quia semper fit gravis injuria Sacramento, qua de causa Suarez, Navarrus, Reginald. Henriquez, Bonacina, & alii Morales dicunt in hac re non dari parvitatem materiæ à peccato mortali excusantem, præsertim cùm ex manifestatione cujuslibet rei in Confessione auditæ gravia sequi possint incommoda, & confessio reddi odiosa, & onerosa.

248 Secundò inquit Doctor loc. cit. obligationem cælandæ Confessionis esse ad semper, & pro semper, quia est præceptum negativum, undè non magis licet post mortem confessi revelare confessionem, quàm eo vivo, adeout nunquam liceat Confessario peccatum aliquod in Confessione auditum etiam post mortem ipsius pœnitentis ullo modo revelare contrà quosdam Canonistas apud Covarr. lib. 4. Decret. part. 2. cap. 8. qui dicebant licere Sacerdoti revelare confessionem pœnitētis post ejus mortem, quando id esset necessarium, ut ad impediendum matrimonium nullum, vel publico bono id expediret. Per quod etiam reiicitur error quorundam Politicorum dicentium hujus sigilli obligationem in quocumque casu servandi publico bono obstare; tantum enim abest, ut hujus obligatio sigilli publico bono noceat, quin potius maximè ad illud conferat, ut enim prudenter discurrit Abellius cap. 5. cit. *de Pœnitentia* sect. 20. supponamus, inquit, perditum aliquem hominem proditionem Reipublicæ, aut simile quidpiam facinus enormiter molliri; nulli dubium est, quod si credat Confessarium licitè posse peccatum illud suum in Confessione auditum revelare, nunquam hoc illi in confessione manifestabit, ne periculo vitæ exponatur, & sic in perversa voluntate perseverabit; ubi è contra, si de Confessionis sigillo inviolabiliter servando in quocumque casu existeret; pondus conscientiæ suæ in sinum Confessarii libentius exoneraret, piisque illius monitis, ac consiliis ab impio illo facinore deterreri posset; & hanc Scoti doctrinam de obligatione sigilli Confessionis non solùm sequuntur Faber, Aretin. Hiqueus, Poncius, Hiribarnes, Brancatus, & alii Scotistæ antiquiores Bassolius, Tataretus, Almainus, sed etiam Recentiores ferè omnes; qui etiam omnes in hoc conveniunt, sigillum istud, & hujus sigilli servandi obligationem oriri ex sola Confessione Sacramentali; & ex quacumque tali, licet absolutio, sivè ex defectu potestatis in Confessario, aut dispositionis in pœnitente, sivè ex alia quacumque causa non conferatur, dummodo pœnitens eo animo Confessionem illam faciat, ut peccata sua Ecclesiæ clavibus subiiciat, undè obligatio sigilli non oritur ex confessione, quæ non fit intentione Sacramentali, hoc est, animo se accusandi in hoc foro, & peccata sua clavibus Ecclesiæ subiiciendi. Et tandem addunt observanda esse verba Concilii Lateranensis in citato decreto dicentis: *Confessarium, omnino cavere debere, ne verbo, aut signo, aut alio quovis modo peccatorem prodat*, his enim verbis significat Confessarium ità se gerere debere, ut audita confessione non modò ex verbis suis licet generatim dictis, aut quibuscumque signis, vel nutibus; sed etiam ne ex pœnitentia aliqua, & satisfactione pro peccatis occultis minus considerate imposita alii coniicere possint, hoc vel illud peccatum speciatim, aut generatim aliquod grave delictum perpetrasse.

249 Tertiò quoad aliam quæsiti partem Doctor loc. cit. sub lit. H. breviter docet non modò Sacerdotem, sed etiam alium quemcumque qui quovis casu ex Confessione, vel Confessario aliquod peccatum cognovit, teneri jure divino id celare, licet non adeo strictè, ut ipse Sacerdos, inter hoc autem numerari solent, primo Interpres Confessionis, si hæc fortè fiat per Interpretem; secundò qui casualiter, vel ex industria confessionem audit; tertiò qui se fingit Sacerdotem, & confessionem audit; quartò is, à quo consilium confessarius petit, quintò is, cui injustè pœnitentis confessio à Sacerdote revelata fuit. Ratio hujus asserti est, quoniam obligatio cælandi ea, quæ ex confessione Sacramentali cognita sunt, tam latè patet, vel patere debet, quàm est necesse, ut Religio, & hujus Sacramenti usus inter fideles cōmodè conservari possit. At propter istum finem omninò opus est, ut quicumq; alii etiam præter Sacerdotem quidpiam secretò ex confessione cognoscunt ad hoc sigillum teneantur; ergo ad omnes enumeratos sigilli obligatio se extendit; tùm quia secundùm

dùm regulam juris res ad quemcumque perveniat, cum onere suo transit, ut habetur cap. *Pastoralis* de decimis; ergo ad quoscumque peccatorum alienorum notitia via Confessionis perveniat, ad illos etiam transit eadem obligatio servandi sigillum. Diximus autem non adeò strictè teneri alios hoc sigillo, ac ipsũ Sacerdotem, quia Sacerdos, sicut hujus Sacramenti minister, multò magis tenetur ad ea, quæ ad ejus conservationem sunt necessaria; tùm quia confessio apud alios non est Sacramentalis, sicut apud illum, tùm tandem quia Sacerdos ad id etiam tenetur speciali jure humano, & sub peculiaribus pœnis, quæ non sunt aliis similiter decretæ, & impositæ. Si verò loquamur de Prælato, quando ab eo licentia petitur ad absolvendũ aliquem à peccato reservato, in dubium est obligari sigillo, velut Sacerdotem ipsum, quia per talem actum tunc causa ad ipsum defertur, tanquam ad Judicem Superiorem petendo ejus delegationem, ibique reperitur etiam quidam usus clavium in hoc foro; atque ideò tenetur ad sigillum, sicut ipse Sacerdos; & idem quoque dicendum, quando etiam Prælatus casum reservatum non audiret ad absolvendum Sacramentaliter, sed tantùm pœnitentiam imponeret, & inferiori absolutionem remitteret; & ratio est, quia ad obligationem sigilli inducendam cum hoc rigore sufficit, quod res in hoc foro alicui dicatur, & deferatur, ut Judici potestatem Clavium habenti in ordine ad inchoandam, vel consummandam Confessionem.

250 Quartò è contrà ad hoc sigillum non tenentur illi, coram quibus pœnitens scienter confitetur, quando nimirum ex sua electione ad exercitium humilitatis, & piæ confusionis vult coram aliis confiteri, sic enim faciendo suam dirigit locutionem, non solùm ad Sacerdotem per modum locutionis, sed etiam ad astantes per modum humiliationis, in tali casu, inquam, adstantes non ligantur sigillo, quia pœnitens ipse intendit illis sua manifestare peccata, quæ manifestatio terminos Sacramentalis confessionis egreditur; imò neque confessarius ipse, tanquam unus ex illis adstantibus tenetur, benè tamen, ut Confessarius; si verò Confessio esset publica tantùm per accidens, & non ex intentione pœnitentis, ut quando ex aliquo præsenti impedimẽto peccata sua veniunt in notitiam aliorum, qui non longè distant, sicut quando plures tempore pestis in eodem cubiculo detinentur, vel incendio, aut naufragio, tunc quidem omnes eodẽ sigillo ligantur, ut suprà dictum est. Neque ad hoc sigillum tenetur laicus, cui in extrema necessitate fit confessio devotionis gratia, licet teneatur ad secretum naturale; ratio est, quia hujus sigilli obligatio oritur ex omni, & sola confessione Sacramentali, ut dictum est, cùm ergò Minister, cui sunt commissæ claves Ecclesiæ, sit solus Sacerdos, confessio facta Laico non potest esse Sacramentalis, ut Faber advertit disp. 34. cum Suar. disp. 33. sec. 2. contra quosdam oppositum sentientes. Nec obstat, quod pœnitens intendat esse Sacramentalem, quia intentio pœnitentis non potest facere Sacramentale, quod non est ex se tale, cùm hoc sit munus solius Dei, & si aliter ipse opinetur, est ignorantia legis divinæ, quæ nullam potest audienti imponere obligationem, nisi secreti naturalis. Neque hoc sigillo ligatur, qui cartam invenit, in qua pœnitens sua peccata scripsit ad confessionem faciendam, quamvis enim nonnulli oppositum sentiant, communior tamen, & probabilior opinio affirmat non teneri, nisi ad secretum naturale; & ratio est, quia illa Scriptura nullo modo est confessio adhuc inchoata, sed valdè remotè, & tantùm est materia confessionis præparata, ut facilius confessio fiat. Ità Suarez, Coninchius, Lugus, Granadus, Meratius, Tannerus, Caspensis, Layman, Aversa, & alii. Tandem affirmat communis opinio, quod licet hæc obligatio sigilli extendatur ad eos, quibus Confessarius injustè peccata revelasset, ut suprà dictum est, non tamen ad eos, quibus justè de licentia pœnitentis, sed neque talem revelationem etiam de licentia pœnitentis justè fieri posse mox dicemus.

251 Quintò est difficultas, an possit confessarius de licentia pœnitentis revelare ejus confessionem, & personam. Prima opinio affirmat, quæ dicitur esse D. Thomæ 4. d. 21. quæst. 3. art. 2. & est communis apud Recentiores, ut est videre apud Suarez disp. 33. sect. 5. Aversam quæst. 18. sect. 7. & alios, quam etiam sequitur ex nostris Poncius disput. 46. quæst. 13. Fundamentum est, quia licitum est unicuique renunciare juri suo; ergò confitenti, cùm jus suum sit peccatum suum cælari, licet huic juri renunciare licentiando confessarium, ut illud cælare non teneatur. Secunda opinio negat, quæ est Scoti 4. d 21. qu. 2. in solutione ad primum principale, ubi ait non licere pœnitenti dare licentiam Confessario ad sigillum confessionis aperiendum, & peccatum in eo foro auditum manifestare, & ut licitè id Confessarius facere possit, debere illud ei extrà confessionem aperire, quæ etiam fuit sententia Alensis, Durandi, Majoris Aureoli, D. Bonaventuræ, Riccardi, & omnium Scotistarũ, tàm veterum, quàm Recentiorum, quæ opinio, ut fusè, & ex professo demonstramus quæst. 20. cit. art. 2. est probabilior prima, utpotè magis fundata in ratione, & lege hujus Sacramenti, undè Auctorés primæ sententiæ non videntur consequenter loqui, dùm dicunt sigillum Confessionis esse intuitu Sacramenti etiam de lege naturali divina, & non solius pœnitentis, & postea hoc non obstante asserunt posse tolli hoc sigillum per voluntatem pœnitentis. Probatur autem hæc sententia Scoto loco citato, ratione efficacissima, fundamentum Adversariorum directè destruente: sigillum secreti, & lex de illo inviolabiliter servando non est introducta in favorem, & gratiam solius pœnitentis, sed ex jure totius Ecclesiæ, & communitatis, & ex reverentia hujus Sacramenti, & ex his tenetur Sacerdos specialiter ad sigillum Confessionis neque quoad hoc subest pœnitenti; ergò de licentia solius pœnitentis nequit peccata confessa revelare, nec pœnitens potest huic juri cedere; sicut à simili nequit Clericus renunciare privilegio Canonis *si quis suadente*, neque privilegio exemptionis à jurisdictione temporali, quod conceditur ob bonum status Ecclesiastici, & subdere se temporali judicio, sunt enim hæc privilegia introducta in favorem totius Ecclesiæ, ac status Clericalis, non verò in favorem tantùm hujus, vel illius Clerici.

Confirmatur, quia obligatio sigilli non est tantùm in favorem pœnitentis, sed principaliter intuitu Sacramenti, ne reddatur odiosum, & nimis onerosum, imò favor ille intantùm ad pœnitentem spectat, inquantùm secretum Sacramenti ex lege naturali, & positiva divina, & humana est inviolabile; at harum legum dispensatio non subest pœnitenti, neque Confessarius ex sola licentia pœnitentis potest ab his vinculis liberari, quia pœnitens non est suprà has leges; ergò non potest ex sola licentia pœnitentis dispensari, ut ei liceat aperire sigillum. Denique quia si sigillum violaretur sine licentia pœnitentis, non solùm in tali casu jus pœnitentis violaretur, sed etiam totius Communitatis, quia redderetur hoc Sacramentum odiosum, & contemptibile, quod plurimum Ecclesiæ, & communitati noceret; ergò non solùm obligat sigillum ex jure pœnitentis, nec solùm in ejus favorem, & gratiam hæc lex constituta est, sed etiam communitatis, & reverentię Sacramẽti intuitu. Varias Adversariorum responsiones rejectas, & objectiones solutas vide l. c. ubi fusè de hoc puncto disserimus.

252 Sextò quoad ultimam quæstionis partem, scilicet, de quibus rebus cælandis in Confessione auditis obliget hoc sigillum, ait Doctor loc. cit. lit. L. tria præsertim sub hoc sigillo cadere, scilicet, peccatum, circumstantiam peccati, & tertiam personam, quæ fuit socia criminis pœnitentis. Itaque materia hujus sigilli seù res, quæ sub hoc sigillo cadunt, sunt in primis omnia peccata non tantùm mortalia, sed etiam venialia, quia peccatum veniale detectum licet parum infamiæ, vel damni afferret pœnitenti, gravem tamen injuriam inferret Sacramento, quia etiam talis peccati revelatio posset displicere pœnitenti, & sic illum retrahere ab eorum confessione, quæ etiamsi necessaria non sit, est tamen valdè utilis ad se conservandum in gratia Dei, & ad proficiendum in vita spirituali. Hoc tamen notant Theologi discrimen inter peccata mortalia, & venialia, quod mortalia non solum in specie, sed etiam in genere sub sigillo cadunt, venialia verò in specie, non in genere; undè Confessarius, qui diceret pœnitentem peccata venialia confessum fuisse generatim loquendo, non descendendo ad species, non faceret contrà sigillum secreti Sacramentalis, quia certum est confitentem a l minus venialia confiteri debere, quia confessio sine materia saltem peccati venialis consistere nequit. Deindè sub hoc sigillo cadunt quoque peccatorum circumstantiæ, quæ sunt necessariò confitendæ, quia variant speciem peccatorum, vel faciunt peccata diversa, & ideò qua ratione opus est peccata tacere, eadem quoque ratione circumstantias peccatorum. Tandem etiam peccatum complicis cadit sub sigillo confessionis, sivè pœnitens potuerit suum confiteri peccatum sine expressione socii, vel complicis, sivè non; idque suadet Doctor loco citato, quia rationes suadentes non debere revelari personam pœnitentis, probant pariter non debere revelari personam complicis, quia pœnitens ità famam socii criminis servare debet, sicut propriam, undè si persona complicis à Confessario manifestari posset, plurimi à confessione averterentur, vel in ea non manifestaretur, & sic esset occasio non faciendi integrè, & fideliter confessionem, qua de causa jam suprà diximus de integritate Confessionis agentes, Confessarium ità sub sigillo obligari ad cælandum peccatum complicis, sicuti principalis, siquidem interdum plus displicet pœnitenti manifestare complicem, quam se ipsum, quarè si ipsum in confessione manifestat, vel plus, vel saltem æqualiter vult cælari seipsum & complicem. Quandò verò complex indiget correptione, debet Confessarius curare, ut pœnitens ipse eam per se faciat, vel pœnitentem obligare ut sibi extrà confessionem personam complicis

plicis revelet, dummodò nullum sequatur scandalum, aut irreverentia Sacramenti, aut fractio sigilli, ut Doctores communiter advertunt.

253 Septimò ob eandem rationem ulterius Doctores communiter dicunt, etiam defectus, sivè acquisitos ipsius pœnitentis, qui non aliter quàm per confessionem innotescunt, sub illius sigillum cadere, quandò nimirum occasione peccati, sivè ad ejus declarationem in Confessione interdum manifestantur, ut pœnitens manifestet se esse illegitimum, & quamvis Vasq. qu.97. art.4. dub. 3. censeat non cadere propriè sub Sacramentale sigillum, sed solùm sub naturale secretum. Communior, & probabilior opinio, ut diximus loc. cit. affirmat cadere quoque sub Sacramentali. Ità Soto, Suarez, Coninchius, Bonacina, Aversa, Caspensis, & alii, & ratio est, quia alioquin fieret odiosa confessio, imò magis odiosa, quàm ex revelatione peccati; potius enim vellet pœnitens sua peccata revelari quàm hujusmodi defectus; quarè universaliter loquendo omnes defectus morales, sivè civiles, sivè naturales, qui redderent manifestari pœnitentem odibilem, vel aliquo modo minoris existimationis cogniti per Confessionem obligant sub sigillo ob rationem allatam, quia nimirum revelatio illorum redderet Sacramentum odiosum; & appositè dicitur *cogniti per confessionem*, nam si alia via cognoscerentur à Confessario, hæc secunda cognitio non obligat ad sigillum, sed adhuc cavere debet, nè dicat se audivisse etiam per Confessionem, Aliæ verò conditiones, seù qualitates pœnitentis, quæ non sunt peccata, neque defectus morales civiles, vel naturales, quæ non reddunt pœnitentem vilem, seù minoris æstimationis, etiamsi in Confessione sint cognitæ ad Confessionis sigillum non obligant, nisi sub sigillo dicantur, & specificentur; & ratio est, quia non præsumuntur dici, ut secreta naturalia, neque reddunt Sacramentum odiosum. Et tandem ut in hoc, regula habeatur universalis, obligatio sigilli non modò ad ipsa peccata pertinet, sed etiam ad quicquid aliud in Confessione cognitum, cujus propalatio possit per se confessionem reddere gravem, & odiosam, atque etiam quicquid est hujusmodi secretò servandum erit, nam ex ejus revelatione violaretur sanctitas Sacramenti per hoc, quod exponeretur contemptui, quantum est ex vi hujusmodi manifestationis; opera verò bona, & virtutes ipsius pœnitentis sub tali sigillo propriè non cadunt, quamvis aliundè Confessarius juxtà intentionem ipsius pœnitentis secretum ipsi servare teneatur.

254 Postremò quæritur, quomodo debeat respondere confessarius, quandò interrogatur de peccatis in confessione auditis, etiamsi sub juramento, & à Judice interrogetur. Respondetur, ut dictum est art. cit. in fine, posse, & debere etiam cum juramento negare ea se scire, quia semper interrogatio præsumitur fieri de rebus humano modo notis, & an sciat tale peccatum ea scientia, quæ deservire potest ad illud dicendum, de qua scientia homines interrogare solent. Quod si interrogans injustè urgeat, & sensum interrogationis determinet, & petat, an noverit in confessione pœnitentem illud peccatum commisisse; communis sententia affirmat posse, & debere etiam cum juramento respondere, se id ex confessione nescire, sub intellecta restrictione, *ut possit aliis dicere*, quia licet non possit semper homo respondere interrogationi Judicis cum tali limitatione, aut restrictione in mente, quandò nimirum est justè, ac legitimè interrogatus; benè tamen potest in hoc casu, in quo adest justa, & rationabilis causa ad sic negandum, etiamsi interrogans ea responsione decipiatur cùm illicitè interroget, undè sic æquivocando cum restrictione mentali non mentietur, nec consequenter pejerabit, si juraverit se non audivisse. Alii verò, quibus non satis placet illa jam communis sententia, quod liceat æquivocare cum restrictione mentali, quando quis non est legitimè interrogatus, quia adhuc mentiretur; dicunt Confessarium si interrogatum debere alio modo evadere, & dicere, quod non tenetur respondere de rebus ad forum conscientiæ pertinentibus & quod non respondebit, etiamsi mortem subire deberet. Ità Paludanus, Soto, & alii quos sequitur Poncius disp.46.cit.q.12. n.156. Attamen à communi recedendum non est, ut diximus l. c. quam expressè etiam docuit Scotus 4.d.21.q.4. propè finem, ubi ait Sacerdotem interrogatum de peccato in Confessione audito dicere debere, nihil mali scio istum fecisse, quia loquitur, ut in publico, audivit autem in alio foro, & sic etiam sentiunt Faber disp. 34.cit.c.3. Aretinus dist.21.q.2.a.13. & alii Scotistæ passim, qui proindè dicunt Sacerdotem in tali casu non mentiri.

255 Quæres, an etiam pœnitens ad sigillum teneatur respectu eorum, quæ Confessarius ipsi dixit, vel injunxit in hujus Sacramenti administratione. Respondent Theologi communiter negativè, quia Canones sigillum Confessionis præcipientes de solo Confessario loquuntur, de pœnitente verò nec verbum quidem. Addunt tamen quod licet sigillo Sacramentali non obligetur, lege tamen naturali tenentur ad secretum servandum, quando ex illius revelatione aliquod damnum ipsi Confessario immineret, & quando etiam sine ulla rationabili causa, contra ejus voluntatem explicitam, vel implicitam id fieret. Si tamen Cõfessarius adeò improbus esset, ut in tali foro & Tribunali pœnitentem ad aliquod peccatum sollicitare auderet, tunc posset, & deberet illum ad Superiores denunciare, quia ex tali silentio pluriũ aliorũ pœnitentiũ ruina sequi posset, quos Cõfessarius ipse ad peccandũ induceret, ut patet ex Bullis editis cõtrà sollicitantes in Confessione à Pio Quarto, à Paulo Quinto, & Gregorio XV.

ARTICULUS SECUNDUS.

An absque violatione sigilli possit Minister uti scientia per Confessionem habita in aliis negotiis, & factis.

256 PRimò negant quamplures, ut diximus quæst.20.cit. art. 3. in ullo casu unquam licitum esse Confessario ad actus externos uti scientia, & notitia habita ex confessione, undè consequenter inferunt negari non posse suffragium indigno ex sola confessione cognito, nec Superiorem amovere subditum ab officio etiam aliàs voluntate Superioris amovibili, & universaliter aliquid ex tali notitia facere, vel omittere, quod aliàs Confessarius facturus, vel omissurus non esset, etiam ad vitandum quodcunque damnum. Undè si Confessarius à pœnitente aliquo agnoscat, sibi ab eo cum aliis paratas fuisse insidias ad occidendum eum in via, vel immissum fuisse venenum in vino ad celebrandum præparato, ideoque si declinet ab eo itinere, vel celebrare recuset, socii delicti participes coniiciant, vel coniicere possint notificans ei fuisse in illa Confessione à socio facta insidias, asserit hæc sententia in tali casu, non esse licitum Confessario ea Confessionis scientia uti ad evitandam mortem fugiendo, vel non celebrando; sed omninò debere mortis periculo se subiicere, quia se morti exponit propter causam justam, scilicet, ne confessionem revelet, & si moritur, ut martyr moritur. Ità Lugus, Aversa, Amicus, Hurtadus, Caspensis, Layman, & Diana part. 5. tract. 11. resol. 96. ubi plures alios citat. Fundamentum præcipuum, & unicum hujus sententiæ est, quia hoc divinum Sacramentum, quod in animarum salutem est institutum, tanquam secunda tabula post naufragium, redderetur hominibus exosum, & nimis grave, si pœnitentes existimarent, posse amoveri ab officiis, & sibi negari suffragia, & alia incommoda subire ob notitiam in Confessione habitam. Neque ad hoc opus esse dicunt, quod pœnitens sciat, aut suspicetur id fieri occasione Confessionis, in quo casu omnes admittunt esse contrà sigillum; sed sufficit, quod homines antecedenter sciant, Confessarios posse uti illa scientia in Confessione habita, nam eo ipso à Confessione retraherentur, & redderetur illis nimis gravis, & onerosa, quod planè contrà animarum salutem resultaret, & contrà honorem, & reverentiam huic Sacramento debitam. Hoc etiam confirmant ex Bulla Clementis VIII. quam motu proprio pro Regularibus edidit anno 1591. die 26. Martii, in qua præcipit, ne Confessarii ad Superioritatis gradum evecti scientia de aliorum peccatis in Confessione habita utantur ad externam gubernationem, de quali licet ibi præcisè loquatur, tamen ex ejus verbis necessariò colligitur, idem in aliis quoque materiis dicendum esse.

257 Secundò affirmant plures alii, posse Confessarium uti scientia ex Confessione habita, convenient diligentia, & prudentia adhibita; quando id expedit propter bonum proprium, vel pœnitentis, vel communitatis, vel alterius innocentis, tam spirituale, quàm temporale, dummodò sigillum confessionis directè, vel indirectè non violetur, & scandalum omninò vitetur, & ratio est, quia hujusmodi usus non est contrà sigillum Confessionis, ut supponitur, nec aliundè habet malitiam adjunctam; ergò est licitus. Ità D. Th. hìc qu.11. art.1. ad.3. & D. Bonav. d. 22. par. 2. art. 2. quæst. 1. Scot. d. 22. cit. qu. 2. in solutione principalium, ubi exactissimè præ aliis agit de hac re, quem sequuntur Scotistæ omnes jam citati, & ex Recentioribus, Suarez, Vasquez, Coninchius, & Bonacina, qui plures alios adducunt; quæ sententia valdè probabilior, & mitior censeri debet, quia si usus ille absque periculo revelationis directè, vel indirectè, explicitè, vel implicitè non esset licitus; sequeretur Confessarium in confessione audientem sibi insidias parari venenum, & mortem, non posse ea vitare modis, & viis debitis, quibus devenire non possit ab aliis in probabilem notitiam auditæ Confessionis; neque debere abstinere in confitendo alicui, quem in Confessione scit non esse Sacerdotem, & alia similia, quæ licet omnia gratis à contraria sententia admittantur, valdè tamen dura videntur, & aspera. Quoniam verò totus difficultatis cardo in hoc consistit, quomodo id fieri possit sine revelatione confessionis directa, vel indirecta, seù explicita, vel implicita, Doctor loc. cit. in solu-

in solutione ad 3. principalè regulam hanc generalem assignat, quod quotiescunque signum natura sua non est expressivum per se peccati confessi, sed de se indifferens ad significandum peccatum confessum, aut non confessum, etiamsi aliquibus ex aliquo supposito sit magis determinatum ad significandum peccatum confessum, non est signum per se revelativum Confessionis, nec explicitè, nec implicitè, nam facta possunt esse signa æquivoca, quia diversimodè à diversis concipi possunt, ad hoc, vel illud significandum, & potest ex tali æquivocatione contingere temerarium judicium, & falsa præsumptio, atque ideò ait Doctor, quod tale signum non debet reputari revelativum confessionis, nisi per se, & ex natura rei prodeat peccatum confessum, aliàs enim talis peccati proditio esset omninò per accidens.

258 Tertiò hinc posteà deducit Doctor, quod Confessarius ad vitanda pericula sibi, vel aliis imminentia, post auditam Confessionem potest uti quocunque facto, dicto, vel signo, dummodo non sit determinatè ex natura sua manifestativum peccati confessi, sed sit signum æquivocum, & indifferens à pluribus motivis procedere potens; nam revelatio confessionis est illa manifestatio, qua venitur in notitiam determina æ personæ, sivè facto, sivè dicto; quarè cum per signum indifferens in talem cognitionem non deveniatur; positio talis signi indifferentis revelatio confessionis censeri non debet, sed alia humana actio. Si ergò Confessarius non habet signa indifferentia ad vitandum periculum, vel damnum aliquod sui, vel proximi, sed illam solùm, quæ determinatè, & univocè ducunt in cognitionem peccati, & confitentis, non potest iis uti, sed tantùm signis indifferentibus, sivè æquivocis, quæ de se, & ex natura sua personam peccatoris confessi non manifestet, v. g. si Confessor sciret Petrum esse occidendum, si die tali, & in talem locum se conferat, & ipse curet, ut talis occidendus in aliquo servitio occupetur tunc domi, vel in alium pergat locum, planè omnes istæ diversiones sunt facta, quæ non significant Confessorem scire hunc occidendum esse, alioquin iis in esse positis quilibet eo ipso id ipsum sciret, hoc enim est de ratione signi determinati in significando, quod idem ostendat apud omnes. Neque uti scientia habita in confessione hoc modo & per talia signa indifferentia ad vitandum gravem damnum proprium, vel alienum redderet hoc Sacramentum hominibus exosum, vel onerosum, aut grave nimis; neque hoc, quod homines antecedenter sciant, quod Confessarius potest hoc modo uti scientia in Confessione habita, debet illis confessionem reddere odiosam, & onerosam, quia id nullum damnum illis potest afferre; cum supponatur usum talis notitiæ sic exerceri, ut nullum sit periculum revelationis personæ confitentis, & peccatorum ejus. Tùm quia non quodcunque quod confessionem reddit difficilem est illicitum, alioquin casuum quoque reservatio illicita foret, nam certum est hanc subditis esse valdè difficilem; ergò etiamsi hæc licentia utendi scientia confessionis hoc modo eam redderet difficiliorem, non indè sequeretur esse illicitam.

259 Quartò nec etiam obstat decretum Clem. VIII. superius relatum, quia in primis Pontifex illud statuit pro Regularibus tantùm, multa autem Regularibus prohiberi solent, quæ licent aliis; tùm quia Pontifex intelligendus est de usu scientiæ, ex quo directè, vel indirectè revelaretur peccatum, vel redderetur confessio difficilior, aut quia cederet in pœnitentis detrimentum, ut explicat Poncius, Brancatus, & alii Scotistæ; alioquin inter Regulares hoc sequeretur absurdum, quod subditus data opera posset Superiori suas nequitias, & inhabilitates confiteri ad illum impediendum, ne illa scientia utatur ad impedienda illi officia, & dignitates; undè valdè probabilis est doctrina Scoti loc. cit. in solutione ad penultimum, quam plures alii posteà sunt amplexi, posse Prælatum ex sola notitia in Confessione habita non admittere, vel amovere subditum ab eo officio, vel ministerio, ad quod admitti, vel amoveri à sola Superioris voluntate pendet, quia tunc nullum est periculum revelandi confessionem, cùm soleant alii ab illo amoveri, vel non admitti non posse tamen amovere, vel non admittere subditum ad officium, vel exercitium, ad quod admitti, vel amoveri ex sola Superioris voluntate non dependet, ex notitia tantùm habita in Confessione. Hæc, inquam, doctrina, & regula satis est probabilis, quia ex usu talis notitiæ nullum sequitur periculum revelandi peccatum confessum. Et ex alia parte licitum est talem adhibere notitiam ad honestas actiones peragendas, præsertim quando illæ in bonum pœnitentis vergunt, ut in proposito est amotio personæ à loco, vel officio, in quo pœnitens de facto periclitatur, & occasionem habet peccandi. Hac etiam eadem ratione plures asserunt Confessarium posse negare suffragium illi, quem ex confessione novit esse indignum, dummodo ità cautè deneget, ut pœnitens de hoc facto nullam possit habere suspicionẽ. Ità Villalobos in Summa tom. 1. tract. 9. difficult. 75. cũ aliis, quam tamen doctrinam non puto tam probabilem, sicut præcedentem, nam etiamsi ignoretur hìc, & nunc Confessarium uti scientia per Confessionem habita ad negandum pœnitenti suffragium ad aliquod officium consequendum; ipsa tamen persuasio, quod possint Confessarii ex notitia peccatorum in Confessione habita privare, vel impedire pœnitentes ab honoribus, & dignitatibus consequendis, à Sacramentali Confessione animos pœnitentium multum retraheret, & in hoc casu concedendum esse videtur, quod prima sententia obiiciebat in suo fundamento superius relato, quia re vera talis doctrina Confessionem Sacramentalem nimis onerosam redderet, & difficilem, si pœnitentes existimarent posse amoveri ab officiis, & sibi negari suffragia, & alia subire incommoda ob notitiam peccatorum in Confessione habitam, ut prima sententia arguebat.

260 Quintò ex dictis plures decidi possunt casus, qui in hac materia proponi solent; & in primis Confessarium, qui novit in Confessione insidias sibi ab aliquo parari, posse domi se continere ex tali notitia, ne occidatur, sicut etiam ab eo loco, in quo per Confessionem novit sibi necem parari, potest recedere, & fugere, occasione aliundè suscepta, ut docet Doctor loc. cit. in solutione ad 3. & eadem ratione Sacerdotem, qui per Confessionem novit vinum ad Missam paratum esse veneno infectum, posse Missam prætermittere, occasione tamen aliundè desumpta; utitur enim Sacerdos in his casibus jure suo, nec indè sequitur ulla Confessionis revelatio directa, vel indirecta, nec pudor aut confusio pœnitenti, quæ Confessionem odiosam reddere possint. Item deciditur alius casus, an scilicet, ex notitia in Confessione habita teneatur, vel possit Confessarius vitare excommunicatum, inquit enim Doctor in solutione ad ultimum, quod si Confessor sciens aliquem esse excommunicatum habeat aliam viam eum vitandi absque eo; quod utatur via in Confessione habita, debet eum vitare; si verò non habeat, sed ex ea vitatione manifestetur confessio, non solùm non tenetur vitare, sed neque est ei licitum vitare, & dat universalem regulam, quod quando duo præcepta urgent, que contraria videntur, illud, quod est superius magis obligat, & ideò firmiùs est servandum, nec servans illud, & prætermittens aliud, peccat, quia nullus ex lege divina, & Ecclesiastica est perplexus. Deindè solvitur etiam alter casus, si nimirum Confessarius ex confessione novit aliquem non esse Sacerdotem, potest in posterum abstinere à Confessione illi facienda, cui anteà confiteri consueverat; in hoc enim casu nullus pudor, nulla confusio, nec ullum damnum sequitur pœnitenti, nec ob id pœnitens à confessione retrahetur, sed hoc potius Confessario laudi, & prudentiæ ascribetur, ut notat Bonacina cum aliis ab ipso citatis disp. 5. q. 6. sect. 5. punct. 4. Rursus Confessarium non posse suum errorem commissum in audienda pœnitentis confessione manifestare, quoties ex illius erroris manifestatione imminet periculum, ut proprius confessarius veniat in cognitionem peccati pœnitentis, non enim potest quis ad explicandum proprium peccatum in Confessione revelare peccatum alterius in Confessione auditum, quia præceptum sigilli est arctius, quam præceptum de integritate confessionis, ut docet Doctor l. c. in solutione ad 4.

261 Sextò ulterius solvitur alter casus, Confessarium non posse Eucharistiam denegare ob peccatum, in Confessione auditum, sicut nec Episcopus potest Clericum in Confessione auditum ab Ordinibus suscipiendis repellere, quia indè sequeretur pudor, & confusio pœnitenti, & hæc est indirecta quædam peccati revelatio, per quam Confessio odiosa redderetur, & eadem ratione Parochum non posse à matrimonio repellere pœnitentem ob solum peccatum, vel impedimentum in Confessione cognitum, quamvis enim teneatur illum in Confessione admonere, ut à tali matrimonio desistat, tamen extrà confessionem non tenetur illum repellere, nec admonere sine ejus licentia, quod etiam Bonacina notavit loc. cit. cum Sayro, Sanchez, Coninch. & aliis in tractatu de Matrimonio. Addit præterea Doctor loc. cit. in solutione ad 2. principale Confessarium non posse uti scientia, & notitia in Confessione habita cum periculo revelationis alicujus pœnitentis directa, vel indirecta ad tuendum bonum temporale, non solùm alicujus particularis hominis, verùm etiam totius Mundi, aut etiam ad tuendum commune bonum spirituale Ecclesiæ. Et ratio est, quia injuria fieret Sacramento, confessio redderetur odiosa, & fideles ab hoc Sacramento retraherentur, si unquam sigillum confessionis violare liceret. Tùm quia nullum est tam grave malum, quod fractioni sigilli Confessionis præponderet, quæ ex Dei præcepto ad reconciliationem hominis cum ipso necessaria est. Ex quo patet Confessarium, qui ex Confessione novit proditionem imminere civitati, vel periculum Hæresis ob nonnullos latentes Hæreticos, non posse proditionem Civitatis

vitatis futuram, vel periculum hæresis manifestare, quoties periculum est ut auctor derogatur; sed in his casibus Confessarius potest, ac debet obligare pœnitentem, ut apud Judicem competentem denunciet complices Hæreticos, aut aliam perniciem machinantes in damnum Reipublicæ. Ità Suarez, Aversa, Henriquez, Reginaldus, Bonacina, & alii Scholastici, & Summistæ passim, undè concludit Doctor loc.cit. reprobandum esse carmen illud Juristarum: *Est Hæresis crimen, quod nec confessio celat* ut falsam continens doctrinam.

262 Sed contrà doctrinam ex Scoto allatam, quod Confessarius ad vitanda pericula sibi imminentia, & insidias sibi certo loco paratas post auditam Confessionem à complice, possit illas declinare, & aliò divertere modo prudenti, & indifferenti, quo non manifestatur intentio, & hoc facere posse sine revelatione Confessionis etiam indirecta, quia talis modus est æquivocus, & indifferens, & non determinatus ex natura sua ad manifestandum peccatum in confessione auditum. Contrà hanc doctrinam, inquam, quidam arguunt, quia ex ea sequeretur nullam dari posse indirectam revelationem Confessionis ex facto, si in præsenti casu non habetur, quia hoc non abstractim sumptum, & absolutè est signum revelationis, sed hìc, & nunc, quatenus digressio Sacerdotis est conjuncta scientiæ habitæ in Confessione; ergo in tali casu, & in his circumstantiis sit revelatio Confessionis saltem indirectè; nam hujusmodi revelatio quasi semper fit suppositâ aliqua notitia, & certis conditionibus hìc, & nunc, quibus existentibus signum illud est manifestativum Confessionis saltem indirectè. Ad hujus objectionis solutionem plura dicunt Faber, & Aretinus loc.cit. sed brevius, & clarius dicendum est cum Hiqueo in præsenti, quod quando factum est tale ex circumstantiis ut signum sit univocum, tunc utique causare confessionis revelationem saltem indirectè; in casu autem proposito non est tale, quia nullæ circumstantiæ per factum Sacerdotis adjunctæ declarant ejus intentionem ex scientia in confessione habita conceptam esse, modò non adhibeat alia signa, & circumstantias, ex quibus exterius proderetur intentio fugæ, aut declinandi insidias; nam si complex criminis intenti, & homicidii pergat simul cum latronibus, quamvis sciant esse confessum, neque aliud in facto monstrent, possunt prudenter præsumere non fuisse confessum tale peccatum, sed potius ad illusionem, ac ad eum decipiendum confessionem simulasse; non enim magis fundatur suspicio ex facto Sacerdotis concepta, quàm præsumptio fundata in facto latronis, qui in exteriori se simulat socium paratum criminis. Ex quo patet ad objectionem negandam esse consequentiam, quia illa scientia merè per accidens se habet ad judicium, quod formant latrones.

Dices, ergò etiam licitè posset Sacerdos locum insidiarum declinare, & aliò divertere, etiamsi sciat confessum complicem à latronibus interficiendum esse ob revelationem insidiarum illi factam in Confessione; hoc autem magnum videtur absurdum, quia multum derogare videtur huic Sacramento, quod aliquis ratione illius posset tam grave nocumentum pati. Respondetur Sacerdotem posse in tali casu adhuc licitè id facere, nam si sequatur mors complicis confessi, non esset in causa factum Sacerdotis, quia ad illud judicium manifestè non inducit, nec univocè, undè Sacerdos non esset propriè, & per se causa occisionis sui pœnitentis, quæ temerariè fit à latronibus ex facto Sacerdotis, quod interpretari potest ex alia intentione, quam ipse exterius prætendit. Ità ad verbum de hac materia discurrimus loc. cit. quæ pro Confessariorum eruditione omninò necessaria est, ut prudenter se gerant in sigillo Confessionis servando.

QUÆSTIO UNDECIMA.

De satisfactione Sacramentali.

263 SAtisfactio dupliciter sumi potest, ut diximus 4. disp. 5. qu. 21. ab initio ex Scoto 4. disp. 15. qu. 1. generaliter, scilicet, & specialiter; satisfactio generaliter accepta importat actionem, qua quis facit quantum debet, qualis est actio solvendi respectu debitoris solventis debitum creditori, ac etiam compensandi injuriam allatam, qualis est actio illa, qua is, qui alterum læsit, tantum facit, quantum satis est ad injuriam compensandam, vel quantum is, qui læsus est, justè exigit. Satisfactio autem specialiter accepta est actio afflictiva corporis, vel animæ, per quam Deo voluntariè satisfacimus pro pœnis temporalibus ex peccatis relictis, & per pœnitentiam à Deo condonatis. Quamvis autem nullus homo, ut dictum est lib. 2. sent. disp. 7. de Justificatione, possit Deo pro peccatis satisfacere, nisi ex parte ipsius Dei condonatio aliqua gratuita interveniat; supposito tamen gratiæ dono nobis per Christi merita collato, certum est ab homine satisfactionem aliquam Deo exhiberi posse, ejusque opera quædam esse satisfactoria in virtute passionis Christi, quem ex Apostol. ad Rom. 3. *proposuit propitiatorem per fidem in sanguine ipsius ad ostensionem justitiæ suæ*; undè nullum meritum, nulla satisfactio, nec satispassio nostra potest Deo esse accepta, & peccato equivalens, vel simpliciter, vel ex acceptatione divina, nisi sit conjuncta cum meritis, & passione Christi. Est autem hæc satisfactio iterum duplex, alia siquidem extrà Sacramentum fit, & alia pœnitentiæ Sacramento conjungitur, estque illius pars, ut suprà dictum est, & magis patebit ex dicendis, quæ quidem quoniam non tantùm ex opere operantis suum sortitur effectum, sed etiam ex opere operato, ideò perfectior est, & majorem vim habet. In hac igitur quæstione sermo est de satisfactione sic specialiter sumpta, ut scilicet, importat compensationem pœnæ temporalis debitæ ob injuriam Deo illatam, quæ consistit in operibus pœnalibus, & laboriosis à Confessario taxatis, quod consultò additur, quia nulla actio, vel passio laboriosa hominis pœnitentis dici potest pars hujus Sacramenti, nisi à Sacerdote absolvente imponatur, ut colligitur ex cap. *An infirmis*, &c. *Tempora*, d. 26. qu. 7. & ex Trid. sess. 14. can. 15. ubi ait, quod actus ligandi, quem potestas clavium includit, in hoc consistit, ut pœnitenti imponatur pœnitentia aliqua, ad quam veluti ligatur à Sacerdote, atque ideò ut actio satisfactoria sit pars hujus Sacramenti, debet à Sacerdote imponi, ut Ministro Christi, & prout sic imponitur dicitur materia partialis hujus Sacramēti. Hęc igitur tertia pars Sacramenti pœnitentiæ declaranda est in præsenti ex dictis loc. cit.

ARTICULUS PRIMUS.

Qualis pars hujus Sacramenti sit satisfactio, & quem conferat effectum.

264 PRimò conveniunt omnes, ut diximus qu. 21. cit. art. 1. satisfactionem à Sacerdote impositam virtute clavium esse aliquo modo partem hujus Sacramenti, ità enim definitum est in Concil. Florent. in decreto de Sacramentis, & in Trid. sess. 14. cap. 5. & can. 4. sed difficultas est, an sit pars essentialis, vel solùm integralis; & communis opinio affirmat non esse partem essentialem, sed tantùm integralem; fundamentum est, quia satisfactio non ordinatur ad primarium hujus Sacramenti effectum, qui est gratiæ infusio, & culpæ remissio; sed solùm ad secundarium, qui est remissio pœnæ temporalis relictæ ex peccato jam quoad culpam, & pœnam æternam remisso. Tùm quia Sacramentum hoc verè conficitur, & confert gratiam antè satisfactionem expletam, nulla autem res absolutè potest esse sine parte essentiali, & hoc præsertim patet de Sacramento collato moribundo, cui ob impotentiam nulla imponitur pro peccatis satisfactio; sed hujus difficultatis resolutio pendet ex superius dictis q. 5. art. 1. num. 103. quod, scilicet, satisfactio imposita à Sacerdote in uno sensu dici potest pars essentialis hujus Sacramenti, in alio verò pars integralis tantùm; in hoc nimirum sensu, ut satisfactio in voto, hoc est, propositum saltem implicitum satisfaciendi sit pars essentialis Sacramenti, ut docet Doctor 4. dist. 16. quæst. 1. E. qui enim contritus, vel attritus confitetur, habet etiam votum, & propositum satisfaciendi, idest, solvendi pœnam post absolutionem remanentem, nam si peccator tale propositum saltem implicitum non haberet, sed potius voluntatem contrariam, vel saltem negativam, Sacramentum non conficeretur, atque ideò in hoc sensu pars ejus essentialis censeri debet; satisfactio verò in re exhibita non est pars essentialis, sed integralis tantùm; & hoc est, quod probat ratio sententiæ communis adducta; quia enim perfecta est Sacramenti essentia antè executionem satisfactionis injunctæ, ac etiam collata justificationis gratia, ideò satisfactio reipsa exhibita pars essentialis Sacramenti censeri non debet, sed tantùm integralis; licet enim ad primum, & præcipuum ejus effectum nempe remissionem culpæ non sit necessaria, adhuc tamen conducit ad secundarium effectum, scilicet, ad remissionem pœnæ temporalis, & ideò satisfactio sic sumpta dicitur tantùm pars integralis, non essentialis, quia sine ipsa subsisteret utique essentialiter Sacramentum, sed veluti mutilum, ut corpus humanum sine brachio, vel pede, nam satisfactio reipsa exhibita est quasi complementum gratiæ, & integritas remissionis culpæ, quatenus per eam tollitur reatus ad pœnam, & ob hanc causam ad integritatem Sacramenti pertinere dicitur, ut loc. cit. explicatum est, & ad plenam, & perfectam peccatorum remissionem.

265 Secundò conveniunt omnes, paucis quibusdam exceptis, satisfactionem à Confessario injunctam ut partem Sacramenti, aliquem effectum conferre ex opere operato, & hujusmodi

effectum

effectum esse remissionem pœnæ temporalis restantis post absolutionem à culpa, quia satisfactio est pars Sacramenti pœnitentiæ à Christo Domino instituta, ac proindè necessariò aliquam satisfactionem habere debet Sacramentalem, ut verè pars Sacramenti dici possit. Sed difficultas est, an satisfactio Sacramentalis ultrà prædictum effectum etiam ex opere operato gratiam causet, aut augmentum gratiæ sanctificantis, & communior opinio negat. Ratio est, quia satisfactio Sacramentalis non significat remissionem culpæ, nec ad eam significandam à Christo est instituta, imò supponit jam culpam remissam per gratiam sanctificantem, quæ non remittit pœnam temporalem, ut constat, sed tantum instituta est satisfactio Sacramentalis ad remissionem pœnæ; non est ergò undè colligamus, quod ex opere operato concurrat ad collationem gratiæ sanctificantis vel ad ejus augmentum. Ità Vasquez, Lugus, Henriquez, Amicus, Coninch. Caspens. & alii Neoterici, & Faber ex nostris disp. 35. cap. 11. Dicendum tamen est non tantùm pœnæ temporalis remissionem esse satisfactionis Sacramentalis effectum, sed etiã suo modo culpæ, & pœnæ æternæ per collationem gratiæ. Ratio est, quia ut benè Brancatus advertit disp. 22. art. 2. & 9. non sufficienter salvatur, quod satisfactio sit pars hujus Sacramenti per hoc præcisè, quod delet pœnam temporalem; sed ut talis dicatur, debet quoque suo modo cum aliis compartibus delere remissionem culpæ, & pœnæ æternæ per collationem gratiæ; hic enim est primarius, & principalis hujus Sacramenti effectus, de ratione namque Sacramenti est esse signum efficax gratiæ; ergò ut verè, & propriè aliqua dicatur pars alicujus Sacramenti, debet aliquo modo concurrere ad collationem gratiæ, nec sufficit ut ad alium concurrat consequentem effectum, ut in proposito est pœnæ temporalis remissio.

266 Concludendum igitur est satisfactionem à Sacerdote injunctam, & à pœnitente exequendam dici partem hujus Sacramenti, & ad utrumque ejus effectum concurrere, tam, scilicet, primarium, qui est remissio culpæ, & pœnæ æternæ, tam secundarium, & minus principalem, qui est remissio pœnæ temporalis, cum hoc discrimine tamen, quod ut ad primarium concurrat, debet esse volita, & saltem in voto haberi; ut verò concurrat ad secundarium, scilicet, pœnæ temporalis remissionem, debet esse in re exhibita; & executioni mandata; quod si in re poneretur ex accidenti aliquo, non obindè cessaret causare effectum primarium, & adhuc dici partem Sacramenti, quod jam fuit; quod in opposita sententia salvari non potest, quia in tali casu nullo modo esset pars Sacramenti nec essentialis, nec integralis. Et ex hoc patet, quid sit dicendum ad rationem adductam pro contraria sententia, falsum enim est satisfactionem esse partem Sacramenti eo, quod causet unum effectum hujus Sacramenti secundarium, & minus principalem, scilicet, pœnę temporalis remissionem; hoc enim est, quod directè rationes nostræ impugnant, & evidenter convincit auctoritas Conc. Trid. sess. 14. cap. 3. ubi expressè, & sonantibus verbis dicit: *Omnes tres actus concurrere ad plenam, & perfectam peccatorum remissionem*; ergo sicut alii duo actus contritio, scilicet, & confessio ad remissionem culpæ concurrunt, ita & satisfactio; & planè præfatum Tridentini testimonium dissimulari non potest, quia ibi ex instituto partes hoc Sacramentum constituentes enumerat, & posteà causalitatem, & efficaciam hujus Sacramenti assignans, dicit esse peccatorum remissionem, & peccatoris reconciliationem cum Deo, & hanc sententiam sequitur Suar. disp. 38. sect. 5.

267 Tertiò de hoc effectu proprio satisfactionis, qui est pœnam temporalem remittere, est adhuc gravis difficultas, an satisfactio à Confessario imposita sit sufficiens ad remittendam omnem pœnam temporalem peccatis debitam, itaut satisfactione peracta nihil amplius remaneat pœnitenti luendum in Purgatorio; & dubium est, quando Confessarius imponit pœnitentiam, quam ipse attenta peccati gravitate prudenter arbitratur esse justam, & gravitati peccati proportionatam, nam quando juxta de causa imponit multò minorem v. g. propter infirmitatem, vel impotentiam pœnitentis omnes ferè admittunt per eam non tolli reatum totius pœnæ temporalis debitæ. Affirmant Major, Soto, Medina, Hurtado, & alii, quia ex una parte pœnitentia Sacramentalis est à Christo instituta, ut ex opere operato compleat remissionem peccatorum remittêdo totam pœnam restantem; & ex altera parte taxatio Pœnitentiæ, qua hæc remissio complenda est, commissa est judicio prudentis Confessarii, tanquam Judici. Sacramentum enim hoc ad instar judicii est institutum, proindè pœnitentia, quæ ab eo prudenter judicatur sufficiens ad satisfactionem peccatorum, attenta eorum gravitate, sufficiens etiam erit ad relaxandam, & extinguendam totam pœnam restantem, & eò præsertim, quia hoc Sacramentum non est tribunal iræ, sed misericordiæ, & idem tenet Faber ex nostris loc. cit. Oppositа tamen sententia communior est, & probabilior, ut diximus loco citato quam sequuntur Suarez, Vasquez, Lugus, Bonacina, Aversa, Meratius, Valentia, Nugnus, Reginaldus, Caspensis, & ex nostris Aretinus, & alii passim. Ratio est, quia ut Confessarius pœnitentiam peccatis debitam, ac proportionatam imponat ad æqualitatem, cognoscere debet quanta pœna pro peccatis luenda in Purgatorio debeatur; at nullus Confessarius quantumvis prudens, & doctus id certò scire potest absque speciali revelatione, qua nimirum mẽsura puniantur peccata in Purgatorio, & quanta pœna cuicumque peccato correspondeat, & qualis satisfactio Sacramentalis correspondeat tantæ pœnæ Purgatorii; ergò per satisfactionem à Confessario taxatam etiam prudenti judicio juxtà peccatorum gravitatem non tollitur omnis pœna peccato debita, itaut pœnitenti per acta satisfactione nihil in Purgatorio luendum remaneat. Tum quia ex contraria sententia sequeretur nullum ferè ex hac vita decedentem, paulò post confessionem pœnitentia peracta, luere pœnas in Purgatorio; quod à communi Ecclesiæ sensu alienum est. Demum quia proprium est solius Sacramenti Baptismi cum culpa tollere omnem pœnam; ergò per satisfactionem Sacramentalem etiam sufficienter, & prudenter taxatam non semper omnis pœna remittitur. Ex quo patet quid dicendum ad rationem in oppositum, quamvis enim censeri debeat satisfactio justa, quæ talis Confessario prudenti videtur attenta peccatorum qualitate, & quantitate; hinc tamen non benè deducitur, per talem satisfactionem tolli pœnam in Purgatorio luendam, cum Confessarius ipse cognoscere nequeat, quanta pœna in Purgatorio luenda peccatis debeatur, & qualis satisfactio Sacramentalis tantæ pœnæ Purgatorii respondeat. Et planè omninò improbabile videtur, quod ait Faber loc. cit. per qualemcumque pœnitentiam solvi, & extingui totam Purgatorii pœnam; nec credibile est per pœnitentias, quæ de facto solent injungi adeò mites totam remitti Purgatorii pœnam; sed per majorem pœnitentiam plus de pœna remittitur, atque ideò si Sacerdos minorem infra punctum debitum satisfactionem imponat, ut regulariter contingit, illa major pars pœnæ remanebit in Purgatorio luenda, nisi aliis satisfactionibus voluntariis redimatur ex opere operantis, ut benè discurrit Aversa quæst. 14. sect. 4.

268 Quartò ob eandem rationem dicendum est, eandem satisfactionem in Confessione impositam si cum majori devotione, ac dispositione adimpleatur, plus de pœna remittere, sicut enim idem Sacramentum cum majori dispositione susceptum plus de gratia confert, ut expressè docet Trident. sess. 6. cap. 7. dum inquit loquens de adultorum justificatione per Sacramenta illos justitiam recipere: *Secundum propriam utriusque dispositionem, & cooperationem*, sivè hæc majoritas sit ex opere operantis, sivè etiam ex opere operato, quia hæc est quæstio de puro nomine, ut diximus supra disp. 16. *de Sacramentis in genere* qu. 2. art. 1. num. 25. ita, & hæc pars Sacramenti plus de pœna remittit, quando fit cum majori dispositione, undè etiam ob hanc utilitatem pœnitentes studere debent, ut cum majori devotione, & dispositione injunctas satisfactiones adimpleant. Imò sicut ibi diximus satis probabile esse, melius dispositis tribui majorem gratiam per Sacramenta, non modo ex opere operantis, sed etiam ex opere operato, quatenus actus illi, per quos homo ad suscipiendum aliquod Sacramentum disponitur, reddunt illum magis aptum ad effectum Sacramenti recipiendum, ut etiam in ipsis causis naturalibus experimur, quæ licet ex virtute sua nativa, & propria causalitate physica agant, adhuc tamen juxtà majorem, aut minorem subjecti dispositionem magis, aut minus operantur, ut patet de sole æqualiter undequaque lumen suum diffundente, quod tamen maximè inæqualiter in corporibus inferioribus recipitur, aliter siquidem in diaphano, aliter in opaco, aliter in stellis, aliter in luto, & lapidibus impositis. Ita etiam in proposito de hac parte Sacramenti dicere possumus, quod plus de pœna remittit non tantùm ex opere operantis, sed etiam ex opere operato, ut de facto asseruimus lib. 4. disp. 5. quæst. 21. cit. art. 1. num. 576. Ubi proindè reiicimus Fabrum hoc ea ratione negantem, quod effectus ex opere operato proveniens ex Sacramento, vel aliqua ejus parte uniformiter consequatur Sacramentum, cuicumque conferatur, & quomodocumque dispositio, quia non pendet ex opere operantis; & dicimus hoc immeritò negari, quia id expressè docet Trident. loc. cit.

269 Et cum dicitur habere ex sua institutione effectum gratiæ definitum quodlibet Sacramentum, & à Deo determinatum, qui non dependet ex opere, vel dispositione suscipientis, sed ex opere operato, & virtute solius Sacramenti, & ideò hunc effectum ex parte Sacramenti semper esse debere æqualem; hoc intelligendum est juxtà doctrinam Scoti 4. d. 4. qu. 7. §. *Sic ergò*, scilicet, quod effectus gratiæ per Sacramenta collatus eatenus dicitur determinatus, quatenus Deus disposuit gratiam regulariter conferre cum tali signo, ita quod nulli minorem; & sicut deter-

determinatio ista universalis quantum ad istum gradum est uniformis, ita, & effectus æqualis ex vi Sacramenti in omni suscipiente obicem non ponente, adeoquod nulli unquam conferatur minor ad positionem talis signi. Non tamen hæc determinatio, ut diximus loc. cit. ita intelligi debet, quasi crescere non possit secundùm mensuram effectus, prout Spiritus Sanctus dona partitur, ut loquitur Trident. loc. cit. neque id efficaciam, & certitudinem Sacramenti minuit, sed potius ampliat, licet enim Sacramentum talem effectum conferat ex opere operato, adhuc tamen ex divina institutione, sicut dispositionem aliquam in adultis requirit, ita ultra determinationem illam universalem pro omnibus pro majori, & minori dispositione signorum inæqualem potest conferre gratiam, itaut talis inæqualitas non tantùm ex opere operantis contingat, sed etiam satis probabiliter ex opere operato; atque ideò minus rectè negat Faber, tanquam omninò improbabile, gratiam ex opere etiam operato esse majorem in uno, quàm in alio secundùm variam dispositionem suscipientis; & hinc pejus deducit satisfactionem à Sacerdote imposita semper eundem habere effectum ex opere operato, quoad pœnæ temporalis remissionem, sivè sit peccatis adæquata, sive inadæquata sivè major, sivè minor, sivè cum majori, sivè cum minori dispositione sit adimpleta; nam improbabile prorsus est, ut diximus, totam purgatorii pœnam temporalem post remissionem peccati remanentem solvi, & extingui per qualemcunq; pœnitentiam, quantumvis minimam, quantum est ex parte Sacramenti, & ex opere operato.

270 Quintò itaque ad assignandum quantam pœnam satisfactio Sacramentalis in sui executione remittat, dicendum est, ut concludimus loc. cit. non quamcunque pœnitentiam in Confessionem taxatam totam purgatorii pœnam remittere, quæ peccatis debetur, ut Glossa innuere videtur in capitol. *Mensuram* de pœnit. dist. 1. non enim Deus decrevit pro quacunque levi satisfactione Sacramentali remittere quamcunque gravem pœnam in purgatorio luendam, sed certa quadam proportione servata pro majori majorem, & pro minori minorem. Itaque si mensura pœnæ à Deo taxata pro hoc, vel illo peccato in purgatorio luenda in indivisibili consistit, & Sacerdos pœnitentiam imponendo hujusmodi punctum non attingit tota pœna per eam non remittitur, sed potest magis aut minus ad illud accedere, ut plus aut minus pro mensura ipsius satisfactionis accedat, & quia talis mensura omnino proportionata, & in indivisibili cōsistens nequit Confessario quantumvis prudenti innotescere, nisi ex speciali revelatione divina, ideò per pœnitentiam ab ipso taxatam nunquam tollitur omnis pœna peccato debita, ideò ut pœnitenti nihil amplius in purgatorio luendum remaneat satisfactione peracta, & in hoc sensu procedit secunda opinio. Si verò dicamus hanc rem non consistere in indivisibili, sed dari quandam latitudinem justam, intra quam possit determinari mensura pœnitentiæ pro statu cujuscunque peccatoris pœnitentis, & hoc medium intra talem latitudinem posse esse Confessario notum sine speciali revelatione; tunc dici posset talem satisfactionem à Sacerdote impositam clave non errante, valere ad solvendam totam pœnam temporalem peccato debitam, & in hoc sensu procedit prima opinio. Quæ etiam sic explicata ad mentem Doctoris sustineri potest, ut diximus loco citato, cùm ipse doceat 4. d. 19. quæst. 1. §. *Ad quæstionem motam* lit. C. quod justitia punitiva, quæ est commutativa pœnæ pro culpa, non respicit necessariò gradum indivisibilem pœnæ correspondentem huic culpæ, sed ibi est aliqua latitudo, infra quam pœna minor non sufficit, & ultra quam pœna major non est imponenda, & extrà totam latitudinem clavi ultrà, vel citrà ligans errat, & ideò arbitrium ratificatur in tantum quod quicquid imponitur intrà illam latitudinem, hìc oportet implere, & si hìc non impletur residuum in purgatorio exigetur. Et addit Doctor, ibidem possibile esse, quod medium intrà hanc latitudinem sit Confessario notum per legem Dei cum adjutorio juris naturalis, atque ideò obligationem ad hoc medium latum, & non in indivisibili consistens, esse ad aliquid possibile homini sine miraculo speciali, & sine casu, & fortuna. Ità Scotus l.c. quibus verbis dat modum, quo etiam probabiliter possit prima opinio defendi, ità ad verbum discurrimus l.c. lib. 12. disp. de actibus humanis, notanter autem dicimus opus satisfactorium debere esse aliquo modo liberum, & voluntarium per modum actus eliciti, sed sufficit etiam, quod si liberum per modum actus imperati, & interdum quoque per modum objecti voliti, qua ratione Trid. sess. 14. c. 8. docet pœnas à Deo nobis inflictas rationem satisfactionis habere voluntariè eas acceptando, ac patienter tolerando, undè per flagella à Deo inflicta, & alia incommoda, quæ necessariò patimur, in tantum pro peccatis commissis satisfacere dicimur, quatenus patienter illa toleramus per actum positivum patientiæ, vel alterius virtutis, cum satisfactionis virtus non tam in passione, & sufferentia mali, quàm in libera, & voluntaria flagellorum illorum, & incommodorum acceptatione consistat. Conveniunt insuper, ut opus sit satisfactorium, debere esse honestum, & moraliter bonum, quia satisfactio Sacramentalis habet pro materia opus ex genere suo satisfactorium ex opere operantis, quod virtute clavium elevatur; tum quia si opus malum esset, potius pœna dignum esset, quàm venia, atque ideo debet esse aliquid moraliter bonum; inter opera satisfactoria tria præsertim à Concilio Tridentino enumerantur sess. 6. cap. 24. jejunium, scilicet, eleemosyna, & oratio; & ad jejunium quidem omnis afflictio, & castigatio corporis reducitur voluntariè suscepta; ad eleemosynam verò omnia misericordiæ opera erga proximum exhibita ad miseriam, seu necessitatem ejus corporalem, vel spiritualem sublevandam; ad orationem tandem, omnes, & singuli Religionis actus interiores, aut exteriores in Dei cultum, & honorem eliciti. Sed quamvis Doctores passim in his duobus conveniant, aliæ tamen supersunt difficultates circà conditiones ad Sacramentalem satisfactionem requisitas, in quibus discrepant, & de quibus hìc breviter discurrendum est juxtà dicta loc. cit.

272 Primò est difficultas, an præter opera super erogationis possint etiam pro pœnitentia injungi opera aliàs debita, sivè ex præcepto naturali, sivè ex positivo. Negant nonnulli, quia nemo per unam solutionem duobus debitis satisfacere potest, in satisfactione enim debet servari æqualitas, quia est actus justitiæ, undè aliqui dicunt Confessorem id facientem, & talia opera imponentem pro pœnitentia peccare mortaliter in Confessione sibi facta de mortalibus, venialiter verò in Confessione sibi facta de venialibus. Affirmat communis opinio. Ita Suarez, Vasquez, Lugus, Coninchius, Hurtadus, Amicus, Aversa, Calpensis, & alii Recentiores passim, & ex nostris Poncius, Brancatus, Aretinus, & alii Scotistæ, quod non obscurè deducitur ex Scoto 4. dist. 15. q. 1. articul. 2. principali, imò ex ipso Tridentin. l.c. quando dicit per patientem flagellorum tolerantiam posse hominem Deo satisfacere, talis autem flagellorum tollerantia est aliàs præcepta, ut constat ex pluribus Scripturæ locis. Quod etiam suadet ratio ipsa, quoniam præceptum rationem liberi, & voluntarii non tollit, nec rationem meriti, ac per consequens, nec rationem satisfactorii. Tùm quia talia opera aliàs præcepta sunt satisfactoria, & possunt elevari per claves ad effectum ex operato, imò aliquando expedit ea imponere, sivè ut ipsa diligentius, & cum majori devotione impleantur, sivè ut spirituali pœnitentium imbecillitati, vel gravibus occupationibus consulatur. Tùm tandem quia ad hunc finem, nimirum ad satisfaciendum pro peccatis commissis Ecclesia præcipit jejunia. & alias corporis afflictiones, alioquin per eleemosynam extremè indigenti exhibitam justus pro suis peccatis non satisfaceret, quia eleemosyna in tali casu est naturali præcepto debita, quod est absurdum. Nec ratio ad oppositum urget, quamvis enim ex natura rei nemo per unicam solutionem duobus debitis satisfacere potest ex gratia, & benignitate creditoris unicam solutionem pro duobus debitis accipientis, & ità contingit in casu nostro, qua ratione Trident. l.c. inquit, hoc est maximum divini amoris argumentum, ut temporalibus flagellis à Deo inflictis, & patienter toleratis apud Deum Patrem per Jesum Christum satisfacere valeamus.

273 Potest igitur opus aliàs debitum pro pœnitentia imponi, & quidem taliter, quod si talis pœnitentia omittatur, duplex erit peccatum, non quidem quia duplex sit præceptum materiale, cùm idem opus præcipiatur, sed quia traditur sub diversis motivis formalibus, posterior enim obligatio imponitur ex suo speciali motivo, scilicet, ad integritatem Sacramenti, & ad satisfaciendum pro peccatis, & ità in transgressione constituit suam specialem malitiam, undè duplex malitia in omissione consurgit distinctè in proxima Confessione explicanda, & sic per jejunium quadragesimale à Confessario impositum pœnitens satisfacit præcepto Ecclesiæ ratione obedientiæ, & præcepto Sacerdotis ratione justitiæ, nam ratione justitiæ pro pœna peccato debita satisfacere tenetur; quod si omittatur, duplex malitia in tali omissione contingit; quia jejunium omittendo peccat contrà obedientiam, & contrà justitiam; &

ARTICULUS SECUNDUS.

De conditionibus ad satisfactionem Sacramentalem requisitis, ut rectè adimpleri possit.

271 CONveniunt Doctores, ut diximus quæst. 21. cit. artic. 2. ut opus sit satisfactorium, debere esse alioquo modo liberum, & voluntarium, quia debet esse opus morale, quod sine libertate factum moralitatem participare nequit, cùm libertas totius moralitatis fundamentum sit, ut dictum est

quamvis ex natura rei, ut dicebamus, nemo duobus debitis per unicam tantùm solutionem satisfacere possit, id tamen facere potest gratia, & benignitate creditoris. Adhuc tamen ex alia parte asserendum est, quod cessante justa causa, & sic cætera sint paria imponenda sunt pro pœnitentia opera aliàs libera, hoc enim æquitas hujus judicii postulat, sivè ad puniendà pœnitentis peccata, sivè ad curanda ejus vulnera instituti, & ideò ita communi usu servatur, & in praxi, non enim ulla suppetit ratio, undè deduci possit, quod regulariter loquendo talis pœnitentia conveniens sit, vel proportionata, sivè ad castiganda præterita peccata, sivè ad præservandum ab aliis, quæ duo sunt motiva præcipuè à Confessario consideranda, & præ oculis habenda, & Auctores pro secunda, & communiori sententia citati, non nisi sub hac cautella, & limitatione tuentur, quia opus aliàs debitum pro pœnitentia impositum non esset frænum peccatori, neque vindicta ad ejus peccatum castigandum idonea, cum nihil novi in ratione operis exhibendum pro peccato decerneret Confessarius, quod pœnam, & laborem induceret ab eo diversam, ad quod aliàs teneretur, & venia facilis per hoc induceret ad contemptum, & in hoc sensu primam sententiam defendit, tanquam de mente Doctoris, Hiqueus ex nostris 4. d. 15. quæst. 1. num. 91. Ex quo patet Fabrum 4. d. 45. cap. 7. nimis rigorosè primam tueri sententiam, itaut in nullo casu possit Sacerdos imponere pro satisfactione peccatorum opera alioquin debita ratione præcepti ea communi ratione fretus, quod nemo potest per unicam solutionem duobus debitis satisfacere. Hoc enim probat solùm talem satisfactionem non esse de rigore justitiæ, non autem quod non sit satisfactio simpliciter eo modo, quo in puro homine esse potest.

274 Secundò est difficultas, an præter actus externos possint etiam pro pœnitentia imponi actus merè interni: Negant aliqui quia pars Sacramenti debet esse sensibile, & humanum præceptum, quale est Confessarii, debet esse de actu externo, quam opinionem Suarez disp. 37. sec. 5. etiam Scoto adscribit, quod ex eo deducit, quia 4. dist. 15. quæst. 1. §. *De secundo principali* ait satisfactionem esse operationem exteriorem laboriosam, vel pœnalem voluntariè assumptam ad puniendum peccatum, quod licet Faber disp. 35. cap. 4. non approbet de satisfactione cõmuniter sumpta, quæ est redditio voluntaria æquivalentis aliàs indebiti; approbat tamen de satisfactione strictè sumpta, quæ est pars pœnitentiæ Sacramenti, & de hac dicit, quod est operatio exterior laboriosa, vel pœnalis voluntariè assumpta ad puniendum peccatum. Communis tamen sententia docet etiam actus merè internos interdum pro pœnitentia imponi posse, ut diximus loc. c. ità Suar. Coninch. Lugus, Diana, Aversa, & ex nostris Hirbarnes, Brancatus, & alii Scotistæ, idque etiam Scotus expressè docet d. 15. cit. q. 1. sub lit. F. ubi ait actum magnæ charitatis esse posse satisfactorium, qui actus utique merè internus esse potest absque externa expressione, & sub lit. M. inquit pauperi ad procurandum victum laboranti imponi posse, pro satisfactione, ut patienter laborem illum tolleret, illa autẽ tolerantia est actus internus, quando autem inquit satisfactionẽ propriè sumptam, ut est tertia pars pœnitentiæ, esse operationẽ externam laboriosam, loquitur regulariter, & juxtà communẽ praxim, convenientiùs enim est, ut opera exteriora imponantur potiùs, quàm merè interna, quia magis pœnalia sunt, & magis humanæ conditioni, & observantiæ accomodata, at hoc nõ impedit, quin etiam absolutè loquendo actus merè interni pro pœnitentia imponi queant, potest enim Confessarius imponere, ut pœnitens toties in mente repetat contritionis, & boni propositi actũ. Imò non potest aliquando imponi pœnitenti, nisi actus internus, ut si gravi morbo laboret, tum quia magis utilis ei erat aliqãndo hujusmodi actus internus, si v. g. renovet aliquoties actum contritionis, & propositi, si novissima recogitet, vel passionem Christi meditetur, tum tandem quia inter opera, quæ communiter apta existimantur pro Pœnitentia imponenda connumeratur ratio, sed hæc esse potest interna tantùm, & mentalis, non enim hæc à numero pœnitentiarum excluditur, cum ex dist. 92. cap. *Cantantes* magis oratio mentalis commendetur, quàm vocalis. Nec obstat ratio in oppositum adducta, hos actus internos non esse sensibiles, ut enim constat ex dictis in superioribus, minimè opus est quamlibet Sacramenti partem esse sensibilem, sed satis est aliquam partem alteri sensibili esse conjunctam, & fieri sensibilem saltem per accidens, ut satis cõstat de actu interno consensus in matrimonio, & de actu doloris in hoc Sacramento; sic igitur in proposito actus satisfactionis internus sufficientem sensibilitatem capiet ab externa impositione Sacerdotis, & acceptatione pœnitentis, & cadent sub potestate ligandi, sicut peccata merè interna cadunt sub potestate solvendi, undè benè etiam poterit Confessarius hos actus præcipere, licet merè internos, quia præcipit in foro merè interno; quarè transgressio in hoc ordine accusationi, & punitioni in facie Ecclesiæ obnoxia non erit, sed ipsemet pœnitens de tali transgressione se accusare debebit, sicut se accusat de aliis peccatis internis.

275 Tertiò est difficultas, an quælibet opera honesta, etiãsi pœnalia non sint, possint pro pœnitentia injungi, & possimus per ea Deo satisfacere. Negant D. Thom. & alii, quos sequitur Suarez disp. 37. sec. 6. Ratio est, quia actus non pœnales non sunt actus pœnitentiæ, actus namque virtutis pœnitentiæ est, qui affert pœnam, satisfactio autem est actus pœnitentiæ, & hoc idẽ Conc. Trid. sess. 15. cap. 8. indicare videtur, ubi opera satisfactoria vocat satisfactorias pœnas, neque ad alium finem pœnitẽtia à Confessario imponitur, nisi in peccatorum vindictam, & satisfactionem, ut ea mediante pro peccatis plenè satisfiat, ac proindè opus honestum, quod non est pœnale, neque satisfactorium pro pœna esse videtur. Communis tamen sententia affirmat, nedùm actus pœnales, sed etiam alios actus virtuosos non pœnales esse idoneos, ut aliquando imponantur in satisfactionem. Ità Scotus 4. dist. 15. qu. 1. art. 3. & d. 19. quæst. 1. lit. F. ubi Faber, Ponc. Brancat. Hiqueus, & alii Scotistæ, & sequuntur Victoria, Soto, Vasquez, Lugus, Layman, Caspensis, Coninchius, & alii Recentiores passim, quod probat Doctor, quia opus non pœnale potest esse majus bonum, & meritorium, quàm pœnale, ut constat de actu charitatis, ac proindè potest esse Deo magis acceptum pro satisfactione, quia in opere satisfactorio non tam attenditur pœnalitas, quàm valor, & existimatio talis operis apud Deum, alioquin Christus Dominus per opera non pœnalia non satisfeciisset, quod est falsum. Accedit, quod de facto, & pro statu isto nullum ferè est opus moraliter bonum, & honestum, quod etiam simul non sit pœnale, quia ex natura rei difficile est agere opus quodcunque propter honestatem virtutis, quod autem est difficile est etiam eo ipso pœnale, quia semper aliquid affert difficultatis vincendæ, & consequenter pœnalitatis. Tandem hoc etiam manifestè expressit Trid. sess. cit. can. 3. ubi docet hominem satisfacere posse pro peccatis commissis, non tantùm per tolerantiam, & injunctionem pœnarum, per orationes, eleemosynas, & jejunia, sed etiam per alia pietatis opera, cum ergò dari possint opera pietatis non pœnalia, hæc etiam de mente Concilii apta erunt, & consequenter pro satisfactione imponi poterunt. Ad rationem in oppositũ negatur assumptum, ad cujus probationem dicendum est, non esse de essentia actus virtutis pœnitentiæ, quod semper pœnam habeat annexam, sed sufficere, vel quod pœnam afferat, vel fiat in pœnam, estò per accidens eam non afferat, tum quia jam dictum est, raros inveniri actus honestos in homine viatore, qui non sint aliquo modo pœnales, & Concilium loco citato non tantùm opera pœnalia vocavit satisfactoria, & pro pœnitentia peccantibus imponenda, sed etiam alia pietatis opera, quo universali loquendi modo omnia opera bona comprehendisse videtur, tanquam sufficientia ad peccatorum vindictam, & satisfactionem. Addit tamen Doctor 4. distinction. 15. quæst. 1. §. *De tertio dico*, quod licet quandoque possit per aliquem actum bonum non pœnalem satisfieri, fatendum tamen est opera bona hominis justi cæteris paribus eo magis esse satisfactoria, quo sunt magis pœnalia, & afflictiva, quia, ut sic, majorem ex natura rei aptitudinem habent ad pœnam redimendam.

276 Quartò est difficultas, an satisfactio adimpleta in peccato mortali aliquid valeat pro temporali pœna luenda, quamvis antiquiores aliqui sint opinati teneri pœnitentẽ adimplere satisfactionem in statu gratiæ, itaut aliter faciendo præcepto Confessarii non satisfaciat, & teneatur eam denuò adimplere. Communis tamen sententia docet per se loquendo ad id pœnitentem non teneri, sed etiam extrà statum gratiæ satisfacere præcepto Confessarii, nisi hic aliud imposuerit, quod regulariter non fit, nec ex hac parte novam culpam committere, & hoc patet ex ipso usu, & communi sensu, nec enim Confessarius pœnitentem obligare intendit, ut in statu gratiæ satisfactionem adimpleat, adeout non sic faciendo teneatur eam denuò adimplere, cum ad statum gratiæ redierit. Nec pœnitentes se peccare putant pœnitentiam extrà statum gratiæ adimplendo, nam in longioribus pœnitentiis non rarò contingit, ut in tali statu adimpleantur. Hac itaque supposita communi, & probabiliori sententia, insurgit difficultas, an satisfactio adimpleta in mortali valeat ad remissionem pœnæ temporalis remanentis post absolutionem à culpa, & pœna æterna, in qua difficultate tres diximus esse sententias quæst. 21. citat. artic. 3. Prima negat satisfactionem in statu peccati adimpletam talem sortiri effectum, non solùm pro eo tunc, sed etiam postea remoto obice peccati, & succedente dispositione, & statu gratiæ, pro qua citantur Divus Thomas, Riccardus, Capreolus, Adrianus, Valentia, Ledesma, Hurtadus, & alii quamplures. Secunda negat pariter

satis-

satisfactionem talem sortiri effectum in statu peccati mortalis adimpletam, affirmat tamen habituram posteà homine redeunte in gratiam, vel per contritionem, vel per susceptionem novi Sacramenti. Ità Cajetanus, Petrus, Soto, Henriquez, Suarez, Coninchius, Lugus, Aversa, & alii Recentiores. Tertia tandem sententia affirmat talem pœnitentiam in statu peccati adimpletam etiam tunc suum sortiri effectum, remittendo nempè pœnam illi proportionatam, quæ, scilicet, relicta erat ex culpis jam anteà deletis non obstante novo peccato mortali posteà superveniente. Ità Scotus noster 4.d.15. quæst.1.part.2.art. 14. quem secuti sunt non solum omnes Scotistæ, tam veteres, quàm Recentiores, sed etiam Gabriel, Marsilius, Medina, Navarrus, Vasqu. Diana, Amicus, Kelisonus, & alii quamplures, quam sententiam diximus loc. cit. aliis esse præferendam tanquam magis piam, & probabilem, ut ait Amicus dis.16.sect.3.

277 Fundamentum hujus sententiæ præcipuum, quod ex Scoto deducitur, & passim à Recentioribus ejus tutoribus adducitur est, quia affectus satisfactionis Sacramentalis, quem habet ex opere operato, est sola remissio pœnæ temporalis cum auxiliis ad præcavenda peccata in posterum facilitantibus, ut satis constat ex dictis in superioribus; sed satisfactio in statu peccati adimpleta hoc effectu non privatur, nec effectus istius peccator est incapax; ergo nil obstat, quin statim talem effectum non conferat. Minor in qua tota consistit difficultas, probatur quoad primam partem, quia peccatum non tollit, quod opus habet ex meritis Christi, satisfactio autem talem effectum operatur, ex virtute meritorum Christi vi clavium elevata; tum quia non eo ipso, quod opus fit à peccatore, sequitur statim esse incapax præmii, contritio enim est actus à peccatore elicitus, & tamen ex divina promissione respondet ei in præmium gratia sanctificans de congruo. Probatur autem minor quoad alteram partem, quia effectus satisfactionis Sacramentalis ei proprius non est gratia habitualis, quæ pugnat cum peccato; sed sola remissio pœnæ temporalis ex condonatis peccatis relictæ; ac hujus effectus adhuc capax est, qui in statu peccati existit, nam licet opera facta in statu peccati non sint Deo accepta in ordine ad præmium vitæ æternæ, nil tamen obstat, quin esse possint accepta in ordine ad præmium aliquod temporale, qualis est in proposito pœnæ temporalis remissio, & locutiones generales, quibus à Scriptura, & Patribus opera peccatoris reprobari solent, commodissimè intelliguntur quoad meritum vitæ æternæ, ad quod utique gratia sanctificans requiritur, non autem de satisfactione pœnitentiali, aut alia etiam, quæ est mera satispassio, & non reconciliatio. Confirmatur ex destructione fundamenti opinionis oppositæ, quod est satisfacientem debere esse Dei amicum, hoc enim est omninò falsum inquit Doctor loc.cit. quia sufficit Deo, quod quis voluntariè solvat pœnam debitam ad punitionem peccati commissi, quin etiam interdum sufficit sola satispassio; si enim alicui offensæ in Regem correspondeat præcisè abscissio manus, & isti etiã invito manus abscindatur, hoc sufficit Regi, ut secundùm legem, & justitiam ulteriorem pœnam ab eo exigere non debeat, quamvis eum in gratiam vel amicitiam non recipiat, multò magis ergo posset sufficere pro punitione culpæ, si aliquis sibi debitam pœnam infligeret, licet non esset in gratia, vel amicitia ipsius Judicis offensi.

278 Respondent Adversarii, quod Deo ab homine non solvitur, neque satisfit per opera nostra, nisi ex acceptatione illius, quia inter nos, & Deum non est vera justitia, & propriè dicta, nisi ex ejus acceptatione; principium autem hujus acceptationis est charitas, & amicitia inter nos, & Deum, ideoque opera extra charitatem facta, & in statu peccati mortalis non sunt Deo accepta, neque ad satisfaciendum sufficiunt. At replicat Doctor hanc responsionem procedere solùm de satisfactione placante, & reconciliante in amicitia, nulla enim satisfactio potest Deo reconciliare, & ad ejus amicitiam perducere, nisi mediante gratia, quæ est principium acceptationis ad amicitiam Dei, & hæc satisfactio reconcilians est contritio, seu peccati detestatio; hoc autem non est verum de satisfactione simpliciter pœnam solvente, ad hanc enim sufficit, quod satisfaciens solvat, quantum debet, & quod Deo solvat voluntariè pœnam debitam ad punitionem peccati commissi; quod utique etiam ab inimico fieri potest suppositâ Dei promissione de condonanda tali pœna sub conditione talis operis; nam homines etiam solutiones debitorum admittunt ab inimicis factas, licet illos ad suam gratiam non admittant, ut Doctor ostendit exemplo allato Regis offensi; tantò ergo magis id potest facere Deus cujus misericordiæ non est numerus, ut scilicet solutionem admittat pœnæ temporalis debitæ pro peccatis jam dimissis, etiam ab illis, quos ad suam gratiam non admittit, & de facto etiam multorum debitorum solutiones admittit ab inimicis factas, si enim quis debet ex voto Religionis ingressum, peregrinationem, vel jejunium, si hæc etiam in statu peccati mortalis exequatur, plenè satisfacit, & Deus talem solutionem admittit. Et denique quamvis inter nos, & Deum vera justitia nõ intercedat, nisi ex ejus acceptatione, nec opera extra charitatem facta sint Deo accepta simpliciter, quia non sunt accepta in ordine ad gratiam, & gloriam, quæ sunt bona simpliciter, adhuc tamen possunt esse accepta secundum quid, scilicet ad solvitionem pœnæ aliorum debitorum, ut fusè ostendimus loc. cit. ubi etiam solvimus rationes in oppositum ibi videndas.

279 Quintò tandem est difficultas, an satisfactio vitiata per aliquam malam circumstantiam sit valida. Negant aliqui contendentes pœnitentem teneri ita facere opus ipsum satisfactorium, ut sit ex omni circumstantia pium, & bonum, & aliter nõ valeat ad pœnitentiam implendam, quia prorsus absonum apparet, ut per aliud novum peccatum agatur de pœnitentia de prioribus peccatis; satisfactio autem facta ex fine malo peccatum est, saltem veniale, si v.g. fiat ex aliqua vana gloria. Communior tamen sententia docet etiam per opus ex aliqua circumstantia peccaminosum posse pœnitentiam adimpleri, & præceptum Confessarii. Ità Suarez, Vasquez, Lugus, Aversa, & ex nostris Poncius, Brancatus, & alii Recentiores passim. Ratio est, quia per talia opera possunt impleri præcepta, ut in variis materiis constat, quando, scilicet, præcipiuntur opera secundùm substantiam, & non secundùm modum; sicut ergo qui audit Missam, aut preces recitat cum levi distractione, aut negligentia, præceptum Ecclesiæ adimplet, ita etiam jussionem, & pœnitentiam sibi à Confessario impositam adimplere poterit. Melius tamen distinguendum est, ut diximus loc. cit. cum Hiqueo 4.d.15.q.1. in calce de duplici fine, alius enim est finis propter quem, vel cujus gratia, qui est finis simpliciter operis, & illud specificans; alius verò dicitur finis secundùm quid, & occasionatus, in quantum excitat aliquo modo voluntatem ad operandum, & talis non dat speciem operi: loquendo ergo de fine propriè dicto, satisfactio ex tali veniali fine exhibita, non solum non esset vera satisfactio, sed neque esset veniale peccatum, imò potius gravis contemptus, & hypocrisis contra reverentiam Sacramenti, & naturam operis, nam ut ait Doct.loc.c. §. *De secundo principali*, satisfactio est operatio laboriosa, vel pœnalis voluntariè assumpta ad puniendum peccatum commissum, & ad placandum divinam offensam, quibus verbis innuit finem intrinsecum, & extrinsecum satisfactionis; intrinsecum quidem illis verbis, *ad puniendum peccatum omnimissum*, extrinsecum verò aliis sequentibus, *& ad placandum divinam offensam*; quare sumere Sacramentum, aut partem aliquam Sacramenti ponere, non ex affectu aut fine Sacramenti, sed tantum ad finem hypocrisis, aut vanæ gloriæ, est contemptus gravis Religionis, quia non sumitur Sacramentum cum debita dispositione, quæ cum tali fine consistere nequit, & in hoc sensu benè procedit, ratio primæ sententiæ. Loquendo autem de fine veniali secundùm quid seu occasionato, aut maculam venialem concomitanti, quæ non derogat voluntati per se intendenti opus satisfactorium ex fine tam intrinseco, quàm extrinseco requisito, hic planè non derogat operi, aut effectui satisfactionis, quin acceptetur à Deo, nam si peccatum veniale non derogat effectui Sacramenti, & effectui satisfactionis; ità etiam non derogat, quoad divinam acceptationem, sic etiam si ex aliqua alia veniali circumstantia vitietur satisfactio, ut si excederet in modo etiam cum advertentia, adhuc esset valida, ut v.g. si jejunans ita se maceret, ut notabiliter deficiat etiam cum advertentia, si peregrinationes, vel alia similia conficiat, si erogatus eleemosynam ad extremam necessitatem redigatur, adhuc satisfacere censetur, quia tales circumstantiæ non videntur vitiare opus quoad substantiam, sed tantum quoad modum. Ità discurrimus loc.cit.

ARTICULUS TERTIUS.

Quomodo se gerere debeat Confessarius in imponenda satisfactione, & pœnitens in ea acceptanda, & adimplenda.

280 PRimò quoad primam quæsiti partem, ut in hac parte Confessarius officio suo ritè fungatur, docet Concil. Trid.sess.14.cap.8. *Debere Sacerdotes Domini, quantum spiritus, & prudentia suggesserit, pro qualitate criminum, & pœnitentium facultate salutares, & convenientes satisfactiones injungere &c.* quas particulas sigillatim, & accuratè ponderat Abellius cap. 5.cit.sect.24. dicit in primis *quantum spiritus, & prudentia suggesserit*, ut ostendat Ecclesiam pro injungendis satisfactionibus in foro pœnitentiæ nullam certam regulam in particulari præscribere voluisse, sed Confessariorum discretioni, & prudentiæ reliquisse. Dicit secundò *pro qualitate criminum*, ut ostendat

Confessarium in imponenda satisfactione attendere debere criminum qualitatem, & gravitatem in quorum vindictam simul, & medelam imponitur. juxtà divinæ justitiæ regulam: *Pro mensura delicti sit, & palagarum modus*, ideoque non modo speciem, & numerum peccatorum, sed alias quoque circumstantias perpendere debet, ex quibus illorum gravitas augeri, vel minui potest. Dicat tertiò, *& pœnitentium facultate*, non enim sola peccatorum gravitas, vel levitas, sed & ipsorum pœnitentium facultas consideranda est, idest status, conditio, sexus, ætas, ac etiam animi dispositio, vel corporis, ut declarat Rituale Romanum, aliqua enim in sexu fragiliori tolerari possunt, quæ in perfectiori nullam admittunt excusationem, & similiter in ætate puerili, non autem in perfecta, & matura, & aliquæ pœnitentiæ graviores valentibus, & robustis imponi possunt, quæ non imbecillibus, & infirmis, & aliæ prudentibus, & firmis, quæ non scrupulosis, & dubiis, quæ omnia, & valdè similia sunt à Confessario accuratè ponderanda. Dicit quartò *salutares*, quia in imponendis pœnitentiis hoc solùm præ oculis debet habere Confessarius, ut pœnitentis saluti consulat, ac proindè hæc duo extrema evitare debet, ut innuit Concilium ibidem, ne peccatis conniveat, & indulgentius cũ pœnitentibus agat leves pœnitentias pro gravibus culpis imponendo, vel è contra, nec durum se, & rigidum ultrà quam satis est, pœnitenti exhibeat acerbas nimis, & molestas pœnitentias imponens. Tandem addit Concilium pœnitentias etiam esse debere *convenientes*, scilicet, ut nihil in illis Confessarius à pœnitente exigat, nisi juxtà regulas prudentiæ, ut v. g. pauperibus, vel filiis familias eleemosynas erogandas non injungat, nec mulieribus peregrinationes, nec operariis, aut debilibus personis jejunia, nec tales pœnitentias, ex quibus alii v. g. Maritus, parentes, vel domestici suspicere possint grave aliquod peccatum fuisse à pœnitente commissum.

281 Secundò est difficultas, an Confessarius possit pœnitentiam imponere omninò liberam faciendam arbitrio pœnitentis, & per modum consilii, non præcepti. Affirmant Henriquez, Suarez, Fagundez, Pesantius, Aversa, Bonacina, Diana, & alii, & probant, quia Sacerdos tali pacto pœnitentiam imponẽdo adhuc ligat, & solvit, ligat quidem, quatenus necessitatem hujus pœnitentiæ imponit, non simpliciter, sed ad hunc finem consequendi ex opere operato remissionem pœnæ per hoc Sacramentum, imponendo nimirum pœnitentiam sub forma quasi conditionata hoc modo, si tale opus feceris, serviat tibi in satisfactionem, solvit autem quatenus facienti talem pœnitentiã commutat pœnam Purgatorii in faciliorem pœnam, quam per se, & sine virtute clavium necessaria esset. Negant alii, ut Vasquez, Turrianus, Lugus, Coninchius, Caspensis, Nugnus, & alii quamplures, ratio est, quia Confessarius tenetur pœnitentiam imponere, tanquam verus Judex in vindictam peccatorũ, & aliquando in medelam, & cautionem in futurum. Judex autem punire non potest, nisi per vim coercitivam, quæ reum obligat ad subeundam pœnam. Tùm quia sententia Judicis, si justa est, semper vim habet obligandi reum, ac proindè semper pœnitentiam obligantem imponere tenetur, cùm teneatur ferre sententiam condemnativã; undè falsum esse dicunt, quod prior sententia assumebat, per pœnitentiam nempè illo modo impositam, pœnitentem ligari ex potestate quam Confessarius habet ad ligandum, nam pœnitentia per modum consilii imposita non ligat, quandoquidem eodem modo manet liber pœnitens, sicut antea. Et hoc totum deducitur etiam expressè ex Concil. Trident. sess. 14. cit. cap. 8. ubi docet Sacerdos debere salutare, & conveniens satisfactiones injungere, quæ verba præceptum sonant, non verò consilium, & infra addit facultatem injungẽdi satisfactiones oriri ex potestate clavium, quæ non solùm ad solvendũ, sed etiam ad ligandum datur, pœnitentia autẽ injuncta per modum consilii certè pœnitentem non ligat, ut constat, cum liber maneat adhuc, sicut antè. Et hæc secunda sententia communior est, & probabilior, ut diximus disp. 5. cit. q. 23. art. 2. in fine, à qua nec etiam Auctores primæ sententiæ recedere puto, nam ipsi quoq; fatentur Confessarium regulariter loquendo teneri satisfactionem præcipere, & solùm in aliquo casu posse eam consulere, vel imponere sub forma quasi conditionata, si tale opus feceris, serviat tibi in satisfactione, casus autem esse potest, vel quia pœnitentes sunt scrupulosi, & posteà nimis hac obligatione præcipuè in precibus recitandis premuntur, vel quia nimis fragiles sunt, & timeri potest, ne ex transgressione novo peccato graventur, ut declarat Aversa q. 13. sect. 7.

282 Tertiò quoad aliam quæsiti partem, licet aliqui negẽt teneri pœnitentem de rigore acceptare pœnitentiam, quam Confessarius vult ei imponere, sed si dicat se habere displicentiam de peccatis, & firmum propositum non peccandi, esse à Confessario absolvendum, pro qua opinione citatur etiam communiter Scotus noster 4. dist. 15. qu. 1. §. *De secundo principali*, & dist. 19. §. *Ad quæstionem* lit. D. ubi ait posse pœnitentem non acceptare satisfactionem sibi impositam à clave non errante, si dicat velle in Purgatorio solvere pœnam, & ità tenent communiter Scotistæ. Nos tamen disp. cit. quæst. 22. art. 1. diximus non posse pœnitentem simpliciter, & absolutè loquendo, ac regulariter reiicere omnem pœnitentiam, & satisfactionem à Confessario injunctam collectivè sumptam, dicendo se velle satisfacere in Purgatorio; sed teneri implere satisfactionem impositam, & quidem sub mortali, nisi impotentia impediat; & hanc diximus esse etiam Doctoris mentem d. 19. cit. ubi ait teneri eum pœnitentiam acceptatam adimplere sub pœna peccati, quæ obligatio nulla esset, nisi potestas ligandi obligationem induceret, in qua potestate fundatur hæc obligatio ex parte pœnitentis, non autem in sola ipsius acceptatione, ut Doctor illis verbis innuit. *Tunc enim obligatur præcepto Ecclesiæ, cui se voluntate submisit*, quibus verbis significat hanc obligationem oriri ex impositione ipsa, & jussione Confessarii, ne dicatur potestas Confessarii coarctata, & subjecta ad consensum ipsius pœnitentis, ut solùm possit obligare, quando alter vult obligari. Certum ergo debet esse etiam de mente Doctoris simpliciter, & absolutè loquendo pœnitentem obligari ad acceptandam, & implendam pœnitentiam sibi rationabiliter à Confessario impositam, nec posse licitè illam repudiare, & satisfactionem in Purgatorio implendam reservare, an autem in aliquo casu id liceat, dicemus posteà.

283 Hoc verò assertum sic explicatum probatur ibidem in primis ex Evangelio, ubi potestas ligandi datur Sacerdotibus injungendi nimirum satisfactiones, si autem non obligaretur pœnitens, Sacerdos non ligaret, correlativa enim sunt potestas in Superiores, & obligatio in subdito, itaut una sine altera subsistere nequeat. Confirm. ex Trid. cit. sess. 14. c. 8. ubi ait potestatem ligandi, quæ à Sacerdotibus à Christo Domino concessa est, in eo præsertim consistere, quod Sacerdotes ex judiciaria, quam habent potestate, ligare possint pœnitentes ad pœnam ad quam profectò eos ligare non possent, si ad satisfactionem implendam eos obligare non possent. Demum probatur ex ratione hujus Sacramenti instituti ad modum judicii; reus enim tenetur parere Judici legitimè præcipienti, nisi fortè sit locus appellationi, quæ in præsenti judicio non datur, cum sit supremum tribunal, & idem cum divino; & quidem in foro externo potest Judex etiam vi cogere reum ad pœnam subeundam; ergo & Sacerdos vim coactivam habebit, qua saltem per præceptum obliget pœnitentem ad impositam pœnitentiam acceptandam, & solvendam. Et hinc deducitur altera pars asserti, quod, scilicet, teneatur pœnitens implere satisfactionem impositam, & quidem sub mortali, nisi impotentia impediat, ità enim habetur in cap. *Omnis utriusque*, ubi præcipitur pœnitentibus ut impleant impositam pœnitentiam, & ratio ipsa suadet, quia nisi adesset obligatio gravis implendi, frustrà imponeretur, & nullius esset virtutis potestas ligandi Sacerdotibus, siquidem posset pœnitens ad libitum impunè se ab eo ligamine solvere opus impositum non adimplendo, & tandem gravis irreverentia, & injuria sine culpa posset Sacramento inferri illud non complendo per subtractionem partis ejus integralis, qualis est satisfactio. Confirmatur, quia ut supra dictum est Sacerdos potestatem arbitrandi, & judicandi in causa non recipit à reo se illi subiicienti, sed à Deo, & Ecclesia, à quibus hujus fori judex est institutus, & verè clavem ligandi habet, quamvis à voluntate pœnitentis dependeat quantum ad sui subjectionem in causa plenariam, nihil ejus reservando; undè consensus pœnitentis, ut suprà dicebamus, potestatem non confert Sacerdoti, sed solùm dat materiam, in qua exerceri potest; ergò à sententia data, & acceptata, cui semel se subjecit, nullatenus resilire potest licitè, quia est subjectio pœnitentis quoad vindicationem peccati Judici habenti facultatem ligandi suppositа subjectione, & consensu rei. Quod autem pœnitens non teneatur satisfactionem impositam adimplere, si impotentia impediat, ex eo patet, quia Deus ad impossibilia non obligat ex Trid. sess. 6. c. 12. & de facto sic exercetur in praxi, ut patet de constituto in ultimo mortis articulo, & aliis infirmis, qui satisfactionem impositam acceptant cum tali conditione, quod si poterunt, adimplebunt. Responsiones autem, & objectiones Scotistarum, & aliorum oppositum tenentium vide rejectas, & solutas loc cit.

284 Quartò, diximus tamen loc. cit. posse pœnitentem ex aliqua rationabili causa satisfactionem sibi impositam non acceptare, petendo ut alia sibi imponatur. Et est communis assertio cum Doctore 4. d. 15. q. 1. lit. M. nam cõmuniter concedunt DD. ex rationabili causa propter impotentiam, vel fragilitatem pœnitentis posse Confessarium graviorem pœnitentiam in leviorem permutare, quia in hoc Sacramento magis intenditur salus pœnitentis, & ejus emendatio, quam satisfactio pro pœna relicta ex culpa remissa, ac proindè ne salus pœnitentis periculo exponatur,

natur, si graviorem pœnitentiam ipse non acceptet rationabili de causa, poterit levior à Confessario imponi, & ratio est, quia adhuc optimè salvatur quicquid ad rationē Sacramenti requiritur, potestas clavium, ac pœnitentis dispositio, nam Sacramētum exigit, ut satisfactio aliqua adsit, & quod sit hæc, vel illa gravior, vel levior, materialiter se habet; sic etiam potestas clavium benè salvatur, nam hæc solùm exigit, ut Sacerdos possit ligare pœnitentem ad aliquod opus satisfactorium, si impotentia non impedit, hoc autem in casu nostro adhuc obtinetur, quia si rationabili de causa unum opus satisfactorium à pœnitēte reiicitur, aliud acceptatur; servatur tandem etiam pœnitentis dispositio, & reverentia Sacramento debita, quia pœnitens supponitur paratus facere, quod potest moraliter, & si opus impositum reiicit, hoc non facit ex irreverentia sed, ex impotentia. Hac de casua Trident. loc. cit. ut diximus, inquit, satisfactiones debere esse convenientes statui, & conditioni pœnitentium, ut scilicet, nihil in illis Confessarius à pœnitente exigat, nisi justa prudentiæ regulas, & hac etiam de causa DD. passim Confessarios consulunt, ne nimis duros, & rigidos pœnitentibus se exhibeant, & molestas pœnitentias imponant eo prætextu, quod conscientiam suam exonerare velint, nihil curantes, an ipse pœnitens eas adimplere possit, hoc enim esset nimis à charitate alienum, & fini hujus Sacramenti repugnans, undè sapientissimè Rituale Parisiense tit. *de Sacramento Pœnitentiæ* monet, ut Confessarius satisfactione injuncta pœnitentē interroget, an possit, vel dubitet pœnitentiam sibi injuctam peragere posse, alioquin eam immutet, aut minuat justà moralem potentiam, & facultatem pœnitentis, & hac etiam de causa Card. de Lugo disp. 25. sect. 4. excusat hoc tempore Confessarios, qui pro gravissimis peccatis leves pœnitentias imponunt, quod fit propter infirmitatem spiritualem pœnitentium, ne gravioribus pœnitentiis scandelizentur, & confessionem fugiant quam doctrinam Scotus jam anteà docuerat loc. cit. d. 15. qu. 1. M. ubi loquens de qualitate satisfactionum pœnitentibus injungendarum, ait debere proportionari peccatis, itaut carnalibus jejunia, & carnis macerationes imponantur, superbis orationes, aliique humilitatis actus, avaris eleemosynæ juxtà illud Sapient. 11. *per quæ quis peccaverit, per hæc, & punietur*, & hoc universaliter, & de congruo, nam in speciali subdit talem modum non semper esse servandum, sed personæ conditionem esse considerandam, ideoque discretum esse debere Confessarium, ut pauperi, v. g. non imponat pœnitentiam diviti competentem, tunc enim rationabiliter posset ille pœnitens satisfactionem impositam non acceptare, & aliam petere imponendam magis statui suo proportionatam.

285 Quintò tandem addimus ibidem posse licitè pœnitentem in aliquo casu non acceptare satisfactionem à Confessario impositam etiam moderatam, & adhuc misericorditer absolvendum esse, & hanc diximus esse germanam mentem Doctoris loc. cit. ut benè exponit Hiqueus d. 19. qu. 1. §. *Sed numquid pœnam*, & hoc in primis deducitur ex dist. 15. q. 1. lit. N. ubi casū assignat, in quo id liceat, dicens quod si omninò nullam vellit recipere pœnitentiam à Sacerdote impositam, dicat tamen se habere displicentiam de peccato commisso, & firmum propositum non recidivandi, absolvendus est, & non respuendus, ne cadat in desperationem, & nuncianda est sibi pœna, quæ esset pro peccatis facienda, & quod eam in se, vel in æquivalenti impositione studeat adimplere, alioquin solvet ad plenū in Purgatorio, pro quo adducit illud Isaiæ 43. *Arundinem quassatam non confringet, & lignum fumigans non extinguet*. Planè ex his verbis constat Doctorem non loqui regulariter, sed in casu, in quo peccatori nimis esset difficile obligari ad pœnitentiā ex particulari suo statu, & tentationibus quas patitur in adimplenda pœnitentia ex obligatione, & casum format hoc modo Hiqu. l. c. in Comment. n. 95. in scrupulosis, qui sentiunt in se maximas turbationes conscientiæ, & anxietates excitari in quibuscunq; operibus obligationis, quibus sæpius repetitis non quiescunt, neq; existimant se omninò satisfeciſse, & hic casus frequenter in melancholicis occurrere solet, qui sibi ipsis laqueos innectūt, & in omnibus se peccare putant, & nunquam rectè persolvere pœnitentias etiam leves injunctas, & toties à se repetitas; undè in tali casu, inquit Doctor, consultius esse ipsis alleviare jugū, quantum fieri potest, & nullam injungere pœnitentiam, vel omninò citrà obligationem, ne desperatus recedat, & ut deceptio ex prava dispositione orta magis evacuetur, & anxietates ad desperationē inducentes submoveantur. Eodē modo, & in eodem casu loquitur Doctor d. 17. qu. 1. art. 2. lit. O. dùm inquit talem magis esse absolvendum, quàm repellendum, modo habeat propositum recipiendi pœnam à Deo in hac vita infligenda, vel in Purgatorio juxtà ea, quæ dixerat d. 15. quæst. 1. §. cit. ad quem locum se remittit. Et tandem in eodem sensu loquitur d. 19. qu. 1. §. *sed numquid pœnam* lit. D. ubi dicit non expedire talem sine absolutione dimittere; supponit ergo semper casum particularem, in quo ob difficultatem specialem satisfaciendi imminet periculum desperationis, quod ex una parte oriretur, quia subtrahitur absolutio, & ex alia, quia difficultatem superare nequit, quam patitur ex illa tentatione, qua nequit pœnitentiam cum obligatione acceptare. Ex quibus constat Doctorem, quando asserit pœnitentem posse licitè non acceptare pœnitentiam sibi à Confessario impositam, semper supponere casum, in quo nimis difficilè esset pœnitenti satisfactionem impositam adimplere, aut acceptare, non verò quod ex contumacia, aut impunitate peccandi Ecclesiæ claves contemnere velit. Undè non negat Doctor semper potestatem esse in Sacerdote injungendi pœnitentiam, vel repellendi pœnitentem suspendendo absolutionem, sed dicit consultius esse in eo casu non uti sua potestate, aut durum, & difficilem se gerere, sed condescendere fragilitati pœnitentis intimando obligationem, & debitum solvendi in hac, vel alia vita, & lucrando illam animam; ne in desperationem caderet, quod planè pietati valdè consonat pro animarum salute in simili casu.

285 Postremò quæritur, quo tempore pœnitentia à Confessario injuncta impleri debeat, & an per alium impleri possit. Quoad primam quæsiti partem communiter cum distinctione reiponderi solet, quod si Confessarius tempus illius implendæ præfixit, v. g. si certis diebus jejunium servandum injunxit; tempore illo præfixo implendum est; si verò tempus non est præfixum, pœnitens quamprimùm commodè poterit satisfactionem implere tenetur, & communiter Theologi docent illum mortaliter peccare, qui pœnitentiam gravem tempore valdè diurno differret sine ulla rationabili causa ex sola desidia, aut incuria. Quod autem ad aliam quæsiti partem, an satisfactio Sacramentalis possit per alium adimpleri, affirmant quamplures ex veteribus Scholasticis, quos etiam plures sequuntur Recentiores Soto, Henriquez, Suarez, Fagundez, Mercerus, Tannerus, Diana, & alii, quorum fundamentum est, quia pœnitentia Sacramentalis ad duo ordinatur, scilicet ad medendum spiritualibus morbis pœnitentis, & debitum peccatorum solvendum; estò igitur non possit quoad primum ab alio, quàm ab ipso pœnitente impleri, poterit tamen quoad secundùm, cum possit unus pro alio debitum solvere; qui Auctores non tantùm loquuntur de solutione per modum operis operantis, sed etiam per modum operis operati, putant enim claves Sacerdotales non solùm se extendere ad opera exequenda ab ipso pœnitente. Hoc autem aliqui ex prædictis Recentioribus ita declarant, quod non possit id facere pœnitens propria auctoritate alium sibi substituendo, sed sola auctoritate Sacerdotis. Ità Suarez, Diana, & alii apud Aversam qu. 13. sect. 4. & sequitur Brancatus ex nostris disp. 22. art. 7. concl. ult. ubi ait, quod licet satisfactio acceptata à pœnitente, ut implenda ab ipso, non possit per alium impleri, fieri tamen potest, ut aliquando sibi à Sacerdote imponatur pœnitentia per alium implenda.

287 Nos tamen statuimus qu. 23. cit. cum communiori, & probabiliori sententia pœnitentem teneri per se implere pœnitentiam injunctam, itaut neque ipse sua auctoritate sibi alium ad eam faciendam substituere possit, nec etiam auctoritate Sacerdotis. Ità Vasquez, Coninch. Lugus, Amicus, Aversa, Bonacina, & alii passim. Et quidem quod propria auctoritate id facere nequeat patet ex dicendis art. seq. ubi ostendemus nō posse propria auctoritate mutare pœnitentiam sibi à Confessario injunctam, eamque in partem Sacramenti elevare, cum hoc sit proprium clavium Sacerdotalium. Quod autem neque Sacerdos id facere possit, probatur ex Trid. sess. 14. c. 3. ubi materia hujus Sacramenti statuuntur tres pœnitentis actus contritio, confessio, & satisfactio, non autem alterius. Deindè probatur ex ratione hujus Sacramenti instituti ad modum judicii vindicativi, & medicinalis, in quo proindè idem, qui reus est, debet absolvi, & puniri, & qui infirmus curari, suscepta ab ipso medicina, non autem ab alio. Quod confirmari etiam potest à pari in aliis præceptis, v. g. de Missa audienda, de jejunio, &c. quæ non potest unus pro alio implere, imò magis requiritur actio personalis in proposito; cum pœnitentia præcepta tendat ad hanc numero personam puniendam, & curandam. Denique ex eo probatur, quia ille solùm potest Sacramentaliter exequi pœnitentiam impositam, seù præceptam, cui potest Sacerdos Sacramentaliter præcipere, sed hic est solus pœnitens, non autem alter, quia in hoc foro est Superior solius pœnitentis, nam claves Sacerdotales non nisi ad pœnitentem se extendunt, undè etiamsi in tali casu pœnitentia ab alio adimpleata prodesset pœnitenti per modum operis operantis, non tamen prodesset per modum operis operati, de quo tantùm est præsens difficultas. Ex quo patet quid sit dicendum ad fundamentum oppositæ opinionis, probat enim solum, quod pœnitentia ab alio adimpleta prodesset pœnitenti ex opere operantis, non autem ex

opere operato, cum enim non possit Confessarius pœnitentiam imponere, nisi ligando, nec possit pœnitentem ligare ad opus alterius, consequens est, ut quamvis unus pro alio satisfacere possit ex opere operantis, nequeat tamen Sacramentaliter, & ex opere operato, quod etiam ex nostris tenet Faber disp. 35. cap. 11. num 239. & Hiqueus 4. d. 15. q. 1. in Comment. dict. 160. Alias objectiones vide solutas loc. c.

ARTICULUS QUARTUS.

Quis possit satisfactionem impositam tollere, vel mutare.

288 PRo quæsiti intelligentia advertendum est, controversiam non esse, quando pœnitentia, vel satisfactio imposita facultatem excedit pœnitentis, sivè quia errante clave fuit imposita, sivè quia postea nova causa supervenit ab executione pœnitentiæ sufficienter excusans, nam in tali casu, si impotentia est evidens, pœnitens jure naturæ à pœnitentia imposita deobligatur, nec loco illius aliam assumere tenetur, si verò impotentia est dubia, poterit à viro docto, & prudenti consilium sumere etiam extrà confessionem narratis peccatis, pro quibus injuncta fuit; non tamen extrà confessionem posset aliam Sacramentalem pœnitentiam accipere, ut enim hæc sit Sacramentalis, & pars integrans Sacramenti, mediante ipsa confessione Sacramentali debet injungi; est itaque solùm controversia, quando pœnitentia imposita tàm peccatis, quàm facultati pœnitentis est proportionata, ac proindè illum ad sui executionē obligat; pro cujus quæst. resolutione plures se offerunt difficultates examinandæ, quæ passim apud Recentiores disputantur pro recta hujus quæstionis intelligentia, & decisione, & quamvis Scotus illas ex professo non tractet, adhuc tamen facilè, & consequāter ad ejus principia breviter resolvemus juxtà dicta disp. 5. c. q. 23. art. 1. ubi ex professo de hoc tractamus.

289 Primò itaque est difficultas, an pœnitens propria auctoritate possit sibi pœnitentiam commutare à Confessario impositam saltem in opus evidenter melius, disputatur autem de propria pœnitentis auctoritate, quia de auctoritate Confessarii loquendo nulli dubium est posse Confessarium facultatem pœnitenti conferre, ut ipse sibi pœnitentiam eligat peccatis proportionatam; quia pœnitentia ab ipso pœnitente hoc pacto electa eandem vim haberet, perindè ac si esset à Confessario imposita, nam mediatè saltem ex virtute clavium proficisceretur, quia earum virtute in tali casu esset à pœnitente electa. Affirmant nonnulli posse ab eodem pœnitente propria auctoritate unum opus à Confessario in satisfactionem injunctum commutari in aliud opus evidenter melius, quod etiam probabile censet Diana part. 2. tract. 15. resol. 53. quorum fundamentum est, quia qui exhibet largiorem solutionem, quàm debeat ex lege, legem non destruit, sed largius implet, ità autem accideret in proposito; ergo, &c.

Confirmatur, quia habens votum potest illud propria auctoritate in opus evidenter melius commutare; ergo & pœnitens satisfactionem. Tandem quia licet in tali casu mentem Confessarii interpretari, qui si rogatus fuisset à pœnitente parato ad aliud opus evidenter melius in satisfactionem, utique concessisset. Communis tamen opinio, ut diximus loc. cit. docet id nec licitè nec validè fieri posse. Ità Lugus, Coninchius, Amicus, Aversa, Caspensis, Sanchez, Henriq. Turrianus, Brancatus ex nostris, & alii Recentiores communiter. Fundamentum est, quia non potest subditus quidquam in præcepta Superioris, sivè dispensando, sivè permutando, ut ad lucrandam remissionem pœnæ per Indulgentiam non licet substituere loco jejunii v. g. à Pontifice præscripti aliud opus melius, ut eleemosynam centum aureorum; ergò neque ad obtinendam remissionem pœnæ per satisfactionem Sacramentalem, in qua præterea reperitur præceptum, & obligatio, quod non contingit in concessione indulgentiæ Confirmatur, quia non potest reus, qui est pœnitens, ferre suo modo sententiam, aut pœnam mutare sibi à Judice inflictam, qui est Confessarius, nec potest ille, qui suscipit Sacramentum, officium Ministri sibi usurpare conferendo Sacramentum. Denique pœnitentia nequit esse pars Sacramenti, nisi ex virtute clavium procedat, siquidem omnes, & singulæ hujus Sacramenti partes ab ipsa Sacerdotis potestate vim, & rationem Sacramenti sortiuntur; ergò pœnitentia, & satisfactio nequit esse pars Sacramenti, nisi à Confessario injuncta, in quo virtus clavium tantùm residet, in proposito autem talis pœnitentia ex sola pœnitentis auctoritate commutata, nec immediatè, nec mediatè ex virtute clavium procederet.

290 Ad rationem in oppositum distinguendum est assumptum, si debitor suprà id, quod est taxatum, seù determinatū à lege aliquid solvat, conceditur, si verò id, quod taxatum est à lege, permutet, ut est in casu proposito, negatur. Ad Confirmatione, negatur consequentia, & ratio disparitatis est, quia obligatio implendi rem voto promissā oritur ex voluntate voventis, qui proindè subrogando rem meliorem nullum jus lædit; obligatio autem implendi pœnitentiam oritur ex voluntate, & præcepto Confessarii, tanquam Superioris hanc rem in particulari determinantis, cujus proindè jus læditur, quarè non est simile de voto, quod sicut propria voluntate emissum est, ità etiam melius commutari potest; non sic autem opus aliena auctoritate injunctum, qualis est satisfactio Sacramentalis, quæ pendet à potestate clavium. Ad ultimum dicendum est, in eo casu ineptam esse interpretationem postquam Confessarius certo operi vim indidit Sacramentalem, & vinculum obligationis, non enim potest pœnitens elevare Sacramentaliter opera sua, aut in seipso actum judicialem exercere. Et tandem ut diximus loc. cit. contrà omnium Adversariorum argumenta est instantia validissima, si enim liceret permutare præceptum Confessarii, liceret etiam permutare præcepta Ecclesiæ, cum nulla possit assignari disparitas; atque ità pro jejunio possemus subrogare cilicium, pro Missa communionē &c. illud enim magis macerat carnē, hæc verò in majorem cultū Dei cedit, quod nemo dixerit.

291 Secundò est difficultas, an satisfactio ab uno Confessario imposita possit ab alio æquali, hoc est simili auctoritate prædito in aliam commutari, non solùm meliorem, sed etiam æqualem, vel insuper mitiorem dispensando in parte super primam graviorem. Negant aliqui, etiamsi secundus Confessarius de novo audiat, & absolvat eadem peccata. Ratio est, quia par in parem imperium non habet, undè in foro exteriori nequit unus Judex, nisi sit Superior, mutare sententiam alterius, & hoc per viam appellationis, vel recursus, quæ locum non habent in hoc Sacramentali judicio. Confirmatur, quia ex hac commutatione irrogaretur injuria priori confessario, cujus sententia à posteriori revocatur. Tandem quia remaneret mutilum, & imperfectum prius Sacramentum, siquidem illi deesset pars integralis satisfactionis à priori Confessario injunctæ, cujus obligationem sustulit secundus. Pro hac opinione citantur Soto, Vasquez, Nugnus, Victoria, Ledesma, Angles, & alij pauci. Oppositа tamen sententia communior est, & probabilior, ut diximus loc. cit. quam docent Angelus, Navarrus, Sylvester, Suarez, Lugus, Pesantius Amicus, Aversa, Valentia, Henriquez, & ex nostris Faber, Brancatus, & alii Recentiores passim. Fundamentum est, quia pœnitens habet jus peccata uni confessa alteri iterum confitendi; ergo quilibet legitimus Confessor, & præsertim æqualis primo in auctoritate, potestatem habet ea judicandi, & condigna pœnitentia puniendi; jus enim iterandi confessionem in pœnitente est corelativum, cui necessariò respondet in Confessario jus ferendi judicium suprà peccata iterum confessa; cum ergò non teneatur pœnitens, de iisdem peccatis duplicem subire pœnitentiam, benè poterit relicta prioris Judicis pœnitentia, exequi pœnitentiam posterioris. Confirmatur, quia posterior confessarius se habet, ut successor prioris prioris in eodem Tribunali, ac proindè potest idem, quod prior; sed hic potest pœnitentiam commutare, ut omnes fatentur; ergo & ille; undè si pœnitens accedat ad secundum melius dispositus, aut aliæ concurrant circumstantiæ, poterit secundus confessarius pœnitentiam prioris non tantùm commutare in æqualem, sed etiam minuere.

292 Ad fundamentum prioris sententiæ, negandum est, ut diximus loc. cit. cum Confessarius posterior pœnitentiam prioris mutat, exercere in illum imperium, sed exercet in ipsum pœnitentem, tanquam in sibi subditum, qui cum voluntariè possit se uni, & alteri subiicere in hoc foro, poterit à secundo novam obtinere sententiam, in quam transeat prior, quod non fit in hoc foro per modum appellationis, & recursus, sed per modum repetitionis, & successionis. Undè licet par in partem imperium non habeat, tamen habere potest in eundem subditum, sicut etiam in foro externo successor in eodem officio potest mutare ea, quæ præcessor fecerat, non quia in illum habeat imperium, sed quia potestatem habet in eandem materiam. Ad Confirmationem negatur consequentia, nullam enim injuriam posterior Confessarius irrogat priori commutando pœnitentiam ab ipso datam, sed consulit conscientiæ pœnitentis, qui jus habet consulendi alterum confessarium, nec revocat ejus sententiam, quasi injustam, sed novam profert ad instantiam rei, in cujus bonum iteratur sententia in eadem causa, non per modum appellationis, & recursus, ut dictum est, sed per modum novi judicii æquivalentis prioris, seù per modum repetitionis, & successionis, sicut in foro externo Judex in eodem judicio potest mutare, quæ prædecessor fecerat citrà ullam injuriam. Ad ultimum negatur consequentia, quia nihil deest in ratione judicii, quando ex commutatione, vel diminutione sententiæ sivè ab eodem Judice, sivè à successore facta non tollitur ejus executio, ut accidit in proposito; & quidem si argumentum valeret, sequerentur,

retur, neque per Indulgentias tolli ullo modo obligationem pœnitentiæ in hoc Sacramento saltem inquantum vindicativæ, eo quod nempè remaneret incompletum, quod tamen communiter asseritur, ut infrà dicemus.

293 Tertiò est difficultas, an etiam Confessarius inferior, idest, æqualem non habens auctoritatem possit hoc idem facere nempè pœnitentiam commutare à Superiore impositam, v. g. à Parocho, vel Episcopo, aut etiam Pontifice ipso, & difficultas non est de peccatis communibus, & liberis, idest, nemini reservatis, sed de pœnitentia imposita pro reservatis. Affirmât, Vasq. Henriquez, Navarr. Molfesius, Fernan. Bonac. & quidam alii, quorum fundamentum est, quia per absolutionem casuum reservatorum à Superiori factam, & obtentam, jam illa peccata remanent non reservata, & consequenter non remanet reservata pœnitentia pro eis imposita. Oppositа tamen sententia communior est, & probabilior, ut diximus loc. c. & quidem quod possit confessarius inferior ex causa, & prævia confessione commutare pœnitentiam à Superiore impositam pro peccatis communibus, & liberis, hoc est, non reservatis, nulli dubium est, quia ad solvendum, & ligandum pro communibus inferior Sacerdos est æqualis Superiori, habet enim ordinem, & eandem jurisdictionem quoad illa. Quod verò non possit cõmutare pœnitentiam pro reservatis à Superiorem impositam, probatur, quia sicut non potest confessarius inferior de illis peccatis, judicare, quia jurisdictionem non habet, ità nec pœnitentiam imponere, siquidem circà priorem sententiam non habet potestatem, cum ad tribunal superius pertineat. Tùm quia tunc inferior non se habet, ut successor prioris in eodem tribunali, ac proindè non potest reformare, seù moderare sententiam ab illo Judice Superiori per potestatẽ Superiorem prolatam, sicut nec inferior potest mutare præcepta Superioris. Tùm tandem quia reservatio inducta est, ut Superior suo judicio pœnitentiam, sivè per modum vindictæ, sivè per modum medicinæ imponat, itaut licet aliquando inferiori facultatem concedat absolvendi à peccato reservato, ipse tamen determinet, & taxet pœnitentiam injungendam, quod sanè frustraneum esset, si inferior iterum audita pœnitentis Confessione posset absolvere, & pœnitentiam mutare.

294 Ex qua doctrina fundamento prioris sententiæ facilè occurritur, cum enim reservatio peccatorum ad judicium, quod reservans de illis ferre debet, ultimatè ordinetur, utique hoc judicium frustraretur, si mutari posset ab alio Sacerdote inferiori; undè licet pœnitens à peccatis reservatis fuerit jam à Superiore absolutus, & possit illa rursus inferiori Sacerdoti confiteri, & eorum absolutionem petere, non tamen petere potest commutationem pœnitentiæ pro illis impositæ, quia in hujusmodi pœnitentiis tacitum involvitur præceptum, ne possint ab aliis commutari, nisi urgente aliqua gravi necessitate, & ad Superiorem recursus non facilè pateat. Fatemur tamen adhuc loc. cit. primam sententiam sua probabilitate non carere, sicut enim peccata reservata semel à Superiore absoluta, eo ipso non manent amplius reservata, itaut etiam ab inferiori possit de illis absolutio obtineri, si iterum ei in Confessione aperiantur; ità etiam videtur dici posse de pœnitentia pro eis imposita, itaut sicut pœnitens jus habet iterum sua peccata reservata alteri confiteri, ità & aliam sententiam loco prioris petendi, & subeundi, qua ratione Amicus disp. 16. sec. 4. & alii Recentiores priorem quoque sententiam censent probabilem.

295 Quartò est difficultas, an ad id debeat secundus Confessarius audire peccata, pro quibus pœnitentia fuit à primo imposita. Negant Navarrus, Toletus, Henriquez, Victoria, Valentia, Sylvius, Diana, & alii quamplures asserentes posse etiã extrà confessionem, præsertim si sit Superior, vel saltem in cõfessione de aliis peccatis, etiamsi non repetantur priora peccata anteà confessa, pro quibus pœnitentia fuit imposita. Fundamẽtum est, quia secundus Confessarius eandem habet auctoritatẽ quam primus habeat, & denuò est Judex, ac Superior in hoc foro, & pœnitens se ipsum illi subdit, totumque suum statum, & conscientiã; ergò validè, & licitè poterit tunc commutari, ac minui pœnitentia ab alio Confessario imposita maximè ex justa, & rationabili causa. Oppositа sententia affirmat hoc fieri non posse à secundo Confessario, sivè inferior fuerit, sivè Superior, nisi audiendo, & absolvendo denuò eadem peccata anteà confessa; ità Suarez, Vasqu. Coninc. Lugus, Pesantius, Amicus, Aversa, & alii quamplures, & hanc diximus l. c. esse probabiliorem, & probatur ex ratione hujus Sacramenti instituti per modum judicii, non enim potest Judex jurisdictionem exercere, nisi in suo foro, ac tribunali, nec ferre sententiam, nisi cognita causa; ergò neque secundus Confessarius poterit exercere hunc actum mutandi pœnitentiam, nisi in actuali exercitio Sacramenti, quando, scilicet, reus se accusat, ac defert peccata sua, pro quibus pœnitentia à primo imposita fuit, quæ si Confessarius ignorat, jam non habet causam perspectam. Confirmatur; quia ut judicium Sacramentale condignam peccatis pœnitentiam taxet, prærequirit, & postulat Sacramentalem peccatorum cognitionem, quæ non nisi per Sacramentalem confessionem haberi potest; cum ergò pœnitentia Sacramẽtalis sit hujus Sacramenti pars integralis, & cum nequeat esse pars hujus Sacramenti, nisi Sacramentali judicio taxeretur, planè sequitur secundum Confessarium prioris sententiam Sacramentaliter mutare non posse, nisi auditis in Confessione peccatis, in quæ illa fuit. Tandem quia ejusdem potestatis est imponere, ac tollere pœnitentiam, sed non imponitur pœnitentia extrà Sacramentum; ergo nec tolli potest per commutationem, nisi media confessione Sacramentali, quoniam commutare in proposito est partim tollere, scilicet, primam pœnitentiam, & partim imponere, scilicet, secundam pœnitentiam.

296 Et quidem, ut ibi dicebamus, rationes istæ non solùm convincunt secundo Confessario non licere pœnitentiam mutare à priori impositam sine auditione peccatorum, pro quibus imposita fuit, seù extrà eorum confessionem, sed etiam probãt non licere in ipsa confessione, quæ fit de aliis peccatis novis; hęc enim nova confessio se habet merè per accidens ad vetera peccata jam confessa, sicut autem Confessarius audiens solùm nova peccata non ritè pœnitentiam imponeret pro veteribus, quæ non audit, ità nec ritè sine eorum auditione pœnitentiam veterem permutaret, quemadmodum Judex non ritè profert sententiam de una causa per cognitionem alterius. Neque etiam sufficit, ut quidam Adversariorum dicunt, si pœnitens dicat se in præterita confessione habuisse hanc pœnitentiam pro peccatis tunc confessis; sic enim innotesceret quidem pœna, sed non culpa, propter quam illa fuit imposita, quod esset mutare sententiam cognitam non cognita causa, ut benè discurrit Aversa qu. 13. sect. 8. quapropter concludendum est non posse secundum Confessarium pœnitentiam mutare à primo impositam, nisi denuò audiendo, & absolvendo eadem peccata, pro quibus jam imposita fuit. Ex quibus patet, quid sit dicendum ad fundamentum sententiæ prioris, necessariò enim hæc nova confessio de iisdem peccatis requiritur, quia licet secundus Cõfessarius eandem cum priori auctoritatem habeat, hoc non sufficit, sed etiam habere debet ejusdem causæ cognitionem, & pœnitens debet illi suum statum, & conscientiam aperire, & patefacere, non quomodocunque, sed etiam de iisdem peccatis prioribus, quorum sibi cupit pœnitentiam commutari. Et parũ etiã refert, quod sit Superior respectu pœnitentis, ac etiam prioris Confessarii, ut quod sit Episcopus, vel Prælatus, neque enim ad hoc refert ejus Superioritas, & Prælatio, quia cum tota hac dignitate adhuc servare debet, quæ ad hoc Sacramentum essentialiter spectant, sicut alii, undè sicut obsolvere non potest peccata, quæ non audit in hoc Sacramento, ita nec ea punire per modum Sacramentalis pœnitentiæ.

297 Quintò est difficultas, an idem Confessarius possit pœnitentiam à se impositam cõmutare absque nova auditione, & absolutione. Affirmat communis opinio apud Aversa loco cit. ita tamen, ut non omninò fiat extra confessionem. Ratio est, quia talis commutatio esset tanquam actus, & complementum, seù modificatio ejusdem judicii Sacramentalis, sicut enim ab initio poterat imponi pœnitentia post absolutionem ut omnes ferè cõcedunt; sic etiam potest iterum mutari, & modificari consentiente, aut instante eodem pœnitente, non tamen extra Sacramentum, hoc ipso, quod est actio Sacramentalis. Ad hanc autem mutationem validè faciendam requiritur omninò ex parte Confessarii, ut diximus loc. cit. memoria saltem confusa peccatorum, ut Judex nempè procedat cum notitia causæ, ne sententia contineat errorem intolerabilem clave errante, sivè deindè tempus intercurrens sit brevius, sivè longius, sicut enim satisfactio etiam post longum tempus impleta integrat unum judicium cum partibus præcedentibus, quod judicium adhuc intelligitur suspensum, & incompletum, itaut Judex in suo Tribunali adhuc aperto habeat jus ad urgendam sententiæ executionem; sic eandem satisfactionem poterit Confessarius ad instantiam pœnitentis mutare, qui quidem Confessarius intelligitur sibi virtualiter retinere hujusmodi facultatẽ moderandi, ac mutandi pœnitentiam, licet enim sententia semel legitimè prolata, & acceptata videatur transire in rem judicatam quasi per modum contractus, itaut non possit mutari absque consensu Judicis, & subditi; in proposito tamen supponitur adesse consensus, imò instantia pœnitentis. Non est igitur cur hujusmodi tempus vel ad mediam horam cum Megala, vel ad diem cum Coninchio, vel ad triduum cum Diana, vel ad hebdomadam restringamus cum Henriquez, sed cum Vasquez, & Lugo rectè ad recordationem Confessarii extenditur. Imò addit Aversa, si non recordetur Sacerdos, sufficere quod ei peccata in memoriam revocet pœnitens absque accusatione, & absolutione, ac etiamsi inte-

interim expiret facultas Confessarii, quam fortè ad tempus habeat, quia adhuc durat quoad causam non solùm cœptam, sed etiam judicatam ad effectum moderandi suam sententiam.

297 Sed instat Brancatus noster disp. 22. art. 10. num. 233. ut fieri possit licitè, & validè mutatio satisfactionis multo tempore post confessionem primam non sufficere, quod Sacerdos recordetur peccatorum pœnitentis, sed necessariò iterandam esse confessionem peccatorum, ob quæ fuit imposita, quod probat, quia actus mutandi pœnitentiam jam impositam est actus Sacramentalis novus: ergo requirit alias Sacramēti partes, atque ideò confessionem novam, quia confessio jam præterita nequit moraliter ejus compars censeri ob nimiam longitudinem tēporis interjecti jam elapsi. At hoc diximus l. cit. nimium rigorem sapere, & sine sufficienti fundamento, verum quidem est Sacerdotem licitè operari non posse, si proportionē satisfactionis ad peccata non servat, & in eo casu talem proportionem servari non posse, nisi peccata jam confessa præ oculis habet, hoc est sufficientem eorum memoriam saltem confusam, at falsum est etiam post longum tempus hanc haberi non posse, nisi per iteratam pœnitentis confessionem, nam potest eam ex se habere Sacerdos sine iterata confessione. Quod si ipse non recordetur, sufficit etiam quod ei in memoriā reducantur ab ipso pœnitente absque nova accusatione, & absolutione. Et actus mutādi pœnitentiā in tali casu non est omninò novus, & à priori diversus, sed potius se habet, tanquam complementū, & modificatio ejusdem judicii Sacramentalis, ut supra dictū est, & sufficienter censetur moraliter unitus cum præterita confessione, & absolutione, quia sicut executio pœnitentiæ post quodlibet tēpus moraliter unitur cum toto Sacramento, estque pars integralis ejus, ita & commutatio, eo quod usque ad executionem maneat adhuc velut apertum idem judicium, & tribunal, & suspensū, atq; incompletum judicium, quo etiam pacto Judex qui rerum ad certam pœnam condemnavit, potest quousque ea completa non sit illam rationabili de causa moderare, & temperare, ut Jurisconsulti communiter docent. Ad majorem quæstionis hujus intelligentiam hic ulterius disputari solet, an possit injunctæ sibi pœnitentiæ satisfacere per indulgentiæ susceptionem, adeout indulgentia suscepta cesset obligatio eā adimplendi, de qua difficultate egimus ex professo quæst. 23. cit. art. 2. & rursus agemus inferius tractando de Indulgentiis.

DISPUTATIO XXII.

DE SACRAMENTO EXTREMÆ UNCTIONIS.

1 Omine extremę Unctionis intelligitur in Ecclesia unctio Olei benedicti, quę infirmo in extremis constituto adjunctis quibusdam precibus à Sacerdote confertur, & quia hoc Sacramentum est institutum ad delendas peccatorum reliquias, & Sacramenti Pœnitentiæ complemētum existimatum est à Patribus, ut loquitur Conc. Trident. sess. 14. ideò connexio hujus Sacramenti cum præcedenti Pœnitentiæ postulat, ut immediatè post illud de hoc agamus. Et cum extrema Unctio hoc Sacramentum appelletur, quia extremo loco suscipitur in fine vitæ, & post alia Sacramenta, ratio etiam petit, ut de hoc Sacramento ultimo loco agatur in tractatu de Sacramentis. In hac igitur ultima Disputatione de Sacramētis de hoc Sacramento agemus juxtà doctrinam traditam, & ordinē servatum l. 4. sent. disp. 6. breviter repetendo ibi dicta ad moralitatem spectantia, ut hactenus de aliis Sacramentis agendo fecimus; quia ut modò dicebamus, hæc est ultima unctio, quam homo viator recipit in extremis laborans, & ex hac vita migraturus ad aliam, primam enim unctionē recipit in Baptismo, secundā in Confirmatione, tertiam in collatione Ordinis Sacerdotalis, quartam & ultimā in Sacramento extremæ Unctionis, ut optimè cum pluribus aliis Bonac. discurrit tract. de Sacramētis disp. 7. de Sacramento extremæ Unctionis q. un. ab initio, plura autem repetemus de hoc Sacramento ex disp. cit. quam hactenus de aliis Sacramentis fecerimus, quia omnia ferè ibi dicta ad moralitatem spectant.

QUÆSTIO PRIMA.

De existentia, institutione, & definitione hujus Sacramenti.

2 AB hujus Disputationis initio de existentia, & institutione istius Sacramenti in primis discurrendum est, quia negarunt olim Valdenses, & Albigenses hoc esse verum, & proprium novæ legis Sacramentum, & nunc etiam negant Lutherani, & Calvinistæ, & licet Catholici omnes teneant extremam Unctionem esse verum, & proprium Sacramentum, sicut alia novæ legis Sacramenta, tanquam fidei dogma. non defuerunt tamen, qui putarint hoc Sacramentum non fuisse immediatè à Christo Domino institutum, sed ab Apostolis, quoniam apud nullum Evangelistam institutionis hujus Sacramenti fit mentio, quarè hæc duo puncta sunt breviter in hac prima quæstione resolvenda juxtà dicta disp. 6. cit. qu. 1.

ARTICULUS PRIMUS.

An extrema Unctio sit verum Sacramentum novæ legis.

3 PRimò conveniunt Catholici omnes contrà Hæreticos relatos extremam Unctionem esse verum, & proprium Sacramentum, tanquam dogma de fide, ex Scripturis, Conciliis, Patribus, & traditione, ac definitione Ecclesiæ expresè deductum, & quidem ex Scripturis licet aliqui hoc probent ex Evangelio Marci cap. 6. ubi de discipulis ad concionandum à Christo missis ait, quod *ungebant oleo multos ægros, & sanabant*, & dicant, quod hac unctione utebantur Apostoli ex præscripto Christi, non tantum ad salutem corporum, sed præcipuè animarum. Communis tamen, & probabilior opinio negat ex hoc loco sufficienter hoc Sacramentum probari, negatque unctionem illam, quæ tunc ab Apostolis exercebatur, fuisse hoc Sacramentum, sed potius fuisse ait quandam præventionem, & adumbrationem ejus, ut indicavit Conc. Trid. sess. 14. ca. 1. ubi de hoc Sacramento loquens ait: *Apud Marcum quidem insinuatum, per Jacobum autem promulgatum*, dicitur autem insinuari, quod non expresè proponitur, sed adumbratur, & obscurè indicatur, hoc igitur Sacramentum apud Marcum fuit duntaxat insinuatum, & adumbratum, seù figuratum eo modo, quo Sacramētum Baptismi dicitur insinuatum fuisse in baptismo Joannis, quia nimirū hic fuit umbra, & figura illius. Quarè melius, & firmius probatur hæc veritas cum Scoto 4. d. 23. q. un. ex Epistola Jacobi c. 5. ubi inquit: *Infirmatur quis ex vobis, inducat Presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini, & oratio fidei salvabit infirmum, & alleviabit eum Dominus, & si in peccatis sit, remittuntur ei.* Et hoc solo testimonio ad hanc veritatem probandam non solùm utuntur Scotistæ, & alii Auctores passim, sed etiam Concilii Florentinum, & Trident. & Summi Pontifices Innocentius Primus, & Tertius, ac plerique Patres infra citandi. Et quidē rationabiliter, quia hæc verba Apostoli continent omnia, quæ ad essentiam veri Sacramenti sunt necessaria, continent enim primò ritum externum sensibilem materia, & forma constantem, scilicet, unctionem olei, & verbo, seù oratione Sacerdotis, deindè designatur Minister, scilicet, Presbyter, & subjectum hujus Sacramenti capax, scilicet, fidelis infirmus, & tandem per alleviationem infirmi, & peccatorum remissionem designatur effectus, & gratia Sacramentalis ex efficacia unctionis per oleum, & orationem fidei data, quæ omnia, & singula latius in sequentibus explicabuntur; ergò efficaciter ex hoc loco Sacramentum extremæ Unctionis probatur, nam ad essentiam veri Sacramenti requiritur, & sufficit symbolum externū sta-

ſtabile certa materia, & forma conſtans, & infallibilem promiſſionem habens gratiæ ſanctificantis, quæ omnia continentur in præcitatis Jacobi verbis ſignantibus ritum ſenſibilem ſacrũ habentem ſpiritualem vim ad ſalutem, & ſanctificationem animæ remittendo peccata.

4 Neque rationabiliter Hæretici, ut diximus loc. cit. negant Epiſtolam illam eſſe Canonicam, nam pro tali definita fuit in Conciliis Provincialibus Laodicenſ. can. 59. Milevit. can. 7. Carthag. 3. cui interfuit, & ſubſcripſit, S. Auguſtinus can. 47. quæ Concilia confirmata ſunt à ſexta Synodo generali, & hoc idem poſteà definitũm fuit in Conciliis Florentino, & Tridentino infra citandis, & eſt conſtans Patrum ſententia, quos fusè Bllarminus adducit lib. 1. *de hoc Sacramento* c 3. & Hiqueus 4. diſt. 23. quæſt. un. *in Commentario*, ac Henriquez lib. 3. cap. 7. quarè pro comperto habemus, & ſupponimus illam Epiſtolam eſſe authenticam, & canonicam, & à D. Jacobo editam, ſicut alias ab Apoſtolis verè coſcriptas. Sed adhuc inſtant Hæretici, dato quod eſſet Canonica, ex ea non efficaciter deduci unctionem illam eſſe Sacramentalem, quia in ea non habetur mentio de alia unctione, quam de ſimili illi, qua utebantur Apoſtol. Marci 6. quam jam conceſſimus non fuiſſe Sacramentalem. Verum negandum eſt aſſumptum, quod in Epiſtola Jacobi non ſit ſermo de Unctione alterius rationis ab ea, quæ legitur Marci 6. cum expreſsè ibi dicat Apoſtolus Presbyteros Eccleſiæ ad hanc Unctionem vocandos eſſe, & eam à peccatis expiare, quod alteri illi unctioni non conveniebat, quæ ut ſupra dictum eſt, ſolùm deſerviebat principaliter, & immediatè ad ſanandos infirmos, & eos per hoc diſponendos ad credendam Chriſti doctrinam, & eam amplectendam. Nos negamus tamen hanc Unctionem à Jacobo commendatam, & promulgatam aliquam habere proportionem cum ea Marci 6. quatenus, & ipſa aliquo modo inferius declarando ad curandam quoque infirmitatem corporalem ordinatur, ſicut illa; qua ratione dicitur à Concilio Tridentino per illam Marci inſinuatam fuiſſe quatenus, ſcilicet, illa hanc ipſam adumbravit, & aliquando inſtituendam ſignificavit, ut conſtat ex verbis ejuſdem ſupra relatis.

5 Secundò probatur hæc veritas ex Conciliis, & Patribus, nam Concilium Cabilonenſe, quod temporibus Caroli Magni celebratum eſt ſub Leone Tertio circa annum 813. c. 48. decernit: *Infirmos ſecundùm Beati Jacobi documentum oleo, quod ab Epiſcopo benedicitur debere à Presbyteris ungi*, & paulò poſt allegatis ejuſdem S. Jacobi verbis ſubdit: *Non eſſe parvipendendam hujuſmodi medicinam, quæ animæ, corporiſque medetur languoribus*. Traditur hæc eadem veritas in Concil. Senonenſi. c. de extrema Unctione, & in alio Concil. Mogunt. cap. 34. & in Florent. in decretis Eugenii, & aliis à Brancato noſtro relatis tom. 3. de Sacramentis diſp. 11. art. 3. & tandem in Trident. ſeſſ. 14. cap. 1. de extrema Unctione, ubi habetur: *Hoc Sacramentum à Chriſto Domino inſtitutum eſſe, apud Marcum quidem inſinuatum, per Jacobum autem Apoſtolum, ac Domini fratrem fidelibus commendatum, & promulgatum*. Probatur etiam ex Patribus, qui huic ſanctæ Unctioni vim ſanctificandi, & peccata remittendi tribuunt, nam D. Auguſt. ſerm. 215. de tempore docet ſuperveniente infirmitate ægrotum Chriſti Domini corpus accipere debere, & exindè proprium ejus corpus ungendum eſſe, ut impleatur in eo illud, quod dictum eſt in D. Jacobi Epiſtola: *Infirmatur quis in vobis &c.* additque hoc modo corporis ſanitatem, & peccatorum indulgentiam obtineri D. Bernardus in vita Malachiæ Epiſcopi circa finem refert illum in fine vitæ hoc Sacramentum poſtulaſſe. Joan. Chryſoſtomus lib. 3. de Sacerdotio inquit, Sacerdotes non modo, cum nos regenerant, ſed etiam cum infirmos oleo ungunt, indulgere peccata, quod ex relatis D. Jacobi verbis confirmat. Idem inſinuare videtur Dionyſius Areopagita c. de Eccleſiaſtica Hierarchia in fine, ubi loquitur de unctione vivorum, quæ poſt communionem fiebat, & ſanctificante hominem. Plura etiam in hujus veritatis confirmationem ſumi poſſunt ex Cyrillo Hieroſol. Cathec. 5. & Beda lib. 2. in Marcum c. 14. & Jacob 3. Ex quibus conſtat vanam eſſe Hæreticorum calumniam, qui nobis obiiciunt nullam apud Veteres reperiri hujus Sacramenti mentionem.

6 Tertiò probatur eadem veritas ex traditione, & definitione Eccleſiæ, & in primis extat celebre teſtimonium Innocentii Primi, qui floruit anno 402. etenim in Epiſtola ad Decentium cap. 8. de hac unctione Sacramentali locum adductum Jacobi exponit, & circà finem docet hoc Sacramentum in verbis Apoſtoli Jacobi contentum à Presbyteris miniſtrari debere ægrotantibus, non quibuſcunque, ſed Chriſtianis, qui tantum hujus Sacramenti ſunt capaces. Eandem confirmat veritatem in c. Unico *Cum veniſſet* de Sacra Unctione, ubi Unctionem viſibilem, de qua Jacobus locutus eſt, dicit eſſe ſignum inviſibilis unctionis interioris, atque adeò Sacramentum; & quod *ſi digne ſumatur vel agit, vel auget, quod deſignat*, hoc eſt, vel primã gratiã producit, ſi fortè illam non invenit propter aliquod peccatum invincibiliter oblitum, vel auget, ſi eam invenit; & tandem probatur ex praxi Eccleſiæ Romanæ, quæ veram habet Sacramentorum doctrinam *De Hæreticis cap. Ad abolendam*, & ex Concilio Conſtantienſi in Conſtit. Martini V. ergò ex principiis fidei evidenter deducitur dari hoc Sacramentum in Eccleſia, in qua refert D. Hieronymus in cap. 14. Oſeæ ſemper uſitatum eſſe, & morem fuiſſe in extremis vitæ, & mortis agone certantes injungi oleo ſancto ad ſuperandas diaboli tentationes; hoc autem de nulla alia unctione poteſt intelligi, niſi de hac unctione Sacramentali, quia nullus alius mos eſt in Eccleſia ungendi certantes in agone mortis, niſi hoc Sacramentum, ut Faber noſter advertit diſp. un. *de Sacramento extremæ unctionis* qu. un. cap. 2. circà finem.

7 Quartò tandem probatur ratione à Scoto loc. cit. indicata deducta ex congruentia, quæ Deum movere potuit, & de facto movit ad hoc beneficium nobis præſtandum, non enim Deus providet minus fidelibus ſuis in majori neceſſitate, quàm in minori; ſed maxima neceſſitas eſt in exitu de ſtatu vitæ ad ſtatum termini, mortis enim articulus multis de cauſis eſt hominibus formidabilis; nimirum ob malæ vitæ conſcientiam, ob divini judicii timorem, & futuri ſtatus incertitudinem, & præſertim ob dœmonis tentationes, quæ eo tempore acrius urgent; ſicut ergò Deus providit de Sacramento auxiliante in principio vitę, nimirum de Baptiſmo, in medio vitæ, ſcilicet de Pœnitentia; ergò multò magis in fine vitæ providit, & providere debuit de Sacramento opitulante, quo recrearentur, & in majorem ſpem erigerentur fideles in eo mortis periculo conſtituti. Hanc etiam congruentiam deducit Doctor loc. cit. ex remiſſione venialium, quia congruum eſt receſſurum ab hac vita finaliter à peccatis venialibus abſolvi, iſta enim non remiſſa eſſent impedimentum gloriæ conſequendæ, ſiquidem ut ſupponitur ex cõmuni Theologorum doctrina, nihil coinquinatum intrabit Regnum Cęlorum, & ideo neceſſe eſt antè ejus ingreſſum omnem culpam quantumcumque levem dimitti, & purgari; contingere autem poteſt, inquit Doctor quod homo quantumcumque juſtus, & in gratia exiſtens aliqua talia peccata in exitu, & fine hujus vitæ habeat, quia homo frequentiſſimè peccat, & quaſi continuè hujuſmodi peccatis juxtà illud Proverb. 14. *ſepties in die cadit juſtus*; ergò congruum fuit ut Deus Sacramentum inſtitueret, quo homo juſtus finaliter hac vita receſſurus abſque ullo impedimento recta via ad gloriam tenderet.

8 In oppoſitum obiiciunt Hæretici, primò quia non pendet à fide Miniſtri, quod Sacramenta ſuos conferant effectus, nam etiamſi hic ſit infidelis, Sacramentum ſuum ſortitur effectum, modò intentionem habeat faciendi, quod Chriſtus fecit; ut autem hæc unctio ſuum conferat effectum ex ſententia Jacobi loc. cit. fidem Miniſtri requirit, ut ex illis verbis colligitur: *Et oratio fidei ſalvabit infirmum*; ergò hæc unctio non eſt verum, & proprium Sacramentum. Deindè ſi hæc unctio eſſet Sacramentum haberet effectum infallibilem, ut patet ex dictis de Sacramentis in genere, at non habet, quia hoc Sacramentum ponitur cauſativum ſalutis, non tantum animæ, ſed etiam corporis; at non ſemper hanc cauſat, ut in pleriſque conſtat, qui hoc Sacramento ſuſcepto non convaleſcunt, ergo non eſt Sacramentum verè, & propriè dictum, quia verum Sacramentum ex promiſſione Chriſti obicem non ponenti infallibiliter ſuum confert effectum. Nec dicere juvat ſalutem corporis eſſe tantùm effectum ſecundarium hujus Sacramenti, non verò primarium, nam Sacramenta ſuos etiam effectus ſecundarios infallibiliter conferunt, cum utrumque effectum contineant ex divina promiſſione, quæ defraudari non poteſt. Denique etiam ipſius animæ ſalus, & peccatorum remiſſio in præfatis Apoſtoli verbis non eſt infallibiliter promiſſa, ſed tantùm per modum deprecationis, ſicut promittitur corporis ſanitas, ut patet ex ipſo contextu; ergo &c.

9 Reſpondetur ex jam dictis loc. cit. negando minorem, quia in præcitatis Apoſtoli verbis non eſt ſermo de fide Miniſtri, ita quod neceſſariò requiratur fides in Miniſtro, & ab illa effectus Sacramenti pendeat; ſed ibi eſt ſermo de fide Eccleſiæ, in cujus fide Sacramenta adminiſtrantur, undè per orationem fidei in præcitatis verbis non debet intelligi fides Chriſti ſubjectiva, ſed objectiva, quia nimirum oratio adhibita à Miniſtro ad hoc Sacramentum conficiendum verbum Dei continet, & miniſterium fidei, quod ſaltem objectivè debet Miniſter in mente præhabere, dum infirmo hoc miniſtrat Sacramentum, quo ſenſu etiam fidem habere debet in aliorum adminiſtratione. Ad Confirmationem dicendum duplicem eſſe hujus Sacramenti effectum, ut ex dicendis conſtabit, unum principalem, & certum nimirum conferre gratiam, & dimittere peccata venialia finaliter, niſi infirmus obicem ponat; alterum verò ſecundarium, & minus principalem, & non ita certum, quia ſemper

non

non confertur, sed prout expedit saluti infirmi, quod non officit, quin extrema Unctio adhuc sit verum, & proprium Sacramentum. Undè à Conciliis, & Patribus non ita ponitur hoc Sacramentum salutis corporis collativum, sicut animæ, nam spiritualis salutis ponitur collativum absolutè, corporalis verò tantùm sub conditione, si nimirum saluti animæ expediens fuerit. Ad ultimum negatur assumptum, quia ex modo, quo peccatorum remissio absolutè promittitur, & sine ulla conditione, aperte significatur illam promitti nomine Dei, siquidem ut modò dicebamus, diversa est ratio de corporis salute, quæ non semper infirmo expedit, sicut animæ salus, & peccatorum remissio, undè illa sub conditione tacitè subintellecta promittitur, nimirum si infirmo expediens fuerit, hæc verò simpliciter, & absolutè, ut explicant Concilia, & Patres.

10 Dices Sacramenta novæ legis instituta sunt vel ad remissionem peccati, vel ad collationem gratiæ, neutrum autem munus convenit extremæ Unctioni; ergo non est novæ legis Sacramentum; major patet, probatur minor, nam unctio extrema non est ad remissionem originalis ordinata, quia hæc culpa per baptismum tollitur, nec ad remissionem actualis, quia hoc tollitur per pœnitentiam; nec etiam ad collationem gratiæ est instituta, quia ad conferendam primam gratiam baptizatis peccantibus instituta est pœnitentia, & ad conferendam secundam gratiam, seù augumentum gratiæ instituta est Eucharistia; ergo ad neutram est Unctio extrema instituta, & consequenter neque verum Sacramentum, & propriè dictum. Respondetur, ut diximus l.c.a.1. in fine negando minorem, ad cujus probationem dicendum esse extremam Unctionem per se instituta m esse ad colationem gratiæ secundæ, seù gratiæ augmentum, & remissionem venialium finaliter, ut magis constabit ex dicendis, nam pœnitentia non delet finaliter venialia, & gratia secunda est augmentum gratiæ, quod non tantùm per Eucharistiam, sed per alia quoque Sacramenta, & opera meritoria haberi potest, ut constat ex alibi dictis.

ARTICULUS TERTIUS.

An hoc Sacramentum fuerit à Christo immediatè institutum, & quomodo definiatur.

11 PRimò dicendum est hoc Sacramentum fuisse immediatè à Christo Domino institutum. Ita Scotus d. 23. cit. qu.un. in solutione ad primam, & hæc etiam antè Concil. Trident. fuit semper communior, & probabilior opinio inter Scholasticos, ut diximus disp. 6. cit. quæst. 1. art. 2. post illud verò est tanquam de fide tenenda, nam sess. 14. cap. 1. de hoc Sacramento inquit, quod instituta est hæc sacra Unctio infirmorum tanquam verè, & propriè Sacramentum novi testamenti à Christo Domino apud Marcum quidem insinuatum, per Jacobum autem Apostolum fidelibus promulgatum, & commendatum. Et posteà can. 1. subdit, si quis dixerit extremam Unctionem non esse verè, & propriè Sacramentum à Christo Domino nostro institutum, & à B. Jacobo promulgatum, sed ritum tantùm acceptum à Patribus, aut figmentum humanum, anathema sit. Et quamvis Concilium in hac veritate definienda non utatur particula *immediatè* ex ipsius tamen verbis satis aperte colligitur, eo enim ipso, quod inquit fuisse à B. Jacobo promulgatum, manifestè ostendit non fuisse ab eo institutum. Jacobus enim non fuit, nisi promulgator, sivè præco hujus Sacramenti immediatè à Christo instituti, ut ait Doctor loc.cit. Hoc idem etiam deducitur ex doctrina de Sacramentis in genere ab eodem Concilio tradita sess. 7. can. 1. ubi definit, si quis dixerit Sacramenta novæ legis non fuisse omnia à Christo Domino instituta, aut esse plura, vel pauciora, quam septem, aut etiam aliquod horum septem non esse verè, & propriè Sacramentum, anathema sit. Cùm igitur in præcedenti articulo determinatum sit Unctionem extremam esse novæ legis verum, & proprium Sacramentum, nam inter septem Ecclesiæ Sacramenta ibidem à Concilio enumeratur, sequitur evidenter etiam ipsum fuisse à Christo Domino immediatè institutum, & non ab Apostolis ut dicebant nonnulli veteres Scholastici. Hoc etiam probatur ratione, quia instituere symbolum peccatorũ remissivũ, qualis est extrema Unctio, est Dei proprium, quia ipse solus, ut causa principalis, & habens auctoritatem peccata remittere potest, & gratiam infundere, & nulli creaturæ talis virtus communicari potest instituendi Sacramenta, ut suo loco dictum est alioquin creatura esset causa principalis gratiæ, & effectus Sacramenti, quod est Dei proprium.

12 Secundò, quia apud Evangelistas institutionis hujus Sacramenti expressa non habetur mentio, tota hujus quæstionis difficultas consistit in assignando tempore, quo hoc Sacramentum fuerit à Christo Domino institutum. Scholastici illi, qui art. præced. hoc Sacramentum colligebant ex illo Marci 6. ubi de discipulis à Christo ad concionandum missis dicitur, quod *ungebant oleo multos ægros, & sanabant*, consequenter dicunt hoc Sacramentum institutum fuisse antè Christi passionem, quando Apostolos ad prædicandum misit cum potestate sanandi infirmos per sacram olei unctionem. Cui opinioni favere etiam videtur Doctor noster 4. d. 2. q. 1. §. *Secunda conclusio*, ubi ostendere volens, quomodo omnia Sacramenta fuerint à Domino instituta loquens de hoc Sacramento ait, de extrema unctione dicitur, quod Jacobi 5. *Infirmatur quis in vobis &c.* sed licet ibi promulgaverit illud Sacramentum, est melius dicere, quod fuerit institutum à Christo, legimus enim Marci 6. quod Apostoli ungebant multos infirmos, & sanabantur, & constat quod hoc non fecerunt nisi in virtute Christi, qui instituerat illam actionem virtuosam. Ità Doctor l.c. quibus verbis insinuare, & approbare videtur, quod hoc Sacramentum tunc fuerit à Christo institutum; & sequitur ex nostris Brancatus tom. 3. *de Sacramentis* d. 11. art. 6. concl. 2. ubi inquit, quod licet certè affirmari nequeat, quando, & quo loco Dominus hoc Sacramentum instituerit, probabile tamen est, quòd Marci 6. illud designaverit, non pro tunc, sed tempore congruo ministrandum; atque ità sicut tunc Christus illam sacram unctionem instituit ad sananda corpora, ità credendum videtur instituisse etiam ad sanandas animas in ratione Sacramenti, cùm non habeamus in Evangelio inditium aliud hujus institutionis.

13 Tertiò alter dicendi modus est eorum, qui negabant ex eo loco Marci 6. sufficienter colligi hujus Sacramenti institutionem, quamvis enim admittamus Christum tunc docuisse Apostolos, ut olei unctionem adhiberent ad curandos infirmos, non ob id tunc instituit hoc Sacramentum, sed potius dedit eis potestatem conferendi eo modo miraculoso sanitatem corporalem infirmis, & solùm hujus Sacramenti ritum tunc præsignavit, & adumbravit. Quarè dicunt illud instituisse post resurrectionem, quando instituit Pœnitentiæ Sacramentum Joan. 20. ut præcedenti disp. dictum est, nam ibi data fuit Apostolis vera potestas contrà peccata, & instituti sunt Ministri Sacramenti pœnitentiæ, & extremæ Unctionis, hoc enim Sacramentum consequens est ad pœnitentiæ Sacramentum, ideoque vocatur à Concil. Trid. consummativum pœnitentiæ. Ratio autem hujus dicendi modi est, quia cum hoc Sacramentum in Ministro supponat potestatem peccata remittendi, & in ipsius materia consecranda Episcopalem benedictionem, ut infrà dicemus, & cũ talem potestatem Apostolis contulerit solùm post suam resurrectionem Jo. 20. illis verbis: *Quorum remiseritis peccata &c.* sequitur evidenter antè hoc tempus Sacramentum extremæ Unctionis non fuisse institutum, & cum hoc Sacramentum sit Sacramenti pœnitentiæ consummativum, ac veluti complementum ex Trid. cit. satis probabile est unà cum illo, & consequenter ad illud institutum fuisse. Certum est autem pœnitentiæ Sacramentum non fuisse institutum antè Domini resurrectionem; ergo neque Sacramentum extremæ Unctionis, quod illius institutionem necessariò supponit. Et hoc totum consonat doctrinæ Scoti 4. d. 24. qu.un. §. *Circà quæstionem hanc*, ubi ait, quod Sacerdoti competit duplex spiritualis potestas, scilicet, conficiendi Eucharistiam, & absolvendi pœnitentem, quæ non sunt una potestas, quia una videtur prior fuisse altera, cum in Cœna contulerit Deus primam, secundam autem non nisi post resurrectionem Joan. 20. & idem infrà confirmat §. *de tertio articulo*, ubi inquit videri probabile, quod in Sacerdotio sunt duæ formæ partiales, in quorum altera confertur potestas conficiendi Eucharistiam, in reliqua potestas absolvendi in pœnitentia; ità Doctor ibi discurrit. Cum igitur Christus Dominus in nocte cœnæ non evexerit Apostolos ad integrum, & totale Sacerdotium, sed ad partiale tantùm, nimirum ad potestatem suprà ejus corpus consecrandum, non autem ad potestatem suprà corpus ejus mysticum quoad remittenda peccata, nam istam acceperunt post resurrectionem ejus Joan. 20. hinc sanè colligitur Sacramentum extremæ Unctionis antè illud tempus institutum non fuisse, sed post; & hunc dicendi modum sequuntur Suarez tom. 4. disp. 39. sect. 2. Amicus disp. 19. sect. 2. Aversa quæst. un. de hoc Sacramento sect. 1. & ex nostris Aretinus loc. cit. & Hiribarnes disp. 22. sect. 1. & alii Recentiores passim.

14 Quartò, nec urget, quod Evangelistæ distinctè, & expressè talis institutionis non meminerint, nam Evangelistæ præsertim solliciti fuerunt in iis Sacramentis recensendis, quæ ad salutis necessitatem pertinent, & ad Ecclesiæ dispositionem, ejusque à reliquis sectis distinctionem; hoc autem Sacramentum non est ad salutem necessarium, sicut neque Confirmatio. Tùm etiam quia neque materia, & forma Sacramenti Ordinis habeatur distinctè apud Evangelistas, cum tamen hæ, tanquam à Christo institutæ, acceptentur ab Ecclesia; si igitur in proposito perpetua traditione Ecclesiæ apud Græcos, & Latinos constat extremam Unctionem esse Sacramentum à Christo Domino insti-

institutum, plura quippe sunt, quæ Christus Dominus oretenus per Apostolos tradidit Ecclesiæ, ut colligitur ex 1. Actor. ubi dicitur Christus per quadraginta dies Discipulis apparuisse, & cum eis conversens de Regno Cœlorum locutus fuisse instruens, & erudiens eos de omnibus ad Ecclesiæ gubernationem pertinentibus, & multa etiam sunt à Christo præscripta, & ab Apostolis prædicata, quæ scripta non sunt, nam Andreas, Thomas, Bartholomæus plura prædicaverunt, & non scripserunt, extrema autem Unctio non tantum fuit ab Apostolis predicata, sed etiam scripto consignata, & promulgata à Jacobo, quæ quidem scriptio, & promulgatio præsupponit hanc Sacramentalem Unctionem fuisse à Christo oretenus institutam, & ab Apostolis prædicatam.

15 Quintò quod attinet ad huius Sacramenti definitionem, quæ est altera pars quæsiti, non eodem modo ab omnibus assignatur, cùm enim hoc Sacramentum, sicut & cætera, constet ex materia, & forma, tanquam ex partibus physicis, illud physicè aliqui definiunt per suas partes physicas dicendo, esse unctionem oleo benedicto factam in eis partibus corporis, ubi præcipuè quinque organa sensuum vigent, sub præscripta verborũ forma. Alii metaphysicè illud definiunt per genus, & differentiam dicendo, quod est signum rei sacræ, quo aliquæ partes corporis infirmis unguntur oleo benedicto sub præscripta verborum forma juxtà Christi institutionem ad salutem animæ, & corporis; ubi signum rei sacræ stat loco generis, in quo extrema Unctio cum reliquis convenit Sacramẽtis. Quod verò additur, quo aliquę partes corporis &c. stat loco differentię, cum per has particulas extrema Unctio à cæteris differat Sacramẽtis, ut patebit ex sequentibus. Alii tandem utramque miscent definitionem dicentes, extremam Unctionem esse Sacramentum ex sacra unctione olei, & prece Sacerdotis cõfectũ, & ad salutẽ mẽtis, & corporis ęgrotãtis hominis divina institutione ordinatũ.

16 Denique Scotus noster loc. cit. hanc assignat definitionem, quæ adamussim omnia explicat necessaria ad hoc Sacramentum dicens; quod est Unctio hominis infirmi pœnitentis facta in determinatis partibus corporis cum oleo consecrato ab Episcopo, ministrata à Sacerdote simul verba certa cum intentione debita proferente, ex institutione divina efficaciter significans curationem finalem venialium. Quæ quidem definitio exacta est, & complecta, ut potè explicans omnià ad hoc Sacramentum requisita, explicat enim materiam remotam, quæ est oleum olivæ simplex ab Episcopo benedictum; explicat materiam proximam, quæ est unctio in determinatis partibus corporis, explicat formam, quæ sunt orationes cum debita intentione à Sacerdote proferendæ; explicat Ministrum, qui est solus Sacerdos, ut ex ipsis D. Jacobi verbis colligitur, explicat susciptentem, seu subjectum hujus Sacramenti capax, qui est homo pœnitens infirmus; & explicat corporis partes, in quibus hoc Sacramentum susciperе debet, quæ sunt organa potentiarum vitalium; & tandem explicat vim, & effectum hujus Sacramenti, qui est curatio, & remissio finalis venialium. Hæc igitur est vera, & propria hujus Sacramenti definitio licet enim vera, & rigorosa definitio, quæ dicitur quidditativa, per genus tantum, & differentiam sit assignanda; aliæ tamen deffinitiones, quæ quietativæ dicuntur, & potius sunt descriptiones, dari possunt per causas, & effectus, & aliæ, quæ magis naturam definiti explicare possunt, & definitio quietativa, quæ relativis convenit, qualis est ista dari non potest de aliqua specie, nisi exprimatur fundamentum, & terminus, per hæc enim saltem à posteriori relationis terminus dignoscitur, ut dictum est in logica, ita ad verbum discurrimus de hujus Sacramenti deffinitione disp. 6. cit. quæst. 1. art. 2. in fine.

QUÆSTIO SECUNDA.

De materia, & forma hujus Sacramenti.

17 IAM diximus superius disp. 16. loquendo de Sacramẽtis in genere, quodlibet Sacramentum novæ legis ex materia, & forma determinata constare debere; ità enim definivit Concilium Florentinum ibi citatum in decretis Eugenii de omnibus novę legis Sacramentis tribus omnia, & singula perfici debere, nimirum rebus tanquam materia, verbis tanquam forma, & persona Ministri conferentis Sacramentum, cum intentione tamen faciendi, quod facit Ecclesia. Hoc igitur supposito quęritur in præsenti quęnam sit hujus Sacramenti extremæ Unctionis materia & forma. Et quia materia Sacramẽtorum duplex est ut etiam dictum est loc. cit. de Sacramentis in genere, remota nimirũ, & proxima, de utraque in primo articulo agemus, & de forma in sequẽti, & omnia breviter resolvemus juxtà dicta lib. 7. sent. disp. 6. cit. art. 1. & 2. ubi fusè de hoc tractavimus.

ARTICULUS PRIMUS.

Quænam sit materia Sacramenti extremæ Unctionis.

18 PRimò, jam diximus quæst. 2. cit. art 1. materiam remotam hujus Sacramenti esse oleum olivæ ab Episcopo benedictum. Ità Doctor l. c. quod definitum habetur in Concilio Florentino in decreto de unione Armenorum, & Trident. sess. 14. cap. 1. de extrema Unctione, & Apostolus ipse Jacobus in sua Canonica indicavit illis verbis *Ungentes eum oleo* quamvis enim non exprimat nisi oleum, hoc tamen ex communi modo loquendi intelligitur oleum commune, & usuale, quod est solùm oleum olivarum, quemadmodum cùm dicitur materiam baptismi esse aquam, aqua elementaris intelligitur; & cùm dicitur materiam Eucharistiæ esse panem, & vinum, ex vi communis locutionis, & significationis intelligitur panis triticeus, & vinum ex vite, quæ tantùm sunt communia, & usualia. Undè Concil. Flor. l. c. expresse in suo decreto definit esse *oleum olivæ*. Ex quo sequitur simplex dumtaxat oleum sine ulla mixtione alterius liquoris esse materiam idoneam, & propriã hujus Sacramenti, quod etiam Apostolus ipse citatis verbis indicavit, in quibus sola mentio fit olei, & hoc idem confirmat praxis ipsa Ecclesiæ in distinctis vasis asservantis materiam extremæ Unctionis, & Confirmationis, eo quod illa sit oleum simplex, hoc autem balsamo mixtum. Nec refert Pontifices, & Concilia materiam hujus Sacramenti aliquando appellare Chrisma; nam Chrismatis nomine simplicem unctionem intelligunt, siquidem Chrisma græcè unctionem latinè significat. Quod si cum oleo aliquis alius admisceretur liquor, licet id non sine gravi peccato ex suo genere fieret, per hoc tamen non redderetur irritum Sacramentum, dummodò oleum in sua substantia permaneat, neç corrumpatur per excessum liquoris adjuncti, sicut in simili casu dictum est de materia aliorum Sacramentorum. Ex quo sequitur, ut hìc benè notant Hiqueus, & Poncius, si aliquid balsami admisceretur, non impedire validitatem materiæ hujus, quamvis id non sit necessarium, nam adhuc esset oleum, licet sit etiam Chrisma propter illam admixtionem; & planè sicut admixtio aquæ non obstat, quo minus vinum, cui est admixta, sit valida, & necessaria materia Sacramenti sanguinis; ità censendum est neque admixtionem balsami cum oleo impedire, quin adhuc oleum cui admiscetur, sit valida hujus Sacramenti materia. Addit tandem Doctor benedictionem Episcopalem esse necessariam ad hoc ut oleum sit apta hujus Sacramenti materia, quia communiter in Sacramentis consistentibus in usu solus baptismus non requirit materiam specialiter consecratam, quia Christus tactu suæ mundissimæ carnis, quando voluit à Joanne baptizari, totam aquam consecravit, hoc est, in usum istum dedicavit; alia autem Sacramenta, quæ pro materia habent aliquod corporale, ut Unctiones, requirunt consecrationem, seù benedictionem Episcopi; quæ quidem est congruentia quædam, sed potior ratio est, quam & ipse assignavit 4. dist. 7. quæst. 1. D. quia cùm baptismus sit Sacramentum adeò necessarium, expediebat materiam ejus esse valdè simplicem, facilem, & communem; cum verò Sacramentum hoc, sicut & Confirmationis, non essent adeò necessaria, ad reverentiam, & decorem ipsius Sacramenti, & ad majorem aptitudinem in significando expediebat ejus materiam esse prius benedictam, & consecratam.

19 Secundò jam diximus ibidem, proximam materiam, hujus Sacramenti esse Unctionem, quod & nomen ipsum hujus Sacramenti apertè indicat, & Apostolus ipse sufficienter expres. sit, cùm dixit *Ungentes eum oleo*, ac denique Concilia Florentinum, & Tridentinum definiunt. Accedit etiam ratio, quia hoc Sacramentum non est essentialiter oleum ipsum, sed unctio facta per oleum, sicut baptismus non est aqua, sed ablutio per aquam facta. Addit tandem Doctor optimam congruentiam, quia unctio est signum valdè conveniens signato, seù effectui hujus Sacramenti, sicut enim unctio exterior fit ad aliquem morbum curandum; ità hæc unctio Sacramentalis exterior significat curationem animæ interiorem à culpis venialibus, quam etiam congruentiam accepit, & approbavit Concil. Trident. sess. 14. c. 1. ubi postquam materiam hujus Sacramenti remotam expressit illis verbis *intellexit enim Ecclesia materiam esse oleum ab Episcopo benedictum* volens subindè materiam quoque proximam indicare, subdit: *Nam Unctio aptissimè Spiritus Sancti gratiam, qua invisibiliter ægrotantis anima injungitur, repræsentat*, certum est autem materiam proximam Sacramenti esse illã, quę effectũ Sacramentalem causat, scilicet, gratiã; est ergo Unctio materia proxima hujus Sacramẽti, utpotè valdè apta,

& pro-

& proportionata ad significandum eius effectum. Ex quo constat malè id negasse quosdam apud Divum Bonaventuram 4. dist.23. asserentes Sacramentum hoc consistere in solo oleo ab Episcopo benedicto, ut in materia proxima, Unctionemque non esse materiam, sed applicationem hujus Sacramenti, sicut comestio non est materia Sacramenti Eucharistiæ, sed ejus applicatio. Ratio est, quia hoc Sacramentum consistit in ipso usu, & applicatione materiæ, sicut baptismus, & Confirmatio, & cætera Sacramenta præter Eucharistiam, quæ sola est Sacramentum permanens. Et planè patet ad sensum, quod quando oleum est in vase, aut in manu, vel digitis Sacerdotis, & ægrotus non ungitur non fit Sacramentum, etiamsi forma proferatur, quandò autem ungitur, & simul forma profertur, tunc fit Sacramentum; ergo ipsa unctio est proxima materia hujus Sacramenti. Quot autem unctiones requirantur, & sufficiant ad hoc sacramentum perficiendum dicemus posteà agentes, de ritu hujus Sacramenti quoad partes corporis inungendas, & nominandas.

20 Tertiò, est difficultas an materia necessaria hujus Sacramenti debeat esse oleum simplex, itaut si sit balsamo permixtum non sit valida materia hujus Sacramenti. Affirmant Paludanus, Soto, Nugnus, Aversa, Layman, & alii recentiores, ex quo deducunt in casu, quo non possit haberi simplex oleum, non posse Sacerdotem ad hoc Sacramentum conficiendum uti Chrismate, quia materia Confirmationis, quod est Chrisma, diversa est à materia extremæ Unctionis. Hoc autem probant ex ipso usu, & exercitio Ecclesiæ, quo solum oleum absque ulla balsami mixtione adhibetur. Item probant ex modo loquendi Concilii Florentini, & Tridentini, & ipsius Apostoli, dum simpliciter oleum nominant, hinc enim fit hanc solam esse materiam sufficientem, & debitam, omnemque alium liquorem, & succum esse prorsus extraneum, & juxtà verba ipsius Apostoli putandum esse dicunt, taliter fuisse materiam hujus Sacramẽti à Christo institutam, ut non magis potuerit admisceri, et adjũgi balsamum, quàm quicunq; alius liquor, et succus herbarum, et arborum. Cæterum oleum etiam balsamo mixtum adhuc esse validam huius Sacramenti materiam docent. Suarez, Henriquez, Amicus, et ex nostris Aretinus, Hiqueus, Brancatus, Poncius, et alii Recentiores, qui consequenter dicunt in casu, quo non possit haberi oleum simplex benedictum non posse Sacerdotem uti Chrismate ad hoc Sacramentum perficiendum, et hoc manifestè sequitur ex dictis in primo asserto, ubi diximus, quod sicut mixtio aquæ, vel alterius liquoris, si vini materiam non corrumpit materiam Calicis non tollit, ità nec mixtio balsami alteriusvè liquoris olei materiam non corrumpentis materiam extremæ Unctionis non tollet. Cùm ergo Chrisma sit oleum olivæ ab Episcopo benedictum habens mixtionem balsami in modica quantitate quarundam, scilicet guttularum ejus planè per hoc non definit esse materia apta, & sufficiens pro extrema Unctione, quia modicũ balsami substantiam olei non destruit, ut ea effectibus, & experientia apparet. Et sicut oleum non benedictum in parva quantitate additum benedicto non facit, quin prius non sit benedictum, imò utrumque benedictum censetur ex cap. *Quod in dubiis de Consecratione*, & hoc quia non destruit oleum jam benedictum, ità in proposito, quia modicum balsami substantiã olei nõ destruit ei permixtũ, nõ ob id cessat esse materia apta hujus Sacramẽti

21 Neque oppositum docet Doctor loc.cit. non enim simpliciter, & absolutè asserit tolli materiam Sacramenti, si balsamũ admisceatur, sed solum dicit non requiri necessitate Sacramenti; inquit enim: *Nec oportet ibi esse aliquod confectum ex oleo, & balsamo*, quasi dicat non est necessarium; nec etiam aliud probat congruentia, quam ibi adducit, quia certum est Chrisma significare nitorem conscientiæ, atque ideò illa balsami mixtio efficaciæ, & significationi hujus Sacramenti non derogat, quæ ex proportione materiæ desumitur, quamvis necessariò non requiratur. Rationes verò, & auctoritates in oppositum adductæ probant solùm, quod per se loquendo ad conficiendum hoc Sacramentum sufficit simplex oleum benedictum, neque necessaria est balsami permixtio, & in hoc differre à Confirmatione, in qua necessarium est Chrisma ex oleo, & balsamo confectum, ut suo loco dictum est, & hoc solum probat testimonium Jacobi, & Conciliorum, simpliciter enim de oleo loquuntur, quia ad materiam hujus Sacramenti non est necessaria balsami permixtio, & rationem discriminis affert ibidem, quia Confirmatio, inquit, est ad Confessionem, & confirmationem fidei; & ideò in confirmato requiritur nen tantùm puritas conscientiæ per oleum significata, sed odor etiam bonæ famæ per balsamum significatus, quem tenentur dare viventes exemplo bonorum operum, sed huic, qui habet in brevi exire de vita, & de via ad terminum, sufficit conscientia pura, quam oleum significat, ac propterea ex institutione divina solum simplex oleum est necessaria, & sufficiens materia ad hoc Sacramentum perficiendum, & per hoc differt Sacramentum extremæ Unctionis à Sacramento Confirmationis, in qua necessarium est Chrisma ex oleo, & balsamo confectum, nec simplex oleum sufficit, ut ad extremam Unctionem.

22 Quartò est difficultas, an oleum, quod est materia remota hujus Sacramenti debeat ad ejus validitatem esse specialiter benedictum, & consecratum ad hunc effectum, itaut ex usuali oleo non benedicto nullum fieret Sacramentum, sed sit de necessitate Sacramenti, quod sit benedictum. Negant Victoria, Serarius, Ledesma, & quidam alii esse hanc benedictionem de essentia, & necessitate Sacramenti, & dicunt esse solùm de necessitate præcepti. Fundamentum est, quia Jacobus c. 5. solùm dicit *Ungentes eum oleo*, non autem addit *benedicto*; ergò oleum simplex, & naturale est essentialis materia hujus Sacramenti, nam sola fit ibi mentio olei, quicquid autem pertinet ad materiam Sacramenti debet in sacris oraculi contineri, cùm ejusdem Auctoris sit Sacramenta instituere, & essentialia Sacramentorum præscribere. Confirmatur, quia simili argumento colligimus essentialem baptismi materiam esse simplicem aquam naturalem, quia scriptura simpliciter aquam requirit. Demum si hęc benedictio materię requireretur, maximè esset in materia Eucharistiæ, quę est Sacramẽtum omnium augustissimum, atqui in hac non requiritur; ergo in nullius alterius materia id requiritur de necessitate Sacramenti. Communis tamen, & vera sententia tam Veterum, quàm Recentiorum, ut diximus loc.c. affirmat Episcopi benedictionem essentialiter requiri ad naturam hujus Sacramenti, sine qua irritum esset Sacramentum, & ita præsertim docet Doctor noster dist.23.cit. infrà D. ubi ait, quod consecratio Episcopalis est necessaria ad hoc, ut sit materia apta, quia communiter in Sacramentis consistentibus in usu solus baptismus non requirit materiam specialiter consecratam, quia Christus tactu suæ mundissimæ carnis quando voluit à Joanne baptizari, totam aquam consecravit, hoc est, in usum istum dedicavit; ita Doctor ibi, Faber, Hiqueus, Hiribarnes, Aretinus, Poncius, Brancatus, & alii Recentiores passim. Fundamentum sumitur ex Conciliis, Patribus, & Ecclesiæ traditione, siquidem tam Florentinum, quàm Tridentinum Concilium pro materia necessaria hujus Sacramenti expressè, & absolutè assignant oleum ab Episcopo benedictum; & ita etiam loquuntur Innocentius I. in Epist.cit. ad Decentium, Innocentius III.cap. *cum venisset* de sacra Unctione; quo loquendi modo non tantùm denotant obligationem præcepti, sed etiam de necessitate Sacramenti, non enim loquuntur quasi ex se præcipiendo, se tanquam docendo id, quod ex ipsa institutione necessarium est. Undè non benè, nec sufficientes Concilia explicari possunt de necessitate præcepti, quia distinctè, & expressè materiam hujus Sacramenti contra Hæreticos assignant oleum ab Episcopo benedictum, & illud assignant in recto, non autem tantùm in obliquo, quemadmodum materiam Calicis assignant vinum aqua mixtum, seu *cui modicissima aqua admisceri debet*, ut loquitur Florentinum; & Trid.sess.22,c.7. expressè ait hoc tantum esse Ecclesiæ preceptum *ut Sacerdotes aquam vino in Calice offerendo misceant*, non sic de olei benedictione.

23 Ad fundamentum oppositæ sententiæ jam diximus loc.c. quod licet explicitè, & evidenter ex sacra scriptura non colligitur, oleum necessariò necessitate Sacramenti esse benedicendum, sufficit quod hoc habetur ex Apostolica traditione, quam Concilia citata supponunt, sicut nec Ordinum omnium materia habetur ex scriptura, sed ex Apostollca traditione, et praxi Ecclesiæ. Ad Confirmationem negatur paritas de aqua, et oleo; illi enim tactus Domini sufficit in consecrationem, non sic de oleo dici potest; undè cùm hæc materia non fuerit à Christo Domino specialiter dedicata ad hunc effectum, sicut dedicata fuit aqua ad baptizandum tactu suæ mundissimæ carnis, ut inquit Doctor, debet specialiter benedici, & applicari ab ipso Episcopo, qui est Pastor in Ecclesia vice Christi. Tum quia, ut etiam supra dictum est, cum Baptismus ut Sacramentum adeò necessarium, expediens fuit ejus materiam esse communem, & obviam, ne ex defectu consecrationis perderentur sæpè sæpiùs infantes, cum verò hoc Sacramentum non sit simpliciter ad salutẽ necessariũ, ad reverentiã, & decorem ipsius Sacramẽti, & majorem aptitudinem in significando expediens fuit ejus materiam esse prius benedictam, & consecratam. Ad ultimũ negatur etiam paritas de materia hujus Sacramenti, & Eucharistiæ, quæ est panis, et vinum, nam hunc manibus suis accipiẽs semel dedicavit ad Sacramentum Eucharistiæ conficiendum, nec alia benedictione, vel consecratione talis materia Eucharistica ante indiguit, nam quæ major consecratio, quàm immediatè uniri corpori, et sanguini Christi? quorum conjunctione altiori modo species panis, et vini consecrantur.

24 Quin-

24 Quintò tandem est difficultas, an hæc olei benedictio necessariò fieri debeat ab Episcopo, itaut neque per Summi Pontificis dispensationem possit simplici Sacerdoti committi. Affirmant Bellarminus, Suarez, Amicus, Caspensis, Coninchius, Layman, Aversa, Filliucius, Nugnez, & ex nostris Faber loc. cit. & plures alii Recentiores. Fundamentum est, quia eadem Concilia, quæ definiunt materiam hujus Sacramenti esse oleum ab Episcopo benedictum, simul innuunt non posse ab alio, quam ab Episcopo benedici, quia cum absolutè, & absque ulla limitatione hoc asserunt, nullum relinquunt fundamentum opinandi contrarium. Confirmatur, nam dum Concilia hujus Sacramenti materiam assignat, non dicunt illam ordinariè esse oleum ab Episcopo benedictum, uti dicunt, cum assignant Ministrum Sacramenti Confirmationis, sed absolutè pronunciant esse oleum ab Episcopo benedictum, quod non leve argumentum est in secundum dispensationem cadere posse, non autem in primum. Opposita sententia docet jure divino utique solum Episcopum posse ordinariè oleum benedicere, ut sit apta materia hujus Sacramenti; nihilominus tamen posse Summum Pontificem hanc potestatem simplici Sacerdoti delegare; ità hìc omnes docent, ut diximus loc. cit. quicunque de Sacramento Confirmationis dixerunt, saltem per dispensationem Pontificis posse Chrismatis consecrationem simplici Sacerdoti committi, nam hoc ipsum commune est materiæ hujus Sacramenti cum materia Confirmationis, undè illi Theologi qui admittebant posse ex dispensatione, seù commissione Summi Pontificis sufficere benedictionem Sacerdotis in materia illius Sacramenti, idem pariter affirmant, & admittunt in hoc Sacramento; quarè miror Poncium id in Sacramento isto admittere, cum illud in Sacramento Confirmationis negaverit, & è contra Amicum in præsenti negare cum hoc in Sacramento Confirmationis jam admiserit. Ut igitur nos consequenter loquamur, cum hoc jam admiserimus de materia Confirmationis cum Soto 5. distinct. 7. quæst. 1. ubi ab initio quæstionis dicit, Chrisma debere esse specialiter ab Episcopo benedictum, vel ab alio, cui talis sanctificatio committi poterit, hoc idem pariter de materia extremæ Unctionis admittere tenemur, & eodem modo defendere, sicut ibi.

25 Hoc autem præsertim probatur in proposito, quia in Ecclesia Græca ex antiqua consuetudine Presbyteri hoc oleum consecrabant, & Clemens Octavus in sua instructione ad Episcopos Latinos de Græcorum ritibus data anno 1595. dicit: *Non sunt cogendi Presbyteri Græci Olea Sancta præter Chrisma ab Episcopis Diœcesanis accipere, cum hujusmodi olea ab eis in ipsa oleorum, & Sacramentorum exhibitione ex veteri ritu conficiatur, & benedicantur.* Ità refert Petrus Archudius in concordia Orientalis, & Occidentalis Ecclesiæ lib. 5. qui est de extrema Unctione cap. 2. ubi attestatur ità nunc, & ab antiquo à Græcis exerceri, dicens illorum Sacerdotes ex tacita saltem commissione Summi Pontificis benedicere oleum infirmorum, quamvis alioquin Chrisma ab ipsis Episcopis benedictum accipiant. Accedit etiam ratio, quia si potest Summus Pontifex dispensare, ut simplex Sacerdos conferat Sacramentum Confirmationis, ut dictum est lib. 4. sentent. disput. 2. quæst. 8. difficult. 4. ergò à fortiori poterit dispensare; ut simplex Sacerdos oleum infirmorum benedicat, nam absolutè loquendo majus est concedere facultatem ministrandi Sacramentum Confirmationis, quàm benedicendi Chrisma, aut oleum infirmorum, quia in ministratione talis Sacramenti certus ritus observari debet, & præscripta verborum forma ex Christi institutione; non requiritur autem benedictio certo ritu, & forma verborum facta, ut communiter Theologi notant, quia nempè Christus Dominus in hoc non præscripsit certam benedictionis formam, sed simpliciter solùm, ut benediceretur Chrisma à legitimo Ministro, undè quocunque modo fiat, valida est ad Sacramentum conficiendum; si ergò Pontifex potest dispensare circà primum, scilicet, administrationem Sacramenti Confirmationis, tantò magis dispensare poterit suprà secundum nempè suprà olei infirmorum, & Chrismatis benedictionem, nam qui potest majus, potest, & minus. Denique falsum est, quod ait Amicus disp. 19. sectione 3. cum aliis quibusdam, nunquam dispensatum fuisse supra benedictionem olei, ut possit à simplici Sacerdote fieri, cum de facto sit dispensatum in Ecclesia Græca, ut constat ex Bulla citata Clementis VIII. ex quibus satis patet quid sit dicendum ad objecta in oppositum.

ARTICULUS SECUNDUS.

Quænam sit forma extremæ Unctionis.

26 PRimò conveniunt Catholici omnes, formam istius Sacramenti esse hæc verba, quæ proferuntur à Sacerdote, dū ungit partes corporis infirmi *Per istam sanctam unctionē, & suam pissimā misericordiam indulgeat tibi Deus, quicquid deliquisti per visum, &c.* & similiter de aliis membris, & sensibus ut jam diximus disput. 6. cit. quæst. un. art. 2. ità enim declaratum est in Concilio Florentino in decreto Eugenii, & in Tridentino sess. 14. cap. 1. de extrema Unctione, & expressè habetur in Rituali Romano, & quamvis forma ista sub his verbis præcisè in Sacra Scriptura non habeatur, habetur tamen in virtute illis D. Jacobi verbis: *Si quis infirmatur in vobis, inducat Præsbyteros Ecclesiæ, qui oret super eum ungentes, &c.* sic enim dicendo innuit verba formæ hujus Sacramenti significare debere effectum illius per modum deprecationis; & certum prorsus de fide est modum hunc formæ esse aptum, sufficientem, & validum, siquidem traditur in Conciliis, exercetur in Romana, & universali Ecclesia, & attestatur Arcudius loc. cit. exerceri etiam in Græca, quarè sine dubio tenendum est ab Apostolis, & ab ipso Christo manasse; cum enim ex traditione Apostolica habeamus hanc esse formam hujus Sacramenti, necesse est eam Apostolos ex institutione Christi sibi immediatè manifestata accipisse, & fidelibus posteà tradidisse; ità communiter Doctores de forma hujus Sacramenti discurrunt, ut jam diximus loc. cit.

27 Secundò ad declarandum, quæ verba in forma hujus Sacramenti contenta sint de essentia Sacramenti, quæ verò tantùm de præcepto, conveniunt omnes in primis, opus non esse exprimere materiam remotam hujus Sacramenti, sicut in Confirmatione exprimitur, cum dicitur *Confirmo te Chrismate*, hoc enim necessarium non est neque necessitate Sacramenti, neque præcepti, ut patet ex forma, qua utitur Romana Ecclesia nam solum dicit, *per istam Sanctam Unctionem, &c.* nulla facta olei mentione; certum est ergò non esse de substantia, neque de præcepto materiam remotam hujus Sacramenti exprimere, sed sufficit eam exercitè exprimere per ipsum Unctionis nomen sicut exprimitur materia baptismis per verbum *Abluo*. Volunt tamen esse de necessitate hujus Sacramenti, ut exprimatur materia proxima, scilicet, ut nominetur Unctio, quamvis enim facto ipso preficiatur, hoc non tollit, quin etiam verbo proferri debeat sicut in Baptismo, quamvis facto ipso perficiatur ablutio, adhuc opus est, ut proferatur, & exprimatur verbo. Quoniam verò in forma Græcorum unctio non expressè nominatur, ideò Arcudius loco citato ait talem expressionem non esse simpliciter necessariam, sed sufficere, quod saltem sit implicitè indicata invocando Deum, tanquam Medicum, ut fit in forma Græca, quæ talis est, *Pater Sancte Medice animarum, & corporum sana hunc servum tuum à morbo Corporis, & animæ, à quo detinetur*, ubi invocatur Deus, tanquam Medicus, uti scilicet, per Unctionem, veluti per modum Medicinæ conferat sanitatem, atque ità implicitè indicatur, & insinuatur Unctio; Conveniunt item omnes illam particulam, quæ additur in Rituali Romano, *Sanctam Unctionem* non esse de necessitate Sacramenti, quia in Conciliis Florentino, & Tridentino non apponitur, sed Unctio simpliciter nominatur, quod si esset de substantia Sacramenti, dubio procul prætermissa non fuisset; quare concludunt esse solùm necessariam necessitate præcepti, nempè ex præcepto, & ritu Ecclesiæ. Dissident tamen, an sit de necessitate Sacramenti, ut nominetur, & invocetur Divina Misericordia, & aliqui contendunt hoc esse necessarium ratione convenientiæ, quia maximè opportunum, & conveniens videtur in illo statu extremæ infirmitatis, & miseriæ divinam invocare misericordiam, & pietatem. Undè dicunt, quod sicut in Sacramento Baptismi, & Confirmationis necessaria est necessitate Sacramenti explicita invocatio Trinitatis, quia ibi vita, & militia Christiana inchoatur; ità in hoc extremæ Unctionis Sacramento erit pariter necessaria misericordiæ Divinæ explicita invocatio ob summam divinæ pietatis indigentiam in eo extremo vitæ periculo, & ità præsertim contendit Nugnus quæstio 29. a. 9. Alii tamen communiter hoc negant, vel saltem in dubium revocant dicentes, non solere esse de substantia Sacramenti, ut in ejus forma explicetur causa principalis sui effectus, quod etiamsi necessarium esset, sufficeret in proposito, quod forma sit deprecatoria, quia per modum ipsum deprecationis satis divina invocatur misericordia, & hic dicendi modus cōmunior est, & probabilior, quem sequuntur Suarez, Coninchius, Aversa, Reginaldus, Caspensis, Laymā, Filliucius, Diana, Aretinus ex nostris, & alii passim.

28 Tertiò, conveniunt item omnes esse de substantia hujus Sacramenti, ut petatur remissio peccatorum, quia inter effectus hujus Sacramenti iste est præcipuus, & principalis, & ne finis præcipuè in hoc Sacramento intentus propter peccata impediatur; & quamvis ejus quoque effectus sit jvrare ad corporis sanitatem, adhuc tamen consueta forma sufficiens est absque

hujus

hujus alterius effectus expressione, quia est secundarius, & non certus, nec opus est in forma Sacramenti omnes prorsus ejusdem exprimere effectus. Conveniunt tandem ferè omnes expressam invocationem Trinitatis ad essentiam hujus Sacramenti non pertinere, imò neque esse necessariam necessitate præcepti affirmat Suarez contrà quosdam ab ipso citatos, & ratio est, quia neque hoc Sacramentum est professio Fidei, sicut Baptismus, neque in hoc Sacramento aliqua occurrit ratio specialis invocationis trium divinarum personarum, neque in Conciliis hoc declaratur, neque in Rituali Romano, nec etiam communis consuetudo id habet; nullum ergo sufficiens fundamentum afferri potest ad asserendam talis præcepti obligationem, imò si benè attendatur modus deprecativæ formæ, non benè illi accommodatur. Quamvis autem omnes particulæ præfatæ, quæ in forma hujus Sacramenti communiter proferuntur, ad ejus essentiam non pertineant, sitque valdè probabile solas has, quæ sequuntur, *Per istam sanctam unctionem indulgeat, vel parcat, vel remittat tibi Deus quicquid peccasti*, ad ejus validitatem esse necessarias, ut graves Theologi docent; adhuc tamen omnes conveniunt debere Sacerdotem omnia illa verba in hujus Sacramenti forma ex Ecclesiæ præscripto apposita, prout in Rituali Romano habentur distinctè proferre, nec aliquid ab eo in illa prolatione omitti, aut mutari sine peccato potest, & pro qualitate mutationis poterit in hoc incurri mortale, aut veniale peccatum; undè tam verba, quæ divinam misericordiam, quàm quæ omnes sensus exprimunt, sub præcepto sunt proferenda, ut habet, & observat universalis Ecclesiæ praxis; qualiter autem de necessitate sit, ut distinctè nominentur variæ corporis partes, visus, auditus, & reliquæ, quæ solent ungi, ex sequenti quæstione patebit.

29 Quartò, est difficultas, an hujus Sacramenti forma, ut sit valida, debeat necessariò esse deprecativa, vel sufficiat etiam indicativa. Ratio dubitandi est varietas formarum olim adhibitarum in diversis Ecclesiis, nam ut referunt Divus Bonaventura, Durandus, Argentinus, & alii Scholastici 4. distinct. 23. tempore Divi Ambrosii in Ecclesia Mediolanensi forma hujus Sacramenti erat indicativa hoc modo. *Ungo te oleo sanctificato in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti; ut more militis uncti præparatus ad certamen aereas possis superare potestates.* & in Ecclesia Veneta fuit olim hæc forma: *Ungo te oleo Sancto, ut hac unctione protectus fortiter stare valeas adversus aereas catervas in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*, ità refert Palatius 4. d. 23. ex libro Sacramentali Venetorum à Leone X. approbato, constat autem has formas esse indicativas, & non per modum deprecationis.

Confirmatur, quia forma hujus Sacramenti, ut dictum est, colligitur ex verbis Jacobi *Ungentes eum*, sed ex illis verbis non minus forma indicativa colligi potest, quàm deprecativa, sicut ex illis verbis, *Baptizantes eos*, colligit Ecclesia formam indicativam, *Ego te baptizo*, ob quas difficultates Riccardus, Navarrus, Albertus, Paludanus, Becanus, & alii probabile putant indicativam formam esse sufficientem, alioquin Pontifices in præfatis Ecclesiis eam non admisissent, & consequenter dicunt formam indicativam esse æquivalentem deprecativæ, qua utitur Ecclesia Romana.

30 Pro resolutione difficultatis certum est in primis, & tanquam de fide tenendum formam deprecativam esse sufficientem ad hujus Sacramenti valorem, ut constat ex utroque Concilio, Florentino, & Tridentino, in quibus hæc forma assignatur, ac etiam ex praxi Romanæ Ecclesiæ, quæ in materia Sacramentorum errare non potest, ut in omnibus Ritualibus Romanis legitur, & tandem ex ipsis Divi Jacobi verbis colligitur, *& orent super eum, & oratio fidei alleviabit infirmum*, &c. quæ omnia indicant verba Sacerdotis, quibus hoc conficit Sacramentum, esse debere deprecatoria. Neque dicas formam deprecativam gratiam non conferre, aut impetrare infallibiliter ex divina promissione, ut ad causalitatem Sacramenti requiritur, sed ex libero dumtaxat beneplacito Dei, si illam conferri velit. Hoc enim omninò falsum est, cùm non minus hoc Sacramentum, quàm alia, annexā habeat infallibilem Dei promissionem, quia omnia operantur ex meritis Christi, & ad instar operis operati, non operantis, & solùm discrimen est, quod Deus ad suam gratiam per hoc Sacramentum infallibiliter conferendam non acceptat orationem indicativam Ministri, sed deprecativam; è contrà verò ad gratiam infallibiliter cōferendam per Sacramentum pœnitentiæ non acceptat orationem deprecativam Ministri, sed indicativam tantùm, & hoc totum pendet ex divina institutione, quia hanc requirit per modum Sacramentalis judicii, illam per modum Sacramentalis deprecationis, quamvis per utrumque Sacramentum gratiam conferat infallibiliter obicem non ponenti.

31 Quintò, an verò sit probabile formam quoque indicativam se sola sufficientem esse ad validitatem hujus Sacramenti, jam diximus l. c. hujus dubii resolutionem pendere ex alia, an istæ duæ formæ indicativa, & deprecativa possint esse æquivalentes in sensu substantiali, quem Christus intendit, nam si æquivalentes esse nequeunt, ut tenent Auctores secundæ opinionis, dicendum est formam indicativam se sola non posse esse sufficientem ad hujus Sacramenti validitatem. Ratio est, quia duæ formæ, nisi in sensu, & significatione æquivaleant, non possunt esse sufficientes ad valorem ejusdem Sacramenti, sicut enim Christus non diversa, sed eadem instituit pro omnibus Ecclesiis Sacramenta, ità nec diversa præscripsit pro quovis Sacramento formas, sed una tantùm ut constat tùm inductione in omnibus, & singulis Sacramentis, tum communi sensu, & auctoritate Ecclesiæ. Si verò forma indicativa, & deprecativa possunt æquivalere in sensu, & significato substantiali, ut tenent Auctores primæ opinionis, tunc absque ullo inconvenienti potest asseri, formam quoque indicativam se sola sufficientem esse ad validitatem hujus Sacramenti, cum nihil aliud requiratur ex parte formæ, quàm ut absolutè significet conferri gratiam, ad quam conferendam institutum est Sacramentum, licet diverso modo significet, quia talis diversitas esset tantùm accidentalis, & grammaticalis, quatenus forma deprecativa est per modum supplicantis, & ab alio gratiam expectantis; indicativa verò est per modum potestatem exercentis, qui modi sunt tantùm inter se accidentaliter diversi, nam ad sensum substantialem sufficit, ut exprimatur ad summum efficacia Sacramenti, materia proxima, & effectus ejus, quæ in prædictis formis sufficienter explicantur. Et quidem satis difficile est tueri formam indicativam, & deprecativam in significatione substantiali convenire non posse, nec esse æquivalentes oppositum enim experimur in forma Baptismi, quia forma Baptismi est hæc: *Ego te baptizo, in nomine Patris, &c.* & tamen Concilium Florentinum loco citato, §. 10. ait hanc aliam quoque qua utuntur Græci. *Baptizetur servus Christi in nomine Patris, &c.* esse sufficientem, quæ utique est deprecativa, ut suo loco diximus cum Scoto 4. dist. 3. quæst. 2. §. *De secundo*, ubi ait illud verbum *Baptizetur* non esse imperativi modi, sed operativi, & deprecativi, & rationem reddit Concilium, cur utraque sit sufficiens, quoniam inquit, cum principalis causa, ex qua baptismus virtutem habet, sit sancta Trinitas, instrumentalis autem sit Minister, si exprimatur actus, qui per ipsum exercetur cum Sanctæ Trinitatis invocatione, perficitur Sacramentum; in forma autem indicativa, qua olim pro hoc Sacramento conficiendo utebantur Ecclesia Ambrosiana, & Veneta, invocatur Deus, qui est causa principalis. Minister exprimit actum materialem à se procedentem; ergò nihil deficit ad perficiendum hoc Sacramentum etiam ex parte formæ indicativæ, atque ità per hanc doctrinam, & paritatem ex Baptismo deductam prima opinio probabiliter defendi potest.

32 Denique adhuc autem, ac etiam probabilius secunda opinio, quæ communior est, defendi potest, quod, scilicet, ad valorem hujus Sacramenti necessaria sit forma deprecativa ex ejus institutione deducta; intantum enim Auctores primæ opinionis oppositum asserebant, ut defenderent formam Ambrosianam, & Venetam superius adductas, quæ indicativæ videntur; ait si benè considerentur, & perpendantur, non sunt indicativæ absolutè, & simpliciter, sed cum modo indicativo in verbo ungendi adjungitur modus deprecativus in verbo indulgendi, & faciunt hunc sensum: *Ungo te, ut Deus tibi indulgeat quicquid deliquisti, &c.* ut optimè Filliucius advertit tract. 3. de Sacramento extremæ Unctionis c. 4. & fusius declarat Amicus disp. 19. sec. 5. in fine, dum enim in illa forma dicebatur: *Ungo te, ut more militis uncti superare valeas aereas potestates in nomine Patris, &c.* verbum *valeas*, seù *possis*, est deprecativum, passim enim per hunc modum solemus petere, & rogare, peto, rogo, ut hoc facias, ut hoc des, & concedas, undè verbum *valeas* conjunctum cum sequentibus, *In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*, reddit formam deprecatoriam, quia addit illi divinum numen, ut principalem causam, in cujus virtute, & auxilio debet infirmus Sacro Oleo unctus de suis hostibus in illo agone victoriam sperare; undè nihil deesse videtur ad formam deprecativam; est enim in sensu æquivalens huic. *Per istam sanctam unctionem, & piissimam Dei misericordiam hostes tuos pervincas, & pœnas inferni evadas.*

QUÆ-

QUÆSTIO TERTIA.

De Ritu, & Unitate hujus Sacramenti.

33 RItus hujus Sacramenti, ut diximus disput. 6. cit. quæst. 3. ab initio, habetur in Rituali Romano Pauli Quinti, ubi docet Unctionem hanc fieri debere per modum Crucis in oculis, auribus, naribus, labiis, manibus, pedibus, & renibus, quam tamen ultimam unctionem in fœminis omittendam esse dicit propter honestatem, hæc autem unctio in partibus illis, quæ natura geminæ sunt, duplex fieri debet, verbi gratia, una super oculum dexterum altera super sinistrum, & unica interim forma proferri, itaut formæ prolatio incipiat, antequam prior unctio finiatur, nec desinat, quin posterior saltem inchoetur, ut in eodem Rituali adnotatur, ubi etiam dicitur, quod si quis in aliqua illarum parte mutilatus existat, unctio in proximiori parte debeat fieri cum eadem formæ prolatione, quod totum etiam anteà adnotavit Scotus dist. 23. cit. quæst. unica, sub litera D. Cum igitur hæc ex ipsius Ecclesiæ praxi constent, quæritur in præsenti, an unctio omnium illarum partium sit de essentia Sacramenti hujus, itaut validè conferri nequeat nisi omnes illæ partes ungantur. Rursus quamvis hoc Sacramentum ex pluribus dictis partibus constet, & non solum in materia, & forma, verùm etiam ex tot partialibus unctionibus, & verborum prolationibus, adhuc tamen est, & dici debet unum, siquidem in universum, non nisi septem Ecclesiæ Sacramenta numerantur, oritur modò difficultas qualis sit hæc unitas, & quomodo explicari debeat, quæ duæ difficultes breviter in hac quæstione sunt resolvendæ juxtà tusius jam dicta, & examinata loc. cit.

ARTICULUS PRIMUS.

Quot unctiones sufficiant ad hoc Sacramentum perficiendum.

34 UT in hac controversia certa ab incertis sejungamus, præmittendum est omnes ferè Theologos in hoc convenire, non esse necessarium, ut fiat duplex unctio in geminis partibus cujusque sensus, sed satis esse, si una tantum inungatur, verbi gratia, unus oculus, una auris, una manus, &c. neque in his unctionibus necessariò servandum esse ordinem à Concilio Florentino descriptum in decreto de unione Armenorum, ut prius inungantur oculi, quàm aures, & reliqui sensus, sed posse à quolibet sensu Unctionem inchoari, & finiri. Nec etiam necessarium esse, ut talis Unctio fiat in modum Crucis, non enim in hoc Sacramento est eadem ratio, ac in Confirmatione, sed sufficere simpliciter ungere, ut humano more verificetur talem paream inungi. Nec rursus necessarium esse, ut unctio immediatè fiat manu Ministri, sed sufficit, si ungatur mediante gossipio, calamo, aut virga, & ità tempore pestis licitum esse ad vitandum contagium concedunt quamplures apud Dianam tract. 4. de Sacramentis resolutione 162. Quæ tamen à Theologis non ideò dicuntur, & conceduntur, ut passim absque ulla necessitate ea in praxim redigi liceat, nam si nulla occurrit necessitas debet unctio fieri eo ritu, & cum omnibus illis circumstantiis, quas Ecclesia præscribit, & aliàs pro qualitate transgressionis esset mortalis culpa. Solùm ergò per hoc Theologi significare intendunt, quod quamvis ex præcepto Ecclesiæ ista fieri, & servari debeant, nec proindè nulla necessitate urgente sine peccato omitti possint, non sunt tamen de essentia hujus Sacramenti, nec ad ejus validitatem requiruntur, ut docent Sotus, Henriquez, Suarez, Aretinus, Layman, Amicus, Aversa, Bonacina, Toletus, & alii Summistæ passim. His itaque præmissis tanquam certis, vel saltem communiter concessis, occurrit difficultas, quot Unctiones ad hoc Sacramentum perficiendum necessariò requirantur, qua in re plures sunt modi dicendi breviter examinandi ut diximus loc. cit.

35 Primò aliqui dicunt ad perficiendum hoc Sacramentum necessarias esse septem Unctiones, quia tot præscribit Concilium Florentinum in decreto citat. de unione Armenorum, ubi septem assignantur unctiones: *In oculis propter visum, in auribus propter auditum, in naribus propter odoratum, in ore propter gustum, vel locutionem, in manibus propter tactum, in pedibus propter gressum in renibus propter delectationem ibi vigentem*, & in his septem locis Concilium, inquit, infirmum esse ungendum, neque facit exceptionem moris, & consuetudinis aliarum Ecclesiarum, doctrina autem illius Concilii est doctrina, & decretū universalis Ecclesiæ; ita tenet Faber ex nostris 4. dist. 23. disp. un. in fine, ubi ait etiam Scotum has septem enumerare unctiones, licet apertè non dicat, esse de essentia Sacramenti, tamen apertè dicit omnes illas partes esse inungendas, neque ullum excipit casum, undè videtur velle quod omnes sint de essentia, quia de omnibus, & eodem modo loquitur, & hanc etiam putat fuisse opinonem Divi Bonaventuræ, Riccardi, Durandi, & aliorum Veterum, qui eodem modo loquuntur nulla exceptione facta. Et tandem concludit omissionem unctionis renum, & pedum in aliquibus Ecclesiis inductam esse ex sententia D. Thomæ. Communiter tamen omnes Theologi docent, ut diximus quæst. 3. citato art. 1. duas postremas unctiones renum, scilicet, & pedum non esse de necessitate Sacramenti, sed tantùm de Ecclesiæ ritu, & miror, quomodo Faber id singulariter inter alios docuerit, cum unctio in renibus, & ex præscripto ejusdem Ecclesiæ ob honestatem in fœminis non exerceatur, ut constat ex Rituali Romano Pauli Quinti quo tempore etiam Auctor iste vivebat. Imò neque etiam unctio pedum propter eandem modestiam adhiberi solet Monialibus, certum autem est in fœminis quoad hoc quicquam non prætermitti, quod sit de substantia Sacramenti, nec diversus est ritus Sacramenti in viris, & fœminis quoad substantialia absolutè; ergò tenendum est cum communi sententia illas duas unctiones renum, scilicet, & pedum non esse de ratione Sacramenti, sed totam ejus rationem sufficienter salvari in quinque corporis sensibus, qui in prioribus quinque partibus inveniuntur; illas verò duas esse merè cæremoniales ab Ecclesia additas, sicut se habent aliæ Ecclesiæ cæremoniæ in Sacramentis, sicque Concilium Florentinum debet intelligi cum veteribus Theologis, quamvis distinctè de illis septem partibus, & unctionibus sit locutum, qua de causa Tridentinum sess. 14. capitulo 1. nullum certum numerum pro materia Sacramenti hujus assignavit, sed solùm dixit hujus Sacramenti materiam esse oleum ab Episcopo benedictum, nam *Unctio*, inquit *aptissimè Spiritus sancti gratiam; qua invisibiliter anima ægrotantis inungitur, repræsentat.*

36 Secundò quamplures asserunt ad validitatem hujus Sacramenti necessarias esse ad minimum quinque unctiones in quinque corporis sensibus cum quinque partialibus formis respondentibus singulis unctionibus. Ità cum Divo Thoma q. 32. in additione ad tertiam partem a. 6. docent Thomistæ, & Recentiores communiter, Sotus, Henriquez, Nugnez, Valentia, Bellarminus, Suarez, Layman, Coninchius, Aversa, Caspensis, Bonacina, & alii. Ratio autem est quam nuper insinuavimus, quia cum hoc Sacramentum sit ad reliquias peccatorum abstergendas, in corporis partibus est applicandum, in quibus est radix peccatorum; hæc autem residet in quinque corporis, sensibus, nam ex his omnis notitia, quæ radix est peccatorum, ortum ducit, cum nihil sit in intellectu, quin prius fuerit in sensu; quare concludunt quinque sensuum unctiones ità esse de essentia hujus Sacramenti cum quinque formulis sigilla tim prolatis, ut si antè quintam unctionem infirmus è vita decesserit, neque effectum gratiæ, neque ipsum Sacramentum recepisse credatur. Verùm huic communi sententiæ obstat, ut diximus l. c. quod non omnes Ecclesiæ hanc doctrinam sequuntur in praxi tempore necessitatis, quod signum est hanc quinariam sensuum unctionem non esse de essentia hujus Sacramenti, & hoc etiam docuit Universitas Lovanienſis anno 1588. cujus decreto subscripsit Archiepiscopus Mechilinienſis, quod etiam in Belgio servatur in praxi tempore necessitatis, quando scilicet, ob pestem, vel morbum contagiosum omnes illæ partes absque periculo ungi non possent, quin etiam in his casibus interdum contingere potest, ut aliter hoc Sacramentum ministrari nequeat, nisi unam corporis partem inungendo, ut in casu, quo peste affectus, ità pronus in terram jaceret, ut non posset in facie inungi. Tum denique quia dato etiam, quod quinque unctiones essent de essentia hujus Sacramenti, adhuc tamen quinque formulæ sigillatim prolatæ, & singulis unctionibus respondentes non sunt de ejus essentia, sed omnes illæ unctiones adhiberi possunt sub una tantùm forma illis quinque partialibus æquivalente, ut explicatur in opinione sequenti, ex cujus doctrina patebit etiā solutio rationis pro prima sententia adductæ.

37 Tertiò alii asserunt ad necessitatem, & validitaten hujus Sacramenti necessarias esse quidem ad minimum quinque unctiones in oculis, auribus, naribus, ore, & manibus; non tamen necessarias esse quinque formulas sigillatim prolatas singulis unctionibus respondentes, sed omnes adhiberi posse sub una tantum forma omnibus partialibus formis æquivalente, ut si quis ungendo oculum, narem, aurem, os, & manum dicat, *Per istas sanctas unctiones, & piissimam misericordiam indulgeat tibi Deus quicquid per visum, auditum, odoratum, gustum, & tactum deliquisti;* ita tenent Coninchius, Layman, Diana, Aversa Isabertus, Abellius, & ex nostris Hiribarnes 4. disput. 22. sectione 5. Fundamentum est quia si sub una forma quinque sensus ungantur, & expressim nominentur,

tur i psa in sensu, & in significatione æquivalet quinque formis sigillatim prolatis; ergo quinaria illa formarum repetitio, quæ fieri solet, non est de essentia hujus Sacramenti, sed potius de integritate eo modo, quo manus, & pedes in homine dicuntur ejus partes integrales, non autem essentiales, cum tota hominis essentia physica in corpore, & anima constat, quoniam re vera sub una tali forma completur ex integro tota eadem formalis significatio absque materiali repetitione omnium illorum verborum. Undè juxtà hanc sententiam, quæ satis probabilis est, si infirmus jàm jam moriturus credatur, poterit Sacerdos partes magis obvias quinque sensuum illinire, v. g. unũ oculum, aurem, narem, labium, & aliquam aliam partem pro sensu tactus, qui ubique est diffusus, idque celeriter nullo facto signo Crucis, & simul, ac semel hæc verba proferre. *Per istam unctionẽ indulgeat tibi Dominus quicquid deliquisti, aut peccasti per visum, auditum, odoratum, gustum, & tactum.* Et quidem in casu necessitatis potest hic modus exerceri potius, quàm sinatur ægrotus absque hoc beneficio mori, idque etiam Suarez admittit disp. 42. sec. 2. juxtà quam sententiam explicanda sunt Concilia, quæ docent inungendos esse omnes sensus cum singulis formis sigillatim prolatis de necessitate præcepti, & quando gravis non urget necessitas. Dices in singulis speciebus Eucharistiæ necessariæ sunt singulæ formæ sigillatim prolatæ, ac etiam in singulis Ordinibus conferendis necessariæ sunt singulæ formæ partiales ad validitatem. Sacramenti; ergò sic etiã dicendum erit, in proposito. Negatur omninò paritas, non enim est eadem ratio, quia per diversas formas partiales Ordinis diversæ potestates spirituales sunt exprimendæ, quæ in collatione cujusque Ordinis conferuntur; & per singulas formas partiales Eucharistiæ distincti termini exprimi debent, qui per se, & ex vi verborum sub speciebus Eucharisticis præsentes fiunt. At in Sacramento extremæ Unctionis solum exprimenda sunt peccata, quæ per singulos sensus fuere commissa; hæc autem æquè benè explicari possunt per plures formas partiales sigillatim prolatas, ac per unam solam totalem pluribus aliis æquivalentem, ut jam explicatum est, & notat Amicus disp. 19. sec. 4.

38 Quartò alii docent in casu necessitatis unicam etiam sufficere unctionem, in quacunque corporis parte fiat, & sub una forma tantum omnes corporis sensus exprimente. Ità Silvius, Becanus, & ex nostris Poncius, & Hiqueus, & probabilem putant Suarez, Coninchius, Layman, Caspensis, Amicus, & alii Recentiores, eamque approbavit tota Universitas Lovanienſi attestante, & simul approbante Octavio Tricaricensi Nuncio Apostolico in Germania apud Dianam loco cit. quin etiam grassante peste eam expresè proponunt Pastorale Mechlinienſe de Sacramento Unctionis canone 9. & Patavienſe can. 11. sub his verbis: *In morbis contagiosis, & peste grassante, ut periculum evitetur, sufficit inungi sensus organum magis unctioni expositum dicendo, Per istam sanctam Unctionem indulgeat tibi Dominus quicquid deliquisti per visum, auditum, odoratum, gustum, & tactum, &c.* Probatur etiam ratione, quia non constat necessarium esse ad validitatem Sacramenti, quod omnes sensus in omni casu inungantur, & illa unica unctio cum tali forma significat sufficienter effectum Sacramenti; ergo &c. probatur assumptum, quia si id constaret, vel hoc esset ex verbis Apostoli Jacobi *Ungentes eum*, &c. vel ex usu, & praxi Ecclesiæ; non primum, quia sicut ex illis verbis Matth. ultimo *Baptizantes eos* non colligitur, nisi una ablutio ad Baptismi validitatem necessaria, ità ex illis verbis *Ungentes eum* non colligitur, nisi quod debeat infirmus inungi, sivè id fiat in una corporis parte, sivè in pluribus, nam sivè hoc modo fiat, sivè illo homo dicitur verè inunctus. Neque secundum dici potest, nam usus Ecclesiæ non declarat, quæ sunt essentialia, & sine quibus Sacramentum non fieret, sed solum quid fieri debeat, quando nulla urget necessitas, sive id necessarium sit necessitate Sacramenti, sivè solum præcepti. Nec tandem ex Conciliis id colligi potest, quia Tridentin. sess. 14. cap. nullum certum unctionum numerum pro materia Sacramenti assignavit. Florentinum verò in decreto de unione Armenorum licet septem assignet actiones, scilicet, in quinque sensibus, & præterea in renibus, & pedibus, cum tamen constet ex dictis saltem has duas ultimas ex communi omnium sententia ad validitatem Sacramenti non esse necessarias, planè neque dici potest, quod saltẽ reliquæ quinque sint de mente Concilii necessariæ, cum non sit major ratio de istis, quàm de illis.

39 Confirmatur, quia unctio Græcorum talis est, ut nullum in facie organum inungant, sed per unctionem factam in specie in modum Crucis, ut in fronte, genis, & mento unctionem organorum sensus comprehendat, quos tamen dicendum non est in rebus ad validitatem hujus Sacramenti necessariis deficere, sine urgenti ratione. Nec verisimile est Ecclesiam Romanam, quæ est Magistra veritatis, permittere, quod Ecclesiæ particulares hunc ritum servent, & tanquam regulam Canonicam in suis Ritualibus doceant, ut supra visum est, si illam falsam existimaret, & contrà Sacramenti validitatem. Alias duas rationes vide loc. cit. deductas ex proportione ad Sacramentum Pœnitentiæ, & Eucharistiæ Debet tamen semper in casu tali unius unctionis fieri in forma mentio quinque sensuum, nam si in forma mentio fieret de uno tantum sensu, verbi gratia, visu, forma non significaret sufficientem effectum, ad quem conferendum Sacramentum, hoc est institutum, qui est gratia, qua remittantur peccata quinque sensuum vel illis mediantibus patrata, si tamen in forma nullus exprimeretur sensus expresè, ut fiebat in forma Ambrosiana, & Veneta superius relatis, satis probabile est, quod adhuc sufficeret, quia adhuc per verba in eis contenta totus Sacramenti effectus sufficienter significatur, scilicet, remissio peccatorum per sensus commissorum.

40 Quintò tandem Brancatus noster tom. 3. de Sacramentis disp. 11. art. 4. & 13. asserit omnes, & singulas unctiones esse de essentia hujus Sacramenti, quando omnes fieri possunt cum autem supervenit mors, illæ solùm sunt de essentia, quæ jam factæ sunt, & una, si una tantum facta est; hoc enim inquit videtur divinæ pietati maximè consentaneum, ex institutione enim non potest unctio dari, nisi in extremis posito; ergo nisi etiam fuisset institutum, ut unctio quæ pro illo extremo dari potest, sit sufficiens, in plerisque non perficeretur; imò frequenter nullitati expositum esset; quæ omnia absurda maximè caventur, si dicamus omnes unctiones constituere essentiam, quando omnes fieri possunt; cum autem mors supervenit illas solum essentiam constituere, quæ jam factæ sunt, & unam etiam interdum, si una tantum facta est, nam in omnibus præfatis casibus adest intentio Ministri, forma, & materia remota, & proxima, & sic existimat hoc Sacramentum fuisse à Christo Domino institutum, neque ullum ait ex hoc sequi absurdum. Deus enim videt quod unctiones pro quolibet casu sunt applicandæ, & in fine ultimæ causat effectum talis Sacramenti. Verum hic dicendi modus non placet, ut diximus, loc. c. utpotè qui vagè nimis essentiam Sacramenti hujus assignat itaut quandoq; in una tantum unctione, quandoque in duabus, vel tribus, & quandoque in omnibus essentia Sacramenti consistat juxtà moribundi statum, & periculum, undè hac admissa sententia certa regula dari non posset de ministerio hujus Sacramenti ejusque materia proxima esset incerta, & vaga juxtà varietatem status infirmi. Cum ergò in cæteris Sacramentis assignetur materia proxima certa, & determinata ex eorundem institutione, hoc idem pariter de materia proxima Sacramenti hujus asserendum erit, quod scilicet, vel omnes quinq; unctiones sint de essentia hujus Sacramenti, ut secunda, & tertia opinio asserebat; vel una tantum simpliciter, & absolutè loquendo sufficiat ad Sacramenti validitatem, licet aliæ quoq; quãdo adhiberi possunt sint necessariæ necessitate præcepti, & cõcurrãt, si non ad essentiam, saltem ad integritatem Sacramẽti constituendã, ut quarta opinio docebat. Nam etiã juxtà hunc dicendi modũ optimè consultũ esset necessitati, & utilitati infirmorum, quibus in casu necessitatis unica sufficeret unctio, nec in Ministro ulla potest contingere perplexitas, eo ipso quod probabile putat ad validitatem Sacramenti unicam sufficere unctionem cum debita forma conj unctã, nec ulli periculo nullitatis exponitur Sacramentum, nam per unicam unctionẽ perficeretur, & sub probabili saltem materia infirmo conferretur absque ullo conscientiæ scrupulo. Videatur Suar. tom. 4. disp. 41. sec. 3. ubi hunc dicendi modum refert, & impugnat tanquam quid novum, & sine fundamento inventum.

41 Postremo ex dictis sequitur, ut notavimus loc. c. in fine articuli, primam sententiam Fabri, & ultimam Brancati nullã prorsus habere probabilitatem ob rationes adductas; secundam verò esse omniũ tutissimam, & in praxi saltem sub præcepto servandam, quando tamen nulla urget gravis necessitas, quod evidenter probat universalis Ecclesiæ praxis. Tertia etiam est valdè probabilis, & in morbis præsertim contagiosis tuta conscientia in praxi servari potest, tum ob rationem, in qua fundatur satis evidentem, & convincentem, tum ob auctoritatem, & catervam Doctorum eam sequentium. Quarta tandem opinio etiam sua probabilitate non caret eadem de causa, undè si peste grassante probabiliter timeatur, ut si omnes sensus inungendo contagium contrahatur, ut testantur quamplures in tali casu accidisse poterit juxtà hanc sententiam Minister tuta conscientia unum tantum organum magis obvium, & expositum inungere sub unica forma omnes sensus exprimẽte, qualẽ prædicta pastoralia præscribunt, & ità servari in praxi tẽpore pestis in Belgio, & in Austria refert Amicus disp. 59. sec. 4. in fine.

Nec

Nec ulla in tali casu fit injuria Sacramento, quando propter periculum contagionis tutior sententia servari nequit in praxi, quia talis actio honestatur utilitate, quam infirmo afferre potest, quin interdum accidere potest, ut suprà dictum est, quod aliter hoc Sacramentum ministrari nequeat infirmo, nisi unam tantùm corporis partem inungendo, ut in casu nimirum, quo peste effectus ità pronus jaceret, ut non posset in facie inungi, nec in aliis sensibus ibi residentibus, quare absque ullo scrupulo in his, & similibus casibus potest Minister infirmo præfato modo hoc Sacramentum ministrare.

ARTICULUS SECUNDUS.

Quæ, & qualis sit Unitas hujus Sacramenti.

42 JAm diximus disp. 6 cit. quæst. 3. a. 2. ab initio controversiam hanc non esse de unitate specifica, cum enim hoc Sacramentum ex eadem materia, & forma semper constet, & ad eundem finem, & effectum semper ordinetur, & eandem definitionem essentialem semper habeat, conveniunt omnes semper esse ejusdem speciei, & esse unum in essentia, seu specie ultima. Sed tota difficultas est de unitate numerica, quamvis, enim constet non esse ità unum, ut saltem in diversis personis non possit secundum numerum multiplicari, nam satis per se constat esse diversa individua Sacramentalia, quæ diversis conferuntur personis, & hæc numerica multiplicatio omnibus Sacramentis est communis. Non tamen ità constat esse unum numero, quando semel uni, & eidem confertur, cum enim in hoc Sacramento conficiendo plures interveniant Unctiones, & multiplex etiam forma, videntur ex singulis unctionibus, & singulis formis in illas cadentibus confici singula integra Sacramenta, utpotè ex propria forma, & materia constantia, & fortasse etiam proprios effectus habentia, atque ideò non esse unum numero Sacramentum. Quoniam verò ex alia parte omnes illæ partiales unctiones ad integram totius hominis unctionem, quam institutio hujus Sacramenti exigit, ordinantur, & pariter omnes illæ formæ deprecatoriæ ad completum effectum obtinendum tendunt, ideò fatentur omnes ex illis omnibus unctionibus, & formis unum numero consurgere Sacramentum, quod vocatur unum compositione, quatenus omnes illæ materiæ, & formæ ad artificiosam compositionem unius adæquati signi referuntur, tota itaque difficultas consistit in explicanda hac numerica compositionis unitate, de quo sunt varii modi dicendi breviter examinandi juxtà dicta l. c.

43 Primò itaque aliqui asserunt hoc Sacramentum esse unum unitate indivisionis, sive indivisibilitatis, ita, scilicet, ut ejus practica significatio, & virtus collativa sui effectus non intelligatur, nisi tota simul, quando perficitur ultima unctio, & tunc indivisim conferat totum suum effectum, loquendo specialiter de gratia sanctificante, quia alii effectus divinorum auxiliorum, & interdum sanitatis corporalis dispensantur à Deo pro opportunitate, sicut alii similes effectus in aliis Sacramentis. Itaque dicunt hi DD. quod eodem pacto se habet multiplex unctio ad unitatem hujus Sacramenti, sicut se habet trina mersio in aqua, si tota esset de Baptismi essentia, adhuc enim totus Baptismus esset unus unitate indivisionis unitate morali Sacramentali, ità nempè quod non constitueretur Baptismus, nec consisteret ejus vis, nec conferretur ejus effectus, nisi in tertia mersione absque divisione, & participatione in prima, & secunda; sic ergo de facto dicunt esse unum hoc extremæ Unctionis Sacramentum constans tot unctionibus in pluribus corporis partibus. Ex quo etiam deducunt primam unctionem propriè loquendo Sacramentum dici non debere, sed potius partem Sacramenti, sicut in prædicta hypothesi de Baptismo magis expediret dicere primam mersionem esse partem Sacramenti, quàm esse Sacramentum. Ità ad verbum rem explicat Aversa q. un. de extrema Unctione sec. 5. quam opinionem sequitur etiam Caspensis tra. 27. disp. 4. sect. 1. & existimat probabiliorem opposita, quia hoc Sacramentum, inquit, essentialiter perficitur indivisibiliter illis quinque unctionibus, & formis ipsis correspondentibus, ac proinde gratia non confertur, nisi in ultimo instanti terminativo quintæ unctionis, & prolationis suæ formæ, quod ex eo præsertim probat, quia verba, quibus illæ quinque formæ constant, licet de per se ad remissionem venialium sint instituta, per accidens tamen ad remissionem quoque mortalium extenduntur, & quia unum mortale sine alio remitti nequit, ideò opus fuit, ut forma significans inquisitionem mortalis commissi v. g. per visum, nec significaret, nec sortiretur effectum suum nisi conjunctim sumpta cum cæteris formis, quibus per accidens remittuntur mortalia per alios quoque sensus commissa.

44 Secundò, alii verò è contrà docent hoc Sacramentum esse unum unitate integritatis, non indivisibilitatis. Ità Scotus d. 23. quæst. unic. solutione ad 2. ubi ait, Dico quod est unum Sacramentum unitate integritatis, sed non unitate indivisibilitatis sicut effectus ejus non est unus unitate plenariæ remissionis omnium venialium, ut omnibus remissis nihil remaneat retardans à perceptione beatitudinis. Ità Doctor loco citato, ubi supponit singulas unctiones suos habere partiales effectus, & per singulas unctiones dari singulos gradus, seu portiones gratiæ, ac per singulas unctiones remitti illa peccata venialia, quæ per illum sensum commissa sunt, itemque pœnam temporalem, quæ ratione illius sensus debita est, ac proindè sicut quinque sunt unctiones partiales, quæ constituunt integrum Sacramentum, ità quinque vicibus conferri quinque gradus gratiæ, qui constituant adæquatum effectum hujus Sacramenti, sicut in Eucharistia datur una pars gratiæ per sumptionem unius speciei Sacramentalis, & altera pars præsumptionem alterius, estò integrum Sacramentum non consurgat, nisi ex utraque specie simul. Hoc idem sentit cum Doctore Almainus 4. d. 23. quod probat, quia unum veniale potest remitti sine alio, cum compatiatur secum charitatem, ideò potest aliquis dicere, quod per unctionem oculorum remittuntur venialia per oculos commissa, non autem comissa per nares, & sic quælibet partialis unctio cum forma sibi correspondente est partiale Sacramentum, & habet suum effectum. Hoc idem sentiunt Poncius, Hiqueus, qui etiam hoc probant ex modo, & ritu ministrandi hoc Sacramentum, quia ad singulas unctiones dicitur forma Sacramenti ex usu Ecclesiæ Romanæ; ergo supponit in singulis unctionibus esse necessariam, & sufficientem materiam, aliàs non posset integra forma dici, nisi in sensu Sacramentali, in quo est efficax, & supponit materiam requisitam, & essentialem.

45 Tertiò Faber etiam ex nostris, & Hiribarnes, tanquam de mente Doctoris tenent hoc Sacramentum esse unum unitate integritatis, non verò indivisibilitatis, sed minus consequenter posteà dicunt omnes, & singulas unctiones esse de essentia Sacramenti, ita quod si unus Sacerdos faciat duas, vel tres unctiones, non conficit Sacramentum, nec confert gratiam, quia hæc confertur solùm in fine prolationis verborum in ultima unctione. Hoc inquam non dicitur consequenter, quia si unctio omnium sensuum esset materia essentialis perficienda antè collatum effectum Sacramenti, sequitur eo ipso hoc Sacramentum esse unum unitate indivisibilitatis, & non integritatis tantùm, ut inquit Doctor. Consequentia patet, quia sensus Sacramentalis perfici nequiret, seù Sacramentum ipsum, nisi completa materia essentiali requisita. Qui ergo tueri volunt hoc Sacramentum esse unum unitate integritatis tantùm, & non indivisibilitatis, ut expresè Doctor significat loc. cit. debent consequenter dicere in singulis unctionibus, & formis correspondentibus partialem gratiam conferri, non verò tantùm in fine ultimæ unctionis, & formæ in ea prolatæ, sic enim ex illis omnibus unum consurgit numero Sacramentum, quod vocamus unum numero compositione, & integritate, quatenus omnes illæ unctiones cum suis formis partialibus tendunt ad integrum, & completum hujus Sacramenti effectum obtinendum, licet enim concedamus, ut q. seq. dicemus per unctionem unius sensus sub propria forma statim dari aliquem gratiæ effectum, adhuc tamen Sacramentum esset unum ex omnibus unctionibus compositum, quia ille effectus gratiæ per primam unctionem collatus, licet sufficiens esset ad remissionem venialium, quæ per illum sensum commissa fuerunt, adhuc tamen non esset integer, & completus, quia sufficiens non esset ad remissionem venialium per alios sensus commissorum, qui nondum sunt iniuncti, nec sufficiens ad confortandum, vel alleviandum infirmum, quantum indiget, vel indigere potest.

46 Quartò, ex his patet quid sit dicendum ad fundamentum oppositæ sententiæ, negatur enim hoc Sacramentum essentialiter perfici indivisibiliter illis quinque unctionibus, & formis ipsis correspondentibus, & gratiam non conferri, nisi in instanti terminativo quintæ unctionis, & prolationis suæ formæ, nam juxtà nostram sententiam dicendum est per singulas unctiones dari singulos gradus, seu portiones gratiæ, sicut in Eucharistia datur una pars gratiæ per sumptionem unius speciei, & altera pars per sumptionem alterius, quare sicut quinque sunt unctiones partiales, quæ unum numero constituunt, & integrum Sacramentum, ità per quinque vices quinque conferuntur gratiæ portiones, quæ adæquatum effectum hujus Sacramenti constituunt, & omnes illæ partiales materiæ, & formæ ad artificiosam compositionem unius adequati signi referuntur, & juxtà hanc sententiam dicendum est per primam gratiam partialem, quæ in prima unctione confertur, omnia peccata mortalia remitti, si quæ in infirmo invincibiliter ignorata reperiuntur, cum nequeat unum peccatum mortale absque alio remitti; repugnat namque saltem de potentia Dei ordinaria quamcumque gratiam habi-

habitualem cum peccato mortali consistere. Addi etiam potest quædam peccata mortalia tolli principaliter, & ex vi formæ in prima unctione, quæ nimirum per talem sensum commissa sunt, alia verò veluti concomitanter ratione gratiæ, cum qua consistere non possunt. Sed hæc omnia magis petebunt ex dicendis infra, quando hoc Sacramentum suum conferat effectum, nam si singulæ unctiones suos partiales habent effectus, ex omnibus consurget integrum Sacramentum, & sic erit unum unitate integritatis, sicut dicitur de Sacramento Eucharistiæ. Si verò hoc Sacramentum essentialiter perficitur omnibus unctionibus, & formis singulis illis correspondentibus, & gratia non confertur, nisi in ultimo instanti quintæ Unctionis, & formæ sibi correspondentibus tunc Sacramentum istud erit unum unitate indivisibilitatis, quia ejus effectus nullo modo per singulas unctiones partitur, vel dividitur, sed totus in ultima unctione indivisibiliter confertur.

47 Quintò hic ulterius quæri solet, an hoc Sacramentum sit ità unum in eadem persona, vel etiam successivè, seù per iteratam collationem multiplicari non possit, quo modo Baptismus dicitur unus, & Confirmatio. Hoc Sacramentum posse in eadem persona in variis, & diversis infirmitatibus constituta iterari definitum est in Conc. Florentino ab Eugenio Quarto in decreto de Sacramentis, ubi postquam docuit tria tantùm Sacramenta characterem imprimere, atque ideò in eadem persona iterari non posse, scilicet, Baptismum, Confirmationem, & Ordinem, concludit quatuor reliqua characterem non imprimere, & reiterationem admittere, declarat tamen Conc. Trid. sess. 14. c. 3. hoc in eadem infirmitate, & morbo repeti non posse, sed tantùm quando infirmus post susceptum hoc Sacramentum convalescit ex morbo, & rursus posteà in alium morbum, & mortis periculum incidit, potest tunc iterum hoc Sacramentum suscipere, ità Tridentinum l. c. dicens, *Quod si infirmi post susceptam hanc unctionem convaluerint, iterum hujus Sacramenti subsidio juvari potuerunt, cùm in aliud simile vitæ discrimen inciderint*, &c. & ratio hujus divinæ institutionis est manifesta, quia in novo morbo, & salutis periculo succedit quoque nova hujus spiritualis remedii indigentia, & sicut iteratur corporalis curatio in novo morbo, ità & hæc spiritualis iterari poterit.

48 Sextò, ex hac allata Concilii doctrina oritur difficultas, an aliquando licitum sit in eadem quoque infirmitate, quando diuturna est, ut duobus, vel tribus annis durans, hoc Sacramentum iterare. Nam ex una parte Concilium id expressè prohibere videtur, cum dicat non posse infirmum in eodem morbo, sed in alio hoc Sacramentum suscipere, & requirat, ut infirmus ex morbo convalescat, & posteà in alium similem incidat, ut hoc Sacramentum iterum suscipere possit. Ex alia verò parte magno subsidio privaretur infirmus, si in aliquo diuturno, ac difficili morbo non nisi semel hoc Sacramentum suscipere posset, ut innuit Concilium. Ad hoc communiter respondent Doctores cum D. Bonaventura 4. d. 23. part. 2. q. 4. in fine, & D. Thoma in eodem 4. d. 23. quæ. 1. a. 4. durante eadem infirmitate, & eodem morbi statu non posse hoc Sacramentum iterari, sed quoties variatur morbi status, ut de periculo fiat non periculosus, & rursus de non periculoso fiat periculosus, toties iterari licere. Primum probatur, quia pro eadem morbi necessitate, & eodem periculo durante sufficiens censetur adhiberi remedium per unam dumtaxat sacri olei unctionem, & in hoc sensu Catechismus ipse Romanus de hoc Sacramento loquens citata Concilii verba declarare videtur dicens: *Hic observari oportet in una, eademque ægrotatione cum æger in eodem vitæ periculo positus est, semel tantùm ungendum esse*. Quod autem hoc Sacramentum etiam in eadem infirmitate iterari possit, si pluries accidit, ut ex ejusdem morbi varietate infirmus periculo mortis exponatur, ex eo probatur, quia ut Concilia definiunt, hoc Sacramentum est institutum pro infirmis periculoso morbo laborantibus, potest autem infirmus diuturna infirmitate gravari, & plures in manifesto vitæ periculo reperiri; ergò si infirmus graviter laborans hoc Sacramentum semel suscepit, si posteà periculum evasit, & ob morbi diuturnitatem, ut hydropisis v. g. vel phthisis varietur notabiliter morbi status, & rursus in simile vitæ periculum incidat, hoc Sacramentum repetere poterit, quia in tali casu novus censetur morbus, novaque necessitas. Unde pro collatione hujus Sacramenti non tam attendenda est in longioribus morbis temporis diuturnitas, & ejusdem morbi continuatio, quàm status mutatio, ac periculi variatio, ut in eadem persona iterari possit, quia nimirum hujus sacræ Unctionis capacitas, & indigentia in tali morbi statu, & proximo mortis periculo fundatur.

49 Postremò advertunt Doctores inter unam, & aliam unctionem notabilem temporis distantiam interponi debere, ut ità verè constet, & appareat periculum mortis fuisse verè renovatum. Ità Suarez, Nugnus, Henriquez, Reginaldus, Coninchius, Amicus, Aversa, Bonacina, & Summistæ passim. Dices hinc sequi Sacramentum hoc contemptui exponi posse, nam in eadem die pluries posse accidere periculum, & toties hoc Sacramentum conferri, quod planè sine contemptu, & irreverentia Sacramenti contingere non posset. Respondetur cum D. Bonavent. l. c. non sequi contemptum Sacramenti, quia periculum extremum non potest pluries in eadem die accidere, nullus autem, inquit Seraphicus Doctor, in aliqua infirmitate ungendus est, nisi cum ad exitum appropinquare præsumitur, & hoc ex infirmitatis aggravatione, quem statum natura diù sustinere non potest, imò aut vincit, aut vincitur. Si ergò infirmus non moriatur, sed diutius vivat, & si perfectè non curetur, & convalescat, curatur tamen aliquo modo ab intensione morbi, quia igitur venialia redire possunt, & iterum corporalis infirmitas aggravari, ideò potest, & debet Sacramentum extremæ Unctionis iterari. Ex quo sancti Doctoris discursu colligitur non posse tantam, vel tantam distantiam inter unam, & alteram unctionem in ejusdem infirmitatis spatio assignari, sed potius prudenti judicio metiendam esse, quam doctrinam præfati Doctores unanimiter amplectuntur, & plures alii passim.

QUÆSTIO QUARTA.

De effectibus Sacramenti Extremæ Unctionis.

50 NOn est difficultas de effectibus, quos habet communes cum reliquis Sacramentis, & præsertim de gratia habituali, & ejus augmento, hoc enim gratis concedunt Theologi omnes, ut expressè definitum est in Concil. Trident. sess. 14. can. 2. de extrema Unctione his verbis. *Si quis dixerit sacram infirmorum Unctionem non conferre gratiam, anathema sit*; sed difficultas est de propriis ipsius effectibus, quibus reliquis Sacramentis distinguitur, & propter quos primariò hoc Sacramentum fuit à Christo Domino institutum, & quidem tres præsertim ejus effectus proprios videtur insinuasse D. Jacobus in sua Epistola cap. 5. cum dixit: *Ungentes eum oleo in nomine Domini, & oratio fidei salvabit infirmum, & alleviabit eum Dominus, & si in peccatis sit, dimittentur ei*. Primus est salvare infirmum, hoc est, ipsum liberare ab infirmitate corporali. Secundus est alleviare ipsum. Tertius est remittere ipsi peccata, si sit in peccatis, quos effectus adhuc confirmat, & magis declarat Conc. Trid. l. c. sess. 14. nam postquam in proœmio dixit sacram Unctionem esse firmissimum præsidium contrà versutias, & tentationes diaboli, qui tempore mortis maximè vigilat, ut animas nostras devoret, deindè in c. 2. ait quod *Unctio delicta, si quæ sunt adhuc expianda, ac peccati reliquias abstergit, & ægroti animam alleviat, & confirmat magnam in eo divinæ misericordiæ fiduciam excitando, quia infirmus sublevatur, & morbi incommoda, & labores levius fert, & tentationibus dæmonis calcaneo insidiantibus facilius resistit*, ità Concilium, & tandem post numeratos effectus spirituales, quos virtute hujus Sacramenti ægrotus recipit, ità concludit. *Et sanitatem corporis interdum ubi saluti animæ expedierit, consequitur*, ac posteà cap. 2. repetit rursus, & confirmat sacram Unctionem conferre gratiam, peccata remittere, & alleviare infirmos. Ex quo patet duplicem esse hujus Sacramenti effectum, alterum spiritualem, quem causat in anima, & illum semper confert obicem non ponenti, alterum materialem, quem interdum causat in corpore, & non nisi quando animæ saluti id expedit, quod etiam Florentinum expressit l. c. quando dixit, quod hujus sacræ Unctionis *effectus est mentis sanatio, & quantum expedit ipsius etiam corporis*, hos igitur effectus in præsenti quæstione breviter explicabimus juxtà dicta disp. 9. cit. q. 4.

ARTICULUS PRIMUS.

Quinam sint hujus Sacramenti effectus, & quis eorum præcipuus.

51 THeologi communiter præfatos sacræ Unctionis effectus adhuc magis explicare volentes ad quinarium reducunt numerum. Primus effectus illi communis cum aliis Sacramentis est gratia sanctificans, ut suprà dictum est. Secundus est speciale gratiæ auxilium tum ad superandas tentationes in mortis articulo occurrentes, tum ad spem, & confidentiam facilius, & firmius in Deum erigendam, tum tandem ad morbi, & mortis molestias cum majori patientia ferendas. Tertius est remissio peccatorum venialium primariò, & per se, ut ex supra citatis Apostoli, & Concilii verbis, & ipsa Sacramenti forma colligitur. Quartus est remissio peccatorum etiam mortalium, secun-

secundariò tamen, & per accidens, si quæ forte habet infirmus, quę habere se bona fide, & invincibiliter ignoret, ut infrà explicabitur. Quintus denique est abstersio reliquiarum peccati, ut expressè docet Concil. Trident. cit. cap. 2. quarum quidem reliquiarum peccati nomine quid sit intelligendum non omnes conveniunt, communiter tamen cum D. Th. 4. d. 23. qu. 1. ad 2. intelligunt animi languorem, torporem, mærorem, tristitiam, fastidium, anxietatem, & alias similes pravas affectiones, quæ ex peccatis præteritis, eorumque recordatione oriri solent; & peccatorem in desperationem inducere, & hæc divisio spectat ad effectus spirituales, quos hoc Sacramentum in anima causat, non ad materialem sanitatis corporalis. De his igitur extremæ Unctionis effectibus disputant Theologi, quinam sit eorum magis principalis, & præcipuus, & propter quem primariò, & principaliter fuit hoc Sacramentum à Christo Domino institutum. Qua in re variæ sunt opiniones, quas distinctè q. 4. cit. referimus, ubi tandem art. 1. pro quæsiti resolutione sequentes ponimus conclusiones.

52 Primò dicendum est, tres esse hujus Sacramenti effectus à D. Jacobo lo. c. insinuatos. Unus est dimissio peccatorum venialium in extremo vitę periculo, undè Sacramentum hoc non est institutum absolutè ad peccata venialia dimittenda, sed ad illa dimittenda in extremo vitæ, non sint impedimentum retardativum gloriæ consequendæ, ità Scotus noster d. 23. cit. ubi non dicit simpliciter, & absolutè hoc Sacramentum esse institutum pro remissione venialium, sed pro finali eorum remissione, & congruentiam institutionis hujus Sacramenti assignat pro tali effectu, quia congruum erat, quod Viator excessurus ex hac vita à venialibus peccatis finaliter absolveretur, quia ista non remissa essent impedimentum gloriæ consequendæ; in extremo autem vitæ nemo ferè est, qui peccatis venialibus non sit oneratus, quia hæc quasi continuò committimus, in hoc igitur sensu dicimus proprium effectum hujus Sacramenti esse remissionem venialium. Alter effectus hujus Sacramenti est alleviatio mæroris, torporis, ineptitudinis, & languoris ad operandum bonum, quem effectum significavit D. Jacobus illis verbis, *& alleviabit illum Dominus*, & iste effectus sequitur ex præcedenti, nimirum ex collatione gratiæ, ut habet annexam venialium remissionem, illi enim erant effectus peccatorum venialium, quibus ablatis infirmus vigoratur, & hilarescit, & fiducia divinæ misericordiæ in eo excitatur, qua facilius dæmonis tentationibus resistit, licet enim peccata venialia gratiam non auferant, ardorem tamen charitatis diminuunt, & refrigerat, & sunt dispositiones ad mortale peccatum, nisi deleantur, ideò valdè congruum fuit per hoc Sacramentum infirmum in periculo vitæ constitutum ab his peccatis liberare, ut magis strenuus evadat in agone illo ad intentiones dæmonis superandas. Ultimus tandem effectus, qui nec semper sequitur, est sanatio ab infirmitate corporis, quam Deus si expedit saluti animæ, confert ipsi infirmo, quem etiam indicavit D. Jacobus illis verbis. *Oratio fidei salvabit infirmum*. Hos tres effectus, & hoc eodem ordine recensèt, & confirmat Trident. lo. c. verbis suprà relatis ab initio quæstionis. Nec refert, quod inverso ordine D. Jacobus hos effectus significaverit, & ultimo loco remissionem peccatorum posuerit, nam ponitur ultimo loco, tanquam finis, ad quem reliqua ordinantur. Et ad hos tres effectus reducuntur alii superius enumerati, nam speciale gratiæ auxilium ad superandas tentationes in articulo mortis occurrentes continetur in secundo effectu recensito, nempè in infirmi alleviatione, ac etiam peccati reliquiarum abstersio, nam mæror, torpor, & languor ad bene operandum sunt effectus peccatorum venialium, ut dicebamus, & proindè peccatorum reliquiæ dici possunt, quibus ablatis infirmus vigoratur, & roboratur ad tentationes superandas in articulo mortis occurrentes, & quidem nisi nomine reliquiarum peccati hæc intelligamus, difficulter defendi potest earum abstersionem esse Sacramentalis hujus effectum, ut evidenter ostendimus quæst. 4. cit. art. 1. nu. *66*.

53 Secundò dicendum est, quod licet sit prius, & peculiaris hujus Sacramenti effectus animum roborare infirmi quibusdam specialibus auxiliis contrà difficultates, & tentationes in mortis articulo occurrentes, non tamen est effectus principalis, & principaliter intentus. Hæc assertio statuitur contrà Suarez, Henriquez, Coninchium, Becanum, Layman, & alios Recentiores asserentes effectum proprium, & primarium hujus Sacramenti esse confortare animam infirmi contrà difficultates, & tentationes in articulo mortis occurrentes quibusdam auxiliis ad hoc specialiter ordinatis, & probatur, quia effectus primarius cujuslibet Sacramenti est gratia habitualis cum aliquo effectu sibi connexo, qui statim absoluta materia, & forma confertur, ut patet ex communi doctrina de effectu Sacramentorum; sed alleviatio animæ contrà difficultates ex tentationibus dæmonis in articulo mortis occurrentes fit per gratiam actualem; qua mediante excitatur anima, & hilarescit per lætitiam spiritualem, & divinæ misericordiæ fiduciam, ut patet ex Concil. Trid. cit. quod hunc effectum in talem excitationem refert, docens modum, quo alleviatur anima. Confirmatur, quia ille censendus est effectus primarius Sacramenti, quem forma ipsa Sacramentalis significat, cum Sacramenta novæ legis efficiant, quod significant, & eorum significatio cum ipsa causalitate recurrat, sed quamvis hæc animi confortatio, & roboratio sit verus, & proprius hujus Sacramenti effectus, ut suprà dictum est, tamen per formam hujus Sacramenti, talis effectus non exprimitur, sed peccatorum remissio, ut constat ex illis verbis *Indulgeat*, seu *parcat*, vel *remittat tibi Deus quicquid deliquisti &c.* ergò &c. Tandem effectus primarius Sacramenti est certus, & infallibilis, & omnibus confertur, ut constat ex dictis de natura, & institutione Sacramentorum novæ legis in genere, sed ut dicemus inferius, extrema unctio etiam iis confertur, qui amiserunt usum sensus, & rationis, in quibus pro eo statu nulla excitatio voluntatis ad actum secundum esse potest; ergò talis excitatio effectus primarius hujus Sacramenti esse non potest, sed tantùm secundarius.

54 Tertiò dicendum est, effectum primarium hujus Sacramenti esse finalem remissionem omnium venialium per se, mortalium verò non nisi per accidens, ut posteà dicemus. Hæc conclusio est Scoti loc. cit. quam fusè probant Faber, Aretinus, Hiqueus, Brancatus, Hiribarnes, & alii Scotistę, cui expressè favet Conc. Trid. sess. 14. c. cap. 1. & can. 2. ubi primum, & præcipuum hujus Sacramenti effectum statuit remissionem peccatorum, secundum verò, ac veluti ex hoc primo orientem recensèt alleviationem animę per excitationem fiduciæ in divina misericordia. Hoc idem colligitur ex forma Sacramentalis extremæ Unctionis, quia forma cujuslibet Sacramenti exprimit primarium illius effectum, utpotè quæ expressior est in significando; sed remissio peccatorum exprimitur per formam, qua utitur Ecclesia Romana, & Græca, ut suprà dictum est; ergo hæc est primarius hujus Sacramenti effectus. Quod autem talis remissio si per se, & ex vi institutionis hujus Sacramenti venialium tantùm, non autem mortalium, expressit Catechismus Romanus de hoc Sacramento dicens. *Docebunt igitur Pastores hoc Sacramento gratiam tribui, quæ peccata, & in primis leviora, quidem, & communi nomine appellantur venialia remittit, exitiales enim culpæ Pœnitentiæ Sacramento tolluntur Neque enim hoc Sacramentum primario loco ad graviorum criminum remissionem institutum est, sed Baptismus tantùm, & Pœnitentia vi sua hoc efficiunt*, quæ verba *vi sua* idem sonant, quod ex opere operato. Non ergò per se, & primariò peccata mortalia hoc Sacramento deleantur, quia hæc per se spectant ad Sacramentum Baptismi, & Pœnitentiæ, sed tantùm secundariò, & per accidens modo infrà explicando; undè & Rituale Romanum prohibet hoc Sacramentum dari peccatori manifesto, nam mortalia supponuntur per Sacramentum Confessionis remissa, & suscipiens hoc Sacramentum supponitur esse in statu gratiæ; ergò remissio peccatorum, quæ dicitur esse hujus Sacramenti effectus primarius, & præcipuus, intelligenda est primariò de venialibus. Itaque ex Concilio Tridentino, & forma extremæ Unctionis colligitur dari gratiam remissivam peccatorum, tanquam effectum primarium, & immediatum hujus Sacramenti, & in Catechismo Romano declaratur illa peccata per hoc Sacramentum remittenda primariò, & per se intelligi debere venialia, non autem mortalia, quia hæc per se spectant ad alia antecedentia Sacramenta, alioquin præmissa sola unctione posset infirmo Viaticum ministrari sine prævia pœnitentia, quia ad fructum, & dignam Eucharistiæ sumptionem non requiritur, nisi status gratiæ, qui per Sacramentum quoque extremæ Unctionis acquiri posset, si ad remissionem cujuscunque peccati promiscuè per se institutum esset, sivè venialis, sivè mortalis, hoc autem est contrà determinationem Ecclesiæ, & Tridentini sess. 13. cap. 7.

55 Quartò dicendum est, hunc effectum finalem, scilicet, remissionem venialium causari ab hoc Sacramento ex opere operato, dummodo sufficiens per complacentiam in peccatis obicem non ponat. Hæc assertio probatur ex paritate aliorum Sacramentorum, sicut enim cætera Sacramenta causant effectus suos ex opere operato, ità & hoc suum proprium, & primarium effectum causare debet. Imò sicut congruum fuit, quod Baptismus in pueris ex opere operato suum causaret effectum immediatè, scilicet, ablutionem ab originali, ut nulla ex parte subjecti requireretur dispositio ratione infantilis ætatis, ità servata proporcione idem asseri debet de hoc Sacramento, cum possit conferri Phreneticis, & qui actualem usum rationis non habent, dummodo illum aliquando habuerint, & obicem non posuerint. Et hoc etiam resultat in majorem Dei misericordiam, & maximum infirmi commodum, qui actus multos cum magno

magno labore exequi deberet, & conari ad remiscendum peccata, ac illa detestari. Hinc Sacramentum extremæ Unctionis in eo præsertim à pœnitentia discriminari solet, quod essentia hujus Sacramenti non pendet ex actibus suscipientis, sicut Sacramentum pœnitentiæ, nam dolor de peccatis in Sacramento pœnitentiæ requiritur, ut pars essentialis Sacramenti, & sine quo non fieret Sacramentum, at in Sacramento extremæ Unctionis vel nullo modo requiritur, ut quando subjectum nullum habet peccatum, vel si habet non est rationis compos, vel ad summum requiritur, ut dispositio ad consequendum Sacramenti effectum, quando quis accedit cum aliquo peccato invincibiliter ignorato, vel ad cujus remissionem pœnitentiæ Sacramentum applicari non potest obingentem sensuum ægrotantis destitutionem. Hinc circà modum remissionis peccatorum venialium per hoc Sacramentum rectius discurrunt, qui dicunt immediatè remitti virtute hujus Sacramenti absque ulla dispositione prævia, quàm qui dicunt per hoc Sacramentum venialia remitti, inquantum excitat ad eorum detestationem formalem, vel virtualem.

56 Dices asserere hoc Sacramentum venialia immediatè remittere, nulla ex parte subjecti dispositione requisita, est contrà consuetum modum remittendi peccata personalia, quæ sicut propria voluntate committuntur, ità absque proprio actu retractativo peccatoris non remittuntur. Respondeo hoc totum verificari, quando peccata remitti debent per Sacramentum pœnitentiæ, quod est Sacramentum judiciale, & per modum judicii exercetur, hac enim ratione ex actibus suscipientis essentialiter dependet, non verò quando peccata remittuntur per Sacramentum extremæ Unctionis, quod est medicinale, & per modum medicinæ exercetur. Undè etiam in infirmo rationis compote aliam dispositionem Summistæ communiter non requirunt ad hoc Sacramentum fructuosè recipiendum, quàm votum illud recipiendi, & in phrenetico, quod talę votum præcesserit, quando ratione utebatur. Et tandem jam diximus supra disp. 21. *de Pœnitentia* quæst. 4. de remissione venialium, quod licet attritio necessariò prærequiratur ad consequendam absolutionem mortalium, ac etiam venialium, quando sunt cum mortali conjuncta, tamen quando sunt separata, ut accidit in homine justo, qualis supponitur esse hoc Sacramentum suscipiens, talis dispositio non est necessaria ad tollendum obicem ut Sacramentum eorum absolutionem influere possit, sed sufficere potest etiam aliqua minor dispositio, ut actualis non complacentia de talibus peccatis, & voluntas recipiendi effectum remedii, quod assumit, hæc enim censetur quædam virtualis detestatio peccati, dum homo vult ejus medicinam assumere.

57 Quintò tandem dicendum est, quod licet hoc Sacramentum non sit remissivum mortalium per se, & ex vi propriæ institutionis, adhuc tamen illa per accidens, & secundariò remittere potest accedente dispositione congrua, & bona fide suscipientis. Ità Doctor d. 23. sub A. ubi explicans illud Jacob. 5. *Et si in peccatis est, remittentur ei*, ait, quod hoc non intelligit de mortalibus, quia hæc non remittuntur, nisi in Baptismo, vel Pœnitentia, sed de venialibus, & ità sentiunt ibidem Scotistæ omnes, & præsertim Almainus, qui dicit hoc Sacramentum per se institutum esse ad remissionem finalem venialium, sed per accidens tamen extendi quoque ad remissionem mortalium, & sic etiam communiter loquuntur alii Theologi, quos citat, & sequitur Gamacheus, & Abellius *c. 6. de extrema unctione* sec. 3. ubi ait, quod etiam remissio peccatorum mortalium est effectus hujus Sacramenti, si quæ fortè habet infirmus, quæ habere se bona fide, & invincibiliter ignoret, quam vis enim Sacramentum hoc ex primaria Christi institutione secundam tantummodo gratiam, ideſt, gratiæ sanctificationis augmentum conferat, supponatque hominem à peccato mortali per Sacramentum pœnitentiæ, aut perfectam contritionem jam purgatum, nihilominus secundariò etiam & per accidens primam interdum gratiam conferre potest, & peccata mortalia delere, si fortè confessio Sacramentalis nulla, & invalida fuit, & aliàs infirmus se in statu peccati mortalis esse invincibiliter ignoret, & de illis saltem in genere attritus sit, & hoc satis apertè colligitur, tum ex precitatis D. Jacobi verbis *si in peccatis sit remittentur ei*; tum ex illis Concil. Trident. cap. 2. *Delicta si quæ sint adhuc expianda abstergit*, tum denique ex ipsius formæ verbis, *Indulgeat Dominus quicquid peccasti*, cum enim hæc verba sint indennita, ac sine ulla restrictione, de peccatis etiam mortalibus intelligi possunt modo jam explicato, nempè secundariò, & peraccidens.

58 Demum hoc etiam significavit D. August. serm. 215. de tempore, ubi ait, quod *quoties aliqua infirmitas supervenerit, corpus, & sanguinem Christi ille, qui ægrotat, accipiat, & deindè corpus suum ungat, ut illud, quod scriptum est, impleatur; qui infirmatur inducat Presbyteros Ecclesiæ, qui ungant eum*; in quo discursu supponit, scilicet, Doctor, quod Eucharistiæ susceptio sit prævia susceptioni extremæ Unctionis, cum ergo Eucharistiæ receptio gratiam in anima supponat, eo quod sit Sacramentum virorum, idem pariter de extrema Unctione dicendum erit, & per consequens directè, & per se dicitur esse Sacramentum vivorum, ex accidenti tamen, ac veluti indirectè poterit dici quoque remedium, & antidotum mortuorum, ut de aliis quatuor Sacramentis suo loco dictum est, & hoc etiam Doctor noster expressit lo. ci. sub lit. B. dum inquit, quod nullus est capax istius Sacramenti dignè nisi sit in gratia, istud enim Sacramentum non est remedium acquirendi gratiam, quia ad hoc sunt tantùm Baptismus, & Pœnitentia, quibus verbis significat Doctor hæc tantùm duo Sacramenta per se esse sacramenta mortuorum, ideſt, existentium in peccato mortali, quod per se, & directè remittunt, alia autem quinque indirectè solùm, & per accidens, quatenus, scilicet, gratia habitualis, quam causant in ratione Sacramenti, & peccatum mortale sunt simul incompossibilia. Et ad efficaciam, & utilitatem Sacramenti hujus sufficit, ut saltem per accidens, & secundariò peccata etiam mortalia, invincibiliter tamen ignorata, remittere possit, ut faciunt alia Sacramenta vivorum, & per hoc sufficienter provisum est necessitati infirmorum in extremo vitæ exitu. Dices, hinc sequi non esse necessariam confessionem, seu pœnitentiæ sacramentum. Negatur consequentia, ut diximus l. c. in fine articuli, nam si infirmus sciat, se esse in peccato mortali, tenetur confiteri, si potest, aut saltem tenetur habere contritionem; si copiam Confessarii non habet, nec sufficit Sacramentum extremæ Unctionis, si autem ob morbi vehementiam, & capitis turbationem nesciat se esse in peccato mortali, vel si hoc quidem sciat, adhuc tamen bona fide se esse contritum putat, cum tantùm sit attritus, tunc ultrò concedimus hoc Sacramentum sufficere, nec necessariam esse confessionem, nisi in voto, si reipsa haberi non potest. Objectiones autem quorundam Thomistarum asserentium hoc Sacramentum non esse principaliter institutum ad tollenda peccata venialia, & aliorum concedentium quidem effectum hujus Sacramenti primarium esse peccatorum remissionem, at non tantùm venialium, ut nos dicimus, sed etiã mortaliũ ex vi institutionis ejus, vide solutas q. 4. c. a. 2

ARTICULUS SECUNDUS.

Quando hoc Sacramentum suum conferat effectum.

59 Quæsitum hoc, ut diximus disp. 6. cit. q. 5. ab initio procedit de primario, & principali effectu hujus Sacramenti, nimirum de effectu gratiæ habitualis, & remissionis peccati, nam alios duos effectus confert tantùm quando est necessarium infirmis, & juxtà temporum, & occasionum opportunitatem, gratia autem habitualis, & remissio peccati datur in uno aliquo instanti. Cum igitur hoc Sacramentum multis constet unctionibus, & formis, quæritur an tota gratia detur statim post primam unctionem, an post omnes simul sumptas, vel an potius distribuatur partialiter, & successivè in singulis, in qua difficultate sunt varii modi dicendi breviter examinandi in præsenti juxtà dicta q. 5. cit. a. 1. & 2.

Primò dixerunt aliqui gratiam habitualem non conferri, nisi per ultimam unctionem, ideſt per eam, quæ reipsa est ultima ex intentione Ministri ungentis, sive hoc Sacramentum ministretur quinque unctionibus, quæ tantùm sunt de essentia, sivè septem, quę solum sunt de integritate Sacramenti, undè si Minister vult Sacramentum ministrare per septem unctiones, effectus gratiæ non dabitur, nisi post septimam, si verò per quinque gratia dabitur in fine quintæ. Secus autem discurrendum est, si Ministri intentio referretur ad primam, vel secundam, aut tertiam, tanquam ultimam, quia cum in hac sententia ad minimum quinque unctiones sint de essentia, etiamsi Minister intentionem haberet conferendi gratiam per primam, vel secundam unctionem illam non conferret, quia ut Sacramentum suum conferat effectum, supponi debet completum quoad essentialia, quod complementum in allato casu non haberetur, atque ideo neque effectus Sacramenti defectu essentialis complementi. Ità Dominicus Soto 4. d. 23. q. 1. ar. ult. Henriquez lib. 3. *de Sacramentis* cap. 12. & alii. Hæc opinio communiter reiicitur, & quidem rationabiliter, nam si duæ postremæ unctiones ex illis septem, scilicet, renum, & pedum non sunt de essentia, non potest Minister per suam intentionem efficere, ut Sacramentum essentialiter perfectum per quinq; unctiones suũ effectum non conferat, donec addantur aliæ duę unctiones, quæ ad essentialem, necessitatem non spectant, Sacramentum enim statim ac perfectum est, & essentialiter completum confert effectum, neque id dependet ab intentione privata ministri, modo intentionem habeat generalem faciendi, quod Christus, vel Ecclesia facit, hæc enim intentio ministri ad validitatem Sacramenti

cramenti necessaria est, intentio autem privata nihil facit. Confirmatur, quia cum Sacramenta ad instar causarum naturalium gratiam conferant, ut dictum est disp. de Sacramentis in genere, statim ac ad eam causandum sunt idonea, illam conferunt; at statim ac sunt in sua essentia completa, & perfecta, censentur ad causandum idonea, & in actu primo proximo causandi constituta, perindè ac causa naturalis; ergo tunc suum statim causabunt effectum absque ulla dilatione à privata Ministri intentione causata, quæ adhuc nihil omninò facit, alioquin posset Minister intentionem habere non conferendi gratiam, nisi post vigesimam, vel trigesimam unctionem, nam eodem modo hæ sunt extra numerum quinque unctionum essentialium, ac septima unctio, ut arguit Amicus disp. c. sec. 7. Denique hinc sequeretur posse dari casum, in quo infirmus totum susciperet Sacramentum quoad totam suam essentiam, & tamen nullam reciperet gratiam ex defectu intentionis Ministri, si v. g. Minister ad septimam unctionem suam referat intentionem, undè si casu eveniat, quod quinque unctionibus expletis, quæ tantùm sunt de essentia Sacramenti, & quibus solùm tota ejus completur essentia, antè sextam, vel septimam infirmus moriatur, jam neque adhuc ullam recipit gratiam non obstante quod Sacramentum susceperit quoad totam suam essentiam perfectum, & completum, quod est omninò absurdum.

60 Secundò alii asserunt, extremam Unctionem causare effectus suos, quando Unctiones faciendæ completæ sunt, vel si omnes non sunt faciendæ, quando ultima ex faciendis completa est. Ità Brancatus noster disp. 11. cit. art. 17. §. 6. consequenter ad ea, quæ dixerat a. 4. nimirum omnes, & singulas unctiones esse de essentia hujus Sacramenti, quando omnes fieri possunt, cùm autem supervenit mors, illas solùm esse de essentia; quæ jam factæ sunt, & unam quoque si una tantùm facta est. Probat assertum quoad primam partem, quia alia Sacramenta suum causant effectum, quando completa sunt, hoc autem Sacramentum ex Scoto 4. d. 23. est unum non unitate indivisibilitatis, sed integritatis; ergò quando integraliter factum est, & suis unctionibus completum, tunc suum præstat effectum. Deindè probat quoad aliam partem, nam accidere potest, ut cum fit unctio, vel infirmus, vel Sacerdos ungens moriatur; & aliæ unctiones fieri non possint, & tamen negari tunc nequit effectum hujus Sacramenti infirmo conferri, alioquin non esset benè consultum infirmis, eo vel maximè præcipitur, ut ejus in extremo vitæ periculo positis conferatur; igitur semper videntur expositi periculo, ne omnes unctiones perficiantur. Accedit, quod tempore contagii licitum est in aliqua, vel aliquibus tantùm partibus infirmum ungere, ut docuit Universitas Lovanii anno 1588. ergò multò magis præstabit effectū, quando ex morte superveniēte impedimentū est ne cæteræ unctiones perficiātur.

61 Hęc tamen opinio jam explosa est q. præc. a. 1. n. 40. utpotè quę vagam nimis assignat hujus Sacramenti essentiam & ejus materiam proximam nimis incertam, & confusam, ut quandoque in una tantùm unctione consistat quandoque in tribus, vel quatuor, & interdum in omnibus juxtà ægrotantis statum, vel periculum, cum tamen alia Sacramenta certam, & determinatam materiam ex eorum institutione habeant. Accedit, quod sine tali, ac tanta materiæ hujus Sacramenti incertitudine, & confusione potest adhuc ejus institutio sic declarari, ut etiam simul cum certitudine materiæ sit sufficienter provisum, & consultum infirmorum necessitati, & utilitati in extremo vitæ periculo; si nimirum dicamus totam gratiam in hoc Sacramento statim conferri, cum primum prima unctio applicata fuerit cum sufficienti verborum forma, licet aliæ unctiones, quando adhiberi possunt, sint necessariæ necessitate præcepti, & concurrunt, si non ad essentiam, saltem ad integritatem Sacramenti constituendam. Vel cum aliis asseramus in singulis unctionibus, & formis unctionibus correspondentibus partialem gratiam conferri, nam juxtà has sententias sine tali, ac tanta materiæ incertitudine, qualis ponitur ab hoc secundo dicendi modo, sufficienter provisum est casibus, qui possunt in hoc Sacramento suscipiendo infirmo occurrere, ut si moriatur antè quinque unctiones expletas; nam juxtà priorem sententiam accipit totam gratiam in prima unctione; juxtà posteriorem verò accipit gratiam saltem partialem, undè etiamsi moriatur, antequam reliquas accipiat, moritur cum gratia Sacramentali; non ergò ad evitandum periculum perditionis infirmi in allato casu tenemur, & cogimur asserere extremam Unctionem suum effectum causare, quando unctiones faciendæ completæ sunt, vel si omnes non sunt faciendæ, quando ultima ex faciendis completa est, & perfecta, ut asserit hic secundus dicendi modus. Instantias verò Brancati contrà hanc doctrinam vide, rejectas, & præclusas q. 5. cit. art. 1. n. 91.

62 Tertiò alii asserunt gratiam in eo instanti conferri, in quo hoc Sacramentum essentialiter completur, & perficitur, perfici autem, & compleri, quando quinque Unctiones cum quinque formis sibi correspondentibus perficiuntur, & hæc videtur communiorum Recentiorum sententia, quam sequuntur Valentia, Suarez, Aversa, Coninchius, Filliuc. Diana, & alii etiam ex nostris, ut Faber, Aretinus, & Hiribarnes dicentes, omnes, & singulas unctiones esse de essentia hujus Sacramenti, ita quod si Sacerdos faciat duas, vel tres Unctiones, non conficit Sacramentum, nec gratiam confert, quia hæc confertur solùm in fine prolationis verborum in ultima unctione. Unicum verò hujus opinionis fundamentum est, quia nullum Sacramentum suum causat effectum, nisi quandò est essentialiter completum; atqui hoc Sacramentum secundùm ipsos non completur, nisi in quinta Unctione; ergò antè quintam unctionem suum effectum non confert, imò Faber vult solùm in septima conferri, quia omnes septem putat esse de essentia Sacramenti, ut dictum est qu. præc. ar. 1. quarè concludunt non dari effectum Sacramenti, nisi post ultimam unctionem, quia omnes formæ partiales, & unctiones faciunt unam integram indivisibilem materiam, & formam Sacramenti, quibus completis datur effectus, & non anteà. Cæterum ad hujus Sacramenti validitatem necessarias non esse quinque unctiones in quinque corporis sensibus cum quinque partialibus formis correspondentibus jam suprà demonstravimus qu. præc. a. 1. & falsum est omnes formas partiales, & unctiones facere unam integram, & indivisibilem materiam, & formam Sacramenti, nam unctiones illę diversæ non faciunt unam, & eandem unctionem, quia quælibet determinatè, & essentialiter suum proprium respicit subjectum, & propter diversitatem instrumentorum peccandi necessariò iterantur, quæ instrumenta sicut in actione, & virtute sunt diversa, ità etiam ut diversa unguntur; ergò unctiones illæ nec in ratione specifica unctionis Sacramentalis, nec in ratione subjecti proximi, & cujusque unctionis proprii faciunt unum. Et idem etiam de forma probatur, quia quelibet exprimit proprium subjectum unctionis, & ex sensu suo substantiali, & essentiali refert subjectum unctionis sibi correspondentis in expressa sua significatione, ut cum dicitur *quicquid per visum deliquisti, &c.* sensus autem Sacramentalis formæ completur, quandò completur sensus quem habet de rigore sermonis; ergò etiam sensus Sacramentalis hujus formæ toties completur, quoties præmissa integra unctione integrè profertur, cum ergò quælibet forma unctionis absolutè significet in ordine ad subjectum proximum Unctionis, sivè ipsam unctionem, sivè effectum Sacramentalem, ad quem profertur, jam nulla coalescere potest cum alia in significatione, & sic est magis congruum institutioni, & fini hujus Sacramenti, ut validè ministrari possit infirmis etiam agonizantibus, sic enim semper fructuosè ministratur, quia ejus effectus dantur partialiter, & successivè; at si Sacramentum solùm in ultima unctione efficax esset, ut hic tertius dicendi modus opinatur, sępè suo effectu frustraretur, & fructu, cum illa antè mortem perfici non posset casu, quo moreretur infirmus antè completas omnes Unctiones, quod estò Auctores hujus opinionis gratis concedant, videtur tamen omninò dissonum institutioni hujus Sacramenti, quod institutum est in subsidium ægrotantium in periculo mortis laborantium, ut suprà dictum est.

63 Quartò alii existimant totam gratiam dari per primam Unctionem, & formam sibi correspondentem, reliquas verò unctiones ajunt addendas esse ex sola Ecclesiæ consuetudine, non autem ex Sacramenti, aut effectus necessitate, atque ideò per illas novum gratię gradum non conferri vi Sacramenti, nisi fortè per accidens propter meliorem suscipientis dispositionem, & hic dicendi modus sequitur ex eorum sententia, qui docent unicam tantùm Unctionem in quavis parte corporis adhibitam esse sufficientem ad essentiam hujus Sacramenti. Fundamentum est, quia hoc modo potuit hoc Sacramentum institui, videturque utilior hic modus, magisque humanę infirmitati accomodatus, & periculis, quæ in eo statu occurrere solent, contingere enim sæpè potest, ut infirmus facta prima unctione moriatur, & nulla ratione, vel auctoritate constat hanc institutionem esse à præcepto Christi Domini alienam, vel à promulgatione Jacobi, vel ab usu Ecclesiæ, neque ad eam speciale aliquod inconveniens sequitur, nam ad summum sequeretur posteriores unctiones non esse partes hujus Sacramenti essentiales, sed integrales tantùm, quod non videtur esse inconveniens. At neque hic dicendi modus est idoneus, hinc enim sequeretur cęteras unctiones ultra primam non esse Sacramentales, cùm tamen ex propria materia, & forma constent, non secus ac prima; consequentia patet, quia virtute ipsarum nullus gratię gradus etiam minimus conferretur, cum ex vi primę Unctionis tota supponatur conferri.

Confirmatur, quia adhuc sufficienter humanæ infirmitati provisum esset, & periculis in extremo vitæ agone occurrentibus, si dicamus dari quidem aliquem effectum gratię sanctifi-

cantis in prima, & singulis unctionibus, non tamen esse totalem, sed partialem gratiam respectu adæquati effectus hujus Sacramenti; & hoc magis consentaneum videtur institutioni hujus Sacramenti, nam ex una parte salvatur singulas unctiones esse Sacramentales, cùm per singulas aliqua pars gratiæ conferatur; & ex alia parte sufficienter provisum erit calibus, qui in hoc Sacramento suscipiendo possunt occurrere infirmo, ut si ante omnes quinque unctiones moriatur, nam juxtà hunc dicendi modum, ut mox explicabitur, infirmus accipit gratiam saltem partialem in prima Unctione, undè etiamsi moriatur, antequam reliquas accipiat, moritur cum gratia Sacramentali. Et planè si per primam Unctionem tota daretur gratia ex vi hujus Sacramenti, frustrà omninò ab Ecclesia essent quinque unctiones ordinatæ, quia essent omninò superfluæ, nam ut inquit Philosophus, frustrà fit per plura, quod potest fieri per pauciora, & æquè benè; at si tota gratia daretur per primam Unctionem, itaut nihil ejus per alias conferendum remaneret æquè benè haberetur per illam solam totus, & integer Sacramenti effectus; ergo &c.

64 Quintò tandem probabilior modus dicendi est, ut diximus quæst. 5. cit. art. 2. qui asserit per singulas unctiones dari singulos gradus, sivè portiones gratiæ, ac proindè sicut quinque sunt unctiones partiales, quæ integrum constituunt Sacramentum, ità quinque vicibus conferri quinque gradus gratiæ, qui adæquatum hujus Sacramenti effectum constituant. Ita colligunt Almainus, Hiqueus, Poncius, & alii meliores Scotistæ ex Scoto 4. d. 23. q. unic. ad 2. ubi asserit hoc Sacramentum esse unum unitate integritatis, non indivisibilitatis, & favet etiam D. Thomas q. 29. in additione ad 3. part. art. 2. ad 1. ubi hoc Sacramentum comparat Sacramento Eucharistiæ, cujus singulę species gratiam conferunt. Fundamentum pręcipuum est, quia quælibet Unctio cum sua forma constat ex partiali materia, & partiali forma cum significatione propria effectui proprio respondente, & ad singulas unctiones completur sensu substantiali formæ; ergo quęvis unctio cum sua propria forma est proprium Sacramentum gratiam conferens, nam Sacramentum ex divina institutione efficit, quod significat, ad cujus proindè veritatem requiritur, ut ejus effectus detur in ultimo instanti completi sui esse, quando non supponitur obex; ergo si quævis unctio cum sua propria forma habet proprium significatum partiale ab aliis distinctum, habebit etiam suum effectum proprium partialem ab aliis condistinctum, neque enim illa forma, aut unctio præmissa dicit ordinem ad alias unctiones, aut ad eandem formam repetitam in significando.

65 Confirmatur ex ritu ministrandi hoc Sacramentum quia in nullo alio reperitur eadem forma cum iteratione materiæ absolutè, nisi in hoc Sacramento; ergò ex iteratione materiæ, & formæ hujus Sacramenti, sequitur diversitas effectus, & efficaciæ. Neque est repugnantia ex parte effectus, scilicet, gratiæ, ut est remissiva peccatorum, sicut Brancatus ostendere nititur, non quidem peccatorum venialium, quia non repugnat hæc seorsim, & successivè dimitti, cum enim sint cum gratia compossibilia, non est connexio inter ea quantum ad remissionem, ut Almainus advertit; Nec etiam ex parte mortalium, sivè dicamus illa per se, sivè per accidens remitti virtute hujus Sacramenti, quia tolluntur omnia per gratiam primæ Unctionis directè, vel indirectè ex incompossibilitate, quam habent cum gratia; directè quidem illa, quæ per organum unctum commissa fuere, indirectè verò, quæ per alia organa, aut interius in ipsa mente sint consummata. Tandem hoc satis esse videtur ad subveniendum periculis infirmorum in extremo vitæ occurrentibus, etenim ut Suarez etiam advertit disp. 41. sec. 2. quilibet gradus gratiæ ad salutem sufficit, licet non sit cum tanta perfectione; videtur autem conveniens, ut in hujus Sacramenti institutione occurrentibus periculis sit ità provisum, ut saltem ea, quæ necessaria sunt, per unam Unctionem conferri possint, qua de causa Suarez quoque hunc dicendi modum satis probabilem censet, quia sic dicendo salvatur, quomodo profit infirmo hoc Sacramentum, etiam si moreretur antè completas omnes unctiones, qui est punctus principalis in hac materia præ oculis habendus, ut suprà dictum est. Objectiones autem quasdam contrà hunc dicendi modum vide solutas loc. cit.

66 Postremò quæritur, quando hoc Sacramentum tribuat corporis sanitatem, certum enim est corporis sanitatem per hoc Sacramentum aliquando conferri, ut colligitur ex illo Jacobi: *Oratio fidei salvabit infirmum*; certum etiam est non semper conferri, ut experientia docet, quæritur ergò quando conferatur, Concilium Florentinum, & Tridentinum statuerunt conferri. quando, & ubi ad salutem animæ expedierit, sic enim Tridentinum loquitur sessio. 14. c. 2. in fine *ægrotus sanitatem corporis interdum, ubi saluti animæ expedierit, consequitur*, & hic etiam est communis Theologorum sensus, & ratio est, quia sicut bona temporalia non conferuntur sanctis, nisi in ordine ad salutem animæ, ità etiam de sanitate corporali sentiendum est, & quando aliqui boni viri moriuntur post extremam unctionem; quamvis tales fuerint, ut secundùm humanam prudentiam, & existimationem adhuc multa bona facere potuissent, si supervixissent; tamen coram Deo sæpè res aliter se habet, quarè cum dicitur Sacramentum hoc conferre corporis sanitatem, si animę saluti expedierit, intelligendum est juxtà divinam præscientiam, & ordinationem, non verò secundum humanam existimationem, sic enim explicuit Conc. Colonienſe ann. 1536. celebratum, dum dixit id esse intelligendum, *Si Deo ita visum fuerit*; atque ideò res intelligi nequit, nisi juxtà ordinem divinæ providentiæ, ac determinationis circà singulorum salutem, ut non tam referatur ad majorem animæ profectum, quàm ad divinam providentiam, ut fusiùs ostendimus l. c. contrà Sotum 4. dist. 23. q. 1. art. 2. præfatam Conciliorum doctrinam nimis temerariè negantem,

QUÆSTIO QUINTA.

De subjecto hujus Sacramenti capaci.

67 DUplex à Theologis distingui solet hujus Sacramenti subjectum; ut diximus disp. 6. cit. quæst. 6. ab initio, unum quidem proximum, suntque ipsa sensuum organa immediatè inungenda, de quo subjecto satis dictum est suprà q. 3. a. 1. ubi etiam satis declaratum est, quænam partes, & quot ad validitatem Sacramenti hujus sint necessariò inungendę, alterum verò remotum, qui est totus homo, diciturque subjectum denominationis, siquidem ex una tantùm unctione in una corporis parte totus denominatur inunctus, & de hoc subjecto in præsenti quæstione discurrendum est juxtà dicta qu. cit. quam quæstionem breviter resolvit Doctor dist. 23. ubi inquit subjectum hujus Sacramenti capax esse hominem viatorem, baptizatum, adultæ ætatis, & infirmum pœnitentem morti probabiliter proximum; ità loquitur, §. *De secunda conclusione*, dum inquit, quod hoc Sacramentum est unctio hominis infirmi pœnitentis, &c. & infrà subdit, quod ideò non debet conferri sano, nec qualitercunque exposito periculo mortis, quia non ei, cui mors imminet ex periculo extrinseco violentiæ, ut armorum, vel submersionis, vel hujusmodi; nec qualitercunque infirmo, sed periculosè, ita quod probabiliter sibi immineat exitus de statu viatoris ad terminum. Ità Doctor ex quibus solutionem hujus quæstionis sufficienter deducemus juxtà dicta l. c.

ARTICULUS PRIMUS.

Quis possit hoc suscipere Sacramentum.

68 PRimò certum est ex doctrina Scoti relata, & apud omnes recepta solùm hominem viatorem, ac proindè in hac mortali vita degentem esse hujus Sacramenti capacem, ut dictum est l. c. quod quidem constat ex principio generali de Sacramentis, quæ pro Viatoribus solùm sunt instituta, qui sunt Medicinæ capaces, vel augmenti gratiæ, & non pro aliis, qui jam sunt in termino, undè quando de vita inungendi dubitatur, an sc. sit vivus, inungendus est sub conditione, si est vivus. Debet etiam hic Viator esse baptizatus ea generali ratione, quod Baptismus est janua ad reliqua Sacramenta; ut habetur in Concilio Florentino in decreto Eugenii, quia sine illo reliqua Sacramenta validè suscipi nequeunt, ut suo loco dictum est agendo de natura, & institutione Baptismi; undè si hoc Sacramentum conferatur non baptizato etiamsi sit Cathecumenus, & in gratia existens, irritum est, & invalidum, ut omnes communiter concedunt, & circà has duas conditiones nulla occurrit difficultas.

69 Secundò debet etiam esse adultus, ut ibidem dicebamus, hoc est, talis ut ad rationis usum pervenerit, infantes siquidem sicut non sunt capaces Sacramenti pœnitentiæ, ita neque hujus esse poterunt, quod est consummativum pœnitentiæ, ut patet ex Tridentino, Tùm quia præcipui hujus Sacramenti effectus sunt remissio peccatorum actualium præsertim venialium, & robur adversus tentationes in articulo mortis urgentes; at pueri antè usum rationis horum effectuum capaces non sunt, ut de se patet; ergo neque hujus Sacramenti. Adhuc tamen plures Theologi rectè docent Sacramentum extremæ Unctionis validè conferri posse pueris, qui ad ætatem, & rationis discretionem pervenerunt, ut Sacramenti pœnitentiæ sint capaces, quamvis Sanctam Eucharistiam nondùm receperint, nec

adhuc

adhuc idonei ad illam recipiendam judicentur, atque ità præscribi in Rituali Parisiensi tit. de extrema Unctione testatur Abellius cap. 6. sec. 4. & hoc idem docent Navarr. Suar. Aversa. Labatus, & plures alii Recentiores. Ex quo etiam deducitur perpetuò amentes esse hujus Sacramenti incapaces, quia in his quoque verificari nequit forma, & principalis finis propter quē hoc Sacramentum est institutum. Dices, licet parvuli non sint capaces deletionis peccatorum, tamen sunt capaces gratiæ, & augmenti ejus; ergò non esset invalidum hoc Sacramentum, si eis applicaretur, atque ità videntur ejus capaces.

Respondeo negando consequentiam, quia Sacramenta sunt quidem instituta ad causandam gratiam, cum hæc sit communis eorum effectus, non tamen sunt instituta ad eam quomodocunque causandam, sed tanquam necessariam ad aliquem peculiarem effectum eis proprium, alioquin sequeretur, quod cū gratia habitualis ab omnibus causata sit ejusdem speciei, eoldē quoque effectus in singulis produceret Sacramentis, & omnia quoque Sacramenta essent ejusdem speciei. Hinc diximus in Superioribus Baptismum esse institutum ad causandam gratiā, qua deletur originale, & cętera actualia, Pœnitentiam ad causandam gratiam, qua delentur actualia post baptismum commissa, Confirmationem ad causandam gratiam, qua homo valeat fortiter confiteri fidē, & sic de aliis; sic ergo in proposito extrema Unctio instituta est ad causandam gratiam deletivam secundùm se venialium in homine eorum capaci, ad confortandum contrà tentationes, & ad alleviandam animam, ut constat ex dictis. Cum igitur parvuli, nec peccatorum, nec tentationum Dæmonum sint capaces, consequenter neque hujus Sacramenti sunt capaces, nec gratiæ per illud collatæ, quæ de se est delectiva venialium in subjecto capaci eorum.

70 Tertiò est difficultas, an necesse sit hominem habere usū rationis, quandò susceperus est hoc Sacramentum, vel licèt ministrari etiam possit iis, qui de facto nullum ostendunt rationis usum, dummodò illud anteà habuerunt. Divus Thom. q. 23. art. 3. in supplemento ad 3. partem docere videtur, hoc Sacramentum non esse conferendum, nisi iis, qui actualiter usum rationis exercent, itaut cognoscant, & cum devotione hoc Sacramentum suscipiant, ideoque non debere dari furiosis, & amentibus, nisi in statu aliquo lucidi intervalli, si eo fortè potiantur. Fundamentum est, quia non debet hoc Sacramentum dari, cui non potest suum primarium conferre effectum, qua ratione dicebamus dari non posse infantibus, sed primarius hujus Sacramenti effectus est animum roborare contrà Dæmonis tentationes in articulo mortis superandis, qui participari non potest, nisi homini rationis usum habenti, ut de se constat, ergo &c. Confirmatur, quia hoc Sacramentum suum confert effectum mediante motu, & devotione suscipientis, & ideò non potest dari illi, qui non est capax talis motus secundùm præsentem statum, in quo tale Sacramentum recipit. Communis tamen Theologorum sententia docet, ut diximus l. c. hoc Sacramentum conferendum esse cuicunque adulto, quia aliquando rationis usum habuit, etiamsi de facto nullum rationis indicium ostendat, dummodo certò non constet eum, antequam rationis usum amisit, fuisse in peccato, & de illo non doluisse, veluti si quis blasphemus in amentiam statim indiceret. Ità Paludanus, Soto, Navarr. Sylvest. Suarez, Amicus, Aversa, & ex nostris Hiribarnes, Faber, Brancat. & alii Recentiores passim, & eādem doctrinam ferè omnia Ritualia tradunt, & Catechismus ipse Romanus de hoc Sacramento n. 9. in fine, deducitur que ex 26. qu. 6. c. *Qui recedunt*, c. *His qui*, & c. *Agnovimus*, ubi dicitur, quod si infirmus baptismum petat, vel Sacramentum Pœnitentiæ, deindè obmutescat, nec possit amplius loqui, aut petere est baptizandus, & absolvendus; ergò idem de furiosis dicendum est, & amentibus tam in his Sacramentis, quàm in extrema Unctione, in eo enim statu moraliter judicantur, in quo erant antè amentiam; non enim divinæ pietati consentaneum est, ut in tali misero statu tanto priventur beneficio. Accedit, quod primarius hujus Sacramenti effectus non est tantùm animi roboratio contrà Dæmonis tentationes, sed præsertim etiam peccatorum venialium remissio, & aliorum quoque inculpabiliter oblitorum, vel quæ per alia Sacramenta non fuerunt remissa, ut constat ex dictis, quamvis ergò amentes in tali statu sint illius primi effectus incapaces, adhuc tamen sunt capaces alterius, scilicet remissionis peccatorum; fieri enim potest, ut quis in peccato existens cum sola attritione in amentiam incidat, tunc enim virtute hujus Sacramenti amens gratiam accipiet, & attritio fiet contritio, alioquin damnaretur.

71 Ex quo constat ad fundamentum in oppositum negandā esse minorem, quamvis enim animi roboratio contrà Dæmonis tentationes sit proprius, & peculiaris hujus Sacramenti effectus, non tamen est effectus principalis, & principaliter intentus; sed est finalis remissio venialium per se, mortalium verò per accidens, modo superius explicato quæst. præced. artic. 1. cujus homo est capax etiam in tali statu. Ex quo patet discrimen inter adultos perpetuò amentes, & alios qui aliquando rationis usum habuerunt, quoniam illi nullius horum effectum, qui hujus Sacramenti sunt præcipui, capaces existunt, sicut itti; non debet autem hoc Sacramentum illis conferri propter effectum solum secundarium, qui est corporis sanitas, nec semper confertur, quando adest etiam rationis usus. Quod autem addebatur in confirmationem, probat solùm ad majorem reverentiam Sacramenti, & uberiorem fructum suscipientis, curādum esse, ut hoc Sacramentum præbeatur infirmis, quando sunt mentis compotes, distinguere autem oportet id, quod sufficit ad substantiam Sacramenti, vel quod necessarium est, ut honestè, & rectè ministretur, ad illud enim non est necessarium, ut qui illud recipit tunc sit sui compos, aut rationis usum habeat, sed satis est, quod aliquandò illud habuerit, & virtualiter saltem, ac implicitè susceptioni hujus Sacramenti sufficientem consensum præstiterit. Quamvis autem hæc ad Sacramenti subsantiam sufficiant, docet tamen Catechismus l. c. Ministros hujus Sacramenti curare debere, ut detur fidelibus eo tempore, quo sui compotes sunt, proprioque actu possunt se ad hoc Sacramentum melius præparare, estque valdè consentaneum reverentię huic Sacramento debitæ, & modo operandi. Undè quando amentes actus faciunt indecentes, & irreverentes, curare debet Minister, ut Sacramentum conferat eo tempore, in quo furiosus ab illis motibus abstineat, vel saltem tempore somni, quod si neque in his circumstantiis, cautelis hæc incommoda evitari possint, præstabit ei Sacramentum non conferre, nam absolutè loquendo potius indemnitati, & reverentiæ Sacramēti consulendum est, quàm amentis utilitati, ut notat Brancatus noster loc. cit. vel saltem debet furiosus ligari, exclusis tamen Laicis, ad tollendum scandalum, & ità injungi, ut volunt Aversa, Zambranus, Barbosa, Diana, & alii Summistæ.

72 Quartò ut homo sit hujus Sacramenti subjectum capax, debet esse infirmus, non utcunque, sed graviter infirmus, itaut de vita periclitetur, idque colligitur ex verbis Apostoli; *Infirmatur quis vestrum*, &c. & sic de sensu horum verborum expressit Concil. Flor. dum dixit, *Hoc Sacramentum, nisi infirmo, de cujus morte timetur, dari non debet*, & etiam Tridentinum *Non nisi infirmis, qui in exitu vitæ constituti videantur*, undè ut ait Doctor loc. cit. hoc Sacramentum ministrari non debet constituto in articulo mortis, si talis infirmus non sit, ut qui mox ad patibulum rapiendus, est, vel in maris tempestate jactatus mox submergendus, vel iturus ad prælium, in quo certò sit moriturus. Potest tamen inungi, qui pestem contraxit, vel qui venenum accepit, aut lethale vulnus, propter quod est in periculo mortis, quia jam verè ægrotat, licet causa ægritudinis fuerit extrinseca, & violenta, quod accidentarium est, & in hoc omnes Doctores conveniunt. Et quidem hoc ità necessarium est, ut infirmitas non solùm sit conditio ad effectum Sacramenti requisita, sed etiam ad valorem, quamvis enim Sacramentum hoc non includat subjectum infirmum, tanquam partem constituentem, & materiam componentem, supponit tamen illud, ut conditionem ad sui valorem essentialiter requisitam, quemadmodum Sacramentum Ordinis licet subjectum cui confertur, non includat, ut partem sui constituentem, adhuc tamen necessariò illud supponit, ut conditionem ad sui valorem essentialiter requisitam, undè defectu capacitatis subjecti character Ordinis fœminæ non imprimitur. Ratio autem cur infirmis tantùm naturaliter, non autem aliis aliàs violenter ex hac vita discessuris paratum fuerit remedium, assignari potest satis congrua, quia per ægritudinis molestias corporei sensus adeò doloribus, & anxietatibus opprimi solent, ut facilè in disperationem laberetur infirmus, & satis difficulter Dæmonis tentationibus resisteret, nisi hoc cælestis remedio adjuvaretur, quod animam alleviat, & confortat, quæ incommoda in aliis aliter discessuris prorsus cessant, cum integris sensibus, & pleno usu rationis moriantur, quarè divina gratia suffulti ex opere operantis his omnibus incommodis occurrere possunt. Undè colligere licet Sacramentum hoc esse specialiter institutum ad roborandum hominem corpore deficientem ob ægritudinem, quando autem sanus est, licet sit morti vicinus, adhuc naturales vires habet integras, & si deficit, hoc non est ab intrinseco propter ægritudinem, sed per accidens, & ab extrinseco ob violentiam, & ideò non est pro illo Sacramentum institutum.

73 Quintò hic emergit difficultas an ad validitatem hujus Sacramenti pertineat, an infirmus versetur in vero periculo vitæ, an sufficiat, ut tantùm sit in periculo probabiliter putato. Ratio dubitandi est, quoniam sicut ad valorem Sacramenti nō sufficit materia, quam quisque probabiliter idoneam putat, sed necessaria est illa, quam Christus reipsa instituit, ità ad valorem hujus Sacramenti ea infirmitas erit necessaria conditio,

quam Christus reipsa instituit, non quam quisque probabiliter putat; undè sicut non valeret Sacramentum Ordinis fœminæ collatum probabiliter putativo viro, ità nec Sacramentum extremæ Unctionis valebit collatum infirmo non reipsa, sed probabiliter tantùm putato in periculo vitæ; non enim apparet ratio cur probabilitas materiæ sufficiat ad hujus Sacramenti valorem, & non illius, cùm utrobique eadem ratio militare videatur. Dicendum tamen est cum Scoto infra citando ad valorem hujus Sacramenti sat esse, ut morbus probabiliter putetur periculosus Medicorum, & peritorum judicio. Ità Coninchius disp. 19. dub. 7. Amicus disp. 19. sec. 9. & alii Recentiores, quod satis clarè colligitur, ex præcitatis Tridentini verbis, cum inquit hoc Sacramentum illis dumtaxat infirmis conferendum esse; *qui in exitu vitæ constituti videantur* non enim dixit *sint*, quod designat periculum in reipsa, sed ait *videantur*, quod ad prudens judicium refertur. Hoc idem clarè colligitur ex communi Summistarum doctrina, qui dicunt expectandum non esse supremum mortis articulum, & inevitabile periculum quando infirmus animam agit; sed constitutis in mortis periculo, etiamsi alioquin spe vitæ non careant, omninò hoc Sacramentum esse conferendum, ut ob Sacramenti reverentiam aliquem possint devotionis actum in ejus susceptione elicere; licet enim corporis salus, quando animæ saluti expedierit, supernaturali virtute ab hoc Sacramento causetur, certè tamen non est expectandum tempus, in quo sanitas corporalis extraordinario modo, & per miraculum evidens conferatur: nam si casu evenit, ut infirmus jam sit perductus in ultimum vitæ discrimen, & punctum, debet ei adhuc hoc Sacramentum conferri, etiamsi nullum possit elicere devotionis affectum, ità communiter discurrunt Morales in hoc puncto, constat autem in tali tempore, & statu infirmitatis morbum probabiliter tantùm putari periculosum, nec adhuc periculum esse verum, & omninò certum, cum non sit adhuc desperata salus, sicut est in supremo mortis articulo.

74 Hoc etiam ratio ipsa suadet, quia si hoc Sacramentum ad sui valorem requiret verum vitæ periculum in reipsa, sequeretur multoties hoc Sacramentum suo effectu frustrari, quia non semper potest moraliter sciri, quando sit verum, & certum periculum mortis, cum ex causis nobis occultis hoc sæpè dependeat. Ex quo etiam patet solutio rationis in oppositum adductæ; dispar enim est ratio de materia Sacramentorum, non enim est tanta difficultas dignoscendi eam ipsam, quam Christus reipsa instituit, quanta est difficultas dignoscendi verum, & certum mortis periculum, ut benè notat Amicus loc. cit. nam illa pendet ex causis patentibus, & notis nimirum ex ipsa Christi Domini institutione nobis manifestata; hoc verò pendet à causis occultis, & pari etiam ratione inter virum, & fœminam, aperta intervenit differentia omnibus nota. Itaque pro difficultatis resolutione ad valorem hujus Sacramenti satis est, quod morbus probabiliter putetur periculosus, licet non esset reipsa talis, & hoc totum expressit Doctor loc. cit. dùm ait hoc Sacramentum esse conferendum, non qualitercunque infirmo, sed periculosè, ita quod probabiliter immineat sibi exitus de statu viatoris ad terminum, quæ sunt ejus formalia verba.

75 Postremò dubitatur, an hoc Sacramentum ad sui validitatem postulet, ut subjectum ejus aliquando peccaverit actualiter. Negant Henriquez, Suarez, Coninchius, Filliucius, Diana, Bonacina, & ex nostris Poncius, Brancatus, & Aretinus. Fundamentum est, quia nec ex verbis Apostoli, nec ex Conciliis, nec ex forma, vel materia, nec ex fine, & effectu primario hujus Sacramenti colligitur talis conditio, ut qui ungendus est fuerit aliquando peccati reus; nam verba Jacobi sunt conditionata, *& si in peccatis fuerit*, undè etiamsi nulla sint peccata, adhuc Sacramentum conficitur, forma verò intelligenda ex juxtà verba Apostoli, ex quibus est desumpta, nempè conditionatè, & potentialiter, non absolutè, & actualiter, & tandem finis principalis hujus Sacramenti est roborare infirmum ad tentationes Dæmonis superandas, quo subsidio indiget etiam, qui nunquam actualiter peccavit,

Confirmatur, quia ex communi omnium sententia, si quis in fine vitæ baptizetur, & viaticum sumat, potest adhuc hoc Sacramentum suscipere, etiamsi nullum peccatum post baptismum commiserit, & priora penitus per baptismum fuerint extincta, & pariter si quis post peccata actualia sanctissimè vixerit ab ullo peccato etiam veniali ex speciali Dei privilegio, talis adhuc esset hujus Sacramenti capax; ergò esset capax etiamsi anteà nullum commisisset peccatum. Tandem actualia peccata non sunt materia, nec proxima, nec remota hujus Sacramenti, sicut sunt Pœnitentiæ; ergò sine iis possunt applicari omnia essentialia ad hoc Sacramentum conficiendum, & sicut validum est Baptismi Sacramentum collatum subjecto, quod nunquam peccavit, idè pariter de hoc Sacramento dici poterit, cùm utrùque sit remissivum peccati, quod in subjecto sine obice invenit.

76 Opposita sententia est expressè Scoti, ut diximus loc. cit. dùm in hujus Sacramenti definitione ponit, quod sit Unctio infirmis pœnitentis, pœnitens autem non est propriè loquendo, qui nunquam peccavit, sed solùm peccare potuit, ibidem etiam lit. B. excludit ab hujus Sacramenti capacitate perfectè innocentes, qui scilicet, actu peccata venialia non habent, nec habuerunt, licet habere potuerint; idem etiam docuit Sanctus Bonaventura 4. distinct. 24. art. 2. qu. 3. ad ultimum, ut ostendimus loc. ci. & quidem id satis expressè deducitur ex Trident. loc. citat. dùm ait ex sententia Patrum hoc Sacramentum esse consummativum pœnitentiæ, ubi enim non potest esse pœnitentia, nec etiam ejus consummatio esse potest; perfectè autem innocens, qualis est, qui numquam peccavit, licet peccare potuerit, nequit esse subjectum pœnitentiæ capax; ergò neque extremæ Unctionis, quæ est ejus consummativa, quatenus supplere debet id, quod Sacramentum pœnitentiæ, vel non potuit, vel omisit. Idem etiam expressè Concilium indicat, dum absque conditione ait, abstergere peccatorum reliquias, hoc enim indicare voluit non dari, nisi iis, qui peccarunt. Hoc tandem probant etiam ex veritate formæ hujus Sacramenti Hiqueus, & Amicus hanc opinionem tuentes, tanquam probabiliorem, & de mente Doctorum nostrorum Seraphici, & Subtilis, cum enim forma hujus Sacramenti remissionem peccatorum expressè importet, ut patet ex illis verbis: *Indulgeat tibi Deus quicquid per visum deliquisti*, planè verificari non potest de subjecto, quod nullum unquam peccatum commisit, nam licet neutra forma necessariò supponat actuale peccatum in subjecto, quia fieri potest, ut omnia peccata actualia supponantur remissa, vel per actum contritionis, vel per Sacramentum pœnitentiæ, & Eucharistiæ; necessariò tamen supponere debet saltem præcessisse aliquod actuale peccatum in tali subjecto, ut forma ipsa verificetur, & ut subjectum sit capax gratiæ peccatorum remissivæ, quam confert Sacramentum Pœnitentiæ, & extremæ Unctionis illius consummativæ, alioquin neutra forma verificari posset, quia nullum peccatum est in subjecto, nec unquam fuit, & hoc etiam probat Aversa ex materia hujus Sacramenti, quia Unctio significat spiritualem curationem spiritualis infirmitatis, seu debilitatis, & conjuncta cum dictis verbis formæ significat curationem debilitatis ex actualibus peccatis relictæ, & non ex solo originali, ut dicebat Suarez.

77 Ad fundamentum oppositæ sententiæ negatur assumptum, ut patet ex probatione asserti, & Apostolus dicendo *si in peccatis sit, remittentur ei* sub conditione quidem posuit, si adhuc maneat in peccatis, sed absolutè supponebat commisisse peccata, adeout sensus sit; si adhuc sit in peccatis quæ commisit, remittentur ei ipsamet peccata, & non solæ peccatorum reliquiæ abstergentur. Ad confirmationem negatur consequentia, nam sufficit, ut aliquando actu peccaverint ad formam hujus Sacramenti verificandam, siquidem potest iis etiam denuò, & sæpius dari ipsa quoque Sacramentalis absolutio, ut disp. præced. dictum est, quæ tamen absque peccatis simpliciter dari non potest. Ad ultimum negatur assumptum, quia sicut remissio finalis venialium est primarius hujus Sacramenti effectus; ita pariter venialia finalia sunt hujus Sacramenti propria materia. ut constat ex dictis supra quæst. 3. art. 1. & dato etiam antecedente, adhuc neganda est consequentia, quamvis enim peccata actualia, & eorum reliquiæ non essent materia hujus Sacramenti sicut pœnitentiæ, sunt tamen conditio omninò necessaria, ut materia, eoque magis forma hujus Sacramenti suam significationem, ac verificationem habeat, suumque effectum primarium præbeat, quare omninò negandum est omnia essentialia hujus Sacramenti applicari posse subjecto, quod nunquā peccavit, quia saltem non potest applicari forma quoad suum formale significatum, quæ est gratia peccatorum remissiva; qua ratione negatur etiam paritas assumpta de Baptismo, & hoc Sacramento, quoniam in forma Baptismi nullum exprimitur peccatum, sicut exprimitur in forma extremæ Unctionis.

ARTICULUS SECUNDUS.

De obligatione, & modo suscipiendi hoc Sacramentum.

78 PRimò quoad primam quæstionis partem, ut jam diximus Quæst. 6. cit. art. 2. Magister sententiarum, Petrus Soto, Turrianus, Poncius ex nostris, & pauci quidam alii dixerunt obligari fideles sub peccato mortali ad hujus Sacramenti susceptionem, itaut etiam omissio ex sola negligentia sit gravis culpa. Hoc autem præceptum in primis deducunt ex Scriptura; Jacobus enim videtur hoc præcepisse, vel Christi præceptum promulgasse dicendo *Infirmatur quis in vobis? inducat Presbyteros Ecclesiæ*, &c. Deindè ex Conciliis, nam Concilium Colonienſe celebratum ann. 1536. part. 7. cap. 50. sic ait: *Est autem*

autem Unctio impendenda cum expositione Unctionis, & mandati Apostolici, quod sic habet, infirmatur quis in vobis &c. ubi ut patet hanc Unctionem appellat mandatum Apostolicum; & Concilium Senonense celebratum anno 1528. decreto decimo 9. penultimo de extrema Unctione vocat Christi præceptum & Conc. Trid. cap. 3. damnat eos, qui dicunt hanc Unctionem non continere mandatum Dei, & eos qui dicunt posse à fidelibus sine peccato contemni. Item hoc deducunt ex ipsa Ecclesiæ consuetudine, & fidelium, quæ planè communissima est tam ex parte infirmorum illud suscipientium, quàm Pastorum illud sollicitè ministrantium, ac etiam familiarium, qui illud in memoriam infirmo inducere studeant, & Parochum advocare, quando tempus adest, & commoditas, ut id fieri possit. Tandem ex ratione, quia unusquisque obligatur ex charitate erga seipsum consulere suæ saluti quantum potest, & præsertim in mortis articulo, sed hoc Sacramentum tuncest opportunissimum medium, quo se ad mortem præparet, ac disponat, & quo se armet, & monet adversus molestias, & tentationes tunc urgentes; ergo tenetur tunc illud suscipere.

79 Secundò communis tamen, ac receptissima Theologorum, & Summistarum sententia est, ut diximus loc. cit. hujus Sacramenti susceptionem per se loquendo non cadere sub obligatione, & præcepto, sed esse tantum de consilio, aliundè tamen, & per accidens posse in ejus omissione peccatum mortale incurri. Quorum unicum, & precipuum fundamentum est, quia non apparet undè talis obligatio deduci possit, utpater discurrēti per singula capita pro obligatione adducta; non enim tale præceptum sequitur ex natura rei ad institutionem, vel ex institutione hujus Sacramenti, quia hoc Sacramentum non est medium necessarium ad salutem, sed tātùm utile, & ad melius esse, quia potest aliquis sufficienter per Sacramentum Pœnitentiæ, & Eucharistiæ sanctificari; tum quia hoc Sacramentum prohibetur tempore interdicti, ut patet in c. *Quod in te*, de pœnit. & remiss. quod tamen non prohibentur media ad salutem necessaria. Quamvis autem sit medium maximè conveniente; & opportunum, non tamen tenetur homo facere, quod melius est, sed solum adhibere omne medium necessarium, & facere, quod debitum est. Neque est medium necessarium n cessitate præcepti, non enim tale præceptum invenitur in Scriptura, Apostolus enim hoc Sacramentum promulgans nullum verbum apposuit vim præcipiendi habens, sed simpliciter dixit *Infirmatur quis in vobis, inducat Præsbyteros*, &c. undè non est locutus præcipiendo, aut promulgando Christi præceptum, sed tantùm docendo, & admonendo, ut Patres exponunt. Nec tale præceptum invenitur in Conciliis, nam Colonense, & Senonense non loquuntur de præcepto suscipiendi, sed administrandi hoc Sacramēto, nā Superiores, & Pastores animarum ex vi sui officii utique obligantur petentibus illud administrare, ut patebit quæst. seq. comparat enim ibi præsertim Concilium Senonense præceptum ungendi infirmos præcepto, quo Apostoli ex instituto Christi ad prædicandum missi infirmos ungebant Marci 6. illud autem nō obligat infirmos, ut unctionem susciperent, sed Apostolos, ut infirmis illam administrarent, atque ideò neque hoc obligat infirmos, sed Pastores. Neque Concil. Trident. aliquid ejusmodi insinuavit, nam sess. 7. de Sacram. in genere solum dixit non omnia esse singulis ad salutem necessaria sess. verò 14. agens de hoc Sacramento tantum dixit, non posse à Christianis sine peccato contemni, & quando damnat eos, qui dicūt hanc Unctionem non continere mandatum Dei, accepit ibi mandatum Dei pro institutione ipsa Christi, sivè pro jussione, ut extaret in Ecclesia hoc Sacramentum, ut animarum Pastores illud haberent paratum ad ministrandum.

80 Tertiò nequeetiam talis obligatio rectè deducitur ex consuetudine Ecclesiæ, & Fidelium, nam tempore Interdicti Sacramenta Pœnitentiæ, & Eucharistiæ ministrantur proximè morituris, non tamē concedit Ecclesia extremam Unctionem administrari posse, ut supra dictum est; ergo ex consuetudine Ecclesiæ non sufficienter deducitur talis obligatio præcepti. Tum quia non quicquid solitum, & consuetum est eo ipso obligationem inducit, sed solùm quādo introducitur in populo, & inolescit obligatio animo, & intentione obligandi, ut dictum est disp. de Legibus in hac autem re hactenus non adfuit talis animus, & intentio Ecclesiæ, sed sola devotio, & pia voluntas ob majorem ægrotantium utilitatem. Nec tandem sufficienter deducitur talis obligatio ex motivo præcepti Charitatis erga seipsum, nam infirmus suum reddit salutem certam, sibique sufficienter consulit, si Sacramentum Pœnitentiæ, & Eucharistiæ susceperit; undè quamvis Sacramentum Extremę Unctionis sit maximè utile, & optimum sit concilium illud suscipere in articulo mortis, nihilominus sub præcepto non obligatur, quia ut dictum est, non tenetur homo facere, quod melius est, etiam ex præcepto charitatis ergà seipsum, sed tenetur adhibere solùm omne medium necessarium, & facere quod est debitum. Et hæc vera sunt per se loquendo, spectata nimirum sola institutione, & natura hujus Sacramenti, nam aliundè, & per accidens potest incurri peccatum mortale in ejus omissione, ut in secunda parte asserti dictum est, nam ratione scandali, vel contemptus posset infirmus graviter peccare hoc Sacramentum omittendo, ut fusè declarat Aversa quæst. cit. sect. 9. & Suarez disp. 54. sect. 1. secluso verò contemptu, & scandalo, si nulla subsit causa omittendi illud, peccabit venialiter, ut sentiunt Coninch. Layman, & Amicus, non autem mortaliter. Atque ità concludendum est nullam esse hujus Sacramenti recipiendi obligationem si secundùm se præcisè consideretur, & ex vi suæ institutionis, licet enim utillimum sit, & saluberrimum, in illa tamen, nec medii nec præcepti necessitatē fert secum; fieri tamen potest, ut interdum infirmus mortaliter peccet illud omittendo, si v.gr. ex contemptu omitteret, vel quamvis absit contemptus, si ex neglectu illius scandalum sequatur; aut ipse infirmus probabile aliquod periculum salutis incurrat, quia nullum aliud Sacramentum suscipere potest, quo se morti præparet. Objectiones verò quasdam Poncii disp. 47. q. 4. contrà hanc communem, & receptissimam sententiam vide solutas loc. cit.

81 Quartò quoad alterā quæsiti partem de modo suscipiendi hoc Sacramentum, & dispositione ad illud requisita, est etiam communis sententia, & Ecclesiæ praxis infirmum sui compotem Sacramentum Pœnitentiæ, & Eucharistiæ recipere debere priusquam extrema Unctio sibi conferatur, si tempus, & ipsius infirmi conditio, seù dispositio id permittat; ita declarat Rituale Romanum, & etiam Cathechismus Romanus, qui vocat hanc Ecclesiæ consuetudinem perpetuam, ac proinde ait esse servandam, quod obligationem denotat *Servandam est*, inquit num. 12. *Catholicæ Ecclesiæ perpetua consuetudo, ut ante extremam Unctionem Pœnitentia, & Eucharistiæ Sacramentum administrentur*, & hoc etiam indicavit Scotus dist. 23. citat. sub B. dum ait hominem pœnitentem esse hujus Sacramenti capacem, & rationem reddit, quia nullus est illius capax, nisi sit in gratia istud enim Sacramentum non est remedium acquirendi primam gratiam, nam duo tantum sunt Sacramenta ad hoc per se instituta, scilicet, Baptismus, & Pœnitentia, quæ proinde dicuntur Sacramenta mortuorum; hoc autem Sacramentum est de numero eorum, quæ vivis applicantur, ac proindè illud suscipiens supponitur esse in gratia per Sacramentum Pœnitentiæ præcedens.

82 Sextò ulterius quæritur, an facta tali præparatione pro receptione hujus Sacramenti necessaria sit adhuc ulterius dispositio positiva per aliquem virtutis actum, vel sufficiat sola dispositio negativa, ideſt, nō ponere obicem. Brancatus noster disp. 40. art. 15. putat solam dispositionem negativam non sufficere, ut dignè hoc Sacramentum suscipiatur, sed omninò necessariam esse dispositionem aliquam positivam per aliquem virtutis actum, vel charitatis in Deum, vel pœnitentiæ virtutis, aut Religionis circa ipsum Sacramentum, quod probat præsertim ex Rituali Romano cap. de extrema Unctione ubi præscribit hoc Sacramentum ministrari debere infirmo cum integris sensibus existenti; hoc autem necessarium non esset, si sufficeret ut infirmus merè negativè se haberet, & ideò inquit, *eo tempore ministrari debere, in quo adhuc in illis integra mens, & ratio viget ut ad uberiorem Sacramenti gratiam recipiendam ipsi etiam fidem, ac piam animi voluntatem conferre possint*. Verùm facta ea præparatione necessariam non esse ulteriorem dispositionem positivam, sed sufficere negativam, ideſt non ponere obicem, jam supra dictum est quæst. 4. art. 1. n. 55. quod etiam statuit Rituale Romanum ibidem dicens: *Si infirmi dum sana mente, & integris sensibus essent, dederint signa contritionis, etiamsi deindè loquelam amiserint, vel amentes effecti sint, & delirent, aut non sentiant, nihilominus præbeatur*, & hoc etiam fatetur expressè Brancatus ipse in fine ejusdem articuli citati, ac etiam posteà art. seq. n. 16. §. 2. ut evidenter ostendimus loc. cit. ejus verba referendo, quibus clarè fatetur, dummodò suscipiens esse in statu gratiæ, ad validitatem hujus Sacramenti, & effectum ejus consequendum non esse necessariam dispositionem positivam, sed sufficere negativam, hoc est non ponere obicem. Dum autem ait Rituale Romanum debere hoc Sacramentum ministrari infirmo, quando est mentis compos, & ratio viget, hoc solùm consulit, & hortatur pro majori reverentia Sacramenti, & ad uberiorem ejus gratiam percipiendam ex opere operantis, ut patet ex ejus verbis; non autem ad simpliciter effectum ejus consequendum ex opere operato, nam sine hujusmodi actibus infirmi adhuc haberetur per hoc solum, quod non ponat obicem, undè & infrà permittit etiam amentibus, & delirantibus conferri possent si antea dum erant mentis compotes, illud petierunt vel signa contritionis dederunt.

83 Postremò addimus loc. cit. in fine articuli adhuc tamen

verum

verum esse, quod si infirmus extrema vi morbi oppressus confiteri non possit, debet actum contritionis, vel saltem attritionis elicere, ut Sacramenti virtute peccatorum remissionem percipiat; sic enim adhuc in isto casu necessitatis censetur sufficienter dispositus, quia si veram habeat contritionem, eo ipso peccatum deletur, si verò habeat attritionem, adhuc valdè probabile est, ut inquiunt Navarrus, Suarez, Hambertus, Poncius, Abellius, & alii plures, quod hoc ipsum Sacramentum, ut est consummativum Pœnitentiæ juxtà phrasim Patrum, & Conciliorum, possit per accidens tollere peccata illius, & consequenter illa attritio erit sufficiens dispositio ad ipsius susceptionem. Quamvis enim hoc sit proprium, & singulare privilegium Baptismi, & Pœnitentiæ, quæ proindè dicuntur Sacramenta mortuorum, ac proindè eis solùm per se, & ex vi eorum institutionis convenit; adhuc tamen valdè conveniens est, & consentaneum Divinæ pietatis, & ægrotantis necessitati valdè congruum, ut hoc etiam privilegium saltem per accidens huic Sacramento extremæ Unctionis convenire possit ratione summæ indigentiæ, quam habent infirmi in illo extremo agone contrà dæmonis tentationes, in quo maximè Deus illis adsistit juxtà illud Psalmi *Domini Domini exitus mortis*, quibus verbis, ut plures Patres exponunt, insinuatur duplicata Domini assistentia infirmo in illo extremo agone ad resistendum dæmonis tentationibus, & valdè major auxiliorum copia ad hostem superandum, quàm alio tempore vitæ, cùm homo ratione viget, & sensuum integritate. Quod si contendas aliis solam attritionem non sufficere in proposito casu pro sufficienti dispositione ad hoc Sacramentum recipiendum, sed esse debere vel veram contritionem, vel saltem talem putatam, ut plures sentire videntur, & non sine probabili fundamento; quamvis juxtà hanc sententiam infirmus fructum Sacramenti non perciperet, & ejus effectum; adhuc tamen Minister non inutiliter, nec malè ipsum administraret, quia probabiliter putat illum esse benè, & sufficienter dispositum. Absolutè tamen loquendo priorem modum dicendi probabiliorem censemus, & magis pium, & divinæ pietati magis consentaneum, ut dicebamus, quia absolutè loquendo major est misericordia Dei, quàm iniquitas nostra.

QUÆSTIO SEXTA.

De Ministro hujus Sacramenti idoneo.

84 DUæ tantùm personæ per se interveniunt in hujus Sacramenti exercitio, nempè suscipiens, & ministrans, undè ad illas tantùm pertinere possunt obligationes, seù præcepta, si quæ sunt, in hoc Sacramento conjuncta. De suscipiente, & ejus obligationibus satis dictum est quæstione præcedenti, restat igitur, ut pro complemento hujus disputationis in hac quæstione ultima agamus de Ministro hujus Sacramenti, & ejus obligationibus in illo administrando, quod duobus sequentibus articulis breviter expediemus juxtà dicta disp. 6. cit. q. 7.

ARTICULUS PRIMUS.

Quis possit hoc Sacramentum ministrare.

PRimò pro resolutione quæstionis quoad hanc partem certum est, & tanquam de fide tenendum, Ministrum hujus Sacramenti idoneum, qui Unctionem perficiat, & verba deprecationis proferat, esse solum Presbyterum, hoc est Sacerdotem ritè ordinatum, & quidem non solùm de obligatione præcepti, sed maximè etiam de necessitate, & valore Sacramenti, adeoquod si Laicus attentet, nihil faciet, sicut si non Sacerdos attentet Eucharistiam conficere, nihil faciet. Et ità contrà Hæreticos hujus tempori definitum fuit in Concilio Florentino, & Tridentino sess. 14. *de extrema Unctione* c. 3. can. 4. idque clarè deducitur ex verbis illis Jacobi: *Inducat presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum ungentes eum oleo*, quibus verbis tribuitur ejusdem presbyteris oratio, & unctio simul, & per Presbyteros hoc loco non intelligi ætate seniores ut Hæretici contendunt, sed officio, & dignitate declaravit idem Concil. Trident. c. 3. cit. & hoc totum jam pridem docuit Scotus noster d. 23. sub lit. D. dicens Sacerdotem esse hujus Sacramenti Ministrum idoneum, non solùm qui licitè exerceat, sed qui solus ministret, itaquod si alius attentaret nihil faceret, & hoc ait exprimi à Jacobo per illud *Inducat presbyteros*. Et ratio congruitatis sic etiam postulabat, ut diximus loc. c. cum enim hoc Sacramentum sit pœnitentiæ consummativum, ut Patres, & Concilia loquuntur, hæc siquidem unctio subnectitur ad finalem, & pleniorem peccatorum remissionem convenienter fuit à Christo institutum, ut ejusdem Ministri officium sit dicere *Indulgeat tibi Dominus quicquid deliquisti*, cujus fuerat pronunciare: *Absolvo te à peccatis*; & cùm Sacerdotalis ordinatio duas habeat partes, unam quæ præbetur potestas in corpus Christi verum, hoc est, potestas ad conficiendm Eucharistiæ Sacramentum; alteram suprà corpus Christi mysticum, hoc est, ad remittenda peccata pœnitentium, in hac secunda parte simul continetur potestas ad ministerium Unctionis. Ex quo tandem sequitur nulla necessitate, aut dispensatione, deficiente Sacerdote, posse hoc Sacramentum ministrari ab alio Clerico, vel Laico, sicuti constat de Baptismo, ut opinatus est Vualdensis tom. 2. *de Sacramentis* cap. 163. Objectiones autem quasdam Hæreticorum vide solutas l. c.

85 Secundò certum est etiam, ut diximus ibidem, quemlibet Sacerdotem posse validè hoc Sacramentum administrare. Ità Doctores communiter, & clarè deducitur ex verbis Apostoli, in quibus nulla fit exceptio, sed absolutè dicitur *Inducat Presbyteros*, & ratio etiam suadet valere hoc Sacramentum à quocunque Sacerdote ministratum, quia omnis Sacerdos habet potestatem Ordinis, quæ sola hic requiritur ad valorem. Ex quo sequitur validum esse Sacramentum extremæ Unctionis etiam à Sacerdote excommunicato collatum, & quamvis censura ligato, imò & in Ecclesia degradato, sicut valeret etiam Eucharistiæ consecratio, quia nempè character Ordinis nunquam deletur; undè quando dicitur soli Sacerdoti, & cuicunque competere hoc Sacramentum infirmis conferre, intelligitur ratione potestatis Ordinis, nam loquendo de potestate jurisdictionis non licet omnibus Sacerdotibus indifferenter hoc Sacramentum conferre, ut posteà dicemus. Dices, hoc Sacramentum est veluti consummativum Sacramenti Pœnitentiæ; ergò debet ministrari à Sacerdote eo modo, quo Sacramentum Pœnitentiæ; at ad hoc validè ministrandum non sufficit potestas Ordinis, sed requiritur etiam potestas jurisdictionis; ergò idem pariter de Sacramento Extremæ Unctionis dicendum erit. Respondetur negando paritatem, quia cum Pœnitentiæ Sacramentum per modum judicii exerceatur, exigit necessariò necessitate Sacramenti jurisdictionem in Sacerdote, alioquin non valeret, quoniam absolutio datur in eo foro per modum judicialis sententiæ, quæ certè non valet, nisi à legitimo Judice proferatur; At verò Sacramentum extremæ Unctionis non est per modum judicii, sed potius medicinæ, atque adeò quamvis exigat jurisdictionem in Sacerdote, ut licitè ministretur, ut dicemus infrà; nihilominus validum adhuc esset Sacramentum ratione solius potestatis ordinis, quia Ministeria, quæ exigunt solam ordinis potestatem, seù Characteris, & non jurisdictionis, à quolibet habente Sacerdotium possunt validè conferri, & confici, ut patet de Eucharistia.

86 Tertiò etsi validè hoc Sacramentum à quocunque Sacerdote administrari possit, ut modò dictum est, non tamen licitè, nisi vel in extrema necessitate, vel de proprii Pastoris licentia saltem tacita, quia hoc spectat ad debitum regiminis modum, & ordinatum exercitium potestatis Ordinis, sicut Sacramentum ipsum baptismi, quod est adeò necessarium, potestque validè à quolibet ministrari etiam Laico; tamen secluso periculo, & casu necessitatis, non nisi à proprio Parocho, vel Pastore licitè conferri potest, vel committi. Quapropter in Clementina 1. de Privilegiis ipso facto excommunicantur Religiosi, qui præsumpserint absque Parochi licentia in articulo mortis tam hoc, quàm Eucharistiæ Sacramentum ministrare, ubi tamen communiter notant Doctores, ut Valentia; Suarez, Amicus, Aversa, Bonacina, Navarrus, & ex nostris Faber, & Hiribarnes, & plures alii hanc excommunicationem à Religiosis non incurri hoc Sacramentum administrantibus cum ratihabitione Parochi, vel quando infirmus est in mortis articulo, nec Parochus adest, nec tam citò vocari potest, quia tunc præsumitur adesse consensus, & licentia Episcopi, vel Summi Pontificis, cùm non sit credibile Ecclesiam velle infirmos privare tanto Sacramento, & adeò utili in ipso mortis articulo. Imò dicunt, quod si constet Parochum injunctè hanc licentiam negare, posse quemcunque Sacerdotem Sacramentum hoc in extremis constituto ministrare quemadmodum, & Sacramentum Eucharistiæ, quoniam in eo casu Ecclesia non censetur cum tanto damno infirmi velle Sacerdotem excommunicationis vinculo innodare. Undè communiter reiicitur opinio Sylvestri, & D. Antonini 3. p. tit. 24. c. 34. ubi non concedunt Religiosis ob talem necessitatem, & præsumptam licentiam hoc Sacramentum ministrare posse stante illa speciali prohibitione, & censura eos percutiente in Clementina; reiicitur, inquam, hæc opinio, quia rationabiliter putari non potest Pontificem voluisse pro tali casu loqui, quia in tali casu necessitatis non præsumit Religiosus in sensu Clementiæ, ideſt, non temerè sibi tale munus usurpat, sed prudenter, & secundùm leges charitatis ergà proximum.

Et tan-

Et tandem etiam rectè notat Amicus ad hoc Sacramentum licitè ministrandum non requiri, ut Sacerdos sit expositus, & ad confessiones audiendas juxtà Tridentini decretum approbatus, cùm hoc nullam talem requirat in administrante jurisdictionem, eo quod non sit Sacramentum judiciale, sicut est Sacramentum Pœnitentiæ, sed medicinale.

87 Quartò nequit hoc Sacramentum validè confici à pluribus Sacerdotibus, itaut unus solam submini-stret materiam ungendo, altero formam tantùm proferente. Hæc etiam est communis inter Doctores, & clarè deducitur ex ipsis Apostoli verbis *Orent super eum ungentes cum oleo;* quibus significat eundem esse debere, qui materiam ministrat ungendo, & formam profert orando. Confirmatur ex paritate Baptismi, qui est longè majoris necessitatis ad salutem Viatoris, quàm extrema Unctio, & nihilominus si infans ab uno abluatur, & ab alio forma proferatur non conficitur Sacramentum; ergò à fortiori in hoc Sacramento, si unus infirmum ungat, & alter formam profetat Sacramentum erit nullum. Nec refert, quod forma extremæ Unctionis sit deprecativa, Baptismi verò indicativa, quæ proindè expresè referat eundem qui lavat, & qui verba profert; nam etiamsi forma extremæ Unctionis sit deprecativa, adhuc tamen ex communi modo loquendi refert eundem ungentem, & verba proferentem. Tandem hoc etiam ipsa ratio suadet, quoniam Sacramenta, quæ in usu consistunt, habent pro materia proxima actionem ipsius Ministri, quæ materia determinari debet per verba ab ipsomet Ministro prolata, ut ex utriusque unum constituatur Sacramentum; ergo quodlibet istorum Sacramentorum in uso consistentium ex vi institutionis suæ necessariò postulat, ut ejusdem ministri, & personæ sint actio, & verba. Potest tamen hoc Sacramentum à pluribus Sacerdotibus validè confici in hoc sensu, ut scilicet, unus duas, vel tres efficiat unctiones, & totidem proferat formas, & alter alias compleat eodem modo usque ad quintam, & hoc fieri potest vel simul, vel successivè, ità nimirum, ut dùm unus unum sensum ungit, suamque partialem formam enunciat, alter alterum sensum inungat eodem tempore, & suam proferat partialem formam; vel ità ut dum unus unum sensum ungit, protulitque suam partialem formam, alter non quidem simul, sed successivè alium sensum ungat, aliamque proferat partialem formam; & ità tenent communiter Scholastici, & Summistæ, & ex nostris Faber, Hiribarnes, Brancatus, & alii passim, satisque expresè insinuatur ex verbis Apostoli, dùm ait in plurali inducendos esse Ecclesiæ Presbyteros, qui orent, & ungant infirmum; & adhuc facilius defendi potest hic dicendi modus suppositio, quod singulæ unctiones sint per se Sacramentum essentialiter completum, & suum partialem conferant effectum, ut dictum est suprà q. 4. art. 2. n. 64. quia simile videmus in Eucharistia, & Ordine, ut fusè declaramus l. c. ubi etiam quasdam objectiones in oppositum diluimus.

88 Quintò tandem addimus ibidem, quod etsi validè possint duo Sacerdotes simul hoc Sacramentum conficere modo jam explicato, haud tamen possent licitè, cùm sit contrà universalem Ecclesiæ praxim, à qua sine urgenti necessitate recedere non licet, undè saltem ex obligatione præcepti unicus debet esse Minister, qui totum hoc Sacramentum in unoquoque infirmo perficiat, nec per se liceret seclusa necessitate plures Sacerdotes concurrere, qui per partes illud præstarent. Nec obstat locus Jacobi dicentis in plurali, *Inducat Presbyteros Ecclesiæ*, sensus enim est, inducat Presbyteros hoc est, aliquem ex Presbyteris, ut usus Ecclesiæ indicat, & patet à simili ex illo Matthæi 27. ubi dicitur latrones improperasse Christum, ideſt, unum ex latronibus, constat enim duos tantùm latrones cum Christo fuisse crucifixos, & unum dumtaxat improperasse, ut patet Lucæ 23. Duplex autem casus necessitatis assignari solet, in quibus licet hoc Sacramentum à pluribus Sacerdotibus ministrari, unus est si periculum foret, ne ante omnes quinque unctiones ab uno Sacerdote absolverentur, infirmus deficeret; alter verò si Sacerdos v. g. facta una, aut duabus unctionibus moreretur, vel ad talem statum reduceretur, in quo non posset alias unctiones perficere, & prosequi, tunc enim aliæ Unctiones ab alio Sacerdote fieri deberent; & quidem in primo casu unctiones à pluribus deberent fieri simul, si enim rationabiliter timeatur, ne moriatur infirmus, antequam omnes unctiones perfectæ fuerint, poterunt tunc plures Sacerdotes simul, & semel hoc Sacramentum administrare, itaut unus Sacerdos verb. grat. ungat oculos proferendo formam partialem, & alter simul ungat aures proferendo formam tali sensui propriam; in secundo autem casu, quando nimirum necessitas provenit, non ex parte ægroti, sed ex parte Sacerdotis ministrātis, Unctiones fieri deberent successivè, quia aliæ Unctiones posteriores deberent perfici ab alio Sacerdote.

89 Sed quamvis hoc totum sit satis probabiliter dictum, nihilominus cùm à communi Ecclesiæ praxi, & consuetudine sine urgenti necessitate non sit recedendum, jam diximus qu. 7. cit. a. 1. in fine consultius esse, quod in primo casu unicus Sacerdos quinque peragat unctiones sub hac unica forma: *Per istam sanctam Unctionem, & suam piissimam misericordiam remittat tibi Deus quicquid per visum, auditum, olfactum, gustum, & tactum*, imò in casu necessitatis unicam etiam sufficere unctionem, in quacunque corporis parte fiat, & sub una tantùm forma omnes corporis sensus exprimente jam diximus suprà q. 3. a. 1. n. 38. idq; non solùm ab Universitate Lovanienſi approbatum fuisse, sed etiam à Pastoralibus Mechiliniēsi, & Passivienſi ibidem citatis.

ARTICULUS SECUNDUS.

De obligatione Ministri ad hoc Sacramentum ministrandum.

90 DUplex hujus Sacramenti Minister distingui solet, ut diximus quæst. 7. cit. art. 2. ab initio, unus cui ex officio incumbit, ut sunt Episcopi, Parochi, & Superiores Religionum ergà suos subditos, alter in defectum proprii Ministri, ac Pastoris, ut sunt omnes Sacerdotes etiam curam animarum non habentes, & de utroque Ministro hic est agendum juxtà dicta l. c.

Primò loquendo de Ministro, cui ex officio incumbit, & curam animarum habente communis est Doctorum sententia teneri ex justitia, & sub præcepto ad mortale obligante subditis suis hoc Sacramentum administrare tempore opportuno, vel per se, vel per alium, quod expresè docet Catechismus Romanus de hoc Sacramento num. 9. ubi ait gravissimè peccare non tantum qui hoc Sacramentum ministrare negligunt, sed etiam qui non opportuno tempore, quando ægrotus est sui compos, non administrant. Et ratio est, quia Pastores ex officio tenentur suis subditis administrare Sacramenta non solùm necessaria, sed etiam multum condecentia eorum saluti, & præcipua remedia, quæ Christus instituit pro bono spirituali fidelium; sed unum ex illis remediis est administratio Sacramenti extremæ Unctionis; ergò tenētur Pastores illud suis subditis suo tempore administrare. Neque in hoc Prælati Religionum à Parochis discriminari debent, ut aliqui faciunt dicentes, quod licet singuli suis subditis ex præcepto hoc Sacramentum ministrare teneantur, non tamen eodem modo, quia Parochi tenentur ex justitia, Prælati verò Religionum ex sola charitate, cujus discriminis rationem assignant, quoniam illi ad hoc ministrandum mercedem, & stipendium à suis subditis accipiunt, non autem isti. Non inquam, in hoc discriminari debent, nam etiam Prælati Religionum ad id ex justitia tenentur, ut Suarez advertit disp. 44. sec. 3. & Amicus disp. 19. sec. 2. quia hi Prælati, cùm tale munus suscipiunt, loco Parochorum, vel Episcoporum respectu suorum subditorum constituuntur, atque ideo totam illam obligationem contrahunt. Tùm quia non minus illorum subditi, quàm istorum, proprium jus habent exigendi, & petendi hoc Sacramentum ab illis, alioquin Regulares quoad hoc pejoris essent conditionis, quàm Sæculares, & Laici. Tùm tandem quia licet Prælati Religonum à suis subditis pecuniam, & materiale stipendium non accipiant, obsequium tamen obedientiæ, & reverentiæ recipient, quod est altioris ordinis pecuniarum stipendio; omnes ergò Pastores tenentur non solùm ex charitate, sed etiam ex justitia, & in hoc reliquis Sacerdotibus preferri, debent.

91 Secundò, de Ministro autem, qui succedit in defectum proprii Pastoris in casu necessitatis, communis etiam opinio docet teneri ad hoc Sacramentum ministrandum saltem ex motivo charitatis, quia necessitas ægrotantis potest existimari gravis, ergo si Parochus non adest, qui tale ministerium exercere possit, & absque magna difficultate, & incommodo, potest Sacerdos subvenire proximi necessitati, & profectò tenetur. Difficultas tamen est, an teneatur sub mortali ex motivo charitatis hoc Sacramentum ministrare, quando ab infirmo petitur, vel solùm sub veniali. Primum videntur affirmare Suarez l. c. & Aversa; secundum verò Coninchius, Layman, Diana, Amicus, & alii, omnes tamen conveniunt in casu gravis indigentiæ teneri sub mortali, talis autem casus esset si aliàs sine ullo alio Sacramento infirmus esset moriturus, quia tunc mortis æternæ periculo exponeretur, si hoc Sacramentum non susciperet, quod quilibet sub peccato mortali à proximo tenentur avertere. Undè in tali casu dicunt simplicem Sacerdotem etiam ab infirmo non petirum teneri ex præcepto charitatis hoc Sacramentum aeministrare, si absit alius, qui illud conferre non possit; extrà verò hunc casum, quando nempè infirmus alia susceptit Sacramenta, nimirum Pœnitentiæ, & Eucharistiæ, quia tunc moribundus non censetur ha Sacramento graviter indigere, Auctores citati putant præfatum Sacerdotem, qui hoc Sacramentum

tum ministrare nollet, solùm venialiter peccaturum, quatenus contrà charitatem est proximè tantùm bonum sine ulla justa causa denegare, præsertim quando id facere potest sine magna difficultate, & incommodo, & hæc opinio solet probabilior censeri, ut diximus l.c.

92 Tertiò, major adhuc est difficultas, an tempore pestis teneatur Parochus cum periculo vitæ hoc Sacramentum administrare. Affirmant Nugnus, & Silvius apud Dianam trac. 4. *de Sacramentis* resol. 174. Habriel, & Joannes Echius apud Suarez l.c. fundamentum est, quia Parochus non solùm ex charitate, sed etiam ex justitia tenetur hoc Sacramentum suis subditis administrare; ergò hæc obligatio urget etiam tempore pestis, & cum periculo vitæ; consequentia patet, quia ad aliquid amplius tenetur Parochus in eo casu, quàm alius, qui non est Parochus; sed reliqui Sacerdotes tenentur, quando saltem non est periculum vitæ hoc Sacramentum moribundis administrare; ergo Parochi tenentur etiam cum periculo vitæ. Confirmatur, quia Parochus ex justitia tenetur suis subditis Sacramenta administrare; ergò maximè tempore necessitatis, nam in ordine ad hoc tempus præcipuè stipendia accipit à subditis, intercedit-que inter ipsum, & subditos virtualis quædam conventio, ut hoc potissimum tempore spiritualibus alimentis non deserantur. Alii verò negant, ut Armilla, Tabiena, Suarez, Filliucius, Amicus, Diana, Brancatus, & est communis inter Theologos, & Summistas, quorum fundamentum est, quia hoc Sacramentum non est ad salutem necessarium, neque necessitate medii, ut Baptismus, & Pœnitentia, neque necessitate præcepti, ut Eucharistia; ergo &c. Confirmatur, quoniam hæc obligatio non insurgit neque ex motivo officii parochialis, seù justitiæ, neque ex motivo charitatis; non ex primo, quia justitia non exigit à Parocho, ut faciat circà subditos, nisi quæ sunt eis necessaria ad salutem, non autem ea, quæ sunt maximè utilia, & conducentia, seù conferunt ad melius. Sacramentum autem extremæ Unctionis non est simpliciter necessarium ad salutem, sed tantùm utile suscipienti, ut citius, & sine tanto incommodo gloriam ingrediatur, ergo ex justitia cum tali, & tanto periculo non tenetur; major probatur, quia si ad omnia media utilia, & conducentia Parochus teneretur, intolerabile esset ejus onus, continuò enim prædicare deberet, & exercitia spiritualia facere. Neque ad id facere tenetur ex secundo motivo, scilicet, charitatis, nullus enim tenetur cum periculo vitę suscipere Eucharistiam, Confirmationem, vel extremã Unctionem, nam Deus cum tanto onere non obligat ad ea, quæ non sunt de necessitate salutis simpliciter; ergo neque Parochus habens curam aliorum ad id tenetur, magis enim obligat charitas alicujus erga seipsum, quàm circà proximum.

93 Quartò, quia affirmare absolutè cum prima sententia tempore pestis teneri Parochum hoc Sacramentum infirmis ministrare cum periculo vitæ est nimis rigorosum, & id absolutè negare cum secunda sententia est nimis laxum; ideò mediam sententiam inter istas extremas statuimus l.c. & diximus, quod vel infirmus confessus fuit in infirmitate, aut paulò antè, & probabiliter ex statu ipsius constat eum posteà non peccasse mortalrter, & in tali casu Parochum non teneri ad exponendum se periculo vitæ, ut ipsi hoc Sacramentum administret, quia in tali casu probabiliter existimari debet, quod sit in statu gratiæ, & quod non sit ipsi necessarium hoc Sacramentnm, quamvis enim sit utile, hoc tamen non convincit, ut teneatur Parochus sub mortali, & cum probabili vitæ periculo hoc Sacramentum ministrare; certum enim videtur, quod quis non teneatur pro utilitate spirituali proximi exponere se periculo vitæ, si aliàs sufficienter provisum est ejus saluti spirituali, & hoc duntaxat probat ratio adducta pro secunda sententia. Si verò non sit confessus, aut post confessionem verisimile sit ipsum mortaliter peccasse, & sit in statu, in quo amplius confiteri non possit, nec antè confessionem petierit, videtur dicendum, quod teneatur sub mortali tale Sacramentum administrare etiam cum periculo vitæ, quia tunc hoc Sacramentum debet existimari esse ipsi necessarium, ut dimittatur ipsi saltem per accidens peccatum mortale; supponitur enim communiter, quod Sacramentum hoc habeat talem virtutem, modò infirmus habeat attritionem de peccatis, sic enim mediante hoc Sacramento fiet de attritio contritus, & hoc solùm probat ratio pro prima sententia addncta, idque docuit Adrianus dubio 8. de Confessione ad ultimum, ubi ait, quod quoties dubitatur verisimiliter de salute æterna proximi, intervenit obligatio prędicta sub mortali etiam cum periculo vitæ, quia tenemur temporalia contemnere pro saute spirituali proximi, non solùm quando non potest aliter salvari; sed etiam quando verisimiliter aliter non salvabitur, aut probabile dubium est, an sine illo medio salvabitur; & ratio est, quia vita temporalis, & corporalis est bonum inferioris ordinis comparatione spiritualis vitæ gregis, propter quod dixit Christus: *Bonus Pastor animam suam dat pro ovibus suis*, quo testimonio ad hanc veritatem probandam utitur D. Augustinus serm. 50. *de verbis Domini*, & serm. 149. de Tempore; ergo in casu proposito tenetur Parochus sub mortali etiam cum periculo vitæ hoc Sacramentum ægrotanti administrare; & hanc sententiam quoque ex Recentioribus docent duo Parisienses Isambertus disp. 8. art. 1. & Abellius in sua Medula Theologica cap. 6. *De Sacramento extremæ Unctionis* sec. 4 in fine ubi dicunt, quod quamvis infirmus morbo contagioso laboraret, nec posset illi Sacramentum hoc, nisi cum vitæ periculo administrari, si proprius ejus Sacerdos aliter ei subvenire non possit, quàm extremam Unctionem illi conferendo, teneretur etiam cum extremo vitæ periculo hanc illi administrare, nisi alius Sacerdos ejus vices suppleat. Addunt nihilominus, quod si moraliter certus sit de bona ejus dispositione quod ea, quæ saluti animæ respiciunt, puta quia nuperrimè Pœnitentiæ, & Eucharistiæ Sacramenta illi administravit, tunc non teneri saltem sub peccato mortali extremam Unctionem illi administrare.

94 Denique ex hac doctrina mediæ sententiæ facilè solvuntur fundamenta utriusque extremæ. Ad fundamentem primę dicendum est, probare tantùm, quod Parochus tenetur sub mortali, & cum periculo vitæ hoc Sacramentum infirmis administrare in casu à nobis proposito, non verò extrà illum. Ad Confirmationem concedendum est Parochum simpliciter, & absolutè loquendo teneri etiam cum morali vitæ periculo tempore necessitatis suis subditis Sacramenta ministrare, sed illa tantùm, quæ sunt ad salutem necessaria, ut sunt Baptismus, Confessio, & Eucharistia, quæ saltem est sub præcepto divino, de his tantùm simpliciter, & absolutè administrandis etiam cum periculo vitæ intervenire virtuale pactum inter Parochum, & suos subditos; non tamen simpliciter, & absolutè tenetur administrare sub mortali, & cum periculo vitæ Sacramenta, quæ sunt utilia tantùm, & non per se necessaria, qualis est extrema Unctio, sed tantum in casu nobis proposito, quia tunc per accidens fit necessaria, cùm per aliud Sacramentum ægrotantis indigentia subveniri non possit. Ad fundamentum secundæ sententię dicendum est rationem illam probare solùm primam partem nostræ assertionis, ut dictum est sub num. præcedenti, non autem quod Parochus non teneatur cum periculo vitæ Sacramentum extremæ Unctionis infirmo ministrare in casu à nobis proposito ibidem, quia tunc hoc Sacramentum extremæ Unctionis non tantùm utile, sed etiam necessarium ad ejus salutem saltem per accidens existimari debet, ut dimittatur ei per accidens peccatum mortale, in quo probabiliter esse censetur, nec aliud supereſt remedium præter solam contritionem, quam humanam fragilitas satis difficulter elicere potest, præsertim in illo agone, & urgentia tentationum dæmonis, quarè cum moraliter censeatur infirmus in periculo salutis versari, si hoc Sacramento privetur, tenetur Parochus etiam ex officio, & justitia illud ministrare, ut saltem eo mediante fiat de attrito contritus. Tenetur etiam ad id, & tantò magis ex motivo charitatis, quia in eo casu per Sacramentum extremæ Unctionis non tantùm removentur impedimenta, quæ Paradisi ingressum, & gloriæ fruitionem retardant, sed etiam vita spiritualis infirmo confertur, qui in peccato mortali probabiliter supponebatur, faciendo ipsum de attrito contritum, nam in tali casu saltem per accidens per hoc Sacramentum extremæ Unctionis prima gratia datur infirmo, accedente dispositione congrua, & bona fide suscipienris, ut dictum est superius qu. 4. a. 1. n. 57. in casu nimirum quod aliquis repentè sensibus destitutus nullum Confessionis signum præbuisset, quo posset absolvi, & hoc solo remedio posset juvari, quod etiam pluribus probat, & approbat Aversa quæst. 64. *de Sacramenti in genere* sec. 7. cum pluribus aliis Auctoribus ab ipso citatis ibidem, ubi satis eruditè tractat, & discurrit, qualiter teneantur Parochi, & animarum Pastores, aliique Ministri animarum curam habentes ad Sacramenta ministranda, & hæc de Sacramento extremæ Unctionis dicta sufficiant ad mentem nostri Doctoris, & secundùm communiorem, & probabiliorem DD. sententiam.

DISPU-

DISPUTATIO XXIII.

DE INDULGENTIIS, ET SUFFRAGIIS.

1 

UEMADMODUM disputationę præcedenti immediatè post Sacramentum Pœnitentiæ egimus de Sacramento extremæ Unctionis ea ratione, quia cum institutum sit ad delendas peccatorum reliquias, Sacramenti Pœnitentiæ complementum existimatum est à Patribus, ut loquitur Concilium Tridentinum sess. 14. ità etiam in præsenti post disputationem de Sacramento extremæ Unctionis de Indulgentiis agendum est, tanquam alio complemento ejusdem Sacramenti Pœnitentiæ, nam sicut hoc se extendit ad remissionem culpę, & pœnę æternę, ita Indulgentia ad remissionem pœnæ temporalis ex condonatis culpis relictæ, & quamvis hac ratione ab aliis communiter immediatè post Sacramentum Pœnitentiæ de Indulgentiis disputetur, nobis tamen de his agere post Sacramentum extremæ Unctionis commodius visum est.

QUÆSTIO PRIMA.

De existentia, & institutione Indulgentiarum.

2 QUamvis Indulgentiæ nomen, & vocabulum quod à verbo *Indulgeo* derivatur, apud Latinos scriptores plura, & varia habeat significata, tamen secundùm communem, & receptum Ecclesiæ usum juxtà præsentem materiam significat solùm pœnæ temporalis ex condonatis peccatis relictæ remissionem, quæ fit ab Ecclesia ex justa aliqua, & rationabili causa per dispensationem Ecclesiastici thesauri factam, seù per applicationem satisfactionum Christi Domini, ut infrà declarabitur. Duo autem hic potissimum sunt examinanda ad ostendendum, & demonstrandum contrà Novatores in Ecclesia Dei indulgentias esse, quibus fideles ad pœnas ex condonatis peccatis relictas solvendas juvari possunt. Primum est in Ecclesia Dei extare thesaurum satisfactionum Christi, & Sanctorum, quæ iis pœnitentibus applicari possunt, qui post remissam cum culpa pœnam æternam, aliquam adhuc pœnam temporalem habeat luendam. Alterum est in Summo Pontifice, aliisque Episcopis potestatem reperiri hunc spiritualem thesaurum fidelibus dispensandi, quòd breviter sequentibus articulis declarabimus.

ARTICULUS PRIMUS.

An in Ecclesia sit thesaurus spiritualis, qui per indulgentias dispensari valeat.

3 PRimò constans, & communis Catholicorum DD. opinio contrà Vualdenses, Lutheranos, Calvinistas, & alios Novatores est, extare in Ecclesia thesaurum quændam spiritualem, undè applicandæ fidelibus indulgentiæ proferuntur, qui thesaurus constat in primis ex satisfactionibus ipsius Christi Domini, quarum valor cùm fuerit infinitus, ut constat ex dictis lib. 3. sent. disp. 4. quantacunque fiat illarum applicatio, thesaurus ille, nunquam ex hauriri potest; & hanc veritatem expressè tradit Clemens VI. in extravagante *Unigenitus* de Pœnitentiis, & remissionibus, ubi Pontifex de Christo loquens ait, quod. *Thesaurum militanti Ecclesiæ acquisivit volens suis thesaurizare filiis pius Pater, ut sit infinitus thesaurus hominibus, quo qui usi sunt Dei amicitiæ participes sunt effecti.* Constat etiam hic thesaurus, ut idem Pontifex declarat loco citato, ex satisfactionibus superabundantibus Sanctorum, quorum aliquos certum est in hac vita longè plura passos esse, quàm eorum peccata requirerent, ut præsertim patet de Sanctissima Virgine Deipara, quæ multa passa est, & tamen patiendo pro suis peccatis non satisfecit, cùm nullum peccatum haberet; ergò opus est dicere, ut ipsius satisfactio, veluti, superflua pro seipsa, in thesaurum Ecclesiæ luerit recondita. Et idem patet in Joanne Baptista, in Apostolis, & pluribus Martyribus, qui plus passi sunt, quàm eguerunt; quæ quidem opera satisfactoria, licet ipsis minimè necessaria fuerint, ut supponimus, aliis tamen maximè utilia, & salutaria esse posse Ecclesia semper agnovit, ut ex communione Sanctorum, quam in Symbolo profitemur, aliisque Scripturæ locis expressè colligitur. Has autem Sanctorum satisfactiones superfluas & exuberantes, ut communiter Doctores observant, Christi Domini satisfactionibus Ecclesia conjungit, non ut earum ullum defectum suppleant, cùm perfectissimæ sint, & infiniti valoris, ut suprà dictum est, sed ut ipsius Christi Domini virtutem in sanctis ejus venerandam esse significet, & eorum perfectam cum Christo capite unionem demonstret, ac etiam membrorum ejusdem capitis in utraque Ecclesia triumphante, ac militante communionem. Ita Recentiores communiter, & Antiquiores, & ex nostris præsertim Astesanus lib. 5. cit. 40. *de Indulgentiis* art. 1. ubi ait, quod Ecclesiæ thesaurus integratur ex tribus, scilicet, ex merito fidei, & charitatis totius Ecclesiæ, & ex merito supererogationis virorum perfectorum, & ex abundanti merito passionis Christi, prędicta enim merita, & satisfactiones non sunt alicujus, vel aliquorum determinatè, sed sunt cnmmunia toti Ecclesiæ; opera enim meritoria, & satisfactoria, quæ Sancti fecerunt ad honorem Dei, & utilitatem Ecclesiæ communi, communia sunt; ea autem, quæ sunt communia multitudini, distribuuntur singulis de multitudine secundùm arbitrium ejus, qui multitudini præest, & ideò Prælatus Ecclesiæ, qui habet claves thesauri prædicti, potest pro Dei honore, & Ecclesiæ utilitate de ipso thesauro tribuere, quando videt expedire; undè sicut aliquis consequeretur remissionem pœnæ, si alius pro eo satisfeciisset; ità etiam consequitur, si ei satisfactio alterius per eum, qui potest, distribuatur. Ità Astesanus loco citato, & sic etiam discurrit Nicolaus de Orbellis 4. d. 20. quæst. 3. ubi ait Indulgentias habere ortum ex thesauro Ecclesiæ, qui consistit in superabundanti merito Christi, & Sanctorum, quem dedit Dominus dispensandum suo Vicario, cùm Petro dedit claves Regni Cœlorum, & sic etiam discurrit Brancatus noster tom. 4. *de omnibus novissimis* dispos. 26. articulo 17.

4 Secundò, quantum ad modum, quo merita Sanctorum reponantur in thesauro Ecclesiæ, & aliis applicari possint, non eodem modo explicatur à Doctoribus; sed licet variis modis explicari soleat, communior tamen modus explicandi est, quem referunt, & sequuntur Suarez, Amicus, Becanus, Coninchius, Lugus, & alii Recentiores passim, cum enim Sancti sint nobilissima Ecclesiæ membra, & ad ipsam strictiori jure, ac vinculo pertineant, quàm cives temporales ad Rempublicam, quamvis eorum opera, ut habent rationem meriti, fuerint à Deo condigno præmio remunerata; tamen ut habent rationem satisfactionis, multa pluribus supererant, ut dictum est de B. Virgine, Joanne Baptista, Apostolis, aliisque Martyribus, quæ neque ex eorum voluntate, cùm de eo sæpè non cogitaverint, neque etiam ex alia certa lege fuerunt aliquibus certis applicata undè consequenter relinquuntur in communi Ecclesiæ thesauro aliis membris indigentibus applicanda, sicut enim bona temporalia Civium sine ullis certis hæredibus, aut legatariis decedentium, jure gentium ad ipsam Rempublicam pertinent; ità in bona spiritualia Sanctorum succedit Ecclesia, quando non est, qui ad illa jure succedere possit, cum non sit minor communicatio bonorum spiritualium inter fideles, quàm bonorum temporalium inter cives unius Reipublicæ. Tunc autem nullus in talia bona spiritualia Sanctorum succedere potest, quando de iis Sancti ipsi in vita non disposuerunt ea aliis applicando, vel donando. Hujusmodi ergo Sanctorum opera pœnalia, cùm sint satisfactoria, & pro ipsis operantibus sint redundantia, nec aliis ab eis applicata ponuntur in thesauro Ecclesiæ, & sic ex istis adjunctis passionibus Christi fit thesaurus & cumulus meritorum, ex quo Indulgentiæ eliciuntur. Et quidem satis rationabiliter; cùm enim corpus Ecclesiæ non solùm Christo, tanquam capite constet, sed etiam ex Sanctis, tanquam ex membris,

bris, consequenter non solùm Christi passiones, & opera, sed etiam Sanctorum sunt inter Ecclesiæ bona computanda, quod etiam satis aperte ex illis D. Pauli verbis colligitur ad Colloss. 1. *Gaudeo in passionibus pro vobis, & adimpleo ea, quæ desunt passionum Christi in carne mea, pro corpore ejus, quod est Ecclesia*, quibus verbis satis patet Apostolum suas passiones facere communes cum passionibus Christi, quas pro Ecclesiæ corpore patiebatur, ut plures Patres explicant, & præsertim Beda illum locum exponens.

5 Tertiò, quamvis iste modus dicendi sit valdè communis, & frequens, ut diximus, non tamen approbatur à Fabro nostro disp. 38. *de Pœnitentia* cap. 3. sed alium ibidem assignat num. 81. tanquam magis de mente Doctoris dicens, quod in omni opere bono, quod facit justus, est triplex meritum, & valor seù pretium; est meritum personale illius, qui facit bonum pœnale, præter autem hoc meritum personale, & pretium, ac valorem, quo valet ipsi operanti, est aliud duplex meritum, valor, & pretium, nimirum meritum Ecclesiæ, nam faciens bonum opus non solùm meretur, & acquirit aliquod meritum sibi, & valorem, sed acquirit etiam merita ipsi Ecclesiæ universali propter communionem Sanctorum, omnes enim fideles per unionem charitatis participant de meritis aliorum. Tertium est pretium, & meritum, quo alteri particulari ad libitum prodesse potest, cùm enim quis facit opus bonum, in eo est portio, quam alii applicare potest ad libitum, & hic valor, & meritum à reliquis duobus est distinctum. Præter meritum personale, & meritum hoc, quod alteri applicare quis potest, est meritum generalis Ecclesiæ, & sic unum quodque opus bonum valet nedum operanti, sed toti Ecclesiæ, & merita Ecclesiæ cumulantur ex hujusmodi meritis. Undè concludit Faber, quod thesaurus Ecclesiæ quoad merita Sanctorum constituatur ex meritis eorundem Sanctorum prædicto modo, & ait, quod merita Sanctorum, quæ in Ecclesiæ thesauro reponuntur, & per Indulgentias dispensantur, non sunt merita personalia eorum redundantia, & superflua pro suorum peccatorum satisfactione, ut præcedens dicendi modus asserebat, sed inquit quodlibet opus meritorium pœnale satisfactorium cujuscunque justi etiamsi teneatur multum pro seipso satisfacere, habere portionem voloris, & pretii, & satisfactionis, quæ ponatur in thesauro Ecclesiæ, ac ex illis cumulus, & thesaurus Ecclesiæ constituatur, & ille valor, & pretium sit meritum secundi, & tertii generis, & hoc meritum sit illud, quod superabundans dicitur. Quod autè hic dicendi modus sit de mente Doctoris colligit ex quol. 20. a. 2. ibi enim expresè dicit, quod meritum potest intelligi valere alicui, vel pro alio in triplici gradu, uno modo specialissimè, & sic semper valet oranti, quando est in gratia, alio modo generalissimè, & sic valet soli Ecclesiæ, tertiò modo valet illi, cui per orātem specialiter applicatur, quod probat, quia Ecclesia ordinavit speciales orationes in Missali Romano pro hoc, & illo, quod nihil esset, si oratio, & opus bonum non possent applicari ab orante, & faciente opus bonum huic, & illi; quod autem meritum personale, & ejus valor alteri applicari nequeat ab ipso merente probat, quia operans opus bonum producit, & efficit illud ex bono motu animi sui, & proindè ille motus, & opus bonum non sic est alterius, pro quo orat, vel cui applicat, sicut orantis. Ex quo infert Doctor, quod iste sic operans hoc suum meritum personale, & proprium non potest alteri dare, & seipsum spoliare sic, quod non sit suum meritum, ordinata voluntate, quia magis tenetur ex charitate diligere seipsum quàm alium.

6 Quartò probat ibidem Faber hunc modum constituendi thesaurum Ecclesiæ ex doctrina Scoti assignatum esse magis conformem modo loquendi Pontificum quàm sit præcedens, quia Clemens Sextus in Extravaganti *Unigenitus* adducta habet hæc verba: *Ad cujus quidem thesauri cumulum beatæ Dei genitricis, & omnium electorum à primo justo usque ad ultimum merita adminiculum præstare noscuntur*. Ex quibus verbis habetur, quod omnes justi à primo usque ad ultimum hunc thesaurum Ecclesiæ suis meritis augent; at est certissimum quod non omnes electi, & justi habent satisfactiones superfluas, & redundantes, alioquin tolleretur Purgatorium, in quo tam multi electi post hanc vitam satisfaciunt pro propriis pœnis debitis, ergo thesaurus Ecclesiæ non constituitur ex satisfactionibus, quæ ipsis operantibus non sunt necessariæ, & aliis ex charitate donantur, & applicantur, quia istæ non sunt in omnibus electis; sed opus est asserere in quolibet opere meritorio justi esse portionem quandam aliis applicabilem absque diminutione proprii meriti personalis, quæ portio est meritum illud, quod Scotus appellat generalissimum, & pro Ecclesia valet, & certè verba illas Extravagantis hunc sensum ferunt, & aliæ Extravagant. Leonis X. & aliorum Pontificum eodem modo loquuntur. Confirmat hoc idem Faber loc. cit. quia est articulus fidei esse in Ecclesiam *Communionem Sanctorum*; hæc autem communio est participatio suffragiorum, & meritorum adinvicem in Ecclesia Christi, ut communiter docent Patres, & Doctores juxtà illud Apostoli, *Alter alterius onera portate*; at hæc cōmunicatio meritorium non potest esse solùm ex operibus supererogationis, & superabundantibus ad nostras satisfactiones, quia certè hæc suffragia essent valdè pauca, cum certum sit plura esse peccata, quæ committimus, quàm opera bona, est ergo dicendum hanc communionem fieri in omnibus bonis, & proindè in quolibet opere bono, ut dicebat Scotus, esse præter valorem personalem valorem quoque universalem, qui valet pro tota Ecclesia, & hæc quidem ratio reddit hunc dicendi modum satis probabilem, & fortè etiam probabiliorem præcedenti ob ejus conformitatem cum modo loquendi Patrum, & Pontificum omnium electorum merita, & non quorundam tantùm in thesauro Ecclesiæ reponentium, licet primus dicendi modus quoque sua probabilitate non careat ob copiam, & auctoritatem Doctorum eo utentium.

7 Quintò, supradicti thesauri dispensationem à Christo Domino Ecclesiæ creditam esse habetur etiam in Extravagant. citat. *Unigenitus* de pœnitent. & remiss. ac novissimè in Concilio Tridentin. sess. 25. in Decreto de Indulgentiis, cujus initium est, *Cùm potestas concedendi indulgentias Ecclesiæ à Christo concessa sit*, &c. ubi docet, & decernit in Ecclesia esse, & semper fuisse potestatem concedendi Indulgentias, & relaxandi pœnas debitas pro peccatis extrà Sacramenta simplicem relaxationem ipsarum pœnarum temporalium ab Ecclesiæ Pastoribus factam, & probari potest ex illis verbis Matth. 16. *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & tibi dabo claves regni Cœlorum, & quodcunque ligaveris super terram, erit ligatum, & in Cœlis & quodcunque solveris super terram, erit solutum & in Cœlis*, & Joannis ultimo, *Pasce oves meas*, quæ verba cum sint generalissima, & non limitata ad certum genus vinculi, vel pabuli, sed se extendant ex vi sua ad omnem actum, qui ad aperiendum Regnum Cœlorum accommodari possit, censentur etiam claves comprehendere solvendi fideles à vinculo pœnæ temporalis ex condonatis peccatis relictæ, eosque pascendi non solùm Sacramentorum fructibus, sed etiam indulgentiarum, & includunt potestatem absolvendi ab omnibus impedimentis, quæ ingressum Regni Cœlorum retardare possunt, undè non dixit Christus *Quemcunque solveris*, sed *Quodcunque solveris*, ut hoc generali verbo omne vinculum, & impedimentum Regni Cœlorum comprehenderet; inter cætera autem impedimenta, quæ hominem viatorem ab ingressu Regni Cœlorum, & consecutione gloriæ retardant, sunt pœnæ temporales ex condonatis peccatis relictæ, quæ indulgentiarum virtute remittuntur. Hoc etiam sufficienter deducunt ex continua, & universali Ecclesiæ praxi, quæ etiam à tempore Apostolorum ad hæc usque tempora perseveravit, siquidem Divus Paulus 2. ad Corinth. 2. ad instantiam quorundam fidelium cuidam incæstuoso pœnitenti indulgentiam concessit, ut docent Divus Thomas, & Theodoretus in Commentariis super illud caput, & quod Apostolus loquatur de remissione pœnæ coram Deo colligunt ex eo, quod hanc remissionem in persona Christi fecit. Similiter quibusdam pœnitentibus indulgentias hujusmodi fuisse concessas ad instantiam Martyrum, qui ob Christi confessionem in carceribus detinebantur, constat ex pluribus testimonii Sancti Cypriani, Tertulliani, & aliorum, ut refert Bellarminus lib. 1. de Indulgentiis cap. 3. Idem indulgentiarum usus post Apostolorum tempora apud Christianos viguit, quarum mentio fit in Concilio Nicæno 1. can. 11. Ancirano can. 5. Laodiceno can. 2. usque ad Gregorium Magnum, à cujus temporibus Indulgentiarum usus in universa Ecclesia notior fuit, & frequentior, ut fusè Bellarminus ostendit loco citato, & Amicus disp. 20. de Indulgentiis sec. 1. Ex quibus principiis satis efficaciter constat esse in Ecclesia spiritualem potestatem concedendi Indulgentias à Christo concessam, & falso, ac sine ullo fundamento ab hodiernis Hæreticis id negari, qui non alios Patronos agnoscunt, quàm Valdenses, qui primi Indulgentias impugnarunt, eorum autem objectiones, quia levioris sunt momenti, hic non referimus, tùm quia solutæ, & enervatæ prorsus videri possunt apud Bellarminum, & Fabrum nostrum loc. cit. ac etiam apud Cordubam lib. 5. de Indulgentiis quæst. 5. ubi fusè de hac materia tractat.

8 Sextò quæritur, an aliundè, quàm ex thesauro Ecclesiæ, indulgentiæ concedi possint. Plures opiniones, ac dicendi modos in hoc puncto refert Faber disp. 28. cit. cap. 4. quibus rejectis tandem concludit communem sententiam Theologorum antiquorum, & Recentiorum esse illam, quæ asserit indulgentias semper concessas fuisse ex thesauro Ecclesiæ, neque aliundè concedi posse, nisi ex illo, loquendo de lege ordinaria, nam loquendo de potentia Dei absoluta nulli dubium est; & hanc ait

fuisse

fuisse expresse sententiam Divi Bonaventuræ 4. distinction. 20. part. 2. art. 1. quæst. 2. & 3. D. Thomæ eadem dist. quæst. 3. art. 3. Riccardi ibidem quæst. 1. quos deindè secuti sunt alii Recentiores, & probatur ex jam dictis in Ecclesia esse hunc thesaurum meritorum Christi, & Sanctorum, ad nullum enim alium finem hic constitutus est, nisi ad utilitatem fidelium, quæ consistit in remissione pœnæ temporalis post remissionem culpæ remanentis, quam consequimur per indulgentias ex prædicto Ecclesiæ thesauro elicitas, & non alio modo; nam omnis remissio culpæ, vel pœnæ coram Deo fit ex justitia secundùm legem ordinariam, undè ad justitiam servandam filium suum mittere voluit, ut per viam redemptionis, & justitiæ credentes in eum salvaret, cùm tamen gratis hominibus peccata dimittere posset; at actus concedendi indulgentias est actus dimittendi pœnam temporalem; ergò etiam in hoc actu justitia intervenire debet, non potest autem esse actus justitiæ, nisi debita solutio fiat. Hæc autem vel fieri debet ex meritis propriis illius, cui dimittitur pœna, vel alterius pro eo; ergò quando non interveniunt merita propria illius, cui pœna temporalis dimittitur, ut accidit in proposito, cùm indulgentiæ conceduntur, necessariò intervenire debent merita Christi, alioquin hæc pœnæ relaxatio non esset ex justitia, & cùm de facto in hoc thesauro sint etiã merita Sanctorum, ex illis quoque indulgentiarum concessiones fiunt, nam possunt Sancti, & justi viri per sua opera satisfactoria satisfacere pro pœnis culpæ alienæ debitis etiam de condigno, quamvis enim non possint alteri gratiam de condigno mereri, quia talis excellentia meritorum soli Christo Domino concessa fuit, possunt tamen de condigno satisfacere, undè si Petrus justus pro Paulo justo jejunet, pro Paulo satisfaciet tantùm, quantùm pro seipso satisfaceret, ut cõmunis Theologorum sententiam docet in materia de gratia, quam refert Toletus lib. 6. c. 28

9 Septimò, quæritur ulterius, ac thesaurus Ecclesiæ solùm per indulgentias dispensetur, cui quæsito cum Fabro l. c. cum distinctione respondendum est, nam aliud est loqui de thesauro Ecclesiæ ut constat ex meritis Christi præcisè, & aliud est loqui de eo, ut constat ex meritis Sanctorum; in primo sensu utique Ecclesiæ thesaurus aliter, quàm per indulgentias dispensari potest, certum enim est de facto dispensari per Sacramenta, & per Sacrificium Missæ, & etiam per alia bona fidelium opera, Sacramenta enim, & Sacrificium Missæ, & bona opera fidelium suam dignitatem, & valorem habet solùm ex meritis Christi, qui solùm pro nobis crucifixus est, & illo secluso nullius sunt valoris, quoties enim culpa, vel pœna remittitur, vel aliquod gratiæ beneficium nobis præstatur, semper thesaurus meritorum Christi nobis applicatur & distribuitur, non autem Sanctorum, quia merita Sanctorum aliquam vim non præbent Sacramentis, nec Sacrificio Missæ, nec etiam opera fidelium ex meritis Sanctorum vim, & valorem habent, sed solùm ex meritis Christi, imò ipsa Sanctorum merita totam vim suam habent ex meritis Christi. Quarè merita Sanctorum habent locum dumtaxat in distributione per indulgentias, itaut considerando thesaurum Ecclesiæ, ut constat ea meritis Christi, & Sanctorum simul, solùm per Indulgentias distribuitur, & non alio modo. Et ratio discriminis est, quam Faber assignat loc. cit. in fine capitis cum aliis Recentioribus, quia merita Christi sunt fundamentum Sacramentorum, & Sacrificiorum Ecclesiæ, & omnis dignitatis, & valoris operum nostrorum, quia ex se sunt digna, & efficacia, Sanctorum verò merita ex meritis Christi suam dignitatem, & valorem habent, quod verò valeant pro aliis habent ex speciali lege Christi, qua statuit, & voluit in Ecclesia sua esse communicationem bonorum operum, ut sic mutuò fideles se invicem juvare possint juxtà articulum *Sanctorum communionem*, ut suprà declaratum est, & docet D. Bonaventura 4. dist. 20. part. 2. a. 1. q. 2.

10 Postremò est difficultas, an thesaurus Ecclesiæ applicetur fidelibus per modum solutionis, vel absolutionis, pro cujus resolutione dicendum est cum Bellarmino lib. 1. de Indulgentiis cap. 5. Suarez disput. de Pœnitent. sect. 4. Fabro loc. citat. & pluribus aliis Indulgentiæ concessionem respectu vivorum neque esse puram pœnæ solutionem, neque puram absolutionem, sed fieri per modum cujusdam absolutionis; quæ annexam habet solutionem ex thesauro Ecclesiæ. Non est pura pœnæ solutio, quia hæc nullam requirit jurisdictionem in solvente, sed tantùm æqualis satisfactionis oblationem pro altero, undè cùm unus suam satisfactionem pro altero offert, dicitur pro illo solvere, non tamen eum absolvere; quia absolvere est actus judicus supponens in absolvente judiciariam potestatem. Nec etiam est pura absolutio, nam hæc nullam pro pœna offert solutionem, sed merè gratis illam remittit, non potest autem Pontifex pœnam temporale merè gratis remittere, quam homo debet Deo ratione peccati sibi remissi, alioquin omninò frustra esset Ecclesiæ thesaurus; Remanet ergo, ut respectu vivorum sit absolutio secum annexam habens solutionem, ut constat ex diversis Summorum Pontificum diplomatibus à Bellarmino loc. cit. relatis; nam quatenus est remissivus pœnæ ex gratia, quæ fit debitori, dum ex satisfactione alterius illi pœna remittitur, dicitur absolutio, quatenus verò talis absolutio non fit absque aliqua solutione, non est pura absolutio, sed simul annexam habens solutionem. Notanter verò diximus, ita discurrendum esse de concessione indulgentiæ respectu vivorum, quia si sermo sit de Defunctis in Purgatorio existentibus indulgentiæ ex thesauro Ecclesiæ ipsis applicantur, non per modum absolutionis, cùm nullam in eos habeat Ecclesia jurisdictionem, sed tantùm per modum solutionis, seù suffragii, ut infra magis explicabimus; sicut Rex Galliæ, verbi gratia captivum apud Turcas detentum per vim auctoritatis liberare non potest, ut in proprio Regno, sed tantùm per viam solutionis, & redemptionis, & ità etiam de hac difficultate discurrit Card. de Lugo disp. 27. de Sacramento Pœnitentiæ sec. 1.

ARTICULUS SECUNDUS.

Cujus potestatis actus sit indulgentias concedere, & in quibus resideat.

11 PRimò quod spectat ad primam quæsiti partem, quamvis Durandus 4. distinction. 20. quæst. 5. sententiam referat, quam & ipse probabilem censet, asserentem esse actum potestatis Ordinis, & simul jurisdictionis regendi Ecclesiam; communis tamen sententia tam veterum, quàm recentiorum Theologorum asserit hanc non esse potestatem Ordinis, sed tantùm jurisdictionis, ut ostendit Faber disputatio. 28. cit. cap. 2. undè concessio Indulgentiarum est actus solius jurisdictionis supponens in concedente jus suprà eos, quibus indulgentiæ conceduntur, ut expresè Alexander Tertius definit cap. *Quod autem* de Pœnit. & remiss. ubi Pontifex docet indulgentias non prodesse iis, qui eas concedentibus non subsunt, & rationem ibi reddit, quia *nullus à non suo Judice ligari, vel absolvi valet*. Ex quo deducunt posse Pontificem, etiamsi si Sacerdos consecratus non sit, indulgentias concedere, non enim potestas concedendi indulgentiam necessariò supponit in concedente potestatem Ordinis, ut patet ex usu Ecclesiæ, quia sæpè Diaconi Cardinales, & alii, ex concessione Papæ indulgentias concedunt. Ratio verò est, quia ut rectè discurrit Amicus disp. 20. cit. sec. 2. potestas concedendi indulgentias est tantùm potestas applicandi fidelibus satisfactiones Christi, & Sanctorum pro pœnis temporalibus ex condonatis peccatis relictis extrà Sacramentum pœnitentiæ, nam sicut hoc se extendit ad remissionem culpæ, & pœnæ æternæ, ità indulgentia ad remissionem pœnæ temporalis ex condonatis culpis relictæ; utriusque enim claves habent vim solvendi hominem, in diverso tamen foro, nam illius claves non nisi in foro interno, & in ipso Sacramento vim habent solvendi à culpa, & pœna æterna, hujus verò in foro externo extrà Sacramentum solvunt à pœna temporali ex condonatis culpis relicta. Hæc autem potestas nullam per se requirit ordinem, sed tantùm jurisdictionem in eos, quibus relaxandæ sunt pœnæ per Indulgentias, nam si aliquem Ordinem hæc potestas requireret, & supponeret, maximè esset Præsbyteratus, at hic ordo minimè requiritur, nam Præsbyteratus per se tantum ordinatur ad conficiendam Eucharistiam, & ad remittenda peccata, & pœnas illis debitas in foro tantùm Sacramentali, potestas verò concedendi indulgentias, nec peccata remittit, nec pœnas illis debitas in foro Sacramentali, sed extrà illud per modum cujusdam juridicæ absolutionis, ut suprà dictum est. Objectiones verò quasdam in oppositum vide solutas à Fabro loco citat.

12 Secundò quoad aliam quæsiti partem, in quibus hæc potestas resideat, advertendum est duobus modis posse aliquem Indulgentiam concedere, uno modo potestate ordinaria, quæ nimirum ordinario jure cum ipso officio connectitur, alio modo potestate delegata, quæ scilicet, communicatur ab eo, qui ordinario jure illam dare possit alteri vices ejus exercenti, & de utraque potestate hìc discurrendum est; & quidem de Summo Pontifice certum est illum ordinaria potestate toti Ecclesiæ indulgentias concedere posse, idque jure divino ab ipso Christo immediantè derivato. Quod constat in primis ex potestate illimitata Petro præ cæteris Apostolis, & primariò concessa, cui successores sunt Summi Pontifices Matth. 26. *Tibi dabo claves Regni Cœlorum, &c. & quodcunque solveris super terram, erit solutum, & in Cœlis*, ac proindè Summus Pontifex potestatem ordinariam habet concedendi indulgentias in universa Ecclesia, quia in ipso est plenitudo potestatis jurisdictionis spiritualis, ad quam diximus spectare hanc potestatem ordinariam indulgentias

tias concedendi. Deindè etiam ex eo probatur, quod ad indulgentias concedendas duplex requiritur potestas ex parte concedentis, una in eos, quibus conferuntur, altera in thesaurum Ecclesiæ, ex quo desumuntur, ut dictum est art. præcedenti, utraque autem potestas in Summo Pontifice plenissima reperitur, cùm talis potestas ordinario jure connexa sit cum supremo regimine Ecclesiæ, quod Summo Pōtifici à Christo Domino demandatum est cùm alium Superiorem Pontifex in terris non agnoscat, à quo hanc potestatem accipere possit, undè divino jure officio supremi Pastoris hæc potestas connexa est, & communicata, ut colligitur ex illis verbis Joannis ultimo, *Pasce oves meas;* & de hoc nulla est controversia inter Catholicos.

13 Tertiò est difficultas, an Concilium Generale, ordinariam habeat potestatem indulgentias concedendi. Affirmant nonnulli habere potestatem concedendi quascunque indulgentias etiam plenarias, quod probantur, quia de facto, & Concilium Lateranēse indulgentiam plenariam concessit proficiscentibus in terram Sanctam, vel subsidium conferentibus, ut constat ex fine Concilii, & Basileense in favorem subsidii pro reductione Græcorum procuranda sess. 24. & Constantiense iis, qui in ipso Concilio interfuerunt, ut habetur in fine, ultimæ, sessionis.

Confirmatur ratione ab ipso Basileensi Concilio adducta, quia Concilium generale totam Ecclesiam repræsentat, cui concessa est à Christo potestas dispensandi thesaurum iudulgentiarum. Demum, quia sicut Communitatis est dispensare bona temporalia Reipublicæ, ità Ecclesiæ erit spiritualia bona dispensare utpotè per ipsum Concilium generale repræsentatæ. Ità Panormitanus, Felinus, Soto, Navarrus, Corduba, Toletus, Henriquez, & alii, qui eandem potestatem Concilio generali concedunt, quam Summo Pontifici, eo quod uterque illam immediatè à Deo habeat. Sed hanc sententiam ait Faber disp. cit. cap. 5. etiam Brancatus l. c. esse omninò reiiciendam, ut potè innixam falso fundamento, quod nempè Ecclesia, quam Concilium generale repræsentat, ut condistincta à capite aliquam jurisditionē habeat immediatè à Christo, quamvis enim Claves datæ sint Ecclesiæ Matth. 16. non tamen datæ sunt Ecclesiæ, idest, universitati fidelium, & Pastorum immediatè, & primò, sed mediatè, & per Petrum, ac Pontificem Romanum; jam enim ostensum est suprà hanc potestatem soli personæ Petri, ejusque successoribus in officio à Christo esse collatam, verba siquidem illa: *Et tibi dabo claves Regni Cœlorum*, personæ Petri immediatè dicta sunt, & illi datæ claves, Joan. 20. *Pasce oves meas*, & hoc etiam ratio ipsa suadet, neque enim expediens erat, ut talis potestas conferretur etiam immediatè Ecclesiæ, vel Concilio generali, ut à capite condistincto, quia non expedit eamdem supremam potestatem pluribus cōmunicare, siquidem id Monarchico regimini repugnat, quo Christus suam gubernat Ecclesiam. Ex qua doctrina, quam latè defendunt Bellarminus, Valentia, Suarez, Filliucius, Amicus, & alii Recentiores passim, deducitur quod Ecclesia sine capite nullam habet auctoritatem, & potestatem clavium, quod etiam anteà docuere antiquiores Theologi 4. distinctione 20. qui dùm soli Pontifici hanc potestatem tribuunt, generale Concilium consequenter excludunt, ac proindè falsum est virtute clavium indulgentias concedere posse.

14 Hoc autem intelligendum est de Concilio sine capite, seù de Concilio à Pontifice condistincto, siquidem loquendo de Concilio cum capite, ideſt, ut Pontificem includit, ut notat Faber l. c. nulla est dubitatio, quin possit Indulgentias concedere, quia si Papa solus indulgentias concedere potest, etiam Concilio associatus, & conjunctus id facere poterit, sed tunc non est Concilum, ideſt, membra, quæ indulgentias concedant, sed Summus Pontifex, qui est caput; undè si Papa vellet in Concilio indulgentias concedere, & Concilium renueret, adhuc validæ essent, & è contrà si vellet Concilium indulgentias concedere renuente Pontifice, qui est caput, nihil faceret. Ex quo patet ad argumentum oppositæ sententiæ citata Concilia indulgentias concessisse non auctoritate propria à capite condistincta, sed auctoritate Summi Pontificis per se, vel per suos Legatos Concilio generali præsidentes.

Ad Confirm. negandum est assumptum quoad utramque partem, falsum enim est Concilium generale, aut à capite condistinctum, totam repræsentare Ecclesiam, cùm caput non repræsentet, quod est præcipuum, & principale membrum, ex cujus influxu totum regitur Ecclesiæ corpus; falsum etiam est potestatem dispensandi Indulgentiarum thesaurum esse Ecclesiæ concessam, ut à capite condistinctæ, sicut enim soli Petro, & immediatè claves regendi, & pascendi datæ fuerunt, ità etiam potestas dispensandi Ecclesiæ thesaurum. Ad ultimum negatur paritas, quia cùm bona temporalia, sint totius Communitatis, consequenter ad illam spectat ea bona inter Cives distribuere, vel ad Principem, in quem suam transtulit auctoritatem; bona autem spiritualia in Ecclesiæ thesauro recondita, cùm non sint Ecclesiæ propria, sed Christi Domini, ad illum ea distribuere spectabit, in quem Christus suam transtulit auctoritatem, qui fuit persona Petri, & ejus successores. Hic autem advertunt Auctores supracitati circà Concilia adducta in quibus plenaria Indulgentia fidelibus concessa fuit, de Concilio Basileensi non multùm esse curandum, nam sicut in eo postquam ab Eugenio Quarto illius Concilii dissolutio indicta fuit, & revocati ejus Legati Apostolici, schismaticè concluſa fuit hæc propositio *Papam Concilio, non Concilium Papæ subiici*, ut habetur in quamdam responsione Epistolę Synodalis in eodem Concilio insertę ità mirum esse non debet, si idem Concilium sibi usurpaverit hanc auctoritatem concedendi indulgentias plenarias independenter à Papa; omnia enim, quæ post Legatorum revocationem in hoc Concilio determinata fuerunt, nullius sunt roboris, & auctoritatis, ut Concilium Lateranense sub Leone X. celebratum testatur sess. 11. versus finem.

15 Quartò conveniunt Doctores, Episcopos quoque habere potestatem ordinariam conferendi aliquas indulgentias in sua Diœcesi, & Provincia, ut petet ex cap. *Nostro* de Pœnitent. & remiss. & ex ipsius Ecclesiæ praxi constat, ita tamen, ut indulgentiam unius anni conferre possint in die dedicationis Ecclesiæ tantùm, & quadraginta dierum in anniversario dedicationis, ac etiam aliis temporibus quandocunque ipsis libuerit, ut habetur ex cap. *Cum ex eo* & cap. *Nostro*, de pœnitent. & remissio. citato; talem autem potestatem non habent extrà suas Dicœceses, ut ex eodem capite colligitur, & ratio est, quia cùm nequeat Episcopus extrà suam Diœcesim actum jurisdictionis exercere, consequenter nec indulgentias poterit concedere, qui est actus jurisdictionis, ut probatum est; pote rit tamen suis subditis etiam extrà propriam Diœcesim existentibus indulgentiam concedere, ut Doctores communiter docent, nam etiam extrà illam retinet jurisdictionem in personas sibi subjectas, quas tantùm respicit indulgentiæ concessio. Hæc, inquam, est communis Doctorum sententia contrà Durandum 4. distinct. 20. quæst. 5. asserentem soli Papæ ex proprio munere, & ordinario jure competere potestatem indulgentias concedendi, Episcopi verò solùm ex commissione, seù delegatione Summi Pontificis. Itaque solùm est difficultas, an hæc Ordinaria potestas conferrendi indulgentias competat Episcopis jure divino, vel tantùm jure humano, seù ex concessione Summi Pontificis; in qua difficultate duæ sunt opiniones. Prima asserit non solùm Papæ, sed etiam Episcopis jure divino competere ex proprio officio, & ordinaria potestate indulgentias concedere, licet hanc potestatem quoad usum habeant dependentem à Summo Pontifice, qui eam ad libitum limitare potest, sicut de facto eam limitavit, ut constat ex cap. citat. *Cum ex eo*, de Pœnitent. & Remiss. Fundamentum est, quia Episcopi succedunt Apostolis jure divino, cùm sint, ut inquit Apostolus, *Dispensatores mysteriorum Dei*, & à Spiritu sancto regimini Ecclesiæ præpositi, ut habetur Actor. 20. *Spiritus sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei*, Apostolis autem jure divino concessa fuit potestas indulgentias dispensandi, ut suprà dictum est. Ità uterque Soto, Medina, Valentia, Ilambertus, Abellius, & alii.

16 Alia opinio affirmat hanc potestatem competere Episcopis solùm de jure Ecclesiastico, & ex Sedis Apostolicæ privilegio, cujus præcipuum fundamentum est, quia potestas concedendi indulgentias, ut suprà dictum est, fundatur præsertim in illo Matth. 16. *Tibi dabo claves regni Cœlorum*, ac hujusmodi claves datæ sunt Petro immediatè à Christo, & à Petro Ecclesiæ, & aliis Prælatis, & ideò licet non acceperint Apostoli claves à Petro, sed à Christo ipso immediatè, quia ab eo facti sunt Apostoli, tamen successores Apostolorum necessariò auctoritatem suam habuerunt à Petro, & à Pontificibus Petri successoribus, quoniam soli Petro dictum est, *Pasce oves meas*, & illi soli dictum est *Tibi dabo claves*, &c. Ideò ille solus constitutus fuit Pastor ordinarius totius Ecclesiæ, Apostoli verò reliqui habuerunt quidem potestatem suam immediatè à Christo, sed cùm ipsi quoque essent Petro subjecti morientes non potuerunt constituere successores independentes à Petro, qui fuerat constitutus Pastor universalis super omnes alios Pastores. Hinc deducunt falsum esse fundamentum prioris sententiæ, quod potestas jurisdictionis, immediatè in Episcopos fit à Deo, & præsertim potestas concedendi indulgentias; & cùm dicitur Episcopos succedere Apostolis, respondent hujus sententiæ sectatores falsum esse Episcopos, quoad omnia succedere Apostolis, multa enim Apostoli habuerunt ex peculiari concessione Christi, quæ Episcopis non communicantur. Episcopi itaque

itaque dicuntur Apostolis succedere solùm in munere pastorali, quia funguntur eodem officio, quo fungebantur Apostoli in Ecclesia; non succedunt verò quoad modum habendi hoc munus, quia Apostoli illud à Christo immediatè habuerunt, Episcopi verò illud habent à Papa immediatè, à Christo autem mediante Pontificis auctoritate. Ità Ricardus, Henriquez, Bellarminus, Suarez, Coninchius, Layman, Filliucius, Amicus, & ex nostris Faber disp. 38. cit. cap. 5. ubi hanc dicit esse probabiliorem priori opinione. Prima tamen quoque sua probabilitate non caret, licet enim asserat potestatem hanc concedendi indulgentias Episcopis quoque competere jure divino; quia *Spiritus Sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei*, Actorum 20. quia tamen hoc regimen, & illa dispensatio subordinatur regimini, & dispensationi generali, quam Summus Pontifex in universam Ecclesiam obtinet, adhuc salvatur, quod penes illum est, ejusmodi potestatem in Episcopis ob causas aliquas justas, & rationabiles extendere, vel restringere.

17 Quintò conveniunt Doctores, Abbates, Parochos, & alios Sacerdotes Episcopis inferiores jure communi non posse indulgentias concedere, sed solùm ex commissione Pontificis vel Episcoporum, ut habetur cap. *Accedentibus* de excessibus Prælatorum, immò Bellarminus lib. 1. de Indulgentiis cap. 11. observat ex Divo Thoma 4. dist. 20. quæst. 1. art. 4. nullos in Ecclesia, nisi Episcopos esse, aut dici debere Prælatos propriè loquendo, eo quia soli Episcopi sunt integri alicujus populi Rectores, & quasi in quodam Ecclesiastico Regno præsunt hominibus, cujuscunque ætatis, sexus, ordinis, & conditionis. Abbates verò, & Parochi sunt quasi unius familiæ Patres, undè cum Indulgentiarum concessio solis Ecclesiæ Prælatis competat, sequitur illam esse Episcoporum propriam, non verò aliorum, qui ipsis sunt in Ecclesia inferiores. Sed est specialis difficultas de Prælatis Regularium, quoniam specialem habent facultatem applicandi suffragia suarum Religionum fidelibus, aggregando eos speciali quadam unione cum suis Religionibus, ut patet ex usu Ecclesiæ; hujusmodi autem suffragiorum communicatio videtur esse quædam Indulgentiarum concessio, siquidem remissionem pœnarum concedere videntur per applicationem satisfactionum suarum Religionum, quod videtur quoddam Indulgentiarum genus.

Respondet ad hoc dubium communiter Doctores, ut refert Faber loc. cit. quod communicatio prædicta suffragiorum suarum Religionum à Prælatis Regularium fieri consueta non est alicujus indulgentiæ concessio, sed simplex suffragiorum applicatio, seù communicatio, & donatio. Hæc enim duo valdè inter se differunt, ut Faber ibidē observat, nam indulgentiarū concessio propriè loquendo est thesauri Ecclesiæ dispensatio, qui ex meritis Christi Domini præcipuè constat, ut suprà dictum est, quæ dispensatio concessa est Christi Vicario in collatione clavium Ecclesiæ; applicatio autem, seù communicatio suffragiorum à Prælatis Regularium facta non est meritorum Christi distributio, quia ipsi hanc facultatem non habent, neque per talem communicationem intendunt ipsi dispensare merita Christi, sed solùm utilitatem, & gratias communicare, quas sui subditi orationibus, & operibus bonis apud Deum merentur eo modo, quo aliæ privatæ personæ sua bona opera aliis fidelibus ex charitate applicare solent, & communicare; undè sicut illæ privatæ applicationes, & communicationes rationem non habent alicujus indulgentiæ concessæ, neque verè sunt indulgentiæ, ità neque communicationes orationum, & operum bonorum Religionis alicujus aliis fidelibus vim habent indulgentiæ; nam solùm illa suffragia communicant, quæ Religiosi communiter faciunt pro benefactoribus, & propinquis, & ejusdem Congregationis fidelibus, quia per aggregationem à Superioribus factam fiunt de numero illius Congregationis, & Religionis, ut optimè discurrit loco citato.

18 Postremò, his ità statutis de potestate ordinaria concedendi Indulgentias, remanet adhuc dubitatio de potestate delegata, an scilicet potestas concedendi indulgentias possit aliquibus delegari, & quibus, seù quis, & cui possit hæc potestas delegari, & quoad primum certum est eam posse ab omnibus delegari, qui illam ordinario jure possident, ut sunt Summus Pontifex, & Episcopi, & ratio est, quia omnis potestas jurisdictionis delegabilis est ab eo, qui illam ordinario jure possidet, ut patet inductione, siquidem tam potestas in foro interno, & Sacramentali, quàm in foro externo, & contentioso delegabilis est ab eo, qui illam ordinario jure possidet; at potestas concedendi indulgentias est jurisdictionis potestas, ut constat ex dictis ab initio articuli; ergo delegabilis est ab eis, qui illam ordinario jure possident; neq; de hoc est ulla controversia. Quod verò ad secundum, cui nimirum talis potestas delegari possit, est aliqua dubitatio, nam aliqui dixerunt solis Sacerdotibus delegari posse, quæ opinio communiter refellitur, quia ut constat ex dictis, ordo Sacerdotalis non est per se necessarius ad hunc effectum, cum hæc sit potestas jurisdictionis, & non ordinis, & videmus de facto hanc potestatem à Pontifice quandoque Cardinalibus delegari, qui nullum sacrum ordinem habent. An verò possit illam Summus Pontifex concedere Laico simplici, est quæstio generalis de Jurisdictione Ecclesiastica, & Doctores supracitati communiter respondent, quod si loquatur de potentia absoluta, illa delegabilis est cuicunque viro etiam Laico, non tamen fœminæ, aut non baptizato, quoniam hi spiritualis jurisdictionis non sunt capaces, de potentia verò ordinaria delegabilis est cuicunque Clerico, modò primam habeat Tonsuram; & ità etiam de hac potestate concedendi indulgentias discurrit D. Bonaventura 4. dist. 20. parte 2. artic. 1. quæst. 2. & Astesan. lib. 5. citat. tit. 40. art. 3. & alii antiquiores, quos posteà Recentiores communiter sunt secuti.

QUÆSTIO SECUNDA.

De essentia, Varietate, & effectu Indulgentiarum.

19 DEmonstrata Indulgentiarum existentia in spirituali Ecclesiæ thesauro, & potestate eas fidelibus concedendi, declarandum remanet, quid sit Indulgentia, & in quo ejus essentia consistat, qualis etiam, & quam varia sit, indulgentiæ enim variis modis concedi solent, & tandem quinam sit earum effectus, seù à quo vinculo indulgentiæ fideles absolvant, quod breviter sequentibus articulis explicabimus.

ARTICULUS PRIMUS.

Quid sit Indulgentia, & quotuplex.

PRimò quoad primam quæsiti partem, quid sit Indulgentia quoad quid rei Doctores non conveniunt, & ratio præcipua difficultatis est, quia ut suprà dictum est, concessio indulgentiarum est actus clavium, actus autem clavium est absolvere, & sententiare; ergò actus concedendi indulgentias videtur absolutio, undè aliqui asserunt indulgentiam esse sub genere absolutionis, vel remissionis pœnæ temporalis, & indulgentiam definiunt esse absolutionem, vel remissionem pœnæ temporalis, &c. ità Summa Angelica, Rosella, Armilla, Cajetanus, Soto, & plures alii. Ex altera parte concessio indulgentiarum est dispensatio thesauri Ecclesiæ, & solutio pœnæ temporalis pro aliis; ergò videtur, quod indulgentiæ actus sit solutio, undè alii asserunt genus, sub quo reponitur indulgentia, non esse absolutionem, sed solutionem, quia existimant indulgentiam esse solutionem quandam debitæ pœnæ, quæ per se jurisdictionem non requirit, sed æqualem debiti solutionem, ità Durandus, & Paludanus, Sylvester, & quidam alii. Verùm communior, & probabilior dicendi modus, quem etiam sequitur Faber disp. 38. cit. cap. 4. genus proximum, sub quo Indulgentia continetur, assignat relaxationem pœnæ temporalis, quæ restat ex delictis quoad culpam per Sacramentum pœnitentiæ remissis, atque ità dicit pœnitentiam esse relaxationem talis pœnæ temporalis, ut sic sub tali definitione comprehendat indulgentiam, tam pro vivis, quàm pro defunctis, utraque enim indulgentia est pœnę temporali reali relaxatio, licet diverso modo, quia indulgentia pro vivis est relaxatio pœnæ temporalis per modum absolutionis, indulgentia verò pro mortuis est relaxatio pœnæ temporalis per modum suffragii, ut magis declarabitur infrà, undè indulgentiam sic definit loc. cit.

20 Indulgentia est *relaxatio, seù dimissio pœnę temporalis debitæ peccato actuali jam dimisso quoad culpam coram Deo virtute clavium extrà Sacramentum ex satisfactionibus thesauri Ecclesiæ recompensata*, quæ quidem definitio coincidit cum ea quam affert Bonac. disp. 6. cit. quæst. 1. punc. 1. & colligitur ex Corduba, Valentia, Nugno, Coninch. Reginaldo, & pluribus aliis, quod Indulgentia est *relaxatio pœnæ temporalis debitæ pro peccatis actualibus jam dimissis concessa homini existenti in gratia à Prælato per applicationem thesauri Ecclesiastici*. Dicitur *relaxatio pœnæ*, quia cum remissa culpa non remittatur tota pœna, ut patet ex dictis de Pœnitentia, per Indulgentias absolvitur homo à pœna, quam pro peccatis, vel in hac vita, vel in Purgatorio luere deberet, & notanter dicitur relaxatio

pœnæ, quia per indulgentias non remittitur culpa, sed sola pœna, ut constabit ex dicendis art. seq. Dicitur *pœnæ temporalis*, quia per indulgentias non remittitur pœna æterna, nam ejus reatus, & obligatio tandiù manet, quandiù peccatum non deletur quoad culpam. Dicitur *debitæ pro peccato actuali jam dimisso*, quia Indulgentia sumitur pro remissione pœnæ debitæ peccato actuali, non autem originali, quod remittitur per Baptismum. Dicitur *coram Deo* ad evitandum errorem quorundam dicentium Indulgentiam Ecclesiasticam esse remissionem pœnæ temporalis coram Ecclesia tantùm. Dicitur *virtute clavium*, quia actus concedendi Indulgentias est actus clavium, ut suprà dictum est, ac etiam ad differentiam illius pœnæ, quam Deus in dimissione culpæ, & commutatione pœnæ æternæ in temporalem per seipsum facit. Dicitur *extrà Sacramentum* quia Indulgentia non remittit pœnas peccatis debitas in foro Sacramentali, sed extrà illud per modum cujusdam Juridicæ absolutionis, ut suprà dictum est. Dicitur tandem *ex satisfactionibus thesauri Ecclesiæ recompensata* ad ostendendum istam relaxationem non esse gratis omninò factam, sed per solutionem compensantem debitum. Quò fit, ut Indulgentia habeat utique rationem puræ misericordiæ respectu hominis, cui applicatur, quia fit illi misericordia, quod ex thesauro Ecclesiæ applicetur satisfactio, at secundum se, & respectu Dei actum justitiæ quoque importet, quia secundùm se, & respectu Dei non est pura pœnæ remissio, sed cum solutione æquivalente.

21 Secundò quoad aliam quæsiti partem, variæ sunt, & multiplices Indulgentiæ pro varia, & multiplici concessionum forma, & concedentium voluntatem, undè trifarian Indulgentia dividi potest, ut passim Doctores advertunt de multiplicitate Indulgentiarum agentes; primò quoad quantitatem pœnæ, pro cujus remissione indulgentia conceditur; secundò quoad durationem pro quo durat; tertiò quoad subjectum, in quo, vel cui conceditur. Quoad primum dividitur in plenariam, seù totalem, & non plenariam, seù partialem, illa est remissiva totius pœnæ, hæc verò partis tantùm juxtà voluntatem concedentis in forma concessionis expressam, de qua divisione fit mentio in Extravagante *Unigenitus* de pœnit. & remiss. in qua omnis Indulgentia dividitur in totalem, & partialem, nam ibi Papa dicit: *Thesauri Ecclesiastici dispensationem Petro esse commissam, nunc pro tali, nunc pro partiali remissione pœnæ temporalis pro peccatis debitæ applicanda*. Totalis alio nomine in Concilio Lateranensi, sub Innocentio Tertio vocatur *Plena*, in Extravagante *Antiquiorum* de Pœnit. & remiss. *Plena*, *Plenior*, & *plenissima*, demum in Concilio Constantiensi sess. ult. *Plenaria* appellatur, quo nomine nunc vocatur omnis Indulgentia totalis, & hæc plenaria Indulgentia totam pœnam temporalem tollit peccatis quoad culpam remissis debitam, quod similiter facit illa, quę dicitur plenissima, & in forma Jubilei, quæ à Jubilæo non differt, nisi quoad singularia privilegia, & favores, qui in eo conceduntur indulgentiam lucrantibus, inquantùm simul cum indulgentia facultates aliquæ conceduntur ad eligendum Confessarium, qui à casibus, quibuslibet, & censuris absolvat, & in votis aut irregularitatibus dispenset, ut in Jubilæis fieri solet, ità communiter Doctores advertunt in proposito distinguendi Indulgentiam plenariam à Jubilæo D. Antonius, Sylvester, Corduba, Bellarminus, Suarez, Amicus, & Faber noster disp. 38. cit. cap. 6. Ex quo patet, quomodo indulgentia partialis, vel non plenaria differat à plenaria, & totali, quando enim ponitur aliqua conditio restrictiva, est partialis, & non plenaria, ut quando conceduntur indulgentiæ aliquot dierum, vel annorum, vel quadragenarum. Similiter quando indulgentia condonat aliquam partem, v. g. tertiam, aut quartam peccatorum, nihil aliud significatur, nisi remitti pœnitentiam quæ pro tanta parte pœnæ peccatis debitæ expianda fuisset; Indulgentia verò plenaria totum pœnæ reatum tollit, qui post culpam remissam remansit, undè quando Pontifex in forma concessionis indulgentiam plenariam exprimit, vel indulgentiam omnium peccatorum, eo ipso plenaria inteligitur, quia cadere censetur suprà pœnas omnes ex condonatis peccatis relictas.

22 Tertiò quoad secundam divisionem Indulgentia distinguitur in perpetuam, & in temporalem, ac indefinitam siquidem Indulgentia tribus modis concedi solet, aliquandò expressè in perpetuum, aliquandò ad certum tempus, & aliquandò indefinitè nulla temporis, vel durationis mentione facta, quando indulgentia conceditur duobus prioribus modis, conveniunt D. durare tantùm pro tempore assignato expressè in forma Indulgentię, quia ut omnes pariter docent Iddulgentia tantùm valet quantùm forma concessionis, & Bullę sonat; undè perpetua est, quę semper durat, nec spirat expirante concedente, quia cum sit privilegium, cum morte concedentis non expirat; temporalis verò ad certum tempus limitata est, quo elapso cessat. Circà has autem indulgentias limitatas ad tempus advertit Faber noster disputatione 38. citatione capit. 11. limitationem duobus modis fieri posse, scilicet, formaliter, vel virtualiter; fit formaliter, quando expressè apponitur temporis limitatio, ut ad annum, vel septennium, aut decennium, hujusmodi; fit verò limitatio virtualis, quando indulgentia ad certos actus limitatur, vel ad tales actus certo tempore perficiendos, tunc enim indulgentia quoque ad illud tempus limitatur, ut verbi gratia quando datur indulgentia recitanti rosarium tot dierum, tunc enim indulgentia virtualiter limitatur ad illud tempus, quo Rosarium recitatur, & idem censendum est de indulgentiis, quæ conceduntur visitantibus certa loca, & Ecclesias, quod nempè intelligi debeant, quousque illæ Ecclesiæ durent, cum enim corruptibiles sint, indulgentiæ illis concessæ ad durationem illarum limitatæ censeri debent. Tandem circà indulgentias indefinitè concessas, seù sine limitatione formali temporis, vel virtuali Scholastici 4. distinct. 20. & Summistæ verbo Indulgentia, ut Sylvester, Angelus, & alii docent intelligendas esse perpetuas, ut indulgentiæ Religionibus Regularium concessæ, vel familiis, quæ successione continua permanent, & ratio est, quia cum sit beneficium est amplè interpretandum; tum quia non est major ratio cur indulgentia indefinitè concessa pro tanto tempore intelligenda sit, & non pro majori. Hanc tamen addunt limitationem, nisi adsit aliqua lex, & Regula Apostolica limitans, vel declarans, & terminans indulgentias hujusmodi indefinitè concessas, quia tunc præsumitur Pontifex indulgentiam concedere juxtà consuetum Curiæ stylum, ut advertunt Navarrus, Henriquez, & Faber cit.

23 Quartò quoad aliam Indulgentiæ divisionem quoad subjectum in quo, vel cui conceditur, dividitur Indulgentia in personalem, localem, & realem, pro cujus divisionis intelligentia advertendum est solùm homines viatores, & Baptizatos esse indulgentiæ capaces, & illos solùm qui post baptismum aliquod peccatum mortale commiserunt, nec pœnitentiam de eo condignam fecerunt, ut magis ex dicendis constabit quęstione seq. & ideò quando indulgentiæ conceduntur locis, & aliis rebus ab hominibus, revera tamen rebus illis non conceduntur, sed hominibus mediantibus illis locis, & rebus, quatenus, scilicet, conceduntur fidelibus in illis locis orantibus, vel aliquod pium opus ibi exercentibus. Indulgentia itaque personalis dicitur illa, quæ directè conceditur personæ aut individuæ, & particulari, aut communi, & generali, ut toti Religioni, vel Communi, & generali, ut toti Religioni, vel Communitati, idque vel in perpetuum, vel ad tempus, & quando indulgentia indefinitè conceditur personis, non exprimendo certum genus personarum, ad omnes, & singulos extendi censeri debet tam sæculares, quàm regulares, localis autem indulgentia est quæ alicui pio loco conceditur ad ejus devotionem augendam in ordine ad personas in tali loco orantes, vel aliquod pium opus exercentes, ut patet de indulgentiis Romæ Ecclesiis principalibus concessis. Et quando indulgentia conceditur templo, etiam ad ejus Cęmeterium extenditur, nam in favorabilibus sub nomine Templi, & Ecclesiæ comprehenditur, undè quando Indulgentia conceditur visitanti, & oranti in Ecclesia, opus non est ad eam lucrandam Ecclesiam ingredi, sed sufficit si antè, vel propè eam oretur in Cęmeterio, ut docent Suarez disp. 52. sect. 1. Diana tract. 11. de Bulla Cruciatæ resol. 103. Amicus disp. 20. sec. 5. Faber loc. cit. & alii plures, licet id Glossa neget in Clementina un. de Reliquiis, & veneratione Sanctorum in explicatione vocabuli in Ecclesia. Quando autem indulgentia, conceditur visitantibus quinque altaria, talis visitatio non sufficit in Cęmeterio, & extrà Ecclesiam ad eam lucrandam, quia moraliter dici non potest, quod hujusmodi extrà Ecclesiam existens visitet quinque altaria intrà Ecclesiam existentia, sed Ecclesiam ingredi debet, ut in ea quinque altaria visitet, nec ad illa visitanda opus est locali motu singula altaria lustrare, sed sufficit ex uno vertere se ad reliqua, quibus moraliter fiat præsens, ut docent Nugnus, Emanuel Sà, & Amicus loco cit. Indulgentia tandem realis est ea, quæ conceditur granis, numismatis, imaginibus, Agnis Dei, Rosariis, &c. undè hæc indulgentia ferè coincidit cum locali, & solùm differt ab ea, quod hæc conceditur alicui mobili rei in ordine ad homines, ut sunt imagines, Agnus Dei, numismata, & similia, & quando Pontifex his rebus immediatè indulgentiam applicat, tunc illę solum, & non aliæ indulgentiam continebunt, undè non licet privata auctoritate illius, cui indulgentia conceditur, illam ad alias imagines, vel numismata transferre, sicut privata auctoritate non licet indulgentiam uni Templo concessam in aliud etiam eidem Sancto dicatum transferre.

24 Quintò circà prædictas indulgentias occurrunt quędam du-

dubia, & quidem in primis de Indulgentia locali. An diruto Templo ceſſet Indulgentia illi conceſſa, in quo conveniunt omnes, quod ſi Eccleſia non totaliter deſtruatur, ſed tantùm per partes, & reædificetur, indulgentias illi conceſſas remanere quia cenſetur eadem Eccleſia manere. Difficultas ergo eſt, ſi Eccleſia totaliter deſtruatur, & alia de novo ædificetur. Affirmat Suarez loc. cit. indulgentiam perſeverare quando templum dirutum in eodem loco ædificatur, non autem quando aliò transfertur etiam cum conſenſu, & Auctoritate Superioris, & ratio eſt, quia indulgentia huic numero Eccleſiæ conceſſa videtur, quæ ex hoc numero ſolò individuatur, quo mutato cenſetur etiam hæc numero Eccleſia mutari. Oppoſita tamen ſententia communior eſt, & probabilior, quod ſcilicet, ſi Eccleſia de novo reædificetur, ac etiam aliò transferatur de conſenſu, & auctoritate Superioris, eadem Indulgentia perſeveret, & ratio eſt, quia præcipua, & principalis cauſa concedendi Eccleſiæ Indulgentiam eſt ad colendum, & honorandum Sanctum, cui eſt dicata, cum igitur translata Eccleſia præſertim de conſenſu ſuperioris, maneat adhuc eadem cauſa, etiam eadem Indulgentia manebit, & eadem Eccleſia moraliter cenſetur, neque enim unitas materialis facit unitatem Eccleſiæ, ſed unitas formalis, quæ in diverſa materia; & etiam in diverſo ſolo manere videtur, præſertim cum ex conſenſu Superioris illa nova Eccleſia ædificatur, ſivè in eodem, ſivè in diverſo loco, & ſub eadem dedicatione, quia cum hæc Indulgentia ſit favor, & gratia populo conceſſa in honorem Sancti, eſt amplè interpretanda, ità Amicus, & Faber loco cit. Eadem difficultas eſſe poteſt de Indulgentia reali, an ſcilicet, deſtructa, vel perdita imagine, Roſario, vel numiſmate, cui à Pontifice indulgentia fuit applicata, poſſet in aliam imaginem, Roſarium, vel numiſma indulgentia transferri, ut dictum eſt de Templo diruto. Affirmant aliqui, quia videtur eſſe eadem ratio, cauſa enim ob quam indulgentia hujuſmodi rebus conceditur eſt ad excitandam devotionem erga Sanctos, qui in hujuſmodi imaginibus, & numiſmatis coluntur. Negat tamen communis opinio, ut ait Amicus loc. c. id fieri poſſe ſola auctoritate ejus, cui in talibus rebus indulgentia conceſſa fuit, niſi in ipſa conceſſione id exprimatur, alioquin non foret major ratio de una imagine, vel numiſmate, ac de pluribus, atque adeò ſemel in una imagine, vel numiſmate indulgentia conceſſa, poſſet illa deſtructa, vel perdita in aliam, & aliam eadem Indulgentia transferri, quod non videtur juxtà mentem concedentis. Nec eadem eſt ratio de Templo diruto, tùm quia illud ſupponitur aliò transferri cum auctoritate Superioris, tum quia Templum natura ſua perpetuum eſt, & maximæ durationis, nec facilè deſtrui, vel amitti poteſt, ſicut grana, imagines, & numiſmata.

25 Poſtremo difficultas eſt, an Indulgentia perſonalis generalis ſe extendat ad ipſum concedentem, & ratio dubitandi eſt, quia nemo poteſt in ſe ipſum actum juriſdictionis exercere, conceſſio autem indulgentiæ eſt actus juriſdictionis, ut ſuprà dictum eſt; tum quia indulgentia eſt abſolutio quædam, nemo autem poteſt ſeipſum abſolvere. Quamvis ob hanc rationem negaverint aliqui Summum Pontificem eſſe indulgentiarum participem, ut refert Bellarminus lib. 1. *de indulgentiis* cap. 6. vera tamen, & communis Theologorum, & Summiſtarum ſententia ut refert Faber cap. 6. cit. in fine, eſt affirmativa, & uſu, ac experientia comprobata, quia videmus paſſim Summos Pontifices indulgentias lucrari; quas aliis concedunt in jubilæis; & ratio ipſa urgenter id ſuadet, quia Prælati non ſunt deterioris conditionis, quàm inferiores; ergo ſicut iſti poſſunt indulgentias lucrari, & de theſauro Eccleſiæ participare, ità etiam Prælati. Quo autem modo poſſit Pontifex indulgentias rpaticipare, & ſibi concedere variis modis à Doctoribus explicari ſolet, facilior tamen, & communior, ut ait Faber loc. cit. eſt quod Prelatus duobus modis conſiderari poteſt, vel ut Prælatus, vel ut unus de Communitate; primo modo non poteſt actum juriſdictionis in ſeipſum exercere, nec ſe abſolvere, ſed ſecundo modo; in hac enim abſolutione, & conceſſione indulgentiæ non requiritur, ut concedens, & ille, cui conceditur ſint diſtinctæ perſonæ, ſicut in abſolutione Sacramentali. Ex qua doctrina facilè occurritur rationi dubitandi adductæ, neminem poſſe in ſeipſum ſecundùm eandem rationem conſideratum juriſdictionem exercere, benè tamen ſecundùm diverſam rationem, & ſic in propoſito Pontifex qui indulgētias concedit, dupliciter conſiderari poteſt, & quatenus caput Eccleſiæ, cui à Chriſto hęc indulgentiarum poteſtas commiſſa eſt, ſeù ut perſona publica, & Superior; & quatenus membrum eſt in eadem Eccleſia contentum, ſeù ut eſt perſona privata; poteſt igitur Pontifex, ut caput Eccleſiæ, & perſona publica à Chriſto conſtituta non ſolum aliis, ſed etiam ſibi indulgentias concedere, ut perſonæ privatæ ſub eodem corpore Eccleſiæ contentæ, idque non directè, & immediatè exercendo actum juriſdictionis in ſeipſum, ſed indirectè tantùm, & mediatè, quatenus ſervando conditiones ad lucrandas indulgentias à ſe definitas, ipſe etiam tanquam perſona privata, & ejuſdem communitatis membrum illa participat.

ARTICULUS SECUNDUS.

De effectu indulgentiarum, & à quo vinculo fideles abſolvant.

26 PRimò, cum duplex ſit vinculum, quo ligatur homo, unum culpæ, alterum pœnæ, omnes conveniunt, & ſequitur ex dictis indulgentias non abſolvere fideles à vinculo mortalis culpæ, ſeu non ſe extendere ad culpam mortalem dimittendam; & ratio eſt, quia eſt duplex, originalis, ſcilicet; & actualis, illa remittitur per Baptiſmum, hæc verò per Sacramentum Pœnitentiæ, vel per contritionem includentem in voto confeſſionem, & Pœnitentiæ Sacramentum, ut conſtat ex Tridentino de Sacramentis in genere ſeſſ. 7. canon. 4. tum quia de facto nulla culpa mortalis remittitur abſque infuſione gratiæ, ut conſtat ex eodem Tridentino ſeſſ. 6. *de Juſtificatione* capit. 7. per indulgentias autem gratia ſanctificans non infunditur; ergo &c. tùm tandem quia id etiam conſtat ex formulis, quibus utitur Eccleſia in conceſſione Indulgentiarum, nam ſemper explicant concedi fidelibus contritis, vel confeſſis, per quod ſignificatur delectionem peccati mortalis præire debere, atque ſupponi, ut quis indulgentiam conſequatur; non autem per indulgentiam ipſam obtineri. Imò conveniunt Doctores etiam, paucis quibuſdam exceptis, Indulgentias neque abſolvere à vinculo peccati venialis, nam etiam hujus peccati remiſſio de lege ordinaria fit per infuſionem alicujus gratiæ, ſuppoſita aliqua diſpoſitione ex parte ſubjecti, undè jam dictum eſt in definitione Indulgentiæ art. præcedenti quod eſt relaxatio pœnæ dubiæ &c. quæ ex ſua natura non extenditur ad dimiſſionem culpæ, ſivè mortalis, ſivè venialis per ſe loquendo, ſed requiritur bonus motus, vel Sacramentum. Atque ideò reſtat, ut Indulgentia à ſolo vinculo pœnæ fideles abſolvat, non quidem æternæ mortali debitæ, nam hæc cum ipſo peccato mortali remittitur virtute Sacramenti, aut contritionis cùm voto Sacramenti, ſed temporalis ex condonatis peccatis relictæ, ut ſupra dictum eſt. Nec obſtat, quod interdum in bullis Jubilæorum, vel aliorum privilegiorum, quibus indulgentiæ conceduntur, Pontifices dicant ſe fideles à culpa & pœna abſolvere; nam ut communiter Doctores advertunt, *ly à culpa* idem ſignificat, quod ab effectu, & reatu culpæ nam etiam in divinis literis nomine peccati intelligitur interdum pœna temporalis debita pro culpis, ut conſtat ex 2. Machab. 12. *Sanctum, & ſalubre eſt pro defunctis orare, ut à peccatis ſolvantur*, & eſt praxis Eccleſiæ ſic vocare pœnarum reatus, ut patet ex pluribus collectis, quibus utitur in officio, & miſſis defunctorum. Vel, ut alii explicant, dum ſic Bullæ loquuntur, non conſideratur ſola indulgentia, ſed ſimul cum Sacramento pœnitentiæ, quod ſæpè, & ordinariè in eis, tanquam prævia diſpoſitio, præmittendum à Pontificibus præſcribitur ad fructum Indulgentiarum percipiendum. Vel tandem modus ille loquendi ità intelligendus eſt, quod ex vi illorum verborum concedatur, nedùm indulgentia pœnarum peccatorum, ſed etiam facultas, ut quis abſolvi poſſit Sacramentaliter ab omnibus peccatis etiam reſervatis, qui modus concedendi Jubilæum, & Indulgentias plenarias in forma Jubilæi nunc eſt in uſu. Ità Suarez, Amicus, Emanuel Sà, Fernandez, Faber, & Brancatus ex noſtris loco citato, & alii paſſim.

27 Secundò, quia duplex pœna temporalis in homine ex condonatis peccatis relictæ conſiderari poteſt; una, ad quam perſolvendam homo obligatur ex Sacramentali pœnitentia à Sacerdote injuncta; altera, ad quam vel nondum obligatus eſt per pœnitentiam Sacramentalem injunctam, ut eſt pœna eorum peccatorum, quę per ſolam contritionem extra Sacramentum ſunt remiſſa, & nondum confeſsa; vel ad quam per Sacramentalem pœnitentiam eſt obligatus, ea tamen ſufficiens non fuit pro tota pœna ſolvenda. Modò inſurgit difficultas, An qui lucratur indulgentiam maneat in conſcientia liber ab implenda pœnitentia ſibi impoſita, ſeù an poſſit Pontifex remittere pœnitentias, quam pœnitens virtute clavium in ipſo foro Sacramentali à Sacerdote accepit ad perſolvendas pœnas ex peccatis confeſſis relictis. Prima ſententia cum diſtinctione procedit dicens in pœnitentia injuncta duplicem rationem conſiderari poſſe ſatisfactionis, ſcilicet, & medicinæ, & inquit, per indul-

gentiam auferri primam rationem, non secundam, & ideò licet lucrans indulgentiam maneat solutus ab obligatione adimplendi eam, quatenus est satisfactoria, non tamen manet solutus ab obligatione adimplendi eam, quatenus est medicina; & ratio est, quia indulgentia aufert obligationem satisfaciendi, non per modum dispensationis pœnitentiæ injunctæ, sed per modum satisfactionis, & solutionis; ideò etsi prima obligatio tollatur, non tamen tollitur secunda, sed manet in suo vigore obligatio faciendi pœnitentiam injunctam; & hac ratione satisfactiones Sacramentales non enervantur per Indulgentias, quia etsi homo per eas liberetur à quacunq; obligatione solvendi pœnam illam injunctam per Sacramentum, vel aliquo alio modo debitam, tamen remanet semper obligatio faciendi illam propter rationem medicinæ; ità rem hanc declarat Faber noster disp. 38. cit. c. 6. num. 165. quem dicendi modum plures quoque sequuntur Recentiores dicentes posse Pontificem per Indulgentias remittere pœnitentias Sacramentales à Confessario pro peccatis injunctas, non qua medicinales, & præservativæ, sed qua meræ peccatorum vindicativæ sunt, quia pœnitentia non solùm imponitur ad satisfaciendum, sed etiam in medicinam, & remedium ad præcavendum in futurum, ut colligitur ex Trident. sess. 14. cap. 3. ergo etiamsi cesset per Indulgentiam obligatio satisfaciendi pro pœna, potest adhuc obligare pœnitentia, quatenus imposita fuit ut medicina.

28 Oppósita sententia simpliciter, & absolutè affirmat per indulgentias liberari pœnitentem ab obligatione implendi pœnitentiam injunctam, quod probat in primis ex cap. *Cum ex eo* in fine de pœnit. & remiss. ubi Innocentius Tertius dicit. *Per indiscretas, & superfluas indulgentias satisfactiones Sacramentales enervari*; ergo quia aufertur obligatio implendi pœnitentias injunctas, alioquin si manet obligatio implendi illas ratione medicinæ, nihil prorsus enervabitur satisfactio. Deinde hoc idem probat ex Bonifacio VIII. qui refert Glossa in Extravaganti *Antiquorum* de pœnit. & remiss. volebat Confessarios imponere aliquam pœnitentiam iis, qui Jubilæum anni sancti lucrabantur, quia nimirum satisfactione alia non indigebant. Tandem probat ratione a priori, quia Confessarius imponit pœnitentiam ut pœnam ad satisfaciendum pro peccato, ergo sublato debito totius pœnæ, prout fit per indulgentiam, cessat omninò fundamentum illius obligationis, sicut si condonaretur à Principe pœna debita pro aliquo crimine, de ipso cessaret obligatio imposita per sententiam Judicis ad pœnam aliquam pro illo delicto subeundam. Nec obstat, inquit, fundamentum primæ opinionis, pœnitentiam non solùm imponi ad satisfaciendum, sed etiam ad medicinam, & remedium ad præcavendum in futurum. Quamvis enim frequenter imponatur etiam, ut medicina. Confessarius tamen obligare non potest, nisi quatenus illam imponit in pœnam peccati; sicut licet Judex procurare debeat, quod pœna delinquentis sit talis, ut simul sit medicina in futurum, non tamen posset illam pœnam imponere, nec reum verberare, si pœna fuisset à Principe condonata. Ita Cardin. de Lugo disp. 27. citata sec. 2. num. 22. & seq. quam ait esse communem sententiam, tam antiquorum, quàm Recentiorum, quia generaliter, & absque ulla distinctione dicunt per Indulgentias tolli obligationem adimplendi pœnitentias, undè pro ea citat Alensem, D. Thomam, D. Bonaventuram, Ricardum, Durandum, Paludanum, Adrianum, Valentiam, Vasquez, Coninchium, & alios.

29 Quamvis autem utraque harum opinionum sit satis probabilis, hac tamen ætate prima videtur magis amplectenda, quia, ut Suarez advertit loc. cit. disp. 38. sec. 10. hodie rarò, vel nunquam pœnitentiam injunctam omittere licet, quia cum adeò exiguæ pœnitentiæ injungantur, vix sufficiunt per modum medicinæ, quare licet cesset necessitas satisfactionis, non cessat necessitas medicinæ, sub qua etiam ratione impositæ sunt; & Coninchius disp. 12. *de Indulgentiis* dub. 3. quamvis secundæ sententiæ sectator, subdit tamen in fine, consultissimum semper esse totam pœnitentiam injunctam implere. Primò, quia sæpè injuncta est per modum medicinæ maximè iis, qui sæpè in eadem peccata labuntur, tunc enim indulgentiæ, ab ea non liberant. Secundò quia sæpè incertum est, an Indulgentias lucrati simus, vel saltem an eas ità lucrati simus, ut ab omnibus pœnis liberemur. Tertiò, quia tantùm Dei beneficium exigit, ut etiam ostendamus nos liberales erga eum aliquam satisfactionem exhibendo. Hinc usus obtinuit, ut etiam in Indulgentiis plenariis, ac Jubilæis aliquæ pœnitentiæ, licet minores injungantur, idque quandoque in Bullis requiritur; quando tamen pœnitentiæ essent validè graves, & difficiles, necessetur periculum morale recidendi in peccata, subdit posse aliquem rationabiliter uti indulgentiis, ut ab illis liberetur. Et hoc idem antea docuit ex nostris Astesanus lib. 5. tit. 40. art. 2. ubi quærens, an ille, cui injuncta est pœnitentia septem annorum, & posteà consecutus est indulgentiam septem annorum, teneatur posteà agere pœnitentiam illam. Respondet, quod aliqui dicunt quod si pœnitentia sit sibi tota per indulgentiam remissa, non, erit trangressor si nihil faciat de ea, similiter si non faciat pro parte illa, quæ sibi per indulgentiam est remissa; consultius tamen inquit, ageret, si eam faceret, licet enim de necessitate non teneatur talis pœnitentiam sibi injunctam facere, quia tamen nescit, an præsbyter debitam, & idoneam pœnitentiam sibi injunxerit, factus est qui non reservat indulgentiam ad aliam vitam, ut ait Hostiens. & ità etiam de hac difficultate discurrit Nicol. de Orbel. 4. d. 19. quæst. 3. in fine. Tandem dixerunt alii, etiam indulgentia consecuta manere adhuc obligationem implendi pœnitentiam injunctam saltem propter reverentiam Sacramenti, & ejus integritatem, ne maneat Sacramentum imperfectum sine una parte integranti; licet ratio ista non satis urgeat, quia ut notat Suarez cit. disp. 50. sec. 3. hoc Sacramentum non postulat hanc integritatem satisfactionis, nisi propter hunc effectum satisfaciendi pro pœna, & ideò illo per indulgentiam consecuto, non est contra reverentiam Sacramenti, quod illi integritas omittatur; & illud dictum, quod nunquam licet Sacramentum pœnitentiæ mutilare, intelligitur de mutilatione quoad partem essentialem, non autem quoad partem integralem, cujusmodi est satisfactio, quæ in aliquibus casibus licitè potest omitti, & præsertim quando constat pœnitentiam adequatè pro tota pœna peccatis debita satisfeciisse.

30 Tertiò est difficultas, an Indulgentiæ, quæ sub hac formula conceduntur, *De injunctis pœnitentiis indulgemus*, extendantur solùm ad remittendas eas pœnas, ad quas injunctæ sunt Sacramentales pœnitentiæ, vel ad alias etiam pœnas. Prima, & valdè communis sententia negat hujusmodi indulgentias extendi ultrà pœnas, pro quibus Sacramentalis pœnitentia est injuncta; cujus præcipuum fundamentum est, quia ut est commune Theologorum, & Canonistarum adagium, Indulgentiæ tantum valent, quantùm sonant, quia totus earum effectus, & valor ex sola concedentis voluntate dependet; voluntas autem concedentis ultra verba in concessione posita non se extendit; quando igitur in ea ponitur verbum *de injunctis pœnitentiis*, Indulgentiæ non se extendunt ultra pœnam pro qua injuncta est pœnitentia, quia apponendo illam particulam *de injunctis* non ampliat, sed restringit indulgentiam, quia specificat de quibus pœnis intelligat, particula autem specificativa non est ampliativa sed restrictiva, ut de se patet, ità Durandus, Cajetanus uterque Soto, Navarrus, Angelus, Bellarm. Henriq. Valentia, Nugnez, & Faber ex nostris loc. cit. Secunda sententia affirmat, cum conceditur indulgentia *de injunctis pœnitentiis* eam non solùm extendi ad pœnam, pro qua injuncta est pœnitentia Sacramentalis sed etiam ad alias, pro quibus nulla est pœnitentia injuncta, quod probat ex oppósito fundamento, quoniam hæc verba *de injunctis pœnitentiis* non sunt restrictiva, sed ampliativa, habentienim hunc sensum, ut non solùm indulgentia ad pœnas extendatur, quibus nulla injuncta est pœnitentia, sed etiam ad eas, quibus pœnitentia injuncta est, quia majus quid videtur remittere pœnas, pro quibus Sacramentalis pœnitentia jam injuncta est, quàm reliquas pœnas; ergo cui conceditur indulgentia de pœnitentiis injunctis, à fortiori conceditur etiam de pœnis, quibus nulla est pœnitentia injuncta sicut si quis facultatem concederet absolvendi à reservatis à fortiori censeretur facultatem concedere absolvendi etiam à non reservatis. Ita Suarez, Coninchius, Filliucius & alii.

31 Alii tandem cum distinctione procedunt dicentes, nunc de facto omnes indulgentias extendi ad quascunque pœnas etiam pro quibus nulla est imposita pœnitentia, & ratio est, quia nunc pœnitentiæ à Confessariis, & pro peccatis imposité sunt adeò tenues, & exiles, ut parùm utilitatis afferrent pœnitentibus Indulgentiæ, si tantùm eas pœnas remitterent, pro quibus illæ sunt injunctæ; quarè etiam quando Pontifices addunt prædictam adjectionem *de injunctis pœnitentiis*, intelliguntur ex benigna interpretatione, Indulgentias etiam extendere ad pœnas pro quibus nulla injuncta est pœnitentia, cum non præsumantur velle tàm exiguum fructum per indulgentias fidelibus concedere. Antiquitùs verò illæ indulgentiæ, in quarum concessione sola remissio *de injunctis pœnitentiis* exprimebatur, non nisi ad eas pœnas extendebatur, pro quibus injuncta erat pœnitentia, & ratio est, quoniam antiquitùs pro quovis peccato mortali gravi pœnitentia septem annorum imponebatur, & pro gravissimo adhuc plurium, Ecclesiastica enim consuetudine usurpatum erat, ut habetur 33. quæstio. 3 cano. *hoc ipsum*, ut majorum criminum pœnitentia septem annorum spatio concluderetur nisi criminum magnitudo vulgarem consuetudinem excedens præmissum spatium transcendere cogeret. Quo fit, ut etiamsi indulgentia ad solas pœnas

pro

pro quibus injuncta erat pœnitentia extenderetur, magnum aſſert lucrantibus fructum; ita Layman. tr. 7. *de Indulgentiis* c. 3 Amicus diſp. 20. *de Indulgentiis* ſec. 3. & quidam alii, quod eſt ſatis probabiliter dictum. Verùm ut notat Faber diſp. 38. cit. n. 167. de hac re modò non eſt opus litigare, quoniam Pontifices his temporibus ſatis expreſsè mentem ſuam indicant, cum in conceſſione Indulgentiarum, & jubileorum abſolutè dicunt, ſe concedere indulgentiam omnium peccatorum quando plenarias Indulgentias concedunt, vel tot annorum, cum illas concedũt limitatas abſq; illa particula *de injunctis*, vel *de injũgẽdis*.

32 Quartò eſt difficultas, an ſaltem quando indulgentię ſine ulla reſtrictione conceduntur, extendantur ad omnes pœnas, quas homo ex peccatis contraxit. Prima ſententia negat Indulgentiam etiam ſine ulla reſtrictione, imò etiam plenariè conceſſam, extendi ad non injunctas, ſed ſolum ad injunctas pœnitentias, fundamentum eſt, quia verba judicis intelligenda ſunt ſecundùm formam juris, in jure autẽ de ſolis injunctis pœnitẽtiis fit mentio; igitur de ſolis injunctis omnis indulgentia eſt intelligenda, etiam ſimpliciter, & abſolutè conceſſa, cum enim Pontifices Indulgentias concedunt, concedere non præſumuntur, niſi juxtà Canones, in quibus Indulgentiæ ſemper pro injunctis pœnitentiis intelliguntur. Ità Cajetanus, Petrus Soto, & alii, qui ulterius ex hoc inferunt, idem eſſe dicendum, etiam ſi concedatur Indulgẽtia plenaria, quia ſemper intelligitur in eadem materia, ſcilicet, totius pœnæ correſpondentis pœnitentiis injunctis. Secunda ſententia communis inter Scolaſticos, & Summiſtas affirmat, indulgentias abſque reſtrictione conceſſas ad omnes pœnas extendi etiam quibus pœnitentia injuncta non eſt, & ità præſertim tenet Faber noſter loc. cit. ubi ait, quod quando Papa concedit Indulgentiam ſine limitatione, & ſine adjectione illa *de injunctis*, ut cum concedit plenariam indulgentiam, vel tot annorum abſolutè, tunc ſe extẽdit ad injunctas & non injũctas ſecundùm proportionatam quantitatem. Et hęc opinio longè probabilior eſt, quia in oppoſita ſentẽtia nulla foret Indulgentia plenaria, ſiquidem juxtà illam omnis indulgentia etiam plenaria ad ſolas pœnitentias injunctas reſtringitur, ut ſupra dictum eſt, undè nulla indulgentia plenaria omnem pœnam remitteret, quam homo ex condonatis peccatis relictas perſolvere tenetur; quod non ſolum eſſe videtur contrà hodiernam Eccleſiæ conſuetudinem, ſed etiam contrà antiquam juxtà quam ut ſuprà dictum eſt, indulgentia concedebatur, quandoque plena, quandoque plenior, & quandoque pleniſſima, ut conſtat ex Extravaganti *Antiquorum de Pœnit. & Remiſs.* in qua Bonifacius VIII. inquit ſe concedere *non ſolùm plenam, & largiorem, ſed etiam pleniſſimam omnium peccatorum veniam*, ubi ſignum univerſaliter *omnium* non ſolum ſuprà pœnitentiæ injunctas cadit, ſed etiam ſuprà non injunctas. Ex qua doctrina ſolvitur fundamentum oppoſitæ ſententiæ, procedit enim tantùm ut ait Faber l. citato quãdo adeſt illa particula *de injunctis*, quando autem illa non adeſt, impertinens eſt omninò de ſolis injunctis illam interpretari velle, & reſtringere, & præſertim quando indulgentia plenaria conceditur; tunc enim ſatis de ſe conſtat mentem Pontificum eſſe concedere indulgentiam cujuſcunque pœnæ ex peccatis remiſſis relictæ, ut eſt communis omnium ſenſus.

33 Quintò ex dictis infertur, Indulgentias non remittere pœnas ab Eccleſia injunctas in foro externo perſolvendas, ſed ſolum pœnas perſolvendo in foro interno Dei, ut Theologi cõmuniter docent antiquiores, & recentiores; & ratio eſt, quia Indulgentia pœnas ex peccatis remiſſis relictas remittit tantùm in foro pœnitentiali conſcientiæ, non autem in foro contentioſo judiciali; quarè cum hæc ſint fora diſtincta, & diverſa, non ſequitur ſolutum in uno foro manere etiam ſolutum in alio, tum etiam quia differunt pœnæ impoſitæ in alio; tum etiam quia differunt pœnæ impoſitę in Sacramento Pœnitentię à pœnis impoſitis in foro eſteriori ab Eccleſia, quia illæ imponuntur ad ſatisfaciendum pro pœnis coram Deo, & ad tollendum pœnas Purgatorii; iſtæ verò prefertim ad ſatisfaciendum coram Eccleſia, undè patet ſępè aliquem ſatisfacere Eccleſiæ in foro exteriori, & tamen non ſatisfacere in foro Dei, ut Faber advertit loc. cit. quia ſunt fora diſtincta. Quando autem dicitur, Indulgentiam remittere pœnam coram Deo, id ità intelligendum eſt ut non ſolum remittat pœnitentias in foro Sacramentali injunctas, ſed etiam pœnas ipſas, pro quibus Sacramentales pœnitentiæ ſunt injunctę; & hoc contrà quoſdam antiquiores, qui aſſerebant per indulgentias non remitti reatum, ſeù obligationem pœnę tẽporalis debitę pro peccatis, ſed ſolũ remitti obligationem exequendi Sacramentalem pœnitentiam. Quæ quidem opinio communiter ab omnibus Theologis reiicitur, tam antiquis, quàm recentioribus; quia ſi Indulgentia ſolum à pœnitentiis Sacramentaliter injunctis liberaret, & non à pœnis, pro quibus ille ſunt injunctæ, Eccleſia concedendo indulgentias potius damnificaret, quàm prodeſſet fidelibus, & indulgentia nullum afferret pœnitenti lucrum, ſed potius damnum; conſequentia patet, quia tolleret pœnitentias, quibus homo ſatisfaceret pœnis pro peccatis contractis; & ſimul relinqueret pœnas ex condonatis peccati relictas, ſeù abſolveret fideles à pœnis ſibi injunctis in foro Sacramentali, quæ abſque dubio ſunt graviores, ut benè diſcurrunt Amicus, Faber loc. cit. & alii paſſim cum Alenſi, D. Thoma, D. Bonaventura, & aliis antiquiobus 4. diſt. 20. & 21.

34 Poſtremò dubitatur, quid ſit intelligendum, cùm conceditur Indulgentia quadraginta, vel centum, aut mille dierum, vel annorum. Aliqui dixerunt intelligendos eſſe dies, vel annos pœnarum, quas in Purgatorio ſoluturi eramus. Communis tamen Theologorum ſententia eſt, per hoc non ſignificari moram temporis futuram in Purgatorio, quia ut ait Faber diſp. 38. cit. n. 178. ſępè conceduntur mille, vel decem mille anni indulgentiarum, & tamen pœnas Purgatorii ordinariè non creditur tanto tempore duraturas, menſurantur enim non tantùm duratione, ſed acerbitate pœnarum, & proindè ad tantùm durationem ſe extendere non poſſunt, ſic enim propè diem judicii, poſt quam non erit purgatorius ignis, qui longioris temporis pœnas debebunt, brevius purgabuntur, ſed acerbius, ut docet D. Thomas 4. d. 21. qu. 13. ad 1. Quarè cum communi Theologorum ſententia intelligi debent dies, vel anni eorum pœnitentiarum, quæ juxtà antiquam Eccleſiæ conſuetudinem pœnitentibus imponebantur, etenim propter unum peccatum mortale grave, ut ſupra dictum eſt, imponebatur pœnitentia ſeptem annorũ ut videlicet pœnitẽs per ſeptẽniũ ſemel, aut bis in hebdomada jejunaret, ſe flagellaret, aut pſalmos recitaret, vel quid ſimile. Atque ita per diem, & annum in hujuſmodi indulgentiis dicendum eſt ſignificari diem, & annum ſatisfactionis pœnitentialis in hac vita impoſitæ pro peccatis, itaquod ſenſus ſit, tantam pœnam per indulgentiam decem annorum dimitti, quanta dimitteretur per decem annos pœnitentiæ factæ in hac vita, ut Theologi communiter docent.

QUÆSTIO TERTIA.

De requiſitis ad indulgentiæ validitatem, & ejus ceſſatione.

35 QUoniam ad licitam, & validam Indulgentiarum conceſſionem non ſufficit legitima auctoritas in concedente, ſed etiam juſta aliqua, & rationabilis cauſa requiritur, quia poteſtas hęc Pontifici collata eſt in ædificationem, & non in deſtructionem, urgeret autem in grave Eccleſiæ detrimentum, ſi irrationabiliter ſuperfluæ Indulgentiæ concederentur, ut habetur in capit. *Cum ex eo*, de pœnit. & remiſſ. Ideò poſtquam viſum eſt quid ſit Indulgentia, quinam ejus effectus, cujus poteſtatis ſit actus Indulgentias concedere, & in quibus talis poteſtas reſideat, nunc deſcurrendum eſt de cauſa requiſita ad hoc, ut conceſſio indulgentiæ ſit licita, & valida, & quamdiù indulgentia duret, ſeu de ejus ceſſatione, quod breviter ſequentibus articulis expedienus.

ARTICULUS PRIMUS.

An, & qualis cauſa ad indulgentiæ validitatem requiratur.

36 PRimò conveniunt Theologi omnes, ut dicebamus, non ſolùm legitimam auctoritatem, ſed etiam juſtam aliquam, & rationabilem cauſam requiri ad hoc, ut licitè, & validè Indulgentiæ conferantur, quia Papa non eſt dominus Theſauri Eccleſiæ, ſed diſpenſator, ut conſtat ex illo Pauli. 1. ad Cor. 4. *Sic vos exiſtimet homo, un Miniſtros Chriſti, & diſpenſatores myſteriorum Dei*, diſpenſator autem nõ poteſt ſine cauſa, & ab libitum de rebus Domini diſponere; & ità etiam conſtat ex extrav. *Unigenitus*, ubi Clemens VI. dicit Chriſtum Dominũ Eccleſiæ Theſaurum per ſuos Vicarios reliquiſſe fidelibus diſpenſandum, *Salubriter, & ex rationabilibus, & juſtis cauſis*, & ex Concilio Conſtantienſi, ubi ſeſſione ultima Martinus V. dicit ſuſpectos de hæreſi interrogandos, eſſe, an credant Summum Pontificem concedere poſſe Indulgentias *ex rationabili cauſa*, & ita etiam loquitur Leo X. ad Cajetanum ſuum Legatum in Germania ſec. 7. Difficultas ſolùm eſt, quæ, & qualis cauſa ad Indulgentię valorem ſit ſufficiens. Aliqui putarunt ad valorem Indulgentiæ non eſſe neceſſariam cauſam diſtinctam ab utilitate, quam ſecum affert Indulgentia ipſa, itaut in Pontifice ſola voluntas, ut aliquis liberetur à pœna ex peccatis cõdonatis relicta,

cta, quæ à quibusdam finis internus appellatur, & est effectus indulgentiæ, sufficiat; fundamentum præcipuum est, quia potestas dispensandi Indulgentias est per se ordinata ad sublevandam spiritualem fidelium egestatem, ut ex meritis, & satisfactionibus; ergo hæc sola causa sufficiens erit, ut thesaurus Ecclesiæ validè dispensetur, quod enim sufficiens est ad principalem finem, ob quem talis potestas concessa est, sufficiens quoque erit ad valorem ejusdem potestatis, quo principalis finis ipsius obtinetur. Confirmatur, quia dispensator ad validè dispensandum non semper prærequirit causam distinctam ab ea, quam secum affert dispensatio ipsa, si quis enim bona temporalia accipiat egenis dispensanda, ut ea valide dispenset, causam distinctam non prærequirit ab ipsa egentium sublevatione; ergo nec Pontifex, qui thesaurum Ecclesiæ egenis dispensandum accipit, causam distinctam ab ipsa spiritualis egestatis sublevatione requirit, ut validè illum dispenset. Ità Henriquez, Emanuel Sà, & quidam alii.

37 Communis tamen, & probabilior sententia docet, ad valorem Indulgentiæ præter ipsam causam intrinsecam, quę est spiritualis egestatis sublevatio, requiri etiam causam aliquam finalem extrinsecam, quæ Pontificem moveat ad Indulgentias fideliter, ac prudenter dispensandas, & præter intrinsecam utilitatem, quam affert personæ, cui conceduntur, in aliquam Ecclesiæ utilitatem redundet, bonum commune, ac Dei, & Sanctorum gloriam. Ità Scholastici ferè omnes 4. d. 20. & præsertim D. Bonaventura ibidem part. 2. art. 1. quæst. 4. quod probat ex politia humana, sicut enim videmus in politiis, & communitatibus humanis, quod thesaurus reipublicæ propter duo maximè consuevit proferri, & communicari exterius, scilicet, propter gloriam Principis, & propter utilitatem Communitatis; sic thesaurus Ecclesiæ ab his, qui habent auctoritatem, dispensari debet propter honorem Dei, & sanctorum, ac propter bonum commune, seu utilitatem Ecclesiæ; & ità etiam discurrit Astesanus noster lib. 5. citat. tit. 40. art. 4. & Faber disp. 38. cit. cap. 9. quod ibi probat ratione satis evidenti, quia nimirum potestas concedendi indulgentias data est Ecclesiæ à Deo in ædificationem, non in destructionem, adeo quod finis per se, & principalis potestatis Ecclesiæ est honor Dei, ejusdem utilitas, & fidelium ædificatio, constat autem ex terminis ablato fine, ob quem potestas conceditur, actum talis potestatis tolli & nullum reddi, quoniam de substantia talis potestatis est finis conditio intrinseca finis, propter quam talis potestas conceditur; cum ergo potestas Ecclesiæ concessa sit in honorem Dei, & ejusdem Ecclesiæ utilitatem, & ædificationem; si Papa pro libito hac potestate uti vellet, tali fine secluso, actus illi essent non solum illiciti, sed etiam invalidi, & nulli. Et hoc tandem colligitur ex ipsis Pontificum Bullis, in quibus quando Indulgentiæ conceduntur, semper causa exprimitur distincta ab utilitate personarum, quibus conceduntur, ut propter Ecclesiæ reformationem, Hæresum extirpationem, Christianorum Principum concordiam, Catholicæ Religionis propagationem, & similia.

Ad fundamentum oppositæ sententiæ negatur assumptum, falsum siquidem est potestatem indulgentias dispensandi esse tantùm ordinatam ad sublevandam spiritualem fidelium egestatem, cum etiam ad honorem Dei, & Sanctorum, & Ecclesiæ utilitatem sit ordinata, ut supra dictum est. Ad Confirmationem negatur consequentia, quia dispensatio thesauri Ecclesiæ non tantùm ad sublevandam spiritualem fidelium egestatem ordinata est, sed ad alias etiam utilitates, undè si distributio bonorum temporalium non tantùm ad corporalem pauperum sublevationem ex institutione Domini ordinata esset, sed etiam ad eorum animas spiritualiter juvandas, irrita foret bonorum distributio tali omissa conditione, utpote contrà voluntatem instituentis. Videatur Amicus disp. 10. cit. ubi fusè de hac difficultate discurrit.

38 Secundò est difficultas, an causa propter quam Indulgentia conceditur, debeat esse publica, an verò etiam privata aliquando sufficiat; & sensus quæsiti est, an causa semper esse debeat publica, & communis utilitas, & bonum Ecclesiæ, an etiam bonum privatum, vel necessitas particularis alicujus personæ sufficiat. Affirmant aliqui causam esse debere propter bonum publicum, non autem bonum privatæ personæ, & fundamentum est, quia thesauros Ecclesiæ est bonum commune, & ideò non nisi pro bono communi dispensandum est; quod etiam ex praxi, & usu Ecclesiæ deducitur, quæ semper Indulgentia ob publicas necessitates concedere solet, & colligitur ex decretis, & Canonibus, quæ de Indulgentiis loquuntur, pro qua opinione citantur Albertus 4. d. 20. art. 17. Soto d. 21. quæstio. 2. articul. 2. & quidam alii. Communis tamen, & probabilior opinio negat talem causam concedendi indulgentias semper esse debere publicam, ita Suarez, Faber, & Amicus loc. cit. Bonacina, & alii passim, & ratio est, quia sufficit, ut Indulgentia mediatè tantum in bonum commune redundet, hoc est mediante bono privato singularis personæ, cum etiam bonum personæ particularis ad bonum commune spectet, quod ex particularibus coalescit; licet igitur quando per jubilæum indulgentia toti Ecclesiæ conceditur vel alicui Regno, & Provinciæ causam communem postulet, & universalem Indulgentiæ proportionatam; quando tamen Indulgentia personæ particulari conceditur, causam communem non requirit, & universalem, sed sufficit privatę personę proportionata, nempe utilitas, & bonum spirituale illius personę particularis, quod bonum, & utilitas redundat etiam in bonum Ecclesiæ universalis. Hæc autem causa, ut notat Faber disput. cit. num. 277. aliquando sumitur ex pietate, vel officiis Ecclesiæ exhibitis à tali persona; quomodo solet Pontifex Indulgentiam plenariam concedere jam jam morienti absque nova causa, scilicet, quia vel in servitiis Ecclesiæ, vel honestate vitæ excelluit, hoc enim modo Gregorius VII. indulgentiam concessit Episcopo Laodicensi, & Innocentius Quartus S. Claræ, dum illam ægrotam inviseret, & Martinus V. concessit omnibus, qui Concilio Costantiensi interfuerunt; hæc enim est causa sufficiens, quia est honesta, & in præmium virtutis, & laborum pro Ecclesia, & in exemplum aliorum, ut spe similis beneficii ad virtutem, & officia Ecclesiæ præstanda animentur. Hinc ad fundamentum prioris sententiæ negandum est assumptum quoad secundam partem, quia etiam ex thesauro communi Ecclesiæ privatis necessitatibus provideri potest, quia indulgentiæ concessæ ob privatam utilitatem redundant etiam ipsæ in utilitatem bonis communis Ecclesiæ. Et negandum est ita fuisse universalem in Ecclesia usum concedendi Indulgentias ob publicas causas, ut nunquam concessæ legantur ob particulares privatis personis, ut constat ex alatis exemplis, & hanc doctrinam antiquis Canonibus repugnare, licet tunc non fuerit sic distinctè explicata, neque in usu ità frequenter posita.

39 Tertiò est difficultas, an causa ad valorem Indulgentię requisita non solùm debeat esse justa, sed etiam proportionata; ubi pro intelligentia quæsiti notandum est, quod hic pro causa pia, & justa non tantùm intelligitur finis, & causa propter quam movetur Pontifex ad indulgentiam concedendam, cujusmodi est bonum Ecclesiæ publicum, sed etiam intelligitur opus postulatum in concessione, tanquam medium ad talem finem consequendum, ut cum conceditur indulgentia plenaria jejunanti tribus diebus, & visitanti talem Ecclesiam, ac ibi oranti; undè sensus quæsiti est, an debeat servari proportio tùm inter causam, & indulgentiam, ut pro majori major, & pro minori indulgentia minor causa requiratur; tùm inter opus ipsum, quod ad causam consequendam, tanquam medium assumitur, ut pro majori indulgentia majus onus postuletur, seù magis laboriosum, & pro minori minus. Negant Durandus, Paludanus, D. Antoninus, & alii antiquiores; quorum fundamentum est, quia Indulgentia non nititur causæ, propter quam conceditur, sed satisfactioni Christi, & Sanctorum per eam applicatæ, undè sæpè Pontifices propter eandem modò majorem, modò minorem concedunt indulgentiam, & interdum ob leviſſimas causas maximæ conceduntur Indulgentiæ, ut quando Pontifex plenariam concedit indulgentiam omnibus, qui accipiunt ejus benedictionem, vel pro fabrica templi dent nummum; ergò Indulgentia quoad valorem ex proportione causæ non dependet. Accedit quod si ad valorem indulgentiæ requireretur opus non solùm pium, sed etiam ei proportionatum, sequeretur pœnam non remitti propter satisfactionem Christi, & Sanctorum per Indulgentias applicatam, sed propter opus ipsum, undè non esset indulgentia, sed commutatio.

40 Oppositа sententia communior est, & probabilior, quam docet D. Bonaventura loc. cit. q. 6. & Recentiores communiter, tenent Cajetanus, Soto, Suarez, Amicus, & Faber loc. cit. & alii passim. Ratio est, quia implicat in terminis causam esse justam, rationabilem, qualem ad valorem Indulgentiæ requirunt Pontifices, & simul non esse proportionatam, nam justa, & rationabilis causa dicitur, quæ aliquam proportionem habet, & commensurationem cum effectu ad quem ordinatur. Deindè probatur ex absurdis, quia si ad Indulgentiam validè concedendam causa proportionata non requireretur, posset concedi indulgentia plenaria omnibus qui semel tantùm recitaverint Avę, quę indulgentia in maximum Ecclesiasticę disciplinę detrimętum cederet, nam uno verbo liberarętur ab omnibus pœnis, ac pœnitentiis tam in hac vita, quàm in futura debitis. Demum quia in oppositа sententia nulla foret indulgentia indiscreta cū nulla sit quæ aliquam causam piam non habeat,

& tamen

& tamen Pontifices indulgentias, ut Ecclesiasticæ disciplinæ enervativas damnat, undè Innocentius Tertius in cap. *Cum ex eo* de pœnit. & remiss. superfluas indulgẽtias vocat indiscretas, ideſt irrationabiles, easque ut pernicioſas damnat, illæ autem indulgentiæ superfluæ censentur, quæ largius conceduntur, quàm causa postulat, quantumvis pia sit; ergo causa pia ultrà pietatem aliquam quoque requirit adæquationem, & proportionem. Itaque ad hanc proportionem servandam duo præsertim requiruntur, ut notat Abellius in Appendice de Indulgentiis, §. 2. primum est; ut concedatur indulgentia ob pium aliquem finem, cujus assecutio sit magis Deo honorifica, & Ecclesiæ utilis, quàm pœnitentialis satisfactio, quæ per Indulgentiam relaxatur; alterum est, ut ad indulgentiam illam consequendam opus aliquod faciendum præscribatur, quod sit aptum, & utile ad hujusmodi finem obtinendum, ut verbi gratia quando Summus Pontifex indulgentiam concedit iis, qui verè pœnitentes, & confessi, ac sacra communione refecti præces, & alia pietatis opera Deo obtulerint pro hæresum extirpatione, ac fidei dilatatione, finis hujusmodi maximè Deo honorificus est, & Ecclesiæ proficuus, opera item ad finem illum consequendum injuncta ad id aptissima sunt jejunia, & eleemosinæ, & sic proportio debita requiritur.

41 Addit Faber disputat. 38. citat. num. 288. pro majori declaratione hujus proportionis requisitæ inter causam, & effectum Indulgentiæ, quod hæc proportio non est meriti, & præmii, vel satisfactionis, & remissionis, ita quod in re opus tantùm debeat esse meritorium, quantum est effectus, vel quod esse debeat in re tantum satisfactorium, quanta est remissio pœnæ, quia hæc tunc non esset indulgentia, sed commutatio, quę rationem indulgentiæ tolleret; sed est proportio æqualitatis secundùm prudentem existimationem concedentis indulgentiam, adeoquod illa causa, & opus est sufficiens, & proportionatum effectui, & valori indulgentiæ, & pensatis hinc indè omnibus circumstantiis videtur sufficiens causa concessionis tantæ indulgentiæ, undè hic non attenditur æqualitas secundùm meritum in re, sed secundùm prudentem æstimationem concedentis. Hinc facilè solvitur fundamentum oppositæ sententiæ, quamvis enim Indulgentia non nitatur causæ, propter quam conceditur illam tamen requirit, ut juxtà voluntatem Christi prudenter concedatur, & licet thesaurus Ecclesiæ sit causa efficiens, & principalis effectus indulgentiæ, non tamen excludit necessitatem aliarum causarum præsertim finalem, ad quam suo modo spectat etiam opus postulatum, nam Pontifex concedit indulgentiam sub illa conditione, ut opus postulatum fiat, quo fit, ut causa propter quam indulgentia conceditur; integretur ex ipso opere, sub cujus conditione indulgentia conceditur. Neque mirum esse debet, Pontifices propter eandem causam modò majorem, modò minorem concedere indulgentiam, qui estò opus illud idem materialiter sit, moraliter tamen, & secundùm diversas rationes, & circumstantias potest esse majoris, & minoris valoris, & diverso modo movere animum concedentis; tum quia eadem causa, addita tantum nova circumstantia, fit sufficiens, quæ sine illa sufficiens non esset; & interdum causæ, quæ nobis sufficientes non videntur, sunt reipsa sufficientes, nam frequentia illa populi coram summo Pontifice in magnam venerationem resultat capitis Ecclesiæ, & Sedis Apostolicæ auctoritatis; & parva pecunia pro fabrica templi à singulis distributivè data, si collectivè sumatur, & consideretur in ordine ad finem, ad quem dirigitur, magna æstimanda est, quia cedit in maximum Dei cultum, & fidelium utilitatem.

Ad Confirmationem optimè respondet Faber loc. citat. rationem illam probare solùm causam, seu opus postulatum pro consequenda indulgentia non debere esse adæquatum in ratione meriti ad indulgentiam, quia tunc benè sequeretur, quod indulgentia concessa propter illud non esset indulgentia, sed commutatio; at non probat illa ratio, quod opus Postulatum non debeat esse indulgentiæ proportionatum secundùm prudentem concedentis æstimationem, ut dictum est; nam proportio, quam debet habere opus, sub cujus onere indulgentia conceditur, non est in ratione satisfactionis, sed in ratione medii ad finem principalem consequendum, qui semper est gloria Dei, & utilitas Ecclesiæ, nam hæc ordinariè assumitur, ut medium proportionatum, & aptum ad consequendum finem propter quem movetur Pontifex ad indulgentiam concedendam.

42 Quartò est difficultas, an sufficiat causa probabiliter tantùm putata sufficiens; seu utrum si reipsa causa non sit proportionata, & sufficiens, æstimatur tamen prudenter talis à concedente Indulgentiam, concessio sit valida. Ratio dubitandi est, quia non est valida absolutio collata pœnitenti putativè tantùm attrito, & nullum Sacramentum universaliter loquendo est validum collatum ex materia, vel forma probabiliter tantùm putata; ergo nec indulgentia concessa fideli ex causa probabiliter tantùm putata sufficienti erit valida. Communis tamen, & vera sententia affirmat. Ratio est, quia sicut in reliquis, in quibus plenam potestatem suo Vicario tradidit, tradidit illam, ut exercendam more humano nimirum dependenter ab ipsius judicio, & prudentia, ut constat de potestate, quam habet dispensandi in votis, ligandi, & solvendi à censuris, conferendi beneficia, & similibus, ad quorum validitatem sufficit ut causa, ob quam ad hæc operanda movetur, probabiliter tantum putetur sufficiens, ita putandum est eidem tradidisse quoque potestatem hanc concedendi indulgentias, & dispensandi Ecclesiæ thesaurum, quia ab Oeconomo non requiritur, nisi quod juxtà regulas prudentiæ operetur, qui enim sic operatur, à Christo etiam fidelis servus, & prudens vocatur; ergò quoties Pontifex eo modo operatur, fideliter Christi thesaurum dispensat, & alia officia exercet, hoc enim postulat recta Ecclesiæ gubernatio, & Ecclesiasticus ordo, alioquin maxima foret in Ecclesia turbatio, & innumerabiles in consciențiis fidelium scrupuli generarentur, si de validitate talium actuum dubitare possent. Notanter autem id asseritur de rebus, & actibus, in quibus Christus plenam potestatem suo Vicario tradidit, quia in Sacramentis conficiendis, & exercendis plenam potestatem illi non tradidit, ut eorum validitas ab humano, & prudenti ipsius judicio penderet, quoniam cum hæc sint prima, & præcipua Ecclesiæ fundamenta, ex solo, & infallibili Christi Domini judicio pendere debuerunt, ut sic firmiora essent, ac stabiliora. Undè non valet paritas de Sacramentis assumpta in ratione dubitandi in oppositum, nec de absolutione collata pœnitenti putativè tantùm attrito, quoniam attritio integra essentialiter Pœnitentiæ Sacramentum, in quod Pontifex auctoritatem non habet, ut à Henriquez, Suarez, Amicus, Card. de Lugo, & alii passim. Quarè pro hujus q æstionis resolutione concluditur, quod sine legitima, & sufficienti causa, vel saltem probabiliter, & prudenter tali putata, indulgentiæ concessio non solum est illicita, sed etiam invalida, & nulla.

43 Dices, certum est, quod multa illicitè fiunt, quæ tamen facta tenent, ut dispensatio in jejunio & alia simili lege, quæ facta etiam sine legitima, & sufficienti causa valet, estò sit illicita; videtur ergo etiam in proposito de concessione Indulgentiarum, quod estò requiratur talis causa, attamen si illa non adsit, ac proinde sit illicitè concessa, adhuc tamen valeat. Respondetur cum Fabro disput. 38. cit. nu. 267. quod licet quidam asserant illas quoque dispensationes esse nullas propter eandem rationem, quia procedunt ex potestate Ecclesiastica, quæ data est in ædificationem, non in destructionem, melius tamen concesso assumpto, neganda est consequentia, cum non sit par ratio de dispensatione in lege divina, & in lege humana, dispensatio in jejunio est dispensatio in lege humana, at concessio Indulgentiarum sine justa, & rationabili causa est dispensatio in lege divina, nam potestas concedendi indulgentias à Deo est, ut diximus, & est potestas remittendi pœnas, quas propter peccata actualia condonata Deus ipse lege justitiæ vindicativæ peccatori taxavit, & includit hanc conditionem; ut detur ob piam, & rationabilem causam, & non aliter. Quod autem non sit par ratio de dispensatione in lege divina, & humana ex eo deducitur, quod lex humana pendet à Superiore humano, & est veluti res propria Ministri humani, atque ideò validè dispensare potest etiam, sine ulla causa, quia lex ille pendet à voluntate ipsius Ministri, tanquam res sua, licet peccet dispensando sine rationabili causa, quia sic abutitur potestate sibi data, abusus tamen potestatem non tollit. At lex divina non esset lex propria humani Ministri, sed Dei qui est Superior, & ideò ab homine abrogari non potest, nec in ea dispensari nisi ex voluntate Dei; hæc autem voluntas innotescit, quando adest rationabilis causa dispensandi, tunc enim præsumitur rationabiliter, quod Deus legislator in tali casu legem obligare non intendit, & ideò cum adest pia, & rationabilis causa, dispensatio illa valere censetur, at quando non adest, non valet, & ideo in proposito quando indulgentia conceditur sine justa, & rationabili causa, est dispensare in lege Divina contra voluntatem Dei, & consequenter actus ille est nullus. Ex quo infertur, cur Pontifex in lege, & jure humano etiam sine causa validè dispensare possit, estò non licitè, non autem in jure divino, quia nimirum jus humanum à sola ejus voluntate dependet, quam etiam sine causa revocare potest, qua revocata non amplius vim obligandi habet cum totam vim obligandi à voluntate Pontificis habeat. At jus divinum à sola Dei voluntate dependet quæ nunquam moraliter revocari censetur, nisi ex

causa, qua censeatur illi magis placitum, ut benè discurrit Amicus disputat. 30. cit. sect. 9. quia cum Deo res placeant juxtà suas bonitates proprias, quo res est melior, & honestior eo magis Deo placere censetur.

44 Postremò Bellarminus lib. 1. de indulgentiis cap. 12. advertit, de hac indulgentiarum causa, ejusque justa proportione penes ipsum concedendum indulgentias judicium esse relinquendum, neque subditos de his rebus temerè judicare debere, & validè periculosum esse quascunque indulgentias ex quibuslibet causis concessas parvifacere, quia etiam indulgentiæ illæ, quæ usui granorum benedictorum conceduntur, rosariorum, piarum imaginum, & similium rerum, quæ minimi momenti vientur, ex causa maximè justa, & rationabili à Summis Pontificibus interdum concedi possunt, ut refert Abellius loc. cit.

ARTICULUS SECUNDUS.

De duratione, & cessatione Indulgentiarum.

45 PRimò pro intelligentia quæsiti notandum est cum Fabro disputat. 38. citat. cap. 11. aliud esse loqui de duratione potestatis concedendi indulgentiam, & de duratione ipsius Indulgentiæ; loquendo de duratione potestatis distinguendum est de potestate ordinaria, vel delegata; ordinaria est potestas Summi Pontificis, & Episcoporum, ut supra visum est, & hæc cū consequatur munera, & dignitates ipsos Pontificatus, & Episcopatus, tamdiù durat in eis personis, quandiù in illis dignitatibus manent, & ideo potestas hæc semper in Pontifice durat ejus vita durante, nisi Pontificatui renunciet, vel ab eo per manifestam hæresim decidat. Episcopus verò tandiù potestatem hanc ordinariam concedendi indulgentias retinet, quamdiù in Episcopatu manet, nec ab ejus officio per censuras suspendatur, vel nisi fieret à Pontifice aliquod jus, & statutum novum Episcopis hęc facultas concedendi indulgentias adimeretur. Potestas autem delegata cum ex voluntate concedentis totaliter procedat, ac dependeat, duratio ejus ex forma rescripti spectanda est, quo sibi talis confertur potestas, quæ etiam ad nutum concedentis revocari potest sine ulla causa, ut in omni potestate delegata contingit ad differentiam ordinariæ potestatis, quæ saltem licitè sine causa tolli non potest, ut communiter Doctores docent.

46 Secundò loquendo de duratione ipsius Indulgentiæ jam concessæ, hæc tribus modis concedi solet, aliquando expressè in perpetuum, aliquando ad tempus certum, & aliquando indefinitè nulla facta mentione temporis, vel durationis, qua ratione suprà dicebamus quæst. 2. articul. 1. num. 22. indulgentiā dividi in perpetuam, temporalem, & indefinitam, quando Indulgentia conceditur duobus prioribus modis, conveniunt Doctores durare tantùm pro tempore assignato expressè in forma Indulgentiæ, quia ut omnes pariter docent, Indulgentia tantùm valet, quantum forma concessionis, & Bullæ sonat; hoc autem intelligendum est nulla interveniente revocatione facta à concedente, semper enim in potestate illius est eam revocare, antequam sit comparata, undè Indulgentia perpetua est, quæ semper durat, nec spirat expirante concedente; quia cum sit privilegium cum morte concedentis non expirat; temporalis verò ad certum tempus limitata est, quo elapso cessat, ut cum determinantur viginti quatuor horæ, vel una, aut altera hebdomada, vel integer annus, ut in quibusdam Jubilæis, & hanc limitationem ad tempus diximus ibidem cum Fabro loc. citat. duobus modis fieri posse, scilicet formaliter, & virtualiter; fit formaliter, quandò expressè apponitur temporis limitatio, ut ad annum, vel septennium, aut decennium, & hujusmodi; fit verò limitatio virtualis, quando indulgentia ad certos actus limitatur, vel ad tales actus certo tempore faciendos, ut verbi gratia, quando indulgentia conceditur recitanti Rosarium tot dierum; tunc enim indulgentia limitatur ad illud tempus, quo Rosarium recitatur. Tandem de indulgentiis definitè concessis, seù sine limitatione temporis formali, vel virtuali diximus ibidem esse communem Doctorum sententiam intelligendas esse perpetuas, ut indulgentiæ Religionibus Regularium concessæ, vel familiis, quæ successione continua permanent, & ratio est, quia cum sit beneficium, est amplè interpretandum, tum quia non est major ratio, cur Indulgentia indefinitè concessa pro tanto tempore intelligenda sit, & non pro majori.

47 Tertiò ad pleniorem hujus rei intelligentiam observandum est, quod sicut Indulgentiæ ex tribus, vel quatuor capitibus suū valorem habere solent, scilicet, ex potestate concedētis, ex parte personæ, cui conceduntur, ex parte rei, in qua Indulgentiæ conceduntur, & ex parte causæ propter quam conceduntur, sic etiam ex eisdem capitibus cessare possunt, & extingui. Et quidem ex parte concedentis conveniunt Doctores Indulgentiam extingui posse per revocationem ab eodem facta, vel à suo successore, vel Superiore, undè Indulgentia concessa ab Episcopo revocari potest à Pontifice, & indulgentia ab uno Pontifice concessa potest ab alio revocari, & ratio est, quia Indulgentiæ non solum in fieri, sed etiam in conservari pendent à voluntate concedentis, & ex multis Canonibus id colligitur, præsertim verò ex Clementina *Dudum* §. *Nos autem* de Sepulturis, peccaret tamen qui sine causa Indulgentiam revocaret, & ideò ad hanc revocationem licitè faciendam aliqua rationabilis causa requiritur. Conveniunt etiam Doctores Indulgētias de facto non cessare donec earum revocatio legitimè promulgetur, ut ad notitiam eorum, quibus concessæ sunt, moraliter pervenire valeant, & ratio est, quia non præsumitur aliter Pontificem indulgentias revocare, quàm soleat alias gratias, & indulta, alioquin fideles aliqua opera facere possent putantes indulgentiam lucrari, & fraudarentur, quod in grave eorum detrimentum vergeret. An verò Indulgentiæ solo actu interiori concedentis revocari possint Doctores non conveniunt, Suarez in præsenti disp. 57. sec. 2. Amicus disp. 20. cit. sec. 10. & alii affirmant; quia Indulgentia non solùm pendet ab exteriori actu concedentis, sed etiam ab interiori; ergo hoc tantùm revocato indulgentia cessat.

Confirmatur, quia etiamsi Pontifex externo actu indulgentiam concedat, si interdum non habet, Indulgentia non valet; ergo revocato tantum actu interno, indulgentia cessat. Negat Cardin. de Lugo disput. 25. cit. sect. 8. num. 148. quia fundamentum prioris sententiæ falsum supponit, scilicet, quod effectus, & valor indulgentiæ pendeat ex voluntate præsenti concedentis, non enim dependet nisi à voluntate præterita legitimè intimata, undè mortuo concedente, adhuc valor indulgentiæ continuatur, non quidem propter voluntatem ipsius præsētem, cum sit defunctus, sed præcisè propter voluntatem præteritam ex vi cujus applicuit thesaurum ad talem effectum suo tempore operandum; ergo ad impediendum tale effectum debet impediri causa præterita positivè impediendo ejus efficaciam, quæ non nisi per actum externum impediri posse videtur, quia sicut Indulgentiæ concessio requirit actum externum, eo quod sit actus jurisdictionis visibilis, sic concessionis revocatio actus jurisdictionis visibilis esse debet, & hic dicendi modus magis placet.

48 Quartò, ex parte personæ, cui indulgentia immediatè concessa fuit, cessat ejus morte superveniente, ac ejus vita durante potest cessare quoad usum, si in excommunicationem incidat, quia ut suo loco dictum est, excommunicatio hominem privat participatione communium bonorum spiritualium, & consequenter participatione indulgentiarum. Notanter autem dicitur, quod in tali casu cessat Indulgentia quoad usum tantùm, qùia recedente excommunicatione potest homo uti indulgentia quam anteà habebat. Difficultas tamen est, an possit indulgentia cessare per solam renunciationem ejus, cui conceditur, & ratio dubitandi est, quia sicut non est valida indulgentia nisi acceptetur, ita nec si acceptata renuncietur; & sicut aliquis renunciare potest privilegio, & facta renunciatione privilegium cessat quia ad habentem privilegium spectat renunciare juxtà caput *Nuper* de Decimis; ita videtur de Indulgentia dicendum, quia est privilegium quoddam. Communis tamen sententia negat, & rationabiliter, qui indulgentia non est, sicut alia privilegia, hæc enim conferunt aliquod jus, cui renunciare potest, qui illa habet; at indulgentia nullum jus confert, sed semper permanet in voluntate concedentis illam conservare, vel tollere, & renunciatio indulgentiæ non irritat voluntatem concedentis, à qua virtus indulgentiæ dependet; nec potest per voluntatem renunciantis hic valor impediri; & quamvis possit quidem usui indulgentiæ renunciare, & eam non lucrari, attamen eam tollere non potest, quia totus indulgentiæ valor provenit ab applicatione thesauri facta per habentes claves. Ex quo patet quid dicendum sit ad rationem dubitandi; negandum enim est indulgentiam, si non acceptetur, non esse validam defectu acceptationis, sed defectu concessionis, nam hoc ipso, quod non acceptatur, Pontifex suam concessionem revocare censetur, & tunc Indulgentia cessare non dicitur per renunciationem, sed per voluntatem Pontificis eam revocantis. Ita Suarez, Amicus, Faber, Cardinalis de Lugo, Bonacina, & alii passim.

49 Quintò prætereà cessat Indulgentia ex parte rei, in qua concessa fuit, nimirum per destructionem loci, vel rei, cui erat affixa, undè si concessa est alicui loco, vel Basilicæ, patet quod illo templo destructo, vel Basilica cessat indulgentia, & si amittatur, vel rumpatur granum, vel imago sacra habens talem indul-

indulgentiam, talis indulgentia cessat, quia data est dependenter à tali re, qua pereunte indulgentia quoque cessat. Solet tamen aliquando concedi, ut Lugus advertit loc. cit. ut si amittatur, vel rumpatur granum, vel imago talem habens indulgentiam, possit pro prima vice aliud granum subrogari, vel alia imago cum eadem indulgentia, in quo casu duplex occurrit difficultas. Prima est an talis subrogatio, vel illa electio fieri possit per actum merè internum; videtur enim exigi actus externus, sicut ex dictis requiritur ad concessionem indulgentiæ, & optimè respondet præfatus Auctor, sufficere voluntatem internam, quia illa nova subrogatio, & deputatio non est indulgentiæ concessio ex facultate à Pontifice delegata, facultas enim concedendi indulgentias nunquam Laicis delegatur, aut fœminis, & tamen hi possunt grana subrogare, & determinare, vel imagines, neque est actus jurisdictionis alicujus, sed pura conditio annexa concessioni factæ à Pontifice, ut nimirū amissa, vel destructa re, cui indulgentia est affixa, possit pro prima vice alia subrogari, conditio autem ad Indulgentiam requisita potest aliquando esse actus internus, atque ideò electio illa nova, vel subrogatio per actum internum fieri potest, nec necessariò externus requiritur, cùm non sit jurisdictionis actus. Altera difficultas est, casu quo imago illa fuerit amissa, & debita diligentia adhibita inveniri non potuerit, atque ideò alia imago electa fuit, an si posteà prior inveniatur, adhuc posterior indulgentiam retineat, & respondet idem Auctor non amplius priorem, sed posteriorem Imaginem habere indulgentiam, quia verificata fuit conditio, ut posset ritè eligi secunda, quando prima fuisset amissa; ergo eo ipso legitimè fuit alia electa, & cessavit prioris indulgentia; ego tamen crederem, quod inventa prima potius cesset indulgentia posterioris, quia facultas eligendi posteriorem implicitè data fuit sub hac conditione, nisi inveniatur prima, undè ad tollendos scrupulos tutius erit utramque retinere.

50 Sextò quæritur, an etiam Indulgentia cesset cessante causa, propter quam concessa fuit, & ratio dubitandi est, quia cessante causa cessat effectus; ergò cessante causa concessionis Indulgentiæ, ipsa etiam indulgentia cessat.

Confirmatur, quia Indulgentia concessa sine causa est nulla, ut suprà dictum est; ergò etiam est nulla non perseverante causa, ob quam concessa fuit. Communis tamen, & vera sententia negat cessare Indulgentiam cessante causa propter quam concessa fuit, ut verbi gratia si concessa fuit indulgentia perpetua pro conversione ad finem alicujus Provinciæ, & illa Provincia jam conversa fuit, non ob id tamen indulgentia cessat, & ratio est, quia causa non debet proportionari indulgentiæ quoad durationem, nam indulgentia perpetua concedi potest ob causam temporalem, potest enim concedi indulgentia perpetua propter fabricam templi paucis mensibus absolutam; ergò indulgentia non cessat cessante causa, alioquin frustra pro causa temporali concederetur indulgentia perpetua, quod est falsum. Ad rationem dubitandi dicendum est cum Cardinal. de Lugo loc. cit. quod si causa erat ab initio sufficiens ad concessionem indulgentiæ perpetuæ, durabit etiam posteà, quia & motivum non est perseverantia illius necessitatis, sed necessitatis præteritæ, quæ sufficiebat ad concedendum totum illud pro tempore sequenti; & sic etiam respondet Bonacina disp. 6. citat. quæst. 1. punct. 8. cessante causa cessare effectum, ne gratia concedatur ab initio, si ab initio non adest causa sufficiens ad gratiam concedendam, non verò cessare postquam facta fuit concessio, seù postquam concessa fuit gratia, si concessa fuit ob causam sufficientem, & sic etiam ad Confirmationem dici potest, præterquamquod plura requiruntur ad producendum effectum, quàm ad conservandum jam productum, ut Philosophia docet.

51 Denique difficultas occurrit circà quædam verba apponi solita in Bullis Indulgentiarum, quæ explicitè non sonant indulgentiam concedi in perpetuum, quandoque enim dicitur, quod indulgentia conceditur, *usque ad beneplacitum hujus Sedis*, quandoque verò dicitur, quod conceditur, *usque ad beneplacitum nostrum*. Et quidem circà prima verba conveniunt Doctores, æquivalere illis, quæ expresè sonant indulgentiam concedi in perpetuum, quia nimirum in verbis illis nullus præfigitur terminus, quamvis enim dicatur indulgentiam concedi usque ad beneplacitum hujus Sedis, nulla ob id fit specialis limitatio, omnes enim Indulgentiæ, sub tali clausula comprehendi censentur etiam perpetuæ quamvis enim sint perpetuæ, adhuc tamen semper per sedem Apostolicam revocari possunt, Circà verò illa alia verba *usque ad beneplacitum nostrum*, Doctores non conveniunt, Suarez enim disput. 57. cit. sec. 2. ait illa verba esse limitantia, ac proindè talem indulgentiam cum morte concedentis extingui. Navarrus tamen in Commentar. de Jubilæo num. 28. tenet per illa verba Indulgentiam non extingui cum morte concedentis, sed ad hoc requiri revocationem successoris expressa, quod probat ex cap. *Si gratiosè* de Rescriptis in 6. qui dicendi modus magis placet, & approbatur à Fabro nostro disp. 39. cit. n. 328.

QUÆSTIO QUARTA.

De subjecto Indulgentiarum capaci.

52 CUm Indulgentia sit remissio pœnæ temporalis ex condonatis peccatis personalibus relictæ, non poterunt esse Indulgentiæ capaces, qui vel hanc pœnam non habent, vel habere non possunt, & ideò postquam egimus de causa efficiente, finali, & formali Indulgentiæ, restat agendum de causa subjectiva, in qua indulgentia suum effectum habere potest, & videndum quænam conditiones requirantur in eo, qui Indulgentiarum fructum percipere intendit, quod breviter sequentibus articulis expediemus.

ARTICULUS PRIMUS.

Quinam sint Indulgentiarum capaces.

53 PRimò conveniunt Doctores, solos homines ratione utentes, & in ultimo termino non constitutos posse esse indulgentiæ capaces; undè excluduntur infantes, & omnes alii rationis usum non habentes; sicut enim isti proprium peccatum habere non possunt, ità neque pœnam ex proprio peccato condonato relictam, quam tantùm diximus Indulgentiam remittere, non enim indulgentia, se extendit ad remittendas pœnas naturales, quæ peccatum originale consequuntur, ut experientia constat. Prætereà excluduntur Beati, qui sunt in termino ultimo, nec pœnam aliquam luendam habent, nec habere possunt, cùm nec ullum reatum habeant, nec peccare possint. Et tandem excluduntur quoque damnati in inferno, quia sicut isti remissionis peccati non sunt capaces, ità nec remissionis pœnæ ex illo relictæ; quamvis enim plures damnati præter pœnam æternam ex peccatis commissis, & non condonatis contractam, habeant etiam aliquam pœnam temporalem, quæ ex peccatis in hac vita condonatis reiicta fuit, pro qua dignam pœnitentiam non egerunt, illa tamen vel per conjunctionem cum peccato irremissibili fit per accidens irremissibilis, & æterna, ut dicunt Thomistæ; vel si terminum habet in Inferno, & ibi persolvitur, ut ajunt Scotistæ, & nos latè defendimus lib. 2. sent. disput. 6. quæst. 8. talis pœnæ temporalis solutio non fit per satisfactionem, sed per satispassionem etiam involuntariam, ut ibidem ostendimus numer. 214. Quomodo autem intelligi debeat illud Catholicum axioma *in Inferno nulla est redemptio*, & quinam sit ejus proprius sensus fusè etiam ibi declaramus articul. 2. num. 223. esse hunc, quod nulla est spes indè evadendi, sivè ibi remitti possit aliquod peccatum veniale, aut aliqua pœna venialis, vel mortalis jam hic dimissi, sivè non, & quod si illud volumus etiam ad pœnas, quas damnati patiuntur ibi, extendere, sic etiam potest, ac debet intelligi, quod à nulla pœna est ibi redemptio, sicut in Purgatorio, quia quælibet pœna ibi etiam temporalis debet persolvi tota quanta est, sine ulla remissione, ac indulgentia, quia omninò luere debent totam illam pœnam venialis, vel etiam mortalis hìc remissi pro toto tempore, quo debebatur, ut ibi latè declaramus, & ideò damnati non sunt Indulgentiæ capaces.

54 Secundò, quia homines ratione utentes, & in ultimo termino non constituti in tres dividuntur classes, nimirum in viatores baptizatos, viatores non baptizatos, & animas purgantes de primis etiam conveniunt Doctores, & certum est apud omnes, illos cum omni proprietate esse indulgentiæ capaces, quia vel aliquam pœnam temporalem habent ex propriis peccatis condonatis relictam, vel certè illam habere possunt, quia possunt peccare, & de peccatis commissis pœnitere, ac de eorum reatu non sufficienter satisfacere, ac proindè pro ejus satisfactione, ac remissione indulgentia egere. Addunt tamen viatorem baptizatum, ut sine ullo impedimento Indulgentiam suscipere possit, debere quoque esse fidelem, seù habitu fidei supernaturalis prædituum, quia Indulgentiæ non competunt, nisi fidelibus, ut patet in forma concedendi indulgentias, thesaurus siquidem Ecclesiæ validè dispensari non potest, nisi filiis Ecclesiæ nec ab Ecclesia absolvi possunt, qui ejus jurisdictioni non subsunt, Tùm quia indulgentiæ fundantur in articulo communionis Sanctorum, qui autem sunt extrà Ecclesiam, ut sunt infideles, communionem Sanctorum participare non possunt, quia

quia sunt membra præcisa, & mortua; influxum autem Ecclesiæ percipere nequit, qui non est Ecclesiæ conjunctus, & unitus per fidem, quæ est primum vinculum, quo Ecclesiæ membra connectuntur. Ex quo patet hæreticos, & apostatas à fide etiam occultos non esse Indulgentiæ capaces, quia sunt membra præcisa. Demum neque fidelis excommunicatus excommunicatione majori est indulgentiæ capax, etiamsi sit contritus, quamvis aliqui affirment apud Emanuel Sà verbo Indulgentia, & ratio est, quia excommunicatus etiamsi post excommunicationem per contritionem redierit in gratiam, ab excommunicatione tamen non sit absolutus, adhuc afficitur pœnis excommunicationis majoris, una autem ex pœnis excommunicationis illius est privatio communium Ecclesiæ suffragiorum, & bonorum, quales sunt Indulgentiæ, ut constat ex dictis suprà disput. de Censuris; quia si excommunicatus contritus, & per gratiam justificatus communia bona spiritualia Ecclesiæ participaret, non amplius quoad hunc effectum absolutione ab excommunicatione egeret; hæc enim intantùm necessaria est, inquantùm excommunicatio subjectum privat participatione Ecclesiasticorum bonorum, ità Suarez, Nugnus, Amicus, Bonacina, Faber, loc. cit. & alii passim. Henriquez tamen l. 7. de Indulgentiis c. 18. advertit excommunicatum Bullam Cruciatæ accipientem fructum Indulgentiæ consequi, dùm est contritus, quia talis Bulla simul absolvit ab excommunicatione, ac proindè reddit subjectum capax prius quam effectum indulgentiæ consequatur.

55 Tertiò est difficultas de adultis non baptizatis proprio actu contritionis justificatis, quales sunt Catechumni, an sint Indulgentiæ capaces. Affirmant Henriquez, Navarrus, Corduba, & alii indulgentias prodesse Catechumenis, non per modum absolutionis, & judicii directi, tanquam subditis Ecclesiæ, cum nondum sint subditi, sed per modum suffragii, Catechumeni enim sunt veluti Religionis Christianæ Novitii; sed Novitii Religionum sunt participes bonorum suæ Religionis; ergo etiam Catechumeni erunt participes bonorum Religionis Christianæ, cujus sunt Novitii. Et idem docent de Catechumenis in Purgatorio existentibus, cum enim illi inter membra Christi computari possint, inferendum videtur posse etiam frui satisfactione Christi, & Indulgentiis per modum suffragii. Communior tamen, & probabilior opinio negat præsertim quoad Catechumenos viatores, & quidem quod eis prodesse nequeunt indulgentiæ per modum absolutionis, & judicii directi satis de se patet, quia nullus hoc modo potest esse indulgentiæ capax, qui non sit Ecclesiasticæ Religioni subjectus, ut constat ex cap. *Quod autem*, de Pœnitent. & Remiss. ubi definitur Indulgentias non prodesse, nisi subditis, at Catechumenus viator non est Ecclesiasticæ Religioni subjectus, ut ex Tridentino colligitur sessione 14. capit. 2. ubi docet Ecclesiam in neminem actum jurisdictionis exercere posse, qui non prius in eam per Baptismi januam fuerit ingressus juxtà illud Apost. 1. ad Corinth. 12. *Quid mihi de iis, qui foris sunt, judicare?* Deindè probatur, quod neque eas participare possint per modum suffragii, quia quamvis Catechumeni merito unionis, quam per vinculum charitatis habent cum Ecclesia, sint capaces satisfactionis per modum suffragii à privata persona sibi oblatæ, non tamen satisfactionis à publica persona legitimam potestatem habente ex communi thesauro Ecclesiæ sibi applicatæ, nam ad participandam satisfactionem per modum suffragii à privata persona oblatam non requiritur subjectio, cum non sit actus jurisdictionis, sed puræ spiritualis eleemosynæ, quam unusquisque de suis bonis operibus aliis elargiri potest. Tùm tandem quia non est recepta consuetudo in Ecclesia, & praxis concedendi indulgentias catechumenis, & aliis baptismi charactere carentibus, sed fidelibus dumtaxat, quorum nomine juxtà communem Ecclesiæ loquendi modum illi intelliguntur, qui fidei professionem in baptismo emiserunt.

56 Hinc ad rationem prioris sententiæ negandum est catechumenos quoad hoc Novitiis Religionis assimilari, siquidem isti quoad spiritualem jurisdictionem sunt Ecclesiæ perfectè subjecti, quæ proindè eos capaces, & participes reddere potest spiritualium bonorum Religionis, cujus sunt Novitii, Catechumeni verò non sunt perfectè Ecclesiæ jurisdictioni subjecti, cujus subjectionis defectu indulgentias participare nequeunt, quia baptismo carent, undè sicut nullus est capax remissionis culpæ ex opere operato, nisi baptismum susceperit, ità neque videtur capax remissionis pœnæ per indulgentias, quæ ex opere operato prodesse videntur, nisi prius baptismum susceperit; ità Suarez, Nugnus, Coninchius, Amicus, Layman, Bonacina, & alii. Cæterum quoad Catechumenos defunctos Amicus disp. 20. cit. sect. 7. cum quibusdam aliis satis probabile existimat, indulgentias eis prodesse posse per modum suffragii, quia Catechumeni defuncti non sunt amplius sub potestate Ecclesiæ, cui potestas indulgentiarum hac limitatione concessa est, ut non nisi sibi subjectis eas concedere valeat, sed sunt sub potestate Christi, qui sua passione omnibus profuit, undè sicut ipsorum quoad culpæ condonationem, & gratiæ infusionem est perfectus Redemptor, ità & quoad pœnæ remissionem ex condonatis culpis relictæ, quod etiam Ecclesia ipsa approbare videtur, quando tempore Paschatis, & Pentecostes pro cathechumenis orat, & hunc dicendi modum, ut satis pium & probabilem amplectitur etiam Faber disp. 38. cit. c. 8. in fine, ubi ait valdè irrationabilis videri excludere ab hoc beneficio animas illas Catehumenorum, quæ propter impotentiam, & inculpabiliter ex hac vita decesserunt sine Sacramento baptismi, nam etiamsi non habeant characterem baptismalem, tamen in Ecclesia esse censentur, quia voto illud susceperunt, & sunt capaces beatitudinis, & sunt verè fideles.

57 Quartò est difficultas de animabus purgantibus, an, & quomodo indulgentiæ defunctis communicari possint. Quamvis nedùm Hæretici, sed etiam aliqui ex Catholicis negaverint Indulgentias prodesse defunctis, ut refert Bellarminus lib. 1. de Indulgentiis c. 14. & Suarez disp. 53. sec. 1. & Faber loc. cit. quę opinio sine errore defendi nequit, certa tamen jam est, & indubitata veritas Indulgentias prodesse defunctis, ut constat ex communi usu, & praxi Ecclesiæ, in qua nihil tam usitatum est, quàm applicare indulgentias pro defunctis, adeout Paschalis Primus, ut refert Bellarminus loc. cit. qui antè septingentos annos Apostolicam Sedem obtinebat, & plures alii Summi Pontifices indulgentias pro Defunctis applicandas concesserunt, in quam veritatem omnes Scolastici conspirant 4. d. 20. & præsertim D. Bonaventura part. 2. art. 1. quæst. 5. hac ratione, quia fideles defuncti propter unionem charitatis cum Ecclesia militante fidelibus viventibus ita conjuncti sunt, ut unam cum illis Ecclesiam efficiant, ac proindè si particularibus suffragiis, & orationibus viventium juvari possunt, à fortiori poterunt per applicationes satisfactionum Christi, & Sanctorum sublevari. Difficultas solùm est, quomodo id fieri possit, tota enim Pontificis potestas illis verbis concessa; *Quodcunque solveris super terram, erit solutum, & in Cœlo*, ad illos tantùm extendi videtur, qui sunt adhuc in terra, & subditi Ipsius Pontificis, quales non sunt defuncti, qui jam non sunt super terram, sed sub terra, & omninò extra Pontificis jurisdictionem. Nec refert, quod interdum Ecclesia defunctos excommunicet, eosque ab excommunicatione absolvat, quia ut inquit Astesanus noster l. 5. tit. 40. art. 5. cùm Hostiensi, illa excommunicatio, vel absolutio non terminatur directè ad defunctos, sed ad vivos, nimirum obligando viventes, ne vel pro illis orent, debitæq; sepulturæ mandent, vel ut liberentur à prohibitione, qua prohibebantur, ne pro illis orarent, debitoque honore prosequerentur. Ideò omnes ferè Theologi dicunt cum D. Bonaventura loc. c. defunctis non prodesse indulgentias per modum absolutionis, sed per modum suffragii, quod etiam significavit Leo X. in Bulla contrà Lutherum, quæ incipit *Exurge Domine*, & omnes antiqui Pontifices in ejusmodi indulgentiis pro defunctis semper explicabant se illas conferre per modum suffragiis, quia Pontifices nullam directè auctoritatem habent in animas purgantes, cum jam sint extrà ipsorum jurisdictionem, qui potestatem tantùm acceperant in oves in terris pascendas juxtà relata Matth. 16. verba *Quodcunque solveris super terram*, &c. quibus verbis potestas Petro concessa, ejusque successoribus ad homines tantùm supra terra degentes limitatur.

58 Postremò est difficultas, quid sit concedere indulgentiam per modum suffragii, & quomodo differat à concessione Indulgentiarum per modum absolutionis, circà quam difficultatem varii sunt modi dicendi, ut videre est apud Fabrum l. c. & Brancatum ex nostris disp. 16. de Purgatorio art 17. §. 3 Verùm omnes ferè Doctores in hoc convenire videntur, ut innuimus qu. 1. hujus Disputationis art. 1. in fine quod Summus Pontifex auctoritatem habet sibi à Christo communicatam dispensandi indulgentias tam pro vivis, quàm pro defunctis, sed diverso modo, quoniam pro vivis eas dispensat, tanquam Minister à Deo constitutus immediatè, & directè liberando à pœnis ex culpis jam condonatis relictis eos, quibus indulgentiam concedit. Pro defunctis verò eas dispensat, non immediatè, & directè animas illorum à pœna liberando, sed tantùm offerendo Deo merita Christi, & Sanctorum per modum condigni pretii pro earum liberatione quod etiam communi solèt exemplo declarare Principis potestatem à Republica habentis liberandi aliquos subditos per bona communia, quorum aliqui essent in carcere sub ejusdè Reipublicæ dominio, alii verò sub dominio alterius Principis nam in tali casu pro utriusque liberandis utique necessaria foret potestas, & facultas à Republica Principi communicata, cum pro neutris posset de bonis ejusdem Reipublicæ disponere absque illius auctoritate, sed diverso modo, talis auctoritas sibi com-

communicata foret, nam pro primis auctoritas foret per modum Ministri immediatè à pœna absolventis, pro secundis verò tantùm per modum suffragii, hoc est, auxilium, & pretium offerentis pro eorum liberatione, si alter Princeps oblatum pretium acceptare velit. Ex quo infertur nullam indulgentiam pro defunctis validè applicari posse, nisi quæ à Pontifice pro illis expressè conceditur, cum enim nullus præter Summum Pontificem auctoritatem habeat universalem dispensandi thesaurum meritorum Christi, & Sanctorum, ut dictum est q. 1. art. 2. & cum omnis indulgentia fiat per dispensationem hujus thesauri; nullus pro defunctis indulgentiam applicare poterit, nisi quam pro iis Pontifex expressè concesserit. An verò Indulgentiæ pro defunctis concessæ, ac infallibiliter illis prosint, gravis controversia est inter Doctores, de qua agemus disp. seq. de Purgatorio qu. 3. art. 1.

59 Itaque concludimus ex dictis, illis omnibus, & solis indulgentias prodesse, qui cum jam gratiam consecuti sunt, aliquo tamen reatu pœnæ temporalis ex culpis jam condonatis relictæ tenentur obstricti, sivè in hac vita, sivè in Purgatorio luendæ, quia indulgentiæ illis omnibus, & solis prodesse possunt, qui suffragiis alienarum satisfactionum juvari possunt, & sublevari, quæ satisfactiones, sicut per specialem intentionem privatorum applicari possunt, ut quæst. seq. dicemus, ità etiam per Ecclesiæ Prælatos, & præsertim Summum Pontificem applicari possunt ex communi Ecclesiæ thesauro, cujus ipse dispensator est constitutus à Deo, at suffragia alienarum satisfactionū iis omnibus, & solis prodesse possunt, sivè in hac vita, sivè in Purgatorio, qui gratiam sunt assecuti; sed aliquo adhuc reatu pœnæ sunt obstricti; ergo etiam iis omnibus, & solis indulgentię prodesse possunt, & illi tantùm sunt indulgentiarum capaces.

ARTICULUS SECUNDUS.

Quæ dispositiones requirantur ad Indulgentiam lucrandam.

60 PRimò est difficultas, an ad Indulgentiam lucrandam requiratur status gratiæ. Negant Mayron, Rubio, & alii antiquiores, quorum fundamentum est, quia pœnitentia Sacramentalis à Confessario injuncta etiam in peccato adimpleta confert suum effectum quoad remissionem pœnæ temporalis ex peccatis ritè confessis relictæ ex opere operato; ergo à fortiori etiam indulgentia, quia ipsa quoque hunc effectum confert ex opere operato satisfactionis Christi per ipsius Vicariū legitimè applicatæ, tùm quia efficacius est meritum Christi, & Sanctorum, quàm satisfactio peccatoris, & simpliciter efficacior est applicatio facta à Vicario Christi, quàm facta à persona privata, quæ opinio à Suarez, & aliis tribuitur Scoto nostro, eo quia ipse quoque 4. distin. 15. q. 1. art. 4. tenet hominem in peccato mortali existentem satisfacere posse pro pœnitentia sibi à Confessario imposita pro peccatis jam sibi dimissis quoad culpam. Communis tamen opinio tam antiquiorum, quàm Recentiorum affirmat, & expressè deducitur ex Extravagante *Unigenitus*, de pœnit. & remiss. in qua Pontifex ait eos, qui Indulgentia usi sunt *amicitiæ Dei participes effectos esse*, quibus verbis supponit Indulgentiam suum effectum non conferre, nisi disponētibus se per gratiam ad lucrandam, cum enim per ipsam Indulgentiam amicitiæ Dei participes fieri nequeant, quia per eam gratia non confertur, supponi jam debent amici, & in statu gratiæ, & ità etiam constat ex perpetuo usu, & praxi Ecclesiæ, quæ nunquam Indulgentiam concedit, nisi pœnitentibus, & contritis, ut patet ex Bullis Pontificum quibus indulgentias concedere solent, & sicut aliena suffragia non possunt iis, qui non sunt in gratia, sic nec Christi, vel Sanctorum satisfactiones per indulgentias applicatæ. Ad fundamentum primæ sententiæ neganda est consequentia, magnum enim discrimen est inter Indulgentiam, & satisfactionem Sacramentalem, ut notat Amicus disp. 20. cit. sec. 8. ab initio, cum enim indulgentia sit quædam dispensatio in jure divino de relaxandis pœnis lege divina peccatori debitis, nisi sufficientem habeat causam, ob quā talis dispensatio fiat, non erit rationabilis, & juxtà mentem concedentis, ac proindè nec valida, ut dictum est suprà q. 3. art. 1. sicut nec est valida dispensatio in voto, nisi sufficientem habeat causam, pœnitentia autem Sacramentalis cum non sit dispensatio in aliquo jure divino, sed executio partis Sacramenti jam suscepti, suum effectum conferre potest quoad remissionem pœnæ temporalis ex peccato condonato relictæ, quam ut pars Sacramenti continet, etiam in statu peccati adimpleta, Tùm quia ut ait Faber disp. 38. cit. c. 7. ab initio latum est discrimen inter solutionem pœnæ, quam quis facit adimplendo pœnitentiam à Confessario impositam in Sacramento pœnitentiæ, & solutionem pœnæ, quam quis facit lucrando indulgentiam, nam in prima nihil miscetur de gratia, vel privilegio, sed totum ibi fit ex justitia. At in solutione pœnæ per indulgentiam intercedit privilegium, & gratia, & supponitur reconciliatio, & amicitia cum Deo, quia non præsumitur Deus suos favores, & gratias quoad deletionem pœnæ inimicis communicare, licet quoad culpam dimittendam illos adjuvare non cessat, atque ideò ob hanc disparitatem vertentem, inter indulgentias, & satisfactionem Sacramentalem nec rectè, nec consequenter prima opinio Doctori nostro adscribitur.

61 Secundò conveniunt Doctores, opus esse, ut qui susceptorus est indulgentiam præstet ea, quæ à Superiore in concessione Indulgentiæ sunt præscripta, undè ex ignorantia, aut oblivione, aut etiam justo aliquo impedimento partem aliquā operis injuncti quamvis inculpabiliter omittat, effectum Indulgentiæ non consequitur, & ratio est, quia Superior indulgentiam concedit sub conditione talis operis exequendi, si ergo opus præscriptum susceptorus indulgentiam non exequitur, indulgentiam non consequitur, cum dispositio non subsistat non adimpleta conditione sub qua facta fuit. Difficultas tamen est, an opus injunctum debeat in statu gratiæ adimpleri, itaut status gratiæ requiratur in suscipiente indulgentiam, non solùm quando ejus fructus suscipit, sed etiam cùm exequitur opera ad illarum perceptionē injuncta. Neq; Suar. cit. Card. de Lugo cum pluribus aliis disp. 27. cit. sec. 6. num. 83. ubi ait, quod requiritur status gratiæ in suscipiente indulgentiam, non quidem toto tempore, quo fiunt opera ad Indulgentiam requisita, sed solùm in fine, quando ejus effectus applicandus est, quod probat ex praxi Ecclesiæ, quæ ad indulgentiam consequendam solet exigere jejunia, & confessionem, supponendo non præmitti, sed subsequi confessionem, que sufficit in fine hebdomadæ ad lucrandum Jubilæum, ac per consequens frequenter jejunia non fiunt in statu gratiæ, & ità discurrit Faber cap. 7. cit. numer. 208. ubi ait hanc opinionem esse Palud. D. Antonini, Silvestri, Tabienæ, & communem Summistarum, ac in praxi servatam, quia cùm Papa concedit Jubilæum visitantibus tot Basilicas, & jejunantibus tribus feriis 4. 6. & Sabbato multi confitentur sua peccata feria 6. vel Sabbato & sic feria 4. cùm jejunant, & visitant Ecclesias non sunt in gratia, & tamen censentur indulgentiam lucrari.

62 Cajetanus autem, Soto, & plures alii asserunt requiri gratiæ statum etiam tunc, quando opus injunctum perficitur, quam sententiam Bellarminus lib. 1. *de Indulgentiis* c. 13. & sequitur Abellius loc. cit. §. 3. censet esse tutiorem, & in quibusdam etiam casibus omninò certam, cùm scilicet præscribitur, ut opera injuncta in statu gratiæ fiant, quod in pluribus summorum Pontificum Bullis exprimitur, in quibus Indulgentia conceditur iis, qui verè confessi, & contriti aliquas Ecclesias visitaverint, ibique oraverint pro pace, hæresum extirpatione &c. Imò Bellarminus loc. cit. existimat id semper sub intelligi, quamvis non exprimatur, quando injunctum opus tale est, ut minimè conferat ad finem, ad cujus consecutionem indulgentia fuit imposita v. g. ad placandum Deum, & impetrandam pacem nisi fiat in statu gratiæ, peccatores enim Deus non exaudit, nec per opera mortua justitia ejus placari, aut misericordia exorari potest. Verùm hæc ratio non convincit, quia, ut inquit Faber loc. cit. & Bonacina plures alios citans, falsum est in opere illo non esse utilitatem desideratam, etiamsi fiat in peccato mortali, quoniam utilitas, quæ desiderari potest à Pontifice, & communiter desideratur, est, ut sic impetratorium apud Deum gratiæ, & finis, quem desiderat, opus autem factum in peccato mortali est impetratorium, nam eleemosyna facta in peccato mortali est impetratoria auxilii divini ad vitandam, & jejunium confert ad impetrandam culparum veniam; potest etiam saltem remotè hominem disponere ad relinquenda vitia, & gratiam impetrandam; ergò sic potest juvare ad impetrandum finem à Pontifice desideratum in concessione Indulgentiæ. Addo tamen cum Abellio, & aliis consultissimum esse, ut quando quis indulgentiam percipere cupit, primum peccata sua, vel Sacramentali confessione, vel saltem perfectæ contritionis actu eluere curet, quæ quidem contritio ad omnia peccata non solùm mortalia, sed etiam venialia extendi debet, ut ad remissionem pœnarum illis debitarum Indulgentia quoque extendatur.

63 Tertiò quæritur, an susceptor indulgentiarum debeat esse in gratia per confessionem. Respondent Doctores communiter non esse necessariam confessionem, sed sufficere ut indulgentiam susceptorus existat in gratia per contritionem, modò in Bulla Confessio non exprimatur, undè contritus indulgentiam lucratur, quæ hoc modo conceditur, qui hoc, vel illud fecerit, indulgentiam consequatur, nam in tali concessione confessio non exprimitur. Ratio est, quia existens in gratia per contritionem est capax indulgentiarum, nec Superior concedens indulgen-

gentias confessionem requirit, ut supponitur; ergò in tali casu non est necessaria confessio. Nec obstat extravagans *Unigenitus*, in qua dicitur Petro relictam esse potestatem dispensandi thesaurum Indulgentiarum verè pœnitentibus, & confessis; quia ibi Papa per contritos, & confessos aliud non intelligit, nisi homines in gratia constitutos, qui veniam suarum culparum jam consecuti sunt, & ideò cùm quis jam est in statu gratiæ, non est opus nova confessione, vel contritione ad indulgentiam lucrandam, ità Navarrus, Suarez, Reginaldus, Bonacina, Faber, & alii passim. Si verò in Bulla exprimatur confessio, ut si dicatur contritis, & confessis indulgentia conceditur, non sufficit susceptorem esse in gratia per contritionem, sed necessaria est confessio secundùm probabiliorem, & tutiorem, sententiam, saltem si susceptor alicujus peccati mortalis sibi sit conscius, quamvis de eo contritus, & ratio est, quia Indulgentiæ explicandæ sunt, ut in Bullis exprimitur, tùm quia particula & non est disiunctiva, sed conjunctiva, & copulativa, dispositio autem copulata utriusque partis veritatem exigit. Notanter autem dicitur, saltem si susceptor alicujus peccati mortalis sibi sit conscius, nam si nullum mortale post ultimam confessionem commisit, satis probabile est actualem confessionem minimè necessariam esse, nisi Summus Pontifex aliter declaret, & ratio est, quia susceptor indulgentiæ in proposito casu dici potest contritus, & confessus ad effectum consequendi indulgentiam, cum habitualiter in prima contritione, & confessione permanere censeatur; ac etiamsi post illam in aliquod veniale lapsus sit, ad confessionem venialium non tenetur, modò in Bulla venialium confessio non exprimatur, & ratio est, quia quando in Bulla exprimitur confessio intelligitur de confessione mortaliũ, confessio enim simpliciter, & absolutè prolata ex communi usu, & sensu Ecclesiæ mortalium confessio censetur, atque ideò sicut Ecclesia venialium confessionem præcipere non solet, ità neque consuevit ad consequendam indulgentiam venialium confessionem requirere. Ità Auctores supra citati, & alii passim, ut videre est apud Bonacinam disp. 6. cit. qu. 1. punct. 5.

64 Quartò quæritur, an omnes facientes opus ad indulgentiam requisitum statim, & æqualiter ejus fructum consequantur. Ratio dubitandi est, quia fieri potest, ut idem opus postulatum inæqualiter fiat à diversis hominibus, unus enim longiorem, & attentiorem orationem visitando Ecclesias facere potest, vel majorem eleemosynam, quàm alter, & tres dies jejunii impositos in pane, & aqua jejunare poterit, alter modo communi; ergò videtur, quod cùm opus injunctum inæqualiter à suscipientibus indulgentiam fiat inæqualiter, etiam fructus indulgentiæ participetur, & hac ratione Abellius loc. cit. Laym. c. 4. *de Indulg.* post Navarrum, & alios ait, quod quamvis causa sufficiens, & justa in alicujus indulgentiæ concessione v. g. plenaria reperiatur, fieri tamen posse, ut non omnes integram consequantur, si nimirum illorum aliqui ad maximam pro peccatis commissis temporalem pœnam obeundam obligati opus injunctum tepidè peragant, quia quamvis causa indulgentiæ in se justa sit, illorum tamen respectu aliquo pacto deficit ob imperfectam dispositionem, quod etiam deducunt ex extravaganti 1. Bonifacii VIII. Antiquiorum in cujus fine habet hæc verba: Homines plus, vel minus participare de Indulgentia prout plus vel minus ad illius causam accedunt, & quod unusquisque plus merebitur, & indulgentiam efficacius consequetur, qui Basilicas ipsas amplius, & devotius frequentabit. Probabilius tamen videtur, quod ait Faber c. 7. cit. n. 225. æqualiter fructum Indulgentiæ ab omnibus participari ratione operis operati scilicet ratione fructus ex ipsa indulgentia provenientis, dummodò ab omnibus fiat opus integrum, quod in concessione requiritur, ratione autem operis operantis unum plus mereri, quàm alium, undè si in Jubileo concedatur indulgentia plenaria jejunantibus tribus diebus, & semel talem Basilicam visitantibus, illicque orantibus pro hæresum extirpatione & unus tribus diebus jejunet jejunio communi, & illam Basilicam semel visitet horæ dimidio illic orando, alter verò jejunet in pane, & aqua, & illam Basilicam ter visitet una hora integra orando, quamvis hęc opera sint inæqualia, & omnes tamen æqualiter Jubilæum consequuntur, & Indulgentiã plenariam, & sic æqualis est fructus in omnibus ex opere operato, scil. indulgentia plenaria; ex opere tamen operantis, qui plus orat, & arctiori jejunio jejunat magis meretur quoad vitam æternam consequendam. Ratio est, quia minus orans, & minorem faciens abstinentiam, estò minus faciat, quàm alter, adhuc tamen facit opus postulatum, quòd Papa requirit; ideòque indulgentiæ fructum consequitur, & illud plus, quod facit alter magis orans, & jejunans, estò sit bonum, & ideo ad ejus consecutionem non pertinet, sed ad aliud scilicet, ad plures æternæ gloriæ gradus consequendos. Et hoc modo ait Faber intelligendum esse Bonifacium VIII. in extravaganti citata, non enim vult quod plus orans, & arctiùs jejunans plus mereatur de indulgentia, cum ex vi concessionis omnibus plenissima concedatur indulgentia, sed vult dicere, quod ex opere operantis plus merebitur, & quod certius, magis in effectu opus injunctum adimplebit, propter quod indulgentia conceditur, ac proindè directius illi indulgentia applicabitur.

65 Quintò quæritur, an eodem opere possit quis lucrari diversas indulgentias diversis viis concessas, ut si habeat tria grana diversis benedictionibus benedicta, & in singulorum benedictionibus concessus est annus indulgentiæ dicenti semel orationem Dominicam, an lucretur tres indulgentiæ annos, si semel tantùm recitet orationem illam Dominicam; & idem quæritur de similibus, ut cum concedetur visitanti talem Ecclesiam, ut lucretur omnes Indulgentias, quas consequuntur illi, qui visitant tales, vel tales Basilicas Romæ existentes, ubi sunt alię, vel similes Indulgentiæ, quæritur, inquam, an uno actu, & eadem oratione omnes illas lucretur indulgentias. Respondetur cum distinctione, nam si sermo sit de variis Indulgentias plenariis variis titulis concessis, non est dicendum eum simul cum eadem recitatione orationis Dominicę plures illas Indulgentias plenarias singulis granis concessas lucrari cum duplex indulgẽtia plenaria acquiri non possit, siquidem per unam totum remittitur debitum si verè illam lucremur, & ideò verisimile non est Pontifices in concessione similium indulgentiarum intelligere de plenariis, sed de diversis indulgentiis terminatis, de quibus loquendo, si aliter in concessione indulgentiæ non exprimatur, dicendum est non sufficere unum actum ad omnes illas indulgentias consequendas, sed unamquamque proprium opus postulatum requirere, cum enim Pontifex habenti unum granum benedictum unius anni indulgentiam concedit, si semel orationem dominicam recitet, talis recitatio est opus postulatum ad indulgentiam illius anni consequendam, & ideò si indulgentiam quoque alteri grano concessam vult consequi facere debet opus postulatum in concessione indulgentiæ alterius grani, ideoque orationem Dominicam iterum recitare tenetur ad eam consequendam. Quando autem variæ illæ indulgentiæ concessæ essent per modum unius per aliam tertiam, ut cum visitandi talem Ecclesiam omnes indulgentiæ conceduntur omnium Ecclesiarum Urbis, tunc utique unica visitatione illæ omnes acquiri possunt, tunc enim in forma Indulgentiæ exprimitur per unum, & eundem actum omnes illas indulgentias lucrari. Ità Cardinal. de Lugo, Coninchius, Bonacina, Faber loco citato, & alii Recentiores passim.

66 Sextò quæritur, an possit obtineri sæpius indulgentia repetito opere injuncto, ut v. g. si visitanti talem Ecclesiam concedatur indulgentia, an ter visitans eodem die, toties indulgentiam, lucretur. Respondetur cum distinctione, quando Indulgentia est perpetua, & absque temporis determinatione concessa, ut si in concessione indulgentiæ dicatur absolutè, Quicunque visitaverit Ecclesiam Metropolitanam, talem indulgentiam consequatur, poterit sæpiùs obtineri si sæpius idem opus repetatur, cum enim sæpiùs possit quis eodem die opus præstare ad obtinendam indulgentiam præscriptam, sequitur aliquem posse sæpius eandem indulgentiam consequi dummodo talis actio humano modo repetatur, quod notanter additur, quia si quis ingrediendo, & egrediendo millies eandem jutraret Ecclesiam, non lucraretur millies indulgentiam, quia illa moraliter non est alia, & alia visitatio, sed censetur eadem moraliter continuata, si verò egrediens domo Ecclesiam visitat, & in reditu iterum eam visitat, tunc iterum indulgentiam acquirit, quia moraliter est duplex visitatio. Quandò verò indulgentia conceditur tempore determinato v. g. pro tali die, quamvis aliqui dicant posse etiam sæpius obtineri, ut Angelus, Rosella, Villalobos, Diana, & alii, negant tamen Suarez, Bonacina, Card. de Lugo, loc. cit. cum pluribus aliis, & ratio est, quia breve tempus præscribitur, ut ostendatur non posse sæpius eandem indulgentiam obtineri. Addit tamen Card. de Lugo, quod quando indulgentia conceditur pro pluribus, si id fiat propter commoditatem fidelium, qui non possunt eadem die concurrere, idem dicendum erit, si verò id fieret ad fovendum populi concursum per totam octavam v. g. & celebritatem in illa Ecclesia, verisimile est singulis saltem diebus posse de novo illas indulgentias obtineri, quod est satis probabiliter dictum.

67 Septimò quæritur, an sufficiat extrà Ecclesiam orare ad consequendam indulgentiam concessam visitantibus illam, quando propter concursũ populi non potest aliquis Ecclesiã ingredi. Negant Tanard. & alii apud Dianã 1. tom. trac. *de Bulla Cruciatæ* resol. 103. Communis tamen opinio affirmat, ut jam diximus suprà qu. 2. art. 1. n. 23. in tali enim casu ad indulgentiam lucrandam sufficit Ecclesiam visitare extrà portam, vel propè eam in Cęmeterio orare, quia ille tunc dicitur moraliter Ecclesiam visitare, & in ea orare, quando enim indulgentia con-

conceditur templo, etiam ad ejus Cœmeterium extenditur, nam in favorabilibus sub nomine Templi, & Ecclesiæ comprehenditur. Quando autem ad indulgentiam lucrandam exigitur visitare quinque altaria in aliqua Ecclesia, diximus ibidem non sufficere talem visitationem in Cœmeterio, & extrà Ecclesiam, quia licet ille dicatur in Cœmeterio moraliter Ecclesiam visitare, non tamen dicitur moraliter visitare hoc altare, & illud, sed Ecclesiam ingredi debet; an verò ad visitanda altaria requiratur motus corporis, quo aliquis singulis seorsim adeat, licet affirmet Rodriquez cum quibusdam aliis, communis tamen, & probabilior opinio negat ad illa visitanda opus esse locali motu singula altaria lustrare, quod verum est, ut diximus ibidem, si in eo loco, & situ sit visitans, in quo moraliter censeri possit illis præsens, & ad quodlibet ex illis orare, undè non sufficit esse intrà Ecclesiam, & ad hoc, vel illud altare animo tantùm converti, sed aliquo gestu, vel conversione capitis, vel corporis opus est significare conversionem animi ad singula altaria, quia, ut ait Card. de Lugo loc. cit. ad lucrandam indulgentiam exigitur visitatio sensibilis, hoc est talis actio, quæ exterius significet ad tale altare orationem fieri.

68 Octavò, quia suprà dictum est ad lucrandum indulgentiam opus esse præstare ea, quæ à Superiore præscripta sunt in concessione indulgentiæ, quæritur an pars operis injuncti prosit ad lucrandam indulgentiam, vel saltem partem ejus, itaut qui exhibet dimidium operis injuncti, lucretur saltem dimidiũ ejus. Communis opinio negat, nisi alter in Bulla exprimatur, ratio est, quia indulgentia regulariter loquendo non conceditur divisibiliter pro divisibilitate operis, sed indivisibiliter pro toto opere, quia Superior non concedit partem indulgentiæ pro parte operis, sed ad indulgentiam consequendam totum opus requirit; ergò qui totum opus non adimplet nec totam, nec ullam consequitur indulgentiæ partem, sicut relictum, vel promissum sub pluribus conditionibus non debetur non adimpletis omnibus illis L. *Cum fundus* ff. de conditionibus, & demonstrationibus, undè in hoc differt indulgentia à satisfactione Sacramentali, quæ elevatur divisibiliter, atque ideò qui partem pœnitentiæ impositæ adimplevit, jam partem satisfactionis Sacramentalis illi parti correspondentem obtinuit, quia deletio pœnæ, quæ fit per satisfactionem Sacramentalem, sic per partes fieri videtur, Notanter verò diximus, nisi aliter in Bulla exprimatur, aliter enim dicendum esset, si aliter in Bulla exprimeretur, cum Indulgentiæ tantum valeant, quantum sonant, & à voluntate concedentis vim habeant; undè concedi potest indulgentia sub tali forma, ut per partes quis eam lucretur v. g. si recitanti Psalmum conceditur indulgentia unius anni. Ità tamen, ut qui dimidium dixerit, dimidium etiam annum Indulgentiæ lucretur, & sic de aliis partibus cum proportione, tunc inchoata Psalmi recitatione, inchoabitur quoque effectus indulgentiæ, & successivè cum ipsa recitatione continuabitur, & sic recitans indulgentiam hanc per partes lucrabitur, & in fine recitationis dicetur totam indulgentiam unius, anni lucratus esse, licet autem indulgentia ità concedi possit, regulariter tamen non est in usu, sed absolutè requiritur, & postulatur aliquod totum opus, ut conditio necessaria ad indulgentiam lucrandam, quo completo indulgentia conferatur, & non antè, ut patet in Jubilæis ordinariis, in quibus ad indulgentiam lucrandam præscribitur, ut tribus diebus jejunetur, & tales Ecclesiæ visitentur, quibus expletis indulgentia acquiratur, undè indulgentia confertur in fine adimpletionis operis, vel operum prædictorum. Ità Navarrus, Suarez, Reginaldus, Coninchius, Card. de Lugo, Bonacina, Faber, & alii passim.

69 Denique gravior difficultas moveri solet, an prætermittens levem partem operis injuncti indulgentiæ effectum consequatur, ut si ad consequendam illam injunctum sit missæ sacrificium, vel missæ auditus, & omittantur aliquæ ceremoniæ, vel pars aliqua minima missæ, vel si ad consequendam indulgentiam injunctum sit jejunium, & aliquod modicum degustetur, quod ad peccatum mortale contrà jejunii præceptum non sit sufficiens. Respondet Bonacina loc. cit. cum Suarez, & aliis rem dubiam esse, probabilius tamen defendi posse, non impediri indulgentiæ effectum ex omissione partis, quæ levis sit in se, & respectu operis injuncti, & ratio ex universali regula deducitur in moralibus quod parum pro nihilo reputatur, undè Summi Pontificis benignitas, & clementia ferre non videtur, ut indulgentiæ defectu defraudetur, qui levem injuncti operis partem prætermittit. Tum quia posita levi omissione præceptum simpliciter adimpleretur, si de tali re conditum esset præceptum; ergo censetur etiam sufficienter adimpleri opus injunctum ad indulgentiam obtinendam, hoc tamen intelligendum est modò pars sit levis non tantùm in se, sed etiam respectu operis injuncti, parvitas enim materiæ non solùm in se consideranda est, & absolutè, sed etiam respectivè ad opus injunctum; fieri enim potest, ut omissio aliqua sit in se absolutè levis materia, & nihilominus gravis censeatur, si respectivè ad opus injunctum consideretur, qua ratione si concedatur indulgentia recitanti orationem Dominicam, & Angelicam post communionem, prætermittens orationem Angelicam absque dubio Indulgentiam non consequitur, quia licet talis omissio in se, & absolutè consideratа in ordine ad opus injunctum pars magna, & notabilis censetur, ut notat Bonacina loco citato cum Suarez, Sanchez, & aliis.

QUÆSTIO QUINTA.

De Suffragiis.

70 IN præcedentibus Disputationibus jam sufficienter tractavimus de satisfactione, qua aliquis ex opere operantis potest de condigno debitum pœnæ temporalis, quod habet, diluere, ac etiam de satisfactione Sacramentali, qua potest ex opere operato ab eodem pœnæ reatu liberari per Sacerdotis claves, & virtutes Sacramenti Pœnitentiæ, & in præsenti disputatione egimus de alio modo, quo etiam ex opere operato hoc debitum diluitur per satisfactiones Christi Domini, & Sanctorum, quæ nobis per Indulgentias applicantur ab habente claves thesauri Ecclesiæ, in quo illæ reservantur. Restat tandem, ut in fine disputationis hujus agamus de alio modo, quo fideles se invicem juvare possunt ad hujus debiti solutionem, quatenus unus pro alio satisfacere potest vivo, vel defuncto, quæ dicuntur suffragia, de quibus breviter agemus in hac quæstione.

ARTICULUS PRIMUS.

An, & quomodo possint fideles se se invicem suffragiis juvare.

71 NOmine suffragii, quod à suffragando dicitur, quandoque significatur votum ad officia, & dignitates, quod in favorem alterius fertur, ut in electionibus contingit, & quandoque etiam significatur auxilium, quòd alteri præbetur, & hoc modo accipitur in proposito, nempè pro auxilio, quod unus fidelis alteri præbet ad consequenda pœnæ temporalis remissionem. Triplex autem est suffragium, quod potest unus alteri communicare, & per quod potest suum juvare. Primum est Sacrosanctum Missæ sacrificium, de cujus valore, & applicatione sufficienter egimus l. 4. sent. disp. 4. qu. 6. & 7. & superius disp. 19. qu. 4. & 5. Secundum est indulgentiæ, de quo etiam satis diximus in præcedentibus quæst. disputationis hujus. Tertium tandem sunt operationes propriæ pœnales, & satisfactoriæ, ut orationes, jejunia &c. quibus fideles sese invicem juvare possunt. Personæ verò fideles, quibus hæc suffragia applicari possunt, sunt duplicis tantùm generis, nimirum viatores, seù in hac Ecclesia militanti degentes, & mortui in Purgatorio existentes. Beati enim, ut dictum est q. præc. art. 1. nostris auxiliis nnn egent, & suffragiis, quia sunt in termino ultimo, nec pœnam aliquam luendam habent, nec habere possunt, cùm nec ullum habeant reatum, nec peccare possint, excluduntur quoque damnati in Inferno, quia sicut remissionis peccati non sunt capaces, ità nec remissionis pœnæ ex illo relictæ. De suffragiis itaque hic agemus ex opere operantis, sivè de Suffragiis bonorum operum, quæ fideles aliis communicant.

72 Primò itaque certum est, ac de fide dari aliquo modo hanc suffragiorum communicationem inter fideles, hoc est communicationem bonorum operum, quibus mutuò se juvant, id enim apertè asseritur in Symbolo Apostolorum, ut notat Astesanus noster lib. 1. tit. 37. art. 1. dum dicimus, *Credo Sanctorum Communionem*, cujus articuli sensus est, ut docent Theologi omnes, tùm veteres, tùm recentiores in Ecclesia esse communionem bonorum operum inter homines justos, quatenus se invicem illi juvare possunt, nam homines justi sunt membra unius corporis Ecclesiæ sub uno capite Christo, undè Ephes. 4. comparat Apostolus Ecclesiam corpori humano, in quo certum est unumquodque membrum non sibi soli, sed aliis quoque inservire, sicut ergo unum membrum alteri præbet auxilium, ità vir justus alteri opem ferre potest per suffragia, & opera satisfactoria, & hoc etiam expresè deducitur ex illo Jacobi 5. *Orate pro nobis invicem, ut salvemini*, & ad Rom. 15. *Obsecro vos fratres per Dominum Jesum Christum, & Charitatem Spiritus Sancti, ut adjuvetis me in orationibus vestris pro me ad Deum*, ac etiam ex illo Psalm. 118. *Particeps sum ego omnium timentium te, & custodientium mandata tua*; ergo membra Ecclesiæ, qui sunt fide-

fideles in gratia Christi existentes non sibi solis, sed aliis quoque prodesse, & se invicem juvare possunt. Hoc etiam passim docent SS. Patres, & præsertim August. trac. 32. in Joan. circà finem, & Chrysost. homil. 41. in 1. ad Corint. qui ad hoc etiam verba Pauli ponderat 2. ad Corint. 2. *Adjuvantibus vobis in oratione pro nobis, ut ex multis personis ejus, quæ in nobis est donationis, per multos gratiæ agantur pro nobis*, ex quibus deducit Chrysostomus solere Deum aliis propter alios gratificari, undè infrà subdit: *unum corpus omnes sumus, licet sicut membra alia aliis illustriora, undique veniam ipsi impetrari licet, præcibus pro ipsis effusis*, qua propter de hac veritate sic generatim sumpta nec Hæretici contradicunt, nam & ipsi quo que fatentur alios ab aliis orationibus saltem adjuvari posse, cum hoc manifestè constet ex multis scripturæ locis.

73 Secundo est difficultas, an fideles possint per suffragia se invicem juvare ad satisfaciendum pro pœna temporali, nam Hæretici concedunt quidem fideles posse se invicem juvare, & suffragari, sed dicunt hoc solùm fieri posse impetrando, ac merendo de congruo, ut Deus talem pœnam remittat, sivè immediatè illam gratis condonando propter orationes alterius, sivè dando aliquod auxilium propter easdem orationes, quo alter benè operetur ad talem remissionem obtinendam. Fundamentum est, quia scriptura videtur dicere, quod unusquisque peccator in propria persona hanc pœnam sustinere debet, ad Galat. 6. *Unusquisque onus suum portabit* 2. Corint. 5. *Unusquisque recipiet prout gessit in corpore suo*, Psalm. 61. *tu reddes unicuique secundum opera sua*, & similia. Deindè quia debitum pœnæ est debitum personale, non reale; ergò non potest per alium solvi, sed solùm per eum, qui peccavit. Tandem quia meritum, & opus bonum est personale, itaut nemo possit alteri suum meritum præstare, ut illi valeat ad gloriam obtinendam; ergo neque potest illud ità ei communicare, ut pœnam pro eo debitam solvat. Cæterum quod fideles possint se invicem juvare etiam ad satisfaciendum pro pœnis temporalibus debitis pro peccatis docent Theologi communiter in 4. dist. 20. ità D. Thomas ibi quæst. 1. art. 2. D. Bonaventura part. 2. art. 1. Alensis 4. part. quæstione 24. memb. 4. art. 4. & Scotus noster hoc tanquam certum supponit quol. 20. art. 1. & hoc expressè docet Catechis. Pii V. in fine de Sacramento Pœnitentiæ, ubi inquit, quod: *In eo summa Dei bonitas, & clementia maximis laudibus, & gratiarum actionibus prædicanda est, qui humanæ imbecillitati hoc condonavit, ut unus pro alio satisfacere possit*, & infrà hanc appellat solutionem his verbis. *Qui divina gratia præditi sunt, alterius nomine possunt, quod Deo debetur persolvere, quare fit, ut quodam pacto alter alterius onera portare videntur*, & subdit hoc modo in Ecclesia intelligendam esse Sanctorum Communionem, solvere autem, & satisfacere non est impetrare, ut constat, sed pretium offerre; possunt ergò fideles non solùm impetrando, sed etiam solvendo aliis suffragari, & planè hoc etiam ratio ipsa suadet, quia si impetratione possunt justi aliis obtinere remissionem pœnæ, tantò magis poterunt oblatione pœnæ æqualis, cùm facilius sit apud homines æquali, vel condigno prætio aliquid obtinere, quàm gratis solùm præcibus, & impetratione, ut benè discurrit Card. de Lugo disp. 26. sec. 1. & ratio à priori est, quia opera justi de se habent æqualitatem in ratione satisfactionis cum pœna illa temporali pro qua offeruntur, alioquin neque pro se posset condignè satisfacere.

74 Hoc etiam confirmatur ex doctrina Scoti quol. 20. art. 1. superius relata q. 1. hujus dist. art. 1. num. 5. ubi insinuat fideles aliis suffragari posse nedum per modum impetrationis, & meriti de congruo, sed etiam per modum satisfactionis, ut etiam Faber advertit disp. 37. c. 1. n. 15. ait enim in opere meritorio, ut est oratio, triplicem gradum meriti reperiri. Primus appellatur à Scoto gradus specialissimus, qui valet ipsi oranti, & operanti opus meritorium, & iste gradus est ità oranti, & operanti proprius, ut nullo modo prosit aliis, nec aliis applicari possit ordinata voluntate, quia unusquisque magis se ipsum diligere tenetur, quàm alium ordinata charitate, & ideò meritum proprium sibi conveniens, & utile ad beatitudinem consequendam alteri conferre non debet. Secundus gradus meriti est generalissimus, qui toti Ecclesiæ valet, nec enim debet orans aliquem de Ecclesia excludere, sed ex intentione habituali omnes includere, tota enim Ecclesia de utilitate boni operis facti à quolibet fideli participat propter charitatem, quæ totius Ecclesiæ vinculum est, & unio. Tertius gradus meriti in opere bono est gradus quidam medius, quo opus illud bonum valet illi, cui per orantem specialiter applicatur, quod probat, quia in Ecclesia fiunt speciales orationes, aliæ pro vivis, aliæ pro mortuis, aliæ pro benefactoribus, aliæ pro amicis, & aliis: frustra autem assignarentur orationes prædictæ si non plus valerent illis, quàm generaliter cuicumque in Ecclesia, non valent autem eis primo, vel secundo modo, sed tantùm tertio modo. Ex qua doctrina facilè solvuntur rationes pro opposita sententia adductæ, nam auctoritates illæ, ut satis de se patet, intelliguntur, & loquuntur de retributione finali post hanc vitam facienda, & sensus est, quod in illo extremo judicio nullus punietur pro peccatis alienis, sed pro propriis tantùm, & sub intelligitur etiam hæc condictio, nisi pro illis ipse prius satisfecerit per se, vel per alios. Ad Confirmationem dicendum est, quod etsi pœna sit debitum personale, falsum tamen est non posse solvi, nisi à propria persona, alioquin sequeretur neque per Christi satisfactionem hominibus applicatam esse à debito pœnæ liberos; negatur ergo consequentia, quia dignitas pœnæ, sicut per meram Dei condonationem tolli potest, ità facilius, per satisfactionem condignam ab alio oblatam, & à Deo acceptatam. Ad ultimum dicendum est opus bonum esse meritum personale, gradum specialissimum, etenim secundùm hanc rationem est alteri incommunicabile, negatur tamen secundùm alios gradus jam assignatus esse personale, & non posse alteri communicari. Dices non potest contritio unius satisfacere pro culpa alterjus; ergo nec pœna. Negatur consequentia, quia ut ait Lugus l. cit. Deus congruentissimè noluit de facto culpam remittere sine ipsius peccatoris retractatione, ut qui voluntariè peccavit, voluntariè etiam ad Deum redeat, quæ ratio in solutione pœnæ non procedit, quæ ità voluntaria esse non debet.

75 Tertiò, est difficultas, an hæc satisfactio pro aliis prosit infallibiliter, seù effectum habeat infallibilem in eo, cui applicatur, an verò id pendeat ex arbitrio Dei absque ulla lege acceptandi hujusmodi satisfactiones pro aliis oblatas. Negant Medina, Corduba Coninchius, Bonacina, & alii asserentes non prodesse infallibiliter illi, cui applicatur, & ratio est, quia non satis nobis constat Deum infallibiliter acceptaturum satisfactiones pro aliis. Communior tamen, & verior sententia affirmat, quam tenent Suarez, Faber, Card. de Lugo, & plures alii, & expressè deducitur ex relatis Catechismi Romani verbis loc. c. ubi ait, *Nec de hoc cuiquam fidelium dubitandi locus relictus est, qui in Apostolorum Symbolo Sanctorum communionem profitemur*, cum enim verba Symboli non significent communionem possibilem, aut conditionatam, si Deus velit acceptare, sed absolutam, si in illis verbis continetur hæc satisfactio unius pro alio, ut Catechismus testatur, consequens est, quod hæc absoluta sit, & non solùm sub illa conditione, si Deus acceptare velit, si enim jam ordinavit communionem Sanctorum in Ecclesia, certè sequitur in casu, quo hæc communio per suffragia fiat, Deum teneri ad illam acceptandam, alioquin statutum, & lex illa communicationis meritorum inter fideles esset frustrà, neque hoc aliquam injuriam Deo infert, vel aliquo modo excellentiæ divinæ derogat, quia hoc totum non facit Deus coactè, sed quia sic suæ voluntati ordinare placuit, & statuere, ut ait Faber loc. cit. undè ruit fundamentum oppositæ sententiæ, quod, scilicet, non satis nobis constet Deum infallibiliter acceptaturum satisfactiones pro aliis. Tùm quia, ut rectè etiam discurrit Lugus loc. c. satisfactio Sanctorum, quando ab Ecclesia per indulgentias alicui legitimo modo applicatur, infallibiliter habet effectum in eo cui applicatur, & Deo acceptatur, ut patet ex superius dictis, ob promissionem Petro factam, & auctoritatem ei collatam, ac successoribus ejus: *Quodcumque solveris super terram, erit solutum, & in Cœlis*; ergo quando ab ipsomet operante applicatur, non minus infallibiliter à Deo acceptabitur, quia plus juris videtur habere in illa opera ejus auctor, quando ea facit quàm aliis, in quos posteà quasi hæredes transit illarum satisfactionum distributio.

76 Quartò est difficultas, an suffragia prosint de condigno, & de justitia. Negant Medina, Corduba, & alii dicentes talem satisfactionem esse ex mera Dei liberalitate, quorum fundamentum est, quia secundùm justitiam punitivam reus est punibilis personaliter propter offensam personalem; ideò justitia punitiva habet pro objecto proprio personam rei, & non aliam, & consequenter secundùm justitiam vindicatio cadit super reū ipsum, non super alium, quia secundùm justitiam non cogitur Judex acceptare satisfactionem personalem unius pro satisfactione personali alterius. Communior tamen, & probabilior opinio affirmat quam etiam tenent Suarez, Faber, Cardinal. de Lugo, & plures alii asserentes esse quidem de condigno, quia dignum est, ut si aliquis innocens patienter patitur, ejus intuitu relaxetur pœna quam alter ejus amicus debebat, & quod possit ipse filii, vel fratris redimere pœnam passione illa spontaneè susceptā. Addunt etiam dici posse de justitia, non quidem commutativa, quam non habet Deus ad homines, ut dictum est lib. 3. sent. disp. 3. q. 5. art. 5. n. 209. sed vindicativa, non tamen est de hujus justitiæ rigore quoad modum, quia ut Lugus advertit l. c. posset justissimè Deus alienam pœnam non acceptare, & ab ipso debitore eam exigere, sed est de justitiæ rigore quoad æqualitatem, cū non minor satisfactio ab operante offeratur, quàm esset

esset illa, quam ipse debitor ad satisfaciendum æqualiter, & de condigno ponere debuisset; cum ergo opera justi de se habeant æqualitatem in ratione satisfactionis cum pœna illa temporali pro qua offeruntur, alioquin nec per se condignè satisfacere posset; dicendum est oblata pro alio habere eandem condignitatem cùm non sit plus, quod alteri aufertur de debito pœnæ, quàm quod ipsi satisfacienti aufertur, quando pro se ipso satisfacit. Et per hoc solvitur fundamentum contrariæ opinionis, probat enim tantùm non esse de rigore justitiæ vindicativæ quoad modum, non autem quoad æqualitatem, & licet justitia vindicativa habeat pro objecto personam rei, tamen decrevit Deus alium pro ipso satisfacere posse, sed de hoc rursus dicemus disput. seq. q. 3. art. 1. n. 50.

77 Quintò est difficultas, an suffragia pro aliis oblata prosint fideli ea offerenti. Respondent Doctores communiter apud Bonacinam disp. 6. q. 2. punc. 1. bonum opus dupliciter considerari posse, nempè, vel ut meritorum, vel ut satisfactorium, si hoc secundo modo consideretur, scil. ut satisfactorium non prodest facienti; quoties alteri applicatur, nam opus bonum non habet satisfactionem infinitam, sed limitatam, & ideò satisfactio hæc limitata alteri applicetur, prodest illi, cui applicatur, non verò applicanti, & tantùm prodest illi formaliter loquendo quantùm prodesset ipsi applicanti, si eam sibi applicaret, si verò opus bonum primo modo consideretur, idest, ut meritorium, prodest ipsi applicanti ad meritum vitæ æternæ juxtà illud Psal. *Oratio mea in sinu meo convertetur.* Potest etiã hæc difficultas alio modo resolvi cum Fabro disp. 37. cit. c. 1. n. 17. juxtà doctrinam Scoti quol. 20. superius traditam, quod, scil. in opere meritorio, quod aliquis facit pro alio, triplex gradus meriti reperitur, scil. specialissimus, & essentialis, qui valet pro ipso orante tantùm, & operante bonum, & est inseparabilis ab ipso; Secundus gradus est generalissimus, qui nempè toti Ecclesiæ valet; Tertius autê ut supra dictum est, est quidam gradus medius, quo opus illud bonum valet illi, cui per orantem specialiter applicatur, quod si alicui particulariter ab operante actu non applicatur, in thesauro Ecclesiæ reponitur, & à dispensatore illius applicatur secundùm Dei beneplacitum. Meritum proprium operantis, qui in primo gradu consistit, numquam aliis communicatur, quia fieret contrà rectum ordinem charitatis, sed communicatur tãtùm gradus meriti tertius, & illi tantùm prodest, cui applicatur pro pœna temporali luenda, non autem facienti. Potest tamen dici cum Fabro l. c. quod opus illud, quatenus actu applicatur ab ipso satisfaciente, aliquid meriti in ipso quoque augeat ratione actus charitatis ergà proximum, nam præter opus ipsum satisfactorium, & meritorium adest actus applicationis ad proximum, qui est actus extrà opus ipsum meritorium, & consequenter habet bonitatem suam, & meritum, & sicut opus illud est magis meritorium, quod habet plures circumstantias bonas, ità hoc opus ratione hujus circumstantiæ, quæ est applicatio, habet aliquid amplius meriti pro ipso satisfaciente.

78 Postremò est difficultas, an suffragia viventium prodesse possint defunctis in Purgatorio ad remissionẽ pœnarum. Quamvis Arius id absolutè negaverit, ut refert D. Aug. hæresi 53. & Epiphanius hæresi 75. & alii Hæretici nostri temporis, qui Purgatorium negant; dicendum tamen est cum Ecclesia Catholica suffragia vivorum prodesse defunctis in Purgatorio existentibus, quoad remissionem pœnarum, & est assertum de fide, quod sumitur ex diversis scripturæ locis, sed præsertim ex illo 2. Machab. 12. *Sancta, & salubris cogitatio est pro defunctis exorare, ut à peccatis solvantur*, quem locum ità declarat Astesanus noster lib. 3. cit. tit. 37. art. 2. quia charitas, quæ est vinculum Ecclesiæ membra uniens, non solùm ad vivos se extendit, sed etiam ad mortuos, qui in charitate decedunt, charitas enim cum vita corporis non finitur, ut ait Apostolus 1. Corint. 14. *Charitas nunquam excidit.* Similiter etiam mortui in memoriis hominum vivunt, & ideò intentio viventium ad ipsos dirigi potest, & sic suffragia mortuis dupliciter prosunt, sicut, & vivis, scil. propter charitatis unionem, & propter intentionem viventium ad ipsos directam. Nec tamen sic eis credenda sunt valere vivorum suffragia, ut status eorum mutetur de miseria ad felicitatem, sed valent ad diminutionem pœnæ, seù mitigationem, & abbreviationem, vel aliquid hujusmodi, quod statum mortui non transmutat, quia ut dicit August. in Enchirid. c. 65. dùm in hac vita viverent, meruerunt, ut hæc sibi posteà prodesse possent. Ità ad verbum discurrit Astesanus l. c. quæ veritas in pluribus Conciliis determinata est, scil. Carthag. 3. c. 29. Carthag. 4. cap. 79. Tolet. 2. c. 12. Arelatens. c. 12. Brachar. 1. ca. 39. Lateran. sub Innocentio 4. ca. 69. ac denique in Trid. sess. 25. his verbis. Cùm Catholica Ecclesia Spiritu Sancto edocta ex sacris literis, & antiqua Patrum traditione, in sacris Conciliis, & novissimè in hac Oecumenica Synodo docuerit Purgatorium esse, animasque ibi detentas fidelium suffragiis, potissimum verò acceptabili altaris sacrificio juvari, &c. ità loquitur Concilium Trident. & omnes Patres, quos brevitatis causa omitto.

79 Sed obiiciunt Hæretici illud Ecclesiast. 9. ubi dicitur, mortuos non habere partem in opere, quod geritur sub Sole; ergò mortui non juvantur suffragiis vivorum, alioquin mortui dicerentur habere partem in opere, quod geritur sub Sole. Respondet Astesanus loc. cit. id in eo sensu tantùm dici quia mortui tali operi non cooperantur, quod tamen non obstat quin habeant partem in fructu illius operis, & ita etiam respondet Bonac. plures alios citans, mortuos non habere partem in opere, idest, non concurrere ad opus illud, habere tamen partem in fructu operis, qui est satisfactio pro pœna temporali. Sed rursus obiicies illud 2. Corinth. 5. omnes nos manifestari oportet antè tribunal Christi, ut referat unusquisque propria corporis, prout gessit sivè bonum, sivè malum. Respondet Astesanus ibidem cum D. Damasceno lib. de suffragiis mortuorũ illud intelligi quantum ad retributionem, quæ fiet in finali judicio, quæ erit æternæ gloriæ, vel æternæ miseriæ, in qua quilibet recipiet tantùm, secundùm quod in corpore gessit. Cætera ad hanc materiam spectãtia de suffragiis defunctorum videbimus disp. seq. de Purgatorio.

ARTICULUS SECUNDUS.

De conditionibus requisitis ex parte illius, pro quo suffragia offeruntur, & ex parte offerentis.

80 PRimò, Doctores communiter docent tres conditiones requiri in eo pro quo suffragium offertur, ut ei prosit; Una est ut indigeat suffragio, hoc est, ut sit debitor alicujus pœnæ temporalis, quod satis constat ex dictis, hac enim ratione suprà diximus art. præced. ab initio non esse offerenda suffragia pro Beatis, quia illis non egent; ac proindè si aliquis sit fidelis adeò innocens, ut non sit alicujus pœnæ debitor, suffragia pro eo oblata non prosunt, nec ullum in eo habent effectum, quia illis non indiget; Altera conditio est, ut sit in statu gratiæ, quia qui non existit in gratia non habet communicationem cum aliis membris vivis, cum sit mortuum, & ideò recipere non potest influxum ab altero membro, cui non est conjunctum. Tum quia in peccato mortali existens dignus est æterna pœna, quamdiù in eo perseverat; ergo per suffragia nequit pœnæ remissionem obtinere. Tertia conditio est, ut peccata, pro quibus satisfactio exhibetur, jam sint deleta quoad culpam; quia non remittitur pœna antequam culpa remittatur, cùm manente culpa semper remaneat dignitas, & obligatio ad pœnam. Tùm quia non videtur conveniens Deum satisfactionem acceptare pro pœna, quæ videtur esse indulgentia, & gratia, quamdiù manet adhuc aversus, & indignatus propter culpam, sed prius debet placari ab offensa, & reconciliari cum homine, quàm condonet vel acceptet gratiosè satisfactionem pro pœna. Ex quo fit, ut satisfactio exhibita ab homine justo pro se habente peccatum veniale, vel pro alio item habente culpas veniales nondùm remissas non prosit pro venialibus nondùm remissis. Ita Suarez, Valentia, Nugnus. Coninchius, Cardin. de Lugo, Bonacina, & alii communiter. Aliam conditionem addunt aliqui, quod ille pro quo suffragium offertur, illud acceptet. Sed ista conditio superflua censetur, quoniam sufficit generalis voluntas, quam unusquisque justus habet, ut solvatur à pœna temporali debita, & usu Ecclesiæ receptum est, ut offerantur suffragia pro amicis quoque absentibus, & ignorantibus sibi suffragia offerri.

81 Cæterùm hanc communem doctrinam non omninò approbat Faber disp. 37. cit. c. 3. inquit enim quod secunda, & tertia conditio non sunt diversæ, sed coincidunt, quia secundùm legem ordinariam nemini remittitur culpa, nisi ei detur gratia gratum faciens, non ergo sunt duæ conditiones, sed una tantùm. Subdit deinde neque hanc conditionem esse simpliciter necessariam, ut suffragium prosit illi pro quo offertur, quia homo existens in peccato potest adimplere pœnitentiam sibi à Sacerdote injunctam pro peccatis jam confessis, etiamsi talis pœnitentia fiat posteà in statu peccati mortalis, aliud est enim mereri, & aliud satisfacere pro pœna debita, verùm est, quod existens in peccato mortali non potest mereri vitam æternam, quia est extrà charitatem, secus de satisfacere, undè cùm existens in peccato mortali possit satisfacere pro pœna debita suis, peccatis etiam satisfactio oblata ab ipso pro alio valere, & acceptari poterit pro solutione pœnæ debitæ peccatis illius jam dimissis, quoad culpam, etiamsi posteà in peccatum mortale inciderit, ità discurrit Faber l. c. Verùm quamvis illæ duæ conditiones coincidant quoad remissionem peccati mortalis, quia hoc non remittitur, nisi per infusionem gratiæ, non tamen ità est, quoad remissionem venialium, quæ cum gratia habituali compossibilia sunt, undè potest homo esse in statu gratiæ, & adhuc venialibus detineri, & in tali casu suffragia pro eo oblata utique prosunt illi

quoad

quoad remissionem pœnæ pro peccatis mortalibus jam remissis debitæ, non tamen pœnæ venialibus, quibus detinetur, debitæ, quia ut dicebamus, non remittitur pœna antè remissionem culpæ, cùm manente culpa semper remaneant dignitas, & obligatio ad pœnam. Quod verò neque status gratiæ sit necessarius in eo, pro quo suffragium offertur, non consonat doctrinæ superius traditæ q. præced. art. 2. n. 60. ubi diximus ad indulgentiam lucrandam statum gratiæ requiri, quod etiam tenet Faber ibi citatus disp. 38. cap. 7. ab initio, & rationes ibi adductæ pro necessitate hujus conditionis ad lucrandam indulgentiam idem pariter probant pro lucrando suffragio, & discrimen ibi assignatum inter indulgentiam, & satisfactionem Sacramentalem currit pariter in proposito de Suffragio, & præsertim de eo, quod est satisfactorium ex opere operantis, ut sunt orationes, quæ ab homine justo offeruntur.

82 Secundò, loquendo de conditionibus requisitis ex parte offerentis, ut suffragium habeat effectum, prima, & præcipua assignari solet, quod sit in statu gratiæ, & ratio est, quia existens in peccato mortali indignus est remissione tam culpæ, quàm pœnæ, & consequenter est impotens ad obtinendam alteri remissionem pœnæ, seù ad satisfaciendum pro altero. Hoc autem intelligendum est de opere satisfactorio ex opere operantis, ut enim diximus ab initio quæstionis suffragia sunt in duplici differentia, alia sunt satisfactoria ex opere operato, ut est sacrificium, & indulgentia, alia ex opere operantis, ut sunt orationes, jejunia, & aliæ operationes pœnales satisfactoriæ, quibus fideles se invicem juvare possunt; si ergo loquamur de opere satisfactorio ex opere operato, dicendum est prodesse aliis etiamsi offerens non sit in statu gratiæ, valor enim illius suffragii à probitate Sacerdotis offerentis non dependet, quia principalis offerens est ipse Christus, & prout ab illo semper illa oblatio est Deo gratissima. Hoc etiam intelligendum est de suffragio facto ab aliquo in persona propria, nam si preces offerantur à Sacerdote in persona Ecclesiæ, quales sunt, quæ sunt in Missa, & divino officio, hæ orationes dictæ etiam à Ministro peccatore adhuc valent per modum satisfactionis, vel saltem per modum impetrationis juxtà diversitatem opinionum, quatenus Ecclesia per eos illius Ministri suas præces, & vota Deo repræsentat. Ità communiter discurrunt Recentiores suprà citati. Verùm Faber loc. cit. inquit juxtà principia doctrinæ Scoti neque hanc conditionem esse ex parte offerentis necessariam, quia si in sententia Scoti peccator existens in peccato mortali potest satisfacere in Sacramento pœnitentiæ pro pœna temporali debita suis peccatis, quæ jam prius dimissa erant quoad culpam; nulla videtur ratio propter quam non possit etiam satisfacere pro alio ratione solutionis pœnæ debitæ offerendo æquivalentem pœnam. Sed rursus replico, id non consonare doctrinæ jam traditæ quæst. præced. nu. 60. ubi diximus ad indulgentiam lucrandam statum gratiæ requiri, quod tenet etiam ipse Faber disp. 38. c. 7. ubi ipse quoque fatetur non valere paritatem ex satisfactione Sacramentali deductam, cùm enim hæc sit executio partis Sacramenti jam suscepti, suum effectum conferre potest quoad remissionem pœnæ temporalis ex peccatis condonatis relictæ, quam ut pars Sacramenti continet, etiam in statu peccati adimpleta, cum talem effectum conferat ex opere operato, quod de suffragiis dici nequit, quæ suum conferunt effectum ex opere operantis. Hoc autem intelligo de offerente suffragium sponte sua, & nomine proprio, non autem ex præcepto alterius, ut sunt legata à testatoribus relicta, & talem esse debere in gratia, ut suffragia sint utilia defunctis. Bannes tr. 4. cap. 2. sect. 1. ait dubitandum esse.

83 Sed dubium est, an opus adhuc valeat, & prosit, si præcipiens sit in gratia, exequens verò, seù adimplens illud sit in peccato mortali. Respondent DD. cum distinctione, opera quæ per alium fiunt, duobus modis fieri posse; primò enim fieri possunt per alium, tanquam per instrumentum; secundò per alium, tanquam per causam propriam, & proximam illorum operum; quando fiunt per alium, tanquam per instrumentum, sunt satisfactoria, quamvis ille, qui ea facit, sit in peccato mortali, & ratio est, quia opus est satisfactorium, quatenus provenit à principali agente, quare si præcipiens, qui est agens principale, sit in gratia, opus valet, & prodest ad satisfactionem, ut si Dominus in gratia existens præcipiat per famulum, vel per amicum suo nomine eleemosynam fieri; & hoc verum esse dicunt quamplures, quamvis præcipiens in peccatum mortale incidat, postquam opus fieri mandavit, modò esset in gratia, quando opus præcepit, quia opus est meritorium, quatenus ab agente principali provenit, ab illo autem provenire censetur, quatenus voluit, & præcepit illud fieri; si ergo tunc in gratiæ statu erat, opus valet, & prodest etiamsi præcipiens posteà in peccatum incidat. Si verò exequens non sit causa merè instrumentalis, sed proxima, & principalis illius operis, opus ab eo præstitum in peccato mortali non videtur prodesse, nec esse satisfactorium, undè si Prælatus subdito præcipiat orare, vel jejunare in aliorum satisfactionem, si hæc opera pœnalia subditus exequatur in statu peccati mortalis, voluntas Prælati est quidem Deo accepta, sed opera illa non sunt satisfactoria, quia jejunia, & oratio, sunt actus merè personales, quorum causa propria, & proxima est orans, vel jejunans, & ab eo exequuntur in statu peccati mortalis, ut supponimus. Ità Bonac. disp. 6. cit. q. 2. punct. 2. plures alios citans. Quid verò dicendum sit de exequente legata à testatoribus relicta dicemus disp. seq. q. 3. art. 3. n. 66.

84 Tertiò ulterius alia quoque condictio requiritur ex parte offerentis, & suffragantis, ut suffragium alteri prosit, nempè ut offerens habeat intentionem offerendi pro eo, cui prodest, illique suffragium applicare intendat, & hæc intentio opus bonum antecedere debet, non subsequi, alioquin posset operans suæ satisfactionis applicationem suspendere, quando ipse non indiget, & applicare posteà quando indiget, quod est falsum, quia ut Coninchius advertit disp. 11 dub. 7. omnes hujusmodi satisfactiones, hoc ipso, quod nec ipse operans iis indiget, nec dum operatur, eas alicui indigenti applicat, in thesauro Ecclesiæ reponuntur, quem extrà collationem Sacramenti nemo dispensare potest, nisi qui potest Indulgentias conferre. Hìc autem quæri solet, an hæc intentio applicandi suffragium pro alio sufficiat, si sit habitualis, an verò debeat esse actualis, vel saltem virtualis, v. g. an sufficiat si ergo heri applicui pro aliquo omnia opera satisfactoria hujus mensis, ut quamdiù hanc voluntatem non retracto, satisfactiones illæ ei prosint, etiamsi posteà illas exequendo nullo modo recordet; Vasquez t. 2. in 3. p. disp. 138. c. 6. cum quibusdam aliis dixit non sufficere voluntatem merè habitualem, seù præteritam non retractatam, sed omninò requiri voluntatem virtualem, hoc est, quæ sit causa operis. Cæterum habitualem quoque sufficere jam ostendi cum communiori, & probabiliori sententia l. 4. sent. disp. 4. q. 7. ar. 2. ubi dicit ut Sacrificium prosit ex opere operato, non esse necessariam in Sacerdote actualem, vel virtualem intentionem, aut applicationem, sed sufficere quoque habitualem, hoc est quod prius intentionem actualem habuerit, ipsamque non retractaverit, ità enim expressè docet Scotus quol. 20. D. ubi ait quod non oportet celebrantem pro multis tunc eis de actu cotare, sed sufficit, quod antè recollegerit istos, pro quibus intendit specialiter orare, & intentionem suam talem Deo obtulerit; ex tunc enim si tantùm in communi eorum memoriam habeat, hoc sufficit, quia tunc Deus oblationem, & devotionem suam pro illis acceptat, pro quibus ordinavit se prius velle offerre, ità Doctor ibi, quem non solùm sequuntur Scotistæ nostri Centin. Gavat. Branc. & alii antiquiores, sed etiam Suar. Lugus, Bonac. Caspens. Diana, Aversa, Coninch. Hurtado, & alii Recentiores passim. Hìc tamen advertendum est, ut etiam dixi l. c. proprie loquendo de intentione habituali non importare intentionem merè præteritam non retractatam per actum contrarium, ut Communiter Recentiores exponunt, sed potius promptitudinem quandam per actus precedentes acquisitam, qualis etiam in dormientibus esse potest, ut explicat Do. 4. d. 6. q. 6. A. sed accipiendo etiam habitualem intentionem pro volitione preterita non retractata ut ipse quoque accepit 4. dist. 4. q. 4. H. adhuc dicimus, quod licet ad valorem Sacramenti non sufficiat, sufficit tamen ad valorem sacrificii, & suffragii, & pro aliquo re vera applicatum dicitur.

85 Quartò tandem alia conditio in satisfaciente requisita ad hoc, ut suffragium oblatum prosit, est quod satisfactio faciat opus, quod ex se vim habeat satisfaciendi, hoc est habeat valorem, & pretium absolvendum debitum illius, pro quo satisfacit. Opera autem hujusmodi ad illa tria superius enumerata reducuntur, ut notat Faber l. c. orationem, jejunium, & eleemosynam, sub quibus omnes aliæ operationes penales reducuntur, & peregrinationes, macerationes, & ratio hujus conditionis est, quia debitum nemò solvere potest, nisi solvendo pretium illi æquivalens, debet ergo quod datur alicui in debiti solutionem in se prius valorem pretii habere, & tunc datio illius pro debito est vera solutio, & compensatio. Aliæ quædam conditiones addi solent, ut videre est apud Bonac. l. c. quæ satis de se patent, ut nempè opus fiat ab homine viatore in hac vita existente, quia sicut post hanc vitam mereri non possumus, nec demereri, ita neque satisfacere, undè ad Galatas ait Apostolus: *Deù tempus habemus operemur bonum, tempore enim suo metemus*, & Joan. 9. *Venit nox, quando nemo potest operari*. Item requiritur, ut opus voluntariè fiat, seù sustineatur, ob id enim satisfactio differt à satispassione, qua de causa, qui casus, & infortunia fortuitò evenientia voluntariè non acceptat in satisfactionem pro se, vel pro aliis, aut illa ad Deum noster refert, condignè satisfacere non dicitur.

DISPU-

DISPUTATIO XXIV.

DE PURGATORIO.

1 ACTENUS deputavimus, qua ratione in hac vita remissionem peccatorum obtinere possimus tam secundùm culpam, quàm secundùm pœnam, & non tantùm per satisfactionem Sacramentalem, sed etiam per Indulgentias, & Suffragia. Sed quia sæpè contingit, aliquos ex hac vita decedere, antequam pro peccatis plenè satisfecerint, & Indulgentiæ non solùm pro vivis, sed etiam pro Defunctis conceduntur, & suffragia à viventibus eisdem quoque applicari solent; in hac disputatione discurrendum est, qua ratione animæ sic decedentes post hanc vitam purgari possint, & remissionem pœnarum ex dimissis culpis remanentium consequi; pro cujus intelligentia quatuor præsertim hìc sunt inquirenda, & discutienda, primò an detur Purgatorium, secundò qualis, & quanta sit ejus pœna, tertiò qualis sit status gratiæ animarum in ipso permanentium, & tandem quibus modis à nobis juvari possint per Indulgentias, & suffragia.

QUÆSTIO PRIMA.

De existentia Purgatorii.

2 NE de nomine sit contentio, per Purgatorium locum quendam intelligimus in quo tanquam in carcere post hanc vitam usque ad certum, ac definitum tempus animæ fidelium detinentur, ac purgantur, quæ in statu quidem gratiæ, sed tamen nondùm plenè, ac sufficienter à peccatis purgatæ è corporibus exierunt ubi fidelium vivorum orationibus, & suffragiis, ac præsertim Sanctissimo Missæ Sacrificio juvari possunt, ac à pœnis sublevari, ut tandem sic purgatæ in Cœlum evolare possint, in quod nihil coinquinatum introire potest; discurrendum ergo est in præsenti quæstione, an Purgatorium detur, & in quo loco, & quibus causis fuerit à Deo institutum.

ARTICULUS PRIMUS.

An Purgatorium detur, & in quo loco.

3 NON defuerunt Hæretici tam veteres, quàm recentiores, qui Purgatorium omninò de medio tollere conati sunt. Ità Valdenses, Albigenses, Apostolici, & plures alii fidei Catholicæ hostes, ut refert Bellarmin. lib. 1. de Purgatorio c. 2. quibus adhæserunt hodierni Heretici Lutherani, & Calvinistæ, qui omnes nullum esse post hanc vitam Purgatorium contendunt, sed animas statim, ac à corporibus separantur, vel in Cœlum conscendere, vel in Infernum detrudi; quorum fundamentum fuit, quia nullum discrimen esse dixerunt inter peccatum veniale, & mortale, sed omnia peccata esse mortalia, & non remitti dicta peccata quin etiam tota pœna remittatur, ex quo deducunt non dari Purgatorium, quoniam in illo per nos peccata venialia purgantur, & pœnæ culparum mortalium remissarum. Undè animas ex hoc mundo decedentes, vel ad gloriam, vel ad Infernum statim ire dixerunt, quod confirmant ex illo Eccl. 11. *Si ceciderit lignum, sivè ad Austrum, sivè ad Aquilonem ubicunque ceciderit, ibi erit*, & Apoc. 14. *Beati mortui, qui in Domino moriuntur, amodò jam dicit Spiritus, ut requiescant à laboribus suis, opera enim illorum sequuntur illos*, & Matth. 25. *Venite benedicti, percipite regnum, & ite maledicti in ignem æternum, &c.* Certum tamen est, & de fide dari Purgatorium, in quo aliquæ animæ à pœnis temporalibus purgantur, plures enim animæ justorum è corpore separantur, licet in gratia decedant, non tamen adhuc pro culpis in hac vita commissis, licet jam remissis, plenè satisfecerunt quarè cùm integrè debitum solvere teneantur, & reatus pœnæ in illis remaneat, antequam in Cœlum recipiantur, aliquas pœnas sustinere debent, ut plenè satisfaciant, & hoc semper ut certum creditum fuit in Ecclesia Dei, ut latè tradunt Dogmatici contrà Hæreticos scribentes.

4 Primò autem refellitur hic error, & nostræ fidei veritas probatur ex variis Sacræ Scripturæ locis tùm veteris, tùm novi testamenti, & ex veteri celebris est locus ille 2. Machab. 12. ubi dicitur *Sancta, & salubris est cogitatio pro defunctis exorare, ut à peccatis solvantur*, quæ verba cùm neque de Beatis, neque de damnatis intelligi possint, sequitur intelligenda esse de quibusdam defunctis, qui in gratia Dei ab hac vita decedentes non plenè satisfecerint, & adhuc aliqua vincula habeant, à quibus post mortem solvi queant, proindeque de illis, qui in Purgatorio detinentur. Qui locus cum adeò clarus sit, ut nequeant Hæretici illum in alio sensu explicare, ad omnes difficultates tollendas in confirmationem eorum pertinaciæ dicunt hos Machabæorum libros esse apocriphos, idest sine ulla auctoritate. Verum hos libros esse Canonicos jam definitum est in Concilio Carthaginensi 3. c. 47. cui interfuit, ac subscripsit D. Augustinus; item in Florentino sub Eugenio Quarto, & demum in Tridentino sess. 3. decreto de Canonicis Scripturis. Probatur etiam hæc veritas ex Tobiæ *Panem tuum, & vinum tuum super sepulturam justi constitue*, quod Patres intelligunt de pane, & vino, quod Deo in Sacrificium pro animabus justis offertur, & de illo, quod elargitur in substentationem pauperum, & Sacerdotum pro dictis animabus, ut ait Turrianus lib. 5. pro Epist. Pont. cap. 14. Probatur quodque ex Isaiæ 4. *Purgabit Dominus sordes filiorum Sion in Spiritu judicii, & Spiritu ardoris*, quem locum de pœna Purgatorii explicat Divus Augustinus lib. 20. de Civit. c. 25. Prætereà probatur hæc veritas ex novo testamento Matth. 12. ubi dicitur esse peccata quædam, quæ *non remittentur in hoc sæculo, neque in futuro*, undè colligunt SS. Patres quædam peccata remitti in futuro sæculo, idest, post hanc vitam per orationes, & suffragia Ecclesiæ, ut exponit idem D. Aug. lib. 6. contrà Julianum c. 15. & lib. 21. de Civit. c. 14. Divus Gregorius lib. 4. Dialog. c. 39 & D. Bernardus homil. 66. in Cantica. Alius locus est 1. ad Corinth. c. 4. in quo Scotus inquit 4. dist. 21. q. 1. A. totam assertionem de Purgatorio fundari, ubi Apostolus inquit, *Si quis super ædificet suprà fundamentum hoc aurum, argentum, lapides pretiosos, lignum, fœnum, stipulam, &c. uniuscujusque opus manifestum erit, & igne probabitur, si enim opus manserit, quod superædificavit, mercedem accipiet, si opus arserit, detrimentum patietur, ipse autem salvus erit sic tamen quasi per ignem*, sensus autem horum verborum juxtà communem Patrum expositionem, quos fusè Faber aducit disp. 36. de Purgatorio c. 1. est, per aurum, argentum, &c. significari opera justorum, quæ sunt probanda per ignem hoc pacto, ut ipsa illæsa relinquat, & per lignum, stipulam, &c. peccata venialia, quæ cremanda sunt, idest, punienda, sed qui ea commisit salvabitur per ignem, quo purgabitur. Alia plura Scripturæ loca vide apud Brancatum nostrum tom. 4. de omnibus novissimis disp. 26. a. 2. §. 1. & apud Bellarminum l. c.

5 Secundò probatur hæc veritas ex universali totius ab initio Ecclesiæ consensu, quæ semper pro defunctis orari curavit, ut constat ex antiquissimis liturgiis, ac libris ritualibus D. Jacobi, D. Marci, D. Basilii Æthiopum, ac Romana, quæ creditur esse D. Petri, & habentur initio tom. 6. Bibliothecæ Patrum, in quibus omnibus certæ quædam preces pro defunctis instituuntur. Item ex variis Conciliis, in quibus præscribitur, ut orationes, & suffragia pro fidelibus defunctis offerantur, ut in Concilio Carthag. 3. c. 29. Brancharensi 1. c. 39. & Aurelian. 2. c. 14. undè sequitur aliquos fideles defunctos in tali loco esse, ubi orationibus, & suffragiis juvari possunt, qui locus ab Ecclesia Purgatorium appellari consuevit, & quamvis in sacris litteris hanc veritatem sub explicito Purgatorii nomine non habeamus, satis est in illis inveniri locum sub tali nomine significatum, alia quoque antiqua Concilia ad hanc veritatem comprobandam adducit Brancatus l. c. §. 4. nimirum Valentinum, Toletanum, Nicenum, Cabilonense, Triburiense, Salegustand. & alia, quæ apud ipsum videri possunt. Et denique probatur hæc veritas ex Concilio Florentino in litteris unionis, & Tridentino sess. 6. can 30. & Decreto de Purgatorio, & sess 22. c. 2. & can. 3. ubi id credendum esse decernit sub pœna anathematis, & in fine prædicti c 2. sic loquitur agendo de Sacrificio Missæ: *Quare non solùm pro fidelium vivorum peccatis, pœnis, satisfactionibus, & aliis*

& aliis necessitatibus, sed, & pro defunctis in Christo nondum ad plenum purgatis ritè juxtà Apostolorum traditionem offertur.

6 Tertiò probatur hæc veritas ex consensu omnium Patrum, qui semper unanimiter docuerunt pro Defunctis orandum esse, hinc Divus Gregorius Nissenus oratione pro mortuis, circà medium loquens de justo ex hac vita decedente inquit, *quod non poterit è corpore egressus divinitatis particeps fieri, nisi maculas animo immixtas Purgatorius ignis abstulerit*, & Divus Augustinus lib. 2. contrà Manich. cap. 60. in fine sic ait: *Qui agrum non coluerit, & spinis eum opprimi permiserit habet in hac vita maledictionem terræ suæ, & post hanc vitam habebit, vel Purgatorium ignem, vel pœnam æternam*, & lib. 21. de Civitat. cap. 24. loquens de justis, qui cum levibus peccatis ex hac vita decedunt, inquit. *Tales constat ante Judicii diem per pœnas temporales, quas eorum Spiritus patiuntur, purgatos æternis suppliciis non tradendos*, & Divus Ambrosius lib. 2. epist. 8. ad Faustinum loquens de obitu Sororis ait: *Itaque non tam deplorandam, quàm prosequendam orationibus reor, nec mœstificandam tuis lachrymis, sed magis oblationibus animam ejus Domino comendandam arbitror*, & Divus Chrysostomus homil. 41. in 1. ad Corinth. loquens de justo defuncto ait *Juvetur non lachrymis, sed precibus, supplicationibus, eleemosynis, & oblationibus*. Item probatur ex aliis SS. Patribus, qui pro fidelibus defunctis orandum, ac Sacrificium Missæ offerendum esse dixerunt, ut S. Cyrillus Hierosolym. Catech. 5. Mistag. *Pro omnibus*, inquit, *oramus qui inter nos vitæ functi sunt, maximum credentes esse animarum juvamen*, & D. Greg. lib. 4. Dialog. cap. 55. ait *Multum solet animas etiam post mortem sacra oblatio hostiæ salutaris adjuvare, ut hanc nonnunquam ipsæ defunctorum animæ expetere videantur*. Plures alios Patrum auctoritates vide apud Bellarminum, Suarez, Fabrum, Coninchium, & Brancatum l. c. §. 2. & 3. qui testimonia Patrum Græcorum, & Latinorum sigillatim adducit.

7 Quartò deducitur tandem hæc veritas ex destructione fundamenti Hæreticorum, quod scilicet, nullum sit discrimen inter peccatum veniale, & mortale, sed omnia peccata esse mortalia, & non remitti dicta peccata, quin etiam tota pœna remittatur, etiam temporalis. Falsum enim in primis est peccatum veniale non differre à mortali, ut fusè ostendimus 2. sent. disp. 6. de Peccatis q. 6. & clarè deducitur ex epist. D. Jacobi c. 1. dùm ait: *Unusquisque tentatur à concupiscentia sua, concupiscentia cum conceperit, parit peccatum, peccatum cum consummatum fuerit, generat mortem*, quibus verbis ut notat Faber disp. 86. cit. c. 1. describit Apostolus processum peccati concupiscentiæ, & inquit post tentationem peccati, quæ potest esse sine ullo peccato, si resistentia fiat, continuò sequi peccatum si non fiat; nam ex concupiscentia, quæ tentat, in parte inferiori oritur delectatio, quæ est aliquod peccatum, non tamen mortale, si non adsit consensus plenus, & perfectus, & hoc est peccatum veniale; si verò peccatum consummatum fuerit, accedente nimirum pleno, ac deliberato consensu, generat mortem, & tunc est peccatum mortale; non ergò omne peccatum est mortale, sed datur etiam aliquod veniale tantùm. Falsum est etiam dùm Deus culpam dimittit, etiam omnem pœnam dimittere, ut suprà ostendimus disp. 21. de Pœnitentiæ Sacramento q. 11. de satisfactione Sacramentali, sæpissimè enim contingit, ut post remissam culpam aliqua pœna temporalis persolvenda nobis remaneat, & consequenter ut quis ex hac vita decedat antequam pro tali pœna omninò satisfecerit, tunc igitur post mortem, antequam Cœlum ingrediatur, alicubi pro omni tali pœna satisfacere, vel satispati tenetur, & eadem est ratio eorum, qui ab omni peccati mortalis reatu immunes ex hac vita decedunt, & cum solis venialibus culpis moriuntur, isti enim post hanc vitam antè Cœlorum ingressum purgari, & puniri debent; ergo est indubitata veritas aliquos post hanc vitam temporalibus pœnis esse puniendos, pro quibus hìc satisfecerunt.

9 Neque obstant adductæ Scripturæ, siquidem in eis fit tantùm mentio de duobus terminis vitæ per quos homo terminatur, vel ad gloriam æternam, vel pœnam, & ignem æternum, Ecclesiastes enim solùm asserit statum gratiæ, vel peccati, sivè odii Dei post hanc vitam esse immutabilem, atque ideò si homo in statu gratiæ moriatur filius Dei, aut in statu peccati filius gehennæ, perpetuò talem futurum, sic etiam D. Joannes in Apocal. loquitur de statu in perpetuum futuro post hanc vitam, & tandem Christus Matth. 25. loquitur etiam de statu animarum post judicium futuro, qui solùm duplex erit, scilicet, beatorum, & damnatorum, & in eodem sensu loquuntur Patres, quando asserunt duo tantùm esse loca, quibus animæ Defunctorum recipiuntur post hujus vitæ discessum, loquuntur enim de locis, & statibus in æternum permanentibus, quia contrà Pelagianos disputabant asserentes post diem Judicii futurum tertium locum, in quo pueri cum originali ex hac vita decedentes, sine baptismo perpetua quadã beatitudine fruerentur, quod Patres impugnant, & damnant, undè Divus Augustinus lib. 1. de peccatis mortal. c. 18. & serm. 14. de verbis Apost. aliisque in locis duo loca ait esse hominibus post hanc vitam præparata, Regnum, scilicet æternum, aut pœnam æternam, quia Purgatorium est via, ideoque mentionem de terminis viæ faciendo, ut fit in Scripturis adductis, omittitur via, & solùm de terminis fit sermo. Itaque ex his auctoritatibus concluditur esse tantùm duo loca ultima, in quibus omnes ultimatè recipi debent, & perpetuo detineri, Paradisum, scilicet, & infernum, & post judicium universale omnes in hęc duo loca mittendos esse à Christo Domino illis verbis: *Venite benedicti*, &c. *Ite maledicti*, &c. quod optimè Sixtus Papa declaravit in Epist. ad malos Doctores dicens: *Ego in Scriptura duo tantum loca invenio, Regni, & Gehennæ, hoc est, vitæ, & mortis; Purgatorium semper excipio, in quo ad tempus piorum animæ corporibus solutæ expiantur*. Quarè ex citatis Scripturis, & aliis sic loquentibus non benè deducitur quod post mortem alius locus non detur, in quo ad tempus pœnæ peccatis jam remissis debitæ purgentur, & luantur, qui post diem extremi universalis judicii cessabit. Ità Cardinal. Bellarminus, Suarez, Coninchius, Brancatus, & Faber loc. cit. & alii passim. Quæ omnia jam pridem docuerat Divus Bonav. 4. d. 20. part. 1. qu. 1. ubi hoc quæsitum proponit, & in eo corpore quæstionis ait, dicendum esse, quod sicut dicit Scriptura, & auctoritates Sanctorum, & revelationes plures, & rationes concordant, & Ecclesia universalis confirmat, quæ pro animabus Defunctorum orat, absque dubio post hanc vitam est ponere pœnam purgatoriam, & ratio est quia universæ viæ Domini misericordia, & veritas, & sic autem misericordia parcit Dominus, ut veritati sive justitiæ non fiat præjudicium, ideo dimittit culpam, & pœnam eternam, ità tamen quod obligatum teneat ad pœnam temporalem, ab hac autem pœna non absolvitur in mortem, quoniam status post mortem non repugnant punitioni animæ, puniuntur animæ, & premiantur, & ideò cùm non sint alicui taliter remissa peccata, quin obligetur ad aliquam pœnam, nisi fiat per baptismalem gratiam, & ab ea obligatione non absolvitur, & debitor pœnæ non possit cum debito Cœlum ingredi, necessarium est esse Purgatorium. Ità discurrit Seraphicus Doctor loc. cit. ubi etiam solvit rationes, & auctoritates in oppositum adductas modo jam explicato.

9 Quintò quamvis conveniant Catholici omnes dari locum animarum purgantium, qui dicitur Purgatorium, in quo decedentes in gratia pœnas peccatorum persolvunt, pro quibus hìc non plenè satisfecerunt, non tamen omnes conveniunt in hujusmodi loco assignando, seù ubi sit Purgatorium, quia de hoc nullum certum habemus Scripturæ testimonium, nec Ecclesiæ determinationem. Undè aliqui dixerunt Purgatorium non esse in una certa mundi parte, & loco determinato, sed esse locum indeterminatum, & variis in locis animas ad purgandũ deputari præsertim verò illis in locis, in quibus peccaverunt, quã sententiam amplexus est Ugo de S. Victore l. 2. de Sacram. par. 16. c. 4. quod probat ex pluribus revelationibus, quas afferunt D. Gregorius lib. 4. Dialog. cap. 25. & 55. & Petrus Damianus Epist. 13. ad Desider. c. 7. & alii Patres, quarè concludit probabilius esse unumquemque purgari, ubi potissima peccata commisit. Communis tamen sententia Theologorum est, ut refert Faber noster disp. 36. cit. c. 2. Purnatorium loquendo secundùm legem communem & ordinariam Dei esse in ipsis terræ visceribus, & Inferno conjunctum, loquendo verò secundùm legem particularem, seù dispositionem divinam interdum aliquas animas in aliquo particulari loco purgari, vel quia in iis peccaverint, vel etiam ad instructionem, & terrorem vivorum. Ità D. Thomas 4. d. 20. & ibidem D. Bonavent. p. 1. q. 6. ubi movens quæstionem, in quo loco animæ justorum pœnas luant suorum peccatorum; pro quibus plenè hìc non satisfecerunt, resolvit dicendum esse, quod locus Purgatorii secundùm legem communem, & ordinariam inferius credendus est in terræ viceribus, ut sit locus purgatorius, quia talis locus competit punitioni, & subdit, quod hìc locus pars Inferni creditur à quibusdam propter illud verbum Divi Gregorii 4. Dialog. quod sub eodem igne electus purgatur, & damnatus crematur. Si autem loquamur secundùm dispositionem specialem, sic diversis diversa loca concessa sunt. Vel propter eorum celeriorem liberationem, ut possint aliis suam indigentiam revelare, sicut docet D. Grego. cit. exemplo Paschasii; Vel propter nostram instructionem, ut aliquando recogitemus magnam post hanc vitam pœnam infligi peccantibus, Vel propter alicujus Sancti impetrationem, sicut legitur, quod S. Patritius impetravit cuidam, quod puniretur in quodam loco in terra. Ità discurrit Seraphicus Doctor loc. cit. quem dicendi modum omnes Recentiores sequuntur.

10 Quod autem secundùm legem communem Purgatorium sit locus determinatus, & inferior in visceribus terræ, probatur ex variis Scripturæ testimoniis asserentibus sub terra, & inferiori-

ſerioribus partibus ejus eſſe quaſdam animas juſtas, quæ Deum laudant, ut illud Apoſtoli ad Philippenſes 2. *In nomine Jeſu, omne genuflectatur, Cœleſtium, Terreſtrium, & Infernorum*, quæ verba ultima de animabus in Inferno damnatis utique intelligi nequeunt, quæ tantùm abeſt ut Chriſto genua flectant, quod potius illum continuò blaſphemant juxtà illud *Superbia eorum, qui te oderunt, aſcendit ſemper*, undè ſolùm de animabus Purgatorii intelligi poſſunt.

Confirmatur id etiam ex illo Pſalm. 113. *Non mortui laudabunt te Domine, neque omnes qui deſcendunt in infernum* ex quo colligitur etiam aliquos, qui in Infernum deſcendunt hoc eſt, in inferiores terræ partes Deum laudare; cùm ergo de damnatis in Inferno id nequeat intelligi, ut dictum eſt, reſtat ut de exiſtentibus in Purgatorio intelligi debeat, ut communiter Patres exponunt, & rurſus idem deducitur ex illo Apocal. 5. *Nemo inventus eſt dignus aperire librum, neque in Cœlo, neque in Terra, neque ſubtus Terram*, & certum eſt Joannem non enumeraſſe niſi juſtos, undè deducitur etiam ſub terra juſtos eſſe, ſcilicet, animas Purgatorii, & idem indicant alia verba, quæ adduci ſolent Eccleſiaſt. 24. *Penetrabo inferiores partes terræ, & inſpiciam omnes dormientes, & illuminabos omnes ſperantes in Domino*, ex quo loco probari etiam ſolet deſcenſus Chriſti ad inferos. Demum huic etiam communi ſententiæ favent verba, & collectæ, quæ in Sacrificio Miſſæ dicuntur pro Defunctis: *Libera Domine animas fidelium Defunctorum de pœnis Inferni, & de profundo lacu*, etenim pœnæ iſtæ inferni, de quibus ibi Eccleſia loquitur, utique non ſunt pœnæ damnatorum, quia iſti redemptionis amplius non ſunt capaces ergò his verbis liberationem petit animarum à Purgatorio, non ab Inferno. Neque dicas Eccleſiam orare de præcavendum eas à pœnis inferni repræſentando diem obitus illarum; nam Eccleſia illis verbis orat pro anima jam judicata, judicatur enim anima noſtra ſtatim, ac à corpore ſeparatur; igitur ne fruſtrà oret, ſupponit animas illas in Cœlo non eſſe, quia tunc noſtris orationibus non egent, ſed apud Inferos non autem in Inferno inferiori, nam in eo nulla eſt redemptio, ſed eſſe in Inferno Superioris, quod eſt Purgatorium, & orat ab illo liberari; ergo Purgatorium eſt in loco inferiori. Ità Auctores omnes adducti, & alii paſſim.

ARTICULUS SECUNDUS.

Quibus de cauſis Purgatorium fuerit à Deo inſtitutum.

11 CUm tantummodo fidelium juſtorum animæ in Purgatorio detineantur, quæ ab omni mortalis culpæ reatu ex hac vita deceſſerunt, ſequitur ex dictis articulo præcedenti ut ob duas tantùm cauſas ibi purgari debeant, nimirum vel pro pœnis temporalibus, quę peccatis mortalibus, aut venalibus, quoad culpam remiſſis debentur, pro quibus plenè, & intergrè in hoc ſæculo non ſatisfacerunt, vel pro peccatis venialibus, cum quibus nondùm quoad culpam remiſſis è corporibus exierunt; verùm quia circà hoc punctum aliquæ contingunt difficultates in hoc articulo, ex dictis in Superioribus ſunt breviter declarandæ juxtà mentem noſtri Doctoris 4. d. 21. quæſt. 1. ubi hanc duplicem cauſam aſſignat.

12 Primò conveniunt Doctores, & Catholici omnes cauſam finalem cur ſtatus medius, ſeù locus Purgatorii, ſit à Deo inſtitutus, eſſe ut anima purgetur, ſivè expietur à reatu pœnæ temporalis, quæ peccatis mortalibus, aut venialibus quoad culpam remiſſis debetur. Fundamentum eſt, quia ut dictum eſt artic. præcedenti dùm in hac vita peccatum mortale remittitur, & pœna æterna ei debita, non ſemper tollitur obligatio omnis pœnæ temporalis, ſed aliquando, & ſæpè remanet in Purgatorio luenda, ut in Concilio Florentino determinatum eſt ſeſſ. ult. in Conſtitut. unionis & denuò in Tridentin. ſeſſ. 6. can. 30. his verbis. Si quis poſt acceptam juſtificationis gratiam cuilibet peccatori pœnitenti ità culpam remitti, & reatum æternæ pœnæ deleri dixerit, ut nullus remaneat reatus pœnæ temporalis exoluendæ, vel in hoc ſæculo, vel in futuro in Purgatorio, antequam ad Regnum Cœlorum aditus patere poſſit anathema ſit. Et inferius ſeſſione 14. ca. 8. in Sacramento pœnitentiæ præcipit ſatisfactorias pœnitentias ſemper eſſe injungendas, quia poſt culpam, & pœnam æternam remiſſam ſemper aliqua remanet temporalis pœna luenda in hoc, vel in futuro ſæculo, quod inquit ex multis caſibus in Sacra Scriptura narratis manifeſtè colligi, cùm enim Deus fidelibus ſuis peccata graviora dimittebat, & pœnam æternam eis debitam, adhuc tamen temporali aliqua pœna ea puniebat, ut cum ejus miſericordia etiam juſtitia admixta appareat, ità à Mundi initio Geneſ. 3. Deus primis parentibus graviſſimum inobedientiæ peccatum, & pœnam æternam condonavit, ſed eis pœnas temporales injunxit, viro quidè dicens: *In ſudore vultus tui veſceris pane tuo, donec revertaris in terram, de qua ſumptus es, maledicta terra in opere tuo, in laboribus comedes ea cunctis diebus vitæ tuæ*. Mulieri autem aliam quoque temporalem pœnam injunxit, dùm dixit: *In dolore paries filios, & ſub viri poteſtate eris, & ipſe dominabitur tibi*. Sic etiam 2. Regum c. 12. quando David adulterium cum uxore Uriæ commiſit, & ex Nathan increpatione peccatum ſuum deteſtatus eſt, & confeſſus dicens, *Peccavi Domino*, reſpondit Nathan: *Domino tranſtulit peccatum tuum, non morieris, veruntamen filius, qui natus eſt, tibi morte morietur*, & hoc in pœnam ſui peccati, ut ait Divus Gregorius relatus ca. *ſi peccatum de pœnitent. diſt.* 1. Sic etiam Exod. 30. quando populus infidelitate peccavit non credens, neque Moyſes ipſe, nec Aaron ſe accepturos aquam de petra, licet Deus peccatum hoc condonaverit, juravit tamen eos non intraturos in terram promiſſionis, & ità accidit, & ſimiles alii caſus paſſim in Scriptura leguntur, ex quibus manifeſtè deducitur Deum culpam mortalem ignoſcentem, & pœnam æternam dimittentem, pœnas aliquas temporales ab eis exigere in hoc, vel futuro ſęculo luendas, quibus æternâ dimiſit.

13 Secundò quoad aliam cauſam aſſignatam admittendi Purgatorium, nimirum pro purgatione venialium, cum quibus modùm quoad culpam remiſſis quis moritur, Doctores non cõveniunt. Negarunt enim aliqui venialia poſt hanc vitam remitti poſſe etiam in Purgatorio, quia poſt hanc vitam non eſt tempus merendi, & ſatisfaciendi pro peccatis juxtà illud Joan. 9. *Me oportet operari opera ejus, qui miſit me, donec dies eſt, veniet nox, quando nemo poteſt operari*, per diem autem Patres intelligunt tempus vitæ præſentis, per noctem verò futuræ, ità Alenſis 4. p. q. 15. memb. 3. art. 3. cum quibuſdam aliis. Communis tamen ſententia affimat peccata venialia etiam quoad culpam in Purgatorio remitti poſſe, ut diximus ſupra diſp. 21. q. 4. art. 2. quod Patres deducunt ex illo Matth. 12. *Qui peccavit in Spiritum Sanctum, non remittetur ei neque in hoc ſæculo, neque in futuro* ex hac enim ſententia datur intelligi, inquit D. Gregorius lib. 4. Dialog. cap. 19. *quaſdam culpas in hoc ſæculo, quaſdam verò in futuro poſſe relaxari*, quod de venialibus, & levioribus ibidem diximus eſſe intelligendum, quia contingere poteſt aliquem ex hac vita cum ſolis venialibus decedere, ut de illo cõtingeret, qui ſolis venialibus detineretur, & dormiens occideretur, vel in amentiam perpetuam incideret, certum enim eſt, quod iſte ſalvaretur, quia ſupponitur eſſe in gratia, & ſolis venialibus detineri, nec perpetuò ratione illorum in Purgatorio ſtaret, nequè cum peccato veniali gloriam intraret, quia nihil coinquinatum intrabit Regnum Cœlorum; ergo remiſſio venialium poſt hanc vitam aquiri poteſt, ſivè id fiat in ipſa animæ ſeparatione à corpore, ſivè toto Purgatorii tempore. Quod verò ex Jo. 9. adducebatur probat ſolùm in alia vita deletionem venialium haberi non poſſe per modum meriti, & ſatisfactionis, quia poſt mortem non eſt amplius tempus merendi, nec ſatisfaciendi, ſed ſolùm ſatiſpatiendi, & ideò per ſolam ſatiſpaſſionem in Purgatorio venialia deleri poſſunt, non per ſatisfactionem, ut ait Doct. l. c. & ſic etiam intelligenda ſunt verba Eccleſiaſt. 14. *Ante obitum tuum operare juſtitiam, quia non eſt apud inferos invenire cibum*, fatendum itaque eſt poſſe veniale peccatum etiam poſt hanc vitam dimitti in Purgatorio, & ſic etiam docet D. Bonav. 4. d. 21. p. 1. art. 2. q. 1. ubi ait, quod non à quavis macula, ſed à veniali tantùm, & à debito mortalis purgat purgatoria pœna.

14 Tertiò eſt difficultas de modo, & quando poſt mortem remittantur, de quo varii ſunt modi dicendi. Plures dixerunt tam veteres, quàm Recentiores, ut l. c. dictum eſt, peccatum veniale quoad culpam remitti decedenti in charitate poſt hanc vitam per aliquem actum bonum converſionis animæ ad Deum, & deteſtationis venialium habitum in primo inſtanti ſeparationis ejus à corpore, imò aliqui etiam dicunt venialia poſt mortem deleri poſſe per actus contritionis, & charitatis factos in alia vita, ſcilicet, in Purgatorio aliquo tempore poſt ſeparationem animę à corpore, nec opus eſſet ut in primo ſeparationis inſtanti anima ſtatim eliciat ſufficientem pœnitentiæ actum pro venialibus. Verùm hic dicendi modus Scoto non placet, ut diximus loc. c. nam 4. d. 21. q. 1. in fine quæſtionis antè principalium ſolutionem inquit, quod ponere in anima ſeparata aliquem bonum motum, vel diſpoſitionem, qua de congruo, vel de condigno deletionem culpæ venialis mereatur, non eſt theologicæ doctrinæ conſonum, quæ ponit ſtatum illum ab iſtis immunem, nec ſtatum merendi admittit in alia vita, quia poſt mortem non eſt amplius tempus merendi, nec ſatisfaciendi, ſed ſolùm ſatiſpatiendi, ut ex præcitatis teſtimoniis colligitur Joan. 9. & Eccleſiaſt. 14. Alius proindè modus dimittendi venialia poſt mortem aſſignatur à Scoto ibidem ſub lit. E. & eſt, ut diximus l. c. quod peccata venialia decedenti in charitate ſtatim poſt mortem remittantur, non quidem per aliquem actum meritorium quem tunc eliciat, ſed propter aliquem alium actum ab ipſo factum, dùm viveret, & acceptatum à Deo ſtatim poſt ejus mortem ad

remissionem venialium, cum quibus ex hac vita discessit. Idque suadet Doctor, quia ad peccatum veniale delendum non requiritur necessariò pœnitentia, & displicentia formalis peccati, sicut exigitur ad remissionem mortalis, sed deleri potest per aliquem actum magis Deo gratum, quàm actus peccati displicuerit; cùm ergo in vita sic dimitti possit veniale peccatum, rationabile quoque erit, quod etiam in primo instanti post mortem deleatur per acceptationem operum illorum à Deo, quæ opera fortè in vita non fuerunt acceptata, quia in vita posuit obicem continuando peccatum, quem obicem post mortem ponere nequit, quia post mortem nemo amplius meretur, vel demeretur, quem dicendi modum l. c. fusiùs declaramus.

15 Quartò denique alius quoque dicendi modus, quo peccatum veniale post mortem dimitti potest ibidem assignatur à Scoto, ut diximus loc. cit. & est per satisfactionem, seù solutionem totius pœnæ temporalis, ad quam veniale ordinatur, quod ità declarat Doctor, quia actu transacto culpa, quæ manet, nihil aliud est, nisi reatus ad pœnam debitam, iste verò reatus peccati venialis non est nisi ad pœnam temporalem, ut constat ex superius dictis, atque ideò soluta pœna temporali in Purgatorio, quæ pro veniali debetur, culpa venialis erit remissa; quæ doctrina conformatur illi, quam tradit ipse Doctor de macula, & peccato habituali 4. d. 14. q. 1. art. 1. ubi docet formale constitutivum peccatoris esse reatum, seù obligationem ad pœnam peccato correspondentem ex actu peccaminoso contractam, & in ipso permanentem quousque pœna illa soluta fuerit, quam germanam Scoti sententiam de peccato habituali latè declaravimus lib. 2. sent. disp. 6. q. 8. art. 6. & seq. Pro recta autem hujus dicendi modi intelligentia advertimus loc. cit. quod cùm inquit Doctor peccatum veniale posse in Purgatorio per satisfactionem dimitti, seù per solutionem totius pœnæ temporalis, quæ veniali debetur, per pœnæ solutionem non esse præcisè intelligendam ipsius pœnæ exhibitionem, & exactionem, sed dignitatem, & obligationem ad eam ex tali actu contractam, aliud enim est loqui de pœna actuali pro peccato exhibita, & aliud de dignitate, & obligatione ad eam ex tali actu contracta, in qua propriè consistit culpæ reatus; potest enim adhuc ista manere culpa non retractata, etiamsi pœna semel sit sufficienter inflicta, & soluta, ut si reus ob commissum crimen una tantùm vice fustigari mereatur si tali fustigatione secuta, & exhibita, peccati patrati non pœniteat, adhuc crimen in eo habitualiter, vel moraliter manens, quatenus non est retractatum dicitur fustigatione dignum, seù illa pœna, quæ semel ei fuit inflicta, non autem nova fustigatione, hoc enim esset novam dignitatem ponere, non autem antiquam durare. Quando ergo in præsenti dicimus veniale etiam quoad culpam posse in Purgatorio remitti per solutionem totius pœnæ temporalis illi debitæ, non tantùm intendimus solutionem ab illa actuali pœna, sed etiam à dignitate, & obligatione ad eam, in qua præcipuè reatus culpæ venialis consistit, & hanc venialium remissionem Patres apertè deducunt ex illa Apostoli auctoritate 1. Corin. 3. ubi loquens de anima purgante, inquit, *sic salvus erit quasi per ignem*, quibus verbis insinuat peccata venialia in Purgatorio dimitti per satisfactionem, & purgationem ignis, non tantùm quoad reatum pœnæ, quæ ibi luenda remanserit pro peccatis in hac vita remissis sivè venialibus, sivè mortalibus, sed etiam quoad reatum culpæ pro venialibus hìc non dimissis, nam hominem ibi salvum fieri per purgationem ignis præcipuè liberationem ejus à culpa significat, & non tantùm à pœna, ut fusiùs declaratum est l. c. Ex quibus omnibus constat, falsum esse, quod ait Brancatus disp. 26. cit. art. 3. venialia peccata per Scotum non dimitti post mortem quoad culpam, sed tantùm quoad pœnam temporalem sibi debitam; etenim Doctor expressè docet l. c. animabus in Purgatorio existentibus venialia dimitti tùm quoad pœnam, tùm quoad culpam, non quidem per bonum actum voluntatis, quem habeant, ut asserebat primus dicendi modus jam relatus, sed vel ob solutionem pœnæ temporalis debitæ, ut asserebat tertius dicendi modus, vel intuitu meritorum in vita præcedentium, ut asserebat secundus; si enim antè mortem fuit obex, ob quem deleri non potuerint illorum intuitu, cessante obice per separationem animæ poterunt illa merita talem sortiri effectum, & uterque dicendi modus à Scoto approbatur l. c. ut patet legenti.

16 Sed contrà modum assignatum pro dimissione venialium post hanc vitam in Purgatorio per satisfactionem, seù solutionem totalis pœnæ temporalis, ad quam veniale ordinatur, arguunt nonnulli, quia sicut nullus potest maculam peccati contrahere sub ratione culpæ, nisi per actum liberum, & aversionem à Deo; ità è contra non potest se liberare à peccato, nisi per actum propriæ voluntatis in Deum convertatur, seù nisi voluntas peccatoris rectificetur; ergo per solam satisfactionem peccatum veniale in Purgatorio dimitti non potest. Confirmatur, quia si per solam satisfactionem posset veniale remitti jam posset aliquis peccator pœnam sustinens remurmurando, & contemnendo ab ipso peccato veniali absolvi, quod absurdum est, quia per talem remurmurationem saltem venialiter peccaret, & ità poneret obicem ad remissionem. Denique quia juxtà hoc principium de remissione venialis in Purgatorio per solam satisfactionem posset quoque defendi veniale in Inferno remitti, non tantùm quoad pœnam, sed etiam quoad culpam.

17 Objectiones istas, & alias quoque circà eandem materiam jam solvimus lib. 4. sent disp. 5. quæst. 9. art. 5. Ad primam diximus non esse eodem modo discurrendum de remissione venialis in via, & in termino, in via namque utique de peccato commisso aliqua detestatio habenda est saltem virtualis per actum voluntatis, quia sumus in statum merendi, & demerendi; at in Purgatorio sufficit libens, & voluntaria pœnæ tolerantia absque remurmuratione, quæ etiam est aliqua species detestationis ad statum illum sufficiens pro deletione peccati. Ad Confirmationem negavimus consequentiam, quia licet ad pœnæ solutionem sufficiat satisfactio etiam involuntariè, & cum remurmuratione tolerata, ut notat Doctor 4. d. 15. qu. 1. sub B & declarat exemplo illius, cui ob patratum delictum invito manus abscinditur, hic enim sufficienter pœnam exolvit patrati delicti, nec debet ab eo ulterior pœna exigi, hæc tamen involuntaria, & coacta satisfactio cum remurmuratione ad delectationem culpæ non est sufficiens; talis autem non est satisfactio, per quam in Purgatorio venialia delentur, sed libens & voluntaria absque ulla remurmuratione. Ad ultimum diximus non deesse Scotistas, qui ex eo principio deducunt veniale etiam in Inferno dimitti non tantùm quoad pœnam, sed etiam quoad culpam. Ità Faber, Hiribarnes, & alii Scotistæ; probabilius tamen esse diximus posse veniale in Inferno dimitti tantùm quoad pœnam, quæ temporalis est, non verò quoad culpam, quia satisfactio damnatorum omninò involuntaria est, atque coacta, atque ideò licet possit esse sufficiens ad pœnam tollendam, cùm enim in tali satisfactione fervetur justitiæ æqualitas pro peccato puniendo, acceptanda videtur à Deo, tanquam solutio sufficiens ad pœnam tollendam, non tamen culpam, quia ad hoc vlterius requiritur, ut pœna sit patienter tolerata, & sine remurmuratione, ut ex professo declaratum est lib. 2. sent. disp. 6. *de Peccatis* quæst. 8. quomodo autem durante culpa in damnatis peccati venialis possit cessare pœna, & ordo ad eam, declaratum est ibidem num. 230.

QUÆSTIO SECUNDA.

De Pœnis, quæ in Purgatorio continentur.

18 CUm præcipuus finis Purgatorii sit, ut animæ ibi existentes pœnam peccatis suis debitam in hac vita quoad culpam remissis patiantur, & hac de causa Purgatorium fuerit à Deo institutum, ut diximus q. præced. art. 2. ratio postulat, ut consequenter in hac quæstione de qualitate, & gravitate illarum pœnarum agamus, & consultò etiam hanc quæstionem de genere, & acerbitate pœnarum Purgatori præmittimus, antequam de suffragiis pro animabus illis agamus, ut fideles suprà talium pœnarum gravitatem, & acerbitatem maturè reflectentes miseratione ducti ad animas, quæ his pœnis detinentur, & cruciantur, sublevandas moveantur. Discurremus itaque brevitate jam consueta, quotuplex illa pœna sit, quàm gravis, & acerba, quibus mediis, seù instrumentis exerceatur, quomodo incipiat, & continuè sustineatur, ac tandem quantum sit duratura, & quando finiatur.

ARTICULUS PRIMUS.

An animæ Purgatorii pœnam damni, & sensus patiantur.

19 PRimò constat ex jam dictis lib. 2. sent. disp. 4. q. 6. ab initio pœnam damni consistere in carentia æternæ beatitudinis, pœnam verò sensus esse inflictionem alicujus doloris ultrà privationem cœlestium bonorum. Quod ergò animæ Purgatorii toto eo tempore, quo ibi detineantur, careant visione beata, satis constat ex dictis quæst. præced. quia non sunt expeditæ, & aptæ ad Deum videndum, tùm quia visio beatifica non potest manere cum pœna. Difficultas modò est, an hæc carentia visionis in animabus Purgatorii habeat rationem pœnæ damni. Prima, & satis communis sententia affirmat, cujus præcipuum fundamentum est, quia animæ Purgatorii detinentur ab ingressu Paradisi ratione culpæ commissæ, pro qua pœnam debitam in hac vita non adimplevere; sed hæc est pœna damni; ergo &c. major probatur, qui nulla alia ratione ab illo ingressu ditinentur,

nam

nam quantum est ex parte status, veluti naturalis, hoc ipso, quod sunt extrà corpus, sunt in statu sufficiente ad videndum Deum, quia exutæ sunt corpore mortali, & sunt extrà statum viæ, nulla ergò alia causa eas impedit, nisi culpa commissa, quæ licet sit remissa, adhuc tamen non est plenè purgata. Ità D. Thomas, Riccardus, Paludanus, Durandus, Soto, Suarez, Bellarminus, & alii Recentiores.

20 Alia sententia negat, quam tenet Cajetanus tom. 1. Opuscul. tract. 4. q. 4. & Faber nolter disp. 36. cit. c. 3. pro qua adducit D. Bonavent. 4. d. 20. p. 1. art. 1. q. 3. & Scotum, ex cujus principiis eam deducit, & probat, etenim 4. d. 50. quæst. 6. § *Ad primam quæstionem* explicans quid sit pœna damni ait, quod non est sola carentia beatæ visionis quia simplex carentia non est pœna, sed carentia boni apti inesse, & boni propinqui, non remoti; & subdit neque hoc sufficere ad perfectam rationem pœnæ damni, sed ulterius requiri, quod illa carentia sit involuntaria, & in hac ultima particula maximè consistere rationem pœnæ; undè ad propositum pœna damni, quæ ponitur in damnatis, est carentia visionis beatificæ, quæ est bonum aptum inesse illis, & hæc carentia est illis omninò involuntaria; ex hoc autem deducitur carentiam visionis beatificæ in animabus purgantibus non esse verè, & propriè pœnam damni, quamvis enim sit carentia boni apti inesse illis, & ratione status, & ratione denudationis a corpore, & nullum aliud impedimentum adsit, nisi peccatum; tamen deficit hæc ultima conditio, quia hæc carentia visionis beatæ in animabus illis non est involuntaria, sed voluntaria, non quidem perfectè voluntaria, hoc est, spontaneè electa, vel gratanter acceptata, quia hi modi voluntarii ibi non sunt, sed quia patienter tolerata, nec remurmurant contra Deũ ut faciunt damnati, qui omninò carentiam illam odio habent, non sic animæ existentes in Purgatorio, sed complacent in illa carentia, quia sic Deus disposuit. Cùm ergò hæc pœna non sit in illis omninò involuntaria, & eo præsertim modo, quo est involuntaria in damnatis, concludit Faber l. c. hanc carentiam in animabus Purgatorii non videri dicendam pœnam damni, & per hoc inquit solvi rationem oppositæ sententiæ, quia procedit ex sufficienti enumeratione conditionum, quæ faciunt carentiam alicujus boni esse pœnam damni verè, & propriè dictam.

21 Hæc tamen ratio non urget, quia ut diximus lo. cit. 2. sent. disp. 4. quæst. 6. num. 1. infantes cum solo originali decedentes passuri sunt reipsa pœnam damni, ut communis sententia docet in omni schola, & tamen de illa nullum habebunt dolorem vel tristitiam, quia pœna damni in tali tristitia non consistit, sed præcisè in ipsa carentia beatitudinis debitæ quæ est pœna privativa maximi boni, illa verò tristitia ad eam sequens est molestia quædam positiva, quæ proindè ab aliquibus dicitur pœna sensus, & ut ait Scotus 2. d. 33. quæst. un. per se pœna est sola visionis Dei privatio, etiamsi ad eam nulla sequeretur tristitia, licet non sit pœna positiva, sed solùm privativa; ut enim ibi dicebamus, pœna duplicem potest habere significationem, vel enim idem significat, ac incommodum, & dicitur pœna damni præscindendo etiam à tristitia consequente, quæ in carentia summi commodi sita est; alio modo idem denotat, ac supplicium, & ità dicitur de pœna sensus, ad quam pertinere dicunt ipsam tristitiam ad amissionem beatitudinis consequentem, extendendo vocabulum sensus ad quodcunque secundùm propriã speciem perceptibile ad differentiam cujuscunque negativi absolutè imperceptibilis, cùm sit nihil. Ex qua doctrina patet, quomodo intelligendum sit, quod ait Scotus 4. d. 50. quæst. 6. N. § *Ad quæstionem* quod, scilicet, pœna damni, ut est carentia summi boni, non esset nolita, & consequenter, nisi ad eam sequatur tristitia, loquitur enim de pœna sumpta pro supplicio, non autem pro simplici incommodo, & privatione boni, sic enim dari potest pœna sine tristitia consequente; & absque eo, quod sit nolita, undè amentes, & pueri pœnam damni in bonis temporalibus, & spiritualibus pati dicuntur, quamvis nullo positivo supplicio, hoc est dolore, vel tristitia afficiantur. Sicut igitur Doctor 2. d. 33. cit. ponit in infantibus cum solo originali decedentibus pœnam damni sine tristitia, & ait pœnam esse omnium gravissimam in damnatis, quia accidit eis cum tristitia, & desperatione, quibus cùm careat eadem pœna damni in infantibus, proindè dicitur esse in eis mitissima, idem pariter in proposito servata proportione dici poterit de animabus in Purgatorio existentibus, imò quod in eis aliqua etiam tristitia detur, ut mox patebit.

22 Secundò dubitatur, an in animabus in Purgatorio existentibus sit etiam pœna vermis, sicut est in damnatis. Affirmat Suarez disp. 46. cit. sect. 1. hanc quoque pœnam pati animas in Purgatorio existentes. Negat, & quidem satis rationabiliter Faber loc. cit. quia ut habet Scotus 4. d. 60. cit. quæst. 6. lit. Q. vermis est quædam tristitia, & remorsus conscientiæ continuus propter amissionem summi boni commodi, quod est felicitas æterna, in illis autem animabus non erit continuus conscientiæ remorsus amissionis talis boni, sed desinet completa satisfactione pœnæ debitæ pro peccatis commissis, & ideò pœnam vermis propriè non patiuntur, sicut damnati, in quibus talis conscientiæ remorsus nunquam cessat. Confirmatur, quia tristitia etiam quam patiuntur animæ purgantes antè completam satisfactionem, non est propriè remorsus conscientiæ, & vermis, quæ est damnatorum pœna, siquidem isti præcisè tristantur propter affectionem commodi, non autem justitiæ, nimirum propter Dei offensam, at tristitia animarum purgantium est propter affectionem, justitiæ, quæ est sancta, & pia tristitia, & est idem quod contritio, in qua est displicentia, & quodammodo remorsus conscientiæ, quod Deum offenderint, propter quam offensam consequenter Cęlorum ingressus eis differtur, & retardatur; ergò hæc tristitia non est propriè, & in rigore remorsus conscientiæ, & vermis, qualis est tristitia, & pœna damnatorum. Ex dictis infertur in Purgatorio non tantùm dari pœnam damni, sed etiam aliquam tristitiam ex detentione ibidem, & mora, seù retardatione visionis Dei procedentem, quamvis enim animæ illæ nihil patiantur, quod non voluntariè sustineant quatenus ex divina justitia provenit; hinc tamen necessariò non sequitur nullam in eis tristitiam esse admittendam, quia ut constabit ex infrà dicendis art. seq. num. 34. ex Seraphico, & subtili Doctore, pœna multipliciter voluntaria dici potest, & quod una ratione voluntarium est, potest alia ratione dici involuntarium, & ut sic aliquam afferre tristitiam tali involuntario proportionatam; illa ergò carentia beatitudinis in animabus purgantibus voluntaria est ex suppositione, quod Deus illam vult, quodque ad satisfaciendum perfectè pro peccatis necessaria est; est autem involuntaria, quatenus est contrà inclinationem charitatis, & naturale desiderium beatitudinis, & ut sic tristitiam potest afferre; quod optimè demonstrat exemplum voluntarii inferius loc. cit. ex D. Bonav. adducendum, qualis est pœna, quæ sustinetur à voluntate tolerante, sicut cùm amans, & desiderans sanitatem infirmatur, sustinet quidem infirmitatem, tanquam pœnam divinitus inflictam, attamen ab ea liberari procurat, & ideò non est voluntaria directè, & simpliciter, sed involuntaria, & sic tristitiam afferre, potest ibi proportionatam.

23 Tertiò quod spectat ad pœnam sensus, certum est animas Purgatorii igne affligi, & cruciari, & hunc ignem corporeum esse, & elementarem, ut expressè indicavit Apostolus 1. Corint. 3. dùm inquit existentes in Purgatorio salvos fieri, *quasi per ignem*, & ità docuit Concil. Florent. & antea Cyrillus lib. 10. in Joan. cap. 14. contrà negantes purgatorium, & specialiter contrà Græcos negantes ejus ignem. Nec obstat, quod Paulus dicat *quasi per ignem*, etenim ut Faber advertit disp. 36. cit. cum pluribus aliis cap. 4. ab initio illa particula non est diminuens veritatem ignis, sed explicat modum quo illi salvantur, qui est mediante illo instrumento ignis, ut sit sensus, quod ille ignis est quasi causa salutis eorum, quamvis enim non sit causa principalis, est tamen causa instrumenealis. Confirmatur, quia visiones, & revelationes, quæ de Purgatorio loquuntur, & Inferno, ignem unius non distinguunt ab igne alterius, nisi pœnes durationem, quia in Purgatorio est temporalis, in Inferno autem perpetuus, ac æternus, ut plúribus Patrum testimoniis Faber ostendit l. c. Difficultas solùm est, quomodo hic ignis, cum sit corporeus possit agere in spiritum, & cruciare animas corpore exutas, & spiritus dæmonum, cùm vulgata sit propositio, corpus in spiritum nequaquam agere posse; in qua difficultate sunt varii modi dicendi, tam antiquorum, quàm recentiorum, quos ex professò, & exactè examinavimus lib. 2. sent. disp. 3. *de Dæmonibus* q. 6. per plures articulos, & tandem art. 3. concluſimus sententiam in Scholis veriorem, & communiorem docere, Dæmones, & animas separatas esse igni alligatos, itaut ab eo liberare se nequeant, & ex hac alligatione cognita, & nolita admodum tristari, & torqueri, quam alligationem ad ignem explicant, vel per modum carceris illos detinentis in certo loco, ne pro ipsorum libito ubique vagari possint, vel per modum objecti determinantis illos ad continuam sui considerationem, ne expeditæ valeant ad alia objecta cogitanda converti; vel per modum alligationis potentiarum quoad liberam executionem suarum functionum juxtà varios modos tuendi hanc sententiam, quæ est D. Thomæ, & Thomistarum p. 1. quæst. 64. art. 4. & 4. contrà Gentes cap. 90. ut testatur Suarez lib. 8. *de Angelis* cap. 24. & expressè Scoti, & Scotistarum 4. d. 43. q. 2. ac Nominalium ibidem, & sequuntur Recentiores passim; Et tandem in eodem a. 3. n. 142. rationem assignamus, cur Deus potius igne voluerit uti pro cruciatu damnatorum, quàm aqua ad re, vel alia recreata, quia nimirum in ordine naturæ nullum elementum activius est igne, nec ullũ cum tanta acrimonia affligit corpus sensitivum, ut ignis, ut hinc constaret pœnam sensus damnatorũ non esse talem qualis sequi solet ad alia objecta nociua, sed

eam determinatè, vel saltem ei similem, qualis sequi solet in anima, cùm corpus, cui conjuncta est, aduritur; ac tantundem pati ab igne per solam actionem intentionalem, quantum si huic conjuncta esset actio physica, & realis adurendi, ac proindè ad insinuandam quantitatem, & qualitatem pœnæ damnatorum potuisse Scripturas, & Patres cum omni proprietate dicere, quod aduruntur, & cruciantur ab igne. Videantur igitur omnia ibi dicta, & disputata de pœna sensus, & applicentur in proposito, quamvis enim ibi sit sermo de igne Inferni, tamen illa omnia hic quoque locum habent in Purgatorio, cùm etiam ignis ille sit corporeus, & cruciet spiritus, & animas purgantes, de quo rursus agemus infrà disp. 26. q. 1. a. 2.

24 Quartò præterea dubitatur, Utrum animæ in Purgatorio toqueantur à Dæmonibus, tanquam divinæ justitiæ Ministris. Affirmant aliqui ob quasdam visiones, & apparitiones, quibus hoc significari videtur, ut patet in vita D. Bernard. lib. 1. cap. 10. in qua dicitur quendam Religiosum illi apparuisse cum quatuor, qui ipsum dilaniabant, & posteà fuisse liberatum præcibus ejusdem Sancti, & idem etiam sumitur ex Beda lib. 3. Histor. Anglic. c. 19. & aliis. Negant tamen communiter Theologi, ut D. Thomas, D. Bonavent. Riccardus, & alii 4. d. 20. & 21. quos sequuntur Suarez sec. cit. Coninch. de Purgatorio disp. 11. dub. 3. in fine Faber, & Brancatus nostri, & alii Recentiores passim; quæ sententia probari posset ex indecentia, quæ foret, si animæ ille benedictæ à Dæmonibus affligerentur, non enim conveniens videtur Deum Dæmonibus uti, tanquam ordinariis Ministris ad amicos suos puniendos, id enim non faceret in divinæ justitiæ executionem, sed potius ex odio in genus humanum, & pessima voluntate, ut faciunt in Inferno; tùm enim quia indecens omninò videtur, ut animæ eorum, qui finaliter victoriam contrà Dæmones in hac vita reportarunt, puniantur ab eisdem, ut divinæ justitiæ Ministris, eisque in altera vita in punitione subiiciantur, quarè concludunt Deum non uti Dæmonibus, tanquam suæ justitiæ ministris ad puniendas animas in Purgatorio existentes, sed ipsummet immediatè per ignem tanquam per instrumentum obedientiale eas punire. Neque obstant visiones, & apparitiones allatæ, cùm sit symbolicæ, & allegoricæ, & à Sanctis narratæ hoc modo ad ostendendam pœnarum illarum acerbitatem, quæ à nobis intelligi nequeunt, nisi per exempla nobis connaturalia.

25 Postremò advertendum est, quod etsi detentio ignis formalis tristitiam afferat etiam animabus in Purgatorio existentibus, quia est nolita, attamen alio modo est nolita, quàm à damnatis, ut suprà dicebamus etiam de pœna demni, etenim damnati odio habeant illam præsertim, quia est à Deo affectivè; animæ verò Purgatorii sub hac ratione illam non abhorrent, nec odio habent, quia hic est actus inordinatus, qui in animabus illis in statu gratiæ existentibus locum habere nequit; quarè dicendum est ab eis nolitam esse, quatenus est contrà inclinationem proprii commodi secundùm quàm appetunt liberum usum potentiæ suæ, tum etiam præsertim quia sciunt ibi à Deo detineri in pœnam suorum peccatorum, & eis valdè displicet, quod Deum offenderint, illa ergò detentio in igne est nolita ab animabus Purgatorii, non quia effectivè sit à Deo, quo pacto est nolita à damnatis, imò hoc modo est ab eis volita, & valdè placet ut hoc modo divinæ justitiæ satisfaciant, sed est ab eis nolita, quia à Deo est volita effectivè in pœnam suorum peccatorũ, quod eis valdè displicet, eo quod illis peccatis Deum offenderint, undè talis tristitia est propter affectionem justitiæ, quæ est sancta, & pia tristitia, quia procedit ex displicentia, quod Deum offenderint. Tandem ait D. Bonav. 4. d. 6. p. 1. a. 2. q. 2. quod ignis purgatorius materialis est materialiter animas puniens, nec modum curiosè humanus intellectus quærat, ubi divina justitia occultè sic ordinat, quæ Seraphica doctrina est valdè notanda.

ARTICULUS SECUNDUS.

De gravitate, & acerbitate pœnarum Purgatorii.

26 PRimò loquendo de pœna sensus communis Doctorum opinio est, pœnam Purgatorii acerbiorem esse qualibet pœna hujus vitæ. Ità D. Thomas, D. Bonaven. Riccardus, Paludanus loc. cit. Scotus noster 4. d. 21. q. 1. §. *In ista quæstione*, & alii passim, quod probant pluribus Sanctorum auctoritatibus, præsertim verò D. August. 21. de Civitat. Dei c. 27. ubi loquens de igne Purgatorii inquit: *Gravior erit ignis ille, quàm quicquid homo pati poterit in hac vita*, & *lib. de cura pro mortuis agenda* cap. 18. loquens de eodem igne ait: *Et si æternus non sit, miro tamen modo gravis est, exceditque omnes pœnas, quas aliquis in hac vita passus est*, & D. Anselm. 1. Corint. 3. art: *Sciendum est, quod gravior est ille ignis, quàm quicquid homo pati potest in hac vita*, & in Elucid. loquens de pœnis Purgatorii ait: *De quibus minimum majus est, quàm maximum, quod in hac vita excogitari potest*, & plures alias auctoritates adducit Brancatus noster disp. 26. cit. a. 8. Scotum autem loc. cit. præter Sanctorum auctoritates hanc rationem adducit, quia illa pœna est involuntaria, & quo magis est involuntaria, tantò minus est satisfactoria & ideò debet esse major, quàm pœna hujus vitæ, quæ potest esse aliquo modo voluntaria, ut in superioribus dictum est, quam rationem tangit etiam D. Bonavent. d. 20. cit. p. 1. art. 1. quæst. 2. ubi ait, quod Dei justitia magis acceptat pœnas absolutè voluntarias, & à nobismetipsis electas, quàm alias ab extrinseco illatas, licet acceptatas, quia in illis totum est voluntarium purum, in istis verò est aliquid de involuntario mixtum. Rationabiliter ergò Deus ordinavit, quod pœna Purgatorii sit major pœnis hujus vitæ, quia homo in hac vita abusus est tempore sibi concesso ad benigniorem compensationem faciendam.

27 Hanc tamen communem assertionem limitat D. Bonavent. loc. cit. & dicit posse aliquando dari maximam pœnam hujus vitæ, quæ sit major aliqua pœna minima Purgatorii, potest enim aliquis esse, qui tantùm purgare debeat aliquod leve veniale, & propter illud non videtur tantam pœnam mereri; illam igitur assertionem, quod pœna Purgatorii omnem pœnam excedat hujus vitæ, ait S. Doctor, intelligendum esse secundùm regulam Philosophi, si optimum in uno genere est melius optimo in alio genere, & hoc simpliciter alio melius, similiter intelligendum est hìc, quod illa sit major, non quia minima sit major maxima in hoc genere, sed quia maxima in illo genere major sit maxima in hoc genere, quod probat ex D. Greg. dicente, quibusdam revelatum esse quasdam animas in umbra esse punitas. Vult igitur S. Doctor, quod omnis pœna Purgatorii sit major omni pœna hujus mundi secundùm genus non in individuo, ita quod comparando maximam pœnam Purgatorii cum maxima hujus vitæ, & comparando minimam pœnam Purgatorii cum minima pœna hujus vitæ, semper Purgatorii pœna major est ista; comparando autem maximam pœnam hujus vitæ cum minima pœna Purgatorii, ait pœnam hujus vitæ esse majorem illa Purgatorii; & ratio etiam id suadet, quia rationabile non videtur, nec divinæ justitiæ consonum, quod si anima Purgatorii unum solùm veniale habet luendum, omnes hujus vitæ cruciatus pro illo subire debeat, licet aliquam Purgatorii pœnam, mereatur; ergo non omnis illa pœna in individuo est gravior omnibus pœnis hujus vitæ. Et hanc D. Bonavent. doctrinam non solùm amplectitur Faber noster disp. cit. cap. 5. sed etiam Bellarminus lib. 2. *de Purgatorio* cap. 14. Suarez disp. cit sec. 3. & Bardus in expositione Bullæ Cruciatæ part. 4. tract. 1. cap. 2. sec. 1. ubi ipse quoque ait rationabile non videri, quod pœna, quam aliquis in Purgatorio patitur pro uno vel altero peccato veniali, sit major quacunque pœna gravissima hujus vitæ v. g. quàm fuerit illa, quam passus est pro nobis Christus Dominus, aliique Martyres. Et ut hoc clarius pateat, ponit casum, quod aliquis pro peccatis patratis asperam egerit pœnitentiam adeout in fine vitæ parum illi remaneat ad plenè satisfaciendum, & antequam exiguam illam satisfactionem, quæ præstanda superet, efficiat, moriatur; quis dicet passionem, quam iste talis sustinet in Purgatorio, respondentem exiguæ satisfactioni esse majorem cruciatibus Christi, quos in sua morte passus est? Maneat igitur pœnas Purgatorii esse gravissimas, & acerbissimas, ideoq; secundum genus spectatas esse duriores pœnis hujus vitæ, ut colligitur ex Patrum locutionibus; attamen in individuo ità esse non oportere, quia nulla videtur repugnantia satisfactionẽ exhibendam ad tam parvam quantitatem pervenire, ut pœna sustinenda pro cõpleta satisfactione sit minor quã plurimus cruciatus, qui in hac vita reperitur; & hanc doctrinam sequitur etiam Gammachæus in summa Theologiæ tom. 3. disp. *de Purgatorio* cap. 5. cum pluribus aliis, qui dicunt auctoritates Patrum esse intelligendas secundùm genus, nempè pœnas Purgatorii esse majores quàm sint, & de lege ordinaria esse possint pœnæ hujus vitæ; non autem esse intelligendas de quacunque pœna singulari comparata cum qualibet præsentis vitæ.

28 Secundò loquendo de pœna damni, Faber l. c. inquit, quod cùm carentia visionis beatificæ non sit ab animabus purgantibus nolita, sed volita, quia se conformat voluntati divinæ, quæ illam vult in satisfactionem suarum culparum, & cùm tota tristitia pœnæ damni ex nolitione oriatur, consequenter dicendum esse ex hac parte non admodum gravem esse illam pœnam, & quod potest tantummodo illas aliquo modo affligere, quia ipsæ sunt in causa, quod Deus nolit pro illo tempore dare illis beatitudinem; quia tamen sciunt hanc carentiam non esse æternam, & habent spem veram, & securitatem consequendi vitam æternam, non multùm gravantur; & hoc poterat Faber asserere consequentem ad ejus dicta, cùm neget in animabus Purgatorii esse pœnam damni verè, & propriè dictam; ut constat ex dictis a. præced. Alii tamen communiter admittentes in illis

illis pœnam quoque damni verè, & propriè dictam dicunt acerbam esso super omne malum temporale, quod homo pati possit in hac vita, cum D. Thoma 4. d. 21. quæst. 1. art. 1. ubi inquit hanc pœnam esse gravissimam ex parte privationis tanti boni, quæ licet temporalis sit, majus tamen malum meritò existimatur, quam quodlibet temporale bonum vitæ præsentis, & consequenter tristitiam ortam ex illo malo apprehenso esse majorem quolibet dolore, vel tristitia hujus vitæ. Fundamentum est, quia magnitudo tristitiæ oritur ex magnitudine boni amissi, seù mali præsentis, & ex vehementiori illius consideratione, & ex magna effectione ad illud; hæc autem omnia excedunt in pœna illa, talis enim est visio, & beatitudo cœlestis, ut possessio illius vel per diem excedat omnia bona hujus vitæ simul sumpta, & per diuturnum tempus possessa; animæ autem illæ sanctæ optimè gravitatem talis mali ponderant, & expendunt, & quod gravissimè pungit, cognoscunt sua culpa, & negligentia illud sustinere; & cùm ex alia parte Deum vehementer ament, & illam videre appetant, necesse est, ut vehementem tristitiam indè concipiant. Veruntamen quamvis hic sit optimus discursus, negari tamen nequit, ut ait D. Bonavent. l. c. multa esse, quæ dolorem illud lenire possunt in Purgatorio. Primum est certitudo gloriæ futuræ, quæ ex natura rei non potest non afferre illis maximum gaudium juxtà illud Pauli *spe gaudentes*; Secundum est honestas, & rectitudo voluntatis, quam habent, quia libenter se conformant divinæ justitiæ, undè fit illa pœna aliquo modo voluntaria, & consequenter minus affligens. Tertium est divina charitas per quam tali pœna gaudent, tanquam medio ad satisfaciendum Deo, & ad ejus visionem obtinendam; & ideò D. Bona v. l. c. ex sola dilatione visionis beatæ non putat ex natura rei magnam tristitiam pati, quia adsunt lenitiva præfata, sed tantùm quatenus subsunt ordini divinæ justitiæ, quæ facit ità ordinari, & moveri hos affectus sicut necesse est ad condignam, seù proportionatam punitionem singularum animarum; quam doctrinam amplectitur etiam Suarez disp. 46. cit. sec. 3. Stephanus à Sancto Gregorio de divinæ pietatis vinculis lib. 3. c. 39. de Purgatorio, & alii plures tam veteres, quàm recentiores.

29 Tertiò quantum ad durationem pœnarum Purgatorii aliqua certa sunt, & aliqua incerta; certum in primis est pœnam illam non esse æternam, sed temporalem, & ità supponit Scotus cum communi Ecclesiæ consensu 4. d. 19. lit. D. & d. 21. quæst. 1. quod expressè ex illo D. Pauli deducitur 1. Corint. 3. *Salvus erit sic tamen quasi per ignem*, quibus verbis significat animas Purgatorii ab illis pœnis tandem evasuras; certum est etiã nullam ex eis ab eis liberari, donec sit plenè purgata vel per propriam satisfactionem, vel per aliorum prece, & suffragia, quia animæ semel in carcerem illum conjectæ, donec solverint ultimum quadrantem, non liberantur, ut Christus ipse innuit Matth. 5. plenè autem purgatæ statim indè liberantur, & ad visionem Dei admittuntur, cùm nihil ampliùs remaneat, quod eas ab ingressu Cœlorum retardare possit, ut definitum est in Concil. Florent. sess. ult. & Trident sess. 6. can. 30. Rursus certum est pœnam hanc Purgatorii non esse ultrà diem Judicii protrahendam, quod ex Matth. 25. colligitur, ubi dicitur omnes adultos, qui bonum, vel malum operari potuerunt, secundùm opera eorum judicabuntur, & boni in Cœlum, mali autem ad Infernum finaliter deputabuntur; insuper certum est multas antè diem Judicii esse liberandas communi Ecclesiæ consensu, & ratio est quia plures parvam pœnam habent purgandam, ideoque brevi tempore purgari possunt, vel per aliorum suffragia liberari, undè duratio pœnarum illarum non est æqualis in omnibus Purgatorii animabus, quia non omnes ex hac vita decedunt cum æquali obligatione, & reatu ad pœnam pro peccatis remissis solvendam, & in hactenus dictis communiter Patres, & Doctores omnes consentiunt.

30 Difficultas tamen est, ac incertum, quanto tempore duret cujuslibet purgantis pœna, seù quanto tempore unaquæque anima pro singulis peccatis sivè mortalibus remissis, sive venialibus puniatur. Soto 4. d. 19. qu. 3. art. 2. in fine circà hoc dubium ità discurrit: Crediderim nunquam aliquem in Purgatorio viginti annis extitisse, imò ut mea fert opinio, nec decem, nam cum nemo illic sit, nisi Dei amicus, contritio ejus, & post Christum passum Sacramenta, & suffragia, & bona, quæ egit, opera adcumulum ei satisfactionis accedunt; in summa non est credibile, ut quos pœnarum accumulatione expedire Deus brevius indè potuit temporis prolixitate detineat; hæc Soto l. c. Communis tamen Doctorum sententia docet quamplures animas in pœnis Purgatorii longè majori tempore detineri, ac proindè terminum assignari non posse ultra quem Purgatorii pœna non duret, & huic communi sententiæ contrà Sotum favet ipsius Ecclesiæ praxis, quæ suffragia etiam pro animabus illorum offerre solet, qui centum, & ducentos annos antè ex hac vita decesserunt, ut ex Anniversariis defunctorum constat, quæ, sæpè celebrantur, ac etiam Indulgentiarum usu, quæ conceduntur plurium annorum, quam decem, & viginti, unde deducitur Ecclesiam supponere animas plusquam decem, & viginti annis in illis pœnis detineri, & fieri posse, ut tandiù iis indigeant. Accedit fundamentum Soti nullius esse momenti, æquè enim probat nullam manere in Purgatorio ultrà annum, quàm ultrà decennium; nititur enim in divina clementia, quæ non fert multo tempore amicos suos à suo conspectu cohibere, & ideò pœnis magis intensis longitudinem temporis supplet, sed hoc argumentum, ut dicebamus æquè probat pœnas illas non solùm ultrà decennium duraturas non esse, sed neque per annum, quia etiam duratio decennalis intensione majori pœnarum compensari posset. Quare concludendum est hanc rem esse nobis omninò occultam, incertumque tempus, quo animæ ibi detinentur, & probabilius esse quamplures detineri per spatium centum, vel ducentorum annorum; & in fine mundi aliquas, quæ multa adhuc habebunt persolvenda, intensissimis pœnis mulctandas esse, quia brevissimo tempore eas persolvere debebunt. Et ex his demum sequitur, quod solet inter vulgares, & simplices dici de pœna unius anni in Purgatorio debita veniali, septem verò debita mortali, nullum quoque habere fundamentum; cùm neque ex Sacra Scriptura, neque ex Conciliis, neque ex traditionibus, vel Patribus id habeatur. Ità Bellarminus, Suarez, Coninch. Faber, & Brancatus ex nostris, & alii passim.

31 Quartò quantùm ad intensionem pœnarum Purgatorii difficultas est an dictæ pœnæ semper durent in eadem intensione, vel paulatim minuantur. Prima sententia Bellarmini, Henriquez, & aliorum, affirmat pœnas Purgatorii non durare semper in eadem intensione, sed mitigari, & paulatim decrescere, quod probat, quia licet illæ animæ eandem pœnam semper patiantur, sivè damni, sivè sensus, tamen quantò magis approximantur ad finem eo magis minuitur dolor. Deindè, quia etiam per suffragia dictæ pœnæ diminutionem accipere possunt, tàm quoad tempus, quàm quoad intensionem. Tandem id probat ex quibusdam apparitionibus, & visionibus, in quibus aliquæ animæ ostendebant per suffragia piorum earum pœnam paulatim mitigari, quas vlsiones referunt D. Bernardus in vita S. Malachiæ, Chartusianus Dial. de Judic. par. a. 31. Beda, & alii. Secunda sententia negat pœnas Purgatorii remitti per suffragia quoad intensionem, sed tantùm quoad extensionem, & diuturnitatem temporis, quod probat, quia tota illa pœna fuit taxata à Deo quoad intensionis gradum tanto tempore duratura, & respondens tantæ multitudini, & gravitati peccatorum, ergo eo tempore animæ illæ in eadem intensione pœnæ manere debent, sicut si quis ob varia delicta per spatium decem annorum ad triremes damnetur, eodem modo punitur primo anno, ac ultimo. Ità Suarez, Batholomæus à S. Fausto, & plures alii, ac etiam Faber noster l. c. ubi probabilius existimat suffragia, & orationes pro defunctis juvare non ad intensionem pœnæ minuendam, sed ad diminutionem temporis, seù pœnæ extensionem.

32 Sed pro faciliori hujus difficultatis solutione cum distinctione procedi debet; vel enim sermo est de pœna damni, quæ consistit in tristitia carentiam beatitudinis connaturaliter consequente, vel de pœna sensus, quæ ab agente extrinseco corporeo infligitur, nempè ab igne; si de prima pœna sit sermo, valdè probabile est semper diminui, nec in eadem intensione durare, & ratio est evidens, quia objectum hujus tristitiæ semper continuò fit minus, quatenus semper magis, & magis approximatur tempus, quo anima ad Cœlum transire debet, & beatificari, & desiderium videndi Deum semper magis completur per approximationem ad ipsum Deum videndum; ergò in eadem proportione, secundùm quam dilatio, ad videndum Deum fit minor, decrescit etiam, & minuitur tristitia prædicta, quo enim magis dilatio fit minor, eo minus est apta ad tristitiam causandam. At si loquamur de pœna sensus, non ità absolutè discurrere possumus, quod quantò magis pœna approximatur ad finem, eo magis minuatur dolor, quia objectum ejus, quod est ignis, undè provenit, non minuitur; & cum in principio damnatæ sunt animæ ad talem pœnam, damnatæ sunt ad certam, & tantam pœnam, & tanto tempore, undè videtur, quod toto eo tempore talis pœna in eadem intensione durare debeat; sed adhuc pro tuenda prima sententia dicere possumus hanc pœnam potuisse à Deo taxari ità, & præscribi juxtà quantitatem, & qualitatem peccatorum, ut pœna ista minuatur, & quoad durationem, & quoad intensionem, ut v. g. tale peccatum talem, & tantam habens malitiam per quatuor annos puniatur cum intensione, quæ successivè remittatur. Sed re vera quod attinet ad pœnam sensus aliquid determinatè statuere non possumus, cùm sit res nobis occultissima, & solùm ex quibusdam levibus conjecturis aliquid deducatur. Neque revelationes illæ diminutionem pœnæ quoad intensionem sufficienter significant, cùm solùm significare possint

diminutionem pœnæ quoad temporis diuturnitatem, & majorem ad tempus beatitudinis approximationem, vel illius tristitiæ diminutionem, quæ ex carentia beatitudinis resultat, cujus tristitiæ objectum semper decrescat, ut diximus, ex quibus patet pro neutra sententia solidum esse fundamentum, & utramque probabiliter sustineri posse.

33 Quintò quæri solet, An possint animæ Purgatorii antè finitam purgationem ad tempus indè exire, hoc est, an illæ animę toto illo tempore, ità sint illi loco addictæ, ut etiamsi vellint indè egredi nequeant, adeout continuus ille carcer sit veluti pars gravitatis illius pœnæ, Patres, & Theologi omnes communiter negativè respondent, & aliqui rationem reddunt, quia anima separata non potest moveri localiter arbitrio suo, nec etiam virtute motiva Angelorum, vel Dæmonum, sed soli Deo talis motio reservata est. Sed hæc ratio falsum assumit, ut benè Suar. advertit disp. 46. cit. *in fine*, nam anima etiam à corpore separata potest moveri virtute sua non minus, quàm Angelus, nisi à Deo impediatur, ut ex professo probavimus in li. de Anima disp. 8. q. 3. de loco, motuque locali animæ separatæ; potest etiam à Dæmone virtute naturali moveri, si à Deo permitteretur, quamvis de facto non possit, quia à Deo non permittitur. Ratio ergò in ordinationem divinam, & legem divinæ justitiæ reducenda est, quæ ibi animas detinet, damnatas quidem violenter, & coactè in inferno, purgantes verò voluntariè in Purgatorio, quia divinam voluntatem, & ordinationem cognoscunt eique voluntariè, & libenter se submittunt. Hæc tamen lex dispensabilis. est, ut Patres communiter docent, undè D. Aug. l. 10 de Civit c. 16. probabiliter credit veras esse apparitiones, quæ multoties leguntur ex divina permissione in bonum dictarum animarum, & in exemplum viventium, ut legitur etiam apud D. Greg. 4. Dial. Bedam, & alios, & Aug. adducit præsertim in exemplum animam Moysis, & Eliæ, quæ tunc erant in Limbo. Idem ergò verisimile est ex dispensatione divina animabus Purgatorii aliquando contingere posse, ut suadent, exempla quædam à dictis patribus relata. Advertendum tamen est cum Suar. l. c. quando hæc dispensatio fit, pœnam animarum apparentium non interrumpi, quia ignis ille sicut dæmones in hoc aere cruciat, & torquet, ità etiã illas animas continuò torquere, & purgare potest, ut in eisdem visionibus relatis à Patribus ostensum est; & hoc etiam ratio ipsa suadet, quia talis pœnæ intermissio earum potius pœnam augeret, quàm minueret, tempus beatitudinis amplius differendo.

34 Postremò quæri solet, an pœna Purgatorii voluntaria sit, quam difficultatem ex instituto tractat, & resolvit D. Bonavent. 4. distinct. 20. cit. par. 1. ar. 1. quæst. 3. ubi in corpore quæstionis ait aliquam pœnam dici tripliciter voluntariam; uno modo assumitur à voluntate imperante, sicut est pœna pœnitentialis; alio modo, quia sustinetur à voluntate acceptante, sicut est pœna Martyrum, quæ adeò eis placet, quod ab ea liberari non vellent. Tertio, modo est quædam pœna, quæ sustinetur à voluntate tolerante, ut pœna, quæ est in patientia, ita quod ejus oppositum est in desiderio, sicut cùm amans, & desiderans sanitatẽ infirmatur, sustinet quidem infirmitatem, tanquam pœnam divinitus inflictam, attamen ab ea liberari procurat, & hoc modo inquit Sanctus Doctor voluntariam esse pœnam purgatoriam in viris justis, qui voluntariè eam sustinent, & desiderant vehementer ad gloriam pervenire, & alios sibi ad hoc auxilium præbere. Hoc etiam deducitur ex jam dictis lib. 2. sentent. disp. 5. de Actibus humanis ubi diximus voluntarium esse duplex, absolutum scilicet, & conditionatum; primum est, quando voluntas circa aliquod objectum elicit actum prosecutionis, vel electionis absolutè, & non ex suppositione alicujus circumstantiæ, quod accidit quotiescunque vult aliquod objectum bonum absque ullo incommodo saltem apprehenso; conditionatum verò est, quando voluntas absolutè, & secundùm se nollet aliquod objectum, nihilominus, ut aliquod majus malum evitet, vel aliquod majus bonum obtineat, prosequitur illud quod sibi commodum absolutè non est, & hoc modo volita sunt omnia mala illata, quæ liberant à majori malo, vel ad finem aliquem bonum conducunt. ut patet de incisione brachii, vel cruris in periculo mortis, projectione mercium in casu tempestatis, & similibus; & hoc voluntarium conditionatum dupliciter adhuc contingere potest, nempè per electionem, potest enim aliquis ob meliorem finem, vel ad majus malum evitandum ex seipso aliquod incommodum eligere, ut de pœnitente dictum est, vel per simplicem acceptationem, potest enim non eligere illud incommodum, si tamen adveniat ab extrinseco aliquo gratanter acceptare ob meliorem finem, vel ad fugiendum majus malum, ut de martyre dictum est; vel tandem per puram tolerantiam, ut pœna quæ est in patientia, ità quod ejus oppositum est in desiderio, & hæc acceptatio, & sufferentia malorum voluntaria est etiam satisfactoria, & virtuosa, ut docet Tridentin. sess. 14. can. 13. in his enim patientiæ virtus maximè versatur, quæ doctrina est Scoti 4. dist. 14. quæst. 1. a. 3. §. *De secunda conclusione*

35 In proposito igitur dicendum est, pœnas Purgatorii esse animabus illis voluntarias, non absolutè, sed conditionatè, non quidem absolutè, quia pœnæ, & incommoda non sunt objecta prosecutionis absolutè, hæc enim bonum respicit, sed tantùm conditionatè, quo pacto volita sunt omnia mala illata, quæ ad finem aliquem bonum conducunt, vel liberant à majori malo, & licet aliquando possint etiam eligi mala, ut sunt pœnitentiæ sponte assumptæ, & ejusmodi mala sint magis voluntaria, in genere conditionatorum; adhuc tamen sunt etiam voluntaria, quando non eliguntur, sed ab alio inferuntur, licet non ità perfecta, sicut priora, alioquin actus patientiæ in malis ab extrinseco illatis virtuosi non essent, cujus oppositum docuit Christus Dominus Lucæ 23. *In patientia vestra possidebitis animas vestras*. Denique siquid obstaret, maximè esset, quia animæ purgandæ tristantur de pœnis; ergò non sunt voluntariæ, quia tristitia est de rebus, quæ nobis nolentibus accidunt. Sed satis constat ex superius dictis consequentiam non valere, cum pœna enim multipliciter voluntaria dici possit, & quod una ratione voluntarium est, possit alia ratione dici involuntarium, potest, ut sic aliquam afferre tristitiam tali involuntario, porportionatam, ut diximus articul. præcedenti numer. 22. Accedit ad tristitiam sufficere quoque interdum nolitionem objecti conditionatam ex Scoto 3. distinct. 15. qu. unic. §. *Præter duos*, ubi ait Christum Dominum absolutè volentem passionem, & mortem, ut patet ex illo Isaiæ 53. *oblatus est, quia ipse voluit*, & nihilominus adhuc tristitiam passum fuisse, *tristis est anima usque ad mortem*, hæc autem tristitia ex nolitione absoluta mortis procedere non potuit, sed tantùm ex conditionata, quam illis verbis expressit, *Pater si possibile est, transeatà me Calix iste*.

ARTICULUS TERTIUS.

De quibusdam aliis ad statum purgantium spectantibus.

36 PRimò quæritur. Qua ratione animæ corporibus egressæ judicentur, & ad loca distinata diferantur, & difficultas est, quando hoc judicium particulare fiat, à quo fiat, ubi fiat, & quomodo ad locum sibi destinatum deferantur. Quidam putant hoc à Dæmonibus fieri, quod satis probabile esset, si vera esset sententia dicentium eas etiam in Purgatorio à Dæmonibus torqueri, par enim esset ratio, ut si dæmones eas coram Deo accusent, & judicatas torqueant, etiam ad locum supplicii deducant. Verùm cum hæc sententia sit superius rejecta art. 1. hujus quæstionis num. 24. dicendum est cum D. Bonavent. dist. 20. cit. p. 1. art. 1. quæst. 5. in corpore quæstionis, probabilius esse, quod in egressu animæ à corpore assistant, & spiritus bonus, & spiritus malus, unus, vel plures, & tunc secundùm veritatem ferri sententiam, & si bona est, per ministerim boni Angeli, vel adducitur in Cœlum, vel in Purgatorium, quousque postquam purgata fuerit, per ejus ministerium educatur, ità quod ipse solus sit deductor, & non tortor, si verò sit mala, per ministerium dæmonum deducitur ad infernum; ità in hac difficultate discurrit Sanctus Doctor loco citato. Undè juxtà ejus mentem dicendum est statim à morte hominis animam ipsius judicari, quod etiam docuit D. Thomas in 3. part. quæst. 59. art. 5. ad. 1. & sequuntur Bellarminus, Suarez, Coninchius, & alii Recentiores passim, & clarè deducitur ex Scripturis, nam Lucæ 23. latroni dicitur, *Hodie mecum eris in Paradiso*, & 16. de. Epulone dicitur, *Mortuus est dives, & sepultus in Inferno*, ex quo colligitur justorum animas statim ad Cœlum deduci post mortem, si ab omni peccato sunt puri, damnatos verò statim in Infernum detrudi, utrumque autem semper Judicis sententia præcedit, quia illis gloria decernitur, istis verò pœna æterna: eodem ergo modo de his discurrendum est, qui ad Purgatorium mittendi sunt.

37 Deindè ex eadem D. Bonaventuræ doctrina, ut satis probabile deducitur, animas judicari in ipso loco, in quo à coporibus decedunt, quia si aliò duci deberent, cum hoc in istanti fieri nequeat, aliqua mora inter mortem, & judicium intercederet, atque ità non statim à morte hominis ejus anima judicaretur, sed paulò post, tùm quia conveniens non videtur anima, peccato inquinatas, ut sunt damnandæ, vel aliquo venialis ut purgandæ, primò ad Cœlum deduci, ut judicentur, & indè ad locum supplicii reduci. Rursus probabilis est, ut dicunt Suarez, Valentia, Coninchius, & plures alii, hoc judicium à Christo homine fieri, juxtà illud Joan. 5. *Neque enim Pater judicat quemquam, sed omnem judicium dedit filio*, undè Matth. ult. Christus ait, omnem potestatem in Cœlo, & in Terra sibi datam, quod etiam de hac judiciaria potestate intelligendum

gendum est, & probabilius etiam est, ut prælati Doctores advertunt, animas judicandas Christum esse visuras in humana forma sibi apparentem, ut ait Innocentius Tertius l. 2. de contemptu mundi cap. 43. ùcut enim Christus in ultimo, & universali judicio sic apparebit, & palam ab omnibus videbitur ad majorem bonorum consolationem, & malorum terrorem, ut suum Judicem videant; Ità etiam ob eandem rationem de judicio particulari discurrendum videtur, neque in hoc cernitur repugnantia, quia Christus per divinam potentiam etiam in maxima distantia potest animabus apparere in forma humana. Denique ex eadem D. Bonaventuræ doctrina probabilius etiam est, dæmones animas justorum ad purgatorium non deducere ob rationes superius adductas num. 24. ad probandum, quod in his puniendis non utitur illis, ut Ministris, sed Angelos sanctos consolationis causa, sicut in Evangelico legitur eos animam Lazari in sinum Abrahæ deduxisse. Nec obstat, quod in legenda D. Martini dicitur, quod Diabolus astabat ad ejus obitum, undè dixit. *Quid adstas hic cruenta bestia?* etenim ut ait S. Doctor loc. cit. ad 2. non adstabat Diabolus, ut ad purgatorium adduceret, sed quia cupiebat insidiari calcaneo, & per hoc detrahere in abyssum.

38 Secundò quæritur, an animæ Purgatorii sint certæ, & securæ de propria salute. Quidam putarunt inter alias pœnas, quæ reperiuntur in Purgatorio, unam esse incertitudinem de propria salute, qua pœna cruciari omnes animas purgantes asseruit Lutherus, antequam Purgatorium totaliter negaret, aliquas verò tantùm, & non omnes juxtà Dei dispositionem dixerunt Carthusianus, Michael Bajus, & alii nonnulli, cui opinioni adhæserunt etiam alii apud Divum Bonaventuram d. 20. cit. art. 1. q. 5. qui dicebant, quod pro acerbitate pœnarum in Purgatorio ita absorbetur spiritus, ut ubi sit ignoret, & ex hoc dubitat, utrùm sit in Inferno, vel extrà, sicut enim anima ex dulcedine extrà se rapitur, ut nesciat an in corpore, an extrà corpus hoc videat, sic suo modo in pœnis dicebant se habere, & pro statu illo minorem certitudinem esse secundùm actum, quã pro statu isto, licet non sit minor secundùm habitum, imò quodammodò major. Oppositum tamen docent communiter Theologi omnes tam veteres, quam recentiores cum D. Thoma 4. dist. 21. quæst. 1. & D. Bonaventura loc. cit. imò Brancatus noster disp. 26. cit. a. 8. §. 4. ait non tantùm hunc esse communem Ecclesiæ sensum, sed etiam de fide, & quamvis pluribus rationibus id probent Bellarminus, Suarez, Coninchius, & alii recentiores, præcipua tamen, & potissima ratio, ut ait Faber disp. 36. c. cap. 3. ab initio est, quia secundùm communem Theologorum sententiam 4. d. 47. datur duplex judicium, scilicet, universale, & particulare, universale fiet in magno die judicii universalis, particulare verò fit in morte uniuscujusque per quod judicium unaquæque anima ad eum locum determinatur, in quo in æternum est mansura, & ad præmium, vel pœnam, quam est consecutura. Per hoc ergo judicium particulare, & per definitivam sententiam in eo datam unaquæque anima, quæ ad Purgatorium mittitur, novit, & certò cognoscit, quod est in gratia Dei, & quod finaliter ad statum beatitudinis est determinata, sed quod antè Cœli ingressum, & beatitudinis possessum, debet in Purgatorio luere pœnam pro peccatis etiam remissis luendam, ut satis constat ex modo dictis in quæsito præcedenti, scit etiam anima purgans, quod hæc sententia Dei in hoc judicio particulari data est immutabilis, & ideò transacto, & completo illarum pœnarum tempore in Cœlum evolabit.

39 Hoc etiam probat D. Bonavent. loc. cit. ex destructione fundamenti adversæ opinionis, dicere siquidem quod acerbitate pœnarum absorbeatur judicium illarum animarum, ac proinde ignorent, ubi sint, & sic dubitent, ne sint ad infernum damnatæ, & in desperationis motus prorumpant, non solùm est contrà fidei nostræ principia, sed etiam contrà rationem, quia etsi spiritus carni conjunctus possit ab ejusmodi pœnis ideò absorberi, ut usum rationis amittat, spiritus tamen separatus, qui immortalis est, non videtur adeò absorberi, cùm fortior sit ad sustinendam magnam pœnam in se, quàm in corpore parvam, & quod illud verum sit probat ex Greg. 4. Dial. ubi dicit, quod quidam in Purgatorio existentes in gravibus pœnis petierunt adjutorium pro liberatione; ergo sciebant se esse aliquando liberandos. Probat etiam ex illo, quod habetur in homilia de Divite, & Lazaro, ubi dicitur, quod damnari suprà se electos considerant usque in diem judicii; si ergo pœna illa infernalis improportionabiliter gravior est, quàm purgatoria, & illa non absorbet usum rationis in damnatis, qui sunt oppressi vermę, & desperatione, & culpa, quantò magis, nec ista pœna in Purgatorio spiritus justorum absorbebit, qui fortificati sunt bona conscientia, & spe, & divina gratia, & ideò dicendum est, quod animæ in Purgatorio majorem habent certitudinem de gloria, quàm etiam illæ, quæ in via sunt, sicuti habebant animæ in Limbo, & ista certitudo media est inter certitudinem vię, & patriæ, in patria enim est certitudo tentionis evacuans expectationem, & timorem, in via verò est certitudo expectationis immixta timori, quia quilibet labi potest, dùm est viator, in Purgatorio autem est medio modo, scilicet certitudo expectationis eorum, quæ nondùm obtinuit, sed est evacuatio timoris propter confirmationem liberi arbitrii, qua deinceps scit se peccare non posse, & sic patet, quod est major certitudo, dùm evacuatur timor de lapsu, & illa evacuatio non est per animæ majorem perfectionem, sed per status mutationem, quarè concludit S. Doctor, quod in Purgatorio est certitudo media inter certitudinem viæ, & patriæ, cùm certò sciant, qui in ibi detinentur ulterius labi non posse. Dices si in Purgatorio augerètur certitudo, augeretur etiam consolatio, & minueretur flagellatio; ergò si esset ibi major certitudo, esset minor afflictio ibi, quàm in præsenti, sed non est minor, sed major afflictio, quàm in præsenti, ut patet ex dictis; ergò est minor certitudo. Respondet Sanctus Doctor loco citato augmentata certitudine augeri consolationem esse verum cæteris paribus, sed quoniam illa certitudo est cum afflictione, & expectationis dilatione, ideò non tam viget ibi consolatio, quàm afflictio, attamen nec ira sua continet misericordias suas Dominus, sed cum iratus est, misericordiæ suæ rememoratur, & vehementer afflictos aliqua spei certitudine refocillat.

40 Tertiò quæretur, an animæ purgatorii sint in statu merendi, & demerendi, & difficultas potest esse de merito tam de condigno, quàm de congruo, & communis Patrum, & Theologorum consensus, & præsertim Scoti 2. distinct. 7. quæ. un. §. *De secundo*, est animas illas non posse mereri, nec demereri, sed instanti mortis, & separationis à corpore confirmari in gratia & in bono, itaut non possint amplius peccare, & hoc expresè colligitur ex Sacra Scriptura, tam in veteri, quàm novo testamento, nam Ecclesiast. 11. homo comparatur arbori, quæ quandiù vivit crescere potest, absciśa verò crescere cessat, *si ceciderit lignum ad Austrum, vel Aquilonem, quo loco ceciderit, ibi erit*, quem locum explicat Hieronymus, & Bernardus de immutabili statu animæ, qui est in alia vita, & c. 14. illa significatur his verbis: *ante obitum vestrum operate justitiam quia non est apud inferos invenire cibum*, hoc est, opera meritoria, ut passim Patres exponunt. Habetur etiam hæc veritas adhuc expressa magis in testamento novo illis Christi verbis Joan. 9. *Me oportet operari opera ejus, qui misit me, donec dies est, veniet nox in qua nemo potest operari*, ubi per noctem intelligitur tempus illud, quod post mortem subsequitur, in quo homo opera meritoria operari non potest, ut exponit August. tract. 44. in Joan. & passim alii Patres, & Lucæ 26. *Redde rationem villicationis tuæ, jam enim non potest amplius villicare*, ubi Patres per non posse villicare intelligunt non posse mereri. In his itaque, & pluribus aliis Scripturæ locis universaliter habetur post hanc vitam non esse amplius tempus operandi, quæ verba cùm omnis bonæ operationis sint exclusiva, quæ juvet ad vitam æternam, & pœnæ temporalis remissionem, consequenter dicendum est neque de condigno, neque etiam de congruo, ut quidam putant, animas in Purgatorio aliquid mereri posse in ordine ad propriam salutem. Ratio autem hujus rei est divina voluntas, quæ disposuit statum merendi, & demerendi esse hanc vitam, undè animæ illæ ideò demereri, & peccare nequeunt, quia Deus ità eas conservat singulari sua providentia, ut in nullum peccatum incidere possint, & è contrà ideò nullo modo ibi mereri possunt, & pro peccatis suis propriè satisfacere, quia omne tempus merendi, & satisfaciendi unà cum hac vita finitur, undè licet pœnas illas voluntariè sustineant, non quidem simpliciter, sed quia patienter tolerant, seque divinæ voluntati conformant, quod genus voluntarii in hac vita est causa meriti, nihilominus ob prædictam status diversitatem in illis non est meritorium, undè pœnas suorum peccatorum luere ibi dicuntur, non per satisfactionem propriè dictam, sed tantùm per satispassionem, ut suprà dictum est. Ex quibus patet has animas partim esse in termino, quatenus amplius, nec mereri, nec demereri possunt, partim verò in via, quia nondùm sunt in gloria, sed ad illam tendunt, & sic in quodam medio statu inter viatores, & comprehensores sunt constitutæ, possuntque dici esse in termino gratiæ, nondùm vero in termino gloriæ.

41 Sed obiicies animas illæ esse in statu merendi, & demerendi, nam ex una parte invenitur in eis omnia principia ad merendum, siquidem habent fidem supernaturalem, gratiam sanctificantem, charitatem, libertatem, &c. ergo reperiuntur in eis omnia requisita ad liberè exercendas operationes supernaturales meritorias. Tùm quia actus illarum non sunt mali, nec indifferentes, nec tantùm naturaliter boni, sed supernaturaliter; ergò meritorii, quia dari nequit medium inter actum meri-

meritorium, & bonum moraliter, ac supernaturaliter. Deindè ex alia parte aliqui actus illarum non sunt conformes divinæ voluntati, siquidem Deus vult eas esse in pœnis & cruciari pro tanto tempore, ipsæ autem id renuunt, & ab eis liberari enixè cupiunt; ergò possunt etiam demereri. Respondetur negando consequentiam, quia licet in animabus Purgatorii sint omnia principia intrinseca ad merendum, deficit tamen status congruus, & requisitus ad meritum, & hoc ex lege divina, qua Deus disposuit statum merendi esse hanc vitam, & licet faciant actus bonos, & supernaturales, tamen ratione status non acceptantur ad meritum ex eodem Dei decreto, quo statuit opera hominis ad meritum, & demeritum ordinare dummodò fiant dùm anima est in corpore, ut ait Apostolus 2. Corinth. 5. *Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi, ut referat unusquisque propria corporis, sicut gessit sivè bonum, sivè malum*, ubi Glossa ordinaria, quæ est Aug. ait dici *propria corporis*, quia nullus meretur, vel demeretur, nisi dùm est in corpore. Ad aliam objectionem pro demerito negatur assumptum, ad probationem dicendum est animas Purgatorii appetitu naturali utique pœnas illas refugere, non enim inclinantur ad eas, sed maximam habent repugnantiam, cùm hoc sit naturæ intrinsecum, appetitu autem deliberativo eas absolutè volunt, ut nempè Deo per pœnarum sufferentiam satisfiat, licet adhuc conditionatè nolint si nempè Deo placeret, quod tamen conformitatem non impedit cum divina voluntate, sicut Christus Dominus conditionatè quidem, ipse, si Deo placebat, calicem passionis recusabat dicens, *Pater si possibile est transeat à me Calix iste*, quia tamen absolutè voluit, quod Deus, dùm dixit *Veruntamen fiat voluntas tua* actus patiendi, & acceptandi mortem bonus fuit, ac meriti infiniti, ut constat ex dictis articulo præcedenti in fine.

42 Quartò quæritur, an animæ illæ saltem possint pro nobis orare, & aliquid nobis de congruo mereri, vel impetrare. Prima sententia negat, & ratio est, quia animæ illæ non sunt in statu orandi pro aliis, & aliquid impetrandi, sed potius in statu, ut oretur pro aliis, quàm ut ipsæ orent pro aliis, sunt enim debitrices, & in carcere propter debita propria.

Confirmatur, quia cùm adhuc non sint in statu gloriæ, nec Deum videant, cognoscere non possunt, quæ nos hìc facimus, aut cogitamus, nec quibus indigemus, nam ut ait D. Augustinus lib. de cura pro mortuis agenda cap. 13. mortui ignorant, quæ nos hìc agimus, frustrà orarentur à nobis cùm nostras orationes cognoscere nequeunt. Ità D. Thomas 2. 2. quæst. 83. art. 11. ad 3. quem plures alii sequuntur. Secunda sententia affirmat, & ratio est, quia animæ illæ sunt santæ, & Deo charæ, & quamvis ab ipso affligantur, non tamen affliguntur, tanquam ab inimico, sed tanquam à justo judice, & patre benigno, cùm igitur nos ex charitate diligant, & nostri recordentur, & saltem generaliter ea pericula cognoscant, in quibus nos viatores constituti sumus in hac lachrymarum valle, & quantùm divina ope, & auxilio indigeamus ad illa evitanda, nulla videtur repugnantia, quin pro nobis amicis suis, & benefactoribus orare possint. Confirmatur, quia Patres, qui erant in sinu Abrahæ orabant pro viventibus, & pro Sancta Civitate, ut de Onia, & Hieremia refertur 2. Machab. cap. ult. neque irrationabile est Sanctos Angelos interdum aliqua animabus illis revelare, quæ hìc fiunt à viventibus earum amicis, vel alio titulo conjunctis, ut sciant à nobis pro illis orari, ideoque, & ipsi vicissim pro nobis orent. Neque obstat, quod dictæ animæ sint in carcere, & debitrices, quia etiam nos debitores sumus, & pro aliis oramus, & quamvis sint debitrices, & in carcere, hoc tamen non obstante sunt in gratia, & gratæ Deo, & ideò possunt pro nobis orare. Ità Bellarminus lib. 2. de Purgatorio cap. 15. Valentia, Medina, Suarez, Faber, & Brancatus ex nostris, & plures alii, qui tamen omnes fatentur, quod licet hæc omnia sint probabilia, & satis piè credi possint, quia tamen non sunt omninò certa, primam opinionem sua probabilitate non carere, & addit Faber disp. 36. cit. quod licet nullum sit inconveniens animas illas aliquando orare pro nobis, non tamen hoc passim facere posse, nec ratione illius status id sibi competere, ità etiam discurrit Astesanus noster lib. 3. tit. 38. art. 1.

43 Postremò quæritur, an animæ in Purgatorio existentes miracula edere possint. Et communiter affirmativè respondent Auctores adducti, & ratio est, quia nulla est repugnantia, vel incongruentia quod Deus intuitu animarum purgativum miracula faciat in comprobationem sanctitatis illarum, fieri enim potest, ut aliquis vir bonus, & justus in hac vita pluribus effulserit virtutibus, & multa habuerit merita, & tamen cum aliquo veniali decesserit, quod quidem ejus sanctitati non præjudicat; potest ergo Deus intuitu præcedentium meritorum, & operum beneficia, & miracula in viatore operari. Et quidem plures hujusmodi casus à SS. Patribus referuntur, & præsertim S. Gregorius Magnus lib. 4. Dialog. cap. 40. narrat de Paschasio Sanctæ Sedis Diacono viro eleemosynis, aliisque piis operibus vacante, cultore pauperum, & sui contemptore, quod cum esset defunctus, ejus Dalmaticam funeri superpositam Demoniacus tetigit, statimque sanatus est, & quod postèa Sanctus iste Germano Episcopo Capuano in Angulanis thermis apparuit, eique manifestavit se manere in loco illo pœnali, ibique deputatum eo quod in parte Laurentii contrà Symmacum senserat, rogavitque ut pro se Deum oraret, & hoc futurum esse suæ liberationis signum ab illis pœnis, si postèa illum amplius ibi non inveniisset, sicut paulò post ità accidit, & alios similes casus refert Brancatus noster disp. 26. cit. art. 8. §. 5. potest ergo Deus intuitu animarum purgantium in comprobationem sanctitatis illarum miracula facere, & habemus exemplum in humanis, nihil enim prohibet Principem in gratiam filii, vel alterius dilecti amici, quem tamen exulem, vel vinctum tenet in carcere pro aliqua culpa purganda, alicui civitati, vel personæ, aut cognatis illius beneficia aliqua impertiri, de quo alia plura videri possunt apud Brancatum loc. cit.

QUÆSTIO TERTIA.

De Indulgentiis, & Suffragiis pro Defunctis.

44 JAm diximus disputatione præcedenti de Indulgentiis, & Suffragiis qu. 4 art. 1. n. 57. indulgentias non solùm pro vivis, sed etiam pro defunctis concedi, eisque communicari posse, ut ex praxi, & inveterata Ecclesiæ consuetudine constat, in qua nihil tam usitatum est, quàm indulgentias applicare pro animabus in Purgatorio existentib. & inferius qu. 5. art. 1. num. 78. suffragia viventium quoque prodesse posse Defunctis in Purgatorio in remissionem pœnæ temporalis post remissa peccata remanentis. In hac igitur quæst. breviter discurrendum est de modo, quo præfatis mediis animæ illæ adjuvari possunt, ut ab acerbitate pœnarum, quas sustinent, citius liberentur.

ARTICULUS PRIMUS.

Quomodo Indulgentiæ defunctis communicari possint, & prodesse.

45 PRimò jam diximus disp. præced. q. 4. cit. a. 1. n. 57. non posse Pontificem indulgentias conferre defunctis per modum absolutionis, sed tantùm per modum suffragii, quia præter hos duos modos non est alius, & hæc est communis Doctorum sententia, paucis quibusdam exceptis, tam veterum, quàm recentiorum, & præsertim D. Bonaventuræ 4. dist. 20. p. 2. art. 1. q. 5. ubi in corpore quæst. inquit, quod quia bona, & thesaurus Ecclesiæ est in Summi Pontificis potestate, & illi qui sunt in Purgatorio ratione charitatis idonei sunt spiritualia bona recipere, quod Papa potest eis bona Ecclesiæ communicare, quantum autem ad auctoritatem judicandi, cum illi jam exierint forum Ecclesiæ, & Ecclesiasticum judicium, videtur quod eis non possit fieri absolutio nisi per modum deprecationis, & ità propriè loquendo non fit eis relaxatio, seù absolutio, & hæc non tenet per modum judicii, sed potiùs suffragii, & ita etiam discurrit Astesanus noster l. 5. tit. 40. de Indulgentiis art. 5. quid autem sit concedere indulgentiam per modum suffragii, & quomodo differat à concessione indulgentiarum per modum absolutionis, diximus ibidem n. 58. omnes etiam ferè DD. in hoc convenire quod Summus Pontifex auctoritatem habeat sibi à Christo communicatam dispensandi indulgentias, tam pro vivis, quàm pro defunctis; pro vivis quidem per modum judicii & absolutionis directè remittendo pœnam debitam ei cui dat indulgentias, & juridicè eum ab illa absolvendo, pro defunctis verò per modum suffragii tantùm, offerendo nimirum Deo satisfactionem Christi, & Sanctorum, quasi pretium, quo alterum, cui indulgentia conceditur, à pœnis persolvendis redimat, quas Deus ipse huic immediatè remittit, illud pretium ex pacto cum Christo inito acceptando. Quod etiam communi exemplo declarari solet de captivo apud Turcas retento, quem Rex Galliæ, vel Hispaniæ, non per vim auctoritatis, ut in proprio regno, sed tantùm per viam solutionis, ac redemptionis liberare potest; sic igitur in proposito, si de defunctis in Purgatorio existentibus sit sermo, indulgentiæ ipsis applicantur non per modum absolutionis cum nullam in eos jurisdictionem Ecclesia obtineat, sed tantummodò per modum solutionis; seù suffragii. Ità etiam discurrunt Bellarminus, Suarez, Cardina-

dinalis de Lugo, Coninchius, Corduba, Faber, & Brancatus ex nostris, Bonacina, Navarrus, Toletus, & alii passim.

46 Secundò est difficultas, an Indulgentiæ pro Defunctis concessæ certò, ac infallibiliter illis prosint. Prima opinio negat, quod probat, quia hic Indulgentiarum pro defunctis effectus ex liberali Dei acceptantis voluntate dependet, cum neque ex ullo Scripturæ loco, neque ex ulla certa traditione constet Deum illas satisfactiones ex thesauro Ecclesiæ depromptas, & ab eadem Ecclesia sibi oblatas pro defunctorum liberatione se acceptaturum promisisse, præsertim cum ipsa Ecclesia indulgentias illas pro defunctis concedat, non per modum absolutionis, sed per modum suffragiis, tanquam ipsum Deum supplicans, ut ejusmodi satisfactionem, seu solutionem pro defunctorum sublevatione acceptare dignetur.

Confirmatur ex ipsius Ecclesiæ praxi, quæ post applicatam alicui defuncto in particulari plenariam indulgentiam v. g. per Sacrificium in Altari privilegiato pro ipso oblatum, nihilominus pro eodem orare, & sacrificare non definit, quo facto tacitè declarare videtur, indulgentias quamvis maximè salutares, non tamen infallibilem semper effectum habere pro ipsis defunctis, sed ex divina misericordia pendere. Denique si adesset hæc infallibilitas sequeretur Pontificem suo arbitrio totum posse evacuare Purgatorium, imò cùm animabus purgantibus maximè compatiendum sit ob pœnarum acerbitatem, totam ibi suam deberet experiri potestatem, & facere, quod omnes statim ad Cœlum evolarent, nec opus esset amplius pro mortuis orare, & laborare, si Summus Pontiefex posset eos tam facile liberare, & infallibiliter, ita Durandus, Cajetanus, Cano, Corduba, Abellius, & alii nonnulli, qui proindè dicunt differentiam inter illos duos modos indulgentiæ per modum suffragii, & per modum absolutionis in hoc proindè consistere, quod indulgentia per modum absolutionis infallibiliter suum consequitur effectum, tanquam actus proprius justitiæ, at indulgentia per modum suffragii non omninò infallibiliter suum consequitur effectum, cùm semper pendeat ex libera acceptatione, & misericordia Dei.

47 Cæterum hic dicendi modus valori indulgentiarum pro defunctis valdè derogare videtur, ut ait Cardin. de Lugo disp. 17. de Sacrament. Pœnitent. sec. 5. nam si oblato pretio ex thesauro Ecclesiæ deprompto pro defunctorum liberatione, posset non acceptari à Deo, ferè idem possent alii fideles per privata suffragia in ordine ad defunctos, quod ipse Pontifex, omnes enim possent orare Deum, ut aliquod prætium ex thesauro acceptaret pro hujus, vel illius defuncti liberatione, his enim precibus aliquando obtineri potest à Deo remissio pœnæ per viam impetrationis, & deprecationis tùm quia hac ratione fideles viventes segniores redderentur ad defunctorum animas adjuvandas per orationes, & sacrificia, aut indulgentiarum applicationem, nam semper dubitarent, an à Deo acceptentur, & suum consequantur effectum, Ac proindè communior, & probabilior sententia docet indulgentias pro defunctis concessas certò ac infallibiliter illis prodesse, quod probat ex modo loquendi Pontificum, qui indulgentias pro defunctis in eo certitudinis gradu quoad effectus consecutionem collocare videntur cum effectu indulgentiarum pro vivis, ut constat ex verbis Leonis X. in Bulla contrà Lutherum, quæ incipit *Exurge Domine*, ubi dicit, quod Papa vivis, & defunctis potest impedimentum tollere peccatorum, & Cœlorum Regnum aperire: *Apostolica auctoritate thesaurum Jesu Christi, & Sanctorum dispensando, & per modum absolutionis Indulgentiam ipsam concedendo, vel per modum suffragii illam transferendo*, undè concludit *omnes tam vivos, quàm defunctos, qui veraciter omnes Indulgentias hujusmodi consecuti fuerint, à tanta temporali pœna secundùm Divinam justitiam pro peccatis suis actualibus debita liberari, quanta concessæ, & acquisitæ indulgentiæ æquivalet*, quibus, verbis tam pro vivis, quàm pro defunctis absolutè promittitur indulgentiarum effectus, & non conditionatè, si Deus acceptaverit, & voluerit quod eum habeat, dùm tamen legitimè indulgentia concessa fuerit, & veraciter acquisita undè hæc conditio non de effectu indulgentiæ intelligi debet, sed de aquisitione ipsius indulgentiæ, prout contra distinguitur ab effectu, & illum antecedit.

Confirmatur ratione, quia ut benè discurrit Suarez disp. 53. cit. sec. 3. si effectus hujus indulgentiæ infallibilis non esset, vel id esset ex inæqualitate prætii oblati in compensationem, & remissionem pœnarum Purgatorii, & hoc dici nequit, quia applicatur ex thesauro Ecclesiæ satisfactio Christi, quæ est superabundans, ac etiam satisfactiones Sanctorum, quæ moraliter æquivalent, alioquin neque in Indulgentia pro vivis oblata esset hæc æqualitas inter pœnam ablatam, & remissam, quia etiam vivis per indulgentiam remittitur pœna Purgatorii futura. Vel deest ad illam infallibilitatem divina promissio, & quasi pactum acceptandi unam pœnam pro alia respectu defunctorum, & neque hoc dici potest, quia hæc promissio sufficienter sub illis verbis continetur, *Quodcunque solveris super Terram, erit solutum, & in Cœlis*, quia sub tali solutione comprehenditur etiam hæc applicatio per modum suffragii; sunt enim indulgentiæ satisfactoriæ quoque pro pœnis defunctorum, non quia Pontifex virtute clavium, & Pontificiæ potestatis aliquod jus habeat immediatè, & directè in defunctos, per quod possit illis indulgentias applicare, sed quia in Ecclesia est Sanctorum communio, & ipse Papa communicare potest, & applicare thesaurum Ecclesiæ omnibus fidelibus indigentibus, & Deus ex decreto hujus communionis illas satisfactiones acceptare tenetur, sivè pro vivis, sive pro defunctis oblatas, cùm verba Symboli non significèt communionem possibilem, aut conditionatam, si Deus acceptare velit, ut docet Catechismus Romanus in fine de Sacram. Pœnit. neque hoc divinæ excellentiæ ullo modo præjudicat, quia hoc totum non facit Deus coactè, sed quia sic suæ voluntati ordinare placuit, & statuere.

48 Hinc patet quid dicendum sit ad rationes prioris sententiæ, non obstante enim indulgentiæ effectus infallibilitate etiam pro mortuis, adhuc effectus iste ex liberali Dei acceptantis voluntate dependet, & adhuc Dei misericordiam, & gratiam includit, non novam, sed inclusam in articulo, & pacto de communione Sanctorum, & decreto Dei de acceptandis satisfactionibus oblatis pro defunctis, quamvis talis infallibilitas ex nullo scripturæ loco explicitè colligatur, colligitur tamen implicitè, eo enim ipso, quod Sancti Ecclesiæ Doctores docuerunt Indulgentias hujusmodi esse veluti compensationes pro pœnis, & Sancti Pontifices remissionem illarum concedunt per modum certi, & efficacis effectus, jam pro certo docent eas Indulgentias effectum suum infallibiliter sortiri. Et quamvis Ecclesia indulgentias illas pro defunctis concedat non per modum absolutionis, sed per modum suffragii, jam patet ex dictis, quod *per modum suffragii*, non significat per modum gratiæ, & simplicis deprecationis, sed etiam simul per modum satisfactionis in virtute articuli de communione Sanctorum, & decreti divini de acceptatione hujusmodi auxiliorum pro fidelibus defunctis in charitate existentibus, alioquin talis remissio pœnarum non fieret virtute clavium, neque auctoritate Apostolica, ut Leo X. definit, fieret per modum alicujus simplicis deprecationis, & impetrationis, quomodo quilibet fidelis Deum orare potest, ut propter merita Christi, & Sanctorum animam ex Purgatorio liberet, hoc enim omnes, & singuli fideles impetrare possunt, & de congruo mereri, quamvis non sit infallibile, quia non est fundatum in verbo, & promissione Christi. Dices, concessio Indulgentiarum pro mortuis est deprecativa, non autem definitiva. Nam Nicolaus V. concedens Indulgentias pro mortuis sic loquitur: *De misericordia Dei confidentes, de qua magis ac magis confidimus in Cœlis, quam nos ipsius auctoritate relaxamus in Terris, omnem pœnam &c.* ergo &c. negatur consequentia, deprecatio enim, & divinæ misericordiæ imploratio non officit valori infallibili indulgentiarum pro mortuis, alioquin nec etiam concessio indulgentiæ pro vivis infallibiliter suum consequeretur effectum, quia hac eadem formula Pontifices utuntur in eis concedendis, ut constat de pluribus Bullis Pontificiis, præsertim pro anno sancto, nec tamen ob id sequitur, quod concessiones illæ non sint efficaces, & infallibiles, & sic etiam discurrit Faber disp. cit. cap. 8. & Brancatus cit. art. 12.

49 Ad Confirmationem, qui negant venialia posse in alia vita remitti, difficulter respondere possunt, qui autem hoc admittunt facillimè respondent, ideò Ecclesiam post applicatam alicui defuncto in particulari plenariam indulgentiam v.g. per sacrificium in altari privilegiato pro ipso oblatum, nihilominus adhuc pro eos orare, & sacrificia prosequi, quia indulgentia culpam non remittit ut suprà diximus, sed pœnam tantummodo ex illa relictam, cum ergo ex hac vita possit aliquis decedere in gratia, sed cum aliquibus venialibus hic non remissis, ut supra dictum est, & id sæpè contingat ob humanam fragilitatem, hæc peccata venialia in Purgatorio per satispassionem remitti debent, & purgationem ignis, non tantùm quoad reatu pœnæ, quæ remansit ibi luenda pro peccatis in hac vita remissis, sivè venialibus, sivè mortalibus, sed etiam quoad reatum culpæ pro venialibus hic non dimissis, & hic per Indulgentiam tolli non potest, quæ tantùm ad pœnæ remissionem extenditur, non culpæ, sed per propriam animæ purgantis satispassionem pro tanto tempore. Quamvis ergo per indulgentiam plenariam alicui defuncto in particulari applicatam tota pœna tollatur debita pro peccatis in hac vita dimissis, sivè venialibus, sivè mortalibus, quia tamen aliqua venialia secum tulit, quæ non nisi per satispassionem propriam tolli possunt ut pro tanto tempore quoad reatum culpæ, ideò Ecclesia pro eodem orare, & sacrificare non definit ut reatus pœnæ venialium ibi dimissorū, pro qua defunctus adhuc longiori, & ulteriori tempore pati deberet, per novas,

vas, & iteratas Indulgentias plenarias, & iterata Missiæ sacrificia tollatur. Ad ultimum an Summus Pontifex possit suo arbitrio evacuare Purgatorium, quoties sibi placuerit plura discurrit Bardus in expositione Bullæ Cruciatæ part. 4. trac. 3. cap. 2. sec. 4. & Brancatus etiam ex nostris disp. 36. cit. art. 17. §. 3. nu. 853. sed breviter dicendum est cum D. Bonaventura quæst. 5. cit. in fine, quod si Deus per seipsum sic misereturut semper velit tenere suam justitiam, multò fortius Dei minister, undè dispensatio bonorum Ecclesiæ discretè, & cum moderamine facienda est, alioquin nisi discretè fieret, Deus non acceptaret; & bona spiritualia non possunt dissipari, nec contrà divinam acceptationem distribui, quamvis possint bona temporalia non solùm dispensari, verùm etiam dissipari de facto, quamvis aliter dictet jus divinum esse faciendum; si quis autem contendat Vicarium Jesu Christi habere judiciariam potestatem super eos, qui sunt in Purgatorio, non est eis multum improbè resistendum, dùm tamen hoc dictet ratio, vel auctoritas manifesta. Ita Seraphicus Doctor l.c.

50 Tertiò est difficultas, an ex justitia, an verò ex Dei misericordia tantùm Indulgentiæ defunctis prosint. Negant Cajetanus, Canus, Corduba, & alii, quorum fundamentum est, quia Deus, ut offensus non tenetur acceptare satisfactionem ab alio exhibitam, sed ab ipsa persona offendente, nam strictum jus habet exigendi recompensationem ab illo; qui injuriam intulit, & nulla apparet in sacris litteris promissio, seù pactum initum inter Deum, & homines, per quod Deus se obligaverit alienas acceptare satisfactiones pro defunctis, quæ à fidelibus in hac vita fiunt. Deindè probant ex improportione, quam habent pœnæ hujus vitæ cum pœnis alterius; sunt enim alterius rationis, & valdè deficiunt ab illis, proindè non potest per operationes pœnales præsentis vitæ fieri compensatio ex rigore justitiæ cum pœnis Purgatorii. Affirmant Navarrus, Suarez, Cardinalis de Lugo, Faber, & Brancatus loc. cit. & plures alii, & cum hoc assertum sit à nobis disp. præced. quæst. 5. art. 1. num. 76. de suffragiis, tantò magis id de Indulgentiis nunc asserere debemus concessis pro defunctis, quia per has Deo offeruntur non satisfactiones penales fidelium, sed satisfactiones Christi Domini, & Sanctorum in thesauro Ecclesiæ repositæ, & asservatæ, quæ quidem non fuerunt minus penales, neque minoris valoris, quàm sit jejunium, vel eleemosyna quantumvis magna, vel aliud simile opus virtutis factum pro defunctis; ergo dùm traduntur illa, & efficiuntur pro compensatione pœnarum Purgatorii, erunt vel magis, vel æque efficacia; atque ideò prosunt illis non tantùm ex Dei misericordia, sed etiam ex justitia; Sicut ergo loco citato de suffragiis diximus, ità nunc dicendum de Indulgentiis, quod sunt satisfactoriæ pro pœnis defunctorum ex justitia, non quia Pontifex virtute Pontificiæ potestatis habeat aliquod jus immediatè in defunctos, sed quia in Ecclesia est communio Sanctorum, & ipse Pontifex communicare potest, & applicare thesaurum Ecclesiæ defunctis per Indulgentias, quas Deus acceptare tenetur etiam ex justitia modo jam explicato, hoc est, non ex justitia proveniente ex jurisdictionis Papalis potestate, sed ex debito servandi decretum de communione Sanctorum, & hoc modo etiam salvatur adhuc Indulgentias prodesse defunctis ex Dei misericordia, quia talis satisfactio per Indulgentias includit Dei misericordiam, & gratiam, non novam, sed inclusam in articulo, & pacto de communione Sanctorum, ut suprà dictum est. Ad fundamentum sententiæ oppositæ jam diximus loco citato probare tantùm satisfactionem Deo exhibitam per suffragia, & indulgentias pro animabus Purgatorii non esse de rigore justitiæ vindicativæ quoad modum, quia posset justissimè Deus alienam pœnam non acceptare, & ab ipso debitore ea exigere, hoc tamen non tollit, quin adhuc sit de rigore justitiæ quoad æqualitatem, cum non minor satisfactio à Pontifice exhibeatur per indulgentias, quàm ipse debitor ad satisfaciendum æqualiter, & de condigno ponere debuisset, imò longè major. Ad Confirmationem dicendum est, quod licet improportio pœnarum hujus, & alterius vitæ aliquam facere possit difficultatem de satisfactione pro defunctis exhibita per suffragia fidelium, de qua art. seq. non tamen de satisfactione exhibita per indulgentias, quia per has non offeruntur Deo pro defunctis satisfactiones pœnales fidelium, sed satisfactionis Sanctorum, ac etiam ipsius Christi Domini, quæ est superabundans, & longè excedens pœnas debitas animarum purgantium. Nemo tamen de hoc puncto sollicitus esse debet, cùm difficultas solùm in hoc consistat, an in Deo ponenda sit aliqua obligatio ad acceptandas Indulgentias pro mortuis concessas, si conditiones requisitæ ad acceptandum adsint, sivè de reliquo obligatio ista procedat ex justitia rigorosè sumpta, sivè ex fidelitate, aut alia virtute, nam quoad effectum perindè est ex quacunque virtute obligatio ista procedat.

51 Quartò quæritur, quæ conditiones requirantur, ut indulgentiæ valeant pro defunctis, & hæc difficultas esse potest, vel ex parte lucrantis indulgentiam pro defunctis, vel ex parte ipsorum defunctorum, reliqua enim necessaria ad validam indulgentiæ concessionem adesse supponimus, ut legitimam potestatem in concedente, cautam proportionatam &c. Et quidem quoad conditiones ex parte lucrantis requisitas Doctores conveniunt, ad hoc ut cum effectu fructus indulgentiæ ad defunctos trasmittatur, oportere, ut opus postulatum, seù injunctum à Pontifice in forma concessionis iudulgentię perficiatur, & fiat cum expressa intentione lucrandi indulgentiam pro mortuis, quia si opus cum tali intentione non fieret, indulgentia defunctis non applicaretur, hæc enim applicatio fit mediante tali intentione, & eam necessariò involvit. Difficultas tamen est, an requiratur, ut lucrans talem indulgentiam pro defunctis sit in gratia, saltem eo temporis momento quo completur opus impositum. Affirmant Cajetanus in opusculo de Indulgentiis q. 2. Cardinalis in Clement. de pœnit. & remiss. Angelus, verb. Indulgentia, & ut tutiorem sequitur Bellarminus lib. 1. de Indulg. cap. 14. quæst. 5. quorum fundamentum est, quia sicuti ad lucrandam sibi indulgentiam requiritur status gratiæ, ità ad lucrandum pro altero; peccatum enim non magis impedimentum affert ad acquirendum beneficium ipsi operanti, quàm alteri. Negant Suarez, Reginaldus, Coninchius, Raguccius, Bardus, Faber noster loco citato, & alii communiter, quorum fundamentum est, quia status gratiæ solùm requiritur ad tollendum obicem indulgentiæ, & ideò per se loquendo solùm est dispositio necessaria in eo, qui effectum gratiæ recipere debet, at qui lucratur indulgentiam pro alio, effectum indulgentiæ in seipso non recipit, & ideò non requiritur, quod sit in gratia, sed alius, cui indulgentia procuratur; quarè inconveniens non est, quod in peccato existens effectum indulgentiæ possit alteri obtinere, & non sibi, maximè cùm hic effectus merito operantis non nitatur, sicut Sacerdos existens in peccato potest per sacrificium alteri remissionem pœnæ obtinere, non verò sibi. Hinc ad rationem in oppositum negatur paritas, quia gratia requiritur solùm ad tollendum obicem, in eo, qui indulgentiam lucraturus est, & ideò necessariò requiritur in eo, cui indulgentia applicatur, non autem in eo, qui opus injunctum exequitur, & indulgentiam alteri applicat, & ideò dicimus, in susciepiente indulgentiam requiri gratiam, non autem in applicante, & quando operans sibi eam applicat, in ipso gratia requiritur, non ut operans est, sed ut recipiens.

52 Quintò tandem quoad conditiones ex parte defuncti requisitas, cui indulgentia applicatur, conveniunt Doctores requiri in eo statum gratiæ, ut dictum est, & debitum pœnæ temporalis pro culpa jam dimissa, qua ratione superius diximus disp. præced. neque pro damnatis, neque pro beatis valere indulgentias, quia illi nullum tale debitum habent, & illi non sunt in statu gratiæ, atque ideò solos defunctos, qui sunt in Purgatorio, esse indulgentiarum capaces, quia sunt in statu gratiæ; & debitum habent pœnæ temporalis solvendum pro culpa jam dimissa. Difficultas tamen est, an hujusmodi defunctis debeant esse charactere baptismali insigniti, ut sint indulgentiæ capaces, adeoquod Cathechumeni sine baptismo aquæ decedentes non sint Indulgentiarum capaces. Negant aliqui Catechumenos in Purgatorio existentes esse Indulgentiarum capaces, quorum fundamentum est, quia qui charactere baptismali insignitus non est, extrà Ecclesiam esse censetur, ac proindè Pontifex super illum jam defunctum potestatem non habet, sicut neque habebat, quando erat vivens, tum quia usus indulgentiarum non habet, ut non baptizatis concedantur, signum ergò est Pontificem potestatem non habere concedendi indulgentias Catechumenis nec vivis, nec defunctis, atque ideò ad illas aquirendas characterem baptismalem necessariò requiri, & hanc opinionem magis probabilem censet Suarez, Coninchius, Bardus, & alii. Nos tamen disp. præced. quæst. 4. art. 1. num. 55. & seq. diximus, quod licet Catechumeni viatores, & viventes sint indulgentiarum incapaces, quia Ecclesiæ in foro externo subjecti non sunt, ob defectum characteris baptismalis; loquendo tamen de jam defunctis validè probabile esse, indulgentias eis prodesse posse per modum suffragii, quod etiam Ecclesia approbare videtur, quando tempore Paschatis, & Pentencostes pro Catechumenis orat; hæc opinio est etiam magis pia, quia ut ibi dicebamus cum Fabro disp. 38. cit. cap. 8. in fine valdè irrationabile videtur animas illas Catechumenorum hoc beneficio privare, quæ prooter impotentiam, & inculpabiliter ex hac vita sine baptismo decesserunt, nam etiamsi characterem baptismalem non habeant, adhuc tamen aliquo modo esse in Ecclesia censentur, quia voto illud susceperunt, & sunt capaces beatitudinis,

dinis, & sunt verè fideles, ac etiam nobis charitate conjuncti. Undè ad rationem in oppositum dicendum est, quod licet Cathecumeni sint extrà Ecclesiam in foro externo, quatenus non subsunt potestati judiciariæ coactivè Ecclesiæ, non sunt tamen extrà Ecclesiam in foro interno, & quoad salutem, alioquin salvari non possent; quia extrà Ecclesiam non est salus, & sicut per baptismum sanguinis homo fit de Ecclesia ex cap. *Baptismi vicem de* Consec. dist. 4. quia sufficit ad salutem, quæ extrà Ecclesiam non datur; ità dicendum de Baptismo flaminis, qui ex Concilio Tridentino sess. 7. de Sacram. can. 4. sufficit ad salutem, nec ex usu indulgentiarum oppositum deducitur, cùm enim fidelibus defunctis concedantur, potius deducere debemus etiam ad hos Catechumenos se extendere, cùm etiam ipsi sint fideles Christo conjuncti per gratiam, de quo alia plura Brancatus habet §. 4.

ARTICULUS SECUNDUS.

Quomodo suffragia viventium defunctis communicari possint, & prodesse.

43 PRimò conveniunt Doctores, ut diximus disp. præced. quæst. 6. art. 1. num. 78. suffragia viventium quoque prodesse posse defunctis in Purgatorio existentibus in remissionem pœnæ temporalis post remissa peccata remanentis. Difficultas tamen est de modo, quo fideles animabus Purgatorii suis suffragiis prodesse possint, communiter enim à Theologis 4. d. 20. & 21. & à Scoto quol. 20. art. 1. duplex assignatur modus juvandi, & suffragandi inter fideles, scilicet, per modum satisfactionis, & per modum impetrationis; suffragari per modum satisfactionis est aliquam pœnam solvere pro alio, seù pro pœna, quam alter fidelis solvere deberet; suffragari verò per modum impetrationis est precibus absque ulla solutione pro debito alterius liberationem ab illa pœna impetrare, vel debito, quo obligabatur. Difficultas modò est an fidelium suffragia prosint defunctis per modum satisfactionis, & justitiæ, an etiam per modum impetrationis, idest, an requiratur semper, quod vivens, ut animam à Purgatorio liberet, solvat pœnam, quam illa debet; vel aliquando ex simplici prece fidelis alicujus Deus eam liberet absque solutione illius pœnæ, quam debebat. Prima sententia asserit suffragia viventium prodesse defunctis solùm per modum satisfactionis, seù solutionis, & non impetrationis, & præcipuum fundamentum opinionis hujus deducitur ex conditione, seù natura divinæ justitiæ, quæ postulat ut nullum malum remaneat impunitum, & jus divinum læsum reſarciatur; & sic servetur æqualitas, & quemadmodum nemo sibi impetrare potest remissionem omninò gratuitam ex opere operantis, ità neque alii; ergò suffragia viventium defunctis prodesse nequeunt nisi per modum satisfactionis, seù solutionis. Ità Bardus l. c. de suffragiis in genere c. 2. sect. 2. citans pro hac opinione Suarez, Filliucium, Soto, Aversam, Sancium, & alios, secunda sententia asserit suffragia nostra prodesse defunctis posse, non tantùm per modum satisfactionis, & solutionis, sed etiam per modum impetrationis gratuitæ condonationis, quod probat ex recepta Ecclesiæ praxi, quæ orat pro animabus defunctorum, ut Deus per suam piissimam misericordiam eas ab illis pœnis liberet; ergo videtur intendere, ut gratis pœnas illas remittat. Deindè, qui etiam Beati in patria pro animabus illis orant juxtà communem Theologorum sententiam, cùm ergo mereri nequeant, aut satisfacere pro illis, quia nullam pœnam pati possunt, consequens est, ut dicamus eorum orationes prodesse per modum impetrationis. Tandem probatur ex nonnullis revelationibus, quibus habemus ob intercessionem Beatæ Virginis liberatos à pœnis aliquos ei devotos, & idem in historiis legitur contigisse mediis precibus Sanctorum. Ità Durandus, Bellarminus, Coninchius, Card. de Lugo, & alii.

54 In hac difficultate media via procedi debet, & dicendum cum Fabro nostro disp. 37. c. 2. n. 36. secundùm legem ordinariam suffragia prodesse defunctis solùm per modum satisfactionis, tamen secundùm legem extraordinariam non esse inconveniens remittere quandoque pœnam per modum impetrationis sine ulla solutione, & rationem adducit, quia in hoc mundo videmus, quod etsi via ordinaria pœna non remittatur nisi per solutionem illius, tamen via extraordinaria etiam Principes pœnam quandoque ad instantiam charorum gratis, & ex liberalitate dimittere solent, & sæpè etiam evenit, ut unus ab alio petat, ut offensam remittat, & satisfactionem condonet, quam jure suo ab offendente exigere posset, & intuitu petitionis factæ ab amico, vel ab auctoritate, & dignitate alicujus personæ offensus injuriam illatam condonet; sic igitur in casu proposito discurrere possumus, siquidem orationes justorum, & Sanctorum apud Deum minus efficaces censeri non debent, quàm sint preces unius hominis apud alium, & nil aliud probant congruentiæ, & revelationes pro secunda sententia adductæ. Neque praxis Ecclesiæ orantis pro defunctis sufficienter convincit, ut dicamus secundùm legem ordinariam suffragia illis prodesse per modum impetrationis sine ulla solutione pœnæ, quia aliquæ formæ Sacramentorum, ut extremæ Unctionis, & apud antiquos Græcos etiam forma pœnitentiæ legitur deprecatoria, & nihilominus ex opere operato suum producunt effectum, & non per modum simplicis impetrationis; ac etiam satisfactiones in Sacramento pœnitentiæ à Sacerdote impositæ aliquando sunt deprecatoriæ, ut coronæ, litaniæ, &c. neque ob id per modum impetrationis suum producunt effectum, sed ex opere operato, suffragia itaque ab Ecclesia pro defunctis oblata ideò sunt deprecatoria, quia officia sivè Missæ, sivè horarum alio modo fieri nequeunt nisi cum Dei laudibus, veneratione, & deprecatione. Quod autem via ordinaria remissio pœnarum Purgatorii non fiat nisi per modum satisfactionis æquivalentis ex eo deducitur, quod lex divinæ providentiæ est, ut qui delinquit condignè puniatur, & hæc est via ordinaria, quam Deus statuit, & ideò qui peccavit vel debet à Deo puniri, vel ipse debet compensare pœnam per operationes satisfactorias, vel alius pro illo. Deducitur etiam ex dictis Sanctorum Patrum, qui loquentes de animabus Purgatorii, ac earum liberatione, dicunt orationibus, jejuniis, & eleemosynis esse sublevandas, tùm quia sunt in statu, in quo divina justitia maximum habet locum, & extrà statum viæ, in quo misericordia exercetur. Et denique id solùm probant rationes Brancati disp. 26. art. 5. §. 1. ubi & ipse quoque sentire videtur suffragia pro defunctis oblata illis semper prodesse per modum satisfactionis, non autem impetrationis juxtà doctrinam Scoti quol. 20. C & D. Bonav. 4. d. 20. p. 2. art. 1. quæst. 5. ad ult. & d. 45. part. 3. q. 3. probant, inquam, hanc esse viam ordinariam suffragandi defunctis, quod minimè obstat, quin via extraordinaria juvari quoque possint per modum impetrationis sine ulla solutione.

55 Secundò dubitatur, an suffragia prosint defunctis ex justitia, vel tantùm ex Dei misericordia, & conveniunt Doctores, quod si sub nomine justitiæ intelligamus æqualitatem inter satisfactionem, & pœnam debitam, & condignam pro peccatis commissis, suffragia satisfactoria debere esse ex justitia, hoc est secundùm æqualitatis rigorem, & quod si sermo sit de justitia propriè dicta, quæ est virtus moralis, & specialis, suffragia satisfactoria esse non posse ex justitia, quia inter Deum, & creaturam talis justitia interesse nequit, ut dictum est lib. 3. disp. 3. quæst. 5. art. 5. quarè difficultas solùm est, an in Deo ponenda sit aliqua obligatio ad acceptanda nostra suffragia pro defunctis oblata, sivè de reliquo obligatio illa procedat ex justitia rigorosè sumpta, sivè ex fidelitate, aut alia virtute; an verò ex justitia non teneatur, sed ex mera sua liberalitate, & misericordia si ei placeat aliquando pœnam purgatorii, vel minuat, vel totaliter absolvat. Prima opinio asserit suffragia nostra non ex justitia, seù rigorosa obligatione, sed ex gratia, & misericordia, à Deo acceptari pro defunctis, cujus præcipuum fundamentum est improportio, quam habent pœnæ hujus vitæ cum pœnis alterius, sunt enim alterius rationis, & valdè deficiunt ab eis; ac proindè non potest per operationes pœnales præsentis vitæ fieri compensatio ex rigore justitiæ cum pœnis Purgatorii, quemadmodum pœna pecuniaria, cùm sit alterius, & deficientis rationis à pœna servitutis, nequit servus redimi ex rigore justitiæ per pecuniam, & si redimitur, id erit gratuta Domini acceptatione, ità neque ex rigore justitiæ animæ Purgatorii redimuntur operibus pœnalibus à nobis factis, sed id fiet ex dispensatione divinæ misericordiæ. Confirmatur ex diversitate fori, nam forum, in quo nos patimur est diversum à foro, in quo animæ illæ reperiuntur, quia nostrum est mite, ac veluti civile, illud verò rigorosum veluti criminale, & ideò passiones nostræ non sufficiunt ad satisfaciendum ex rigore justitiæ pro pœnis illis. Denique nullum extat pactum, vel promissio divina; quod nostra suffragia sint à Deo acceptanda, tanquam satisfactoria secundùm justitiam pro pœnis illarum animarum, & videmus Ecclesiam, & sanctos orare Deum, ut pro defunctis preces nostra acceptet; ergo non per justitiam, sed ex sola gratia, & acceptatione suffragia nostra illis prosunt, Ità Cajetanus, Canus, Soto, Corduba, Bardus loco citato, & alii ab ipso citati.

56 Opposita sententia est omnium Scolasticorum docentium suffragia vivorum prodesse defunctis per modum justitiæ, ita D. Thomas D. Bonav. Riccardus, & alii 4. d. 45. & Scotus noster quol. 20. C. ut Faber, & Brancatus advertunt l. c. omnes enim docent, quòd suffragium pro uno applicatum magis juvat, quàm si applicetur pro pluribus, & quod illi uni prodest

per

per modum satisfactionis, aliis verò omnibus per modum consolationis, signum evidens suffragia juvare defunctos per modum justitiæ, quia si per modum misericordiæ posset quis cum eodem affectu, & charitate illud pro omnibus applicare, & sic Deum movere ad miserendum omnibus. Ratio autem cur suffragia pro mortuis prosint per modum justitiæ in sensu jam explicato, non misericordiæ tantùm, est quia intercedente promissione sub conditione operis, nihil deest ad veram justitiam, ut hic de ea loquimur; cum enim Princeps reo pœnam remittit per compensationem, seù satisfactionem, exercet circà eum actum justitiæ supposita lege, quod pœnæ aliquæ compensari possint, licet enim ab initio, quando lex condita fuit, fuerit in legislatore actus benignitatis, & misericordiæ, ut naturæ humanæ compatiens legem illam conderet de compensationibus acceptandis pro pœnarum relaxationibus, lege tamen condita ejus executio est actus justitiæ, non quidem rigorosæ, quia inter Deum, & hominem talis esse non potest, sed secundum quid, & ex suppositione, ex quo enim promisit aliquid facere, ex virtute fidelitatis illud facere tenetur juxtà illud 2. Corrint. 1. *Fidelis est Deus &c.* nulla autem est repugnantia hanc promissionem intervenire respectu defunctorum, si enim illa admittitur respectu vivorum, ut constat ex superiùs dictis, tantò magis admitti debet etiam respectu defunctorum in Purgatorio existentium, quia ut rectè discurrit Suarez disp. 48. cit. sec. 6. animæ illæ sunt nobis charitate conjunctæ, & non minus indigent, quàm viventes, imo magis, quia non possunt per se satisfacere, sed tantùm satisfpàti, nec etiam sunt omninò in termino, sed adhuc durant in via, & ideò tam ex parte earum, quàm ex parte nostri est sufficiens fundamentum talis pacti, & promissionis. Ex parte autem Dei eadem est congruentia liberalitatis, & misericordiæ non repugnantis justitiæ, ut hìc de ea loquimur, & eadem significatio voluntatis ejus, quia quantum ex usu, & traditione Ecclesiæ colligitur, eadem est lex suffragiorum respectu defunctorum, quæ est respectu vivorum, æqualiter enim Ecclesia sua suffragia offert pro vivis, & defunctis, & Sancti Patres eodem etiam modo de illis loquuntur.

57 Hinc ad fundamentum prioris sententiæ desumptum ex improportione pœnarũ hujus, & futuri sæculi respondetur, quod licet inter illas pœnas aliqua sit improportio physica, & naturalis quia illæ sunt acerbiores, tamen secundum valorem moralem habent proportionem, & sufficientem condignitatem ex ordinatione divina, ex quo enim statuit Deus communionem viventium cum defunctis, ut potè cum ejusdem corporis membris, statuit etiam ut eodem modo defunctis prodessent suffragia vivorum, sicut prosunt ipsis, ut docet Cathechismus Romanus loco citato, & sic sunt proportionabiles, eo vel maximè, quia pœnæ vivorum sunt prætiosiores, quia sunt voluntariæ absolutè, non sic pœnæ defunctorum, ac proindè Deus libenter illas acceptat, tanquam dignores illis, & ideò minor pœna vivorum magnæ Purgatorii pœnæ æquivalet ratione voluntarii. Ad Confirmationem dicendum est, quod licet animæ Purgatorii sint in diverso foro, quantum ad jurisdictionem Ecclesiasticam, non tamen quoad vinculum charitatis, quo sunt nobis conjunctæ, & ideò non separantur etiam quoad communicationem bonorum statui uniuscujusque proportionatam. Quod autem forum illud sit justitiæ, & pœnæ illæ acerbiores nostris, non impedit satisfactionem nostram adhuc esse ex justitia, quia operationes nostræ pœnales in valore illis æquivalent, & sunt digniores illis ratione voluntarii, ac proindè satis aptæ ad illas compensandas secundùm justitiam. Ad ultimum negatur assumptum, constat enim pactum divinum, & divina promissio de acceptatione suffragiorum pro defunctis, & de communicatione bonorum, dùm ex scriptura, ex Patribus, & praxi ipsius Ecclesiæ constat suffragia esse offerenda pro defunctis, si enim ex libito, & intentione offerentium non valerent, nulla esset hæc ordinatio, & institutio. Ad illud tandem quod additur, quod Ecclesia orat, ut preces suæ, & fidelium exaudiantur, optimè respondit Faber cap. cit. in fine, quod Ecclesia orat, & Sancti docent nos orare, quia licet operationes nostræ pœnales sint satisfactoriæ ex justitia; non tamen sunt satisfactoriæ de rigore justitiæ excludendo gratiam, & acceptationes, divinam, sed sunt satisfactoriæ de justitia, suppositâ gratia, & acceptatione, seù pacto divino, & hac ratione Ecclesia, & fideles offerendo, & applicando satisfactiones id facere debent orando, & obsecrando, non autem in toto rigore petendo exclusis precibus, quia inter Deum, & hominem non potest esse rigorosa justitia commutativa, ut dictum est, sed secundùm quid modo jam explicato.

58 Tertiò dubitatur, an suffragia pro mortuis infallibiliter à Deo acceptentur, Auctores, qui in præcedenti dubio dicebant suffragia vivorum non prodesse defunctis ex justitia, sed tantum ex mera Dei liberalitate, & misericordia, consequenter hic dicunt acceptationem saltem juxtà totum valorem, quem habent, & in ordine ad talem animam in particulari non esse infallibilem, cum hoc dependeat ex liberalitate, & misericordia divina, & præcipuum fundamentum est, quia Sancti in patria, & fideles in via orant Deum pro animabus Purgatorii, ut acceptet suffragia, quæ pro illis fiunt; ergo signum est acceptationem non esse infallibilem, sed esse ex divina misericordia, & liberalitate, si enim acceptatio esset ex justitia, atque ideò infallibilis, non esset cur hoc peteremus, quia scimus infallibiliter à Deo esse acceptanda, si fiant cum debitis requisitis, vel non acceptanda, si requisita non sint oppositа. E contrà verò Auctores, qui volunt ex justitia suffragia vivorum pro mortuis à Deo acceptari, consequenter dicunt acceptationem esse infallibilem, quia divinam promissionem supponit, qua Deus se obligavit, & planè juxtà hanc sententiam, quam dubio præcedenti amplexi sumus, ut de mente nostri Doctoris quol. 20. consequenter hìc dicere debemus suffragia hæc oblata pro defunctis infallibiliter prodesse cuilibet existẽti in Purgatorio, si pro eo offerantur, & secundùm totum suum valorem. Et hoc expressè deducitur ex modo loquendi Patrum, & Conciliorum dicentium suffragia juvare, pœnas diminuere, vel totaliter tollere, & hic enim loquendi modus juvamen infallibilem significat, & per modum justitiæ, quia si per modum gratiæ tantùm, & fallibiliter hoc præstarent, possent aliquando non juvare, & ità minus rectè dixissent Concilia, & Patres determinatè, quod suffragia pro defunctis juvant, & prosunt, sed dicere debuissent, quod prodesse possunt, & juvare. Hoc etiam deducitur ex pluribus apparitionibus, & revelationibus à Brancato allatis loco citato in quibus relaxatæ dicuntur quarundam animarum purgantium pœnæ statim ac suffragia pro illis applicata fuerunt, & idem legitur in pluribus exemplis in Prato spirituali relatis de animarum liberatione per suffragia, ex quibus omnibus evidens deducitur consequentia, quod suffragia pro defunctis applicata infallibiliter suum habent effectum. Quarè autem Ecclesia, & fideles offerant, & applicent satisfactiones hujusmodi orando, & obsecrando, jam declaratum est num. præced. in fine, undè non video, qua ratione Bardus cap. 2. cit. sect. 5. numer. 58. ex his Ecclesiæ, & fidelium precibus Deo factis, ut acceptet suffragia pro defunctis oblata tanquam omninò certum, & indubitatum inferat talem acceptationem non esset infallibilem, sed ex mera Dei liberalitate, & misericordia, nullo supposito pacto, quo Deus se obligaverit talia suffragia semper, & quoad totum valorem pro tali anima in particulari acceptare. Hoc enim gratis omninò dicitur, licet enim suffragia vivorum pro defunctis sint satisfactoria ex justitia, non tamen de toto rigore excludendo gratiam, & acceptationem divinam, & ideò fideles ea offerendo, & applicando, id facere debent adhuc orando, & supplicando, ut dictum est.

59 Quartò quæritur, quid obtineant suffragia pro defunctis, seù Purgatorii animabus, Scotus 4. d. 19. §. *Ad quæstionem*, & d. 21. quæst. 1. & quol. 20. infrà C. cum communi Catholicorum sententia supponit animas in Purgatorio per hoc suffragiis juvari, & sublevari, quod pœna earum relaxatur, vel minuitur, undè pro resolutione quæsiti dicendum est suffragia aliquando diminutionem pœnæ obtinere, & aliquando totalem liberationem. Quod probatur ex modo loquendi Conciliorum, & Patrum, Concilia namque præsertim Florentinum, & Tridentinum superius sæpè citata expressè docent animas Purgatorii per suffragia viventium juvari, & sublevari, sed istud juvamen, beneficium, & sublevatio in alio consistere nequeunt, quàm in earum totali à pœnis liberatione, vel saltem partiali, seù earum diminutione; ergò &c. Deindè sic etiam loquuntur Patres, ut pluribus ostendit Brancatus disp. cit. art. 16. sed præsertim D. Augustinus in Enchirid. cap. 110. ut habetur cap. *Tempus* 13. q. 2. postquam dixerat animas defunctorum pietate viventium relevari, cum pro illis sacrificium Mediatoris offertur, vel eleemosynæ fiunt in Ecclesia, in fine concludit, quod *quibus prosunt, aut ad hoc prosunt, ut sit plena remissio, aut certè ut tolerabilior fiat ipsa damnatio*, ubi damnationem sumit pro cruciatu pœnæ, quia animæ Purgatorii ad cruciatum temporalem damnatæ sunt. Denique probatur à paritate Indulgentiarum, quæ pro defunctis concedi solent, aliquando enim conceduntur plenariæ, aliquando ad determinatum tempus, ut trium, vel quatuor annorum, aut plurium quadragenarum; ergò de suffragiis pariter discurrendum est, quod si operationes pœnales, seù satisfactiones viventium defunctis applicatæ æquiparentur pœnis ab aliquo solvendis in Purgatorio, totaliter liberant, si verò sint improportionatæ, pœnam minuunt juxtà valorem pœnalitatis in suffragio, tùm quia idem etiam experimur de satisfactionibus, quas unusquisque pro se adimplet, aliquando enim omnes sibi relaxantur pœnæ temporales, & aliquando pars tantùm earum major, vel minor, juxtà proportionem operum pœnalium, per quæ satisfacit, ut benè discurrit Brancatus l. c. ubi tandem addit

pœni-

neminem absque speciali Dei revelatione scire posse, an illa anima, pro qua suffragium applicuit, per illud sit totaliter à pœnis liberata, vel quantum sit diminuta, quia nullus scit proportionem suffragii cùm pœna dimittenda, vel diminuenda, imò neque an is, cui suffragatur sit in Purgatorio, sed hoc soli Deo, & animabus, quæ per suffragia juvantur, notum est.

60 Quintò tandem quæritur, an quolibet suffragium omnibus æquè prosit, quod quæsitum sub alio etiam titulo proponi solet; an suffragia facta pro multis tantum prosint singulis eorum, quantum prodessent, si pro unoquoque specialiter fierent. Quidam antiquiores apud D. Bonav. 4. d. 45. art. 2. quæst. 3. dicebant quodlibet suffragium à quocunque fideli præstitum, sive ab Ecclesia in communi æquè prodesse omnibus defunctis, neque magis illi, cui applicatur, quàm aliis, sicut candela accensa, & lectio lecta pro pluribus tantum quemlibet juvat, quantum unum juvaret, si pro eo solo candela accenderetur, vel lectio legeretur. Communis tamen, & vera sententia docet, quod suffragium pro pluribus defunctis oblatum non habet in singulis tantum valorem, ac si pro uno offerretur, quia cùm sit finiti valoris, dividitur inter illos secundùm portiones diversas; undè si aliquis applicat totam suam satisfactionem alicui animæ particulari, & vult simul alteri prodesse, id facere non poterit per modum solutionis, sed ad summum per modum impetrationis, vel meriti de congruo. Ità D. Bon. & Scotus loc. c. D. Thomas 4. d. 45. q. 2. a. 4 Astes. noster part. 1. tit. 37. cit. art. 5. & alii antiquiores, ac Recentiores passim. Hoc probat D. Bonav. l. cit. quia suffragia sunt ad solvendam pœnam, sivè reatum, sed plus est satisfacere pro debito multorum, quàm unius, & facilius satisfit pro debito unius, quàm plurium, ergo pluribus indigent suffragii duo, quàm unus solus; ergò si dividuntur inter eos, uterque habebit minus; ergo non videtur, quod æqualiter se extendat ad omnes. Deindè idem probat Scotus l. c. quia si suffragia æquè prodessent multis, ac uni soli, sequeretur, quemlibet sacrificium facientem, vel orationes fundentem, aut eleemosynas largientem, teneri applicare pro omnibus, alioquin contrà charitatem faceret, cùm uno, & eodem actu posset plures, imò omnes animas simul vel liberare totaliter, vel pœnas earum minuere; sed hoc est falsum, quia Ecclesia non solùm id non facit, imò omninò prohibet, nequis pro pluribus missam applicet, quam pro uno applicare tenetur, ut satisfaciat, alioquin qui tenetur dicere unam missam pro uno defuncto, & aliam pro alio, si pro illis duobus unam diceret, cuilibet solveretur, quod tenetur.

61 Ad exempla, quæ pro prima opinione adducebantur, respondet D. Bon. ibidem, paritatem non valere, quia illuminatio totam speciem rei visæ defert ad oculum, & similiter lectio totam speciem vocis, sed non sic est in solutione, sicut in aspectu, & consideratione, quamvis enim duo creditores æqualiter possint, & simul unum videre aureum, non tamen potest æqualiter solvi duobus; non valet ergo paritas, quia lumen candelæ, & vox doctoris se communicant per naturæ necessitatem, sed suffragia communicantur per suffragantis intentionem, undè si uni tantùm applicantur, integrè illi prosunt secundùm totum valorem, quæ habent per modum satisfactionis, prout ab offerente procedunt, ut v. g. si satisfactio, quam ergo exerceo, pro me facta valeret ex justitia ad remissionem sex graduum pœnæ Purgatorii, totidem remittit illi animæ, pro qua applicatur, ut rectè discurrit Suarez disp. 48. cit. sec. 6. coroll. 2. ubi etiam subdit non minus operari æqualem satisfactionem in una anima Purgatorii, quàm in alia etiamsi illæ inter se sanctitate, aut meritis inæquales sint, & ratio est, quia valor satisfactionis pro alio non sumitur ex dignitate personæ, pro qua offertur, sed ex dignitate personæ operantis, & conditione operis, agimus enim de factione ex opere operantis, non ex opere operato; undè tandem concludit solùm requiri ex parte ejus, pro quo offertur quod sit capax talis satisfactionis, eique obicem non ponat, in quod omnes animæ Purgatorii æquales sunt, etiamsi in gratia, & meritis inæquales sint.

ARTICULUS TERTIUS.

De Conditionibus requisitis ad effectum suffragiorum pro defunctis obtinendum.

62 AD fructum, seù valorem suffragii consequendum, ac dignoscendum docent communiter Doctores tria præsertim attendenda esse, primò substantiam, seù naturam ipsius suffragii, seù operis satisfactorii secundùm se considerati, secundò dispositionem requisitam ex parte personæ suffragium præstantis, seù offerentis pro alio, tertiò tandem dispositionem necessariam ex parte illius, in cujus beneficium suffragium præstatur, & applicatur. Quamvis autem quæsiti decisio quoad duo posteriora capita satis constet ex disp. præced. qu. 5. de suffragiis in communi, sivè pro mortuis præstandis art. 2. ubi assignavimus, & declaravimus conditiones requisitas tam ex parte offerentis, quàm ex parte illius, pro quo suffragium offertur, quia tamen remaneat adhuc quædam aliæ difficultates discutiendæ in hac materia, præsertim circa conditiones requisitas ex parte iplorum suffragiorum, in hoc articulo sunt breviter resolvendæ.

63 Primò itaque dubitatur, an suffragia, quæ fiunt pro defunctis, opera pœnalia esse debeant. Negant aliqui asserentes suffragia licet ordinariè per opera pœnalia fiant, quandoque tamen fieri posse per aliquem actum bonum non pœnalem, pro qua sententia citantur Scotus 4. d. 15. q. 1. art. 3. Soto d. 19. q. 2. art. 1. Vasquez in 3. part. qu. 94. art. 2. dub. 5. & alii quamplures. Affirmant alii dicentes suffragia, quæ fiunt pro defunctis, opera pœnalia necessariò esse debere, pro qua citantur D. Tho. eadem dist. q. 1. a. 5. D. Bonav. Durandus, & alii antiquiores, quos sequuntur Valentia, Suarez, Bonacina, & alii Recentiores. Hæc difficultas resolvi debet juxtà dicta superius disp. 21. q. 11. *de satisfactione Sacramentali* a. 2. n. 275. ubi quæritur, an quælibet opera honesta, etiamsi pœnalia non sint, possint pro pœnitentia injungi, & possimus per ea Deo satisfacere, diximus quod licet opus honestum habeat, ut sit satisfactorium, quatenus pœnale est, quia satisfactiones, quas pro peccatis exhibere debemus, & ad quas nos hortamur, explicant Concilia, & Patres per opera pœnalia, adhuc tamen nedùm actus pœnales, sed etiam alios actus virtuosos non pœnales esse idoneos, ut aliquando imponantur in satisfactionem, quod probat Scotus loc. cit. d. 15. & d. 19. q. 1. F. quia opus non pœnale potest esse majus bonum, & meritorium, quàm pœnale, ut constat de actu charitatis, ac proindè potest esse Deo magis acceptum pro satisfactione, quia in opere satisfactorio non tàm attenditur pœnalitas, quàm valor, & existimatio talis operis apud Deum, alioquin Christus Dominus per opera non pœnalia non satisfecisset, quod est falsum. Tùm quia nullum ferè pro statu isto datur opus moraliter bonum, & honestum, quod etiam simul sit pœnale, quia ex natura rei difficile agere est quodcunque opus propter honestatem virtutis, quod autem est difficile, est etiam eo ipso pœnale, quia semper aliquid affert difficultatis vincendæ, & superandæ, & consequenter pœnalitatis. Ità igitur in proposito etiam dicere debemus de suffragiis, quodcunque opus bonum posse esse satisfactorium, & pro suffragio inservire, quia omne opus honestum est aliquo modo laboriosum, atque ideò pœnale, & satisfactorium, & ratio fundamentalis asserti hujus est jam assignata, quia omne opus honestum contrarium est alicui bono delectabili, & utili; cùm enim sit actus liber quoad specificationem, necessariò in objecto rationem aliquam mali supponere debet, ac proindè difficultatem aliquam semper habet annexam superandam, & vincendam, & licet hi actus sint interdum conformes propensioni operantis, ut in homine justo, & adeò perfecto, ut etiam in exercitio horum actuum, nullam patiatur difficultatem, vel molestiam, hoc tamen non tollit, quin adhuc ex objecto ipso sit difficultas, licet ob devotionis fervorem, & passionum mortificationem difficultas non sentiatur. Tandem hoc etiam expresè docet Conc. Trid. sess. 14. can. 13. ut diximus lo. c. ubi ait hominem pro peccatis commissis satisfacere posse, non tantùm per tolerantiam, & injunctionem pœnarum, per orationes, eleemosynas, & jejunia, sed etiam per alia pietatis opera.

64 Secundò dubitatur, an præter opera supererogationis possint etiam ut satisfactoria applicari defunctis opera aliàs debita, sivè ex præcepto naturali, sivè ex positivo. Negant aliqui quia nemo per unam solutionem duobus debitis satisfacere potest, in satisfactione enim servari debet æqualitas, quia est actus justitiæ. Affirmant alii per quæcunque opera pœnalia, quocunque jure debeantur, posse hominem pro se, & consequenter pro aliis satisfacere. Hæc etiam difficultas resolvi debet juxtà superius dicta disp. 21. cit. num. 272. ubi quamvis non loquamur, nisi de satisfactione applicata ipsi satisfacienti, & ad hoc punctum non descendamus de satisfactione aliis applicata, nihilominus eadem videtur ratio, quia omnes illæ operationes defunctis applicari possunt, quæ sunt satisfactoriæ ex opere operantis ipsimet, qui illas exercet. Sicut ergò ibi diximus satis probabile esse, præter opera super erogationis posse etiam pro pœnitentia injungi opera aliàs debita, sivè ex præcepto naturali, sivè ex positivo, ità quoque in proposito dicimus posse etiam ut satisfactoria applicari defunctis opera aliàs debita, & ratio est, ut ibi diximus, quoniam præceptum rationem liberi, & voluntarii non tollit, nec rationem meriti, & per consequens nec rationem satisfactorii, sicut ergo una, & eadem operatio licet aliàs debita, potest esse meritoria vitæ æternæ, ità etiam, & satisfactoria pro pœna debita peccatis commissis. Confirmatur, quia aliàs sequæretur per eleemosynam extremè indigenti exhibitam justum pro suis peccatis non satisfacere, quia eleemosyna in-

in tali casu est naturali præcepto debita, quod est absurdum. Tandem, quia sicut sustinendo flagella temporalia à Deo in hac vita nobis inflicta satisfacere possumus pro peccatis non obstante quod sit respectu nostri necessaria, & non libera, ut docet Concil. Trident. sess. 14. ca. 9. ità possumus per actus virtutis aliundè debitos etiam satisfacere pro culpis, & pœnis in punitionem illorum debitis, sivè pro nobismetipsis, sivè pro aliis. Nec ratio in oppositum adducta urget, quamvis enim, ut ibi diximus, nemo ex natura rei per unicam solutionem duobus debitis satisfacere possit, id tamen facere potest ex gratia, & benignitate creditoris unicam solutionem pro duobus debitis accipientis, & ità contingit in casu nostro, qua ratione Trident. l. c. inquit hoc esse maximum divini amoris argumentum, ut temporalibus flagellis à Deo inflictis, & patienter toleratis apud Deum Patrem per Jesum Christum satisfacere valeamus.

65 Dices, si quis ex voto aliquod bonum opus exhibere tenetur, ut v. g. jejunare aliqua die, non satisfacit jejunando diebus in quibus est præceptum jejunandi ab Ecclesia institutum; ergò neque pro peccatis satisfacere poterit exhibendo opera aliàs ex præcepto debita. Negatur paritas, & ratio disparitatis est, quia obligatio ex voto proveniens dependet totaliter à libertate, & intentione ipsius voventis, qui potest se per votum obligare ad jejunium, vel pro die, in quo nullum urget jejunandi præceptum, vel quando adest tale præceptum; & si quando voto se adstrinxit, nihil de hoc, vel illo die determinavit, supponitur se obligare voluisse ad jejunium eo die, in quo aliundè nulla est obligatio, si quidem vota ordinariè de operibus supererogationis fieri solent; at obligatio satisfaciendi pro peccatis commissis, & pœnis ad eorum punitionem debitis, ex libertate hominis non dependet, sed oritur ex ipso peccato commisso, ut rectè Bardus advertit trac. 4. c. 1. sec. 2. per quod justitia Dei læsa fuit, ac proindè ex quadam justitia in hac, vel alia vita tenetur peccator Deo satisfacere, quæ quidem satisfactio sufficienter acceptatura Deo per exercitium actionum honestarum pœnalium, etiamsi aliundè sint debitæ ob immensam ergà nos charitatem ut ait Tridentinum l. c. & sic jejunando tempore Quadragesimæ, quamvis jejunii sit ex præcepto Ecclesiæ, ut in corpore maceremur, adhuc tamè per talia jejunia aliàs etiã debita pro peccatis satisfacere possumus, & pœnis eis debitis, sivè nostris, sivè alienis, atq; ideò pro defunctis.

66 Tertiò dubitatur, an opus externum præcisè sumptum pro alio oblatum illi prosit ad pœnæ remissionem; & sensus quæsiti est, quoniam consuetudo est, ut homo antè mortem fieri eleemosynas præcipiat pro sua anima post mortem, quas posteà hæredes faciunt, & tunc dicuntur illi suffragium ferre defuncto, tanquam instrumenta ejus, & nomine ipsius, difficultas est, an opus illud externum, quod est dare eleemosynam, sit per se satisfactorium defuncto independenter à voluntate ejus, per quem executioni mandatur, ideſt, sivè illa sit bona, sivè mala, sivè hominis justi, sivè peccatoris & quia disp. præc. quæst. 5. art. 3. num. 82. diximus præcipuam conditionem facientis suffragia nomine proprio esse, ut reperiatur in gratia, quæritur an qui facit opus externum pro alio, non ex propria voluntate, sed ex voluntate illius, pro quo applicat dictum opus, necesse etiam sit, ut in gratia reperiatur in tali executione. Et quidem diximus ibi, quando opera fiunt per alium, tanquam per instrumentum esse satisfactoria, quamvis ille, qui ea facit, sit in peccato mortali, quia opus est satisfactorium, quatenus provenit à principali agente, quarè si præcipiens, qui est agens principale sit in gratia, opus valet, & prodest ad satisfactionem, ut si Dominus in gratia existens per famulum peccatorem eleemosynam faciat, quia non attenditur instrumentum, cùm propria virtute non operetur, sed alterius. Difficultas tamen est, quando opera fiunt per alium, tanquam per causam propriam, & proximam illorum operum, ut quando opus fit ab hæredibus ad implendam testatoris voluntatem, neque dubium est de sacrificio Missæ, quia hoc habet meritum ex opere operato, ad quod bonitas ministri non requiritur, sed de eleemosynis, & aliis operibus piis, quæ fiunt ex voluntate testatoris ab hæredibus, vel aliis Commissariis.

67 Quamvis plura discurrant Recentiores in hoc puncto præsertim Suarez disp. 48. cit. sec. 8. num. 11. breviter tamen dicendum est eleemosynas, & alia opera pia, quæ fiunt ex voluntate testatoris ab hæredibus, vel aliis Commissariis juvare testatores in Purgatorio existentes prò pœnarum satisfactione, non obstante, quod hæredes, vel Commissarii sint in peccato mortali, dum dictam voluntatem testatoris exequuntur, & ratio est, quia dictis non operantur virtute propria, sed virtute, & voluntate testatoris. Ità quæsitum hoc resolvit D. Bonav. 4. d. 45. art. 2. q. 2. ubi in corpore quæstionis inquit distinguendum esse, quod suffragia facta pro defunctis, aut sunt opera Sacramentalia, ut celebratio Missæ, & tunc quia opera Dei sunt ratione contenti prosunt, sivè fiant à bonis, sivè à malis; aut sunt alia opera, & hoc dupliciter, aut enim fiunt purè à malis, sicut si aliquis malus orat, vel se affligat pro aliquo, & tunc inquit non valere defunctis, aut fiunt à malis ad imperium alicujus boni, ut ipsius defuncti, de re, quæ illius est, in eleemosyna, & tunc valent ratione doni charitatis homini conjunctæ. Et ità etiam discurrit D. Thomas 4. d. 45. quæst. 2. art. 1. quæstiun. 3. dicens quod si aliquis in charitate decedens præcipiat sibi suffragia fieri, vel alius præcipiat charitatem habens, illa suffragia valent defunctis, quamvis illi, per quos fiunt in peccato existant. Ex quibus deducitur, quod licet ut hæc suffragia valeant pro defunctis, opus non sit, ut hæredes vel Commissarii sint in gratia, dum testatoris voluntatem exequuntur, est tamen necesse, ut testator, quando condit testamentum sit in gratia; vel antè mortem, quando est in gratia, illud saltem sua voluntate confirmet, ut opus ab homine grato procedere possit. Hoc etiam asserunt ex nostris Faber disp. 37. cit. c. 3. & Brancatus disp. 26. cit. art. 14. tùm quia non videmus esse consuetudinem in Ecclesia, quod quando quis vult adimplere legata, faciat confessionem Sacramentalem ad se constituendum in statu gratiæ, neque de hoc ullum habetur præceptum in aliquo Canone, in quibus tamen præcipitur acriter, ut hujusmodi legata adimpleantur, ut patet 13. q. 2. tùm quia si talis conditio esset necessaria in exequente legata testatorum ut plurimum mentes illorum frustrarentur, qui certè esset magnus error, & universalis in Ecclesia, quem deberent Pastores, & Doctores corrigere, & aliquo decreto Pontificio insinuari debuisset.

68 Respondet Suarez loc. cit. nu. 18. mentes testatorum non frustrari, quia in hujusmodi actibus tota satisfactio est posita in actu volendi, ac præcipiendi tale opus, posteà verò ex vi solius externi affectus nihil satisfactionis addi per se loquendo, & ex opere operantis respectu mandantis. Addit tamen talia opera prodesse posse principalibus per accidens, & remotè, quatenus qui accipit eleemosynam excitatur ad orandum, vel satisfaciendum pro defuncto, qui dare præcepit, & rursus ait conferre posse ad impetrandum aliquod beneficium à Deo ex misericordia, & hac ratione ait non adimplentes legata pia testatorum, vel impletionem differentes præter peccatum infidelitatis, & justitiæ, si eleemosynas detinet, nocere defunctis, propter quod *Peccatores Pauperum* vocantur in Concilio Vasensi, Carthaginensi quarto, & Agathensi, undè concludit his de causis melius esse in vita hæc opera facere, quàm relinquere, ut post mortem fiant. Sed ut optimè arguit Faber loc. cit. dicere, quod opera facta in persona alterius non prosint ad satisfactionem pro principali est contra communem Doctorum, & Ecclesiæ sensum, nam tunc hæredes adimplendo legata testatorum nihil in ratione satisfactionis ipsis defunctis prodessent. Et quamvis per accidens, & remotè illis prodessent modo præfato, hoc tamen non sufficit, quia ipsi testatores intendunt, quod illis per se, & ad satisfactionem juvent, non autem tantùm per accidens, & remotè, & est contra communem sensum fidelium, & plura Pontificum decreta, quæ habentur 13. q. 2. & præsertim cap. *Qui oblationes* ex Concil. Vasensi c. 4. quibus per hoc adjutorium remotum, & per accidens minimè satisfit. Quomodo autem opera facta in persona alterius prosint ad satisfactionem pro principali declarat Astesan. noster part. 1. lib. 3. tit. 37. cit. art. 3. propè finem, dicens quod loquendo de suffragiis ex opere operantis, de quibus hic est sermo, potest accipi vel ex parte principalis agentis, vel ex parte exequentis, quo supposito subdit, quod qui citò moriens disponit aliqua suffragia sibi fieri, præmium suffragiorum plenè consequitur, antequam fiant, quantum ad efficaciam suffragii, quæ erant ex opere operante principalis agentis; sed quantùm ad efficaciam suffragiorum, quæ est ex opere operante exequentis, non consequitur fructum, antequam suffragia fiant. Et si prius contingat ipsum à pœna purgari, quantum ad hoc fraudabitur suffragiorum fructu, quod certè in eos redundabit, quorum culpa defraudatur; non enim est inconveniens, quod aliquis defraudetur per culpam alterius in temporalibus, pœna autem Purgatorii est temporalis, licet quantùm ad æternam retributionem nullus defraudari possit, nisi propria culpa; undè infert, quod si legata, quæ quis facit nunquam solverentur, vel malè ablata, quæ præcepit restitui, per executores non restituerentur, non propter hoc perpetuò remaneret in pœna, licet multò tardius liberaretur ab ea.

69 Quartò dubitatur, an restitutio, quæ post mortem fieri præcipitur, aliquid conferat ad remissionem pœnæ. Negant Soto 4. dist. 45. q. 2. art. 3. Bellarminus l. 2. de Purgatorio cap. 16. & alii, & ratio est, quia si anima decessit in gratia absque reatu pœnæ, statim evolavit ad Cœlum, etiamsi restitutio non fiat, & si decessit cum tali reatu, detinetur in Purgatorio quousque dictam pœnam solvat, etiamsi restitutio non fiat, nec ex hoc, quo restitutio jussa non fiat, potest anima in Purgatorio detineri; peccat tamen qui restitutionem non exequitur contrà justi-

justitiam, & contrà fidelitatem, & damnum etiam infert testatori in Purgatorio existenti, quatenus privat illum aliquo bono, quod ille, cui fit restitutio, pro dicto testatore facere posset. Affirmant alii dilationem restitutionis à testatore relictæ obesse ejus animæ in Purgatorio existenti, & esse causam longioris dilationis in illis pœnis, licet non possit esse causa, ut in æternum ibi detineatur, etiamsi nunquam fieret, quia pœna æterna solùm debetur culpæ, quæ in hac vita remissa non fuit. Ratio autem est, quia ipsa actualis restitutio est opus bonum, & per se satisfactorium, & ideò cùm fit restitutio, accedit hoc opus satisfactorium ad satisfactionem, quam faciunt animæ illæ per se in illis pœnis, & sic citius ab eis absolvuntur; si autem restitutio non fiat, coguntur animæ illæ integrè per se satisfacere pœnis illis debitis, quæ proindè longius protrahuntur, nec ab eis absolvuntur, donec per se solvant usque ad minimum quadrantem. Cui opinioni etiam favent revelationes quædam animarum defunctorum, quæ vivis apparuerunt, & hæredibus suorum debitorum restitutionem fieri petierunt, ut à Purgatorio liberarentur, undè Sancta Birgitta lib. 6. Revelationum cap. 66. affirmat tandiù anima cruciari in Purgatorio, donec restituatur ablatum; ità Riccardus 4. dist. 45. qu. 4. art. 5. Gabriel ibidem, Astesanus loc. cit. ac etiam Faber ex nostris, & hanc opinionem tenendam esse arbitror, quando in vita dilatio restitutionis fuit culpabilis, sæpè enim accidit, quod qui ad restitutionem tenetur, restituere potuerit, & tamen semper distulerit usque ad mortis articulum, in quo restituere non potest, & tunc pœnitentiam habeat de dilatione culpabili, & proindè præcipiat hæredibus post mortem suam restitutionem fieri; in tali, inquam, casu satis probabile est dilationem restitutionis illius impedire aliquo modo liberationem illius animæ à Purgatorio, & tardius ab illis pœnis liberari; si verò omissio, vel dilatio talis restitutionis non fuit culpabilis, quia nimirum erat in magna egestate, vel aliqua gravi necessitate constitutus, tunc etiam satis probabile censeo, dilationem restitutionis ab hæredibus factam liberationem animæ defuncti non impedire, quia anima illa decessit in gratia, & sine ullo reatu pœnæ talis dilationis; quod si decessit cum reatu pœnæ aliarum culparum luet quidem in Purgatorio tantam pœnam, quanta ad expiationem illius reatus sufficiat, statim verò præmium gloriæ accipiet, etiamsi restitutio facta non sit, ut prima opinio asserebat.

70 Quintò tandem quæritur, an soli viatores animabus Purgatorii suffragari possint, an etiam Beati; pro cujus resolutione distinguendum est de suffragiis, per modum satisfactionis, vel per modum simplicis impetrationis, & dicendum, quod ut suffragia prosint defunctis per modum satisfactionis, & justitiæ, requiritur omninò, ut suffragans sit viator, ut docent Divus Thomas 4. dist. 45. qu. 3. art. 3. & Divus Bonaventura ibidem, & alii passim, & ratio est, quia talis suffragandi modus fit per opera pœnalia, qualia sunt sacrificia, eleemosynæ, orationes, & jejunia, quæ solùm à viatoribus præstari possunt, non à Beatis, qui pœnarum sunt incapaces, & licet orare possint, eorum tamen orationes non sufficiunt, ut satisfactiones, quia non sunt pœnales, ut orationes viatorum, ac proindè soli viatores animabus Purgatorii suffragari possunt per modum satisfactionis. Si verò loquamur de alio genere suffragiorum, nempè per modum impetrationis, & misericordiæ, etiam Beati animabus Purgatorii possunt suffragari; & hoc satis constat ex continua Ecclesiæ praxi, quæ in collecta pro vivis, & defunctis sic precatur: *Quos jam exutos corpore suscepit intercedentibus omnibus Sanctis ad perpetuæ beatitudinis consortium pervenire concedas*, & in alia collecta Missæ Defunctorum quotidiana sic orat: *Quæsumus clementiam tuam, ut nost æ Congregationis fratres, &c. qui ex hoc sæculo transierunt, Beata Maria semper Virgine intercedente cum omnibus Sanctis tuis ad perpetuæ beatitudinis consortium pervenire concedas.* Et tandem in antiphonis pro depositione Defuncti sic rogat, *Subvenite Sancti Dei, occurrite Angeli Domini suscipientes animam ejus, offerentes eam, &c.* ergo Beata Virgo, & alii Sancti pro Defunctis orant, eisque suffragantur per modum impetrationis. Et tandem hoc etiam suadet ratio, quia Beati in patria orant pro vivis; ergo etiam pro defunctis, & animabus in Purgatorio existentibus, non enim minus isti, quàm illi sunt Ecclesiæ membra, nec minorem habent communionem cum defunctis, quibus sunt charitate conjuncti, quales sunt animæ purgantes. Ità passim discurrunt Doctores, & præsertim Brancatus noster disput. 25. cit. de Purgatorio artic. 12. Alia plura de Suffragiis pro defunctis videri possunt apud Astesanum part. 1. l. 3. tit. 37. cit.

QUÆSTIO QUARTA.

De statu animarum justorum expleta purgatione.

71 CElebris antiquitus controversia fuit de statu animarum purgantium expleta purgatione, an, scilicet plenè purgatæ in Cœlum evolarent, & statim clara Dei visione fruerentur, quam inter alios fusè, & eruditè pertractat D. Bonavent. 4. dist. 21. part. 1. art. 3. qu. 2. nam aliqui antiquiores Græci, & Armeni dixerunt animas justorum ex hac vita decedentes, ac etiam in Purgatorio ab omni reatu purgatas non videre Deum, neque esse beatas usque ad diem judicii post corporum resurrectionem; quem errorem posteà secuti sunt Anabaptistæ, Lutherani, & Calvinistæ; & antiquitus hæc sententia ità vigebat, ut ei nonnulli SS. Patres etiam adhæserint, quos passim Auctores referunt, & præsertim Brancatus noster t. 4. d. 24. art. 6. quod, inquit, eorum sanctitati minimè præjudicare, quia adhuc non erat ab Ecclesia definitum, quid esset tenendum, cùm solùm anno 1336. à Benedicto XII. id fuerit declaratum, ut constat ex Constit. ejus 4. incipiente *Benedictus*; hæc igitur controversia in fine hujus disputationis de Purgatorio est breviter resolvenda.

ARTICULUS PRIMUS.

An animæ Sanctorum perfectè purgatæ Deum videant antè diem Judicii.

72 PRimò pro resolutione quæstionis asserendum est, & tanquam de fide tenendum post præfatam Benedicti XII. Constitutionem, animas justorum post discessum ex mortali corpore, si nihil purgandum habuerint, statim; si autem aliquid purgandum habuerint, cùm purgatæ, & expiatæ fuerint essentialem beatitudinem, seù visionem, & fruitionem Dei in cœlis consequi; ità communiter Theologi 4. dist. 49. & præsertim Divus Bonaventura loc. cit. in corpore quæstionis his verbis: Dicendum est, quod aliqui stulti circa hoc errant dicentes, animas non esse glorificandas antè diem judicii, sed potius expectare usque ad extremum diem judicii. Hos stultos dixi, quoniam talis error, nec fulcimentum habet ab auctoritate, nec ab efficaci ratione, nec habuit ista positio aliquem magnum auctorem, nec defensorem, sed imponitur quibusdam Græcis; ità Seraphicus Doctor loc. cit. Probatur autem hæc veritas in primis ex variis Scripturæ locis, ut ex verbis Christi ad Latronem Lucæ 23. *Hodie mecum eris in Paradiso*, quo nomine visio beata significatur, ut ex Cyrillo, Chrysostomo, Nisseno, Augustino, & aliis colligitur; ergò anima latronis fuit cum Christo, sed constat, inquit Divus Bonaventura, quod Christus postmodum non abstulit, quod prius promisit; ergò semper posteà fuit cum Christo; quando ergò Christus in Cœlum ascendit, etiam anima latronis ascendit, & pari ratione etiam aliæ animæ sanctæ. Probat etiam ex illo, quod dicebat Apostolus ad Philipp. 33 *Cupio dissolvi, & esse cum Christo*, sed constat, quod desiderium suum non erat cassum; ergò statim post dissolutionem fuit cum Christo, neque hoc dixisset, si Sancti post hanc vitam non essent in Cœlo cum Christo; sed alibi expectarent usque ad diem Judicii. Probat item ex illo Appocal. 6. ubi sermo est de animabus justorum post eorum mortem *Datæ sunt illis singulæ stolæ albæ*, sed non est stola, nisi gloria animæ essentialis, ut etiam explicant D. August. 4. ser. de Innocentibus, D. Gregorius, & alii Patres, undè Apocal. 7. illi qui dicuntur *amicti stolis albis*, dicuntur etiam *stantes antè Thronum, & in conspectu agni*, & infrà *sunt antè thronum Dei, & serviunt ei die, ac nocte in templo ejus*. Thronus autem Dei Cœlum est ex Matth. 23. *Qui jurat in Cœlo jurat in throno Dei, & in eo, qui sedet super illum*. Probatur prætereà ex illo Act. 7. ubi S. Stephanus morte sibi imminente dixit: *Video Cœlos apertos*, &c. & posteà *Domine Jesu suscipe spiritum meum* utique in cœlesti beatitudine, & ad Ephes. 4. ubi de Christo dicitur *Ascendens in altum captivam duxit captivitatem*, nempè animas Sanctorum in Limbo detentas, quas in Cœlum adduxit, ut SS. Patres passim interpretantur. Et alia quoque Sacræ Scripturæ testimonia videri possunt apud Lezanam, Caspensem, Becanum, & alios passim in tract. de Beatitudine, & apud Brancatum nostrum loc. cit.

73 Secundò principaliter probatur eadem veritas ex definitionibus Ecclesiæ, & his quæ passim habentur in Missalibus, & Breviariis; ità enim definitum fuit, ut diximus, à Benedicto XII. in Extravaganti, quæ incipit *Benedictus Deus* & ad verbum refertur à Castro verbo *Beatitudo* hæresi 6. & à Brancato nostro loc. cit. & ab Innocentio Tertio cap. *Majores* de Baptismo, ubi inquit, quod *Baptismus per virtutem sanguinis Christi adaperiat*

januas Regni Cœlorum, in quo distinguitur à circumcisione, & in Concilio Florent. sess. ult. in decreto Eugenii Quarti, ubi dicitur, *quod Baptizatis non sit imponenda aliqua satisfactio, sed manent absoluti à culpa, & pœna, ita ut si moriantur antequam culpam committant, statim ad Regnum Cœlorum, & Dei visionem perveniant*. Potest etiam hæc veritas ex Trident. deduci sess. 6. can. 30. ubi definitur, quod post justificationem reatus pœnæ temporalis remaneat in hoc sæculo, vel in futuro solvenda, antequam pateat aditus ad Regnum Cœlorum; ergo soluta pœna temporali patet ad Cœlum aditus. Item ex Bullis, seù Constit. Canonizationum Sanctorum, in quibus Romani Pontifices, vel explicitè dicunt Sanctos in Cœlo videre Deum, eoque frui, vel implicitè id supponunt, cùm de illis loquuntur, ut ex pluribus dictis Romanorum Pontificum in Sanctis canonizandis à Brancato relatis loc. cit. evidenter deducitur, nam Gregorius Nonus Constit. 4. de S. Antonio Patavino ait *Honoratur in Cœlis, & esse meruit cum Christo in cœlestibus*, & de S. Dominico Constit. 8. ait *Pervenit in Sancta Sanctorum in gloria*, Alexander IV. Constit. 3. de S. Clara dicit *In regale cœleste Palatium introducta cum gloria*, & simili modo loquuntur alii Pontifices in suis Bullis, & Constitutionibus Canonizationum. Denique hæc eadem veritas deducitur quoque ex his, quæ Ecclesia recitat in Missalibus, & Breviariis, ut dicebamus, nam in communi Confessorum dicitur in eorum officio *Euge serve bone, & fidelis, &c. intra in gaudium Domini tui; stolam gloriæ induit; offendit illi Regnum Dei*, & similia, & in quodam Responsorio Confessoris non Pontificis dicit: *Iste homo perfecit omnia, quæ locutus est ei Deus, & dixit ad eum ingredere in requiem meam*, & infrà: *Iste est, qui contempsit vitam mundi, & pervenit ad cœlestia regna*, & in hymno dicitur. *Hodie lætus meruit beatas scandere sedes*, idem deducitur ex praxi, & orationibus Ecclesiæ, nam in oratione, seù collecta Divi Gregorii Magni dicitur: *Deus qui animæ famuli tui Gregorii æternæ beatitudinis præmium contulisti*, & sic de pluribus aliis Sanctis Ecclesia loquitur in eorum collectis, & Missa pro Defunctis tota ad hoc ordinatur tam in introitu *Requiem æternam dona eis Domine*, quàm in orationibus, tractu, & offertorio; & tandem id clarissimè cernitur in communi Martyrum, ubi dicitur: *Gaudent in Cœlis animæ Sanctorum*, &c. & rursus: *Cum palma ad regna pervenerunt Sancti*, &c. ac alia similia.

74 Tertiò probatur plurimis Patrum testimoniis, & præsertim D. Hier. qui de hoc puncto specialem habuit cum Vigilantio disceptationem, qui ajebat non esse Martyres, aut eorum reliquias non esse venerandas; neque ad eorum sepulcra in Ecclesiis orandum, & vigilandum; cùm nos suis precibus modò adjuvare nequeant, quia non adhuc sunt in Cœlis. Hoc autem D. Hieronymus lib. adversus Vigilantium his verbis impugnat. Ais, vel in sinu Abrahæ, vel in loco refrigerii, vel subter aram Dei animas Apostolorum, & Martyrum concediſſe, nec posse suis tumulis, & ubi voluerint esse præsentes? sed in libera, honestaque custodia in fortunatorum insulis, & in campis Elisiis recludi. Tu Deo legem pones. Tu Apostolis vincula iniicies, ut usque ad diem Judicii teneantur in custodia, nec sint cum Domino suo? de quibus scriptum est, sequuntur agnum quocunque vadit; si agnus ubique; ergo & hi, qui cum agno sunt ubique esse credendi sunt; & in epistola ad Marcellam de exitu Leæ, & ad Paulum de obitu Blæsillæ filiæ, & ad Pammachium de obitu Paulinæ uxoris non ex alio capite eos consolatur, nisi quod pro brevi labore ex hac lachrymarum valle recipiuntur in Cœlis, excipiuntur Angelorum choris, Christum sequuntur, æterna beatitudine fruuntur, & similibus; ità etiam discurrit D. Gregorius Nazianzen. or. de Pulcheria Imperat. filia dicens. Igitur si à te Puella migravit, ad Dominum recurrit, tibi oculum clausit verùm sempiterno lumini aperuit, à tua mensa discessit, sed ad angelicam adjuncta est; hinc avulsa planta, verum in Paradiso consita est, à Regno in Regnum traslata est, purpuræ florem exuit, ac regni cœlestis amictum induit, & ità etiam loquitur in orat. in Fratrem Cæsarium, dicens animam ejus in Cœlum penetrasse, ac Beatorum gloriam, & splendorem spectare, ità etiam discurrit Sanctus Joannes Chrysost. orat. de S. Philogonio, ubi ait, quod hinc abiens, & civitatem suam relinquens, in alteram, quæ est Dei civitatem ascendit, & hanc Ecclesiam deserens in illam conscriptus est primogenitorum descriptorum in Cœlis. Idem etiam probatur ex SS. apparitionibus, & suæ gloriæ revelatione, ut constat ex Sanctæ Agnetis historia, quæ parentibus ad sepulchrum vigilantibus quadam nocte Choro Virginum comitata apparens sic allocuta est. Ne me parentes mortuam lugeatis, nam unà cum his Virginibus vivo apud illum in Cœlis, quem in terris tota mente dilexi. Alia plura Patrum testimonia, & Sanctorum apparitiones videri possunt apud Bellarminum, Valentiam, Montesinos, Brancatum nostrum, & alios de hac materia tractantes.

75 Quartò, hoc etiam probat Divus Bonaventura loc. cit. rationibus, & congruentiis, quibus alii passim utuntur, differre mercedem mercenarii facit præjudicium justitiæ juxtà divinam legem Levit. 19. *Non morabitur apud te opus mercenarii usque ad mane*; sed Deus est summè justus; ergò statim quando invenit hominem dispositum, statim retribuit; aliter manerent animæ sanctæ sine fructu meriti extrà viam, & sine gaudio præmii extrà patriam; & ita contingit in Angelis, nam boni finita via statim præmium acceperunt, & mali statim in Infernum detrusi fuerunt. Nec obstat exemplum animarum justorum veteris testamenti, quæ in Limbo Patrum detinebantur. Ideò enim tunc temporis hoc contingebat, quia decens non erat, ut aliqui homines in Cœlum ascenderent antè Christi Domini adventum, cujus proprium munus erat aperire credentibus regna Cœlorum, ut mox dicemus.

Confirmatur, quia animæ eorum, qui in peccato mortali decedunt statim æterno igne torquentur antè diem judicii, ut constat ex illo Job. 21. ubi de malis loquens ait, *& in puncto ad inferna descendunt*, & Lucæ 16. de divite illo dicitur, quod *erat in tormentis, & cruciabatur flamma*; ergò animæ Sanctorum aliquem reatum purgandum non habentes statim beatificantur visione, & fruitione Dei in Cœlis, quod tanto magis de justis asserendum est, quia Deus pronior est ad miserendum, & premiandum, quàm ad puniendum. Denique beatitudo perfecta, & clara Dei visio non indiget corpore, neque à phantasmatibus dependet; si ergo justi in hac vita suum certamen finierunt, & victores fuerunt, nec animæ eorum aliquid habent purgandum, divinæ justitiæ decens non videtur, nec divinæ misericordiæ, ut præmium differatur usque ad corporum resurrectionem, nam ut ait Sanctus Doctor loc. cit. Spes, quæ differtur affligit animam, si ergò differtur præmium Sanctorum usque ad diem judicii, & corporum resurrectionem, videtur quod sint in continua afflictione, expectatione, & gemitu, atque ità si Deus tantùm differt, videretur quod ipse sit crudelissimus; quarè concludit Seraphicus Doctor, quod si Sancti nullius sunt debitores, & sufficienter dispositi inveniantur in mortis articulo, statim ad gloriam evolant, quia charitas est pondus sursum elevans, atque ideò per charitatem anima statim rursus evolat, quando non habet aliquod retardans.

76 Quintò, quando dicimus omnes animas justorum, quæ nihil purgandum habuerunt, in Cœlum evolasse, & beatitudinem fuisse consecutas, hoc totum intelligendum est post Christi adventum, & ejus mortem, nam toto tempore veteris Testamenti usque ad mortem Christi nullæ animæ quantumvis Sanctæ essentialem beatitudinem sunt consecutæ, quæ in visione, & fruitione beatifica consistit; ità Divus Thomas 3. par. quæst. 49. art. 5. & quæst. 52. art. 5. D. Bonav. loc. cit. & omnes Theologi ibidem, & probatur, quia articulus fidei est, Christum ad inferos descendisse, neque ob aliud, nisi ut ibi existentes liberaret in Limbo, & in Cœlum eveheret juxtà illud: *Ascendens Christus in altum captivam duxit captivitatem*, &c. hinc ait Cyrillus Alexandrinus in libro ad Reginas, quod olim corporibus liberatæ in subterranea profunda dimittebantur animæ sanctorum mortis receptacula complentes. Postquam verò Christus spiritum suum Patri commendavit, hanc etiam nobis dedicavit viam, non enim nunc ad inferos descendemus, sed in eo potius illum sequemur, ac fideli creatori animas nostras commendantes in spe bona vivimus, &c. Hæc Cyrillus. Et hoc significavit Paulus ad Hebræos cap. 11. ubi loquens de antiquis Patribus dicit: *Et hi omnes testimonio fidei probati non acceperunt repromissionem, Deo pro nobis aliquid melius providente, ut non sine nobis consummarentur*, & sensus est, quod Sancti veteris testamenti, de quibus hic loquitur, *non sine nobis* hoc est sine Sanctis novi testamenti consummarentur, atq; beneficarentur, utpotè usque ad tempus mortis Christi in Limbo detineri. Ratio est, quia Deus noluit quemquam ad statum beatitudinis admittere, nisi prius solutum esset pretium, quo per Christum redempti sumus è statu servitutis, & ad statum filiorum Dei adoptati, hoc autem pretium non nisi in morte Christi persolutum fuit per ejus sanguinis effusionem, undè idem Apostolus ad Hebræos 9. dixit loquens de Christo, quod *novi testamenti mediator est, ut morte intercedente in redemptione earum prævaricationum, quæ erant sub priori testamento, repromissionem accipiant, qui vocati sunt æternæ hæreditati*, & in hoc eodem sensu dixit Divus Hieronymus in Epistola ad Dardanum, quod Sanguis Christi clavis est Paradisi, qui est terra viventium, in qua Sanctis viris bona Domini præparantur, quam antè adventum in Carne Domini Salvatoris nec Abraham, nec Isaac, nec Jacob, nec Propheta, & alii justi viri consequi potuerunt. Et tandem hoc etiam significat parabola Evangelica de denario diurno, qui non prius datus est operariis, qui summo mane in vineam conducti fuerant, quàm aliis, qui circa horam undecimam acces-

accesserant; & sic etiam discurrit Divus Bonaventura loc. cit. dicens, quod Christus expoliavit principatus, & potestates tenebrarum, & per ipsum Sanctos, qui in Limbo erant, ad Cœlum fuisse sublimatos.

ARTICULUS SECUNDUS.

Solvuntur objectiones in oppositum.

77 PRimò obiici solet illud Matth. 25. statuet agnos à dextris, hædos autem à sinistris, & dicet his, qui erunt à dextris, venite benedicti Patris mei percipite regnum; ergò videtur quod non sint antè illud judicium gloriam percepturi, si enim primò percepissent, non diceret Dominus, percipite regnum.

Confirmatur, quia nullius rei possessio, quæ habetur per sententiam, obtinetur antè lationem sententiæ; sed vitæ æternæ possessio habetur per sententiam; ergo cum sententia detur in die judicii, videtur quod antè diem judicii non evolet aliqua anima in Cœlum. Tandem magnifici Regis eo modo est stipendia elargiri, per quem ejus magnificentia magis declaretur; sed hoc est præcipuè, dum fit curia una ex multitudine, & aggregatione multorum; ergò videtur quod Dominus reservet gloriam æternam, ut eam simul omnibus conferat.

Ad has objectiones respondet Seraphicus Doctor loc. c. & ad primam inquit, quod judicium illud erit quantùm ad consummatam glorificationem suscipiendam in anima, & in carne quam nondum habent mortui, quamvis animæ sint beatæ in Cœlo. Ad Confirmationem inquit, quod sicut dupliciter contingit regnum obtinere, scilicet, integrè, & perfectè, sivè in toto, & alio modo secundùm animam, sivè in parte, sic dupliciter est judicium, sivè etiam dupliciter sententia, nam sicut homo glorificatur secundùm partem, ità particulariter judicatur, & de eo sententia profertur, quando anima de corpore egreditur; judicium autem universale, & sententia erit, quando homo erit glorificandus totaliter, & sic duplex judicium competit duplici modo possidendi gloriam. Ità Sanctus Doctor, & est, quod alii dicunt, duplex esse judicium, unum particulare post hanc vitam in quo datur præmium animæ; alterum generale in novissimo die, in quo datur præmium corporis, hoc publicè, illud privatim. Ad ultimum ait Sanctus Doctor, quod sicut duplex judicium competit duplici modo possidendi gloriam, ità duplex modus competit duobus, scilicet, divinæ magnificentiæ, & nostræ indigentiæ, propter nostram indigentiam tollendam, statim quando anima est apta, & disposita, sublimatur ad gloriam, quia frustrà expectaret, cùm non possit amplius mereri; propter divinam magnificentiam ostendendam reservatur generalis, & universalis resurrectio corporum in fine sæculorum, & sic in nullo præjudicatur commodo nostro, dùm anima assummitur in gloriam; in nullo divinæ gloriæ, dum in fine fiet in reassumptione corporũ totum, quod fieret si gloria differretur animabus.

78 Secundò obiicitur illud Apocalyp. 6. *Vidi sub altare animas interfectorum propter verbum Dei*, ubi ponderandum est, quod non vidit illas in Cœlo, sed in alio loco, & subdit quod *dictum est illis, ut requiescerent adhuc modicum, donec compleantur conservi eorum*, ideſt, numerus prædestinatorum, hic autem non adimplebitur, nisi in fine sæculi; ergo usque tunc animæ justorum non videbunt Deum. Confirmatur ex illa parabola Matth. 20. ubi omnibus operariis ad vesperam jubet Paterfamilias reddi denarium, per vesperam autem finis mundi significatur, & per denarium beatitudo, seù visio beata, ergò non antèà reddetur omnibus hæc merces. Tandem idem quoque significare videtur, quod Paulus dixit 2. ad Timoth. 1. *Scio enim, cui credidi, & certus sum, quia potens est depositum meum servare usque in illum diem*, ideſt, universalis judicii, quod etiam modo intelligitur, quod inquit idem Paulus 2. ad Timoth. 4. *Reposita est mihi corona justitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die justus Judex.*

Ad hæc omnia, & similia Sacræ Scripturæ loca, in quibus denotatur præmium meritorum in die judicii generalis conferendum esse, respondendum est ex relata S. Bonavent. doctrina intelligi debere de præmio meritorum cum publico honore, solemni pompa, & omnium bonorum operum manifestatione coram Angelis, & omnibus hominibus, non autem de præmio, quod datur privatim, & per judicium particulare unicuique conceditur; hoc enim datur post obitum cujusque justi, vel statim, si sine ullo reatu ex hac vita decedit, vel expleta ejus purgatione in Purgatorio, si aliquem habet. Quod patet à simili de punitione malorum, quæ privatim datur, unicuique in peccato mortali decedenti statim post mortem, solemniter autem, & cum publico dedecore, & manifestatione omnium peccatorum coram Angelis, & hominibus in eodem Judicii generalis die, cùm illis dicetur *Ite maledicti in ignem æternum*, & ità ad hæc loca respondent communiter omnes. Specialiter tamen ad 1. locum responderi potest, potius esse pro nobis, ut hic Becanus, & alii advertunt, nam statim subjungitur, & clamabant voce magna dicentes, usquequò Domine non judicas, & non vindicas sanguinem nostrum de iis, qui habitant in terra, & datæ sunt illis singulæ stolæ albæ, & dictum est illis, ut requiescerent adhuc modicum tempus, donec compleantur conservi eorum. Ex quibus verbis colligitur, ut plures Patres exponunt, illas animas Deum orasse, ut sua corpora recipere possent, & à Deo responsum fuisse, non recepturas corpora, nisi in fine mundi, quando omnes resurgent nihilominus datas esse illis singulas stolas albas, ideſt, essentialem beatitudinem, quæ in visione, & fruitione Dei consistit, quia ut inquit D. Bonavent. ubi supra duæ sunt stolæ Beatorum, quarum una gloriam animæ significat, altera gloriam corporis, & ait priorem dari statim justis post hanc vitam, posteriorem verò usque ad diem generalis resurrectionis reservari, & hoc est, quod ait D. Bernard. serm. 3. de omnibus Sanctis, nunc quidem Sanctos singulas stolas accepisse, sed nondùm duplicibus vestiri, donec & nos vestiamur. Ad Confirm. scopus parabolæ illius, ut patet legenti textum, est ostendere velle, primos fore noviſſimos, noviſſimos esse primos, ideſt, Judæos, qui primi ad vineam Dei conducti sunt, & pondus diei portarunt, & æstus, hoc est legis Mosaicæ onus, non plus accepturos esse, quàm Christianos, qui ultimi venerunt, & tantam servitutem, ac legis rigorem non sunt experti, & hic est sensus proprius loci illius. Ad ultimum patet Apostolum ibi loqui de beatitudine completa, & perfecta corporis simul, & animæ.

79 Tertiò dicitur quod Joannes XXII. Pontifex Romanus hanc difficultatem definisse videtur, & asseruisse animas usque ad diem judicii, & post resurrectionem Deum non visuras, & præcepisse Parisiensibus, ut hanc sententiam docerent, nec ullum ad gradum Theologiæ admitterent, nisi in eam jurasset, ut narrat Ocham in opere sex dierum. Respondent communiter omnes præcitati Auctores præfatum Pontificem, ut privatum Doctorem aliquando ità sensisse quod potuit sine errore dicere, quia veritas contraria usque ad ejus tempus non habebatur ab Ecclesia pro definita, & tunc temporis hæc quæstio valdè agitata erat, & in consessu Cardinalium eam discutiendam proposuit, & plures Theologos pro hujus rei decisione convocavit, sed antequam res perficeretur, morte præventus est, ut testatur Benedictus XII. in extravaganti relata, asserens se præsentem fuisse post mortem Joannis, cum ipse in Pontificem fuisset electus, quæstionem hanc definisse, & concluſisse omnes animas, quæ nihil purgandum habent, statim Cœlum conscendere, & ad cœlestem beatitudinem admitti. Imò Joannes Villanus illius temporis Scriptoris l. 11. de rebus Florentin. cap. 19. ante mortem suam testatur hanc retractasse sententiam, & Lezana p. 2. trac. 1. disput. 3. de Beatitudine formali quæst. 8. refert ex Bacconio etiam antè mortem suam veritatem Catholicam determinasse in Bulla, quæ incipit *Ne super his*, ubi sic loquitur, *Fatemur, siquidem, & credimus, quod animæ purgatæ separatæ à corporibus sunt in Cœlorum regno, & Paradiso, & cum Christo in consortio Angelorum congregatæ, & vident Deum, & Divinam essentiam facie ad faciem, inquantùm status, & conditio patitur animæ separatæ.* Neque obstat, subdit Lezana ibidem in fine, quod Benedictus XII. in extravagante relata dixerit, quod Papa Joannes morte præventus fuerit, antequam aliquid diffinierit, quia intelligi debet, inquit, de expressa definitione, qualis non erat illa ex Bacconio relata, illa enim clausula *Inquantùm status, & conditio patitur animæ separatæ* incerta erat, anceps, & ambigua, ac rem indecisam relinquebat, & propterea Benedictus dicere potuit, illam non diffinisse. Tandem ait Brancatus noster disp. 14. cit. arti. in fine, quod licet Joannes XXII. ut privatus Doctor eam sententiam teneret, tamen ut Papa juxtà communem sententiam posteà definitam loquebatur, non in Bulla Canonizationis S. Thomæ Episcopi Herfordiensis, quæ est ejus Constit. 7. *Unigenitus filius* ait, *In hac igitur læta die, qua Confessor iste in Dei throno corona gloriæ clarus sedet, &c. quem in terris habuisti Pastorem, nunc obtinens in Cœlis sedulum Protectorem*, & in Canonizatione item S. Thomæ de Aquino ejus Constit. 11. *Redemptionem* sic loquitur *Quem Deus viventem in sæculo tantis suis donis, gratisque perfecerat assumptum in Cœlis sanctificatum fore hominibus declararet*, & infrà §. 20. subdit. *Rationis ordo postulat, ut Ecclesia illum veneratione præcipua percolat, quem in cœlestibus agminibus positum Dei glorificare cognoscitur*; ergo ut Papa tenebat Sanctos in Cœlis nunc cum Deo esse, illumque glorificare, eumque pro nobis supplicare. Et communiter hoc afferri solet in exemplum singularis providentiæ Dei, ut ait Lezana, quod non permiserit ipsum definire suam falsam sententiam, quàm ut privatus Doctor tenebat.

60 Quartò, obiicitur auctoritas quorundam Patrum, qui

oppositam sententiam tenere videntur præsertim verò Augustini, Ambrosii, Justini, Euthimii, Lactantii, Victorini, & Bernardi, ac etiam aliorum, quorum testimonia referunt Recentiores, & sigillatim, Brancatus noster loc. cit. Ad hæc omnia primo respondeti potest responsione generali, quod loquuntur de beatitudine consummata, & completa animæ, scilicet, & corporis, hæc enim in Beatis non erit, nisi post diem Judicii; quod si aliqui ipsorum etiam de sola animæ beatitudine id senserit, parum de hoc curandum est hoc tempore post Ecclesiæ definitionem, anteà enim erat unicuique permissum propriam proferre sententiam, & in suo sensu abundare, at post talem definitionem hæresis est contrarium asseverare. In speciali verò de prædictis Patribus loquendo Becan. tract. 1. c. de Beatitudine q. 12. ait, quod re vera tres ex illis oppositam sententiam docuerunt Euthimius, Lactantius Victorinus, sed eorum auctoritatem non esse magni momenti, nam Euthimius Græcus est, & scripsit circà annum 1180. quo tempore Græci erant Schismatici, Lactantius verò multos errores habet, & magis Ciceroni, quàm Sacræ Scripturæ operam dedit, & tandem Victorinus fuit quidem vir Sanctus, sed parum doctus Hjeronymo teste in Epistola ad Magnum Oratorem Romanum, Ambrosius, & Justinus commodè explicari possunt de beatitudine completa, & consummata animæ, & corporis, quæ erit, quando totus homo erit beatus in anima, & corpore hoc enim usque ad diem judicii differendum est, Bernardus etiam quamvis in aliquibus locis ita sensisse videatur; in aliis locis tamen clarè nobiscum sentit, & cum communi Ecclesiæ sensu, ut pluribus ostendit Brancatus loc. c. n. 167. & præsertim serm. 3. de omnibus Sanctis tres status distinguit Sanctarum animarum; primum in corpore corruptibili, secundùm extrà corpus, tertium in beatitudine consummata: primum in tabernaculis, secundùm in atriis, tertium in Domo Dei, sed reipsa à nobis non dissentit, siquidem apertè fatetur ibidem animas in secundo statu, de quo hìc est sermo, jam accepisse singulas stolas, sed nondùm vestiri duplicibus modo superius declarato. Solùm de Augustino est aliqua difficultas, de quo plura discurrit Brancatus loc. c. & multa affert loca, in quibus nobiscum sentit, & Becanus breviter inquit tria ad summum ex eo colligi. Primò quod aliquando dubitaverint, non quidem de beatitudine, seù visione Dei, sed de loco, in quo sunt animæ justorum antè resurrectionem præsertim lib. 19. Confess. ca. 3. & lib. 2. q. Evang. q. 38. Secundò, quod posteà non dubitaverit, sed asseveraverit animas beatorum esse in Cœlo, ut lib. 20. de Civit. Dei c. 15. Tertiò, quod etiam tenuerit animas justorum videre Deum, addiderit tamen lib. 12. de Genes. ad litteram c. 36. non ità perfectè videre nunc Deum sicut post resurrectionem visuræ sunt, & sicut Angeli nunc vident, & ratio ejus est, quia habent naturalem appetitum resumendi, & administrandi corpora sua, quo retardantur ne totò conatu in Deum ferri possint, undè ponit hoc discrimen inter Angelos, & animas, quod Angeli toti ferantur in Deum, cum nihil amplius expectent, animæ verò, cùm sua corpora expectent, partim ferantur in Deum, & partim in sua corpora.

81 Quintò tandem hac de causa resurgit difficultas, an animæ sint futuræ beatiores resumptis corporibus. Affirmant aliqui freti præfata ratione D. Augustini, quia anima separata habet vehementem appetitum ad corpus, ex quo necesse est eam à visione Dei retardari, & distrahi, & aliis operationibus, quas circa Deum exercet, virtus enim unita fortior est seipsa, dispersa, & distracta, & ut adagium inquit, pluribus intentus minor est ad singula sensus; ita Magister sent. 4. dist. 49. Riccardus, Marsilius, & alii antiquiores Scholastici ibidem. Communi tamen, & vera sententia asserit essentialem beatitudinem quæ in clara Dei visione, & fruitione consistit non esse futuram intensiorem post corporum resurrectionem, & ratio est, quia extrà statum vitæ præsentis non augentur merita, cùm hic solùm sit status merendi, & demerendi; ergo corpore resumpto anima non erit beatior, quia beatitudo nulla datur, nisi ut præmium, & meritis proportionata, Tùm quia corpore resumpto lumen gloriæ non augetur, neque divinus concursus, qui semper est lumini gloriæ commensuratus, ad horum enim augmentum unio ad corpus, sivè corporis resumptio nihil confert, ergò non est undè accrescat illius visionis, & beatitudinis intensio. Addimus tamen, quod quamvis beatitudo animæ sit æqualis intensionis, dummodò est separata, & post resurrectionem corpori unita; tunc tamen erit major beatitudo extensivè, quia ex beatitudine animæ tunc gloria, & dotes gloriæ redundabunt in corpus, & in ipsa anima erit major gloria accidentalis, ut Theologi communiter docent, quia erit in ipsa gaudium, & delectatio de sui corporis immortalitate, & aliis dotibus. Ad rationem in oppositū negatur assumptum, quia si loquamur de appetitu innato, qui nihil aliud est, quàm quædam naturalis propensio ad corpus, qualis est in materia respectu formæ, lumen gloriæ impedire non potest, quin totam visionis intensionem producat, siquidem visio est operatio quædam supernaturalis omninò à phantasmatibus independens, & à principio supernaturali dependens, quod est lumen gloriæ; si verò sit sermo de appetitu elicito, qui nihil aliud est, quàm actus voluntatis, quo suo corpori conjugi desiderat, neq; hic visionem beatam aliquo modo impedire, vel retardare potest, nam intensio, & remissio luminis gloriæ, & visionis beatificæ à libera voluntate beati videntis Deum non pendet, sed ab intensione, aut remissione meritorum hujus vitæ, & anima beata tale desiderium non habet, nisi conformiter ad Dei voluntatem, atque ideò operationem circà ipsum impedire, vel retardare non potest, sicut nec perfectio visionis beatificæ impeditur in Angelis per curam, quam de nobis gerunt. Quarè prædicta ratio in oppositum adducta ex D. August. probat solùm secundam asserti partem, scilicet, visionem beatam futuram post corporum resurrectionem accidentaliter, & extensivè perfectiorem, non verò substantialiter, aut intensivè; ità Valentia, Tannerus, Beccanus, Lezana, Caspensis, & alii Recent. passim, & hoc etiam Concil. Florent. indicare voluit loco citato dùm dixit. *Convenit inter Græcos, & Latinos animas antè corporum resurrectionem perpetua fœlicitate frui, licet perfectius posteà.*

DISPUTATIO XXV.

DE COELO, ET STATU BEATIFICO.

1 

UM constet ex præcedenti Disputatione dari Purgatorium, ac certum esse & tanquam de fide tenendum, animas justorum post discessum ex mortali corpore, si nihil purgandum habuerint, statim, si autem aliquid purgandum habuerint, cùm purgatæ, & expiatæ fuerint, in Cœlum transferri, & essentialem beatitudinem, seù visionem, & fruitionem Dei ibi consequi, in præsenti Disputatione de statu Beatorum, ac eorum beatitudine discurrendum est, quantùm ad ea præsertim, quæ ad mortalitatem spectant, nam attinentia ad speculationem, & quæstiones scholasticas jam sufficienter, & ex professo tractavimus lib. 1. sent. disp. 6. *de visione beata*. Supponimus autem hìc ex communi SS. Patrum, ac Theologorum doctrina Beatitudinem esse summum bonum hominis, quo obtento appetitus satiatur, & quiescit, quia beatitudo, & felicitas miseriæ opponitur, ideoque perfecta beatitudo, de qua solùm hìc agere intendimus, omnem miseriam, atque defectum excludere debet: hæc autem non excluderet, nisi summum bonum esset, quia omne, quod est infra summum bonum, defectum alicujus boni in se includit, ac proindè appetitum humanum perfectè, & completè satiare non potest.

QUÆSTIO PRIMA.

De Beatitudinis humanæ essentia, & existentia.

2 BEatitudinis nomen plures habet acceptiones, quandoque enim sumitur pro statu illo, in quo rationales creaturæ sunt beatæ, quo sensu definitur à Boetio lib. 3. *de Consolat.* quod *Beatitudo est status omnium bonorum aggregatione perfectus*; aliquando verò sumitur pro ea re, vel forma, per quam creatura rationalis beatificatur, quo sensu à Theologis communiter definitur, quod: *Beatitudo est illud summum bonum creaturæ rationalis, quo adepto ejus appetitus satiatur, & quiescit*, ut modò dictum est, & in hoc sensu dividitur beatitudo in objectivā, & formalem, objectiva est illud summum bonum, cujus possessione beati efficimur, formalis verò est ipsa consecutio, seù possessio illius summi boni. Et quidem

ratio

ratio beatitudinis magis propriè beatitudini formali competit, quàm objectivæ, magis enim propriè beati efficimur ipso usu, seù possessione rei, quàm ipsa re, ab usu enim formaliter, & intrinsecè beati dicimur, & denominamur, à re autem objectivè tantùm, & extrinsecè; undè in communi modo loquendi beatitudo formalis vocatur essentialis, beatitudo autem objectiva vocatur nostræ beatitudinis objectum.

ARTICULUS PRIMUS.

In quo consistat beatitudo hominis objectiva, & quomodo attingi possit.

3 PRimò plerique Philosophorum in possessione boni creati beatitudinem statuerunt, alii enim in bonis internis, sivè animè, ut in principatu, potestate, aut dominio, sivè coporis, ut valetudine, delitiis, delectationibus; alii in externis, ut divitiis, honoribus, gloria, fama, &c. beatitudinem hominis collocaverunt. Et quidem Stoici quorum Princeps fuit Zeno dixerunt beatitudinem in virtutibus animi consistere, ut refert D. Augustinus lib. 13. *de Trinitate* c. 4. & lib. 14. *de Civitate Dei* c. 2. Epicurei, quorum princeps fuit Epicurus, summum hominis bonum, & beatitudiuem in voluptatibus corporis constituerunt ex D. Augustino loc. cit. Academici, quorum princeps fuit Plato, in bonis animæ, & corporis simul beatitudinem, & summum bonum posuerunt, ut refert idem D. August. lib. 19. *de Civit.* cap. 3. Mahometani verò ex Avicenna lib. *de Almahad.* cap. 2. in corporeis voluptatibus beatitudinem statuunt, & in hoc ab Epicureis discrepant quod isti animæ immortalitatem negantes in præsenti vita beatitudinem collocabant, illi verò immortalitatem animæ fatentes in alia vita constituunt. Veritas tamen non solùm Catholica, sed etiam naturali lumine nota est, illud bonũ, cujus possessione beati perfectè efficimur, nec esse honores, neque divitias, nec voluptates, nec ullum bonum creatum, & ratio à priori est, quoniam in eo bono, tanquam objecto, & fine ultimo beatitudo nostra consistit, in cujus consecutione appetitus humanus satiatur, & quiescit, ut patet ex ipsa beatitudinis definitione, quæ est bonum, quietans, & satians, nullum autem bonum creatum est tale, quia illud bonum tantùm humanum appetitum satiat, & quietat, quod in se omne bonum includit eminenter, hoc enim semel possessum non relinquit illud cum ulteriori tendentia, vel desiderio alterius boni, quia in se uno continet quic quid humanus appetitus desiderare potest, nullum autem bonum præter increatum est tale, quia quodlibet finitum est, ac limitum in certa specie boni; ergo nullum bonum creatum potest esse humanæ beatitudinis objectum, cum nequeat appetitum humanum satiare totaliter, & quietare, sed tantùm bonum increatum, veluti intrà objectum suæ sphæræ omnem rationem boni eminenter continens, & includens, qua ratione inquit Augustinus lib. 14. *de Trinitate* c. ult. quod in caducis beatitudo consistere nequit, quia creaturæ omnes etiam simul sumptæ non faciunt summum bonum, sed bonum adhuc finitum, & limitatum, & ad ipsum hominem, veluti ad finem, ordinatum, ac proindè, neque sufficiens ad ejus appetitum satiandum, cùm adhuc illis omnibus obtentis possit homo illa desiderare in majori numero, vel alia etiam diversa specie possibilia. Dices, appetitus noster finitus est; ergò bono finito satiari potest. Resp. negando consequentiam, quamvis enim intrinsecè finitus sit, quoad suam entitatem extrinsecè tamen, seù terminativè quoad objectum est infinitus, & capax summi, & infiniti boni, & hinc fit, ut intrinsecè satiari possit per actionem finitam, extrinsecè autem non nisi per objectum infinitum; quaré cùm intellectus proponat voluntati, quæ est appetitus intellectivus, aliquod bonum finitum, ostendat etiam in eo bono aliquem bonitatis defectum ac proindè supereſſe aliquod majus bonum appetendum, hinc fit ut humana volũtas non solùm illud bonũ finitum, sed multò magis etiã illud aliud, quod majus est, & magis perfectũ, appetat.

4 Secundò probatur discurrendo per singula dictorum bonorum genera, ut facit Lezana p. 2. tract. 1. disp. 2. q. 2. vel enim sunt bona interna animæ, qualia sunt ejus potentiæ, habitus, scientiæ, &c. & ista cùm sint ipso homine imperfectiora, & ad ipsum tanquam ad finem ordinata, nec sint summum bonum, sed bona particularia, clarum est beatitudinem illius objectivam esse non posse. Vel sunt bona moralia, seù moraliter animæ intrinseca, ut sunt Principatus, potestates, dominium &c. & in illis beatitudinem objectivam consistere non posse ex eo constat quod beatitudo objectiva est illud bonum, quo nullus malè uti potest, vel abuti, & in cujus usu nihil mali, incommodo, aut fastidii reperitur; sed hujusmodi bonis potest homo malè uti, & in usu illorum, & exercitio plura occurrunt incommoda, ut quotidiana experientia docet in ipsis Principibus, & Regibus.

Vel sunt bona extrinseca, quales sunt honor, & fama, ac etiam divitiæ, & hæc specialiter etiam à beatitudine objectiva excludi possunt, quia cùm sint bona extrinseca, hominem in se ipso non perficiunt, tùm quia non sunt bona stabilia, sed facilè amissibilia, tùm tandem, quia tam bonis, quàm malis communia sunt, & frequentius mali illa consequi solent, quàm boni, siquidem fortuna illis magis favet, quàm istis. Vel sunt bona corporis, ut sanitas, pulchritudo, fortitudo, &c. & neque in his beatitudinem objectivam consistere posse manifestè ex eo deducitur, quod sunt communia hominibus, & brutis, beatitudo autem objectiva bonum proprium hominis esse debet. Vel sunt corporeæ delectationes, quales sunt illæ, quæ circà sensibilia gustus, & tactus versantur, & in his quoque beatitudinem hominis objectivam constitui non posse, specialiter jetiam ex eo convicitur, quia tales delectationes sæpius rationi contrariantur, ac per consequens homini, qua rationalis est, tùm quia bona spiritualia impediunt, imò, & ipsi corpori sæpius nocent ob ægritudines, & dolores frequenter ex ipsis provenientes. Tandem in nullo bonorum creatorum genere beatitudinem completam reperiri sæpè Scriptura docet Ecclesiast. 1. *Vanitas vanitatum, & omnia vanitas* Ecclesiast. 1. *Agnovi quod in his quoque esset labor, & afflictio spiritus, eo quod in multa sapientia multa sit indignatio, & qui addit scientiam, addit laborem*, & rursus *Cunctæ res difficiles, non potest homo eas explicare sermone, non saturatur oculus visu, nec auris auditu*, & Ecclesiast. 3. *Vidi afflictionem quam redit Deus filiis hominum, ut distendantur in ea*, & Ecclesiast. 8. *Intellexi, quod omnium operum Dei nullam possit homo invenire rationem eorum quæ fiunt sub Sole, & quanto plus laboraverit ad quærendum, tantò minus inveniat.*

5 Tertiò, solus Deus est summum bonum, quod perfectè beatos nos efficit. Assertum est de fide, & omnium Patrum, ac Theologorum, & præsertim Scoti 1. d. 1. q. 2. & d. 17. qu. 2. & in 3. d. 13. quæst. 2. & in 4. d. 14. q. 2. & d. 19. per plures quæstiones, & ratio est, quia beatitudo objectiva, ut dictum est, est illud bonum, quod appetitum nostrum satiare potest, sed solus Deus hoc facere potest, quia ipse solus est summum bonum, ut patet ex illo psal. 16. *Tunc satiabor, cùm apparuerit gloria tua*, & psal. 102. *Qui replet in bonis desiderium tuum*, undè Augustinus 1. Confess. c. 1. dicit *Fecisti nos Domine ad te, & inquictum est cor nostrum donec requiescat in te*, & ideò psal. 32. dicitur. *Beata gens, cujus est Dominus Deus ejus*, & psal. 143. *Beatus populus, cujus est Dominus Deus ejus*, psal. 83. *Beati qui habitant in domo tua Domine*, & psal. 30. *Quàm magna multitudo dulcedinis tuæ Domine, quam abscondisti timentibus te*, & psal. 35. *Apud te est fons vitæ, & in lumine tuo videbimus lumem*, & Matth. 5. *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt*, & capit. 18. *Angeli eorum in Cœlis semper vident faciem Patris, qui in Cœli est*, & 1. Corint. 13. *Videmus nunc per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem*, & plura alia similia leguntur tùm in novo, tùm in veteri testamento; ergò homo tunc tantum erit beatus, cùm Deum, ut est in se, videbit, & consequenter solus Deus est beatitudo hominis objectiva. Deindè probari potest ratione opposita illi, qua jam probatum est, nullam creaturam esse posse beatitudinem hominis objectivam, si enim hoc nulli creaturæ convenire potest, quia omnes sunt simpliciter, vel saltem aliquo modo inferiores illo, quamvis enim Angeli sint simpliciter superiores illo, quia tamen cum omnibus aliis rebus propter hominem conditi sunt juxtà illud psalm. 8. *Omnia subjecisti sub pedibus ejus.* & ad Heb. 1. *Omnes sunt administratorii spiritus in ministerium missi*, &c. sunt aliquo modo inferiores illo, atque ideò omnia ad ipsum ordinata, tanquam ad finem, & omnia sunt bona particularia, finita, & limitata, aliquam imperfectionem, & defectum includentia, & talia, quod ipsis possit homo malè uti, & in usu eorum aliquid incommodi, vel fastidii reperire, sintque bona amissibilia &c. cùm rationes contrariæ in Deo reperiantur, quia est superior homine, & ultimus finis ejus, summum ipsius bonum, & infinitum, omnem continens perfectionem, nec ipso possit homo malè uti, aut in ejus possessione aliquod incommodum reperire, sequitur solùm Deum esse beatitudinem hominis objectivam, ut benè discurrit Lezana loc. cit.

6 Quartò, addendum est Deo competere esse beatitudinem hominis objectivam, non præcisè secundùm suam essentiam, sed secundùm attributa etiam, & personas, seù relationes, quia competit illi prout est in se, ità quod de facto objectum primarium, & essentiale visionis beatæ est Deus, ut est realiter existens in tribus personis. Dixi de facto, ut præscindamus à controversia scholastica, an visio beata possit esse præcisiva de potentia Dei absoluta, itaut possit per eam videri essentia non visis personis, vel attributis, de qua fusè dictum est 1. sent. disp. 6. q. 8. etenim de facto est veritas fidei indubitata, omnes Beatos in patria videre Deum, sicut est, in tribus personis subsistentè, attri-

buta, & omnia, quæ formaliter sunt in ipso ex natura rei. Idque evidenter deducitur ex pluribus Scripturæ locis; nam Matth. 18. habetur, quod Beati *In Cœlis vident faciem Patris mei qui in Cœlis est*, & 1. Joan. cap. 14. *Qui diliget me, diligetur à Patre meo, & ego diligam eum, & manifestabo ei me ipsum*, & cap. 17. *Hæc est vita æterna, ut cognoscant te solum verum Deum, & quem misisti Jesum Christum*, & rursus *Philippe qui videt me, & Patrem meum*; ex quibus locis expressè habetur visio divinarum personarum Patris, & Filii. Idem etiam sæpè docet D. Augustinus, nam lib. 1. *de Trinit.* capit. 10. ait: *Contemplabimur Deum Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum, & lib. de Spir. & lit. cap.* 3. *Beatus videns Patrem, videt & Filium, & Spiritum Sanctum & lib.* 1. *de Trin. capit.* 8. *Sivè ergo audiamus, ostende nobis Patrem; sivè audiamus ostende nobis Filium, tantundem valet, quia neuter sine altero potest ostendi, nec separatur utriusque Spiritus, ideſt Patris, & Filii Spiritus.* Hoc etiam definitum est Concilio Florentino in Decreto Eugenii Quarti pro concordia Ecclesiæ Græcæ cum latina his verbis: *Illorumque animas, qui post baptismum susceptum nullam omninò maculam incurrerunt, illas etiam, quæ post peccati contracti maculam purgatæ sunt, in Cœlum mox recipi, & intueri clarè ipsum Deum trinum, & unum, sicuti est.* Et tandem hoc etiam ipsa ratio suadet, quia divina essentia cum attributis, & personalitatibus est realiter identificata; sed Beatus de facto non videt Deum præcisivè, sed intuitivè, & sicuti est; ergò videt Deum simul cum illis.

7 Quintò certum est, ac de fide, ut diximus disp. 6. cit. qu. 2. ab initio, creatum intellectum ex solis naturæ viribus cum concursu Dei generali claram ejus visionem attingere non posse, ità enim determinatum est in Concilio Viennensi sub Clemente V. celebrato; ut habetur in Clementina illa: *Adj Nostrum de Hæreticis*, & expressè colligitur ex pluribus Scripturæ locis ex Paulo ad Timot. 6. *Lucem habitat inaccessibilem, quem nullus hominum vidit, sed nec videre potest*, scilicet solis naturæ viribus Isaiæ 64. *Oculus non videt absque te, quæ præparasti diligentibus te*, ideſt absque auxilio tuo speciali & 1. Corint. 2. *In cor hominis non ascenderunt, quæ præparavit Deus* &c. Hoc etiam passim docent omnes Patres, & Theologi, & præsertim Scotus pluribus in locis, ut ibi dictum est, undè quol. 14. art. 2. N. inquit animam nostram non posse attingere ad notitiam propriam, & immediatam Dei sub ratione Deitatis ex perfectione sua naturali, etiam pro quocunque statu naturæ, concurrentibus quoque quibuscunque causis naturaliter motivis ipsius animæ ad cognoscendum. Hoc idem docet etiam ex instituto 4. d. 49. qu. 11. concl. 1. dùm ait intellectum nostrum etiam ex natura potentiæ inspectum non esse sufficienter activum ex pluribus ad consequendum actum visionis beatificè, cum nequeat ex viribus suis facere Deum sibi præsentem in ratione objecti beatifici, & ideo quæ 1. Prologi §. *Ad primum* docet, quod estò loquendo de appetitu innato, & naturali, qui est pondus, & inclinatio naturæ in suum finem, homo, & quælibet intellectualis creatura claram Dei visionem naturaliter appetat, & ad eam naturalem habeat propensionem, & in hoc sensu dici possit Deus finis naturalis creaturæ rationalis; subdit tamen dici non posse finem naturalis attingentiæ, ideoque non naturaliter, sed solùm supernaturaliter attingi posse. Ex qua doctrina deducitur ratio evidenter probans intellectum creatum, sivè angelicum, sivè humanum non posse solis naturæ viribus cum solo Dei generali concursu claram ejus visionem attingere, quia impossibile est, quod talem visionem attingat, nisi Deum habeat objectivè in se præsentem sub ratione objecti intuitivè visibilis, vel saltem aliquod, in quo eminentes, vel virtualiter contineatur; at creatus intellectus propriis viribus talem præsentiam Dei objectivam immediatè in se ad pisci non potest, neque etiam mediatam in alio, in quo eminenter, vel virtualiter contineatur; ergò &c. Major patet, probatur minor, quia Deus ad extrà est objectum voluntarium, ut docent D. Ambrosius super Lucam, & D. August. l. de videndo Deum, ubi inquiunt: *In ejus potestate est videri, cujus naturæ non est videri, si vult videtur, si non vult, non videtur*, hoc est sicut exponit Doctor quol. 14. cit. illius naturæ divinæ non esse naturaliter videri à creaturis, quia ejus essentia non est causa ex se naturaliter activa ad extrà visionis suæ, qua à creatura videatur; nec etiam aliqua natura creata, quæ est naturaliter motiva creati intellectus, esse potest causa hujus visionis, vel perfectæ præsentiæ objecti beatifici, cum nulla in se perfectè contineant essentiam divinam in entitate sua.

8 Sextò quamvis certum sit nullum intellectum humanum posse naturaliter ad illam claram essentiæ divinæ cognitionem pertingere, ut dictum est, adhuc tamen certum quoque est, ac etiam de fide intellectum creatum auxilio aliquo, & lumine supernaturali posse ità confortari, & elevari, ut ad claram, & intuitivam essentiæ divinæ cognitionem pertingere queat; ità enim definitum est in Concilio Florentino citato in decreto unionis contrà Græcos, & Armenos, qui negabant ab ullo creato intellectu divinam essentiam, prout in se est, claré cognosci posse; quæ veritas ex pluribus sacræ scripturæ testimoniis manifestè deducitur. Matth. cap. 5. *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt*, & cap. 18. *Angelicorum semper vident faciem Patris, qui in Cœlis est.* Joan. c. 3. Cor. 13. *Videmus nunc per speculum, & in ænigmate, tunc autem facie ad faciem, nunc cognosco ex parte, tunc autem cognoscam, sicut cognitus sum*; & sic etiam passim loquuntur SS. Patres, S. Bernard. serm. 4. in festo omnium Sanctorum inquit: *In hoc erit vita æterna, ut cognoscamus Patrem, & Filium cum S. Spiritu, & videamus Deum, sicuti est*, S. Irenæus, l. 4. cap. 27. *Homines videbunt Deum, & vivent per visionem immortales facti, & pertingentes usque ad Deum*, & S. Greg. Papa l. 18. Moral. c. 28. inquit, *Sciendum est, quod fuerunt nonnulli, qui Deum dicerent etiam illa regione beatitudinis, in claritate quidem sua conspici, sed in natura minimè videri*, & posteà plura scripturæ loca adducit, quibus hunc errorem refellit. Denique id etiam ratio ipsa suadet, quia alioquin dicendum esset beatitudinem objectivam in nostram non esse in Deo repositam, nam si in Deo reposita est, ut jam diximus, in actu perfectissimo circa Deum constitui debet, qui actus alius esse non potest, quàm clara ejus visio.

9 Neque fundamenta erroris Armenorum sunt alicujus momenti, obiiciebant enim Apostolum dixisse 1. ad Timot. c. 1. Deum esse invisibilem, & c. 6. habitare lucem inaccessibilem, nullumque hominem ipsum posse videre. Jam enim constat ex dictis prædicta Apostoli verba de statu Viatorum intelligenda esse, non verò Beatorum, hoc est, Deum ab hominibus videri non posse, quamdiù in hac vita degunt secundùm legem ordinariam, & per solas naturæ vires juxtà illud Exodi 33. *Non videbit me homo, & vivet*; & ita relata Apostoli verba explicat D. August. epist. 12. ad Paulinam. Deindè obiiciebant plurium SS. Patrum auctoritatem, præsertim Chrysostomi, Theodori, Theofilati, & Eutimii, qui negare videntur Deum, prout est in se, claré ab ullo intellectu creato videri posse. Sed præfati Patres vel de visione Dei per oculum corporeum loquebantur, vel de clara Dei visione ex solis naturæ viribus, & in hac vita secundùm legem ordinariam, vel etiam de clara Dei visione in altera vita, quæ sit ipsius divinæ essentiæ comprehensiva, quæ utique intellectui creato omninò impossibilis est. Tandem obiiciebant nullam esse proportionem inter intellectum creatum, & Deum claré videndum, quia hic est infinitus, ille verò finitus, finiti verò ad infinitum nulla est proportio. Sed hæc quoque improportio probat solùm intellectum creatum viribus suis naturalibus Deum claré videre non posse, non tamen probat, quia auxilio aliquo, & lumine supernaturali ità confortari possit, & elevari, ut ad claram divinæ essentiæ visionem pertingere queat; de necessitate autem luminis gloriæ ad Deum claré videndum fusè agimus disp. 6. cit. qu. 3. & aliqua ex ibi dictis qu. seq. art. 1. breviter repetemus.

ARTICULUS SECUNDUS

In quo constat beatitudo formalis.

10 PRimò quæritur, an beatitudo formalis in aliquo increato consistat. Affirmarunt Doctores quidam Parisienses passim à Recentioribus relati beatitudinem formalem esse aliquod increatum, scilicet, ipsam visionem, qua Deus se videt, beatis communicatam, & unitam, quod probant ex illo Psal. 35. *In lumine tuo videbimus lumen*, ideſt te, qui es lumen, videbimus in lumine, hoc est in te ipso, & in tua visione, & ex illo Matth. 25. *Intra in gaudium Domini tui*, per quod significatur Beatos videre Deum per eandem visionem, qua Deus ipse se videt, & ex 2. Corint. 13. *Transformandi dicimur à claritate in claritatem à Domini spiritu.* Et idem significasse videtur D. Aug. 1. de Trinit. cap. ult. dicens *eandem visionem, aut beatitudinem, per quam Deus se ipsum videt, esse secundùm quam Deus apparet mundis corde*, quam visionem summum bonum paulò infrà appellat. Certa tamen veritas est, quam communiter Patres, & Theologi docent, beatitudinem formalem patriæ in aliquo increato non consistere, seù visione ipsa Dei, qua Deus se ipsum videt intellectui beati unita, & communicata, ut prædicti Parisienses dicebant. Et hoc evidenter deducitur ex modo loquendi Scripturæ de Beatis Deum videntibus, ut Joan. 3. *Videmus Deum, sicuti est*, & 17. *Hæc est vita æterna, ut cognoscunt te Deum* & 1. Corint. 13. *Tunc cognoscam, sicut & cognitus sum*; hoc enim loquendi modo denotatur Beatos videre Deum, non visione increata, sed visione ab ipsis elicita. Hoc etiam expressè deducitur ex Bulla superius relata Benedicti XII. in qua determinat Beatos dici tales à visione, & fruitione Dei ab ipsis elicita mediante lumine gloriæ; & adhuc magis expressè id deducitur ex

Consi-

Concilio Viennensi, quod refertur in Clement. *Ad nostrum de Hæreticis*, ubi dicitur necessarium esse lumen creatum ad videndum Deum, & supponitur Beatos ipsam Dei visionem producere mediante lumine gloriæ. Et tanedm hoc etiam ratio ipsa suadet, quia beatitudo ipsa formalis, ut ipsum nomen indicat, est forma aliqua, per quam Beatus dicitur formaliter talis; sed visio increata neque inhæret, neque informat intellectum beati, quia repugnat Deo munus causæ formalis exercere; ergò non est beatus formaliter per illam. Undè ad fundamenta contraria respondetur, quod Psal. 35. lumen, quo Beati Deum vident, lumen Dei appellatur effectivè, & ob perfectionem supernaturalem illius qualitatis, & Matth. 25. gaudium Beatorum appellatur gaudium Dei objectivè, non formaliter, quatenus ipse est gaudium beatorum, quo etiam sensu D. August. ait visionem, qua Deus se videt, esse secundùm quam Beatis apparet, & eam esse summum bonum, nimirum objectivè. Demum Apostolus loc. cit. loquitur de transformatione, & transmutatione è statu fidei, qui à D. Petro appellatur *lucerna lucens in caliginoso loco* in statum clarissimæ visionis Dei.

11 Secundò queritur, an beatitudo formalis consistat in illapsu Dei in anima beati. Affirmat Henricus de Gandavo quol. 13. quæst. 2. dicens beatitudinem consistere in illapsu Dei in essentiam animæ, & ex eo, tanquam effectus oriri visionem, fruitionem, delectationem, gaudium Beati, & per illapsum, ut refert Scotus 4. d. 49. qu. 2. §. *Ad istam secundam quæstionem*, intelligit unionem quandam Dei immediatè cum animę substantia, per quam ipsa anima veluti deificatur eo modo, quo ferrum candens significatur per substantiam ignis illi immediatè unitam, fundamentum est, quia formalis beatitudo in perfectissima animæ unione cum Deo consistere debet, sed illapsus iste est perfectissima unio animæ cum Deo, ergo in illo consistit formalis beatitudo. Major patet, probatur minor, quia per illum Deus in animam beati quodammodò transformatur, hoc enim est proprium amoris perfecti ex Dionysio de cœlesti Hjerarch. c. 7. quod *amans quodammodò in rem amatam transformatur*, Deus autem valdè beatos amat. Hanc opinionem impugnat Scot. l. cit. vers. *Contrà istam opinionem* cum aliis Theologis communiter, quia Deus beatificando creaturam non aliter se habet in se nunc quàm prius, nec aliter illabitur huic animæ, vel angelo nunc quàm prius considerando præcisè essentiam hinc indè, quia secundùm illum illapsum essentiæ divinæ in essentiâ creaturæ est semper uniformitas manente essentia creaturæ; ergo si est aliqua novitas in anima beata, oportet quod sit per aliquem effectum novum causatum à Deo in illa essentia, & ille effectus dicitur beatitudo ejus formaliter, sivè essentialiter, & non potest esse principaliter in essentia, ut distinguitur à potentia, quia tunc esset actus primus, per nullum autem actum primum distinctum à secundo potest creatura immediatè attingere essentiam divinam. Confirmatur, quia nihil mutatur propriè, nisi novum aliquod sibi inhæreat formaliter; beatus autem aliter se habet nunc quàm prius non beatus; itaquod mutatur de miseria in beatitudinem, essentia autem divina per quemcunque illapsum non est forma ejus; ergo oportet aliquid sibi inesse, quo formaliter sit beatus. Denique quia Benedictus XII. in Extravaganti cit. determinat animas Beatorum esse beatas visione, & fruitione Dei, non ergo per talem illapsum. Ad fundamentum in oppositum negatur beatitudinem consistere debere in quacunque perfectissima unione cum Deo, aliàs consisteret in unione hypostatica, quæ est perfectissima unio cum ipso, sed solùm consistere debere in unione perfectissima, per quam possit anima illo frui, qualis est visio beatifica, vel quicquid sit de majori, negatur minor, quia talis ille illapsus est impossibilis, ut dictum est; ad probationem ait Scotus loc. c. transformationem illam; quæ per amorem fit amantis in amatum, esse metaphoricam, & intentionalem, & non esse intelligendam per veram, & physicam transformationem, aut unionem, sed per affectivam, & moralem, quatenus amans totam cognitionem, & affectum in amato reponit, de quo alia plura vide apud Branc. disp. 16. a. 1.

12 Tertiò quæritur, an beatitudo formalis in aliquo habitu consistat, vel potius in aliqua operatione. Quidam antiquiores dixerunt principalius in habitu consistere, quàm in aliqua actione, aut operatione, quorum fundamentum est, quia beatitudo formalis est maxima perfectio, quæ subjecto beatificali advenire potest; sed habitus operativus est perfectior quacunque operatione sua, quia causa præsertim æquivoca est semper perfectior effectu; ergo &c. Confirmatur, quia bonum diuturnum est melius, ut ait Arist. 3. Topic. cap. 1. sed habitus, cùm sit de difficili mobilis, est diuturnus, & permanens, actus autem transiens; ergo in illo, & non in isto posita est beatitudo. Tandem, quia si in operatione posita esset beatitudo, deberet à beato produci, quod videtur inconveniens, quia tunc homo se ipsum beare posset, quod est falsum, nam ut dicitur psal. 83. *Gratiam, & gloriam dabit Dominus*; tum quia beatitudo est præmium, quod solùm à præmiante dari petit, non à merente. Communis tamen Theologorum, & vera sententia est, beatitudinem formalem hominis non consistere in aliquo habitu, sed in aliqua operatione. Quod colligitur ex locis Sacræ Scripturæ superius adductis, in quibus nostra beatitudo per actus significatur, & per operationes, & idem deducitur ex Concil. Florent. cit. sess. ult. in decreto Unionis, ex Clementina *ad nostrum de hæreticis*, & Extravaganti Benedicti XII. ubi idem significatur; sic etiam passim loquuntur Patres, quos referunt Recentiores, & præsertim Brancatus noster disp. 16. cit. art. 2. & Catechismus Romanus declarans verba Symboli: *Credo vitam æternam*, ubi ait, quod, *solida beatitudo, quam essentialem communi vocabulo nominamus, in eo sita est, ut enim videamus, cujus pulcritudine fruamur*, qua de causa aliqui existimant oppositum esse erroneum, & contrà fidem, & demum id etiam ratio ipsa convincit, quia beatitudo nostra formalis consistit in assecutione ultimi finis, seù beatitudinis objectivæ, ut fatentur omnes; sed consecutio actionem importat, seù influxum physicum, vel moralem assequenti rem consecutam, quia est veluti illius tentio, & possessio; ergo &c.

13 Ad rationem in oppositum Scotus d. 49. cit. qu. 2. in fine negat minorem, ad cujus probationem ait, quod habitus non est causa actus, nisi partialis, non est autem inconveniens causam partialem æquivocam esse minus nobilem suo effectu, & maximè de partiali secundaria, licet causa totalis æquivoca sit nobilior suo effectu, ac proindè habitus cùm non sit causa totalis actus, seù operationis, non debet esse perfectior illis, præsertim cùm actio, seù operatio habitus sit actus vitalis, quæ est magna perfectior, & propter quam simpliciter habitum excedit. Addit Doctor quod actus hic est etiam perfectior finaliter, & formaliter, quia immediatius attingit finem, quàm habitus, & non posset unquam habitus tantam perfectionem habere etiam summus, quantam actus summus habere potest, quia hic semper objectum, & finem ultimum immediatius attingit quàm habitus. Ad Confirmationem ait Doctor majorem non esse universaliter veram, sed tantùm cæteris paribus, quia asinus durans per annos decem non est perfectior homine, vel equo durante per duos, deinde concessa majori negat minorem, quia actus ille est æquè diuturnus cum habitu, & ex parte potentiæ, & ex parte objecti, & ex parte naturæ hujus, & illius, actus enim, in quo consistit beatitudo, est diuturnus, perpetuus, & æternus, ut ex dicendis constabit. Ad ultimum concessa consequentia, negatur hinc sequi hominem posse seipsum beare, quia talis actus non est ab homine tantùm, sed etiam à Deo supernaturaliter, & objectivè concurrente, undè nullum ex hoc sequitur absurdum, quia ab objecto movente, ac terminante operationem summa ejus perfectio habetur, & hoc non obstante adhuc dici debet gloriam dari à Deo, quia etsi actus, in quo ipsa consistit, eliciatur à beato, non elicitur ab ipso propriis viribus, sed mediante lumine gloriæ, & speciali concursu Dei per modum objecti beatifici, ob quam etiam causam dicitur præmium, & à præmiante dari non à merente.

14 Quartò est difficultas, in qua operatione consistat beatitudo formalis, & conveniunt communiter Theologi non consistere in operatione aliqua partis sensitivæ, & ratio est evidens, quia cùm talis operatio sit corporea, ut potè elicita à sensu, qui organo corporeo est affixus, Deum pro objecto habere nequit, ut ad beatitudinem formalem requiritur, cujus proprium objectum est Deus ipse, qui res est omnino spiritualis. Ex quo etiam sequitur actionem, in qua beatitudo formalis consistit, esse debere actionem immanentem non transeuntem; quia Deus actionis transeuntis objectum vel subjectum esse non potest, tum etiam quia beatitudo perfectio intrinseca beati esse debet, quod actioni transeunti competere nequit. Suppositio itaque nostram formalem beatitudinem in operatione vitali nostræ mentis consistere, disputatur in Scholis, in quo actu essentialiter consistat, intellectus ne, an voluntatis, vel potius in utrisque simul, & tenendo, quod in utrisque simul, adhuc dubitatur, an qua operatione saltem principalius consistat. Pro cujus quæsiti intelligentia notandum est ex Scoto 4. d. 49. q. 3. §. *Ad quæstionem*, ut diximus disp. 6. cit. qu. 12. ab initio, beatitudinis nomè dupliciter usurpari posse. Primò amplè pro aggregato omnium bonorum ad statum perfectæ beatitudinis pertinentium, quo sensu eam definit Boetius 3. de Consol. *esse statum omnium bonorum aggregatione perfectum*, & dici solet beatitudo extensiva, & includit etiam accidentalia, quæ potiùs faciunt ad connaturalem ejus statum, quàm ad essentiam, multa siquidem attinere dicuntur ad connaturalem rei statum, quæ tamen ad ipsius essentiam non spectant, ut proprietas, & accidentia, quæ rem consequuntur, & perficiunt, alio modo pressius pro formali duntaxat possessione summi boni per se satiantis app

appetitum intellectualis naturæ, quæ dici solet beatitudo intensiva, & in hoc sensu proponitur quæstio, siquidem cùm in omnium sententia beatitudo formalis sit assecutio beatitudinis objectivæ, eum actum essentialiter importat formalis beatitudo, qui per se est assecutio objectiva, & in eo actu principalius sita erit, per quem perfectius beatificum consequimur objectum. Tres magis principales hinc solent referri sententiæ, duæ extremæ, & una media, ut diximus l. cit. Prima extrema est Thomistarum essentialem beatitudinem in sola visione statuentium, quæ est actus intellectus. Alia extrema solet esset Scotistarum essentialem beatitudinem statuentium in solo voluntatis actus, qui dicitur fruitio. Tertia media essentiam beatitudinis statuit in utroq; actu intellectus, & voluntatis, quæ fuit D. Bonav. 4. d. 49. art. 1. q. 4. & 5. & satis frequens est apud Nominales ibidem citatos, & apud plures Recentiores naturales.

15 Quintò pro resolutione quæst. propositæ diximus qu. 12. cit. art. 1. beatitudinem essentialem in utroque actu intellectus & voluntatis consistere, scilicet visione, & fruitione qua habent intellectus, & voluntas in patria respectu objecti beatifici. Hoc assertum esse de mente Doctoris nostri ostendimus ibi & probavimus ibi in primis ex modo loquendi S. Scripturæ, & Patrum indifferenter statuentium beatitudinem, tam in actu intellectus, quàm voluntatis, ut ibi latè ostendimus, & interdum etiam utrumque actum simul complectuntur, undè ps. 35. *Torrente voluptatis tuæ potabis eos, & in lumine tuo videbimus lumen*, & Dionysius de cœlesti Hierarch. c. 7. *in his beatitudo constat cognoscere, & amare bonum*, & Bernard. epist. 18. *sicuti initiat in hac vita fides, & desiderium, sic etiam in alia consummat visio, & amor*, & Catechis. Rom. l. c. beatitudinem essentialem eo sitam esse, *ut Deum videamus, ejusdem pulchritudine fruamur*, & Benedictus XII. in Extravag. cit. ait animas Sanctorum ante diem Judicii videre Deum, & eo frui, & *quod ex tali visione eorum animæ sunt verè beatæ*, quæ particula veré æquivalet ei, quod essentialiter. Deindè art. cit. nu. 418. probamus ratione: tunc perfectè habetur, & possidetur objectum, quando iis actibus tenetur, quibus objectum ipsum natum est teneri; at objectum beatificum utroque actu intellectus, & voluntatis aptum est teneri; ergo ad completam, & perfectam objecti beatifici assecutionem uterque necessariò, & essentialiter concurrit; major probatur exemplo sensuum, non enim pomum v. g. sola visione comprehenditur, & possidetur, nisi etiam odoratione, & gustatione attingatur, nam omnibus his actibus attingi natum est, probatur minor, quia objectum beatificum aptum est terminare intellectum sub ratione veri intelligibilis, & voluntatem sub ratione boni appetibilis, ergo non perfectè possidetur, & obtinetur, nisi quousque secundùm utramque rationem attingatur. Demum, quia beatitudo est perfecta satietas naturæ intellectualis quoad omnes potentias, secundùm quas est beatificalis; cùm ergo secundùm utramque potentiam sit beatificabilis, perfecta, & integra ejus beatitudo in actu utriusque potentiæ essentialiter consistere debet; probatur assumptum, quia de conceptu essentiali beatitudinis est, ut sit bonum sufficiens, Et adæquatè satians. Probatur consequentia, nam perfecta satietas tollit omnem potentialitatem ad ulteriorem conjunctionem cum objecto beatifico, sed non tolleret omnem potentialitatem ad ulteriorem conjunctionem cum illo, si in una tantum operatione consisteret; ergo &c. Responsiones verò Adversariorum vide rejectas loc. cit. sicut & argumenta soluta pro sola visione militantia, vel pro sola, fruitione, & ex Scotistis nobiscum novissimè consentit Brancatus disp. 16. cit. art. 3. n. 51. ubi ait, absolutè teneri non posse, quod beatitudo hominis consistat in sola operatione, sivè intellectus, sivè voluntatis, sed in utraque, & inquit, quod si benè declaretur, est sententia communis.

16 Sextò addimus l. cit. n. 314. quod licet beatitudo in utroque actu intellectus, & voluntatis essentialiter consistat principalius tamen in fruitione consistere, quàm in visione, quod ibi probamus discurrendo per validiora media, quibus Auctores utuntur ad probandum unum, vel alterum, quod scil. vel in visione, vel in fruitione consistat, si enim per illud medium procedamus, in quo omnes pariter conveniunt, quod beatitudo formalis consistit in formali possessione beatitudinis objectivæ, seù Dei, hinc plane deducitur beatitudinem principalius consistere in fruitione, quàm in visione, quoniam licet visio quoque sit formalis possessio, & assecutio Dei in se, quatenus per ipsam constituitur in potestate videntis, ut ipso perfruamur; adhuc tamen perfectius tenetur, & possidetur Deus à beato per actum amoris, & fruitionis, etenim voluntas per actum amoris ità rem assequitur, ut eam suam faciat, quod non facit intellectus ullo actu suo, etenim amore amicitiæ amicus fit alter ego, & ideò per actum amoris tenetur, & possidetur à beatis, quàm per auctum visionis juxtà dictum Sponsæ Cantic. 3. *Inveni quem diligit anima mea, tenui, nec dimittam*. Confirmatur, quia assecutio per actum intellectus circà objectum præsens non sic immediatè conjungit ultimo fini, ut in eo sit quies perfecta, quousque accedat actus amoris, qui dicitur fruitio; ergo licet actus requiratur ad integrandam visionis essentiam, tamen formalitas beatitudinis perfectius in actu voluntatis elucet. Consequentia patet, probatur assumptum, quia actus intellectus non sic immediatè conjungit fini, ut excludat omnem aliam mediationem alterius propinquioris finis, non enim excludit actum amoris eliciti circà rem præsenstem, imò intimior est unio, & conjunctio per actum amoris in objectum præsens, ut docet D. Dionysius cap. 7. Angel. Hjerarch. Demum probamus ibidem ex Scoto d. 49. cit. q. 4. N. quia in eo actu principalius videtur constituenda beatitudo, quem nos magis desiderare debemus, & Deus ipse magis à nobis exigit; sed juxtà rectum rationis dictamen principalius desiderare deberemus amare Deum perfectissimè, quàm ipsum perfectissimè cognoscere, & hoc ipsum Deus magis à nobis in vita exigit, nolque magis ad amorem hortatur, quàm ad ullam aliam perfectionem; ergo cùm hæc sit maxima, & maximè satiativa hominis perfectio, in hac magis principaliter est beatitudo, quam in visione. Responsiones autem, & evasiones Adversariorum vide rejectas, & præclusas loc. cit.

17 Postremò loc. cit. in fine art. 1. advertimus cum Doctore d. 49. cit. q. 5. §. *Ad quæstionem* velle in genere esse duplex, aut propter volitum, sivè propter bonum voliti, aut propter volentem, vel propter bonum volentis, & primum velle dicitur esse amoris amicitiæ, secundum verò amoris concupiscentiæ, & solùm primum velle est frui, quod est amore inhærere propter se scilcet propter amatum, ut definit Augustquo supposito subdit Doctor l. c. actum voluntatis, quem essentialiter includit beatitudo, non esse amorem concupiscentiæ, quo summum bonum nobis adeptum amamus, nec delectationem, quæ ad visionem, vel dilectionem Dei necessariò consequitur, sed solùm amorem amicitiæ, quo Deum summum bonum propter seipsum diligimus. Et ratio est, quia ille tantùm actus ex parte voluntatis ad formalem beatitudinem spectat, qui est assecutio beatitudinis objectivæ, cùm in tali assecutione præcisè ratio formalis beatitudinis consistat, ut sæpè dictum est; solus autem amor amicitiæ ex parte voluntatis est assecutio beatitudinis objectivæ; ergo hic solus actus ex parte voluntatis integrat essentialiter formalem beatitudinem. Probatur minor, quia solus amor amicitiæ in Deum tendit propter solam ejus bonitatem; amor verò concupiscentiæ in Deum tendit, ut aliquo actu priori jam assecutum, & possessum, & sub aliqua ratione terminandi creata, tendit enim in Deum, & delectatur de Deo, quatenus viso, & amato, itaut ratio formalis objectiva, in quam iste amor tendit, non est sola Dei bonitas, sed etiam visionis, & fruitionis, ut Deum nobis conjungentis, tāquam summum bonum nostrum. Hinc est, quod communiter omnes cum Scoto loc. cit. excludunt ab essentia beatitudinis amorem concupiscentiæ, quo Deum amamus, ut bonum nobis, quia hic actus non est propter se, sed propter aliud, & ex parte objecti respicit Dei consecutionem, media qua Deus nobis est bonus, atque ità actus ille non est immediata Dei consecutio, sed amor consecutionis jam præsuppositæ; unit etiam nos minus perfectè cum Deo, quatenus illum non propter se respicit, sed propter nostrum commodum, & utilitatem, & non ut bonum in se, & in ordine ad se, sed ut bonum nobis, & in ordine ad nos. Ità verbatim discurrimus loco citato.

ARTICULUS TERTIUS.

An gaudium, perpetuitas, & securitas sint de essentia beatitudinis formalis,

18 PRo resolutione quæsiti quoad primam partem supponendum est ex dictis lib. de Anima disp. 5. quæst. 10. n. 327. delectationem, & tristitiam spectare non ad intellectum, sed ad voluntatem, ut docet Scotus pluribus in locis ibi citatis, & præsertim 4. disp. 49. q. 7. & ratio est, quia delectatio, & tristitia proveniunt ab objecto, ut conveniente, vel disconvenienti, bono, vel malo; sed hæc pertinent ad voluntatem, non ad intellectum, undè tristitia definiri solet ex D. Augustin. 14. de Civit. cap. 15. quod sit de his, quæ nobis nolentibus accidunt; tùm quia nisi actus voluntatis accedat, etsi adsit cognitio rei convenientis, vel disconvenientis, nulla est lætitia, vel tristitia. Diximus etiam ibi esse passiones voluntatis, & non actus, quod probat Doctor loc. cit. quia tristitia est essentialiter pena, immò in natura intellectuali nulla alia pœna potest inesse sibi; sed pœna non est actus voluntatis, sed quid consequens; ergo neque tristitia erit actus voluntatis, & per consequens neque dele-

delectatio, quæ est oppositа. Minor probatur: omnis actus voluntatis, sivè sit velle, sivè nolle est voluntarius, quia voluntas voluntariè elicit velle, aut nolle; at nulla pœna voluntatis est voluntaria, sed omnis est involuntaria, aliter non esset pœna; ergo &c. Confirmatur, quia Arist. 10. Ethic. c. 4. & 5. sæpè negat voluntatem esse operationem, & ait esse finem, qui ex operatione pullulat, sicut pulchritudo, & decor in iis, qui ætate vigent. His ergo suppositis, quæ ibi fusè probantur, ad resolutionem quæsiti accedamus.

19 Primò, certa veritas est, & de fide beatitudinem necessariò includere, seu annexam habere delectationem, seù lætitiam, vel gaudium. Ita D. Thomas Div. Bonavent. Scotus loc. ci. & alii Theologi communiter, & colligitur ex Sacra Scriptura Ps. 15. *Adimplebis me lætitia cum vultu tuo delectationes in dextera tua usque in finem*, Ps. 35 *Torrente voluptatis tuæ potabit eos*, Psal. 67. *Justi epulentur, & exultent in conspectu Dei, & delectentur in lætitia*, Psal. 149. *Exultabunt Sancti in gloria, lætabuntur, &c.* Isaiæ 35. *lætitia sempiterna erit super capita eorum, gaudium, & exultationem obtinebunt*, Matth. 25. *Euge serve bone, intra in gaudium Domini tui.* Sic etiam loquuntur Patres, & specialiter D. Augustin. 10. Confess. c. 23. ubi propterea beatitudinem vocat *gaudium de veritate*, quę propositio, sicut & alię similes intelligendæ sunt causaliter, ut explicat Scotus loco cit. in solutione ad primum, quatenus beatitudo est causa quietationis, & delectationis, quę consequitur actus beatificos, quia si spes beatitudinis in via parit gaudium juxtà illud Pauli, *spe gaudentes*, tantò magis beatitudo jam obtenta illud pariet, & causabit. Tandem hoc etiam suadet ratio, quia gaudium, & delectatio ex natura rei sequitur, & comitatur consecutionem, seù tentionem boni amati, & tantò perfectius quantò bonum consecutum majus est, & perfectiori modo obtentum, sed Sanctis per beatitudinem formalem Deum perfectè consequuntur, & obtinent in præmium præcedentium meritorum, & Deus est summum bonum, & infinitum; ergò in eis est gaudium, & delectatio de ipso, ut possesso, & per visionem, ac fruitionem obtento. Est tamen aliqua difficultas, an gaudium, & delectatio sint ità necessariò cum beatitudine connexa, ut sint etiam de ejus essentia; & antiquiores quidam affirmarunt, ut refert Scotus loc. cit. quorum fundamentum fuit, quia gaudium, sivè delectatio à beatitudine separari non potest, implicat enim, quod quis sit beatus, & gaudium non habeat; ergo est de ejus essentia. Confirmatur, quia videtur esse major perfectio beatitudinis, si dicatur quod gaudium sit de ejus essentia quàm si tantummodò concomitetur ipsam, cum ergo beatitudo sit maxima perfectio ipsius beati, dicendum est esse de ejus essentia, & non tantùm eam comitari. Tandem probatur à pari, quia sicut se habet tristitia in supplicio, ità gaudium in proemio, sed tristitia est de essentia supplicii; ergo gaudium quoque est de essentia præmii, qualis est beatitudo. Major patet, minor probatur, quia tristitia non est actus voluntatis, alioquin esset voluntaria, imò oritur ex rebus, quæ nobis nolentibus accidunt, & hæc est pœna, quæ dicitur sensus, respectu damnatorum.

20 Secundò, his non obstantibus dicendum est, quod licet gaudium de summo bono præsente non possit à beatitudine separari, adhuc tamen non est de ejus essentia, vel ratione intrinseca, sed affectio, accidens, seù passio eam consequens, & concomitans. Ità Doctor loc. c. & est communis inter Recentiores, qui gaudium, & delectationem Beatorum ponunt in consequentibus beatitudinem, id autem probat, quia nulla passio est beatitudo essentialiter, quia beatitudo essentialiter consistit in operationibus intellectus, & voluntatis, licet principalius in actu voluntatis, nempè fruitionis ex dictis art. præced. delectatio autem non est operatio, sed passio operationem consequens, ut dictum est in lib. de Anima loc. cit. qua ratione inquit Arist. 10. Ethic. cap. 4. quod delectatio non est operatio, sed adveniens operationi; ergo &c. Confirmatur, quia quod est de essentia beatitudinis oportet respicere objectum beatificum, non solùm in ratione causæ efficientis, verùm etiam objecti terminantis vitalem operationem beatificam; sed passio, qualis est delectatio, & gaudium, non respicit objectum beatificum, nisi ut causam efficientem, non verò ut objectum vitalitatem terminans; ergo &c. Demum beatitudo in eo essentialiter consistit, quod est perfectissimum in omni genere actuum, sivè in visione dicatur principaliter consistere, & completivè in fruitione juxtà illud, *hæc est vita æterna, ut cognoscant te, &c.* sivè dicatur in fruitione principaliter consistere, & inchoativè tantùm in visione juxtà illud Augustini, fruitio est tota merces, talis autem non est delectatio, quia ipsa non unit potentiam objecto beatifico, sed ex unione consurgit tanquam accidens ejus; ergo, &c. Quarè concludit beatitudinem, si propriè accipiatur, non includere gaudium in sua essentia, cùm sit passio quædam eam consequens, beatitudo verò in operatione consistit. Adhuc tamen addit voluntatem bifariam considerari posse, primò ut potentia operativa, & sic simpliciter perficitur operatione conjungente illam summo bono ultimatè, & in hoc essentialiter beatitudo consistit. Deindè potest considerari ut receptativa, & hoc modo est perfectibilis, non operatione, sed supernaturalibus passionibus, qualis est delectatio, & gaudium, quia talium est ultimatè receptiva.

21 Ad rationem in oppositum respondet Doct. in fine q. 7. cit. de facto utique delectationem à beatitudine separari non posse, quia de facto statuit Deus in actu fruitionis beatificæ semper concurrere ad qualitatem, seù passionem illam ex natura rei concomitantem, at de potentia absoluta separari potest, quia potest esse amor sive fruitio objecti, sine delectatione consequente, in quo casu beatus Deum videret, & non gauderet, sed hoc non esset ex potestate sua, sed divina, quæ conservaret visionem, & non gaudium.

Ad Confirmationem respondet verum esse quod beatitudo esset perfectior, si gaudium esset de essentia ejus, sicut homo perfectior esset, si sapientia esset de ejus essentia; sed hoc esse non potest, quia de essentia beatitudinis est, quod conjungat potentiam cum objecto beatifico, quod non potest facere passio, sed tantùm vitalis operatio. Ad ultimum ait paritatem assumptam de tristitia in damnatis, & gaudio in beatis valere in aliquibus, sed non in omnibus, valet enim in hoc, quod sicut gaudium est passio resultans ex conjunctione vitali voluntatis cum objecto volito, & bono, ità etiam tristitia est passio resultans ex objecto nolito malo, & tamen præsente, & sicut merentibus succedet gaudium, ità demerentibus tristitia in pœnam peccatorum; at in ratione præmii, & pœnæ non currit paritas, quia nihil potest esse pœna, nisi involuntarium, undè pœna non potest esse actus voluntatis, qui omnis actus voluntatis, sivè velle, sivè nolle semper est voluntarius, atque ita aliud non potest, quàm passio illa afflictiva voluntatis actum nolendi objectum concomitans, sed præmium potest esse voluntarium, atque ideò actus voluntatis esse potest. & licet ad actum voluntarium circà bonum desideratum sequatur delectatio, & gaudium, quod etiam est aliquod præmium accidentale, nihilominus quia actus est nobilior passione, concludit Doctor præmium essentiale in actu consistere, non in passione consequente.

22 Tertiò, certa quoque veritas est, & de fide beatitudinem patriæ esse perpetuam contrà errorem, qui tribuitur Origeni, cui etiam adscribitur, quod asseruerit neque statum damnatorum esse perpetuum, sed dæmones aliquandò salvandos, quod adeò stultum ab omnibus existimatur, ut quidam dixerint illud insertum esse operibus Origenis, & non ab ipso assertum. Sed quicquid de hoc sit, de quo Jacobus Merlinus in Apolog. pro Origene, & Possevinus in suo Appar. Scotus dist. 49. cit. q. 6. ab initio hanc assertionem inquit ex Scripturis manifestè deduci, in quibus beatitudo dicitur vita æterna, undè Matth. 25. *Ibunt justi in vitam æternam*, & Matth. 22. *erunt sicut Angeli Dei*, & psal. 8. *In sæcula sæculorum laudabunt te*, & Sapient. 5. *Justi autem in perpetuum vivent*. Colligitur etiam ex pœna damnatorum, quam futuram esse perpetuam non solùm dicitur loc. cit. Matt. 25. sed etiam Apoc. 20. *Cruciabitur die, ac nocte in sæcula sæculorum*, & Marci 9. *Vermis eorum non moritur*. Similiter ad hoc sunt dicta Sanctorum multa, & inquit Doctor loco citato illud Augustini sufficere 13. de Trinit. cap. 8. ubi ait, *Beata vita esse non potest, nisi sit immortalis*, quod probat, quia si amitti potest, aut beatus amittit eam nolès, & tunc non est beatus, quia non habet quicquid vult, aut volens, aut neque nolens, neq; volens, & ad utrumque illorum membrorum sequitur, quod non est beatus, quia non amat beatitudinem, imò si volens amittit, odit eam, si neuter, non appreciat eam, nec ergo est vita beata. Ratio tandem deducitur ex ratione ipsa beatitudinis, quæ est excludere omne malum, & per consequens timorem, aut metum, quod tale bonum non sit permansurum. Difficultas ergo est solùm, undè hæc perpetuitas proveniat, & an sit de essentia beatitudinis, & sententia communis Thomistarum est beatitudinem formalem patriæ ex sua intrinseca natura, & ratione perpetuam esse, quorum præcipuum fundamentum est, ut ait Lezana disp. 5. cit. q. 5. quia ut aliqua res dicatur ex natura sua corruptibilis, seù non perpetua, requiritur, quod vel in se habeat principium intrinsecum corruptionis, prout habent res materiales, scilicet, materiam ipsam, vel quod possit corrumpi à suo contrario, quemadmodum calor potest à frigore corrumpi, vel denique quod possit deficere ex defectu causę conservantis, sicut lumen ex defectu luminosi; sed nullo ex his modis potest destrui, aut corrumpi visio beata; ergo ex natura sua est dicenda perpetua, & incorruptibilis. Minor quoad primam partem ex se patet, quia in visione beata nullum est tale principium, cùm sit omninò spiritualis. Quoad secundam partem probatur, quia tale contrarium visionis beatificæ solùm est peccatum, quod in bea-

beato esse nequit. Quoad tertiam partem etiam probatur, nam causa visionis, scilicet, intellectus informatus lumine gloriæ, & cum essentia divina illi per modum speciei unita est causa omninò determinata, necessaria, & indefectibilis, itaut nullatenus à visione cessare possit, neque ad id moveri à voluntate beati, quia cùm illa possideat suum ultimum finem, & beatitudinem objectivam, non potest velle carere ipsa, sed potius de ipsa, & cum ipsa summè, & omnimodè necessariò frui, & delectari. Ità Lezana loc. cit. citans pro hac sententia Cajetanum, Conradum, Valentiam, Montesinos, & alios cum D. Thoma par. 2. q. 10. art. 1. & 2.

23 Quartò, his non obstantibus, dicendum est, quod licet beatitudo hominis, sit in æternum duratura, tamen ex natura sua, & intrinsecè non est necessaria, & perpetua, sed perpetuitas illi inest ex sola voluntate Dei eam conservantis per continuationem influxus. Ità Scotus loc. cit. cum omnibus Scotistis, & probat, quia nullum ens creatum est hoc modo necessarium quia ens prima sui divisione dividitur in ens necessarium, seù à se, & contingens, seù ab alio, à quo essentialiter dependet; ergo quodlibet tale intrinsecè, & essentialiter est contingens, quia potest Deus à conservatione illius cessare, & sic in proposito posset Deus non concurrere cum intellectu, & voluntate, neque cum habitibus luminis, & charitatis ad efficiendam visionem, & fruitionem, vel omnibus iis, integris, & immutatis existentibus se non ostendere beatis, in quo casu utique beatitudo cessaret; ergò intrinsecè non est necessaria, & perpetua. Deindè probat ex destructione fundamenti oppositi, quia ex hoc, quod beatitudo contrarium non habet, à quo destrui possit, non sequitur, quod sit intrinsecè necessaria, & perpetua, neque hoc eam reddit absolutè, & simpliciter necessariam, & perpetuam, sed tantùm secundùm quid, nimirum in ordine ad causas naturales, nam Angeli, Cœlum, anima materia prima, & omnes habitus supernaturales contrarium non habent, à quo destrui possint, & tamen entia non sunt absolutè, & intrinsecè necessaria, ac perpetua, sed tantùm secundùm quid in ordine, scilicet, ad causas naturales, & hoc modo, inquit Doctor, lit. B. aliquod creatum dici potest habere esse incorruptibile, pro quanto non habet contrarium, vel ab aliquo creato destrui non potest, sed tantummodò potest annihilari à Deo non conservante, & hoc modo ait concedi posse beatitudinem esse incorruptibilem, sed sic incorruptibile non est ex se perpetuum nisi possibiliter, quia sicut esse suum habet contingenter à Deo conservante, sic & perpetuitatem. Neque beatitudo dici potest simpliciter, & absolutè necessaria ex eo, quod potentiæ eam producentes agunt necessariò, quia ut ait Doctor lit. D. licet intellectus naturali necessitate videat objectum præsens proportionatum, tamen voluntas non naturali necessitate fruitur illo objecto viso, neque etiam illa necessitas videndi est simpliciter necessitas, sed tantummodò, necessitas, si objectum præsens moveat, & istud est sic merè contingens, quia objectum istud voluntariè, & contingenter movet quemcunque intellectum creatum. Neque beatitudo dici potest perpetua, & necessaria ratione habituum ad eam concurrentium, quia ut ait Doctor lit. E. si non est necessaria ratione potentiarum, ut modò dictum est, tantò minus ratione habituum, quia habitus ad potentias se habent, ut causæ secundæ, & instrumenta respectu primæ, & agentis principalis, nam potentia est, qua simpliciter possumus, habitus verò, quo sic possumus. Quare concludit Doctor, quod causa hujus perpetuitatis, nec est ipsa forma, seù natura beatudinis, quasi per ipsam, seù ex seipsa sit formaliter necessaria, nec natura potentiarum illarum, quasi circà objectum necessariò perpetuò operetur, nec habitus in potentiis quasi necessariò potentias determinans ad perpetuò operandum, sed est ex sola voluntate divina, quæ sicut perficit naturam intensivè, ità conservat eam in tali perfectione perpetuò, & extensivè. Addit tandem Doctor lit. L. quod beatitudo licet extrinsecè duret æternitate, intrinsecè tamen durat ævo, quia ens permanens tali specie durationis durat, ut suppono ex dictis in Phys. disp. 13. quod verò æternitas sit ei extrinseca patet, quia non est ab intrinseco ejus indefectibile, ut Deus, sed solùm extrinsecè, quia scilicet à Deo conservatur, & continuatur per sui ostensionem, & concursum æternalem cum intellectu, & voluntate. Objectiones in oppositum vide solutas apud Doctorem loc. cit.

24 Quintò, quoad aliam difficultatem, an perpetuitas sit de essentia beatitudinis, respondet breviter Doctor loc. cit. §. *De tertio dubio* lit. M. quod si accipiatur beatitudo intensivè, hoc est, pro aliqua perfectione permanente, perpetua non est de ejus essentia, quia quæcunque perfectio permanens, & quantumcunque eadem, & æqualis potest esse per instans, vel in aliquo brevi tempore, quæ, & quanta potest esse in toto tempore, quæ enim perfecta est albendo unius diei, sicut unius anni, tum quia beatitudo est quid creatum, cui non potest esse essentialis actualis duratio, quia hoc est proprium Dei, ut jam dictum est, tùm quia nec Angelis, nec Cœlis, nec animabus nostris perpetuitas hoc modo convenit, quia ex hypotesi, quod solùm per unum diem durarent, adhuc haberent eandem essentiam, ac modo; tùm tandem hoc probari potest exemplo visionis beatæ secundùm plurium sententiam Moysi, & D. Paulo communicatæ, quæ quamvis fuerit citò transiens, fuit tamen ejusdem rationis, & essentiæ cum aliis Beatorum visionibus. Dices, si beatitudo non esset perpetua, tunc homini displiceret, quod aliquando illa fœlicitate careret, undè omni molestia non careret, sicut ad beatitudinem requiritur. De hoc dicemus dubio sequenti, pro nunc sufficiat dicere, quod si beatus sciret, non perpetuò se in tali statu mansurum, adhuc non tristaretur, tùm ob summam delectationem, quam ex visione, & fruitione Dei haberet, tùm ob summam conformitatem, quam ratione amoris haberet cum Dei voluntate. Addit deindè Doctor loc. cit. quod si beatitudo extensivè accipiatur, idest, pro aliqua perfectione permanente, non solùm intensa, sed etiam extensa, hoc est, durante quantum potest, & pro statu fœlicissimo nunquam finiendo, in hoc sensu perpetuitas est de ejus essentia, quia ab illa habet formaliter, quod talis status nunquam sit finem habiturus. An autem capiatur hoc modo unquam beatitudo, aut illo priori modo, aut quandoque uno, quandoque altero, est pura quæstio de nomine, ut ait Poncius disp. 19. qu. 3. & quantum ad utilitatem sufficit, quod beatitudo nostra sit futura perpetua, ut constat ex articulo fidei quo creditur vita æterna, sivè hæc perpetuitas sit de ejus essentia, sivè non, sed accidens ipsius, ei tamen de facto necessariò connexum, sed sine quo posset esse, & ab eo separari, de potentia absoluta loquendo.

25 Sextò quoad ultimam difficultatem, an de ratione veræ beatitudinis sit securitas perpetuitatis, pro intelligentia quæsiti notandum est ex Scoto q. 6. cit. §. *De secundo principali*; quod dubietas, & certitudo sunt in intellectu, timor autem, & securitas in voluntate, & hæc est veluti quædam quies voluntatis de bono non amittendo, & malo non infligendo, & hanc præcedit certitudo in intellectu de bono conferendo, vel bono collato continuando; quo supposito ait Doctor certum esse beatitudinem habere annexam securitatem perpetuitatis, & omnes beatos de perpetuitate suæ beatitudinis esse securos, non quia videant beatitudinem ex se esse perpetuam, ut suprà dictum est, nec etiam per rationem naturalem, quia nulli creaturæ potest esse notum per rationem naturalem illud, quod contingenter à sola voluntate divina dependet, hujusmodi autem est continuando beatitudinis jam collatæ ex modò dictis; ergò tantummodò est illa certitudo in intellectu beati ex revelatione sibi à Deo facta, & hæc securitas beatitudinis ex pluribus Scripturæ locis expresse deducitur, ut videri potest apud Arancatum disput. 14. cit. art. 11. qua ratione D. Petrus in sua epist. 1. cap. 1. beatitudinem vocat *hæreditatem incorruptibilem*, & *incontaminatam*, & *immarcescibilem*. Subdit deindè Doctor, quod quamvis beatitudo annexam habeat perpetuitatis securitatem, hanc tamen non esse de ipsius essentia, & ratio deducitur ex modo dictis, quia securitas est in voluntate, & supponit certitudinem in intellectu de continuatione beatitudinis, ille enim securus est de boni perseverantia, & mali absentia; qui certò scit illud non defuturum, & hoc eventurum; ergò securitas non est de intrinseca beatitudinis ratione, nam certitudo in intellectu de continuatione beatitudinis revelationem ejus supponit, & apprehensionem, ex qua voluntas redditur secura, atque ità hæc omnia essentiam beatitudinis jam supponunt in esse positam. Confirm. quia apprehensio perpetuitatis beatitudinis, & certitudo illius non est actus tendens in objectum beatificum, sed est actus reflexus super ipsam beatitudinis continuationem, & securitas de hac aliud non respicit, ut objectum, nisi perpetuæ continuationis certitudinem; ergo si nec apprehensio, nec certitudo perpetuitatis sunt de essentia beatitudinis, tantò minus securitas. Dices, nisi beatus haberet hanc certitudinem, & securitatem esset anxius de amittendo aliquando illo statu, & sic magnam haberet molestiam cum vera beatitudine incompossibilem. Respondetur id ad summum probare, quod beatitudo necessariò annexam habeat hujusmodi securitatem, sicuti est de facto, non tamen quod sit de ejus essentia, & ratione intrinseca; imò nec probat talem annexionem securitatis cum beatitudine esse simpliciter, & absolutè necessariam, licet ità sit de facto; si enim per horam quis Deum videret, eoque frueretur, adhuc per eum solum actum videndi, & fruendi esset beatus; quod verò magis, vel minus duret visio, vel quod videns sciat certò defuturam, vel non defuturam visionem, est merum accidens eam consequens, & jam diximus non esse necessarium beato, quod reflectat suprà perpetuitatem beatitudinis, & quod quando etiam sciret illam non duraturam in perpetuum, adhuc non tristaretur ob summam delectationem, quam haberet ex visione Dei intuitiva, hac

etiam

etiam ob summam conformitatem cum ejus voluntate ratione amoris beatifici.

26 Postremò Doctor l. cit. §. *Dico ergo* lit. F. movet dubium, quonam modo beati erunt impeccabiles, cùm per nihil sibi intrinsecum habeant, quin contingenter operentur ex præmissa doctrina, & per consequens possint non frui, & ità peccare, quod absurdum est, quia impeccabilitas beatitudinem necessariò consequitur, ut colligitur ex auctoritate adducta D. Petri epist. 1. cap. 1. ubi beatitudinem vocat *incontaminatam*, quia peccato contaminari non potest. Respondet Doctor ibidem, quod beatus in potentia propinqua, seù in sensu composito est impeccabilis, hoc est, beatus nequit simul esse beatus, & peccare, sed in potentia remota, seù in sensu diviso peccare potest, si nimirum ab eo auferatur beatitudo, & rursus quod beatus in sensu composito peccare non possit, aut bifariam intelligi posse, primò quod hoc illi conveniat per aliquod sibi, seù suæ voluntati intrinsecum, quod talem potentiam excludat, & hoc modo verum non est esse impeccabilem in sensu composito, secundò quod hoc ei conveniat per aliquam causam extrinsecam ab eo auferentem propinquam peccandi potentiam, & in hoc sensu est verum, hæc autem causa est Deus ipse præveniens beati voluntatem, ut semper continuet actum fruendi, & ità nunquam possit potentiam suam remotam non fruendi, vel peccandi reducere ad actum, siquidem nunquam causa secunda præventa à causa superiori agente ad unum oppositum potest potentia propinqua exire in aliud oppositum. Hoc autem declarat exemplo alicujus existentis in carcere obscurissimo, ubi nihil videat, is enim potentiam videndi habet, sed remotam, propinquam verò non, sed hoc provenit à causa extrinseca, nimirum à carcere ipsum impediente, non verò à causa intrinseca, supposito quod ille sensum visus integrum habeat, talis itaque est in beatis peccandi potentia, ut ad actum nunquam reduci possit, non quia adsit causa aliqua intrinseca impossibilitatis, sed ob impedimentum causæ extrinsecæ, scilicet, Dei voluntatem illorum prævenientis, ut semper continuent actum fruendi, & nunquam potentiam eorum remotam peccandi ad actum reducere possint. Hìc autem notandum est, ut etiam Poncius advertit disp. 19. cit. q. 5. perpetuitatem beatitudinis, & impeccabilitatem etiam voluntatis beatæ oriri ex conservatione, & constitutione visionis beatæ, neque ad alterutram requiri aliam gratiam particularem Dei, quàm illam, ex qua vult perpetuò se clarè ostendere beato, undè minus rectè Recentiores Scoto imponunt, quod asserat impeccabilitatem beatorum solùm procedere ex speciali, & singulari Dei protectione, quia non vult peccata permittere beatis, aut cum ipsis ad aliquod peccatum concurrere, hoc enim apud Scotum non reperio, quod si aliquando videatur id refundere in gratiam, & protectionem Dei, id intelligi debet de gratia, ac protectione respectu conservationis ipsiusmet visionis, qua suppositâ voluntas moraliter determinatur ad non peccandum, & consequenter ad non perdendam beatitudinem, & hoc apertè colligitur ex verbis ipsius, si attentè legatur, dùm inquit beatum reddi impeccabilem ex voluntate Dei præveniente illius voluntatem, ut semper continuet actū fruendi. Ità loquitur sub lit. G. & explicat Rada 4. p. contr. 11. a. 6.

ARTICULUS QUARTUS.

An Beatitudo formalis sit æqualis in omnibus Beatis.

27 PRimò, error fuit Joviniani dicentis in Cœlo omnes esse æqualiter beatos, seù æqualem gloriæ gradum obtinere ut refert D. Hieron. lib. 2. contrà Jovinianum, quem errorem posteà amplexus est Lutherus asserens omnes fideles sanctitate, & meritis esse æquales, & consequenter in præmio meritis correspondente, cujus erroris præcipuum fundamentum fuit parabola de operariis Matth. 20. quibus licet inæquali tempore, & labore operantibus æqualem unius denarii mercedem Pater familias solvit, siquidem certum est non omnes æqualiter in vinea laborasse, quidàm enim eorum à summo manè per totam diem laborantes pondus diei, & æstus portaverunt, quidam verò serò per unicam tantùm horam, & nihilominus singuli singulos denarios receperunt. Ex qua parabola infertur alterius vitæ præmium, & remunerationem in visione, & fruitione Dei consistentem in omnibus æqualem esse futuram, licet quidam magis, quidam minus in hac vita laboraverint, & hunc Joviniani errorem eodem modo refert D. August. de justa Virginitate cap. 16. eo quod Paterfamilias æquale pretium sui laboris, licet inæqualis dedit vineæ operariis, undè & in eadem parabola quidam mercenarii introducuntur murmurantes adversus Patremfamilias, eo quod æquales fecerit novissimos parum laborantes, & serò vocatos, primis per totam diem laborantibus. Ratio etiam id posse suadere videtur, quia beatitudo talis naturæ esse videtur, ut cujusque beati appetitum iactiare debeat omninò, quia est summa, & perfectissima quies in summo bono adepto, non ergò in uno potest reperiri major, quam in alio, quia tunc appetitus istius omninò satiatus non esset.

28 Secundò, veritas tamen catholica est, formalem beatitudinem animæ intensivè inspectam tam ex parte operationum intellectus, & voluntatis, quàm ex parte gaudii in beatis inæqualem esse pro qualitate meritorum, notanter autem diximus beatitudinem intensivè inspectam esse inæqualem, non autem extensivè, quia inæqualitas visionis non consistit in eo, quod aliquid videat unus beatus in Deo, seù in objecto primario visionis, quod non videat alter, nullus enim erit beatus, qui totum Deum non videat, sicut est, & omnia, quæ in Deo formaliter sunt, sed consistit in eo, quod idem objectum intensius, & majori cum claritate percipiatur, & cum majori delectatione ab uno perfruatur, quàm ab alio. Ità D. Tho. 4. d. 49. q. 3. a. 1. Ità D. Bonav. ibidem q. 6. Scoto d. 50. q. 5. & alii Scholastici ibidem, & hæc veritas definita est in Conc. Thelensi, in Florent. sess. ult. & in Trid. sess. 6. cap. 10. & 16. can. 24. & 32. quatenus definitur diversos esse gradus meritorum in hac vita, quibus in altera præmiorum diversitas respondet, & ex Scripturis expresè deducitur, ut psalm. 61. *Reddet unicuique juxtà opera sua*, & Joan. 14. *In domo Patris mei mansiones multæ sunt*, & 1. Corinth. capit. 15. *sicut Stella à stella differt claritate, sic erit resurrectio mortuorum*, & 2. Corinth. 5. *Unusquisque accipiet, prout gessit in corpore, sivè bonum, sivè malum*, & 1. ad Corint. cap. 3. *Unusquisque propriam mercedem accipiet juxtà laborem suum*, & sic alibi frequenter legitur tam in veteri, quàm in novo Testamento, deducitur etiam ex communi totius Ecclesiæ consensu, quæ super omnes Angelorum choros Sanctissimam Dei Matrem in cœlestibus regnis exaltatam esse prædicat, & tandem ratio etiam id suadet ex fidei principiis docentis vitam æternam dari, ut præmium, mercedem, & coronam gloriæ, ergo in ea conferenda ratio justitiæ distributivæ servari debet, ut scilicet, unusquisque secundùm laborem suum mercedem accipiat, ubi tamen advertendum est opus non esse, omnes beatos esse in beatitudine inæquales, ut patet de infantibus cum baptismo decedentibus, qui sicut sunt æquales in gratia per Sacramentum baptismi recepta, ità etiam in beatitudine, & hoc etiam in aliquibus adultis contingere potest, ut cum paribus meritis decedentes æqualem quoque gloriæ remunerationem accipiant.

29 Tertiò, neque huic veritati obstat parabola adducta operariorum Matth. 20. quia ut docet Chrysost. hom. 65. in Matth. in parabolis opus non est in singulis verbis nimia cura perangi, sed maximè finis parabolæ spectari debet, qui in proposito est, ut Patres passim exponunt, insignem Dei liberalitatem ostendere erga eos, qui post Christi adventum novissimo tempore legis gratiæ ad laborādum in vinea Domini, scilicet Ecclesia sunt vocati, & qua ratione à Patrefamilias cæteris veteris testamenti Ministris in eadem vinea laborantibus præferantur, nam propter abundantiam gratiæ, & Sacramentorum efficaciam, & auxilia efficacissima ex meritis Christi nobis collata multò minori labore præmium beatitudinis assequimur, quàm Patres veteris testamenti, quia etiamsi nimio onere gravati veteris legis, vix statum beatitudinis assequi poterant. Hoc supposito Patres, & præsertim D. Augustin. serm. 59. de verbis Domini cap. 4. per æqualitatem denarii cuique operariorum soluti intelligunt beatitudinis præmium essentiale, quia eadem essentia divina, tanquam objectum proportionatum cuicunq; beato confertur, & per totam æternitatem videnda, & fruenda, quamvis diversimodè juxtà meritorum diversitatem, & dispositionem, & sic etiam Divus Thomas p. 2. quæst. 5. art. 2. & Scotus 4. d. 49. qu. 6. & alii Scholastici ibidem per denarium intelligunt objectum beatitudinis, quod in se unum, idemque est pro omnibus, & singulis beatis, scilicet, essentia divina, quæ eadem ab omnibus videbitur, & per totam æternitatem, quæ tamen æqualitas durationis, vel objecti non impendit inæqualitatem visionis, & fruitionis ipsius objecti pro ratione inæqualium meritorum cujuslibet beati, ut fusè explicat D. Augustinus tract. 67. in Joan. Per denarium itaque singulis operariis dandum intelligenda est gloria essentialis, nempè visio essentiæ divinæ, ac ejus fruitio, & de hac æqualitate hic non disputamus, sed æqualitate gloriæ accidentalis, nimirum an æquè intensa in omnibus sit ejus visio, & fruitio, & dicimus inæqualem esse, quia justa retributio ità exposcit, sicut unus, & idem numero Sol à diversis stellis diversimodè participatur. Dices, si beatitudo confertur juxtà uniuscujusque laborem, & meritum, cùm in hac parabola dicatur inæqualiter laborantibus præmium æquale reddi, ergò per tale præmium non intelligitur beatitudo.

Respondetur negando consequentiam, nam præmium non respondet operibus, & laboribus secundùm substantiam consideratis, sed potius illis, ut à gratia procedentibus, quæ

est

est principium radicale merendi, ut dictum est lib. 3. sentent. disp. 3. de merito Christi Domini, & aliorum per ipsum, quare ad ostendendam legis Evangelicæ, & ministrorum ipsius dignitatem, & perfectionem, notanter, & appositè in parabola dicitur inæqualibus laboribus, non tamen inæqualibus meritis, sed potius æqualibus æquale reddi præmium. Quod verissimum est, nam propter merita Christi, & gratiæ abundantiam nobis novissimis collatam multò minori labore, ut suprà dictum est, præmium beatitudinis assequimur, quàm Patres veteris testamenti, qui pondus diei, & æstus portarunt ob onera legis illius, undè provenit inæqualiter utique illos, ac nos laborasse, nos tamen cum minori labore à præstantiori gratia procedente vitam æternam meruisse æquè, ac illos, in quo nulla inæqualitas, aut injustitiæ vestigium apparet, quia præmium meritis nostris ex Dei gratia respondet, non autem operibus nostris præcisè elicitis, & secundùm substantiam consideratis, ut optimè etiam advertit Caspensis tract. cit. disp. 4. sect. 7.

30 Quomodò vero intelligendum sit dictum illud de murmuratione operariorum adversus Patremfamilias, cùm in regno cœlorum invidia, & murmuratio locum non habeat, diversa dicunt, ut videri potest apud Caspensem lo. c. & Turrianum opusc. 3. disp. 2. de inæqualitate visionis beatificæ, sed recedendum non est ab expositione Glossæ ordinariæ in eum locum, ubi ait sensum esse, non quod intrantes in Cœlum sivè primi, sivè ultimi murmurent, quod alii, qui minus laboraverunt, sint ipsis in præmio æquales, sed quod antiquiores, seù fideles veteris testamenti possent, non in Cœlo, sed in hoc mundo conqueri, quod alii futuri post Christi adventum, & in fine mundi tàm citò Cœlum ingrediantur, & sine tanto labore sint illis in præmio æquales, & iftis diceretur, quod à Patrefamilias operariis dictum est, *Amice non facio tibi injuriam, nonne ex denario convenisti mecum? tolle quod tuum est, & vade.* Quamvis itaque comparatio de operariis, vinea, labore, & denario recipiendo pro fidelibus operantibus valeat antè, & post adventum Christi, & à principio Mundi usque ad finem pro visione, & fruitione Dei, alia tamen de murmuratione non valet, quia in regno pacis murmurationem admittere repugnat, ut etiam Brancatus noster adnotavit disp. 17. art. 8. Ad rationem in oppositum adductam pro æqualitate beatitudinis in omnibus beatis respondetur, verum esse utique quamlibet visionem, & fruitionem appetitum cujuscunque beati omninò satiare, & quietum reddere, quia omnes idem bonum supremum, & infinitum possident, & in eo quiescunt, non tamen ex hoc sequitur in omnibus beatis æqualem esse beatitudinem, quia beatitudo unumquemque satiat, non secundùm naturalem ejus inclinationem, sed juxtà proximam illius dispositionem, & capacitatem, quæ quia in diversis diversa est, & inæqualis juxtà meritorum inæqualitatem, idcircò nullus est beatus, qui non sit sua sorte contentus, & in summo bono possessò omninò quiescat, sicut etiam in naturalibus omnia gravia ad centrum tendunt, & in eo omninò quiescunt, sed unumquodque juxtà majorem, vel minorem ejus gravitatem, & hæc est Scoti doctrina 4. d. 50. q. 6. ubi dicit, quod licet appetitus naturalis in beatis sit æqualis, & hic non satietur, tamen deliberativus, secundùm quem totus homo satiatur, est inæqualis juxtà meritorum inæqualitatem, & quia hic divinæ regulæ est consonus præmia statuenti juxtà meritorum diversitatem, quilibet beatus de sua visione, & fruitione contentus est, licet sciat alios esse seipso beatiores.

31 Quartò est præcipua difficultas, undè oriatur hæc inæqualitas in beatitudine, & quidem conveniunt omnes, dispositivè inæqualitatem beatitudinis ex parte meritorum oriri, ut etiam Scot. docet 4. d. 50. qu. 6. G. si enim beatitudo consideretur ut præmium, & merces bonorum operum, inæqualis erit in beatis juxtà meritorum, & gratiæ inæqualitatem, quia gratia est principium merendi, & sic quo plures elicit actus meritorios, magis, ac magis augetur in via, & consequenter augetur jus, quod habet viator ad præmium in patria, tota ergo difficultas est, si consideretur beatitudo, ut operatio procedens à potentiis, visio ab intellectu, & fruitio à voluntate, sic enim loquendo de beatitudine dicunt communiter Thomistæ, & Recentiores cum D. Th. p. 1. q. 12. a. 6. ejus inæqualitatem non ex parte potentiarum, sed ex parte habituum supernaturalium in ipsis existentium attendi debere, ut inæqualitatem visionis juxtà inæqualitatem luminis existentis in intellectu beati, & illum elevantis ad eliciendam visionem, atque ità ex sola divina elevatione, seù lumine gloriæ determinari intensionem visionis Dei, itaut perfectior intellectus in naturalibus cum æquali lumine gloriæ perfectius divinam essentiam intueri non possit, sed ex æquali lumine quantumvis unus intellectus sit naturaliter perfectior alio, non nisi æqualis visio oriatur. Scotus verò è contrà cum omnibus Scotistis 4. d. 50. q. 6. E. & F. docet inæqualitatem beatitudinis formalis, scilicet, visionis, & fruitionis Dei oriri, non tantùm ex inæqualitate habituum luminis, & charitatis, sed etiam ex inæqualitate potentiarum operantium, ita-ut perfectior intellectus cum æquali lumine perfectiorem eliciat visionem, vel saltem elicere possit, quod notanter addimus, quia quidam Scotistæ licet concedant de possibili, & de eo, quod eveniret ex natura rei posse intellectum perfectiorem cum æquali lumine perfectiorem visionem elicere, id tamen de facto negant, alii verò nedùm de possibili, sed etiam de facto contendunt rem ità se habere, ut perfectior intellectus cum æquali lumine perfectiorem quoque eliciat visionem.

32 Quam sententiam nos quoque ex professo defendimus 1. sent. disp. 6. qu. 7. & probavimus ex Scoto 3. d. 13. q. 4. quia non minus propria virtute concurrit potentia naturalis elevata cum principio supernaturali ad actus supernaturales, quàm adjuta principio naturali ad actus naturales; sed perfectior potentia cum æquali principio naturali producit intensiores, & perfectiores actus naturales, nam perfectior intellectus cum æquali specie intelligibili perfectius intelligit, & visus corporalis acutior perfectius videt, quàm debilior cum æquali lumine; ergo eadem potentia perfectior cum æquali comprincipio supernaturali perfectiores actus supernaturales producere poterit. Nec valet communis Thomistarum responsio, quod licet intellectus creatus habeat activitatem naturalem videndi Deum, per eam tamen videre nequit, nisi quatenus elevatus lumine gloriæ, ac proindè per eam non agit, nisi juxtà quantitatem elevationis per ipsum lumen factam. Non valet, inquam, quia ut ibi arguimus, quando dicimus potentiam non concurrere, nisi ut elevatam ad actus supernaturales, non ità debet intelligi reduplicativè, quasi elevatio, seù principium elevans sit tota ratio producendi visionem, & actum supernaturalem, sed in eo tantùm sensu debet intelligi, quod concurrat, ut elevata, quatenus si non elevaretur per principium supernaturale, non concurret, sed ex ea propositione sic intellecta non benè deducitur, quod per propriam virtutem non agat, nisi juxtà quantitatem elevationis per ipsum lumen factam, nam ut benè deduceretur, deberet ea propositio intelligi in primò sensu, in quo est penitus falsa. Alias quoque Recentiorum instantias, & responsiones vide rejectas q. 7. cit. a. 1.

33 Sed arguunt Thomistæ in oppositum, quia visio est actus omninò supernaturalis secundùm substantiam, ergo secundùm se totam debet esse proportionata agenti supernaturali; ergò si major est visio, & ipsummet agens debet esse magis elevatum, vel per lumen, vel per speciale auxilium Deus; ergò nullus excessus perfectionis potest in visione constitui, qui respondeat naturali virtuti, & ab ea efficienter, & præcisè emanet. Consequentia patet, quia si natura quantumvis perfecta non operatur nisi ut elevata; ergò nec magis operabitur, nisi magis elevata, atque ideò stante æquali elevatione tàm ex parte luminis, quàm ex parte Dei æqualis erit, & visio, sivè procedat ab intellectu Angelico, sivè ab humano.

Confirmatur, quia aliàs sequeretur duos, qui æqualia merita habuerunt in via, inæquale præmium habituros in patria, supposito quod unus habeat perfectiorem intellectum, nam hic perfectius adhuc Deum videret, licet æquale lumen utrique tribuatur. Denique sequeretur etiam viatorem cum æquali auxilio efficaci propter majorem perfectionem naturalem posse melius credere, & melius diligere Deum, & per consequens se disponere ad majorem gratiam supernaturalem, habitualem propter majorem perfectionem naturalem, quod est absurdum, ità arguit Caspensis cum aliis Thomistis tract. cit. disp. 4. sect. 8.

34 Ad has, & plures alias objectiones jam responsum est disp. 6. cit. q. 7. a. 2. Ad primum negatur secunda consequentia cum ejus probatione, neque enim verum est, quod sicut intellectus nequit simpliciter videre Deum absque elevatione, ita neque possit perfectius videre Deum ex propria facultate, nisi perfectius elevetur, ut latè declaravimus ibi num. 196. & modus ille arguendi per regulam topicam, sicut se habet simpliciter ad simpliciter, ità magis ad magis &c. valet tantùm in causis præcisis, & totalibus, lumen verò non est causa præcisa, & totalis visionis, quasi sit tota ratio illam producendi, sed etiam procedit suo modo ab intellectu elevato, qui ex se talis est, ut semel hoc lumine instructus, & elevatus petat producere visionem cum tali, vel tanta expressione, & intensione, cum qua illum non produceret alius intellectus imperfectior, sed cum minori, & gratis omninò concedimus ultimam consequentiam, quod nullus excessus perfectionis potest in visione constitui, qui respondeat naturali virtuti, & ab ea efficienter, & præcisè emanet, quia non producitur talis intensior actus, & quoad ullum gradum à virtute naturali intellectus nudè sumpta, sed elevata per lumen, quod etiam cum potentia talem intensionem attingit, per quem influxum supernaturalitatem quoque illi gradui intensiori communicat, & cùm actus ille procedat indivisibiliter à toto conjuncto,

juncto, sunt enim intellectus, & lumen causæ partiales visionis partialitate causæ, non partialitate effectus, nonpotest assignari aliquis gradus procedens à potentia, & non ab habitu, & ideò actus ille secundùm se totum est supernaturalis ratione non tantùm objecti, sed etiam ratione potentiæ habitu supernaturali informatæ, & elevatæ, ut ibi fusius declaravimus.

Ad Confirmationem jam diximus q. cit. ar. 1. in fine etiam in hac sententia beatitudinem esse mercedem correspondentem propriis meritis in adultis, & dari majorem, vel minorem pro ratione meritorum, adeout non detur minor unquam, quàm sit meritorum dispositio, non tamen semper opus esse totam habere rationem mercedis, & præmii proprii laboris, totamque correspondere meritis propriis, nam secundùm aliquem gradum potest etiam correspondere meritis Christi, etiam secundùm illum, qui dicitur correspondere majori activitati intellectus, ut ibi fusius declaramus, quarè ad argumentum neganda est consequentia, quia semper verum erit dicere in aliquo sensu, quod beatitudo datur propter merita, & cum proportione ad merita, vel propria, vel Christi nobis appropriata. Ad ultimum negatur consequentia quoad secundam partem, quia ut diximus q. cit. art. 2. n. 211. non ob id diceremur operari ultrà vires à Deo datas, quasi gradus ille correspondens majori connatui potentiæ sit à sola natura auxilio gratiæ destituta, quia etiam & ille gradus esset à potentia elevata per gratiam, & in eum influeret gratia cum potentia, quia ut ibidem diximus habitus cum potentia potest influere in actus intensiores seipso.

35 Postremò quæritur, an beatitudo hominum sit minor beatitudine Angelorum, & sensus quæsiti est, an inter homines, & Angelos ità sit inæqualitas beatitudinis, ut quilibet Angelus perfectiorem habeat beatitudinem, quam quilibet homo. Div. Th. p. 1. q. 108. refert opinionem quorundam antiquorum, qui dixerunt homines nullo modo ad æqualitatem beatitudinis Angelorum transferri posse, quorum fundamentum erat, quia Angelis data fuit gratia juxtà perfectionem naturæ, natura autem angelica perfectior est natura humana; ergò &c. Oppositum tamen docent Scholastici omnes 2. dist. 9. & D. Tho. l. c. a. 8. & par. 2. q. 4. a. 5. & est etiam communis sententia Patrum, D. Augu. epist. 111. Hieronymi in Ezechiel cap. 12. Chrysost. homil. 24. in Joan. & hom. 12. ac etiam aliorum, qui Joannem Baptistam dicunt in beatitudine æqualem esse omnibus Angelis etiam supremis, ut D. Bernardus serm. de excellentia Joannis, Petrus Chrysologus serm. 127. & alii, difficultas modò est de certitudine hujus sententiæ, aliqui enim putant esse de fide, & hæreticum esse non excipere Christum, & B. Virginem, ut Coninchius p. 1. q. 9. art. 5. alii verò dicunt, temerarium non esse sentire, omnes Sanctos excepto Christo Domino, & B. Virgine, habere beatitudinem omnibus Angelis inferiorem quamvis aliquid temeritatis sapiat Apostolos etiam non excipere. Ità Beccanus quæst. 108. art. 8. Communior, & probabilior sententia docet hoc in primis certum esse, & de fide beatitudinem Christi omnibus aliis esse perfectiorem, & ità etiam docet Scot. 3. d. 13. q. 3. ubi ait voluntatem Christi perfectius frui Deo, quàm voluntatem cujuslibet Angeli, licet ex natura rei voluntas Angeli perfectius frueretur. Deindè certum est, ac de fide B. Virginem perfectiorem habere beatitudinem omnibus sanctis hominibus, & Angelis excepto Christo, ut docer Suarex to. 2. in 3. par. disp. 21. sec. 3. ubi etiam affirmat ejus beatitudinem esse majorem omnibus gradibus beatitudinis hominum, & Angelorum collectivè sumptis. De S. Joanne Baptista nihil certum habemus ex scripturis; sed solùm præfati Patres dixerunt æqualem esse in beatitudine omnibus Angelis etiam supremis. Argumentum verò factum pro contraria sententia illorum antiquorum, qui dixerunt homines nullo modo transferri posse ad æqualitatem beatitudinis Angelorum, nullius est momenti, cùm hoc pendeat ex voluntate Dei dantis gratiam, & ex gratia possit homo mereri beatitudinem majorem, potest enim Deus hominibus tantam gratiam augere, & merita, ut illis debeatur major beatitudo, quàm Angelis.

QUÆSTIO SECUNDA.

De Visione Beatifica.

36 JAm dictum est quæstione præcedenti beatitudinem essentialem in utroque actu intellectus, & voluntatis consistere, scilicet, visione, & fruitione, quas habent intellectus, & voluntas in patria respectu objecti beatifici, licet principalius in fruitione consistat, quàm in visione ut suprà dictum est art. 2. num. 16. modò pro majori explicatione beatitudinis formalis; ad singulos hujusmodi actus descendendum est, & de iis specialiter discurrendum, & quidem prius de visione beatifica in hac quæstione, & posteà de fruitione in sequenti.

ARTICULUS PRIMUS.

De necessitate luminis gloriæ ad beatam visionem, ac muneribus ejus.

37 PRimò, jam dictum est qu. præced. a. 1. n. 7. & seq. ob supernaturalitatem visionis beatificæ intellectum creatum auxilio aliquo supernaturali indigere, quo confortetur, & elevetur ad claram Dei visionem eliciendam, quod quidem auxilium supernaturale communiter à Theologis lumen gloriæ vocatur, & ob definitionem Concilii Viennensis sub Clemente V. quæ habetur in Clementina *ad nostrum de Hæreticis* diximus omnes fateri ulterius hoc esse certum certitudine fidei. Quamvis autem ob prædictam definitionem de fide sit intellectum creatum ad Deum claré videndum aliquo auxilio, aut lumine supernaturali indigere, non est tamen expressè definitum, quid propriè sit illud lumen, an sit qualitas habitualis inhærens, vel aliquid aliud, seù an sit accipiendum per modum habitus potentiæ inhærentis, an solùm per modum auxilii actualis; & ratio est, quia Conc. Viennense nullo modo intendit determinare controversiam, quæ anteà erat inter Scholasticos, an esset necessarium lumen per modum habitus, & qualitatis permanentis, vel potius auxilii actualis, sed tantùm intendit contrà Beguardos, & Beguinas definire viribus naturæ non posse Deum claré videri, sed esse necessariam Dei gratiam, quod verò id fiat per auxilium, vel per concursum Dei specialem, vel per qualitatem habitualem Concilium non definit, nec determinat; undè licet apud Scholasticos lumen gloriæ necessarium ad intuendum Deum significare soleat habitum quendam supernaturalem per modum qualitatis permanentis in intellectu beato ab ipsa visione diversum charitati correspondentem ex parte voluntatis, adhuc tamen non desunt, qui dixerint de facto intellectum non elevari ad visionem Dei per lumen acceptum per modum habitus, sed tantùm per modum actualis auxilii, itaut per auxilium actuale intrinsecum, & per modum principii elevetur in actu primo, ut sit sufficiens principium in ordine suo ad eliciendam visionem, vel quod elevetur solùm in actu secundo per solum concursum specialem objecti beatifici gratuito sese manifestantis intellectu creato, undè neque etiam desunt Scotistæ, qui dixerint de mente Scoti lumen gloriæ non esse quid habituale, sed solum esse actualem Dei cum creato intellectu concursum in substantiam supernaturalem, ut jam diximus l. 1. sent. disp. 6. cit. qu. 3.

38 Secundò pro resolutione hujus quæstionis de necessitate luminis gloriæ de facto diximus ibidem art. 2. quod licet probabile sit lumen gloriæ non esse quid habituale, sed solùm auxilium actuale, sivè per modum principii potentiam elevantis in actu primo, ut sit proportionata ad actum visionis eliciendum cum objecto, sivè per modum simultanei concursus dumtaxat objecti cum potentia supernaturaliter concurrentis, probabilius tamen esse, ac determinationi Concilii Viennensis consonantius, lumen gloriæ esse habitum intellectui beato infusum, & ordine causalitatis antecedentem ipsam beatam visionem, tanquam principium ejus, quod ibi ex Scoto probavimus, quia actus secundus præsupponit actum primum proportionatum, atque ideò actio supernaturalis præsertim secundùm substantiam, qualem ibi esse diximus visionem beatam, ut connaturaliter fiat, utrumque principium supernaturale postulat, tam, scilicet, concurrens ad eam per modum objecti, quàm aliud concurrens per modum potentiæ; ergo ut visio supernaturalis fiat connaturaliori modo, quàm ejus natura postulat, petit elici à potentia elevata per habitum supernaturalem, ut sit sufficiens principium agendi in ordine suo, in ordine ad actum supernaturalem. Confirmatur, quia etsi actus viæ salutares, scilicet, credendi, sperandi, & Deum super omnia diligendi sint solùm supernaturales secundùm modum præsertim in Scoti sententia, ad eos tamen connaturalius eliciendos dantur habitus infusi, scilicet, fides, spes, & charitas, ut intrinsecè, & in actu primo proportionent potentias ad suos actus supernaturales efficiendos; ergo tanto magis id asserendum videtur in patria, quod intellectus, & voluntatis eleventur per consimiles habitus supernaturales in actu primo, ut sint principia sufficientia in ordine suo ad supernaturaliter agendum, & eò magis quia communiter à Patribus, & Theologis dicitur lumen gloriæ in patria succedere lumini fidei infusæ, quod Beati habuerunt in via, quarè sicut hìc in via lumen fidei infusæ ponitur per modum habitus intellectui inhærenti, sic etiam valdè consentaneum est asserere de lumine in patria. Tandem, quia

etiam

etiamsi ex scripturis, & Patribus non habeamus tantam necessitatem ponendi habitum luminis in intellectu, sicut habemus ponendi habitum Charitatis in voluntate ex Scoto 4. d. 49. q. 11. H. ponendo tamen intellectum activè ad visionem concurrere, ut fert communior opinio, valdè consentaneum est ponere habitum supernaturalem ex parte intellectus, qui charitati correspondeat ex parte voluntatis, ut docet Scotus 3. d. 14. quæst. 1. C. atque ideò sicut asserit idem Doctor. 3. d. 13. quæst. 4. Q. & R. voluntatem secundùm ordinem causarum jam positum non posse frui Deo claré viso sine habitu charitatis talem actum ordine causalitatis præcedentis in ratione principii, idem dicendum de habitu luminis in intellectu, & sicut charitas voluntatem elevare debet antecedenter ex 1. d. 1. q. 4. ad 4. ut actus secundus supernaturalis oriatur à principio ex parte potentiæ proportionato, ut talis actus connaturaliter fiat, sicut ejus natura postulat, ità etiam dicendum est de lumine gloriæ respectu intellectus, atque ita sentiunt major, & melior Scholasticorum pars, ac etiam ex nostris tanquam de mente Scoti Faber, Vulpes, Aretinus, Gallus, & novissimè Brancatus disp. 18. de causis visionis beatæ ex parte potentiæ a. 3.

39 Tertiò, est difficultas, ad quid lumen gloriæ Beatis deserviat, circa quam difficultatem sunt varii modi dicendi, quos sigillatim, & exactè examinamus disp. 6. cit. quæst. 4. per plures articulos, tandem aliis exclusis, & rejectis concludimus art. 4. quod verior, & communior modus dicendi est, lumen gloriæ, quatenus se tenet ex parte potentiæ, non habere alium influxum in visionem, quam concausæ efficientis, & quidem non tantùm quoad modum, & intensionem actus, quasi tantùm conferat ad perfectius, intensiusque videndum, sed etiam quoad substantiam actus, itaut conferat intellectui virtutem activam, & connaturalem ad efficiendum actum visionis constituendo illum in esse agentis supernaturalis, & præstando ei virtutem in ordine suo, non quidem operandi vitaliter, sed supernaturaliter, qua ratione dicitur eum constituere in actu primo completo ad supernaturaliter operandum, quantùm requiritur ex parte potentiæ. Et diximus hanc esse veram, & genuinam Scoti sententiam de munere, & officio luminis gloriæ, supposito quod detur de facto in intellectu beato, per modum qualitatis habitualis, ut fert communis opinio, quam etiam sequuntur Recentiores passim, Molina, Valentia, Suarez, Turrianus, Arriaga, Caspensis, & plures alii, qui lumen de facto ponunt in intellectu beato, ut eum constituat in actu primo, & proportionato ad videndum Deum, quia activitas intellectus est in suo ordine deficiens, & imperfecta, quatenus viribus propriis cum solo concursu generali Dei nequit sibi comparare præsentiam ejus objectivam, & ideò oportet eam elevari per virtutem intrinsecam, ut visio fiat connaturali modo. Hunc autem dicendi modum probamus ibidem non solùm ex aliorum refutatione, sed etiam ratione, ex natura ipsius rei deducta, quia certum est vires naturales intellectus non sufficere ad operationem visionis, ut constat ex determinatione Concilii Viennensis; ergo necessarium est principium aliquod supernaturale, per quod compleatur in ordine suo, ut actus secundus proportionetur actui primo, & connaturaliter eliciatur ab eo, sicut in operationibus fidei, & charitatis dantur habitus, qui sint principium efficiens cum potentia juxtà superiùs dicta, quam rationem fusè loc. cit. prosequimur plures excludendo instantias, & præsertim, quod hæc impotentia naturalis intellectus suppleri sufficienter possit per concursum specialem objecti beatifici, à quo etiam sufficienter habetur supernaturalitas visionis, atque ideò si de facto lumen est necessarium ad Deum videndum, aliud munus illi debere adscribi. Quam instantiam ibi excludimus, quia licet id concedi possit juxtà potentiam Dei absolutam, aliter tamen loquendum est de ordinaria, juxtà quam attenditur connaturalis modus agendi causarum secundarum, quando enim aliqua potentia est incompleta ex se, & insufficiens in ordine suo ad aliquem effectum, & potest compleri per aliquam causam secundam, præsertim se tenentem ex parte potentiæ, connaturalius est, ut ita compleatur, quàm ut Deus cum ipsa concurrat concursu actuali supplente defectum illius alterius concausæ secundæ, eo quod ita videamus in aliis casibus similibus contingere. Cùm igitur intellectus ex se insufficiens sit ad producendam visionem beatificam, quam vis possit immediatè à Deo ad illam elevari concursu speciali objectivo absolutè loquendo, si tamen elevari potest per aliquam qualitatem, quæ sit concausa secunda, connaturalius est, quod ità elevetur, quam quod Deus concursu suo speciali concurrat eum ipso supplendo defectum istius concausæ, quod eo vel maximè dicendum est, quia status beatificus connaturalis est, & ab omni violentia immunis.

40. Quartò quæritur, an lumen illud gloriæ tale sit, vel esse possit, ut non tantùm intellectum creatum, sed etiam oculum corporeum elevare queat ad claram divinæ essentiæ visionem, seù an oculus corporeus lumine aliquo elevari possit ad essentiam ipsius Dei videndam. Hujus difficultatis resolutio deducitur ex jam dictis in lib. *de Anima* disp. 4. quæst. 3. num. 22. ubi diximus absolutè repugnare potentiam materialem tendere in objectum spirituale, & ita colligi ex Scoto 4. d. 49. quæst. 4. A. ubi ait solam potentiam immaterialem posse per operationem suam attingere perfectum bonum, in quo solo, ut in objecto est beatitudo, quare sentit potentiam materialem non posse Deum percipere, & in eodem 4. d. 10. quæst. 9. A. docet Angelum, & substantiam separatam non posse videri oculo corporeo, quia caret illis principiis, quæ requiruntur in aliquo objecto ad actum sensationis, scilicet, quantitate, & qualitatibus sensibilibus, & d. 43. quæst. 2. §. *Respondeo*, & d. 49. quæst. 11. ad 2. idem docet, & hoc etiam diximus ibi manifesta ratione convinci, nam potentia de sua ratione formali ita petit versari circa proprium objectum adæquatum, ut nequeat ab intrinseco extra illud tendere, nam ab objecto adæquato specificatur, & si posset in aliud tendere, vel saltem divinitùs elevari, objectum illud non esset adæquatum, & mutaretur natura ipsius potentiæ, sed potentiæ sensitivæ pro adæquato objecto respiciunt ens materiale, nec quodlibet, sed aliquod tantùm, & determinatè, ut patet; ergò objectum spirituale respicere nequeunt. Tùm quia lignum ex hoc quod nullo pacto vitaliter operatur, arguimus ex propria natura non esse vitaliter operativum, & consequenter neque de potentia Dei absoluta sine mutatione intrinseca naturæ; ergo quia videmus potentias materiales nullo pacto ferri in spirituale, debemus inferre hoc illis ab intrinseco competere, & consequenter neque de potentia Dei absoluta ad id elevari posse. Hoc etiam passim docent SS. Patres dicentes Beatos post corporum resurrectionem oculis corporeis, quantumvis purioribus, & magis elevatis non esse Deum visuros, quorum plures adducit Brancatus noster disp. 17. art. ult. & licet excipiat Augustinum dicens sub dubio id reliquisse l. 22. de Civit. c. 29. & in Commonit. ad Fortunatianum. Abellius tamen p. 1. tr. 2. c. 6. sect. 3. ait Augustinum epist. 111. & 112. ex professo id docere, & probare variis tùm scripturæ, tùm SS. Patrum testimoniis Athanasii, Gregorii Nazianzeni, Ambrosii, & Hieronymi, ac etiam ratione jam adducta, quia nulla potentia sua vitali actione extrà limites objecti sui versari potest, undè si impossibile est per facultatem corpoream visivam percipere saporem, vel sonum, multò magis percipere rem purè spiritualem, qualis est Deus. Tùm quia si Deus visu corporeo, prout est in se, videri posset, magis adhuc posset sensu interno, undè sequeretur ipsa quoque animalia bruta esse beatitudinis capacia, quæ in visione Dei consistit, quod est absurdum.

41 Obiici solent plures scripturæ auctoritates, nam Exodi 12. dicitur Moysen conversatum esse cum Deo à facie ad faciem, & Isaiæ 6. *Vidi Dominum sedentem super solium excelsum, & elevatum.* Job. 19. *in carne mea videbo Deum salvatorem meum*, & alio in loco *auditu auris audivi te, nunc autem oculus meus videt te.* Ratione etiam probatur, quia alia implicantia non adducitur, nisi improportio, sed hæc potest tolli, nam etiam intellectus creatus est improportionatus ad videndum Deum, & tamen ejus improportio per lumen gloriæ tollitur; ergò idem de oculis dici poterit, Deo illos elevante per habitum supernaturalem. Ad has auctoritates jam responsum est disp. 5. cit. *de Anima* q. 3. n. 26. Moysen, & Isaiam Dominum vidisse non in propria natura, sed per apparitionem factam ab angelo in corpore assumpto. Tertia auctoritas intelligi debet de visione, quam habebunt Beati in die Judicii, de quo ibi loquebatur Job, dùm dixit *In novissimo die de terra surrecturus sum &c.* tunc enim Beati conspiciendo Christum videbunt divinam essentiam oculo intellectuali, quod explicatur illis verbis, *In carne mea videbo &c.* & sanctissimam Christi humanitatem oculis corporeis, quod datur intelligi per alia sequentia verba, *& oculi mei conspecturi sunt*, quarè est ibi sermo de Deo humanato, & est expositio D. Aug. l. 22. de Civit. c. 19. ubi ait, Job. non dicere se carne, aut per carnem, ideſt, oculis carneis visurum Deum, sed in carne, hoc est, post resurrectionem resumpto corpore. Quarta vero auctoritas exponitur communiter, non de visione Dei, sed de providentia divina, quam ex his, quæ circà ipsum acciderant agnoscebat, & hanc scientiam experimentalem divinæ providentiæ propter evidentiam vocat oculi visionem, & ait quasi ad oculum cognovisse, cum anteà non nisi auditu, & ex aliorum relatione agnovisset, & si prædicta auctoritas de visione exponatur, de oculo mentis intelligenda est. Ad rationem etiam diximus loc. cit. paritatem non valere, nam licet intellectus creatus sit improportionatus ad Deum videndum in ratione mobilis objectivè, non tamen in ratione activi, quia habet activitatem saltem inchoatam ad videndum Deum, nec habet eam simpli-

simpliciter à lumine, licet ejus activitas ab hoc adjuvetur, & confortetur, & solùm est improportionatus in ratione mobilis objectivè, nam cum Deus sit objectum voluntarium, non potest illum videre, nisi quando vult, at oculus corporeus ad Deum videndum utroque modo est improportionatus, tàm in ratione activi, quàm in ratione mobilis objectivè, quia res spiritualis nullo pacto continetur sub objecto sensus, cum sit prorsus insensibilis ob sui immaterialitatem.

42 Quintò tandem quæritur, an saltem intellectus creatus possit divinitùs elevari ad Deum videndum absque lumine gloriæ. Thomistæ communiter negant posse fieri visionem beatam sine lumine gloriæ habituali, aut aliqua virtute intrinseca intellectui inhærente, & per modum principii eum elevante, & constituente in actu primo. Ità Cajet. Bannes, & Soto, Ferrariensis, Capreolus, Nazarius, Alvarez, Salmaticenses, Jo. à S. Th. & Alii Thomistæ passim. Oppolita sententia communis extrà Scholam S. Thomæ, ut diximus disp. 6. sect. q. 5. asserit lumen gloriæ non esse adeò necessarium intellectui ad videndum Deum, ut implicet contradictionem Deum se solo sine infusione luminis gloriæ, aut alterius supernaturalis qualitatis intellectui inhærentis, sivè habitualis, & natura sua permanentis, sivè quæ sit per modum actualis motionis, & passionis transeuntis, & habeat rationem principii effectivi, elevare intellectum ad visionem beatificam eliciendam per solum concursum specialem extrinsecum. Ità Scot. 3. d. 14. q. 2. art. 2. & cum eo Scotistæ, & Recentiores ferè omnes, quam opinionem latè defendimus q. 5. cit. art. 1. & præcipuum fundamentum est argumentum, quod procedit in omnibus quæstionibus de potentia Dei absoluta; nulla repugnantia cernitur in eo, quod actus supernaturalis à potentia naturali procedat, & ab omni potentia Dei per concursum specialem supplente vices habitus supernaturalis, & cujuslibet alterius principii intrinseci, itaut potentia naturalis elevetur per omnipotentiam illi extrinsecè assistentem, & præstantem concursum æquivalentem illi, qui præstaretur à principio supernaturali intrinseco; ergò poterit actus supernaturalis sic produci. Probatur assumptum excludendo præcipua capita, undè Adversarii implicantiam deducunt; Vel enim repugnantia sumitur ex vitalitate actus, & hoc non, quia actus visionis, quatenus vitalis, satis habet, si procedat à causa vitali, & hoc salvatur non minus cum concursu Dei immediato, quàm cum concursu luminis; Vel sumitur ex supernaturalitate, & hoc non, quia effectus supernaturalis, ut sic, satis habet, si procedat à principio supernaturali, & hoc etiam salvatur in proposito, quia hoc habebit actus ex eo, quod procedat ab omnipotentia, non solùm concursu universali, sed specialiter in illum influente, imò etiam de facto, quamvis supernaturalitas etiam attendatur quoque à Deo specialiter concurrente per modum objecti, cùm magis superet Deus ipse in ratione objecti facultatem potentiæ intellectivæ quàm lumen gloriæ, quod est agens creatum; Vel tandem sumitur repugnantia ex eo, quod potentia naturalis ex se sit improportionata ad supernaturalitatem, & hoc non, quia proportionari potest per comprincipium extrinsecum, quo adjuvari potest, & suppleri defectus virtutis, qui in ea est, & per concursum specialem æquivalentem illi, quo adjuvaretur à comprincipio supernaturali intrinseco, nam ut causa producat, vel producere possit effectum saltem partialiter, opus non est, quod habeat in seipsa totam vim agendi, sed aliquam tantùm, per quam possit alterius causæ consortio effectum attingere. Neque ex eo, quod non ipse solus intellectus agit per integram virtutem, sed simul cum extrinseca causa concurrente, dicendus est visionem non attingere, aut non attingere ut supernaturalem saltem specificativè, nam ut verè dicatur eam attingere, sufficit quod ad eam concurrat per aliquam virtutem sibi intrinsecam saltem inchoatam, & incompletam, & ut dicatur eam attingere, etiam ut supernaturalem specificativè, sufficit ut conjunctim ad eam coagat cum agente supernaturali, & increato secum specialiter concurrente. Objectiones verò, & instantias Thomistarum vide exactè solutas q. 5. cit. a. 2.

ARTICULUS SECUNDUS.

Quid videat in divina essentia intellectus lumine gloriæ illustratus.

43 PRimo, est veritas fidei indubitata omnes Beatos in patria videre Deum, sicuti est in tribus personis subsistentem, hoc est, Dei essentiam, & simul tres personas divinas, & omnia attributa, seù omnes perfectiones formaliter in Deo existentes, saltem quoad perfectionem absolutam, quam important, præscindendo à respectibus rationis, quos quædam attributa fundare intelliguntur, vel terminare comparatione creaturarum, ut solet dici de scientia, omnipotentia, immensitate, & aliis attributis, quatenus fundant respectum rationis ad omnes res scibiles, & possibiles, &c. Probatur hæc veritas in primis ex Scriptura 1. Joannis 3. *Videbimus eum sicuti est*, quæ verba à SS. Patribus passim intelliguntur de visione beatifica, qua Deus videtur, sicut est in seipso. Sed Deus in seipso est unus in essentia, trinus in personis, & omnes perfectiones in se formaliter habet; ergo &c. Confirmatur ex Conc. Florent. ubi definitum est animas justorum in Cœlum recipi, ibique Deum claré intueri unum, & trinum sicuti est, undè sequitur consequenter omnes etiam divinas perfectiones à beatis videri, cum non minus conveniat Deo esse sapientem, justum, misericordem &c. quàm esse unum in essentia, & trinum in personis. Denique probatur ratione, quia visio beatorum terminata ad Deum, nempè ad ejus prædicata quidditativa, absoluta, relativa, & attributalia est intuitiva, ut habetur ex pluribus Scripturæ locis, & definitum est in Const. 4. Benedicti XII. §. 3. ubi ait. *Beatos videre divinam essentiam visione intuitiva, & faciali, nulla mediante creatura in ratione objectivi se habente, sed divina essentia immediatè se nudè, clarè, & apertè ostendente*; sed natura cognitionis intuitivæ quiddi tativè est ferri in rem sicut est in se, in hoc enim differt à cognitione abstractiva, quæ procedit per alienas, & inadæquatas species; ergò necessariò totus Deus, si intuitivè quidditativè videtur, ut est in se per visionem beatificam, debet patere videnti ipsum cum omni perfectione, & cum omni modo perfectionis, & cum formalitate, quæ in ipso est à parte rei. Nec nos turbare debet difficultas de divinis Idæis, quæ à parte rei censentur esse in Deo, & tamen ex vi beatæ visionis à beatis de facto non videntur, etenim non formaliter, ac veluti subjectivè reperiuntur in Deo, sed tantùm objectivè, cùm sint res ipsæ possibiles secundariò cognitæ, ut dictum est 1. sent. dist. 3. *De divino Intellectu* q. 2. de divinis Idæis, ubi de hoc fusè disserimus.

44 Secundò, est difficultas an videntes Deum per essentiam ipsum comprehendant. Pro cujus resolutione Doctores communiter advertunt comprehensionem bifariam usurpari solere, uno modo pro assecutione rei, quam desideramus, & in hoc sensu non est difficultas, sic enim certum est Deum à beatis comprehendi sicut certum est ab ipsis videri, juxtà illud ad Philipp. 3. *Sequor, si quomodo comprehendam*. & 1. ad Corinth. 9. *Sic currite, ut comprehendatis*, & ad Ephes. *ut possitis comprehendere cum omnibus sanctis*, & in hoc sensu Beati in patria appellantur comprehensores, ut à Viatoribus secernantur. Alio modo comprehensio magis propriè sumitur pro adæquata, & exacta objecti cognitione, itaut sit tam perfecta in ratione cognitionis, sicut ipsum objectum in ratione cognoscibilis, & in hoc sensu tunc aliquod objectum dicitur ab intellectu comprehendi, & ejus cognitio comprehensio, quando tanta est intellectivitas in cognoscente, quanta intelligibilitas in objecto, vel major intellectivitas in cognoscente, quàm intelligibilitas in objecto, ut explicat D. Aug. serm. 28. de verbis Domini, & 12. de Civitate c. 27. ubi ait comprehensione circumscribi, & quasi finiri objectum comprehensum, & in hoc sensu procedit proposita difficultas, & in hoc sensu est communis Patrum, & Theologorum sententia Deum esse incomprehensibilem à quocunque intellectu creato, non solùm viribus propriis, sed nec etiam quantumcunque elevato per gratiam. Ità D. Th. D. Bonav. & Scotus 3. dist. 14. q. 2. ad 2. prin. ubi ait, quod nullus intellectus creatus, nec etiam intellectus animæ Christi videns clarè, & intuitivè Verbum ipsum comprehendit, quia intellectus creatus non commensuratur Deitati, & addit, quod etiam si videret in Deo quodcunque visibile, non ob id eum comprehenderet. Deducitur hæc veritas ex pluribus Scripturæ locis, ut ex illo Hieremiæ. 22. ubi Deus dicitur *Magnus consilio, & incomprehensibilis cogitatu*, & ex illo Pauli 2. ad Rom. *O altitudo divitiarum sapientiæ, & scientiæ Dei, quàm incomprehensibilia sunt judicia ejus*, & aliis similibus passim, & ità diffinitum fuit in Concilio Later. ubi dicitur. *Credimus, & simpliciter confitemur unum esse Deum, infinitum incommutabilem, & incomprehensibilem*. Ratio deducitur ex Scoto l. c. quia comprehensio rigorosè sumpta requirit adæquationem intellectionem intelligentis, & intelligibilitatem objecti intelligibilis, sed hanc adæquationem impossibile est intervenire inter finitum, & infinitum, quia ut Aug. cit. ajebat. *Quod comprehenditur finitur à comprehendente*, est autem impossibile objectum infinitum totaliter finiri, & quoad omnem suam intelligibilitatem ab intellectu finito, etiam quantumcunque per gratiam elevato, quia nullus intellectus creatus, quantumvis ad intelligendum elevetur, virtutem intelligendi accipere potest, nisi finitam simpliciter, nec nisi per intellectionem creatam intelligere potest, quæ proindè est etiam perfectionis, & repræsentationis simpliciter finitæ, & ideò rem simpliciter infinitam, qualis est, Deus comprehendere non potest.

45 Dices,

45 Dices, Beati ità clarè, & quidditativè Deum cognoscunt, ut nihil, quod in Deo sit, eos lateat; ergò verè Deum comprehendunt, tunc enim aliquod objectum comprehendi dicitur, quando secundùm omnia, quæ habet in se, à vidente attingitur, & cognoscitur. Respondetur negando consequentiam, quia ad comprehensionem Dei præter cognitionem omnium perfectionum, quæ formaliter in eo existunt, requiritur ulterius in sententia præsertim Thomistarum, ut cognoscantur omnia, quæ in ipso virtualiter, & eminenter continentur, seù illa omnia, quæ ab ipso extrà se produci possunt, nec adhuc hoc sufficit ad Dei comprehensionem, sed insuper requiritur, ut ipsa divina essentia cum illis omnibus, quæ formaliter, vel eminenter in ea continentur, tam perfectè cognoscatur, quàm in se cognoscibilis est, ita quod cognitio sit adæquata objecto, idest, quod in intensione, & claritate cum illo proportionem habeat, quæ proportio in eo consistit, ut jam diximus, quod cognitio sit tanta, quantam in se requirit objectum, quod per illam cognoscitur, & quia talem cognitionem nullus intellectus creatus potest habere respectu divinæ essentiæ, quæ natura sua cognosci, & attingi petit alia majori, & majori, imò & infinita cognitione, ideò cognitio creata dari nequit, per quam divina essentia comprehendatur. Dices; ergo Beati Deum non vident, ut est in se, sed aliter ac est in se, siquidem in se est infinitus, & visio Beatorum, quæ tendit in illum, est finita. Respondetur negando consequentiam cum Caspensi disp. 5. cit. sect. 5. *in fine*, nam licet verum sit actum, quo Deus videtur, habere alium modum, quam ipsummet Deum, hoc tamen nullum in cognitione errorem inducit, quia error contingit, quando res cognoscitur aliter, quàm sit in se. Beati autem Deum cognoscunt, & attingunt secundum ea, quæ habet intrinsecè, & prout illa habet, undè sicut Deus non errat, quando per actum infinitum cognoscit objectum finitum, sed adhuc cognoscit illud, ut est in se, ita neque Beati errant, quando per actum finitum objectum infinitum cognoscunt, sed adhuc illum cognoscunt, ut est in se.

46 Tertiò, communis etiam sententia Theologorum est, præter ea, quæ sunt formaliter ex natura rei in divina essentia ut sunt personæ, relationes, & attributa, Beatum etiam videre aliqua, quæ dicuntur esse in Deo virtualiter tamen, & eminenter, quales dicuntur esse creaturæ tam possibiles, quàm futuræ, sic etiam passim docent SS. Patres, quod nimirum Beati in patria videntes Deum, vident in ipso tanquam in objecto cognito, & primario visionis beatæ creaturas possibiles, & etiam existentes pro beneplacito divinæ voluntatis, & pro inæqualitate meritorum. Ita expresse docet D. Augustinus 4. super Genes. ad litt. cap. 29. ubi in Beatis duplicem affirmat dari creaturarum cognitionem, unam matutinam, alteram vespertinam, matutinam appellat cognitionem creaturarum in Verbo, vespertinam verò eam, quæ habetur in proprio genere, & per proprias species de creaturis, & ita etiam discurrit lib. 11. *de Civit. Dei* cap. 29. ubi enumeratis variis creaturarum cœlestium, & terrestrium speciebus, subdit, quod *omnia hæc aliter in Verbo Dei à Beatis cognoscuntur, ubi habent causas, rationesque suas, secundùm quas facta sunt, incommutabiliter permanentes, aliter in seipsis, illic clariore, hìc obscuriore cognitione*, sic etiam discurrit Div. Bernardus lib. 5. *de Consid.* cap. ubi de Beatis inquit, quod *vident Verbum, & in Verbo facta per Verbum*. & hoc etiam ratio ipsa suadet, quia visio beatifica est quædam participatio visionis illius increatæ, qua Deus seipsum, & creaturas cognoscit; sed Deus in essentia sua videt creaturas secundùm esse proprium, quod in seipsis habent, vel habere possunt; ergò censendum est Beatos quoque eodem modo creaturas aliquas in essentia divina videre posse, & de facto videre. Solùm difficultas est circa modum, quo Beati creaturas in Deo cognoscant, an, scilicet, tanquam in causa, vel tanquam in speculo, & specie expressa rerum omnium repræsentativa, vel potius tanquam in Idæa, & specie impressa eminentiali omnium creaturarum, ìtaut sit præcisè ratio cognoscendi creaturas, non autem medium cognitum, in quo creaturæ cognoscantur; sed quoniam in hac difficultate servata proportione discurrendum est de intellectu beato, sicut discurritur de intellectu divino quemadmodum 1. sent. disp. 3. quæst. 1. artic. 1. diximus divinum intellectum videre cuncta possibilia in essentia sua nullo ex præfatis modis, sed tantùm tanquam in objecto primario, & medio prius cognito, modo ibidem explicato, ita in proposito dicendum de intellectu beato, cum hac tamen differentia, quod comparatione divini intellectus essentia est omninò naturaliter illimitata ratio objectiva cognoscendi possibilia, quatenus verò supponit decreta divinæ voluntatis, est ratio cognoscendi determinatè futura, cæterum comparatione intellectus creati simul dicitur ratio cognoscendi possibilia, & futura, quatenus illius est præcisè motiva libere per actum liberum divinæ voluntatis. Ità discurrimus d. 6. cit. *de Visione beata*, quæst. 6. ab initio, ubi etiam aliam difficultatem enodamus, an Beati distinctis actibus videant divinam essentiam cum suis perfectionibus, ut objectum primarium, & creaturas possibiles, ac futuras, ut objecta secundaria, an potius eadem visione beata, qua Deum vident, cognoscant etiam in ipso Deo creaturas possibiles, & futuras.

47 Quartò, notanter diximus præter ea, quæ sunt formaliter ex natura rei in divina essentia, ut sunt personæ, relationes, & attributa, Beatum etiam videre aliquas creaturas, quia de facto Beati non vident in Deo omnia creata, vel creabilia, quæ videt Deus, ut docent D. Th. D. Bonav. Scotus, & alii Theologi passim 4. d. 49. & deducitur ex pluribus Scripturæ locis, ut Matth. 24. de die judicii habetur. *De illa die, & hora nemo scit, neque Angeli Cœlorum, nisi solus Pater*, & 1. Corinth. 2. *Quæ sunt Dei nemo cognovit, nisi spiritus Dei*, & aliis similibus, & sic etiam loquuntur SS. Patres. Est tamen difficultas, an saltem de possibili possit Beatus aliquis videre in Deo omnes creaturas etiam possibiles. Prima sententia, & communis in Schola Thomistarum negat, quia hinc sequeretur quod talis Beatus Deum comprehenderet, quod probant, quia taliter cognoscere causam, ut omnes effectus in virtute illius contenti pariter cognoscantur, esset comprehendere causam; sed repugnat Deum ab intellectu Beato comprehendi; ergò nec de facto est, nec possibilis talis visio Dei, per quam omnes possibiles creaturæ in Deo viso cognoscantur. Ità D. Th. p. 1. q. 12. a. 8. & ibi Thomistæ omnes. Secunda sententia affirmat. Ita Scot. q. 3. Prologi AA. ubi ait possibile esse quod Beatus videat omnia creata, & creabilia, quæ relucent in Deo, si Deus ea illi ostendat, & in 3 d. 14. q. 2. lit. H. docet intellectum animæ Christi de facto videre omnia, quæ Verbum videt, qua de causa plures Scotistæ non solùm id asserunt de possibili pro quocunque intellectu beato, verum etiam de facto id asseverant de intellectu animæ Christi, quod, scilicet, videat omnia, quæ Verbum videt, tam scientia naturali, quàm libera, quia sicut monet Doctor 3. d. 13. q. 4. §. *Quantum ad* 2. q. & Augu 3. *de* lib. arb. *Quicquid tibi vera ratione melius occurrit, scias hoc Deum magis fecisse, quàm non fecisse*, præsertim circà humanitatem à Verbo assumptam, quarè si hoc verè rationi non repugnat, nedùm id negandum non erit omnipotentiæ Dei, sed præterea id etiam asserendum erit de facto de sacra Christi humanitate, quia in commendando Christum potius debemus excedere, quàm deficere à laude sibi debita, si propter ignorantiam in alterum incidere oporteret, ut ait Doct. l. c.

48 Ratio autem deducitur ex dictis, quia quod visio beatorum non sit perfecta, & rigorosa comprehensio, non provenit ex eo, quod non attingat omnem perfectionem in Deo formaliter existentem, quia Beati vident Deum, ut est in se, & consequenter omnes perfectiones, quæ sunt in eo realiter, aliàs non cognoscerent, ut est in se. Neq; provenit ex eo, quod non attingat omnia, quæ virtualiter sunt in Deo, quia ut diximus l. 1. sent. disp. 7. de Sanctissima Trinitate, Verbum divinum procedit ab intellectu Patris ex perfectissima cognitione divinæ essentiæ, & tamen pro eo signo creaturæ non cognoscuntur, aliàs Verbum ex vi suæ productionis esset etiam Verbum creaturarum, & sicut agnoscit pro partiali principio *Quo* essentiam, quam exprimit, & cujus est Verbum, ita pro sui principio creaturas quoque angosceret, quod est absurdum, ut fusè discurrimus l. c. Sed præcisa ratio, cur visio beatorum non sit perfecta, & adæquanta comprehensio, est quia non adæquatur, neque commensuratur cum intelligibilitate divinæ essentiæ visæ, ut ait Scot. 3. d. 14. q. 2. M. neque intellectus adæquatur objecto, sivè enim videatur infinitum intensivè, sivè infinitum extensivè, intellectus semper est finitus, & actus etiam finitus, comprehensio autem requirit, ut tanta sit intellectivitas in intelligentes quanta intelligibilitas in objecto, quod in proposito casu non accideret, quia intellectivitas semper finita esset. Confirmatur, quia, ut arguit Doctor lo. c. §. *Contrà rationem*, si quis non potest ex distincta cognitione subjecti illud comprehendere, tantò minus illud comprehendet ex cognitione passionis illius; sed infinitas in Deo intensiva est subjectum, & infinitas extensivè creaturarum est veluti passio, & cognoscens infinitatem Dei illum non comprehendit, ut suprà dictum est; ergo neque si cognoscit infinitam multitudinem creaturarum possibilium, illum comprehendet. Ex qua doctrina solvitur fundamentum oppositæ sententiæ, quia ad comprehensionem Dei, ut dictum est, præter cognitionem omnium perfectionum, quæ in eo formaliter existunt, ac etiam eorum omnium, quæ in ipso sunt virtualiter, & eminenter, requiritur ulterius, ut ipsa divina essentia cum illis omnibus, quæ formaliter, vel eminenter, in se continet, tam perfectè cognoscatur, quàm in se cognoscibilis est, quod solius Dei proprium est.

49 Postremò, accedit ex dictis disp. 6. cit. quæst. 9. ubi hanc controversiam ex professo discurimus, quod in rigore loquendo

do de natura comprehensivæ cognitionis ad comprehensionem alicujus objecti minimè necessaria est cognitio eorum, quæ in objecto continentur eminenter, & virtualiter, ut ibi fusè ostendimus a. 1. ex jam dictis disp. 6. *de Anima* quæst. 12. & quamvis prædicta Thomistarum ratio in causis univocis locum habere posset, ubi causa non superat effectus ab ea producibiles, ipsa quoque perfectissimè cognoscitur, quia effectus illi suam virtutem, & perfectionem adæquant, in causis tamen æquivocis nullatenus locum habet, cum enim istæ valdè excedant totam effectuum universitatem ab ea producibilium, etiamsi omnes isti attingatur, non adhuc ita perfectè causa cognoscitur, quantum cognoscibilis est, quia omnes illi effectus etiam simul sumpti totam virtutem, & perfectionem causæ adæquare non valent, sicut Solem neutiquam comprehenderet, qui omnes effectus ab ipso producibiles cognosceret, cum adhuc restaret solè ipsum cognosci in gradu perfectionis, quo omnes illos effectum superat. Sed Deus est causa æquivoca creaturarum; ergo etiam si omnes creaturæ non solùm existentes, sed etiam possibiles viderentur in Deo, adhuc ipse non comprenderetur. Dices, utique ad comprehensionem Dei non sufficere, ut attingatur omnia virtualiter, & eminenter in ipso contenta, sed etiam agnosci debere quæcunque in ipso continentur formaliter, & ex natura rei; tunc enim adæquatè omninò cognosceretur, quantum cognoscibilis est, etiamsi sit causa æquivoca respectu effectuum ab ipso producibilium. Sed hæc quoque evasio ibidem præclusa est nu. 252. nam si cognitio omnium effectuum ab ipso producibilium non sufficit ad ejus comprehensionem, ut conceditur; neque etiam cognitio omnium, quæ in ipso formaliter, & ex natura rei continentur, nam de facto Beati hæc omnia vident, nec tamen Deum comprehendunt; ergo neque etiam tota cognitio ex illis duabus integrata, aut eis æquivalens foret comprehensio, quia duæ cognitiones finitæ etiam conjunctæ non faciunt unam infinitam, sicut nec duæ quantitates finitæ simul junctæ quantitatem infinitam constituere possunt. Plures alias objectiones, & implicantias Thomistarum vide solutas loco citato.

ARTICULUS TERTIUS.

Quas creaturas de facto intueantur Beati.

50 PRimò, cùm certum sit ex dictis art. præced. Beatos, non tantùm Deum, sed etiam alia plura præter ipsum cognoscere, non tamen omnia, sed aliqua tantùm in ejus essentia, sivè per speciales revelationes, aut alio modo, modò inquirendum est, quænam sint illæ res, quarum cognitio in statu gloriæ illi convenit, & in primis SS. Patres, ac Theologi communiter docent, quemlibet Beatum omnia, & singula fidei nostræ mysteria clarè, & perfectè cognoscere, quod expressè deducitur ex Apostolo 1. Corint. cap. 13. ubi loquens de fidei nostræ mysteriis inquit. *Videmus nunc per speculum, & in ænigmate, tunc autem facie ad faciem*, quod explicans D. Augustinus lib. 20. de Civit. cap. 1. ait: *Quid videbimus, nisi Deum, & omnia illa, quæ nunc non videmus credentes, hìc credimus, illic videbimus*, & in libro de diligendo Deo inquit; *Quod hic crediderunt, ibi videbunt.* D. Gregorius lib. 18. Moral. cap. ult. in fine: *Hæc visio nunc fide inchoatur, sed tunc in specie perficietur, & quæ per ora prædicantium quasi per decurrentia flumina sumimus, tunc in ipso suo fonte bibemus.* D. Paulinus Nolanus Episcopus epist. 12. ad Severum inquit: *Tunc revelanda nobis cum specie videbimus, quæ nunc per fidem prævidemus, itaque hìc seminamus, & ibi metemus.* Prosper Aquitanicus lib. 1. de vita Contemplativa cap. 4. sic pariter discurrit: *Hæc est vita beata, ad quam qui pervenerint, Beatis Angelis similes erunt, quod hìc crediderunt, ibi videbunt sui Creatoris substantiam contemplantes*, & sic etiam plures alii SS. Patres loquuntur; ergo nedùm quæ attinent ad objectum primarium, sed etiam quæ ad secundarium, si in via credita sunt, ubi videbuntur. Et hoc tandem etiam ratio ipsa suadet, quia ratione justitiæ distributivæ præmium merito respondere debet, ac ei proportionari, sed fidei meritum in eo præsertim consistit, quod propter auctoritatem, & veracitatem Dei revelantis firmiter omnia illa credantur, quæ obscura sunt, & inevidentia; ergò fidei præmium, ut ejusdem merito correspondeat, in eo consistere debet, ut omnia illa in patria evidenter, & clarè cognoscenda proponantur, quæ hìc in via obscura erant, ac inevidentia.

51 Secundò, conveniunt Theologi, quemlibet beatum omnes rerum species, & genera, & plura etiam talium specierum individua, quæ facta sunt, vel facienda, item omnia scientiarum naturalium objecta cognoscere, seù ea omnia perfectè scire; quæ ab homine, vel Angelo sciri possunt naturaliter; ità Doctores communiter, & præsertim Divus Thomas p. 1. quæst. 12. a. 8. ad 4. ubi docet desiderium rationalis creaturæ esse ad sciendum omnia illa, quæ ad perfectionem intellectus pertinent, & hæc sunt species, & genera rerum, & rationes earum, quæ in Deo videbit quilibet videns essentiam divinam; idem docet q. 94. art. 3. eo quia non minus credibile est Deum cuilibet Beatorum communicare perfectam rerum omnium scientiam, quàm communicaverit Adamo in statu innocentiæ, cum status gloriæ longè sublimior, & perfectior sit illo.

Confirmatur ex Origene in psal. 36. homil. 5. ubi ait, quod non erit aliquis imperitus in Regno Dei, non indocilis permanebit, nullus erit à rerum scientia peregrinus, omnes efficiemur, si tamen merebimur, discipuli sapientiæ; sicut homo hìc positus instruitur, & imbuitur in his, quæ potuit in carne positus attingere, ibi jam illuminabitur perfectioribus disciplinis, & ea, quæ hìc studio, & labore quæsita sunt ad compendium futuræ inibi institutionis accedet, ità Origenes loco citato, quæ licet intelligi possint de cognitione creaturarum in proprio genere, tamen ut etiam Brancatus noster advertit disp. 19. articul. 9. non videtur modo ejus loquendi consonum, quia dicit hæc esse scienda ab iis, qui erunt discipuli sapientiæ, idest, à Deo Magistro revelante, & in se illa ostendente intelligent. Denique id etiam ratio ipsa suadet, quia cum beatitudo sit status omnium bonorum aggregatione perfectus postulat, ut intellectus beati ea omnia cognoscat, quæ ad naturalem ejus perfectionem requiruntur, & ad explendum appetitum sciendi rectæ rationi consentaneum, talis autem est rerum omnium naturalium cognitio. Et idem etiam deducitur ex successione visionis ad fidem quia Beati in via crediderunt hunc mundum esse à Deo conditum, ipsumque Cœli, & Terræ, visibilium omnium, & invisibilium esse Creatorem; cùm ergò fides evacuanda sit, eique clara visio succedere debeat in patria omnium creditorum in via, quicunque credidit genera, & species rerum omnium, quæ in Genesi referuntur, eadem quoque videbit in statu beatitudinis constitutus, & perfectè sciet, aliàs minus videret, quàm credidisset.

52 Tertiò, conveniunt præterea Theologi Beatos de facto videre in Verbo, hoc est in essentia divina quæcunque pertinent ad statum cujuscunque beatificum, idest ea, quæ ad ipsos pertinent, vel ratione personæ aut status, dignitatis, officii, vel aliquo alio titulo. Ità D. Thomas lib. 3. contra Gentes c. 59. & de Verit. quæst. 8. articul. 4. D. Bonaventura 4. dist. 45. part. 3. quæst. 2. & 3. Scotus 4. dist. 45. quæstion. 4. lit. H. & alii Scholastici ibidem, qui etiam unanimiter dicunt ad statum singulorum beatorum ea spectare, quæ ita eorum curæ, & diligentiæ sunt commissa, ut ipsis ea gubernare incumbat, undè Angelis Custodibus ea omnia nota esse debent, quæ ad homines spectant, quos singuli regunt, ut suum ministerium perfectè, & cum omni diligentia exequi possint. Item ad statum cujuscunque Beati omnia illa pertinere, quæ dum talis Beatus erat in via, speciali modo ab ipsis instituta fuere, vel eorum gubernationi erant subjecta, quia nimirum deinceps etiam in statu beatitudinis earundem rerum cura ipsi convenit. Et exemplum afferri solet de Patre familias quantum ad ea, quæ deinceps in domo sua contingunt, nam ratione talis curæ spectat ad ipsum cognoscere filios, consanguineos, & amicos, & alia hujusmodi, ut in casu necessitatis à Deo impetrare possit quæcunque opportuna sunt, pro bono domus, & familiæ regimine, & similiter discurri solet de fundatore alicujus Ordinis quoad ea, quæ tractu temporis in eodem Ordine eveniunt. Item ad statum cujuscunque Beati pertinere dicuntur, quæ ad ipsum spectant dum existit in patria; qualia sunt cultus, & honor, vota, & preces, quæ diriguntur ad ipsum à Viatoribus. Hæc autem veritas deducitur ex illis D. Petri verbis epist. 2. capit. 1. *Dabo operam, & frequenter habere vos post obitum meum, ut horum memoriam faciatis*, quibus verbis curam, & sollicitudinem significat, quam in statu gloriæ servaturum se dicit pro fidelium salute, undè deducitur Divum Petrum, ut potè primum, & summum post Christum Ecclesiæ Pastorem in statu beatitudinis omnia cognoscere, quæ ad eorum salutem spectare possunt, & hujusmodi cognitionem ratione officii ei competere. Confirmatur ex Concilio Senonensi in decretis fidei ca. 23. ubi damnantur Hæretici, qui dicebant Sanctos à nobis orari non debere, quia nostras orationes non cognoscunt, & inquit: *Eum facilè intellecturum, quàm id falsum sit, qui non ignorat Sanctis pervium esse illud divinitatis speculum omniforme, in quo quicquid eorum interest, illucescat.* Tandem id quoque ratione suaderi potest evidenti, quia Beatus est, qui habet quicquid vult, & nihil mali vult ex D. Augustin. 13. de Trinit. capit. 5. sed verisimile est, quod Beati velint videre in Deo, quæ ad suum statum pertinent, dignitatem, officium, &c. quæ in vita habuerunt, ut Religionum institutores, Patres familias, ut sciant, quæ in Religione fiunt, quid à filiis, & amicis, consanguineis, &c. &

&c. & hoc velle malum non est; ergo probabile est quod ista videre à Deo petant, & de facto videant, ut ad suum statum pertinentia.

53 Quartò est difficultas, an Beati cognoscant orationes, quas offerimus; quam Scotus tractat. 4. dist. 45. qu. 4. pro cujus intelligentia advertit dupliciter intelligi posse, quod Beati videant orationes à nobis oblatas, primò in genere proprio, ut si ad nos accederent in debita distantia; alio modo in Deo, quia nimirum Deus nostras orationes eis manifestat, & in hoc sensu proponitur quæstio, an scilicet, Beati videant in Deo orationes fidelium. Dixerunt olim Hæretici quidam nostras orationes à Sanctis non cognosci, eosque proindè à nobis non debere orari; ità Vigilantius, contrà quem scripsit D. Hieronym. lib. contrà Vigil. cap. 3. idem dixerunt Uvaldenses, quem errorem renovavit quoque Lutherus in Dom. 7. post Trin. & in cap. 9. Ecclesiastes, & in Jonam; Catholica sententia docet Sanctos esse invocandos, & pro nobis apud Deum preces fundere, ideoque orationes nostras cognoscere; ita semper in Ecclesia Dei traditum fuit, & in Concilio Senonensi de fide definitum loc. cit. ac etiam posteà in Conc. Trident. sess. 25. in decreto de invocatione Sanctorum, ita etiam docent Scholastici omnes 4. disp. 35. D. Thomas, D. Bonav. & Scotus præsertim ibid. loc. c. ubi inquit, quod licet non sit de ratione beatitudinis, ut Beati videant in Deo orationes nostras, quia non est aliquid quasi necessaria sequela beatitudini. Neque quod revelentur, quia neque talis revelatio necessariò sequitur beatitudinem, quia tamen congruum est Beatum esse coadjutorem Dei in procurando salutem electi eo modo, quo hoc sibi competere potest, & ad istud requiritur sibi revelari orationes nostras specialiter, quæ sibi offeruntur, quia illæ specialiter innituntur meritis ejus, tanquam mediatoris perducentis ad salutem, quæ petitur, ideò probabile est, quod Deus beatis revelet de orationibus sibi, vel Deo in nomine ejus oblatis; & hæc Catholica veritas deducitur præsertim ex diversis lyturgiis Ecclesiæ ab initio à SS. Apostolis Petro Romæ, Jacobo Hierosolymis, & cæteris alibi compositis, in quibus supponitur Beatam Virginem Mariam, & cæteros Angelos, ac Sanctos pro nobis orare, ut patet in orationes S. Stephani, ubi sic Deus oratur, *Concede ut is pro nobis intercessor existat*, &c. & in Lytaniis majoribus *Omnes Sancti*, & *Sanctæ Dei intercedite pro nobis*, de quo plura Brancatus noster disp. 19. cit. art. 10.

54 Sed objicies illud Isaiæ 63. *Abraham nescivit nos*, & *Israel ignoravit nos*. Confirmatur, quia Deus solus novit secreta cordis; oratio autem mentalis, quæ maximè est Deo accepta, est hujusmodi; ergo &c. Tandem etiam ratione suadetur, quia oportet Beatos orationes nostras cognoscere, nisi ad hoc, ut orent pro nobis; sed consequens est inconveniens, quia non sunt in statu meriti, ergò non possunt orare nobis, quia in oratione per se meritum constitit. Has objectiones solvit Doctor loco citato §. *Ad argumenta*, ad primum dicit, quod Abraham pro tempore, pro quo intelligitur illud Isaiæ fuit in Lymbo, & per consequens non beatus, & ideò nescivit filios suos Judæos habitantes in terra Israel, quia nec notitia naturali intuitiva, quæ impeditur per immoderatam distantiam, nec notitia revelationis specialis, quia non habuit visionem illam in Verbo, quam concomitatur regulariter talis revelatio, non ergò concludit de beatis, quibus in Verbo regulariter revelantur, quæ ad eos spectant.

Ad Confirmationem, ait dictum illud, quod solus Deus novit abscondita cordis, verum esse universaliter, & ex propria virtute, & perfectione, ità quod impossibile est, quod per aliquod impediens hoc sibi lateat; hìc autem non loquimur de propria virtute Beatorum, sed de revelatione facta in Deo, addit Doctor, quod etiam solus Deus novit abscondita cordis, ut judex universalis omnium talium occultorum, quo modo nec Angeli boni, nec mali, nec animæ separatæ noverunt. Ad ultimum dicit, quod oratio nostra nunc duplicem habet effectum, unum quia est meritoria oranti; alium quia ex hoc, quod specialiter dirigitur pro alio, meritoria est illi, pro quo offertur, & primo modo beati non habent orationem, sed secundo modo. Nec est inconveniens aliquem, qui jam est in termino quoad se per orationem mereri alteri, videmus enim in politiis, quod is qui assecutus est summum dignitatis gradum, licet nihil possit sibi apud Regem amplius mereri, potest tamen aliis, præsertim quando ipse Princeps vult quidpiam aliàs indigno per intercessionem ejus, qui est illi acceptus, cõcedere, sic & Sancti cum jam sint in termino, nihil sibi impetrare, aut mereri possunt, sed benè nobis viatoribus indignis exaudiri. Quod autem ob merita Sanctorum hominum etiam ex hac vita Defunctorum multa beneficia Deus aliis contulerit, universa Scriptura testis est. Aliter etiam respondet Doctor, & quasi redit in idem, quod sicut impetrat Beatus aliis, non sibi, ità causat meritum aliis, non sibi oratio enim sua est dispositio de congruo, ut propter eam Deus concedat illud, quod impetrat illi cui petit, & ista est meritum, non istius pro se, sed pro illo, cui redditur, quod huic merito quasi pro præmio proximo correspondet.

55 Quintò tandem est difficultas, an Beati videant pœnas damnatorum, quam movet Scot. 4. d. 3. quæst. 3. & ait difficultatem non esse, an eas cognoscant in genere proprio, quia ad hujusmodi cognitionem habendam requiritur distantia debita inter intellectum, & objectum, non est autem distantia proportionata inter potentiam existentem in Cœlo empireo, & objectum existens in Inferno, quarè sola difficultas est de cognitione matutina, seù supernaturali, ac in Verbo. Et pro resolutione in primis communis est Theologorum sententia Beatos videre in Deo pœnas damnatorum, ut patet ex Lucæ 16. ubi habetur, quod Abraham in requie existens divitem damnatum vidit in pœnis positum, quem locum declarans Sanctus Greg. l. 4. Dialog. cap. 33. docet Beatos cognoscere etiam damnatorum pœnas, quod etiam affirmat Beda in idem cap. 16. Lucæ, & rationem talis visionis assignans inquit. *Ut hinc eorum gaudium crescat, quia malum conspiciunt, quod misericorditer evaserunt*, & ita etiam discurrit Magister sent. d. 59. c. dicens, licet & ità Beati pœnas damnatorum videbunt non per hoc tristabuntur, sed maximas Deo agent gratias, quod ex hujusmodi calamitatibus & tormentis eos liberaverit. Quantum autem ad modum quo Beati pœnas damnatorum in Deo cognoscant, inquit Doctor loco citato distinguendum esse de ipsis pœnis, aliæ enim sunt privativæ, aliæ positivæ, si ergò sermo sit de pœna damni, quæ est carentia divinæ visionis, sivè de culpa, quæ est causa pœnæ, inquit Doctor in divina essentia non relucere, quia cum non sint entia, nec habent in Deo idæam, nec imitanturidæam, quia nec in se, nec in aliquo gradu entis sunt, & ideò cognoscuntur per aliud, nempè per positium, cui opponuntur, dicente Aristotele 7. & 9. Met. quod privatio cognoscitur per habitum: Si autem sermo sit de pœnis positivis, quales sunt pœna ignis, remorsus conscientiæ, & tristitiæ pœnas hujusmodi concomitantes, quia sunt verè entia positiva, & habent idæam in Deo, à Beatis in Verbo cognoscuntur, & talis ideæ nihil est aliud ac ipsa divina essentia, quæ omnium rerum est exemplar illimitatum.

56 Quomodo autem se habeat voluntas Beatorum erga damnatos videntes eorum pœnas, ait Doctor, sub lit. D. non credo quod consolentur absolutè de pœnis eorum, quia nec Deus, qui est Judex inferens pœnam consolatur absolutè, ut patet per Isaiam: *Heù consolabor de inimicis meis*, & alibi: *Nolo mortem peccatoris*, &c. *Vult omnes homines salvos fieri*, &c. Quo circà non punit eos, nisi necessitate quadam, propterea quod aliter culpa remanens justè ordinari nequit, nisi per pœnam; nolunt igitur simpliciter Deus, aut Beati damnatorum pœnas, sed solùm secundum quid, hoc est, propter justitiam, & reordinationem culpæ, imò subdit Doctor, quod si placeret Deo, vellent liberationem eorum, aut saltem non displiceret eis, si solverentur à pœnis, quia nolunt eis pœnam, nisi quatenus ita ordinatum à Deo, & sic patet, quod non acceptant pœnam, ut primum objectum, sed à justitia divina eis inflicta. Sed erit ne tristitia in eis in videndo pœnas damnatorum propter illud nolle? Respondet Doctor, quod non, quia Beati omnia vident in Deo, sicut in primo objecto eorum volito, & volunt, quod Deus vult, vident autem Deum velle pœnas eorum, & intelligere eas, ideò volunt illas intelligere, ut Deus, velle, vt Deus vult eas, & ideò pœna illa non est eis ut objectum nolitum, sed volitum, tamen si placeret Deo, absolutè nollent, nec tamen propter hoc est tristitia in eis, quia eorum voluntas non est capax tristitiæ propter delectationem perfectam, quæ impedit omnem tristitiam, non solùm oppositam, sed quamcunque contingentem; nec est etiam ista nolitio, nisi conditionalis, scilicet, si Deus vellet, & ideò non sequitur tristitia, quia talis nolitio non est sufficiens tristitiæ causa. Ita discurrit Doctor loc. cit. ubi etiam in fine solvit quasdam objectiones in oppositum factas, quæ apud ipsum videri possunt.

QUÆSTIO TERTIA.

De Fruitione Beatifica.

57 ALter actus in quo diximus Beatitudinem principaliter consistere, est fruitio de qua in præsenti quæstione agendum est, & licet frui aliquando delectationem significet, tamen magis proprium significatum ejus est actus amandi objectum propter se, ut docet Scot. 1. d. 1. q. 3. §. *Quod tantùm*, ubi ait, quod frui propriè loquèdo est amore inhærere alicui propter se, & esse actum

actum elicitum voluntatis, delectationem verò esse passionem actum fruitionis consequentem, ut dictum est suprà quæst. 1. art. 3. quæ doctrina est D. August. l. 1. de doctrina Christiana c. 3. ubi ait, quod frui est dilectio finis ultimi, & c. 4 subdit, quod frui est amore inhærere alicui propter seipsum uti verò est, referre id, quod amandum est, undè l. 83. qq. q. 30. inquit, quod *humana perversio est fruendis uti velle; atque utendis frui*, quarè cum uti importet amare aliquid in ordine ad aliud, frui voluptatem seù delectationem formaliter importare non potest, quia per hanc boni non efficimur, sed actum aliquem, quo tales efficimur, & de natura talis actus circa objectum beatificum in præsenti breviter discurrendum est.

ARTICULUS PRIMUS.

Quomodo Beati Deo perfruantur.

58 PRimò quæritur, an fruitio, & delectatio sint de Deo immediatè, an verò de ipsius visione solùm. Circa quod quæsitum Lezana part. 2. tra. 1. disp. 5. qu 3. tres refert sententias. Prima, pro qua Durandum citat, tenet esse solùm immediatè de visione Dei, & non nisi mediatè de Deo, cujus fundamentum est, quia damnati solùm tristantur de carentia visionis Dei, non de ipso Deo; ergò è contrà beati solùm delectantur de visione Dei, non de ipso Deo, nisi solùm mediatè. Secunda sententia oppositа, pro qua citat Scotum, Ocham, Paludanum, Marsilium, Gabrielem, & alios, tenet delectationem solùm esse de Deo, non de visione ipsius, nisi solùm, ut de conditione ipsum Deum repræsentante; cujus fundamentum est, quia delectatio hæc, de qua agitur, est propriè beatifica; ergò immediatè versatur solùm circa objectum proprium beatitudinis, quod est solus Deus. Tertia sententia, quam ipse sequitur plures citans Recentiores, utramque relatam amplectitur, & dicit objectum immediatum delectationis beatificæ esse tam visionem Dei, quàm ipsum Deum, quod inquit sufficienter probari argumentis pro utraque sententia relatis; & fundamentum præcipuum esse, quia visio Dei non comparatur cum ipso Deo, nisi ut finis *quo*, seù *formalis* cum fine *qui*, & objectivo, ideſt, sicut possessio cum re possessa; finis autem *quo*, seù *formalis*, aut possessio rei cum re possessa, qualiscunque ea sit, non facit diversum finem, sed eundem finem completum, & perfectum, cujus signum est, quod unum non movet, neque finalizat, nisi cum dependentia ab alio; ergò utrumque constituit unum proximè, & immediatè fruibile, ac per consequens delectatio tam proximè, & immediatè erit de Deo quàm visione ipsius; & hanc sententiam ait Lezana loco cit. esse communiorem, & probabiliorem.

59 Secundò pro resolutione quæsiti recolendum est ex dictis quæst. 1. hujus Disputationis articul. 3. ab initio, delectationem propriè sumptam non esse cum fruitione confundendam, ut faciunt Recentiores, quia fruitio est actus voluntatis elicitus, delectatio verò est passio actum fruitionis concomitans; & hoc supposito dicendum est fruitionem esse solùm de Deo immediatè, non verò de visione ipsius, nisi solùm ut de conditione Deum ipsum repræsentate, ut dicebat secunda sententia; & ratio est, quia ut docet Scotus 1. distinction. 49. quæst. 4. & alibi frequenter, objectum immediatum fruitionis beatificæ est aliquod increatum nempè divina essentia in tribus divinis personis; sed visio ipsius est aliquid creatum; ergò nequit esse immediatum fruitionis objectum; major constat ex communi Patrum doctrina, undè Divus Augustinus lib. 1. de Trinitatè cap. 8. ait, *Beatitudo est frui Trinitate, & in hoc nostrum plenum gaudium consistit*, & ità etiam definitum est ab Ecclesia in Constit. 4. Benedicti XII. superius relata, ubi ait, quod *Beati nunc vident, & fruuntur divina essentia, & ità fruentur in perpetuum*; fruitio ergò non potest esse de visione, ut de objecto beatitudinis immediato, sed tantùm, ut de conditione Deum ipsum repræsentante. Nec ratio primæ sententiæ urget, magna namque versatur disparitas inter tristitiam damnatorum, & delectationem Beatorum, cum enim delectatio de bono esse debeat, tristitia verò de malo, & Deus in se, & ex se sit summum bonum, nec ut malus, & disconveniens apprendi possit, ideò potest esse immediatum delectationis objectum, non autem tristitiæ, nisi quatenus tale malum causat. An verò visio etiam possit esse immediatum delectationis beatificæ objectum, respondet Scotus 4. distinctione 49. cit. quæst. 4. G. duplicem in beatitudine delectationem esse distinguendam ad æquivocationem evitandam, unam de ipso fine, seù circà ipsum finem, alteram verò de consecutione finis; prior non distinguitur ab ipsa formali consecutione finis, quæ quatenus est assecutio summi boni præsentis, atque in ipso Beato existentis, Beatum summè delectat; undè amor amicitiæ, quem essentialiter beatitudo includit, est ipsamet formalis complacentia, & delectatio de Deo consecuto, posterior verò delectatio distinguitur ab ipso actu consecutio, atque adeò à beatitudine ipsa, quæ in assecutione ultimi finis essentialiter consistit, & hæc utique etiam circà visionem ipsam, tanquam circà immediatum objectum, versari potest; & in hoc sensu tertia opinio potest habere locum.

60 Tertiò quæritur, an fruitio beata sit actus liber, & quomodo. Ratio dubitandi est, quia libertas cum necessitate cohærere non videtur, voluntas autem beati necessariò fruitur Deo clarè viso, quia ut ait Divus Augustin. lib. 13. de Trinitate capit. 8. *Beata vita esse non potest, nisi sit immortalis, & quæ amitti non possit*, quia si posset non frui, posset fieri miser, & peccare; Hoc tamen non obstante conveniunt communiter Doctores actum fruendi Deo esse liberum, & ità præsertim docet Scotus 1. distinctione 1. quæst. 4. §. *Contrà* 3. & 4. distinction. 49. quæst. 6. ubi quærens, an perpetuitas sit de essentia beatitudinis ait, quod actus formalis fruendi, licet sit in æternum duraturus ex Dei extrinseca protectione, & influxu continuo in eum absque concursu ad alia objecta incompossibilia, intrinsecè tamen est actus liber, quia est actus voluntatis, quę est potentia intrinsecè libera, ut enim Divus Augustinus inquit in Enchirid. ca. 73. aut voluntas non est, aut libera dicenda est, & libr. 3. de lib. arbit. ca. 3. Voluntas esse non potest, si necessariò operatur. Tota igitur difficultas quæsiti consistit in explicando, quomodo hic actus liber esse possit, si necessariò à voluntate Beati elicitur, & continuatur; aliqui ad hoc declarandum præmittunt, quod præter libertatem semper cum contingentia connexam, quæ dividitur in libertatem contrarietatis, & contradictionis, seù specificationis, & exercitii, dari debet libertas, quam vocant essentialem, eo quia convenit voluntati, ut sic, & quatenus præscindit à creata, & increata, quæ quidem consistit in simplici dominio, quod habet voluntas suprà suum actum, quæ quidem libertatis species indifferenter se habet ad contingentiam, & necessitatem, & cum utraque compossibilis est, undè hac libertate Deus dicitur liberè amare suam essentiam, & Spiritus Sanctus liberè spirari, licet Deus necessariò necessitate etiam inevitabilitatis se ipsum amet, & pariter Spiritus Sanctus eadem necessitate spiretur, ut fusè docet Scotus quolib. 16. Hac itaque supposita doctrina difficultati propositæ respondent, tam in beatis ad eliciendum actum beatificum, quàm in Christo ad obediendum præcepto moriendi, vel mortem voluntariè subeundi, libertatem quidem inveniri, non quidem primi generis, quæ est defectibilis, & propria creatæ voluntatis semper cum contingentia connexa, & cum indifferentia agendi, & non agendi stantibus necessariò requisitis, sed libertatem secundi generis omni voluntati creatæ, & increatæ communem, quæ est ad unam contradictionis partem, scilicet, ad agendum, quæ præcisè consistit in ipsius actionis dominio, ut Scot. declarat quolib. 16. cap. quatenus voluntas non est causa naturaliter determinata, ut ad agendum ducatur, & feratur, sed omninò seipsam determinans, & hanc libertatem dicunt in beatis reperiri ad actum fruitionis eliciendum, & continuandum, ac etiam in Christo ad merendum sufficisse. Ita Faber ex nostris 3. d. 44. c. 1. & quidam alii Scotistæ.

61 Sed quamvis tota hæc de libertate doctrina sit vera, & de mente Doctoris, ut tradidi disp. 7. de Anima quæst. 2. articul. 1. & lib. 1. sentent. disputat. 7. quæst. 3. artic. 1. & 2. declarando, quo sensu productio Spiritus Sancti dicatur libera; adhuc tamen jam dixi lib 3. sentent. disputat. 3. q. 9. art. 3. ad hanc libertatem non sufficere ad meritum Christi, seù ad declarandum quomodo mereri potuerit, salva ejus impeccabilitate; quia libertas, quæ est fundamentum totius generis moris, & præcipua conditio ad meritum requisita, est libertas, quæ consistit in indifferentia ad utrumlibet, seù ad agendum, & non agendum, & est semper cum contingentia connexa, ut ibi fusè ostendimus, quod ex eo apertè convincitur, quia Calvinus nota hæresis est damnatus, eo quod dixerit libertatem merito, ac demerito sufficientem hìc in via eam esse, quæ sit solùm à coactione, non excluſa necessitate simpliciter, & absoluta; quod etiam tenuit Jansenius, & per doctrinam Scoti de libertate essentiali firmare temerè nimis ausus est. Neque enim Scotus unquam dixit eam libertatem essentialem cum absoluta necessitate cohærentem ad meritum, vel demeritum sufficere, sed eam solùm assignavit, ut diximus loc. cit. pro declaranda conditione actus divinæ voluntatis ad intrà, tum essentialis, tum notionalis, ut distinguitur ab actu intellectus, cum alioquin ambo illi in necessitate conveniant. Addimus autem modò actum fruitioni beatorum non tantùm esse liberum libertate, essentiali, sed etiam accidentali, seù cum contingentia semper connexa, & cum indifferentia agendi, & non agendi stantibus necessariò requisitis, non tamen proxima, sed remota, libertas enim, seù differentia voluntatis creatæ in actu primo aliquando

potest esse proxima, aliquando remota, tunc proxima est, quando positis omnibus requisitis voluntas potest in utrumque oppositorum disiunctivè, remota verò dicitur, quando aliquid ex requisitis deficit, sivè ex parte Dei, sivè ex parte creaturæ, verbi gratia, si desit objectum per intellectum voluntati ostensum vel si desit Dei concursus ad utrumque oppositorum paratus, sed adsit solùm determinatus ad unum illorum, ut contingit in proposito, etenim ut Scotus docet 4. distinctin. 49. quæst. 6. §. *Dico ergò*, littera G. in beatis peccatum excluditur, non per aliquod intrinsecum, per quod voluntas determinetur ad unum, sed per voluntatem Dei prævenientem beatorum voluntatem, ut semper actum fruendi continuent, & ita nunquam possint potentiam suam remotam non fruendi, vel peccandi ad actum reducere, siquidem nunquam causa secunda prævenita à causa Superiori agente ad unum oppositum potest potentia propinqua exire in aliud oppositum, undè concludit Doctor actum fruendi Deo in Beatis non esse intrinsecè necessarium, sed liberum non tantùm libertate essentiali, sed etiam accidentali, seù cum contingentia connexa, ad hoc enim sufficit, ut ita sit in potestate agentis, ut excludat necessitatem intrinsecam agendi, licet extrinsecam haberet ex denegatione divini concursus parati ad utrumlibet; sufficiet enim, ut quantum est ex intrinseca voluntatis dispositione possit ipsa agere, & non agere, & actus fieri, & non fieri, cum enim hic modus operandi sit voluntati creatæ intrinsecus, non potest per aliquod extrinsecum immutari, sicut est denegatio concursus parati ad utrumque oppositorum, de quo alia plura videri possunt apud Brancatum nostrum loc. cit. disp. 20. art. 11. ubi ex hoc fundamento plures solvit objectiones in oppositum.

62 Quartò quæritur, qualis sit necessitas in voluntate Beati amandi Deum, an moralis, vel physica. Poncius disp. 19. quæst. 5. asserit hanc necessitatem non esse physicam, sed moralem, & ait hanc assertionem esse commune Scotistarum contrà magis communem sententiam cujus fundamentum est, quia ut necessitaretur physicè videns Deum ad amorem, deberet esse aliquod principium necessariò physicè influens in amorem; sed nullum est tale, si enim aliquod, vel esset ipsamet visio, vel voluntas habituata charitate cum visione, aliud enim non potest assignari, sed non ipsa visio, quia actus intellectus non concurrit efficienter ad producendos actus voluntatis licet præsupponatur, tanquam condictio, sine qua non. Nec etiam voluntas habituata charitate cum visione, quia voluntas sic habituata, non potest physicè necessitari ad amorem magis, quàm sine visione, nisi visio habeat aliquem physicum influxum, quem non habet, ut dictum est; aut nisi ipsamet formaliter determinet voluntatem; per hujusmodi autem determinationem non inducitur, nisi necessitas moralis. Et eodem modo posteà inferius disp. 39. qu. 11. discurrit de impeccabilitate Christi dicens esse impeccabilitatem tantùm moralem, non autem physicam, hoc est, sic talem ut moraliter peccare non posset, quamvis physicè posset, moralis autem impeccabilitas, & impotentia faciendi aliquid non tollit, quin liberè posset quis non peccare, aut facere illud, ut patet, quia habentes gratiam efficacem ad aliquid faciendum sunt moraliter determinati ad illud, & tamen liberè faciunt illud, similiter, qui graviter tentatur ad peccandum, nisi ipsis detur gratia efficax, sunt moraliter determinati ad peccandum, & tamen liberè peccant. Quod autem Christus non habuerit aliam impeccabilitatem, quàm moralem indè probat, quia nihil assignari potest, quod determinet Christum physicè ad non peccandum, hoc enim præsertim esset visio, & amor beatificus, hæc autem physicè illum non determinant, ut jam dictum est. Verùm sicut hunc dicendi modum de impeccabilitate Christi rejecimus loc cit. dicentes non tantùm fuisse moralem, sed etiam physicam, quia non habebat concursum paratum, ad utrumlibet, scilicet, ad implenda præcepta, vel omittenda hic enim concursus paratus ad utrumlibet est unum ex necessariò prærequisitis ad libertatem proximam, seù proximam potentiam agendi, & non agendi. Ità pariter reiiciendus est in proposito de amore Beatorum, & dicendum esse necessarium non tantùm moraliter, sed etiam physicè ob eandem rationem, quia scilicet, non habet concursum paratum ad oppositum, quæ fuit expressa Scoti sententia 3. dist. 12. quæst. un. §. *de secundo*. Ratio autem Poncii, ut diximus loc. cit. probat tantùm nec voluntatem Christi, nec ullius Beati physicè determinari ad non peccandum per visionem, aut fruitionem beatam, tanquam per formam intrinsecam à Deo impressam, & voluntatem ad unum determinantem, quod gratis concedimus cum Scoto loc cit. cùm hoc tamen stat, quod determinetur ab intrinseco, & modo quodam negativo, quatenus non habet concursum paratum, nec Deus vult concurrere ad oppositum illius actus, vel aliquid incompossibile cum ipso, quæ quidem concursus parati denegatio in actu amoris beatifici necessitatem inducit, non tantùm moralem, sed etiam physicam, non quidem intrinsecam, sed tantùm extrinsecam, ut declaratum est.

63 Quintò tandem quæritur, an voluntas Beati sit capax ullius tristitiæ. Patres, ac Doctores communiter docent voluntatem Beati non esse naturaliter capacem ullius tristitiæ, aut molestiæ, & hoc oriri ex summa voluptate, quam habet ex visione Dei, & maximo amore, quo ipsum prosequitur; & ratio deducitur ex dictis quæst 1. hujus disput. art. 3. ubi diximus gaudium, & delectationem esse necessariò cum beatitudine connexam, ut docet Scotus 4. dist. 49. quæst. 7. quod ex illo Apocalyp. 21. *Et absterget Deus omnem lachrymam ab oculis eorum, & mors ultrà non erit, neque luctus, neque clamor, neque dolor erit ultrà*.

Confirmatur, quia Beatis nihil occurrere potest, quod possit esse causa doloris, neque ex parte corporis propter perfectiones ipsius, de quibus quæst. seq. neque ex parte animæ, si quid enim esset, maximè peccata præterita propria, aut aliorum hominum, vel damnatio amicorum, vel Passio Christi, hæc enim sunt præcipua objecta, quæ ipsis ex parte animæ tristitiam ingerere possent, ut rectè discurrit Poncius loc. citat. cum pluribus aliis; sed de his Beati dolore non afficientur, quia licet justi in hac vita meritò, & utiliter de peccatis suis doleant, & de alienis, ac etiam de Christi Domini passione, non est eadem ratio de viatoribus, & de Beatis ratione status, illis enim valdè utile est, imò, & necessarium de peccatis commissis dolere, quia id faciendo merentur, & veniam consequuntur, quod de Beatis dici nequit, quia veniam de peccatis commissis jam consecuti sunt, nec sunt in statu ulterius merendi. Denique experientia constat etiam in hac vita tali, ac tanta voluptate nos quandoque affici, ut ex consideratione objectorum, de quibus aliàs tristaremur, tristitiam non concipiamus ratione falsæ voluptatis; ergo tantò magis Beati ex summa voluptate, qua afficiuntur ex clara Dei visione, & perpetua ejus fruitione, non tristabuntur ex consideratione objectorum, quæ aliàs tristitiam ipsis inferrent.

Dices, Christus Dominus etiam in hac vita perfectissimam Dei visionem habuit, & summum ejus amorem, & tamen tempore passionis maximam tristitiam passus est, ut ejus verba ostendunt, *tristis est anima mea usque ad mortem*; ergò summa voluptas in Beatis ex Dei visione, & fruitione concepta non reddit eos tristitiæ incapaces.

Respondetur negando consequentiam, quamvis enim summa voluptas in voluntate beati orta ex clara Dei visione, ac ejus fruitione omnem tristitiam naturaliter excludat, sicut unum contrarium in summo alterum naturaliter expellit; indè tamen non sequitur, quin supernaturaliter, & miraculosè simul esse possint sicut in Christo contingit secundùm communem Doctorum sententiam; quomodo autem in ipso id contingit fusè declaravimus lib. 3. sent. d. 5. qu. 6. quarè concludendum est voluntatem Beatorum non esse naturaliter tristitiæ capacem propter delectationem perfectam, quæ omnem impedit tristitiam, ut ait Scot. 4. d. 50. q. 3. I.

ARTICULUS SECUNDUS.

De necessitate habitus Charitatis ad beatam fruitionem, ac muneribus ejus.

64 PRimò quæritur, An voluntas ad fruendum Deo aliquo habitu supernaturali indigeat, & sensus quæsiti est, an sicut intellectus ad beatam visionem eliciendam supernaturali indiget habitu, qui dicitur lumen gloriæ, ut patet ex dictis quæst. 2. hujus disputationis articul. 1. ità, & voluntas aliquo habitu supernaturaliter pariter indigeat, sivè hic sit charitas, sivè alius, & hìc supponimus gratiam, & charitatem esse eandem virtutem Theologicam, & per distinctas tantùm formalitates, vel connotata constitui in esse gratiæ, & charitatis, dicitur enim gratia, quatenus nos Deo gratos facit, quatenus verò nos inclinat, & pronos facit ad Deum diligendum, Charitas appellatur, ut ex professo ostendimus lib. 2. sententiarum disput. 7. de Justificatione quæst. 6. Hoc itaque supposito pro resolutione quæsitis inquit Scotus 4. distinction. 49. qu. 11. lit. G. formam supernaturalem requiri ex parte voluntatis Beati ad fruitionem beatificam, quæ dicitur Charitas, & infrà subdit quod quia secundùm Scripturam, & fidem debemus ponere Charitatem, saltem necesse est eam ponere in Beatis propter fruitionem eliciendam, & inferius confirmat d. 50. quæst. 6. ubi ex diversitate intensionis habitus Charitatis diversitatem quoque intensivam deducit fruitionis Beatorum, & ità etiam discurrunt Divus Bonavent. & Divus Thomas ibidem. Ratio est, quia omnis Beatus ex hac vita decedit per charitatem justificatur, quam etiam secum defert in alia vita juxtà illud

illud Apostoli 1. ad Corinth. 13. *Charitas nunquam excidit*, quem locum expones Hieronymus inquit, *Charitas nunquam excedit, hoc est ipsa sola permanet in futuro*, & Ambrosius ait *Charitas in præsenti prodest, & in æternum cum Deo permanet*; ergo sicut hic in via charitas est necessaria ad actus supernaturales diligendi Deum, sic & in patria ad eo perfruendum necessaria erit, alioquin frustrà remanere diceretur. Consequentia probatur, quia non minus supernaturalis est dilectio Dei super omnia, & propter se in Beato, quàm in Viatore, voluntas enim eadem est in via, ac in patria ergo sicut hic in via viribus naturæ nequit actum illum elicere; sed ad eum eliciendum necessarius est habitus supernaturalis Charitatis, sic etiam necessarius in Beato ad fruitionem, qui est actus perfectior.

Confirmatur, quia ità discurrendum est de necessitate habitus charitatis in beatis ad fruitionem eliciendam, sicut de necessitate habitus luminis ad visionem, non enim magis proportionata est voluntas creata ad Deum perfuendum, quàm intellectus ad eum videndum, sed hìc per habitum luminis gloriæ proportionatur Deo, & elevatur ad claram ejus visionem eliciendam, ut dictum est quæst. 5. hujus disputationis art 1. ergo & voluntas per alium habitum lumini gloriæ æquivalentem Deo proportionari debet, & elevari ad ejus fruitionem eliciendam; at nullus alius in Scripturis legitur, & Patribus nominatur, quàm Charitas, ut pluribus eorum testimoniis ostendit Brancatus noster disp. 20. citato articulo 7. ergò per hanc voluntas Beatorum proportionatur Deo, & elevatur ad fruitionem beatificam eliciendam.

65 Secundò quæritur, an habitus Charitatis ad fruitionem beatam activè concurrat; circà quod quæsitum varii sunt modi dicendi, ut refert Scotus 4. distinct. 49. quæst. 11. Quidam enim dixerunt charitatem in voluntate esse necessariam Beatis solùm ad decorem, & ornamenum, ut pariter asserebant de lumine gloriæ in intellectu. Sed sicut hoc rejecimus de lumine gloriæ lib. 1. sentent. disp. 6. quæst. 4. art. 1. agendo de muneribus ejus, ità pariter in proposito reiiciendum est de habitu charitatis in voluntate, non enim poni potest aliqua forma in Beato solùm ad decorem, & pulchritudinem, & quæ non ordinetur ad actionem, ut ait Doctor loc. cit. lit. G. & hoc deducitur, tùm ex generica, tùm ex specifica ratione Charitatis, ex generica quidem, quia de communi ratione virtutis est ad certas qualdam, & determinatas operationum species potentiam adjuvare; ergò cùm Charitas sit virtus Theologica, & principalis, non propter decorem tantùm voluntatis Beati admittenda est, sed etiam propter operationem; ex specifica verò, quia Charitas in via non propter solum animæ ornatum infunditur, sed propter dilectionem Dei propter se, & proximi propter Deum eliciendam; ergò sic erit etiam in patria; sicut ergò lumen gloriæ non est in Beatorum intellectu solùm ad decorem, & ornatum, sed ut illum elevet, secumque concurrat ad beatam visionem eliciendam, ut dictum est loc. cit. ità pariter in præsenti idem dicendum de Charitate in Beatorum voluntate.

66 Alii dixerunt charitatem in voluntate esse necessariam Beatis solùm per modum dispositionis materialis ad recipiendam fruitionem beatam, ut pariter asserebant de lumine gloriæ in intellectu ad recipiendam visionem; sed sicut hoc de lumine gloriæ diximus falsum esse loc. cit. ità pariter in presenti dicimus falsum esse de habitu Charitatis in voluntate, quia ut ait Scotus loc. c. si aliquod supernaturale ponitur in Beato prius operationibus, hoc non erit propter receptionem, sed propter actionem, ut eliciatur operatio in Beato, qua attingit Deum; & ratio est, quia virtutes, aliaque auxilia supernaturalia in via non sunt necessaria ad recipiendum, sed ad agendum, qua ratione dixit Apostolus ad Romanos 8. *Quicunque spiritu Dei aguntur, ii sunt filii Dei*, & Christus ipse Joan. 5. *Sine me nihil potestis facere*; ergò tantò magis id asserendum erit de virtute Charitatis in patria, quia visio, & fruitio beata sunt actus supernaturales secundùm substantiam, ut dictum est disputat. 6. cit. quæst. 2. & non tantùm secundùm modum, ut sunt actus viæ; Tùm quia si tantùm ad recipiendum esset necessaria Charitas in voluntate Beatorum, & non ad agendum, tunc voluntas ex puris naturalibus absque concursu supernaturali Charitatis actum fruendi, seù diligendi eliceret, quod est falsum, & hæreticum, quia sine speciali concursu Dei nullus actus supernaturalis fieri potest, ut constat ex verbis Salvatoris allatis; sicut ergo lumen gloriæ non est solùm necessarium in intellectu Beatorum per modum dispositionis materialis ad visionem recipiendam, ut fusè probatum est loco citato, ità dicendum est de habitu Charitatis respectu fruitionis.

67 Itaque de necessitate habitus Charitatis in voluntate Beatorum in presenti discurrendum est, sicut qu. 2. hujus disp. art. 1. suprà diximus de necessitate lumini gloriæ ad visionem beatam, nimirum habitum Charitatis, quatenus se tenet ex parte potentiæ non habere alium influxum in fruitionem, quàm concausæ efficientis, & quidem non tantùm quoad modum, & intensionem actus, quasi tantùm conferat ad perfectius, intensiusque fruendum, sed etiam quoad substantiam actus, itaut conferat voluntati virtutem activam, & connaturalem ad efficiendum fruitionis actum constituendo illam in se agentis supernaturalis, & præstando ei virtutem in ordine suo, non quidem operandi vitaliter, sed supernaturaliter, qua ratione dicitur eam constituere in actu primo completo ad supernaturaliter operandum, quantum requiritur ex parte potentiæ. Et hæc est communis, & vera Doctorum sententia, & Scoti præsertim loc. cit. lit. H. ubi inquit, quod si voluntas esset potentia merè passiva respectu fruitionis, tunc ex parte voluntatis non requireretur charitas, undè potentes voluntatem merè passivam respectu fruitionis tollunt charitatem, quia ex parte voluntatis non requiritur aliqua forma ad recipiendam fruitionem, quia ipsa secundùm se est summè disposita ad eam recipiendam; sed quia secundùm scripturam, & fidem debemus ponere charitatem, saltem necesse est eam ponere in Beato propter operationem eliciendam. Ità discurrit Doctor loc. cit. & quidem in pluribus Scripturæ locis de charitate fit mentio, tanquam de causa efficiente alicujus operationis, ut Cantic. 8. *fortis est, ut mors dilectio*, fortitudo autem habitus est activus; & 1. Corinth. 13. *Charitas patiens est, benigna est, non æmulatur, non agit perperam*, & cap. 6. *omnia vestra in charitate fiant*, & in pluribus aliis Scripturæ locis causalitas charitatis per activam influentiam declaratur; datur ergo ad aliquod opus faciendum, nempè diligendum, alioquin otiosa esset; & in proposito de beatifica fruitione hoc suadet manifesta ratio ex natura rei deducta, quia certum est vires voluntatis naturales ad eam eliciendam non sufficere; ergo necessarium est principium aliquod supernaturale, per quod compleatur in ordine suo, ut actus secundus proportionetur actui primo, & connaturaliter eliciatur ab eo, ut dicebamus de lumine gloriæ in intellectu respectu visionis beatificæ loc. cit.

68 Tertiò quæritur, an Charitas det voluntati activitatem simpliciter, vel qualem. Thomistæ quamplures sicut dicunt lumen gloriæ requiri, ut tribuat intellectui creato virtutem visivam simpliciter ex parte potentiæ ad Deum videndum, ut jam diximus 1. disp. 6. cit. qu. 4. art. 3. ità in præsenti de habitu charitatis asserunt esse totam rationem, per quam voluntas producit fruitionem. Ità Salmanticenses, Nazarius, Joannes de S. Thoma, Alvarez, Cabrera, & alii Recentiores Thomistæ, quorum fundamentum præcipuum est, quia voluntas non influit in effectum supernaturalem per suam naturalem virtutem, ut potè illi improportionatam; ergo habitus Charitatis est tota ratio agendi. Confirmatur, quia voluntas non concurrit ad fruitionem, neque ut causa totalis, ut omnes concedunt, neque etiam ut causa partialis, aliàs dari posset gradus fruitionis activitati naturali voluntatis correspondens, & alius charitati. Quam doctrinam Thomistæ extendunt ad omnes alios habitus infusos asserentes esse totam rationem agendi potentiis, sed producendi actus supernaturales, & ad hos non concurrere potentias vitales, ut causa partiales, & inadæquatas proximè, & formaliter, sed tantùm radicaliter, & remotè. Verùm, quod potentiæ vitales adjutæ, & elevatæ principiis supernaturalibus, per suasmet entitates, ut realiter conditinctas à principiis supernaturalibus, quibus elevantur, immediatè influant in actus supernaturales Scotus docet ex professo 1. d. 17. q. 2. §. *Contra istam opinionem*, & in 3. d. 13. quæst. 4. & d. 14 quæst. 2. & 4. d. 40. qu. 11. & hoc apertissimè convincunt plura Scripturæ, & Patrum testimonia, ut diximus q. 4. cit. art. 3. nu. 144. quorum præcipuum est illud Pauli ad Corinth. 15. *Abundantius illis omnibus laboravi, non ego autem, sed gratia Dei mecum*, quibus verbis expressius docere non poterat concursum activum liberi arbitrii cum gratia in actum supernaturalem, & in hunc sensum hæc ipsa Apostoli verba explicant Bernardus de gratia, & libero arbitrio circà finem dicens *maluit ducere mecum præsumens se non solùm operis esse ministrum per effectum, sed operantis quodammodo socium per consensum*, & Augustinus de gratia, & lib. arb. post medium, *non ego autem, sed gratia Dei mecum, ac per hoc nec gratia Dei sola, nec ipse solus, sed gratia Dei cum illo*, quæ testimonia adeò clara sunt, & obvia, ut nemo sibi persuadere possit doctissimos Thomistas hoc reipsa negare voluisse, etenim si rectè eorum discursus perpendatur, dum dicunt potentias vitales non esse principia proxima, & formalia, sed tantùm remota, & radicalia actuum supernaturalium, planè nil aliud velle videntur, ut diximus l. c. quàm potentias naturales sine principio supernaturali elevante non esse in actu primo proximo ad operationem quod utique verissimum est, & à nemine in dubium revocatur; ob id tamen non rectè dicitur à Thomistis, quod habitus infusus sit totalis ratio agendi, nam ratio agendi illa dicitur, à qua tan-

tanquam à principio influente, & tanquam à virtute activa procedit esse; sed actus supernaturalis non solùm à principio supernaturali elevante procedit, sed etiam à principio naturali elevato; ergo ratio agendi non solùm est principium supernaturale elevans, sed etiam principium naturale elevatum.

69 Ad rationem in oppositum jam loc. c. negavimus assumptum, quia supernaturalitas visionis non petit necessariò omne principium, à quo procedit, esse supernaturale, sed de ratione actus supernaturalis solùm est, quod produci non possit absque principio supernaturali, sivè ad illud concurrat aliud principium quod est naturale, sivè non. Et cum dicitur naturalem virtutem intellectus creati esse illi actui improportionatam, cum sit inferioris ordinis, hoc solùm probat entitatem secundùm substantiam naturalem non posse habere virtutem ad producendum actum supernaturalem independenter ab alio comprincipio supernaturali, qui ad talem productionem elevetur; non autem probat, quin possit habere virtutem sibi intrinsecam, & innatam ad producendum aliquid supernaturale dependenter ab alio principio supernaturali sibi indebito, quo elevetur ad effectum supernaturalem producendum, qua ratione talis virtus in potentia naturali dicitur à Scoto remota, & incompleta; & ratio hujus est, quia effectus secundùm se totum supernaturalis non requirit necessariò omnia principia ad illum concurrentia esse supernaturalia, nec causam totalem esse supernaturalem secundùm se totam, sed sufficit aliquod principium partiale illius esse supernaturale, & in causa totali aliquod supernaturale reperiri. Ad Confirmationem negatur voluntatem non concurrere ad fruitionem, ut causam partialem, & ad probationem quamvis aliqui concedant in actu supernaturali aliquid naturale inveniri, cui tanquam principium respondeat potentia naturalis ad illud concurrens, & hanc dicunt esse vitalitatem, supernaturalitatem verò ajunt respondere habitui supernaturali; hoc tamen falsum esse jam diximus loc. cit. num. 147. cum enim tota entitas actus sit quoad hoc realiter simplex, & indivisibilis, tota debet à singulis causis effici, licet non totaliter modo ibi explicato; cujus rationem assignat Scotus 1. d. 17. q. 2. §. *alio modo*, quia nec supernaturalitas actus, nec ejus intensio se habent ad substantiam actus, ut entitas ab eo realiter distincta, vel modus aliquis extrinsecus ab eo separabilis, sed omnia prædicata essentialia id actu supernaturali reperta sunt realiter inter se identificata, & ideò nequit esse aliud principium unius, aliud verò alterius, quia à quo est individuum istius actus, ab eodem est etiam gradus intrinsecus huic individuo, tam genericus, quàm specificus, & individualis, nam omnes isti gradus sunt in eo tertio realiter inter se identificata; physicè igitur loquendo quicquid est in fruitione est supernaturale, & vitale, quia & vitalitas est supernaturalizata, & supernaturalitas vitalizata; cum enim hæc prædicata sint invicem realiter identificata, valet realiter unum affirmari de alio, quod, scil. vitalitas fruitionis est supernaturalis, & supernaturalitas vitalis, & quod est principium unius, est pariter principium alterius, cum implicet unum principium physicè terminari ad aliquod reale per suam actionem, & non ad totum illud, quod cum eo est realiter identificatum, ut fusè l. c. discurrimus.

70 Quartò Scotistæ aliqui ad explicandam activitatem, & influxum habitus charitatis ad fruitionem in Beatis dicunt neque charitatem, neque gratiam, neque ullum alium habitum supernaturalem conferre potentiæ activitatem simpliciter; sed solùm eas adjuvare ad intensionem actum eliciendum, ita præsertim Brancatus disp. 20. cit. art. 9. cum quibusdam aliis, quod ex Scoto deducunt locis suprà citatis, sed præcipuè ex 1. disp. 27. quæst. 2. E. ubi universaliter docet, nullum habitum sivè aquisitum, sivè infusum, sivè intellectivum, sivè appetitivum dare potentiæ simpliciter operari, hoc est, vitaliter, sed tantùm sic operari, ideſt, intensius, & perfectius, si enim esset id, quo quis posset simpliciter operari, tunc esset potentia vitalis, qua simpliciter, & per se primò possumus. Sed quamvis hoc de habitibus naturalibus, & aquisitis sit verum, non tamen de infusis, & supernaturalibus placet sic absolutè prolatum, jam enim supra dictum est habitum charitatis, quatenus se tenet ex parte potentiæ, in actum fruitionis influere, non tantùm quoad modum, & intensionem actus, quasi tantùm conferat ad perfectius, intensiusque fruendum, sed etiam quoad substantiam actus; ita ut conferat voluntati virtutem activam, & connaturalem ad efficiendum fruitionis actum constituendo illam in esse agentis supernaturalis, & præstando ei virtutem in ordine suo, non quidem operandi vitaliter, sed supernaturaliter, qua ratione dicebamus eam constituere in actu primò completo ad supernaturaliter operandum, quantum requiritur ex parte potentiæ. Ex qua doctrina sequitur, quod in ordine ad operationem supernaturalem dici potest habitus supernaturalis dare potentiæ operari simpliciter in tali ordine, scilicet, supernaturaliter, docet enim Scotus 4. d. 6. qu. 10. habitum supernaturalem in hoc præsertim à naturali distingui, quod hic solùm detur ad sic agendum, ideſt, facilius, & intensius, ille verò ad simpliciter agendum, ideſt, supernaturaliter, quatenus est principium, quo simpliciter possumus in actionem supernaturalem, & potentias nostras constituit in actu primo supernaturali ad actiones supernaturales exercendas; ergò habitus charitatis in genere physico non tantùm concurrit ad sic agendum, ideſt, intensius & perfectius, ut dicunt Scotistæ præcitati, sed ad simpliciter agendum supernaturaliter, quatenus actus secundus præsupponit actum primum proportionatum, & actio supernaturalis præsupponit potentiam in actu supernaturali constitutam, ut modo connaturali agere dicatur. Quam doctrinam universaliter tradidimus de omnibus habitibus supernaturalibus, & infusis lib. 3. sent. disp. 6. quæst. 6. art. nu. 203. ubi diximus, quod quando causa aliqua secundùm se proportionem non habet cum effectu, sivè quia eum excedit in entitate, & quoad substantiam, sivè quoad modum tantùm, & aliquam circumstantiam, opus est, ut accipiat in se aliquid, per quod in actu primo proportionetur cum effectu producendo, & eum in se contineat; & in hoc sensu dicebamus, quod habitus supernaturales dicuntur, non tantùm dari ad sic agendum, sed etiam ad simpliciter agendum supernaturaliter, quatenus non solùm dantur ad facilius, & intensius agendum, ut habitus naturales, sed ad simpliciter agendum supernaturaliter, quatenus sunt principia, quibus simpliciter possumus in actionem supernaturalem, & potentias nostras constituunt in actu primo supernaturali ad actiones supernaturales exercendas, ut modo connaturali agere dicantur.

71 Quintò tandem quæritur, an voluntas beati de potentia Dei absoluta possit frui sine habitu charitatis. Thomistæ sicuti absolutè negant intellectum creatum posse divinitus elevari ad beatam visionem producendam absque lumine gloriæ, sic pariter discurrunt de voluntate, & habitu charitatis in ordine ad fruitionem. Scotistæ verò, & alii communiter extrà Scholam D. Thomæ, sicuti hoc affirmant de intellectu, & lumine gloriæ, non esse, scil. adeò necessarium intellectui ad Deum videndum ut implicet contradictionem Deum se solo sine infusione lumi nis gloriæ, aut alterius supernaturalis qualitatis in intellectu hærentis, sivè habitualis, & natura sua permanentis, sivè quæ sit per modum actualis motionis, & passionis transeuntis, & habeat rationem principii effectivi, elevare intellectum ad visionem beatificam eliciendam per solùm concursum specialem extrinsecum; ita pariter in proposito de voluntate discurrunt, & habitu charitatis in ordine ad fruitionem beatificam eliciendam, & ita expressè docet Scotus 3. d. 13. quæst. 4. §. *Ad quartam quæstionem*, ubi ait, quod si objectum fruibile esset præsens intellectui, & voluntas sine habitu charitatis, posset adhuc præsente tali objecto actum fruitionis elicere, quia gratia respectu fruitionis habet tantùm rationem causæ efficientis secundæ, quam Deus supplere potest per solum concursum specialem extrinsecum, & ita sine ea potest fieri; & idem docet 4. d. 49. quæst. 11. cit. ubi de facto tantùm dicit necessarios esse habitus supernaturales in intellectu, & voluntate Beatorum, secus tamen de possibili, & de potentia Dei absoluta. Quod quidem assertum de habitu charitatis in ordine ad fruitionem iisdem rationibus probandum est, quibus idipsum proba um est de lumine gloriæ in ordine ad visionem beatificam dis 6. cit. q. 5. & objectiones Adversariorum eodem modo solvendæ; & idem pariter tenent Scotistę omnes, ac etiam noviſſimè Brancatus disp. 20. cit. q. 10. ubi tamen hoc singulariter addit, quod fruitio illa, quæ eliceretur à voluntate carente habitu charitatis circà objectum claré visum non esset beata, pro quo citat Scotum 1. d. 17. q. 2. §. *Ad argumenta pro opinione*, & probat, quia sicut visio Dei, nisi esset supernaturalis non esset beatifica, ita neque fruito; tùm quia status Beati exigit. ut habeatur charitas juxtà illud 1. Corint. 1. *Charitas nunquam excidit*. Verùm Scotus loc. cit. loquitur ex suppositione, quod voluntas possit ex puris naturalibus habere actum circà objectum supernaturale visum, & inquit, quod actus iste non esset beatificus, quia non esset ita perfectus sicut posset haberi à tali potentia, & in hoc sensum etiam verum est visionem Dei non fore beatificam, quia non esset supernaturalis. At hic supponimus tales actus esse supernaturales, quia concursus luminis gloriæ, & charitatis in casu posito suppleretur à Deo per solum concurrsum specialem extrinsecum. Quod autem status Beati exigat, ut habeatur charitas, hoc intelligitur de facto, non de possibili.

QUÆS-

QUÆSTIO QUARTA.

De Beatitudine, seù gloria corporum Beatorum.

72 RESurrecturos homines cum corpore proprio, quod aliquando in hac vita habuerunt, est articulus fidei ex Symbolo, in quo ponitur carnis resurrectio omnibus credenda, ut inferius dicemus disp. ultima. Quamvis autem corpora humana ratione sensuum, sivè animæ sensitivæ non sint simpliciter beatificabilia, quia beatitudo simpliciter, & propriè dicta, cum in visione, & fruitione Dei consistat, sensibus, seù potentiis sensitivis convenire non potest, quorum objectum est quid sensibile, & corporeum, qualis non est Deus; sunt tamen beatificabilia secundùm quid, quatenus sensus hominis cum optimis sensibilibus conjungi possunt, iisque delectari, & optimas perfectiones corporeas obtinere, quarum ipsi sunt capaces, ut Scot. docet 4. d. 49. q. 8. ab initio; undè corpora Beatorum, dum post resurrectionem animabus unientur, erunt beata modo sibi proportionato, seù beatitudine secundùm quid, & aliquas perfectiones habebunt, quas Theologi Dotes appellant, de quibus in præsenti quæstione agendum est, & conveniunt esse quatuor, scil. impassibilitatem, subtilitatem, agilitatem, & claritatem.

ARTICULUS PRIMUS.

De perfectionibus, seù dotibus corporis glorioſi.

73 PRimò quæritur, an corpus gloriosum sit impassibile, & quomodo. Affirmant Doctores communiter, & præsertim Scotus 4. d. 49. quæst. 13. quod probat ex 1. Corinth. 15. *Mortale hoc induet immortalitatem*, hoc est, incorruptibilitatem, non enim esset incorruptibilem, & immortale, si posset pati, ac etiam ratione, quia sicut ex immortalitate animæ concluditur resurrectio, ita etiam concluditur probabiliter ea eadem, quod post resurrectionem semper suum corpus perficiet, ut perfectibile. Tota difficultas est, undè hujusmodi impassibilitas proveniat, de quo sunt varii modi dicendi, quos Doctor examinat loc. cit. Aliqui enim dixerunt eam provenire ex eo, quod in Beatis elementa non sint habitura qualitates activas, & passivas mixtum consequentes; Quod Scot. refellit, quia sine illis qualitatibus non remaneret illud corpus mixtum, & consequenter non esset proportionatum animæ ad informandum, & sicut anima modò elementum informare non posset; ità nec corpus illud sine illis qualitatibus. Alii dixerunt causam hujus impassibilitatis esse; quia illæ qualitates non remaneant contrariæ. Quod etiam refellit, quia cum illæ qualitates secundùm suas species, & naturas sint contrariæ, ubicunq; sunt, sunt contrariæ; atquè ideò si manent in corporeo, glorioso, ut revera manent, etiam ibi contrarietatem habebunt. Alii dixerunt causam hujus impassibilitatis esse, quia corpus tunc non erit natum suscipere contrarium, ut modò est; quod etiam Doctor reiicit, quia susceptivum manet idem quod nũc; ergò erit susceptivum ejusdem secundùm speciem, atque ideò sicut nunc suscipere potest contrarium post contrarium, ita & tunc. Alii dixerunt impassibilitatem oriri ex eo quod anima Beati eo ipso, quod videt Deum, ità fortiter informat corpus, & dominatur ipsi, ut satiet omnem appetitum materiæ circa aliam formam, & impediat omnem dispositionem contrariam. Hoc etiam reiicit Doctor, quia supremus Angelus per solùm imperium voluntatis suæ non potest impedire actionem alicujus causæ naturalis, causæ enim naturales non obediunt Angelis ad nutum quantùm ad actionem, & alterationem earum; ergò nec anima tollere potest actionem istarum qualitatum, quasi repugnans eis, ac eas reducens ad medium. Neque anima Beati physicè loquendo informat corpus aut fortius, aut cum majori dominio, quàm quælibet alia, neque omninò satiat appetitum materiæ, sed relinquit illam cum appetitu ad alias formas. Alii dixerunt eam impassibilitatem provenire ex quadam qualitate superaddita corpori beato, ratione cujus redditur omnis actionis contrariæ incapax. Sed hoc etiam impugnat Doctor; quia illa qualitas non est cœlestis, non enim est perspicuitas, nec lux, nec lumen, tum, quia corpus humanum, sicut mixtum, non est capax qualitatis cœlestis; ergo vel erit qualitas elementaris, vel propriè mixta; sed sivè sit elementaris, vel propriè mixta, non potest omnem actionem, vel passionem impedire, ut patet de duritie, quæ licet prohibeat incisionem, non tamen combustionem, vel aliam passionem destructivam. Alii tandem dixerunt impassibilitatem ex eo provenire, quod qualitates corporum beatorum non agent ad invicem, eo quod post resurrectionem motus Cœlorum cessabunt, sine quibus nulla potest esse actio qualitatum. Hoc etiam reiicit Doctor, quia stultum est dicere, ut habetur in quodam articulo Parisiensi, quod si Cœli non moverentur, magnus ignis non combureret stuppam sibi applicatam; Tùm, quia si subitò per Dei potentiam fieret Sol in medio, sicut fit nunc per motum, eodem modo illuminaret, & calefaceret sibi suppositа, sicut nunc, imò fortius tunc, quia non cessaret agere, quousque totaliter corrumperet sibi suppositum, si posset corrumpere, nunc autem quia non moratur super passum suppositum, minus agit efficaciter in ipsum.

74 Quarè concludit Doctor loc. cit. §. *Dico ergò*, quod causa impassibilitatis corporis beati est divina voluntas non coagens causæ secundæ corruptivæ, & per hoc est illud impassibile non potentia remota, sed propinqua, non à causa intrinseca, sed extrinseca impediente, quod probat exemplo de camino ignis ardentis, qui non egit ad consumptionem trium puerorum, non quidem per aliquam impassibilitatem intrinsecam pueris, nec ex carentia potentiæ passivæ, nec ex contrario intrinseco impediente, sed quia Deus ex voluntate sua non cooperabatur ad illam actionem; quem dicendi modum non solùm sequuntur Scotistæ omnes, sed etiam Recentiores passim, & præsertim Lezana tract. 1. cit. disp. 6. quæst. 2. ubi ait impassibilitatem Beatorum non consistere in aliqua qualitate physica ipsis superaddita, sed solùm in assistentia, seù protectione divina prohibente omnem læsionem, & noxiam, seùmolestam alterationem, quias talis qualitatis nulla fit mentio in scriptura, neque apud Patres, sed ex illis potius contrarium colligi potest, quia cum loquuntur de impassibilitate quam habent Elias, & Henoc in Paradiso terrestri, & quam habuerunt vestimenta, & calceamenta Hæbreorum in deserto, & Martyres traditi igni, & bestiis, solùm extrinsecæ Dei providentiæ ea tribuunt. Tùm quia addit difficillimum esse explicare, quæ qualitas possit esse talis naturæ, ut impediat non solùm læsionem ab intrinseco, sed etiam ab extrinseco, putà per gladium, vel ignem, & multò minus læsionem intentionalem fætoris, soni molesti, & similia.

75 Sed objicies, quod Deus hoc modo corporis beati passibilitatem impediat, non videtur esse dos, & perfectio illius, cum non sit quid intrinsecum ipsi, sed solùm ex extrinseca Dei protectione oriatur, cùm ergo impassibilitas dicatur esse dos ejus, & perfectio, in hoc constitui non debet. Deindè si ita declaretur dos impassibilitatis, esset etiam damnatis communis, & Cœlis, aliisque etiam elementis, nam etiam damnatorum corpora, & Cœlorum formæ, ac elementa à corruptione præservabuntur; atque ita non esset aliquod speciale beatorum donum. Denique si hoc modo sunt impassibilia, sequeretur præservationem illam esse miraculosam; at opera divina perpetua non videntur esse miraculosa juxtà dictum Augustini, sic Deus res, quas condidit, administrat, ut motus suos agere sinat. Respondetur ex Scoto loc. cit. & sequitur Lezana loc. cit. quod quamvis impassibilitas declarata solùm ab aliquo extrinseco proveniat physicè loquendo, nimirum ex Dei extrinseca protectione; loquendo tamen moraliter est aliquid intrinsecum, scilicet, jus quoddam ad nihil læsivum recipiendum, quod ex pacto, & voluntate Dei habent corpora glorioſa, fundatum tamen veluti radicitus in ipsorum meritis, & in ipsa beatitudinis ratione, quæ debet esse status omnium bonorum aggregatione perfectus sine ulla imperfectione, aut capacitate ad recipiendum aliquid mali, vel molesti, qua ratione etiam dici posset cum Poncio loc. cit. quod ex unione corporis cum anima glorioſa, quæ est corpori intrinseca exigatur connaturaliter, ut Deus hoc modo ipsum protegat, & in hoc sensum dici posse dotem impassibilitatis esse corpori beato intrinsecam, quatenus radix, undè exigitur, idest illa unio, est ipsi intrinseca. Et tandem, si talis protectio, & custodia esset corpori beato omninò extrinseca, falsum est adhuc non esse magnam perfectionem, est enim magna ejus perfectio, quod pati non posit, undècunque hoc proveniant, sicut magna perfectio est, & dignitas aliquem esse Regem, quamvis hoc ipsi ex extrinseca Dei institutione, vel Reipublicæ conveniat. Ad secundùm negat Doctor consequentiam loco citato quia corpora damnatorum, quamvis futura sint incorruptibilia, adhuc tamen erunt passibilia, patientur enim immutationem realem, ac intentionalem, & incorruptibilitas illa erit ad perpetuam eorum afflictionem, & ex demeritis, non sic incorruptibilitas beatorum corporum, quia nunquam ullo modo aliquid patientur, & hoc in eorum commodum, & ex meritis eorum. Neque elementa, aut Cœli jus habent, ut à corruptione præserventur, sed illis à Deo collata est ad suæ magnificentiæ ostensionem, & beatorum delectationem, & gaudium. Ad ultimum negat etiam Doctor consequentiam, quia nunc esset miraculum non coagere Deum causæ secundæ, non tamen tunc, quia hìc est status mutationis, ille verò quietis, & pro tunc erit naturale, sivè consuetum secundùm communem cursum, quod agat ad quietem, sicut nunc ad motum; undè com-

pleta duratione mundi quoad præsentem statum, sicut erat creaturis naturale agere corruptivè ex concursu Dei cum illis; ita erit eisdem connaturale sic non agere ex defectu ejusdem concursus; de quo alia plura videri possunt apud Hiqueum l. cit. in Commentario, & Brancatum disp. 21. art. 2.

76 Secundò quæritur an corpus glorioſum per dotem ſubtilitatis poſſit cum alio corpore compenetrari. Affirmant communiter Theologi, præſertim Scotus 4. diſt. 49. quæſt. 16. & D. Bonav. eadem diſt. art. 6. quæſt. 1. dicentes hanc dotem conſiſtere in facultate, quam habent Beati ad penetrandum ſe cum quibuſcunque corporibus ad eorum libitum, ſupponentes unanimiter contrà Durandum, & alios quoſdam penetrationem corporum eſſe poſſibilem de potentia Dei abſoluta, ut ex profeſſo oſtendimus in l. Phyſ. diſp. 11. q. 7. Hoc autem probatur, quia hæc dos ſubtilitatis in Beatis colligitur ex pluribus fidei myſteriis, etenim SS. Patres unanimiter docent, Chriſtum Dominum illæſo Virginis utero eſſe natum; clauſo ſepulcro reſurrexiſſe; Evangeliſtæ teſtantur clauſis januis eſſe ad diſcipulos ingreſſum, & Paulus ait in aſcenſione Cœlos penetraſſe, non poſſet autem ex his myſteriis dos ſubtilitatis ſufficienter colligi, niſi quatenus corpora glorioſa ex vi dotis hujuſmodi facultatem habent alia corpora penetrandi, undè Patres communiter hanc perfectionem in Beatis explicant in ordine ad penetrationem corporum, quam dicunt repugnare corporibus non beatis ob corpulentiam, & dimenſiones, quæ inter naturales defectus corporis mortalis recenſentur. Undè D. Auguſt. lib. de Agone Chriſtiano cap. 24. loquens de ingreſſu Chriſti januis clauſis inquit, quod poſtea reſurrectionem ſuam de corpore ſuo fecit, quod voluit, ſi enim potuit antè paſſionem clarificare illud, ſicut ſplendorem Solis, quare non potuit & poſt paſſionem ad quantam vellet ſubtilitatem in temporis momento redigere, ut per clauſa oſtia poſſet intrare, &c. Damaſcenus lib. 4. *de fide* cap. ult. Seminatur, inquit, corpus animale, craſſum, & mortale, reſurgit corpus ſpirituale, immutabile, impaſſibile, & ſubtile, hoc enim deſignat ſpirituale, quale Domini corpus poſt reſurrectionem clauſis portis ingrediens. Euthimius in cap. 20. Joannis ait, clauſis januis introivit, tanquam Deus, & quaſi corpore ſuo levi jam, & ſubtili, ac immortali effecto &c. Epiphanius hæreſi 20. inquit, Chriſtus ſurrexit ex mortuis; non aliud corpus ſuſcitans, ſed ſeipſum, quod erat, in ſpiritualem ſubtilitatem tranſmutans ingreſſus per fores concluſas, id quod fieri nequit hic in noſtris corporibus propter craſſitudinem, quod nondùm in ſpiritualem ſubtilitatem ſunt conjuncta; ergò ex communi Patrum ſententia dos ſubtilitatis corporis glorioſi conſiſtit in facultate alia corpora penetrandi.

77 Undè autem vis iſta oriatur corporis glorioſi ad ſe penetrandum cum aliis corporibus, Scot. loc. cit. §. *Sed de tertio articulo* ait non oriri ex aliqua qualitate ſeù intrinſeca entitate, vel diſpoſitione beatorum, ſed ex aſſiſtentia, & concurſu divino, ſeù debito habendi hanc aſſiſtentiam, quia informatur ab anima, quæ id meruit, per quam non obſtante natura i repugnantia penetrationis plurium corporum eodem in loco, hæc tamen fiat; & hoc declarari poteſt exemplo dotis impaſſibilitatis, quam etiam diximus non in aliqua qualitate conſiſtere, aut intrinſeca facultate corporibus glorioſis à Deo conceſſa; ſed in extrinſeca aſſiſtentia, ſeù protectione Dei, ac intrinſeca exigentia talis aſſiſtentiæ. Confirmatur, quia ſubtilitas corporis glorioſi ſecundùm communem Doctorum ſententiam non eſt aliud niſi non repugnantia corporis glorioſi ad eſſendum cum alio corpore in eodem loco; ſed talis non repugnantia, inquit Doctor non importat aliquam qualitatem poſitivam; ergò &c. Tandem nulla qualitas, aut interna diſpoſitio corporis, vel animæ poteſt à quantitate corporis glorioſi repugnantiam naturalem auferre penetrandi aliud corpus, nec vim expellendi aliud corpus ab eodem loco impedire, quia vel hic eſt effectus formalis ſecundarius quantitatis, vel ſi eſt in genere cauſæ efficientis, eſt ita ipſi connaturalis, ut à cauſa ſecunda impediri non poſſit, ſed tantùm à Deo, qui & ſupra, & contrà exigentiam naturæ operari poteſt, & ſuo concurſu eum quantitatis effectum impedire, ac conſequenter duo corpora in eodem loco ſituare; ergò ſubtilitas corporis glorioſi ad ſe penetrandum cum aliis corporibus provenit proximè ex eo, quod Deus concurrat cum illis ad id faciendum, & remotè ex unione cum anima glorioſa, ratione cujus aliquo modo exigit talem concurſum divinum, non enim oſtendi poteſt, undè poſſit alio modo commodè, aut ſaltem æquè facilè provenire; nec ulla eſt difficultas, quin indè provenire poſſit, ut fusè oſtendit Hiqueus d. 49. qu. 16. cit. in Commentario; & deducitur ex modo loquendi Patrum in exemplis allatis de penetratione corporum, hanc enim ſoli Deo tribuunt, & omnem cauſam ſecundam phyſicè concurrentem excludunt ſivè naturalem, ſivè ſupernaturalem; de quo etiam alia plura videri poſſunt apud Brancatum diſp. 21. cit. art. 6. §. 2. Radam. 4. part. controv. 14. art. 4. & alios Scotiſtas, quarè in l. Phyſ. diſp. 11. qu. 7. c. nu. 107. in fine concluſimus dotem hanc ſubtilitatis non conſiſtere in aliqua qualitate phyſica beatis corporibus inhærente, ſed eſſe poteſtatem penetrandi omnia ex peculiari aſſiſtentia Dei auferentis impedimenta naturalia, quam Scoti ſententiam Lezana quoque loc. cit. amplectitur cum Arriaga, & aliis Recentioribus par. 1. to. 2. tr. *de Beatitudine hominis* diſ. 56. ſect. 2.

78 Tertiò quæritur, an corpus glorioſum ſit agile; hoc eſt, an habeat virtutem quandam, qua corpus beatum celeriter, promptè, ac expeditè cum dexteritate ſe moveat, agilitas enim deſcribitur à Scoto 4. d. 49. quæſt. 14. B. quod ſit in corpore beato habilitas ad promptè ſe movendum ſecundùm locum ex perfectione virtutis motivæ animæ, & congrua diſpoſitione corporis. Affirmant communiter Theologi d. 49. cit. præſertim Scotus, D. Thomas, D. Bonaventura, & alii paſſim, quod deducunt ex pluribus Scripturæ locis, præſertim verò ex illo Sap. 3. *Fulgebunt juſti, & tanquam ſcintillæ in arundineto diſcurrent*, ubi Liranus ait tanquam ſcintillæ per dotem agilitatis, quia corpus obediet ad nutum animæ quantùm ad localem motum; & Iſaiæ 40. *Qui ſperant in Domino mutabunt fortitudinem, aſſument pennas, ut Aquilæ volabunt, & non deficient, current, & non laborabunt*, quem locum declarans D. Hieronymus ait, Sanctos repueraſcere, & aſſumpto immortali corpore laborem non ſentire mortalium; ſed rapi in nubibus obviam Chriſto Domino. Difficultas modò eſt, undè hæc agilitas proveniat in corporibus beatis, & in quo conſiſtat; aliqui dixerunt eam conſiſtere in quadam qualitate poſitiva, & ſupernaturali à Deo collata beatis, per quam prompti; & expediti ſunt ſua corpora celerrimè movere, non ſolùm motu progreſſivo, ſed etiam ſimplici in omnem mundi partem juxtà eorum beneplacitum, quia qualitas illa habet virtutem productivam impulſus ad nutum voluntatis ad modum, quo ignis excitatus ex pulvere tormentario producit impulſum in globo ferreo graviſſimo, quo mediante ad magnam diſtantiam cum maximo impetu proiicitur; quam qualitatem dicunt immediatè in anima reſidere, & non in corpore, quia etiamſi vocetur dos corporis, eo quod effectus ejus, ſcilicet, motus in corpore ſubjectatur; nihilominus cum proprium munus animæ ſit movere corpus vitaliter, & ad omnem loci differentiam, ideò immediatè in ipſa hæc qualitas motiva eſt reponenda, & non in corpore, cui potius proprium eſt ab anima moveri. Hoc autem deducunt ex D. Auguſt. 13. de Civit. cap. 19. & ex D. Anſelmo de ſimilitudinibus cap. 51. ubi comparant hanc agilitatem beatorum illi, quam habent Angeli; & ex eo, quod nulla poteſt afferri difficultas, quin Deus talem qualitatem poſſit conferre beatis, & quod de facto contulerit, cum conformius naturis rerum ſit, ut motus fiat à vi, ſeù qualitate intrinſeca motiva; ita Thomiſtæ quamplures, & præſertim Lezana, & Arriaga loc. cit. ex Recentioribus. Alii verò antiquiores dixerunt illam diſpoſitionem ex parte corporis eſſe aliquam qualitatem, per quam corpus redditur habile, ut moveatur ab anima ſecundùm ejus virtutem motivam, & per illam qualitatem auferri ea, quæ modò impediunt, ne corpus faciliter moveatur ab anima ſine labore, undè auferatur gravitas, quæ impedit, & probant ex Auguſt. 21. de Civit. Dei cap. 10. ubi dicit, quod tunc pondus grave corporis auferetur.

79 Hanc opinionem reiicit Scotus loc. cit. §. *Quartò videndum*, ubi probat hanc agilitatem non conſiſtere in qualitate aliqua poſitiva ſupernaturali corpori, vel animæ ſuperaddita, quia aſſignari non poteſt quænam qualitas ſit iſta facilitans ad promptum corporis motum ad omnem loci differentiam; illa enim qualitas non eſt cœleſtis, ut omnes concedunt; ergò vel eſt qualitas mixti, vel elementaris; ſed nulla talis poteſt dare corpori agilitatem, ut moveatur ad omnem differentiam poſitionis, & ad omnem locum, quia quælibet earum eſt naturalis id eſt intrinſecè ad unum determinata, quam vis beati id facere poſſint. Confirmatur, quia valdè difficile eſt, quod una qualitas ſivè ſupernaturalis habere poſſit virtutem ad impulſos tam diverſos, qui ad agilitatem requiruntur ſurſum, deorſum, antè, retrò, & quaquaverſum producendos, nam illa qualitas neceſſariò haberet inclinationem determinatam, ſicut aliæ formæ habent, ſiquidem charitas, quæ eſt perfectiſſima qualitas activa, & ſupernaturalis habet determinatam inclinationem ad actionem, vel operationem, & naturaliter omnis forma, quæ inclinat ad motum, inclinat ad determinatum motum; ergò non apparet, quomodo qualitas illa poſſit eſſe principium motus ad omne Ubi, ad quod corpus beati moveri poteſt. Tandem aliam quoque impugnat opinionem, quod talis qualitas corpori ſuperaddita ejus gravitatem tollat, quia quod maneat corpus hominis, & dominetur in eo terra, & tamen non maneat in eo gravitas, eſt omninò inconveniens, ſicut dicere, quod fiat

Sol,

Sol, vel aliud corpus cœleste, & dominetur in ipso terra; & quod non maneat gravitas manente terra, esset idem dicere, sicut quod remaneret lapis, & non esset durus; non ergò apparet, quod per illam qualitatem tollatur gravitas; anima enim humana non perficit corpus quocunque modo dispositum, si enim esset corpus hominis ità densum, sicut aurum, non esset perfectibile ab anima, & sic etiam si non haberet gravitatem, & alias qualitates naturales, non esset perfectibile ab anima. Tùm quia, ut infrà de resurrectione dicemus, corpora in sua integritate resurgent, & cum qualitatibus connaturalibus suis, quarum una est gravitas, & hoc etiam concedunt Thomistæ citati, dicemus corpora beata sua gravitate naturali non privari, quia illa est proprietas, & perfectio naturalis ipsorum, spectans quodammodo ad ipsorum constitutionem naturalem, sed tantùm accidentali, ut ait Scotus loc.c. lit. K. declarans dictum Augustini, quod grave pondus aufertur.

80 Concludit itaque Doctor loc.cit. §. *Respondeo ergo* dotem agilitatis in beatis esse intensionem, & perfectionem majorem virtutis motivæ cum amotione duplicis impedimenti corporis ad motum, & collatione bonorum spirituum vitalium, sine supernaturali quocunque addito corpori, vel animæ; non enim oportet ex parte animæ, nisi quod virtus motiva fiat perfectior, & quod resistentia accidentalis ex parte corporis tollatur, & utrunque potest fieri sine supernaturali addito, quia quod modò in anima virtus non sit sufficiens ad motum agilem, & celerrimum, hoc est quia vel est impedita à corpore, vel quia in se est diminuta; sed cum est separata, aut corpori glorioso unita, intenditur, sicut virtus beati visiva intenditur corpore glorioso resumpto; sic ergò etiam potentia motiva in anima intendi potest ad gradum perfectum, quod sufficiat ad movendum corpus illud sine fatigatione, etenim ex sacris litteris *corpus mortale aggravat animam*, nec tamen erit nova potentia, sicut nec virtus visiva in beato est alia potentia. Ex parte autem passi, seù corporis duplex impedimentum amovebitur, unum in ordine ad motum progressivum, quod est ex inflexibilitate junctura rum, nervorum, & tumore etiam musculorum, quæ flexibilitatem idoneam ad talem modum impediunt; aliud impedimentum est in toto corpore, quod est repletum humoribus grossis, & spiritibus, & caput fumositatibus, & alii similibus, quæ reddunt hominem pigrum, & ad veritatem humanæ naturæ non pertinent; hæc autem in resurrectione amovebuntur, & spiritus boni, & subtiles dabuntur corporibus glorioss, per quæ reddetur corpus multùm agile ad motum; sicut patet per oppositum de corpore mortuo, quod efficitur gravius, non quia plus de quantitate, aut materia apponatur, sed quia spiritus vitales corrumpuntur, & humores grossi inducuntur; ità discurrit Doctor l. c. quarè agilitas in corpore beato oritur ex intensione virtutis motivæ in anima, & ex remotione humorum crassorum impedientium tam in juncturis, quàm in toto corpore facilem, ac promptum corporis motum, ratio enim cur nunc corpus aliquod cum majori difficultate possit progressivè moveri, est multitudo humorum in juncturis, & nervis, & fumositatum in cerebro existentium, quæ hominem reddunt pigrum, & desidem, undè corpora beatorum non carebunt gravitate connaturali competente perfectè mixto, sed gravitate accidentali, & superflua ab intrinseco in eo intrusa, quæ proindè ad veritatem naturæ humanæ non pertinet, ut dictum est. Hoc etiam probari potest exemplo maximæ agilitatis, quam constat multos habere in hac ipsa vita mortali ex bona corporis dispositione ad nutum suæ voluntatis; cum enim longè perfectior sit dispositio corporis beatorum, longè major beato concedi debet, unde suppositio quod impedimentum gravitatis accidentalis tollatur modo jam explicato, nulla remanet difficultas in maxima agilitate ipsis concedenda, quem dicendi modum etiam satis probabilem judicat Arriaga loc.cit. Objectiones autem quasdam vide solutas apud Hiqueum d.49.cit.q. 14.in Commentario, & apud Brancatum d.21. art. 4.

81 Quartò quæritur, an corpus glorioss ratione agilitatis moveatur solùm organicè, vel aliter; pro cujus quæsiti intelligentia præmittit Scotus lo. cit. sub B. vers. *Tertiò videndum est* in homine motum organicum reperiri, qui consistit in hoc, quod curpus non movetur totum simul, sed pars post partem, ut patet in motu progressivo, in brachii, vel cruris elevatione, una enim ejus parte mota, non simul alia movetur, sed successivè, & hunc motum esse in homine experientia constat; an verò anima præter virtutem movendi corpus organicè, habeat etiam virtutem movendi illud inorganicè, nempè non partem post partem, sed totùm simul, sicut cum quis lapidem movet, vel si Angelus totum hominem simul elevaret, & aliò transferret, ait Doctor, non esse ità manifestum, id tamen quoque esse satis probabile, quia anima ex se habet potentiam ad se movendum de loco ad locum, non quidem progressivè, & organicè, cum partibus careat, sed motu simplici, & tota simul; ergò potest etiam corpus sibi unitum movere, non organicè, motu simplici, & totum simul. Probatur consequentia, ex hoc enim quod Angelus potest se inorganicè movere, potest etiam hoc modo hominem, vel aliam rem corpoream movere, & similiter lapis, quia motu simplici movetur, & inorganicè, si deorsum descendit, hominem sibi alligatum secum trahit, & motu simplici, ac inorganicè movet. Hoc præsuppositio inquit Doctor, & omnes Doctores conveniunt, certum esse corpora beata posse se movere localiter progressivè, si enim ità se movere non possent, frustra eis agilitas concederetur, respectu motus localis tantùm exerceri potest, & hoc manifestè colligitur ex locis Scripturæ adductis, quod *sicut scintillæ in arundineto*, & Sap. 3. *quod current, & non laborabunt, ambulabunt, & non deficient*. Deindè subdit Doctor, posse etiam asseri, & satis probabiliter, quod corpora beata etiam inorganicè, & motu simplici movebuntur, quia anima, ut dictum est, talem habet potentiam, non solùm se movendi inorganicè, sed etiam corpus sibi unitum, quam etsi circà mortale exercere non possit, poterit tamen, quando immortale resurget; nam corpora beata adeò velociter movebuntur, ut eorum motus dicatur volatus, ut constat ex illo Isaiæ 40. *Ut Aquilæ volabunt, & non deficient*; ergò poterunt tota simul, & inorganicè moveri, qua ratione D. Augustin. & Anselmus loc. citat. dicunt corpora beatorum futura velocia, sicut sunt Angeli, & eorum agilitatem comparant illi, quam habent Angeli. Tandem ait Doctor lit. C. potentiam animæ ad motum proprium, & corporis, sivè organicum, sivè inorganic um unam, & eadem esse, quia numquam ponenda est pluralitas sine necessitate, sed non est necesse ponere duplicem virtutem motivam in anima respectu sui corporis movendi, potest enim uterque motus salvari ponendo eandem virtutem in anima, quæ utrumque efficiat, organicum quidem cum corporis activo etiam consortio; inorganicum verò se sola corpore merè possivè se habente, sicut si homo ad aliquem locum ab Angelo raperetur, aut si à gravi annexo deorsum traheretur, de quo alia plura apud Brancatum videri possunt art.4.cit. §.1.

82 Quintò quæritur, an corpus glorioss sit clarum. Conveniunt Theologi omnes corpora Beatorum post resurrectionem habitura dotem claritatis. Ità D. Thomas, D. Bonav. Scotus, & alii passim 4. d. 49. & ità manifestè deducitur ex Epist. ad Philipp. 3. *Reformabit corpus humilitatis nostræ, configuratum corpori claritatis suæ*, & ex 1 Corint. 15. *alia est claritas Solis, alia est claritas Lunæ, alia est claritas Stellarum; Stella enim differt à Stella in claritate, sic & resurrectio mortuorum*, & Sap. 10. dicitur de justo, *& dedit illi claritatem æternam*, & idem in Scripturis habetur alibi frequenter. In quo autem hæc claritas consistat, Scotus d.49. cit.qu.15.§ *Respondeo* inquit consistere in perfectissimo colore cum refulgentia, seù in splendida manifestatione colorum in gradu excellentissimo ultrà mensuram propriæ complexionis connaturalem, ac etiam in luce, si corpus humanum est lucis capax; quam limitationem addit, non quia negaverit corpora beatorum esse lucida, ut ibi advertit Hiqueus cum Bassolio, & Nicolao de Nissa, sed propter specialem difficultatem circà hoc vertentem, quia scilicet, lux, & color de facto dispositionem contrariam requirunt in subjecto, undè corpora lucida de facto non sunt colorata, nec lux, & color in eodem subjecto possunt simul induci ab agente creato, & in solutione ad 2.prin. approbat, quod corpora beatorum non solùm sint perfectissimè colorata, sed etiam lucida, quia lux, & color in eodem subjecto absolutè non repugnant, nisi per comparationem ad actionem agentis creati. Itaque claritas particularis, quam habebunt corpora beata, consistit in qualitate aliqua positiva supernaturaliter à Deo illis concessa, quæ facit illa lucida, ita tamen, ut non solùm videri possint, ut lucida, sed etiam ut colorata perfectissimis coloribus, quos quisque juxtà suam complexionem habebit, sed in gradu perfectissimo; quia ut inquit Doctor, magis delectatur sensus visus hominis in pulchro colore corporis humani, quàm in corpore luminoso, & plus delectatur naturaliter in videndo faciem humanam benè coloratam, quàm Solem; Corpora verò beatorum esse quoque lucida expressè deducitur ex Scripturis Sap. 3. *Fulgebunt justi, & tanquam scintillæ in arundineto discurrunt*, quem locum explicat Liranus non solùm quantùm ad animam, sed etiam quantùm ad corpus, quod scili. glorioss resurget quantùm ad dotem claritatis corporis; sic etiam habetur Matt. 13. *Tunc fulgebunt justi, sicut Sol in regno Patris eorum* & 1. Corint. c. 15. c. ubi Apostolus mortuos resurrecturos Soli, Lunæ, ac Stellis comparat, quæ quidem corpora lucida, & splendentia sunt, & hunc locum unanimiter Patres omnes sic explicant. Addendum tamen est ex Scot. loc. c. & est communis Doctorum sensus hujusmodi claritatem inæqualem esse in corporibus beatis juxtà majorem, vel minorem perfectionem beatitudinis animæ, sicut, & lumen gloriæ inequale etiã est

in Bea-

in Beatis juxtà majorem, vel minorem perfectionem claritatis, & meritorum diversitatem, undè concludit Doctor loc.c. quod Beati non omnes erunt equè clari, etiam habentes similem complexionem, sed singuli secundùm merita sua, quod etiam expresse deducitur ex 1. Corint. c. 15. cit. ubi dicitur, quod alia est claritas Solis, alia claritas Lunæ, & alia claritas Stellarum, & quod sicut Stella differt à Stella in claritate, sic & resurrectio mortuorum, quod quæsitum fusius tractat Doctor d. 50. q. 6. an beatitudo corporum erit æqualis.

83 Sextò quæritur, an corpus glorioſum ita sit lucidum, ut etiam sit diaphanum, & transparens. Affirmant quamplures dicentes, quod lux non solùm erit in extrema parte corporis, sed in intimis etiam, itaut reddat ipsas non solùm lucidas, sed etiam pellucidas, & transparentes apparentibùs omnibus visceribus, venis, arteriis, nervis, ossibus, juncturis cum suis coloribus, figuris, mensuris, & proportionibus, quod dicunt expresse docuisse D. August. l. 2. de Civit. Dei 30. & l. 2. de Genes. contra Manich. c. 21. & D. Greg. 28. Moral. c. 3. & alios Patres, & rationem deducunt ex exmplo Solis, Stellarum; & Cœlorum, in quibus id reperitur. Congruentiam verò ex eo, quod quemadmodum lumen gloriæ informat animam in omnibus partibus corporis existentem, sic etiam hoc lumen corporeum consentaneum est, quod omnes illas informet, ita D. Tho. 4. d. 44. q. 2. Paludanus q. 5. a. 2. Lezana, & Arriaga l. c. Suarez, Salas, Lusitanus, & plures alii. In negativam partem Scotus magis inclinat lo. c. in solutione argumentorum propter repugnantiam corporis lucidi, & colorati quæ sunt impervia ad perspicuitatem, & dicit lucem minus repugnare corpori glorioso, quàm lumen, quod recipitur in perspicuo, lux autem in superficie est corporis lucidi; & ad auctoritatem D Gregorii l. c. dicentis, quod patebit oculis corporalibus harmonia corporis glorioſi interior; respondet oculum glorioſum videre posse interiora, & fore ipsi perspicua per poros sicut lynx dicitur à naturalibus videre, quæ post parietem sunt, quod etiam docet Abulensis in paradoxo 3. ca. 30. ubi ait corpus opacum intermedium non prohibere visionem oculi glorioſi, qui proindè ut erit perspicacissimus, videbit omnia interiora corporis glorioſi per poros ejus Quamvis igitur aliquis Patrum existimaverit corpora beatorum futura luminosa, pervia, seù perspicua, & diaphana; probabilius tamen est, non sic futura, sed lucida, densa, & opaca, ut ait Brancatus disp. 21. cit. art. 5 & ratio est, quia corpora beata ratione claritatis in scriptura comparantur corporibus lucidis, ac densis, non verò luminosis, ac pervijs, ut enim constat ex dictis Matt. 13. comparantur Soli, *fulgebunt sicut Sol*, & 1. Cor. 15. comparantur Soli, Lunæ, ac Stellis, & sic resplenduit corpus Christi in Thabor Matt. 17. omnia autem ista sunt corpora densa, & opaca, quamvis lucida, non autem pervia, & perspicua, ut patet; tùm quia corpus perspicuum non potest esse coloratum, ut patet de aere, aqua, & Cœlo, corpora autem beatorum erunt perfectissimè colorata, ut constat ex dictis; ergò &c. Objectiones autem quasdam vide solutas apud Brancatum l. c. & hanc sententiam quoque docent D. Bonav. d. 49. cit. p. 2. art. 5. Riccardus art. 4. q. 6. Soto q. 4. a. 8. Durandus d. 44. q. 8. Abulensis l. c. & plures alii.

84 Postremò constat ex dictis quatuor esse dotes corporis glorioſi, nempè Impassibilitatem, Subtilitatem, Agilitatem, & Claritatem, quæ dotes appellantur, quia de jure beatis debentur ratione beatitudinis animæ, & suorum meritorum ex ordinatione divina; & hìc numerus quaternarius, ut docet D. Bonaventura dist. 49. part. 2 art. 2. quæst. 1 accipitur ex illo Sap. 3i *fulgebunt justi, & tamquam scintillæ in arundineto discurrent*, in fulgore claritas, in justitia impassibilitas, quia justitia est perpetua, & immortalis, in scintillæ nomine subtilitas, & in discursu agilitas; sufficientiam autem numeri hujus quaternarii alii accipiunt à causa finali, alii ab efficiente, alii à formali, & alii à causa materiali, quæ ultima est convenientior rationi, & auctoritati, ut ait S. Doctor ibidem; Corpus enim nostrum ex quatuor elementis est compositum, & quia elementa sunt imperfecta, quadruplicem habet ab eis defectum; ab aqua quæ est elementum humidum, & passibile, habet passibilitatem, & corruptionem; à terra verò habet obscuritatem, quia est elementum opacum; ab igne animalitatem, quia calor consumit continuò, ideò continua indiget alimonia ciborum; ab aere verò habet infirmitatem, aer enim facillimè immutatur, & cedit cuilibet impellenti. Quoniam igitur isti quatuor defectus debent per bona opposita removeri ad hoc, quod corpus sit perfectum perfectione completa, ideò quatuor sunt dotes; undè contra corruptionem ponitur impassibilitas, contrà obscuritatem claritas, contrà animalitatem spiritualitas, ideſt agilitas contra infirmitatem virtus, sivè penetrabilitas scilicet subtilitas, & hæc sufficientia inter omnes est convenientior, quia correspondet auctoritati, & rationi; auctoritati quidem Apostoli 1. ad Cor. 15. ubi sic ait. Seminatur in corruptione, resurget in incorruptione, ecce impassibilitas; seminatur in ignobilitate, surget in gloria, ecce claritas; seminatur in infirmitate, surget in virtute, ecce penetrabilitas, ideſt subtilitas; seminatur animale, surget spirituale, ecce agilitas; undè Apostolus sumit dotes per comparationem ad illos quatuor defectus, quos removent, & sic etiam discurrit D. Augustinus de Civitate Dei cap. 22. Concordat etiam hæc sufficientia rationi, dotes enim corporis beati dicuntur non omnes qualitates, sed nobiles, & principales de novo superadditæ naturæ contrà naturales defectus suprà relatos, qui ex causis ejus principalibus oriuntur, quæ sunt elementa, ob idque ratio exigit, ut in hominis resurrectione, & revocatione isti defectus per illas perfectiones, & dotes tollerentur.

ARTICULUS SECUNDUS.

An sensus Beatorum habituri sint oblectationes circà sua objecta.

85 CONveniunt Doctores, sensus beatorum futuros integros, & perfectos, ac ad suum usum expeditos, & habituros suum actum, & oblectationem circà sua objecta, quantum attinet ad corporis beatitudinem; cum enim Beati habituri sint corpora sensibus ornata cum perfectissimis organis, & spiritibus ad eorum usum accommodatis, irrationabile prorsus est, quod eorum operationibus careantur, & oblectationibus, quæ illos comitari solent. Confirmatur, quia illa beatitudo erit consummata hominis fœlicitas, in tali autem beatitudine opus est totum hominem beari, quantùm fieri potest; ergò non tantùm secundùm animam beari debet, sed etiam secundùm corpus, atque ideò debet etiam corporis sensus suum usum, & voluptatem habere, quantum attinet ad corporis beatitudinem. Denique sicut post resurrectionem damnati in Inferno torquebuntur, non tantùm quoad animam, sed etiam quoad corporis sensus; ità etiam Beati in Cœlo non tantùm quoad potentias animæ intellectuales lætabuntur, sed etiam quoad sensitivas corporis, cum Deus in præmii retributione minus liberalis non sit, quàm in peccatorum punitione severus. Difficultas itaque solùm est, an in omnibus futurus sit aliquis usus, & delectatio, & qualia esse poterunt pro eis sensibus objecta, ad beatitudinem corporis pertintentia de quo breviter in præsenti articulo discurremus juxtà doctrinam scripturarum, & SS. Patrum ne in hoc negotio satis nobis recondito aliquid temerè proferamus, quia ut habetur Isaiæ 64. & Corint. 2. *Nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit quæ præparavit Deus diligentibus se.*

86 Primò certum est, & de fide potentiam vegetativam nullum habiturum actum neque generandi, neque nutriendi. Ità Theologi omnes, & præsertim Scotus noster 4. d. 49. quæst. 13. in solutione secundi principalis, ubi ait in corpore beati omnes potentias sensitivas adesse, licet non omnes erunt sub actu suo, & illæ præsertim, quæ in actu suo imperfectionem habent comitantem, ut est potentia generativa, & nutritiva; & quidem de potentia generativa patet ex illo Matth. 22. & Lucæ 20. ubi Saducæi resurrectionem negantes à Christo, tanquam absurdum objecerunt, quod si aliqua mulier septem viris successivè nupsisset, in resurrectione litigium foret, cujusnam illorum virorum uxor esse deberet; cui objectioni Christus occurrens, respondit, *erratis nescientes scripturas, in resurrectione enim neque nubent, neque nubentur, sed erunt sicut Angeli Dei in Cœlo*, ubi Glossa ordinaria inquit cum connubia sint propter filios, filii propter successionem, successio propter mortem, ubi non est mors, neque conubia erunt; ergo post resurrectionem in patria erit copulæ carnalis usus, & sic potentia vegetativa quoad nullus actum generandi sub actu suo non erit. Quoad actum nutriendi probatur similiter ex 1. Cor. 15. *Seminatur corpus animale, surget corpus spirituale*, ubi pariter Glossa ord. inquit, non dicit spirituale, quasi corpus vertatur in spiritum, ut quidam putant; nam Christus Lucæ 24. post suam resurrectionem Apostolis dixit *Palpate, & videte quia spiritus carnem, & ossa non habet, sicut me videtis habere*, sed spirituale, quia spiritui plenè subdetur, nec alimentis amplius egebit, sicut corpus animale, & ità etiam hanc corporum spiritualitatem exponit, & explicat Doctor l. c. dicens, quod corpus beatum erit quidem spirituale, non prout spirituale substantiam incoream, insensibilem, & quantitate carentem significat, sed prout indicat substantiam totaliter spiritui subjectam, ac sine alimentis, ideſt, sine cibo, & potu viventem per solam informationem, ac vivificationem spiritus, & sic eundem locum passim Patres exponunt; nam Ambrosius inquit, animale corpus est, dum cibis sustentatur, ut vivat, spirituale autem, cum nihil horũ indigebit conversum in vitam. Theodoretus ait, animale vocatur, quod ab anima gubernatur, spiri-

ſpirituale autem quod à ſpiritu regitur, & ità etiam diſcurrit Auguſtinus lib. 6. Geneſ. ad litt. cap. 24. & lib. 9. cap. 3. lib. 12. ca. 8. dicens in reſurrectione Sanctorum corpus ſpirituale ab Apoſtolo appellari, non quia ſubſtantiam incorpoream ſit habiturum, ſed quia miris modis ad omnem facilitatem, & incorruptionem ſpiritui ſubdatur, & ſine ulla corporalium alimentorum indigentia ſolo ſpiritu vivificatur. Neque dicas etiam corpora damnatorum incorruptibilia eſſe, & alimentis non indigentia, atque ideò talem ſpiritualitatem non eſſe ſpecialem corporum beatorum conditionem. Negatur enim conſequentia, quia ut dictum eſt art. præced. declarando dotem impaſſibilitatis, valdè diverſa eſt ſpiritualitas in corpore beati, & damnati, quia beatorum corpora, nedùm erunt incorruptibilia, ſed etiam impaſſibilia ab agente corporeo, ſicut ſpiritus, non ſic erunt corpora damnatorum; & licet damnatorum quoque corpora vivent abſque alimentorum indigentia, corpus tamen eorum non erit ſpiritui totaliter ſubditum, ut ſpiritu præcipiente ſtatim obediat, ac moveatur, ſed ut ait Anſel. libr. *de ſimilitud.* cap. 51. Malus tanto pœnarum pondere præmetur, ut nec pedem quidem, nec manum, vel aliquid ſui corporis movere poſſit juxtà illud Matt. 22. *ligatis manibus, & pedibus proiicite eum in tenebras exteriores*, at anima beata ictu oculi quocunque voluerit ſe cum corpore confert abſque ulla ejus reſiſtentia, ut ſuprà diximus declarando agilitatis dotem.

87 Secundò loquendo de ſenſibus externis conveniunt Doctores potentiam viſivam actum ſuum habituram, & delectationem plurium objectorum, præſertim verò de claritate corporum beatorum, omnes enim Patres unanimiter docent claritatem illam adeò excellentem eſſe, ut oculi tantùm immortales, & beati eam intueri poſſint, qua de cauſa in monte Tabor tres Diſcipuli Chriſti Domini fulgorem ſufferre non valentes in ejus transfiguratione prociderunt in facies ſuas, ut ait Chriſoſtom. in epiſt. 5. ad Theodor. delectabitur ergò valde potentia viſiva in aſpectu corporum beatorum, maximè verò Chriſti Domini, & B. Virginis ejus Matris, quia horum pulcritudo maxima erit, & colligitur ex illo Job. 19. *In carne mea videbo Deum, quam viſurus ſum ego ipſe*, & Iſaiæ 13. *Regem in decore ſuo videbunt*; undè Laurentius lib. 2. de diſciplin. & perfait, quod oculus delectabitur in amabili Redemptoris aſpectu, cùm videbit Regem in decore ſuo, gloria ornatum, ac in diademate redimitum, &c. & ſic etiam loquuntur D. Auguſtinus, Anſelmus, Nazianzenus, & alii PP. apud Salmaticenſes, Tannerum, Brancatum noſtrum, & alios paſſim. Eſt tamen aliqua difficultas, an omnes beati videbunt ſemper Corpus Chriſti, ac etiam aliorum beatorum ob maximam diſtantiam unius ab alio in vaſtiſſima illa, & fermè infinita mole Cœli Empirei, & maximum, quaſi infinitum numerum corporum beatorum, qui ſupponuntur non eſſe in Cœlo penetrati, ſed extrà ſe invicem; in qua difficultate varii ſunt modi dicendi, ut refert Arriaga to. 2. tract. *de Beatitudine hominis* diſput. 57. ſect. 1. & Luſitanus tom. 3. *de Beatitudine* libr. 4. Aliqui enim exiſtimant, ut Tannerus, Chriſtum pro conſolatione Beatorum ſe replicaturum in multis locis, ut ſic beatos omnes recreet præſentia, ſi enim in hoc mundo pro fidelium utilitate in tot diſſitis locis replicatur in venerabili Euchariſtiæ ſacramento, tantò magis, pro eorundem præmio, & conſolatione idem in Cœlo facere poterit. Alii verò, ut Arriaga loc. cit. dicunt corpus Chriſti elevatum eſſe divinitus ad producendas ſui ſpecies in quacunque diſtantia, quæ Chriſtum repræſentabunt cuilibet tàm diſtinctè, quàm ſi eſſet in debita diſtantia, in qua naturaliter videri poſſet. Alii dixere, ut Poncius noſter. quæſt. 7. *in fine*, quod fortaſsè diſpoſitio Cœli erit talis, et ſitus Beatorum, ut poſſit naturaliter Corpus Chriſti abſque replicatione locali, aut productione miraculoſa ſpecierum videri à quolibet Beato perfectius tamen vincitoribus, qui majoris meriti ſupponi debent. Verùm ut ait Doctor diſt. 49. cit. quæſt. 14. *in fine* hæc eſt res parvi momenti, quia licet beati erunt in determinata approximatione ad Chriſtum, tamen non minuetur eorum beatitudo accidentalis, cùm aliquantulum recedunt, quia recedunt, ſecundùm libitum ſuum, ſicut modo aliqui habent propinquitatem ad Regem in camera, vel extrà in aula; videntur enim omnes, & ipſe Chriſtus etiam movendi in Cœlo jam huc, jam illuc ad hoc enim dos agilitatis conceſſa eſt eis, & Joannes ipſe Apocal. 14. id quoque inſinuavit, dum dixit Virgines comitari Agnum quodcumque erit; jam ergò hos jam illos ſua recreabit præſentia, & ipſis etiam Beatis liberum omninò erit cùm voluerint accedere, vel recedere.

88 Tertiò conveniunt etiam Doctores potentiam quoque auditivam actum ſuum in patria exercere poſſe, & habituram delectationes ſibi proportionatas. Ità præſertim Divus Thomas, D. Bonav. & Scotus l. c. in ſolutione ſecundi principalis, ubi inquit, quod de viſu nullus dubitat, nec de auditu, ſi eſt ibi ſonus, & poſſibilis multiplicari, & immutare auditum, & hoc ex variis Scripturæ locis expreſsè deducitur, ut Pſalm. 83. *Beati, qui habitant in domo tua Domine, in ſæcula ſæculorum laudabunt te*, & Pſalm. 149. *Exultabunt Sancti in gloria, lætabuntur in cubilibus ſuis, Exultatione Dei in faucibus eorum*, ubi Gloſſa ordinaria ait, qui in corde, & lingua non deſinunt laudare eum, à quo habent æterna; ergo audiuntur corporaliter voces faucium, ſeù corporales; idem legitur Apocalyp. 14. ubi gloria Paradiſi deſcribitur; *Et audivi vocem de Cœlo, tanquam vocem aquarum multarum, & vocem, quam audivi ſicut citharedorum cyt harizantium in Cytharis ſuis, & cantabant quaſi Canticum novum antè ſedem, &c.* ubi Gloſſa ordinaria ait, & cantabant, id eſt, de integritate animæ, & coporis exultabunt, quod gaudium nunquam eis veteraſſet, ſed eis ſemper eſt, ut novum; ubi etiam Lyranus de gloria animæ, & corporis totum illud caput exponit; & idem etiam repetitur Apocalyp. 19. *Poſt hæc audivi, quaſi voce magnam turbarum multarum in Cœlo dicentium alleluja, laus, gloria, & virtus Deo noſtro*, &c. & ità etiam paſſim diſcurrunt SS. Patres, præſertim Divus Auguſtin. lib. 22. de Civitat. Dei cap. 30. & Divus Gregorius lib. 8. Moral. ca. 31. ubi ait, Benè os riſu impleri dicitur, & labia jubilo, quia in illa æterna patria, cum juſtorum mens in exultatione rapitur, lingua in cantum laudis elevatur; ergo ſenſus auditus erit in actu ſuo, & cum delectatione ſui objecti. Eſt tamen difficultas quomodo hic gratiſſimus ſonus eſſe poſſit in Cœlo, qui à Beatis audiri poſſit, nam ad voces, cantum, muſicam &c. requiritur ſonus, qui non niſi in aere formari poteſt, non autem in vacuo, aer autem non eſt in Cœlo empireo. Aliqui dicunt, ut Arriaga loco cit. ſect. 2. Cœlum empyreum eſſe ſaltem quoad aliquam ſui partem fluidum, & flexibile ad modum aeris, & auræ cœleſtis, per quem Beati reſpirare, & voces formare poſſint, ſicut nos per aerem elementarem. Quam ſolutionem alii non admittunt dicentes Cœlos eſſe ſolidiſſimos, *& tanquam ære fuſos*, veluti adamantinos juxtà illud Job. 37. etiam Empyreum, ſed quamvis in ſe ſit tale, nihilominus, quoad uſum Beatorum, ità pervium, facile, & flexibile eſſe, in ordine ad habitationem, locutionem, vocem, reſpirationem, motum localem, &c. ac ſi aereum eſſet, vel alterius ſimilis naturæ, ſivè hoc oriatur ex dotibus agilitatis, & ſubtilitatis ipſorum Beatorum, ſivè ex alio ſpeciali dono Dei ipſis collato, vel ſaltem extrinſeca aſſiſtentia, & cooperatione cum ipſis. Ità Lezana loc. cit. quam ſententiam inquit conformem eſſe Scripturæ, Patribus, & Doctoribus, qui paſſim loquuntur de Cœlo, tanquam de Civitate quadam jucundiſſima, & commodiſſima ad vitam, & habitationem, ad quod videtur hoc neceſſarium. Alii tandem dicunt, ut Poncius loc. cit. quod ſine dubio erit ſubſtantia aliqua tenuis, & liquida inſtar aeris in Cœlo, qua replebuntur partes interiores corporis beati, quæ modò aere replentur, neque enim erunt vacuæ, & hæc ſubſtantia mediāte voces formare poterunt, & invicem ſibi loqui. Qua in re quid aſſerendum ſit determinari non poteſt, quia *nec oculus vidit, nec auris audivit, neque in cor hominis aſcendit, quæ præparavit Deus diligentibus ſe*.

89 Quartò de olfactu, ſeù odoratu, quamvis aliqui dubitent, an ſit futurus ſub actu ſuo, & ſuam habiturus delectationem, ut Brancatus noſter ait loc. cit. communior tamen, & probabilior opinio affirmat. Ità Arriaga, Lezana, Tannerus, Poncius, & alii, probabile enim eſt ipſa Beatorum corpora ſuaviſſimum odorem in Cœlis exhalatura, ut de multis etiam mortuis in hoc mundo legitur, & experientia conſtat de corpore Beatiſſimi Patris noſtri Sancti Antonii de Padua in Arca ibi aſſervato, & ſicut corpora damnatorum in Inferno teterrimum ſpirabunt fætorem, ità probabiliſſimum eſt corpora Beatorum in Cœlis è contrà ſuaviſſimum odorem efflare, quod quidem ex illa Eccleſiæ Antiphona deducitur ex Eccleſiaſtic. 24. deſumpta, *Sancti tui Domine florebunt, ſicut lilium, & ſicut odor balſami erunt ante te*. quamvis enim quoad primam prtem de flore ſolùm metaphoricè ſumenda videatur, tamen quoad odorem nihil obſtat, quin etiam litteraliter intelligi poſſit, ſicut etiam plura alia Scripturæ loca, ut Cantic. cap. 1. *In odorem curremus, unguentorum tuorum*, & cap. 4. *Odor unguentorum tuorum ſuper omnia aromata*, & paulò poſt *Odor veſtimentorum tuorum, ſicut odor thuris*, & Apocal. 5. *Viginti quatuor ſeniores ceciderunt coram agno habentes phialas aureas plenas odoramentorum* & alia plura ſimilia. Addunt etiam aliqui ipſam Cœli empyrei ſubſtantiam hocœleſti odore à Deo imbutam fuiſſe pro beatorum ſumma fœlicitate augenda, ut refert Lezana loco citato, & Poncius inquit etiam veriſimile eſſe illam ſubſtantiam tenuem, quam dixerat aeri correſpondere in Cœlo Empyreo, eſſe ſuavi, & fragrantiſſimo odore reſperſam. Nec obſtat, quod odor non niſi media reſpiratione percipi poſſit; quæ in Cœlis futura non videtur. Non obſtat, inquam, nam hoc argumentum probaret etiam beatos loqui non poſſe, ſiquidem etiam loquela fit

per

per respirationem. Quamvis igitur non sit respiratio in beatis futura eo fine, quo in nobis mortalibus, nimirum ad temperandum cordis calorem, & illum corrigendum, ad id enim necessaria non erit; erit tamen necessaria ad alias sensuum functiones exercendas, & præsertim pro locutione, & odoratione, sicut etiam in nobis non datur ob solum correfrigerandum, sed etiam ut loqui possimus, & olfacere, ut ait Arriaga loco citato.

90 Quintò de tactu negant aliqui posse habere in patria delectationes sibi proportionatas, quia non erunt ibi venereæ delectationes ex Divo Hieronymo lib. 3. in Matth. pro reprobatione erroris quorundam putantium in Cœlos futuras nuptias, ut qui in hoc mundo propter Deum uxorem unam dimiserit, in alio centum accipiet, quia si in cæteris digna sit retributio in uxoribus apparet turpitudo. Ità Vulpes ex nostris tom. 2. part. 2. disputat. 55. art. ult. Probabile tamen, & conveniens videtur, ut etiam sensus tactus futurus sit sub actu suo perfectissimo, non enim semper ex imperfectione, aut ex necessitate fit tactus, ut accidit in venereis, & ità expressè docet Divus Bonavent. distinct. 49. cit. part. 4. quæst. 1. inverisimile enim omnino videtur, quod sensus iste per totum corpus extensus suo careat actu, & quod unus beatus alium tangere non possit, nam de facto Christus post resurrectionem exposuit se Apostolis tangibilem, & palpabilem, & de facto S. Bernard. serm. 1. de Assumptione, Virginis castissima, & dulcissima inter Filium, & Matrem oscula, & amplexus admittit, & idem de aliis beatis inter se piè credendum est, cum ab eo statu omnis inhonestas longissimè absit, & planè nemo negare potest beatos non summè delectari pedes Christi Domini osculando, ac ejus Sanctissimæ Matris, & tandem id etiam ratio ipsa suadet, quia sicut in damnatis sensus tactus viget, & cum actuali sensatione reperitur, ut magis corpora cruciari possint, ità è contrà ratio postulat, ut quoque in beatis remaneat in delectationem, ut in omnibus totum corpus sit fœlix, quod nisi per conjunctionem cum perfectissimis sensibilibus fieri nequit. Imò Scotus noster addit, ut etiam Tannerus advertit ipsum quoque Cœlum empyreum, aliosque orbes cœlestes futuros materiam gratissimam tactus; & ità etiam passim docent SS. Patres, quorum testimonia apud Tannerum, Suarez, Arriagam, & alios Recentiores videri possunt, quarè fatendum est sensum tactus etiam habere posse in patria delectationes sibi proportionatas cum omni decentia, & honestate, & absque omni periculo minimi motus inhonesti, ut status ille postulat, ac etiam interdum hìc evenit inter amicos, & consanguineos.

91 Sextò de sensu gustus dicunt aliqui facilè intelligi posse etiam suam delectationem illi respondere, quæ constat non quidem in perceptione cibi, & potus, aut alimenti, sed humoris cujusdam suavissimi à Deo præstiti ori, & faucibus, & palato beatorum, qui instar mannæ Hebræorum omnigeneam varietatem saporum tribuat ipsis, & omne delectamentum; sicut è contrà in damnatis reperietur aliquod acriter crucians illos in sensorio gustus, prout constat in divite Epulone, qui cruciabatur in lingua; nec opus est, ut ille gustus ordinetur ad sustentationem, aut concoctionem, sicut si aer, quem nunc respiramus, haberet qualitatem sapidam, sine dubio ilam experiri possemus, nulla interim ex eo facta concoctione, aut propria comestione, & nutritione. Ita Tannerus, Lezana, Arriaga, & alii Recentiores, qui etiam addunt delectationes quoque sensuum internorum, v.g. phantasiæ, imaginativæ, & appetitus sensitivi, potentia generativa excepta, in beatis futuras esse. Tùm quia tales potentiæ erunt in corporibus beatis, ac per consequens illarum operationes, quia per illas perficiuntur, ex quo etiam sequitur futuras delectationes, quæ tales consequuntur operationes, eo quod omnes potentiæ sensitivæ nobiliori modo passibili beatificari debent; Tùm etiam quia quemadmodum in hac vita ex contemplatione intellectus, & delectatione voluntatis in viribus istis inferioribus oriri solet apprehensio, & delectatio suavissima eorundem objectorum, ut colligitur ex illo Psal. 83. *Cor meum, & caro mea exultaverunt in Deum vivum*, multo potiori ratione id dicendum est in Patria contingere ex clara visione, & fruitione Dei. Sed quamvis hoc additum de sensibus internis concedamus, ut satis probabiliter dictum; quod tamen dicitur de sensu gustus omninò superfluum est, & sine ullo fundamento, quia nullus erit in Patria cibi, ac potus usus, ut constat ex dictis ab initio articuli, nec consequenter ullus gustandi actus, sed talis sensus in illo statu ab operatione sua manebit suspensus, quia ut habetur in Epistola ad Romanos c. 14. *Regnum Cœlorum non est cibus, non esca, sed pax, & gaudium in Domino*. Nec valet exemplum adductum de manna populo Israelitico subministrata in deserto, quia hoc factum fuit, non tantùm ob gustus delectationem, sed etiam ob eorum sustentationem, & corroborationem, qua Beati non indigent. Et si aliquid urgeret essent quædam Scripturæ auctoritates, quæ cibum, & potum beatis promittit, ut illa præsertim Lucæ 12. *Ego vobis dispono regnum, ut edatis, & bibatis super mensam meam in regno meo*, & quædam aliæ consimiles, quæ omnes spiritualiter, & metaphoricè intelligi debent, ut passim Patres exponunt, & refert Brancatus noster art. 8. cit. undè in auctoritate adducta Interlin. verbo *Edatis* ait; Beati, qui esuriunt, & sitiunt justitiam, quoniam ipsi saturabuntur, fruendo, scilicet, desiderato olim, & amato gaudio veri boni; & verbo *Mensam* inquit, mensa, quæ omnibus Sanctis est ad fruendum proposita, est cœlestis vitæ gloria.

92 Neque ex hoc, quod aliquis sensus in Patria non sit habiturus oblectationes circà sua objecta, sequitur beatitudinem corporis esse imperfectam, & diminutam, nam D. Bonav. dist. 49. cit. part. 2. art. 3. qu. 1. docet visum tantùm, & tactum sub actu suo esse futuros, alios verò sensus minimè, licet de auditu rem sub dubio relinquat, & adhuc docet hoc non obstante beatitudinem corporis esse perfectissimam, imò exuberantem, quod ità declarat in solutione ad 3. principale de delectatione, quam sensus habere nequit, nisi in præsentia sui objecti; & inquit, quod delectatio est in sensu dupliciter, una per redundantiam, alia per objecti præsentiam; per redundantiam, sicut quando anima est interius plena delectatione, ita inebriantur potentiæ sentiendi, quod nullo modo quærunt, nec egent exterius delectari, & hæc delectatio erit præmium omnium sensuum, & omnibus, hanc autem delectationem non habent à se, nec ab actu suo, sed ab actu animæ, & ideò non oportet, quod propter istam sint sensus in suo actu. Alia est delectatio per objecti convenientis præsentiam, & quia duo tantùm sunt sensus, qui habent objecta glorioſa, ideò solùm in duobus est, & hoc non est præmium, nisi valdè accidentale, quia non magis glorioſus est sensus in illius præsentia, quàm in absentia. Ita Doctor Seraphicus discurrit loco citato de beatitudine corporis dicens illam consistere præcipuè in delectatione per redundantiam, non autem per objecti convenientis præsentiam, & ideò non sequi beatitudinem corporis esse imperfectam, & diminutam, si aliquis sensus non habeat delectationem per objecti convenientis præsentiam, quia delectatio prior erit præcipuum sensus cujusque præmium, posterior verò valdè accidentale, quia non magis glorioſus est sensus in sui objecti præsentia, quàm in ejus absentia; & ita etiam de hac beatitudine corporis per redundantiam discurrere videtur D. Anselmus lib. de Similitud. cap. 57. his verbis. In illa futura vita delectatio quædam ineffabilis bonos inebriabit, & inæstimabili dulcedine sui totos eos inenarrabili abundantia satiabit; quid dixi totos? oculi, aures nares, os, manus, guttur, cor, jecur, pulmo, ossa, medullæ, exta etiam ipsa, & cuncta sigillatim membra eorum in communi tam mirabili delectationis, & dulcedinis sensu replebuntur, ut verè totus homo torrente voluptatis Dei potetur, & ab ubertate domus ejus inebrietur. Ità Divus Anselmus l. c. ad verbum discurrit de hac corporis beatitudine per redundantiam, quam nobis Deus participare dignetur.





DISPU-

DISPUTATIO XXVI.

DE INFERNO, ET STATU DAMNATORUM.

1 

IN præcedenti Disputatione de Beatitudine, & gloria tam animæ, quàm corporis, quam in Cœlo summa exultatione, & inæstimabili dulcedine Beati consequentur, tractavimus, ut homines ad divinæ legis observantiam, & ejusdem præceptorum adimpletionem faciliùs, & promptiùs inducerentur. Nunc in præsenti Disputatione de Inferno, & pœnarum acerbitate, quas ibi patientur ob eorum peccata damnati, agere decrevimus, ut peccatores talium pœnarum gravitate, & perpetuitate perteriti ab eis abstineant, siquidem, ut fert adagium, oderunt peccare boni virtutis amore; oderunt peccare mali formidine pœnæ.

QUÆSTIO PRIMA.

De pœnis Inferni.

2 SUpponendum est in hac quæstione cum fide catholica contra quamplures Hæreticos dari Infernum, hoc est locum aliquem, in quod damnati cruciantur juxtà eorum demerita, & peccata, ut ex pluribus Scripturæ locis manifestè colligitur, ut ex Psalm. 6. *In Inferno autem quis confitebitur tibi*, & Psal. 13. *Dolores Inferni circumdederunt me*, & Psalm. 18. *erubescant impii, & deducantur in Infernum;* & Psalm. 48. *Sicut oves in Inferno positi sunt, mors depascet eos*, & tandem ex illo Matt. *Ite maledicti in ignem æternum*, ac pluribus aliis consimilibus; locus autem iste vocatur Infernus, quia est in inferioribus terræ partibus circa ejus centrum, ut communiter docent DD. & SS. Patres, & præsertim Scot. noster 4. dist. 48. quæst. 2. L.

ARTICULUS PRIMUS.

Quibus pœnis crucientur damnati in Inferno.

3 PRimò conveniunt Doctores, & est de fide in Inferno dari pœnam vermis conscientiæ, illaque damnatos cruciari, quæ ut ait Scotus 4. dist. 46. qu. 4. B. & distinct. 50. qu. 6. Q. consistit in tristitia, & remorsu conscientiæ, & peccatorum, in quantùm tollunt bonum commodi, ut etiam anteà dixerat 2. d. 7. q. un. §. *Restat nunc*, ubi ait Angelos malos torqueri à vermi, qui est remorsus conscientiæ, ista enim pœna vermis est quædam tristitia, & continuus conscientiæ remorsus, quem habent damnati, quod ob tam levem satisfactionem, quam peccando habuerant, vitam æternam amiserint, & tam graves pœnas incurrerint; quæ tristitia erit planè valdè magna, sicut enim dolor in hac vita conceptus ob peccatum aliquod commissum, & periculum ob illud damnationis incurrendæ valdè magnus esse solet; tantò major erit in Inferno, ubi nulla est redemptio, nec ulla spes bonum amissum recuperandi. Et hæc pœna vermis conscientiæ colligitur expressè ex variis Scripturæ locis, ut Isaiæ 66. in fine, ubi ait: *Vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur*, & idem habetur Marci 9. *Bonum est tibi debilem intrare in vitam, quam duas manus habentem ire in gehennam, in ignem inextinguibilem, ubi vermis eorum non morietur, & ignis non extinguetur*, quem Isaiæ locum ità explicat D. Ambrosius in cap. 5. Lucæ in fine his verbis: Vermis est, eo, quod irrationabilia animæ peccata mentem rei, sensumque compungant, & quædam exedant viscera conscientiæ, quæ tanquam vermes ex unoquoque nascuntur, tanquam ex corpore peccatoris; & sic etiam exponit dictum Isaiæ D. Hieronymus in illud cap. 66. in fine dicens, vermis autem qui non morietur, & ignis qui non extinguetur, à plerisque conscientia accipitur, peccatorum quę torqueat in suppliciis constitutos, pro quo multa adducit Scripturæ loca. Addunt præterea Patres, Doctores, & in Inferno dari non tantùm pœnam vermis spiritualis, sed etiam corporalis, quod etiam ex pluribus deducunt Scripturæ locis, præsertim verò ex Judith. 16. ubi habetur: *Dominus omnipotens vindicabit in eis, in die Judicii visitabit illos, dabit enim ignem, & vermes in carnes eorum, ut urantur & sentiant usque in sempiternum*, quibus verbis expressè significatur impios post judicium, & corporum resurrectionem luituros vermium pœnas in carnes; & idem habetur Isaiæ 14. *Detracta est ad inferos superbia tua, concidit cadaver tuum subter te, sternetur tinea, & vestimentum tuum erunt vermes*: ergo post judicium præter pœnam vermis spiritualis erunt quoque corporei vermes carnes damnatorum rodentes; hinc D. Bernadus l. mediat. cap. 3. inter alia damnatorum tormenta hoc quoque recensèt, quod vermes crudeles mordebunt intima cordis, subdens esse cruciandos etiam per vermem conscientiæ.

4 Secundò conveniunt Doctores, & etiam de fide est in Inferno dari pœnam damni, illaque damnatos cruciari, quæ consistit in carentia commodi, seù boni convenientis naturæ intellectuali, ut docet Scotus loc. cit. ubi ait distinction. 50. quæst. 6. §. *Ad primam quæstionem*, quod non est solùm carentia boni convenientis naturæ intellectuali, quia sic non esset pœna, sed est carentia boni apti inesse, & convenientis quod debet inesse, non boni remoti, sed propinqui, nec cum hoc toto esset illa carentia pœna, nisi esset nolita, & ideò oportet, quod sit carentia involuntaria, & hac de causa pœna damni est omnium gravissima in damnatis, quia accidit eis cum tristitia, & desperatione, & quoniam sub genere commodi, seù boni convenientis naturæ intellectuali, quo damnati privantur, multę species continentur, cùm enim anima, & corpore sint prædíti, & per hoc essent capaces omnis commodi appetitui tam rationali, quàm sensitivo convenientis, quamvis summum omnium commodum sit beatitudo, scilicet, visio Dei, ejusque fruitio; alia tamen adsunt commoda, quibus ratione corporis, & animæ damnati privantur. Undè in primis post judicium, & corporum resurrectionem damnati habebunt pœnam damni omnium corporalium delectationum, quia in Inferno nullum adest objectum delectabile respectu sensus, quo spectat illud, quod Abraham diviti respondit: *Recordare fili, quia recepisti bona in vita tua, & Lazarus similiter mala; nunc autem hic consolatur, tu verò cruciaris*, quibus verbis innuit omnia bona corporalia, quæ dives in vita habuit, conversa esse in mala. Deindè alia pœna damni, quam etiam modò patiuntur damnati in Inferno, est privatio omnium virtutum, non solùm supernaturalium, sed etiam moralium, habitus enim supernaturales dantur ad exercendum actus sibi proprios, & ad animæ decorem, & ornatum, damnati autem nullum decorem supernaturalem habent, nec ullum actum supernaturalem elicere possunt, & cùm turpissimis vitiis sint undequaque fœdati, ut ait Gerson. serm. 1. de omnibus Sanctis, omni virtute morali sunt exuti. Tandem gravior pœna damni existentium in Inferno est privatio beatitudinis, quæ proindè antonomasticè dicitur pœna damni, quam in Inferno damnati patiuntur. Hoc autem constat ex pluribus Scripturæ locis, & præsertim ex illo Matth. 15. ubi electis dicitur. *Venite benedicti Patris mei, percipite regnum*, reprobis verò. *Ite maledicti in ignem æternum*, & ibunt hi in supplicium æternum, justi verò in vitam æternam, hæc autem in visione Dei, ejusque fruitione consistit, ut dictum est disp. præced. quæst. 1. art. 1. ex Joan. 17. *Hæc est autem vita æterna, ut cognoscant te solum Deum verum, & quem misisti Jesum Christum;* ergo beatitudine damnati carebunt, quæ erit pœna damni omnium gravior, & ità etiam discurrit D. Aug. lib. *de spiritu, & anima* cap. 56. ubi post infinitas ferè damnatorum miserias numeratas subdit, Deum autem non videbunt, quod est omnium miseriarum miserius, quis enim dicere potest, quanta pœna erit non videre Creatorem rerum omnium, Redemptorem, & Salvatorem fidelium, Regem Cœli, & terræ, & Dominum universi, per quem sumus, & vivimus; & ratio est, quia ut ipse etiam D. August. ait libr. *de triplici habitaculo* ca. 4. si damnati Dei faciem viderent, nullam pœnam, nullum dolorem, nullamque tristitiam sentirent, cujus præsentia si in Inferno cum Sanctis habitatoribus appareret,

conti-

continuò Infernus in amænum Paradisum converteretur. Datur igitur in Inferno pœna damni, quæ est major cæteris, nam ut visio divina, & fruitio est in beatis omnium bonorum radix, ita privatio ejusdem visionis, & fruitionis in damnatis est omnium malorum fons, & origo.

5 Tertiò conveniunt etiam Doctores, in Inferno adesse ignem, & eo cruciari damnatos, sivè dæmones, sivè homines, & expresse deducitur ex pluribus Scripturæ locis, in quibus de tali igne fit frequentissima mentio, ut constat ex illo Matt. 52. *Ite maledicti in ignem æternum*, & pluribus aliis similibus; conveniunt etiam nedùm Scholastici omnes, sed etiam Patres ignem Inferni non solùm metaphoricè, & spiritualiter intelligi, sed etiam verè, & corporaliter, ut jam diximus lib. 2. sent. disp. 3. *de dæmonibus* quæst. 6. ab initio cum Scoto 4. d. 44. quæst. 2. & 3. estò enim nomen ignis interdum in sensu alio mistico sumi possit, attamen loca Scripturæ, & Patrum adeò crebra sunt, & sæpius repetita, ut ibi decebamus, ut non nisi de vero igne exponi possint juxtà communem regulam Scripturas interpretandi, quod verba Scripturæ sunt propriè intelligenda, ubi nullum sequitur absurdum; & probatur ex D. August. lib. 21. *De Civit. Dei* cap. 10. ubi quamvis dicat illam flammam, quæ refertur Lucæ 16. in qua cruciabatur dives ille, censeri posse spiritualem, ac metaphoricè dictam, sicut lingua, digitus, & humor, quem in linguæ refrigerium desiderabat, asserit tamen illa verba Matth. 25. intelligi de igne corporeo, quo dæmones, & animæ alligantur, & cruciantur, cùm inquit: *Dicamus, quamvis miris tamen modis spiritus incorporeos posse pœna ignis corporalis affligi*, quod declarat exemplo animæ, quæ etiamsi spiritualis sit, potest adhuc corpori alligari; tanquam forma, ut refert Doctor 4. d. 44. cit. in argumentis ad oppositum quæstionis, ubi etiam affert testimonium D. Gregorii 4. Dialog. cap. 30. dicentis, *si Diabolus, ejusque Angeli cùm sint incorporei, corporeo sunt igne cruciandi, quid mirum, si animæ antequam recipiant corpora, possint corporea sentire tormenta?* quibus etiam adduntur B. Justinianus de casto connubio c. 16. Nissenus tract. de anima, & resurrectione antè medium, Hugo de S. Victore cap. 3. & 4. in Epist. ad Thessalonicenses, Origenes lib. 2. *Perhiarc.* cap. 11. & alii Patres. Et quidem conjectura ex verbis Scripturæ allegatis est valdè efficax, quoniam dubitari non potest, quin ignis, quo crucianda sunt improborum hominum corpora, sit corporeus, ut docet Augustinus loc. cit. Sed Scriptura loquitur, tanquam de eodem igne pro corporibus, & animabus cruciandis cùm dicitur Matth. 25. damnatis hominibus cum corporibus assumptis: *Ite in ignem æternum, qui paratus est diabolo, & Angelis, ejus*. Et quamvis Damascenus libr. 4. de fide c. ultimo neget ignem Inferni esse materialem instar hujus nostri, & Ambrosius lib. 7. in Lucam cap. 14. explicet ignem Inferni per mæstitiam delictorum, benignè sunt hi Patres interpretandi, quod solùm ab Inferno excludere voluerint ignem nostratem jugi materiæ subministratione, & alimento indigentem, ille enim sine alimento perpetuus erit; vel explicandi sunt de effectu, quem ignis ille in spirituales causat substantias, vel quod illum immaterialem vocent, eo quod absque pabulo duraturus sit æterno tempore ad instar rei spiritualis.

6 Quartò hinc oritur dubitatio, ut dicebamus loco cit. an ignis ille sit ejusdem speciei cum hoc nostro elementari. Et quamvis aliqui id negaverint, communiter tamen tenetur esse ejusdem speciei, & ità præsertim docent Scotus l. c. & D. Bonavent. ibidem part. 2. qu. 11. dicens ignem Inferni nunc animas cruciantem, & dæmones, & post judicium etiam corpora, non solùm esse corporeum, sed etiam ejusdem rationis substantialis cum igne elementari, licet diversæ proprietatis. Quod & ex ipsa nominis significatione conjectare licet, alioquin Scriptura verbo valdè æquivoco usa fuisset, & in significatione nobis incognita; probabile ergo est quod sit ejusdem speciei cum nostro, quia nulla est necessitas illum ponendi diversum. Neque obstat; ut ibi dicebamus, quod ignis infernalis pabulo non indigeat, nam & in propria sphæra etiam à Philosophis ponitur alimento non indigere, nec minus obstat, quod noster ignis suaptè natura sublimiorem petat locum cum facilè sit divinæ virtuti in infirmo loco eum cohibere ad damnatorum cruciatum. Quarè autem potius Deus voluerit uti igne ad cruciandos Dæmones, & animas, ut instrumento, quàm aqua, aere, aut alia re creata, æquè enim videntur potuisse affligi à lapide, vel Cœlo, si detinerentur ab illis definitivè, & ab illis immutarentur objecti perpetuò, & cum tanta intensione; Jam quæst. 6. cit. art. 3. num. 142. responsum est, quod volens Deus acerrimè punire rebelles, & apostatas Dæmones, sicut & obstinatas animas, indeque ipsarum corpora, illud elementum ut instrumentum ad hoc magis aptum assumere voluit, quod in sua actione reali, & physica est activius, & omnium validissimum, & ad quam, cùm agit in rem animatam, sequitur in sensibus, ac etiam in voluntate, si tali potentia re illa prædita sit, immutatio intentionalis dolorem causans vehementissimum; quoniam igitur inter omnia agentia creata ignis in tali acrimonia agendi cæteris omnibus præcellit; congruum fuit, ut potius hac creatura uteretur in tali inferendo cruciatu tanquam instrumento, quàm cæteris; quamvis enim exercendo actionem physicam urendi, & calefaciendi, spiritus non lædat, ut talis læsionis incapaces; attamen exercendo actionem intentionalem, quæ sola est sufficienter causativa doloris independenter ab actione priori, talem causat dolorem, ac ita vehementem in spiritibus, & anima à corpore separata, qualem causat in anima conjuncta, cùm priorem actionem adurendi in corpus exercet, ut magis constabit ex dicendi art. seq. declarando modum, quo possit corporeus ignis spiritus torquere. Quare falsum est, quod assumitur in ratione dubitandi proposita, quod servata naturali rerum dispositione potuisset Deus eandem alligationem, ac determinationem disponere cum æquali Dæmonum molestia pœnes quodcunque aliud corpus sivè per modum loci, sivè per modum objecti; etenim in objectis dolorem afferentibus rebus animatis per immutationem intentionalem, nullum est acrius, ac molestius igne, quando eas adurit; ut ergo in vindictam peccatorum debitas pœnas damnati luerent, ad imprimendum in eis majorem, qui possit infligi dolorem ob objectis doloriferis in serie creaturarum igne voluit uti ut instrumento, quoniam ad ipsius læsionem in rebus animatis major sequi solet dolor tùm in sensibus, tùm in voluntate per actionem intentionalem, quàm ad læsionem aliorum objectorum, ut loc. c. dicebamus, & adhuc magis constabit art. seq.

7 Quintò est difficultas, an verè sit in Inferno tormentum nivis. Aliquæ circumferuntur revelationes, in quibus à nimio frigore ad nimium calorem dicuntur damnati transire, quæ fundantur in illo dicto Job cap. 24. *De aquis nivium transibunt ad calorem nimium*, & videtur esse sententia quorundam Patrum D. Hier. Petri Damiani, ac etiam D. Augustini lib. de triplici habitaculo cap. 2. ubi ait, quod duo principalia sunt Inferni tormenta, frigus intolerabile, & calor ignis inextinguibilis, undè in Evangelio dicitur *Erit ibi fletus, & stridor dentium*, fletus namque, & liquefactio oculorum ex calore nascitur, stridor verò dentium ex frigore, à quibus duobus innumera pendent pœnarum genera, videlicet sitis intolerabilis, pœna famis, pœna fœtoris, pœna horroris, pœna timoris, pœna angustiæ, pœna tenebrarum, severitas tortoris præsentia dæmonum, ferocitas bestiarum, crudelitas ministrantium, vermis conscientiæ, ignitæ lacrymæ, suspiria, miseriæ, dolor sine remedio, vincula, sine solutione, mors æterna, pœna sine fine, absentia Christi quoad visionem ejus, quæ sola omnia prædicta superat, & omnibus pœnis est intollerabilior, ità discurrit August. loco citato Quamvis hæc quæstio sit valdè dubia, & pro utraque parte probabilis, verisimilius tamen videtur, ut ait Arriaga disp. 26. sect. 1. cum Suarez, & aliis Recentioribus, non dari in Inferno nives, aut aquas, quia nec Scriptura de eis quidquam dicit, sed semper de igne loquitur, nova autem elementa in Inferno ponere non debemus, sine fundamento, cùm per ignem sufficienter damnati possint torqueri, & aliundè sint aliæ pœnæ cum igne compossibiles, quæ ibi recenseri solent à Patribus; frigoris autem, & caloris dolores, nisi magna, & plura multiplicando miracula, simul cohærere non possunt.

Confirmatur, quia certum est ex allatis Scripturæ locis pœnam ignis nunquam cessaturam, etiamsi fieret transitus ad frigus nivium, quia cruciatus ignis vocatur æternus, & hoc benè deducit Scotus d. 44. cit. qu. 3. ex illa petitione Epulonis *Mitte Lazarum, ut refrigeret linguam meam*, nam si ab igne ad frigus transirent, non speraret Epulo ex aqua refrigerium, quia & in ea cruciandus fuisset, sicut anteà ab igne fuerat. Neque locus Job, qui pro parte opposita communiter adduci solet, ullo modo urget, non enim dicit Job, quod damnati *de aquis nivium transibunt ad calorem nimium*, sed dicit *Ad nimium calorem transibit ab aquis nivium, & usque ad inferos peccatum illius*, undè locus ille Job non de damnatis intelligi debet, sed de obstinatis peccatoribus in hac vita, ut Arriaga advertit loco cit. quod clarè ipsa verba textus ostendunt, nam post transitum ab aquis nivium ad nimium calorem imprecatur eis, ut usque ad inferos pertingat peccatum illorum. Et quoad stridorem dentium dicendum est illum etiam ex ira vehementi provenire posse, ac etiam ex quocunque alio vehementi dolore, & non tantùm ex nimio frigore; præterquam quod in dæmonibus, qui dentes non habent, stridor propriè locum habere nequit, sed tantùm metaphoricè. Nec tandem duo, vel tres Patres pro oppositâ sententia sufficientem faciunt auctoritatem, quia plures alii stant pro nostra, cui Scripturæ magis favent.

8 Sextò ulterius quæri solet, an in Inferno sint veræ tenebræ. Communior, & probabilior opinio affirmat, quæ deducitur

citur expresse ex pluribus Scripturæ locis, ut Matth. 8. *Ejicientur in tenebras exteriores, ibi erit fletus, & stridor dentium*, & cap. 22. *Mittite eum in tenebras exteriores* ubi Interlin. dicit, id est, Inferni, quia hic interiores habet tenebras. Ità etiam Job. c. 10. *Infernum appellat terram tenebrosam, & opertam, mortis caliginem, terram miseriæ, & tenebrarum, ubi umbra mortis, & nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat*, ubi ait Glos. ordinar. hic flamma, quæ urit, illuminat, ibi urit, & obscurat, ignis autem, qui non lucet ad consolationem, aliquando lucet ad pœnam, quia eo illuminante, ut magis doleant videbunt in pœna sequaces suos, quorum amore deliquerunt, & D. Hieronymus in idem cap. 10. Job, inquit, quod terram inferorum descripserit, nulli dubium est, tenebrosa est, ut dixi, velut carcer, in quem peccatores, & impii, qui lucem odio habuerunt, ut tenebrarum filii contrudentur, & D. Gregorius lib. 9. Moral. c. 46. explicans illud *tenebras exteriores* ait, si ignis, qui reprobos cruciat, lumen habere potuisset, is qui repellitur, nequaquam mitti in tenebras diceretur, & c. 48. inquit, ibi ignis, qui cruciat, obscurat flamma comburit, sed nequaquam tenebras discutit, idem etiam confirmant Damascenus, Petrus Damianus, Basilius, & alii Patres, ac demum Judas Apostolus in sua Canonica dæmones appellat *sub caligine vinculis æternis destinatos*. Dices, flamma lucem causat, & lux cum flamma est semper necessariò connexa, ut ejus naturalis effectus; cùm ergo in inferno maxima sit flamma, maxima quoque ibi erit lux Respondet Arriaga loc. c. ignem in materia densa, qualis est in inferno, vix aliquam excitare lucem, & præsertim post universale judicium locus ille corporibus humanis ità plenus erit, ut non habeat flamma corpus diaphanum, per quod diffundi possit, & inter damnatos inclusa nullam lucem excitabit. Sed brevius alii dicunt Deum eam miraculosè impedire ad majorem damnatorum confusionem, & supplicium.

9 Postremò quæritur. Quænam aliæ pœnæ sensus reperiantur in inferno. Communis Patrum, & Theologorum sententia est, nullum in hac vita posse scire distinctè, & adequatè quænam, & quot sint damnatorum pœnæ, nisi à Deo revelante eas percipiat. Ita D. Aug. lib. *de triplici habitaculo* cap. 1. ubi postquam dixit nullum in hac vita degentem posse bona regni cœlestis dicere, intelligere, vel cogitare, posteà de pœnis inferni loquens ità discurrit. Mala autem inferni dicere, vel cogitare, ut sunt, nemo potest, pejora quippè sunt valdè, quàm cogitantur, & postquam dixit neminem dicere, posse, vel cogitare mala inferni, ut sunt, & postquam multa gloriæ cœlestis bona narravit in genere, è contra per antitheſim de pœnis inferni ità discurrit, locus inferni plenus est tenebrarum, discordiæ, odii, stultitiæ, miseriæ, turpitudinis, amaritudinis, offensionis, doloris, adustionis, sitis, famis, ignis inextinguibilis, tristitiæ, vindictæ perennis, & omnis ineffabilis mali, quod nec dici, nec cogitari potest, & paulò inferius tandem subdit, quod in inferno nihil invenitur, quod desideratur, nihil videtur, nihil sentitur, nisi quod displicet, nisi quod offendit, nisi quod cruciat, & concludit, quod omne malum abundat in carcere diaboli, & nullum bonum. Et D. Bernardus lib. 5. *de Consider.* cap. 12. ait maximum damnatorum tormentum fore liberationem à pœnis optare, & toto affectu ad eam conari, & tamen non obtinere, & ità discurrit; Quid iniquis voluntatibus tam contrarium, & adversum, quàm semper conari, impingere semper, & frustrà, Væ oppositis voluntatibus solam suæ profectò aversionis referentibus pœnam. Quid tàm pœnale, quàm semper velle, quod nunquam erit. Quod tàm damnatum, quàm voluntas addicta huic necessitati volendi, nolendique, ut ad utrumlibet jam, si cui, non nisi perversè, ità non nisi miserè moveatur, in æternum non obtinebit, quod vult, & quod non vult in æternum nihilominus sustinebit. Ità discurrit de pœnis inferni Bernardus l. c. & sic passim loquuntur alii Patres, quorum testimonia copiosè refert Brancatus noster disp. 13. cit. a. 7. & 16.

ARTICULUS SECUNDUS.

An, & quomodo ignis corporeus agere possit in spiritus.

10 CErtum est, ut diximus lib. 2. disp. 3. c. q. 6. ab initio & in hoc omnes Doctores conveniunt, quoniam hæc apud nos in cruciatu ignis reperiuntur, scilicet, læsio in corpore, quod aduritur, dolor in sensu tactus, dolor item, & fuga in appetitu sensitivo, & tandem fuga, & tristitia in voluntate rationali, quæ est displicentia de malo, quod corpus patitur, certum est, inquam, in præsenti dæmones, & animas separatas ab igne sensibiliter non cruciari, quasi corpoream læsionem ab eo patiantur, aut dolorem sensibilem, qualem homo patitur in sensu tactus, & in appetitu sensitivo, cùm enim spirituales sint, & incorporei, non sunt talis læsionis capaces, nec enim potest spiritualis substantia calefieri aut in partes dividi, vel consumi, sicut corpus, nec pariter dolorem sentire, cùm sensus non habeat, nec denique dolorem sensibilem appetitus, cùm eo careat, ex quo tandem deducitur nec dæmonem, nec animam separatam quoad hæc eo modo ab igne torqueri, qua anima cruciatur, dùm est in corpore, aut homo ipse ex anima, & corpore constans, qua de causa ad id declarandum varii dicendi modi sunt excogitati, quos exactè, & sigillatim lo. c. examinavimus, & hic breviter repetemus pro integritate, & complemento hujus disputationis.

11 Primò quæritur, an dæmones, & animæ separatæ solùm per apprehensionem crucientur, qua ignem apprehendunt, ut sibi disconvenientem, & nocivum. Affirmant aliqui, quod probant ex D. Greg. cit. 4. Dialog. dicente spiritum torqueri ab igne videndo tantùm, & aspiciendo, cùm inquit, *eo patitur, quo videt, & quia cruciari se respicit, cruciatur*. Confirmatur ex Avicen. 9. Metaph. c. 7. ad finem, ubi exemplificat de somnio, quod aliquis interdum magis cruciatur in somnio, ex apprehensione phantastica alicujus rei disconvenientis, quàm affligeretur in vigilia ex reali præsentia ejusdem. Tandem potest Dæmon simplici complacentia gaudere de re impossibili apprehensa, ut possibili; ergò pariter tristari poterit de igne, ut nocivo apprehenso etiamsi reipsa sibi nocivus non sit. Hìc dicendi modus, qui Ægidio Rom. tribuitur, non salvat verum, & realem cruciatum spirituum, ac animarum per ignem, & ideò à Soto refellitur 4. d. cit. qu. 2. ab initio §. *Hic dicitur*, quia apprensio illa aut est vera, aut falsa; si vera, opus est assignare modum illius disconvenientiæ, quod non apparet possibile, nam ex natura sua ignis non est contrarius, nec offensivus spiritus, nec minus potest esse disconveniens, in ratione objecti, sed potiùs conveniens, objectum namque ut objectum est conveniens potentiæ ut potentiæ, non est igitur ignis ei disconveniens nec disconvenientia realis, neque objectiva. Si verò falsa est illa apprehensio, sequitur primò, quod non ab igne, sed à sua falsa æstimatione cruciatur, quod est inconveniens, quia sicut nullus falsa opinione est beatus, ità nullus est falsa opinione miser ex Augustino. Deindè vel falsa illa æstimatio esset à Deo, vel ab ipso Angelo, non primum, quia tunc Deus diceretur immediata causa talis deceptionis, neque secundum, quia ex Dionysio de divinis nominibus naturalia in eis sunt splendidissima; ergo possunt apprehendere naturaliter ignem eis non esse disconvenientem. Denique juxtà hanc opinionem dicendum esset solùm phantastica imaginatione spiritus ab igne torqueri qualiter homo torquetur in somno ex apprehensione alicujus mali, quod imaginatur, at hoc planè non salvat modum loquendi scripturarum, & Patrum, nam Lucæ 16. & Apocalyp. 14. ignis ille dicitur cruciare, Matth. 3. comburere, 2. ad Thessal. 1. dare vindictam D. Greg. ignem illum appellat *non phantastica imaginatione, sed ultione solida cruciantem* D. August. loco cit. *cruciantem veris modis* Cyrillus *urentem, & concremantem*. Cyprianus, & Justinianus *cruciantem, & cremantem*, ac Isaias tandem cap. 33. *ignem devorantem*.

12 Neque rationes in oppositum urgent, ut lo. ci. dicebamus, non quidem prima ex auctoritate D. Gregorii deducta, etenim in illo eodem loco, ne videretur eo loquendi modo docere, sola apprehensione ignem infernalem rebelles spiritus cruciare, addit quod *anima non solùm videndo, sed etiam experiendo incendium patitur*. Neque secunda valet, quia ignis infernalis ex eodem D. Gregorio non phantastica imaginatione, sed solida ultione spiritus cruciat, neque exemplum Avicennæ de somnio est ad rem, alioquin tormenta illa vera non essent, sed somniata, tùm quia cùm imaginatio sit potentia corporea, & sensitiva, neque in Angelo, neque in anima separata fiunt imaginariæ visiones, sicut in anima conjuncta somniante, & ad summum dici posset animam separatam eo modo ab igne torqueri, quatenus cognoscit se ad corpus redituram post diem judicii, & tunc vehementer passuram, à quo timore vehementer tristatur. Ad ultimum negatur consequentia, vel enim dæmon tristaretur de igne apprehenso, ut propriæ naturæ disconveniente absolutè, vel ex hypotesi, non primo modo, siquidem talis error in intellectum angelicum cadere nequit circà naturalia splendidissimum, secundus verò modus sufficeret solùm ad inducendam simplicem displicentiam de igne apprehenso, ut nocivo tantùm ex hypotheſi, hæc autem satis non est ad explicandam acerbissimam ignis pœnam à scripturis, & Patribus insinuatam.

13 Secundò quæritur, an spiritus crucientur ab igne per aliquem habitum receptivum passionis, affirmant aliqui dicentes Deum imprimere spiritibus, & animabus separatis qualitatem, qua redduntur capaces ignei ardoris formaliter cruciantis. Ità Henricus quol. 8. q. 34. Sed hunc etiam dicendi modum refellit

fellit Doctor loc. cit. §. *Aliter dicitur*, quia vel hæc qualitas est corporea, vel spiritualis, si corporea, eadem ratio est de ipsa, ac de qualitate ab igne producenda, quia æqualis repugnantia est utrobique suscipientis ad susceptum, si verò spiritualis; ergò non per illam magis est passum proportionatum corpori, ut agenti, quàm esset prius. Confirmatur, quia dato etiam, quod per qualitatem superadditam redderetur spiritus capax corporeæ calefactionis, non ob id fieret capax doloris, & corporeæ sensationis, hæc siquidem supponit temperamentum, cujus destructiva est qualitas dolorifera ab objecto disconvenienti causata, quod quidem temperamentum in Angelis locum non habet. Dixerunt aliqui apud Durandum 4. d. 44. qu. 11. saltem in anima humana, dùm à corpore separatur, remanere potentias sensitivas saltem inchoatas, quibus sensibiliter pati possit, quod & probabile putat Coninchius disp. 11. *de Purgatorio* dub. 3. num. 32. quia sicut anima conjuncta corpori patitur dolorem mediante corpore, ità etiam separata, quia in ea remanent potentiæ sensitivæ saltem inchoatæ. Sed hoc etiam rejecimus qu. 6. cit. art. 1. quia proximum susceptivum sensationis, & ratio suscipiendi non est in anima, vel aliquod præcisè in anima, nec forma mixtionis in organo, sed forma totius compositi ex corpore mixto, & anima, & talis perfectio est proxima ratio recipiendi sensationem, & ideò illa forma totalis est potentia sensitiva, & totum conjunctum ex anima, & parte corporea est organum vivum, quod afflictionem sentit, & patitur dolorem, undè nec cadaver ab anima separatum hac ratione dolorem sentit, nec anima à corpore separata, quia non datur in eis organum vivum quod solùm est capax sensationis, & doloris. Angelus autem, seù anima separata cum habitu illo extrinsecus impresso aliquod unum vivum non facerent, sed tota vita ex parte unius tantùm se teneret; ergò &c. Tùm quia quando etiam hoc totum concederetur de anima separata, ut Coninchius contendit, adhuc tamen in Angelis locum habere non potest. Deindè arguit Doctor contrà eandem sententiam, quia habitus non est potentia, & quo simpliciter possumus, sed quo aliqualiter possumus, sivè consideretur, ut activus, sivè ut passivus, idest, ut complens potentias, vel activam, vel passivam; ergò supponit potentiam, cùm ergo nulla talis potentia passiva, sit in Angelo, vel anima separata ad pati ab agente corporeo, consequenter eam non recipit ab illo habitu, prout distinguitur à potentia. Tandem arguit Doctor, quia si mediante illo habitu pœna reciperetur in Angelo, scilicet, calor, sequitur quod ipse habitus, & non Angelus, vel anima, esset primum, & immediatum ejus subjectum, imò Angelus nec mediatum esset subjectum, quia supponitur quod ex se ad talem formam nullam habeat capacitatem, neque per habitum redditur capax, quia calor ille est extensus, ut à causa materiali producit, Angelus autem est inextensus, cum non habeat partes, neque per talem habitum fit extensus.

14 Tertiò quæritur, an ignis cruciet spiritus obedientialiter producendo in eis qualitatem spiritualem eorum naturæ repugnantem, & loquuntur aliqui, fædantem, & deturpantem eorum substantias, ex qua fædatione, ac deturpatione Dæmones maximam concipiunt tristitiam, apprehendentes illam, ut disconvenientem propriæ naturæ, quam sententiam refert, & impugnat Durandus l. c. & posteà amplexi sunt Suarez, Malonius, Pesantius, Arriaga, Zumel, & alii Recentiores dicentes possibilem esse divinitùs qualitatem aliquam spiritualem fædantem Angelum, ac malè afficientem, & ad hanc in Angelo producendam ignem elevari, & in ejus qualitatis disonæ cognitione consistere formalissimè pœnam, seù tormentum dæmonum, quam ultimò consequitur ex parte voluntatis. Fundamentum hujus sententiæ est, quoniam hæc optimè explicat, quo modo spiritus verè, & realiter, & non tantùm fictè, & per apprehensionem torqueatur ab igne corporeo, sicut enim homo torquetur à calore, & frigore, quia est qualitas sibi contraria, & quia hic calor producitur ab igne, & frigus à nive dicitur meritò cruciari igne, aut nive, eodem modo Angelus torquebitur ea qualitate sibi contraria, vel dissona, & quia eam producit ignis, dicetur meritò ab igne torqueri. Quod autem ignis per potentiam obedientialem elevatus talem qualitatem spiritualem producere possit, nulla est repugnantia, quia materiale, ut est instrumentum Dei, potest elevari ad producendam qualitatem spiritualem, & supernaturalem, ut aqua ad producendam gratiam in Baptismo. Et tandem, quod dari possint qualitates spirituales subjecto spirituali contrariæ ex eo constat, quia sicut se habent qualitates materiales ad subjectum materiale, ità spirituales ad spirituale; ergo sicut ex eis aliquæ sunt conformes, & gratæ subjecto materiali, ut auditui musica, palato dulcedo &c. aliæ verò contrariæ, & dissonæ, ità ex istis aliæ erunt benè afficientes subjectum spirituale, aliæ verò malè.

15 Sed hunc dicendi modum, quamvis inter Recentiores satis plausibilem, jam latè impugnavimus qu. 6. cit. art. 2. quia in primis talis elevatio non est possibilis ex parte principii, siquidem ut dictum est disp. 7. Phys. q. 6. art. 5. vel non datur potentia activa obedientialis in rebus creatis, sed tantùm potentia passiva, ut tenent communiter Thomistæ, & Scotistæ, vel si datur, hæc non datur in quolibet ad quodlibet, seù ad quemlibet effectum producendum, sed tantùm aliquem, ad quem ex se sit aliquo modo saltem remotè proportionata, atque ideò non videtur elevari posse quæcunque creatura, ad quemcunque effectum improportionatum producendum, undè sicut hac ratione negamus aquam elevari posse per potentiam obedientialem ad producendam physicè gratiam, quæ est accidens spirituale, ita pariter in proposito negandum est ignem assumi posse per modum instrumenti ad producendam qualitatem spiritualem Angelos cruciantem. Deindè difficile etiam est intellectu, quomodo talis qualitas sit disconveniens, repugnans, ac contraria Dæmoni, nam illi nullum videtur afferre posse nocumentum, sicut affert nimius calor corpori, intelligibilem enim est, quod sit disconveniens naturæ spirituali secundùm se, si eam non disponit ad corruptionem, vel non est corruptiva alterius qualitatis convenientis, & naturalis, ut in qualitatibus dolorificis sensus contingit. Nec minus apparet, in quo talis qualitas Angelicam substantiam fædaret, ac deformaret, vel enim sermo est de pulchritudine naturali, vel supernaturali per gratiam, supernaturalis nequit esse, quia dona supernaturalia dæmones per peccatum amiserunt, naturalia verò manserunt integra ex Dionysio de divin. nom. capit. 4. Tandem falsum est, quod ajunt Suarez, & Arriaga hanc sententiam inter omnes clariorem esse, & per ipsam optimè declarari modum loquendi Patrum, & Scripturarum de cruciatu spirituum per ignem, nam in primis non salvat, quarè potiùs Deus uti voluerit instrumento ignis ad cruciandos spiritus, quàm aqua, vel alia re creata, quoniam si ignis non eos affligit, & cruciat quatenus calidus, seù calorem imprimens, sed aliam qualitatem spiritualem per modum instrumenti non plus valebit ignis ad talem operationem, & effectum producendum, quàm aliud quodcunque corpus, & æquè benè potuisset Deus uti omnibus aliis rebus creatis per modum instrumenti ad producendam hanc spiritualem qualitatem in Dæmonibus, siquidem ex natura rei majorem non habet connexionem cùm igne, quàm cum cæteris rebus, & elementis, cùm ergò hæc sit præcipua difficultas, quæ alias vexat sententias, planè hæc non erit cæteris clarior. Neque etiam melius cæteris salvat dicta Patrum, & Scripturarū de cruciatu spirituum per ignem, cum enim ignem Inferni appellant *urentem. & cremantem* spiritus, planè significant, quod agat in eos actione corporea, & impressiva caloris, & ardoris, vel saltem talis qualitatis, quæ majorem habeat cum igne connexionem, quàm cum cæteris corporibus, at quoad impressionem spiritualis illius qualitatis, quam illi comminiscuntur, ignis non habet majorem vim in spiritus, quàm alia corpora habeant; ergo neque ea opinio salvat melius aliis dicta Patrum, & Scripturarum in hac materia; de quo alia plura vide loc. cit. & alias quoque impugnationes apud Hiqueum dist. 43. citat. q. 2.

16 Quartò quæritur, an spiritus crucientur ab igne per alligationem eorum alicui corpori à Deo factam. Affirmat novissimè Coninchius disp. 11. de Purgatorio dub. 3. cit. nu. 33. ubi ait, quod sicut anima informans corpus propter mutuam sympathiam, necessariò cum dolore quodam percipit qualitates, quæ corpus malè afficiunt, ità Deum supernaturaliter posse eam separatam alicui corpori alligare, quod à se nullo modo separare possit, & quorum Deo singulariter concurrente similem aliquam sympathiam habeat, sicut habebat prius cum eo, quod informabat, nulla enim apparet hìc implicantia, vel ratio negandi. Undè fiet, ut eodem modo percipiat qualitates impressas huic corpori, sicut prius percipiebat productas in corpore, quod informabat. Quarè si Deus eam ita alliget alicui corpori, in quod ignis agat, eodem modo ejus acrimonia torquebitur, ac si esset in proprio corpore. Et hoc ait insinuari à D. Greg. lib. 4. Dialog. cap. 29. illis verbis. *Colligere ex dictis Evangelicis possumus, quia incendium anima non solùm videndo, sed etiam experiendo patiatur*, & subdit ad hoc opus non esse, ut qualitas ab igne producta in illo corpore possit illud corrumpere, quia damnatos post diem judicii eodem modo torquebit, quo torqueret in hac vita, & tamen nullo modo eorum corpora corrumpet. Quod autem asserit de animabus ait pariter de Dæmonibus posse dici, pro qua opinione citat etiam Henriquez, quam ait se cum viris doctissimis contulisse, & ab eis approbatam fuisse, ut satis congruentem Scripturæ, & dictis Patrum, ac etiam probari posse ex quibusdam defunctorum apparitionibus, in quibus vivis apparuerunt cum corporibus ignitis, quibus præfato modo erant alligatæ.

17 Sed hunc quoque dicendi modum refellimus loc. cit. ut omninò

omninò singularem, & novum, nam vel illa alligatio esset per veram unionem substantialem, vel per solam intimam præsentiam localem ex voluntate Dei extrinseca factam; non primum, nam præterquamquod hoc de Dæmonibus asseri nequit, cùm Angelus materiam informare nequeat ex Scoto quol. 9. nec etiam benè de animabus diceretur, quia ex tali unione verus, & realis homo resultaret, ponere autem in Purgatorio veros homines, & non solas animas separatas, est erroneum. Si secundùm, tunc planè repugnat ex sola tali intima præsentia locali animæ cum corpore eam pati ex impressione qualitatis disconvenientis corpori impressæ; nam in corpore, quod informat, talem sentit passionem per sympathiam ex sola unione substantiali cum eo promanantem, ad quam proindè non sufficit sola intima localis præsentia ex voluntate Dei extrinseca facta. Confirmatur, quia sensationes omnes tam externæ, quàm internæ formaliter, & adæquatè fiunt à toto conjuncto ex anima, & corpore, ac in eo adæquatè recipiuntur ex 2. de anima, ut docet Scotus loc. cit. undè ratione præcisè talis conjuncti, quod anima rationalis inadæquatè constituit, dicitur per sympathiam percipere convenientiam, vel disconvenientiam qualitas sensibilis in corpore recepta; ergo sicut nequit facere Deus, ut sine tali unione fiat homo, vel anima corpus informet, ità nec facere poterit, ut sine hac unione calor in copore receptus sit animæ contrarius, & passionem sentiat ab eo per sympathiam. Denique Angelus quantumvis alicui corpori indissolubiliter alligatus à Deo, aliter nequit sentire calorem illi impressum, quàm illum intelligendo; at intellectio intuitiva caloris nequit esse magis molesta, quàm sit cognitio cujuscunque alterius objecti; ergo per talem colligationem spiritus cum corpore ab hoc Auctore excogitatam non sufficienter explicatur cruciatus Dæmonum, & animarum ab igne, & quomodo ex ea alligatione provenire possit, ut qualitates in illis corporibus existentes sentiantur à Dæmonibus, & animabus, ac eos vehementer torqueant. Neque hunc cruciandi modum in igne infernali D. Gregorius l. c. significare voluit, qui omninò fictitius est, sed quem ex doctrina Scoti mox explicabimus. Alium dicendi modum l.c. adducimus, quem omittimus, quia non valdè distat à primo, & ideò impugnandus est, sicut ille.

18 Quintò quæritur, an ignis cruciet spiritus ratione tristitiæ, & ut objectum disconveniens. Affirmat Scotus 4.d. 44. cit. q.2. cum omnibus Scotistis, & hæc est sententia verior, & communior in scholis, ut diximus q.6. cit. art.3. tam apud Veteres, quàm Recentiores, quæ docet Dæmones esse igni alligatos, ita ut ab eo se liberare non possint, & ex hac alligatione cognita, & nolita admodum tristari, & torqueri, quam alligationem ad ignem explicant, vel per modum carceris detinentis illos in certo loco, ne pro ipsorum libito ubique vagari possint, vel per modum objecti determinantis illos ad continuam sui considerationem, ne ad alia objecta expeditè converti valeant; vel per modum alligationis potentiarum, quoad liberam executionem suarum functionum juxtà varios modos tuendi hanc sententiam. Hæc fuit opinio D. Thomæ, & Thomistarum p.1. q.64.a. 4. & 4. *contrà Gentes* cap. 90. D. Bonavent. 4.d.44.2.p.art.3.qu.1. Durand.q.ult. Palud. Richard. Gab. Mairon. & aliorum antiquorum, & sequuntur Recentiores passim Amicus, Aversa, Jo.de S. Thoma, Nezarius, & alii passim asserentes, hunc ignis cruciatum fieri per actionem intentionalem, itaut non patiantur spiritus ab igne per actionem realem, & physicam, ut præcedentes opiniones asserebant jam impugnatæ. Et quidem loquendo in genere, quod illa pœna ab igne illata sit pœna alligationis, manifestè deducitur ex pluribus Scripturæ locis adductis loc.cit. quæ ferè semper explicat illam ignis pœnam per modum alligationis, & detentionis, ut patet præsertim ex Apoc. 20. *Et apprehendit Angelus Draconem, qui est Diabolus, & Satanas, & ligavit eum, & misit in abyssum.* Declarat autem Doctor loc. cit. §. *Ad quæstionem*, spiritus, & animas sepratas non cruciari ab igne per solam alligationem, vel detentionem localem, quia spiritus, & animæ nullam habent repugnantiam cum quovis loco, cùm nullus locus sit eis ex natura rei disconveniens, sicut sursum corpori gravi, & deorsum levi, elementa enim solùm, & mixta locum sibi determinant, à quo si avellanrur, fit contrà eorum naturam, non ità spiritus, quia à loco non conservantur, nec aliam in esse ab eo dependentiam habent; atque ideò per solam alligationem, & detentionem localem ab igne non cruciantur. Quarè subdit spiritus, & animas separatas, cruciari ab igne eos definitivè detinente contrà eorum voluntatem ex affectione commodi inclinatam ad utendum pro libero usu motivæ potentiæ, ideoque Dæmonem tristari; quia eum locum apprehendit, ut sibi molestum, eo quod vellet potiri expedito, & libero usu suæ potentiæ motivæ ad quemcunque locum; quare videns se detentum in igne, & alligatum, vehementer dolet, ac tristatur.

19 Deindè quia Scripturæ, & Patres adhuc majorem pœnam indicant Dæmones ab igne sentire, quàm solius localis detentionis per modum carceris, Doctor loc.cit. §. *De secundo modo*, aliam adhuc alligationem eorum igni molestiorem memorat, quam vocat detentionem objectivam, quatenus intellectus Angeli determinatur perpetuò ad intensè considerandum ignem in ratione objecti, quam determinationem apprehendit sibi inconvenientem, eo quod vellet uti liberè sua facultate intellectiva. Quarè Dæmon videns se ità determinatum, vehementius dolet, & tristatur de hac detentione objectiva, quàm de illa locali, quoniam per eam detentionem localem impediebatur solùm usus liber suæ potentiæ motivæ quantùm ad locum; sed per hanc detentionem objectivam impeditur ulterius liber usus intelligentiæ suæ pro imperio voluntatis circà quodcunque objectum, quatenus per hanc impeditur intellectus ejus perfectè, & expeditè considerare alia considerabilia; addit autem Doctor appositè illam particulam *perfectè*, nam simpliciter possunt Dæmones ad alia quoque objecta consideranda converti; non tamen cum ea intensione, & applicatione, qua possent; si ab ea ignis apprehensione non detineretur; quarè concludit, quod quanto intellectus est nobilior virtute motiva, tantò magis torquetur ab igne per hanc determinationem in intellectu, quàm per illam alligationem in loco, quia ubi est major nolitio, & æquè certa apprehensio de eventu, sequitur major tristitia. Addit ulterius, quod ista detentio in consideratione ignis intensa, & perpetua, & contrà voluntatem Angeli sit effectivè à Deo principaliter, & ab igne quidem activè, sed minus principaliter, ac veluti instrumentaliter; quia istud non convenit igni virtute propria, nam tota virtute activa ignis posita Angelus sibi dimissus posset ignem, vel aliud corpus indifferenter considerare pro imperio voluntatis suæ. Hæc igitur tristitia, ac spiritualis cruciatus, quem ignis causat in mente Dæmonum per duplicem præfatam alligationem, aç detentionem localem, & objectivam est illa incorporea flamma, ac invincibilis ardor, quem D. Greg. cit. 4. Dialog. cap. 29. ajebat res incorporeas trahere ab igne corporeo, & materiali: *Res corporea incorpoream exurit, dùm ex igne visibili ardor, ac dolor invisibilis, trahitur, ut per igem corporeum mens incorporea, ac etiam incorporea flamma cruciet ur.* Undè hæc dicitur pœna sensus, non quia per actus sensum, vel potentiam sensitivam sustineatur, sed quia causam, & originem habet ab aliquo sensibili corpore, quod causa est hujus pœnæ, quod in præsenti ignem esse Scripturæ testantur, & Patres.

20 Denique quoniam Scripturæ, & Patres non tantùm dicunt ignem cruciare Dæmones, & animas, ut eos detinet localiter, & objectivè immutat, sed etiam secundùm quod ignis, & ut urens, & calefaciens, nam eum vocant *urentem devorantem, concremantem*, quare D. Greg. loc. cit. ait *colligere ex dictis Evangelicis possumus, quod incendium anima non solùm videndo, sed etiam experiendo patitur*, advertendum ex Scoto d.44. cit. §. *Ad quæstionem*, quod ignis in corpus animatum anima sensitiva potest habere duplicem actionem unam realem, quæ est univoca, qua nimirum calorem imprimit, alteram intentionalem in sensum, quæ est æquivoca, quia species sensibilis non est simpliciter ejusdem speciei cum objecto. Quare in sensu cognitivo producitur species sensibilis, & sensatio, quæ est judicium de objecto repræsentato, & in appetito sensitivo producitur dolor, si objectum est disconveniens, ac delectatio, si est conveniens. Quod si corpus sit animatum etiam anima rationali; producitur ulterius actione intentionali etiam species intelligibilis, & intellectio in intellectu possibili, in voluntate verò tristitia, & mæror. Tunc, inquit Doctor ignem in Inferno non habere in spiritum damnati primam actionem realem, & physicam urendi, & calefaciendi, quia respectu puri spiritus dari non potest, potest tamen habere in sensum tactus actionem intentionalem affligentem dolore sensitivo; ex quo igne, & dolore consequitur ulterius tristitia, & mæror in ipsam animam intellectivam corpori conjunctam. Neque hoc mirum esse debet, ait Doctor, quia absolutè loquendo una actio esse potest sine alia, quia neutra essentialiter pendet ab altera, undè & modò sunt separabiles, si aliquod sit susceptivum formæ realiter, & non intentionaliter, & aliud è converso, & sola intentionalis sufficit ad causandum dolorem, sola autem realis sine intentionali ad hoc non sufficeret, quia lignum quantuncunque excessivè calefiat, non tamen dolet.

21 Hinc facile est deducere, ut loc. cit. dicebamus quo sensu asserere liceat, quod in spiritu angelico, vel humano separato erit cruciatus, seù passio ejusdem rationis cum passione animæ intellectivæ conjunctæ, quando enim ab eadem causa secunda duo proveniunt effectus subordinati quorum tamen unus essentialiter ab alio non dependet, sed tantùm secundùm communem naturę cursum, potest Deus cum causa secunda causare

secundum effectum in passum receptivum non causato priori effectu; sic in Adamo quorundam objectorum causavit intellectionem nulla prævia sensus cognitione, & cum B. Virigine Matre produxit corpus Christi Domini sine præviis formis disponentibus. Sic igitur in proposito poterit cum igne causare passionem intellectualem in creatura intellectuali; etiamsi non causet præviam passionem sensitivam, ac etiam ejusdem rationis cum ea, vel ei omninò similem, quam patitur anima corpori conjuncta; non quidem in sensu asserto à primo dicendi modo jam refutato, sed tantùm in hoc sensu, quod cùm actio intentionalis à physica separari possit in igne, & hæc sola ad dolorem sufficiat pariendum, & cùm dolor sensitivus, & tristitia voluntatis, quamvis sint in anima conjuncta connexi, tamen sint ab solutè separabiles, poterit ignis sic Deo disponente per modum causæ instrumentalis causare in Angelo, vel anima sse parata absque prævia passione sensitiva solam passionem intellectivam, quæ dicitur tristitia, ac ità vehementem, & in eodem omninò gradu, quo produci solet prævia passione sensitiva. Quando itaque Patres vocant ignem inferni *urentem*, *cremantem*, *devorantem*, sanè non in eo sensu intelligendi sunt, quasi ignis exerceat in spiritum actionem realem, & physicam urendi, calefaciendi quasi in illum imprimat corporeum, & calorem, & ardorem, cùm ejus sit omninò incapax; & D. Greg. cit. apertè dicat, quod ex igne corporeo, & visibili ardor trahitur invisibilis, & flamma incorporea ad cruciandos spiritus; sed tantum intelligendi sunt, quod innuere voluerint actionem intentionalem, adeo tamen vehementem, ut sit omninò similis illi, qualem habere solet in animam conjunctam, quando habet actionem realem adurendi corpus. Cùm enim sola actio intentionalis sit sufficiens de se ad causandum dolorem in appetitu sensitivo, vel intellectivo, optima ratione dici potest tartareus ignis urere, ac devorare Dæmones, & animas, quatenus in eis talem causat dolorem, & tristitiam, ac adeo vehementem, qualem causare solet in sensu, vel anima conjuncta, cùm corpus adurit, & in hoc sensu etiam loquitur D. Greg. cùm ait animam separatem, non solùm videndo, ideſt, per simplicem apprehensionem, sed etiam experiendo, ideſt, per veram passionem in voluntate receptam incendium pati, ideſt taliter intensam, qualem conjunctam pati solet, cùm corpus aduritur, ità discurrimus loc. c. ubi etiam art. 4. objectiones Suarez, & aliorum solutæ, ac etiam apud Hiqueum nostrum d. 44. cit. q. 2. in Commentario videri possunt, quas hìc brevitatis causa omittimus.

ARTICULUS TERTIUS.

An, & quomodo ignis post Judicium cruciabit corpora damnatorum.

22 PRimò certum est, ac de fide post Judicium homines damnatos in Inferno etiam quoad corpora esse igne cruciandos. Ità Scotus 4. d. 44. q. 3. D. Th. D. Bonav. ibidem, & alii communiter, & expresse deducitur ex pluribus Scripturæ locis superius relatis, ut ex Matth. 25. *Ite maledicti in ignem æternum qui paratus est Diabolo, & Angelis ejus*, & Isaiæ ult. *ignis eorum non extinguetur*, & aliis similibus, in quibus satis superque sacræ litteræ exprimunt damnatos resumptis corporibus infernali igne cruciari, undè dives ille in inferno damnatus dicebat, *Crucior in hac flamma*, & sic etiam passim loquuntur Patres, undè S. Cyprianus lib. ad Demetr. loquens de damnatis post judicium inquit: Servabuntur cum corporibus suis animæ infinitis cruciatibus ad dolorem, & cremabit addictos ardens semper gehenna, & vivacibus flammis vorax pœna; & D. Augustſerm. 181. de temp. Ignis hic, qui in præsenti vita est, absumit cuncta, quæ recipit; ille verò, quos semper susceperit, semper cruciat, & pœnæ suæ integros servat; & lib. 21. *de Civit.* cap. 9. inquit: Post judicium pœnas animæ, & corporis in illo supplicio futuras esse, igne uri corpus, animam autem rodi quodammodo verme mæroris. Cassiodorus in Psalm. 20. ait quod sententiam, illam, *Ite maledicti in ignem æternum*, consequenter, ut perpetua flamma doverentur, & sic passim loquuntur alii Patres de hominibus in inferno damnatis post judicium. Dices corpora damnatorum erunt incorruptibilia, ut Patres, & omnes Theologi docent; ergo etiam erunt impassibilia, impassibilitas enim incorruptibilitatem comitatur. Negatur consequentia, cum ejus probatione, nam corpora damnatorum erunt utique impassibilia, ut impassibilitas excludit passionem naturæ alterativam, & corruptivam; erunt enim incorruptibilia, cujus incorruptibilitatis præcipua causa erit justissima Dei voluntas, per quam corpora illa animabus suis perpetuò subjecta erunt, ut in sempiternum puniantur damnati quoad copora, & animas, per quæ peccaverunt; sed quamvis futura sint impassibilia quoad passionem naturæ alterativam, & coruptivam; passibilia tamen erunt per passionem animæ, ut vocant, hoc est per receptionem sensibilium specierum caloris ignis illis corporibus improportionati, per quam specierum receptionem propriè fit sensatio ipsa. Itaque summum cruciatum, & dolorem sentient ab igne corpora damnatorum etiamsi cum ea sensatione, ac vehementi passione non erit conjuncta læsio, & alteratio physica, & naturalis proveniens à qualitate caloris, & ad corruptionem disponens, sicut nunc contingere solet, quando quis ab igne vehementer cruciatur.

23 Secundò, quamvis de hoc nulla sit difficultas quoad rem, est tamen circà modum, quomodo, scilicet, & ignis post judicium cruciabit homines corpore, & anima præditos, an actione intentionali tantùm, ideſt, per dolorem in appetitu sensitivo causatum, an etiam per realem re vera corpus comburentem, licet non corrumpentem. Scotus d. 44. cit. q. 3. §. *Ad quæstionem* inquit, quod ignis præsens corpori corruptibili animato potest habere in illud duplicem actionem, scilicet, realem, quæ est univoca, & intentionalem, quæ respectu illius est æquivoca, quia species sensibilis non est simpliciter ejusdem speciei cum ipso objecto; & ad propositum dicit, quod post judicium cum corpus hominis sit per se corruptibile, ignis præsens poterit habere in illo utramque actionem, quia non repugnant, & est ibi tam susceptivum, quàm causa activa utriusque, & hæc est opinio communis Theologorum, ac SS. Patrum, ut patet ex testimoniis adductis, quibus addi potest Petrus Damianus ep. 2. ubi de igne Inferni sic loquitur. Ad cruciandos impios hoc præ cæteris elementum electum est, ut cum favilla desiliens in quolibet membro vel ad momentum tolerari non possit, ultrices flammæ miseros homines egredientes absorbeant, & infinitè patens vorax gehenna concludat; & sic etiam loquitur S. Bonav. in Breviloq. par. 7. cap. 6. Affligentur autem eodem igne corporali, qui concremabit etiam corpora, nec tamen corpora illa consumet, hujusmodi autem afflictioni ignis conjuncta erit afflictio secùndùm omnes sensus; ergò post judicium respectu damnatorum duplex actio erit in igne, realis nimirum in corpus, & intentionalis in sensum. Confirm. quia ideò apud Patres, & Theologos tanta est difficultas in declarando quomodo spiritus ab igne, quia ipsi corpore carent, undè patiantur quidam dixerunt eos alligatos esse corporibus aereis, ut in eis dolorem, & passionm ex igne salvarent, qui realiter agit in ea, ut constat ex dictis art. præc. De cruciatu verò corporum damnatorum post judicium nullam prorsus difficultatem movent, quia tunc inter agens, & patiens erit proportio; & sicut nunc ignis ideò aliquem cruciat, quia calorem in corpus inducit ejus mixtioni, & complexioni improportionatum, ità etiam tunc erit cum hoc discrimine solùm, quod nunc corpus corrumpit, tunc autem non ex speciali ordinatione Dei ad majorem damnatorum punitionem. Denique id etiam ratio ipsa suadet, quia post judicium corporibus resumptis aderit agens, & passum respectu utriusque actionis realis, & intentionalis; realis quidem, quia ignis est activus actione reali, quia combustivus, & aptus sibi assimilare humana corpora introducendo in ea propriam formam; ergo ità aget in ea post judicium urendo, & comburendo, quia intrinsecè corruptibilia erunt, & nisi Deus ea conservaret speciali miraculo, corrumperentur; aderit etiam tunc agens, & passum respectu actionis intentionalis, quia ignis de se est inductivus doloris in appetitu sensitivo, sicut ergo in via cùm ignis corpora comburit, utramque actionem in ea exercet, ità etiam tunc exercebit cum hoc discrimine solùm, quod nunc corpora corrumpit, tunc verò nequaquam ex speciali Dei ordinatione pro majori damnatorum supplicio.

24 Tertiò subjungit Doctor vers. *Tertio dico* satis etiam probabile esse, quod damnati post judicium actione tantùm intentionali, scilicet, per dolorem, non verò per ignefactionem corporum punientur, & cruciabuntur. Hoc assertum à Doctore probatur, quia non sunt multiplicanda entia sine necessitate, cum finis per necessaria attingi commodè possit; sed per solam actionem intentionalem sine reali potest haberi dolor, & afflictio sensibilis, ergo &c. minor probatur, quia afflictio, quæ oritur actione reali, non nisi per actionem intentionalem percipitur, inquantum per modum objecti movet aliquem sensum; tùm quia licet alia immutatio realis concomitetur, quia dissolvitur organum à media proportione, in qua consistit, tamen si sine illa actione esset objectum disconveniens sensatum sequeretur dolor, quia aliquando ubi est modica, vel nulla immutatio realis, est magnus dolor propter immutationem intentionalem, sicut si manus fuerit excessivè frigefacta ex contactu nivis, vel glaciei, si statim approximetur igni, est ibi vehemens dolor ab illo objecto immutante, & tamen modica, vel nulla actio realis à calido in manu propter excellentiam contrarii, scilicet, frigoris in passo; ergo potest stare talis dolor sine reali immutatione sensus cum sola intentionali.

Confir-

Confirmatur, nam objectum visibile, vel audibile causant delectationem, vel dolorem in appetitu sensitivo absque reali immutatione organorum immutando solùm intentionaliter potentias sensitivas; ergo eodem modo dici potest in proposito de damnatis, quod absque actione reali ignitionis eorum corpora cruciet per solam actionem intentionalem appetitum sensitivum immutando. Præterea inquit Doctor circà damnatos congruum esse ità pauca miracula ponere sicut possibile est, cum non sit verisimile, quod Deus velit circà eos tunc multiplicare miracula ultrà id, quod requiritur ad punitionem eorum justam; sed ponendo actionem realem, & cum hoc, ut necesse est, intentionalem, plura miracula interveniunt, quàm ponendo solam intentionalem, nam si realis etiam admittitur, scilicet, combustio, cum corpora sint intrinsecè corruptibilia, miraculum esset, quod corpora illa comburerentur, & non corrumperentur, cum ergò per solam immutationem intentionalem damnatorum justa punitio salvari possit, non sunt multiplicanda miracula sine necessitate. Tandem non minor est pœna animæ damnatæ absque corpore, quàm in corpore, quia animæ damnatæ recipiunt mensuram plagarum juxtà qualitatem delicti, tam quoad pœnam sensus, quàm damni, & secundum D. Gregorium loc. cit. par est pœna Dæmonum, & hominum; sed salvatur pœna sensus in his, & animabus separatis per solam actionem intentionalem; ergo etiam pœna animæ in corpore ex dolore carnis potest sic commodè salvari per solam actionem intentionalem.

25 Quartò ulterius subdit Doctor vers. *Quartò dico*, non esse omninò certum, an ignis utraque actione reali, scilicet, atque intentionali cruciet damnatos, vel intentionali tantùm, ideoque utrumque defendi posse probabiliter; nulli enim certo fundamento alterutra sententia inniti potest, licet enim fides doceat damnatos post judicium etiam quoad corpora igne cruciandos esse, hoc tamen salvari potest, & per utramq; actionem, ac etiam per solam intentionalem; atque ideò stante fidei dogmate neutra sententia est omninò certa, & utraque probabiliter defendi potest; probatur assumptum, quia Deo possibile est utroque modo agere puniendo damnatos per ignem, potest enim Deus igni coagere ad producendum calorem in corporibus damnatorum, conservando tamen illa, ne dissolvantur, & corrumpantur; posset etiam igni ad hoc coagere, sed solùm ad actionem intentionalem concurrere, qua ignis apprehendatur, ut illis disconveniens, & corporum mixtioni, & ità apprehensus causet dolorem; cum ergo ignotum sit, & nobis non revelaverit, quomodo sit acturus, non habetur de alterutra sententia fidei certitudo, sed utraque probabiliter defendi potest, & sic patet quomodo corpora damnatorum post judicium ab igne patientur, vel intentionaliter tantùm, vel intentionaliter & realiter simul, quia ad neutrum istorum est ratio cogens, nec auctoritas; & licet ad utrumque sequeretur dolor in appetitu sensitivo, & tantus dolor, quod sequeretur mors, & dissolutio corporis naturaliter, nunquam tamen morientur, quia suspendet Deus actionem, vel passionem corruptivam ipsorum, ne unquam moriantur; vel corpora eorum dissolvantur, quia actio corruptiva, vel passio est naturaliter posterior illa immutatione, sivè reali, sivè intentionali, & essentialiter distincta, & sic per potentiam Dei prima fieri potest sine secunda juxtà illud Isaiæ: *Vermis eorum non morietur, & ignis non extinguetur*, & illud Apocal. *Desiderabunt mori, & fugiet mors ab eis*. Sed quamvis hæc omnia sint optimè, & probabiliter dicta, absolutè tamen tenendum est ignem infernalem actione reali, & executivè damnatorum corpora calefacere, & ignire, & dolorem intensum juxtà peccatorum gravitatem, quantitatem efficere, & nihilominus Deum illa conservare, & non consumi; ità inquam, absolutè tenendum est, quia hic modus convenientior est Sanctorum dictis, & ipsis Scripturæ ubique dicentis damnatos igne inferni esse cruciandos, ignis autem non cruciat, nisi actione reali prius calefaciendo usque ad gradum cum mixtione animalis incompossibilem, vel etiam igne faciendo, ut experientia constat; ità præsertim docet D. Bonav. d. 44. cit. par. 2 art. 3. ubi pluribus exemplis hanc veritatem probat, & ostendit, quomodo talis, & tantus cruciatus, & passio corruptiva cum corporum conservatione consistere possit; & sic etiam plures Scotistæ defendunt, ut Bassol. 4. d. 44. qu. 2. art. 3. Brancat. disp. 13. cit. art. 7. & alii, de quo rursus dicemus infrà disp. seq. quæst. 3. art 2. n. 61.

26 Quintò tandem quæritur an pœnæ Inferni infligantur à Dæmonibus, tanquam divinæ justitiæ ministris. Negant aliqui dicentes dæmones solùm, vel exprobando hominibus sua peccata, vel alio modo accidentariam tantùm eorum pœnam posse augere, & quod deferunt etiam animas damnatorum ad infernum, & fortè detinent eas ibi, ne moveantur. Ità Arriaga disp. 27. de Angelis sect. 2. ab initio cum quibusdam aliis. Alii verò communiter affirmare videntur, & sicut negant animas in purgatorio à Dæmonibus torqueri, tanquam divinæ justitiæ ministris, quia indecens omninò videtur Deum Dæmonibus uti tanquam ordinariis ministris ad amicos suos puniendos, ut diximus suprà disp. 24. de Purgatorio q. 2. a. 1. n. 24. ità ex oppositа ratione affirmant damnatos in inferno, tanquam Dei inimicos à dæmonibus torqueri, ut divinæ justitiæ ministris, & ità præsertim sentire videtur D. Bonav. 4. dist. 20. p. 1. art. 2. q. 5. ubi ait, credendum esse, quod in egressu animæ à corpore assistunt, & spiritus bonus, & spiritus malus, unus, vel plures, & tùc secundùm veritatem ferri sententiam; & si bona est, per ministerium boni Angeli, vel adducitur in Cœlum, vel in Purgatorium, quousque postquam purgata fuerit, per ejus ministeriũ educatur, ita quod ipse solùm sit deductor, & non tortor; si verò sit mala per ministerium dæmonum deducitur ad infernum; & subdit probabile etiam esse, quod per ipsos ibi torqueatur, alius enim est, qui punit filium, & alius qui punit latrunculum: filium enim punit dominus, vel doctor, sed latronem punit emissarius, vel tortor, sed dæmones sunt tortores, & justi sunt sicut filii, mali verò, & injusti, sicut latrones, sicut ergò conveniens non est justos in Purgatorio ab illis puniri, ità è contrà conveniens est malos ab ipsis torqueri, ut divinæ justitiæ ministris. Ità discurrit ibi Seraphicus Doctor de punitione damnatorum in Inferno, & ità etiam passim discurrunt SS. Patres, undè Divus Augustinus libr. de triplici habitaculo c. 2. explicans illud Job *De aquis transibunt ad calorem nimium* ait, ex his duobus, scilicet, ex frigore intolerabili, & calore ignis inextinguibili plura alia pendere pœnarum genera, ut sunt sitis intolerabilis, pœna fætoris, pœna horroris, pœna timoris, pœna angustiæ, pœna tenebrarum, severitas tortoris, præsentia dæmonum, ferocitas bestiarum, crudelitas ministrantium, quos innuit esse Dæmones. Petrus Damianus in epist. 2. Perpende, inquit, quale supplicium sit insatiabilibus subiacere inimicis, draconibus infæderabilibus interesse, in morte vivere, in ignibus habitare, &c. Rabanus lib. 3. in Ecclesiast. cap. 2. de pœnis Inferni loquens inter alia hæc habet, bestias diabolicas atrocissimas sentiet se punire tortores, nec jam spem habet evasionis, nulla requies ibi datur, & c. & plures alii Patres de pœnis Inferni ità discurrunt; satis ergo probabile est, pœnas inferni hominibus damnatis à dæmonibus infligi, tanquam divinæ justitiæ Ministris, & conformius Sanctorum dictis, ac etiam Sacræ Scripturæ hoc idem insinuantis.

27 Denique sicut disputat. præcedent. de Cœlo, & Statu Beatorum diximus post diem Judicii universalis, & corporum resurrectionem, essentialem gloriam augmentum non habituram, sed tantùm gloriam accidentalem, ità in præsenti similiter de damnatis in inferno dicendum est, quod eorum pœna, & tristitia essentialis non augebitur, quamvis augeatur dolor propter passionem, & tormenta corporum, pœna tamen accidentalis ex multitudine damnatorum augmentum suscipiet; unde in pœnis inferni commune adagium locum non habet, quod solatium est miseris socios habere pœnarum, ut Doctores communiter advertunt.

QUÆSTIO SECUNDA.

De gravitate pœnarum Infernalium.

28 POstquam de quantitate, & numero pœnarum infernalium in præcedenti quæstione tractavimus, nunc in præsenti de earum qualitate, & gravitate discurrendum est, in qua materia inquit Dionys. Carth. de 4. Novissimis art. 36. considerandam esse in primis pœnarum acerbitatem, & earum universalitatem, quia damnati in toto corpore, & in singulis membris affligentur, & similiter in tota anima, & in singulis viribus ejus; deindè considerandam esse earum æternitatem, quæ super omnia gravat, præmit, contristat, torquet damnatos, ex qua consideratione oritur disperatio omnis boni; de his igitur duobus in præsenti discurremus.

ARTICULUS PRIMUS.

De earum intensione, & acerbitate

29 PRimò quæritur, an pœna damnatorum sit adeò gravis, ut cupiant non esse. Affirmant Doctores communiter, & præsertim Scotus 4. d. 50. q. 2. §. *Ad secundam quæstionem*, ubi ait, quod licet damnati magis deberent velle non esse quàm in peccato permanere, tamen appetunt non esse, non propter culpam fugiendam, sunt enim obstinati, sed propter pœnam, quàm sustinent; & ratio est, quia non esse non est per se malum

ut se odibile, sicut enim non esse ab æterno non fuit malum, sic nec posteà est malum; sed pœna, & miseria est simpliciter malum, & ideò simpliciter nolenda quia est contrà appetitum naturalem, & contrà affectionem commodi, undè si daretur mihi optio, subdit Doctor ego eligerem potius non esse simpliciter, quàm in tali, & tanta miseria esse, quia non esse non est per se malũ, nisi tantùm contradictoriè, pœna autem, & miseria est per se malum contrariè propter repugnantiam appetitus naturalis.

Confirmatur, quia damnati desiderant, quod esset eis magis bonum commodum, sed magis commodum ipsis esset non esse, quàm in tali, & tanta pœna esse juxtà illud Matth. 26. *Bonum erat illi, si natus non fuisset*, & hoc etiam expressè habetur in Scriptura Apocalyp. 19. *Desiderabunt homines mori, & mors fugiet ab eis*. Denique in hac vita interdum, ut ipsa experientia docet, homines ob longè sæviores vexationes appetunt, & cupiunt non esse, & mori magis, quàm vivere; ergo multò magis id desiderabunt damnati, quamvis inutiliter, quia semper erunt, vel inviti, undè hoc ipsum desiderium erit illis pœna, vel suppositâ desperatione de consecutione ejus, quod cupiunt ex tali desiderio summa in eis tristitia consequetur. Ità etiam discurrit D. Bonaventura 4. dist. 50. part. 1. art. 1. qu. 2. ubi ait, resolvendo quæstum; Credo quod magis appetendum esset, si poneretur in optione, omninò non esse, quàm æternaliter torqueri, loquor de appetitu, qui refugit incommodum, hoc enim judicat mens mea magis portabile, sicut decolationem magis, quàm diuturnam ignis adductionem, veruntamen secundùm appetitum honesti, quia cruciatus iniqui spiritus est ad gloriam Dei, utique malle deberet ignibus subjacere ad continuam Dei laudem, quàm per omnimodam corruptionem manum Dei effugere; ità ibi Seraphicus Doctor. Dices, omnis appetitus est respectu boni; at non esse non est bonum; ergò non appetunt non esse. Respondetur, quod licet non esse non sit bonum aliquod positivum, & simpliciter, esset tamen illis bonum aliquod negativum, quatenus ab ipsis tolleret miseriam, & tormenta, quæ patiuntur, quod eis esset valdè bonum.

30 Secundò quæritur, an pœna damnatorum sit tanta, ut nec aliquam levem delectationem admittere possit. Quamvis pœna damnatorum sit valdè magna, tamen non esse tantam, quia aliquam saltem levem delectationem admittere possit, existimant Suar. l. 8. de Angelis c. 15. Arriaga disp. 26. cit. sec. 9. & quidam alii D. Thom. & Alensem prosecitantes, quod probant in primis ex Scriptura, ubi sæpius dicitur inimicus gaudere, & exultare ex ruina nostra, ut patet ex illo ps. 37. *Nequando supergaudeant mihi inimici mei*, idest Diaboli, ut communiter exponitur. Deindè probant ratione, quia habent odium Dei, & ardens desiderium nocendi homini viatori; ergò quando id consequuntur, possunt gaudere aliquo modo accidentaliter, quia appetunt offensam Dei, & ruinam nostram ex invidia. Undè Suarez loc. cit. asserit hoc gaudium in eis cessaturum adempta potestate hominès tentandi ex quorum damno hoc gaudium inest, & ex odio in Deum. Oppositum tamen docet Scot. 4. d. 44. q. 2. §. *De secundo*, quem secuti sunt Ocham, Gabriel cum aliis Nominalibus, Vasqu. Bannes, Ripa, Pesantius, Medina, Zumel, & alii Recent. quod tali ratione probat, sicut enim beatitudo formalis omnem tristitiam evacuat in beatis, ità miseria formalis, & finalis, omnem gaudium excludit in damnatis, quia voluntas affecta extrema miseria, & tristitia qualiscunque delectationis redditur incapax, sicut enim in nullo ejus pœna minuitur, sic etiam nullum delectabile, circà quod dæmon afficitur est ipsi motivum proportionatum in ea dispositione ad causandum in eo delectationem. Quod si dicatur Deum suspendere concursum ad dolorem, & tristitiam in Beato, ne ejus beatitudo diminuatur, eodem modo de damnato dici poterit, ne ejus pœna minuatur. Confirm. ex Hiqueo loc. cit. in Commentario, quia non magis nata sunt illa motiva, & apta ex natura rei inducere gaudium in Dæmonis voluntate, quàm memoria peccati, & offensæ contrà Deum commissæ inducere tristitiam in Beato; sed ex illa memoria, & displicentia peccati commissi non tristatur Beatus ob summam delectationem ex fruitione manantem; ergo neque etiam Dæmon habet gaudium ex maleficio in homines quamvis illud vellit, cùm hinc, & indè quoad hos effectus eadem omninò currat paritas. Tandem in ordine ad passiones quantùm ad modum agendi, & inclinationem appetitus rationalis, & sensitivus eodem modo se habent; sed in appetitu sensitivo dolor vehemens, & excessivus valdè ità prædominatur ut nullatenus delectari possit, non solùm de oppositio, sed nec etiam de quocunque alio objecto, ut ipsa experientia docet, quod aliàs esset delectabile, si appetitus non fuisset impeditus dolore vehementi prævio; ergo idem dicendum in proposito de appetitu rationali, ut fusius prosequitur Hiqueus loc. c. Neque locus Scripturæ adductus oppositum convincit, etiam admittendo, quod per inimicos intelligantur Diaboli, loquitur enim accommodatè ad captum nostrum, sic enim passiones istas Deo quoq; & Beatis tribuere solet, ut quod tristentur de peccatis hominum, non quod in ipsis re vera sint, sed quod inessent, si essent illarum capaces, quantùm est ex parte objecti. Nec etiam ratio urget, quia experimur nos ipsos aliqua velle, quibus obtentis nullam sentimus delectationem, undè tantò magis id Dæmonibus evenire potest, qui ex malignitate tantùm, & invidia malum hominibus desiderant, & non quia in ipsis effectu obtento aliqua resultet delectatio, cujus sunt omninò incapaces, sicut Beati tristitiæ, ne eorum pœna minuatur.

31 Tertiò quæritur, an pœna damnatorum sit adeò magna, ut sit intensivè infinita. Communis, & vera sententia est negativa, & ratio est evidens, quia in pœnis eorum est inæqualitas, ut mox dicemus; ergo nulla est infinita aliàs, non esset in eis inæqualitas; tùm quia sicut gaudium Beatorum est finitum, ut disp. præced. dictum est, ità & damnatorum pœna finita est; tum tandem quia infinitum cathegorematicum tam in quantitate, quàm in qualitate etiam de potentia Dei absoluta repugnat, ut dictum est in lib. Phys. & ità præsertim docet Scot. 3. d. 19. q. un. ad 3. & 4. d. 50. q. 6. in fine, ubi ait pœnam peccato mortali correspondentem non esse infinitam intensivè, sed extensivè tantùm, ideoque esse infinitam in duratione solùm, non verò formaliter; si enim de pœna damni loquamur, hæc formaliter, & immediatè est privatio beatitudinis, quæ finita est, non Dei, si verò de pœna sensus, hæc quoque est cruciatus in intensione finitus; excessus autem, vel gravitas culpæ non debet attendi secundùm quantitatem extensionis, sed intensionis; & peccatum non dicitur infinitum, nisi quia separat ab infinito, non quia formaliter malitia sit infinita, quia talis, & tanta est, quanta est bonitas, quæ nata fuisset inesse illi actui, si secundùm debitas circumstantias fuisset elicitus, hæc autem infinita fuisset; non ergo debetur peccato pœna intensivè infinita, sed finita. Imò pœna peccato mortali debita nedùm non est cathegorematicè infinita intensivè, sed nec etiam sincategorematicè, sed finita, ut docet Hiqueus 4. d. 50. q. 6. in fine contrà Almainum tract. 3. Moralium cap. 29. qui dicebat peccatum mortale ità dignum esse pœna, ut quacunque finita, & possibili data, sit adhuc majori dignum, & majori in infinitum sincategorematicè. Ratio est, quia malitia peccati mortalis quantùm ad aversionem, & conversionem finita est, ut ex professo ostendimus lib. 2. sent. disp. 6. *de peccatis*, q. 7. & malitia cujuscunque peccati non est tanta, quin possit dari major; ergo pœna finita in ratione punitionis, ità commensuratur illi, ut non sit dignum majori pœna, & majori in infinitum. Confirmatur, quia aliàs sequeretur omnia peccata mortalia æquali pœna puniri debere, nec major pœna deberetur magis gravi, quàm minus gravi, nam magis gravis major pœna infligi nequit, quum infinita sincategorematicè, idest, non tanta, quin adhuc major justè infligi possit, tanta autem deberetur etiam minus gravi peccato juxtà illam opinionem. Dices peccatum mortale quamcunque pœnam etiam infinitam excedere in ratione mali, quia est majus malum, quàm ulla pœna; ergo cuicunque peccato infligi potest pœna, quantumvis magna. Confirmatur, quia pœna quantumcunque magna non sufficit, ut quis satisfaciat pro peccato mortali; ergo pœna ipsi debita non est finita, alioquin ea soluta satisfieret pro peccato, & hoc est fundamentum Almaini loc. cit.

32 Respondetur negando consequentiam, aliàs sequeretur, quod etiam pœna peccato veniali debita non esset finita intensivè, quia quodcunque malum culpæ etiam veniale est magis malum, quàm sit pœna, illud enim est malum morale, & demeritorium, pœna autem est tantum malum incommodum, & in genere naturæ, quatenus natura affligit, vel aliquo bono privat; ratio autem disparitatis est, quia malum peccati, & pœnæ sunt diversi ordinis, & speciei, & ideò licet pœna in ratione mali nunquam culpæ etiam veniali adæquari possit, potest tamen adæquari in ratione punitionis ejus, & depressionis peccatoris; & hoc modo inter peccatum, & pœnam intervenit proportio requisita per justitiam, ut tanta sint tormenta peccatoris, quantùm in delitiis fuit, ut benè discurrit Hiqueus loc. cit. quæ quidem proportio inter peccatum, & pœnam à Domino taxata, & instituta fuit quantùm ad intensionem, quando dixit Apocal. 18. *quantùm glorificavit se, & fuit in deliciis, tantùm date ei tormentum, & luctum*; & ratio talis proportionis est, quia pœna peccato correspondens secundùm justitiam non debet habere rationem mali moralis, sed rationem mali incommodi modo jam explicato. Ad confirmationem quicquid sit de antecedente, neganda est consequentia cum Hiqueo lo. cit. quia pœna ordinata est præsertim damnatis, non in satisfactionem, sed in satispassionem, & peccatoris punitionem; tum quia, ut ait Poncius disput. 19. cit. quæst. 9. etiamsi pœna peccato mortali debita sit finita quoad intensionem, tamen quia in perpetuum est duratura, nemo illam solvere potest, & consequenter nullus pro peccato mortali

satis-

satisfacere poterit, undè ad summum probaret argumentum peccato deberi ex justitia pœnam infinitam quoad extensionem, non autem quoad intensionem.

33 Quartò quæritur, an pœna damni in omnibus damnatis sit æqualis. Prima opinio affirmat, pro qua citantur Paludanus, Durandus, Capreolus, & alii, ac etiam Bassolius ex nostris, cujus fundamentum est, quia pœna damni essentialis damnatorum consistit in carentia Dei visi, sed hæc carentia non suscipit magis & minus, quia carentia specificatur ab objecto, Deus autem magis, & minus non suscipit. Confirmatur, quia pœna damni est privatio totalis beatificæ visionis; Sed privatio non suscipit magis, & minus; ergo neque inæqualitatem. Tandem quia damnati quantitatem boni amissi non apprehendunt, cum eis notum non sit, qualis gradus beatitudinis actibus contrariis suis peccatis correspondisset, ergo &c. Secunda opinio communior, & probabilior negat asserens pœnam damni in damnatis esse inæqualem juxtà demerita, ità præsertim Scotus 4. dist. 50. qu. 6. §. *Ad primam quæstionem*, & ità asserendum est consequenter ad dicta disp. præced. de Beatitudine, sicut enim beati inæqualem habent beatitudinem juxtà meritorum inæqualitatem, ità damnati quoque inæqualem debent habere pœnam damni juxtà demeritorum inæqualitatem, & sicut beatorum merita se habent in merendo majus, minusque præmium, sic reproborum demerita in demerendo illud. Quomodo autem sit assignanda hæc inæqualitas benè declarat Hiqueus loc. c. ex doctrina Scoti ibidem, quia qui gravius peccat, privat se majori rectitudine, & merito, ad quæ per legem vocatur, & quæ sunt media aquirendæ gloriæ, ac proindè etiam consequenter se privat gloria, quæ aliàs correspondet; hæc autem privatio non solùm opponitur gloriæ secundùm speciem, sed etiam secundùm gradum perfectionis, itaut sit tantæ gloriæ, quanta exclusa est per demerita sublata rectitudine, quæ deberet inesse, & secundùm gradum rectitudinis, non solùm in specie, sed etiam in individuo, voluntas enim debitrix est hic, & nunc ut operatur, operari secundùm regulam præscriptam, cui opponitur peccatum, quod committit; hæc autem rectitudo, quæ hic, & nunc excluditur per malitiam oppositam, & deberet inesse, habet sibi commensuratum gloriæ gradum; & sicut peccatum opponitur directè ipsi rectitudini, ità inducit damnum gloriæ correspondentis, quod consistit in privatione illius gloriæ commensurata ipsi in substantia, & gradu, & hoc modo crescit, & augetur privatio, quantum crescit in gradu ipsa gloria. Ità discurrit Hiqueus ibi in Commentario; inequalitas ergo pœnæ damni essentialis hoc modo explicanda est, sicut etiam explicare solemus differentiam inæqualitatis inter eadem specie peccata, aut etiam diversa, ut dictum est 2. disp. 6. de peccatis.

34 Ex qua doctrina facilè solvitur fundamentum prioris sententiæ, pœna enim damni non consistit in carentia Dei tantùm, sed in carentia visionis, & fruitionis Dei; beatitudo enim consistit in visione, & fruitione Dei, ut dictum est disp. præced. quamvis autem Deus magis, & minus non suscipiat, benè tamen ejus visio, & fruitio, hic autem loquimur de bono formali, & consistente in actu, quo privat pœna damni, non de bono objectivo, undè ad summum argumentum probat pœnas damni in damnatis ex parte objecti esse æquales. Ad confirmationem negatur minor, quia privatio in specie in ratione damni tantò major est, quantò forma est perfectior, qua privat, ut patet de differentia inæqualitatis peccatorum, quorum unum est majus alio, quantum majori rectitudine privat, undè in proposito de pœna damni, quæ in privatione beatitudinis consistit, non solùm privatio attedi debet secundùm rationem, seù oppositionem in specie, sed etiam oppositionem in individuo, qua privat, visione, & fruitione commensurata rectitudini, quia hic, & nunc peccatum privat, & quæ est damnum, quod per peccatum incurritur, unde damnatus peccando privavit se gloria in gradu proportionato illis meritis quorum debitrix erat voluntas in ordine ad gloriam aquirendam in eadem proportione. Ad ultimum negatur assumptum, quia damnati in pœnam reflectunt ad quantitatem, & qualitatem peccatorum commissorum juxtà illud Sap. 5. *Erravimus de via veritatis, ambulavimus vias difficiles, &c.* & pariter recordantur, quod Deus reddit unicuique juxtà opera sua, & quod nihil irremuneratum relinquit & sciunt majora majoribus esse præparata, & minora minoribus juxtà meritorum proportionem.

35 Quintò quæritur, an pœna sensus in omnibus damnatis sit æqualis, quæ quidem pœna, ut patet ex superius dictis est dolor positivus, sivè tristitia, quam damnati sustinent, sivè sit spiritualis, sivè corporalis. Communis opinio affirmat, & præsertim Scotus loc. c. ubi ait pœnam sensus in damnatis esse inæqualem juxtà inæqualitatem culparum, quod etiam antea docuerat dist. 44. q. 2. in solutione primi argumenti de æqualitate pœnarum in spiritibus, qui per tristitiam cruciantur, & probat, quia ubi est gravior culpa, ibi est gravior pœna juxtà illud *Reddet unicuique juxtà opera sua*, certum autem est, quod in damnatis non est æqualitas culparum, & ità passim discurrunt SS. Patres & præsertim D. Aug. lib. 21. *de Civit. Dei* ca. 16 *in fine*, ubi ait: Nequaquam negandum est etiam ipsum æternum ignem pro diversitate demeritorum aliis leviorem, aliis futurum esse graviorem, & lib. 4. *de Baptis. contrà Donat.* cap. 19. Nec dubitandum est, ipsas pœnas, quibus damnati cruciabuntur pro diversitate criminum esse diversas, & alias aliis acriores, & ex illo igne diversa possunt distribui pro criminum diversitate supplicia; & lib. *de vanitate sæculi* cap. 3. juxtà qualitatem culpæ pœnam unusquisque sustinebit gehennæ. Ità etiam Divus Gregorius lib. 9. Moral. cap. 47. ubi diffusè docet ordinem tormentorum in Inferno pro qualitate culparum esse servandum, & concludit, quod sicut in domo Patris, mansiones multæ sunt pro diversitate virtutis, sic damnatos diverso supplicio gehennæ ignibus subiicit disparitas criminis; & ità passim alii Patres discurrunt. Dices, idem ignis erit afflictivus omnium, ignis autem cùm sit agens naturale aget in quoslibet secundùm ultimum potentiæ suæ, & sic æqualiter. Respondet Doctor negando consequentiam, quia inæqualitas non est accipienda ex parte ignis præcisè, sed ex inæqualitate demeritorum, & Dei cooperantis igni ad majorem afflictionem secundùm exigentiam majoris culpæ. Addit tandem Doctor ibidem, idem quoque dicendum esse de pœna vermis, hæc enim erit quædam tristitia, & continuus conscientiæ remorsus, ut suprà dictum est, & ista pœna erit eis inæqualis, sicut tristitia, qua nollent ista mala pati, est eis inæqualis, sic enim habebunt remorsum majorem, vel minorem secundùm proportionem culpæ, sicut de peccato graviori infligitur eis gravior pœna.

36 Postremò quæritur, undè hæc pœnarum diversitas in damnatis oriatur. Dicendum est ex triplici capite desumendam esse, nimirum ex inæqualitate demeritorum, effectivè à Deo, ut à causa principali, & instrumentaliter ab ipsis tormentis magis, minusvè affligentibus, ità Scotus distinct. 44. q. 2. N. & quidem quod hæc pœnarum diversitas meritoriè oriatur ex diversitate culparum patet ex modò dictis. Quod verò effectivè sit à Deo, ut à causa principali probat Doctor, quia tormenta Inferni sunt agentia naturalia, non libera, quæ ad Dei nutum inserviunt, & juxtà ejus dispositionem, undè eorum concursus à Deo moderatur, & disponitur ad magis vel minus torquendum, non enim alia causa assignari potest temperans eorum naturalem, ac vehementem justuxum, & ità deducitur ex verbis Apocal. 18. ubi ità præcipitur à Domino: *Reddite illi, sicut ipse réddidit vobis, & duplicate duplicia secundùm opera ejus, & quantum glorificavit se, & fuit in deliciis, tantum date ei tormentum & luctum*, quibus verbis innuitur diversitatem tormentorum in Inferno esse à Deo effectivè, ut à causa principali; undè etiam Bassolius noster 4. dist. 50. q. 2. art. 3. in fine inquit quod dolor ignis, ejusque inæqualitas accipienda est ex inæqualitate demeritorum, & ex causa effectiva affligente, & magis principaliter ex Deo, non ex igne ipso, nam ignis quantùm est ex se uniformiter ageret, & affligeret æqualiter dispositos corporaliter, & sibi approximatos; sed Deus facit totam difformitatem, nam cooperatur, & coagit ipsi igni ad majorem afflictionem, & fortiorem immutationem, vel minorem secundùm exigentiam culpæ majorem, vel minorem, & subdit, quod si fortè ignis non possit in tantam, & ità vehementem immutationem, quantam exigit culpa, dicendum esse, quod ignis cooperatur Deo ad illum gradum; in quem naturaliter potest, & Deus per seipsum immediatè supplet ulteriorem gradum, quod etiam approbat ex nostris Nicolaus de Nisse tract. 7. p. 3. por. 2. qu. 13. in fine. Denique quod talis pœnarum diversitas, & inæqualitas oriatur etiam instrumentaliter ab ipsis tormentis inferni magis, vel minus affligentibus probat Brancatus noster disp. 13. cit. art. 9. in fine ex D. Augustino lib. 21. *de Civitate Dei* cap. 16. cit. ubi sic loquitur. Nequaquam negandum est etiam ipsum æternum ignem pro diversitate demeritorum aliis leviorem, aliis futurum esse graviorem, sivè ipsius vis, atque ardor pro pœna digna cujusque varietur, sivè ipse æqualiter ardeat, sed non æquali molestia sentiatur; neque enim potest aliter dici, nam quod quis ardeat, alius non formaliter à causa ardorem faciente provenit; ergo talis pœnarum diversitas instrumentaliter etiam ab ipsis tormentis provenit magis, vel minus affligentibus.

ARTICULUS SECUNDUS.

De earum extensione, & duratione.

37 PRimò quæritur, an pœna damnatorum in Inferno sit infinita saltem extensivè, ideſt in æternum durans. Circà hoc punctum varii fuerunt antiquorum errores; aliqui enim absolutè negabant æternitatem pœnæ in damnatis, qualis fuit error, qui dicitur Origenis, vel potius ut alii volunt, Origenistarum, qui hunc errorem induxerunt. Alii dicebant pœnas Principum, & Tyrannorum fore perpetuas, non aliorum juxtà illud *Potentes potenter tormenta patientur*. Alii dicebant pœnas eorum, qui antè Christi adventum fuerunt, desiisse, quia Christus ad inferos descendens eos liberavit. Alii tandem intermissionem pœnarum pro aliquo temporis spatio admittebant. Sed omnes hi errores sunt, & ex Scriptura, & Patribus convincuntur, qui universaliter, & sine limitatione loquuntur, undè hæc est veritas fidei pœnam inferni pro omnibus damnatis æternam esse, & definita fuit in 6. Synodo Act. 11. in Lateranensi Concilio sub Innocentio Tertio cap. firmiter, & eam supponit Trident. sess. 6. cap 14. & 15. & sess. 14. cap. 8. & ità expressè deducitur ex pluribus Scripturæ locis tùm veteris, tùm novi testamenti Deuteron. 32. Judith. 16. Job. 7. Psal. 10. Proverb. 10. Isaiæ 13. Mat. 3. & 25. Marci 2. 1. Ad Thessal. q. 2. Petri 2. Apoc - lyp. 14. 18. & 19. & alibi frequenter, quæ testimonia sigilatim adducit Coccius de 4. novissimis lib. 10. art. 8. Bellarminus, Brancatus noster disput. 13. art. 12. & alii passim; sic etiam loquuntur omnes Ecclesiæ Patres ab eodem adducti, & præsertim D. Augustinus ad Orosium contrà Priscil. cap. 6. ubi disputans contrà Origenem utitur dicto Matt. 25. *Ibunt hi in ignem æternum*, &c. & concludit, quod qualiscunque pœna significata sit nomine ignis, & vermis, certè si non morietur, nec extinguetur sine fine prædicta est, nec aliud agebat Propheta, cum hoc diceret, nisi ut eam sine fine prædiceret, & lib. 21. de Civit. Dei cap. 17. deridens illos, qui dicebant aliquorum hominum pœnas futuras esse temporales, aliorum æternas ait, quod profectò misericordior fuit Origenes, qui & ipsum Diabolum, atque Angelos ejus ex illis cruciatibus eruendos dixit, cujus doctrinam sancta reprobavit Ecclesia. Et in Enchirid. cap. 112. solvens fundamentum Origenistarum, quod erat illud Psal. 76. *Non enim obliviscetur misereri Deus, aut continebit in ira sua, miserationes suas* ait intelligi sine scrupulo de vasis misericordiæ, ideſt de salvandis, quia isti non pro meritis suis, sed Deo miserante de miseria liberantur. Vel si de damnatis velis etiam intelligi, dicendum, quod in ira sua non continet Deus misericordias suas cum reis, mitius enim, quàm mereantur, punit, & notandum, inquit, est quod non dicit *finiet iram suam*, sed quod in ira sua perseverante non continet misericordias, quoniam eam quoque in damnatorum punitione manifestat ut infrà patebit. Demum omnes Scholastici hoc idem docent cum Magistro 4. distinct. 49. ubi D. Thomas, D. Bonav. Albertus magnus, Scotus, & alii passim.

38 Secundò quæritur; quarè culpa mortalis temporalis æterna pœna puniatur. Aliqui, ut refert Scotus 4. d. 46. q. 4. in solutione secundi principalis, dixerunt ideò peccatum finale damnati pœna æterna puniri, quia prævisus est, quod si perpetuò vixisset, perpetuò peccasset, quæ opinio tribuitur D. Gregor. l. 34. c. 3. quem ibi citat Doctor; sed re vera potius exaggerativè loquitur ibi Gregor. quàm Scholasticè, improbans peccatoris obstinationem, & pronitatem ad semper peccandum, ut Brancatus noster advertit disp. 13. cit. ar. 13. æternitas enim pœnæ peccato mortali actuali non correspondet ex prædicta causa, quia scilicet peccator prævidetur semper peccaturus si vixisset, quia ut inquit Doctor aliquis peccat cum proposito pœnitendi; ergo nec explicitè, nec implicitè in voto perpetuò peccat; tùm quia bona opera, quæ aliqua conditione supposita prævidentur futura, non præmiantur, nam prævidit Christus dominus Matth. 11. quod si in Tyro, & Sidone facta fuissent miracula, quæ facta sunt in Corosaim, & Bethsaida, in cinere, & cilicio pœnitentiam egissent, & tamen hæc voluntas non præmiatur; ergo neque mala eodem modo prævisa puniuntur à Deo. Quare subdit Doctor ideò pœnam infinitam duratione correspondere culpæ instantaneæ, vel temporali mortali, quia hæc in damnatis in æternum durat, quod etiam tenet D. Thomas p. 2. quæst. 87. art. 4. ad. 3. & sequuntur Vasquez, Medina, Sayrus, Zumel, Bellarminus, Herrera, & plures alii, undè infinita pœnæ duratio non correspondet peccato mortali ex propria natura (inquit Doctor) siquidem posset Deus pœnam aliquam infligere, quæ si tantùm duraret per momentum, sufficienter peccatum puniret, sed hoc accidit ex ordinatione divina sic disponente, quia enim culpa, & peccatum durat in obstinata damnatorum voluntate, ideòque pœna durat, quod probat Doctor ex Augustino de fide ad Petrum circa medium dicente: *Permanente in eis injustè affectionis malo, permanet in eis justæ retributionis damnatio*. Aliam etiam insinuat Doctor congruitatem perennitatis pœnæ, & est quia maximè expedit, ut peccata gravia, veluti sunt mortalia, vitentur; ad hoc autem necesse fuit, vel saltem congruum pœnam æternam imponere, si enim esset spes finis pœnæ, non multum de illa homines curarent.

39 Sed instat Coninchius disp. 10. de pœnit. dub. 2. rationem perpetuæ malæ voluntatis in damnatis perseverantis esse non posse causam æternitatis pœnæ, quia damnati actu non demerentur peccando, vel non pœnitendo, dùm non possunt, neque propter illam malam voluntatem in eis perseverantem puniuntur, sed propter peccata in hac vita commissa; sed hanc instantiam jam exclusimus lib. 2. sent. disp. 6. de peccatis quæst. 7. art. 2. nu. 196. quia nec Scotus, nec Augustinus dixerunt damnatos puniri pœna æterna, & infinita, quia actu demereantur, postquam sunt in termino, neque quod actu puniantur propter illam malam voluntatem, sed quia fuerunt in causa, ut quantum esset ex seipsis, in tali statu semper permanerent; undè duratio illa in æternum est voluntaria in causa, dùm voluntariè decesserunt in tali statu, in quo pœnitentiam agere non possent, & ideò proportione servata etiam pœna est in æternum duratura; quod Doctor explicat exemplo de servo se in foveam proiiciente, à qua non possit, nisi Domini auxilio exire, undè quantum est ex se habuit voluntatem interpretativam manendi semper in tali statu; hoc enim contingit in eo, qui non egit pœnitentiam viator, quando potuit, & debuit, undè ratio adducta verificatur, in hoc, quod talis perpetuò peccat vel actualiter, vel habitualiter, & interpretativè manens in peccato sine ulla pœnitentia, & exponens se perpetuitati peccati. Hæc tamen Scoti doctrina ex D. Augustino desumpta, ut advertit Hiqueus ibidem in Commentario, potius dat congruitatem, cur ità statutum sit, quàm propriam causam assignet, cur pœna æterna peccato temporali correspondet; hujus enim perpetuitatis propria ratio, & causa est lex universalis vindicativa, & justa, quæ peccatum sub tali lege prohibuit, ut etiam respondet Augustinus lib. 1. *de fide contrà* Manich. cap. 18. & sic etiam justis retribuit pro merito temporali æternum præmium, & utriusque æternitas in scriptura exaggeratur per modum retributionis bonorum, & malorum. Ratio itaque Scoti ex Augustino desumpta congruitatem assignat legis statuitæ ex demerito peccatoris Deum offendentis, & graviter ejus legem contemnentis, quæ ducit in vita m æternam, quia hoc ipso, quod peccet, neque deinceps pœniteat, dum tempus constituitur, perpetuò peccatum affectat, pro quo sicut nulla est satisfactio possibilis in termino, ità etiam justè pœnam incurrit æternam ex lege statutam, ut adhuc magis patebit ex mox dicendis.

40 Tertiò quæritur, quomodo pœna æterna culpæ temporali, & instantaneæ proportionetur; & ratio dubitandi est, quia pœnæ æternitas peccato mortali non correspondet ex natura rei, sed tantùm ex ordinatione divina, ut dictum est, undè posset peccatum mortale sufficienter, & adæquatè finito tempore puniri, spectata ejus natura intrinseca; & consequenter damnati non citrà condignum, sed ultrà condignum, & injustè per æternitatem in Inferno detinerentur, quia exigeret Deus solutionem majorem debito, quam instantiam urget etiam Coninchius l. c. contrà doctrinam allatam de causa æternitatis pœnæ damnatorum. Pro resolutione dicendum est pœnam æternam culpæ temporali, & instantaneæ esse proportionatam, & justè potuisse Deum taxare, sicut de facto taxavit, ut qui in peccato mortali ex hac vita decederet, perpetuò impœnitens remaneret, & consequenter æterno bono perpetuò privatus, & æterno malo perpetuò addictus; & ratio est, quia proportio pœnæ ad culpam attendi non debet ex delectatione, & duratione ejus, sed ab objecto, & fine à quo quis avertitur, statuit autem Deus, ut qui ab ultimo fine se avertit, æternaliter illo careat, & pari pœna puniatur. Quod autem talis lex justa sit, & honesta probat Doctor l. c. ex Augustin. lib. 21. de Civitate Dei c. 11. ubi ex professo quærit, quomodo in Dei Civitate justitia exerceatur, & pœna æterna peccatis taxata sit eis proportionata, cum pro peccato momentaneo æterna pœna puniat; & talem proportionem, ac æquitatem probat ex legibus humanis, & ex paritate pœnarum à Republica inflictarum, nam secundùm civilem justitiam qui contrà Rempublicam peccat, societate Reipublicæ privatur omninò vel per mortem, vel per exilium perpetuum, nec attenditur quanta fuerit temporis mora in peccando, sed contrà quid peccavit; eadem est autem comparatio totius vitæ præsentis ad Rempublicam terrenam, & totius æternitatis ad societatem Dei, & Beatorum; ergo qui contra ultimum finem peccavit, & contrà charitatem, per quam est societas Beatorum, estò aliqua brevi mora peccaverit, adhuc in æternum puniri debet, & ità enim in hoc puncto discurrit D. Thom. libr. 3.

Con-

Contra gentes c. 44. ad hanc proportionem declarandam æternitatis pœnæ cum culpa temporali. Quæ etiam suaderi potest exemplo de servo se in foveam proiiciente allato à Scoto, qui enim voluntariè se in foveam præcipitat, de qua per se evadere non potest, nisi ejus auxilio, quem actu offendit, justè ab eo in ea derelinquitur; cùm ergo damnatus peccatum antè mortem retractare potuerit, & non retractaverit, justè pœna æterna per legem comminata punietur.

41 Ratio tandem hoc etiam suadet, quia æquum, & justum est ut pro contemptu, & offensa boni infiniti stabilita sit pœna extensivè infinita, & ut qui bonum æternum voluntariè amisit, & sprevit pro momentanea, & transitoria delectatione, malum quoque æternum, & pœnam æternam consequatur; ut enim discurrit idem Augustinus lib. 21. *de Civitate Dei*. *Quantò magis homo fruebatur Deo, tantò majori impietate Deum dereliquit, & factus est malo dignus æterno, qui hoc in se peremit bonum, quod esse posset æternum*: rationabiliter ergo, & proportionatè peccato temporali, & transitorio pœna correspondet æterna ex ordinatione divina. Ad rationem dubitandi jam responsum est disp 9. cit. q. 7. concesso antecedente negando consequentiam, quia namque peccatum perpetuò in peccatore durat modo jam explicato, hinc justè etiam in eo durat pœna, undè non tam peccatum in se, quàm ejus continuata duratio punitur in æternum, & quidem justè, justum enim est, inquit August. cit. quod quamdiù durat culpa, quæ fuit voluntaria in causa, duret etiam pœna; ratio igitur, quare æternitas pœnæ proportionata sit peccato non retractato est, quia persona peccans, & peccatum ejus perpetuò durant, nam respectu etiam vitæ civilis in Republica aliqua culpa adeò gravis est ut totalem exclusionem ab illa vita civili mereatur, accidit autem, quod ejus extensio sit finita, & non perpetua, quia nimirum vita finita est; sic in proposito culpa mortalis totalem exclusionem meretur ab illa civitate superna, sed ideò præcisè perpetua est ait Doctor loc. cit. quia vita cum culpa est perpetua. Quod autem adhuc dicatur culpam punire citrà condignum, inquit ibidem, non attendi debere ex pœnæ extensione, sed intensione, quatenus culpa licet in æternum punita, adhuc tamen non sic extensivè punitur, quantum meretur. Et ità etiam hanc difficultatem resolvit Scholiastes loc. cit. ubi quærens, quomodo illa pœnæ æternitas justè correspondeat culpæ instantaneæ, ait secundùm Doctorem dicendum esse, quod per se necessariò non correspondet ei illa æternitas, quia justè puniri posset pœna temporali, sicut & merita præmiari præmio temporali; justè tamen punitur culpa illa æterna pœna, supposito Dei pacto de præmiando æternaliter servantes perseveranter ejus mandata, & puniendo æternaliter violantes ea. Quod si tantùm decrevisset justè retribuere his, & illis pro meritis, & demeritis, posset justè id præstare sine æternitate retributionis, quod etiam significat Doctor infrà d. 49. q. 6. art. 2. ubi ait æternitatem beatitudinis cadere sub præmium justitiæ liberalis ex suppositione, scilicet, dicti pacti Dei de sic præmiando, & idem est in proposito de puniendo, quod adhuc magis patebit q. seq. art. 1. suppositâ namque ordinatione præmiandi infinitè extensivè bonum finitum, justè quoque infinitè eodem modo punitur finitum malum; & sic licet absolutè loquendo sufficeret pœna temporalis pro culpa, tamen respectivè ex suppositione præmii infiniti pro bono infinito, justè punitur pœna eterna, & quod peccatum mortale æternam pœnam mereatur ex sola ordinatione divina docet etiam Suarez tract. 5. disp. 7. sec. 7. cum pluribus aliis Recentioribus.

42 Quartò tandem quæritur, an ex pœnæ æternitate infinitas culpæ mortalis benè deducatur. Affirmant plures Thomistæ, quæ opinio D. Thomæ tribuitur p. 2. q. 87. art. 4. & 3. p. q. 1. art. 2. ubi Cajetanus, Medina, Alvarez, Nazarius, Cornexo, & plures alii; quorum fundamentum est, quia gravitas pœnæ culpæ gravitatem ostendit, & offensa ex pœna ipsi debita colligitur, quàm sit gravis; sed culpa mortalis punitur pœna infinita, quæ in æternum duret; ergo &c. Cæterum nullum peccatum in ratione offensæ includere infinitam malitiam simpliciter intrinsecè, & formaliter, sed tantùm secundùm quid latè demonstravimus disp. 6. cit. *de peccatis* quæst. 7. cum Scoto, & omnibus Scotistis 2. dist. 37. q. 1. §. *ex ista*, & 3. d. 19. ad 2. & d. 30 §. *Contra*; & præsertim quod talis infinitas peccati ex pœnæ debitæ infinitate deduci nequeat, ostendimus ibidem art. 2. in solutione objectionis tertiæ num. 195. & seq. & ea presertim ratione, quia si propter malitiæ infinitatem corresponderet peccato mortali pœna infinita in extensione, ut servaretur proportio inter pœnam, & culpam deberet etiam puniri pœna infinita secundùm intensionem, & non tantùm pœna infinita secundùm durationem. Imò si argumentum est validum, ut ibi dicebamus, probaretur à pari actum meritorium esse infiniti valoris, quia præmium sibi correspondens, scilicet, beatitudo est extensivè infinitum; & ideò verum est, quod ajebat Doctor proportionem inter culpam, & pœnam, ac inter meritum, & præmium non penes extensionem pœnæ, vel præmii debere attendi, sed tantùm penes intensionem. Hinc ad rationem in oppositum jam diximus ibi cum Doctore 3. d. 19. q. un. ad 3. & 4. d. 40. qu. 6. in fine, pœnam peccato mortali correspondentem non esse infinitam intensivè, sed extensivè tantùm, ideoque esse infinitam in duratione solùm, non verò formaliter; si enim de pœna damni loquamur, hæc formaliter, & immediatè est privatio beatitudinis, non Dei; si verò de pœna sensus, hæc quoque est cruciatus in intensione finitus; excessus autem, vel gravitas culpæ non debet attendi secundùm quantitatem extensionis, sed intensionis, quia per se culpæ correspondet pœna secundùm intensionem juxtà justitiæ distributionem.

QUÆSTIO TERTIA.

An in punitione damnatorum Deus utatur justitia, & misericordia.

43 Scotus in 4. sent. d. 46. postquam per plures quæstiones demonstravit justitiam, & misericordiam in Deo reperiri, in qu. 4. ostendit tandem in damnatorum punitione utramque à Deo exerceri. Nos autem quomodo, & qualis justitia inter Deum, & creaturam intercedere possit, jam ex professo declaravimus lib. 3. sentent. disp. 3. *de merito Christi* q. 5. & quomodo etiam misericordia sit in Deo admittenda ergà creaturas, hic breviter discurremus, ut pateat tandem, quomodo etiam utramque ergà damnatos in Inferno exerceat.

ARTICULUS PRIMUS.

Quomodo manifestetur Justitia in punitione damnatorum.

44 Primò supponimus ex jam fusè dictis lib. 3. sent. disp. 7. q. 8. justitiam distingui in universalem, & particularem; prima dicitur justitia legalis secundùm communiorem loquendi modum, qua universaliter dicatur justum, secunda dicitur judicialis qua particulare factum juxtà legem decernitur justum, vel injustum. Rursus omnis justitia, quæ est simpliciter ad alterum, vel est commutativa, vel distributiva; prima est illa, per quam fit commutatio, ut cùm commutatur præmium pro merito, pœna pro demerito, undè in duas species subdividitur in præmiativam, scilicet, & punitivam. Secunda est, qua distribuuntur singulis res, & gradus juxtà eorum perfectiones, & status, ut cùm in Republica gradus, & honores distribuuntur juxtà personarum dignitates, & perfectiones, ut fusè declaramus qu. 8. cit. art. 2. Potest autem justitia, sicut & quælibet alia virtus sumi quandoque pro actu, & quandoque pro habitu, sivè ex actibus causato, sivè infuso, ut contingit in creaturis; cùm autem de justitia Dei quasi habituali sit sermo, eodem prorsus modo intelligi debet, sicut de aliis divinis attributis loqui solemus, quod, scilicet, importet perfectionem in Deo ex natura rei formaliter non autem realiter ab eo distinctam, sicut de omnibus divinis attributis jam diximus lib. 1. sent. disp. 2. & docet Scotus 4. dist. 46. q. 3.

45 Secundò his præmissis dicendum est, & de fide tenendum in Deo omnimodam reperiri justitiam tàm in præmiatione bonorum, quàm in punitione malorum, qua veritate plenæ sunt Scripturæ Psal. 10 *Justus Dominus, & justitiam dilexit, æquitatem vidit vultus ejus*; Psalm 18. *justitiæ Domini rectæ*; Psalm. 21. *Annunciabunt Cœli justitiam ejus*; Psalm. 47. *justitia plena est dextera tua*; Psalm. 84. *justitia, & pax osculatæ sunt, & justitia de Cœlo prospexit*; & sic passim legitur in scriptura. Et quidem de justitia commutativa, & distributiva tam in præmiatione, & retributione justorum, quàm in punitione malorum expressè etiam loquuntur scripturæ, ut 2. ad Rom. 6. *Reddet unicuique secundùm opera ejus, iis quidem, qui secundùm patientiam boni operis gloriam, & honorem, & incorruptionem quærunt, vitam æternam, iis autem, qui sunt ex contentione, & non acquiescunt veritati, credunt autem iniquitati, ira, & indignatio*; & 3. Lucæ 8. *Mensuram bonam, confertam, & coagitatam, & superfluentem dabunt in sinum vestrum, eadem quippè mensura, qua mensi fueritis, remetietur & vobis*; & 2. Corint. 5. *Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi, ut referat unusquisque propria corporis, prout gessit, sivè bonum, sivè malum*; & ad Timoth. 4. *Cursum consumavi, fidem servavi, in reliquo reposita est mihi corona justitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die justus Judex, non solùm autem mihi, sed iis, qui diligunt adventum*

ejus. Quamvis autem justitia commutativa secundùm æqualitatem inter Deum, & creaturam esse non possit, ut diximus disp. 3. cit. de merito Christi; esse tamen potest secundùm quandam proportionem, sicut Domini ad servum præmiando ultrà condignum, & puniendo citrà condignum, ità nimirum, quod si servus facit, quod suum est, dominus quoque faciat, quod suum est, nempè ut tanquam liberalis retribuat præmiando majus bonum, si servus faciat contrà id, quod suum est, dominus ratione suæ clementiæ minus pœnæ retribuat, quàm sit condignum, sic enim Deus dicitur judicialiter præmiare bonos ultrà condignum, & pariter malos punire citrà condignum, justè tamen justitia legali, & judiciali commutando præmia lege statuta, pro meritis, & pœna lege statuta pro demeritis. Ex hoc ergò deducitur Deum justè punire peccatores pœnis æternis, nam sicut se habet justitia præmiativa ad meritum, sic punitiva ad demeritum, sed quamvis merita omnia alicujus creaturæ intellectualis unico beatitudinis momento abundanter compensentur, Deus tamen ob suam liberalitatem ex lege statuit pro temporali merito æternam beatitudinem retribuere; ergo è contrà pro temporali demerito justè statuit æternam beatitudis privationem, & æterna supplicia ex æquitate.

46 Tertiò hoc etiam probat Scot. d. 46. cit. qu. 4. §. *De tertio* sigillatim de singulis damnatorum pœnis, nam prima damnatorum pœna, quæ est derelictio in peccato, seù continuatio, & obstinatio in malo, justè à Deo infligitur eo modo, quo à Deo infligi potest, quæ limitatio appositè adiicitur, quia talis pœna à Deo positivè infligi nequit, inquit Doctor §. *De secundo*, cum sit culpa, sed sicut ab ipso peccatore in termino vitæ commissa fuit, & à Deo solùm permissa, ità se habet ejus continuatio justè igitur hoc modo, nempè permissivè infligitur à Deo, quia statuit legem Deus, ut in quocunque statu morietur homo, permanebit juxtà illud Eccles. iast. 11. *Si ceciderit lignum ad Austrum, aut Aquilonem in quocunque loco ceciderit ibi erit*, ubi Glossa ordinaria dicit *locum, quem tibi hìc præparaveris, in futuro habebis;* ergo cùm damnatos derelinquit in sua culpa, justè derelinquit, & cum in statu peccati mortalis damnatus decesserit, & lege Dei lata justè ibi erit, nam *per quæ quis peccat, per hæc & torquetur*, ut habetur Sap. 11. & ideò cum damnatus in obstinatione peccaverit non se antè obitum convertendo, per eam justè torquetur. Justum est enim, ait Doctor, illum, qui continuat malitiam à malitia per alium non liberari, nec hoc solùm, sed qui potuit malitiam derelinquere, & adhuc habuit tempus præcisum sibi taxatum, nec in tempore illo corrigitur, sed perseverat in malo, justum est ut tempore elapso deseratur in illo malo. Confirmat id Doctor exemplo superius adducto de eo, qui voluntariè in foveam se præcipitat, undè exire nequit sine illius adjutorio, quem se proiiciendo contempsit, & offendit, à quo proindè justè derelinquitur; nam qui se per suam culpam præcipitat in impotentiam evadendi, non solùm à se, sed etiam à quocunque nisi ab illo, quem tunc offendit, & contemnit, justè potest ab eo deseri in ista impotentia; sic autem est de damnato in proposito, nam dùm Deum offendit, scit utique à peccato resurgere non posse, nisi speciali Dei adjutorio, & de termino viæ probabiliter timet, cum nil certius sit morte, & incertius hora mortis, & tamen nedum peccat sciens, & volens, sed reliquo vitæ tempore in peccatis perseverat, non disponendo se de congruo ad fructuosam pœnitentiam, atque ideò justè à Deo in peccati fovea profunda derelinquitur, tùm propter ejus temeritatem, quia seipsum voluntariè in eum statum præcipitavit, à quo liberari nequit, nisi ab eo, quem contempsit, & offendit; tùm propter continuatam, & multiplicatam malitiam; tandem quia usque ad terminum viæ in peccato permansit sine pœnitentia, quod tamen tempus fuit sibi præcisè ad pœnitentiam taxatum; & ideò dicebat Apostolus ad Galatas 6. *Duum tempus habemus operemur bonum*, nempè in via, ubi duntaxat est tempus concessum; & Joan. 9. *Venit nox, in qua nemo potest operari;* & Eccles. iast. 9. *Neque opus, neque ratio, neque sapientia, neque scientia erunt apud Inferos;* ac præterea Prosper. lib. 3. *de vita contemplativa* cap. 12. dicit: *Ideo Christus ait damnatos ligatis pedibus, & manibus mittit in tenebras exteriores, quia in Inferno, ubi nemo confitetur, actione privantur*, & sic etiam Bernardus epist. 253. dicit damnatos in mala voluntate semper persistere; atque ideò à Deo justè in tali pœna obstinationis derelinqui, nam licet peccatum, ut committitur, non habeat rationem pœnæ, sed culpæ, & demeriti, tamen ut derelicto peccatore, aut ob demeritum ipsum continuatur peccatum in actu, vel habitu, est pœna sui ipsius, ut præcessit per modum demeriti, ut benè declarat Doctor loc. cit.

47 Quartò hoc idem probat Doctor de pœna damni, quæ in privatione beatitudinis consistit, quod justè à Deo infligitur, quando enim ob bonum honestum datur commodum perpetuum in præmium, scilicet, æterna beatitudo, justum est etiam quod ob malum inhonestum careat peccans tali commodo perpetuo in pœnam; bonum honestum est bona operatio facta conformiter ad legem Dei, & propter illud datur gloria æterna, inhonestum autem est omnis operatio mala, & contrà legem Dei; ergò si ob bonas operationes datur beatitudo æterna in præmium, justum est quod ob malas privetur peccator illa, & pœna damni æterna puniatur. Et subdit Doctor, quod ista correspondentia privationis commodi ad privationem honesti, sicut malum ordinari potest, ordinat culpam, quod declarat exemplo membri putridi, quod corrumpit ordinem totius, nisi separetur, aut ità ordinetur, ut alia membra sana inficere nequeat; ità enim etiam debet esse aliquis ordo in universitate creaturarum, quo separetur reprobus in termino ab electis; hic autem ordo fit per pœnam, qua perpetuò privatur communione Sanctorum, & electorum in gloria, & per quam exclusionem, & separationem culpa reformatur secundùm justitiam, ne maneat impunis, undè Boetius prosa 4. de consolatione ait: *Infeliciores sunt improbi injusta impunitate damnati, quàm justa punitione puniti*, quia in primo est bonum tantùm naturæ particularis, sed vitiatum per culpam, in secundo autem est bonum naturæ universalis, quatenus culpa ordinatur per debitam pœnam. Ità etiam discurrit D. Augustinus libr. 21. *de Civitate Dei* cap. 11. ubi ait justè privari honore, & gradibus Reipublicæ, imò, & cohabitatione, qui in eam delinquit; ergo idem dicendum de gradibus, & honoribus Christianæ supernaturalis Reipublicæ, & cohabitatione cum civibus cœlestis patriæ; hæc enim pœna stabilita est inquit Augustinus contrà avertentem se ab ultimo fine, quia in hoc est maxima perversitas, ut quis utatur fruendis, & fruatur utendis; cum autem peccans avertit se à Deo, & ad creaturam convertitur, constituit in hanc rationem ultimi finis, & propterea meretur pro semper privari ultimo fine, undè tandem concludit cap. 12. quod quantò magis, homo fruebatur Deo, tantò majori impietate deliquit in Deum, & factus est malo dignus æterno, qui hoc in se peremit bonum, quod posset esse æternum; ità discurrit Augustinus loco citato de pœna damni, ubi licet de Adamo loquatur, hoc tamen de omni peccante mortaliter intelligendum est, ut dictum est quæst. præced. art. 2.

48 Quintò tandem hoc idem probatur de pœna sensus ex illo Apocal. 10. *Quantum se glorificavit, & fuit in deliciis, tantum date illi tormentum, & luctum*, quod omnes Patres intelligunt de pœna sensus, undè inquit D. Augustinus lib. *de natura boni* cap. 9. quod melius ordinatur natura, ut justè doleat in supplicio, quàm ut impunè gaudeat in peccato; undè per justitiam Dei etiam cruciatus consequitur; quid enim tam iniquum, quàm ut benè sit desertori boni? Deindè justum quoque est talem pœnam sensus esse æternam, quia Deus non nisi justè judicare potest; at judicavit reprobos æterna pœna ignis esse puniendos, ut patet ex illo Matth. 25. *Ite maledicti in ignem æternum;* ergò justè hæc quoque pœna sensus infligitur. Tum quia justitia petit, ut talis pœna correspondeat peccato, quale præmium correspondet merito; sed justi ob eorum merita æterna gloria præmiantur; ergo reprobi, & injusti ob eorum demerita æterna quoque pœna sensus puniri debent. Tum tandem quia qu. præced. art. 2. pluribus mediis probatum est pœnam æternam sivè damni, sivè sensus peccato mortali esse proportionatam, quod rursus probari potest, quia pœna justè taxatur, si hoc fiat juxtà dignitatem ejus, in quem delinquitur 5. Etich. cap. 3. ergo cùm Deus infinitæ sit dignitatis, & majestatis, peccans in Deum infinita pœna plecti debet, saltem extensivè, cum pœna intensivè infinita dari nequeat.

49 Sed obiicies. Deut. 25. *Secundùm modum delicti erit & plagarum modus*, sed delictum cujuscunque peccantis est temporale, & finitum; ergo secundùm justitiam punitio cujuscunque talis esse debet, atque ideò in punitione æterna pro temporali culpa, & transitoria non est justitia. Confirmatur, quia videtur contrà justitiam, ut tales, tantæque pœnæ contrà unum peccatum mortale sint taxatæ, hoc enim finitum est, & tempore finito durans. Demum punitio justa est ad correptionem punitiex Arist. 1. Rhetoric. sed nullus damnatus per punitionem sui corripitur; ergo &c. Respondetur ex Scoto q. 4. cit. in solutione ad 2. prin. negando consequentiam non enim in justa punitione attenditur mora delicti, sed qualitas, & contrà quid delinquitur, jam enim suprà dictum est q. preced. a. 2. n. 40. proportionem pœnæ ad culpam ex delectatione, & duratione ejus attendi non debere, sed ab objecto, & fine, à quo quis avertitur peccando; hinc D. Aug. lib. 21. *De Civit.* cap. 11. ait, quod justitia legis non ostendit, quod tanta mora temporis quisque puniatur, quantamora temporis undè puniretur, admisit, & plura adducit de hujusmodi pœnis exempla, ut Brancatus advertit disp. 13. cit. art. 14. §. 5. *in fine*, ut de fustigatione ejus, qui mulierem semel osculatur, de vinculis diuturnis servi gestu, vel verbo Domi-

Dominum offendentis, de ignominia, exilio, & damno ejus, qui brevi spatio vel occidit, vel furatus est; ultimo supplicio, quo quis societate civium perpetuò privatur, & similibus; ita igitur in proposito de offensa Dei dicendum est, quod quia peccator per actum transitorium ab æterno bono se avertit, & in illo actu aversionis æternaliter perseverat modo jam explicato, potuit rationabiliter Deus contra illum taxare pœnam, ut æterno supplicio puniretur; ex quo patet etiam quid sit dicendum ad confirmationem. Ad ultimum respondet Doctor loc. cit. duplicem esse medicinam, curativam, scilicet, & præservativam pœna corrigibili infligitur, ut corripiatur, incorrigibili, ut alii præserventur, qui sunt in statu correptionis; quod autem neutro modo damnatis sit punitio curativa, aut præservativa justitiæ non repugnat, sed sufficit, ut sit restaurativa ordinis, & ordinativa culpæ.

ARTICULUS SECUNDUS.

Quomodo manifestetur misericordia in punitione damnatorum.

50 PRimò ad explicandum quomodo virtus misericordiæ ergà creaturas sit in Deo admittenda, Scot. d. 46. cit. q. 2. ab initio præmittit, quod misericordia in nobis est habitus, seù forma, qua nolumus miseriam alterius, undè duo includit, & importat misericordia, unum pro principali, scilicet, inclinationem ad actum nolendi miseriam alterius, & hoc vel futuram, & tunc præservat ab illa, si potest; vel præsentem, & tunc relevat à miseria, si potest; aliud verò importat de consequenti, scilicet, compassionem, seù displicentiam de tali miseria, ideoque misericors ex æthimologia nominis dicitur, *miserum cor habens*, ideſt, cum misero communicans in miseria; Undè in nobis duplicem habet effectum, primus est proximum relevare à miseria, in qua constitutus est, aut si illi immineat, ipsum præservare juxtà illud Job 19. *Oculus fui cæco, & pes claudo, pater eram pauperum*, &c. alter effectus est compati, & tristari ob alterius miseriam, cùm eum relevare non possumus, tristitia enim est de his, quæ nobis nolentibus accidunt, de quo effectu dicebat Apostolus 1. Corint. 12. *Quis infirmatur, & ego non infirmor?* & 2. Corint. 12. *Vinctis compassi estis*, &c. Et hoc præsupposito inquit Doctor certum esse de fide misericordiam in Deo reperiri, ut in pluribus scripturæ locis habetur expressè, ut psal. 5. *In multitudine misericordiæ tuæ*, psal. 16. *mirifica misericordias tuas*; psal. 20. *in misericordia altissimi non commovebitur*; psal. 32. *Misericordia Domini plena est terra*, & alibi nedùm in Psalter. sed in tota sacra scriptura frequentissimè legitur. Addit tamen Doctor misericordiam non reperiri in Deo secundùm conceptum proprium compassionis, sed secundùm conceptum nolendi miseriam, sivè præsentem, sivè futuram, & ratio est, quia Deus non est capax tristitiæ, doloris, & hujusmodi passionum; undè in Deo misericordia secundùm effectum habere non potest, sed tantùm primum, & hunc habet de facto, quia innumeros liberat de malo præsenti, & alios à futuro, & imminenti, & ideò quantum ad istum effectum nolendi miseriam, sivè imminentem, sivè præsentem inquit Scotus, misericordiam propriè in Deo reperiri; quod probat de imminente, quia sicut nullum bonum evenit, nisi volente Deo, ità nihil prohibetur, ne eveniat, nisi Deo nolente, multæ autem miseriæ possibiles eveniri alicui prohibentur, ne eveniant; ergo Deus habet nolle respectu illarum. Consimiliter de miseria præsente, quia nulla miseria tollitur, nisi Deo nolente illam inesse, multæ autem frequenter tolluntur; ergo quoad hunc conceptum liberandi à malo præsenti, vel futuro sivè animæ, sivè corporis verè, & propriè in Deo est misericordia. Et possent etiam ad hoc probandum innumera adduci scripturæ loca in quibus hujusmodi liberationes referuntur tàm à malo præsenti relevando, quàm ab imminenti præservando, undè exclamavit David psalm. 144. *Miserator, & misericors Dominus, patiens, & multum misericors, suavis Dominus universis, & miserationes ejus super omnia opera ejus*, & tandem Salvator jubet, ut petamus in oratione Dominica: *Et ne nos inducas in tentationem, sed libera nos à malo*.

41 Secundò dicit Doctor d. 46. cit. q. 4 §. *De quarto* talem, ac tantum esse Dei misericordiam ergà creaturas, ut ea utatur etiam in punitione damnatorum in Inferno, quod etiam docent D. Thomas, & D. Bonav. ibidem, & colligitur ex pluribus scripturæ locis, undè psal. 142. *In misericordia tua discordes omnes inimicos meos*, & Habacuch. 3. *Cùm iratus fueris misericordiæ recordaberis*, tempus autem iræ Dei, & dispersionis inimicorum suorum potissimum est tempus judicii, in quo impios judicabit, & condemnabit; & ad hoc facit etiam illud psal. 76. *Non quid obluviscetur misereri Deus aut continebit in ira sua misericordias suas*, quem locum exponens D. Augustin. lib. 21. *de Civit. Dei* cap. 24. ait hoc intelligi de hominibus in via, & post mortem de electis; deindè subdit; sed quibus placet istam sententiam usque ad illa impiorum tormenta protendere, saltem sic intelligatur, manente in eis ira Dei, quæ æterno est pronunciata supplicio, non contineat Deus in hac ira sua miserationes suas, & faciat eos non tanta, quanta digni sunt, pœnarum atrocitate cruciari; & ut eas mitiores, levioresque quàm sunt eorum merita patiantur, sic enim & ira Dei manebit, & in ipsa ira sua miserationes suas non continebit. Ità etiam discurrit de pœnis Inferni D. Hieronymus in cap. 66. Isaiæ, ubi impugnans negantes æternitatem pœnarum in inferno, veluti divinæ clementiæ incongruam, concludit in fine, quod licet nos fideles credamus æterna esse tormenta peccatorum, atque impiorum moderatam tamen arbitramur, & mixtam clementiæ Judicii sententiam. Deindè hoc etiam suadet ratione Doctor loc. cit. quia quantò ad aliquod opus concurrunt plures virtutes, tantò illud est perfectius, si ergo judicium, & sententia Judicis sit à justitia, & cum hoc à misericordia, tantò perfectior erit, perfectior enim est actus proveniens à justitia, & misericordia, quam actus proveniens à simplici justitia vindicativa; tùm quia actus justitiæ vindicativæ, ait Doctor, inter omnes actus virtutum est infimus, quia nunquam esse debere medii electivus, sicut actus præmiationis, nec multum participare de voluntario, quia ad crudelitatem declinaret, magna enim vindicandi electio crudelitas est, vel de crudelitate participat, quarè ut hic actus in Deo sit perfectus, & suæ bonitati conveniens, semper esse debet cum misericordia conjunctus.

52 Tertiò ad declarandum quomodo misericordia in punitione damnatorum cum justitia concurrat, Doctor loc. c. duplicem in Deo misericordiam distinguit, una dicitur liberans, quæ nimirum omne malum excludit vel imminens, vel jam præsens, altera dicitur parcens, vel mitigans, quæ, scilicet, non totum malum excludit, sed tantùm aliquam partem mali debiti isti secundùm merita sua; & hanc inquit Deum exercere in damnatorum punitione, & in hoc præsertim consistere, quia, scilicet, eos annihilare posset, si vellet, & quia punit citrà condignum reddens pœnas leviores, ac mitiores, quàm eorum demerita mereantur; plures enim Patres in hoc sensu exponunt illud Hieremiæ dictum Tren. 3. *Misericordia Domini, quia non sumus consumpti, quia non defecerunt miserationes ejus*, quod nimirum loquatur in persona damnatorum, & stando etiam in sensu literali hoc idem inde colligitur, cùm enim Propheta pro maxima Dei misericordia agnoscat populum non esse consumptum, consequenter dicendum est maximam exercere Deum in damnatos misericordiam, quod non consumentur, & annihilentur, ut eorum demerita poscunt. Et cùm verissimum sit Jacobi dictum: *Misericordia superexaltat judicium*, & commune Theologorum axioma, quod *Deus præmiat ultrà condignum, & punit citrà condignum*, & cum non appareat in quo alio misericordiam cùm damnatis exerceat, dicendum est eam non exercere cum illis, nisi in eorum conservatione, & pœnarum inferendarum mitigatione; ut ait Doctor cit. loc. cit. & ità etiam expressè docet D. August. loc. c. dùm inquit, quod Deus etiam in Inferno non continebit in ira sua misericordias suas, quia faciet damnatos non tanta, , quanta digni sunt, pœnarum atrocitate cruciari, sed ut eas mitiores, levioresque quàm sunt eorum merita, patiantur, sic enim & ira Dei manebit, & in ipsa ira sua miserationes suas non continebit. Advertit autem D. Bonav. 4. d. 46. cit. art. 1. qu. 1. quod mitigatio pœnæ damnatorum dupliciter potest intelligi, aut quantùm ad taxationem, & inflictionem pœnæ, & sic absque dubio inquit esse ibi mitigationem, quia divina justitia non tantum, vel totum exigit, eo quod ejus pietate interveniente aliquam partem pœnæ infligendo remittat. Alio modo potest intelligi mitigatio post pœnæ taxationem, & inflictionem, & hoc modo ait nullam haberi mitigationem à divina misericordia, quia ex tunc claudit eis Dominus viscera pietatis.

53 Quartò aliam quoque misericordiam Deum exercere in damnatorum punitione docet Scotus 4. d. 21. qu. 1. & d. 15. q. 1. ubi tenet peccatum veniale, sivè in hac vita dimissum quoad culpam, sivè non sola temporali pœna etiam in Inferno puniri, licet mortali conjunctum, & pariter asserit pœnam peccati mortalis hìc dimissi, sed non in hac vita solutam, in Inferno persolvi, quod ex professo contrà Thomistas defendimus lib. 2. disput. *de peccatis* qu. 8 qui enim debitor est alicujus pœnæ, & illam exactè solvit juxtà mensuram taxationis factæ, planè mox redditur immunis ab omni obligatione; sed dimissa culpa venialis pœna, quæ remanet pro ea solvenda taxata est à Deo, & ad finitatem reducta tàm intensivè, quàm extensivè; ergo elapso tempore præfixo pro solutione talis pœnæ, etiam qui in Inferno existit à tali pœna liberabitur, atque ità pœna veniali, vel etiam mor-

mortali debita, quorum culpa fuit in hac vita remissa, tandem in inferno terminabitur. Confirmatur, quia duplici de causa ad summum pœna alicujus peccati potest esse æterna; prima, quia peccatum ex sua gravitate illam meretur, cujusmodi est mortale; altera quia perseverat culpa, qua perseverante non potest pœna cessare; sed nulla ex his causis potest inesse veniali, vel mortali in hac vita remissis; ergo dicendum est utrumque in inferno remitti posse quoad pœnam, si in hac vita dimissa fuere quoad culpam. Denique hanc remissionem pœnæ non impedit in damnatis conjunctio venialis, vel mortalis hìc remissi cum alio mortali non remisso, ut Thomistæ communiter respondere solent, quia ut ibi diximus, peccatum veniale in via ex conjunctione cum mortali non meretur pœnam plusquam finitam extensivè; ergo sic etiam in inferno. Item eadem pœna in inferno non crescit intensivè ex conjunctione cum mortali, aut ex statu damnationis; ergo neque crescit extensivè. Tandem illa pena debetur peccato veniali, vel mortali, quod supponitur in hac vita dimissum, neque redit quoad culpam, neque ex conjunctione cum mortali non dimisso recipit novam malitiam, sed semper remanet in linea supplicii debiti peccato veniali, vel mortali jam dimisso; ergo nulla causa potest assignari ob quam de temporali fiat æterna, & in æternum duratura.

54 Sed objiciunt Thomistæ ad probandum peccatum veniale sivè dimissum quoad culpam in hac vita, sive non, puniri in inferno pœna æterna ex conjunctione cum mortali, ac pariter ob eandem rationem pœnam mortalis quoque in hac vita dimissi quoad culpam debere in æternum produci, & protrahi; quia si in inferno aliqua pœna remitteretur; ergo jam ibi esset aliqua redemptio, & aliqua consolatio; magna enim esset consolatio, si omnis pœna peccatorum venialium, ac etiam mortalium in hac vita dimissorum esset finem habitura; hoc autem est contrà expressa testimonia Scripturarum, & Patrum dicentium damnatos in inferno nullam habituros consolationem, & cruciatuum suorum levamen, quia ibi nulla datur redemptio. Sed jam responsum est qu. 8. cit. art. 2. proprium sensum illius Catholici axiomatis, quod in inferno nulla est redemptio, apud omnes Catholicos esse, quod nulla est spes indè evadendi, sive ibi remitti possit aliquod peccatum veniale, aut aliqua pœna venialis, vel mortalis jam hìc dimissi, sivè non. Si autem illud volumus etiam ad pœnas, quas damnati patiuntur ibi, extendere, sic etiam potest, ac debet intelligi, quod à nulla pœna est ibi redemptio, sicut in Purgatorio, quia quælibet pœna ibi etiam temporalis, debet persolvi tota quanta est, sine ulla remissione, ac indulgentia, quia omninò luere debent totam illam pœnam venialis, vel etiam mortalis hìc remissi pro toto tempore, pro quo debebatur. Et in hoc eodem sensu intelligi potest, quod in inferno nulla sit alleviatio, vel refrigerium pœnæ, non tantùm illius, quæ est æterna, sed etiam quæ est temporalis, quia hæc etiam tota persolvi debet, quanta est, licet aliquando cessare debeat. Neque sequitur id allaturum damnatis magnam consolationem, quia parum pro nihilo reputatur, & ut dici solet, de minimis non curat Prætor. Sicut igitur Sancti dicunt observari mandata Dei, etiamsi multa habeamus venialia, quia hæc sunt levia, & pro nihilo reputantur; ità in proposito solutio pœnæ peccatorum venialium, item & mortalium in hac vita dimissorum, parum, vel nihil ponderat in tot, tantisque inferni cruciatibus; sicut gutta mellis aceti dolio infusa nihil amaritudinis ejus intermitteret, atque ideò absolutè damnati dici debent omni consolatione carere. Accedit quod post diem Judicii, etiamsi detraheretur aliqua pars cruciatus animæ debiti pro venialibus, vel mortalibus in hac vita dimissis; tamen adhuc adjicietur eis cruciatus corporum, qui erit æqui valens tormentum, imò & valdè præponderans. Ità discurrimus l. c. ubi alias quoque objectiones vide solutas.

55 Postremò objiciens absolutè loquendo nullam à Deo exerceri misericordiam in punitione damnatorum, quia Jacobi *Judicium sine misericordia fiet ei, qui non fecerit misericordiam*, & August. super illud ps. 18. *Propè est tu Domine* inquit, *ubi non miseretur*, scilicet Deus *vindicta datur*; ergo in damnatorum pœnis justitia exercetur sine misericordia. Confirmatur ex illo Apoc. 18. *Quantum glorificavit se, & fuit in delicii, tantùm date illi tormentum, & luctum*; ergo ibi est stricta correspondentia pœnæ ad culpam sine aliqua remissione, atque ideò sine misericordia. Denique si misericordia miscetur cum justitia in punitione damnatorum, destruitur judicium justum, hoc enim exigit, ut inferatur pœna delicto proportionata, sed si aliquid de ea diminuatur, non erit proportionata; ergo cum in Deo puniente damnatos admittendum sit judicium justum, non potest admitti misericordia ei permixta, sed sola justitia. Respondetur duplicem in Deo misericordiam reperiri, ut suprà dictum est, unam totaliter à miseria liberantem, qua Deus utitur, cùm in hac vita electos liberat à servitute Diaboli, vel ab omni alio malo tàm spirituali, quàm corporali defendit sivè imminente, sivè præsente; altera parcentem, vel mitigantem, qua Deus utitur cùm punit, vel in hac vita, vel in alia vita, sed tamen citrà condignum demeriti, undè prima dicitur misericordia totalis, quia omne prorsus malum aufert, secunda verò partialis, quia partem tollit malorum, ait itaque Doctor qu. 4. in fine Jacobum, & Augustin. loqui de misericordia liberante, & totali, non autem de parcente, & partiali. Ad confirmationem ait Doctor ibidem negandam esse consequentiam, quia ly *tantum*, & *quantum* non significant æqualitatem quantitatis, sed proportionis, hoc est, quod qui plus se inordinatè glorificavit, quàm alius, ille secundùm proportionem similem plus alio puniatur, sicut licet præmium excedat meritum, qui plus alio meruerit, plus proportionaliter præmiatur. Ad ultimum negatur assumptum cum ejus probatione, aliud enim est non esse proportionatum justitiæ, & aliud est esse contrà eam, vel ejus destructivum; etenim ut inquit Doctor l. c. lit. N. sicut dare bonum indebitum non est contrà justitiam, quia est actus liberalitatis, qui justitiæ non repugnat, cum actus unius virtutis non repugnet alteri, & solùm subtrahere bonum debitum est contrà justitiam, & ejus destructivum; ita non inferre malum tantum, quantum meretur delictum non est contrà justitiam, sed ferre malum ultrà debitum, & ideò justitia, quam Deus in punitione damnatorum exercet in Inferno, potest stare cum misericordia modo jam explicato.

DISPUTATIO XXVII.

DE RESURRECTIONE MORTUORUM,

Judicium universale præcedente.

1 QUONIAM gloria electorum, & damnatio reproborum consummata non erit donec mortuorum resurrectio fiat, & omnium universale judicium, seù finale absolutis disputationibus de Cœlo, & Statu Beatorum, ac de Inferno, & statu Damnatorum ultimas hujus operis Disputationes aggredimur in quibus de termino peregrinationis hujus status agemus, in quo creatura rationalis finem statutum recipiet, & divina justitia, ac misericordia, per ultimam sententiam declarabitur, primò itaque de resurrectione hominum generalis agemus in hac penultima Disputatione, & tandem de Judicio universali in sequenti.

QUÆSTIO PRIMA.

De resurrectionis hominum generalis possibilitate, & futuritione.

2 UNus ex præcipuis Fidei articulis in symbolo contentis est, futuram omnium mortuorum resurrectionem, & ratio est, quia Beatitudo in clara Dei visione, & fruitione consistit, ut constat ex suprà dictis disp. 25. qu. 1. & non tantùm est solius animæ rationalis, sed etiam ipsius hominis ex anima, & corpore constantis finis ultimus; & quia hunc finem in hac vita mortali homo consequi nequit; opus est, ut eam beatitudinem post hanc vitam consequatur denuò per resurrectionem homo existens; alioquin sequeretur

queretur nullum fore hominis statum, in quo homo ipse ex anima, scilicet, & corpore constitutus finem suum ultimum assequi valeat, quod est absurdum; in hac igitur prima quæstione de possibilitate, & futuritione hujusmodi resurrectionis generalis discurrendum.

ARTICULUS PRIMUS.

An resurrectio hominum generalis sit possibilis.

3 PRimò quæritur, an resurrectio generalis hominum sit possibilis supernaturaliter, quæ quidem resurrectio definitur à Damasceno lib. 4. capit. 19. quod est *secunda ejus, quod solutum est, surrectio*, & consistit propriæ in iterata unione animæ, & corporis, & ultima dispositione materiæ ad illam. Assertio affirmativa est communis, & de fide contrà quosdam antiquiores Hæreticos possibilitatem resurrectionis negantes, ità D. Thomas, D. Bonaventura, Scotus, & alii Scholastici 4. dist. 43. ac etiam SS. Patres, undè D. August. 22. de Civit. Dei cap. 20. loquens de carne reddenda homini in resurrectione inquit, etsi omnibus periisset modis, nec ulla ejus materia, in ullis naturæ latebris mansisset, tamen si vellet, eam repararet omnipotens; & D. Cyrillus Hierosol. Catech. 18. Qui ex nihilo res fecit numquid jam existentes, & cadentes rursus suscitare non poterit; & Tertull. lib. de resurrectione carnis cap. 11. Et utique idoneus est reficere, qui fecit, quantò plus est fecisse, quam refecisse, initium dedisse, quàm reddidisse; & S. Irenæus lib. 5. adversus hæres. loquens contrà hæreticos possibilitatem resurrectionis negantes inquit; Refutant potentiam Dei, & infirmitatem intuentur carnis, virtutem autem ejus, qui suscitat à mortuis, non contemplantur. Deindè Scotus d. 43. quæst. 1. §. *De primo* postquam hanc possibilitatem resurrectionis probavit auctoritate D. August. relata, probat etiam ratione ostensiva, quia nulla adest repugnantia, nec ex parte Dei, qui idem, & immutabilis perseverat, nec ex parte creaturæ, quia antequam esset, erat creabilis; ergo post annihilationem erit etiam recreabilis; probatur consequentia, quia non esse sequens corruptionem, ac etiam annihilationem alicujus rei creatæ est ejusdem rationis cum non esse præcedente creationem; ergo si antè creationem non privabat possibilitate creaturam illam, nec etiam post annihilationem, vel corruptionem; probatur antecedens, quia duæ mutationes oppositæ habent idem pro termino, una pro termino à quo, alia pro termino ad quem, nec videtur aliundè posse hæc implicantia deduci. Denique resurrectio est futura, ut patebit art. seq. ergo & possibilis, quia ab actu ad potentiam consequentia necessariò tenet, & quod futurum est, per Dei decretum efficax ex ordine, & numero possibilium extractum est, ut constat ex dictis libro 1. sent disp. de Intellectu, & Voluntate Divina. Dices, ad præteritum non est potentia ex communi axiomate, qua ratione Arist. 6. Ethic. c. 2. approbat dictum Agathonis, quod hoc solo privatur Deus ingenita facere, quæ facta sunt, sed si faceret præsens, quod præteriit illud denuò producendo, præteritum faceret non præteritum, quia quod est præsens, non est præteritum. Respondetur ad præteritum non dari potentiam reduplicativè, ut præteritum est, quasi fieri possit, ut id, quod fuit, non fuerit, quem sensum innuit dictum Agathonis; datur tamen potentia ad præteritum specificativè, ut nimirum iterum sit, quod jam fuit, eo modo quo dicimus album fieri posse nigrum, non duplicativè, sed specificativè; quarè negatur minor, quia licet id, quod est præsens secundùm coexistentiam, quam modò habet ad moram imaginariam præsentem, nequeat dici præteritum; potest tamen dici tale secundùm aliam coexistentiam, quam anteà habuit.

4 Secundò quæritur, an sit possibile saltem supernaturaliter alia quoque creata corrupta reproduci. Negant aliqui apud Scot. loc. cit. alia creata corrupta præter hominem etiam per potentiam supernaturalem eadem numero reproduci posse; & ratio est, quia de aliis entibus post eorum corruptionem non remanent actu singulæ partes, forma enim omninò destruitur; at anima hominis ejusque materia permanent in actu, & ideò poterit Deus hominem reparare, non verò alia entia; undè concludunt esse possibilem hominum resurrectionem, non verò aliorum animalium, quia anima rationalis est subsistens, & dat esse subsistens corpori, & ideo cùm illa non corrumpatur, sed possit corpori reuniri, esse poterit idem homo; & quia cæteræ formæ talis non sunt conditionis, sed sunt corruptibiles, ideo alia composita corrupta non possunt in identitate numerica reproduci, quæ opinio tribuitur Durando 4. distin. 44. quæst. 3. Abulens. in c. 22. Matth. quæst. 238. Marsil. 2. de Generat. quæst. 18. ac etiam D. Thomæ 3. part. quæst. 77. art. 5. & 4. d. 44. quæst. 1. & aliis. Oppositum cum Scoto loc. cit. jam ex professo docuimus in lib. de Gener. & Corrup. quæst. 7. art. 1. ubi diximus in ordine ad potentiam supernaturalem, seù potentiam Dei absolutam posse quodcunque ens sivè permanens, sivè successivum reproduci, etiamsi fuerit anteà nedum corruptum, sed etiam prorsus annihilatum. Hoc autem probat Doctor loc. cit. eadem ratione; qua hoc idem assertum de homine probatum est, nam ex parte Dei eadem potentia remanet ad reficiendam rem destructam, vel annihilatam, quæ aderat in eo, antequam fieret; ex parte verò rei reficiendæ remanet etiam eadem possibilitas antè, & post, nam negatio lapidis, v.g. vel ligni est ejusdem rationis, sivè præcedat rem, antequam fiat, sivè eam sequatur, postquam destructa est, ut dicebamus, nam non esse lapidis, vel ligni destructi æquè negat ejus esse postquam destructum est, sicut antequam primò produceretur.

Confirmatur quia si possibile est hominem reparari; ergo idem pariter de aliis entibus creatis asserendum est, consequentia probatur, quia in homine præter animam, quæ non destruitur, adest forma corporeitatis, & ipsa tertia hominis entitas, quæ destruuntur, ut latè in Philosophia suis locis ostendimus, & tamen non obstante destructione reparantur, corpus enim quod in cineres resolvitur non est anima, neque est materia prima; & licet Thomistæ dicant, quod recedente anima alia forma cadaveris producatur in corpore, quamvis hoc sit omninò irrationabiliter dictum, adhuc tamen fateri debent, quod hæc forma cadaverica in cineres resolvatur, & iterum in hominis resurrectione sit reproducenda in corpore antequam informetur ab anima, cum hæc immediatè materiam primam non informet, alioquin non idem corpus, sed aliud resurgeret; ergo ista intermedia forma corporis destructa reparari debebit, & idem dicendum est de corporis accidentibus, quæ jam corrupta fuerunt, quod eadem numero in corpore redibunt. Tandem hoc etiam probat Doctor ex absurdis, quia hinc sequeretur Deum non posse brutum idem numero resuscitare, cujus oppositum legitur aliquando à Sanctis miraculosè factum; ut patet de Tauro, quem S. Sylvester resuscitavit Romæ præsentibus Constantino, & Helena tunc noviter conversis, & hoc Deo negare esse possibile videtur magnæ infidelitatis, inquit Doctor. Eædem autem rationes, quæ id probant de entibus permanentibus probant etiam de entibus successivis, in quibus videtur major difficultas, quia scilicet est idem terminus à quo, & terminus ad quem in creatione, seù productione, ac in recreatione, & reproductione, nam per annihilationem, vel corruptionem res reducitur ad eandem nihileitatem quam prius habebat antè productionem, & creationem, non majorem sivè res illa sit permanens, sivè successiva, ut fusius prosequimur loc. cit.

5 Dices, tempus medians inter corruptionem, ac reparationem rei jam corruptæ divideret reparatum à corrupto, atque ità non esset idem, quod fuit corruptum, & denuò reparatur, quia omninò indivisum non esset; probatur consequentia, quia præcipuum caput, ex quo hujusmodi reperationis implicantia attendi debet, est interruptio, quælibet enim res est eadem sibi, undè dum non est corrupta, semper manet eadem, at verò postquam corrupta est, cum ipsa non remaneat, non poterit eadem iterum reproduci; & hoc est præcipuum caput, undè Durandus deducebat implicantiam, quarè non sit possibile etiam supernaturaliter alia entia corrupta eadem numero reproduci solo homine excepto. Sed si hæc ratio urgeret, probaret universaliter de quocunque ente, quod semel destructum amplius reparari nequeat, ut latè ostendimus loc. c. undè breviter dicendum est, quod tempus medians inter corruptionem, ac reparationem rei jam corruptæ divideret reparatum à corrupto temporaliter solùm, non autem entitativè, quarè sicut idem corpus pluribus in locis replicatum per potentiam Dei absolutam diceretur à se divisum localiter tantùm, non autem entitativè; ita in proposito eadem res reproducta divideretur à seipsa, jam pridem producta temporaliter, non entitativè, undè illa divisio non cadit super existentiam rei absolutè, sed potius super coexistentiam ad diversa tempora. Aliàs objectiones contra idem assertum vide solutas loc. cit.

6 Tertiò quæritur, an virtute agentis naturalis res aliqua possit eadem numero redire. Fuit antiqua Platonicorum opinio, ut refert Divus Augustinus 12. de Civitat. cap. 13. non solùm supernaturaliter, sed etiam naturaliter hoc esse possibile, imò & de facto ità contingere, quod non solùm quidam effectus numero iidem redeunt, sed omnia prorsus hujus mundi individua redibunt peractis certis annorum periodis post completam circulationem octavæ sphæræ per motum naturalem; quæ secundùm aliquos sex milibus annis finitur, secundùm alios quadraginta novem millibus, & ratio eorum erat, quia redeunte causa eadem, idem redibit effectus; completa autem circulatione octavæ sphæræ, omnia corpora cœlestia ad eundem situm redi-

redibunt, & eundem numero motum repetent, quem prius fecerunt, atque ideò eosdem numero effectus reproducent. Imò & Ecclesiastes ipse c. 1. pro hac circulatione Platonica stare videtur, dùm inquit nihil esse sub Sole novum, nec posse quemquam dicere; ecce hoc jam recens est, jam enim præcessit in sæculis, quæ sunt antè nos. Hæc tamen opinio latè improbatur à D. August. loc. cit, ut refert Scotus 4. d. 43. cit. qu. 3. pluribus Scripturæ locis *Christus resurgens à mortuis jam non moritur*, &c. Rom. 6. *Semper cum Domino erimus* ad Thesal. 4. *Tu Domine servabis nos, & custodies nos à generatione hac in æternum.* Psal. 21. Undè sic opinantibus benè subdit Psalmista, inquit Augustinus, *in circuitu impii ambulant*, idest dicunt reditiones circulares. Reprobat etiam hoc figmentum per rationem ex beatitudine deductam, ut diximus quæst. 7. cit. art. 2. ab initio, quia secundùm istum circulum nulla esset vera beatitudo, eo quod anima beata reditura esset ad miserias, quas prius habuit, & ita dum beata est, aut credit se nunquam redituram, & sic falsa opinione beata est, aut credit se redituram, & tunc timet, & per consequens non est beata. Refellit tandem hanc fabulam Doctor loc. cit. ejus fundamentum destruendo; concesso enim quod octava sphæra reditura sit tandem post suam completam circulationem ad idem punctum, à quo moveri cæpit, falsum tamen est, quod reliqui Orbes cœlestes ad idem etiam redirent punctum, à quo moveri cæperunt, ut Astrologi contrà Platonem certis demonstrationibus concludunt, quia motus orbium cœlestium adeò inter se varii sunt, ut incommensurabiles censeantur, ita quod numquam omnes conjunctum ad eundem situm, & aspectum, quem anteà habuerunt, redire valeant, ut benè Clavius demonstrat in c. 1. sphæræ, §. *De periodis motuum cœlestium*. Tùm etiam quia hæc ratio est diminuta, subdit Doctor, quia ad identitatem effectus non sufficit causa efficiens, sed præsertim eadem materia requiritur; materiâ verò tunc, cum omnes orbes cœlestes ad eundem situm recurrerint, potest esse alia, vel alium situm habere in comparatione ad Cœlum, quia per actionem agentis liberi possunt corpora impediri, ne sint in eo situ, ubi prius erant, & etiam per actionem naturalem potest aliquod corpus esse divisum, & ità materia dispersa. Cùm autem ait Ecclesiastes nihil esse sub Sole novum, & eadem præcessisse, quæ sunt, & erunt, hoc D. Augustinus apud Scotum declarat intelligendum esse, non de identitate numerali, sed aut specifica, aut generica, vel certè præcessisse in mente divina, & ideò nihil recens sub Sole, quia in prædestinatione Dei jam facta sunt omnia.

7 Rejecta itaque circulatione Platonica inquit Doctor qu. 3. citat. *Quantum ad istum articulum*, pro resolutione quæsiti in ordine ad potentiam naturalem de facto, & juxtà communem naturæ cursum, nec omnes, nec aliquos effectus redire, nullam tamen impotentiam intrinsecam assignari posse ex parte causarum naturalium, sed solùm extrinsecum impedimentum, undè si Doctor accuratè legatur, non ait de facto aliquos effectus redire viribus naturæ, ut passim ei imponitur, etiam à Scotistis, ut advertimus loc. cit. sed tantùm loquitur de possibili, ut benè Bassolius ponderavit, & ait assignari non posse rationem repugnantiæ ex parte causarum naturalium, cur virtute ipsarum interdum redire nequeat idem effectus, & in hoc approbat tertiam opinionem ab eo relatam, inquantum, scilicet, loquebatur de potentia, non de actu, & assertio Scoti sic intellecta probatur quoad singulas partes, & quidem quoad primam, quod viribus naturæ non redeant effectus omnes, jam probatum est contrà Platonicos; Quod verò non redeant aliqui, indè probatur, quia impedimentum, quod obstat reparationi unius, obstat quoque reparationi aliorum, ut mox patebit. Quod tandem assignari nequeat ratio repugnantiæ ex parte causarum naturalium, sed tantùm impedimentum ab extrinseco, probatur, quia ratio præcisa cur causa creata, ut ignis indifferenter omninò se habens ad producendum hunc, vel illum calorem in hac aqua, producat hìc, & nunc illum, & non istum, est determinatio à prima causa procedens, per quam determinatur ad hunc potius singularem effectum producendum, quàm alium ex multis, & ferè infinitis, quos habet in sua potestate, atque ità determinatur ad hunc effectum singularem producendum, ut nolit cum ea concurrere ad illum, nisi semel, ut diximus loc. cit. & jam tradidimus disp. 8. Physic. quæst. 2. art. 3. ergo impedimentum, ne idem redeat effectus, prorsus procedit ab extrinseco, scilicet, ex sola Dei voluntate, non autem ex intrinseca impotentia causarum naturalium, & ita inter alios luculenter docent Rubion d. 43. c. q. 1. Bassolius q. 2. Tataret. in Postprædic. c. de oppositis, §. *Tertiò sciendum*, & sequuntur Conimbricenses, Suar. Hurtad. Avers. & alii Recentiores passim.

Quartò quæritur, an causa naturalis possit saltem reunire animam corpori, & sensus est, supposito quod natura non possit humana corpora in resurrectione reparare, sed hoc fiet à Deo, an quando virtute divina corpora erunt perfectè reparata, natura saltem possit animas separatas corporibus reunire. Affirmant Henricus quol. 11. quæst. 14. quia reparato corpore humano à quocunque videtur, quod à natura possit anima illi corpori reuniri, quia illa forma est dispositio, quæ necessitat ad unionem animæ rationalis cum eo; in natura ergò est dispositio necessitans ad animationem; sed ad totalem dispositionem sequitur necessariò illud, ad quod disponit; ergo &c. Communis tamen, & vera sententia, quam Scotus docet quæst. 3. citat. §. *De tertio articulo* asserit naturam neque unire posse animas corporibus per Dei virtutem perfectè reparatis; ratio est, quia anima, nec à seipsa, nec ab alia creatura potest illis corporibus reuniri; non quidem à seipsa, quia actio reunitiva est actio causæ efficientis, forma autem, & efficiens non coincidunt in idem num. 2. Physic. text. 70. cum ergo anima sit causa formalis hominis, non potest esse causa effectiva ejusdem. Quod autem neque ab alia creatura talis reunitio fieri possit, probat Doctor, quia secunda unitio non est inferioris, aut imperfectioris ordinis à prima; sed hæc ab aliqua creatura fieri non potuit; ergo neque illa. Confirmat id ex Augustino in Genes. cap. 12. quia agens est præstantius passo, sed homo est simpliciter perfectior anima sua, sicut totum est perfectius parte, & quacunque alia substantia corporea potest esse causa hominis effectiva per talem reunitionem. Ad rationem in oppositum respondet Doctor, quod verbum illud usitatum de dispositione, quæ est necessitas, debet sic intelligi, quod dispositio non sic ratio necessitatis, quod ipsa posita agens necessariò inducat formam, ad quam est dispositio, vel necessitate simpliciter, sicut quando est merè naturale, vel necessitate secundùm quid, ut quando agens est voluntarium, & disposuit sic agere; & hoc ultimo modo forma corporeitatis est dispositio necessitans ad animam non quod ex ista, vel virtute ejus sequatur animatio, sed quia ipsa posita agens necessitate conditionata suæ dispositionis inducit formam, ad quam est. Dices, anima in casu proposito naturaliter, & cum propensione uniretur ad corpus; ergò per naturam. Respondetur, quod uniretur naturaliter, idest, secundùm inclinationem, & non violenter; non autem naturaliter hoc est, virtute agentis naturalis id causantis, ut magis patebit ex mox dicendis.

9 Quintò tandem quæritur, an resurrectio hominum sit naturalis, cui quæsito respondet Doctor distinct. 43. cit. quæst. 4. quod cum naturale diversis opponatur, nempè supernaturali, violento, & libero, æquivocè quoque accipitur, & pertinet aliquando ad principium activum, interdum verò ad principium passivum; primo modo opponitur libero, & supernaturali; secundo violento, est neutrali. Si igitur in quæsito proposito naturale accipiatur ex parte passi, idest ex parte corporis, vel materiæ, inquit Doctor, quod resurrectio dicenda est naturalis, ut naturale opponitur violento, quia tale passum ad talem formam naturaliter inclinatur. Si verò accipiatur ex parte agentis, non erit naturalis, quia fiet ab agente libero, & ab agente supernaturali, qui mortalia corpora nostra vivificabit. Rationem utriusque dicti assignat Doctor, ratio primi est, quia passum naturaliter inclinatur ad formam, quam recipit, undè materia illa, quæ fuit in corpore humano sub forma carnis, ossis, nervi, &c. redibit, quæ ad suam antiquam, & perfectam formam inclinationem habebit, & idem dicendum de corpore respectu animæ, ad quam inclinatur, & à qua perficitur. Ratio secundi est, quia non recipit ab agente naturalem ordinem habente ad istud agendum, sed suprà totum illud, nullum enim agens naturale potest ad hoc pertingere, ut mortuum aliquem resuscitet, sed solus Deus potest mortuos resuscitare, ut dicemus q. seq. & ex professo ostendunt D. August. in Enchirid. à ca. 84. usque ad 92. & lib. 22. de Civit. à cap. 12. usque ad 24. Ambros. in orat. de fide. Resur. & in epist. 1. ad Corint. cap. 15. Hieronymus epist. 61. ad Pammach. cap. 11. Damascen. lib. 4. fidei orthod. cap. ult. & alii passim.

ARTICULUS SECUNDUS.

An Resurrectio hominum generalis sit futura.

10 CErtum est, ac de fide, inquit Scotus distinct. 43. quæst. 1 §. *De secundo articulo*, generalem hominum resurrectionem esse futuram, nam ut articulum fidei hoc exprimit tam Symbolum Apostolicum, cum inquit, *Carnis resurrectionem*, & Symbolum Nicenum, cum dicit: *Et expecto resurrectionem mortuorum*, quàm etiam Symbolum Athanasii, cum ait, *Omnes homines resurgere habent cum corporibus suis*, &c. & subdit hoc idem etiam haberi in pluribus Scripturæ locis tàm veteris, quàm novi Testamenti, & quidem in veteri testamento Job.

19. Scio

19. Scio, quod Redemptor meus vivit, & in novissimo die de terra surrecturus sum, & rursum circumdabor pelle mea, & in carne mea videbo Deum Salvatorem meum, quem visurus sum ego ipse, & non alius, & oculi mei conspecturi sunt. Præterea sunt aperta testimonia lib. 2. Machab. cap. 7. ubi unus ex pueris ab Anthiocho cruciatus ait. Tu quidem scelestissime in præsenti vita nos perdis, sed Rex mundi defunctos nos pro suis legibus in æternæ vitæ resurrectione suscitabit; & infrà: Potius est ab hominibus morti datos spem expectare à Deo iterum ab ipso resuscitandos, tibi enim resurrectio ad vitam non erit, & interius, sed enim mundi creator, qui formavit hominis nativitatem, quique omnium invenit originem, & spiritum vobis iterum cum misericordia reddet, & vitam. Et tandem cap. 12. habetur illustrissimum illud, ac vulgatissimum testimonium, quod in Missis defunctorum legitur, Vir fortissimus Judas collatione facta misit duodecim millia dragmas argenti Hierosolymam offerri pro peccatis mortuorum juste, & religiosè de resurrectione cogitans, nisi enim eos, qui ceciderant, resurrecturos speraret, superfluum videretur, & vanum orare pro mortuis; ergo ex veteri testamento habetur à Deo resurrectionem omnium hominum futuram fuisse revelatam. Hoc idem probatur ex novo testamento, in quo habemus expressam Christi promissionem, seù prædictionem Jo. 5. Venit honora, in qua omnes, qui in monumentis sunt, audient vocem ejus, & procedent, qui bona egerunt, in resurrectionem vitæ, qui verò mala egerunt in resurrectionem judicii, & Jo. 11. Marta fatetur resurrectionem dicens de Lazaro mortuo, scio quia resurget in resurrectione in novissimo die, & Paulus etiam pluribus in locis resurrectionem carnis futuram prædicat, ad Roman. 6. ad Ephes. 6. 1. 1. ad Corint. 15. 1. ad Thessal. 4. 2. ad Timoth. 2. & Actib. Apost. c. 17. & alibi frequenter. Demum hoc idem probatur ex hominibus Patribus, & Ecclesiæ Doctoribus, & præsertim ex August. l. 1. de Doctrina Christ. c. 2. l. 19. contrà Faustum cap. ult. l. 4. de Trin. c. 3. 3. l. 10. in Genes. c. 5. & alibi frequenter, item ex Ireneo. l. 5. adversus hæreses cap. 14. Tertull. de Resurr. carnis per totum, & pluribus aliis, ut videri potest apud Suarez in 3. part. tom. 2. disp. 50. sect. 1. Brancatum nostrum disp. 2. de Resurrectione mortuorum art. 3. & alios. Cum igitur hoc sit certum, & de fide, restant solùm dubia quædam declaranda circa hanc materiam contingentia.

11 Primò quæritur, an per rationem naturalem probari possit resurrectionem esse futuram. Hoc quæsitum movet Doctor d. 43. cit. qu. 2. pro cujus resolutione inquit in primis certum esse, non esse per se notum naturaliter, seù lumine naturali hominum resurrectionem esse futuram; dupliciter enim aliquid dicitur per se notum lumine naturali; ut ipse anteà dixerat 4. d. 17. qu. un. A. & d. 26. qu. un. F. vel per modum principii practici per se noti ex terminis, ut quod totum sit majus sua parte, vel per modum conclusionis à tali principio dependentis, & necessariò consequentis, neutro autem modo per se notum est resurrectionem hominum esse futuram, hæc enim propositio, homo mortuus, & in pulverem conversus resurget non est nota ex terminis, neque per modum conclusionis ex principio sic per se noto dependentis, siquidem natura rei semel corruptæ regressum adeò refugit ut sit commune Philosophorum axioma, à privatione ad habitum non dari regressum, ut constat ex lib. Prædicament. cap. de Oppositis, undè Arist. 8. Physic. text. 36. ait, quod quæ corrumpuntur secundùm substantiam, non redeunt eadem numero, sed specie.

Confirmatur, quia si esset per se notum altero ex duobus modis jam relatis, resurrectionem hominum esse futuram, Sadducæi in lege peritissimi eam negare ausi non fuissent, & tamen eam omninò negabant cum Christo disputantes Matt. 22. Mar. 12. & Lucæ 2. & Paulus Apostolus eam Athenis prædicans conviciis affectus non fuisset, ut novitatum auctor, sicut legitur Actuum 17. quod quidam Epicurei, & Stoici Philosophi differebant cum eo, & quidam dicebant, quid vult seminiverbius hic dicere? Alii verò, novorum Dæmoniorum videtur annunciator esse, quia Jesum, & resurrectionem annunciabat eis, & tandem in fine capitis legitur, quod cum audissent resurrectionem mortuorum, quidam quidem irridebant eum, quidam verò dixerunt, audiemus te de hoc iterum, & cap. 26. cum eandem mortuorum resurrectionem prædicaret, reprensus à Festo fuit, tanquam stultus his verbis *Insanis Paule*. At si hoc dogma de mortuorum resurrectione fuisset per se notum lumine naturæ, planè inter Apostolum, Philosophos, Stoicos, Athenienses, viros alioqui doctissimos tanta, & adeò acris contentio non fuisset; nam potuisset eos Apostolus evidenter convincere, cum principia per se naturaliter nota sint propositiones æternæ veritatis, evidentes, & invariabiles, ut quod totum sit majus sua parte, quodlibet est, vel non est, & similia. Denique quod resurrectio hominum sit futura est præcipuus fidei articulus, ut suprà dictum est; ergo talis propositio non est per se naturaliter nota, fides enim pro objecto habet revelatum, & obscurum, alioquin de ea haberetur scientia, & non fides, & hæc est communis Doctorum sententia nemine excepto.

12 Secundò quæritur, an ex parte materiæ probari possit naturaliter resurrectionem hominum esse futuram, pro cujus quæsiti resolutione advertendum est in homine duplicem esse materiam, scilicet, remotam, & proximam, & remota est materia prima, proxima est corpus humanum ex suis partibus constans similiaribus, & dissimiliaribus. Materiæ remotæ correspondet forma corporis organici, quæ à solo primo efficiente reproducetur cum suis dispositionibus necessariis ad animam rationalem in resurrectione recipiendam; materiæ verò proximæ correspondet anima rationalis corpus humanum informans. Hoc supposito inquit Scotus loc. cit. resurrectionem hominum esse futuram demonstrari non posse demonstratione propter quid desumpta ex materia sivè remota, sivè proxima hominem componente, quæ est etiam communis omnium sententia, & probatur, quia quod homo constet ex materia remota, ad ejus resurrectionem probandam non sufficit, siquidem non est naturaliter notum materiam nunquam esse destruendam, & quando etiam hoc notum esset, non adhuc indè sufficienter colligeretur hominem ex ea constantem, & jam corruptum esse denuò resurrecturum, non enim consequentia necessaria est, alioquin idem quoque de omni composito tam animato, quàm inanimato concludi deberet, cum omnia ex materia constent. Neque etiam ex materia proxima, ideſt ex ratione corporis potest id demonstrari, quia etiam ratio hæc est omni elemento, & mixto communis, undè si de illis hoc non convincit, neque etiam de homine; tum quia si hoc non concluditur ex compositione materiæ remotæ, quæ incorruptibilis ex suppositione saltem philosophica, tantò minus id convinci poterit ex compositione materiæ proximæ, quod est corpus, cum sit corruptibile, tantùm enim abest, quod corruptibilitas sit radix reparationis, ut potius destructionem pariat, eamque semel secutam foveat, & conservet. Tum tandem quia si ex materia remota, vel proxima hominis post ejus destructionem posset ejus resurrectio, ac reparatio sufficienter, ac evidenter deduci, hoc utique Philosophos non latuisset in demonstrationibus de rerum naturalium effectibus valdè peritos. Quarè concludit Doctor quæst. 2. cit. ab initio §. *Respondeo*, quod si ratio aliqua naturalis resurrectionem ostendit, oportet, quod accipiatur ex aliquo, quod est proprium hominis, ità quod non conveniat aliis corruptibilibus, hoc autem non est materia etiam incorruptibilis, nec forma aliqua destructibilis, quia etsi talis sit in homine, & excellentior omni forma bruti, tamen ex illa non potest summi ratio sufficiens ad probandum resurrectionem totius, atque ideò oportet, quod accipiatur à forma specifica hominis, vel ab operatione conveniente homini secundùm illam formam; quarè ad hoc vestigandum proponit ulterius, & discurrit sequentia quæsita.

13 Tertiò quæritur, an per animam hominis possit naturaliter concludi futuram resurrectionem. Ad hoc quæsitum respondet Doctor loc. cit. non satis obviam esse rationem naturalem ad probandum animam intellectivam esse per se formam hominis specificam, quod causa fuit, ut Averroes id negaret, & diceret formam hominis specificam esse animam irrationalem, & sensitivam aliis animabus excellentiorem, & subdit postea, quod estò esset naturaliter notum, quod anima intellectiva sit per se forma hominis, tamen ex hoc non potest naturaliter probari, hominum resurrectionem esse futuram. Quod autem non sit facilis, & obvia ratio naturalis ad probandum animam intellectivam esse formam hominis specificam, probat Doctor examinando, & refellendo rationes, quibus id probari solet à pluribus Philosophis, & Theologis, ex propria hominis operatione deductas, scilicet, intelligendi, siquidem forma innotescit ex operatione, sicut materia ex transmutatione, intelligere autem est propria hominis operatio; quarum rationum examen potest videri in textu. Deindè refutatis aliorum rationibus id ipse probat, quia habemus in nobis aliquam cognitionem objecti sub aliqua ratione, sub qua non potest esse actus ejus aliqua cognitio sensitiva; ergo &c. antecedens probat pluribus experientiis, quibus homo experitur multa insensibilia se cognoscere, experimur enim in nobis, quod cognoscimus actu universale, v. g. ens, vel qualitatem sub ratione aliqua communiori, quàm sit ratio primi objecti sensibilis etiam respectu supremæ sensitivæ. Experimur etiam, quod cognoscimus relationes consequentes naturas rerum etiam non sensibilium; item quod cognoscimus relationes consequentes naturas rerum etiam non sensibilium; item quod cognoscimus relationes rationis, quæ sunt secundæ intentiones, scilicet, relationem universalis, generis, & speciei, &c. & oppositionis, aliarum intentionum logicalium. Experimur insuper nos cognosce-

gnoscere per reflexionem eundem actum illum, v. g. quo cognoscimus entia rationis, & logicalia, & hujusmodi non sensibilia. Idem probat ex assensu primorum principiorum, conclusionum scientificarum, & evidentiæ discursus, cui nequit intellectus dissentiri; cum ergò actus hujusmodi ulli potentiæ sensitivæ convenire nequeant, necessariò fatendum est in homine dari potentiam aliquam, & formam non sensitivam, sed intellectivam, & qui negaret, inquit, has experientias repellendus esset tanquam insensatus, & irrationabilis. Rursus id probat ex alia hominis operatione, quia homo est dominus suorum actuum, itaquod in potestate ejus est determinare se ad hoc, vel oppositum, & hoc non tantùm ex fide notum est, sed etiam per rationem naturalem; sed ista indeterminatio non potest poni in aliquo appetitu organico, vel extenso, quia quilibet appetitus organicus, vel materialis determinatur ad certum genus appetibilium sibi conveniens, ita quod illud apprehensum non potest non convenire, nec appetitus non approbare; ergo voluntas, qua sic indeterminatè volumus, non est appetitus alicujus formæ materialis; sed alicujus omnem talem excedentis, & hujusmodi est anima intellectiva. Tandem quamvis id sit naturaliter notum, animam, scilicet, intellectivam esse formam hominis specificam, non tamen hinc posse naturaliter deduci resurrectionem hominum esse futuram, probat Doctor lit. T. quia quod forma hominis sit immaterialis, spiritualis, ac intellectiva, nil aliud concludit, nisi quod possit tendere in objecta spiritualia, & operari modo inorganico, ac indifferenti, non autem quod homo semel destructus, per hoc, quod fuit intellectivus; resurgere possit, ac debeat; sed sequeretur ad summum, si naturaliter cognosceretur animam esse immortalem, quod in sequenti quæsito discurremus.

14 Quartò quæritur, an ex animæ immortalitate probari possit resurrectionem hominum esse futuram, quia nimirum, si anima esset immortalis, & æterna, cum pars perpetuò non possit stare sine toto, necessariò fatendum esset, reuniendam tandem esse cum corpore. Respondet Doctor loc. cit. §. *Potest dici*, quòd licet ad ostendendam animæ immortalitatem sint rationes satis probabiles, non tamen demonstrativæ, imò nec necessariæ, & ità jam statuimus in lib. de Anima disp. 1. quæst. 10 ubi diximus animæ rationalis immortalitatem esse de fide, & pro statu isto, quamvis efficacissimis rationibus probetur, non tamen vera, & rigorosa demonstratione ostendi posse, & hanc etiam esse communem omnium ferè Recentiorum opinionem, quamvis enim isti prima facie asserant in conclusionibus esse hanc veritatem naturaliter demonstrabilem, attamen in probationibus fatentur rationes illas convincere intellectum benè institutum, undè solùm verbis à Scoto discrepant. Quod sit de fide probatur ex Matth. 10. *Nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere*, Lucæ 23. *Hodiè mecum eris in Paradiso*, ex Concil. Viennens. sub Clemente V. & Lateranensi sub Leone X. sect. 8. Quod autem non sit naturaliter demonstrabilis probavimus ibi cum Doctore, quia nequit à priori demonstrari, cum animæ quidditatem non cognoscamus pro statu isto, nisi à posteriori, qua via non apparet ista immortalitatis necessitas, ut fusè ibidem in solutione objectionum ostendimus, quibus nonnulli putant hanc immortalitatem demonstrare. Tùm quia tot Philosophi in hoc non errassent, nec Arist. ità obscurè hanc veritatem insinuasset, nec D. August. 13. de Trin. c. 8. dixisset, difficile valdè esse animæ immortalitatem probare, si esset hæc veritas naturaliter pro statu isto demonstrabilis.

15 Deindè subjungit Doctor loc. cit. §. *De tertia propositione*, quod etiamsi admitteretur animæ immortalitatem ratione naturali posse demonstrari, non adhuc necessariò deduceretur futura hominum resurrectio, quia rationes illæ, quod pars extrà totum est imperfecta, & conveniens non est formam tam nobilem perpetuò imperfectam manere, & separatam à toto; item illa alia, quod nullum violentum est perpetuum 2. de Cœlo, & mundo tex. 17. separatio autem corporis ab anima est violenta, quia contrà inclinationem animæ secundùm Philosophum; quæ naturaliter inclinatur ad perficiendum corpus, & ideò tandem reuniri deberet; inquit Doctor non concludunt demonstratione naturali. Non quidem prima, quia illa propositio, pars extrà totum est imperfecta, non est vera, nisi de parte, quæ recipit aliquam perfectionem in toto, anima autem non recipit, sed communicat, & sic potest formari ratio ad oppositum, quia non repugnat alicui æquè perfecto in se manere, licet alteri perfectionem suam non communicet, ut patet de causa efficiente, cui non repugnat quantumcunque manere sine effectu suo, anima autem manet æquè perfecta in suo esse proprio, sive conjuncta, sivè separata. Neque secunda ratio convincit de inclinatione naturali, quia axioma illud. Nullum violentum est perpetuum, ait verificari tantùm, quando violentum est contrà inclinationem receptivi suæ perfectionis; non verò quando est contrà inclinationem communicativi, undè distinguit appetitum in eum, qui est recipiendæ perfectionis, & eum, qui est communicandæ perfectionis, & hoc secundo modo sumptum ait non constituere violentum, dum separatur ab actu, & sic tantùm competere animæ de mente Philosophi. Addit etiam dici posse secundùm Avicennam, quod appetitus Animæ satiatus est per hoc, quod semel perfecit corpus, quia illa conjunctio est ad hoc, ut anima mediante corpore aquirat suas perfectiones, ideſt, notitias per sensus, quas non posset aquirere sine sensibus, & per consequens sine corpore; semel autem conjuncta aquisivit quantum ipsa simpliciter appetit aquirere, eo modo, atque ideò non adest alia inclinatio ejus ad corpus.

16 Quintò tandem Doctor loc. cit. in fine quæstionis postquam ostendit Philosophos quamvis eruditissimos via naturali nec animæ immortalitatem, nec corporum resurrectionem certò, & evidenter demonstrare potuisse, quæstionem his verbis concludit, ut notavimus quæst 10. cit. de Anima num. 152. Ex his apparet quantæ sint gratiæ referendæ misericordiæ Creatoris, qui nos per fidem certissimos reddidit in his, quæ pertinent ad finem nostrum, & ad perpetuitatem sempiternam, ad quæ ingeniosissimi, & eruditissimi quasi nihil poterant attingere, undè D. Augustinus lib. 13. de Trinitate cap. 9. ait in fine, quod vix pauci magno præditi ingenio vacantes ocio ad indagandam animæ immortalitatem potuerunt pervenire; sed si fides adsit, quæ est in eis, quibus dedit Jesus filios Dei fieri, nulla quæstio est, quia ipse suos credentes in hoc certissimos reddidit. Et quantùm ad resurrectionem hominum futuram sub lit. X. ità concludit. Breviter ergo, nec à priori per rationem principii intrinseci in homine, nec à posteriori, puta per rationem alicujus operationis, vel perfectionis congruentis homini, potest probari necessariò resurrectio innitendo lumini naturali; & ideò hoc, tanquam omninò certum non tenetur, nisi per fidem; ita Scotus ibi. & sic etiam discurrit D. Bonaventura 4. dist. 43. art. 1. quæst. 1. ubi in resolutione quæstionis hujus, an resurrectio sit futura, inquit: Dicendum, quod recta fides docet resurrectionem corporum nostrorum esse futuram, & ad hoc credendum adjuvatur per fidem resurrectionis Christi jam factæ; super hoc fidei fundamentum ædificatur etiam persuasio rationis, quia quod resurrectio sit futura, exigit remuneratio divinæ justitiæ, quæ homini retribuit, sicut & meruit. Secundò confirmatio gloriæ, quæ omnem animæ appetitum complebit, vel quietabit. Tertiò perfectio naturæ, quæ consistit in toto composito, non in altera ejus parte, & hæ sunt rationes suprà fidem fundatæ. Ità discurrit Seraphicus Doctor l. cit. & alia plura de hac materia videri possunt apud Brancatum nostrum disp. 3. cit. art. 4.

ARTICULUS TERTIUS.

An omnes homines resurgent tempore Judicii universalis.

17 PRimò quæritur, an omnes homines justi resurrecturi sint. Et quidem certum est omnes homines sanctos, & justos, qui antè resurrectionis diem mortui fuerint, esse suscitandos, & hoc expressè docent Scripturæ, & Patrum testimonia, ut patet ex 1. Corint. 15. & Athanasii Symbolo, ubi expressè habetur omnes homines mortuos esse resuscitandos; solùm ergo difficultas est de justis hominibus, qui tempore judicii justi invenientur, & propè horam resurrectionis, & ratio dubitandi est, quia resurgere non potest, nisi qui cecidit, & mortuus est, isti autem non ceciderunt, cum mortui non fuerint. Hac de causa non defuerunt, qui negaverint homines justos tunc temporis viventes esse aut morituros, aut resuscitandos, sed solùm immutandos, aut transformandos in qualitatem, & perfectionem glorioſorum corporum resurgentium. Quod præsertim ex Paulo deducunt loc. cit. 1. Corinth. 15. ubi juxtà editionem Græcam sic legitur: *Ecce mysterium vobis dico, Non omnes quidem dormiemus, omnes tamen immutabimur*, quorum verborum sensus est, non omnes justos esse resurrecturos, quia non omnes morientur, scilicet illi, qui in die judicii vivi invenientur, omnes tamen fore ad statum gloriæ transferendos. Deindè ex alio Pauli testimonio 1. ad Thessal. 4. ubi de resurrectione loquens eorum, qui præcesserint, induens personam eorum, qui tunc existent, ait, *Deindè nos, qui relinquimur, simul cum illis rapiemur in nubibus obviam Christo in aera, & sic semper cum Domino erimus*. Tandem quia ex Symbolo habetur Christum esse venturum ad judicandum vivos, & mortuos juxtà illud Act. 10. *Ipse est, qui constitutus est à Deo judex vivorum, & mortuorum*, & illud ad Rom. 14. *Christus in hoc mortuus est, & resurrexit, ut vivorum, ac mortuorum dominetur*; non possunt autem

tem.

tem hæ Scripturæ rectius intelligi, quàm dicendo judicaturum Christum, & eos quos viventes repererit in secundo ejus adventu, & alios anteà mortuos, qua de causa Hieronymus in epist. ad Minerium ait, Doctores Ecclesiæ in hoc non convenire, & plures non infimæ notæ docere electos saltem, qui in fine Mundi in adventu Christi reperientur vivi, esse in vita occursuros Domino, & sic semper cum eo mansuros, in qua opinione refert fuisse Origenem, Diodorum, Tarsensem, Didimum, Alexandrinum, Acajum, Cæsariensem, Apolinarium, & alios, quod etiam ratio suadere videtur, quia nulla potest assignari causa naturalis subitæ mortis tot hominum, nec enim credendum est jussu Dei omnes esse violenter interficiendos; & igne conflagrationis esse comburendos, ut aliqui dicunt; creditu difficile videtur.

18 Verùm quod omnes omninò morientur, etiam tempore judicii viventes, & consequenter omnes homines justos verè, ac propriè esse resurrecturos, & consequenter prius esse morituros, est communior, ac verior sententia Patrum, & Doctorum, cui proindè Ecclesiam magis adhærere docet D. Hieronymus epist. 152. cit. videturque magis conformis pluribus aliis Scripturæ locis, in quibus sine ulla exceptione, & limitatione asseritur omnes homines aliquando morituros, ut ad Hæbr. 9. *Statutum est omnibus hominibus semel mori* 1. ad Corinth. 15. *Sicut in Adam omnes moriuntur, ità & in Christo omnes vivificabuntur* ad Rom. 5. *Ità & in omnes mors pertranſiit*, & aliis pluribus locis, quæ fusè referuntur à Suarez disp. 50. cit. sect. 2. & à Brancato nostro disp. 2. de Morte art. un. à qua generalitate non est ulla ratio sufficiens, ob quam illi excipiantur, qui vivent in novissimo die. Neque locus adductus ex Corinth. 15. juxtà editionem Græcam urget, nam vetus vulgata latina legit: *Omnes resurgemus, sed non omnes immutabimur*, & vulgata editio præferenda est, ut decernit Concil. Trident. sess. 4. c. 1. ubi postquam libros omnes Canonicos enumeravit, in quos & Epistolæ Pauli ad Corint. recensentur, concludit: *Si quis autem libros ipsos integros cum omnibus suis partibus, prout in Ecclesia Catholica legi consueverunt, & in veteri vulgata latina editione habentur, pro sacris, & Canonicis non suscepserint, &c. anathema sit.* Deindè si aliis editionibus aliquid auctoritatis tribuendum esset, verbum *dormiemus* posset intelligi de dormitione mortis pro diuturno tempore, qualis non accidet illis, qui vivent in die judicii, quia post mortem statim resurgent, ut plures exponunt apud Suarez loc. cit. Et ità etiam exponendus est alius locus Pauli 1. ad Thessalon. 4. nimirùm eos, qui tunc vivi reperientur, paulò antè generaliter resurrectionem esse morituros, sed quia modicum erit tempus inter mortem eorum, & resurrectionem, ideò Paulus de illis, tanquam de viventibus loquitur, distinctoque modo, quàm de aliis jam dudum mortuis, & sic hunc locum exponit Oecumenius, & D. Thom. apud. Suarez ibidem. Quomodo autem Christus dicatur judicaturus vivos, & mortuos, D. August. in Enchirid. cap. 55. ait, quod vivi, qui scilicet, invenientur veniente Domino, erunt ab eo judicandi, sicut & anteà mortui, hinc tamen non sequi, quod inventi tunc vivi non sint morituri, vel cum aliis dicendum est per mortuos intelligi omnes, qui præcesserunt, per vivos verò intelligi omnes, qui actu vivunt, vel vivent usque ad finem mundi.

19 Quomodo tandem tunc viventes sint morituri, & quo genere mortis, dicendum est multos fame perituros, alios peste, alios nimio timore, alios denique ex aeris intemperie, & magna Cœlorum, ac elementorum perturbatione, quæ non solùm hominem, sed etiam cætera interficient animalia juxtà illud Joan. in Apocal. de illo tempore loquentis, ubi ait *Datam esse potestatem morti super quatuor potestates terræ interficere fame, & gladio, & morte, & bestiis terræ.* Imò Brancatus noster disput. 11. art. 9. pluribus ostendit etiam electos, qui antè judicium vivi reperientur, igne conflagrandos esse, ut purgentur, & hæc fuit expressa sententia D. Thomæ 4. dist. 47. art. 4. ad 3. & D. Bonavent. ibidem quæst. ult. ubi ait futuram esse ignis conflagrationem in judicio ad electorum purgationem, quia debet uniuscujusque opus probari, & purgari in igne, ut totaliter sistantur mundati in conspectu Dei, & hìc præcedet faciem Judicis; & purgando amicos inflammabit in circuitu inimicos eius; & in fine illius quæstionis ait, quod ille ignis erit ad purgationem, & ideò sicut tres pueri in camino ignis ardentis divina sunt virtute servati illæsi, sic fiet in illo igne, qui electos purgabit. Addit D. Thomas loc. cit. etiam electos conflagratione ignis esse morituros, & quidem cum dolore, qui purgatione egebunt, qui verò non, absque dolore secundùm peccati quantitatem divina justitia faciente. Hæc igitur est modò communis, & verior, ac probabilior sententia, omnes homines etiam electos antè Christi adventum, & universalem resurrectionem esse morituros; quàm vero sit certa hæc sententia, seù in quo certitudinis gradu, Doctores non conveniunt. Aliqui enim putant esse de fide propter testimonium Pauli adductum, quod *Omnes resurgemus*, & generales Scripturarum locationes, & quia in Symbolis fidei præsertim Athanasii dicitur in judicio universali ad Christi adventum omnes homines resurrecturos. Alii dicunt, quod quamvis hæc secunda sententia non sit de fide, esse tamen adeò certam, ut opposita sit ad minus temeraria. Verùm Suarez sect. 2. cit. in fine, asserit ex Augustino, & communi Scholasticorum consensu, non solùm non esse de fide, quia nulla est in hoc Ecclesiæ determinatio, & loca Scripturæ variis modis à Patribus exponuntur, sed nec etiam oppositam temeritatis nota esse censurandam, cum tot, ac tanti Patres illam sententiam docuerint, neque post illorum Patrum tempora nova aliqua ratio, aut testimonium inventum sit, quo hæc veritas magis illustraretur, aut firmaretur, quare concludit ab omni censura prioris sententiæ abstinendum esse, & posteriorem probabiliorem solùm, & simpliciter veram esse appellandam, ut antiquiores Theologi loquuntur.

20 Secundò quæritur, an etiam homines damnati resurrecturi sint; & ratio dubitandi sumitur ex nonnullis Sacræ Scripturæ locis, scilicet, ex psalm. 21. *Non resurgent impii in judicio, neque peccatores in consilio justorum*, & Daniel. 12. *Multi ae his, qui in pulvere dormiunt, evigilabunt*; ergo si multi, non omnes, est autem ibi sermo de resurrectione, & 1. Machab. 7. *Potius est ab hominibus morti datos spem expectare à Deo, iterum ab ipso resuscitandos, tibi enim resurrectio ad vitam non erit*, scilicet peccatori, & iniquo. Hoc etiam ratio ipsa suadere videtur, quia pro peccato, quod anima est operata in corpore, sufficienter punitur in Purgatorio sine corpore; ergo pari ratione etiam in Inferno sufficienter pro utroque punitur. Certum tamen est, ac de fide omnes damnatos ad infernum propter peccata propria esse in generali resurrectione excitandos, ut docet D. Bonavent. cum cæteris Scholasticis 4. d. 43. art. 1. quæst. 2. quod probat ex illo Joan. 5. *Omnes qui in monumentis sunt, audient vocem filii Dei, & procedent qui bona egerunt in resurrectionem vitæ, qui verò mala egerunt, in resurrectionem judicii*, sed non possunt omnes audire vocem, nisi omnes resurgant, & ibi Glossa Interlinear. ait *omnes tàm boni, quàm mali*, & Matth. 25. *Cum autem venerit filius hominis in majestate sua, congregabuntur antè eum omnes gentes, & separabit eos ab invicem, sicut Pastor segregat oves ab hædis, & statuet quidem oves à dextris, hædos autem à sinistris*; ergo non tantùm boni, sed etiam mali antè faciem Christi se sistent in die Judicii, sic etiam loquitur Paulus ad Rom. 14. *Omnes stabimus antè tribunal Christi*, & 2. ad Corint. cap. 5. *Omnes nos manifestari oportet antè tribunal Christi*, & ità definitum est in Concilio Lateranensi, & habetur in cap. *Firmiter* De summa Trinitate; & ipsa quoque ratio suadet, quia finis resurrectionis, ut ait Apostolus loc. c. est, ut unusquisque referat propria corporis, prout gessit sivè bonum, sivè malum, & justi nedum secundùm animam, sed etiam secundùm corpus præmium recipiant, & reprobi pariter secundùm utrumque supplicium; ergò nedum electi, sed etiam damnati resurgent. Ad primum Scripturæ testimonium Suarez loc. cit. sect. 3. plures Patrum expositiones adducit, sed communior, & facilior est, quod intelligatur de resurrectione ad vitam, quia nimirum impii in judicio non resurgent, sicut justi, nempè ad vitam, sicut textus ipse indicat, & sic etiam patet ad tertium. Ad secundum respondet Divus Bonavent. cit. cum August. 20. de Civit. cap. 6. quod ly *multi* significat omnes, & quod talis modus loquendi frequenter in Scriptura invenitur, ut ad Roman. 5. *Unius delicto multi mortui sunt*, & Matt. 26. *Qui pro vobis, ac pro multis effundetur*, & ita etiam textum illum declarant Glossa Interlin. Lyranus, Theodoretus, & alii. Ad rationem negat D. Bonavent. cit. paritatem, quia Purgatorium dicit transitum, non terminum, nec dicit statum, sed status supplementum, ut quia præclusa est homini per mortem via merendi, & peccatum inultum transire nec poterat, nec debebat, constituit Dominus locum pœnæ, per quem anima transiret ad patriam, ut anima solvat separata, quod tamen fecit conjuncta; & quia hoc magis dicit supplementum, quàm terminum, ideò corpus resumi oportet.

21 Tertiò quæritur, an etiam parvuli, & infantes sint resurrecturi; & ratio dubitandi sumitur etiam ex nonnullis Scripturæ locis; nam Christus Matth. 25. de resurrectione loquens in die judicii de adultis tantùm mentionem facit, quibus docet *Esurivi, & dedistis mihi manducare*, &c. & ipsi respondebunt *Domine quando te vidimus esurientem, aut sitientem*, id autem non convenit parvulis, & infantibus. Deindè illi tantùm resurgent, qui relaturi sunt, quæ in corpore gesserunt sivè bona, sivè mala ex 2. Corint. 5. *Omnes nos manifestari oportet antè tribunal Christi, ut referat unusquisque prout gessit in corpore suo sivè bonum, sivè malum*, hæc autem parvulis, & infantibus sunt impropria. Hoc etiam ratio suadere videtur, quia resurrectio ad hoc

est, ut

est, ut anima remuneretur in corpore, sicut in illo meruit, finis enim resurrectionis, & judicii est meritorum retributio; sed anima parvuli nihil est in corpore operata; ergo ad remunerationem ejus non oportet corpus resurgere. Certum tamen etiam est, & deducitur ex jam relatis Scripturæ locis omnes parvulos mortuos, sivè cum originali, sivè ab eo mundatos in die judicii resurrecturos esse, nam ex generalibus Scripturæ locutionibus, & fidei Symbolis habemus omnes homines jam mortuos esse resurrecturos, at infantes etiam homines sunt, nec ullo fundamento excipi possunt, & hoc præsertim indicat manifestè testimonium Pauli 1. ad Corinth. 15. *Sicut in Adam omnes moriuntur, ità etiam in Christo omnes vivificabuntur*, vita non solùm animæ, sed etiam corporis, de qua ibi est sermo; at in Adamo non solùm adulti, sed etiam infantes mortui sunt; ergo isti etiam in Christo vivificabuntur. Confirmatur ex August. in Enchirid. c. 84. ubi ait *Resurrecturam carnem omnium, quicunque nati sunt hominum, atque nascentur, & mortui sunt, atque morientur, nullo modo debet Christianus dubitare*, & adhuc clarius 22. de Civit. Dei c. 16. *Resurgent itaque omnes tam magni corpore, quo vel erant, vel futuri erant in juvenili ætate, etiamsi erit infantilis, vel senilis corporis forma*. Denique probatur ratione ex fine resurrectionis deducta, qui est ostensio divinæ justitiæ, & liberalitatis Dei præmiantis, & punientis, & glorificantis, parvuli autem, & infantes sunt gloriæ capaces, ac etiam pœnæ saltem damni, si cum originali decedant, ut patet ex dictis l. 2. sent. disp. 4. qu. 6. de pœna peccati originalis, tum etiam, quia omnes resurgent, etiam nati unius diei, in virum perfectum, & mensuram ætatis plenitudinis Christi, ut patebit ex infrà dicendis de ætate, & forma, in qua omnes resurgent.

22 Neque obstat loca Scripturæ in oppositum adducta, nam Matth. 25. Salvator cum adultis loquebatur, qui non nisi per opera bona salutem consequi possunt, & de suis operibus in die judicii rationem reddituri sunt, ob id tamen alios à resurrectione non excludit; & eodem modo intelligi debet, quod ait Paulus 2. ad Corint. 15. ut Lyranus exponit ibidem, ubi ait, quod non per hoc excluduntur pueri à judicio, qui nihil in proprio corpore meruerunt, vel demeruerunt, quia dijudicabuntur secundùm ea, quæ circà illos ab aliis sunt facta, vel omissa, inquantum sunt ab aliis baptizati, vel non, undè non secundùm gesta propriè judicabuntur, sed pro peccato originali, vel carentia ejus, & ita etiam discurrit Glossa Ordinaria ibidem, & Divus Anselmus cap. 5. ad Corinth. ubi ait, quod referet unusquisque, etiam parvuli, cum hoc tamen discrimine ab aliis, quod isti referent, quæ non per seipsos, sed per alios gesserunt, quando scilicet per corda, & ora gestantium crediderunt, vel non crediderunt, quando baptizati, vel non baptizati sunt. Ad rationem respondet D. Bonav. l. c. quod etsi anima non exierit in actum, tamen originale contraxit in corpore, & per corpus, & ideò illi uniri debet, ut sicut ex conjunctione ad corpus peccatorum contraxit, ita simul cum illo mulctetur pœna damni, undè infantibus qui cum remedio contra originale pro lege veteri, vel baptismo pro nova decesserunt, gloria decernetur, iis verò qui sine illo moriuntur, ejusdem privatio, quæ est pœna damni. Addit Doctor Seraphicus ibidem, quod remuneratio non est tota ratio, quarè fiat resurrectio, sed divinæ ordinationis decretum, quæ conjungendo animam rationalem corpori, per hoc decrevit illud corpus perpetuò vivificari; si ergo divinum decretum non potest infringi, necesse est corpus illud animæ rejungi, ut sicut corpus separatum est ab anima propter divinam sententiam, quæ respiciebat culpam; ità rejungatur animæ propter divinam dispositionem, quæ sic decreverat constituere humanam substantiam; ratione cujus decreti corpus humanum dicitur ordinari, & possibilitatem habere ad incorruptionem, quamvis in sui natura nihil habeat plus de incorruptibilitate, quàm alia corpora mixta.

23 Quartò quæritur, an abortivi etiam debeant resurgere; D. Augustinus de Civit. Dei c. cit. agens de infantibus, qui in maternis uteris moriuntur neque affirmare, neque negare audet, an sint resurrecturi, quamvis in affirmativam partem magis propendeat; & in Enchirid. c. 84. c. postquam dixit, resurrecturam esse carnem omnium, quicunque nati sunt hominum, atque nascentur, sub hac universali propositione etiam infantes jam natos comprehendens, statim c. 85. de abortivis fœtibus dubius est. Communior tamen, & vera sententia Patrum, & Scholasticorum asserit abortivos omnes animatos in Judicio universali esse resurrecturos, & appositè dicitur *animatos* ad excludendos fœtus, qui ad rationalem animationem non pervenerunt, & clarè deducitur ex testimonio Pauli cit. 1. Corinth. 15. *Sicut in Adam omnes moriuntur, ita in Christo omnes vivificabuntur*; hæc enim ratio procedit etiam de his, qui in maternis uteris moriuntur, & de quibusvis abortivis fœtibus, qui ad animationem pervenerunt, cum ista quoque habeant propriam animam rationalem ab anima matris distinctam, & consequenter cum etiam ipsi in Adamo moriantur, per Christum quoque vivificari debent, ut benè discurrit Suar. l. c. tùm quia ad divinam providentiam spectat hos etiam infantes pœna, vel præmio afficere juxtà eorum captum, vel ut ait Hiqueus 4. d. 43. qu. 5. in Commentario num. 66. ut hi etiam infantes sententiam Judicis recipiant, & ad locum congruum, & debitum destinentur, undè etiam ipse docet ibidem de mente D. nostri, hanc veritatem universalem extendi ad infantes quoque qui in uteris maternis moriuntur, quia sicut in Adamo omnes moriuntur, ita & in Christo omnes vivificabuntur. Hoc etiam docet ex nostris Bran. dis. 5. ar. 2. ubi in fine plura August. refert testimonia, ex quibus patet ipsum quoque in affirmativam sententiam fuisse propensum, & præsertim notabile est, quod affert ex eodem l. 22. de Civit. Dei c. 13. ubi ait. Abortivos fœtus, qui cum jam vixissent in utero, ibi sunt mortui, resurrecturos, ut affirmare, ita negare non audeo, quamvis non videam, quomodo ad eos non pertineat resurrectio mortuorum, si non eximuntur de numero mortuorum, aut enim non omnes mortui resurgent, & erunt aliquæ humanæ animæ sine corporibus in æternum, quæ corpora humana, quamvis intrà viscera materna gestarunt; Aut si omnes animæ humanæ recipient resurgentia sua corpora, quæ habuerunt ubicunque viventia, & morientia reliquerunt, non invenio quemadmodum dicam ad resurrectionem non pertinere mortuorum quoscunque mortuos etiam in uteris matrum. Ità August. l. c. ex quo deducit Brancatus regulam generalem August. esse, quod fœtus qui in utero vixerunt, idest, qui in animam rationalem aliquando habuerunt, resurgent, secus vero qui non vixerunt, idest, ea caruerunt. Quomodo autem, & quo tempore fiat corporis organizatio, & ejusdem animatio in utero materno, jam declaravimus in l. de Generat. & Corrupt. dis. 8. q. 2. ar. 2. nu. 28. & 29. certum est enim animam rationalem à Deo in corpus non infundi, nisi supposita perfecta organizatione substantiali fœtus in utero materno, ut docet Scotus 3. d. 2. q. 3. §. *Quantum ad secundum*, lit. B. de quo etiam fusè tractat Brancatus loc. cit.

24 Quintò tandem quæritur, an monstra quoque debeant resurgere. Nomine monstri, ut docet Arist. l. 4. de generat. animal. c. 4. & 8. Plinius l. 7. natural. histor. c. 4. intelligitur homo habens deformitatem toti humanæ speciei extraneam, & quantùm ad quid nominis dicitur monstrum, quia ex novitate rei monstrari dignum est. Monstra autem omnia ad duo genera reducuntur, vel enim declinant à toto in sua specie, quando scilicet, fœtus à muliere productus nullum humanum membrum haberet, & de his in proposito non est quæstio, vel solum declinant in parte, quando scilicet, genitum est quidem ejusdem speciei cum generante, sed defectum aliquem patitur vel negativum, vel etiam positivum; defectus negativus est, cum fœtus oritur aliquo carens membro, sicut de quodam refert D. August. l. 16. de Civit. Dei cap. 8. binos tantum digitos habente in qualibet manu, & pede, defectus vero positivus duplex esse potest, unus quidem secundùm identitatem speciei, & alter etiam secundùm diversitatem; primus est, quando fœtus nascitur cum duplicatis membris humanis, ut patet de Hermaphroditis, aliisque, qui membris, sed tamen humanis abundant, quale monstrum refert Scotus 4. d. 6. qu. 2. §. *De quarto*, olim in Gallia fuisse habens duo capita humana, & monstra hujusmodi communi vocabulo bimembres appellantur. Alter verò defectus positivus secundùm speciei diversitatem est, quando fœtus humanus nascitur cum aliquo membro alterius animalis diversæ speciei, ut sæpè etiam contingere solet, cujus defectus plura exempla refert Brancatus disp. 5. c. art. 3. Hoc igitur supposito dicendum est monstra omnia in parte à specie humana declinantia modo jam explicato, si anima rationali aliquando prædita fuerunt, resurrectura esse, & quidem in forma, & perfecta natura humana, ut infrà dicemus. Ità D. August. in Enchirid. c. 87. ubi de monstris sic loquitur. *Neque enim monstra, quæ nascuntur, & vivunt, quantumlibet cito moriantur, aut resurrectura negabuntur, aut ita vitiata resurrectura credenda sunt, ac non potius correcta*. Deindè id etiam probat Brancatus loc. cit. ex Othone Frisigiensi l. 8. Chro. c. 13. sic loquente: De monstruosis verò, & abortivis id sentiendum reor, quod cui hæc definitio animal rationale, & mortale congruit vel ad vitam, vel ad mortem resurrecturum esse credamus. Si ergo sunt aliquæ gentes monstruosæ, quæ rationales sunt, & mortales, vel abortivi, qui jam animam habere cæperunt, huic legi subjacent. Tandem hoc etiam ratio ipsa suadet, quia de fide est omnes mortuos esse resurrecturos, ut constat ex pluribus Scripturæ locis jam adductis; sed monstra humana sunt homines, qui baptizari debent ex Scoto loc. cit. cùm anima polleant rationali; ergo ipsi quoque resurgere debent.

QUÆ-

QUÆSTIO SECUNDA.

De causa efficiente, & finali resurrectionis.

25 QUoniam quæstione præcedenti dictum est, resurrectionem corporum dissolutorum à nullo agente creato fieri posse, nec unionem animæ cum corpore resuscitato per ullam causam creatam poni posse; in præsenti quæstione videndum est, quænam erit propria illius causa efficiens, & quia respectu resurrectionis plures causæ efficientes assignari possunt, quædam principalis, seù physica, quæ propriè efficiens est, quædam ministerialis, quædam meritoria, & quædam exemplaris, de his omnibus in hac secunda quæstione breviter discurrendum est, & tandem in fine aliqua dicemus de ejusdem causa finali. Ad resurrectionem autem efficiendam notat Scotus 3. distin. 43. quæst. 5. ab initio tria præsertim esse necessaria. Primum est collectio omnium partium materiæ, quæ de necessitate, & integritate fuerunt corporis humani, ut sunt caro, ossa, nervi, &c. estò sub formis specie diversis reperiantur, v. g. cineris, terræ, aquæ, ligni, &c. Alterum est perfecta corporum formatio cum perfecta membrorum organizatione. Tertium tandem est animarum cum corporibus sic perfectè formatis, & organizatis iterata reunitio, de his itaque omnibus operationibus à quo fient, & quomodo hìc vestigandum est; hæc enim faciens resurrectionis mortuorum propriè causa efficiens dicetur, ut notat Brancatus noster disp. 4. art. 2. ab initio.

ARTICULUS PRIMUS.

An Christus futurus sit causa efficiens resurrectionis, & quomodo.

26 PRimò dicendum est pro resolutione quæstionis, quod Christus, ut Deus erit causa efficiens resurrectionis physica, non autem ut homo, ità Scotus loc. cit. D. Bonavent. 4. d. 43. quæst. 6. D. Thomas ibidem qu. un. art. 2. & alii Scholastici communiter. Probatur in primis ex modo loquendi Scripturarum, quæ physicam causalitatem resurrectionis mortuorum soli Deo semper adscribunt tàm in particulari, quàm in universali, nam 3. Regum 17. volens Elias suscitare puerum Viduæ ter oravit ad Dominum, *Et exaudivit Dominus vocem Eliæ, & reversa est anima pueri in eum, & revixit*; & idem habetur 4. Regum cap. 4. de resuscitatione alterius pueri ex meritis Elisæi à Deo facta, imo & ipsa Christi resuscitatio à Deo facta est quoad ejus humanitatem, ut legitur Act. 2. *Quem Deus suscitavit à mortuis*, & Act. 3. *Authorem vitæ interfecistis, quem Deus suscitavit à mortuis*; si ergo mortuorum resuscitatio in particulari soli Deo tribuitur, tantò magis de resurrectione omnium in universali id asserendum erit, quod etiam expresè in Scripturis habetur, undè 1. ad Thessal. 4. legitur *Si enim credimus, quod Jesus mortuus est, & resurrexit, ità & Deus eos, qui dormierunt per Jesum adducet cum eo*, & 2. ad Corint. cap. 1. *Ut non simus fidentes in nobis, sed in Deo, qui suscitat mortuos*, & cap. 4. *Scientes quoniam qui suscitavit Jesum, & nos cum eo suscitabit.* Sic etiam passim loquuntur Patres, ut August. serm. 139. de tempore, *Unde fieri potest, ut homo surgat? dico ego, Deus est, qui facit*, & Ambrosius lib. 4. in Lucam c. 4. *Liberare à Dæmone, & homines in verbo Dei possunt, resurrectionem mortuis imperare divinæ solius est potestatis*. Hoc tandem probatur ex Scoto loc. cit. evidenti ratione, quæ deducitur ex mirabili modo, quo omnium corporum resurrectio fiet, nam omnium illorum materiæ erunt colligendæ, etiamsi in elementa, lapides, ligna, aliaque mixta prius conversæ fuerint, & corpora omnia in carnem, ossa, nervos, humores, & alia pro animatione necessaria erunt perfectè formanda, & organizanda, & tandem animæ omnium illorum à Cœlo, Lymbo, Purgatorio, ac Inferno, aliove loco, in quo aliquæ sint condemnatæ, erunt evocandæ, adducendæ, & corporibus in instanti reuniendæ, quod planè non nisi divina virtute fieri poterit, quia nulla virtus creata dari potest, quæ hæc omnia simul efficere possit. Et ex his patet probatio alterius partis asserti, quod Christus, ut homo, non erit causa efficiens physica resurrectionis, quia ad resurrectionem omnium hominum physicè efficiendam necessaria est omnipotentia, ut constat ex modo dictis, sed humanitas Christi, ut à divinitate distincta, non est omnipotens; ergo non potest dici causa efficiens physica resurrectionis universalis ratione humanitatis, sed solùm ratione divinitatis.

27 Secundò dicendum est, quod Christus, ut homo, neque erit causa instrumentalis physica resurrectionis universalis mortuorum, sed aliis modis. Hæc assertio pendet ex dictis lib. 3. sent. disput. 2. quæst. 8. ubi diximus potentiam faciendi miracula in Christo fuisse moralem, non physicam, & probavimus præsertim expressis Patrum testimoniis art. 1. in fine, nam de miraculis à Christo factis loquentes, & de modo, quo fierent, expresè dicunt, ea fuisse facta virtute divina, & humanitatem ad id solùm physicè concurrisse, & quod ei erat proprium, nempè ad externum motum, ad corporis contactum, verborum prolationem, & similia. Undè duas in eis miraculis fecerunt actiones physicas, unam v. g. tangendi more humano defunctum, & hanc inquiunt fuisse solius humanitatis; alteram verò sanandi ægrorum, vel suscitandi mortuum, & hanc inquiunt fuisse solius divinitatis. Quod si Patres credidissent humanitatem Christi in eos effectus physicè influxisse etiam instrumentaliter dumtaxat, profectò actionem hanc soli divinitati non tribuissent: sic Damascenus lib. 3. de fide cap. 15. *Humanæ actionis finis in libera manus dilatione, & tactus positus erat, divinæ autem in puellæ excitatione*. Athan. or. 4. contrà Arrianos. *Humano quidem modo manum extendit, divinitas autem morbum compescuit, humanum fuit è carne emisisse sputum, divinitas autem oculum aperuit*. Augustinus tract. 8. in Joan. post medium loquens de miraculo facto in Cana Galileæ: *Miraculum, quod facturus erat, secundùm divinitatem facturus erat, non secundùm humanitatem, secundùm quod Deus erat, non secundùm id quod infirmus natus erat*. Sicut ergo discurrunt SS. Patres de potentia Christi, ut homo est, ad resurrectionem hominum particularem, ità in proposito à, fortiori discurrendum est in ordine ad resurrectionem hominum universalem, & eo præsertim, quia assignari nequit, in quo consistat ratio ista physici instrumenti in humanitate Christi respectu resurrectionis universalis, vel enim esset instrumentum in spoliatione, & collectione materiarum, quæ olim erant corporum, vel in formatione, & organizatione ipsorum corporum, vel tandem in reunitione animarum separatarum cum ipsis corporibus, & neutrum dici potest, quia omnia hæc omnipotentiam in operante requirunt, ut dictum est, quæ Christo competit tantùm, quatenus Deus est, quarè concludendum est Christum, ut hominem, causam efficientem physicam esse non posse resurrectionis universalis hominum, nec principalem, nec etiam instrumentalem, sed tantùm moralem modo nunc explicato.

28 Sed Obiicies, quod in pluribus locis dicitur Christus fecisse miracula jubendo, & imperando, ut Matth. 8. *Volo mundare, & confestim mundata est lepra ejus*, & paulò infrà imperavit ventis, & mari, & facta est tranquilitas magna, & Joan. 11. *Lazare veni foras*, qui modus operandi physicam causalitatem indicat, non moralem, operari enim moraliter est impetrare orando, & intercedendo, & ità etiam faciet in resurrectione universali, *Surgite mortui, venite ad judicium*; ergo Christus plusquam per modum causæ moralis operabitur, nempè per modum causæ physicæ. Confirmatur, quia Athanasius, Damascenus, & alii Patres humanitatem Christi organum, & instrumentum divinitatis appellant, dicuntque Christum, ut hominem, esse causam instrumentalem resurrectionis hominum, eo quia humanitas est organum divinitati conjunctum, & ita præsertim discurrit Lyranus in illud Joan. 5. *Venit hora, in qua omnes, qui in monumentis sunt, audient vocem filii Dei*, quia inquit, Humanitas Christi est organum divinitatis, & ideò vox ejus operabitur ad resurrectionem generalem futuram per modum instrumenti conjuncti. Respondetur ex dictis quæst. 7. cit. art. 2. concedendo Christum habuisse potestatem faciendi miracula, nedum impetrativè, sed etiam imperativè, & auctoritativè, & quia duobus modis diximus ibi ipsum miracula fecisse, scilicet, ut Deum, & ut hominem, ut Deus habuit potestatem physicam, ut homo verò tantùm moralem, quam etiam per modum imperii exercere poterat, quatenus Deus constituerat, & promiserat ad imperium, & nutum voluntatis Christi facere miraculum; undè humanitas ejus non solùm eo modo erat miraculorum causa, qui consistit in oratione, & impetratione, ut est in aliis Sanctis miracula patrantibus, sed hoc etiam alio modo impetrativo, qui erat proprius Christi ex vi unionis hypostaticæ. Ad Confirmationem patet per idem, quod ideò Patres humanitatem Christi præcipuè organum, & instrumentum divinitatis appellant, quia potestatem habebat miracula faciendi, & quid sibi placitum erat, non tantùm impetrativam, & deprecativam, ut habent alii Sancti, sed etiam imperativam, moralem tamen dumtaxat, non physicam, quia nempè Deus ipse humanitatem Christi constituit cum tali promissione, & pacto, ut ad nutum voluntatis ejus, sivè posita aliqua ejus actione, efficeret miraculum, & opus supernaturale, quod nulli Sanctorum concessum est unquam, quia non universaliter etiam per orationem semper faciebant miracula, sed sæpè non exaudiebantur; at Christus semper, ut colligitur ex ejus verbis Jo. 12. *Pater gratias ago tibi, quoniam audisti me, ego autem sciebam quia semper me audis*, quam doctrinam fusè loc. c. explicamus, & probamus,

de quo alia plura videri possunt apud Hiqueum d. 43. quæst. 5. num. 15.

29 Tertiò dicendum est, quod Christus etiam ut homo, erit causa imperativa, & meritoria resurrectionis nostræ, ut docent D. Bonavent. distin. 43. cit. qu. 6. Scotus dist. 48. quæst. 1. G. & alii passim. Quod erit causa imperativa patet ex loc. cit. Joan. 5. *Veniet hora, in qua omnes, qui in monumentis sunt audient vocem filii Dei, &c.* & 1. ad Thessalon. 4. *Quoniam ipse Dominus in jussu, & in voce Archangeli, & in tuba Dei descendet de Cœlo, & mortui, qui in Christo sunt, resurgent primi*, ubi Glossa Interl. ait *jussu, idest imperio*; quomodo autem hæc vox emittetur ad mortuos convocandos, & resurrectio imperabitur decemus articul. sequenti, & quomodo potestas hæc imperativa sit Christo communicata, etiam ut homini, ex vi unionis hypostaticæ patet ex modò dictis. Quod autem Christus sit etiam causa meritoria resurrectionis nostræ patet ex pluribus Scripturæ locis, ut ex 1. Corinth. cap. 15. *Christus resurgens à mortuis primitiæ dormientium, quoniam quidem per hominem mors, & per hominem resurrectio mortuorum*, ubi Lyranus exponit Paulum de resurrectione mortuorum, quæ per Christum erit; & ibidem subdit, quod *sicut in Adam* loqui, *omnes moriuntur, ità & in Christo omnes vivificabuntur*, ubi Glossa ordinar. ex Augustino habet, quod omnes in Adam moriuntur, & in Christo vivificantur; quia nemo ad mortem, nisi per illum, nemo ad vitam, nisi per istum; ergo sicut Adam fuit causa meritoria corruptionis, & mortis omnium, nedum spiritualis, sed etiam corporalis; ità Christus secundùm humanitatem utriusque resurrectionis causa est meritoria, scilicet, spiritualis ad gratiam, & corporalis ad vitam immortalem. Suar. tamen disp. 50. cit. sect. 4. ab initio advertit, quod licet Christus revera, & cum omni proprietate dici possit causa resurrectionis bonorum, resurrectio tamen malorum, ac damnatorum, cùm potiùs ad vindictam, & pœnam pertineat, non videtur ità propriè cadere, sub meritis Christi, nisi dicamus illam resurrectionem, ut cedit in majorem afflictionem, & pœnam damnatorum, non esse ex meritis Christi, sed potius quodammodo esse effectum demeritorum talium hominum reproborum, prout verò illa vita immortalis absolutè loquendo in se bona est, ac fundamentum quantum est de se posset esse beatitudinis, supernaturaliumque bonorum, & præterea à quatenus actio illa, per quam vita denuò reparatur, est supernaturalis in qua Christus vim, & efficaciam suam explicat, sub hac ratione esse effectum meritorum ejus, sicut expulsio Dæmonis facta virtute Christi, & est pœna ipsius Domonis, & effectus meritorum Christi, diversa tamen ratione. Ità Suar. l. c. & ait ita sentire Cyrill. lib. 4. in Joan. c. 51. & Tertull. lib. de resurrectione carnis.

30 Quartò dicendum est, quod Christus, ut homo, est etiam causa exemplaris resurrectionis nostræ, quatenus, scilicet, nostra resurrectio futura est ad similitudinem, & imitationem resurrectionis Christi, quod est esse effectum ejus in genere causæ exemplaris. Ità Divus Bonavent. dist. 43. cit. q. 6. D. Thomas qu. un. art. 2. Riccad. art. 3. qu. 4. & alii Scholastici ibidem cum Magistro, & probat Seraphicus Doctor ex Augustino de Civit. Dei 22. cap 16. ubi ait, quod talia erunt corpora nostra, quale Christus sua resurrectione monstravit, undè est quasi exemplum, in quo nostra resurrectio est inchoata tanquam membrorum in capite, sicut dicitur Ephes. 2. *Convivificavit nos Christo, &c.* ubi Lyranus ait, con resuscitavit in spe, quia resurrectio Christi est causa nostræ resurrectionis futuræ, sed non potuit pro tunc esse causa, nisi meritoria, & exemplaris; ergo &c. Notat tamen Suarez disp. 50. cit. sect. 5. hanc similitudinem, & imitationem resurrectionis hominum cum resurrectione Christi non esse futuram in omnibus eodem modo, sed cum aliqua disparitate juxtà qualitatem, & conditionem hominum resurgentium, undè quia hujusmodi similitudo, & imitatio major erit in resurrectione justorum, ideò Christus Dominus erit perfectissimum exemplar resurrectionis justorum, quod etiam deducitur ex eo, quod 1. Corinth. 15. dicitur. *Sicut in Adam omnes moriuntur, ità & in Christo omnes vivificabuntur, unusquisque autem in suo ordine, primitiæ Christus, & deindè ii, qui sunt Christi*, nimirum tanquam illi maximè similes, & conformes. Hæc autem similitudo inter Christum, & corpora gloriosa Sanctorum consistet in primis in naturali, seu substantiali vita, & unione uniuscujusque corporis ad animam suam, hoc enim est primum veræ resurrectionis fundamentum. Deindè consistet in perfecta corporis quantitate, sicut enim Christus integro corpore surrexit, ac perfecta magnitudine, ità etiam cæteri omnes justi resurgent, juxtà illud Pauli Ephes. 4. quod resurgemus *in mensuram ætatis plenitudinis Christi*, dicitur autem plenitudo, seù perfectio ætatis, quando corpus humanum ad perfectum pervenit augumentum, & talem statum in quo homo integras corporis vires possidet, perfectum temperamentum, & animæ maximè accomodatum. Et tandem hęc perfecta similitudo consistet in omnibus sensibus, ac facultatibus corporis, in pulchritudine, aliisque ornamentis naturæ, ac gloriæ, quæ in corpore Christi existunt, quam similitudinem justorum cũ corpore Christi indicavit Paulus loc. cit. dicens, *Omnes quidem resurgemus, sed non omnes immutabitur*, ac si diceret similitudinem illam, seù imitationem in hoc consistere, quod justi corpora gloriosa sint habituri, quale est Corpus Christi, quæ immutatio non est communis omnium, sed propria justorum. Hæc autem perfecta exemplaris imitatio æqualitatem cum illo non requirit, sed proportio sufficit, quia causalitas exemplaris non requirit, nisi proportionalem cum eo conformitatem, ut sicut illud omnem hujusmodi perfectionem habuit sibi debitam juxtà suam individualem rationem, ità singula corpora modo sibi connaturali illam sint habitura, & idem de perfectionibus gloriæ dicendum est, quæ singulorum meritis cum debita proportione respondent.

31 Quintò, quoad infantes in peccato originali decedentes addit Suarez loc. cit. ut satis probabile, Christum Dominum etiam futurum causam exemplarem resurrectionis eorum quoad perfectiones naturæ, non autem gloriæ, & ratio est, quia ii infantes post resurrectionem habebunt, non solùm vera corpora humana, sed etiam perfecta, sed in perfecta quantitate, & ætate consistentia, non enim in corpore infanti resurgent, sed virili, & perfecto, in quo possint ratione uti, & cum in æternum sint duratura, erunt incorruptibilia, non quidem ex intrinseca causa, sed ab extrinseco saltem, seù per suspensionem omnis causæ corrumpentis, & alterrantis, ut infrà dicemus, ideoque nec cibo, nec potu indigebunt, quia omnis alteratio tunc cessabit, Deo ità providente. Neque etiam pœnas patientur sensibiles, ut latè ostendimus lib. 2. sent. disp. 4. quæst. 6. de pœna peccati originalis, cum enim in suis corporibus nihil mali gesserint, neque eis pravè, & inhonestè usi fuerint, nec denique per proprium actum reatum culpæ incurrerint, non est cur doloribus, aliisque corporalibus pœnis crucientur, sed satis est, quod omni supernaturali dono priventur, & sola pœna damni puniantur, ut loc. cit. diximus. Quapropter D. Augustinus in Enchrid. cap. 93. docet *pœnam parvulorum esse mitissimam*, & D. Bonaventura 2. d. 33. p. 3. quæst. 2. ait eos tenere statum quasi medium inter gratiam, & culpam actualem, & quoniam status retributionis respondere debet statui vitæ præsentis, in tali statu debent animæ parvulorum poni, ut quasi medium teneant inter bonos, & æternis ignibus cruciatos; quoniam igitur beati carent modo pœnæ sensibilis, & habent Dei visionem, damnati verò sunt in tenebris, & puniuntur pœna sensibili, parvuli secundùm ordinem æquitatis debent communicare in uno cum damnatis, & in alio cum beatis; sed non possunt communicare in habendo divinam præsentiam, quia tunc in nullo communicarent cum damnatis, ergo communicant cum beatis in non habendo pœnam sensus, cum damnatis verò in carentia visionis; ità Seraphicus Doctor loc. cit. Quamobrem licet isti simpliciter sint expulsi à Regno Cœlorum, & inter damnatos, ac reprobos computentur quoad pœnam damni, quia tamen in corporibus habebunt perfectionem suæ naturæ debitam, & singulis individuis accommodatam, & totam hanc naturalem perfectionem per Christum habebunt, nihil obstat quominus ab ipso hæc beneficia acceperint, & conformitatem cum ipso sint habituri in iis, quæ ad naturæ perfectionem, & convenientem statum naturalem spectant, atque ideò quoad hæc omnia meritò Christus dici potest causa exemplaris resurrectionis eorum.

32 Postremò de damnatis dicendum est, quod quamvis eorum corpora futura sint similia corpori Christi in aliqua naturali perfectione, non tamen in omnibus, multòque minus in perfectionibus gloriæ, & quoad ea, in quibus erunt conformia, non erit propriè Christus causa exemplaris eorum. Assertum declaratur quoad singulas partes, & quidem quod corpora damnatorum futura sint similia Corpori Christi in aliqua naturali perfectione ex eo constat quod in primis habebunt quicquid est de essentia humani corporis, aliàs illa vera resurrectio non esset, tùm quia est communis ferè sententia Doctorum cum Magistro 4. d. 44. quod qualitates, seù conditiones naturam substantialiter deformantes in nullo homine resurgent, inquit enim Magister ibi credendum esse, quod omnes resurgent incorrupti, non utique impassibiles, quia reprobi mortem patientur æternam, sed sine diminutione membrorum omnia corporis habituri membra. Quod autem non omnibus perfectionibus naturalibus sint damnatorum Corpora Christi corpori futura similia ex eo constat, quod plures Patres, & DD. asserunt corpora reproborum resurrectura esse cum deformitatibus accidentalibus, quas in statu vitæ habuerunt, ut dicemus q. seq. & quidem certum est, quod in illis corporibus manebunt defectus corpori humano connaturales, ut sunt gravitas, opacitas, passibilitas, & simi-

similes ii hæc enim, quæ ex principis speciei oriuntur, perfectioni resurrectionis non repugnant, & alioquin horum defectuum carentia meritis damnatorum non debetur; tùm quia hi defectus non nisi per dotes gloriæ excluduntur, undè etiam in infantibus erunt, qui cum solo originali decesserunt. Denique quod Christus propriè non sit exemplaris causa resurrectionis damnatorum etiam quoad ea, in quibus erunt ejus corpori similia, ex eo probatur, quia ad hoc, ut una imago alterius exemplar dicatur, requiritur, ut hæc illam repræsentet, seù fiat sub habitudine repræsentationis, seù imitationis, illius, sed quamvis inter corpora damnatorum, & Christi sit aliqua similitudo, eorum tamen resurrectio fieri non videtur, ut Christum repræsentent, ut eorum exemplar, neque ut sint ei similes, & conformes, sed propter alias divinæ justitiæ, & providentiæ rationes, ut benè discurrit Suar. l. c. ex D. Th. 3. p. q. 56. art. 2.

ARTICULUS SECUNDUS.

An Christus sit effecturus resurrectionem nostram per se, vel per Angelos.

33 CONveniunt DD. generalem mortuorum resurrectionem, & Christi imperio, & angelico faciendam esse ministerio, & patet ex Matth. 24. ubi Christus loquens de fine mundi ait: *Tunc videbunt filium hominis venientem in nubibus Cœli, & mittet Angelos suos cum tuba, & voce magna, &c.* & epist. 1. ad Thessal. 4. *Ipse Dominus in jussu, & in voce Archangeli, & in tuba Dei descendet de Cœlo, & mortui, qui in Christo sunt resurgent primi*, quem locum exponens Chrysost. hom. 7. ait, ubique quidem resurgent, sed congregabuntur ab Angelis, atque illud quidem Dei potentiæ jubentis terræ, ut dimittat depositum, &c. adducere autem, & congregare est ministrorum. Quoniam verò ab initio quæstionis dictum est ex Scoto d. 43. q. 5. in principio §. *Respondeo* ad resurrectionem efficiendam tria præsertim esse necessaria, nimirum congregationem totius materiæ uniuscujusque corporis ad eum locum in quo corporum resurrectio facienda est; deindè perfectam corporum formationem cum perfecta membrorum organizatione, quæ quatenus necessaria est ex parte materiæ ad unionem animæ, ordine saltem naturæ eam præcedere debet, & tandem resurrectionem ipsam, quæ est ipsius animæ cum corpore iterata substantialis reunitio. Et rursus quia ex locis Scripturæ modò adductis voce tubæ convocandi sunt mortui è monumentis pro resurrectione, & judicio, in præsenti examinandum est, quæ actiones immediatè, & per se fient à Christo Domino, & quænam Angelorum ministerio, cum omnes Patres, & DD. unanimiter doceant Christum Dominum, & virtute sua, & Angelorum ministerio aliquid effecturum in resurrectione nostra.

34 Primò itaque ab hoc ultimo incipiendo dicendum est, hanc vocem, qua mortui ad judicium, & resurrectionem vocabuntur, non esse formandam proximè, & immediatè ipsius Christi ore, & lingua, sed tantùm proferendam esse imperio Christi, ministerio tamen alicujus Angeli; undè primum ministerium Angelorum erit sonitus tubæ, quo ex omnibus mundi partibus mortui ad judicium vocabuntur. Probatur ex loc. cit. Matth. 24. & Marci 13. *Mittet Angelos suos cum tuba, & voce magna, & congregabunt electos ejus à quatuor ventis, à summis Cœlorum usque ad terminos eorum*, & 1. ad Thessalon. 4. *Ipse Dominus in jussu, & in voce Archangeli, &c.* quo loco Lyranus ait: *Illud dictum, surgite mortui, potest exponi, quod sit Archangeli executivè, & Christi imperativè*, & exponens illud Matth. 2. cit. inquit *Audietur sonitus virtute Angelorum factus*; ergo hæc vox proferenda quidem erit ex Christi imperio, sed alicujus Angeli, vel plurium ministerio, hoc etiam ratio ipsa suadet, quia ut ait Suar. dis. 50. cit. sect. 5. non decet Christum Dominum per se ipsum, & immediatè talem vocem edere, siquidem potius ad præconem, & ministrum, quàm ad Principem, & judicem, spectat; undè infert, quod licet potuisset Christus etiam in Cœlo existens illum sonum, seù vocem in hoc aere immediatè, & per se ipsum efficere, non quidem lingua, aut aliis organis sacrati sui corporis, sed voluntate sua, ac imperio; suavis tamen ordo, ac divinæ providentiæ dispositio petit, ut potius per causas secundas, ministrosque suos id præstet, eo quod per eos modo magis connaturali, & accommodato fieri potest, cum enim hæc vox per solùm motum localem aeris sit formanda, optimè angelico ministerio fieri potest, & ità discurrendo optimè intelligitur, quomodo una, & eadem sit vox, quæ à Joanne dicitur *Vox filii Dei*, & à Paulo *Vox Archangeli*, dicitur enim vox filii Dei, quia ejus imperio, & jussu fiet, & vox Archangeli, quia fiet ejus ministerio quo quidem modo etiam verba Sacramentalia dicuntur Christi, & ministri, illius quidem institutivè, & auctoritativè, istius verò executivè, & prolativè, & ita hunc locum exponunt Chrysostomus, & alii Patres. Ex quo discursu deducitur in primis, quod tuba, qua utentur Angeli ad convocandum mortuos pro resurrectione, & judicio, non erit materiale instrumentum quod dicitur *Tuba*, sed magna quædam vox Angelorum ministerio formata, ut pluribus Scripturarum, & Patrum ostendit testimoniis Brancat. noster disput. 4. art. ult. Et rursus deducitur vocem illam futuram esse per sonum sensibilem, ut docet D. Thomas Joann. 5. Lectione 5. pro quo adducit Chrisost. hom. 38. in Joan. dicentem *Orbem terrarum voce Christi resurrecturum*, & Hieron. epist. 61. ad Pammach. dicentem *Auribus audient, &c.* quibus verbis utique supponit vocem illam fore sensibilem. Et hoc etiam ratio ipsa suadet, ut ait Suarez loc. cit. quia adveniente Christo homine in sua majestate sensibili, & manifesto adventu ad congregandum, & judicandum homines sensibiles congruum est, ut aliquod signum sensibile præcedat ejus adventum, quasi præeuntis præconis, atque homines judicandos convocantis. Quomodo autem vox sensibilis in omnibus mundi partibus audiri poterit, & quomodo possint homines ad prolationem illius vocis suscitari, & illam audire, cum auditus vitam, & resurrectionem supponat, variis modis explicat Suarez ibidem. Sed breviter dici potest, vocem illam, vel sonum à pluribus Angelis formandum esse in diversis mundi partibus existentibus, vel ab uno Angelo velocissimè omnes mundi partes peragrante, & cum in instanti resurrectionis mortuorum sonus illius vocis sit adhuc duraturus, poterit in eodem à resurgentibus percipi, quod sufficit ut eam vocem audire dicantur, etiamsi aliquem sonum, vel syllabas aliquas prius prolatas non perceperint, vel dici potest vocem illam duas partes habituram, prior erit illa *Surgite mortui*, & per hanc excitabuntur, & resurgent; posterior est illa *Et venite ad judicium*, & hanc percipient homines jam suscitati, & viventes, eique statim obedient.

35 Secundò dicendum est, quod congregatio cinerum fiet quidem Christi imperio, Angelorum tamen ministerio, qui propria naturali virtute hoc ministerium exequi poterunt, & ideò fiet in tempore. Est communis Theologorum assertio, & præsertim Scoti loc. cit. quod probat ex loc. cit. Matth. 24. *Mittet filius hominis Angelos suos cum tuba, & voce magna, & congregabunt electos ejus à quatuor ventis, à summis Cœlorum usque ad terminos eorum*, quod est dictum, inquit Doctor, quocunque dispersæ fuerint partes materiæ corporis in elementa, sivè in ignem, sivè in terram à summis Cœlorum usque ad terminos eorum, sivè in quodcunque corpus medium, aqueum, aereum, vel imperfectè mixtum à quatuor ventis, omnes materiæ partes recolligentur, & reunientur Angelorum ministerio, & ità etiam discurrit D. Thomas 4. dist. 43. quæst. un. art. 2. ubi ait, quod quantum ad collectionem pulverum, & præparationem eorum ad reparationem corporis humani in resurrectione, utetur Deus ministerio Angelorum, & ita etiam docet D. Augustinus 3. de Trinit. c. 3. Greg. 4. Dialog. c. 5. ac etiam alii Patres, idque suadet quoque ratio ipsa, quia Deus semper inferiora per superiora administrat, & quoad commodè fieri potest, semper per causas secundas operatur. Quod autem talis cinerum congregatio fiet ab Angelis in tempore, non in instanti, probat Doctor per hoc, quod dixerat l. 2. d. 8. quæst. un. quod Angelus non potest movere corpus in instanti, undè cum hæc collectio Angelorum ministerio, ac eorum propriæ virtuti sit remittenda, non est quod nova miracula fingamus sine ulla necessitate, aut assistentiam Dei extra ordinariam, quia naturæ effectus id non exigit, neque Scriptura aliquam circumstantiam exprimit, ex qua id colligi possit. Quamvis autem collectio materiæ electorum l. c. Matt. Angelis bonis tribuatur sine mentione de reprobis, & indè aliqui occasionem opinandi sumpserint, quod per Angelos malos cinerum reproborum collectio fiet. Contrarium tamen probabilius est, quia ut Hiqueus advertit dist. 43. cit. qu. 5. in Commentario, hæc collectio cinerum damnatorum ex omnibus aliis, in quæ resoluta sunt, sine communicatione doni supernaturalis revelationis fieri nequit, quia nequeunt Dæmones naturali lumine, neque Angeli cognoscere illos cineres præ reliquis, hoc autem donum non congruit tunc Dæmonibus conferre, quando jam finalem damnationis sententiam sunt recepturi, & præsertim cùm tota illa collectio cinerum mediante voce tubæ fieri debeat, quæ solis Angelis bonis committetur.

Confirmatur, quia id etiam formæ extremi judicii magis convenire videtur, in quo judicandi sunt omnes etiam Dæmones per judicem finali sententia, & in carnem paratum detrudendi, nulla ergo adest congruitas ministerii dæmonum in hoc judicio, qui adesse debent tantùm ut Judicis sententiam damnationis recipiant, non autem ut ejus Ministri.

36 Tertiò eadem quoque ratione dicendum est, ministerium etiam Angelorum fore in resurrectione mortuorum congregare, seù adducere ad locum judicii electos jam resuscitatos, ità enim docent D. Thomas, D. Bonavent. Scotus, & alii Scholastici

stici l. c. & expressè deducitur ex l. c. Matt. 24. *Mittet Angelos suos cum tuba, & voce magna, & congregabunt electos ejus à quatuor ventis, &c.* & sic etiam discurrit Augustin. in Psal. 49. super vers. 11. *Congregate illi Sanctos ejus*, ubi ait, quod vox divina, & prophetica videns futura, tanquam præsentia, exhortatur Angelos congregantes, mittet enim Angelos suos, & congregabunt antè eum omnes gentes; sic pariter Hieronymus in eundem locum; ergo per Angelos fiet hæc adductio, seù congregatio electorum ad locum judicii. Et quamvis aliqui dubitaverint, an etiam reprobi bonorum Angelorum ministerio, vel potius malorum sint congregandi in loco judicii, & hoc secundum magis approbaverint, eo quod loc. c. Matth. de solis electis mentio fiat. Adhuc tamen probabilius est, quod etiam reproborum congregatio per Angelos bonos sit facienda, nam rationes id probantes de collectione cinerum, idem pariter probant de eorum congregatione, & adductione facienda ad locum judicii, & hoc etiam deducitur ex eodem loc. Matth. 24. cit. ubi ait, quod *exibunt Angeli, & separabunt malos de medio justorum*, talis autem separatio ab eis fieri non poterit, nisi bonos in aera ducendo mox in Cœlo regnaturos, malos autem in terram vallis Josaphat mox in ignem æternum mittendos, & adhuc expressius idem habetur Matth. 13. his verbis: *In consummatione sæculi mittet filius hominis Angelos suos, & colligent de regno ejus omnia scandala, & eos qui faciunt iniquitatem, & mittet eos in caminum ignis, tunc isti fulgebunt*; ergo Angeli boni colligent simul, & congregabunt in consummatione sæculi bonos, & malos, justos, & reprobos ad locum judicii adducendos. Neque officit quod in c. 24. dicat Matthæus, quod Angeli boni congregabunt electos nulla facta mentione de reprobis, quamvis enim ibi fiat mentio electorum, non tamen reprobi excluduntur, sed vel intelligitur pars pro toto, vel de eis fit specialiter mentio, quia speciali quodam, & glorioso modo isti congregabuntur rapti in aera obviam Christo Domino, non sic reprobi, qui miseri relinquentur in terra vallis Josaphat, vel tandem de solis electis ibi fit mentio, quia ipsorum tantùm est resurrectio propriè dicta ad vitam, reproborum autem ad mortem sempiternam, & damnationem.

37 Quartò dicendum est, quod dispositio, seù organizatio suscitandorum corporum non fiet ministerio Angelorum, quorum actio in solo motu locali terminatur, sed virtute, & efficacia Christi, & illa formatio corporum erit in instanti. Ita Scot. l. c. §. *De secundo dico*, quod probat, quia Angelus non poterit illam formam substantialem inducere in materiam, virtus autem divina etsi possit successivè agere, & successivè inducere formam, sicut virtus creata, tamen magis congruit, quod illa virtus formam inducibilem in instanti inducat in instanti, quia nunquam est successio necessaria, nisi propter aliquem defectum agentis. Hoc etiam tenet Suar. sect. 4. cit. contrà quosdam dicentes etiam organizationem corporis faciendam esse opera Angelorum, quod evidenti ratione impugnat, & reiicit, quia Angelus, non potest vi, & efficacitate naturali materiam alterare, aut ad formam substantialem disponere, fingere autem elevari, ut instrumentum ad hujusmodi actionem, voluntarium est, & sine ullo fundamento, alioquin eadem ratione dici posset efficere resurrectionem ipsam, ut instrumentum Dei, quod suprà impugnatum est, quia tàm Scriptura, quàm Patres hunc effectum Deo specialiter tribuunt excludendo concursum puræ creaturæ tàm per modum causæ principalis, quàm instrumentalis, & argumentum à prima hominis creatione, & formatione corporis Adam rectè applicari potest, ut advertit Hiqueus l. c. in Comment. nam ex nullo speciali ministerio videtur Angelis convenire actio instrumentalis magis respectu secundæ formationis, quàm respectu primæ, neque ex modo loquendi Scripturæ, neque ex natura actionis magis excluduntur Angeli à prima hominis formatione, quàm secunda, neque Patres aliter de utraque loquuntur, ut procedunt ex potentia, & sapientia Creatoris, sed in prima hominis formatione Angeli cooperatores non fuerunt, nec per modum causæ partialis principalis, nec per modum instrumentalis, & oppositum fuit error Philonis, Cerinthi, Basilidis, & Manichæorum, qui verba illa *faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram* respectivè etiam ad Angelos intelligebant, quasi ad illam formationem ipsi quoque cooperatores fuerint, quem errorem damnat communis sententia Patrum Ambrosii, Basilii, Chrysostomi, Cyrilli Alexandrini, Augustini, & aliorum, quia verba illa *Ad imaginem, & similitudinem nostram* ad Angelos nullo modo referri possunt, cùm ad eorum imaginem, & similitudinem non sit homo; ergo &c.

Confirmatur, quia nullibi legitur in Scriptura Angelos aliter ad hominis resurrectionem fore cooperaturos, quàm colligendo electos à quatuor ventis per collectionem illarum cinerum, aut ipsos ad judicium convocando, supposito quod in diversis locis, & non in uno resurgent, de quo infrà q. seq. aliam ergo efficaciam ex doctrina Scripturarum, & Patrum in proposito eis tribuere non possumus.

38 Quinto tandem dicendum est, solùm Christum Dominum sine ullo Angelorum ministerio nostram resurrectionem effecturum quoad animationem, seù animæ substantialem unionem, & proprietates omnes, ac perfectiones indè consequentes, itaut hæc animatio sit à solo Deo immediatè, ità Scot. q. 5. cit. §. *De tertiò dico*, quomodo autem Christus etiam ut homo erit causa nostræ resurrectionis, jam declaratum est art. præced. Addit deindè, quod hæc animatio non erit tantùm in instanti propter rationem dictam, quia scilicet est à solo Deo immediatè, cujus virtuti activæ nihil resistit, sed necesse est eam esse in instanti, quia non posset esse successio in receptione formæ, nisi propter partes formæ inducendæ, vel propter partes corporis, quarum una prius recipit formam, quàm alia, sed neutrum potest poni in hac animatione corporis organizati. Non primum, quia illa anima in unico gradu, in quo creatur, reunietur, itaquod licet pars aliqua corporis posset esse perfectior alia, tamen hoc nihil facit ad propositum ad successivam unionem ipsius animæ. Nec secundum potest dari, saltem de primo animabili, aliquid enim est proportionatum animabili primo, ita quod nihil ejus potest animari, nisi totum simul animetur, licet fortè de multis partibus corporis, quæ non sunt simpliciter necessariæ ad animationem, ut sunt manus, pes, & cæteræ partes, una possit animari prius, quam alia, sed loquimur de prima animatione. Addit denique animationem fieri in eodem instanti, in quo formatum est corpus, & organizatum, quia organizatio corporis est dispositio necessitans ad animæ infusionem, quatenus Deus ejus creator ita statuit, non autem ex eo, quod simpliciter, & absolutè loquendo repugnare corpus organizatum absque anima conservari posse. Et tandem quærens, an eadem mutatione inducatur forma corporis, & animæ; negativè respondet, quia forma corporeitatis per veram mutationem inducitur, cùm ejus privatio duratione in materia præcesserit, quæ proindè formam illam recipiens aliter se habet nunc, quàm prius, undè formatio corporis fit per veram mutationem; non sic ejus animatio, seù animæ inductio, quia non præcessit duratione privatio formæ in materia, ideſt, animæ in subiecto proximo, quod est corpus, nam in eo instanti, quo nata est inesse privatio inducitur forma, & sic vera materiæ mutatio non intervenit, ad quam requiritur subjectum duratione præcessisse; aliter enim se habere nunc, quàm prius, supponit subjectum prius fuisse, quod in proposito non contingit, cùm anima corpori reuniatur in ipso ejusdem organizationis instanti.

ARTICULUS TERTIUS.

Cur mortuorum resurrectio sit futura.

39 PRimò pro resolutione hujus quæsiti de causa finali resurrectionis generalis hominum, supponendum est ex dictis lib. v. sent. disp. 4. de Divina voluntate, Deum in suis operibus ad extrà non habere pro fine per se aliquod creatum, quia à creaturis in operando non dependet, sed tantùm seipsum juxtà illud Proverb. 16. *Universa propter semetipsum operatus est Dominus, impium quoque ad diem malum*, ideoque nullam suorum operum causam finalem creatam, quæ sit vera, & propria causa, assignari posse, sed causa finalis omnium operum ipsius ad extrà est alicujus divini attributi ostensio, & manifestatio, ut v. g. potentiæ, justitiæ, misericordiæ, &c. & licet in Sacris Scripturis aliquando causæ quædam, vel motiva insinuari soleat, ob quas Deus ad extrà operari dicitur, ut v. g. cum dicitur Joann. 3. *sic Deus dilexit mundum, ut filium suum unigenitum daret*, & in symbolo *Propter nos homines, & propter nostram salutem descendit de Cœlis, & incarnatus est, &c.* tamen ut etiam advertit Brancatus noster disput. 8. de causa finali resurrectionis art. un. revera propriè, & in rigore non sunt fines, neque motiva, quibus Deus ad hæc operanda moveatur, quia res creatæ non sunt fines, neque motiva, quibus Deus ad hæc operanda moveatur, quia res creatæ non sunt fines Dei, sed materiæ, occasiones, & objecta, circà quæ versantur attributa Dei, ac in eis operando relucent, & ad extrà manifestantur, undè quando dicitur, quod Deus sic dilexit mundum, ut filium suum unigenitum daret, & quod propter nos homines, & propter nostram salutem descendit de Cœlis, &c. non hominis bonum est verè, & propriè finis Incarnationis, sed Dei charitas, & misericordia, sivè horum attributorum ostensio, & manifestatio; homo verò est terminus, seù objectum, circà quod Charitas Dei, vel misericordia exercetur, & ità Deus operando ad extrà semper pro fine seipsum habet hoc, vel illud divinum attributum ostendendo in hac, vel illa operatione. Hìc ergo cum inquiritur causa finalis resurrectionis hominum generalis in die judicii, aliud non quæritur, nisi

pro-

propter quam Dei perfectionem exercendam, & manifestandam fiet talis resurrectio, & quodnam est objectum, seù terminus, ac effectus talis exercitii. Hoc suppositio.

40 Secundò dicendum est, resurrectionem hominum generalem fieri in ostensionem, & exercitium Divinæ justitiæ quoad præmium bonorum, & supplicium malorum in anima, & corpore, ità DD. & Patres communiter, & clarè deducitur ex Scripturis, præsertim ex 2. Corinth. 5. *Omnes enim nos manifestari oportet antè tribunal Christi, ut referat unusquisque propria corporis, prout gessit sivè bonum, sivè malum*, ubi Lyranus ait, oportet nos manifestari antè tribunal Christi, idest antè judiciariam ejus potestatem, ut referat unusquisque propria corporis, idest pœnam, vel præmium pro his, quæ gessit vivens in corpore. Quod adhuc magis declarat Oecumenius in c. 3. epist. 2. Petri dicens. Omnes enim nos manifestari oportet antè tribunal Christi, non animis corporibus nudatis, sed unà cum corporibus, ipsisque incorruptibilibus; quomodo enim nuda anima referet ea, quæ per corpus peccata sunt? siquidem non est justi judicis, cum uno in eodem peccaverunt, unum dimittere, totumque crimen in alterum transferre; ergò ad justitiam exercendam pro peccatis commissis circà corpus humanum, vel circà totum conjunctum ex anima, & corpore fiet resurrectio, & ad utrumque puniendum, quem finem resurrectionis hominum generalis adhuc clarius expressit Athanasius in simbolo dicens: *Resurgere habent omnes homines cum corporibus suis, & reddituri sunt de factis propriis rationem, & qui bona egerunt ibunt in vitam æternam, qui verò mala in ignem æternum*, & idem habetur in pluribus aliis Scripturæ locis, quapropter hoc tanquam dogma de fide determinatum est Conc. Lateranensi 4. c. 1. ut habetur in c. Firmiter, de Summa Trinitate, & Fide Cathol. ubi inter cætera de Christo dicitur, quod venturus est in fine sæculi judicaturus vivos, & mortuos, & redditurus singulis secundùm opera sua tàm reprobis, quàm electis, qui omnes cum suis propriis resurgent corporibus, quæ nunc gestant ut recipiant secundùm opera sua sivè bona fuerint, sivè mala, illi cum Diabolo pœnam perpetuam, & isti cum Christo gloriam sempiternam, ita ad verbum Conc. cit. ergo ob justitiam exercendam resurrectio est futura, & hìc est finis ejus.

41 Tertiò, quoniam vulgus, & imperiti sæpiùs conqueruntur, quod in hac vita justi ut plurimum infæliciter vivunt, & fæliciter injusti, & sceleti homines, undè & Jeremias ipse c. 12. miratur malorum prosperitatem dicens: *Quare via impiorum prosperatur, benè est omnibus, qui prævaricantur, & iniquè agunt?* ad has quærelas tollendas, & suam justitiam manifestandam omnium resurrectionem instituit Deus, ut uniuscujusque vita adamussim examinetur, & juxtà opera sua compensentur in judicio extremo, ità D. Augustl. 20. de Civit. Dei c. 1. ubi loquens de novissimo judicio inquit. Iste quippè dies judicii propriè vocatur, eo quod nullus erit ibi imperitæ quærelæ locus, cur injustus ille sit fælix, & cur justus ille infælix, omnium namque tunc non nisi bonorum vera, & plenissima fælicitas, & omnium non nisi malorum digna, & summa infælicitas apparebit. Ità etiam discurrit Joan. Damascen. l. 4. Fidei Orthodoxæ c. 28. dicens. Si non est resurrectio, non est Deus, nec providentia, verum omnia casu aguntur, & feruntur, esse enim plurimos justos homines cernimus, qui egeant, & injuria afficiantur, neque ulla in hac vita ope subluentur; peccatores è contrà, & flagitiosos opibus, atque omni deliciarum genere circumfluentes. Ecquis autem mente præditus hoc æqui judicii, aut sapientiæ, ac prudentiæ esse existimet? Erit igitur resurrectio, nam cùm Deus justitiæ laude præstet, iis quoque qui cum patientia animo expectant, mercedem persolvet. At si quidem anima sola in virtutis palæstra decertavit, sola quoque coronam obtinebit. Et si sola in voluptatis cæno se volutavit, sola quoque meritò pœnas luet. At cum nec substantiam inter se discretam habuerint, nec anima virtutem, vel vitium sine corpore voluerit; meritò proindè ambo simul, aut præmiis, aut pœnis afficientur, hæc Damasc. loc. c. & tandem sic etiam discurrit Chrisostomus homil. 1. de Resurrect. ubi contrà resurrectionem sic objicit in persona alterius, ut solvens objectionem magis hæc veritas pateret. Quid est hoc? ego qui multo studio, labore, & miseria vixi resurgo, & Græcus, & impius, & idolatra, & qui ignorat Christum etiam ipse resurgit, & simili honore fruitur. Ut ne talia dicens conturberis subdit postea. Etenim peccatorum quoque corpora incorruptibilia sunt, & immortalia, sed hic honor fomentum, & viaticum ipsis erunt suppliciorum, & ultionis, incorruptibilia enim resurgunt, ut semper urantur, nam cum ille ignis sit inextinguibilis, opus est illis corporibus, quæ & ipsa nunquam consumantur, ità Chrysostomus loc. cit. quibus significat etiam malorum, & reproborum resurrectionem, qui in mundo fæliciter vixerunt, fore in ostensionem divinæ justitiæ.

42 Quartò prætereà id etiam ratione ostendi potest, quia causa finalis judicii universalis est ostensio, & exercitium divinæ justitiæ distributivæ pro meritis singulorum, resurrectio autem generalis fiet, ut omnes, & singuli antè tribunal Christi judicantis compareant in die judicii de factis propriis rationem reddituri, ergò &c. Major patet ex sententia judicii, sententia autem finem causæ indicat, dicitur enim Matth. 25. *Tunc dicet his, qui à dextris ejus erunt, venite benedicti Patris mei, possidete regnum vobis paratum à constitutione mundi, esurivi enim, & dedistis mihi manducare, sitivi, & dedistis mihi bibere, nudus eram, &c.* Deindè sententiam contrà reprobos fulminans dicet: *Discedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus est Diabolo, & Angelis ejus, esurivi enim, & non dedistis mihi manducare, sitivi, & non dedistis mihi bibere, nudus eram, &c.* & postea concludit textus post utramque sententiam latam *Ibunt hi in supplicium æternum, justi autem in vitam æternam*, & ita judicium erit completum, cujus finem constat alium non esse, quàm divinæ justitiæ manifestationem. Ità enim docet Scotus 4. dist. 47. quæst. 1. §. *De secundò*, ubi plures adducens congruentias, cur judicium universale sit faciendum, hanc præsertim assignat ex Apostolo ad Roman. 14. & 2. ad Corinth. 5. ut manifestetur justitia sententiæ jam datæ in judiciis particularibus in morte singulorum, etenim hujusmodi justitia exercetur in morte cujuslibet juxtà illud Eccles. iast. 11. *Ubi ceciderit lignum, ibi erit*, & est de fide morientes in mortali in infernum damnaturi, morientes verò in gratia, vel ad Cœlum statim evolare, si nullius temporalis pœnæ sunt debitores, vel ad Purgatorium transmitti, & usque ad consummatam purgationem ibi detineri, sed quia in secretis judiciis, subdit Doctor, quæ fiunt circa singulas personas, licet sit justitia, non tamen omnibus est manifesta, ideò rationabile est, quod Deus habeat aliquod judicium generale, in quo manifestetur sententia, vel justitia quam exercuit in judiciis particularibus, & congruum est, ut id omnibus aperiatur in finali judicio. Et hæc veritas sancita quoque fuit in Concil. Toletan. 6. cap. 1. ubi habetur *Christum venturum in fine expectamus sæculorum cum resurrectione omnium æquissimo suo judicio redditurum justis præmia, & impiis pœnas*, quibus verbis significat eundem esse finem judicii finalis, & resurrectionis hominum generalis, nimirùm divinæ justitiæ manifestationem in præmiatione bonorum, & punitione malorum.

43 Denique alii etiam fines proximi, & particulares resurrectionis hujus assignari possunt, & revera præcipuus est ille, ac velut à priori, quem assignavimus in principio Disputationis hujus, quod beatitudo, quæ in clara Dei visione, & fruitione consistit, non tantùm est solius animæ rationalis, sed primariò, & adæquatè ipsius hominis ex corpore, & anima constantis finis ultimus, & quia hunc finem homo consequi nequit in hac vita mortali, opus est, ut post hanc vitam eum consequi possit homo integrè existens, quod fieri nequit, nisi per iteratam corporis resurrectionem, & novam cum eo ejusdem animæ unionem, alioquin dicendum esset nullum unquam futurum hominis statum in quo homo ipse ex anima, scilicet, & corpore constitutus finem suum ultimum assequi valeat, quod est absurdum, ut ibi dictum est. Sed quamvis alia plura possint assignari motiva, cur resurrectio corporum sit futura, primum tamen, & principale, ac omnibus aliis præferendum est justitia Dei, ut ait Hugo Pratensis in Dominica Resurrectionis; justum enim est, inquit ille, apud Deum, & apud homines quod ille puniatur, vel præmietur, qui peccavit, vel meruit; sed omnia opera nostra sunt animæ, & corporis simul, conjunctum enim ex anima, & corpore operatur non anima, vel corpus; sed ut videmus, in vita ista nec boni præmiantur, nec mali puniuntur, multa etiam patiuntur justi; in separatione autem animæ à corpore anima vadit ad gloriam, vel pœnam, corpore hìc in terra remanente; ut igitur justa sit retributio, oportet dicere, quod anima rursus conjungatur corpori, ut simul cum ipso præmietur, vel puniatur juxtà stipendia meritorum, quod solùm per resurrectionem fiet ità ille.

QUÆSTIO TERTIA.

De causa materiali, & formali Resurrectionis.

44 EXpeditis quæ pertinent ad causam efficientem, & finalem resurrectionis, in præsenti quæstione de causa materiali ejusdem agendum est, sivè subjectiva, & de toto eo, quod resurgere debet, singulisque ejus partibus integralibus, ac pariter de causa formali, sub qua ea omnia comprehenduntur, quæ ad formam, & figuram corporis spectant, & ad quam etiam reducuntur ejus resurrectionis circumstantiæ, quæ sunt locus, & tempus, quo nimirum in loco fiet

fiet hominum resurrectio, & quo tempore sit futura, de his igitur breviter hic agemus.

ARTICULUS PRIMUS.

Examinantur quæsita ad causam materialem spectantia.

45 PRimò quæritur, an idem homo resurget; in qua quæst. supponitur ut certum, ad vanitatem, & identitatem ejusdem hominis necessariam esse earundem partium unitatem, ex quibus componitur, & quidem de identitate ejusdem animæ rationalis nulla est controversia, quia ut ait D. Augustinus ser. 2. de consolatione mortuorum cap. 2. etiam & ipsi hæretici, qui negabant eandem carnem resurgere, homines cum eadem anima resurrecturos admittebant, sed sola difficultas est de reparatione ejusdem corporis deperditi, & corrupti, & versatur circà restaurationem hominis ejusdem, quia constant materia, seù corpore, corpus autem variis partibus etherogeneis ad obeundas diversas animæ functiones necessariis, & istæ variis etiam partibus homogeneis constant, & de identitate harum partium est difficultas. Qua ratione etiam à Philosophis disputari solet, an vivens toto vitæ tempore idem numero permaneat, & ratio dubitandi est, quia actione caloris naturalis in vivente duo fiunt, consumitur ex una parte substantia propria corporis, & resoluta in vapores, & excrementa decrescit corpus. Ex alia verò parte convertitur alimentum in substantiam ejusdem viventis, ut reparetur quod erat amissum, & cum transmutationes istæ toto tempore vitæ fiant, jam non videtur ad finem vitæ permanere ulla pars eorum, quam habuit vivens in principio vitæ quod maximè urget in aliis viventibus ab homine, in quibus mutatio fit etiam secundùm animam, ubi in homine fit solùm secundùm corpus, mutatis autem partibus substantialibus ex parte formæ, & materiæ, mutatur etiam entitas, & substantia rei, quarè meritò dubitari solet etiam à Philosophis, an maneat idem vivens numero antè, & post nutritionem toto tempore vitæ, & tantò magis à Theologis, an idem homo numero resurget post ejus corruptionem, & interitum, & an in quolibet homine resurget totum, quod fuit de veritate naturæ humanæ in eo, de quo fusè disp. 4. d. 44. qu. 1.

46 Quoniam igitur resolutio quæsiti hujus theologici, an idem homo resurget, dependet ab illo philosophico, an vivens toto vitæ tempore idem numero permaneat, quod jam tractavimus in lib. de gener. & corrup. disp. 8. qu. 7. recolendum est ex ibi dictis nu. 98. quod licet omnes partes viventis, sivè spermaticæ, sivè nutrimentales, sivè moliores, sivè duriores fluant; cum hoc tamen stat, quod non est necesse, ut partes duriores totaliter fluant, adeout nulla earum partium, quas habuit vivens à principio, permaneat eadem numero in fine vitæ, imò magna ex parte invariatæ manent quoad substantiam; ratio est, quia partes istæ cum humiditate magnam habent annexam siccitatem propter prædominium terræ, undè ex se habent, ut possint valdè calori resistere, qui adhuc in ipsis non est tantæ activitatis; at in partibus mollioribus tàm humidum, quàm calor magis urget; ergo licet calor continuò agat in partes duriores, quia agit remissiori actione, nequit totaliter illas destruere, & licet consumat humidum cibale, cum hoc tamen etiam advenit aliqua pars ficca, & terrestris, quæ alteri siccæ parti conjungitur; hinc est, quod ossa non totaliter corrumpuntur, neque cutis, ut patet in infirmitate, in qua licet caro, & partes molliores multum decrescant, ossa tamen, & pellis ferè nihil, vel parum diminuitur, undè dicebat Arist. in lib. de Juvent. & Senect. quod senectus non est aliud, quàm quædam corporis exsiccatio, quoniam humidum semper diminuitur, siccum verò crescit, quod potest exemplis declarari, ignis enim comburit lignum, & permanent cineres, aqua citiùs excavat, & magis lapidem mollem, quàm durum. Verùm est tamen, ut notat DD. d. 44. c. q. 1. lit. E. quod hæ partes remanent quoad accidentalia alterate, & impuriores; eo quia omne agens in agendo repetitur, & debilius evadit. Concludendum est igitur ex hoc, quod plures longè partes sint fluxæ non ob id vivens censendum esse diversum num. physicè in fine vitæ, quia partes aliæ sunt principaliores, & intimiores, ut ossa, nervi, cutis, & similia, quæ sunt veluti aliarum fundamenta; aliæ verò sunt magis extrinsecæ, & minus principales, ut caro, quæ non ita principaliter ad conservationem viventis permanet; quia ergo illæ permanent ex majori parte quoad substantiam, licet aliqualiter immutatæ quoad accidentia, ideò vivens in fine vitæ dicitur adhuc idem num. physicè; ut adhuc fusius l. c. explicamus. Ex resolutione igitur hujus quæsiti philosophici de identitate viventis à principio vitæ usque ad finem DD. l. cit. resolutionem deducit alterius theologici, an idem homo resurget, & tinquit, quod licet multæ, & quamplurimæ partes viventis fluxerint in vita, quæ non resurgent in resuscitato, attamen dicitur adhuc idem numero, quia resurgent partes principales, ex quibus identitas numeralis viventis attendi debet, non autem ex minus principalibus, sine quarum identitate totum adhuc potest esse idem, & ita præsertim discurrit Doctor in solutione ad ultimum principale ex superius dictis in ea quæstione. Et hæc est communis Patrum, & Doctorum sententia, ac veritas de fide, ut pluribus ostendit Branc. noster disp. 6. ar. 7. & expressè colligitur ex Job. 9. *In novissimo die terra surrecturus sum, & rursus circumdabor pelle mea, & in carne mea videbo Deum Salvatorem meum, quem visurus sum ego ipse, & non alius, & oculi mei conspecturi sunt*, ubi Liranus exponens illa verba, *& non alius*, inquit, hoc dicere contrà Arist. 2. de Gener. qui dicit ea, quæ corrumpuntur, redire non eadem numero, sed specie tantùm.

47 Sed Objicies, identitas totius integralis oritur, & dependet ex identitate partium; at corpori resurgenti plures corporis partes deficient, non enim omnes, quæ in hominibus fuerunt, resurgent, alioquin immensæ essent quantitatis in resurrectione; ergo &c. Confirmatur, quia multæ partes corporis quandoque in substantiam aliorum animalium transierunt, & fortè etiam hominum; ergo eædem in utroque redire non poterunt, atque ita vel primus, vel secundus non idem homo redibit. Tandem eadem numero unio redire non potest; ergo neq; idem corpus. Probatur assumptum, quia unio esset interrupta, atque ità non eadem, sed iterata rediret, iteratio autem pluralitatem facit, non identitatem. Respondetur identitatem totius integralis dependere ex identitate partium formalium, & ad integritatem, ac veritatem naturę pertinentium, non autem materialium, & ad eam non pertinentium, quales sunt, quæ deficient homini resurgenti; undè sicut homo etiam in fine vitæ dicitur idem homo, qui fuit in juventute, licet in ejus progressu multas partes amiserit, & plures è contrà per nutritionem aquisiverit, non alia ratione, nisi quia partes illæ sunt materiales, & ad veritatem naturę non pertinentes; ità pariter in resurrectione, licet multas partes non habebit, quæ totius vitæ progressu defluxerunt, non proindè negandum est eundem hominem resurrecturum esse, quia partes illæ, quæ quotidiè per nutritionem aquiruntur, & deperduntur, non omnes ad integritatem, & veritatem naturæ pertinent in fine vitæ; undè ut in novissimo die idem homo resurgere dicatur, sufficit si ex partibus illis, quæ olim sibi infuerunt, tot insint, quot sufficiunt ad hominis integritatem, & veritatem naturæ, quæ autem partes, vel quales adesse debeant in resurrectione hominis ex iis, quæ olim infuerunt, quando vivebat, ait Doctor d. 44. cit. q. 1. O. P. & S. illas esse debere, quæ à parentibus in conceptione habitæ sunt, & successivè in homine puriores extiterunt usque ad augmenti terminum, ut magis constabit ex infrà dicendis. Ad Confirm. respondet Doctor cit. in solutione 2. prin. negando consequentiam, quia nunquam fuit, nec erit usque ad finem mundi aliquid æquè de veritate humanæ naturæ in duobus suppositis, & ideò resurget præcisè in uno, in quo magis fuit de veritate naturæ, vel quia in ipso puriùs, vel quia magis de intentione naturæ pars ejus. Si autem omninò contendatur, quod simpliciter, & æqualiter fuit de veritate naturæ utriusque, ait Doctor, quod resurgent in illo, in quo prius fuit animata, ex August. in Enchirid. c. 85. & 22. de Civit. inquit, quod *redditur illi animæ, quæ illam primitus ut homo fieret, animavit*; secundus verò adhuc idem numero resurget, quia alias partes Deus supplebit, si illæ, quæ in eo fluxerunt, reparatæ non sufficerent. Ad ult. respondet Doctor 4. d. 43. q. 1. ad ult. prin. posse negari antecedens, quia sicut interruptum absolutum potest redire idem numero, sic etiam, & respectus idem unionis, si extrema ejus redeant eadem numero, quod probat exemplo maternitatis Mariæ respectu humanitatis Christi, quia habuit eandem relationem ad filium post ejus passionem, quam habuit antè, & tamen fuit interrupta, & in mortem Christi propter destructionem termini, & in morte Mariæ propter destructionem fundamenti. Addit etiam negari posse consequentiam, si antecedens concederetur, quia unio non est de essentia totius compositi, nec illa unio est entitas totalis ex unione partium substantiali resultans, sed tantùm conditio necessariò prærequisita ad ejus constitutionem, ut dictum est in lib. Phys.

48 Secundò quæritur, an omnia membra, & partes, quæ sunt in homine, resurgent. Supponit quæstio ad veritatem, & constitutionem humanæ naturæ, non tantùm partes essentiales pertinere, ut materiam, & formam, sivè corpus, & animam, sed etiam partes integrales, non tantùm heterogeneas, sed etiam homogeneas, ac universim quicquid fuit animatum anima intellectiva, quarum etiam aliæ sunt permanentes, aliæ continuò fluentes, & quæ de novo fiunt, siquidem ob actionem caloris naturalis in humidum radicale homo continuè diminuitur, & per nutritionem reficitur; quæsitum ergo procedit de partibus integralibus permanentibus, quales sunt brachia, crura, digiti, &c.

sine

sine quibus adhuc homo consisteret, sed perfectus non esset, de aliis enim partibus posteà dicemus, & affirmativè resolvendum est, ac dicendum omnia membra hominem integrantia cum eo resurgere debere. Quod expressè deducitur ex illo Ephes. 4. *Omnes occurremus in virum perfectum in mensuram ætatis plenitudinis Christi*, ubi Glossa Ordinar. inquit, *In virum perfectum, ut quod caput, & membra, cui nihil deest, quia non est corpore perfectus, qui membris caret*, qua ratione dicebamus quæst. 1. hujus disp. art. 3. in fine etiam monstra, quæ anima rationali aliquando prædita fuerunt, in die novissimo resurrectura esse, & quidem in forma, & perfecta natura humana. Et sicut etiam passim docent, & loquuntur Patres, sed inter omnes præsertim S. Gregor. Nissenus orat. 3. de Resurrectione, ubi loquens de extremo judicii die inquit. Propter hunc idem pars corporis, quam antè mille annos carnivoræ aures comederint, integra reperientur, & quam vel carnes, vel cete, cæteraque animalia marina devoraverint, una cum homine resuscitato resurgent; quin etiam quod ignis concremaverit, quod vermis in sepulchris absumpserit, & omnia denique corpora quot quot corruptio aboleverit, integra, nullaque sui parte carentia reddentur è terra; ità Nissenus loc. cit. qua etiam ratione D. Ambr. orat. de fide Resurrectionis contrà Gentiles invehitur, qui fabulam dicebant esse, quod terra restituat, quos mare absorbuerit, bestiæ devoraverint, & feræ dilaceraverint, eosque, convincere nititur exemplo seminum putrefactorum viridantia folia emittentium, & Phœnicis, quam ipsi revivisscere dicebant. Hinc D. Augustin. l. 22. de Civit. c. 19. inquit, de membris ad integritatem spectantibus nullam esse difficultatem, *quia in unoquoque modificabitur illa materies, ut nec aliquid ex ea pereat, & quod alicui defuerit, ille supplebit, qui etiam de nihilo potuit, quod voluit operari*, quarè sola difficultas est de cæteris partibus, quæ fuerunt in membris, & continuo fluxu perierunt. Denique id etiam ratio ipsa suadet, jam enim diximus quæst. præced. art. 3. resurrectionem hominum generalem fieri in ostensionem, & exercitium divinæ justitiæ, quoad præmium bonorum, & supplicium malorum in anima, & corpore; sed membra illa corporis, de quibus hìc est sermo, fuerunt in deliciis vitæ præsentis, & instrumenta ad peccandum in malis; fuerunt autem in passionibus, & instrumenta ad merendum in bonis; ergo omnia resurgere debent, vel ut pœnam patiantur pro peccatis, vel ut præmio fruantur pro meritis in ostensionem divinæ justitiæ.

49 Tertiò quæritur, an omnes partes additæ per nutritionem, quæ in homine fuerunt, resurgent, & difficultas est de partibus homogeneis, ex quibus ipsæmet etherogeneæ componuntur, supposito enim, quod caro v. g. ex materia carnea constet, ex arteriis, nervis, venis, &c. & tota caro cum his omnibus ex continua actione caloris in humidum decrescat, & per nutritionem denuò crescat, & novæ partes aggenerentur, ut fusè ostendimus in lib. de gener. & corrup. disp. 8. quæst. 5. & 6. quæritur an omnes partes non solùm, quæ ab utero exierunt, sed etiam aliæ, quæ creverunt, & aliquando in homine fuerunt, resurgere debent. Et pro resolutione dicendum est, non omnes partes homogeneas, quæ fuerunt de veritate naturæ toto tempore vitæ, resurrecturas esse in quolibet homine, sed tantùm partes illas, quæ à parentibus habitæ sunt in conceptione, & quæ successivè usque ad terminum augmenti in homine puriores extiterunt; ità Scot. dist. 44. cit. quæst. 1. §. *De secundo principali*, & quoad primam partem probat, quia si quicquid fuit in Petro pro tota vita ejus de veritate naturæ, resurget in eo, ex quo tales partes multæ fluxerunt in vita ejus, & aliæ multæ redierunt, si omnes illæ redirent in eo, vel esset corpus ejus immoderatæ densitatis, vel immoderatæ quantitatis, & magnitudinis, & hoc etiam docuit Aug. l. 22. de Civit. c 15. ubi explicans illud Apostoli, quod omnes resurgemus in mensuram ætatis plenitudinis Christi inquit: *Si hoc de resurrectione corporum dictum est, restat, ut suam quisque recipiat mensuram, quam vel habuit in juventute, etiamsi senex sit mortuus, vel fuerat habiturus, anteà est defunctus;* ergo non omnes partes, quæ per nutritionem additæ fuerunt de integritate naturæ, resurgent. Notanter autem dictum est non omnes hujusmodi partes *in quolibet homine* resurrecturas esse, quia ut etiam Brancat. noster advertit disp. 5. art. 5. §. 3. in iis, qui antè ætatem perfectam 33. annorum obierunt, satis probabile, est, quod cùm in quantitate perfecta resurgere debeant, & partes novæ formandæ sint, potius reassumendæ sunt etiam illæ, quæ per continuam actionem caloris in humidum deperditæ fuerunt, & per nutritionem successivè restauratæ sunt, quam aliæ novæ adjungantur, nam re vera illæ, quamvis fluxæ sint, & deperditæ, adhuc tamen fuerunt in homine, & de veritate, ac integritate naturæ illius. Ex hoc autem probat Doctor aliam assérti partem, quod nempè illæ tantùm partes resurgent in homine, quæ à parentibus habitæ sunt in conceptione, & quæ successivè usque ad terminum augmenti in eo puriores extiterunt; nam si non omnes partes, quæ aliquando fuerunt in homine, resurgent, ut dictum est, ergo illæ tantùm, quæ à natura magis intentæ fuerunt, hujusmodi autem sunt illæ, quas primò natura in homine posuit, quæ quidem sunt primordiales, & posteà aliæ augentes hominem usque ad debitum terminum; ergo caro illa tantùm, quæ primò infuit, & posteà usque ad terminum debitum crevit, erit in homine resurgente; & ita expressè docet D. Augustin. in Enchirid. cap. 88. ubi ait, quod non perit Deo terrena materies de qua mortalium creatur caro; in quamcunque enim aliorum corporum substantiam, vel in ipsa elementa vertatur, in quorumcunque animalium etiam hominum cibum, carnemque mutetur, illi animæ humanæ puncto temporis redit, quæ illam prius, ut homo fieret, creseret, & viveret, animavit; ita Augustin. ibi; ergo illa tantùm caro resurget in homine, quæ primò infuit, & posteà usque ad debitum augmenti terminum crevit, ut dictum est.

50 Sed instant aliqui, quos sequitur Ægydius Lusitan. t. 3. l. 3. de Beatitud. qu. 3. art. 7. & 9. resurrectionem fore in carne, quam quisque habuit mortuus, fuerit primigenea, nec ne, imò non resurrecturos aliquos cum carne primigenea, quod probant ex communibus formulis Scripturæ, & Patrum, quæ dicunt mortuos resurgere, & in illa carne, quæ jacuit in sepulchro, undè in Tolet. 11. habetur: *Resurgemus in illa carne, qua vivimus, consistimus, & morimur*, & D. Greg. ait nefas esse aliam carnem resurgere, quàm sit mortua, Christus enim, & B. Virgo resurrexerunt in carne, qua mortui sunt. Deindè mortui dicuntur suscitari ex sepulchris, & ex cineribus ipsorum, & quod non aliud corpus resurget, quàm quod moriendo seminatur, undè Paulus ait, quod corpus in corruptione seminatum resurget in incorruptionem seminatum; scilicet, per corruptionem in morte, ut Patres exponunt. Tandem quia ideò reliquiæ, & ossa Sanctorum ab Ecclesia coluntur, quia in resurrectione sunt immortalitate donandæ; ergo omnes resurgent in carne, quam mortui habuerunt. Respondetur intentionem Patrum esse eo loquendi modo impugnare tùm Philosophos, qui absolutè resurrectionem negabant, cùm hæreticos, qui negabant eandem carnem numero resurgere, sed aliam numero diversam, & tantùm specie eadem, undè ex tali loquendi modo non benè deducitur carnem primigenam non resurgere, aut aliam, quæ fluxit in omnibus, nàm illa locutio Patrum de resurrectione carnis ejusdem quæ mortua est, ad primigeneam quoque extenditur, & aliam, quæ tam defiit, & defluxit, siquidem illa quoque mortua est in sensu, quem Patres intendunt, quia per mortem intelligunt coruptionem carnis, sivè totalem, & supremam, qualis est in fine vitæ, sivè continuam, qualis est in ejusdem progressu, etenim ut ait D. Greg. l. 14. moral. c. 29. *Quotidianus defectus corruptionis est quædam prolixitas mortis*, undè Patres eo loquendi modo sub carnis mortuæ appellatione comprehendunt totum, quod definit, & quod restauratur.

Ad confirmationem dicendum nihil obesse, quod mortui dicantur ex sepulchris suscitari, & pulveres colligi, & animari resurrectione, quia neque caro sola primigenea restaurabitur, sed alia etiam, quæ defluxit, & ad supplementum requiritur, quare fatendum est nos non resurrecturos præcisè in carne, quam quis habet, dùm moritur, sed etiam in carne primigenea, quæ suppletur altero ex duobus modis, quos Doctor adducit loc. cit. Ad ultimum negatur assumptum, vel saltem non est absolutè admittendum, quia cultus Ecclesiæ in Sanctos ad statum eorum præsentem, & præteritum respicit, non ad futurum, nempè quia Sancti quoad animam nunc sunt in Cœlo, & Deo fruuntur, & in memoriam operum mirabilium, quæ in prædictis reliquiis Deus per ipsos patravit, ut patet ex processu canonizationis, qui antè cultum ipsum præmittitur, quæ omnia fusius declarata videri possunt apud Hiqueum dist. 44. cit. quæst. 1. in Commentario, ubi etiam disparitatem assignat resurrectionis Corporis Christi, & B. Virginis à resurrectione aliorum, quæ in eo præsertim consistit, quod ideò Christus, & B. Virgo cum eisdem partibus resurrexerunt, quæ erant in corporibus eorum in fine vitæ, quia corpora eorum non fuere corrupta, unde probabiliter idem quoque dici potest de corporibus eorum, qui vivent tempore adventus Christi, & illi occurrentes vivi in ipso occursu morientur; at de reliquis, quorum corpora jam resoluta sunt in alia mixta, & elementa aliter dicendum est, cum enim reparandæ sint partes, verisimilius est, ac probabilius, ut priores, & puriores reparentur, quæ sunt magis de intentione naturæ.

51 Quartò quæritur, an omnes præfatæ corporis partes in resurrectione ad sua loca redibunt, & quæstio non est de partibus etherogeneis, ut manu, pede, naso, &c. de his enim certum est ad propria loca redire, aliàs monstruosa resurgerent; sed de partibus homogeneis, an v. g. eædem partes ossis, quæ in cranio fuerunt, vel tibia, in eodem cranio redibunt, & ita de partibus car-

carneis, nervels, &c. Et pro resolutione dicendum est, quod etiamsi partes homogeneæ ad easdem partes organicas non rediret, licet salvaretur adhuc identitas, & perfectio humani corporis, verior tamen, & probabilior sententia est, quod ad easdem partes redibunt, in quibus olim fuerunt, dùm corpus viveret, ut Scotus docet d. 44. cit. quæst. 1. in fine, ubi ait quod partes homogeneæ sufficientes ad quantitatem toti debitam in illa eadem parte organica resurgent; & assertum quoad primam partem probatur ex Augustino lib. 22. de Civit. cap. 19. & Beda in cap. 12. Lucæ, ubi reformationem corporis humani in resurrectione comparant statuæ liquefactæ, & deindè noviter reformatæ, & ejus identitatem salvant per solam ejusdem materiæ, & formæ identitatem, parum curantes an eædem partes homogeneæ ad sua primæva loca sint reditnræ, & ità etiam discurrit D. Augustin. in Enchirid. cap. 89. ubi ait, quod terrena materies, quæ discedente anima fit cadaver, non ita resurrectione reparabitur, ut ea quæ dilabuntur, & in alias rerum species, formasque vertuntur, quamvis ad corpus redeant, undè lapsa sunt, ad easdem quoque corporis partes, ubi fuerunt, redire necesse sit, ità Augustin. loc. cit. ubi appositè dicit non esse necessarium, ut redeant ad easdem, quia ob id non negat hoc esse futurum, imò in ejus sententia hoc etiam est probabile, ut Brancatus noster advertit disp. 6. art. 10. nam lib. 22. de Civit. cap. 20. ait, quod in resurrectione generali Martyrum Sanctorum corpora cum cicatricibus apparebunt, & hoc in gloriam, & è contrà reproborum corpora in ignominiam, cicatrices autem in partibus carneis corporis determinatis sunt; ergo illæ partes, quibus olim cicatrices impressæ fuerunt, ad eadem loca, in partibus organicis redibunt, & sic pariter de aliis quoque partibus homogeneis dici poterit, cum non sit major ratio de istis, quàm de aliis. Tandem hoc etiam ratio ipsa suadet, quia ità Deo facile est has omnes partes suis locis restituere, ubi anteà in vita fuerunt, sicut est totum hominem reparare, & illas partes reproducere, imò facilius est situationem illam servare, cum sit quid accidentale, quàm illas reformare, ac reproducere, cum sit quid essentiale.

52 Quintò tandem quæritur, an humores, capilli, ungues, & hujusmodi ad superfluitatem attinentia resurgent. Et quidem de capillis, & unguibus D. Bonavent. 4. d. 44. par. 1. art. 1. quæst. 2. affirmativè respondet, & ratio est, quia resurget in corpore non tantùm quod est de ejus necessitate, sed etiam quod est de integritate, & de decentia, & pulchritudine, quoniam igitur ungues, & capilli sunt de decentia, & pulchritudine, siquidem adornatum naturæ pertinent, calvicium enim est imperfectio naturæ, hac ratione concludit, quod resurgent juxtà illud Marci 10. *Vestri capilli capitis omnes numerati sunt*, & Lucæ 21. *Capillus de capite vestro non peribit*, quod Lyranus exponens ait, quod hoc addidit Salvator ad declarandam veritatem futuræ resurrectionis, per quam resurgent in electis non solùm illa, quæ sunt de necessitate naturæ humanæ, sed etiam illa, quæ faciunt ad decorem. Undè colligitur, quod non resurgent in immoderata quantitate, sed tali qualis ad ornatum decet, ut explicat D. Augustin. 22. de Civit. Dei cap. ubi ait, quod capilli toties tonsi, ungueſque defecti ad sua loca non redibunt deformiter, quod ait Dominus capillus capitis vestri non peribit, non de longitudine, sed de numero capillorum debet intelligi. Addit Divus Bonavent. quod similiter intestina resurgent, quia sunt de pulchritudine naturæ, & erunt plena non superfluitate, sed nobilibus spiritibus, & subtilibus, quæ totum corpus agilius reddent, pro quo adducit Divum Augustin. loc. cit. dicentem, quod in interioribus visceribus, quæ nullum decus modò videntur habere, ità pulchritudo rationem delectabit, ut omni formæ apparenti, quæ oculis placet, secundùm mentis judicium præferatur; quæ omnia de solis electis intelligere videntur, quia reprobi secundùm communiorem resurgent in suis deformitatibus naturalibus, & corporalibus, quas prius habuerunt, ut Bassolius advertit dist. 44. cit. quæst. 1. art. 2. & nos infrà dicemus. De humoribus autem ait D. Bonavent. loc. cit. quæst. 1. quod in humano corpore humor, & humiditas differunt, ut dicunt Philosophi, distinguit enim Avicenna inter humorem, & humiditatem, & ait quod humor dicitur, prout est in venis, humiditas autem prout venis derivatur ad membra, unde humor est massa illa sanguinea; quæ intrà venas reperitur, & quatuor mixtos comprehendit humores, nempè sanguinem, flavam bilem, & pituitam; humiditas autem est quælibet aquosa, seù porosa materia, quæ extrà venas reperitur in corpore humano, sivè sit nutrimentalis, ideſt, convertenda in substantiam hominis, sivè excrementitia, & expurganda.

53 Hoc præmisso inquit Seraphicus Doctor, quod humores innati, qui verè sunt humores, & ad integritatem humanæ naturæ sunt necessarii, resurgent in homine, quia isti humores innati sunt de integritate corporis humani, & sunt medium unien-

di animam corpori organizato, undè D. Augustin. lib. de spiritu, & anima cap. 15. inquit, quod corpus constat ex membris officialibus, officialia ex consimilibus, consimilia ex humoribus, humores ex cibis, & cibi ex elementis, undè ad corporis humani constitutionem magis pertinent humores, quàm elementa ipsa. Dices, hinc sequi maximam sanguinis quantitatem redire debere in homine resurgente. Negatur consequentia, hìc enim de sanguine discurrendum est, ut suprà diximus de aliis partibus homogeneis, quod scilicet, in ea quantitate redibit, quæ ad integritatem naturæ, & perfectam hominis constitutionem requiritur; eodem prorsus modo, quo de carne supra dictum est, eas nimirum humorum partes redituras esse, quæ in conceptione hominis adfuerunt, & alias puriores, quæ per nutritionem usque ad proportionatum augmentum productæ fuerunt, ut etiam Brancatus noster advertit dis. 5. art. 6. Tandem omnia resurgent in homine, quæ sunt de perfectione absoluta naturæ, sivè ad esse, sivè ad operationem, non autem quidquid est de perfectione naturæ in statu vitæ corruptibilis, ut v. g. semen, quod est de superfluo in ordine ad generationem.

ARTICULUS SECUNDUS.

Resolvuntur quæsita ad causam formalem attinentia.

54 PRimò quæritur, an omnes resurgent in proprio sexu. Aliqui dixerunt omnes homines in sexu virili resurrecturos, nullumque esse post resurrectionem futurum fœmineum sexum, quod deducunt ex epistola Pauli ad Ephes. 4. *Donec occurramus omnes in unitatem, & fidei agnitionis filii Dei, in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi*, quibus verbis significare videtur omnes resurrecturos esse in sexu virili, cujus erroris meminit D. Augustin. lib. 22. de Civit. c. 17. sed auctores non indicat illius, Guido tamen hunc errorem Armenis tribuit, & Baronius lib. 3. inter errores Origenis hunc quoque recenset, imò quidam inconsultò prorsus illum quoque Scoto adscribunt 2. dist. 20. quæst. 2. in fine, ubi in quadam additione, seù extrà dicitur; quod sola B. Virgo in sexu fœmineo resurget, cæteræ autem mulieres in sexu virili. Sed inconsultò, ut diximus, quia ut rectè Brancatus advertit disp. 6. ar. 6. ab initio, quæ in textu Scoti signantur linea quadam pro extrà, ab omnibus Scotistis non pro ipsius doctrina accipitur, sed additionatoris, tum quia in Reportatis, quæ sunt etiam ipsius Scoti scripta, talia non leguntur, sed potius oppositum; dicitur enim ibi d. 20. q. 2. in fine, quod tunc aliqua fœmina plus gaudebit de statu suo, quam si esset vir, ut B. Virgo, non autem aliæ regulariter; tùm denique quia Gratianus Brixiensis ibidem inquit; quod si ille est verus, ac germanus Scoti textus, non loquitur auctoritativè, sed recitativè aliorum referens opinionem, nam aliqui voluerunt, quod in regno beatitudinis omnes mulieres resurgent in sexu virili, excepta Virgine propter excellentiam suam, quia mater Christi; & hoc quia sexus fœmineus est imperfectum, quid, & est facta mulier propter imperfectionem supplendam, scilicet, propter generationem, tunc autem generationes cessabunt; & tandem ait hoc tenendum non esse, quia D. Augustinus 22. de Civit. loc. cit. docet, quod scilicet resurgent mulieres in sexu suo, & nudæ erunt in Paradiso, sicut, & viri, nec tamen erit confusio, aut erubescentia, quia ibi nullum erit peccatum, nec libido, quæ est causa confusionis, & erubescentiæ.

55 Hinc Alphonsus de Castro lib. 13. verb. *Resurrectio*, §. *Quinta hæresis*, doctrinam illam inter hæreticas recenset, & in fine capitis ait inter Ecclesiastica dogmata septuagesimo loco hoc haberi his verbis: *In resurrectione ex mortuis sexus forma non mutabitur, sed vir mortuus resurget in forma viri, & fœmina in forma fœminæ*. Deindè id ex Scriptura deducit, quæ ait, *Masculum, & fœminam creavit eos*, ex quibus verbis constat sexum fœmineum non esse vitium, aut ex vitio, sed ex natura, & quoniam antè peccatum fœmina erat, non ex vitio contigit, ut fœmina fieret, nec sexus ipse vitium est; quoniam à Deo factus non fuisset; cum ergo non sit vitium, neque ex vitio fœmineus sexus, sed ab ipsis naturæ incunabulis à Deo factus; consequens est, ut qui utrumque sexum fecit; utrumque etiam reficiat, & qui utrumque instituit, utrumque similiter restituat. Tandem id quoque evidenter ostendit ex sacra historia Matth. 22. ubi Dominus interrogatus à Saducæis resurrectionem negantibus de muliere, quæ septem fratribus nupserat, ut quisque illorum defuncti fratris semen susciteret, cujus illorum futura esset uxor post resurrectionem, respondit, *Erratis nescientes Scripturas, neque virtutem Dei, in resurrectione enim neque nubent, neque nubentur, sed erunt sicut Angeli Dei in Cœlo*, at si nulla esset post resurrectionem futura mulier, facilius illorum errorem destruxisset, dicens non esse futurum mulierum sexum post resurrectionem, & cum locus esset aptissimus, debuisset illos de hac re do-

re docere, ut diceret illam mulierem de qua erat quæstio, utrum esse futuram non fæminam. Verùm non illud dixit, sed hoc. *In resurrectionem non nubent, neque nubentur*; nuptias ergo post resurrectionem negavit, non sexus varietatem, imò hanc varietatem illic futura innuit, cum dixit *Non nubent*, quod convenit fæminis, *Neque nubentur*, quod viris; erunt; ergo fæminæ, quæ hic nubere solent, & viri qui hic uxores duxerunt, quoniam cum nuptias negavit, sexus varietatem latenter innuit, qui ad nuptias exigitur. Ità Alphonsus de Castro loc. cit. qui fuit etiam discursus D. Augustini 22. de Civit. cap. cit. ubi etiam cap. 18. explicat locum Pauli adductum in oppositum, nos scilicet occursuros in virum perfectum, & ait virum ibi capi pro homine, sivè masculus sit, sivè fœmina, sic enim alibi Scriptura sæpissimè capere consuevit; sicut in Psalmis, cum dicitur *Beatus vir qui timet Dominum*, utique nomine viri etiam fœmina intelligitur, nam utique sunt etiam fœminæ, quæ timent Dominum; & cum dicitur *Beatus vir, qui non abiit in consilio impiorum & Beatus vir, cui non imputavit Dominus peccatum* etiam de fœminis ibi fit sermo, quoniam beata etiam est fœmina, quæ non abiit in consilio impiorum, & cui non imputavit Dominus peccatum. Et si aliquis curiosus interroget de iis, qui mutant sexum, in quo determinatè fuerunt, ut illæ fœminæ, quæ transierunt in viros. Respondet Hiqueus distinct. 44. cit. q. 1. n. 73. resurrecturos, vel in sexu principaliori, ut viri, vel in sexu, quem ex natura primò receperunt, quia mutatio illa est merè accidentalis, de Hermaphroditis verò Riccardus dicit resurrecturos sexu virili, qui est principalior.

56 Secundò quæritur, in qua ætate, & statura mortui resurgent. Communis sententia docet omnes resurrecturos esse cum constitutione, seù habitudine corporis annorum 30. seù 33. Ità Theologi omnes cum Magistro sent. 4. d. 44. D. Thomas, D. Bonav. & præsertim Scotus quæst. 1. cit. §. *De secundò* vers. *Secunda conclusio*, ubi ait quemlibet esse resurrecturum in tanta densitate, & magnitudine, quantæ futurus esset in fine triginta annorum, si vixisset, quia tantæ quantitatis ponitur quodlibet reformandum in resurrectione; & sic etiam discurrunt Patres Augustinus 12. de Civit. cap. 15. Chrysol. serm. 82. Anselmus, & Sedulius in 1. ad Ephes. 4. Hugo de Resurrectione cap. 15. & alii communiter, cujus sententiæ communis fundamentum est illud ad Ephes. 4. ubi Apostolus loquens de dispositione, & progressu Ecclesiæ usque ad finem sæculi inquit, *Donec occurramus omnes in unitatem fidei, & agnitionis filii Dei in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi*, ubi Glossa Ordin. inquit, omnes enim in eadem ætate resurgent, in qua Christus mortuus est, & resurrexit, cujuscunque ætatis mortui fuerint, & sic etiam discurrit Lyranus ibidem dicens, quod omnes resurgent in ætate trigintatrium annorum, quæ est ætas plena, & perfecta, & in qua Christus passus fuit; & quia ad exemplar Christi omnia sunt reformanda, ideò omnes in ea ætate resurgent, tum etiam quia in ea ætate, & perfectione primi quoque parentes nostri fuerunt creati, ut Patres communiter docent. Et hoc intelligendum est non solùm de electis, sed etiam de reprobis, quia Doctores, & Glossæ locum Pauli citatum indifferenter de omnibus intelligunt, & exponunt non distinguentes in hoc reprobos ab electis, & sicut ex eo, quod dicit Paulus 1. Corinth 15. *Omnes resurgemus* evidenter deducunt omnes tam electos, quàm reprobos esse resurrecturos, ita ex eo quod dicit Ephes. 4. *Donec omnes occurramus in virum perfectum*, &c. deducendum est omnes includi. Et tandem hoc etiam de infantibus, & pueris intelligunt, qui ad ætatem juvenilem non pervenerunt, ait enim Glossa Ordin. cit. quod omnes in eadem ætate resurgent, in qua Christus, mortuus est, & resurrexit, cujuscunque ætatis mortui fuerint, & ita etiam discurrit D. Augustinus l. 22. de Civit. c. 14. cum inquit, quid de infantibus dicturi sumus, nisi quod non in ea resurrecturi sunt corporis exiguitate, qua mortui sunt, sed quod eis tardius accessurum erat tempore, hoc sunt illo Dei opere miro, atque celerrimo recepturi, & Hieronym. in epist. ad Pammach. cap. 11. inquit non esse mirandum, si de infantibus, & senibus in perfecti viri ætatem resurrectio fiat, cum de limo terræ absque ullis ætatem incrementi consummatus homo factus sit. Sed aliqui periodum juventutis ad mensuram triginta annorum in omnibus hominibus non assignant, sed juxtà sæculorum varietatem, undè in iis, qui antè diluvium longissima ætate vixerunt, juvenilem ætatem contigisse dicunt circà annum sexagesimum, quos proindè resurrecturos ajunt in statura, quam circà septuagesimum habuerunt, ità Peterius lib. 4. in Genesim quæst. 3. quem sequitur Ægydius Lusitanus tom. 3. lib. 3. de Beatitud. quæst. 1. art. 4. ubi protrahit juventutem illius status à sexagesimo usque ad annum centesimum. Verùm ut ait Hiqueus loc. cit. sententia communi levi fundamento deferenda non est, quia si ex longitudine ætatis sumi deberet proportio juxtà mensuram, quam in nobis experimur, & distributionem ætatis, certè juventus in illis, qui ultrà annos octingentos vixerunt, antè centesimum, vel ducentesimum annum incipere non deberet. Tùm quia cum fuerit in eis perfectior corporum constitutio, & virtus naturalis purior, non est ratio, cur dicatur juventutem in illis non fuisse acceleratam, sicut in nobis, quamvis longiori periodo fuerit protrahenda. Cùm ergo in tanto vigore complexionis, & alimenti illa ætas triginta annorum fuerit abundè sufficiens ad aquirendam magnitudinem corporis requisitam, & optimam sensuum dispositionem, & organorum ad usum scientiæ, & prudentiæ; dicendum est multis ex causis magis tunc fuisse vitam protractam, quàm retardatam ejus perfectionem, & maturitatem, atque ideò in ætate triginta annorum circiter etiam illos fore resurrecturos, & non ultrà illam; verisimile enim est etiam eorum reformationem fore ad mensuram ætatis plenitudinis Christi, ac illis proportionari debere.

57 Quod verò ad staturam spectat ait Scotus loc. cit. & est communis opinio Doctorum, & Patrum, omnes in debita quantitate esse resurrecturos, ad quam in ætate triginta annorum pervenissent, nisi impedimentum adesset; hoc est, omnes resurrecturos cum quantitate debita, & proportionata juxtà exigentiam, & temperamentum complexionis cujusque, & staturæ debitæ, quoniam autem temperamentum hominis aliud, & aliud est juxtà diversum ætatis gradum, sumendum est juxtà illam ætatem in qua ipsum temperamentum magis in sua perfectione viget, & ab extremis contrariis recedit in medio consistens, & justa proportione. Ex quo sequitur non omnes in æquali statura esse resuscitandos, sed quemlibet in ea, quam ejus constitutio non impedita exigit, & juxtà exigentiam individui, & temperamentum ejus proprium, & non impeditum. Hoc autem colligitur ex illo ad Ephes. 4. *Donec occurramus omnes in virum perfectum in mensuram ætatis plenitudinis Christi*, quæ ultima verba exponens Glossa inquit. In mensuram ætatis, ait, non in mensuram corporis, vel staturæ, quia unusquisque recipiet suam mensuram quam habet in juventute, etiam si senex obiit, vel fuerat habiturus, si antè est defunctus, quæ fuit Augustini expositio in Euchirid. c. 90. quod etiam confirmat lib. 22. de Civit. cap. 14. ubi loquens de infantibus ait; quod non negabit Salvator in resurrectione infantium affuturum esse, quod defuit; defuit autem infanti mortuo perfecta quantitas sui corporis; & rursus eodem modo discurrit l. c. cap. 16. ubi docens omnes in eadem habitudine corporis resurrecturos esse conformes plenitudini ætatis Christi, & declarans, quomodo resurgentes debeant Christo conformari ex Ro. 8. ait; Sicut illa mensura, ità & illa conformatio non quantitatis intelligenda est, sed ætatis; resurgent itaque omnes tam magni corpore, quàm vel erant, vel futuri erant in juvenili ætate, quamvis nihil oberit, etiamsi erit infantilis, vel senilis corporis forma. Hic verò disputant DD. quomodo fiet hæc reformatio supplens debitam quantitatem in infantibus, an multiplicatione materiæ secundùm situm, an potius additione novæ, & varii varia dicunt, ut refert Hiqueus loc. c. sed breviter dicendum est, quod hæc reformatio fiet per additionem novæ materiæ, hæc enim est expressa D. August. sent. in Enchirid. c. 85. ubi ait *Infantibus supplendum esse quod formæ defuit, & naturam non esse fraudandam eo, quod dies allaturi erant*, & idem etiam habet l. 22. de Civit. c. 19.

58 Tertiò quæritur, an mortui resurgent cum deformitatibus, quæ inerant corporibus vivis, & sensus est, an qualitates, & aliæ formæ corpora viva deturpantes resurgent in eisdem, quæ quidem deformitates duplicis sunt generis; quædam enim sequuntur substantiam, & sunt quæ destruunt aliquid, quod est de substantia, & integritate hominis, qualia sunt omnia membra hominem integrantia, ut dictum est art. præced. nu. 48. quædam verò sunt accidentales, quæ quidem, ut notat Bonavent. dist. 44. cit. par. 1. art 3. quæst. 1. aliæ sunt qualitativæ, sicut illæ, quæ eveniunt ex malo, & inordinato situ membrorum, ut est turpis figura vultus; aliæ sunt quantitativæ, sicut quando quis habet nimis magnum caput, vel gibbositatem, vel alia membra magna nimis, ita quod aliis sunt improportionata, & similia; & hoc supposito dicendum est deformitates naturam substantialiter deformantes non resurgere, quia ut habetur 1. ad Corinth. 15. *Mortui resurgent incorrupti* ubi Glossa Interlin. exponit *sine diminutione membrorum*, & Lyranus ait, quidquid enim pertinet ad integritatem naturæ omnibus dabitur, ut communius dicitur; & idem deducitur ex illo ad Ephes. 4. *Donec occurramus omnes in virum perfectum*, ubi Glossa Ord. ait ut *unusquisque sit vir perfectus*, qua ratione diximus art. præced. nu. 48. non tantùm electos, sed etiam reprobos, & damnatos cum integritate membrorum esse resurrecturos, & omnibus partibus ad integritatem naturæ spectantibus, & hæc est communior Doctorum sententia cum Magistro 4. dist. 43. ubi ait, credendum esse, quod omnes resurgent incorrupti, non tamen impassibiles,

quia

quia reprobi mortem patientur æternam, sed sine diminutione membrorum omnia humani corporis habituri membra. Sed neque etiam in electis deformitates resurgent accidentales, ut satis constat ex dictis suprà disp. 25. de statu, & gloria corporum beatorum; undè D. August. in Enchirid. cap. 91. inquit; quod resurgent Sanctorum corpora sine ullo vitio, sine ulla deformitate, sicut sine ulla corruptione, onere, difficultate, & D. Anselm. Cantuar. in epist. 1. ad Corint. 15. similiter discurrit, quod resurgent Sanctorum corpora sine ullo vitio, & sine ulla deformitate, sine ulla corruptione, & onere, & quod in eis tanta facilitas erit, quanta fælicitas. Addunt tamen aliqui, ut Brancatus advertit disp. 5. a. 7. probabilissimum esse, quod corpora electorum resurgent cum vulneribus, quæ pro Deo passi sunt in hac vita, quia Christus Dominus cum plagis resurrexit, easque discipulis ostendit Joan 20. *Ostendit eis manus, & pedes*, ubi Lyranus ait, quod Cicatrices in corpore Christi remanserunt non ad defectum, sed magis ad gloriam propter victoriam ex illis vulneribus consecutam; & Joan. cap. 19. *Videbunt in quem tranfixerunt*, ubi Glossa Ordin. ait, quod cicatrices vulnerum reservatæ sunt in Corpore Christi resurgente, non solùm ad certificationem suæ resurrectionis, sed etiam ad convincendum Judæos de peccato suæ mortis; ergò cùm resurrectio Christi sit idæa, & exemplar resurrectionis aliorum, sequitur electos pariter resurrecturos esse cum cicatricibus vulnerum pro eo passorum à Tyrannis ad convincendum eorum perfidiam, & ad illorum confusionem, & martyrum gloriam, quod etiam confirmat D. Augustin. 22. de Civit. c. 20. ubi loquens de martyrum vulneribus ait, quod vulnerum cicatrices, quæ pro Christi nomine pertulerunt, non deformitas in eis, sed dignitas, & quædam quamvis in corpore, non corporis, sed virtutis pulchritudo fulgebit.

59 Quod autem ad damnatos spectat, aliqui opinantur neque in ipsis deformitates hujusmodi accidentales resurrecturas esse, & ita ex nostris etiam sentire videntur Hiqueus, & Brancatus loc. cit. & ratio est, quia sicut Dei perfecta sunt opera, ita & resurrectio, quæ est à solo Deo supernaturaliter, non patietur aliquem defectum ex causis secundariis, quarum nullus erit concursus ad resurrectionem tàm electorum, quam damnatorũ.

Confirmatur, quia nullum apparet motivum cur ità deformia corpora damnatorum sint resurrectura, nisi dicatur in pœnam; sed alia miseris supereſt gravior pœna; ergo non videtur hæc superaddenda, aliàs eadem esset ratio de membrorum defectu, de quantitate incongrua, de ætate decrepita, &c. Alii verò dicunt incertum esse, an corpora reproborum, cum deformitatibus accidentalibus resurgere debeant, quod probant ex D. Augustino in Enchirid. cap. 92. sic discurrente de hoc puncto. Quicunque verò ab illa perditionis massa, quæ facta est per hominem primum, non liberantur, resurgent quidem etiam ipsi unusquisque cum sua carne; utrum verò ipsi cum vitiis, & deformitatibus suorum corporum resurgent, quicunque in eis vitiosa, & deformia membra gestarunt, inquirendo laborare non est opus; neque enim fatigare nos debet incerta eorum habitudo, vel pulchritudo, quorum erit certa, & sempiterna damnatio; ergo per Augustinum hoc est incertum, & ita etiam discurrit lib. 3. de Trinit. c. 20. Verùm D. Bonavent. l. c. q. 2. postquam q. 1. ostendit, quod in electorum corporibus nulla prorsus resurget deformitas, nec substantialis, nec accidentals, statim q. 2. asserit loquendo de deformitate accidentali, quod corpora reproborum, quæ hìc deformia fuerunt, sic etiam in resurrectione deformia erunt, justè divina justitia sic jubente, & inquit, quod Augustinus in Enchirid. istam quæstionem dimittit insolutam, quasi non sit magnæ utilitatis, attamen cum assignat rationem, quarè circà hoc non debet laborari, determinationem quæstionis inquit, dum enim dicit, quod nos molestare non debet inquisitio circà pulchritudinem, ubi est certitudo circà damnationem, si enim ad hoc resurgant, ut damnentur, non ut melioris, sed pejoris sint conditionis, manifestè apparet, quod non dabitur eis pulchritudo, quam non habuerunt, nec auferetur deformitas, quam habuerunt; undè Deus quantum ad eos est purus reformator, quia secundùm eandem formam reformat, quam eis natura dedit in generatione primaria, in qua reformatione apparet Dei sapientia, & justitia. Sapientia, quia scit eodem omninò modo reparare, sicut antè fecit; justitia, ut sicut qui meruit in corpore pulchro, remuneratur in ejus pulchritudine; sic in turpi peccavit, in ejus turpitudine cruciari debet, nec debet auferri, sed potiùs firmari; ità in hoc puncto discurrit Seraphicus Doctor l. c. ubi solvit rationes pro opinione opposita, cui D. Thomas adhærere videtur in expositione Symboli c. 14. ubi ait, quod omnes homines boni, & mali resurgent cum omni integritate, quæ ad perfectionem hominis pertinet, non enim erit ibi cæcus, vel claudus, vel aliquis defectus.

60 Quartò quæritur, an omnia corpora resurgent incorruptibilia, & quomodo. Certum est, de fide jam determinatum in Concilio Toletano 6. cap. 1. & habetur libr. 4. Constit. Apostol. c. 6. quod omnia humana corpora resurgent incorrupta, ideſt integra, & incorruptibilia, & expressè colligitur ex 1. Corint. 15. vers. 42. *Seminatur corpus in corruptione, surget in corruptione*, ubi Glossa Ordin. ait, quod omnes communiter incorrupti resurgent, & vers. 52. *Canet enim tuba, & mortui resurgent incorrupti*, & vers. 53. *Oportet enim corruptibile hoc induere incorruptionem, & mortale hoc induere immortalitatem*, ubi Glossa Ordin. ait, quod non erit corruptio, & mortalitas, & hoc non ad tempus tantùm, & Interlin. ait, quod talis erit corporis humani immortalitas, ut jam non ultrà moriatur, & dissolvatur; & Lyranus exponit ibidem, quod naturam humanam oportet resurgere incorruptibilem, quod hoc erit omnibus commune; quod etiam ratio ipsa suadet, ex capite æternitatis desumpta, siquidem resurrectio omnium generalis erit in ostensionem divinæ justitiæ, ut dictum est quæst. præced. art. 3. & corpora omnia resurgent, vel ad præmium æternum, vel pœnam æternam consequendam; ergo immortalia, & incoruptibilia resurgere debent, aliàs in æternum durare non possent. Quarè solùm examinandum restat undè orietur hæc incorruptibilitas, quam Patres passim testantur, quos Brancatus noster copiosè refert disp. 7. art. 1. an scilicet, ex sola Dei extrinseca conservatione, an verò extrinseca aliqua qualitate, vel ex impedimento agentis contrarii. Quam difficultatem Brancatus ibidem articul. 2. optimè resolvit juxtà mentem Doctoris, quod scilicet, una causa proxima intrinseca incorruptibilitatis erit spiritualitas corporis resurgentis ut enim constat ex mox dicendis in sequenti quæsito, corpus resurget spirituale, non quia sit futurum spiritualis substantia sicut Angelus, sed quia modo spirituali vivet ex sola animæ informatione, nec alimentis egebit, sicut nunc in hac vita mortali; ergo hęc erituna causa proxima, & intrinseca incorruptibilitatis ejus, quia una ex causis, ob quas nunc corpus deficit, & moritur, est quia alimenta deficiunt, nec reparatur per ea quantum per continuam actionem calidi in humidum, & è contrà deperditur. Altera verò, eaque principalis causa internæ, & externæ incorruptibilitatis corporum resurgentium (præscindendo à dote corporis glorioſi) erit externa Dei protectio externas, internasque causas impediens, ne in illa agant corruptivè, vel eis addita qualitate resistente. Ità Scotus 4. d. 49. quæst. 13. §. *Dico ergo*, ubi ait, quod causa incorruptibilitatis, & impassibilitatis corporis glorioſi post resurrectionem est voluntas divina non coagens causæ secundæ corruptivæ, quod probat Brancatus loc. cit. ex D. August. epist. 146. exemplo trium puerorum, quos Deus servavit illæsos in fornace Babilonica, vel faciendo carnem non posse corrumpi, vel ignem non posse corrumpere ut ibi ait D. Aug. ergo altero ex his modis credendum est corpora resurgentium fieri incorruptibilia, nimirum vel per ablationem vigoris agentis contrarii, & denegationem concursus cum eo, vel per additionem vigoris contrarii in ipsis corporibus. Probat hoc etiam alio exemplo ex eodem August. lib. 1. de pecc. mortal. & remiss. cap. 2. quia sicut ex singulari Dei assistentia, & protectione vestimenta filiorum Israel attrita non sunt quadraginta annis per desertum ut Deuter. 29. habetur, Deo suprà id operante, quod illorum natura postulabat toto illo tempore, & conservante, ut ibi ait Augustin. tantò magis idem dicendum erit de præservatione corporum resurgentium, quæ vel ad præmium, vel ad supplicium in æternum durare debent, ut fides docet.

61 Dices, corpora damnatorum futura passibilia, nec Deum impediturum esse actionem ignis gehennæ in illa specialis; ergò est difficultas, quomodo semper incorrupta manebunt; alterationis tamen, & passionis obnoxia. Sed de hac difficultate jam tractavimus disp. 26. præced. quæst. 1. art. 1. an, & quomodo ignis post judicium cruciabit corpora damnatorum, ubi diximus cum Scoto 4. d. 44. quæst. 3. vers. *Quartò dico* non esse omninò certum, an ignis tam actione reali, quàm intentionali cruciet damnatos, vel intentionali tantùm, quo modo facilius solveretur proposita difficultas, & salvaretur corporum illorum incorruptibilitas. Addidimus tamen absolutè tenendum esse ignem infernalem actione reali, & executivè damnatorum corpora calefacere, & ignere, & dolorem intensum juxtà peccatorum gravitatem, & quantitatem efficere; & nihilominus Deum illa conservare, & non consumi; quomodo autem hoc sit possibile pluribus exemplis declarat, ut ibi diximus, D. Bonavent. 4. d. 44. part. 2. art. 3. quæst. 1. quibus ostendit possibile esse aliquid igne ardere, & tamen non deficere, nec consumi, & indè tandem deducit rationem hujusmodi, quod hoc provenit ex parte agentis, & ex parte patientis; isti enim igni data est virtus ad inflammandum, non ad consumendum, & corpori data est natura passibilis ad patiendum, non ad deficiendum, & brevius inquit Bassolius d. 44. quæst. 2. in fine id provenire à Deo,

Deo, quia licet velit influere ad talem passionem, vel immutationem realem, & intentionalem ab igne, non tamen vult influere ad corruptionem substantiæ, sed vult ipsam perpetuari in tormentis; & ità etiam discurrit in hoc puncto Suarez 3. part. tom. 2. disp. 50. citat. sec. 5. in fine, ubi proindè ait actionem illam ignis inferni in corpora damnatorum non esse omninò naturalem, quia hæc esse nequit, nisi media calefactione, undè nec majorem dolorem inferre potest, quàm possit ex intensa calefactione provenire, hæc autem passio damnatorum multò acerbior erit; tùm quia naturali actione ignis ex æquo agit in corpora sibi æquè propinqua, & eodem modo naturaliter disposita; ille autem ignis inæqualiter aget in corpora, non juxtà naturæ proportionem, sed meritum, ut dictum est; undè concludit, quod non aget actione merè naturali, sed ut instrumentum Dei ad ejus justitiam exequendam, & ideò agere poterit actione, quæ verè, & realiter corpora cruciet, non tamen illa corrumpat.

62 Quintò tandem quæritur, an corpora resurgentium erunt spiritalia, & quomodo. Et quidem corpora omnia tam electorum, quàm reproborum non animalia, sed spiritalia resurrectura esse, est Patrum, & Doctorum communis sententia, ac de fide, ut constat ex 1. Corinth. 15. *Seminatur corpus animale, surget corpus spirituale*, undè Augustinus lib. 6. Genes. ad litt. cap. 19. & 20. dicit corpus humanum formatum esse animale, & in melius reformandum esse post resurrectionem, quia fiet spirituale, & sic passim loquuntur alii Patres. Quarè solùm declarandum restat, in quo hæc ratio spiritalitatis consistat, quod etiam benè declarat Brancatus noster disp. 7. cit. art. 3. quod scilicet, corpus resurgens spirituale dicetur, non quia concurrendum sit in spiritum, seù spiritualem substantiam, est enim de fide corpus humanum post resurrectionem futurum esse corporeum, & palpabile contrà hæresim Eutichii, qui dicebat carnem humanam futuram invisibilem, & impalpabilem post resurrectionem; sed spirituale dicetur, quia cibo non indigebit, & sic à solo spiritu, nempè anima vivificabitur, ac etiam quia spiritui totaliter subdetur; undè Glossa Ord. in locum adductum 1. Corint. 15. *Seminatur corpus animale, surget corpus spirituale* ait, surget spirituale, non dicit Spiritus, ut corpus vertatur in spiritum, ut quidam putant, undè Dominus dixit, palpate, & videte, quia spiritus carnem, & ossa non habet, sed spirituale, quia spiritui plenè subdetur, nec jam repugnabit, nec alimentis egebit, sicut & homo antè peccatum eguit. Ità Glossa ibidem, quod adhuc magis declarat D. August. loc. cit. cap. 24. dicens, quod in resurrectione renovabitur corpus humanum, non in corpus animale, in quo fuit Adam, sed in melius; ideſt in corpus spiritale, ubi esca, quæ corrumpitur, non egebit; & idem confirmat lib. 13. de Civit. Dei cap. 20. ubi ait, quod corpus humanum, in resurrectione non solùm non erit tale, quale nunc est in quavis optima valetudine, sed nec tale quidem, quale fuit in primis hominibus antè peccatum, qui licet morituri non essent nisi peccassent, alimentis tamen, ut homines utebantur, nondum spiritalia, sed adhuc animalia corpora terrena gestantes, &c. Et tandem ità etiam discurrit D. Ambrosius in 1. Corint. cap. 15. cit. *Seminatur*, inquit, *corpus animale, surget corpus spirituale*, corpus est dùm cibis sustentatur, ut vivat, spiritale autem, cùm nihil horum indigebit conversum in ritam. Ex quibus Patrum testimoniis satis constat, quod spiritalitas corporis, quod resurget, in hoc consistet, & quia alimentis non egebit, & quia totaliter spiritui, scilicet, animæ subdetur, & parebit.

ARTICULUS TERTIUS.

De Circumstantiis Resurrectionis, scilicet, loco, & tempore.

63 PRimò quæritur, in quo loco fiet mortuorum resurrectio. Prima sententia docet in unum locum judicii primùm congregandos ab Angelis omnium hominum cineres, universamque materiam ex qua corpora illa formanda sunt, ut ibi ad vocem, imperiumque Christi resurgant universi, qui locus juxtà communem Scholasticorum sententiam in 4. distinct. 43. est vallis Josaphat. Cujus dicendi modi præcipuum fundamentum est visio Ezech. cap. 37. ubi ait, *Facta est super me manus Domini, & eduxit me in spiritu, & dimisit me in medio campi, qui erat plenus ossibus, & circumduxit me per ea, &c. & dices eis, ossa arida audite verbum Domini*, qui ità facit; & resurrexerunt corpora illa; hæc autem actio ex communi Patrum consensu futuræ resurrectionis figura fuit; ergo prius cineres, & partes omnes ministerio Angelorum in campum, seù locum, in quo judicium fiet, adduci debent, & posteà virtute divina corpora formabuntur, & vivificabuntur, quam opinionem Soto amplectitur 4. d. 43. q. 2. art. 5. tanquam faciliorem, & compendiosiorem. Altera sententia asserit, quod corporum resuscitatio facienda sit, ubi sepulta jacent, seù in eisdem locis, in quibus mortuorum cineres reperiuntur, vel major eorum pars, quæ fuit Ricardi opinio 4. dist. 43. art. 5. quæst. 3. quam ut probabiliorem sequitur Suarez disp. 50. cit. sec. 7. & Brancatus noster disp. 6. a. 5. quod deducunt ex pluribus Scripturæ locis in quibus dicuntur mortui evocandi ex suis sepulchris, ut Joan. 5. *Omnes, qui in monumentis sunt, audient vocem filii Dei, & procedent qui bona fecerunt in resurrectionem vitæ, qui verò mala egerunt in resurrectionem judicii*, imò idem habetur in cap. 37. Ezech. cit. pro opposita sententia *Aperiam tumulos vestros, & educam vos de sepulchris vestris*; ergo videtur hic ordo servandus in mortuorum resurrectione, ut audita voce filii Dei, *Surgite mortui, & venite ad judicium*, collectis cineribus, seù eorum partibus ministerio Angelorum, statiam posteà divina virtute, & ibidem reformanda sint, & vivificanda corpora, quæ posteà ad locum judicii procedent per Angelos transportata, ut superiùs diximus. Confirmant etiam hanc sententiam exempla omnium, qui hactenus surrexerunt, Christi Domini, & eorum, qui cum eo surrexerunt, omnes enim de sepulchris suis exierunt, ut patet Matth. 27. & 28. & idem credimus de B. Virgine, & de Lazaro legimus in Evangelio, quod Christus Dominus eum suscitavit è sepulchro dicens, *Lazare veni foras*; cùm ergò ad instar Lazari resurrectionem nostra omnium sit futura, ut ait Gregor. Nissenus de hominis opific. cap. 25. consequens est, ut de loco ipso, in quo cineres, seù partes corporum resident resurgemus. Denique idem constat ex pluribus Patrum testimoniis, nam de Apostolis Petro, & Paulo expressè dicit Chrysost. homil. 32. in epist ad Roman. surrecturos Romæ è sepulchris suis, cujus verba refert Suarez loc. cit. ita etiam discurrit D. Ambros. in cap. 20. Apocal. ubi declarans illud Jo. *Omnes qui in monumentis &c.* inquit, quod ad imperium Domini de monumentis suis procedent mortui, quia corpora omnium mortuorum pro receptione animarum vivificata de sepulchris suis exient; & plura alia Patrum testimonia videri possunt apud Brancatum loc. cit. Sed quia hujus dubii solutio ex Sacra Scriptura explicitè colligi nequit, Scotus d. 43. citata quæstione 5. §. *De Tertio* sub lit. M. ptoblematicè procedit dicens, quod mortui transferentur ad locum, in quo fiet judicium, vel post resurrectionem completam, vel antè per translationem pulverum collectorum, utrumque enim est possibile Deo vel ut resuscitentur in diversis locis, fortè ubi sepeliebantur, vel ut pulveres de singulis locis colligantur ad locum unum, ubi debent post resurrectionem omnes ad judicium convenire, & in illo loco fiet omnium resurrectio, ubi etiam notat nomine cinerum intelligi debere, vel pulveres, in quas resoluta sunt corpora, vel partes omnes, quæ adhuc integræ perseverant sub propria forma, ut ossa v.g. vel sub alia in alio mixto; quarè vera, & absoluta resolutio quæstionis hujus est, resurrectionem corporum ibi esse faciendam, ubi Deus sua admirabili providentia disposuerit.

64 Secundò quæritur, an omnes simul resurgent, tam scilicet justi, quàm damnati in eodem extremo judicii die. Circà tempus resurrectionis fuit antiquus error Chiliastiarum, quem Cerinthiani amplexi sunt, & Marcionistæ, & Anabaptistæ sequuntur, ut refert Lindanus de hæresibus nostri temporis, qui dixerunt Christum mille annis antè judicium in hunc mundum descensurum, & omnes justos suscitaturum ad vitam corporalem, & animalem, ut una cum eis mille annis in terra regnet in summa pace, voluptate, & rerum omnium, ac deliciarum affluentia etiam illarum, quæ ventri, & veneri deserviunt, qui proindè dictus est Mellenariorum error, & hæresis; cujus erroris præcipuum fundamentum fuit, obscurus locus Apocal. 20. ubi duæ resurrectiones insinuantur, prima electorum præcedens aliam damnatorum per annos mille his verbis. *Qui non adoraverunt bestiam neque imaginem ejus vixerunt, & regnaverunt cum Christo mille annis, cæteri mortuorum non vixerunt, donec consummentur mille anni, hæc est resurrectio prima, Beatus, & Sanctus, qui habet partem in resurrectione prima, in his secunda mors non habet potestatem, sed erunt Sacerdotes Dei, & Christi, & regnabunt cum eo mille annis, & cum consummati fuerint mille anni, tunc solvetur Sathanas de carcere suo, & exibit, & seducet gentes*, &c. quibus posteà describitur judicium generalem futurum post illos mille annos, qui locus adeò prædicto errori apertè favere videtur, ut ob hanc causam multi jampridem librum Apocal. rejecerint, ut apocriphum, & à Cerinto scriptum, ut Eusebius refert libr. 7. cap. 19. Veritas tamen catholica docet omnes homines tam electos, quàm reprobos, & damnatos in eodem extremo judicii die simul resurrecturos esse, & dimissis aliis erroribus, quæ involvit prædicta Milienariorum opinio, contrà fidei principia, quod scilicet, post resurrectionem in illo regno millenario, nec gloriam animæ, nec corporis admittat, & turpitu-

pitudinem voluptatis admiscеat, quæ à Regno Christi, & justorum longè abest, quantum ad moram illam intermediam annorum mille pluribus repugnat Scripturæ locis, ubi omnium resurrectionem tam justorum, quàm damnatorum in extremum refert judicii diem, ut patet Joan. 6. ubi pluries repetitur resuscitatio in novissimo die: *Et ego resuscitabo eum in novissimo die*, & cap. 11. *Scio quia resurget in novissimo die*, & Matth. 24. Marci 13. & Luc. 17. Eadem est dies, in qua filius hominis veniet ad judicandum, & in qua omnes resurgent tam boni, quàm mali, tunc enim homines resurgent, quando ultimatè judicandi sunt; ergo non erit duplex resurrectio, una electorum præcedens aliam damnatorum per annos mille; quod etiam manifestè colligitur ex Symbolo Athanasii, cum inquit. Indè venturus est judicare vivos, & mortuos, ad cujus adventum omnes homines resurgere habent, & reddituri sunt de factis propriis rationem, & qui bona egerunt ibunt in vitam æternam, qui verò mala in ignem æternum; ergo omnes tam electi, quàm damnati simul resurgent, quando sunt judicandi, sed simul omnes in extrema die sunt judicandi, ut ait Athanasius; ergo simul omnes resurgent sivè boni, sivè mali. Et denique veritas hæc clarè deducitur ex omnibus Scripturæ locis, ex quibus q. 1. hujus disp. a. 2. & 3. resurrectionem futuram probavimus.

65 Ad locum Apocalyp. 20. in quo fundatur error Millenariorum, plures affert expositiones Suarez sect. 9. cit. propè finem, sed aptio, & clarior videtur expositio D. Ambrosii in illud cap. 20. Apocal. quam affert Brancatus noster disp. 6. cit. art. 2. ubi ait, quod animæ interfectorum, & quæ non adoraverunt bestiam, intelliguntur illi, qui pro Christo interfecti regnant in cœlesti beatitudine; mille autem anni dicendum est totum tempus, quod intercedit ab ascensione Christi usque ad finem mundi, quod per mille annos designatur, & omnibus electis deputatum est, ut in eo sine corporibus gloria cœlesti cum Domino perfruantur; cæteri autem reprobi non vixerunt, quia post mortem non ad vitam ducuntur, sed Infernum demerguntur, quæ in hoc loco mors secunda vocatur. Et ad illud de resurrectione prima respondet, quod quia vita præsens comparatione vitæ cœlestis mors rectè dici potest, Sancti prima resurrectione tunc resurgent, cùm ab hac misera vita subtracti in cœlesti beatitudine collocantur, & sicut hæc est prima resurrectio Sanctorum; ità est & prima mors impiorum, quando præsentem vitam deserunt, secunda verò mors est ultima damnatio. Et tandem addit, quod nomine Sacerdotum omnes electos comprehendit, omnes namque electi Sacerdotes vocantur, sive quod sint membra Summi Sacerdotis, sivè quod ipsi offerre semetipsos per bona opera non desistant; undè D. Ambrosius duas resurrectiones analogicè interpretatur pro duabus gloriis animæ, scilicet, & corporis electorum. Et ità etiam discurrit Lyran. in eundem locum, ubi ait per mille annos intelligi tempus Christi, quod currit usque ad Antichristum, & quod ponitur hic numerus determinatus pro indeterminato, solet enim Scripura per millenarium numerum diuturnam temporis durationem explicare, ut Psalm. 104. *Verbum, quod mandavit in mille generatione*, & verbo *Hæc est resurrectio prima* ait hoc referri ad illud, quod dicitur de Christianis, & vixerunt vita gloriæ in animabus suis, quæ vita gloriæ dicitur hic resurrectio prima. Secunda verò erit, quando resurgent in corporibus glorioſis; & quia isti sunt securi de beatitudine, quam jam habent in anima, & postea habebunt in corpore, & tandem exponens illud *Et regnabunt cum eo mille anni*, ait, hoc est, usque ad resurrectionem generalem, & loqui de gloria, quam habent Sancti usque ad diem judicii. Ex quibus expositionibus constat locum hunc de regno millenario temporali in carne non esse intelligendum, sed de regno Christi, spirituali, nam in fine illius capitis persecutio Antichristi secutura describitur, & destructio regni ejus, & posteà judicium extremum secuturum his verbis. *Et vidi thronum magnum & sedentem super eum, &c. & vidi mortuos, magnos, & pusillos stantes in conspectu throni, &c. & libri aperti sunt, &c. & dedit mare mortuos suos, qui in eo erant, &c.* quibus verbis resurrectio mortuorum, tam justorum, quàm injustorum expressè significatur.

66 Tertiò quæritur, an universalis resurrectio omnium hominum in novissimo die simul tempore sit futura, vel cum aliquo ordine prioritatis, & posterioritatis. Prima sententia asserit omnes electos suscitandos esse antè reprobos, pro qua citantur Theophilactus, Theodoretus, Oecumenius, & alii Patres, & idem tenet Cajetanus 1. ad Corint. 15. quod colligunt ex 1. ad Thessal. 4. *Mortui qui in Christo sunt resurgent primi*; & 1. Corint. 15. *in Christo omnes vivificabuntur, unusquisque autem in suo Ordine, primitiæ Christus deindè hi, qui sunt Christi, deinde finis*, ubi apertè loquitur de ordine temporis. Ratio etiam, & congruentia id postulare videtur, ut hoc modo Deus se propensiorem ostendat ad reddendum præmium, quàm pœnam, & electi se obedientiores ostendant voci Dei eos ad vitam revocantis, quàm reprobi. Denique quia justi exituri sunt obviam Christo in aera, & ideò oportet, ut prius resurgant, quàm reprobi, qui in terra expectabunt secundum Christi adventum. Communior tamen, & probabilior sententia docet, nedùm in eodem novissimo die, sed etiam in eodem parvo temporis momento omnes homines, sivè electos, sivè reprobos esse resurrecturos. Ità Brancatus loc. cit. Suarez disp. 50. cic. sec. 9. & alii Theologi passim 4. dist. 43. Ità expressè docet D. Augustinus lib. de Ecclesiast. dogm. cap. 6. ubi inquit, quod in novissimo die erit resurrectio mortuorum omnium hominum, sed una, & simul, & semel, non psima justorum & secunda peccatorum, sed una omnium; ità etiam discurrunt Cyrillus, Chrysostomus, & Euthimius exponentes illud Jo. 5. *Venit hora, in qua omnes, qui in monumentis sunt, audient vocem filii Dei*, ubi præsertim Euthimius ait, quod simul omnes repentè, ac virtute arcana cooptabit, animabit, ac excitabit sua voce, & jussu; & hoc etiam expressè indicat Paulus ipse 1. ad Corint. 15. cùm ait, *Omnes quidem resurgemus in momento, in ictu oculi, in novissima tuba, canet enim tuba, & mortui resurgent incorrupti*, quarè sententia hæc longè probabilior est. Ad testimonium autem ex 1. Corinth. 15. plures Patres dicunt denotare ordinem dignitatis, non temporis, & præsertim ità exponit Tertullianus lib. de resurrect. carnis cap. 48. ubi ait, quod unusquisque in suo ordine resurget, scilicet, quia & in suo corpore, ordo enim non est aliud, quam meritorum dispositio, merita autem cùm corpori quoque adscribantur, ordo quoque corporum disponatur necesse est, qui possit esse meritorum, vel si velimus exponere de ordine temporis, dicendum est cum Suarez loc. cit. quod Paulus comparat ibi particularem resurrectionem Christi, sub qua comprehendit eos, qui ex speciali privilegio, vel cum Christo, vel propter singularem cum Christo conjunctionem jam anteà surrexerant, comparat inquam, cum generali resurrectione aliorum tam bonorum, quàm malorum in fine sæculi futura, quod innuit illis verbis *deinde finis*. Quomodo autem intelligendum sit aliud testimonium Pauli 1. ad Thessalon. *Mortui, qui in Christo sunt, resurgent primi*, dicemus quæsito sequenti. Ad rationem ex congruentia adductam dicendum tunc non futurum tempus misericordiæ exercendæ; sed rigoris judicii, & justitiæ, præterquam quod tunc etiam propensiorem se ostendet Deus ad reddendum præmium, quàm pœnam, quia prius electos vocabit ad gloriam, quàm reprobos condemnet ad pœnam; neque etiam tunc congruum est, ut reprobi voci Dei tardius obediant, quàm justi, quia reprobi homines tunc non resurgent, ut iniqui, sed ut homines, & effectus divinæ omnipotentiæ. Nec tandem opus est resurrectionem justorum præcedere malorum resurrectionem eo quod illi sint obviàm Christo in aera ascensuri, quia nulla incongruitas, est quod toto illo tempore, quod brevissimum erit, iniqui in terra judicis adventum expectent.

67 Quartò quæritur, an in illo novissimo die saltem priùs resurgent, qui antea erant mortui, deindè illi, qui vivi tunc invenientur. Prima sententia asserit, quod esto in momento temporis electi omnes, & reprobi sint resurrecturi, adhuc tamen electos, qui præcesserunt cum morte secundum Christi adventum, resurrecturos esse priùs, quàm illi, qui eo veniente reperientur vivi licet ordo prioritatis inter hos, & illos electos futurus sit ferè momentaneus. Ità Scotus noster q. 5. cit. lit. L. ubi ait, quod D. Augustinus lib. 20. de Civit. Dei cap. 20. videtur ex intentione determinare, quod resurrectio eorum, qui invenientur mortui in adventu judicis, præcedet duratione resurrectionem illorum, qui invenientur vivi, sicut illi vivi secundùm verba Apostoli prius rapientur obviàm, & ibi ut probabile est secundùm Augustinum, morientur, & subitò posteà resurgent, & sic posteà resurrectio eorum sequetur resurrectionem illorum. Undè dicit Augustinus, *Si Sanctos, qui reperiuntur Christo veniente viventes, eique obviam rapientur crediderimus in eodem raptu de mortalibus corporibus exituros, & ad eadem mox immortalia redituros, nullas in verbis Apostoli patiemur angustias*. Hoc expressè etiam videntur verba Apostoli dicere *Mortui, qui in Christo sunt, resurgent primi, deindè nos &c.* ubi secundum Augustinum Apostolus in se, ac etiam in illos, qui secum vivebant, transfigurabat personas illorum, qui invenientur vivi. Ità discurrit Scotus loc. cit. ex quo deducit, quod mortui in Christo resurgent primi, ut coram Christo in aere appareant; illi verò electi, qui tunc viventes erunt, ibunt quidem obviam Christo in aere apparenti, per viam tamen morientur, & statim resurgent; atque ità illorum resurrectio resurrectionem istorum præcedet. Et ità etiam illum locum 1. ad Thessal. 4. *Mortui, qui in Christo sunt, resurgent primi, &c.* exponit Ambrosius dicens, quod in ipso raptu mors præveniet, & quasi per soporem, ut egressa anima momento reddatur; cum enim tollentur morientur, ut pervenientes ad Dominum præsentia Domi-

in

ni recipiant animas, quia cùm Domino mortui esse non possunt; ergo si electi jam defuncti resurgent primi, indè electi, qui erunt viventes, obviàm ibunt Christo in aera, ut inquit Apostolus, & in ipso raptu morientur, & resurgent, ut dicunt Ambrosius, & Augustinus, sequitur, quod inter horum, & illorum electorum resurrectionem erit ordo proprietatis, licet momentaneus, & hanc sententiam tenent quoque Riccard. dist. 43. citato articulo 5. quæst. 1. Durandus quæst. 4. articulo 2. Pludan. quæst. 4. articulo 3. ad. 1. Valentia 4. par. disp. 11. q. 3. pun. 2. & alii.

68 Oppositam sententiam, scilicet, nullum fore ordinem temporis in resurrectione prædictorum defendunt Soto d. 43. q. 2. art. 4. Ægydius Lusitan. tom. 3. de Beatitud. libr. 1. q. 6. art. 3. Suar. loc. cit. & alii, quod probant, quia nulla est probabilis ratio alterius ordinis, vel successionis, nam priusquam præcedentes justi resurgant, morientur reliqui justi, qui tunc vivent, quia mors illorum non fiet in raptu, sed ante raptum, & causæ quæ illi possunt mortem inferre, generalem resurrectionem præcedent. Addit Suarez loc. citat. Paulum 1. ad Thessal. 4. non solùm non significasse hos esse posterius suscitandos, verùm potius fuisse sollicitum, ne aliquis putaret esse priùs resuscitandos, eò quod eorum mutatio, & resurrectio videri poterat facilior, & ideò dixisse. *Qui residui sumus in adventu Domini non præveniemus eos, qui dormierunt*, ex quo non sequitur hos, qui dormierunt, esse præventuros alios, sed ad summum simul esse resurrecturos; sed negatur assumptum cum ejus probatione, cum SS. Ambrosius, & Augustinus expressè dicant electos tunc viventes esse morituros ipso raptu, cùm obviam Christo ibunt in aera, & causæ, quæ generalem resurrectionem præcedent in illo ipso raptu mortem eis inferre possunt, undè q. 1. hujus disp. art. 3. n. 10. diximus probabilissimum esse electos, qui antè judicium vivi reperientur, igne conflagrandos esse, ut purgentur, & quod in ipso raptu mors ex igne illis accidere potest, ut Brancatus ostendit disput 11. art. 9. non enim implicant ista duo, quod morituri sint in ipso raptu, & ex ignis conflagratione. Quod autem addit Suarez pro explicatione loci citati 1. ad Thessalon. 4. textui ipsi omninò repugnat, & sine ullo fundamento ad alium sensum trahitur, quàm ipsamet verba sonant & præse ferunt, nempè mortuos prius etiam tempore resuscitandos, & posteà erectos cum illis rapiendos esse obviam Christo in aera, qui tunc erunt vivi, & residui ex persecutione Antichristi; undè si illi vivi in raptu illo morientur, ut Ambrosius, & Augustinus existimant, & posteà resurgent, erit ordo temporis inter resurrectionem omnium mortuorum, licet momentaneus.

69 Quintò tandem quæritur, an universalis resurrectio nocturno, vel diurno tempore futura sit, & in qua hora. Multi Patres dicunt resurrectionem nocturno tempore futuram, ut Lactantius lib. 7. cap. 19. Ambrosius l. 8. in Lucam c. 17. Hieronymus, & apud eum Diodorus ep. 152. quod colligunt ex verbis Christi Matth. 25. & Lucæ 18. in parabola decem Virginum, *Media autem nocte clamor factus est, ecce sponsus venit* &c. ubi Hieronymus inquit, quod his significatur medio noctis securis omnibus consummationem mundi esse venturam. Idem etiam colligunt ex eo, quod alibi dicatur diem Domini esse, sicut adventum furis, ut ad Thessal. cap. 5, *Dies Domini, sicut fur in nocte*, fur autem de nocte solet furta committere. Verùm licet incerta sit dies, & hora resurrectionis mortuorum, ut dixit Christus ipse Matth. 24. *De die autem illa, & hora nemo scit, neque Angeli Cœlorum, nisi solus Pater*, communior tamen, & probabilior sententia est mortuorum resurrectionem de die esse futurum, ut docet D. Bonav. 4. d. 43. dub. 2. lit. & Scotus d. 43. cit. q. 3. sub lit. O. & P. ubi etiam rationem congruentiæ assignat, quia magis probabile est ad confusionem reproborum, qui videbuntur, & ab invicem, & à bonis, ut sint in loco illuminato, & per consequens tunc in loco resurrectionis, & judicii non erunt tenebræ mediæ noctis, undè ad parabolam de sponso media nocte veniente inquit, illud *media nocte* exponendum esse pro incertitudine, quod nimirum tunc veniet, cum minus de adventu ipsius homines cogitabunt; undè etiam D. Augustinus ait mediam noctem non poni pro hora temporis, sed quia tunc veniet, cùm non speratur, & ità etiam eum locum exponunt Glossa Ordin. & Interlin. hoc est *insperato, vel nullo sciente, aut sperante*, undè Lyranus concludit, non esse intelligendum per hoc, quod judicium extremum sit celebrandum de nocte. Imò aliqui dicunt Christum in illa parabola non loqui de resurrectione, sed parabolicè proponere, quomodo ad mortem semper debeamus esse parati, ne si ex improviso veniat, vitam amittamus æternam, sicut illis virginibus contigit, quæ veniente sponso de media nocte cum ejus adventum non expectarent, ob olei defectum cum ipso ad nuptias intrare non potuerunt, & similiter exponendus est locus ad Thessal. c. 5. *Dies Domini, sicut fur de nocte*, quod nox ad diem Domini non refertur, sed ad modum operandi furis, undè Glossa Interlin. ait *nocte*, idest, *latenter*, & Glossa Ord. *sicut fur*, idest, *quia improvisus*. Et tandem resurrectionem universalem diurno tempore esse futuram, & non nocturno ex omnibus ferè locis deducitur in quibus de die judicii universalis fit mentio, ut Matth. 25. & Luc. 10. *Nescitis diem*, & 1. ad Thessal. 5. *Dies Domini*, & Jo. 6. *Ego resuscitabo eum in novissimo die*, ubi Lyranus habet, quod novissimus dies erit dies resurrectionis generalis, & ipsa Ecclesia canit: *Dies iræ, dies illa solvet sæclum in favilla*; cùm ergo tempus pro judicio generali destinatum semper dies appelletur, concludendum est probabilius esse, resurrectionem generalem diurno tempore esse futuram, non autem nocturno, & cum Scriptura loquens de ultima resurrectione noctis mentionem facit, non significat in nocte futuram, sed ità loquitur, ut ostendat tunc mundi consummationem esse futuram, & Judicis adventum, quando minus expectabitur.

70 In qua autem hora diei resurrectio fiet, inquit Doctor loco citato nihil certum haberi ex Scriptura, & ait, quod fortè fiet resurrectio in ea hora, qua Christus resurrexit, vel qua judicatus est à Pilato, vel qua expiravit in Cruce, & quidem communior, ac probabilior sententia docet resurrectionem universalem esse futuram hora diurna, ac matutina. Ità D. Thomas, D. Bonav. Riccardus, Durandus, Paludanus, & D. Anselmus in Elucidario, ubi ait, quod fiet hora, qua resurrexit Christus qui est exemplar resurrectionis nostræ; ideoque ait, quod fiet die Paschatis, quod etiam Lactantius asserit libr. 7. c. 19. cit. Addit autem Scotus loco citato hanc horam resurrectionis sumi debere respectivè ad terram promissionis in qua fiet judicium universale in valle Josaphat, nam comparando resurrectionem ad diversas plagas, & partes horizontis, sicut in una parte, quando est media nox, in parte opposita est meridies, sic variantur horæ diei naturalis juxtà diversum Solis aspectum, undè respectivè ad totum mundum, & universum orbem non potest ulla hora determinata assignari, quæ diurna sit, aut nocturna, siquidem quæ est hora diurna respectu ad unam horizontis partem, est nocturna respectu aliarum partium; atque ideò sumere oportet determinatam horam, in qua simul resurrectio fiat, respectivè ad certam causam, non aliam verò magis congruenter, inquit Doctor, quàm ad illam, in qua fiet universale judicium, quæ est terra promissionis, ut ex pluribus Scripturæ locis deducitur. Concludendum igitur est, quod licet incerta sit dies, & hora resurrectionis universalis; tamen probabile est, & communior sententia Patrum, & Doctorum, quod fiet tempore diurno, & in hora, qua Christus resurrexit, nempè diluculò, & hora matutina, ut supra dictum est.





DISPUTATIO XXVIII.

DE JUDICIO UNIVERSALI, SEU FINALI

Post Resurrectionem.

1 UM finis, & scopus Theologiæ Moralis sit hominum in suis operibus conscientias dirigere, eosque à peccatis retrahere, ideò Theologi communiter in quarto sentent. post Disputationes de Sacramentis omnibus specialem tractatum de quatuor novissimis instituunt ad hunc finem consequendum juxtà illud Ecclesiast. cap. 7. in fine *In omnibus operibus tuis memorare novissima tua, & in æternum non peccabis*. Et quia omnium novissimorum terribilius est Judicium universale, & finale in consummatione mundi futurum, ut Ecclesia docet, dùm ait, *Quantus tremor est futurus, quando Judex est venturus, cuncta strictè discussurus*, ideò in fine ejusdem quarti sent. de hoc novissimo tractant dist. 47. & 48. Nos igitur quoque hanc methodum imitati antiquorum Scholasticorum in hac ultima hujus operis Disputatione de Judicio universali, seù finali breviter agemus, quamvis Recentiores in Theologia Morali de his novissimis agere non soleant.

QUÆSTIO PRIMA.

De secundo Christi adventu ad universale judicium.

2 SCotus 4. dist. 47. q. 1. ubi de hac materia tractat, ab initio quæstionis varias judicii acceptiones assignat, & quantum ad præsens spectat, illud sic describit, *Judicium est completa, & authentica determinatio reddendi alicui secundùm merita*; dicitur completa determinatio, quia includit determinationem firmam intellectus, & determinationem voluntatis efficacem, hoc est, voluntatis potentis, & intendentis secundùm determinationem intellectus retribuere. Additur, quod hæc determinatio etiam authentica esse debet, ut ostendatur authoritas, & potestas coactiva, & retributiva, per hoc enim intelligitur, quod sit illius, qui secundùm voluntatem suam efficacem potest determinationem intellectus, & determinationem voluntatis ad effectum perducere, reliqua verò designant materiam circà quam, ut bonum, vel malum opus. Dividit deindè Doctor ibidem judicium hoc modo sumptum ad propositum quæstionis in approbativum, & condemnativum, nam Judici possunt esse manifesta aliqua, ex quibus sequitur in particulari illum esse præmiandum, puta quiá benè meruit, vel puniendum, quia malè meruit, & prima sententia est approbativa, secunda condemnativa; in hoc igitur sensu in hac quæstione de secundo Christi adventu ad universale judicium discurremus, quo boni sint approbandi præmio, mali verò puniendi supplicio.

ARTICULUS PRIMUS.

An Judicium universale sit futurum, & quomodo.

3 PRimò quamvis antiquiores quidam hæretici universale judicium futurum esse negaverint, certus tamen est, ac præcipuus fidei articulus, futurum esse judicium universale, in quo post corporum resurrectionem omnes homines sunt judicandi, ubicunque enim in Scriptura fit mentio in singulari, & quasi per antonomasiam de die judicii, sermo manifestus est de universali judicio, ut pluribus probat Alphonsus de Castro lib. 8. verbo *Judicium*, nam apud Matt. 11. Dominus exprobans Civitatibus, in quibus factæ sunt plurimæ virtutes ejus quia pœnitentiam non egissent, ait, *Dico vobis Tyro, & Sidoni remissius erit in die judicii, quàm vobis*, & iterum Capharnoitis loquens ait Matth. 12. *Dico vobis, quia terra Sodomorum remissius erit die judicii, quàm tibi*, & apud eundem iterum *Viri Ninivitæ surgent in judicio cum generatione ista, & condemnabunt eam, &c. Regina Austri surget in judicio cum generatione ista, & condemnabit eam*, apud Jo. 5. *Potestatem dedit filio judicium facere, quia filius hominis est, &c. Venit hora, in qua omnes, qui in monumentis sunt, audient vocem filii Dei, & procedent qui bona fecerunt in resurrectionem vitæ, qui verò mala egerunt, in resurrectionem judicii*; & Paulus in epist. ad Rom. 14. *Omnes enim stabimus antè tribunal Christi* 2. & 3. ad Corint. iterum ait: *Omnes nos manifestari oportet antè tribunal Christi*, ut referat unusquisque propria corporis, prout gessit, sivè bonum, sivè malum. Et similes locutiones, ac testimonia frequenter habentur etiam in testamento veteri, ut Isaiæ 3. *Dominus ad judicium veniet cum senibus populi, & principibus ejus*, & cap. 12. *Ecce dies Domini veniet crudelis, & indignationis plenus, & iræ, furorisque ad ponendam terram in solitudinem, & peccatores ejus conterendos de ea*. Ex Daniel. 7. *Aspice eam, donec throni positi sunt, & antiquus dierum sedit, thronus ejus flammæ ignis, judicium sedit, & libri aperti sunt, &c.* Ex Joel 2. *Venit dies Domini, quia propè est dies tenebrarum, & caliginis, &c.* Ex Zachar. 14. *Et venit Dominus Deus meus, omnesque Sancti cum eo, & erit dies una, quæ nota est Domino*, & plura alia similia leguntur in veteri testamento, ex quibus manifestè deducitur judicium universale in fine mundi futurum. Hæc tandem veritas habetur in Symbolis Apostolorum, Nicæno, Constantinop. & Athanasii, in quibus prædicatur, Christum esse venturum ad judicandum vivos, & mortuos, & definita est in Concil. Nicæno 1. & Constantinopol. 1. & Lateranensi 4. cap. 1. & in Concil. Toletano 6. c. 1. in quibus omnibus definitum est dogma de fide, Christum in fine mundi venturum ad judicandos omnes; quare restant solùm quædam dubia declaranda in hac materia.

4 Secundo quæritur, cur faciendum sit universale judicium. Dicendum est causam finalem, & motivum faciendi judicium universale esse ostensionem, & exercitium divinæ justitiæ distributivæ pro meritis singulorum. Assertio est communis Doctorum, & Patrum, & satis constat ex superius dictis disp. præced. quæst. 2. art. 3. assignando causam finalem generalis resurrectionis, & patet ex sententia in novissimo judicii die ferenda, sententia siquidem finem causæ indicat, sententia enim pro electis ferenda talis est Matth. 25. *Venite benedicti Patris mei, possidete regnum vobis paratum à constitutione mundi, esurivi enim, & dedistis mihi manducare, sitivi, & dedistis mihi bibere, &c.* sententia verò contrà reprobos fulminanda hæc est, *Discedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus est Diabolo, & Angelis ejus, esurivi enim, & non dedistis mihi manducare, sitivi, & non dedistis mihi bibere, &c.* & postea post utramque sententiam latam concludit textus, *Ibunt hi in supplicium æternum, justi autem in vitam æternam*, & ità judicium erit completum, undè constat finem illius aliud non esse quàm divinæ justitiæ executionem, & manifestationem. Et hanc quoque rationem diximus loc. cit. assignari à Scoto 4. dist. 47. q. 1. §. *De secundo*, ibi enim aliquas assignans congruentias, cur judicium universale sit faciendum, hanc præsertim adducit ex Apostolo ad Roman. 14. & 2. ad Corinth. 5. ut manifestetur justitiæ sententia circà judicia particularia, quia in secretis judiciis, quæ fiunt circà singulas personas, licet sit justitia, non tamen omnibus manifesta; rationabile ergo est, quod Deus habeat aliquod judicium generale, in quo manifestetur sententia, quam exercuit in judiciis particularibus. Et hæc veritas definita est quoque, ut ibi diximus in Concilio Toletano 1. ca. 1. ubi dicitur, *Christum venturum in fine expectamus sæculorum cum resurrectione omnium æquissimo judicio suo reddituram justis præmia, & impiis pœnas*, ex quibus verbis constat finem judicii universalis esse divinæ justitiæ manifestationem in præmiatione bonorum, & punitione malorum.

Confirmatur ex dictis ibidem, quia in hac vita justi, ut plurimum, infæliciter vivunt, fæliciter autem injusti, & scelesti homines, juxtà illud Lucæ 16. de divite Epulone, & Lazaro: *Recordare fili, quia recepisti bona in vita tua, Lazarus autem mala*

nunc

nunc ergò hic consolatur, tu verò cruciaris; opus est igitur, ut hæc occulta divinæ providentiæ ratio, & judiciorum ejus in publico, ac universali judicio manifestetur, ut constet malos recipisse bona in vita sua in remunerationem, si quid fortè boni operati sunt, vel etiam ultrà debitum, & contrà verò bonos mala temporalia recepisse, vel ut eis magis in bono proficerent ob eorum tolerantiam, vel ut pro levioribus culpis, aut temporalibus pœnis satisfacerent.

5 Dices, hujusmodi justitia in morte cujuslibet exercetur in particulari judicio, ut patet ex Ecclesiastici 11. *Ubi ceciderit lignum ad Austrum, aut ad Aquilonem, ibi erit*, hoc est, ut Lyranus exponit ad partem electorum, vel reproborum immutabiliter manebit, si ergo moriente homine fit ejus judicium, & segregatio in partem electorum, vel reproborum, non est necessarium aliud judicium, nec alia divinæ justitiæ executio, cùm jam facta sit, nec factum mutari possit, aut reiterari, quia *Deus non judicat bis in id ipsum*, Naphum 1. De Corporibus autem speciale judicium fieri opus non est, quia illa non sunt per se meriti, vel demeriti capacia, nisi ratione animarum; ergo nec per se judicari debent, sed in animabus ipsis judicata censentur, qu asi in radice, sicut præmium, vel pœna corporum ex præmio, vel pœna animarum resultat; ergo asseri nequit, quod ex motivo exercendæ justitiæ Deus judicium universale facturus sit.

Respondetur negando consequentiam, licet enim in morte cujus libet judicium particulare fiat, quo quilibet, vel ad præmium transmittitur, vel ad pœnas, sivè æternas in Inferno, vel temporales in Purgatorio, adhuc tamen restat judicium universal e faciendum ad publicè manifestandum, quod Deus justè judic at in judiciis particularibus, nec est personarum acceptator. Et quamvis Deus non dicatur bis judicare, ut priorem sententiam mutet, vel ut bis puniat, potest tamen judicare bis, ut cum corporis consortio suppleat quicquid ex debita pœna deerat, & publicè sententiam in eum proferat, qui peccavit, & prius non omninò, sed quasi ex parte tantùm judicatus fuerat ob corporis defectum; undè duplex punitio dici non potest, quia rei ad eandem pœnam cum corporis consortio damnantur, & eadem sententia judicio publico confirmatur, neque hujusmodi judicio publico corpus per se judicatur, & condemnatur, sed ut pars totius compositi, quod propriè peccasse dicitur. Alias etiam congruentias, cur faciendum sit universale judicium ultrà particulare, assignat Scotus loc. citato, ex quibus adhuc facilius præfata objectio solvitur, nimirum quia congruum est finaliter separari bonos à malis, non enim malus communicat cum bono nisi, *vel ad hoc, ut malus corrigatur, vel ut bonus per eum exerceatur*, juxtà illud Augustini super Psalm. 54. *Nunc autem veniet finalis determinatio, ubi nec ultrà boni exerceantur, nec mali corrigantur*, quæ congruentia deducitur ex similitudine Pastoris oves ab hædis segregantis Matth. 23. ut in Parabola tritici, & zizaniorum, & in parabola ventilantis aream. Aliam quoque congruentiam assignat Doctor, quam ait meliorem, quia præter hoc, quod unusquisque adscribatur regno, vel carceri, tota multitudo prævisa ad regnum debet aliquando determinari ad possidendum illud, & tota alia multitudo relinqui carceri, ut sic sit sequestratio duarum familiarum, seù duarum Civitatum, ut tractat Augustinus per totum de Civitate Dei; licet ergo singulariter nunc iste, nunc ille adscribatur regno, nunc iste, nunc ille carceri, tamen congruum est aliquod judicium generale, per quod tota multitudo prævisa ad regnum mittatur in possessionem regni, & tota alia relinquatur carceri, & hoc per publicam sententiam, & discussionem. Undè postea in solutione principalium, respondens ad illud, quod *Deus non judicat bis in indipsum*, inquit, quod unusquisque inquantum persona privata judicatur, & finaliter, quando est in termino viæ sibi præfixæ, sed inquantum est pars familiæ deputate pro aula, vel familiæ deputatæ pro carcere, judicabitur cum aliis judicio finali.

6 Tertiò queritur in quo loco fiet Judicium universale. Conveniunt Doctores, & Patres, & ex articulo fidei sufficienter deducitur, judicium generale futurum esse in terra, atque in determinato terræ loco, in quo omnes homines judicandi corporaliter congregabuntur, undè sola superest difficultas, in qua parte terræ futurum sit. Et quidem valdè communis sententia est hunc locum esse vallem Josaphat, quæ jacet inter Jerosolymam urbem, & Montem Oliveti, quod satis expressè deducitur ex Joel 3. *Congregabo omnes gentes, & educam eos in vallem Josaphat, & disceptabo cum eis*, ità Albertus 4. distinct. 48. art. 8. Divus Thomas ibidem qu. 1. art. 4. Paludan. dist. 47. qu. 1. art. 1. D. Antonin. 4. par. tit. 14. cap. 1. & alii communiter. Alii verò hanc sententiam minus probabilem censent, quia vallis illa, quæ jacet inter Jerusalem, & Montem Oliveti minor est, quàm ut tota multitudo judicandorum exigat, undè intelligibile est, quomodo parvulus ille locus tot millia miriadum hominum capere possit; quarè per vallem Josaphat intelligun Terram, quæ vallis quædam est respectu ambitus Cœli, & dicunt illud non esse cognomen alicujus vallis specialis, sed denominationem sumptam à judicio ibi futuro, ut idem sit *Vallis Josaphat*, quod vallis judicii Domini, nam *Josaphat* significat *Judicium Domini*, undè Chaldæus non vertit *in vallem Josaphat*, sed *in vallem divisionis judicii*; ità Glossa Ordinaria, Magister sent. dist. 48. Alensis 3. part. q. 25. memb. 2. & Anselmus in Elucidario, cujus est illa interpretatio, quod per vallem Josaphat intelligatur terra, quæ respectu Cœli vallis dicitur.

7 Scotus dist. 47. cit. q. 1. §. *De quarto*, ità de hoc dubio discurrit. De loco autem dicunt aliqui quod erit in valle Josaphat secundùm illud Joelis 3. *Adducam omnes gentes in vallem Josaphat*; sed planè vult Apostolus 1. Thessalon. 4. quod *boni rapientur obviam Christo in aera*, mali relinquentur in terra, boni non erunt in valle Josaphat, mali fortè erunt ibi, vel in circuitu in tanto loco, quatenus poterit eos capere. Fortè etiam coniicitur ab aliquo, quod Judex descendet inferius in aere, in quo fuit transfiguratione, vel in quo transfiguratus est coram Apostolis, in qua transfiguratione ostendit signum gloriæ futuræ; ita Doctor ibi Undè locum Joelis ità vult intelligi, ut vallis Josaphat ponatur pars pro toto, itaut damnati, & ibi, & in locis circumjacentibus in terra consistant, ac etiam coniici posse Judicem ad inferiorum aeris regionem descensurum, in qua transfiguratus fuit, vel thronum Judicii suprà vallem Josaphat statuendum esse, & inde à sessione Judicis denominari hunc locum exercendi judicii, & locum in quo judicium universale fiet, quantumvis magna sit amplitudo terræ, in qua judicandi consistent, & ità communem sententiam esse intelligendam docet quoque Suarez disput. 53. sec. 3. Itaque pro resolutione quæsiti dicendum est, judicium universale in valle Josaphat esse faciendum non tamen in eo sensu, quod omnes judicandi intrà ambitum vallis illius comprehendi debeant, sed quod in ea, & circà eam judicandi consistent, cum hoc discrimine tamen, quod electi præsentes in judicio non manebunt in terra, sed in aere cum ipso Christo, reprobi autem in terra, quod apertè colligitur ex loco toties citato 1. ad Thessalonic. 4. ubi Paulus de ordine resurgentium discurrens ait. *Et mortui, qui in Christo sunt resurgent primi, deinde vos qui vivimus, qui relinquimur, rapiemur cum illis in nubibus obviam Christo in aera, & sic semper cum Domino erimus*, ubi loquitur de electis, ut Glossæ, & Patres notant, qui in adventu Christi vivi reperientur, & ait se cum aliis electis mortuis resurgentibus Christo ad judicandum venienti obviam ituros in aera, ubi cum Christo manebunt, & ità etiam in eum locum discurrunt Ambrosius, & Augustinus, qui & mortem in ipso raptu futuram docent, & resuscitationem eorum coram ipso faciendam, ut sic vivi semper cum Domino esse possint, & Haymon. in c. 3. ad Philipp. ait, quod licet omnes in momento resurgant, justi, & impii in die judicii, soli tamen justi Domino occurrent in aera deportandi ab Angelis, impii verò manebunt in terra, quousque percipient terribilem illam judicis sententiam: *Ite maledicti in ignem æternum, &c.*

8 Dices, si occupabunt corpora damnatorum plura alia loca in circuitu præter vallem Josaphat, multo magno intervallo à Christo distabunt, nec eum videre, aut audire poterunt. Deindè si omnes justi, & electi erunt in aere cum Christo, & damnati in terra, non videtur quòmodo verificari possit illud, quod legitur Matth. 25. illos futuros esse ad dexteram, istos autem ad sinistram, & quod illos separabat ab invicem statuens oves à dextris, & hædos à sinistris, qui si non sunt omnes in terra, vel in aere, opus non erit hanc distinctionem fieri per localem separationem, cum jam facta supponatur illis in aere cum Christo existentibus, & istis in terra.

Respondetur negando consequentiam, siquidem Christus Dominus tanta efficacitate, & velocitate sui splendorem vel speciem, ac etiam voce emittet, ut simul ab omnibus in tota illa distantia videri possit, & audiri, etiamsi miraculosè id facere oporter, & omnia auferre impedimenta. Ad aliud respondent Scholastici communiter, ac etiam Suarez loc. cit. quod intelligendo illud Matth. 25. ad litteram, & in propria significatione, dexteram nimirum, & sinistram Corporis Christi, omnes reprobos etiamsi in terra sint, ad partem sinistram Christi esse collocandos, bonos verò in aere ad dexteram, quod si ità fiet, non tamen attendendus est respectus majoris, vel minoris distantiæ, aut propinquitatis ad judicem, quàm significationis, si verò allegoricè, & in sensu mystico intelligatur, dicendum est dextram, & sinistram more Scripturæ significare locum fælicitatis vel infælicitatis, honoris, vel abjectionis; quem sensum indicavit Anselmus in Elucidario dicens, *Ad dexteram, scilicet, sursum in gloria, ad sinistram deorsum in terris*, ac etiam Hilar. can. 28 dicens. *In dextera, ac sinistra collocans unumquemque digna aut bonitatis, aut malitiæ sede constituet.*

9 Quartò

9 Quartò quæritur, in quo tempore erit judicium universale. Certum est, ac dogma de fide, ut etiam Scotus docet 4. d. 49. q. 2. in fine Mundi judicium universale esse futurum, & hoc debet intelligi de mundo, non quoad substantiam elementorum, & corporum cœlestium, de quo infrà dicemus, sed quoad generationes præsertim hominum, & consequenter aliarum rerum, quæ propter hominem conditæ sunt, ità colligitur ex pluribus Scripturæ locis, ut Isaiæ 13. *Ecce dies Domini veniet crudelis, & indignationis plenus, & iræ, furorisque ad ponendam terram in solitudinem, & peccatores conterendos de ea*, & Ecclesiastici 18. *Memento iræ in die consummationis*, & Sophoniæ 3. *Effundam super eos indignationem, omnem iram furoris mei, in igne enim zeli mei devorabitur omnis terra*; ergo ira, indignatio Dei, quæ ad judicium universale reservatur, in consummatione mundi exercebitur. Idem habetur frequenter etiam in novo Testamento, ut Matth. 24. ubi interrogatus Christus Dominus de secundo adventu suo ad judicium respondet: *Sicut fulgur exit ab Oriente, & paret usque in Occidentem, ità erit adventus filii hominis; statim autem post tribulationem illam Sol obscurabitur, Luna non dabit lumen suum, & Stellæ cadent de Cœlo, &c. tunc videbunt filium hominis venientem in nubibus Cœli cum virtute multa, & majestate*, sic etiam habetur 2. Petri cap. 3. *Veniet autem dies Domini, tanquam fur, in quo Cœli magno impetu transient, elementa verò calore solventur, terra autem, & quæ in ipsa sunt opera exurentur*; ergo tempore consummationis mundi fiet universale judicium; qua de causa veritas hæc determinata fuit, tanquam dogma de fide in Concil. Lateran. 4. c. 1. & habetur nunc in cap. 1. de Summa Trinit. ubi de Christo hoc dogma tanquam de fide statuitur sub his verbis, *Venturus est in fine sæculi judicaturus vivos, & mortuos & redditurus singulis secundùm opera sua*.

10 Sicut autem certum est, ac de fide judicium universale in fine mundi futurum esse; & in consummatione sæculi, ità pariter incertum omninò est præcisum, seù determinatum tempus, ut annus, mensis, vel dies, in quo ab hinc erit judicium universale futurum, & hoc pariter habetur ex eisdem Scripturæ locis, tùm veteris, tùm novi testamenti, ut Malach. 3. *Ecce venit, dicit Dominus exercituum, & quis poterit cogitare adventum ejus*, & Matth. 24. cit. *De illa die nemo scit, neque Angeli Cœlorum*; ergo tempus determinatum, & præcisum adventus Domini incertum est, & incognitum non solùm hominibus; sed etiam Angelis, & idem etiam habetur Marci 13. & Lucæ 21. qua de causa hoc etiam determinatum fuit, ut dogma de fide in Concil. Later. 5. sess. 11. ubi constit. 1. prohibetur sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, nequis certum tempus prædicere audeat, seù diem futuri judicii. Ratio verò alia non est, nisi quia hoc ex sola Dei voluntate pendet, quæ nobis revelata non est, & ratione investigari nequit non solùm ab hominibus, sed neque etiam ab Angelis, & ideò habetur in Act. Apostol. 1. Christus dixit Apostolis, *Non est vestrum nosse tempora, vel momenta, quæ Pater posuit in sua potestate*, ubi Glossa Interlin. inquit non est vestrum, idest, non est hominum judicii nosse. Hinc valdè errarunt antiquiores quidam, qui dixerunt mundum duraturum sex mille annis, & consequenter in fine eorum futurum esse judicium, & secundum Christi adventum, qui error Millenariis tribui solet, illumque expressè docet Lactantius li. 7. divinarum Institut cap. 14. & 24. & quidam alii Patres, quos refert Suarez disp. 53. cit. sec. 4. & ait conjecturam, qua illi utebantur, esse quia sex diebus creatus est mundus, & in septimo fuit Sabbathum, & requies; sed apud Deum mille anni sunt, tanquam dies una; ergo durabit Mundus sex annorum millibus, & posteà sequetur requies diei Sabbathi. Quam conjecturam subdit nullius esse momenti, tùm quia illæ metaphoricæ significationes non possunt ab uno loco ad alium benè transferri, dicuntur enim esse mille anni apud Deum tanquam dies unus, ut immobilitas divinæ æternitatis significetur, non verò ut dies creationis sæculum durationis mundi significent; tùm etiam quia dici potest illos sex dies significare sex mundi ætates, quæ æqualem non habent annorum durationem. Ità Suarez loc. cit. apud quem alia plura videri possunt pro hujus erroris confutatione.

11 Quintò tandem quæritur, an animæ Christi nota sit illa dies, & an ab aliquo Beato cognoscatur; & ratio dubitandi est, quia loc. cit. Matth. 23. *De die autem illam, & hora nemo scit, neque Angeli in Cœlo*, Marci 13. additur, *Neque filius*, & Jo: 15. dixit Christus Apostolis, *Omnia quæcunque audivi à Patre meo, nota feci vobis*, sed istud non notificavit illis; ergo istud non novit etiam ipse Christus. Communis tamen sententia docet animam Christi cognoscere illum diem, non scientia naturali, sed beata, & infusa, & ità præsertim docet D. Bonavent. 4. dist. 48. art. 1. q. 4. ubi in resolutione quæstionis inquit quod absque dubio dies, & hora judicii est nota toti Trinitati, & homini assumpto, & ait auctoritate Marci citata, sicut patet ex Glossa, non excludi filium naturalem, sed adoptivum; vel si loquitur de filio etiam naturali dicendum est cum Augustino lib. 1. de Trinit. cap. 12. *Quod non ità sciebat ut tunc discipulis indicaret*. Et cùm dicitur, quod Christus nota fecit omnia Apostolis, quæ audivit à Patre, ait D. Bonavent. hoc intelligendum esse de necessariis ad salutem; ad hanc autem magis confert, quod diem illum nesciamus, inquit Glossa loc. cit. & semper simus incerti de adventu Judicis, ut sic quotidiè vivamus, quasi in alia die judicandi simus. De Angelis verò, & aliis Beatis loc. cit. incertum esse, an in Verbo hunc diem cognoscant, & verisimilius esse cum Riccardo, Soto, & aliis 4. dist. 48. non cognosci, quod tamen subdit regulariter intelligendum esse, nam fortasse à B. Virgine cognoscitur. At D. Bonavent. loc. cit. ait utrumque esse possibile, & probabile; etenim ex una parte cùm soli Christo omnis scientia sit communicata non apparet ratio, cur etiam Angelis hoc sit notificatum, cum istud non sit de substantia gloriæ ipsorum, & cùm ex alia parte Deo sint familiares, & nihil in hujus rei scientia perdere possint, non videtur, quarè non congruat istud etiam eis revelari; ideoque facile non esse id definire. Undè concludt, quod quia aliquæ auctoritates Sanctorum sonare videntur, quod Angeli hoc cognoscant, aliquæ quod ignorent, sanè dici potest, quod istud notum sit aliquibus angelis, & beatis, aliquibus ignotum, & tandem concludit pro illa parte standum esse, quod alicui creaturæ dies, & hora judicii notat esse possit ex divina dispositione, prout Deo placuerit, quia magis timendum est judicium speciale cujuslibet, quàm generale, quia qui hoc evadit, evadit & illud, sed dies mortis pluribus revelatis est, sicut dicitur de Beato Martino, & Beato Benedicto; ergo probabile est, qnod etiam dies judicii universalis possit aliquibus revelari ex divina dispositione; ità discurrit D. Bonaventura, & optimè l. c. absolutè tamen loquendo dicendum est, cum D. Augustino in hac materia opus non esse scire quantum temporis hinc futurum sit usque ad extremum judicii diem, sed quomodo futurum sit ut curent filii lucis esse, & parato corde vigilare, qui nolunt ab illa hora, sicut à nocturno fure comprehendi.

ARTICULUS SECUNDUS.

Quæ signa præcedent judicium universale indicantia.

12 Hic supponendum est multa signa, & judicia diem judicii, & adventum Christi Domini esse antecessura, ut ex Scriptura colligitur, quorum aliqua sunt valdè generalia, & communia, & quæ diversis temporibus accidunt in Ecclesia Dei, & jam acciderunt, quamvis veluti per antonomasiam in Scripturis illis temporibus attribuantur, quæ proximè judicium universale antecedent, ut quæ Matth. 24. narrantur, *Audituri estis prælia, & seditiones, resurget gens contrà gentem, & regnum adversus regnum, & erunt pestilentiæ, & fames, & terræmotus*, &c. & similia sunt illa, quæ refert Paulus 2. ad Timoth. 3. *In novissimis diebus instabunt tempora periculosa, & erunt homines seipsos amantes, cupidi, elati, blasphemi*, &c. quæ quidem signa, quia communia sunt, & per se satis clara, nulla indigent explicatione, ut Suarez quoque advertit disp. 56. ab initio. Alia sunt signa particularia, & magis propria illius diei, de quibus dixit Christus Matth. 24. *Cum videritis hæc fieri, scitote quia propè est in januis*, & ad duo capita revocari possunt; quædam sunt remota, quæ scilicet judicium antecedunt, & initium ejus magis, vel minus; quædam verò sunt proxima, ac veluti ipsum judicii diem concomitantia, de quibus modò agendum est, de remotis quidem in præsenti articulo, de proximis verò in sequenti.

13 Primò quæritur, an promulgatio Evangelii in toto orbe sit signum approximationis judicii, seù ante judicium prædicandum sit Evangelium in toto orbe, sitque hoc signum judicii appropinquantis. Communis Patrum, & Theologorum sententia id asserit, tanquam dogma de fide, & evidenter colligitur ex pluribus Scripturæ locis, nam Matth. 24. interrogatus Christus ab Apostolis de die judicii, *Dic nobis quando hæc erunt, & quod signum adventus tui, & consummationis sæculi*, musta præcurrentia signa prædicens hoc præsertim assignavit, *Et prædicabitur hoc Evangelium in universo orbe in testimonium omnibus gentibus, & tunc veniet consummatio*, & ità hunc locum Patres passim intelligunt, & exponunt, nam Origenes tract. 28. in Matth. sic habet, & in hoc statu, nempè propè finem sæculi, Evangelium, quod prius prædicatum non fuerat in toto mundo, tunc prædicabitur, ut omnis gens Evangelicam audiat prædicationem, & nemo derelinquatur, & tunc erit sæculi finis; sic etiam discurrit Hieronymus in prædictum cap. 24. Matth. dicens, quod signum dominici adventus est Evangelium in toto orbe

orbe prædicari, ut nullus sit excusabilis; ità etiam Joan. Chrysost. homil. in 2. Epist. ad Thessal. loc. ubi ait. Ponit autem multa ipse Dominus signa adventus ejus, unum quidem maximum dicens, quandò prædicabitur Evangelium apud omnes gentes; ità etiam Jo. Damascenus lib. 4. de fide orthod. cap. 27. Cyrillus Hierosol. cath. 15. Theodoret. in 2. ad Thessal. cap. 2. & alii passim. Denique id probat D. August. pluribus in locis præcipuè verò epist. 78. & 80. ad Hesichium, & lib. 2. de sermone Domini in monte cap. 10. & lib. de unitate Ecclesiæ cap. 15. ex locis omnibus veteris testamenti, in quibus promissa est Christo omnium gentium, nationumque possessio, dominium, ac veneratio, Psalm. 71. *Dominabitur à mari usque ad mare, & à flumine usque ad terminos orbis terrarum*; Psal. 58. *Omnes gentes quascunque feciſti, venient, & adorabunt coram te Domine*, Psalm. 2. *Postula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ*. Sophon. 2. *Et adorabunt eum omnes loco suo, omnes insulæ gentium*; Malach. 1. *Ab ortu Solis usque ad occasum magnum est nomen meum in gentibus, & in omni loco sacrificatur, & offertur nomini meo oblatio munda*; ergò antè mundi consummationem, & diem judicii hoc totum verificari debet, quod per Evangelii prædicationem Christus totius mundi possessionem, & dominium accipiat.

14 Sed obstat gravis difficultas, quod hoc signum non sit authenticum, nam jam indè ex tempore Apostolorum in universo terrarum orbe Evangelium Christi prædicatum fuit, & promulgatum, ut testatur Paulus ad Romanos 10. *In omnem terram exivit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum*, & tamen judicium universale tanto temporis spatio adhuc non est factum. Pro hujus difficultatis solutione varias adducunt illius loci Patrum expositiones Suarez disput. 56. cit. sect. 1. & Brancatus noster disputat. 9. art. 4. & quidem locus ille difficilis est, nec absolutè intelligi potest, ut verba sonant, quod tempore Apostolorum Christi Evangelium in omnibus provinciis, & locis ubi homines habitant, fuerit prædicatum, & promulgatum, nam Origenes, & Augustinus loc. cit. testantur nec etiam suis temporibus Evangelium Christi in universo orbe prædicatum fuisse, quod planè verissimum est, constat enim etiam in nostra ætate plures provincias inventas esse, ad quas Evangelii prædicatio nunquam pervenerat, cùm illæ neque Apostolis, neque antè nostram ætatem cognitæ fuerint, ut patet de novis Indiis in America. Itaque inter omnes illius loci expositiones aptior videtur Theodoreti, Ambrosii, & quorumdam aliorum Patrum expositio, qui illum intelligunt de Judæis tunc in toto orbe dispersis, ipsi enim omnes audierunt Evangelium tempore Apostolorum, nam Paulus loc cit. Judæos potissimum convincere intendebat, & de eis loquitur, cùm ait. *Nunquid non audierunt?* & ait illos inexcusabiles esse quia omnes qui tunc erant in orbe toto dispersi, vel per ipsam Apostolorum præsentiam, vel per famam de opinionibus variis de Messiæ adventu jam secuto Evangelium audierunt ex hoc autem non sequitur, quod omnes etiam Gentiles tunc in diversis Mundi partibus existentes id audierint, quia cùm non essent de Messiæ adventu solliciti, fama ad eos in universum pervenire non poterat.

15 Rursus est difficultas, quem effectum sit habitura hæc universalis Evangelii prædicatio, priusquam judicium inchoetur, an scilicet, non solùm prædicandum sit Evangelium in universo orbe, & fides Christiana ubique disseminanda, sed etiam ab omibus recipienda, itaut totus orbis ad Christum sit convertendus, & Religionem Christianam professurus, antequam judicium inchoetur. Affirmant aliqui, quod probant omnibus Scripturæ testimoniis ex Augustino nuper adductis de promissionibus Christo factis: *Dominabitur à mari usque ad mare, &c.* & de universali tam gentium, quàm Judæorum conversionem ad fidem Christi, ex quibus motivis Brancatus noster in hanc sententiam inclinat loc. cit. quia inquit, Prophetæ jam sæpè prædixerunt Christum dominaturum in toto mundo, dilatandam ejus ditionem in omnes gentes, & recipiendum ab universis, antequam judicium inchoetur. Quod etiam verba Christi insinuare videntur Jo: 10. quando dixit, *Alias oves habeo, quæ non sunt ex hoc ovili, & illas oportet me adducere, & fiet unum ovile, & unus pastor*, sed planè hoc asserere non cogimur ex responsione Christi Apostolis data Matt. 24. quando ab eis interrogatus fuit de die judicii, & signis, quæ illum præcedere debebant, non enim dixit *Credetur hoc Evangelium in universo Orbe*, sed ait quod *prædicabitur*, nec dixit, quod prædicabitur, ut omnes credant sed *in testimonium omnibus gentibus*, ut qui credere noluerint nullam habeant excusationem, ut unanimiter omnes Patres exponunt; ergo ex verbis illis Christi non convincitur Evangelium ubique recipiendum esse, ut tenet allata opinio, sed tantùm prædicandum, ut illud non recipientes nullam excusationem habeant. Quapropter cùm nihil certi circà hoc punctum nec ex Scripturis, nec ex antiquis Patribus habeamus, hoc ex illis verisimilius deduci potest, ut Suar. benè discurit l. c. quod Evangelium per universum Orbem ità sit prædicandum, ut ubique in omnibus regionibus, & præcipuis Provinciis templa fundentur & Christiana religio recipiatur, & exerceatur, & hoc modo Christus ubique agnoscatur, & colatur, hoc enim expresè docent omnes Patres citati, & hoc modo exponunt testimonia Prophetarum adducta, præsertim Augustinus loc. c. non tamen necessarium est, ut per hanc universalem Evangelii prædicationem, & Fidei Christianæ diffusionem, ut aliquo tempore antè judicium totus simul mundus convertatur, & Catholicam Religionem amplectatur, itaut in limine judicii universalis nullus prorsus infidelis, aut hæreticus reperiatur. Quare licet definitè negari non possit ità esse futurum, quia hoc etiam ignoratur, tamen neque definitè affirmari potest, cùm non sit revelatum; illa enim verba Joan. 10. *Erit unum ovile, & unus Pastor* non significant fore aliquando, ut universus orbis, & omnes homines intrà Ecclesiam Dei sint comprehendendi, ut nullus sit infidelis, aut hereticus, sicque unum ovile constituant sub uno Pastore Christo, ejusque Vicario; nam etiam modò totus Orbis Christianus, & Romanæ Ecclesiæ, seù Romano Pontificii spiritualiter subjectus vere unum ovile constituit sub uno Pastore Petri successore, & Christi Vicario, & tamen aliqui infideles, & hæretici in quibusdam regionibus, & provinciis, ut Germania, & Polonia sunt cum Catholicis, & fidelibus permixti. Itaque Christus ibi præcitatis verbis de uno Pastore solùm prædicere voluit gentium, & Judæorum conversionem, & ex gentibus, & Judæis unum ovile constituendum esse, atque unam Ecclesiam universalem, & Catholicam, quæ quantùm est in se omnes complectatur, etiamsi adhuc aliqui infideles, & hæretici sint fidelibus, & Catholicis permixti, undè in ea propositione accipitur major pars, vel maxima pro toto.

16 Secundò quæritur, an Romani Imperii defectio sit signum venturi judicii. Conveniunt Patres, quos fusè referunt Suar. d. 56. cit. sect. 2. & Brancatus noster d. 1. de Antichristo a. 3. Romani Imperii destructionem inter signa futuri judicii, numerandam esse, quod desumunt ex Epistola ad Tessal. c. 1. ubi Paulus præmonens eos, ne timeant, quasi judicium de proximo instaret, ait *Rogamus vos fratres per adventum Domini Nostri Jesu Christi, ne terreamini quasi instet dies Domini, ne quis vos seducat ullo modo, quoniam nisi venerit discessio primùm, & revelatus fuerit homo peccati filius perditionis, &c.* ex quibus verbis colligunt Patres, quod antè adventum Christi ad judicādum venire debeat filius perditionis, ideſt, Antichristus, & antè eum præcedere debeat *discessio*, per quam intelligunt Romani Imperii defectionem, & destructionem Glossa Interlin. Ordinaria, Ambrosius, August. Hieronymus, Chrysostomus, Tertulianus, Lactantius, Theophilactus, & alii Patres à prefatis Auctoribus relati, & ibi Glossa Ordinaria rationem assignat, cur Paulus sit ænigmaticè, & obscurè de tali discessione locutus, ne scilicet, calumniam incurreret, quod Romano Imperio malè optaverit, cùm æternum esse speraretur, omnes igitur unanimiter docent unum ex signis finem mundi, & adventum Antichristi indicaturis esse Romani Imperii defectionem. Quarè restat sola difficultas, quid nomine Romani Imperii sit intelligendum, & quomodo sit defecturum, de quo varii extant modi dicendi à prædictis Auctoribus adducti, quos brevitatis gratia omittimus, & breviter dicimus cum Brancato nostro loc. cit. quod licet aliqui nomine Romani Imperii intellexerint potestatem Papæ, & nomine defectionis recessum ab obedientia, & fide, seù fidelitate Papæ, alii à fide recessum, re vera tamen de defectione intelligi debet, seù deficientia Imperii sæcularis, seù imperialis potestatis in Cæsaribus Augustis existentis. Ratio est, quia omnes Patres adducti unanimi consensu locum Pauli intelligunt de sæculari potestatis defectione, non autem de potestate spirituali Pontificis, quæ nunquam in Ecclesia Romana cessabit juxtà Christi oraculum Matth. 16. *Tu es Petrus, & super hanc petram, &c. & portæ inferi non prævalebunt adversus eam*, quibus verbis significavit Sedis Apostolicæ, & Ecclesiæ firmitatem neque tempore Antichristi ab insidiis Diaboli fore convellendam, imò maximè tunc patebit fidelium constantia circa Ecclesiam, ejusque caput. Cùm igitur locus Pauli de discessione ab Ecclesia intelligi nequeat, remanet ut de Romano Imperio intelligendus sit, & per hujusmodi defectionem ab Apostolo prædictam non quælibet recessio, aut rebellio ab Imperio Romano debet intelligi, nec quælibet ejus, estò gravis diminutio, sed totalis deficientia, & abolitio imperialis dignitatis, & ratio est, quia si ità intelligi deberet, jam multis antè sæculi Antichristus venisset, cùm anteà plures, & gravissimas clades tùm in Oriente, tùm in Occidente Romanum Imperium habuerit, etenim in Oriente ab Arabibus, & Saracenis tam diré, ac iniquè per continuas clades, & invasiones allisum est, & confractum, ut tandem per invasionem Mahometi Secundi Saracenorum Regis omninò extinctum fue-

fuerit. In Occidente verò adeò restricta est Imperialis Romanorum ditio, ut in sola Germania nunc resideat, & nihilominus tali, ac tanta existente Imperii Romani diminutione, mundus adhuc perseverat, nec dùm Antichristus venit; ergò defectio illa, postquam Antichristus venturus est, non est quævis diminutio, ac defectio, quamvis maxima, sed totalis omninò, undè Patres allegati de totali abolitione, & abrogatione Romani Imperii loquuntur, ut eos legenti patebit.

17 Tertiò quæritur, an Antichristi adventus sit signum judicii appropinquantis. Pro resolutione quæsiti supponendum est hoc nomen *Antichristi*, quod in Scriptura solùm apud Joannem reperitur, hominem iniquum significare hostem Christi, atque in omnibus illi contrarium, undè hoc nomen Antichristus idem sonat, quod Christus adversarius, seù contrarius, & hunc hominem circà finem Mundi esse venturum antè secundum Christi adventum, ut Patres passim deducunt ex loc. cit. 2. ad Thessalon. ubi Paulus præmonens eos, ne timerent, quasi judicium jam immineret, ait illud non esse futurum: *Nisi venerit discessio primùm, & revelatus fuerit homo peccati, filius perditionis, qui adversatur, & extollitur suprà omne id, quod dicitur Deus, &c. & tunc revelabitur ille iniquus, &c.* qua omnia de Antichristo pronunciari Patres communiter docent, & præsertim D. Hieronymus ad Algasiam q. 21. ubi describens, quæ antè Christi adventum præcidere debent, ut signa illum indicantia ait. Tunc sciant Antichristum ideò hominem peccati, & filium perditionis, qui adversatur, & extollitur super omne, quod dicitur Deus, aut quod colitur, itaut in templo sedeat, esse venturum, & subdit, quod dicitur filius perditionis, quia est universorum perditio, & quia adversatur Christo, ideò dicitur Antichristus. Hoc etiam Patres colligunt ex Matth. 24. ubi interrogatus Christus: *Quod signum adventus tui, & consummationis sæculi? respondens Jesus dixit eis, videte ne quis vos seducat, multi enim venient in nomine meo dicentes; ego sum Christus, & multos seducent, &c. Surgent PseudoChristi, & PseudoProphetæ, & dabunt signa magna, &c. Et tunc patebit signum filii hominis in Cœlo, & tunc plangent omnes tribus terræ, & videbunt filium hominis venientem in nubibus Cœli cum virtute multa, & majestate*; quæ omnia etiam de Antichristo Patres intelligunt, & exponunt, & præsertim Joannes Chrysost. homil. 78 ubi ait, quod sic Antichristus apparebit, post quem consummatio, & intollerabiles pœnæ sequuntur. Ex quibus omnibus deducitur tertium signum minus remotum judicii futuri esse Antichristi adventum, licet Ecclesiæ sit penitus ignotum quoto post anno, vel sæculo futurus sit mundi finis, & Antichristi adventum, qua de causa in Concil. Later. sess. 11. constit. 1. supposito futuro Antichristi adventu, prohibetur tantùm, ne prædicetur tempus aliquod determinatum, in quo venturus sit. Undè stultum omninò censetur, & erroneum à Patribus omnibus, & Doctoribus, quod aliqui dixerunt, nullam circà finem mundi venturam de novo personam, quæ sit, aut dicatur Antichristus, seù Antichristum multo jam ex tempore in mundum venisse, nam omnes præcipuæ circumstantiæ adventur Antichristi in Scripturis indicatæ fateri cogunt, Antichristum nondùm venisse, sed venturum sub Mundi finem, idest, non multò antè, quàm Christus venturus sit ad extremum judicium, etenim ut suprà dictum est, antè adventum Antichristi Evangelium in toto Orbe prædicandum est, opusque est, ut ejusdem adventum præcedat totalis, & omnimoda Romani imperii extinctio, & defectio ab illo, quod tamen adhuc suam auctoritatem, & dignitatem retinet, & ut mox dicemus, sub idem tempus Enoch, & Elias venturi sunt, ut animos electorum sua prædicatione confirmet; & tandem tunc erit talis Ecclesiæ persecutio, qualis anteà nunquam fuit; hæc autem omnia nondum impleta sunt, de quo alia plura videri possunt apud Suarez disp. 54. sect. 2.

18 Hic tractari solet de genealogia Antichristi, de ejus moribus, & doctrina, de regno, ac ejus fine, & excidio, de quibus omnibus Suarez disp. 54. cit. & Brancatus noster disp. 1. de Antichristo fusè discurrunt, quæ omnia hìc breviter complectemur, ab eis plurium Patrum testimoniis probata. Et quoad genealogiam Patres communiter docent Antichristum ex gente Judæorum, & in Babylone nasciturum, non ex legitimo matrimonio, sed ex fornicaria muliere, idque ex tribu Dan juxtà prophetiam Jacob Genes. 49. hujus conditio ab initio vilis quidem, erit, & abjecta, posteà verò ampliſſimam dignitatem, ac regiam magicis artibus per fraudem obtinebit, ità sentiunt Damascenus, Anselmus, Beda, Irenæus, Theodoretus, Ambrosius, & alii Patres de Antichristi genealogia, qui ob hanc causam existimant Joannem in Apocalyp. cap. 7. Tribum Dan omisisse in odium nimirum Antichristi. Quoad mores, Patres similiter docent Antichristum fore omnium hominum, qui unquam fuerunt, nequissimum, & turpissimam vitam acturum, & quamvis exterius insignis erit hypocrita, ac pietatis simulator, interius tamen erit atheus, impius, & blasphemus in Deum, & Sanctos ejus, ac etiam idolatra occultè Diabolum adorans, cujus virtute signa faciet mirabilia, ac prodigia ad fidelium animos expugnandos, quæ proindè vera miracula non erunt, sed omninò fallacia virtute diaboli edita, vel hominum sensus illudentis, vel quædam efficientis occulta virtute naturali, quæ mira videantur; ità Patres communiter, & præsertim Damascenus lib. 4. fidei orthod. cap. 27. ubi ait, quod in Regni quidem sui, vel tyrannidis potiùs præludiis bonitatis speciem præseferet, cùm autem rerum potius fuerit, tùm Ecclesiam Dei persequetur, perversitatemque suam omnibus depromet, & Augustinus in tractatu de Antichristo de ejus moribus fusè discurrens inquit, quod habebit Magos, maleficos, divinos, incantatores, qui eum diabolo inspirante nutrient, & docebunt in omni iniquitate, falsitate, & nefaria arte, & maligni spiritus erunt duces ejus, & socii semper, ac comtes indivisi. Quoad doctrinam, primum, ac veluti fundamentum doctrinæ Antichristi erit Christum verum Messiam non fuisse, neque Filium Dei, neque hominum Salvatorem, & consequenter totam ejus Religionem, & Sacramentorum institutionem esse vanam superstitionem, ac proindè Moysi legem esse resumendam, circumcisionem retinendam, &c. quod quidem expresse deducitur ex Joan. 1. can. 2. dicente: *Quis est mendax, nisi qui negat Jesum esse Christum, & hic est Antichristus*. Excluso autem vero Messia Judæis persuadebit se esse Messiam in lege promissum, & hoc intelligunt Patres significasse Christum illis verbis Joann. 5. *Ego veni in nomine Patris mei, & non accepistis me, si alius venerit in nomine suo illum accipietis*, & idem significatur illis verbis Matth. 24. *Si dixerunt vobis, ecce hìc est Christus, nolite credere*: Et tandem docebit, ac persuadebit hominibus, ut credant nullum esse verum Deum præter ipsum, & expresse colligitur ex 2. ad Thessal. 2. *Extolletur suprà omne, quod dicitur Deus aut quod colligitur, itaut in Templo Dei sedeat ostendens se, tanquam sit Deus*. Quoad regnum, ac ejus finem, & exicidium, per fraudes regiam obtinebit dignitatem, & contrà decem Reges, qui deleto Romano imperio tunc omnes illius religiones occupabunt, pugnabit, & expugnabit, quorum tres occidet, scilicet, Regem Ægypti, Lybiæ, & Æthiopiæ, & alios septem subjugabit, atque ità fiet Monarcha Orbis, & hoc apertè colligitur ex Dan. cap. 7. & 11. supposita communi Patrum expositione, qui de Antichristo ea loca intelligunt, & præsertim verba illa cap. 7. *Cornua decem, decem Reges erunt, & alter consurget post eos, & ipse potentior erit prioribus, & tres Reges humiliabit*. Denique Antichristus regnabit tantùm per tres annos cum dimidio, & tandem occidetur in Jerusalem, ubi sedem fixerat, in Monte Oliveti Christi, seu virtute immediatè, vel opera Michaelis Archangeli cum superbissimè in illo monte consederit, tanquam indè conscensurus in Cœlum; ut fusè probat ex pluribus scripturis, & Patribus Brancatus noster disp. cit. art. 21. & Suarez disp. cit. sec. 6.

19 Quartò quæritur, an adventus Enoch, & Eliæ ad prædicandum contrà perversam Antichristi doctrinam sit etiam signum judicii appropinquantis. Communis est assertio Patrum, & Doctorum, & quidem de fide, aut fidei valdè proxima, cùm expresse ex Scripturis deducatur Enoch, & Eliam adhuc vivos in carne reservari, ut in fine Mundi veniant ad prædicandum contrà Antichristi doctrinam, & ad patiendum per eum Martyrium, & consequenter futuros esse secundi adventus Christi præcursores. Et quidem adhuc vivos in carne reservari de Enoch apertè testatur Sapiens Eccl. 44. *Enoch placuit Deo, & translatus est in Paradisum, ut det gentibus pœnitentiam*, & adhuc apertius Paulus ad Hebræos 11. *Enoch translatus est, ne videret mortem*, ubi Lyranus ait, quod Enoch propter sanctitatem singularem missus fuit vivus in Paradisum terrestrem, indè tamen rediturus est cum Elia circà finem Mundi ad prædicandum contrà Antichristum, ideò subditur, ut det gentibus pœnitentiam scilicet Antichristi perfidiam detegendo. De Elia verò expressus est locus 4. Regum 2. ubi refertur Deum *per turbinem in Cœlum* Eliam transtulisse, & latius Eccles. 47. dicitur *Receptus, & tectus in turbine, & inscriptus in judiciis temporum*, ubi Glossa Interlin. ait, quod venturus est antè diem judicii secundùm Malachiam Prophetam. Idem etiam passim docent SS. Patres, nam D. Ambr. tom. 1. tract. de Parad. cap. 3. ait dubitandum non esse Enoch, & Eliam, in quibus nati sunt corporibus adhuc vivere, & similiter alii Patres loquuntur, quos fusè referunt Suarez disp. 55. sec. 1. & Brancatus noster disp. 1. cit. art. 4.

20 Ubi etiam Suarez optimè advertit hos duos viros nondùm esse animis, & corporibus glorioſos, sed solùm per fidem, & abstractivam cognitionem divina contemplatione, & amore frui, & quidem quantum ad corpora spectat docetur ab Augustino 1. de peccatorum meritis ca. 3. dicente, quod non credit eos jam in illam spiritualem qualitatem commutatos, qualis in resurrectione promittitur, quæ in Domino prima præcessit, &

hoc

hoc etiam ratio ipsa suadet, quia Enoch, & Elias reservantur aliquandò morituri, & martyrium passuri, ut dicemus; ergò verisimile non est corpora habere immortalia, ut habebunt beati, quia hujusmodi corporis status est perpetuus, & cui semel datur nunquam aufertur. Ex quo infertur ulterius neque etiam in anima glorioſos esse, nec clara Dei visione frui, quia ad gloriam animæ consequitur gloria corporis, qua ipsos carere diximus, & gloriam animæ in corpore mortali possidere fuit proprium, & speciale Christi privilegium. Non ob id tamen existimandum est illos perpetuò esse quasi in continuo somno absque operationibus vitæ præsertim intellectualis, sed maximè in perpetua Dei contemplatione, & amore occupabuntur, quia magna spiritus, & carnis quiete fruuntur, & nullum impedimentum habent, quo minus, vel semper, vel frequentissimè in hujusmodi actibus se se exerceant, ut docent D. Augustinus lib. 9. Genes. ad liter. cap. 6. & Bernardus serm. 6. de Ascensione Domini. Neque probabile videtur, quod hujusmodi actibus mereantur, & tunc etiam sint in statu merendi, quia in tam longo tempore infinita merita haberent, & omnes Sanctos, ac etiam ipsam Beatam Virginem meritorum cumulo spectarent; sed probabilius videtur fuisse in statu merendi usque ad illud tempus tantùm in quo translati sunt, & ad eundem statum merendi esse redituros, quando ad præparandum secundum Christi adventum iterum venient, quia tunc eodem modo viatores erunt, sicut anteà, & tanquam verè martyres fructum, & aureolam martyrii consequentur, hoc autem intermedio tempore verisimilius est non mereri. Sed sicut modò non sunt in statu merendi, ità neque demerendi, censeri enim debent in gratia confirmati, itaut nullum peccatum committere possint, & minimè pati inordinatos fomitis motus, nec illam corporis corruptionem, quæ aggravat animam, hoc enim ad perfectam animi puritatem, & quietem necessarium est, ut docet D. Bernardus loc. cit. & hæc est magna pars illius qualiscunque fælicitatis, quam tunc possident, cui etiam adjungitur gaudium de divinis illustrationibus, ac frequentibus revelationibus illarum saltem rerum, quæ eorum statui consentaneæ sunt. Ex quibus tandem omnibus deducitur, ut etiam docet D. Augustinus loc. cit. verisimilius esse Enoch, & Eliam corporalibus cibis non indigere, sed absque ulla corporis immutatione, vel alteratione à Deo conservari; sicut enim Deus Moysem in monte conservavit per quadraginta dies sine ullo cibo, & potu, & Israelitarum vestes in deserto per tot annos absque ullo detrimento; sic eadem virtute istorum corpora in eodem statu conservare potest, ac sine ullo defectu suspendendo influxum, ne ab ulla causa externa, vel interna ad corruptionem alterari possint. Aut si etiam his sustentaculis opus est ità fortasse in Paradiso pascuntur, inquit Augustin. cit. sicut Adam prius quàm propter peccatum indè exire meruisset.

21 Quod autem Enoch, & Elias tempore adventus Antichristi venturi sint etiam in mundum ad prædicandum contrà ejus doctrinam, est quoque communis Patrum consensus, & deducitur ex modò dictis, cùm ex Glossis, & Patribus probatum sit, quod adhuc vivi in carne reserventur, ut in fine mundi, & tempore adventus Antichristi veniant ad prædicandum contrà ejus falsam doctrinam, & martyrium ab eo patiendum. Et hoc significatum est à Joanne Apocalyp. 11. ait venturos esse duos divinos testes saccis amictos, qui prophetabunt diebus mille ducentis sexaginta tempore Antichristi, habituros facultatem faciendi miracula, & maxima signa, ac tandem occidendos esse, & eorum corpora in plateis Jerusalem per tres dies cum dimidio insepulta permansura; quamvis autem Joannes ibi non exprimat hos duos Prophetas esse Eliam, & Enoch, ponderatis tamen earum personarum circumstantiis quas ibi describit, & in aliis locis de Enoch, & Elia leguntur, ex communi omnium Patrum, & toties Ecclesiæ consensu creditum est, alios non esse quàm Enoch, & Eliam, qui ad alium finem non sunt translati, & in hac mortali vita adhuc conservati, nisi ut in fine mundi Antichristo resistant, & Christo testimonium præbeant; undè etiam Patres communiter dicunt juxtà numerum dierum à Joanne significatum, quod Enoch, & Elias prædicabunt veram Christi fidem, & pœnitentiam contrà Antichristi dogmata per tres annos, cum dimidio, quo temporis spatio præsertim Antichristi potestas, imperium, & tyrannis vigebit, & hoc præsertim facient pro Judæorum salute, qui cum tanta anxietate Messiam expectantes, & mirabilia ab Antichristo facta videntes, proculdubio eum ut Messiam reciperent; ut ergò ipsi quoque de veritate Messiæ aliquando sint capaces, & alii quoque infideles de eo doceantur, & fideles non seducantur, ac decipiantur, & Enoch, & Elias ad prædicandam Christi fidem, & confirmandam mittentur contrà Antichristi doctrinam; ità in locum Apocalyp. citatum docent Ambrosius, Anguſtinus, Anselmus, Gregorius, Beda, & alii Patres, quorum testimonia Suarez, & Brancatus loc cit. copiosè referunt. Ex quibus omnibus tandem infertur adventum Enoch, & Eliæ contrà perversam Antichristi doctrinam futurum esse quoque signum judicii appropinquantis, & hoc etiam, & hoc etiam minus remotum cæteris jam prædictis, nam & adventus Antichristi pluribus annis adventum Enoch, & Eliæ præcedet, isti enim ad prædicandum apparebunt tribus annis, & dimidio antè mortem illius; ergo magis proxima erit judicio eorum apparitio, quàm Antichristi nativitas.

22 Quintò tandem quæritur, an Joannes quoque Euangelista futurus sit præcursor secundi adventus Christi Domini. Affirmant aliqui Joannem quoque Evangelistam futurum esse præcursorem secundi adventus Christi cum Enoch, & Elia; qui primo supponunt illum nondum esse mortuum propter verba Christi Joan. ult. *Sic eum volo manere, donec veniam, quid ad te?* utique enim Christus ibi loquitur de secundo ejus adventu, cùm ait *donec veniam*, quia post ejus resurrectionem alius Christi non est adventus, nisi ad universale judicium peragendum; ergo ex voluntate Christi, sic ideſt sine morte mansurus fuit Joannes usque ad secundum Christi adventum, & ità Christi verba discipuli intellexerunt, undè colligitur eum adhuc manere in corpore mortali, & aliquando moriturum ex illa generali sententia *Statutum est hominibus semel mori*, ad Hæbreos 9. ergo redituras est, ut debitum mortis solvat, sicut de Enoch, & Elia dictum est.

Confirmatur ex aliis verbis Christi Matth. 20. *Calicem quidem meum bibetis*, quæ verba à Chrysost. hom. 66. ità exponuntur, Martyrii corona potiemini, & violenta morte, sicut & ego, à vita discedetis, cùm ergo Joann. Evangelista martyrium non sit passus, opus est illud aliquando pati, ut verba Christi impleantur, & cum Enoch, & Elia in fine mundi Christo testimonium perhibere, quia neque in aliud tempus, neque in alium finem reservari posse videtur. Tandem id expresè deduci videtur ex verbis, quæ Angelus dixit Joan. Apocal. 10. *Oportet te iterum prophetare gentibus, & populis, & linguis, & regibus multis*, sed hoc hactenus impletum non est; ergo saltem in consumatione sæculi implendum erit. Et hanc sententiam nonnulli ex Patribus antiquis tenuerunt, ut refert Suarez disp. 55. cit. sect. 3. qui tamen ibi subdit oppositum probabilius esse, insigniores enim Patres, ut Hieronymus, Eusebius, Ambrosius, Tertullianus, Beda, Chrisostomus, Theophilactus, & alii, quorum testimonia ibi adducit, docent Joannem Evangelistam mortuum esse, & ejus corpus Ephesi fuisse sepultum, cui sententiæ etiam Ecclesiæ auctoritas magnam facit fidem, quæ festum ejus celebrat, neminem autem colit, nisi beatum, & Deo fruentem, ex quo deducitur Joannem jam cum Christo regnare in cœlesti beatitudine, atque ita mortuum esse, generalis enim regula fidei est hominem justum non nisi post mortem beatitudinem consequi, & consequenter non esse venturum cum Enoch, & Elia, ut sit cum ipsis ultimi judicii præcursor, quia anima jam beata non est iterum corpori mortali unienda, ut patiatur, cùm nullum sit miraculum confingendum sine sufficienti fundamento, quarè concluditur solum Enoch, & Eliam secundi adventus Christi præcursores esse futuros, non autem Joannem, & tantò minus Moysen, & Jeremiam, ut etiam aliqui dixerunt apud Suarex loc. cit. absque ullo prorsus fundamento, quia loc. Apoc. cit. duo tantùm præcursores venturi, & sub Antichristo passuri dicuntur.

23 Ad fundamentum primæ sententiæ respondetur, varias esse expositiones illorum verborum Christi Jo. ult. *Sic eum volo manere, donec veniam, quid ad te?* sed breviter dicendum est cum Theophilacto, & aliis Christum ibi non esse locutum de secundo ejus adventu ad judicium finale, sed de adventu ad vindictam sumendam de Judaismo, non quidem personali præsentia, sed per effectum, scilicet, per destructionem urbis Jerusalem, juxtà quam expositionem Christus significare voluit Joannem vivum permansurum usq; ad illius Regiæ subversionem; vel si loquitur de ejus secundo adventu, & ultimo in personali præsentia, nihil de Joanne quantum ad hoc, de quo est difficultas, affirmasse, dicendum est, sed solùm Petri curiositatem conditionali locutione eludere voluisse, ut exponunt Chrysostomus, Cyrillus, & alii Patres. Ad Confirmationem plures Patres asserunt calicem Christi bibere non solùm, qui violenter pro Christo moritur, sed etiam qui exilia, flagella, & alias persecutiones pro Christo patitur, quæ omnia in Joanne impleta sunt, præsertim verò, quando in ferventis olei dolium missus fuit, licet enim tunc mortuus non fuerit, tamen quia tali martyrio voluntariè se obtulit, quod quantum est de se causa erat sufficiens ad mortem inferendam, nisi per miraculum impedita fuisset, id satis est, ut calicem Domini bibisse dicatur, qua ratione ab Ecclesia martyr frequenter appellatur. Ad ultimum plures Expositores dicunt, illud impletum esse, quando ex insula Pathmos rediens,

ubi relegatus fuerat, iterum per Asiam prædicabit; vel illud implectum esse ob Evangelium, quod posteà scripsit, per illud enim multis gentibus, & regnis, ac toti posteritati prophetavit.

ARTICULUS TERTIUS.

Alia signa proximiora judicio universali recensentur.

24 EGimus art. præced. de signis remotis judicii universalis, nunc de proximis agendum est, quæ nempè futura sunt post mortem Antichristi, in quibus primum locum tenere videntur, quæ in Cœlis futura sunt, ut habetur Matth. 24. ubi prædicens Salvator maximam Mundi vexationem per Antichristum posteà subdit; *Statim autem post tribulationem dierum illorum Sol obscurabitur, & Luna non dabit lumen suum, & Stellæ cadent de Cœlo, & virtutes Cœlorum commovebuntur, & tunc parebit signum filii hominis in Cœlo, & videbunt filium hominis venientem in nubibus Cœli cum virtute multa, & majestate &c.* idem etiam habetur Lucæ 21. *Et erunt signa in Sole, & Luna Stellis, &c.* in quibus verbis conveniunt Patres Chrysostomus Augustinus, Hieronymus, Hylarius, & alii sermonem esse de signis proximis judicii in Cœlo futuris, quæ præsertim tria erunt. Primum *Sol obscurabitur, & Luna non dabit lumen suum.* Secundum *Stellæ cadent de Cœlo.* Tertium *virtutes cœlorum commovebuntur.* Alia deindè signa ante diem judicii etiam erunt in cæteris sensibilibus, & alterationes magnæ in elementis, ut habetur ibidem Lucæ 21. *Erunt terræmotus magni per loca, terræque de Cœlo, & signa magna erunt, & in terris pressura gentium præ confusione sonitus maris, & fluctuum, & tunc videbunt filium hominis venientem in nube cum potestate magna, & majestate,* & Psam. 96. ubi secundus Christi adventus prædicitur his verbis: *Ignis ante ipsum præcedet, & inflammabit in circuitu inimicos ejus illuxerunt coruscationes tuæ orbi terræ, vidit, & commota est terra,* ubi Lyranus ait, quod quia antè judicium multæ impressiones igneæ fient; ideò subditur, *vidit, & commota est terra,* quia videntes talia commovebuntur commotione timoris. Hæc igitur signa judicio universali proximiora modo sunt explicanda, & dubia circa illa contingentia resolvenda.

25 Primò quæritur, quo tempore hæc signa judicii proxima sint futura, an scilicet antè universalem hominum mortem, & generalem resurrectionem, an verò post illam. Aliqui Patres dixerunt hæc signa futura post resurrectionem generalem in ipso Christi adventu; sic enim colligi videtur ex loc. cit. Matt. 24. cit. nam immediatè post ea verba signa prædicta judicii significantia subdit Christus, *& tunc apparebit signum filii hominis in Cœlo,* sed hoc signum non apparebit, nisi post resurrectionem omnium generalem, ipso Domino jam veniente; ergo neque alia signa, simul enim, & in eodem contextu omnia prædicuntur. Probabilius tamen docent alii Patres infrà citandi prædicta signa esse futura viventibus hominibus in carne mortali antè generalem resurrectionem, & hoc expressè colligitur ex verbis Lucæ 21. cit. *erunt signa in Sole, Luna, & Stellis, atque arescent homines præ timore, & expectatione eorum, quæ supervenient universo orbi,* ex his enim verbis constat prædicta signa futura esse hominibus causam terroris, angustiæ, & anxietatis, atque ideò opus est, ut viventibus adhuc hominibus hæc signa fiant, & appareant antè generalem resurrectionem, nam post illam nulla erunt necessaria signa ad terrorem incutiendum, neque dubia futurorum expectatio ullum habebit locum, cùm judicium universale jam sit præsens, ut ait Suarez disp. 56. cit. sect. 3. Et quidem de conflagratione mundi per ignem affirmant Theologi communiter 4. d. 47. futuram esse antè Judicis adventum, & generalem hominum resurrectionem, & ità præsertim docet ibidem Divus Thomas quæst. 2. art. 4. in sol. ad 3. ubi ait, quod ignis ille quantum ad sui principium erit antè resurrectionem, & incinerabit corpora bonorum, & malorum simul, cùm purgabit faciem mundi; sed quantum ad sui finem sequetur resurrectionem, & involvet reprobos, & ad infernum detrudet, & similia habet D. Bonavent. ibidem p. 2. quæst. 4. & expressè deducitur ex loc. cit. Psal. 96. *Ignis antè ipsum præcedet, & inflammabit in circuitu inimicos ejus,* in quem locum Hieronymus ait, quod ignis antè ipsum præcedet, istum ignem qui sanctus est non timeat, quia ignis iste sanctos purgat, & peccatores consumit, ut scilicet, resurgant; ergo saltem mundi conflagratio per ignem antè judicium, & hominum resurrectionem incipiet, licet post illam, & judicium finitum alios quoque præcipuos effectus sit habitura, ut posteà dicemus. Ad fundamentum prioris sententiæ dicendum est cum Suarez loc. cit. parum referre, quod apud Matthæum hæc signa simul cum aliis conjungantur, quia opus non est, ut quæ simul narrantur, simul etiam fiant, præsertim cùm ibidem Matthæus prius dicat venturum Christum cùm virtute, & majestate, & posteà subjungat, quod *Mittet Christus Angelos suos cum tuba,* &c. cùm tamen certum sit hunc tubæ sonitum futurum non esse post Christi adventum, sed antè; ex ordine ergo narrationis ordo executionis horum signorum colligi non potest, nec debet, sed ex aliis locis, & ex conjectura ex ipsis rebus desumpta; & hoc etiam expressè colligitur ex verbis Christi, quæ ibidem post illorum signorum prædictionem subjungit subdit enim: *Cùm videritis hæc fieri scitote quoniam prope est in januis;* ergo signa illa antè adventum Christi futura sunt, eo tamen appropinquante.

26 Secundò quæritur, qualia sint hæc signa secundum Christi adventum præcedentia, & quomodo intelligenda. D. Augustinus epist. 80. cit. ut refert Suarez ibidem inquit hæc signa metaphoricè intelligenda esse; ac interpretanda, undè per Solem, & Lunam Ecclesiam intelligit, de qua dicitur, quod *obscurabitur, & non dabit lumen suum,* quia impiis persecutoribus non apparebit nimis crudeliter sævientibus, *Et Stellæ cadent, ac virtutes Cœlorum commovebuntur,* quia quamplures, qui gratia fulgure videbantur, persequentibus cedent, & cadent, & quidam fideles alioqui firmissimi turbabuntur, & vacillabunt, & rationem hujus expositionis Augustinus assignat, quia illa signa propriè, & sensibiliter intellecta tam terribilia, & horrenda non essent, sicut in Scriptura exaggerantur; & hæc expositio etiam confirmari potest, quia illo modo loquendi Scriptura frequenter utitur metaphoricè ad significandam alicujus tribulationis acerbitatem, & terrorem, undè Isaiæ 13. ubi ad litteram est sermo de ultione, & vindicta contrà Babylonios sumenda, ita describitur: *Stellæ Cœli non expandent lumen suum, obtenebratus est Sol in ortu suo, & Luna non splendebit in lumine suo,* & eisdem verbis Ezech. 32. describitur ultio, & vendicta contrà Pharaonem Regem Ægypti facienda: *Operiam Cœlos, & nigrescere faciam Stellas ejus, Solem nube tegam, & Luna non dabit lumen suum,* in quibus locis, & aliis similibus constat hæc non esse propriè intelligenda, sed metaphoricè ad exaggerandam tribulationem, imminentium acerbitatem, & horrorem. Sed quamvis hæc Augustini expositio, ut moralis, & spiritualis optima sit, & laudanda, ut ait Suarez cit. nullo tamen modo negandus est proprius, ac literalis hujus Scripturæ sensus, nempè quod signa in Cœlo, & astris prædicta antè diem judicii sensibiliter sint futura, ut Origenes, Beda, Hieronymus, Hilarius, Ansel. & cæteri expositores ibidem communiter tradunt, & fortè neque etiam Augustinus hunc litteralem sensum excludere voluit, sed potius illum supponit addens posteà moralem quoque, & spiritualem, & hoc deducitur de generali regula à Patribus assignata in Scriptura, sine ullo incommodo propriè, & literaliter intelligi potest, non esse ad metaphoras confugiendum; ità autem est in proposito, quia Lucas capit. 21. expressè dicit ea signa fore sensibilia, quibus visis homines arescent præ timore, & expectationes finis, & interitus Orbis; talis autem timor, & horror per effectus sensibiles magis incutitur, quàm per spirituales, qui nec videntur, nec sentiuntur, ideoque timorem vehementem hominibus incutere non solent. Tùm quia loco citato à Christo prædicuntur signa futura, non tantùm in Cœlo, sed etiam in terra, & hujus Orbis elementi, & de talibus signis in terra futuris ibi est sermo proprius, & non metaphoricus; ergo signa etiam in Cœlo futura propriè quoque, & litteraliter sunt intelligenda, & non mataphoricè tantùm. Ad fundamentum oppositæ sententiæ dicendum est, quod licet hæc signa sint sensibilia, futura tamen esse majora, & horribiliora, quàm unquam fuerint, ideoque majorem esse incutienda timorem. Ad alia verò testimonia adducta plures Patres de ipso die judicii ea intelligunt, ut refert Suarez loc. cit. & quando etiam in eis locis sermo metaphoricus esset; non rectè infertur indè, etiam verba Christi de die judicii loquentis esse metaphoricè intelligenda, quia circumstantiæ litteræ oppositum indicant; & Prophetæ locis citatis eo modo loquendi usi sunt ad exaggerandas alias divinæ justitiæ vindictas, & ultiones per quandam comparationem ad signa diei judicii, quæ sciebant horribilia fore, ac terribilia.

27 Tertiò quæritur, quomodo intelligenda sint, & explicanda hæc signa sensibilia in Cœlo futura, quod scilicet, *Sol obscurabitur, & Luna non dabit lumen suum,* & quod *Stellæ cadent de Cœlo, & virtutes Cœlorum commovebuntur,* cujus rei varias Patrum expositiones refert Suarez loc. c. Sed breviter dicendum est cum Lyrano in cap. 24. Matth. quod Sol obscurabitur, non per privationem luminis cum sit ei naturale, corpora autem cœlestia tunc manebunt in sua natura integra, undè obscuritas illa erit respectu nostri per interpositionem alicujus corporis opaci, sicut fit in Eclypsi, quamvis futura sit major obscuritas Solis, quàm per solam naturalem Eclypsim effici possit, quia ut communiter Patres dicunt, hæc signa non sunt existimanda ordinaria, & communia, ut naturaliter contingere solent, & in-

& interdum facta leguntur, sed majora, & horribiliora. Dicit Luna verò ait, quod pariter obsurabitur per interpositione nubium obscurarum, & quia Joel. 2. dicitur, quod *Luna convertetur in sanguinem*, & Apoc. 6. quod *Luna tota facta est, sicut sanguis*, verisimile est hoc signum efficiendum esse per interpositionem alicujus densissimæ nubis, ità dispositæ, ut per impressionem Lunæ tota sanguinea appareat ad judicii severitatem significandam. Deindè quoad aliud signum, quod *Stellæ cadent de Cœlo* ait Layranus non esse intelligendum quoad earum substantiam, cùm sint incorruptibiles, sed secundùm apparentiam, quia veræ Stellæ absondentur per nubium densitatem, & de nubibus versus terram descendent exhalationes ignitæ, quæ dicuntur Stellæ cadentes, & hanc ait Suarez loc. cit. esse communiorem, & veriorem Patrum expositionem, qui dicunt casura tunc fulmina splendidissima, & ignentia, & Cometas similis magnitudinis, & splendoris, & ideò quasi Stellæ cadentes de Cœlo apparebunt. Tandem quoad aliud signum quod *virtutes Cœlorum commorebuntur*, ait Lyranus l. c. quod hi sunt Angeli de medio ordine secundæ Hierarchiæ, & tunc ipsi frequentius solito movebuntur ex divina voluntate ad faciendum miraculosas transmutationes, & ad incutiendum hominibus terrorem Judicis venientis, & hanc quoque expositionem, ut probabiliorem amplectitur Suarez cit. dicens, Angelos esse commovendos, ut sint ministri divinæ justitiæ quorum virtute fient omnes illæ admirandæ mutationes, non solùm de Cœlis, sed etiam in elementis terra, & mari, quibus etiam subdit rectè accommodari posse illud Psalmi 48. *Gladii ancipites in manibus eorum ad faciendam vindictam in nationibus, increpationes in populis, ut faciant in eis judicium conscriptum*, & huc etiam multa referri posse, quæ in Apocalypsi Joannem vidisse dicuntur, Angelos, scilicet, nunc tubis canentes, nunc effundentes phialas aureas plenas iracundia Dei, & similia.

28 Quartò quæritur, quomodo intelligenda sint, & explicanda alia signa sensibilia in elementis futura, quales erunt magnæ eorum alterationes tunc futuræ, & quidem loquendo de elemento terræ certum est futuros esse terræmotus magnos, ut dictum est, & Lucæ 21. *Erunt terræmotus magni per loca*, inter quos mirabilis censetur ab omnibus Patribus ille, quem describit Joannes in Apocalip. cap. 6. *Et terræmotus factus est magnus, qualis nunquam fuit, ex quo homines fuerunt super terram, &c.* & infrà subdit: *Et omnis insula fugit, & montes non sunt inventi*, cùm enim elementum terræ post judicium peractum alio perfectiori modo, & figura constituendum sit, ut infrà dicemus, mirum esse non debet, quod anteà inusitato illo, ac stupendo modo commoveri incipiat, quo etiam fiet, ut magna pars hominum intereat, & qui superstites manserint magno horrore, ac metu concutiantur, ut indicant verba sequentia Lucæ 21. *Et in terris pressura gentium*, &c. De elemento autem aquæ etiam ibidem legitur, quod hæc pressura gentium causabitur quoque *præ confusione sonitus maris, & fluctuum*, ubi Gloss. Ordin. inquit, quod appropinquante extremo judicio sonitus maris, & fluctuum confunditur, quia appropinquante termino suo elementa quasi paventia nutant, & tremunt; undè verbis illis significantur futuræ horribiles tempestates, & aquarum commotiones, quæ strepitum efficiant ingentem, & horrendum, & ad hunc signum spectant etiam quæ Joannes ait de duobus Angelis cap. 16. cit. *Qui effuderunt phialas suas in flumina, & fontes aquarum, & factus est sanguis, & omnis anima vivens mortua est in mari*. De elemento verò aeris inter signa in eo futura Patres, & Theologi communiter recensent signum Crucis, quod in aere tunc apparebit, ut ait Matth. 24. *Et tunc apparebit signum filii hominis in Cœlo, cùm Dominus ad judicandum venerit*, de quo signo infra dicemus, & ad hoc elementum reduci possunt, ut inquit Suarez disp. 56. cit. sec. 3. tonitrua, & aliæ metheorologicæ impressiones, ac insinuatæ ventorum agitationes, & magna aeris ipsius inclementia, ac densissimæ tenebræ, aliaque similia, quæ in aere efficientur, ut loc. cit. Apoc. referuntur.

29 Et tandem de elemento ignis loquendo, præter exhalationes ignitas, fulgura, & fulmina, quæ frequenter in illis diebus coruscabunt, & in tanta magnitudine, & multitudine, ut homines vehementer terreant, ut suprà dictum est, specialiter inter signa ad hoc elementum pertinentia numerari debet ignis ille, quicquid dicat Suarez loco citato, qui ut habetur in Psalm. 96. *Antè ipsum præcedet*, idest Christum Judicem, & *inflammabit in circuitu inimicos ejus*, mundi enim conflagrationem antè supremi Judicis adventum, & generalem hominum resurrectionem inchoandam esse Theologi omnes communiter docent cum patribus 4. disp. 47. ut diximus ab initio hujus articuli; undè D. Thom. ibi citatus inquit, quod ignis ille quantum ad suum principium erit antè resurrectionem, sed quantum ad sui finem sequetur resurrectionem, & Riccard. d. cit. art. 2. quæst. 4. similiter ait, quod ignis ille quantum ad sui initium præcedet judicium, & comitabitur quantum ad suum progressum, sequetur verò quantùm ad suæ operationis complementum, & ità etiam discurrit D. Bonavent. ibi p. 2. quæst. 4. dicens, quod futurus est ignis in judicio ad Electorum purgationem, quia debet opus uniuscujusque probari, & purgari igne, ut totaliter mundati sistantur in conspectu Dei, & hic præcedet faciem Judicis, & purgando amicos inflammabit in circuitu inimicos ejus juxtà illud Psalm. 96. *Ignis antè ipsum præcedet, & inflammabit in circuitu inimicos ejus*, ubi Lyran. inquit, quod ignis conflagrationis præcedet judicium, & inflammabit in circuitu inimicos ejus, quia secuta sententia judicis reprobi illo igne involventur, & sic in Inferno detrudentur; & hæc etiam est communis expositio Patrum, quos copiosè refert Brancatus noster disp. 11. art. 2. dicentium, quod hæc ignis conflagratio judicium universale præcedet ad terrendum homines tunc viventes, licet post illud finitum, & peractum alios quoque præcipuos effectus sit habitura. Dices, ignis immittetur à Deo ad conflagrationem mundi ejusque innovationem ex 2. Petri, *Cœli, qui nunc sunt, & terra igni reservati sunt in die judicii*, &c. mundi autem renovatio post judicium fit; ergo, &c. Resp. per hoc probari tantum, quod complementum innovationis erit tantum post judicium, non autem initium, & quod ignis conflagratio hunc effectum innovationis mundi non nisi post judicium peractum habebit, non autem quod alios quoque effectus anteà non sit habitura, de quo alia plura apud Brancatum videri possunt loc. c.

30 Quintò quæritur, qualis sit futurus ignis, qui Christum præcedet ad judicandum venientem, ratio dubitandi est, quia licet divina Scriptura in omnibus ferè locis in quibus judicii diem præcedit, ignis mentionem faciat, qui Christum ad judicium venientem præcedet, ut patet locis nunc citatis, & Isaiæ 66. *Quia ecce Dominus in igne veniet*, &c. Joel. 2. *Ante faciem ejus ignis vorans*, &c. Dan. 7. *Thronus ejus flamma ignis*, &c. & alibi frequenter, Sancti Patres tamen quandoque metaphoricè hunc ignem explicant, ut refert Suar. disp. 57. sec. 1. ab initio, per comparationem ad claritatem divini judicii, zelum, & efficaciam divinæ justitiæ ad discernendum bonos à malis, & opera justitiæ ab iniquitate secundùm æquitatem. Hoc tamen non obstante communis Theologorum sententia docet 4. d. 47. & 48 ignem verum, & realem fore, quod expressè deducitur ex ep. cit. Petri, qui torqueri nequit ad metaphoram judicii secundùm proprietates ignis, quia Petrus ibi de conflagratione mundi sensibili discurrit per contrapositionem, seu anthitesim ad diluvium his verbis: *Ille tunc mundus aqua inundatus periit, Cœli autem qui tunc sunt, & terra eodem verbo repositi sunt igni reservati in diem judicii, & perditionis impiorum hominum*, &c. & infrà *Elementa calore solventur, terra autem, & quæ ipsa sunt opera exurentur, & inferius elementa ignis ardore tabescunt*, hæc autem de igne tàtùm metaphorico intelligi nequeunt, sed literaliter intelligenda sunt in propria significatione de igne vero, & reali, licet per translationem etiam accommodari possint ad manifestandum modum, & formam divini judicii, ejusque æquitatem; sicut etiam aquæ diluvii significabant per accommodationem, & metaphoricè incendium carnis, quod tunc temporis in mundo vigebat, ejusque extinctionem, undè in hoc loco præcipuè fundatur veritas passim recepta de conflagratione ignis in die judicii futura, licet enim aliæ quædam Scripturæ metaphoricè interpretari possint, & de facto à pluribus Patribus ità exponantur; allatus tamen locus ex 2. Petri literaliter etiam, & propriè debet intelligi, & non metaphoricè tantùm, & ità etiam à Patribus passim interpretatur, undè pro hac veritate citantur Eusebius de præparatione Evangelii l. 15. c. 17. August. l. 8. de Civit. Dei c. 3. Chrysost. hom. 14. in Epist. ad Rom. Hieronym. in c. 5. & 65. Isaiæ, Cyrill. in ca. 34. Isaiæ, Clemens lib. 2. & 3. Recognitionum, Ambrosius lib. 1. Hexam. c. 6. Basilius homil. 3. in Hexam. Justinus Martyr. q. 39. 84. & 45. Nissenus de Creat. hominis ca. 24. Hilarius in Psal. 118. imò apud Eusebium loco allegato hanc veritatem catholicam docuerunt etiam nonnulli Philosophi, ut Zeno, Cleantes, Chrisippus, & quidam alii, & de hoc etiam plura Lactantius habet libr. 7. cap. 19. & plures alii Patres.

31 Postremò quæritur, cujus naturæ, & originis futurus sit hujusmodi ignis, communis sententia Patrum, ac etiam Theologorum 4. dist. 47. docet, futurum esse ejusdem naturæ cum igne inferni, nam ad eundem effectum mittetur, & ut instrumentum divinæ justitiæ assumetur, undè sicut ignis inferni corporeus est, & ejusdem rationis cum elementari, ut dictum est suprà disp. 26. qu. 1. art. 2. ità non est dubium, quin hic ignis elementariis sit futurus, & ità præsertim docet D. Bonav. 4. dist. 47. art. 2. quæst. 1. Quod verò spectat ad ejus originem, aliqui dixerunt ignem illum ab ipso Inferno esse divina virtute revocandum, alii verò è contrà verisimilius esse, quod è superiori regione sit demittendum; id enim magis divinæ Scripturæ significant ad repræsentandam divinam justitiam, & terrorem, & sicut olim descen-

descendit, & pluit super Sodamam, & Gomorrham, ità etiam tunc descensurum fore ad iram ostendendam judicis advenientis, quem dicendi modum sequitur Suarez disp. 57. sec. in fine. Scotus noster 4. d. 47. quæst. 2. inquit istius ignis originem, & possibilitatem tot modis excogitari posse, quot modis Deus potest ipsum per se, aut per causam secundam producere, probabilius tamen videri, quod sicut ignis potest extrà suam sphæram esse in materia aliena, ut in corpore ignito, vel carbone, vel flamma, sic vapores existentes in aere per juxta positionem possunt igniri, & ista ignitio successiva nunc illorum vaporum, nunc istorum, saltem pro toto aere suprapositio regioni habitabili hominum, potest dici illa conflagratio. Denique D. Bonavent. loc. citato inquit in hujus resolutione difficultatis Sanctorum auctoritati inniti oportere, quia etsi ipsi hoc nō apertè determinent quid sit ille ignis, & undè originandus; tamen excellens Doctor Augustinus dicit, quod fiet mundanorum ignium conflagratione, sicut factum est aquarum inundatione diluvium, & ideò huic auctoritati innitendo ait, quod sicut in diluvio non fuerunt novæ aquę creatę, sed eædem illæ multiplicatæ sunt, & hoc operante adjutorio Superiorum corporum, per quæ facta est elevatio vaporum, sic etiam ait, quod non solùm ignis, qui est in sua sphæra, sed omnes ignes, & qui in terra, & qui super terram, & qui sub terra sunt, concurrent ad illam conflagrationem, sicut videtur velle Augustinus, undè tandem concludit, quod non creabitur novus ignis, sed virtus superiorum corporum concurret ad ignis multiplicationem, & actionem. Ità Seraphicus Doctor loc. cit.

QUÆSTIO SECUNDA.

De Judice, ac ejus judiciaria potestate.

32 POstquam in præcedenti quæstione de judicio universali futuro tractatum est, ac signis illud præcessuris, tam remotis, quàm proximis, in præsenti de Judice in eo futuro, ac ejus judiciaria potestate tractandum est; quoniam secundus Christi Domini adventus ad universale judicium, & finale, in hujusmodi judiciaria potestate totaliter nititur, atque primò de Christo judice agemus, deindè de judiciaria ejus potestate, & usu.

ARTICULUS PRIMUS.

An Christus venturus sit judex in finali judicio, & quomodo.

33 PRimò certum est, ac dogma de fide Christum Dominum in die finalis judicii supremum Judicem esse futurum, ità Scotus 4. d. 48. quæst. 1. cum cæteris Theologis ibidem, cujus veritatis expressa sunt plura in Evangelio testimonia, ut Matth. 25. *Cùm venerit filius hominis in majestate sua, & omnes Angeli ejus cum eo, tunc sedebit super sedem majestatis suæ, & congregabuntur antè eum omnes gentes*, &c. & Joan. 5. *Pater non judicat quemquam, sed omnem judicium dedit filio*, & inferius *Omnes qui in monumentis sunt audient vocem filii Dei, & procedent qui bona egerunt in resurrectionem vitæ, qui verò mala in resurrectionem judicii*, & 1. ad Thessonic. 4. & ad Corinth. 5. *Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi*, &c. & Act. Ap. 10. *Præcepit nobis prædicare populo, & testificari, quia ipse est, qui constitutus est ab eo judex vivorum, & mortuorum*. In veteri etiam testamento hæc veritas prædicta fuit Daniel. 7. *Aspiciebam donec Throni positi sunt, & antiquus dierum, sedit*, & infrà *judicium sedit, & libri aperti sunt*, & in ferius: *Et ecce cum nubibus Cœli filius hominis veniebat, & usque ad antiquum dierum pervenit, & dedit ei potestatem, honorem, & regnum*, quem locum exponens Rupertus cap. 13. in Dan. inquit: *Non enim judicabit per semetipsum ille antiquus dierum, sed ut ipse Dominus dixit, omne judicium dedit filio*, & ideò hæc assertio, tanquam dogma de fide statuta est in Concil. Tolet. 6. c. 1. & Concil. Later. 4. cap. 1. & habetur in cap. *Firmiter, de summa Trinit. & fide Cathol.* his verbis *Venturus est in fine sæculi judicaturus vivos, & mortuos, & redditurus singulis secundùm opera eorum, tam reprobis, quàm electis.* Et tandem hæc veritas habetur in Symbolis Apostolicis Nicæno, Constantinopolitano, & Atanasii, in quibus Christum Dominum profitemur venturum esse in fine sæculorum ad judicandum vivos, & mortuos. Quarè solum aliqua dubia restant resolvenda circa modum hujus secundi adventus Christi Domini ad hoc judicium peragendum, pro quorum resolutione quæsita sequentia breviter discutientur.

34 Secundò quæritur, an signum Crucis præcessurum sit judicium, tanquam proprium ejus vexillum. Pro cujus resolutione affirmant omnes Patres tam Græci, quàm Latini communi consensu, quod præmissis signis proximis quæst. præcedenti allatis art. 3. nempè in Sole, Luna, ac Stellis, in terra, ac mari; præmisso item magno per Angelos tubæ sonitu, quo excitati mortui resurgent, & ignis conflagratione inchoata, immediatè antè Christi adventum apparabit in aere signum Crucis resplendentis, quod deducunt ex verbis ipsius Christi Mat. 24. *Tunc apparebit signum filii hominis in Cœlo, & tunc plangent omnes tribus terræ, & videbunt filium hominis venientem in nubibus Cœli*, quod signum unanimiter dicunt nullum aliud esse futurum, quam Christi Crucem, undè Glossa Interlinear. ibi ait, quod hoc signum erit lignum Crucis, ut videant, in quem transfixerunt, & Lyranus, inquit, quod tunc post prædicta signa apparebit signum filii hominis, ideſt, Crux, Clavi, & Lancea quæ sunt passionis Christi instrumenta, undè & ipsa Ecclesia canit: *Hoc signum erit in Cœlo cùm Dominus ad judicandum venerit.* Apparebit autem hoc signum in secundo Christi adventu, ut ait Augustinus serm. 130. de tempore ad terrorem, & confusionem impiorum, ut agnoscant consilium iniquitatis suæ, qui Dominum majestatis crucifixerunt, & ad consolationem, & gaudium justorum, qui videntes signum, quo sunt redempti, summa consolatione, & gaudio afficientur, quod etiam affirmat Cyprianus serm. de Nativit. cùm aliis Patribus. Quæ autem, & qualis futura sit illa Crux, aliqui existimant illam eandem futuram esse, in qua Christus ipse pependit, & fore in die judicii reformandam, collectis, ac invicem inter se compactis particulis omnibus, & singulis, quæ per universum Orbem dispersæ fuerunt, in Cœlisque levandam, & coram Christo ad judicium veniente deferendam; ità Vualdensis tom. 3. de Sacramentalibus tit. 20. c. 158. quam existimat Chrysostomi fuisse sententiam hom. de Cruce, & Latrone, ubi ait, quod Crucem solam non reliquit in terra, sed secum ea ad Cœlum levavit, & ideò cum ipsa veniet, & cum ipsa secundam gloriosam suam præsentiam faciet. Verùm, ut inquit Suarez disp. 57. cit. sect. 2. sola Crux lignea Christi, in qua ipse pependit nimis exigua est, ut possit ab omnibus videri, & tam ingentem emittere splendorem, omnesque fines terræ ultrà Solis claritatem illustrare, ut Patres passim dicunt, & ideò cum aliis probabilius existimat, non ipsum lignum Crucis, sed solum signum, ejusque imaginem in aere formatam esse appariturum, & hanc ait fuisse sententiam D. Anselmi in Elucid. D. Antonini, D. Thomæ, Abulensis, Jansenii, & aliorum. Quomodo autem hæc Crucis apparitio in aere sit futura, subdit Suarez ibidem, tribus modis intelligi posse. Vel ut appareat in aere, ibique immobilis persistat in aliquo loco, ubi ab omnibus ad judicium congregatis conspici possit. Vel ut ab Angelo deferatur, tanquam vexillum, quod judicem præcedit. Vel ut prius in aere appareat, & posteà ab aliquo Angelo assumatus, & antè judicem deferatur, & ait singulos modos possibiles esse, ac probabiles, cum Scripturis revelatum non sit aliquid certum in hoc puncto, secundùm tamen modum videri probabiliorem, ut magis conformem modo loquendi Patrum; qui signum illud Crucis vexillum Christi appellant, quando in secundo ejus adventu ad prædicandum veniet, ut memoria passionis ejus per illud excitata, majorem piis consolatiotionem, & gaudium, & impiis terrorem, atque confusionem afferat.

35 Tertiò quæritur, qua gloria, & majestate descensurus sit Christus ad judicium. Et Patres similiter communi consensu affirmant, quod post lignum Crucis immediatè, tanquam fulgur apparebit Christus immediatè cum splendore magno, & majestate, & gloria, & cum magno Angelorum comitatu de Cœlo descendet, præcinentibus Angelorum tubis, ubi etiam observandum est cum Suarez disp. cit. sect. 3. ab initio, hic sermonem non esse de gloria intrinseca ipsius Christi descendentis, cùm enim beatitudo animi essentialis sit immutabilis, ità etiam claritas, & aliæ dotes gloriæ, quæ corpori communicantur, sunt immutabiles, undè hæc gloria intrinseca non erit eo die major in anima, vel Corpore Christi, quàm nunc sit; sed solùm sermo hìc est de exteriori gloriæ apparatu, & externis signis majestatis, quæ in adventu suo exibebit, & quæ variis modis in Sacr. Scriptura proponuntur, ut Matth. 24. *Sicut fulgur erit ab Oriente, & paret usque ad Occidentem, sic erit adventus filii hominis*, qui etiam eodem modo describitur Lucæ 17. ubi Glossa Interlin. ex hac comparatione duas proprietates in Christi apparitione colligit, velocitatem, scilicet, & splendorem quia adventus ejus, inquit, erit subitus, & coruscus, & Lyranus ibidem ait, quod licet adventus in carne fuerit occultus, tamen adventus ad judicium erit ità manifestus, quod aliquem latere non poterit, & subdit Matth. ibidem: *Et videbunt filium hominis venientem in nubibus Cœli cum virtute multa, & majestate*, ubi Glossa Ordin. ait, quod secundus adventus, non humilitate, ut

ut prior, sed ut in gloria demonstrabitur, quo etiam modo discurrit Lyranus ibidem, & rursus c. 25. inquit: *Cum autem venerit filius hominis in majestate sua, & omnes Angelis ejus cum eo, tunc sedebit super sedem majestatis suæ, & congregabuntur ante eum omnes gentes*, ubi etiam aliæ circumstantiæ apponuntur, quibus majestas, & gloria hujus secundi adventus declaratur; hic enim innuitur Angelorum comitatus, quorum nullus deerit, qui Christum non committetur, eique in judicio assistat, & ministret; cui etiam consonat, quod habetur Daniel. 7. ubi postquam throni positi sunt ad faciendum judicium inquit: *Millia millium ministrabant ei, & decies centena millia assistebant ei*, quibus verbis tota Angelorum multitudo indicatur, quæ innumerabilis est. Et tandem, quod Christus præcinentibus Angelorum tubis descendet, habetur 1. ad Thessal. 4. *Ipse Dominus injussu, & in voce Archangeli, & in tuba Dei descendet de Cœlo*, ubi Lyr. ait, quod ista tuba non est aliud, nisi vox prædicta, quæ dicitur tuba propter similitudinem tubæ materialis veteris testamenti, qua fiebat vocatio ad Concil. & preparatio ad bellum, & invitatio ad festum, quia tunc omnes congregabuntur ad judicium, & armabitur creatura in ultionem inimicorum, & invitabuntur justi ad festum Angelorum. Ità Lyran. ibi. An autem Angeli venturi sint cum Christo in corporibus assumptis, an verò solùm in substantia sua spirituali, nihil habemus in Scriptura, sed solùm ex circumstantiis secundi adventus id est conjecturandum quibus attentis, verisimilius est ut ait Suarez loco citato, venturos tunc Angelos in assumptis corporibus lucidissimis, & corporeis, quia cum hic Christi adventus sit sensibilis, & cum gloria, & aparatu externo, ac sensibili, congruum videtur, ut omnes Christi comites, & ministri sensibilia corpora assumant, ut splendor hujus adventus, & majestas sensibilibus oculis ab hominibus conspici possit; undè sicut in Christi ascensione hac ratione Angeli, qui Apostolis apparuerunt vestibus albis, corpora assumpserunt in figura humana, ità pariter credibile est eadem ratione in descensu Christi ad judicium Angelos eo die corpora humana assumpturos, illos saltem qui in eo ministerio Christo ministrabunt.

36 Quartò quæritur, in quo loco apparebit Christus descendens, ubi sistet, & in quali situ. Cujus quæsiti resolutio pendet ex superius dictis quæst. præced. art. 1. n. 6. & seq. diximus cum Scoto 4. dist. 47. quæst. 1. §. *De Quarto*, quod in valle Josaphat, & locis circumstantibus judicium universale fiet; & loquens Doctor de loco Judicis inquit, quod fortè etiam conjicitur ab aliquo, quod Judex descendet inferius in aere, in quo fuit transfiguratio, vel in quo transfiguratus est coram Apostolis, in qua transfiguratione ostendit signum gloriæ futuræ. Ex quibus Scoti verbis deducitur probabilissimum esse, Christum in regione Jerusalem circa montem Oliveti, & vallem Josaphat esse apparaturum, cum ibi faciendum sit universale judicium, ut dictum est loco citato, & in loco præfatæ regionis, non in terra, sed in aere apparebit, ut ibidem dictum est. Ita Glossa Ordinaria in cap. 3. Joel. Verb. *Congregabo*, ubi ait, quod Christus descendens ad judicium, non in terra, sed in spatio hujus aeris sedebit contrà locum montis Oliveti, ex quo ascendit, & sic etiam discurrit Lyranus ibidem, exponens enim illa verba *Deducam eos in vallem Josaphat*, inquit, quod Christus descendens ad judicandum apparebit in aere super montem Oliveti, undè ascendit in Cœlum, & judicandi apparebunt circà locum illum. Hoc etiam expressè deducitur ex 1. Thessalonicens. 4. ubi dicitur *Deindè nos qui vivimus, qui relinquimur simul rapiemur cum illis obviam Christo in aera, & sic semper cum Domino erimus*, ubi Lyranus ait, quod in aera proferet sententiam judicii super vallem Josaphat; ergo si electi resurgentes per Angelos rapientur ad Christum ex aere, ubi sententiam proferet, ibi Christus sistet. Denique quoad situm, quo ibi stabit, communiter Patres docent, quod sedens in throno apparebit, & judicabit, quod etiam expressè habetur loco citato Joel. 3. ubi dicitur *Consurgant, & ascendant gentes in vallem Josaphat, quia ibi sedebo, ut judicem omnes in circuitu*, & Matth. 25. *Cum venerit filius hominis in majestate sua, & omnes Angeli ejus cum eo, tunc sedebit super sedem majestatis suæ, & congregabuntur antè eum omnes gentes*, & hoc quidem rationabiliter dicitur, quia ut ait Anselmus in epist. ad Romanos cap. 14. Judicantis est sedere, judicandorum verò antè Judicem stare, omnes enim stabimus antè tribunal Christi, ut ibi inquit Apostolus, & hoc etiam prædixit Joan. in Apocal. ca. 20. *Et vidi thronum magnum candidum; & sedentem super eum, & vidi mortuos magnos, & pusillos stantes in conspectu throni*, de quo throno dicitur etiam Daniel. 7. *Aspiciebam donec throni positi sunt, & antiquus dierum sedit*, &c. Quamvis autem hæc omnia, quæ de throno, & sede Christi judicantis sunt scripta intelligi possint solùm per metaphoram ad explicandam gloriam, & majestatem Christi venientis ad judicandum, ut exponit Origenes tract. 34. in Matth. attamen sicut cætera, quæ ad gloriam Christi spectat signis sensibilibus repræsentanda intelliguntur, ut suprà dictum est; ità pariter verisimile est etiam in figura externa, & sensibili sessurum ad judicium ad indicandam judicis auctoritatem, & majestatem juxtà illud Psalm. 9. *Sedisti super thronum, qui judicas æquitatem*, ut Suarez advertit sect. 3. cit. in fine, ubi etiam subdit improbabile non esse, non solùm in loco judicii Christum esse hoc modo sessurum, verum etiam in eodem throno è Cœlo descensurum, atque in eo humeris Angelicis esse devehendum, non quod ipse vehiculo indigeat, sed ad supremi honoris, & majestatis significationem, & ostensionem.

37 Quintò quæritur, in qua forma Christus apparebit, & an omnibus visibilis. Communis est sententia Patrum, & Theologorum 4. dist. 48. quæst. 1. & est dogma de fide Christum in die judicii in forma humana apparaturum esse, ut ab omnibus videatur quod constat ex pluribus Scripturæ locis sæpè cit. Matth. 16. *Filius enim hominis venturus est*, cap. 24. *Sic erit adventus filii hominis*, cap. 21. *Cum autem venerit filius hominis* cap. 26. *videbunt filium hominis venturum*. Lucæ 17. *Sic erit adventus filii hominis*, & ità loquitur Scriptura in omnibus locis, ubi est sermo de secundo Christi adventu, dicens venturum esse, ut filium hominis, idest, ut hominem descensurum, & apparaturum. In hac autem forma apparebit, ut, ab omnibus videri possit tam electis, quàm reprobis, ut constat ex loco citato, Matth. 24. ubi dicit. *Et patebit signum filii homini in Cœlo, & tunc plangent omnes tribus terræ & videbunt filium hominis venientem*, &c. undè D. August. tract. 24. in Joan ait quod forma hominis Christi videbitur in judicio à piis, & impiis, à justis, à fidelibus, & infidelibus, à gaudentibus, & à plangentibus, à confisis, & à confusis, & lib. de Trinitate, & Unitate Dei cap. 7. addit, quod formam hominis tantùm in Christo videbunt impii ab eo judicandi, de quibus dictum est, videbunt in quem transfixerunt, non autem formam divinitatis; quia ut ipsemet docet libr. 1. de Trinit. cap. 12. illam Dei formam, in qua æqualis est Patri, procul dubio impii non videbunt, non enim sunt mundi corde, Beati enim mundi corde quoniam ipsi Deum videbunt; undè si reprobi in die judicii divinitatem Christi viderent, non amplius essent reprobi, sed beati. Ità etiam discurrit D. Bonavent. 4. dist. 48. art. 1. quæst. 2. dicens, quod in die judicii filius hominis apparebit, ut ab omnibus videri possit, undè non apparebit malis in forma Dei; distinguit tamen ibi duplicem divinitatis cognitionem, unam per signa, & effectus, aliam in sua forma, & essentia, & inquit quod reprobi benè habebunt cognitionem de Christi divinitate per signa certissima, & per effectus manifestos cognoscent, quod ipse est Deus omnipotens; cognitionem autem, quæ est in propria forma, quæ est per visionem apertam, hanc quidem non habebunt, & ratio hujus est, quia talis forma omninò est improportionabilis oculis peccatoris, & improportionabilis oculis omnibus, qui non sunt sublimati per gloriam, vel per gratiæ superabundantiam, & quia reprobis non dabitur gratia, nec simpliciter, nec ad tempus, ideò Deum non videbunt. Ratio autem quarè non dabitur eis virtus, quæ faciat eorum aspectum habilem ad videndam eam lucem, est illa, quam tangit Isidorus, & August. quia si haberent oculum aptum, haberent summam delectationem, quam impossibile est esse, & indecens in peccatoribus. Ità Seraphicus Doctor l. c. ac etiam Scotus, quia tunc impii nullum gaudium habebunt.

38 Postremò quæritur, an Christus tunc apparebit in forma gloriosa. Ratio dubitandi est, quam tangit Scotus dist. 48. cit. q. 1. ab initio, nam ex una parte videtur, quod sic, quia *veniet cum potestate magna, & majestate*, Luc. 21. ex alia parte videtur, quod non, quia si in forma gloriosa apparebit duplex sequitur inconveniens; unum est, quod corpus gloriosum possit videri oculo corporali non glorioso, quia damnati videbunt eum juxtà illud Jo. 19. *Videbunt in quem transfixerunt*. Aliud inconveniens est, quod tunc damnati delectarentur in visione illius formæ gloriosæ, delectabile enim præsens, & perceptum à sensu delectat; nullam autem delectationem habebunt in aspectu judicis, sed dolorem, & tremorem. Hanc difficultatem resolvit D. Bonavent. d. 48. cit. art. 1. q. 3. dicens, quod Christus apparebit in forma gloriosa non tantùm bonis, sed etiam reprobis, & non erit differentia ex parte apparentis, sed ex parte respicientium, boni enim respicient gloriosam formam cum gaudio, & gloria, sed mali cum confusione, & pœna, confundentur enim in aspectu ejus, & non poterunt ejus sustinere intuitum propter conscientiæ remorsum, & propter expectationem ferendæ sententiæ contrà eos; è contrà verò, & ob oppositam rationem boni delactabuntur. Ex qua doctrina facilè solvitur ratio dubitandi adducta; reprobis enim aspectus tam pulcher nullam delectationem afferre potest, quia tormenta, quæ patiuntur, & timor comparendi corã Judice ab ipsis offenso, ac verecundia facinorum

cinorum toto mundo manifestorum omnem delectationem impediet, quam talis aspectus causare posset. Et ità etiam difficultatem hanc solvit Scotus loc.cit.in solutione principalium ad 3. quamvis enim ibi de malis, & reprobis aliquam dubitationem habere videatur, an in judicio sint Christum visuri in forma gloriosa; absolutè tamen postea id concedit, quod Christum videbunt in corpore glorioso, & nullum esse inconveniens oculum non glorioſum videre corpus glorioſum; nec ex hoc sequetur aliqua delectatio in eis, quia benè possibile est visionem objecti convenientis separari à delectatione; imò addit quod videntes reprobi formam Corporis Christi glorioſam potiùs confundentur, & tristabuntur, quia illa visio magis erit eis confusibilis, & tristabilis quàm delectabilis; ità concludit Doctor in fine quæstionis.

ARTICULUS SECUNDUS.

Cum qua potestate Christus Dominus judicabit, & quibus assistentibus.

39 PRimò, pro resolutione quæsiti ait Scotus 4. d. 48. q. 1. §. *Ad quæstionem*, quod cum judicium sit completa determinatio ejus, quod reddendum est alicui pro meritis, & hęc completa determinatio includat perfectum dictamen intellectus de hoc, & velle perfectum, ac efficax voluntatis; sequitur quod principaliter judicare includit principaliter dictare, & principaliter habere velle efficax, nihil autē dicitur principaliter agere aliquid, quod in agendo subordinatur alicui alteri principali. Undè colligitur, quod principaliter judicare ei soli competat, cujus intellectus non subordinatur, seù dependet ab alio judicando, nec voluntas in efficaciter volendo, & imperando, sic quod ad illud imperium mox sequatur effectus. In proposito autem intellectus animæ Christi subordinatus est divinæ veritati in dictando, & voluntas ejus divinæ voluntati in volendo, licet enim quidpiam efficaciter velit, & illud eveniat, divinæ tamen voluntati necessariò subordinatur, quia ejus voluntas non est omnipotens, undè deducitur impossibile esse, Christum secundùm naturam humanam principaliter judicare, & in hoc sensu intelligitur illud, quod dixit Matth. 10. *Sedere autem ad dexteram meam, non est meum dare vobis*, nempè principaliter. Alio modo potest accipi judicare non sic omninò principaliter, sed commissariè, vel sub auctoritativè, excellenter tamen excellentia singulari, sic ut non possit esse alia auctoritas commissa superior, & sic Christus, ut homo judicat, quo etiam modo commissum est ei Eucharistiam conficere, & alia Sacramenta instituere; quamvis enim puræ creaturæ committi posset, ut judicaret, & judicium illius executioni demandaretur à voluntate divina assistente semper ejus volitioni efficaci, non tamen posset committi puræ creaturæ, quod omne ejus velle impleretur ab eadem persona, quia tunc pura creatura esset omnipotens. Quarè suprema commissio possibilis est quod non solum omne determinatum à voluntate ejus infallibiliter eveniat, sed quod ab eadem persona exequatur, cujus est illa voluntas; hoc autem concessum est animæ Christi; ergo Christus secundùm naturam humanam non judicat principaliter, sed commissariè, & sub auctoritativè, potestate tamen eminenti, & summa possibili conferri creaturæ; & sic interpretanda sunt loca Scripturæ, quæ videntur asserere judiciariam potestatem Christo homini collatam, ut Matth. 25. *Cùm venerit filius hominis*, & Joan. 5. *potestatem dedit ei judicium facere, quia filius hominis est*, & alia similia, quia hoc sufficit ad veram potestatem judiciariam, & excellentem, quamvis sit communicata à superiori potestate.

40 Secundò ità etiam de hoc puncto discurrit D. Bonaventura d. 48. cit. a. 1. q. 1. ubi ait, quod ad hoc, ut judicium sit firmum, concurrit auctoritas, & potestas, auctoritas in sententiando, & potestas in retribuendo præmium secundùm meritum, & si alterum horum deficiat, non est judicium; hæc autem duo principaliter sunt in Deo, nam in ipso est auctoritas ad sententiandum, quia Dominus omnium est, & nos omnes servi ejus; est etiam potestas ad retribuendum, quia potentissimus est, & nō est qui contrà eum se valeat erigere, vel ejus sententiam irritare. Hæc verò duo communicavit Deus trinitas homini Christo auctoritatem dando, & dominium sicut dicitur Act. 2. *Dominum fecit Deus hunc Jesum*; potestatem etiam dedit sibi cætera subjiciendo Matth. ult. *Data est mihi omnis potestas*, & ideò ipse est, qui constitutus est à Deo judex vivorum, & mortuorum sicut dicitur Act. 10. Quoniam ergo potestas judiciaria respicit illa duo jam dictam, & illa sunt in Deo per naturam, & in Christo homine per gratiam, ideò judiciaria potestas est Christi secundùm divinitatem per naturam, secundùm verò humanitatem collatam per gratiam. Undè secundum utramque naturam habet auctoritatem, sed secundùm divinitatem principalem, & naturalem, secundùm humanitatem verò commissam. Cùm igitur sit potestas primaria in Deo, sed commissa in homine Christo, latio sententiæ fieri debet à Christo homine secundùm humanitatē, quia si fieret secundùm potestatem primariam, cùm secunda nihil det primæ, non esset verè judex secundùm humanitatem, sed quando secunda operatur, cùm recipiat à prima, ratio judicandi residet penes utramque, secunda enim recipit à prima, ideò latio sententię fiet à Christo secundùm humanitatem; sed quia Christus est Deus, & homo, sententia ejus non erit tanquam delegati, sed tanquam principalis, & ideò ab ea propter utramque potestatem nullus poterit appellare; ità Seraphicus Doctor loco citato, quibus tamen ultimis verbis non vult dicere, quod Christus ut homo judicabit principaliter, nam immediatè post subdit, quod robur sententiæ non est ex humanitate Christi, sed ex ejus divinitate, ut suprà dixerat; sed quod non erit judex delegatus, ita ut ab eo appellare quis possit, erit enim Judex commissarius, non commissione simplici, sed commissione excellenti modo jam explicato ex Scoto, quia eadem persona, cujus intellectus determinat retributionem, & voluntas decernit, eadem, inquam, exequitur sententiam, & eadem persona Christi dat completam efficaciam sententiæ, quæ lata est à Deo principaliter, ab anima Christi commissariè, cum eadem Christi persona Deus simul sit, & homo; undè quia humanitate judicante etiam divinitas judicat, cujus judicio se conformat humanitas, ideò appellatio non datur, sicut si judicante delegato, etiam Princeps absolutus judicaret, appellatio non admitteretur. Et hunc dicendi modum Suarez quoque amplectitur disp. 52. sect. 1. ubi declarans, qualis sit judiciaria potestas in Christo, inquit quod est inferior divina, & hoc sensu ministerialis dici potest, tamen est suprema inter omnes, quæ creaturis communicari possunt, & hoc modo vocari potest potestas judiciaria singulari excellentiæ, & hæc judiciaria potestas Christo collata est ab initio incarnationis secundùm se, & quoad actum primum cum dignitate capitis, & aliis excellentiis, cùm enim hęc omnia Christo debeantur ratione unionis hypostaticæ, sint que ipsi quasi connaturalia, cum ipsa unione omnia simul habuit.

41 Dices, hanc Christi potestatem non esse propriè judiciariam, cum nō tam sit ad proferendum judicium, & sententiam, quàm ad promulgandam sententiam à Deo latam, quia Deus lege sua, ac sua voluntate retributionem statuit unicuique operi respondentem, undè fit, ut omni homini in tali statu, & cum talibus operibus decedenti ex definito Dei judicio, ac decreto talis tanta pœna debeatur, vel præmium; ergo sententia jam lata est divino judicio, & nihil supereſt per humanitatem Christi agendum, nisi hoc solùm, quod illa sententia promulgetur; promulgare autem sententiam superioris judicis non est judicare, ut de se constat, sed solùm alterius judicium ad aliorum notitiam deferre. Confirmatur, quia judicium non competit alteri, quàm Domino, seù Principi; ergo Christo, ut Deo competit judicare, non verò ut homini, quia ut Deus est princeps, ut homo subditus. Verum facultatem Christo in humanitatem collatam ad judicādum esse verè, ac propriè judiciariam potestatem omninò negari non potest, quia nisi hæc verè esset judiciaria potestas, Christus homo non esset verè, ac propriè judex vivorum, & mortuorum, neque actus ejus esset verum judicium, undè falsum esse Patrem dedisse filio potestatem judicium faciendi, quia filius hominis est, aut Christum constitutum esse judicem vivorum, & mortuorum, ut sæpius in Evangelio habetur. Ad objectionem verò adductam plura profert Suarez loco citato. Sed breviter ex doctrina Scoti allata negandum est assumptum cum ejus probatione, licet enim Christus, ut homo proferendo, & promulgando sententiam suam, simul quoque divinam sententiam promulget, quia sunt omninò conformes, vel potius, quia sunt una omninò, & eadem sententia, & ab eadem persona proveniens, sicut actio instrumenti, & agentis principalis una est; non tamen illam promulgat, ut præcisè recitans, sed etiam ut potestate sua imperans, & faciens, quia eadem persona Christi dat completam efficaciam sententiæ, quælata est à Deo principaliter, & ab anima Christi commissariè, cum eadem persona Christi Deus simul sit, & homo, ut suprà dictum est, & ità etiam post multa concludit Suarez loco citato.

Ad Confirmationem verum est antecedens de judicio authoritativè, & principaliter, non autem subauthoritativè, & commissariè; præterquam quod Christus, ut homo etiam est verus Rex, & habet verum excellensque dominium creaturarum quamvis in eo ordine non sit supremus, sed subordinatus regno, & dominio divinitatis, quia est dominus hominum, non jure creationis, sed jure redemptionis ex cap. 14. ad Roman. *In hoc enim mortuus est, & resurrexit, ut vivorum, & mortuorum dominetur.*

42 Ter-

42 Tertiò quæritur, an hanc judiciariam potestatem Christus exerceat in judicio hominum particulari in fine vitæ, Suarez disp. 52. cit. sect. 2. cum pluribus aliis inquit, quod quamvis non sit tam certum particulare hoc judicium exerceri per Christi humanitatem, sicut universale, quia non sunt de hoc tam expressa Scripturæ testimonia, probabilior tamen, ac magis pia sententia est, hoc etiam judicium ad potestatem judiciariam Christi pertinere, & per humanitatem exerceri, & hoc deduci potest ex verbis ipsius Christi Matth. 23. & 24. *Vigilate, quia nescitis, qua hora filius hominis veniet*, quibus verbis significatur Christum venire ad singulos homines morientes, ut de illis judicium ferat, & hoc etiam Patres communiter supponere videntur, nam Augustin. lib. de vanitate sæculi 1. inquit, cùm anima separatur à corpore, veniunt Angeli, ut perducant illam antè tribunal judicis, & eodem modo loquitur Bernardus in meditationibus cap. 2. & Hugo de Sancto Victore lib. 1. de anima cap. 2. & Chrysost. homil. 14. in Matth. omnes, inquit, animæ cùm hinc emigraverint, ad terribile illud deducentur tribunal, & ità etiam discurrit hom. 46. ad populum, & hoc etiam ratio ipsa suadere videtur, putandum enim non est Christum Dominum potestatis hujus usum differre usque ad diem judicii universalis, sed ea uti cœpisse, ex quo in statu glorioso constitutus est, cum ipse dixit: *Data est mihi omnis potestas in Cœlo, & in terra*, ut ait Suarez loc. cit. sicut enim tunc desiit esse in statu passibili, & humili, in quo ad ministrandum venerat, ut ipse etiam testatus est, & cœpit esse in statu regnantis, ac dominantis, ità etiam tunc potestatem hanc judiciariam exercere inchoasse satis verisimile est, & hanc præsertim exercere in judicio particulari cujuslibet animæ è corpore exeuntis. Dubium tamen est, ubi fiat hoc judicium particulare, & quomodo aliqui ex modo loquendi Patrum jam relato dixerunt omnes, & singulas animas statum ac separantur à corpore in Cœlum deferri, & antè tribunal Christi præsentari, alii verò ex illis Christi verbis *Vigilate, quia nescitis, qua hora filius hominis veniet*, è contrà dixerunt Christum venire ad singulos homines morientes, ut illis judicium ferat, verum neuter modus probabilis est, non quidem primus, quia de animabus damnatis, & purgandis incredibile est, quod in Cœlum deferantur, ut Christo præsententur, quia nihil coinquinatum regnum Cœlorum ingreditur, & ascensus ille in Cœlum omninò impertinens esset, cum statim in infernum, vel purgatorium sint detruendæ. Neque etiam secundus modus est rem, si de reali Christi descensu secundùm humanitatem intelligatur, alioqui semper esse quasi in continuo motu oportet ob quotidianam hominum mortem, cùm tamen rarò, aut nunquam Christus de Cœlo descenderit, postquam illuc ascendit, ut rectè discurrit Suarez loc. cit. qui proindè satis rationabiliter concludit, neque animam judicandam deferri in Cœlum, neque Christum ad eam judicandam descendere, sed in instanti mortis intellectualiter elevari ad audiendam judicis sententiam, hoc enim per intellectualem locutionem, vel illuminationem fieri potest, quæ à loco non pendet, & hoc est deduci ad ejus tribunal. Et verisimile est in eo instanti cognoscere, se judicari, & salvari, vel damnari imperio non solùm Dei, sed etiam hominis Christi, an verò ejus humanitatem tunc intueatur omninò incertum est, quia quando Scriptura dicit Christum ab hominibus judicandis videndum esse, de judicio universali loquitur, non autem de particulari.

43 Quartò quæritur, an in judicio universali alii conjudices judicabunt cum Christo. Quod aliqui Sanctorum sint Christo judici assessuri, frequens est in Scripturis, ut Matth. 19. *Amen dico vobis, quod vos, qui secuti estis me, in regeneratione cum sederit filius hominis in sede majestatis suæ, sedebitis & vos super sedes duodecim judicantes duodecim tribus Israel*, & Lucæ 22. *Vos estis, qui permansistis mecum in tentationibus meis & ego dispono vobis, &c. & sedeatis super thronos judicantes duodecim tribus Israel*, & idem habetur alibi frequenter, undè certum est de fide Sanctos esse cum Christo sessuros, ac judicaturos, cum hoc expressè doceat Scriptura. Sed quia Act. 10. legitur de Christo Domino, quod ipse est, qui constitutus est à Deo judex vivorum, & mortuorum, modò declarandum est, quomodo intelligendum sit, quod Sancti etiam sint cum Christo judicaturi, & quinam hi sint futuri, de quo puncto plura discurrunt Suarez disp. 57. sec. 4. & Brancatus noster disp. 10. art. 6. Sed rem breviter, ac dilucidè declarat D. Bonavent. disp. 47. art. 1. q. 1. ubi ait, quod judex in aliquo dicitur duplici ratione, aut quia ipsius est ferre sententiam, aut quia assistit ferenti, secundùm quod aliqui judices assistunt, & quodammodo consulunt judici principali; qui ergo fert sententiam ille est judex principalis, & talis est solus Christus, sicut patet Matth. 25. ubi exprimitur quomodo feret sententiam, qui autem assistunt judici, etiam nomen, & dignitatem judicantis sortiuntur, & tales sunt viri perfecti, qui ultrà opera necessitatis præceptorum super erogaverunt perfectionem consiliorum, tales autem sunt Apostoli principaliter, tanquam capita, & eorum perfecti imitatores, assistentia autem illa non erit ad consulendum, quia Dominus consilio non indiget, sed erit tanquam ad quendam honorem, & appropinquationem ad Judicem, quam possumus appellare juxtà verbum Domini honorabilem confessionem; ratio autem hujus honorabilis confessionis meritoria est perfectio supererogationis, ratio autem finalis est ad condemnationem malorum ex vitæ suæ comparatione, & ad gloriam Christi per sententiæ ejus judicis approbationem, sententiam enim Domini, ut justam approbabunt, & malorum vitam sua comparatione condemnabunt. Ita Bonav. loc. cit.

44 Undè etiam Bañolius noster distinct. 47. citat. qu. un. ar. 2. pro hujus dubii resolutione inquit, quod judicare quadrupliciter capi potest, primò modo dicitur aliquis judicare principaliter, & auctoritativè auctoritate suprema, & simpliciter eminente, & hoc modo in die judicii solus Deus judicabit, vel Christus, inquantum Deus, nam solius divinæ scientiæ, & justitiæ principaliter sententia efficax est de præmiatione bonorum, & punitione malorum, & potest ista ponere in effectu. Secundo modo dicitur aliquis judicare subauthenticè, & non principaliter, sicut judex subditus judici principali, & hoc modo judicabit Christus, ut homo, in tanta tamen sub auctoritate, & commissione, quod nulla tanta est, nec esse potest in pura creatura, quia idem ipse in supposito homo est, & Deus, & sic idem supposito existens judex est, & commissarius, vel subauthenticus, & principalis, ut suprà declaratum est. Tertio modo dicitur aliquis judicare assistenter, sicut assistentes judici in eminentia, & honore in loco judicii, & hoc modo judicabunt Apostoli quasi assistentes judici in thronis duodecim ad solemnitatem judicii quasi primi, & honorati in populo judicis juxtà illud: *Sedebitis super sedes, &c.* Quartò tandem modo dicitur aliquis judicare approbativè, sicut omnes audientes sententiam judicis, & eam approbantes, & hoc modo cum Christo in judicio judicabunt omnes electi juxta illud Sapient. 3. *Fulgebunt justi, & tanquam scintillæ in arundineto discurrent, judicabunt nationes, & dominabuntur populis*, ubi Lyranus exponit, quod perfecti judicabunt cum Christo modo jam explicato, quod adhuc magis declarat in cap. 19. Matth. exponens illa verba, *Sedebitis, & vos*, ubi ait, quod judicare tripliciter accipitur, uno modo principaliter, sicut judex, qui profert sententiam, alio modo prosedere in loco eminenti juxtà judicem, sicut assessores judicis, undè tandem concludit Apostolos in judicio judicaturos cum Christo, tanquam judicis assessores, alios autem Sanctos futuros esse judices approbativè.

45 Quintò tandem quæritur, an Angeli etiam judicabunt in die judicii. Affirmat Brancatus noster l. c. quod Angeli etiam assistent in judicio, & ut assessores judicabunt, quod probat ex illo Matth. 16. *Filius hominis venturus est in gloria patris sui, cum Angelis suis*, & aliis similibus Scripturæ auctoritatibus. Negat D. Th. 4. d. 47. q. 1. art. 2. ubi ait, quod licet Angeli etiam dici possint judicaturi consentiendo, & approbando sententiam judicis, non tamen concedendo, & participando aliquo modo judiciariam actionem, quia Judicis assessores debent esse ejusdem naturæ cum judice, & cum iis, qui judicandi sunt, quod etiam approbat, & confirmat Suarez l. c. quia Deus statuit, ut hoc judicium fieret per humanam Christi naturam, ut homines sensibiles haberent judicem visibilem, & sensibilem, tùm quia Sancti, qui judicaturi sunt cum Christo sessuri sunt cum illo, Angeli verò erunt potius Ministri in illo judicio, & ait Suarez hanc sententiam communiter ab omnibus amplecti, & ità etiã sentit D. Bonav. di. 47. cit. art. 1. qu. 2. ubi ait, quod propriè loquendo judiciaria potestas non erit in Angelis in judicio futuro, si autem dicatur in eis esse, ait intelligendum esse ratione approbationis, quo modo judiciaria potestas omnibus electis conveniet, ut suprà dictum est. Et tandem addit auctoritates illas, quæ dicunt, quod Dominus veniet cum Angelis intelligendas esse, quia veniet cum Angelis, non judicantibus, sed ministrantibus, addit verò Suarez loc. ci. quod si spectetur hoc judicium, quatenus in eo Angeli quoque mali sunt judicandi, non esse improbabile, aliquos Principes Angelorum esse cum Christo judicaturos, quia jam cessat ratio allata ex proportione sumpta, cum Angeli sint ejusdem ordinis, & naturæ cum Angelis judicandis, & quamvis non sint ejusdem omninò naturæ cum Christo, ut homine, sufficit ut cum eo conveniant in intellectuali gradu, sicut hoc etiam satis, ut sint membra ejus, & illi assistant, & ministrent. Quæ doctrina est etiam D. Bonav. lo. c. in fine quæstionis in solutione ad ultimum, ubi ait posse concedi; quod Angeli mali, judicentur à bonis, nam sicut se habent boni homines ad malos, sic pariter boni Angeli, malo judicare debent.

QUÆ-

QUÆSTIO TERTIA.

De forma Judicij, ejusque fine.

46 SUpponendum est ex dictis in superioribus, omnes homines esse morituros, priusquam Christus Dominus ad judicandum veniat, quamvis plures ex illis de hac vita sint migraturi eadem die, vel nocte, qua judicium inchoabitur, absoluta autem omnium hominum etiam tunc viventium vita mortali, & pariter omnium animarum justarum purgatione perfecta, atque completa, sonitus tubæ homines ad judicium convocantii audiri incipiet, cujus virtute, & efficacia defuncti omnes excitabuntur, & justi *rapientur obviam Christo in aera*, reprobi verò in valle Josaphat congregabuntur, ut suprà dictum est quæst. 1. hujus Disput. art. 1. num. 6. & seq. quibus dispositis Judex apparere incipiet cum majestate, & gloria qu. præced. declarata art. 1. ad judicium peragendum, in hac igitur quæstione de modo, & forma, quo fiet, discurrendum est.

ARTICULUS PRIMUS

Quinam sint judicandi in judicio finali.

47 PRimò certum est, quod in judicio finali omnes homines comparebunt, sivè adulti, sivè parvuli, sivè electi, sivè reprobi, sivè fideles, sivè infideles; ità deducitur ex dictis disput. præced. quæst. 1. art. 3. ubi diximus omnes homines tempore judicii universalis resurrecturos, sivè adultos, sivè parvulos, & infantes, ut in judicio compareant, ac etiam ex dictis superius in hac Disput. quæst. 1. art. 1. ubi diximus judicium universale esse faciendum, & causam finalem, ac motivum illud faciendi esse ostensionem, & exercitium divinæ justitiæ distributivæ pro meritis singulorum; & ita etiam manifestè deducitur ex Scripturis, tam veteris, quàm novi testamenti, ut Joel. 3. *Congregabo omnes gentes, ut deducam eos in vallem Josaphat, & disceptabo cum eis*, Matth. 25. *Cùm venerit filius hominis in majestate suam, & omnes Angeli ejus cum eo, tunc sedebit super sedem majestatis suæ, & congregabuntur ante eum omnes gentes*, & 3. Apocal. 20. *Vidi mortuos magnos, & pusillos stantes in conspectu throni, & libri aperti sunt, &c.* & 2. ad Corinth. 5. *Omnes nos manifestari oportet antè tribunal Christi, ut referat unusquisque propria corporis, prout gessit, sivè bonum sivè malum.* Rursus in judicio universali non solùm omnes comparebunt homines, sed omnes etiam aderunt Angeli, sivè boni, sivè mali, de bonis quidem patet ex loco citato Matth. 25. *Cum venerit filius hominis, & omnes Angeli ejus cum eo*, & ita etiam asserunt Patres omnes, undè Sanctus Ephrem, & de extremo judicio inquit, quod assistent millia milium, & decies dena millia Archangelorum, & Angelorum, Cherubim, & Seraphim, &c. de malis etiam patet ex 1. Corinth. 6. *Nescitis, quia Angelos judicabimus*, ubi Glossa Interl. ait, Angelos Apostatas, qui digni creati lapsi sunt; quod etiam Patres passim affirmant, & præsertim Basilius Seleuc. orat. de transfiguratione Christi, ubi de Judicio universali loquens ait, quod vinctus adducetur Diabolus, de quo tyrannicarum fumentur pœnæ cogitationum, &c. Hoc ergo supposito, tanquam certum de fide, modò discurrendum est, an omnes isti sint judicandi in judicio finali, & universali; aliud enim est inquirere, quinam sint ad judicium vocandi, aliud verò, quinam sint judicandi, multi enim convocari possunt, vel ut Ministri, vel ut testes, vel ut assessores, vel propter alias causas, quamvis judicandi non sint.

48 Secundò itaque quæritur, an omnes tam boni, quàm mali judicabuntur. Pro cujus quæsiti solutione omnes Scholastici cum Magistro 4. dist. in. 47. quæst. 1. statuunt quatuor ordines personarum in judicio ex D. Gregorio lib. 26. Moral. cap. 24. quidam erit perfectorum, alius minus perfectorum, sed adhuc electorum tertius infidelium reproborum; quartus eorum qui crediderunt, sed adhuc reprobi decesserunt. Propter hos ordines discernendos duplex rursus judicium distinguunt, aliud discussionis, & examinis, & aliud condemnationis, vel remunerationis, seù sententiæ latæ, & dicunt, quod infideles non sint judicandi judicio discussionis, & examinis in particulari quoad singulos in generali judicio, sed sunt judicandi judicio condemnationis, quod probant ex illo Joann. 3. *Qui non credit jam judicatus est*, & ex D. Gregorio loco citato Anselmo in Elucidario, Isidoro libr. 1. de summo bono c. 30. & August. serm. 38. de Sanctis, ubi ait, quod ad judicium non veniet pagani, nec hæretici, nec Judæi, quia de illis scriptum est, *Qui non credit, jam judicatus est;* quod quidem de judicio discussionis intelligunt, de alio enim judicio sententiæ, & condemnationis ex Matth. 25. & aliis locis constat esse judicandos; ratio autem hujus est, quia cum in processu judiciali judicii forma extenditur ad discussionem causæ, & prolationem sententiæ, si causa per se est manifesta, superfluit discussio, & ità contingit in iis, qui sunt infideles, nec Christum noverunt, neque fidem ejus. Alii verò qui fidem receperunt, sed legem non servarunt, judicabuntur, & condemnabuntur; & his dicetur *Esurivi, & non dedistis mihi manducare*, &c. Matth. 25. Deindè ex electis, & fidelibus, qui fuerunt perfecti, quia nimirum non tantùm legis præcepta observarunt, sed etiam consilia, nec ipsi judicabuntur judicio discussionis, & examinis, sed tantùm judicio remunerationis, & retributionis, & tandem electi, & fideles minus perfecti, qui nimirum pœnitentes fuere, & opera misericordiæ exercentes, judicabuntur à Christo utroque judicio, tam scilicet, discussionis, quàm remunerationis, & dicet illis *Esurivi, & dedistis mihi manducare*, &c. undè opera eorum bona discutientur.

49 Verùm hanc distinctionem non approbat Suarez disputat. 57. citata, section. 5. nam de omnibus Paulus dicit etiam infidelibus esse manifestandos antè tribunal Christi *ut referant prout gesserunt in corpore suo, sivè bonum, sivè malum* ad Rom. 14. Item Jeremiæ 25. *Judicium Domini cum gentibus*, & Joel. 3. *Congregabo omnes gentes, & adducam eas in vallem Josaphat, & disputabo cum eis*; ergo judicium disceptationis erit etiam cum gentibus, & infidelibus. Rursus in judicio infidelibus improperabuntur opera injusta, & persecutio in electos facta, ut insinuatur Sapien. 5. *Tunc stabunt justi in magna constantia adversus eos, qui se angustiaverunt*, & idem indicare videtur vox illa Martyrum in Apocal. *Vindica sanguinem nostrum*, undè concludit Suarez distinctionem illam quatuor ordinum personarum in judicio à Scholasticis communiter receptam non subsistere, & magis metaphoricam videri, quàm realem. Pluribus modis hanc distinctionem defendit, & tuetur Hiqueus noster 4 dist. 47. qu. 1. in Commentario, quia etiam Doctor eam approbat in solutione ad 2. princ. ubi ait, quod perfecti quidem quantum ad disceptationem præcedentem sententia non judicabuntur, sed in eo, quod dicitur *Venite benedicti*, &c. & similiter infideles quantum ad disceptationem præviam non judicabuntur judicio generali, sed in illo *Ite maledicti*, &c. Sed pro recta hujus distinctionis intelligentia, & Scripturarum, quas Suarez in oppositum adducit, breviter dicendum est, quod si discussio sumitur pro notitia causæ, verum est omnium peccata propalanda esse etiam infidelium, ut prædictæ Scripturæ significant; sed si discussio strictius sumatur pro inquisitione causæ per allegationem contrariam rei, sic erit in peccatoribus tantùm fidelibus, non autem infidelibus, quia in re notoria discussio non requiritur, sed statim ad sententiam proceditur, quia notorietas facti omnem defensionem, & probationem excludit, tanquam superfluam, & hoc modo Cyrillus Hierosolymit. Catechis. 18. explicat illud Joann. 3. *Qui non credit jam judicatus est*, quia inquit, *non requiritur magna inquisitio causæ notoriæ*. Illi ergo judicium discussionis subibunt, qui ex fide, & lege defensionem prætendet, & misericordiam judicis implorabunt ex fide, & lege & beneficiis receptis prædicationis, Sacramentorum, doctrinæ, & similium; infideles verò, qui Judicem Christum respuerunt, legem ejus, justitiam, & fidem, tale judicium discussionis non subibunt, quia ut ait Theodoretus Heracleotes in Catena, *Fur in delicto deprensus non perducitur ad judicem, ut de facto notorio quæstionem habeat, sed ut sententiam damnationis accipiat;* undè per solùm judicium reprobationis, & damnationis infideles recipient secundùm peccata sua; in hoc ergo sensu de discussione, & disceptatione loquuntur Scholastici, & Patres dùm inquiunt, quod infideles judicium damnationis tantùm subibunt in judico iuniversali, non verò discussionis, & disceptationis; quod tandem Suarez ipse quoque fatetur sect. cit. in fine, dùm ait, quod nihilominus adhuc verùm est damnationem infidelium quoad exclusionem à Regno evidentiore habere causam damnationis, quia non solùm justitia, & meritis, sed etiam fundamento justitiæ, & meritorum penitus carverunt, & concludit, quod adhoc explicandum usi sunt Patres illo modo loquendi, quod in iis non est necessaria discussio, ut à Regno excludantur, undè constat hanc esse solùm de nomine contentionem.

50 Tertiò quæritur, an parvuli, & infantes sint judicandi. Negant Durand. 2. d. quæst. 33. q. 3. & Carthusian. 4. d. 47. qu. 1. ubi pro eadem sententia refert Albertum, qui non solùm negat hos pueros esse judicandos, sed etiam in judicio comparituros; quod probant ex quibusdam Scripturæ locis, quia ubicunque in Scriptura judicium describitur, significatur solùm esse futurum de adultis, & de propriis actionibus, vel omissionibus eorum, qui judicandi sunt, sic Matth. 25. *Esurivi, & dedistis mihi manducare*, &c. id autem parvulis, & infantibus non convenit. Deindè illi tantùm judicabuntur, qui relaturi sunt,

sunt, quæ in corpore gesserunt, sivè bona, sive mala ex 2. Corint 5. *Omnes nos manifestari oportet antè tribunal Christi, ut referat unusquisque prout gessit in corpore suo sivè bonum, sivè malum*, hæc autem parvulis; & infantibus sunt impropria, & Joel 3. *Congregabo omnes gentes, & disceptabo cum eis*; ergo qui sunt discussionis incapaces, ut pueri, & infantes non congregabuntur, ut judicentur. Tandem omnes, qui judicantur, vel admittuntur ad beatitudinem, vel mittuntur in ignem æternum Matth. 25. & Apocal. 20. parvuli autem, qui sine gratia decesserunt, neque ad beatitudinem admittentur, neque in ignem mittentur; ergo saltem isti non judicabuntur. Oppositа tamen sententia communior est, & probabilior juxtà dicta superius disp. præced. qu. 1. art. 3. quam communiter Scholastici tenent, ut ait Suarez disp. 7. sect. 6. & expressè deducitur ex verbis illis Apocal. 20. *Vidi mortuos magnos, & pusillos stantes in conspectu throni*, & posteà de omnibus dicitur latum esse judicium, imò id etiam deducitur ex illo 2. Corinth. 5. *Omnes nos manifestari oportet antè tribunal Christi, ut referat unusquique prout gessit*, nam ut Lyranus ibi exponit his verbis *prout gessit*, non tantùm opera comprehenduntur, sed etiam omnia media, quibus homines salvari possunt, vel damnari, & ità comprehenduntur actiones, & receptiones Sacramentorum, & omissiones, seù carentiæ, & ità comprehenduntur non tantùm adulti, sed etiam parvuli, quia ut ait Lyranus ibidem non per hoc excluduntur pueri à judicio, qui nihil in corpore meruerunt, vel demeruerunt, quia dijudicabuntur secundùm ea, quæ circà illos ab aliis sunt facta, vel omissa, inquantum sunt ab aliis baptizati, vel non; undè concludit, ut diximus loco cit. quod non secundùm gesta propriè judicabuntur, sed pro peccato originali, vel carentia ejus, & ita etiam discurrit Glossa Ordinaria ibidem, & D. Anselm. cap. 5. ad Corinth. ubi ait quod referet unusquisque etiam parvuli, cum hoc tamen discrimine ab aliis, quod isti referent, quæ non per seipsos, sed per alios gesserunt, quando scilicet per corda, & ora gestantium crediderunt, vel non crediderunt, quando baptizati, vel non baptizati sunt. Ità etiam D. Greg. l. 9. Moral. cap. 12. ubi agens de Christo in generali judicio judicante, ait, *Quosdam tunc reatu culpæ originalis adstrictos etiam sine operibus damnat*, quod latè prosequitur. Tandem hoc etiam probavimus loc. cit. ratione ex causa finali, & motivo faciendi judicium universale deducta, quod est ostensio divinæ justitiæ, & liberalitatis Dei præmiantis, & punientis; parvuli autem, & infantes sunt gloriæ capaces, ac etiam pœnæ saltem damni, si cum originali decedant, ut patet ex dictis lib. 2. sentent. disp. 4. quæst. 6. de pœna peccati originalis, undè isti quoque sunt capaces judicii discussionis latè sumpti pro notorietate facti, non verò strictè sumpti, quia nulla habent opera. Neque obstant loca Scripturæ in oppositum adducta, nam Matth. 25. Salvator cum adultis loquebatur, qui non nisi per opera bona salutem consequi possunt, & de suis operibus in die judicii rationem sunt reddituri, ob id tamen alios à judicio non excludit; & quomodo D. Paulus 2. ad Corinth. 5. intelligi debeat, jam explicatum est; & Matth. 24. & Apoc. 10. commemoratur præcipuè sententia, & pœna prout ad adultos pertinet ad hominum terrorem, & correptionem, non tamen ob id reliqui excluduntur, qui etiam sunt gloriæ capaces, ac etiam pœnæ saltem damni, ut parvuli.

51 Quartò quæritur, an omnes homines Sancti sint judicandi. Quod quidem quæsitum resolvendum est juxtà distinctionem jam assignatam, quod loquendo de Sanctis præcellentibus, & assessoribus Judicis non sunt judicandi judicio discussionis strictè sumptæ, sed tantùm judicio remunerationis, & retributionis, quia hæc exemptio ipsis competit prærogativa eximiæ sanctitatis, & muneris concessi, quo alios judicabunt participatione potestatis à Christo receptæ, quam promisit Matth. 19. omnibus renunciantibus propter ipsum hæc bona terrena, ut ibi communiter Patres docent, & expositores. Et hoc præcipuè intelligendum est de justis, qui mortaliter non peccaverunt, sed primam stolam conservarunt, quam in Christo receperunt; quamvis enim aliqua habuerint venialia, hæc tamen non sunt causa, aut materia per se hujus judicii, scilicet discussionis strictè sumptæ, quia statum finalem non constituit; judicium autem extremum cum ea discussione fiet, ut docet Scotus loc. cit. ad discernendas familias civitatis supremæ, & infimæ secundùm opera, quæ ad statum gloriæ, vel damnationis pertinent ordinantur, qualia sunt peccata mortalia tantùm, aut opera bona, & meritoria; loquendo autem de justis minus perfectis, qui nempè per pœnitentiam à peccatis mortalibus surrexerunt, dicendum est juxtà regulam superius assignatam utroque judicio esse judicandos à Christo, tam scilicet discussionis, quàm remunerationis, ut docent D. Gregorius loco citato & super Psalm. 88. & D. Augustinus 20. de Civit. cap. 14. & alii Patres, ac Scholastici communiter, quod ex Scripturis jam allegatis expressè deducitur. Aliqui tamen sentiunt nullum justorum hominum esse judicandum judicio discussionis strictè sumptæ, quia peccata justorum in judicio non sunt propalanda, sed tantùm merita, ita Magister, Viguerius, Sonnius, & quidam alii apud Suarez cit. sect. 7. quorum opinio fundatur in quibusdam Scripturæ locis, in quibus efficacia pœnitentiæ ad delenda peccata significatur, & peccata semel remissa tegi, occultari, deleri, & oblivioni tradi dicuntur; cui promissioni repugnare videtur, quod posteà in universo hominum conspectu proferantur, ut Psalm. 31. *Beati quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata*, & Psalm. 50. *Dele iniquitatem meam*, 1. Petri 4. *Charitas operit multitudinem peccatorum*, Ezech. 18. *Si impius egerit pœnitentiam omnium iniquitatum ejus, non recordabor amplius*, & similia. Ratio tandem, & congruitas id suadet, quia talis peccatorum notitia, & propalatio in electis ruborem, & confusionem causaret, quæ eorum statui repugnant, & sancti in die judicii honorandi sunt, & præmiandi, non infamandi.

52 Communior tamen, & probabilior sententia est, omnia justorum peccata, & præsertim mortalia esse in judicio manifestanda; ita sentit D. Thomas 4. dist. 43. art. ult. D. Bonavent. ibidem art. 3. q. 2. & 3 & alii Scholastici, undè si discussio nihil aliud significet, quàm examen, & collationem bonorum, & malorum operum, dicendum est omnes Sanctos, qui aliqua peccata commiserunt judicio discussionis judicandos esse, quamvis ut suprà dictum est, hęc discussio minor futura sit in eis, qui tantùm venialiter peccaverunt, quam in aliis, qui mortalia etiam crimina commiserunt, nam in his erit discussio strictè sumpta, in illis verò latè sumpta pro notitia, scilicet, omnium operum; & similiter dicendum est majorem futuram discussionem in iis, qui plura, & graviora commiserunt peccata, quàm in iis, qui pauciora. Et hoc expressè colligitur ex verbis Christi Matth. 12. *Dico autem vobis quoniam omne verbum otiosum, quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die judicii*, ubi Patres dicunt poni exemplum peccati levissimi, frequentissimi, ut intelligamus multò magis de aliis gravioribus reddendam esse rationem, & hæc fuit sententia Anselmi in Elucid. & Augustini in lib. meditationum c. 4. dicentes, ecce coram tot millibus populorum nudabuntur omnes iniquitates meæ tot agminibus Angelorum patebunt universa scelera mea, non solùm actuum, sed etiam cogitationum, simulque locutionum. Et quidem hoc etiam ratio ipsa suadet, nam judicium publicum, & finale exigit, ut causa in publico etiam transigatur ad manifestationem justitię, & potestatis judiciariæ in omnes, nam ut constet Christi judicantis, & Sanctos præmiantis justam esse sententiam, non sufficit, ut eorum merita manifestentur, sed constare etiam oportet, illa quoque viva permansisse, & omnia impedimenta fuisse sublata; & peccata, si quæ commissa fuerunt, per pœnitentiam sufficienter fuisse purgata, atque remissa, sicut etiam eadem ratione peccata quoque reproborum, quę in hac vita per pœnitentiam deleta fuerunt, quamvis iterum punienda non sint, adhuc tamen in judicium ferentur, ut divina justitia, & misericordia amplius manifestentur; qua ratione ait August. 20. de Civit. c. 14. in die judicii omnia tam bona, quàm mala esse in singulorum memoriam revocanda. Itaque in allatis Scripturæ locis, & per omnes illos dicendi modos, ut ait Suarez l. c. significatur solùm perfecta peccatorum remissio, quæ deleri dicuntur, quia eorum macula non amplius manet in anima, & *oblivioni traduntur à Deo*, quia eorum non recordatur, ut puniat; & eodem modo *tegi, & occultari*, quia jam ad iram non provocant, neque sunt ruboris, aut dedecoris; siquidem ut ait D. Bonavent. l. c. quamvis in reprobis peccata, quorum non pœnituerunt, maximam parient confusionem, & tristitiam; in electis tamen ex eorum manifestatione nulla orietur confusio, quia per pœnitentiam deleta videbuntur, & hinc maximè Dei misericordia, ac justitia commendabitur, & electorum meritum, cum de commissis pœnitentiam egerint, ut magis constabit ex dicendis art. seq.

53 Quintò tandem quæritur, an Angeli tam boni, quàm mali sint judicandi. Negant Thomistæ Angelos esse judicandos saltem quoad præmium, & pœnam essentialem cum D. Thoma 3. part. quæst. 59. artic. 6. quod probant, quia judicium generale de Angelis initio mundi perfectum est, undè omnes integrum præmium, aut supplicium essentiale acceperunt. Confirmatur, quia Christus non est Redemptor Angelorum; ergò nec futurus erit Judex. Tandem, quia in Symbolo profitemur Christum futurum Judicem vivorum, & mortuorum, & in Evangelio solùm de hominibus profertur sententia: *Venite benedicti, &c. Ite maledicti*, &c. Matth. 25. undè concedunt solùm effectum hujus judicii indirectè redundaturum in Angelos quoad aliquod præmium, vel pœnam accidentalem, quatenus tàm boni, quàm mali Angeli ad salutem, vel damnationem hominum aliquid eorum ministerio cooperati sunt: gaudebunt

bunt enim boni de consortio Sanctorum hominum, & de fructu sui Ministerii, & similiter accrescet malis aliqua confusio, & accidentaria tristitia ex pravorum hominum condemnatione. Communior tamen, & probabilior sententia docet Angelos judicandos esse etiam quoad præmium, & supplicium essentiale, judicio saltem approbationis, & condemnationis. Ità D. Bonavent. dist. 47. art. 1. qu. 4. Riccardus art. 1. qu. 6. & alii Scholastici ibidem, & sequitur Suarez disp. 57. cit. sect. 8. quod expressè deducitur ex 1. ad Corint. 6. *Nescitis quoniam Angelos judicabimus?* quod de judicio universali exponunt Chrysost. Theodor. Ambrosius, Anselmus, & alii Patres, tam Græci, quàm Latini, quamvis aliqui eorum de malis tantùm Angelis intelligant, alii verò de omnibus absolutè. Nec potest hic locus de judicio tantùm indirecto convenienter exponi, quia Paulus ibi ait, eodem modo judicandos esse Angelos, quo & mundus judicabitur, undè de eodem judicii genere, scilicet, directo intelligendus est, tùm quia per illud judicium indirectum Angeli propriè non judicantur, sed homines, & ex accidenti in Angelos redundat.

Confirmatur ex Glossa Lyrani ibidem, ubi ait *Angelos judicabimus*, approbando nimirùm sententiam judicis de punitione malorum Angelorum; & sic pariter discurrit in epist. can. B. Judæ Apost. *Angelos verò, qui non servaverunt suum Principatum, sed dereliquerunt suum domicilium in judicium magni diei vinculis æternis reservabit*; licet enim nunc damnati sint judicio particulari, & quasi privato, tunc generali, & publica sententia damnabuntur, & ità discurrunt Clemens Romanus l. 7. Const. c. 33. Lactantius l. 7. c. 26. & alii Patres dicentes venturum Christum in throno Regni sui ad condemnandum deceptorem mundi diabolum. Certum autem est, si mali angeli judicandi sunt judicio condemnationis, tantò magis Sanctos Angelos judicandos esse judicio approbationis, ac retributionis.

54 Denique id etiam probat Suarez loco citato ratione ex Scoto desumpta 4. d. 47. quæst. 1. §. *De secundò*, ubi aliquas assignans congruentias, cur judicium universale fiet, tanquam meliorem illam assignat, quod fiet ad discernendas familias Divitatis supernæ, & infimæ; ex Angelicis autem, & hominibus Sanctis unum Christi corpus constituitur, una Ecclesia, & una Dei Civitas, & omnibus retribuitur pro meritis præmium ejusdem rationis, & è contrà ex Angelis malis, & hominibus improbis familia, & Civitas Diaboli constituitur; ergo conveniens est ut publicum judicium cum retributione fiat, nō solùm de omnibus, sed etiam de Angelis. Confirmat hoc etiam cum S. Bonav. l. c. ex omnibus rationibus, & congruentiis aliis, ob quas voluit Deus ultrà privatum fieri quoque publicum, & generale hominum judicium, quia sicuti judicium hominum universale fiet, ut Dei justitia omnibus innotescat, & appareat, sic etiam judicium Angelorum retributionis pro bonis, & condemnationis pro malis fieri debet. Pertinet hoc etiam ad honorem, & gloriam Christi, ut sicut est caput, & Rex Angelorum, etiam supremus Judex; pertinet quoq; ad honorem Sanctorum Angelorum ut eorum merita, & coronæ in conspectu omnium appareant, et ad pœnam, et supplicium malorum, sicut enim homines expectant judicium, vel ad consummationem gloriæ, vel pœnæ, ita et Dæmones, inquit D. Bonav. judicium non debent evadere, ut si quid pœnæ eis deest, plenè suppleatur; undè simul involventur cum aliis damnatis, et simul incarcerabuntur in infernum, ut indè nunquam amplius exire possint, sicut nunc eis permittitur, ut habetur in Apoc. 12. & 20. ac per hoc ad judicium Dæmones quoque deducentur. Hinc ad actiones in oppositum facilè occurritur cum Suarez ibidem quia licet Angeli jam præmium boni, & pœnam mali receperint, illud tamen judicium fuit privatum respectu hujus universalis judicii sicut etiam de hominibus jam supradictum est.

Ad Confirmationem licet Christus non sit Angelorum Redemptor, est tamen Salvator, & Justificator, ideoque judex quoque eorum esse debuit etiam quoad præmium essentiale. Ad ultimum licet in Symbolo dicatur esse judicem vivorum, & mortuorum, non ob id negatur futurum etiam esse judicem Angelorum, sed docetur id, quod certum est, & nobis ad salutem necessarium, & tacentur reliqua, quæ Doctorum inquisitioni relinquuntur; præterquam quod sub nomine *vivorum* Angeli quoque comprehendi possunt.

ARTICULUS SECUNDUS.

De quibus sint judicandi, & quomodo.

55 PRimò quæritur, quænam causæ judicabuntur in finali judicio. Pro cujus quæsiti intelligentia advertendum est judicium dupliciter sumi posse, scilicet, vel pro examine, seù discussione causæ, vel pro sententiæ pronunciatione, quæ rursus duplex esse potest, vel enim est circa hominem justum, & benè operantem, & dicitur præmiatoria, de qua Psalm. 25. *Judica mè Domine, quoniam in innocentia mea ingressus sum*, &c. vel est circà reum, & injustum supplicio dignum, & dicitur condemnatoria, de qua Psalm. 25. *Judica Domine nocentes me*, &c. hìc ergo de judicio primo modo discurrendum, quænam scilicet, discutientur in judicio finali, nam de judicio secundo modo agemus articulo seq. & dicendum est omnia opera omnium hominum, sivè externa tàm bona, quàm mala esse aperienda, & examinanda à Christo in judicio finali quod] spectat ad cognitionem, & probationem causæ, de qua ferendum est judicium, quæ veritas sic absolutè prolata de fide est, ut constat ex locis jam citatis Matth. 25. 2. ad Corint. 5. pluribus aliis copiosè relatis à Brancato nostro disp. 10. art. 8. Duo autem sunt potissima testimonia ut notat Suarez disp. 57. cit. sect. 9. in quibus hìc actus divini judicii specialiter describitur; primum est Daniel. 7. *Judicium sedit, & libri aperti sunt*, alterum est Apocalyp. 20. *Et vidi mortuos magnos, & pusillos stantes in conspectu throni, & libri aperti sunt, & alius liber apertus est, qui est vitæ, & judicati sunt mortui ex iis, quæ scripta erant in libris secundùm opera ipsorum*, quibus verbis Joannes satis expressè significat ex librorum aperitione omnium operum manifestationem indicari in die judicii, quod posteà adhuc magis explicat Ecclesia in sequentia Missæ Defunctorum *Liber scriptus proferetur, in quo totum continetur, undè mundus judicetur*, quod passim etiam docent Patres, & Scholastici omnes cum D. Bonaventura 4. dist. 43. art. 2. quæst. 2. & 3. D. Thoma quæst. 3. art. 2. & 3. & Scoto dist. 47. quæst. 1. §. *De tertio*, ubi ait, quod in illo judicio aliquid erit prævium, scilicet, innotescentia meritorum, vel demeritorum, propter quæ feretur sententia talis, vel talis, & aliud completivum, scilicet, latio sententiæ, & executio illius, & ita etiam discurrit D. Bonavent. dist. 43. cit. artic. 3. quæst. 1. ubi ait, quod omnium meritorum erit ibi lectio, & memoria, quia sicut dicit Apostolus, erunt cognitiones, vel cogitationes accusantes, & defendentes, & ita bona, & mala ibi patebunt, & per consequens affectiones, & operationes, omnia autem reducentur ad memoriam, quia revocatio actuum, & cogitationum præcedentium ad memoriam erit ad ostensionem divinæ justitiæ, & misericordiæ.

56 Quid autem sit aperiri libros in die judicii, & quid liber vitæ importet, quamvis variis modis à Patribus explicetur, verior tamen, & communior interpretatio, & maximè literalis est, quod libri, qui aperientur, non erunt materiales libri, sed conscientiæ singulorum, in quibus omnium opera legentur, & ità præsertim exponit D. Bonavent. loco cit. ubi ait, quod omnium merita, & demerita in conscientiæ libris legentur, & ita locum Apocal. adductum *Libri aperti sunt*, exponit Glossa Ordin. dicens, quod erunt libri conscientiæ singulorum, qui aperti omnibus erunt, ac etiam Lyranus ibidem dicens, quod erunt libri conscientiarum nam omnium merita, & demerita omnibus erunt nota, ut sic appareat omnibus judicantis justitia; sic pariter August. lib. 20. de Civitate Dei cap. 14. ubi ait, quod non erit unus liber, sed singuli singulorum, & quod quædam vis est intelligenda divina, qua fiet, ut cuique opera sua vel bona, vel mala cuncta in memoriam revocentur, & mentis intuitu mira celeritate cernantur, quæ nimirum vis divina libri nomen accepit, in ea quippè quodammodo legitur quicquid à faciente recolitur, & ita etiam exponunt Hieronym. & Theod. illud Daniel. 7. *Judicium sedit, & libri aperti sunt*. Rectè ergo per libros, qui aperiendi sunt, conscientiæ, & memoriæ singulorum interpretantur, quia ex his, quæ in conscientiis scripta fuerint, singuli sunt judicandi, quæ expositio clarè ex Paulo deducitur ad Roman. 2. dum ait *Thesaurizas tibi iram in die iræ & revelationis justi judicii Dei*, & infrà *Ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis, testimonium reddente illis conscientia ipsorum, & inter se invicem cogitationibus accusantibus, aut etiam defendentibus in die, cum judicabit Deus occulta hominum*. Per librum autem vitæ rectè etiam intelligunt Hieronymus, & Augustinus loc. cit. librum illum viventium, seù divinam mentem, in qua prædestinati omnes conscripti sunt, itaut liber vitæ significet decretum, seu decreta prædestinationis divinæ ad gloriam, & ità etiam locum Apocalyp. adductum *Et alius liber apertus est, qui est vitæ*, exponit Glossa Ordin. dicens, quod erit liber præscientiæ Dei, quia tunc apertè scient mali, se non esse prædestinatos ad vitam, ac etiam Lyranus ibidem dicens, quod liber vitæ idem est, quod prædestinatio divina, quæ dicitur liber metaphoricè, eo quod in eo repræsententur expressè illi, qui ordinati sunt simpliciter ad consequendam vitam æternam, qui liber aperietur in judicio, quia tunc apparebit manifestè, qui sunt ad beatitudinem assumendi, & qui non, undè eodem cap. 20. Apocal. subditur: *Qui non est inventus in libro vitæ scriptus, missus in stagnum ignis*. Undè in aliis libris dicuntur esse conscripta omnia opera, in hoc verò

verò libro vitæ præcipuè dicuntur scripta nomina, seù personæ; horum igitur librorum aperitio, & lectio in die judicii necessaria erit, & rationem reddit D. Bonaventura d. 43. cit. sect. 2. qu. 3. dicens: Quoniam igitur judicium erit secundùm merita nostra, vel demerita, & merita sunt à nobis, & à Deo, ideò ad dispensandum quantitatem, & dignitatem meritorum, necesse est aperire libros conscientiarum, & librum vitæ, in quo apparet quantitas gratiæ secundùm mensuram liberalitatis divinæ, secundùm cujus mensuram est etiam gloriosa. Aliam quoque rationem assignat Suarez disp. 57. cit. sect. 9. nam sicut in militia alius est liber, in quo scribuntur delecti milites, alii verò in quibus scribuntur vel leges, vel facta militum; ita in præsenti præter libros, in quibus scribunrur facta hominum, est liber vitæ in Deo, in quo describuntur, qui ad vitam æternam sunt electi, qui in die judicii aperiendus est, de quo alia plura vide apud Brancatum disp. 10. art. 14.

57. Secundò quæritur, an omnium hominum opera sint omnibus aliis manifestanda. Conveniunt Doctores singulis manifestanda esse, quæ sunt unicuique propria; tum ob adducta Scripturæ testimonia; tum quia hoc ad æquitatem divini judicii spectat, ut cujuscunque causa legitimo comprobetur testimonio, quale in singulis erit propriæ conscientiæ testimonium; difficultas ergo est, an etiam aliis omnibus sint manifestanda, aliqui enim existimant ad æquitatem divinæ justitiæ id necessarium non esse, ut singuli, scilicet, omnium opera hominum, & Angelorum cognoscant, ut Paludanus 4. distin. 47. quæst. 1. art. 2. Durandus quæst. 2. & quidam alii. Communis tamen, & probabilior opinio oppositum docet cum D. Thoma, & Bonaventura loco citato art. 3. ac etiam Scoto d. 47. cit. quæst. 1. licet de modo dubitet, ut infrà, & expresse deducitur ex 1. Corinth. 4. *Itaque nolite antè tempus judicare quoad usque veniat Dominus, qui, & illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium*, ubi Glossa interlin. ait, quia tunc omnia nota erunt omnibus, & gesta, ac cogitata, tunc erunt aperta, & eodem modo verba illa exponit D. Ambrosius in 1. ad Corinth. 4. quod in die judicii nihil occultum erit eorum, quæ gesta sunt, aut cogitata, & simplicitas, & hypocrisis tunc apparebit, ut & qui despectus habebatur appareat dignus, & qui aliquid esse putabatur inveniatur reprobus, omnia enim nuda erunt in die judicii, sic pariter discurrit de die judicii Bernardus lib. de interiori domo capit. 38. Omnibus populis nudabuntur iniquitates tuæ, & cunctis agminibus patebunt universa scelera tua, non solùm actuum, verum etiam cogitationum, & locutionum. Undè deducitur, quod non solùm merita electorum, & reproborum delicta in illa die erunt omnibus nota, sed etiam bona opera istorum & mala illorum, quod non solùm ex loc. citat. colligitur, sed etiam ex 2. Corinth. 5 *Omnes nos manifestari oportet antè tribunal Christi, ut referat unusquisque propria corporis, prout gessit, sivè bonum, sivè malum*, & rationem reddit Lyranus ibidem, quia judicium, inquit, apparebit omnibus justum, singulis videntibus omnia bona, & mala aliorum; ergo si reproborum mala opera, videbuntur etiam bona, aliàs non apparet, undè differentia gravitatis pœnarum oriatur. Et eadem ratione electorum quoque delicta in die judicii omnibus erunt nota, & manifesta, ut dictum est art. præced. num. 52. hinc enim maximè Dei misericordia, & justitia commendabitur, ut ait D. Bonaventura dist. 43. cit. art. 3. quæst. 2. ubi inquit, quod in die judicii omnia nota erunt omnibus in manifestationem divinæ pietatis, & justitiæ, quia ostensio malorum in bonis est ad manifestationem misericordiæ prius factæ, bonorum in eis ad ostensionem justitiæ; è contra malorum in malis ad ostensionem justitiæ, bonorum in eisdem ad ostensionem misericordiæ; & hac eadem ratione ait in Breviloq. part. 7. capit. 1. quod in judicio fiet aperitio librorum, scilicet, conscientiarum, quibus merita, & demerita universorum sibi ipsi, & cæteris patebunt; quia non haberet illud judicium perfectam rationem generalis judicii, ac ferè supervacaneum esset, ut ait Suarez loco citato si omnium causæ non essent in publicum proferendæ, & sententia, ac ratio ejus omnibus, & singulis manifestanda.

58 Tertiò quæritur, quomodo omnium opera in judicio fient omnibus nota; nam valdè difficile est concipere, quomodo tam brevi tempore, quo supponitur judicium duraturum, possint illa omnia omnibus manifestari. Scotus dist. 47. cit. quæst. 1. §. *De tertiò*, varios modos assignat, quibus hæc omnia singulis innotescere possunt, primò ut Deus ostendat omnia illa distinctè, & singulariter in seipso, ita quod sit miraculum ex parte ostensionis, modus autem cognoscendi ex parte intellectus sit naturalis, itaut non omnia ostensa simul cognosceret, sed successivè secundùm capacitatem virtutis intellectualis creatæ, quæ nequit distinctè omnia simul cognoscere, & ad hoc, ait Doctor, magnum tempus requireretur, alio modo contingere potest, si Deus seipso tam personarum, quam operum intellectiones producat, itaut modus cognoscendi tam ex parte objecti, quàm ex parte intellectus sit supernaturalis; alio modo possibile est, quod unicuique manifestentur merita, vel demerita propria in speciali, & merita, vel demerita aliorum in generali, & hoc dupliciter, vel sic quod singulas personas consideret, tamen hanc, ut justam, & præmiandam propter merita ejus in generali concepta, & illam, ut injustam, & puniendam propter demerita ejus concepta in generali; Vel non singulas personas concipiendo in speciali, sed tam personas, quàm merita in generali, ut potè concipiendo omnes relictos in terra esse reprobos, & justè condemnandos; omnes autem raptos Christo obviàm in nubibus esse justos, & præmiandos. Sic pariter D. Bonaventura d. 43. cit. art. 3. qu. 3. ait, quod tribus modis possint omnium opera videri in judicio, aut ratione ejus, in quo videt; quia videt multa in uno, & sic in speculo æterno est videre multa, quia homo per idem ibi videt diversa; aut ratione sublimitatis intellectus, qui efficitur Dei formis per gloriam, undè videt plura, sicut Deus, sed non omnimodè, sicut Angelus beatus simul cognoscit Deum in se, & creaturam in Deo, & in proprio genere; aut ratione divinæ virtutis hoc facientis, quæ tamen non efficit gloriam, ut ostendat ei exemplar æternum, sed elevat intellectum, ut aliquid possit suprà se, vel ad gloriam, vel ad pœnam. Et his omnibus modis assignatis ex Scoto, & D. Bonaventura licet probabile sit, quod electi videbunt omnia propria merita, vel demerita per pœnitentiam remissa distinctè, & in speciali per ostensionem Dei in verbo, ita enim de facto, & anima Christi, & animæ Beatorum nunc cognoscunt in Deo, quæ sibi ostenduntur, adhuc tamen probabilius est, ut etiam Brancatus noster advertit disput. 10. cit. art. 10. tam electos, quàm reprobos in sua propria conscientia videre omnia propria facta dicta, & cogitata, hic enim dicendi modus conformius est Scripturis, & Patribus de hoc loquentibus, ut constat ex loco supracit. Apocalyp. 20. *Et libri aperti sunt, &c. & judicati sunt mortui ex his, quæ scripta erant in libris secundùm opera eorum*; per hos enim libros Glossæ, & Patres adducti intelligunt hominum conscientias in quibus uniuscujusque propria merita, ac demerita leguntur; undè D. Hieronym. in cap. 1. epist. ad Roman. ait, quod conscientia, & cogitationes nostræ erunt in die judicii antè oculos nostros, tanquam quædam historiæ cognoscendæ, & sic pariter in aliorum conscientiis eorum merita, & demerita videri poterunt, de potentia enim Dei absoluta, ut ait Scotus loc. cit. omnium gesta innotescere possunt simul singulis in judicio, & sicut de anima Christi diximus cum Scoto lib. 3. sentent. disp. 5. in Verbo, & in proprio genere omnia cognovisse, vel una, vel pluribus visionibus juxta objectorum multitudinem, & numerum. Ita in proposito posset Deus elevare ad similes actus omnium intellectus ad cognoscendum simul in omnium conscientiis eorum opera etiam in speciali, ità tamen, ut hæc causarent sui species independenter à sensibus, vel Deus ipse immediatè eas species in videntibus produceret, vel ipsas intellectiones, ut ait quoque Scotus loc. cit.

59 Quartò quæritur. An, & qui accusatores erunt in judicio, & quomodo accusabunt. Et quidem Patres passim docent, quod electi omnes, sivè Angeli, sivè homines accusabunt reprobos, ac etiam Diabolus ipse, quod expresse deducitur ex Job. 20. in fine, *Revelabunt Cœli iniquitatem ejus & terra consurget adversus eum*, quod exponens Lyran. ait. Angeli cœlestes, & homines terrestres contrà eum erunt testes, & D. Bernardus lib. de interiori domo cap. 38. ait, quod omnes spiritus boni, & mali coram Deo accusabunt, boni quia Deo debent æquitatem, mali, quia suam servant iniquitatem, & quidem de Diabolo speciali dicitur Apocalyp. 12. *Projectus est accusator fratrum nostrorum, qui accusabit illos antè conspectum Dei nostri*, ubi Glossa Ordin. ait, quod officium Diaboli est accusare, & Divus Ambrosius in cap. 12. cit. similiter ait, quod accusat & Diabolus cùm de peccatis malè suadendo deiicit, & Laurentius Justinianus lib. de contemptu mundi cap. 16. de judicio loquens ait, quod erunt testes Angeli, & Dæmonia accusantia. Præcipuus tamen reproborum accusator, ut inquit Brancatus disp. 10. cit. a. 11. erit ipsamet peccatorum conscientia, ut sonantibus verbis ait Paulus ad Roman. 2. loquens de gentibus legem non habentibus: *Qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis, testimonium reddente illis conscientia ipsorum, & inter se cogitationibus invicem accusantibus, aut etiam defendentibus in die, cum judicabit Deus occulta hominum, &c.* in quo loco ait D. Ambrosius, quod hoc modo judicabuntur homines in die judicii per Jesum Christum, & D. Bernard. lib. de interiori domo c. 38. inquit, quod in tanto discrimine torquebit te conscientia tua male sibi conscia, cruciabunt cordis arcanea, cogente etiam conscientia tu ipse eris accusator teste propria conscientia, &c. Dices quando delictum est notorium itaut non possit cælari, non est necessi-

tas

tas testium, neque accusatorum, ut delictum examinetur ex c. *Bonæ memoriæ*, de elect. notorium autem dicitur crimen, vel quando reus illud confessus est cap. final *de cohabit Clerit.* vel quando propter illud condemnatus est ex cap. *Vestra duxit*, sub eodem titulo; sed reproborum crimina utroque modo notoria erunt, etenim in propriis conscientiis descripta illa deferent, ut suprà dictum est, & sic confessa erunt, & propter illa jam in morte, & judicio particulari fuerunt condemnati, & ideò in terra manebunt; ergo tunc nulla erit testium, vel accusatorum necessitas. Respondetur gratis concedendo nullam tunc futuram testium, vel accusatorum necessitatem, sed hoc totum ex Dei decreto, & beneplacito fiet in majorem reproborum confusionem, & pœnam, ut Patres passim docent.

60 Quintò quæritur, an hoc judicium, seù meritorum, ac demeritorum discussio fiet vocaliter, vel intellectualiter. Pro resolutione quæsiti dicendum est, quod licet certum non sit ex Scriptura, an discussio, seù disceptatio omnium meritorum, & demeritorum facienda sit vocaliter, vel intellectualiter, cum Deus illis, & aliis modis, prout sibi placuerit hoc facere possit, & probabile sit utrumque, probabilius tamen est, quod ratione aliquorum saltem operum talis disceptatio, & discussio sit facienda vocaliter, & sensibiliter. Ita Scotus d. 45. cit. quæst. 1. §. *De quarto* ubi ait, quod magis videtur consonare Evangelio, quod disceptatio erit vocalis, sivè illa disceptatio manifestetur singulis subitò, vel in parvo tempore, vel in magno, & sequitur Suarez sect. 9. cit. in fine, dicens non esse probabile aliqua peccata hominum voce sensibili esse redarguenda, & similiter aliqua opera bona laudanda, quia cùm judicium futurum sit sensibile, & inter homines, qui se mutuò sensibiliter conspicient, ut suprà dictum est, videtur etiam conveniens, ut aliqua ratione fiat locutione sensibili, qui modus est hominibus maximè accommodatus, & ad majorem bonorum honorem, & malorum confusionem. Notanter autem dicitur probabile esse aliqua peccata hominum esse voce sensibili redarguenda, & aliqua opera laudanda, non autem omnia, quia si de singulis singulorum operibus discussio esset vocaliter facienda, longissimum tempus ad id necessarium esset, ut de se patet, omnia enim essent successivè cribranda, & pro quolibet homine spatium aliquod temporis notabile insumi deberet, atque ita pro tot milibus hominum tot spatia, quod Patres non approbant, præsertim Origenes tr. 7. in Matth. & August. l. 20. de Civitate cap. 26. Circà quos autem hæc discussio vocaliter sit facienda aliqui putant hanc vocalem redargutionem, seù reprehensionem specialiter futuram respectu fidelium, sivè electorum, sivè reproborum, non verò infidelium. Ità Scoto 4. d. 47. quæst. 1. art. 3. & sequitur ex nostris Brancatus disput. 10. cit. art. 12. quod deducit ex verbis Matth. 25. ubi dicitur, quod Christus commendabit fideles justos propter quod Christus commendabit fideles justos propter opera misericordiæ corporalia, *Esurivi, & dedistis mihi manducare, sitivi, & dedisti mihi bibere, nudus eram. &c.* & improperabit fidelibus damnatis: *Esurivi, & non dedistis mihi manducare, siti, &c.* Evangelista autem hæc referens ait: *Tunc dicet Rex his, qui à dextris erunt, venite benedicti, &c. & isti respondebunt, Domine quando te vidimus esurientem, &c.* Et ad damnatos pariter conversus, ait textus: *Tunc dicet Rex, & his, qui à sinistris erunt, Ite maledicti, &c. Et ipsi respondebunt dicentes, Domine, quando te vidimus esurientem, &c.* dicere autem, & respondere ex communi loquentium usu significat actionem vocalem; ergo saltem respectu fidelium judicium, & operum discussio, ac disceptatio vocaliter fiet.

61 Sed optimè Suarez loc. cit. inquit, id non solùm esse incertum, sed etiam omninò voluntariè dictum, quia nullum habet in Scriptura fundamentum, incertum enim est, an illa excusatio iniquorum, & submissio bonorum apud Matth. 25. futura sit sensibilis, vel tantùm mentalis, nam Soto ipse cit. quæst. 2. art. probabilius putat fore mentalem, quod colligit ex testimonio Pauli cit. ad Roman. 2. & ex illo Sapientiæ 4. *Disrumpet illos inflatos sine voce* loquendo de injustis; justi verò potius se silendo submittent, omnem suam gloriam, & honorem, non tam suis operibus, quàm divinæ largitati, & gratiæ tribuentes.

Confirmatur, quia maximè reprehendendi videntur infideles præsertim Judæi, quia ut Beda significat Lucæ 23. & colligitur ex Scriptura, illis maximè vulnera sua Christus ostendet, ut videant, quem crucifixerunt, & confundantur. Tandem quia si tantum cum fidelibus peccatoribus disceptatio sensibilis est futura per modum accusationis, excusationis, & redargutionis; ergo pari ratione disceptatio sensibilis, quæ fiet cum justis per modum laudis, non fiet cum insignioribus, & perfectioribus, Sanctis, sed cum mediocribus, & minus perfectis, quia isti tantùm judicio discussionis sunt judicandi, ut superius dictum est, hoc autem minus rationabile videtur, nam quo sanctiores fuerint homines, & perfectiores, eo magis, & mentali, & sensibili voce, ac lingua laudabuntur. Quarè concludit Suarez nihil in proposito dici posse, quod firmo nitatur fundamento, & verisimilius esse, si quid in die judicii sensibili voce agendum est, id respectu singularum personarum futurum non esse, quia nimirum tempus ad id requireretur, ut suprà dictum est, sed in communi, vel respectu omnium, qui futuri sunt, ad dextram, vel sinistram, vel secundùm aliquos generales ordines, aut vitiorum, vel virtutum genere, ut verbi gratia commendando prius Misericordes, deindè Virgines, posteà Martyres, & sic de vitiis contrariis simili proportione. Sed obiicies illud Sapientiæ 4. ubi in fine fit mentio de damnandis in judicio, & habetur. *Et erunt post hæc decidentes sine honore, & in contumelia inter mortuos in perpetuum, quoniam disrumpet illos inflatos sine voce*, &c. ergo judicium, & exprobratio fiet absque actione vocali. Respondetur negando consequentiam, nam *ly sine voce* ad solos reprobos refertur, ut suprà dictum est, quia cum damnabuntur, præ magna confusione, & erubescentia, ac timore, pro sui excusatione nihil dicent, ut Lyranus ibidem exponit dicens *sine voce*, quia se defendere, vel excusare non poterunt.

62 Postremò quæritur, an hoc judicium, seù meritorum, & demeritorum discussio fiet in tempore, vel in instanti. Scot. 4. d. 47. citat. quæst. 1. §. *De quartò* inquit, quod si disceptatio erit vocalis, erit etiam in tempore, si verò mentalis, erit in instanti. Quarè sicut diximus quæsito præcedenti probabile esse, quod meritorum discussio fiat intellectualiter, ita in præsenti quoque dicendum est probabile esse, quod fiat in instanti, & deduci potest ex illo Malachiæ 3. *Accedam ad vos in judicium, & ero testis velox super maleficos*, &c. quem locum explicans August. lib. 20. de Civitat. cap. 26. ait, quod intelligendus est testis velox, cum sine mora revocaturus est in memoriam, undè convincat, puniatque conscientiam, quibus verbis innuere videtur, non in tempore, sed in momento, & absque mora discussionem, seù disceptationem demeritorum fieri debere. Deindè addendum est, quod sicut quæsito præcedenti diximus probabilius est disceptationem illam futuram esse vocalem, & sensibilem, ita consequeter dicendum est in præsenti probabilius esse futuram in tempore ratione aliquorum saltem operum, sivè disceptatio illa manifestetur singulis, vel in parvo tempore, vel in magno, nam in hoc supponendum est, perfectissimam judicii fœmam esse servandam, quæ variis modis à divina potentia, & sapientia fieri potest in quantum ad manifestationem justitiæ requiritur, & solemnitatem discussionis, & capacitate creaturæ judicandæ; modum autem certum determinare non expedit sine fundamento, illud quidem certum est judicium visibile, & publicum esse futurum quantum ad discussionem, ac etiam sententiam proferendam ut art. seq. dicemus; hac enim ratione Christus Dominus in forma humana apparebit ab omnibus visibilis, ut suprà dictum est, & planè verisimile non est discussionem illam meritorum, ac demeritorum futuram in instanti, quia non possent homines præcipuè reprobi tàm multa simul distinctè, & perfectè cognoscere sine magno miraculo non necessario, & cum Christus in forma humana appariturus sit, & judicaturus, ut ab omnibus videatur, & audiatur; planè si est audiendus, vocaliter loquetur, & ita non in instanti, sed in tempore illa saltem verba proferet, quæ ab Evangelista Matthæo referuntur dicenda electis, & reprobis discussione operum misericordiæ, & hoc est, quod ait Scotus loc. cit. esse magis Evangelio consonum, quia ibi de vera locutione corporali est sermo, quæ quidem cum nutu locali labiorum, linguæ, ac aliorum vocis instrumentorum fieri debet, ac proindè in tempore, licet non ita certum sit, ut modo dicebamus, an illa excusatio iniquorum, & submissio bonorum futura sit sensibilis, & vocalis, vel potius mentalis, intellectualis.

ARTICULUS TERTIUS.

Quomodo sit proferenda sententia, & judicium consummandum, & de statu infantium cum originali decedentium.

63 JAm diximus art. præced. ab initio, judicium dupliciter sumi posse, scilicet, vel pro examine, seù discussione causæ; vel pro sententiæ pronunciatione, quæ vel est circà hominem justum, & benè operantem, & dicitur præmiatoria, vel circà reum, & injustum supplicio dignum, & dicitur condemnatoria, post quam igitur de judicio in primo sensu egimus art. præced. quænam scilicet discutientur in judicio finali, in præsenti de judicio in secundo sensu discurrendum est, examinata namque, discussa, & comprobata uniuscujusque causa, remanet sententia proferenda, quia judicium per sententiam completur, & consummatur, undè Apocal. 20 postquam dictum est *Aperti sunt libri* subjungitur posteà, *Et judicati sunt mortui ex*

iis,

iis, quæ scripta sunt in libris secundùm opera ipsorum, atque ita post causæ discussionem; & manifestationem, judicium superest peragendum, quod non nisi in prolatione sententiæ consistere potest, vel præmiatoriæ, vel condemnatoriæ juxtà opera examinata, & comprobata, ac ejus executione.

64 Primò itaque quæritur, an de singulis sententia distinctè sit proferenda, & sensus est, an omnes mali unica generali sententia sint judicandi, an verò de singulis propriæ, & peculiares sententiæ sint proferendæ. Ratio dubitandi est, quia ex una parte Matth. 25. priori modo sententiam esse ferendam significatur, reprobis enim generatim dicitur: *Ite maledicti in ignem æternum*; electis autem, & justis, *Venite benedicti Patris mei*, &c. Ex alia verò parte videtur sententiam posteriori modo esse proferendam, quia non omnes reprobi eadem pœna sunt afficiendi; nec omnes electi, eodem præmio remunerandi, sed unusquisque pro suorum meritorum qualitate, & quantitate. Communis sententia Patrum, & Theologorum est, ut refert Suarez disp. 57. cit. sect. 10. de singulis esse propriam, & particularem sententiam ferendam, quod præsertim docet Greg. Nissenus orat. in illud. *Quod uni ex iis minimis feciſtis, mihi feceſtis*, ubi ait in die judicii pro merito, & dignitate anteactæ vitæ unicuique sententiam esse accommodandam, & ratio etiam id omninò convincit, etenim cum sententia sit judicium prædictum adjunctum habens imperium, seù voluntatem unicuique retribuendi juxtà opera sua, opus est ut pro varietate meritorum, ac diversitate, sententia quoque varia sit, & diversa. Verisimile autem est, ut etiam Suarez advertit loco citato postquam de singulis in specie judicatum fuerit, ad consummandum, & dissolvendum judicium duas illas generales sententias esse proferendas, quarum una reprobi, scilicet, *Ite maledicti in ignem æternum*, altera verò electi sit communis, scilicet, *Venite benedicti*, &c. & hoc etiam deducitur ex illa congruentia judicii generalis, quam Scotus assignat d. 47. cit. quæst. 1. §. *De secundo*, ubi ait, quod præter hoc, quod unusquisque in particulari adscribatur regno, vel carceri, tota multitudo prævisa ad regnum debet aliquando tota simul per sententiam generalem præmiativam omnibus communem ad possidendum illud determinari, & tota alia multitudo per sententiam item condemnatoriam omnibus communem determinari carceri, ut sic sit sequestratio duarum familiarum, seù duarum Civitatum, nempè Dei, & Babylonis; præter ergo sententias particulares, quibus unusquisque regno, vel carceri adscribitur, juxtà qualitatem, & quantitatem meritorum, vel demeritorum hujus, & illius, congruum est, ut etiam aliqua sententia generali proferatur, per quam tota multitudo prævisa ad regnum, in ejus possessionem mittatur, & tota alia carceri relinquatur, & mancipetur. Et quia omnes, qui in uno vel altero ordine continentur, in statu, & perpetua vivendi ratione conveniunt, inter se verò ipsi duo ordines nihil commune habent, quod ad retributionem pertineat; ideò Christus Judex non unam proferet sententiam utrique ordini communem, sed singulis ordinibus singulas illi communes, nempè reprobis illam: *Ite maledicti in ignem æternum*, & electis alteram, *Venite benedicti*, &c.

65 Secundò quæritur, an sententia proferenda sit voce sensibili, vel tantùm mentali. Communis sententia Patrum, & Theologorum est duas illas generales sententias voce sensibili proferendas esse, quod præsertim D. Anselm in Elucid. Abulens. in Matth. 25. & plures alii Patres, & Scotus loco citato §. *De Quarto* ubi ait hoc esse magis Evangelio consonum, & hoc etiam deducitur ex dictis art. præced. quia cum judicium finale sit futurum sensibile, & à judice humano, & sensibili, ac visibili peragendum, consequens est, ut etiam sententia aliquo modo sensibili proferatur, atque ita hoc modo saltem quoad generales sententias proferetur. Quo autem ad privatas, ac singulares sententias satis verisimile est mentaliter tantùm, & intellectualiter esse proferendas, ut ait Suarez loco citato, quia cum omnibus, & singulis voce sensibili figillatim loqui valdè morosum esset, & diuturum, ac longissimum tempus ad hoc requiretur, quarè sicut supra dictum est, probabilius esse discussionem de singulis, ac singulorum operibus faciendam esse mentaliter, & non vocaliter, quia ad hoc nimium tempus requireretur, cum omnia opera essent successivè cribranda, & examinanda, & pro quolibet homine spatium aliquod temporis notabile insumi deberet, ita idem, & eadem ratione de singularibus, & privatis in sententiis discurrendum est, & ita præsertim Divus Augustinus lib. 20. de Civitate capit. 14. ubi de judicio loquens circa singulos, & figillatim facendo ait, quod quadam vi divina fiet, ut cuique sua opera bona, vel mala cuncta in memoriam revocentur, & mentis intuitu mira celeritate cernantur, ut accuset, vel excuset scientia conscientiam, atque ita simul, & singuli judicentur, ergo quoad privatas, ac singulares sententias veri simil us est intellectualiter tantum & mentaliter esse proferendas. Hoc tamen intelligendum est, ut, hujusmodi privatæ sententiæ non tantùm ab eis cognoscantur, ad quos spectabunt, sed etiam ab omnibus aliis, in judicio aderunt, sicut de operibus jam dictum est art. præced. cum utrobique eadem si ratio, imò major ratio urgeat de sententiis, quàm de operibus, tota enim ratio, propterquam singulorum opera omnibus sunt manifestanda, est ut passim Patres docent ut sententiæ cujuslibet æquitas, & justitia omnibus patere possit, quò spectat illud Sapient. 5. *Nos insensati vitam illorum æstimabamus insaniam, & finem illorum sine honore, ecce quomodo computati sunt inter filios Dei, & inter Sanctos sors illorum est.*

66 Tertiò quæritur, an sub hac sententia condemnatoria comprenhendantur parvuli, qui cum solo originali ex hac vita discesserunt. Affirmant aliqui dicentes, pueros cum originali decedentes non tantùm in alia vita puniendos esse pœna damni, sed etiam pœna aliqua sensus ex igne proveniente, mitiori tamen, quàm adultos, quia peccatum actuale non habuerunt, ita Driedo lib. 1. de gratia, & lib. arbitr. tract. 3. c. 2. part. 5. & probabile existimat Gregorius 2. d. 30. qu. 3. & sequitur noviſſimè Poncius disputat. 18. quæst. 6. quorum præcipuum fundamentum est, quia Matth. 25. cum Dominus ad judicandum venerit, duæ tantum assignantur hominum classes, una eorum, qui ibunt in vitam æternam, altera eorum, qui ibunt in ignem æternum, illi quidem à dextris collocat, isti verò à sinistris, sed parvuli erunt à sinistris; ergo ibunt in ignem æternum, & non minus erunt illius sententiæ participes, *Ite maledicti in ignem æternum*, quàm qui actualiter peccaverunt, cum sententia Christi sit æqualiter ferenda in omnes ad sinistram collocatos. Negant autem quamplures communiſſimam inter Catholicos sententiam sequentes, quod pueri ob originale peccatum sine baptismo decedentes puniendi sunt utique pœna damni, nulla tamen pœna sensus præsertim ab igne infligenda, quam sententiam ex professo declaravimus, & latè defendimus lib. 2. sendisput. 4. quæst. 6. de pœna peccati originalis cum Divo Thoma, Divo Bonaventura, & Scoto 2. distinct. 33. quæst. un. & cæteris Scholasticis. Hac igitur de causa plures hujus communis sententiæ sectatores negant, parvulos cum solo originali decedentes sub hac sententia condemnatoria comprehendi, *Ite maledicti in ignem æternum*, cum utramque pœnam includat, nam illis verbis, *Ite maledicti* pœna damni significatur, & sequentibus, *in ignem æternum* pœna sensus, quæ ab igne infligitur. Quod etiam constare dicunt ex ratione, quam Christus reddet proferens hanc sententiam, tota enim in actualibus peccatis nititur, ut constat ex textu Matth. 25. *Esurivi, & non dediſtis mihi manducare*, &c. Et tandem id quoque ratione confirmant, quia cum hi parvuli habituri sint statum valdè diversum à cæteris reprobis, non oportuit eadem sententia damnationis cum eis involvi, unde concludunt, quod judicabuntur propria sententia generali respectu omnium illorum, quia omnes in eo statu æquales sunt, ab aliis autem diversa. In hac difficultate hoc certum est, parvulos cum originali decedentes utique ob hujusmodi peccatum pœna damni puniendos esse, nulla tamen pœna sensus præsertim ab igne infligenda, ut latè loco citato probavimus, & rursus infrà dicemus; an verò sub hac sententia condemnatoria comprehendantur, nec ne, licet utrumque sit probabile, probabilius tamen sub ea comprendendi videntur, cum nulla alia sententia generalis ipsis propria in textu citat. Matth. 25. legatur, & indicetur; quarè sicut sententia illa generalis, *Venite benedicti Patris mei* omnes prorsus electos comprehendit, qui erunt à dextris, etiam parvulos cum baptismo decedentes, licet nullum proprium meritum habuerint, sed sola virtute Sacramenti, & ex meritis Christi regnum possidebunt eis ab origine mundi paratum; ita pariter sub prædicta Salvatoris sententia condemnatoria omnes prorsus damnati comprehendi debent, qui erunt à sinistris, etiam parvuli cum solo originali decedentes, licet nullum actuale peccatum habuerint; cum hoc discrimine tamen, ut diximus disp. 4. cit. qu. 6. art. 2. n. 167. sub illis enim verbis *Discedite à me* solam pœnam damni significantibus comprehenduntur etiam decedentes cum solo originali, sub aliis verò *in ignem æternum* pœnam positivam sensus significantibus comprehenduntur omnes actualiter delinquentes, & propria voluntate, per quod patet quid dicendum sit ad rationem in oppositum.

67 Quartò quæritur, quinam sit futurus status parvulorum cum originali peccato decendentium. De hac materia Brancatus noster integram institutit disputationem in suo Tractatu de omnibus noviſſimis disp. 27. & nos integram instituimus quæstionem lib. 2. sent. disput. 4. quæst. 6. citat. de pœna peccati originalis ubi tres retulimus opiniones, duas extremas, & unam mediam. Prima extrema docet, pueros cum originali decedentes non tantùm in alia vita pœna damni esse puniendos, sed etiam

pœna

pœna aliqua sensus ex igne proveniente, mitiori tamen, quàm adultos. Altera sententia extrema asserit nullam pœnam esse passuros nec damni, nec sensus, non quidem quia nullam inordinatam habuerunt delectationem, cui tantùm correspondet pœna sensus; nec damni, quia de amissione beatitudinis non tristantur, sed se conformant divinæ voluntati. Tertia tandem media, & communissima inter Catholicos sententia est, pueros ob originale peccatum esse utique pœna damni puniendos, nulla tamen pœna sensus præsertim ab igne infligenda, quam ibi diximus esse Divi Thomæ, Divi Bonaventuræ, Scoti, & aliorum Scholasticorum 2. dist. 33. & omnium Recentiorum. Undè pro resolutione quæstionis diximus ibi primò, pueros cum originali decedentes pœna damni esse puniendos, quod probavimus, quia pueri cum originali decedentes conspectu Dei perpetuò sunt carituri ex illo Joan. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu non potest introire in Regnum Dei*, pœna autem damni in tali carentia consistit, & omissione cœlestis beatitudinis. Tùm quia ita determinavit Innocentius Tertius c. *Majores* de Baptismo dicens *pœnam peccati originalis esse carentia divinæ visionis, actualis verò perpetuæ gehennæ cruciatum*, & idem habetur cap. *Nulla præter*, de Consecratione distin. 4. his verbis: *Nulla præter Baptismum Christi salus permittitur infantibus, quia infantes si per Sacramentum, quod ad hoc est divinitus institutum, in credentium numerum non transeant, profectò in tenebris manent*, idest, divina visione carent, quia illuminarentur; Tùm tandem quia absolutè loquendo non est futurus aliquis medius status inter Beatos, & damnatos, in quo quis fæliciter, & beatè vivet, ut definitum est in Concilio Arausicano post Can. 77. tom. 1. Conciliorum, ubi dicitur. Si quis dicat, ideò dixisse Dominum, in domo Patris mei mansiones multæ sunt, ut intelligatur, quia in Regno Cœlorum erit aliquis medius, aut alius, aut alicubi locus, ubi beatè vivant parvuli, qui sine baptismo ex hac vita migrarunt, anathema sit.

68 Deindè diximus ibidem nu. 159. parvulos in Limbo nullam pati pœnam ignis, nec post diem judicii passuros alias corporis afflictiones, quam assertionem inquit D. Bonaventura, omnes Magistros magis approbare communiter, & Scotus illam sententiam Magistrorum appellat, probavimus ex Innocentio Tertio cap. *Majores* citat. definiente solam visionis carentiam esse pœnam decedentium cum originali; ac etiam ex Concil. Florentin. sub Eugenio Quarto in literis unionis asserente *decedentes in mortali, vel originali mox in infernum descendere*, hoc est in inferiores terræ partes, ut exponunt communiter, *sed pœnis inæqualibus puniendos*, quam inæqualitatem in eo consistere dicit, quod originali sola pœna damni respondet, actuali autem utraque damni, scilicet, & sensus; ergo ex Concilio cum solo originali decedentes nullam ignis pœnam patiuntur. Plures etiam Patrum auctoritates refert Salmeron in cap. 5. ad Roman. disp. 34. apud ipsum videndas, quibus permotus Angles meritò inquit, oppositam sententiam tenentes parvulorum tortores vocari, & propterea illam, tanquam duram, esse ab omnibus excusam; quam enim valdè duram appellat Divus Bonaventura distinctione 33. part. 3. qu. 1. quod hac ratione probat, ac etiam Scotus cum ipso, quia acerbitas, pœnæ quantitati delectationis correspondet juxtà illud Apocalyp. 18. *Quantum glorificavit se in delitiis, tantùm date ei tormentum, & luctum;* sed parvuli nullam delectationem inordinatam habuerunt, nec in spiritu, nec in carne; ergo nec ullum tormentum, aut pœnam sensus pati debent.

Confirmatur, quia nemo punitur pœna positiva, & sensibili, nisi propter peccatum actuale propria voluntate commissum, etiamsi aliquem habeat habitualem defectum; quamvis enim Princeps justè possit ab aliquo officio reiicere, ut indignum, quem novit carere habitu justitiæ, aut pronum ad furtum; non tamen justè ob id illum punire potest; sed tantùm quando reipsa furatur; sic igitur pariter in proposito, quamvis parvuli possint à Cœlorum Regno excludi, ut indigni, ob gratiæ defectum, & habituale, seù originale peccatum; non propterea positiva pœna, & sensibili debent puniri, quia propria voluntate nihil commiserunt, hoc enim nimis durum videtur. Tandem, quia aliàs sequeretur hujusmodi infantes cum solo originali decedentes in Inferno damnatorum puniri, neque duo distingui habitacula, Infernum, scilicet, damnatorum, & Limbum puerorum, quamvis enim dicerentur pueri mitiori pœna puniri, si tamen semel utraque pœna puniuntur, damni, & gehennæ, ut ipsi damnati, non ob id distinguenda essent duo habitacula, ut patet in damnatis, qui inæquali ignis pœna puniuntur. Et quamvis aliqui totum id gratis concedant, hoc tamen non consonat, ut dicimus l. c. communi Ecclesiæ sensui, & Patrum hæc duo loca pœnarum subtus terram distinguentium, Limbum nempè puerorum, & Infernum damnatorum, undè Bernardus inquit, quod *sola propria voluntas ardet in inferno*.

69 Hanc autem locorum distinctionem ad recipendas animas ex hoc mundo discedentes optimè declarat D. Bonaventura 4. distinct. 45. art. 1. quæst. 1. & 2. ubi ait quod loca animarum sunt in duplici differentia; est enim locus gloriæ, scilicet, Cœlorum, & quia charitas, quæ meretur gloriam est unius speciei, ideò iste locus non subdividitur; alius autem est locus pœnæ, qui dicitur Infernus generaliter accipiendo nomen Inferni, est autem locus iste pœnalis dupliciter, scilicet secundùm pœnam damni, & secundùm pœnam sensus, & utrumque membrum dividitur; illi enim qui puniuntur pœna damni, aut simpliciter, & æternaliter puniuntur, & sic locus iste dicitur Limbus puerorum cum originali decedentium: aut ad tempus, & sic locus istorum est superior, qui dicitur sinus Abrahæ, similiter illi qui puniuntur pœna sensus, aut puniuntur æternaliter, & sic istorum est Infernus propriè dictus inferior aliis; aut ad tempus, & sic est locus Purgatorius, qui est aliis superior secundùm legem communem, & ordinariam; & subdit tandem Divus Bonaventura quæst. 2. quod post Christi adventum, vel in Paradiso, vel in Inferno, vel in Limbo, aut Purgatorio animæ defunctorum recipiuntur; ergo secundùm veriorem, & probabiliorem sententiam animæ Puerorum cum originali decedentium in Lymbo recipiuntur, & detinentur, non autem in Inferno ut contendit Brancat. disp. 27. cit. art. 7. etiam post diem judicii, & in perpetuum quibusdam Scripturæ, & Patrum auctoritatibus inductis, quæ dicunt parvulos cum originali decedentes in Infernum descendere, ut constat ex relata Concil. Florent. auctorite. Verùm sicut aliæ quoque sunt auctoritates Scripturę, & Patrum, quę locum in quo purgantur animę justorum, appellant infernum, quæ tamen de inferno propriè dicto, qui est locus damnatorum, non sunt intelligendæ, sed de inferno generaliter sumpto, ut significat quemlibet locum in visceribus terræ existentem; ut suprà dictum est disp. 24. de Purgatorio qu. 1. a. 1. n. 10. Ità pariter in proposito intelligendæ sunt aliæ auctoritates, quæ animas parvulorum cum originali decedentium dicunt in infernum descendere, vel in Inferno detineri.

70 Addimus tandem disp. 4. cit. quæst. 6 de pœna peccati originalis n. 163. quod estò pueri sint passuri reipsa pœnam damni, non tamen de illa ullum habituros dolorem, vel tristitiam, ut docent D. Bonav. & Scot. loc. cit. 2. dist. 33. quod ibi probavimus auctoritate Nysseni oratione de infantibus, & D. August. lib. de peccatorum meritis, & remissione cap. 27. ubi ait infantes in Lymbo nec tristari, nec dolorem pati, quod etiam tenent Vasquez, Suarez, Salas, Leffius, Becanus, Arriaga, & alii Recentiores; probamus etiam ratione Divi Bonav. & Scoti quia si infantes de tali privatione beatitudinis tristarentur, cum tristitia secundùm Augustinum fit de his, quæ nobis invitis accidunt; ergò ipsi involuntariè statum suum sustinerent, & vellent oppositum, & ità contrà dispositionem divinam murmurarent, atque ideò haberent inordinatam voluntatis dispositionem, quod videtur absurdum, nam sententia divina est dispositum, quod ubicunque ceciderit lignum, ibi stabit; igitur cum isti nullam volitionem inordinatam habuerint in eo statu, sequitur, quod nullam tristitiam interiorem habebunt. Confirmatur, quia si tristarentur de carentia beatitudinis, & divinæ visionis cum desperent de ea, quia non habebunt spem, igitur haberent pœnam gravissimam inter pœnas omnium damnatorum, scilicet, tristitiam ex desperatione. Demum inquit D. Bonav. dist. 33. cit. a. 3. quæst. 2. infantes non habituros tristitiam, quia causas solatii habebunt, quæ eam impediunt, v. g. quod non peccaverint peccato actionis ex una parte, & quod non patiantur pœnam ignis, ut damnati in inferno ex alia; pro quo rationem satis idoneam affert S. Doctor, quia nimirum infantes constituti sunt à Deo in statu quodam medio inter Beatos, & damnatos, quarè opus fuit, ut ex una parte beatitudine carerent, sicut damnati, & ex altera nullum haberent dolorem, sicut Beati. Ex quo fit, ut, licet agnoscant se carere beatitudine, ad quam fuerant ordinati, & ex hac parte magnam haberent tristitiæ occasionem; quia tamen simul agnoscunt se evasisse gravissimas inferni pœnas, & peccata mortalia, ità quasi in æquilibrio sunt constituti, ut non doleant de ea beatudinis amissione, sed potius gaudeant de pœnarum inferni evasione, quam rationem cæteris probabiliorem existimat Arriaga disp. 52. sect. 3. objectiones autem contrà prædicta asserata de statu parvulorum vide exactè solutas loco cit.

71 Quintò quæritur, an infantes in Lymbo patientur pœnam carceris, & localis detentionis post judicium. Pro cujus difficultatis solutione diximus q. 6. cit. art. 3. n. 173. cum Vulpio nostro disp. 143. art. 6. difficulter evitari, posse, quod animæ infantium hanc carceris, & detentionis localis pœnam in Lymbo non patiantur, quo tamen concesso adhuc non sequi aliam per se pœnam originali culpæ deberi præter solam damni pœnam; etenim si talem ibi patiuntur pœnam, utique id eis non obvenit

ex divina justitia punitiva, sed omninò ex Diaboli tyranni de procedit, permitttente Deo, quam jure belli in universum genus humanum acquisivit, licet injusto titulo, quando in Paradiso terrestris primorum nostrorum parentum victor evasit. Quia igitur infantes cum originali decedentes adhuc esse dicuntur sub potestate diaboli; ideò ab eo, permittente Deo, injustè, & tyrannicè in eo subterraneo loco detinentur, tanquam in carcere, quoniam Messias Christus hæc tyrannica potestate Luciferum non privavit suprà animas omnes Defunctorum, sed solùm suprà decedente in gratia. Quoniam ergo non justè, & juxtà divinas leges, sed injustè, & tirannicè infantes modo tali pœna carceri puniuntur in Lymbo, non permittit Deus tyranidem hanc Luciferi in perpetuum, sed ipsas quoque animas infantium à tali pœna carceris post diem judicii liberabit, vel dando eis pro habitatione terræ superficiem, ut cum nonnullis opinatur Vulpes cit. ar. 7. vel adhuc eos detinendo in loco subterraneo, ità tamen, ut in eo post mundi renovationem sit futura lux, & capacitas talis, ut possint ambulare, ad se accedere, & recedere, inter se colloqui, ut tenet Lessius, Salas Arriaga, & alii, quod ex eo præsertim deducunt, quia in sola pœna infantibus à divina justitia est infligenda, quæ in carentia finis supernaturalis, ad quem elevati erunt, consistit; hinc enim statim evidenter infertur eos non detinendos in tenebris perpetuis, hoc enim idem esset, ac puniri perpetua cæcitate, & immobilitate, & privari bonis; quæ naturaliter sequuntur naturam.

72 Addimus tamen ibi, quod non ob id approbare intendimus opinionem Catherini lib. de statu puerorum sine baptismo Alberti Pighii, & quorumdam aliorum opinantium infantes post diem judicii perpetuò victuros beatos, ac naturali fælicitate semper fruituros, adeout nullatenus tunc sub diaboli potestate erunt, quia etiam pro illis eiicietur Diabolus foras in die novissimo, ut nihil juris ulterius habeat in eos. Non inquam, id approbare intendimus, quamvis enim dicamus eos liberandos esse à potestate diaboli quoad pœnam carceri, quam modo injustè, ac tyrannicè patiuntur, nulla tamen erit causa, cur in ea die debeant à potestate Diaboli, quoad pœnam damni, quam justè patiuntur, liberari, quia tribunal illud potius erit justitiæ quam misericordiæ, in quo lignum judicabitur ubicunque ceciderit, sivè ad Austrum fælicitatis, sivè ad Aquilonem miseriæ, ut exponit Hieronymus eum locum Ecclesiast. 11. tùm quia nemo potest à totali potestate Dæmonis liberari, nisi per gratiam Christi, quam in futura vita, nec antè post diem judicii infantes sine baptismo decedentes sunt unquam consecuturi, ut conceptis verbis docet Augustinus contrà Pelagianos lib. 1. de origine animæ cap. 9. & lib. 2. capit. 12. Sed neque ex hoc rectè inferunt alii, ut Amicus disput. 25. sect. 5. ita infantes illos etiam post diem judicii sub potestate Diaboli mansuros, ut in loco subterraneo, quem Lymbum vocant, tanquam in carcere sint perpetuò recludendi, ubi nunc eorum animæ morantur, & omni corporea luce privari. Non inquam, id rectè inferunt, quia gravissima pœna sensibilis esset illa detentio in loco tetro, & obscuro, ubi nec videre, nec se movere, nisi in alios impingendo possent, ac veluti inanimati trunci ibi deti rerentur, ut benè discurrit Arriaga disput. 52. sect. 2. ad quid enim Deus eos à mortuis excitasset, & in ætatem viri perfecti, si nollet ejus ullum relinquere sensum? itaque sivè intrà Lymbum post diem judicii sint adhuc permansuri, sivè extrà in superficie terræ, quorum neutrum tanquam certum ex Scriptura, vel Patribus possumus affirmare, perpetuam patientur pœnam damni, non autem sensibilem; ità discurrimus loc. cit. de quo alia plura ibi videri possunt.

73 Sextò tandem quæritur, an prolata sententia absolvendum, ac dissolvendum sit judicium. Et affirmativè respondendum est, tùm quia, cum sententia sit veluti ultima judicii forma, hac prolata jam sibi nihil aliud supereset agendum; tum quia ut ait Doctor dist. 47. cit. quæst. 1. §. *De tertiò* licèt prolatio sententiæ, ac ejus executio distingui possint tamen cùm sententia Christi sit efficax, statim sine mora executioni mandabitur, & per modum efficacis imperii ab ipso proferetur *Ite maledicti*, &c. & *Venite Benedicti*, &c. Statim ergo ad vocem, & imperium Christi Judicis aperietur terra, ut damnatos devoret, & corpora damnatorum in Infernum descendant; cum enim corpora illa dote subtilitatis non sint affecta, quæ est propria Beatorum, corpus terræ penetrare non poterunt, atque ideò maximus terræ hiatus tunc aperietur ad illa recipienda, ut Patres communiter docent, neque aliud miraculum tunc est excogitandum, præcipuè cum ille terræ hiatus ad mundi purgationem, & renovationem deservire possit, ut posteà dicemus q. seq. Et ex alia parte Christus eodem tempore cum omnibus electis eadem, vel si fieri potest, majori gloria, & triumpho in Cœlum redibit, undè judicandum descenderat, ut ibi perpetuò cum illis regnet, quia secundùm fidei dogmata propria sedes, & locus corporum beatorum est supremum Cœlum, ut fusè ostendit Divus Augustinus per plura capita lib. 13. & 22. de Civitate, & Paulus significat ad Thessalonicens. 4. *Simul rapiemur cum illis in nubibus obviam Christo in aera, & sic semper cum Domino erimus*, ac etiam Christus ipse significat illis verbis *Venite benedicti Patris mei*, *possidete regnum*, nam illo verbo *Venite* suum reditum in Cœlum indicat, undè ad judicandum descenderat; aliis verò verbis *possidete regnum*, significat sedem, & locum Beatorum esse supremum Cœlum, ubi cùm eis perpetuò regnabit post judicium, non solùm secundùm divinitatem, sed etiam secundùm humanitatem, quæ veritas est de fide, nam in pluribus Scripturæ locis expressè traditur, ut patet Lucæ 1. *Et regnabit in domo Jacob in æternum, & regni ejus non erit finis*, ubi est sermo de Christo homine, & Daniel 7. *Ecce in nubibus filius hominis veniebat, & usque ad antiquum dierum perveniet, & dedit ei potestatem, honorem, & regnum, & omnes populi, tribus, & linguæ ipsi servient, potestas ejus potestas æterna, quæ non auferetur, & regnum ejus, quod non corrumpetur*, & eadem veritas ex fidei principiis apertè deducitur, quia in Symbolo vitam æternam profitemur, atque beatam, in qua cum Christo regnaturi sumus; multò ergo magis ipse Christus in æternum regnabit. Quanto autem tempore duraturũ sit judicium ait D. Augu. l. 20. de Civit. c. 1. & Scotus cum ipso loc. cit. esse incertum, cum nullum expressum de hoc in Sacris Scripturis testimonium habeatur, licet enim communiter dies judicii appelletur, non sumitur ibi dies pro naturali die, sed pro toto tempore quo judicium fiet; verisimile tamen est nec duraturum tantùm per instans, ut jam diximus nec magna temporis mora, hæc enim ad examinandas singulorum conscientias necessaria Christo, non erit, nec ad sententiam proferendam, sed brevi tempore fiet, ut ex illis Christi verbis colligitur; *sicut exit fulgur ab Oriente, & paret usque in Occidentem, sic erit adventus filii hominis*.

QUÆSTIO QVARTA.

De Mundi innovatione post judicium per actum.

74 CONveniunt Patres, & Doctores post judicium, & reditum Christi in Cœlum, mundum esse renovandum, quia mundus nunc habet statum generationibus, & corruptionibus accommodatum, judicio autem peracto hæc modò generationem, & corruptionem continuata successio cessabit, & ideò opus erit tunc etiam mundi statum innovari, & alium acquirere immortali vitæ proportionatum, quod Paulus significavit ad Roman. 8. dicens, quod in fine mundi *ipsa creatura liberabitur à servitute corruptionis in libertatem gloriæ filiorum Dei*, & conveniunt etiam, paucis quibusdam exceptis tales mundi innovationem post judicium peractum esse futuram, & rationem assignant, quia aptum tempus non erit talis renovationis; nisi postquam ex hoc mundo reprobi omnes expulsi fuerint, & in Infernum detrusi, etenim per eorum præsentiam mundus quodammodo contaminatur; & consentaneum non est nec ad modicum tempus luce, & pulchritudine hujus mundi innovati, & ad quemdam gloriæ statum perducti eos perfrui; de hac igitur innovatione breviter in hac ultima quæstione discurrendum est.

ARTICULUS PRIMUS.

Qualis futura sit hæc mundi renovatio post judicium.

75 PRimò queritur, An mundus post judicium secundùm substantiam destruetur, & sensus quæsiti est, an tota mundi machina, ut Cœlum æthereum ideat, Cœli omnes, & elementa post judicium destruentur, itaut sint omninò annihilanda omnia, & alia nova creanda, an saltem formæ eorum substantiales destruendæ, vel tandem facienda sit in eo talis mutatio, & innovatio accidentalis, ut non appareant esse iidem qui prius. Non defuerunt auctores Catholici, quos refert Suar. disp. 58. asserentes hanc mundi innovationem futuram esse substantialem, itaut omnia simplicia corpora tàm cœlestia, quàm terrestria substantialiter sint annihilanda, vel saltem corrumpenda, & nova alia creanda, vel generanda alterius substantiæ, & naturæ, & ex antiquis Patribus huic sententiæ favere videntur Chrysost. hom. 14. in epist. ad Roman. circà illa verba *Vanitati creatura subjecta est*, & homil. 10. ad populum, Hilarius Psalm. 118. Justinus Martyr. qu. 93. 94. & 95. Ambrosius lib. 1. exameron cap. 6. Basilius hom. 3. Exameron, & Gregorius Nissenus libr. de Creatione hominis cap. 24. Fundamentum hujus sententiæ sumitur ex variis Scripturæ locis, ut

Isaiæ 51. *Cœli sicut fumus liquescent, & terra sicut vestimentum atteretur*, & cap. 65. *Ego creo Cœlos novos, & terram novam, & non erunt in memoria priora*, Job. 14. *Homo cum dormierit non resurget, donec atteratur Cœlum* Ecclesiast. 17. *Quid lucidius Sole, & hic deficiet*, Psalm. 101. *Opera manuum tuarum sunt Cœli, ipsi peribunt, tu autem permanebis* Apoc. 21. *Vidi Cœlum novum, & terram novam, primum enim Cœlum, & prima terra abiit, & mare jam non est*, & ad Hæbr. 1. & Matth. 24. *Cœlum, & terra transibunt verba autem mea non transibunt*, & plura alia loca sic loquuntur, & propriè intelligi possunt, quia hoc contrà rationem naturalem militare non videtur; ex motu enim corporum naturam venari solemus, cum ergo post diem judicii motus cœlestium corporum sit cessaturus, ut infrà dicemus, indè deduci potest rationabiliter eorum naturam tunc esse mutandam. Denique quando immutatio hæc in cælestibus corporibus substantialis futura non esse, nihil tamen obstare videtur, quin talis saltem in elementis sit futura, ut plures alii tenent.

76 Communior. tamen, & probabilior sententia Theologorum 4. dist. 47. est, quod mundus, hoc est Cœli, & terra, aliaque elementa per talem innovationem non destruentur secundùm substantiam totalem scilicet, secundùm materiam, & formam, neque secundùm totam formam substantialem; sed tali mutatione accidentali innovabuntur, ut non amplius appareant eadem esse, quæ prius, modo infrà explicando discurrendo de singulis, & hanc innovationem optimè declarat Augustinus lib. 20. de Civitat. cap. 16. ubi declarans illud Apocal. 21. *Vidi Cœlum novum, & terram novam* ait, quod in fine mundi illa ignis conflagratione elementorum corruptibilium qualitates, quæ corporibus nostris corruptibilibus congruebant, ardendo penitus interibunt, atque ipsa substantia eas qualitates habebit, quæ corporibus nostris immortalibus mirabili mutatione conveniunt, ut scilicet, mundus in melius innovatus antè accommodetur hominibus etiam in carne in melius innovatis, ità de hac mundi innovatione Augustinus ibi discurrit, ex quibus patet mundum quidem secundùm aliqua accidentalia immutandum esse, non tamen substantialiter, nec totaliter, nec partialiter. Eodem etiam modo Lyranus exponit illud Psalm. 101. *Opera manuum tuarum sunt Cœli, ipsi peribunt*, &c. dicens, quod in fine mundi Cœli peribunt, non quoad substantiam, sed quantum ad aliquam dispositionem, quia corpora cœlestia cessabunt à motu locali, & elementaria à mutua actione, & alteratione, substantiis eorum remanentibus; ergo hæc mundi innovatio erit tantùm accidentalis, non substantialis, atque ità Mundus post judicium quoad substantiam non destruetur; sic etiam dictum illud Psalmi exponit Hieronymus in cap. 65. Isaiæ, ubi ad hanc Mundi innovationem declarandam exemplum adducit infantis ætatem mutantis usque ad ad senectutem, qui quamvis de fante in virum, & de viro in senem mutatur, nequaquam per singulas ætates periit, idem enim est, qui prius fuit, sed paulatim immutatur & ætati prestinæ periisse dicitur. Item D. Ambrosius in cap. 71. ad Corint. declarans dictum illud *præterit enim figura hujus mundi*, ait non substantiam ejus præterire, sed formam, & sic passim loquuntur alii Patres à Brancato nostro relati disp. 12. art. 2. quarè S. Bonavent. 4. dist. 48. part. 2. qu. 1. 2. & 3. concludit purgationem, & innovationem mundi faciendam esse in elementis per abjectionem qualitatum, in Cœlis verò per additionem luminis. Hinc patet, quomodo intelligenda sint Scripturæ loca, in quibus dicitur Cœlos novos, & terram novam esse facienda, cum enim mundus sit renovandus, quia elementorum actiones, & influxus cessabunt, & omnia superflua mixta tam inanimata, quam animata, scilicet, animalia, plantæ, &c. igne comburentur, & elementa omnia incorruptibilia fient, hac ratione optimè dici potest, mundum renovandum esse; seù novum esse futurum, quia à statu priori mutatus erit, qua ratione etiam homines, quamvis priora corpora, & animas habebunt, adhuc tamen novi dicentur, quia incorruptibiles resurgent, & immortales. Et simili modo intelligendi sunt Patres dicentes mundum esse periturum, & desiturum, nam hic mundus cum hoc ordine dispositus qualitatibus mixtis, animatis, plantis influxibus, & aliis, quibus nunc præditus est, post judicium per ignem dissolvetur, & remanebunt elementa pura absque mixtione, & influxibus, & incorruptibilia, & in hoc sensu mundum dicunt esse periturum quam tamen peremprionem, quia ipsorum elementorum substantiam non tanget, mutationem, seù innovationem in melius vocant; quæ omnia ut magis pateant, de singulis hic breviter discurremus.

77 Secundò quæritur, an Cœli post judicium sint renovandi, & quomodo. Antiquiores quidam, ut refert D. Hieronym. l. cit. in cap. 65. Isaiæ dixerunt omnes Cœlos esse substantialiter mutandos quoad formam, eadem remanente materia, & hoc per conflagrationem ignis esse peragendum, quorum præcipuum fundamentum fuit dictum Christi Matth. 24. *Cœlum, & terra transibunt*, & dictum Petri epist. 2. cap. 3. *Cœli ardentes solventur, expectamus Cœlos novos, & terram novam*, quam sententiam ait Brancat. disp. cit. art. 4. quosdam Recentiores renovasse, & præsertim Joann. Bagotium Jesuitam part. 2. in Apoget. lib. 3. disp. 3. cap. 1. sect. 1. & 2. asserentes Cœlos sydereos secundùm formam substantialem per ignem esse destruendos excepto Empireo. Communior tamen, & probabilior sententia Patrum, & Theologorum sententia 4. d. 47. docet Cœlum Empyreum idem omnino post diem judicii permansurum, reliqua verò corpora cælestia innovanda quidem esse, atque immutanda secundùm aliqua accidentia, permansura verò esse eadem numero secundùm substantiam. Et quidem Cœlum Empyreum idem omninò post die judicii esse permansurum probat optimè Suarez disp. 58. citat. sect. 2. quia hoc Cœlum creatum est, non propter usum harum rerum inferiorum, neque propter earum generationes, & corruptiones conservandas, ut cæteri Cœli inferiores, sed ut sit perpetua Beatorum sedes, quàm oportet ex se esse perpetuam, ac æternam, sicut est ipsa gloria, & beatitudo.

Confirmatur hæc veritas ex illis Christi verbis, *Venite benedicti Patris mei, possidete regnum vobis paratum constitutione mundi*, licet enim de visione beata intelligi possint, ac æterna gloria, benè etiam de ipso loco sensibili intelligi possunt, in quo Sancti habitant, & regnant, sicut etiam illud 2. ad Corinth. c. 5. *Scimus, quoniam si terrena domus nostra hujus habitationis dissolvatur, quod ædificationem ex Deo habemus, domum non manufactam æternam in Cœlis.* Tùm denique quia omnia Scripturæ loca, in quibus significatur cælestia corpora mutanda esse, ac innovanda, satis intelliguntur de cæteris Cœlis inferioribus, cum ibi Scriptura loquatur de Cœlo visibili, quod hominibus notum est, & de Luna, Sole, & Stellis, quæ in his Cœli sunt. Ex quo etiã valdè rationabiliter Suar. quoque deducit prædictum Cœlum Empyreum non solùm non esse substantialiter, immutandum, sed neque omninò etiam accidentaliter, neq; purgandum, aut ullo modo innovandum, sicut enim Beatorum corpora omnem gloriæ perfectionem statim habent nunquam immutandam; ità consentaneum est corpus illud cæleste, quod statui beatorum dicatum est, ut eorum habitaculum, perfectionem illi statui debitam, & convenientem semper habere.

78 Quod verò neque reliqua corpora cœlestia sint substantialiter immutanda, licet non ità certum sit, sicut de Cœlo Empyreo, valdè tamen probabile est, ut constat ex allata explicatione D. Augustini, & Hieronymi locorum Scrrpturæ, in quibus cælestia corpora post diem judicii innovanda dicuntur; in eis enim dicunt, perfectionem Cœlorum non interitum sonare, sed mutationem in melius, & Cœlum, & terram non perire, sed in melius commutari, & ita etiam ea loca exponunt D. Gregorius, Ambrosius, Anselmus, & alii Patres, quos refert Suarez cit. Hoc etiam confirmari potest ex variis Scripturæ locis, in quibus Cœlorum perpetuitas, & incorruptio significatur, ut Ps. 148. *Ipse dixit, & facta sunt, ipse mandavit, & creata sunt, statuit ea in æternum, & in sæculum sæculi, præceptum posuit, & non præteribit*, & Job. 37. *Tu forsitan cum eo fabricatus es Cœlos, qui solidissimi quasi ære fusi sunt*, & Isaiæ 30. *Erit lux Lunæ, sicut Solis, & lux Solis erit septempliciter*, quæ verba plures interpretantur Patres de illis corporibus cælestibus post judicium, & præsertim D. Hieronymus, ac indè eorum perpetuitatem deducit, nam si Sol, & Luna eo tempore lucidiora sunt futura, jam supponitur illa tunc esse duratura, & consequenter etiam reliqua corpora cælestia, cum eadem sit omnium ratio. Denique D. Augustinus, & Hieronymus id quoq; colligunt ex l. c. 2. Petri 3. quod est potissimum pro. ris sententiæ fundamentum nã si Cœli essent corrumpendi substantialiter, maximè hoc foret per ignem conflagrationis; de quo ibi Petrus loquitur, *Cœli qui nunc sunt, & terra repositi sunt igni reservati in die judicii*, sed ignis ille corpora cœlestia non attinget, sed tantùm usque ad locum quem aquæ diluvii occuparunt, neque illa corrumpere potest, quia ignis naturalem actionem in Cœlum habere non potest, affirmare autem acturum, ut instrumentum Dei, nullum habet fundamentum, & hæc etiam est doctrina D. Bonav. 4. dist. 47. a. 2. q. 3. ubi quærens quousque ignis ille conflagrationis ascendet, inquit, quod ignis ille ascendet tantùm, quantum durant corpora consumptibilia, & passibilia, & quia corpora cœlestia alienæ impressionis non sunt recepti va, & quod quantum durat spatium continens elementa ascẽde t flamma, & ulterius non procedet undè concludit, quod non ascendet usque ad sydera, concedit tamen, quod plus ascendet, quam aqua diluvii; Quarè dictum illud Petri, quod *Cœli ardentes solventur* Scholastici communiter dicunt de Cœlo aereo esse intelligendum, & sic etiam alia Scripturæ loca, in quibus dicitur Cœlos esse renovandos, intelligenda esse de Cœlis aereis, de quibus dicitur, aves Cœli, nubila Cœli, &c. & ita præsertim discurrit D. Bon. l. c. ubi ait, dictum illud Petri *Cœli ardentes solventur*,

non

non esse intelligendum de illis, qui sunt incorruptibiles, & non corrumpatur, sed intelligendum esse de Cœlo aereo, & igneo, quos vocat Scriptura Cœlos juxtà illud Matth. 23. *Volucres Cœli comederunt illud*. Quod si obiiciatur illud, quod *Stellæ cadent de Cœlo* respondet intelligendum esse de Cœlo aereo, undè in die judicii cadent vapores igniti, qui Stellæ vocantur à simili quia habent similitudinem Stellarum, & secundùm vulgarem opinionem dicuntur Stellæ cadere, quoniam à superioribus regionibus descendunt, & Scriptura conformat se modo communi loquendi, tunc autem maximè fiet talis impressio, quia ignea qualitas abundabit, & hoc faciet Dominus ad terrorem peccatorum, ità Seraphicus Doctor loc. cit. quam expositionem superius etiam approbavimus quæst. 1. hujus disputationis art. 3. num. 27. & diximus esse quoque Lyrani in c. 24. Matth. ubi ait dictum illud, quod *Stellæ cadent de Cœlo* non esse intelligendum quoad earum substantiam, cum sint incorruptiles, sed secundùm apparentiam, quia veræ Stellæ abscondentur per nubium densitatem, & de nubibus versus terram descendent exhalationes ignitæ, quæ dicuntur Stellæ cadentes, quam expositionem etiam Suarez ait esse communiorem, & veriorem Patrum. Objectiones autem Joan. Bagotii pro parte opposita vide solutas apud Brancatum nostrum loc. cit.

79 Quod tandem reliqua corpora cœlestia sint innovanda secundùm aliqua accidentia ex eo probatur, quod Patres, & Theologi communiter dicunt innovanda esse per majus quoddam lucis, & claritatis augumentum, ut expresè habetur Isaiæ 30. *Et erit lux Lunæ, sicut lux Solis, & lux Solis erit septemplicitèr, sicut Luna septem dierum, in die qua obligavit Dominus vulnus populi sui*, ubi Lyranus ait, sciendum quod secundùm Sanctos Doctores in finali judicio mundus innovabitur ad augumentum gloriæ electorum, qui in elementis, & corporibus cœlestibus melioratis videbunt clarius relucentiam divinæ virtutis, decor autem corporum cœlestium maximè consistit in luce, & ideò tunc augebitur, & hoc est, quod dicitur erit lux Lunæ, sicut lux Solis, &c. quæ expositio fuit D. Hieronymi in cap. 30. Isaiæ circà finem, ubi ait, quod post judicium Luna Solis fulgorem accipiet, & Sol septuplum lumen accipiet, sicut fuit lux septem dierum, quo ab initio creatus est mundus, &c. Et eodem modo Glossa Ordin. discurrit in cap. 24. Matth. vers. *Sol obscurabitur* dicens, quod Sol, & Luna, & Stellæ ad tempus suo lumine privabuntur, sed peracto die judicii, mundo innovato, majus lumen recipient. Sic etiam D. Bonav. discurrit 4. d. 47. art. 2. qu. 3. dicens, quod duplex est innovatio, uno modo per abjectionem alio modo per addictionem, & meliorationem, primo modo est in corporibus elementaribus, in quibus purgabuntur qualitates corporales, secundo modo in corporibus cœlestibus, quibus augebitur lumen, & infrà dist. 48. p. 1. quæst. 1. inquit, quod propter hominem præmiabunt corpora cœlestia secundùm eam proprietatem, secundùm quam sunt consona corporibus gloriosis; hæc autem est lux, & ideò in luce, & splendore augebuntur, & crescent; sic etiam D. Thomas eadem d. 48 qu. 2. art. 1. ad. 3. dicens, quod claritas pertinet ad decorem ipsius Cœli secundùm seipsum, undè claritas augebitur, sed motus cessabit, & sic tandem alii Scholastici discurrunt ibidem.

80 Tertiò quæritur, an elementa innovabuntur, & quomodo. Quamvis aliqui Theologi, & Patres dixerunt duo elementa esse corrumpenda, scilicet, aquam, & ignem, ut Beda in cap. 3. epist. 2. Petri, ubi exponens verba illa: *Elementa calore solventur*, inquit, quod elementa quatuor sunt, ignis, aer, aqua, & terra, quæ cuncta ignis ille absumet, nec tamen cuncta consumet, ut funditus non sint, sed tantùm duo, scilicet, aquam, & ignem, duo verò in meliorem restituet faciem. Nilominus communior, & probabilior Patrum; & Theologorum sententia est, elementa non esse omninò corrumpenda quoad substantiam, sed esse innovanda, ac perficienda quoad rationem corruptionis. Ità D. Thomas 4. dist. 47. quæst. 2. art. 4. ubi loquens de his, quæ igne sunt purganda, inquit, quod neque aliqua elementa secundùm substantiam auferenda sunt, vel secundùm formas substantiales, aut secundùm qualitates naturales, ut quidam dicunt, sed solùm quantum ad mutuas actiones, & varios motus, & sic etiam discurrit D. Bonavent. 4. d. 48. quæst. 3. ubi ait, quod quia post judicium auferetur ab elementis ratio multiplicandi se, & dabitur virtus continuandi se in se, quia erunt incorruptibilia, hinc est, quod elementa, quæ habent qualitates activas dicuntur totaliter absumi, quia omninò auferetur ab eis ratio agendi, & se multiplicandi; ità etiam discurrit S. Bernard. noster serm. 11. de Judicio generali, ubi ait, quod ignis, & aqua erunt puriores, & manebunt etiam, non solùm secundùm substantiam, sed etiam secundùm qualitates suas nunc habent, quantum ad habitum sed non quantum ad usum; quia cùm in his duobus elementis magis vigeant qualitates activæ, magis sunt generationis, & corruptionis principium, & tales effectus eorum non erunt amplius, & de aere ait, quod erit clarior, nec habebit impressiones; quas modò patitur, quia non erunt nubes, neque venti, nec pluvia, neque ros, neque grando, neque tonitrua, neque fulgura. Et hæc fuit sententia D. Augu. lib. 20. de Civit. c. 16. teste D. Bonav. loc. cit. ait enim ibi, quod illa conflagratione elementorum corruptibilium qualitates, quæ corporibus nostris corruptibilibus congruebant, ardendo penitus interibunt, atque ipsa substantia eas qualitates habebit, quæ corporibus nostris immortalibus mirabili mutatione conveniunt, ut scilicet, mundus in melius innovatus antè accommodetur hominibus etiam in carne in melius immutatis; ità Augustinus ibi, ubi quando ait, quod omnium elementorum qualitates ardendo interibunt, exponit D. Bonav. in hoc sensu qualitates activas elementorum esse totaliter absumendas, quia omninò ab eis auferetur ratio agendi, & se multiplicandi. Et quando etiam in rigore intelligatur, quod qualitates illæ naturales interire debeant, & ardore dissolvi, adhuc tamen salvatur, quod in sententia D. Augustini elementa non sunt omninò corrumpenda quoad substantiam, sed tantùm esse innovanda, ac perficienda quoad accidentia. Et tandem hæc veritas deducitur ex jam dictis in principio articuli, quia omnes Patres, & Theologi ibi citati, qui docent mundum esse finiendum ex Sacræ Scripturæ oraculis, inquiunt hæc de substantiali corruptione intelligenda non esse, quia substantiæ elementorum non peribunt; sed de figura, & imagine, idest, de alia forma accidentali, quam nunc habent elementa, ut in generationes, & corruptiones animalium agere possint, & de impuritate, ac mixtione ad invicem, his enim detractis dicitur mundus innovatus, & in melius redactus.

81 Hoc etiam suaderi potest de singulis elementis discurrendo, de terra enim in primis negari non potest, quin saltem secundùm aliquas partes eadem numero sit mensura juxtà illud Eccles. *Terra in æternum stat*, nam infernus, qui est in centro terræ, perpetuò manebit, & consequenter etiam partes illæ terræ, quæ sunt propè centrum, tùm quia verisimile, non est conflagrationem illam tam brevi tempore totam substantiam terræ consumere posse, ejusque profunditatem statim penetrare ob maximam ejus densitatem. Quarè ejus innovatio præcipuè consistet in cessatione à generationibus, & corruptionibus herbarum, plantarum, animalium imperfectorum, quæ ex putri nascuntur, & in expurgatione ab omni impuritate, & mixtione rerum, aut qualitatum, nec non in venustate, & pulchritudine, facilè enim est esse illuminandam quoad ultimam superficiem, qua aerem, vel aquam contingit, undè ait D. Thomas loc. cit. quod in superficie erit sicut vitrum, quod intelligi potest quantùm ad puritatem, & claritatem ipsius superficiei; an verò illa sit amplius terram penetratura quoad profundum ejus, incertum est, & verisimile quod nō; cum enim terra natura sua sit densa, in profunditate sua luminis, & claritatis non est capax, tùm quia si lux terræ interiora penetraret, tunc etiam damnati ea luce fruerentur, quod admittendum non est, cum in perpetuis tenebris delitescant, & quamvis Deus totam terram illuminare posset, ponendi hoc miraculum nulla est necessitas. De aqua verò ait D. Augustin. loc. cit. ex nullo Scripturæ loco colligi posse esse corrumpendam, & nullibi scriptum esse, totum aquæ elementum esse calore ignis exsiccandum, imò nullibi legitur futura aqua nova, sicut terra nova, & Cœlum novum, ut legitur Apoc. 21. *Vidi Cœlum novum, & terram novam*, & quamvis ibi subdatur, *& mare jam non est*, hæc tamen verba mare destruendum esse post diem judicii non convincunt, quia ibi Glossa Interlin. exponit hoc esse ità intelligendum, quod mare non erit secundùm priorem statum, quia grossities, & amaritudo auferetur. De aere autem Scotus d. 47. cit. quæst. 2. quærens, quomodo mundus sit per ignem purgandus, ait vapores in aere existentes per juxtapositionem posse igniri, & quod illa successiva ignitio sit conflagratio, & paulò post declarans, quomodo aer sit purgandus per ignem, ait purgandum esse per aeris grossi depurationem, ex quo deducitur innovationem aeris in hoc præcipuè consistere, & quod à crassis vaporibus per ignem depurabitur, & ab aliis extraneis impressionibus fiet magis diaphanum, cessabit ab influxibus, & erit incorruptibilis, undè conflagratio ignis supremam aeris regionem non attinget, cum enim ad illam terræ vapores non ascendant, & communes exhalationes, nullam impuritatem, aut crassitiem habet regio illa, a quo purgari debeat, ut etiam Suarez advertit disputat. 15. cit. sect. 2. & hoc satis est, ut idem elementum aeris simpliciter manere dicatur, licet etiam secundùm aliquas partes inferiores, & impuriores corrumpatur, & posteà instauretur. De igne tandem tantò magis hæc ratio procedit, quia ut ait Scotus loco cit. in solut. arg. non est cur ignis corrumpat ignem, cum sint ejusdem naturæ; tùm quia ignis est elementum purum, & non est capax mixtionis, ac proindè non indiget purgatione, tùm quia ignis inferior conflagratione ad sphæram ignis non ascendet, nec illam

illam pertinget; quia ultrà secundam aeris regionem non ascendet, ut modò dicebamus. Denique de omnium elementorum innovatione diffusè discurrit Joannes Gerson in summa de gaudiis Paradisi dicens ad immutandam mundi faciem in pulchriorem elementa omnia fore purganda, & eorum purgationem in hoc consistere, quod proscindetur ab igne ejus combustibilitas, ab aere obscuritas, ab aqua glacialis frigiditas, terra gravitas, & opacitas; atque etiam luce quadam divinitus perfundentur, & speciosiora reddentur elementalia corpora, itaut terra futura sit in superficie exteriori pervia, sicut vitrum, aqua sicut christallus, aer ut nunc Cœlum, & ignis, ut nunc luminaria Cœli; sed de elementorum innovatione alia plura videntur apud Branc. disp. 12. cit. art. 7. 8. & 9.

82 Quartò quæritur, an plantæ, & animalia bruta innovabuntur. Communis Patrum, & Theologorum sententia negat, quam præ aliis optimè declarat, & probat D. Bonavent. 4. dist. 48. art. 2. q. 4. dicens, quod plantæ, & animalia bruta non inovabuntur, quia ultima eorum perfectio est corruptibilis per naturam, & ortum, & radicem habet à materia, undè non sunt idonea ad vivendum, sivè durandum æternaliter; formæ autem corporum supercœlestium sunt incorruptibiles omninò; similiter formæ elementorum incorruptibiles sunt secundùm totum, & secundùm, partem quantùm est in se, quia sunt corpora simplicia, undè quod corrumpantur, hoc est per actionem venientem ab extrinseco, & ideò remota illa actione remanent incorruptibiles. Ex quo patet quod plantæ, & animalia non sunt principaliter adornatum terræ, sed ad hominis obsequium nec ad Dei laudem nec ad universi perfectionem, nisi secundùm statum eum, qui est corruptibilis, & variabilis, & ideò non oportet inovari, similiter sunt de perfectione universi ex ea parte tantùm, qua est habitaculum hominis viventis animaliter, sed post spiritualis effecti non, & ideò concreata sunt homini, quia homo alimoniis indigebat; undè terra post diem judicii non habebit illum ornatum: nec oportet, quod multiformis sit, imò ipsa uniformitas erit ei in ornatum. Ita Seraphicus Doctor loco citato. Ex quo patet, quod præter Angelos, & homines duo tantùm genera creaturarum supererunt post judicium extremum, alterum cœlestium corporum, alterum elementalium, & deducitur ex fine præcipuo, ob quam ejusmodi corpora mixta tunc generantur, & conservantur, qui est humanæ vitæ sustentatio per generationem, & nutritionem, tunc autem hujusmodi sustentatione vitæ hominum non erit opus; ergo neque oportebit hujusmodi corpora mixta, plantas scilicet, & animalia bruta ulterius permanere; Tum quia tunc motus Cœli cessabit, atque ejus actio, & influentia in hæc inferiora, ut constabit ex dicendis art. seq. sed sine actione Cœli, & ejus influxu in hæc inferiora corpora mixta nec generari, nec conservari, neque subsistere possunt; ergo &c. Tùm tandem, quia satis apertè habetur 2. Petri 3. omnia mixta esse igne comburenda, *Terra, & omnia, quæ in ea sunt opera exurentur*, qui locus ità simpliciter intelligitur ab omnibus expositoribus, & Scholasticis Doctoribus.

83 Sed obiicies Anselmum in Elucidario post explicatam corporum superiorum innovationem sic de terra dicentem, quod scilicet, *Terra, quæ in gremio suo Domini corpus confodit tota erit, ut paradisus, & quia Sanctorum sanguine est irrigata, odoriferis floribus, rosis, violis immarescibiliter erit perpetuò decorata*, & similiter Guillelmus Parisiensis apud Carthusianum 4. dist. 48. quamvis dicat animalia, & vegetabilia, ac metalla esse comburenda, & non amplius futura, subdit tamen, quod *de Terra quidem ex sapientissimis Christianorum dixerunt, quod graminibus semper virentibus, & immarcescibilibus floribus, ac perpetua amœnitate instar Paradisi terrestris sit decoranda*. Hac de causa, præsertim propter D. Anselmi auctoritatem Suar. disp. 58. cit. sect. 3. ait non videri omninò improbabilem sententiam id affirmantem, & quia sicut multi affirmant futuros in Inferno, vermes, sulphurem, & alia similia corpora mixta ad corpora damnata crucianda, sic etiam non est incredibile; futura esse aliqua mixta, in hoc mundo ad ejus perfectionem, & ad gloriam accidentalem Beatorum augendam. Addit tamen ob id recedendum non esse à communi Theologorum doctrina 4. dist. 48. D. Thom. D. Bonav. Riccardi, Paludani, Henrici, & aliorum negantium futura animalia, plantas, mineralia, & alia corpora mixta in mundo post ejus instaurationem, quia sunt omninò corruptibilia, in illo autem statu liberabit ur creatura à servitute corruptionis, & ideò ea solum corpora manebunt, quæ aliquem ordinem habent ad corruptionem, ut sunt corpora cœlestia. & elementa, quæ licet nunc secundùm partes corrumpantur, tamen secundùm se tota sunt incorruptibilia; dicere autem plantas, & animalia esse perficienda dote incorruptionis modo aliquo supernaturali, voluntarium est, & sine fundamento. Item quia ferè omnia mixta ad usum hominis referuntur ratione corporis corruptibilis, qui usus tunc cessabit propter solum autem aspectum, ejusque oblectationem non erunt necessaria, quia multò pulchrior, & delectabilior aspectus esse poterit in terra eximia claritate, & splendore affecta; erit enim facilè Deo id efficere cum ea varietate, & pulchritudine, quæ mirum in modum visum delectet, ita Suarez l. c. quæ tota est doctrina Seraphici Doctoris loco suprà citato.

ARTICULUS SECUNDUS.

Qualis futura sit mundi conflagratio ad ipsum expurgandum.

84 PRimò conveniunt Patres, & Doctores hujus mundi purgationem, & innovationem tempore judicii finalis, & universalis igne perficiendam esse, quia ignis aptissimum est instrumentum ad hujusmodi purgationem faciendam, tam propter suam puritatem, & nobilitatem inter omnia elementa, quam propter majorem activitatem, ut communiter Theologi docent 4. d. 47. & mundum ad hunc finem tempore judicii conflagraturum esse est de fide, & ex diversis Scripturæ locis, tam veteris, quàm novi testamenti expresse colligitur, ut Psalm. 49. *Deus manifestè veniet, ignis in conspectu ejus exardescet & in circuitu ejus tempestas valida*, & Psal. 96. *Ignis antè ipsum præcedet, & inflammabit in circuitu &c.* quem locum exponens Hieronymus ait, quod duplicem hic ignis intelligitur habere virtutem illuminandi, scilicet, & exurendi, & Isaiæ 51. *Cœli, sicut fumus liquescent, & terra sicut vestimentum atterretur, & habitatores ejus sicut hæc interibunt*, ubi pariter Hieronymus ait, per ignem Cœlum, & terram, aliaque elementa tempore judicii conflagrantia non esse destruenda secundùm substantiam, sed in melius commutanda, ut suprà dictum est ar. præced. & 1. Corinth. 3. *Dies Domini declarabit, quia in igne revelabitur, & uniuscujusque opus quale sit, ignis probabit* ubi Glossa Ordinar. ait, duos ignes futuros legimus, unum æternum, quo æternaliter punientur reprobi, alterum, qui præcedet, quo exuretur facies mundi hujus, & 2. Petri 3. *Cœli, qui nunc sunt, & terra eodem verbo repositi sunt igni reservati in diem judicii*, ubi Glossa Interl. ait, quod tantùm ascendet ignis judicii, quantùm ascendit aqua diluvii. Et tandem ita quoque discurrunt Patres, ut Augustinus lib. 20. de Civit. cap. 16. dicens, quod tunc figura hujus mundi mundanorum ignium conflagratione præteribit, sicut factum est mundanarum aquarum inundatione diluvii, & Anselmus in epist. 1. ad Cor. cap. 7. inquit: Tunc hujus mundi quotidie scenescentis perfectè præteribit, quando conflagratione mundana elementorum qualitates, quæ corporibus nostris corruptibilibus congruebant ardendo penitus interibunt, & sic passim discurrunt alii Patres de mundi conflagratione in die judicii universalis.

85 Secundò quæritur, An mundi conflagratio incipiet antè judicium. Quamvis aliqui apud D. Bonav. 4. d. 47. part. 2. quæst. 4. duas dixerint futuras esse conflagrationes, unam præcedentem, & aliam sequentem judicium; communis tamen sententia Patrum, & Theologorum est, unam tantùm futuram conflagrationem per ignem, quæ incipiet antè judicium, & continuabit quousque eo expleto mundus innovetur, ut jam diximus quæst. 1. hujus disputat. art. 3. num 28. & latè probat Brancatus noster disputat. 11. art. 2. est tamen difficultas, an hæc conflagratio incipiet tunc purgare, & purificare mundum. Negat Suarez disput. 57. sect. 1. asserens mundi purificationem per ignem subsecuturam potius, non antecessuram universale judicium, quam ait esse sententiam D. Bon. 4. dist. 47. art. 2. quæst. 4. & expressam D. Augustini 20. de Civit. cap. 16 ubi cum numerasset omnia, quæ futura sunt in die judicii, ultimo loco ponit mundi conflagrationem, & renovationem his verbis: *Judicatis hominibus tunc figura hujus mundi mundanorum ignium conflagratione præteribit.* Quod etiam ratione probat, quia omnes Theologi dicunt mundum esse purgandum, quia est veluti fædatus peccatis hominum, sed cum antè judicium finitum damnati homines futuri sint in hoc mundo, sua præsentia, suisque blasphemiis illum iterum fædabunt; ergo donec prosus sint ab hoc mundo pulsi, nondum est opportunum tempus purgandi illum. Quarè concludit ad hunc tantùm effectum venturum esse ignem antè faciem judicis venientis ad generale judicium, ut statim terreat damnatos, eosque punire incipiat, & hunc esse effectum ignis judicem, & judicium precedentis, non autē mundi purgationem; sicut enim corpora beatorum statim ac resurgent, incipient frui dotibus glorioſis, attollique ad cœlestia cum Christo, ità è contrario damnati statim incipient pœnam sensus etiā in corporibus experiri, & ab igne ditineri, & cruciari, & hac ratione inquit opus esse, ut antè judicem ignis adveniat, quia sat tem eum locum occupet, in quo erunt corpora damnatorum.

86 Cæterum licet verum sit venturum esse ignem antè faciē judicis,

judicis, ut reprobos, & damnatos statim terrere incipiat, at punire, ut diximus quæst.1.hujus disp.art.4.nu.29. & verum quoque sit mundi purificationem per ignis conflagrationem antè judicium universale faciendam, & complendam non esse, adhuc tamen asserendum est antè judicium esse inchoandam, & post illud complendam, ut ibi dicebamus, & quod nunc effectum purgandi ignis sit habiturus antè judicium, & non tantùm terrendi, & puniendi damnatos docet expresse D. Bonav. loc.cit.ubi dicit, quod futurus est ignis in judicio ad electorum purgationem, quia debet uniuscujusque opus probari, & purgari in igne, ut totaliter sistantur mundati in conspectu Dei, & hic præcedet faciem judicis, & purgando amicos, inflammabit in circuitu inimicos ejus, ità D. Bonavent.ibi; ergo effectus purgandi in igne incipiet antè judicium; & quando D. August. inquit, quod *judicatis hominibus, tunc figura hujus mundi mundanorum ignium conflagratione præteribit*, his verbis tantùm innuere voluit mundi purificationem per ignem, ac ejus innovationem post judicium tantùm complendam esse, & perficiendam, non tamen negare voluit antè judicium saltem inchoandam esse, & hic videtur esse communis Theologorum sensus 4.dist.47. nam ibi D. Thomas qu.2.art.4.in sol.ad 3. inquit, quod ignis ille quantum ad sui principium erit ante resurrectionem, & incinerabit corpora bonorum, & malorum simul, cum purgabit faciem mundi, &c. sed quantùm ad sui finem, sequetur resurrectionem, & involvet reprobos, & in infernum detrudet. Riccardus eadem dist. 47. inquit, quod præcedet ignis ille judicium quantum ad sui initium, comitabitur quantum ad suum progressum, sequetur verò quantum ad suæ operationis complementum, & quod incipiet, ut aliqui dicunt, purgare mundum in superiori parte, à qua Christus incipiet venire ad locum judicii. Et tandem etiam Scotus d.47.qu. 2. innixus dicto Psal.*96. Ignis antè ipsum præcedet* docet cum Magistro sent. conflagrationem mundi antè judicium incepturam. Ratio autem adducta à Suarez, quod mundus est purgandus, quia est veluti fædatus ab hominum peccatis, atque ideò non esse opportunum tempus purgandi illum, nisi post judicium, donec reprobi sint prorsus ab hoc mundo expulsi; hæc inquam, ratio probat solùm purgationis mundi complementum non nisi post judicium esse futurum, non autem quod ejus initium antè illud esse non possit, undè hæc est pura quæstio de nomine, & fortè Suarez ipse, quando dixit loc.cit. hunc effectum purgationis mundi non esse anteceſsurum judicium, sed subsecuturum, intellexit, quoad complementum, non quoad initium, fatentur enim omnes perfectam mundi purificationem, & innovationem non nisi antè judicium esse futuram.

87 Tertiò quæritur, qualis sit futurus ignis conflagrationis. Resolutio hujus quæsiti pendet ex dictis quæst.1.hujus disputat. art.3.in fine, diximus enim ibi cum Scoto 4. d. 47. qu. 2. possibile esse, ut ignis quo mundus conflagrabit, sit de novo creatus, & quod sit in aliqua terræ latitudine, & non ubique nisi per motum circa terram, est etiam possibile, quod sit generatus in aliqua parte terræ determinata, & per motum circa eam ad alias quoque feratur, probabilius tamen esse, quod sicut ignis potest esse extrà suam sphæram in materia aliena, ut in corpore ignito carbone v.g. vel flamma, aut ferro, sic vapores existentes in aere per juxtà positionem possunt igniri, & ista ignitio successiva nunc illorum vaporum, nunc istorum, saltem pro toto aere suprapositio regioni habitabili hominum potest dici illa conflagratio. Hoc idem confirmavimus cum D. Bonavent. eadem d.47.art.2. q. 1. ubi ait, quod sicut in diluvio non fuerunt novæ aquæ creatæ, sed eædem illæ multiplicatæ sunt, & hoc operante adjutorio superiorum corporum, per quę facta est elevatio vaporum, ut docet D. August.lib. 20.*de Civitate* cap.16. sic etiam ait, quod non solùm ignis, qui est in sphæra sua, sed omnes ignes, qui in terra, qui super terram, & qui sub terra sunt, concurrent ad illam conflagrationem, sicut videtur velle August.loc.c. undè tandem concludit, quod non creabitur novus ignis, sed virtus superiorum corporum concurret ad ignis multiplicationem, & actionem. Et ita etiam discurrit D. Thom. eadem d. 47. quæst. 2.art.4. in fine, ubi inquit, quod causabitur ignis ille ex conflagratione omnium ignium mundanorum, ut dicit Augu. ex concursu omnium causarum inferiorum, & superiorum, ex quibus potest ignis circa locum medium generari, & sic tandem discurrit Riccardus ibidem ar.2.q.2. dicens ignem conflagrationis esse ejusdem speciei cum elementari, & quod sicut mundus per diluvium periit aquam ejusdem speciei cum nostra, ita fiet in purgatione novissima per ignem, & hoc totum deducit D. Augustinus loc.cit.ex 2.Petri cap.3.dicentis: *Cœli erant prius, & terra de aqua, & per aquam consistens Dei verbo, per quæ ille tunc mundus aqua inundantus periit, Cœli autem, qui tunc sunt, & terra eodem verbo repositi sunt igni reservati in die judicii*; sicut ergo tempore diluvii mundus periit non aquis de novo creatis, sed aliis jam anteà productis, ita in fine mundi ejus conflagratio erit per ignem, non de novo creatum, sed anteà productum, probabilissimum ergo est, quod ignis ille, quo mundus conflagrabit, generabitur ex aliqua materia, quæ facilè exuri possit, ut ex terræ vaporibus, & exhalationibus, aut similibus, & probabile est, quod primò generabitur in secunda aeris regione divino imperio ex vaporibus, & exhalationibus, quę vel ibi erunt, vel adhunc finè eò ascenderunt, ut ait Scot.l.c. & sequitur Suar.d.58.c.sect.3.

88 Quartò quæritur, quamvis sit futurus ignis conflgrationis, Aliqui apud Suarez loc.cit.dixerunt, tantam futuram esse illic ignis quantitatem, ut universum terræ, & aquæ corpus undique simul circundet, & ex omni parte ascendat super altissimos montes, saltem quantum aquæ diluvii ascenderunt, quam sententiam probabilem indicat, ac etiam ex nostris approbare videtur Brancatus disput.11.art.6. concl. 3. dicens, quod ignis conflagrationis perundet totam faciem terræ, maris, ac aeris ad eam altitudinem, ad quam pervenit aqua diluvii, pro qua sententia adducit D.Bonav.d.47.cit.art.2.quæst.4. ubi quærens, quousque ignis conflagrationis ascendet, respondet, quod ille ignis ascendet tantùm, quantùm durant corpora consumptiblia, & passibilia, & quia corpora cœlestia non sunt receptibilia alienę impressionis, ait quod quantùm durat spatium continens elementa, ascendet flamma, & ulterius non procedet, undè concludit, quod non ascendet usque ad sidera, plus tamen ascendet, quàm aqua diluvii, ex quibus verbis patet S. Doctorem loqui tantùm de ascensione, & elevatione ignis conflagrationis versus Cœlum, non autem de ejus extensione, ac dilatatione super faciem terræ. Sed quamvis hoc adeò sit incertum, ut Augustinus 20.de Civitate ca. 16.à nullo hominum in hac vita sciri existimet; probabilius tamen videtur, ut Suarez ipse quoque fatetur loco cit.non oportere, ut simul, eodemque tempore totus ille ignis mundum circumstet, ac inflammet, sed satis esse, ut magna ex parte terram occupet, & ascendat quantumpous fuerit, usque ad secundam aeris regionem, ac deindè veloci motu feratur, & successivè totam terram accendat, atque ita totum mundum circumdet, ac purificet, qui dicendi modus facilior est cæteris, & docetur à Scoto expresse dist.47.cit. qu.2. §. *De secundo*, ubi ait probabilius esse, quod ignitio vaporum futura sit mundi conflagratio, & quod ista ignitio successiva nunc illorum vaporum, nunc istorum, saltem pro toto aere supra positio regioni habitabili hominum, potest dici illa conflagratio, quibus verbis satis clarè indicat opus non esse, ut simul eodemque tempore totius ille ignis conflagrationis totam faciem terræ, & maris pervadat, totumque mundum simul circumstet, ac inflammet, ut prima sententia asserebat, sed satis esse, ut hoc successivè fiat, licet velociter, ac brevi tempore, & hoc etiam satis expresse indicavit S.Ephrem lib.de pœnitent.c.4.dum dixit hunc ignem emanaturum ab ortu solis usquem ad occasum, nam quia Christus à parte orientali descendet ad judicium, ut suprà dictum est, juxtà illud Matth.24. *Sicut fulgur exit ab Oriente, & patet usque ad Occidentem, sic erit adventus filii hominis*, rationabiliter dici potest ignem, qui eum præcedet, & antè illum veniet, ab Oriente manere, qui posteà ad totum mundum successivè inflammandum, & expurgandum, usque ad Occidentem deferetur, non tamen ibi sistet, sed per aliud quoque hæmispherium redibit universum terræ globum circumdans, ut ait Suarez loc.cit.

89 Quintò quæritur. Quænam res, seù corpora conflagrabunt per ignem. Resolutio hujus quæsiti pendet ex dictis art. præced.ubi diximus, exceptis cœlestibus corporibus omnia elementa, & mixta, quæ sunt in mundo sublunari, esse igne conflagratura, licet non eodem modo, nam elementa non sunt omninò destruenda quoad substantiam, sed tantum innovanda sunt, & perficienda quoad rationem corruptionis, ut docet D. Augustinus sæpè citatus lib.20.de Civitate cap.16.dicens, quod illa conflagratione elementorum corruptibilium qualitates, quæ corporibus nostris corruptibilibus congruebant, ardendo penitus interibunt, atque ipsa substantia illas qualitates habebit, quę corporibus nostris immortalibus mirabili mutatione conveniunt, ut scilicet mundus in melius innovatus aptè accomodetur hominibus etiam in carne in melius immutatis. Cætera autem omnia corpora mixta, ut animalia bruta, plantæ, & mineralia, & alia hujusmodi sunt omninò igne comburenda, & substantialiter destruenda, ut ex loco citat. 2. Petri cap. 3. expresse deducitur; *Terra, & omnia, quæ in eo sunt opera exurentur*, & ratio est, ut loc. citat. inuimus, quia hæc omnia mixta sunt omninò corruptibilia; in illo autem statu creatura à servitute corruptionis liberabitur, & ideò ea tantum corpora manebunt, quæ ad corruptionem aliquem habent ordinem, ut sunt corpora cœlestia, & elementa, quæ licet secundùm partem nunc corrumpantur, ut continuis rerum generationibus, & corruptionibus inserviant, tamen secundum se tota incorruptibilia sunt,

ut loc. cit. fusius discurrimus; & hæc est sententia Scoti ubi suprà d.47.quæst.2.D.Bonaven.ibidem part.2.quæst.1.D.Thomæ d.47.quæst. 2. art. 4. & aliorum Scholasticorum ibidem. Dices videri inconveniens, quod omnia mixta sint igne peritura, quia vel illa futura sunt posteà in mundo innovato, vel non, si primum; ergo frustrà prius corrumpentur, ut posteà iterum producantur; si secundum, hoc videtur contrà perfectionem mundi, ejusque innovationem, Patres enim communi consensu dicunt, totum hunc mundum in perfectiorem statum esse commutandum, sed mixta ad perfectionem universi valdè spectant, sunt enim perfectiora corpora, quàm ipsa elementa; si ergo elementa sola maneant, & mixta cuncta pereant, universum valdè imperfectum remanebit. Respondetur negando assumptum, ad probationem dicendum post mundi conflagrationem, & expurgationem mixta non amplius esse futura, cum hæc omnia ad usum hominis referantur ratione corporis corruptibilis, qui usus tunc cessabit: neque ob id universum imperfectum remanebit, quia alia supplebit Deus, quæ illud sine ulla comparatione perfectius reddent, ut loco cit. diximus. Completa autem mundi conflagratione, & expurgatione omnia excrementa, ac omnes mundi sordes in infernum cum reprobis detrudentur cum parte illius ignis impuriori, ut docent Riccard. & D. Thom. d.47.qu.2.art. 3. & alii Theologi ibidem, quod probant ex Basilio in illud Psalm. 25. *vox Domini intercidentis flammam ignis*, dicente, crassiores partes illius ignis in infernum esse proiiciendas, subtiliores verò, & lucidiores superius remansuras, quocirca verisimile est, ut ait Suarez ubi suprà illum terræ hiatum, qui fiet ad reprobos devorandos expleto judicio, ut superius dictum est, esse duraturum, quousque mundi purgatio absolvatur, posteà verò quam omnes mundi sordes, & excrementa per illum in infernum fuerint detrusa, recludendum esse, & terram in suam integritatem esse restituendam.

90 Sextò quæritur, an etiam homines tunc viventes igne conflagrabunt. Conveniunt Patres, & Theologi, reprobos omnes, qui antè judicium vivi reperientur, igne conflagraturos, & ex eo morituros, quod ex pluribus Scripturæ locis expressè deducitur, ut ex Psalm. 69. *Ignis antè ipsum præcedet, & inflammabit in circuitu inimicos ejus*, quem locum Hieronymus exponens inquit, quod ignis iste Sanctos purgat, & peccatores consumit, & Psalm. 49. *Ignis in conspectu ejus exardescet, & in circuitu ejus tempestas vallida*, ubi Glossa Ordinaria ait, quod ignis materialis, & mala conscientia torquebit impios, cum eum conspicient judicantem, & Hieronymus inquit, quod duplicem hìc ignis intelligitur habere virtutem, illuminat enim, & exurit, gaudeant justi, quia illuminentur ex eo, timeant peccatores, quia exurendi sunt ab eo. Item ex Malachiæ 4. adhuc clarius: *Ecce enim dies veniet succensa, quasi caminus, & erunt omnes superbi, & omnes facientes impietatem stipula, & inflammabit eos dies veniens, quæ non derelinquet eis radicem, & germen*, quem locum etiam Hieronymus exponens inquit, quod veniet dies judicii, quæ Sanctis lux erit, peccatoribus tenebræ, & ipsa dies erit succensa, quasi caminus sivè clibanus, ut omnes impii vertantur in stipulam, cumque eos inflammaverit, atque combusserit, non relinquet in eis ullam radicem, & germen malitiæ. Denique Isaiæ 51. *Cœli, sicut fumus liquescent, & terra sicut vestimentum atteretur, & habitatores ejus, sicut hæc interibunt*, ubi Interl. intelligit habitatores, qui vivi invenientur, & Lyranus ait, quod in igne conflagrationis morientur omnes, qui tunc vivi reperientur, quod etiam ratio ipsa suadet, quia maximum esset miraculum, si toto mundo antè judicium conflagrante omnes, homines tunc existentes conservarentur illesi, si ergo omnes homines tunc viventes in ignis conflagratione morientur, hoc præcipuè de reprobis verificari debet, ut enim docet Philosophicum axioma, propter unum quodque tale, & illud magis, sed propter hominum peccata mundus conflagrabit; ergo tantò magis impii, & impœnitentes, qui ea commiserunt, tunc viventes.

91 De electis verò tunc viventibus, an etiam ipsi igne conflagrabunt, est aliqua difficultas. Quidam enim negaverunt electos tunc temporis viventes esse morituros, aut resuscitandos, sed solùm immutandos, aut transformandos in qualitatem, & perfectionem glorioforum corporum resurgentium, quod præsertim ex Paulo deducunt 1.Corinth. 15. ubi juxtà editionem Græcam sic legitur: *Ecce mysterium vobis dico, non omnes quidem dormiemus, omnes tamen immutabimur*, quæ verba significant non omnes electos esse resurrecturos, quia non omnes morientur, illi nimirum, qui in die judicii vivi invenientur, omnes tamen fore ad statum gloriæ transferendos. Alii vero concedunt quidem etiam electos tunc viventes esse quidem morituros, quia lex illa universalis est: *Statutum est hominibus semel mori*, non tamen conflagratione ignis tunc futura, sed morituros esse in ipso raptu, cum obviam Christo ibunt, quod ex illo Pauli deducunt 1. ad Thessal. 4. ubi de resurrectione loquens eorum, qui præcesserunt, induens personam eorum, qui tunc existent, ait: *Deindè nos, qui vivimus, qui relinquimur, simul cum illis rapiemur in nubibus obviam Christo in aera, & sic semper cum Domino erimus*, pro qua sententia adduci solent SS. Ambrosius, & Augustinus. Verùm communior, & verior sententia Patrum, & Theologorum est, omnes homines omninò morituros, etiam tempore judicii viventes, ut jam ostendimus disp. præced. qu. 1. art. 3. ab initio, juxtà illud Pauli 1. ad Corinth. 15. *Sicut in Adam omnes moriuntur, ità & in Christo omnes vivificabuntur*, à qua generalitate non est ulla ratio sufficiens, ob quam excipiantur, qui in die novissimo vivent, & ibidem diximus locum ex 1. ad Corinth. 15. adductum juxtà editionem Græcam non urgere, nam vetus vulgata Latina legit: *Omnes resurgemus, sed non omnes immutabimur*, & vulgata editio præferenda est, ut decernit Concil. Trident. sess. 4. cap. 5. & admittendo etiam editionem Græcam jam ibi declaratum est, quomodo intelligi debeat. Quomodo autem tunc viventes sint morituri, & an etiam electi igne conflagrabunt, etiam diximus ibidem apud Patres, & Theologos sententiam affirmantem satis esse communem, nam adducta Scripturæ loca ex Psalm. 49. *Ignis in conspectu ejus exardescet*, & Psalm. 96. *Ignis antè ipsum præcedet* exponunt etiam de electis, quod igne conflagrabunt, ut purgentur, undè Glossa Ordinaria in loco cit. Psalm. 45. ait, quod ignis ille erit perfectis, qualis tribus pueris, minus perfectos purgabit, & malos comitabitur, & in illud Isaiæ cap. 66. *Ecce Dominus in igne veniet, & in igne judicabit*, inquit, quod ignis ille erit æternus malis, quos involvet, & adducet ad supplicium æternum, & eo purgabitur, quod in bonis purgandum est. Et hanc diximus loco citato esse expressam D. Thomæ sententiam 4. distinct. 47. articul. 4. ad 3. ubi ait, quod ignis ille quantum ad sui principium erit antè resurrectionem, & incinerabit corpora bonorum, & malorum simul, cum purgabit faciem mundi; sed bonorum absque dolore, malorum cum dolore secundùm peccati quantitatem, & sic etiam discurrit D. Bonaventura d.47.quæst. ultim. ubi ait futuram esse ignis conflagrationem in judicio non tantùm ad reproborum punitionem, sed etiam ad electorum purgationem quia debet uniuscujusque opus probari, & purgari in igne, ut totaliter sistantur mundati in conspectu Dei; & in fine quæstionis addit, quod ignis ille erit ad purgationem electorum, & non ad consummationem, & ideò sicut tres pueri in camino ignis ardentis divina sunt virtute servati illæsi, sic fiet in illo igne, qui electos purgabit. Neque obstat, quod Ambrosius, & Augustinus dicant electos viventes tempore judicii in ipsomet raptu morituros esse, cùm occurrent Christo ad judicandum venienti, siquidem explicari possunt, quod in eo raptu quidem morientur, sed mors adhuc ex igne procedet, non enim hæc duo inter se repugnant, præsertim cum alii SS. Patres existiment omnes tunc viventes per ignem esse perituros, ut rectè Brancatus noster advertit disp. 11. art. 9. apud quem plura alia de hoc videri possunt.

92 Septimò quæritur, an etiam homines defuncti tunc resurgentes igne conflagrabunt. Et quidem de reprobis, ac damnatis hoc certum est, omnes enim SS. Patres docent, quod damnati statim post resurrectionem pœnam sensus etiam in corporibus reassumptis experiri incipient, & ab igne detineri, & cruciari, qua de causa ignis antè Judicem adveniet, qui saltem eum locum occupet, in quo erunt corpora damnatorum. Est igitur solùm difficultas de electis, qui vel erant vivi antè Christi adventum, vel anteà mortui, nondùm tamen ad gloriam admissi, quia in Purgatorio eorum animæ purgabantur, an reassumptis corporibus sint aliquantulum cum passione conflagraturi, ac etiam de ipsis electis jam beatis, & comprehensoribus, qui corpora reassumpserunt, antequam ad Cœlum in anima, & corpore cum Christo redeant. Aliqui dixerunt omnes electos corpora reassumentes, sivè sint electi, qui erant inter vivos veniente Christo ad judicandum, sivè quorum animæ jam erant in purgatorio, sivè tandem sint Sancti, ideſt, quorum animæ Deo fruebantur in Cœlo antè corporum resurrectionem, omnes, inquam, istos dixerunt esse per ignem probandos, & aliquid per illum passuros, & sic tanquam aurum probatos in Cœlum cum Christo post judicium ituros. Alii verò mitius loquentes dixerunt omnes præfatos esse per ignem probandos, ita tamen, ut qui jam comprehensores erant, & Deo fruebantur, nullam in anima, vel corpore sentient passionem, qui verò inter vivos erant, vel in purgatorio, si levia adhuc habent delicta nondùm purgata, aliquam pœnæ partem sunt adhuc luituri per ignem conflagrationis, & aliquam per illum passionem sentient in anima, & corpore reassumpto, & sic salvi erunt. Fundamentum est, illud Pauli dictum 1. Corinth. 3. *Dies enim Domini declarabit, quia per ignem revelabitur, & uniuscujusque opus quale sit, ignis probabit*, undè Ecclesia canit in Officio Defunctorum.

ctorum. *Qui venturus est judicare sæculum per ignem*, quia nimirum omnes sunt per ignem examinandi, & probandi, tanquam instrumentum divinæ justitiæ. Confirmatur ex Ambrosio, Hieronymo, Hilario, & pluribus aliis Patribus dicentibus omnes justos per ignem esse purgandos, aut probandos, vel examinandos, quorum testimonia refert Brancatus noster disp. 11. ar. 10. & 11. Et hoc tandem etiam ratio ipsa suadere videtur, quia cum homo anima, & corpore constans peccata committat; etiam in corpore, & anima purgandus erit aliquo modo post resurrectionem.

93 Oppositа sententia communior est, & probabilior, ut Suarez ostendit disp. 57. sect. 1. & Brancatus noster loc. cit. & clarè deducitur ex Paulo 1. Corinth. 15. ubi duos tantùm ordines resurgentium recensет, unum iniquorum, & reproborum, qui resurgent quidem, sed non immutabuntur, alterum justorum, & electorum, de quibus Paulus ait, *Primitiæ Christus, deindè ii, qui sunt Christi*, de quibus posteà subdit *seminatur corpus spirituale*, &c. & 1. Thessalonicens. 4. *Mortui qui in Christo sunt, resurgent primi, deinde nos, qui vivimus, qui relinquimur, simul rapiemur cum illis in nubibus obviam Christo in aera, & sic semper cum Domino erimus*; ego nulli erunt justi post resurrectionem purgandi, sed omnes in corporibus glorioſis resurgent. Et quidem de Beatis, qui jam Deo fruuntur, nulla videtur ratio dubitandi, cum enim jam sint beati, opus est, ut sint omninò mundi, quia nihil coinquinatum intrabit regnum Cœlorum, tùm quia non sunt capaces doloris, & tristitiæ, tùm tandem quia Beatorum corpora resurgent impassibilia, ut ostensum est disput. præcedenti; quarè concludendum est, quod Beati in resurrectione corporibus reassumptis, vel non tangentur ab igne, vel si tangentur, nihil ab eo patientur, neque sensibili, aut alio modo per eum cruciabuntur, & ità expressè docet D. Augustinus lib. 2. de Civitate cap. 18. ubi movet hoc dubium, dicens. Forsitan aliquis quæret, si post factum judicium iste mundus ardebit, antequam pro illo Cœlum novum, & terra nova reponantur, eo ipso tempore conflagrationis ejus, ubi erunt Sancti, cum eos habentes corpora in aliquo corporali loco esse necesse sit. Et solvens dubium inquit, possumus respondere, futuros esse in superioribus partibus, quo non ascendet flamma illius incendii, quemadmodum, nec unda diluvii, talia quippe illi inerunt corpora, ut illic sint ubi esse voluerint; sed nec ignem illius conflagrationis pertimescent immortales, atque incorruptibiles facti, sicut virorum trium corruptilia corpora atque mortalia in camino ardenti vivere illæsa potuerunt; ità Augustinus loc. cit. quibus verbis, ut patet, docet, quod Sancti tempore conflagrationis cum corporibus reassumptis in loco superiori esse poterunt, ad quem ignis non perveniat, vel quod si in igne erunt, illud tamen non timebunt, sed in eo illæsi permanebunt, ut tres pueri in fornace Babylonica, idem etiam docet exponens illud Psalm. 49. *Ignis in conspectu ejus exardescet*, quod de igne conflagratorio judicii intelligens inquit, quod ignis ille purgatorius, qui erit perfectus, qualis tribus pueris, & minus perfectos purgabit, & malos comitabitur ad inferos, igitur perfecti, & maximè beati ab igne non lædentur.

94 Postremò probabilius etiam est, quod electi viatores, vel qui vivebant, vel quorum animæ in Purgatorio erant, reassumptis corporibus, si purgatione egent non sint per ignem passuri, sed purgationem hanc antè resurrectionem esse peragendam. Ratio est, quia electorum omnium corpora resurgent impassibilia, & glorioſa, ut habetur 1. Corinth. 15. *Seminatur corpus in corruptione, surget in incorruptione, seminatur in ignobilitate, surget in gloria, seminatur in infirmitate, surget in virtute, seminatur corpus animale, surget spirituale*, ubi Glossa Interlin. exponit *surget immortale, & impassibile, ac glorioſum cum potentia, cui nihil noceat*; ergo igne non conflagrabunt post resurrectionem, repugnat enim impassibilitas cum passibilitate, & gloria cum pœna, seù tormento, & licet sit Dei speciale miraculum, quod Christus in anima fuerit glorioſus, & corpore passibilis, fieri tamen non potest, ut idem corpus sit passibile, & impassibile, sit glorioſum, & dolorem sentiat, cum corpus glorioſum non sit doloris, & tristitiæ capax.

Confirmatur, quia si talis electorum conflagratio necessaria esset, hoc præsertim ideò esset, quia in puncto resurrectionis erunt aliquæ animæ justæ nondùm perfectè purgatæ, vel quia inter vivos erant, cum venit judicii tempus, vel quia in purgatorio adhuc tempus pœnæ non compleverant. Sed hoc sine ullo fingitur fundamento, ut inquit Suarez loc. cit. divinæ namque providentiæ facillimum erit omnia ità disponere, & talem purgationis modum, aut pœnæ mensuram singulis accommodare, ut omnium purgatio convenienti tempore, ac antè resurrectionem generalem definito perfecta sit, alioquin eodem modo dici posset aliquos etiam esse post generale judicium purgandos, quod est omninò falsum, ut docet Augustinus 21. de Civitate cap. 16. Tandem hoc etiam deducitur ex illo 1. Thessalonicens. 4. *Deindè nos qui vivimus, qui relinquimur, simul rapiemur in nubibus obviam Christo in aera, & sic semper cum Domino erimus*, quem locum explicans Divus Ambrosius inquit, in ipso enim raptu mors perveniet, & quasi per soporem, ut egressa anima in momento reddatur; cum enim tollentur, morientur, ut pervenientes ad Dominum præsentia Domini recipiant animas; ergo non adest tempus, in quo hæc conflagratio seu purgatio post resurrectionem per ignem fieri possit, & omninò incongruum est, ut in præsentia Christi electi in corporibus reassumptis ardeant, eo vel maximè, quia ad locum illum aereum ignis non ascendet, ubi Christus sedens judicabit, & ubi electi considebunt, ut superius dictum est. Quod si quis dicat Deum esse provisurum, ut brevissimum tempus adhoc sufficiat, multò melius dici potest Deum ità provisurum, ut nullum tempus sit ad hoc necessarium; sed ut omnis purgatio antè resurrectionem perfecta sit, tam eorum, qui vivebant, cum venit judicii tempus, quàm eorum qui erant in purgatorio, & adhuc pœnam totam non compleverant, hoc enim complementum brevissimo tempore antè resurrectionem fieri potest, & per pœnam intensiorem.

95 Neque obstant Scripturæ, & testimonia Patrum pro prima sententia adducta, cum interdum dicunt omner justos per ignem esse purgandos, aut probandos, vel examinandos, Paulus enim cit. 1. Corinth. 3. omnes dicit per ignem probandos, non verò comburendos, vel purgandos, aliud autem est probari igne, & aliud purgari, ut Suarez advertit loc. cit. nam *probari* solùm significat per actionem, & quasi testimonium ignis alicujus innocentiam, & sanctitatem ostendi, quomodo tres pueri in fornace Babylonis per ignem probari dici possunt, quia in camino ignis eorum fides, & religio probata est; quamvis ipsi purgari non fuerint juxtà illud Psalmi *igne me examinasti, & non est inventa in me iniquitas*, purgari autem propriè loquendo purificari, & mundari significat, & ideò in rigore maculam in eo, qui purgatur, supponit. Santi ergo, & justi in die judicii dicuntur igne probandi quasi negativè, quatenus ignis ille damnatos crucians, & Sanctos non attingens eorum sanctitatem, & justitiam quasi probabit, & contestabitur. Deindè Paulus ibi duplex hominum genus distinguit, qui in extremo judicio sunt compariturі, quorum aliqui aurum, argentum, & lapides pretioſos superædificant, & opera habent, quæ manent, hoc est, quæ igni non subjacent, & inquit, quod isti mercedem accipient; Alii fœnum, & stipulam superædificant, ideſt, habent venialia, vel alia pœnas luere debent, & inquit, quod isti tormentum ignis patientur, & salvi fient quasi per ignem, sed non dicit, an antè, vel post resurrectionem, undè ex illo textu nihil contrà hanc secundam sententiam colligi potest.

Ad Confirmationem dicendum Patres non sentire, omnes sanctos esse per ignem purgandos, sed tantùm esse probandos, & examinandos per ignem modo jam explicato, quatenus in extremo die ignis damnatos crucians, & illos non attingens eorum sanctitatem, & justitiam quasi probabit, ac contestabitur. Quod si interdum purgandos esse dicant, & de purgatione propriè dicta loquantur, non de omnibus Sanctis, & justis id absolutè intelligendum est, sed de his, qui purgatione indigebunt. neque de igne conflagrationis in die judicii loquuntur, sed de igne, quo peccata purgantur, neque de judicio universali, sed de particulari cujuscunque, undè Hieronymus Sophon. 1. circa illa verba. *Vox diei Domini amara*, ait posse referri, & ad consummationem mundi, & uniuscujusque exitum vitæ, & tandem si loquuntur de igne conflagrationis in die judicii universalis, non specificant, an id antè, vel post resurrectionem sit futurum. Ad rationem respondetur negando consequentiam, quamvis enim ob rationem allatam necesse sit, ut satisfactio pro culpa in corpore commissa, in corpore etiam incipiat, & ab ipso homine adhuc in carne vivente fieri debeat per contritionem, & dolorem, atque ità corpus etiam aliqua pœna afficiatur, attamen cum tota ratio culpæ, & offensæ divinæ in anima existat, corpus verò sit organum solùm quo anima utitur ad suas operationes exercendas à sensu dependentes; ideò perfecta peccatorum purgatio in sola anima fieri debet, & per eam consummari atque ideò si post mortem aliquid purgandum remanet, & aliqua pœna luenda, in ipsa anima expiari potest, ac debet, quæ est pars hominis principalior, & præcipua peccandi causa, atque ideò noluit Deus aliquid purgandum post resurrectionem reservari, ut ait etiam Suarez loc. cit.

ARTICULUS TERTIUS.

De cessatione motus corporum cœlestium expleta mundi purgatione.

96 PRimò quæritur, an motus corporum cœlestium possit aliquando cessare. Communis opinio Philosophorum, & præsertim Aristotelis negat, quorum fundamentum est, ut refert Scotus 4. distinct. 48. quæst. 2. quia impossibile est, quod intelligentia movens aliquando careat fine suo, & propria operatione, tunc enim asset frustrà; sed movere Cœlum est finis, & propria operatio intelligentiæ moventis effectivè, undè ait Aristotel. 12. Metaphysic. causare lationem esse optimum intelligentiæ motricis, & per consequens ejus finem, & quamvis non sit finis intelligentiam perficiens, quia non est operatio transiens, est tamen finis redundans, & consequens ex plenitudine perfectionis intelligentiæ.

Confirmatur, quia inter extrema sempiterna semper, ac necessariò est eadem habitudo, sed intelligentia Cœli motrix, & Cœlum sunt extrema sempiterna; ergò motus inter ea est sempiternus. Tandem in sempiternis non est potentia contradictionis secundùm Philosophum 1. Metaphysic. sed Cœlum est sempiternum; ergò in ipso non est potentia contradictionis ad moveri, & non moveri, atque ideò non potest non moveri, nec per consequens motus ejus cessare potest. Opposita sententia Theologorum communis asserit, quod absolutè loquendo motus corporum cœlestium cessare potest, & potest absque ulla contradictione Cœlum quiescere, quod variis rationibus probare nituntur, sed Scotus noster loco citato §. *Ad quæstionem*, evidentius hanc possibilitatem probat, & à priori tam ex parte moventis, quàm ex parte mobilis, ideoque hanc motus cessationem ab intrinseco non repugnare, ex parte moventis probat, quia voluntas Dei, quæ est prima causa movens Cœlum contingenter se habet ad movere, & non movere; ergò absolutè loquendo motus Cœlorum cessare potest; consequentia patet, quia prima causa non influente nulla alia causa secunda, & proxima motum illum causare potest, vel continuare; probat deindè ex parte mobilis, quia motus Cœli non est naturalis, nec violentus, sed neuter, ut ex professo probatum est in lib. de Cœlo disp. 2. quæst. 4. art. 2. ergo Cœlo non repugnat esse, & existere, & non moveri; probat etiam assumptum Doctor, quia omnis motus, qui est secundùm naturalem inclinationem mobilis, respicit aliquid pro per se termino, quo adepto cessat motus naturaliter, & mobile naturaliter quiescens sub termino violenter recedit ab eo, ut patet, & ità sequeretur, quod simul, & semel moveretur naturaliter, & violenter, nam in suo motu circulari simul accedit ad eundem terminum, & ab eo recedit, sed hoc est impossibile; ergo motus Cœli non est naturalis, sed nec etiam est violentus, quia non est contrà inclinationem suam naturalem; ergò Cœlum quantum est de se, indifferens est ad moveri, & non moveri.

97 Ad fundamentum Philosophorum respondet Doctor loc. cit. quod res non potest carere suo proprio fine perficiente intrinseco, benè tamen extrinseco, movere autem Cœlum non est finis intrinsecus, & perfectivus intelligentiæ, hìc enim est videre & amare Deum, nec est aliquid necessariò consequens talem finem perfectivum ejus, sed contingenter, & liberè ex imperio, & voluntate primæ causæ ad ulteriorem finem, scilicet, generationem electorum, quo habito cessabit talis motus, nec ob id intelligentia erit frustrà, quia finis ejus perfectivus intrinsecus, ut dictum est, non est movere, sed videre Deum, & amare, undè, & plures alii angeli, seù intelligentiæ ponuntur à Theologis, quæ non sunt motrices. Neque etiam Cœlum movetur propter perfectionem ipsius Cœli, sed propter perfectionem universi, quia per motum Cœli universum perficitur, quatenus per motum illum generationes fiunt, est enim Cœlum destinatum in hominum servitium, ut scilicet, influeret in generationem, & corruptionem animalium, mixtorum, metheororum, &c. quarè cessante hominum, & aliarum rerum generatione, ut erit in novissimo die etiam cœlorum influxus, & motus cessabit.

Ad Confirmationem, major est vera, si habitudo illa ex utroque extremo naturaliter operante insurgat, non autem si alterum extremorum liberè in eam influat, ut contingit in proposito de intelligentia respectu motus Cœli, & hoc præcipuè verum est de habitudine extrinsecus adveniente, cujusmodi est movere ex parte moventis, & motus, vel motio passiva ex parte moti, quæ non ponitur necessariò positis extremis, ut patet ex dictis in Logica de natura relationis extrinsecus advenientis. Ad ultimum, quando Philosophus ait loc. c. in sempiternis non esse potentiam contradictionis intelligendum est in ordine ad formam substantialem, & privationem ejus, alioquin corruptibilia forent, non autem in ordine ad formam accidentalem qualis est motus, & sic pariter intelligendum est illud, quod ait 3. Physic. quod in perpetuis non differt esse, & posse, hoc enim verùm est de esse substantiali, non enim secundùm ipsum prius potest esse aliqua substantia sempiterna, quàm sit in actu, non autem verum est quantum ad aliquam formam accidentalem, scilicet, ad motum, vel hujusmodi, ut bene discurrit Bassolius noster 4. d. 48. qu. un. Alia Philosophorum argumenta contrà assertionem positam adduci possent, quæ brevitatis causa omitto quia contrà Theologos nullius sunt roboris, hoc enim fundamento nituntur, quod causa prima, & intelligentiæ ad extrà necessariò operentur, & quod mundus cum Cœlis intrinsecè sint indefectibilia, quod omninò falsum est, ac erroneum omnia enim quæcunque vult Deus facit, & in ejus potestate est ad nihilum reducere quæcunque de nihilo creavit, & quando voluerit, ut suis locis ostensum est in primo, & secundo sententiarum libro.

98 Secundò, quia ratio adducta licet convincat possibilitatem cessationis motus cœlestis, non tamen convincit factum, scilicet, cessationem futuram, quæritur ulterius, an motus corporum cœlestium cessabit aliquando de facto. Et in parte affirmativa conveniunt Theologi omnes 4. distin. 48. quod tempore judicii finalis cessabit, & hoc tenetur ait Doctor loc. cit. magis ex Scriptura, & auctoritatibus Sanctorum, quàm ex ratione efficaci, cùm enim motus Cœli possit in perpetuum à Deo continuari, & ab intelligentia sine fatigatione, & labore movente, nec inveniantur aliqua repugnantia ex parte Cœli, quarè non possit perpetuò moveri, per rationem efficaciter probari non potest, quod aliquando motus Cœli cessabit. Adducit tamen unam congruentiam Bassolius loc. cit. quia aliquando complebitur numerus electorum, ad quorum generationem motus Cœli à Deo ordinatur, cessabit autem non naturaliter, vel à causa naturali, sicut etiam nec movetur naturaliter, sed à causa naturali, sed à causa libera, scilicet imperio Dei, & intelligentia movens in hoc obediet Deo, ut cesset movere, sicut antè movebat ex imperio Dei, vel primæ intelligentiæ, sine cujus influxu movere non posset. Addit Doctor loc. cit. §. *Ad quæstionem*, neque hoc assertum probari posse per auctoritatem Scripturæ evidentem, quædam enim adduci solent, quæ non convincunt; ut auctoritas Isaiæ cap 60. *Non erit ibi Sol amplius ad lucendum per diem*, & Apocal. c. 10. *Juravit Angelus, quod amplius tempus non erit*. At Isaias, inquit Doctor, ut D. Hieronymus exponit, non negat Solem tunc lucere, sed tantùm dicit, quod iis, qui erunt in vita æterna, usum lucis non præstabit; & similiter auctoritas ex Apoc. potest exponi, quod non erit amplius ibi tempus, ut impleatur prophetia, quia jam omnes prophetiæ impletæ sunt. Subjungit tamen Doctor, quod licet hæc assertio non habeatur expressè in Scriptura, nihilominus magis concordare videtur cum dictis Sanctorum, & Scripturæ. Quod probari potest cum Brancato noster disput. 12. cit. art. 6. quia 1. Genes. dicitur, quod *Luminaria facta sunt in firmamento Cœli, ut dividant diem, ac noctem, & sint in signa, & tempora, dies, & annos*, &c. ubi Glossa Ordinaria inquit, quod dies, & anni, quos usitate novimus, motibus siderum fiunt; undè habemus ex Scriptura finem revelatum, propter quem sydera, eorumque Cœli facti sunt, ut scilicet, ad illuminandum inserviant, & dies, ac noctes distinguendum, & alia anni tempora. Sed post judicium non erit nox ex Zacch. 14. ubi ait, quod: *Erit dies una, quæ nota est Domino, non dies, neque nox, & in tempore vesperi erit lux*, ubi Glossa Interlin. ait, quod non erit vicissitudo diei, neque noctis, & Lyranus inquit, quod dies propriè est latio Solis super terram, & non latio sub terra, in generali resurrectione corpora erunt incorruptibilia, & sic cessabit latio, & corruptio in elementis, & motus Cœli, qui est causa generationis, & corruptionis, & sic non erit dies, & nox propriè, quæ causantur ex motu Solis. Idem Lyranus in Psalm. 101. verbo. *Ipsi peribunt* ait, quod Cœli peribunt quantum ad aliquam dispositionem, quod quia corpora cœlestia cessabunt à motu locali, & in cap. 51. Isaiæ verbo *Cœli sicut fumus liquescent*, per hanc liquefactionem intelligi cessationem à motum, quia cessabit in finali judicio, & in capit. 24. Matth. verbo *Cœlum, & terra transibunt*, inquit, non quia corrumpantur secundùm substantiam, sed quia cessabit motus Cœli, & transmutatio in elementis, ista enim ordinata sunt ad complendum numerum electorum, & ideò ipso completo in judicio cessabunt, sicut ea quæ sunt ad finem, habito fine cessant, & hoc idem diffusius replicat etiam in Epist. ad Hebræos cap. 1.

99 Sed contrà prædicta arguitur, quod ex tali cessatione motus corporum cœlestium sequerentur multa inconvenientia; nam in primis si staret Cœlum in corporibus suppositis, & in his oppositis esset maxima intemperies, quia nunc accedente Sole plus generatur de elementis superioribus, & etiam corrumpitur de inferioribus, & è converso ipso recedente; ergo Sole perpe-

tuò

tuò stante, super aliquam hemisphærii partem, in illa parte immoderatè generatur plus de igne, & corrumperetur de aqua, & terra, & ità in illa regione suppositа non staret distinctus ordo sphærarum elementarium, & consimiliter nec in parte opposita, quia ibi esset oppositus modus generationis, & corruptionis. Deindè si Sol semper staret, in oppositа parte terræ semper esset tenebra, quia cùm terra sit corpus opacum, necesse est, quod objecta luminari faciat ultrà se pyramidem umbrosam. Rursus cessante motu Cœli nullus alius possibilis esset, etiamsi agens passo approximetur, quia in quolibet ordine essentiali, destructo priori, destruitur omne posterius, sed hoc est falsum, nam est articulus Parisiensis errorem damnans dicere, quod si stante Cœlo ignis applicaretur stuppæ, non combureret. Tandem motus Cœli non est violentus, alioquin tanto tempore non duraret, quia nullum violentum durabile ex 1. de Cœlo; ergo naturalis, & per consequens si post judicium cessabit, Cœlum in continua violentia erit, quies enim erit ei violenta.

100 Respondet Doctor loc. cit. in corpore quæstionis negando hæc inconvenientia tunc secutura, non quidem primum, quia sicuti nunc actio immoderata non sequitur, vel quia Cœli in hæc inferiora proportionatum habent influxum, vel quia inferiora resistendi virtutem habent, ità tunc ista erit causa impedimenti actionis syderum in hæc inferiora, vel si non possit inveniri, nec in Cœlis, nec in elementis causa prohibens hujusmodi immoderatum influxum, inquit recurrendum esse ad voluntatem divinam conservantem, quæ nimirum hujusmodi immoderatus influxus impediet, quod etiam probabilius est; si enim cessante Cœlorum motu cessabunt etiam generationes, & alterationes corruptivæ, ut mox dicimus, cessabit etiam Cœlorum influxus circà elementa, quæ tunc incorruptibilia erunt, & nihil corruptibile amplius generabunt. Nec sequitur aliud inconveniens, quia alia sydera, & Luna, quæ ut Sol lucebit, aliam terræ partem illuminarent, imò etiam & ipse Sol, quia tunc septies amplius lucebit, quam modò, ut suprà dictum est de innovatione Cœlorum, & terra fiet transparens, & diaphana, sicut vitrum, ut aliqui dicunt, & ideò non erit umbra ex interpositione terræ. Neque sequitur tertium inconveniens, quia motus Cœli respectu aliorum non habet primitatem causæ, vel alicujus, à quo essentialiter dependeant, sed est veluti regula quædam velocitatis, & regularitatis eorum, quia alii motus ad nostrum usum ab eo mensurantur, quod autem motus inferiores à motu Cœli essentialiter non dependeant probat Doctor, quia secundùm Philosophum 2. de Generat. text. 55. nihil facit latio ad generationem, nisi quia adducit generans, undè si sine illo motu generans esset æquè approximatum, æquè ageret, qua ratione ait Augustinus lib. 11. Confess. cap. 10. quod stante Cœlo adhuc moveretur rota figuli. Nec tandem sequitur quartum inconveniens, quia ut dictum est suprà, motus Cœli, ex parte mobilis, nec naturalis, nec violentus est, sed neuter, nam Cœlum ex peculiari, & propria natura non magis motum postulat, quàm quietem, sed in ordine ad naturam universalem, seù generalem mundi gubernationem illud dicitur esse illi magis naturale, quos juxtà universi statum magis consentaneum, magisque accommodatum fuerit, ut ait quoque Suarez disp. 58. cit. sect. 3. & licet in Cœlo, inquit Doctor, ratione figuræ sphæricæ sit aliqua habilitas ad motum circularem, hæc tamen ad motus naturalitatem non sufficit, quia non provenit à principio ejus intrinseco, sed tantummodò ad non violentiam.

101 Dices, prædicta contingere non posse, nisi nova, & plura miracula ponendo. Respondet Ferchius in Epitom. 3. distinct. 48. quæst. un. quod si teneamus hæc corpora constituentia mundum, scilicet, circumferentiam, centum, & intermedia fore desitura, & dicamus corpora ad generationem, & motum destinata propter contrarietatem formalem, vel virtualem in eis existentem esse necessaria pro tempore generationis electorum, sed posteà futura esse nova corpora diversę rationis ordinata ad conservationem, & quietem, nova miracula non ponentur, & nullas patiemur difficultates; at si sustineamus eosdem Cœlos, & elementa, quæ nunc sunt, post judicium esse mansura, plura miracula esse necessaria, ne scilicet, elementa pugnent, ne mixta generentur, ne Cœli rotentur, ne Sol, & astra partes sibi subjectas ad rectam, & Sol comburat omnia, ne media pars mundi, ad quam Sol non accesserit, sit semper in tenębris, & ne destructo primo motu cæteri tollantur, quæ quidem omnia licet sint Deo possibilia, rationi tamen naturali parum consonant. Addit tamen, quod quia Scholastici tenent hoc secundum, quod est difficilius, duos esse distinguendos mundi status; primus est ad electorum generationem, secundus ad eorum æternam mansionem. In primo statu necessarius est Cœli motus, & necessaria generatio, atque corruptio ex eo proveniens; in secundo non est necessarius motus, sed status Cęli, & necessaria est cessatio omnium actionum alterantium corruptivè, nam mundus sensibilis à Deo factus est principaliter propter electos, ut Scotus docet 3. distinct. 31. quæst. 1. quarè ex ipsis electis, & eorum statu tanquam ex fine mensurare debemus mundi statum, ità discurrit Ferchius loc. cit. Et re vera à communi Patrum, & Theologorum sententia recedendum non est, qui dicunt corpora cęlestia post judicium non esse substantialiter immutanda, imò nec elementa ipsa esse totaliter corrumpenda quoad substantiam, sed esse innovanda, ac perficienda, quoad rationem corruptionis, ut declaratum est suprà qu. 4. art. 1. neque manentibus eisdem Cęlis, ac elementis, quæ nunc sunt, quoad substantiam, necessaria sunt tot miracula à Ferchio recensita, cessante Cœlorum motu, ut patet ex solutione objectionum, neque quæ tunc contingent, miracula sunt censenda, qualia nunc essent, si in præsenti mundi statu contingerent, sed naturalia potius dici debebunt, quia consentanea, magisque accommodata erunt statui mundi incorruptibilis tunc à Deo instituendo; imò si omnia corpora nunc in mundo existentia tàm superiora, quàm inferiora, essent totaliter destruenda, & alia diversæ rationis nova creanda, ut ait Ferchius, hoc solùm esset majus miraculum, & æquivalens omnibus, quæ ait necessaria esse manentibus eisdem Cęlis, & elementis quoad substantiam, quæ nunc sunt, ut de se patet, nam esset immutatio, & innovatio, non tantum accidentalis, ut nos dicimus, sed etiam essentialis, & substantialis.

102 Tertiò quæritur, in quo situ cessabit Cœlorum motus. Aliqui dicunt, quod Sol, & Luna, & alia corpora cęlestia quiescent in eodem situ, in quo erant, quando creata fuerunt, quod cessante motu Cęli, Sol, & Luna stabunt in eodem situ, in quo creati sunt comparando eos ad invicem, quia Sol in Oriente, & Luna in Occidente, ità ex nostris Bassolius d ist. 48. cit. qu. un. & Nicol. de Nisse tract. 7. p. 3. qu. 7. quod probant ex Isidoro in Glossa super illud Isaiæ 40. *Non occidit ultra sol tuus*, quem citat Magister in littera, ubi inquit, quod Sol sui laboris mercedem accipiet, & non veniet ad occasum, nec Sol, nec Luna, sed in ordine, in quo creata sunt, stabunt; quod autem in prædicto situ creati fuerint, puta Sol in Oriente, & Luna in occidente probabile videtur, eo quod situs Orientalis convenit exordio rerum, & etiam congruebat, quod Luna crearetur plena, & per consequens in Occidente, si Sol in Oriente, quare &c. & hoc erit etiam rationabile, ut utrumque Emisphærium illuminare possint, & præcipuè Emisphærium nostrum, quod concessum est habitationi humanæ; ità discurrit Bassolius loc. cit. Verùm Scotus distin. 48. cit. qu. 2. lit. M. hoc dictum Isidori non approbat, quod Cęli sistent in eodem situ creationis, quia hoc concordare non videtur periodis motuum cęlestium, quas Astrologi assignant; non enim sphæra juxtà Ptolomæi doctrinam, quam sequitur Doctor, triginta sex millibus annorum, juxtà tabulas verò Alphonsi quadraginta novem millibus circulum perficit; ergò oporteret judicium usque ad terminum differri post creationem mundi, & mundum durare tot annis antè judicium, quod non videtur probabile, ad hoc ut possint Cęli redire ad eundem situm respectivè ad novum Cęlum. Tùm quia videntur luminaria fuisse creata ab initio mundi in situ generationi rerum maximè convenienti, & post judicium fore in situ magis convenienti quieti; ergo probabile non est, quod Cęli in eodem situ creationis quiescent. Sed inquit Bassolius loc. cit. hoc non urgere, quia dici posset divina virtute, & mutatione quadam instantanea Cęlos omnes, ac etiam ultimam sphæram reduci ad situm, in quo creati fuerunt. Verùm hoc omninò voluntariè dicitur, & sine ullo fundamento, & pro hoc non est auctoritas ulla præter illam Isidori, quæ etiam interpretari potest de situ Solis, & Lunæ respectivè ad mundum inferiorem, & non ad superiores orbes; quarè dicendum est cum Scoto quod sicut creati sunt Cęli in situ maximè convenienti rerum productioni, ità stabunt in situ maximè convenienti conservationi, sine nova productione, vel qui ad majorem pulchritudinem totius universi conferre videbitur, ut inquit Suarez loc. cit. Hic etiam quæri solet, in quo situ tunc elementa manebunt, & quidem de igne, & terra nulla est difficultas, quin futuri sint in suis locis supremo, & infimo, quia hoc est illis naturale, & nulla est ratio, ut alter locus illis assignetur. Aliqua difficultas solùm esse potest de elemento terræ, an tota ejus superficies aquis cooperienda sit, an verò pars aliqua futura sit discooperta, & immediatè aeri contigua, quæ difficultas, ut ait Suarez loc. cit. pendet ex alia, an post resurrectionem infantes cum solo originali decedentes habituri sint in Limbo, aut alio loco subterraneo, vel in superficie terræ, quorum neutrum tanquam certum ex Scriptura, vel Patribus possumus affirmare, ut suprà diximus qu. 3. art. 3. num. 72. si enim asseratur, illos in superficie terræ habitaturos esse, consequenter dicendum erit illam terræ partem aquis discoopertam esse mansuram ad usum illorum hominum; si verò in Limbo, vel alio aliquo loco subterraneo

sunt

sunt habitaturi, hoc necessarium non videtur, cùm hoc neque ad usum Beatorum, vel alium quempiam sit necessarium, & alius ordo sit magis naturalis.

103 Quartò quæritur, an cessatio motus corporum cœlestium sit sufficiens causa cessandi omnem alium motum, vel mutationem in his inferioribus. Affirmant Philosophi quorum fundamentum est, quoniam motus Cœli est essentialiter primus omni alio motu, vel mutatione in inferioribus, tanquam per se mensura aliorum motuum, quia regulatior, & velocior, mensuratum autem à mensura dependet, & sine ipsa esse non potest; ergo &c.

Confirmatur, quia in causis essentialiter ordinatis prima causa non causante, secunda causare non potest, ut patet. Cœlum verò, & corpus activum inferius possunt dici tales causæ respectu alicujus alterationis, vel mutationis istorum inferiorum, undè 2. Physic. dicitur, quod Sol, & homo generant hominem, sed Cœlum non agit, nec causat aliquid nisi per motum; ergo &c. Demum, quia nulla alia videtur causa quarè elementa non agent, & patientur ad invicem post cessationem motus Cœli, sicut anteà, nisi ista, ità enim habebunt suas formas, & qualitates activas, & passivas, sicut anteà, & similiter de corporibus aliis puta damnatorum non videtur alia causa incorruptionis eorum, nisi cessatio motus Cœlorum, non enim erunt incorruptibilia per dotem impassibilitatis, sicut corpora Beatorum; ergo &c. Opposita sententia theologorum communis est, quod cessatio motus corporum cœlestium non est causa sufficiens cessationis omnium motuum, & mutationum in his inferioribus, quod probat Doctor loc. cit. lit. 1. & Bassolius, & alii Scotistæ cum ipso ex Josue 5. ubi habetur, quod ad preces Josue Sol stetit, & Luna non est mota, & per consequens etiam probabile est, quod tota machina cœlestis steterit, & non sit mota, alioquin tota fuisset deordinata in motibus suis, & tamen certum est ex eadem Scriptura, quod Josue, & populus Israel contrà inimicos dimicavit, & non cessaverunt actiones, & passiones elementorum, & aliorum corporum inferiorum. Deinde probat ex Augustino loc. cit. dicente, quod cessante motu Cœli adhuc rota figuli à figulo moveretur, & ità posset esse motus hic inferius, nec impediret cessatio motus Cœli, ac etiam ex articulo Parisiensi, quod error sit dicere, quod cessante motu Cœli ignis non comburet stuppam sibi approximatam. Tandem probat ratione, quia posito activo perfecto, & passivo dispositio sufficienter approximato, nec impeditis, potest sequi actio, sed cessante motu Cœli possunt ista poni respectu plurium motuum, & mutationum, motus enim Cœli non est forma activa, sed passio quædam de genere passionis, nec requiritur etiam nunc de facto ad motum, vel mutationem istorum inferiorum, sicut principium per se motus, vel mutationis, sed ad alternationem influentiarum corporum cœlestium in hæc inferiora secundùm diversos situs, & aspectus; at post judicium aliqualis situs habebitur, & aspectus corporum cœlestium ad hæc inferiora, licet motus Cœlorum cessaverit; ergo poterit adhuc haberi actio, vel alteratio, seù mutatio istorum inferiorum, manebit enim virtus activa corporum cœlestium, & virtutes passivæ istorum inferiorum. Quarè dicendum est, quod cessante motu Cœli adhuc possent esse motus, & mutationes in istis inferioribus, nisi Deus influentiam suam suspenderet, & quod ipsam subtrahet post judicium, ne unum elementum sic agat in aliud, vel corrumpat, ut modò contingit, & similiter de corporibus damnatorum est discurrendum.

104 Ad fundamentum in oppositum ait Doctor, quod motus Cœli non est essentialiter sic primus, quin possit esse alii motus sine ipso, vel ipso cessante, ut suprà dictum est, & similiter non est mensura necessaria in essendo, licet sit uniformior, & velocior, & habeat hac ratione alioquo modo rationem mensuræ, & cùm dicitur, quod mensuratum à mensura dependet, & sine ipsa esse non potest, inquit sub lit. I. hoc verum esse de mensura rei in esse quidditativo, & mensuratum hoc modo non potest esse sine sua mensura essentiali ex Metaph. cap. ad aliquid, quia refertur ad ipsam, & non è contrà, sicut scibile est mensura scientiæ, quia scientia essentialiter ab ipso dependet; non est autem verum de mensura accidentali, quæ per applicationem, vel coextensionem mensurat, quo modo ulna pannum mensurat; patet enim quod quantitas panni in essendo à quantitate ulnæ non dependet. Ità prorsus est motus primi mobilis respectu aliorum motuum, mensura, scilicet, per applicationem, non verò per terminationem dependentiæ essentialis eorum, ac proindè ipsa non existente, adhuc existerent alii motus intrinsecè successivi, quia licet mensuratum esse non possit sine mensura essentiali, ut scientia sine scibili, tamen esse potest sine accidentali, ut patet de ulna panni.

Ad Confirmationem negatur minor, Cœlum enim non est causa essentialiter prima, & necessaria ad actionem, vel motum, seù mutationem istorum inferiorum, sed accidentaliter solùm, ut dictum est. Falsum est etiam quod additur, scilicet, quod Cœlum non agit, nisi per motum, non enim agit per motum suum, sicut per principium activum, sed per aliquam formam, & virtutem absolutam, undè æquè benè ageret in passum sibi subjectum, si non moveretur per suam virtutem, vel formam absolutam manentem, dato quod Cœlum quiesceret, & quod per motum suum nihil agat, & producat, patet ex dictis, quia motus ejus est quædam passio de genere passionis, & quidam respectus extrinsecus adveniens in ipso receptus, & causatus ab intelligentia movente, ut ait Bassolius loc. cit. Ad ultimum negatur assumptum, quod scilicet sola cessatio motus Cœli sit causa incorruptionis elementorum, & corporum damnatorum, causa enim illius erit suspensio divini influxus generalis ad talem actionem, vel passionem, seù corruptionem, vel generationem, ut dictum est supra.

105 Quintò tandem quæritur, quando cessabit motus corporum cœlestium, num scilicet, antè judicium, vel in ipso judicio, vel post judicium peractum. Plures Theologi dixerunt motum Cœlorum antè judicium cessaturum esse, statim ac omnes homines morientur, vel saltem eodem resurrectionis puncto, quod etiam Suarez loc. cit. probabile censet, & fundamentum est, quia tunc jam cessabit necessitas generationum, & corruptionum, ad quam Cœlorum motus ordinatur. Scotus dist. 48. cit. quæst. 2. de hoc puncto non discurrit, hanc enim quæstionem de cessatione motus Cœlorum sub disjunctione proponit, an scilicet, judicio, vel post cessabit motus corporum cœlestium. Nihilominus probabilius est, ut etiam tenet Suarez ibidem, hanc motus corporum cœlestium cessationem futuram esse post judicium expleta, & finita mundi exustione, & purgatione, ut in titulo articuli innuimus. Fundamentum est, quia eadem est ratio de istius motus cessatione, & de reliqua mundi purgatione, & innovatione, cum hæc cessatio motus Cœlorum sit quædam pars talis novitatis, & instaurationis mundi, sed omnes Patres, & etiam Scripturæ innuunt hanc mundi innovationem, & instaurationem post judicium esse futuram, non autem antè, vel in ipso judicio; ergo idem de cessatione motus Cœlorum videtur asserendum. Confirmatur, quia ut constat ex dictis suprà de signis judicium præcessuris, usq; ad illud tempus, & ipsum judicii diem fient mixtorum corruptiones, & in ipsis elementis motiones violentæ, & magnæ alterationes, quæ quidem ex ipso Cœlorum motu præsertim procedunt modo jam explicato; ergo &c. Tum tandem quia dierum, ac noctium vicissitudo tunc solùm cessabit, *quando Dominus fuerit nobis in lucem sempiternam, & complebuntur dies luctus*, ut habetur Isaiæ 60. sed talis vicissitudo dierum, ac noctium ex continuo Cœlorum motu provenit; ergo talis motus solùm post judicium, ac mundi instaurationem cessabit. Finito autem, ac terminato Cœlorum motu, satis probabile est, ut ait Suarez disp. 59. cit. sect. 3. in fine, statim futuram totius universi innovationem, & illustrationem tam in Cœlis, quàm in elementis, nulla enim ratio assignari potest, cur ampliùs hæc illustratio, & innovatio differenda sit, quia ad illud instans differenda est solùm, ut mundi purgatio absolvatur, tùm quia actio illa, qua mundus est innovandus, nullam ex parte agentis successionem requirit, cùm sit infinitæ virtutis, neque etiam ex parte ipsius actionis, & termini, cùm sit quædam illuminatio, & perfectio, quæ sine ulla contrarii resistentia fieri potest; ergo tota illustratio illa, & innovatio in illo instanti perficietur, & complebitur.

ARTICULUS QUARTUS.

De perpetuo Christi Regno in Cœlis post mundi instaurationem.

106 CIrcà Regnum Christi Domini futurum cum suis Sanctis, corporibus reassumptis, fuerunt aliqui antiquorum errores, & hæreses, ut refert Alphon. de Castro l. 3. adversus Hereses, verbo *Beatitudo* hæresi secunda. Quidam enim antiquitùs opinati sunt, exactis, & complectis sex annorum millibus pro duratione Universi constitutis, suscitandos esse ex mortuis omnes justos, & Sanctos, & Christum in terras descensurum, & cùm Sanctis suis ad novam vitam revocatis mille annis in terris regnaturum, qui proindè Millenarii, seù Chiliastæ appellati sunt, ut in superioribus innuimus, & per id tempus dixerunt Christum Dominum, & Sanctos gloriosissimo imperio, universo terrarum orbe subacto, bonorum omnium affluentia uberrimam, & felicissimam vitam ducturos, nec solùm bonis spiritualibus, sed corporalibus etiam cumulata. Fluxit autem hic error, ut Patres referunt infra citandi, ex prava intelligentia, & interpretatione vocis *mille annis*, qua usus est D. Joannes in Apocal. cap. 20. ubi de justis loquens: *Et vidi animas decolla-*

collatorum propter testimonium Jesu, & propter verbum Dei, & qui non adoraverunt bestiam, nec imaginem ejus, nec acceperunt inscriptionem in frontem, aut in manu sua, & regnaverunt cum eo mille annis. Sed quia hæretici isti millenarii de hoc regno Christi in terris per annos mille non eodem modo discurrunt, & cum communi errore in quo conveniunt, alios quoque perculiares commiscent errores, ideò pro veritate Catholica stabilienda sigillatim hæreses istæ sunt referendæ, & reiiciendæ.

107 Primò itaque Cerinthus quidam, vir pessimis moribus assuetus, quem dicunt B. Jo: Evangelistæ coærum fuisse, inter alios errores præsertim asseruit, post universalem hominum resurrectionem terrenum futurum esse Regnum Christi cùm justis per mille annos, & eos in carne concupiscentiis, & libidinibus subjectam vitam acturos, imò Alphonsus de Castro loco citato præter hoc ait, sensisse etiam regnum Dei post istos mille annos in terra futurum in Cœlis in voluptatibus carnis, in gula, & luxuria, & quod Cerinthus hæc duo asserrevit, apertè ostendit ex Eusebio lib. 3. Ecclesiastic. Histor. cap. 28. ubi de Cerinto loquens ait, quod post resurrectionem terrenum dicit futurum esse regnum Christi in Jerusalem, & homines in carne iterum concupiscentiis, & vitiis subjectam conversationem habituros; contrà fidem quoque Scripturarum quosdam mille annos designat, in quibus multa quidem, & alia corruptionis opera, & nuptiarum festivitates dicit futuras ad eos qui libidini dediti sunt, decipiendos. Addit præterea, quod etiam D. Dionysius, cùm de Joannis revelatione dissereret, & quædam secundùm ea, quæ antiquitus Ecclesiæ tradita fuerant, mentionem facit hujus viri his verbis, Cerinthus, inquit, à quo Cerinthiana hæresis oborta est, figmentis suis auctoritatem magni nominis aquirere secundùm Scripturæ hujus pravam intelligentiam gestiebat, quippè cujus hæc erat hæresis, ut affirmaret terrenum futurum esse Christi regnum. Et quia erat ventri, gulæ, ac libidini deditus, & futura decernebat, quæ sibi propria libido dictabat, ventris, & eorum, quæ sub ventre sunt, incitamenta, cibis, potibus, ac nuptiis prædicabat explenda, & ut aliquid sacratius dicere videretur, legales ajebat festivitate rursus celebrandas, & hostias carnales iterum jugulandas. Hæc Eusebius de hæresi Cerinthi, quæ ut diximus fundatur in loc. cit. Apocalip. & aliis Scripturæ locis malè intellectis, quæ in utroque testamento promittunt in illa futura beatitudine cibum, & potum, ut apud Isaiam cap. 45. *Servi mei comedent, vos autem esurietis, servi mei bibent, vos autem sitietis*, & Psalm. 18. ait Regius Propheta: *Tunc enim satiabuntur, cùm apparuerit gloria Domini*, & Lucæ 17. *Ego disposui vobis, sicut disposuit mihi pater, ut edatis, & bibatis super mensam meam in regno meo*. Matth. cap. postquam Christus Dominus in Cæna vinum in suum sanguinem commuttavit, alloquens discipulos, cum quibus manducabat, hæc adiciet: *Dico autem vobis non bibam amodò de hoc genimine vitis usque in diem illum cùm illud bibam vobiscum novum in regno Patris mei*, atque idem reperitur Marci ca. 14. quibus verbis indicat Redemptor se rursus cum discipulis bibiturum esse vinum in Regno Patri sui.

108 Cæterum, ut ait Alphonsus de Castro loco citato ipse veritatis Magister hunc errorem propria voce mandavit Matth. 22. quoniam Sadducæis de resurrectione disputantibus ait: *In resurrectione neque nubent, neque nubentur, sed erunt sicut Angeli Dei*, si ergo in resurrectione non erunt nuptiæ, ut ait Salvator, necessariò fatendum est, ut non sit ibi fornicatio, aut alius quicunque concubitus, vel venerea delectatio, undè Paulus 1. Corinth. 6. recensens eos, quibus Regnum Dei interdictum est, inter eos connumerat quoque carnis voluptatibus deditos dicens: *Neque idolis servientes, neque adulteri, neque molles, neque masculorum concubitores, neque fures, neque avari, neque ebriosi, neque maledici, neque rapaces regnum Dei possidebunt*, & rursus ad Galatas 5. postquam enumeravit opera carnis, subjungit: *Qui talia agunt, regnum Dei non consequentur*; si ergò opera carnis consecutioni ipsius regni Dei adversantur, omninò irrationabili est, ac fatuum asserere, quod regnum Dei in eisdem carnis operibus consistat. Deindè quoniam Christus Dominus loc. cit. Matth. 22. subdit, quod homines tunc erunt, sicut Angeli Dei in Cœlo, opus est etiam consequenter concedere, nullum illi futurum cibi corporalis gustum, quod etiam expressis, & sonantibus verbis docuit Paulus Roman. 14. dicens, quod *non est regnum Dei esca & potus, sed justitia, & pax, & gaudium in Spiritu sancto* quem locum D. Hieronymus exponens inquit, quod hic manifestè monstravit, quoniam regnum Cœlorum cibum, & potum non habet temporalem, sed illic spiritualiter vivitur. Denique si quid urgeret, maximè essent Scripturæ auctoritates adductæ, quæ cibum, & potum beatis promittunt; sed hoc non obstat, quando enim justis à Christo promittitur cibus, & potus in suo regno, non loquitur de cibo corporali, sed spirituali, ut Patres communiter exponunt, hoc enim duos cibos corporalem, scilicet, & spiritualem, & eorum discrimen Salvator ipse descripsit Joan. 6. dicens: *Operamini non cibum, qui perit, sed qui permanet in vitam æternam*, undè Raphael unus ex his, qui adstant coram Domino loquens Thobiæ cap. 12. ait, cùm essem vobiscum per voluntatem Dei, videbar quidem vobiscum manducare, & bibere, sed ego cibo invisibili, qui ab hominibus videri non potest, utor, & hic Deus ipse est, quem videntes, & amantes gustant, undè regius Propheta ait: *Gustate, & videte, quàm suavis est Dominus*, si enim ipse Deus non esset cibus animæ nostræ, nunquam Propheta præciperet, ut ejus suavitatem gustaremus, non enim gustatur, nisi quod comedi potest, aut bibi, neque Moyses solo Dei colloquio quadraginta diebus absque alio corporali cibo nutritus esset.

109 De hoc itaque spirituali cibo, & potu intelligendæ sunt omnes auctoritates illæ superius adductæ, quæ in futura beatitudine cibum, & potum promittunt, & mysticè, ac spiritualiter sunt intelligendæ, non autem litteraliter, & corporaliter, ut jam diximus suprà disp. 25. q. 4. art 2. in fine, undè locus Lucæ cit. *Ego dispono vobis regnum, ut edatis, & bibatis super mensam in regno meo*, spiritualiter intelligitur, nam Interlin. verbo *Edatis* inquit, Beati, qui esuriunt, & sitiunt justitiam, quoniam ipsi saturabuntur, fruendo, scilicet, desiderato olim, & amato gaudio veri boni, & verbo *Mensam* subdit, quod mensa, quæ omnibus sanctis est ad fruendum proposita, est cœlestis vitæ gloriæ. Et Lyranus pariter hunc locum explicans ait, intelligi debere de duplici Regno, vel Ecclesiæ militantis, vel Ecclesiæ triumphantis, si primo modo, mensa, cibus, & potus est altare cum corpore, & Sanguine Christi, si de triumphante est gloriæ fruitio ad quam Apostoli erant predestinati. Alium verò locum Matth. 26. Patres, & præsertim Theophilactus exponit de tempore resurrectioni Christi Domini, quasi diceret Salvator; Non bibam de vino usq; ad resurrectionem meam, quam vocat regnum Patris, vel Dei, ut loquitur Marcus, quia virtute divina, sibique à Patre tradita tunc regnavit contrà mortem, peccatum, & infernum, etenim Christus verè post resurrectionem cùm discipulis suis manducavit, & bibit ostendens veritatem resurrectionis, & quod idem ille esset, qui passus erat. Novum autem illud appellat propter novum modum, quo post resurrectionem vinum assumpsit, & bibit, non enim Corpus Christi tunc erat passibile cibo, & potu indigens, sed jam factum impassibile, immortale, & gloriosum; & propterea tunc assumptio cibi, & vini in alimentum Corporis Christi non convertebantur, itaque cum verè Salvator post suam resurrectionem cum, suis discipulis biberit, & manducaverit, verba illa sunt potius tempori resurrectionis accommodanda, quàm extorquenda, & ad regnum beatitudinis Christi cum beatis applicanda. Alius denique locus Apocal. cap. 20. quo Millenarii utuntur ad statuendum Christi regnum in terris cum suis Sanctis per mille annos, paulo post explicabitur, quomodo sit intelligendus.

110 Secundò, alii ex Millenariis, qui Chiliastæ vocari solent ut à præcedentibus distinguantur, cum illis conveniunt in computatione sex mille annorum pro duratione mundi constitutorum, & quod ipsis completis, & omnibus Sanctis ex mortuis ad vitam revocatis, Christus in terras sit descensurus, & cum eis mille annis pariter in terris regnaturus cum bonorum omnium affluentia non solùm spiritualium, sed etiam corporalium, in hoc tamen præcedentibus Millenariis discriminantur, quod illi Regnum Christi in terris in septimo millenario in carnalibus voluptatibus collocarunt, isti verò plenum sanctitate, & cœlestem beatitudinem repræsentans, itaut non nisi moderatissimè Sancti tunc rebus temporalibus potiantur, & summa Sanctimonia, atq; integritate uxores ducant, & sanctitatis alumnos filios producant, & hanc appellarunt ipsi primam resurrectionem, à qua omnes impii excluduntur. Septimo autem millenario elapso dixerunt, Satanam, qui per mille annos ligatus fuerat, solvendum esse, & sævissima persecutione viros Sanctos, qui cū Christo regnaverunt, invasurum, quo tempore omnibus hominibus ad vitam revocatis, quæ ab ipsis secunda resurrectio dicitur, fiet generale judicium, quo Sancti ad æternam gloriæ fruitionem assumentur, & ad Inferni pœnas reprobi damnabuntur. Hic autem error, ut suprà innuimus, ortum habuit ex prava intelligentia vocis *mille annis*, & vocum *primæ*, & *secundæ resurrectionis*, quibus usus est D. Joannes Apocal. 20. quæ verba referre oportet, ut falsam Chiliastiarum interpretationem ostendamus, & reram Catholicorum. Verba autem hæc sunt, & apprehendit Draconem Serpentem antiquum, qui est Diabolus & Satanas, & ligavit eum mille annos, ut non seducat amplius gentes, donec consummentur mille anni, & vixerunt, & regnaverunt cum Christo mille annis; hæc est resurrectio prima. Beatus, & Sanctus, qui habet partem in resurrectione prima, in his secunda mors non habet potestatem, sed erunt Sacerdotes Dei, & Christi, & regnabunt cum illo mille annis, & cùm consumati

summati fuerint mille anni, solvetur Satanas de carcere suo, & exibit, & seducet gentes, quæ sunt super quatuor angulos terræ Gog, & Magog, & congregabit eos in prælium; quorum numerus est sicut arena maris. Ità D. Joannes loc.cit. Ex quibus verbis Chiliastæ materiam desumpserunt asserendi Christum mille annis cùm Sanctis suis in terra esse regnaturum, quibus expletis Satanam, qui mille annis ligatus fuit, solvendum esse, & præmissa sævissima Christianorum persecutione, qua ipsos Antichristus urgebit, tandem Judicium finale esse instituendum, & finem mundi futurum. Undè etiam duplicem corporum resurrectionem deduxere, primam partialem corporum Sanctorum, qui mille annis cum Christo in terris regnabunt; alteram universalem omnium corporum etiam impiorum, quam resurrectionem Judicium finale, & Mundi conflagratio subsequetur.

112 Sed plura quoque falsa ab his Millenariis proferuntur & supponuntur, nam in primis falsum est penitus aliam Sanctorum resurrectionem futuram, quàm illam, quæ facienda est in fine sæculi, atque in die judicii, quæ erit universalis, non tantùm Sanctorum, sed etiam reproborum juxtà illud Job. 19. *In novissimo die de terra resurrecturus sum;* neque Christus descendet de Cœlo mille annis antè diem Judicij, sed solum eodem Judicii tempore, ut ait Paulus ad Thessaloniss. 4. *Ipse Dominus in jussu, & in voce Archangeli descendet de Cœlo.* Neque tunc descendet in terram, quia ut Paulus ait ibidem, Sancti tunc resuscitati, & justi tunc viventes in occursum Domini rapientur in aere, & sic semper cum Domino erunt, undè & ipsi cum Christo erunt in aere, & expleto judicio cum eo in Cœlum ascendent, atq; ità Christus ad illos in terram non descendet, ut terrenum cum ipsis regnum efficiat. Neque Sancti tunc cum Christo regnantes post resurrectionem, aut uxores ducent, aut filios generabunt, tunc enim *nec nubent, neque nubentur, sed erunt sicut Angeli Dei*, ut Christus ipse dixit Matth. 22. loquens de statu Sanctorum post resurrectionem. Deindè, si hoc Regnum Christi terrenum cum suis Sanctis futurum esset exactis sex annorum millibus à Chiliastis pro duratione universi constitutis, & tale regnum esset posteà mille annis duraturum iisque absolutis ultimus dies universalis Judicii futurus esset; hinc sequeretur ultimum Judicii diem sciri posse ab hominibus, quod tamen Christus ipse negat Matt. 13. ut constat ex superius dictis. Tandem his omnibus datis, & non concessis, quæritur, an illa Christi, & Sanctorum Congregatio in septimo millenario futura sit Ecclesia militans, vel triumphans, nomine siquidem Ecclesiæ digna erit, quia erit congregatio fidelium sub uno capite, quæ Ecclesia dici solet, ac debet; neutrum autem dicendum videtur, etenim Ecclesia militans dici non potest, quia Beati illi cum Christo in terris regnantes viatores non erunt, sed comprehensores, nec nova merita acquirent, cùm jam gloriam æternam sint consecuti, quæ est terminus meritorum, & præterea fide carebunt, quæ est præcipuum Ecclesiæ militantis constitutivum, quia animæ illæ in assumptis corporibus clara Dei visione fruentur, quæ fidem evacuat; nec minus Ecclesia triumphans dici poterit, quia triumphanti Ecclesiæ, tanquam Capitolium, non hæc infima tellus, sed Cœlum ipsum Empireũ in sacris litteris constituitur, quod est propria Sedes Beatorum.

113 Verba autem Apocalyp. 20. superiùs relata, in quibus fundatur Chiliastarum figmentum, optimè exponit Alphonsus de Castro l. c. cum pluribus Patribus, cùm enim dicit Apostolus *Beatus, & Sanctus qui habet partem in resurrectione prima*, his verbis ostendit discrimen inter bonos, & malos, boni etenim, qui non adoraverunt bestiam, idest, dæmonem, vixerunt, quia etsi corpora eorum nunc mortua sint, animæ tamen eorum vivunt per gratiam, & gloriam, quam nunc possident, & hæc vocatur ruresurrectio prima, quæ ad gratiam, & gloriam animarum spectat, & hac ratione dixit Joannes, Beatus, & Sanctus qui habet partem in resurrectione prima. Alia vero est resurrectio secunda, quæ erit cum corpora ad vitam resurgentia stolam immortalitatis accipient, & è contrà mors etiam est duplex, quædam dicitur prima, & est peccatum, quod est mors animæ, secunda mors est damnatio perpetua in quam mortem præcipitabuntur, quia prima, quæ est mors peccati, non resurgunt, & ideò meritò dicitur beatus qui habet partem in resurrectione prima. Sancti ergo viri qui propter testimonium Jesu, & propter verbum Dei decollati sunt, & quia non adoraverunt bestiam, idest, dæmonem, vixerunt, quia etsi eorum corpora nunc mortua in sepulchris jacent; tamen eorum animæ vitam habent gratiæ, & gloriæ, & nunc regnant cum Christo mille annis, idest omnibus annis, qui sunt futuri usque ad judicium, nam usque ad illud tempus Sancti habebunt præcisè vitam animæ, & resurrectionem primam, post illud verò tempus habebunt resurrectionem secundam, idest, vitam corporum simul, & animarum. Quod autem millenarius numerus in Scriptura pro universalitate sumatur, manifestè convincitur per id, quod dicitur in psalmo: *Memor fuit in sæculum testamenti sui, verbis quod mandavit in mille generationes*, ideſt in omnes, & Eccl. 19. *Melior est unus timens Deum, quàm mille filii impii*, ideſt quàm omnes filii impii. Cùm ergo D. Joannes de Sanctis jam defunctis loquens dixit, quod vixerunt, & regnaverunt cum Christo mille annis, sic accipiendum est, ut intelligatur eos vixisse & regnare cum Christo omnibus annis futuris usque ad diem judicii, quibus annis etsi mortui sint corpore, vivunt tamen anima, & regnant cum Christo. De peccatoribus verò defunctis loquens, Apostolus dixit: *Cæteri verò mortuorum non vixerunt, donec consummentur mille anni*, quia peccatores defuncti toto hoc tempore usque ad diem judicii nullam habent vitam, quoniam eorum corpora mortua jacent, & animæ eorum mortuæ etiam sunt per peccatum, transactis autem his mille annis, ideſt, toto illo tempore usque ad diem judicii, aliquam vitam habebunt, quia estò animæ eorum per peccatum mortuæ sint, eorum tamen corpora per resurrectionem vitam quamvis miseram recuperabuntur. Ita verba Apocalyp. exponit Alphonsus de Castro loc. c. ubi etiam alias expositiones adducit, sed hæc omnibus aliis præferenda est, quia est D. Aug. l. 20. de Civit. c. 6. & 7. ubi primam resurrectionem eam appellat, quia ubi quis à peccato ad statum gratiæ resurgat.

114 Tertiò quæritur, an Christus post Mundi instauratione perpetuò sit in Cœlls regnaturus, non solùm secundùm divinitatem, sed etiam secundùm humanitatem. Negarunt aliqui antiquitùs, ut refert August. 1. de Trinit. c. 8. verbis illis inducti psal. 109. *Dixit Dominus Domino meo, sede à dexteris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum*, ubi per sessionem à Dextris Dei significatur thronus, ac regia potestas Christi Domini, quæ solùm duratura dicitur usque ad illud tempus, in quo inimici Christi ejus pedibus subiicientur, quod in die judicij complendum est, ut Paulus declarat 1. ad Corinth. 15. & quamvis Alphonsus de Castro l. c. dicat dictionem illam donec alicujus temporis finem non indicare, sic enim sæpè ponitur in sacris litteris, ut hæc particula propositionibus affirmativis adjuncta aliquid de certo tempore affirmet, de quo maximè dubitari poterat, non tamen quicquam de reliquo tempore neget, sed respectu illius sint indefinitæ: & sic in proposito affirmari Christum sessurum à dextris Dei, ejusque imperium, usque ad illud tempus duraturum, non tamen negari post illud tempus per totam æternitatem duraturum. Hæc tamen expositio textui Pauli l. c. consonare non videtur, ubi postquam dixit: *Oportet illum regnare, donec ponat omnes inimicos sub pedibus ejus* de reliquo tempore posteà subdit; *Cùm autem illi subjecta fuerint omnia, tunc & ipse filius subjectus erit ei, qui subjecit sibi omnia*, ac si diceret tunc regnare desinet, & omninò erit subjectus Deo, unde subjungit, *ut sit Deus omnia in omnibus*, ideſt, ut Deus in omnibus immediatè regnet, & omnes illi subiiciantur, hac igitur auctoritate innixi dixerunt aliqui, ut refert Augu. l. c. Christi humanitatem post diem judicii in divinitatem esse convertendam, & illam subjectionem, de qua Paulus loquitur, nihil aliud esse, quàm commutationem substantiæ creatæ in substantiam creatoris.

115 Veritas tamen Catholica est, Christum post judicium perpetuò in Cœlis regnaturum, non solùm secundùm divinitatem, sed etiam secundùm humanitatem, ut dictum est suprà q. 3. hujus disp. a. 3. in fine, etenim in pluribus Scripturæ locis expressè traditur, ut patet Luc. 1. ubi loquens de Christo homine inquit: *Et regnabit in domo Jacob in æternum, & regni ejus non erit finis*, & Daniel. 7. *potestas ejus potestas æterna, quæ non auferatur, & regnum ejus, quod non corrumpetur.* Deindè ex principiis fidei apertè deducitur, nam in Symbolo vitam æternam, atque beatam profitemur, in qua cum Christo regnaturi sumus, ut ejus membra; tantò ergo magis ipsum caput, quod est Christus, in æternum regnabit; undè oppositа sententia est manifestè hæretica, quia Christus non solùm erit Deus, sed etiam homo, & rationi etiam naturali contraria est, quia divinæ naturæ repugnat, ut aliquod creatum in ipsam convertatur. Tandem tantùm abest, quod verba D. Pauli allegata illi errori faveant, ut potius illum omninò evertant, si enim Filius Patri est subiiciendus, ut loquitur Paulus planè opus est, ut naturam habeat, per quam illi subiici possit, hæc autem esse non potest, nisi natura humana, atque ideò eam in æternum retinebit, & si beatitudo Angelorum, & hominum justorum erit æterna, tantò magis fælicitas, & beatitudo humanitatis Christi æterna est futura. Quomodo autem verba D. Pauli sint intelligenda, varias expositiones adducit Suarez disp. 58. cit. sec. 4. quarum illa melior videtur, ut hic locus intelligatur de Christo, non in propria persona, sed in corpore suo mystico, quod est Ecclesia, quia nunc nondùm est tota Ecclesia Christi perfectè subjecta Patri, sed peracto generali judicio perfectè subiicietur, quia tunc non erit amplius Ecclesia militans, sed triumphans; ità exponunt Origenes

genes tract. 30. in Matt. Theodoretus in Commentariis, Cyrillus lib. 10. thesauri cap. 8. Gregorius Nissenus orat. propria circà illa verba, Nazianzen. orat. 36. Chrysostomus homil. circà eadem verba, & alii Patres, qui dicunt nunc regnare Christum non plenè possidentem regnum, sed acquirentem magisque, ac magis sub imperium suum homines quotidie redigentem, quomodo regnabit, donec inimici ponantur sub pedibus ejus; non verò deindè, quia jam tunc non regnabit acquirendo, sicut fit in Ecclesia militante, sed pacificè totum regnum possidendo, ut fiet in Ecclesia triumphante post diem judicii, & Christum regnare in illo nihil aliud erit, quàm seipsum totumque suum regnum summa concordia, summo gaudio, summaque vitæ tranquillitate Patri subiicere; quàm expositionem sic explicatam etiam recipit, & approbat Suarez loc. cit.

116 Quartò itaque concludendum est Christum post judicium in Cœlis regnaturum non solùm secundùm divinitatem, sed etiam secundùm humanitatem, & quod sicut caput, fælicissimum illum cum omnibus suis membris in perpetuum possidebit statum, cujus qualis, & quanta sit fælicitas licet impossibile sit explicare, sicut scriptum est: *Quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparavit Deus diligentibus se*, variis tamen elogiis eam Patres insinuare, & judicare conantur, & præ aliis D. Augustinus pluribus in locis, sed præsertim libr. 22. de Civit. cap. 30. his verbis. Quanta erit illa fælicitas, ubi nullum erit malum; nullum latebit bonum; vacabitur Dei laudibus; qui erit omnia in omnibus, nam quid aliud agatur, ubi nulla delidia cessabitur neque ulla indigentia laborabitur, nescio, & in Sancto Cantico lego: *Beati qui habitant in domo tua Domine, in sæcula sæculorum laudabunt te.* Tunc non erit ulla necessitas, sed plena, certa, secura, & sempiterna fælicitas, nihil latebit, res omnes, quæ ibi magnæ, & mirabiles videbuntur, in tanti artificis laudem delectatione succedent. Certè ubi volet spiritus, ibi protinus erit corpus, nec volet aliquid spiritus, quod spiritum non possit decere, nec corpus. Vera ibi gloria erit, ubi laudatus nec errore quisquam, nec adulatione laudabitur; Verus honor, quia nulli negabitur digno, nulli deferetur indigno, sed nec ad eum ambiet ullus indignus, ubi nullus permittetur esse, nisi dignus; Vera pax ibi est, ubi nihil adversi, nec à seipso, nec ab alio quisquam patietur. Præmium virtutis erit ipse, qui virtutem dedit eique seipsum, quod nihil melius & majus possit esse, promisit, quid enim aliud per Prophetam dixit: *Ero illorum Deus & ipsi erunt mihi plebs*, Levit. 26. nisi ego ero, undè satientur, ego ero quæcunque ab hominibus honestè desiderantur, & vita, & salus, & victus, & copia, & gloria, & honor, & pax, & omnia bona: Sic etiam intelligitur illud Apostoli 1. Corinth. 15. *Ut sit Deus omnia in omnibus*. Ipse finis erit desideriorum nostrorum, qui sine fine videbitur, sine fastidio amabitur, sine fatigatione laudabitur. Hoc munus, hic affectus profectò erit omnibus, sicut ipsa vita æterna communis. Ità Augustinus loco citat. & lib. 2. quæst. Evangel. cap. 39. inquit, omnia dici possunt de illa ineffabili perfruitione veritatis, & tantò magis omnia dici possunt, de illa ineffabili perfruitione veritatis, quantò minus aliquid dignè dici potest, nam & lux est illuminatorum, & requies exercitatorum, & patria redeuntium, & esca indigentium, & corona vincentium. Item serm. de verbis Domini cap. 3. ait, quod non erit ibi lassari, & dormire, non erit ibi esurire, & sitire, non ibi crescere, & senescere, & post multa concludit. Ecce quanta retuli, & nondùm dixi quid ibi erit, & tandem idem replicat, & alia plura discurrit lib. 3. de Fide, & Symbolo ad catechum. cap. 12. & lib. de triplici habitaculo, cap. 12. & lib. de spiritu, & anima cap. 58.

117 Postremò Chrysostomus in epist. 5. ad Theodorum ità discurrit in proposito. Quid igitur ea vita beatius erit? non est, cur illic pauperiem metuas, & morbum; nemo videbit contumeliosum, nec iniquè oppressum; nemò exasperatum, aut irascentem, aut invidentem; nemo ardentem absurda concupiscentia, aut mærentem, aut à Magistratu vapulantem. Omnis enim affectuum turba, quæ hic sedata est, pezimetur; omnia erunt pax, lætitia, gaudium; omnia serenitas, tranquillitas, dies, splendor, & lux, non quæ nunc est, sed planè alia, quæ hanc tantùm excedit fulgore, quantum ea lumen lichni, neque enim occulitur hic, aut nocte, aut congressu nubium; non senium, nec senectæ mala, quæque obnoxia sunt corruptioni è medio, & è pedibus tollentur; Omnia occupabit ubique incorruptibilis gloria, & quod omnium longè est maximum, continua fruentur conversatione cum Christo &c. Et post plura alia concludit. De Rege ipso nihil satis idoneum dici potest, adeò sermonem, & mentem omnem ejus excedit pulchritudo, formositas, splendor, gloria, majestas, magnificentia, &c. ità Chrysostomus l. c. & rursus hom. il. 6. in Epist. ad Hebr. in proposito inquit. Revera enim illa est requies, ubi aufugit dolor, tristitia, & gemitus ubi neque curæ, neque labores, neque angor, neque metus animam percellens, sed solus Dei metus plenus voluptate. Non est illic in sudore vultus tui vesceris pane tuo, neque sunt spinæ, neque tribuli. Non est amplius, in doloribus paries filios; Omnia sunt pax, gaudium, lætitia, voluptas, bonitas, mansuetudo. Non est ibi æmulatio, & invidia, non morbus. Non hæc mors corporis, non illa mors animæ. Non sunt tenebræ, neque nox, omnia sunt dies, omnia lux, omnia mitia, ac mansueta, omnia splendor, non potest capi satietas, Bernardus tandem, ut plures alios omittam lib. de meditat. cap. 4. ità loquitur; Beatus videbit Deum ad voluntatem, habebit ad voluptatem, fruetur ad jucunditatem: In æternitate vigebit, in veritate fulgebit, in bonitate gaudebit: Civis siquidem erit illius Sanctæ Civitatis, cujus Angeli Cives sunt, Deus Pater Templum, Filius splendor, Spiritus sanctus charitas, ò Civitas cœlestis, mansio secura, patria fertilis, totum continens, quod delectat: quàm gloriosa dicta sunt de te Civitas Dei, sicut lætantium omnium habitatio est in te: Omnes lætantur in lætitia, & exultatione, omnes delectantur de Deo, cujus aspectus pulcher, facies decora, eloquium dulce: Delectabilis est ad videndum, suavis ad habendum, dulcis ad perfruendum, ò beata visio videre Deum in seipso, videre in nobis, & nos in eo fælici jucunditate, & jucunda fælicitate, quicquid desiderabimus, totum habebimus. Ità Bernardus ibi, & alia plura.

ARTICULUS QUINTUS.

De statu glorioso Beatæ Virginis Deiparæ in perpetuo Filii sui regno.

118 IN toto Theologico cursu, cur nunc finem imponimus nunquam de dignitate, & excellentia B. Virginis Deiparæ ex instituto tractavimus, sed interdùm aliqua tantùm occasionaliter attigimus, & quamvis Doctor noster ib. 3. sent. dist. 3. q. 1. de Immaculata B. Virginis Conceptione, non minus subtiliter, quàm piè, ac devtè differat, à tali tamen desceptatione abstinuimus ad observandam Alexandri VII. Innovationem Constitutionum, & Decretorum aliorum Summorum Pontificum præsertim verò Sixti Quarti, Pauli Quinti, & Gregorii XV. in favorem sententiæ asserentis animam B. Mariæ Virginis in sui creatione, & in corpus effusione à macula peccati originalis præservatam fuisse edltorum, in qua Constitutione hanc sententiam in disputationem revocare sub gravissimis pœnis vetat, & prohibet. Undè veritas Immaculatæ Conceptionis Deiparæ Virginis licet inter fidei dogmata à Summis Pontificibus adhuc recensita non sit; nihilominus quia his temporibus maximè aucta, & propagata fuit hæc pietas, & accedentibus plerisque celebrioribus Academiis ad hanc sententiam, approbantibusque Romanis Pontificibus, jam ferè Catholici omnes eam complectuntur, ut ait Alexander VII. in prædicta Constitutione, ideò eam in disputationem amplius revocare vetitum est, quam prohibitionem subdit Gregorium XV. ad privata etiam eloquia extendisse. Hac igitur de causa veritatem hanc inter Scholaticas controversias miscere noluimus quam etiam Sanctis. D N.D. Clemens Divina providentia PP. IX, confirmavit, & auxit, dùm peculiari Constitutione mandavit, ac præcepit, ut Officium, & Missa Immaculatæ Conceptionis B. Mariæ Virginis cum Octava in Urbe, ac universa S.R.E. temporali ditione recitetur. Quarè hac veritate suppositа, ut ferè ab omnibus Catholicis acceptata, & approbata, quædam alia breviter discurremus ad dignitatam, & excellentiam statusque glorioси B. Virginis Deiparæ spectantibus. Et consultò quæsitum istud in hoc ultimo loco reservavimus ut debitum finem huic operi imponamus, breviter attingendo, ac delibando fælicem illum statum, quem caput nostrum cum omnibus membris suis in perpetuum possidebit, & præsertim cum principali, ac primario, qualis est B. Virgo ejus genitrix, & patrona, ac advocata nostra, quæ veluti collum semper Christo suo capiti conjuncta est in illo supremo ordine.

119 Primò itaque quia perfectio beatitudinis perfectioni gratiæ respondet, ut statum ejus glorioсum declaremus, inquirendum est, quantam gratiæ perfectionem, ac intensionem toto tempore vitæ suæ consecuta fuerit, & in quo gradu, & intensione gratiam in instanti mortis suæ habuerit: Et quidem ex modo loquendi SS. Patrum expressè colligitur B. Virginem in fine vitæ ad summam perveniisse, & ut ita dicam, ferè immensam gratiæ perfectionem, & intensionem, nam Hieron. serm. de Assumptione dicit, hoc declaratum fuisse ab Angelo, cùm dixit Lucæ 1. *Ave gratia plena*, & benè inquit, *plena, quia cæteris per partes præstatur, Mariæ verò simul se tota infundit plenitudo gratiæ*, undè Damascen. orat. 2. de Assumptione B. Virginem vocat eam *gratiæ abyssum*; & Epiphan. orat. de laudibus Virginis

nis vocat eam *mare spirituale habens gemmam cœlestem Christum*, imò ibidem inquit, quod *gratia Sanctæ Virginis est immensa*, quo etiam modo loquitur D. Bonav. in speculo Mariæ cap. 5. *Immensa certè fuit gratia, qua ipsa fuit plena*, quod etiam anteà dixerat Anselm. de excellentia Virginis cap. 3. *Ineffabilis, & stupenda omni sæculo est hujus Mulieris gratia, & exaltatio*, & cap. 8. post multa concludit: *Quid amplius dicere possum Dominæ immensitatem quippè gratiæ, & gloriæ, & fœlicitatis tuæ considerare incipienti, & sensus deficit, & lingua fatiscit*, undè tandem D. Bernardin. noster serm. 51. ait tantam esse perfectionem Virginis, *ut soli Deo cognoscenda reservetur*, & sic passim loquuntur alii Patres. Ratio etiam ipsa suadet Mariam Virginem ex vi æternæ prædestinationis suæ ad maternitatem Dei fuisse à Deo efficaciter ordinatam ad plenitudinem gratiæ etiam usque ad plenitudinem innocentiæ inclusivè, siquidem unicuique à Deo datur gratia in tempore secundùm hoc, ad quod eligitur ab æterno, ut communiter Theologi docent in tractatu de Prædestinatione, sed Maria Virgo ab æterno electa est Mater Dei conjunctissima, atque propinquissima principio omnis gratiæ; ergò pro exigentia hujusmodi finis ex ordinatione divina obtinuit omnis gratiæ plenitudinem usque ad gradum innocentiæ inclusivè; hac enim ratione dixit Anselmus loc. cit. *decuit Virginem ea puritate nitere, qua major sub Deo nequeat intelligi*, quia nimirum talis dignitas est altioris ordinis, & in suo genere infinita, unde etiamsi in infinitum illa gratia intenderetur, nunquam terminos talis dignitatis excederet, aut debitam ei proportionem. Dices, hac ratione probari B. Virginem hanc gratiæ plenitudinem habuisse ab eo instanti, in quo incæpit esse Mater Dei. Negatur consequentia, satis enim est, quod in eo instanti totam hanc habuerit perfectionem, veluti in radice, quia tunc ad ultimum perfectionis suæ terminum nondùm pervenerat, sed hoc successivè factum est toto vitæ suæ cursu frequentissimè eliciendo perfectissimos charitatis actus, & amoris in Deum; cum enim actus amoris Dei à charitate eliciti sint de condigno meritorii augmenti ejusdem charitatis, & gratiæ, ac etiam gloriæ secundùm totam graduum latitudinem, eorumque æqualitatem, & adæquationem, ut suo loco dictum est, consequenter dicendum est augmentum charitatis, & gratiæ B. Virginis solùm in fine vitæ terminum habuisse, & fuisse completum.

120 Secundò, ex hoc communiter Patres, ac Theologi deducunt, probabiliter credi posse B. Virginem plures gradus gratiæ, & sanctitatis consecutam esse, quàm sint in omnibus Sanctis hominibus, & Angelis etiam collectivè sumptis. Quod optimè deducit Bernardus ser. 4. de Assumpt. ex illo Eccles. 14. *In plenitudine Sanctorum detentio mea*, sic explicans: *Ideo in plenitudine Maria detentio fuit, quia in mirifica perfectione sua plenitudo perfectionis omnium Sanctorum illi non defuit*, ubi advertendum est, quod plenitudo illa Sanctorum ex parte Mariæ collectiva est, & ex parte Sanctorum omnium distributiva tantùm, undè sensus est, quod omnis gradus gratiæ, sivè sanctitatis sparsim in Sanctis omnibus, sivè Angelis, sivè hominibus divisim, à Deo communicatus fuit Mariæ conjunctim infusus, & sic plenitudo Sanctorum, sivè sanctitatis in abstracto in Maria intensiva, & extensiva constitit dignitati maternitatis Dei commensurata, & proportionata. Quod etiam adhuc clarius expressit Chrysostomus in sermone quem recitat Ecclesia in festo natlvitatis B. Virginis dicens. Magnum re vera miraculum, fratres dilectissimi, fuit semper B. Virgo Maria, quid namque illa majus, aut illustrius ullo unquam tempore inventum est, seù aliquando inveniri poterit? Hæc sola Cœlum, ac terram amplitudine superavit. Quidnam illa sanctius? non Prophetæ, non Apostoli, non Martyres, non Patriarchæ, non Angeli, non Throni, non Dominationes, non Seraphim, non Cherubim, non denique aliud quidpiam inter creatas res visibiles majus, aut excellentius inveniri potest, ità Chrysostomus discurrens per omnes, & singulos Sanctorum, ac Beatorum ordines comparans Virginem cum singulis, sivè cum omnibus collectivè sumptis. Hoc idem docet D. Bonavent. opusc. de laudibus Virginis cap. 7. ubi ex communi Patrum sententia docet, Dei gloriam magis in sola Virgine relucere, quàm in cæteris Dei operibus creatis, atque ideò perfectiones omnes in cæteris rebus divisas, ac distributas, in Virgine beata excellentiori modo esse congregatas, quod illis verbis confirmat: *Omnia flumina intrant mare, & mare non redundat*, quia omnia gratiarum flumina intrant Mariam, & dignitatem ejus non excedunt, undè inquit, quod sicut in mari aquarum ità in Maria sunt congregationes gratiarum, pro quo etiam adducit verba Hieronymi superius allata; *Cæteris præstatur per partes, Mariæ verò tota se simul infundit plenitudo gratiæ*. Et hoc rationi consonum esse inquit D. Bernardinus serm. 51. cit. quia major est dignitas Matris Dei, quàm munera Sanctorum omnium, & dignitates etiam collectim sumptæ, plus enim meruit Maria eo actu fidei, & obedientiæ, quo Angelo nuncianti filii conceptionem assentita est, & assentiendo se se condignè depoluit, ac de congruo meruit, ut esset Mater Dei, quàm meruerint omnes Sancti omnibus actibus, ac meritis suis, quia nimirum eo actu meruit saltem de congruo eam dignitatem, cui excellentior gratia, & gloria debetur, & ad hoc verba illa Sapientis accommodat: *Multæ filiæ congregaverunt sibi divitias, tu verò super gressa es universas*, undè tandem concludit, tantam esse Virginis perfectionem, ut soli Deo cognoscenda reservetur. Tandem præter illum actum fidei B. Virgo in hac vita innumerabiles habuit charitatis actus, itaut eorum multitudo fortasse possit cum numero Sanctorum omnium conferri, quia ut passim docent Patres, totum ferè vitæ suæ cursum in perpetua contemplatione transegit, in qua frequentissimè, & ferventissimè Deum amabat, atque ideò in his actibus amorem, & fervorem omnium Sanctorum superavit.

121 Tertiò ex dictis etiam deducitur, ad quantam perfectionem beatitudinis essentialis Beata Virgo assumpta fuerit, siquidem quia perfectio beatitudinis perfectioni gratiæ respondet, ut dictum est, consequenter in proposito dicendum est Beatam Virginem in perfectione beatitudinis omnium hominum, & Angelorum hierarchias superare, ita discurrit Bernardus serm. 1. & 2. de Assumptione de perfectione essentialis beatitudinis Deiparæ dicens: *Quantum gratiæ in terris adepta est præ cæteris, tantùm obtinuit in Cœlo gloriæ singularis*, & hæc veritas est de fide, quam Ecclesia verbis illis docet: *Exaltata est Sancta Dei genitrix super Choros Angelorum ad cœlestia regna*, & dum appellat Reginam Angelorum, Patriarcharum, Prophetarum, Apostolorum, & aliorum Sanctorum, & Sanctarum, & ità etiam docet omnium antiquorum Patrum traditio, undè Anselmus de excellentia Virginis cap. 4. inquit, quod *tota Christianitas novit, quæ illam super omnes Cœlos exaltatam, Angelicis Choris prælatam certissimè credit*, & Ephrem oratione de laudibus Virginis ait, quod est *Sanctior Cherubin, Sanctior Seraphim, & nulla comparatione cæteris omnibus superis exercitibus gloriosior*, & Petrus Damianus sermone de Assumptione inquit, *Beata Virgo inter animas Sanctorum, & Angelorum Choros supereminens, & evecta merita singulorum, & omnium titulos antecedit*, quibus ultimis verbis insinuat gloriosiorem esse omnibus Sanctis, non solùm distributivè, sed etiam collectivè sumptis; & Ildelphonsus sermone 2. de Assumptione inquit: *Sicut est incomparabile, quod gessit, & ineffabile, quod percepit, ità est incomprehensibile præmium gloriæ, quod meruit*, & sic passim loquuntur alii Patres de beatitudine, & gloria Beatæ Virginis discurrentes; undè deducitur probabiliter credi posse in perfectione visionis Beatæ eam superare, non solùm singulos Angelos, vel Sanctos homines, sed etiam universas omnium Sanctorum perfectiones in unum collectas; & ideò D. Bonaventura lib. de laudibus Virginis dicit, Dei gloriam magis in sola Virgine enitere, quàm in cæteris Dei operibus, solo Christo Domino excepto, quod utique verum non esset, nisi perfectiones gloriæ, & beatitudinis omnium Sanctorum, & Angelorum essent in Beata Virgine congregatæ, undè concludit, *gloriosum gloriæ Mariæ privilegium est, quod post Deum major nostra gloria, & majus nostrum gaudium ex Maria est*.

122 Quartò ad explicandam ulterius excellentissimam hanc beatitudinis Deiparæ perfectionem, inquirendum est, quid Beata Virgo singulariter in Verbo videat suprà alios Beatos comparando nimirum visionem Mariæ cum aliorum Beatorum visionibus; appositè autem diximus discurrendum esse de his, quæ singulariter videt in Verbo, quia supponendum est Beatam Virginem ea omnia in Verbo videre, quæ communiter ab omnibus videntur Beatis, ut sunt mysteria fidei, & rerum naturalium genera, & species, & alia similia, & insuper hæc omnia videre majori intensione, & claritate, quàm cæteri Beati sivè homines, sivè Angeli, hoc enim ex majori perfectione beatitudinis ejus necessariò consequitur. Quantum ergo spectat ad præsens punctum, probabile est, ut passim Theologi docent, & præsertim Suarez tom. 2. in 3. part. disputat. 21. sectione 3. & Vulpes noster tom. 3. part. 4. disputat. 80. articulo ultim. Beatam Virginem videre in Verbo, quicquid Deus videt scientia visionis, exceptis iis, quæ singulariter ad Christum pertinent, & ad interiores animæ ejus cogitationes, ut ait Suarez cit. Hoc autem facilè deducitur ex dictis disp. 25. de Statu Beatorum qu. 2. art. 3. diximus enim ibi ex communi Theologorum sententia Beatos omnes de facto videre in Verbo, hoc est, in Divina essentia quæcunque pertinent ad statum cujuscumque beatificum, idest ea quæ ad ipsos pertinent ratione personæ, aut status, dignitatis, officii, vel alio titulo, & ad statum singulorum spectare illa, quæ ità eorum curæ, & diligentiæ sunt commissa, ut ipsis ea curare, & gubernare incumbat; undè Angelis Custodibus ea omnia nota esse debent, quæ ad homines spectant, quos singuli regunt, & custo-

custodiunt, ut suum ministerium exactè, & cum omni diligentia exequi possint; & similiter de fundatoribus, & institutoribus Ordinum dicendum est omnia ea illis nota esse debere, quæ tractu temporis in suis Religionibus eveniunt, qua ratione etiam ibidem dicebamus Divum Petrum, utpotè primum, & summum post Christum Ecclesiæ Pastorem in statu beatitudinis omnia cognoscere, quæ ad ejus augmentum, & fidelium salutem spectare possunt, & hujusmodi cognitionem ratione officii ei competere; Ità igitur de Beata Virgine, ejusque beatifica visione in proposito discurrendum est, cum enim ipsa sit universalis Advocata Ecclesia Dei, cujus actu, vel potentia, sivè proxima, sivè remota ad totum genus humanum, & omnes rationales creaturas extenditur; consequenter officium, & munus suæ universalis advocationis ad omne genus humanum extendi debet; sed nequit Advocatus suos clientes aptè patrocinari, eorumque causas ritè defendere, nisi plenè sciat omnia, quæ pro, vel contrà eorum defensionem concernunt; ergo Beatam Virginem universalis Ecclesiæ advocatam omnia scire oportet, quæ futura sunt ad extrà in quocunque rerum ordine usque ad finem mundi, & hoc præsertim in gratiam electorum, quorum Maria est specialis Advocata, & hoc generalis advocationis munus, & officium pro toto genere humano à Deo sibi ratione maternitatis suæ collatum, est & ratione tantæ dignitatis ei impositum.

123 Hoc etiam passim SS. Patres insinuant, undè Bernardus in sermone *Signum magnum* explicans verba illa Apocalyp. 12. *Et mulier amicta Sole*, & per illam intelligens Beatam Virginem cum Augustino lib. 4. de Symbol. ad Catechumenos cap. 1. inquit, quod *jure amicta Sole probibetur, quæ profundissimum divinæ sapientiæ ultrà quàm dici potest, penetravit abyssum, ut quantum conditio creaturæ patitur, luci illi inaccessibili videatur unita;* & Germanus sermone de assumptione ait, *Spiritus tuus, ô Maria, vivit in æternum, omnia observas, omnia intueris, & inspectio tua ad omne se porrigit*, & inferius exaggerando sollicitam curam, quam gerit humani generis, cujus est Advocata, addit: *Quis post filium ità generis humani curam gerit, sicut tu? quis ità nos defendit in nostris afflictionibus? quis tam citò prævenions nos ab irruentibus liberat tentationibus? quis in supplicationibus adeò pugnat pro peccatoribus?* & sic etiam Idiota discurrit in prolog. contemp. de Virgine Maria dicens, *Beata Virgo Maria, sicut est omnium Regina, sic omnium est advocata, & patrona, & cura est illis de omnibus, longè enim positos illuminat radiis misericordiæ suæ, sibi propinquos per specialem devotionem consolationis suavitate*, &c. Piè igitur, & laudabiliter credi potest Beatam Virginem videre in Verbo quicquid Deus videt scientia visionis, iis solùm exceptis, quæ singulariter ad Christum, & ad interiores animæ ejus cogitationes pertinent, ut dictum est; quam limitationem consultò addit Suarez loc. cit. quia cùm Beata Virgo sit longè Christo inferior tàm dignitate, quàm beatitudine, non decet, ut sine manifestatione, & consensu ejus omnes illius cogitationes, & interiores actus intueri possit non enim ad statum inferioris pertinet ut omnes, & singulas Superioris cogitationes videat, neque, ad hoc asserendum ullum est probabile fundamentum, cum Beata Virgo excellentiam gratiæ, & gloriæ Christi Domini omninò non comprehendat.

124 Quod autem spectat ad scientiam, & visionem possibilium, quæ nunquam erunt, Vulpes noster loc. cit. ait probabile esse Mariam nunc plenissimè beatam in Cœlo videre, ac scire omnia, quæ videt, ac scit anima Christi, etiam possibilia, quæ numquam erunt; cum enim illi communicata fuerit suprema dignitas maternitatis suæ, nulla est ratio, cur denegetur illi prærogativa hæc omni scientiæ satis illi dignitati proportionata, & cui communicata est de facto dignitas major, subtrahatur minor; Neque enim hæc omniscientia comprehensionem includit omnipotentiæ, & consequenter divinæ naturæ, quæ ex terminis repugnat intellectivi creato finito, & limitato; hoc enim verificatur solùm de omni scientia simpliciter activè, seù principiativè fluente à virtute nativa intellectus, non autem de hac omni scientia secundùm quid totaliter à Deo communicata passivè intellectivi creato, sicut animæ Christi. Et quidem quamvis Thomistæ cum D. Thoma part. 1. quæst. 12. articul. 8. asserant impossibile esse, ut Beatus aliquis videat in verbo creaturas omnes etiam possibiles, quia hinc sequeretur, quod talis Beatus Deum comprehenderet, superius tamen disp. 25. quæst. 2. art. 2. num. 47. & seq. oppositum docuimus cum Scoto quæst. 3. Prologi A A, ubi ait possibile esse, quod Beatus videat omnia creata, & creabilia, quæ relucent in Deo, si Deus ea illi ostendat, & 3. dist. 14. quæst. 2. lit. H. docet intellectum animæ Christi de facto videre omnia, quæ Verbum videt; & ibidem ostendimus talem adhuc visionem non fore Dei comprehensivam, quia ad comprehensionem requiritur, ut tanta sit intellectivitas in intelligente, quanta intelligibilitas est in objecto, quod in proposito casu non accideret, quia ex parte intelligentis intellectivitas semper finita esset. An verò hæc quoque excellentia B. Virgini fuerit communicata, neque ex Scripturis, neque ex Patribus sufficienter colligitur, quia talis possibilium quoque cognitio ad munus universalis advocationis ejus necessaria non videtur, sed tantùm actu existentium, ac futurorum, quamvis auctoritas ex B. rnardo adducta, quod *profundissimum divinæ sapientiæ ultrà, quam dici potest, abyssum penetraverit, parti affirmanti* valdè favent.

125 Quintò ulteriùs, an Beata Virgo habeat quoque omnes perfectiones gloriæ accidentalis tàm corporis, quàm animæ, ex iis, quæ de essentiali ejus gloria hactenus dicta sunt, facilè deduci potest, gloria enim accidentalis essentialem consequitur, eique proportionatur, & commensuratur; pro cujus quæsiti resolutione præmittendum est, quod quantum attinet ad gloriam animæ accidentalem, ut Suarez advertit disput. 21. cit. sect. 4. ab initio, quædam sunt perfectiones gloriæ accidentalis omnibus beatis communes, quamvis non in omnibus æquales, ut sunt variæ revelationes, quæ extrà Verbum fiunt, gaudia, aliquorum effectuum impetrationes, & alia hujusmodi, & de his præmiis accidentalibus certum est B. Virginem omnes alios beatos antecellere, ut satis constat ex dictis. Aliæ verò sunt perfectiones, & præmia singulariter, & propriè ad quasdam personas, seù munera, & status earum pertinentia in quo ordine aureolæ poni solent, quæ tribus hominum statibus, & conditionibus à Deo conferri censentur, scilicet, Virginibus, Doctoribus, & Martyribus, ut communiter Patres, & Theologi docent. Corona enim aureola, seù laureola est speciale ornamentum decoris, ac venustatis, quæ solet concedi in præmium pro triumpho iis, qui vicerunt; undè aureola aliud non significat in Beatis, quàm specialem gloriam, seù accidentale præmium ex operibus quibusdam privilegiatis à Deo concessum, consistens in gaudio, quod percipitur ob insignem aliquam victoriam per illa opera, principaliter in anima existens, & per redundantiam in corpore. Cùm igitur aureola sit corona alicui debita ex reportata in aliquo certamine victoria, ut dictum est, ex diversis pugnæ, ac victoriæ speciebus aureolarum multiplicitas desumi solet, & ideò sicut tres hostium species in hac vita mortali experitur homo, ut communiter Patres docent, & ex Scripturis expressè colligitur, nempè carnis, mundi, ac diaboli, tres consequenter erunt assignandæ victoriarum, ac aureolarum species, nimirum Virginitatis pro victoria contrà carnem; Martyrii pro victoria contrà mundum, & doctrinæ pro victoria contrà diabolum in fide, ac religione homines decipientem, ac proindè dicebamus tribus hominum statibus, seù conditionibus aureolas à Deo conferri, scilicet, Virginibus, Doctoribus, ac Martyribus. Quod igitur B. Virgo hac triplici aureola in Cœlo fruatur, scilicet, Virginitatis, doctrinæ, & martyrii probatur de singulis discurrendo.

126 Et quidem ab aureola Virginitatis inchoando, quamvis si aureola virginitatis sumatur pro victoria pugnæ contrà carnis stimulos, hanc B. Virgo non habuerit, isti enim hominem consequuntur originali culpa infectum, quia fomes carnis est in pœnam talis peccati, quod B. Virgo non contraxit, ut suprà dictum est; aliam tamen habuit excellentiorem Virginitatis coronam, quod enim absque pugna carnis ex singulari Dei privilegio perfectissimam castitatem servaverit, nec illius meritum, nec coronam diminuit, quia privilegium Principis præmio virtutis non præjudicat, si enim ab originali præservata non fuisset, & fomes carnis in ea extinctus non esset, adhuc cum carne certamen habuisset, & de illa victoriam retulisset; hæc ergo præcellens, singularisque Mariæ virginitas, singulare præmium obtinere dicenda est, cùm hac de causa Regina Virginum appelletur; Tùm quia virginitas mentis major est, quam virginitas carnis, ut ait Augustin. libro de Sancta Virginit. cap. 8. cùm ergo utramque perfectissimam Maria habuerit, aureola virginalis omninò ei debetur, & cum gaudium de virginitate servata sit maximum, sivè cum pugna carnis, sivè cùm extinctione fomitis servata fuerit, Virginum Reginæ denegari non debet, ut Patres communiter docent. De Aureola autem Doctoratus, quamvis Brancatus noster eam Mariæ non attribuat, nec quidem verbum faciet disp. 22. art. 3. communis tamen sententia affirmat ex Suarez loco cit. quia Beata Virgo sigulari, & excellentiori modo fuit fidei Magistra, & Apostolorum, ac Ecclesiæ doctrix, unde Idiota libr. Contempl. Virgin. vocat eam *Doctrix Sapientiæ Dei*, & quod fuerit Apostolorum, ac Evangelistarum Magistra plures docent Patres, Eusebius enim in Evangelio de festo Assumption. inquit quod *ab ipsa Apostoli plura audierunt, & ipsa dictante scripserunt, nobisque legenda mandaverunt*, & Bernardus homil. 4. super *Missus est* rationem inquirens, cur conceptus Elisabeth ab Angelo Beatæ Virgini nunciatus fuerit,

rit, inquit: *Ut dum nunc Salvatoris, nunc percursoris edocetur adventus, rerum tempus, & ordinem tenens ipsa melius postmodum Scriptoribus, ac prædicatoribus Evangelii referret veritatem, quæ & plane de omnibus à principio fuerat instructa mysteriis*, & Anselmus de excellentia Virginis capit. 7. inquit, *licet Apostoli per revelationem Spiritus Sancti edocti fuerint omnem veritatem, incomparabiliter tamen eminentius, ac manifestius ipsa per eum Spiritum veritatis profunditatem intelligebat, & ex hoc multa eis per hanc revelabuntur, quæ in se non solum simplici scientia, sed ipso effectu, atque experimento didicerat de mysteriis Christi*; & quod Evangelistarum fuerit magistra testatur id præsertim de Sancto Joanne Ambrosius libr. de Institution. Virginum cap. 7. his verbis de Beata Virgine loquens: *Eadem posteà Joanni Evangelistæ est tradita conjugium nescienti, unde non miro præ cæteris locutum mysteria divina; cui presto aderat aula cœlestium Sacramentorum*; Hinc Albertus Magnus super Missus est cap. 117. pluribus aliis rationibus concludit Beatæ Virgini excellentiorem aureolam deberi, quàm cæteris omnibus Magistris, & Ecclesiæ Doctoribus.

127 De Aureola tandem Martyrii, negant aliqui eam Beatæ Virgini convenire, quia violentem mortem passa non est, atque ideò martyr verè non fuit; Neque satis est, quod in morte filii valdè de ejus passionibus doluerit, alioquin qui meditando Christi passionem vehementer dolent, aureolam martyrii consequerentur, quod est apertè falsum, ità Abulensis Matth. 13. quæst. 20. Soto 4. distinction. 49. quæst. 5. articul. 2. & quidam alii. Communis tamen, ac vera Theologorum sententia docet B. Virginem verè, ac propriè martyrii aureolam possidere, ut referunt Suarez, & Brancatus noster, loc. cit. quæ fundatur in pluribus Patrum testimoniis, qui eam *Martyrem, & plusquam, Martyrem vocant*, & ab Ecclesia vocatur *Regina Martyrum*, quia licet in cruciatu, & pœnis mortua non sit, gladio tamen doloris in morte filii confixa est juxta Simeonis oraculum Lucæ 2. *Tuam ipsius animam pertransibit gladius*, quia inquit Anselmus libr. de excellentia Virginis cap. 5. *Dolor ille fuit major omnibus doloribus, quod enim crudelitatis inflictum est corporibus Martyrum, leve fuit, aut potius nihil comparatione suæ passionis*, & D. Augustin. libr. de Assumpt. Mariæ capit. 4. ait, *quod erumnam Maria sustinuit, cujus animam gladius passionis Christi pertransivit*: & D. Hieronymus serm. de Assumpt. B. Virginis ait, *quia in parte impassibili passa est, plusquam martyr fuit*, & ita etiam de hoc puncto discurrunt Bernard. serm. *Signum magnum*, Ildelphonsus serm. 2. de Assumption. & alii Patres passim. Quod etiam Brancatus noster confirmat ex eo, quod de S. Martino Ecclesia canit: *Cujus animam etsi gladius persecutoris non abstulit, palmam tamen martyrii non amisit*, & non alia ratione, ait Laurentius Justinianus, nisi quia martyrii ardore flagrans non fugam arripuit, periculis non se subtraxit, ex timore veritatem non cælavit; ergò pariter, & à fortiori de Beata Virgine discurrendum est, quæ passionis tempore, cum omnes discipulis relicto Christo fugissent, & omnes in fide hæsitarent, ipsa nihilominus in fide constans, pericula contemnes, facto veritatem contestans, & patiendi amore flagrans stabat juxta crucem, cruciatibus, ac morti se exposuit, & mortis dolorem reipsa passa est, atque ideò martyrii aureola ei non est deneganda, quia dolorem sustinuit ad inferendam mortem corporis sufficientem, nisi peculiari Dei auxilio suffulta fuisset, ut ait D. Anselmus loc. cit. *Et utique pia Domina non crediderim te potuisse ullo pacto stimulos tanti cruciatus, quin vitam amitteres, sustinere, nisi ipse Spiritus vita dulcissimi filii tui, pro quo moriente conquerebaris, & tantoperè torquebaris, te confortaret*. Ex quo discursu fuit fundamentum alterius opinionis, aliud enim est meditando Christi passionem vehementer doleri; aliud verò in facto, & reipsa cruciatibus, ac morti pro Christo se exponere pericula contemnendo, ut fecit Beata Virgo in Christi filii sui passione, quarè sicut Sanctus Paulinus in natalis S. Fælicis eum martyrem vocat sine sanguine, quamvis post irrogata tormenta de missus diu superestes fuerit; ità pariter, & fortiori martyr, ac plusquam martyr B. Virgo est dicenda, quæ in passione filii morti se exposuit, & tormenta mortis in corde perpessu est.

128 Sextò etiam verisimile est, ac satis rationi consonum, ut ait Suarez loc. cit. cum pluribus aliis, ob dignitatem Matris Dei, & egregium pietatis opus, quod B. Virgo in Christum exercuit, haberet ipsam singularem aliquem splendorem, ac decorem, qui perfectior sit, & excellentior, quàm omnis aureola, qui tamen inter aureolas non connumeretur, sed perfectio quædam sit, & præmium altioris rationis, quia dignitas hæc matris altioris est ordinis, cum ad ordinem unionis hypostaticæ quodammodo pertineat, illam enim intrinsecè respicit, & cum ea necessariam habet conjunctionem, ideò enim B. Virgo verè, & propriè est Mater Dei, ut diximus lib. 3. disp. 1. de Dominica Incarnatione quæst. 4. art. 2. num. 166. & quæst. 6. art. 2. num. 226 tùm quis genuit hunc hominem, qui est Deus tùm quia in eodem temporis instanti, in quo produxit humanitatem in rerum natura existentem, fuit humanitas Verbo unita; undè terminus primarius generationis illius fuit natura singularis existens, secundarius verò, ac ultimus per ultimatam denominationem fuit persona divina, ut gerens vices humani suppositi, sicut etiam in generationibus naturalibus natura singularis est terminus primarius, persona verò secundarius, seù ex consequenti; quarè B. Virgo, ut ibi dicebamus, pro tanto genuit Deum, quia genuit naturam humanam singularem personalitate divina personatam, sivè in persona divina subsistentem, ob hanc igitur necessariam conjunctionem cum unione hypostatica dignitas Matris in B. Virgine dicitur esse altioris ordinis, ac Deo propinquissima, ut Patres loquuntur, quia de causa Anselmus lib. 2. de excellentia B. Mariæ inquit: *Hoc solùm de Virgine prædicare, quod Dei Mater est; excedit omnem altitudinem, quæ post Deum dici, vel cogitari potest*, & Laurentius Justinianus serm. de Purificatione, & serm. de Assumptione ait: *Tantò dignitate cæteris est effecta excellentior, quanto propinquior erat Verbo*, & Augustinus lib. de Assumptione ab initio inquit: *Hujus dignitatis, & gratiæ effectum, nec cor concipere, nec lingua valet exprimere*, & Bernard. serm. de Assumptione, & de Nativitate Virginis variis modis hanc dignitatem exaggerat, & concludit infinitè superare quicquid sub Deo homine excogitari potest, & tandem D. Bernardinus noster tom. 1. serm. 61. cap. 6 explicans illa verba de Christo Lucæ 2. *Et erat, subditus illis*, ità exaggerando hanc Matris dignitatem loquitur: *Ille qui filius Dei est, & Virginis benedictæ volens, ut sic dicam, Paterno, principatui quodammodo principatum æquiparare maternum, ipse, qui Deus erat famulabatur in terra*; ob talem igitur, ac tantam dignitatem maternitatis Dei Materiæ debetur perfectio quædam, & præmium altioris ordinis, quàm sit quælibet aureola aliorum Beatorum. Ex quo tandem deducit etiam D. Bonaventura in speculo Virginis cap. 6. quid de gloria Corporis Virginis sentiendum sit, quod nimirum nedum omnes habet dotes corporis glorioſi omnibus Beatis communes, sed etiam tantò perfectius, & excellentius, quantò perfectiori animæ beatitudine fruitur, & rursus ob singularem filii generationem existimat singularem aliquem, & admirabilem habere in corpore splendorem, vel aliquid aliud, quòd sit veluti insigne regiæ dignitatis, ac divinæ maternitatis, ac principatus, & dominii in omnes beatos, quod etiam approbat Suarez loc. cit.

129 Postremò, suppositò B. Virginem paulò post mortem ad glorioſam, & immortalem vitam corporis, & animæ resurrexisse, atque in cœlum glorioſam ascendisse, ut universa sentit Ecclesia ex antiquorum Patrum traditione, ut constat ex Athanasio in sermone de Sanctissima Deipara, qua ratione festum Assumptionis B. Virginis, & quidem valdè antiquitus in ea celebratur; hoc inquam, suppositò Suarez sect. 4. cit. in fine, cum pluribus aliis Theologis tandem deducit ex omnibus suprà dictis B. Virginem ità in omnibus omnes alios Beatos excedere, ut sub Christo ipsa sola specialem sedem, & singularem chorum in beatitudine constituat; siquidem quoniam Superiorem habuit dignitatem, nempè Maternitatis Dei, quæ altioris est ordinis, & aliorum Sanctorum statum excedit, hinc rationabiliter sequitur ipsam per se singularem chorum sub Christo constituere, & hoc modo dicitur ab Ecclesia *Exaltata super omnes choros Angelorum*; tanquam omnium domina, ac Regina; imò Vulpes noster loc. cit dis. vlt. artic 4. negat thronum Mariæ esse inferiorem distinctum à throno Christi, eamque dicit simul cum Christo in eodem gloriæ throno esse collocatam, quod probat ex eo, quod Regius Propheta de Maria vaticinatus est Psalm 44. *Astitit Regina à dextris tuis in vestitu deaurato circumdata varietate*, ubi Christum alloquens David ex Bellarmino, ait sic, *Astitit Regina*, idest, Maria Mater Christi *à dextris tuis*, scilicet, tibi proxima, & in loco summi honoris æquali, ideò juxtà, non infrà regalem thronum gloriæ Christi, cùm dextera significet æqualitatem in Scriptura, non inferioritatem. Neque admittit Vulpes expositionem Chrysost. dicentis *Astitit, non sedit*, quasi sedere conveniat æquali, exindè Christo dictum *Sede à dextris meis*: Æqualitas enim, inquit, potius significatur per dexteram, & firmatur per verbum *Astitit* in throno gloriæ, quæ convenit Mariæ ratione dignitatis maternitatis non inferiores dignitatis, quàm filius ejus ratione hypostaticæ, unionis saltem in genere moris; quarè concludit, quod Maria ratione dignitatis Maternitatis suprà omnes Sanctos dicitur collocata, quatenus simul cum Christo in eodem gloriæ throno collocata est ad influendum in omnes Sanctos inferiores, qui de ejus plenitudine simul accipiunt juxtà illud Jo. c. 1. *De plenitudine ejus omnes accepimus*.

130 Sed

130 Sed quamvis hoc sit satis piè dictum, communis tamen Patrum, ac Theologorum sententia docet thronum Mariæ esse inferiorem; & distinctum à throno Christi incomparabiliter excellentiori, & ob unionem hypostaticam, & ob majorem sanctitatis excellentiam, & licet ob necessariam conjunctionem cum unione hypostatica dignitas Matris dicatur esse altioris ordinis, ac etiam supremi infrà Deum, ut superius dictum est, ac proindè Patres eam Christo propinquissimam in dignitate appellant; nunquam tamen dicunt esse Christo æqualem, & ideò Chrysostomus inquit loquens de statu glorioso B. Virginis, quod à dexteris Christi *assistit*, non autem *sedet* quasi illi æqualis. Addimus tamen ad majorem B. Virginis gloriam etiam illud dicendi modum aliquo modo admitti posse, quia totus hic adhuc honor Matris in filium redundat, cujus meritis ipsa sublimata fuit, & ad talem, ac tantum gloriæ statum exaltata, ut inquit Rupertus lib. in Cantic. *Sic te honoramus, atque concinimus, ut verè Dei genitricem, scientes, quod totus honor impensus Matri proculdubiò redundat in filium*, & sicut Luna proprio lumine non fulget, sed fulgore, & splendore à lumine Solis communicato, & participato; Ità Maria nobis, & pro nobis illuminata refulget radiis Solis Justitiæ Christi, ut Rupertus subdit ibidem: *Sicut enim Luna illuminat luce non sua, sed ex sole accepta, sic tu benignissima Virgo, hoc ipsum, quod tam lucida es, non ex te habes, sed ex gratia divina, gratia plena*, & hæc dicta sufficiant de perpetuo Christi Regno in Cœlis cum ejus genitrice Maria advocata nostra; ibique nostræ Disputationis, ac totius Theologiæ tam Scholasticæ, quàm Moralis Cursus integer finem habeat, ubi de B. Virgine, ac ejus Sanctissimo Filio Christo Domino sermonem habuimus, quibus nos quoque hoc opus, ac totum Theologicum Cursum, qualiscunque sit, subiicimus, & dicamus, ut qui eorum ope, & auxilio perfectus tandem est, & completus, in eorumdem pariter honorem cedat, & gloriam.

131 Itaque ut verbis utamur Apostoli ad Timotheum, *Bonum certamen certavi* cum omnibus Scoticæ doctrinæ Adversariis, tam priscis, quàm recentibus *Cursu consumavi* nedùm Philosophiæ, & Metaphysicæ, sed etiam Theologiæ tam Scholasticæ, quàm Moralis studio annorum quadraginta *fidem servavi*, totum hunc Cursum complendi, & perficiendi, ut in præcedentibus Tomis pollicitus eram: *In reliquo reposita est mihi corona justitiæ, quàm reddet mihi Dominus* ut spero, ac in ejus pietate confido, *in illa die justus Judex, non solùm autem mihi, sed & his qui diligunt adventum ejus*, tam primum, quàm secundum, de quo hactenus egimus, & hìc terminamus gratias itidem agentes PP. Divo Francisco, Divo Antonio de Padua, & Beato Andreæ Mastrio ejusdem Ordinis, cujus venerabile corpus Mutinæ in Ecclesia nostra quiescit, & hic etiam in sua patria Meldulensi insigne reliquiæ asservantur; quod Divina gratia, & horum cœlestium Advocatorum patrocinio, tandem ad optatum finem pervenimus semper ad ejusdem Omnipotentis Dei Seraphicæ Religionis nostræ decorem, & S. R. E. obsequium, & utilitatem, cujus correctioni omnia hactenus à nobis scripta, & elaborata reverenter submittimus.

F I N I S.

INDEX
RERUM NOTABILIUM.

Numerus prior Disputationem, posterior verò marginalem Numerum designat.

A



Abbates, Priores, & Superiores Regularium quorundam peccatorum absolutionem sibi reservare possunt. Vide Casus reservandi.

Abortum animati fœtus procurare per se, & directè nunquam licitum est, 8.30. quando licitum sit saltem indirectè, & per accidens id facere, 8.31.

Absolutio est pars intrinseca, & essentialis Sacramenti pœnitentiæ, 21.101, ordinariè non quilibet Sacerdos validè absolvere potest, sed tantùm certam habens jurisdictionem, 21. 200. an quilibet Sacerdos possit quemlibet absolvere saltem à venialiabus, 21. 202. potest simplex Sacerdos quemlibet absolvere, non tantùm in articulo, sed etiam in periculo mortis, 21.203. non tamen præsente Parocho, vel alio Confessario delegato, 21. 204. hæc facultas concessa est etiam Sacerdotibus excommunicatis, suspensis, & hæreticis, 21. 205. V. Confessio. Quis à censuris absolvere possit. V. Censura.

Acceptio personarum quæ dicatur, & quale sit peccatum, 6.1. & seq.

Acedia quid sit, & quomodo tale peccatum committatur, 15. 149.

Accusatio quomodo à denunciatione differat, 6. 34. in quibus casibus sit obligatio denunciandi crimen publicæ potestati, 6. 35. quid requiratur, ut accusatio, vel denunciatio judicialis justa censeatur, 6. 36. quando, & quomodo peccet qui non accusat, vel denunciat delinquentem, & quando ad restitutionem teneatur, 6. 41. & sequentib. V. Judex Quinam accusatores erunt in judicio universali, & quomodo accusabunt, 28. 59. V. Judicium Universale.

Adoratio est actus virtutis Religionis, & est multiplex, 11.16. & sequent. toti Trinitati debetur per se cultus, & honor latriæ, ac etiam Christo Domino, 11. 18. humanitas autem ejus, si præcisè, & in se consideretur, veneranda est tantum adoratione Hyperduliæ & non latriæ, 11.19. Imago Chr. adoranda est cultu latriæ, adoratione tamen respectiva, non absoluta, 11. 20. Crux etiam Christi adoranda est adoratione latriæ eodem modo, 11.22. Virgo Deipara adoranda est adoratione, latriæ eodem modo, 11.22. Virgo Deipara adoranda est adoratione, non latriæ, sed Hyperduliæ, 11. 23. Sancti, ac eorum reliquiæ cultu Duliæ venerari possunt, ac debent, 11.24.

Adulterium, quid sit, 11. 121. quid ratione adulterii sit restituendum, 9. 45. quo sensu adulterium dicatur esse contrà justitiam, 9.46. adultera non tenetur fidelium ex adulterio susceptum detegere cum discrimine vitæ, & famæ, 9.47. in quo casu ad id teneatur, 9. 50. adulter, cui probabiliter constat spurium natum esse filium suum, tenetur ex justitia ad damna illata reparanda, 9. 54. an si sit dubius, teneatur; 9. 55. à quo debeat alimenta recipere filius illegitimus, cujus pater ignoratur, 9. 56. adulterium est causa sufficiens divortii quoad thorum, & habitationem, non tamen quoad vinculum conjugale, 28.128. V. Divortium.

Advocati quatuor sunt conditiones, prima est peritia, ac diligentia conveniens, 6. 58. secunda est justitia in exhibendo patrocinio, 6. 50. potest tamen minus probabilem in concursu probabilioris defendere, 6. 60. tertia est fidelitas in agitatione causæ, 6.61. quarta conditio est, ut pro agitatione causæ justum pretium accipiat, 6.62. aliquandò tenetur gratis patrocinari pauperibus. ibidem hæ quatuor conditiones de aliis etiam Curiæ Officialibus servata proportione intelligi debent, 6. 63.

Ætas necessaria ad sponsalia ineunda quænam sit, 20. 68. requiritur septennium completum itaut ultimus dies saltem sit incohatus ib. ætas requisita in mare, & fœmina ad matrimonium contrahendum. V. Sponsalia, & Matrimonium.

Affinitas quid sit inter quas personas, & ex qua copula contrahatur, 20. 112. mensurantur gradus affinitatis juxtà gradus consanguinitatis. ibid. Matrimonium non dirimit, nisi jure Ecclesiastico, 20. 113. V. Matrimonium.

Aggressoris occisio licita est in propriæ vitæ defensionem, cum moderamine tamen inculpatæ tutelæ, 8. 11. & 11.110. etiam ad bonorum exteriorum conservationem licet invasorem occidere, si aliter salvari non possunt, 8.23. & id non solùm Laicis, sed etiam Ecclesiasticis licitum est, 8. 24. hoc etiam ad defensionem proprii honoris licitè fieri potest à Laicis non tamen à Clericis, 8.25. & tandem fieri etiam potest licitè ad defendendam vitam, & bona proximi, 8. 26.

Ambitio quid sit, & quale peccatum ex genere suo, 15. 138. V. Superbia.

Animæ corporibus egressæ quomodo judicentur, & ad loca denata deferantur, 24. 46. V. Purgatorium.

Antichristi adventus erit signum Judicii universalis appropinquantis 18. 17. quænam erit Antichristi genealogia, quinam ejus mores, doctrina, & regnum, ac tandem quinam ejus finis, & excidium, 28. 18. V. Judicium universale.

Aqua simplex naturalis, & elementaris est legitima materia remota Sacramenti baptismi, 17. 16. materia verò proxima est ablutio ex aqua naturali, 17. 17. & hæc est ablutio passiva, non activa. ibidem. V. Baptismus, aqua est vino permiscenda in Calice antè consecrationem Eucharistiæ in parva quantitate, 18. 19. non tamen necessitate Sacramenti, sed præcepti tantùm Ecclesiastici. ibid. & hæc aqua debet esse naturalis, non artificialis, 18.20. V. Eucharistia.

Artifices diebus festis ab operibus servilibus abstinere tenentur ex tertio Decalogi præcepto, 11. 72. quæ opera servilia dicantur. ibidem. V. Decalogi præcepto.

Assecuratio, quid sit, 5.158. est contractus licitus, ibidem, quæ conditiones ad hunc contractum requirantur, 5. 159. & 160.

Attritio quid sit, 21. 39. duplex ejus motivum assignatur, scilicet, metus pœnæ, & peccati turpitudo, 21. 40. quid sub nomine pœnæ intelligatur, & quomodo, ut talis metus sit bonus, & honestus. ibidem. quæ peccati turpitudo sit sufficiens motivum Christianæ attritionis, 21. 41. attritio non potest dici ex motivo Charitatis proximè, & immediate, 21. 42. formale motivum contritionis, & attritionis assignatur. ibidem. in quo attritio. & contritio conveniant, & differant, 21. 43. quo sensu attritio possit fieri contritio, & quomodo non, 21. 44. quomodo peccator virtute Sacramenti ex attrito dicatur fieri contritus, 21. 45. sufficit attritio etiam cogita, ut talis, ad recipiendam absolutionem, & gratiam Sacramentalem, 21. 46. & seq. debet esse dolor formalis de peccatis, & interdum sufficit virtualis, 41. 48. opus non est talem dolorem semper præ-

cedere confessionem, sed satis est, si sequatur antè absolutionem, 21. 49. & seq.
Avaritia quid sit, & quando sit peccatum mortale, vel veniale, 15. 139. quæ, & quot sint filiæ Avaritiæ, 15. 140. V. Vitia capitalia.
Aureola quid sit, & quotuplex, 28. 125.

B

BAptismus quid sit, & in quo ejus essentia consistat, 17. 3. est necessarius non tantùm necessitate præcepti, sed etiam medii in re, vel saltem in voto, 17. 4. in adultis suppleri potest Sacramentum Baptismi per contritionem votum ejus in se continentem, 17. 5. & tale votum non necessariò debet esse explicitum, sed interdum sufficit implicitum. ibidem. potest etiam suppleri per martyrium, quando adest baptismi impossibilitas, quod ex singulari privilegio habet vim conferendi primam gratiam, 17. 6. non tantùm baptismus adultorum, sed etiam infantium per martyrium suppleri potest, 17. 7. confert martyrium gratiam moraliter, non physicè, non tamen activè ad instar Sacramentorum, sed tantùm passivè. ibidem. declaratur divisio baptismi fluminis, flaminis, & sanguinis, 17. 8. fuit à Christo Domino institutus antè ejus passionem, 17. 9. non tamen ex Scriptura assignari potest certum, ac determinatum tempus, quo antè ejus mortem fuerit institutus, 17. 10. non statim, ac fuit institutus cæpit sub præcepto, 17. 11. neque cæpit esse sub præcepto statim post Christi mortem, vel ejus resurrectionem, 17. 12. sed tantùm post sufficientem, & solemnem Evangelii promulgationem universo Orbi factam, 17. 13. quandonam facta fuerit sufficiens, & solemnis Evangelii promulgatio, itaut omnes obligare cæperit, 17. 14. sola aqua simplex naturalis, & elementaris est legitima materia remota hujus Sacramenti, ablutio verò proxima, 17. 16. & sequenti si baptismus fiat per immersionem, de necessitate Sacramenti est, quod post eam immediatè sequatur emersio, 17. 19. quænam pars corporis ablui debeat, ut validus sit baptismus, 17. 21. & 22. quanta ablutio ad baptismum sit necessaria, 17. 24. quæ sit forma Sacramenti baptismi, 17. 25. in prædicta forma de necessitate Sacramenti exprimi debet actio baptizandi ipsius ministri, 17. 26. requiritur etiam, ut in ea exprimatur persona, quæ baptizatur, 17. 27. expressio autem ministri sufficit indirecta, & implicita. ibidem. necessaria est etiam expressio, & invocatio Sanctissimæ Trinitatis, sub unitate Deitatis, 17. 28. baptismus datus in nomine genitoris, geniti, & spirati non est validus, 17. 29. error personæ baptismum non destruit, 17. 30. quæ verborum mutatio baptismum invalidet, & quæ non, 17. 31.
Baptismi Minister duplex est solemnitatis, & necessitatis, 17. 32. in casu extremæ necessitatis quælibet persona humana rationis particeps est hujus Sacramentis idoneus Minister, 17. 33. in tali casu qualis ordo inter personas sit observandus. ibidem. si unus plures simul baptizet, est verus baptismus, & in eo casu essent plura baptismata, 17. 34. si plures eundem hominem baptizent simul abluendo, & debitam formam proferendo est validus baptismus, & unus, non plura baptismata, 17. 35. si plures simul baptizent, uno prius altero, vel abluente, vel formæ prolationem absolvente, ille solùm baptizat, alter verò nihil efficit, 17. 36. non valet baptismus à pluribus collatus, si unus materiam adhibeat, & alter formam. ibidem. si plures abluant, & hanc formam proferant: *Nos te baptizamus in nomine*, &c. nullus est baptismus, 17. 38. quilibet homo in statu vitæ, sivè adultus, sivè infans, sivè vir, sivè fœmina est subjectum baptismus idoneum, 17. 40. quomodo liceat baptizare infantes nondùm totaliter ex utero Matris egressos, 17. 41. quid dicendum de monstris, 17. 42. quid de amentibus, 17. 43. quomodo liceat infidelium infantes invitis parentibus baptizare, 17. 44. justificati etiam tenentur ad susceptionem baptismi post sufficientem ejus promulgationem, 17. 45. quæ dispositiones in adultis requirantur ad baptismum fructuosè recipiendum, 17. 46. potest quis accedere cum dispositione ad valorem baptismi sufficiente, & non ad effectum baptismi, qui est gratia. ibidem.
Baptismi primus effectus est characteris impressio, 17. 48. secundus est gratiæ habitualis infusio una cum virtutibus Theologicis, 17. 49 tertius est remissio non tantùm peccati originalis, sed etiam omnium actualium antè baptismum commissorum, 17. 50. non tantùm quoad culpam, sed etiam quoad pœnam illis debitam. ibidem. quartus ejus effectus est præter gratiam sanctificantem conferre quoque omnia auxilia supernaturalia fini baptismi proportionata, 17. 51. gratia, quæ datur in baptismo semper est æqualis quantum est ex parte ipsius Sacramenti, 17. 52. quomodo ex parte suscipientis interdum detur major gratiam uni quàm alteri, 17. 53. baptismus susceptus cum fictione, vel obice negativo, suum sortitur effectum illo ablato per solam attritionem, 17. 56. si verò suscipiatur cum obice positivo, necessaria est contritio, vel attritio cùm pœnitentiæ Sacramento ad illud tollendum, ut baptismus suum producat effectum, 17. 57. ipsa tamen fictio, & sacrilegium per ipsam commissum non tollitur in virtute baptismi, sed virtute contritionis, vel pœnitentiæ, 17. 58. & idem dicendum de peccatis baptismum comitantibus. ibidem. Sacramentum baptismi reviviscens quandoque confert gratiam, ut causa totalis, quandoque confert gratiam, ut causa partialis tantùm, 17. 59. Circumcisio gratiam contulit ex opere operato, 17. 66. quodnam sit discrimen inter vim circumcisionis, & baptismi ad conferendam gratiam. ibidem.
Beatitudo quid sit, & quotuplex, 25. 2. nullum bonum creatum potest esse beatitudinis objectum, 25. 3. & sequenti solus Deus est summum bonum, quod perfectè beatos nos efficit, 25. 5. non tantùm secundùm suam essentiam, sed secundùm attributa etiam, & personas, 25. 6. intellectus creatus ex solis naturæ viribus cum concursu Dei generali claram ejus visionem attingere nequit, 25. 7. potest tamen auxilio aliquo, & lumine supernaturali ad eam elevari, 25. 8. beatitudo formalis in aliquo increato non consistit, 25. 10. neque in illapsu Dei in animam beati, 25. 11. neque in aliquo habitu, sed in aliqua operatione, 25. 12. & in utroque actu intellectus, & voluntatis, scilicet, visione, & fruitione, quas habent in patria respectu objecti beatifici, 25. 15. principalius tamen in fruitione, quàm in visione, 25. 16. quia amor magis unit Deo, quàm cognitio, & hic est amor amicitiæ, 25. 17. gaudium, & delectatio ad voluntatem pertinent, non ad intellectum, & sunt ejus passiones, non actus, 25. 18. beatitudo delectationem, & gaudium necessariò includit, 25. 19. certum est de fide beatitudinem patriæ esse perpetuam, 25. 22. non tamen intrinsecè, & ex natura sua, sed ex sola Dei voluntate eam conservantis per continuationem influxus, 25. 23. & licet extrinsecè duret æternitate, intrinsecè tamen durat ævo. ibidem. perpetuitas non est de essentia beatitudinis propriè sumptæ, 25. 24. quo sensu de ejus essentia dici possit. ibidem. quamvis beatitudo annexam habeat perpetuitatis securitatem, hæc tamen non est de ejus essentia, 25. 25. quomodo beati sint impeccabiles, & impeccabilitas beatitudinem sequatur, 25. 26. beatitudo formalis intensivè inspecta in beatis est inæqualis pro qualitate meritorum, 25. 28. opus tamen non est in omnibus esse inæqualem. ibidem. parabola operatorum quomodo sit intelligenda, 25. 29. beatitudo essentialis est æqualis in omnibus, non tamen accidentalis. ibidem. quomodo intelligendum sit dictum de murmuratione operariorum adversus Patrem familias, 25. 30. quomodo quilibet beatus de sua visione, & fruititione sit contentus. ibidem. undè oriatur hæc inæqualitas in beatitudine, 25. 31. & sequenti, perfectior intellectus cum æquali lumine perfectiorem visionem, elicere potest, 25. 32. quid dicendum sit de inæqualitate beatudininis inter homines, & Angelos, 25. 35. V. lumen gloriæ.
Beatus videndo clarè divinam essentiam videt etiam aliquas creaturas in Deo virtualiter, & eminenter contentas, 25. 46. quomodo beati in Deo creaturas cognoscant, ibidem. non tamen de facto vident omnes tam existentes, quàm possibiles, 25. 47. de possibili tamen possunt omnes videre sine ulla repugnantia, 25. 48. de facto omnia, & singula fidei nostræ mysteria clarè, & perfectè cognoscunt, 25. 50. item omnes rerum species, & genera, & plura etiam talium specierum individua, quæ facta sunt, vel facienda, 25. 51. omnia quoque scientiarum naturalium objecta, & omnia, quæ ab homine, vel Angelo naturaliter sciri possunt. ibidem. ac tandem quæcunque pertinent ad statum cujuscunque beatificum, 25. 52. ac proindè cognoscunt orationes, quæ ad ipsos diriguntur à viatoribus, 25. 53. quomodo intelligatur, quod solus Deus novit abscondita cordis, 25. 54. quo modo beati videant etiam damnatorum pœnas, nec de eis tristentur, 25. 55. & 56. actus fruitionis quid propriè importet, 25. 57. fruitio est solùm de Deo immediatè, non verò de visione ipsius, nisi solùm, ut de conditione Deum ipsum præsentante, 25. 59. actus fruendi Deo quomodo sit liber, 25. 61. quæ, & qualis necessitas stet cum tali libertate fruendi Deo, 25. 62. beatorum voluntas non est naturaliter tristitiæ capax propter delectationem perfectam, quæ omnem impedit tristitiam, 25. 63.

Beatorum corpora sunt beata beatitudine secundùm quid, non simpliciter, 25. 72. corpus glorioſum eſt impaſſibile, & quomodo, 25. 73. undè hæc impaſſibilitas proveniat, 25. 74. dos ſubtilitatis corporis glorioſi conſiſtit in facultate corpora alia penetrandi, 25. 76. undè vis juſta proveniant in corpore glorioſo, 25. 77. corpus glorioſum eſt etiam agile, 25. 78. in quo hæc dos agilitatis conſiſtat, 25. 80. corpus beatum ratione agilitatis moveri poteſt non ſolùm organicè, ſed etiam motu ſimplici, & inorganico, 25. 81. habet etiam dotem claritatis, & in quo conſiſtat, 25. 82. hæc tamen claritas in beatis corporibus erit æqualis juxtà majorem, vel minorem perfectionem beatitudinis animæ ibidem. quamvis corpus glorioſum ſit lucidum, non tamen eſt diaphanum, & traſparens, ſed denſum, & opacum, 25. 82. quatuor ſunt dotes corporis glorioſi, & aſſignatur ſufficientia hujus numeri, 25. 84. beatorum ſenſus futuri ſunt integri, & perfecti, & ſuum actum habituri, & oblectationem circà ſua objecta, & quantùm attinet ad corporis beatitudinem, 25. 85. potentia vegetativa nullum habitura eſt actum neque generandi, neque nutriendi, 25. 86. potentia viſiva ſuum actum eſt habitura, & delectationem plurium objectorum, 25. 87. potentia quoque auditiva actum ſuum in patria exercebit, & delectationes ſibi proportionatas habebit, 25. 88. idem de olfactu, ſeu odoratu dicendum, 25. 89. ac etiam de tactu, 25. 90. non tamen de guſtu, 25. 91. ex hoc, quod aliquis ſenſus in patria non ſit habiturus oblectationes circà ſua objecta, non ſequitur corporis beatitudinem fore imperfectam, & diminutam, 25. 92. duplex delectatio ibi in ſenſibus eſſe poteſt, una per redundantiam, alia per objecti præſentiam, ibidem gaudia beatorum deſcribuntur, 28. 116. & ſeq.

Bellum non ſolùm defenſivum, ſed etiam offenſivum eſt licitum, ſi conditiones requiſitæ concurrant, 10. 106. quæ, & quot ſint conditiones ad bellum juſtum requiſitæ, 10. 107. & quomodo bellum poſſit eſſe juſtum ex utraque parte, & quomodo non, 10. 109. Rex bellum gerens, in dubio juris tenetur ſequi tutiorem, & probabiliorem opinionem, ibidem. quomodo in bello uti liceat inſidiis, & quomodo non, 10. 110. in diebus feſtis bellare licet ad juſtam defenſionem, vel offenſionem, ibidem. quibus ſit licitum militare, 10. 111. Clericis prohibitum eſt caſibus quibuſdam exceptis. ibidem. quid ſit duellum, & quomodo differat à bello, 10. 112. in quibus caſibus ſit licitum. ibidem. quæ ſint pœnæ conſtitutæ contrà duellantes, 10. 114. quid dicendum de Torneamentis. ibidem. reſtitutio facienda ex bello injuſto, 9. 100. bello juſto capta an fiant capientium, 9. 101. finitima regna inter ſe bellum continuum habentia poſſunt bona ſua adinvicem recuperare, 9. 103. bello injuſto acquiſita ſunt reſtituenda cum omni damno paſſo, 9. 103. modus aequirendi dominium jure belli, 3. 60. V. Dominium.

Beneficium Eccleſiaſticum, quid ſit, 14. 59. in beneficii conſtitutione tria concurrunt, & jure Eccleſiaſtico eſt inſtitutum, ibidem. quotuplex ſit beneficium, 14. 60. beneficia ſimplicia quomodo à duplicibus differant. ibidem. beneficia Eccleſiaſtica tribus modis communiter obtineri ſolent, 14. 61. quæ conditiones requirantur, ut quis idoneus cenſeatur ad beneficium aliquod Eccleſiaſticum, 14. 62. quinam dicatur Eccleſiaſtico beneficio dignus, & quinam indignus, 16. 63. quomodo Eccleſiaſtica beneficia ſint ſemper dignioribus conferenda ibidem beneficia Eccleſiaſtica quatuor modis amittuntur, & vocant, 14. 64. ad reſidentiam perſonalem tenentur omnes habentes beneficia curata, 14. 65. quid per talem reſidentiam in teligatur. ibidem. quænam ſint cauſæ ab hujuſmodi reſidentia excuſantes, 14. 66. talis reſidentia eſt etiam de jure divino, 14. 67.

Beneficiarii fructus ſuos ſuperfluos in pios uſus expendere debent, 14. 68. quid per pios uſus ſit intelligendum. ibid. beneficiarius, qui beneficii fructus ſuæ ſuſtentationi ſuperfluos in profanos uſus expendit, non ſolùm mortaliter peccat, ſed etiam ad reſtitutionem tenetur, 14. 69. quænam cenſeri debeat congrua beneficiari ſuſtentatio. ibidem. quid dicendum ſit de commendatariis, ſeù equitibus S. Jacobi, & Sancti Jo: Baptiſtæ, 14. 70. Beneficiarii Divinum Officium recitare tenentur, 14. 71. regulariter, & ordinariè loquendo plura ſimul beneficia habere non licet, 14. 72. in quibuſdam tamen caſibus licet etiam ſine diſpenſatione. ibidem. quandonam ad hoc requiratur ſpecialis Papæ diſpenſatio, 14. 73. quænam ſit juſta diſpenſandi cauſa. ibidem. Penſio quid ſit, & quid hoc nomen indicet, & quotuplex ſit, 14. 74. quomodo conveniat cùm beneficio, & ab eo differat. ibidem. quinam penſiones beneficiis imponere poſſit, 14. 75. quænam ſit juſta cauſa concedendi penſionem. ibidem. ad hoc, ut penſio ſit juridicè impoſita, debet eſſe moderata, ita ut beneficiato relinquatur ſuſtentatio, 14. 76. quid dicendum, ſi beneficiatus pingue patrimonium habeat. ibidem. quænam ſint penſionarii obligationes, 14. 79. probabile eſt penſionarium teneri eodem modo, ac beneficiarium, ſuperfluos penſionum fructus in pios uſus expendere. ibidem. an poſſit licitè plures penſiones retinere. ibidem. V. Dominium.

Beſtialitas. V. Luxuria.

Bigamia. V. Irregularitas.

Blaſphemia quid ſit, 11. 40. formaliter, & per ſe primò non opponitur virtuti Fidei, ſed Religionis, 11. 41. alia eſt ſimplex, alia hæreticalis, 11. 42. eſt peccatum mortale ex genere ſuo, 11. 43. blaſphemans ex habitu, nec ſufficienter ad blaſphemiam advertens quando mortaliter peccet, 11. 44. quæ blaſphemiæ ſpecie diſtinguantur, & quæ non, 11. 46. quænam ſit blaſphemia in ſpiritum ſanctum, 11. 47. an damnati blaſphement, ibidem.

Bona matrimonii ſunt tria, 20. 120. Bona inventa cui reſtituenda. V. Reſtitutio. Bona hoſtibus erepta quando reſtituenda, V. Bellum, quid ſit dicendum de bonis, quæ vocantia dicuntur, & pro derelictis habentur, 3. 51. quid dicendum de bonis incertis, 3. 52. V. Dominia rerum. Bona fides quid ſit, 3. 57.

C

CAmbium quid ſit, 5. 116. quomodo ab aliis contractibus differat. ibidem. quotuplex ſit cambium, 5. 117. cambium ſic cum illicitum eſt, & uſurarium, 5. 118. cambium locale, ſeù per litteris quo Campſor dat hic pecuniam Campſario, ut eam alibi recipiat, cum certo lucro licitum eſt, 5. 119. & hoc cambium non ſolùm licitè fieri poteſt ad loca diverſorum regnorum, ſed etiam ejuſdem regni, & provinciæ, 5. 120. licitum eſt etiam cambium locale, ſeù per litteras, quando Campſor prius accipit hic pecuniam à Campſario, ut alibi reſtituat cum certo lucro, 5. 122. & hoc non tantùm licet Campſoribus publicis, ſed etiam perſonis privatis. ibidem. quantitas juſti pretii in hoc cambio quomodo ſit regulanda, 5. 122. quid dicendum ſit de cambio cum recambio, & de cambio ad nundinas, 5. 123. quæ conditiones requirantur ad cambia ex Bulla Pii V. ibidem. cambium etiam minutum, ſeù manuale eſt licitum, 5. 124. juſtum eſt etiam in tali cambio lucrum aliquod accipere pro pecunia melioris, & nobilioris conditionis, 5. 125. & hoc etiam licitum eſt non tantùm Campſoribus publicis, ſed etiam privatis perſonis, 5. 126. ex quibus capitibus ſumenda ſit regula pretii juſti cambiorum, 5. 127.

Caſtitatis votum. V. Votum Caſtitatis.

Caſus reſervandi in foro conſcientiæ eſt poteſtas in Eccleſia Dei, 21. 219. hanc habent omnes Superiores facultatem habentes cōcedendi ordinariam, vel delegatam juriſdictionem, aut probationem ad confeſſiones audiendas ergà ſubditos ſuos, 21. 220. Summus Pontifex ſibi peccata reſervare poteſt in univerſa Eccleſia, & ergà omnes fideles. ibid. Epiſcopi in ſuis Diœceſibus poteſtatem habent reſervandi ſibi abſolutionem aliquorum peccatorum, 21. 221. omnes item Prælati in animas juriſdictionem habentes, ut Præpoſiti, Abbates, &c. Superiores quoque Religionum poſſunt ſibi reſervare abſolutionem quorundam peccatorum, 21. 222. limitatio in hoc facta à Clemente VIII. ibid. Prælati regulares præter undecim peccata in Conſtitutione illa enumerata non poſſunt alia prohibere, ſub excommunicatione ſibi reſervata abſque Capituli generalis, vel provincialis conſenſu, 21. 223. quænam peccata poſſint, ac ſoleant reſervari, 21. 224. peccata mortalia interna reſervari poſſint. ibidem. poſſunt peccata reſervari Superioribus ſub cenſura, ac etiam ſine illa, 21. 225. quinam ſint caſus Papæ reſervati, & qui Epiſcopi, & quando caſus Papalis ſuperveniente impedimento fiat Epiſcopalis. ibidem. ad reſervationem peccatorum aliqua cauſa requiritur, alioquin illicita foret, licet valida, 21. 226. talis poteſtas juriſdictionis in ſolo Pontifice eſt immediatè à Deo, in aliis verò ab homine, 21. 227. poteſt Prælatus per ſe abſolvere à reſervatis, ſi ſit Sacerdos, & etiam aliis licentiam ſolvendi concedere, 21. 228. Peregrini à quo abſolvi poſſint, ac debeant, 21. 229. Superior per ſe loquendo tenetur concedere facultatem ſubdito petenti, ut à reſervatis abſolvatur, 21. 230. quomodo Superior concedere poſſit facultatem abſolvendi à caſibus reſervatis cum onere comparendi coram ipſo, 21. 231. quando, & quomodo poſſint inferiores Confeſſarii abſolvere à reſervatis ex cauſa neceſſita-

ceſſitatis, & in caſibus extraordinariis, 21. 232. Regulares virtute Bullæ Cruciatæ Confeſſarium eligere non poſſunt, qui eos à reſervatis abſolvat, 21. 233. non cenſetur peccatum reſervatum, de quo quis eſt dubius, an illud commiſerit, 21. 234. peccata reſervata ex oblivione prætermiſſa remanent libera à reſervatione, 21. 235. libera etiam manent peccata reſervata prætermiſſa ex juſta cauſa, 21. 236. ſine urgenti cauſa non poteſt Superior abſolvere tantùm à reſervatis, & quoad reliqua pœnitentem mittere ad inferiorem, 21. 239. & quando ex urgenti cauſa abſolvit tantùm à reſervatis, non tenetur pœnitens reconfiteri inferiori reſervata jam confeſſa cum peccatis non reſervatis, 21. 239. nulla exiſtente neceſſitate non poteſt inferior abſolvere pœnitentem à non reſervatis, ipſumque remittere ad Superiorem pro reſervatis, 21. 240. poteſt tamen in caſu maximæ neceſſitatis abſolvere ab eis indirectè cum onere adundi Superiorem pro abſolutione directa quamprimum opportunitas aderit, 21. 141. quomodo ſola juriſdictio in non reſervata ſit ſufficiens ad remittenda etiam validè reſervata indirectè, 21. 242. hoc autem intelligendum eſt, & quando caſus reſervatus excommunicationem habet annexam, 21. 243. modus tutior, & melior conſequendi abſolutionem à reſervatis, 21. 244. quæ, & qualis eſſe debeat licentia particularis obtenta à Superiore pro abſolutione à caſibus reſervatis, ut ſit valida, 21. 245.

Cenſura Eccleſiaſtica, quid ſit, 13. 3. in ſola Eccleſia reſidet poteſtas ferendi cenſuras, 13. 4. & hæc poteſtas eſt de jure divino, 13. 5. inſtitutio tamen cenſurarum eſt de jure humano Eccleſiaſtico. ibidem. tres ſunt Cenſuræ ſpecies, ſcilicet, Excommunicatio, Suſpenſio, & Interdictum, 13. 6. non omnis pœna Eccleſiaſtica eſt cenſura, licet omnis cenſura ſit pœna Eccleſiaſtica, 13. 7. dividitur accidentaliter in eam, quæ eſt à jure, & eam, quæ eſt ab homine, 13. 8. item in eam, quæ eſt latæ ſententiæ, vel ferendæ, ſeù comminatoriæ, & etiam in juſtam, & injuſtam. ibidem. poteſtas ferendi cenſuras alia eſt ordinaria, alia delegata, 13. 9. ordinaria reſidet in Prælatis Eccleſiæ habentibus juriſdictionem in foro exteriori non impeditam, 13. 10. Parochus non habet poteſtatem ordinariam ferendi cenſuras in ſuo ſubditos, 13. 11. poteſtas delegata in illis reperitur, quibus ab habentibus poteſtatem ordinariam commiſſa fuerit, 13. 12. quinam ſint talis poteſtatis capaces, & qui non. ibidem. in quo differat poteſtas ordinaria ferendi cenſuras à delegata, & in quo conveniant, 13. 13. quæ conditiones requirantur in ferente cenſuras, ut eas validè ferat, 13. 14. cenſura etiam metu extorta eſt valida. ibidem. quæ ſit forma ferendi cenſuras ſecundùm communem Eccleſiæ praxim, 13. 15. quænam ſint conditiones ex parte ſubjecti requiſitæ ad eam incurrendam, 13. 16. quomodo Eccleſia mortuos interdum excommunicet, & abſolvat. ibidem. nec pueri antè uſum rationis, nec amentes cenſuris ligari poſſunt, 13. 17. quibus cenſuris Communitas, vel Collegium ligari poſſit, 13. 18. delinquens extrà territorium Prælati ſui non ligatur cenſura ab eo lata, benè tamen, ſi in eo deliquit, & indè poſteà exivit, 13. 19. poteſt etiam Epiſcopus ferre cenſuram in alienum in ſua Diœceſi delinquentem. ibidem. cenſura lata contrà aliquid facientes non ligat mandantes, vel conſulentes, niſi in ſententia cenſuræ exprimantur, 13. 20. ſi exprimantur, & revocetur mandatum, vel conſilium, & nihilominus ſequatur effectus, an cenſuram incurrant, 13. 21. quomodo eadem perſona pluribus cenſuris ſimul ligari poſſit, 13. 22. ob quam cauſam ferri poſſit cenſura, 13. 23. & ſequ. non poteſt pro peccato præterito commiſſo ferri cenſura, 13. 24. an ad incurrendam cenſuram requiratur peccatum proprium, vel ſufficiat interdum alienum, 13. 25. quatuor ſunt cauſæ ab incurrendis cenſuris excuſantes, 13. 26. prima eſt ignorantia invincibilis, tàm juris, quàm facti. ibidem. ſecunda eſt impotentia, vel metus gravis faciendi id, quod ſub pœna cenſuræ faciendum præcipitur, 13. 27. tertia eſt appellatio injuſtè, & debitè facta, 13. 28. quarta eſt voluntas, ſeù conſenſus illius, in cujus favorem cenſura lata fuit, 13. 29. aliæ etiam cauſæ excuſantes ab incurrendis cenſuris aſſignari poſſunt. ibidem. quis abſolvere poſſit à cenſuris incurſis, 13. 30. quid requiratur ex parte abſolventis, & abſolvendi, 13. 31. una cenſura auferri poteſt alia adhuc remanente, ibidem.

Cenſus quid ſit, 5. 95. quomodo ab aliis contractibus differat, 5. 96. cenſus licitè vendi, & emi poteſt, 5. 97. in quibus rebus cenſus creari poſſit, & inſtitui, 5. 99. & quotuplex ſit cenſus, & quot ejus ſpecies, 5. 101. conditiones ex jure naturæ ad cenſualem contractum requiſitæ, 5. 102. quodnam ſit juſtum pretium cujuſcunque cenſus. ibidem. exponuntur conditiones ex Bulla Pii V. requiſitæ in emptione cenſuum 5. 104. & ſeq.

Character quid ſit, 16. 28. V. Sacramentum.

Charitas quid ſit, & quodnam ejus principale objectum, 10. 47. non ſolùm ergà Deum verſatur, ſed etiam erga proximum. ibidem. datur præceptum Charitatis diligendi Deum ſuper omnia appretiativè, & prælativè, 10. 48. quo tempore hoc præceptum obliget, 10. 49. & ſeq. datur etiam præceptum Charitatis erga proximum, & quo tempore obliget, 10. 51. quid nomine proximi intelligendum ſit. ibidem. quinam ordo ſervandus ſit in dilectione proximi, 10. 52. eſt etiam ſpeciale præceptum Charitatis de inimicis diligendis, 10. 52. inimico veniam petenti non tenemur injuriam ità remittere, ut ejus ſatisfactionem apud Judicem exigere non poſſimus, 10. 54. quo pacto inimici poſſint odio haberi, 10. 55. qui & quot ſint actus Charitatis ergà proximum, 10. 56. Eleemoſyna quid ſit, ibidem. V. Eleemoſina, quænam ſint vitia Charitati oppoſita, 10. 95.

Circumciſio in lege veteri gratiam contulit ex opere operato, 17. 66. V. Baptiſmus.

Circumſtantiæ peccatorum quænam exprimendæ in Confeſſione, 21. 172. & ſeq. V. Confeſſio.

Commodatio, ſeù commodatum quid ſit? V. Contractus.

Commutatio quid ſit. V. Contractiva.

Confeſſio Sacramentalis, quid ſit, 21. 149. fuit à Chriſto immediatè inſtituta, 21. 150. eſt neceſſaria ex præcepto divino, 21. 151. eſt neceſſaria non tantùm neceſſitate præcepti, ſed etiam medii in re, vel in voto moraliter poſt baptiſmum lapſis, 21. 152. qui teneantur ad Confeſſionem ex vi juris divini, 21. 153. non extenditur hoc præceptum ad infideles, 21. 254. muti tenentur ad confeſſionem per nutus, & alia ſigna, 21. 155. nec ex precepto Eccleſiaſtico, nec divino tenentur fideles ad Confeſſionem per interpretem 21. 157. & ſequ. tenentur ad eam ex vi divini præcepti in articulo, vel periculo mortis, 21. 59. obligat etiam aliquando extrà articulum, ſeu periculum mortis, 21. 160. hoc tempus obligationis extrà mortis articulum, vel periculum ex vi divini præcepti eſt vagum, & indeterminatum, 21. 161. tale enim tempus determinatum obligationis hujus præcepti non eſt ſtatim poſt peccatum commiſſum. ibidem. neque quando in dilatione oritur probabile periculum oblivionis peccatorum, 21. 162.

Confeſſio auricularis, vel ſecreta fuit à Chriſto inſtituta, & non habetur ex ſola Eccleſiæ traditione, 21. 163. non tamen iſte modus confitendi ſecretò eſt de eſſentia, & neceſſitate Confeſſionis Sacramentalis, 21. 164. undè confeſſio publicè facta Sacerdoti in aliquo neceſſitatis caſu, vel alia rationabili cauſa eſt valida, & ſacramentalis, 21. 165. non tamen eſt Sacramentalis quoad modum, quo à Chriſto inſtituta ſub eſt præcepto, ſed tantùm quoad ſubſtantiam, 21. 166. adeſt præceptum divinum confeſſionis vocalis, quando impotentia non impedit, 21. 168. Confeſſio facta per ſcriptum Sacerdoti præſenti valida eſt, præſertim quando vocaliter fieri nequit, 21. 169. quo pacto etiam valida eſſe poſſit facta abſenti, 21. 170. ad integritatem confeſſionis requiritur, ut pœnitens confiteatur omnia peccata mortalia commiſſa, 21. 171. & ea omnia confiteatur tùm quoad ſpeciem, tùm quoad numerum eorum in eadem ſpecie, 21. 172. ac etiam quoad omnes circumſtantias ſpecie mutantes. ibidem. circumſtantiæ notabiliter aggravantes in eadem ſpecie per ſe loquendo non ſunt neceſſariò confitendæ, 21. 175. quale judicium de peccatis in Sacerdote ſufficiat ad debitam pœnitentiam imponendam, 21. 176. quale debeat eſſe conſcientiæ examen confeſſioni præmittendum, 21. 177.

Confeſſio non integra formaliter, vel materialiter quænam ſit, 21. 178. quibus in caſibus licita ſit confeſſio non integra materialiter, 21. 179. ſufficit interdum confeſſio peccatorum in genere non explicata ſpecie, 21. 180. poteſt abſolvi qui ex impotentia ſigna doloris tantùm exhibit coram Sacerdote, 21. 181. & qui hoc fecit abſente Confeſſario poteſt etiam ab illo ſuperveniente abſolvi, 21. 182. complicis circumſtantia quando manifeſtanda, & quando non, 21. 185. & ſequ. confeſſio quando cenſetur valida, & non iteranda, & quando non, 21. 188. quibus in caſibus iteranda ſit confeſſio ex defectu pœnitentis, 21. 189. & ſeq. quibus in caſibus iteranda ſit ex defectibus occurrentibus ex parte Confeſſarii, 21. 192. & ſeq. an validè abſolvatur, qui communi errore, aut titulo colorato idoneus judicatur, 21. 195. & ſequ. quonam modo repetenda ſit confeſſio in caſibus prædictis, 21. 198. Confeſſionis legitimus Miniſter eſt ſolus Sacerdos, 21. 199. non quilibet Sacerdos, ſed tantùm

tùm certam habens jurisdictionem potest hoc Sacramentum validè administrare, 21. 200. quomodo distinguantur potestas ordinis, & potestas jurisdictionis, ibidem. hæc est proprinqua, illa remota, 21. 201. an quilibet Sacerdos possit quemlibet absolvere à peccatis venialibus, 21. 202. potestas jurisdictionis non est solo Ecclesiæ foro, sed etiam ex ipsa Christi institutione, 21. 206. in Sacerdotibus parochiale beneficium non habentibus præter jurisdictionem, quæ ipsis demandari potest, requiritur quoque Episcopi approbatio, 21. 207. & in Regularibus etiam suorum Prælatorum, ut licitè utantur Episcopi approbatione, 21. 208. debet Confessarius esse in statu gratiæ ad hoc ministerium licitè exercendum, 21. 210. ac etiam ut non sit aliqua censura, vel irregularitate ligatus, ibidem. requiritur etiam scientia, & eruditio conveniens ad hoc ministerium, 21. 211. quæ, & qualis prudentia in eo requiratur, 21. 213. non tantùm audire tenetur pœnitentem, sed etiam in rebus necessariis interrogare, 21. 214. quomodo se gerere debeat cum eis, qui frequenter in eadem peccata relabuntur, 21. 215. tenetur etiam monere pœnitentem, qui ex ignorantia culpabili est in malo statu, 21. 216. quomodo, & quandò supplere debeat defectus in confessione audita fortè commissos, 21. 217. & seq.

Confessionis sigillum quid sit, & ad quid obliget, 21. 46. & seq. Sigillum Confessionis.

Confessionis annuæ præceptum quos obliget, & quo tempore, 12. 39. præceptum annuæ confessionis non obligat pro aliqua determinata parte anni, sed illi satisfieri potest pro quocunque anni tempore, 12. 40. quomodo computandus sit annus in quo semel ex præcepto Ecclesiastico facienda est confessio, 12. 42. qui non est confessus intrà annum, tenetur statim confiteri initio sequentis, 12. 43. non ita dicendum est de confessione facienda in articulo, vel periculo mortis eo sublato, 12. 44. benè tamen de Communione Paschali, 12. 45. nullus tenetur ad Confessionem venialium in quocunque casu, 12. 46. qui tempore Paschæ confessus est venialia tantùm, si posteà incidat in mortale, tenetur alia vice in eodem anno confiteri, 12. 48. quomodo intelligendum sit fideles tempore Paschatis proprio Sacerdoti confiteri debere, 12. 49. quibus de causis excusentur fideles in hoc præcepto annuæ confessionis, 12. 50.

Confirmatio quid sit, 17. 26. verè Sacramentum novæ legis à Christo Domino institutum, 17. 63. quo tempore hoc Sacramentum fuerit à Christo institutum, 17. 64. qualis sit obligatio suscipiendi hoc Sacramentum, 17. 65. quæ sit ejus materia proxima, & remota, & quæ forma, 17. 76. nulla manuum impositio ab ea condistincta, quæ requiritur in ipsa sacri Chrismatis unctione, est essentialis hujus Sacramenti materia, 17. 68. ejus materia non est simplex oleum, sed cum balsamo mixtum, 17. 69. & hoc Chrisma debet esse ab Episcopo consecratum, 17. 70. ordinarius hujus Sacramenti minister est solus Episcopus, 17. 71. ex delegatione tamen Summi Pontificis potest etiam à simplici Sacerdote ministrari, 17. 72. quinam hoc Sacramentum suscipere possint, 17. 73. quinam, & quot sint hujus Sacramenti effectus, 17. 74. character Confirmationis distinctus est à charactere baptismali, ibidem. quæ dispositio requiratur in adulto ad Sacramentum Confirmationis validè, & fructuosè suscipiendum, 17. 75.

Conscientia est regula proxima, & interna humanorum actuum, 1. 1. quis actus propriè dicatur humanus, ibidem. ad intellectum pertinet, sicut & syndéresis, 1. 4. importat actuum judicii practici intellectus dictantis actionem faciendam bonam esse, vel malam, 1. 5. potest etiam importare habitum ex talibus actibus generatum, ibidem. quomodo à syndéresi differat, 1. 7. ac etiam à scientia, vel opinione morali, 1. 18. quotuplex sit conscientia, 1. 9. quænam sit conscientia vera, & recta, ibidem. quæ sit erronea, & falsa, 1. 10. quænam dubia, 1. 11. quænam dicatur probabilis, vel opinativa, 1. 12. quæ tandem dicatur scrupulosa, 1. 13. quænam sit obligatio conscientiæ rectæ, 1. 14. ad rectificandam conscientiam non semper necessaria est veritas judicii speculativa, sed sufficit practica, ibidem. nec Deus dispensare potest, ut quis agat contrà conscientiam, 1. 15. quod, & quale peccatum sit discordare à conscientia recta, 1. 16. conscientia erronea ex ignorantia invincibili obligat voluntatem, ut eam positivè sequatur, 1. 19. quæ, & qualis sit obligatio operandi secundùm conscientiam, 1. 21. conscientia invincibiliter errans dicitur obligare ad malum tantùm materialiter, non verò ad malum formaliter, 1. 23. implicat aliquem actum charitatis ex conscientia erronea intrinsecè depravari, 1. 25. an conscientia invincibiliter errans magis obliget, quàm præceptum Superioris, 1. 26. an quando dicta utramque partem contradictionis esse peccatum, peccet voluntas alterutram amplectens, 1. 27. quando conscientia errans procedit ex ignorantia vincibili, tunc voluntas, neque ad operandum, neque ad non operandum obligatur, sed ad illum errorem deponendum, 1. 28. undè in tali casu non datur perplexitas simpliciter, & absolutè, sed tantùm ex hypothesi, quod quis nolit talem conscientiam deponere, 1. 31. duplex discrimen inter conscientiam invincibiliter, & vincibiliter errantem, 1. 35. quodnam sit majus peccatum conscientiam sequi vincibiliter errantem, vel contrà illam facere, 1. 36. opus non est, ut actu adsit judicium conscientiæ, ut quis contrà eam facere dicatur, 1. 37. quomodo conscientia erronea sit deponenda, 1. 38. quando sit deponenda, 1. 39. licitum est operari contrà conscientiam scrupulosam, 1. 40. absolutè tamen loquendo præstat eam deponere, & quomodo sit deponenda, 1. 43.

Conscientia dubia quæ sit, 1. 45. dupliciter dici potest dubia, practicè, vel speculativè, 1. 46. illicitum est operari ex conscientia practicè dubia, 1. 47. non autem operari cum dubio tantùm speculativo, 1. 48. conscientia existente dubia pro utraque parte minus malum est eligendum, 1. 49. verus sensus illius regulæ juris, quod in dubiis tutior pars est eligenda, 1. 50. quomodo conscientia dubia sit deponenda, ibidem. simpliciter, & absolutè loquendo non semper obligamur sequi tutiorem partem, dummodò alia quoque pars sit tutta, 1. 54. in dubiis facti, quando de salute animæ agitus, vel Sacramentorum valore, tutior pars est semper eligenda, 1. 55. in aliis verò dubiis, ubi tanta mori urget necessitas, non adest tam arcta obligatio sequendi tutiorem partem, præsertim si grave incommodum inde sequatur, 1. 56. si verò tale incommodum non sequatur, adhuc tutiorem sequi tenetur, 1. 57. si dubium occurrat in materia justitiæ, & dubitandi suffragatur possessio, licitè amplecti potest partem favorabiliorem, 1. 58. potior enim in omni materia est conditio possidentis, 1. 59. & hoc intelligendum est, nisi contrarium in jure expressum fuerit, 1. 60. regulæ generales in decisiones plurium casuum in dubio, 1. 61. Conscientia probabilis, quæ sit, & quæ improbabilis, 1. 62. non est idem opinionem esse probabiliorem, & esse tutiorem, ibidem. licitè potest homo in moralibus conscientiæ, vel opinioni probabili se conformare, 1. 64. latum discrimen est inter conscientiam probabilem, & practicè dubiam, 1. 65. licitè etiam potest quis conformari conscientiæ, & opinioni minus probabili, relicta probabiliori, 1. 66. sicut, & opinioni minus tutæ relicta tutiori, 1. 67. aptissimum exemplum ad id explicandum, 1. 68. ad vitandum peccatum non tenemur adhibere omnem diligentiam moraliter possibilem, sed satis est adhibere moraliter sufficientem, 1. 70. non est consumenda formido cum dubitatione, 1. 71. dubium practicè sumptum quid importet, & de hoc intelligitur, quod cum dubio operari non licet, ibidem. Conscientia probabilis non est regula sufficiens nostrarum actionum in omni materia, 1 72. in quibus quæstionibus licitus sit probabilitatum usus, & in quibus non, 1. 73. Medicus in sua arte tutiorem sequi tenetur, 1. 74. hanc eandem regulam Judex servare debet in judicando, 1. 75. ac etiam Reges, & Principes in bello gerendo, 1. 75. & quamvis in casibus non exceptis liceat probabilitatum usus, non tamen semper expedit, 1. 77.

Contractus quid sit, 4. 3. quotuplex sit, 4. 4. quænam sint ejus conditiones, ex parte efficientis, ut sit validus, 4. 5. quænam ex parte formæ contractus, 4. 6. quænam ex parte materiæ, 4. 7 quænam ex parte finis, 4. 9. an contractus de opere pravo sit validus, 4. 10. & seq. error, vel dolus contingere potest, vel circà substantiam rei, vel circà qualitatem, & duplex esse potest, vel antecedens, vel concomitans, 4. 12. error circà substantiam rei contractum irritat, sivè sit antecedens, sivè concomitans, 4. 13. error, sivè dolus circà qualitatem rei; sivè sit concomitans, sivè indicens non reddit contractum invalidum, 4. 14. quomodo contractum invalidet si sit antecedens, 4. 16. quid dicendum de matrimonio, 4. 17. metus gravis ab intrinseco proveniens contractum non invalidat, benè tamen ab extrinseco injustè incussus, 4. 19. quinam metus dicatur gravis, vel levis, & quando justè, vel injustè incussus; ibidem, nullus contractus justo metu celebratus est invalidus, ibidem. consensus per gravem metum extortus simpliciter, & absolutè est voluntarius, & secundùm quid involuntarius, 4. 21. quare contractus injusto metu celebrati non tantùm jure positivo, sed etiam naturali sint invalidi, 4. 23. contractus invalidus non potest jura-

juramento validari, 4. 24. Commodatio, seù commodatum quid sit, & ejus conditiones, 4. 59. quænam sint de substantia commodati, 4. 60. quinam commodare possint, ibidem. res accommodata antè præscriptum tempus revocari non potest, 4. 61. quomodo nova superveniente causa à principio non prævisa licitè revocari possit, 4. 62. Præcarium quid sit, & quomodo à commodato differat, 4. 63. quomodo ab aliis contractibus, ibidem. tres conditiones ad illud requirantur, 4. 64. præcarium revocari potest ad nutum concedentis, ibidem. quo tempore precarium finiatur, & desinat, 4. 65. Commutatio, seù permutatio, quid sit, 5. 3. quæ conditiones ad eam requirantur, 5. 4. debet esse sine fraude non solùm in substantia, sed etiam in quantitate, & qualitare, 5. 5. ad ejus justitiam æqualitatis valoris est servanda, quæ in divisibili non consistit, 5. 6. & hæc ex triplici capite dignosci potest, 5. 7. quid sit communicatio negotiativa, ut distinguitur ab œconomica, 5. 9. duæ conditiones ad eam requiruntur, ibidem. quæ monopolia sint damnabilia, 5. 10.

Contritio quid sit, 21. 19. non necessariò simpliciter supponit dilectionem Dei formalem, sed interdum sat est virtualis, 21. 20. & seq. neque opus est quod semper sit ex motivo charitatis, sed interdum causarr potest à virtute pœnitentiæ ex motivo ejus præcisè, 21. 22. & seq. habet in eodem instanti, quo elicitur, gratiam, & justificationem annexam, tamen non disponit ad gratiam, ut formata gratia, & conjuncta cum ea, 21. 55. & seq. ut præcedit ad eam in priori signo naturæ adhuc dicenda est contritio, 21. 26. ad veram contritionem non requiritur intensio actus in tali, vel tali gradi gradu, 21. 27. quantum perfecta contrictio debeat detestari peccata, 21. 28. ad remissionem culpæ sufficit etiam momentanea contritio, 21. 29. non ita tamen ad remissionem pœnæ, 21. 30. quale propositum de cætero non peccandi requirat contritio, 21. 31. interdum virtuale, & implicitum sufficere potest, 21. 32. votum Sacramenti pœnitentiæ ad contritionem requisitum per se, & regulariter loquendo debet esse formale, & explicitum, per accidens tamen, & in aliquo casu implicitum, & virtuale sufficere potest, 21. 33. debet cadere super omnia peccata memoriæ præsentia formaliter, vel saltem virtualiter, 21. 34. ad veram contritionem sufficit pœnitentia, & detestatio de omnibus peccatis in generali, & in confuso, 21. 35. ad valorem contritionis extrà Sacramentum non necessariò requiritur recogitatio explicita singulorum peccatorum in partitulari, sed sufficit in generali, 25. 37. in ordine ad confessionem faciendam necessaria est distincta recogitatio singulorum ibidem.

Contumelia quid sit, & quomodo à detractione differat, 8. 53. V. fama, & honor.

Correctio duplex judicialis, & fraterna, & quid hæc sit, 10. 66. illa est actus justitiæ vindicativæ, hæc verò misericordiæ, & charitatis, ibidem. cadit sub præcepto non solùm naturali, sed etiam divino, 10. 67. & hoc præceptum ex genere suo obligat sub mortali, ibidem. quæ personæ obligentur hoc præcepto, 10. 68. & seq. quæ sit materia correctionis fraternæ, 10. 71. & seq. quas conditiones requirat hoc præceptum, ut ad sui executionem obliget, 10. 73. quo ordine fieri debeat correctio fraterna, 10. 74. non solùm correctio fraterna, sed etiam ordo à Christo præscriptus cadit sub præcepto, 10. 77. non tamen ita est sub præcepto, ut in quolibet eventu obliget, & nunquam sit licitum illum omittere, 10. 78. quo pacto ordo correctionis fraternæ à Christo præscriptus cadat sub præcepto, 10. 80. quando peccatum fratris est occultum, licitè, & honestè potest denunciari Prælato, tanquam Patri, non præmissa admonitione, si speratur brevior, & melior correctio, & fratris utilitas, 10. 80. quando frater non est plenè emendatus, & est probabile periculum relapsus, licitum est, & valdè expediens deferre peccatum occultum Superiori, ut patri, nulla premissa monitione, 10. 87. hoc adhuc magis justè, & licitè fieri potest supposita in fratre renunciatione juris propriæ famæ, 10. 88. Prælato præcipienti per obedientiam tenetur subditus revelare peccatum fratris occultum etiam secretum, 10. 93.

Culpa lata, latior, latissima, levis, & levissima quænam sit apud Juristas, 4. 69. & 7. 18. V. Restitutio.

D

Damnum datum quid sit, & quomodo à furto distinguatur, 9. 26. V. Furtum.

Damnum emergens, & lucrum cessans quid sit, 5. 58. & 61. V. Mutuum.

Decalogus quid significet, & quæ præcepta contineat, 11. 1. & seq. horum præceptorum violatio, & transgressio est peccatum mortale ex genere suo, nisi levitas materiæ, vel defectus deliberationis excuset à mortali, 11. 3. præcepta primæ tabulæ sunt de lege naturæ strictè loquendo, non tamen omnia præcepta secundæ tabulæ, 11. 4. in præceptis primæ tabulæ, quæ sunt de lege naturæ strictè. Deus dispensare non potest, benè tamen in aliquibus secundæ tabulæ, quæ tantùm largè sunt de lege naturæ, 11. 5. & hæc dispensatio non est propriè dicta, sed potius pura legis cessatio, 11. 6. non fuit propriè dispensatum cum Abramo, ut filium occidere posset, nec cum Osea, ut posset fornicari, nec cum Israelitis, ut bona Ægyptiorum eriperent, 11. 7. qualis sit obligatio tertii præcepti Decalogi, 11. 8. hæc præcepta impleri possunt extra statum charitatis, licet talis impletio non sit meritoria, nisi sit cum charitate, 11. 9. quomodo præcepta Decalogi obligent ad opera formata, & quomodo non, 11. 12. modus charitatis in mandatis observandis non cadit sub præcepto divinæ legis, 11. 14. Primum Decalogi præceptum partim est affirmativum, & partim negativum, 11. 15. quot modis in hoc præceptum peccetur, 11. 38. Secundùm Decalogi præceptum est etiam partim affirmativum, partim negativum, 11. 39. quot modis in hoc præceptum peccetur, 11. 69. Tertium Decalogi præceptum partim est morale, partim cæremoniale, 11. 79. quot modis in hoc præceptum peccetur, 11. 83. quantum Decalogi præceptum sit primum secundæ tabulæ, & quarè, 11. 84. Quintum Decalogi præceptum quid prohibeat, 11. 100. quot modis in hoc præceptum peccetur, 11. 106. Sextum Decalogi præceptum quid prohibeat, 31. 117. quot modis in hoc præceptum peccetur, 11. 146. Septimum Decalogi præceptum tria generatim prohibet, 11. 150. pluribus modis in hoc præceptum peccari potest, 11. 158. & sequ. Octavum Decalogi præceptum quænam prohibeat, 11. 165. quot modis peccetur contrà hoc præceptum, 11. 183. Nonum, & decimum præceptum quænam prohibeant, 11. 184. quot modis contrà hæc duo ultima præcepta peccetur, 11. 196. assignatur sufficientia numeri denarii præceptorum Decalogi, 11. 197.

Decima quid sit, & quotuplex, 12. 62. partim est de jure divino, & partim positivo Ecclesiastico, ibidem. quæ, & qualis sit obligatio solvendi decimas, 12. 62. quinam teneantur ad decimas solvendas, & quibus, 12. 63. quibus modis tollì possit obligatio solvendi decimas, 12. 64.

Delectatio morosa quid sit, & quomodo à desiderio differat, 11. 191. malitia desiderii, & delectationis quando sit venialis, & quando mortalis, 11. 192. in desiderio rei illicitæ debet in Confessione aperiri conditio personæ desideratæ, 11. 193. an in Confessione explicanda sit circumstantia personæ, circà quam sumitur delectatio, 11 194. non peccant mortaliter conjuges, qui in alterius absentia de actu conjugii delectantur præterito, vel futuro 11. 195. secus dicendum de Vidua, & Sponsa, ibidem. V Luxuria.

Depositum quid sit, 4. 66. quomodo differat à mutuo, commodato, & pignore, ibidem. quomodo depositum perficiatur, & quæ sint ejus conditiones, 4. 67. depositarius potest esse duplex, ac etiam depositum, ibidem. depositarius tenetur reddere depositum deponenti statim, ac petitur, 4. 64. quibus in casibus liceat non reddere, ibidem. ex qua culpa teneatur depositarius ad damnum resarciendum, si res deposita pereat, 4. 69. culpa juridica triplex, lata, levis, & levissima, ibidem. quæ res ordinariè deponantur, & apud quos deponi possint, 4. 70. casus fortuitus quomodo distinguatur à culpa, ibidem.

Desperatio quid sit, 10. 40. quam grave peccatum sit desperatio quæ ejus radix, & remedium, 10. 42. an possit esse sine infidelitate, 10. 43. per quem desperationis actum habitus fidei corrumpatur, 10. 44. V. Spes.

Detractio quid sit, & quot modis fieri possit, 8. 51. quomodo diserni possit, quando est peccatum mortale, & quando veniale, 8. 52. ad obligationem restitutionis, famæ tres concurrunt conditiones, ibidem. V. Fama.

Dispensatio legis quid sit, & importet, 2. 47. dispensatio à legitimo Superiore facta ab obligatione legis humanæ eximere potest,

teſt, 3.181. an, & quomodo inferior in lege Superiori diſpenſare poſſit, 2.182. ad juſtam diſpenſationem juſta requiritur cauſa, 2.183. licitè poteſt in ſua lege diſpenſare, etiamſi de juſtitia cauſæ dubitet, 2.185. invalida eſt diſpenſatio data ab inferiori in lege Superioris ſine legitima cauſa, 2.186. non tamen data à Superiore in lege propria à ſe data licet peccet ſic diſpenſando, 2.187. quale peccatum ſit ſine juſta cauſa diſpenſare, 2.189. quando ceſſante cauſa diſpenſationis ceſſet diſpenſatio ipſa, & quando non, 2.190. quid requiratur, ut diſpenſatio ſit valida. 2.193.

Divortium quid ſit, & importet, 10.127. adulterium eſt cauſa ſufficiens divortii quoad thorum, & habitationem, non tamen quoad vinculum conjugale, 20.128 poteſt hæc ſeparatio fieri à conjuge innocente licitè, & juſtè quoad thorum propria auctoritate, & abſque Judicis ſententia, non tamen quoad habitationem, ibidem. quid nomine adulterii ſufficientis ad divortium ſit intelligendum, 20.129. quæ peccata contra fidem conjugii ſub adulterio comprehendantur, quæ ſufficientem cauſam ad divortium præbeant, ibidem. quando adulterium ſit cauſa ſufficiens divortii, quando non, 20.130. & ſequ. poteſt fieri divortium, quoad thorum, & habitationem etiam aliis de cauſis ab adulterio diſtinctis, licet non in perpetuum, 20.134. quænam ſint hujuſmodi cauſæ, ibidem. quo pacto facto divortio ex adulterio licitum ſit utrique conjugi mutare ſtatum, 20.135.

Dominum quid ſit, 3.4. aliud eſt juriſdictionis, & aliud proprietatis, & hoc duplex, aliud perfectum, aliud imperfectum, 3.5. domini fundamentum eſt titulus, traditio autem conditio, 3.6. dominium quomodo ab Uſufructu differat, 3.7. latius patet, quam proprietas. ibidem. Uſus quid ſit, & quotuplex, 3.8. etiam in rebus uſu conſumptibilibus uſus à dominio diſtinguitur, 3.9. dominium propriè dictum quid dicat ſuper uſum rei, 3.10. Fratres Minores non habent dominium rerum, ſed tantùm nudum uſum, & facti, 3.12. cœteræ dominii diviſiones, 3.13. quinam ſint dominii capaces, 3.15. etiam parvuli, & amentes ſunt dominii capaces, 3.16. & ſequ. quarum rerum filii familias, & ſervi poſſint habere dominium, 3.18. & ſeq. quo jure Religioſi profeſſi ſint ad dominium inhabiles, 3.20. Beneficiarii ſunt domini ſuorum redituum quoad partem congruæ ſuſtentationi neceſſariam loquendo de dominio uſus fructus, non proprietatis, 3.23. quid dicendum ſit de parte redundante, & ſuperflua, 3.25. omnia infrà hominem cadunt ſub naturali prius dominio, 3.28. poteſt etiam unus homo in alium, homine habere dominium, 3.29. non tantùm juriſdictionis, ſed etiam proprietatis, 3.30. Pater dominium naturale habet etiam proprietatis in filium, ac etiam Dominus in ſervum juſto bello captum, ibidem. homo dominium non habet vitæ ſuæ, ſed tantùm eſt procurator, & cuſtos, 3.31. habet tamen dominium propriæ famæ, & honoris, licet non ſine juſta cauſa poſſit illa prodigere, 3.34.

Dominia rerum in ſtatu innocentiæ, & in pura lege naturæ non erant diſtincta, 3.38. in ſtatu naturæ lapſæ poſt peccatum fuere diſtincta, 3.39. omnia ab initio dicuntur fuiſſe communia de jure naturali non poſitivè, ſed negativè, tantùm, 3.40. diviſio rerum poſt Adæ peccatum non fuit facta per legem naturæ, nec per divinam, ſed per humanam poſitivam, 3.42. quo ſenſu dicatur communitas rerum fuiſſe de lege naturæ in ſtatu innocentiæ, 3.43. quomodo de facto fuerit facta prima rerum diviſio per legem humanam, 3.44. triplex eſt modus acquirendi rerum dominium, 3.47. res quæ nullius ſunt domini, ſpectatio jure naturæ, & gentium fiunt primò occupantis, 3.48. quid dicendum de theſauris, 3.49. an ſciens in agro alieno latere theſaurum poſſit agrum illum emere communi pretio ſine ulla reſtitutionis obligatione, 3.50. quid dicendum de bonis, quæ vacantia dicuntur, & pro derelictis habentur, 3.51. quid dicendum de bonis incertis, 3.52. quomodo acquiri poſſit rerum dominium jure præſcriptionis, 3.54. quid ſit præſcriptio, vel uſucapio, 3.55. talis acquirendi modus etiam in foro conſcientiæ valet. ibidem. conditiones præſcriptionis, ut dicatur legitima, 3.56. & ſeq. quid ſit poſſeſſio. ibidem. bona fides quid ſit, 3.57. quandonam dubium bonam fidem impediat, & præſcriptionem. ibidem. quid ſit titulus, 3.58. quodnam ſit tempus lege conſtitutum ad præſcriptionem inducendam, 3.59. modus acquirendi dominium jure belli, 3.60.

Donatio duobus modis fieri poteſt. 4.43. donatio propriè dicta quid ſit. ibidem. excludi tantùm debitum juſtitiæ, non autem gratitudinis. ibidem. tres præcipuè conditiones ad eam requiruntur, 4.44. donatio dominium transfert rei donatæ in donatarium. ibidem. mutuum requirit conſenſum, ut effectum inducat. ibidem. quæ donationes ſint validæ, & quæ invalidæ, 4.45. nullam obligationem donatio inducere poteſt ante donatarii acceptionem. ibidem. ultra tres conditiones aſſignatas donatio etiam exigit alias ad promiſſionem requiſitas, 4.46. variæ ſunt donationis ſpecies, 4.47. quibus de cauſis donatio revocari poſſit, 4.48. donatio facta cauſa mortis poteſt à donatore uſque ad morte revocari. ibidem. donatio remuneratoria propter ingratitudinem revocari non poteſt, 4.49. quomodo intelligendum ſit revocationem donationis fieri poſſe ob prolem poſteà habitam, 4.50. donatio non reviviſcit, ſi filii poſt donationem nati adhuc vivente patre moriuntur. ibidem.

Dubium. V. Conſcientia.

Duellum quid ſit, & quomodo à bello differat, 10.112. in quibus caſibus licitum. ibidem. quæ pœnæ ſint contrà duellantes conſtitutæ, 10.114. non licet viro nobili acceptare duellum, ne vilis habeatur, niſi incertis quibuſdam caſibus, 11.113.

E

Ecclesia poteſtatem habet reſervandi caſus in foro conſcientiæ, 21.219. habet etiam poteſtatem inſtituendi impedimenta matrimonii, non tantùm prohibentia, ſed etiam dirimentia, 20.88. habet præterea poteſtatem ferendi cenſuras, 13.4. & hæc poteſtas eſt de jure divino, inſtitutio tamen cenſurarum eſt de jure humano Eccleſiaſtico, 13.5. V. Cenſura.

Electio indigni ad aliquod officium abſque peccato fieri nequit, 6.3. in officiis ſæcularibus diſtribuendis non eſt obligatio ſemper eligendi digniorem, niſi in caſu concurſus, ſed ſufficit eligere dignum, 6.4. eſt tamen obligatio dandi hæc officia dignioribus regulariter, & magis frequenter, 6.5. an, & quomodo hæc ſæcularia officia licitè vendi poſſint, 6.6. grave peccatum eſt beneficia Eccleſiaſtica indignis conferre, 6.7. beneficia curam animarum annexam habentia dignioribus conferri debent, in diſtributione verò ſimplicium non eſt tanta obligatio, 6.9. eadem obligatio eſt eligendi digniorem in Prælatum regularem, ac ad curam animarum, 6.10. in quibus caſibus minus dignum eligere liceat omiſſo digniori, 6.12.

Eleemoſyna quid ſit, & quotuplex, 10.56. cadit ſub præcepto charitatis, 10.57. quo tempore hoc præceptum obliget, 10.58. de quibus bonis fieri debeat, 10.59. præceptum hoc etiam tempore neceſſitatis extremæ non obligat ex juſtitia, ſed tantùm ex miſericordia, & charitate, 10.61. quomodo intelligendum ſit, quod tempore neceſſitatis extremæ omnia ſunt communia, 10.62. ex injuſtè acquiſitis cum injuria alterius eleemoſyna fieri non poteſt, 10.63. quinam eleemoſynam licitè facere poſſint, 10.65. quis nam eleemoſynam recipere poſſint, 10.65. ſimulantes paupertatem tenentur ad reſtitutionem, & cui reſtituere debeant, ibidem.

Emphyteuſis, & feudum quid ſint, 5.152. quomodo inter ſe conveniant hi contractus, & quomodo differant, 5.153. quomodo differant à cœteris contractibus, 5.154. contractus libellarius quid ſit, ibidem. conditiones horum contractuum generales, 5.155. quæ ſit juſta penſio pro Emphyteuſi ſolvenda, ibid. conditiones ſpeciales Emphyteuſis, 5.156. conditiones ſpeciales feudi, 5.157.

Emptio, & venditio quomodo differant à ſimplici permutatione, 5.11. conditiones ad illas requiſitæ, 5.12. pretium rerum duplex, 5.13. cauſæ ob quas interdum licet rem pluris vendere, quàm per ſe valeat, 5.14. quid ſit contractus hujuſmodi, & quomodo ab aliis differat, 5.15. hic contractus etiam antè mercis traditionem, vel precii ſolutionem eſſentialiter perficitur ex motivo contrahentium conſenſu, ibidem. quando liceat res carius vendere, vel vilius emere, 5.16. an tempore ſterilitatis, & inopiæ ſervanda ſit lex, ſeù pragmatica frumenti, 5.17. cui poſt celebratum contractum res vendita perent, vel deterior, aut melior fiat, 5.18. & ſeq. quamvis hic contractus ſola contrahentium conventione perficiatur, emptor tamen non ſit dominus rei antè ipſius traditionem, ibidem. ob ſolam ſolutionis dilationem non licèt res carius vendere, quam valent numerata pecunia, 5.20. poteſt tamen aliquo modo id fieri ratione periculi, & expenſarum, quibus venditor ſe exponeret numerata pecunia, 5.21. & multò magis ratione damni emergentis, & lucri ceſſantis, 5.22. non licet minoris emere ob ſolam anticipatam ſolu-

ſolutionem, ſi nulla alia ſubſit cauſa, 5. 23. qui ſcit rem brevi minus valituram licitè poteſt vendere pretio currenti, 5. 25. in quibus circumſtantiis vendita minoris emi poſſint anticipata pecunia, quam reipſa contineant, 5. 27. quando debita ſunt liquida, & ſine periculo recuperationis licitè fieri nequit, 5. 28. lucrum, quod provenit ratione ſolius temporis non eſt licitum, ibidem. licita eſt emptio, & venditio rei cum pacto de retrovendendo, 5. 30. hujuſmodi pactum tripliciter fieri poteſt, ibidem. ut talis contractus ſit licitus, gravamen emptori, vel venditori impoſitum juſtè compenſari debet, 5. 31. quæ monopolia ſint illicita, & prohibita, 5. 33. conventio mercatorum de non vendendo, niſi pretio ſupremo in latitudine juſti eſt peccatum, non tantùm contrà charitatem, ſed etiam contrà juſtitiam, 5. 35. juſtitia pretii undè ſit deſumenda, 5. 36. quomodo licitum ſit aliquas merces vili pretio emere, ut poſteà carius vendantur, & quomodo non, 5. 37. poteſt Princeps ex juſta cauſa privilegium concedere, ut non niſi certi mercatores certas merces vendant, & negotiationem exerceant, 5. 38. quot modis negotiatio vitiari poſſit, & illicita reddi, 5. 39.

Epicheja quid ſit, 2. 212. quando lex per Epichejam ceſſet, 2. 213. poteſt etiam ceſſare per interpretationem ipſius, 2. 214. quomodo interpretatio differat ab emendatione legis, quæ fit per Epichejam, ibidem. & hoc intelligendum eſt non tantùm de interpretatione generali, quæ legislatori competit, ſed etiam privata, & particulari, 2. 215.

Epiſcopatus novum habet characterem impreſſum ab aliis diverſum, & etiam à Sacerdotali diſtinctum, 9. 27. Epiſcopatus neceſſario Sacerdotium ſupponit, 19. 28. an character Epiſcopalis ſit dignior Sacerdotali, 19. 29.

Euchariſtia eſt Sacramentum novæ legis à Chriſto Domino in ultima Cœna inſtitutum, 18. 3. quid ſit, & quomodo definiatur, ibidem. hoc Sacramentum in re permanente conſiſtit, non in tranſeunte, 18. 4. ſpecies panis, & vini pertinent ad rationem eſſentialem hujus Sacramenti, non tamen Corpus, & Sanguis Chriſti in rigore loquendo, 18. 5. quamvis hoc Sacramentum eſſentialiter, & in recto ſolas ſpecies Sacramentales importet, adhuc tamen connotat Corpus, & Sanguinem Chriſti ſub ipſis contenta, 18. 7. hoc Sacramentum ſimpliciter, & abſolutè dicitur unum, non unitate indiviſibilitatis, ſed integritatis, 18. 9. quomodo in utraque ſpecies ſalvetur eſſentia hujus Sacramenti, 18. 10. unitas hujus Sacramenti non eſt ſpecifica tantùm ſpecie ſubalterna, ſed etiam infima, & athoma, 18. 11. huic Sacramento concedenda eſt etiam pluralitas numerica, & undè ſit deſumenda, 18. 12. hoc Sacramentum non eſt neceſſarium neceſſitate medii, 18. 13. ſed tantùm neceſſitate præcepti, 18. 14.

Euchariſtiæ materia remota, & tranſiens eſt panis, & vinum, 18. 15. materia conſecrationis Corporis Chriſti debet eſſe panis triticeus aqua naturali confectus, & igne decoctus, vel aſſus, 18. 16. tàm panis azymus, quàm fermentatus eſt materia ſufficiens loquendo de neceſſitate Sacramenti, 18. 17. loquendo verò de neceſſitate præcepti Latini in azymo, Græci fermento conſecrare tenentur, ibidem. ſolum vinum de vite eſt apta materia ad conſecrationem Sanguinis Chriſti, 18. 18. vinum quoque congelatum eſt ſufficiens conſecrationis materia, ibidem. aqua eſt vino miſcenda antè conſecrationem in parva quantitate, 18. 19. non quidem neceſſitate Sacramenti, ſed præcepti tantùm Eccleſiaſtici, ibidem. hæc aqua debet eſſe naturalis, non artificialis, 18. 20. materia debet eſſe conſecranti ſufficienter præſens, 18. 21. debet etiam eſſe certa, & determinata ex intentione conſecrantis, 18. 22. quæcunque minima quantitas materiæ eſt conſecrabilis, dummodò ſit ſenſibilis, 18. 23. cur conſecrari non poſſit in quacunque magna quantitate, 18. 24. non eſt de neceſſitate Sacramenti Euchariſtiæ utriuſque ſpeciei conſecratio, 18. 25. ſed de neceſſitate præcepti, non tantum Eccleſiaſtici, ſed etiam divini, 18. 26. ideò neque Summus Pontifex diſpenſare poteſt, ut in una ſola ſpecie conſecretur, 18. 27.

Euchariſtiæ forma in conſecratione Corporis ſunt illa verba, *Hoc eſt Corpus meum*, 18. 29. non ſunt neceſſaria verba præcedentia neceſſitate Sacramenti, ſed tantùm præcepti, ibidem. forma Conſecrationis Calicis ſunt illa verba: *Hic eſt Calix Sanguini mei*, 18. 30. verba verò ſequentia non ſunt de eſſentia, 18. 31. verba Conſecrationis proferuntur à Sacerdote recitativè, & ſignificativè ſimul, 18. 32. quid demonſtret pronomen *Hoc*, vel *Hic* in forma conſecrationis, 18. 33. non ſumitur adiectivè, ſed ſubſtantivæ, & demonſtrat ſingulare entis determinatum, 18. 34. quomodo verba Conſecrationis ſint vera etiam quando proferuntur, 18. 35. tria ſunt admirabilia, quæ per verba Conſecrationis efficiuntur, 18. 36. nimirum, quod ſub ſpeciebus Euchariſtiæ contineatur verè, & realiter, ac ſubſtantialiter, Corpus, & Sanguis Chriſti, 18. 37. quod nihil ſubſtantiæ panis, & vini in eis remaneat, ſed tota tranſmutetur, & convertatur ſubſtantiam Corporis, & Sanguinis, 18. 38. & quod accidentia panis, & vini maneant, ſine ullo ſubjecto, 18. 39. quomodo accidentia ſic ſeparata conſerventur, ibidem. verba conſecrationis ſunt converſiva ratione ſignificationis, non ratione veritatis, 18. 40. poſſunt plures Sacerdotes eandem materiam validè, & licitè conſecrare, 18. 41. quid ſit propriè tranſubſtantiatio, quomodo intelligi debeat, 18. 42. inter ſpecies, & Corpus, ac Sanguinem Chriſti nulla intercedit phyſica unio, ſed ſolum realis, & indiſſolubilis præſentia durantibus ſpeciebus, 18. 43. quod ponatur in hoc Sacramento ex vi verborum, & per concomitantiam, 18. 44. quomodo Chriſtus in Euchariſtia propriam retineat quantitatem, & figuram, quam habet in Cœlo, 18. 45. accidentia in Euchariſtia omnem actionem habere poſſunt quam in ſubjecto habere poterant, 18. 46. ac etiam omnem paſſionem, 18. 47.

Euchariſtiæ primarius, & per ſe effectus eſt augmentum gratiæ conferre, non verò primam gratiam, 18. 49. poteſt tamen hic quoque eſſe effectus ejus ſecundarius, & per accidens in aliquo caſu, ibidem. præter augmentum gratiæ quos alios cauſet effectus, 18. 50. majorem gratiam confert hoc Sacramentum virtute utriuſque ſpeciei, quam unius tantùm, 18. 52. quo tempore hoc Sacramentum incipiat conferre gratiæ augmentum in ejus ſumptione, 18. 53. an eam conferat quouſque in ſtomacho durat, 18. 54. mundities ab omni peccati mortalis macula eſt neceſſaria diſpoſitio ad dignam hujus Sacramenti ſuſceptionem, 18. 85. non ſufficit ſtatus gratiæ per contritionem, ſed debet eſſe per præviam confeſſionem regulariter loquendo, 18. 56. quo jure Sacramentalis Confeſſio Sacræ Communioni præmittenda ſit, 18. 57. ad percipiendum primarium hujus Sacramenti effectum præter ſtatum juſtitiæ, & ſanctitatis neceſſarius non eſt aliquis devotionis affectus, 18. 58. ad receptionem Euchariſtiæ requiritur etiam, ut recipiens ſit jejunius, 18. 59 caſus, in quibus licet non jejuno Euchariſtiam ſumere, 18. 60. requiritur tandem, quod nulla Eccleſiæ prohibitio talem perceptionem impediat, 18. 61. pluribus modis hoc Sacramentum ſuſcipi poteſt, 18. 63. ſoli homines viatores, & baptizati ſunt hujus Sacramenti capaces, ibidem. etiam infantes ſunt hujus Sacramenti capaces, non tamen expedit de facto hoc Sacramentum illis præbere, 18. 64. quid dicendum ſit de amentibus, ibidem, qua ætate pueri ſunt hujus Sacramenti capaces, & eis miniſtrari debeat, 18. 66. etiam muti, & ſurdi à nativitate ſunt hujus Sacramenti capaces, eiſque miniſtrari debet, 18. 66. rei etiam ad mortem damnati ſunt Euchariſtiæ capaces, poſſunt tamen auctoritate Eccleſiæ privari, 18. 67. Laici non tenentur communicare ſub utraque ſpecie, 18. 68. ſolus Sacerdos eſt legitimus Miniſter Euchariſtiæ conficiendæ, & Ordinarius Miniſter adminiſtrationis illius, 18. 70. extraordinarius autem poteſt eſſe etiam Diaconus, ibidem: an Laicus in caſu neceſſitatis poſſit infirmo hoc Sacramentum miniſtrare, 18. 71. nullus Sacerdos poteſt licitè alteri Euchariſtiam miniſtrare, niſi ſit ejus proprius paſtor, vel ex ejus commiſſione, ſeu licentia expreſſa, vel rationabiliter præſumpta, 18. 72. quæ diſpoſitio requiratur in Sacerdote hoc Sacramentum conficiente, vel miniſtrante, 18. 73. probabile eſt fidelem in caſu neceſſitatis Euchariſtiam ab excommunicato, degradato, & hæretico ſumere poſſe, 18. 74. quomodo debeat ſe gerere Miniſter cum peccatore Euchariſtiam petente, 18. 76.

Euchariſticæ communionis in Paſchate præceptum quos obliget, & quo tempore, 12. 51. præceptum de communicando non tantùm Eccleſiaſticum eſt, ſed etiam divinum, 12. 52. quo tempore præceptum hoc obliget etiam de jure divino, 12. 53. hoc præceptum non eſt ità Paſchati affixum, ut qui tunc non communicavit, non obligetur ad communicandum amplius eo anno, 12. 54. an prævidens ſe in Paſchate legitimè impediendum debeat præceptum prævention ſolvere communionem anticipando, 12. 55. qui ſcientes, vel ignoranter in Paſchate communicavit in ſtatu peccati Eccleſiæ præcepto ſatisfacit, 12. 56. quod Euchariſtia non ſumatur indigne præceptum eſt divinum, non Eccleſiaſticum, 12. 57. ad impletionem hujus præcepti requiritur, ut Euchariſtia in propria Parochia ſumatur, 2

58. quæ perſonæ hoc præcepto adſtringantur, 12. 59.
Excommunicatio quid ſit, 13. 33. quibus bonis excommunicatio privet, ibidem, dividitur propriè, & principaliter in majorem, & minorem, 13. 34. quid ſit excommunicatio major, & quomodo differat à minori, ibidem, quid ſit excommunicatio minor, & quis proprius, & adæquatus ejus effectus, 13. 35. quamvis excommunicatus minori excommunicatione peccet mortaliter recipiendo Sacramenta, adhuc tamen validè ea ſuſcipit, excepto Pœnitentiæ Sacramento, nec irregularitatem incurrit, 13. 36. quinam abſolvere poſſit ab excommunicatione minori, ibidem. dividitur ulterius in excommunicatione à jure, & ab homine, in generalem, & ſpecialem, & quomodo differant, 13. 37. prætereà dividitur in juſtam, & injuſtam, validam, & invalidam, 13. 38. cauſa legitima, & juſta ferendi excommunicationem majorem eſt peccatum mortale contumaciæ annexum, ibidem, quando excommunicatio infligitur abſolutè, & ſine ulla ſpecificatione, intelligi debet de excommunicatione majori, 13. 39. plures, & varii ſunt excommunicationis majoris effectus, 13. 40. primus eſt privare excommunicatum ſaltem non toleratum communibus Eccleſiæ ſuffragiis, 13. 41. excommunicati alii ſunt tolerati, alii non tolerati, & iſti omnes hujuſmodi ſuffragiis privantur, 13. 42. probabile tamen eſt excommunicatum contritum, & pœnitentem illis non privari, 13. 43. ſuffragiis verò, & orationibus privatis nullus excommunicatus privatur, 13. 44. ſecundus excommunicationis majoris effectus eſt privare excommunicatum communione Sacramentorum tàm activa, quàm paſſiva, 13. 45. niſi tamen ignorantia invincibilis, vel alia gravis neceſſitas excuſet, ibidem excommunicatus adminiſtrando Sacramenta fit irregularis, non tamen ea ſuſcipiendo, niſi ſit Sacramentum Ordinis, 13. 46. omnia Sacramenta ab excommunicato ſuſcepta ſunt valida, & rata, excepto Pœnitentiæ Sacramento, etiamſi illicitè recipiantur, 13. 47. quo pacto etiam pœnitentiæ Sacramentum ab excommunicato ſuſceptum ſit validum, 13. 48. omnia etiam Sacramenta ab excommunicato adminiſtrata excommunicatione majori ſunt valida, & rata præter pœnitentiam, 13. 49. Sacramentum pœnitentiæ ab excommunicato non tolerato collatum eſt nullum ob defectum juriſdictionis, 13. 50. collatum autem à tolerato eſt validum, niſi aliundè eſſentialem habeat defectum, 13. 51. tertius excommunicationis majoris effectus eſt privatio uſus Divinorum Officiorum, ac etiam Eccleſiaſticæ ſepulturæ, 13. 52. quid nomine Divinorum Officiorum intelligatur, ibidem, quartus effectus eſt incapacitas, & inhabilitas ad beneficia Eccleſiaſtica, & ad fructus eorum, 53. 13. quintus effectus eſt privatio juriſdictionis Eccleſiaſticæ externæ, 13. 54. ſextus effectus eſt privatio communicationis forenſis 13. 55. an contractus ab excommunicato facti ſint validi, 13. 56. teſtamentum ab eo factum eſt validum, & ratum, ibidem. ſeptimus, & ultimus effectus eſt privatio civilis, & politicæ communicationis fidelium, 13. 57. quid talis excommunicatio importet, ibidem. quale peccatum ſit communicare cum excommunicato, 13. 58 quibus caſibus licita ſit interdum communicatio aliqua cum excommunicato etiam denunciato, 13. 59.
Excommunicatio major variis de cauſis incurri poteſt, 13. 61. qua ratione excommunicationem majorem incurrat, qui Clericum percutit, 13. 62. quibus caſibus eam incurrat, vel non, 13. 63. quibus caſibus ab hac excommunicatione Papæ reſervata poſſit Epiſcopus abſolvere, 13. 64. quibus caſibus non teneamur Judici denunciationem, ſub pœna excommunicationis imperanti obtemperare, 13. 65. & ſequentibus, excommunicatio ferri non poteſt, niſi ob peccatum mortale exterius annexam habens contumaciam, 13. 67. & hoc debet eſſe proprium, & non ſufficit alienum, ibidem. quænam ſint cauſæ impedientes incurſum excommunicationis majoris, 13. 68. regula generalis pro abſolutione excommunicationis majoris, 13. 69. ab excommunicatione à jure communi non reſervata Pontifici poteſt abſolvere, qui poteſt abſolvere à peccatis, 13. 78. ab excommunicatione à jure reſervata is tantùm abſolvere poteſt, cui eſt reſervata, aut ejus Superior, vel ille, cui ipſe commiſerit, 13. 72. excommunicatio ab homine lata ab eo per abſolutionem relaxari poteſt, à quo fuit lata, vel ab ejus Superiore, 13. 73. in articulo mortis, vel ejus evidenti periculo omnes Sacerdotes etiam ſimplices poſſunt abſolvere à quavis excommunicatione reſervata, ſicut à peccatis reſervatis, 13. 75. quæ conditiones in abſolvente requirantur, 13. 76. quæ conditiones requirantur ex parte abſolvendi. 13. 77. quandò invitus abſolvi poſſit, & quando non, ibidem. forma abſolutionis ab excommunicatione qualis eſſe debeat. 13. 78. abſolutio ab excommunicatione fieri poteſt ſub conditione de futuro validè, & licitè, 13. 79. quando quis abſolvi poſſit ab excommunicatione non ſatisfacta parte læſa, & quando non, 13. 80. an ut is, qui abſolutus eſt ad reincidentiam, iterum in excommunicationem incidat, requiratur nova culpa, 13. 81. quando excommunicatio poſſit auferri, & deſinere eſſe abſque abſolutione, 13. 82. abſolutus ab excommunicatione in foro conſcientiæ, quando poſſit cum aliis communicare, & actus exercere, qui per cenſuram prohibentur, 13. 83. excommunicatus ab uno Epiſcopo ſi mutet domicilium, quando poſſit ab alio Epiſcopo abſolvi, & quando non, 13. 84. & ſeq.
Extrema unctio, V. Unctio extrema.

F.

FAmæ, & honoris nomine quid ſignificetur, 8. 48. læſio famæ dupliciter fieri poteſt, vel per ſolum actum internum, vel etiam per externum dicti, aut facti, 8. 49. judicium temerarium quid ſit, ibidem. ex judicio temerario præcisè inſpecto nulla inſurgit reſtituendi famam obligatio, 8. 50. ut ſit peccatum mortale tria requiruntur, ibidem. quid ſit detractio, & quot modis fieri poteſt, 8. 51. quomodo diſcerni poſſit, quando eſt peccatum mortale, & quando veniale, 8. 52. ad obligationem reſtitutionis famæ tres concurrunt conditiones, ibidem. Contumelia quid ſit, & quomodo à detractione differat, 8. 53. ex ſuo genere eſt peccatum mortale, & gravius detractione, ibidem. differunt ſpecie, & non tantùm ſecundùm magis, & minus ſub eadem ſpecie, 8. 54. quibus aliis modis fama, & honor proximi lædi poſſint, 8. 55. fama reſtitui debet, ac etiam damna in bonis fortunæ indè ſecuta, 8. 56. qui falſum crimen impoſuit, tenetur verbum ſuum retractare, 8. 57. talis retractatio quomodo fieri debeat, 8. 59. & 61. qui bona fide alium diffamavit putans crimen eſſe verum, & publicum, ſi poſteà ſuum reſciat errorem, ad reſtitutionem famæ tenetur, 8. 62. quando infamia oblivioni eſt tradita, infamator ad reſtitutionem non tenetur, 8. 63. qui verum crimen, tamen occultum, in publico proponit juris ordine non ſervato, mortaliter peccat, & ad reſtitutionem tenetur, 8. 64. modus reſtituendi famam hoc modo ablatam, ibidem, & 67. quid dicendum, cum quis crimen verum, ſed occultum, in publico tamen ſibi impoſitum negat, ex quo ſequitur, accuſantis infamatio, 8. 68 quid dicendum ſit de honoris læſi compenſatione, & quomodo compenſari debeat, 8. 69. & ſequentibus cauſæ à reſtitune famæ communiter excuſantes, 8. 71. quo pacto infamatus reſtitutionem famæ validè condonare poſſit, 8. 73. infamare ſeipſum non eſt peccatum mortale ex genere ſuo, ſed tantùm ex conſequenti, & ratione circumſtantiarum, 8. 75. poteſt quis licitè ad evitandum gravia tormenta falſum crimen ſibi imponere, 8. 77. quando liceat quibuſdam de cauſis crimen alterius occultum alteri detegere, 8. 79. delictum duobus modis publicum dici poteſt, 8. 80. non eſt peccatum contrà juſtitiam crimen alicujus alicubi publicum alibi manifeſtare, ubi neſcitur, 8. 85. quando qui detractorem occidit mortaliter peccet, & ad reſtitutionem teneatur, & quando non, 8. 87. & ſeq. quando fama reſtitui nequit, per pecuniam compenſari non poteſt, 8. 89.
Feſtorum obſervatio tertio decalogi præcepto continetur, 11. 70. ad quos ſpectet dies feſtos inſtituere, 11. 71. hoc præcepto diebus feſtis opera ſervilia prohibentur, & quæ talia dicantur, 11. 72. duo etiam alia operum genera diebus feſtis prohibentur, licet non ſint ſervilia, mercatus, ſcilicet, & actus forenſes, ſeù judiciales, 11. 73. quot ſint ſervilia, & diebus feſtis prohibita, 11. 74. quæ cauſæ excuſent ab obſervatione feſtorum, ob quas opera tunc prohibita licent, 11. 76. an peccet mortaliter qui pluribus diebus feſtis parva opera ſervilia præſtat, 11. 77. duo præſertim ad ſanctificationem dierum feſtorum requiruntur, 11. 78. obligat hoc præceptum omnes fideles uſum rationis habentes Miſſam audire in diebus feſtis, 11. 79. ad cujus præcepti ſatisfactionem tria præſertim requiruntur, ſcilicet, præſentia moralis, attentio debita, & integra Miſſæ auditio, ibidem. quænam cauſæ ab auditione Miſſæ excuſent, ibidem, diſcedens à loco, ubi dies feſtus agitur, debet audire Miſſam præveniendo, ſi eo manè ad locum præventurus eſt, ubi dies feſtus non celebratur, 11. 80. præceptum hoc non obligat ad exercendum intrà diem feſtum alium actum externum divini cultus

tus præter Missam, 11. 81. præter cultum externum in die festo audiendi Missam non tenemur ad ullum actum internum mentis, nisi quantum sufficit ad attentionem Missæ debitam, 11. 82.

Feudum quid sit, 5. 152. quomodo differat ab Emphyteusi, 5. 153. conditiones feudi speciales, 5. 157. V. Emphyteusis.

Fidejussio quid sit, & quotuplex, 5. 161. conditiones ad hunc contractum requisitæ, 5. 162. potest fidejussor pretium aliquod accipere à debitore, pro quo fidejussionem facit, 5. 163.

Fides est omnium præceptorum fundamentum, 10. 1. in lege gratiæ post Evangelii promulgationem omnes fideles adulti tenentur aliquo modo implicitè articulos fidei credere, 10. 2. fides actualis explicita Dei remuneratoris, mysterii Trinitatis, & Christi necessaria est necessitate medii. 13. 3. & seq. quorum mysterium fides actualis sit necessaria necessitate præcepti, 10. 5. & seq. quo sensu hæc mysteria dicantur esse explicitè credenda à fidelibus, 10. 6. præceptum fidei duplex est, unum affirmativum, alterum negativum, 10. 7. quando obliget præceptum fidei affirmativum, 10. 8. datur præceptum divinum de non neganda fide externè, 10. 9. obligamur ad externam fidei confessionem, quando necessaria est, vel ad honorem Dei, vel ad utilitatem proximi, 10. 10. licitum est Christiano tempore persecutionis fugere, vel se occultare, ne cogatur de rebus fidei respondere, 10. 11. quid dicendum de Episcopis, & Pastoribus, ibidem. licitum est occultare fidem signis, quæ ex se sunt indifferentia, non verò illis, quæ ad profitendam falsam religionem sunt instituta, 10. 12. neque est illicitum templa infidelium ingredi curiositatis causa, vel ad sæcularia negotia tractanda, 10. 13. non peccat contrà confessionem fidei, qui degens, vel transiens per loca infidelium vescitur carnibus diebus ab Ecclesia vetitis gravi existente causa, ibidem. quomodo licitum sit fideli per provincias infidelium transeunti uti vestibus illorum, & quomodo non, 10. 14. qua necessitate sit necessaria externa fidei confessio, 10. 15. cujus virtutis sit actus hujusmodi confessio, 10. 16. infidelitas est duplex alia negativa, alia positiva, 10. 17. negativa per se non est peccatum, positiva verò est peccatum gravissimum, ibidem. positiva dividitur in tres species, vel potius modos infidelitatis, scilicet, in Paganismum, Judaismum, & Hæresim, 10. 18. prædictarum trium infidelitatis specierum pejor omnium est hæresis, 10. 19. negans fidem verbis, vel facto, interius verò retinens verum assensum non est censendus hæreticus, 10. 20. dubius in fide positivè est hæreticus, non autem dubius negativè, 10. 22. in quo consistat pertinacia, quæ ad hæresim requiritur, 10. 23. & sequentibus, nullus error contrà fidem ex ignorantia crassa, & supina est hæresis, 10. 26. quid dicendum de errore ex ignorantia affectata, 10. 27. blasphemia per se, & formaliter est peccatum virtuti Religionis oppositum, non autem fidei, nisi per accidens, & materialiter, 10. 28. quibus liceat de rebus fidei cum infidelibus disputare, 10. 29. quomodo liceat cum infidelibus communicare, 10. 30.

Filius ex quarto Decalogi præcepto parentes honorare tenetur, eisque reverentiam exhibere, 11. 85. & sequentibus, an in aliquo casu liceat filio manus violentas inferre patri, 11. 87. ratione pietatis tenetur filius speciali modo ad amorem ergà parentes, & quæ sint signa talis amoris, 11. 88. si pater bona filio non relinquit, non tenetur hic ex propriis debita ejus solvere, 11. 88. in quibus filii parentibus obedire teneantur, 11. 90. quo casu Pater possit filio impedire Religionis ingressum, 11. 91. filii tenentur parentibus subvenire in necessitate tàm spirituali, quàm corporali, 11. 92. si necessitas fuerit extrema, vel saltem gravis, Religionem ingredi non debent eis relictis, ibidem. si verò sint ingressi, & professi, tenentur egredi ad tempus pro eis sublevandis, 11. 93. tria debent è contrà parentes filiis, 11. 94. primum est alimentatio, & educatio necessaria, 11. 95. secundum est instructio in fide, religione, & bonis moribus, 11. 96. tertium est cura, studium, & diligentia, ut in certo vitæ statu pro conditione personæ filius collocetur, 11. 97. quæ sit obligatio dominorum, & famulorum, aliorumque Superiorum, & inferiorum ergà se invicem. 11. 98. ad quid teneantur tutores, & curatores, qui parentum loco succedunt, ibidem. ad quid teneantur conjuges ergà se mutuo ex vi hujus præcepti, 11. 99. in extrema necessitate potius adjuvandus est pater, quàm filius, & uxor, ac etiam, quàm Mater, 11. 100.

Forum V. Judex, Judicium.

Furtum quid sit, & quomodo à rapina differat, 9. 3. sunt peccata specie distincta, 9. 5. quænam in furto existimanda sit quantitas sufficiens ad peccatum mortale contrahendum, 9. 7. quandonam, & quomodo mortaliter peccet, qui plura modica furta committit, 9. 9. quomodo in tali casu restitutio fieri debeat, 9. 11. quomodo peccent plures parvam quantitatem auferentes ab eodem, 9. 13. ad furtum grave domesticorum major requiritur quantitas, quàm ad furtum exterorum, 9. 14. rei alienæ detentor quoties novo peccato peccare dicatur non restituendo, 9. 15. continuò peccat actualiter quamdiu non restituit, idem peccatum moraliter continuando ab initio inchoatum, 9. 16. non toties fur peccat, quoties re aliena utitur invito domino, 9. 19. in extrema necessitate licitum est aliena furripere, 9. 20. non tamen in gravi necessitate citrà extremam, 9. 21. quandonam aliquid accipiens in extrema necessitate teneatur illud restituere, & quando non, 9. 22. res aliena per compensationem occultam accepta transit statim in dominium accipientis, 9. 23. quandonam peccent filii, & ad restitutionem teneantur parentibus furripiendo, 9 24. quandonam peccent uxores furripiendo maritis, 9. 25. damnum datum quid sit, & quomodo à furto distinguatur, 9. 26. quandonam dans operam rei illicitæ teneatur ad restitutionem pro damno ex illa actione secuto etiam non intento, 9. 30. regula generalis de obligatione restitutionis pro damno illato, 9. 31. solùm restitui debet valor rei, quando destructa fuit, non autem futurus, ibidem, in quo casu etiam lucrum cessans sit compensandum, 9. 32. quandonam præter damni dati aliqua etiam compensatio pro injuria illata sit facienda, 9. 34. quando impediens alium à consecutione alicujus boni ad restitutionem teneatur, 9. 35. solus animus nocendi sine ulla juris alicujus violatione non est sufficiens radix restituendi, 9. 37. sed solùm quando conjuncta est fraus, & dolus, quibus impeditur jus alterius, 9. 38. in aliquo tamen casu sola intentio nocendi per media aliàs licita obligationem restituendi inducere potest, 9. 39. regulæ cognoscendi, quando interveniat obligatio restituendi impedimento alium à consecutione alicujus boni, & quando non, 9. 41. quando impediens magis dignum à consecutione alicujus officii, vel beneficii, ut detur minus digno, teneatur ad restitutionem magis digno, 9. 93. & seq.

Furtum reipsa patratum septimo Decalogi præcepto prohibetur, deliberata verò voluntas illud patrandi per se, & directè hoc præcepto non prohibetur, sed decimo, 11. 151. quibus in casibus ablatio rei alienæ invito domino absque ullo justitiæ detrimento fieri possit, 11. 152. furtum, & rapina, quæ hoc præcepto prohibentur nedùm sunt peccata mortalia ex genere suo, etiam ad restitutionem obligant, 11. 153. quibus in casibus excusentur à mortali, & interdum ab omni culpa, ibidem. hoc præceptum non habet locum in Christianis furripientibus res ab infidelibus ex consensu Principum, 11. 154. hoc præcepto prohibetur non solùm furtum simplex, sed etiam Sacrilegium, quod est furtum perpetratum rei sacræ, vel in loco sacro, 11. 155. excommunicatio, quæ fertur contrà fures, nisi restituant, illos non comprehendit, qui rem parvi momenti furati sunt, 11. 156. ad furtum proprié dictum requiritur, ut sit acceptio rei alienæ invito domino quoad substantiam rei acceptæ, non tantùm quoad modum accipiendi, 11. 157. pluribus modis contrà hoc præceptum peccari potest, 11. 158. primò peccatur injusta rerum acquisitione, quæ multipliciter contingere, potest, 9. 159. deindè per fraudulentiam, vel dolum alios in contractibus decipiendo, 11. 160. rursus prava cooperatione ad talia acquisita illicita, 9. 161. peccatur etiam contrà hoc præceptum indebita distributione, 11. 162. tandem contrà hoc præceptum peccatur per variam damnificationem, 11. 193. non est licitum mutuanti aliquid ultrà sortem exigere, etiamsi obliget ad non repetendam sortem usque ad certum tempus, 11. 164. an liceat punire furtum pœna mortis, 8. 32. quandonam id justè fieri possit, quando non, 8. 34. & sequentibus quomodo per leges municipales furtum damnetur pœna mortis, 8. 36.

G.

GAbella juſtè impoſita obligat in conſcientia, & ad reſtitutionem, 6. 19. quandonam gabella ab exactoribus non petita poſſit in conſcientia non ſolvi, 6. 20. quid dicendum, quando mercator eſt dubius de juſtitia vectigalis impoſiti, ibidem. tàm Eccleſiæ, quàm Eccleſiaſticæ perſonæ, ac eorum bona ſunt à ſolutione gabellarum exempta, 6. 21. talis exemptio eis competit, non tantùm jure humano, ſed etiam divino, ibidem.

Gaudium, & delectatio ad voluntatem pertinent, non ad intellectum, & ſunt ejus paſſiones, non actus, 25. 18. beatitudo delectationem, & gaudium neceſſariò includit, 25. 19. V. Beatitudo.

Generatio prolis eſt finis primarius, & immediatus matrimonii, 20. 125. quomodo cum tali fine adhuc compoſſibile ſit votum inter conjuges de caſtitate ſervanda, 20. 91. V. Matrimonium.

Glorioſa Virgo Deipara in ſui Conceptione fuit à macula originalis peccati præſervata, 28. 118. quantam gratiæ perfectionem, & intenſionem toto tempore vitæ ſuæ conſecuta fuerit, 28. 119. in plenitudine gratiæ Sanctos omnes, & Angelorum ordines ſuperavit, 28. 120. & idem dicendum eſt in perfectione beatitudinis, quia hæc perfectioni gratiæ reſpondet, 28. 121. quid Beata Virgo ſingulariter in Verbo videat ſuprà alios Beatos, quoad ea, quæ ad ſcientiam viſionis ſpectant, 28. 122. & ſeq. quid dicendum quoad ea, quæ ſpectant ad viſionem poſſibilium, quæ nunquam erunt, 28. 124. quid dicendum de perfectionibus gloriæ accidentalis ejus, & quid ſit Aureola, & quotuplex, 28. 125. aureola virginitatis inſignita eſt, cùm ſit Regina Virginum, 28. 126. ac etiam aureola doctrinæ, cùm fuerit fidei Magiſtra, & Apoſtolorum doctrix, ibidem. competit etiam ei excellentius aureola Martyrii, quàm omnibus Martyribus, 28. 127. veriſimile etiam eſt ob dignitatem Matris Dei ſingularem aliquem habere ſplendorem, vel decorem, qui omni aureola perfectior ſit, & excellentior, 28. 128. quid de gloria Corporis Virginis ſentiendum ſit, ibidem. ipſa ſola ſub Chriſto immediatè ſpecialem ſedem, & ſingularem chorum conſtituit, 28. 129.

Gradus conſanguinitatis quomodo ſint dignoſcendi, & computandi, 20. 102. gradus affinitatis menſurandi ſunt juxtà gradus conſanguinitatis, 20. 112.

Gratia ſanctificans per Sacramenta novæ legis confertur per ſe, & propriè ex divina inſtitutione, 16. 19. non quidem principaliter, ſed inſtrumentaliter, & ex opere operato, 19. 20. non quidem phyſicè, ſed moraliter, 16. 31. nulla gratia confertur per Sacramenta à gratia habituali diſtincta præter auxilia quædam particularia, 16. 23. quomodo, & quando inæqualem conferant gratiam, 16. 24. an uberior gratia conferatur ex opere operantis, vel etiam ex opere operato, 16. 25. quædam Sacramenta per ſe, & ex viſuæ inſtitutionis primam gratiam conferunt, quædam verò ſecundam, ſeù augmentum ejus, 16. 26. per accidens tamen contingere poteſt, ut hæc primam, & illa ſecundam conferant, ibid. quo tempore Sacramenta conferant gratiam, 16. 27. V. Sacramentum.

Gula quid ſit, & quale peccatum, 15. 146. quid de ebrietate dicendum, 15. 47. quæ, & quot ſint filiæ Gulæ, ibidem. V. Vitia capitalia.

H.

HAbitualis macula eſt effectus peccati, quæ tranſacto peccati actu in ipſa remanent, 15. 121. quid ſit, & quid importet hæc macula habitualis, 15. 122. V. Peccatum.

Hæredes quinam poſſint inſtitui, & qui non, 4. 54. V. Teſtamentum.

Hæreſis quid ſit, 6. 18. & ſeq. negans fidem verbis, vel facto, interius verò retinens verum aſſenſum non eſt cenſendus hæreticus, 10. 20. dubius in fide poſitivè eſt hæreticus, non autem dubius negativè, 10. 22. in quo conſiſtat pertinacia ad hæreſim requiſita, 10. 23. V. Fides.

Hypocriſis quid ſit, & quinam verus hypocrita dicatur, 7. 44. acquiſita per hypocriſim ſunt reſtitutioni obnoxia, ibidem. acquirens per hypocriſim beneficium Eccleſiaſticum, aut aliquod aliud officium in Religione ad reſtitutionem tenetur, 7. 45.

Hypotheca, & pignus quid ſint, & quomodo differant, 5. 164. quæ ſint obligationes ex hypotheca, & pignore extortæ, 5. 165. quæ ſint ex parte creditoris, 5. 166. quæ res poſſint oppignorari, & hypothecari, 5. 167. à quibus poſſint oppignorari, & hypothecari, 6. 168.

Homicidium quinto Decalogi præcepto prohibetur, 11. 102. quæ occiſio hominis ſit illicita, & qua ratione, 11. 103. fieri debet publica, & legitima auctoritate, ut ſit licita, ibidem. quo caſu etiam privata auctoritate fieri poſſit, ibidem. hoc præcepto non tantùm prohibetur omnis injuſta proximi occiſio, & mutilatio, ſed etiam ſui ipſius, 11. 104. duobus tantùm caſibus licita eſt alicujus membri mutilatio, ibidem. peccatum homicidii, ex circumſtantiis occurrentibus quandoque fieri poteſt gravius, quandoque levius, 11. 105. quandonam in ebrietate occidens ſit homicidii reus, & quando non, ibidem. quot modis in quintum Decalogi præceptum peccetur, 11. 106. quomodo contrà hoc præceptum quandoque etiam Medici peccent, 11. 107. homicidium eſt licitum, quando fit auctoritate publica per juſtitiam punitiva, 8. 18. & 11. 109. licitum eſt etiam occidere aggreſſorem injuſtum ob ſuæ vitæ defenſionem cum moderamine tamen inculpatæ tutelæ, 11. 110. non tamen licet interficere accuſatorem, falſos teſtes, ac Judicem, à quo iniqua certò imminet ſententia, ibidem. licet etiam ad exteriorum bonorum conſervationem occidere invaſorem, ac etiam famæ, & honoris, quando hæc bona aliter ſalvari nequeunt, 11. 111. hoc tamen non licet Clericis, & Religioſis pro defenſione proprii honoris, vel Religionis, 11. 112. non licet viro nobili acceptare duellum, ne vilis habeatur, niſi in certis quibuſdam caſibus, 11. 113. an licitum ſit fugientem inſequi ad recuperandum honorem propter acceptam alapam, vel fuſtem, illumque vulnerare, & repercutere, 11. 114.

Homicidium ſui ipſius directè, & poſitivè nunquam licitum eſt, 11. 115. an filium conſentientem Pater caſtrare poſſit, ut voce, & cantu Eccleſiæ deſerviat, 11. 116. quando licitum ſit auctoritate privata Tyrannum occidere, & quando non, 8. 27. nunquam licitum eſt Judici condemnare quem privata ſcientia certò novit eſſe innocentem, 8. 28. licitum eſt pro ſalute Reipublicæ tradere innocentem Tyranno occidendum, 8. 29. numquam licitum eſt abortum animati fœtus procurare, per ſe, & directè, 8. 30. quando licitum ſit ſaltem indirectè, & per accidens id facere, 8. 31. an liceat punire furtum pœna mortis, 8. 32. quandonam id juſtè fieri poſſit, & quando non, 8. 34. & ſeq. quomodo per leges municipales furtum damnetur pœna mortis, 8. 36. in homicidio, vel mutilatione duplex damnum conſiderari poteſt. 8. 37. damna omnia ex occiſione, vel mutilatione alterius ſecuta ſunt reſtituenda, 8. 38. debet etiam aliquid reſtitui pro injuria, qua occiſio, vel mutilatio illata fuit, 8. 39. etiam pro vita ablata, vel membro abſciſſo eſt aliquid reſtituendum, 8. 41. nempè, vel per talionis pœnam, ubi ſtatuta eſt lex, vel per bona ſpiritualia, 8. 42. & hoc totum intelligendum eſt de homicidio voluntario, non autem caſuali, & per accidens, 8. 43. quibus facienda ſit reſtitutio damnorum poſt mortem occiſi, 8. 44. & ſequ. homicida, qui pœnam talionis ſolvit, tenetur adhuc reſarcire alia damna ex nece occiſi ſecuta, 8. 46. ad præfata damna reſarcienda tenetur, etiamſi occiſus antè mortem remiſerit ei omnia, 8. 47.

Horæ Canonicæ quo modo, & ordine ſint recitandæ, 14. 52. quale peccatum ſit Horarum recitationem notabiliter interrumpere, ibidem. dici debent debitis, & ſtatutis temporibus à legitima conſuetudine præſcriptis, 14. 53. attentio quoque, vel devotio neceſſaria eſt ad Horas Canonicas recitandas, ibidem. qui Horas recitat Canonicas cum voluntaria diſtractione, præceptum non implet. 2. 92. quinam ad illas recitandas obligentur, 14. 49. & ſequent. qualis, & quanta ſit illorum obligatio, 14. 57. quænam cauſæ excuſent ab Horarum recitatione. V. Officium divinum.

I.

JEjunii nomen quot modis ſumatur, 12. 2. jejunium Eccleſiaſticum, quid ſit, 12. 3. per jejunium ſumptio potus non prohibetur, ſed ſolius cibi, ibidem. finis jejunii triplex eſt. 12. 4. tres ſunt jejunii conditiones, ſcilicet, abſtinentia à carnibus, unica in die refectio, & certa refectionis hora, 12. 5. præter illam unicam refectionem modicum aliquid cibi ferò permittitur per modum collatiunculæ, ibidem. diſpenſatus ab eſu carnium cenſeri debet diſpenſatus à jejunio, & ab unica comeſtione, 12. 6. quantum cibi ſumere liceat in refectiuncula, 12. 7. non peccat qui manè ſumit refectiunculam dilato prandio

dio ad vesperas, vel noctem, 12. 8. comedendo cibos vetitos in die jejunii interpolatis vicibus, toties quis peccat mortaliter, quoties illos sumit, non autem comedendo cibos non vetitos, 12. 9. non est licita abstinentia, quæ notabiliter saluti noceat, aut vitam minuat, 12. 10. jejunia ab Ecclesia indicta obligant ad sui observantiam sub peccato mortali, 12. 11. quando jejunium obliget etiam de jure naturæ, & divino, ibidem. quæ sint tempora jejuniorum ab Ecclesia præscripta, 12. 12. feria sexta non est abstinendum ab esu carnium, si in ea die festum Nativitatis Domini occurrat, ibidem. nec etiam Fratres Minores in hoc casu in illa die ad jejunium tenentur, 12. 13. Christiani servare tenentur jejunia ab Ecclesia indicta completo anno vigesimo primo, 12. 14. obligatio jejunii est personalis, & ideò non potest quis jejunare per alium, 12. 15. obligatio jejunii in eodem die aliquando duplicari potest ex duplici præcepto, & quando duplex committatur peccatum, si frangatur, ibidem. ad quæ jejunia Religiosi teneantur, 12. 16. probabilior est opinio asserens viatores teneri ad jejunia locorum, per quæ transeunt, 12. 17. quot modis peccetur in hoc Ecclesiæ præceptum, 12. 18. sunt aliquæ causæ ob quas quivis ab observatione jejunii excusari potest, quæ ad tria capita reducuntur, 12. 19. ratione impotentiæ excusantur, qui sine aliquo gravi incommodo, vel notabili damno jejunare non possunt, 12. 20. labor etiam corporeus, & notabiliter corpus defatigans à jejunio excusat, 12. 21. propter laborem rei indifferentis, vel illicitæ impensum non liberatur quis è præcepto jejunii, 12. 22. ratione etiam pietatis excusantur à jejunio omnes, qui operibus præstantioribus, vel majoris momenti incumbunt, quæ cum jejunio absque gravi incommodo efficere nequeunt, 12. 23. etiam labor mentis, & ingenii ab obligatione jejunii potest eximere, si sit continuus, & consuetus, 12. 24. excusat etiam à jejunio Superioris dispensatio, 22. 25. quis sit talis Superior, ibidem. Parochus etiam præsente Episcopo potest cum aliquibus justa de causa à jejunio dispensare, 12. 26. aliæ causæ etiam à jejunio excusantes, 12. 27.

Ignorantia quotuplex, 13. 26. & 15. 97. quæ diligentia sit adhibenda, ut ignorantia dicatur invincibilis, 15. 98. ignorantia antecedens, & invincibilis tàm juris, quàm facti à peccato excusat omninò, 15. 99. ignorantia consequens, seu vincibilis non excusat à peccato, 15. 100. quæ ignorantia vincibilis propriè dici possit, ibidem. ignorantia concomitans, si fuerit vincibilis, non excusat à peccato, benè tamen si fuerit invincibilis, 15. 101. V. Peccatum.

Immunitas Ecclesiastica quid sit, & quinam ea gaudeant, 11. 37.

Impedimenta Matrimoni. V. Matrimonium.

Incestus. V. Luxuria.

Indulgentia quid nominis sit, 23. 2. est in Ecclesia spiritualis quidam thesaurus constans ex Christi, & Sanctorum satisfactionibus, 23. 3. quomodo merita Sanctorum in Ecclesiæ thesauro reponantur, 23. 4. & seq. hujus thesauri dispensatio à Christo Domino Ecclesiæ credita est, 23. 7. an aliundè, quàm ex Ecclesiæ thesauro Indulgentiæ concedi possint, 23. 8. an thesaurus Ecclesiæ solum per Indulgentias dispensetur, 23. 9. an applicetur fidelibus per modum solutionis, vel absolutionis, 23. 10. potestas concedendi Indulgentias non est Ordinis, sed jurisdictionis, 23. 11. Summus Pontifex habet potestatem ordinariam jure divino toti Ecclesiæ Indulgentias concedendi, 23. 12. Concilium generale, ut à Pontifice condistinctum non habet potestatem ordinariam Indulgentias concedendi, 23. 13. & sequent. Episcopi quoque potestatem habent ordinariam quasdam Indulgentias concedendi in sua Diœcesi, 23. 15. an hanc potestatem habeant jure divino, vel humano, 23. 16. jure communi talem potestatem non habent Abbates, Parochi, & alii Sacerdotes Episcopis inferiores, 23. 17. nec etiam Prælati Regularium in suis Religionibus, ibidem. quibus, & à quibus potestas hæc concedendi Indulgentias delegari possit, 23. 18. Indulgentia quid rei, 23. 20. dividitur in plenariam, seù totalem, & non plenariam, seù partialem, 23. 21. quomodo Indulgentia plenaria à Jubilæo differat, ibidem. item dividitur in perpetuam, & temporalem, ac indefinitam, 23. 22. rursus dividitur in personalem, localem, & realem, 23. 23. quomodo diruto templo perseveret Indulgentia illi concessa, si rursus ædificetur, 23. 24. quomodo Indulgentia personalis generalis ad ipsum etiam concedentem se extendat, 23. 25.

Indulgentia non absolvit fideles à vinculo culpæ mortalis, neque venialis, sed tantùm à vinculo pœnæ temporalis ex condonatis pœnis relictæ, 23. 26. quomodo intelligantur verba Jubilæi quod remittitur culpa, & pœna, ibidem. an qui lucratur Indulgentiam maneat in conscientia liber ab implenda pœnitentia sibi à Sacerdote imposita, 23. 29. de facto omnes Indulgentiæ extenduntur ad quascunque pœnas etiam pro quibus nulla imposita est pœnitentia, 23. 31. & præsertim Indulgentiæ absque restrictione concessæ ad omnes pœnas extenduntur, etiam quibus pœnitentia non est injuncta, 23. 32. Indulgentiæ non remittunt pœnas ab Ecclesia injunctas in foro externo persolvendas, sed solùm in foro interno Dei, 23. 33. & non solùm liberant à pœnitentiis Sacramentaliter injunctis, sed etiam à pœnis pro quibus illæ sunt injunctæ, ibidem. quid sit intelligendum, cum conceditur Indulgentia centum, aut mille dierum, vel annorum, 23. 34. ad valorem Indulgentiæ non solum legitima auctoritas requiritur in concedente, sed etiam justa, & rationabilis causa, 23. 36. quæ, & qualis causa ad valorem Indulgentiæ requiratur, 23. 37. causa ob quam Indulgentia conceditur, non semper debet esse publica, sed sufficit etiam aliquando privata, 23. 38. causa ad valorem Indulgentiæ requisita non solùm debet esse justa, sed etiam proportionata, 23. 40. qualis hæc proportio esse debeat, 23. 41. ad valorem Indulgentiæ sufficit causa probabiliter tantùm putata sufficiens, 23. 42. cur non sit par ratio de dispensatione in lege divina, & humana, 23. 43. quando cesset potestas ordinaria, vel delegata concedendi Indulgentias, 23. 54. quando cesset indulgentia ipsa, 23. 46. quadrifariam possunt Indulgentiæ cessare, & primò per revocationes concedentis, 23. 47. cessat etiam mortua persona, cui fuit concessa, non tamen per ejus renunciationem, 23. 48. item per destructionem loci, vel rei, cui erat affixa, 23. 49. non cessat Indulgentia cessante causa, ob quem concessa fuit, 23. 50. quomodo intelligi debeant quædam verba in Bullis Indulgentiarum apponi solita, 23. 51. soli homines ratione utentes, & in ultimo termino non constituti sunt Indulgentiæ capaces, 23. 53. viator baptizatus, & fidelis, ac nulla excommunicatione majori irretitus cum omni proprietate est indulgentiæ capax, 23. 54. Catechumeni viatores non sunt indulgentiæ capaces, 23. 55. probabile tamen est prodesse Catechumenis defunctis, 23. 56.

Indulgentiæ prosunt etiam fidelibus defunctis per modum suffragii, 23. 57. quid sit concedere indulgentias per modum suffragii, & per modum absolutionis, 23. 58. ad indulgentiam lucrandam requiritur status gratiæ, 23. 60. discrimen vertens inter indulgentiam, & satisfactionem Sacramentalem, ibidem. suscepturus indulgentiam præstare debet ea, quæ à Superiore in concessione indulgentiæ sunt præscripta, 23. 61. an fieri debeant in statu gratiæ, ibidem. an debeat esse in gratia per confessionem, 23. 63. an omnes facientes opus ad indulgentiam requisitum æqualiter ejus fructum consequantur, 23. 64. an eodem opere quis possit diversas lucrari indulgentias diversis viis concessas, 23. 65. an possit obtineri sæpius indulgentia repetito opere injuncto, 23. 66. an sufficiat extrà Ecclesiam orare ad lucrandam indulgentiam concessam visitantibus illam, 23. 97. an pars operis injuncti prosit ad lucrandam indulgentiam, vel saltem partem ejus, 23. 68. an prætermittens partem operis injuncti levem indulgentiæ effectum consequatur, 23. 69. Indulgentiæ applicantur defunctis non per modum absolutionis, sed solutionis, & suffragii, 24. 45. an certò, & infallibiliter illis prosunt, 24. 47. quarè Ecclesia post applicatam alicui defuncto indulgentiam plenariam, adhuc pro ea orare non cessat, & sacrificia prosequi, 24. 49. cur nequeat Pontifex arbitrio suo totum evacuare Purgatorium, ibidem. quomodo indulgentiæ defunctis prosint non tantùm ex Dei misericordia, sed etiam ex justitia, 24. 50. quæ conditiones requirantur ex parte lucrantis indulgeatiam pro defunctis, ut eis prosit, 24. 51. quæ requirantur ex parte defuncti, 25. 52. indulgentiæ prosunt etiam Catechumenis defunctis, ibidem. V. Suffragium.

Infamia. V. Detractio.

Infernus quid sit, & ubi reperiatur, 26. 62. in Inferno datur pœna Vermis conscientiæ, illaque damnati cruciantur, & in quo consistat, 26. 3. & non tantùm ibi datur pœna vermis spiritualis, sed etiam corporalis, ibidem. datur etiam pœna damni, & in quo consistat, 26. 4. datur etiam ibi verus ignis, quo damnati cruciantur, 26. 5. est ejusdem speciei cum nostro elementari, & cur potius Deus eo uti voluerit ad puniendos damnatos, quàm alio elemento, vel alia re creata, 26. 6. an verè detur ibi tormentum nivis, 26. 7. dantur etiam in eo veræ tenebræ, 26. 8. quænam aliæ pœnæ sensus reperiantur in inferno, 26. 9. certum est Dæmones, & animas ab igne sensibiliter non cruciari, quasi corpoream læsionem ab ipso patiantur, 26. 10. neque per apprehensio-

henſionem, qua ignem apprehendant, ut ſibi diſconvenientem, & nocivum, 26. 11. neque per aliquem habitum paſſionis receptivum, 26. 13. neque per aliquam qualitatem ſpiritualem eorum naturæ repugnantem ab igne obedientialiter productum, 26. 15. neque per alligationem eorum alicui corpori à Deo factam, 26. 17. ſed ab igne torquentur per modum alligationis, & detentionis localis per modum carceris, 26. 18. item per alligationem, & detentionem objectivam, 26. 19. quare hæc dicatur pœna ſenſus, ibidem. qua ratione dicantur ab igne torqueri, quatenus urens, & calefaciens, eſtò uſtionem non patiantur, 26. 20. & ſequ. homines damnati in inferno poſt judicium etiam quoad corpora ſunt igne cruciandi, 26. 22. undè duplex erit actio ignis reſpectu damnatorum, realis in corpus, & intentionalis in ſenſum, 26. 23. probabile eſt, quod damnati poſt judicium actione tantùm intentionali ab igne crucientur, 26. 24. non eſt omninò certum, an talis cruciatus fiat per utramque actionem, vel per intentionalem tantùm, 26. 25. abſolutè tamen tenendum eſt fieri per utramque, ibidem. ſatis probabile eſt pœnas inferni hominibus infligi à dæmonibus, tanquam divinæ juſtitiæ miniſtris, 26. 26. poſt diem judicii pœna eſſentialis damnatorum non augebitur, ſed tantùm dolor, & pœna accidentalis ob tormenta corporis, 26. 27. & ſequent.

Inferni pœna eſt adeò gravis, ut damnati cupiant non eſſe 26. 29. pœna damnatorum eſt tanta, ut nec aliquam levem delectationem admittere poſſit, 26. 30. non tamen eſt adeò magna, ut ſit intenſivè infinita, ſed eſt finita, 26. 31. pœna peccato mortali debita nedùm non eſt cathegorematicè infinita intenſivè, ſed nec etiam ſincathegorematicè, ſed finita, ibidem. pœna quomodo adæquat culpam, 26. 32. pœna damni in damnatis eſt inæqualis juxtà demerita, 26. 33. & ſimiliter pœna ſenſus, & vermis, 26. 35. undè pœnarum diverſitas in damnatis oriatur, 26. 36. eſt veritas fidei pœnas inferni pro damnatis eſſe æternas, 26. 37. quare culpa mortalis æterna pœna puniatur, 26. 38. & ſeq. quomodo pœna æterna culpæ mortali, & inſtantaneæ proportionetur, 26. 40. & ſequent. pœnæ æternitate infinitas culpæ mortalis non benè deducitur, 26. 42. in Deo reperitur omnimoda juſtitia tàm in præmiatione bonorum, quàm in punitione malorum, 26. 45. Deus juſtè punit peccatores in inferno pœnis æternis, ibidem. & hoc oſtenditur de ſingulis damnatorum pœnis, 26. 46. & ſeq. quid ſit miſericordia, & quomodo in Deo reperiatur, 26. 50. talis, & tanta eſt erga creaturas, ut ea utatur etiam in punitione damnatorum, 26. 51. quomodo miſericordia in punitione damnatorum cum juſtitia concurrat, 26. 52. & ſeq. quomodo intelligitur axioma, quod in inferno nulla eſt redemptio, neque conſolatio, 26. 54. Deus in punitione damnatorum exercet miſericordiam parcentem, & mitigantem, non verò liberantem, 26. 55.

Interdictum quid ſit, 13. 106. quotuplex ſit, 13. 107. & ſeq. interdictum generale locale non infert interdictum perſonale generale, nec è contrà, 13. 109. cum interdicitur populus alicujus loci quænam perſonæ intelligantur interdictæ, & quæ non, 13. 110. & ſeq. interdicto Clero non intelliguntur interdicti etiam Religioſi, nec è converſo, ibidem. tres ſunt effectus interdicti ſimpliciter, & abſolutè lati, qui tamen non ſunt ita inter ſe connexi, quin poſſint ab ipſo latore limitari, & ſeparari, 13. 112. primus effectus eſt prohibitio activa, & paſſiva quorundam Sacramentorum, & quænam iſta ſint, 13. 113. & ſeq. probabile eſt matrimonium etiam tempore interdicti licitè contrahi poſſe, 13. 114. ſecundus effectus eſt privatio divinorum officiorum, & quomodo intelligi debeat, 13. 115. tertius effectus eſt privatio Eccleſiaſticæ ſepulturæ, & quomodo intelligi debeat, 13. 116. quænam jure communi tempore interdicti localis permittantur, 13. 11. quænam ſint pœnæ, quas ſecundùm jura incurrunt violantes, ſeù non ſervantes interdictum, 13. 118. quinam interdicere poſſint, & qui interdici, 13. 119. ob quam cauſam infligatur interdum, & quænam forma ſit ſervanda interdicti ſententia, 13. 120. quomodo, & à quo interdictum auferri poſſit, 13. 121. interdictum locale non tollitur, etiamſi locus interdictus deſtruatur, interdictum tamen generale perſonale deſtructa communicate, eo ipſo tollitur, 13. 122. ſi interdictus moriatur cum ſignis pœnitentiæ, poteſt in loco ſacro ſepeliri, quamvis nulla ſit adhibita abſolutio, 13. 123. an interdictum poſſit relaxari ad cautelam, ibidem. quid ſit ceſſatio à divinis, & quomodo à ſuſpenſione, & interdicto differat, 13. 124. per eam non prohibetur Eccleſiaſtica ſepultura, licet prohibeantur divina officia, & quorundam Sacramentorum adminiſtratio, 13. 125. quid requiratur ad eam juſtè ferendam, & quomodo tollatur, ibid.

Irregularitas quid ſit, 13. 127. & ſeq. quomodo differat ab aliis Cenſuris, & pœnis Canonicis, 13. 128. omnis irregularitas eſt de jure Canonico, & nulla eſt de jure divino, ibid. quinam ſint irregularitatis effectus, 13. 129. quotuplex ſit irregularitas, 13. 130. quid requiratur ad incurrendam irregularitatem, ibid. à quo feratur irregularitas, 13. 131. qui poſſint irregularitatem contrahere, 13. 132. quomodo homo antè baptiſmum dici poſſit irregularitatis capax, 13. 133. quæ ſit cauſa formalis, & finalis irregularitatis, 13. 134. graviter peccat qui in dubio juris, vel facti operatur non adhibita ſufficienti diligentia ad veritatem aſſequendam, 13. 135. in dubio juris irregularitatis facta ſufficienti diligentia indagandi veritatem nullus judicandus eſt irregularis, 13. 137. in dubio facti quilibet ſe debet gerere pro irregulari, donec diſpenſetur, 13. 138. non tamen in quolibet dubio facti aliquis judicandus eſt irregularis, ſed ſolùm in caſu homicidii, 13. 139. quomodo intelligendum ſit, quod in dubiis tutior pars eſt eligenda, ibid. ignorantia juris non excuſat ab irregularitate, 13. 141. quando irregularitas incurritur ex delicto, neceſſariò requiritur peccatum mortale, 13. 142.

Irregularitates ex delicto quænam ſint, 13. 143. prima eſt ob iteratum baptiſmum, non autem ob iteratam Confirmationem, 13. 144. ſecunda incurritur ex violatione Cenſuræ in ſuſceptione, vel exercitio Ordinum, 13. 145. tertia oritur ob delictum, quo quis malè ſuſcipit Ordines, Simoniacè ſcilicet, vel furtivè, 13. 147. quarta incurritur ob peccatum quo Clericus ſeriò, & ſcienter actum Ordinis Sacri, quem non habet, ſolemniter exercet, 13. 149. ac etiam à Clerico per ſaltum promoto, 13. 150. quinta incurritur ex delicto hæreſis, & aliis criminibus ei annexis, 13. 151. filii etiam Hæreticorum, ac etiam fautorum, receptatorum, ac defenſorum eorundem, 13. 152. ſexta incurritur ex delictis infamibus, ſeù infamiam inducentibus, 13. 153. 1. & ſeq. ſeptima contrahitur ex homicidio, & mutilatione, 3. 155. quid per mutilationem intelligi debeat, 13. 156. ex homicidio omninò involuntario irregularitas non contrahitur, 13. 159. quid dicendum ſit de homicidio caſuali, ibid. ut quis non incurrat irregularitatem ex homicidio caſuali dare debet operam rei licitæ, & debitam adhibere diligentiam, 13. 158. ex homicidio omninò voluntario, & injuſto contrahitur irregularitas, & ſic etiam de mutilatione diſcurrendum eſt, 13. 159. quinam talem irregularitatem incurrant, ibid. ſi mandans, vel conſulens mandatum, vel conſilium revocet, homicidii, vel mutilationis irregularitatem non amplius incurrunt, 13. 160. ſi mandatarius non occidat, ſed occidatur, adhuc irregularitatem incurrit, 13. 161. ſi quis mandat occidi, unum, & occidatur alter, an mandans adhuc irregularitatem incurrat, ibid. contrahitur etiam irregularitas ex homicidio voluntario, & juſto, ideſt, publica auctoritate facto, 13. 162. quid dicendum de irregularitate, quæ ex bello contrahitur, 13. 163. qui invaſorem occidit in propriæ vitæ defenſionem cum moderamine inculpatæ tutelæ, non incurrit irregularitatem, 13. 164. hoc idem dicendum eſt de eo, qui invaſorem occidit in defenſionem bonorum temporalium, ac etiam pudicitiæ, & caſtitatis, 13. 165. quid dicendum de defenſione famæ, & honoris, ibidem. in adulterio deprehenſus, ſi maritum adulter occidat, ut mortem evadat, fit irregularis, 13. 166. quid dicendum ſit de irregularitate, quæ contrahitur medendo, vel Chirurgiam exercendo, 13. 167.

Irregularitates ex defectu recenſentur, quarum prima eſt ex defectu animæ, 13. 168. ſecunda ex defectu corporis, 13. 169. & ſeq. tertia eſt ex defectu natalium, 13. 171. quid dicendum ſit quando eſt dubium, an quis ſit legitimus, debeat ne cenſeri irregularis, 13. 172. quid dicendum de expoſitis, ibidem. quarta irregularitas eſt ex defectu ætatis, 13. 173. ac etiam ex defectu libertatis, 13. 174. ad hanc irregularitatis ſpeciem reducitur etiam obligatio ad ratiocinia, 13. 175. quinta irregularitas eſt ex defectu lenitatis, 13. 176. cur Judex Eccleſiaſticus tradendo reum morte puniendum brachio ſæculari non fiat irregularis, ibidem. ad hanc irregularitatis ſpeciem reducitur etiam irregularitas contracta ex bello juſto aggreſſivo, 13. 177. ſexta irregularitas eſt ex bigamia, ſeù ex defectu Sacramenti, 13. 178. triplex eſt bigamia ex variis juribus deducta, 13. 179. ſeptima irregularitas eſt ex defectu bonæ famæ, 13. 180. quatuor modis irregularitas tolli poteſt, 13. 181. ſolus Pontifex in irregularitate diſpenſare poteſt univerſaliter, Epiſcopi verò in quibuſdam tantùm caſibus eis conceſſis, 13. 182. Epiſcopus in irregularitate diſpenſare non poteſt, quan-

quando delictum eſt publicum, vel notorium, 13. 183. diſpenſare tamen poteſt in irregularitate ex homicidio occulto cauſali contracta, 13. 184. ac etiam contracta ex homicidio ab eo commiſſo, qui ſe defendendo moderamen exceſſit inculpatæ tutelæ, ibid. non tamen quando delictum deductum eſt ad forum contentioſum, etiam poſtquam delinquens condemnatus eſt, & punitus, 13. 185. nec quando homicidium eſt voluntarium, & ex propoſito, licet ſit juſtum, & occultum, 13. 186. benè tamen quando eſt ſolùm mutilatio occulta, licet ſit ex induſtria facta, ibid. nec etiam diſpenſare poteſt in irregularitate ex hæreſi contracta, licet ſit occulta, 13. 187. in irregularitatibus ex defectu provenientibus ſolus Pontifex diſpenſare poteſt, non autem Epiſcopus, niſi in aliquo caſu particulari ſit ei conceſſa facultas, 13. 188. in bigamia vera etiam ſolus Pontifex diſpenſare poteſt, 13. 189. & id etiam probabilius eſt de bigamia interpretativa, 13. 190. in bigamia tamen ſimilitudinaria etiam Epiſcopus diſpenſare poteſt, ac etiam Prælati regulares cum ſuis ſubditis, ibidem.

Jubilæum quid ſit, & quomodo ab indulgentia plenaria differat, 23. 21. quomodo intelligenda ſint verba Jubilæi, quod remittitur culpa, & pœna 23. 26. V. Indulgentia.

Judex ut officio ſuo rectè fungatur, quatuor debet habere conditiones, 6. 22. prima eſt, ut habeat legitimam judicandi poteſtatem, quæ quadruplex eſt, 6. 23. ſecunda, ut ſufficientem habeat ſcientiam, & judicet ſecundùm veritatem, 6. 24. quid facere debeat Judex, quando per teſtes criminis reus convincitur, quem privata ſcientia ſcit eſſe innocentem, 6. 26. quid è contrà quando ſcit eſſe reum, licet per teſtes ſufficienter non probetur, 6. 27. tertia conditio eſt, ut in judicando formam à jure, & legibus præſcriptam ſervet, 6. 28. in cauſis criminalibus duobus modis Judex procedere poteſt, vel ex officio, vel ad inſtantiam alterius, ibidem. cum æquali opinionum probabilitate poteſt Judex eligere, quam partem voluerit, cum inæquali verò probabiliorem ſequi tenetur. 6. 30. quarta conditio eſt, ut Judex in exequenda ſententia firmus ſit, & conſtans, 6. 31. quomodo Judex, & quando poſſit pœnam à lege taxatam remittere, vel relaxare, 6. 32. ad Judicem crimen commiſſum deferri poteſt per viam accuſationis, & denunciationis, 6. 34. quodnam ſit diſcrimen inter utramque, ibidem. in quibus caſibus ſit obligatio denunciandi crimen publicæ poteſtati, 6. 35. quid requiratur, ut accuſatio, vel denunciatio judicialis juſta cenſeatur, 6. 36. quomodo, & quando correctio fraterna eam præcedere debeat, 6. 37. an, & quomodo liceat denunciare crimen occultum, quod nullo modo à denunciatore probari poteſt, 6. 38. & ſeq. quomodo, & quando peccet qui non accuſat, vel denunciat delinquentem, & quando ad reſtitutionem teneatur, 6. 41. & ſeq.

Judicium temerarium quid ſit, 8. 49. V. Fama. & honor.

Judicium univerſale quid ſit, & quid ſignificet, 28. 1. judicium univerſale eſſe futurum eſt præcipuus fidei articulus, 28. 3. cauſa finalis, & motivum faciendi judicium univerſale eſt oſtenſio, & exercitium divinæ juſtitiæ diſtributivæ pro meritis ſingulorum. 28. 4. aliæ congruentiæ aſſignantur, cur ultrà judicium particulare cujuſque fiet etiam judicium generale omnium, 28. 5. In quo loco fiet judicium univerſale, 28. 6. & in quo tempore, 28. 9. ſicut certum eſt judicium univerſale in fine mundi eſſe faturum, ita incertum eſt præciſum, & determinatum tempus, ut annus, menſis, vel dies, in quo fiet, 28. 10. an animæ Chriſti, vel alicujus Beati nota ſit illa dies, 28. 11. ſigna judicium præcedentia alia ſunt communia, alia particularia, & hæc vel remota, vel proxima. 28. 12. promulgatio Evangelii in toto Orbe eſt ſignum approximationis judicii, 28. 13. quem effectum ſit habitura hæc univerſalis Evangelii prædicatio in toto orbe, 28. 15. Romani Imperii defectio ſignum eſt remotum venturi judicii, 28. 16. quid per defectionem Romani Imperii ſit intelligendum, ibidem. Antichriſti quoque adventus eſt ſignum judicii appropinquantis, 28. 17. quid dicendum de genealogia Antichriſti, de ejus moribus, & doctrina, de regno, ac ejus fine, & excidio, 28. 18. adventus Enoch, & Eliæ ad prædicandum contrà perverſam Antichriſti doctrinam erit quoque ſignum judicii appropinquantis, 28. 19. quid de ſtatu Enoch, & Eliæ nunc ſit dicendum, 28. 20. quanto tempore contrà Antichriſti doctrinam prædicabunt, 28. 21. probabilius eſt Joannem Evangeliſtam non futurum ſecundi adventus Chriſti præcurſorem, 28. 22. quæ ſint ſigna judicii univerſalis proxima 28. 24. hæc ſigna futura ſunt ante generalem hominum reſurrectionem, 28. 25. qualia ſunt hæc ſigna ſecundum Chriſti adventum præcedentia, & quomodo intelligenda, 28. 26. quomodo intelligenda ſint, & explicanda ſigna ſenſibilia in Cœlo futura, 28. 27. quomodo intelligenda ſint, & explicanda alia ſigna in elementis futura, 28. 28. ignis conflagratio antè judicium univerſale incipit, 28. 29. qualis ſit futurus ignis, qui Chriſtum præcedet ad judicandum venientem, 28. 30. cujus naturæ, & originis futurus ſit hujuſmodi ignis, 28. 31.

Judicii finalis ſupremus Judex futurus eſt Chriſtus. Dominus 28. 33. ſignum Crucis præceſſurum eſt, tanquam proprium ejus vexillum, 28. 34. qua gloria, & majeſtate deſcenſurus ſit Chriſtus Dominus ad judicium. 28. 35. in quo loco apparebit Chriſtus, ubi ſiſtet, & in quo ſitu 28. 36. & apparebit in forma humana, ut ab omnibus videatur, 28. 37. ac etiam in forma glorioſa, 28. 38. cum qua poteſtate Dominus judicabit, 28. 39. ſecundùm utramque naturam habet poteſtatem judicandi, principalem quidem ſecundùm divinitatem, commiſſam verò, & ſubauctoritativam ſecundùm humanitatem, 28. 40. quomodo hæc adhuc ſit vera, & judiciaria poteſtas, 28. 41. hanc judiciariam poteſtatem exercet Chriſtus etiam in judicio hominum particulari, 28. 42. ubi fiat hoc judicium particulare, & quomodo, ibid. quibus aſſiſtentibus Chriſtus tunc judicabit, 28. 43. quomodo intelligendum ſit, quod Sancti quoque ſint cum Domino judicaturi, 28. 44. an Angeli etiam judicabunt in die judicii, 28. 45. in judicio finali omnes homines comparebunt, ſivè adulti, ſivè parvuli, & omnes etiam Angeli, ſivè boni, ſivè mali, 28. 47. omnes tam boni, quàm mali judicabuntur, & quomodo, 28. 48. & ſeq. quatuor ordines perſonarum in judicio, ibidem. quomodo parvuli etiam, & infantes ſint judicandi, 28. 50. quomodo etiam omnes homines Sancti ſint judicandi, 28. 51. & ſeq. ac etiam omnes Angeli tam boni, quàm mali, 28. 53. & ſequent. quænam cauſæ judicabuntur in finali judicio, 28. 55 judicium dupliciter ſumi poteſt, ibidem. quid ſit aperiri libros in die judicii, & quid liber vitæ importet, 28. 56. omnium hominum opera in judicio ſunt aliis omnibus manifeſtanda, 28. 57. quomodo omnium opera in die judicii fient omnibus nota, 28. 58. quinam accuſatores erunt in judicio, & quomodo accuſabunt, 28. 9. probabilius eſt judicium, ſeù meritorum, ac demeritorum diſcuſſionem vocaliter eſſe faciendum, 28. 60. circà quos hæc diſcuſſio vocaliter ſit facienda, 28. 61. an fiet in tempore, vel in inſtanti, 28. 62. an de ſingulis diſtinctè ſententia ſit proferenda, 28. 64. generales ſententiæ voce ſenſibili proferentur, ſingulares verò, & privatæ mentaliter tantùm, 28. 62. quomodo ſub ſententia condemnatoria etiam comprehendantur parvuli cum ſolo originali ex hac vita decedentes, 28. 65. parvuli cum ſolo originali decedentes pœnam damni patientur, 28. 67. nullam tamen pœnam ignis, nec poſt judicium alias corporis afflictiones patientur, 28. 68. & ſeq. & quamvis pœnam damni ſint paſſuri, nullum tamen de illa ſunt habituri dolorem, vel triſtitiam, 28. 70. an patientur pœnam carceris, vel localis detentionis poſt judicium 28. 71. & ſeq.

Judicium prolata ſententia ſtatim abſolvendum, ac diſſolvendum eſt, 28. 73. poſt judicium peractum mundus renovari debet, 28. 74. mundus poſt judicium ſecundùm ſubſtantiam non deſtruetur, ſed mutatione tantùm accidentali innovabitur, 28. 76. quomodo intelligendæ ſint Scripturæ dicentes, quod tunc fiet Cœlum novum, & Terra nova, ibidem. Cœlum Empireum poſt diem judicii idem omninò permanſurum, & non immutandum, 28. 77. neque reliqua corpora cœleſtia ſunt ſubſtantialiter immutanda, 28. 78. ſed tantùm innovanda ſecundùm aliqua accidentia, 28. 79 quomodo intelligendum, quod tunc Stellæ cadent de Cœlo ibidem. elementa quoque non ſunt omninò corrumpenda quoad ſubſtantiam, ſed tantùm innovanda, & perficienda quoad rationem corruptionis, 28. 80. plantæ, animalia bruta, & alia mixta non innovabuntur, 28. 82. de fide eſt mundum tempore judicii finalis igne conflagrandum ad ejus expurgationem, 28. 84. & hæc conflagratio ante judicium incipiet, & continuabit quouſque eo expleto mundus innovetur, 28. 85. & tunc etiam incipiet Mundi purgatio, licet tantùm poſt judicium ſit habitura complementum. 28. 86. qualis futurus ſit ignis conflagrationis, 28. 87. quantus ſit futurus ignis conflagrationis, 28. 88. quænam res, ſeù corpora conflagrabunt per ignem, 28. 89. reprobi tunc viventes igne conflagrabunt, & ex eo morientur, 28. 90. ac etiam electi, licet diverſo modo quia his inſerviet ad purgationem, illis verò ad punitionem, 28. 91. etiam reprobi jam defuncti, & tunc reſurgentes igne conflagrabunt, 28. 92. non tamen electi jam beati, qui jam Deo fruuntur, 28. 93. probabilius eſt etiam, quod electi viatores, vel qui vivebant, vel quorum animæ in Purgatorio erant, non ſint ignem paſſuri reaſſumptis corporibus ſi purgatione egant, ſed purgationem hanc antè reſurrectionem eſſe peragendam, 28. 94. motus corporum cœleſtium abſque ulla contradictione ceſſare poteſt, 28. 96. & ceſſabit de facto expleta mundi purgatione. 28. 98. in quo ſitu ceſſabit motus Cœlorum,

lorum, 28. 102. ceſſatio motus, corporum cœleſtium non eſt cauſa ſufficiens ceſſationis omnium motuum, & mutationum in his inferioribus, 28. 103. motus corporum cœleſtium non eſt menſura motuum, & mutationem in his inferioribus eſſentialis, ſed tantùm accidentalis, 28. 104. cauſa incorruptionis elementorum erit ſuſpenſio divini influxus generalis ad talem actionem, vel paſſionem, ibidem. quando ceſſabit motus corporum cæleſtium, 28. 105. de perpetuo Chriſti Regno poſt mundi inſtaurationem nonnulli errores evelluntur, 28. 107. & ſeq. quænam ſit prima, & quæ ſecunda reſurrectio, 28. 113. Chriſtus Dominus poſt judicium in Cœlis perpetuò regnabit cum Sanctis ſuis, non ſolùm ſecundùm divinitatem, ſed etiam ſecundùm humanitatem, 28. 115. gaudia Beatorum deſcribuntur, 28. 116. & ſeq.

Juramentum quid ſit, 11. 48. tres requiruntur conditiones, ut licitè fiat, 11. 49. earum explicatio, 11. 50. quotuplex ſit juramentum 11. 51. quando in juramento liceat uti æquivocatione, 11. 52. quæ, & quanta ſit obligatio juramenti promiſſarii, 11. 53. quomodo juramentum coactum obliget, ut ſervetur 11. 54. in materia matrimonii nullo modo obligat 11. 55. quando obliget juramentum, ſi errore, aut dolo ſit extortum, ibidem. in quibus caſibus nulla ſit & ceſſet juramenti obligatio, 11. 56. quid ſit juramentum incautum, & num obliget, 11. 57. quid ſit perjurium propriè dictum, 11. 58. in perjurio reperitur mendacium, tanquam materiale, & aſſumptio nominis Dei in vanum, tanquam formale, 11. 175. omne perjurium ex deliberatione factum eſt mortale, at ſine ſufficienti deliberatione factum eſt veniale, ibidem. & hoc verum eſt, etiamſi ex conſuetudine id fieret 11. 176. quomodo Confeſſarius ſe gerere debeat cum peccatore conſuetudinario, 11. 177. triplex poteſt eſſe perjurium, 11. 178. & ſeq. quarè perjurans per Evangelia ſit infamis non autem per Deum, 11. 178. perjurium non eſt majus peccatum homicidio 11. 181. an ſcias aliquem eſſe pejeraturum, poſſis ab eo petere, ut juret, 11. 182. licitum eſt jurare cum æquivocatione, quando eſt juſta cauſa, 11. 172. V. Mendacium.

Juſtitiæ nomen duobus modis accipi poteſt, 3. 1. quid ſit juſtitia commutativa, & diſtributiva, ibidem. ſic etiam nomen Juris dupliciter ſumi ſolet, 3. 2. quid ſit jus ad rem, & jus in re, ibidem. juſtitia ſtrictè ſumpta eſt ſpecialis virtus, & dividitur in commutativam, & diſtributivam, 7. 6.

L

Legis nomen quid importet, 2. 2. ejus definitio, 2. 3. importat eſſentialiter actum voluntatis non intellectus, 2. 5. probabile eſt etiam utrumque eſſentialiter importare, 2. 6. lex tribus modis ſpectari poteſt, 2. 7. quid jus ſignificet, & quomodo cum lege comparetur, 2. 8. de ratione legis eſt, quod ſit juſta, 2. 9. item quod propter commune bonum feratur, ac etiam pro tota communitate, 2. 10. diſcrimen inter legem, & præceptum, ibid. rurſus de ratione legis eſt, quod à publica poteſtate feratur, 2. 12. in quibus reſideat ferendarum legum poteſtas, 2. 13. quomodo de ratione legis ſit perpetuitas, 2. 15. promulgatio legis eſt neceſſaria ad ſubditos obligandos, 2. 17. non tamen eſt de eſſentia legis, ſed ſolùm neceſſaria conditio, ut actu obligare dicatur, 2. 18. ad valorem legis conſenſus, & acceptatio populi non requiritur, 2. 21. quomodo, & quando lex obligare deſinat ex deſuetudine, 2. 22.

Lex triplex eſt, æterna, naturalis, & poſitiva, 2. 23. quid ſit lex æterna, 2. 25. volitio Dei, quam cum judicio divini intellectus importat lex æterna, eſt neceſſaria, non libera, ſeù contingens, 2. 26. omnes creaturæ legi æternæ ſubiiciuntur, licet diverſimodè, 2. 27. hæc lex eſt una non plures, ibid. ab iſta omnes aliæ derivantur leges, 2. 28. eſt verè, & propriè lex, ut creaturas rationales reſpicit, 2. 29. quomodo differat à lege divina poſitiva, 2. 30. lex naturalis quid ſit, 2. 32. & ſeq. quomodo habeat rationem legis permanentis, 2. 34. quæ ſit materia legis naturalis, & ad quæ ſe extendat, & obliget, 2. 35. non ſolùm continetur in primis principiis moralibus, ſed etiam in concluſionibus ex illis neceſſariò, & evidenter deductis, 2. 36. quomodo lex naturalis dicatur una apud omnes, 2. 39. ad quos actus virtutis lex naturalis ſe extendat, 2. 41. an ſe extendat etiam ad modum virtutis, 2. 42. quomodo lex naturalis differat à jure gentium, 2. 43. lex naturalis eſt invariabilis, & immutabilis, 2. 45. legis diſpenſatio quid ſit, & importet, 2. 47. quænam dicantur de lege naturæ præciſè, & rigoroſè, & quæ fuſè, 2. 49. in his, quæ ſunt de lege naturæ preciſè, nulla poteſt cadere diſpenſatio, benè tamen in his, quæ ſunt de lege naturæ fuſè, ibid. quænam, præcepta Decalogi ſint de jure naturæ preciſè, vel fuſè ſumpto; 2. 50. an Deus diſpenſare poſſit in præceptis Decalogi, & legis naturalis, eſt quæſtio de nomine, 2. 51. talis diſpenſatio poteſtate humana fieri nequit loquendo de diſpenſatione propriè ſumpta, 2. 53. poſſunt tamen præcepta naturalia explicari, & interpretari in quibuſdam caſibus, 2. 55.

Lex divina quoque poſitiva ultrà legem naturalem neceſſaria fuit, quæ duplex eſt vetus, ſcilicet, & nova, 2. 56. lex vetus fuit bona, & ſancta, veluti à Deo lata; non tamen omninò perfecta, 2. 57. ſolos Hebræos obligabat, non Gentiles, 2. 58. lex vetus aliquando ceſſavit, & à Deo abrogata fuit, 2. 59. tota ceſſavit etiam quoad præcepta moralia, 2. 61. quæ modò obligant non ex vi illius legis, ſed Evangelicæ 2. 62. non ceſſavit antè mortem, & paſſionem Chriſti, 2. 63. neque in ipſa morte Chriſti, ſed ejus abrogatio publicè incæpit in die Pentecoſtes per novæ legis promulgationem, 2. 65. qualis eſſe debeat legis promulgatio, ut ſubditos obliget. 2. 67. tempus obligationis Evangelicæ legis non fuit idem apud omnes, ibidem. dici poteſt lex vetus expiraſſe in morte Chriſti, tanquam in cauſa, 2. 69. quomodo lex vetus erat figura, & umbra mortis Chriſti, 2. 70. quæ præcepta lex nova contineat, 2. 71. quibus de cauſis lex nova ſit perfectior veteri, 2. 72. hæc duratura eſt uſque ad finem mundi, 2. 73. quomodo lex nova obliget, 2. 74. obligat non tantùm Chriſtianos, ſed omnes homines viatores, 2. 75. Pontifex in præceptis novæ legis diſpenſare non poteſt diſpenſatione propriè dicta, 2. 77. ſed ſolùm impropriè dicta. 2. 78.

Lex humana quid ſit, 2. 80. quomodo omnis lex humana à naturali dependeat, & derivetur, ibidem. Jus gentium & Jus civile quomodo differant; ibidem. neceſſitas humanarum legum, & utilitas undè ſit colligenda, 2. 81. datur poteſtas legislativa in hominibus, 2. 82. lex humana dividitur in temporalem, politicam, ſpiritualem & Eccleſiaſticam, 2. 83. in quibus reſideat poteſtas ferendi leges civiles, ibidem. reſpectu quorum poſſit Pontifex leges ferre civiles, 2. 84. extat poteſtas in Eccleſia ferendi leges Eccleſiaſticas, ſeu Canonicas, 2. 85. habet hanc poteſtatem Summus Pontifex ſibi à Deo immediatè communicatam, ibidem. hanc etiam poteſtatem habent Epiſcopi in propriis Eccleſiis, 2. 86. probabilius eſt eos hanc habere à Summo Pontifice, non immediatè à Deo ibidem. quibus aliis hæc competat facultas, 2. 87. quomodo lex vetus fuerit gravior nova, 2. 89. quænam ſit materia legis humanæ, 2. 90. potuit Eccleſia habere poteſtatem in actus merè internos, 2. 93. de facto tamen tam lex Canonica, quàm Civilis circà actus merè internos verſari non poteſt, 2. 94. benè tamen circà actus internos, qui ſunt per ſe principia externorum quoad eſſe phyſicum, & materiale, 2. 95. ac etiam quatenus ſunt principia illorum quoad eſſe morale virtutis, & vitii, 2. 96. qui horas recitat Canonicas, cum voluntaria diſtractione præceptum non implet, 2. 97. actus externi etiamſi occulti adhuc pœnis humanæ legis ſubjacere cenſentur, 2. 98. actus interni, qui requiruntur ad valorem externorum, vel qui cum externis conjunguntur per modum conditionis requiſitæ, poſſunt eſſe materia legis humanæ, 2. 100. ex diſpenſatione vororum non rectè infertur directa Eccleſiæ juriſdictio in actus internos, 2. 101. quo modo, & forma leges humanæ, ſint ſtatuendæ, 2. 102. promulgatio eſt omninò neceſſaria ad legis humanæ obligationem inducendum, 2. 103. qualis, & quanta ſit neceſſaria, ut lex vim obligandi habeat in actu ſecundo, 2. 106. & ſeq. quandonam lex obligare incipiat, 2. 108. acceptatio legis à ſubditis non eſt neceſſaria, ut vim obligandi habeat, 2. 109. lex obligat ſubditos non tamen in ſtatu pueritiæ antè uſum rationis, vel perpetuæ amentiæ, 2. 110. legislator non tenetur ſuis legibus, quoad vim coactivam, ſed tantùm directivam, 2. 111. Eccleſiaſtici quoque tenentur legibus civilibus, quoad vim directivam, non coactivam, 2. 113. legibus Eccleſiaſticis omnes fideles ſubduntur, tàm quoad vim directivam, quàm coactivam, ibidem. quo jure immunitas Eccleſiaſticorum à poteſtate laicali eis competat. 2. 114. Religioſi exempti non tenentur ſynodalia Epiſcoporum Decreta ſervare, 2. 115. nec cives, & Diœceſani tenentur legibus proprii territorii, dum ſunt abſentes, 2. 116. hujus doctrinæ limitatio in quibuſdam caſibus, 2. 117. peregrini tenentur legibus loci, per quem tranſeunt. 2. 119. vagabundi tenentur etiam eiſdem, 2. 121.

Lex humana Eccleſiaſtica obligat ſubditos in conſcientia, 2. 126. etiam leges civiles poſſunt homines obligare in conſcientia. 2. 127. quomodo lex humana vim habeat obligandi in conſcientia dependenter à naturali, & divina. 2. 128. quomodo vim habeat obligandi ad culpam quoque mortalem, & pœnam æternam. 2. 129. legislator tam Eccleſiaſticus, quàm civilis habere poteſt juriſdictionem ſaltem indirectam in ſubditorum conſcientiam. 2. 130. an lex humana debeat ſemper obligare ſub culpa, & in conſcientia. 2. 132. quid dicendum in hac

hac quæſtione. 2.155. urgulæ quarundam Religionum, quæ ne ad venialem quidem culpam obligant, ſed tantum ad pœnam non ſunt propriè leges, & præcepta, ibid. quænam ſit lex purè pœnalis, & qualis ejus obligatio. 2.136. ad obligationem legis ſub culpa mortali neceſſaria eſt gravitas materiæ præceptæ, vel prohibitæ. 2. 137. duplex materiæ gravitas, una intrinſeca ex objecto, alia extrinſeca ex circumſtantiis, ibid. nequit lex humana in materia levi obligare ſub mortali, 2. 138. neque in materia gravi ſub veniali tantùm. 2. 139. quod lex obliget ad mortale, vel tantùm non pendet ex ſola legislatoris intentione, 2. 140. omnis pœna gravi ſignum eſt obligationes ad culpam mortalem, 2. 141. ſola intentio legislatoris non eſt ſufficiens ad inducendam obligationem ſub mortali, 2. 142. quandonam gravitas obligationis colligatur ex verbis ipſius legis, 2. 143. verius eſt nullam dari legem purè pœnalem, 2 145. quandonam lex humana obligans ſub mortali obliget etiam cum periculo vitæ, & quando non, 2. 147.

Lex pœnales quid ſit, & quotuplex, 2. 148. pœnæ quædam ſpirituales, quando ſunt latæ ſententiæ, ipſo facto incurruntur antè Judicis ſententiam, ibidem. tria pœnarum temporalium genera, 2. 151. ad quas pœnas ſubeundas poſſit lex humana tranſgreſſores obligare antè Judicis ſententiam, 2. 152. & ſeq. undè dignoſci poſſit legem humanam ſtatim antè Judicia ſententiam ad pœnam ſubeundam obligare, 2. 154. qualiter humanam lex vim habeat obligandi ad ſubeundam pœnam reos condemnatos poſt Judicis ſententiam, 2. 155. quarè carcerum factus puniantur, 2. 156. lex irritatoria, ſeù irritans quænam ſit, 2. 157. lex humana vim habet irritandi humanos contractus, & alios quoſdam actus, 2. 158. non omnis lex prohibens irritat actum vetitum, 2. 160. undè colligi poſſit legem prohibentem velle etiam ſimul irritare, 2. 162. quando leges irritantes obligent in conſcientia ad non faciendos actus irritatos, 2. 163. quandonam lex irritatoria ſuum ſortiatur effectum, 2. 164. quando lex irritans fundata in præſumptione ſuum ſortiatur effectum, cum præſumptio non ſubſiſtit, 2. 166. ut legi negativæ ſatisfiat, non requiritur aliquis, actus, ſeù intentio ſatisfaciendi legi, 2. 167. ad ſatisfaciendum legi affirmativæ aliquis requiritur actus, 2. 168. non requiritur, quod talis actus ſit formaliter bonus, ſed ſufficit, quod ſit materialiter bonus, 2. 169. unico actu pluribus præceptis ſatisfieri poteſt, 2. 170. etiam eodem tempore per diverſos actus pluribus præceptis ſatisfieri poteſt. quando uſus actus alium non impedit, 2. 173.

Lex humana ceſſare poteſt per ejus abrogationem, 2. 175. & abrogari poteſt ab eo, qui poteſtatem habet legislativam; 2. 176. nullus inferior poteſt legem ſuperioris abrogare, niſi ab ipſo poteſtatem habeat, 2. 177. abrogari non debet ex mero Principis beneplacito abſque juſta, & rationabili cauſa, 2. 178. quæ publicatio abrogationis ſit neceſſaria, quando lex abrogatur, 2. 179. quando lex aliqua abrogata, vel derogata cenſeatur per poſteriorem, 2. 180. poteſt etiam lex humana ceſſare quoad obligationem per ejus diſpenſationem à legitimo ſuperiore factam, 2. 181. quomodo lex ceſſare poſſit per privilegium, quid ſit privilegium, & quomodo à diſpenſatione differat, 2. 192. quinam privilegium concedere poſſint, & quibus. 2. 195. quotuplex ſit privilegium, 2. 194. quanto tempore privilegium duret, 2. 193. an ceſſante cauſa privilegii privilegium ceſſet, 2. 196. & ſeq. quænam ſit forma externa privilegii, 2. 199. quomodo lex ceſſet per coſuetudinem contrariam, 2. 200. duas conditiones ad hoc requirit conſuetudo, ibidem. undè conſuetudo talem vim habeat, 2. 201. quantum temporis requiratur, ut vim legis habeat, aut legem latam abrogare poſſit, 2. 202. quando peccent introducentes conſuetudinem legi contrariam, 2. 203. habet vim etiam introducendi legem novam, 2. 204. quot conditiones ad hoc requirantur, ibidem. quandonam conſuetudo rationabilis, & juſta ſit cenſenda, 2. 206. poteſt conſuetudo per actus peccaminoſos inchoari, 2. 207. conſuetudo, & præſcriptio quomodo differant, ibidem. quomodo lex ceſsare poſſit quoad obligationem ex mutatione materiæ in contrarium ſtatum, 2 208. non ceſsat per hoc ſolùm, quòd merè negativè ceſſet in caſu particulari ratio, & finis legis, 2. 210. quando lex per Epichejam ceſſet, 2. 213. poteſt etiam ceſſare per interpretationem ipſius, 2. 214. quomodo interpretatio differat ab emendatione legis, quæ fit per Epichejam, ibidem. & hoc intelligendum eſt non tantùm de interpretatione generali quæ legislatori competit, ſed etiam privata, & particulari, 2. 205.

Liber vitæ quid importet, & quid ſit aperire libros in die judicii, 28. 56. V. Judicium.

Locatio, & conductio quid ſit, 5. 140. diſcrimen ejus à cæteris contractibus, ibidem. quæ, & quot ſint conditiones hujus conractus, 5. 141. quantum pretium eſſe debeat, ut locatio juſta ſit, ibidem quæ ſit materia hujus contractus, ſeù quæres locari poſſint, 5. 142. quinam poſſint locare, & conducere, ibid. quæ ſint obligationes locatoris, 5. 143. in quibus caſibus locator teneatur remittere conductori penſionem. 5. 144. quæ ſint obligationes conductoris, 5. 145. in quibus caſibus conductor teneatur penſionem ſolvere, & in quibus non, quando uti reconducta non potuit, 5. 146. quomodo licitum ſit domos locare etiam meretricibus, 5. 148. quid dicendum ſit de conductione famulorum, 5. 150.

Ludus quid ſit, & quotuplex, 9. 78. ex ſe eſt licitus ex clauſis circumſtantiis, quæ ipſum illicitum reddere poſſunt, ibidem. quomodo, & qua ratione ludus ſit à jure civili, & Canonico prohibitus, 9. 79. quot ſint ludi conditiones, ut juſtus ſit, & honeſtus, 9. 80. qui fraude, metu, vel minis alium inducit ad ludendum tenetur ad ludi reſtitutionem, ibidem. requiritur etiam ad ludum æqualitas inter ludentes tum pro lucro, quàm pro jactura, 9. 81. ſciens ſe in peritia ludi notabiliter coluſorem excedere, tenetur reſtituere, quod lucratur ibidem. quid dicendum ſit de reſtitutione lucri ludo prohibito acquiſiti, 9. 84. qui ludo prohibito amiſit pecunia credita, ſpectato jure naturæ tenetur illud ſolvere, 9. 85. non tamen ſpectato ſolo jure civili communi, ſed tantùm ratione promiſſi, & fidei datæ, 9 85. quandonam ſit peccatum mortale, & quando non, ſubminiſtrare domum, menſam, aleas & alia neceſſaria omnibus ad ludendum ludo prohibito. 9. 87. & ſeq.

Lumen gloriæ probabilius eſt eſſe, habitum intellectui beato infuſum, licet ſit etiam probabile eſſe illi datum per modum actualis auxilii tantùm, 25. 38. ad quid lumen gloriæ Beatis deſerviat, 25. 39. oculus corporeus nequit lumine aliquo elevari ad Deum claré videndum, 25. 40. lumen gloriæ de potentia Dei abſoluta non eſt neceſſarium ad videndum Deum, ſed poteſt elevari intellectus per ſolùm concurſum ſpecialem extrinſecum, 25. 42. intellectus lumine gloriæ illuſtratus videt divinam eſſentiam, & ſimul tres perſonas divinas, ac omnes perfectiones exiſtentes formaliter in Deo, 25. 43. Deus eſt incomprehenſibilis à quocunque intellectu creato etiam quantumcunque per gratiam elevato, 25. 44. quid requiratur ad comprehenſionem in rigore ſumptam, 25. 45. requiritur etiam in voluntate habitus Charitatis ad fruitionem eliciendam, 25. 64. & tamquam principium ſupernaturale, per quod completur voluntas in ordine ſuo, ut actus ſecundus proportionetur actui primo, 25. 67. non tamen eſt totalis ratio agendi, ſed ut principium ſupernaturale elevans, 25. 68. quo ſenſu dici poſſit dare potentiæ operari ſimpliciter in tali ordine, ſcilicet, ſupernaturaliter, 25. 70 voluntas Beati de potentia abſoluta poteſt frui divina eſſentia ſine habitu charitatis, ſicut intellectus videre Deum ſine habitu luminis gloriæ. V. Beatitudo.

Luxuria quid ſit, & quæ ejus ſpecies, ac filiæ, 15. 141. prohibetur ſexto Decalogi præcepto, 11. 117 ſeptem ſunt luxuriæ ſpecies, ibidem. Prima ſpecies luxuriæ eſt fornicatio ſimplex, & quid ſit, 11. 118. copula cum ſponſa alterius de futuro non eſt adulterium, ſed fornicatio ſimplex, 11. 119. quid dicendum de copula fidelis cum infideli, ibidem. Secunda ſpecies luxuriæ eſt ſtuprum, & quid ſit, 11. 120. quandonam ad reſtitutionem obliget, & quomodo, ibidem. Tertia ſpecies luxuriæ eſt adulterium, & quid ſit, 11 121. Quarta ſpecies eſt incæſtus, & quid ſit. 11. 122. quinam gradus cognationis per incæſtum læſi ſint in Confeſſione exprimendi, 11. 123. qui dicendum ſit de cognatione ſpirituali, 11. 124. Quinta ſpecies eſt ſacrilegium, & quid ſit, 11. 125. quo caſu copula conjugatorum in loco ſacro ſit licita, ibid. quid dicendum de oſculis, & tactibus impudicis ibi factis ſine ſeminis effuſione, 11. 126. Sexta ſpecies eſt raptus, 11. 127. quid ſit, & quot ad eum requiruntur, ibid. Septima ſpecies eſt peccatum contrà naturam, quid ſit, & quotuplex, 11. 128. prima ſpecies peccati contrà naturam eſt mollities, & quid ſit, 11. 129. quando pollutio cenſeatur indirectè volita, & quando non ibidem. qui pollutus fuerit alterius tactu tenetur in Confeſſione exprimere qualitatem perſonæ complicis, 11. 130. Secunda ſpecies peccati contrà naturam eſt Sodomia, & quid ſit, 11. 131. quid ad Sodomiam propriè dictam requiratur, ibidem. poteſt habere aliàs malitias ab extrinſeco ei adjunctas, 11. 132. in quibus caſibus incidatur, vel non in Sodomiam reſervatam, 11. 133. Tertia ſpecies pec-

peccati contrà naturam eſt beſtialitas, & quid ſit, 11. 134. ad hanc revocatur peccatum luxuriæ cum Demone ſuccubo, ibidem. Quarta ſpecies peccati contrà naturam eſt innaturalis concubendi modus cum fœmina; quod ex ſuo genere mortale non eſt, 11. 135. prædicta peccata contrà naturam propriè diſtinguuntur ſpecie in genere moris, & non tantùm materialiter, & ſecundùm modum, 11. 137.

Luxurioſi tactus, oſcula, & amplexus impudici prohibentur etiam ſexto Decalogi præcepto, 11. 139. triplex delectatio in his actibus eſt diſtinguenda, ibidem. aſpectus fœminæ ob curioſitatem pulchritudinis mortale non eſt, etiamſi fiat propter delectationem, quæ ſenſu viſus capitur, 11. 140. aliter dicendum eſt de aſpectu pudendorum, ibidem. quomodo liceat tactus, & aſpectus inter conjuges, & ſponſos de futuro, 11. 142. quomodo turpia loqui, & turpia canere ſit licitum, & quomodo non, 11. 143. quid dicendum de componentibus, vel repreſentantibus comedias turpes, ibidem. aliud eſt dari parvitatem materiæ in materia luxuriæ, & aliud in re venerea, primum concedi poteſt, non ſecundum 11. 145. quot modis in ſextum Decalogi præceptum peccetur, 11. 146. turpium rerum cogitationes, vel imaginationes ſexto Decalogi præcepto directè non prohibentur, ſed nono, 11. 147. qui motus ſenſualitatis ſint peccata, 11. 148. motus concupiſcentiæ primo primi, & omnem voluntatis conſenſum prævenientes non ſunt peccata, 11. 189. in appetitu ſenſitivo poteſt eſſe peccatum propter conſenſum voluntatis, 11. 187. quandonam motus concupiſcentiæ ſint peccata venialia, & quando mortalia accedente voluntatis conſenſu, ibidem. quandonam ad peccatum vitandum opus ſit poſitivè reſiſtere cogitationibus, & moribus pravis, 11. 189. quinam motus concupiſcentiæ ſufficiat, ut accedente perfecto voluntatis conſenſu ſit peccatum mortale, 11. 190. delectatio moroſa quid ſit, & quomodo à deſiderio differat, 11. 191. V. Delectatio moroſa.

M

MArtirium ex ſingulari privilegio habet vim conferendi primam gratiam. V. Baptiſmus.

Matrimonii nomine quid intelligatur, 20. 2. eſt bonum, & licitum, & dividitur in legitimum, ratum, & conſummatum, ibidem. in lege nova ad dignitatem Sacramenti propriè dicti fuit elevatum, 20. 3. tripliciter ſumi poteſt, vel pro vinculo permanente inter virum, & fœminam, vel pro contractu tranſeunte vel pro Sacramento, 20. 4. quid ſit matrimonium pro vinculo ſumptum, 20. 5. quid importat hoc vinculum inter conjuges, ibidem. quid ſit matrimonium pro contractu ſumptum, 20. 6. quid ſit matrimonium ut pro Sacramento ſupponit 20. 7. eſt Sacramentum in fieri, & tranſiens, non in facto eſſe, & permanens, 20. 8. ejus materia ſunt corpora contrahentium mutuò tradita, vel tradenda, forma verò verba, vel ſigna conſenſum exprimentia, 20. 9. traditio, & acceptatio corporum, non quidem verbalis, ſed realis eſt materiam proxima, 20 10. aſſignatur diſparitas hujus Sacramenti ab aliis, 20. 11. contrahentes ſunt hujus Sacramenti miniſter, non Parochus, 20. 12. non tantum quando per ſeipſos immediatè contractum efficiunt matrimonii, ſed etiam quando efficiunt per procuratores, 20. 13. validè poteſt matrimonium celebrari inter abſentes ſub ratione contractus, ac etiam Sacramenti, 20. 14. & non tantum per procuratores, ſed etiam per internuncios, & per litteras, ibidem. cur matrimonium ità celebratum adhuc rationem Sacramenti habeat, 20. 15. non fuit in omni lege Sacramentum, ſed tantum in Evangelica per Chriſti inſtitutionem, 20. 16. matrimonium inter infideles contractum nunquam fieri poteſt verum Sacramentum, etiamſi ambo conjuges baptizentur, licet per Baptiſmum fiat indiſſolubile 20. 17. & tantò minus, quando unus ſolus convertitur, matrimonium anteà initium ſit Sacramentum, 20. 18. contractus fidelis cum infideli neque ex parte fidelis eſt Sacramentum, 20. 20. an inter baptizatos poſſit celebrari matrimonium, quod non ſit propriè Sacramentum, 20. 22. quid ſit dicendum de mente Scoti, 20. 24.

Matrimonii validitas quatuor requirit conditiones, 20. 25. ad valorem contractus matrimonii mutuus contrahentium conſenſus neceſſario requiritur, 20. 26. per poteſtatem Eccleſiæ talis conſenſus ſuppleri nequit, ibidem. ad hunc contractum non ſufficit conſenſus internus, ſed requiritur, ut exterius exprimatur, 20. 27. quomodo ex divina diſpoſitione poſſit matrimonium conſtitui ſolo interno contrahentium conſenſu, ibidem. verba non ſunt ſimpliciter neceſſaria ad valorem hujus contractus, ſed etiam ſufficiunt nutus, & alia ſigna externa verbis æquivalentia, 20. 28. etiam in potentibus loqui, 20. 29. verba, vel alia ſigna debent eſſe talia, ut exprimant de præſenti mutuam corporum tranſlationem; 20. 30. inter conſenſus contrahentium nec eſſaria eſt aliqua ſimultas, & propinquitas non phyſica, ſed moralis, 20. 31. proprium, & per ſe objectum conſenſus maritalis eſt mutuum jus, & dominium in corpora conjugum, non autem copula carnalis, 20. 32. quænam conditiones matrimonium invalident, & quæ non, ibidem. qualis eſſe debeat libertas ad contractum conjugalem requiſita, 20. 33. ad valorem matrimonii non tantum requiritur libertas phyſica, ſed etiam civilis, hoc eſt conſenſus liber à metu gravi injuſtè incuſſo, 20. 34. duplex eſt metus gravis, alius intrinſecus, & alter extrinſecus, 20. 35. metus reverentialis non ſufficit ad irritandum matrimonium, niſi accedente rationabili timore gravis mali, 20. 36. quomodo preces importunæ ſint ſufficientes ad metum inducendum in conſtantem virum, 20. 38. matrimonium metu gravi extortum, licet juramento firmetur, adhuc irritum eſt, 20. 39. quomodo validari poſſit per novum conſenſum poſteà præſtitum, ididem. quomodo etiam per copulam affectu conjugali habitam, 20. 40. ad valorem matrimonii requiritur, quod expreſſio conſenſus fiat coram Parocho, & duobus vel tribus teſtibus 20. 41. matrimonium duobus modis dicitur Clandeſtinum, ibidem. jure tantùm Eccleſiaſtico eſt prohibitum, & quidem ab ipſius Eccleſiæ initio, 20. 42. poſt Concilium Tridentinum non ſolùm eſt illicitum, ſed etiam invalidum, ibidem. qualiter Eccleſia reddere potuerit irritum Matrimonium Clandeſtinum anteà validum, & ratum, 20. 43. ob nullam neceſſitatem Clandeſtinum valet ſine diſpenſatione, 20. 44. denunciationes non pertinent ad matrimonii valorem, ſicut Parochi aſſiſtentia, ſed tantum ad ſolemnitatem, 20. 48. quænam requirantur, ut nedum validè, ſed etiam licitè contrahatur, 20. 48.

Matrimonium eſt indiſſolubile non tantùm ſub ratione Sacramenti, ſed etiam contractus 20. 57. & tale fuit inſtitutum jure divino à mundo condito, & poſteà à Chriſto confirmatum in lege gratiæ, 20. 58. hæc indiſſolubilitas licet ſit legi naturæ valde conformis, non tamen eſt de lege naturæ ſtrictè, & in rigore loquendo, 20. 59. ex elevatione ſtatus matrimonii ad ſtatum Sacramenti ejus indiſſolubilitas magis firmata eſt, ac ſtabilita, ibidem. matrimonium conſummatum Chriſtianorum eſt omninò indiſſolubile, 20. 60. ſed ratum tamen, & nondùm conſummatum jure divino diſſolvi poteſt per ingreſſum alterius conjugis in Religionem, 20. 61. matrimonium inter infideles contractum diſſolvi poteſt quoad vinculum; ſi alter conjugum convertatur ad fidem, & alter nolit illi cohabitare ſine injuria Creatoris, ibidem. poteſt etiam ex Summi Pontificis diſpenſatione in aliis caſibus præter caſum religioſæ profeſſionis verè diſſolvi matrimonium tatum, nondum conſummatum, 20. 52. & hanc auctoritatem habet non ſolum humano jure, ſed ex divina conceſſione Chriſti Domini, 20. 63. ad talem diſpenſationem juſta requiritur cauſa, ut licitè, & validè fiat, ibidem.

Matrimonii primum impedimentum dirimens eſt error, qui dupliciter contingere poteſt, vel circà ſubſtantiam perſonæ, vel circa qualitatem, priori modo matrimonium dirimit, non autem poſteriori, 20. 97. in quibus caſibus error etiam circa qualitatem matrimonium dirimere poſſit, 20. 98. Secundum impedimentum eſt conditio ſervitutis, & quænam ſit conditio ſervilis, 20. 99. matrimonium cum errore conditionis contractum non eſt invalidum, quando perſona, cum qua contrahitur, eſt æqualis, aut melioris conditionis, ibidem. eſt tamen invalidum, quando conditio errantis ſit deterior, ut quando liber contrahit cum ſerva, quam credebat eſſe liberam, 20. 100. Tertium impedimentum eſt votum ſolemne profeſſionis, 20. 101. quo jure votum ſolemne profeſſionis matrimonium irritet, & quænam differentia ſit inter votum ſolemne caſtitatis, & ſimplex, ibidem. Quartum impedimentum eſt cognatio, quæ triplex eſt, prima eſt naturalis, cujus lineæ, & gradus aſſignantur, & tres regulæ generales ad eos dignoſcendo, ibidem. alia eſt ſpiritualis, & eſt impedimentum ex mero jure Eccleſiaſtico ſtatum, 20. 103. alia tandem legalis, quæ ex humana adoptione oritur, 20. 104. Quintum impedimentum eſt crimen, quod eſt duplex, homicidium, ſcilicet, & adulterium, 20. 105.

20. 105. quatuor conditiones requiruntur ad hoc, ut crimen solius homicidii inducat impedimentum dirimens, ibidem. solùm adulterium non sufficit ad dirimendum matrimonium inter adulteros, sed unum ex tribus delictis ibi enumeratis debet habere conjunctum, 20. 106. nec jure naturæ, nec divino inductum est hoc impedimentum, sed tantùm Ecclesiastico, ibidem. Sextum impedimentum est cultus disparitas, & licet jure tantùm Ecclesiastico matrimonium dirimat, adhuc tamen jure divino impedit, & prohibet, 20. 107. matrimonium inter Catholicos, & Hæreticos, non est invalidum, sed tantùm illicitum, ibidem. Septimum impedimentum est vis, & raptus, 20. 108. quid sit raptus propriè dictus, & quando, ac quomodo matrimonium dirimat, ibidem. Octavum impedimentum est Ordo sacer, 29. 109. quo jure Ordini Sacro annexa sit continentiæ obligatio, ibidem. Nonum impedimentum est ligamen, quod est obligatio, seù vinculum alterius matrimonii rati cum conjuge adhuc vivente, 20. 110. secundùm matrimonium bona fide contractum, & cum morali certitudine mortis prioris conjugis non valet, si detegatur illum vivere, ibidem. Decimum impedimentum est honestas publica, & quid importet, & quando inducatur, 20. 111. ad quem gradum extendatur, & quomodo hoc impedimentum distinguatur ab impedimento affinitatis, ibidem. Undecimum impedimentum est affinitas, & quid sit inter quas personas, & ex qua copula contrahatur, 20. 112. mensurantur gradus affinitatis juxtà gradus consanguinitatis, ibidem. matrimonium non dirimit, nisi jure Ecclesiastico, 20. 113. Duodecimum impedimentum est impotentia, ideſt, inhabilitas perpetua ad cosummandum matrimonium, 20. 114 sterilitas, seu impotentia ad generandum non est impedimentum, & matrimonium inter steriles est validum, ibidem. quis in supradictis impedimentis dispensare possit, 20. 115. potest Pontifex dispensare in impedimentis solùm jure Ecclesiastico dirimentibus, non autem jure naturæ, vel divino, nisi declarativè, ut interpretativè, ibidem. Pontifex dispensare potest in voto solemni Castitatis, & Religionis, 20. 116. & de facto non semel dispensavit, ibidem. quid requiratur, ut dispensatio sit valida, 20. 118.

Matrimonii effectus, seù bona sunt tria, 20. 120. primùm est bonum Sacramenti, scilicet, vinculum indissolubile, 20. 121. secundum est bonum prolis, quod sufficit, ut sub conditione ponatur, 10. 123. tertium est bonum fide, seù fidelitatis inter conjuges, 20. 123. debitum conjugale quomodo obliget, ibidem. quomodo hæc tria bona in quolibet matrimonio reperiantur, 20. 124. copula conjugalis est licita, & ad duplicem finem ordinata, 20. 125. etiamsi solùm fiat ad propiam incontinentiam vitandam, ibidem. ac etiam ad solam voluptatem captandam servata tamen moderatione, 20. 126.

Matrimonii diuortium quid sit, 20. 127. V. Divortium.

Mendacium prohibetur octavo Decalogi præcepto, 11. 165. quid sit mendacium, 11. 166. duplex falsitas in mendacio reperitur, una materialis, altera formalis, & essentialis, mendacio, ibidem. omne mendacium est peccatum, & quarè, 11. 167. qualem peccatum sit mendacium, quod est triplex, 11. 168. aliquando est mortale, aliquando veniale tantùm, ibidem. quomodo mendacium officiosum, & jocosum fieri possint mortalia ex circumstantia personæ, 11. 169. ad evitandum mendacium in quibusdam casibus licet uti restrictionibus mentalibus, 11. 171. imò, & jurare cum æquivocatione, quando est justa causa, 11. 172. ad evitanda gravi tormenta potest innocens falsum crimen sibi imponere, 11. 163. quomodo in quibusdam casibus non sit mortale mentiri Judici legitimè, & justè interroganti, ibidem. & 6. 46. quonam pacto simulatio interdum sit licita, 11. 174. V. Juramentum.

Metus gravis vel levis quinam sit, quando justè, vel injustè incussus, 4. 19.

Minister Sacramentorum, quis sit 16. 35. V. Sacramentum.

Missam audire in diebus festis est Ecclesiæ præceptum, ad cujus impletionem tria requiruntur, 12. 29. non est obligatio audiendi Missam in Parochia propria Dominicis, & festis majoribus, 12. 30. cujus Sacerdotis audienda sit Missa, ut huic præcepto satisfiat, 12. 32. probabile est audientem duas medias Missas in casu necessitatis satisfacere præcepto, 12. 33. qualis attentio ad auditionem Missæ requiratur, 12. 36. unius Missæ auditione non potest satisfieri duorum dierum obligationi, 12. 37. qui recitat, dum Missam audit, quæ aliàs recitare tenetur, utrique præcepto satisfacit, ibibem. quibus de causis fideles ab auditione sacri in diebus festis excusari possint, 12. 38. & seq.

Missæ nomine quid intelligatur, 19. 130. sacrificium propriè dictum quid sit, 19. 31. in Missa offertur Deo verum, & proprium sacrificium, 19. 32. nec sola Sacramenti sumptio nec sola consecratio integrat essentiam Sacrificii Eucharistici, sed utrumque simul, 19. 33. consecratio tamen se habet magis principaliter, 19. 35. consecratio habet rationem oblationis in Missa. 19. 36. an utriusque speciei consecratio sit de essentia Sacrificii Missæ, 29. 37. substantia panis, & vini est aliquo modo materia hujus Sacrificii, non tamen propria, 19. 39. Christus ipse est res, quæ propriè, & principaliter in hoc Sacramento offertur, 19. 40. etiam species Sacramentales spectant ad rem, quæ in hoc mysterio sacrificatur, 19. 41. Christus Dominus est principalis offerens Missæ Sacrificium, 19. 42. hac ratione actio sacrificandi non inquinatur etiam si à malo ministro procedat, ibidem. non tamen proximè, & immediatè offert, sed tantùm remotè, & mediatè 19. 43. quomodo dicatur Sacerdos offerre non tantùm in nomine Christi, sed etiam Ecclesiæ, 19. 44. & seq. Sacrificium Missæ diplicem habet valorem ad suos effectus producendos, scilicet, ex opere operantis, & ex opere operato, 19. 46. ex vi suæ institutionis habet vim remittendi pœnam peccatorum suppositа remissione culpæ 19. 47. & non solùm pro vivis, sed etiam pro defunctis, ideſt, animabus in Purgatorio detenti, ibidem. non tamen vim habet remittendi immediatè peccata mortalia quoad culpam, nec conferendi primam gratiam, sed tantùm mediate, 19. 48. probabile est viam habere remittendi immediatè venialia, 19. 49 nec vim habet augendi gratiam immediatè ex opere operato, sed tantùm mediate, 19. 50. quomodo habeat virtutem impetrandi etiam bona temporalia, 18. 51. quomodo hoc Sacrificium effectus suos infallibiliter producat, 19. 52. non potest determinari quantum vim, & efficaciam habeat hoc Sacrificium intensivè, 19. 53. valor hujus sacrificii ad satisfaciendum pro debito pœnæ restantis post remissionem culpæ est finitus, & limitatus, 19. 54. & sequent. quo pacto hic valor possit etiam dici sincathegorematicè infinitus, 19. 56. valor sacrificii etiam quoad virtutem impetrativam illi ex opere operato competens finitus est, & limitatus, 19. 57. quomodo etiam hic valor dici possit sincathegorematicè infinitus, 19. 58. hoc sacrificium non æquè prodest illis, pro quibus offertur tantùm generaliter, & illis, pro quibus offertur specialiter, 19. 59.

Missæ Sacrificium non tantum lautreticum est, & Eucharisticum, sed etiam propitiatorium, & impetratorium, 19. 60. licitè, & validè offerri potest pro omnibus fidelibus baptizatis, & non excommunicatis, sivè defunctis in Purgatorio existentibus, 19. 61. non autem pro damnatis, neque beatis, nisi in honorem, & memoriam illorum, ibidem. pro infidelibus non baptizatis, & pro excommunicatis baptizatis directè offerri non potest, sed tantùm indirectè, 19. 62. quid sit dicendum de excommunicatis toleratis, & non denunciatis, 19. 63. nec damnatis prodesse potest ad aliquam pœnæ mitigationem, vel diminutione, 19. 64. effectus remissionis pœnarum ab animabus purgantibus infallibiliter, & ex certa lege participatur, & ex opere operato sacrificii hujus, & non tantùm per modum liberalis impetrationis, 19. 65. Sacerdos hujus sacrificii fructum participat, non quatenus offerens est præcisè, sed quatenus illud pro se offert, 19. 66. & seq. applicatio fructus Missæ à Sacerdotis intentione, & determinatione dependet, 19. 68. ad applicationem sacrificii non est necessaria intentio actualis, vel virtualis, sed sufficit habitualis, 19. 69. quarè hæc habitualis intentio non sufficiat ad valorem Sacramenti, benè tamen Sacrificii, 19. 70. Deus attendit ad intentionem, quam de facto habet Sacerdos, non verò ad illam, quam habere deberet, 19. 71. in forma Ordinationis non solùm datur Sacerdoti potestas consecrandi, sed etiam sacrificium applicandi, 19. 72. illa specialis applicatio quomodo debeat determinata, & certa, itaut effectus ejus non maneat suspensus, 19. 73. qui tenetur in aliqua Ecclesia celebrare, sine sacrificii applicatione, potest Missam alteri applicare & pro illa aliud stipendium accipere, 19. 74.

Missæ stipendium licitum est pro sacro faciendo accipere, 19. 75. quodnam sit justum, & condignum Missæ stipendium, ibidem. pro una Missa plura stipendia accipere non licet, 19. 76. neque etiam id licet applicando detenti specialem fructum ipsi Sacerdoti correspondentem, 19. 77.

19. 77. neque etiam licet missas acceptas aliis dare dicendas retenta sibi parte stipendii accepti, 19. 78. nec pro una Missa duplex stipendium à diversis accipere licet, applicando uni fructum impetrationis, & alteri fructum satisfactionis, 19. 79. omissio Missæ, pro qua acceptum est stipendium, est peccatum mortale, 19. 80. non potest Sacerdos accipere plura stipendia, quibus non nisi post longum tempus satisfacere potest, 19. 81. ad suscipiendum onus Missarum in perpetuum duæ conditiones servari debent, ibidem.

Mollities quid sit, V. Luxuria.

Monopolium quid sit, & quæ Monopolia sint illicita, & prohibita, 5. 33. V. Emptio, & Venditio.

Monstra an sint Baptismi capacia, 17. 42. V. Baptismus.

Mundi innovatio futura post judicium universale peractum qualis erit, 28. 74. V. Judicium universale.

Mutui conditiones quæ, & quot sint, 5. 41. quid sit mutuum, & quotuplex, 5. 42. usura quid sit, 5. 43. quotuplex sit, 5. 44. regula generalis ad dignoscendum, quando contractus est usurarius, 5. 45. usura illicita quàm sit grave peccatum, 5. 46. de ratione mutui est, quod dominium rei mutuatæ, ac ejus usus in mutuatarium transferatur, 5. 47. usura mentalis quid sit, 5. 48. quatuor modis potest aliquid recipi, vel dari ultrà sortem nullo pacto præcedente, ibidem. in quibus ex illis modis teneatur usurarius mentalis restituere, quod ex mutuo acceptum est, & in quibus non, 5. 49. quando novit mutuatarium liberaliter dedisse, & non ex mutuo ad restitutionem non tenetur, 5. 51. quia in tali casu verè transfertur dominium accepti ultra sortem in mutuantem, 5. 53. licet in mutuo pœnam apponere à mutuatario solvendam, nisi tempore præfixo solverit, 5. 56. tres conditiones requiruntur, ut talis pœna apposita sit justa, 5. 57. quid sit damnum emergens, 5. 58. potest aliquid accipi ultrà sortem ex eo, quod mutuatarius sit in mora solvendi post terminum solutioni præfixum, ibidem. etiam pro damno emergente antè terminum solutioni præfixum potest aliquid ultrà sortem accipi, si hoc cum mutuatario in pactum deducatur, 5. 59. si verò tale pactum, non præcedit, non licet, 5. 60. lucrum cessans quid sit, 5. 61. potest etiam tale lucrum in pactum deduci cum mutuatario, 5. 63. si autem non deducatur, non potest licitè aliquid ultrà sortem accipi, 5. 64. licitum etiam est in mutuo aliquid ultrà sortem accipere ratione periculi amittendi capitale, vel cum expensis recuperandi, 5. 67. tres ad hoc requiruntur conditiones, 5. 68. alter casus, quo potest aliquid ultrà sortem accipi, 5. 69, quænam signa gratitudinis, & benevolentiæ exhibenda possint in pactum cum mutuatario deduci, 5. 83. & sequentibus, quæ obligationes possint mutuatario imponi citra usuram, & quæ non, 5. 76. & sequentibus usurarius non acquirit dominium accepti ultrà sortem, 5. 81. nec habet justum titulum acquirendi illud, 5. 84. quinam contractus ex usuraria pecunia celebrati sint invalidi, ibidem quid ex acquisitis per usuram teneatur usurarius restituere, 5. 85. mutuatarius licitè accipere potest mutuum, quod petit absolutè, & mutuans dare noluit, nisi sub usuris, 5. 88. licitum est etiam mutuum petere ab illo, quem mutuatarius scit non sine usuris esse daturum, dummodò absolutè illud petat, 5. 89. non licet mutuatario petere ab usurario mutuum sub usuris, etiamsi usurarius paratus sit dare sub usuris, 5. 90. probabile est indigentem pecunia ob aliquam necessitatem licitè posse pecuniam ab eo exigere sub usura, quem scit aliter non daturum, nisi usuram offerat, 5. 91. qualis, & quanta necessitas esse debeat, ut hæc petitio mutui sub usura licitè fieri possit, 5. 90. quæ obligatio, & pœna sit usurariorum, & cooperantium, 5. 93. & seq.

N

NAtus illegitimus, cujus pater ignoratur, à quo debeat alimenta recipere, 9. 55.

Necessitas extrema quænam dicatur, & quomodo à gravi differat, 9. 20. & 21. in extrema necessitate licitum est aliena surripere, non tamen in gravi necessitate circà extremam, ibidem. quandonam aliquid accipiens in extrema necessitate teneatur illud restituere, & quandonam non, 9. 22. necessitas duplex alia medii, alia præcepti, 16. 59. quænam Sacramenta sint ad salutem necessaria necessitate medii, & quæ solùm necessitate præcepti, 16. 60. & seq. V. Sacramentum.

Negotiatio, ut sit justa, quas requirat conditiones, 5. 4. & seq. quænam sint negotiationes illicitæ, & injustæ, 5. 33. & seq.

Notitia per Confessionem habita quomodo possit uti Sacerdos sine violatione sigilli, 21. 257. & seq. V. Sigillum Confessionis.

Novitii etiam in casibus reservatis à Prælatis Regularium sunt eis subjecti, 14. 37. impediens alicui Novitiatum, seù Religionis ingressum malitiosè, & per fraudem peccat, & tenetur ad restitutionem, 8. 13. qualis, & quanta hæc restitutio esse debeat, 8. 14. non potest pro Novitiatu, seù pro ipso Religionis ingressu licitè aliquid recipi, & sine Simonia, benè tamen pro sustentatione Novitii, seù ingredientis, 14. 97.

Numerus peccatorum mortalium in Confessione exprimendus, 21. 172. & sequentibus, numerus circumstantiarum peccati, & quæ in confessione aperiendæ, ibidem. numerus peccatorum in quibus casibus non sit necessariò exprimendus, 21. 80. & sequent. V. Confessio.

Nuptiæ, seù Nuptiarum solemnitates quando prohibitæ, 20. 89. V. Matrimonium.

Nutus, & signa in non potentibus loqui ad Confessionis expressionem sufficiunt, 21. 155. V. Confessio.

O

OBedientiæ votum est præcipuum inter tria substantialia Religionis vota, 15. 21. ex tali voto obligatur Religiosus ad omnia, quæ Superior præcipit secundùm Regulam, & Constitutiones sui Ordinis, sivè directè, & expressè, sivè indirectè, & implicitè, 14. 22. non tenetur ad ea, quæ sunt omninò suprà regulam, ibidem. neque ad ea, quæ sunt præter regulam, 14. 23. & tantò magis neque ad ea, quæ sunt contrà regulam, nisi Superior dispensèt, 14. 24. nec tenetur obedire Superiori actus merè internos præcipienti, neque ad obedientiam formalem, sed tantùm materialem, neque ad exequenda, quæ sibi à Superiore solùm sub consilio proponuntur, 14. 25. undè dignosci possit, quod præceptum Superioris obliget sub vinculo peccati mortalis, 14. 26. quando teneatur Religiosus obedire Prælato, ut se exponat periculo vitæ ad bonum proximi, 14. 27. quando Regulares professi teneantur acceptare novam reformationem, & quando non, 14. 28. non est contrà votum Obedientiæ, quod Religiosus gravatus à Prælato causa querelæ recurrat ad Superiorem Prælatum, 14. 29.

Odium est vitium Charitati oppositum, 10. 95. V. Charitas.

Officii divini nomine quid intelligatur, 14. 49. omnes Clerici in aliquo Ordine sacro constituti ad illud recitandum obligantur, 14. 50. ac etiam omnes Clerici beneficium aliquod Ecclesiasticum obtinentes, etiamsi nullo Ordine Sacro sint insigniti, ibidem. item Religiosi omnes, qui Religionem profitentur Choro addictam, etiamsi in Sacris Ordinibus non sint constituti, 14. 51. omnes Ecclesiæ Regulares tenentur etiam quotidie Horas Canonicas in Choro psallere, ibidem. quid dicendum sit de Monialibus, ibidem. modus, & ordo servandus in Horis Canonicis recitandis, 14. 52. quale peccatum sit Horarum recitationem notabiliter interrumpere, ibidem. dici debent debitis, & statutis temporibus à legitima consuetudine præscriptis, 14. 53. unica divini officii recitatione duorum dierum obligationi satisfieri nequit, ibidem. attentio quoque, vel devotio necessaria est ad horas Canonicas recitandas, ibidem. tanta est hæc obligatio, ut mortaliter peccet quisquis hoc onus habens Horas Canonicas, vel notabilem earum partem amittit, 14. 54. quæ sit omissio partis notabilis officii ad peccatum mortale sufficiens, ibidem. in beneficiariis ultrà reatum peccati mortalis inducit etiam pœnam restitutionis fructuum pro rata omissionis, officii 14. 45. quænam causæ excusent ab Horarum recitatione, 14. 56. an qui ob aliquam ex illis causis integrum diei officium cum recitare non potest, saltem teneatur aliquam ejus partem recitare, si potest, 14. 57.

Oleum olivarum ab Episcopo benedictum est Sacramenti extremæ Unctionis materia remota. proxima verò est Unctio ipsa, 22. 18. & sequentibus, quomodo oleum etiam balsamo mixtum possit esse valida hujus Sacramenti materia, 22. 20. V. Unctio extrema.

Omissio, seù omissionis peccatum quid sit, & quotuplex, 15. 25. licet regulariter loquendo peccatum omissionis sine aliquo actu non contingat, qui ejus causa directè, vel indirectè existat, absolutè tamen potest sine omni actu contingere, 15. 27. quandonam actus omissioni conjunctus sit peccatum, & quan-

& quando non, 15. 30. & seq. actus incompossibiles cum observantia præcepti, qui eliguntur, postquam statuimus non observare præceptum, malitiam omissionis non contrahunt, 15. 31. quo tempore peccatum omissionis contrahatur, 15. 32. & sequent. an qui propria culpa incidit in aliquem morbum diuturnum, incurat omnes omissiones ex eo sequentes, 15. 35. V. Peccatum.

Opinio probabilis quæ sit, & quæ improbabilis, 1. 62. licitè potest homo in moralibus conscientiæ, vel opinioni probabili se conformare, 1. 64. V. Conscientia.

Opus satisfactorium debet esse liberum, & voluntarium, ac etiam esse debet honestum, & moraliter bonum, 21. 271. potest opus aliàs debitum pro pœnitentia imponi, 21. 272. regulariter tamen, & justa causa cessante tale esse non debet, 21. 273. etiam actus interni pro pœnitentia interdum possunt injungi, 21. 274. ac etiam non pœnales, regulariter tamen pœnales esse debent, 21. 275. V. Satisfactio.

Ordo quid sit, 19. 3. est Sacramentum novæ legis à Christo Domino institutum, 19. 4. septem sunt Ordines propriè dicti, 19. 5. Clericalis Tonsura non est Ordo proprie dictus sed dispositio, & præparatio ad Ordines suscipiendos, ibidem. non tantùm Ordo in genere, sed unusquisque in particulari est Sacramentum, 19. 6. quomodo præfati Ordines unum constituant Sacramentum, ibidem. Episcopatus quoque est Ordo propriè dictus ab aliis distinctus etiam à Sacerdotio, 19. 7. non tamen à Sacerdotio distinguitur, sicut alii Ordines inter se distinguuntur, 19. 8. quomdo adhuc salvetur, quod septem sint Ecclesiæ Sacramenta, & non octo, 19. 9. materia remota Sacramenti Ordinis in generali est res illa, quæ ab Episcopo traditur suscipienti aliquem Ordinem, proxima verò est illius rei traditio, & forma sunt verba ab Episcopo prolata, 19. 10. quænam sit materia, & forma Ostiariatus, & aliorum Ordinum minorum, & quæ eorum officia, 19. 12. quæ sit mataria, & forma Presbyteratus, & ejus officia, 19. 13. tam potestas consecrandi, quàm absolvendi à peccatis est essentia, & integritate Ordinis Sacerdotii, 19. 14. quæ sit materia, & forma Episcopatus, 19. 15. quæ ejus officia, 19. 16.

Ordinarius hujus Sacramenti Minister est solus Episcopus, 19. 18. etiam excommunicatus, & degradatus potest validè ordinare, non tamen licitè, ibidem. ex dispensatione tamen Summi Pontificis simplex Sacerdos minores Ordines conferre potest, non autem aliquis alius non Sacerdos, 19. 19. de Diaconatu autem, & Subdiaconatu est dubium, ibidem. masculi solùm, & baptizati sunt Sacramenti Ordines capaces, etiamsi infantes essent, & usu rationis carentes, 19. 20. quæ, & quot conditiones requirantur ad hoc Sacramentum non tantùm validè, sed etiam licitè recipiendum, 19. 21. & sequentibus ætas ad singulos Ordines requisita, ibidem. in Ordinum susceptione servanda sunt temporum interstitia, 19. 22. titulus in promotione ad Ordines habendus, 19. 23. quinam sint hujus Sacramenti effectus, 19. 24. quodlibet Ordinis Sacramentum Characterem imprimit, 19. 25. ad valorem singularum Ordinationum requiritur contractus physicus saltem mediatus ejus materiæ, cujus sit traditio, 19. 26. in Episcopatu novus Character imprimitur ab aliis distinctus etiam à Sacerdotali, 19. 27. connexio Ordinum adinvicem non est necessaria necessitate Sacramenti, sed tantùm præcepti, 19. 28. Episcopatus tamen necessariò Sacerdotium supponit, ibidem an Character Episcopalis sit dignior Sacerdotali, 19. 29.

Oscula, tactus, & impudici amplexus inter solutos prohibentur sexto Decalogi præcepto, 11. 139. triplex delectatio in his actibus est distinguenda, ibidem, V. Luxuria.

P

PAnis triticeus aqua naturali confectus, & decoctus, vel assus est materia Consecrationis Corporis Christi, 18. 16. tam panis azymus, quàm fermentatus est materia sufficiens loquendo de necessitate Sacramenti, 18. 17. loquendo autem de necessitate præcepti Latini in azymo, Græci in fermentato consecrare tenentur, ibidem. V. Eucharistia.

Paupertatis votum quid sit, & ad quid Religiosos obliget, 14. 38. & seq. V. Votum paupertatis.

Peccatum formaliter in privatione consistit, & non in positivo, 15. 3. & hoc est privatio debitæ rectitudinis, seù conformitatis ad legem, quam voluntas procurare tenetur in actu suo, 15. 4. de ratione peccati, & mali moralis est esse contrà legem, 15. 5. quo sensu dicantur aliqua mala, quia prohibita, & aliqua prohibita, quia mala, 15. 6. omne peccatum intrinsecè etiam includit oppositum cum aliqua virtute, 15. 5. peccatum actuale dividitur in peccatum commissionis, & omissionis, in mortale, & veniale, in peccatum cordis, oris, & operis, & quædam sunt peccata carnalia, quædam spiritualia, 15. 8. dividitur etiam in peccatum ex ignorantia, ex passione, & ex malitia, quæ est divisio accidentalis, non essentialis, 15. 9. ad hoc, quod aliquis actus, vel ejus omissio sit peccaminosus, & culpabilis, requiritur, quod sit liber, & deliberatus, 15. 10. tres conditiones requiruntur ad peccatum contrahendum 15. 11. qualis advertentia per se requiratur ad peccatum, 15. 12. ultra advertentiam malitiæ requiritur etiam consensus, 15. 13. quale peccatum sit desiderium malum, 15. 14. peccatum non supponit necessariò aliquem errorem, vel inconsiderationem in intellectu, 15. 15. peccatum commissionis pro formali non consistit in aliquo positivo, sivè reali, sivè morali, sivè rationis, 15. 18. neque in positivo, & privatio simul, sed in sola privatione, 15. 20. & hæc est privativo rectitudinis, sivè honestatis debitæ actui ipsi, qui malus denominatur, 15. 21. quomodo peccata omissionis, & commissionis etiam eidem virtuti opposita essentialiter distinguantur, 15. 23. quomodo distinguantur vitia extrema eidem virtuti opposita, 15. 29. peccatum omissionis quid sit, & quotuplex, 15. 25. V. ommissio.

Peccatum aliud mortale, aliud veniale dari certum est, ac de fide, 15. 37. mortale duplex est, aliud ex genere suo, aliud ex accidente, & veniale triplex, aliud ex genere suo, aliud ex parvitate materiæ, aliud ex defectu deliberationis, 15. 38. assignatur propria, & formalis ratio, per quam peccatum mortale à veniali differt, 15. 40. & ex hoc colligitur vera definitio peccati mortalis, & venialis, 15. 41. peccatum mortale in ratione offensæ non includit malitiam simpliciter infinitam, sed tantum secundùm quid, 15. 42. crescit injuria ex dignitate personæ offensæ, non ad æqualitatem, sed secundùm aliquam proportionem, 15. 43. peccatum dupliciter considerari potest, scilicet, moraliter, seu philosophicè; vel theologicè, & hoc secundo modo consideratum mortale, & veniale, sivè ex genere, sivè ex circumstantiis differunt essentialiter, & specificè, 15. 45. philosophicè autem, & in genere moris mortale, & veniale ex genere distinguuntur specie, non sic mortale, & veniale ex circumstantiis, 15. 46. quomodo idem numero actus possit successivè fieri mortalis, & venialis, 15. 47. quomodo inter mortale, & veniale discernendum sit, 15. 48. & sequent. intendens committere omnia venialia mortaliter peccat, quia exponit se periculo proximo peccandi mortaliter, 15. 50. quibus modis peccatum ex genere suo mortale possit fieri veniale, 15. 51. quibus modis peccatum quoque veniale ex genere suo possit ex accidenti fieri mortale, 15. 52. plura peccata venialia unum mortale per se, & formaliter non constituunt, 15. 53. regula generalis ad dignoscendum, quando ultimum peccatum veniale simul cum præcedentibus materiam notabilem integrat, & ad mortale sufficientem, 15. 55. idem actus numero successivè de veniali fieri potest mortale peccatum, & è contrà, 15. 56. quomodo idem actus numero possit esse simul veniale, & mortale, 15. 57. quomodo idem numero peccatum veniale manens idem in genere moris possit fieri mortale, vel è contrà, 15. 58.

Peccatorum distinctio specifica per ordinem ad objecta, & materiam, circa quam versatur non est desumenda proximè, & formaliter, sed tantùm remotè & fundamentaliter, 15. 60. nec etiam rectè desumitur ex oppositione solùm ad virtutes specie diversas, 15. 61. nec etiam per ordinem ad diversa præcepta absolutè loquendo, 15. 62. peccata non distinguuntur specie per ordinem ad diversa præcepta, nisi ex diverso motivo sint condita, 15. 63. sed distinguuntur specie per ordinem ad diversas specie perfectiones, & rectitudines, quibus privant, 15. 85. unde desumenda sit peccatorum distinctio numerica, 15. 66. & sequentibus non omnia peccata sunt paria, & æqualia in gravitate, 15. 68. inæqualitas, & gravitas peccatorum sumitur ex objectis

rationi dissonis, & per ordinem ad virtutes, quibus opponuntur, 15. 69. sumitur etiam ex circumstantiis, itaut quo pejores fuerint, graviora quoque sint peccata, 15. 70. ad circumstantias quoque spectat gravitas peccatorum ratione majoris nocumenti, quod ex illis sequitur, 15. 71. ad circumstantias etiam spectat gravitas peccatorum ex conditione personæ, quæ peccat, & in quam peccatur, ibidem. peccatum crescit ex dignitate personæ offensæ, 15. 72. peccatum levius ex objecto potest ex aliqua circumstantia fieri gravius alio peccato graviori ex objecto, 15. 73. quandonam ex duobus vitiis extremis eidem virtuti oppositis sit gravius, 15. 75. voluntas potest esse, & de facto est subjectum peccati, 15. 77. ipsa sola est subjectum primò actus peccaminosi, aliæ verò potentiæ ejus imperio subjectæ secundariò, 15. 78. dari potest peccatum subjectivè in potentia intellectiva, in quantùm subest physico vuluntatis imperio, 15. 79. in appetitu quoque sensitivo potest esse peccatum, 15. 80. etiam in sensibus, & membris exterioribus peccata reperiri possunt, 15. 81. malitia actus exterioris distincta est à malitia actus interioris, 15. 83. explicatur divisio peccati in peccatum cordis, oris, & operis, 15. 84. quomodo peccata cogitationis multiplicentur specie, & numero, 15. 85. quandonam peccata oris specie, & quando numero multiplicentur, 15. 86. & seq. quomodo, & quando peccata operis specie, vel numero multiplicentur, 15. 88. quomodo, & quando motus concupiscentiæ appetitus sensitivi sint peccata, 15. 89.

Peccatorum omnium causa est creata voluntas, aliæ verò potentiæ inferiores inquantùm voluntati subduntur, 15. 91. duæ sunt causæ externæ ad peccatum moventes Diabolus, & Mundus, 15. 92. Deus autem nullo modo est causa peccati, 15 93. & seq. unum etiam peccatum respectu alterius potest esse causa, 15. 95. triplex præsertim est interna causa peccati, ignorantia, passio, & malitia, 15. 96. ignorantia quotuplex, 15. 97. quæ diligentia sit adhibenda, ut ignorantia judicetur invincibilis, 15. 98. ignorantia antecedens, & invincibilis tam juris, quàm facti à peccato excusat omninò, 15. 99. ignorantia consequens, seù vincibilis non excusat à peccato, 15. 100. quæ ignorantia vincibilis propriè dici possit, ibidem. ignorantia concomitans, si fuerit vincibilis, non excusat à peccato, benè tamen si fuerint invincibilis, 15. 101. ignorantia vincibilis, quæ est causa peccati, semper est peccatum, & speciale distinctum ab eo quod fit ex eadem ignorantia, 15. 103. ad quam peccati speciem talis ignorantia revocetur, & cui peccato opponatur, ibidem. quarum rerum ignorantia sit vincibilis, aut possit esse invincibilis loquendo de jure naturali, & positivo divino, vel humano, 15. 104. & sequent. quodnam sit peccatum ex passione, 15. 106. passio non est causa peccati per se, & directè, sed solùm indirectè ex parte objecti, 15. 107. peccata ex passione provenientia semper aliquem defectum in intellectu præsupponunt, 15. 108. quodnam sit peccatum ex malitia, 15. 109. potest dari defectus in voluntate sine prævio defectu in intellectu, 15. 110. peccata ex habitu vitioso commissa dici debent potius ex infirmitate, & impotentia, quàm ex malitia, 15. 111. peccatum ex malitia cæteris paribus est gravius peccato ex ignorantia, aut ex passione, 15. 112. causæ excusantes à peccato sunt ignorantia invincibilis, tam juris, quàm facti, 15. 113. item impotentia adimplendi præceptum, sivè impotentia sit physica, sivè moralis, 15. 114. qui totum præceptum adimplere non potest, quando teneatur ad partem, quam potest, ibidem. vis etiam absolutè alicui illata excusat à peccato, 15. 115. metus, per se à culpa non excusat, quamvis ejus malitiam minuat, 15. 116. interdum tamen potest excusare per accidens. ibidem. quamvis transgressio legis, ex quocumque metu oriatur, sit culpabilis, tam contingere potest ob periculum alicujus mali cessare in eo casu legis obligationem, 15. 117. quandonam cesset obligatio legis ratione metus, vel periculi, ibidem. in jure humano dispensatio legis excusat à trasgressione præcepti, 15. 118.

Peccatum aliquos habet effectus, 15. 119. per peccata actualia, & personalia amittuntur dona Dei gratuita, 15. 120. effectus peccati est etiam macula quædam habitualis, quæ transacto peccati actu in ipsa remanet, 15. 121. quid sit, & quid importet hæc macula habitualis, 15. 122. alter effectus peccati est reatus pœnæ, 15. 124. quanta sit pœna cuicunque mortali peccato divinitùs decreta, 15. 125. quæ pœna peccatis venialibus correspondeat, 15. 126. peccata venialia non puniuntur in Inferno pœna æterna sensus, ibidem. quomodo intelligatur, quod in Inferno nulla est redemptio, 15. 127. per peccatum aliquo modo etiam læditur natura in naturalibus, 15. 128. non quidem itaut per peccatum tollatur ulla perfectiio intrinseca, & naturalis ipsius hominis, 15. 129. in quo consistat corruptio naturæ humanæ per peccatum primi parentis, ibidem. per peccatum originale, & per peccata etiam actualia aliquo modo minuitur inclinatio naturalis ad bonum, 15. 130. non tamen intrinsecè, sed tantùm extrinsecè, 15. 131. quatuor sunt vulnera, quæ in natura oriuntur ratione peccati, & quænam sint, 15. 132. est etiam effectus peccati privatio speciei, modi, & ordinis, 15. 133. quomodo unum peccatum possit esse pœna alterius, 15. 134.

Peccata capitalia quæ sint, & quarè talia dicantur, 15. 136. V. Vitia capitalia.

Pœnitentia virtus quid sit, 21. 2. est virtus non theologica, sed moralis, 21. 3. quatuor sunt pœnitentiæ modi, vel actus, 21. 4. tristitia, vel dolor de peccato commisso non est pœnitentia propriè sumpta, quatenus est virtus, ibidem. detestari peccatum non est specialis actus pœnitentiæ, sed cuicunque virtuti convenit, sic etiam gratanter acceptare pœnam pro peccato inflictam, 21. 5. velle punire, & vindicare peccatum est actus specialis virtutis pœnitentiæ, 21. 6. quæ sit propria ratio pœnitentiæ, ut est virtus specialis à cæteris distincta, ibidem. objectum formale, & per se pœnitentiæ est peccatum ipsum, ut vindicabile, 21. 7. est quædam justitia erga Deum, atque ideo ad virtutem justitiæ reduci debet, 21. 8. propriè loquendo justitia vindicativa dici debet, seù ejus species, ibidem. reconciliatio non est finis intrinsecus pœnitentiæ, sed satisfactio per pœnam debitam, 21. 9. pœnitentia Christiana, quæ dicatur, & quinam actus ejus, 21. 10. non est virtus per se infusa, sed acquisita, 21. 11. ad supernaturalitatem actus non semper requiritur, quod sit ab habitu infuso, sed ex speciali Dei auxilio elicitus, 21. 12. & sequent. supernaturalitas alia quoad substantiam, alia quoad modum, 21. 14. licet dari possit actus vindicandi, & detestandi peccatum, qui sit naturalis, actus tamen pœnitentiæ est supernaturalis, 21. 15. non tamen est supernaturalis quoad substantiam, sed tantum quoad modum, 21. 16. & sequent. pœnitentia Christiana alia perfecta, alia imperfecta, illa dicitur contritio, hæc attritio, 21. 18. utraque est actus supernaturalis, & includit saltem virtualiter propositum de cætero non peccandi, ibidem. quid sit pœnitentia perfecta, quæ dicitur contritio, 21. 19. V. Contritio, quid sit pœnitentia imperfecta, quæ dicitur attritio, 21. 39. V. Attritio.

Pœnitentia est necessaria ad remissionem peccati mortalis tantùm de potentia Dei ordinaria, non absoluta, 21. 51. duplex est pœnitentia formalis, scilicet, & virtualis, & duplex est necessitas medii, & præcepti, ibidem. est necessaria necessitate medii ad salutem, ac etiam necessitate præcepti, 21. 52. in lege naturæ, & scripta fuit necessaria perfecta contritio, in lege autem gratiæ, vel hæc, vel attritio cum Sacramento, 21. 53. ad remissionem peccati modò sufficit attritio cum Sacramento, 21. 54. etiam in ipso mortis articulo non est necessaria contritio, 21. 55. licet regulariter requiratur pœnitentia formalis, interdum tamen potest virtualis sola sufficere, 21. 57. non est sufficiens dispositio ad justificationem dilectio Dei, quæ non statim excitat ad detestationem peccatorum menti occurrentium, 21. 59. justificatus per dilectionem Dei sine formali contritione cum oblivione peccatorum inculpabili, tenetur postea conteri, cùm eorum recordatur, 21. 60 præceptum pœnitentiæ per se obligat in articulo mortis, si non adest copia Confessarii, 21. 62. quando obliget per accidens, ibidem. non statim post peccatum commissum tenetur peccator resurgere, 21. 63. aliquo tempore antè mortis articulum tenetur peccator pœnitere, 21. 65. quomodo hoc tempus designari possit, 21. 66. præceptum pœnitentiæ obligat, quoties peccata commissa menti occurrunt plenè, ac deliberatè, 21. 68. probabile id etiam est de peccatis jam dimissis, & expiatis, 21. 71. discrimen obligationis pœnitentiæ ad detestanda peccata commissa, & remissa, quoties menti occurrunt, 21. 72. contritio non est deletiva culpæ physicæ, & in genere causæ efficientis, neque in genere causæ formalis, sed tantùm moralis dispositivæ, 21. 74. &

74. & sequentib. & per modum meriti de congruo, 21. 76. potest etiam dici causa moralis, & dispositiva gratiæ justificantis, & per modum meriti de congruo, 21. 77. virtute pœnitentiæ de facto omnia mortalia simul remittuntur, nec unum sine alio remitti potest, 21. 78. potest tamen hoc fieri de potentia Dei absoluta, ibidem. semper, cum culpa remittitur quoque pœna æterna, non tamen temporalis, 21. 79. & sequentib. peccatum veniale potest remitti extrà Sacramentum per contritionem, & in Sacramento per attritionem, 21. 82. in homine justo extrà Sacramentum etiam per attritionem remitti potest, ibidem. ac etiam per actus aliarum virtutum, qui æquè Deo placeant, ac veniale displicuit, 21. 83. pœnitentia valet ad remissionem venialium solùm per modum causæ formalis, 21. 84. & in homine justo valet per modum condignæ satisfactionis, & meriti de condigno, ibidem. veniale etiam per Sacramenta remittitur ex opere operato, 21. 85. qualis dispositio in justo ad hoc sufficiat, ibidem. quomodo etiam Sacramentalia peccatum veniale remittant, 21. 87. mortalia remitti possunt absque venialium remissione, 21. 89. etiam veniale remitti potest sine mortali, cui erat conjunctum, 21. 90. ad ejus remissionem gratiæ habitualis infusio non requiritur, ibidem. quo pacto venialium remissio dicatur redintegratio ad familiaritatem Dei, 21. 91. venialia possunt quoque in alia vita remitti, 21. 92. non possunt deleri per actum bonum, & meritorium in alia vita elicitum, 21. 93. sed potius delentur per merita præcedentia ad talem finem relata, 21. 94. vel per satispassionem, & totalis debitæ pœnæ solutionem in Purgatorio, 21. 95. quomodo in venialibus distinguantur remissio culpæ, & solutio pœnæ, 21. 96. quare in Inferno dimittatur veniale quoad pœnam tantùm, non quoad culpam, in Purgatorio verò quoad utrumque, 25. 97.

Pœnitentiæ Sacramentum fuit à Christo Domino immediatè institutum, 21. 99. est ab omnibus aliis Sacramentis distinctum, & diversum, 21. 100. absolutio est pars intrinseca, & essentialis hujus Sacramenti, 21. 101. etiam pœnitentis actus sunt pars intrinseca materialis ejusdem, 21. 102. quomodo inter partes materiales hujus Sacramenti essentiales præter Confessionem assignandæ sint etiam contritio, & satisfactio, 21. 103. satisfactio in voto est pars ejus essentialis, & reipsa exhibita est tantum integralis, ibidem. constat itaque hoc Sacramentum ex Confessione, Contritione, & proposito satisfaciendi, tanquam materia, & absolutione, tanquam forma, 21. 104. Sacramentum hoc sumptum pro aggregato importat in recto absolutionem, & in obliquo actus pœnitentis, 21. 105. quomodo hoc Sacramentum definiatur, 21. 107. actus pœnitentis sunt materia proxima hujus Sacramenti, 21. 109. materia remota sunt peccata actualia post baptismum commissa, 21. 110. mortalia sunt materia necessaria, venialia verò tantùm sufficiens, 21. 111. peccata etiam remissa possunt esse materia iteratæ confessionis Sacramentalis, 21. 112. ad talem Confessionem requiritur novus, & iteratus dolor, 21. 114. talis iterata confessio non tantùm est validum Sacramentum, sed etiam validè fructuosum quantum ad effectum, 21. 115. absolutio est propria hujus Sacramenti forma. 21. 117. proferri debet certis verbis humana voce expressis, 21. 118. sola illa duo verba Absolvo te, sunt essentialia hujus formæ, 21. 120. potest valdè dari absolutio per verba æquivalentia, 21. 121. forma absolutionis deprecatoriè prolata non sufficit ad valorem Sacramenti, 21. 122. quomodo absolutio data sub conditione sit valida, & quomodo non, 21. 124. non potest absolutio conferri absenti, 21. 125. quomodo valida sit confessio per Scripturam, si posteà absolutio in præsentia obtineatur, 21. 126.

Pœnitentiæ Sacramenti proprius effectus est remissio peccatorum post baptismum commissorum, 21. 127. & præsertim quoad culpam, 21. 128. & non tantùm peccatorum mortalium, sed etiam venialium, 21. 130. quando producatur effectus infusionis gratiæ, & remissionis peccatorum per verba absolutionis, 21. 131. quem sensum, & effectum habeant verba absolutionis, quando peccata sunt jam remissa per contritionem, vel antecedentem confessionem, 21. 132. quomodo per pœnitentiæ Sacramentum merita bonorum operum reviviscant, 21. 134. non potest dari Sacramentum pœnitentiæ validum, sed informe, 21. 135. hoc Sacramentum præsertim ab aliis differt, quod ipsam pœnitentis dispositionem includit, ut partem essentialem, 21. 136. aliquis actus interioris pœnitentiæ est necessarius nedum ad effectum, sed etiam ad essentiam hujus Sacramenti, 21. 137. quando fit nova confessio de peccatis jam confessis, vel ex inculpabili oblivione prætermissis, requiritur novus, & distinctus dolor, 21. 138. simul cum dolore requiritur propositum efficax non peccandi de cætero, 21. 139. ad validam, & fructuosam confessionem sufficit sola attritio etiam ut talis cognita, 21. 140. debet tamen esse attritio vera, & realis non tantùm putata, ibidem. attritio ex motivo merè humano elicita non est sufficiens dispositio, 21. 141. debet esse de omnibus peccatis formaliter, vel saltem virtualiter, 21 142. in confessione venialium non est necessaria attritio, sed minor dispositio sufficere potest, 21. 144. dolor sic explicatus in confessione venialium debet esse de omnibus, & non de aliquibus tantùm, 21. 146. quomodo pœnitens possit habere propositum efficax de omnibus venialibus vitandis, 21. 148.

Pensio quid sit, & quid hoc nomen indicet, & quotuplex sit, 14. 74. quomodo conveniat cum beneficio, & ab eo differat, ibidem. quinam pensiones beneficiis imponere possit, 14. 75. quænam sit justa causa concedendi pensionem, ibidem. ad hoc, ut pensio sit juridicè imposita, debet esse moderata, ita ut beneficiato relinquatur sufficiens sustentatio, 14. 76. quid dicendum, si beneficiarius pingue patrimonium haberet, ibidem. quænam sint pensionarii obligationes, 14. 77. probabile est pensionarium teneri eodem modo, ac beneficiarium superfluos pensionum fructus in pios usus expendere, an pensionarius licitè plures pensiones retinere possit, ibidem. V. Beneficium.

Perjurium quid sit, 11. 58. V. Juramentum.

Pignus, quid sit, & quomodo ab Hypotheca differat, 5. 164. V. Hypotheca.

Polygamia, seù pluralitas uxorum successiva post mortem alterius conjugis est valida, & licita, 20. 50. simultanea verò jure divino est prohibita, ac etiam jure positivo in lege Evangelica, 20. 51. pluralitas etiam maritorum cum una uxore est jure naturali illicita, & nulla, ibidem. polygamia est contrà jus naturæ latè sumptum, non autem strictè, & in rigore, 20. 52. poligamia plurium virorum cum una vxore semper fuit illicita, & numquam permissa, 20. 53. plurium autem uxorum cum uno viro per singularem Dei dispositionem olim SS. Patribus concessa fuit, 20. 24. polygamia successiva cum repudio primæ uxoris fuit etiam licita in lege Mosayca ex dispensatione divina, 20. 55. in lege autem Evangelica nullo modo est valida, nec licita, 20. 56. posset tamen à Deo dispensari in casu necessitatis, sicut in antiqua lege dispensatum fuit, ibidem.

Possessio quid sit, 3. 56. V. Dominium.

Precarium quid sit, & quomodo à commodato differat, 4. 63. V. Contractus.

Præscriptio, vel usucapio quid sit, 3. 55. conditiones præscriptionis, ut dicatur legitima, 3. 56. quodnam sit tempus lege constitutum ad præscriptionem inducendam, 3. 59. V. Dominium.

Privilegium quid sit, & quomodo à dispensatione differat, 2. 192. quinam privilegium concedere possint, & quibus, 2. 193. quotuplex sit privilegium, 2. 194. quanto tempore privilegium duret, 2. 195. an cessante causa privilegii ipsum quoque cesset privilegium, 2. 196. & sequ. quænam sit forma externa privilegii, 2. 199. V. Lex humana.

Promissio simplex quid sit, ut ab onerosa distinguitur, 4. 26. debet esse libera, & deliberata, spontanea, & non coacta, 4. 27. debet esse verbis, vel signis externis facta, vera, & non ficta, ibidem. item debet esse acceptata, quia antè acceptationem nullam parit obligationem, 4. 28. & tandem debet esse de re licita, ibidem. quomodo promissio diferat à donatione, pollicitatione, pacto, & stipulatione, 4. 30. quando promissionis obligatio cesset, 4. 31. promissio ex genere suo obligat in conscientia ad servandum promissum, sub pœna peccati mortalis, 4. 33. ex accidenti tamen ratione levitatis materiæ potest fieri veniale, ibidem. mendacium ex suo genere est peccatum mortale, 4. 34. quanti valoris res promissa esse debeat, ut promissionis violatio peccatum mortale censeatur, 4. 36. ex sola promissione interna non oritur obligatio ex justitia ad servandum promissum, sub pœna peccati mortalis, 4. 38. vis obliganda sita est in actu interno dependenter tamen à manifestatione externa, ut à conditione, 4. 39 ex vi juris civilis nulla promissio etiam signis externis manifestata antè acceptationem obligat promittentem ex justitia ad eam servandam, 4. 40. & probabilius est nec etiam obligare ex vi juris naturalis, 4. 41. sed tantùm obli-

gat virtute veracitatis, & fidelitatis, qua promittens tenetur vera facere ſua dicta, 4. 42. ex ſola promiſſione nondùm acceptata promiſſarius in rem promiſſam jus non acquirit, ibidem.

Purgatorii nomine quid intelligatur, 24. 2. certum eſt, ac de fide dari purgatorium, 24. 3. habet rationem viæ, non termini ultimati defunctorum, 24. 8. quo in loco ſit Purgatorium, 24. 9. quibus de cauſis Purgatorium fuerit à Deo inſtitutum, 24. 11. & ſeq. carentia beatificæ viſionis in animabus Purgatorii habet rationem pœnæ damni, 24. 21. non eſt in eis pœna vermis, ſicut eſt in damnatis, 24. 22. nec ſolùm in eis datur pœna damni, ſed etiam aliqua triſtitia eam conſequens, ibidem. datur etiam in eis pœna ſenſus quatenus igne cruciantur, 24. 22. quomodo ignis, cùm ſit corporeus, illas cruciare poſſit, ibidem. cur Deus potius igne uti voluerit pro eorum cruciatu, quàm aqua, vel aere, aut alia re creata. ibidem. non torquentur à Dæmonibus, ut divinæ juſtitiæ Miniſtris, ſed immediatè à Deo, 24. 24. quomodo detentio in igne ſit nolita ab animabus purgantibus differenter à damnatis, 24. 25. pœna Purgatorii acerbior eſt qualibet pœna hujus vitæ, 24 26. quomodo id ſit intelligendum, 24. 27. quid dicendum de pœna damni, 24. 28. quid certum ſit de duratione pœnarum Purgatorii, 24. 29. quanto tempore duret cujuslibet purgantis pœna, 24. 30. quid dicendum de intenſione illarum pœnarum, 24. 31. & ſeq. animæ antè finitam purgationem indè exire poſſunt ad tempus ex divina diſpenſatione, 24. 33. pœna Purgatorii quomodo ſit voluntaria, 24. 34. quomodo animæ corporibus egreſſæ judicentur, & ad loca deſtinata poſteà deferantur, 24. 36. judicantur in ipſo loco, in quo à corporibus decedunt, 24. 37. probabilius eſt hoc judicium à Chriſto homine fieri, ibidem. animæ purgantes ſunt certæ, & ſecuræ de propria ſalute, 24. 38. & talis certitudo media eſt inter certitudinem viæ, & patriæ, 24. 39. animæ illæ non ſunt in ſtatu merendi, neque demerendi, 24. 40. poſſunt tamen pro nobis orare, & aliquid impetrare, 24. 42. ac etiam aliquando miracula edere. 24. 43.

Q

Qualitatis error matrimonium non dirimit. 20. 97. in quibus caſibus error etiam circà qualitatem matrimonium dirimere poſſit, 20. 98. V. Matrimonii impedimenta.

Quantitas materiæ in Euchariſtia conſecrandæ debet eſſe certa, ac determinata ex intentione conſecrantis, 18. 22. quæcunque minima quantitas materiæ eſt conſecrabilis, dummodò ſit ſenſibilis, 18. 23. cur conſecrari non poſſit in quacunque magna quantitate, 18. 24. quantitas aquæ vino miſcendæ in Calicis conſecratione modica eſſe debet, 18. 19. V. Euchariſtia, quantitas major ad furtum grave domeſticorum requiritur, quàm ad furtum exterorum, 9. 14. V. Furtum.

Quænam ſint conditiones contractus ex parte efficientis, ut ſit validus, 4. 5. quænam ex parte formæ contractus, 4. 6. quænam ex parte materiæ, 4. 7. & quænam ex parte finis, 4. 9. V. Contractus.

Quædam Sacramenta per ſe, & ex vi ſuæ inſtitutionis primam gratiam conferunt, quædam verò ſecundam, ſeù augmentum ejus, 16. 26. quænam ſint Sacramenta characterem imprimentia, quæ proindè iterari non poſſunt, 16. 29. V. Sacramentum.

Quæſtus, ſivè lucrum ob turpem cauſam an obligationem reſtitutionis inducat, 9. 67. pro opere illicito patrando nihil dari, vel accipi poteſt antè operis impleitonem, quod ſi acceptum eſt reſtitui debet, 9. 68. poſt operis impletionem tenetur promittens ſolvere pretium, & accipiens ad reſtitutionem non tenetur, & hoc ſpectato jure naturæ, & in foro conſcientiæ, 9. 69. acquiſita ob turpem cauſam non ſolùm antè factum, ſed etiam ſecuto facto ſunt reſtituenda, quando lex efficit acquirentem dominii incapacem, 9. 73. cui talis reſtitutio ſit facienda, ibidem. ſpectato jure poſitivo, & foro externo pro ſolo opere meretritio conceditur actio contrà fornicarium ad juſtam mercedem ſolvendam, pro reliquis verò operibus pravis probabile eſt pretium nulli eſſe reddendum, 9. 74. pretium acceptum pro opere debito ex juſtitia, vel ne fiat peccatum contrà juſtitiam, neceſſariò reſtituendum eſt in foro conſcientiæ, 9. 75. idem dicendum eſt de pretio accepto pro operibus debitis ex aliis virtutibus, 9. 79. in quibus caſibus meretrix ad reſtitutionem teneatur pretii accepti pro copia facta ſui corporis, 9. 77. & ſequent.

Quinam gaudeant immunitate Eccleſiæ, & quid hæc ſit, 11. 73 quinam ſit poſſeſſor bonæ, vel malæ fidei, 7. 22.

Quomodo peccata omiſſionis, & commiſſionis eidem virtuti oppoſita eſſentialiter diſtinguantur, 15. 23. quomodo diſtinguantur vitia extrema eidem virtuti oppoſita, 15. 25. quodnam ex duobus vitiis extremis eidem virtuti oppoſitis ſit gravius, 15. 24. V. Peccatum.

Quot ſint Eccleſiæ Sacramenta, 16. 53. V. Sacramentum. Quot ſint peccata capitalia, & quarè talia dicantur, 15. 136. V. Vitia capitalia. Quot ſint matrimonii impedimenta, 20. 97. & ſeq. V. Matrimonium. Quot ſint gradus conſanguinitatis, & quomodo dignoſcendi, & computandi, 20. 102. Quot ſint gradus affinitatis, & quomodo dignoſcendi, & computandi, 20. 112. Quot ſunt modi, quibus peccatum alienum participatur in materia reſtitutionis, 7. 23.

R

Raptus propriè dictus, & matrimonium dirimens, quid ſit, 20. 108. V. Matrimonii impedimenta.

Religionis virtus quid ſit. 11. 16. præcipuus ejus actus eſt adoratio, quæ multiplex eſt, 11. V. Adoratio.

Religionis nomen dupliciter accipi poteſt, 14. 2. ſtatus Religioſus, ſeù ſtatus Religionis preſsè ſumptæ quid ſit, 14. 3. qualis ſit varietas, & diverſitas Religionum, & Ordinum, & quæ ſint conditiones Religioſi verè, & propriè dicti, 14. 4. quæ, & quot ſint conditiones ad profeſſionis religioſæ valorem requiſitæ, 14. 5. non ſolùm profeſſio expreſſa, ſed etiam tacita verum religioſum conſtituit, ibidem. non ſolùm vota ſolemnia, ſed etiam ſimplicia in aliqua ſocietate emiſſa verum Religioſum conſtituere poſſunt, 14. 7. Pontifex etiam in votis ſolemnibus diſpenſare poteſt. ibidem. obligatio tendendi ad perfectionem in religioſis eſt ſub mortali peccato, 14. 8. non tamen eſt diſtincta ab obligatione ſervandi vota, & obſervantias regulares, ibidem. peccata Religioſi cæteris paribus graviora ſunt peccatis ſæcularium, 14. 9. inter tria Religionis vota votum obedientiæ eſt præſtantius, 14 10. Religioſus tenetur ſub mortali præſertim ad obſervantiam trium votorum eſſentialium, 14. 11. non æqualiter obligatur ad ſervanda omnia in Regula contenta, 14. 12. undè talis obligatio dignoſci poſſit, 14. 14. quid dicendum ſit de obligatione Conſtitutionum, ſeù ſtatutorum Religionis, 14. 15. tranſgreſſio, quæ imputatur ad pœnam, etiam aliquo modo imputatur ad culpam, ibidem. abuſus evitandi in quibuſdam Religionibus circà promovendos ad Magiſterium, & Provincialatus titulares, 14. 16. Religioſus ad Cardinalatum, vel Epiſcopatum aſſumptus manet adhuc votis eſſentialibus ſuæ Religionis obſtrictus, 14. 17. quomodo ſe habeat ad alia Regulæ præcepta, & regulares obſervantias, 14. 18. ejecti quoque, & expulſi à Religione, tanquam incorregibiles, manent cum obligatione trium votorum Religionis, 14. 19. poteſt Religioſus à religione recedere ad ſuſtentandum parentes in extrema neceſſitate poſitos, 14. 20. Obedientiæ votum eſt præcipuum inter tria ſubſtantialia Religionis vota, 14. 21. ad quæ obligetur Religioſus ex tali voto, 14. 22. & ſequent. V. Obedientiæ votum, ad quæ obligetur Religioſus voto caſtitatis, 14. 31. V. Votum Caſtitatis, ad quæ obligetur Religioſus voto paupertatis, 14. 38. & ſeq. V. Votum Paupertatis.

Remiſſio peccatorum V. Pœnitentia.

Reſervatio Caſuum V. Caſus reſervandi.

Reſtitutio quid ſit, 7. 3. quomodo differat à ſimplici redditione. ibidem. injuria damnoſa, quæ eſt radix reſtitutionis duplex eſt, 7. 4. quomodo reſtitutio à ſatisfactione differat, 7. 5. juſtitia ſtrictè ſumpta eſt ſpecialis virtus, & dividitur in commutativam, & diſtributivam, 7. 6. reſtitutio eſt actus juſtitiæ particularis, & commutativæ, ibid. non ſemper ad eandem virtutem ſpectat non inferre damnum, & illud reſarcire, 7. 9. eſt neceſſaria ad ſalutem non quidem neceſſitate medii, ſed præcepti, 7. 11. præceptum reſtitutionis licet in forma verborum ſit affirmativum, in ſubſtantia tamen eſt negativum, 7. 13. quid ſit attendendum ad dignoſcendam rationem præcepti affirmativi, & negativi, 7. 14. quomodo præceptum reſtitutionis obliget ſemper, & pro ſemper, 7. 15. reſtitutio ad ſalutem neceſſaria non ſolùm bona fortunæ concernit, ſed alia etiam interna, & externa, ibidem. ex triplici capite oritur obligatio reſtituendi, 7. 16. diſcrimen inter reſtitutionem ratione injuſtæ acceptationis, & ratione rei acceptæ, 7. 17. nemo tenetur ad reſtitutionem ob damnum alteri datum ex culpa levi, & leviſſima, 7. 18. ut obligatio reſtitutionis oriatur

tur ex culpa lata, talis culpa debet esse mortalis, nec sufficit venialis, 7. 19. ad restitutionem tenentur, qui rem alienam justo quidem titulo acceperunt, sed postea in mora constituti eam retinent invito domino, 7. 21. item qui rem injustè acceptam apud se habent, sivè bona fide, sivè malâ illam habeant, 7. 22. quinam dicatur possessor bonæ, vel malæ fidei, ibidem. item omnes ad restitutionem tenentur, qui aliquo modo sunt causa damni illati directè, vel indirectè, 7. 23. novem sunt modi, quibus peccatum alienum participatur, ibidem. non tenentur ad restitutionem, nisi fuerint causa influens, & efficax damni illati, 7. 24. si plures simul concurrant ad tale damnum secutum, singuli tenentur ad restitutionem in solidum, 7. 52. quando aliquis tale damnum impedire posset, & non impedit, non tenetur ad restitutionem, si tale impedimentum ei ex officio non incumbit, 7. 28. qui sine sua culpa, & præter intentionem fortuitò damnum infert alicui ad restitutionem non tenetur, 7. 29. quomodo, & quibus servatis conditionibus licitum sit rem propriam ab alio injustè detentam surripere, & absque ulla restitutionis obligatione, 7 31. & sequent. quo pacto licitum sit rem suam recuperare etiam per violentiam, & rapinam, 7. 33. quando restituere teneatur, qui alium à consecutione alicujus boni impedivit, ibidem. non solum res injustè detenta restitui debet, sed etiam fructus ex ea percepti, si erat de se fructifera, 7. 34. non autem si essent ex industria possessoris, sivè sit bonæ, sivè malæ fidei, 7. 35. tres fructuum species sunt distinguendæ, merè naturales, merè artificiales, & mixti, 7. 36. quæ damna sint resarcienda domino, & quomodo, 7. 37. ad quid restituere teneantur possessores tam bonæ, quàm malæ fidei, 7. 78. qui bona fide rem furtivam emit, & postea vendit, etiam cessante bona fide non tenetur contractum rescindere, 7. 39. ad quid teneatur possessor malæ fidei, 7. 40. accepta per simulatam paupertatem sunt restitutioni obnoxia, 7. 41. sic etiam acquisita per hypochrisim, 7. 44. non autem acquisita ob turpem causam, 7. 46.

Restitutio rei facienda est domino, cui sublata est, 7. 48. vel propinquis, & hæredibus in eju defectum, vel pauperibus, his quoque deficientibus, 7. 49. qui rem emit à furè, eidem potest eam restituere, ne precium suum amittat, 7. 50. cui restituenda sit res, quæ accipitur ab altero etiam cum culpa illius, 7. 52. bona incerta ex delicto habita sunt restituenda pauperibus, 7. 53. quid dicendum de bonis incertis sine delicto habitis, 7. 54. res inventæ, quæ nunquam dominum habuerunt, & vacantia, quæ pro derelictis habentur sunt primi inventoris, & occupantis, 7. 55. quid dicendum de thesauris, 7. 56. quando acquisita per errorem sint restituenda, & quando non, 7. 57. restitutio fieri debet quamprimum commodè fieri potest, 7. 59. in quibus casibus restitutionem differre liceat, 7. 60. quinam ordo sit in restitutione servandus, 7. 62. nullus ordo servandus est in foro conscientiæ inter debita ex delicto, & contractu oneroso in solutione, 7. 64. quinam ordo servandus sit in restitutione inter personas, quæ damnum intulerunt, 7. 65. quibus expensis facienda sit restitutio, quando debetur solùm ratione rei acceptæ, 7. 66. quibus expensis facienda sit, quando res est debita ratione injustæ acceptationis, 7. 67. quibus expensis fieri debeat, quando obligatio restituendi oritur ex contractu, 7. 69. actualis restitutio differri potest, quando esset in præjudicium Reipublicæ, vel ipsius damnificati, 7. 70. item quando restitutio esset in diffamationem restituentis, 7. 71. quia bona inferioris ordinis non sunt necessariò restituenda cum detrimento notabili bonorum ordinis Superioris, 7. 73. quænam sint bona Superioris, & inferioris Ordinis, 7. 74. excusatur etiam debitor à restitutione, quando hæc cederet in magnum incommodum restituentis, & in parvum, vel nullum creditoris, 7. 75. quando licitè differri possit restitutio pro conservatione sui honorifici status, & quando non, 7. 77. excusat præterea à restitutione extrema debitoris inopia, & necessitas 7. 78. quandonam extremè indigens ad pinguiorem fortunam redactus ad restitutionem teneatur, & quando non, 7. 79. quando creditor, & debitor sunt simul in æquali necessitate, hic ad restitutionem non tenetur, 7. 81. aliæ quædam causæ à restitutione excusantes, ignorantia nempè probabilis juris, vel facti, 7. 83. creditoris remissio, ac debiti condonatio, 7. 84. cessio bonorum, 7. 85. præscriptio, 7. 86. compensatio creditoris ex bonis debitoris, 7. 87. Judicis sententia, 7. 88. & tandem solutio debiti creditori creditoris sui, 7. 89.

Restitutio facienda ob damna spiritualia, 8. 2. qui per vim, & fraudem alium ad peccandum induxit, tenetur ex justitia ad restitutionem damni illati, 8. 3. etiam qui sine ut, & fraude alium ad peccandum induxit, ad eandem restitutionem tenetur ex lege justitiæ, 8. 5. quando consulens ad restitutionem damni illati teneatur, 8. 9. impediens alicui justa de causa Religionis ingressum nec peccat, nec ad restitutionem tenetur, 8. 10. extrahens professum à Religione tenetur ex justitia ad resarcienda damna indè sequentia tam Religioni, quàm Religioso, 8. 11. & sequent. impediens alicui malitiosè, & per fraudem Religionis ingressum peccat, & ad restitutionem tenetur, 8. 13. qualis, & quanta hæc restitutio esse debeat, 8. 13.

Restitutio facienda ob damna corporalia, 8. 15. quid prohibeatur quinto Decalogi præcepto, 8. 16. injusta sui ipsius occisio, & corporis læsio prohibita est, 8. 18. item injusta alterius occisio, licita tamen est, si fiat auctoritate publica per justitiam punitivam, 8. 18. damna omnia ex occisione, vel mutilatione alterius secuta sunt restituenda, 8. 38. V. Homicidium, Aggressoris occisio.

Restitutio facienda ob damna famæ, & honoris, 8. 48. & seq. V. Fama, & Honor.

Restitutio facienda ob damna in bonis Fortunæ, 9. 1. V. Furtum.

Restitutio facienda ex adulterio, & stupro, 9. 45. quid sit stuprum, & adulterium, ibidem. quo sensu adulterium dicatur esse peccatum contrà justitiam, 9. 96. V. Adulterium, ad nihil tenetur qui virginem consentientem defloravit absque vi, & fraude, vel promissione matrimonii, 9. 57. talis virginis defloratio à simplici fornicatione non differt, ibidem. nec in tali casu tenetur aliquid dare parentibus, vel iis, sub quorum cura est, 9. 58. quando verò per vim, & fraudem, vel metum, aut falsas promissiones fœmina violatur, tunc damnum indè secutum est restituendum, 9. 59. quomodo talis restitutio fieri debeat, ibidem. ab hac obligatione liberatur condonante puellâ defloratâ, 9. 60. & si virgo defloratâ moritur, antequam nubat; hæredibus nihil restituere tenetur, 9. 61. defloratus virginem spe fictæ promissionis quando eam ducere teneatur, & quando non, 9. 62. quomodo qui votum simplex castitatis, vel religionis emisit, & postea virginem defloravit cum fide data matrimonii, eam ducere teneatur, 9. 63. & seq. quinam sint casus in quibus promissor puellam corruptam ducere non tenetur, 9. 65.

Restitutio facienda ex turpi lucro, 9. 66. V. Quæstus, seù lucrum ob turpem causam.

Restitutio facienda ratione ludi, 9. 78. V. Ludus.

Restitutio facienda ex venatione, 9. 91. V. Venatio.

Restitutio facienda ex bello injusto, 9. 100. V. Bellum

Restitutio facienda propter Simoniam, 14. 103. V. Simonia.

Restrictio mentalis. V. Juramentum.

Resurrectio hominum generalis est possibilis supernaturaliter, 27. 3. ad præteritum non dari potentiam quomodo intelligendum sit, ibidem. in ordine ad potentiam supernaturalem potest quodcunque ens creatum re produci, etiamsi fuerit anteà nedum corruptum, sed quoque prorsus annihilatum, 27. 4. neque id impedit temporis interruptio, 27. 5. in ordine verò ad potentiam naturalem nec omnes, nec aliqui effectus juxtà communem naturæ cursum redire possunt, 27. 6. nulla tamen impotentia intrinseca ex parte causarum naturalium assignari potest, sed solùm extrinsecum impedimentum ex parte Dei, 27. 7. neque causa naturalis potest reunire animam corpori jam à Deo reparato, 27. 8. si resurrectio consideretur in ordine ad agens, est supernaturalis, si verò in ordine ad passum, est naturalis, idest, non violenta, 27. 9. certum est, ac de fide generalem hominum resurrectionem esse futuram, 27. 10. ratione naturali probari non potest talem resurrectionem esse futuram, 27. 11. hoc enim ostendi non potest demonstratione propter quid desumpta ex materia, sivè remota, sivè proxima hominem componente, 27. 12. neque ex animæ rationali forma ejus specifica, 27. 13. neque ex anime rationalis immortalitate, quia hæc vera, & rigorosa demonstratione ostendi nequit, 27. 14. etiamsi immortalitas animæ ratione naturali probaretur, aduc ex ea resurrectio hominum futura non concluditur, 27. 15. omnes homines justi sunt verè, & propriè resurrecturi, 27. 18. quomodo etiam viventes in fine mundi sint morituri, ex quo genere mortis, 27. 19. omnes etiam damnati, resurrecturi sunt in die

die judicii, 27. 20. omnes etiam parvuli, sivè cum originali, sivè ab eo mundati, 27. 21. omnes etiam abortivi, qui ad animationem pervenerunt, resurgere debent, 27. 23. ac denique monstra omnia, quæ anima rationali aliquando prædita fuerunt, 27. 24. ob[illegible]rrectionem efficiendam tria sunt necessaria. 27. 25. Ch[illegible]s ut Deus, erit causa efficiens resurrectionis physica, non autem ut homo, 27. 26. neque ut homo erit causa ejus instrumentalis physica, sed aliis modis, 27. 27. quomodo humanitas Christi dicatur organum, & instrumentum divinitatis, 27. 28. Christus etiam ut homo, erit causa imperativa, & meritoria resurrectionis nostræ, 27. 29. Christus, ut homo, est etiam causa exemplaris resurrectionis nostræ, & quidem perfectissima respectu justorum, 27. 30. respectu verò infantium cum originali decedentium quoad perfectiones naturæ tantùm non autem gloriæ, 27. 31. non tamen ità propriè erit causa exemplaris resurrectionis damnatorum, 27. 32.

Resurrectio hominum generalis facienda est Christi imperio, & Angelorum ministerio, 27. 33. primum Angelorum ministerium erit sonitus tubæ, quo ex omnibus mundi partibus mortui ad judicium vocabuntur, 27. 34. vox illa sensibilis erit, & ex omnibus mundi partibus audietur, & quomodo, ibidem. cinerum etiam congregatio fiet quidem Christi imperio, Angelorum tamen ministerio, & non fiet in instanti, sed in tempore, 27. 35. & hæc collectio fiet ab Angelis bonis, non tantùm cinerum electorum, sed etiam reproborum, ibidem. & etiam ab eis congregabuntur, & adducentur ad locum judicii. 27. 36. dispositio autem, seù organizatio corporum suscitandorum non fiet Angelorum ministerio, sed virtute tantùm, & efficacia Christi, 27. 37. & pariter ejusdem corporis animatio, 27. 38. causa finalis resurrectionis mortuorum in die judicii est ostensio, & exercium divinæ justitiæ, 27. 40. & seq. qua ratione idem numero homo resurget, qui fuit virus, 27. 46 & seq. omnia membra hominem integrantia cum eo resurgent, 27. 48. non omnes partes homogeneæ, quæ fuerunt de veritate naturæ toto tempore vitæ in quolibet homine resurgent, sed tantùm quæ à parentibus habitæ sunt in conceptione, & quæ successivè usque ad terminum augmenti puriores extiterunt, 27. 49. & seq. præfatæ partes in resurrectione ad sua loca redibunt, in quibus olim fuerunt, dùm corpus viveret, 27. 51. quomodo etiam humores, capilli, ungues, &c. resurgent, 27. 52. & seq. omnes resurgent in proprio sexu, 27. 54. & seq. in qua ætate, & statura mortui resurgent, 27. 56. & seq. in electis non resurgent deformitates, quæ inerant corporibus vivis, nec substantiales, nec accidentales, 27. 58. probabile tamen est, quod corpora martyrum resurgent cum vulneribus, quæ pro Deo passi sunt. ibidem. in damnatis tamen resurgent deformitates saltem accidentales, 27. 59. omnia corpora resurgent incorruptibilia, & quomodo, 27. 60. & sequent. quomodo etiam resurgent spiritalia, 27. 62. in quo loco fiet mortuorum resurrectio, 27. 63. omnes resurgent simul tam justi, quàm damnati in eodem extremo judicii die, 27. 64. & nedum illo eodem die, sed etiam in eodem parvo temporis momento, 17. 66. adhuc tamen prius resurgent electi, qui anteà obierunt, quàm alii qui tunc vivi reperientur, 27. 67. resurrectio generalis diurno tempore est futura, 27. 69. & in ea hora, qua Christus resurrexit, 27. 70.

Reus quando, & quomodo teneatur veritatem fateri à Judice interrogatur, 6. 42. quando reus censeatur à Judice juridicè interrogatur, & quando non, 6. 43. quarè reus non juridicè interrogatus mendax non sit, licet verum crimen neget, 7. 44. quandonam etiam legitimè interrogatus, & juridicè fateri veritatem non teneatur sub mortali, 6. 46. reus plenè convictus de delicto tenetur sub mortali veritatem fateri, 6. 47. & in tali casu obligari debet à Confessario ad suplicium ductus, si antè plenam probationem negavit, 6. 48.

S

SAcramenti nomen quid importet, 16. 2. quid importet quoad quid rei, 16. 3. quo sensu dicatur signum, & quarè sensibile, 16. 4. est signum practicum, & non purè speculativum, & confert gratiam ex opere operato, 16. 5. non est signum naturale gratiæ, sed ad placitum, & ex institutione divina, 16. 6. quarè dicatur signum efficaciter gratiam significans, vel effectum ejus gratuitum, 16. 7. de ratione Sacramenti est, ut sit signum sensibile, & communi, ac universali lege institutum ad communem fidelium utilitatem, 16. 8. quænam importentur Sacramento intrinsecè, & in recto, & quæ extrinsecè, & in obliquo. 16. 9. omnia novæ legis Sacramenta constant ex rebus, & verbis, vel formaliter, vel saltem æquivalenter, tanquam ex materia, & forma, 16. 11. res, & verba, quæ dicuntur materia, & forma Sacramentorum, semper sunt partes intrinsecæ Sacramenti consistentis in fieri, 16. 12. quid dicendum de Eucharistia, quæ est Sacramentum permanens, ibidem. quomodo intelligantur Concilia, & Patres omnia Sacramenta novæ legis constare ex rebus, & verbis, ut ex materia, & forma. 16. 13. inter materiam, & formam Sacramentorum non requiritur simultas physica, & rigorosa, sed interdum moralis sufficit. 16. 14. materia, & forma Sacramentorum fuit determinata ex institutione Christi quoad substantiam, 16. 16. hæc tamen determinatio latitudinem aliquam habet intra quàm variatio aliqua reperiri potest absque præjudicio validitatis Sacramenti, ibidem. mutatio essentialis, & substantialis tam in materia, quàm in forma Sacramentum irritat non tamen accidentalis, 16. 17. regula generalis ad dignoscendum, quæ mutatio sit essentialis, & quæ accidentalis, ibidem.

Sacramenti duplex effectus, unus primarius, qui est gratia habitualis, alter secundarius, qui dicitur character, 16. 18. Sacramenta novæ legis conferunt gratiam sanctificantem per se, & propriè ex divina institutione, 16. 19. non quidem principaliter, sed instrumentaliter, & ex opere operato, 16. 20. non quidem physicè, sed moraliter, 16. 21. V. Gratia quid, sit character, 16. 28. tribus tantum Sacramentis imprimitur character, quæ proinde iterari non possunt, 19. 29. producitur à Sacramento eo modo, & eo tempore quo producitur gratia sanctificans, 16. 30. est ens physicum reale, & ab anima realiter distinctum, & forma realis absoluta de genere qualitatis, 16. 31. & in secunda specie reponi potest, 16. 32. in quo subjecto proximè imprimatur, 16. 33. quis sit Minister Sacramentorum, 16. 35. ut validè Sacramentum ministret, requiritur in eo legitima potestas, 16. 36. & intentio faciendi, quod facit Ecclesia, 16. 37. ad valorem Sacramenti sola intentio habitualis non sufficit, actualis est sufficientissima, non tamen necessaria, & sola virtualis est sufficiens, & necessaria, 16. 38. est etiam necessaria intentio absoluta, & non sufficit conditionata, 16. 39. non tamen est necessaria fides, & probitas ministri, 16. 41. necessaria tamen est, ut licitè Sacramentum conficiat, 16. 42. est etiam necessaria potestas jurisdictionis ad licitè ministranda Sacramenta, 16. 43. solus homo viator est subjectum Sacramentorum capax, 16. 44. in adultis si sint rationis compotes, requiritur consensus ad validam Sacramentorum susceptionem, 16. 45. sufficit tamen intentio etiam habitualis, & interpretativa, ibidem non est necessarium ad omnia Sacramenta recipienda accedere in statu gratiæ, sed satis est accedere cum detestatione, ac pœnitudine peccatorum, 16. 46. graviter peccat non sic accedens ad aliquod Sacramentum, 16. 47. datur major, vel minor gratia juxtà dispositionem meliorem, vel minus perfectam, 16. 48. probabile est non solùm Baptismum, sed etiam Ordinem, & Confirmationem sine debita dispositione susceptа remoto obice suum conferre effectum, 16. 49. non autem cætera Sacrament, 16. 50. quando à malis Ministris liceat Sacramenta recipere, & quando non, 16. 51. Sacramenta Ecclesiæ sunt septem, nec plura, nec pauciora, 16. 53. congruentia talis numeri, 16. 54. ritus conficiendi Sacramenta alter est essentialis, & alter accidentalis, 16. 55. multiplex ordo inter Sacramenta considerari potest, 15. 56. Sacramenta sunt ad salutem necessaria solùm ex suppositione, seù suppositа Christi institutione, 16, 58. necessitas duplex, alia medii, alia præcepti, 16. 59. Baptismus, & Pœnitentia sunt necessaria necessitate medii, 16. 60. Ordo, & Matrimonium sunt toti Ecclesiæ communitati simpliciter necessaria vagè non determinando personas, 16. 61. Eucharistiæ Sacramentum est necessarium solùm necessitate præcepti, 16 62. Sacramentum Confirmationis, & extremæ Unctionis licet sint maximè utilia, non tamen sunt necessaria necessitate medii, neque præcepti, 16. 63.

Sacrificium. V. Missa.

Sacrilegium quid sit, & quotuplex, & quæ ejus pœnæ, 11. 35. & seq.

Satisfactio dupliciter sumi potest generaliter, & specialiter, 21. 263. post remissionem culpæ, & pœnæ eternæ remanet aliqua temporalis pœnam hoc, vel futuro sæculo luenda, ibidem. ut actio satisfactoria sit pars Sacramenti pœnitentiæ, debet à Sacerdote imponi, ibidem. in uno sensu dici

dici potest pars essentialis hujus Sacramenti, in alio integralis, 21. 264. confert remissionem pœnæ temporalis post absolutionem à culpa restantis ex opere operato, 21. 265. non tantùm pœnæ temporalis remissio est ejus effectus, sed etiam aliquo modo culpæ per collationem gratiæ, 21. 266. an sufficiat ad remittendam pœnam temporalem peccatis debitam, 21. 267. quò est major, vel minor, majorem, vel minorem pœnam remittit, 21. 268. Sacramenta inæqualem conferunt gratiam pro majori, vel minori recipientis dispositione, 21. 269. regula ad assignandum quantam pœnam satisfactio Sacramentalis in sui executione remittat, 21. 270. opus satisfactorium debet esse liberum & voluntarium, ac etiam debet esse honestum, ac moraliter bonum, 21. 271. potest opus aliàs debitum pro pœnitentia imponi, 21. 272. tamen regulariter, & justa causa cessante tale esse non debet, 21. 273. etiam actus interni pro pœnitentia interdum possunt injungi, 21. 274. ac etiam non pœnales, regulariter tamen debent esse pœnales, 21. 275. satisfactio etiam adimpleta in peccato mortali pœna luenda, 21. 279. quomodo se gerere debeat Confessarius in imponenda satisfactione, 21. 280. regulariter loquendo pœnitentia imponi debet per modum præcepti, & non sufficit per modum consilii, 21. 281. non potest pœnitens absolutè loquendo, & regulariter reiicere pœnitentiam sibi à Confessario injunctam, 21. 282. tenetur etiam pœnitens sub mortali implere satisfactionem impositam, nisi impotentia impediat, 21. 283. potest pœnitens ex rationabili causa satisfactionem impositam non acceptare petendo ut alia sibi imponatur, 21 284. regula servanda in satisfactionibus imponendis, ibid. in quo casu possit pœnitens satisfactionem etiam moderatam à Confessario impositam non acceptare, & adhuc absolvi debeat, 21. 285. quo tempore pœnitentia à Confessario injuncta impleri debeat, 21. 286. pœnitens tenetur per seipsum implere pœnitentiam injunctam, nec sua auctoritate post aliam substituere, nec etiam Sacerdotis, 21. 287. non potest pœnitens propria auctoritate pœnitentiam sibi injunctam commutare etiam in opus evidenter melius, 21. 289. potest tamen permutari ab alio Confessario æquali, & simili auctoritate prædito, 21. 291. non potest permutari ab alio inferiori pœnitentia pro reservatis imposita, 21. 192. talis permutatio fieri nequit, nisi audiendo, & absolvendo eadem peccata anteà confessa, 21. 295. quomodo idem Confessarius possit pœnitentiam à se impositam commutare absque nova auditione, & absolutione, 21. 297.

Sigillum Confessionis quid sit, 21. 246. obligat jure naturali, & jure divino positivo, ac etiam Ecclesiastico, 21. 247. quanta sit hæc obligatio, 21. 248. quos hoc sigillum obliget, 21. 249. quos non obliget, 21. 250. probabalius est nec de licentia pœnitentis posse Confessarium peccata ejus revelare, 21. 251. de quibus rebus celandis sit talis obligatio, 21. 251. & seq. quomodo debeat respondere Confessarius, si interrogetur de peccatis in Confessione auditis, 21. 254. pœnitens non tenetur ad sigillum respectu eorum, quæ Confessarius ipsi dixit, vel injunxit in hujus Sacramenti administratione, 21. 255. quomodo Sacerdos uti possit scientia per Confessionem habita sine violatione sigilli, 21. 257. & seq. plures casus decisi in materia de sigillo Confessionis, 21. 260. & sequent. nullum est tam grave malum, quod fractioni sigilli Confessionis præponderet 21. 261.

Simonia, quid sit, 14. 79. quid, & quotuplex sit pretium, quod pro re spirituali tradi solet, & ratione cujus Simonia committitur, 14. 80. Simonia dividitur in eam, quæ est juris divini, & eam, quæ est juris humani, 14 81. dividitur rursus in mentalem, conventionalem, & realem, 14. 82. est prohibita jure naturali, divino, & humano, 14. 83. est peccatum mortale, & valdè grave ex genere suo, 14. 84. per se opponitur virtuti Religionis, per accidens justitiæ, ibidem. nec fieri potest veniale ex parvitate materiæ, sed tantùm ob actus imperfectionem, vel ignorantiam, ibidem. est adeò mala, ut neque per divinam potentiam licita fieri possit, 14, 85. quæ ad rationem Simoniæ requirantur, 14. 86. regula generalis ad dignoscendum in quibus casibus Simonia committatur, vel non, 14. 87. possunt Sacerdotes pro Missis, & exequiis celebrandis stipendium accipere absque Simonia ratione laboris, & per modum eleemosynæ, & sustentationis, 14. 88. occasione rei spiritualis accipi potest aliquod temporale titulo gratitudinis citrà Simoniam, dummodò pactum non intercedat, 14. 89. Simonia non est promittere, aut donare alicui rem temporalem sub conditione, ut ab illo opus spirituale præstetur, 14. 90. non est Simonia dare pecunias nolenti baptizare, nisi iis receptis, ad redimendam talis negationis vexationem, 14. 91. quando Simonia committatur in beneficiis, & quando non, 14. 94. titulus redimendæ vexationis excusat à Simonia tradentem aliquod temporale, 14. 95. quomodo habens jus litigiosum in beneficio possit sine Simonia dare aliquid alteri tale jus petenti, ut non prosequatur jus suum, 14. 96. non potest aliquid recipi pro ipso Religionis ingressu, benè tamen pro sustentatione ingredientis, 14. 97. nec etiam pro actibus jurisdictionis spiritualis ad forum conscientiæ pertinentibus potest absque Simonia pretium exigi, ibid. pœnæ à jure contrà Simoniacos institutæ non incurruntur, nisi ob Simoniam commissam in Ordine, in Beneficiis, ac Religionis ingressu, 14. 98. conferens Ordines, ac recipiens cum Simonia reali, & completa est ipso facto excommunicatus, ac etiam aliis pœnis obnoxius, 14. 99. sic etiam conferens & recipiens beneficium est ipso facto excommunicatus, & collatio, ac provisio beneficii nulla est, ac irrita, 14. 100. quid beneficii nomine intelligatur, ibidem. quando excommunicentur tam dantes, quàm recipientes aliquid pro Religionis ingressu, 14. 101. ad talem excommunicationem incurrendam requiritur Simonia realis, & completa, 14. 102. pœnæ etiam prædictæ inflictæ sunt contrà eos qui Simoniam confidentialem committunt, ibidem. quid dicendum sit de restitutione debita propter Simoniam, 14. 103. in quas personas cadere possit vitium Simoniæ, 14. 104.

Societatis contractus plures sunt species, 5. 128. quid sit societas lucratoria, 5. 129. conditiones ad eam requisitæ, ut justè fiat, 5. 130. quomodo fieri debeat divisio lucri in societate, 5. 131. & seq. quomodo sit habenda ratio damnorum, & expensarum inter socios, 5. 133. & seq. quomodo in hoc contractu fieri possit, ut quis suam sortem servet indemnem, 5. 136. contractus assecutionis non destruit contractum societatis quoad substantiam, 5. 138.

Spes virtus theologica quid sit, & quinam actus ejus præcipuus, 10. 32. dantur præcepta spei tam affirmativa, quàm negativa, 10 33. quandonam præceptum Spei affirmativum obliget per accidens, 10. 34. quando obliget per se, & directè, 10. 35. quandonam homines huic præcepto satisfaciant, 10. 36. quomodo actus spei sit necessarius ad salutem, 10. 37. timor duplex, scilicet, filialis, & servilis, & quando præceptum de actu timoris obliget, 10. 38. contra spem peccatur peccato omissionis, & commissionis, 10. 39. quid sit desperatio, 10. 40. quàm grave peccatum sit desperatio, quæ ejus radix, & remedium, 10. 42 an possit esse sine infidelitate, 10. 43. per quem disperationis actum habitus fiedei corrumpatur, 10 44. quid sit præsumptio, 10. 45 per quem præsumptionis actum habitus spei corrumpatur, 10 46.

Sponsalia matrimonio prævia quid sint, 20. 64. quæ, & quot ad Sponsalium valorem requirantur, 20. 65. possunt Sponsalia clam, & privatè inter ipsos promittentes iniri, non solùm validè, sed etiam licitè, 20. 66. ad validè ineunda Sponsalia requiritur septenarium completum, itaut ultimus dies saltem sit inchoatus, 20. 68. non valent sponsalia antè septenarium, etiamsi malitia suppleat ætatem, 20. 69. probabilius est non peccare mortaliter, qui sponsalia contrahit antè legitimam ætatem à jure præscriptam, 20. 70. sponsalio valida obligant in foro conscientiæ sub mortali, 20. 71. injustè à sponsalibus resiliens potest, & debet cogi in foro externo, 20. 72 quando tamen timetur periculum mali exitus non est cogendus, ibidem. sponsalia non addunt fornicationi Sponsæ, vel Sponsi cum alia persona novam malitiam, 20. 73. ad quid teneatur qui votum simplex. castitatis emisit, & Virginem defloravit cum promissione matrimonii, 20. 74. qui sub spe fictæ promissionis Virginem defloravit eam ducere tenetur sub mortali in uxorem, nec damno illato satisfacit constituendo ei dotem sufficientem, 20. 76. & hoc est asserendum etiamsi sponsores disparis sint conditionis in nobilitate, & divitiis, ibidem. si promittens habeat animum se obligandi, non tamen promissum implendi, adhuc verè sponsalia contrahit & manet obligatus ad standum promissis, 20. 77. promissio verò matrimonii externa solis verbis, & oretenus facta absque animo promittendi non sufficit ad sponsalia, & in foro externo non obligat, ibidem. promissio etiam facta animo promittendi, sed cum animo non se obligandi non est valida ad obligandum, 20. 78. fieri tamen potest, ut ob aliam rationem servanda sit promissio, ut ratione vitandi scandali, vel alterius gravis incommodi.

Sponsalium dissolutio fieri potest per mutuum consensus, & mutuam sponsorum remissionem liberè factam, 20. 79. quod debet intelligi de sponsalibus puberum, non impuberum,

berum, ibidem. possunt quoque dissolvi per Religionis ingressum, & quomodo, 20. 80. quando unus ex sponsis vovet castitatem, alter liber manet à sponsalibus, ac etiam ipse vovens, 20. 81. dissolvuntur etiam sponsalia per subsequens matrimonium cum alia de præsenti contractum, 20. 82. quomodo sponsalia dissolvantur, & cesset obligatio, ibidem. fornicatio sponsi, vel sponsæ sponsalibus superveniens præbet innocenti jus ea dissolvendi, 20. 84. ob fornicationem sponsæ post sponsalia commissam, vel etiam antè, & solùm posteà cognitam possunt ex parte sponsi dissolvi, ibidem. quando sponsalia dissolvantur etiam per lapsum termini præfixi ad matrimonium contrahendum, & quando non, 20. 95. dissolvuntur etiam per discessum alterius sponsi in partes longinquas absque consensu alterius partis, ibidem. possunt tandem sponsalia dissolvi per notabilem aliquam mutationem post sponsalia contractui supervenientem, 20. 86. quando licet à sponsalibus propria auctoritate resilire, & quando sit opus auctoritate Judicis, ibidem.

Suffragium quid sit, & quotuplex, & quibus applicari possit, 23. 71. fideles possunt se invicem juvare etiam ad satisfaciendum pro pœnis temporalibus debitis pro peccatis, 23. 73. quomodo id fieri possit, 23. 74. hæc satisfactio effectum habet infallibilem in eo, cui applicatur, 23. 75. & est de condigno, & de justitia, 23. 76. quomodo suffragia pro aliis oblata prosint fideli ea offerenti, 23. 77. possunt etiam prodesse defunctis in Purgatorio ad remissionem pœnarum, 23. 78. quænam conditiones requirantur ex parte illius, pro quo suffragia offeruntur, 23. 80. quæ requirantur ex parte offerentis, 23. 32. & sequ. intentio applicandi suffragium pro aliquo qualis esse debeat, 23. 84. secundùm legem Dei ordinariam suffragia prosunt Defunctis solùm per modum satisfactionis, tamen secundùm extraordinariam etiam per modum impetrationis prodesse possunt, 24. 54. suffragia prosunt Defunctis per modum justitiæ, & non misericordiæ tantùm, 24. 56. cur hoc non obstante offeruntur adhuc Deo orando, & obscurando, 24. 57. infallibiliter acceptantur à Deo, si adsint omnia requisita, 24. 58. quid obtineant suffragia pro defunctis, 24. 59. suffragium pro pluribus oblatum non habet in singulis tantùm valorem, ac si pro uno offerretur, 24. 60. opus quodcunque bonum potest esse satisfactorium, & pro suffragio inservire, 24. 63. possunt etiam ut satisfatoria applicari defunctis opera aliàs debita, 24. 64. in exequenta legata testatoris status gratiæ non est necessarius, ut illi valeant, 24. 67. quomodo opera facta in persona alterius prosint ad satisfactionem pro principali, 24. 68. quomodo, & quando dilatio restitutionis à testatore relictæ sit causa longioris dilationis pœnarum in Purgatorio, 24. 69. soli viatores animabus Purgatorii suffragari possunt per modum satisfactionis, Beati verò tantùm per modum impetrationis, 20. 70. de fide tenendum est animas justorum post discessum ex mortali corpore, si nihil purgandum habuerint, statim, si autem aliquid purgandum habuerint, cùm purgatæ, & expiatæ fuerint, essentialem beatitudinem in Cœlis consequi, 24. 72. quarè animæ justorum veteris testamenti in Limbo detinerentur antè Christi adventum, & mortem, 24. 75. hoc autem intelligendum est post Christi adventum, & ejus mortem, 24. 76. duplex est judicium, unum particulare post hanc vitam, in quo datur præmium animæ, aliud generale in novissimo die, in quo datur præmium corporis, hoc publicè, illud privatim, 24. 77. animæ resumptis corporibus futuræ sunt beatores accidentaliter tantùm, non essentialiter, 24. 81.

Supensio quid sit, 13. 86. qui suspensionem violat, mortaliter peccat, nisi materiæ levitas excuset, ibidem. quotuplex sit suspensio, 13. 87. quomodo prohibitio, qua quis ab ingressu Ecclesiæ prohibetur, sit quædam Suspensionis species, 13. 88. quomodo Suspensio differat ab aliis Censuris, & pœnis Canonicis, 13. 89. quomodo præsertim differat à Depositione, & Degradatione, ibidem. Suspensio ferri non potest, nisi ob culpam propriam illius, qui suspenditur, quæ etiam sit mortalis, 13. 90. quinam possint suspendere, vel suspendi, ibidem. quomodo Collegium, vel Capitulum suspendi possit, 13. 91. quot sint Suspensiones à jure, quæ contrahuntur à Clericis in ipsa ordinatione peccantibus, 13. 92. quinam sint effectus Suspensionis ab officio simpliciter, & absolutè latæ, 13. 93. & sequent. non privat beneficio habito, neque fructibus ejus, reddit tamen suspensum inhabilem ad aliud beneficium obtinendum, 13. 95. Suspensio ab officio partialis ab ea parte officii tantùm suspendit, quæ per verba indicatur, & ab aliis partibus, quæ in ea parte implicitè includuntur, ab aliis verò nequaquam, 11. 96. suspensio à beneficio privat perceptione fructuum illius, 13. 97. & si eos capiat suspensus peccat mortaliter, & ad restitutionem tenetur, 13. 98. quinam sint effectus prohibitionis ab ingressu Ecclesiæ, ut est species Suspensionis, 13. 99. quænam sint causæ Suspensionis, 13. 100. quibus modis Suspensio impediri possit, & quibus tollatur incursa, 13. 101. à quo possit auferri suspensio à jure lata, 13. 102. à quo possit auferri suspensio ab homine lata, 13. 103. quid dicendum, si sub conditione sit lata, ibidem. quid dicendum de forma absolutionis ab hac censura, 13. 104.

T.

TActus, & oscula, ac impudici amplexus inter solutos prohibentur sexto Decalogi præcepto, 11. 139. triplex delectatio in actibus est distinguenda, ibidem. V. Luxuria.

Testamentum quid sit, 4. 51. duplex est, scriptum, & nuncupativum, 4. 52. validum est testamentum in foro conscientiæ etiamsi desint ei solemnitates à legibus requisitæ, ibidem. qui testari, vel non testari possint, 4. 53. quinam possint hæredes instituì, & qui non, 4. 54. testamentum, & legatum absolutè factum potest à testatore revocari, 4. 55. juramento autem firmatum validè quidem revocari potest, non tamen licitè, nisi in aliquo speciali casu, 4. 56.

Testis quid sit, & qualis esse debeat, ac ejus conditiones, 6. 49. non tenetur ex justitia se offerre ad testificandum, 6. 50. quando ex charitate teneatur, ibidem. legitimè interrogatus etiam ex justitia veritatem dicere tenetur, quando delictum plenè probari potest, 6. 51. secus autem quando delictum est occultum, nec plenè probari potest, 9. 52. in quibus casibus etiam legitimè interrogatus testari non teneatur, 6. 53. quomodo peccet testis à Judice citatus subtrahendo se à testimonio, 6. 55. testes singulares plenam non faciunt probationem, 6. 56. quomodo liceat testi pro testimonio ferendo aliquid accipere, & quomodo non, 6. 57.

Thesauri inventi dominium ad quos pertineat, 3. 49. an sciens in agro alieno latere thesaurum possit agrum illum emere communi pretio sine ulla restitutionis obligatione, 3. 50. V. Dominium.

Timor gravis, vel levis quinam sit, & quando justè, vel injustè incussus, 4. 19.

Titulus est dominii fundamentum, traditio autem conditio, 3. 6. V. Dominium.

Tonsura Clericalis non est Ordo, neque Sacramentum, sed dispositio, & præparatio ad Ordines suscipiendos, 19. 5. V. Ordo.

Transubstantiatio Eucharistica quid importet, 18. 38. V. Eucharistia.

Tributi nomine quid intelligatur, 6. 13. debet imponi ab eo, qui legitimam habet auctoritatem, 6. 14. causa imponendi tributum debet esse justa, 6. 15. in tributorum impositione proportio geometrica est servanda, 6. 16. necessaria est etiam proportio tributi cum necessitate, vel causa propter quam exigitur, 6. 17. quibus in rebus tributa imponi possint, ac debeant, 6. 18. V. Gabella.

Tutores, & Curatores, qui parentum loco succedunt, ad quid teneantur, 11. 98.

V

VAgi, & peregrini tenentur legibur loci, per quem transeunt, 22. 119. V. lex humana.

Venatio an obliget venatores ad restitutionem, 9. 91. quid dicendum de animalibus silvestribus ab aliquo captis, & posteà ejus potestatem evadentibus, ibidem. Columbaria sunt licita ex natura rei, nisi alicubi aliqua lege prohibeantur, 9. 92. quomodo liceat, & quomodo non aliorum Columbas ad proprium Columbarium allicere, ibidem. quando liceat eas occidere, dum extrà Columbarium vagantur, & quando non, 9. 93. quomodo justè possit Princeps venationem, vel piscationem prohibere in locis communibus, 9. 94. quomodo possit unusquisque venationem prohibere in agro suo, 9. 95. quomodo peccet qui venatur, vel piscatur contrà prohibitionem justam, 9. 96. quando fera ab uno vulnerata, & posteà ab alio capta sit vulneranti, & quando capientis, 9. 98. quid dicendum, si contingat feram, quam ego prosequor, incidere in tuum laqueum, 9. 99.

Veniale peccatum potest remitti extrà Sacramentum per contritionem, & in Sacramento per attritionem, 21. 82. in homi-

homine juſto extrà Sacramentum etiam per attritionem deleri poteſt, ac etiam per actus aliarum virtutum, qui æquè Deo placeant, ac veniale diſplicuit, 21. 83. veniale etiam per Sacramentum remittitur ex opere operato, 21. 85. qualis diſpoſitio in juſto ad hoc ſufficiat, ibid. quomodo etiam per Sacramentalia peccatum veniale remittatur, 21. 87. veniale poteſt remitti ſine mortali, cui erat conjunctum, 21. 90. ad ejus remiſſionem gratiæ habitualis infuſio non requiritur, ibid. venialia poſſunt quoque in alia vita remitti, & quomodo, 21. 92. & ſeq. V. Pœnitentia.

Vitia, ſeù peccata capitalia quæ ſint, & quarè talia dicantur, 15. 136. quid ſit ſuperbia, quæ eſt primum capitale peccatum, 15. 137. tres ſunt ejus ſpecies, quæ & ejus filiæ ſolent appellari, 15. 138. quid ſit avaritia, & quando ſit mortale peccatum, vel veniale, 5. 139. quæ, & quot ſint filiæ avaritiæ, 15. 140. quid ſit luxuria, & quæ ejus ſpecies, ac filiæ, 15. 141. quid ſit invidia. 15. 142. quæ, & quot ſint filiæ invidiæ, 15. 143. quid ſit ira, 15. 144. quæ, & quot ſint filiæ iræ, 15. 145. quid ſit gula, 15. 146. quid de ebrietate dicendum, 15. 147. quæ, & quot filiæ gulæ, ibidem. quid ſit acedia, 15. 148. quæ, & quot ſint ejus filiæ, 15. 149. remedium contrà acediam, ibidem.

Vitia virtuti Religionis oppoſita ſunt duplicis generis; quædam oppoſita per exceſſum, & quædam per defectum, 11. 25. Superſtitio cum ſuis ſpeciebus opponitur ei per exceſſum, ibidem. prima ejus ſpecies eſt Idololatria, & quid ſit, & quàm grave peccatum, 11. 26. ſecunda ſpecies ſuperſtitionis eſt Magia diabolica, & quid ſit, & quàm grave peccatum, 11. 27. tertia ſpecies ſuperſtitionis eſt divinatio, & quid ſit, & quàm grave peccatum, 11. 28. quid de Aſtrologia dicendum ſit, ac de ſacrilegio, 11. 29. quarta ſpecies eſt vana obſervatio, cujus etiam variæ ſunt ſpecies, 11. 30. & ſequent. quinta, & ultima eſt maleficium, quid ſit, & quotuplex, 11. 31. quid ſint vitia Religioni oppoſita per defectum 11. 32. quid ſi tentatio Dei, & quale peccatum, 11. 34. Sacrilegium quid ſit, & quotuplex, 11. 35. quid ſit Sacrilegium perſonale, locale, & reale, 11. 36. quæ ſint pœnæ Sacrilegii, ibid.

Vitia Fidei, Spei, & Charitati oppoſita, V. Fides, Spes, Charitas.

Unctionis extremæ nomine, quid intelligatur, 21. 1. eſt verum, & proprium novæ legis Sacramentum, 22. 2. ex quo Scripturæ loco id deduci debeat. ibidem. fuit à Chriſto Domino immediatè inſtitutum, 22. 11. & poſt reſurrectionem, quando Jo: 20. inſtituit pœnitentiæ Sacramentum, 22. 13. ejus definitio aſſignatur, 22. 16. ejus materia remota eſt oleum ab Epiſcopo benedictum, 22. 18. ejus materia proxima eſt unctio, 22. 19. quomodo oleum etiam balſamo mixtum poſſit eſſe valida hujus Sacramenti materia, 22. 20. per quod differat hoc Sacramentum à Confirmatione, 22. 21. benedictio olei eſt neceſſaria neceſſitate Sacramenti, & non tantùm præcepti, 22. 22. ex diſpenſatione Summi Pontificis poteſt hæc benedictio ſimplici Sacerdoti committi, 22. 24. hæc benedictio certum ritum, & formam verborum non requirit, 22. 25. quænam ſit forma hujus Sacramenti, 22. 26. quæ verba in forma hujus Sacramenti ſint de eſſentia, & quæ tantùm de præcepto, 22. 27. & ſeq. forma deprecatoria eſt ſufficiens ad hujus Sacramenti validitatem, 22. 30. probabile eſt etiam formam indicativam eſſe ſufficientem, 22. 31. ſed probabilius oppoſitum, 22. 32. qui ritus obſervari debeat in hoc Sacramento perficiendo, & quot unctiones requirantur, 22. 33. & ſeq. unctio renum & pedum non eſt de neceſſitate Sacramenti, 22. 35. nec etiam quinaria ſenſuum unctio videtur de eſſentia hujus Sacramenti, 22. 36. poſſunt quinque ſenſus inungi ſub una tantùm forma omnibus partialibus formis æquivalente, 22. 37. probabile eſt in caſu neceſſitatis unam ſufficere unctionem, & ſub una forma omnes ſenſus exprimente, 22. 38. & ſeq. materia proxima hujus Sacramenti debet eſſe certa, & determinata, non vaga, & confuſa, 22. 40. hoc Sacramentum eſt unum unitate ſpecifica, ac etiam numerica, 22. 42. eſt unum unitate integritatis, non indiviſibilitatis, 22. 44. & ſeq. hoc Sacramentum in varis infirmitatibus iterari poteſt, non in eadem, 22. 47. quando, & quomodo etiam in eadem infirmitate iterari poſſit, 22. 48. inter unam, & aliam unctionem notabilis differentia temporis interponi debet, 22. 49.

Unctionis extremæ effectus quinam ſint, 22. 50. & ſeq. quid ſit intelligendum nomine reliquiarum peccati, ibidem. tres ſunt præcipuè hujus Sacramenti effectus, 22. 52. roborare animum infirmi contra tentationes non eſt effectus principalis, & primariò intentus, 22. 53. ſed eſt remiſſio finalis venialium, 22. 54. talis effectus cauſatur ab hoc Sacramento ex opere operato, 22. 55. quæ diſpoſitio ex parte ſuſcipientis requiratur ad illum conſequendum, 22. 56. poteſt etiam mortalia remittere invincibiliter ignorata per accidens, & ſecundariò, 23. 57. gratia non confertur in hoc Sacramento per Unctionem, quæ ſit ultima ex intentione Miniſtri, 22. 59. neque quando unctiones faciendæ completæ ſunt, vel ſi omnes non ſunt faciendæ, quando ultima ex faciendis completa eſt, 22. 61. neque præcisè per ultimam ex quinque unctionibus, 22. 61. neque præcisè per primam, 22. 63. ſed per ſingulas unctiones dantur ſinguli gradus, & portiones gratiæ, 22. 64. quando hoc Sacramentum tribuat corporis ſanitatem, 22. 66. ſolus homo viator, & baptizatus eſt ſubjectum hujus Sacramenti capax, 22. 68. debet etiam eſſe adultus, & uſum rationis habens, 22. 68. & ſi de facto illum non habeat, ſufficit quod aliquando habuerit, nec obicem poſuerit, 22. 70. at perpetuò amentes hoc Sacramentum ſuſcipere nequeunt, 22. 71. item ut homo ſit hujus Sacramenti ſubjectum capax, debet eſſe graviter infirmus, ita ut de vita periclitetur, 22. 72. ad valorem hujus Sacramenti ſufficit, quod morbus putetur probabiliter periculoſus, licet reipſa non ſit talis, 22. 75. ad validitatem hujus Sacramenti requiritur, quod ejus ſubjectum aliquando peccaverit actualiter, licet actu peccatum non habeat, 22. 76.

Unctionis extremæ ſuſceptio non eſt de præcepto, ſed tantùm de conſilio, 22. 79. antè hujus Sacramenti ſuſceptionem Confeſſio, & Communio præmitti debent, 22. 81. facta hac præparatione ad hoc Sacramentum ſuſcipiendum non eſt neceſſaria ulterior diſpoſitio poſitiva, ſed ſufficit negativa, ideſt, non ponere obicem, 22. 82. ſolus Sacerdos eſt hujus Sacramenti idoneus Miniſter, 22. 84. quilibet Sacerdos poteſt validè illud adminiſtrare, 22. 85. non tamen licitè, niſi in extrema neceſſitate, vel de proprii Paſtoris licentia ſaltem tacita 22. 86. quomodo validè poſſit hoc Sacramentum à pluribus confici, 22. 87. non tamen conferetur licitè, 22. 88. Parochus ex juſtitia, & præcepto ad mortale obligante tenetur hoc Sacramentum ſuis ſubditis miniſtrare, 22. 90. alius verò Sacerdos non, niſi ex motivo charitatis, & ſub veniali, 22. 91. quando Parochus tempore peſtis cum periculo vitæ teneatur hoc Sacramentum adminiſtrare, & quando non, 22. 93.

Votum quid ſit, 11. 59. quotuplex ſit, 11. 60. quæ deliberatio, & intentio ad validitatem voti requiratur, 11. 61. quid dicendum de voto ex errore, vel dolo emiſſo, 11. 62. quas conditiones debeat habere materia voti, ut ſit idonea, 11. 63. qualis, & quanta ſit obligatio voti, 11. 64. & ſequ. quibus modus hæc obligatio ceſſare poſſit, 11. 66. & ſeq. quænam perſonæ votum emittere poſſint, 11. 68.

Votum Obedientiæ ad quæ Religioſum obliget, 14. 22. & ſeq. V. Obedientiæ votum.

Votum Caſtitatis obligat Religioſum omnes venereas delectationes à ſe abdicare etiam aliàs in ſtatu conjugali licitas, 14. 31. violatio Caſtitatis in Religioſo duplicem habet malitiam ſpecificam in confeſſione exprimendam, ſcilicet, luxuriæ contrà temperantiam, & ſacrilegii contrà Religionem, ibid. quomodo confitendæ ſint circumſtantiæ voti Caſtitatis Religioſæ, & annexæ Ordini Sacro, 14. 32 ob Caſtitatem à Religioſis ſervandam prohibitum eſt eis ab Eccleſia intrà ſua Monaſteria fœminas admittere, 14. 33. in quibus caſibus licitus ſit talis ingreſſus, ibidem. ob eandem caſtitatem ſervandam præcipitur Monialibus non admittere in ſuis Monaſteriis quaſcunque perſonas ſivè viros ſive fœminas, 14. 34. cauſæ legitimæ permittendi talem ingreſſum, ibid. & ob eandem rationem nequeunt Moniales profeſſæ à Monaſterio exire etiam ad breve tempus, 14. 35. cauſa legitimæ permittendi talem egreſſum, ibid. pœnæ quas Religioſi incurrunt admittentes fœminas in ſua Monaſteria, 14. 36. pœnæ contrà ingredientes Monaſteria Monialium, ibid. quomodo, & quando præfatæ pœnæ obligent, ibid. pœnæ quas Religioſus incurrit ob nefandum Sodomiæ peccatum, 14. 37. ad majorem hujus voti obſervantiam lapſus carnis voluntarius opere conſummatus à Superioribus regularium reſervari poteſt, ibidem.

Votum paupertatis quid ſit, 14. 38. ad quid obligetur Religioſus voto paupertatis, 14. 39. non repugnat voto paupertatis, quod Religioſi habeant bona in domum etiam immobilia, 14. 40. modus ſpecialis, quo Religioſi tenentur ſervare votum paupertatis, eſt vivendo vita communi, 14. 41. in Monaſteriis; in quibus ob eorum paupertatem vita communis obſervari non poteſt, Religioſis aliquod peculium permitti poteſt, 14. 42. in eis ſervandum eſt publicum Ærarium, ac De-

ac Depositum, 14.43. & illæ pecuniæ singulis Religiosis reservatæ à publicis Monasterii Officialibus expendi debent, 14.44. in quibusdam tamen casibus permitti potest, ut ab ipsis Religiosis expendantur, ibidem. potest etiam Religiosus de licentia Prælati aliquas facere eleemosynas moderatas, 14.45. licet etiam concedere Religioso benemerito, ut aliquam ex suis eleemosynis cognatis pauperibus elargiatur, ibidem. quando Religiosi vitam communem non observantes proprietarii sint censendi, 14.46. undè proveniant, quod in quibusdam Religionibus vita communis exacta non servatur, 14.47. & seq.

Usura quid sit, & quotuplex, 5.43. & seq. regula generalis ad dignoscendum, quando contractus est usurarius, 5.45. usura illicitæ est, grave peccatum, 5.46. usura mentalis, quid sit, 5.48. usurarius non acquirit dominium accepti ultrà sortem, nec habet justum titulum acquirendi illud, 5.81. & 84. quæ obligatio, & pœna sit usurariorum, & cooperantium, 5.93. V. Mutuum.

Usufructus quomodo à dominio differat, 3.7. usus quid sit, & quotuplex, 3.8. etiam in rebus usu consumptibilibus usus à dominio distinguitur, 3.9. dominium propriè dictum quid dicat super usum rei, 3.10. Fratres Minores non habent dominium rerum, sed tantùm nudum usum, & facti, 3.12. V. Dominium.

BIBLIOTECA PROVINCIALE

FINIS.

"Signat" Top"
Pal. 31
Tab. 4ª
Num. 11

A-1883
3422